G G G

G G

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S M
47 - F
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

53.2.11.
53
A
4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.47.F.14



Controuersiarum

ROBERTI BELLARMINI S.R.E. CARDINALIS AMPLISSIMI DEFENSIO.

Tomus Primus de Verbo Dei.

ADVERSVS

VVITACKERVM, IVNIVM, DANÆVM, SIBRANDVM, HVNNIVM; aliosque sectarios.

AVCTORE

JACOBO GRETSERO SOCIET. JESV, SS. THEOLOGIAE DOCTORE, ET IN Academia Ingolstadiensi Professore.

Cum gratia & priuileg. sacræ Cæs. Maiest.

ANNO M. DCVII.

INGOLSTADII EX TYPOGRAPHIO ADAMI SARTORII

Digitized by Google

Digitized by Google



CLAVDIO AQVAVIVAE SOCIETATIS IESV PRAEPOSITO GENERALI.

QVINAS ESSE POTISSIMVM HÆRETICORVM notas seu proprietates, *Admodũ Reuerẽde in Christo Pater*, colligimus ex iis, quæ 2. ad Timot. 5. scribit Apostolus. Prima est; *Sanam doctrinã non sustinere*: Altera; *ad sua desideria coaceruare sibi Magistros*, seu *doctores*. Tertia; *habere pruriẽtes aures*. Quarta; *à veritate auditũ auertere*. Quinta; *ad fabulas cõuertere*.

Quæ insignia splendidè in hodiernis Nouatoribus relucent. Quantus enim apud illos sanæ, hoc est, auitæ, & à maioribus nostris traditæ doctrinæ contemptio? Quanta despicientia? Quãta eorundẽ libido in cumulandis, & multiplicandis Magistris, & Ecclesiastis; qui ad auditorum cupiditatẽ sese accõmodantes, nil nisi mel, melimela; sesamũ, & papauer loquantur; *perq; dulces sermones & benedictiones corda innocentiũ seducant*. Rõ. 16. Quãdo plures exstiterunt κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν; quibus aures immẽsa prurigine tenerentur; quiq; circumcursare nõ desinerent, donec reperissent; quorum molli contactu scalperentur & titillarentur?

Iam verò aures à veritate auertere, & ad fabulamenta cõuertere; tam vsitatũ & solenne est, nostris præcipuè sectariis, vt rectè olim Clemens Alexand. lib. 7. Stromat. dixerit: *Omnẽ hæresin ab initio habere aures, q̃ nõ audiant, quod est vtile*, (hoc est, aures veritatis auersatrices) *sed solùm pateant iis, quæ dicuntur ad voluptatẽ*; Nec

surdi duntaxat sunt; sed & cœci ad veritatē; sic enim nō iniuriâ appellantur à beato Martyre & Præsule Ireneo. lib. 5. cap. 20.

Cum olim pius Rex Ezechias reliquias Israëlis ad verum Dei cultum traducere totis viribus studeret; *misit ad omnem Israël, & Iudam; scripsitq; Epistolas ad Ephraim, & Manassen, vt venirent ad domum Domini in Ierusalem; & facerent Phase Domino Deo Israël.* Consilio cum multitudine communicato, *decreuerunt, vt mitterent nuncios in vniuersum Israël, de Bersabée vsq; Dan, vt venirent, & facerent Phase Domino Deo Israël, in Ierusalem, &c. Perrexeruntq; cursores cum epistolis ex regis imperio, & Principum eius, in vniuersum Israël, & Iudā, iuxta id, quod Rex iusserat, prædicantes: Filij Israël reuertimini ad Dominū Deū Abraham, & Isaac, & Israël: & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manus Assyriorū. Nolite fieri sicut Patres vestri, & fratres, qui recesserunt à Domino Deo Patrū suorum, & tradidit eos in interitū, vt ipsi cernitis. Nolite indurare ceruices vestras, sicut Patres vestri: tradite manus Domino, & venite ad sanctuariū eius, quod sanctificauit in æternū: seruite Domino Deo Patrū vestrorū & auertetur à vobis ira furoris eius. Si n. vos reuersi fueritis ad Dominū, fratres vestri, & filij habebunt misericordiā coram dominis suis, qui illos duxerūt captiuos, & reuertentur in terrā hanc. Pius enim, & Clemens est Dominus Deus vester, & nō auertet faciē suam à vobis, si reuersi fueritis ad eū.*

Quid actū? *Cursores pergebāt velociter de ciuitate in ciuitatē per terrā Ephraim, & Manasse, vsq; ad Zabulō, illis irridentib. & subsannantib. eos.* 2. Paral. 30. En optimi incœpti & saluberrimi decreti fructū.

Idem prorsus hac nostra tempestate cum Germanis aliisque ad septentrionem nationibus accidit; quibus in hęresin miserabiliter delapsis, & ab Orthodoxa religione abductis Deus tot præstantissimos ex omnibus Christiani orbis partibus Doctores & scriptores misit; & necdum mittere desinit; qui libris & operibus suis omnes oras percurrant; earumque incolas opportunè & importunè Hierosolymam *ad Phase celebrandū*, hoc est, ad patritā & auitā fidem, Romanamq; Catholicā & Apostolicā Ecclesiā inuitent; si & temporalis & perennis illius felicitatis & tranquillitatis participes fieri velint: hortantes, vrgentes, & instantes; vt cōsiderent; vndénam excisi, & in quā miseriā scelere & impietate nefariorum hęresiarcharū pręcipitati fuerint.

Digitized by Google

Et isti quidē monitores prouinciā sibi creditam impigrè & indefessè administrant; sibi enim dictū censent illud: *Tu verò vigila; in omnibus labora; opus fac Euangelistæ; ministeriū tuum imple.* partimq; voce; partim libris varias regiones hæretica peste infectas obeunt & circumeunt; Quo euentu? *Illis irridentibus & subsannantibus eos.* Quas enim sannas in hos à Deo sibi ad salutē destinatos nuncios nō exseruerunt, & adhuc exserunt? Quibus cachinnis nō exceperunt & excipiunt? quibus sibilis nō exploserunt, & etiamnū explodunt? Attamen nō obstante hac illusorū & irrisorū innumerabili turba, quod temporibus Ezechiæ vsuuenit; hoc & nunc contingit. *Quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon acquiescentes consilio, venerunt Ierusalem.* Singulari numinis diuini bonitate fit; vt nōnulli interdū, reclusis auribus prius obseratis; & apertis oculis prius excæcatis, veritatem audiant, aspiciant, inq; mentē admittant; domumq;, hoc est, ad Catholicam & Romanā Ecclesiā regressi *frangant simulacra*, quæ Luthero, Caluino, & id genus aliis, suo in corde erexerant, *succidantq; lucos*, quos iisdē plantauerant, *& demoliantur excelsa, destruantq; altaria*, 2. Paralip. 31. in quibus Geneuensi Molocho vel Islebico Chamos antea rem diuinā facere, & thus adolere cōsueuerant.

Inter hos Doctores diuinitus cum litteris missos; vt seductos ad Deum patrū suorum reducāt; & reuerti volentibus viā regiā ad domū Dei cōmonstrent; eminet præ cæteris hoc tempore *Reuerendißimus & Illustrißimus Cardinalis noster Bellarminus*; qui monumentis suis, incredibili eruditione refertis, summaque disserendi facilitate & perspicuitate omnium studia ad se nō tam trahentibus, quā rapientibus, omnes propemodū septentrionis angulos peruasit; instans, arguens, obsecrans, increpans *in omni patientia & doctrina.* Quid enim Tomis *Bellarminianis* scriptum modestius? quid mitius? quid doctius? Certò autē compertum habemus tum ex ipsorū Prædicantiū testificatione, propè dixeram, comploratione; tum aliunde, multos, lecto hoc opere ad templū Hierosolymitanum quamprimū sese recepisse; multa salute dicta vitulis, quorū vnum cū Hieroboamo VVitebergæ erexerat Lutherus, alterū *in Dan*, hoc est, Geneuæ, Caluinus. tametsi *Bellarmino* varias prouincias peragranti; omnibusq; il-

lud, elata & sonora voce accinenti: *Nolite indurare ceruices vestras, tradite manus Domino, & venite ad sanctuariũ eius, quod sanctificauit in æternũ*, &c. cateruatim sese obiiciant cachinnones & sanniones; eoq; plures, quò apertius animaduertunt, quantum sibi suisq; sectis periculi à *Bellarmino* impendeat; nisi eos, quos suã in nassam fraudulenter pellexerunt; irrisu, cõtumeliis, opprobriis & obtrectationibus à *Bellarmino* abstrahant; *& veritatẽ Dei in iniustitia* quantum nequitia sua cõsequi possunt, *detineant*. Rom. 1.

Quorũ improbitati cum & ipse *Illust. Card.* & tu quoq; *admodũ Reuerende in Christo Pater*, occurrendũ censeretis, mihi id muneris delatũ est, nõ inuito, fateor, quanquam propriæ imbecillitatis probè conscio: Et quia opus hoc iussu tuo suscepi; nolui alio, quam ad te prima eius libamina mittere.

Vt hoc facerem, impulit me, vt dixi, iussio & auctoritas tua, quæ humeris meis hoc onus imposuit: cui, vt aliquid reponerẽ, illud ipsum, quod obtemperando effeci, reposui.

Deinde amor & obseruantia in tantũ patrem; qui tot iam annos tam feliciter, tam prudenter, tanque humaniter, tantas inter procellas, ad vniuersę Societatis gubernacula sedet, filiorũ suorũ amantissimus, & salutis perfectionisq; eorũ sitientissimus, ita vt quoties lego illud Apostoli, 1. Thess. 2. *Vos testes estis & Deus, quã sanctè, & iustè, & sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus; sicut scitis, qualiter vnumquemq; vestrũ (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam*: imago quędam industriæ, curæ, & paternæ sollicitudinis tuæ animo meo obuersetur.

Vt igitur lucubrationes nõnullas à Theologis nostris aliarũ nationum tuo nomini inscriptas, ea proculdubio humanitate, q̃ ab omnib. prędicatur, dignatus es; ita rogo, vt hoc polemicũ volumẽ à minimo filio tuo, eoq; Germano, tibi oblatũ dicatũq; simili beneuolentię affectu suscipias: viresq; & gratiã ad hoc Domini pręliũ pręliandũ sanctis tuis precib. & sacrificiis à Deo mihi impetres: neq; enim nescius sum, quãto impetu in me Nouatores incursuri sint, quã primũ hic tomus in publicũ processerit. Vale. Ingolst. Kal. August. Anno Redempt. M. DCVII.

Admodum R. P. T. filius in Christo indignus,

IACOBVS GRETSERVS.

Præfa-

Præfatio ad Lectorem.

QVOMODO HAERETICI SCRIPTVRAS TRACTENT AC CITENT; DEQVE SECTARIIS, QVI PRIMAM ILLVSTRISS. CARDINALIS BELLARMINI CONTROVERSIAM DE verbo Dei allatrarunt; & de toto ſcriptionis huius genere & inſtituto.

QVA RATIONE NOVATORES NOSTRI SACRAS litteras tractent; citent, verſent, reuerſent; voluant & reuoluant; oſtendi iam verbis potius ſanctorum Patrum, quàm meis; in Reſponſo ad Theſes Hunnianas; In Theologicis Exercitationibus, in Labyrintho Creticohunniano, & in duabus poſterioribus Apologiis Miſenicis: Nunc vt idem faciam, duo me hortantur: alterum; ſectariorum vafricies & importunitas; qui non tantùm ſcripturarum obiectu, tanquam exoptatiſſimæ & ſuauiſſimæ dapis appoſitione, miſeros & incautos in fraudem & perniciem pelliciunt ac pertrahunt; ſed & inſuper inſolentiſſimè de ſua in ſacris ſcripturis legendis, & allegandis peritia gloriantur; & orthodoxis inſultant; quaſi ſcripturam vix à limine ſalutarint; inq; iis adducendis; cum vel lucubratio, vel diſputatio aliqua ſuſcipitur; rari admodum ſint & infrequentes; perinde ac ſi rei cardo in eo verſetur, vt quis dena vel vicena ſcripturæ teſtimonia perperam accepta & intellecta, & plerunque prorſus à propoſito aliena, vno ſpiritu effundat; & vbi effuderit, ſe mirificè ac magnificè circumſpiciat; diſpiciatque; an nemo exſurgat; qui capiti de Euangelica cauſſa tam bene merenti, merito, & merituro coronam imponat.

Alterum eſt, operis huius materies & argumentum: cum enim ſacræ ſcripturæ defenſionem, & ab impoſturis hæreticis vindicationem polliceatur, & reipſa etiam exhibeat; haud abs re cenſeri debet; ſi in ipſo veſtibulo, demonſtremus; qua religione; eruditione, ſinceritate, ſcientia & conſcientia aduerſarij verbum Dei in libris, diſputationibus, & colloquiis ſuis adducant: vel potius traducant.

Id pulchrè nobis explicat Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtrom. pag. 322. edit. Græca Commel. his verbis: κἂν τολμήσωσι προφητικαῖς χρήσασθαι γραφαῖς καὶ οἱ τὰς αἱρέσεις μετιόντες; Quod ſi hæreſeωn quoque ſectatores auſi fuerint ſcripturis propheticis vti; πρῶτον μὲν οὐ πάσαις, primum non vtuntur omnibus. *An non hoc in noſtros itidem ſectarios conuenit? vtunturne Tobia, Iudith, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſtico, Macchabæis, capitibus quibuſdam & additamentis Eſtheris & Danielis? Vtunturne Lutherani epiſtola D. Jacobi & aliis nonnullis?*

II. ἔπειτα οὐ τελείαις. Vtuntur deinde non perfectis; *etiam iis, quibus vtuntur. Quot enim ſententias vel deprauauit vel amputauit Lutherus? Nonne hiſtoria de adultera apud S. Joannem vix tuta fuit à ſacrilega Bezæ falce? Vtuntur Nouatores Daniele. Num integro? Vtuntur libro Eſtheris. Num integro?*

III. οὐδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει, neque vtũtur ſcripturis; vt corpus prophetiæ & ſacer contextus requirit.

IV. ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς, οὐ τὸ σημαινόμενον ἀπ' αὐτῶν σκοποῦντες, ἀλλ' αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει. σχεδὸν γὰρ ἐν πᾶσιν, οἷς προσφέρονται ῥητοῖς, εὕροις ἂν αὐτοὺς, ὡς τοῖς ὀνόμασι μόνοις προσανέχουσι, τὰ σημαινόμενα ὑπαλλάττοντες, οὔθ' ὡς λέγονται γινώσκοντες, οὔθ' ὡς ἔχειν πεφύκασι χρώμενοι, αἷς καὶ δὴ κομίζουσιν ἐκλογαῖς. Sed ſeligunt ambiguè dicta; eaque ad proprias opiniones ſtabiliendas transferunt; paucis ſparſim hinc inde decerptis vocibus; & nulla ſignificationis ratione habita, ad ſolum nudumque vocabulun affixi ſunt: propemodum enim in omnibus, quæ citant, teſtimoniis, ipſos ad ſola nomina, mutatis ſignificationibus, adhæreſcere videbis; neque, quorſum ſpectent, intelligere: neque iis, quas adferunt allegationibus, ita vt earum natura poſtulat, vti.

Hæc ſcitiſſimè & veriſſimè Clemens; per quæ non modò ſui æui, ſed & noſtræ tempeſtatis veteratores egregiè depingit: quibus nihil ſolennius & conſuetius; quàm ad nudas ſcripturæ voces attendere, neq; quid antecedentia; quid conſequentia; quid adiuncta; quid fidei analogia; quid ratio; quid Eccleſiaſtica traditio efflagitet, quidquam penſi habere: Quia enim Jacobus Apoſtolus cap. 4. dicit: Vnus eſt enim legiſlator & iudex, qui poteſt perdere & liberare; *ideo, Nouatorum iudicio; nullus eſt in Eccleſia admittendus & ſuſcipiendus Judex aſpectabilis, qui ſumma cum poteſtate, à qua nemini prouocare ius & fas, fidei & religionis controuerſias definiat; & componat. Qua de cauſſa verò? Quia D. Jacobus dicit:* Vnus eſt Iudex. An non hæc ſunt ſatis clara & perſpicua verba? An non ſat diſerta & lucida? Quid variis anfractibus opus? Vnus eſt Iudex: ergo nullus alius. *Hic quidquid agas, quidquid moliaris; vocabula ſemel arrepta mordicus retinent:*

nent: nec inde se auellisinunt; quiduis potius pati, quàm sententia migrare parati.

Sic quia Apostolus ad Hebræos cap. 4. vocat verbum Dei viuum *&* efficax, καὶ κριτικὸν ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας; diiudicans cogitationes & conceptiones cordis: *sectarij arrepta illa vocula*, κριτικὸν, *totis viribus sonorisque vocibus contendunt & pertendunt; scripturam esse omnium quæstionum de fide & cultu diuino exsistentium iudicem.* Quid enim? *inquiunt.* An non euidenter vides λόγον τοῦ θεοῦ vocari hic κριτικόν? si Criticus est; ergo iudicat. Si iudicat; ergo est Iudex. Frustra igitur alius Iudex quæritur aut statuitur.

Qua sua proteruia & peruicacitate duarum rerum fidem faciunt: alterius; quòd sint gemelli priscis illis Nouatoribus, de quibus Clemens; vocabulorum venatoribus & aucupibus; non ad significata, sed ad nuda signa animum aduertere solitis: ad signa, inquam, prius tamē à natiuis & vsitatis notionibus & significationibus ad peregrinas & exoticas translata & collo obtorto transuersa: alterius, quòd neque sciant, neq; scire laborent, quid sit Judex; quid Judicis officium; quæ distinctio; quæ differentia; quid ius dicere; quid iudicare; nam si horum veram notitiam in mente sua efformatam haberent, loca hæc nunquam contra visibilem Ecclesiæ iudicem, qui ab omnibus adiri & audiri potest; tam imperitè & insulsè obiicerent; neq; quemadmodum accipi debeant, cognoscentes; neque iis, vt eorum natura postulat, vtentes; *vt rectè dicit Clemens.*

Pari modo, quia scriptum est; Nec vocemini Magistri; quia Magister vester vnus est Christus. *Item:* Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. *Matth. 23. concludebat Carolstadius; & cum ipso, sub Lutherani enthusiasmi primordia, Melanchthon; quin & ipse Lutherus; vt alibi probatum;* Magistri *seu* doctoris *& appellationem & dignitatem Christianis prorsus esse illicitam ac interdictam; nec Christianum à Christianis alio, quàm* fratris *nomine compellandum esse: & hoc propter luculentissimum illud Redemptoris nostri edictum. Quo nihil erat apud fanaticos istos Enthusiastas dilucidius, nihil fulgentius; ita vt* solaribus radiis *exaratum videretur. Quid enim apertius illo?* Nolite vocari Rabbi. *Quid manifestius caussa, quæ adiungitur?* Vnus est enim Magister vester. *Quid ad intelligendum pronius quàm illud?* Nec vocemini Magistri. *Quid notius, & commentario minus egens illo?* Quia Magister vester vnus est Christus. Si vnus: nulli igitur aliorum hoc nomen competit.

Quid multa? Vix magis perspicuum, eius, quod de Hæreticis prodidit Clemens, exemplum inueniri potest; quàm sit hoc Corybantiastæ Carolstadij

& So-

Digitized by Google

& Sodalium; qui non tantùm scripturæ verba insulsissimè & inscientissimè vrgent; sed & nouo significatu indito, ne quidem intelligunt, quid vnius Magistri *nomine eo in loco indicetur. Et ita, more omnium Sectariorum, thuribulis cultui diuino dedicatis alienum ignem imponunt*; quæ, *vt ait S. Augustinus Serm. 98. de temp.* imaginem tenent scripturæ diuinæ; cui scripturæ hæretici ignem alienum imponētes, sensum videlicet per errorem, & intelligentiam alienam à Deo, & veritati contrariam introducentes, incensum Domino non suaue, sed execrabile offerunt.

Quid cum his thuribulis peregrino igne lucentibus agendum? Thuribula, inquit Dominus, Num. 16. quæ sanctificata sunt in mortibus peccatorum, facito eas laminas ductiles, & circunda ex eis altare; quia, oblata sunt coram Domino, & sanctificata sunt. Ista ergo thuribula ærea, id est, hæreticorum voces, si adhibeamus ad altare Dei, vbi diuinus ignis est, vbi vera fidei prædicatio, melius ipsa veritas ex falsorũ comparatione fulgebit. Si enim (verbi gratia dicam) ponam dicta Arianorum, vel Manichæorum, aut alterius cuiuslibet hæreticorum, & ex sermonibus veritatis scripturarum diuinarum testimoniis, velut diuini altaris igne confutem, nónne euidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? Nam, si doctrina Ecclesiastica simplex esset, & nullis extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara, & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentiũ obsidet impugnatio, vt fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc denique & Apostolus 1. Corinth. 11. dicebat; Oportet autem hæreses esse, vt probati quique manifesti fiant inter vos. Hoc est dicere; Oportet hæreticorum thuribulis altare circundari, vt certa, & manifesta omnibus fiat fidelium, atque infidelium differētia. Cùm enim fides catholica, velut aurum cœperit fulgere, & prædicatio eius, vt argentum igne probatum intuentibus resplenduerit, tunc maiore cum turpitudine, & dedecore hæreticorum voces obscuri æramenti vilitate sordebunt.

Eleganter D. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 22. in illud Job: Agrum nō suum demetunt, & vineam eius, quem vi oppresserant, vindemiant: *Job. 24.* Potest agri nomine scripturæ sacræ latitudo signari, quam hæretici non suam demetunt: quia ex ea sententias longè à suis sensibus diuersas tollunt: quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia per veritatis sententias botros virtutum profert. Cuius vineæ Dominum, id est, scripturæ sacræ conditorem, quasi vi opprimunt: quia eius sensum, in verba sacri eloquij inflectere violenter conantur; qui dicit: seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitati-

bus

bus tuis. *Isaia 43.* Et eandem vineam vindemiant, qui ex ea sententiarum botros pro suæ intelligentiæ intentione coaceruant.

Idem sanctus Pater in illud Iob: Vigilantes ad prædam præparant panem liberis: Ad prædam, *inquit*, vigilant, qui verba iustorum ad sensum proprium semper rapere conantur, vt per hæc peruersis filiis panem erroris parent. De quo videlicet pane apud Salomonem verbis mulieris prauitatis hæreticæ typum gerentis, dicitur: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. *Prouerb. 9.*

Hæc & similia dum hæretici agunt; non egrediuntur *ad opus Dei; sed* ad opus suum; non enim Dei, sed suum opus peragunt, dum non recta dogmata, sed propria desideria sequuntur. *Qui vt D. Gregorius in illud Iob. 30.* Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria, & mandebant herbas, & arborum cortices *elegantißimè docet; scripturam rodunt, non comedunt: licet sexcentas scripturarum citationes in singula momenta producant.* Rodi solet, *inquit S. Gregorius, lib. 20. Moral. cap. 11.* quod comedi non potest. Hæretici autem, quia scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam proculdubio apprehendere nequaquam possunt: quam, dũ non intelligunt, quasi non edunt. Et, quia per supernam gratiam non adiuti, hanc comedere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt. Exterius quippe illam contrectant, cum quidem conantur: sed non ad eius interiora perueniunt. Qui quia ab vniuersalis Ecclesiæ societate disiuncti sunt; non quolibet rodere, sed in solitudine memorantur. Ad quam nimirum solitudinem, quia prædicatores falsi sequaces suos traherent, longè antè Veritas præmonuit dicens; si dixerint vobis; ecce, in deserto est, nolite exire. Qui rectè perhibentur calamitate, & miseria squalidi; quia, & morum sunt pernicie, & sensuum prauitate despecti. Qui herbas quoque, & arborum cortices mandunt: quia elationis suæ obice repulsi, in sacro eloquio magna, & intima percipere nequeunt: sed vix in illo quædam tenera, & exteriora cognoscunt. Per herbas quippe, dicta planiora: per arborum cortices, Patrum eloquia exteriora signantur. Qui ergò ea scire appetunt, ex quibus docti nequaquã sint, sed esse videantur; dum in sacris voluminibus vim charitatis erga Deũ, ac proximũ medullitus non exquirũt, quasi herba, vel cortice pascũtur: quia, vel ima, vel exteriora sunt, quæ mẽtes superbientium nutriunt. Qui, si quãdo in sacro eloquio quædã quasi prudenter inueniunt, quæ dum nõ intelligunt, pro suis esse assertionib' suspicãtur: mox miseris auditorib' suis, quorũ non animas, sed substantias appetunt, hæc vociferantes aspergunt.

Et quamuis ad rauim vsque scripturas ingeminent, & intonent; veris tamen & legitimis scripturis eorum dogmata & placita minimè nituntur

& ro-

& roborantur; nam scriptura in alienos & peregrinos sensus deflexa; non est nisi æquiuocè scriptura; Quia hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, *inquit S. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 14.* vt nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur, qui libri ad loquendum nobis quasi quædam argenti venæ sunt: quia de ipsis locutionis nostrę originem trahimus, eos ad sacræ auctoritatis paginas vocat: vt, si verè loqui desiderãt, inde sumere debeant, quid loquantur.

An non ex scripturis sumunt Hæretici, quæ contentione tanta docent? An aliud quàm verbum Domini, verbum Domini, *in ore habent? Minimè ex scripturis veris & legitimis, sed ex imaginariis sua depromunt: quia si ex veris scripturis sua proferrent, nequaq̃ ad sacræ auctoritatis paginas vocarentur, & à suis libris auocarẽtur, verbis illis:* Habet argentũ venarum suarũ principia: Ac si apertè dicat: q ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, vt causarũ origines à sacris paginis sumat: vt omne, ꝙ loquitur, ad diuinæ auctoritatis fundamentũ reuocet, atq; in eo ædificium locutionis suæ firmet. Vt. n. prædiximus, sæpe hæretici, dum sua student peruersa adstruere, ea proferunt, quæ profectò in sacrorum librorum paginis non tenentur. Vnde & discipulum suum prædicator egregius admonet, dicens: O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocũ nouitates; quia dum laudari hæretici tanq̃ de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quædam proferunt, quæ in antiquorũ Patrum libris veteribus non tenentur: sicque fit, vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant.

Et tamen nil nisi scripturas crepant, crepent donec crepent; iudicio tanti præsulis & doctoris, nil aliud agũt, quàm quòd miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargunt. Non tamen inficias imus, eos, vt facilè valeant peruersa suadere, dictis suis quædam recta permiscere, *inquit S. Greg. lib. 18. Moral. cap. 11.* vt animos audientium ex rectis sensibus trahant, ex peruersis feriant. Qui in præceptis Dei, quia sana, insanaque locutione variantur, benè in Euangelio decem leprosorum sunt specie designati, quorum colori sano dum vitiosus cãdor aspergitur, immoderato candore fœdantur. Vnde admonemur, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Qui etiam, quia nec Deum diligunt, de quo malè sentiunt: nec proximum, à quo diuiduntur, decalogi præceptis aduersi sunt, atque ideò ad deprecandum Dominum decem veniunt: Pro eo autem, quòd sanis insana miscuerunt, coloris diuersitate variantur.

Idem S. Gregorius loc. cit. ad Hæreticum pulcherrimè accommodat illud Job. 27. Ædificauit, sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum. Tinea sibi domum corrumpendo ædificat. Nec meliori

posuit

Digitized by Google

potuit comparatione hæreticus demonstrari, qui locum suæ perfidiæ, non nisi in mentibus, quas corruperit, facit: qui etiam sequaces suos ab æterno igne liberos esse pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ, sed verba eius soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Vnde subiungitur; Et sicut custos fecit vmbraculum. Vmbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte, destruitur. Et promissa ab hæreticis requies, cum tempore destruitur, quæ post hanc vitam nullatenus inuenitur. Et quia sæpe hæretici in contemptu vniuersalis Ecclesię potentum sæculi patrociniis fulciuntur *(sicut Lutherus initio suæ Tragœdiæ fulciebatur gratia, & tutela Electoris Saxoniæ)* eiusque diuites protectione, atque administratione quanta præualent, opitulari non cessant: ipse etiam quilibet diues contra Conditorem suum rebus temporalibus intumescens, sancti viri nunc sententia tangitur, atque ab speciali hæreticorum interitu, ad generalem elatorum omnium definitionem sermo deriuatur, cùm subditur; Diues, cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Cui nimirum sententiæ Psalmista concinens dicit; Turbati sunt omnes insipientes corde; dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. *Psalm. 75.* Vt enim in sua manu diuites post mortem quidquam inueniant, eis ante mortem dicitur, diuitias suas in quorũ manibus ponant: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc. 16.*

Hæreticorum argentum, *hoc est*, eloquium; *inquit sanctus Gregorius*, terræ comparatur; quia de scriptura sacra, vt aliquid sciant, ex appetitu terrenæ laudis elaborant; *nam vt Clemens ait libro septimo Stromat.* gloriæ tenentur desiderio, qui ea, quæ ex sua natura conueniunt, sermonibus diuinitus inspiratis, tradita à beatis Apostolis, & magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpũt per alias tractationes, humanis doctrinis resistentes diuinæ traditioni, vt hæresin constituant. Qui etiam, *vt sanctus Gregorius ait loc. cit.* sicut lutum præparant vestimenta, quia fluxè & inquinabiliter ea, quibus se tueri volunt, scripturæ sacræ contexunt testimonia: nam cum seipsos dediderint voluptatibus, *inquit Clem. loc. cit.* scripturam torquent ad suas cupiditates. Cum sit igitur tale *hæreticorum* argumentum, quod neque Prophetæ prædicauerunt, neq; Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur plus quàm ceteri cognouisse, de iis, quæ non sunt scripta, legentes, & quod solet dici, de arena resticulas nectere adfectantes, fidedigna aptare conãtur iis, quæ dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones Propheticas, aut sermones A-

Porro Lutheranis & Caluinianis, præsertim verò prioribus, qui tot libros veteris nouique testamenti ex diuino Canone expungere studuerunt; scripturasque in suis, siue in Latinam, siue in vernaculas linguas versionibus miserandum in modum dilacerarunt, & additionibus detractionibusq́; deprauarunt; & eas, quas retinent, exoticis & à veritatis norma exerrantibus expositionibus contaminarunt, his, inquam, meritò per parodiam occinas & accinas id, quod olim in Manichæos scripsit Titus Bostrensis Episcopus lib. 3. contra Manichæos. Fingunt honorem Euangeliorum (*scripturarum*) oportebat autem eos, si quidem Euangelia (*scripturas*) honorabant, non circumcidere Euangelia (*scripturas*) non demere de Euangeliis (*scripturis*) non alia apponere, &c. Adscripserunt itaque quæcunque voluerunt, & detraxerunt, quæcunq; iudicauerunt. Et postea nomine appellant Euangelia (*scripturas*) qui corpus Euangelij (*scripturarum*) non seruauerunt, sed potius aliud corpus litterarum, quod vsque ad nomen tantùm Euangelij (*scripturæ*) pertingit, propria voluntate fecerunt. Plus enim, quàm Gentiles Euangelia (*scripturam*) inhonorauerunt: illi non recipiunt, & non recipiendo non corrumpũt, sed solùm reiiciunt: non tamen calcant litteras: hi verò cum recepisse videbantur, calcauerunt, insultarunt, & adulterauerunt litteras: & quod præstigiatores & improbi faciunt, fecerunt. Illi solummodo non crediderunt, & quibus non crediderunt, de eis à se differi non patiuntur: hi verò in medium prodeuntes, conati sunt concentum soluere, modulationem doctrinis artificio fabricatis tollere ausi sunt, præparato nomine Euangelij (*scripturæ*) vt esset fallaciæ caussa.

Sed quid opus ab antiquis Patribus testimonia petere, quomodo hodierni sectarij scripturas tractẽt, & citent, cũ id disertissimè & enucleatissimè nos doceat nõ semel Lutherus: huius moris callẽtissimus & experientissimus, vtpote hac in palæstra omnium antesignanus & primipilus, qui, vt nostris oculis quam luculentissimè subiiceret, qua ratione Carolstadius verba illa Saluatoris: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, &c. *tractarit, dilaniarit ac discerpserit, hæc post multa in miseram illam lanienam declamata subiicit, lib. contra cælestes Prophetas Tom. 3. Jen. Germ.* Es gemanet mich solches seines reissens / vnd marterens inn Gottes Wotten / gerad als jener / dauon ich ein Buch laß / da ich ein iunger *Magister* war / die das Vater vnser also rissen vnd marterten: Vater vnser der du bist / im Himmel werde geheiligt / dein Name zukomme / dein Reich geschehe / etc. vnd wunderlich vnd seltzam zertheilet: hatten auch jhre vrsach darauff. Item / gleich wie etliche Juden gethan haben / *Genes. 2.* Gott schuff den Menschen zu seinem bilde / ein Mänlin vnd Fräwlin / er schuff sie / vnd meineten / Gott hette Adam also gemacht / daß seine einige Person zugleich Mans vnd Weibsbilde wäre. Wanns solte so zerreissen vnd theilen gelten / welche ein feine Bibel wolten wir zurichten?

Et tamen, ô Luthere, vitium, quod in Carolstadio insectaris, id tibi, tuisque asseclis vniuersis innatum est.

Consimili ratione scripturas à Iudæis tractari docet idem Lutherus libro de Iudæis & eorum mendaciis Tom. 7. Lat. VViteb. Est veteratorium quiddam (*quod in scripturæ interpretatione Iudæi sequuntur*) par huic expositioni orationis Dominicæ, quam audiui Monachus (vt vocant) nouitius, quod quidam indoctus textum eius orationis aptissimè cohærentis, & etiam in membra sua vera diuisæ, ita diuulserat, & è contra ineptè consutam corruperat; Pater noster, in cælo sanctificetur. Nomen tuum veniat. Tuum regnum fiat. Tua voluntas sicut in cælo, & in terra, &c. Hanc Sathanicam dilacerationem textus Iudæi student tantum ideo facere, quod nobis Christianis libenter textus ipsos scripturæ annihilare vellent: tametsi, ne ipsis quidem sic dilaceratus vsui sit. Nihil enim eos docet, nihil consolatur, nihil confert eis, & manent verba frigida, & inania, &c. Quemadmodum Bodenstein etiam verba Sacramenti violenter dilacerabat, ne nobis prodessent.

Quod Lutherus scribit de Iudæis, hoc tu de Luthero omnibusque nostri temporis Nouatoribus accipe & assere: nam in sacrarum litterarum tractatione & explicatione, ne vno quidem pilo aut filo meliores sunt Iudæis, & Carolstadio: de quibus dicas licet cum Luthero intrepidè: Hi Rabini, imò rabiosi & canes suis latratibus nihil efficient, prodemus ipsorum mendacia, auxiliante Deo. *Grauissimè enim peccant, cum scripturam peruersè citant, & in sensus alienos detorquent; Teste enim Luthero; Tom. 1. Latin. VViteb. in explicat. præcepti VIII. contra octauum præceptũ de testimonio falso non dicẽdo, delinquunt vniuersi, qui falsa discipulis tradunt, præsertim Theologi;* quando scripturam sanctam, & verbum Dei peruertunt, & falsè exponunt, vel aptant non rectè. Hinc enim fit, vt falsè dictum occidat animas, aut saltem discruciet infelices conscientias. De primis horum sunt hæretici, & Monij singulares, qui Dei verba suis sensibus aptant, & in sui obsequium captiuant, cùm deberent contrà; & hoc in iis, quæ pertinent ad fidem, & salutem. Hoc tam magnum peccatum reputatur apud Deum, vt nullum aliud in scripturis frequentiùs, acriusque arguatur per omnes figuras, & prophetias, &c. Dico ergò; nunquid excusantur, cùm faciant id pia intentione, & zelo Dei? Sic enim sese hæretici solent excusare, vt nostri vicini Pighardi Bohemiæ. Respõdetur, quod non, imò eo magis accusantur; quia ex superbia procedit iste zelus, quòd doceri nolunt, & audire, sui ipsius magistri facti, &c. Sunt enim de tali zelo securi, quasi non errent, quod piè intendant, & garriunt quod omne peccatum est voluntarium, & intentio nominat

lud, elata & sonora voce accinenti : *Nolite indurare ceruices vestras, tradite manus Domino, & venite ad sanctuariū eius, quod sanctificauit in æternū,* &c. cateruatim sese obiiciant cachinnones & sanniones; eoq; plures, quò apertius animaduertunt, quantum sibi suisq; sectis periculi à *Bellarmino* impendeat; nisi eos, quos suā in nassam fraudulenter pellexerunt; irrisu, cōtumeliis, opprobriis & obtrectationibus à *Bellarmino* abstrahant; *& veritatē Dei in iniustitia* quantum nequitia sua cōsequi possunt, *detineant*. Rom. 1.

Quorū improbitati cum & ipse *Illust. Card.* & tu quoq; *admodū Reuerende in Christo Pater*, occurrendū censeretis, mihi id muneris delatū est, nō inuito, fateor, quanquam propriæ imbecillitatis probè conscio: Et quia opus hoc iussu tuo suscepi; nolui alio, quam ad te prima eius libamina mittere.

Vt hoc facerem, impulit me, vt dixi, iussio & auctoritas tua, quæ humeris meis hoc onus imposuit: cui, vt aliquid reponerē, illud ipsum, quod obtemperando effeci, reposui.

Deinde amor & obseruantia in tantū patrem; qui tot iam annos tam feliciter, tam prudenter, tanque humaniter, tantas inter procellas, ad vniuersę Societatis gubernacula sedet, filiorū suorū amantissimus, & salutis perfectionisq; eorū sitientissimus, ita vt quoties lego illud Apostoli, 1. Thess. 2. *Vos testes estis & Deus, quā sanctè, & iustè, & sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus; sicut scitis, qualiter vnumquemq; vestrū (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam*: imago quędam industriæ, curæ, & paternæ sollicitudinis tuæ animo meo obuersetur.

Vt igitur lucubrationes nōnullas à Theologis nostris aliarū nationum tuo nomini inscriptas, ea proculdubio humanitate, q̄ ab omnib. prędicatur, dignatus es; ita rogo, vt hoc polemicū volumē à minimo filio tuo, eoq; Germano, tibi oblatū dicatūq; simili beneuolentię affectu suscipias: viresq; & gratiā ad hoc Domini pręliū pręliandū sanctis tuis precib. & sacrificiis à Deo mihi impetres: neq; enim nescius sum, quāto impetu in me Nouatores incursuri sint, quā primū hic tomus in publicū processerit. Vale. Ingolst. Kal. August. Anno Redempt. M. DCVII.

Admodum R. P. T. filius in Christo indignus,
IACOBVS GRETSERVS.

Præfa-

Præfatio ad Lectorem.

QVOMODO HAERETICI SCRIPTVRAS TRACTENT AC CITENT; DEQVE SECTARIIS, QVI PRIMAM ILLVSTRISS. CARDINALIS BELLARMINI CONTROVERSIAM DE verbo Dei allatrarunt; & de toto scriptionis huius genere & instituto.

QVA RATIONE NOVATORES NOSTRI SACRAS litteras tractent; citent, versent, reuersent; voluant & reuoluant; ostendi iam verbis potius sanctorum Patrum, quàm meis; in Responso ad Theses Hunnianas; In Theologicis Exercitationibus, in Labyrintho Creticohunniano, & in duabus posterioribus Apologiis Misenicis: Nunc vt idem faciam, duo me hortantur: alterum; sectariorum vafricies & importunitas; qui non tantùm scripturarum obiectu, tanquam exoptatissimæ & suauissimæ dapis appositione, miseros & incautos in fraudem & perniciem pelliciunt ac pertrahunt; sed & insuper insolentissimè de sua in sacris scripturis legendis, & allegandis peritia gloriantur; & orthodoxis insultant; quasi scripturam vix à limine salutarint; inque iis adducendis; cum vel lucubratio, vel disputatio aliqua suscipitur; rari admodum sint & infrequentes; perinde ac si rei cardo in eo versetur, vt quis dena vel vicena scripturæ testimonia perperam accepta & intellecta, & plerunque prorsus à proposito aliena, vno spiritu effundat; & vbi effuderit, se mirificè ac magnificè circumspiciat; dispiciatque; an nemo exsurgat; qui capiti de Euangelica caussa tam bene merenti, merito, & merituro coronam imponat.

Alterum est, operis huius materies & argumentum: cum enim sacræ scripturæ defensionem, & ab imposturis hæreticis vindicationem polliceatur, & reipsa etiam exhibeat; haud abs re censeri debet; si in ipso vestibulo, demonstremus; qua religione; eruditione, sinceritate, scientia & conscientia aduersarij verbum Dei in libris, disputationibus, & colloquiis suis adducant: vel potius traducant.

Digitized by Google

Id pulchrè nobis explicat Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtrom. pag. 322. edit. Græca Commel. his verbis: κἂν τολμήσωσι προφητικαῖς χρήσασθαι γραφαῖς καὶ οἱ τὰς αἱρέσεις μετιόντες; Quod ſi hæreſeωn quoque ſectatores auſi fuerint ſcripturis propheticis vti; πρῶτον μὲν οὐ πάσαις, primum non vtuntur omnibus. *An non hoc in noſtros itidem ſectarios conuenit? vtunturne Tobia, Iudith, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſtico, Macchabæis, capitibus quibuſdam & additamentis Eſtheris & Danielis? Vtunturne Lutherani epiſtola D. Jacobi & aliis nonnullis?*

II. ἔπειτα οὐ τελείαις. Vtuntur deinde non perfectis; *etiam iis, quibus vtuntur. Quot enim ſententias vel deprauauit vel amputauit Lutherus? Nonne hiſtoria de adultera apud S. Joannem vix tuta fuit à ſacrilega Bezæ falce? Vtuntur Nouatores Daniele. Num integro? Vtuntur libro Eſtheris. Num integro?*

III. οὐδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει, neque vtũtur ſcripturis; vt corpus prophetiæ & ſacer contextus requirit.

IV. ἀλλ᾽ ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς, οὐ τὸ σημαινόμενον ἀπ᾽ αὐτῶν σκοποῦντες, ἀλλ᾽ αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει. σχεδὸν γὰρ ἐν πᾶσιν, οἷς προσφέρονται ῥητοῖς, εὕροις ἂν αὐτοὺς, ὡς τοῖς ὀνόμασι μόνοις προσανέχουσι, τὰ σημαινόμενα ὑπαλλάττοντες, οὔθ᾽ ὡς λέγονται γινώσκοντες, οὔθ᾽ ὡς ἔχειν πεφύκασι χρώμενοι, αἷς καὶ δὴ κομίζουσιν ἐκλογαῖς. Sed ſeligunt ambiguè dicta; eaque ad proprias opiniones ſtabiliendas transferunt; paucis ſparſim hinc inde decerptis vocibus; & nulla ſignificationis ratione habita, ad ſolum nudumque vocabulun affixi ſunt: propemodum enim in omnibus, quæ citant, teſtimoniis, ipſos ad ſola nomina, mutatis ſignificationibus, adhæreſcere videbis; neque, quorſum ſpectent, intelligere: neque iis, quas adferunt allegationibus, ita vt earum natura poſtulat, vti.

Hæc ſcitiſſimè & veriſſimè Clemens; per quæ non modò ſui æui, ſed & noſtræ tempeſtatis veteratores egregiè depingit: quibus nihil ſolennius & conſuetius; quàm ad nudas ſcripturæ voces attendere; neq; quid antecedentia; quid conſequentia; quid adiuncta; quid fidei analogia; quid ratio; quid Eccleſiaſtica traditio efflagitet, quidquam penſi habere: Quia enim Jacobus Apoſtolus cap. 4. dicit: Vnus eſt enim legiſlator & iudex, qui poteſt perdere & liberare; *ideo, Nouatorum iudicio; nullus eſt in Eccleſia admittendus & ſuſcipiendus Judex aſpectabilis, qui ſumma cum poteſtate, à qua nemini prouocare ius & fas, fidei & religionis controuerſias definiat; & componat. Qua de cauſſa verò? Quia D. Jacobus dicit:* Vnus eſt Iudex. An non hæc ſunt ſatis clara & perſpicua verba? An non ſat diſerta & lucida? Quid variis anfractibus opus? Vnus eſt Iudex: ergo nullus alius. *Hic quidquid agas, quidquid moliaris; vocabula ſemel arrepta mordicus retinent:*

nent: nec inde se auelli sinunt; quiduis potius pati, quàm sententia migrare parati.

Sic quia Apostolus ad Hebræos cap. 4. vocat verbum Dei viuum & efficax, καὶ κριτικὸν ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας; diiudicans cogitationes & conceptiones cordis: *sectarij arrepta illa vocula, κριτικὸν, totis viribus sonorisque vocibus contendunt & pertendunt; scripturam esse omnium quæstionum de fide & cultu diuino exsistentium iudicem.* Quid enim? *inquiunt.* An non euidenter vides λόγον τοῦ θεοῦ vocari hic κριτικόν? si Criticus est; ergo iudicat. Si iudicat; ergo est Iudex. Frustra igitur alius Iudex quæritur aut statuitur.

Qua sua proteruia & peruicacitate duarum rerum fidem faciunt: alterius; quòd sint gemelli priscis illis Nouatoribus, de quibus Clemens; vocabulorum venatoribus & aucupibus; non ad significata, sed ad nuda signa animum aduertere solitis: ad signa, inquam, prius tamē à natiuis & vsitatis notionibus & significationibus ad peregrinas & exoticas translata & collo obtorto transuersa: alterius, quòd neque sciant, neq; scire laborent, quid sit Judex; quid Judicis officium; quæ distinctio; quæ differentia; quid ius dicere; quid iudicare; nam si horum veram notitiam in mente sua efformatam haberent, loca hæc nunquam contra visibilem Ecclesiæ iudicem, qui ab omnibus adiri & audiri potest; tam imperitè & insulsè obiicerent; neq; quemadmodum accipi debeant, cognoscentes; neque iis, vt eorum natura postulat, vtentes; *vt rectè dicit Clemens.*

Pari modo, quia scriptum est; Nec vocemini Magistri; quia Magister vester vnus est Christus. *Item:* Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. *Matth. 23. concludebat Carolstadius; & cum ipso, sub Lutherani enthusiasmi primordia, Melanchthon; quin & ipse Lutherus; vt alibi probatum;* Magistri *seu* doctoris & *appellationem & dignitatem Christianis prorsus esse illicitam ac interdictam; nec Christianum à Christianis alio, quàm* fratris *nomine compellandum esse: & hoc propter luculentissimum illud Redemptoris nostri edictum. Quo nihil erat apud fanaticos istos Enthusiastas dilucidius, nihil fulgentius; ita vt* solaribus radiis *exaratum videretur. Quid enim apertius illo?* Nolite vocari Rabbi. *Quid manifestius caussa, quæ adiungitur?* Vnus est enim Magister vester. *Quid ad intelligendum pronius quàm illud?* Nec vocemini Magistri. *Quid notius, & commentario minus egens illo?* Quia Magister vester vnus est Christus. Si vnus: nulli igitur aliorum hoc nomen competit.

Quid multa? Vix magis perspicuum, eius, quod de Hæreticis prodidit Clemens, exemplum inueniri potest; quàm sit hoc Corybantiastæ Carolstadij

& So-

Digitized by Google

& Sodalium; qui non tantùm scripturæ verba insulsissimè & inscientissimè urgent; sed & nouo significatu indito, ne quidem intelligunt, quid vnius Magistri *nomine eo in loco indicetur. Et ita, more omnium Sectariorum, thuribulis cultui diuino dedicatis alienum ignem imponunt*; quæ, *vt ait S. Augustinus Serm. 98. de temp.* imaginem tenent scripturæ diuinæ; cui scripturæ hæretici ignem alienum imponētes, sensum videlicet per errorem, & intelligentiam alienam à Deo, & veritati contrariam introducentes, incensum Domino non suaue, sed execrabile offerunt.

Quid cum his thuribulis peregrino igne lucentibus agendum? Thuribula, inquit Dominus, Num. 16. quæ sanctificata sunt in mortibus peccatorum, facito eas laminas ductiles, & circunda ex eis altare; quia, oblata sunt coram Domino, & sanctificata sunt. Ista ergo thuribula ærea, id est, hæreticorum voces, si adhibeamus ad altare Dei, vbi diuinus ignis est, vbi vera fidei prædicatio, melius ipsa veritas ex falsorū comparatione fulgebit. Si enim (verbi gratia dicam) ponam dicta Arianorum, vel Manichæorum, aut alterius cuiuslibet hæreticorum, & ex sermonibus veritatis scripturarum diuinarum testimoniis, velut diuini altaris igne confutem, nónne euidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? Nam, si doctrina Ecclesiastica simplex esset, & nullis extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara, & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentiū obsidet impugnatio, vt fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc denique & Apostolus 1. Corinth. 11. dicebat; Oportet autem hæreses esse, vt probati quique manifesti fiant inter vos. Hoc est dicere; Oportet hæreticorum thuribulis altare circundari, vt certa, & manifesta omnibus fiat fidelium, atque infidelium differētia. Cùm enim fides catholica, velut aurum cœperit fulgere, & prædicatio eius, vt argentum igne probatum intuentibus resplenduerit, tunc maiore cum turpitudine, & dedecore hæreticorum voces obscuri æramenti vilitate sordebunt.

Eleganter D. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 22. in illud Job: Agrum nō suum demetunt, & vineam eius, quem vi oppresserant, vindemiant: *Job. 24.* Potest agri nomine scripturæ sacræ latitudo signari, quam hæretici non suam demetunt: quia ex ea sententias longè à suis sensibus diuersas tollunt: quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia per veritatis sententias botros virtutum profert. Cuius vineæ Dominum, id est, scripturæ sacræ conditorem, quasi vi opprimunt: quia eius sensum, in verba sacri eloquij inflectere violenter conantur, qui dicit: seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitati-

bus

bus tuis. *Isaiæ 43.* Et eandem vineam vindemiant, qui ex ea sententiarum botros pro suæ intelligentiæ intentione coaceruant.

Idem sanctus Pater in illud Iob: Vigilantes ad prædam præparant panem liberis: Ad prædam, *inquit*, vigilant, qui verba iustorum ad sensum proprium semper rapere conantur, vt per hæc peruersis filiis panem erroris parent. De quo videlicet pane apud Salomonem verbis mulieris prauitatis hæreticæ typum gerentis, dicitur: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. *Prouerb. 9.*

Hac & similia dum hæretici agunt; non egrediuntur *ad opus Dei; sed* ad opus suum; non enim Dei, sed suum opus peragunt, dum non recta dogmata, sed propria desideria sequuntur. *Qui vt D. Gregorius in illud Iob. 30.* Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria, & mandebant herbas, & arborum cortices *elegantissimè docet; scripturam rodunt, non comedunt: licet sexcentas scripturarum citationes in singula momenta producant.* Rodi solet, *inquit S. Gregorius, lib. 20. Moral. cap. 11.* quod comedi non potest. Hæretici autem, quia scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam proculdubio apprehendere nequaquam possunt: quam, dũ non intelligunt, quasi non edunt. Et, quia per supernam gratiam non adiuti, hanc comedere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt. Exterius quippe illam contrectant, cum quidem conantur: sed non ad eius interiora perueniunt. Qui quia ab vniuersalis Ecclesiæ societate disiuncti sunt; non quolibet rodere, sed in solitudine memorantur. Ad quam nimirum solitudinem, quia prædicatores falsi sequaces suos traherent, longè antè Veritas præmonuit dicens; si dixerint vobis; ecce, in deserto est, nolite exire. Qui rectè perhibentur calamitate, & miseria squalidi; quia, & morum sunt pernicie, & sensuum prauitate despecti. Qui herbas quoque, & arborum cortices mandunt: quia elationis suæ obice repulsi, in sacro eloquio magna, & intima percipere nequeunt: sed vix in illo quædam tenera, & exteriora cognoscunt. Per herbas quippe, dicta planiora: per arborum cortices, Patrum eloquia exteriora signantur. Qui ergò ea scire appetunt, ex quibus docti nequaquã sint, sed esse videantur; dum in sacris voluminibus vim charitatis erga Deũ, ac proximũ medullitus non exquirũt, quasi herba, vel cortice pascũtur: quia, vel ima, vel exteriora sunt, quæ mẽtes superbientium nutriunt. Qui, si quãdo in sacro eloquio quædã quasi prudenter inueniunt, quæ dum nõ intelligunt, pro suis esse assertionib⁹ suspicãtur: mox miseris auditorib⁹ suis, quorũ non animas, sed substantias appetunt, hæc vociferantes aspergunt.

Et quamuis ad rauim vsque scripturas ingeminent, & intonent; veris tamen & legitimis scripturis eorum dogmata & placita minimè nituntur

& roborantur; nam scriptura in alienos & peregrinos sensus deflexa; non est nisi æquiuocè scriptura; Quia hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, *inquit S. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 14.* vt nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur, qui libri ad loquendum nobis quasi quædam argenti venæ sunt: quia de ipsis locutionis nostrę originem trahimus, eos ad sacræ auctoritatis paginas vocat: vt, si verè loqui desiderāt, inde sumere debeant, quid loquantur.

An non ex scripturis sumunt Hæretici, quæ contentione tanta docent? An aliud quàm verbum Domini, verbum Domini, *in ore habent? Minimè ex scripturis veris & legitimis, sed ex imaginariis sua depromunt: quia si ex veris scripturis sua proferrent, nequaq̃ ad sacræ auctoritatis paginas vocarentur; & à suis libris auocarētur, verbis illis:* Habet argentū venarum suarū principia: Ac si apertè dicat: q ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, vt causarū origines à sacris paginis sumat: vt omne, ꝙ loquitur, ad diuinæ auctoritatis fundamentū reuocet, atq; in eo ædificium locutionis suæ firmet. Vt.n. prædiximus, sæpe hæretici, dum sua student peruersa adstruere, ea proferunt, quæ profectò in sacrorum librorum paginis non tenentur. Vnde & discipulum suum prædicator egregius admonet, dicens: O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocū nouitates; quia dum laudari hæretici tanq̃ de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quædam proferunt, quæ in antiquorū Patrum libris veteribus non tenentur: sicque fit, vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant.

Et tamen nil nisi scripturas crepant, crepent donec crepent; iudicio tanti præsulis & doctoris, nil aliud agūt, quàm quòd miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargunt. Non tamen inficias imus, eos, vt facilè valeant peruersa suadere, dictis suis quædam recta permiscere, *inquit S. Greg. lib. 18. Moral. cap. 11.* vt animos audientium ex rectis sensibus trahant, ex peruersis feriant. Qui in præceptis Dei, quia sana, insanaque locutione variantur, benè in Euangelio decem leprosorum sunt specie designati, quorum colori sano dum vitiosus cādor aspergitur, immoderato candore fœdantur. Vnde admonemur, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Qui etiam, quia nec Deum diligunt, de quo malè sentiunt: nec proximum, à quo diuiduntur, decalogi præceptis aduersi sunt, atque ideo ad deprecandum Dominum decem veniunt: Pro eo autem, quòd sanis insana miscuerunt, coloris diuersitate variantur.

Idem S. Gregorius loc. cit. ad Hæreticum pulcherrimè accommodat illud Iob. 27. Ædificauit, sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum. Tinea sibi domum corrumpendo ædificat. Nec meliori,

posuit

potuit comparatione hæreticus demonstrari, qui locum suæ perfidiæ, non nisi in mentibus, quas corruperit, facit: qui etiam sequaces suos ab æterno igne liberos esse pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ, sed verba eius soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Vnde subiungitur; Et sicut custos fecit vmbraculum. Vmbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte, destruitur. Et promissa ab hæreticis requies, cum tempore destruitur, quæ post hanc vitam nullatenus inuenitur. Et quia sæpe hæretici in contemptu vniuersalis Ecclesię potentum sæculi patrociniis fulciuntur *(sicut Lutherus initio suæ Tragœdiæ fulciebatur gratia, & tutela Electoris Saxoniæ)* eiusque diuites protectione, atque administratione quanta præualent, opitulari non cessant: ipse etiam quilibet diues contra Conditorem suum rebus temporalibus intumescens, sancti viri nunc sententia tangitur, atque ab speciali hæreticorum interitu, ad generalem elatorum omnium definitionem sermo deriuatur, cùm subditur; Diues, cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Cui nimirum sententiæ Psalmista concinens dicit; Turbati sunt omnes insipientes corde; dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. *Psalm. 75.* Vt enim in sua manu diuites post mortem quidquam inueniant, eis ante mortem dicitur, diuitias suas in quorũ manibus ponant: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc. 16.*

Hæreticorum argentum, *hoc est*, eloquium; *inquit sanctus Gregorius*, terræ comparatur; quia de scriptura sacra, vt aliquid sciant, ex appetitu terrenæ laudis elaborant; *nam vt Clemens ait libro septimo Stromat.* gloriæ tenentur desiderio, qui ea, quæ ex sua natura conueniunt, sermonibus diuinitus inspiratis, tradita à beatis Apostolis, & magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpũt per alias tractationes, humanis doctrinis resistentes diuinæ traditioni, vt hæresin constituant. Qui etiam, *vt sanctus Gregorius ait loc. cit.* sicut lutum præparant vestimenta, quia fluxè & inquinabiliter ea, quibus se tueri volunt, scripturæ sacræ contexunt testimonia: nam cum seipsos dediderint voluptatibus, *inquit Clem. loc. cit.* scripturam torquent ad suas cupiditates. Cum sit igitur tale *hæreticorum* argumentum, quod neque Prophetæ prædicauerunt, neq; Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur plus quàm ceteri cognouisse, de iis, quæ non sunt scripta, legentes, & quod solet dici, de arena resticulas nectere adfectantes, fide digna aptare conãtur iis, quæ dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones Propheticas, aut sermones A-

postolicos, vt figmentum illorũ non sine teste esse videatur. Ordinem quidem, & textum scripturarum supergredientes, & quantum in ipsis est, soluentes membra veritatis. Transferunt autem, & transfingunt, & alterum ex altero facientes, seducunt multos ex iis, quæ aptant ex dominicis eloquiis malè composito phantasmati. Quomodo si quis regis imaginem bonam, fabricatam diligenter ex gemmis preciosis à sapiente artifice, soluens subiacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, & reformans, faciat ex iis formam canis, vel vulpeculæ, & hanc malè dispositam, dehinc confirmet, & dicat, hanc esse regis illam imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricauit, ostendens gemmas, quæ benè quidem à primo artifice in regis imagine compositæ erant; malè verò, à posteriore in canis figuram translatæ sunt, & per gemmarum phantasiam decipiat idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habeant, & suadeat, quoniam hæc turpis vulpeculæ figura, illa est bona regis imago. Eodem modo & hi anicularum fabulas assumentes, post deinde sermones, & dictiones, & parabolas hinc inde afferentes, aptare volunt fabulis suis eloquia Dei.

Ista verißimè Irenæus lib. 1. cap. 1. quæ non magis in veteres, quàm in hodiernos Nouatores quadrant; quorum scripturas perperam, & deprauatè citandi morem profectò exsufflare & execrari debemus, *(idem Iren. lib. 1. cap. 13. sub fin. ex versione Billiana)* proculque ab eis fugere: quoque asseuerantius loquuntur, atque inuentis suis impensius oblectantur, eò magis persuasum habere, eos à malorum spirituum ogdoade vehementius afflari. Quemadmodum enim ij, qui in phrenesim inciderunt, quò effusius rident, ac valere se existimant, atque, vt sani omnia faciunt, nonnulla etiam supra, quàm sani, eò grauius, ac periculosius ægrotant: ad eundem modum hi quoque, quò magis insigni quadam sapientia pollere sibi videntur, seque ipsos eneruant, dum arcu immodicè contento iaculantur, tanto magis desipiunt. Quorum, *vt habet Iren. lib. 1. cap. 16.* falsa sapientiæ opinione sese venditantem stultitiam effusè *potius ride*; qui seipsos albos illos & perspicacis ingenij, homines esse gloriantur. *De quibus apud Danielem cap. 12.* Abi quàm celerrimè Daniel, hi enim sermones obsepti sunt, quousque intelligant, qui intelligunt, & qui albi sunt, dealbentur: *seu, vt vertit vetus Irenæi Interpres*; quoad vsque intellectores intelligant, & albi inalbentur. *Scilicet ante Lutherum, Caluinum & reliquos* intellectores & dealbatos parietes *nemo sacram scripturam intellexit*: nam inter eos viros, qui tanti erãt in Ecclesiastica cognitione *(Clem. lib. 7.)* quid restabat dicendum à Marcione *(à Luthero)* aut Prodico *(Caluino)* & similibus, qui non

sunt

sunt ingressi recta via? Neque enim eos, qui præcesserunt, superare potuerunt sapientia, vt aliquid adinuenirent iis, quæ ab illis verè dicta sunt: sed benè cum eis actum esset, si scire potuissent ea, quæ prius sunt tradita.

Quam bene cum illis actum fuisset, si à recta linea non exorbitassent; tam malè nunc cum illis agitur, postquam terminos præfinitos transcenderunt: Quomodo si quis fiat bestia ex homine, similiter atque ij, qui fuerant infecti venenis Circes: ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauit traditionem, & in humanarũ hæresum desiluit opiniones. Qui autem ex errore reuersus obediit scripturis, & vitam suam permisit veritati, Deus quodammodo ex homine efficitur. Qui autem sunt eiusmodi, vt qui à recta via exciderint, meritò etiam falluntur in pluribus singularibus, propterea quòd non habeant verorum, & falsorum iudicium planè exercitatum in iis, quæ oportet eligere: si enim haberent, parêrent scripturis diuinis.

Non oportet ergo vnquam, vt faciunt hæreseων sectatores, adulterare veritatem *(en hæretici sunt veritatis adulteri)* neque furari regulam Ecclesiæ *(en hæretici sunt fures)* propriæ cupiditati, & gloriæ inseruiendo in fraudem propinquorum, quos omninò diligentes veritatem, decet docere eam complecti.

Quocirca qui impios attingunt sermones, neque verbis diuinis rectè, sed peruersè vtuntur, neque ipsi in regnum cælorum ingrediuntur, neque eos, quos deceperunt sinunt assequi veritatem. Sed nec ipsi ingressus clauem habentes, sed falsam quandam, &, vt dicit consuetudo, ἀντικλεῖδα, id est, aduersam clauem, per quam non relaxato velo, vt nos ingredimur per Domini traditionem, sed exciso ostio, & muro Ecclesiæ clam perfosso, veritatem transgredientes, efficiuntur Principes, ac duces mysteriorum animæ impiorum.

Illud, quod ait Clemens: Hæreticos furari regulam Ecclesiæ, *in memoriam mihi reuocat Achan illum*, qui Regulam auream quinquaginta siclorum & ducentos siclos argenti *rapaci manu harpagarat*, & in terra contra medium tabernaculi sui absconderat. *Iosue 7. Typus Nouatorum nostrorum fuit sacrilegus iste Achan: qui & ipsi regulam auream, (scripturam sacram) ex publico Ecclesiæ thesauro furantur; prauarumq; interpretationum cano, & terrenorum carnaliumq; sensuum luto eam conspurcant & collutilant; deteriores antiquo illo Achan, qui regulam à se sordidatam occuluit; isti propalant & in omnium conspectu venum exponunt;* humanisque à se inuentis eam *infodientes artibus*, diatribę, seu scholæ potius quàm Ecclesiæ præsunt, *vt de quibusdam sophistis loquitur Clemens.*

Porro Lutheranis & Caluinianis, præsertim verò prioribus, qui tot libros veteris nouique testamenti ex diuino Canone expungere studuerunt; scripturasque in suis, siue in Latinam, siue in vernaculas linguas versionibus miserandum in modum dilacerarunt, & additionibus detractionibusq; deprauarunt; & eas, quas retinent, exoticis & à veritatis norma exerrantibus expositionibus contaminarunt, his, inquam, meritò per parodiam occinas & accinas id, quod olim in Manichæos scripsit Titus Bostrensis Episcopus lib. 3. contra Manichæos. Fingunt honorem Euangeliorum (*scripturarum*) oportebat autem eos, si quidem Euangelia (*scripturas*) honorabant, non circumcidere Euangelia (*scripturas*) non demere de Euangeliis (*scripturis*) non alia apponere, &c. Adscripserunt itaque quæcunque voluerunt, & detraxerunt, quæcunq; iudicauerunt. Et postea nomine appellant Euangelia (*scripturas*) qui corpus Euangelij (*scripturarum*) non seruauerunt, sed potius aliud corpus litterarum, quod vsque ad nomen tantùm Euangelij (*scripturæ*) pertingit, propria voluntate fecerunt. Plus enim, quàm Gentiles Euangelia (*scripturam*) inhonorauerunt: illi non recipiunt, & non recipiendo non corrumpũt, sed solùm reiiciunt: non tamen calcant litteras: hi verò cum recepisse videbantur, calcauerunt, insultarunt, & adulterauerunt litteras: & quod præstigiatores & improbi faciunt, fecerunt. Illi solummodo non crediderunt, & quibus non crediderunt, de eis à se differi non patiuntur: hi verò in medium prodeuntes, conati sunt concentum soluere, modulationem doctrinis artificio fabricatis tollere ausi sunt, præparato nomine Euangelij (*scripturæ*) vt esset fallaciæ caussa.

Sed quid opus ab antiquis Patribus testimonia petere, quomodo hodierni sectarij scripturas tractet, & citent, cũ id disertissimè & enucleatissimè nos doceat nõ semel Lutherus: huius moris callẽtissimus & experientissimus, vtpote hac in palæstra omnium antesignanus & primipilus, qui, vt nostris oculis quam luculentissimè subiiceret, qua ratione Carolstadius verba illa Saluatoris: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, &c. *tractarit, dilaniarit ac discerpserit, hæc post multa in miseram illam lanienam declamata subiicit, lib. contra cælestes Prophetas Tom. 3. Jen. Germ.* Es gemanet mich solches seines reissens/ vnd marterens inn Gottes Worten/ gerad als jener/ danon ich ein Buch laß/ da ich ein junger *Magister* war/ die das Vater vnser also rissen vnd marterten: Vater vnser der du bist/ im Himmel werde geheiligt/ dein Name zukomme/ dein Reich geschehe/ ꝛc. vnd wunderlich vnd seltzam zertheilet: hatten auch jhre vrsach darauff. Item/ gleich wie etliche Juden gethan haben/ *Genes. 2.* Gott schuff den Menschen zu seinem bilde/ ein Männlin vnd Fräwlin/ er schuff sie/ vnd meineten/ Gott hette Adam also gemacht/ daß seine einige Person zugleich Mans vnd Weibsbilde wäre. Wanns solte so zerreissen vnd theilen gelten/ welche ein feine Bibel wolten wir zurichten?

Et tamen, ô Luthere, vitium, quod in Carolstadio insectaris, id tibi, tuisque asseclis vniuersis innatum est.

Consimili ratione scripturas à Judæis tractari docet idem Lutherus libro de Judæis & eorum mendaciis Tom.7. Lat. VViteb. Est veteratorium quiddam *(quod in scripturæ interpretatione Iudæi sequuntur)* par huic expositioni orationis Dominicæ, quam audiui Monachus (vt vocant) nouitius, quod quidam indoctus textum eius orationis aptissimè cohærentis, & etiam in membra sua vera diuisæ, ita diuulserat, & è contra ineptè consutam corruperat; Pater noster, in cælo sanctificetur. Nomen tuum veniat. Tuum regnum fiat. Tua voluntas sicut in cælo, & in terra, &c. Hanc Sathanicam dilacerationem textus Iudæi student tantum ideo facere, quod nobis Christianis libenter textus ipsos scripturæ annihilare vellent: tametsi, ne ipsis quidem sic dilaceratus vsui sit. Nihil enim eos docet, nihil consolatur, nihil confert eis, & manent verba frigida, & inania, &c. Quemadmodum Bodenstein etiam verba Sacramenti violenter dilacerabat, ne nobis prodessent.

Quod Lutherus scribit de Judæis, hoc tu de Luthero omnibusque nostri temporis Nouatoribus accipe & assere: nam in sacrarum litterarum tractatione & explicatione, ne vno quidem pilo aut filo meliores sunt Judæis, & Carolstadio: de quibus dicas licet cum Luthero intrepidè: Hi Rabini, imò rabiosi & canes suis latratibus nihil efficient, prodemus ipsorum mendacia, auxiliante Deo. *Grauissimè enim peccant, cum scripturam peruersè citant, & in sensus alienos detorquent; Teste enim Luthero; Tom. 1. Latin. VViteb. in explicat. præcepti VIII. contra octauum præceptũ de testimonio falso non dicẽdo, delinquunt vniuersi, qui falsa discipulis tradunt, præsertim Theologi;* quando scripturam sanctam, & verbum Dei peruertunt, & falsè exponunt, vel aptant non rectè. Hinc enim fit, vt falsè dictum occidat animas, aut saltem discruciet in felices conscientias. De primis horum sunt hæretici, & Monij singulares, qui Dei verba suis sensibus aptant, & in sui obsequium captiuant, cùm deberent contrà; & hoc in iis, quæ pertinent ad fidem, & salutem. Hoc tam magnum peccatum reputatur apud Deum, vt nullum aliud in scripturis frequentiùs, acriusque arguatur per omnes figuras, & prophetias, &c. Dico ergò; nunquid excusantur, cùm faciant id pia intentione, & zelo Dei? Sic enim sese hæretici solent excusare, vt nostri vicini Pighardi Bohemiæ. Respõdetur, quod non, imò eo magis accusantur; quia ex superbia procedit iste zelus, quòd doceri nolunt, & audire, sui ipsius magistri facti, &c. Sunt enim de tali zelo securi, quasi non errẽt, quod piè intendant, & garriunt quod omne peccatum est voluntarium, & intentio nominat

 opus.

opus. At nos, inquiunt, bonam intentionem, & voluntatem piam habemus; & ita fiunt obstinati, & securi, &c.

Quibus respondetur quod habeant pessimam voluntatem, & venenosissimam intentionem. Non dico eam, quam sentiunt, & allegant, sed profundiorem illam, qua superbi sunt, & nolunt aliud audire, quàm suam intentionem bonam, nec credere alij, quam suę piæ voluntati. Hanc enim intimam suam superbiam non videntes, vestiunt eam, ficta, & violenta intentione bona, & pia voluntate. Vera enim bona intentio, & radicaliter bona voluntas nunquam stat secura, & sine timore, &c.

Quocirca, cùm scriptura sancta velit in timore, & humilitate tractari, & magis studio piæ orationis penetrari, quàm acumine ingenij, impossibile est, ꝙ sine damno sint, vel suo proprio, vel aliorum, quos docent, q nudo ingenio freti, in eam irruunt illotis pedibus, sicut porci, *(Lutherani)* tanq̃ sit humana quædã scientia, adeò nullo reuerentiæ discrimine versantur in illa. Inde veniunt tot promptuli ad docendũ: qui statim cognita Grammatica, Theologiam sine omni studio profitentur, dicentes; Hem, Biblia res facilis est. Maximè autem id faciunt, qui distenderunt ventrem suum siliquis illis porcorum, id est, Philosophorum. *(Tu dic Lutheranorum)* Vnde de eis conqueritur B. Hieronymus, quod arbitrio suo trahunt repugnantem scripturam; & iam prouerbium factum est, scripturam habere cereum nasum.

Et hi sunt illi, q cũ vix verba scripturæ norũt, iam pfectã sacrarũ litterarũ intelligentiam sibi tribuunt, & ab aliis tribui volunt, cõtra illud Iurisprudentiæ scitũ: ff. de leg. scire leges non hoc est verba eorũ tenere; sed vim ac potestatem; *cum vt pclarè dixit Tertullianus*, verba non solo sono sapiant, sed & sensu: nec auribus tantũmodo audienda sint, sed & mentibus. Quæ vtilitas in litteræ cortice? *ait D. Athanas. seu qs alius; Tom. 2. Operũ S. Athan. fol. 271.* Aut qs fruct⁹ redeat ad mẽtem nihil horũ ad rationis calculos reuocantẽ? sed nimirũ hęc vna aduersariis omnibus erroris, & malorũ vniuersorũ causa est, ꝙ aures qdẽ verborũ sono habent patentes; eorũ verò, quæ dicuntur, intelligentiam animo nullã concipiunt. Quis. n. est eorũ, qui se Catholicæ Ecclesiæ hostes profitẽtur, qui, vt re in nullã partem discussa, fides suis habeatur dictis, non postulet? siue Græcum mihi nominaueris, siue Manichæum; siue Arium, siue Apollinarium; siue alium horum alicuius asseclam. Nonne deprecatur examen, ne conuincatur erroris? Nonne alia quidem ex suo cerebro eructando; alia, de diuinæ scripturæ congruentia amputando, & ad scopum suum detorquẽdo, demonstrationes profert, quas nemini curiosè perscrutandas esse, vt optat, ita affirmat?

Hic

Hic occlamabunt Prædicantes; hac competere in Pôtificios, illos enim suæ doctrinæ examen ferre vel subire nolle. Sed si res ad calculos reuocetur, quod nos iustißimè facimus; id ipsi non nisi iniustißimè agunt. Quanta enim peruersitas est, & quàm præpostera; vt quiuis ex vulgi fece de sanctionibus & decretis vniuersalis Ecclesiæ, quæ columna est & firmamentum veritatis, arbitrium & iudicandi potestatem habeat: quam Prædicantes suis quidem verbo interdum concedunt; sed reipsa negant: si enim quispiam non tantum ex imperita multitudine, sed & ex Prædicantium minorum cœtu, potentioribus ex scriptura sine scriptura somnia sua venditantibus se opponat; factum suum tanta seueritate luit; vt multi iugum illud detestati ad Pontificiam Ecclesiam respectare incœperint; in qua ipsis omnia leuiora visa; præ tyrannide illa prædicantica.

Nunc tempus est, vt explicemus, cur Hæretici scripturas adeo iactent, citent, recitent, promant, depromant; vt vsurpare poßis illud: Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: *Vnicam hic reddam caussam. Plures aliàs reddidi. Hæretici ideo hoc faciunt, quia fures sunt. Quod munus est furis?* Fur non venit, nisi vt furetur, mactet & perdat. *Ioan. 10.* Aliud est, quod furatur, *inquit Rupertus, lib. 9. in Ioan.* aliud, quod mactat, aliud, quod perdit. Quid enim furatur, nisi aurum, & argentum? aurum sapientię Dei, & argentum eloquij mystici, vel, vt magis in metaphora sermo persistat, quid furatur, nisi salubria ouium pabula, furtimque corrumpit, quando peruersis traditionibus sacram scripturā eo sensu defraudat, quo illam Spiritus sanctus scribendam, & legendam tradidit, *&c.*

Ingresso autem fure huiusmodi, necesse est oues vtrobique periclitari. Nam, si furto veritatis consentire, vel pabula corrupta contingere nolunt, iratus fur continuò mactat, *&c.* Si autem furto consentiant, furesque sequantur, & audiant vocem alienorum, tum corpora quidem non mactant, sed animas perdunt. Iam quippe ipso consensu animę perditæ sunt, & si corpora viuunt, illæ, iam perierunt. Rectissimè igitur dictum est: Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Furetur videlicet, & adulteret, vel corrumpat verum scripturarum sensum: mactet corpora sibi non consentientium; perdat animas sibi consentientium.

Vt ergo furandi, mactandi & perdendi officium strenuè obeant & expleant; istud scripturarum densißimo agmine citandarum & proferendarum instrumentum assumunt. Hoc enim viso & audito; nil fraudis & technarum suspicantur simpliciores ouiculæ; omnia tuta arbitrantur; nec prius exitium sentiunt, quàm in ipso exitio; Nam fures isti, inquit Iren. lib. 3. cap. 19. similia loquentes fidelibus, non solùm dissimilia sapiunt,

ſed & contraria, & per omnia plena blaſphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per ſimilitudinem verborum, diſsimile affectionis eorum in ſe attrahunt venenum. Sicut quis aquæ mixtum gypſum dans pro lacte, ſeducat per ſimilitudinem coloris, ſicut quidam dixit ſuperior nobis, de omnibus, qui quolibet modo deprauant quæ ſunt Dei, & adulterant veritatem Dei, lacte gypſum malè miſcetur.

De Conſtantino Manichæo, qui ſe vocabat Syluanum, hæc Cedrenus in Comp. Hiſtor. Ita ſuis tradidit Euangelium, & Apoſtolum, vt nihil à ſcriptura differrent apud nos recepta; ſed ſingula capita, ad ſuam detorſit hæreſin. *Cur hoc? niſi quia fur erat, miſſus furatum, mactatum, & perditum. Quæ tria commodius præſtare nequiit, quàm Euangeliorum & Apoſtoli pallio, vt ſic dicam, tectus, præſertim cum hanc inſuper legem ſuis ſectatoribus ediderit*, ne præter Euangeliũ & Apoſtolum vllum alium librum legerent. *Hic genius etiam Philippum aliquando inſedit & obſedit; vt & Lutherum*; (Vide locos Philip. 1523. Argent. in fine. Et Præfat. Germ. in Tom. Ienenſ. Luth.) *qui hoc hypocriſeos lac à priſcis ſectariis imbiberunt; de quibus iam olim iſta Irenæus, lib. 3. cap. 15.* Hi ad multitudinem propter eos, qui ſunt ab Eccleſia, quos communes Eccleſiaſticos ipſi dicunt, inferunt ſermones, per quos capiunt ſimpliciores, & illiciunt eos, ſimulantes noſtrum tractatum, vt ſæpius audiant: qui & queruntur de nobis, quòd cum ſimilia nobiſcum ſentiant, ſine cauſſa abſtineamus nos à communicatione eorum; &, cum eadem dicant, & eandem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos: & cùm deiecerint aliquos à fide per quæſtiones, quæ fiunt ab eis, nec non contradicentes, auditores ſuos fecerint, his ſeparatim inenarrabile plenitudinis ſuæ enarrant myſterium.

Quid ergo faciendum ſi huiuſmodi fures in nos incidant, vel nos in illos? Fugere oportet ſententias ipſorum, *inquit beatus Martyr Irenæus, lib. 5. cap. 20.* & intentius obſeruare, vti ne vexemur ab ipſis, confugere autem ad Eccleſiam, & eius ſinu educari, & Dominicis ſcripturis enutriri. Plantata eſt enim Eccleſiæ Paradiſus in hoc mundo. Ab omni ergò ligno Paradiſi eſcas manducabis, ait ſpiritus Dei, id eſt, ab omni ſcriptura Dominica manducate: ſuper elato autem ſenſu, ne manducaueritis, neque tetigeritis vniuerſam hæreticam diſſenſionem. Ipſi enim confitentur ſemetipſos agnitionem habere boni, & mali, & ſuper Deum, qui fecit eos, iaculantur ſenſus ſuos impios, ſuprà igitur ſentiunt, quàm eſt menſura ſenſationis. Quapropter & Apoſtolus ait, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad prudentiam, vt nõ illorum manducantes agnitionem, eam, quæ plus, quam oportet, ſapit, proiiciamur de Paradiſo vitæ.

Arro-

Digitized by

Arrogantißimum profectò animal est Hæreticus. Nihil in eo Christianæ submißionis, nihil modestiæ & moderationis. Quod de suis olim Irenæus lib. 3. cap. 15. hoc & de nostris, quamprimum sacris Lutheranis vel Caluinianis initiantur, verißimè affirmaueris. Si aliquis quasi paruum ouum deditum, semetipsum ipsis præbeat imitationi illorum, & redemptionem illorum consecutus est, inflatus est iste talis, neque in cælo, neque in terra putat se esse, sed intra pleroma introisse, & complexum iam angelum suum, cum institorio, & supercilio incedit, gallinacei elationem habens.

Quid amplius? Idem lib. 5. cap. 20. Qui reliquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus, à blasphemo, & impudente Sophista. Tales sunt autem omnes hæretici, & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant, sequentes ea, quæ prædicta sunt variè, & multiformiter, & imbecille facientes iter, de iisdem non semper easdem sententias habentes, veluti cæci à cæcis circumducuntur, iustè cadent in sublatentem ignorantiæ foueam, semper quęrentes, & nunquam verum inuenientes. *qui & se inuicem despiciunt* (Clem. libr. 7. Stromat.) & irrident *(notum id exemplo Lutheranorum & Caluinistarum)* & accidit vt eadem intelligentia ab aliis quidem maximo in honore habeatur, ab aliis autem damnetur amentiæ.

Testatur hoc sensus Lutheranus horum verborum: Hoc est corpus meum: *qui Lutheranis summo est in pretio: Caluinistis, summo ludibrio: vt & vicißim Lutheranis despicatui, imo & execrationi est sensus Caluinianus eorundem sacratißimorum verborum; ita dum, iudicio suo quisque nixi in diuinas litteras inuolant, & litteram acerrimè, vt gloriantur, vrgent; & subtilißimè rimantur; noua dogmata, & monstrosa placita absque modo & mensura cudunt. Quod cuiuis factu procliue, iacta semel audaciæ & temeritatis alea; & Ecclesiasticæ traditionis regulâ repudiatâ.* Si litteram sequimur, *inquit S. Hieronymus, lib. contra Lucif. in fine.* possumus & nos quoque nouum nobis dogma componere; vt asseramus in Ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint, & duas tunicas habeant.

Pulchrè Clemens lib. 7. Stromat. sub fin. Hæreticos cum animalibus bifidam vngulam habentibus, sed non ruminantibus comparat; Illa quoque sunt similiter immunda, quæ bifidam quidem habent vngulam, minimè autem ruminant: Hæc enim indicant hæreticos, qui ingrediuntur quidem in nomine Patris, & Filij, accuratam autem eloquiorum declarationem subtiliter exprimere, & in tenues partes comminuere nequeunt, & iustitię opera paulò crasßius, non autem accuratius, & subtilius obeunt, si modo obeunt.

Eosdem

Eosdem idem Clemens propter inanitatem & vanitatem siluestribus amygdalis similes affirmat. Quomodo dicuntur inanes amygdalæ, non in quibus nihil inest, sed in quibus, id quod inest, est inutile: ita etiam hæreticos dicimus, qui sunt inanes Dei consiliorum, & Christi traditionum, & amarescunt non secus, ac agrestia amygdala, & sunt principes, autoresque dogmatum, nisi quæ propter veri euidentiam deponere, & occultare non potuerunt. *Quomodo ergò in bello non est ordo deserendus*, quem dedit Imperator militi; ita nec deserēdus est ordo, quem nobis dedit Verbum, quem accepimus Principem, ac Ducem cognitionis, & vitæ.

Hæc quidem adduxi, volens adhortari studiosos, ne facilè prolabantur in hæreses: alios autem, vt ab hac, quæ consistit in superficie, siue inscitia, siue stultitia, siue mala habitudine, siue quocunq; alio nomine eam vocare oporteat, desistant efficere cupiens: contra autem persuasos conans adducere ad veritatem, eos, qui nō sunt omninò immedicabiles, vsus sum his sermonibus. Sunt enim, qui nec omninò quidem in animum inducunt, vt audiant eos, qui hortantur ad veritatem; quin etiam nugari aggrediuntur, verba in veritatem maledica effundentes, sibi arrogantes, quòd, quæ sunt ex rebus maxima, cognouerint; cum nec didicerint, nec quæsierint, nec laborarint, nec inuenerint consequentiam, quorum potius miserebitur aliquis, quàm odio habebit, propter talem vitæ eorum rationem. Si quis autem est medicabilis, qui tanquam ignem, vel ferrum ferre possit libertatem veritatis, secantem, & vrentem falsas eorum opiniones, præbeat aures animæ. Hoc autem fiet, si non otium, & socordiam amplectentes extrudant veritatem, aut gloriam desiderantes, res nouas magna vi persequantur.

Nunc aliquid de Bellarminiano opere & nostra defensione in medium adferre, non, vt opinor, inopportunum censebitur: Illud toto Christiano orbe notius & celebratius est, quàm vt mea laudatione egeat: cuius excellentiam prædicant toties iteratæ editiones typographicæ in Germania, Gallia, Italia: Et exemplarium adeo fortunata, & propera distractio & venditio; vt certatim non modo Orthodoxi, sed & sectarij ad emptionem horum voluminum, tanquam præstantissimæ mercis, conuolarint: adeo vt in vestibulo forsan non immeritò scribi possit illud Horatij: HIC MERET AERA LIBER SOSIIS. *Accedit etiam aduersariorum testificatio; & quidem triplex; nam inprimis non raro ipsum operis auctorem ab ingenij & eruditionis felicitate & copia commendant; Aliquando ipsum opus; Tertio hoc pro luculentissimo præstantiæ testimonio habendum arbitror; quod Nouatores in vnum* Bellarminum *omnes suas vires & machinas conuertunt;*

vixq; vllus sit Prædicans; qui suis siue in lucubrationibus, siue lucubratiunculis in hunc nō insiliat, impetumq; faciat: & obscuritati suæ ex hac tanta Illustrißimi scriptoris luce, lucem non conetur accendere.

Audi VVitackerum Epistol. Dedicat. libri sui de verbo Dei contra Bellarm. Inter Iesuitas magnum, & celebre nomen Robertus Bellarminus, homo Italus, aliquot iam annos obtinuit, qui primùm in Belgio scholasticam Theologiam docuit; pòst Romam profectus, controuersias Theologicas summa omnium admiratione, acclamationeque tractauit. Cuius dictata sic erant studiosè ab auditoribus excepta, transscripta, varieque transmissa, vt quasi κειμήλια quædam, vel ἀποπρόπαια haberentur. Pòst verò, vt huius laboris fructus ad plurimos perueniret, in epitomen etiam ab homine Anglo redacta sunt: Postremò, harum controuersiarum Tomus primus typis Sartorianis Ingolstadij prodiit, reliqui exspectantur suo tempore. Et nunc Bellarminus tanquam athleta inuictissimus à suis celebratur, quo cum nemo nostrum congredi ausit, cui respondere nullus possit, quem vincere si quis se posse speret, ab his insanus habeatur.

De quo homine cum meam opinionem quæreres *(alloquitur Cæcilium, Angliæ Thesaurarium)* respondi, quemadmodum sensi, me illum iudicare virum sanè doctū, ingenio felice, iudicio subtili, lectione multiplici præditum, qui soleret etiam apertius, ac simplicius agere, quàm reliqui consueuerunt Papistæ, & argumentum pressius vrgeret, & arctius ad causam adhæresceret. Sic enim homo eruditus in scholis, & Controuersias ex instituto tractans, in argumento totus, missis circuitionibus, atque ambagibus, versari, hærere, habitare debuit: cumque legisset, quos hactenus libros quisquam de his caussis scripserit, eas argumentationes, responsionesque selegit, quas valere plurimum, & neruosiores esse iudicaret.

Infra idem VVitackerus. Lætor verò huius illas omnium sermone celebratas Controuersias, esse nunc ab ipso in lucem editas, vt quales sint, quid valeant, quantum neruorum, & ponderis habeant, omnes facilè iudicemus, nec alium esse Bellarminum credamus, quàm hæ testentur. Et quanquam Aduersariorum opiniones ex aliis scriptoribus, qui multi admodum prodierunt, colligi possunt; tamen, quia nō idem omnes statuunt de multis caussis, & quis potissimum probetur, incertum est, vt parum hactenus constaret, quænam esset Ecclesiæ Romanæ sententia: nunc edito Bellarmino, melius, & certius cognoscemus, quid illi in quaque caussa teneant, quibus potissimum argumentis nitantur, & quæ sit ipsa quodammodo papismi medulla, quæ non magis in Papa ipso, quàm in Iesuitis inesse creditur. Cur igitur scirem,

quàm

Digitized by Google

quàm foret hominibus nostris optatum, vt Iesuitis istis responderetur, & Bellarmini dictata nactus essem, manuscripta, putaui me facturum operæprecium, si Controuersias easdem in scholis nostris pro muneris mei ratione tractarem, & noua Iesuitarum sophismata diluerem.

Franciscus Junius. præfat. Animad. in primam Bellarmini *controuersiam.* Annus iam fermè vigesimus quintus agitur, cum Robertus Bellarminus Politianus, Societatis, (vt vocant) Iesu, de controuersiis Christianæ fidei aduersus huius temporis hæreticos in Gymnasio Romano disputare aggressus est, & palam sermone, (quod antè diu fecerat) ac scripto docens controuersa doctrinę capita, prout ab Ecclesia Romana illa ὁμωνύμως dicta, & à capite ipsius Pontifice Romano traduntur, propugnare. *Arduum sanè opus, ait ille, atque eiusmodi, vt si non leuiter, & perfunctoriè, sed accuratè, ac vt rei dignitas, & difficultas exigit, tractandum sit; scientiam propè infinitam non modò variarum disciplinarum, & linguarum, sed etiam totius antiquitatis, omnium historiarum, & temporum,* videatur ipsi requirere. Et reuera ardua multa in isto opere instituto, ac velut pilatas acies agmine facto oportet homini occurrisse, cum in tantis rebus, argumentisque, accuratè, & condignè scientiam adeò multiplicem desiderari putauerit, vt hęreticos non vnius generis, sed varia variorum examina strenuè vna acie prosterneret.

Quapropter cum gratias illi ago, & habeo maximas, quòd tantum spatij tanto suo, & collegarum suorum τῷ καὶ αὐτοῖς συνεργαζόντων labore, in accumulando, & coagmentando vasto illo controuersiarum, & disputationum corpore consumpserit; tum ab omnibus bonis, Christianisque deberi iudico. Nam, siue ea, quę rectè, & ex veritate ab eo dicta sunt, respexeris aduersus falsa errantium, & hæreticorum dogmata, labor est sua laude dignus, siue ea, quæ præter veritatem constabiliendis Ecclesiæ Romanæ ψευδωνύμως dictæ, & Pontificiæ dogmatis propugnandisque attulit, saltem eo nomine videtur non malè de nobis meritus, quòd capita illa doctrinæ, in quibus à vero aberrant, dissident, aut instabiles sunt Pontificij, in vnum compegit, ac concinnauit, multasque multorum sententias, summa Pontificum, Academiarumque Pontificiarum approbatione munitas comportauit, & conclusit sententia sua.

Ac eorum quidem omnium, quæ verè, & sanctè aduersus hæreses ab illo dicta sunt, laudem iustam vt præcerpamus, aut deminuamus, neque est viri boni, & Christiani officium, neque est nobis animus, aut vnquam fuit. Etenim, quidquid bonum, verum, sanctum, & iustum est, cùm à Deo sit, id tanquam à Deo oportet accipi, atque asseruari; ac

non

non superciliosè attendi, per quos, aut etiam quomodo nobis offeratur, &c. *Hæc Caluinianus Iunius.*

Cuius mendacium de collatis ad hoc opus conficiendum plurium operis irrepercussum relinqui non debet; est enim Iunio cum Danæo commune, qui in Generali censura, quam adiecit ad primum Bellarmini *de verbo Dei librum; sic mentitur.* Etsi plures hoc scriptum compilarunt; solus tamen Bellarminus, magna animi ambitione, totam istius libri, & operis inuidiam in se deriuauit. *Hanc Danæi impudentiam his verbis redarguit noster Andreas Eudæmonioannes Cydonius lib. 1. castigat. contra Dan. c. 7. Quæro ex Danæo, quibus auctoribus compererit, à multis opus hoc compilatum? quibus argumētis, aut coniecturis id ita esse ostendat? Certè stylus idem est, & semper sui similis doctrinæ methodus, eruditionis vbertas, perspicuitas, cum candore, ac simplicitate coniuncta grauitas. Vnum illud argumentum reliquum est, quod mirantur aduersarij, in vno aliquo homine esse tantam eruditionem, doctrinam, acumen, linguarum peritiam, variam lectionem; & quod omnes in vnum conflati assequi ipsi non possent; id in vno Iesuita esse potuisse, non credunt. Ego verò, qui eodem cum* Bellarmino *aliquot annis domicilio vsus sum, & mecum omnes ij, qui eodem tempore Romæ è nostra societate vixerunt, affirmare, etiam sanctè, possumus; eum non modo aliorum opera non vsum, sed ne anagnosten quidem, aut amanuensem habuisse; sed suo ipsum studio, labore, industria, tantam supellectilem comparasse, ac libros hos, quos aduersarij ita calumniando tantopere mirari se confitentur, sua etiam manu totos, atque integros exarasse. Quæ eius autographa, ab eo impetrata, meis ipse manibus in Collegij nostri Romani Bibliotheca collocaui.*

Porrò, quod deriuare in se vnum operis huius inuidiam Bellarminum voluisse, *dicit Danæus: nominibus abutitur, gloriam verius dixisset. Gloriosa est enim, atq; optanda Christiano Theologo hæreticorum inuidia. Neq; quidquam accidere optabilius potest ei, qui aduersus hæreticos scribat: quàm, vt, quia eius scriptis iugulari se sentiunt; scriptorem auersentur. Quanquam* Bellarminus, *quia gloriam, qua est animi submißione, & Christiana modestia præditus; vehementer refugiebat, non prius adduci potuit, vt suas hasce lucubrationes in vulgus emitteret, quàm moderatorum suorū imperio, atque aliis rationibus compelleretur, quas ipse operis initio posuit.*

Ex his etiam illud suum mendacium castigare poterit Iunius; quod euomuit, postquam mendacißimè dixerat; Bellarminum, Patrum testimonia, falsò, mutilè, peruersè verbis atque sententiis adducere. Equidem non puto horum testimoniorum pleraque à Bellarmino fuisse posita iudicio certo; sed, aliena fide; cum de collegis, & alumnis ipsius alij hoc testimonium, alij illud ex varia lectione, quasi amentatas hastas com-

militoni suo subministrandas comportarent. sic Bellarmini scriptum est; sed aliena fide, opinor, in hoc genere concinnatum. *Scilicet rem acu tetigisti, si acus nomine intelligamus mendacium.*

Idem Iunius præfat. in secundam controuersiam Bellarmini: Cùm in Germania superiore essem; ante annos duodecim, & eo amplius, audiebam multa de Roberti Bellarmini, societatis (vt vocant) Iesu, opere magnificentissimè prædicari. Nam & plurima ab illo diligenter, copioseq; tractari de fidei argumento in disputationum libris dicebantur, & multorum ea sententia esse, quod nemo vnquam nostrorum hominum integrũ illud opus aggressurus esset refellendum, pedemq; cum tanto artifice iusta velut pugna collaturus; multi denique specie argumentorum capti, ac potius mole operis, & gratia quadam sermonis obstupefacti secundùm Pontificiam doctrinam iudicare, altera parte, quod aiunt, inaudita.

Paulo post repetit pseudologiam illam de opere hoc plurium opera composito. Quod itidem facit in epistola, quam præfixit animaduersionibus *suis in controuersiam de Purgatorio; vbi & ista Iunius.* Duo apud multos, & ad miraculum vsque (vt ita dicamus) est assecutus *Bellarminus*; vnum, quòd diligẽtia istius collectę, & cinni laboriosissimi ex Pontificiorum omnium sententiis comportati pellexit multos, vt libros ipsius de doctrina Christiana, & controuersis locis eius consulerẽt: alterum, quod nouatio eiusdem operis multorũ animos inflammauit, vt idem scriptum legerent, relegerentq; sæpius, & spem noui alicuius fructus noua accessione ingenuit, prout res nouæ, aut etiam nouatæ sitientibus ingeniis calcaria solent addere; vt idem argumentum & meditentur sæpius, & recolant diligentius, &c.

Legitur itaque Bellarminus à multis studiosè, & opus ipsius semel, iterum, tertiò, quartò, quintò manibus auctoris subactum, interpolatumq; teritur à plurimis, qui aliquid re maius, vt maius mole, præstitum ab ipso arbitrantur: & ita legitur, vt his persuadeat, illos ad quærendum, & cognoscendum amplius excitet, nõ paucis verò sit desidiæ suæ, & ψύχες θανάσιμε in causa religionis nostræ velamentum. Quàm multos enim, Deus bone, in Germania audiui, & in hoc Belgio, quàm multos in Gallia, qui hos puluillos suis cubitis miseri cõsutos putant, vt à veritate scripturæ, à religione, à pietate aberrent speciosius. Ignoscat illis pius miserationũ pater, &c. sunt tamen profectò, sunt multi, qui Bellarmino dicenti, & scribẽti credunt, qui folia sibyllæ altera esse putant, qui testimonia, & rationes inuictas ab ipso produci existimãt: qui deniq; de scriptis eius haud secus gloriantur, quàm si veritas esset diuina ipsa, & hic murus aheneus ꝓ veritate staret in oculis omnium.

Ex

Digitized by Google

Ex his omnibus apparet, quanta apud omnes, etiam sectarum professores & sectatores, operis Bellarminiani sit existimatio; quanta auctoritas: quæ ipsismet Prædicantibus intolerabilis visa est. Quocirca omni ope eam labefactare conantur; quod te docebit hæc confessio Iunij. Mihi verò, cui & diuina *(Caluini)* veritas, & salus communis cordi est, prout ad hoc studium, Deo opt. max. auctore in Christo sum excitatus iam diu, multiplicia hæc mala, quæ hoc argumento orbem Christianum tenent, diu, multumq; cogitanti, nulla commodior ad obsistendum via hactenus fuit oblata, quàm, si eadē illa scripta, quæ tanti animaduerto fieri, atq; prædicari, ordine eodem, quem præformauit ipse in scriptis suis, persequens examinarem, κατὰ πόδα (vt loquuntur) singula, & subnotarem paucis, quæ à veritate diuina, à rebus ipsis, à salute videntur abludere.

Admiscet Iunius, vt & alij de schola Lutheri & Caluini præcones, sermonibus suis mendacia; quæ tamen veritatem haud ita obfuscant, vt non intelligamus, qualis vnguis in vlcere sit Prædicantibus Bellarminus.

Quod etiam liquet ex libro anonymi cuiusdam Hæretici, anno superiore in lucem dato; cuius inscriptio: commonitorium: siue amica ad amicum admonitio de Roberti Bellarmini scriptis atq; libris: *quem post Auctoris obitum in publicum extrusit, nescio quis terræ filius* Theobaldus Hock à Zvvaybruck; *cui in labore hoc minimè necessario adiuua fuit quidam* Matthias Singer *æquè tenebricosus Nouator: Exordium libri est huiusmodi.* Audio te amicorum (quisquis es) optime, Roberto Bellarmino, eiusq; scriptis tantum tribuere, vt de agnita iam pridem, & à parentibus tuis pientissimis tradita tibi, imbutaq; veritatis luce, quodammodo dubitare cœperis; tantiq; eius auctoritatem facere, vt periculum sit, te in aduersaria illius, vt ita dicam, castra propediem concessurum. *Hanc in amici sui animo natā de* Bellarmino *existimationem, piamq; de orthodoxa & auita religione haustam persuasionem; (multis, qui adhuc in Lutheri & Caluini castris stipendia faciunt; cum hoc innominato amico communem) vt Hæreticus labefactaret; &, si fieri posset, ex corde penitus dispungeret; ex omnibus* Bellarmini *tomis, nonnulla, quæ carperet, vellicaret, ac lancinaret selegit; non sine immodicis conuiciis, calumniis, pseudologiis & inscitiis; quæ tamen aliò potius, quàm ad primam controuersiam pertinent. Ex qua istud calumniatrici suæ linguæ opportunum arbitratus est, quod* Bellarminus *scribit lib. 4. de verbo Dei, cap. 3.* in scriptura non contineri expresse totam doctrinam necessariam, siue de fide, siue de omnibus, &c. *Sed hoc* Bellarmini *assertū vero verè concinere, suo loco planum fecimus. Nunc hoc tantum moneo, ex huiusmodi ipsorum aduersariorum libris & testimoniis; item ex anxia cura; qua obstare moliuntur, ne Lutherano & Caluiniano gregi lux veritatis ex* Bellarmini *operibus illuceat, clarum apertumq; relin-*

qui, quo loco lucubrationes Bellarminianæ in Nouatorum schola habeantur: quod etiam liquet ex his Ioannis Piscatoris Caluinistæ verbis; præfat. in lib. de Iustificat. contra Bellarminum: *quæ licet mendaciis & lædoriis vndique farcta sint; nihilominus id, de quo agimus, luculentè comprobant & demonstrant. Ita ergo ille.*

Quanto conatu, & quàm acutè excogitatis, atq; contortis sophismatis, Robertus Bellarminus Iesuita, errores Papisticos palliare, ac defendere; è contra, verorum Euangelij doctorum de fide Christiana doctrinam calumniari, ac refutare studuerit: notum est iis, qui disputationes illius de articulis inter Pontificios, & Euangelicos (quos iste hæreticos falsò nominat) controuersis, cum iudicio legerunt. Hæ disputationes, quum non ita pridem in meas quoque manus peruenissent; auidè eas perlegi; & dolore non mediocri sum affectus, cùm viderem veritatem Euangelicam tam speciosè oppugnari. Quumque recordarer, me à viro quodam fide digno audire, homines literatos Papisticæ religioni addictos, tantopere in isto Bellarmino, tanquam Papistarum quodam Goliatho gloriari, vt illum inuictum dicere non vereantur: valdè exoptare cœpi, vt Deus quàm plurimos ex doctoribus Euangelicis excitet, qui conatibus istius Goliathi, quàm fortissimè, resistant, eumque silice verbi Dei, è funda veræ Logicæ quam dexterrimè proiecto, prosternant, ac demum suo ipsius gladio iugulent. *Hæc Piscator de* Bellarmino; *qui & Lutherano Pappo præfat. in suas* contradictiones; eximius est Theologus; qui edidit annis superioribus Disputationes de controuersiis Christianæ fidei, tribus tomis comprehensas: quæ apud Pontificios instar turris illius, quam Dauid ędificauit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium, habentur. His ipsis enim verbis CAESAR BARONIVS Tom. I. Annalium suorum pag. 468. eas commendat. *Ita Pappus.*

Danæo, etsi aterrimo & teterrimo conuiciatori hanc confessionem veritas extorsit. ad 5. cap. lib. 1. secundæ controuersiæ. Hic enim & nos ipsi variæ lectionis & diligētiæ honestam laudem Bellarmino sine inuidentia tribuimus, imò eam quoque prædicamus. *Et ad cap. 20. eiusdem controuersiæ secundæ idem Danæus.* Nulla in re cum Bellarmino in huius capitis vicesimi doctrina pugnamus: imò & diligentiæ, & memoriæ, & assiduæ Patrum lectionis nomine gratias illi agendas existimamus.

Typographus, qui Danæanas nugas, cauillationes, ineptias, mendaciloquentias & sycophantias in lucem dedit; hoc elogium Bellarmino *in ipso proœmio suspēdit, inter spersum quidem gemmis & margaritis Caluinianis; quæ tamē veritatem non ita obnubilant, quo minus perspicuè intelligamus: quis Nouatorum de Bellarminiani disputationibus sit sensus; & quis in-*

super

Digitized by Google

ſuper metus; ne hæreticis ſynagogis perniciem creent, niſi maturè ex lectorum manibus excutiantur. Inter Ieſuitas, velut Coryphæus ſe iactat, & exultat Robertus Bellarminus, ſic enim in Ieſuitica arena ſe gerit, vt ceteri eius ſocij, tanquam vmbræ volitent; ipſe ſolus, ſibi, & nonnullis aliis, ſapere videatur. Ac ſanè, illius hominis dotes eſſent aliqua commendatione dignæ, ſi quantum diligentiæ, & ſcientiæ præ ſe fert, tantum conſcientiæ adhiberet *(hoc eſt, ſi Caluinianus eſſet; tum enim tam ab hoc, quàm ab aliis Caluini aſſeclis laudaretur* Bellarminus.) Nec enim dubiū eſt, quin ſtatim diſcuteretur caligo, qua mens eius, quaſi Elymę oculi, grauatur; ſi cum rerum cognitione, & arte, ratiocinandi veram rationem ex Dei timore, & veritatis amore, poſthabitis omnibus hominum præiudiciis, coniungeret. *Ita Danæanus Typographus.*

Et hæc Bellarminiani operis præſtantia & ſublimitas non tantùm in vniuerſum omnes Prædicātes, qui aliquid ſcriptitant exciuit; vt eius partes nonnullas arroderent, & virulentis ſuis calamis inſectarentur; ſed & quibuſdam eos ſpiritus exſuſcitauit; vt ingenti hiatu, totius operis, quàm vaſtum & amplum eſt, refutationem palam pollicerentur, tametſi hactenus abſque ſucceſſu. Horum primas tenet Wilhelmus Witackerus, Anglus, profeſſor in Academia Cantabrigienſi, ex variis ſcriptis ſatis notus; quem tanta cum Bellarmino confligendi cupiditas inuaſerat; vt diſputationum illius publicam editionem præſtolari non poſſet; ſed in dictata, *prout ab auditoribus in ſchola excepta, & in chartam relata fuerant; inuolaret; & ex cathedra ſcholaſtica palam refellere ingrederetur. Statuerat ordine omnes controuerſias Bellarminianas percurrere, excutere, & poſtea euulgare. Sed decreti huius filum præcidit inopinata mors, adeo, vt ex tam magnidicis promiſſis ſola diſputatio* de verbo Dei ſcripto & tradito, *ipſius Witackeri manibus limata prodierit; & præter hanc, diſcipulorum opera, diſputatio de Conciliis & Eccleſia.*

Secundus eſt Sibrandus Lubbertus in Friſia, Franeckeræ, niſi me coniectura fallit; profeſſor vel Caluinianus Miniſter: vel vtrunque. Hic controuerſias de verbo Dei, de Pontifice, de Conciliis & nuper quoque de Eccleſia exagitandas ſuſcepit; multisq́; locis omnium tomorum refutationem vel expreſſe promittit; vel tacitè innuit. Hic Caluiniſta; quantus quantus, nil aliud eſt, quàm ſycophanta & calumniator mendaciſſimus. Nihil in eo frontis, nihil pudoris, nihil ingenuitatis, nihil religionis, nihil fidei. Omnia Bellarmini *argumenta vertit & peruertit; torquet & diſtorquet audaciſſimè & profligatiſſimè, & ſua ſomnia, de quibus ne febricitans quidem anicula cogitaret;* Bellarmino, *aliisq́; orthodoxis paſſim petulantiſſimè adſcribit & imponit; vt nulla me dubitatio teneat; ipſos pudentiores & prudentiores Caluiniſtas hanc tantam improbitatem & tam proiectam nequitiam*

detestari, omnibusq́; diris deuouere; & ipsemet paulo saniorem mentem suscepisse videtur, mutato nonnihil stylo, & temperata aliquantulum summa illa & inenarrabili vanitate & mendaciloquentia; in libro de Ecclesia, *quem hoc anno M. DCVII. Franeckeræ in vulgus extrusit.*

Interim spondet nobis oratione perquam magnifica in disputando modestiam, moderationem & æquitatem. Omnia, *inquit,* feci stylo scholastico, absq; acerbitate & contumelia. *Stylus scilicet scholasticus est perpetuò mentiri, cauillari, & sycophantari. Nulla scilicet acerbitas, nulla contumelia est* Bellarmini *verba, mentem, scopum, intentionem deprauare; & in alienißimos sensus detorquere.* Si mihi imprudenti verbum vllum acerbũ, vel quod aduersarius in suam contumeliam interpretari potest; excidit, id ipsum ego damno, priusquam in vllas hominum manus perueniat. *Quàm sanctus hic Caluinista? Quàm minimè malus & maledicus. At si cor cum lingua conspiret, & tantum sponsor dictis manere velit; oportet; vt conquisitis omnibus exemplaribus suorum librorum* de principiis Christianorum dogmatum *(quos prima Controuersia Bellarminiana opposuit) ea iubeat vel in spongiam incumbere; vel luculento rogo vstulari: Nihil enim aliud sunt, quàm insignitè improbi & maledici cauillatoris & quadruplatoris imago. Idem iudicium esto de aliis monumentis Sauubrandicis.*

Ait. Non conuiciari; sed ratiocinari, non litigare, sed disputare volui. *Planè contrarium præstitisti. Conuiciatus es, non ratiocinatus: litigasti non disputasti.* Odi, *inquis,* omnem caninam facundiam, eamque in nostris doctoribus defleo. *Cur non & in te? An non tu tibi vicinior, quàm* Doctores *tui Caluiniani & Lutherani. Qui fit, vt in illis* caninam facundiam *videas & deplores: in te nec videas, nec vel vna lacrymula eluas? At tuæ modestiæ, sinceritatis, candoris & æquitatis grãdem nobis testem laudas* Philippum Marnixium Santaldegundium. *Quis iste? Alter Lucianus; cæli cælitumq́; contemptor eximius, omnia ridere; & salsa dicacitate ludibrio & irrisui exponere natus; vt testatur profanus ille & omnibus scurrilitatis notis cumulatißimus libellus, quem Gallicè scripsit* de Papa *contra Bellarminum, quemq́; saginandis hac tam apposita dape scurris,* Pantolabi, Sarmenti, Messique Cicerri *Latinitate donarunt; vt prætercam illum, qui* Apiarium *indigitatur; cuius istum ipsum Marnixium primigenium Auctorem ferunt. Hunc igitur talem ac tantum; qui grauitate vel Catonem in certamen vocet; delegit iste,* vt si alicubi à scopo aberrasset, vel Bellarmini argumẽta non candidè proposuisset, vel quidquam acerbius scripsisset, hoc candidè & liberè significaret. *Quapropter nil mirum, Sibrandicos libros tam* candidos, puros *&* innocentes *euasisse; hoc tam candido censore ac iudice. Viuit adhuc iste Sauubrandus, cui longum decurrendum*

spatium;

spatium; si suis βωμολοχίαις, βαττολογίαις & ταυτολογίαις, omnia Bellarmini *monumenta defœdare velit.*

Tertius est Lambertus Danaus Francus Aurelius, qui vt ipsemet notat sub finem controuersiæ de Sanctis, Anno Christi M. D. XCV. vltimo die Iunij notas suas in primum & secundum Tomum Bellarmini absoluit. Processit deinde pari passu ad Tomum de Sacramentis; qui olim erat secundus; nunc tertius. Sed in cap. 22. lib. 2. de Eucharistia ad furuæ regna Proserpinę *auocatus est, recepturus perfidiæ suæ mercedem debitam. De quo ita statuo. In omnibus illis scholiis; (neque enim refutatorium nomen merentur, cum neque millesimam partem eorum, quæ Bellarminus disputat, attingant; sed meræ sint annotatiunculæ infinitis maledictis, & lœdoriis suffarcinatæ) ne vnam quidem salis micam inesse; quia omnia inscitiam immensam; fraudes, imposturas; mentiendi & calumniandi impotentissimam libidinem olent & repræsentant; vt arbitrer posteros nostros aliquãdo vix in animum inducturos, vt credant, vllos exstitisse, qui his Brutis fidem habuerint; eorumue chartas tam insulsas, illiberales, & fœdas, vel in manum sumendas duxerint: quanto minus sibi persuadebunt, repertos fuisse, qui istius fecis bardos* doctissimorum, clarissimorum, acutissimorum, & præstantissimorum Theologorum *elogiis insignierint*, & à lectione multa & labore propè inexhausto *dilaudarint.* (Vide præfat. Tom. 1. & 2. Danæi præfixas.) *Nimirum in illud tempus vita nostra incidit*, quo caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum, quinque argenteis venundantur. *4. Reg. 6. Quid enim horum opera aliud sunt, quàm id, quod tanto pretio scriptura comparatum memorat: quamuis illos coëgit famis necessitas: hos, improbitas.*

Quartus est Franciscus Iunius, Gallus, Biturix, Heidelbergæ, & Neapoli Nemetum; postea Lugduni Batauorum versatus; & tam Professoris, quàm Ministri Caluiniani munus exsecutus, Exstat eius vita; ab ipsomet conscripta; in qua fatetur, se prius integro biennio fuisse atheum, quàm Caluinismum complecteretur. Bona proparasceue ad Caluinismum ἀθεότης, sicut vicissim hæc ad illum. Mutuas enim sibi præstant operas. Modestior est Danæo, vix doctior: Iustam refutationem non instituit; sed animaduersiunculas texuit; quas, antea fortassis margini inter legendum Bellarminum *allitas; postmodum in aliam chartam transcriptas & auctas, euulgauit; qua refellendi ratione, quiuis paulò expeditior & excitatior, intra bimestre aut trimestre integras Caluini Institutiones facilè cõfutarit. In Purgatorio scribendi finem fecit Iunius; peste correptus & abreptus; neque enim quidquam eius in controuersiam de Sanctis vidi. A Purgatorio, quod tanto odio prosequebatur, liber, opinor, fuit, vtinam & à cœlo Caluiniano.*

Hos quatuor Caluinistas insecutus est Lutheranus Hunnius, qui in-

ingenti pompa inuectus, Bellarmino *tantùm non exitium minabatur*: Deo fretus, *clamitabat*, Goliathem illum & incircumcisum Philistæum, scripturæ diuinitus inspiratæ funda adoriri constitui. *Sed, ô mirabile Dei iudicium. vix operi manum admouerat; & ecce* venit summa dies & ineluctabile fatum; *grandiloquum Thrasonem, immanißimum Ecclesiæ Catholicæ hostem, ad loca senta situ abducens; ita non modò totum* Bellarminum *refutatum non dedit; sed ne primam quidem Controuersiam totam expediuit. nam quartus liber à Sycophantico eius stylo intaminatus mansit. Genus scribendi ingressus fuerat Hunnius planè Lutheranum; hoc est, thrasonicum, iactabundum, furiosum, fermè dixeram*, cereuisiarium. *Nam vt Lutherus olim non nisi potus ad arma prosiliebat dicenda; sic & hodie Lutherani præcones ita disputationes suas instituunt; vt semper* temetum *&* zythum; *& quæ ex vtroq; nascuntur, conuicia, maledicta & vesaniam, halare videantur.*

Præter supradictos quinq; Caluini & Lutheri sectatores neminem noui; qui integram Bellarmini *refutationẽ professus & pollicitus fuerit. Scriptitat quidem in Britannia contra* Bellarminum *Sutliuius Pseudodecanus Excestriensis, quem ipsemet Beza* petulantem conuitiatorem *nominat, teste Hadriano Sarauia Caluiniano, in* defensione Tractationis de diuersis ministrorum Euangelij gradibus aduersus Bezam; *sed primam controuersiam non tetigit, quod sciam; largiens forsan hoc VVitackerianis manibus; Nec compertum habeo; num ad omnes Bellarmini disputationes progredi decreuerit.*

Primam controuersiam multi insuper ex minutioribus Prædicantibus allatrarunt; ex Lutheranis Pappus, Gripus, Labrax, &c. Ex Caluinianis Pareus, Rullus, Mortonus, Rainoldus, alij; quorum suis locis mentio fiet.

Quod ad me attinet; conquisiui partim mea, partim amicorum diligentia; quotquot licuit, Bellarminianos hostes, & incursatores. Eosq; tractaui pro meritis. Ficum *appellaui* ficum; *mendacium, mendacium; calumniam, calumniam; conuicium, conuicium; nulla circuitione vsus; neq; enim eorum religio mihi vnquam probata fuit; qui tam religiosi sunt; vt quod apertißimum est mendacium; nominari nolint mendacium, neq; ab aliis nominari æquis mentibus ferant: & ab Apologete nil nisi mulsum, papauer, & sesamum exigant. Scilicet sectarij proiectißimè & effusißimè mentientur: omnesq; status & ordines atrocißimis Pseudologiis onerabunt; & nos quod ipsi effrenatißimè faciunt; ipsis apertè in faciem ingerere, & regerere non audebimus? Sectarij liberrimè, quasi ex plaustro, conuicia spargent; calumnias intonabunt, contumelias ingeminabunt; & tam Catholicos Doctores, quàm auita dogmata infinitis opprobriis proscindent; & nobis frontes istas aheneas duriore ictu ferire interdictum erit? Si vnquam tempus fuit obsecundandi*

Digitized by Google

præcepto illi Apostolico; Increpa illos durè; *nunc tempus esse videtur; Tanta enim est Nouatorum huius ætatis durities; tanta obstinatio, tanta aduersus veritatem peruicacia; & tam indurata contumacia; vt Cretenses illos; de quibus Apostolus, cum his compositos pro cereis reputari debere existimem.*

Omnium obiectiones fermè ad verbum refutaui: ne vllus conquereretur, non esse responsum ad omnia; vel criminaretur, non potuisse responderi ad omnia. Quo factum, vt defensio hæc supra exspectationem excreuerit. Mearum partium id vnum duxi; vt disputationem Bellarmini *ab aduersariorum telis fideliter vindicarem; eaq;, quà plumbea; quà stramentitia esse perspicuè demonstraui. Adiunxi tamen tractatus quosdam peculiares; quos plenior doctrina postulare videbatur.*

Addere statueram controuersiam de Christo; sed obstitit cum magnitudo huius Tomi; tum temporis breuitas. Non incommodè copulabuntur in altero Tomo Christus, eiusq; Vicarius, summus Pontifex; cuius censuræ ac iudicio omnia mea scripta libens meritò subiicio; & quidquid in illis sanctæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, vel in speciem aduersari videtur; id iam nunc indictum & reuocatum volo. Tu verò, mi Lector, veritatis candidate, quæ vera esse perspexeris, tene, *inquit S. August. lib. de vera Religione,* & Ecclesiæ Catholicæ tribue: quæ falsa, respue, & mihi, qui homo sum, ignosce: quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. Intende igitur in hæc, quæ sequuntur, diligenter, & piè, quantum potes. Tales enim adiuuat Deus.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ SVPERIORIS GERMANIAE SOCIETATIS JESV.

Cùm sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto, omnibus, & singulis Typographis, & bibliopolis, ac aliis, quamcunq; librariam negotiationem exercentibus, seriò, firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra sacri Romani Imperij, regnorum, & dominiorum suæ Cæs. Maiest. hæreditariorum fines, simili, vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere, clam, seu palàm, citra iudicium, ac testimonium supra dictorum Patrum, audeat, vel præsumat: concedo ego GREGORIVS ROSEPHIVS, Societatis IESV, per superiorē Germaniam Prouincialis, Adamo Sartorio Typographo Ingolstadiensi, facultatē excudendi primum Tomum Apologeticum pro operibus Illustrissimi Card. BELLARMINI, à P. IACOBO GRETSERO, Societatis nostræ Theologo conscriptū, & à deputatis ad id Patribus approbatum. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & sigillo munitum dare voluimus. Ingolstadij vltimo Martij. Anno M. DC. VII.

GREGORIVS ROSEPHIVS,
Prouincialis, &c.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

Primum hunc Tomum pro defensione operum Illustrissimi CARDINALIS BELLARMINI à collega nostro R. P. IACOBO GRETSERO elaboratum, dignum iudico, qui in lucē prodeat. Ex eo enim cùm alia plurima, tum hoc dilucidè disces; quanta sit aduersariorum in oppugnatione veritatis impietas, vanitas, mendacitas, peruersitas: denique, quàm spissa inscitia, & bruta ruditas.

PETRVS STEVARTIVS Leodius, SS. Theologiæ Doctor, Professor, Academiæ Ingolstadiensis Vicecancellarius, & pro tempore RECTOR; Coloniæ ad SS. Apostolos Præpositus, &c.

SATYRA

Digitized by Google

SATYRA

IN CALVMNIATORES OPERVM ILLVSTRISSIMI ET PRÆSTANTISSIMI CARDINALIS BELLARMINI.

SIve piam in laudes cupimus dimittere linguam,
Magnorumq; libros versu celebrare virorum,
Siue truces in vos vibrare paramus iambos,
Atq; ô hæretici, ad vestros diuertere mores,
Plurima materies in partem crescit vtramq;
Hinc BELLARMINVS nostri clarissimus æui
Splendor, purpureo rutilat decoratus amictu,
Ingeniiq; venit radiis armatus acutis,
Et contra totum stat formidabilis Orcum.
Inde Stygis nocturna phalanx, hircina propago,
Auctibus immodicis queis mentum, alaq;, genaq;
Horripilant, Fauni naso spectantur obunco,
Atque Giganteo scandunt ad sidera fastu
Tentantes ipsum de cælo expellere Numen
Dum maledicta bonis, castisq; incesta reponunt.
Quem non efficiant hæc argumenta disertum?
Quem non instimulent? Nobis reticentibus ipsi
Incipient scopuli viuis sermonibus vti.
Nam quæ tam sicca est emuncti vena poëtæ,
Quæ vel possit in hanc non destillare lacunam,
Arida quæ vel in hunc effundere carmina fontem?
Quo neque nobilior, neque purior vnda, vel ipso
Prosilit ex sacro Parnassi vertice. Sed vos
Nec quidquam nitidum cupitis fœdare liquorem
Harpyiæ: quare stultis Numerate Senatum,
Inuenietis enim Nigrum superesse cadiscum,
Talibus à bellis qui vos cessare iubebit;
Aut nisi cessatis, Versis pugnabitis armis,
Immundæ volucres, nec grandem Exibitis ictum.
Quin vbi nequitiam sudatis vndiq; vestram
GRETSERVS chartis iugulauerit, ibitis illuc
Vnde redire negant quenquam, quaque omnia sede
Ante fores dicunt stabulari monstra poëtæ.
Non vos defendet numerus, non cæca libido,
Non animus pugnax, non vis consueta furoris.
SAEPE SVPERGRESSA EST CONSTANTIA MILLE TIMORES
VNICA, NEC VICIT CVNCTAS AVDACIA VIRES.

Quare

Quare quidquid habes Acheruntis regia, mitte
Savvbrandos, Pappos, Gesneros, Hospinianos,
Nulla ferent nostro dispendia BELLARMINO.
CENTVM PYGMAEI NON VNVM VINCERE POSSVNT
HEROEM, trepidantq; fugamq; repente capessunt
Threiciam vt primum volucrem, pinnasq; sonantes
Aspiciunt: quoties heu raptus ad athera curuis
Vnguibus à magnâ fertur grue talis alumnus,
Frustum hominis, ludus volucris, populiq; cachinnus?
Perge etiam Colchos, per densa & auia cunctis,
Terrea progenies, aconita require sub antris,
Et coque perpetuò doctrina toxica falsa,
Nil tamen efficies, sed te tabescere cernes.
Ridet Athenagoras iratam Scorpio caudam
Cum quatit; hac nullos fecêre venena dolores,
ARGIVO EST ISTI QVAERENDVS FORTIOR HOSTIS.
Forsitan à socio speratis robora ferro,
Et vim colligitis vestram? Geminata valebunt
Spicula Sutliuij, quod non facit hasta Polani,
Inquitis, hinc nostram si consociabimus iram,
Maiorem facient mendacia pluria stragem.
Sed nec falsa nocent veris mendacia scriptis,
Nec iusta Editio est, quâ multos sustinet vnus;
Quamuis, vt dixi, NON SEMPER VINCITVR VNVS:
Et tunc præcipuè quando vnum mille leonem
Inuadunt musca, vel gens Pygmaa gigantem.
Deinde nihil trepidat longè fortissima Virtus,
Centena contrà veniant licet vsq; cohortes,
Qua PETRI aternos studeant detergere remos,
Hosq; popas omnes non vnius astimat assis.
Quos etiam propria nunquam timuêre marita,
Cumq; quibus nulla voluisse leguntur amica
Casariem sepelire suam, crinesq; resectos.
Quis Cereris metuat, Bacchi quis honore ministros
Afficiat? nullas apud hos Reuerentia caussas
Inuenit: instructi sunt ad certamina, sicut
Ad cursum cochlea, taurorum ad pralia dama.
Si tectum subeas, circumspiciasq; penates,
Ad latus est Vxor, proles numerosa sub vlnis,
Post humeros ancilla sedet, cognata Megara:
Sub fornace canis minimo cum fele iocatur,
Et lacerat vacuam domino plorante crumenam;
Hac est Praconum nostrorum tota supellex.
Quam quisquis metuit Libycos olet ille lapillos,
Indignus noster quem circumscribat horizon.
Certè ego cum tacitas mecum considero caussas
Ob quas vos animus latrare coëgit amarus,
Horriditas totis mihi circumserpere membris
Incipit, & dubito calamumne Medusa, manumq;
Rexerit, anguineis intingens ipsa venenis;
Cerberus an vobis dictauerit ore trifauci
Omnia fanda nefanda nigri pracepta Charontis?
Scilicet hoc iter est, hac oscula cottidiana

Palliolatorum, queis sanos sæpè salutant
Liuiduliśq; student libros afflare venenis,
Nomen vt incestent posita vendantq; sub hastâ,
Ne soli infames maneant, ornentq; catastam.
O infrunitos? Patrum monumenta sacrorum
Perdis? vestra legi sic sic voluistis? at ecce
Dogmata vestra cadunt, Patrum monumenta leguntur.
Quod quamuis nollet, rumor tamen ipse fatetur
In populo vestro, qui forsan nescius errat,
Et cupit ac optat veram spectare, remotâ
Erroris nebulâ, CHRISTI inter ouilia lucem.
Huic igitur posthac Argenteus annulus esto,
Ferreus hæreticis; ex Puro Patribus Auro.
Cur non & vobis precor optima PISCATORES,
MORTONI, & reliqui? laterem fortasse lauarem,
Si tam nequam homines meliori reddere frugi
Conarer: scelus hic radices altius egit,
Quam queat vt tenui ex vobis virtute reuelli.
Vt neque CALVINVS vita sceleriśq; proauctor,
Nec morbi potuit medicinam ferre LVTHERVS,
Sic neque pestiferi possunt tolerare nepotes
Quod medicus suadet, neque quauis pharmaca prosunt:
Non refugit psydrax sumpta ptisanarum oryza.
Admonui, turges; volui mulcere, remordes;
Do myrrham, ægrotas; AVGET MEDICINA DOLOREM.
Sed tu perge loqui, tantiq; aperire furoris
Calliope caussas; cur Iunius atq; Danæus
In BELLARMINVM gladiis vtuntur & hastis?
An quia nunc etiam pueri portare machæras,
Inq; viros vibrare solent audaciter ensem?
Quiq; manum ferula vix subduxêre calentem
Et scholicos nec dum propulsauêre rubores,
Iam quoque lethiferas audent minitarier iras?
TVM SPARA, TVM RVMICES PORTANTVR, TRAGVLA PORRO.
O sæclum, ô ætas antiquis discolor annis.
Non hæc conueniunt puerilibus arma lacertis.
Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, atq; rudes componere discite versus,
Scribite de Gyaris, & MAGNA RELINQVITE MAGNIS.
Sed scio, vt innupta qui quondam templa Dianæ
Succendit flammis & perdidit igne superbo,
Sic scelere ex ipso vestros captatis honores,
Pessima cum tumidam titillat gloria mentem.
NOS QVOQVE FLORVIMVS TROIANI TEMPORE BELLI,
NOS QVOQVE SVB PRIAMO PHRYGIAM VEXAVIMVS VRBEM,
Et BELLARMINVM nos impugnauimus ipsum.
Surgite spectantes, meritum date Equestria plausum,
Atque theatrales nobis expromite voces.
MAGNVM QVID FVIMVS, MAGNVM QVID GESSIMVS OLIM,
Partem aliquam tanti (geminate Theatra triumphum)
Legimus Auctoris, contraq; ereximus arma,
Idcirco dandus nobis est Cereus ardens.
Talia cum simplex turba audis, DESPVE, ne vox

Omina dextra ferat. nam ſcaua putantur ab iſtis
Signa ſiniſtra minus. Quenam ergo inſania maior
Eſſe poteſt, quàm ſi, (prô ſecli inſcitia noſtri)
Se de ſtultitiâ iactet quis ineptus? & hillas
Concremet in flammâ, iunicum omenta reſeruans,
Pinguia ne tetrum ſpargant incendia fumum,
Ac poppyſma ſibi de crimine præbeat ipſo?
Tun' BELLARMINO te audes componere? tu te
Huic æquare animæ? non ſi te ruperis, inquam,
Par eris, aut illos poteris geſtare cothurnos,
Quos tulit hic etiam in teneris, turpiſsime Bufo.
At quis, ais, blandos poßit contemnere nummos?
Me gerere hoc bellum regina Pecunia iuſsit,
Non tumor: & rutilo quis non ſuperatur ab auro?
Munera ſi nobis oſtenditis, ecce parati
Pilea deripimus, hæredibus oſcula veſtris
Figimus, & dominos vocitamus denique noſtros.
Si ſpondes aurum, contra ipſum ſæua Tonantem
Pro te bella geram, ſubitusq́; tocullio fiam.
O vox ipſo etiam Ditis non digna Tyranno,
Vſq; adeóne animos humanos Plutus iniquat,
Charior vt tibi ſit nummus, quam regia VIRTVS?
Pro mercede fides iam venditur? omnia ſcribis,
Omnia proloqueris venali, perdite, linguâ,
Si ciſtam & claues Craßi largitio donat?
Et tibi danda negas linguaria? fræna recuſas?
Quis tibi poſt illâ, propriam non nomino vitam,
Sed iam vel tradat tondendam, perfide, barbam?
Qui ad gladium an cultrum dubitas accedere tentes,
Affectasq́; latro potius, quàm præco vocari,
Si ſpes argenti, ſplendorq́; refulgeat auri?
O vbi Parca manes? ſat longos ſtamina funes
Efficiunt, abrumpe colum, pellucida dudum
AEdificant fabri tranſuerſis tecta tigillis,
In quibus iſte nigris apponat prandia coruis,
Qui nil quàm loculos, & plenas eſurit arcas.
Quanquam, iuſte Deus, rectè fatis ac ſapienter
Quod nullum iſtorum ſinis vnquam opuleſcere furum,
Auratos licet inuolitent, rapiantq́; cululllos,
Expolientq́; ſacras theſauris omnibus ædes:
Nam meritò patitur fugientes Tantalus vndas,
Excruciatq́; ſitim terrenis iure lepiſtis,
Qui tantùm puris os vult immergere gemmis.
Et quid cauda capro prodeſt, ni vt deuoret illam?
Vix his cauſidicis magno moriente patrono
Candiduli fulsêre dies, cum concio mendax
Diuitias peperit, iam venter abegit eaſdem.
NIL GVRDI POSSVNT QVAESITIS PARCERE REBVS.
Ni maturato patrimonia noſtra locamus,
Et fruimur, dicunt, nummis rubigo timenda eſt,
Tutius æra ta caupo ſeruabit in arcâ;
Nec melius nos æra grauant, quàm vina, bibamus.
O pecudes ſanctiq́; cohors oblita futuri.

Non ego diuitias corradere suadeo multas,
Non iubeo proferre domos, non denique sanctam
Spernere pauperiem, sed paulò sanctius uti
Qua Fortuna dedit. Si Frumentatio facta est,
Vtere, sed vanas non sic disperge per auras,
Sueta tabernarum nec sudatoria quare:
Ne forsan nimio titubes temulentus Iaccho,
Occurrasq́; viris mediâ melioribus vrbis
In plateâ, sicutq́; nigerrimus AEthiopum rex,
Displiceas cunctis, cum tot conuitia iactas.
Tunc te, tunc pueri, tunc mirabunda senectus
Monstrabunt digitis, dicentq́;, ohe bone PASTOR
Quis Deus inuasit flagranti numine mentem?
Nam certè tacitas patiuntur corda fauillas,
Indicat horribilem facies rubicunda calorem.
Sic nuper factum est, quando Misenus ineptè
Conscendit cathedram, terra execrabile pondus,
Millia hyperbolico ructans ex ore, sed ipse
Pectore fallaci non centum talia credens.
Quippe ita clamantem, tabescentemq́; Lyao,
Versantemq́; caput, vultumq́; hinc inde rotantem,
Cum quidam aspicerent, leuis & sacer ecce poëta,
Ecce poëta senex, dixerunt, ecce poësis
Est, quidquid loquitur. Viden' vt mendacia fingit?
Aspicis vt cerebrum iam perdidit? Aspicis aures?
Attendisq́; manus? Quantum sua brachia iactat?
Quam madida fauces? An non vt Palladis ales
Iam saltu defertur humi? iam rursus in ipsâ
Sede manens magnum iactat caput? Et modò toto
Corpore contrahitur, modò cunctos explicat artus?
Exhalatq́; merum? tu tu Deus Arcadia Pan
Cornua da Satyro, fietq́; ferocior vro
Cudenda in sanctos quando mendacia mores.
At cum voce suos opus esset durius hircos
Exhortari, ouis est longè mitissima. Nempe
Demophoon sub sole riget, feruiscit in vmbrâ,
Et Macedo benè semper olet, nec peccat in vllo.
NAM FACILES SVMVS, ET NOBIS IGNOSCIMVS IPSIS.
Est ea Liuoris natura, seueriter omnes
Luminibus toruis inimici examinat actus,
Negligit ipse suam, nec vult agnoscere vitam.
Tiberius mediis fertur vidisse tenebris
Omnia perspicuè, quodq́; est quid grandius, audi.
Lynceus è Libycis acie prospexit acutâ
Punica vela plagis, quin cum Carthagine classis
Exiret, numerum potuit quoq́; dicere certum.
En oculos aciemq́; bonam, sed acutius istis
Ira videt. Musca est? iam conspicit illa leonem.
Sitq́; licet minimus preciosâ in sindone naeus,
Attamen Inuidia censurâ maximus esse
Et magis in nitidâ, quam tetrâ veste putatur.
Scilicet obtinuit multos nimis Argus ocellos,
Iuno nimis magnos; paucos nimis, alta Cyclopum

Tempora, sed vitio Polyphēmus vtroq; laborat.
Cuncta VVitackerus mentis penetralia lustrat,
Arcanamq; potest solus penetrare per adem
Palladis; & vindex oculos non deuoret ignis?
Ignis Virgineâ qui semper lucet in arâ
Nec tibi conspectam sinit esse, Metelle, Minéruam,
Laomedontaeis pascens incendia flammis.
Quare agite, ac prompti Collinam huic vndique Portam
Pandite Pontifices, sceleratoq; addite Campo.
Virgo fuit, facta est ex virgine prima luparum,
Et meruit viuo deponi sæpe sepulchro.
Quod facinus nunquam Vestalibus abluet Vrnis,
Vt neque quos stygiâ sibi iunxit in arte sodales,
Iunius atque Danaus, & Hunnius hæresiarcha,
Qui ceu prima cohors, immò Prætoria Ditis,
BELLARMINE, decus, columen, mundiquê Senatus,
Inuidêre tuam tibi, vir celeberrime, famam,
Quæ tamen hoc etiam titulo magis vsque virebit.

G. S. A.

BELLA, ARMA, MINÆ, sed irrita.

BELLA monet densis sed BELLA imbellia castris
HAERESIS, imbelli quæ parat, atra, manu.
ARMA iacit, sed & ARMA sibi, verùm irrita adaptat:
Legitima haud illi namq; HOPLOTHECA patet.
Inde MINAS tentatq; minax, opprobria, Diras.
At simul emissas abripit aura MINAS.

CAVSA.

Scuto circundabit te VERITAS eius. Psalm. 90.

At VERITAS vmbone tegit ECCLESIAM.
MINAE, ARMA, BELLA hinc occidunt.
Quem CLYPEVS iste circulo ambit aureo;
ARMA inter, & BELLA, & MINAS;
Tuta quiete perfruetur is mali
Exsors, beatus Indiges.

ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI BELLA, ARMA, MINÆ, sed rata.

Robore cum valeas, habeasquê à robore nomen,
Hæreticis meritò BELLA, ARMA, MINASQVE minaris,
Nec solùm hoc; sed & ARMA infers, & Martia BELLA.
Robustis quadrant BELLA, ARMA, MINAEQVE lacertis.

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM, PRIMAE CONTROVERSIÆ DE VERBO DEI.

LIBER PRIMVS.

De libris Canonicis, eorumque numero.

CAP. I.	Sitne scriptura Verbum Dei?
II.	Libris, qui Canonici nominãtur, Verbũ Dei contineri.
III.	Refellitur obiectio ex verbis D. Pauli; *litera occidit, spiritus autem viuificat.*
IV.	Qui sint libri sacri?
V.	De Hæreticis, qui libros Testamenti veteris primi ordinis oppugnarunt.
VI.	De Hæreticis, qui libros Testamẽti noui supra numeratos oppugnarunt.
VII.	De libro Esther.
VIII.	De libro Baruch.
IX.	De quibusdam capitibus Danielis.
X.	De libris Tobię, Iudith, Sapientię, Ecclesiastici, Machab.
XI.	De libro Tobiæ.
XII.	De libro Iudith.
XIII.	De libro Sapientiæ.
XIV.	De Ecclesiastico.
XV.	De libris Machabæorum.
XVI.	De quibusdam partibus librorum Marci, Lucę, Ioannis.
XVII.	De epistola ad Hebræos.
XVIII.	De epistola Iacobi, Iudæ, II. Petri, II. & III. Ioannis.
XIX.	De Apocalypsi.
XX.	De libris Apocryphis.
	Appendix prima ad librum primum contra Pappum.
	Appendix secunda contra Rullum.
	Appendix tertia contra Gripum.
	Appendix quarta contra Savvbrandum.

LIBER SECVNDVS.

De variis librorum Canonicorum editionibus.

CAP. I. Ostenditur, editionem Hebraicam Mosis, & Prophetarum nunquam periisse.
II. Num Hebraica editio sit corrupta?
III. De editione Chaldaica.
IV. De editione Syriaca.
V. De variis Græcis editionibus.
VI. De interpretatione LXX. Seniorum.
VII. De editione Græca Testamenti noui.
VIII. De Latinis editionibus.
IX. De auctore vulgatæ editionis.
X. De auctoritate Latinæ editionis vulgatæ.
XI. Soluuntur obiectiones hęreticorum contra vulgatam Latinam editionem.
XII. Defenduntur loca, quæ Kemnitius deprauata esse dicit in editione vulgata.
XIII. Defenduntur loca, quę in Psalmis malè reddita fuisse à Latino interprete, Caluinus contendit.
XIV. Defenduntur loca, quę hæretici aiunt esse corrupta in editione Latina Testamenti noui.
XV. De editionibus vulgaribus.
XVI. Soluuntur obiectiones hæreticorum.
Tractatus de nouis hęreticorum translationibus Biblicis.
Appendix prima contra Savvbrandum.
Appendix secunda contra patellarios quosdã Prędicantes.

LIBER TERTIVS.

De Verbi Dei interpretatione.

CAP. I. Scripturam nõ esse tam apertam per se, vt sine explicatione sufficiat ad controuersias fidei terminandas.
II. Soluuntur obiectiones aduersariorum.
III. Proponitur quæstio de Iudice controuersiarum; & simul differitur de sensibus scripturarum.
V. Adferuntur testimonia ex Testamento veteri pro sententia Catholicorum.
V. Idem probatur ex Testamento nouo.
VI. Idem probatur ex consuetudine Ecclesiæ.
VII. Idem probatur testimoniis Pontificum, & Imperatorum.

Digitized by Google

VIII. Idem probatur testimoniis Patrum.
IX. Idem probatur ex ratione.
X. Soluuntur obiectiones.
Appendix prima contra Rullum & Pareum Caluinistas.
Appendix secũda contra Gripum, Labracem, Mortonum.

LIBER QVARTVS.

De Verbo Dei non scripto.

CAP. I. Qui potissimum defenderint, vel oppugnarint non scriptas traditiones.
II. Quid sit, & quotuplex traditio.
III. Explicatur status quæstionis, & mendacia quędam aduersariorum deteguntur.
IV. Ostenditur necessitas traditionum.
V. Esse aliquas veras traditiones, demonstratur ex scripturis.
VI. Idem ostẽditur testimoniis Pontificum, & Conciliorum.
VII. Idem probatur ex Patribus.
VIII. Idem probatur quatuor aliis argumentis.
IX. Explicantur regulæ quinque, quibus in cognitionem verarum traditionum venimus.
X. Soluuntur obiectiones aduersariorum, quæ ex scripturis petuntur.
XI. Soluuntur obiectiones ex Patribus.
XII. Soluuntur rationes aduersariorum.
Tractatus de quæstione, *vnde scis*, scripturam cum generatim, tum speciatim hanc vel illam eius partem Canonica auctoritate constare: aduersus Pareum, Rullum, Pappum, &c.
Tractatus de quæstione *vnde scis* hunc vel illum esse sincerum & legitimum scripturæ sensum.
Examen secundæ Disputationis Pappicæ.
Examen tertiæ Disputationis Pappicæ.
Euersio Trophæi Pappici.

Errata

Errata sic corrige.

In epistola dedicatoria versu 3. lege 2. ad Tim. 4. Pag. 7. D. versu 5. à fine, obicis. p. 9. B. v. 7. malè facta. p. 13. v. 5. Hæresiarcharum. p. 18. C. v. 2. nosset. p. 32. A. v. 3. hoc. p. 41. D. v. 10. *externo.* p. 48. C. v. 3. improprium. p. 49. C. v. 4. quos. p. 51. C. v. 4. vrbis. p. 54. A. v. 2. hoc sextum: lege, hoc aliud est, &c. p. 56. C. v. 4. de scripto p. 68. D. v. pen. amanuenti. p. 69. B. v. 12. fabellis. p. 78. A. v. 9. quando. p. 79. C. v. 14. aggregatus. p. 85. C. v. 3. cantilenam. ibidem v. 10. Leontius. p. 91. D. v. 8. perulgatum. p. 109. C. v. 6. nunc. p. 110. A. v. 3. *errat.* p. 112. D. v. 14. ἐκδιαιτᾶσθαι. p. 124. C. v. 5. Cracouiensis. p. 127. D. v. 11. indicio. p. 129. A. v. 11. conuenit. p. 131. C. v. 8. cum. p. 136. B. v. 2. tanquam. p. 143 B. 12. in Hierusalem. p. ead. D. v. 10. in indiuiduo. p. ead. C. v. 9. Cis. p. 144. B. cap. secundo. p. 159. C. v. 10. apposita. p. 160. C. v. 3. Decreto. p. 172. A. v. 5. sic lege: Etiamsi res gestas alterius cuiusdam Danielis de tribu Leui contineant, conscriptas per Abacuc filium Iesu de tribu Leui, vt ex Eusebio & Apollinario refert S. Hieronymus præfat. Comment. in Danielem: *sicut iuxta LXX. Interpretes in titulo eiusdem Belis fabula ponitur: Homo quidam erat Sacerdos nomine Daniel, filius Abda, conuiua Regis Babylonis.* Itaque tum propter, &c. Ibid. v. 33 pro *conscriptas*, lege, gestas. p. 183. A. v. 15. exagitatur. p. 198. D. v. 10. quarta. ibid. v. 12. parturiant. p. 212. D. v. 3. cùm *Aran*, ab ipsa *arca* testamenti, Aran, sic repone: *Aran*, ab ipsa *arca* testamenti, cùm *Aran.* p. 238. D. v. 2. iuuenes non sunt cerei ad vitia: tollatur hinc negatio. p. 253. A. v. 6. σολοικώτερος. p. 256. B. v. 10. vnam. p. 284. D. v. 2. διατριβῆς. p. 287. D. v. 7. expilauit. p. 298 D. v. 13. &. p. 299. A. v. 7. *sed estis ciues.* p. 300. D. v. 5. *ego non ero vester*, addi debet, *Deus.* p. 302. D. v. 11. quadam. pag. 303. C. v. 10. *dulci.* p. 337. A. v. 13 Canonicis. p. 336. C. v. 10. sed disciplinæ suæ. p. 353. D. v. 12. eandemque. p. 378. A. v. 2, cur non etiam. p. 379. C. v. 1. alium. ibid. C. v. 10. *Prædicantissimi.* p. 384. D v. 2. id nil aliud est. p. 386. D. v. 12. aliunde. p. 423 B. v. 1. Caluinistarum. p. 441. D. Antepen. Græcorum. p. 448. C. v. 6. *suam* redundat. p 450. B. v. 3. ait. p. 458. B. v. 13. שׁ. p. 459. D. v. 10. *fuére.* p. 473. C. v. 13. potestatem. p. 476. A. v. 13. inquiunt. p. 491. C. v. 14. commentarius. p. 493. D. v. 2. impostoribus. p. 494. D. v. 12 inueteratum. p. 499. D. v. 1. Brugensis. p. 501. A. v. 3. 1 Ioan. 5. p. 514. D. v. 6. Hebræo. p. 515. C v. 9. Iunius. ibid. v. 11. quid. p 530. C. v. 5. à verbo. p. 534. B. v 14 sequendum. p. 535. D. v. 2. inuentam. p. 542. B. v. 7. αὐθεντικῶ. p 552. C. v. 12 annumerandam. p 567. D. v 9. *in genere.* p. 576. C. v. 3. opinionem. p. 578. A. v. 11. resecta. p. 583. A. 4. interpretationem. p. 594. A. v. 11. Nam. p. 597. C. v. 8. Vatablus. ibid. v. 12. Vatablum. p. 598. B. 14. indicio. p. 607. A. v. 9. nictantibus. p. 612. D. v. 2. elinguis non est. p 613. C. v. 3 *non pro luce*; omittēda hic negatio. p. 618. A. v. 2. Kemnitius. ibid. B. v 3. vt. p. 627. D. v 12. Sara. p. 657. D. 9. fuerit. p. 658. D. 1. fuligine. p. 658. D. v. 10. absurditates. p. 659. A. v. 9. vndereinander. p. 661. A. v. 15. sed cùm verbum. p. 674. A. v. 8. tuáue. p. 685. B. v. 2. chemotheth. p. 695. B v. 11. reigen / pro reien p. 718. D. v. 6. κατηγχήσθαι. ibid. v. 9. κατηχῆσθαι. p. 738. B. v. 3. nouis. p. 747. B. v. 15. infernè. p 764. A. v. 10. cascorum. p 766. A. v. 12. *florebit.* p. 768. B. v. 6. *potuisset.* p. 770 B, v 8. Goldastus. sic & alibi. p. 772. C. v. 14 non potuit. p. 773 A v. 9. Hebræa. ibidem. C. v. 12. *docete* p. 777. B. v. 10. *bene.* p. 778. A. v. 11. antiquitatis. p 793. B. v. 12. norant. p. 800 B. v. 9. post Verba, cū Italis, adde, aut Hispanis. p. 809. B. v. 11. habuerunt pag. 811. A. v. 9. Hygino. p. 828. A. v. 1. intelligeret. p 835. C. v. 1. hætescon. p. 836 D. v. 12. communissimam. p. 842. D. v. 1. habetur. p. 846. D. v. 7. furiosè. p. 852 B. v. 1. Idithun. p. 855. C v. 13. Eusebius. p. 858 B. v. 8. quando, adde, ad baptismum capiendum vel, &c. p. 859. A. v. 5. tautologiis. p 861. A. v. 9. Posonij. p. 872. D. 3. Gallicam. p. 874. B. v. 15. Clericorum. p. 884. C. v. 8. vernaculè nec faciendo. p. 890. B. v. 13. etiam. p. 892 B v. 10 dele *interim.* p. 903. C. v. 1. gestit. p. 905. B. v. 14. supraque. p. 907. C. v 3. Witackeri. p. 912 B. v. 8 negat. p 921 B. v 5 concinuntur. p. 922. D. v. 7. fructuosissimū p. 938. A. v. 2. psallit. p. 940. B. v 2. vtrumq;. p. 950. A. v. 2. *Vetustas.* p. 955. D v. vlt. securè. p. 963. A. v. 4 sæcula. p. 964 A. v. 3 nostro. p. 982. C. v. 2 Rabbinicis. p. 996. C v. 6 *Vatis.* p. 997. C. v. 9. *enim.* p. 1003 & octauum. p. 1004. B. v. 12 psalterij. p 1010. B. v 6. quæ recitare. p. 1016 C. 3 quæris. p. 1011. B. v. 4. omnemq;. p. 1022. A. v. 8 *quàm.* p 1025. D. v 5. quòd. p 1027. A. v. 6 quotannis. p. 1031. B. v. 6. v 1 pro 1 v. p. 1036 B. v. 6. aliunde. p. 1042. D. v. 12. *Vertere.* p. 1047. A. v 11. Ægyptiacam. ibid. C. 10. alicuius. p. 1048. C. v. 13 *fecimus.* p. 1051. A. v. 4. eos. p. 1059. B. v. 6. mortalium. p. 1062. D. v. 3 *editionem.* p. 1066. B. v. 14. *crede.* p. 1072. A. v. 1. nobiles feminæ. p. 1085. B. v. 11. iudicio p. 1092. C. v. 8. dialectici. p. 1100. D. v. 9. solent. p. 1109. B. v 1. fit. p. 1127. D. v. 12. *inditia.* p. 1137. C. v. 12. apella. p. 1145. C. v. 8 ratiocinari. p 1184. D. v. 6. fit. p. 1193. C. v. 1. argumentū. p 1204. A. v. 12. 13. pendebat. p. 1205. A. v. 1. Mortonicis. p. 1211 B. v. 4 permisso. p. 1249 A. v. Lille. p 1252. B. v. 3 vanitatem. p 1266. B. v. 12. *nihili.* ibid. D. v. 1 obtrudat. p. 1268. A. v. 7. habeat. p. 1270 C. v. 5. libidine. p. 1315. D. v. 6. oppugnas. p. 1319. D. v. 15. boni. p. 1329. C. v 10 Chalced. ibid. D. v 12. gustauit. p 1330. D. v. 15 tantùm. p. 1340. D. v. 9. inscitiis. p. 1342. C. 5. non tantum. p. 1353 D. v. 11. Aquileiensem. p. 1356. D. v. vlt apostrophen. p. 1372 B. v. 9. agit. p. 1374. D. v. 12. Episcopus. mox v. seq pascere. p 1377. A. v 7. quiesce. p. 1377. B. v. 6 *prorsus.* p. 1390. C. v. 5. ablegare. p. 1390. D. v. 11. improbitatem. p 1405. B v. 7. *in domum.* p. 1415. C. v. 15. cur. p 1441. A. v 11 quā. p 1453. B. v. 3. non offendere. p. 1455. A. v. 13. *instruebant*, adde, *consensus.* p. 1476. B. v. 14. Aptiùs. p. 1491 A. v. 13. munus. p. 1509. A v. 8 Hunnium. p 1523 D. v. 7. profectam. p 1525. C. v. 6. hypothetica; Christus. p. 1545. A. v. 15. imperata. p 1563. A. v. 2. iam. p. 1587 B v. 5. γνώσεως. p. 1594. C. v 9. fine. p. 1605. D. v. 13. criminandi. p. 1623 A. v 1. Witackeri. p. 1632 C. v. 9. Bellarmini. p. 1634. A. v 8. traditionem. p. 1676. D. v. 9. incogitans. p. 1736. A. v. 7. Euangelij. p. 1738. A. v. 9. noui. p. 1780. C. v. 13 quique. p. 1781. B. v. 12 syllogismus. p. 1782. A. v. 5. *facere.* p. 1785. B. v. 2. debes. p. 1815. D. v. 10. necessaria. p. 1831. A v. 10. si. p. 1845 B. v. 3. si sine. ibid. v. 12 partim. p. 1881. B. v. 5 dulce. p. 1913. A. 4. numine. p. 1916. v. 4. perhibent. p 1922. D. v. 1. cultuque. p. 1937. D. v. 7. Burdoni. p. 1958 C. v. 11. *quasi essent in illa caussa heretici, quàm Catholici aequiores*, dele. p. 1999. A. v. 8. *fimum.* p. 2002. A. v. 13. *experrectus.* p. 2004. A. v. 15. *ipsorum.* p. 2016. B. v. 15. *Dalmata.* p. 2012. C. v. 14. monumenta. p. 2036. B. v. 13. intelligit. p. 2052. C. v. 6. ζῆν. p. 2091. B. v. 2. Poparum.

Cætera lectoris iudicio committimus; de cuius æquitate non dubitamus, si vllum aliquando typographicæ negotiationis gustum cepit.

Digitized by Google

DEFENSIO CONTROVERSIAE DE VERBO DEI A REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO ROB. BELLARMINO S.R.E. CARDINALE QVATVOR LIBRIS tractatæ & disputatæ.

ASSERVNTVR A IVNII ET DANÆI ANIMADVERSIONIBVS PRAEFATIONES AD PONTIFICEM, *ad Lectorem, ad Auditores in Schola.*

IN EPISTOLA AD SVMMVM Pontificem disserit illustrissimus Cardinalis Bellarminus, de incommodis & nocumentis ex hæresi oriri consuetis. Vbi Iunius: *Totum hoc exordium commune est; quod nos de iis, qui verè sunt hæretici, non concedimus solùm, sed etiam religiosè prædicamus.* De vobis igitur totum hoc exordium non modò concedatis, sed & religiosè prædicetis oportet: quia veri Hæretici estis; totius Catholicæ Ecclesiæ, imò & multorum Sectariorum, iudicio. An putas Caluinianos Hæreticos non accensendos, donec ipsi seipsos accenseant; palamque fateantur, se hæreticos esse? An ad Seruetianum vel Anabaptistam ideò non pertinebunt, quæ Bellarminus scribit; quia totidé verbis tam iste, quàm B ille tecum clamitabit? *Totum hoc exordium commune est; quod de veris hæreticis non modò concedimus; sed & religiosè prædicamus. At nos hæretici non sumus.* Si hunc in modum Seruetianus aut Anabaptista respondeat, an ideo ab hæreseos nota, tuo suffragio, liber erit? Negas, Caluinistas tuos esse Hæreticos. Mirum non facis, quia Caluinista es; nam & Arianus constanter inficiatur, Arianos suos in Hæreticorum numero reponi debere. An propter hanc inficiationem ex tribu illa eximentur, & ad classem orthodoxorum transferentur?

Vt quis sit Hæreticus; & hoc etiam nomine, si quæ est ea gloria, cohonestetur; sufficit nobis iudicium & consensus eius Ecclesiæ, quæ toto terrarum orbe antè diffusa erat; quàm hæc, vel illa

A Hæresis nasceretur. Vt ergo post Concilium Nicænum Arius rectissimè & iustissimè appellabatur hæreticus; & quidquid de Hæreticis generatim scribebatur, id in Arium quoq; quadrabat: quidquid ipse contrà vociferaretur; sic & hodie post Tridentinæ Synodi definitioné & condemnationem; Lutherani & Caluiniani merito suo Hæretici audiunt; & quidquid de Hæreticorum nequitia & improbitate dicitur aut scribitur, id illos quoque tangit, vel potius ferit, licet obluctentur & hæreseos notam à se amoliri studiosè conentur; sed frustra sunt: præualet sentétia Concilij, vt S. Augustinus loqui solet, *plenarij*, à quo isti culpâ suâ in hæreticorum album relati sunt. Quocirca cum Lutherani aut Caluiniani appellantur à nobis Hæretici, id non fit *conuiciante leui-*
B *tate*, vt cum Augustino dicam, lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 5. sed *conuincente veritate.* Ea de caussa rectè etiam, quæ Bellarminus in præfatione ad lectorem de Hæreticis scribit, nimirum eos aliquando totis prouinciis perniciem attulisse; Lutheranis & Caluinianis aliisque huius æui sectariis accommodantur; quia hæretici sunt; ideoq; hæreticorum natura præditi sunt; cuius est non exstruere, sed destruere; non plantare; sed plantas exstirpare; quod vt sæculis antegressis ignotum fuisset, hac certè nostra ætate manifestissimum nobis euasisset; qua tot florentissimæ prouinciæ ab hæresi & hæreticis in perniciem præcipitatæ visuntur.

De illis verò, quæ Bellarminus disserit in oratione, quam dixit in Collegio Romano ad-

A uersus

Digitized by Google

uerſus Hæreticos huius temporis; accipio Confeſsionem Danæi, dicentis: *Quod de hæreticis, & hæreſi odio habenda, de iis, quæ ex eâdem Eccleſia proueniunt, incommodis, de remedio iiſdem tollendis quærendo præfatur Bellarminus, id totum eſt eiuſmodi, vt nos ipſi, illa vera eſſe fateamur, & concedamus.* Hactenus vera & obuiis vlnis amplectenda confeſsio. Quid amplius? *In eo tantùm à Bellarmino diſſentimus, quòd nos Arrianis, Sabellianis, Anabaptiſtis, & hæreticis accenſet, magno animi errore; quùm nos, noſtramq́; doctrinam ex Dei verbo ſcripto, apertè tueamur, &c.*

Eadem ferè Iunius: ſed immeritò. Nam illa ipſa Eccleſia, quæ Arrium, Macedonium, Sabellium declarauit & pronunciauit hæreticos, declarauit quoque & publicè pronunciauit Caluinianos & Lutheranos hæreticos eſſe;

B Vt ergo illi poſt hoc Eccleſiæ iudicium iure optimo inter hæreticos numerabãtur, ita & iſti; non obſtante, quòd ſacroſanctam Tridentinam ſynodum vocant *Antichriſti conciliabulum. Quomodo poteſt malus litigator laudare iudices, quibus iudicantibus victus eſt?* inquit ſanctus Auguſtinus epiſt. 166. *Sed tuentur ſua ex Verbo Dei ſcripto.* Idem dicebat Arrius. Idem Macedonius; idem Sabellius. An ideo verũ erat?

Quam pulchrè Caluiniani ſua ex ſacris litteris defendant, præſertim dogma de ſua cœna, docuit iam olim Hæreticorum hac ætate parens Lutherus, ſcribens aduerſus Zvvinglium & OEcolampadium, libro de verbis cœnæ, Accipite, comedite. Tomo ſeptimo latin. VVittebergenſ.

C 1557. *Contra hæc*, nempe contra realem Chriſti in Euchariſtia præſentiã, & contra *verba* illa Chriſti; Hoc eſt corpus meum, *fanatici ſpiritus hactenus in tam multis ſcriptis ſuis nihil attulerunt*, inquit Lutherus, *quod ſaltem ſpeciem, ne dum firmitatis quidquam haberet. Concedant hoc illis, quod glorientur, & ſeſe magnificè efferant, & ſanctè iurent appellantes ad iudicium, & iram Dei, quod ſuæ cauſæ firma fundamenta iecerint, & veritatem ipſam tetigerint; ſed verba ſunt, quibus ſua turbatæ conſcientiæ velamenta, & ornamenta quærunt, ne quis animaduertat, quod corda eorum intrinſecus præ nimia incertitudine ſuarum opinionum palpitent, huc illúcue nutantia, ceu arundines à ventis exagitatæ ſolent. Nam iuramento me obſirmare arbitror, quod verba Chriſti (*HOC EST CORPVS MEVM*) in cordibus ſuis, vt*

D *perpetuam feſtucam altè infixam, & tractu difficillimam gerant; niſi fortè adeò calloſa habeant corda, quæ omnis ſenſus ſint expertia. Epheſ. 4. Equidem ſat ſcio, quomodo ſeſe habeant conſcientiæ malæ cum foliis ficus ſe tegere, & occultare incipiunt. Nam cùm à verbo Dei aberrent, & ſuas opiniones ſequantur, facilè ſecundum ſcripturam de cordibus eorum iudicari poteſt, quæ nos docet; Non eſſe pacem impiis, ſed vt mare motũ, quod quieſcere non poteſt. Eſ. 57. idque ſcripta eorum manifeſtè produnt. Nam, Deus bone, quanta cum trepidatione agunt? modò ſe iactant, modò conqueruntur: hic pacem petunt; illic erudiri cupiunt; in hoc ſcandalum fugiunt, in illo, gloriam Chriſti quærunt; &, tanta circuitione, & prætextuum inquiſitione vtuntur, vt plurima præter rem, ad rem verò facientia pauciſsima dicant, & quidem rarò eò deueniant. Nam cùm ad*

A *rem ventum eſt, tum adeò tacitè, & leniter greſſum figunt, ac ſi ſuper ouis ambularent, & vix manum vertas, cùm ſuperuolitauerint, ita quidem feſtinantes, ac ſi diabolus iis à tergo inſtaret, & metuunt ne in ſingulis literis impingentes, in præceps ruant. Et, cum præteruolarunt, tum ſudorem abſtergunt, & metum abiiciunt, Deoquè gratias agunt pro veritate, &c.*

*Agè verò audiamus, quo pacto verbis Chriſti adimant noſtrum ſenſum, & ſuum intrudant? Aſſerunt verbum (*EST*) idem valere, quod verbum (ſignificat) vt Zvvinglius ſcribit. Et verbum (*CORPVS MEVM*) idem eſſe, quod (ſignum mei corporis) vt OEcolampadius ſcribit. Chriſti ergò verba, & mens, ſecundum Zvvinglij textum, ſic ſonant: Accipite, comedite, hoc ſignificat corpus meum. Et ſecundum OEcolampadij ſenſum: Accipite, & comedite.*

B *Hoc eſt mei corporis ſignum. Tam autem ſunt certi has eſſe veras ſententias, & tam firmiter in ſuis cordibus in iis perſiſtunt, quàm arundo, vt dixi, à ventis huc illuc agitata ſolet. Propterea mox gloriantur, nos ſcripturæ nullum habere teſtimonium, quod corpus Chriſti ſit in cœna Domini: ſed paulò poſt ſeſe iterum humiliant, & cupiunt erudiri, & pollicentur, ſe nos ſequuturos, ſi ſcriptura probauerimus, quod Chriſti corpus in cœna præſtò ſit. Et profectò rem magnam, & ſeriam agunt, ſed idem fit, ac ſi cum paulò ante negaſſem, quod Deus cœlum, & terram creauit, & ſententiæ Ariſtotelis, Plinij, & aliorum Ethnicorum de mundi æternitate ſubſcripſiſſem: Et mihi quiſpiam ſeſe opponens, illud Moyſi proferret: In principio creauit Deus cœlum & terram, ego verò nunc aduerſarium refutaturus verba Moyſi ſic exponerem: Deus, id eſt, cuculus, creauit, id*

C *eſt, deuorauit, cœlum & terrã, id eſt, currucam totam vnà cum oſsibus, & plumis, illam verò abiicerem prorſus: In principio creauit Deus cœlum, & terram. Nunquid non artis hoc eſſe videatur? ſanè quidem hiſtrionibus non indigna, nec ignota.*

Hæc Lutherus, quæ recitare lubuit, vt lector intelligat, quomodo Iunius, Danæus, & alij Caluiniani ſua dogmata ex ſacris litteris tueantur; imò qua ratione ipſi quoque Lutherani ſcripturas ornandis placitis ſuis proferant: neque enim ſolos Zvvinglium & OEcolampadium cum grege ſuo picturâ illâ depinxit Lutherus; ſed & ſeipſum, totumque Lutheranorum cœtum.

Iam quòd Danæus ait; Arianos, Sabellianos, Anabaptiſtas & ſimiles *plenius & luculentiùs à*

D Caluinianis *confutari, quàm à Papiſtis*; id crederem, niſi ieiunitatem Caluiniſtarum in differendo noſſem: & niſi mihi exploratum eſſet, quam multa Arianiſmi ſemina vel potius zizania, Caluinus & Caluiniſtæ ſuis aduerſus nouos Arianos libris inſperſerint? Et cur, quæſo, Dæmon plenè & luculenter, fortiter ac neruosè, imò plenius & luculentius, fortius & neruoſius, per Caluiniſmum aut Lutheraniſmum tollere niteretur Arianiſmum, Sabellianiſmum, aut Anabaptiſmum; cum omnes ſint eiuſdem parentis chariſsimi filij: nam quòd illos inter ſe committit; id non fit eo conſilio, vt veritas locum inueniat; ſed vt hac mutua hæreticorum velitatione & digladiatione ludos & ſpectaculum orco exhibeat;

Digitized by Google

beat; & quàm insignibus lanistis abundet, planum faciat. Quod præterea scribit Danæus fateri Bellarminum, Caluinistarum, non nostrorum opera, Seruetum & Gentilem, Arianos & Samosatenianos, eorumque hæresin sublatam esse; id plenum & luculentum Danæi mendacium dixerim; Tantum enim abest, vt hoc fateatur Bellarminus, vt copiosè ac dilucidè ostendat, plerosque Sectarios, qui contra nouos Arianos stylum strinxerunt, in grauissimos Arianismi vel Samosatenianismi errores impegisse; nominatim Lutherum, Caluinum, Bullingerum, Bezam, Melium, Sarnicium, & alios. An tu Trinitariis erroribus ferendis errores Trinitarios tolli existimas, aut Bellarminum existimasse seriò tibi persuades? quem mox nouo mendacio oneras, quasi Caluinum tuum Genebrardo Catholico scriptori prætulerit. Absit hæc insania à quocunque Catholico pectore, vt vel minimo ex orthodoxis scriptoribus Caluinum hæresiarcham anteponat, nedum Genebrardo, viro certè doctissimo. At Bellarminus defendit Caluinum ab asserto quodam Genebrardi libro secundo de Christo, capite quinto in fine. Quid tum? Ergo Caluinum Genebrardo præfert? Quis sani capitis sic concluserit? Mentem Caluini non assecutus fuerat Genebrardus. Et hoc notat Bellarminus. An ideo Caluinus maior Genebrardo, sententiâ Bellarmini? Tritum est illud: *Olitor quoque aliquando opportuna loquitur.* Quid mirum si interdum & hæreticus? Bellarminus non Caluino, sed veritati manum porrexit, memor illius quod sapienter sanctus Hieronymus Epistola sexagesima quinta scriptum reliquit: *Nec bonis aduersariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum est; nec amicorum laudanda sunt vitia.*

Dicit Bellarminus, Petrum Martyrem, & Caluinum, per summum scelus, Deum auctorem omnium scelerum & flagitiorum facere. Vbi nec Iunius, nec Danæus Pseudomartyri succurrit; Itaque bonus Martyr, *vt mus in pice, hæret & perit,* quemadmodum libro de verbis cœnæ, Tomo septimo lat. VVitebergens. loquitur Lutherus de OEcolampadio, Zvvinglio, & Carlstadio. Ad Caluinum attoniti & anheli accurrunt. *Negatur hæc fuisse verba, aut sententiam illorum*; clamat Iunius. Danæus: *Quæ Bellarminus citat tanquam hæretica, ea ipsa & perperam ab hoc detorta locus ipse inspectus ostendet, & ab hoc eodem nequaquam fuisse intellecta.* Inspiciatur ergo locus Caluini libro primo Institutionum, capite decimo octauo, §. quarto, & mox hæreticorũ tergiuersationes in auras euanescent: Toto enim illo capite nihil aliud contendit Caluinus, quàm vt lectori persuadeat, omnia opera, quæ agit homo, etiam sceleratissima, esse ex Deo, non tantum permittente, permissionem enim exsibilat Caluinus; sed volente, inclinante, impellente, atque adeò agente & efficiente. Hæc qui docet, an non Deum caussam

A & auctorem scelerum esse docet? An non ex isto antecedente: *Deus vult & efficit flagitia & scelera*: rectè infertur hæc consequentia? *ergo Deus est caussa flagitiorum & scelerum.*

Cur enim & est, & rectè nominatur caussa & auctor huius vniuersi? An non quia rerum vniuersitatem esse voluit; ac vt esset, vi sua effecit? At Caluinus negat loco citato Deum esse auctorem scelerum & flagitiorum; hancque obiectionem, quasi ex iis, quæ disputauerat, natam, ipsemet amolitur. Egregiè scilicet amolitur; sic nimirum, vt magis magisque stabiliat. Nec insuetum est Caluino & Caluinistis, verbo inficiari; quod re confitentur & adstruunt; vt in hac ipsa quæstione; *vtrum Deus sit auctor peccati*, vsuuenire, copiosè B demonstrat Bellarminus tomo quarto, libro secundo de amissione gratiæ, capite secundo, tertio, quarto, quinto, & sexto, quo vterque Caluinista se & lectores suos remittit; tanquam eo loco ex instituto pro Caluino aduersus Bellarminum acturi sint. Sed bene habet. Antequam medium itineris, quod eò ducit, conficerent, vterque eò profectus est, vnde negant redire quenquam. Quapropter à Iunij & Danæi mendaciis potius, quàm spiculis secura perstat illa aduersus impietatem Caluini & Caluinistarum disputatio.

Producit Bellarminus deliramentum Serueti, asserentis Deum *in lapide verè esse lapidem, in ferro,* C *ferrum, &c. Quid Seruetus ad nos?* responsat Iunius. Multum profectò, multum; quia Lutheri primùm; deinde Caluini quoque Euangelio mirificè illustratus, hos tam mirabiles & ipsi Caluino inuidendos progressus in quinto Euãgelio fecit; quod quò innuit, eò Seruetus promptè & alacriter irruit. Et quis nescit, omnes propemodũ hac tempestate, Arianismi instauratores, fuisse Caluini discipulos; quosdam etiam perquam familiares? Quod Iunius ait; *Pontificios Seruetum tulisse; quem Geneuensis Senatus sustulerit*; id pseudologiarum catalogo adscribatur: Si enim Seruetus, quando in Catholicorum vrbibus versabatur, blasphemiarum virus tam apertè euomuisset, quàm aperte & licenter id fecit Geneuæ; necessarium, opinor, non fuisset, vt *Diabolus Diabolum,* D hoc est, *Caluinus Seruetum* vreret; Per flammas exstinguendas ex Catholico loco, non ex Geneua ad non exstinguendas descendisset, luiturus impietatis & contumacissimæ obstinationis suæ pœnas perpetes.

Ait Bellarminus; Lutherum in Commentario tertij capitis Epistolæ ad Galatas palam asserere, infantes, dum baptizantur, exemplo Ioannis Baptistæ diuinas quasdam motiones internis sensibus percipere, Euangelicas promissiones audire, & promittenti Deo fidem habere. Vbi Iunius. *De hac criminatione agetur Tom. 2. Controuers. 2. cap. 10. & 11. vbi Lutheri purgatio demonstrabitur.* At tu eò nec venisti, nec peruenies; nisi fortè

notas tuas marginales, quas codici Bellarminiano alleuisti, exscribat ex catulis tuis quispiam;remque publicam tuis adeò præclaris notis & animaduersionibus beet ac locupletet. Quæ verò in hac Bellarmini assertione Criminatio? An non Lutherus ita sensit? An non plerique Lutherani hodieque ita sentiunt? An non Lutherus in Commentario tertij capitis Epistolæ ad Galatas verbosissimè contendit, nullos esse filios Abrahæ, nisi credentes, per credentes nullos alios intelligens, quàm illos, qui *actualem fidem* habent;quandoquidem habitus infusos Lutherus vbique repudiat? An non Lutherus anno Domini 1522. ipso Ascensionis die hæc ad Spalatinum suum scripserat? Tom.2.Epist.fol.67.b.
B *Argumenta Anabaptistarum nihil vrgent; primum illud Marci; Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. quomodo probabunt paruulos non credere?*

Et in Maiore Catechismo. qui libro Concordiæ insertus est, cap. de Baptismo. *Quanquam pueri non crederent, quod nullo modo affirmandum est (vt iam est ostensum) tamen baptismus verus esset.* Ecce Lutherus disertè fatetur, nullo modo concedendum esse, *pueros*, hoc est. infantes, quando baptizantur, non credere; Et tamen hanc sententiam Luthero tribuere, vocat Caluinianus Iunius *Criminationem*; à qua promittit se purgaturum Lutherum: quod nunquam obtinebit, ne si ipsum quidem Oceanum ad purgationem adhibeat;vt patet quoque ex locis Lutheri, quæ Bellarminus in
C disputatione de Baptismo Tomo tertio, libro de Baptismo, capite vndecimo profert; Etsi non eo inficias, Lutherum, vt in aliis, ita & in hac quæstione varium ac inconstantem fuisse; & modò hoc, modò aliud asseuerasse; & aliquando tam implicatè scripsisse; vt lectis & relectis omnibus, lector vix intelligat, quid sibi tandem tam intricatus nugator voluerit; quod clarum euadit ex Maiore Catechismo; vbi non iniuria aduersus Lutherum vsurpes;quod ipse contra Sacramentarios aliquando scripsit: libro de verbis cœnæ. *Cum ad rem ventum est, tum adeo tacitè & leuiter gressus figunt, ac si super ouis ambularent, & vix manum vertas, cum superuolitauerint, ita quidem festinantes, ac si*
D *Diabolus eis à tergo instaret, & metuunt, ne in singulis litteris impingentes, in praceps ruant.* Ita prorsus egit etiam Lutherus in illo suo Catechismo. *Hoc loco*, inquit ille, *occurrit quæstio, qua hodie Diabolus per sectas suas mundum variè illaqueat: nempe de puerorum baptismo, num illi quoque credant, aut rectè baptizentur:* Cumque vno verbulo suam sententiam explicare potuisset, vulpium in morem, per varios anfractus decurrit, modò hoc, modò illud asserens & afferens; donec tandem Lutherana sententia, ex Lutherano pectore, pleno flumine, obiicis impatiens, erupit; nimirum, nullo modo concedendum *esse, infantes in baptismo non credere:* quod & in Ratisbonensi Colloquio Lutheranus Prædicans Hunnius palam asseuerauit.

A Miratur Bellarminus exstitisse Sectarios, qui sibi persuaderent, *nihil aliud ad iustificationem impiorum requiri, quàm vt certo statuant, se esse iustos, sibi esse remissa peccata, vt iam non opinio à veritate rei, sed rei veritas ab opinione pendeat. Hæc quàm iniquè & inuidiosè adferantur*, inquit Iunius, *ostendemus tomo tertio, si Deus volet.* At noluit; vt video; quia vita excessisti; vtinam vel serò sapiens; nec tertium tomum, qui alia diuisione quartus est; vnquam attigisti; aut in posterum attinges, iam in Caluini cælo degens.

Cæterum nullam vobis à Bellarmino irrogari iniuriam patet ex articulo quarto Confessionis Augustanæ, quem Bellarminus citat: vbi expressè dicitur, tum iustificari impios, *cum credunt se in gratiam recipi, & peccata sibi remitti propter Christum.* Et quid tritius in ore omnium Nouatorum quàm fides *specialis & iustificans?* quæ noua quadam rerum inuersione non dependet à veritate rei; sed è contrario potius veritas rei ab illa vestra fide; vt rectè dixit Bellarminus.

Caluinum recipit Iunius se purgaturum in Controuersia de Christo. Sed acribus profectò purgamentis opus erit; vt Caluinum emundes ab illa blasphemia; *Christum cruciatus gehennæ cum damnatis & reprobis spiritibus aliquando pertulisse.* Sed suo loco videbimus; quomodo Iunius in *Februarium* transformatus Caluinum suum *februet* ac expiet.

Deum debere diabolo obedire, negat Iunius à VViclepho scriptum. idque duobus argumentis ostendit: *I. Quia nihil simile exstat in libris VViclephi, qui adhuc exstant. II. Quia Concilium Constantiense sess. 8. artic. 6. hunc articulum VViclepho affinxit.* Respondeo, paucissima ex VViclephi scriptis exstant; vt notum omnibus, cum tamen plurima scripserit, vt constat. cum aliunde, tum ex Thoma VValdensi, qui VViclephi dogmata accuratissimè & eruditissimè refutauit. Licet igitur non exstet in operibus VViclephi, quæ publicata sunt; quis tamen negare ausit, non exstare aut exstitisse in illis, quæ vel adhuc in bibliothecis latent, vel iustissimo rogo interierunt? Quàm multa hodie non inueniuntur in libris Lutheri & Philippi, illis etiam, qui omnium manibus teruntur? An ideo impudens non erit, si quis prosiliat & vociferetur, hæc vel illa non reperiri in Lutheri aut Philippi operibus, eaque de caussa neque ab illis esse scripta? Quare in Assertionibus Lutheri, & in Locis, itemque in Commentariis Philippi super Epistolam ad Romanos ea, quæ de Stoica rerumque omnium absoluta necessitate vterque impiè iuxtà ac imperitè effutierat; nihil inuenies saltem in Philippo, nam in Luthero plura impietatis illius remanent vestigia: An ideo non scripserunt ea, quæ exstant adhuc in antiquis exemplaribus *Assertionum; Locorum, & Annotationum* in Epistolam ad Romanos? Multo igitur minus hic valet exceptio Iunij; cum paucissima VVi-

A clephi scripta supersint; Et vt omnia superessent, potuisset tamen Hæresiarcha ille, blasphemiæ illius magnitudine vel serò offensus, eam ex scriptis suis eradere, vt Melanchthonem & Lutherum erasisse constat. Neque vnquam efficiet Iunius, vt fide dignior post tot annos nobis videatur, quam Patres Concilij Constantiensis sæculo VViclephi longè viciniores; qui multò melius nouerant placita VViclephi, quàm nudiustertius exortus Prædicans.

Neque verò Luthero vnquam in mentem venit; cum in *Assertionibus* & alibi furiosè scripsit, omnes articulos Hussi Constantiæ damnatos esse Catholicos & approbandos, vt hunc, de quo loquimur, articulum VViclephi esse negaret: B quem gratum ratumque habuit, & calculo suo subsignauit, hoc ipso, quòd omnibus Hussi Constantiæ damnatis articulis subscripsit. Nam inter Hussi articulos est iste vigesimus quintus. *Condemnatio quadraginta quinque articulorum Ioannis VViclephi per Doctores* (Academiæ Pragensis) *facta, est irrationabilis, & iniqua, & malefacta: & ficta est caussa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.* Cum ergo hunc articulum Hussi Lutherus approbauerit, simul etiam cum Husso approbauit quadraginta quinque articulos VViclephi, inter quos est iste sextus: *Deus debet obedire diabolo.* Mirum igitur non immeritò videri posset alicui, quomodo Iunius VVicle- C pho articulum hunc adimere velit, quem VViclephi esse non modò Hussus & Lutherus agnouerunt; sed & sibi proprium, vel certè cum VViclepho communem facere voluerunt.

Ex libro Lutheri de Conciliis adducit Bellarminus hæc eiusdem Lutheri verba, tanquam impia prorsus & paradoxa. *Mihi paulò antè negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quod diuinitas Christi non possit pati:* Quid audio Luthere? Tune defendis diuinitatem Christi esse passibilem? Tune hoc stolidum iuxtà ac vesanum pronunciatum chartis concremandis illeuisti? Sed pharmacũ adhibet Iunius. *Hæc quidem Lutheri verba,* inquit. (gratias pro agni- D tione) *sed mala fide accepta* (quid si tu malæ fidei homo mala fide hæc ipsa effundas?) *contra mentem ipsius paulò antè ibidem expositam. Dixerat enim expressis verbis, Dei passionem, martyrium, sanguinem à nobis prædicari, neminem tamen esse, qui nesciat diuinitatem in natura sua non posse pati.* Multum profectò Lutherus Iunio Caluinistæ debet, ob hoc patrocinium, & debere etiam cupit; & vt hoc debitum aliquo modo expungat, hoc suum iudicium de Sacramentariis ad Sacramentarium Iunium remittit, Lib. de verbis cœnæ. *Quis his fanaticis hominibus fidem habeat, quòd bene rectequè doceant? cum apertè conuincantur, quod huiusmodi diabolicas cogitationes circumferant, & ea consulant, quæ rectâ viâ ad contemptum, blasphemias & contumelias Dei, & ad nostram perniciem, mortemque æternam tendunt. &c. In hoc quidem vltrò ipsis gratificabimur, vt cum iis externam, & politicam pacem geramus, sed quoad spiritum, eos ad extremum vsque halitum deuitabimus, arguemus, & damnabimus pro idololatris, Verbi* DEI *corruptoribus, blasphemis, & deceptoribus, & ab iis, vt ab hostibus, persequutionem, & distractionem, quantamcunque intulerint, patiemur, vsque dum* DEVS *ipse patitur, orabimusquè pro iis, & admonebimus, vt desinant.*

Ecce Iuni *charisterium*, quod tibi Lutherus ob defensionem istam persoluit. cuius iudicio *idololatra es, Verbi Dei corruptor, blasphemus, deceptor, Diabolicas cogitationes circumferens:* qui nihil penitus sibi tecum vult esse commercij ac necessitudinis: *Maledicta sit, in omnem æternitatem*, clamat Lutherus, *illa charitas & concordia, eò quod talis concordia non solùm Ecclesiam miserè dilacerat, verumetiam more Diabolico irridet, & tam illiberaliter aspernatur.* Et cur adeò, ô Luthere, Sacramentarios execraris, cum tamen Iunius Sacramentarius te à Bellarmini accusatione acriter tueri studeat? *Quia Sacramentarij mihi Dominum meum Iesum Christum, & Deum Patrem in verbo suo trucidant, & matrem suam sanctam Ecclesiam vnà cum fratribus meis mactant, meque iugulare quærunt.* Habes à Luthero defensionis præmium.

Audiamus firmamenta defensionis. *I. Locutio Lutheri est impropria & figurata:* adde, si placet, & *hæretica,* & *Eutychiana* seu *Acephala:* An non enim ex Eutychianismi medulla deprompta est hæc Lutheri oratio? Dann ich wol auch für mir habe Nestorianos gehabt / die sehr steiff wider mich fochten / daß die Gottheit Christi nicht könde leyden. *Mihi itidem cum Nestorianis negotium fuit, qui validè aduersus me contendebant, diuinitatem non posse pati.* Hæc certè oratio tam figurata est; quàm illa omnium Seuerianorum; *ipsam diuinam naturam crucifixam, passam ac mortuam esse.* Scis quo in tropo aut schemate hoc orationis genus collocetur?

II. Lutherus vsurpauit vocabulum abstractum pro concreto; Diuinitatem nimirum pro Deo; vt sensus sit; Nestorianos illos negasse, Deum pati posse; videlicet, secundum humanam naturam, cum diuina in eadem hypostasi vnitam. Audio, quid patronus pro cliente suo non valdè grato adferat: Interim tamen & hoc scio, Lutherum ita esse comparatum, vt in eadem sæpe pagina, vertiginis spiritu incitatus, sibi contradicat, & ea, quæ paulò antè affirmauerat, euertat: & vera falsis commisceat, ne si sola falsa appareant, lectores statim resiliant *improuisum aspris veluti qui sentibus anguem pressit humi nitens.* Si Lutherus verè sentiebat, diuinitatem non posse pati, cur non omissa voce *abstracta*, vsus est voce *concreta?* quod ei æquè erat procliue: nam quod prius dixit: post incarnationem veras esse istas enunciationes: *Deus mortuus est; Deus passus est;* forsan si quis explicationem desiderasset; hunc in modum exposuisset. *Deus passus est & mortuus etiam secundum diuinam naturam; non tantùm secundum hu-*

manam: nam licet Deus secundum suam naturam cum humana in eadem persona non coniunctam mori non possit, posse tamen mori secundum suam naturam, quando cum mortali humana in eodem supposito vnitur. Ita sensisse Lutherum, non modicam suspicionem concit in animo meo ipse Lutherus, quoties lego, quæ hac de re in libro de Conciliis Germanicè scripsit Tom. 7. Ienensi German. 1562. quæ tam insulsa, inconstantia, & imperita sunt; vt videatur Lutherus quoties ad librum illum conscribendum & absoluendum accessit; prius iterum iterumque exhausisse immane illud poculum, in quo totus catechismus depictus erat; de quo in Symposiacis Colloquiis; vt hac ratione sese calefaceret; iuxta illud: *Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma prosiliit dicenda.*

Neque iniuriam Luthero facimus; si Eutychianum eius loquendi modum in deteriorem partem interpretemur, tum alias ob causas, tum quia hoc faciendo, facimus, quod Lutherus ipse faciendum præcepit ac præscripsit in Epistola ad Amstorffium de Erasmo Tomo secundo VVitebergens. Latin. 1546. fol. 528. b. quem ait, *figuratis & insidiosis verbis vti, vt furiosissimè debacchari possit in Christianos, qui suis obliquis & suspectis verbis offensi, non interpretentur omnia pro Christo eorum. Quasi vnus Erasmus*, ait Lutherus, *in orbe regnum possideat liberrimum insidiosè, & obliquè loquendi de rebus maximis, & omnes homines obnoxios habeat, in ea seruitute, vt cogantur obliquitates, & insidias eius rectè, & sincerè interpretari.*

Cur ipse potius non loquitur rectè, & apertè? Vt quid delectatur insidiis, & figuris istis tam periculosis? Debuit tantus rhetor, & Theologus, non solùm scire, sed etiam fideliter præstare, quod docet Fabius, scilicet ambiguum verbum, ceu scopulum, esse vitandum. Quod si casu aliquod exciderit, veniam meretur. Sed studio & industria quærere, hoc nulla venia, sed iustissimo omnium odio dignum est. Ad quid enim hoc bilingue, & odibile dicendi genus valet, nisi vt sub vocibus, & literis Christianam vocem similantibus, omnium hæresium semina tutò serere, & alere possis, ac dum doceri, & defendi creditur religio, reuera tollatur funditus, & antequam intelligitur, euertatur?

Quare rectè faciunt omnes, qui suspecta, & insidiosa verba eius contra ipsum interpretantur. Nec est audienda eius vociferatio, calumnia, calumnia; &, quod non commodè, & candidè interpretemur eius dicta. Cur ipse fugit commodè dicta, & sectatur incommodè dicta? Esset enim hæc tyrannis inaudita, vniuersum genus hominum ita habere velle subiectum, vt insidiosè, & periculosè dicta cogeretur commodè intelligere, & illi regnum concedere, semper insidiosè loquendi. Quin ipse potius cogatur in ordinem, & iubeatur seruire generi humano, hoc est, abstinere ab isto prophano, & bilingui flexiloquio, seu inaniloquentia, sicut Paulus præcipit, vitare prophanas cenophonias. Vnde, & ipsæ publicæ leges imperij Romani damnant hanc dicendi rationem, mulctantquè hac pœna, vt iubeant verba interpretari contra eum ipsum, qui clarius dicere potuit, & dixit obscurius. Et ipse Christus seruum illum nequam sese insidiosè excusantem damnauit, & verbis ipsius in eum retortis, dixit: Ex ore tuo te iudico serue nequam. Quid enim fieret, si in religionibus, & legibus, & omnibus grauibus causis, assuesceremus ambiguè, & insidiosè dicere, nisi confusissima illa Babylon, in qua nullus alterum tandem intelligere posset? Hoc non esset discere eloquentiam, sed ipsam naturalem perdere loquentiam. Deinde, si ista loquentia regnet, possem ego omnia commodè interpretari, quæcunque vnquam omnes hæretici dixerunt: denique quidquid ipse Diabolus fecit, dixit, aut dicere, & facere possit in æternum. Vbi tunc erit vlla facultas refutandi hæreticos, & diabolum? Vbi sapientia illa Christi Domini, cui non possint resistere omnes aduersarij? Vbi Dialectica docendi Magistra? Vbi Rhetorica persuadendi facultas? Nihil docebitur, discetur, persuadebitur, consolabitur, terrebitur, quia nihil certò, aut propriè dictum audietur.

Igitur quando Lutherus *tam leuiter, & ridiculè* dicit; se repugnasse *Nestorianis, negantibus, diuinitatem Christi pati posse: feriendus est iudicio Epicuri, vel Democriti, & dicendum ei; disce de maiestate loqui reuerentius. Moriones quidem aliquando Principes alloquuntur irreuerentius, aut stultius, nec tamen semper impunè. Quod si faceret aliquis alius sano iudicio & studio; fortè plecteretur capite, tanquam læsæ maiestatis reus. Ita cùm dicit Erasmus; Petrus Christum appellat virum, Deum tacet; damnandus est Arianæ sententiæ & hæreseos.* Ergo & Lutherus cum dicit; *diuinitatem Christi posse pati*, damnandus est Eutychianæ, seu Seuerianæ sententiæ *& hæreseos: quia potuit hoc insidiosum verbum, in re summa maiestatis diuinæ, omittere, vel religiosius loqui. Hic enim Arianis verba fortiter significant, non placere, Christum DEVM dici, meliusquè esse duntaxat virum eum appellari: Vtcunque possint commodè, vel incommodè interpretari pro diuinitate Christi, tamen vt posita sunt, & sonant, præsertim suspecto auctore, offendũt Christianas mentes, quia, non habent vnum, & simplicem sensum, & pronius intelliguntur pro Arianis, quàm pro orthodoxis.* Hæc omnia examussim in ipsum Lutherum eiusque Eutychianum loquendi modum competunt.

Obiicit Iunius eadem phrasi vsum esse S. Augustinum in Quæstiunculis de Trinitate, Tom. 3. Operum S. August. sed primò omnium demonstrare debebit Iunius, *Quæstiunculas* illas ex officina D. Augustini prodiisse; quod faciet, cum *biberit Germania Tigrim.* Deinde Respondeo verbis Lutheri in cap. 3. Epist. ad Galat. *Duo cùm idem faciunt, in altero laudatur, in altero vituperatur*; quia alter, vt Hæreticus, mente vulpina, & ad nocẽdum parata; alter simplici & sincera mente & potius casu, quàm ex proposito id facit, quippe Catholicus, & neminem in errores inducere volens. *Sed quia amphibologia semper ad deteriorem sententiam spectat*, inquit Lutherus, *si casu fiat, ignosci potest. Si studio, & voluntate, absq; misericordia, condemnanda est, quia dogmata fidei tenere, arduum, & diuinum opus est, etiamsi propriis, & signatis, & certis verbis tradantur. Quomodo igitur tenebuntur, si ambiguis, dubiis, & obli-*

Digitized by Google

quis verbis tradantur? Quare vt verbis compendi- A
um faciam, *pro libertate nostra dico, non esse ferendam*
Lutheri *in suis amphilogiis tyrannidem; sed simpliciter*
esse iudicandum ex ore ipsius. Si loquitur Arianicè, iudi-
cetur Arianus: Si loquitur Lucianicè, iudicetur Luciani-
cus. Si loquitur gentiliter, iudicetur gentilis, si Eutychiani-
sticè, iudicetur Eutychianus; Si porci instar, sordidè,
iudicetur porcus.

Ait Iunius; *se suosq; tenere fidem in bona conscientia;*
id credam, vbi prius à suo Luthero hoc vt cre-
dat, impetrauerit: quod vix erit impetrabile,
postquam Lutherus lib. de verb. cœnæ. hanc cō-
fessionem edidit: *Obtestabor Deum, & totum mun-*
dum, & confitebor, quòd cum Sacramentariis non senti-
am, neq; vnquam senserim, neq; in æternum, Deo volente,
sensurus sim, meaq; manus velim mundas ab omnium B
istorum sanguine, quorum animas hoc veneno à Christo
abigunt, seducunt, & mactant, &c. Nec tam ad ipsos re-
spicio, quàm ad eum, qui per eos loquitur, Diabolum puto,
quandoquidem & illi me cacodæmonibus plenum iudi-
tant. En, Iuni, parentis vel aui tui de tua fide, &
sanitate conscientiæ tuæ luculentum testimoni-
um: qui insuper addit: *Alterutram partem à Dia-*
bolo exagitari contra Deum necesse est; tertium nullum
esse potest. Imo est; quia firmiter credo tam Sa-
cramentariam, quam tuam, hoc est, Lutheranam
partem à Diabolo exagitari.

Quæ deinceps Bellarminus adiungit de vitan-
dis summo studio Hęreticis, falsitatis accusat Iu-
nius, si de quibusuis hæreticis intelligantur, non
de solis *Hæresiarchis*; *idq; liquere ait ex cap. 3.* C
Epist. ad Titum, & ex secunda Ioannis. At si sacrum te-
xtum consulas, mox à Iunio dissenties. Ita enim
Apostolus. *Hæreticum hominem post vnam & secun-*
dam correptionem deuita; sciens, quia subuersus est, qui
eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condem-
natus. Vbi vides, Apostolum vti voce *Hæretici*, nō
hæresiarchæ. nec obstant, quæ adiunguntur; In
omnem enim Hæreticum de suo errore admo-
nitum, neque tamen cedere paratum, conueni-
unt. Adde, quod omnis hæreticus peste infectus
est. Omnis igitur, tanquam pestifer, diligentissi-
mè caueri debet. S. Ioannis præceptum est hoc.
Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert: nolite
recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Quam,
oro, doctrinam? Apostolicam, Catholicam, Or- D
thodoxam; hanc si quis non adfert, nec tecto re-
cipiendus, nec salutatione dignandus. Atqui
non tantum Hæresiarchæ, sed quiuis etiam Hæ-
retici, & Hęresiarchorum discipuli, doctrinam
Apostolicam & Catholicam non adferunt, non
igitur audiendi, aut vllis humanitatis officiis
prosequendi sunt. Et hæc de præfationi-
bus Bellarmini.

Defensio capitis primi Libri primi de verbo Dei.

CONTRA primum & secundum ca-
put, nihil adfert Danæus; tantùm
mentitur; Bellarminum, ea, quæ
ambobus his capitibus disserit, *ex*
Caluino transcripsisse. Quasi verò tam inops & in-
digus aquæ sit fluuius perennis, vt à riuulo, eo-
que turbulento & feculento lymphas emendica-
re debeat, thesaurusque Ecclesiæ, ex quo Docto-
res Orthodoxi noua & vetera depromunt, adeò
sit exhaustus; vt necesse sit ad Geneuensis Caci
speluncas properare; & inde operibus confici-
endis subsidium petere? Scire cupis, vnde Bel-
larminus, & alij Catholici scriptores, quæ litteris
mandant, accipere consueuerint? Docet id Bea-
tus Dauid primo statim Psalmo: nam inter cæ-
tera quæ virum illum, quem beatum prædicat,
præstare ait; ponit etiam hoc. *In lege Domini vo-*
luntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Quis
inde enascitur fructus? *Et erit tanquam lignum,*
quod plantatum est secus decursus aquarum; quod fructum
suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet: &
omnia quæcunq; faciet prosperabuntur. Non sic impij,
non sic Caluiniani; non sic Lutherani, non sic
alij Sectarij: quia *bonus homo de bono thesauro pro-*
fert bona: & malus homo de malo thesauro, profert mala,
Matth. 12. & si quando Hæretici aliqua bona pro-
ferunt, non de suo malo, sed de bono thesauro
Ecclesiæ ea proferunt; quem, vt prædones, ali-
quando inuadunt; quos iure vindiciarum Do-
ctores Orthodoxi meritò insequuntur; & abla-
ta reddere cogunt. Satis de Danæo.

Proponit Bellarminus hanc quæstionem: *sit-*
ne scriptura Prophetica & Apostolica vt verbum Dei reci-
pienda: an id solum pro verbo Dei habendum, quod Spiri-
tus sanctus priuatim vnicuiq; in corde loquitur. Occla-
mat Iunius. *In ipso limine Bellarminus non rectè [illegible]*
sine quæstionem ponit, sed planè mutilat. Quid
ita verò? *Quia cum omnem disiunctiuam, aut contrario-*
rum, aut ἀντιδιῃρημένων, aut oppositorum, aut certè quo-
cunq; modo disiunctorum esse oporteat, & sufficiente enu-
meratione constare, hic ex coniunctis disiuncta facit, &
insufficiente enumeratione vtitur. Non abs re dubi-
tauerit quis, an non Iunij ratio, quando hæc scri-
bebat, peregrinatum in mundos Epicuri extra
hoc vniuersum concesserit. Quomodo enim
Bellarminus ex *coniunctis disiuncta* facit? An non
disiuncta sunt; *num sit verbum Dei, quod scripturâ Pro-*
pheticâ & Apostolicâ continetur: an verò solum illud sit
verbum Dei, quod priuatim vnicuiq; Spiritus sanctus in
corde loquitur? Quid magis disiunctum, quam
hæc duo? Quid magis disparatum? Neque vlla
hic est enumeratio insufficiens: consideratis ad-
uersariis; Svvenckfeldianis nimirum, & Liberti-
nis, quorum gratia hæc quæstio proponitur ac
discutitur: isti enim solum Spiritum & insti-

ctum internum sequendum aiunt; sacram autem scripturam, tanquam litteram occidentem, respuendam. Isti sunt, *qui*, vt scribit Lutherus Tom.2.Epist.ad Duces Saxoniæ fol.224. *Scripturam nihil esse aut posse vociferantur, dicentes, ja bibel, bubel, babel, &c.* Quærit ergo Bellarminus; vtrum scriptura Prophetica & Apostolica sit pro verbo Dei recipienda; an id solùm, quod Spiritus sanctus priuatim vnicuique in corde loquitur; vt delirant isti Sectarij.

Quæ profectò sufficiens est enumeratio: nam quod ait Iunius: *Hæc est vera quæstio: Scripturáne sola, an Spiritus sancti testificatio sola, an hoc vtrumq; coniunctim solùm sit habendum pro verbo Dei, hoc est, sine alia adiectione vlla & humanis traditionibus*: id argumento est; Iunium ne intelligere quidem quæstionis statum; & aduersariorum aduersus quos disputatur, sententiam: Non enim hic quærendum erat, an sola scriptura sit verbum Dei, an verò præter illam exstet verbum Dei non scriptum: Hæc enim quæstio proprium locum, in qua expendi debet, obtinet. Sed: an scriptura sit verbum Dei. Hoc namque inficiantur citati Hæretici Svvenckfeldiani & Libertini: qui cum verbum Dei in solo interno Spiritus instinctu & alloquio constituant, non potuit rectè Bellarminus tertium membrum quæstioni adiungere; istud nimirum; *an verbum Dei sit conflatum & compositum quoddam ex Scriptura & interna Spiritus inspiratione.* nam cum Svvenckfeldiani & Libertini scripturam reiiciant, tanquam litteram occidentem; superuacaneum prorsus foret, quærere; an compositum quoddam ex Scriptura & interno Spiritus instinctu pro verbo Dei admittant.

At quod Iunius ait: *Nos* (Caluiniani) *copulatiuam ex veritate defendimus*: videlicet & Scripturam & internum vniuscuiusque instinctum esse verbum Dei; nihil aliud inde colligo, quàm Caluinianos esse saltem *Semilibertinos & Semisvvenckfeldianos, & Semianabaptistas*: cum priuati cuiusque enthusiasmum, more istorum hæreticorum, pro verbo Dei habeant, etsi non pro toto. Deinde si priuatus vniuscuiusque enthusiasmus pro verbo Dei à Caluinistis reputatur; falsum igitur erit, quod aliàs tanta contentione affirmant; verbum Dei integrè & adæquatè sacrorum bibliorum monumentis contineri: neque enim puto tam insulsum esse vllum Caluinistam, qui cuiusuis priuati instinctû, in sacris litteris comprehendi asserere audeat.

Hunnius recitata quæstione à Bellarmino proposita hæc subiicit. *Vtinam Scripturam Propheticam, & Apostolicam Pontificij pro solo, & vnico* DEI *verbo agnoscerent, nec pro verbo* DEI *venditarent, quod priuatim huic, vel illi Papæ, non Spiritus lucis, sed tenebrarum, præter, imò contra manifestam scripturam suggessit: ita & Ecclesia suum decus, & Euangelicæ doctrinæ sua constaret illabata puritas.*

Vbi obserua Prædicantis huius imperitiam simul & mendacitatem: non enim quæritur hic,

A vtrum scriptura pro solo & vnico Dei verbo sit habenda; alium enim locum desiderat hæc quæstio; sed vtrum pro verbo Dei sit habenda: proque verbo Dei à Pontificiis haberi & coli, notius est, quàm vt id à Prædicantium impudentia sine summa impudentia negari queat. Mendaciis annumerato illa: nos pro verbo Dei suscipere; *quæ priuatim huic vel illi Papæ Spiritus tenebrarum contra manifestam Scripturam suggerit.* Crepitacula hæc sunt nugacium Prædicantium, quibus imperitæ multitudinis aures demulcent ac detinent. Id enim solum pro verbo Dei veneramur ac suscipimus, quod nobis Pontifex ex Cathedra Petri, tanquam supremus Christianorum Magister, omniumque controuersiarum Iudex definiendo proponit. Verum hæc suo tempore &
B loco.

Ait Bellarminus; quæstionem hanc prouenisse hoc tempore partim à Svvenckfeldij & Libertinorum deliratione; partim ab improbitate & impudentia Lutheranorum. *Quid ad nos caussa Svvenckfeldij?* inquit Iunius. Multum sanè: quia ex Lutheri Schola Svvenckfeldius æquè ac Caluinus prodiit: Eiusdem parentis filij sunt. Nihilne ad te tuosque Symmystas caussa eius; qui Caluini, parentis tui, germanus frater exstitit? Adeóne pietas in patruos apud vos interiit? Ex iisdem profectò vberibus doctrinam suam suxit Svvenckfeldius, ex quibus suam Caluinus? Video, tamen amorem tuum in Svvenckfeldi-
C um, tanquam in cognatum, non esse penitus exstinctû: nam quod Bellarminus scribit, Svvenckfeldium iubere nos solo spiritu interno contentos esse; id tu *inuidiosè* dictum asseris: *non enim omnes, sed grandiores Svvenckfeldium sic esse contentos iubere. Concedere verò scripturam lac esse paruulis.* Verum si quis Svvenckfeldij verba inspiciat, nihil de paruulis inueniet: hæc enim vniuersim suis præscripsit, vt est apud Hosium lib.1. de Hæresibus nostri temporis. *Non oportet quenquam legis, aut scripturæ esse peritum, sed à* DEO *doctum. Nam etsi millies percurreris Bibliorum lectionem, tamen non nisi scripturæ peritus euades, & nunquam à* DEO *doctus. Vanus est labor, qui scripturæ impenditur. Scriptura enim creatura est. Non conuenit Christiano, nimium scripturæ addi-*
D *ctum esse.* DEVM *audire oportet: huius voces de cœlo exspectandæ sunt, vt erudiant. Beatus vir, inquit David, quem tu erudieris Domine. Æque nos docet hodie, atque olim Patriarchas, & Prophetas: visionibus, & somniis attendendum. illis enim nobis loquitur* DEVS. *Vox* DEI *rectè docet; scriptura non est verbum* DEI, *sed mortua tantùm littera, & inter alias creaturas reputanda. Non putes te ex scripturis doctum: è cælis illud exspectandum erit, non è libris. Spiritus sanctus è supernis delabitur citra omne medium, non per externum auditum, & vocalem prædicationem, seu scripturarum lectionem.*

Hæc Svvenckfeldius: quem Lutherus hoc elogio cohonestat: *Insanus iste stultus, à Dæmone obsessus, nihil intelligit, nesciens quid garriat. Si autem cessare nolit, ne me suis libellis, quos Sathan ex ore eius ex-*

puit,

Digitized by Google

spuit, & egerit, amplius irritet. Habeatq; hoc extremum meum de se iudicium: Increpet Dominus in te Satan, & sit spiritus tuus, qui vocauit te, & cursus tuus quo curris, & omnes qui participant tibi Sacramentarij, & Eutychiani tecum, & cum vestris blasphemiis in perditionem, sicut scriptum est: currebant, & non mittebam eos; loquebantur, & nihil mandabam eis. Vide Ioannem Busæum nostrum præfat. in Disput. contra Svvenckfeldium.

Ait Bellarminus: Lutherũ & Lutheranos impudentisſimo mendacio deliramenta Svvenckfeldij & Libertinorum adſcribere Romano Pōtifici, totique Catholicæ Eccleſiæ, citatque Lutheri verba ex libro de Conciliis & Eccleſia prope extremo. Ad quæ Hunnius. *Allegatur liber Lutheri de Conciliis & Ecclesia, & prodit se Iesuita, quod in translatione verborum Lutheri alienis oculis sit vsus.* Vſus eſt oculis interpretis, qui Librum illum à Luthero Germanicè ſcriptum in latinam linguā tranſtulit; ſicut & in multis aliis Lutheri libris vtimur oculis Lutheranorum Interpretum; neque enim cuiuis vel lubet vel licet Germanica Lutheri ſcripta euoluere. Nam quid agat ille, qui Germanicam linguam non nouit? Sed audiamus, quid Prædicans quiritetur. *Quod Lutherus ait, Papam de his repleuisse mundum libris* (Der Pabſt hab hetuon die Welt voller Bücher geſlickt) *id translator, cuius opera Bellarminus est vsus, non sine amplificatione reddidit: Papam penè totum orbem terrarum immani mole commentariorum, & librorum refersisse. Vbi textus Lutheri Germanicus simplicissimè redditus habet; decretale Pontificis magnum dedisse damnum,* (Welches groſſen ſchaden gethan hat:) *illic translator Iesuiticus rursum per rhetoricam amplificationē aliqua verba fraudulenter adiecit hoc modo reddens: qui (liber decretorum)* HORRIBILE, ET IRREPARABILE DAMNVM *dedit* IN MAGNA PARTE GENERIS HVMANI: *quod Lutherus ait, Papam sacram scripturam infra scamnum abdidisse,* (vnder die Banck geſtoſſen /) *id reddit hic interpers: in cœno, & puluere* SEPELIIT. *Denique, quod Lutherus inquit; doctrinam Christianam penè suppressit* (hat die Chriſtliche Lehr faſt vndertruckt) *id rursum declamatorius ille Translator odio Lutheri sic amplificè conuertit: doctrinam Christianam penè* INTEGRAM DELEVIT. Hactenus Prædicans.

Cui ſi translatio diſplicet, expoſtulet cum ſuis Lutheranis. Nam mihi certum eſt ac exploratum, Bellarminum Lutheri verba ex Germanico in latinum non tranſtuliſſe. Immeritò tamen diſplicet, nihil enim penitus Latina verba continent, quod non contineatur virtute ac poteſtate in Germanicis. Vetus monitum eſt, *Nec verbum verbo reddere fidus Interpres curabit.* Cur præceptum hoc violaretur in lutulentis Lutheri chartis? Num verbum verbo reddidit Matthæus Iudex in verſione libri Lutheri de verbis cœnæ aduerſus Sacramentarios? Num Vitus Dietrich; num Iuſtus Ionas; num ipſe Bucerus, qui tot Lutheri libros & libellos ex Germanico idiomate in latinum conuerterunt? Si Hunnius eadem ſeueritatis virgula interpretationes eorum cenſere velit; immanem animaduerſionum molem cōficiat oportet: & ſæpiſsimè manus ſubiiciendæ erunt Hunnianæ ferulæ; ſi tamen tam patientes ac morigeros ſeſe præbebunt; neque potius Hūnium à cenſoria virgula ad virgas deuocabunt: qui hac ſua intempeſtiua ſeu admonitione ſeu notatione non Bellarmino; ſed ſibi fidem detraxit, vt quid in toto Examine Hunniano Hunnio *sit fidendum, lector statim ex prima fermè Examinis pagina gustum sibi capiat*: præſertim cum mox os in atrociſsima mendacia ſimul & conuicia reſoluat; & vſque ad finem primi capitis, nil niſi pſeudologias & lœdorias vomat; vt, *Romanum Pontificem seclis superioribus sacram scripturam & bibliorum Codicem iis omnibus ex manibus excussisse, qui non sint Ecclesiastici Ordinis, &c.*

Manifeſtum mendacium. Nulli enim mortālium, qui Latinè, Græcè vel Hebraicè noſſet, vnquam interdictum fuit, quo minus biblia legeret & relegeret, quoties luberet. Et vernacula itidem lingua, hoc eſt Germanica, exſtabant integra biblia aliquot antè annis, quàm Lutherus naſceretur.

Itaque nihil niſi mendacium eſt, quod adiungit, *Scripturam ratione Laicorum, sub scamnum fuisse abditam, & è manibus Laicorum nequiter excussam. Nequiter* mentitur Prædicans: Omnibus enim liberum fuit Scripturas legere, Latina, Græca, vel Hebraica lingua; imò & natiua; dummodo id fieret debito & legitimo modo; lectorque noſſet; ſe non magiſtrum Scripturæ; ſed diſcipulum eſſe; nec Scripturam interpretandā ex propriis cogitationibus & inuentionibus; ſed has potius ad Scripturam conformari & componi debere. Quod vbi ab indocto & rudi vulgo Eccleſia neglectum vidit, iure operam dedit, vt ſacra biblia vulgari lingua edita, ex manibus imperitorum excuterentur, ne, dum ſalutem quærunt, exitium imprudenter ſibi creent.

Neque vnquam ignorarunt Orthodoxi præceptum illud diuinum Deut. 17. *Postquam Rex sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt:* non, inquam, ignorarunt hoc præceptum Orthodoxi; ſed ſimul etiam diligenter conſiderarunt illud: *Accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus*: ex quo liquet. I. Exemplaria Deuteronomij non fuiſſe promiſcuè omnibus conceſſa, variiſque apographis & deſcriptionibus multiplicata; prout iam Hæretici ſacra biblia multiplicari, perque omnes, etiam mechanicas officinas, proſeminari cupiunt: aſſeruabatur enim primigenium exemplar in Arca. Deut. 31. II. Exemplar accipi debuiſſe à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, qui Deuteronomij & cuſtodes & interpretes

Digitized by Google

pretes erant. Quo alio fine; nisi vt sincerum & incorruptum, nullaque falsaria manu deprauatum apographum Rex nancisceretur; vtque si aliquid dubitationis incideret; eius solutionem à Sacerdotibus, tanquam à legitimis interpretibus postularet. Quis verò Catholicorum vllum vnquam Regem prohibuit, ne Biblia lectitaret, si Biblia accepit, non à Luthero, non à Zvvinglio, non à Caluino, non à Beza, sed à Sacerdotibus & antistitibus Catholicæ Ecclesiæ; quorum curæ custodia & explicatio sacrorum bibliorum commissa est; sique bibliorum expositionem non ex suo capite texuit; sed à Doctoribus Ecclesiæ, tanquam discipulus à Magistris hausit?

Quæ verò hæc est Hunnij consequentia? *Regibus Israëlitarum datum est hoc mandatum; vt Deuteronomium studiosè euoluerent; ergo idem præceptum pertinet ad omnes omnino Christianos, licet sint ex infima vulgi face.* Egregia & Hunniana elatione & inflatione digna consequentia. Tantum enim abest, vt hinc vllum præceptum ad omnes Christianos pertinens extundi queat; vt ne ex Iudæis quidem promiscuæ multitudinis vllum obligarit, præter Regem, qui iudicia instituere, & pleraque secundum expressa Dei mandata gerere debebat, quæ iudicialia & cæremonialia nec Reges iam, nedum vniuersim omnes Christianos concernunt. Sic illud: *Scrutamini scripturas*, Ioan. 5. non est præceptum omnibus iniunctum, vt delirat Prædicans; alioqui sequeretur, idiotas peculiari peccato sese obstringere, quando scripturas non scrutantur; & quid dicemus de illis, qui litterarum ignari, ne legere quidē, syllabasque in vnum colligere possunt? Verba illa: *Scrutamini scripturas*: prolata sunt à Christo ad incredulos Iudæos, qui nec verbis, nec miraculis, nec testimoniis adduci poterant, vt Christo, tanquā Saluatori, à patre in mundum misso, fidem haberent: nec præceptum continent; sed admonitionem simplicem consulendi & penitius introspiciendi sacras litteras; sic enim futurum, vt veritatem agnoscant; si animo recto & sincero, verique inuestigandi cupido sacris litteris rimandis sese tradant.

Et vt maximè verbis illis: *Scrutamini scripturas*: datum esset præceptum, commune omnibus; huic tamen præcepto satisfaciendum esset conuenienter menti Redemptoris; quæ nequaquā erat; vt quomodocunque scrutarentur Scripturas, sed vt id facerent accommodatè ad veritatis inuestigationem ac inuentionem: quod non fit, quando quis omni magistro solutus, spretaque maiorum auctoritate proprij capitis figmenta sectatur, vt nostri *Scrutatores* faciunt; qui eousque scripturas scrutantur; vt iam apud Hæreticos, numerosam Lutheri sobolem, maximè eueniat, quod olim euenisse scribit Lutherus: Tom. 7. In defens. Verb. Cœnæ. circ. princ. *Cum singulæ sectæ pro se, suaq; sententiæ confirmatione scripturam torque-*

A *rent, eò res reducebatur, vt scripturæ auctoritas vilesceret, & tandem ignominioso. & blasphemo nomine liber hæreticorū diceretur, quasi inde omnes hæreses ortæ essent. quia singuli hæretici scripturæ testimonia allegarent.*

Nimirum Lutherus cum suo: *Scrutamini Scripturas*: tantum effecit, vt multi, audito Bibliorū nomine, contemptim clamitarent: *Bibel, bubel, babel*, vt ipsemet Lutherus scribit; Libertinique & Svvenckfeldiani, scriptum Dei verbum, disertis verbis, valere iuberent, interno afflatu contenti.

Nos à scrutandis sacris litteris neminem arcemus; si id faciat animo pio ac modesto, seque & omnia sua sensa sensui & consensui Ecclesiæ subdere parato; inque Ecclesiasticæ traditionis B regulam, velut in cynosuram, lectionisque ducem ac moderationem semper intento. Nec improbamus diligentiam Berhœensium, eorumúe, qui hos sibi imitandos censent; dummodo id non faciant animo veteris fidei euertendæ; nouæq; & inauditæ introducendæ; quod huius æui *Scripturarij Scrutatores* solenne habent, qui quoties à scrutando reuertuntur, toties noua monstra nobis pariunt.

Ait Prædicans: *non satis esse, ore, vel etiam scripto profiteri sacram Scripturam Propheticam vel Apostolicam esse verbum Dei; atq; interim doctrinam in illa patefactā re & facto damnare, imò crudelitate plusquam Neroniana persequi. quod Pontificem factitare tam certum est, quā solem lucere in meridie.* At Prædicantem istum menC tiri; tam certum est, quàm solem non lucere media nocte: vt enim ore & scripto sacram scripturam Propheticam & Apostolicam profitemur esse verbum Dei; ita eiusdem genuino & germano sensui à maioribus accepto, & per tot sæcula ad nos transmisso firmiter & immobiliter inhæremus: licet Prædicantes vndequaq; infremant. Eadem calumnia appetunt nos Caluiniani; eadem Anabaptistæ; eadem alij Sectarij: quiuis pro suo errore seu erroribus; tam verè omnes, quam Lutherani; quando nobis hanc cantilenā occinunt; doctrinæque suæ veritatem plenis buccis extollunt; homines *fascino spiritali fascinati*, quos non malis coloribus describens Lutherus; sic se & vniuersos, quos progenerauit Nouato-D res, depingit, in Commentario Epistolæ ad Galatas, in illa Apostoli verba: *Quis vos fascinauit non obedire Euangelio? Spiritali fascino non sensus, sed mentes hominum serpens ille antiquus capit. & fallit falsis & impiis opinionibus, quas hoc modo capti pro veris, & piis apprehendunt. Quod autem hoc præstare possit, satis ostendit hodie in fanaticis hominibus, Anabaptistis, & spiritibus in Sacramentum corporis, & sanguinis Christi blasphemis. Horum mentes suo ludibrio ita fascinauit, vt mendacia, errores, & horribiles tenebras pro certissima veritate, & clarissima luce amplectantur. Nec ab his suis somniis patiuntur se vllis monitis, aut scripturis abduci, quia persuasissimi sunt se solos sapere, & piè sentire de rebus sacris, alios omnes cæcutire. Quodque Diabolus foris cum speciebus, & coloribus in sensu, hoc intus cum*

opinio-

Digitized by Google

opinionibus verisimilibus, *& obiectis doctrinæ facit*, *quibus, sic dementat corda hominum, vt iurent, sua vanissima, & impiissima somnia esse certissimam veritatem. Hoc modo fascinauit nostro tempore Müntzerum. Cinglium.* (Lutherum) *& alios, per quos alios innumerabiles fascinauit.*

Et semper hoc agit Tartareus impostor ac præstigiator, *vt si non omnibus hominibus, tamen multis, imponat falsis persuasionibus, quia mendax est, & eius rei pater. Et certè hac sua arte dementat hodie, fanaticos spiritus, in his regnat, ac tam inflexibiles, & duros facit, vt nulla incus tam dura esse posit. Doceri se non patiuntur, nullam rationem audiunt, scripturam non admittunt: sed, tantum soliciti sunt, quomodo fictis, & ementitis è capite suo glosis, adductos contra se scripturæ locos eludant, ac somnia sua in scripturam inuecta defendant. quod manifestum signum est, eos esse captos fascino diaboli.*

Tanta est autem efficacia illusionis Satanæ in illis, qui ita delusi sunt, vt iactent, & iurent se certissimam veritatem habere, tantùm abest, vt fateantur se errare. Et, vt maximè obruamus, & conuincamus quosdam, præsertim sectarum auctores, scripturis, tamen nihil efficimus; quia statim in promptu habent suas glossas, quibus scripturas eludunt. Itaque monitis nostris non emendantur, sed plus indurescunt. Nunquam autem credidissem, nisi hodie experientia hoc discerem, tantam esse potentiam diaboli, quod posset facere mendacium tam verisimile.

Hæc Lutherus nec inconcinnè nec illepidè de se suisque posteris, qui Catholicis discessionem à vero sensu sacrarum litterarum perpetuò obiectant; cui ipsi pede tam certo & firmo insistunt; vt ipso Luthero teste, in eos competat illud: *Quis vos fascinauit non obedire veritati?* Nam quod Lutherus se & suos inde excipit, nemo miretur. Tritum est: *Qui sibi nequam, cui bonus?*

Mentitur iterum Prædicans, ea quæ in Bibliis tradebantur, multitudine traditionum humanarum apud maximam hominum multitudinem fuisse sepulta. Sed hæc nihil aliud sunt, quàm phaleræ ad Lutheranum populum; vel potius ludibria, quibus mortalium oculos fascinatores isti perstringunt. Biblia enim etiam ante Lutherum sedulò fuisse lecta & populo in Ecclesia congregato prælecta, testantur tot luculenti & copiosi commentarij; & tot concionum volumina à scriptoribus Orthodoxis elaborata & publicata, antequam vel auus Lutheri nasceretur. Itaque quoties vel ipse Lutherus, vel Lutherani vociferantur: *Biblia in papatu sub scamnum fuisse abdita; & inde à se in lucem vindicata*; toties simpliciorum mentes fascinare conantur. *Est autem fascinum nihil aliud*, inquit Lutherus, in cap. 3. ad Galat. *quàm dementatio Diaboli inferentis in cor opinionem falsam contra Christum: Et fascinatus est, qui tali opinione captus est.* Gloriatur Hunnius de legibus humanis traditionibusque sublatis, & omnibus ad solam vnicamque scripturam reuocatis; Hoc commune habet cum Magistro suo Luthero, qui gloriabundus hæc de se lib. de cœna. *Non sine maximis laboribus scripturam in lucem reduximus* (nimirum in lucem Lutheranam, quæ nihil à caligine dissidet) *& traditiones humanas* (imò & diuinas) *in exilium eiecimus, & nos in libertatem* (carnis) *vindicauimus, & à Diabolo aufugimus*, (per accessionem; quod inauditum aufugij genus) *licet strenuè & fortiter nos insecutus sit*: (quin & apprehenderit.)

Vide autem quis testimonio Lutheri, sublatas leges Ecclesiasticas traditionesque Ecclesiasticas derepente subsecutus sit fructus. *Non est oblitus suæ artis Diabolus*, inquit Lutherus. (Et quomodo obliuisceretur, te tam sedulo & assiduo monitore & excitatore ad artes exercendas?) *nam clanculum sua zizania seminauit in nostros cœtus*, (hoc est, zizania zizaniis inspersit,) *putà falsos fratres, qui nostram doctrinam, & verba apprehenderent, non in eum finem, vt nobis adiumento essent in scriptura propaganda, sed vt à tergo, cùm nos in prima acie pugnaremus, in nostrum exercitum impetum facerent, turbas excitarent, & contra nos furiosè dimicarent, quo nos vtrinque ab hostibus oppugnati, facilius exstingueremur. Hoccine est floribus immittere austros? Hoc non fuit contentus, initium faciens à re minima, nempe à Sacramentis, & quidem in hac parte per scripturam fermè decem rimas egit, sibiq; effugia parauit, vt vix vnquam deformiorem hæresin legerim, quæ statim in exortu tot capita, tot dispares sectas, & discordantes opiniones habuerit, cum tamen in fine ad eandem tendant metam, nempe ad Christum persequendum.*

Sed haud cessabit tanto cardine rerum, progredietur longius, & plures articulos fidei attentabit. Et quidem iamdudum oculi eius scintillant erroribus de baptismo, peccato originis, & Christi humanitate. inde tantum turbarum in sacris litteris existet, tantum orietur dissensionum, & tantum exsurget sectarum, vt verè cum Paulo affirmare possimus: Mysterium iniquitatis nunc agit, quemadmodum etiam ipse prospiciebat post se multas sectas esse oborituras.

Addit tandem Lutherus vaticinium. *Si hæc mundi machina per aliquot annos durauerit, iterum more patrum ad tollendas dissensiones humana quærentur præsidia, constituenturq; leges, & decreta ad conciliandam, & seruandam in religione concordiam, &c.* Tu dixisti Luthere, & verè, neque enim vnquam pax aut concordia erit; donec ad leges & traditiones Ecclesiasticas, adque vnitatem pastoris & ouilis Christi vos, retrorsum actis vestigiis, referatis.

Quod Lutherus & Caluinus Catholicis adscribant errorem Svvenckofeldij & Libertinorum, id pronunciat Iunius *esse falsum*. Atqui nec Bellarminus dicit; hos hæresiarchas Orthodoxis errorē hunc adæquatè attribuere. Sed hoc dicunt: *Catholicos scripturam vilipendere & floccifacere; &*

A ves & sub scamnum abdidisse; *contentos traditionibus & sanctionibus Ecclesiasticis*. An contemnere Biblia; patiq;, vt puluere & situ obducantur; & ex vsu & lectione hominum eripiantur, non est pars erroris vel potius deliramenti Svvenckfeldiani? An non hunc errorem Lutherus Catholicis affingit? An non & tuus Caluinus, verbis à Bellarmino citatis? vbi mentitur, ex Catholicorum sententia, *Sacrosanctas scripturas missas fieri oportere, vt auctoritati hominum acquiescamus*. An non cum Svvenckfeldio & Libertinis sentit, qui scripturas abiicit?

Ait Iunius: *Caluinum indefinitè loqui*. Rectius dixisset: *infinitè mentiri*: non enim *indefinitè* loquitur, sed vniuersim; quasi in omni conflictu Papistæ scripturas missas fieri velint, vt hominum auctoritati acquiescamus. B Generalia enim hæc sunt Caluini verba: *Cum intelligimus sermonem Dei reuera proponi, ne biscendum quidem vt repugnemus, aut contrà disputemus: sed omnino obmutescendum est: Nec enim, Papistarum more, dicemus, Sacrosanctas scripturas missas fieri oportere, vt auctoritati hominum acquiescamus: Hoc enim effugium censemus blasphemiam execrabilem esse*. An non hæc sunt Caluini verba? An non satis generalia? Et quamuis dixisset, Papistas affirmare, in solo cum Anabaptistis certamine Scripturas missas fieri oportere; nihilominus à mendacio immunis non esset; nam in omni cum Hæreticis congressu adhibent Catholici scripturas, etiam quando contra Anabaptistas de paruulorum baptismo dimicatur; quantum C argumenti ratio permittit.

Quàm verò immane illud Iunij mendacium, cum ait; *Pontificios negare pædobaptismum esse diuinæ institutionis*. Os & frontem Prædicantis. Quis vnquam Catholicorum asseruit paruulorum baptismum non fuisse institutum à Deo? Quis vnquam rectè sentientium docuit, paruulos non rectè baptizari secundum diuinam institutionem? Tu citas Bellarminum lib. 4. de verbo Dei cap. 4. & Tom. 2. passim. Inspice lector Bellarminum, & nihil huius inuenies. Tantum ait; Paruulorum baptismum ex traditione ad nos descendisse. Ex quo cudit Iunius hanc consequentiam: *Pædobaptismus habetur ex traditione secundum Bellarminum; ergo secundum Bellarminum non habetur ex institutione & præceptione diuina*. D Acutè. Quasi ex sententia Bellarmini traditiones seu verbum Dei non scriptum, non sint verbum Dei; quodque inde ad nos peruenit, non peruenerit ad nos ex instituto & præcepto Dei. At quod Catholici in explicatione sacrarum litterarum confugiunt ad auctoritatem Ecclesiæ; id, opinor, longè laudabilius & tutius est, quam vt confugiã cum Caluinistis & Lutheranis ad auctoritatem Caluini & Lutheri; cum illa sit columna & firmamentum veritatis; isti, Vertumni quidam incõstantissimi, & modò in hanc, modò in illam formam sese transmutare consueti.

CAPVT II.

Libris, qui Canonici nominantur, verbum Dei contineri.

AIT Bellarminus: *Moyses, Propheta, Christus ipse, Ioannes, Apostoli, vel diuina dogmata ex scripturis ipsi confirmabant, vel certè ad scripturas legendas alios hortabantur, nec vllum vnquam ad interni spiritus iudicium, scripturis neglectis, remiserunt. Quorum testimonia non eò à nobis adferentur, quod ab aduersariis magni fieri existimemus: sed, ne scripturæ, quarum auctoritate aduersus nos qui eas meritò veneramur, aduersarij interdum abutuntur, pro eorum sententia facere videantur.*

Iunius. *Hæc confusè omnia, & partim falsò, partimq; captiosè*. Tu verò mendaciter omnia; omnia falsò; omnia imperitè. *Moyses & Christus ipse cum aliis confunduntur; malè*, inquit Caluinista: *quorum ratio differens: Moyses non confirmauit ex scripturis Israëlem, nam prius non exstiterant; canonem legis primus scripsit, non ab aliis accepit*. Quo tendis Iuni? Quem feris? Dixitne Bellarminus Moysen sacras litteras citasse? Atqui nihil de citatione Bellarminus: Tantum ait: Moysen verbis illis: Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius*: apertè satis docuisse, controuersias exortas in populo Dei ex lege Domini diiudicandas esse: non autem ex occulto illo instinctu & afflatu, quem Svvenckfeldiani & Libertini comminiscuntur. Quod vtique Moyses facere potuit; licet ipse primus Canonis conditor exstiterit, neque eum à maioribus acceperit: Aliud enim est præcipere, vt aliquid ex præscripto legis fiat; aliud est, ipsam legem citare, citandoque auditores confirmare.

Et quamuis Bellarminus dixisset, Moysen Sacras literas citasse, & inde dogmata diuina, seu, vt Iunius loquitur, *Israëlem*, confirmasse, nihil tamen à vero alienum dixisset: nam cum Moyses non omnes libros eodem tempore scripserit; potuisset in posterioribus citare priores; cumque Deuteronomium sit quasi quędam repetitio eorum, quæ in Exodo, Numeris & Leuitico continentur; certè scribens Deuteronomium, citasse videri potest priores illos libros; sicut & S. Lucas citauit Euangelium à se prius conscriptum, cum ait: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, &c.* Sed quidquid sit de allegatione; Moyses certè iuxta legem diuinam verbumque Dei controuersias dirimi voluit ac iussit: quod Bellarmino satis est contra illos, qui relicto verbo Dei, ad internum instinctum in dirimendis litibus prouocant.

Digitized by Google

Moyses reuocauit pios ad Dei Spiritum, inquit Iunius, *& eis exoptauit illum. Num. 11.* At non reuocauit pios ad spiritum Svvenckfeldianum, nec ad Anabaptisticum, nec ac Libertinum, nec ad Caluinianum; nec ad vllum talem, qui verbum Dei, tanquam litteram occidentem, aspernaretur, & omnia occultis reuelationibus & priuatis instinctibus transigere tentaret: sed illum spiritum exoptauit tam septuaginta illis senioribus, quàm omnibus aliis; qui omnia iuxta legem publicam omnibusque notam prudenter ac solerter ageret; vno verbo, Spiritum sanctum illis precatus est; non afflatum Svvenchfeldianum, aut Enthusiasmum Caluinisticum.

Pergit Iunius. *Christus ex scripturis confirmauit, & testificationem spiritus excitauit, eodem pios aduocans: Ioannis 3. 6. 7. & passim. Et alij modò scripturam adhibuerunt testem, modò spiritum, modò vtrunq; simul.* Verum nullus eorum vnquam testem adhibuit spiritum Svvenckfeldianum, Libertinum, Anabaptisticum, Caluinianum, Lutheranum, aut similem, qui non tam superna spirare, quàm vana & inania somniare solet. Non negat Bellarminus scripturæ testimonia niti testimoniis spiritus; at non fanatici spiritus, quem quisque iactare potest, sed eius, quem Christus toties discipulis promisit, ipsoque etiam Pentecostes festo è cœlo demisit & in Apostolorum corda immisit, vt in illis, & in Ecclesia vsque ad *consummationem* mundi perseueret. Itaque si quis cum scriptura publici, vt sic nominem, spiritus testimonium proferat, reuerenter audimus, & attentè auscultamus; at si priuatum iactet spiritum; meritò aures auertimus, & tali spiritui multã salutem è vestigio dicimus.

Quid ad nos Libertini? inquit Iunius: Multum; & quidem quantum Svvenckfeldius. Quantum autem ille ad vos, iam ostendimus capite primo. Et spiritus ille vester, quem vos iactatis, nihil differt à spiritu Libertino aut Svvenckfeldiano, nisi quod ille se, vt turpitudinem suam velet, scripturæ testimoniis, quasi vestimentis, tegit: iste autem scripturam, vt apertè, ita prorsus inuerecundè reiicit. Cætera pares sunt ac gemelli.

Nos, ait Iunius, *semper coniungimus scripturæ facem foris, & illustrationem internam spiritus; prout in tenebris lucerna foris opus est, intus oculorum luce: nam nec in tenebris sine lucerna videmus, quamuis oculis valentissimi; nec in media luce vident. qui oculis capti sunt: vtrumq; verò in omnibus operatur vnus. & idem spiritus. 1.Cor.12.* Hæc Iuniana clariora efficientur, si adferamus exemplum, quomodo Sacramentarij spiritum internum cum Verbo Dei externo copulare soleant: Nec aliunde sumemus hoc exemplum, quàm à Luthero, qui propria experientia edoctus, optimè norat, quomodo tam ipse, quàm alij Nouatores spiritum suum, eiusque afflatum, cum sacris litteris coniungere soleant. Quid ergo Lutherus, in libro de Cœna?

A *Carlstadius ex his sacrosanctis vocabulis. Hoc est corpus meum: misere distorquet pronomen;* Hoc. Quid ita vero? Quia ita iubebat spiritus, quem iactabat. *Zvvinglius autem verbum substantiuum Est, macerat.* Cuius impulsu, nisi sui spiritus? *Oecolampadius nomen* CORPVS *torturæ subiicit.* Cuius afflatu, nisi sui spiritus in corde priuatim arcana pandentis? Sic eiusdem spiritus inspiratione & agitatione; *alij totum textum excarnificant, & inuertunt, vocabulum. Hoc, ex primo in postremum locum deturbantes. & dicunt: Accipite, comedite, Corpus meum quod pro vobis datur, est hoc. Alij, dimidiam partem textus crucifigunt, & vocem, Hoc, in medium locum collocant, & inquiunt: Accipite, commedite quod pro vobis datur. Hoc est corpus meum. Alij, textum sic obtruncant: Hoc*
B *est corpus meum ad mei commemorationem; hoc est; corpus meum hîc non debet adesse re ipsa, sed tantùm commemoratio mei corporis, vt textus ita sonet: Accipite, comedite, hoc est corporis mei commemoratio, quod pro vobis datur. Præter hos, alij accedunt; vt septenarius numerus compleatur, qui dicunt, non esse articulos fidei, ideoq; non esse de his contendendum. Liberum enim cuique esse, vt hîc sentiat, quidquid velit. Hi omnia pedibus conculcant, & destruunt. Veruntamen Spiritus sanctus est in his singulis, & nullus vult erroris argui in his tam diuersis, & contrariis probationibus. & textus ordinationibus, cùm tamen vnam tantùm textus collocationem veram esse oporteat. adeò crasse, & manifestè diabolus nos naso suspendit.* Tot capita, & tot sensus hæc vnica secta habet. Et singuli spiritum iactitant.
C *Is verò Spiritus sanctus, in probando, & fundamenta iaciendo, non solum multiplex, sed etiam sibi contrarius, & inconstans reperitur: quod eam ob causam fieri, mihi persuasum est, vt Spiritus sanctus palam coarguat, quòd isti singuli æquè errent, cùm nullus eorum scripturam sic, vt sonat, accipiat, neq; demonstrare possit, quod aliter, ac sonat, intelligenda sit.*

Hæc Lutherus, quibus non malè ostendit, quomodo Sacramentarij, ex quorum grege Iunius, spiritus sui interni testificationem cum externo Dei verbo coniugare soleant.

Addit Lutherus. *Speciosiora & plausibiliora inuenirem & comminiscerer, si mihi tantum otij, audaciæ &*
D *impudentiæ esset, quantum bonis meis amicis Sacramentariis.* De *audacia & impudentia* ne dubites; Tantundem tibi suppetit, quantum *bonis amicis tuis Sacramentariis.* Quod vt nobis constaret; tu quoque verba illa: *Hoc est corpus meum, in scalam hæreticorum expandisti*, (vtor enim tuis verbis) & quàm peritè & scitè internam spiritus testificationem cum externo Dei verbo copulare noueris, testatissimum effecisti; dum verba illa hunc in modum exponis: *Hoc*, id est, *panis, est corpus meum*; sicque in illud ipsum vitium, quod adeo in Sacramentariis exagitas, incurris; æquè enim proprietatem verborum CHRISTI exterminas ac illi; quidquid contrà tendas & insanias.

Digitized by Google

Circa hoc ipsum caput Hunnius loquacissimè & nugacissimè declamitat; vt euidenter appareat, Hunniū nihil aliud fuisse, quā rabulam, hoc est, os & linguam sine mente. Vociferatur: *cur non ad exemplum Moysis, Prophetarum, Christi, Ioannis, Apostolorum ipsi quoque Papistæ sua dogmata ex solis scripturis confirmant?* Vbi dixit Bellarminus istos sua dogmata ex solis scripturis confirmasse? An ex scripturis confirmare; & ex solis scripturis confirmare, in Prædicantium schola vnum idemque significant? imò vbi dixit Bellarminus, Moysen diuina dogmata ex scriptura cōfirmasse? An hortari, vt controuersiæ secundum diuinam legem decidantur ac componantur, quod Moysen fecisse Deut. 17. Bellarminus scribit; idem est; quod diuina dogmata ex scripturis confirmare? *Cur ad legendas scripturas non ipsi quoque hortantur homines* (& quis dehortatur? nisi fortè dehortari, ne quis legat Biblia Lutherana vel Caluiniana, sit dehortari, ne quis legat scripturam) *sed ab earum lectione omnes omnino Christianos* (mendacium impudens) *excepta solum rasorum & vnctorum turba* (criminatorem, hoc est, Prædicantem, insigniter agis) *tam sollicita cura arcent?* Nemo arcetur ab Orthodoxis Bibliis, qui Latinè, Græcè, aut Hebraicè sciat: imò quis in Germania arcetur à Bibliis quæ vernacula lingua, Catholicorum studio, in lucem exierunt? Cui interdicitur, ne Biblia Diethenbergeri, aut Eckij legat? dummodo non legat Lutherano more; qui Biblia suo capiti, non Bibliis caput suum subiicit.

Qua porro ratione Prædicantes soleant scripturas suis in disputationibus proferre (de quo insolentissimè gloriatur vanus Prædicans) ostēdi iam sæpius, In Responso ad Theses Hunnij; in Labyrintho Crelicohunniano; in Antimonio & alibi. Hic breuiter cum Luthero lib. de verbis Cœnæ, moris Lutherani scripturam citandi non ignaro, & eam ob caussam hac in caussa fide digniore respondeo: Cum scripturas citant, *primùm omnium scripturam propriis verbis, & genuina sententia exuunt, & in suum sensum & verba transmutant.* Deinde gloriantur, nos *nulla habere scripturæ testimonia, vt habeat diabolus, ob quod nos derideat, aut quo nos inermes tutius obruat, & mactet. Sed hæc omnia vnicum vocabulum, NON, facilè euertit. Si enim neges eum esse verum sensum verborum scripturæ, tum, vt butyrum in sole liquescit, ita illi labascunt.*

Ergo Prædicantes inituri cum Orthodoxis certamen, *scripturam prius in suam mentem transformant. Haud dissimiliter illud fiat*, inquit Lutherus, *si cui arma sua callidè, & fraudulenter surripiam, & alia chartacea, pictura tamen priorum imaginem referentia supponam, & postea eum lacessam, vt mecum certamen ineat, mihiq; aut ictus inferat, aut à me illatos excipiat. Heros sanè fortis, & egregius, dignus qui fœdatus ora, vultumq; sputo, & pilis ex stercore equino confectis, ignominiosissimè è pago eiiciatur. si in re seria eam virtutem præ-*

A *staret. Si verò ioco faceret, risus, & ludos bacchanales haud mediocriter decoraret.*

Vociferantur solum & debacchantur (Prædicantes) inquit Lutherus: *vbi est, vbi est scriptura?* Si quis Orthodoxus scriptor aut disputator scripturam proferat: huic *ego sic respondeam*, ait Lutherus: *Tu quis es, qui hæreticum scriptura irretias? nolim hæreticus cognominari, si nequeam ad eiusmodi obiecta respondere. Vel, si nihil possim aliud, ad minimum illud faciam, contraham supercilia, & corrugabo frontem, & asperè, duriterq; ipsum compellabo: Quid asine ignaue? nihil ne aliud, quàm coniecturas, ænigmata, & parabolas habes? abi sis, nihil dicis. Aut, si hæc non succedat via, illud agam. Caligas soluam, & agillimè rem ipsam transiliam, nihil curans si vel costæ cre-* B *pent, vel crus frangatur, & postea gloriabor Euge, euge, scripturam nullam mihi opposuit. Hanc artem qui non didicit, nec exercet, is ex tribu, & familia hæreticorum iure eiiciatur, nostri certè Sacramentarij profugium, neque vtilius, neque melius habent.*

Verùm tu ais: quis præter Diabolum tibi istuc licentiæ daret? Equidem sanè neminem alium concessurum puto præter Diabolum, qui Zvvinglio & Oecolampadio, (& mihi Luthero, & omnibus Lutheranis Prædicantibus) *id iuris largitus est.*

Ait Hunnius: *sibi suisq; iniuriam fieri, quod priuato spiritus instinctu in sacrarum litterarum intelligentia & explicatione ducantur.* Atqui Bellarminus C Lutheranos in hoc capite huius vitij non accusat; cum aduersus Svvenckfeldianorum & Libertinorum internos afflatus & Enthusiasmos hic duntaxat disputet: Sed Prædicans, malè sibi conscius, ea, quæ in Svvenchfeldianos & Libertinos disseruntur, Lutheranis examussim congruere vidit. Quocirca clamitat: *nobis nunquam in mentem venit, cuique ex priuata reuelatione spiritus, sine vel præter scripturam tribuere iudicium de religione.* Audio, sed non adquiesco. Cur enim spiritus Lutheri & Lutheranorum Prædicantium magis sit Spiritus sanctus, & vt sic dicā spiritus *publicus*, quàm spiritus Caluini & Caluinistarum, aliorumue Nouatorum; ego certè dispicere nequeo. Quando enim omnia attentius & penitius con- D sidero, nullum aliud indicium reperio, spiritum Lutheranum esse spiritum illum publicum, Ecclesiæ à Christo promissum, & stabili nexu iugatum; quàm ipsius Lutheri & Lutheranorum testificationem, & vel ad rauim vsque asseuerationem. At Caluinus & Caluiniani, aliique Sectarij, æquali contentione spiritum suum ex priuatorum spirituum ordine eximunt, & in classe spiritus *publici* reponunt. Quid igitur agam? Num ad scripturam me recipiam? At vbi dicit scriptura, spiritum Lutheri, & Lutheranorum, quo instincti sacras litteras interpretantur, esse Spiritum sanctum, fallere & falli nescium; non priuatum fallere & falli gnarum? Monstrent locum, & sileo.

Digitized by Google

Iam verò, si quæ ipse Lutherus passim docet, nonnihil perpendam, nihilomagis adduci queo, vt spiritum Lutheri & Lutheranorum pro spiritu non priuato & fallaci; sed sancto & veraci habeam; Huius enim spiritus legitimam vocationem nusquam inuenire queo. Docet autem Lutherus non semel spiritus qui absque legitima vocatione munus docendi sibi vsurpant & arrogant, Diabolicos esse; imò nec dignos, qui Pseudoprophetæ cognominentur. *Alij*, inquit Lutherus, in cap. 7. Matth. Tom. 7. Lat. VViteb. anno 1557. fol. 84. b. *qui non vocati ad docendum vltro se ingerunt, tanti non sunt, vt Pseudoprophetarum nomine dignentur, sed sunt errones, & mastigiæ, qui carnifici commendandi sunt, nec tolerandi (quamuis rectè docerent) vbi in aliorum officia sine mandato se intrudunt, contra magistratus constitutionem, aut vbi clam, & furtim in angulis serpunt, vbi nemini permissum est non vocato aliquid docere, aut semet ingerere, quamuis sciret, & audiret, apertè falsa, & impia doceri, quippe cui mandatum non est pro his rationem reddere.*

Ecce spiritus, qui vocationem suam probare nequeunt, *errones sunt & mastigiæ, carnifici commendandi, nec tolerandi.* At qua ratione demonstrabit nobis spiritus Lutheranus suam vocationem; si quis cum illo ex præscripto Lutheri, imò præscriptis Lutheri verbis Tom. 5. Ihen. Germ. in Epist. de occultis & angularibus concionatoribus, hunc in modum agat. Woher kompstu? Wer hat dich gesandt? Wer hat dir befohlen mir zu predigen? Wo hastu Sigill/ vnd Brieffe/ daß du von Menschen gesandt seyest? Wo seynd deine Wunderzeichen/ das dich Gott gesandt hat? id est; *Vnde venis? quis te misit? quis tibi mandauit, vt mihi concionere? Vnde sigillum, & literas obtines, quod ab hominibus missus sis concionatum? Vbi autem sunt miracula, quibus testere, quod à* DEO *sis missus?* Mit solchen Fragen/ inquit Lutherus, acht ich/ solt man jhnen leichtlich wehren/ denn sie können jhren Beruff nicht beweisen. Mit dem Beruff/ da man drauff tringt/ kan man dem Teuffel wol bang machen. *Huiusmodi interrogatiunculis, facilè, meo iudicio, depelli possunt; quia nequeunt suam vocationem probare. Cum vocatione si quis eam vrgeat, Diabolus in angustias adigi potest.* Hæc Lutherus; Cum quo non aliter agendum. Nam si ab hominibus vocatus es; vbi sunt tuæ litteræ? vbi sigillum? Si à Deo, vbi miracula? Væ spiritui Lutherano; cui periculum præsentissimum impendet, *ne erronibus & mastigiis carnifici tradendis associetur*; Caret enim litteris legitimæ vocationis ab hominibus; caret miraculis; & quidem ita, vt eorum extrema penuria laboret, vt rectè dixit Bellarminus: quod dictum pupugit Hunnium. Quocirca egestatem suam, suorumque sic excusat: *Non est nobis opus signis & prodigiis nouis, quandoquidem nouam doctrinam non afferimus: sed veterem illam Christi & Apostolorum eorundem signis sufficientissimè confirmatam.* Ast idem dicunt Cal-

A uiniani; idem Svvenckfeldiani; idem Anabaptistæ; idem alij. Quibus igitur fidem habebo? Secundò, Lutherus palam docet legitimam vocationem, aut litteris aut miraculis comprobari debere. Cum ergo litteris careat, & vos cum illo, non iniuriâ miracula flagitamus.

Præterea, etiamsi veterem & Apostolicam doctrinam in mundum introduxissetis, non nouam VVitebergæ procudissetis; nihilominus iure miracula à vobis exigerentur: nam cum quid noui contra vbique receptum cultum & morem in religione mundo proponitur; oportet, vt nouitati miracula fidem concilient; quod patet exemplo Moysis abituri in Ægyptum, in-
B deque Israëlitas educturi: quia enim hæc eductio erat aliquid extra & contra communem ordinem; ideo Moyses potestatem signa faciendi à Deo poposcit: Sic enim scriptura: Exod. 4. *Respondens Moyses ait: non credent mihi, neque audient vocem meam: sed dicent: non apparuit tibi Dominus*: necesse igitur erit, vt signis & portentis probem meam vocationem. Annuit petitioni Dominus, Moysenque voti compotem fecit: inter cætera sic Moysi præcipiens: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*

Ecce Lutherus & Lutherani Prædicantes ve-
C niunt, clamantq;, se non nouam doctrinam introducere; sed veterem Apostolicam, temporis diuturnitate collapsam, restituere ac reparare. Non credimus, neque audimus Lutheri Prędicantiumque voces: imò intrepidè asserimus: *Non apparuit vobis Dominus*: Conciliate vobis fidem portentis ac prodigiis. Vbi virga vestra miraculorum effectrix? Hanc nisi cum Moyse in altum efferatis, prodigiaque edatis; nunquam nos dicto audientes habebitis.

Abeamus ab hoc vniuersis Prædicantibus molestissimo loco. Illud facetum; quod Prædicans ait; *Lutherum à Bellarmino absolui à nota Pseudoprophetæ.* Quod Prædicans hunc in mo-
D dum ostendit: *Lutherus, Bellarmino teste, nec vera nec falsa seu fallacia miracula vnquam edidit: ergo malè annumeratur Lutherus Pseudoprophetis & Pseudochristis mundum seducturis Matth. 24. & 2. Thess. 2. & malè etiam vaticinia de his edita in Lutherum & Lutheranos torquentur.* At cedò Prædicans, vbi dixit Bellarminus, sectarios extrema penuria fallacium & commentitiorum miraculorum laborare? vbi dixit; Hæreticos huius ætatis non patrare fallacia miracula, vel potius ludibria? Et vt maximè hoc dixisset, à vero tamen non deflexisset. Tam enim sterilis & deserta est Lutherana & Caluiniana secta, vt Diabolus ne dignetur quidem per eam aliquid fallacium & vmbratilium prodigiorum aggredi;

saltem frequenter & palam, veritus, opinor, ne omnibus ludibrio exponatur, si Prædicantis operâ, vel surdum vel mutum, vel alia ægritudine distentum curare tentet. Etsi autem Lutherus & Lutherani non sunt similes in fictitiorum miraculorum effectione, multitudine & magnitudine Pseudoprophetis illis; qui sub finem mundi ea miracula facient, quorum specie vel electi in fraudem induci queant: sunt tamen similes in hoc, quod mellitissima oratione, vt illi, turbas ad se pelliciunt. *Ecce hic est Christus: Ecce illic.* Ecce VVitebergæ, Ecce Geneuæ, non Romæ. *Ecce in deserto est, ecce in penetralibus*, & si quæ sunt alia Pseudoprophetarum inuitamenta & illectamenta, quibus mortalium corda sollicitant; quorum mira in hoc genere leuitas: *nam simul atque nouus aliquis doctor seu prædicator venerit*, inquit Lutherus in cap. 7. Matth. Tom. 7. Lat. VVitebérg. *& in publicum prodierit; tum mox hoc verbum; Attendite, seu cauete vobis* (à falsis Prophetis) *obliuioni traditum est, quo nos munitos esse oportebat, & vnumquemque sic audire, quasi non audiremus, sed tantum doctrinæ, & verborum rationem habere. Illi leues sunt, & inconstantes spiritus, qui Prædicantium ora tantùm intuentur, & mox mera curiositate moti, semet his applicant, & agglutinant, vt modica voluptate affecti dicant: Ille mihi antè auditus est, hic mihi quoque audiendus est, quem eruditum, & sanctum virum esse audio, &c.*

His verbis Diabolo ingens fenestra aperta est, ac tales antè decipit, quàm resciuerint; agitans, & tanquam nare (quod aiunt) eos ducens, quo voluerit, ab vna secta in aliam. Sicut Paulus de talibus loquitur. Ephes. 4. quod sint tanquam arundo hinc, inde agitata. Nam hi quoque cuiuis vento nouæ doctrinæ se circumferendos exhibent; vt, si hodie, aut cras nouus prodiret, mox parati sunt & illi præbere aures. cuius rei causa est, quod nullo intellectu diuini verbi in corde firmati sunt; insuper Euangelium parui faciunt, putantes illud, si semel atque iterum audierint, se mox ad vnguem callere, & penitus habere. Cuius citò saturantur, auidissimè alium exspectantes noui aliquid apportantem. Et potest talis latro (Lutherus) *totam ciuitatem, quæ aliquamdiu verbum Dei audiuit, vno sermone seducere, & facere, vt vna hora obliuioni tradatur, quod per decem annos auditum est. Vulgus enim mobile est & persuasibile, & aliàs ad audiendum res nouas curiosum, propensum, & procliue admodum.* Nec quidquam hæresin (Lutheranam) magis promouit, quam nouitas, vtar enim verbis Lutheri lib. de verbis Cœnæ, contra Lutherum, *nam nos Germani tales homines sumus; ea, quæ noua sunt, affectamus, & auidè arripimus, & insani mordicus retinemus; & quò quis nos vehementius reprimit, eò furiosiores reddit. Si verò, nemo se nobis opponit, propediem satietate, & tædio affecti, sponte abiicimus, & ad alia noua inhiamus.*

Hæc res diabolo magnam affert occasionem, vt nullum adeò monstrosum somnium, aut commentum possit proferre, cuius non inueniat assertores. Et hos quidem eò citius, quò id, quod affert, est absurdius, & ineptius.

Hæc Lutherus de Germanis, quos præfatione in Catechismum maiorem *stolides ac insanos* appellitat. Fortè, quia à tam stolido & insano Hæresiarcha sese passi sunt seduci: nam *luce meridiana clarius est*, Lutheri *hæresin nihil aliud esse, quàm effrenem Diaboli petulantiam, & ludibrium, qui præ nimia securitate studio id sibi habet, vt nos suis frigidis, & laruatis glossematis, & interpretationibus indignis modis irrideat. Quo enim modo aliás fieri posset, nisi per operationem diaboli, vt tam eruditi viri* (scilicet) *adeò cæcutiant, vt tam inepta somnia iactent, & mundo obtrudant pro firmissimis fidei fundamentis? certè humanum non est tam densas, & tenaces habere tenebras.* Hæc ex libro Lutheri de verbis Cœnæ.

De miraculorum apud Hæreticos penuria mussitat quoque nescio quid Iunius. Ait, *opus esse miraculis in re extraordinaria.* Ex quo sequitur, Caluinistis vel maximè opus esse miraculis. Quid enim magis est extraordinarium fide quã Caluinus mundo partim obtrusit: partim etiam persuasit, quæ vt firma consisteret, miraculorum, vt sic loquar, basi valde confirmanda ac fulcienda erat: quibus cum penitus destituti sint; sectam suam blandiloquentia & pollicitatione diuinæ veritatis propagant & disseminant: *Neque enim cuiquam ita veniendum est*, inquit Lutherus. In enarrat. in 7. cap. Matth. eôdem Tom. 7. *vt impudenter dicat, hoc ego dico; sed ita: charissimi amici, hoc dicit Christus, hic habetis Verbum* DEI, *& scripturam, hoc vobis saluari cupientibus credendum est: qui secus docuerit, vos seducit, &c. Quibus admiscent ineffabile nomen* DEI, *& Christi, ad hæc horrenda illa, & magnifica verba, honorem* DEI, *veritatem, æternam salutem, & si quæ plura eius generis verba ad hoc pertinent. Homo itaque animi alioqui simplicis, tam magnifica verba audiens, ac tantopere commonefactus, nimirum per animæ suæ salutem, & condemnationem obstupescit, ac mox se dedit, si aduersus horum sycophantias non probè munitus, & instructus fuerit. Talia enim verba quouis cultro tonsorio acutiora sunt, corpus, & animam proscindentia. Et hæc est vna pars ouini amictus, quo lupi illi tecti sunt.*

Dixerat Bellarminus. Regulam, si certa non sit, ne regulam quidem fore. Ait Iunius: *hæc quidem esse vera; sed ambigua: posse enim regulam esse notam & certam per se naturâ suâ, licet nobis necdum nota & certa sit.* Hoc, scilicet, ignorabat Bellarminus, vt proinde monitore & instructore isto opus fuerit. Regula duo requirit. Primò, vt nota sit; Secundò, vt certa. Si nota non sit; regula nobis non erit: & hoc asserit Bellarminus; & verum est: etiamsi nota sit per se & ex natura sua: hoc enim

Digitized by Google

non obstante, fieri potest, vt nobis non sit nota; & consequenter nobis neque regula; quomodo enim vtemur regula, si nobis non sit nota? Si autem certa non sit; iam omnino regula non erit; loquendo de certitudine tam à nobis cognita, quam illa, quæ rei, nobis quoque ignorantibus, inesse potest. Hac certitudine si regula careat, iam nullo modo regula erit: Nam regulæ notio in essentia sua certitudinem includit.

Ex quo infert Bellarminus, spiritum illum internum, quem Svvenckfeldiani & Libertini iactant; non posse esse credendi regulam: tum quia nobis non est notus; tum quia non est certus. Hæc & alia huius generis rectè ac dilucidè disputat Bellarminus aduersus istos Enthusiastas, vel potius Phantastas; quæ Iunius miserabiliter & hic & alibi discerpit; vt annotandi & animaduertendi, vel potius cauillandi, & lectoribus imponendi occasionem & materiam habeat. Prudentius Danæus, qui hoc caput, ne attigit quidem. Si enim, vt sæpè Iunius testatur, Libertini & Svvenchfeldiani nihil ad Caluinistas & Lutheranos; cur Iunius Caluinianus & Hunnius Lutheranus Prædicans tam sollicitè obuiam ire conantur argumentis Bellarmini aduersus Libertinos, & Svvenckfeldianos? An id eò fit, quòd vident omnia, quæ aduersus spiritum & internum illum instinctum disseruntur, valere etiam euertendo spiritui Caluiniano & Lutherano in priuati cuiusque corde *cælestem veritatem*, vt aiunt, *testificanti*; *& testimonio suo, tanquam sacro sigillo*, obsignanti?

Quis mihi fidem faciet, inquit Bellarminus, non mentiri Anabaptistam, cum se à Spiritu afflatum dicit? Vbi Iunius: *Ista Spiritus reuelatio dicitur æquiuocè*; *Itaque nihil ad rem.* At iudicio Anabaptistæ non dicitur *æquiuocè*, sed perquam *vniuocè*: nam per spiritum nihil aliud intelligit, quàm Spiritum sanctum, sicut & tu Spiritum sanctum intelligis, quando dicis: *ex Spiritus instinctu & reuelatione cor fidelis illustrante, liquere; horum verborum: Hoc est corpus meum: esse hunc sensum: Hoc est figura corporis mei: vel, hoc significat corpus meum.* Quis mihi fidem faciet, non mentiri Caluinistam, cum se à spiritu edoctum & afflatum hanc huius loci explicationem proferre gloriatur? Certè omnia, quæ toto hoc capite Bellarminus optimè disserit, Caluinianum quoque & Lutheranum spiritum confodiunt; licet ipsi iactent esse Spiritum sanctum. At insolens gloriatio non efficit ex spiritu malo & Diabolico Spiritum sanctum; alioqui etiam Libertinorum spiritus esset Spiritus sanctus: cum æquè impotenter de spiritu glorientur ac Lutherani & Caluiniani.

Quoniam verò illustrissimi Cardinalis Bellarmini defensionem suscepimus, haud decet, vt silentio prætereamus, qualem calumniam ex

A hoc capite cum alio quodam libri quarti collato, Bellarmino texat Dauid Pareus, Minister Caluinianus Heidelbergensis, mystace quàm eruditione longè instructior, qui cum in suis disputationibus de scripturarum auctoritate mirificè triumphasset, & læto pæane omnes Sectariorum scholas complesset, ob Bellarminum, euidentis, vt arbitrabatur, cótradictionis, conuictum, tandem in prolegomenis suis super Oseam Prophetam in hæc verba prorupit: Stat Bellarmino obiecta contradictio, idem de eodem affirmans, & negans:

Libros Canonicos continere Verbum Dei, seu scripturā sacram esse diuinam (hæc enim idem valent) *ex solis scripturis absq; traditione haberi potest.* (lib. 1. de Verb. B D. cap. 1. & 2.)

Et:

Libros Canonicos continere Verbum Dei, seu, scripturam esse diuinam, non ex solis scripturis absq; traditione haberi potest. (lib. 4. cap. 4.) sic proleg. pag. 28.

Cui paratragœdianti Sycophantæ noster Ioannes Mülhusinus, Academiæ Moguntinæ Professor Theologus, sæpius cum hoc Caluinista feliciter congressus, in *Auctario primo speculi miseriarum Dauidis Parei.* (sic libellus inscribitur) os probè contudit, vaniq; nouatoris stultiloquentiam ita castigauit; vt fortasse eam habiturus sit in posterum occlusiorem. Et quia pro illustrissimi Bellarmini defensione meliora & aptiora adferre nequeo; vtar apologia nostri Mülhusi- C ni; Si enim amicorum; quanto magis fratrum, omnia communia. Ita igitur ille ad obiectam Bellarmino à Caluinista contradictionem.

Facilis est responsio. Prima enim propositio Bellarmino, ne quidem per febrim, venit in mentem. Negotium Bellarmino in duobus illis libri primi capitibus cum Svvenckfeldianis, & aliis Fanaticis est; contra quos probat; *Verbum Dei, & regulam fidei non esse spiritum priuatum internum*, quod somniabant ipsi, *sed libros Propheticos, & Apostolicos, seu illos, qui Canonici nominantur.* Cùm igitur contradictio eiusdem sit de eodem simpliciter, & eodem modo, &c. vt error Parei deprehendatur, explicandum est paulò clarius, D & fusius, *quid Bellarminus capitibus illis duobus ex scripturis probet, aut probari posse contendat*: & quomodo id probet, aut probari posse ex Scripturis censeat. mirum est enim, quàm ab annis iam aliquot de hac in Bellarmino à se animaduersa cótradictione (quæ nusquam est) publicè & priuatim triumpharit Pareus.

Itaque dico, ex Bellarmini textu & scopo, manifestum esse, non velle ipsum ex Scripturis solis, *simpliciter, & omnium*, quibus id fide Catholica credendum est, *respectu*: hanc quæstionem definiri posse: *An libri Prophetarum, & Apostolorum sint Canonici, seu diuini, seu Verbum Dei*: sed solum contendere, ex ipsis scripturis, seu libris Canonicis fidelibus duntaxat, qui libros illos,

Digitized by Google

qui Canonici nominantur, pro talibus iam agnoscunt, & venerantur; probari posse; Verbum Dei, non esse internum spiritum, quem iactant Fanatici, sed Verbum Dei verè esse illud, quod libris illis, quos verè fideles pro Canonicis habent, continetur. quod longè diuersum est, ab eo, quod Pareus sibi confinxit, Bellarmino fuisse propositum. Ita verò prorsus se rem habere, vt dixi, patet.

Primò; quia Bellarminus, illo in loco, non proposuit sibi hanc quæstionem simplicem ex Scripturis solis definiendam; (quod perpetuò Pareus supponit) *an libri, qui Canonici nominantur, contineant Verbum Dei?* seu; *an scriptura sacra, sit Verbum Dei?* sed, hanc comparatam: *An Verbum Dei, & per consequens, regula fidei, sit spiritus internus, quem iactant Fanatici? an potius illud, quod libris Propheticis, & Apostolicis, qui à Christianis, & fidelibus Canonici nominantur, & habentur, Verbum Dei contineant?* quod, tam est euidens, vt nemo, nisi qui Bellarminum obiter, & per meram oscitantiam legerit, id negare possit.

Secundò patet: quia Bellarminus ex scripturis Canonicis, testimonia, quibus illas continere Verbum Dei probaret, allaturus; expressè profitetur; *non eò, se illa adferre, quod ab aduersariis, ea magni fieri existimet; sed, ne scriptura, quarum autoritate aduersus* NOS, QVI EAS VENERAMVR, *aduersarij interdum abutuntur, pro illorum sententia facere videantur.* Ex quibus verbis perspicuum est, Bellarmino hoc fuisse propositum, non vt ex scripturis solis, simpliciter, & omnibus probaret sufficienter (quod Pareus somniat,) libros, qui à fidelibus Canonici habentur, continere Verbum Dei, seu Scripturam, quam pro *sacra veneramur*, esse diuinam; cùm expressè dicat, testimonia ex scripturis adferenda, non conuincere aduersarios, qui scripturæ diuinitatem non agnoscunt; *sed, hoc illi propositum fuisse, vt iis, qui scripturas pro diuinis, & Canonicis venerantur, ostenderet, Verbum Dei non esse internum Fanaticorum spiritum, sed illud, quod in libris, quos fideles, & Catholici, pro Canonicis, & diuinis venerantur* (ex Concilij Carthag. & Tridentini definitione) *continetur.*

Tertiò patet: quia, non solum Bellarminus argumentum nullum affert, ex solis scripturis, quibus eas simpliciter, & omnium respectu Canonicas, & diuinas esse probet; sed, neque adferre potuisset, absque petitione principij, etiamsi hoc vel maximè laborasset. Quod enim quæso probationis genus est, scripturas esse diuinas, & (vt æterni Dei mandata) recipiendas, ex scripturarum testimoniis eos euidenter velle conuincere, qui hoc ipsum, vtrum scripturæ, eiusque testimonia, vt diuinæ scripturæ, & æterna Dei mandata, infallibiliaque testimonia sint, probari sibi, demonstrarique cupiunt?

A Si magnæ pecuniæ debitor esset Pareus, creditorisque nomine, eidem exhiberentur literæ, quibus pecuniæ repeterentur: dubitaret verò Pareus, debitor, an re vera creditoris illæ literæ; an impostoris alicuius essent? Satisne euidenter probaret, qui literas offerret Pareo, eas creditoris esse; recitatis quibusdam ex ipsis literis, verbis, & testimoniis, de quibus ipsis dubitaret Pareus, num creditoris, an impostoris essent? Non magis euidenter profectò ex ipsis scripturis, iis, qui de illarum diuinitate dubitant, probari potuisset à Bellarmino, ipsas esse diuinas, & Verbum Dei. *Solis* igitur illis, qui *eas venerantur*, probari ex iisdem potest, non Fanaticorum internum spiritum, B sed illud, quod in iisdem descriptum continetur; æterni regis esse mandatum, & Dei Verbum. Proindeque rectè Bellarminus dixerat, (initio cap. 2.) adferenda à se scripturæ testimonia, non conuincere aduersarios, quod ab ipsis non *magnifierent*. Apud eos igitur solum Bellarminus scripturæ illa testimonia efficere aliquid, & probare voluit, qui iam libros Propheticos, & Apostolicos pro diuinis *venerarentur*, vt loquitur.

Sed iam vlterius, vt ex libris illis, tanquam verè diuinis, apud eos, qui vt tales illos venerantur, euidenter conuinci posse concedatur, *Verbum Dei non esse spiritum internum priuatum*, C sed illud ipsum, quod in libris illis Propheticis, & Apostolicis continetur; nunc superest alia quæstio. Vnde nam hoc ipsum omnibus sufficienter constare possit; *Libros illos, ex quibus tanquam diuinis, & Canonicis* (quales re vera sunt) *aduersus Fanaticos, & alios illorum hostes pugnamus, esse re vera tales*, quales habentur à nobis, id est, Canonici & diuini? Ad hanc quæstionem Bellarminus libro 4. de Verbo Dei, cap. 4. verissimè respondet, hac propositione.

Libros Canonicos esse re vera Canonicos; & Scripturam, quam pro diuina agnoscimus, re vera talem esse, nullo modo, ex solis ipsis scripturis sufficienter constare posse; sed ex sola traditione non scri- D *pta.*

Huius propositionis, si libro 1. cap. 1. & 2. contradictoriam docuerit, vt calumniatur Pareus; necesse est, hanc illum ibi docuisse.

Libros Canonicos, esse re vera Canonicos, & scripturam, quam pro diuina agnoscimus, re vera esse talem, omninò, vel saltem aliquo modo ex solis scripturis sufficienter constare posse; &, non ex sola traditione non scripta.

Ista verò propositio, nunquam vel in mentem venit Bellarmino, ex scripturis probanda: sed, solùm loco citato probat: ex libris Canonicis posse apud eos, qui illos pro Canonicis, & diuinis habent, ostendi: *Verbum*

Dei, non esse spiritum internum Fanaticorum, sed illud ipsum, quod in iis libris continetur, qui à verè fidelibus Canonici, & diuini habentur: quod euidenter iam à me ex ipso Bellarmini textu, & scopo demonstratum est. Videamus igitur nunc, quæ sit in Bellarmini doctrina contradictio.

Vna ipsius propositio est hæc.

Libros Canonicos re vera esse Canonicos, & scripturam, quam pro diuina agnoscimus, re vera talem esse, nullo modo ex solis scripturis sufficienter constare potest: sed ex sola traditione non scripta.

Altera, est hæc.

Libros Canonicos, seu scripturas sacras esse Verbum Dei, non verò Fanaticorum internum spiritum, apud eos, qui scripturas pro diuinis agnoscunt, (nam apud aduersarios non magni fiunt illarum testimonia) potest probari ex ipsis scripturis, seu libris, qui Canonici nominantur (lib. 1. cap. 1. & 2.)

Estne quispiam vllius iudicij, qui contradictionem hîc agnoscat? Rectè igitur dictum fuerat in animaduers. (pag. 56. & 57.) has duas propositiones:

Libri, qui Canonici sunt, continent Verbum Dei, (non verò Fanaticorum internus spiritus) *& hoc potest ex solis scripturis probari:* (contra Fanaticos, & apud eos, qui libros Canonicos vt diuinas scripturas admittunt, videlicet, lib. 1. cap. 1. & 2. quanquam Bellarminus *ista exclusiua* non vtatur.)

Et;

Qui nam verò sint isti libri Canonici, non potest ex solis scripturis probari, sed ex sola traditione Ecclesiæ; (lib. 4. cap. 4.) non magis esse contradicentes, quàm hæ sint:

Homines, qui baptizati sunt, verum nouæ legis sacramentum susceperunt, idq; potest ex sola scriptura probari:

Et:

Quinam verò sint illi baptizati, non potest ex sola scriptura probari, sed ex sola testificatione Ecclesiæ, vel eorum, qui interfuerunt.

Vel:

Qui cœnam susceperunt, nouæ legis sacramentum susceperunt: & hoc potest probari ex scripturis.

Et;

Quinam verò sint illi, qui cœnam susceperunt, hoc non potest probari ex solis scripturis, sed ex Ecclesiæ, vel eorum, qui interfuerunt, testificatione.

Itaque nihil prorsus erat causæ, quamobrem tam impotenter Pareus in Bellarminum inueheretur, illumque *locis prænotatis turpiter secum confligere: & modò calidum, modò frigidum eôdem ore efflare, modò simul sorbere, & flare, eoq; vel pueris ridiculum sese facere, tam esse euidens, vt negari non possit,* declamita-

A ret. (pag. exeges. 46.) illumque (epist. 2. pag. 7.) *Notabilis, hoc nomine, & in æternum non excusabilis contradictionis, vertiginosæ imposturæ, intolerabilis impudentiæ, proteruiæq;* accusaret. Et (epist. 4. pag. 27. & 30.) vociferaretur, Bellarminum; *vertiginosa illa contradictione, Iesuitarum causæ pessimè consuluisse. nobisq; mille coronatis redimendam vnius capitis in Bellarmino obliterationem: nec opus esse* (Caluinianis) *aliis deinceps* contra nos *telis*, quàm *Bellarminianis:* vt alia omittam, quæ epist. 6. pag. 47. & epist. 8. pag. 75. & 76. & alibi vanè admodum iactantur.

Stat igitur non *Bellarmino obiecta contradictio, idem de eôdem affirmans, & negans:* sed Parei, clarissimè demonstrata Logices ignorantia, calumniandique libido. Quia verò hîc inter me, & Pa-
B reum de Bellarmini sententia agitur, æqui lectoris erit, ipsum Bellarmini scopum, quem eam ob causam prolixius ostendi, considerare diligentius, &, vter illum attingat, expendere, & diiudicare.

Hæc aduersus pseudologiam & lœdoriam Pareanam noster Mülhusinus in primo Auctario Speculi miseriarum Caluiniani Parei; qui eiusdem in eadem fictitia antilogia opprobranda petulantiam egregiè etiam compescit in Animaduersionibus suis in Disputationem Parei de scripturarum auctoritate ad Thesin 32. & in præfatione ad lectorem.

Ex quibus itidem Lutheranũ Pappum, Præ-
C dicantem Argentoratensem mendacij & criminationis suæ refutationẽ petere iubeo; qui Caluiniani Parei vestigia premens; & hoc magistro, satis superque docilis discipulus, mentiri & sycophantari discens; Pareanam impudentiam reponere ausus fuit; hæc scriptitans Thesi 17. disput. de scripturarum auctoritate diuina & Canonica; titulo; *De auctoritate scripturæ sacræ sententia Pontificiorum paradoxos. Bellarminus primipilus mirificus est in hac palæstra mirio; nam quid, cûrue scriberet, ipse nesciuit, quia pugnantia scripsit.* Thesi 19. *Inde apparet, ne pilo quidem meliorem esse profligatissimâ illâ, quæ supra est introducta, colluuie, ipsum Romanæ Ecclesiæ hodie primipilum.* Hæc conuicia necdum forsan nata, oppressit in parente suo Lutherano Mülhusinus
D noster; dum ea à Pareo, genitore Caluiniano, iam in lucem edita profligauit. Quocirca non est, quod diutius hic subsistam. Lutheranus qui cum Caluinista communes criminationes & sycophantias habere voluit; habeat cum eodem communem quoque apologiam.

CAPVT III.

Refellitur obiectio ex verbis diui Pauli: Litera occidit; ſpiritus autem viuificat.

IN hoc capite refellit Bellarminus potiſsimum Svvenckfeldianorum & Libertinorum argumẽtum;quod ex citatis Apoſtoli verbis ſumunt. Caput hoc tres Prædicantes, *Danæus*, Hunnius, Iunius,partim mendaciis, partim criminationibus labefactare nituntur. Ordiamur à Danæo; qui mentitur. I. *Quo ſenſu à Paulo dicatur, littera occidere, ſpiritus autem viuificare: 2. Cor. 3. Bellarminum ne longa quidem acu vel manu attingere:* quod mendacium non tam Bellarminum ferit, quàm S. Auguſtinum, cuius ſententiam Bellarminus citat, laudat, & probat; quæ eſt, legem ſine gratia occidentem litteram à S. Paulo appellatam: idq; duabus de cauſsis, primò, quòd cum impleri non poſsit, nimirum ſine gratia, eum, cui datur, quodammodo præuaricatorem conſtituat. Deinde, quod ipſa prohibitione concupiſcentiam augeat; quia, vt ille ait: *Nitimur in vetitum.* Hæc S. Auguſtini ſententia eſt, quam ſequitur & fuſius exſequitur Bellarminus.

II. Mentitur Danæus Bellarminum dicere; *Legem à Deo Moyſi datam, litteræ occidentis nomine ſignificari, quoniam & ſcripta eſt; & leges, id eſt, præcepta de piè ſanctequè viuendo continet:* Nuſquam dicit hoc Bellarminus, vt iſte comminiſcitur: qui hinc inde verbula quædam ex diſputatione Bellarmini conſarcinat; neque vnquam ſententiam eius integrè & fideliter proponit.

III. Mentitur Danæus; *ex Bellarmini opinione, leges illas in veteri teſtamento datas impleri non poſſe.* Atqui Bellarminus non id abſolutè aſſerit, vt Prædicantes ſolent, quando de impletione legis & diuinorum mandatorum loquuntur; ſed dicit; legem illam non potuiſſe impleri abſq; gratia Dei; quam lex vetus ex ſe, & per ſe non dabat.

His mendaciis poſitis, contra argumentari incipit Danæus. *Pauli tempore erat Euangelium Lucæ iam ſcriptum, vt docet S. Paulus 2. Cor. 8. ergo ſi quia quæpiam doctrina ſcripta eſt, occidet; occidet quoque Euangelium; quoniam & ipſum quoq; ſcriptis mandatum exſtat: quorum enim par eſt conditio, de iiſdem idem iudicium fieri debet.* Sed hoc argumento non confodis Bellarminum, ſed te & tuum figmentum. Vbi enim dixit Bellarminus *legem* ideo vocari *occidentem*; quia litteris conſignata ſit? Vbi frons tua Prædicans?

Pergit Danæus. *Etiam Euangelium habet leges & præcepta de piè, ſanctè, iuſtè & temperanter viuendo. Tit. 2. ergo ſi lex vetus propterea dicitur littera occidens, etiam Euangelium erit littera occidens.* Quem, niſi tuum A commentum, oppugnat hæc argumentatio? Vbi dixit Bellarminus, veterem legem ideo appellari *litteram occidentem*, quod præcepta piè ſanctéque viuendi complectatur? Si quid hoc argumentum valet, mendacium tuum, non Bellarmini aſſertionem euertet; vt & hoc: *Si lex vetus ideo eſt littera occidens, quia præcepta cõtinet, quæ impleri nequeunt, etiam Euangelium erit littera occidens, quia continet præcepta, quæ impleri nequeunt.* Reſpondeo; lex vetus continebat præcepta, quæ ex vi legis illius impleri non poterant, quia lex illa non dabat gratiam: at lex noua cum præceptis largitur ſimul vberem gratiam: Quocirca dici nequit *littera occidens;* quemadmodum illa vetus; vt omittam alia diſcrimina, de quibus Bellarminus B copioſè.

Cæterum Danæus & alij Sectarij venenum ſub verbis celant, quando aiunt; *Legem Dei, etiam hoc gratiæ ſtatu, non poſſe impleri:* quod manifeſtius his verbis prodit. *Neque credere in Chriſtum, quæ præcipua Euangelij doctrina eſt, quantum ſatis eſt & perfectè poſſumus.* Fruſtra igitur præceptum credendi dedit Chriſtus, ſi quantum ſatis eſt, impleri nequit. Ex quo ſequitur, nullum ſalutis participem futurum; quia nullus ſaluabitur, niſi qui quantum ſatis eſt, crediderit.

Inſtat Danæus: *Lex per Moyſen data ſcriptaquè, dicitur ſancta, iuſta, & bona, dicitur etiam illuminare oculos, inſtaurare nos, &c. Quomodo igitur nos occidit?* Nimirum ſancta, iuſta & bona eſt, oculoſque illu- C minat, noſque inſtaurat, vt cum gratia, largitoréque gratiæ Chriſto coniungitur: ſicut coniuncta fuit à ſanctis antiqui teſtamenti; qui *incedebant in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela, vt de parentibus ſancti Ioannis Baptiſtæ Lucas cap. 1. loquitur.* Etſi lex etiam per ſe, & abſque his ſpectata, bona, ſancta & iuſta erat: nam vt Bellarminus ipſemet docet: lex non per ſe, nec aliqua propria vitioſitate ſua, ſed ex occaſione ſua, eaq; accepta, non data, occidit. *Peccatum enim,* inquit Apoſtolus Rom. 7. *occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, iuſtum & bonum; quod ergo bonum eſt, mihi facta eſt mors? Abſit: ſed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem.* D Hæc ex Apoſtolo Bellarminus; quæ vel non vidit Danæus, vel oſcitanter præteruolauit; alioqui inſulſa obiectione ſua abſtinuiſſet, opinor.

Mentitur autem Danæus, cum ait, affirmare Bellarminum, *ipſum teſtamẽtum nouum, hoc eſt, ipſam ſcripturã de Chriſto editam nobis gratiam adferre.* Nuſquam hoc Bellarminus: non ignarus ſcripturam vel præcepta legis nouæ per ſeipſa, vt ſcripto aut voce tradita ſunt, non habere vim conferendi iuſtitiam coram Deo; nam vt D. Auguſtinus libro de ſpiritu & litera, cap. 14. & 17. annotauit, præceptis vtriuſque legis commune eſt, vt per ſe conſiderata, quatenus extra hominem exiſtunt, neminem iuſtificent; ſed teſtamentum nouum per ſe ac propriè gratiam adferre dicitur; quia

Digitized by Google

obseruatio eorum; quæ testamento nouo præscribuntur, per se ac propriè gratiam per Christum conciliat; quam lex noua præcipuè spectat; & conferre intendit: non autem lex vetus; quæ, vt Apostolus loquitur, Rom. 8. & Galat. 4. timorem adducebat, & in seruitutem generabat: & miseriam, in quam homo inciderat, oculis subiiciebat; vt malo excitatus, de medico circumspiceret.

Quid amplius Danæus? *Solutio Bellarmini non modo est perplexa, sed etiam falsa; nimirum legem Moysis apertè damnans, vti litteram occidentem.* Modestè Prædicans. Memineris tibi litem contractam non tam cum Bellarmino, quàm cum S. Augustino, cuius doctrinam Bellarminus sequitur. Itaque quidquid conuiciorũ in Bellarminum exspuis, id etiam S. Augustinum tangit. Nec damnat hæc sententia legem Moysis; sancta est, bona & iusta; vt ipse S. Augustinus multis libris aduersus Manichæos ostendit; interim tamen *occidit*; ex occasione nimirum, non data, sed accepta; quia sine gratia impleri nequit; quam ex se & per se non dat; eiusque occasione in contrarium homines nituntur; quia insitum illis est niti in interdicta. Hac de caussa appellatur *occidens*: quod bonitati & sanctitati legis nihil derogat, nam & vinum, tanquam creatura Dei, bonum est; & tamẽ quoties, & quot occidit? ex occasione videlicet nimij vsus.

Addit Danæus. *Merus paralogismus est ab æquiuocatione, dum figuratam locutionem pro simplici sumit; litteram, pro ipsa legis doctrina.* Etiam hoc conuicium ad S. Augustinum redundat; cuius explicationem Bellarminus adducit & probat. Quis verò iste Prædicans, qui tam audacter & impudenter S. Augustino insultet, Bellarminoque suadeat, vt, relicto Augustino, potius legat Caluinũ, aut Bezæ annotationes in nouum testamentum; ex his enim meliora disci, quàm ex illo. Vulgare apud Germanos prouerbium fertur; *nullum consilium esse vtile, nisi cui obtemperetur.* Atqui ego consilium hoc, si quis obtemperet, inutilissimũ, imò & perniciosissimum pronunciare non dubitauerim; perinde enim est, ac si quis suaderet, vt relicto fonte, vndas à pumice poscerem. Quid enim aridius Caluino & Beza? Quid vberius sancto Augustino? Quid Theologica eruditione abundantius? cuius vel vnicus libellulus plus doctrinæ ac sapientiæ cælestis continet, quàm omnia, licet spississima, Caluini & Bezæ volumina.

Ex quibus hanc expositionem depromit Danæus. Locum Pauli intelligendum esse, *de ministerio ipso externo, quo vtitur Deus in Lege vel Euangelio prædicando per homines.* Itaque sensus erit; Littera, id est, *Ministerium* (Lutheranum præsertim & Caluinianum) *occidit: spiritus autem*, id est, *ministerium spiritu instructum, viuificat. quæcunque enim siue Legis, siue*
A *Euangelij doctrina prædicetur*, inquit Prædicans, *si Christi Spiritus in nobis efficacitate destituitur; mortua, occidensque littera, & doctrina est. Si autem à Spiritu Christi in nobis efficax fiat, tunc viuifica est doctrina.* Mirabilis profectò explicatio; quam sancto Augustino in mentem non venisse, non miror; quia Lémannum lacum nunquam vidit, neque ex illo quidquam hausit. Littera est *ministerium. Quid miraris?* ait Danæus. *Oratio est tropica & figurata.* Non abnuo, imò tam tropicam & figuratam esse animaduerto, quàm tropicus & figuratus Prædicans est, vel potius fuit, Danæus, ex cuius mente hæc D. Pauli verba hunc in modum exponenda erunt: *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti; non litteræ, hoc est, non ministerij spiritu destituti; sed spi-*
B *ritus, id est, ministerij spiritu præditi, &c. Quod si ministratio mortis, id est, ministerium spiritu destitutũ, litteris deformata in lapidibus*; (qua figura, quóue tropo torquebimus ista verba ad ministerium Danæi, nisi fortè quis dicere velit, ministerium litteris deformatum & exaratum in lapidibus, hoc est, in Prædicantibus) *fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Quæ omnia magnum nobis iniiciunt scrupulum de Danæi explicatione; nam de illa littera, tanquam de occidente loquitur Apostolus, quæ exarata & descripta fuit in tabulis lapideis, quanque Moyses de monte secum attulerat, consortio Dei ita illustratus, vt filij Israël
C obtutus suos in faciem Moysis non possent defigere; at quis tam insanus est, qui credat Moysen tunc ministerium spiritus expers & exsors in tabulis lapideis descriptum ad Israëlitas attulisse? Valde igitur *tropicum & figuratum* eum esse oportet; qui tropicæ huic & figuratæ expositioni aures vel assensum præbere velit; cum sanctus Paulus manifestissimè loquatur de lege, quam in tabulis lapideis descriptam ex monte ad multitudinem Israëlitarum Moyses attulerat.

Iunius, more suo, inscitis & ineptis notatiunculis caput hoc conspergit; ex quibus ne micam quidem salis extundas, licet vehemẽter tundas. Ad verba illa Bellarmini: *Lex diuina, sicut improbis*
D *pœnas, ita præmia bonis constituit*; annotat: *Non præstat tamen; vt responsione sexta demonstrabitur:* Nec Bellarminus dicit, legem præmia gratiæ & gloriæ præstitisse; quia non ignorat, gratiam & gloriam à Christo manare: præmia tamen temporalia, quando obseruabatur, præstabat; vt pluuiam serotinam & matutinam; copiam vini, olei, frumenti, pacem & tranquillitatem à bellis hostiumque incursionibus, & id genus alia, quæ Deus legis obseruatoribus passim promiserat.

Vt Bellarminus ostendat; ne nouum quidem testamentum carere legibus, hoc est, præceptis, inter cætera adducit hunc locum Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: non occides: qui autem occi-*

derit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Iunius: *Hic locus nihil ad argumentum.* Cur ita verò? An non probare volebat Bellarminus, ne nouum quidem testamentum sola gratia duci ac regi, absque vllis legibus; sed legibus quoque constare: An ad hoc ostendendum non facit locus ille Matthæi? An non dat Christus præceptum de non occidendo? An non dat præceptum de fratre contumeliosa appellatione non afficiendo & dehonestãdo? Nec verum, quod ait Iunius; *Christum hic non agere de lege simpliciter, sed magis de Pharisaica deprauatione: vt illa verba demonstrant: dictum est antiquis.* Nihil sanè Christus hoc loco de Pharisaica deprauatione: sed de perfectione legis nouæ supra perfectionem legis antiquæ: Hæc enim longè minora exigebat à suis; illa longè maiora & exactiora; vt patet ex toto illo quinto capite S. Matthæi. Ne tamen frustrà videatur Iunius asserere, agi illic, de Pharisaica legis deprauatione, id probat tali argumento. *Quia à Christo adducuntur, quæ in lege Moysis non apparent vsquam, cuiusmodi est illud dictum: Odio habebis inimicum tuum: ergo Christus in illo capite non præscribit leges, sed tantum obiicit Pharisæis deprauationem legis.* Hic non immeritò miretur quis, quomodo si lex iam Christi tempore falsaria manu Pharisæorum corrupta erat; idque Christus ipse apud Matthæum Pharisæis obiecit; Prædicantes perpetuò vociferentur; *Hebræos fontes esse purissimos ac limpidissimos omnisq; corruptionis penitus expertes?* Deinde quærendum est ex Iunio, vbi in toto illo capite quinto Redemptor noster Iudæos accusauerit, quasi ex contextu legis quædam subtraxerint ac amputarint? nã quòd verba illa; *odio habebis inimicum tuum:* non inueniuntur in lege, quid mirum? cum in lege nunquam fuerint; orta nimirum ex traditione & interpretatione Scribarum; qui ex eo quod lex præcipiebat; *diliges proximum tuum;* perperam concludebant; inimicos odio habendos esse. Quorum vanam persuasionem refellens Saluator; etiam inimicos diligendos esse monet.

Ait Bellarminus, gratiam noui testamenti præbere vires implendi leges à Christo præscriptas. Iunius: *Imperfecta est demonstratio.* (Quam tu demonstrationem somnias?) *quam supplemus in hunc modum: quippe quæ tum legis in Christo complementum exhibet* (legis antiquæ, non nouæ) *& mortificatione veteris hominis & noui suscitatione in Christo vires præbet, non ad implendum per nos legem* (egregiè verò Bellarmini demonstrationem, vt loqueris, supples, cum quod ille affirmat, tu directè inficieris.) *Sed ad assequendum & prehẽdendum Christum, qui vnus est legis πληρωτὴς, & consummator.* At Christum nunquam assequeris, neque prehendes, nisi obseruatione legis à Christo præscriptæ; cui obseruandæ gratia vires subministrat; quia immota stant illa Christi verba: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 19. Quapropter quod tu, tuique Symmistæ Christum, absque mandato-

A rum interuentu, vos apprehensuros confiditis, frustra estis. Quod somniantibus accidit, idem & vobis eueniet. Cantabitur illud: *Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.* Psal. 75.

Hunnius hic nihilo sanius delirat; omnia miscet; omnia confundit: ait, *I. Legem à nemine posse perfectè obseruari.* Sed hoc Lutheranum paradoxum alterius est loci ac disputationis. Si lex obseruari nequit perfectè, hoc est, quantum ex mente legislatoris, & ad pœnas effugiendas præmiaque promissa consequenda satis est; cur ergo Christus dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata?* Matth. 19. Cur legisperito illi de via ad beatitudinem sciscitanti parabolam de Leuita, Sacerdote & Samaritano proposuit; coronidisque loco
B subiecit? *Vade, & tu fac similiter.* Lucæ 10.

Ait II. Hunnius. *legem ex officio pœnas denunciare.* At non solas, sed & præmia ex officio obseruatoribus denunciat: præmia inquam temporalia; nam illa cælestia lex præcisè spectata non denunciabat, cum absque gratia & gratiæ largitore ea exhibere non posset.

III. Dicit Hunnius, *per peccatum originis hominem spiritualiter esse occisum:* (ita est; sed per regenerationis lauacrũ resuscitatur ad vitam spiritualem) *ita vt iam vniuersæ vires eius ad bonum spirituale sint emortuæ:* at viuificãtur denuo per baptismum & gratiam Christi; nam quod Prædicantes volunt etiam in renatis vires illas penitus manere
C *emortuas,* id cæteris eorum deliriis annumeretur; vt & illud: etiam in homine non renato, has vires ita esse emortuas, vt nihil, quod vel moraliter bonum sit, cogitare vel velle possit.

Gratiam noui testamenti dicit Bellarminus esse veritatem Dei, diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: Ad quæ Hunnius: *Cogitet lector, quam nobis Theologiam pariat logodædalus iste, dum affirmat, nouum testamentum talem gratiam afferre, quæ nihil aliud sit, quam charitas in corda nostra diffusa, id est, vt ipsemet interpretatur, quæ nihil aliud sit, quàm creata qualitas, & infusus habitus charitatis, qua nos Deum diligimus.* Vbi verò dixit Bellarminus; gratiam noui testamenti nihil aliud esse: quàm qualitatem & habitum in-
D fusum, cui nomen *charitas?* Monstra locum Prædicans. Tu citas lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 5. quo loco nihil aliud docet Bellarminus, quàm charitatem esse habitum infusum, quod longè aliud est; quam gratiam noui testamenti nihil aliud esse; quàm *habitum infusum:* Quis enim nescit omnia dona & bona supernaturalia in nouo testamento nobis diuinitus concessa, dici posse & debere *gratiam noui testamenti?* siue postea illa dona & bona nobis conferantur constanter per modum habitus, siue per modum opis & auxilij; siue per modum remedij ac medicinæ, siue per modum fauoris & extrinsecæ beneuolentiæ, siue alia quacunque demum ratione ad salutem mortalium accommodata.

Digitized by Google

Deinde nullam reprehẽsionem meretur Bellarminus, licet asseruisset, nouum testamentum, quatenus ab Apostolo dicitur spiritus, & opponitur litteræ, per se & formaliter in charitate per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffusam consistere: quia hoc modo loquendi nec excluditur Dei in nos amor & beneuolẽtia; nec Christi redemptio. &c. quæ ad testamentum sic sumptũ (latius enim sumi potest) pertinent, tanquã causa diffusæ caritatis. Sic, cùm paulò ante scribit Bellarminus; Finis noui testamenti non alius est, quam mederi, sanare, liberare: id verò totum præstat gratia, loquitur formaliter. Nam, sanitatem hanc præstat gratia formaliter. Dei benignitas effectiuè, Christus meritoriè. Et, cur Prædicãs eleuat caritatem adeò prædicatam ab Apostolo, quæ non excludit, sed cõsignificat Dei tum erga nos fauorem, & amicitiam, tum in nobis habitationem, & cum Christo coniunctionem?

IV. mentitur Hunnius, *gratiam noui testamenti* ex sententia Bellarmini, *præbere humanæ infirmitati vires implendi legem, per{q}; legem nihil aliud intelligẽdum esse, quàm legem Mosaicam.* Impudens commẽtum. Quasi verò Bellarminus nesciuerit, legem Mosaicam per Christum iam esse abrogatam & antiquatam, eiusque obseruationem nihil penitus ad Christianos pertinere, nisi quoad eas leges, quas Christus, nouus legislator, denuo sanxit: vt sunt illæ, quæ in decalogo comprehenduntur; quibus obligamur, potius propter Christum, quàm Moysem, imò propter ipsum naturæ omnibus insitum lumen; quia sunt iuris naturalis; & vt ad ius positiuum pertinent, iam non tam à Moyse, quàm à Christo vim obligandi habent. Quid ergo Bellarminus nomine legis intellexit? Legem Christianã à Christo præscriptam. Huic obseruandæ vires subministrari à gratia docuit Bellarminus; & rectè; & Prædicãtes, qui vel Christum leges Christianis præscripsisse negant, vel præscriptas impleri non posse clamãt; more suo fatuantur, nec quæ affirment, nec quę negent intelligentes. Verùm hæc omnia ab hoc loco aliena sunt, quæ confusus & inordinatus Prædicans hic immiscet, vt habeat quod catulis suis, omnia Hunniana lingentibus apponat.

Dixerat Bellarminus Christum tulisse nouas quasdam leges de Baptismo, de Eucharistia, de Sacramentis cæteris vel exhibẽdis vel suscipiendis. Vbi Hunnius rursum occasionem declamãdi nactus de numero sacramentorum non sine calumniis verbosissimè detonat; & in primis de matrimonio mentitur, *coniugatos Deo placere non posse;* ex Pontificis Romani doctrina; eò quod, Apostolo teste Rom. 8. illi, *qui in carne sunt, Deo placere non possint.* At verò hoc dictum nec Apostolus, nec Romanus Pontifex ad legitimum matrimonium retulit; nam vt ipse Bellarminus libro de Matrimonio cap. 5. respõdit, *Syricius antiquissimus, & sapientissimus Pontifex, non coniugia damnat, sed sacrilegia, quæ falsò à Lutheranis coniugia nominantur. Re-*A *prehendit enim cap. 6. & 7. Monachos, & Sacerdotes, qui illicitis nuptiis implicari volebant, quibus ex Apostolica doctrina, coniugia interdicta esse noscuntur; ac de his dicit: qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Sacerdotes enim in carne esse, id est, carnaliter viuere conuincuntur, cùm ad coniugia sibi interdicta aspirant.* Et tamen audet Prædicans iste hanc Paulini loci accommodationem à Syricio, tanto Pontifice, rectissimè factam, appellare *Antichristianam deprauationem loci Paulini, & Diabolicam corruptelam.*

Addit: *Si matrimonium sacramentum est, cur sacerdotes, moniales & Monachi ab illo arcentur? cur matrimonij vsu, vt profano, vniuerso ordini Ecclesiastico Papa interdicit? Num Christus duo sacramenta instituit, quorum vnum alterum elidat, nempe coniugij & ordinis?*
B Sed hæc nil aliud sunt, quàm Prædicantis verba sine vlla mente; nam Matrimonium & Ordo simul in Ecclesia concorditer consistunt; etsi non simul in eadem persona: nec opus, vt quoduis sacramentum, à quouis suscipiatur; præsertim si eiusmodi appendices annexas habeat; quæ officio, cui quis vacat, plurimum impedimenti adferant: quod contingit in matrimonio, respectu officij Ecclesiastici & sacerdotalis, neq; vlla per hoc irrogatur sacramento iniuria; non magis, quàm quòd non omnes sacros Ordines suscipiunt: vel quod etiam quidam ab illis excluduntur, licet suscipere cogitent: non enim omnibus omnia conueniunt. Nec quisquam Catholicorum legitimi matrimonij vsum profanitati deputat: legitimi inquam, cuiusmodi non est matrimonium Monachi, Monialis, aut Sacerdotis;
C quia solo nomine matrimonium est: reipsa verò sacrilega scortatio; quomodocunq; & quacunque verborum formula sese sibi mutuo obligẽt: nullum vnquam hinc exoritur veri matrimonij vinculum, nullus nexus.

At vide subtilitatem Prædicantis. *Matrimonium est etiam commune ethnicis, ergo non est sacramentum: quia sacramenta sunt soli Ecclesiæ Dei propria & peculiaria.* Argutè: quasi id, quod apud non baptizatos tantummodo contractus quidam est; nequeat apud baptizatos cõtractus simul & sacramentum esse: Christo rationem sacramenti, ex peculiari institutione, contractui superaddente.
D Deinde videat Prædicans, ne paulatim Donatista fiat, eosque, qui sectam Lutheranam non amplectũtur, rebaptizare tentet: si enim sacramenta sunt soli Ecclesiæ Dei propria; ita vt extra eam non reperiantur; sequitur eos denuò baptizandos esse ex doctrina Hunnij, qui extra eam Ecclesiam sunt, quam ipse veram iudicat; quandoquidem extra hanc sacramentum baptismi non reperitur.

Hæc extra Ordinem dicere compulsi sumus; quandoquidem Prædicans extra chorum saltat; quem insequi & persequi necesse habemus: nec hoc tantum loco confusè & imperitè aliena admiscet; sed & alibi passim idem peccatum peccat.

CAPVT IV.

Qui sint libri sacri.

CAPVT quartum & quintum tacitus præteruolat Danæus;Tantum carpit Bellarminum, quod in capite quinto enumerauerit antiquos hæreticos, qui libros veteris testamenti vel negarunt; vel truncarunt;vel aliâs sacrilegè tractarunt. *Cum Dei beneficio*, inquit Danæus, *hæ pestes nostro sæculo sint exstinctæ, quid eas ex orco reuocare attinebat, & putidis istis iam cadaueribus bonas chartas maculare?* Hæc Danæus VVitackero suo canere debebat, qui ex
B Bellarmino hanc eandem de veteribus hæreticis relationem transcripsit, & in disputationes suas transtulit, quamuis suppresso Bellarmini nomine,quasi ipse adeo multiplicis lectionis fuerit, vt hæc ex Patrum & Historicorum monumentis eruere potuerit.

Deinde Bellarminus scelera istorum non ex orco reuocauit, sed ex veterum scriptorũ commentariis vnum in locum comportauit, & ante oculos lectorum constituit; eo consilio, vt vno velut intuitu videant, Hæreticorum impudentiam quiduis audere; & nostros ab antiquis illis prorsus nihil desciscere; sed in omnibus propè gemellos esse. Non tantùm in priscos,sed & in nostros Sectarios cõuenit illud Tertulliani libro
C de præscript. cap.38. *Alius manu scripturas, alius sensu expositiones interuertit. Neq; enim si Valentinus integro instrumento vti videtur, non callidiore ingenio, quàm Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exertè, & palàm machæra, non stylo, vsus est: quoniam ad materiam suam cædem scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: quoniam nõ ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitauit: & tamen plus abstulit, & plus adiecit, auferens proprietates singulorum quoq; verborum, & adiiciens dispositiones nõ comparentium rerum.* Quare falsum est; quod Danæus ait; *has pestes in libros veteris testamẽti adeò iniuriosas, iam esse exstinctas:* quia ne exstinguantur, obstant sedulò Nouatores nostri; dum vetus testamentum truncant, integris voluminibus recisis; illudque ipsum quod reli-
D quum relinquunt;peruersis explicationibus deprauant. Sed de capite quinto postea.

Nunc ad quartum;in quo glossis & animaduersionibus illustrando Iunius sui non dissimilis, supra modum scitus est ac elegans; addo & clarus;adeo,vt forsan ipsemet, quid scriberet,nesciuerit. Ait Bellarminus. Scripturam Propheticam & Apostolicam sacram diuinamque esse,satis,vt arbitror, demonstratum est disputatione superiore. Iunius: *Verissima quidem hæc attributa sunt;sed captiosè iunguntur: prædicantur æquiuocè: & de vtroq; minus, quàm oporteat, dicitur.* Quomodo verò *captiosè* iunguntur?quomodo *æquiuocè* prædicantur?An non vera est hæc propositio? omnis Scriptura Prophetica & Apostolica est sacra & diui-

A na?Quæ nam hic *æquiuocatio? Quæ captio? Captiosum est sacram diuinamq; adæquari.* inquit Iunius; at Bellarminus nihil de *adæquatione* dicit; sed hoc: omnem scripturam Propheticam & Apostolicam esse sacram & diuinam; hoc est,duo hæc *Prædicata* in omnem scripturam Propheticam & Apostolicam competere;siue postea sacrum & diuinum inter se reciprocentur & adæquentur,siue non.

Quidquid sacrum, id non est diuinum; inquit Iunius, *sed quidquid diuinum, id sacrum dici necesse est.* Vult ergo sacrum latius patere, quàm diuinum: Quod, tametsi verum esset; interim tamen verum manet, quod Bellarminus asserit, omnem scripturam Propheticam & Apostolicam,sacram diuinamque esse: aut ostendat Caluinista vllam
B scripturam Propheticam aut Apostolicam, quæ sacra sit, & non diuina? Scio Prædicantes quosdam de grege Lutheri; Ecclesiasticum, librum Sapientiæ,Tobiam & similes;item epistolam sancti Iacobi, & alias, vocare scripturas sacras, non diuinas; quod isti amplectuntur, quia existimãt Ecclesiasticum, & id genus alios libros non esse scripturam Propheticam aut Apostolicam: sed Iunius non est huius sententiæ; negat enim disertè Ecclesiasticum & similes libros esse *sacros*; sed quidquid sit de istorum deliramentis, firmũ ratumque manet,scripturam Propheticam & Apostolicam sacram diuinamque esse; vt Bellarminus asserit, quidquid Iunius de *sacro*, & *diuino*, & de *æquiuocatione* garriat;ipsemet,vt arbitror,sua
C verba non intelligens; qui mox nobis duplicem canonem cudit; *proprium & æquiuocum*: & paulò post ex duplici triplicẽ facit; *proprium;improprium, & falsum*. Nec his contentus, canonem diuidit in *diuinum & humanum*. Rursus in πρωτοκανονικά, & δευτεροκανονικά; Tandem in Canonem *Hebræum & Græcum*; siue τῶν ἑβραϊζόντων, καὶ ἑλληνιστῶν. Mirum,cur non diuiserit etiam in Canonem Gallicum,Germanicum,Anglicum;aut in Caluinianum & Lutheranum. Nugæ. Vnicus Canon est;isque diuinus;nec alius; quàm quem Concilium Tridentinum nobis proposuit: in quo duo librorum genera; vt hic docet Bellarminus; nã alij libri sunt, de quibus nunquam ab orthodoxis dubitatum fuit;alij, de quorũ diuina auctoritate olim quæ-
D situm est ac disputatum: quorũ respectũ, si quis Canonem in πρωτοκανονικά & δευτεροκανονικά diuidere velit;faciat id licet; dummodo sciat, omnes illos libros verè esse sacros,diuinos,& infallibilis certitudinis & auctoritatis.

Sed hæretici sub illa sua diuisione virus suum celant,& illos quidem prioris generis libros diuinos esse statuunt;alios hoc honore non dignãtur.Imò Iunius ne *sacros* quidem appellat.

Circa hoc ipsum caput Hunnius iterum, nil præter solitum agens;longissimè ab instituta via exspatiatur; & quomodo priores libri Canonici à posterioribus citentur verbosissimè & insulsissimè ostendere nititur, Kemnitium suum imitatus;qui idem fecerat,sed concisius.Nec alio con-

Digitized by Google

silio citationes istas tam anxiè persequútur Prædicantes, quàm vt traditionem Ecclesiasticam in agnoscendis & discernẽdis genuinis scripturæ libris effugiant, quamuis inani conatu; tantum enim abest, vt effugiant, vt vel maximè in eam incurrant. Exorditur Prædicans ineptias suas à Pentateucho. *Libros Moysis,* inquit, *constat mandante Domino scriptos Exodi vigesimo quarto, & custodiæ sacerdotum ac seniorum Israëlitici populi commendatos esse Deuteronomij trigesimo primo.* At ego hic inprimis quæro, vnde constet Hunnio illos ipsos Exodi & Deuteronomij locos, quos citat, esse canonicos ac diuinos; non autem adscititios & intrusos? Vnde, inquam, hoc constat Hunnio? An ex sacra scriptura? Vbi & quæ illa? Proferatur. An ex criteriis internis & externis? At quæ nam illa? Nihil profectò vnquam producet aut hic aut alius Prædicans, quod subsistat; nisi ad traditionem confugiant: quod ipsimet satis intelligunt, sed pudet confiteri.

Deinde Exodi vigesimo quarto, nihil aliud huc spectans legimus, quam hæc verba; *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, &c. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, &c.* Ex quibus imperitissimè colligit Prædicans hanc consequentiam. *Moyses scripsit vniuersos sermones Domini, & legit volumen fœderis audiente populo, vt habetur Exodi vigesimo quarto. Ergo Moyses scripsit, mandante Deo, Pentateuchum; hoc est, Genesin, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium; hoc enim Exodi capite vigesimo quarto scriptum est.* Vbi verò, ô Prædicans, hoc scriptum est in hoc capite Exodi? In tuo capite video hoc scriptum: sed non in capite Exodi; in quo nec illos ipsos sermones, buos Moyses in litteras retulit, mandante Deo, in litteras relatos refertur. Nihil ibi de mandato Dei; tantum exponitur, quid Moyses fecerit: qui locus prorsus non intelligitur de quinque libris Moysis; vt per se manifestissimum est; sed tantum de illis sermonibus; quos Deus cum Moyse in monte Sinai habuit, quique describuntur capite vigesimo, vigesimo primo, vigesimo secundo, & vigesimo tertio Exodi. Hos Moyses litteris consignauit; vt capite vigesimo quarto dicitur; nec dubito, quin mandante Deo; sed scriptura de mandato Dei silet. Cur ergo Prædicans hoc asserit, quasi scriptura id dicat? Et hos sermones, nihilque aliud continebat volumen illud, ex quo audiente tota multitudine Moyses legit: Hinc & *volumen fœderis* nominatur; ob pacta scilicet cum Israëlitis à Deo inita, inque eo libro comprehensa.

Sic vanum & *Prædicanticum* est, quod ex Deuteronomij capite trigesimo primo conficere nititur: nam in eo loco de solo Deuteronomio, nõ autem de toto Pentateucho sermo est; Audiamus ipsa sacri textus verba. *Scripsit itaque Moyses legem hanc* (quam? nisi illam, quæ in Deuteronomij antegressis capitibus explicatur;) *& tradidit*

A *eam sacerdotibus filiis Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel, &c. Leges verba legis huius coram omni Israël, audientibus eis, &c.* Subditur. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine atque compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens, tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini, &c.* Vbi clarum certumque, de solo Deuteronomio sermonem esse: & tamen Prædicans audacter affirmat, hæc de toto Pentateucho accipi debere. Et quamuis id ita esset; (cùm tamen secus se res habeat) an propterea Prædicans alicui verè & solidè, absque traditionis præsidio, demonstrare posset, Pentateuchum esse canonicum ac diuinum librum? Quid si quis diceret; Pentateu-
B chum, qui hodie exstat, non esse primum illum, verum ac legitimum; sed hunc intercidisse, & postea alium spurium in locum eius substitutum esse? Quid si quis contendat caput trigesimum primum Deuteronomij esse apocryphũ, vel totum, vel saltem quoad illam partem, quam modò recitauimus? Hunc quomodo refellet Prædicans?

Nam si dicas: libros istos citari à posterioribus Prophetis; item passim à Christo & Apostolis; non extricabis te ex salebris, in quibus hæres. Quid enim dices, si quis oggerat, non citari libros Moysis, qui hodie exstant, sed alios, qui perierint; nam si respondeas; ea quæ citantur, reperiri in hodiernis voluminibus Moysis, nihil effi-
C cies. Nam & in Euangelio Nicodemi, Iacobi, & similium, inueniuntur nonnulla, quæ exstant apud sanctum Matthæum & alios Euangelistas; num propterea Euangelium Nicodemi Canonicis scripturis annumerabimus? Item, si quis Hunnio occinat; citationes, vbi allegatur Moyses, esse intrusas & falsaria manu sacro textui superadditas, quomodo hic euadet Hunnius, sine traditione?

Iam verò librum Iosue canonicum esse, acutissimè profectò probat aliquot argumẽtis plusquam adamantinis. *I. Dominus ipse Numeri vigesimo septimo, & Deuteronomij tertio, confirmat auctoritatem Iosue; ergò liber, qui Iosue nomen præ se fert est Canonicus.* Quære ex Prædicante, vnde sciat loca illa,
D quæ Iosue auctoritatem confirmant, non esse supposititia; tũc vel obmutescet, vel ad Ecclesiasticam traditionem confugiet. Secundo; quæ, obsecro, huius Prædicantis stultitia est, hunc in modum delirare; *Numeri vigesimo septimo præcipit Dominus Moysi. Tolle Iosue filium Nun, virum, in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum; ergo liber, qui Iosue nomen prænotatum habet; à Iosue illo, cuius auctoritas Numeri vigesimo septimo confirmata est; conscriptus est.* vel; *ergo liber, qui Iosue inscribitur, verè diuin⁹ est ac Canonicus.* Perinde ac si quis dicat: Matthiæ Apostoli auctoritas commendatur & confirmatur Actor. 1. ergo Euangelium, quod Apostoli Matthiæ nomen in fronte ac vestibulo ostentat, verè à Matthia Apostolo conscriptum, & verè cano-

Digitized by Google

nicum est. Item: Apostoli Pauli passim in scriptura commendatur & confirmatur auctoritas, ergo liber, qui Periodus Pauli & Theclæ appellatur, ab ipso S. Paulo editus, ac proinde verè diuinus est; vt omittam alia huius generis non argumenta, sed deliramenta Hunniano phantasmati simillima.

Tantundem colligitur ex hac Moysis oratione Deut. 3. *Iosue quoque in tempore illo præcepit dicens: Oculi tui viderunt, quæ fecit Dominus Deus noster duobus his regibus, sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es; ne timeas eos, Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis:* Ex quibus verbis colligit Hunnius hanc longè insipientissimam consecutionem: *ergo ex scriptura liquet librum, cui titulus Iosue, Canonicum ac diuinum esse.* Qua quid vanius? Quid vano Prædicante, imperitorum oculos colore sacrarum litterarum perstringere consueto, dignius; cum de libro Iosue nihil penitus eò loci agatur? Et simili prorsus argumento probare quis posset, omnium Apocryphorum quisquilias esse diuinas & canonicas; vt Euangelium, Iacobi, Bartholomæi, Andreæ, Nicodemi, & aliorum nominibus insignitum, cum horum omnium auctoritas multò magis in noui testamenti libris prædicetur ac celebretur, quàm auctoritas Iosue in testamento antiquo, Matthæi decimo, Marci tertio, Lucæ nono, Ioannis decimo nono.

Secundum argumentum Hunnij ex scriptura pro canonica auctoritate libri Iosue, est istud: *Historiæ per Iosue scriptæ dignitas stupendis est confirmata miraculis, siccati nempe Iordanis, Hierichuntis verbis euersione ad clangorem tubarũ Iubilæi; tum quod ad ipsius vocem stetit sol, & luna, quòd per illum subacta Chananæa gentes, & promissio Dei de possessione terræ completa est: quodque imprecationem Iosue, in eum directam, qui Hierichunta vrbem reædificaret, Deus post multa secula ratam habuit, attestante, & allegante scriptura Canonica, 3. Reg. 16.*

Verumenimuero hic rursus occurrit antiqua quæstio; vnde sciat Prædicans, hæc verè in libro Iosue narrari; nec à mala manu in volumen illud ingestum esse? Vnde, inquam, hoc scit, si non ex traditione? quemcunque enim alium scripturæ locum nominet, statim eadem quæstio de eodem existet.

Secundò, si liber Iosue ideo est diuinus & canonicus, quia stupenda in illo referuntur miracula, etiam liber Iosephi, cui antiquitatum Iudaicarum inscriptio est, canonicus erit ac diuinus; quia in illo stupenda prorsus ac diuina miracula percensentur; & ferè illa ipsa, quæ in libro Iosue, & in aliis bibliorum partibus. Patrum commentarij diuini ac canonici erunt; quia eadem omni admirabilitate plenissima prodigia referunt: imò omnia chronica, omnesque chro-

A nologiæ diuinæ ac canonicæ erunt; quia stupenda prorsus portenta in iis consignantur; & quidem illa ipsa, quæ in sacris diuinarum litterarum voluminibus.

Adhæc, quæ vel impudentia vel inscitia est dicere, miracula illa, quæ narrantur in libro Iosue facta esse, vt confirmaretur auctoritas libri Iosue? Eratne liber Iosue scriptus, quando Iordanis diuisus & exsiccatus Israëlitico populo transeunti facilem viam præbuit, ita vt grande hoc miraculum alio fine non euenerit, quam vt Deus diuinam ac Canonicam auctoritatem libri Iosue palam faceret? Corrueruntne muri Hierichuntini huius libri confirmandi gratia?
B Stetitne sol eandem ob caussam? Perinde est ac si Prædicans diceret; Lazarum à Christo resuscitatum, & in nuptiis Canæ Galilææ ex aqua vinum factum; vt confirmaretur auctoritas Euangelij sancti Ioannis, in quo hæc miracula narrantur; & sanctum Petrum in Actis, Actor. 9. claudum sanasse, & Tabitham à mortuis excitasse, vt ostenderet librum Actuum Apostolicorum esse diuinum ac canonicum.

Tertium argumentum, 3. Reg. 16. scribitur. *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Iericho: in Abiram primitiuo suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat*
C *in manu Iosue filij Nun.* Dicitur autem Iosue 6. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho: in primogenito suo fundamenta eius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Ex his colligit Hunnius, *librum Iosue esse sacrum & canonicum, quia citatur libro tertio Regum.* At hic denuo ad easdem quæstiones relabimur. Vnde scit Hunnius, verba illa ex tertio Regum verè esse diuina ac canonica, non extrinsecus in sacrum textum fraudulenter importata? Vnde scit, verba illa ex capite sexto Iosue verè esse canonica & diuinitus inspirata? Si quis vel seriò, vel disputationis gratia, diceret, ea ad sacrum contextum non pertinere; hunc quomodo absque traditionis præsidio refelleret? Deinde non sequitur:
D *Aliquid citatur in libris Regum, quod in libro Iosue legitur, ergo liber Iosue, qui hodie exstat, est Canonicus.* Nam si quis vel seriò, vel exercitationis gratia, affirmaret; non ex hoc, sed ex alio, qui intercideri, citari diuinum illud interdictum; hunc ex scriptura quomodo Prædicans efficaciter redarguere posset? Certè quascunque in partes sese versaret, ad traditionem recurrendum foret, si quid solidè efficere cuperet.

Præterea languida est hæc consequentia & prorsus elumbis. *In libro canonico citatur aliquid ex alio libro; ergo alius ille liber est canonicus:* quia sequeretur Arati, Menandri & Epimenidis poëmata esse Canonica; quia citantur in libris Canonicis;

nempe

Digitized by Google

nempe in Actibus Apostolorum, & epistolis sancti Pauli. Adhæc, si quis diceret, præceptum illud Dei de nō reædificanda Hiericho citari in libris Regum, non ex libro Iosue, sed ex traditione: (quo pacto in Actis citatur illud Saluatoris nostri: *Beatius est magis dare, quàm accipere:* neque enim hæc Christi sententia vllo in Euangelio exstat) quid, oro, Prædicans cōtrà hisceret, præter hoc: *Exstat in libro Iosue; ergo is qui tertium librum Regum conscripsit, non nisi ex libro Iosue citauit.* Stipes fuerit, qui vanitatem huius consequentiæ non videat.

IV. argumentum *Auctoritatem Iosue tanquam Ducis & Principis, agnouerunt Eleazarus & Phineas, duo illa Israëliticæ Ecclesiæ lumina.* Ita est: quid inde colligis? *Ergo ex scriptura constat librum, quem Iosue scripsit, esse Canonicum ac diuinum.* Egregiam consequentiam. Quasi quis diceret. Auctoritatem Matthiæ Apostoli, & Andreæ, & Bartholomæi agnouit iam olim & hodie etiam agnoscit, & veneratur vniuersa Christianorum Ecclesia; ergo ex scriptura constat Euangelium Matthiæ, Andreæ, & aliorum Apostolorum nomine venditatum & circumlatum esse diuinum ac Canonicum. At liber Iosue nomē Iosue præscriptum gerit. Etiam Euangelium Matthiæ nomen Matthiæ Apostoli præscriptum gerit: An eam ob caussam præcisè erit Canonicum? At Iosue scripsit librum, quem hodie terit ac legit Ecclesia. Vnde ex scriptura hoc euincet Prædicans? Et licet scriptura id alicubi affirmaret, quomodo sciret Prædicans hoc consonare vero, nisi à traditione & Ecclesiæ auctoritate opem posceret?

V. Argumentum. *Liber Iudicum capite secundo perhibet Iosue testimonium plantati & propagati per ipsum veri cultus.* Non abnuo. Quid infers? *Ergo liber Iosue est diuinus ac Canonicus.* Hunniana, hoc est, futilis & vana consequentia. Non enim libro Iosue; sed ipsi Iosue Duci & Principi multitudinis Israëlitarum testimonium perhibetur capite secundo libri Iudicum. En verba sacra. *Dimisit ergo Iosue populum, & abierunt filij Israël vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam, seruieruntque Domino cunctis diebus eius* (Iosue) *& seniorum, & qui longo vixerunt tempore, & nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israël.* Quid, obsecro, hæc verba faciunt ad demonstrandum, librum Iosue esse Canonicum? Meo iudicio non plus ad hoc propositum faciunt; repudiata Ecclesiæ traditione & auctoritate, quam si quis ex testimonio sacræ scripturæ, Apostolorum auctoritatem commendantis, probare contenderet, libros illos olim ab impostoribus confictos; quorum vnus inscribebatur; *Doctrina Apostolorum.* alius, *Sortes Apostolorum;* alius; *Laus Apostolorum;* esse diuinos ac canonicos, eò quod Apostolorum nomen præferant, quorum auctoritas in sacris litteris admodum prædicatur ac commendatur. Quis talem argumentatorem non exsibilaret? Quis non exploderet?

Atqui non aliter argumentatur, vel potius fatuatur, Hunnius, cuius est hoc sextum argumentum, cæteris gemellum.

Dauid Psalm. 114. historiam siccati Iordani Iosue 3. descriptam allegat, vt authenticam. Sed vnde scis allegationem illam Dauidis esse diuinam & canonicam? Semper enim tibi in os ingeram hunc bolum, quem nunquam deglutics. Secundo; dicitne Dauid se historiam illam citare ex libro Iosue? Dicitne, Psalm. 113. *Iordanis conuersus est retrorsum, vt scribitur in libro Iosue capite tertio?* An non potuit Dauid hoc ipsum vel ex traditione vel ex reuelatione sancti Spiritus, tanquam Propheta didicisse? Vt taceam, quod iam ante dixi; non sequi; hoc vel illud citatur in libro Canonico, ergo liber ille, ex quo citatur, est canonicus.

VI. argumentum. *Stephanus Spiritu sancto plenus eum allegat Actor. 7.* Sed quem, *Eum?* Num librum Iosue? Mentiris, si hoc asseris. Nam Stephanus Actor. 7. nihil aliud habet, quàm ista verba: *Suscipientes patres nostri cum* IESV *in possessionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, vsque in diebus Dauid, &c.* Quid hæc verba ad demonstrandam auctoritatem Canonicam libri Iosue, si quis perfricta fronte, more istorum, traditionem Ecclesiasticam aspernetur? Si dicat Prædicans, vt dicendum est; id quod Iosue fecit, allegari à sancto Stephano, rectè quidem dicet, sed quid hæc ad auctoritatem libri illius, de quo Prædicans disserit?

VII. argumentum. *Epistola ad Hebræos capite vndecimo, historiam de Raab producit ex libro Iosue.* At statim quæret aliquis; vbi in capite illo scriptum sit, historiam illam de Raab produci ex libro Iosue; non aliunde? Aut ex illo libro Iosue; qui hodie in hominum manibus versatur?

VIII. argumentum. *Eadem historia allegatur Iacobi secundo.* Cedo Prædicans; Estne Iacobi secundo scriptum, hâc historiam allegari ex libro Iosue, quem hoc tempore in Ecclesia legimus? Dic, quæso, si quis id inficiaretur, quomodo hoc ex scriptura planum faceres, quandoquidem in hoc argumenti genere nihil probationis admittere vis, nisi ex sacris litteris desumptum sit?

IX. argumentum. *Liber Iosue non minus atque Moysis scripta custodiæ seniorum concreditus est.* Mendacissima & falsissima loquacissimi Hunnij assertio; nihil enim de custodia libri vllius illo in capite senioribus mandata. Et verba illa: *Scripsit quoque* (Iosue) *omnia verba hæc in volumine legis Domini;* non pertinent ad librum Iosue; sed ad Deuteronomium in arca fœderis asseruatū, in quo, chartis separatis, conscripsit Iosue fœdus initum ab Israëlitis cū Deo, & in capite vigesimo quarto Iosue descriptum, vt docent Interpretes libri

Digitized by Google

Iosue; nominatim Andreas Masius suis in eum librum Commentariis. Et tamen effrons Prædicans ita garrire audet, quasi nemo inquisiturus sit, num quod garrit cum vero concinat.

Nunc gradum facit ad librũ Iudicum, quem Canonicum esse pari solertia, vel, vt apertius loquar, simili stultitia ex solis sacris litteris monstrare conatur, odio Ecclesiæ & traditionis Ecclesiasticæ, cui in declarandis libris canonicis Prædicans iste, more gentis suæ, omnem auctoritatem adimere nititur. Videamus hominis *irrefragabilia*, vt ipse loqui solet, argumenta.

I. Propheta Samuel Samuelis duodecimo repetit ex libro Iudicum præcipuas historias, quæ sub iudicibus, præcipuè celebrioribus, gestæ sunt; ergo liber Iudicum est Canonicus. Vbi verò scriptum est primo Regum capite duodecimo, ea quæ Samuel ibi commemorat, ex libro Iudicum ab eo petita esse? An non illa ipsa vel ex traditione, vel ex instructione & Spiritus sancti inspiratione haurire potuit, quippe Propheta maximus, & arcanorum Dei intelligentissimus? Et perinde est, ac si Prædicans diceret; In Euangelio sancti Lucæ commemorantur & scribuntur præcipuæ historiæ, quæ commemorantur in Euangelio sancti Matthæi, ergo sanctus Lucas repetit ea ex Euangelio sancti Matthæi, ergo Euangelium sancti Matthæi est Canonicum: An sanctus Lucas hæc aliunde scire non potuit, nisi ex Euangelio sancti Matthæi? An non Paulus Apostolus Euangelium, quod prædicabat, ex reuelatione didicit?

Accipe aliud argumentum. *Isaiæ nono meminit Spiritus Domini victoriæ Gedeonis contra Madian, quod ex septimo capite libri Iudicum petitum esse constat; ergo liber Iudicum est Canonicus.* Antecedens probatur; *Quia Spiritus sanctus aliunde non potuit scire, & per os Isaiæ Prophetæ enunciare victoriam Gedeonis reportatam à Madianitis, nisi ex septimo capite libri Iudicum. quod si non legisset; nihil penitus Spiritus sanctus, aut Isaias de insigni illa victoria perspectum habuisset.* Et quamuis apud Isaiam nihil aliud legatur, nisi hoc: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian; tamen hoc ex Prædicantis sententia aliunde non est sumptum, nisi ex septimo capite Iudicum.* Et si caussam quæras, cur ita sentiat Prædicans, facile reddetur; *quia ad oram seu marginem Isaiæ citatur caput septimum libri Iudicum. Quis ergo dubitet, quin Spiritus sanctus caput illud septimum Iudicum citarit? quia citatur ad marginem; quidquid autem citationis ad marginem adiectum est, id vtique à Spiritu sancto est.*

Taceo, insignem illam Prædicantis ineptiam iam antea notatam: *Omnis ille liber Canonicus est,* A *qui in Canonico libro citatur.* Subsumimus nos: *Liber Arati citatur in Canonico libro, nempe in Actis Apostolorum; ergo liber Arati est Canonicus.*

Addit adhuc Hunnius vnum firmamentum fulciendo libro Iudicum. *Ad Hebræos nono mentio fit præcipuorum Iudicum, Gedeonis, Barach, &c. ergo liber Iudicum est Canonicus.* Sed veteres quæstiones semper recurrunt; quas tacitus iam prætereo, quia sæpius iam Prædicanti ad solutionem propositæ sunt. Tantum hoc adiungo: si istud Prædicantis argumentum aliquid roboris habet, tunc sequitur, etiam librum Antiquitatum Iosephi esse Canonicum; quia in epistola ad Hebræos fit mentio præcipuorum Iudicum; B quorum res gestas Iosephus docto & accurato stylo describit.

Librum Ruth esse diuinum & canonicum probat Prædicans inde; *quia historiam Ruth allegat Matthæus transscribens in suum Euangelium illa verba extrema; Phares genuit Esron, &c.* Hic iterum ex Prædicante sciscitor, vnde nouerit verba illa aut apud Matthæum, aut in libro Ruth non esse supposititia? Nullum vnquam probum, aut verum responsum dabit, nisi ex traditione. Quocirca nunquam, seclusa traditione, ex hac scripturarum collatione, & mutua, vt ipse vocat, citatione, solide monstrare poterit, librum aliquem esse diuinum ac canonicum: vt C taceam, vanum esse, quod de allegatione seu citatione Prædicans blaterat: nam allegare est sententiam vel dictum alicuius, nominato auctore adducere & proferre; vel certè ita descripto, vt facile appareat, dictum illud, tanquam alterius cuiusdam auctoris, in medium adduci; vt fecit sanctus Paulus cùm ait: Actorum decimo septimo: *Sicut & quidam vestrorum poëtarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus:* quorum neutrum fecit Matthæus; nam si id ipsum dicere, quod ab alio dictum est, esset alterius librum citare vel allegare; tunc Ecclesiasticus & liber Sapientię sæpissimè citarent librum Prouerbiorum; quia in illis crebræ occurrunt sententiæ, quæ itidem in Prouerbiis Salomonis D leguntur. Et sanctus Lucas sæpe citaret Matthæum; quia plurima scribit, quæ sanctus Matthæus quoque in Euangelicam suam historiam retulit. Quis autem ita delirat, præter Prædicantes, qui hoc affirmet? Et tamen hanc suam fatuitatem hac coronide coronat Prædicans. *Hoc ipso Canonicus libri Ruth valor liquidissimè confirmatur.* Quomodo *liquidissimè*, cum Matthæus librum Ruth non citauerit, vt antea dictum; & vt maxime citasset, an ideo præcisè Canonicus esset, & pro Canonico reputari deberet? Quid si sanctus Matthæus citasset Platonem, aut Aristotelem, sicut sanctus Paulus Aratum & Epimenidem; an ideo libri Platonis aut Aristotelis Canonici forent?

Digitized by Google

Iam de libris Samuelis, inquit Prædicans, *nihil attinet operosè dicere, è quibus Psalmus 78. historiam repetit de arca Domini ad Philistæos translata, rursumque gloriosè reducta: Psalmus 89. ex 2. Samuel. 7. vaticinium, promissionem Dauidi factam producit: Saluator autem historiam retexit de Dauide accipiente à sacerdote panes Propositionis, Matth. 12. Et Paul. Act. 13. inde repetit historiam petiti regis, & electi in regem Saul filij Kis, de tribu Beniamin, postea verò Dauidis.*

Sed & libri Regũ in canonica sunt æstimatione Christo Domino, & Apostolis eius: quandoquidem Christus inde historiam de regina Austri Matth. 12. De Naëmane Syro, & Sareptana vidua Luca 4. manifestè citat. Quemadmodum & libris Paralipomenon Christus allegatione historiæ de Zacharia filio Barachiæ inter templum, & altare lapidato, canonicam dignitatem adscribit.

Vbi rursus vides Prædicantem istum, impiorum instar, in *circuitu ambulare*; & dubia per dubia demonstrare; Nam inprimis liber Psalmorum non citat libros Samuelis, vt loquitur Prædicans, seu vt vulgò nominamus, duos priores libros Regum; nec Christus, nec Paulus, nec vllus Apostolus. At dicunt illud idem, quod in libris Regum scriptum est. Non nego; num ideo, repudiata Ecclesiastica traditione, infallibiliter sequitur, libros Regum esse diuinos ac canonicos? nisi fortè libros Philonis & Iosephi, & multorum Rabbinorum *canonizare* velimus, quia in illis omnia reperiuntur; quæ Prædicans verbis paulò antea adductis, tanquam à Christo & Apostolis ex libris Regum repetita, commemorat. Quanta est Prædicantis vanitas, cum ait, *Christum ex libris Regum manifestè citare historiam de Regina Austri Matth. 12 de Naaman Syro & Sareptana vidua Lucæ 4.* Citatne Christus libros Regum, Matth. 12. & Lucæ 4? Inspice, oro, textum; & tum de hac tua temeritate ipsemet statue. Planè videtur Prædicans existimasse, quoties ad oram alicuius Euãgelistæ citatio veteris testamenti annotatur; Euangelistam, aut eum, quem Euangelista loquẽtem introducit, citare locum illum veteris testamenti; cum huiusmodi annotationes ab Euangelistis non sint additæ; neque semper citationem, sed sæpius conuenientiam tantùm, & vt loqui solent, *concordantiam* significent; quo pacto in codicibus Euangelij sancti Matthæi passim annotantur capita S. Lucæ, S. Marci, S. Ioannis; non quod istos citet; aut ab his ea, quæ scribit, acceperit; sed quia quæ scribit, cum illis consonant ac concordant. Putasne, Prædicans, Christum historiam de panibus propositionis, de Regina Austri, de Naamane & vidua Sareptana aliunde nec sciuisse, nec referre potuisse, nisi ex libris Regum?

Quàm autem sicco pede transit per libros Paralipomenon. *Citantur*, inquit, *à Christo Matth. 23.* Sed mentitur Prædicans. Nusquam horum librorum mentio est apud sanctum Matthæum. *At refertur à Christo historia, quæ conscripta est libro secundo Paralipomenon cap. 24.* Quid tum? An ideo ci-
A tat Christus libros Paralipomenon? Illud ipsum, quod libro secundo Paralipomenon de Zacharia filio Ioiadæ memoriæ proditum est, exstabat etiam in multis Rabbinorum, qui Christum antecesserunt, commentariis. An ideo Christus historiam illam referendo, Rabbinorum commẽtarios *canonizauit*? Adhæc, si quis inficiaretur, Zachariam filiũ Barachiæ, de quo Christus Matth. 23. esse illum Zachariam, filium Ioiadæ, de quo liber secũdus Paralipomenon; iam totum argumentum Prædicantis eneruaret; quamuis antea omnibus neruis destitutum. Quid verò fiet de primo libro Paralipomenon? An ideo primus quoque canonicus erit, quia ex secundo aliquid Christus citauit; vt putat Prædicans? Certè licet
B secundum citasset, id tamen ad auctoritatem canonicam libri primi nihil faceret; imò nec ad auctoritatem totius secundi libri; posset enim quis Ecclesiasticæ traditionis contemptor, dicere, particulam à Christo citatam, esse Canonicam, non autem alia, quæ in eo libro narrantur. Illud etiam adiungi posset, aliud esse citare; aliud librum Canonicum facere vel declarare; nam si hæc vnum idemque essent; tum si Christus aliquid ex Platone citasset; hoc ipso Platonis libros Canonicos fecisset, & tanquam canonicos publicè pronunciasset.

Potuisset Hunnius, meo iudicio, multò firmius auctoritatem Canonicam Paralipomenon demonstrare hoc circulari argumento; quo sæ-
C pius in hac sua dissertatione vtitur. *Libri Regum sunt Canonici; ergo etiam libri Paralipomenon.* Antecedens notum est apud Hunnium; etiam absque traditione Ecclesiastica. Probatur consequentia, *Quia in libris Paralipomenon multa reperiuntur, quæ examussim quadrant cum illis, quæ in libris Regum prodita legimus: imò multa non modò similia sunt; sed & prorsus eadem.* Rursus si quis inficiaretur libros Regum esse Canonicos; statim inuertere liceret hoc Hunnicum argumentum in hunc modum: *Libri Paralipomenon sunt Canonici, ergo etiam libri Regum.* Antecedens est luce clarius, etiam absque traditionis luce. Probatur consequentia. *Quia multa referuntur in libris Regum, quæ litteris itidem consignata sunt in libris Paralipomenon. Si igitur isti sunt Canonici,*
D *cur non & illi?* Qua circulari, & in orbem relabente deliratione, expeditè probabit nobis Hunnius Rabbinorum commentarios esse diuinos ac canonicos, quia multa in illis leguntur, quæ etiam in libris Regum inueniuntur.

Pergamus. *Librum Esdræ per se quidem Canonicum amplius confirmat Zachariæ Prophetæ liber exactè cum historia huius libelli congruens.* Vnde scis, Prædicans, librum Esdræ per se esse canonicum? Non ex sacra scriptura. Vnde ergo? Quia liber Zachariæ Prophetæ exactè congruit cum libro Esdræ. Sed si hoc argumentum valet; tunc etiam historia Iosephi & opera Philonis erunt Canonica; quia multa, quæ Iosephus & Philo scribunt, exactè congruunt cum illis, quæ sacræ litteræ variis lo-

cis tradunt. Deinde si quis neget Canonicam auctoritatem Zachariȩ Prophetæ; vnde Hunnius libro Esdræ opem feret?

Nehemiæ historiam in hominum animis sancit collatio cum vaticinio Danielis nono, inquit Prædicans, *Quod enim illic de plateis & muris Hierusalem in angustia temporum readificandis prædixit Angelus Gabriel, id euentu solido & exactissimè congruente cum prophetia impletum esse ostendit Nehemiæ liber.* En, quid non molitur Prædicans, vt necessitatem traditionis declinet. Nec tamen proficit hilum. Quid si enim quis neget illa, quæ Danielis cap. 9. scripta sunt, esse canonica, quò se vertet Prædicans, vt libro Nehemiæ auctoritatem adstruat? Deinde, quæ est ista consequentia? *Gabriel Angelus prædixit Danieli, fore, vt Hierusalem circumacto certo annorum circuitu readificetur; hocque factum esse litteris mandatum est in libro Nehemiæ; ergo liber Nehemiæ est Canonicus:* quasi quis diceret; Christum cruci affixum iri, & tertia die resurrecturum, testantur veterum Prophetarum oracula; hocque reipsa factum esse narratur in Euangelio Nicodemi; ergo Euangelium Nicodemi est Canonicum. Pulchrè. Quasi verò id, quod Spiritu sancto reuelante prædictum est aliquando futurum, nequeat etiam in non canonico libro, tanquam opere completum percenseri. Etiam Iosephus commemorat ea, quæ Gabriel Angelus prædixit, verè euenisse. An ideo liber Iosephi Canonicus est? Item, libro tertio Esdræ completa memorantur, quæ Danielis IX. prædicta sunt, ergo liber tertius Esdræ est Canonicus.

Fit quoque, inquit Prædicans, *libri Nehemiæ mentio implicitè, Ioan. 2. & 10. vbi ædificati templi & Encæniorum Euangelista meminit.* Si ideo libri Nehemiæ implicitè fit mentio, etiam Iosephi in iisdem capitibus sancti Ioannis mentio implicitè fieri censenda est; quia Iosephus meminit quoque ædificati templi & encæniorum; Et si ideo liber Nehemiæ canonicus est; etiam liber Iosephi Canonicus erit; & multò magis liber Arati Astronomi & Poëtæ; quia Actor. 17. non tantum implicitè, sed & explicitè eius fit mentio adductis propriis ipsius verbis; vt & Epimenidis in epistola ad Titum. Tertius quoque Esdræ liber Canonicus erit; quia mentionem facit reparati & dedicati templi, æquè ac Nehemiæ siue secundus Esdræ liber, 3. Esdræ cap. 7.

Gradum faciamus ad librum Iob. *Hunc librum*, inquit Prædicans, *Dominus apud Ezechielem Prophetam comprobat, recensens Iobum inter eximios Dei seruos, quorum preces, & pro aliis intercessiones ratas ipse habuerit Ezech. 14.* Perinde est, ac si Prædicans sic deliraret. Matth. 10. & Actor. 1. numerantur Andreas, Iacobus, Bartholomæus, Matthias inter eximios Dei seruos, quippe inter Apostolos; ad quos Saluator: *vos non dixi seruos, sed filios:* ergo Euangelia Andreæ, Iacobi, Bartholomæi & Matthiæ sunt diuina ac Canonica. Vt tibi arridet hoc commentum Prædicans? Atqui tuo prorsus est cognatum, nam Ezech. 14. non commendatur liber Iob; sed ipse Iob; nec dixit Deus: *Si liber Noë & Daniel, & Iob:* sed; *si Noë, Daniel & Iob fuerint in medio eius.* Ex quo loco tantum abest, vt cognosci queat, librum Iob esse Canonicum, vt ne inde quidem colligi possit, Iob aliquem librum scripsisse aut ab alio nomine Iobi scriptũ esse. Quid enim? An nullus eximius Dei seruus esse poterit, nisi aut librum ipse scribat suo nomine insignitum; aut alius eius acta & gesta in litteras mittat?

Memorabilis illa sententia Roman. 11. quis prior dedit illi, & reddetur ei, manifestissimè transumpta est ex capite quadragesimo primo, vbi dicit Dominus; quis prior dedit mihi & reddam ei? ergo liber Iob est Canonicus. Memorabilis illa sententia: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua;* manifestissimè desumpta est ex Menandro Comico; ergo liber Menandri Comici est Canonicus. Perge.

Id etiam, quod exstat 1. Corinth. 3. scriptum est enim, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, petitur ex quinto capite Iobi; ergo liber Iobi est Canonicus. Id etiam, quod exstat in epistola sancti Pauli ad Titum: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri:* petitur ex vaticiniis Epimenidis Poëtæ & Prophetæ Cretensis: item ex poëmatis Callimachi Cyrenæi; ergo vaticinia Epimenidis & poëmata Callimachi sunt diuina ac Canonica.

Testimonia libri Tobiæ, & epistolæ sancti Iacobi, quæ Iobi meminerunt, vix nominare dignatur Hunnius; *quia liber Tobiæ est apocryphus*, Hunnio censore; nec pluris æstimat epistolam sancti Iacobi; & vt tam hanc, quam illum in canone reponeret, nihil tamen inde, nisi ineptam hanc consequentiam extunderet: *Liber Tobiæ & epistola sancti Iacobi meminerunt Iobi, tanquam speculi & exemplaris perfectissimæ patientiæ; ergo liber Iob, qui in bibliorum codice circumfertur, Canonicus est.* Quæ consecutio ne cassa quidem nuce digna censeri debet.

Psalmorum liber toties allegatur à Christo & Apostolis, inquit Prædicans, *vt actum agas, quin & difficilem laborem suscipias, si vniuersas allegationes huc referre velis.* Sed hic in eadem pice denuo hæret Prædicans; Breuiter dicat nobis; quæ nam scriptura testetur; citari à Christo & Apostolis hunc eundem Psalmorum librum, qui hodie exstat, & tanquam diuinus & canonicus legitur ac decantatur? Si quis hoc negaret, quomodo eum Prædicans redargueret? Nam si diceret, illa ipsa, quæ citant Christus & Apostoli, exstare in libro Psalmorum, qui hodie in vsu, necdum caussam propterea euicisset: nam aduersarius occurrere posset, hæc quidem, quæ à Christo & Apostolis citantur, esse canonica; cætera verò nequaquam; sed supposititia & in locum canonicorum impiè suffecta. Quò tum se reciperet Prædicans?

Prouerbiorum librum citat Propheta Isaias, inquit Prædicans, *& ex cap.1. transcribit versiculum hunc: pedes eorum ad malum currunt, festinant ad effundendum sanguinem. Esa.59. idq; ipsum Paulus vsurpat Rom. 3. & ex cap.25. Prouerb. transsumit Paulus hanc sententiam: si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Rom. 12. Et autor Epist. ad Hebraeos mutuatur ex Prou. 3. sententiam de castigatione Domini patienter sufferenda.*

Verum vt paucis me expediam; vnde nouit Prædicans versiculum illum citari ab Isaia & S. Paulo ex Prouerbiis, tanquam diuinum & Canonicum? Quid si aliquis dicat; citari ab illis, eo modo, quo S. Paulus hemistichium Arati, & integrum hexametrum Epimenidis citauit? Non enim sequitur: Hæc vel illa sententia citatur ab hoc vel illo Canonico scriptore; ergo citatur, vt Canonica; nam versus Arati & Epimenidis, & Menandri, non erant Canonici, quatenus ab his Poëtis profecti & prolati sunt: Etsi quatenus à Canonico scriptore in Canonicam scripturam assumpti & allecti sunt; iam Canonici appellari queant. Sed non propterea in Arato, Epimenide vel Menandro, vel propter Aratum, Epimenidem vel Menandrum Canonici sunt; sed in sancto Luca & S. Paulo; & propter S. Lucam & S. Paulum, Canonici sunt. Si quis igitur idem asseuerarét de versiculo illo Prouerbiorum; hunc quomodo absque traditionis armatura profligaret ac prosterneret Prædicans?

Vide autem, quàm Sectarius iste traditionis necessitatem effugere nõ valeat, vbi de Ecclesiaste agit. Fatetur nihil in nouo testamento ex Ecclesiaste citari, eum tamen per se Canonico valore gaudere. At vnde hoc tibi compertum? An ex solo libri aspectu? Quid si alius aliis oculis hunc librum aspiciat & inspiciat? Tu dices, te ipso aspectu cognoscere Canonicum; at alter occinet, se aspectu ipso cognoscere non Canonicũ; huic qua ratione fidem facies tuum aspectum à vero non abire?

Sed ecce, iam ad traditionis asylum Prædicans confugit. *In Ecclesia veteris & noui testamenti nunquam fuit dubitatum de Canonica auctoritate libri, qui Ecclesiastes inscribitur, ergo verè est Canonicus.* Macte Prædicans; In tota hac dissertatione tua de Canonica sacrorum librorum auctoritate, melius argumentum nunquam protulisti. Quanquam licet aliquando dubitatum fuisset, verè tamen iam Canonicus esse posset, sublata omni dubitatione per Ecclesiæ definitionem ac sententiam. Consuluisset autem honori suo & existimationi per quam bene Prædicans, si hoc ex traditione petito argumento contentus reliquis supersedisset; præsertim isto, non obscuro inscitię testimonio. *Liber Prouerbiorum est Canonicus propter auctorem; ergo etiam Ecclesiastes erit Canonicus, quia ab eodem auctore, nempe à Salomone profectus est.* Vbi non iniuria quæras. Primò; quæ scriptura dicat, librum Prouerbiorum esse Salomonis? Secundò,

A quæ scriptura doceat, librum Prouerbiorum esse diuinum ac Canonicum propter auctorem? Ego hactenus censebam, libros Canonicos esse primariò & principaliter & per se tales propter Spiritum sanctum, libros Canonicos immediatè dictantem; propter auctorẽ autem non nisi instrumentaliter & secundario; quatenus videlicet est instrumentum & quasi calamus diuini illius *scribæ velociter scribentis.* Tertiò, ex qua scriptura constet, Salomonẽ, si librum Prouerbiorum, vt scriptor Canonicus atq; adeo vt instrumentũ immediatum Spiritus sancti scripsit, scripsisse itidem eodem modo & motu Ecclesiasten, vt proinde ita argumentari liceat. *Liber Salomonis* qui Prouerbiorum inscribitur; Canonicus est; ergo & ille
B eiusdem Auctoris, cui titulus, *Ecclesiastes*; nusquã enim docet scriptura, Canonicum scriptorem semper, quidquid scribit, aut loquitur, scribere aut loqui vt Canonicum scriptorem. Quia fieri potest, vt vno in opere assistentiam illam Spiritus sancti habeat; quæ requiritur ad hoc, vt quis Canonicus scriptor censeri possit; in alio autem opere talem assistentiam non habeat. Spiritus enim spirat, vbi vult.

Validissimũ argumentum collocat Prædicans in postrema acie, & est istud. *1. Regum 4.* vel, vt nos citare solemus, 3. Reg. 4 *de Salomone hæc memorãtur. Locutus est quoq; Salomon tria millia parabolas, & fuerũt carmina eius quinq; millia, & disputauit super lignis à Cedro, quæ est in Libano, vsq; ad hyssopum, quæ egreditur de*
C *pariete, & disseruit de iumentis & volucribus, & reptilibus, & piscibus: ergo Ecclesiastes est Canonicus liber.* Probatur consequentia. Quia Prædicans dicit, *se non dubitare sententias in Ecclesiaste comprehensas esse ex eorum numero, quas Spiritus sanctus loc. cit. Regum inter documenta sapientiæ Salomonis refert, eoq; ipso Canonizat.* Quis ergo tam cœcus est, qui non videat, quàm luculenter Prædicans iste ex scriptura Canonicã Ecclesiastæ auctoritatem nobis demonstret? Liceat tamen ex Prædicante percontari; vtrum Ecclesiastes pertineat ad disputationes Salomonis *super lignis*, an ad dissertationes *de iumentis & volucribus & reptilibus, & piscibus*? an *ad quinq; millia carminum*; an *ad tria millia parabolarum*? An separatum opus conficiant? Et si quis aliquid horũ neget,
D quomodo fidem assertioni suæ conciliare velit?

Illud etiam nosse peruelim; an disputationes illæ Salomonis, si litteris cõsignatæ fuêre, receptæ sint in Canonẽ Hebræũ; vt & alij multi libri, quorum passim fit mentio in libris Regũ & Paralipomenon, an extra Canonẽ remanserint? Si primũ affirmes, tum te tuosq; collegas mendacij redargues, quippe qui perpetuò vociferemini, in Hebræorum Canone plures non fuisse libros, quã sint litteræ Hebraici alphabeti, cũ ex hac sentẽtia duplo plures in Canone illo reponi debeãt, vt fatebitur, quisquis libros, quorũ sacræ litteræ mentionem faciunt, in vnum colligere ac numerare velit. Si secundum; tum tu tuum argumentũ hoc loco allatum tuo ipsius ore labefactabis.

Digitized by Google

Cuius enim procliuè erit dicere tecum: Liber Prouerbiorum sacrosanctus est, quia Salomonẽ Auctorem habet; ergo etiam liber disputationũ de plantis & arboribus, itemque de animalibus, reptilibus & piscibus, itemque volumen illud parabolarum ad tria millia, & carminũ ad quinque millia excurrentium; quia omnium istorum idem Salomon auctor est, æquè ac Prouerbiorum libri, quem omnes, vt sacrosanctum suspiciunt.

Canticum Canticorum canonicis scripturis annumerari debere probat Prædicans ex eodem cap. 4. lib. 1. seu, vt nos, 3. Regum, quia in hoc capite prędicatur & extollitur sapientia & prudentia Salomonis, *qua præcedebat sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, erat enim sapientior cunctis hominibus: Ethan Ezrahite, & Heman, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol, & erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitum*: Hoc antecedens ex verbis sacræ scripturæ contextum est. Audiamus iam consequentiam. *Ergo ex scriptura liquidò constat Salomonem scripsisse Canticum Canticorum*: & quod hinc irrefragabiliter sequitur; *Canticum Canticorum ad Canonicas scripturas pertinere*. Qui Hunnium insignem argumentatorem esse non credit, is necdum artificium, quiduis ex scriptura probandi, capit.

Isaiæ Prophetiam Canonicam esse, vt & Hieremiæ & Ezechielis, & Danielis, inde ostendit Prædicans, quia citantur in scripturis Canonicis noui testamenti. Sed impingit Hæreticus in eundem scopulum, ad quem iam sæpius caput allisit. Non enim sequitur, hoc vel illud citatur ex alio libro in libro canonico; ergo liber ille, ex quo citatur, est canonicus. Nihil minus concludi potest; vt iam sæpius ostensum.

Nec minorem stoliditatem olet hęc deliratio. *In hoc vel illo libro noui testamenti dicitur aliquid simile eius, quod exstat in Hieremia, Isaia, Ezechiele, aut alio quopiam Propheta; ergo Hieremias, Isaias, Ezechiel, similes iis in locis nouæ scripturæ citantur*; quia, vt iam aliquoties docuimus, aliud est auctorem quempiam citare, & aliud, eius simile quippiam pronunciare; vt taceam per eandem lineam semper reciprocari serram, dum quærimus; vnde constet locum tam citatum, quam citantem esse Canonicum; in promptu enim est sciscitari; si Isaiæ liber ideo est Canonicus; quia in Euangelicis & Apostolicis scriptis citatur; vnde nam constat, illos ipsos locos Euangelicorum & Apostolicorũ scriptorum, qui Isaiæ vel alterius Prophetæ testimonia producunt, Canonicos esse? Hic semper hærent Prædicantes, neque vnquam inde absque traditionis præsidio sese extricare possunt.

Et hoc ipsum Prædicanti de duodecim Prophetis minoribus responsum esto. Est enim omnium eadem ratio; quanquam Prædicans duorum ex numero duodecim Prophetarum, Sophoniæ videlicet & Abdiæ, nullam citationem in nouo testamento reperire potuit. Quapropter rursus ad auctoritatem traditionis vel inuitus confugit; Ait enim *duodecim istos vates Ecclesia, etiam Iudaica, semper fuisse sacrosanctus*. Quod verum est. Sed num hoc ex scriptura liquet? quandoquidem Prædicans in asserenda Prophetarum Canonica auctoritate aliis argumentis se non vsurum profitetur, quàm sacræ Scripturæ testimoniis.

Ex hac synopsi cernitur, inquit Prædicans, *quomodo Canonicorum librorum veteris testamenti fides & certitudo amplius etiam asseratur per allegationes Christi, Euangelistarum & Apostolorum*. Quid faciemus ergo de Ecclesiaste, de Canticis Canticorum, de Sophonia & Abdia? quos libros in nouo testamento nusquam citari ipsemet non diffitetur Hæreticus. Et ex tota hac Prædicantis disputatione euidenter elucere arbitror, Prædicantes, tametsi rũpantur, scripturæ sacræ auctoritatem Canonicam constanter & solidè tueri non posse, si Ecclęsię traditionem repudient.

Quod ait Prædicans. *Caussam cur Athanasius, Melito & Gregorius librum Esther in Canone præterierint, fortasis fuisse, quòd liber ille nunquam citatus esset in scriptura noui testamenti*; id vanissimũ commentũ est: Si enim hæc esset caussa, tunc neque Ecclesiasten, neque Cantica Canticorum, neque Sophoniam, neque Abdiam in numero Canonicarum scripturarum collocassent; quia, ipso Prædicante teste, nunquam in Scriptura noui testamenti citantur. Quæ igitur caussa, cur non posuerint in Canone? Equidem quod dicam non habeo, nisi magnis quoque viris obrepere interdum obliuionem. Illius certus mihi videor, non esse illam caussam, quam reddit Prædicans, nimirum *fragmento, quod constabat à Canone alienum esse, deceptos fuisse patres illos, vt librum ipsum Esther eodem haberent censu, quasi non esset Canonicus*. Futilis planè caussa: tametsi enim de septem postremis capitibus aliquando dubitatum fuit; an propterea totum Estheris librum extra Canonem patres isti ablegassent? quippe, qui exploratum haberent, etiam de nonnullis partibus Prophetiæ Danielis fuisse ab eruditis quæsitum ac disputatum: Et tamen hac disputatione nõ obstante; reposuerunt Danielis librum in Canone.

Adiungit Prædicans de sua hac digressione, qua Canonicorum librorum auctoritatẽ ex ipsa sacra Scriptura adstruere conatus est; *Eadem synopsis*, (sic enim nugas suas indigitat) *ostendit Canonem Hebræum esse verum & genuinum Canonem librorum veteris testamenti. Quod Paulus ipse confirmat Rom. 3. Scribens Iudæis fuisse concredita oracula Dei*. Qua verò ratione ostendit Synopsis tua Canonem Hebræum eiusmodi esse, à quo recedere nõ liceat, cum nobis demonstrare nequeas, Ecclesiastem, Cantica Canticorum, librum Esther, Sophoniam, & Abdiam à Christo & Apostolis citari? (vt maximè concederemus omnes alios citari, quod secus est) illi autem tantum libri, teipso teste, ad Canonem Hebræum spectent, quos citant

tant Christus, Euangelistæ & Apostoli. Quando ergo Prædicantes vociferantur: *Liber Tobiæ, Iudith, Ecclesiasticus, Sapientiæ, duo libri Macchabæorum* non citantur in Scriptura noui testamenti, ergo non sunt Canonici; tunc vociferantibus occinamus nos: Ecclesiastes, Cantica Canticorum, liber Esther, Abdias, Sophonias non citantur in Scriptura noui testamenti, ergo non sunt Canonici. Quid ad hoc respondebunt Prædicantes?

De pulcherrima illa consequentia: *Iudæis sunt eloquia Dei concredita Rom. 3. ergo non sunt plures libri veteris testamenti Canonici, quam viginti duo, quot videlicet sunt litteræ Alphabeti Hebraici, quos in Prologo Galeato commemorat S. Hieronymus*, dixi iam in Labyrintho Creticohunniano, & in libro aduersus Mæuium, Hunnianum pullum. Nec opus aliquid addere, quia vanitas & inanitas sat manifestè elucet. Et vt maximè verum esset, in Canonem Hebræorum plures libros non fuisse receptos, quàm quos enumerat S. Hieronymus, minimè tamen sequeretur, Ecclesiam Christianam non potuisse id, quod Canoni Hebræo deerat, supplere; & libros illos Tobiam, Iudith, Ecclesiasticum, Macchabæos, & alios in Canonem recipere; non quidem ita, vt ex non Canonicis faceret Canonicos, hoc enim non potest; sed vt eos, qui verè Canonici erant; nec tamen vt Canonici agnoscebantur; verè Canonicos esse declararet, & omnibus tanquam Canonicos venerandos proponeret.

Ait Prædicans. *Canonem Hebræum probari etiam à patribus, vt à S. Hieronymo.* (Sed quare tacet, eundem auctoritate Concilij Nicæni permotum recipere in numerum librorum Canonicorum veteris testamenti librum Iudith?) *Ab Hilario præfatione in Psalmos.* (Sed quare Prædicans silentio præterit; quod itidem S. Hilarius scribit, nempe quosdam, quibus nec ipse contradicit, adiicere librum Tobiæ & Iudith?) *A Gregorio Nazianzeno.* (Sed quare præterit Prædicans, quòd Gregorius librum Esther silentio penitus præterit? An hoc cum Hebræo Canone conuenit?) *A Radulpho Floriacensi lib. 4. in Leuiticum cap. 1.* (Sed inspectus Radulphus docebit te Prædicantem istum aut mentiri; aut Radulphum falsò citare. Nihil enim de numero Canonicorum librorum Radulphus loco à Prædicante annotato, sed dormitabat fortasse Lutheranus Prædicans, quando ex Caluiniano VVitackero hos auctores exscribebat; ita vt loco libri 14. poneret librum 4. Sed quomodo Radulphus sequitur Hebræum Canonem, cum Sapientiam Salomonis & Ecclesiasticum Canonicis scripturis annumeret?) *A Leontio in libro de Sectis.* (Quomodo Leontius Canonem Hebræum sequitur, cum omittat librum Esther, qui, vt Prædicans asserit, ad Hebræum Canonem spectat?) *A Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 4.* (Quomodo Cyrillus sequitur

A Canonem Hebræum, cum inter sacros Canonicos veteris testamenti libros, ponat librum Baruch, quem Hunnius capite octauo sui Examinis negat in Hebræo Canone locum obtinere?) *A S. Athanasio in Synopsi.* (Sed quomodo Canonem Hebræum sequitur, qui librum Esther à Canone Hebræo reiicit; Et præterea eidem adiicit Epistolam Hieremiæ, quæ est sextum caput Prophetiæ Baruch, quam Epistolam vnà cum libro Baruch Prædicans longè à Canone Hebræo ablegat? Verba Synopseos sunt ista, vbi de Hieremia Propheta agit: *Est & Epistola Hieremiæ, sic dicta, quod captiuis hanc Hieremias scripsit, vt contra idola cautos redderet, nec conspectis illis ad cultum ipsorum cum idololatris ab-* B *ducerentur.*)

A Synodo Laodicena Can. 59. (At quomodo Synodus Laodicena sequitur Canonem Hebræum, cum in scripturarum Canonicarum numero collocet librum Baruch, & Epistolas Hieremiæ; vt patet ex Græco textu Concilij, & ex latina versione, quam nobis vnà cum Commentariis Balsamonis dedit Gentianus Heruetus; & agnoscit etiam Caluinianus VVitackerus, quamuis, vt rimam elabendi inueniat, caussatur Græcum textum Concilij forsan esse corruptum.) Sed quo testimonio probat hanc suam exceptionem? *quia in latina editione non apparet liber Baruch, & Epistola Hieremiæ; nec plures sunt Hieremiæ Epistolæ, sed vna tantum.* At la- C tina Editio, Interprete Gentiano, & librum Baruch & Epistolas Hieremiæ nominat. Et cui potius credendum ac fidendum est, Græcóne fonti; an latinis riuulis si quando in Canonibus dissentiunt? Meminerint, oro, sectarij moris sui, quem obseruant, si quando aliquid aliter in Græcis, quàm in Latinis ex Græco deductis, legatur. Absque mora ad primigenium idioma prouocant. Idem & hic factitent. Nam quod *Epistolæ* pro Epistola legitur, quantulum est? An non numerus pro numero sæpius ponitur? An VVitackerus figuræ, quæ enallage appellatur, oblitus est? Quam facile fuit, litterâ pro litterulâ positâ, scribere, ἐπιστολαὶ, D vbi scriptum oportuit, ἐπιστολή.

Mitto dicere, quod iam in libro aduersus Mæuium monui; in antiquissimo Codice M. S. in quo Concilium Laodicenum cum cæteris continetur, Catalogum istum librorum Canonicorum non comparere: Et certè assutus videtur à quopiam, qui Canoni quinquagesimo nono lucem adferre voluerit: Cum enim dixisset Synodus; *Quod non oporteat priuatos & vulgares aliquos Psalmos dici in Ecclesia, nec libros non Canonicos, sed Canonicos veteris & noui testamenti legi*, alius indicem subiecisse videtur, vt constaret; qui nã essent libri Canonici veteris & noui testamenti. Vnde etiã in prima editione seu versione huius Cõcilij Canon quinquagesimus nonus ita

termi-

Digitized by Google

terminatur, vt clare elucescat ipsam Synodum in Canone & cum Canone illo terminari; licet secunda versio cum prima illa in tomis Conciliorum coniuncta Catalogum Canoni quinquagesimo nono subiiciat; nec subiiciat, tantùm, sed & cum Canone indiuulsè connectat.

A Lyrano prologo in libros apocryphos.

At Lyranus tantum Tobiam, Iudith, Macchabæos, Sapientiam & Ecclesiasticum apocryphis annumerat; de Baruch nihil dicit; nisi excludi à S. Hieronymo; quamquam ne Hieronymus quidem excludit in prologo Galeato, quo adeo nituntur ac gloriantur hæretici; Hæc enim sunt eius verba: *Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone, Machabæorum primum librum Hebraicè reperi. Secundus Græcus est*; De Baruch nulla hic mentio. Quanquam præfatione in Hieremiam asserit, *Baruch apud Hebræos nec legi, nec haberi.* Sed nos de prologo galeato disputamus, quo isti præcipuè sese muniunt. Si dicas; Baruch in prologo galeato exclusum esse à Canone illis S. Hieronymi verbis: *Quidquid extra hoc est, inter apocrypha ponendum est*: dicam ego; librum Baruch à S. Hieronymo includi in numero Canonicorum librorum illis verbis, quibus Hieremiam cum lamentationibus Canonicis scripturis annumerat; sub Hieremiæ enim nomine veteres librum Baruch comprehendisse notum est, & suo loco amplius dicetur. Nam si S. Hieronymus in Prologo Galeato reiecit librum Baruch à Canone, cur non nominauit; vt speciatim nominauit eos libros, quos ipse Canoni Hebræo non fuisse accensitos existimabat? Ita si rem penitius introspicias, nullum auctorem ab Hæreticis citatum reperies; qui cum Sectariorum huius temporis placitis conspiret; licet multos adducere soleant, sed fide & fronte consueta; vt planius demonstrabimus, contra VVitackerum, cum ad septimi capitis defensionem perueniemus.

CAPVT V.

De Hæreticis, qui libros testamenti veteris primi ordinis oppugnarunt.

INTER cæteros calumniatores librorum vel omnium vel aliquorum veteris testamenti; de primo ordine, numerat Bellarminus Theodorum Mopsuestenum ex collatione Quarta Synodi Quintæ. Clarius tamen ex Leontio Byzantino libro tertio contra Nestorianos & Eutychianos intelliges, quantus sacrarum litterarum criminator Theodorus iste fuerit, & quos libros in specie insectationibus suis appetierit. Ita ergo Leontius. *Hic sapiens, vt eum appellabunt, qui eum studiosè sequuntur, & magnus Theodorus, quia pa-* A *rum ei erat cum hominibus certare; aggreditur, & audet contra gloriam Spiritus sancti, cum omnes quidem scripturas altas, quas sancti afflatu eius tradiderunt, humiliter, & demissè interpretans; tum verò à numero sacrarum scripturarum diuinè præscripto, & indicato eas separans.*

Magnum DEI *seruum Iob columnam fortitudinis animatam, & spirantem, duobus ferè millibus versuum perscriptam, conuitiosè arguebat, & scripturam Spiritus sancti de eo abrogabat, quem Iacobus frater Domini in epistola sua Catholica confirmans aiebat, patientiam Iob audistis, & finem domini vidistis. Non enim aliunde neque patientiam audiuimus, neq; finem eius spectauimus, nisi ex scriptura, de eo.*

Ob quam causam, vt arbitror, ipsam epistolam Iacobi, B *& alias deinceps aliorum Catholicas abrogat, & antiquat. Non enim satis fuit illi bellum contra veterem scripturam suscipere ad imitationem impietatis Marcionis, sed oportuit etiam contra scripturam nouam pugnare, vt pugna eius contra Spiritum sanctum clarior, & illustrior esset.*

Inscriptiones hymnorum, & Psalmorum, & Canticorum penitus eiecit, & omnes Psalmos Iudaicè ad Zorobabelem, & Ezechiam retulit, tribus tantum ad dominum reiectis.

Imò & sanctorum sanctissimum Canticum Canticorum ab omnibus diuinarum rerum peritis, & ab omnibus Christianis laudatum, omnibus Ecclesiis cuncti orbis notum, & à Iudæis inimicis crucis Christi in admiratione habitum, libidinosè pro sua & mente, & lingua meretri- C *cia interpretans, sua supramodum incredibili audacia ex libris sacris abscidit.*

Et quid non erat acturus, qui in eo agebat, impietatis inuentor, & pater? Duos igitur libros, Paralipomenon primum, & secundum similiter, malum malo addens, & insuper Esdram repudiauit.

Diuinas igitur scripturas aggreditur, & ex duobus generibus splendidioribus contra Spiritum S. certandi laudem sibi aufert, &c.

Hæc Leontius de Theodoro Mopsuesteno.

Ex quibus patet, quem Castaleo & Lutherus Magistrum secuti sint; ille quidem, cum Canticum Canticorum profanum Canticum esse asseruit; hic autem cum benè potus inter pocula ea in librum Iob eructauit, quæ ex symposiacis D colloquiis Bellarminus commemorat.

Occurrit Iunius, oblitus, opinor, se Caluinistam, non Lutheristam esse. *Non est Lutheri liber* (colloquiorum symposiacorum) *Contrà verò, qui Luthero adscripsit, ei facit iniuriam & impudenter indignam adspersit labem.* Quid audio Iuni? An ideo Lutherus ea, quæ in libris conuiuialium fabulationum locutus fertur, non locutus est; quia ea ipse in litteras non retulit? An liber Iob liberque Esther, verè dici non potest liber Iob, vel Esther, licet, vt quibusdam videtur, non ab ipso Iob; neque ab Esther, sed ab aliis conscripti fuerint? An ideo liber non est Iunij; quia scribitur & in lucem editur ab Amauensi Iunij, dictante, & materiam subministrante ipso Iunio? Sic, vt video,

ne Pro-

Digitized by Google

ne Prophetia quidem Hieremiæ liber Hieremiæ A erit; quia non est scripta à Hieremia; sed à Baruch notario ipsius, vt nominat S. Hieronymus præfat. in Hieremiam, dictante tamen & materiam suggerente ipso Hieremia Propheta. Cum ergo Lutherus inter epulas cum suis congerronibus fecerit & dixerit ea, quæ in libro illo Symposiaco fecisse & dixisse scribitur; cumque sodales illius, & ministri mensæ ex ore loquentis omnia exceperint, & in chartas retulerint, frustra excipit Iunius contra librum Colloquiorum, quasi non sit liber Lutheri. Si alicuius Professoris dictata à discipulis euulgantur, cuius, oro, sunt illa dictata? Discipuline an dictatoris seu doctoris?

Quapropter nugas quoque agit Hunnius, B cum Lutheri purgandi gratia *possem*, ait, *reiicere librum illorum Colloquiorum, vt qui nec scriptus à Luthero, nec ab eo visus & approbatus est.* Quid tum? Satis est fuisse à Luthero dictatum, & à discipulis eius Aurifabro & aliis ex ore loquentis exceptum. Vtinam verò Lutherani librum illum reiicerent; & eò, quò meretur, ablegarent. Vtinam in cineres verterent. Et si reiiciendus est, cur toties recuditur, Latinè & Germanicè? Cur à Lutheranis, quando lepidis ac festiuis, itemque fescenninis & prætextatis narratiunculis & fabellis ac dicteriis sese oblectare volunt, liber hic tam cupidè teritur? Cur decem illæ nobilissimæ Imperij ciuitates, Argentoratum, Augusta, Vlma, Norimberga, Lubecum, Hamburgum, Luneburgum, C Brunsvveiga, Francofortum ad Mœnum, & Ratisbona, quibus liber Colloquiorum mensalium ab Aurifabro, Lutheri discipulo & commensali inscriptus est, Aurifabro non mandarunt, vt à publicatione talium Colloquiorum abstineret? Cur iniuriam Lutheri sui non vindicarunt; si, vt ait Iunius, Aurifaber Luthero his Colloquiis euulgandis *iniuriam fecit*? Certè Aurifaber, (eundemque arbitror esse aliorum Lutheristarum sensum) adeo non putauit se Luthero iniuriam irrogare, aut labem indignam his Symposiacis confabulationibus publicandis aspergere; vt apertè profiteatur, *salua conscientia & religione, se non potuisse amplius tantum thesaurum Colloquiorum mensalium celare, & velut pretiosum* D *talentum in sudario inuolutum abscondere; ne fortassis, se mortuo, funditus interirent. Quamobrem operam datam esse: vt quamprimum typis describerentur, descriptisq; Ecclesia* (Lutherana) *salubriter & salutariter tanquam micis de mensa Lutheri delapsis, vteretur, famemque & sitim spiritualem hisce sedaret: nec vllo modo ferri debere, vt talia Colloquia, quæ de rebus adeo sublimibus agant; digna quouis honore & pretio; in tenebris tandem penitus obliterentur.*

Ecce quantum gloriæ & decoris, Colloquiorum editione Luthero sese peperisse existimat Aurifaber, cui, tanquam conuictori & familiari Lutheri, potius fidem habendam censeo, quàm Iunio Caluinistæ; & sic gloriæ Lutheranæ non obscuro æmulo.

Addit Hunnius. *Quisq; cordatus intelligit in illa rhapsodica consignatione fieri per quam facilè potuisse, vt sermones Lutheri, ab eo, qui excepit, non per omnia sint intellecti; sed quædam illum verba præteruolarint, quædam etiam secus ab eo accepta sint & annotata, quàm prolata fuerint.* Nihil agis Hunni.

I. Quia Lutherus non tam submissa voce loquebatur, præsertim iam cibo meroque nonnihil calefactus, vt aut ab assidentibus, aut à circumstantibus intelligi nequiret: Stentor enim erat, boans potius quàm loquens. Sonora & crassa voce, sicut & facie.

II. Non loquebatur Arabicè, Chaldaicè aut Hebraicè, sed Saxonicè seu Misniacè, interiectis interdum latinis aut semilatinis verbis. Quam linguam tam accumbentes, quàm mensæ astantes, optimè callebant.

III. Quia licet res in illis Colloquiis tractatæ videantur Aurifabro prorsus reconditæ, sublimes, ac cœlestes; si quis tamen recto oculo eas intueatur, plerasque tam leues, captuque & intellectu tam faciles deprehendet; quàm faciles sunt fabellæ, quas vel Æsopus, vel alius quispiam fabulatorum, (quorum innumeri circumuolitant libelli) vnquam excogitauit aut protulit. Omnia stercoribus oblita sunt. Omnia Diabolis scatent; omnia porcis, omnia meretricibus; omnia crassissimis Prouerbiis, & historiolis quouis scurra dignissimis; omnia facetiis leuissimis & petulantissimis: omnia denique extremam leuitatem & procacem scurrilitatem olent, quæ capere ac intelligere naturæ deprauatæ, & ad illicita quæque toto impetu ruenti difficilius non accidit, quam igni, admota materiâ, vrere; aquæ, madefacere. Quæ enim difficultas in facto illo Lutheri intelligendo; (quod refertur in Symposiacis Colloquiis) cum ipse immane quoddam poculum sæpius expeditè exhausit; cuius mediam partem ne semel quidem Islebius educere poterat; quamuis non infirmis ad ista prælia viribus. Scilicet magna attentione & subtilitate ingenij opus erat, vt discipuli Lutheri viderent, num Lutherus in calicibus siccandis strenuus ac indefessus esset; & num dicta de dictis melioribus funderet; lupanaribus magis quàm Theologorum epulis conuenientia.

IV. Non vnus tantum, sed plures Colloquia illa ex ore bene pransi ac cœnati Lutheri excepêre; vt proinde Hunnius frustra tergiuersetur, causseturque, vnum facilè potuisse decipi, & verba Lutheri aliorsum, quàm oportebat, trahere. Vt demus id vni euenire posse; attamen multis vt id accidat, vix est credibile, præsertim in huiusmodi nugamentis, gerris, scurrilibus

Digitized by Google

& ex fæce vulgi desumptis iocis; in sordidis & meretriciis adagiis, & id genus aliis, quibus Lutheri colloquia vbique infersa ac referta sunt.

Quàm verò multi Colloquia hæc exceperint ex loquentis ore Lutheri, docet Aurifaber in Præfatione ad decem clarissimas Imperij vrbes; ex quorum numero agmen ducit, M. Antonius Lauterbach; qui collectanea confecit eorum, quæ ipsemet ex *sancto Lutheri ore* annotarat, vt inquit Aurifaber. Alter est, Vitus Theodorus. Tertius Hieronymus Besoldus; Quartus M. Ioannes Schlagenhauffen. Quintus, Ioannes Matthæsius. Sextus, Georgius Rorarius. Septimus, Ioannes Stolsius. Octauus, Iacobus VVeber seu Textor. Nonus denique ipsemet Aurifaber. Hos omnes oscitantiæ, socordiæ & in dictis Lutheri aduertendis annotandisque violatæ fidei accusare, nescio num reliquis Prædicantibus placiturum sit, præsertim, cum omnes isti cum Luthero familiariter versati fuerint, & non modò aliquot salis modios, sed & multos cereuisiæ Saxonicæ cantharos cum eodem linxerint.

Verùm vt vt res se habeat de re ipsa respondebo, inquit Hunnius. Bene facis; melius facturus, si initio statim ad rem ipsam te contulisses, neque in dubium Colloquia mensalia Lutheri, tot testibus auritis & oculatis cincta ac vallata, reuocasses. Prius tamen, quàm tuam defensionem audiamus, adscribere placet iudicium Lutheri de libro Iob, ex titulo *de libris antiqui & noui testamenti*; Et ex alio *de Patriarchis & Prophetis.*

Dicit ergo I. *Liber Iob est bonus admodum, conscriptus non solum per ipsum & ab ipso, sed etiam in solatium omnibus perturbatis, tentatis, afflictis, & ærumnosis animis.* Dices, nihil in hac oratione contineri, quod in librum Iob iniuriosum sit. At patienter exspecta, & audi cætera, quæ bestia euomit, & tum statue, vtrum Lutherus rectè & Orthodoxè de libro Iob senserit. Interim nota spiritum vertiginis; hic affirmat Lutherus, librum Iob ab ipso, & per ipsum esse conscriptum: paulò pòst ait, esse *possibile & credibile, quod Salomon hunc librum fecerit & scripserit, nam phrasis in eo congruit ad loquendi rationem in reliquis ipsius libris obseruatam, phrasis non multum est absimilis.*

Secundò dicit Lutherus: *Iobum non ita locutum esse; sicut in libro eius locutus esse scribitur, sed ita cogitasse;* Mentitur ergo liber ille, cum Iob ita locutum, & cum amicis suis ita differentem nobis proponit, quandoquidem, vt Lutherus ait, *non ita locutus est; sicut in ipsius libro narratur.* Nec est, quod quis ad allegorias & mysticos sensus cõfugiat; quia liber est historicus: ipso Luthero teste, qui ait, *titulo de Patriarchis: Iobi librum iudico esse veram historiam.* Si igitur vera est historia, oportet Iobum ita esse locutum, sicuti locutus scribitur, si scriptorem libri illius mendacij nota liberare velimus.

Sed accipe rationem, cur Lutherus in hanc opinionem venerit; *quia in tentationibus*, inquit, *& angustiis non hunc in modum consueuit disseri.* Imò rebus in aduersis vel maximè colloquia & alloquia amicorum quæri & expeti solent; estque inter constantis amici argumenta hoc non postremum, vt quando re & opere nequit, saltem verborum solatiis calamitatem amici leuare studeat.

Tertiò dicit Lutherus: *nihilominus ita euenisse*, mit der That vnd im Werck/hoc est, interprete Hunnio, *re & opere.* Hic igitur nota in Luthero spiritum vertiginis & contradictionis. Dicit, *Iobum non ita locutum esse, sicut locutus describitur: Et tamen re & opere ita euenisse, sicut in libro Iob narratur.* Si re & opere ita euenit, sicut in libro Iob narratur, ita ergo Iob locutus est; sicut in illo libro describitur: Si autem Iob non ita locutus est, sicut in illo libro describitur; ergo re & opere non ita euenit, sicut in illo libro memoratur. Sed hoc Luthero solemne est, vt non modò in omnibus pagellis, sed & prope in omnibus orationis suæ periodis pugnantia misceat.

Quartò dicit Lutherus; *argumentum libri Iob, esse ferè, vt argumentum fabulæ.* En quam honorificè de diuino & Canonico libro scribit & loquitur Lutherus. *Ferè est*, inquit, *vt argumentum fabulæ*; hoc est, non omnino est fabula; sed fabulæ valde assimile: additque: *sicut comœdia aliqua agitur, in qua introducuntur quædam personæ, vbi vna cum altera & post alteram loquitur ac disputat, sicut corde sentit.* En totus in eo est, vt ex libro Iob faciat comœdiam: Quis autem vnquam dixit, comœdias esse historias? Fabulæ non essent, si historiæ essent. Et licet interdum comœdiæ historica quædam contineant, illa ipsa tamen fabulis & fictionibus temperat Poëta, si muneris & nominis sui memor esse velit.

Quàm pulchrum autem illud; *actores comœdiarum loqui.* wie es jhnen vmbs Hertz ist. *sicut corde sentiunt.* Quis tam rudis est, qui nesciat in comœdiis omnia agi ludicrè, non seriò, & ex animo; sed per imitationem & assimilationem. hinc comœdiæ dici solent *ludi*; actores, ludiones & hypocritæ; quia aliud exterius simulant, aliud in pectore clausum gerunt. Si igitur personæ apud Iobum ita loquuntur; sicut personæ in comœdiis Terentij & Plauti; tum nihil seriò actum & dictum est; sed omnia histrionicè & per simulationem gesta sunt.

Quartò dicit Lutherus, *scriptorem huius libri* (quem ipse Germanico, sed tamen mechanico vocabulo appellat, ein Meister /) *scripsisse eo modo, quo Terentius scripsit suas comœdias; nimirum, vt patientiæ exemplum nobis proponeret.* Non igitur scripsit librum illum vt historiam; si scripsit vt Terentius; quia iste comœdias suas non scripsit vt historias.

Digitized by Google

A Sextò dicit Lutherus, *historiam istam tempore Salomonis fuisse peruulgatam; & à Salomone conscriptam, ac si ego,* inquit, *mihi proponam historiam Iosephi aut Rebeccæ conscribere.* Si igitur à Salomone aliter conscripta non est historia Iobi; quàm à te conscriberetur historia Iosephi aut Rebeccæ; necessario sequitur, Iobi librum comœdiam, hoc est, fabulam esse; eo modo, quo comœdiæ sunt ac fabulæ, quæ passim à Poëtis Germanicis conscripta circumferuntur rhythmis vernaculis de Susanna, de Iosepho, de Tobia, de Lazaro & Epulone, de Ioannis Baptistæ decollatione, & id genus aliis.

Septimò dicit Lutherus. *Hebraicum Poëtam & opificem* (Meister) *huius libri; quisquis demum fuerit,* B *sustinuisse, vidisse, & expertum esse, tales tentationes & afflictiones:* & ita descripsisse, *sicut Virgilius describit inuictum illum Heroem Æneam, quem per aquas & maria & diuersoria varia ducit; ex eoq; insignem virum politicum & militarem facit.* Hæc verba Lutheri dissimulat hoc loco Hunnius Prædicans. Ex quibus sequitur primò, si vt Lutherus vult, Salomon librum istum composuit; non Iobum; sed Salomonem omnia illa, quæ in libro Iob enumerantur, perpessum esse. Disertè enim dicit Lutherus; *auctorem huius libri, ea, quæ scribit; sustinuisse; & postea litteris consignasse.* Secundò sequitur; Librum Iobi esse fabulam, sicut Æneis Virgiliana fabula est. Vt enim Virgilio nihil aliud propositum fuit, quàm magnanimi, & in omnibus aduersæ for- C tunę casibus insuperabilis viri imaginem depingere; quod vt assequeretur, finxit, quidquid libuit; ita & auctor libri Iob, nihil aliud propositum habuit, quàm vt illustrissimum tolerantiæ speculum vniuersis mortalibus exhiberet. Quapropter, vt Virgilius non scripsit historiam, sed fabulam; nec historicus, sed fabulator fuit; ita & iste.

Octauò dicit Lutherus: *se non credere omnia facta esse eo modo, quo in libro Iob referuntur.* Si non eo modo omnia acta sunt, quo in libro Iob describuntur, mentitur ergo auctor, cum res illas dicit actas eo modo, quo actæ non sunt. Quæso te, an non mentiretur ille, qui diceret Lutherum venisse VVormaciam peditem; si eò venit, non pe- D des, sed eques? An non mentiretur Euangelista, si narraret Christum quidem pro salute hominum esse mortuum; sed narraret id alio modo quàm mortuus est?

Hæc & alia Lutherus de libro Iob in suis Colloquiis mensalibus, quæ Bellarminus breuiter attigit; quem accusat Hunnius; *quod non omnia Lutheri dicta retulerit:* cum potius Bellarmino gratias agere debuerit; quòd partem tantum impietatis Lutheri detexerit, non totam illam sentinam mouerit. *Ex verbis à Bellarmino omissis,* clamat Prædicans, *mens & intentio Lutheri clarè elucescit: quia apertissimè testatur librum Iob esse veram historiam,* (ein rechte Historia) *& se hoc credere, & esse historiam veterem & notam admodum.* Audio, quid adferas; & libens assentirer, nisi ipse Lutherus obstaret; si enim vera est historia; cur comparat illam *cum fabulis Terentij, & Virgiliana Æneide?* Cur negat Iobum ita locutum esse; quemadmodum locutus esse scribitur in libro Iob? An hoc veræ historiæ competit; vt aliter aliquem locutum referat, quàm reuera locutus est? Si vera historia est; cur ait Lutherus, se non credere omnia eo modo gesta esse, quo narrantur gesta? An modus rei gestæ non pertinet ad veritatem historiæ? An nō mentiretur historicus, qui scriberet Hunnium esse mortuum Lipsiæ peste, licet alioqui verissimum sit, eum esse mortuum VVitebergæ? Et cur talis mentiretur, nisi quia locum & modum mortis falsò litteris mandaret?

Torquet Hunnium vox *fabulæ,* qua inter cætera elogia cohonestauit etiam librum Iobi. *Potuit Bellarminus videre,* inquit Prædicans, *quomodo Lutherus eodem planè contextu orationis narrationem de Iobo veram historiam esse pronunciet.* Vidit hoc Bellarminus; sed simul vidit, Lutherū, more suo, id quod asseruerat, statim euertere. Si enim veram historiam esse credidit; cur nominauit *fabulam,* vel *fabulæ* assimilem? Cur apertissimè scribit, *se non credere omnia gesta esse eo modo, quo in libro Iobi gesta describuntur?* Si quis diceret, Euangelicam S. Matthæi esse veram historiam; se tamen non credere omnia eo modo gesta esse, quę à sancto Matthæo gesta memorantur; an non hoc ipso veritatem historiæ negaret, & prius illud dictum suum funditus tolleret?

Colligere poterat Bellarminus, ait Prædicans, *fabulæ vocem non hic fictitiam significare narrationem, sed eodem plane sensu, quo historia Iosephi Patriarchæ in comœdiæ redacta formam, fabula, & argumentum eius argumentum fabulæ apud eruditos appellari consueuit.* Occurrit illud quod S. Augustinus contra Cresconium Grammaticum alicubi dixit. *Vides certè dum manifestos errores tueri conaris alienos, nihil te agere, nisi subiungere manifestiores tuos:* nam vt maximè daremus, Lutherum *fabulæ* vocem vsurpasse eo sensu, quo tu dicis; ab impietate tamen non liberaretur; tantum enim sequeretur, Iobi librum partim esse veram historiam, partim fabulam: quis enim nescit comœdias, etiam tunc, cum veræ alicui historiæ innituntur; nihilominus fabulas & esse & dici; quia semper ab illis, qui historias in comœdias redigunt, adduntur & finguntur ex Poëtices præscripto illa, quæ nunquam acta sunt. Inspiciat, oro, lector, comœdias illas, quæ Latinè & Germanicè circumferuntur de Iosepho, Tobia, Iudith, Ioanne Baptista, Susanna, & id genus infinitis argumentis ex sacrarum litterarum penu depromptis; clareque videbit propter additionem & fictionem verè ludos & fabulas esse.

Nec propterea fabula non est fabula quia fundamento vero nititur; alioqui nec Ilias nec Odyssea Homerica, nec Virgiliana AEneis fabula esset; Satis est, vt veris fictitia misceantur;

idque etiam quod non accidit, quasi acciderit, à Poëta exhibeatur. Accedit, quod Lutherus librum Iob cum fabulis Terentij & Virgilij AEneide contulit. Quocirca simpliciter pro fabula habuit: Quis enim est, qui Comœdias Terentianas & Virgilianam AEneidem absolutè & sine vlla exceptione inter fabulas non deputet? Præterea quisquamne tam obesi erit iudicij, qui comœdiolam de Epulone & Lazaro, vel de Ioanne decollato Latinè vel Germanicè lectitans, eam, vt sic à Poëta conscriptam pro vera historia habeat? Quæso arbitrarisne veram historiam Tragœdiam Buccanani de Iephte; aut illam alteram eiusdem de Ioanne Baptista? *Quid inanem caliginem rebus* tam manifestis *adspergis*? Quid tergiuersaris Prædicans? Notior est impietas Lutheri, & apertior, quàm vt vllis verborum inuolucris occuli queat.

Indignatur Prædicans, *quod Bellarminus non eadem benignitate dignatur Lutherum, qua Hieronymum; qui cum historiam Susannæ & Draconis apud Danielem vocasset fabulas, Bellarminus cap. 9. libri primi vocabulum fabulæ in bonam partem interpretatur.* Sed nosse debet Prædicans, Lutherum & S. Hieronymum magno discrimine distare; ac proinde non quidquid in gratiam S. Hieronymi fit; id etiam in gratiam Lutheri præstari debere, præsertim si quo minus id faciamus, euidentia argumenta obstent, vt hic quidem obstant.

Secundò, iam suo loco ex Luthero vidimus, verba obscurè, & ambiguè, & ad fraudem & imposturam aptè ac insidiosè loquentium, contra auctores suos interpretanda esse; vt Lutherus in Epistola de Erasmo Tom. 2. Lat. VViteb. copiosè nos docuit. Cur ergo Lutheri doctrina non vtemur aduersus ipsum Lutherum? *Rectißimè à Iurisconsultis dicitur*, inquit Schlüsselburgius Prædicans & Superattendens Lutheranus in Catalogo Hæreticorum lib. 4. qui est de Synergistis; *verba obscurè loquentis, præsertim, quando clarius loqui potest, contra auctorem ipsum sunt exponenda.* Item; *Rectè ait Lutherus: Hostium verba non pro iis, sed contra eos explicanda sunt. Et Augustin. præclarè inquit: simpliciter, & sine sensu malo hæc acciperem, si non ab iis, quorum sensus notus est, dicerentur.*

Et tamen Hunnius cupit, vt Bellarminus non obscuram, sed manifestißimam Lutheri in librum Iob, & in ipsum Iobum impietatem excuset, nec excuset tantum; sed & defendat ac laudet. *Quid non audeat humana temeritas*, inquit S. Augustinus aduersus Cresconium lib. 4. cap. 37 *cum in sententiam nefandi præcipitatur erroris, quam relinquere propter veritatem pudet; & defendere contra veritatem non pudet.* Quam cæcus amor inest his Prædicantibus, qui quælibet Lutheri dicta, quamuis impietate & turpitudine plenißima, quasi pietati & honestati quàm maximè consentanea tueri conantur. Si Lutherus de sanctißimo Iob nihil aliud inter cyathos eructasset; quàm illud, *titulo de Patriarchis & Prophetis; Hiob passus est multas tentationes etiam ab amicis, &c. quibus respondit; Scio me non esse adulterum, non latronem, non furem. Hæc eo dicente, tum demum excanduerunt, aduersus eum. Ipse verò nihil illos deblaterantes moratus, tacebat*: Als wolt er sagen. Leck mich im Rucken. Vbi Lutherus turpißimam & impudentißimam mentem suam & loquendi consuetudinem sanctißimo viro Iob affingit; & ex illo, quem ipse Deus amplißimis laudibus afficit, petulantem scurram facit. Sed satis de libro Iob.

Notat Bellarminus ex Colloquiis mensalibus, *titulo de libris veteris & noui testamenti*, eiusdem Lutheri impietatem in librum, qui *Ecclesiastes* inscribitur, *quem ait Lutherus, sibi videri ocreis & calcaribus destitutum, equitare tantũ in socciis, quemadmodum ipse soleret, cum adhuc esset in cœnobio. Adulterinum est scriptum*, clamat Iunius, *vitrum, quod aiunt, pro margarita.* Hunnius quoque. *Quid Lutherus de Ecclesiaste senserit, rectius ex authentico ipsius scripto cognosci potest, quàm ex eo, quod alius quidam ex sermone eius fortè non per omnia intellecto carptim excepit.* Verùm hæc Lutherum nec iuuant, nec purgant. Iam enim supra vidimus quanti colloquiorum librum discipuli Lutheri & commensales fecerint; & quãta diligentia ex *Sancto Lutheri ore* omnia annotarint; & quantis postea encomiis hoc ipsum Symposiacarum narrationum volumen decem nobilißimis & amplißimis imperij ciuitatibus Aurifaber obtulerit.

At alibi laudauit Lutherus Ecclesiasten, ait Hunnius, *& adeo præclarè de illo sensit, vt integro commentario eum illustrare voluerit.* Quid tum postea? An ideo illa, quæ exstant in Colloquiis non euomuit Lutherus in Ecclesiasten? An ideo Lutheri dictũ & iudicium nõ est: Diß Buch soll völliger seyn/ vnd ist im zuviel abgebrochen. *Liber iste deberet esse plenior; nimis decurtatus est?* An ideo Lutheri non est, quod ibidem legitur? *Ecclesiastes est sicut Thalmuth, ex variis libris consarcinatus.* En honorificam Ecclesiastæ cum fabulosißimo Thalmuth collationem. Nec obscurum reuerentiæ in Ecclesiasten argumentum est, quod ibidem Lutherus ait; *Sententias Salomonis, quas mensæ accumbens funderet, fuisse ex ore loquentis exceptas, & postea in libros digestas.* Quo tacitè innuit, Ecclesiasten & Prouerbia nihil aliud esse quàm Colloquia Conuiuialia Epulantis Salomonis, vt proinde Prædicantes exemplo Salomonis Colloquia symposiaca Lutheri defendere, & fortè aliquando *Canonizare* queant. Et cur id non facerent, cum Lutherus in eodem mensalium confabulationum titulo intrepidè affirmet; *Ego sum Esaias; & Philippus est Hieremias.* Laudauerit itaque alibi Lutherus Ecclesiasten. Satis est, & plus quam satis, quòd eundem Canonicum ac diuinũ librum benè potus inter scyphos & patinas conuitiis prosciderit. Et nihil aliud hinc colligimus, quã Lutherum fuisse Vertumnũ, & eadem lingua eidem rei modò bona, modò mala dicta dixisse, pro furoris, quo agebatur & ferebatur, impetu.

Quod

Digitized by Google

Quod autem Hunnius Commentarium Lutheri in Ecclesiasten supra sidera extollit, eumq; talem esse pronunciat, *vt omnium Patrum annotationes in hunc librum scriptæ cum expositione Lutheri cōferri non mereantur*; prope est, vt assentiar, præsertim, cum ipsemet Lutherus statim initio eius commentarij palam dicat, *neminē hactenus ad plenum sententiā Ecclesiastæ assecutum esse*; subintellige; *præter ipsum Lutherum*; cui tam veraci cur fidem abrogarem? Deinde quædam adeo abiecta sunt & vilia; vt si rem quampiam eximiam cum illis conferre velis, iniuriam rei eximiæ inferas. Iam verò patrum scripta adeo sunt insignitè proba & erudita; vt non mereantur collationem cum Lutheri insulsissimo, inscitissimo & ineptissimo in Ecclesiasten commentario; quia collatio illa nihil aliud esset, quam iniuriæ irrogatio. Addo ad extremum, Lutherum ne in ipso quidem Commentario penitus suam erga Ecclesiasten affectionem tegere potuisse; dum audacissimè inscriptionem libri à Spiritu sancto profectam corrigit; rectiusque *Politica vel Oeconomica Salomonis*, quàm *Ecclesiasten vocari* contendit; quasi Lutherus melius sciuerit, quàm Spiritus sanctus, quomodo liber ille inscribendus fuerit.

Ecclesiasten prius à Salomone scriptum esse, quam insano mulierum amore corriperetur & peruerteretur, probat Bellarminus etiam inde, quod 3. Reg. 4. & 11. & Ecclesiastici cap. 47. prius de libris, quàm de amoribus Salomonis mentio fiat. *Hæc propositio*, inquit Iunius, *infirma est, ac non necessaria, quidquid prius est narrationis ordine, id esse prius tempore*: Nec Bellarminus attulit tanquam necessariam; sed vt probabilē & topicam. Quid tricaris nugator? An tu omnes verisimiles rationes ex disputationibus tolles, vt & ordinē prioris & posterioris? Laudas enim illud tuorum Rabbinorum: *non est prius & posterius in scriptura.* Quo Iudaico axiomate conficitur Abraham nō fuisse priorem Isaac; neque hunc Iacobo; Neque istum filiis suis; neque Moysen Dauide; neque hunc Salomone; quia *non est prius & posterius in scriptura*; inquit ex Hebræorum commentariis Caluinista Iunius.

Secundum argumentum Bellarmini est tale. Salomon capite secundo Ecclesiastæ; ita loquitur: *Sapientia quoque perseuerauit mecum*: nimirum vsque ad illud etiam tempus; quo scribebat Ecclesiasten; *non est autem verisimile, cælestis sapientiæ lumen cum ea cordis deprauatione simul habitare potuisse, de qua loquitur scriptura, cum ait 3. Reg. 11. Et auerterunt mulieres cor eius. Cumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos.*

Respondet Iunius; *hoc sibi noluit; sed hoc tantùm prædicat, se magnum fuisse, & omnibus commodis, & deliciis auctum, etiam quo tempore sapientia permanebat adhuc penes ipsum. Fallacia itaque diuisionis est, qua in exponendis illius verbis Bellarminus fallitur. Demonstrat illud Salomon ipse Eccles. 7. cum ait; omnia illa probaueram in sapientia; quum dixi sapio, ipsa longinqua fuit à me.*

Neque hic, opinor, vt passim alibi, intellexit Iunius quid annotaret. Non enim dicit, Sapientiam secum perseuerasse, quando *supergressus est*, diuitiis scilicet ac deliciis, omnes suos antecessores; alioquin Sapientia etiam cum illo perseuerasset tunc, qando cor eius deprauatum est per mulieres, quia tunc etiam opibus & voluptatibus omnes antegressos Reges superabat: Sed enumerans omnem illam regiæ opulentiæ, qua circumfluebat, copiam, hoc insuper beneficium sibi obtigisse commemorat, vt sapientia secum perseueraret. Quod ante lapsum euenisse oportuit. Nam in ipso lapsu quando cupiditatibus suis omnes habenas laxabat; id certè de se affirmare non poterat. At dicet Iunius. *Affirmasse illum hoc eo tempore cum pœnitentiam vel agebat vel egerat, non de statu lapsus, sed de illo temporis spatio, quod lapsum antecessit.* Hoc quidem Iunius vel alius eius loco dicere poterit, sed quo fundamento? Non enim dicit; Sapientia mecum perseuerauit vsque dum mulieres auerterunt cor meum à Domino; sed absolutè; Sapientia perseuerauit mecum; nempe continuè & constanter; eo itidem tempore, quo hanc ipsam sententiam, partem Ecclesiastæ proferebat, & in litteras mittebat.

Mirum autem videri posset, si quis hæreticorum ingenia non nouisset, Iunium hic tergiuersari, cum ipsemet palam fateatur, Ecclesiasten à Salomone conscriptum esse, cum adhuc saperet; quanquam paulò pòst hoc ipsum rursus euertit; cum dicit. *Alia sapiens primùm scripsit; alia deinde resipiscens.* quasi Ecclesiastes partim ante lapsum, partim postea in statu pœnitentiæ compositus fuerit. Neque hoc ex capite septimo ostendere potest Iunius, licet conetur, sed frustra: nam verba illa: *Cuncta tentaui in Sapientia. Dixi, Sapiens efficiar: & ipsa longius recessit à me, multò magis quàm erat; & alta profunditas, quis inueniet eam?* nihil aliud significant, quam Salomonem; *vltra omnes homines quæsisse Sapientiam*, vt explicat S. Hieronymus in cap. 7. Ecclesiastæ, *& tentasse ad finem illius peruenire: Sed quanto plus quæsierit, tantò minus reperisse, & in mediam demersum caliginem, tenebris ignorantiæ circumdatum fuisse*; Licet enim sapientissimus esset, quantulum tamen erat illud Sapientiæ, respectu Sapientiæ diuinæ, immensæ ac infinitæ; & respectu eorum, quæ Salomoni adhuc cognoscenda supererant? Itaque non loquitur de recessu Sapientiæ, quando cor eius per mulieres deprauatum est: (neque enim tunc *tentauit omnia in Sapientia*, quod est, Sapientiam summo studio inuestigare; cum potius à Sapientia eo tempore penitus sese auerterit, & ad insipientiam conuerterit) sed de recessu, vt sic vocem, immensitatis & infinitatis Sapientiæ; quatenus

Digitized by Google

A quò Sapiens plura didicit; eò plura sibi discenda restare perspicit. Nec illa verba Ecclesiastæ nobis obstant. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueum venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius*; quia hæc scire & pronunciare verissimè potuit Salomon, etiam antequam mulierum amore miserabiliter circumretitus esset; Erat enim sapientissimus, & fraudes fœmineas, quamuis experientia necdum edoctus, satis intelligebat. Ridiculus est autem Iunius, cum dicit Bellarminum *committere fallaciam diuisionis*, quando citat verba illa cap. secundi: *Sapientia quoque perseuerauit mecum.* Quid, obsecro, faciunt hæc proximè subiecta verba ad antecedentem sententiam: *Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei,*
B *non negaui eis*: vt seiunctio eorum à superioribus *fallaciam diuisionis* efficiat?

Amplectitur Bellarminus S. Augustini & aliorum sententiam, qui putant Salomonem à Deo reprobatum, non egisse vnquam pœnitentiam; licet veterum Iudæorum sententia fuerit, teste S. Hieronymo in cap. 1. Ecclesiastæ, librum istum à Salomone fuisse compositum post peractam malè commissorum pœnitentiam. *Hanc sententiam*, inquit Iunius, *confirmo tribus argumentis; inscriptione, narratione & auctoritate scripturæ. Inscriptione; nam Ecclesiastes siue anima Concionalis* ἀμεταβάτως *dicitur Salomo, qui venit in Ecclesiam, à qua abfuerat, eamq; ingreditur.* Nil nisi verba audio; vbi sunt probamenta? nam non probanti nihil credimus. Scilicet Salomon non poterat concionari de vanitate & instabilitate rerum humanarum; nisi mulierum illecebris abreptus in idololatriam corruisset; Similiter facit Iunius, ac si diceret, neminem posse esse Ecclesiasten seu concionatorem de contemptu ac despicientia rerum mortalium & caducarum, nisi prius ingentibus flagitiis sese contaminasset.

De priore ingressu non posse accipi totus liber clamat; inquit Iunius, ergo de regressu. Sed tota hæc Iunij oratio clamat, Iunium nihil probare; sed nuda verba omnis probationis expertia fundere. De quo enim Salomonis ingressu in Ecclesiam loquitur? Salomon Iudæorum Ecclesiæ aggregatur fuit tunc, cum circumcisus est; sicut & nunc
D infantes cooptantur in corpus Ecclesiæ Christianæ, quando sacro baptismate abluuntur; Et in hac Ecclesia componendo hunc librum; Ecclesiasten seu concionatorem egit, in eaque mansit, donec per idololatriæ scelus inde desciuit.

Ex narratione, sic argumentatur Iunius: *Salomonem post annos pauculos quàm ædificia Dei, sua, atque vxoris curauisset, fuisse lapsum non obscurè colligitur ex Ezechielis cap. 4. Ergò quæcunque narrat Salomon, ea probare omnia tam breui spatio intercurrente non potuit: & pro eo, quod in translatione vulgata legitur. 1. Reg. 11. quumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, &c. oportet legi, quumq; iam senesceret, &c.*

Verumenimuero in cap. 4. Ezechielis ne vnum quidem Iota reperitur, quo commentum Iunij fulciatur. Legat lector caput illud ac relegat: si quid eius, quod Iunius asserit; inueniat, vanus habear ego, non Iunius. Nec tam breue tempus fluxit vsque ad ruinam Salomonis, vt ea omnia, quæ in Ecclesiaste commemorat, experiri non potuerit; nam vt 2. Paralip. cap. 8. scribitur; *Expletis viginti annis postquam ædificauit Salomon domum Domini, & domum suam; ciuitates quas dederat Hiram Salomoni, ædificauit, & habitare ibi fecit filios Israël: Abiit quoq; in Emath suba, & obtinuit eam. Et ædificauit Palmiram in deserto, & alias ciuitates munitissimas ædificauit in Emath.*

Quo tempore necdum à Deo & religione auita Salomon deflexerat; vt patet ex lib. 3. Regum cap. 9. imò & tunc etiam verus Dei cultor erat, quando ad eum Regina Saba venit; vt patet ex lib. 3. Reg. cap. 10. nam casus eius postea demum cap. 11. narratur. Quis igitur non videt, Salomonem tanto tempore, quo templum condebatur, & post conditum templum, omnium eorum, quæ in Ecclesiaste enumerat, experimentum capere potuisse; præsertim cum opibus abundaret, neque quidquam esset, quod per inopiam experiri prohiberetur. Neque obstat; licet cum Iunio 3. Reg. 11. legamus; *Cumq; iam senesceret, &c.* tantum enim temporis fluxit ab exordio regni, vsque ad initium senectutis, quantum abundè satis erat ad experientiam omnium eorum capiendam; quæ ipse de se in Ecclesiaste refert.

Auctoritate sic probat Iunius suam opinionem: *Salomonem egisse pœnitentiam, & hac peracta scripsisse Ecclesiasten affirmatur Ecclesiast. 7. & 2. Chronicorum 11.* Sed in Ecclesiaste nihil huiusmodi inuenies, quod legenti liquebit: & iam supra abundè ostensum est. 2. Paralip. 11. tantum hoc dicitur: *Confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulauerunt enim in viis Dauid & Salomonis annis tantùm tribus.* Sed hoc testimonium nihil efficit; quia loquitur de viis, per quas ambulauit Salomon, antequam in idololatriæ crimen incurreret. Ait S. Augustinus in Psal. 126. & alibi sæpe, *Salomonem à Deo fuisse reprobatum.* Vbi Iunius. *Dictum Augustini horridulum est & duriusculum.* Deli-
D catis nimirum Iunij & aliorum auribus, qui reprobi esse volunt; reprobi audire nolunt. Et hæc dicta sint aduersus Iuniū pro sententia S. Augustini quam Bellarminus quoque amplectitur; licet nec contrariam damnet; vt nec ego; quam sequitur & erudite confirmat noster Martinus Delrius in Isagoge in Cantica Canticorum.

CAPVT VI.

De Hæreticis, qui libros noui testamenti oppugnarunt.

EX hoc capite vix quidquam attingunt Iunius & Hunnius, præter ea, quæ ad Lutherum pertinent, in quo defendendo sudant. Ait Bellarminus. Decima hæresis Euangelistam nullũ agnoscit præter vnum Ioannem. &c. Atque hanc hæresin vigere ac florere vehementer optasse videtur Lutherus, &c. Certè præfatione in nouum testamentum, dicit abolendam esse illam falsam opinionem, quod sint tantum quatuor Euangelia. Item Ioannis Euangelium esse vnicum, pulchrũ, verum, ac principale Euangelium, aliisque tribus longè ac latè præferendũ. Vbi Iunius mentitur, *hæc non esse verba Lutheri de Ioannis Euangelio.* At hæc esse ipsissima Lutheri verba; testantur antiquæ editiones noui testamenti; nominatim illa, quæ Norimbergæ prodiit ex Officina Iodoci Gutknecht anno Domini 1527. quam citat etiam Ioannes Mülhusianus noster in disputatione *de sacrarum litterarum Interprete authentico, fideiq; norma, & controuersiarum Iudice*: In præfatione enim Lutheri, quæ huic editioni præponitur, omnia verba à Bellarmino citata; & plura etiam in Euangelistas contumeliosissima, reperiuntur; quæ paulò pôst enotabimus; Excisa deinceps vel ab ipso Luthero vel à Prædicantibus ex præfatione in nouum testamentum, eò quòd puderet illos, quantumuis impudenter, tam stolidi & impij Iudicij à Luthero de libris noui testamenti lati.

Ne verò cum Iunio tantum agam ex vetustioribus editionibus noui testamenti à Luthero in Germanicam linguam versi; ecce tibi testem omni exceptione maiorem & irrefutabilem, Ioannem Aurifabrum, Lutheri discipulum & familiarem; qui tomo primo eorum operum Lutheri, quæ extra tomos VVitebergenses & Ienenses vagantur; ac proinde non immeritò *Extrauagantia* dici queunt, fol. 180. Lipsiæ anno salutis M.DCIII. fragmentum ex præfatione illa mala manu amputatum integrum lectori repræsentat, cum hac ad marginem annotatione Germanica. Diß Stuck stehet in der Vorrede deß newen Testaments/vnd ist im Truck der letzten Jahre außgelassen. *Hoc fragmentum est in præfatione noui testamenti; omissum in editionibus posteriorum annorum.* Quis omisit, ô Prædicans? Quis abscidit? Quare? An non ideo, quia in hoc fragmento exstant omnia, quæ Bellarminus adducit; & plura etiam, quæ perspicuè docent Lutherum non abhorruisse ab illa Hæresi, quæ vnicum S. Ioannis Euangelium recipiebat?

A Perpendamus singula fragmenti huius verba exorsi à titulo; quem Aurifaber præfixit; Et est talis. Welches die rechten vnnd edlesten Bücher deß newen Testaments sind. *Qui sint veri & nobilissimi noui testamenti libri?* Vbi si exspectas, vt respondeatur, omnes libros noui testamenti, esse veros noui testamenti libros; multum decipieris. Longè enim aliud responsum audies. Quod illud? Ioannis Euangelium, ist das einige / zarte / rechte Haupteuangelium/vnd den andren dreyen weit weit fürzuziehen / vnd höher zuheben. hoc est, *Ioannis Euangelium est vnicum, pulchrum, verum & principale Euangelium, aliis tribus longissimè præferendum & antepenendum.* Cedo Iuni, an non sunt hæc ipsa Lutheri verba? Perfrica frontem, & nega, si audes. B An non hæc verba insigniter fauent Valentino, veteri Hæretico; qui nullum Euangelium, præter Euangelium Ioannis admittebat? Quomodo magis suum erga Valentini peruersam persuasionem, beneuolum affectum Lutherus patefacere potuisset, quàm dicendo: *Ioannis Euangelium esse vnicum pulchrum, verum & præcipuum Euangelium, & tribus aliis longissimè præferendum*; Item Ioannis Euangelium (& Epistolas S. Pauli præsertim illam ad Romanos & primam S. Petri) *esse verum nucleum & medullam inter omnes libros noui testamenti.* Si ergo Euangelium S. Ioannis est *verus nucleus, & vera medulla*; quid erunt tria alia Euangelia? Num putamina, & ossa? Num *nucleus*, sed non verus? Num *medulla*; sed non C vera?

Cur autem Euangelium Ioannis sit *vnicum pulchrum, verum & præcipuum* Euangelium, & aliis longissimè præferendum, has caussas reddit Lutherus. *Quia in Euangelio S. Ioannis non inuenis multa de operibus & miraculis Christi; sed multa inuenis perquam scitè & artificiose depicta, quomodo fides in Christum superat peccatum, mortem, & infernum, & quomodo vitam, iustificationem & salutem largiatur*; Welches die rechte Art ist deß Euangelij. *Quæ est vera Euangelij natura.* Ex quo sequitur Euangelium S. Matthæi, S. Marci & S. Lucæ non habere *veram naturam*, (die rechte Art) Euangelij; & sic nec vera Euangelia esse; sicut homo non est illud, quod veram naturam (die rechte Art) hominis D non habet: quia solum Euangelium Ioannis *veram naturam* Euangelij habet. Quomodo, Iuni, Lutherus explicatius suam in Valentini de vnico Ioannis Euangelio placitum propensionem prodere potuisset, nisi disertis verbis & absque vllis anfractibus tria reliqua Euangelia repudiare voluisset? quod, vt ipse etiam Bellarminus monet, nimis difficile Luthero visum est; & sectæ suæ non admodum conducibile. Itaque quod aperto Marte non valuit, id per ambages & insidiosos cuniculos transactum dare studuit.

Quo etiam tendunt illæ blasphemiæ. *Si alterutris carere deberem*, operibus scilicet vel concio-

nibus Christi, *tum mallem carere Christi operibus, quàm concionibus, nam opera Christi nihil me iuuant*; hoc est, nihil mihi prosunt. En impium caput; Negat sibi opera Christi profuisse. Nil ergò profuit Natiuitas; nil passio, & mors: vt actiones alias, & perpessiones totius vitæ sanctissimas prætercam. Etsi Luthero re vera nil profuerunt; non, quia plurimum prodesse non potuerint; sed quia, quò minus prodessent, ipse sibi scelerata vita obstitit. *Ast verba Christi dant vitam*, inquit Lutherus. Nisi fallor, nec facta, nec verba Christi tibi aut dederunt, aut hodie tuis dant vitam. Nam qui facta Christi verbis Christi postponit, ille indignus est, qui vel per facta, vel per verba Christi vitam accipiat, &c.

Pergit Lutherus: *Cùm Ioannes pauca opera Christi scribat, sed multas conciones: alij verò Euangelistæ multa opera Christi litteris mandarint; & pauca verba; sequitur, Euangelium Ioannis esse vnicum, tenerum, verum, genuinum, & principale Euangelium, & tribus reliquis longè, longè præferendum, & ante ponendum; sic & epistolæ S. Pauli, & S. Petri longè tribus Euangeliis Matthæi, Marci, & Lucæ præcellunt. Summa*, inquit Lutherus, *Euangelium S. Ioannis, eiusq; prima epistola, epistolæ S. Pauli, præcipuè ad Romanos, Galatas, Ephesios, & prima S. Petri, sunt libri illi, qui tibi Christum monstrant*. (Quid ergò facis tu Euangelista Matthæe? Quid tu Euangelista Marce? Quid tu Euangelista Luca, si solus Ioannes Christum monstrat?) *quiq; te omnia docent*, quæ scitu necessaria sunt, beatumque efficiant. Frustrà ergò nos docet Matthæus, frustrà Marcus, frustrà Lucas. Non ergò necessarium erit scire Christi incarnationem, de qua S. Ioan. paucula verba: non eius Natiuitatem, non eius circumcisionem, non alia quamplurima de quibus nihil S. Ioannes.

Eat nunc Iunius, & inuerecunde neget, verba à Bellarmino citata, esse Lutheri.

Nec candidius & sincerius defendit Lutherum Hunnius; Totam hanc Lutheri impietatem, quam iam deteximus, fraudulenter dissimulat. Ita loquor; neq; enim Germanicus Prædicans ignorabat, quid in antiquioribus Germanici noui testamenti editionibus Lutherus effutiuisset; & quid itidem in primo Tomo Germanicorum Lutheri operum, quæ Aurifaber collegit & vulgauit, contineretur; sed quia videbat Lutheri impiam & stolidam insipientiam liquidiorem esse, quàm vt vllis pigmentis fucari posset; ideo vertit se ad præfationem Lutheri in nouum testamentũ, prout iam à Prædicantibus decurtata legitur; abscissâ nefariâ illâ Euangeliorum inter se collatione.

Dicit quidem Lutherus, inquit Prædicans, *VNVM tantùm esse Euangeliũ, sicut vnus tantùm noui testamenti liber est, vna fides, vnus tantùm Deus, qui promittit. Hæc enim ipsius verba sunt. Porrò quomodo hæc intelligat,*

A *immediatè subdit. Est enim, inquit, Euangeliũ græca vox, significans bonum, seu lætum nuncium, & tale quidem, quod summa omnium gratulatione accipiatur, atq; prædicetur.* Et paulò pòst: *Videmus, inquit; VNVM tantùm esse Euangelium, sicut vnus tantùm Christus est: quandoquidem Euangelium nihil aliud est, nec esse potest, quàm prædicatio de Christo, DEI & Dauidis filio, vero DEO & homine, qui pro nobis moriendo, & resurgendo, omnium hominum, qui credunt in ipsum, peccata, mortem, & damnationem superauit, ac sustulit. Habes pie lector, quo significato, & sensu, Lutherus, hisce in locis, Euangelij vocabulũ accipiat, nempe pro ipsa prædicatione de Christo, & ipsius beneficiis. Qua ratione certum est, Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem non quatuor, sed vnum tantùm scripsisse Euangelium: quod, qui negat, non iam argumentis* B *refutandus ille, sed amentia eius fustibus castiganda, & caput helleboro purgandum est.* Hæc Prædicans. Cuius fraudulentissima & nefaria improbitas fustibus castiganda, & caput non tantum helleboro; sed & efficatiore pharmaco, nempe, antimonio, expurgandum est; Bellarminus enim & Cochlæus, quem citat Bellarminus, non loquuntur de recocta, & decurtata præfatione Lutheri in nouũ testamentũ; sed de illa, quam initiò versioni suæ præfixerat; quã Prædicantes truncarunt; quam repræsentant antiquæ editiones; quã deniq; reparat & restituit Aurifaber, descripto integro illo, & denuo typis publicato fragmento, quod Prædicantes oblitteratum, penitusque sepultum cupiebant.

C In hac ergo præfatione non asserit Lutherus vnum esse Euangelium eo sensu, quem Hunnius nobis decantat; & Iunius quoq; attigit; sed dicit, esse *vnicum pulchrum verum ac præcipuum* Euangelium, nempe Euangeliũ S. Ioannis; quòd hoc solum Euangeliũ pauca dicat de operibus Christi; multa verò de concionibus Christi; & alias ob caussas, quas paulò ante attulimus. Quare nõ est necesse vt aut Bellarminus aut Cochlæus mõstrent, quod flagitat Prædicans, *Lutherum dixisse, aut scripsisse, quòd historia Euangelica de Christo ab vno duntaxat scriptore contexta sit, nimirum à Ioanne, reliquorum autem historias ab Euangelij appellatione secludendas esse*. quia nec Bellarminus, nec Cochlæus Lutherum accusant quasi hoc *directè* & apertè D scripserit; sed accusant illum, quòd ea *directè* & apertè scripserit, ex quibus æquè *directè* & apertè conficitur vnum tantummodo esse Euangelium; & trium aliorum Euangelistarum historias ab Euangelij appellatione & dignitate excludendas esse: quia solum Euangelium S. Ioannis est *verum Euangelium*: ergo tria alia non sunt vera Euangelia. Solum Euangelium S. Ioannis est *verus nucleus & vera medulla*. Ergo tria alia aut sunt putamina & ossa; aut nec verus nucleus, nec vera medulla; consequenter nec vera Euangelia; omne enim verum Euangelium, est verus nucleus, & vera medulla. Solum Euangelium S. IOANNIS habet *veram Euangelij naturam*. (die rechte Art) ergo so-

lum

Digitized by Google

lum S. Ioannis Euangelium est verum Euangelium: quia nullum est Euangelium verum, nisi quod habet veram naturam, & vt sic loquar, indolem veram Euangelij. Hæc Prædicans, hæc, inquam, & similia monstra, quæ Lutherus peperit, ab accusationibus Cochlæi & Bellarmini tibi defendenda erant; non illa explicanda & exaggeranda, de quibus nec Cochlæus, nec Bellarminus cogitauit. Sed cum *laruis*, hoc est, tecum & cum tuis commentis maluisti luctari; quàm impuram hanc Lutheri Camarinam commouere; ne grauiorem in sempiternum Lutheranæ sectæ dedecus fœtorem exhalaret.

Porrò Hunnium vidisse primam & integram Lutheri in nouum testamentum præfationem argumento sunt hæc eius verba: *Quod scribit Lutherus, Euangelium Ioannis, & Epistolas Pauli, eam præsertim, quæ ad Romanos est scripta, longè excellere reliquos (noui testamenti) libros omnes: Item, dubitari non debere, quin Ioannis Euangelium, quod inter reliqua tria tanquam arcem occuparit, salutaribus Christi doctrinis tradendis primo loco sit habendum. (hoc namq; modo sonant verba Lutheri) quid hîc inest vel falsitatis, vel impietatis?* Vbi primum impudenter mentitur Prædicans, hoc modo, vt ipse refert, sonare Lutheri verba: prouoco ad ipsam integram & incorruptam Lutheri præfationem: ex qua hæc fraudulenter Hunnius producit; nam in ea, quæ nunc nouo Lutheri testamento præfigitur, nihil de comparatione Euangeliorum inter se, & cum Epistolis S. Pauli legitur. Deinde defensio Lutheri, quam Prædicans adhibet, futilis est ac nulla; non enim præfert Lutherus Euangelium S. Ioannis tribus aliis tanquam excellentius; quòd grauiora & reconditiora mysteria diuinitatis & Christi Redemptoris nostri nobis patefaciat; sed quòd sit *verus nucleus, vera medulla, vnicum pulchrum, verum, & præcipuum Euangelium; quod Christum doceat ac monstret; quod pauca de operibus & miraculis Christi contineat; multa de operibus & fide in Christum; quod veram naturam Euangelij habeat.* Eandemque ob caussam longè præfert Epistolas S. Pauli, præsertim illam ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, & primam Petri tribus Euãgeliis; Quæ collatio tam est profana ac scelerata, vt ne ipsi quidem perspicaciores Prædicantes eam ferre potuerint: Cur enim sustulerũt, si Lutherus nihil aliud volebat, quàm quod hic verbosè deblaterat Hunnius? Cur eandem præfationem non redintegrãt ac reparant, si nihil Euangelica maiestate indignum complectitur? Cur Hunnius nunquam ausus fuit in tota sua contra sextum caput declamatione nominare veterem illam præfationem; si Lutherus nihil in ea effudit, quod lectores offendere & sacrosanctæ historicæ Euangelicæ dignitatem imminuere ac violare queat?

Nam quod Lutherum auctoritate S. Ambrosij tueri nititur; frustra laborat Prædicans; nisi ostendat, S. Ambrosium similia iis, quæ iam ex Lutheri præfatione produximus, litteris mandasse. Hoc dum nõ præstat, littus arat Prædicans: fatemur omnes cum S. Ambrosio, cum S. Augustino, & aliis Patribus, aquilam istã cæteris sublimius sese sustulisse; & ad ipsum diuinæ gloriæ thronum penetrasse; ibique cælesti sapientia & intelligentia repletam in hæc verba erupisse: *In principio erat verbum, &c.* Nonne ergo frõtem suam fortissimè perfricuerit oportet hypocrita Hunnius (libet enim Hunniana conuicia ad auctorem suum remittere) quod tam *crassi illum mendacij non puduerit, vt scriberet,* Lutherum non scripsisse ea, quæ Bellarminus Luthero ex ipso Luthero obiicit? *Macte,* Hunni tuque Iuni, *sic itur ad orcum.*

Miror autem neutrum istorum hyperaspistarum defendere voluisse hoc portentũ Lutheri, cum dixit, *abolendam esse falsam illam opinionem, quòd sint tantùm quatuor Euangelia.* Muti sunt hic Prædicantes; quod mirum, cum alioqui inanibus logis nunquam & nusquam destituantur. Fortè Lutherus opinionem illam peruulgatam de quatuor tantum Euangeliis eiectam cupiuit; vt sua & sui Philippi scripta Euangeliis paulatim associaret; cum & se non rarò; & sæpius Philippum Euangelistæ titulo & honorifico cognomine cohonestet.

Circa hoc ipsum caput sextum murmurat Danæus, nihil caussæ fuisse, cur Bellarminus tanto studio veterum hæreticorum de libris noui testamenti peruersas opiniones colligeret, collectasq; lectori proponeret. Canat Danæus hanc catilenam suo VVitackero; (quod iam supra monui) qui idem facit. Canat antiquis Patribus & Historicis, qui Hæreticorum placita diligenter annotarunt, & ad posteros transmiserunt; quia interest ista nosse; vt Catholici intelligant, quorum vestigia Nouatores huius ætatis sequãtur. Reiecit Lutherus Epistolam sancti Iacobi tanquam *stramineam.* Idem fecit olim Theodorus Mopsuestenus, vt testatur Leontinus lib. 3. contra Nestorianos & Eutychianos. Et quis iste Theodorus? Homo impius & sceleratus, & communi antiquitatis calculo condemnatus. Itaque quam primum Catholici vident, à quo magistro instructus Lutherus Epistolam sancti Iacobi repudiarit, statim discipulum vnà cum magistro suo multum valere, & in malam rem cum sua doctrina abire iubent.

Non omnes hæreticos produxit Bellarminus; inquit Danæus, *omissis Rhetorianis, Lampatianis, Nepotianis, & aliis, quorum tamen Augustinus, Isidorus, & alij meminerunt.* At neque VVitackerus, in Caluini schola collega tuus omnes attulit. Culpa igitur hoc etiam in tuo symmysta; qui diu ante Responsum tuum, scripta sua aduersus Bellarminum euulgauerat. Deinde Bellarminus non est professus se omnes Hæreticos commemoraturum; quia satis erat, quosdam protulisse, ex quorum ingenio cæteri omnes æstimarentur.

Digitized by Google

Adhæc, quòd *Rhetoriani* directè & expressè aliquos vel aliquem librum Canonicum noui testamenti reiecerint;nec sanctus Augustinus scribit,nec Philastrius,nec Isidorus. Accipe S.Augustini verba ex libello de Hæresibus cap.72. *A Rhetorio quodam exortam hæresin dicit* (Philastrius) *nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat; quod ita est absurdum, vt mihi incredibile videatur.* Hæc S. Augustinus. Si tamen aliquis ita sensit, is Scripturas & probauit & improbauit; probauit cum probantibus, improbauit cum improbantibus, planè contradictoriè; non sine explorato extremæ stultitiæ argumento.

Lampatianos,qua in officina Danæus cuderit,ipse viderit. Nihil de illis S. Augustinus in libello de Hæresibus. Nihil Philastrius in suo hæreticorum catalogo. Nihil Isidorus lib.8.Originum cap. 5. vt nec de *Rhetorianis*, nec *Nepotianis*. Forsan scribere volebat Lamperianos, quos quidam adferunt; nec tamē huiusmodi aliquem errorem adscribunt. Debebat Danæus Auctorum loca notare, & hic & alibi; vt fidem suam nobis luculentius probaret;palamque monstraret,se bona fide,cum Patres citat,agere.

Nepos & Nepotiani non reiecerunt aliquas Scripturæ partes, sed quasdam perperam explicarunt, relatas crassè nimis ad mille annos in omni voluptatum genere post communem resurrectionem consumendos,more Chiliastarum,vt patet ex Eusebio lib.7. Ecclesiast. hist. cap. 19. Grandi autem piaculo,scilicet,obstringit se Bellarminus,quod sententiam Augustini Matth.27. v. 9. Hieremiæ vocem retinentis proponit & recitat, vt inde mendacium quoddam Erasmi redarguat,æquumque fuit,vt in eo castigando aliquot verba Danæus inaniter consumeret.

CAPVT VII.

De libro Esther.

POSTQVAM Bellarminus disseruit de libris canonicis primi ordinis, quorū auctoritas in Ecclesia semper fuit sacrosancta ac indubitata,progreditur nunc ad libros secundi ordinis, ad illos nimirum, de quorum Canonica auctoritate aliquādo etiam ab orthodoxis disputatum ac dubitatum fuit; ex quorum numero liber Esther, Baruch, capita quædam Danielis, Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Macchabæi: & ex nouo testamento partes quædam S.Marci,S.Lucæ, S.Matthæi, epistola ad Hebræos,S.Iacobi, Iudæ,secunda Petri,secunda & tertia Ioannis,Apocalypsis:quorum Canonicam auctoritatem Bellarminus omni genere argumētorum speciatim demonstrat, idque vt copiosissimè, ita & eruditissimè; cuius probationes allatrant Prædicantes;sed incassum,vt videbimus.

A Verùm antequam nugas illorum contra singulos libros examinemus & refellamus; operæpretium duxi prius refutare, quæ VVitackerus generatim obiectat contra Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticū, libros Machabæorum, Baruch,& contra partes quasdam Estheris. Dupliciter autem pugnat Caluinista aduersus Catholicos; primum enim argumenta Catholicorum pro Canonica horum librorum auctoritate dissoluere nititur. Deinde sua & suorum argumenta contra horum librorū auctoritatem producit, & quidem magno fastu, tanquam insolubilia.

Ait VVitackerus. *Aduersariorum vnicum est pro istis libris argumētum positum in auctoritate quorundam*
B *conciliorum atq; patrum.* Hoc tamen vnicum argumentum admodum multiplex est ac conglobatum;vt patet apud Bellarminum, qui pro singulis libris antiquissimos & probatissimos testes profert. Caluinista callidè pauculos tantùm nominat, vt videantur Catholici laborare penuria argumentorum, quibus suam sententiam adstruant. Ex conciliis quatuor duntaxat adducit, Carthaginense III. cui Augustinus interfuit: Trullanum, Florentinum & Tridentinum. A duobus posterioribus expeditè se expedit Caluinianus, *non fuisse scilicet Christianorum concilia, sed tyrannica Antichristi conuenticula, ad oppugnandam Euāgelij veritatem instituta.* Idem dicebant olim Ariani de synodo Nicæna,idem Macedoniani de pri-
C ma Constantinopolitana;idem Nestoriani de Ephesina; idem plenis faucibus Eutychiani & Seueriani de Chalcedonensi. An propterea sanctissimæ illæ synodi erant *Tyrannica Antichristi conuenticula?* quorum auctoritas & vnà Concilium Tridentinum, stat stabitque, quoad mundus stabit: nec inferorum portæ vnquam aduersus hasce veritatis columnas præualebunt.

Ait, *fuisse paucos in Concilio, quod Tridentinum dicitur*, quando decretum de Canonicis scripturis est editum ac sancitum. Quid tum? Non ferebat temporum conditio,vt tum plures adessent.Sub finē concilij conuenerunt & omnia decreta denuò sanxerunt sex Cardinales, quatuor Legati; Patriarchæ tres.Archiepiscopi triginta duo.Epi-
D scopi ducenti viginti octo. Abbates quinque. Generales Ordinum ministri septem.Episcoporum Procuratores plurimi. Num his fidem habet Hæreticus?Nihil minus:licet decies centena millia Episcoporum synodicè congregarentur, nunquam sectario huic vel alteri veritatem persuaderent: semper suppeteret, quod caussaretur, & exciperet.

De Trullana synodo multa verba facit VVitackerus; quam inscitè *generalem & OEcumenicam* nominat. Tantum autem abest, vt fuerit generale Concilium; vt ne prouinciale quidem legitimum Concilium,sed tantummodo *conciliabulum* nominari mereatur,vt euidenter ostendit Baronius Annali octauo,ad annum Christi 692.quip-

pe in

pe in quo non pauca schismaticè & sacrilegè aduersus veteres canones, & communem Ecclesiæ & ab Apostolis deriuatam consuetudinem constituta sunt; inscio Romano Pontifice, & omnibus in occidente Episcopis; vt idem Baronius allatis exemplis fusè ostendit. Et ipse etiam Bellarminus libro primo de Conciliis hanc synodum *erraticam* cum Beda nominat; damnatamque à Sergio Pontifice tradit. Quod si quis Catholicorum synodum hanc *generalem* appellauit, venia dignandus est; quia id accidit respectu ad sextam synodum, cuius Trullanum *conciliabulum* vulgò quasi pars & appendix quædam habebatur. Interim tamen ex hoc conuenticulo colligimus, quis nam ante nongentos, & amplius, annos fuerit totius Græciæ de libris Canonicis sensus; idem nimirum, qui antea Concilij Carthaginensis tertij, & postea Concilij Florentini & Tridentini.

Contra auctoritatem Concilij Carthaginensis multa obiicit Caluinista. *I. Fuisse tantum prouinciale, non generale, & paucorum Episcoporum.* Quod ad numerum Episcoporum attinet, fuêre ducenti septemdecim, vt testatur Theodorus Balsamo, Græcus Canonum interpres; plures nimirum quàm in prima Constantinopolitana, eaque generali aduersus Macedonium synodo, in qua tãtummodo centum & quinquaginta Patres conuenerunt. Et tamen, quis vnquam orthodoxus huic synodo cõtradixit, aut OEcumenicam eius auctoritatem in dubium vocauit, propter non satis grandem Episcoporum numerum?

Secundò licet synodus illa fuerit prouincialis, celeberrimi tamen & maximi nominis in ea fuêre Episcopi, quos inter ipse etiam S. Augustinus, qui vel solus efficere debebat, vt sectarij in decreto de Canonicis libris adquiescerent.

Accedit quòd hæc Synodus à tota postmodum Ecclesia approbata, & recepta fuit; & semper magno in pretio habita; vt patet cap. de libellis dist. 20. vbi Leo Papa IV. inter Canones, quibus *in omnibus Ecclesiasticis vtimur iudiciis*, numerat Canones Carthaginenses; Ad quem locum annotatio Gregoriana: *In Codice Canonum vnica est synodus Carthaginensis, continens canones triginta tres, qui ex variis Conciliis habitis collecti fuerunt. Et canones sedes Apostolica videtur probasse, & vsa eis esse, quando in codicem Canonũ referendos curauit. Eosdem etiam Græci, quo ordine apud Latinos habentur, cũ aliis præterea multis Africanarum synodorum coniunctos in linguam suam verterunt: & hi ipsi sunt, quos eisdem numeris Anselmus, Burchardus, & Iuo citant. quamuis Gratianus interdum quidem his vtatur, interdum verò ex singulis Carthaginensibus Conciliis canones accipiat, quod suis locis indicabitur. Et de hac vnica Carthaginensi synodo intelligendum est, quod habetur supra dist. 16.* cap. *Prima adnotatio*, & cap. *Quoniam*, quod desumptum est ex Trullana synodo; quæ, vt supra dicebamus, Carthaginensem tertiam synodum probat: tametsi Baronius Tomo quinto Annalium, Anno Redemptoris 397. contendat synodum istam potius secundam, quàm tertiam Carthaginensem appellari debere. Sed parum interest siue tertiam, siue secundam voces, dummodo sacrosanctam eius auctoritatem suspicias ac venereris.

Secundò obiicit VVitackerus. *Non ipsi aduersarij omnia huius Concilij decreta suscipiunt; nam quod Can. 26. grauissimè interdicitur, ne primæ sedis Episcopus appelletur summus sacerdos, aut princeps sacerdotum, aut eiusmodi aliquid, id Papistæ vehementer & fastidiosè improbant. Ea nos non possunt auctoritate astringere, quæ ipsi deuinciri nolunt.* At si quis VVitackerum mentiri dicat, iniuriam, opinor, ei non inferat. Nemo enim Catholicorum, Canonem illum rectè intellectum repudiat; nemo non honorat; Quem Catholici tanti semper fecerunt, vt eum quoque in ius Canonicum referendum censuerint dist. 99. cap. *primæ sedis*; qui nihil aliud vetat, quàm fastum & arrogantiam in horum titulorum vsurpatione; vt præter veteres, optimè declarat Baronius Cardinalis Tomo quinto Anno Redemptoris 397.

Addo ego hoc. Canon de Canonicis scripturis pertinet ad fidem; quo fit, vt immutabilis perseueret; neque enim decreta fidei mutari aut abrogari queunt. Canõ de prædictis titulis ad mores spectat; cuiusmodi Canones, mutatis temporum, locorum, hominumq; circumstantiis mutari & abrogari, adeò nõ est absurdum, vt itidem sit necessarium: quod patet non tantum vsu legum Ecclesiasticarũ, sed & ciuilium. Quàm multæ enim antiquatæ & penitus sublatæ sunt, quòd hominũ temporumq; conditiones, alia statuta postularent. Vt igitur Patres illi suas, easque tum iustas & probabiles caussas canonis illius condendi habuerũt; ita postea fieri potuit, vt dignitatis Episcopalis tuendæ, & ab improborũ contemptu vindicandæ gratia, tituli illi & appellationes meritò vsurparentur; non inuito illo Canone; quandoquidem omnes de moribus leges ità comparatæ sunt, vt respiciant id, quod est vtilius ac decentius: humilitatem quoque ita commendant, vt non sit fraudi sacerdotalis dignitatis præstantiæ. Nec omnia, quæ in Canonibus sanciuntur, præcepta sunt; sed pleraq; instructiones continent, vt notum est.

Tertiò dicit VVitackerus. *Antequam nos possunt aduersarij Conciliorum auctoritate vrgere, illud statuant ipsi oportet, vtrum hoc omninò positum sit in autoritate cuiusquam Concilij, vt quis nam liber pro Canonico recipiendus sit, definiat. Id enim inter Papistas dubitatur: quod Canus fatetur.* Lib 2. cap. 8.

Sed mentitur Hæreticus: non hoc dicit Canus; quis enim Catholicorũ dubitat; vtrum Concilium generale ac legitimũ definire queat, qui nam sint libri verè Canonici ac diuinitus inspirati? Nonne in ipso Cano ad finem capitis illius octaui legisti hæc verba? *Asserimus* (nos videlicet Catholici) Ecclesiam de scripturis *earumque sensu iudicare*, id est, *discernere humanã à diuina, verã à falsa.*

Quartò

Digitized by Google

Quartò obiicit Caluinista. *Si iudicio aliquo publico Ecclesiæ totius decretum, aut in generali Concilio definitum fuisset, hos libros in verum, ac germanum sacrorum librorum canonem adscribendos esse, tum ij minimè profectò dissensissent, aut aliter statuissent, qui post sententiam illam legemq́; latam in Ecclesia vixerunt. At dissenserunt, iiq́; sanè frequentes, & inter hos nonnulli, quos Romana Ecclesia pro suis alumnis agnoscit. Ergò tale nullum Ecclesiæ fuit publicè receptum de libris illis iudicium.*

Negatur Maior: quia cur dissentirent varias caussas habere potuerunt; vel quia huiusmodi decretum semper vel aliquãdiu ignorarunt; vel, si non nescierunt, aliter quàm oportebat, intellexerunt, vt accidit etiam Sixto Senensi, post decretum Concilij Tridentini de libro Esther & partibus eius. B Certè ex pertinacia & contumacia nullus Catholicorum vnquam ab vllo generali Ecclesiæ decreto dissensit.

Quintò decretum Concilij Carthaginensis eludere conatur distinctione librorum Canonicorum ex S. Augustino, cuius hæc verba recitat ex lib. 2. cap. 8. de doctrina Christiana. *In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarũ Catholicarum quam plurium autoritatem sequatur; inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioresq́; accipiunt, eis quas pauciores minorisq́; autoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc inuenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Hæc ex S. Augustino Hæreticus.

C Ex quibus tamẽ nihil aliud conficitur, quàm S. Augustinum talem inter canonicos libros ordinem constituisse, qualem ipsemet Bellarminus cap. 4. huius primi libri constituit; nempe, vt primũ locum ac ordinem teneant libri, de quorum canonica auctoritate nulla vnquam fuit in Ecclesia quæstio. Secundum verò ordinem obtineant libri illi; de quibus aliquando quæsitum ac dubitatum fuit, vtrum verè essent canonici ac diuini. Hoc solummodo voluit loco citato sanctus Augustinus; non illud, quod Hæretici ei affingunt; D nempe inter canonicos libros esse discrimen quoad infallibilitatem; quasi aliqui illorum magis sint infallibiles, quàm alij; Nam quoad certitudinem veritatis, & remotionem à falsitate omnes simpliciter libri Canonici pares sunt; & tam infallibilis est Tobias aut Iudith; quàm Genesis aut epistola ad Romanos, etiam S. Augustini testimonio; cuius est per vulgatum illud pronunciatum. Epist. 19. ad S. Hieronymũ. *Solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq́; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam.* Non dicit S. Augustinus se à solis libris, vt isti vocant, Protocanonicis, de quibus nulla vnquam dubitatio exstitit, omnem falsitatem remouere; sed simpliciter ab omnibus illis, *qui iam canonici appellantur.*

Tempore autem S. Augustini, *canonici* nominabantur non tantum libri primi ordinis, sed & secundi; Tobias, Iudith, Macchabæi, Sapientia, alij; id liquet ex Cõcilio Carthaginensi, cui Augustinus subscripsit; cuius 47. Canon est iste: *Placuit, vt præter scripturas Canonicas nibil in Ecclesia legatur, sub nomine diuinarum scripturarum. Sunt aũt Canonicæ scripturæ, id est, Genesis, Exodus, &c.* Et postea nominantur omnes libri, quos Nouatores à Canone reiiciunt: etiam Baruch, saltem implicitè, sub nomine Hieremiæ. Et ipse Augustinus loco à Caluinista citato. *Totus Canon scripturarum his libris continetur.* Singulos postea enumerans S. Augustinus, etiam illos nominat, quos Hæreticorum perfidia ex Canone exturbare nititur.

Ex quibus hoc argumentum confici potest: Testimonio & iudicio S. Augustini abest omnis falsitas à libris, *qui iam Canonici appellantur;* sed iam Canonici appellantur, & tempore etiam S. Augustini appellabantur omnes libri, quos Concilium Tridentinum in Canone collocauit; ergo ab omnibus illis libris abest omnis falsitas; & quod hinc est consequens, æqualiter sunt certi ac infallibiles; & digni, quibus *seruiat omnis fidelis & pius intellectus,* vt loquitur S. Augustinus lib. 11. contra Faustum cap. 5.

Futilis est ergo illa distinctio diuinorum librorũ in protocanonicos & deuterocanonicos, eo sensu, quo ipsi hanc diuisionem vsurpant, vt scilicet alij aliis magis sint infallibiles; & à falso segregati; quanquam alio sensu distinctio hæc non malè vsupatur à Catholicis scriptoribus; vt *Protocanonici* dicantur, de quibus nunquam dubitatum est; *Deuterocanonici* illi, de quibus aliquãdo dubitatum est: & manifestè mentitur Hæreticus; cum ait; *Etiam ab ipsis Papistis hoc modo intelligi & explicari Augustinum & alios, quo ab Hæreticis intelligitur & explicatur;* Luculentum mẽdacium. Omnes enim Catholici ita intelligũt S. Augustinum; tanquam senserit, vt reuera sensit, omnes libros canonicos æqualiter esse certos & infallibiles; non hos magis, alios minus: quod ipsa *Canonici* & diuini libri vocabula satis insinuant; cum indicent talis libri scripturam immediatè niti diuina reuelatione, in quam nulla falsitas, nullaq; mendacij suspicio cadere posit, vtpote à summa & infinita veritate profectam.

Nisi, inquit Sectarius, *S. Augustinum Papistæ intelligerent, eo modo, quo Caluinistæ eum intelligunt; tam multi post Augustinum & post illa Concilia, libros hos esse Canonicos, minimè negauissent.* Sed hoc friuolum est; nam si quis aliter Augustinum aut intellexit, aut explicauit, hic errauit, & mentem S. Augustini non est assecutus, siue Papista siue Caluinista fuerit. Quomodo autem Papistæ S. Augustinum, &

Conci-

Digitized by Google

Concilium Carthaginense, aut alia interpretentur & intelligant, id non ex vnius, vel paucorum Papistarum à vero aberrantium facto aut errore æstimandum est; sed ex communi doctorum orthodoxorum & Ecclesiæ Catholicæ consensu & decreto; his enim, vt sacras litteras, ita & veterum Conciliorum sanctiones & Patrum assertiones explicare competit.

Quare inanem operam capit hæreticus, cum nobis Caietanum opponit. Magnus vir Caietanus; sed homo; qui sæpius id quod humanum est fecit; hoc est, errauit. dum Hebræum Canonem nimis improuidè vrget, beati Hieronymi vestigia secutus. Cui si vsura lucis vsque ad editum Concilij Tridentini de scripturis Canonicis decretum obtigisset, in spongiam incumbere iussisset omnia illa, quæ scribit in fine Commentariorum in histor. veteris testamenti; quæq; Caluinista hic recitat; In cuius dictis illud planè est præposterum, quod ait: *Sacrorum Conciliorum & Patrum decreta, quibus Tobias, Iudith, similes annumerantur Canonicis scripturis, reduci debere ad limam Hieronymi.* Nihil minus, ô Caietane; lima potius sancti Hieronymi ad limam sacrorum Conciliorũ & aliorum Doctorum limãda & expolienda est; ipso etiam S. Hieronymo iubente & lubente; qui limam in prologo Galeato in librum Iudith vsurpatam, limauit postea & reduxit ad limam Concilij Nicæni; quod librum Iudith inter Canonicos libros retulit.

Inanem prætera laborem capit Hæreticus; cum S. Augustinum & S. Hieronymum conciliare nititur. *Aliter*, inquit, *Hieronymus vsurpauit vocabulum hoc, Canonicus, aliter eam vocem, Augustinus, Innocentius, & Patres Carthaginenses interpretantur: Hieronymus eos solũ Canonicos vocat, quos semper Ecclesia pro canonicis habuit: reliquos à canone remouet, & canonicos esse negat, & apocryphos vocat. Augustinus verò canonicos vocat, qui etsi non perinde perfectam, certamq́ue autoritatem habebant, legi tamen in Ecclesia ad populi ædificationem solebant. Latius igitur hoc nomen Augustinus, quàm Hieronymus sumit.*

Falsum est, quidquid hic hæreticus deblaterat. Nam & S. Hieronymus, & S. Augustinus, & Patres Concilij Carthaginensis eodem modo Canonici libri appellationem accipiunt; nempe prout significat librum simpliciter infallibilem, certum & ab omni falsitate & mendacio remotum; hæc enim huius vocis *Canonicus*, notio est; hic essentialis conceptus; in quo S. Augustinus cum Hieronymo cõcordat; & hic cum illo: Tantum in eo est discrimen; quod S. Augustinus Canonici vocabulum sub prædicta notione tribuit omnibus illis libris; quos hodie pro Canonicis veneramur; siue de illis aliquando in Ecclesia dubitatum fuerit, siue non. Sanctus verò Hieronymus illud ipsum vocabulum sub eadem notione non tribuit nisi illis antiqui testamenti libris, quos in Canone Hebræo reperit: reliquos à Canone in prologo quidem Galeato repellit; hoc est; non infallibili auctoritate præditos asserit; hoc enim est librum non esse Canonicum.

Probat Hæreticus Augustinum in ea opinione non fuisse; vt horum omnium æqualem auctoritatem esse iudicaret: quia *Theologiæ studiosum admonet, vt inter libros discrimen aliquod faciat, aliosq́ue ab aliis distinguat, & his illos anteponat. Si sit idem de omnibus iudicium, quod Papistæ contendunt, superuacanea omnis ea admonitio, præceptioq́ue videri debet. Num enim Augustinus, si libros omnes pari iure canonicos esse statuisset, talem librorum partitionem fecisset? quosdam aliis prætulisset? non omnes similiter suscipiendos esse dixisset?* &c.

Respondeo, alios aliis præponit, non quoad infallibilitatem & certitudinem, quasi alij aliis sint magis infallibiles & certi; sed quia aliorum infallibilitas & certitudo semper ac perpetuò apud orthodoxos plana & perspicua, & extra omnem dubitationis aleam posita fuit: aliorum verò nequaquam. Hanc ob caussam alios aliis præferendos monet; non ob illam, quam vrgent Hæretici; omnis enim Canonica auctoritas aut plenè & perfectè Canonica est, ac infallibilis; aut Canonica non est: Tertium non datur. Nam quidquid fallibile & incertum est; id canonicũ non est. Nec frustra de hoc discrimine obseruando monuit sanctus Augustinus; quia notatu dignum est; sicut frustra non moneret; qui multos viros nobiles enumerans, eos, de quorum nobilitate nunquam dubitatum fuisset, præferendos esse moneret illis, quorum nobilitas aliquando apud homines fuisset dubia & incerta; donec tandem verè eluceret, & in apertum produceretur.

Sycophantatur autem Hæreticus, cum ait, Augustinum lib. 17. de ciuit. Dei, *concedere ea minus firma esse, quæ non sunt scripta in Canone Iudæorum.* Cur dissimulat Hæreticus quâ caussâ, & quo respectu, & de qua firmitate hoc dixerit S. Augustinus? Nimirum in eo capite contra Iudæorum pertinaciam disputat; proferensque ex libro Sapientiæ & Ecclesiastico quasdam de Christo, & fide in Christum futura prædictiones: subiūgit. *Hanc sub optandi & precandi specie prophetiam per Iesum Christum videmus impletam. Sed aduersus contradictores* (Iudæos videlicet) *non tanta firmitate* (nonnulli codices habent auctoritate) *proferuntur, quæ scripta non sunt in Canone Iudæorum.* Videlicet tanta firmitate non proferuntur, quia liber Sapientiæ & Ecclesiasticus à Iudæis non recipiuntur. Hinc facile reiiciunt, quidquid inde pro Christi gloria asserenda depromitur. Non vult igitur S. Augustinus, ea, quæ ex Sapientia & Ecclesiastico proferuntur, simpliciter & per se minus esse firma, quàm illa, quæ proferuntur ex libris Hebræorum Canonî accensitis; sed minus esse firma respectu aduersarij, cum quo disputatio suscepta est;

Digitized by Google

est; qui huiusmodi libros reiicit tanquam non diuinitus inspiratos ac dictatos: sicut & hodie minus firma sunt; quæ ex libro Tobiæ, Iudith, Macchabæis, & similibus contra sectarios producimus; non simpliciter; sed respectu Nouatorum; quibus isti libri nulla in auctoritate; nulloque in pretio, vt sic loquar, Canonico.

Postquam Hæreticus sanctum Augustinum veteratoriè & fraudulenter pro suo errore citauit; nunc eundem apertis conuiciis insectari instituit. *In Concilio*, inquit, *Carthaginensi, atq; in Epistola Innocentij Papæ, censentur quinque libri Salomonis, quando non nisi tres Salomonis esse constat.*

Sed vbi & vnde hoc luculentè constat? Certè grauissimi & vetustissimi scriptores, quos refert Bellarminus hoc ipso libro cap.13. & 14. affirmãt; librum Sapientiæ, esse Salomonis; imò & Ecclesiasticum. Nec his repugnat, quod auctor Ecclesiastici dicitur Iesus filius Sirach; quia vt rectè dicit Bellarminus, facilè fieri potuit, vt Iesus Sirach sententias Salomonis à se diligenter collectas in vnum volumen redegerit; ita vterque auctor dici poterit, de quo infrà.

Sic Augustinus ipse aliquando opinatus est, inquit Caluinista, *librum Sapientiæ & Ecclesiasticum esse Salomonis.* (Omnino ita opinatus est in Concilio Carthaginensi, quod ipse calculo suo approbauit.) *Sed postea eam opinionem mutauit, etsi non correxit.* (Vbi quæso?) *Lib.17. de ciuitate Dei, cap.20 cum ait. Non esse Salomonis non dubitant doctiores. Hic vnus fuit error Augustini.* Quis? An quia sensit librum Sapientiæ & Ecclesiasticum esse Salomonis? At hanc opinionem nunquam erroris conuincet Hæreticus. An quia dixit; *doctiores non dubitare libros illos non esse Salomonis?* At neque hanc sententiam vnquam erroris conuincet Caluinista; Quia de re non certa; sed probabili, & in coniecturis posita, qualis est ista de auctore horum librorum nihil certum & exploratum, multa verò verisimilia dici possunt.

Idem Caluinista erroris damnat S. Augustinum, quòd lib.2. de doctrin. Christiana cap.8. Sapientiæ librum putauit scriptum à Iesu filio Sirach. Sed quid respondebit Hæreticus, si quis, vt Bellarminus de Ecclesiastico, dicat; sentẽtias quæ in libro Sapientiæ continẽtur, Salomonem protulisse; Iesum Sirach disposuisse, vnoque libro comprehendisse: & sic vtrunque, Salomonem inquam & Iesum Sirach, libri huius Auctorem esse?

Errorem istum reuocat Augustinus lib.2. Retract. c.4. inquit Caluinista. Non reuocat errorem; tantum dicit; non constare, vtrum Iesus Sirach sit Auctor Sapientiæ. Quod verum est; & probabilius sibi videri, alium eius libri esse auctorem: quod non est alicuius erroris reuocatio, sed eius, quod probabilius iam iudicatur, indicatio: neque propterea erroris sese accusat, qui probabili opinione deserta, probabiliorem amplectitur. Quocirca nil nisi conuicium est, quod Hæreticus ait: *Augustinum in magno errore fuisse, quando primùm hos duos libros à Salomone scriptos, tum à Iesu Siracide esse sensit.* Magnus error, quem Hæreticus ne vno quidem in speciem verisimili argumento redarguere potest. Neque solus Augustinus ita sensit; sed & alij, de quibus Bellarminus; & Ecclesiasticum nominatim Salomoni tribuerũt Marcellinus Papa in Epistola ad Salomonem, & Sixtus Papa Epistola ad Gratum, & alij multi, vt fatetur ipsemet VVitackerus; quibus quod obiiciat, non habet, nisi illud: *Falsissimum est*, qui etiam Melchiorem Canum mendacio onerat, quasi Trullanum Concilium *generale* vocet lib.2. de locis Theologicis, cap.9. & Sixtum Senensem lib.1. Bibliothecæ, & Stapletonum lib.9. cap.6. princip. fid. doctrinal. quasi diuisionem librorum diuinorum in protocanonicos & deuterocanonicos probent eo sensu, quo eam Hæretici proponunt suisq; lectoribus & admiratoribus obtrudunt. Inspiciantur tantum loca horum auctorum; & è vestigio Caluinistæ vanitas patescet.

Ait hæreticus, *à Papistis citari quoq; Gelasium Papam cum suo Concilio 70. Episcoporum.* Ita est. Citatur celeberrimus iste Pontifex ab orthodoxis vnà cum suo Concilio 70. Episcoporum. *At iste non nisi vnum librum Macchabæorum recitat, & vnum etiam Esdræ. Sic Macchabæorum alterum apocryphum, & Nehemiam verè canonicum abiudicauit.* Calumniatur Sectarius: nam Gelasius non dicit D.15. C. *Sancta Romana. Librum Esdræ*, vel *vnum librum Esdræ*; Sed ait; *In Dominica prima Septembris ponunt Iob, Tobiam, Esther, Esdram vsq; in Kalendas Octobris.* Qui modus loquendi minime significat vnum tantùm Esdræ librum esse canonicum; Sed Esdram esse Canonicum: continetur autem Esdras duobus libris qui canonici ab omnibus reputantur. Itaque sicut verè criminator esset; qui audita hac propositione: *Moyses est Canonicus*: inde colligeret; vnum duntaxat Moysis librum, Genesin putà, esse Canonicum; ita verus criminator est, qui ex illa Gelasij vocula: *Esdram*; colligit; vnum tantum Esdræ librum esse Canonicum; alterumque, qui Nehemiæ inscribitur, abiudicari.

Et quamuis Gelasius vnum Esdræ librũ nominasset, tanquam Canonicum, idem tamen dixisset quod S. Hieronymus præfatione in Esdrã; nec secundum propterea ex Canonicorum tribu mouisset. Audi verba S. Hieronymi. *Nec quemquam moueat, quod vnus à nobis liber editus est, &c. quia & apud Hebræos Esdræ, Nehemiæq; sermones in vnum librum coarctantur.* Ecce S. Hieronymus vnum duntaxat Esdræ librum nominat. Num alterum exclusit? Gregorius Nazianzenus in carmine de scripturis genuinis Esdræ postremum Canonicis scripturis accenset: Num primum reiecit à Canone? Cur ergo perpetim clamant Prædicantes, Nazianzenum secutum esse Canonem Hebræum? Vt ergo, teste Damasceno, lib.4. Orthodox. fidei, primus & secundus liber Regum censebãtur vnus: item tertius & quartus, vnus. Item

duo

duo libri Paralipomenon vnus; ita primus & secundus Esdræ vnus liber reputabantur, quod etiam de duobus Macchabæorum libris intellectum volo. Etsi decretum Gelasij, vt ab Iuone & Burchardo recitatur; non *librum*, sed *libros* Macchabæorum nominat; & rectè. Nam eos libros enumerat Gelasius, qui leguntur per annum in publicis Ecclesiæ precibus; legitur autem ab Octobris initio vsque ad Nouembris exordium non modò primus, sed & secundus Macchabæorum.

Citant, inquit Hæreticus, etiam Isidorum Hispalensem libro sexto Etymolog. capite primo. Subdit. *Fatetur Isidorus in Hebræorum Canone libros duntaxat viginti duos reperiri.* Quare dissimulat Nouator ea, quæ statim Isidorus subiungit? B *Quartus est apud nos* (apud Orthodoxos & Catholicos Christianos) *ordo veteris testamenti, qui in Canone Hebraico non sunt: quorum primus Sapientiæ liber est. Secundus, Ecclesiasticus. Tertius, Tobias. Quartus, Iudith. Quintus & sextus, Macchabæorum: quos licet Hebræi inter Apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat & prædicat.* Hæc Caluinista silentio inuoluit, ratus, satis esse, si diceret in Hebræo Canone, iudicio Isidori, tantum viginti duos libros reponi.

Hactenus audiuimus, quid VVitackerus respondeat ad argumenta Catholicorum, quorum ex plurimis paucissima duntaxat produxit. Nunc videamus quibus firmamentis ipse probet, libros illos Tobiam, Iudith, & alios non C esse Canonicos.

Refutantur Witackeri argumenta contra canonicam auctoritatem libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, &c.

ARgumentum primum sic instituo, ait Caluinista: *Omnes Canonici libri veteris Testamenti scripti sunt à Prophetis: Nullus horum librorum scriptus est à Propheta aliquo: ergò horum librorum nullus est Canonicus.*

Nego Maiorem, si intelligatur de Prophetis D propriè dictis; quales Isaias, Hieremias, Ezechiel, & alij, qui per excellentiam Prophetæ nomen fecerunt suum: concedo autem Maiorem, si intelligatur de Prophetis latius acceptis, quatenus Propheta dici potest; quisquis aliquid diuinitus sibi reuelatum cognoscit, litterisque commendat: sed in hac secunda Prophetæ acceptione falsa est Minor; nam etiam isti libri de quibus cum Hæreticis digladiamur, conscripti sunt ab illis, qui ea quæ scribebant, cælesti lumine illustrati, & à Spiritu sancto edocti scribebant; atque adeo Prophetæ erant; quia ea enunciabant & in litteras mittebant, quæ Spiritus sancti magisterio didicerant. Et scripturæ loca, quæ Hæreticus, A fuci faciendi gratia, accumulat, plus non probant; quàm scripturam esse hoc secundo modo sermonem Propheticum 2. Petri 1. Et *Prophetiam*, ibidem. Eadem notione vocat sanctus Paulus *scripturas Propheticas*. Roman. 16. Et Zacharias Lucæ. 1. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius.* Et Lucæ decimo sexto Epuloni Abrahamus. *Habent Moysen & Prophetas.* Et Lucæ vigesimo quarto: *Exorsus Iesus à Moyse & Prophetis interpretabatur eis in omnibus scripturis ea, quæ de ipso scripta erant:* vt omittam alia huius generis loca, in quibus vox *Propheta* & *Prophetia* latiore significatione vsurpatur; pro tali nimirum scriptore & scriptura, cuius auctor præcipuus Spiritus sanctus, loquens & scribens per hominem, tanquam per peculiare quoddam instrumentum suum; illudque ita mouens & agens, vt à vero deflectere nequeat.

Quod ait Caluinista, Malachiam fuisse vltimum Prophetam Iudæorum, *inter quem & Ioannem Baptistam nullus omnino Propheta intercesserit*; id vt verum sit de Propheta, qua κατ' ἐξοχὴν talis nominatur; certè verum non est de Propheta ampliore notione accepto. Hanc autem Prophetæ & Prophetiæ distinctionem tradidit manifestè sanctus Augustinus libro secundo de doctrina Christian. capite octauo. Qui Prophetiæ annumerat, librum Psalmorum, *& Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica Canticorum, & Ecclesiasten. Nam illi duo libri, vnus, qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse, constantissimè perhibetur. Qui tamen, quoniam in autoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati sunt, duodecim Prophetarum libri singuli: qui connexi sibimet, quoniam nunquam seiuncti sunt, pro vno habentur, &c.* Ecce, quos sanctus Augustinus propriè Prophetas appellari tradat: & quomodo latiore significatu, etiam librum Sapientiæ & Ecclesiasticum Propheticis scripturis annumeret; quod & de aliis libris, quos Nouatores à Canone segregant, affirmare licet.

Mitto dicere, nullum esse librum in illis, quos isti reiiciunt, in quo Prophetiæ propriè dictæ non contineantur. In libro Tobiæ capite decimo tertio & decimo quarto, multa prophetizantur de futura Hierosolymæ reparatione; deque Christianæ Ecclesiæ gloria. De Baruch res per se clara est. *In Sapientia Salomonis passio Christi apertissimè prophetatur*, inquit sanctus Augustinus libro decimo septimo de ciuitate Dei, capite vigesimo. *Impij quippe interfectores eius commemorantur* (capite secundo) *dicentes: circumueniamus iustum, quoniam insuauis est nobis, & contrarius est operibus nostris, &c.*

Obseruatione dignum est, quod prodidit Isidorus libro primo de Eccles. off. capite duodecimo. *Hoc opus* (Sapientiæ) *Hebræi (vt quidam Sapientium meminit) inter Canonicas scripturas recipiebant,*

bant; sed postquam comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam euidentissima de Christo testimonia, quibus dicitur; (cap. 2.) Dixerunt inter se impij; comprehendamus iustum, quoniam inutilis est nobis, &c. collatione facta, ne nostri eis pro tam aperto sacrilegio derogarent, à Propheticis voluminibus reciderunt, legendumq; suis prohibuerunt.

In Ecclesiastico, inquit S. Augustinus, loc. cit. *fides gentium futura prædicitur isto modo: Miserere nostri dominator Deus omnium, & immitte timorem tuum super omnes gentes, &c.* Ecclesiast. 36. *Hanc sub optandi & precandi specie Prophetiam, per Iesum Christum videmus impletam.* Illa item Iudith. cap. 15. *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël; tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, &c. & ideo eris benedicta in æternum, &c.*

Hæc, inquam, & similia, cur non possint censeri Prophetiæ seu oracula de futura aliquando Christianæ Ecclesiæ benedictione & maiestate, vel de D. Virginis ab omnibus gentibus prædicanda gloria?

Sed non est, cur anxiè Prophetias propriè dictas in his libris quæramus; quia falsum est omnem scripturam esse Prophetiam propriè dictá, vel à Propheta propriè dicto conscriptam. Imò hinc sequeretur nullum omnino librum esse adæquatè & integrè scripturam sacram; quia nulla est integrè & adæquatè Prophetia: Multi enim libri magna ex parte historiam continent; vt libri Regum, Paralipomenon; Iosue, Iudicú, alij. Multi simplicem doctrinam & institutionem, vel præcepta; vt Leuiticus; Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, &c. quamuis Prophetias propriè dictas passim inspersas habeant; quorum duntaxat ratione verè scriptura sacra essent, si, vt iste delirat, omnis scriptura veteris testamenti deberet esse Prophetia propriè dicta. Imò vix vllus ex ipsis libris, qui propriè sunt Prophetici, & à Prophetis propriè dictis conscripti, integrè & adæquatè scriptura sacra essent; quia in Isaia, Hieremia & aliis multa continentur historica; multa etiam simplicem institutionem continent; absque vllis venturarum rerum prædictionibus. *Ea autem, quæ propriè non sunt Prophetia & Prophetica in veteri testamento, non sunt verè scriptura sacra;* si nouos istos doctores audimus.

Dicat nobis VVitackerus; Quis Propheta propriè dictus cóscripsit libros Paralipomenon? Quis tertium & quartum Regum? Quis libellum Ruth? Sat scio te nihil ex scriptura allaturum: quidquid tandem comminiscaris ex coniectura. Fallitur item Caluinista, cum arbitratur Prophetiam conscribere; & Prophetam esse; vnum & idem esse. Si quis loquente Isaia, vel Hieremia, Prophetias eorum excepisset, & litteris consignasset; an propterea talis scriba, ipse etiam Propheta foret, licet infallibiliter & peculiari

A sancti Spiritus ope & subsidio Prophetias illas excepisset? neque enim Baruch, Prophetę Hieremiæ Notarius, ideo præcisè Propheta fuit, quia Hieremiæ Prophetias litteris fideliter ex ore vaticinantis excepit; sicut is, qui dictata Doctoris excipit, non ideo Doctor aut est, aut dicitur. Itaque consecutio hæc inanis esset; licet antecedens à vero non abiret: *Omnis Scriptura est Prophetia propriè dicta: ergo à Prophetis propriè dictis in litteras relata est;* Negatur consequentia; quia Prophetia Isaiæ verè esset Prophetia propriè dicta, licet non à Propheta Isaia, sed ab alio quopiam non Propheta propriè dicto litteris prodita fuisset.

Secundum argumentum Caluinistæ. *Libri isti* B *scripti non fuerunt lingua Prophetica; quæ fuit lingua Canaan, & lingua Ecclesiæ propria, ergo non sunt Canonici; quia Propheta sua lingua, hoc est, Prophetica in his libris conscribendis fuissent vsi.* Fucat Caluinista argumentum fuco *linguæ Propheticæ,* quasi nescio quid mysterij subsit. Sed abstergamus nos fucum, vt vanitas argumenti elucescat. Argumentum hæretici est simile huic; imò non est simile, sed prorsus idem. Libri illi Tobias, Iudith, Baruch non sunt scripti lingua Hebræa; ergo non sunt canonici. Consequentia est VVitackeriana, ventosa, ampullosa, & nihili: quasi verò Spiritus sanctus alia lingua per sacros scriptores non potuerit loqui, quàm Hebræa. Si sola lingua Hebræa est Canonicorum scriptorum, & sancti Spiritus lingua, C tunc Daniel & Esdras non erunt libri Canonici, neque Iob, neque Pericope quædam Hieremiæ, quia vt testatur sanctus Hieronymus, præfatione in Danielem; *Daniel maximè & Esdras Hebraicis quidem litteris, sed Chaldæo sermone conscripti sunt; vt & vna Hieremiæ Pericope. Iob quoq; cum Arabica lingua plurimam habet societatem.*

Fortè dicet, Chaldæam quoque linguam esse linguam Propheticam: non itaque reiiciat libros Tobiæ & Iudith, quos Chaldæo sermone compositos esse testatur sanctus Hieronymus præfatione in istos libros. Quanquam vnde scit Nouator, Tobiam, Iudith, aut Baruch non fuisse initiò lingua Hebræa conscriptos? An quia non D exstant hac lingua? Fortè exstant Hebraicè. At non exstent; quàm infirmum argumentum à non exstantia, vt sic nominem; quasi verò non potuerit Hebraicus & primigenius textus intercidere ac interire.

Cum autem isti scripturas perpetuò iactent, & hoc in genere nil argumentorum, nisi ex scriptura se allaturos polliceantur; ostendant nobis ex scriptura; libros, quos reiiciunt, initiò non fuisse lingua Hebraica scriptos. Suspiciones illorum, nihil moramur. Nec de libro Sapientiæ hoc demonstrare possunt, nec de Ecclesiastico; quanto minus de Tobia, Iudith, Baruch; & aliquot capitibus Estheris.

Testa-

Digitized by Google

Testatur sanctus Hieronymus in Prologo Galeato, se primum Macchabæorum librum reperisse Hebraicum. At hodie non reperitur. An ideo originalem libri eius linguam fuisse Hebræam rectè ac cum ratione negatur? Cum autem VVitackerus tanta contentione asseueret solam linguam Hebræam & in terra Chanaan vsitatam esse linguam Propheticam. hoc est, linguam sacræ scripturæ; in dubium reuocat, non modò omnes Gallicas, Anglicas, & Germanicas Bibliorum versiones; sed Græcam quoque & Latinam translationem: nam quicunque horum Codicum mihi offeratur, statim VVitackerianum argumentum promam. *Libri isti Anglici, Gallici, Germanici, Latini, Græci, nec sunt nec fuerunt scripti lingua Prophetica, quæ fuit lingua Canaan & lingua Ecclesiæ propria, ergo non sunt diuini ac Canonici.* An non autem Lutherani & Caluiniani opifices exsibilabunt eum, qui biblia, quæ tam sedulo vernaculo idiomate lectitant, inficietur esse diuina ac Canonica?

Tertium VVitackeri argumentum. *Si libri isti fuissent à Prophetis conscripti, tum iis Christus vsus fuisset, vt testibus suis; at nullo horum testimonio Christus vnquam ipse vsus est aut Apostoli eius; ergo non sunt conscripti à Prophetis*, hoc est, *à sacris & canonicis scriptoribus.* Hoc argumento bonam partem librorum Canonicorum ex Canone exturbabimus, de quibus nulla vnquam inter orthodoxos fuit dubitatio. Nam si Ecclesiastes, si Cantica Canticorum, si Sophonias, si Abdias essent libri Canonici, & à Prophetis conscripti, tum iis Christus vsus fuisset, vt testibus suis: at nullo horum testimonio Christus vnquam vsus est aut Apostoli eius, vt suprà disertis verbis fatebatur Prædicans Hunnius, & res per se clara est. ergo libri illi non sunt Canonici & à Prophetis conscripti. Imò si ideo aliquid non est Canonicum, quia non est à Christo aut Apostolis eius citatum; tum sequitur, maximam bibliorum partem non esse Canonicam; quia maxima pars eius non est à Christo & Apostolis eius citata: nam licet quædam citarint ex Isaia, quantula tamen illa sunt comparatione eorum, quæ non citarunt?

Idem dico de libris Mosaicis, & aliis. Si fortè hæreticus occinat: Ecclesiasten, Cantica Canticorum, &c. citari implicitè à Christo illis locis: Lucæ vigesimo quarto: *Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur eis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant: & necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me:* dicam & ego: implicitè citari his locis Tobiam, Iudith, Baruch, Sapientiam, alios: quia & ipsi Prophetæ, & Prophetici libri sunt, vt supra dicebamus. Dices: hoc esse ineptum: Atqui tuo dicto est quàm simillimum, ita vt tuum ab ineptia vindicare nō queas, si huic ineptiæ notam inuras. Verum aduersus elumbe & inscitum istud ex citationibus argumentum fusè disputauimus circa caput quartum; cum Hunnij vanitatem confutaremus.

Similis vanitas elucet in hac VVitackeri deliratione. *Christus nullum testimonium his libris perhibet tanquam testibus suis: ergo non sunt hi testes Christi satis idonei ac fide pleni; essent verò si quidem Prophetici essent.* Dicamus nos: Christus nullum testimonium perhibet Ecclesiastæ, Canticis Canticorum, Abdiæ, Sophoniæ, tanquam testibus suis, vt fatentur Prædicantes; ergo non sunt hi testes Christi satis idonei ac fide pleni. Vt placet tibi hoc argumentum Caluiniane? Item vt hoc? Christus maximæ parti Isaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, Psalmorum, Esdræ, & similium non perhibet testimonium tanquam testibus suis; ergo maxima pars horum librorum, omnis nimirum illa, quam Christus non citauit; non erit Christi satis idonea ac fide digna testis. Ita dum isti argumentis suis quosdam libros Canonicos euersum eunt; propemodum vniuersos subruunt.

Nec iuuant Caluinistam illa verba sancti Augustini libro secundo contra Gaudentium capite vigesimo tertio: *Hanc quidem scripturam, quæ appellatur Macchabæorum, non habent Iudæi sicut legem, & Prophetas, & Psalmos; quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis, dicens: oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me:* Ex quibus Caluinista hanc consequentiam fabricat. *Augustinus dicit: Dominum perhibere testimonium libris illis, quos Iudæi vt sacros & Canonicos venerabantur: ergo ex sententia Augustini, tantum illis libris, quos Iudæi venerabantur, perhibet Christus testimonium tanquam testibus suis.* Egregia argumentatio, nec absimilis huic. Christus Matth. 5. beatos prædicat *pauperes spiritu*; ergo tantum pauperes spiritu beatos prædicat: ergo non mites, non lugentes, non mundos corde, non alios. Acutior erit collectio VVitackeri, si hoc modo formetur, quē ipse etiam tacitè innuit. Christus non reddidit testimonium libris Tobiæ; Iudith, Baruch, Sapientiæ, &c. tanquam testibus suis; ergo reiecit hos libros, tanquam non testes suos; Etiamsi antecedens esset verum, tamen consequentia nihil valeret: quia toto cælo discrepant ista duo; Non perhibere testimonium testi; & testem esse: quia hoc posterius nequaquam necessariò à priore illo dependet, vt per se clarum est.

Scripturæ omnes Propheticæ & Canonicæ de Christo testantur; inquit Caluinianus: non nego; (neque tamen vbique & in omni sua parte) *iisque Christus, vt testibus suis præclarum testimonium perhibet*; *quando ait: scrutamini scripturas.* Vnde probat Hæreticus, Christum his verbis non itidem perhibuisse testimonium libro Sapientiæ, Ecclesiastico, Baruch, & aliis, quos isti contemnunt? Certè nunquam euincet Caluinista, Christum hoc loco à

scripturis exclusisse eas scripturas, de quibus orthodoxi & hæretici controuersentur. Et si maximè Christus, dicendo: *Scrutamini scripturas*; exclusisset libros illos, qui non erant in Canone Hebræorum; non ideo exclusisset, quòd diuini ac Canonici non essent, sed quòd non reciperentur à Iudæis: quemadmodum & nos, quando hodie Nouatoribus eadem ipsa Saluatoris verba: *Scrutamini scripturas*: ingerimus, & ad indubitatos omniumque suffragio approbatos libros euoluendos ablegamus, minimè inficiamur; alios, quos sectariorum improbitas reiicit, diuinos ac Canonicos esse.

Quartum VVitackeri argumentum. *Omnes veteris testamenti Canonicos libros vetus Ecclesia Hebræorum recepit & approbauit: Hos illa Ecclesia non recepit; ergo non sunt Canonici.* Nego Maiorem. Quam probat Hæreticus. *Si partem aliquam testamenti Dominici Ecclesia illa respuisset, præsertim tam magnam, maximi sceleris & sacrilegij rea exstitisset; atque hoc illi crimen aut Christus ipse, aut Apostoli obiecissent.* Respondeo, si reiecisset & respuisset aliquem librum Canonicum, tanquam non Canonicum, seu indignum Canone; cuius auctoritas sufficienter testata & approbata esset; maximo scelere sese obstrinxisset; sicut hodie Hæretici maximo scelere sese obligant, quando tot libros Canonicos, quorum auctoritas abundantissimè tot sæculorum consensu explorata est; aspernantur, & tanquam profanos classe canonicorum mouēt: sed negamus Ecclesiam Hebræorum hoc modo reiecisse aut respuisse vllum veteris testamenti librum, quem Ecclesia Christiana pro Canonico habet: nullum, inquam, respuit tanquam non canonicum; sed tantum in Canonem suum non recepit; aliud est autem librum aliquem in Canonem suum non recipere; aliud, tanquam non canonicum & profanum seu indignum Canone repudiare. Prius illud fecit Ecclesia Hebræorum; posterius non fecit; quia si fecisset; à vero aberrasset.

Cur autem vetus Ecclesia hos libros non receperit in Canonem, caussam aliam non inuenio, quàm quia Deus Canonicam horum librorum auctoritatem nondum reuelarat; sicut postea reuelauit Ecclesiæ Christianæ. Quapropter nullum omnino scelus commisit Hebræorum Ecclesia, non recipiendo hos libros: nec errauit; quia nunquam & nusquam definiuit hos libros non esse Canonicos, vel Canone indignos: & quicunque ex priuatis simile iudicium formarunt de his libris, ij à vero aberrarunt. Hinc etiam opus non fuit, vt Christus aut Apostoli Iudæos reprehenderent ob libros istos in Canonem Hebræum ab Ecclesia Hebræa non relatos; quia cum Ecclesia Canonem Canonicarum scripturarum non constituat, nisi vt administra Spiritus sancti suggerentis & dictantis, qui nam libri in Canone reponendi sint; certè Ecclesia, & qui Ecclesiam illam sequuntur, reprehensione carent, si hos vel illos libros Canoni non accenseant; quandoquidem hoc præcipuum munus & opus est Spiritus sancti Ecclesiam ad Canonem constituendum mouentis & impellentis; qui spirat, vbi vult; statuitque & decernit prout vult: non tamen Spiritus sanctus libros illos pro non Canonicis habuit propterea, quòd eorum Canonicam auctoritatem non propalauit referendo libros illos in Canonem Hebrææ Ecclesiæ; sed eas ob caussas, quas ipse nouit, ignotam esse horum librorum canonicam auctoritatem permisit; donec illam tandem Christianæ Ecclesiæ patefecit. Nam ponere librum in publico Ecclesiæ Canone, non facit librum diuinitus inspiratum, & à Spiritu sancto immediatè dictatum; sed declarat esse diuinitus inspiratum, & à Spiritu sancto immediatè dictatum. Ponamus enim librum Isaiæ Prophetæ non fuisse in Canone Hebrææ Ecclesiæ; & postea à Christiana Ecclesia in Christianum Canonem cooptatum esse; an propterea aliquando Canonicus, hoc est, diuinus & à Spiritu sancto immediatè dictatus, & inspiratus non fuit? Et si quis librum Isaiæ pro non Canonico habuisset, quòd in Hebræo Canone locum adeptus non esset; an non talis cum sua persuasione longè à vero abiuisset? Eadem est ratio in nostro proposito.

Non ignoro, esse; & in his Stapletonum in Triplicat. contra VVitackerum capite primo sub finem; & Mülhusinum nostrum in speculo Miseriarum Thesi tertia, qui inficientur librum aliquem esse Canonicum, priusquam ab Ecclesia in Canonem reipsa referatur: cum *Canon & Canonicum* regulam significent & denotent, respectumque includant; quod non videtur antè fieri, quàm actu liber aliquis publico Canoni inseratur. At non potest esse diuersitas, nisi de solo modo loquendi. Nam ego, & illi quos sequor, Canonicum appellamus, etiam id, quod in actu primo & remotè aptum est; vt regulet, regat & dirigat; alij id duntaxat Canonicum nominandum arbitrantur; quod in actu secundo & immediatè aptum est, vt regulet, regat, ac dirigat; hoc est, quod vt regula cognitum & propositum est. Siue autem nostro, siue hoc loquendi modo vtaris; parum interest; dummodo res intelligatur.

Iam quod Iudæis oracula Dei, hoc est, scripturæ, fuerunt commissa ac tradita, teste sancto Paulo Rom. 3. quid Hæreticos iuuat? Etiam Ecclesiæ Christianæ commissa sunt oracula Dei; hoc est, scripturæ: Ad hanc igitur Hæretici, si Christiani esse volunt, oculos reflectant; & quas scripturas, tanquam oracula Dei proponat, re-

uerenn-

A nerenter attendant. Inanis est illa consequentia; vt fusius ostendi in Labyrintho Creticohunniano capite secundo: *Iudæis credita sunt oracula Dei*; hoc est, sacræ scripturæ libri: *Ergo non sunt plures libri sacræ scripturæ, quàm Iudæi in suo Canone habuerint*, vel; *ergo non sunt plura oracula Dei, quàm Iudæi in suum Canonem allegerint*: Vanæ sunt istæ consequentiæ & *Prædicanticæ*; quia vt maximè Apostolus loco citato tantum loqueretur de oraculis Dei scripto comprehensis, non tamen excluderentur oracula illa, quæ illis libris continentur, quos hæretici respuunt; nam & hæc Iudæis commissa fuerunt; quippe scripta & prodita à Iudæis, ad Iudæos, inter Iudæos; & de rebus in Iudaico populo gestis. Conseruata insuper à Iudæis, licet extra Canonem, & ad nos transmissa. B Vnde enim Tobiam, Baruch, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum & Macchabæos habemus, nisi à Iudæis; qui libros hos, vt & alios, tanquam custodiæ suæ concreditos, conseruarunt, (quamuis extra Canonem suum) & posteris tradiderunt?

Itaque si quis Prædicans ita argumentetur. *Quæ non fuere commissa Iudæis, illa non sunt oracula Dei; Tobias, Iudith, Sapientia, & alia volumina non fuere commissa Iudæis, ergo non sunt oracula Dei.* Probatur Minor. Quia non fuerunt in Canone Iudæorum, ergo non fuerunt commissa Iudæis. Respondeo, minorem esse falsam. Ad probationem nego consequentiam. Non enim illi tan- C tum libri Iudæis commissi fuere qui erant in Canone; sed & alij extra Canonem, in Canone Christiano labentibus annis reponendi.

Si quis ita argumentum instituat. *Quæ Iudæis non fuere commissa in Canone, illa non sunt oracula Dei; libri isti Iudæis non sunt commissi in Canone, ergo, &c.* Neganda est Maior tanquam simpliciter à vero aliena.

Nec immeritò sanctus Augustinus & alij prædicant Hebræorum fidem & diligentiam in sacris litteris conseruandis; ea enim effectum est; vt Christianæ Ecclesiæ non modò Isaias, Hieremias, & alij de quibus nulla quæstio; sed & To- D bias, Iudith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Macchabæi conseruarentur.

Instat Caluinista. *Si Canonici libri tam multi à vetere Ecclesia Iudæorum non modò non recepti; sed etiam reiecti fuissent, tum illud sequeretur, multos libros canonicos fuisse à nulla prorsus Ecclesia receptos; nam nulla erat ante Christum alia Ecclesia, præterquam illa Iudæorum.* Concedo sequelam: deque appendice, quam annectis de vna Ecclesia, iam non laboro. Alibi examinabitur.

Perge. *Si ergo damus illam Ecclesiam, quæ fuit tota etiam & sola Ecclesia eo quidem tempore, libros Canoni-* A *cos reiicere potuisse, tum Ecclesiam errare posse manifestum est; quod Papistæ, nisi inuiti non concedet.* Respondeo, hæreticus vafrè & vulpinè nonnulla vocabula subinde mutat & traiicit, deponit & reponit, arbitratu suo, vt inde quod vult efficiat. Nam aliud est librum non recipere; aliud, librum reiicere. Vetus Ecclesia libros illos non recepit; at non reiecit. Non recepit, vt Canonicos. At nec damnauit, vt non Canonicos, vel Canone indignos: neque idem est non recipere, & reiicere, hoc est, damnare: quia non recipere medium quiddam est inter recipere & reiicere; seu damnare. Possum aliquam opinionem seu Theologicam seu Philosophicam non recipere: An propterea reiicio, hoc est, damno? Nihil minus. B Quia neuter, hoc est, medius inter vtramque esse possum.

At reiecit hos libros à Canone. Reiecit tanquam non Canonicos; nego. Reiecit, hoc est, non recepit, non reposuit in canone; esto: An ideo non canonicos iudicauit, & tanquam non Canonicos damnauit? Si quæ Facultas Theologica aliquem non recipiat, neque in numero Doctorum reponat, an ideo à numero doctorum reiicit; neque dignum æstimat, qui numero Doctorum accenseatur?

Obiicit VVitackerus: *Ridiculum est, quod Canus affert, non reiectos fuisse; sed non receptos. Nam si hos li-* C *bros Iudæi non receperunt, quid aliud fecerunt, quam planè reiecerunt?* Ridiculum est, quod Canus affirmat, sed apud ridiculos; quales Caluinistæ. Rectè rem ponderantibus, hoc non ridiculum apparet, sed verum: quia quidquid tergiuerseris, aliud est librum non recipere, aliud reiicere, hoc est, tanquam non Canonicum damnare: quia non recipere solam erga librum illum negationem significat; reiicere verò seu damnare positionem seu affirmationem: nam qui non recipit, nihil de illo affirmat, aut negat; sed tantum non approbat, etsi nec improbat. At qui reiicit, is positiuè damnat. nisi verbum *reiiciendi* propriè nolis vsurpare, sed negatiuè exponere; vt idem sit; quod, *non posuit in Canone; Canoni non annumera-* D *uit.* In canone præteriit; à canone exclusit, non repudiando, vt non canonicum; sed præcisè non ponendo in Canone; In quo vetus Ecclesia nullum penitus errorem commisit: quia ei reuelatio de libris istis, quantumuis verè Canonicis, in Canone ponendis nulla fuerat facta; sicut postea Ecclesiæ Christianæ facta est. Non tamen vnquā habuit Ecclesia illa vetus iudicium de his libris, quasi non essent Canonici; neque vllum tale decretum de illis promulgauit; (quod si fecisset, proculdubio à vero aberrasset) quidquid tandem priuati quidam de his libris senserint; quia huius vel illius, vel plurium priuatorum sensus, non est sensus totius Ecclesiæ; sicut neque apud Christianos sensus eorum, qui censebant To-

biam, Iudith, & similes libros apocryphos esse, vnquam fuit Ecclesiæ Catholicæ & vniuersalis sensus.

Obiicit Caluinista. *Deum, qui non recipit, reiicit. Sic Dei verbum non recipere, recusare est & reiicere.* Sed rursus hallucinatur: nam cum quis scribit, aut aliud intentè & attentè agit; nec Deum recipit, nec Dei verbum. An propterea damnat & reiicit, & positiuè recusat? Hinc illud Redemptoris nostri Lucæ vndecimo. *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dissipat*; intelligitur de positiua, vt sic loquar *contrarietate*; deque non collectione; quæ actum contrarium, hoc est, dissipationem ac dispersionem includat; vt ipsa Christi verba satis innuunt: non enim præcisè quis ideo contra me est, quia non est mecum; alioqui etiam ille, qui mihi penitus ignotus est; contra me esset; quia non est mecum; neque ideo præcisè quis dissipat, quia mecum non colligit; alioqui etiam is dissiparet, qui me spicas, verbi gratia, legentem prorsus cognitum non haberet; sed ad hæc & id genus alia requiritur positiuus actus voluntatis, vt norunt, qui non tantum vocabula, sed etiam res vocabulis subiectas norunt.

Taceo, esse disparem rationem Dei; & libri Canonici, cuius diuina auctoritas necdum Ecclesiæ patefacta est: nam Deum, & quidem vnicum, esse; satis superque non modò diuinitus reuelatum patescit; sed & ex ipso naturalis rationis lumine euidenter elucescit. Quamobrem nulla non recipiendi suppetit ratio. At libri, de quibus disceptamus, Ecclesiæ veteri Hebræorum non erant, vt diuina auctoritate præditi, cælitus manifestati; Quocirca cum eos in Canonem non recepit; non eo ipso reiecit; quia non tenebatur recipere; veritate necdum liquidè mortalibus è cælo monstrata.

Hæc & his similia ad Quarti VVitackeriani argumenti solutionem non incommodè disputari possunt. Non displicet tamen; quod suggessit noster *Pater Sebastianus Heissius*, cum hæc mea recognosceret.

Hic, concessa liberaliter Maiore, negat syllogismi VVitackeriani Minorem; videlicet hanc: *Sed vetus Ecclesia Iudæorum non recepit in Canonem libros Tobiæ, Iudith, alios*; quia, vt ait, Prædicantes nunquam probare poterunt à synagoga ante Christum natum, vel etiam tempore Christi in terris versati extra canonem positos esse Iudith, & ceteros libros veteris testamenti: quidquid Iudæi post Christum tempore sancti Hieronymi, vel etiam antiquorum Patrum senserint, qui in suo Thalmud Tobum etiam negant esse Canonicum: & Ecclesiasten, ob solum vltimum caput in Canonem recipiunt; quo ad priora verò indignum Canone

A videri tradunt teste sancto Hieronymo in caput duodecimum Ecclesiastæ. Mihi planè valdè credibile est, veterem synagogam agnouisse omnes libros Canonicos veteris testamenti, ita saltem vt semper aliqui ex Doctoribus eos pro Canonicis habuerint, licet tam indubitata semper non fuerit eorum auctoritas, sed fortè controuersa, ad modum, quo, tempore Origenis, Hieronymi, &c. sub lite erant Epistolæ Iudæ, Iacobi, &c. Hinc fit, vt Origenes, Melito, Hilarius, & alii, qui Iudæorum Canonem referunt, non consentiant: qui vtique ex coæuis Iudæis Canonem Hebræum didicerunt: sed, cùm hi, plurima noua, & veteri synagogæ inaudita dogmata antiquæ traditionis B nomine introduxerint, cur à veteri canone aberrasse non credantur? Non plus profectò fidò posterioribus Iudæis verè infidelibus de doctrina veteris synagogæ, seu veteris Ecclesiæ testantibus, quàm hæreticis, qui centum, ducentis, & sequentibus annis post Apostolos enati, de canone, aut doctrina Apostolica testantur. Imò, si in Christi Ecclesia contingere potuit, vt epistolam Iudæ, verbi gratia, tempore Apostolorum agnitam pro canonica, postea aliqui in dubium reuocarint; cur improbabile sit, Tobiam tempore Christi, vel antea habitum pro canonico, dein in dubium fortè venisse, tandem ab infidelissimis Iudæis omninò eiectum?

C Quintum Caluinistæ argumentum. *Possunt in his libris singulis quædam inueniri, quæ libros ipsos minimè Canonicos esse arguant. ergo. &c.* Negamus antecedens; quod Hæreticus in singulorum librorum examine se demonstraturum spondet. Exspectemus igitur donec cum ficulnis suis demonstrationibus in theatrum ascenderit.

Absolutis his argumentis, *diuinis*, vt putat VVitackerus; vt autem ego arbitror; non magis firmis & cohærentibus, quàm sint funiculi ex arena nexi: idem ex Conciliorum, Patrum & Scriptorum testimoniis conficere tentat; pari successu, hoc est, nullo. *Quod argumentum etsi humanum est*, inquit Nouator, *tamen contra illos* D *valere potest, qui nullo alio in hac caussa vtuntur.* Et quinam illi? Profectò non Catholici, sed Hæretici. Nam Catholici in numero Canonicorum librorum assignando, non nituntur principaliter vllo argumento humano; sed verbo Dei non scripto, hoc est, traditione & auctoritate Ecclesiæ; quam, vt maximè se torqueant Sectarij, in Canonicorum librorum numero legitimè probando, nunquam effugere possunt, etsi nihil intentatum relinquunt, vt effugiant. Hæretici, si vera fateri volumus, in asserendo vero scripturæ Canone, argumentis solummodo humanis vtuntur; nec alia adferre possunt: vt capite quarto aduersus Hunnium fusè demonstratum est.

Digitized by Google

Dicunt I. *Esdram scriptura Canonem constituisse.* Ex qua scriptura Canonica hoc probant? Ex nulla prorsus. Et quomodo probarent; cum hac de re ne vnicum quidem verbulum scriptura tradat? Vnde ergo hoc probant? Ex assertione quorundam veterum, eorumq; pauculorum, vt Isidori, lib. 1. de offic. cap. 12. & ex vulgari quadã persuasione Esdram Canonem Hebræum constituisse: nam ne sanctus quidem Hieronymus hoc de Esdra asserit, in Prologo Galeato aut alibi. An non est hoc argumentum humanum, hoc est, ab humana auctoritate ductum?

II. Dicunt; *Esdram non plures libros in Hebræo Canone posuisse, quàm viginti duos.* Ex qua scriptura Canonica hoc probant? Ex nulla prorsus, sed ex Prologo Galeato S. Hieronymi, & ex aliorum quorundam testimoniis. An non est hoc argumentum ab humana auctoritate desumptum?

III. Dicunt Esdram non alios libros in Canone suo reposuisse, quàm quos recenset S. Hieronymus in Prologo Galeato. Ex qua scriptura hoc probant? Ex nulla; sed ex sola S. Hieronymi & aliorum quorundam testificatione. Si quis diceret, Esdram, vel quemcunq; alium posuisse in Canone nõ omnes illos, quos S. Hieronymus commemorat, sed loco eorum aliquos alios, vt, *verba Nathan Prophetæ*; *libros Ahiæ Silonitæ*; *Visionem Addo videntis*, de quibus 2. Paralip. 9. Item *verba* seu *scripta Iehu filij Hanani*, de quibus 2. Paralip. 20. Item *libros Semeiæ* Prophetæ de quibus 2. Paralip. 12. Vel sermones Hozai, de quibus 2. Paralip. 33. hunc obsecro ex qua scriptura refellerent? vt & tunc, si quis affirmaret, hos libros vnà cum aliis, quos S. Hieronymus recenset, ab Esdra in Canone esse collocatos? Imò neque vllo scripturæ testimonio quenquam erroris conuincere possunt, si dicat, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum & Baruch ab Esdra quoque Canoni Hebræo annumeratos esse. Quidquid argumentorum adferant; id tantum ex veterum auctoritate & testificatione petunt; & si quædam ex scripturis proferre tentent; ea tam firma sunt; vt pulueris instar leui flatu difflari queant. Vides igitur Hæreticos in eo negotio, in quo ipsis prora simul & puppis est, non nisi humana auctoritate fulciri, eaque non valdè certa & explorata.

Adfert Hæreticus multa veterum testimonia, quibus probare nititur, solos illos libros, qui in Prologo Galeato Canoni Hebræo accensentur, diuinos ac Canonicos esse; sed obseruandum, nullum propemodum ex omnibus, quotquot citat, in omnibus cõuenire cum Prologo Galeato S. Hieronymi, ne ipsum quidem S. Hieronymum.

Citat. I. Concilium Laodicenum. At hoc, A vt iam cap. IV. ostendimus, nec diffitetur Sectarius, librum Baruch & Epistolam Hieremiæ Canoni veteris testamenti annumerat. *At errant*, inquit Caluinista. Mihi verò longè creditu procliuius est errare Caluinistam, quàm Synodum; qui etiam mentitur, iudicio patrum Concilij Laodiceni, Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Iudith, duos Macchabæorum non esse Canonicos. Vbi hoc suum iudicium Synodus illa explicauit? An ideo tale iudicium de his libris tulit; quia in suo Canone eos non recensuit? Vnde scis, non recensuisse? Quid si excidissent? vt excidit liber Baruch in vulgata Latina Concilij Laodiceni interpretatione; quamuis in Græco textu reperiatur, vt & B in translatione Latina Gentiani Herueti. Sed non nominauerunt? An ideo præcisè non Canonicos iudicarunt? An non dubitare potuerunt, num essent Canonici, & ob dubitationem istam eorum enumeratioñe præterire; ne quid, re nondum liquidò comperta, sancire viderentur, quod cum veritate non satis cohæreret?

Videtur Hæretico absurdum, *Canonem non fuisse certum ac immobilem nisi tam multis post Christum natum annis.* Atqui in se quidem semper certus ac firmus fuit, quippe à Christo & Apostolis immotè firmatus: Sed firmus non fuit, quoad declarationem & cognitionem; cuius C signum est diuersitas veterum doctorum; quorum aliqui hos; aliqui alios libros in Canone reponunt; quod nunquam accidisset, si tam definitus & cognitus fuisset Canonicorum librorum numerus, quàm est hodie. Quis autem nescit, etiam salubriter & euidenter olim constituta solere in obliuionem, progressu temporis, venire, donec iterum per nouam Ecclesiæ definitionem in publicum proferantur? Ea de caussa scriba ille doctus dicitur de *thesauro suo proferre noua & vetera. Noua*; declaratione: Vetera; *vetusta sanctione*; neque enim iam Ecclesia noua dogmata sancit, sed vetera.

De Trullana Synodo anxiè non laboramus, D vt supra dictum. Sufficit nobis quod confirmando Canones Concilij Carthaginensis, significauit, quis suus esset de Canonicorum librorum numero sensus. *At eadem Synodus probauit etiam Synodum Laodicenam*, inquit VVitackerus; *in qua pauciores libri Canonici enumerantur, quàm in Carthaginensi.* Vt vt sit; saltem hoc vel inuitus dare debet Caluinista, Trullanam Synodum approbasse librum Baruch & Epistolam Hieremiæ, cum approbentur in Concilio Laodiceno. Deinde dico; cum, vt Iurisconsulti dicunt; *non sit nouum, vt priores leges ad posteriores trahantur.* Canon autẽ Concilij Laodiceni prior sit quàm ille Carthaginensis, (Synodum enim Laodicenam celebratam esse ante Nicænam

non immeritò credit, & probat etiam Baronius A in Appendice ad Tom. IV. Annalium) sequitur, Canonem hunc priorem trahi debere ad posteriorem: & ex eius sensu intelligendum & interpretandum: neque aliter à Trullana Synodo approbatum fuisse, nisi cum respectu ad Canonem posteriorem Carthaginensem; ita vt ex hujus mente ac sententia, quod Canoni Laodiceno deest, suppleatur: quia *antiquiores leges*, imò & Canones, *ad posteriores trahi vsitatum est*, inquit Iurisconsultus *L. ideo ff. de leg.*

Citat II. Hæreticus Melitonem Sardensem apud Eusebium lib. 4. Eccles. Hist. cap. 26. vel, vt alia editio, 25. At Melito in Canone veteris testamenti ponit Sapientiam Salomonis; vt fatetur ipse VVitackerus; quamuis addit, *eum errare*; B hunc enim honorem habet testibus à se productis; vt quando non testantur, quod ipsi lubet, erroris eos insimulet. Præterea idem Melito omittit librum Esther; (quod Caluinista studiosè, vel potius malignè dissimulat.) Quomodo igitur Melito de Canone Veteris testamenti idē sentit cum Sectariis? qui ait, *se in Orientem iter suscepisse, & eo vsq; loci profectum, vbi hæc & prædicata & gesta fuerunt; eo fine, vt accuratè Canonem librorum veteris testamenti cognosceret; cognitumq; ad Onesimum perscriberet.* Quid verò Melito in Oriente, in Palæstina, atque adeo Hierosolymis de Canone didicit? Hoc videlicet, *Sapientiam Salomonis* esse in Canone; quam Sectarij nostri post tot à Melitone sæcula, inde, Melitone inuito, exterminare conantur.

Nec Synopsis Athanasiana, nec Nazianzenus in carmine *de genuinis scripturis*, nec Cyrillus Hierosolymitanus cum VVitackero planè consentiunt. Quia duo priores testes omittunt librum Esther; Et Synopsis insuper Epistolā Hieremiæ, quæ est cap. 6. Baruch. & historiam Susannę, Beli & Draconis interfecti, & hymnum trium puerorum; & quod est mirabilius, tertium librum Esdræ, nobis & ipsis Sectariis non receptum in Canonem: Canoni annumerat. Et Cyrillus librum Baruch; *sed errat*: inquit Caluinista. En rursus testi suo fidem detrahit; Magnis clamoribus clamat omnes istos Patres idem sentire de Canone veteris testamenti, quod sentiunt Lutherani & Caluiniani; postea cum in rem præsentem ventum est; adeo contrarium testantur producti testes; vt necesse sit, actori sæpius ingeminare illud: *Erras. Non rectè testaris.*

Et quidem librum Esther ex Canone Hebræo à Synopsi Athanasiana expungi; & non tantum silentio inuolui; inde fit manifestum; quia cum libros, suo iudicio, Canonicos enumerasset; subiecit. *Sunt itaq; Canonici veteris testamenti libri viginti duo, &c. Præter istos autem sunt adhuc alij eiusdem veteris instrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur: Sapientia Salomonis, &c. Esther, &c.* & omnibus enumeratis addit. *Isti sunt libri veteris testamenti non Canonici*; quamuis autem subdat: *quosdam existimasse librum Esther apud Hebræos pro Canonico reputari; & ad aliud volumen Canonicum pertinere*; ipsa tamen Synopsis, (siue ex S. Athanasij, siue quod credibilius, ex alterius officina prodierit) horum sententiam tantum recitat; non approbat: quod etiam ex alio loco eiusdem Synopsis liquet: postquam enim ex singulis libris, quos Canonicos reputat, summam quandam proposuisset; sic totam Canonicorum librorum Epitomen concludit. *Isti sunt libri Canonici veteris testamenti, numero viginti duo, &c. Nunc & de aliis veteris testamenti libris dicendum est; qui etsi in Canone nō sunt; leguntur tamen, &c.* Et exorditur à libro Esther.

Dices. Initio Synopseos reiici tantum postrema Estheris capita; Ait enim; *Inter libros non Canonicos esse Esther; cuius initium: Anno secundo regnante Artaxerxe Magno, vna die mensis Nisan, somnium vidit Mardochæus filius Iairi, filij Semei, &c.* Quod non est principium libri Esther; sed periodus quædam seu pars capitis vndecimi. Ex quo sequi videtur, Auctorem Synopseos, nō exclusisse à Canone priorem partem libri Esther. Respondeo; si non exclusit, ostendant mihi Hæretici, vbi incluserit. Bis numerat Synopsis libros Canonicos; Neque vnquam in hoc censu comparet prior pars libri Esther; vt proinde à Canone non tantùm postrema illa capita excluserit; sed & causâ illorum omnia priora.

Hoc planum quoque efficitur ex compendio, C quod Auctor Synopseos ex libro Esther, tanquā ex non Canonico conficit; in eo enim refert ea, quæ in prioribus capitibus libri Esther conscripta sunt; vt conuiuium Estheris, ad quod inuitatus Rex & Aman: Mardochæum publicè honoribus maximis affectum; noctem peruigilem à Rege ductam; Aman super lectulo Reginæ iacentem, & pro capite suo deprecantē: Eundemque in ligno, quod parauerat Mardochæo, suspensum, & id genus alia, quæ in prioribus Estheris capitibus, cap. 5. 6. & 7. continentur.

Ad extremum licet Synopsis tantum postrema Estheris capita à Canone exclusisset; necdum tamen cum Hæreticis conueniret; quia excluderet tantum à verbis illis cap. XI. *Anno secundo regnante Artaxerxe Magno, &c.* At Sectarij D priorem etiam capitis vndecimi particulam repudiant, vt & potissimam partem capitis decimi. Ergo ne sic quidem S. Athanasium consentientem testem haberent. Addo demum in Græcis codicibus librum Esther inchoari à verbis illis; *Anno secundo regnante Artaxerxe, &c.* Quare totum librum à Canone seiungit; vt & alios totos reiicit, quorum initia duntaxat indicat descriptis primis verbis.

Ait Hæreticus: *Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 25.* (in edit. Lat. Christophors. cap. 19.) *eosdem libros numerat, qui à nostris Ecclesiis agnoscuntur pro Canonicis; aitq; Esse in vetere testamento βίβλους ἐνδιαθήκους, libros testamentarios, viginti duos; quot sunt Hebræorum*

brarum littera. Sed quare omittit illa Hæreticus? A *ἄν ἰβερίοις παραδιδόασιν,* vt Hebræi tradunt. Item, *sunt viginti duo libri secundum Hebræos.* Quibus significat, se loqui de Synagogæ; non de Christianæ Ecclesiæ Canone. Quod autem Hæretici Iudæos potius sequuntur, quàm Christianos, id fortè ideo fit, quòd magis *Iudaizant,* quã *Christianizant.* Quanquam non est, quod sibi de Origenis patrocinio blandiantur. Si cum illo concordant in numero librorum Canonicorum veteris testamenti, cur repudiant Epistolam Hieremiæ; quã ipse apud Eusebium in Canone reponit? Cur repudiant partes quasdam Danielis, vt draconis & Susannæ historiam, quam studiosè defendit Origenes Hom. 1. in Leuiticum, & in Epistola ad Iulium Africanum? Certè decurtatus Daniel, & B integer Daniel, non est plane vnus & idem. At Origenes integrum recipit; isti tantummodò decurtatum.

Quàm verò infirmum est Caluinistæ argumentum, quod à viginti duabus Hebræorum litteris hunc in modum ducit. *Si litteris Hebraicis libri Canonici conueniunt, vt Patres statuunt, tum certum est nullum his libris, de quibus contendimus, in sacro Canone locum relinqui; sic enim plures erunt libri Canonici, quàm littera Hebraica.* Imbelle telum; quia nõ omnes veterum numerum librorum Canonicorum ineunt secundum numerum litterarum Hebraici Alphabeti. Testis ipsemet S. Hieronymus in Prologo Galeato, vbi ait. *Nonnulli Ruth & Cinoth,* hoc est, lamentationes Hieremiæ, *inter hagiographa scriptitant, & hos libros in suo putant numero supputandos; ac per hoc esse priscæ legis libros viginti quatuor, quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis Ioannes inducit adorantes Agnum, & coronas suas prostratis vultibus adorantes.* Et hanc eandem sententiam tribuit ipsis Hebræis S. Hieronymus præfatione in Danielem. *In tres partes omnis ab Hebræis, scriptura diuiditur, in legem, in Prophetas, & in Hagiographa: id est, in quinq. & octo, & in vndecim libros.* Numeret Caluinista, quot quinque & octo, & vndecim libri conficiant libros. Reperiet, opinor, viginti quatuor; plures igitur, quàm sint litteræ Alphabeti Hebraici.

Deinde vix inter se conueniunt, qui libros D Canonicos ad viginti duas Alphabeti litteras accommodare student, ita vt nec plures, nec pauciores habeant; nam Synopsis Athanasiana librum Ruth separatim numerat à libro Iudicum, S. Hieronymus in Prologo Galeato coniungit; vt & Origenes apud Eusebium, & Damascenus lib. 4. cap. 18. Et tamen isti æquè ac Synopsis, viginti duos libros Canonicos constituunt. S. Epiphanius lib. de mensuris & ponderibus viginti septem Canonicos libros numerat; quos ait ad viginti duos redigi posse, vt respondeant numero litterarum Hebraicarum; Idem dicit Damascenus, Epiphanium secutus. Synopsis, omittit librum Esther, & tamen viginti duos libros adfert; vt & Gregorius Nazianzenus, & Leontius de Sectis. Cyrillus Prophetiam Baruch & Hieremiæ Epistolam Canoni annumerat; & tamen viginti duos duntaxat libros statuit; quia cum Hieremia coniungit. Quidam libros veteris testamenti numerant absque vllo ad Alphabetum respectu, vt Amphilochius in Iambis ad Seleucum.

Cum igitur auctores & isti & alij coniungendo & disiungendo libros modò viginti duos, modò plures statuant, facilè quis rationem inire posset; vt licet in Canonicis numeret Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Macchabæos; non tamen numerum viginti duorum librorum excederet. Nam si omnes Salomonis libros pro vno computet; & prætere Estherem cum alio quodam Canonico libro iungat; (quod nonnullos fecisse testatur Athanasiana Synopsis) vt cum Esdra, à quo librum illum fuisse scriptum Isidorus & alij tradunt, teste VVitackero; tum quos numerus Alphabeti Hebraici adeo delectat; hic etiam eundem numerum inuenient: neque hęc coniunctio inusitatior esset, quam quòd duodecim libri Prophetarum duodecim reputantur vnus liber; primusque & secundus Regum, itidem vnus; & sic de cæteris.

C Sed pergamus ostendere nullum esse à VVitackero productum testem, qui cum Nouatoribus per omnia sentiat. Non Hilarius præfat. in Psalmos; quia iste sanctus Pater Hebræo Canoni etiam Hieremiæ Epistolam annumerat. Num hoc faciunt Sectarij?

Nec S. Epiphanius, quia licet in libello de ponderibus & mensuris enumeret libros Canonicos secundum Canonem Hebræum, vt & Heresi octaua, tamen vbi de Hæresi Anomœorum agit, Sapientiam Salomonis & filium Sirach, hoc est, *Ecclesiasticum,* manifestè inter scripturas diuinas collocat. quin & VVITACKERO hoc carmen in Aëtio accinit. εἰ γὰρ ἦς ἐξ ἁγίου πνεύματος γεγεννημένος, καὶ προφήταις, καὶ ἀποστόλοις μεμαθητευμένος, ἔδει σε διελθόντα ἀπ' ἀρχῆς γενέσεως κόσμου ἄχρι τῶν τῆς Ἐσθὴρ χρόνων, ἐν εἴκοσι, καὶ ἑπτὰ βίβλοις παλαιᾶς διαθήκης, εἴκοσι δύο ἀριθμουμέναις, τέτταρσι δὲ ἁγίοις εὐαγγελίοις, καὶ ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἐπιστολαῖς τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου, καὶ ἐν ταῖς πρὸ τούτων, καὶ σὺν ταῖς ἐν τοῖς αὐτῶν χρόνοις, πράξεσι τῶν ἀποστόλων, καθολικαῖς ἐπιστολαῖς Ἰακώβου, καὶ Πέτρου, καὶ Ἰωάννου, καὶ Ἰούδα, καὶ ἐν τῇ Ἰωάννου ἀποκαλύψει, ἔν τε ταῖς σοφίαις Σολομῶντός τέ φημι, καὶ υἱοῦ Σιράχ, καὶ πάσαις ἁπλῶς γραφαῖς θείαις, καὶ ἑαυτοῦ καταγνῶναι, ὅτι ὄνομα ὅπερ οὐδαμοῦ ἐστι κεῖται ἦλθες ἡμῖν φέρων. *Si ex Spiritu sancto natus esses, instructusq. à Prophetis, & Apostolis, oportebat te exorsum ab initio mundi, progressumq. vsq. ad Estheris tempora, per viginti septem veteris testamenti libros, qui viginti duo numerari solent, perque quatuor Euangelia, & quatuordecim sancti Pauli*

Episto-

Epistolas, perq; Apostolorum Actus, qui ante & cum his fuere, & per Epistolas Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ, & Apocalypsin Ioannis, perq; libros Sapientiæ, Salomonis inquã, & filij Sirach, & per omnes simpliciter diuinas scripturas, teipsum condemnare. &c.

Vbi apertè v[illegible] , *Sapientiam & Ecclesiasticum* diuinis scripturis annumerari. Num hoc faciunt Nouatores? An igitur cum Sectariis in numero Canonicorum librorum consentit S. Epiphanius? Mirum profectò, Hæreticos tam esse obtusi capitis, vt inter Canonem Hebræum & Christianum, nihil discriminis agnoscere velint. Sit ita, non fuisse plures libros veteris testamenti in Canone Hebræo, quàm ipsi velint. An ideo valebit hæc consequentia? *ergo neq; in Canone Christiano plures veteris testamenti libri collocandi sunt*: Vel; *ergo* B *Tobias, Iudith, similes, non erant libri natura sua verè Canonici, licet in Hebræo Canone non reponerentur.* Ne huius quidem æstimandæ sunt huiusmodi nugatorum verè nugaces consequentiæ.

Sic & plerique patres, cum libros Canonis Hebræi, (quem isti ex scriptura nunquam nobis demonstrabunt) recensent, addunt se de Canone Iudæorum loqui; non de Christiano. Hinc Isidorus lib. 6. Etymolog. cap. 1. postquam libros ex Hebræo Canone recitarat, subiungit. *Quartus est apud nos ordo veteris testamenti, eorum librorum, qui in Canone Hebraico non sunt. Quorum primus Sapientiæ liber est, secundus Ecclesiasticus: tertius, Tobias: quartus, Iudith: quintus & sextus Machabæorum: quos licet Hebræi inter apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat, & prædicat.*

Nec Ruffinus, cuius explicationem in Symbolum VVitackerus citat; cum Hæreticis consentit; quia recipit partes Danielis, quas VVitackerus, & alij Sectarij repudiant; Canticum scilicet trium puerorum, Susannæ, Belis, Draconisq; historias. Quapropter libro secundo contra S. Hieronymum reprehendit eundem Hieronymum, quod has partes Danielis respuerit tanquam spurias. *Omnis illa Historia de Susanna*, inquit Ruffinus, *quæ castitatis exemplum præbebat Ecclesiis Dei, ab isto abscissa est, & abiecta, atq; posthabita. Trium puerorum hymnus, qui maximè diebus solemnibus in Ecclesia Dei canitur, ab isto è loco suo penitus erasus est.* En iudicium Ruffini de partibus Danielis. Num idem iudicant Sectarij?

Quocirca neque in explicatione Symboli cõuenit Ruffinus cum Hæreticorum sententia: Ibi enim Danielẽ inter Canonicos libros collocat. At quem Danielem? Num partibus suis truncatum? Nequaquam: sed integrum omnibusque suis membris constantem, prout hodie in Ecclesia Catholica legitur. Num talem Danielem nostri isti errones recipiunt?

Producit præterea VVitackerus S. Hieronymum; sed testis iste contra VVitackerum, sodalesque eius testatur, librum Iudith esse diuinum ac Canonicum; idque probat authoritate Synodi Nicænæ, definientis librum hunc verè diui-A num ac Canonicum esse. Si item VVitackerus ex huius testis sui præfatione in Danielem conuincere velit partes quasdam Danielis esse suppostitias & apocryphas; absque mora respondebit testis iste id, quod iam olim respondit Ruffino in secunda aduersus illum Apologia. *Quod refero, quid aduersum Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum & Belis draconis fabulas,* quæ in volumine Hebraico non habentur, *Hebræi soleant dicere; qui me criminatur,* (hoc est, qui partes illas Danielis à me tanquam spurias stultè reiici affirmat) *Stultum se & sycophantam probat.* (Hæc enim vera lectio) *non enim quid ipse sentirem, sed quod illi contra nos dicere soleant, explicaui.* Ecce testis tuus S. Hieronymus, nullo modo videri vult, quasi Danielem suis partibus mulctet ac detruncet. Et tu testimonium eius laudare ac proferre audes?

S. Hieronymo subiicitur S. Gregorius Magnus *qui in Commentariis suis in Iobum* lib. 19. cap. 16. *disertè scribit*, si vera narrat VVitackerus, libros Macchabæorum non esse Canonicos. *Quod eius de reliquis quoque istis iudicium fuisse, dubium non est.* Sed dubium non est, quin mentiatur VVitackerus; quia de libro Iudith nihil prorsus dicit S. Gregorius in operibus, quæ hoc tempore extant. An ideo non habuit pro Canonico? Si ita colligere licet; tum nec librum Esther pro Canonico habuit; quia nullum testimonium vnquam ex hoc libro profert; vt testatur is, qui C Gregorianam Confessionem confecit, & omnia volumina S. Gregorij cum cura euoluit.

Testimonium ex cap. 4. Tobiæ adfert parte tertia Pastoralis, Admonitione XXI. *Scriptum est,* inquit, *panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue.* Absolutè dicit; *scriptum est*; qui modus loquendi absolutè ita prolatus, citationem ex Canonico libro insinuat; nec adiecit illud: *Scriptum est, etsi non in Canonico, sed ad Ecclesiæ ædificationem scripto libro*; vt fecit cum historiam de Eleazaro Elephantem perimente ex lib. 1. Macch. cap. 6. produxit. Et quid si quis diceret; S. Gregorium nihil aliud velle; quàm libros illos non esse in librorum Canonicorum ordine, de quibus nulla vnquam dubitatio apud Orthodoxos exstitit; vel non esse Canonicos apud Iudæos; Et hoc ipsum vocare; *non esse Canonicum*? Neque enim D credibile est S. Gregorium, ignorasse definitionẽ Gelasij Pontificis in Concilio Romano de libris Canonicis; aut Canonem Concilij Carthaginensis, aut sententiam S. Augustini, & aliorum ætate antecedentium.

Etiam à Iosepho Iudæo petit VVitackerus subsidium ac testimonium. Neque mirari debemus, si Hæreticus magis audiat, quid dicat Iudæus; quàm quid Christianæ & Catholicæ Ecclesiæ consensus. Libro primo contra Apionem *non recenset Iosephus plures Canonicos libros, quàm viginti duos: cuius verba descripsit Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 10.* Sudabit, opinor, Hæreticus, donec ex Io-

sepho

Digitized by Google

ſepho extundat illos ipſos libros, quos ipſe tantum Canonicos reputat. Ait Ioſephus. *Moyſen ſcripſiſſe libros quinq;* de quo nulla quæſtio. *Prophetas; libros tredecim.* Dicat, oro, at non ex ſuo capite; ſed ex Ioſepho, qui nam ſint iſti tredecim Prophetarum libri. Sint ſane iſti. Duodecim Prophetæ liber vnus. Iſaias, ſecundus. Hieremias tertius. Ezechiel, quartus. Daniel, quintus. Ioſue ſextus. Iudices & Ruth, ſeptimus. Prius & ſecundus Regum, octauus. Tertius & quartus Regum; nonus. Primus & ſecundus Paralipomenon, decimus. Eſdras vndecimus; Iob duodecimus. Eſdras decimus tertius. Vbi manebit Pſalterium Dauidis? An non pertinet ad libros Prophetarum? Magis, niſi fallor, quàm liber Iudicum. Vbi eſt liber Eſtheris?

Addit Ioſephus. Reliqui verò quatuor, hymnos in Deum & vitæ humanæ præcepta noſcuntur continere. Qui ſunt iſti quatuor? Forſan huc referes Pſalterium? Sed cur non potius refertur ad Prophetas, vel libros Prophetarum? ſed referatur huc: ſintque Pſalterium, Eccleſiaſtes, Prouerbia, & Canticum Canticorum in hoc tertio Ioſephi ordine. Quem locum aſsignabis Eſtheri ex Ioſepho? Quocunque te vertas, locum nullum inuenies. Nam ſi cum Eſdra iungere tentes; monſtrare debebis hoc ex Ioſepho: non enim quærimus, cum quo à quouis coniungi queat; ſed cum quo iunctus ſit à Ioſepho. Præclarè ergo Ioſephus cum VVitackero facit; cum quem librum iſte Canoni includit, ille in numero Canonicorum librorum ita enumeret, vt quem locum Eſther teneat; non liqueat; aut ſi quem teneat, id non fiat, niſi alio ex ſua ſtatione eiecto.

Accedit, quod neque apud Epiphanium, neque Damaſcenum, neque S. Hieronymum in Prologo Galeato cum alio iungitur; ſed ſemper ſeparatim numeratur. Cur non & apud Ioſephũ? Nec diſputo, quid ex Antiquitatum lib. XI. probari queat? quia hic tantum diſſero de teſtimonio ex lib. 1. contra Apionem prolato; ſimulque diſpicio, vtrum teſtis iſte in omnibus cum VVitackero conſonet: qui ab eodem alia itidem ratione diſſonat in lib. 2. contra Apionem; Ibi enim *Eccleſiaſticum* legem nominat; & ex eo, tanquam ex diuina lege, teſtimonium citat; illis verbis, vbi de nuptiis agit. *γυνὴ δὲ χείρων, φησίν,* (ſubaudi *νόμος*, lex diuina, de hac enim loquitur) *ἀνδρὸς εἰς τὰ πάντα, καὶ ἡ πονηρία αὐτοῦ ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ γυναικός.* Quæ verba Ioſephi Interpres partim malè reddidit; partim præteriit. Verte. *Mulier peius quiddam eſt viro per omnia; & ipſius viri malitia præferenda eſt beneficentia mulieris.* Ex qua lege diuina hęc ſententia deſumpta eſt? Verte oculos, quocunque voles, aliam non inuenies, quàm Eccleſiaſticum cap. 42. v. 14. vbi Latinus & vulgatus textus. *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Græcus ita, *κρείσσων πονηρία ἀνδρὸς ἢ ἀγαθοποιὸς γυνή.* Ecce Ioſephus Eccleſiaſticum,

A vt legem diuinam, citat: Hæreticus, vt apocryphum, repudiat? Quam pulchra inter Ioſephum & hæreticum conſonantia.

Etiam Iſidorum pro ſe profert Caluinianus; ſed ſtrenuè hæc Iſidori verba diſsimulat. lib. 6. Etymolog. cap. 1. *Quartus apud nos* (Chriſtianos) *eſt ordo eorum librorum, qui in Canone Hebræo non ſunt, vt Sapientia, &c. Eccleſia Chriſti hos libros inter diuinos & prædicat & honorat.* Strenuè item diſsimulat: quod lib. 1. de Officiis Eccleſiaſt. cap. 12. Poſtquam omnes libros ſacros tam à Iudæis receptos; quàm quos dein Chriſtiana recepit Eccleſia, Iſidorus percenſuiſſet; ſubiungit. *Hi ſunt ſcriptores ſacrorum librorum, diuina inſpiratione loquentes, ad eruditionem noſtram præcepta cæleſtia diſpenſantes.* B *Auctor autem earundem ſcripturarum Spiritus ſanctus creditur; ipſe enim ſcripſit, qui per Prophetas ſuos ſcribenda dictauit.* Hoc autem affirmauit Iſidorus, etiam de Auctore libri Sapientiæ, Eccleſiaſtici; Iudith, Tobiæ & Macchabæorum; ergo, ex ſententia Iſidori, iſti etiam libri ſunt Canonici: nam liber ille Canonicus eſt, qui ſcribitur ex peculiari inſpiratione & reuelatione Spiritus ſancti homine, tanquam inſtrumento & ſcriba ad perficiendum opus vtentis. Quàm ergò pulchrè cum VVitackero concinit Iſidorus: qui etiam ex iiſdem libris; tanquam ex ſacra ſcriptura; allegorias adfert & explicat in libello *Allegoriarum* veteris ac noui teſtamenti.

C Damaſcenus in *Parallelis* librum Sapientiæ, Eccleſiaſticum, & Baruch ſæpiſsimè citat, tanquam libros Canonicos, & à Spiritu ſancto dictatos: non eſt ergo dubitandum, quin VVitackero & aliis Nouatoribus ſubſcribat, qui libros iſtos ex Canone exterminant. Quo minus dubites, Damaſcenum eſſe iſtorum teſtem, aduerſus quem nihil liceat excipere; ecce tibi ſtatim in procemio Parallelorum *Eccleſiaſticum* ſacris litteris accenſet. Citans enim illud ex cap. 24. Eccleſiaſtici: *Qui edunt me adhuc eſurient,* &c. addit; *Vt ſacris litteris proditum eſt.* Nam quod lib. 4. Orthod. fidei cap. 18. hos libros à Canone excludit, id factum eſt; quia eo loco Epiphanium ſecutus, Hebræum duntaxat D Canonem propoſuit. Vt ergo S. Epiphanius extra libellum de menſuris & ponderibus plures libros Canoni annumerat, vt ſuprà vidimus; ita & Damaſcenus, qui inſuper *Oratione de vita functis,* Macchabæorum alterum librum, tanquam ſacram ſcripturam, allegat. *Animaduertite, quid ſcriptura ſacra.* (2. Macchab. 12.) *de Iuda Macchabæo memoriæ prodiderit,* &c.

Si Nicephorus in Iambis apud Theodorum Prodromum, Tobiam, & Iudith à Canone excludit, tum excludit etiam Eſtherem; quia hunc librum eodem loco habet, quo libros IVDITH & TOBIAE. Nam poſtquam Hiſtoricos Canonis libros enumerauerat, ſubiicit:

ἤδη δέ τινες ἐγκρίνουσι καὶ τάδε, ἐσθὴρ, ἰουδὶθ, καὶ τωβίτ. *Quidam addunt & istos; Estherem, Iudith, & Tobiam.* Eligat ergo Hæreticus quod volet. Aut libros Iudith & Tobiam à Canone reiiciat, ex sententia Nicephori; aut addat. Si hoc: non ergo testem habet pro sua de libris Canonicis opinione Nicephorum: Si illud: tum etiam liber Estheris excludendus est; quia de hoc Nicephorus eodem modo sentit ac loquitur quo de Iudith ac Tobia.

Leontius cum VVitackero penitus non concordat; quia librum Esther, quem iste in Canone ponit, Leontius ne nominat quidem.

Iam verò illi, Rhabanus Maurus, Radulphus, Hugo de S. Victore, Richardus de S. Victore: Liranus, Carthusianus, Abulensis, Antoninus, Hugo Cardinalis, Glossa d. 16. C. *Canones*; secuti sunt S. Hieronymum, & quod in Galeato eius Prologo reperiebant, id sine exactiore disquisitione sequebantur; venia digni; quia si maior lux illis affulsisset, facilè tenebras, in quibus versabantur, deseruissent: quanquam vix vllus est ex horum numero, qui non in aliquo vel aliquibus ab Hæreticis dissentiat; pluresque libros in Canone ponat, quam Sectarij. Quod de Radulpho ostensum supra ad caput quartum. De Rhabano, quàm testificatione sua Nouatorum caussam egregiè promoueat, disce ex his eius verbis, quæ reperies lib. 2. de Institutione Clericorum cap. 53. *Pronunciantur lectiones in Christi Ecclesiis de scripturis sanctis. Constat autem eadem sacra scriptura ex veteri lege & noua, &c. Primi legis*, id est, Moysis, *libri quinque sunt, Genesis, &c. Hos sequuntur historici libri quindecim* IESV *Naue scilicet, &c. Tobiæ quoq; & Esther & Iudith, &c. Posthac versuum octo libri habentur. Iob liber. liber Psalmorum, &c. Sapientia & Ecclesiasticus, &c.* Sub finem, *Hi sunt libri Canonici, septuaginta duo, &c.* En quàm sibi adstipulantem & suffragantem testem VVitackerus in forum producat. Nam quod Rhabanus capite sequenti ait; *Esdram in Canonem viginti duos libros allegisse, vt tot essent Canonis libri, quot alphabeti Hebraici litteræ*; id de Iudaico Canone intelligit, non de Christiano, vt patet ex eius verbis, quæ verbatim conueniunt cum Isidoro lib. 1. de Officiis Ecclesiast. cap. 12. nam post Canonem Hebræum expositum agit de Canone Christiano, in eoq; omnes libros collocat, quos nos hodie ex Concilij Tridentini decreto collocamus. Nullus ergo testis, aut vix vllus à VVitackero prolatus est; qui cum Nouatoribus in omnibus & per omnia de numero librorum Canonicorum consentiat. Et tamen impudenter iactat, quasi omnes isti, vno ore, eadem de Canonicis libris veteris testamenti tradiderint, quæ isti ex Lutheri & Caluini schola tradunt.

Quantam verò Ariæ Montano iniuriam faciant Hæretici, cum scribunt, eum, etiam post Cōcilium Tridentinum, libros istos pro apocryphis habuisse; copiosè ex ipsius verbis demonstraui in libro aduersus Mæuium, Hunnianum

A pullum. De Erasmo non laboramus; vt nec de aliis nonnullis inferioris subsellij scriptoribus. Illum audimus, qui dixit: *Si Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Ventosam dissertationem suam coronat Caluinista huius Syllogismi coronide. *Si libri isti aut essent Canonici, aut Ecclesiæ publico aliquo, & legitimo iudicio Canonici declarati, ac definiti fuissent, tum hi tam multi Patres antiqui, & recentes minimè aut id ignorassent, aut dissensissent, præsertim cum ij fuerint, qui Catholici, & esse, & haberi vellent. At hi Patres ita multi, ita docti, ita Ecclesiæ piis præceptis obedientes, nesciuerunt Ecclesiam tale aliquid de Canone scripturæ decreuisse, & libros istos esse apocryphos palàm pronunciarunt: ergo libri isti non sunt Canonici, &c.*

B Respondeo inprimis, maiorem esse falsam; quia fieri potest, & verò factum est; vt res etiam saluberrimè constituta & decreta aut ignoretur, aut non intelligatur; aut si prius nota fuit, postea iterum in obliuionem veniat. Id quod hic factum; quanquam multi de Canone secus quā oportebat, arbitrati sunt; quia res necdum erat penitus constituta. Multi non de Christiano, sed de Hebræo Canone scripserunt, quidquid scripserunt. Multi S. Hieronymum, tanquam magistrum, bona fide sibi sequendum censuerunt, non valde solliciti, quid post S. Hieronymum, Concilia decreuissent, vel Patres tradidissent. Quod de Bibliorum interpretibus memoriæ superioris, quo non adeo magna eruditio &

C antiquitatis peritia vigebat, intellectum volo. Nullus denique omnino id quod Hæretici asserunt; asseruit; vt singulorum testimonia expendendo demonstraui: Et vt maximè idem cum Hæreticis dicerent, idem tamen non sentirent. Nam vt in libro contra Mæuium dicebam; non ideo cum Hæretico sentit, qui inculpatè, vel ex incuria, & incogitantia, vel ex ignorantia, vel ex humana infirmitate in errorem aliquem cōmunem cum Hæreticis labitur. Nam Hæretici hanc propositionem, verbi gratia: *liber Tobiæ, liber Iudith, &c. non est Canonicus*, ita tuentur, sensuq; adeò peruerso, & pertinaci propugnant, vt de sententia sua decedere nolint, licet millies Eccle-

D sia Catholica, perque totum orbem diffusa, sanciat, statuat, definiat librum Tobiæ, aut Iudith esse Canonicum. Ita, & non aliter sentiunt Hæretici. Ita, non sentit Liranus; non ita Caietanus; non ita Driedo; non ita ipse S. Hieronymus: non ita etiam post Concilium Sixtus Senensis, quod ad septem postrema capita libri Estheris attinet. Quiuis enim istorum ita comparatus fuit, vt opinionem suam mutare paratus fuerit, si per Concilium aliquod generale, secus, ac ipsi opinabantur, perspicuè rursus decretum fuisset. Dico igitur, te, tuumque Hunnium (aliosque hæreticos) mentiri, quoties Doctores istos, tanquam idem vobiscum sentientes, producitis.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ego tunc Mæuio. Nunc etiam VVitackero. His absolutis accedamus ad caput septimum Bellarmini quod est de libro Esther, & videamus, quæ argumenta Prædicantes in septem postrema huius libri capita vibrent.

Argumenta VVitackeri aduersus septem postrema Estheris capita.

I.

QVÆ semel narrata sunt in primis capitibus; eadem rursus in illis sequentibus commemorantur: quæ rerum earundem narratio repetita, satis arguit, non ab vno omnia esse conscripta. Nulla enim causa omninò fuit, quamobrem eadem bis idem narraret: nec idem homo alia lingua scripsisset postremam partem, quàm qua primam. Sin fuit alius, cur tamen, si Propheta fuit, sermone non est vsus Hebraico, & Prophetico? Auctorem huius libri fuisse aut Esdram, aut Ioachim sacerdotem, aut ipsum Mardochæum, docti statuunt, alium nesciunt.

Hoc argumento poterit VVitackerus concludere Deuteronomium non esse Canonicum; quia eadem ferè in eo libro narrantur, quæ iam in prioribus Moysis libris exposita fuerant. Nec libros Paralipomenon, in quibus multa repetuntur iam in libris Regum perscripta. Nec Euangelium S. Lucæ aut S. Marci; quæ multa memorant iam à sancto Matthæo in litteras relata. Nulla enim caussa fuit, cur eadem bis narrarentur.

Sed hic fuit idem auctor; inquit Sectarius. Sed si quis dicat; quod eruditis quibusdam placet, fuisse diuersos Auctores, hunc quomodo refellet VVitackerus? Vnde etiam scit, postrema illa capita non fuisse initio Hebraicè scripta? An quia hodie non exstant Hebraicè? At nemo non videt, quàm sit hæc ratio elumbis. Quod ait doctos, alium huius libri auctorem non statuere, quàm aut Esdram, aut Ioachim Sacerdotem, aut ipsum Mardochæum, id indicio est, VVitackerũ quod nesciebat, temerè pro vero affirmasse: Nã Rabbi Moyses Camius lib. Darche Leschon Hacodesch viros magnæ Synagogæ auctores huius D libri statuit, vt contra VVitackeri inscitiam notat Serarius noster Prolegom. in Estherem.

II. Argumentum. Multa sunt in his capitibus ἀσύμφωνα, ἀσύστατα, & ἀδιάλλακτα. At rectè respondet VVitackero Serarius; esse hunc hæreticis morem perpetuum, vt libri alicuius auctoritatem eleuaturi, omnia, quæ ille contineat, difficilia colligant: vt, quia non à quolibet statim explicari ea possunt, falsa omnia iudicentur. Vanum autem est ob difficultates, quas soluere nescias, libri auctoritatem inficiari, vt monet quoque Caluinianus Drusius in cap. 3. Esther: *Nescio*; inquit, *quàm rectè fiat ab hominibus eruditis, qui addi-* A *tionibus Esther falsi crimen imponunt ex loco tam dubio & controuerso.* Loquitur de illa difficultate, quomodo Aman fuerit Macedo.

At videamus quænam sint illæ insolubiles difficultates, quibus VVitackerus compulsus capitibus istis omnem auctoritatem abiudicat. Cap. 11. v. 2. *Mardochæus somniasse dicitur de illis duobus Eunuchis, qui contra regem conspirauerant anno secundo: vide etiam cap. 12. v. 1. At in cap. 2. quod Canonicum est, versu 16. hanc conspirationem contigisse legimus anno septimo Assueri.*

Respondet Bellarminus; *Septem illa capita libri Esther, quæ sunt postrema in editione Latina vulgata, non esse reuera postrema; sed quædam totum pertinere ad initium libri, vt cap. 11. & 12. quædam ad medium, vt cap. 13.* B *14. 15. 16. quædam ad finem, vt cap. 10. quod perspicuum est, tum ex Græcis codicibus, vbi omnia suo ordine collocata sunt; tum ex annotatione S. Hieronymi inserta cap. 10. 11. & sequentibus huius libri in Bibliis Latinis. Patitur autem Ecclesia ea capita simul ad finem libri permanere, vbi ea S. Hieronymus collocauit; vt intelligamus quid huius libri sit, & quid etiam non sit in codicibus Hebræorum. Narratio igitur insidiarum, quæ habetur cap. 12. in Latinis Bibliis, ad initium libri pertinet, atq; ibi narrantur insidiæ per anticipationem, quæ rursum narrantur post ea suo loco cap. 2. Factæ sunt autem anno septimo, vt habetur cap. 2. non autem anno secundo, vt videtur colligi ex cap. 11. siquidem illa verba cap. 11. anno secundo regnante Artaxerxe, &c. non debent extendi vsq; ad narrationem insidiarum, sed solùm ad ea, quæ dicuntur in ipso cap. 11. id est* C *ad somnium, quod Mardochæus vidit antequam Esther Assuero coniungeretur.*

Occurrit VVitackerus. *Hoc totum sine argumento & libro reclamante dicitur. Nam in fine cap. 11. Mardochæus dicit, se, cum surrexisset, multa secum animo de illo insomnio voluisse, vsque ad noctem* ἕως τῆς νυκτὸς*: & tum illum quiescentem in aula cum duobus illis eunuchis, illorum coniurationem intellexisse. Non ergo fuit inter somnium Mardochæi, & insidias eunuchorum interuallum quinq; annorum, vt iste somniat, sed diei vnius, si qua fides ipsi libro habenda sit.*

Hoc totum, quod VVitackerus asseuerat; sine vllo argumento asseuerat. Neque enim vnquam ex collatione capitis vndecimi cum capi- D te duodecimo euincet, has insidias esse factas eo tempore, quo Mardochæo somnium illud oblatum est: neque iuuant VVitackerum verba Græci textus. ἕως τῆς νυκτὸς; non enim indicant illa nocte insidias fuisse structas; sed Mardochæum vsque ad noctem sedulo & cum cura de obiecti somnij intelligentia cogitasse; quod verum esse potuit, & vero verum fuit, licet post quinque demum annos insidiæ istæ structæ, & à Mardochæo intellectæ & detectæ fuerint.

Acutus nimirum scripturæ interpres est VVitackerus, qui verba capitis duodecimi cum vndecimo ita connectit. *Morabatur autem eo tempore* (quo somnium vidit Mardochæus) *in aula Regis cum Bagatha & Thara Eunuchis Regis, qui iani-*

Digitized by Google

tores erant Palatij. Et hactenus quidem rectè; quia iam Mardochæus in aula versabatur, quando hoc somnium ei oblatum est: subditur: *cumque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligentius peruidisset, didicit, quod conarentur in Regem.* Hoc VVitackerus ita explicat; *cum eodem die, in cuius antegressa nocte somnium viderat; conatus Eunuchorum deprehendisset; tum nuntiauit super eo Regi.* Quæ interpretatio VVitackeri est, non alicuius probi & probati doctoris; extorta ex verbis sacris ex odio in hæc postrema ESTHERIS capita.

Secundum VVitackeri ἀσύστατον, & ἀσύστατον. *Hæc quæ in his capitibus narrantur, multis annis scripta sunt post Mardochæum mortuum. Nam cap. 11. mentio fit Ptolemæi, & Cleopatræ: qui sanè post Mardochæi, & Prophetarum etiam tempora vixerunt. Nec satis colligi potest, quid sibi velit quod illo loco perscribitur. Lysimachus enim filius Ptolemæi Hierosolymitanus dicitur epistolam præsentem Phurim interpretatus, quam Dositheus, & eius filius Ptolemæus afferebant, regnante tum Ptolemæo, & Cleopatra.*

Respondet Bellarminus, posse dici; *primum libri huius auctorem, qui Hebraicè historiam Esther scribendam suscepit, summam tantum historiæ conscripsisse: deinde, alio tempore scriptam fuisse historiam eandem ab aliquo alio copiosius; & translatam in linguam Græcam à Lysimacho, regnante in Ægypto Ptolemæo Epiphane, & Cleopatra, vt indicatur in hoc ipso libro cap. 11. Porrò prioris auctoris librum ipsum Hebraicum; posterioris autem non ipsum librum, sed solùm translationem ad nos peruenisse.*

Contra quæ VVitackerus. *Non hic dicitur Lysimachus librum aliquem Hebraicum in linguam Græcam transtulisse, sed epistolam Phurim.*

At nec negatur, Lysimachum plura ex Hebræo in Græcum transtulisse, quàm Epistolam illam *Phurim*, seu sortium. Non igitur hac obiectiuncula coniecturam Bellarmini eneruas. Cur enim solam illam Epistolam in Græcum vertisset? Si quæras, quis hanc ipsam particulam de Lysimacho Estheris libro adiecerit; non enim adiecit primus Auctor; non ipse Lysimachus, quod per se notum: Respondeo, non esse necessarium, vt ostendatur primus Auctor; sufficit, in libro reperiri; & vt Canonicam particulam ab Ecclesia Dei recipi. Quis adiecit Deuteronomio illa de morte Moysis? Quis libro Iobi illa de obitu Iobi? Quis aliis alia?

Instat VVitackerus: *Quod posteriorem auctorem scripsisse ait historiam hanc copiosius, quàm priorem, id si verum est, tum hæc historia, cuius duntaxat translatio remansit, illa non est, quam posterior auctor edidit. Nam illa est breuior, quàm historia Hebraica; nec tam plenè historiæ seriem contexuit, quod omnes perspicere possunt.*

At non dixit Bellarminus, à posteriore auctore simpliciter, & quoad omnia historiam Estheris copiosius fuisse descriptam: sed saltem, quoad aliqua: quod verum esse testabitur ipsa septem postremorum capitum lectio.

Quærit Caluinista: *Quis Lysimachi huius translationem Græcam transtulit in Latinum? Hieronymus Latinam quandam translationem reperit, eamq; subiecit; quæ nonnulla haberet, vt ipse scribit, quæ nec in Hebræo, nec apud vllum interpretem ferebantur: & tamen hæc vulgata, quæ Hieronymus nullius fidei iudicauit esse, sunt prorsus authentica, & Canonica Papistis.*

Facilis responsio. S. Hieronymus transtulit, vt patet ex notulis, quas illis, quæ in Hebraicis exemplaribus non repererat, præfixit. Neque enim alienæ interpretationi Latinæ has notas præposuit Hieronymus, vt hallucinatur Caluinista, sed suæ. Et posito, quod de translatore nil constaret; an ideo hæc capita apocryphorum næniis annumerari deberent? Quàm autem imbelle est hoc telum, quo tamen nunquam non vtuntur hæretici: *Ista capita non sunt in Hebræo; ergo sunt apocrypha: nec verisimile est excidisse:* cur, quæso, non verisimile? ait Serarius noster; An integros libros excidisse fatentur hęretici, particulas excidere potuisse negabunt? Licet verò è cap. 9. Drusij verba istis obiicere, dum istud exponit; ἐγγεγραφῇ εἰς τὸ βιβλίον. *Existimant*, inquit, *fuisse librum vulgo eius ætatis notum. Quod si ita est; intercidit cum aliis, vt liber recti, & Salomonis, Medras Iddo, liber bellorum Domini, Annales regum Israël.* Sed Origenem epist. ad Iulium Aphricanum potius audiamus, qui hoc ipsum, quod VVitackero incredibile videtur, verisimile asserit. Et Flauius Iosephus lib. 11. c. 6. Assueri epistolas citat cum lib. 10. cap. 12. è fontibus Hebræis haurire se profiteatur. Et libr. 1. pleraque refert Hebræus Gorion Cranoiensis.

Tertium VVitackeri ἀσύστατον. cap. 12. v. 5. *Fictus auctor scribit, Mardochæo datum esse præmium à rege propter indicium: sed cap. 6. vers. 3. vera historia, nihil in illum præmij collatum fuisse legimus.*

Respondet Bellarminus: *Etsi non habuerat Mardochæus mercedem pro delatione, quando rex iussit relegi sibi annales, vt dicitur cap. 6. tamen habuit postea amplissimam mercedem, quæ describitur in eodem 6. cap. Et ea significatur cap. 12 per illa verba; datis pro delatione muneribus.*

Obiicit VVitackerus: *Qui locum ipsum legerit, id constare nullo modo posse perspexerit. Nam in hoc 12. cap. post data Mardochæo munera, ei Haman malum machinatus esse dicitur: quod non intelligi potest de illis maximis honoribus, & muneribus, quibus illum rex post annales inspectos affecit.*

Quare verò hoc non potest intelligi de regiis honoribus & insignibus, quibus Rex Mardochæum honorauit? Audiamus. *Illo ipso mane, vt in capite 6. legimus, Haman præstò aderat, vt regem de suspendendo Mardochæo conueniret. At Mardochæus illo die ad summam dignitatem euectus est, & donis regalibus cumulatus. Nec tunc licuit*

A *Hamani aliquid in illum moliri. Nam & fuit Mardochæus in summa regis gratia, & statim Haman eâdem die suspensus ipse fuit. Ergò hîc aliquid est in altera parte falsum.*

Quasi verò à fide adeo abhorreat, Amanem, insidias Mardochæo strui ante publicum illum honorem cœptas; postea continuasse; modisq; omnibus operam dedisse, vt ipsi exitium & perniciem quantocyus adferret; nō obstante tanta Regis gratia; & publica solenniqueregij honoris exhibitione; quæ liuido simul & ambitioso pectori miros stimulos subiecit, vt cogitata maturaret. Itaque caput quintum & sextum loquuntur de insidiis Mardochæo structis ante illam solemnem honorificamque circumductionem; B caput verò duodecimum agit de illis ipsis insidiis, etiam post publicam circumequitationem continuatis.

Nec obstat, quòd Aman, eodem die, in crucem actus est; quia saltem illud diei, quod inter suspensionem eius interfluxit, in pernicie Mardochæo concinnanda posuit; vt proinde capite duodecimo verè dicatur: Etiam post publicum honorem delatum; *Aman voluit nocere Mardochæo, & populo eius, &c.* Quod si quis omnino contendat; capite duodecimo sermonem esse nō de cōtinuatis, sed inchoatis insidiis; is dicat, esse ibi ὕστερον πρότερον, nam per anticipationem obiter fit mentio remunerati Mardochæi; postea subiicitur de insidiis; quæ narrationem de remuneratione C antecedere debebant. Quis autem tam hospes est in sacris litteris, qui ignoret, huiusmodi anticipationes perquam frequenter occurrere? nam vt vel vnicum exemplum adducam; Gen. 1. dicitur Deum creasse masculum & fœminam, eisque benedixisse; & postea demùm cap. 2. describitur ex Adæ dormiētis latere formatio Euæ.

Quartum VVitackeri ἀσύστατον. cap. 12. v. 6. *Haman Mardochæo iratus esse dicitur propter eunuchos, quos Mardochæus accusauit, quosq; læsæ maiestatis reos, & Mardochæi indicio damnatos rex pœna capitali affecit, sed incredibile est Hamanum tantis honoribus, ac dignitate à rege affectum eunuchorum proditioni fauisse: & in vera historia nihil tale reperitur: sed longè alia huius offensionis, iraq; causa narratur, cap. 3.* Vanissima obiectio. Quasi verò arrogantes & ambitiosi, qualis A- D man, non soleant esse in bene de se meritos, ingratissimi: vtque id, quod ambiunt, assequantur; omnia iura tam diuina quàm humana violare. Et quod cap. 3. dicitur Aman Mardochæo succensuisse, ob cultum sibi non delatum; id nō pugnat cum eo, quod capite 12. refertur. Nam & delatio eunuchorum, & cultus non exhibitus Amani materiam odij aduersus Mardochæum subministrarunt.

Quintum ἀσύστατον VVitackeri. *Cap. 15. v. 7. iste auctor ait: quando Hestera in regis conspectum venit, sic illam regem iracundè intuitum esse, vt ea metu conciderit: contrà, cap. 5. vers. 2. gratissima omninò regi venisse dicitur.*

Sed nosse debebat Hæreticus; initio quidem Regem ira inflammatum fuisse ob reginæ insolitum accessum: quod scribitur capite decimo quinto; postea mente ad lenitatem flexa, ob Reginæ periculum; gratissimis oculis eam aspexisse; vt refertur capite tertio. Quæ omnia rectè simul consistunt.

Sextum VVitackeri ἀσύστατον. *Cap. 16. v. 10. Hamanus iste Macedo vocatur: at cap. 8. v. 3. Agagæum illum, id est, Amalechitam fuisse intelligimus.* Hanc VVitackeri obiectionem dissoluit doctè & copiosè Serarius noster in cap. III. Estheris; nam præter alia multa, quæ lectori ex ipsius Commentario petere licebit; ita scribit: Fieri potuit, vt ab Amalecitis essent Macedones. Nam ob illatam à Saule cędē, potuerunt aliqui effugere, vt 2. Reg. 1. hasque in partes venire, suiq; ob regis memoriam, & gentis, aliqua statuere. Inter Israëlitarū hostes, nónne, *cum habitantibus Tyrum, Amalech* recensetur Psal. 82. Fieri ergo potuit, vt fugerent Amalecitarum aliqui Tyrum; earumque posteri, Tyro à Nabuchodonosore capta, in istas Græciæ oras deuenirent. Ait enim lib. 5. in Isaiam cap. 23. D. Hieronymus; *Legimus in Assyriorum historiis obsessos Tyrios, postquam euadendi nullam spem videbant, fugisse Carthaginem, & ad alias Ionij, Ægeiq; maris insulas.* Certè, qui Macedonici regni primordia narrando persequuntur, Iustinus & Diodorus lib. 1. c. 2. tradunt primò fuisse Argis peregrinos quosdam, & aduenas: hos venisse in Macedoniam, & quidem, Cranao quodam duce, Ægas. Deinde, vnde AEgarum nomen? num à fabula de capris viam Cranao illi præeuntibus? Vnde AEgæi maris? num à simili aut fabula, aut scopulo? Vnde *Magog*? vnde *Edessa*? quæ, in Syria potius, & orientem versus nominantur. Putat quidem Stephanus à Macedonica Syriacam Edessam vocitatam; quod crederem, si post Alexandri tempora, primùm hæc nominatio exstitisset. Vel, si Edessa, verè aquarum, vt ille ait, irrigationem Græcè significaret. Cur non ab *Agag*? cur non à simili pascendarum caprarum, & ouium opportunitate, quæ in patria olim fuerat, 1. Reg. 12. Accedit & aliqua nominis cognatio, præsertim si Amalecites, & Macetes considerentur. Fuisse verò Macedonas quondam Macetas nuncupatos testatur Heraclides apud Stephanum, Eustath. Il. ξ. Hesychius, Gellius lib. 9. c. 3. *Philippus*, ait, *Macetia rex.* Ausonius de Antiochia, & Alexandria. *Macetumq; attollite nomen.* Et lib. 2. Achilleid. Statius *didici, quo Pæones arma rotatu, quo Macetæ sua gesa citent.* Et solitos Macedones pro τ. libenter δ. ponere, simulque litterarum hyperthesin adhibere monet magnum Etymologicum in ἴδαλλω pro ἰθάλω, & ἄδαλω pro θάλω. Fuit tamen in Peræa Galaatitide scilicet trans Iordanem regione vrbs magna, & munita, quæ 1. Macchab. 5. ver. 26. in Latino *Mageth* vocatur, sed in Græco Maced. 126

Rectè igitur & Agagæus, hoc est, Amalecites, & Macedo nominatur; imò & Persa; quo no-

mine Amanem appellat Sulpicius. Quia, vt idem Serarius bene monet, *fieri potuit, vt è Macedonia pater eius*, qui ex eius maioribus solus hic memoratur; *vel auorum quispiam in Persidem venerit*; sicque in Perside, vel ex Persica matre natus, *Persa etiam diceretur*. Id similibus exemplis intelligi potest. Miltiadis filius Metiochus Persicam vxorem duxit: *eiusq́; filij Persæ habiti sunt*; inquit Herodotus lib. 5. Pæones, Darij Hystaspis tempore à Megabyzo, vt apud Herodotum ibidem est, transportati, & cum in Macedoniam veniret Mardonius, magna eius pars iam Persis subdebatur. Ibidem. Contrà verò Bubaces Persa, Macedoniæ regis Amyntæ filiam *Gygeam* duxit: ex eaque Amyntam habuit, apud Herod. lib. 8. De Themistocle, Democede, Sylosonte, aliisque ad Persarum reges venientibus non constat.

Septimum VVitackeri *ἀσύστατον*. *Non modò Haman fuisse Macedo, cap. 16. sed etiam sublato Mardochæo, & Hestera cogitasse dicitur manus in regem ipsum inijcere, vt regnum Persarum ad Macedones transferret. Sed primùm, quomodo potuisset Haman regnum Persarum ad Macedones transferre, si vel maximè regem interficere licuisset? Nam Macedonum hoc tempore aut nullum, aut perexiguum regnum fuit.*

Regnum ad Macedonas transtulisset; si in se, & in posteros suos; occiso Rege, id transtulisset. Et quamuis tunc Macedonum regnum tenue ac obscurum esset, illustrasset tamen illud; si, vt decreuerat, cum Persico coniunxisset.

Addit VVitackerus: *Quod in hoc cap. 16 narratur, Mardochæo, & Hestera insidias esse structas, vt illis occisis, faciliùs in regem inuaderet, & sic regnum ad Macedones traduceret, vera historia nihil tale commemorat. Nam reginam esse Iudæam, aut Mardochæo affinem, nesciuit; & Mardochæo mala omnia machinatus est, non quò ipse hoc modo aditum sibi ad regnum aperiret, sed vt malitiam suam expleret. Nam Mardochæus initio, quando illum Haman odisse cœpit, non erat aliqua autoritate præditus, vt posset Hamanis luminibus officere.*

At postea maximum auctoritatis gradum obtinuit apud Regem: detecta Eunuchorum proditione: Nec ignorabat Aman, quantum Mardochæus, etiam ante patefactos proditores; valeret apud Reginam; Regina apud Regem, vt proinde nullo negotio videre potuerit, his duobus capitibus saluis, sibi forè perquam difficile, Regem è medio tollere: ægrè enim ferebat, sibi adorationem à Mardochæo negari; & insuper insidias, quorũ ipse particeps fuerat, manifestatas fuisse: licet ab omni coniurationis suspicione sese alienum adeo regi probarit, vt tali in occasione, fidelis valdè iudicatus sit, & honore idcirco auctus.

Quod si aliquis dixerit, inquit VVitackerus, *Mardochæi indicio esse factum, quò minus rex interficeretur, atque ita obuiam itum esse à Mardochæo Hamanis ambitioni; & hinc, illud odium exarsisse; is se loqui ea intelligat, quæ cum historia sacra pugnant. Nam illa conspiratio eunuchorum, & illud Mardochæi indicium antè contigit, quàm Haman ad tantam gratiam, & potentiam in aula regis peruenisset, vt constat ex secundo cap. & initio tertij. Hæc omnia, eiusmodi sunt, vt nullo modo constare, aut reconciliari possint: vnde horum capitum autoritatem corruere, necesse est.*

Fumos video, quos lux veritatis fulgore suo facilè dispellet. An enim Aman cum Eunuchis in caput Regis conspirare nequiit, nisi postquam vniuersis regni principibus præpositus est? In secundo capite recensetur proditio Eunuchorum in caput Regis. In tertio, exaltatio Amanis. An ideo sequitur, in aula prius non fuisse Amanem, quàm à Rege cæteris omnibus anteferretur? Dices: non esse credibile, proditorem ad tantum dignitatis fastigium ascensurum fuisse. Quasi verò nulla huius generis in historicorum monumentis exstent exempla. Quasi verò huius farinæ homines, non sint simulatores & dissimulatores strenuissimi, tunc maximas insidias struere consueti; cum beneuolentiam summam præ se ferunt. Itaque cum detectæ à Mardochæo coniurationis conscius & particeps fuerit; sanè benigno in Mardochæum animo esse non potuit, vt capite duodecimo memoratur. Vltima verba VVitackeri nil nisi thrasonismum complectuntur; qui cum nil nisi meras nugas vomat; sic tamen sese iactat, quasi insolubilia argumenta ex locis nullo vnquam studio conciliandis promat: qui & hoc adiungit: *Sixtum Senensem Papistam, idem prorsus de his septem postremis capitibus iudicasse, etiam post Concilium Tridentinum.* At quid aliud fecit Sixtus, quàm quod errauit, vt ostendit Bellarminus, qui horum capitum Canonicam auctoritatem probat quoque ex Iosepho, lib. 10. antiq. cap. 12. hæc de seipso profitente: *In ipso historiæ meæ principio propter eos, qui quæstionem faciunt, aut in aliquo culpare nituntur, adstruxi dicens; translaturum me libros Hebraicos in eloquium græcum, & hos, volentibus aperire, neq; adiicere me aliquid seorsum, neque subtrahere me promittens.*

Ait VVitackerus; *Iosephum aliosq; scriptores hæc capita confinxisse, & postea vulgatæ editioni inserta esse: idq; probat ex Lyrano.* Sed prudentius, opinor, fecero, si ipsi Iosepho, de se ipso tam sanctè testanti fidem potius habeam, quàm VVitackero aut Lyrano, vt tempore, ita & eruditione admodum longè à Iosepho remotis. Nec vnquam ostendet VVitackerus Iosephi de libris Canonicis aliam non fuisse sententiam, lib. 1. contra Apionem, quàm Hieronymi; multumque prius sudabit Sectarius, quàm planum faciat, num & vbi Iosephus in illo Catalogo aduersus Apionem librum Esther collocarit.

Refutatio Hunnij & Junij.

PRIMO dissoluere nititur Hunnius argumenta, quæ Bellarminus adfert, pro Canonica auctoritate horum capitũ. Deinde cõuellere tentat responsa Bellarmini ad illas obiectiones, quæ capitibus istis auctoritatem Canonicam detrahunt. Prius tamen inuehitur in Athanasium, Melitonem, & Nazianzenum; quod librum istum ex Canone secluserint. In quo Hunnio Lutherano belle cũuenit cum Caluiniano Iunio, qui palam negat à Nazianzeno in carmine de genuinis scripturis & ab aliis, excludi ex Canone librum Esther. *Negatur*, inquit, *Hæc enim figuratè ab illis auctoribus fuerunt dicta: Ex quibus propriè concludi, est ἀσυλλόγιστον.* Vbique *figuras* & *tropos* somniat *tropista* Sacramentarius. Quæ, oro, in carmine Nazianzeni figura? Quis tropus in fragmento Melitonis apud Eusebium?

Enumeratio omnis fit aut κατὰ λεπτὸν minutatim; aut crassè, & συνεκδοχικῶς. Hi autem synecdochicè (vt fit) loquuti sunt, & vnica Esdræ appellatione librum Nehemia (quod hodiè quoq; faciunt quamplurimi) & Esther complexi sunt.

Si hæc responsio apud Iunium valet, vt in Canone libro Esther locum reperiat, etiam ex sententia S. Gregorij Nazianzeni & Melitonis, valeat & mea responsio; nempe ex sententia istorum patrum in Canone comprehendi Tobiam, Iudith, Macchabæos, & similes; Dicam enim ab illis non esse factam enumerationem minutatim, sed *ἐν πάχει*, *crassâ Minerua*; & *Synecdochicè*, & hos libros sub aliis contineri; prædictos quidem sub libris historicis; Baruch sub Propheticis, &c. eo modo, quo Iunius arbitratur, Estherem sub Esdra ab illis patribus, comprehensos.

Atque ita sentiebant, Paula & Eustochium, inquit Iunius, *cum sibi ab Hieronymo librorum Esdræ, Nehemiæ & Esther interpretationem dari postularent, vt ipse præfatione in Esdram innuit*. Mira collectio; *postularunt interpretationem librorum Esdræ, Nehemiæ & Estheris; ergo Paula & Eustochium existimabant sub Esdra contineri Estherem; & qui illam nominat, nominare etiam hanc explicitè*. Nihil huius Paula & Eustochium: quia præfatio in Esdram non est ad Paulam & Eustochium, vt dormitans scripsit Prædicans; sed ad Domnionem & Rogatianum: & in hac præfatione dicit S. Hieronymus apud Hebræos Esdram & Nehemiam in vnum librum coarctari. De Esthere silet. Nec ipse etiam sub Esdra cõprehendit; vt patet ex Prologo Galeato; vbi Estheri proprium & peculiarem locum assignat.

In Synopsi, inquit Iunius, *non agit Athanasius de libris Canonicis tantùm, vereq; diuinis ex priscæ Hebræorum Ecclesiæ Canone, qui solus diuinus est; sed de Canone*

A *Græcorum, qui Canon humanus est, ἀδιάφορος seu opinabilis.*

Atqui VVitackerus & alij Prædicantes perpetuò clamitant, Athanasium de Hebræo Canone in illa Synopsi agere. Quis tu, Iuni, qui tuis symmystis & in Caluini schola condiscipulis contradicas? Et patet satis ex ipsa Synopsi: quæ absoluta enumeratione singulorum librorum; hæc verba subiecit: *Sunt itaq; Canonici veteris instrumenti libri viginti duo, litteris Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt litterarum elementa. Præter istos autem sunt adhuc alij eiusdem veteris instrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantum leguntur.* In secundum numerum alphabeti Hebraici numerat & computat libros; sicut Hieronymus, B Epiphanius, Damascenus, Leontius, alij. ergo Hebræum Canonem percensuit. Eadem verba repetit *Synopsis* post confectam ex singulis sacris libris Epitomen.

Video, quod pungat Iunium. Synopsis ista numerat inter sacros & Canonicos libros Historiam Susannæ Danielis 13. & alia quæ cap. 14. à Daniele narrantur, quibus Caluini & Lutheri schola iam pridem nigrum theta præfixit. Hæc nimirum ratio est, cur Iunius ab aliis Prædicantibus dissentiens, dicat; à Synopsi non tantum agi de libris Canonicis, vereque diuinis, sed, & de aliis. Notetur verò, quod supra contra VVitackerum notatum oportuit: Synopsin istam, etiam in Daniele contra Sectarios testimonium C dicere; quam tamen totam pro se stare aiunt; excepta illa de libro Esther omissione. Sed iam supra abundè de Synopsi & aliis VVitackeri testibus actum est.

Nunc ad Hunnium; qui ait; se quoque & suos postrema Estheris capita suo loco & debito ordine venerari. In quo tamen hæc veneratio cõsistat, ego non intelligo: quis enim honor, si quis partem libri de corpore Canonico amputet, amputatamq; apocryphorum fabulis annumeret? Nisi me valde fallit animus, eo modo honorant Lutherani hæc fragmenta Estheris, quo Lutherus totum librum Estheris: de quo ipse in Colloquiis symposiacis hęc eructauit titulo *de libris veteris & noui testamenti. Ego adeo librum hunc* (secundum Macchabæorum) *& Esther odi, vt cupiam* D *nullo modo exstare*; denn sie Judenzen zu sehr/vnd haben viel Heydnische vnart. *quia nimis Iudaizant; & habent multos Ethnicos mores malos*: seu *præferunt genium quendam & malam indolem Ethnicam*. En honorem, quem Lutherus habuit libro Estheris: Mirum, Lutherum non fecisse ex Esthere comœdiam, aut Tragœdiam aut Tragicocomœdiam, sicut ex Iudith, Tobia, Iob. At quod Magister nõ fecit, id audacter faciunt discipuli, de quibus Lutheranus Reineccius; qui Tom. 2. fol. 42. refert, iam reperiri, qui eandem hanc Estheris cum Iudithæ historia suspicentur, sic vt in Tragicocomœdiam versa sit. *Nam cum, facta à Iudæis cædes admodum inuidiosa esset, eam viro docto alicui, per-*

A *sonis, & circumstantiis aliis repraesentare placuisse, donec tempore ipso, animis extraneorum mitigatis, à Ioachimo Pontifice, qui idem dies Phurim instituerit, in historiam relata esset.* Videbimus autem suo loco, quid Lutherus de Iudith sentiat, de libro sanè Esther etiam in libro de seruo arbitrio magnificè & sensit & scripsit his verbis. *Quamuis hunc* (librum Esther Hebræi) *habeant in Canone, dignior est omnibus, me iudice, qui extra Canonem haberetur potius, &c.*

Primum Bellarmini argumentum est ab auctoritate Concilij Laodiceni, Carthaginensis, & multorum patrum; qui librum Esther inter sacros libros numerantes, de eo libro locuti sunt, quo tam ipsi, quàm vniuersa Ecclesia eo tempore vtebantur. *Vtebatur autem eo tempore vni-*
B *uersa Ecclesia libris sacris, iuxta eam editionem, quam S. Hieronymus præfatione in librum Esther, & sæpe alibi, vulgatam appellare solet; quæ, vt ipse ait, Græcorum lingua, & litteris continetur; in qua editione septem illa capita libri Esther, de quibus nunc agimus, non defuisse, testes sunt inprimis ipsi Græci textus, qui nomine septuaginta duorum interpretum circumferuntur; testis quoque est S. Athanasius in Synopsi, vbi summam, & primas sententias singulorum librorum adscribit: testis denique est S. Hieronymus, qui in sua translatione, aliquot locis admonet, septem ista capita in Hebræis textibus non haberi, sed ex vulgata editione à se esse deprompta. Quare, si Concilia, & Patres, librum Esther, qualem ipsi legere consueuerant, in sacrum Canonem retulerunt; certè librum integrum, atq; his septem capitibus adiunctis retulerunt.*

C Respondet Hunnius: *Sciendum est in argumento Iesuitico fallaciam committi à non distributo ad distributum; Siquidem non sequitur, si librum Esther posuerint in numero Canonicorum librorum, quod etiam illa diuersa lingua capita, senserint esse Canonica.*

At non ita argumentatur Bellarminus, vt eum argumentari mentitur Prædicans: *Concilia & Patres numerant librum Estheris inter sacros & Canonicos; ergo etiam postrema septem capita Canonicis scripturis accensent*: Sed ita argumentum instituit: *Concilia & Patres eum librum Estheris, Canonicum, sacrum ac diuinum vocant; qui eo tempore vniuersa Ecclesia Græca & Latina in vsu erat, & vulgò vulgata editio audiebat; qui alius non erat quàm is, qui hodie Ecclesia Catholicæ est in vsu; ille nimirum, in quo septem postrema capita conti-*
D *nentur; ergo Concilia & Patres etiam hanc partem Estheris pro sacra, diuina, & Canonica habuerunt.* Hoc argumentum longe aliter olet, quàm illud *Prædicanticum*, qui, more suo, quando aliud non habet, quod blateret, *fallacias à non distributo ad distributum*, & id genus alias ineptas euasiones, lectorumque illusiones comminiscitur: Nec est argumentum Bellarmini simile huic, quod fingit Prædicans; *Hieronymus & Liranus habent librum Esther pro Canonico; ergo etiam postrema eius capita*: quia de sensu S. Hieronymi & Lirani iam aliunde constat; profer tu tam manifestum testimonium ex Patribus à Bellarmino citatis, quo demonstres, Patres illos septem postrema capita extra Canonem collocasse; quàm manifestum proferri potest ex S. Hieronymo & Lirano; libenterque fatebimur. Patres illos & Synodos non à nostris, sed à Prædicantium partibus stare.

Multò minus simile est Bellarmini argumentum huic ineptiæ Prædicanticæ. *Liber sacrorum Bibliorum Canonicam habet auctoritatem: quod præconium Bibliorum frequentissimè reperitur in Patribus. At inserti sunt libro sacrorum Bibliorum tertius, & quartus liber Esdræ; tertius, & quartus liber Macchabæorum. Ergò sunt hi quoq; in Canone.*

At Bellarminus non ita instituit argumentũ, vt iste criminatur; alioqui AEsopus quoque liber Canonicus fieret; si post libros Iudicum aut Regum, v. g. à typographo aliquo excusus collocaretur, & cum libris Bibliacis compingeretur; Sed hæc est vis argumenti. *Ex patrum & Conciliorum doctrina partes istæ Estheris annexæ sunt Estheri & insertæ tanquam veræ partes, & germanæ & eiusdem naturæ cum reliquis; ergo verè sunt Canonicæ ac diuinæ*; nam quod tertius & quartus Esdræ, item tertius & quartus Macchabæorum aliquando cum reliquis Bibliorum sacrorum libris excuduntur & copulantur, id non magis arguit libros illos esse Canonicos & veras partes scripturæ; quam arguat Virgilium aut Homerum esse diuinos ac Canonicos libros, si fortè cum codice Bibliorum vel Euangeliorum coniungantur & colligentur; non enim *formaliter* coniunguntur vt partes cum toto, quod constituunt. Sed *materialiter* tantum per aliquam *cohærentiam mechanicam*, vt ita loquar; quippe quæ ab illo profecta sit, qui profana cum sacris miscere voluerit; quæ nunquam ita vniuntur, vt in vnum coalescant; vnumque integrum corpus conficiant. Præclaram argumenti Bellarminiani solutionem didicit Hunnius à Iunio; qui & ipse *de processu à non distributo ad distributũ* nugatur. Quanquam quid, oro, vitij in argumento, licet formetur, prout à Iunio proponitur? *Liber Esther sacer est; sacrum igitur quidquid est illius.* Sicut proba est hæc consequentia. *Liber Euangeliorum sacer est; sacrum igitur quidquid est illius*: Hoc ipso enim quod illius est; sacrum est; & si sacrum non esset, illius non esset. Et si postrema capita sunt libri Estheris; vt reuera sunt, hoc ipsa sacra sunt ac Canonica.

Secundum argumentum Bellarmini *claudicat*, inquit claudicans Hunnius. Et est illud: *Patres non modò librum ipsum inter sacros numerant; sed etiam ex postremis capitibus non rarò testimonia petunt; nimirum tanquam ex sacris, diuinis ac Canonicis*; ita enim intelligi debet argumentum: *ergo partes istæ verè sunt diuinæ ac Canonicæ.* Hunnius & Iunius nacti hic fabulandi campum verbosè ostendunt; hanc consequentiam: *Patres hoc vel illud citant; ergo est sacrum ac Canonicum*; nullius esse momenti; quod non diffiteor, sed nego Bellarmini argumentationem esse similem; cui profectò ignotũ

non

non fuit, non omne illud, quod â patribus citatur, ideo præcisè esse canonicum; aliâs etiam libri Platonis & Aristotelis, toties à patribus citati; canonici essent. Itaque Prædicantes non pugnant hoc loco cum Bellarmino, sed cum inani male feriati sui cerebri phãtasmate ac simulacro.

Adducit Bellarminus Origenem pro his postremis capitibus. Mox Hunnius: *Origenis testimonium non moramur*, (& nos multo minus tuos insulsos clamores) *quem certum est tetros habuisse errores*; at certum est Origenem fuisse in sacris litteris Prædicantibus vniuersis longè eruditiorem & exercitatiorem; ac proinde fide multò digniorem, cum de veris ac germanis sacræ scripturæ libris librorumque partibus constituendis disceptatur.

Impudenter autem mentitur Prædicans, Gelasium Papam d. 15. cap. *Sancta Romana*, decernere, *non Origenis, sed Hieronymi sententiam tenendam esse, vbi hi duo patres dissentiunt*, cumque Hieronymus capita illa Estheris repudiet; Origenes recipiat, potius Hieronymo, quàm Origeni aures præbendas esse, etiam ex decreto Pontificis & Iuris Pontificij. De hoc tam pingui Prædicantis huius mẽdacio egi iã in Labyrintho Cretico hunniano cap. 2. & in libro aduersus Mæuium cap. 4. Nusquam dicit Pontifex, quando isti duo patres dissentiunt generatim, potius sequendum esse Hieronymum, quàm Origenem; quod planum ex verbis, à Prædicante ex Gelasij decreto citatis *Quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum* (*Ruffinum*) *de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognouimus: & non solùm de Ruffino, sed etiam de* VNIVERSIS, *quos vir sæpius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit*.

Vbi vero vnquam reprehendit Hieronymus Origenem propter iudicium de septem postremis Estheris capitibus? Certè nec in præfatione in librum Esther hoc fecit; nec in notulis, quas ad textum horum capitum apposuit; nec in Procemio in Danielem, nec in Commentario in Danielem; Quamobrem cum hanc sententiam Origenis nusquam S. Hieronymus reprehendat, nil committemus contra Gelasij decretum (etiamsi is eius sensus esset, quem fingit Prædicãs) licet Origenem potius, quàm Hieronymum sequendum existimemus.

At Hieronymus dixit; *Capita postrema Estheris non esse in Hebræo*. Idem dixit Orig. in epist. ad Iul. Afric. qui etiam in eadem epist. multa in aliis libris, vt in Iob, Hieremia, Hebraicè non reperiri scribit, de quibus tamen hodie Prædicantes nihil dubitant. *At Hieronymus reiecit capita illa tãquam apocrypha, eò quod in Hebraicis exemplaribus non inuenirentur*. Esto, senserit ita; quamuis disertè id non asserat S. Hieronymus. An propterea Origenem contra sentientem repræhendit?

Imò quod maius est, inquit Prædicans, *immediatè subiicitur ibi planè in specie de Origene his verbis: Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda*. Sed Hieron. nusquã repudiauit Epistolã Origenis ad Iulium Africanũ, in qua septẽ postrema Estheris capita, tanq̃ diuina & canonica, laudat & defendit: Iure igitur Pontificio nõ inuito, sequimur hic potius Origenem q̃ Hieronymũ; etiamsi is Decreti Gelasiani sensus esset; quem pessimus *Canonista* Hũnius cõminiscitur. Sed de vero decreti huius intellectu, deque incredibili vel mentiendi vel calumniandi Hũnij & Mæuij libidine, copiosè disserui in libris supra citatis, quò lectorem ablego.

Nescio nũ Iunius modestior sit in eludendo testimonio Origenis, q̃ Hunnius in eodem præcisè ac simpliciter reiiciendo. Negat Iunius, *Origenẽ capita illa Estheris pro diuinis ac Canonicis habuisse*. Sed hic nõ opus est multis rationibus & ratiocinationibus: nihil aliud requiritur, q̃ vt Epistola Origenis ad Iulium Africanũ perlegatur: in qua Origenes nihil aliud facit, q̃ vt ostendat; historiã de Susanna, & Belo & Dracone, itemq; Canticũ trium puerorũ, esse canonicã scripturam; licet in Hebræorũ codicibus non compareant: & vt hoc efficeret, assumpsit præter cætera media, probationẽ ex libro Estheris de septem postremis capitibus, quæ & ipsa in Hebræis exemplaribus nõ exstent, & tamen sacra sint ac Canonica; Quod enim hoc demõstret Origenes, patet inprimis ex lectione ipsius Epistolæ: secundo ex fine: Nam Africanus putabat, historiam Susannæ esse quidẽ *lepidam ac festiuam, lectuq; vtilem*; sed nequaq̃ sacram & canonicam; ac propterea mirabatur, quomodo Origenes in publicis disputationibus huiusmodi testimoniis vteretur & niteretur: vt ipse refert in epist. ad Origenem. Hanc falsam persuasionẽ Africano eximere volens Origenes, ostendit historiam Susannæ, Beli, & Draconis minimè esse talem, qualem suspicabatur Africanus. apocrypham nimirũ, vel humano studio excogitatam; sed esse verè diuinitus inspiratam; ex ipsius Danielis officina profectam; & Ecclesiis Dei, nõ tanquã humanum commentũ, sed velut Spiritus sancti scripturam & testificationem, traditam: quamuis in Hebraicis exemplaribus non inueniatur; id enim euenire etiam aliis, nominatim septẽ postremis Estheris capitibus; & tamen non propterea à Canone Christianæ Ecclesiæ segregari debere. Rursus igitur hic pugnam vides inter Prædicantes, quia Hunnius expressè respuit Origenis testimonium, tanquam nimis contra Hereticos clarum: Iunius admittit; sed glossa eludere tentat; licet frustra & ineptè.

Conuicia, quæ Hunnius in Tridentinam synodum hic exspuit, prætereo, tanquam vani sycophantæ retrimenta & excrementa. Stat Tridentina synodus, stabitque immota, Prædicantibus interim turmatim ad inferos descendentibus, vt associentur maioribus suis Eutychianis, qui Chalcedonensem: Nestorianis, qui Ephesinam; & Arianis, qui Nicænam eodem modo &

more criminationibus incessebant. At quo successu? Nullo, vt paucis dicam. Perierunt calumniatores. Viuit vigetque synodorum illarum sacrosancta auctoritas; quarum vnicuique iure accinas: *Semper honos nomenq. tuum, laudesq. manebunt.*

Dicit Bellarminus, probabile esse olim capita Estheris exstitisse Hebraicè, & postea intercidisse; vt & Origeni visum: item ex his capitibus quædam pertinere ad initium libri, quædam ad medium, quædam ad finem.

Obiicit Prædicans: *Respondeat Iesuita, qui probabile esse queat, excidisse quædam ab initio, ex medio, & à fine, non intercidentibus simul ceteris partibus intermediis? Et sanè, si quis in volumine Hebraico appareret hiatus: probabile videretur Origenis & Bellarmini somnium: Iam verò cohærent omnia ordine rectissimo, & ipsarummet gestarum rerum, tam vndiquaq. concinna, & apta est cohærentia, vt ne vestigium quidem appareat, è medio volumine quidquam intercidisse.* Hactenus Prædicans.

Ad quæ ego: Cur adeo incredibile videtur Prædicāti quædam ex medio, quædam ab initio, quædam ex fine excidere potuisse? An nō Origenes in Epistola ad Iulium Africanū multa huius generis exempla adducit? Quin eò magis hæc capita à textu Hebraico excidere potuerūt, quo aliis erant similiora. Hinc & minor hiatus factus. Quòd autem aptè cum cæteris capitibus connectantur; nec propterea turbetur concinna capitum iunctura ac structura, clarè cognoscet ille, qui harmoniam inde conficere volet; prout inde confecit Serarius noster in suis Commentariis: AEquè enim apta & scita est, ac illa, quæ ex libris Regum & Paralipomenon confici posset.

Iunius hunc syllogismum aduersus Bellarminum torquet: *Quæ nec Hebraicè fuerunt scripta, nec Iudæorum Ecclesiæ à Deo tradita, & ab illa Christianæ nostræ, nec habentur in Hebræo canone; ea sunt supposita, nec ad testamenti veteris canonem verè diuinum vllo facto humano pertinent, &c.*

Propositionem concedit Bellarminus, inquit Caluinista. Vbi verò concedit hanc Maiorem, prout à Iunio formatur ac proponitur? quę prorsus huic æquiualet: *Quæ non fuerunt scripta Hebraicè, nec in Canone Hebræorum reposita, ea non sunt diuina & Canonica.* Quam Propositionem toto primo libro de verbo Dei sæpissimè negat Bellarminus, & nos cum illo. Sed mittamus iam hanc Maiorem, simul cum Iunij mendacio.

Subdit Caluinista. *Minorem negat Bellarminus,* nempe postrema Estheris capita non fuisse Hebraicè scripta, & in Canone Hebræo; *auctoritate primùm, (vt videri vult) Origenis. At qui negamus hoc vsquam ab Origene fuisse dictum.* At tam manifestum est hoc ab Origine dictum esse in Epistola ad Iulium Africanum, vt Hunnius maluerit Origenem simpliciter reiicere, quàm tali commento rimam elabendi quærere. Vt enim ostendat Origenes historiam de Susanna non esse suppositiam, vt censebat Africanus, eò quod in Hebræis

A exemplaribus non inueniretur, ait historiæ huic idem euenisse; quod multis aliis scripturæ partibus, quæ hodie in Hebraicis codicibus nō compareant; nempe vel excidisse; vel à Iudæis excisas esse, & inter reliquas partes affert etiam postrema Estheris capita: Inspiciatur & consideretur Origenis Epistola; & mox vanitas Iunij in auras euanescet; illudque dilucidè constabit: eum tota illa dissertatione nihil aliud monstrare voluisse; quàm inanitatem huius consequentiæ: *Non exstat in Hebraicis codicibus; ergo nunquam fuit in Hebraicis codicibus; ergo neque initio Hebraicè scriptum fuit.* Vel: *non est in Hebraicis exemplaribus; ergo non est diuinum & canonicum.* Nil aliud, inquam, Origenes in tota illa Epistola propositum habuit, quam vt has
B consequētias, taaquam futiles & elumbes, euerteret.

Negamus, inquit Iunius, *quidquam de Canone excidisse.* Negatis, sed non probatis. An non exciderunt integri Prophetarū, & ipsius etiam Salomonis plurimi libri? An non censes fuisse in Canone? Si ergo integri libri excidere potuerunt, mirum ni & partes possent: quodque tu negas accidisse; hoc accidisse ostendit Origenes pluribus allatis exemplis; auctor tam vetus & in his explorandis, testimonio totius antiquitatis, non modò diligentissimus, sed & curiosissimus.

At Ecclesia Iudæorum fuit religiosissima depositaria Dei, & libraria fidelissima Ecclesiæ nostræ. Mirum, ni Iudæi Iunio ob hæc tanta Encomia insigne ho-
C norarium persoluant. Nemo accusat Hebræorum Ecclesiam; neque Origenes dicit, culpa Ecclesiæ Iudaicæ excisam ex Hebræis codicibus historiam Susannæ, sed scelere seniorum; qui suam nequitiam & flagitiosam improbitatem illa in historia, tanquam in lucidissimo speculo, nimis luculentè depictam concoquere nequaquam valebant: potuerunt & librariorum oscitantia multa oblitterari; præsertim in tanta diuinorum codicum raritate & paucitate. Et quàm Iudæi sedulo asseruarint diuinam legem, id testatur volumen legis longo tempore amissum, & sub Iosia Rege tandem repertum 4. Reg. 22. neque aliter exceptum, quàm volumen planè incognitum.

D Postrema Estheris capita fuisse Hebraicè scripta probat Bellarminus etiam testimonio Iosephi. Ait Iunius: *Iosephum non fuisse admodum scientem Hebraicè.* Hoc scilicet restabat, vt Caluinianus Gallus nuperus, Iosephum Iudæum natum, hoc est, sus Mineruam; Hebraicam linguam doceret. *Et qui ostendat Bellarminus,* inquit Iunius, *de Hebraicis libris Iosephum potius sumpsisse, quàm illa ex Iosepho sumpta?* Inde ostendit Bellarminus; quia Iosephus lib. 10. cap. 12. profitetur se ea, quæ scribit, ex Hebræorum voluminibus sumpsisse. Cum igitur Iosephus ea etiam percenseat, quæ in his postremis capitibus continentur, vt duas Epistolas Assueri, & Orationem Mardochæi lib. 11. Antiq. cap. 6. iure affirmamus, eum hæc non nisi ex He-

Digitized by Google

bræorum sacris libris sumpsisse; prout se facturum receperat, initio statim operis, & alibi. Neque vllam penitus habemus caussam, cur nobis persuadeamus, hæc ex Iosepho in bibliorum codicem transcripta & intrusa esse: tum propter alia, quæ obstant, tum quia Iosephus Græcè scripsit: Græcus autem contextus, qui hodie exstat, longe est alius; quàm Iosephi.

Obiicit Hunnius Iosephum, *ex quibusuis auctoribus non modò ex sacris, sed etiam profanis, & suspectæ fidei conquisiuisse, & in librum suum congessisse, quidquid ad gentis suæ splendorem amplificandum facere indicaret: cuiusmodi sunt fabulosæ narrationes de Mose trienni; de eodem iuuene belligerante contra Æthiopes, de Isarbi Regis Æthiopiæ filia, connubium Mosis expetente, taliaque multa.*

Respondeo, vt ita sit; hoc tamen Estheris fragmentum ex profanis, nō ex sacris Hebræorum libris Iosephum sumpsisse, rationis nihil suppetit, cur credere debeamus: præsertim cum fragmentum hoc antiquissimis Bibliorum editionibus, iisque vulgatis tam Græcis quàm Latinis, semper insertum fuerit, vt patet ex Origene & S. Hieronymo. Quocirca cum idem fragmentum, vel portio aliqua eius exstet in Iosepho; iure optimo credimus, & ad Iosephum & ad Christianam Ecclesiam aliunde nō peruenisse, quàm ex sacris & Hebraicis Hebræorum codicibus.

Notetur autem fraus Iunij viro bono indigna; Caluiniano autem dignissima. Dixerat Bellarminus differens aduersus Sixtum Senensem, postrema capita Estheris imprudenter reiicientem, etiam post Concilium Tridentinum: auctoritatem Concilij Tridentini, quamuis apud hæreticos nulla sit, apud Sixtum tamen cæterosque Catholicos maximam atque antiquissimam esse. Iunius vel malitiosè, vel inscitissimè, vel vtrūque: *Quam rectè ait Bellarminus, antiquissima? nempe Concilij ante annos 40. habiti. Hem antiquitatem.* Hem impostorem Caluinistam. Quis tam plumbeus est, qui non videat Bellarminum non accepisse vocem, *antiquissima* vt idem est, quod *vetustissima:* sed eo sensu, quo vulgo dicimus: *nihil habui antiquius;* hoc est, *potius, charius;* ita vt auctoritatē Concilij Tridentij alicui esse *antiquissimā* nil aliud sit, quam esse sacrosanctam, & cui nullam aliam, si ei aduersetur, anteponat. Hæc vel pueris nota sunt; quæ barbati Prædicantes sibi ignota fingūt, ne desit criminandi materies.

Ait Bellarminus; probabile esse primò historiam Estheris succinctius ab aliquo Hebraicè scriptam. Deinde Hebraicè itidem copiosius ab alio; illiusque Hebraicum, huius verò duntaxat Græcum textum ad nos peruenisse. Hunnius. *His verbis fragmentum illud iam non partem facit libri Esther, atq; sic neruum incidit argumenti superioris, quo contra Sixtum Senensem contendebat, toto libro Esther à Concilio Tridentino approbato, singulas eius partes, & proinde hæc quoq; posteriora capita esse approbata.*

A Minimè verò labefactat Bellarminus argumentum contra Sixtum allatum: Quia etiamsi duo essent Auctores; tamen postrema capita rectè dicuntur pars libri Estheris. Sicut duo sunt Auctores Deuteronomij & particulæ illius ex cap. 34. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terrâ Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, &c.* Neque enim hæc & alia vsque ad finem capitis illius Moyses scribere potuit; nisi fortè Hunnius arbitratur Moysen iam mortuum hæc conscripsisse. Si ergo iam aliquis contenderet; vltimum capitulum Deuteronomij non esse verè Canonicum; ego autem dicerem: verè esse Canonicum, eo quod definitum sit in Concilio Tridentino Deuteronomium esse

B Canonicum cū omnibus suis partibus: an propterea neruum huius argumenti inciderem, licet affirmarem, alium esse auctorem vltimi capitis Deuteronomij, & alium capitum antecedentium? An propterea dicerem; capitulum illud vltimum non esse partem Deuteronomij? An non potest esse pars, nisi ab vno auctore proueniat? An non tectum potest esse pars domus; licet à diuerso artifice construatur, domuiq; imponatur?

Tantundem, hoc est, nihil valet ista Hunnij obiectio. *Ex hac responsione sequitur, Bellarminum, inaudita absurditate, duos libros Esther, non vnum duntaxat, pariter Canonicos constituere.* Quò se vertet Bellarminus, vt ex hac *Scylla* euadat, in quam illum Prędicans ait incidisse, *dum studet vitare Charybdim?*

C *Duo sunt Auctores libri Esther, ergo duo sunt Canonici libri Esther. O opinionem plane nouam,* inquit Nouator Prædicans, *contra omnium patrum sententiam, contra vnanimem consensum Ecclesiæ omnium temporum, quin & contra decretum Tridentinæ synodi.* En quomodo vrget Prædicans sentētiam omnium patrum, cui nihil tribuit; & vnanimem Ecclesiæ consensum, quem aspernatur. Itaque hæc nihil aliud sunt, quàm phaleræ ad populum: quia non sequitur; *duo sunt Auctores libri; ergo duo libri;* aliàs sequeretur duos esse libros Deuteronomij, quia duo Auctores. Duos libros Tobiæ, quia duo Auctores. Duos libros Iob, quia duo Auctores, si ipsemet Iob librum illum scripsit: Duos vel longè plures libros Psalmorū, quia duo & plures etiam Psal-

D morum auctores: & vt Lutherano Prædicanti aliquid ex propriis depromam; quattuor libros primæ Centuriæ Centuriatorum Magdeburgēsium; quia quatuor Auctores; duos libros Antitāneri, quia duo auctores, Hunnius, & alius quidam inficetus Prædicans. Et quot erūt libri Concordiæ, quem tot Prædicantes edolarunt? Si igitur in his multitudo auctorum non multiplicat librum; cur id contingeret in libro Esther, licet duo eius essent Auctores, vt hæc posterior Bellarmini responsio supponit: quæ priorem non euertit, vt somniat Hūnius, sed vt probabili suam probabilitatem relinquit: neque enim, vbi probabilibus rationibus agitur, posterior priorem subruit.

Digitized by Google

Iunius quærit, *cuius culpa acciderit, vt posterioris auctoris Hebraicum textus ad nos non peruenerit.* Quæram & ego; cuius culpa acciderit, vt tot Salomonis & Prophetarum libri, quorum mentio in sacris litteris, ad nos non peruenerint? Euenitne hoc culpa Hebrææ Ecclesiæ, an nostræ? Quodcunque responsum verè dederit, hoc sibi itidem à nobis datum existimet.

Non placet Hunnio, quod Bellarminus ait: *ad initium libri pertinere quæ cap. 11. & 12. commemorantur. Ordo rerum gestarum vrget,* inquit Prædicans, *initio libri narrari ea, quæ nuptias Asueri cum Esthera præcesserunt;* At somnium Mardochæi præcessit; Iure ergo primum locum obtinet. Nam quod insidiæ Eunuchorum nuptias secutæ sint, id non ignorat Bellarminus; propterea disertè dicit; narrari has insidias per anticipationem, quæ postea capite secundo exponantur loco suo: ea de caussa, qui harmoniam ex libro Estheris conficiunt, narrationem de insidiis ex cap. 12. ad secundum referunt: Scilicet propter Prædicantis incóditos clamores reiiciemus editionem Græcam, in qua, ita, vt Bellarminus dicit, capita postrema Estheris disposita & digesta sunt.

Obiicit Iunius, in editione Græca Romana Sixti V. Pontificis studio procurata. *Estheris capita ita esse disposita, vt dicit Bellarminus, non in Complutensi, non in Aldina.* Quid tum? An ideo Romanæ editioni non adhærebimus; quæ ex codice Vaticano vel tempore sancti Hieronymi, vel ante; non certè infra hanc ætatem exarato repręsentata est, & cum aliis vetustissimis exemplaribus comparata; & vel est ipsa septuaginta Interpretum sincera editio, vel ad eam quàm proximè accedit.

Citat pro eadem dispositione Bellarminus S. Hieronymum in notulis ad caput 10. 11. & sequentia huius libri. Obiectat Iunius: *Profectò ne γρῦ quidem illic est, quod caussam Bellarmini iuuet: consulat lector.* Omnino consulat, deque Iunij mendacio, quid sentiendum sit, statuat. An non sanctus Hieronymus his verbis cap. 11. *Anno secundo, regnante Artaxerxe, &c.* præponit hanc seu notam, seu admonitionem. *Hoc quoq; principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur Interpretum.* Quæ hæc editio vulgata? Nonne illa, de qua in admonitione capitis decimi scripserat ista: *Hæc autem quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continetur.* In hac ergo Græca eaque vulgata editione principium libri ducebatur ab illis verbis cap. 11. *Anno secundo regnante Artaxerxe, &c.* Quod adhuc hodie est initium editionis Romanæ, quæ vel est 70. Interpretum, vel proximo interuallo ab illis abest, ex vetustissimis codicibus expressa, vt paulo antea diximus.

Rursus in notula, quam S. Hieronymus præfixit capiti decimotertio hæc leguntur. *Quæ sequuntur* (est Epistola Regis, quam impulsu Amanis misit ad principes prouinciarum super cæde Iudæorum) *in eo loco posita erant, vbi scriptum est in volumine* (Hebræo scilicet) *& diripuerunt bona, vel substantias eorum, quæ in sola vulgata* (quæ Græcorum lingua & litteris continetur) *editione reperimus.* An non his verbis apertissimè testatur sanctus Hieronymus epistolam illam Regis de Iudæis trucidandis in editione vulgata positam fuisse cap. 3. v. 13. post illa verba: *Et bona eorum diriperent.*

Capiti decimo tertio post recitatam Regis Epistolam, hanc notulam inseruit: *Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, vbi legitur: Pergensque Mardochæus, fecit omnia, quæ ei mandauerat Esther.* An non ex hac S. Hieronymi annotatione clarissimum euadit, orationem Mardochæi, quæ partim cap. 13. partim 14. iam continetur collocatam fuisse in fine capitis quarti, vbi ea verba habentur, quæ D. Hieronymus citat? Et tamen impudenter affirmare audet Iunius, *ne γρῦ quidem in S. Hieronymo reperiri, quo probetur, capita, quæ iam ad calcem reiecta sunt, olim aliis capitibus fuisse interspersa,* vt dicit Bellarminus.

Cur, inquit Iunius, dissimulat Bellarminus præfationem Hieronymi in librum Esther; vbi hæc verba sunt? *Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum finibus (fortè funibus) trahit, addens ea, quæ ex tempore dici poterant, & audiri; sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare, quibus verbis vti potuit, qui iniuriam passus est, vel ille, qui iniuriam fecit.*

Num dissimulauit Bellarminus hanc præfationem? An non initio huius capitis eandem citauit? Et quid aliud inde colliges, quàm quod ex notis seu admonitionibus prædictis S. Hieronymi manifestè colligitur, nempe capita illa vulgatæ editioni Græcæ fuisse inserta. Hoc enim significant verba illa: *Quem librum* (Hebræum) *editio vulgata laciniosis hinc inde verborũ funibus trahit, etc.* Nimirum *laciniosos verborum funes* appellat hæc capita, iis, quæ Hebræum exemplar complectebatur, immista. Ita quidem de his sentit S. Hieronymus; tanquam non canonicis, quod Bellarminus non diffitetur; interim hæc redarguunt Iunij commentum, qui dicere audet, ex hac præfatione liquere, capita illa non fuisse cum reliquis tempore S. Hieronymi coniuncta. Dubites non iniuria an hæc talia Iunius vigilans scripserit: qui etiam planè ridiculas dissensiones postremorũ capitum ab Hebræis capitibus nobis procudit. Expendamus singulas. *Cap. 11. v. 2. dicitur; Mardochæus anno secundo Artaxerxis fuisse vir magnus, & administer in aula Regis: in Hebraico nihil de Artaxerxe, nihil de Mardochæi dignitate: nam latebat obscurus, quum Esther pupilla abducta est.*

Tota difficultas, vt video, consistit in hac consequentia. *In capitibus, quæ Hebraicè exstant, non vocatur Assuerus, Artaxerxes; nec mentio fit Mardochæum anno secundo Artaxerxis magnum fuisse & inter primos aulæ regiæ: ergo falsum est, quod in postremis capitibus Estheris de Mardochæo scribitur.* Quis non videt manifestissimam dissensionem horum capitum à reli-

quis,

quis, quæ in Hebræis exemplaribus reperiuntur: perinde ac si dicas: In Euangelio sancti Ioannis narratur, Christum discipulis pedes lauisse; & hoc non narratur in Euangelio sancti Matthæi, aut sancti Marci; quis ergo dubitet, quin Euangelium sancti Ioannis apertè dissentiat ab Euangelio sancti Matthæi aut sancti Marci, & sic prorsus sit apocryphum. Quasi vero eo ipso statim in Apocryphis numeranda sint hæc capita, si quid narrent, quod capita in Hebraicis voluminibus exstantia non narrant.

At anno secundo Artaxerxis erat Mardochaus obscurus. Hoc asserit Iunius, sed vnde probat? Probationem poscimus; nam solum dicenti, nihil credimus.

Deinde dato Mardochæum anno secundo Artaxerxis non fuisse inter primos aulæ regiæ, talis tamen per anticipationem describitur; quia in somnio, quod mox subiungitur, per draconem magnum, secundum statum scilicet, quem postea habiturus erat, significatur. Sic Marci cap. 3. vbi narratur electio Apostolorũ; legimus: *Imposuit Simoni nomen Petrus, &c.* Quod postea factum: *Et Iudam Iscariotem, qui & tradidit illum, &c.* postea.

Secunda dissensio. *Cap. 11. v. 3. dicitur Mardochaus fuisse de numero captiuorum, quos Nabuchodonosor cum Ieconia transportauit. Inscitum chronographum, qui à saeculo Ieconiæ ad ætatem Artaxerxis vsq. hominis vnius vegetam ætatẽ produxerit, & pòst confutabitur.* Sed quomodo confutas id, quod Bellarminus probabiliter asserit, ipsum Mardochæum fuisse à Nabuchodonosor translatum, & Assuerum istũ alium nõ fuisse, quam Artaxerxem, qui dictus est Longimanus; Quomodo, inquam, hanc probabilem Bellarmini opinionẽ refellis? *Falsum,* inquit Iunius, *non enim Mardochaus ipse Ieconiæ tempore, sed Ciabauus ipsius fuit transportatus. Esther 2. 5.* At si quis cum primo probabili Bellarmini respõso dicat, illud relatiuum cap. 2. *Qui translatus fuerat de Hierusalem, eo tempore, quo Iechoniam Regem Iuda, &c.* referre ipsum Mardochæum, non proauum eius Cis, hunc quo argumento solidè refellet Iunius? Equidem nullum video, nisi quod Iunio Mardochæus nimis diu vixisse videtur, si vsque ad Artaxerxis Lõgimani tempora vixit. Atqui Bellarminus pro incredibili non reputat, si quis dicat, eo tempore, quo hæc acciderunt, Mardochæum superasse annum CLXV. quãdoquidem diu postea S. Paulus Eremita annũ attigit CXV. S. Hieronymo teste, & ipse Bellarminus vidit senem CV. annorum ita robustum & vegetum, vt multos adhuc annos superuicturus videretur. Et Maffeius lib. 11. hist. Indicarum scribit in Indiis repertum senem 335. annorũ. Cur Iunius ad ista Bellarmini nihil respondit? In promptu caussa est; quia non potuit.

Quod ergo Iunius non potuit, hoc Hunnius posse conatur; *Nos,* inquit Prædicans, *suis illum hypothesibus cò adigimus, vt eum vltrà annos 180. producere*

A *teneatur. Nam ipsomet fatente Iesuita, sunt ab initio captiuitatis Babylonicæ vsque ad Longimanum anni 165. Quoniam ergò Mardochaus est vnà cum Iechonia Rege translatus in Babylonem, & quidem haud dubiè non in cunis iacens, sed ad minimum puer quatuor, quinq, vel sex annorum; ea verò, quæ de Mardochao narrantur in historia Esther, non euenerunt statim sub initium regni Artaxerxis Longimani (si modò Ahassuerus, Esthera maritus, est ille Longimanus) sed cœperunt euenire anno septimo, quædam etiam duodecimo anno sunt gesta, atq. insuper ex fine capitis decimi liquet, Mardochaum etiam post sedatã tempestatem Hamanianam, rebus præfuisse in regno Persico: certè, si ad quatuor annos infantiæ Mardochæi (nolumus enim numerare plures, vt videat Iesuita, nos non ad viuum resecare negotium) addantur illi 165. quos Iesuita*

B *interesse dicit inter translationem illam Mardochai cum Iechonia, & inter regnum Artaxerxis Longimani: si insuper addantur anni duodecim, in quos gesta Mardochai inciderunt; prodibunt 181. vt nihil dicam de insequentibus annis, quib⁹ adhuc vixisse, & rebus præfuisse Mardochaum in aula Regis, ex circumstantiis historiæ colligitur. Neq. est, vt nobis Iesuita Paulum eremitam obiiciet, qui annos 115. attigerit. Nam hic numerus infra illum alterum adhuc sexaginta sex annorum interuallo subsidit.*

Mirificè, vt vides, effert se hic & exultat Prædicans, quasi victoriam & spolia ampla referat de omnibus Bellarmini Tomis propter istam calculationem seu supputationem ætatis Mardochæi. At quid si Bellarminus totum istum computum concedat, nec pro absurdo

C habeat? Vnde enim probabit Prædicans Mardochæum ad hanc ætatem non peruenisse? Ex qua scriptura hoc ostendet; quandoquidẽ Prædicans non nisi scripturarias probationes vrget. Non caret ergo probabilitate hæc Bellarmini responsio: sed quia difficultatibus vrgetur, ideo aliam quoque subiunxit; nempe Mardochæum translatum esse non in se, sed in suis maioribus.

Atqui hac ratione, Bellarminus quoq. dici poterit interfuisse coronationi Alexãdri sexti, inquit Prædicans, *vel etiam Concilio Basileensi, in suis scilicet maioribus: & eludi perpulchre poterũt hoc sophismate, historiæ ad vnum omnes.* Non, opinor, hoc dici poterit, quia nusquã aut in historia Alexandri sexti, aut in Concilio Basileensi talis genealogia texitur, qualis Mar-

D dochæi in libro Esther cap. 2. Et si Prædicans talem mihi genealogiam ostenderit, tum fatebor, Bellarminum in maioribus interfuisse coronationi Alexandri sexti & Concilio Basileensi.

Probat Bellarminus hanc sentẽtiam de Mardochæo in suis maioribus translato aliquot scripturæ exemplis: quia Zorobabel & Iosue dicuntur rediisse ex captiuitate quam transtulerat Nabuchodonosor 2. Esdræ 7. & tamen Zorobabel natus est in ipsa captiuitate Matth. 1. & idem verisimile est de Iosue filio Iosedech.

Respondet Prædicans; *De toto quidem populo Hierosolymam profectio dicitur ibi, quod reuersus sit, vel reuersi sint Iudæi, facta nimirum denominatione reuersionis à magna populi parte prius translata: Quamprimum*

autem coniunguntur illi Zorobabeli, ibi non reuertendi, sed VENIENDI *verbo vtitur historia,* VENIENTES *cum Zorobabele,&c.*

Sed quæ est hæc Prædicantis vel importunitas vel inscitia, qui tã tenui obseruatiuncula vim solutionis Bellarminianæ infringere tentet? An non sacra scriptura hæc habet verba? *Isti filij prouinciæ. qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis, & reuersi sunt in Hierusalem, & in Iudæam, vnusquisque in ciuitatem suam.* An non statim subiicit indicem eorum, qui reuersi sunt? An non omnes illos, quos è vestigio commemorat, reuertisse affirmat? An non primus Zorobabel, secundus Iosue, tertius Nehemias? &c. An non de his aliisque affirmauerat? *reuersi sunt in Hierusalem, & in Iudæam, vnusquisque in ciuitatem suam.* Nam quod subditur: *Qui venerunt cum Zorobabel*; quid Bellarmino officit? Venerunt *reuertendo*: nam qui *reuertitur*, is etiam venit. Et si Zorobabel non dicitur reuertisse, sed venisse ex captiuitate, tunc nullus eorum, qui in longissimo illo Catalogo commemorantur, reuersus est; quia de omnibus dicitur; *Qui venerant* (seu *venerunt*) *cum Zorobabel.* Ergo de nullis in toto illo Catalogo enumeratis verè affirmabitur, eos reuertisse; & tamen sacra scriptura hac phrasi vtitur: *Et reuersi sunt de Hierusalem, &c.*

Exemplum de Iosue ita refellit Hunnius. *Est hæc opinio Bellarmini à probatione nudior leberide, quæ si etiam esset vera, tamen ob datam modò responsionem nõ militaret.* At quomodo non *militaret*, ô militaris Prædicans, si, vt est, vera esset? An ob tuam respõsionem, quæ *nudior est leberide*, & vanior vanitate, non militaret, hoc est, vera non esset, etiamsi vera esset? Qua vel in speciem verisimili coniectura, non enim dicam argumento, conuincis Iosue illum, qui proxime post Zorobabelem in illo reuertentium syllabo percensetur, non fuisse in captiuitate Babilonica natum æquè ac Zorobabelem?

Aliud exemplum adfert Bellarminus; quia: *Genes. 36. ac Deuter. 10. legimus intrasse in Ægyptum cum Iacob septuaginta animas; in quo numero comprehenduntur duo filij Ioseph, qui nati erant in Ægypto: nec alia ratione dici possunt in Ægyptum esse ingressi, nisi quia Ioseph, in cuius lumbis ipsi erant, in Ægyptum intrauerat.*

Respondeo, inquit Prædicans, *hic quoque permagnam esse diuersitatem: Quamuis enim in toto illo complexu animarum Ægyptum ingredientium connumerentur etiam filij Iosephi, propter familiæ communionem; tamen, quamprimùm nominatim de illis agitur, & in indiuiduo; palam dicitur, quod nati sint in terra Ægypti. Connumerantur autem reliquis, vt de numero constet familiæ Iacob. Quoniam ergò cap. 3. libri Esther, Mardochæus non vt cum aliis connumeratus, sed in in diuiduo consideratus, translatus esse scribitur in Babylonem, intranslatione Iechoniæ Regis: animaduertit quisq, diuersitatem exemplorum, & incongruentiam ratiocinationis Iesuiticæ.*

Hic rursus ostendit nobis Prædicans suum acumen, quod, vt magis eluceat, in hanc formam A redigemus. *Filij Ioseph dicuntur in Ægyptum ingressi, qui tamen in Ægypto nati fuerant, & non nisi in parente suo Ægyptum intrauerant: ergo Mardochæus non potest dici intrasse Babylonẽ in maioribus suis.* Probatur consequentia. *Quia filij Ioseph alio quodam loco nominatim memorantur, & de illis in indiuiduo agitur, palamq́; dicitur; quod nati sint in Ægypto; ergo falsum est, quòd Mardochæus non in se, sed in suis maioribus in Babylonem translatus sit.* Probatur denuo consequentia. *Quia cap. 3. Esther Mardochæus, non vt cum aliis connumeratus, sed in indiuiduo consideratus, translatus esse scribitur in Babylonem in translatione Iechoniæ Regis.*

Sed si hanc secundam responsionem Bellarmini defendere & amplecti velimus, tunc non affirmare, sed probare debes; relatiuum illud, B *Qui*, cap. 3. referre Mardochæum, in se & per se iam exstantem & viuentem; non proauum eius Cis; aut Mardochæum, prout virtute in proauo suo; velut in sua caussa, continebatur, sunt enim tres verisimiles explicationes de illo Relatiuo *Qui*: Prima, referri ad ipsum Mardochæum iam tempore translationis existentem: & secundum hanc procedit primum Bellarmini responsum. Secunda, referri ad Mardochæum virtute adhuc in maioribus comprehensum. Et hac nititur alterum Bellarmini responsum. Tertia, quæ est nostri Serarij & aliorum, referri ad ipsum Cis. Et siue hanc tertiam, siue secundam expositionem amplectaris, cessat omnis de longæua Mardochæi ætate difficultas.

C *Spiritus sanctus*, clamat Prædicans, *clarioribus vtitur verbis, quàm vt huic cauillo Iesuitico possit esse locus.* Sed, nisi fallor, Bellarmini & aliorum, vt Caietani, Ruperti, Serarij responsio de Mardochæo in proauo suo Cis in Babylonẽ deportato planior est ac euidentior quàm vt vllo verisimili argumento à Prædicante oppugnari queat: cur enim relatiuum illud Qui, non posset referre ipsum Cic, qui immediatè antè nominatur, vel Mardochæum; prout in Cis, tanquam in caussa sua, continebatur? Trutinentur & librentur omnia verba accuratè & pensiculatè, nihil aliud apparebit, quàm relatiuum *Qui* appositissime cum Mardochæi proauo coniungi, vt citati doctores tradiderunt.

D Cum autem Prædicans insinuet sibi placere opinionem quæ Assuerũ Estheris maritum statuit esse Darium Hystaspem, qui Dario successit, cur non opinioni suæ firmandæ argumenta protulit, & ea quæ contrà disputat Bellarminus confutauit?

Ad Iunium redeo; qui dissensiones postremorum capitum cum textu Hebræo persequẽs, ait. *Dicitur Mardochæus requieuisse in vestibulo aulæ regiæ cum Bagatha & Thara cap. 12. v. 1. commentum. Id enim fecit Mardochæus non ex vocatione publica à Rege sed ex priuato studio officioque in Regem & Reginam Esther.* Hoc quidem dicit Iunius, sed non probat. Vbi probatio Iuni? An vis vt tibi nihil probanti, sed tantummodo quiduis temerè affirmanti potius

creda-

credamus, quàm Auctori postremorum capitum Estheris, quisquis ille fuit. Nam licet Canonicus non fuisset, fide tamen dignior esset, quam talis Caluinista, mali corui malus pullus.

Si dicas: capite duodecimo v.5. legi hæc verba: *Præcepitque ei Rex, vt in Aula palatij moraretur*; post detectas scilicet insidias; ergo antea non morabatur ibi ex vocatione Regis: Negatur consequentia; neque enim vel vnus apiculus proferri potest, qui indicet, non antea quoque ex publico munere id eum fecisse, in quo post patefactas insidias confirmatus fuit; vt verba citata capitis duodecimi indicant. Sed esto; voluntate sua priuataque affectione in vestibulo aulæ regiæ versatus fuerit Mardochæus; quid inde conficit contra posteriorum capitum auctorem? qui tantùm refert Mardochæum moratum in aula Regis, nec asserit id factum ratione functionis publicæ.

B

En aliam dissensionem. *Regem fuisse iratum aduersus Estheram venientem ad se traditur cap. 15. v. 7. & seq. contrà quàm disertè affirmatur in Canone Hebræo Esther 4 & 5.* At iam supra VVitackero responsum est, initio Regem fuisse iratum: postea placatum: Quare alterum cum altero amicè conspirat.

Vltima dissensio. *Caput 16. totum, prout Hieronymus quoq; in prologo monuit, apparet scholasticam declamationem esse, cùm à rescriptorum Persicorum forma, tum à rei veritate dissidentem. Nam literas Regis alio fuisse argumento, vera historia narrat cap. 8. 11. & rescripta Regum Persidis, Mediaque, nunquam mutari libri Danielis, Estheris, & Esdræ aliquot locis prædicant: quod hic vnus scilicet ψαραχαράκτης negare audet.*

C

At verò licet S. Hieronymus sensisset caput illud 16. esse alicuius scholastici declamatiunculam, alij tamen æquè antiqui, & ipsa vulgata Bibliorum editio, quæ S. Hieronymum antecessit, aliter sensit; & caput illud pro scriptura Spiritus sancti habuit ac coluit. Falsum autem est cap. 8. v. 11. voluminis Hebræi indicari litteras Regis aliter fuisse conceptas, quàm in decimosexto capite recitantur. Conferat lector Epitomen, quæ habetur in cap. 8. cum Epistola cap. 16. recitata; clareque cognoscet, quàm ingenuus ac verax disputator sit Iunius.

D

Porro si Epistola capitis decimi sexti ideo est spuria, quia vt in Daniele & alibi legitur, decreta & rescripta Regum Persarum non mutabantur, tunc sequitur, spuriam quoque ac suppositiam esse Epitomen illam Edicti Regij, quod in cap. 8. refertur; quia est Epitome mutati edicti regij; prius enim edixerat, vt omnes Iudæi trucidarentur; Esther 3. Hoc edictum postea mutatum est: vt manifestè patet ex cap. 8. Si igitur pars illa octaui capitis non est spuria, licet referat edictum regium fuisse rescissum, cur caput 16. ob hanc caussam repudiaretur, vt à diuino spiritu alienum?

Et hæ sunt dissensiones, quas Iunius sua in officina architectatus est, parum profectò artificiosè; qui etiam putat, nec tamen vllo modo probat, historiam Estheris accidisse temporibus Xerxis, atque adeo Assuerum maritum Estheris, alium non esse, quàm Xerxen. In quam opinionem fortè descendit Iunius propter suos in Batauia, atque adeo Caluini schola collegas, Scaligerum & Drusium, quorum ille eandem sententiam amplectitur lib. 6. de Emendatione temporum; iste verò in caput secundũ Estheris. Sed non est iam refutandæ huius sententiæ locus; quam Iunius, cum quo mihi certamen, nullis argumentis firmat. Aliorum rationes accuratè profligat Serarius in cap. 1. Estheris; qui & rectè docet & probat Artaxerxen Ochum esse Estheris maritum Assuerũ. Quæ opinio mihi semper visa verior; licet nec Bellarminiana probabilitate sua careat: cui Iunius hoc argumentum, tanquam Achilleum obiicit: *Assuerus non dicitur in Canone Hebræo Artaxerxes; ergo falsa est opinio Bellarmini, quæ vult Assuerum esse Artaxerxen, eumq; Longimanum.* Dicam & ego aduersus opinionem Iunij: *Assuerus non dicitur in Canone Hebræo, hoc est, in capitulis Estheris, quæ feruntur in Hebræis codicibus, non, inquam, dicitur Assuerus Xerxes; ergo falsa est opinio Iunij, quæ Assuerum non vult esse alium, quàm Xerxen.*

At nihilne Danæus contra hoc caput septimum Bellarmini? Ego equidem nihil reperio, præter quædam conuicia in Concilium Tridentinum & ipsum Bellarminum, quem in asserendis postremis Estheris capitibus testimonio Cõcilij Tridentini niti, ægrè admodum fert Caluinista; quæ ægrimonia criminationes illas ex pectore Danæi extrusit, simul cum hoc mendacio: *Sententiam Iosephi lib. 11. Antiquit. cap. 6.* (quod Assuerus sit Artaxerxes Longimanus) *probatam à Bellarmino cap. 7. ab eodem Bellarmino in eodem cap. 7. rursus planè & verè refutari.* Lector Bellarminum tantummodo inspiciat, & mox planè & verè cognoscet, quàm planè & verè Caluinianus iste mentiatur.

CAPVT VIII.

De libro Baruch.

LIBRVM hũc solitis spiculis oppugnãt Prædicantes. 1. *Non fuit in Hebræo Canone; ergo non est Canonicus.* Antecedens patet testimonio S. Hieronymi; & aliorum: consequentia est bona, sed in Prædicantium schola. Respondeo, etiamsi antecedens esset verum, consequentia tamen esset *Prædicantica*, hoc est, nauci ac nihili, vt iam ad cap. 4. & 7. copiosè ostensum. Deinde si negetur antecedens; vnde ei fidem conciliabunt aduersarij? Certè ex nullo argumento, vt VVitackerus appellat, diuino, hoc est, ex sacris litteris petito; sed tantum ex humano, hoc est, à veterum quorun-

dam auctoritate petito, qui librum hunc in Canone Hebræo locum tenuisse negãt; quibus nos alios contrarium sentientes ac docentes opponimus.

II. Argumentum. *Non exstat Hebraicè, sed tantum Græcè; ergo nõ est liber Canonicus.* Sed & hæc consequentia vtroque pede claudicat; vt notum ex alibi dictis. Satis est exstitisse; licet iam non exstet. Quid si libri Regum hodie non exstarent Hebraicè; an ideo Canonici nõ essent? Et quamuis à primo auctore non Hebraicè, sed Græcè conscripti fuissent; verè tamen Canonici essent. Idem de Baruch iudicium.

Quare inscita est illa VVitackeri quæstio. *Quæro, quis scripserit? Aut Baruch ipse aut Hieremias. Sed horum neuter scripsit.* Vnde probas? *Quia liber Græcè, non Hebraicè scriptus fuit, id quod & Hieronymus affirmat, & liber ipse indicat.* Vtrunq; mendacium: Non enim dicit S. Hieronymus præfatione in Hieremiam librum Baruch ab auctore suo Hebraicè non esse scriptum, sed *apud Hebræos nec legi, nec haberi*: quod longè est aliud: nam fieri potuit, vt Baruch apud Hebræos Hebraicè nec legeretur, nec haberetur, licet ab auctore Hebraicè cõscriptus fuerit, eò quod originalis textus intercideri, vt reuera intercidit. Nec tanta in hoc libro Græcitas inest, vt sagacissimus VVitackerus inde odorari queat, librum græcè fuisse initiò compositum.

Phrasis ipsa, Inquit VVitackerus, *& dictio Græcanica est*; Tuo naso; meo non magis, quàm phrasis & dictio Isaiæ aut Hieremiæ; & quamuis grãdior & plenior esset; an ideo Græcanicus esset? An nõ & Hebræus stylus in grandiloquentiam aliquãdo exsurgere potest? *De Isaia sciendum,* inquit sanctus Hieronymus præfat. in Isaiam, *quod in sermone suo disertus sit: quippe vt vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admissum.*

Non tam pressa est dictio Baruchi, inquit hæreticus, *neruosa, sedata, maiestatis plena, quàm sacra scriptura stilus esse solet.* Hæc sine dubio ex internis Criteriis nouit VVitackerus. Quid dicet VVitackerus, si interna Criteria alteri cuidam hæc eadem dictent de stylo Ezechielis, aut alterius libri Canonici? Respondebit VVitackerus; *talem decipi & Enthusiasten seu Phantasten cum suis criteriis censeri debere.* Recte, non abnuo. Hoc tantùm adiungo, VVitackero nullam inferri iniuriam, si cum sua de stylo Baruch censura simili iudicio cohonestetur. Nil enim in oratione Baruch ab istis temerè culpatur, quod eadem temeritate in oratione aliorum Prophetarum carpi nequeat.

Quis ergo librum hunc scripsit? Baruch Propheta. quod prima statim Prophetiæ huius verba indicant. Ingerit VVitackerus. *Quisquis librum hunc scripsit, Græcus homo fuit, aut Græcè scripsit.* (Dicis, sed non probas) *ergo nec Baruch fuit, nec aliquis ex numero Prophetarum.* Consequentia nihil ponderis haberet, licet antecedens vero consonaret. Faciamus enim disputationis gratia librum hũc initiò Græcè conscriptum fuisse; certè ideo ipsi Barucho aut alteri Prophetæ, tanquam auctori, abiudicari non posset. Vnde enim planum faciet VVitackerus, Prophetã Baruch, vel alium, Græcæ linguæ ignarum fuisse? Vnde nobis persuadebit, Spiritum sanctum non potuisse scribenti Barucho, vt rem & materiam, sic etiam Græca verba suggerere ac dictare?

III. Argumentum Hunnij. *Liber Baruch non annumeratur Canonicis Scripturis à Concilio Laodiceno: non ab Athanasio in synopsi; non ab Epiphanio libro de mensuris & ponderibus, non à Nazianzeno, ergo non est Canonicus.* Respondeo I. licet ab omnibus istis annumeraretur scripturis Canonicis, Hunnius tamen nobis occineret suum illud solenne: *Nos Patrum auctoritate non tenemur.* Deinde respondeo, annumerari scripturis Canonicis, quia comprehenditur sub Hieremia, tanquam pars seu appẽdix eius. Tertiò respondeo, Prædicantem mentiri de Concilio Laodiceno, cuius Canon Græcus, vt & Versio Herueti, Baruch expressè nominat, & collocat inter libros Canonicos, vt fatetur etiam VVitackerus, & suprà notatum est ad caput quartum.

Quarto respondeo, mentiri Prædicantem de synopsi Athanasiana, quia Epistolam Hieremiæ, quæ est caput sextum Baruch, disertè inter Canonica scripta ponit. imò ipsum totum Baruchi librum. Nam in compendio quod synopsis illa ex Hieremia conficit, dicitur: *Est etiam in hoc* (Hieremiæ) *libro verbum, quod Dominus Hieremiæ mandauit, vt diceret Saraæ filio Nerij, &c. Continet autem hic liber circa calcem, quo modo Iudæi insidias struxerint Prophetæ, & in lacum cœni abiecerint, Abdemelech verò Æthiops illum eduxerit. Baruch hunc librum scripsit, qui postea sermones istos ex ore Hieremiæ scriptos, iis, qui in Babylone captiui erant, legit, & consolandi gratia spem, quod liberandi essent à Deo, annunciauit.* Quibus verbis manifestè denotat synopsis librum Baruch, in cuius exordio habes ista: *Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filij Ioacim Regis Iuda, & ad aures vniuersi populi venientis ad librum.*

Eum ergo librum, quem Baruch captiuis legit in captiuitate, annumerat synopsis canonicis scripturis; at iste nõ est alius, quàm liber Baruch, vt manifestè patet ex principio libri Baruch; Et quæ Hieremias Propheta antea contra Babylonem, deque reditu filiorum Israel ex Babylonica seruitute vaticinatus fuerat, & in libro etiam consignarat, capite quinquagesimo & quinquagesimo primo, ea captiuis in Babylone non legit Baruch, sed Saraias filius Nerię, vt habetur ad calcem capitis quinquagesimi primi. Et in capite quarto & quinto Baruch, nihil aliud continetur, quàm consolationes captiuorum & promissiones de reuersione in patriam: ergo, ex sententia synopseos, liber Baruch Canonicus est. Quod

etiam

Digitized by Google

etiam inde confirmatur, quia vt synopsis Lamẽtationes accenset Hieremiæ, tanquam partem, ita etiam librum Baruch, & Epistolam Hieremiæ; quod clarius ex Græco textu liquet. Postquam enim synopsis summam vaticiniorũ Hieremiæ percensuerat; subdit. *Βαρὺχ δὲ ἐπιγέγραφε τὸ βιβλίον ἐπειδὴ οὗτος γέγραφεν ἀπὸ στόματος Ἱερεμίου τοὺς ἐν τῷ βιβλίῳ λόγους, ἀνέγνω, &c. Baruch inscribitur liber, quandoquidem iste scripsit ex ore Hieremiæ in hoc libro sermones, legitq́; captiuis in Babylone, &c.* Sic enim vertenda sunt Græca verba, nõ vt Latina editio vertit. Ex quibus liquidò apparet, synopsin loqui de libro, qui Baruch inscribitur; (nam *ἐπιγέγραφειν* non est scribere, sed inscribere) eumque in canonicorum scriptorum classe reponere. Nec refert, quod textus Græcus habet *ἐπιγέγραφε*, non *ἐπιγέγραπται*. nam actiuum *passiuè* accipiendum esse, manifestum euadit ex verbis istis, quæ proximè de Lamentationibus Hieremiæ subiiciũtur. *Θρῆνοι ἐπιγέγραφε τὸ βιβλίον*, vbi nisi solœcismum admittere velis, vertere cogeris. *Threni inscribitur liber, ἐπειδὴ τούτους τοὺς λόγους ἐθρήνησεν Ἱερεμίας, quandoquidem sermones istos lamentatus est Hieremias.*

Nec obstat, quòd Auctor synopseos sentire videtur, Baruchum scripsisse quinque priora libelli sui capita ex ore Hieremiæ, sicut scripsit multa quæ in libro Hieremiæ continentur, & Epistolam, quæ est caput sextum Baruch. Nam siue hæc opinio vera sit, siue non (vt ego mihi persuadeo) nihilominus clarè videmus auctorem synopseos Baruchum pro canonico libro agnoscere. Quod in præsenti nobis sufficit.

IV. argumentum Hunnij. *Liber Baruch non allegatur à Christo & Apostolis, ergo non est Canonicus.* Respondeo per simile argumentum. Ecclesiastes & Cantica Canticorum nunquam allegantur à Christo & Apostolis; ergo Ecclesiastes & Cantica Canticorum non sunt libri Canonici. Antecedens est Hunnij suprà ad caput quartum, vt ibidem vidimus: consequentia secundum Hunnianas colligendi regulas bona.

V. Argumentum VVitackeri. *In Epistola Hieremiæ, quæ capite sexto commemoratur, quod scribitur; Eritis ibi generationes septem v. 2. nouum est & à phrasi Hebræorum alienum: nunquam enim in Hebraicis libris vocabulum illud generationis isto modo sumitur, vt decem annorum spatium significet.* Et ne dubitemus, testem dat VVitackerus Caluinista Franciscum Iunium itidem Caluinistam. Sed si hoc argumentum efficit librum Baruch non fuisse scriptum Hebraicè, etiam efficiet non fuisse scriptum Græcè; quia in textu Græco legitur *ἕως γενεῶν ἑπτά*. Nouum autem & insitatum est apud Græcos, vt vox *γενεὰ* accipiatur pro spatio decem annorum, alioqui sequeretur Nestorem grandæuum illum senem in bello Troiano apud Homerum Iliados 1. paulo plures quàm viginti annos explesse;

A quia duas *γενεὰς* seu generationes iam vixerat; & tertiam tum agebat, vt ipse dicit. Si hoc argumentum non valet contra textum Græcum, cur valeret contra Hebræum? cum enim vox *γενεὰ* seu *generatio* aliquãdo pro spatio centum annorum, aliquãdo pro tempore triginta annorum; (hinc sunt, qui Nestorem tertium annorum tricenarium egisse censent in bello Troiano, ita vt nonagenario paulo minor esset;) aliquando indefinitè pro longa, vel continua, & semper manente duratione, & successione etiam perpetua accipiatur, vt in illo Deiparæ; *Beatam me dicent omnes generationes*; quotquot nimirum sibi mutuò succedent; & in illo Psalmi centesimi quadragesimi quinti: *Regnabit Dominus in sæcula Deus tuus Sion in*
B *generatione & generationem*; & alibi passim in sacris litteris, mirum videri non debet, si quando restringatur ad certum definitumque annorum numerum, etiam denarium. Insuetum certè non est, Hebræis quoque, vt vocabulum aliquod vno loco aliam significationem habeat, quàm alio, & sæpe talem, cuius similis in alio loco non extstet. Si quis de hoc loco Baruch plura desiderat Pererium lib. 10. in Danielem adeat, vbi copiosè de difficultate ista disserit; vel Villalpandum Tomo secundo in Ezechielem parte prima de vrbe, libro tertio capite primo, vbi *generationem accipit* pro liberis generatis; qui decimo quarto ætatis anno generari possunt; ita vt generatio prima Hierosolymis Babylonem translata sit; ea pòst
C in Babylone filios, hoc est, secundam generationem procreârit: hi verò post quatuordecim annos, tertiam. Tertia, vigesimo octauo desolationis anno quartam genuerit: quarta quadragesimo secundo, quintam: hæc sextam anno quinquagesimo sexto: quæ tandem septimam generationem ediderit anno desolationis septuagesimo, quando captiuitas soluta est iuxta Baruchi & Hieremiæ prophetiam.

Probat Bellarminus canonicam auctoritatem libri Baruch ex Concilio Tridentino, addunt alij Florentinum. Respondent Prædicantes Hunnius & VVitackerus, *se de his Conciliis minimè laborare.* Et nos multo minus laboramus de
D Prædicantium ineptiis. Etiam Ariani non laborabant de Concilio Nicæno; An ideo non fuit orthodoxum & sacrosanctum?

Clamat Iunius; *Ecclesiam & synodum Tridentinam non posse facere ex non canonico libro Canonicum.* Ita est; iuxta illum loquendi modum, qui mihi, & vt arbitror, ipsi Bellarmino, magis probatur. Nec dixit Bellarminus, Ecclesiam hoc posse; potest tamen Ecclesia librum canonicum, qui antea pro canonico non habebatur, vel de cuius auctoritate canonica dubitabatur (licet à parte rei verè diuinus ac Canonicus esset) publicè declarare, tanquam canonicum, omnibusque, tanquam canonicum suscipiendum ac venerãdum

Digitized by Google

proponere: Declaratio enim Canonicorum librorum competit Ecclesiæ; effectio autem Canonicorum librorum competit Deo. Nec est periculum fore, vt Ecclesia librum à parte rei non Canonicum, declaret esse Canonicum, quia est firmamentum & columna veritatis, quam in errorem induci non finit ille, qui eam ex promisso Christi in omnem veritatem inducit.

Secundo idem probat Bellarminus testimoniis Patrum. Quia aliqui Patres citant hunc librum, tanquã diuinam scripturam, & vt partem Hieremiæ, ergo ex sententia Patrum liber iste est Canonicus. VVitackerus concedit aliquos fuisse in ea opinione, vt scripturam hanc esse partem Hieremiæ crederent: At non sequitur, inquit; *Aliqui Patres putabant hanc esse partem aliquã Hieremiæ, ergo est pars Hieremiæ; nam illi Patres errabant.* Patres scilicet errant approbando hunc librum. VVitackerus non errat improbando hunc librum. Fatuus sit, qui VVitackero hoc credat. Quis enim doctior? Iste an illi? Quis antiquior, quis sanctior, quis Deo charior? iste an illi?

Addit VVitackerus. *Nec sequitur; aliqui Patres ex hoc libro testimonia citabant: ergo Canonicam auctoritatem liber habet: nam testimonia ex aliis etiam libris interdum adducuntur, qui nullo modo pro Canonicis habendi sunt.* Similia ferè Hunnius.

At Bellarminus non argumentatur, vt Prædicantes fingunt, sed hoc modo. Liber iste citatur à Patribus, vt diuinus & à Spiritu sancto dictatus; ergo verè est Canonicus.

Oggrunnit Hunnius, *Si volet Bellarminus Canonicam auctoritatem euincere libri huius, proferat non vnius aut alterius Patris dictum, sed vnanimem Ecclesiarũ consensum: proferat Canonem Hebræum.* Iam protulit vnanimem Ecclesiæ consensum in Concilio Tridentino declaratum. Canonem Hebræum proferre, nil opus; quia cum Christianis, non cum Iudæis disceptatio est. Quanquam, vt sæpe iam monui, vnde nobis isti probabunt librum hunc non fuisse in Canone Hebræo? Inania sunt omnia, quæ proferunt. Et si quædam veterum testimonia negantia producant; nos producimus æquè plura affirmantia. Quis finis erit?

Oggannit VVitackerus. *Librum Baruch vocari quidem à Patribus scripturã & sacram, sed communi quadam appellatione.* At hoc responsum est VVitackerianum, hoc est, vanum ac friuolum: quia Patres citant, tanquam scripturam à Spiritu sancto suggestam ac dictatam; ergo nõ communi quadam & laxa seu ampla appellatione; quod nominatim liquet ex S. Cypriano, qui Epistolam Hieremiæ quæ est vltimum caput Baruch, allegans, ait: *Per Hieremiam Spiritus sanctus suggerit & docet, dicens, in sensu autẽ tibi debet adorari Deus.* Deinde Concilium Laodicenum; Græcum & Latinum ex interpretatione Gentiani Herueti; synopsis item Athanasiana, & alij collocant Baruch inter illos Canonicos libros, inter quos collocant quinque libros Moysis, Isaiam, Ezechielem, & huius ge-

A neris alios, ergo librum Baruch non statuunt aliter esse Canonicum, quàm libros Mosaicos, Isaiam, Ezechielem & alios, de quibus nulla vnquam fuit quæstio aut dubitatio.

De libro Baruch videat VVitackerus nõ quid Canus sentiat; sed quid synodus Tridentina, & inde Catholicæ Ecclesiæ sensum æstimet; nam q; Canus lib. 2. cap. 9. & lib. 12. cap. 6. pronunciare non audet hæreticum, sed erroneum, si quis Canonicam auctoritatem libri Baruch inficietur, pertinaciter nimirum; id non obstat; quia tu, tuique symmystæ, ex sententia Cani, respuendo hũc librum, saltem errones estis, si nõ hæretici: quod encomium nemo sanus vobis inuidet.

Deinde, quidquid Canus Concilij Tridenti-
B ni & aliarum synodorum sanctiones, & Patrum asserta minus accuratè perpendens, dicat; hæreticus est, quisquis hodie Canonicam auctoritatem libri Baruch pertinaciter & cõtumaciter respuit: quia synodus Tridentina anathema dicit omni illi, qui nõ omnes à se enumeratos libros, tanquam Canonicos, recipit: quod quid aliud est, quàm hæreseos damnare eum, qui aliquem ex enumeratis repudiat, inter quos etiam vnus est liber Baruch, nominatim à synodo expressus, ne vlli vllus tergiuersandi locus relinqueretur; nec maior ratio est, cur quis dicat hæreticum esse, qui neget auctoritatem Canonicam Hieremiæ, quàm eum, qui neget Canonicam auctoritatem libri Baruch, quandoquidem eodem mo-
C do de vtroque libro synodus Tridentina sancit.

Dicit Bellarminus, veteres passim allegare librum Baruch sub nomine Hieremiæ, propterea quòd Baruch notarius & discipulus fuerit Hieremiæ. Quid Hunnius? *Respondemus, coniecturam esse, cui nullum insit medium concludendi. Quale enim argumentũ est hoc? Baruch fuit amanuensis Ieremiæ, ergo liber Baruchi est Ieremiæ liber.* Quæ te furiæ agitant Prædicans? Quæ laruæ te stimulant? Vbi ita argumentatus est Bellarminus? Vbi tam stolidum argumentum non dicam proposuit, sed vel tacitè innuit? Hoc asserit Bellarminus, veteres passim sub nomine Hieremiæ librum Baruch allegare: & vt dicto suo fidem faciat, octo Patres, qui Baruch sub nomine Hieremiæ allegarunt,
D adducit. Ex quorum citandi more & modo euidenter apparet, eos librum Baruch, non secus ac Hieremiam, pro Canonico habuisse; neque enim Hieremiæ vnquam librum apocryphum seu nõ Canonicum attribuissent. Itaque si quis argumentum formare velit, sic potius formandum erit. Patres citarunt Prophetiam Baruch nomine Hieremiæ, eò quod fuerit Hieremiæ notarius & discipulus: ergo Patres habuerũt hunc librum pro Canonico.

Nec placet Prædicanti, quod Patres opinati sunt, *sextam caput Baruchi esse Hieremiæ Prophetæ Epistolam ad Iudæos in Babylonem missam.* Caussas, cur hanc Patrum sententiam non probet, has reddit: *1. Quia induxit eos in hanc opinionem præfixus titulus.*

Atqui titulus inter cætera communis index esse solet, cuius sit liber. Nonne etiam ex titulo Euãgelij S. Matthæi; & ex illo S. Ioannis, cognoscimus, illud quidem esse S. Matthæi; hoc S. Ioannis?

I I. *Si hæc Epistola esset Ieremiæ, fuisset non minus inserta libro Ieremiæ Prophetæ, quam altera illa ad Iudæos captiuos missa cap. 29. Ieremiæ.* Non sequitur; quia Epistola ista est Hieremiæ, vt auctoris: Baruchi, vt scriptoris, vt notant Interpretes; ideo non iniuriâ locum in libello Baruchi tenet. Dices, Baruchum, vt scribam & notarium, alia quoque de Prophetia & libro Hieremiæ scripsisse; vt patet ex capite trigesimo sexto & quadragesimo quinto Hieremiæ, quæ tamen non obtineant locum in libello Baruch, sed Hieremiæ: Respondeo, id meritò factum; quia ad totum corpus Prophetiæ illius pertinebant. At Epistola hæc separata pars erat; missa ab Hieremia ad captiuos iam Iudæos, idque vel ex AEgypto, vel ex Hierosolyma, antequam Hieremias in AEgyptum cum notario suo Baruch & aliis transferretur; vt habetur capite quadragesimo tertio Hieremiæ, vbi etiam à Iudæis lapidibus obrutus fertur; quos omnes mortuo Hieremia, Nabuchodonosor Rex, deuicta AEgypto, in Babylonem transportauit, vnà cum Barucho scriba Hieremiæ, adhuc superstite; qui cum postea libellum suum in Babylone composuisset; repertam ibidem Hieremiæ epistolam instruendis captiuis missam, & à se olim exceptam, operi suo sociauit, & titulo præfixo sibi vt scriptori; Hieremiæ vt auctori, tribuit: Hoc enim significant illa verba: *Incipit exemplum Epistolæ eiusdem, quam misit Hieremias, &c.* Baruchi certè hæc epistola aliter non est, quàm amanuensis ac scribæ: Etsi prima libelli capita illius sunt, vt Auctoris; nam ea in Babylone scripsit, vt patet ex primo capite libri; interfecto iam in AEgypto Hieremia; vt meliores & doctiores interpretes tradunt. Neque enim qui libellum hunc ex dictantis Hieremiæ ore à Barucho exceptum & conscriptum volunt, tanquam à notario, satis accuratam temporum rationem habuisse videntur. Satis de his.

Tu vide stuporem Hunnij sic delirantis: *Epistola illa Hieremiæ non est inserta libro Hieremiæ, ergo non est canonica.* Dicamus nos: *Lamentationes Hieremiæ non sunt insertæ libro Oraculorum Hieremiæ; ergo non sunt Canonicæ*; Antecedens patet; quia multi numerant & computant *Lamentationes* pro separato & distincto libro; vt fatetur quoque sanctus Hieronymus in Prologo Galeato. Quî placet tibi hæc consequentia? si displicet; displiceat & tua; quia nec lac lacti similius, quàm ista tuæ.

Caput hoc finit Hunnius declamatione, vel potius vociferatione contra sacras imagines, earumque religiosum cultum, arrepta occasione ex epistola Hieremiæ, in qua Idolorum vanitatem graphicè ac scitè depingit; mentiturque I. *Nec ficum fici tam esse similem, quàm sit Idolomania gentium à Barucho reprehensa, & Papistarum iconolatria.* Quis verò Catholicorum vllam imaginem colit vt Deum? Quis diuinis honoribus afficit, vt Deum?

Secundò mentitur *circumferri apud nos imagines aureas, argenteas, ligneas, sicut apud Babylonios, Deos aureos, argenteos, ligneos.* Quis orthodoxorum circumtulit vnquam auream, argenteam aut ex alia materia fabricatam Christi aut Deiparæ Virginis, aut alicuius cælitis imaginem, tanquam Deum?

Tertiò mentitur, *nos accendere lucernas & lampadas imaginibus, eo modo quo Babylonij suis idolis seu Diis lucernas accendebant.* Quis vnquam accendit cereum vlli imagini tanquam Deo?

Quartò mentitur, *in imagines nostras conuenire, quæ Propheta copiosè de idolorum imbecillitate & impotentia in epistola illa & instructione ad captiuos disputat; vt, quod oculos habeant, & nullam accensarum lucernarum videre valeant; quod non possint abigere fures; nec contra rapaces manus sese tueri,* & id genus alia: quia hæc & similia rectè exprobrãtur illis simulacris; quæ, vt numina habentur ac honorantur. Quid enim turpius, quàm Deum nil videre; cæcumque, mutum, surdum & exanimem esse: nec vim à se repellere posse: at hæc imaginibus exprobrari non queunt; quia vltrò fatemur imagines, nec videre, nec loqui, nec audire, nec ambulare, nec alias huius generis actiones exercere posse; cum non viuant, nec Dij sint, quas nec viuere, nec Deos esse, sponte nostra fatemur. Quis enim tam truncus sit, qui hoc inficietur? Quomodo ergo graphica illa Idolorum descriptio nostras imagines ferit, cum omnibus illis, quæ Propheta adfert, non nisi eorum insectetur stultitiam, qui simulacra illa Deos censebant, & vt Deos colebant?

Quintò mentitur, *sacerdotes nostros statuis suas preculas demurmurare:* Nemo Catholicorum preces fundit ad imaginem; sed coram imagine ad prototypum.

Sextò mentitur, *simulacro Saluatoris in profesto Paschatis vigilias cani.* Impudens mendacium, dignum tamen fronte Hunniana.

Septimò mentitur, *esse apud Papistas infinita alia cum Ethnicorum sacris examussim congruentia.*

Octauò mentitur, *vsum imagines honorandi accensis cereis, sertis, coronis, aliisque clinodiis Papistas non aliunde, quàm ex consuetudine gentium accepisse.* Atque his octo mendaciis fœcundo de pectore promptis, finem octauo Examinis sui capiti imponit. Quod bene vertat.

Ait Bellarminus, Baruch repudiari non posse, nisi simul repudietur Hieremias, quòd Patres & Concilia hunc librum partem esse iudicarent vaticiniorum Hieremiæ: *Negatur conclusio,* clamat Iunius, *plus enim est in ea, quàm in præmissis.* Et quas,

Iuni, *præmissas* somnias? Bellarminus nec syllogismum, nec Enthymema hoc loco proposuit: A Tantùm exposuit, quid ex Patrum sententia sit consequens; Nimirum, vt qui reiicit librum Baruch, pari audacia & impietate repudiare debeat Hieremiam, cuius ipsi libellum Baruch putabant esse appendicem.

Neque ad hanc cœnam asymbolus venit Danæus; Mendacium adducit; & quidem satis luculentum. *De libro Baruch agens Bellarminus, vt eum canonizet, temerè tribuit eum Hieremiæ Prophetæ.* Non tribuit illum Hieremiæ; sed ait, à Patribus citatum nomine Hieremiæ, quòd eum pro parte vaticiniorum Hieremiæ haberent; quos qui temeritatis arguit, hic non iniuriâ temerarius audit.

Possunt autem tres de auctore huius libelli opiniones adduci; prima; quæ mihi maximè probatur; scriptum ab ipso Baruch, excepta epistola Hieremiæ; in Babylone; non vt à notario seu amanuensi Hieremiæ; sed vt à Propheta; qui peculiari impulsu & instinctu Spiritus sancti in Prophetia illa litteris mandanda actus fuerit. Secunda, in qua nihil probabilitatis; Baruchum excepisse & scripsisse hunc libellum ex ore dictantis Hieremiæ, eo modo, quo oracula Hieremiæ libro comprehensa idem exceperat, & scripserat. Tertia; sententias esse quidem Hieremiæ; sed à Baruch in Babylonia collectas, & vno in volumine digestas.

B

Et quamuis non dubitem, Patribus, primam sententiam placuisse; nihilominus librum Baruch rectè sub Hieremiæ nomine citare potuerunt; tum quòd Baruch Hieremiæ Amanuensis & discipulus fuerit, tum quòd Prophetia Baruch sit quasi quædam appendix ad Hieremiæ vaticinia. Quis autem nescit, in omni genere scriptorũ contingere; vt appẽdix interdum allegetur non auctoris, sed eius nomine, ad cuius opus adiuncta est?

C

Quæ cùm ita sint, frustra insilit Danæus in Bellarminum, Patresque ab ipso citatos; clamitans, non Hieremiam; sed ipsum Baruch huius libelli auctorem esse. *Hoc*, inquit, (Hieremiam scilicet esse auctorem) *perspicuè refutatur ex ipso statim initio libri Baruch, qui hunc librum & à se, non ab Hieremia; & Babylone, non in Iudæa, vbi erat Hieremias, scriptum testatur.* Hæc nihil aliud ostendunt, quàm opinionem primam esse veram; à qua Patres nõ abierunt; non enim citarunt Hieremiæ nomine, quòd Hieremiam auctorem crederent, sed quia quæ discipuli erant, Magistro tribui posse censebant; & quæ appendicis; ei, ad quem appendix illa adiuncta fuerat. Nonne secundus Esdræ plerumque citatur nomine Esdræ? Et tamen plerique volunt librum illum non esse ab Esdra; sed à Nehemia. Et si qui Patres dicunt, librum hunc compositum esse à Baruch ex ore dictantis Hieremiæ, id argumento est, eos tertiam, de qua supra, opinionem amplexos esse.

D

Obiicit Iunius Bellarmino nescio quam contradictionem & memoriæ lapsum. Initio capitis ait, *de libro Baruch fuisse controuersiam, & etiamnum esse.* In fine dicit; *Vt nulla vnquam fuit controuersia apud veteres de libro Hieremiæ, ita quoque censendum esse de libro Baruch nullam apud eos controuersiam exstitisse.* Iunius: *Hic finis pugnat cum principio capitis. Bellarminus memoria lapsus est.* Tu, Iuni, mente, vt videtur; nam Bellarminus non intelligit quoscunque veteres, quando ait, censendum esse apud veteres nullam de libro Baruch fuisse controuersiam; sed illos veteres, qui opinati sunt librum Baruch esse partem Hieremiæ; nam apud hos, vt de Hieremia; sic & de Baruch nulla potuit esse controuersia.

CAPVT IX.

De quibusdam capitibus Danielis.

HAEc sunt. Hymnus trium puerorum capite tertio, historia Susannæ capite decimo tertio, historia Beli & Draconis, quem Daniel interfecit, capite decimo quarto. contra has Danielis partes obiiciunt Prædicantes. *I. Non sunt in canone veteris testamenti.* Sed hoc argumentum iam sæpe est protritum ac profligatum.

II. Non exstant Hebraicè, ergo non sunt à Daniele Propheta. Sed & de huius consequentiæ vanitate iam non semel diximus. Non exstent iam Hebraicè. Quid tum? At olim exstiterunt. An Theodotionem, & alios Græcos interpretes hæc ex suo capite commentos esse arbitraris? Aliunde profectò transtulerunt. Non ex Græco, ergo ex Hebræo. Viderunt igitur textũ Hebræum. Nonne Origenes in Epistola ad Iulium Africanum hanc argumentatiunculam validè elidit?

III. Harum partium nulla fit mentio in nouo testamento. Etiam Cantici Canticorum & Ecclesiastæ nulla fit mentio in nouo testamento. An ideo apocryphis accensebuntur?

IV. Ante mille trecentos & amplius annos Africanus celebris doctor de fide historiæ Susannæ dubitasse legitur apud Eusebium libro sexto historiæ capite trigesimo. Verum hanc eandem Susannæ historiam, vt & alias Danielis partes, de quibus controuersia est, ante mille trecentos & amplius annos tanquam Canonicas, defendit Origenes, longè celeberrimus doctor in Epistola ad Iulium Africanum, quæ exstat. Hæc sunt spicula Hunnij.

Num validiora adducit VVitackerus? Videamus. I. Producit sancti Hieronymi præfationem in Danielem. Ex cuius verbis colligit. *I. Horum nihil in Hebræo inueniri.* At olim inuenta sunt; postea exciderunt; vt fusè monstrat Origenes.

Digitized by Google

II. Hæc visa esse Hieronymo digna veru; eoq; iugulante, quo solitus erat à Canonicis apocrypha distinguere. Falsum; nam veru etiam is vsus erat, vt lectori indicaret, quid in Hebræis codicibus inueniretur, quid non. Et hæc ipsa Danielis, ab Hieronymo hac ipsa in Danielem præfatione non esse simpliciter reiecta, testatur ipse aduersus Ruffinum, vt suo loco dictum, diceturque paulò pòst vberius.

III. Hæc cum eiusmodi essent, vulgata tamen & lecta passim fuisse. Nimirum, quia in editione vulgata & ab Ecclesiis recepta erant. Quod manifestum indicium veritatis & germanæ sinceritatis. Quis enim credat, totam Ecclesiam in argumento tam graui errasse? Et vnde partes istæ ad Ecclesiam peruenerunt, nisi ab Hebræis fontibus? Et vel hæc ipsa antiquissima Ecclesiæ consuetudo istos cohibere debebat, ne in has Danielis partes tam petulanter incurrerent.

IV. Se hæc omnino prætermissurum fuisse nisi quorundam calumnias metueret. Meritò timere poterat S. Hieronymus multorum non tantùm imperitorum, sed & peritorum reprehensiones, si has partes in Ecclesia tam vsitatas prætermisisset, ea solùm de causa, quod in Hebraicis exemplaribus non comparerent.

V. Imperitos esse, qui has vllas Danielis partes esse arbitrentur. At hoc non dicit Hieronymus, sed VVitackerus: nam S. Hieronymus tantum scribit, se has partes præterire noluisse ne apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse videretur; quod aliud quiddam est, quàm, *omnes illos esse imperitos, qui has vllas Danielis partes esse existimant*: Potest enim peritus verè cogitare, has esse partes veras Danielis, nec tamen à S. Hieronymo detruncatas; quippe quas in Hebræis exemplaribus non inuenerit: Imperitus autem, cui hoc ignotum, arbitrari potuisset, partes istas à S. Hieronymo mala fide fuisse resectas; nec ex Hebræis codicibus, in quibus exstare falsò crederentur, repræsentatas.

S. Hieronymi, quibus partes Danielis VVitackerus euerti censet, & ex quibus ipse quinque prædicta consectaria seu corollaria colligit, sunt ista ex præfatione in Danielem; *Daniel apud Hebræos nec Susanna habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconisq; fabulas; quas nos, quia in toto orbe dispersa sunt, veru antepofito, easq; iugulante subiecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.*

Hæc verba S. Hieronymi Nouatores semper in ore circumferunt, semperq; Orthodoxis oggerunt.

Ad quæ respondet Bellarminus: ipsum Hieronymum in Apologia secunda contra Ruffinū circa finem testari, se non quid sentiret explicuisse in Prologis illis, sed quid Iudæi dicerent, indicasse. Verba S. Hieronymi exscripsimus supra ad caput septimum. Obiicit Hunnius: *Hæc* (verba S. Hieronymi paulò ante recitata) *qui legit, velit nolit, fateatur non ex aliorum tantum, sed suo quoque iudicio sententiam pronunciare Hieronymum.* At quis melius nouit, quid S. Hieronymus ex sua sententia pronunciarit, quid non? Ipsené S. Hieronymus, an Prædicans Hunnius? S. Hieronymus disertè, palamque negat, se hæc verba ex sua sententia scripsisse; Hunnius contendit S. Hieronymum hæc ex sua sententia scripsisse; quis fide dignior? Et quis Prædicanti huic fidem habeat, cum non vereatur, Hieronymum, virum sanctissimum, impudentis mendacij arguere? Nam si, vt Prædicans clamat, S. Hieronymus verba illa ex sua sententia scripsit; mentitur ergo Hieronymus, quando palam in Apologia contra Ruffinum negat, se ea ex sua sententia scripsisse. Nam quod adiungit Prædicans, S. Hieronymum, narrationem de Susanna *vocare historiam, ideoq; non omnem ei fidem derogare, quod attinet ad rei gestæ veritatē: at recitationes de Bele, & dracone nominare fabulas, non eo sensu, quo etiam aliqua vera narratio in Comœdia redacta formam dici solet fabula; sed fabulæ nomine sumpto pro fabuloso commento*; id inanissimum Prædicantis commentum est: qui enim partes istas reiecerunt, ij ea maximè de caussa reiecerunt, quòd non exstarent in Codicibus Hebræis. At in illis æquè non exstabat historia de Susanna, ac illa de Bele & dracone; qui ergo hanc reiiciendam existimabant, illam pariter reiiciebant; vt & hymnum trium puerorum; quia nihil horum erat in Hebræis exemplaribus, quorum fidem tantopere vrgebat S. Hieronymus.

Nonne idem æquè historiam Susannæ, hymnumque trium puerorum, *veru antepofito*, notauit, ac historiam de Bele & Dracone? At quid veru anteponere aliud est, quam partem aliquam, vt spuriam, vel certè, vt non Canonicam respuere; & vt ab aliis itidem, respuatur, signo dato, admonere? An non ita explicat Prædicans iste & VVitackerus phrasim illam S. Hieronymi; *veru antepofito, easque iugulante?*

Accedit, quod nonnulli, qui historiam Susannæ pro non Canonica habebant; simpliciter fabulam reputabant; vt patet ex argumentis, quæ Iulius Africanus in sua ad Origenem Epistola contra Susannæ historiam producit, vbi totam illam narrationem de Susanna cum mimis Philistionis Poëtæ cōparat. Igitur si S. Hieronymus historiam Belis & Draconis interfecti absolutè pro fabulosis commentis habuit, vt Prædicans contendit; eodem loco historiam Susannæ, & hymnum trium puerorū habuit, quidquid contrà tonet Hunnius.

Sed vt in iudicio de historia Susannæ & trium puerorum non est locutus ex sua, sed ex Iudæorū sententia; quod ipse apertissimè testatur, aduersus Ruffinū; ita nec ex sua sententia locutus est de historia Belis ac perempti Draconis; quam cur *fabulam* vocet, caussam assignat Bellarminus: Respondeo, inquit Bellarminus, *eum, cum dicit fabulas, velle dicere historias, quas Iudæi fabulas vocant;*

addo etiam, interdum veteres nomine fabularum non res fictas, sed veras narrationes appellare. Quomodo Lucæ vltimo; Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, &c. & Minutius Felix, initio dialogi, quem Octauium inscripsit, fabulam vocat veram quandam narrationem, nescio cuius nauigationis. Clemens quoq; Alexandrinus apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 23. narraturus verissimam historiam S. Ioannis: Audi, inquit, fabulam non fabulam, &c. quasi dicat, audi fabulam non tamen fictam, & falsam, sed certam, & veram. Hæc Bellarminus.

Mihi prima responsio maximè placet; cum enim S. Hieronymus in ea Præfatione explicet iudicium Iudæorum de partibus illis Danielis, vt ipse disertè aduersus Ruffinum fatetur, vtique non nisi ex Iudæorum sententia *fabulas* appellasse existimandus est. Cur hæc non refutauit Hunnius, si poterat?

Citat Bellarminus Ruffinum, lib. 2. aduersus Hieronymum, qui scribit ante annos mille ducentos partes istas Danielis in Ecclesia solitas legi. *Memoratu dignum est*, inquit Hunnius, *librum Decretorum. distinct. 15. c. Sancta Romana; probare Hieronymi sententiam contra Ruffinum. Inuectus fuerat Ruffinus in Hieronymum, quod historiam Susannæ, quòd puerorum hymnum, & alia quædam, præsertim Origenis scripta, improbasset. Sed quid censet Papa Gelasius dicta modò distinctio. 15. Audiamus verba decreti: Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros: nonnullas etiam scripturas interpretatus est: sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit; illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus; & non solùm de Ruffino, sed etiam de vniuersis, quos vir sæpius memoratus, zelo DEI in fidei religione reprehendit. Huic decreto Iesuita saluo obsequio Romanæ Ecclesiæ debito refragari non audet.*

Ego verò memoratu dignum arbitror, Hunnium adeo esse effrontem, vt hæc tam enormia mendacia audeat chartis committere; quod perfrictæ faciei facinus, ipse à lectore diligenter obseruari voluit, opposita ad oram libri hac monitiuncula. *Nota bene.* Quomodo probat Decretum Gelasij seu *Ius Canonicum* sententiam Hieronymi de partibus Danielis aduersus Ruffinũ, cum S. Hieronymus sententiam illam Præfatione in Danielem expositam expresè dicat non esse suam, sed Iudæorum? Deinde cum Decretum Gelasij disertis verbis explicet, in quo nam Hieronymum Ruffino præferat, nempe in iis, quæ *ad arbitrij libertatem* pertinent, de quibus quasi non rectè sentiret Ruffinus, à S. Hieronymo notatus fuerat; quæ impudentia est, decretum hoc ad vniuersa proferre velle; quasi generatim omnes S. Hieronymi opiniones anteponendæ sint opinionibus Ruffini?

Quamuis nil opus hoc Hunnij commentum operosè refellere. Ipsemet id facit; vel certè id faciendi facilem expeditamque viam monstrat. Nam margini sui libri attexuit Prædicans hanc notam. *Approbatur Hieronymi censura de Ruffino in omnibus, in quibus illum reprehendit*: Accipio, quod

A

das Prædicans. Et subsumo. At Ruffinus nunquam reprehensus fuit à S. Hieronymo propter partes Danielis, sed potius Hieronymus à Ruffino, vt patet ex secundo libro Ruffini aduersus Hieronymum; ergo sanctio Gelasij seu Iuris Canonici non approbauit, quod attinet ad partes Danielis, vllam Hieronymi censuram de Ruffino; & quod hinc est consequens, neque sententiam Hieronymi, vel potius, quæ creditur esse Hieronymi, de partibus Danielis, aduersus Ruffinum approbauit.

Et quomodo approbasset, cum hoc Decretum initio statim profiteatur, sanctam Romanã Ecclesiam suscipere illas noui & veteris testamenti scripturas, *quæ regulariter suscipi solent?* Et

B

quæ nam illæ? Omnes nimirum, quæ in Concilio Tridentino percensentur, vt patet ex illo decreto apud Gelasium in Tomis Conciliorum, vbi integrum exstat; vbi etiam integer Catalogus Canonicorum librorum pertexitur: vnde Gratianus decretum hoc in suum opus transtulit; in quo cum omnes illi libri nominatim exprimantur, de quibus hodie cum Sectariis digladiamur, excepto Baruch, quem Gelasius sub Hieremia complectitur; deploratæ profectò desperatæque mentis indicium est, dicere; hoc decretum seu Gelasij seu Iuris Canonici, (est enim vnum & idem) probare illam de numero librorum Canonicorum sententiam, quam isti S. Hieronymo tribuunt, cum Tobias, Iudith, liber Sa-

C

pientiæ, Ecclesiasticus, libri Macchabæorum, Daniel, totus nimirum, qualis legebatur tunc in vulgata editione, à Decreto isto in numerum Canonicorum librorum recipiantur, quos Prologus Galeatus, (exceptis partibus Danielis) à Canone excludit.

Nec refert, quòd Gelasius vnum tantũmodo librum Macchabæorum nominat; nam & Esdræ vnum duntaxat numerat; & tamen certum est duos esse; & alterum alterius nomine & complexu comprehendi; sicut comprehenditur secundus liber Regum sub primo, & quartus sub tertio; quando primus & secundus liber Regum, vnus: itemque tertius & quartus vnus liber dicitur; vnusq; item Paralipomenon; quod

D

aliquando fieri iam alibi notauimus.

Quod verò Decretum Gelasij & Iuris Canonici ait; *Hieronymum præferendum esse vniuersis* (seu, vt alia exemplaria habent, *diuersis*) *quos zelo Dei, & fidei religione Hieronymus reprehendit*; *tanquam deuios à recta via & fide*; quid, oro, Prædicantis huius depositam caussam, vel potius frontem, iuuat? Nam Ruffinum nunquam reprehendit ob partes Danielis; ipse potius à Ruffino reprehensus. Nec alios ob easdem partes reprehendit, ipse potius multorum reprehensionem veritus, quin & meritus (liceat verum dicere) si partes illas tanta populorum Christianorum consensione approbatas sua in versione præteriisset.

Grun-

Digitized by Google

Grunnit hic Iunius nescio quid. Expendamus. *Duo*, inquit, *respondebo*. Perge igitur. *Prius; Sapientis non est, testimonium hominis furentis adducere. Quis enim magis furenter scripsit, quàm Ruffinus iste cum in Hieronymum inueheretur?* Hæc, Iuni, Lutheranis Prædicantibus & tibi canere debebas, quando Lutherum citatis. Quis enim mortalium furiosius vnquàm scripsit, quàm Lutherus, cum alibi passim, tum in libro *aduersus Regem Angliæ*, & in alio *de Papatu per Diabolum fundato*. Vix Diabolus furiam hanc furendo æquare posset.

Deinde, vt Ruffinus moderationis limites excesserit, attamen non adeo insaniuit, vt in tota illa scriptione mentis prorsus compos non esset: quod ne ipse quidē S. Hieronymus negauit. Respondens enim ad ea, quę ex consuetudine totius Ecclesiæ hymnum trium puerorum decantātis, & historiam Susannæ, tanquā pudicitiæ speculum, suscipientis ac suspicientis Ruffinus obiecerat, non dixit; *Falsum est, quod asseris; nimio furore percitus, quando hæc scribebas, veritatem videre non poteras; furiosus es, quis tibi fidem habeat?* Nihil horū dixit Hieronymus; sed obiectionem Ruffini, tanquam veram, agnoscens, publicè non erubuit testari, testatumque apud posteros relinquere; se illa in præfatione non suum, sed Iudæorum de partibus Danielis iudicium posuisse, & protulisse.

Nec verum est, quod ait Iunius; *Ruffini apologiam esse scriptum damnatum calculis bonorum omnium, ex quo si quis testimonium promat, caussam suam perdat ac prodat*: quia liber ille Ruffini publico Ecclesiæ calculo nunquam fuit damnatus, ne à Gelasio quidem, vt patet ex eius decreto. Et quamuis damnatus fuisset, an ideo omnia, quæ cōtinent, à vero penitus aliena forent? Ne ipse quidem S. Hieronymus inficiatur id, quod Ruffinus asseuerat, cuius verba in gratiam Prædicantium adscribam; sunt enim ad propositum nostrum, hoc est, ad Catholicæ Ecclesiæ de partibus Danielis sententiam defendendam perquam apposita.

Omnis illa historia de Susanna, inquit Ruffinus, *quæ castitatis exemplum præbebat Ecclesiis* DEI, *ab isto abscissa est, & abiecta, atq. postbabita. Trium puerorum hymnus, qui maximè diebus solennibus in Ecclesia* DEI *canitur, ab isto è loco suo penitus erasus est. Et quid per singula commemoro de his, quorum comprehendere numerum nequeo? De quo, vt omittā illud dicere: quod septuaginta duorum virorum per cellulas interpretantium vnam, & consonam vocem, dubitandum non est, Spiritus sancti inspiratione prolatam: & maioris id debere esse auctoritatis, quā id, quod ab vno homine sibi Barabba aspirante, translatum est. Vt ergò, hoc omittam, vide, quid dicimus: verbi causa; Petrus Romanæ Ecclesiæ per viginti, & quatuor annos præfuit: dubitandum non est, quin sicut cætera, quæ ad instructionē pertinent, etiā librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradiderit: quæ vtiq. iam tunc ipso sedente, & docente recitabantur. Quid ergo? Decepit Petrus Apostolus Christi Ecclesiā, & libros ei falsos, & nihil veritatis cōtinentes tradidit: & cum sciret, quod verum est haberi apud Iudæos, apud Christianos volebat haberi quod falsum est?*

Sed fortasse dicit; quia sine litteris erat Petrus; & sciebat quidem Iudæorum libros magis esse veros, quàm istos, qui erant in Ecclesia: sed interpretari non poterat propter sermonis imperitiam. Et quid? Nihil in isto agebat ignea lingua per Spiritum sanctum cælitus data? Non ergò omnibus linguis loquebantur Apostoli. Sed concedamus, quia non potuerit Petrus Apostolus facere, quod hic modò fecit: de Paulo quid dicimus? Num & Paulus sine literis fuit? Hebræus ex Hebræis, secundū legem Pharisæus, edoctus secus pedes Gamalielis: qui etiam & ipse Romæ positus, si quid Petro defuisset, putas non potuit adimplere? Quomodo ergò isti, qui præcipiebant discipulis, vt attenderent lectioni, emendatas eis, & veras non dabant lectiones, & qui præcipiunt, ne attendamus Iudaicis fabulis, & genealogiis, quæ quæstiones magis præstant, quàm ædificationem? Et iterū, cauere nos iubent, & obseruare maximè eos, qui ex circumcisione sunt, quomodo non præuidebant per spiritum, quod futurum esset tempus, post quadringentos ferè annos, quando Ecclesia cognito eo, quòd ab Apostolis non sibi esset tradita veritas veteris instrumenti, legatos mitteret ad istos, quos illi tum circumcisionem vocabant; obsecrans, & exorans, vt sibi de veritate, quæ apud ipsos est, aliquid largirentur? Per totos istos quadringentos annos errasse se, & ignorasse quod verum est, fateretur? Ascitam quidem se esse ex gentibus sponsam Christo per Apostolos: sed non ab eis veris monilibus exornatam: putasse se, lapides esse preciosos, nunc autem deprehendisse quòd non sunt veræ istæ gemmæ, quas sibi Apostoli Christi imposuerant: erubescere se ad publicum procedere, falsis, & nō veris lapidibus adornatam, &c. Hæc Ruffinus, qui, vt vides, totis viribus euincere nititur, & quidem conatu non vano, ea, quæ in Græcis codicibus habebantur ab Hebræis discrepantia, fuisse Ecclesiæ ab ipsis Apostolorum coryphæis, Petro & Paulo, aliisque Christianæ fidei Antistitibus tradita, ac proinde non tam curandum, quid Hebræa nunc exemplaria ferant, quàm quis fuerit Ecclesiarum ab Apostolica vsque ætate sensus ac consensus.

Ex qua verissima Ruffini doctrina, facilè erit dissoluere Prædicantium nugas, quas hic aduersus istud Bellarmini argumentum effutiunt. Ante annos mille ducentos legebantur in Ecclesia omnes istæ partes Danielis teste Ruffino, tanquam à Spiritu sancto dictatæ & diuinitus inspiratæ; ergo, testimonio Ruffini, verè sunt Canonicæ ac diuinæ.

Respondet Hunnius. *Non valere hanc consequentiam: Partes istæ Danielis legebantur in Ecclesia; ergo habebantur pro Canonicis, ac diuinis; quemadmodum futile esset argumentum*, ait Prædicans, *si quis sic ratiocinari vellet: In Lutheranorum Ecclesiis leguntur, & explicantur epistolares pericopæ, ex epistola Iacobi Dominica Cantate, & Dominica Vocem Iucunditatis: ergo Lutherani censent epistolam* IACOBI *esse Canonicam.*

At verò non ita argumentatur Bellarminus ex testimonio Ruffini; vt Prædicans cōminiscitur.

sed

ſed hunc in modum. Partes iſtæ Danielis legebantur in Eccleſia Dei iam à temporibus Apoſtolicis, tanquam ſcriptura à Spiritu ſancto dictata, & ab ipſis Apoſtolis Eccleſiæ tradita, ergo verè ſunt diuinæ ac Canonicæ, teſtimonio Ruffini & Eccleſiæ, quæ has non aliter, ac diuinas & Canonicas publicè legebat. Quid habent Prędicantes, quod in hac Bellarmini argumentatione carpant? Quos monitos velim, vt cum Bellarmini argumenta refellenda proponunt; non proponant ſua, ſed Bellarmini, alioqui non pugnabunt cum Bellarmino, ſed cum malè ſano ſuo cerebro.

Quod Iunius à *furente*, vt ipſe loquitur, Ruffino, prouocat *ad ſedatum magiſq́; compoſito animo ſcribentem*, hoc eſt, ad explicationem Symboli, non intercedimus, quo minus prouocet. At num in Symbolo partes illas Danielis à Canone excludit? Verbulum nullum de hoc; vt iam ad caput quartum notaui. Danielem Canonicis ſcripturis accenſet. Cur non totum? Cur truncatum & mutilatum? Nihil cauſſæ eſt, cur ita de Ruffino ſentiam, quandoquidem aliunde apertam eius in contrarium confeſsionem habeo.

Ait Bellarminus; credibile eſſe Concilia vetera, Laodicenum, & Carthaginenſe III. & priſcos patres, qui Græca editione vtebantur; cum Danielem in numerum ſanctarum ſcripturarum retulerunt, de eo libro Danielis eſſe locutos, qui in Græcis vulgatis codicibus habebatur. In Græcis autem vulgatis codicibus iſtæ partes ſine dubio habebantur. vt ex Synopſi Athanaſij, & commentario Theodoreti apertè colligitur, nec non ex præfatione Hieronymi in Danielem; vbi teſtatur, Eccleſiam Chriſti legere Danielem ex editione Theodotionis, in qua editione hæc omnia habebantur.

Reſpondet Hunnius: *Si procedit argumentum Ieſuitæ* (ſermo eſt de Concilio Laodiceno; nam Carthaginenſe excludit ab hac ſua deliratione Prædicans) *ſequetur irrefragabiliter* (thraſoniſmus Hunnianus) *reliquos etiam libros, Tobiæ, Iudith, Sapientiam Salomonis, Eccleſiaſticum, & libros Macchabæorum in Canonem ab eodem Concilio relatos eſſe: quod tamen falſiſsimum eſſe conſtat.*

Negatur hæc irrefragabilis ſequela; cui quod refragamur, ignoſcat *irrefragabilis* Hunnius. Quam probat Hunnius: *quia ſicut Bellarminus probabile eſſe putat, Concilij huiuſce Patres referendo Danielem in numerum Canonicorum librorum, retuliſſe illum eò, qualis tum extabat in editione vulgata: ſic, quia in editione vulgata extabant etiam enumerata ſcripta, Tobiæ, Iudith, &c. idem omninò de his quoque dicendum fuerit, ſecus quàm Acta Concilij Laodiceni teſtantur.*

Verum huic probationi omne robur, omneſque neruos deeſſe video; quia non probat, ſed tantum affirmat, in vulgata editione Bibliorum tum etiam fuiſſe Tobiam, Iudith, &c. Hoc dum nō probat Hunnius, argumentum inerme, quin & prorſus exanime, iacet. Et vt maximè oſten- A deret Prædicans libros illos, tum in vulgata editione fuiſſe; ſicut oſtendit Bellarminus teſtimonio veterum in vulgata editione fuiſſe partes Danielis, de quibus diſceptamus (item partes poſtremas libri Eſtheris, de quibus ſuperiore capite) tamen res necdum confecta eſſet.

Nam ratio diuerſitatis manifeſtiſsimâ hæc reddi poſſet: Quia Bellarminus non dixit: Quidquid erat in editione vulgata Græcâ, hoc Synodus Laodicena Canonicis ſcripturis annumerauit; ſed; quoſcunque libros Synodus Laodicena Canonicis ſcripturis annumerauit, eos probabile eſt Canonicis ſcripturis annumeratos eſſe eo modo, quo in editione Græca vulgata exſtabant: Sed librum Danielis annumerauit B Synodus Laodicena ſcripturis Canonicis, ergo probabile eſt eo modo annumeratum eſſe ſcripturis Canonicis, quo in editione vulgata Græca Daniel exſtabat; ergo ſecundum omnes partes, etiam controuerſas; quia in vulgata editione Græca exſtabat ſecundum omnes partes; etiam controuerſas, vt teſtimoniis veterum planum facit Bellarminus. Hæc Bellarmini argumentatio eſt.

Struat iam ſuam Prædicans, & mox apparebit non eſſe argumentationem, ſed delirationem: nam ſi Bellarminum ferire cupit, ſic argumentari debet: *Quoſcunq; libros Synodus Laodicena, Canonicis ſcripturis annumerauit, eos probabile eſt, Canonicis ſcripturis annumeratos eſſe, eo modo, quo in editio-* C *ne vulgata Græca exſtabant: ſed librum Tobiæ, Iudith, aut ſimiles, annumerauit Synodus Laodicena ſcripturis Canonicis; ergo eo modo, quo exſtabant Tobias, Iudith, ſimiles, in vulgata Græca editione.* Non vides Hunni è veſtigio Minorem tuam negatum iri? Vbi enim annumerauit Synodus Laodicena ſcripturis Canonicis Tobiam, Iudith, &c.

Mox impetum dat Hunnius in Concilium Carthaginenſe, rogitans, *quis nam ei dederit poteſtatem conſtituendi eiuſmodi Canonem, qualem conſtituit.* At, ô Prædicans, Synodus illa non conſtituit Canonem; ſed iam olim à Chriſto & Apoſtolis cōſtitutum promulgauit ac publicè propoſuit. Aliud eſt conſtituere Canonem; aliud conſtitutum publicare & promulgare: illud ſolius Dei D eſt; vt iam alibi dictum; hoc Eccleſiæ; etiamſi non in generali, ſed in prouinciali duntaxat Cōcilio congregatæ ſit; addo, quamuis non impetrata Canonis promulgandi, ab Hunnio & ab aliis Prædicantibus poteſtate: hoc enim mirari videtur Prædicans, vnde tantum animi Concilio Carthaginenſi venerit, vt Canonem integrum publicaret, non miſſa prius facultatis obtinendæ cauſſa legatione VVitebergam ad Lutheri Cathedram.

At *Concilium Carthaginenſe non ſanxit illum Canonem ſub anathemate.* Quid tū? Non quæritur, qua pœna ſanxerit; ſed quid, ſeu quem Canonem ſanxerit. Huic Concilio interfuit S. Auguſtinus, vt ait Prædicans. Omnino. Quid inde? *Audiamus*

ergo, subdit Prædicans, *num Beatus Augustinus Tobiam, Iudith, aliaq. scripta, quæ in nostris Ecclesiis Apocrypha dicuntur, iudicarit*, PARI *pietatis affectu*, & REVERENTIA *suscipienda, sicut suscipienda sunt reliqua*, & *num hanc statuerit esse Concilij Carthaginensis sententiam?* Et mox recitat verba S. Augustini ex lib. 2. de doct. Christ. cap. 8. vbi iubet, vt libri, de quibus nunquam dubitatum; præponantur illis, de quibus aliquando dubitatum; inque his ipsis illi præferantur, de quibus minus dubitatum, quique à pluribus & grauioribus recipiuntur.

Planè S. Augustinus iudicauit omnes libros in Canone Concilij Carthaginensis recensitos pari pietatis & reuerentiæ affectu suscipiendos esse, si infallibilitatem spectemus; neq; enim vnus magis est infallibilis, quàm alius, vt fusè probatum ex ipso S. Augustino supra ad caput septimum. Et verba, quæ ex cap. 8. lib. 2. de doctrina Christiana Prædicans citat; minimè euincunt S. Augustinum non reputasse omnes libros Canonicos æque infallibiles, sed tantū docent, Augustinum ordinem quendam inter libros Canonicos statuisse, ita vt illi, quorum infallibilis auctoritas semper apud homines certa & explorata fuit, anteponantur illis, de quorum infallibili auctoritate aliquando dubitatum fuit; & ex his ipsis, præferantur aliis illi, quos plures grauioresque recipiunt; vt ad caput septimum copiosè exposui; & capite sequenti redibit eadem ex S. Augustino obiectio.

En tibi, mi lector, inquit Prædicans, *Concilij Carthaginensis interpretem ἀξιόπιστον Augustinum.* Dignissimus fide interpres est; sed Prædicanti nihil subsidij adfert; vt iam vidimus: neque aliter libros Canonicos interpretatur, quàm Synodus Carthaginensis, neq; hæc aliter, quàm Augustinus: Nec est, quod timeat Prædicans obiectum iri à Bellarmino, sententiam illam S. Augustini de libris Canonicis ex secundo de doctrina Christiana retractatam esse in libris retractationum. Nō opus hic vlla retractatione. Fatemur S. Augustinum in hac sententia perstitisse: Quid vult amplius Prædicans?

Iunius hoc loco totus est lepidus ne dicam an insulsus? Ait, *Concilium Laodicenum locutum esse de Canone diuino; Carthaginense, de humano.* Vbi inaudita diuisione vides Canonem librorum Canonicorum diuidi *in humanum & diuinum*: quam absurditatem obiter quoque perstrinxi ad caput quartum. Deinde si Canon Concilij Laodiceni est Canon diuinus; tunc Baruch erit in Canone diuino, quia est in Canone Concilij Laodiceni, vt alibi dictum, nec diffitetur VVitackerus: cur ergo Prædicantes ex Canone diuino Baruchum exturbant, spoliantque statione, quam liber ille iure diuino obtinet?

Rursus si Canon Concilij Laodiceni diuinus

A est, tum Apocalypsis Ioannis non erit in Canone diuino; quia non est in Canone Laodiceno; quare contenta esse debebit Canone Carthaginensi, hoc est, *humano.* Hæret hic Iunius, nec satis dispicit, quomodo se extricet. Reperit tamen aliquid, quo euadat. *Respondeo*, inquit, *non valet argumentatio à sensu diuiso.* Quis vero hic *diuisus sensus*, si quis, more Prædicantium, ita argumentetur. *Synodus Laodicena non ponit in Canone librorum Canonicorum, Apocalypsin Ioannis; ergo non est Canonica:* An non Prædicantes ex Canone Laodiceni Cōcilij sic perpetuò vociferantur? *Tobias non ponitur in Canone Concilij Laodiceni; ergo liber Tobiæ non est Canonicus. Ecclesiasticus non ponitur in Canone Concilij Laodiceni, nec liber Sapientiæ, ergo Ecclesiasticus & Sapientia non sunt libri Canonici.*

B

Cur non & hic VVitackero, Hunnio, aliisque præconibus acclamat Iunius? *Non valet argumentatio à sensu diuiso. Non enim agebant illi simpliciter, qui libri essent Canonici, sed qui libri Canonici publicè in Ecclesia legendi essent.* Si hæc tua responsio apud tuos valet, cum de Apocalypsi vrgentur; valeat etiam apud tuos, cum nos ex Synodo Laodicena vrgent. Dicamus & nos cum Iunio. *Non agebant Patres Concilij Laodiceni simpliciter, qui essent libri Canonici, sed qui libri Canonici publicè in Ecclesia legendi essent. Omnes autem Canonicos præter Apocalypsin*, (Tobiam, Iudith, Ecclesiasticum, librum Sapientiæ & Macchabæos) *publicè in Ecclesia suis temporibus legi*
C *censuerunt oportere: Apocalypsin*, (Tobiam, Iudith, Ecclesiasticum, librum Sapientiæ, Macchabæos) *non quod negarent esse Canonicos, sed quod non putarent per illud tempus expedire, vt legerentur populo, ex eo numero exceperunt, prout delectus in proponendis scripturæ libris habendus est.* Hæc quæ Iunius disserit, vt caussam reddat omissæ Apocalypseos à Synodo Laodicena, si quid pro Apocalypsi valent; tantundem etiam valent pro Tobia, & alij omissis libris. Neque vnquam ostendet Iunius disparitatem, cur potius Apocalypsis prætermissa sit, quàm libri, de quibus contendimus, si fundamentum, cui Iunius defensionem suam inædificat, vllo modo firmum est ac solidum.

D Quod Synodus Carthaginensis agat de Canone humano, ita probat Iunius. I. quia *quasi rogatio est, ac non sanctio: quid autem fuisset opus rogari placitum, quod inde à principio Apostolis & toti Catholicæ Ecclesiæ placuerat?* Mihi verò hoc Iunij dictum, non quasi commentum, sed vanissimum commentum esse videtur. Nam sanctio illa Carthaginensis Concilij Canon est; à patribus illis, impulsu Spiritus sancti, editus, absque vlla rogatione imperitæ multitudinis; nec aliter latus & promulgatus, quam Canones illi Synodi Apostolicæ Actor. 15. de quibus dicitur: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Num & hic *rogationem* comminiscetur Caluinista?

Digitized by Google

A *Rogationem* suam probat ex verbis quæ Canoni subiunguntur: *Hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium Episcopis pro cõfirmando isto Canone innotescat: ac si dicerent*, inquit Iunius, *se nondum planè constituere, sed aliorum quoq; fratrum iudicia exspectare velle.* Sit ita. An ideo Canon ille non est Canon; etiamsi non sit sancitus independenter à summi Pontificis Bonifacij & aliorum Præsulum consensu? An non Africani Episcopi hunc consensum à Romano Pontifice, & cæteris illarum partium Antistitibus impetrarunt? Vbi enim Bonifacius, vel ætatis illius Præsules huic Carthaginensi Canoni vnquam cõtradixerunt? Quis vnquam Canones Ecclesiasticos à prouincialibus Synodis conditos ea conditione & spe, vt à summo Pastore approbarentur ac confir- B marentur, appellauit *rogationes*? Vbi in his sanciendis rogatur populus, velintne iubeantue legem seu Canonem sanciri? Et vt maximè Canon ille fuisset *rogatio*; quis dubitet, quin post tot sæcula obliget; omnibus Orthodoxis in Canonem illum vno animo conspirantibus?

Iam ad VVitackerum & Hunninum, qui ex *Schino* & *Prino* videntur sibi insolubile argumentum conficere; & quamuis ante multas annorum Centurias ab Origene solutum sit; ipsi tamen putant se nodum hunc denuo ita strinxisse; vt nec solui, nec rumpi, nec scindi queat. *Paronomasia illa*, inquit VVitackerus, *ἀπὸ τ͂ σχίνου σχίσει, ἀπὸ τ͂ πρίνου πρίσει scriptam hanc esse Græcè, non Hebraicè historiolam conuincit.* At licet initiò Græcè fuisset C scripta, an ideo non esset Canonica? Quoties exsibilandum est hoc argumentum? *Liber iste non est scriptus Hebraicè; ergo non est Canonicus.* Quasi verò Spiritus sanctus aliâ linguâ loqui nequeat, quàm Hebraica. Sed nil necesse huc venire. Dicamus historiam hanc scriptam initio Hebraicè vel Chaldaicè. Negat VVitackerus, cum suis symmystis. Qui probat?

In nominibus, inquit, *verbisq; Hebraicis non inuenitur talis allusio seu Paronomasia.* Vnde hoc VVitackero compertum? Num vidit aliquando textum Hebraicum aut Chaldaicum? vt tam audacter affirmet talem allusionem in Hebræo aut Chaldæo idiomate non reperiri.

Tam præfidens profectò non fuit Origenes; D qui ad idem ea Paronomasia argumentum à Iulio Africano adductum respondens; *Ego autem adhuc dubito*, inquit; num scilicet non sit in Hebræo talis vocum allusio, vt affirmabat Africanus, qualis in Græco: *nam cum de iis, quæ sunt in loco, essem solicitus, vt qui de iis ipse dubitassem, cum nõ paucis Hebræis contuli, rogans, quemadmodum apud eos nominetur prinus, & quemadmodum dicant πρίζειν, hoc est, secare. Præterea autem, pro quonam accipiunt schinum plantam, & quomodo nominant σχίζειν, id est, scindere? Alij autem dicebant se ignorare vocem Græcam πρῖνον, & σχῖνον: petebant autem, vt sibi ostenderentur arbores, vt viderent, quas nam voces eis tribuant. Ego verò non dubitaui (amica est enim veritas) ipsa ligna in eorum conspectum adducere. Alius autem dicebat, quæ nusquam nominata sunt à scripturis, se non posse affirmare, quemadmodum dicantur Hebraicè: in promptu autem esse, vt, qui dubitauerit, Syriaca voce vsus sit, pro Græca. Dicebatq; etiam apud valdè doctos, dictiones aliquas aliquando quæri. Si ergò, inquit, potes ostendere, quomodo sit nominata schinus, aut prinus in aliqua scriptura, illic inuenerimus, quod quæritur; & quæ nam sit ad ea allusio nominis. Si verò nusquam sunt nominata, id quoq; nos latet. Cùm hæc ergò, quod attinet ad historiam, dicta sint ab Hebræis, cum quibus habui consuetudinem: Ego quidem caueo, ne pronuntiem, vtrum etiam apud Hebræos seruetur eadem vis nominum in his allusionibus. Tu autem scis fortasse, quemadmodum hoc affirmaris.* Hæc Origenes in Græcis & Hebraicis litteris versatissimus.

At VVitackerus, Hunnius & alij intrepidè affirmant, *nullam eiusmodi Paronomasiam in Originali textu reperiri*; perinde quasi Hebræum aut Chaldaicum exemplar vidissent. Quod etiam affirmabat Africanus: cui per ironiam Origenes: *Tu autem scis fortasse, quomodo hoc affirmaris.* Ait VVitackerus: *ignotum esse, quid super hac quæstione Africano Origenes rescripserit.* Ignotum est, sed illis, qui Origenis Epistolam ad Africanum non legerunt; quam iste frustra conatur vocare in dubium, ipsa disserendi ratione, & dictione, & iis, quæ veteres de hac Epistola memoriæ prodiderunt, antiquissimis itidem codicibus, testimonium huic Epistolæ perhibentibus, fidemque eius adstruentibus; quam æui longinqua vetustas nobis reliquam fecit, translatam ex Græco à Gentiano Herueto, & reliquis Origenis operibus insertam.

Vt autem dicam, quod sentio, longè probabilius videtur, Paronomasiam talem in primigenio sermone libri exstitisse, eamque ab interprete Græco Græcis vocabulis fideliter expressam; Græcis, inquam, vocabulis, quæ ad verbum Hebraicis aut Chaldaicis responderent. Quam sententiam tradit cum aliis Origenes. Quærit VVitackerus. *Quæ nam illa sunt Hebraica nomina arborum, ex quibus illa allusio nascatur.* Nominabimus hæc nomina, si VVitackerus Hebraicum aut Chaldaicum codicem nobis obtulerit. Interea ne ægrè ferat, nos nescire, quæ Origenis temporibus peritissimi Hebræi ignorabant, qui consulti ab Origene, nil aliud petebant, quàm vt ostenderet eis, quas nam arbores *Schinos* & *Prinos* appellarent; se enim inspectis arboribus dicturos, quæ apud Hebræos nomina sortiantur. At frustra. Nunquam enim ex hoc Labyrintho euasit Origenes.

Ægrè fert VVitackerus Origenem à nobis stare. Quocirca eum ad sua castra traducere nititur; sed reluctantem. *Quando*, inquit Caluinista, *Origenem nobis in hac caussa tam sæpe obiiciunt, attendant quid de illo Hieronymus in præfatione in Danielem scripserit. Et miror, inquit, quosdam μεμψιμοίρους mihi indignari, quasi ego detruncauerim librum: cùm & Origenes, & Eusebius, & Apolinarius, aliiq; Ecclesiastici viri, &*

Docto-

Doctores Græciæ, has, vt dixi, visiones non haberi apud Hebræos fateantur; nec se debere respondere Porphyrio pro his, quæ nullam scripturæ sacræ auctoritatem habeant. Si verum est, quod Hieronymus de Origene scribit, nihil est, quod huius historiæ patronum Origenem appellent.

At VVitackerus ad verba illa: *apud Hebræos*; animum aduertere debebat; nam vt fatebantur hæc *apud Hebræos* non haberi; ita fatebantur eadem nullam scripturæ auctoritatem habere; sed *apud Hebræos*. Nam quod historia Susannæ & alia, de quibus controuersamur, scripturæ auctoritatem apud Christianos obtinuerint; non nesciuit Origenes; quod clarum, ex Epistola eius ad Africanum; & quia suis in Danielem commentariis hæc omnia, tanquam Danielis partes explicauit, ex quo ipse S. Hieronymus expositionem Historiæ Susannæ desumpsit.

Imò Origenes in libris Canonicis antiqui testamenti agnoscendis & acceptandis eius fuit animi, vt non Canonem Hebræorum, sed editionem septuaginta Interpretum, normam statuerit. Quod clarum ex his verbis; Euseb. Cæsar. lib. 6. hist. Eccles. cap. 23. *Epistola fertur Africani viri in scripturis Ecclesiasticis nobilis ad Origenem scripta, obiicientis ei vel proponentis, quod historia Susannæ, quæ in Daniele scripta est, ficta videatur, & aliena à scriptura Prophetica. Cui Origenes magnificentißimè rescribens, asserit nequaquam Iudæorum commentis & fraudibus auscultandum, sed hoc solum pro vero habendum in scripturis diuinis, quod septuaginta interpretes transtulissent: nam id esse solum, quod autoritate Apostolica confirmatum sit.*

Alia solutio est, ab Origene vsurpata, & à Bellarmino hoc loco data: Interpretem Græcum non vertisse ad verbum, sed ad sensum, & vt seruaret allusionem, accepisse alias arbores similes, quibus in Græco responderet allusio ad verbum *scindendi*. Sed obiiciunt Prædicantes VVitackerus & Hunnius, *falsam fore orationem, si alia vocabula Græca arborum substituantur, quæ Hebraicis, aut Chaldaicis non respondeant; nam si impurorum illorum senum alter, Hebraicè aut Chaldaicè dixisset, se Susannam deprehendisse sub quercu; alter sub pyro: certè si iam Interpres Græcus aut alius quicunque loco quercus poneret ficum; & loco pyri; salicem: erraret, & falsa versione nobis imponeret.*

At isti diligenter ad Bellarmini verba attendere debebant: quæ sunt; interpretem non verba, sed sensum expreßisse: Expreßio autem sensus in hoc consistit; vt ostendatur, senes illos sciscitanti Danieli, dissona & malè cohærentia dicta reddidisse: & vt vulgò dicitur, alium de alliis, alium de cepis; alium de freno, alium de equo, respondisse; cum tamen caussa vel maximè exigeret; vt consonum responsum darent; Danielem verò cum allusione quadam, ad malè connexa responsa sententiam aduersus nefarios illos tulisse. Itaque sicuti Prouerbium hoc Germanicum; der eine sagt Weiß / der ander Schwartz;

A rectè exprimeret per hoc Latinum; *alius de alliis; alius respondet de cepis*; licet si verba spectes, sibi mutuò non respondeant; vt notum est omnibus illis, qui verba hæc intelligunt; ita & in proposito nostro vsuuenit; Et quemadmodum allusione ad *allia*, & *cepas*, posset quis exprimere si sensum consideremus, allusionem, quam cudere liceret; ex verbo weiß/ hoc est, *candidum* seu *album*; & ex verbo schwartz / *nigrum*, seu *atrum*; licet verbum verbo, nec in Latina, nec in Germanica, nec in aliis linguis respondeat; ita Græcus Interpres per *πρίνω* & *σχίνω* explicauit Paronomasiam Danielis; licet alia verba Daniel vsurpauerit; & quibus Græca ista non respondeant; si verbum verbo componas; Etsi respondeant, si sensum
B intuearis.

Ait VVitackerus, *se non intelligere, quàm hæc solida fuerit falsi conuictio, vt quia diuersæ arbores nominatæ erant à iudicibus, proinde falsò accusatam esse Susannam constaret.* Quid? an non in testibus & accusatoribus inconstantia & dissensio in testimonio vel accusatione vel inprimis considerari solet ac debet? Vt taceam illud Vatis: *Heu quam difficile est crimen non prodere vultu*; præsertim quando quis magna vi & energia examinatur, & ad responsum adigitur, vt hic factum à Daniele, Prophetici spiritus pleno; qui diuina reuelatione, scelera istorum senum comperta habebat; magnaque orationis efficacitate redarguebat, cui malè sibi conscia mens nequaquam reluctari aude-
C bat.

Daniel quoq; nisi accepisset Dei spiritum, inquit S. Ambrosius, lib. 3. de Spiritu sancto cap. 7. *nunquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. Nam cum Susanna presbyterorum coniurationibus appetita, inflexam populi mentem videret contemplatione seniorum, & omnibus destituta subsidiis, sola inter hostes pudicitiæ suæ conscientia* DEVM *arbitrum precaretur: Exaudiuit, inquit, Dominus vocem eius, cum duceretur, vt periret: & excitauit Dominus Spiritum sanctum pueri adolescentis, cui nomen Daniel. Itaq; secundum accepti Spiritus sancti gratiam, vacillantia perfidorum testimonia deprehendit. Deniq; non alia, nisi diuinæ fuit operatio potestatis, vt eos vox sua proderet, quorum latebat affectus. Percipite igitur Spiritus sancti*
D *sacrum, & cælestæ miraculum. Illa, quæ maluit sibi casta esse, quàm populo: illa, quæ maluit innocentiæ subire periculum, quàm pudoris: quæ, cum accusaretur, tacebat: cum damnaretur, silebat, conscientiæ suæ contenta iudicio; quæ reuerentiam pudoris etiam in periculis reseruabat, ne extorsisse petulantiam viderentur, qui extorquere non potuerant castitatem: vbi Dominum inuocauit, spiritum meruit, qui latentem presbyterorum conscientiam reuelauit.*

Dic VVitackere, si duo pudibundam aliquam matronam adulterij accusarent, & alter illam in hac, alter in alia domo adulterium perpetrasse diceret; an non ex hac ipsa varietate sat occasionis Iudex haberet, vt in fidem testium accuratè inquireret?

Africano olim incredibile videbatur Iudæis, dura captiuitate & seruitute presis, à Regibus Babyloniæ vitæ necisque concessam fuisse potestatem. Sed nodum hunc dissoluit Origenes: *Non est mirandum & incredibile*, inquit Origenes, *cum magnæ gentes fuerint, & subiectæ, à Rege esse concessum, vt captiui vterentur suis legibus, & iudiciis. Nam nunc quoque Romanis regnantibus, & Iudæis didrachma eis pendentibus, quanam, concedente Cæsare, possit gentis præfectus, vt nihil differat ab eo, qui regnum obtinet in gentem, scimus qui sumus experti. Fiunt enim latenter conuenienter legibus iudicia, & damnantur quidam capitis, neque cum plena omni ex parte libertate, neque rege omnino ignorante: idq; in regione gentis longo tempore versati didicimus, & pro certo accepimus: quanquam sub Romanis duæ solæ relatæ sunt esse tribus; nempe tribus Iuda, & tribus Beniamin. Esto etiam Leuitica. Israël autem præter populum Iuda erant decem tribus. Est autem verisimile, Assyrio satis habente, quod eos haberet subiectos, eis permisisse propria iudicia.* Ex quibus habet quoque Iunius responsum ad ea, quæ hac ipsa de re hic sub finem capitis garrit, tacito Africani nomine, quasi nulli vnquam hæc obiectio, excepto Iunio, in mentem venerit.

Vt Bellarminus duo quædam argumenta contra partes Danielis refellat; post alias, easque probas, solutiones, quas apud ipsum leges, hanc insuper, tanquam non omnis omnino verisimilitudinis expertem adiungit: *non eundem esse Danielem istum, qui Susannam liberauit, Bel destruxit, ac draconem interfecit, & in lacu leonum sex diebus fuit, cum eo, de quo agitur in superioribus capitibus. Id enim multos olim sensisse; hunc posteriorem fuisse de tribu Leui, cum certum sit priorem fuisse de tribu Iuda.*

Occlamat VVitackerus. *Ista probabiliter defendere nequeunt Pontificij, nisi nouum quendam Danielem, contra communem omnium opinionem, inducant.* Falsum; nam plures olim alterum Danielem statuisse, demonstrauit Bellarminus ex S. Hieronymo. *Vnde talem Danielem fuisse intelligemus?* Ex testimonio & assertione veterum, potissimum septuaginta Interpretum. Quærit VVitackerus. *Quod 70. Interpretes de hoc nouo Daniele commemorant; quam fidem habet?* Rectius quæram ego: Quam fidem habent, vel merentur, quæ Caluinista iste, vnus duntaxat; & nudius quintus ex Caluini schola exortus, aduersus septuaginta testes, tam celebres & vetustos temerè garrit?

Addit Nouator. *Si quæ in hoc 14. capite narrantur, non ab illo magno Daniele, sed ab alio quodam gesta sunt, cur in parte illius Danielis ponuntur? cur illius esse dicuntur? cur illi tribuuntur?* Quæram & ego ex Caluiniano? Si non omnes Psalmi, qui in Psalterio ponuntur, sunt magni illius Dauidis, sed aliós auctores habent; cur in Psalterio Dauidis ponuntur? Cur illius esse dicuntur?
A cur illi tribuuntur? Quod ergo responsum mihi daret Hæreticus, si verum dare vellet; hoc sibi itidem à me datum arbitretur. Nimirum partes illæ rectè ponuntur in libro Danielis; etiamsi ab alio quodam Daniele compositæ essent; vt quidem non improbabilis fert opinio; quia tum propter argumentum, tum propter nominis similitudinem nusquam rectius collocantur, quàm in libro Danielis; qui conuenientissima pro illis statio; sicut multi Psalmi rectissimè in Psalterio locum tenent, licet non à Dauide, sed ab aliis conscripti, Deoque decantati fuerint.

Mentitur Hunnius, cum ait, Bellarminum
B obiectione ex capite 14. *Ezechielis conuictum esse, vt probabile putet non eundem esse Danielem istum, qui Susannam liberauit, cum celebri illo Propheta Daniele, cuius in volumine Prophetico Danielis fit mentio*: Hanc enim ex Ezechiele obiectionem facilè, & quidem bifariam ex S. HIERONYMO diluit; vt ad alterum Danielem recurrere necesse non fuerit; vt nec propter illam, ex cap. 14. de iniectu Danielis in lacum leonum, nam & hanc absque gemino Daniele expedit. Quamuis omnibus expeditis aliam rationem difficultatibus satisfaciendi demonstret; constituto duplici Daniele; vt si fortè priores solutiones non arrideant; in hac postrema lector conquiescat.
C

Danæus arguit Bellarminum contradictionis, asserit enim, *has partes esse magni & decantati illius Prophetæ Danielis*; & postea subdit: *Probabile videri partes istas ab aliquo alio Daniele fuisse conscriptas*; *quæ est manifesta contradictio* in capite Danæi; at non extra. Quis enim tam imperitus est, qui ignoret, nullam penitus esse contradictionem, cum quis duas sententias seu responsiones, tanquam verisimiles proponit, aut defendit. Dicit Philosophus quispiam; probabile videri, materiam cœli esse eiusdem speciei cum materia rerum terrestrium; Item, probabile, vel etiam probabilius videri, eam differre specie à materia sublunarium; Num pro-
D pter hanc assertionem sibi contradicit? An nescit iste duo probabilia simul absque vlla repugnantia consistere? Vt video in Danæi Dialectica problematicè disputare, nihil est aliud, quam sibi contradicere; Et defensio problematica, nihil aliud est, quàm contradictio? Quis vel fando vnquam talia audiuit?

Igitur neque in his duabus probabilibus enunciationibus: *Probabile est eundem esse Danielem. Probabile est non esse eundem Danielem; sed alium*: vlla est contradictio: quia probabile non contradicit probabili; neque illud tollit; sicut in contradictione negatio tollit affirmationem & vice versa.

Clamat Danæus, *Bellarminum non aduertisse, cum ista scripta & capita à patribus citantur, non vt Canonica scripta, sed vt historica duntaxat proferri.* Et quomodo hoc animaduertisset Bellarminus in patribus, cum non sit in Patribus; sed in temeraria asseueratione Danæi? Nam Patres citant has DANIELIS partes vt Canonicas; non vt præcisè historicas humanoque spiritu scriptas.

In sermone de lapsis allegat S. Cyprianus hymnum trium puerorum, eumque *diuinam scripturam* appellat. An diuina scriptura non est Canonica? Et quid aliud facit Origenes in tota Epistola ad Iulium Africanum, quàm vt ostendat, Historiam Susannæ esse historiam diuinam, atque Canonicam? Quod clarissimè item liquet ex Homilia prima Origenis in Leuiticum, vbi ita loquitur: *Tempus est nos aduersus improbos presbyteros vti sancta Susanna vocibus, quas illi quidem repudiantes, historiam Susannæ de Catalogo diuinorum voluminum tollunt: Nos autem & suscipimus, & opportunè contra ipsos proferimus.* S. Athanasio in Synopsi partes istæ adeo sunt Canonicæ, vt ab historia Susannæ totum Danielis librum auspicetur; quia reuera primum locum obtinet; vt videre est in editione Græca 70. Interpretum; & alias itidem partes, vt hymnum trium puerorum, & historiam Beli & interfecti draconis, in compendio, tanquam diuinas, & paris cum aliis auctoritatis enumerat.

Nec aliter citarunt alij patres; miscent enim citationem harum partium cum citationibus capitum Danielis, & aliorum scripturæ testimoniorum, de quorum Canonica auctoritate nulla vnquam dubitatio exstitit; neque vnquam indicant, se has partes non citare vt Canonicas, vt patebit percurrenti singula à Bellarmino patrum prolata loca: quin potius sæpè *scripturam*, & *diuinam scripturam* nominant. Quid autem aliud significat *scriptura* per excellentiam & antonomasiam sic appellata, & scriptura diuina; quam scripturam Canonicam?

Iucundum est, quod Danæus subiungit; *Bellarminum ex Kemnitio discere potuisse; partes illas Danielis non citari à patribus vt Canonicas, sed duntaxat vt historicas, & quidem humanè historicas.* Credo, hoc ex Kemnitio disci & potuisse & posse: At quid nisi falsum disceret, si quis hoc ex Kemnitio disceret? Non est operæ pretium falsitatis magistro operam dare; quia opera luditur, dum falsitas discitur.

Mendaciis annumeretur: quod Danæus dicit; *Bellarminum magnam auctoritatum ex patribus partem transcripsisse ex Kemnitio, tacito nomine Kemnitij. Impudens mendacium*; omnibusque illis planum ac perspicuum, qui Bellarmini in patrum monumentis euoluendis, incredibilem diligentiam, & in iisdem retinendis singularem memoriæ felicitatem norunt: vt taceam, testimonia, si quæ Kemnitius producit, ex Catholicorum scriptis sublecta esse: neque enim Prædicantibus tantum otij est, vt patrum scripta cum cura versent. Aliis enim se mancipant studiis, quod nemo nescit, nisi qui Prædicantes nescit.

Iunius historiam de idolo Beli, deque Daniele in lacum leonum misso, prout cap. 14. narratur; *ne micam quidem verisimilitudinis habere censet. Quod vel eo*, inquit, *demonstramus euidentissimè*, (nugacissimè dictum oportuit) *quod Darius Medus regno Babyloniæ præfectus est; scriptura teste* (Nemo hoc negat) *Cyrus verò ex prædictione Hieremiæ profectus aliò expeditionem instituit in Massagetas, nec Babylone substitit, prout Herodotus atq. Xenophon tradiderunt.* Vel hinc intelligas, quàm in rancidis suis notis conscribendis accuratus & circumspectus fuerit Iunius: Vbi enim Hieremias aliquid vaticinatus est de Cyri in Massagetas expeditione? Forsan nominare volebat Isaiam cap. 44. & 45. Quanquam ne iste quidem speciatim aliquid de hac expeditione memorat quia generatim de gloria & potentia Cyri prophetat. Et quis Historicorum vnquam dixit aut scripsit Cyrum Babylone nunquam substitisse, cum viginti duos annos regnum Persarum atque adeo Babylonicum administrarit; succedens Dario Medo, qui captæ Babyloni vix annum superstes fuit; vt præter alios rectè docet Benedictus Pererius lib. 10. in Danielem; qui etiam lib. 13. testimonio antiquissimorum auctorum regnum Cyri ad triginta annos extendit. Quo temporis interuallo, eum Babylone nunquam versatum esse; quis nisi rerum omnium imperitissimus affirmet?

Quapropter fumus est, quod ex annis & regno Cyri Caluinista ait, euidentissimè demonstrari posse; nihil probabilitatis inesse narrationi, quæ capite 14. Danielis consignata est, de Bele destructo, Dracone interfecto, & Daniele in lacum leonum misso; quasi hæc sub Cyro non potuerint contingere, vt Bellarminus docet. Quanquam non ignoro, doctis quibusdam & in his Pererio nostro libro 16. in Danielem videri, illa accidisse sub Nabuchodonosore, aut filio eius Euilmerodach.

Notetur autem singularis impudentia Iunij in S. Hieronymum; qui scribere non veretur; *Hieronymum, in illo contentionis æstu*, lib. 1. aduersus Iouinianum, *non mediocriter hallucinari, & imprudentem adferre probationes à vero alienas.* Probare instituerat S. Hieronymus idque ex cap. 1. Danielis, Danielem cœlibem vitam egisse; aiebatque assertioni huic non obstare illud Ezechielis cap. 14. vbi dicitur, *Noë, Danielem & Iob in terra peccatrice filios & filias liberare non posse*; hoc enim *iuxta hypothesin dici*; hoc sensu: *Si tales & tales viri fuerint in terra peccatrice, filios suos & filias liberare non poterunt, quia iustitia Patris non libera-*

bit filium, nec peccatum alterius alteri imputabitur: anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Sed & hoc dicendum, inquit S. Hieronymus, *Danielem iuxta historiam libri eius, cum Ioachim rege captum eo tempore, quo Ezechiel quoque ductus est in captiuitatem. Quomodo ergo potuit habere filium, qui adhuc puer erat? & expleto triennio, inductus est ad regis obsequium. Ac ne quis putet Ezechielem iam viri meminisse Danielis, & non pueri: Factum est, inquit, in anno sexto, regis scilicet Ioachin, in mense sexto, in quinta mensis: & ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me. Atque in ea die, ad eum dicitur: si fuerint Noë, Daniel, & Iob. Erat igitur Daniel adhuc puer, & notus populo, vel propter interpretationem somniorum regis, vel propter Susannæ liberationem, & occisionem presbyterorum. Et perspicuè comprobatur, eo tempore, quo hæc dicebantur de Noë, Daniele, & Iob, adhuc puerum fuisse Danielem, nec potuisse habere filios, & filias, quos sua iustitia liberaret.* Hæc S. HIERONYMVS.

In quæ Iunius. *Primùm, falso inscriptionem capitis octaui apud Ezechielem rapuit ad caput decimum quartum: quod tamen caput diu post enunciatum esse & argumentum docet, & series capitum, quæ apud illum Prophetam est inprimis accuratissima.* At ego in hisce Iunianis logis nullam penitus probationem reperio, quæ ostendat S. Hieronymum perperam affirmasse, ea, quæ capite octauo & aliis, vsque ad decimumquartum legimus, eodem die accidisse: neque enim vel argumentum visionum illarum vel series capitum repugnat; quæ non est ab auctore primo; sed diu postea, vt in hoc, ita & in aliis Canonicis libris, memoriæ iuuandæ caussa, reperta.

Quantum verò piaculum, quòd S. Hieronymus verba illa Ezechielis cap. 8. *Factum est in anno sexto, &c.* interpretatur de anno sexto transmigrationis Regis Ioachin, cum, vt ait Iunius, *Propheta Ezechiel deductus sit in Babyloniam cum Iechonia Rege, qui post Ioakimum regnauit, huius verò temporibus Daniel fuerit deportatus Dan. 1.* Vel ex hoc vno exemplo luculentissimè patet, quam præceps & inconsiderata sit Hæretica temeritas in reprehendendis sanctis patribus. Nam Rex Ioachin (sic enim scribi debet) de quo 4. Regum cap. 24. & 2. Paralip. 36. filius Regis Ioacim, de quo in iisdem Regum & Paralipomenon locis, & Daniel. cap 1. ille idem est, qui Hieremiæ cap. 37. appellatur *Iechonias* verbis illis: *Et regnauit Rex Sedecias filius Iosiæ pro Iechonia filio Ioacim*: nam per Iechoniam istum intelligendum esse Ioachin, manifestissimè patet ex 4. Reg. cap. 24. & 2. Paralipom. 36. vbi apertè dicitur, Ioachin, *filius Ioacim*, patri suo Ioacim in regno successisse. Neque vllus Rex inter Ioachin filium Ioacim, & Sedeciam regnauit; sed Sedecias immediatè successit Ioachin, quem Ioachin Hieremias

A Iechoniam nominat; quemque Nabuchodonosor in Babylonem transtulerat, Sedecia in eius locum constituto.

Rectè igitur S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, verba illa Ezechielis cap. 8. *factum est in anno sexto, &c.* interpretatur de anno sexto transmigrationis Regis Ioachin: Rectè idem S. Hieronymus in caput octauum Ezechielis interpretatur eadem verba de sexto anno transmigrationis Iechoniæ; quia Ioachin binominis erat; vt & in caput primum Ezechielis idem S. Hieronymus docet: Explicans illa verba: *Ipse est annus quintus transmigrationis Regis Ioachin: Igitur Ioachin, id est, Iechoniæ,* B *dicatur prima transmigratio*, inquit S. HIERONYMVS; *Sedeciæ autem secunda vel extrema captiuitas.*

Siue autem Ezechiel translatus sit cum Rege Ioacim; vt putat S. Hieronymus, quandoquidem illum translatum dicit cum Daniele: quem Ioacim Nabuchodonosor Rex Chaldæorum vinctum perduxit in Babylonem, vt dicitur 2. Paralipom. cap. 36. cuius tempore translatus fuit in Babylonem Daniel, (vt habetur capite primo Danielis) tenera adhuc ætate, seu puer, seu adolescens; siuè sub filio & successore Ioachin; id nihil facit ad imperitiam Iunij excusandam, & ad tegendam impietatem in S. Hieronymum; quia semper cer- C tum fixumque manet; S. Hieronymum, verba illa Ezechielis cap. 8. *factum est in anno sexto*, rectè interpretari de anno sexto Regis Ioachin, seu Iechoniæ.

Et quia Iunius in hanc caliginem delapsus videtur ex ignorantia discriminis inter Ioacim & Ioachin, agedum adscribamus illud ex S. Hieronymo in caput primum Danielis. *Ioakim filius Iosiæ ipse est, qui alio nomine appellatur Eliakim, & regnauit super tribum Iuda, & Hierusalem annis vndecim. Cui successit in regnum filius eius Ioachin, cognomento Iechonias: qui tertio mense regni sui, die decimo captus est à ducibus Nabuchodonosor, ductusquè est in Babylonem, & in loco eius con-* D *stitutus est Sedechias filius Iosiæ, patruus eius: cuius anno vndecimo Hierusalem capta, atque subuersa est. Nemo igitur putet eundem in Danielis principio esse* IOAKIM, *qui in Ezechielis exordio, Ioachin scribitur. Iste enim extremam syllabam Kim habet; ille Chin.*

Dices, Bellarminum hic asserere, Danielem adhuc puerum translatum esse in Babylonem cum Iechonia Rege à Nabuchodonosor, & hoc constare ex cap. primo Danielis. Ex quo sequitur Bellarminum, quæ cap. 1. Danielis leguntur retulisse ad Ioachinum; non ad Ioachimum; cum ille prior, non iste posterior Iechoniæ nomen tulerit. Respondeo probabile

videri

Digitized by Google

videri nomen Iechoniæ non tantum tributum Ioachino nepoti Regis Iosiæ; sed & filiis Iosiæ. Nam Ioachaz, qui primus post patrem Iosiam regnauit, appellatur Iechonias lib. 3. Esdræ cap. 1. Et ipse Ioacim dicitur Iechonias illis S. Matthæi verbis. *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius,* &c. quæ S. Epiphanij, S. Hieronymi & Pererij lib. 1. in Danielem, aliorumque non ignobilium auctorum interpretatio est. Maldonatus agnoscens Euangelistam loqui de Ioacim; arbitratur, mendosè legi *Iechoniam* pro *Ioacim*; citatque testem antiquum codicem visum à Stapulensi, in quo scriptum fuerit *Ioacim*: non *Iechoniam*. At vnus Codex non facit fidem contra alios innumeros Græcos & Latinos. Ex his apparet; Bellarminum à nobis non discrepare, cum Regi Ioacim, de quo Daniel. 1. Iechoniæ appellationem tribuit.

Pergit Caluinianus Iunius. *Æquiuocationem nominis Eunuchus in sacris scripturis vsitatam, aut non vidit Hieronymus, aut dissimulauit, quod magis putem, vt caussæ suæ in Iouinianum inseruiret.* Ne dubita, vidit S. Hieronymus omnia significata, quæ hæc dictio *Eunuchus* in sacris litteris habet; quia non fuit ignarus triplicis generis Eunuchorum, de quibus Redemptor noster Matth. 19. Interim & hoc vidit. Danielem & socios fuisse Eunuchos, & ab omni mulierum consortio abstinuisse; quod satis fuit S. Hieronymo, aduersus Iouinianum ostendere volenti, etiam in lege veteri castitatis cultores magnificis donis atque ornamentis à Deo cumulatos & decoratos fuisse. Satis de Iunio.

Coronidis loco tria verba addamus de Caluinista quodam Basileensi, qui initio suorum in Danielem verbosissimorum & loquacissimorum commentariorum; soluere nititur rationes, quibus Bellarminus probat, supradictas Danielis partes esse Canonicas. Sed nihil penitus noui adfert. Ridet probationem *ex Concilio Tridentino, & ex vsu Ecclesiæ partes istas diuinis in officiis aliquando legentis.* Antea VVitackerus, & alij Prædicantes id ipsum fecerant; quid enim aliud ab irrisoribus, præter risum, exspectes?

Probationem, ab exemplo Patrum has Danielis partes citantium, eludit, vt alij Prædicantes, hac obiectiuncula. *Num omnia, quæ à patribus citantur & exponuntur, erunt pro Canonicis habenda?* Minimè: neque hoc vult Bellarminus; Sed hoc: pro Canonico habendum, quidquid à patribus tanquam Canonicum citatur: citantur autem istæ partes Danielis à patribus, tanquam quid Canonicum & diuinitus inspiratum; ergo pro Canonicis habendæ sunt, quidquid Sectarij contrà occinant.

Profectò hæc Bellarmini argumentatio longè est solidior quàm illæ Prædicantis, quas adfert, vt Danielis Canonicam auctoritatem contra nonnullos recentiores Rabbinos asserat. *Celebratissimi Rabbini illustrarunt Danielem Commentariis; ergo*
A *Danielis auctoritas verè est Canonica.* Quasi verò nihil à Rabbinis, etiam decantatissimis, commentario illustrari queat, nisi sit Canonicum, & diuina auctoritate præditum. Lutherus, celeberrimus Rabbinus, commentariis illustrauit AEsopum; an ideo est Canonicus? Quis non videt probationem ex Concilio Tridentino, vsuque Ecclesiæ petitam pro auctoritate Canonica partium, atque adeo totius Danielis, longè esse grauiorem & fide digniorem istâ, quam Rabbinicus Prædicans ab auctoritate Rabbinorum sumit?

II. *Rabbini veteres auctoritate huius libri ad dogmata fidei confirmanda sunt vsi; ergo liber iste est Canonicus.* Perinde ac si diceres: Paulus Apostolus in con-
B cione sua ad Areopagitas vsus est testimonio Arati ad dogmata fidei comprobanda; ergo liber Arati est Canonicus. Hæretici (vt & Orthodoxi) quotidie adhibent testimonia patrum, confirmandis fidei dogmatibus, ergo libri Patrum sunt Canonici. Quod autem Prædicans iste tam sedulò argumenta à Rabbinis conquirit, id ne mireris. Dedit, vt ipsemet fatetur, in Morauia operam præceptoribus Rabbinis. Ex quorum vberibus, quale lac suxerit, non est difficile diuinare.

Probationem ab auctoritate Origenis & Athanasij ait, *non esse sufficientem; cum alij patres contrarium docuerint; nominatim Hieronymus.* At multò minus sufficiens censeri debet hæc tam inuerecun-
C da in antiquissimos Patres petulantia; & iniuria quoque in S. Hieronymum, qui palam aduersus Ruffinum clamat, se, quæ in Prologo super Danielem scripserit, non ex sua, sed ex Iudæorum sententia scripsisse.

Probationem ex auctoritate Concilij Laodiceni & Carthaginensis pari leuitate repudiat; *non enim Conciliis datam esse potestatem referendi in numerum librorum Canonicorum eum librum, qui antea eo in numero erat, & quidem in illum à Deo per ipsum Danielem Vatem relatus, & à Christo Domino, testimonio omni exceptione maiori, confirmatus.* Non habet quidem vlla Synodus potestatem faciendi aliquem librum Canonicum; habet tamen potestatem declarandi & publicè promulgandi librum ali-
D quem esse Canonicum, & in Canone diuinorum voluminum reponi debere; quod de Daniele cum omnibus partibus & additionibus præstiterunt Synodi Laodicena & Carthaginensis.

Libenter ex Prædicante intelligerem; vbinam Daniel librum suum in Canonem retulerit, & quidem absque historia Susannæ, Beli, Draconis, & hymno trium puerorum. Item, vbi Christus totum Danielis librum, prout ab Hæreticis acceptatur, in Canonem retulerit, cum non nisi exiguam particulam ex Prophetia Danielis citauerit. Quàm verò ridiculo operculo tegit hanc suam patellam Prædicans. *Ecclesia non legebat Danielem iuxta septuaginta Interpretes, vt testatur S. Hieronymus præfat. in Danielem ad Paulam & Eu-*

Digitized by Google

stochium, sed tantùm ex editione Theodotionis, apud quem, hæ partes Danielis, de quibus disceptamus, leguntur: ergo sunt apocrypha. Quæ hæc deliratio? Quam ornat mendacio, cum ait, Bellarminum affirmare; Danielem Græcè non nisi ex editione Theodotionis exstare. Non dicit hoc Bellarminus, vt clarum legenti hoc caput nonum. Hieronymi certè ætate exstabat editio 70. Interpretum, vt ex præfatione in Danielem liquet. at non legebatur in Ecclesiis; sed aliud est in Ecclesiis non legi; aliud non exstare. Vtrum autem quæ hodie exstat Græca versio, sit Theodotionis, an 70. Interpretum, an ex vtraque mixta; de eo nullum hic BELLARMINVS verbum. Neque etiam ad rem facit.

CAPVT X.

De libris Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Maccabæorum.

DE his primò agit Bellarminus generatim; postea de singulis speciatim disputabit. Ait. hos libros simul omnes reiici ab Hebræis & hæreticis huius temporis. Quærit Hunnius; *Num ergo & Hieronymus Bellarmino Hæreticus est?* Nullo modo; quia Bellarminus non dixit; *à solis Hebræis & Hæreticis hos libros reiici*: Sed ab Hebræis & Hæreticis: quod verum; licet ab aliis etiam reiiciantur: longè tamen ab Hæreticis diuerso modo: nam quòd S. Hieronymus in Prologo Galeato hos libros à Canone exclusit, id non est factum contumaciter & pertinaciter aduersus Conciliorum generalium sanctiones; quibus S. Hieronymus libentissimè cessisset, si aut tum exstitissent. aut si exstiterunt, sancto viro perspectæ fuissent; sicut postea iudicium suum subiecit Nicænæ Synodi decreto, quo liber Iudith in Canonem receptus est. Fieri potest, vt duo idem asserant; alterque sit hæreticus ob contumaciam, nemini cedere paratam; alter non sit Hæreticus, eò quòd in Ecclesiæ definitione acquiescere cupiat.

Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumque sapiunt, inquit S. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 51. *si correpti, vt sanum rectumq́; sapiant, resistunt contumaciter, suaq́; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt.* Id quod Lutherani & Caluiniani cum in aliis argumentis, tum in hoc de Canonicorum librorum numero & fecerunt & faciunt. Quapropter hæretici sunt; & frustra quorundam patrum, præsertim S. Hieronymi, auctoritate, tanquam clypeo, sese muniunt: quia quod in illis humanus error fuit, hoc in istis propter per-

A uicaciam detestanda est hæresis; idemque his accidit, quod olim Donatistis, qui iterationem baptismi tuebantur auctoritate S. Cypriani: Quid hac temeritate effecerunt? Cyprianus inclytus Martyr est, & immortale æuum in cœlo cum Christo agit. Donatistæ damnatæ memoriæ hæretici & sunt & habentur, pœnasque sempiternas improbitatis suæ apud inferos luunt. *Et ô rerum mira conuersio*, inquit Vincentius Lirinensis in Enchiridio cap. XI. *auctores eiusdem opinionis; Catholici: consectatores verò, hæretici iudicantur. Absoluuntur magistri; condemnantur discipuli. conscriptores librorum filij regni erant, assertores verò gehenna suscipiet. Nam quis illud sanctorum omnium, & Episcoporum, & Mar-*

B *tyrum lumen, beatissimum Cyprianum, cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? aut quis contrà tam sacrilegus, qui Donatistas, & cæteras pestes, quæ illius autoritate Concilij rebaptizare se iactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum Diabolo?*

Pulchrè hæc Vincentius & aptè non tantum in veteres sed & in nostros Nouatores. HIERONYMVS Catholicus est; æternæque vitæ gaudiis iam cum reliquis cælitibus potitur. Isti Hieronymi sententiam post Ecclesiæ definitionem, pertinaciter defendendo, Hæretici sunt; quos ni vela dent retrorsum, & ad Ecclesiæ sententiam accedant, quis in sempiternum neget

C arsuros esse cum Diabolo? *Quod quidem mibi diuinitus videtur promulgatum esse iudicium, propter eorum maximè fraudulentiam, qui, cum sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulo inuolutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant: vt illud, nescio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam, duplici odio dignam iudico: vel eò, quòd hæreseos venenum propinare aliis non pertimescunt; vel eò etiam, quod sancti cuiusque viri memoriam, tanquam sopitos iam cineres profana manu ventilant: &, quæ silentio sepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant: sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noë, non modò operi-*

D *re neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiauit. Vnde tantam læsæ pietatis meruit offensam, vt etiam posteri ipsius, peccati sui maledictis obligarentur. beatis illis fratribus, longeq́; dissimilibus, qui nuditatem ipsam reuerendi patris, neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt; sed auersi, vt scribitur, texerunt eum; quod est, erratum sancti viri nec approbasse, nec prodidisse: atque idcirco beata in posteros benedictione donati sunt.*

Hæc eleganter Vincentius. Idem responsum volo Prædicanti, quando quærit; *num Concilij Laodiceni Patres; num Hilarius, num Athanasius, num Epiphanius, num Nazianzenus, num Damascenus fuerint Hæretici, quia supradictos libros à Canone*

secludunt? Respondeo, minimè fuisse Hæreticos, ob caussam antea redditam: quanquã Patres aliquando hos libros extra Canonem Hebræum; non extra Christianum collocant; & si de Ecclesiæ Canone loquuntur, eos ponunt extra Canonem librorum semper indubitatorum; tametsi ex illis quoque de quibus olim non omnibus constabat, modo vnum, modo alterum ex propria sententia adiiciant; & ipsos, quos omittunt in vno loco, subinde, tanquam verè Canonicos allegant, secuti sententiam illorum; qui eosdem pro Canonicis recipiebant: sic S. Epiphanius & Damascenus alicubi librum Sapientiæ & Ecclesiasticum, vt diuinam & cælitus inspiratam scripturam recipiunt; vt iam ad caput septimum notauimus.

Inuehitur Hunnius in Concilium Carthaginense, ex quo numerum Canonicorum librorũ reliquas synodos accepisse Bellarminus ait. Quærit Prædicans, *cur Concilium Tridentinum Canonem non sumpserit potius à Concilio Laodiceno; quàm à Carthaginensi:* Respondeo, id ideo factum; quia Canon Carthaginẽsis plenior & perfectior erat, quàm Laodicenus. *At iste*, inquit Prædicans, *est Canon Hebræus.* Non disquiram num ita plane res se habeat; nam in Canone Laodiceno apparet Baruch; vbi is in Hebræo Canone? dissimulemus hoc. Canon Carthaginensis Christianus est; quæ laus non minor in Christiana Republica, quàm illa prior.

Refellit Bellarminus distinctionem Kemnitij, qui in Examine Sessionis IV. Concilij Trid. libros Canonicos vanissimè diuidit *in infallibiles & fallibiles*; idque, vt mentitur, ex sententia Augustini: Quid Hunnius? *Chemnitij distinctio ipsiusmet Augustini suffragio stabilitur euidentissimè* (en ampullas *superlatiuas* Hunnij. Vbi hoc euidentissimum Augustini suffragium?) *qui cum in Canonem lato sensu acceptum* (imò proprio, stricto, & rigido, vt ostendit Bellarminus, & nos iam supra ad c. 7. ex ipso Augustino docuimus) *retulisset etiam eos libros, de quorum auctoritate dubitatum fuit in Ecclesia, ipsemet alios aliis ratione fides & assensus, atq; sic Canonicæ auctoritatis respectu* (mera hæc sunt verba, omnis rationis & probationis inania) *præferendos esse confirmat, eo ipso libro & loco, quem Iesuita profert.* Verba hæc sunt verbosi Prędicantis: nam alios aliis non præponit S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christiana cap. 8. respectu Canonicæ auctoritatis; hoc est, *infallibilis* veritatis; sciuit enim optimè omnes Canonicos libros simpliciter esse infallibiles, vt docet hic Bellarminus; & iam alibi nos quoque ex ipso S. Augustino fusè monstrauimus, sed alios aliis præponit & præponendos monet, ratione acceptationis; ita vt qui ab omnibus orthodoxis semper acceptati fuerunt, præferantur illis; qui non semper ab omnibus orthodoxis acceptati & approbati fuerunt; inque his ipsis; illi, qui à pluribus & grauioribus recepti fuerunt;

A anteponantur illis, qui à paucioribus, & minore existimatione præditis: Vel, vt Bellarminus ait, eum ordinem inter libros Canonicos S. Augustinus constituit; quia licet esset certissimus omnes libros Canonicos esse infallibilis veritatis, non fuit tamen æquè certus de omnibus libris, quos enumerauerat, an essent Canonici: *Nam etsi ita ipse sentiebat, tamen sciebat rem non fuisse adhuc à generali Concilio definitam, ac propterea potuisse sine labe hæreseos quosdam libros ab aliis non recipi. Id igitur est, quod dicit obseruandum esse in libris, qui dicuntur Canonici, vt ij, qui ab omnibus recipiuntur, præponantur ijs, qui non ab omnibus recipiuntur. Quia videlicet de prioribus maior tunc erat certitudo, quàm de posterioribus, quòd essent Canonici: nunc autem, quia generalia Concilia rem* B *totam definierũt, æquè certi sumus de auctoritate omnium librorum, nec vnum alteri præponere debemus.*

Acceptamus responsum, inquit Hunnius, *& irrefutabiliter* (nota flosculum Hunnianum; quo, vel simili, vtitur, quoties probatione destituitur, vt ipsa verborum granditas & longitudo imperitis occurrat, tanquam probatio) *euincimus, quod illic vocem Canonicum acceperit Augustinus latiore & laxiore sensu, etiam de iis, de quibus ille, num essent πρώτως καὶ κατ' ἐξοχὴν propriè & principaliter sic dicti Canonici, ipsomet Iesuita confitente, dubitauit.* Vbi verò est euictio, quam Prędicans tanto verborum strepitu iactat? Vbi inquam, euictio, quæ planum perspicuumque reddat, Augustinum, quosdam Canonicos C libros iudicasse auctoritatis infallibilis; quosdã verò fallibilis; vel alios maioris infallibilitatis; alios minoris? Nisi hoc euincat Prædicans, verba dat lectoribus, non euictiones: præterea Bellarminum oppuguat mendacio, futili nimirum telo. Vbi enim Bellarminus dicit, Augustinum de quibusdam libris dubitasse, vtrum essent πρώτως καὶ κατ' ἐξοχὴν Canonici? Nec admittimus, nec recipimus hãc distinctionem, vt quidam libri sint πρώτως, *primariò & principaliter* Canonici; hoc est, in se & per se infallibiles: quidam δευτέρως, *secundariò* & minus *principaliter*: quia Canonica auctoritas & infallibilitas par est in se & per se; in omnibus sacris & diuinitus inspiratis libris: neque vnquam distinctio hæc hoc sensu in mentem ve- D nit S. Augustino; neque Bellarminus Augustino eam tribuit, vt mentitur Prædicans; tametsi alio quodam sensu ratione publicæ receptionis & approbationis hæc distinctio admitti possit.

Quid ergo Bellarminus? Relege verba paulò ante recitata. Duo tribuit Augustino. Primũ, sanctum hunc doctorem omnes Canonicos libros habuisse pro simpliciter infallibilibus; ita vt hæc consequentia: *Est liber Canonicus; ergo est simpliciter infallibilis*; ex sententia & doctrina S. Augustini, pro verissima & certissima reputari debeat. Alterum; S. Augustinum non fuisse æquè certum de omnibus libris, quos enumerauerat, num Canonici essent; quòd numerus ille nullo adhuc

OEcumenico Concilio definitus esset. Hoc longè aliud est, quàm dicere, quosdam libros esse *principaliter* Canonicos, hoc est, in se & per se infallibiles: quosdam minus *principaliter*. Etsi enim quis minus certus sit hos vel illos libros esse Canonicos: hunc tamen simul assensum habet, & habere debet; si intelligat, quid sit Canonicum; Omnes libros Canonicos esse pari auctoritate, eaque infallibili, præditos: etiam illos, de quibus minus certus est, num sint Canonici.

Quocirca in auras euanescit contradictio, quam Prædicans Bellarmino affingit. *Obserua*, inquit; *spiritum vertiginis quo Iesuita rotatur.* Obserua tu, erudite lector, spiritum criminandi, quo præco iste exagitur. Dicit Bellarminus. Augustinum non fuisse æquè certum de omnibus libris, quos enumerauerat, an essent Canonici. *Hoc vnum est*, inquit Hunnius. *E vestigio autem subdit Bellarminus: nam etsi ipse* ITA SENTIEBAT, *tamen sciebat rem nō fuisse adhuc à generali Concilio definitam. An non est aperta contradictio: Augustinum non fuisse certum, an omnes ab ipso enumerati libri essent Canonici, & nihilominus sensisse, quod omnes sint Canonici?*

An non est hæc vesana calumniandi libido; qua Prædicans, quantus quantus est, flagrat? Nō enim dicit Bellarminus, S. Augustinũ non fuisse certum; sed non fuisse æquè certum de omnibus libris, quos recensuerat, num Canonici essent. Aliud est, non esse certum, aliud non esse æquè certum. Hoc asserit Bellarminus; non illud. Cur tu omittis vocabulum *æquè*? Quo adiuncto, sublata est omnis contradictionis species. Nam non esse æquè certum, num liber Tobiæ v.g. sit Canonicus; ac num liber Isaiæ sit Canonicus: simulq; credere; librum Tobiæ verè esse Canonicum, minimè sunt contradictoria; nam certitudo gradus habet: licet ergo quispiam tam certus non esset, de Canonica auctoritate Tobiæ, quàm certus est de Canonica auctoritate Isaiæ; posset tamen nihilominus verè credere, librum Tobiæ esse Canonicum. Et ita S. Augustinum affectum fuisse; arbitratur Bellarminus.

Vbi nunc est Bellarmini contradictio, quam comminiscitur Prædicans? qui loquacissimè hic quæritat, *cur Concilium Tridentinũ post tot secula Canonem sacrorũ librorũ constituerit, cũ iam olim ab Esdra constitutus fuerit.* Facilis est responsio: Esdras pro synagoga Canonem condidit; si tamē condidit; (nam hoc Prædicans nunq̃ ex vllo scripturæ loco euincet. Quam turpe autem Prædicanti, qui nullas probationes nisi ex scriptura sese admittere iactat; id absque scriptura affirmare; quod totius scripturæ canonicæ, quasi basis est ac fundamentum) oportuit, igitur, vt pro Ecclesia quoq; Christiana Canon conderetur: hunc condidit Christus & Apostoli; non Concilium Tridentinum; Quid ergo Concilium Tridentinum fecit? Canonem à Christo & Apostolis conditum denuò sanxit ac promulgauit; idque ideo, quia hæreticorum importunitas exigebat, vt Canon verus ac genuinus declararetur, & orthodoxæ Ecclesiæ palam ac perspicuè proponeretur. Nec hoc tantum fecit synodus Tridentina, sed & Florentina; & Romana sub Gelasio Pontifice, & olim Carthaginensis, licet non generalis, postea tamen ab vniuersali Ecclesia, & ab ipsa sede Apostolica, suffragio Apostolico, comprobata, vt ipsa synodus optabat.

Caussa autem, cur Canon, aliquot seculis post Christum, & nouissimè in Concilio Tridentino, quasi renouatus fuerit, alia non est; quàm vel longinquitas temporis, quæ olim piè sanctèque constitutis obliuionem inducere solet, nisi subinde reparentur, vel Nouatorum & malè feriatorum hominum improbitas; quibus nulla religio, etiam constitutissima & fundatissima in dubium vocare, & labefactare velle.

Quærit Hunnius: *Si olim quorundam librorum certitudo satis explorata non fuit, vnde ergo nunc post aliquot secula certitudo illa emersit?* Quæram & ego ex Prædicante; si olim tempore S. Cypriani satis exploratum non fuit, vtrum hæretici ad Ecclesiam reuertentes rebaptizandi essent; vnde postea hęc certitudo emersit tempore S. Augustini, qui rebaptizatores acerrimis scriptis refellit, & tanquam hæreticos proscribit? Sed vt ad quæstionem Prædicantis directè respondeam; ex Ecclesiæ definitione hæc certitudo exstitit, vt iam antea dixit Bellarminus.

Hic Prædicans linguæ suæ solitas laxans habenas; *hæc ratio*, inquit, *tota est nugatoria, & fundamento nititur, quod in Dialecticis petitio principij dicitur, & fallaciis sophisticis annumeratur*: multaque alia ex triuio & circulis hausta de Conciliis garrit; & à Bellarmino petit; vt probet Concilia declarare posse, quę prius fuēre dubia; hoc est, petit, vt controuersiam de Conciliis misceat cum cōtrouersia de scripturis, & omnia absque ordine & methodo confundat. Patientiam habe Prædicans, suo loco & tempore, copiosissimè probabit Bellarminus. id quod alieno loco ab illo postulas. qui quàm honorificè de Ecclesia sentiat, vel hinc colligas, quòd argumenta & responsa ab Ecclesiæ auctoritate petita *sophisticis fallaciis* accenset.

Ait Hunnius, *se fidem habiturum Concilio, si in eo præsideret Apostolus aut Propheta: aut si ex scriptura euidenter ostendatur, hunc vel illum librum esse Canonicum.* Dubito, num vera promittat Hunnius: Tantum, opinor, synodo crederet, Petro præsidente; quãtum nunc credit synodo, cui successor Petri per se vel per suos legatos præsidet. Quod si Hunnius nullum librum in Canone reponit, nisi cuius auctoritas euidenter ex sacra scriptura demonstrari potest; tum Epistola ad Philemonem non erit canonica. Ex quo enim scripturæ testimonio demonstrabit nobis Hunnius, Canonicam huius Epistolæ auctoritatem? proferat, oro, vel alius Prædicans eius loco, luculentam huius auctoritatis ex scriptura sacra probationem.

At vide stuporem Prædicantis. *Si, inquit, liber Tobiæ ideo Canonicus est, quia Concilium ita pronunciauit, nonne omnia decreta pariter erunt Canonica, quia Concilium ea sanxit?* Minimè, mi Prædicans; quia Concilium nō facit librum Canonicum in actu quasi primo: sed eum, qui diuinitus in actu quasi primo Canonicus; Canonicum esse declarat; sancitque, vt ab omnibus pro Canonico habeatur & suscipiatur. Aliud est facere Canonicum librum; aliud declarare, librum aliquem esse Canonicum. Aperi, Prædicans, oculos, si quos habes, vt hoc discrimen, in quod semper sectarij impingunt, tandem intueri queas. Aliud est facere nobilem; aliud declarare eum esse nobilem, qui iam antea erat nobilis, cuius aut ignorabatur, aut controuertebatur nobilitas. Et quænam vnquam synodus à condita Christiana Republica sanxit, vt acta sua pro canonica scriptura agnoscerentur & colerentur?

Vera Ecclesia, inquit Hunnius, *sibi nihil in rebus fidei credendum asserit, nisi quod claris scripturæ testimonijs, aut rationibus immotis adstruxerit.* Sit ita, quandoquidem ita vis; licet videam, quid nam veneni sub his verbis delitescat. Sed esto: non enim necesse, omne opertum aperire. Subsumo ego: *Sed Ecclesia claris scripturæ testimoniis & rationibus immotis demonstrat; Ecclesiam esse audiendam, quando aliquid fidelibus proponit ac præcipit: quia Christi monitum est; si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* vt alia innumera huius generis dicta & probamenta prætercam. Si ergo in me, inque Deum peccet frater ac proximus meus; clametque; Libros Tobiæ, Iudith, & Macchabæorum esse Apocryphos, nec infallibili auctoritate præditos; egoque rem tandem ad Ecclesiam deferam: Ecclesia autem dicat; libros illos verè esse Canonicos; & diuinitus inspiratos, an non ob perspicuum illud Christi de Ecclesia testimonium obtemperare debet; nisi pro Ethnico & Publicano haberi velit? nec verò Prædicantes alia statione, quàm Ethnicorum & Publicanorum digni sunt, postquam adeo contumaciter Ecclesiæ declarationi satis iam superque promulgatæ ac intellectæ aduersantur.

Neque his obstant verba sancti Augustini, quæ Prædicans citat ex libro secundo contra Cresconium capite trigesimo primo: *Neque sine caussa tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum, & Apostolorum libri pertineant, quos omninò iudicare non audeamus; & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè iudicemus.*

De quo Canone loquitur hic sanctus Augustinus? De illo, cuius partes & libros enumerat libro secundo de doctrina Christiana capite octauo, & cui in Concilio Carthaginensi subscripsit: is alius non est, quàm Canon, qui in Concilio Tridentino reperitur. Quis tam *salutari vigilantia* Canonem hunc constituit? si primum constitutorem, vt sic loquar, & conditorem Canonis Christiani & Ecclesiastici quæras; alium non inuenio, quam Christum & Apostolos: si secundos constitutores, vel potius reparatores & renouatores quæras, alios non reperio, quam sanctos Patres, sanctorumque Patrum synodos. Istæ enim constituunt Canonem declarando, promulgando, & si vel temporum vel hominum iniuria in obliuionem vel disceptationem venit, denuo sanciendo, librosque, quorum auctoritas periclitabatur, in Canonem reponendo.

Ait Hunnius, *Canonem longè ante Augustinum fuisse constitutum.* Quis negat, si de primo constitutore loquamur, is enim Christus est, & Apostoli. At si de illis constitutoribus sermo sit, qui Canonem ab obliuione vel oppugnatione improborum asseruerunt; ij & tempore sancti Augustini, & ante Augustinum, & post Augustinum fuerunt, eruntque semper vsque ad consummationem sæculi. Quapropter imperita est ista inepti Prædicantis quæstio. *Vnde nobis isti imperiti disputatores, qui demum post aliquot sæcula in generalibus Conciliis Canonem librorum sacrorum constitutum garriunt?* Vnde nobis isti imperiti Prædicantes, qui demū post aliquot secula quærunt, vndenam sit in Ecclesia res fidei declarandi, litesque exortas terminandi potestas? Nam Canonem constituere nihil aliud est, quàm exponere & definire, qui nam libri ad Canonem pertineant; seu, qui nam libri ex Christi & Apostolorum sanctione in Canone reponendi sint. Neque enim, vt iam sæpe dictum, synodus aliter Canonem constituit, quā declarādo, qui nam libri ad Canonem spectent; & hoc ipso quod definit, librum Tobiæ v. g. Ecclesiastico Canoni accensendum esse; manifestè intelligimus, librum hunc à Christo & Apostolis in Canone positum fuisse; neque enim Ecclesia, quæ veritatis columna est ac firmamentum, in Canonicorum librorum recensione à vero abire potest.

Si quæram ex Bellarmino, inquit Prædicans, *vnde norit Romanus Pontifex & omnis ipsius clientela, Epistolam ad Romanos esse certò Pauli Apostoli: Respondebit haud dubiè, ex consentientibus testimoniis Ecclesiæ primitiuæ, quæ testari potuerit hanc Epistolam à Paulo esse scriptam.* Si ad hanc quæstionem Bellarminus respondeat, longè breuius responsum dabit; videlicet constare id ex traditione Ecclesiastica; nam quod Hæreticus vrget *consentientia Ecclesiarum testimonia*, video, quò tendat: cum enim de aliquibus libris à nonnullis aliquando dubitatum fuerit, hinc euincere vult Prædicans; posterioribus seculis, Ecclesiam non potuisse dubitationem illam certa & determinata sanctione dirimere: in quo toto cælo aberrat: ideo enim Ecclesiæ auctoritas à Deo instituta & constituta est, vt si quæ in quæstionibus fidei & religionis dubia emergunt, ea dissoluat.

A Audi ergo Prædicans, aut tuo loco audiant alij Prædicantes, quandoquidem tu iam auribus cares. Etiamsi nullus vnquam vsque ad Concilium Tridentinum scriptum reliquisset: librum Tobiæ aut Iudith esse Canonicum; Concilium autem Tridentinum OEcumenicum definiuisset, librum Tobiæ esse Canonicum; prono assensu id crederem, mihiq; certissimè persuaderem, Concilium nō nisi ex traditione Apostolica hoc decernere ac definire: quia Ecclesia est columna ac firmamentum veritatis, & deducitur à Spiritu sancto *in omnem veritatem*; neque vnquam deflectit à sponso suo, qui est via, veritas & vita. Quanto magis id nunc credere debeo, postquam anteactis sæculis idem à Conciliis definitum fuit, & à sapientissimis semper traditum.

B Quamobrem corruunt omnia illa, quæ ventosus Prædicans vanè & ventosè hic de potestate Conciliorum declamitat, vt imperitorum oculis loquacitate sua nebulas offundat. Nego synodum Tridentinam absque ratione librum Tobiæ, & alios, Canoni accensuisse: Secuta enim est Concilia antecedentia cum alia, tum Carthaginense: & quam rationem habuit Concilium Carthaginense referendi in Canonem librum Tobiæ & similes; eandem habuit Concilium Tridentinum: nempe Apostolicam traditionem & testimonia veterum; & ipsum sancti Spiritus Ecclesiæ semper assistentis impulsum; neque enim de nihilo est illa Christi promissio Ioan. 14. *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.*

C Dixit Bellarminus, non posse vnum locum proferri ex Augustino, vbi librum aliquem vocet Canonicum, & tamen de eius veritate dubitari posse dicat. Clamat impudens Prædicans; *hoc esse impudentissimum affirmatum: & Iesuitæ os claro Augustini testimonio probè contundi debere.* Vbi verò clarum illud testimonium? *Lib. 2. contra Gaudentium cap. 23.* Quid hoc loco D. Augustinus? Dicit libros Macchabæorum à Iudæis non recipi: receptos tamen esse ab Ecclesia, *non inutiliter, si sobriè legantur & audiantur.* Hoc nimirum est clarum illud testimonium, quo Prædicans os Bellarmino probè dedolat. Quod vt clarius fiat, argumentationis formâ vestiatur. S. Augustinus ait lectionem scripturæ Macchabæorum esse *vtilem, si sobriè legatur & audiatur*: ergo S. Augustinus non habuit Macchabæorum scripturam pro infallibili: probatur consequentia. Quia scriptura, quæ infallibilis est, nō debet *sobriè legi & audiri.* En quàm validis ictibus verberat Prædicans os Bellarmini.

D Quid respondebit Prædicans, si quis deliramentum hoc in auctorem suum retorqueat hūc in modum: Libri Regū & Paralipomenon, item libri Moysis; imò omnes libri Canonici sobriè *legi* debent ac *audiri*: non enim debemus in lectione sacrarum litterarum plusquam oportet sapere; sed sapere *ad sobrietatem*: ergo libri Canonici non sunt infallibilis veritatis, quia aliâs frustra moneremur, vt sobriè tam legeremus, quàm audiremus. Quidquid ad hoc verè respondeat Prædicans, id sibi à me itidem responsum existimet: huiusmodi enim admonitio non fit eo fine, quasi ipsi libri Canonici in se & per se fallere queant; sed ne incautè & impudenter legendo, nos ipsos fallamus; Quod autem S. Augustinus nominatim de Macchabæorum scriptura pronunciauit, eam *sobriè* esse legendam, id fecit propter factum Raziæ 2. Macchab. 14. ne quis illud absque discretione lectitans, arbitraretur, licitum esse vitam sibi eripere; imitatione Raziæ, cuius exemplo improbi Donatistæ interfectionem suiipsius defendebant. Hic scopus est ac sensus S. Augustini; non ille; quasi quis ex lectione Macchabæorum falsa narrantium decipi queat, deceptione ex ipso libro, non ex malo intellectu libri nata.

Testimonium ex secundo libro de mirabilibus scripturæ, tum Bellarminum feriet; quando Hunnius ostenderit, opus illud ex S. Augustini officina prodiisse: Quando autem id ostendet? Tunc, vt opinor, cum demonstrauerit locū illum S. Augustini epist. 19. ad Hieronymum: *Ego solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam*: tantummodo intelligendum esse de libris, vt Prædicans loquitur, κατ' ἐξοχὴν Canonicis, seu Protocanonicis. Vana enim & falsa est hæc librorum Canonicorum distinctio, & S. Augustino prorsus incognita: si ad infallibilitatem librorum Canonicorum referatur, vt eam Prædicantes referunt: Omnes enim libri Canonici æqualiter infallibiles sunt, cum immediatè nitantur prima ac summa veritate; à qua omnis falsitas immensum quantum abest.

Vt autem hoc sancti Augustini testimonio os Prædicantis melius contundatur, huiusmodi argumentum inde formo. Omnibus illis libris, qui iam Canonici appellantur, eum habet sanctus Augustinus honorem, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credat: Sed omnes illi, quos S. Augustin. lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 8. enumerat, & qui percensentur in Concilio Carthaginensi can. 47. sunt, & appellantur, & olim tempore S. Augustini appellabantur Canonici; vt constat ex his verbis sancti Augustini; *Totus Canon scripturarum his libris continetur, &c.* & in Concilio Carthaginensi: *Placuit, vt præter scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur, &c.* Ergo omnibus istis libris hunc honorem habuit S. Augustinus, vt firmissimè crederet, nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse.

At vide quàm expeditè ex dicto S. Augustini totam Concilij Tridentini auctoritatem Prædicans *confodiat*: hoc enim verbo vtitur. *Si solis Canonicis scripturis hic honos attribuitur; vt in iis nullibi erratum esse certò statuendum sit: sequitur decreti Tridentini conuenticuli istum honorem nullo modo deferendum, sed à*

nobis

Digitized by Google

nobis indicandum esse, vt quidquid in eo dissidet à scriptura vel recta ratione, cum scriptura congruente, id ad auctores suos relegetur.

Dicamus nos. Si solis scripturis Canonicis hic honos habendus est, vt in iis nullibi erratum esse certò statuendum sit; sequitur Augustanæ Confessioni, & libro Cócordiæ istum honorem nullo modo deferédum esse; & tamen Prædicantes magnis vocibus clamitant; nullum errorem in Augustana Confessione libroque Concordiæ contineri; & hoc à nobis firmiter credi volunt. Item, si ex dicto S. Augustini in morem modumque Prædicantis huius argumétari velimus, tum symbolis Apostolico & Nicæno non erit hic honor habendus, vt credantur omni errore vacare; quia hic honor solis Canonicis scripturis debetur. Si istæ argumentationes absurdæ sunt, altera quidem apud Prædicantem; altera apud omnes rectè sentientes; non nisi absurdè etiam Prædicás ex dicto illo S. Augustini Concilij Tridentini, imò omnium Conciliorum, auctoritatem oppugnat: Nam eo loco confert S. Augustinus scriptorem Canonicum cum scriptore non Canonico; non cum generali Concilio; vt ex tota Augustini disputatione, & orationis cótextu liquet. Asserit igitur solis scriptoribus Canonicis; & cuiuis etiam sigillatim spectato concessum esse, vt à vero nunquam & nusquam deflectant; nullique alteri scriptori hoc tributum; vt quantum est ex modo, & quasi natura huiusmodi scriptionis, à vero excidere nequeat: quia singuli eorum sigillatim considerati, minimè habent infallibilem sancti Spiritus assistentiam; qua ab omni errore securi præseruentur; sicut Canonici scriptores etiam sigillatim spectati, & Concilia generalia in definiendo infallibilem sancti Spiritus assistentiam habent; quamuis modo aliquárulum diuerso; sed tamen planè infallibili; quod non ignorauit Augustinus; qui quàm salutaris & necessaria sit in Ecclesia *conciliorum plenariorú* vt ipse loquitur, auctoritas, planissimè perspectum habuit: vt alibi cum Bellarmino probabitur.

Elumbis igitur est hæc Prædicantis consequentia: *Quiuis scriptor non Canonicus errare potest: ergo etiam Concilium generale errare potest*; quasi generale Cócilium definiendo scriptoris locum obtineat, non iudicis aut definitoris; & quasi is, qui definitiones fidei à Conciliis editas legit, legat scripta alicuius priuati auctoris, non dicta & decreta publicæ auctoritatis, hoc est, Ecclesiæ, quá Spiritus sanctus ita gubernat & regit, vt ab omni errore semper secura persistat.

Sic & alius D. Augustini locus epist. 112. non loquitur nisi de priuatis testibus & sigillatim spectatis; His enim ait licitum credere vel non credere, *quantum testimonia, quæ adferunt, momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere aliquis perspexerit*: non autem loquitur sanctus Augustinus de testibus & testimoniis publica auctoritate præditis, cuiusmodi sunt non tantum testimonia Canonicorum testium & librorum, sed & generalium synodorum decreta ad fidem spectantia; & ipsius etiam summi controuersiarum iudicis definitiones.

Docet Bellarminus, Ecclesiam posteriorem decernere posse, num aliquis liber sit Canonicus; etiamsi antea in Ecclesia de Canonica eius auctoritate ab aliquibus dubitatum fuerit, idq; probat exemplo synodi Nicænæ, quę librum Judith in numerum librorum Canonicorum adlegit, quamuis anteactis sæculis de eius auctoritate Canonica à nonnullis dubitatum fuisset.

Posset initio quæri, inquit Prædicans, *vnde habeat Iesuita, quòd Concilium Nicænum id statuerit*. Facilis responsio. Ex præfatione sancti Hieronymi super librum Iudith. *Atqui non assertiuè hoc pronunciat Hieronymus*; oggerit Prædicans; *sed ait: quia Nicæna synodus hunc librum in numero sanctarum scripturarum legitur computasse*. Atqui, vt ringaris, nunquam tamen efficies, vt oratio ista D. Hieronymi non sit *assertiua*: sicut nunquam efficies, vt assertiua non sit hæc mea: *Legitur synodum Tridentinam librum Iudith in numero sanctarum scripturarum computasse*. An non hæc mea oratio est assertio? *Vbi verò legitur?* quærit Prædicans. Olim legebatur in Actis Concilij Nicæni, aut in monumentis eorum, quibus synodi acta & decreta probe cognita erant: & hodie in iisdem Actis legeretur, si integra ad posteros peruenissent. Nam quæ Gelasij Cyziceni nomine Græcè & Latinè circumferuntur, collectanea quædam sunt ex variis hinc inde congesta & comportata, non ipsa primæua & integra sacrosancti illius Concilij Acta.

Addit Prædicans. *Hieronymus, non habita ratione eius sanctionis synodicæ, diserta voce pronunciat nihilominus librum Iudith non esse in Canone. Vide Prologum Galeatum.* At nosse debebat Prædicans, Prologum Galeatum antè fuisse scriptum, quàm sanctus Hieronymus decretum synodi Nicænæ cognosceret; & antè præfationem in librum Iudith. Quocirca veritatem postea edoctus, mutauit sententiam in Prologo Galeato traditam, quod quidem ad librum Iudith attinet: nec dubium, quin alios itidem libros, tanquam Canonicos recepisset; si eos Nicænum Concilium in Canonem retulisset; relatosque sanctus Hieronymus cognouisset.

Quærit Hunnius. *Num in Concilio Nicæno fuerit Apostolus aut Propheta.* Respondeo, nullum aut Apostolum aut Prophetam fuisse in eo Concilio; sed viros Apostolicos, sanctissimos, celeberrimos, vno verbo, florem Christianæ Reipublicæ, vt testatur cósona voce vniuersa antiquitas: Nec est, quod ambigat Hunnius, num prolata sint patrum & superioris ætatis testimonia, ex quibus Patres Concilij Nicæni intellexerint, librum Iudith Canoni, publico decreto, accensendum esse: neque enim præstantissimi illi Patres, Spiritu sancto pleni, quidquam temerè &

absque

absque accurata disquisitione & inuestigatione egisse censendi sunt; quibus, etiam absque testimonio, aliquid affirmātibus aut definientibus, ego longè promptius & libentius fidem haberem, quàm Lutheranis thrasonibus, scripturas perpetuò iactantibus, nec tamen verum scripturæ sensum assequentibus; qui hac peruersa scripturæ sacræ citatione, *velut Tenedia bipenni omnem nodum secare tentant.*

Subiungit Prædicans: *Non dicit Hieronymus Concilij Nicæni Patres in Canonem adscripsisse librum Iudith, sed in numero sanctarum scripturarum: quod latius patet. Potest enim scriptura aliqua dici sancta propter argumentum, & quod iudicatur lectione dignum coram Ecclesia, quantumuis ei sublimis illa dignitas Canonicæ fidei non attribuatur.*

B Quid non molitur improbitas, ne veritatis luce collustretur? Idem responsum dabo Hunnio, quod nuper in libro contra Mæuium, dedi Hunniano discipulo. Si S. Hieronymus dixisset; Nicænam synodum librum Iudith non computasse in numero *sanctarum scripturarum*; vox *sanctarum*, nihil aliud apud Prædicantes significaret, quàm *scripturas Canonicas*. nunc autem cùm dicit S. Hieronymus, librum Iudith à Nicæna synodo in numero sanctarum scripturarum computatum esse; vox *sanctarum*, aliud significat, quàm Canonicum: quasi verò vocabula in affirmatiua, & negatiua enunciatione posita, non vnam, eandemque notionem subiectam habeant. Idem enim significat vox *animal*, in hac propositione; Homo est animal: Quod in hac; homo non est animal. Deinde, S. Hieronymus sic vult à Nicæna synodo in numero sanctarum scripturarum librum Iudith computatum, quo pacto in numero sanctarum scripturarum non computatur ab Hebræis, & ab ipso etiam S. Hieronymo, antequam decretum Concilij Nicæni cognosceret. Sed ab Hebræis, & ab ipso S. Hieronymo ita non computabatur in numero sanctarum scripturarum, vt non computaretur in numero Canonicarum scripturarum; ergo à Nicæna synodo ita computatus est liber Iudith in numero sanctarum scripturarum, vt computaretur in numero Canonicarum scripturarum.

Accedit, quod ipsa germanica vox, & phrasis Mæuium, & similes cauillatores absterrere debebat, ne vanitatem hanc effunderent. Quæso te, Mæui, (nam Hunnio iam nō licet amplius) transfer mihi in germanicam linguam verba illa sancti Hieronymi: *Sed quia hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarū legitur computasse, &c.* Transfer, inquam, hæc verba in linguam germanicam: an non hæc isto, vel simili modo conuertere cogeris? Weil man aber liset / daß diß Buch das Nicenisch Concili in die zahl der H. Schrifften (vel singulari numero, der H. Schrifft) gezehlet hab / rc. Dic oro, quid significat Germanis, phrasis vniuerso etiam vulgo notissima, die H. Schrifft? an non idem quod Latinis, *sacra scriptura*? Quid significant Germani, quando aliquem vocant ein Doctor der H. Schrifft? nonne scripturam Canonicam designant?

A

Scripta Patrum, inquit Mæuius, *sancta sunt*, sed non Canonica. sancta sunt: quis neget? sed non ea notione, qua vox *sancta* seu *sacra* vsurpatur, cum sanctam, seu sacram scripturam nominamus. Hoc enim aliquid diuinius, & excellentius innuit, quod vno verbo *Canonicum* nominamus. Nomina, si audes, cum ad gregem tuum concionaris, libros S. Augustini, aut alterius Patris, die H. Schrifft: Tota concio occlamabit, te malè locutum: Nomine enim *sanctæ*, vel *sacræ* scripturæ, der H. Schrifft / absolutè, & simpliciter, nihil aliud designari, quàm scripturam Canonicam.

Obiicit Prædicans. *Etiamsi Bellarminus obtineret librum Iudith à Niceno Concilio in Canonem fuisse receptum; tamen vt de reliquis*, (Tobia, Sapientia, Ecclesiastico, Macchabæis) *idem statuatur, nulla consequentia Bellarminus obtinebit.* Imò verò obtinebit. Quia sicut Nicæna synodus librum Iudith in Canonem retulit; tametsi de eius auctoritate Canonica ab aliquibus aliquando dubitatum fuit; ita potuisset reliquos itidem libros Canoni annumerare, non obstante dubitatione superioris memoriæ. Sed quod Nicæna synodus non fecit, id præstitit Carthaginensis; & Romana sub Gelasio. Quanquam vnde compertum Hunnio, Nicænam synodum prædictos libros non æquè Canoni accensuisse ac librū Iudith? An quia hoc in veterum monumentis non legimus? Est quidem hoc aliquod argumentum; sed non euidēs: nam absque præfatione S. Hieronymi in Iudith fuisset, nesciremus hodie librum Iudith à Nicæna synodo in Canonem fuisse relatum. An idcirco non fuisset relatus, tametsi id hoc tempore nesciremus?

C

Ait Bellarminus. Si ideo posterior Ecclesia librum veteris testamenti non potest referre in Canonem, quia de eo aliquādo dubitatum fuit; sequitur posteriorem Ecclesiam nō potuisse pro Canonico recipere Epistolam S. Iacobi, Iudæ, secundam Petri, secundam & tertiam Ioannis & Apocalypsin; quia de his omnibus aliquando dubitatum fuit; & tamē Caluiniani omnes istos libros recipiunt tanquam Canonicos, & Lutherani Magdeburgenses admittunt Apocalypsim, tanquam verè canonicam; imò ipse etiam Hunnius infrà cap. 19. & Lutherus præfatione in Apocalypsin posteriorum editionum: nam initio sui Euangelismi longè aliter de Apocalypsi senserat; vt docet Bellarminus infrà cap. 19.

D

Quid ad hoc argumentum Prædicans? *Huius rei rationem reddere nos non tenemur, sed Caluiniani.* Imò & vos; quia Apocalypsin admittitis, tanquā verè canonicam: & tamen de illa aliquando dubitatum est: si igitur non obstante priore dubitatione Apocalypsin recipitis; sequitur, nil valere hoc vestrum argumentum. *Dubitatum est aliquando de hoc vel illo libro; ergo posterior Ecclesia non potest*

Digitized by Google

test hanc dubitationem decidere, libro dubio in Canonem recepto.

Ait Hunnius; *se & suos penè Canonicis scriptis parem auctoritatem tribuere Epistolæ ad Hebræos, posteriori Petri, Ioannis secundæ & tertiæ, & Apocalypsi.* Dicat ergo nobis Hunnius. I. Quantum adhuc auctoritatis desit ad hoc, vt sit non modò *penè*, sed & *planè* par horum librorum auctoritas scriptis Canonicis. II. Quid tandem commeruerit Epistola sancti Iacobi & altera Iudæ, quod non numerantur in illis, quarum auctoritas penè par scriptis Canonicis.

III. An non Hunnius sibi contradicat; cum hic ait; *auctoritatem Apocalypseos penè esse parem scriptis Canonicis; Infra autem cap. 19. æquat auctoritatem Apocalypseos cum scriptis Canonicis.* Sed vt paucis me expediam: Aut epistolę & libri, de quibus hic Hunnius, sunt fallibiles, aut infallibiles; si primum; nō ergo sunt Canonici; nihil enim Canonicum, fallibile est, quandoquidem quidquid est Canonicum, diuina reuelatione & assertione immediate nititur; quæ nec falli, nec fallere potest: si secundum: ergo non *penè*, sed *planè* parem auctoritatem cum cæteris scriptis Canonicis habent: quia quidquid Canonicum est; id æquè diuina reuelatione & assertione nititur; & quod hinc est consequens, æquè est infallibile; & æqualis auctoritatis.

Dicit Bellarminus: vt sequens Ecclesia decernat librum aliquem esse Canonicum, sufficere, si habeat aliqua testimonia hominum fide dignorum illius temporis, vel certè proximi. Obiicit Hunnius: *Si hoc verum esset, tum multò magis Ecclesia primitiua potuisset tale quidpiam de libro Tobiæ, Macchabæorum, &c. decernere, propter* ALIQVA *saltem testimonia. Atqui Ecclesia primitiua hoc non fuit ausa, præsertim, quia videbat, ea quorundam Patrum testimonia non oculari niti demonstratione authenticorum, sed coniecturis, aut proprio iudicio, sine ratione euidente.*

Mentitur Hunnius: quia si per Ecclesiam primitiuam intelligat illam, in qua & cum qua viuebant Apostoli & discipuli Christi; negamus librum Tobiæ, Macchabæorū & similes non fuisse in Canone. Omnino enim hos libros ex institutione Christi reposuerunt Apostoli, atque adeo primitiua illa Ecclesia, in Canone: quod, vt loqui solemus, *à posteriore*, & ex euentu discimus: Nunq̄ enim posterior Ecclesia reciperet librum aliquē in Canonem, si non prius à Christo & Apostolis in Canone collocatus fuisset: nam, vt rectè etiam Bellarminus monet; Ecclesia nullo modo potest facere librum Canonicum de non Canonico; vel contrà: sed tantum declarat quis sit habendus Canonicus. Si autem Hunnius per primitiuam Ecclesiam intelligat illam, quæ sæculum nostrū antecessit; tū iterū mendacio sese obstringit: Hæc enim Ecclesia veterū testificationē secuta, libros istos in Canonē retulit, & referendos esse declarauit; vt patet ex Concilio Carthaginensi, Romano, & ex communi Ecclesiæ sensu ac consensu.

Instat Prædicans. *Sequeretur insuper ex argumento Bellarmini, Ecclesiam habere potestatem in Canonem adsciscēdi etiam Pastorem, qui Hermeti inscribitur. Quare? quia habet* ALIQVA *testimonia, & quidem hominū probatissimorum; vt Origenis, Tertulliani, Irenæi, &c.*

Respondeo, quid Ecclesia aliquando factura sit, equidē nescio, quia non sum futurorum conscius. Duorū certus mihi videor. Primū est: si Ecclesia Catholica librū hunc in Canonē aliquando referat, verè pro Canonico accipiendū & venerandum esse; & iam quoq; Canonicū esse; licet non cognitum; eò quod Ecclesiæ declaratio non accesserit. Secundum est; librum hunc nunq̄ in Canonem ab Ecclesia relatū iri: quia licet habeat quædam veterum testimonia; quæ Prædicans citat; at non, ex propria lectione; (quid enim veterum auctorū euoluit iste Prædicans?) sed ex Bellarmino, capite postremo huius libri: longè tamen plurium testimonia librū hunc repudiant; & disertè à Gelasio summo Pontifice, totaq; Romana synodo excluditur liber Pastoris à Canone. Et auctoritas eius progressione tēporis semper magis atque magis elanguit; cum contrà eueniat in libris verè Canonicis; eorum enim auctoritas, licet aliquando dubia esset; indies tamen magis creuit & inualuit; ex communi sensu & quasi gustu populi Christiani; vt rectè etiam notat Bellarminus. Quod indicium cum non appareat in *Hermete*; non est, quod Prædicans existimet, eum aliquando in Canone repositum iri: vt taceam non elucere in illo conformitatem illam cum aliis libris Canonicis; quæ etiam attendi & diligenter obseruari solet à Synodis, quando librum quempiam Canone donant.

Quid amplius Prædicans? *Sequeretur librum Enochi esse Canonicum; quia habet testimonium ab Apostolo Iuda.* Sed Hunnius ostendere debebat. I. Iudam Apostolum citasse illam Prophetiam ex libro aliquo Enochi; non ex traditione; aut diuina reuelatione sibi facta; eo modo, quo sanctus Paulus citauit illud dictum Christi Actor. 20. *Beatius est magis dare, quàm accipere*; & nomina Magorum *Iannes & Mambres*, 2. Timoth. 3. qui Moysi restiterūt. Secundò, ostendere debebat Hunnius: Si Iudas Apostolus Prophetiam Enoch ex libro quopiam citauit; librum illum Canonicum censeri debere; ideò præcise; quia Iudas sententiam aliquam inde citauit. Quibus argumentis nobis hoc persuadebit Hunnius? Quis nescit, in libro etiam non Canonico, Canonicas sententias exstare, & inde allegari posse? An propterea Hunnij aut Kemnitij examen Canonicum foret; licet aliquis Apostolus Canonicam Isaiæ aut Hieremiæ sententiam inde citaret? Et fortè liber ille totus, ex quo Prophetia ista desumpta est, (si ex libro desumpta est) fuit diuinitus inspiratus & Canonicus: Et si exstaret, forsan ab Ecclesia cum cæteris antiqui testamenti libris in Canonem receptus fuisset; etiam propter testimonium, quod habet à Iuda Apostolo.

Mendacium Kemnitij, quod Ecclesia de libris non Canonicis, in actu scilicet primo, faciat Canonicos, strenuè tuetur Hunnius; sed mentiẽdo & conuiciando; neq; enim aliter mendacium defendi potest, Bellarminum ridet, exsibilandus ipse; quod ait: Ecclesiam in iudicio de Canonicis libris ferendo considerare etiam communem *sensum & quasi gustum populi Christiani: Quid non hoc ficulneo argumentandi genere confici tandem & obtineri poterit?* clamat Prædicans. Ceterum argumentationem ex cõmuni sensu populi Christiani ductam, nemo vocat *ficulneam*; nisi qui cõmuni sensu destitutus est; certè consensionẽ populi Christiani pro adeo firmo retinaculo duxit S. Augustinus, vt inter cætera media, quibus in Ecclesia retinebatur, consensionem, hoc est, communem B sensum populi Christiani numerauerit.

Quod pauci quidam etiam ex Catholicis Epistolæ S. Iacobi paulò ante Tridentinum Concilium contradixerũt, quid refert? An propterea communis populi Christiani sensus hanc Epistolam pro Canonica non habet? Mel esse dulce; fel amarum, communis sensus est. An ideo communis sensus non erit, quia præposteris nonnullis mel videtur amarum, & fel dulce?

Negat librum Tobiæ, & alios, *vllam similitudinem & conformitatem cum ceteris Canonicis scriptis habere.* Sed negat tantùm verbosus præco, non probat autem. Quod S. Hieronymus dicit, Episto- C lam S. Iacobi paulatim tempore procedente meruisse auctoritatem; id ait Hunnius *accipiendum non de suprema & Canonica auctoritate, sed de nescio qua alia*; mihi & S. Hieronymo ignota: Canonicum enim apud S. Hieronymum vnius est modi & generis; teste Prologo Galeato; absque gradibus imi, medij, superi. Quidquid enim fallibile & incertum est; id Canonicum esse tàm est impossibile, quàm Spiritum sanctum falli & fallere.

Loquacissimè probare nititur, quod probatione nulla eget; S. Hieronymum suas lucubrationes, & in his etiam Galeatum Prologum, scripsisse & publicasse post Concilium Nicænum. Quis abnuit, ô Prædicans? Fatemur vltrò; vt & D hoc, S. Hieronymum, post Nicænam synodum, extra Canonem librum Iudith collocasse. Non sequitur tamen, synodum Nicænam librum Iudith non collocasse in Canone, aut S. Hieronymum auctoritatem synodi Nicænæ vilipendisse: sed Hieronymo definitionem istam non fuisse statim perspectam; quod non mirum, in tanta raritate exemplarium, in quibus Canones & Acta Nicænæ synodi continebantur; quantam statim post absolutam Nicænam synodum exstitisse ex historiis certum est. Quocirca impudentissimum mendacium est, quod Prædicans ait *Bellarminum eò tendere, vt imperito historiarum lectori persuadeat, Prologum Galeatum à S. Hieronymo scriptum* A *esse ante Concilium Nicænum*; Nil simile in Bellarmino apparet. Testes, verba eius, quæ legantur, & fumus *Prædicanticus* dissipabitur: nam tempore Concilij Nicæni necdum natus fuit S. Hieronymus. Iterum mentitur Prædicans, cum ait; *S. Hieronymum librum Iudith constanter pro apocrypho habuisse: Nicenaque synodi auctoritate permotum, dignum indicasse illum librum, in quem translationis impenderetur labor.* Impudens commentum: ipse enim disertè dicit, se eum librum transtulisse, quia *legitur à Nicæna synodo in numero sanctarum scripturarum computatus*: hoc est; quia Canoni à Concilio Nicæno annumeratus est, & declaratus Canonicus; & eo modo declaratus Canonicus, quo modo apud Hebræos non censebatur Canonicus: quando- B quidem vt ipse ibi ait; apud Hebræos inter hagiographa legebatur; *cuius auctoritas ad roboranda ea, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicabatur.*

En firmius argumentum. *S. Athanasius interfuit Concilio Nicæno, & tamen in synopsi reiicit librum Iudith à Canone; minimè id facturus, si liber Iudith in Nicæna synodo Canoni adscriptus fuisset.* Respondeo; Prædicantem argumento suo aliquid probabilitatis conciliaturum, si duo demonstret; primum; sanctum Athanasium esse auctorem libelli, qui *synopsis sacræ scripturæ* inscribitur: de hoc enim multi viri docti, non immeritò dubitant. Secundum, si S. Athanasius huius synopseos auctor est; scriptam esse post Nicænam synodum, non ante. C Hæc duo cum Prædicans euidenter demonstrauerit, tum non parum verisimilitudinis obiectioni suæ conciliauerit. Interea tamen vngues sæpius, opinor, rodet, & caput scabet.

Obiicit præterea Prædicans; *Nazianzenũ; Epiphanium, & Damascenum, post Nicænam synodum librũ Iudith à Canone reiecisse.* At Nazianzenus omittit etiam Estherem. Qua de caussa Hunni? Deinde Epiphanius in libello *de mensuris & põderibus*, eumque secutus Damascenus, Canonem Hebræum, non Christianum enumerant. Nil insuetum igitur, si præteritus est liber Iudith. Ad extremum Nicænæ synodi sanctionem Patres istos latuisse; D quis dubitet affirmare, si Christiani Canonis libros percensere volentes, librum Iudith omiserunt: non omissuri vtique, si tanti Concilij, quod ipsi maximi faciebant; constitutionem exploratam habuissent.

Vrget Hunnius Concilium Laodicenum, *multò* pòst synodum Nicænam, habitum. At vnde probat Prædicans Laodicenam synodum celebratam post Nicænam, & quidem multò pòst? Quem huius suæ assertionis profert auctorem, & approbatorem? Nullum, opinor, præter se, & suos; qui nobis non tanti, vt absque probatione fidem inueniant.

Ad argumentum istud Hæreticorum. *Ecclesia eos libros recipit, quos sanctus Hieronymus recipit: eos reprobat, quos ille reprobat; vt patet d. 15. Can. sancta Romana:*

Digitized by Google

mana: Sanctus Hieronymus in Prologo Galeato, & in Prologo Prouerbiorum asserit; libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiasticum & Macchabæorum non esse Canonicos: ergo, &c. Respondet Bellarminus; decretum Gelasij intelligi de libris Doctorum, vt Origenis, Ruffini & similium, non de libris sacris, vt ex ipso Canone manifestè deducitur, inquit Bellarminus; & rectè; quia in integro decreto Gelasij, quod exstat in Tomis Conciliorum, omnes illi libri Canoni accensentur, quos Concilium Tridentinum Canoni annumerat; vt iam alibi contra inscitiam Hunnianam & Mæuianam notauimus: quem sacrorum voluminum Catalogum Gratianus, breuitatis caussa, præteriit; contentus insinuasse scripturas, quas sancta Romana Ecclesia *regulariter suscipit*: quasque Gelasius suo in decreto, quod Gratianus exscripsit, sigillatim percenset. Quomodo igitur fieri potest; vt postea in illo ipso decreto, Gelasius approbarit sententiam S. Hieronymi de numero librorum Canonicorum? Nugas Prædicantis circa istud Gelasij decretum & Bellarmini responsum iam suprà fusè confutauimus. Itaque hic verbis compendium faciendum est; & ad Iunium transeundum.

Refutatio Iunij.

AIt Bellarminus: à Caluino librum Sapientiæ non modò non recipi, sed & mendacij argui. Lib. 1. Instit. cap. 11. §. 8. Iunius dicit, *hoc esse falsum: à Caluino reprehendi interpretationem loci illius ex Sapientiæ cap. 14. de Origine Idolorum; non auctorem libri.* Proferamus ergo Caluini verba, vt appareat, num Bellarminus Caluino falsum imponat; an verò Iunius mentiatur. *De idolorum origine, publico ferè consensu receptum est, quod in libro Sapientiæ habetur: primos scilicet extitisse eorum autores, qui hunc honorem detulerunt mortuis, vt ipsorum memoriam superstitione colerent. Et sanè fateor peruersum hunc morem fuisse vetustissimum: nec facem fuisse nego, qua accensus hominum ad idololatriam furor magis exarsit: non tamen concedo hunc fuisse primum mali fontem. Idola enim iam fuisse prius in vsu, quàm ista in consecrandis mortuorum imaginibus ambitio inualuisset (cuius apud profanos scriptores crebra fit mentio) constat ex Mose: quum Rachelem narrat furatam esse patris sui idola, non secus ac de communi vitio loquitur.*

Ecce Iuni: Liber Sapientiæ dicit, primos auctores idolorũ fuisse viuentium in mortuos affectum. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

Hoc quod auctor libri Sapientiæ asserit; dicit Caluinus *esse falsum; longè enim vetustiorem esse Idolorum originem, quàm Auctor iste affirmet.* An non est hoc auctorem libri Sapientiæ falsitatis & mendacij arguere? Neque enim reprehendit Caluinus alios; quasi librum Sapientiæ malè intelligant; indeque perperam de origine Idolorum statuant; sed reprehendit ipsam libri Sapientiæ assertionem; licet fateatur eam publico ferè consensu receptam esse. Et cur non reciperetur publico consensu, cum sit assertio libri Canonici?

Ait Bellarminus: Iam, postquam Concilia generalia omnem dubitationẽ de numero Canonicorum voluminum sustulerunt, nos æquè certos esse de auctoritate omnium librorũ, nec vnum alteri præponi debere: Quid Iunius? *Negatur hæc tota solutio. Nam primum illud est, Augustinum non fuisse certum, an essent libri Canonici, qui & quomodo essent.* Atqui, nusquam dicit Bellarminus sanctum Augustinum non fuisse certum, qui nam essent libri Canonici; certus enim fuit, vt patet ex Concilio Carthaginensi, cui subscripsit, & ex libro secundo de doctrina Christiana; sed non fuisse æquè certum de omnibus: Hoc asserit Bellarminus. Itaque non Bellarmini assertum, sed suum figmentum falsitatis hic arguit Iunius.

Secundo falsum est, inquit Iunius, *rem non fuisse adhuc definitam ab eo, cuius omnino res diuinas est definiendi auctoritas.* Neque hic falsitatis Bellarminum arguis, sed te ipsum: nam Bellarminus dicit, quãdo S. Augustinus non erat æquè certus de omnibus libris Canonicis, nullo adhuc generali Concilo aliquid de numero Canonicorum librorũ definitum fuisse. Si hoc Bellarmini dictum à vero abit, profer Concilium generale; non enim alio modo, quam prolatione talis testimonij, Bellarminum falsitatis conuinces.

Obiicit Iunius; *iam ab alio tum definitum fuisse de certo Canonicorum librorum numero.* At quis ille alius? Video, quo tendat. Ad spiritus scilicet interni testificationem, & ad enthusiasmos Caluinisticos. Nos his definitoribus & iudicibus iam pridem multam salutem diximus; quos nec agnouit S. Augustinus, nec vllus orthodoxus.

Tertio falsum est, inquit Iunius, *rem illam, vt definiretur, vnquam à generali Concilio pependisse, aut generale Concilium pro auctoritate vnquam definiuisse, vt rebus diuinis huiusmodi auctoritatem inderet.* Nemo dicit, synodum generalem libris indere diuinam auctoritatem: Quid calumniaris Iuni? nam vt sæpe iam professi sumus; Ecclesia non facit libros Canonicos, in actu quasi primo, sed factos à Spiritu sancto, declarat esse Canonicos, hoc est, diuina auctoritate præditos. quod aliqui vocant; facere Canonicos, quasi in actu secundo ratione cognitionis nostræ. Quod negat declarationem librorum Canonicorum depẽdere, aut vnquam dependisse à definitione generalis Concilij; id se in quarto controuersia probaturum promittit. Expectemus ergo patienter, donec disputationis cursus nos eò detulerit. Parturiat interim montes. Quid nascetur, *nisi ridiculus mus?*

Quartò fallit Bellarminus indignè, inquit Iunius; *cùm ea, quæ de Canone testamenti noui dicuntur ab Au-*

gustino, Canoni veteris accommodat, contra iustas scientiæ leges à parte vna, ad alteram, conficiens argumentationem. Ac primum quidem illud adeò certum est, & Augustini scriptis vbiq; contestatum, vt quisquis contrà affirmare audet, indignissimā sancto illi viro faciat iniuriam.

Ego, vt verum fatear, seriò dubitare incipio, num Iunius ista sobrius vel vigilans scripserit. Quid clarius, quidque euidentius, quam S. Augustinum lib. 2. de doctr. Christiana cap. 8. agere de omnibus libris Canonicis tam veteris quàm noui testamenti. An non sunt hæc eius verba? *Totus Canon scripturarum his libris continetur: Quinque Moyseos, id est, Genesi, Exodo, &c.* An non immediatè huic sacrorum librorum catalogo præmisit hæc verba? *In Canonicis autem scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium autoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresq; accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque autoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc inuenire non possit, æqualis tamen autoritatis eas habendas puto.* Hæc S. Augustinus: quibus statim subiicit ista. *Totus autem Canon scripturarum, &c.*

Manifestissimum igitur est, S. Augustinum præcedentia verba protulisse de omnibus libris Canonicis; & ad omnes itidem retulisse, quidquid contra apertam Augustini sententiam Iunius deliret: qui ait; *hæc verba Augustini à Gratiano fuisse corrupta d. 19. C. In Canonicis:* sed iniuriam facit Gratiano: qui iure & lege parodiæ, vt sic appellem, mutatis nonnullis, verba S. Augustini, non ad Canonicos diuinosque libros, sed ad Pontificum Decretales epistolas eo in loco retulit.

Dicit Iunius, *Verborum S. Augustini optimum interpretem esse Tertullianum, lib. de præscript. cap. 36. cum ait: Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur; apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proximè est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.*

Hæc certa verborum Augustini interpretatio, inquit Iunius. *Quæ verba de libris veteris testamenti accipere foret ridiculum.* Ridiculè omnia: quia Tertullianus eo loco non agit de Canone, & numero diuinorum librorum; sed de traditione Ecclesiastica, qua omnibus hæreticis præscribendum; & omnia noua malè feriatorum hominum placita iu-

A gulanda esse docet; si quis Nouator, inquit, exoritur, nouam & antehac apud Christianos inauditam doctrinam adferens, & tanquam ab Apostolis profectam iactitans; consule Ecclesias tibi vicinas; præsertim illas, quæ litteris Apostolicis honestatæ sunt; inter quas & Romana, *statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apostolus Ioannes, postea quàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Aphricanis quoq; Ecclesiis contesserarit. Vnum Deum nouit creatorē vniuersitatis, & Christum Iesum ex virgine Maria filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem: Legem, & Prophetas cum Euangelicis, & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem eam: aqua*

B *signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyria exhortatur, & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio, non dico iam quæ futuras hæreses prænunciabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt aduersus illam.*

Hic Tertulliani sensus est; non is, quem fingit Iunius, qui Augustinum per Tertullianū ineptissimè interpretari nititur. Quanquam non nego, consilium Tertulliani sequendum quoq; esse in hoc ipso argumento, quod iam est præ manibus.

Exstiterūt hoc tempore sectarij, qui integros libros ex Canone reciderunt. Num audiendi aut tolerandi sunt? Nequaquam. Adire oportet Apostolicas Ecclesias, præsertim Romanam, vt intelligamus, quid de Canone diuinorum volumi-

C num *dixerit,* quid *docuerit,* quid cum aliis Ecclesiis toto terrarum orbe sparsis *contesserarit.* Hoc, inquā, Tertulliani consilium sequi debemus: quoties liber aliquis Canonicus in dubium vocatur, siue testamenti veteris siue noui; longeque prudentius agemus, quàm Iunius, qui Augustini verba ridiculè per verba Tertulliani explanare nititur; & hæc ipsa etiā prorsus ridiculè & inscitè ad veteris testamenti libros referri posse abnuit.

Dico, inquit Iunius, *solum Dei esse auctoritatem definiendi res diuinas, & verbum ipsius: dico eum iam olim definiuisse verbum, & scripturam suam, non lacinias Conciliorum exspectasse: dico id eum fecisse per se, & per testes omni exceptione maiores Ecclesiæ suæ tradidisse, & testatum esse.*

D Multa dicis, Iuni; sed pauca probas. *De his tribus videamus* ais. Videamus ergò. *Primum certè negare quisquam non potest, quin eadem opera naturam communem, & naturam Dei negauerit. Nam ex natura communi, quisquis liber est, ipse definit verbum suum, indicem & sensus, & voluntatis suæ. Quid autem liberius natura Dei principatum sensus, voluntatis, verbi deniq; sui supra modum rerum creatarum omnium obtinentis? Quod Ethnici naturæ luce viderunt ad naturam diuinam pertinere, qua fronte Christianus id eripiat Deo?*

Superfluè & inaniter omnia ista. Quis enim Deo libertatem eripit? An propterea liberrimo suo arbitrio exuitur, si quis asserat, oportere alium iudicem seu definitorem statui; qui nobis certò & infallibiliter definiat, hoc vel illud esse

Digitized by Google

Dei verbum; hunc vel illum librum Dei verbum complecti? Quid hæc assertio diuinæ libertati detrahit? Definiuit quidem Deus dicendo & proferendo suum verbum; quia latius non patet quàm à Deo definitū est: definiuit, inquam, suum verbum; eo fermè modo, quo qui loquitur, verbum suum definit. Hoc ipso enim, quòd non plus loquitur, quàm loquitur; definit suum verbum; testaturque verbum illud esse suum. Sed præter hanc definitionem alia est necessaria, quę nos de prima illa definitione, cum ipsa verbi effectione coniuncta, certos faciat. Nos enim non interfuimus, quando verbum Dei prolatum, atque adeo constitutum & definitum est: si igitur iam exsistat quispiam, qui inficietur hoc vel illud esse verbum Dei; hunc vel illum librum ad Canonem pertinere; omnino alia definitione opus est; qua lis exorta componatur. Quam vnde petemus; nisi ab Ecclesia, aut ab Ecclesiæ summo pastore, Christi vicario? cui dictum; *Tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Et hæc ipsa definiendi decernendique potestas, aliunde non proficiscitur, quàm à primo illo verbi diuini conditore ac definitore.

Secundum, inquit Iunius, *disertis verbis negat Bellarminus, dicens rem tum nondum fuisse à generali Concilio definitam.* Rectè ac verè hoc Bellarminus; aut ostende tu definitionem œcumenicæ synodi de Canone diuinorum librorum; quę sancti Augustini ætate exstiterit; & Bellarminus tibi porriget herbam.

Imò verò, Bellarmine, inquit Iunius, *neque tunc, neque nunc à generali Concilio fuit definita, neque ab eo definietur vnquam, vt sit Canonica.* Non dicit Bellarminus definiri à Concilio scripturam, vt sit Canonica; sed vt habeatur, colatur, & suscipiatur pro Canonica. Vno verbo; Ecclesia ex vera Bellarmini sententia, non facit scripturam Canonicam; sed declarat esse Canonicam. Sicut qui Doctorem alibi creatum, declarat & definit esse doctorem; non facit aut creat de nouo doctorem; sed alibi factum creatumque declarat & definit esse doctorem.

Non definiuit, inquit Iunius, *scripturam Concilium vllum Ecclesiæ, sed definitam à Deo accepit, & acceptam à Deo veneratur ac colit.* Ludit Caluinista perpetua vocis ambiguitate. Non definiuit Ecclesia scripturam declarando hanc vel illam esse Canonicam: negatur. Contrarium testantur Ecclesiæ sanctiones de certo & definito Canonicorum librorum numero. Non definiuit Ecclesia scripturam condendo & constituendo; conceditur; sicuti iam non semel concessum est: Sic enim auctor scripturæ definit scripturam, & certis finibus circumscribit; vt quidquid intra illos fines continetur, diuina scriptura sit: Quidquid extra; id diuina scriptura non sit. Sed nos hanc verbi diuini definitionem, & vt sic loquar, circumscriptionem non scimus absque Ecclesiæ declaratione & definitione.

A Pergit Iunius: *Definiuit Deus solus in testamento vetere, & nouo per se, & testatus est, tradiditque per seruos suos. Nam in testamento vetere duo distincta fuerunt tempora, quibus Scripturam suam tradidit Ecclesiæ Deus: vnū stāte arca testimonij, & sacerdotio instructo per Vrim, & Thummim; alterum, sublata arca, & illo responsorum modo, qui inde à Mosis ætate fuerat obseruatus. Planè in illo vtroq; seculo auctoritatem Deus indidit scripturæ suæ, non per Ecclesiam, sed per se in Ecclesia sua. Nam priore seculo Deus præsens re, & symbolis locutus est; scripsit, scripturamque suam verbo, signis, operibus, euentis contestatus est, obsignans auctoritatem illius ex arca, per fumum, per Vrim, & Thummim, &c. Posteriore verò, quum instrumenta illa symbolica, eorumq; significationes fuerunt sublata, aliis omnibus modis constanter auctoritatem impressit scriptura sua, &c.*

B Verba audio, quæ dubites, num ipse auctor intellexerit: cumque nihil prorsus ad rem faciāt, adeo nihilominus confidenter garrit; quasi meras & lucidissimas demonstrationes loquatur. Quis negat Deum sacros libros per seruos suos condidisse; eisque auctoritatem diuinam contulisse? Quis negat, Deum multis miraculis, signis ac portentis verbo suo testimonium perhibuisse? Quis, qui rem intelligat, docet aut docuit; Ecclesiam definitione sua auctoritatem Canonicam Canonicis libris indere? Non indit, sed à Deo inditam declarat & promulgat.

C Quamuis autem hæc ita sese habeant; tamen Deum per seruos suos hunc vel illum Canonicū librum condidisse; & quidem tot numero, non plures, & talia quoque mira patrasse, qualia in libris Canonicis referuntur; aliunde non scimus, nisi ex Ecclesiæ definitione ac traditione. Multa tentarunt & cōmenti sunt sectarij; sed hic semper hærent & hæsitant, neque vnquam in omnē sempiternitatem sese inde expedient. Vnde enim sciunt, omnes illos libros, quos Canonicos ipsi vocant, simul & collectiuè sumptos, esse Canonicos? In qua scriptura hoc scriptum est? Ad hoc igitur, scitu tam necessarium, necessaria nobis est illa Ecclesiæ definitio, de qua Bellarminus hoc loco loquitur.

D *Quid de nouo testamento dicam?* inquit Iunius. Eadem, opinor, dices, vana, inania, & quæ ne ipse quidem intelligas. Lubet tamen, quamuis vix cassa nuce digna dicenti, operam dare. *Deus vltimis hisce diebus locutus est nobis in filio. Hebr. 1.* Potuisses eadem peritia & solertia incipere ab illis verbis Geneseos, altius repetito principio: *In principio creauit Deus cælum & terrā.* Quia perinde est, quamcunq; scripturam proferas, dummodo aliquam proferas; quia ex quauis id, quod instituerunt, sectarij concludere norunt. *Locutus est ergo Deus nobis his vltimis diebus in filio. Qua auctoritate, nisi sua, & supra Ecclesiam, vt Deus & seruator ipsius?* (Num hoc vnquam negauit Bellarminus, aliusue scriptor Catholicus?) *scripsit ipse non quidem per suam, sed per sanctorum Apostolorū & Euangelistarum manū* (Quàm

recondita nobis promit Iunius mysteria? Quis ista sciuisset, quis intellexisset, si Iunius hæc intra pectoris sui latebras continuisset?) *Ipsa verba menti, ipse ductus manui præiens, & in vtrisque imprimens faciem maiestatis suæ.* neque hæc sciuimus, nisi nunc demùm reuelante Iunio. Interim nunquam explicat Bellarmino, vnde nam nobis exploratum sit; Deum in hoc vel illo libro, qui Canonicus appellatur, verba menti suppeditasse; ipsum, manum scribentis duxisse; ipsumque, faciem maiestatis suæ impressisse. Quæso, dicat tandem Iunius, absque vllis ambagibus, vnde hæc nobis certò sint comperta? Nihil aliud, quocunque se vertat, inueniet, quàm Ecclesiæ traditionem & definitionem. Imo palam dico; licet in Euangelio sancti Matthæi v. g. scriptum esset; *Deum menti Euangelistæ verba; & ductus manui præiuisse, & in vtrisque maiestatis suæ faciem impressisse*; hoc tamen verum esse, nequaquam nobis constaret, nisi per infallibilem definitionem Ecclesiæ, docentis nos hanc testificationem verè à Deo profectam esse.

Expediam argumentatione vna, inquit Iunius. Fac, quæso, promissa. Breuiter te expedi. Nam inani tua prolixitate me das in lassitudinem. *Quisquis est absolutè princeps, rescriptis suis solus absolutè indit principalem auctoritatem suam. Deus, Christus est absolutè princeps, ergo rescriptis solus absolutè auctoritatem suam indit.* Quis hæc negat, Iuni? Quem tangis? Quem hisce feris? Solus Deus scripturæ suæ auctoritatem Canonicam indit; non Ecclesia: attamen, vt ab hominibus hæc indita à Deo sacræ scripturæ auctoritas cognoscatur, id verò facit declaratione sua & definitione Ecclesia.

Quare vana sunt, & sine mente hæc tua sequentia: *Quid enim? A quo peteret extra se? à suis, an ab exteris? A suis ne? at sunt ipsius. An ab exteris? at contra ius est, ab exteris petitum, qui sunt Deo exteri? &c.*

Meros logos audio, vel potius fumos video, oculis imperitorum obfuscandis obiectos. Deus auctoritatem scripturas Canonicas constituendi à se solo petit; quia ipse supremus est. Auctoritatem tamen declarandi, quæ sit scriptura Canonica; non quidem petit ab Ecclesia, sed Ecclesiæ suæ sponte volensque largitus est; Conditis enim scripturis Canonicis, iamque constitutis, nusquam professus est, si controuersia nascatur, de his vel illis libris Canonicis, se eam suffragio suo definiturum ac decisurum; sed totam definitionem litisque decisionem commisit Ecclesiæ; quæ delato sibi munere fungitur, quoties id necessitas exigit.

Pergit Iunius. *Alteram, si placet, argumentationem addamus.* Placeret, si melior esset, quàm prima. *Quod simpliciter est, atque vniuocè, dignius est, ac valentius eo, quod est tantùm secundùm quid, atque æquiuocè: Deus est princeps, & auctoritas eius principalis simpliciter, atque vniuocè: dignior igitur, & valentior Deus, auctoritasque ipsius. Imò verò infiniti, infinita est auctoritas.*

A *Quid infinitæ illi auctoritati finita hominum, & Ecclesiæ auctoritatis vmbra adiecerit? Quæ ex re id omninò sequitur, quod rectè affirmat glossa distinct. 19. cap. in Canonicis: omnes scripturas Canonicas æqualiter esse recipiendas. Nam quorum infinita est auctoritas, eis gradus inæqualitatis non possunt competere.*

Nihil video, quo vel leuiter Bellarminum percutias. Nemo hæc inficiatur; præter eos, qui aut nihil aut parum intelligunt, quales Lutherani, & Caluiniani quoque, qui faciunt quosdam libros ratione infallibilitatis πρώτως καὶ κατ' ἐξοχὴν Canonicos; alios tantum δευτέρως & minus principaliter, vt suprà audiuimus ex Hunnio.

Progredere iam Iuni: *Huius auctoritatis præbita*
B *Ecclesiæ fuit à Domino testificatio duplex: vna interna, per eundem spiritum, per quem dictata fuit scriptura sacra.* Exspecta Iuni. Hanc internam *dictationem* & testificationem non admittimus; quia enthusiasmus est; & nescio quid Anabaptisticum & Svvenckfeldianum sapit; tegumentum omnis erroris & pertinaciæ; fons & origo tam discrepantium de numero Canonicorum librorum opinationum. Aliis dictat Spiritus iste Epistolam sancti Iacobi esse *stramineam*; omnisque Apostolici Spiritus expertem: Aliis, eam esse Canonicam, at non πρώτως, hoc est, *principaliter*; sed δευτέρως, secundariò; hoc est, semicanonicam; aliis fermè esse Canonicam, & plus quam dimidiata ex parte. Quis huic spiritui tamdiuersa testanti fi-
C dem habeat? Progrediamur.

Altera testificatio externa est, per Prophetas, & Apostolos, velut instrumenta, & administros Dei, ex Ecclesia desumptos, & supra Ecclesiam institutos immediatè à Domino, vt persungerentur legatione ipsius. Nam, quemadmodum Princeps ordinariè in suos omnes auctoritatem habet; si quos verò de numero suorum eligit, quos mandatis instruit ad suos; illi, Principis sui auctoritatem in legatione repræsentant; in se ipsis verò singularia sunt communitatis membra, quæ, nihil per se nisi testimonium præstare possunt: sic etiam Dominus Iesus Christus, omnem auctoritatem in Ecclesiam obtinens, eaq; scripturam suam muniens, Apostolos suos, & Prophetas sua auctoritate instruxit, in legatione commissa ipsis supra corpus Ecclesiæ suæ, &c.

D Scimus, Iuni, Deum per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ de suo verbo testimonium perhibuisse. Sed vnde hoc ipsum nobis constat, nisi ex definitione & testificatione Ecclesiæ? Deus per Apostolos testatus est libros Moysis v. g. & quatuor Euangelistarum libros, qui hodie exstant, esse diuinos & canonicos. Hæc testificatio vnde nobis perspecta est? Certè ex nullo totius sacræ scripturæ loco. Vbi enim scriptū est, Deum per Apostolos hoc testatum esse de libris Moysis & Euangelistarum? Monstretur locus. Itaque Iunius perpetuò aërem verberat, & frustra verba profundit; dum id, quod in confesso est, probare perpetim contendit; id autem, quod in controuersia positum est, ne attingit quidem. Nam

Digitized by Google

vt Ecclesia testificatur de Canonica & diuina auctoritate huius vel illius libri, ita similiter testatur de testimonio diuinitus huic vel illi libro, cõcesso; vtrumque enim æquè nobis ignotum est; scilicet librum Canonicum esse; & testimonium diuinitus habere: Vtrumque ergo per testificationem Ecclesiæ nobis manifestari debet.

Necdum desinit Iunius ineptire. *Duplex illa testificatio ad membra singula Ecclesiæ pertinet: interna per spiritum, & externa per Prophetas & Apostolos in scripturis sacris per spiritum Dei & manum ipsorum exaratis.* Illa interna nihil ad rem: quia occulta est, incerta, varia, flexibilis, nec ex Spiritu sancto; sed ex priuati cuiusq; Nouatoris enthusiastico vel phãtastico impulsu & afflatu nata; nisi nitatur testificatione sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ, eiq; sensum, omneq; suum iudicium submittat; vt fit in priuata vniuscuiusque Catholici testificatione, quam, vt Catholicus, suo in pectore de Canonica auctoritate sacrorum librorum secundũ Catholicæ Ecclesiæ definitionem format.

Altera testificatio æquè ignota est ac ipsa scriptura. Nam vt supra dicebam; æquè mihi ignotum est Deum per Prophetas & Apostolos dedisse testimonium libris Mosaicis ac Euangelistarum, prout hodie exstant & teruntur, ac libros istos esse Canonicos & diuinos. Et quamuis alicubi in sacris litteris disertè exstaret, Deum huiusmodi testimonium libris Mosaicis & Euangelistarum perhibuisse; statim tamen suboriri posset quæstio, num testimonium illud diuinum ac Canonicum censeri deberet. Cui quæstioni; nemo præter Ecclesiam, perspicuè vnquam satisfaceret.

Mira vero sunt, quæ subdit Iunius; nec scio, an satis Caluiniana vel Lutherana. Audite Nouatores, quid Caluinista iste Papistis concedat. *Accedit insuper Ecclesiæ communis testificatio auctoritatẽ scripturæ nõ dantis, sed traditam contestantis. & fouentis in membris singulis ipsius.* Magnę gratiæ, Iuni, pro hoc responso. Fateris, quod symmystę tui vt ignoranter, ita peruicaciter negant; nimirum ex Ecclesiæ testificatione constare de Canonica librorum sacrorũ auctoritate; & ab hac testificatione, tanquam à fomento, priuata vniuscuiusque in pectore testimonia dependere. Vix quidquam melius & verius in vniuersis animaduersionibus tuis protulisti. Nimirum euidentia visq; ipsa veritatis hanc tibi confessionem extorsit.

Perge iam, sed eo, quo cœpisti pede. *Nec propterea tamen æqualis putanda est Ecclesiæ testificatio illi Prophetarum Apostolorumq; testificationi.* (sit inæqualis, non quoad infallibilitatem, sed quoad alias quasdam excellentiæ prærogatiuas, non moror) *tantum abest, vt superior appellari possit.* (Et quis superiorem constituit? Quis effert supra testificationem Dei per Prophetas & Apostolos?) *nam illa immediata est à Christo, & ab omni labe aliena atq; inculpata planè, & extra ordinem data ad principium generationemq; aut restitutionem Ecclesiæ:* (hactenus rectè)

A *hæc mediatè per Apostolos & Prophetas à Deo excitata, implexa infirmitate & inscientia, & ordinata ad constitutionem generatæ Ecclesiæ consouendam.* Equidem suspicabar Caluinistam hunc non diu recto pede incessurum. Negamus testificationem Ecclesiæ mediatè tantũ per Apostolos & Prophetas à Deo excitari: quia immediatè excitatur à Spiritu sancto in Ecclesia; suggerente Ecclesiæ, ex promisso Christi; quidquid ad ædificationem & consummationem corporis huius mystici necessarium est. Negamus testificationem istam vlli infirmitati, aut inscientię, aut errori obnoxiam esse; quia Ecclesia *est columna & firmamentum veritatis*: quomodo columna veritatis à veritate excidat? Et sicut Apostoli de doctrina Christi librisq; Canonicis B certò ac infallibiliter testati sunt; ita certò & infallibiliter de doctrina Christi librisque Canonicis testatur Ecclesia, quæ Apostolis in hac infallibili testificatione successit.

Negamus, inquit Iunius, *operationem Spiritus sancti æqualiter in Ecclesiæ agere administratione, ac in Apostolis egit: nam illi perfectè, & inculpatè egerunt, quod legationis est. id est, doctrina sacra: Ecclesiam verò non peræque agere spiritus operatione, si nobis affirmantibus, si veritati contestanti non credunt, saltem suis Conciliis, suo Decreto, suis Epistolis decretalibus credant: vbi, non diuersa solùm, sed & pugnantia multa reperias.* Nos verò pernegamus Apostolorum & Ecclesiæ testificationem non esse æqualem, si certitudinem & infallibilitatem spectemus. Audi Iuni; tam certa est & C infallibilis definitio Concilij Tridentini de libro Tobiæ v.g. quòd sit Canonicus; quàm si decretũ hoc ab ipso S. Petro, Apostolorum principe, in Concilio Tridentino scriptum & promulgatum fuisset.

Castigetur autem Iunij mendacium cum ait, *in Conciliis, Decreto & Decretalibus non modò diuersa, sed & pugnantia multa reperiri*; commentum Iunianum est; si loquitur, vt quidem loquitur, de fidei decretis. Proferat, obsecro, aliquod huius non tantum diuersitatis, sed & repugnantiæ exemplum.

Ad summam, inquit Iunius; *his bene expensis asseueramus falsum esse Bellarmini dictum, quia generalia Concilia rem definiuerint, eo nos æquè certos esse de auctoritate* D *librorum omnium.* Nihil reperi, quo dictum Bellarmini falsitatis redargueres; præter inanem verborum strepitum, nudamq; asseuerationem sæpius repetitã; vt firmior euaderet. Forsan adhuc aliquid promes, quo Bellarmini dictũ labefactes. Addis ergo. *Primum sunt libri æquiuocè dicti sacri* (at non nisi apud æquiuocos Prædicantes) *nunquam æqua futura est eorum auctoritas, atq; librorum est, qui sacri dicuntur vniuocè.* Nugacissima distinctio librorum Canonicorũ in *vniuocos & æquiuocos*: eodemq; iure posset Iunius diuidere homines in *vniuocos & æquiuocos*. Quæso, quid est homo *æquiuocus*? seu quid est is, qui *æquiuocè* homo est? Habetne vllam in humana natura communionem cum eo qui *vniuocè* homo est, hoc est, cum vero

homine? nullus enim verus homo est; nisi qui vniuocè homo est. Par ratio in proposito; si Prædicans vocem *æquiuocus* vsurpat pro *æquiuocis à casu*; quorum nomen idem, ratio verò substantiæ seu rei significatæ prorsus diuersa.

At si *æquiuoci* vocem vsurpat pro *æquiuocis à consilio*, quæ *analoga* tritius appellantur; rursus diuisio inscita est ac imperita; nam esse Canonicum, hoc est, esse diuinitus infallibile, est indiuisibile; nec gradus habet; sed cui competit, totum cõpetit; non vni plus, vni minus: sicut ratio specifica hominis gradus non habet; Quare cui competit, tota competit, non vni magis, alteri minus: hinc quidquid Canonicum est, id propriè, & quod hinc est consequens, vniuocè Canonicum est: sicut quidquid specifica ratione hominis præditum est; id propriè & vniuocè homo est: nisi fortè Prædicans existimat quosdam libros esse Canonicos non participatione rationis, &, vt sic loquar, naturæ Canonicæ; sed similitudine; sicut imago hominis dicitur homo, non cõmunione naturæ humanæ; sed participatione similitudinis cuiusdam externæ. Sed ex hoc sequitur, libros quosdam Canonicos non magis esse Canonicos, quàm homo pictus sit homo. Quàm autem homo pictus homo sit; notum est; quia solo nomine homo est; & externa quadam, eaque emortua hominis specie; sine vlla vllius vitæ, vitalisque & humanæ actionis participatione. Sic & libri quidam Canonici, Canonici erunt ex hac doctrina Iunij; sed solo nomine, solaque externa vmbratilique specie absque eo, quod est quasi essentia, anima & vita libri Canonici: hoc est, absque diuina & infallibili certitudine.

Falsum est, inquit Iunius, *de verè sacris libris nos æquè certos esse, quia Concilia rem totam definiuerint: cum antea fuerimus certi, quàm ista Concilia exstiterint; & Conciliis contra nulla sit auctoritas, nisi quam à sacris libris & scriptura sacra perceperint.* Valdè dubito, vtrum Caluiniani certi fuerint ante Ecclesiæ definitionem de illis Canonicis libris, quos ipsi, tanquam diuinos, recipiunt; cum enim vix nati sint ante Concilium Tridentinum; præsertim ante illam sessionem, in qua numerus Canonicorum librorum decernitur; certi esse non potuerunt ante Concilium Florentinum; vel Romanum sub Gelasio, vel Carthaginense. At fuerint certi; quæro, vnde certi fuerint; si non ex Ecclesiæ definitione? Nihil vnquam aut nominarunt, aut nominabunt; quod huius certitudinis vera causa sit; nisi quando Ecclesiæ vocem & definitionem nominarunt, aut nominabunt; hæc enim sola fons est & origo huius nostræ certitudinis, adeo, vt ipse Iunius paulò antea, Ecclesiæ testificationem non ausus fuerit excludere, cum de agnoscendis & diiudicandis Canonicis libris agitur.

Sed en cuculum cum repetitis coccysmis. *Auctoritas testimonij immediati, inculpati, & extraordinarij à principe dati omnino superat auctoritatem mediati,*

A *infirmi & ordinarij à popularibus.* Sit ista, Maior, vt vis, vera. Quid subsumis? Nihil: subsumam ego loco Caluinistæ. *Auctoritas testimonij dati ab Ecclesia est auctoritas testimonij mediati, infirmi & ordinarij à popularibus.* Negatur Minor. Firmissimum enim est testimonium Ecclesiæ testificantis hunc vel illum librum esse Canonicum; firmissimum, inquam est; quia prorsus est infallibile. Quod testimonium Dei per Prophetas & Apostolos, datum, vocat *immediatum & extraordinarium*; testimonium verò Ecclesiæ *mediatum & à popularibus*; id condonetur imperitiæ Caluinisticę, ignoranti, quid dicat aut scribat; contentæque dixisse ac scripsisse, quomodocunq; id cadat.

B Iam supra dixi testimonium Apostolorum non superare testimonium Ecclesiæ, si infallibilem vtriusque certitudinem spectemus; cuius contrarium scitè admodum ex scriptura ostendit Iunius. Ioan. 17. *Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me. Paulus Ephes. 2. Superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum: ergo testimonium Apostolorum de scripturis Canonicis superat testimonium Ecclesiæ quoad infallibilem certitudinem.* De hac consequentia, qui hæsitant, iis necdum compertum videtur, quanti artifices sint Sectarij nos... contexendarum & ex scriptura deducendarum consecutionum.

C Necdum finis. *Ecclesia habet scripturam pro regula, quæ vbiq; præmittitur; & Pontificij ad lectionem scripturæ capita aperiunt, & cum Euangelium legitur, assurgunt; non autem ad Prædicationem seu explicationem illius: vt eo Symbolo religioso profiteantur, se ipsi verbo Dei & scripturæ sacræ plus honoris auctoritatisq; quàm prædicationi siue concioni, id est, verbo Ecclesiæ tribuere: ergo testimonium Apostolorum de numero librorum Canonicorum certius & infallibilius est, quam testimonium vniuersalis Ecclesiæ.* Acutè disseris Iuni. Omnino mos ille standi, dum legitur Euangelium, & sedendi, dum concionator Euangelium exponit, confirmat phantasma tuum; sicut & dicta patrum, quæ citas, præsertim S. Chrysostomi & S. Gregorij, quorum iste asserit, scripturam sacram nihil esse aliud quàm Epistolam omnipotentis Dei ad suam creaturam: ille verò docet, ex parabola de A-

D braham & Epulone; Christum velle, plus fidei haberi scripturis, quàm si mortui reuiuiscant: Paulum autem etiam angelis de cœlo descendentibus scripturas præponere: *Quis ergo amplius ambigat; quin testimonium, quo Apostoli testati sunt, hos illosue libros esse Canonicos, certius sit, quod attinet ad infallibilitatem, quàm testimonium, quo Ecclesia testatur, hos vel illos libros esse Canonicos.* Hoc enim probare debet Iunius, si quid ad rem, quodque Bellarmini assertionem euertat, adferre velit.

Verùm huius sui instituti oblitus, de maiestate & infallibilitate scripturæ declamitat. Quasi quisquam Orthodoxorum sit, qui eam non suspiciat ac prædicet. Hoc quæritur, vnde nobis Canonica scripturæ maiestas & infallibilitas innotescat,

Digitized by Google

notescat, ita vt certi simus. hos vel illos libros esse diuinitus inspiratos & dictatos. Hoc olim fidelibus innotuit per testimonium Apostolorum adhuc in militante Ecclesia degentiũ; posteris, per testimonium Ecclesiæ vniuersalis & Catholicæ; quæ duo nobis testatur; primum, Apostolos his libris, tanquam Canonicis, testimoniũ perhibuisse: secundum; hos libros verè Canonicos esse; & velut Epistolam omnipotentis Dei ad suã creaturam; & præponendos omnibus libris humano tantùm spiritu conscriptis. Nec aliud volunt verba Irenęi, quæ Iunius exscribit. Fatemur, Apostolos, eam quam prædicauerant doctrinã; scripturis commendasse & consignasse: sed semper recurrit hæc quæstio; vnde hoc nobis compertum sit; Item vnde cõstet; hanc doctrinã, quæ libris, quos pro Canonicis suscipimus, continetur, esse illã ipsam, quã prædicauerunt Apostoli, nec alio, nisi Spiritus sancti immediato ductu & impulsu, in literas relatã? Hic Iunius semper hæret, neq; vnquã ex his quæstionibus sese expedit; sed alia, nihil penitus ad rem facientia perpetuò oggerit. An non & abs re, planeq; absurdum & falsum est; quod ait; S. Ioannem cap. 20. & 21. extremis verbis Euangelij sui & Apocalypseos, *consignasse Canonem tum propheticum, tum historicum, tum didacticum, ne cui vel Concilio, vel Ecclesiæ, vel Angelo, vel mundo liceret diuina specie quidquam attexere.*

Quanta istorum vanitas & inscientia, qui, vt lectoribus illudant, quiduis non verentur affirmare, licet à vero alienissimum? Nihil namque S. Ioannes in hoc vel illo loco de Canone; quem iste insulsè in *didacticum, historicum*, & *propheticum* hic diuidit; sicut alibi in *Hebræum* & *Græcum*; in *proprium* & *improprium*; in *vniuocum* & *æquiuocum*; quia tantum loquitur S. Ioannes de suo Euangelio, suaq; Apocalypsi: quorum illud se scripsisse ait, eo fine, vt crederemus, *quia Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam haberemus in nomine eius.* Apocalypsi autẽ vetat quidquam addi aut detrahi. Quid ista ad Canonẽ sacræ scripturæ, & ad numerum librorum Canonicorum? An hæc euertunt Bellarmini assertionẽ affirmantis, de numero Canonicorũ nobis certò nõ constare, nisi ex definitione Ecclesiæ? Quod adeo verum est; vt Caluinistæ huic, ne id quidem, nisi ex traditione Ecclesiæ constet; num verba extrema Apocalypseos; & Euangelij S. Ioannis, vt & vltima verba capitis vigesimi, sint Canonica, & à S. Ioanne Spiritus sancti impulsu conscripta.

Quis autem dicit, Ecclesiæ ius fasque esse; vt Canoni aliquid attexat? Nihil nec attexit, nec attexuit; nec attexet, sed tantum quid ex Christi & Apostolorum instituto & voluntate ad Canonem pertineat, declarat, declarauit, & quoties necessitas exiget, declarabit.

Audiamus mirabiliora. *S. Ioannes coarguit presbyterum quendam, qui periodos, Pauli & Theclæ nomine, conscripserat & dispersera; vt scribunt Tertullianus lib. de Baptismo, S. Hieronymus & Sophronius in libro de scri-*
A *ptoribus Ecclesiasticis; idque eo consilio, ne quid in Ecclesiam specie auctoritatis diuinæ immitteretur, quod non verè diuinum existeret.* Quid ex hoc facto concludis, Iuni? Ineptè omnia inde colliges; aptè nihil, nisi hoc: quod sicut olim Ioannes Apostolus librum Pauli nomine fucatum redarguit, & à numero diuinorum voluminum seclusit: ita iam quoque Ecclesia idem facere debeat; quoties periculum est; ne quid apocryphum fidelibus pro Canonico obtrudatur: vt autem penes ipsam est, supposititios libros repudiare; ita penes eandem est genuinos, legitimos, & à Spiritu sancto dictatos libros ab Hæreticorum improbitate vindicare.

Vt dicta quædam S. Hieronymi in Prologo
B Galeato de libris Hagiographis concilientur cum illis, quæ idem S. Hieronymus de hagiographis scribit præfatione in Tobiam, & in librum Iudith; dicit Bellarminus; *duo genera hagiographorum Iudæos habuisse; quædam intra arcam, & quædam extra arcam, vt docet Epiphanius lib. de mens. & ponderibus. Quæ erant intra arcam*, inquit, *hagiographa dicebantur, ad distinctionem historicorum, & propheticorum voluminum, & hæc Canonica habebantur; &, de his loquitur Hieronymus in Prologo Galeato: quæ autem erant extra arcam, dicebantur hagiographa ad distinctionem Canonicorum, & sacrorum; & de his loquitur Hieronymus in præfatione Tobiæ, & Iudith; ex quo, patet, nunquam Canonicos dici à Hieronymo eos libros, de quibus dubitari possit.*

C Quid Iunius? *Negatur distinctio cum sua commentitia interpretatione.* Tu quidem negas, sed negationis nullam rationem assignas. Si negare est refellere, & euertere; tum Tomos Bellarmini nõ modò tibi, sed & cuiuis alteri Prædicanti facillimum erit refellere ac euertere; quia negando plurimùm valetis; probando nihil. Distinctionem certè hagiographorum, quam Bellarminus adducit; admitti debere; nisi quis S. Hieronymum perfricta facie contradictionis arguere velit; inde manifestum fit; quia in Prologo Galeato ait, *tertium Ordinem Canonicorum librorum apud Hebræos continere hagiographa*; Et in his numerat Iob, Psalterium, Parabolas Salomonis, Ecclesiastem, Canticum Canticorum, Danielem, libros
D Paralipomenon, Esdram, Estherem. Et in eodem Prologo Tobiã & Iudith apocryphis annumerat; & extra censum Hagiographorũ reponit, ex sententia Hebræorum. Et hæc quidẽ S. Hieronymus in Prologo Galeato. At Præfatione in Tobiam, & altera in librum Iudith, expressè dicit; Tobiam & Iudith apud Hebræos in Hagiographis computari. Aut igitur mentitur S. Hieronymus, cum hoc asserit; aut necessario affirmandum erit, Hebræos duplicis generis Hagiographa habuisse; prout Bellarminus explicat. Scio frontem hæreticam adeo duram esse; vt fortè absque rubore S. Hieronymum falsitatis accusatura sit: sed tenerior frons est & verecundior filiis patrum obseruantibus; quàm vt tale quid committant.

Digitized by Google

A *Dicuntur*, inquit Iunius, *libri Hagiographi bifariam*: Cur ergo reprehendis Bellarminum, duplicem ordinem hagiographorum constituentis? Fortasse dices, non reprehendi ipsam distinctionem; sed eius explicationem. Quid ergo sibi volunt ista? *Negatur distinctio, cum sua interpretatione.* Et tamen tu distinctionem admittis, quanquam pessimè interpretaris. *Alij*, inquis, *diuinitus sunt hagiographi; qui omnes fuere Hebraicè scripti: alij humanitus iudicioq; humano adscripti, qui exstiterunt Chaldaicè, vt præfatione in Tobiam docet Hieronymus, aut Græcè solum.* Hæc tua hagiographorum explicatio, vanissima est, nulloque veritatis fundamento suffulta: etsi enim à Iudæis non omnes libri hagiographi habebantur pro diuinis; sed illi tantum, qui erant in arca, verè tamen & alij, qui extra ar- B cam asseruabantur, sacri & diuini erant; vt Tobias, Iudith; quod ex decreto Ecclesiæ intelligimus; quo libri isti inter verè Canonicos ac diuinos recepti sunt. Et quid iste de Chaldaico sermone nugatur? Nonne Daniel & Esdras Chaldaico sermone conscripti sunt, & Iob, eo, qui cum Arabico plurimam habet societatem? Et tamen inter hagiographos diuina auctoritate præditos ab Hebræis numerabantur.

Pergit delirare Iunius. *Triplice fallacia hic Bellarminus vtitur. I. Æquiuocationis, cum illud nomen hagiographi, quo Hieronymus vtitur æquiuocè, in alteram æquiuocam interpretationem rapit, ab Hieronymi mente prorsus alienam.* Tu verò Bellarmino iniuri- C am facis; non enim alio sensu hos duplicis generis libros hagiographos proponit; quàm S. Hieronymus proposuerit: nam, ex sententia S. Hieronymi, hagiographos extra arcam vt Tobiam, Iudith, ita dicit, fuisse hagiographos, vt nō fuerint Canonici apud Hebræos. An non hic sensus S. Hieronymi? An non negat Tobiam & librum Iudith Canonicos esse? quanquam Canonici fuerunt, sed fortè non agniti & suscepti pro Canonicis, nisi postea ab Ecclesia Christiana.

Secundò vtitur Bellarminus fallacia ignorationis Elenchi; ait Iunius; *nam agebat Hieronymus de Iudæis sui temporis æquè ac præcedentium inde ab Euangelij promulgatione; quæ autem de arca Bellarminus adfert, ea de* D *tempore ipso Babylonicæ transportationis & sequentibus non possunt dici, cum arca nunquam exstiterit inde à temporibus Regis Sedechiæ.* Tu verò confidenter affirmas id, quod tibi non omnes concessuri sunt. Multi enim, & in his Ribera noster in caput primum Aggæi, non improbabiliter credunt, arcam denuò fuisse repertam, soluta sub Cyro Rege captiuitate Babylonica: omnesque rationes contra obiici solitas accuratè refellunt; vt videre licet apud Riberam. Qua opinione posita, ruit tota Iunij responsio. Deinde, vt maximè arca ab Hieremia Propheta abscondita, vt narratur lib. 2. Macchabæorum cap. 2. nunquā fuisset amplius reperta; an propterea falsum erit, quod ex S. E-

A piphanio docet Bellarminus, vt declaret sententiam S. Hieronymi de libris hagiographis? An non Sapientia Salomonis arca adhuc exstante, extra arcam, haberi & seruari potuit; cum multi existiment Salomonem huius libri Auctorem esse? Certè hoc manifestè docet S. Epiphanius, lib. de mensuris ac ponderibus, eumque secutus Damascenus lib. 4. fidei Orthod. huncque librum pro exemplo libri in arca non repositi adferunt. Ecclesiasticum etiam non pauci Salomoni adscribunt; quanquam S. Epiphanius eum tribuit Iesu filio Sirach; qui sine dubio post Babylonicam captiuitatem vixit; & tamen hunc librum adducunt pro exemplo libri extra arcam asseruati S. Epiphanius & S. Damascenus: B vt proinde in libro de ponderibus ac mensuris videatur S. Epiphanius censuisse, arcam denuo fuisse inuentam Iudæis ex Babylone in patriam regressis, aut certè dicendum; fuisse apud Hebræos extra arcam, eo quod numeraretur in eorum librorum sorte ac classe; qui olim extra arcam adhuc exstantem, erant; hoc est in classe librorum non Canonicorum: quo pacto etiam Tobias, Baruch, Macchabæi & Iudith dici possunt libri extra arcam, quamuis arca iam deperditâ conscripti; quia modus iste loquendi respicit morem, qui exstante adhuc arca obseruabatur. Quanquam, si vt verior vult opinio, historia Iudith captiuitatem Babylonicam antecessit; dictu procliue est, quomodo Iudith, liber ex- C tra arcam appellatus fuerit; siue historiam illam referas ad tempora Regis Manasse; siue ad Regis Iosiæ; de quo cap. XII.

Adiungit Iunius. *Tertio vtitur Bellarminus fallacia figuræ dictionis, cum Epiphanij testimonio non intellecto abutitur. Id enim expreßè dicit Epiphanius in Canonicorum numerum nō referri ea scripta, quæ neq; in ἀρὼν, neq; in arca fœderis fuerunt reposita.* Dicit hoc S. Epiphanius; sed addit; non referri in numerum Canonicorum scriptorum apud Hebræos: quo nō obstante; possunt libri qui in arca non erant, referri in numerum Canonicorum librorum apud Christianos & in Ecclesia Christiana. Scitè autem & admodum doctè distinguit Polyglossus Iunius ἀρὼν, seu vt scribitur apud S. Hierony- D mum in libro interpret. Nominum Hebraicorum & in ipsis sacris litteris Genes. 36. & 1. Paralip. 1. cum *Aran*; ab ipsa *arca* testamenti; *Aran*, ipso S. Hieronymo teste, nihil sit aliud, quā *riscus, arca vel capsa*: neque S. Epiphanius seiunxit; fortè Cornarius Medicus interpres Epiphanij decepit Iunium; qui sic vertit. *Quare neq; in Aron, neq; in testamenti arcam repositi sunt.* Græca verba edit. Basileen. ita habent. διὸ δὲ ἐν τῷ ἀαρὼν ἀνετέθησαν, τοῦτ᾽ ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. Corrige. διὸ οὐδὲ ἐν τῷ ἀρὼν (vel ἀρὼν) ἀνετέθησαν, τουτέστιν, ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. Verte. *Quapropter neq; in Aran, hoc est, in arca testamenti repositi sunt.* Iunius suauiter ex *Aran arcam* seu *capsam Ecclesiasticam* nobis fabricat distinctam ab *arca* fœderis. Quo iure? Quo auctore? Quis

vnquam

Digitized by Google

vnquam quidquam de ista capsa Ecclesiastica prodidit?

Obiicit: *In arca fœderis nihil erat omnino, nisi tabulæ legis. 1. Reg. 8.* Verumenimuero hunc locum ita accipere debet Iunius, vt non pugnet cum illo ad Hebræos IX. quam Epistolam non negat Iunius esse Canonicam, & quidem propriè: *Arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Non ignoro, quid varij super hoc loco commententur; & in primis Ribera noster in cap. nonum Epistolæ ad Hebræos: Hic contentus ero responsione, quam dat Bellarminus infra cap. 17. cuius verba adscribam: *Respondeo, tempore Salomonis non fuisse in arca aliud, quàm tabulas legis, vt dicitur 3. Reg. 8. Tamen postea à Iudæis positas intra arcam, etiam vrnam, & virgam. Id quod Paulus ex traditione scire potuit. Ita soluit Theophylactus; qui etiam monet, Hebræos sui temporis id sensisse. Adde, quod auctor libri Regum, cum dicit; In arca autem nihil erat aliud, nisi duæ tabulæ, videtur innuere suo tempore fuisse aliquid aliud, quod non erat tempore Salomonis; videtur enim dicere voluisse; etsi nunc alia quædam sint in arca, præter tabulas legis, tamen quo tempore arca in templum à Salomone adducta est, nihil in ea erat, præter duas tabulas.*

Eandem sententiam sequitur Salmeron noster in cap. 9. Epist. ad Hebr. Addit Bellarminus. Quid si etiam, vt quidam volunt. vrna & virga in parte aliqua exteriore arcæ, non intra ipsam arcam fuerint?

Potuerunt igitur vel primo, vel hoc altero modo etiam scripta Canonica & hagiographa in arca esse, vt scribit S. Epiphanius rerum Hebraicarum nō ignarus; præsertim cum Moyses olim Deut. 31. hoc præceptum Leuitis dederit: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, vt sit ibi contra te in testimonium.* Quod ergo de Deuteronomio Moyses præcepit, hoc postea de aliis itidem scripturis à Synagoga tanquam Canonicis receptis, obseruatum existimare par est.

Postremo, viderit disputator, inquit Caluinista, *quomodo hæc duo simul constare possint; quod ait, scripta hæc esse Canonica, & hæc eadem scripta hagiographa appellari, ad distinctionem Canonicorum & sacrorum. Quod si est, hæc scripta, Bellarmino teste, nec sacra, nec Canonica futura sunt.* Si calumniator non esses, nullo negotio vidisses, vbi, & apud quos hæc scripta, vt liber Iudith, Tobias, &c. dicantur hagiographa ad distinctionem sacrorum, & Canonicorum; nempe apud Hebræos & in Synagoga; vbi pro sacris & Canonicis non reputabantur; Apud Christianos & in Ecclesia Christi libri isti sacri & Canonici sunt non modò in se, verumetiam secundum existimationem nostram. Quocirca sacris & Canonicis libris nullo modo opponuntur; sed illis, tanquam æqualis auctoritatis & infallibilitatis annumerantur.

Cætera quæ Iunius huic capiti allinit, responso non egent; quia vix aliud sunt; quam illa Iunio solennia. *Negatur. Nos negamus. Fallacia ex Homonymia. Inconsequens argumentatio ex Homonymia. Inconsequens & æquiuocum*; & his similia, quibus spiculis Iunius vbique rem agit; sed quàm feliciter; norunt, opinor, omnes, qui aliquid norunt.

Illud reconditę eruditionis árgumentum arbitror; *quòd duplicem librum, cui titulus, Pastor, statuit; alterum, veteris testamenti, alterum, noui, cuius Auctor Hermas Pij. I. Romani frater: de priore loqui putat aliquoties Clementem Alexandrinum in libris stromatum; & S. Hieronymum in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.* At figmentum hoc reprobat tota antiquitas, quæ *Pastorem* alium nec agnouit, nec citauit, nisi illum, qui tribuebatur *Hermæ* seu *Hermeti* discipulo Pauli; vt patet ex veterum testimoniis, quæ editor Bibliothecæ S S. patrum collegit, Tomo V. vbi etiam iste *Pastor* exstat. Et de hoc Hermetis *Pastore* disertè loquitur S. Hieronymus, vt miranda sit Iunij oscitantia, scribere audentis S. Hieronymum agere de *Pastore* veteris testamenti. Quod æquè falsum de Clemente Alexandrino, vt planum, ex fine libri primi stromatum; vbi non alium *Pastorem* citat, quàm illum, qui adscribebatur Hermæ, sancti Pauli discipulo.

Refutatio Danæi.

NON prętereundus est Danæus, ne se contemptum arbitretur; qui ad caput decimum paucis non pauca nugatur. *I. Vnius alicuius patris & Ecclesiastici scriptoris iudicium hoc non posse efficere; aut vera esse caussa, cur liber aliquis sit Canonicus.* Et quis docet iudicium vnius alicuius patris & Ecclesiastici scriptoris esse caussam cur liber sit Canonicus? Vbi hoc Bellarminus? Aliud est testari librum esse Canonicum: aliud efficere, vt liber sit Canonicus. Prius faciunt scriptores Ecclesiastici; posterius, ipse Deus.

II. Dicit Danæus, *ne Concilium quidem generale ex libro non Canonico facere posse Canonicum.* Quid opus istis? An non hoc palam profitetur Bellarminus? Synodus non facit libros Canonicos, sed declarat & promulgat Canonicos esse; idque secuta veterum testimonia; *At sæpè sunt aliorum veterum testimonia in contrarium;* inquit Danæus; *Non est ergo maior ratio cur Synodus sequatur testimonia affirmantium, quàm cur negantium.* Respondeo, maiorem esse rationem cur affirmantium testimonia amplectatur, quando amplectitur; id enim facit, quia vera sunt; contraria verò falsa; vera esse, inde liquet, quia columna & firmamentum veritatis, cuiusmodi Ecclesia, in generali Concilio repræsentata, non potest amplecti falsa. *At nititur Synodus in definiendo testimoniis hominum; quæ naturâ suâ sunt fallibilia: quia sola*

fide humana fulciuntur. Respondeo, licet natura sua sint fallibilia, posito tamen, quod iis Synodus generalis inducatur ad definiendum hunc vel illum librum esse Canonicum; certum iam efficitur, testimonia illa esse vera & omnis falsitatis expertia; de quo alibi.

Argumenta Bellarmini aliter non confodit Caluinista; quam hoc telo. *Est Elenchus, à non caussa pro caussa.* Nec plura addit; quia quando Prædicantes huiusmodi spicula vibrant; iam aduersarius iugulatus corruat oportet absque vlla spe resurgendi viresque resumendi.

CAPVT XI.

De libro Tobiæ.

HVIVS libri diuinam & Canonicam auctoritatem validissimis scilicet machinis oppugnatum eunt VVitackerus & Hunnius. *I. Ecclesia olim non recipiebat hunc librum inter Canonicas scripturas, teste S. Hieronymo præfat. in lib. Salom.* Respondeo; at iam recipit. Audiant ergo iam Nouatores Ecclesiam; alioqui non aliter à nobis habebuntur, quàm sicut Ethnici & Publicani. Quanquam olim Ecclesia ita nō recepit hunc librum inter scripturas Canonicas; vt eum nunquam reiecerit, tanquam non Canonicum: tantum non recepit, quia tunc non declarauit Canonicum esse.

II. S. Hieronymus habuit pro apocrypho. Sit ita: at alij plures, & æquè vetusti ac sancti habuerunt pro Canonico; quos partim hic citat Bellarminus, partim, & numero quidem maiore, Serarius Prolegom. in Comment. super Tobiam. Et ab his stat auctoritas vniuersalis Ecclesiæ, cui, sat scio, nunquam contradiceret S. Hieronymus, si nobiscum in terris viueret.

III. Liber iste non est scriptus Hebraicè. (vnde hoc notum Hæreticis?) *Sed tantum Chaldaicè.* (Quid tum, licet res ita se haberet? Etiam Daniel & Esdras Chaldaicè scripti sunt, teste S. Hieronymo in Danielem.) *Hodie non nisi Græcè & Latinè legitur.* (Quid hoc Canonicæ auctoritati officit?) *Exemplaria hodierna valde sunt vitiosa.* At iam correcta sunt. Missis vitiosis exemplaribus, accipe emendata. Etiam exemplaria Euangeliorum Græca & Latina erant quondam variis mendis obsita; vt & quædam veteris testamenti volumina. Sed mendas abstersit S. Hieronymus, cum sua sponte, tum etiam iussu Damasi Pontificis.

IV. Character ostendit, se non esse Canonicum. Sed iudicio *ἀκανονίστῳ* VVitackeri.

V. Liber iste non est conformis aliis Canonicis libris. Sed iudicio Hunnij, bonorum operum, quorum hic liber encomiastes; osoris & hostis.

Quædam in hoc libro redolent fabulas Iudaicas, inquit Iunius; *& pugnant cum scriptura Canonica.* Nec designat, quænam sint ista. Ait: *à piis & eruditis facilè animaduersum iri.* Quis verò inficietur multos pios & eruditos Tobiam euoluisse, & adhuc euoluere? Quî fit, quòd ista non olfaciunt? An quia naribus Caluinianis carent?

Capitis tertij & noni, quæ videtur esse, antilogiam, quomodo soluat Bellarminus, non magnopere moror, inquit Hunnius: *Capite tertio dicitur Sara, quam in vxorem habiturus erat Tobias, habitasse in Rhages ciuitate Medorum; vbi etiam fuisse Gabelum habemus cap. 4. Postea tamen cap. 9. cum Tobias peruenisset ad locum, vbi erat Sara, inde misit Angelum ad Gabelum in Rhages: falsum est igitur domum Saræ fuisse in Rhages.* Michaël Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 14. existimat capite 3. vitiosè legi Rhages, legendúmque; *in Ecbatanis.* Sic enim habere Græca exemplaria. Sed nulla opus correctione: quia Ecbatana vocantur etiam Rhaga seu Rhages in omnibus Græcis Codicibus cap. 6. v. 9. vt docet Serarius noster in caput tertium Tobiæ; qui ex profanis itidem scriptoribus, Xenophonte, AEliano, Curtio, Strabone, Athenæo, ostendit Ecbatanis nomen quoque Rhages tributum fuisse. Secundum hanc sententiam nulla est ne in speciem quidem contradictio. Alia enim Rhages illa, vbi habitabat Sara; alia vbi Gabelus.

Bellarminus; nodo huic alium cuneum quærit: putat cap. 3. vocari Rhages non ipsam ciuitatem, sed locum aliquem vicinum: dicitur enim habitare Romæ, qui Tusculi vel alibi in agro Romano habitat. Hic toto impetu insilit Hunnius in Bellarminum. *Si tanta*, inquit, *foret vtriusq; loci vicinitas, vt hac de caussa nomen etiam commune esset; quid opus erat, vt Angelus cum tanto apparatu camelorum, & seruorum in locum veniret tam vicinum? sicut quidem narratur dixisse Tobiam ad illum in ædibus Saræ, vt assumptis camelis, & seruis proficiscatur ad Gabelum habitantem in Rhages* MEDORVM. *Et, annon hac ipsa periphrasis (Rhages Medorum) arguit, non ita potuisse propinquum esse locum. &c.*

Respondeo id factum maioris apparatus & magnificentiæ caussa: Inuitabat enim tam socer Raguel; quàm gener Tobias Gabelum ad futuras nuptias: Quæ inuitatio vt splendidior foret, adiuncti sunt Angelo quatuor serui Raguelis, & duo cameli. Nonne ex vicinis quoque locis & arcibus cum illustri comitatu interdum ciuitates vicinas ingredi solent illi; qui cognatos vel familiares ad nuptias inuitant?

Oggannit Prædicans. *An non hac ipsa periphrasis, Rhages Medorum; arguit; non ita potuisse esse propinquum locum? ea namq; periphrasi aliàs nihil opus fuisset.* Non quæritur, quid opus fuerit; sed quid factum sit, & num conuenienter factum fuerit. Dico illud *Medorum* rectè ad nomen vrbis Rhages adiectum fuisse, licet locus in quo Sara morabatur ciuitati vicinus esset. Nam si quis ex vicina arce Augustam iter instituens rogetur, quò tendat; quis neget, rectè responsurum, si dicat, se Augustam Vindelicorum tendere. Et tamen iam

est

est in Vindelicia. Item, si quis ex circumiacentibus oppidis Ingolstadium proficiscens dicat; se Ingolstadium Boiorum iter tenere; non ineptè, vt arbitror, respondebit, nisi ineptorum Prædicantium iudicio. Eadem est ratio in nostro proposito.

VI. Argumentum Hunnij, & Hunniani Mæuij. *Manifestus error continetur in libro Tobiæ, ergò non est Canonicus.* Antecedens patet *ex capite vltimo, vbi legitur Tobias senior dixisse ad filium, & nepotes in propinquo esse, vt Israëlitæ dispersi reuertantur in terram, & domus* DEI, *quæ incensa est, reædificetur: sed hoc est planè falsum, quia domus* DEI *Hierosolymis demum incensa fuit anno circiter trigesimo post obitum Tobiæ, vt testantur historiæ. soluat hunc nodum*, inquit Mæuius. Et Hunnius de Bellarmino: *Hunc nodum Iesuita ne attingit quidem, nedum, vt illum paret soluere.*

At, quid opus magno nisu, vt nodus hic, qui nullus est, nisi in malè dolata Prædicantium phantasia, dissoluatur? Si quid enim roboris, & neruorum in hoc argumento inest, inerit & in isto. Manifestus error est in libro Isaiæ Prophetæ (vt de aliorum Prophetarum libris sileam) ergò non est Canonicus. Probatur antecedens, quia Isaias cap. 53. ita loquitur de passione, & morte Christi, quasi iam præteriisset: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, &c. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, &c. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, &c.* Et huius generis multa ibidem Isaias scribit; quæ aliquot demum seculis post mortem Isaiæ euenerunt. An non hic historiæ fides labascit? Vt arridet tibi, Prædicans, hoc argumentum?

Dices: *Isaiam Propheticè de re futura locutum, tanquam de præterita.* Rectè. Sed idem me tuis auribus insusurrare existima de Tobia; qui & ipse, Prophetarum more, de re certissimò euentura vaticinatus est, quasi de præterita. Negabis forsan Tobiam fuisse Prophetam. Sed negabis tantùm; neque aliquando probabis. Nam totum illud vltimum caput, nihil nisi futurorum prædictio est. Et audent vanissimi Prædicantes, cum *ficulneo* isto, & propè dixeram, *stramineo* argumento in theatrum ascendere: illudque, tanquam insolubile iactitare, & imperitis venditare.

Ait Mæuius; *Plura huius generis firmamenta contra Tobiam produci posse, si otium esset.* Bonum factum, quod abstinuisti; quia maioris precij non essent, quàm hic Hunnianus, hoc est, *laruatus Achilles.* Nam, si ob diuersitatem numeri, quæ est de ætate vtriusque Tobiæ in Græcis, & Latinis exemplaribus, reiicere velis Tobiam, oportebit, vt & Genesin repudies, in cuius supputationibus Hebræi, Greci, & Latini codices mirabiliter variant.

Hæc ego non pridem in libro aduersus Mæuium; quæ huc transferre libuit.

A Mentitur VVitackerus pro Canonica auctoritate Tobiæ nullum singulare argumentum à Papistis afferri. Pseudologiam hanc refellunt specialia testimonia, quæ ex Patribus hic producit Bellarminus; & illa, quæ magno numero collegit Serarius Prolegom. in Tobiam.

Ait VVitackerus, Tobiæ librum vocari à S. Ambrosio *diuinum impropriè, quia legebatur in Ecclesia, & quia cum libris Canonicis in eodem volumine copulabatur.* Verum tertius & quartus Esdræ, & in multis Exemplaribus etiam tertius Machabæorum, copulantur in eodem volumine cum Canonicis libris, nec tamen ideo habentur *diuini & Canonici.* Aliud igitur S. Ambrosium spe-

B ctasse oportuit, cum, vt VVitackerus ait, librum Tobiæ *diuinum* appellauit. Deinde, alij quoque libri in Ecclesia publicè legebantur, vt Epistola Clementis ad Corinthios, teste S. Hieronymo, in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, & S. Ephræm, eodem S. Hieronymo teste, ad tantam venit claritudinem, vt post lectionem scripturarum publicè in Ecclesia eius scripta recitarentur: & tamen nemo sanæ mentis propterea Epistolam Clementis aut scripta Ephræmi pro Canonicis, aut diuinis habuit. Sed durum telum necessitas. Quiduis isti comminisci coguntur, vt semel animo conceptam sententiam vtcumque tueri queant. Quapropter geminam notionem librorum Canonicorum & diuinorum fingere non

C erubuerunt; cum hactenus non nisi vna fuisset, quia aliàs testimonia sanctorum Patrum nimis perspicua nequaquam eludere possent.

Danæus hoc caput vndecimum, & duodecimum quoque, paucis verbis euertit, scilicet. Ait, Bellarminum, *committere paralogismum à non caussa pro caussa*: Hoc nimirum dicit, quoties non habet, quod dicat. grauissimas disputationes summisque difficultatibus implicitas non aliter, quàm hac vel simili bipenni dissecat.

Lepidus est & Iunius, qui ad argumentum pro Canonica auctoritate libri Tobiæ ex Patribus & Conciliis desumptum, hoc responsum reddit. *Principium petitur. Non potest dare, quod*

D *quis non habet. Concilia & Patres non habent diuinam auctoritatem: ergo non possunt dare alicui libro diuinam auctoritatem.* Acutissimum argumentum: ac propterea liberaliter totum concedendum. Nam Patres & Concilia non dant vlli libro diuinam auctoritatem; sed datam à Deo declarant, promulgant, & publicè annunciant: vno verbo, diuinæ auctoritatis testes sunt.

Finem huic capiti imponere cogitabam. Sed tumultuatur adhuc VVitackerus. Ait. *Papistarum non obscuram antilogiam considerate.* Et quæ nam ista; ad cuius contemplationem tam sollicitè nos inuitat Caluinista? *Bellarminus fatetur, Hieronymum reiicere hunc librum, & reliquos, de quibus con-*

Digitized by Google

tendimus, è Canone scripturæ: idq; non esse mirum, cum nullum adhuc generale Concilium hos libros esse Canonicos decreuisset; cuius est statuere, ac definire, quis sacræ scripturæ Canon haberi debeat. Interim tamen Papistæ adducunt ex Irenæo, Cypriano, Hilario, Ambrosio testimonia, quibus arguant hos libros esse Canonicos. Sed qua ratione, vel autoritate illi Patres, esse hos libros Canonicos affirmare potuerunt, cum ea res nondum certa, atq; explorata esset, vtpote nondum in generali Concilio definita? Ergò, aut hoc non pertinet ad Concilium generale aut illi Patres opinionem potius, quàm iudicium, & rationem sequuti sunt; quando hos libros pro Canonicis (vt isti opinantur) recipiebant, quos Ecclesia nondum suo iudicio, testimonioq; comprobarat.

En contradictionem insolubilem. *Ecclesia nondum definierat quidquam in generali Concilio de quorundam librorum Canonica auctoritate; & tamen Patres nonnulli sentiebant libros illos verè esse Canonicos: ergo Papistæ contradicunt sibi, quando hæc duo simul asseuerant.* Meritò quis ambigat; num Nouatoribus istis cerebrum sit integrum; aut si integrum; num semper sanum: tam stolidè quiduis effundunt ac effutiunt.

Coronidis loco attexere placet iudicium Lutheri de libro Tobiæ; quem in sympòsiacis Colloquiis titulo *de libris antiqui & noui testamenti*, *scribit esse poëma, in quo de mulieribus agatur, & exemplar administrandæ familiæ*: Et cum Iustus Ionas librum hunc à se in Germanicum sermonem versum Luthero offerret, his verbis munus ornauit: *Multa in hoc libro ridicula & stulta contineri, præsertim illud de tribus noctibus, deq; iecore assati piscis, quo dæmon sit fugatus.* Cui Lutherus aliud responsum non dedit: quàm, *esse figmentum Iudaicum.* Porrò Phantasiam suam, quod liber Tobiæ, sit Comœdia, fusius, ne dicam stultius, prosequitur Lutherus præfatione in librum Tobiæ à se Germanicè redditum; quam legas *cum ridere voles Epicuri de grege porcum*; vt aliquid tanto poëmatum amatori & admiratori ex Poëta accinam.

CAPVT XII.

De libro Iudith.

NIHIL nō tentat VVitackerus, Hunnius, huiusque discipulus Mæuius, vt Canonicam auctoritatem libri Iudith eleuent. Dissoluimus iam nonnullas criminationes capite decimo. Dissoluendæ nunc sunt illæ; quas fermè ex VVitackero exscribunt Hunnius & Mæuius: nec aliis verbis dissoluam, quàm quibus nuper aduersus Mæuium proprio in libro vsus sum.

Obiiciunt. *I. Liber Iudith non fuit receptus in Canonem ab Esdra: ergo non est Canonicus.* Hoc imbelle telum iam aliquoties repulimus: Hic tantum apponam illud S. Augustini in speculo: *Non sunt omittendi & hi libri, quos quidem ante Saluatoris aduentum constat esse conscriptos; sed eos non receptos à Iudæis, recipit tamen eiusdem Saluatoris Ecclesia.*

II. Liber Iudith Iud. 9. contradicit Moysi; commendat enim factum Simeonis, & Leui, filiorum Iacob, patratum in Sichemitas, propter violatam sororem Dinam; quod sacra Geneseos scriptura; & ipse Patriarcha Iacob Gen. 34. & 49. summoperè, tanquam nefarium, detestatur. Hoc tam grande scelus à Spiritu sancto in Moyse damnatum, laudat Iudith, & DEO adscribit in precatione sua dicens; quòd gladium Simeoni dederit DEVS, quod zelauerit zelum Domini, &c.

Nimis serò, mi Mæui, tu tuusq; Magister Hunnius in medium proditis cum hac, aduersus librum Iudith obiectiuncula. Iam conclusum est in Synodo Tridentina; iam pridem in Nicæna, aliisque conclusum fuit, hunc librum esse Canonicum. *Res iudicata pro veritate accipitur*, inquit Iurisconsultus: quod maximè valet in re à Concilio œcumenico iudicata. Iam dudum scriptores Catholici, difficultati huic, si qua est, satisfecerunt: quod Mæuium, & Hunnium, omnis variæ lectionis prorsus expertes, latere nō miror. Quid ergò Liranus, & vt Iesuitam tibi dem nodi huius exsolutorem: Benedictus Pererius lib. de benedictionibus XII. Patriarcharum? duo, in cæde illa fuisse: vnum, ipsam flagitij detestationem, eiusque puniendi zelum: alterum, ipsum punitionis huius exsequendæ modum. Et prius quidem illud, laude dignum esse, non posterius: nō quasi puniendi potestatem non haberent; (cum enim esset Hemor loci eius Princeps, ad nullum vocari tribunal poterat, sed armis tantummodò puniri;) sed quia modus is, contra sancitum iam iam fœdus, & fraudulentus, nimiumque vehemens, & furiosus fuit.

Quam responsionem copiosius dilatat, & munit Serarius noster in cap. 9. Iudith: cui, si studiosè vacares, longè maius operæ precium faceres, quàm quando Hunnij tui aduersus Bellarminū quisquilias in horreum conuehis, ac conuertis. Summa omnium est, cōmendari à Iudith ardorem Simeonis, & Leui; quo inflammati sunt ad vlciscendam iniuriam sorori suæ Dinæ violenter illatā: Vituperari verò à Patriarcha Iacob, Gen. 49. huius vltionis modum, & excessum, quem Iudith nequaquam laudat. Quid autem notius, quàm posse aliquem; gladium, hoc est, potestatem vindicandi à DEO accipere; & tamen acceptâ potestate abuti?

Quàm autem immane mendacium effundit Mæuius, cum ait, fateri Bellarminum; *videri istam narrationem, quæ in libro Iudith instituitur, esse confictam.* O Mæuianam, *Prædicanticamq;* frontem. Hóccine Bellarminus? Adi tu lector lib. 1. de verbo DEI cap. 12. & statim de Mæuiano ore competens iudex, iudiciū competēs feres. Bellarminus non magis dicit historiā istam videri confictam; quàm S. Thomas asserat, *videri, non esse DEVM*,

quan-

Digitized by Google

quando quærit, *vtrum sit* DEVS: argumentisque in contrarium propositis, tandem veritatem definit, validisque munimentis munit. Nam Bellarminus non ex sua, sed ex aduersariorum sententia, verba illa ponit, ac recitat: quæ postea, omni argumentorum genere destruit, ac demolitur, euidentissimeque ostendit, hunc librum, sanctum, ac Canonicum esse. Sed hoc tam immane mendacium hausit Mæuius, docilis discipulus, ab institutore suo Hunnio; qui eodem commento Bellarminum onerat tam impudenter, quasi nullus amplius in vniuerso terrarum orbe mendacii censor superfit.

Malè habet Mæuium, & Hunnium asserta à S. Hieronymo ex sacrosancta Nicæna Synodo Canonica libri Iudith auctoritas; quam vt eludant, in omnes partes sese non tam vertunt, quàm violentissimè torquent. Ante omnia ponamus verba S. Hieronymi præfat. in Iudith, quę sunt ista: *Apud Hebræos liber Iudith inter hagiographa legitur; cuius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, imò exactioni, &c.* Hæc S. Hieronymus: quæ Hunnius, Mæuius, & ante hos, VVitackerus miris strophis eludere conantur.

Ait Hunnius. I. *Hoc de Concilio Nicæno sparsum fuisse incerto auctore.* Hoc esse certum mendacium, quis dubitet? Ait enim S. Hieronymus. *Synodus Nicæna legitur hunc librum computasse in numero sanctarum scripturarum. Legitur*, inquit; non, *fertur.* Vbi verò legebatur hoc, nisi aut in Actis Synodi, aut in monumentis eorum, quibus Synodi Acta, & decreta probè cognita fuerant?

II. *Nihil simile hodie in Actis Synodi Nicænæ legitur.* Quid tum? In promptu caussa est: quia, pleraque perierunt, nec, nisi tabulæ quædam de grandi naufragio superant. Nam, quæ Gelasij Cyziceni nomine Græcè, & Latinè circumferuntur, collectanea quædam sunt, ex variis hinc inde congesta, & comportata; non, ipsa primæua, & integra sacrosancti illius Concilij Acta. Nobis, satis est, testimonio tanti Patris (quantus est Hieronymus) & Nicænæ synodo vicini, constare; hoc decretum Nicænæ synodi passim lectum esse.

III. *Hieronymus vano rumore deceptus est.* Atqui longè procliuius creditu arbitror, Prædicantes decipi, mentiri, & decipere, quàm S. Hieronymum, doctissimum, & sapientissimum virum in re tanti momenti deceptum esse.

IV. *Quanti faciendum sit argumentum ab vnius, vel alterius patris asseueratione ductum, indicatum est in præcedentibus*, inquit Hunnius. Atqui, nemo est, cui cor rectè saliat, & sapiat, qui vnius, aut alterius Patris pro Canonica auctoritate libri Iudith testimonium pluris non æstimet, quàm centum millium contrà vociferantium Prædicantium inconditos clamores. Et quamuis Bellarminus, præter grauissimam Concilij Nicæni auctoritatem, testimonia paucorum duntaxat Patrum adducat; alij tamen longè plura proferunt: nominatim Serarius noster, Prolegomen. in lib. Iudith: vbi similes Caluiniani VVitackeri nænias aduersus lib. Iudith decantatas disiicit. Quæ, licet Bellarminus sigillatim omnia citasset, quid aliud respondisset Hunnius, quàm solenne illud suum; *Nos, Augustini, aliorumq́ Patrum auctoritate non tenemur.*

V. *Si maximè Synodus Nicæna hoc constituisset*, inquit Mæuius, *non tamen nos eius auctoritate hac in parte teneremur; nisi rationum grauissimarum momenta adhiberet, quibus mota, librum Iudith in Canonem receperit.* Ecce, abiecti Prædicantis in sanctissimum, & œcumenicum Concilium reuerentiam. Scilicet Hunniano discipulo nudiustertius ex schola cum *sacciperio* suo scholastico egresso: sacrosancta Synodus decreti sui rationes reddere debebit: &, ni faciat; sanctionem repudiabit Mæuius, nec calculum suum adiiciet. O fastum hæreticum. ô supercilium Prædicanticum.

VI. *S. Hieronymus non habuit librum Iudith pro Canonico, vt ex Prologo Galeato, & aliunde liquet.* Ita est; initio quidem; sed postea mutauit sententiam; cognito Nicænæ Synodi decreto. An nunquam contingit, vt meliora edocti, priori sententiæ valedicamus?

VII. *Non dicit S. Hieronymus librum Iudith receptum esse in numerum librorum Canonicorum; sed sanctorum.* Verùm, hanc calumniam VVitackeri, Hunnij, Mæuij, & similium præconum iam cap. X. disiecimus.

VIII. *S. Hieronymus edidit omnia sua scripta post Concilium Nicænum: ergò, certum est*, inquit Hunnius, *eum non fuisse motum auctoritate Niceni Concilij, vt librum Iudith libris Canonicis accenseret; sed tantùm, vt versione iudicaret non omninò indignum.* At certum est, mentiri Hunnium. Licet enim S. Hieronymus, antequam definitionem, & decretum Cōcilij Nicæni cognosceret, librum Iudith, pro Canonico non habuerit; habuit tamen postea: & auctoritate Concilij non tantùm ita motus fuit, vt verteret hunc librum, tanquam *translatione non omninò indignū*; vt indignè calumniatur Hunnius; sed, vt iam in numerum sanctarum, diuinarum, & Canonicarum scripturarum receptū. Neque vllus Prædicans vllum locum ex S. Hieronymo proferet, vbi post agnitum Concilij Nicęni decretum, sanctus ille Pater de auctoritate huius libri dubitauerit.

IX. *Concilium Laodicenum non numerat librum Iudith inter Canonicos.* Respondeo, vel hinc colligi, ante Nicænam Synodum hoc Concilium celebratum; vt ostendit illustrissimus Cardinalis Baronius in Appendice ad Tom. 4. Annalium.

Digitized by Google

X. Athanasius in synopsi non habuit librum hunc pro Canonico; nec Gregorius Nazianzenus, nec Damascenus. Ad hæc iam cap. X. responsum est. Nec opus iterare.

Nec subsistit cornutus ille Mæuij aries: *Aut damnandi sunt Patres, qui post Concilium Nicænum librum Iudith non posuerunt in Canone; aut damnandi non sunt. Si primum; facilè patiemur nos cum tantis viris damnari*, inquit Mæuius. *Si secundum; cur ergò nos damnamur, quando agimus, quod tanti Patres egerunt?* Respondeo, non esse damnandos Patres; tum, quia aliud est librum inter Canonicos non numerare: aliud, à Canonicorum numero exterminare. Aliud, librum, vt diuinum, non recipere, nec dum liquidò Ecclesiæ definitione cognita; & aliud; veritati, iam solis instar vbique rutilanti, procaciter, ac proteruè aduersari, ac refragari, quod Hæretici faciunt; qui proinde meritissimò damnationis calculum ferunt: nam causa eorum valdè diuersa est à causa sanctorum Patrum.

XI. VVitackerus, Hunnius, & Mæuius ita argumentantur: *Hieronymus non ex se, sed ex aliorum relatu affirmat, quod Synodus Nicæna librum Iudith receperit; ergò liber iste non est Canonicus, ex sententia Hieronymi.* Respondeo antecedens esse Mæuianum. Nam S. Hieronymus non dicit, *fertur*; sed, *legitur Synodus Nicæna hunc librum in numero sanctarum scripturarum computasse.* Vbi legitur? In Actis Synodi, eorumúe monumentis, quibus hæc acta probè erant cognita. A quo legitur? A legere gnaris, qualis in primis erat ipsemet S. Hieronymus.

XII. Hieronymus vertit hunc librum ad aliorum postulationem, imò exactionem; ergò, ipse non habuit pro Canonico. Argumentum hoc Mæuianum, gemellum est huic; S. Hieronymus emendauit Psalterium coactione Paulæ, & Eustochij; ergò S. Hieronymus non habuit Psalterium pro Canonica scriptura. Antecedens patet ex his verbis S. Hieron. in Psalterium: *Me cogitis, vt veluti quodam nouali scissum iam aruum exerceam, &c.* Item huic: Quatuor Euangelistarum Latinam interpretationem correxit, & castigauit S. Hieronymus, ad Græcorum codicum fidem; coactus à Damaso Pontifice; ergò S. Hieronymus quatuor Euangelia ex numero Canonicarum scripturarum exemit. Antecedens patet ex illis verbis S. Hieronymi ad Damasum. *Nouum opus me facere cogis ex veteri, &c.* Vt placent tibi istæ consequentiæ, consequutionis tuæ germanæ sorores? Si horres ad deformitatem; horreas & ad deformitatem tuæ; quia nec lac lacti similius.

Nugamenta sua de libro Iudith claudit Mæuius hoc mendacio: *Postularunt, & exegerunt quidam, vt hunc librum D. Hieronymus Latina versione sua donaret; hac ratione persuadentes; quia legatur in Syno-* A *do Nicæna pro sancto reputatus. Quod D. Hieronymus credidit, & ipsorum exactioni acquieuit; quamuis hac de re in Actis Synodi nihil extet.* Vanitatem huius orationis coarguit præfatio Hieronymi, in librum Iudith, quem, vt & Tobiam, vertit S. Hieronymus rogatu Chromatij, & Heliodori amicissimorum Episcoporum; quorum petitioni acquiescens transtulit hunc librum in Latinum, non quod ex ipsis cognouisset, cognitumque credidisset, à Nicæna Synodo librum Iudith in numero sanctarum scripturarum computatum esse; sed quia *hoc legitur*, inquit. An putas ab ipso S. Hieronymo omnium voluminum accuratissimo inuestigatore, & bibliothecæ Christianæ impigro, & indefesso constructore, hoc ipsum non B fuisse lectum; sed ex sola prædictorum antistitum relatione cognitum? Et licet hoc primùm ex Chromatio, & Heliodoro intellexisset; an ideo verum non esset, librum Iudith à Nicæna Synodo esse accensitum sanctis, diuinitusque inspiratis libris? Nullus sani capitis fuerit; qui non potius assentiendum arbitretur his duobus Episcopis id asseuerantibus, si id ipsi S. Hieronymo asseuerassent, quàm duobus superintendentibus Mæuio, & Hnnnio id temerè, & ex sola negandi impotentia inficiantibus.

Dicit Bellarminus, S. Hieronymum sententiæ Hebræorum, quòd liber Iudith non sit idoneus ad dogmata fidei comprobanda, opponere sen- C tentiam Nicænæ Synodi, quæ librum hunc ita retulit in numerum sacrorum librorum, vt eum idoneum esse censuerit ad fidei dogmata confirmanda. *Negamus per oppositionem hæc à Hieronymo dici*, inquit Prædicans. *nam contra per concessionem dicit ex postulantis hypothesi. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, &c.* Verùm luce clarius est hæc dici à S. Hieronymo per oppositionem. Aliquid enim libro huic à Nicæna Synodo tributum ait; quod non tribuebat Synagoga. Quid verò istud; si non Canonica & infallibilis auctoritas? Nam Iudæi quoque hunc librum sanctis libris annumerabant; Ergo Nicæna Synodus aliquid amplius largiendum declarauit. Quo D Synodi decreto excitatus S. Hieronymus hunc librum Latio donare voluit, sepositis omnibus aliis negotiis. Accedit, quòd particula aduersatiua, *sed*, manifestè oppositionem denotat: Sicut denotat in hac cuiusuis Caluinistæ aut Lutherani oratione: *Apud Pontificios liber Iudith inter verè Canonicos libros legitur; cuius auctoritas ad roboranda ea, quæ in controuersiam veniunt, non secus idonea iudicatur, ac aliorum librorum Canonicorum: sed quia hunc librum Caluinus & Lutherus in numero apocryphorum scripturarum leguntur computasse; acquieui petitioni vestræ, eumque ex biblicorum librorum corpore resecui.* An non hic vocula *sed*, oppositionem indicat? Quæso, cur non etiam in oratione S. Hieronymi?

Digitized by Google

XIII. Si Synodus Nicena, inquit VVitackerus, *hunc librum in numerum sacrarum scripturarum recipit, quos prætermisit, graui admodum præiudicio perstrinxit.* Respondeo cum Serario nostro Prolegom. in Iudith: non omnia quæ controuersa esse possunt, vno in Concilio definiri, sed tantum, quæ tunc proponuntur, & necessaria videntur. Multum interest, an quidpiam damnes, an ne verbo quidem attingas: & tamen etiam Tobiam ea in Synodo approbatum fuisse docuit Rupertus lib. 12. de diuin. offic. cap. 25.

XIV. Bethulia, inquit ex VVitackero Hunnius, *quæ hic obsessa legitur, nulla fit mentio, vel in veteri, vel nouo testamento, ne quidem in distributione terræ per Iosuam facta, vbi tamen etiam pagi nominantur.* Sed num ideo Bethulia nulla vrbs, quia ignota huic Prædicanti? Fuit Bethulia, Galilææ vrbs, inquit in caput sextum Iudith Serarius, in tribu Zabulon, in monte sita, non procul ab vrbibus illis, Dothain scilicet, versus Austrum: Scythopoli verò versus Septentrionem, rursumque à Tiberiade versus Occidentem, à Diocœsarea, quæ & Sepphoris, versus Orientem. Qui ea Orientis loca oculis, peregrinationibusque diligenter lustrauit, Brocardus: *A Nephthalim*, ait, *de qua in Tobia, tres sunt leucæ ad Dothain castrum, sub monte Bethulia, vbi Ioseph errauit, cum quæreret fratres suos.* Et postea: *De Abelina est vna leuca ad montem Bethulia, vbi Iudith occidit Holophernem, qui mons per totam fere cernitur Galilæam, habens adhuc pulchra quadam ædificia, sed plures ruinas. A Bethulia est vna leuca ad ciuitatem Tiberiadis, eundo scilicet inter Orientem, & Austrum supra mare Galilææ, à qua mare Galilææ dictum est mare Tiberiadis.* Quin & illic adhuc hodie Holophernis castrorum vestigia conspici, scribit Adrichomius. Quomodo ergò non falsum, quod in Germanica hunc in librum præfatione scribit Lutherus, *vrbem esse, quæ nusquam nota sit?*

XV. Hanc historiam non attingit Iosephus. At nec reiecit, ait noster Serarius. Auctores interdum quidpiam omittunt, aliumque in locum reseruant, quemadmodum pulcherrimam de Onia historiam non in Antiquitatibus, sed in libello de ratione idem Iosephus exposuit, vti etiam hæreticorum gregalis notat Reineccius.

XVI. Non conuenit de tempore huius historiæ; Respondeo: nec inter doctissimos conuenit de tempore natiuitatis, Baptismi & passionis Christi. Ait ideo hæc omnia fabulis annumerabimus? At Hunnius: *nullam dari posse tempus cui narratio ista conueniat.* Facit Hunnius quod solet. Quid illud? Non opus vllo coniectore. Verbosè probare conatur historiam hanc non accidisse post solutam captiuitatem Babylonicam: neque in ipsa captiuitate Babylonica. Quid his opus erat, præsertim scriptionem contra Bellarminum promittenti? An non pa-
A lam negat Bellarminus euenisse hanc historiam post generalem illam captiuitatem, Babylonicam? An non eam incidisse ait in tempora Manassæ Regis Iuda? Huc dirige tua missilia, si quæ in pharetra habes. Monenti, vt video, obtemperat: itaq; arcum tendit, vnde primum hoc telum mittit.

Temporibus Regis Manassæ non vixit vllus Assyriorum Rex, qui Nabuchodonosor fuerit appellatus, siue in sacris, siue in prophanis historiis. Asserit hoc Prædicans, sed ne vel vnica ratiuncula probat, nullum tempore Regis Manasse vixisse Assyriorum Regem, qui Nabuchodonosor nuncuparetur; nisi quod conuiciis incessit Bellar-
B minum, putantem Nabuchodonosorem istum, esse Merodach Baladan, cuius mentio fit 4. Reg. 20. & alibi. Audi conuiciatorem. *Somniat quidem Bellarminus, istum Nabuchodonosorem fuisse Merodach Baladan, quem verisimile sit vocatum alio nomine Nabuchodonosor: sed somniat tantùm. Vbi interim sunt rationes, quibus hoc confirmet? vbi vllum huius rei vestigium in sacris aut prophanis litteris?*

Vbi verò rationes, quibus hæc sua conuicia in illustrissimum Cardinalem confirmet Prædicans? Non me fugit, quid viri eruditi & Catholici contra hanc de Merodach Baladan sententiam disputent; sed Prædicantem istum nihil posse video, nisi interrogare. *Vbi huius rei
C vestigium in sacris aut prophanis litteris? Quid attinebat in libro Iudith Nabuchodonosorem appellari, quem nulla sic vnquam nominauit historia?* Quæso te Prædicans legistiné omnes historias, tam quæ exstant, quàm quæ interciderunt? Perlustrastiné omnia antiquitatis monumenta; vt tam audacter asseueres, Nabuchodonosorem, de quo in libro Iudith, non esse Merodach Baladan? Ego sane nullam micam vllius argumenti cerno, quo hanc opinionem vel leuiter tangas. Cur non ab aliis, te longè, imò longissimè & incomparabiliter doctioribus mutuatus es arma; quibus hanc oppugnatum ires sententiam?

Iam perge, & secundum telum aduersus Bel-
D larmini sententiam iace. *Si tempore Manassis Regis accidissent hæc narrata libri Iudith, certè non per Sacerdotem, sed Regem, aut huius Consiliarios, Principes, & Capitaneos, negocia belli fuissent procurata, id quod Regum temporibus fieri consueuit. Iam verò in procuratione belli Bethuliaci contra Assyrios crebra est mentio Sacerdotis bellum administrantis, de Rege autem, vel Principibus eius, Ducibus, & Consiliariis politicis profundum silentium.*

Hoc argumentum nullis viribus præditum, sed aliquot mendaciis fœdatum video. Omnia enim gesta narrantur ductu & auspiciis potissimum Oziæ; at certum est Oziam non fuisse Sacerdotem, aut principem Sacerdotum;

quia, vt capite sexto expresse habetur, *Ozias filius Micha, erat de tribu Simeon, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est*; vt de tribu Iuda loquitur Apostolus Hebr. 7.

Quod attinet ad Charmi, qui & Gothoniel, & ad Chabri; qui etiam inter principes Bethuliæ numerantur cap. 6. & 8. sunt qui existiment, fuisse Sacerdotes, quòd vocentur *presbyteri*; & ad belli huius curam, vrbisque totius administrationem Hierosolymis Bethuliam missos; cui sententiæ non desunt argumenta sua; etsi probabilius est, non fuisse Sacerdotes, vt concludit Serarius noster in cap. 6. Iudith; quia isti semper inter Bethuliæ seniores ac presbyteros numerantur cap. 6. 9. & 10. Constat verò præter Hierosolymitanum senatum, fuisse in vrbe qualibet suos etiam seniores siue senatum, & Principes vel optimates; de quo; si placet, consule Serarium.

Deinde, quamuis isti fuissent Sacerdotes Hierosolymis Bethuliã missi, quid tandem obtineret Hunnius, cum notum sit in illa Republica, maximi momenti negotia Sacerdotibus fuisse imposita; quippe, quorum insignis apud omnes esset auctoritas: quod etiam testatur Iosephus in vita sua; & lib. 2. captiuit. cap. 42. vbi refert, quomodo ad bellum contra Romanos gerendum, prouincias, vrbesque & vicos armis consilioque tuendos Hierosolymis Sacerdotes amandati fuerint.

Miratur Prædicans, cur nulla in hoc tam periculoso bello fiat mentio Regis Manassæ; si, vt vult Bellarminus, bellum hoc incidit in tempus, quo iam ex captiuitate Manasses reuerterat: Tres huius rei caussas & quidem optimas, reddit doctissimus Serarius in cap. IV. Iudith. Prima est, quòd reuersus Babylone Rex, diuinoque beneficio, patriæ, sibique ipsi restitutus, totus, & sub reditus initium maximè, in Dei cultu occupatus erat. adeò, vt penes quos, absente ipso, fuerat Reip. administratio, penes eosdem adhuc maneret: videreturque regia sese potestate libenter abdicaturus, si vel illi voluissent vel filium, quem suum in locum sufficeret, habuisset. Qui enim tertio, & tricesimo regni anno ei natus est Amon, natus nondum erat. Et quia pessimè rem antea pace, belloque gesserat, maior, gratiorque apud eos, qui per varias aut Israëlis, aut Iudææ partes habitabant, Hebræos; adhuc erat Eliachimi Pontificis, & seniorum auctoritas. Neque id ægrè Rex ferebat, sed gaudebat, quæ de maxima illius potestate, gloria, & Principatu Isaias, quem ipse, (vt in eiusdem Isaiæ cap. 1. & 6. itemque epist. 142. à D. Hieronymo, ex Hebræorum traditione notatum est) interfecerat; vaticinatus olim fuisset, quàm cumulatissimè perfici omnia. Tandem verò periculi, è quo iam euaserat, admonitu; & belli huius, vt videtur, occasione, fecit, quæ 2. Paralip. c. 33. vers. 14. scribuntur: *ædificauit murum extra ciuitatem David, ad occidentem Gihon, in conualle: ab introitu portæ piscium per circuitum, vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer; constituitque Principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis.*

Sciendum verò tantam istam, tamque salutarem Manassæ commutationem, in Regum libris omninò præteriri. Sed in 2. Paralip. cap. 33. & quæ post eam, ab eo facta sint, perstringi quàm breuissimè. Duos tamen, tresue libros, in quibus copiosè ea omnia, & quæ ab aliis, eius tempore gesta essent, descripta fuerint, annotari. Primus est, liber sermonum dierum Regum Iuda. 4. Reg. 21. ver. 17. Alter, si tamen à priore isto diuersus, liber sermonum. Regum Israël. 2. Paralip. cap. 33. ver. 18. Tertius, liber sermonum Hozai Prophetæ. ibid. ver. 19. Qui, si extarent, plurima quæ in Iudithæa hac historia caliginis non parum habent, dilucescerent clarissimè, &c. Vide cætera in Commentario Serarij.

Altera caussa est; quod semper quidem maxima summorum Sacerdotum apud Iudæos auctoritas fuerit; sed hoc Manassæo tempore, omnium maximè. Illud ex 4. Reg. 11. Deuter. 13. Num. 27. manifestum est, & ex Iosepho lib. 2. contra Apionem. Manassæo autem tempore maximam Pontificum auctoritatem fuisse, intelligi potest ex quatuor. Primò, ex Regis ipsius excellentissima iam religione, ac demissione. Secundò, ex communis boni vtilitate, cum, vt magnarum rerum summa penes Eliachimum esset, populo secundissimo fieret. Tertiò, ex Isaiæ, vatis profectò summi, & cuius in omnium animis recentissima viuebant adhuc oracula; prædictione de Eliachimo hoc; Isaiæ 22. vers. 20. Quartò, & postremò ex summa Eliachimi eiusdem sanctitate, sapientia, rerumque gerendarum industria, & felicitate. Hæc enim iam inde à Senacheribi temporibus, vniuerso populo erat perspectissima. 4. Reg. 18. vers. 18. 26. 37. cap. 19. vers. 2. Et maxima, illustrissimaque suarum istarum virtutum documenta dederat, cum & Rex, & Pontifex alter, catenis onusti, Babylone tenerentur.

Tertia causa esse potest, quòd, quemadmodum supra ex 2. Paralip. cap. 33. ver. 14. dictum est: Hierosolymam sibi tuendam, mœnibus, propugnaculisque nouis communiendum Rex forsan ipse sumpserit: prouinciam verò cæteram aliis commiserit. Sed, præ omnibus, ipsi Pontifici, & senatui, per quos & ipse illam gubernare potuit. Litterarum autem à Pontifice missarum potest alia, & quasi propria esse ratio, quod nimirum earum argumentum esset, non militare tantùm, & politicum, de montium faucibus occupandis, sed sacrum etiam, & religiosum de precibus, ieiuniis, & ciliciis priuatim, publiceque suscipiendis, &c.

Terti-

Tertium Hunnij argumentum 2.Reg.31.(ita A citat Prædicans) *& 2. Paralip. 33. nihil dicitur de isto bello; ergo nō meretur fidem.* Hoc argumentum simile est huic. In Euangelio S. Matthæi, S. Marci, & sancti Lucæ, nihil scribitur de lotione pedum; item de pulcherrimo sermone; quē Christus iam iam ad paßioné abiturus ad discipulos instituit, quique à S. Ioanne cap. 13. & aliquot sequētibus describitur; ergo Euangelium S. Ioannis non meretur fidem, cum aliqua referat, quæ non referuntur ab aliis Euangelistis. stultitia Hunniani deliramenti clarius repręsentari non potest, quā prædicto vel simili argumento.

Verbosè declamat Prædicans bellum hoc nō esse gestum, antequam Manasses captiuus abduceretur in Babylonē. B Et quid opus de hoc multa verba profundere, cum Bellarminus disertè dicat, bellum hoc gestum vel reuerso iam Manasse ex captiuitate; vel manente adhuc in captiuitate; secundum quam postremam sententiam nulla remanet difficultas, cur in libro Iudith nulla Regis fiat mentio.

Bellum hoc non esse gestum captiuo adhuc Manasse; ita probat Prædicans: *quia repugnat orationi Achioris cap. 5. vbi ille hunc in modum loquitur: nam & ante annos hos cùm receßissent (Iudæi) à via, quam dederat illis* DEVS, *vt ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, &* PLVRIMI *eorum captiui abducti sunt, in terram non suam. Nuper autem reuersi ad Dominum* DEVM *suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, &* ITERVM POSSIDENT HIERVSALEM.

Quibus verbis significatur, bellum hoc gestum esse reuerso iam Manasse ex captiuitate. At cur Prædicans non refutauit responsum Bellarmini? An non dicit; si bellum hoc absente & capto adhuc Rege gestum est; verba illa de reditu, non esse accipienda de reditu ipsius Regis Manasse; eorumque, qui cum ipso Babylonem abducti fuerant; sed de reuersione Iudæorum ex iis locis, ad quæ fugiendo peruenerant, cum Rex Assyriæ vastaret regionem ipsorum. in varias enim prouincias, metu Assyriorum diffugerant. Hanc Bellarmini responsionem ne attingit quidem loquax Prædicans; & tamen nugas suas hoc D thrasonismo insignit. *Ex hoc ergo firmißimè constat, neq; in tempus interregni referri posse bellum Assyriacum libro Iudith decantatum.* Ex quo hoc constat *firmißimè*, ô superlatiue Prædicans? cum nihil prorsus contra hāc opinionem attuleris, quod vllo modo eam labefactet. Etsi enim longè credibilius est, etiam Bellarmini iudicio, bellum hoc gestū, reuerso ex Babylone Manasse; rectè tamen demonstrat Bellarminus, nihil à probabilitate abhorrens eum asserturum, neque etiam scripturæ repugnaturum, qui hoc bellum in ipsum captiuitatis tempus includat. Sed, vt dixi, Bellarmino, mihi, & aliis verisimilius habetur, gestum esse reuerso iam in patriam Manasse.

A Vociferatur Prædicans; *Refragatur sermo Achior, quem de reditu Manaßis ex Babylone interpretari, est textui vim facere manifestam. Nam abductionem Manaßis Canonica historia 2. Paral. 33. sic refert, vt præter Manassen alios quoq; abductos esse non asseueret.*

Iterum adest Prædicans cum suo argumento ab auctoritate *negatiuè. Achior dicit; plurimos in terram non suam captiuos esse abductos: At 2. Paralip. 33. non dicitur alios, præter Manassem, fuisse abductos; ergo falsum est quod in libro Iudith asserit Achior; aut si falsum nō est; non potest vllo modo oratio illa referri ad captiuitatem Manasse; & consequenter, neq; illa; nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerāt, adunati sunt, &c. referri possunt ad reuersionem Manasse ex captiuitate, cum solus Manasses in captiuitatem Baby-* B *lonicam ductus fuerit.* Pulcherrimæ profectò argumentationes, quantiuis pretij, & similes huic, quam quis negans auctoritatem Canonicam Paralipomenon formare posset; prorsus *Hunnianè & Prædicanticè, 4. Reg. 21. nihil penitus habetur de Manasse in Babylonem abducto; ergo credendum non est, quod in secundo Paralipomenon legitur; quia contradicit scripturæ Canonicæ.* Similis ratio, vel potius deliratio est hæc apud Hunnium. *Scriptura Canonica non meminit alios, quam Manassen captos; ergo liber Iudith, qui multos in captiuitatem abreptos ait, contradicit scripturæ Canonicæ: vel certè loquitur de alia captiuitate, non de Manassæa.* Quam argutè omnia?

Quomodo verò, Prædicans, Canonica scri- C ptura 2. Paral. 33. alios, præter Manassen, captiuos fuisse non asseuerat? An non hoc asseuerat, hoc ipso, quod Regem Manassen captum affirmat? Vbi vnquam auditum est Regem solum absque populo vel parte populi in captiuitatem à victoribus abductum? An non principes Iuda & populus iisdem, quibus Manasses, sceleribus diuinam iram prouocauerant? An non æquè populus ac Rex diuinas admonitiones audire cōtempserat? Ad quem igitur pertinent illa sacræ scripturæ verba: *Locutusque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt.* Moxque subditur præmium spreti numinis: *Idcirco superinduxit eis* (Manassæ & populo) *principes exercitus Regis Assyriorum: ceperuntq; Manassen, & vinctum catenis atque* D *compedibus duxerunt in Babylonem.* Quis tam stolidus est, qui non intelligat plebem, vel certè magnam plebis partem, eorūdem criminum ream, similem fortunam subiisse, cumq; Rege in eandem seruitutem abreptam fuisse? Quod, nominato Rege, scriptura satis expreßit, neque enim eo ingenio erant Assyrij, vt seruos & ancillas seu mancipia cupidißimè sibi non pararent, præsertim tam optabili oblata occasione.

Altera Prædicantis obiectio similis est priori. *In libris Paralipomenon refertur solius Manasse pœnitentia: ergo falsum est, quod Achior ait; plures ad Dominum Deum suum fuisse conuersos. aut si falsum non est; referri non poterit ad reuersionem Manasse ex captiuitate Babylonica.* At si, vt Hunnius librum Iudith, ita alius li-

bros Paralipomenon repudiet; paratum habebit, Hunnij beneficio, modum contra libros Paralipomenon argumentandi. Dicet enim ad Hunnianum modum. *In libris Regum nihil prorsus scribitur de pœnitentia Manassæ; ergo falsum est, quod de illa secundus Paralipomenon commemorat.* Quod Hunnius hoc pacto ineptienti responderet; hoc sibi itidem à nobis responsum arbitretur; nempe, nō omnia vno in Canonico libro dici; alia etiam aliis narranda relinqui.

Deinde populi pœnitentiam satis insinuauit secundus Paralipomenon, hoc ipso, quòd pœnitentiam Manassæ descripsit; quia, vt vulgò fertur; *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Accedit, quòd eadem vexatione, quæ Regi *intellectum dedit*, premebatur quoque populus: Quare non dubium, quin vt Rex, ita & populus *coangustatus orauerit Dominum Deum suum, & egerit pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum.*

Pari vanitate laborat tertium Hunnij commentum. *Achior dicit, plurimos in captiuitatem fuisse abductos, qui prius Hierosolymis & in omnibus montanis habitauerint, ergo nō respicit illam captiuitatem sub Manasse, sed illam generalem Babylonicam sub Nabuchodonosore; quando omnes in alienam terram translati sunt. Accedit, quod 2. Paralip. 33. nihil de plurimis cum Manasse Rege abductis, legitur; vt antea visum.* At hanc *stramineam* appendicem iam antea satis dissipauimus.

Priori argumento satisfecit Bellarminus; qui scribit verba illa: *Exterminati sunt prœliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam*: non esse referenda ad captiuitatem Babylonicam sub Nabuchodonosore, sed ad varias afflictiones, quibus, vt ex libris Regum & Paralipomenon patet, diuersis temporibus afflicti fuerunt, maximè tempore Manassæ; *nam si sermo esset de Babylonica captiuitate, non dicerentur Iudæi exterminati à multis nationibus, sed ab vna, id est, Chaldæorum: nec dicerentur plurimi abducti captiui, sed omnes (fuit enim generalis captiuitas Babylonica) paucissimi enim remanserūt relicti à Nabuchodonosor, & illi ipsi paulò post fugerunt in Ægyptum, 4. Reg. 25. Ita dispersio, ac desolatio plenissima fuit.*

Quid Prædicans? *Bellarminus euertit sua dicta. Ait enim, captiuitatem sub Nabuchodonosor fuisse generalem; omnibus abductis; & mox addit; quosdam relictos fuisse; licet paucissimos. Si quidam relicti sunt; non ergo omnes in captiuitatem abducti sunt.* Qualis nugator Hunnius? Qualis trico? Quasi illud *omnes* semper accipi soleat mathematicè, nullo penitus excluso; & non potius moraliter; cum, trita loquendi consuetudine, id, quod ferè omnes fecerunt, aut tolerarunt, *omnes* fecisse aut tolerasse absolutè pronunciamus: phrasi ipsis etiam sacris litteris vsitata, vt notum est.

Quod Bellarminus dicit; ab vna Chaldæorum gente euersos Hebræos, sub Nabuchodonosor: oggrunnit Prædicans; *illo in exercitu fuisse varias nationes, non solos Chaldæos.* Quis hoc abnuit? Interim victoria è Iudæis relata vni genti adscribebatur, nimirum Chaldæis, quia isti præcipui erant, sub quorum signis & stipendiis alij militabant: sicut hodie cum vrbs quæpiam ab Hispanis aut Gallis subigitur, victoria Genti Hispanæ aut Gallicanæ adscribitur; licet in exercitu Germanos, Italos, Bohemos, Hungaros, Polonos, &c. habeant. Itaque rectè dixit Bellarminus, Achiorem non dicturum fuisse; populum Iudaicum à multis nationibus exterminatum fuisse, sed ab vna; si in illo suo sermone ad captiuitatem Babylonicam sub Nabuchodonosor respexisset.

Pergit Hunnius. *Alter scopulus in his se profert verbis libri penè vltimis: Mansit autem (Iudith) in domo viri sui annos centum quinque.* Et paulò post: *In omni autem spacio vitæ eius,* NON FVIT, *qui* PERTVRBARET ISRAEL, & POST *mortem eius annis multis.*

Porrò cap. 12. nominatur παιδίσκη, puella. Vnde liquet, eo tempore, quo Bethulia legitur obsessa, fuisse adhuc iuuenculam, quod & formæ commendatio demonstrat. Ponamus fuisse annorum triginta, aut triginta quinque.

Agas paulò liberalius, mi Prædicans, & da ei annos quinquaginta; tum enim, vt rectè ait Serarius noster, in cap. 16. Iudith, videri adhuc potuit pulcherrim, partim a ea, quæ ipsi diuinitus indita fuerat pulchritudine; partim ea, quæ ipsi naturalis fuit. Non enim olim tantùm, cùm ferè esset hominum vita productior; feminarum nōnullæ suam adhuc venustatem retinebant anno ætatis quadragesimo, & quinquagesimo; sed etiamnum hodie, vti, siquidem minus videretur credibile, viuis adhuc, & spirantibus exemplis comprobari posset. Atque idcircò illa ipsi tantopere placuit Holopherni. *Puellam* vocat cap. 12. Bagoas eunuchus primò: quia ob eximiam pulchritudinis venustatem, tenella etiamnum puella videbatur. Deinde solent libenter, qui feminis blandiri, easque ad facinus illicere, procarique volunt, puellarum iis nomen dare. Sciebat marito adiugatam Helenam Phryx ille adulter; eam tamen affabatur:

Da mihi te facilem, nec dedignare maritum
Rure Therapnaeo nata PVELLA *Phrygem.*

Tertiò, ipsamet Iudith cap. 11. ver. 4. sese per demissionem, vocarat Holophernis παιδίσκην, & sæpius eôdem cap. & 12. δούλην, id est, *ancillam.* Alludit ergò ad ipsius Iudith verba eunuchus, & mollius illud proponit, & quidem nouo cum blandientis lenocinio παιδίσκη ἡ καλή, *pulcra puella.* Hæc Serarius.

Iam tu Prædicans progredere. *Et quoniam à tempore liberatæ Bethuliæ pax, & tranquillitas continua insecuta legitur, quæ durarit etiam post mortem Iudith, non annum vnum, aut alterum, sed* MVLTOS *annos: certè si per annos illos multos, non plures, quàm septem, intelligamus: liquebit ex supputatione, pacem insinuari annorum 80. vel ad minimum 75.*

Non est, quod quidquam de numero detrahas. Octoginta annos libenter dabimus; quamuis VVitackerus centum annos postulet. Sed sufficiunt octoginta. Etsi Bellarminus parcius se-

ptuaginta duos duntaxat constituat. Quid habes contrà præco? *Bellarminus, vt hunc numerum annorum, quibus pax in Israël, post victoriam Iudith, durauit, colligat & euincat: Primò fingit Manassen decimo sexto ætatis anno, atque sic circa initium regni, fuisse captum & abductum, id est, quarto Regni anno.*

At hoc manifestissimum est Prædicãtis mendacium; ex inscitia vel malitia, vel ex vtraq; profectum; Bellarminus enim hoc loco quando decimum sextum annum Manasse nominat, nunquam intelligit annum ætatis, sed annum regni, vt vel ex his eius verbis patet: *Cœpit autem regnare* (Merodach Baldan super Assyrios) *tertio anno* (regni: nam tertio ætatis regnabat adhuc Assar Addon, quẽ sub fine regni Ezechiæ regnasse opinatur Bellarminus) *Manasse; quocirca annus eius tertiusdecimus* (regni, de his enim annis fit comparatio inter reges) *in quo contra Iudæos, bellum mouit, Duce Holoferne, incidit in annum decimum sextum Manasse, quem Manassen paulò ante captiuum duxerat in Babylonem.* Et infrà: *Manasses regnauit annos quinquaginta quinque, ex quibus accipio triginta nouem post captiuitatem eius. Constat enim initio regni eam captiuitatem accidisse.* quæ verba Bellarmini minimè intelligẽda sunt de tertio, vel quarto anno regni: sed de prima parte annorum regni tam diuturni, si regnũ quinquaginta quinque annorum in duas, aut tres partes distribuatur.

Eadem phrasi dixit suprà, Asser Addonem regnasse post Sennacherib sub finem regni Ezechiæ. 4. Reg. 19. Ex quo tamẽ scripturæ loco tantùm colligitur Asser Addonem incepisse regnare, post decimum quartum, aut decimum quintum annum regni Ezechiæ; adeoque posteriore parte regni, regno in duas partes diuiso.

Ita, vt debet, intellecto Bellarmino, rectè adducitur Iosephus: nam, opera gesta ante captiuitatem, vocat iuuenilia, ante tricesimum videlicet ætatis annum acta, adeoque initio, seu prima ferè quarta parte annorum regni gesta. Captus siquidem secundum Bellarminum est Manasses anno ætatis vigesimo octauo, vel paulò ante, nec diu in captiuitate mansit, vt significat Bellarminus, imò & scriptura 2. Paralip. 33. quæ Manassen exauditum scribit. Quis ferat Prædicantem interpretem? *exauditum illum post decennium*; vel quis sibi persuadeat, Manassen non nisi pluribus iam elapsis annis ad diuinam opem per preces confugisse?

Ex his corruunt omnia, quę Prædicans furiosissimè detonat in Bellarminũ; omnia enim falso nituntur fundamento; & nõ nisi crassæ & pingui Prædicantis phantasiæ inædificata sunt. An non Manasses viginti octo annorum spatio ante captiuitatem ea scelera & sacrilegia perpetrare potuit; quæ sacris litteris prodita leguntur? An non generare filios, *quos transire fecerit per ignem?* 2. Pa-

A ralip. 33. Quanquam fortè scriptura de vno, tanquam de pluribus, more non inusitato, loquitur. Vnde 4. Reg. 21. in Hebræo & Latino textu vnius tantùm filij per ignem traducti fit mentio. At plures habuerit Manasses. Quid mirum, circa annum vigesimum octauum ætatis, non decimũ sextum, vt hallucinatur Hunnius; qui præ stoliditate non aduertit, Bellarminum, dum tempus longissimæ pacis post Holofernem deuictũ colligit, non tantum triginta nouem annos; sed potius quinquaginta & vnum, post captiuitatem numeraturum fuisse, si Manassem anno decimo sexto ætatis, non regni captum existimasset.

Nec erat, cur Prædicans ob citatum à Bellar-
B mino Iosephum in hæc fulmina prorumperet. *Bellarminum Iosepho affingere turpe, crassum & detestandum mendacium; turpissimum falsi crimen. Ocularem inspectionem reuincere Iesuitam manifestæ falsitatis. Nunquam hoc in Iosepho monstrabit in æternum*; Vociferatur Prædicans. Quid nunquam monstrabit Bellarminus in Iosepho? Num tua mendacia Bellarmino afficta & imposita de tertio regni anno, & de decimo sexto ætatis? Credo sanè; quia hæc talia nusquam, nisi in capite tuo delineata & consignata sunt.

An non dicit expresse Iosephus Manassen piacula illa commisisse νέος ὤν, hoc est, vt vertit Ruffinus *in iuuentute sua*. Certũ est autem Deum statim monuisse Manassen, totumque populum,
C vt à sceleratis inceptis desisterẽt; cuius cum Prophetas quotidie talia nefanda opera obiurgantes audire nollent, absque cunctatione, ira diuina adfuit, & Manassen in Assyriorum manus tradidit.

Vt taceam, quod supra ostensum, hæc omnia procedere ex falsissima de annis regni Manassæi persuasione. Quid enim flagitij intra annos sexdecim Rex impius perficere non potest? Neque opus est, alias Hunnij ampullas & sesquipedalia conuicia dispellere; quia omnia ex eodem ignorantiæ fonte profluunt: quo proinde exsiccato; necesse est ipsa etiam fluenta deficere. Sed en indissolubile argumentum, ex VVitackero acceptum, quo Hunnius, pro sua vaniloquentia, glo-
D riatur, *se constricturum Bellarminum, vt nolit velit, cogatur longè plurium annorum spatium interponere inter restitutionem Manassis, & inter bellum, cuius meminit liber Iudith.* Audiamus igitur argumẽtum tam mirificum, cuius, vt dicebam, auctor VVitackerus, si non & ipse idem ex alio sectario sublegit.

Capite quinto libri Iudith, quærit Holofernes; *quis sit iste populus, qui montes obsidet; aut quæ & quales & quantæ sint ciuitates eorum, vel quis Rex militiæ illorum. Et quare præ omnibus, qui habitant in oriente, isti contempserunt nos? &c. Sed de his & similibus minimè sciscitatus fuisset Holofernes, si ante paucos annos Assyrij Iudæos deuicissent, eorumq; Regem in Babylonicum carcerem abduxissent:* ergo, &c.

Digitized by Google

En *manifestissimum* argumentum, sic enim vocandum, quo tamen isti, tanquam adamantino, gloriantur. Negamus Minorem, ô Prædicantes; non enim tantum is, qui ignorat, interrogat; sed & sæpe is, qui rem perfectè perspectam habet.

Docent Grammatici, & Rhetores, inquit Serarius in caput quintum Iudith hanc ipsam VVitackeri futilem argumentationem dissoluens; &, absque istis, ipse quotidiani sermonis vsus, plurima plurimos interrogare, quæ norunt optimè; tãtùm, vt vel suam aliquam admirationem proponant; ab alio, facti alicuius confessionem eliciant; ea, quæ norunt, laudent, vituperent, extollant, & deiiciant, atque contemnant. Plena exemplorum profana literatura. Sed, intra sacrorum Bibliorum terminos, scandalisten ipsi nostrum, quæ non ignoramus, interrogemus. Cùm Adamum interrogaret Dominus Genes. 3. ver. 9. *Vbi es?* an, vbi ille esset, ignorabat? Cùm ibidem vers. 11. rursum interrogaret; *quis indicauit tibi, quod nudus esses?* an quis indicasset, non noscebat? Cùm interrogando pergeret vers. 13. *quare hoc fecisti*. an quare fecisset, nesciebat? Cùm cap. 4. vers. 6. dixit Caino Dominus; *quare iratus es, & cur concidit facies tua?* num iræ, vultusque huius causam nõ tenuit? Cùm iterum dixit vers. 9. *Vbi est Abel frater tuus?* an vbi exanimis, & mactatus iacebat iste, non perspexit? Tandem cum adiunxit vers. 10. *Quid fecisti?* nonne plagas, & cædem ipsam viderat? non sanguinis vocem de terra clamãtem audierat? Cùm idem Dominus ab Elia percunctaretur 3. Reg. 19. *Quid hic agis Elia?* Cùm ab Hieremia cap. 1. *Quid tu vides Hieremia?* ab Amos cap. 7. *Quid tu vides Amos?* apud Malachiam cap. 1. vers. 10. *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* Num horum ei quidquam ignotum erat? Ecquid verò sibi vult Moyses cùm Num. 16. vers. 11. interrogatione ista vtitur: *Quis est Aaron, vt murmuretis contrà eum?* fratrem non norat? Ecquid Nabal, cùm 1. Reg. 25. vers. 10. Dauidis pueris respondet: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* An qui filium Isai, & fugitiuum postea seruum vocat, de Dauide nihil audierat? Ecquid Iehu, cum Iezraëlem intrans, Iezabelem videns 4. Reg. 9. vers. 32. stipatores rogabat: *Quæ est ista?* Num, qui annos plures in Achabi, Ioramique regum aulis versatus erat, & quidem inter palatinos summæ ipse auctoritatis, & cum regibus familiaritatis? Ibidem vers. 5. & 25. reginam, non mutata veste fugientem, sed regio cultu fulgentem, stibio depictis oculis nitentem, regio capitis ornatu augustam, è fenestris despicientem; voces etiam, quæ audirentur, mittentem non agnoscebat?

Non igitur, quisquis interrogat, ideo ignorare, quia interrogat, existimandus, sicq; absque vllo veritatis vulnere, aut molestia, totum VVitackeri scãdalum remouetur. Hæ siquidem Holophernis interrogationes, non sunt omninò ignorantis, & de quibus nihil vnquam audiuisset, prout iste videri vult, exquirentis: sed sunt in-

A terrogationes militis, & militis: quia præter ipsius opinionem & voluntatem, ipsi tantas copias ductanti, suisq; viribus præfidenti, resistere quidam audeant, mirantis, irascentis, hostes vilipendentis, & contemnentis; quasi diceret; Quid istuc noui? Tam instructas, tamq; innumerabiles copias cùm habeam, tot iam vrbes, prouincias, populos, fulminis instar, quàm ocyssimè peruaserim, omnes vel solo Assyrij nominis terrore perculerim, dicite obsecro, quis iste tam stolidus, tamque ineptus, & vecors populus; qui, me vt arceat mõtana obsidere, arma parare, meque contra tueri audet? Quæ, quales, & quantæ ipsorum, etiamsi essent iis, quas iam diripuimus, maiores, & munitiores ciuitates? Quæ tanta eo-

B rum virtus? Quæ, contra tot peditum, equitumque myriadas, eorum multitudo? Quis rex militiæ illorum, suæ ipsius imbecillitatis, & fortunæ tam immemor, cùm nuper adhuc captus, & è carceribus, catenisque nostris vix pridem effugerit?

Hanc verò esse Holophernis mentem, non negabit, qui aduerterit *primò* ad similem interrogationem vers. 27. *Quis est iste, qui filios Israël posse dicat resistere Regi Nabuchodonosor, homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ?* Achiorem videbant Holophernis magnates: loquentem diu audierant; Ammonitarum ducem sciebant; & tamen, præ ira, & contemptu, interrogant; *Quis est iste?* Et, suam de filiis Israël opinionem, ob quam

C sic antea Holophernes interrogarat; clarè aperiunt, homines esse inermes, imbecilles, reique militaris imperitos. *Præterea*, eodem modo, sequentis capitis initio ipse Holophernes in Græcos; *τίς εἶ σὺ Ἀχιώρ, καὶ οἱ μισθωτοὶ τοῦ Ἐφραΐμ;* *Quis es tu Achior? & mercenarij Ephraim? Tertiò*, non mercenarios Ephraim tantùm, eo versu nominat Holophernes, sed hoc etiam cap. 5. vers. 3. Moabitas, Ammonitas, & Palæstinos, *filios Chanaan* appellat. Cur ergò & filios Israël ignoret, qui tantam vicinorum habet notitiam? Hæc Serarius, ex quibus & VVitackeriani & Hunniani clamores contra hunc librum tanquam nebula à sole dispergun-tur.

Ait Hunnius, *Manassem captũ anno regni sui qua-*

D *dragesimo primo, & post decennium reuersum.* Quo argumento probat hoc Hunnius? *Historici*, inquit, *ita statuunt*. At qui nam isti historici? Fortè Melanchthon, Carion, & huius farinæ alij chronologi an spermologi? At ne Hunnio faciamus iniuriam, ecce tibi Hunnianum, id est, nauci argumentum, pro suo paradoxo. *Si Manasses initio regni sui, hoc est, anno quarto*, (iterum delirat ex suo cerebro de quarto regni anno) *Babylonem ductus fuisset, tunc Spiritus sanctus 4. Reg. 21. vix gesta Manassæ vnius aut alterius anni complexus esset; sed hoc admodum est absurdum. Igitur non quarto, sed quadragesimo primo Regni sui anno captiuus Babylonem venit.* Frontem Prædicantis, qui Spiritui sancto quodammodo præscribere audet; quid in litteras debeat referre.

Quid

Digitized by Google

Quid si Spiritus sanctus in libris Regum nihil de Manasse nobis tradidisset? Num ideo culpandus esset? Quid si solum ingressum & finem denotasset? Quam breuiter acta quorúdam Regum perstringit? Num ideo rationé ab illo reposcemus; & ob breuitatem in ius ambulare iubebimus? Scilicet spirare vbi vult, licet; at scribere, quid & quantum vult, non licet. Et quamuis 4. Reg. 21. de reuersione Manasis & pœnitentia nihil dicat Spiritus sanctus; attamen lectorem eò mittit, vbi scripta erant *reliqua sermonum Manasse, & vniuersa, quæ fecit*; nempe *ad librum Sermonū dierum Regū Iuda.*

Inepto argumento addit ineptam appendicem. *Si tot annis piè & sanctè regnasset Manasses, Ammon filius & successor eius nunquam in tantam scelerum & idololatriæ voraginem præcipitatus fuisset*: pulchrè profectò. Quasi filius monumenta pietatis paternæ non longè citius, impulsu Diaboli, & sceleratorum suasu ac ope, demoliri queat; quàm erecta fuerint. Quod filij & posteri orthodoxorum maiorum à Catholica religione ad hæresin desciuerunt, & adhuc desciscunt? Quot sequuntur parentum suorum flagitia; quorū tamen non imitantur pœnitentiam?

Et vt ex præsenti argumento vanitatem Hunnianam redarguamus, Ezechias, pater Manassæ, regnauit in Hierusalem viginti nouē annis; quo tempore & ea quæ ad Rempublicam, & ea, quæ ad Ecclesiam seu cultum diuinum pertinebant, optimè & saluberrimè constituerat; populumq; sibi subditum ad veram religionem traduxerat: & tamen filius & successor Manasses, *mox à*, initio regni, *instaurauit Excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius, construxitq́; aras Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam*, 2. Paralip. 33.

Obiicit Prædicans: *4. Reg 23. & 24. & Hierem. 15. adscribitur captiuitas illa generalis Babylonica peccatis Manasse; sed fieri non potuit, vt quatuor duntaxat annis tanta scelera perpetraret, propter quæ ipsam quoq; Hierosolymam & tribum Iuda Deus abiiceret: ergo necessariò longius tempus statuendum est inter scelera & pœnitentiam illius.*

Audi Prædicans: nequitia non eget admodū multo tempore. Celeriter perfici & ad summum prouehi potest. Quid sacrilegiorum quatuor annis non potuit Manasses committere, cum videamus, vnicum Prædicantem, nec opibus aliquādo, nec viribus; sed sola lingua & mentiendi arte potentem tanta sacrilegia aduersus veram auitamq; religionem vno anno, vel breuiore etiam tempore, patrare; vt cum Manasse de sacrilegiorum palma certare posse videatur. Quanquàm, vt sæpius iam dictum, illud de quatuor annis nō est Bellarmini assertum; sed Hunnij delirium.

Caussa autem cur excidium Hierosolymitanum adscribatur etiam peccatis Manasse, assignatur planè ac dilucidè 4. Reg. 21. vbi eiusmodi spurcitiæ & abominationes de Manasse legútur, quales vix de vllo Rege Iuda proditæ sunt: vbi vt & secundo Paralipomenon, maximè exaggeratur, quod Iudæi tot Prophetas, fidelissimos monitores, à Deo missos, audire renuerunt: &, vt videtur, instinctu potissimùm Manassis; à quo *seducti sunt, vt facerent malum super gentes, quas constituit Dominus à facie filiorum Israël.* Quapropter *locutus est Dominus, in manu seruorum suorum prophetarum dicens: Quia fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis suis: propterea hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego inducam mala super Hierusalem, & Iudam: vt, quicunq; audierit, tinniant ambæ aures eius, &c.*

Hæc caussa, cur generale illud excidium Hierosolymæ totiusq; tribus Iuda peccatis Manassæ Regis adscribatur. Nā licet pœnitentiam egisset, pœnam tamen illam temporalem tribui Iuda Deus remittere noluit; sicut neq; Dauidem impunitum esse voluit, perpetrato adulterio & homicidio, quamuis ex intimis præcordiis pœnitentiam peregisset.

Ex quo Hunnius solutioné petere potest ad ea, quæ hic de remissione pœnæ garrit, quæq; se, *si pontificius esset*, (q̄ tamen precatur *ne vnquam fiat*; & certè exauditus est: nunquā enim amplius fiet Pontificius, iam Tartareus effectus) *cum Bellarmino acturum ait: vtrum videlicet tot lacrymæ, & tam diuturna Manassis pœnitentia, non potuerint iram diuinam flectere, vt Hierosolymæ & tribui Iuda parceret, ne penitus in hostium potestatem redigeretur?*

Respōdebit Bellarminus, Deum potuisse flecti, si voluisset; cur autē flexus non fuerit, hoc exponat nobis ille, qui consiliarius Dei fuit: nam & pœnitentia Dauidis flecti potuisset, ne filium recens ex Bersabee natum morte mulctaret, neue sanctū illum Regem tot calamitatibus & ærumnis exerceret, quas nobis secundus Regum liber enumerat.

Ridicula verò est hæc Prædicantis excusatio. *Manasses fuit iuuenis, quippe sexdecim tātūmodo annorū ex sententia Bellarmini; ergo non est credibile eum in iuuentute talia scelera fecisse, cuiusmodi de illo referuntur in libris Regum & Paralipomenon.* Argutissimè duplici nomine; tū quia antecedens prorsus est cōmentitium; nā Manasses 28. ætatis anno vel circiter ex Bellarmini sententia, captus est; tū quia iuuenes non sunt cæci ad vitia, & consequēter ad idololatriam, omniū vitiorū matrē ac procreatricem; neq; hoc etiam æuum exempla nobis suppeditat iuuenū, qui maximis & execrandis facinoribus in sacrosanctā & auitam religionem sese obstrinxerint, partim suopte ingenio malè instituto, partim consiliariorum à vera religione abhorrentium hortatu ac impulsu.

Fabulæ suæ hactenus actæ hunc imponit Colophonem Prædicans. *Actum igitur est de pace illa seu octuagenaria, seu septuagenaria ad ætatem Manassis, & sequentium Regum accommodanda; cùm non possit omni suo conatu Bellarminus vltra 37 annos elicere, quibus tum temporis in pace vixerint Iudæi, &c.*

Gran-

Grande Prædicantis mendacium; cum Bellarminus, septuaginta duos annos tantæ tamq; profundæ pacis facillimè colligat. Inspiciatur Bellarminus, & de assertione Prædicantis huius iudicium fiat;imò, vt videas & reipsa experiaris liberalitatem nostram, non tantum ad septuaginta duos, sed & ad octoginta annos pacem illam Israëlitarum, de qua capite vltimo Iudith, extendam cum Serario nostro, vbi suppono; de quo iam disputatum; bellum hoc post Babylonicum Manassæ reditum contigisse. Deinde captum Manassen anno decimo octauo ætatis, & quarto Regni; (sic sentit, non Bellarminus; sed Serarius & alij, ex quorum sensu nunc disputo) duodecim enim annorum erat cum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnauit in Hierusalem. 2. Paral. 33. Manserit verò in captiuitate vnum vel alterum annum (nam plurima, in eius historia, nos fugiũt) supererunt post eius reditum anni adhuc 47. vel 48. His adde duos filij eius Amonis annos, 4. Reg. 21. vers. 19. & huius filij Iosię annos 31. quibus Israëliticum populum perturbauit nemo; existent post victoriam illam, tranquillitatis anni 80. vel 81. At, post eandem victoriam, fuit sancta Iudith superstes annos circiter 65. Hos iam ex octoginta subducas, residui adhuc erunt anni 15. Quibus post Iudith mortem, pacem Israëlitica Respublica tenuerit. Hoc igitur textus vult, dum vers. 30. ait; *In omni spacio vitæ eius, non fuit qui perturbaret Israël, & post mortem eius annis multis.* Difficulter sanè annorum tãtum in illa simili phrasi Iudic. 2. vers. 7. exsculpi potest; *Seruierunt Domino cunctis diebus eius (Iosue) & seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore.*

Hactenus de vaniloquentia Hunnij. Nunc quid boni cæteri Prædicantes nobis prædicent, audiamus, exorsi à VVitackero: cuius obiecta contra hunc librum iam disiecta sunt, quà separatim, quà in Hunnio; vt illud de Holofernis quæstionibus, de prouincia & prouinciæ habitatoribus: Item illud, de diuturna pace, deque ætate & venustate Iudith; & illud; quod in libris Regum nihil de hoc bello & Holoferne proditum sit. Restant ergo tria vel quatuor alia.

I. Quando Holofernes in Iudæam venit, Templum euersum fuerat. Sunt enim hæc verba Achioris in lib. Græco: ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος, καὶ αἱ πόλεις αὐτῶν ἐκρατήθησαν. *Templum Iudæorum Hierosolymitanum euersum fuit, & solo æquatum, & ciuitates eorum occupatæ. Sed in illa Manassis captiuitate nulla fuit templi euersio, nec templum solo æquatum fuit ante regnum Sedechiæ, in quo illa magna captiuitas contigit, quod omnes profecto intelligant.*

Hic rursus vtar Serarij in caput quintum Iudith solutione: qui hæc ad verbum cõtra VVitackerum. Ad Græcum textum venio; in quo est illa quidem, quam obiicit VVitackerus, difficultas: sed ab ipso, contra quem obiicit, prius notata & obiecta; imò & dissoluta. Si veritatis esset amans hęreticus, debuisset non difficultatem tan-

A tùm arripere, sed vel eius dissolutionem approbare; vel, cur non approbaret, ostendere, ipsamque refutare. Verùm ita ex D. Thoma, ceterisque scholasticis, quæ mendicarunt argumenta, solent interdum Caluinus, Melanchthon, Chemnitius, aliique id genus lucifugæ, apud imperitos venditare: Solutiones verò eorum dissimulare. Nos verò Bellarminum ipsum audiamus. *Nec verò, ait, mouere quemquam debet, quod in textu græco additur, etiam templum fuisse solo æquatum, quando dispersi sunt Iudæi. Nam illa verba suppositititia videntur, quandoquidem S. Hieronymus, qui fidelissimè transtulit hunc librum ex Chaldæo sermone in Latinum, nihil de euersione templi in sua editione posuit.*

B Huic rationi, quam ne verbulo quidem succutere VVitackerus potuit, possunt & hæ adiungi. quòd græcum sæpius textum mendosum deprehendamus: quòd ad calamitatem istam exaggerandam, coram homine profano, & belli duce irato, ab homine prudente, multò magis iniecta mentio fuisset regiæ vrbis non captę modò, sed & inflammatæ, dirutæ, soloque penitus æquatæ. 4. Reg. 25. vers. 9. & 10. 2. Paral. 36. vers. 19.

Si quis tamen verba illa Græci contextus, vt legitima, & genuina defendere vellet, exponi possent, inquit Serarius, de summa, & extrema illa templi vastatione, seu profanatione, quam fecerat olim Manasses. Nam Reg. 4. cap. 21. vers. 4. *Extruxit aras* (Baal) *in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Hierusalem ponam nomen meum. Et extruxit*

C *altaria vniuersæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini. Posuit quoque (vers. 7.) idolum luci, quem fecerat in templo Domini, super quo loquutus est Dominus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius: In templo hoc, & in Hierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israël, ponam nomen meum in sempiternum.* 2. Paral. 33. vers. 4. & 5. *Ædificauit altaria in domo Domini cuncto exercitui cæli, in duobus atriis Domini.* vers. 7. *sculptile quoque, & conflatile signum posuit in domo Domini.*

Firmatur expositio hæc ex Græcis capitis quarti verbis antea citatis. Primò; quia in ista, qua de agitur, vastatione, significant mansisse vasa, altare, & ipsam Dei domum, sed eorum omnium βεβήλωσιν, id est, prophanationem tantùm fuisse. Seu, vt Iosephus lib. 10. cap. 4. μίασμα, pollu-

D tionem, cùm de Manasse ait; μιάνας ἐτόλμησε τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ. Deinde, non ait, vasa, altare, templum reædificatum, vti Zorobabelis tempore fieri oportuit, sed tantùm, ἡγιασμένα id est, sanctificata. Polluta siquidem mundari, profana expiari, & rursum sacrari debebant.

Tantùm superest, vt quo tunc modo potuerit stans, manensque templum εἰς ἔδαφος γίγνεσθαι, aperiam. Fieri hoc bifariam potuit. Primò, κατα-λυχνῶν. quia magnæ illius partes disiectæ, dissolutæ, solo æquatæ iacebant, vti non obscurè colligas ex 4. Reg. 22. vers. 5. & 6. 2. Paralip. 34. vers. 10. & 11. cum curauit sanctissimus Manassæ ipsius nepos, vt ingenti collecta pecunia, ædiles INSTAVRARENT *templum, & infirma quæq; farcirent.*

Digitized by Google

At illi dederunt eam artificibus, & cæmentariis, vt emerent lapides de lapidicinis, & ligna ad commissuras ædificij, & ad contignationem domorum, quas DESTRVXERANT *reges Iuda.* Deinde, possunt ea verba simpliciter verti, *fieri in pauimentum*, id est, templi sanctitatem ita violari, quasi commune quoddam, publicumque solum esset, quod omnium iam pedibus conculcaretur. Nam ἔδαφος *solum, pauimentumque significat*, & discrimen esse potest inter id, quod ex Iosepho afferebatur, εἰς ἔδαφος καταλῦσαι, & inter id, quod hoc loco Græcus ait, εἰς ἔδαφος γενέσθαι. Illud enim valet, *ad solum vsque tolli, solo æquari, funditus exscindi.* ideoque & ad hoc magis explicandum, non simpliciter εἰς ἔδαφος καταλύειν dixit lib. 3. Thucydides, sed addit. ἐκ τῶν θεμελίων, *è fundamentis:* quod & Plutarchus dixit, per εἰς ἔδαφος καταβάλλειν, *conicere vrbem in solum*, siue, *solo tenus deiicere.* Ita portò conculcatum, & profanatum templum fuit, & ab ipsis impiis Iudææ regibus, Manasse præsertim, antequam eum pœniteret, prout supra dictum: deinde, à gentilibus, dum Manasses ipse captus est, secundum VVitackeri quidem verba, videlicet, Chaldæi Hierosolymas ceperant, & Regem Manassen secum in Babyloniam abduxerant.

Secundum argumentum VVitackeri. *Si Manassis ista temporibus, & post Manassis reditum contigissent, legatos regis Babylonij populus Iudæorum non tam contumeliosè tractasset, ignominioseque dimisisset, quàm primo capite narratur. Nam Babyloniorum Iudæi & potentiam experti iam fuerant, & clementiam.*

Quasi verò non sit hoc à natura omnibus populis insitum, vt iugum alieni domini excutiant, si eius excutiendi spes aliqua affulgeat. Erat hoc potissimũ Iudæis innatum, vt multis sacræ scripturæ exemplis planum fieri posset; si id modò ageremus. Quapropter mirandum non est, si Iudæi legatos Regis Nabuchodonosor sine honore domum remiserunt: Credebant enim se tam Dei præsidio, quàm suis quoque viribus satis potentes valentesque futuros reprimendis Assyriorum impressionibus.

Tertium argumentum VVitackeri. *Tempore Manassis nullus fuit Nabuchodonosor.* Vnde hoc Caluinista probat? At non ostendit Bellarminus, quis sit iste Nabuchodonosor, qui Hebræis ætate Iudith bellum intulit? Si displicebant coniecturæ Bellarmini, cur non refutasti? Aut si putabas istũ Nabuchodonosor non posse esse Merodach Baladan, de quo 4. Reg. 20. cur non demonstrasti nec alium quempiam hoc nomine ex Asarradonis liberis fuisse; vt fuisse existimat Serarius in caput primum Iudith?

Vt Bellarminus planum faciat, Historiam Iudith cum tempore Manassis conuenire, ait inter cætera: *Viuebat eo tẽpore Sacerdos magnus Eliachim, vt patet ex Chronologia Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani; qui enumerans Pontifices Iudæorum, inter Sobnam, qui fuit Pontifex tempore Ezechiæ; & Hekiam, qui fuit tempore Iosiæ, ponit Eliachim. constat autem inter Ezechiam, & Iosiam intercessisse Manassem. Conuenit etiam id lib. 4. Reg. cap. 18. vbi Eliachim nominatur inter præcipuos sacerdotes: & magis etiam quadrat cum prophetia Isaiæ cap. 22. vbi prædicitur depositio Sobnæ impuri Pontificis, & exaltatio Eliachim in locum eius.*

Quid ad hæc VVitackerus? *Bellarminus non attendit illum Eliachimum, de quo in Ezechiæ historia legimus, non sacerdotem fuisse, sed præfectum aliquem, de tribu Iuda; & familia Dauidis, vt Es. 22. & 2. Reg. 18. successit enim Sobnæ, qui fuit aut scriba regius, vt aliqui vertunt, aut Cancellarius, vt alij, aut Præfectus prætorio, vt alij: sacerdos nec fuit, nec omninò esse potuit. Iosephus lib. vlt. de antiquit. Iudæorum, recensens omnes Iudæorum Pontifices ab Aarone ad postremum, nullum aut Eliachimum, aut Ioachimum circa hæc tempora nominat.*

At bene quidem attendit Bellarminus, inquit Serarius in caput quartũ Iudith. Tu verò, (VVitackere) vel dormitas, vel somnias. Nam & 70. interpretes, vt sacerdotem Sobnam, seu vt ipsi vocant, Somnam, indicarent, sacerdotalem ei domum fuisse dixerunt; eamque τὸ παστοφόριον vocarunt. Templi siquidem èxedras ita nuncupatas dixi, 3. Reg. cap. 7. & dicam 1. Machab. 4. D. Cyrillus in Isaiæ 22. cap. vers. 15. breuiter: *Pastophorium*, ait, *est cubiculum eius, qui templo præpositus est.* D. Hieron. ibid. *est thalamus, in quo habitat Præpositus templi.* An in sacris templi exedris politici Scribæ, Cancellarij, Prætores habitabant? Certè templorum, eorumq; thesaurorũ custodes etiam Horapollo lib. 1. cap. 41. παστοφόρους nuncupat. Quid? quæ proposita insignia? Num in ciuiles, aut Scribas, aut Cancellarios, aut Prætores congruunt? Quanquam tot ista, quæ è variis versionibus ipse congerit, nomina, sunt interpretum nouorum, qui dum à recepta versione discedunt, inter se perpetuò dissident.

D. Cyrillus loco citato, cum quæsiisset, num Sobna quæstor esset regiarum an sacrarum pecuniarum? *Videtur*, ait, *potius sacræ pecuniæ colligendæ, & rebus necessariò, & vtiliter interdum ad restaurationem sacrorum vasorum expensis præstitutus fuisse. Narrant etiam illum ex sanguine Leuitico esse, & sacerdotij ornamentis insignem habitum fuisse.*

Iterumque postea: *Cùm autem abductus esset & ipse in captiuitatem* (cum Manasse scilicet) *sacerdotij ipsius corona ablata est.* Et postea: *Cõtra Somnam quæstorem sacerdotij quidem dignitatem consecutum fertur Isaiæ narratio.*

Ad ista; si attendisset VVitackerus, num Sobnam sacerdotem negasset? Pergit verò de Eliachim S. Cyrillus. *Quòd sacerdotij honorem ei collaturus esset Deus, perspicuum facit, cùm se coronaturũ illum pollicetur, & cùm dicit, se togam ei daturum, & dispensationem, & potentiam, id est, vt posset subditis manui suæ populis imperare.*

Sunt & in Procopio, quæ hisce adstipulentur. Sed D. Hieronymus cùm Sobnam, *quæstorem, & dispensatorem thesaurorum domus Dei* dixisset, *transferet*, ait, *Dominus sacerdotium suum. Et qui quondam ha-*

Google

bebas coronam Pontificis, & sanctificationem in auri lamina, in qua erat scriptum nomen Dei, coronaberis tribulatione, & angustia.

Videmus ergò quemadmodum tam Sobna, quàm Eliachim sacerdotes fuerint, maximę quidem ambo, cùm ista Isaias vaticinaretur, in templo dignitatis: Postea verò Pontifices. Et deiecto, inque captiuitatem vnà cum Manasse Rege abducto Sobna, bonum, sanctumque nostrum Eliachim successisse. Neque tam felix fuit idem Sobnas, vt cum rege pœnitentiam ageret, Domini misericordiam imploraret, Hierosolymamque tandem rediret: sed in vinculis, & ferro mortuus est, Isaiæ, cap. 22. vers. 18.

Addo verò, etiamsi hos Regis Scribas, aut Cancellarios, aut prætorio præfectos fuisse, quasi B conniuendo, daremus; exinde tamen haud quaquam effici, sacerdotes non fuisse. Nam huiusmodi etiam munia interdum obibāt illius temporis sacerdotes, prout contra VVitackerum, farinæ alioquin eiusdem homo, docet Cornelius Bertramus lib. 1. de Repub. Hebræorum.

Mutit tamen adhuc nescio quid VVitackerus: *Iosephus*, ait, *lib. vlt. de antiquit. Iudaeorum, recensens omnes Iudaeorum Pontifices, nullum aut Eliachimum, aut Ioachimum circa hæc tempora nominat.* Et hìc iterum non attendit iste, quid dicat. Non enim illic, lib. scilicet 20. c. 8. recenset Iosephus omnes Iudæorum Pontifices: sed aliorum summa contentus, eorum tantùm edit nomina, qui ab Antiocho Eupatore fuerunt. Quia tamen, vt ipse antea ob- C iiciebam; eorum, qui à Salomonis tempore, vsq; ad captiuitatem Pontificatum gesserunt, nomēclaturam proponit lib. 10. cap. 11. Iosephus, cur in iis Ioachimus nullus? Ego quidem in Machabæis ostendam vacillare aliquantulum Pontificias istas Iosephi recensiones; nunc tamen dico, Eliachimum esse, qui vel ὠδίας, vel Σαλλοῦμος ab illo vocatur.

Sed habeat VVitackerus istius etiam rei, è suorum numero, testem aliquem. Reineccius tomo 2. fol. 255. *Sadocus*, ait, *absq; dubio Eliacimus est.* Et postea: *Sadocum secundū sub Ezechia, & Manasse, ipsum esse*, ait, *qui à Iosepho Odeas, à Nicephoro Callisto Ioas, à Nicephoro Constantinopolitano Eliacim vocatur.* Si verò veterem Ruffinianam Iosephi versionem legas D lib. 10. c. 5. inuenies quidem *Heliachim* Iosiæ tempore. Sed neque iste noster est; neque in Græco Iosephi textu est Heliachim, sed Ἐλκίας, qui 4. Reg. 22. *Helcias*: cuius modi etiam nomen Eliachimi nostri patri fuerat, Isaiæ 22. vers. 21.

Ex his etiam refellas mendacium & imperitiam Iunij; cum ait, *nusquam aut Sobnam, aut Eliacim accenseri sacerdotibus in libris Regum, Chronicorum, aut Isaiæ Prophetæ.* Idem Caluinista calumniatur Nicephorum Constantinopolitanum Patriarcham citatū à Bellarmino, *malè ariolatum, cum inter Sobnam & Helciam ponit Eliacim.* Sed criminationem istam in Nicephorum, virum & sanctitate & eruditione præcellentem, refutant loca scripturæ à

A Bellarmino allata; & paulò superius recitata. Cur ad illa mutus est Caluinista?

Inuehitur Iunius in Bellarminum, quòd dixerit, *verba Græci textus in c. 5. de templo destructo tunc, cū bellum hoc gestū narratur, esse supposititia.* At Bellarminū hoc non temerè affirmasse, iā antea ostendimus: simulq; rationem tradidimus hæc verba explicandi, salua historiæ veritate, si quis contēdat, ea esse genuina, & non aliunde sacro textui attexta. Quid amplius Iunius? Nihil: vt & Danæ*, nisi ꝙ nonnulla Bellarmini argumenta vocant στοχαστικὰ, *coniecturalia, & dubiis fundamentis fulta.*

Quanta istorum iniquitas, si coniecturalibus & verisimilibus argumentis in argumento tam antiquo & intricato nullum locum concedere volunt? Quoties ipsi hæretici in explicandis scripturæ & Euangeliorū difficultatibus ad probabilia argumenta confugiunt? Præclarè Aristoteles I. Ethicorum: *Exacta tractatio non simili modo in vnoquoq; genere exquirenda est: quemadmodū neq; in artium opificiis, &c. Contenti igitur erimus, si nos, cū de talibus, & ex talibus disseramus, pingui quadā Minerua, atq; adumbrata figuratione verū ostendamus. Cumq; de iis, quæ plerunq; eueniunt, atq; ex iis ratiocinemur, similia etiam cōcluserimus. Eodem modo etiam vnusquisq; debet ea, quæ de aliquo dicuntur, admittere; est enim eruditi eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest. Nam & mathematicum suasionibus vtentem approbare: & ab Oratore demonstrationes exigere, simile vitium videtur.*

Non committam, vt hic silentio transmittam inanissimas quasdam ratiunculas, quibus Savvbrandus Caluinista lib. 1. de principiis Christianorum dogmatum oppugnat: in cuius nænias incidimus, postquam hæc iam composueramus; de quo fusius infra in Appendice quarta ad hunc librum. *Cap. 4. v. 3. libri Iudith narratur Israëlitas tempore Iudith fuisse cum Iudæis fœdere & amicitia iunctos, imò Israëlitas vel Samaritanos eo tēpore paruisse Iudæis. At sacra historia docet Israëlitas iam ante ætatem Manassis à Rege Assyriorum in captiuitatem, & miserrimam seruitutem fuisse abductos, & in multas regiones dispersos. Samariam autem colonis Babyloniis, & Hamateū fuisse habitatam: 2. Reg. 17. 24. qui omnes fuerūt idololatræ, & adiunctis postea nonnullis sacerdotibus religionem veram cum idololatria miscuerunt. 2. Reg. 17. 27. Ab eo tempore, constat, Samaritanos fuisse Iudæis infestos, & execrabiles: tantum abest, vt vel iis paruerint, vel cum iis fœdere iuncti fuerint, vel deniq; eos, contra regem suum defendere voluerint.*

Argumentum hoc sublegit aliqua ex parte Savvbrandus ex Lyrano; qui testatur non defuisse, quibus propterea liber Iudith apocryphus haberetur. At prorsus immeritò & insulsè: Licet enim Rex Assyriorum Samariam & reliquum Israëlem subiugasset; & prouincias eorum Assyriis colonis replesset, attamen fieri potuit, & de facto etiam factum est; vt aliqua occasione, illum, qui tunc Assyrium regnum obtinebat, non magni fecerint; ab eoque defecerint; vt rectè do-

Digitized by Google

cet Serarius noster in caput primũ Iudith. Quot enim caussæ quotidie occurrunt, cur in aliquo populo seditiones, factiones, defectiones oriantur, seque cum aliis alioqui hostibus suis contra tertium hostem fœderibus initis muniant & vniant? Quod Samaritani hoc in discrimine faciendum non imprudenter existimarunt.

Israëlitarum verò non paucos, post Assyriacam transportationem, sua in patria residuos adhuc fuisse, planum est ex 2.Paral.cap.30.vers.1. *Misit Ezechias ad omnem Israël, & Iudam, scripsitq; epistolas ad Ephraim, & Manassen, vt venirent ad domum Domini in Hierusalem, & facerent Phase Domino Deo Israel.* Et vers.6. *Reuertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israël; & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manus Regis Assyriorum.* Rursumq; vers.10. *Cursores pergebant velociter de ciuitate, in ciuitatem, per terram Ephraim, & Manasse, vsque ad Zabulon, illis irridentibus, & subsannantibus eos. Attamen quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt in Hierusalem. Magna etiam* vers.18. *pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase.*

Non contradicit ergo liber Iudith sacræ historiæ, vt Caluinista fabulatur.

Secundum Savvbrandi argumentum, cap.8. vers.18. & 19. ita precatur Iudith. *Quoniam non sumus secuti peccata Patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt deos alienos. Pro quo scelere, dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis.* At tempore Manassis omnia plena erant idololatriæ sordibus & immũditiis; vt sacræ litteræ apertè tradunt. Et Samaritani 4. Reg.17. varia sibi idola fabricauerant; nec isti soli; sed & alienigenæ in Samariam ex Assyriis translati. Quomodo ergo subsistit; quod in illa Iudithæ precatione habetur?

Respondeo I. Iudith loqui de sua ciuitate Bethulia; eiusque in veræ religionis vero cultu constantia & perseuerãntia; & ab eius commendatione ciuibus suis bene sperandi mentem iniicere voluisse. Probet hæreticus ciues Bethulienses ad idololatriam cum Rege Manasse & Samaritanis desciuisse; & tunc nõ parum virium huic argumento accrescet. Non debet autem adeo insuetum & incredibile videri, Bethuliam in verã religione, aliis deficientibus perstitisse; cum videamus hoc etiam æuo multas vrbes, quamuis in medio Lutheranæ vel Caluinianæ idololatriæ positas ab auita fide dimoueri non posse.

Respondeo II. Iudith loqui de tempore; quo iam Rex Manasses ex captiuitate reuenerat; prostratusque Dei cultus non modo in tribu Iuda; sed & apud alios Israëlitas passim reflorere cœperat; exterminatis idolis; eorumque cultoribus & adoratoribus. Nam quod fortassis alienigenæ, qui in Samaria degebant; ad meliorem mentem non redierunt; id veritati precationis, qua Iudith vsa, non officit; quia loquitur de Israëlitis, qui Regis Manasse seria pœnitentia permoti ad Deum Patrum suorum sincerè regressi fuerant, tam illi, qui in tribu Iuda; quàm qui alibi habitabant; si non omnes ad vnum; at pleriq; & potior pars.

Tertium Savvbrandi argumentum. *Ne post reditum quidem Manassis Iudæi purè Deum coluerunt; quia populus adhuc immolabat in Excelsis.* 2. Paralip.33. *Falsum est ergo quod in illa precatione Iuditha continetur.*

Respondeo, negando consequentiam. Quia scriptura dicit, populum immolasse in Excelsis: *Domino Deo suo.* Quod tametsi esset contra præceptum de non sacrificando extra locum; quem Deus hostiis immolandis deputarat; non tamen idololatricum crimen erat; quia vero Deo; non autem idolo vel Dæmonibus litabatur. At precatio Iudithæ loquitur de idololatriæ scelere; & ab hoc Bethulienses, siue vniuersim Israëlitas immunes prædicat.

Quartum Savvbrandi argumentũ. *Græca valde discrepant à Latinis; ergo liber non est Canonicus.* At si hunc in modum argumentari liceat; facili labore probabimus, ne Genesin quidem esse Canonicam; quia Græcus textus in Genesi multis locis non parum à Latino dissidet. Quod dissidium nõ obstat; tum quia Ecclesia Latinam vulgatam editionem declarauit authenticam esse: non autem Græcam, quæ hodie exstat; tum quia septuaginta Interpretes; quos librum Iudith ex Hebræo etiam trãstulisse apud me indubitatum est; quædam reddiderunt paraphrasticè, & iure non tam Interpretum, quàm vatum, singulari Spiritus sancti impulsu, multa adiecerunt; vt libro secundo ex S. Augustini sententia, dicturi sumus; vt sileam, nonnulla, quæ hodie in Latina editione visuntur, nec tamẽ comparent in Græca; ex Græca excidere potuisse; & vice versa.

Dices. Patres Nicæni Concilij approbasse Græcam editionem libri Iudith; ergo Græcum contextum latino præferri debere. Respondeo; Nicænos Patres declarasse & definiuisse, librum Iudith esse Canonicum; non autem Græcam editionem prout tũc exstabat; esse authenticam: aliud est definire librum aliquem esse Canonicum; aliud hãc vel illam libri editionem vel versionem esse authenticam; & vbique Spiritus sancti sententiæ consentaneam. Fortè Nicæni Concilij ætate Græca editio propius accedebat ad nostram ex Chaldaico deriuatam, quàm hodie; quia tanto temporis interuallo multa potuerũt vel addi vel detrahi Græco textui.

Hactenus de Hæreticis, Bellarmini oppugnatoribus; sed non expugnatoribus. Quid verò

hæreticorum progenitor Lutherus de libro Iudith? Multa & valde honorifica tum in consabulationibus mensalibus, titulo *de veteris & antiqui testamenti libris*; tum præfatione in librum Iudith. Inter cætera; *non esse historiam, sed poëma seu figmentum; sanctum tamen, & moribus instruendis vtile; compositum ad imitationem Virgilianæ Æneidos & Homericæ Iliados: apud Hebræos forsan eo ritu in theatro exhibitum, quo multis locis passio Christi repræsentari solet.* Stultitiæ Lutheri succinit Caluinista Savvbrandus. *Semper mihi placuit eorum iudicium, qui hunc librum piam tragœdiam esse pronunciant.*

Eodem fermè modo loquitur Lutherus de libro Iob; in eodem titulo symposiacorum Colloquiorum; vt proinde Lutherus, librum Iob, Iudith & Tobiam, in eadem figmentorum classe reposuerit; prout de libro Iob iam supra ad caput quintum ex variis Lutheri dictis planum fecimus. Videtur Lutherus mirificè delectatus Comœdiis & Tragœdiis, exque nimio spectandi comœdias desiderio, etiam Canonicos libros in poëtica dramata transformasse. Periculum erat, ne semel probè potus, dulcique Lyæo madidè madidus decollationem Ioannis Baptistæ & passionem Redemptoris nostri in poëticam actionem transformaret; exque Euangelistis poëtas faceret. Sed valeat cum suis figmentis & fabulis fictorum & fabulatorum huius æui procreator Lutherus. Nos ad alia gradum promoueamus.

CAPVT XIII.

De libro Sapientiæ.

OCcinvnt nobis Prædicantes sæpius iam decantatas næenias. *I. Liber Sapientiæ non est in Canone Hebræorum. II. Græcè scriptus fuit. III. Hieronymus non reponit hunc librum in Canone.* Hæc & his similia nugamenta iam sæpius reiecta sunt.

IV. argumentum VVitackeri. *Philo est auctor libri Sapientiæ. Sed Philo nec Propheta fuit, nec prophetico spiritu imbutus: & post Christum natum passumq; vixit: ergo liber iste non est Canonicus.* Respondeo, Philonem, ex quorundam sententia, esse collectorem sententiarum huius libri; sententias autem ipsas esse Salomonis: & hunc Philonem non esse illum celebrem Iudæum, multis lucubrationum monumentis clarum, sed alium quendam hoc longè antiquiorem, quippe qui vixerit temporibus Oniæ Pontificis Iudæorum, vt quibusdam placet. Genebrardus in Chronologia verisimile arbitratur hunc Philonem fuisse vnum ex septuaginta Interpretibus.

Clamat VVitackerus, *hunc Philonem esse commētitium, & refutari à Sixto Senensi lib. 8. Bibliothecæ.* At duo errata committit VVitackerus, haud sanè leuia, nam primùm non probat, quod affirmat; secundò, affingit Sixto, quod Sixtus non sentit: non enim reiicit Philonem illum tanquam com-

A mentitium; sed tantum contendit, non Philonem, sed Salomonem esse huius libri auctorem; quod nec Bellarminus inficiatur: nam sententiæ quidem sunt Salomonis, vt veteres dicūt, & clarissimum est ex cap. 9. vbi auctor libri dicit: *Tu elegisti me Regem populo tuo, & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo*; collectæ tamen ac dispositæ sunt à Philone, verbis Græcis Salomonis sententias complexo, dictante sancto Spiritu: sicut Prouerb. 25. dicuntur parabolæ illæ Salomonis translatæ in librum à viris Ezechiæ Regis Iuda, cum antea fortè in schedulis haberentur.

Obiicit Hæreticus. *Auctorem libri Sapientiæ loquutum esse capite nono μιμητικῶς, per imitationem.* At in sacris litteris non sunt recipiendæ *mimeses* quæ

B non fundantur in vero, sed in falso. Quid autem à vero magis abhorrere videtur, quàm si auctor huius libri dicat se fuisse Regem Israëlitici populi, templumque in monte sancto Dei condidisse, si nec Rex vnquam fuit, nec templum in monte sancto condidit? Scio, quid ad hęc probabiliter responderi posset; & non deesse viros eruditos, D. Augustini grauissima auctoritate suffultos, qui tradant, Sapientiam & Ecclesiasticum adscribi Salomoni ob similitudinem sapientiæ, doctrinæ, parabolicæq; seu puerbialis phraseos; quam habent cum libris Salomonis, de quorum opinione cap. seq. plura. Hic tantùm ostendendum fuit, quid ad obiectiones Hæreticorum responderi queat; qui peruicaciter contendunt; li-

C brum Sapientiæ nullo modo ad Salomonem, tanquam ad auctorem, referri posse.

V. argumen VVitackeri. *Ecclesia olim aliter non iudicauit de libro Sapientiæ, quàm nos*; hoc est, quàm Caluiniani & Lutherani. Quod probat Sectarius ex libro Augustini de prædestinatione Sanctorū cap. 14. vbi cum ex libro Sapientiæ testimonium Augustinus attulisset, *Raptus est, ne malitia mutaret mentem; reclamatum est à multis librum non esse Canonicum.* At non debebat VVitackerus cum suo Kemnitio fraudulenter dissimulare verba, quæ S. Augustinus adiungit; Et sunt ista: *Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis Episcopis vsq;*

D *ad extremos Laicos, Fideles, Pœnitentes, Catechumenos, cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.* Et infrà: *Oportet, vt librum istum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant; quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium, crediderunt.*

Ob quæ verba malitiosè silentio inuoluta meritò reprehendit Kemnicium Bellarminus.

Ait VVitackerus: *Quicquid Augustinus ipse de hoc libro senserit, alios non sensisse librum esse Canonicum, & hanc receptam fuisse in illis Ecclesiis opinionem, constat.*

At nosse debet Hæreticus, vnius Augustini sententiam pluris apud prudentes fieri, quàm plurium aliorum, qui tāto viro vel iam, vel olim

ob

Digitized by Google

ob librum Sapientiæ inter Canonicos receptũ, reclamarunt: præsertim cum S. Augustinus lib. 2. de doctrin. Christ. & in Concilio Carthaginensi disertissimè hunc librum Canoni annumeret. Et receptam fuisse contrariam sententiam mendacium est VVitackeri, non assertum veritatis.

Obiicit Hæreticus. *Si Augustinus librum planè esse Canonicum sensisset, non tam remissè, ac frigidè illius autoritatem defendisset, & illos acerrimè reprehendisset, qui librum vt minimè Canonicum respuebant.*

Quomodo *frigidè* & *remissè* caussam libri Sapientiæ egit; cum tanta verborum grauitate aduersus illos, vt sic dicam, reclamatores vel oblocutores librum Sapientiæ defenderit; vt etiam dixerit: *eum in Ecclesia Christi de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis Episcopis vsque ad extremos Laicos, fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.* En quale testimonium perhibet S. Augustinus libro Sapientiæ. Ab omnibus, inquit, Episcopis, Fidelibus, Pœnitentibus & Catechumenis audiri & suscipi, *cum veneratione diuinæ & canonicæ auctoritatis.*

Quod si *æquiuocus* Iunius accurrat, vociferans, *librum Sapientiæ esse diuinæ auctoritatis, ex sententia S. Augustini, sed æquiuocè, impropriè, & catachresticè seu abusiuè,* quid nisi risum referet? neque enim illi, qui reclamabant S. Augustino, eximebant hunc librum ex eorum numero, qui *impropriè* sunt diuini, hoc est, qui non sunt diuini; (affirmabant enim non esse diuinum) sed negabant propriè esse diuinum, prout asserebat S. Augustinus: quorum tamen perpauci erant, respectu eorum, qui hunc librum, tanquam diuina auctoritate præditum, recipiebant.

Hinc apparet falsissimum esse, quod Hæreticus ait; *Ecclesiam tempore S. Augustini nõ aliter de hoc libro sensisse ac statuisse,* quàm ipsi hodie Nouatores sentiant ac statuant. S. Augustinus librum hunc Canonicis libris adscribit lib. 2. de doctr. Christ. & in Cõcilio Carthaginensi; & eum ab omnibus Episcopis, Fidelibus, Laicis, Pœnitentibus & Catechumenis cum veneratione diuinæ auctoritatis de gradu Lectorũ audiri testatur. Num idem sensus est huius æui sectariis? Nam quod S. Hieronymus scribit præfat. in libr. Salomonis; *Ecclesiam hunc librum non recipere inter Canonicas scripturas;* id ideo dicit; quia eo tempore non exstabat OEcumenici Concilij generale decretum, quo liber iste in Canonem referretur. Et S. Hieronymus, Hebræo Canoni addictus, cẽsebat sensum suum esse itidem sensum Ecclesiæ.

Non est autem dissimulandum insigne VVitackeri mendacium, qui scribere non veretur, *librum Sapientiæ à Philone, non à Salomone scriptum esse ex sententia Bonauenturæ in prologo super commentarios huius libri.* Audiamus ergo verba S. Bonauenturæ. *Notandum, quòd triplex est caussa efficiens huius libri, prima, per modum inspirantis, scilicet, Deus, &c. Secunda caussa efficiens per modum inuenientis est ipse Salomon.* (Nota & erubesce, VVitackere) *Proxima caussa efficiens per modum compilantis est Philo.* Hæc S. Bonauentura: qui nil aliud docet, quam quod Bellarminus, nempe Philonem fuisse tantũmodo sententiarum Salomonis collectorem. Etsi discrepat in Philone; quem putat fuisse illum, qui Apostolorum temporibus vixit; Bellarminus autem & alij, ab hoc diuersum, & longè antiquiorem constituunt.

Aduersarij, inquit VVitackerus, *præter argumenta communia, vnum huius libri proprium habent.* De cõmunibus iam sæpe vidimus. De propriis, falsum, quod vnum tantummodo suppetat. Testis Bellarminus. Nec alios aduoco. Sed quod nam istud vnum? *Paulum Apostolum huius libri testimonio vsum esse, Rom. 11. vers. 34. vbi ait; τίς ἔγνω νοῦν κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; Quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hæc verba sumpta esse ex cap. 9. huius libri.*

Non vtitur hoc argumento Bellarminus; sed cuiuscunque ex Catholicorum numero sit, nullus eo vtitur, vt demonstratiuo, sed vt topico & probabili.

Respondeo, inquit VVitackerus; *non ait Apostolus,* se testimonium aliquod *citare; Non enim sequitur, similia istis verba in hoc loco reperiuntur; ergò Apostolus hunc locum citauit.*

Hæc, ô Caluinista, Cane Hunnio; qui supra cap. 4. vsque ad nauseam Canonicam auctoritatem librorum veteris testamenti huiusmodi argumentationum genere probare insulsissimè & inscitissimè conatus est.

Nunc perge: *Et si Apostolus scripturæ propheticæ verba recitauit, aut ad scripturam aliquam allusit, non tamen id de hoc loco Sapientiæ necessariò statuendum erit. Nam eadem sententia apud Isaiam inuenitur cap. 40. vers. 13. his verbis: Quis erudiuit Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, aut instruxit eum? &c.*

Necessariò quidem sic non erit statuendum; probabiliter tamen ita statui potest, prout statuunt, qui hoc argumento vtuntur. Cur enim tam ad locum Isaiæ, quàm Sapientiæ vno, vt sic loquar, intuitu, non potuisset Apostolus respicere?

Huc accedit, ait Caluinista, *quod cum varij testimoniorum indices eorum, quæ ex vetere Testamento citãtur in nouo, à multis confecti, inq; Bibliis positi fuerint, horũ nullus vllum ex hoc libro Sapientiæ testimonium sumptum fuisse indicat, & nominatim hoc testimonium Esaiæ omnes tribuunt.*

Respondeo, VVitackerum aut decipi aut decipere: nam in plerisque Bibliorum editionibus, notatur ad cap. 11. vers. 34. Epistolæ ad Romanos liber Sapientiæ, vel potius nonum caput libri Sapientiæ, æquè ac caput 40. Isaiæ.

In Epistola ad Hebræos cap. 1. vers. 3. Apostolus non citat aliquod testimonium, inquit VVitackerus; *quòd manifestum est: quid enim si quædam verba in illo loco Sapientiæ leguntur iis non dissimilia, quibus vsus Apostolus est, quando Christi personam describit? Neq; enim dici po-*

test verba prorsus eadem esse sed tantùm similia. Itaq; hoc argumentum infirmas vires habet ad probandam huius libri autoritatem Canonicam.

Bonum factum VVitackerus faceret; si hæc sua verba ad caput quartum *Hunniani Examinis* attexeret; Nam quantum quantum est, aliis probationibus non constat, quàm istis, quas *infirmas vires habere* pronunciat VVitackerus. Neque hoc fugit Catholicos illos, qui hoc argumento vsi; attulerunt enim tanquam topicum, non vt *apodicticum.*

Refutatio Hunnij, Junij, Danæi.

VErbosè nobis denarrat Hunnius, quanti liber Sapientiæ à Lutheranis fiat. Cóclusio tandem est, *eum esse optimum inter libros Apocryphos*; quasi dicas; *Titium aut Sempronium esse sapientissimum inter stultos.* An non est hæc insignis laus; & inuidendum encomium?

Accusat Bellarminus Kemnicium quod testimonium sancti Augustini truncatè citauerit ex libro primo de Prædestinatione capite decimo quarto. Respondet Hunnius, *Propositionem suam non ita format Kemnicius, quemadmodum affingit ei Bellarminus.* Nihil Bellarminus de vlla Kemnicij propositione: hoc ei dat crimini, quod Augustini testimonium malignè detruncet. Cur hoc crimen non amoliris à tuo Kemnicio? Cur aliò euagaris? Ait, *librum Sapientiæ dici ab Augustino diuinæ auctoritatis & diuinum testimonium, quòd cum Canonica scriptura consentiat; non quòd parem cum Canonica scriptura auctoritatem obtineat; nam & symbolum Athanasianum de Trinitate dici posse diuinum, quandoquidem vndequaq; cum norma sacrarum litterarum conspirat. Æquiuocus* Iunius iterum cum suo *æquiuoco* accurrens; dicit *nominari diuinum* æquiuocè *vel impropriè, vel abusiuè.* Quibus verborum præstigiis omnia dicta patrum non modò hic, sed & alibi passim eludere nititur.

Sed frustra sunt Prædicantes. Nam sanctus Augustinus eo sensu sensit & publicè professus est librum Sapientiæ diuina auctoritate præditum; & *diuinũ testimonium* esse; & ab vniuersis Episcopis & Fidelibus vsq; ad ipsos Catechumenos sic audiri & haberi; quo sensu oblocutores eius negabant librum Sapientiæ diuina auctoritate præditum, & diuinum testimonium esse; at certissimum est hos sancti Augustini oblocutores non negasse librum Sapientiæ diuina auctoritate præditum & diuinum testimonium esse *æquiuocè, impropriè, & abusiuè.* & eo modo, quo *diuinum* dici potest omne illud, quod cum diuinis & canonicis libris ac litteris consentit: sed negarunt diuina auctoritate præditum & diuinum testimonium esse ea notione, qua libri Moysis, verbi gratia, vel quatuor Euangelistarum diuina auctoritate prædíti ac diuinum testimonium sunt: Certissimum igitur est, sanctum Augustinum

A sensisse & publicè docuisse librũ Sapientiæ propriè & strictè diuina auctoritate præditum, & diuinum testimonium esse, & sic ab vniuersis Episcopis & Fidelibus haberi, & audiri; & à doctoribus explicari: quia quod obtrectatores negabãt, id ipse constanter affirmabat. Et planè ridiculus est Iunius, cum per illa sancti Augustini verba: *De gradu Lectorum*; euadendi sibi viam patefactam existimat.

Ait, incredibili & impudenti commento; *de gradu Lectorum tantùm lectas scripturas æquiuocè diuinas & Canonicas: de ambone autem à Presbyteris & Episcopis lectas scripturas verè diuinas & Canonicas: hinc sanctum Augustinum Sapientiæ librum tantummodo pro*
B *æquiuocè diuino habuisse, hoc ipso, quod dixit, eum de gradu Lectorum legi.* Impudens simul & indoctum figmentum; quis enim tam rudis est, qui nesciat Lectorum officium fuisse legere ex pulpito seu gradu, seu suggesto, seu ambone (vnum enim idemque hæc vocabula significant) quidquid in Ecclesia legendum erat ex vtroque testamento, & inde etiam Lectores nomen traxisse; nam & Euangelia à lectoribus legi consueuisse testatur sanctus Cyprianus libro secundo epistola quinta. Et ipse Caluinus libro quarto Institut. capite quarto §. nono, fatetur hoc fuisse lectorum officium, quod tamen *vniuocus* iste Caluinista inficiari audet, tantum vt libro Sapientiæ maculam adspergat.

C Ait Hunnius, *quosdam Patres eximere librum Sapientiæ ex Canone.* At alij ponunt in Canone; vt ostensum ad caput septimum.

Inter alios testes, quos Bellarminus profert; est Melito Asianus, qui librum Sapientiæ in Canone posuit apud Euseb. lib. 4. Eccl. hist. cap. 26. Vbi rursus Iunius vt audacter, ita imperitè clamat, *apud Eusebium corruptam esse scripturã, idq; liquere ex vetustis Codicibus, & ex cap. 22. eiusdem libri. In vetustis Codicibus sic legi.* συλλαβόντες παροιμίαι ἢ σοφία ἐκκλησιαστής, *non autem ἡ σοφία, vt vulgò legitur.* Vbi verò antiqui illi Codices, quos laudat Iunius? In qua Bibliotheca? Mirum, nec ab accuratissimo edi-
D tore Græci cótextus Roberto Stephano, quamuis admodum Caluiniano, hoc mendum deprehensum & correctum, nec à recentiore interprete Christophorsono fuisse animaduersum; qui legerunt, *ἡ σοφία.* vt & ipse Hæreticus Musculus in versione sua edita Basileæ 1554. Etsi fateor, veterẽ Ruffini versionem hanc esse. *Prouerbia, (παροιμίαι) quæ & Sapientia*; vt videatur legisse, *αἳ καὶ σοφία.* Sed non est; cur propterea sentẽtiam mutemus, cum Græcos Codices, qui exstant, suffragatores habeamus: nam eos, qui non exstant, aut in sola Iunij phantasia exstant; tanti non facimus. Vertit quoq; Nicephori Interpres lib. 4. cap. 10. *Prouerbia siue Sapientia.* At si Græca adiecisset, fidei suæ melius consuluisset.

Digitized by Google

In cap. 22. inquit Iunius, *disertè Eusebius testatur, Hegesippum, Irenæum, omnesq́ priscos illos Patres librum Prouerbiorum Salomonis πανάρετον σοφίαν appellauisse. quæ certissima, & indubitata est alterius loci illius interpretatio.* Græcus quidem textus sic hodie habet. οὐ μόνος δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορὸς, πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶντος παροιμίας ἐκάλουν. Quæ sic vertit Christophorsonus. *Porrò autem non hic solus, sed Irenæus, & tota veterum turba Prouerbia Salomonis librum esse præclara eximiaq́ Sapientia refertum affirmabant.* Ruffinus tamen vertit, vt citat Bellarminus. *Verum & hic ipse & Irenæus, & omnis antiquorum chorus, librum, qui adtitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, sicut & Prouerbia, & cætera.*

Nec temerè ita Ruffinus vertisse censendus est: Fortè enim expresśit, quæ suo in Exemplari Græco repererat. Et aliam fuisse Codicis Græci lectionem inde etiam probabile efficitur; quia Eusebius ex antiquis scriptoribus enotare & excerpere solebat rara quædam & pecularia, & eam ob caussam singulari obseruatione digna. Nil autem præter modum rarum est ac singulare; si Dionysius Corinthiorum Episcopus, Irenæus, & omnis antiquorum chorus *Paroemias*, seu *Prouerbia* Salomonis vocarunt *πανάρετον σοφίαν, Sapientiam omni virtutum genere refertam.* Quis enim hoc ignorat? At rarum & obseruatu dignum erat, librum, qui *Sapientia* inscribitur, non modò à Dionysio; sed & ab Irenæo, omnique antiquorum choro, nominari *πανάρετον*, vt postea à S. Epiphanio, & Damasceno vocatus est, tribuique Salomoni. Vtcunque se res habeat, ex hoc Eusebij loco nunquam euincet Iunius corruptam esse lectionem capitis 26. vt ipse citat; præsertim cum librum Sapientiæ testetur S. Augustinus ab omnibus Episcopis & fidelibus audiri, tanquam diuina auctoritate præditum, & diuinum testimonium; quæ persuasio in animis Christianorum non demùm ætate S. Augustini extitit; sed à maioribus continua serie descendit. Et quid si quis diceret veteres illos *Prouerbia & Sapientiam* pro vno volumine habuisse; & hinc Ruffini versionem sic vertisse: *Prouerbia; quæ & Sapientia:* quòd cum libro Prouerbiorum vnum volumen reputaretur; vt primus & secundus Esdræ. Primus & secundus Regum: Ruth & liber Iudicum. Quod confirmatur ex versibus Amphilochij, quibus exponit numerum Canonicorum librorum: Ait enim tres Salomonis esse libros; & tamen, quatuor numerat; Prouerbia, Sapientiam, Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Cur tres vocat, & quatuor assignat; nisi quia Prouerbia & Sapientia liber vnus habebantur? Et quis vetet, quo minus huc etiam accommodemus Græca verba supra citata? Nominarunt enim veteres Paroemias seu Prouerbia Salomonis *πανάρετον σοφίαν*, propter adiunctum Sapientiæ librum; fuisse autem librum Sapientiæ appellatum *πανάρετον σοφίαν*, testatur inter cæteros S. Epiphanius *in libello de mensuris & ponderibus*, & Dama-

A scenus lib. 4. cap. 18. quanquam non sum nescius nomen hoc etiam *Ecclesiastico* tribui, nominatim à S. Hieronymo præfat. in libros Salomonis.

Cæterum, quod liber Sapientiæ ab antiquis Salomoni adscribitur, id mirabili prorsus & inaudita distinctione refellere nititur Iunius. Ait: *Sapientiæ liber non Salomonis est, sed esse dicitur primùm συνεκδοχικῶς: deinde verò δοξαστῶς. Synecdochicum fuit, quòd cum omnes Hellenistarum Ecclesiæ libros ethnos in vnum corpus coagmentarent, id corpus nomine Salomonis συνεκδοχικῶς inscripserunt: quemadmodum & libris Ruthæ, Esthera, Nehemiaq́ factum. Ex ista verò synecdochica phrasi τὸ ἔνδοξον, ἢ δοξαστὸν est consequutum, nempe quòd imperitiores posteri omnia eiusdem auctoris, Salomo-*
B *nis inquam esse putauerunt.*

Hanc Iunij vanitatem redarguunt ipsa Patrũ verba, qui Salomonem ipsum huius ipsius libri, quem citant, auctorem faciunt, non quòd liber Sapientiæ coniungeretur in eodẽ volumine cum Prouerbiis, Ecclesiaste & Cantico Canticorum; sed quia verè credebant hunc librum à Salomone fuisse conscriptum. Anastasius Sinaita librum Sapientiæ semper Salomonis titulo citat in suo Hodego, seu Duce viæ aduersus Acephalos. Tertullianus lib. de præscript. cap. 7. *Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat* (Sap. 1.) *Dominum in simplicitate cordis quærendum.* Quomodo hoc tradidit Salomon, si ex Tertulliani sententia non ipse auctor est ac scriptor huius li-
C bri?

S. Cyprianus lib. de mortalitate. *Sed & per Salomonem docet Spiritus sanctus eos, qui Deo placeant maturius istinc eximi & citius liberari.* Idem S. Cyprianus Epist. 65. *Sed & Salomon in Spiritu sancto constitutus testatur & docet* (Ecclesiastici cap. 7.) *quæ sit Sacerdotalis auctoritas & potestas, dicens, ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes eius sanctifica. Et iterum. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes eius.*

Quomodo Salomon in Spiritu sancto constitutus testatur & docet id, quod S. Cyprianus ex Ecclesiastico commemorat, si ipse ex sententia S. Cypriani tantum est Auctor libri Ecclesiastici συνεκδοχικῶς, quia scilicet auctor est li-
D brorum, quibus cum liber Sapientiæ & Ecclesiasticus vno in volumine coniunguntur? si ita delirare velimus; dicere tandem fas erit, S. Paulum esse Auctorem Epistolarum Canonicarum Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ; sed συνεκδοχικῶς, quia Epistolæ illæ coniunguntur plerunq; cum Epistolis S. Pauli eodem in Codice. Sic idem Paulus auctor dicetur Euangelij S. Matthæi; & S. Matthęus auctor Epistolæ ad Romanos & Apocalypseos; sed omnia συνεκδοχικῶς, & *Iuniane*, hoc est, insulsè & vanè, quia colligantur simul in eodem volumine. Imo Isaias dicetur eadem ob causam auctor quinque librorum Moysis, & Epistolæ ad Galatas, & ad Ephesios. Et quid tandem ex isto Iuniano συνεκδοχικῶς non extundemus?

Digitized by Google

Quis vnquam librum Iudicum citauit nomine Ruth vel vice versa; licet non tantum in vno codice conglutinentur; sed & vnus liber computentur? Fateor, librum Nehemiæ citari nomine Esdræ; idque iam olim consuetudo obtinuit, quòd tam Esdras, quàm Nehemias idem fermè argumentum tractent; ea nimirum, quæ ad reditum populi ex captiuitate vel pertinent, vel proximè consecuta sunt: idcirco iam olim ab Hebræis vnus liber computabantur, præsertim cum Esdras omnibus illis interfuerit, & partim etiam præfuerit, quæ Nehemias commemorat. Adde quod non desunt, teste Genebrardo in Chronologia, qui librum Nehemiæ ab Esdra compositum arbitrentur. Nil ergo insolens, si Esdræ nomine citetur.

Quis verò vnquã sibi persuadebit, antiquos Patres *Sapientiam & Ecclesiasticum* Salomoni attributuros fuisse; tantum propterea, quod cum Salomonis libris compularentur; si verè credidissent, hos libros nõ esse Salomonis, nisi *phantastico* isto modo, quem comminiscitur Iunius? qui cætera huius capitis aliter fermè non oppugnat, quam consuetis illis suis armis. Hæc sunt *στοχαστικὰ, coniecturalia. Æquiuoca, & inconsequentia à figurato ad proprium loquendi modum. Liber Sapientiæ scriptus est γυμναστικῶς ϗ μιμητικῶς, nõ θεοπνεύστως*: cui succinit Danæus: ad caput 13. & 14. qui hæc spicula in Bellarminum vibrat; vt & alibi creberrimè. *Est paralogismus à non caussa pro caussa. Patres non appellarunt hos libros Canonicos ἁπλῶς, absolutè, & ex omni sui parte.* Quis horum doctissimas & acutissimas solutiones non admiretur ac suspiciat?

Accusat Bellarminus Caluinum, quod librum Sapientiæ mendacij coarguat. Accurrunt non modò Caluiniani Iunius & Danæus, vt Patrem suum purgent; sed & Lutheranus Hunnius bene de Caluino mereri, & à Caluinistis gratiam inire cupit. Dixi de hac re ad caput decimum; allatis Caluini verbis, quæ & hic exscribit Bellarminus; Mirabilis prorsus Prædicantium vel impudentia vel peruicacia; qui soli meridiano tenebras offundere nitantur. An non dicit Caluinus, *se non credere primam idolorum originem fuisse beneuolentiam & affectum erga defunctos*? An nõ dicit, *antiquiorem esse originem idolorum, quàm auctor libri Sapientiæ tradat*? An non hoc ipso auctorem istum mendacij arguit? Prædicantium impudentia cogit me, vt quæ alibi dicta, repetam.

Ait Caluinianus Iunius, & Lutheranus Hunnius: *Caluinus auctorem non reprehendit, sed eos, qui ex verbis auctoris, hunc primum & vnicum idololatriæ fontem fuisse colligunt.* Audi igitur rursus verba Caluini lib. 1. Instit. cap. 11. § 8. *De idolorum Origine publico ferè consensu receptum est, quod in libro Sapientiæ habetur: primos scilicet exstitisse eorum auctores, qui hunc honorem detulerunt mortuis, &c. Non tamen concedo hunc fuisse primum mali fontem.* En tibi Caluinus ait; auctorem libri Sapientiæ affirmare, primos auctores idolorum fuisse illos, qui mortuis hunc A honorem habuerint: Caluinus negat hoc esse verum: An non igitur Caluinus librum Sapientiæ mendacij arguit? Non dicit Caluinus; *nego hunc solum fuisse fontem & ortum idolorum*: sed ait; *Non concedo*, hoc est, *nego, hunc fuisse primum mali fontem*: hunc nimirum, quem tradit liber Sapientiæ fuisse primum; non enim dicit; *quem alij fuisse primum perperam colligunt ex libro Sapientiæ*: quia illud refellit, & illud, *quod in libro Sapientiæ habetur*, falsum esse palam scribit. Quid verò in libro Sapientiæ habetur, Caluini iudicio? Iterum audi Caluini verba. *Primos idolorum auctores exstitisse, qui hunc honorem detulerunt mortuis, &c.* Hoc tanquam à libro Sapientiæ affirmatum refellit Caluinus; hoc falsitatis insimulat. Quid igitur tricantur B Prædicantes? Quid incassum in suo Caluino purgando desudant? Negat Caluinus primam Originem fuisse hanc, quam Sapientiæ liber, Caluino iudice, tradit fuisse primam. Quid vos Prædicantes tergiuersamini, tuq; præsertim Lutherane Hunni, ad quem nihil Caluinistarum parens Caluinus?

Dicit Bellarminus, idola, quæ furata est Rachel, fuisse imagines hominum, vel potius imaginem hominis, vnum enim tantum fuisse imaginem, sed nomine multitudinis vti scripturam, quod illud nomen in Hebræo non habeat numerum singularem. Quærit Iunius. *Vnde magis constat Bellarmino, vnum fuisse idolum, quàm plura, præsertim cum dicat ibidem Laban: quare furatus es Deos* C *meos?* Respondeo, parum referre siue plures imagines fuerint, siue vna tantum; & qui vnam tantùm fuisse cum Bellarmino credet, sic dicet, Græcos & Latinos interpretes numero multitudinis vocem *Theraphim* reddere voluisse; sed voces illas plurales accipiendas esse *singulariter*, vt & ipsam primigeniam Hebræam; quam vnicam aliquando imaginem humana specie formatam significare, patet 1. Regum 19. vbi Michol in locum Dauidis supposuit *Theraphim*; hoc est, statuam seu simulacrum.

Neque ita argumentatur Bellarminus, vt Caluinista fingit. *Simulacra locuta sunt; vt patet Zachariæ cap. 10. & Ezech. 21. Ergo omnia simulacra seu idola locuta sunt.* Hæc Iunij vanitas est & mendacitas, D non Bellarmini argumentatio, cui plusquam satis, quædam *Theraphim* seu idola locuta esse.

Scribit Bellarminus, certum esse Belum, primum Regem Assyriorum, qui vixit ante Rachelem, imò & ante Abraham, fuisse pro Deo habitum post mortem, vt Eusebius testatur initio Chronici, & statuam illi à Nino filio positam, fuisse primum idolum publicè propositũ ad adorandum, teste Ambrosio seu quisquis ille auctor fuit, in cap. 1. Epist. ad Romanos & Cyrillo lib. 3. contra Iulianum non procul à fine.

Circa hæc Bellarmini dicta miserabiliter delirat Danæus. Ait: *Falsum omnino est, Belum, cuius profani scriptores, & historici meminerunt, vixisse ante idola reperta. scribit enim Epiphanius idololatriam sub*

Thare Patre Abrahami natam, circa annum mundi 1870.

Vel hinc apparet, quam Nouatores isti antiquitatis sint periti. Nam Eusebius in Chronicis expressè scribit Anno vigesimo octauo Thare, mortuum esse Belum, Assyriorum primum Regem; & quando natus est Abraham iam regnasse Regem secundum, nomine Ninum, Beli filiũ; Quomodo igitur iste Nouator septuaginta annis Belum posteriorem facit ipso Thare? Neque his repugnat S. Epiphanius initio libri contra Hæreses; qui sub Thare idola cœpisse scribit: nam hoc verum est; quia Thare potissimam vitæ partem sub Nino filio Beli egit; (nam viginti octo tantum annorum erat, quando Belus vita functus est) qui Ninus, primus parenti suo Belo statuam ad publicam venerationem & adorationem erexit.

Sed probat Iunius etiam ante Belum fuisse idola: quia Genes. 31. v. 53. dicitur, *Dij Abrahami, & Dij Nachoris, Dij Patris eorum*: At Iunius non debebat lectori illudere noua Nouatorum interpretatione. Nam vetus & vera versio sic habet. *Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos, Deus Patris eorum.* Sic & 70. interpretes transtulerunt. *ὁ θεὸς ἀβραὰμ, καὶ ὁ θεὸς ναχὼρ κρινεῖ ἀνὰ μέσον ἡμῶν.* Si Iunius cum suis Rabbinicis symmystis Hebræam vocem Elohim vertere velit hoc loco numero multitudinis, *Dij*; poterit idem facere statim initio Geneseos: *In principio crearunt Dij cælum & terram*; simulque præstolari, quis fidelium de hac interpretatione futurus sit sensus.

Magis vrget locus ille cap. 24. Iosue. *Trans fluuium habitauerunt Patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham & Nachor, seruieruntq; Dijs alienis.* Sed nec iste locus rem euincit. Nachor enim Pater Thare, vixit centum decem & nouem annis postquã genuit Thare, vt dicitur Genesis cap. 11. Cum ergo Belus (cui filius Ninus successit) mortuus fuerit, quando Thare vigesimum octauum annum agebat, teste Eusebio, sequitur Nachorem, Patrem Thare, sub regno Nini, nonaginta adhuc annos vixisse. Quo temporis spatio facilè ab Idolis à Nino publicè erectis, vnà cum filio suo Nachor, in præceps abripi potuit.

Quapropter quidquid conentur Prædicantes, numquam ostendent falsum esse; quod antiqui scriptores tradunt, Ninum fuisse primum, qui idola in mundum introduxerit; saltem post diluuium. Nam vtrum ante diluuium fuerint idola & idololatria, nil opus hic disquirere. Et hæc dicta sint cum Bellarmino de primo idolo publicè ad cultum & adorationem exposito: non enim negandum est idola priuatim culta prius exstitisse, quàm Ninus Patri suo statuam erexit.

Plures fuerunt Assyriorum Reges dicti Beli; ait Danæus. Quo auctore hoc asseris? Certè apud Eusebium in Catalogo Regum Assyriorum non comparent. Quis ergo hos Belos creauit, & ad thronum Assyrium euexit? Num phantasia huius Caluiniani Prædicantis? *Bellarminus confundit Belos*, ait Prædicans. Tu verò neque quid lalles, neque quid chartæ illinas intelligis. Bellarminus loquitur de Belo Nini Patre; qui primus apud Assyrios regnauit. Expergiscere tandem Caluinista, & vel tenue specimen ede, te saltem verba & scopum Bellarmini intelligere. Pergis insanire. *Belum hunc putat Bellarminus ante Abrahamum vixisse.* Et cur hoc non putaret? cum, teste Eusebio in Chronicis, Abraham demum natus sit quadragesimo tertio anno Regni Nini; & totidem annis post mortem Beli. An non prior est, qui alterum quadraginta tribus annis antecedit?

CAPVT XIV.

De Ecclesiastico.

OPPVGNATIONEM huius libri orditur VVitackerus boni ominis caussâ à mendacio. *Pro hoc libro*, inquit, *nullum adferre aduersarij possunt peculiare argumentum.* Quod mendacium vel sola capitis decimi & huius decimi quarti inspectio dissipabit. Videamus argumenta Prædicantica. *I. Liber iste est Græcè scriptus; ergo non Canonicus.* Negata iam est sexcenties inanis ista consequentia. Quanquam ne antecedens quidem certum. Nam librum hunc ait S. Hieronymus præfatione in libros Salomonis, se reperisse Hebraicum, coniunctum cum Ecclesiaste, & Cantico Canticorum: nec *Ecclesiasticum*, sed *Parabolas* prænotatum.

S. Epiphanius libro de mensuris & ponderibus eumque secutus Damascenus, lib. 4. de fide cap. 18. expressè scribunt hunc librum ab Auctore IESV Sirach Hebraicè fuisse compositum, & à nepote eius in Græcam linguam translatum. Accipe eius verba: *αἱ γὰρ στιχήρεις δύο βίβλοι, ἥ τε τοῦ σολομῶντος, ἡ πανάρετος λεγομένη, καὶ ἡ τοῦ ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ σιρὰχ ἐκγόνου δὲ τοῦ ἰησοῦ, τοῦ καὶ τὴν σοφίαν ἑβραϊστὶ γεγραφότος, ἣν ὁ ἔκγονος αὐτοῦ Ἰησοῦς ἑρμηνεύσας ἑλληνιστὶ ἔγραψε. καὶ αὗται χρήσιμοι μέν εἰσι, καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται. Duo libri versibus constantes, Panaretus Salomonis, & ille IESV filij Sirach, nepotis IESV qui Sapientiam Hebraicè conscripsit, quam nepos eius IESVS interpretatus Græcè reddidit, ipsi etiam vtiles sunt, ac fructuosi, &c.*

Idem patet ex Prologo tam Græco, quàm Latino, qui Ecclesiastico præponi solet, ex quo hoc secundum argumentum VVitackerus exstruit. *Quàm præclarè hic interpres de se, suaq; translatione senserit, ex eius verbis, & confessione in Prologo manifestum est. Hebræa, ait, in linguam Græcam non posse verti tam commodè. Quamobrem verò? veniamq; postulat, si vocum quibusdam in locis facultate defici videatur. Vbi satis se indicat, nec Prophetam esse, nec spiritu Prophetico præditum.*

Respon-

Respondeo, quod interpres iste affirmat non posse semper æquè commodè per Græca reddi. id verissimum est; nec quidquam aut Spiritui sancto, aut Canonicæ auctoritati scriptoris detrahit; vt & illud, quòd veniam petit, si quando minus Hebraismum per Hellenismum exprimere videatur: Sanctus enim Spiritus non assistit scriptoribus Canonicis, vt fiant Tullij aut Demosthenes; sed tantú ne aberrent à vero. Quod & hic factum asserimus: Et imperitè prorsus colligit hinc VVitackerus interpretem istum *nec Prophetam, nec spiritu Prophetico præditum fuisse*: Perinde ac si ex illo Hieremiæ dicto cap. 1. *A A A, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum*, colligeret, Hieremiam nec Prophetam, nec spiritu Prophetico præditum fuisse.

III. Argumentum Hunnij. *Erroneum est palam* (nota temeritatem Prædicanticam,) *quòd cap. 46. scribitur de Samuele, quod etiã post obitum suum vaticinatus sit, & regi (Saul) notum fecerit finem vitæ suæ, & de terra leuauerit vocem suam in Prophetia, &c. At certum est, ad incantationem veneficæ non Samuelem, sed diabolum apparuisse Sauli in specie Samuelis, eiq; de fine vitæ loquutum esse, &c.*

Hæc ventosus Prædicans; qui tanquam certissimum affirmat, quod certissimò ignorat. Antiquissimi enim, & præclarissimi scriptores senserunt verè Samuelis animam Sauli apparuisse; non quidem vi, & efficacitate Pythonissæ, aut artis Magicę, sed iussu Dei, vt videre licet apud Bellarminum lib. 2. de Purgatorio cap. 6. Nec opus hic singulorum nomina percensere; liber Bellarmini in medio est; & alibi de hoc ipso argumento amplior erit dicendi locus.

Probat Hunnius non fuisse Samuelem, qui apparuit. *Quia in eodem illo capite, ex quo Syracides ista repetit, dicitur expreßè, quod Dominus Sauli nec per visiones, nec per* PROPHETAS (proinde nec per Samuelem) *respondere voluerit. Et quia non dignatus est ei Dominus respondere per Prophetam aliquem adhuc viuentem, multò profectò minus per Samuelem iam demortuum.*

Nimirum per Prophetas, & Sacerdotes viuentes, nec per somnia Deus Sauli respondit: Interim per Prophetam iam defunctum respondere voluit, & de facto etiam respondit: licet enim cõsulendo Pythonissam grauissimo scelere Saul sese obstrinxerit; Deus tamen, qui etiam de malis nouit benefacere, hac occasione vsus est; & per Samuelem, quæ scire volebat, patefecit Sauli; per Samuelem, inquam, non arte Magica; sed Dei potentia euocatum, & excitatum; quamuis non nisi positis Pythonissę incantationibus, ex mala, & peruersa Saulis voluntate institutis.

At iam Prædicans noster totus in acutissimas subtilitates resoluitur. *Illud Phantasma, est ne corpus Samuelis, vel anima? Anima esse nequit, quam inuisibilem constat esse spiritum, omnis corporeæ formæ expertem.*

Audi Prædicans: Illud quod apparuit, fuit anima Samuelis: quæ in se quidem inaspectabilis est; aspectabilis autem in assumpto corpore. Sicut Angelus secundum se sub videndi sensum minimè cadit; cadit autem sub aspectum in corpore, quod sibi ex aëre vel aliunde format. In monte Thabor apparuerunt cum Christo Moyses & Helias, seque visibiles discipulorum oculis obtulerunt. Quærat, & hic Hunnius: *Illud phantasma fuitne corpus Moysis & Heliæ; an anima* (quia Prędicans iste Heliam æquè mortuum esse censet, ac Moysen aut Samuelem) *anima profectò non potuit esse; quia est inuisibilis.* Quam pulcher & acutus & eruditus discursus.

Anima sanctißimi Prophetæ. inquit Hunnius. *erat in manu, atq; sinu* DEI, *neq; vlla ex parte vlli tentationi, aut potestati Satanæ obnoxia: nonne absurdum, imò impium fuerit, incantatrici, id est, Satanæ mancipio, vel ipsi etiam Diabolo hanc ascribere potestatem, vt animam Samuelis ex ipsissimet Dei sinu in has terras suis artibus eliceret?* Nemo adscribit hanc potestatem Diabolo, vel incantamentis Pythonissæ; iam dixi iussu & vi Dei Samuelem venisse: etsi non nisi incantatione Pythonissæ posita, verum hæc ad euocationem Samuelis nihil penitus contulit; sed tantum fuit conditio, sine qua Deus Samuelem non excitasset: Nisi enim Saul ad Pythonissam accessisset, Samuel nunquam virtute diuina excitus fuisset, vt Sauli iam iam impendentia mala nunciaret.

Pergit argutari Prædicans. *Nec in corpus Samuelis concesßit Dominus talem potestatem Diabolo, vt id è sepulcro resuscitaret.*

Aërem verberas. Nemo dicit corpus Samuelis aut Samuelis animam in suo corpore, quod in terris degens informabat; apparuisse: Anima Samuelis apparuit in corpore ex aëre formato, & quidem ad similitudinem eius corporis; quod Samuel inter viuos agens habebat.

Et quomodo id apparuisset? quærit Prædicans. *Mortuum vel viuum? Animatum vel examine?* Nec mortuum nec viuum, nec animatum, nec exanime apparuit; quia verum corpus Samuelis non apparuit. Si tamen Deus voluisset; potuisset apparere viuum & animatum, quia virtute diuina potuisset anima Samuelis corpus suum rursus animare & viuificare; Potuisset etiam apparere mortuum & exanime; anima Samuelis corpus suum non informante, sed subeunte duntaxat & agente seu mouente, sicut mouens agit & impellit mobile; nauta nauim; equus currum.

Si viuum & animatum apparuit, inquit Prædicans, *tum Diabolo tribuetur opus resuscitationis mortuorum soli increatæ potentiæ diuinæ competens.* Nihil minus, Prædicans; quia si corpus Samuelis viuum animatumque apparuisset, id vi Dei, non potentia Diaboli euenisset; sicut & iam anima Samuelis venit, non præstigiis Pythonissæ; sed iussu Dei.

Addit Hunnius: *Si exanime & mortuum apparuit; quomodo loqui potuit?* Respondeo, si exanime

Digitized by Google

corpus apparuisset, locutio ei tribueretur eo modo, quo tribuitur corpori, quod Angelus sibi format & assumit ex aëre. Nam & Gabriel Angelus visibiliter Beatæ Virgini apparuit; & cum eadem per corpus illud assumptum locutus est: quo pacto igitur corpus illud Angeli nec viuum nec animatum cum D. Virgine locutum dicitur, loquente nimirum Angelo, qui illud assumpserat & mouebat; ita corpus Samuelis mortuum locutum fuisset, si tunc mortuum apparuisset.

Clamat inscitus Prædicans: *Num absurda cumulantes absurdis, affirmabimus Dæmonem subiisse corpus eius, & per id locutum, sicut loqui solet per obsessos?* Nil opus, ô Præco: quia nec corpus Samuelis apparuit, nec Diabolus; sed anima Samuelis; sub corpore aëreo; cuiusmodi Angeli induunt, cum se mortalium aspectui offerunt.

Quęrit Prædicans: *Quomodo spectrum istud apparuit amictum pallio? Num enim pallium vnà cum Samuelis corpore sepultum est?* Ineptiæ Prædicanticæ. Quale corpus erat, tale & pallium. Corpus imaginarium seu ex aëre formatum; similiter & pallium. Quæ est hæc Prædicantis huius inscitia? Quoties Angeli visi sunt vestiti, & ad similitudinem hominum planè compositi? Num & Angeli aures, oculos, nasum, capillos, barbam, manus, pedes, & vestimenta habent? Num palliati, nùm togati incedunt?

Taceo, inquit Prædicans, *quod personatus ille Samuel, vtcunq; Samuelis personam, & loquelam astutè simulet, mendax tamen deprehenditur, dum ait ad Saulem: cras mecum eris tu, & filij tui. Atqui Saul in desperatione periens, non peruenit ad Samuelem agentem in vita æterna, sed haud dubiè ad orcum descendit.*

Tu verò Prædicans, si taceres, mendacium hoc loco non effudisses. Neque enim mendaciter, sed verè dixit Samuel, postera die Saulem cum filiis, secum, hoc est, mortuum futurum, & sub terra; non enim erat Samuel in cælo; sed in limbo Patrum; Quam solutionem iam pridem dedit Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 6. Nihilominus thrasonicè vociferatur Hunnius: *Intendat Iesuita neruos suos, nec tamen librum hunc ab errore iam dicto liberabit.* Nil opus vlla neruorum intensione vel contentione; Facilius hæ tuæ nugæ tam insulsæ dissipantur; quàm plumæ vel leuissimę stipulæ. Gloriosorum Prædicantium voces istæ nil aliud sunt quam *thrasonismi*, quibus rudi plebeculæ oculos non modo præstinguunt, sed & exstinguunt.

Addo ad extremum; licet, vt quibusdam aliis visum, is qui apparuit, non fuisset ipse Samuel, nihil tamen erroris Ecclesiasticus admisisset; quia quæ in assumpta alicuius persona geruntur, adscribi possunt illi, in cuius persona geruntur, vt notum omnibus, quibus liuor, & ignorantia oculos non exstinxerunt. Quid enim legitur in Ecclesiastico, quod non ex 1. Reg. 28. concludatur? *Cum vidisset mulier Samuelem, &c. Intellexit Saul, quod Samuel esset, &c. Dixit Samuel ad*

A *Saul, &c. Et ait Samuel, &c. erat enim* (Saul) *verba Samuelis, &c.* Hæc indubitatæ scripturæ verba exponant Prædicantes prout libuerit; quamcunque interpretationem attulerint, ea tuendo Ecclesiastici loco seruiet.

VVitackerus circa hanc disceptationem non multum immoratur; solas enim auctorum discrepantes sententias refert; quas non ignoramus; multi enim, negarunt Samuelem, vel animam Samuelis apparuisse; nec propterea Ecclesiasticum mendacij arguerunt, vt insani isti faciunt: & longè plures & illustriores Doctores affirmant, quàm negent, vt patet apud Bellarminum loco iam sæpius nominato.

B Addit VVitackerus: *Augustinus in libro de Cura pro mortuis cap. 15. testis est, multis videri non ipsum fuisse, sed spiritum malum. Et de libro Ecclesiastici sic scribit: sed si huic libro ex Hebræorum, quia in eo non est, Canone contradicitur, quid de Mose dicturi sumus? Huic ergò libro contradici posse concedit.*

Cur dissimulat Caluinista, quid ipse S. Augustinus eo in loco sentiat? An non ipsum Samuelem apparuisse? Etsi adiungit, multis cõtrarium persuasum esse: Et quod de Ecclesiastico subiicit; id nobis nõ officit. Non enim concedit huic libro iure contradici posse; sed. *si*, inquit, *huic libro contradicitur; quòd non sit in Canone Hebræorum, non deest aliud exemplum de Moyse, qui in Euangelio legitur apparuisse viuentibus.* Quemadmodum igitur C ego non concederem, libro Tobiæ v.g. contradici posse; meritò scilicet ac licitè, quamuis ad imitationem S. Augustini dicerem: si huic libro, ex Hebræorum, quia in eo non est, Canone, contradicitur; quid de libro Iob dicturi sumus? ita & S. Augustinus modo illo loquendi minimè concessit Ecclesiastico contradici posse, iure nimirum ac licitè. Eodemque modo intelligendus est citatus à Caluiniano D. Thomas 1. p. q. 89. a. 8. ad secundum.

Nec contentus Hunnius Ecclesiastico errorem non errorem obiecisse, en alterum adiicit; *itidem manifestum*, inquit Prædicans. *Quia Auctor Ecclesiastici existimauit Eliam Thesbiten aliquando reuersurum in persona, cum Dominus promittens Eliam Malach. 3. non alium quàm Ioannem Baptistam intellexerit:* D *ipso Christo interprete Matth. 17. vers. 11. 12. Marc. 1. ver. 2. Luc. 1. vers. 17. Luc. 7. ver. 27.*

Hanc Prædicantis imperitiam non aliis verbis confutabo, quam quibus nuper refelli Mæuium, Hunnij discipulum, nempe ab Ecclesiastico rectissimè assertum, Eliam sub finem mundi rediturum; id enim aliis itidem scripturæ locis consentit; nominatim illi Malachiæ cap. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor Patrum, ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum, &c.* Nam quod Mæuius citat caput 3. Malachiæ, & ea, quæ ibi dicuntur, ad Ioannem Baptistam spectare cõtendit, aut lippientibus, aut nictantibus

oculis

oculis *Examen* Magistri sui legisse videtur; qui Prophetiam illam capitis quarti apud Malachiam ad Ioannem Baptistam pertinere affirmat, in qua expressa de Elia mentio: nulla facta mentione eorum, quæ in capite tertio vaticinatur sacer vates; quæ, respectu ad Ioannem Baptistam prædicta fuisse, non grauatè fatentur interpretes. Tota quæstio est de loco posteriore iam recitato ex quarto cap. quem ad Eliam illum veterem Thesbiten spectare, expressè senserunt 70. Interpretes, verterunt enim: *Et Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten, &c.* Idem plerique sanctorum Patrum, & sacræ scripturæ interpretum tradunt, vt videre licet apud Franciscum Riberam comment. in cap. 4. Malachiæ.

Sed probat Mæuius cum febriculoso suo Doctore, locum hunc non intelligi de Elia Thesbite, sed de Ioanne Baptista, ex cap. 17. Matth. vbi Saluator ait: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia: ergò falsum est, quod Ecclesiasticus ait; Eliam Thesbiten in fine mundi ad mortales reuersurum, & prædicatione sua multos ad Deum conuersurum. Falsum itidem erit oraculum illud Malachiæ ad Thesbiten spectare; quia Christus dicit; Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Ergò iam venerat Elias, & restituerat omnia.* quia in Grammatica Mæuiana, & Hunniana, *venturus est*; præteriti temporis est; vt & verbum; *restituet*. Nam, quod Dominus addit; *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum, quæcunq; voluerunt*: id Hunnium, pullumque subiugalem Hunnij parum iuuat. Nam, vt hæc posteriora de Ioanne Baptista intelligantur, sicut reuera intelliguntur; num propterea & priora de Ioanne Baptista accipienda erunt, quia omnia sunt de futuro, & nil nisi futurum respiciunt? Neque refutant opinionem communem tum Pharisæorum, tum aliorum, quam de Elia habebant; sed de alio quodam Elia loquuntur, de illo videlicet, qui vt apud S. Lucam Angelus prædixerat; præcessit Redemptorem *in spiritu, & virtute Eliæ.*

Miranda, imò verò & miseranda est Prædicantium stupiditas, cum propter verba *de præterito*, quæ manifestè ad Ioannem Baptistam spectant, vim inferre volunt verbis proximè antecedentibus, *de futuro*, quæ etiam ex Prophetarum oraculis, & ex scripturæ analogia, & ex Patrum cõmuni doctrina alio referri non possunt, nisi ad Eliam Thesbiten. Quod si de hoc Eliæ reditu solus Ecclesiasticus aliquid memoriæ prodidisset, cur illi non potius fidem haberemus, quàm Prædicantibus, quibus videtur erratum, quidquid non est *Prædicanticum*?

Ait Bellarminus; librum hunc ab antiquis tribui Salomoni. Citat aliquos Bellarminus. Lõgè plures Serarius in Notis ad primam Epistolam S. Bonifacij. Contra Hunnius: *Qui referri queat ad Solomonem hic liber, cum tamen in eo Rex Solomon aliqua ignominia perstringatur, cap. 47. his verbis: Inclinasti, (tu Solomon) femora tua mulieribus, tuoq;*

A *corpore in potestatem earum redactus es: MACULAM asperſisti gloriæ tuæ, &c. Num hæc de semetipso Solomon?*

Si hoc argumentum euincit Ecclesiasticum non esse Salomonis; tum similibus prorsus argumentis conficere licebit, Euangelium S. Matthæi non esse S. Matthæi; quia palam profitetur se fuisse publicanum, hoc est, peccatorem maximum: Item Epistolam primam ad Timotheum non esse S. Pauli, in qua hæc leguntur cap. 1. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.* Num hæc de semetipso Matthæus, vel Paulus? Quasi verò qui ad meliorem vitam, diuina ope, ex flagitiorum & scelerum cœno euadunt, soleant peccata sua dissimulare, Ausim dicere; si ipse-
B met S. Petrus Euangelicam historiam conscripsisset, non omissurum fuisse negationem suam; tantum abest; vt sancti homines commemorandis delictis suis maculam sibi inuri existiment.

Instat Prædicans: *Quomodo insuper ex libris Regum referre potuit Solomon res gestas Eliæ, Elisæi, Hiskiæ Regis, & Esaiæ Prophetæ (sicut quidem cap. 48. Ecclesiastici referuntur) cum tamen circa Solomonis tempora isti summi viri nondum fuerint in rerum natura? Refert autem illorum res, vt iam præteritas. Vnde concludimus ἀναποδεικτικῶς, auctorem Ecclesiastici non esse Solomonem.*

Rectius dixisset ψευδωνυμικῶς. Vbi enim illa tua iactata apodixis? Audi Prædicans: Bellarminus cum aliquibus antiquis doctoribus non asserit, Ecclesiasticum esse solius Salomonis; sed ait;
C sententias esse Salomonis; collectionem verò IESV filij Sirach; & hoc voluisse illos, qui Iesum filium Sirach Auctorem huius libri statuerunt; ex quorum numero Epiphanius & Damascenus; & alij non pauci. Hoc tamen non obstat, quominus Iesus filius Sirach, diuino instinctu aliquas proprias sententias adiecerit: cuiusmodi sunt dicta de laudibus sanctorum, qui post Salomonem claruerunt; & fortè illud ipsum, quod de lapsu Salomonis in capite 47. attingitur.

Hinc caput 47. & sequentia in Græca editione Romana proprio titulo à prioribus secernuntur: *πατέρων ὕμνος, Patrum praconium.*

Et hæc non absque verisimilitudine pro opinione, quam Bellarminus de auctore Ecclesiastici sequitur, disputari possunt aduersus Prędican-
D tes. Mihi tamen semper magis arrisit eorum sententia, qui & librum Sapientiæ & Ecclesiasticum Salomoni attributum existimant, ob similitudinem Sapientiæ, doctrinæ, parabolicæq; seu prouerbialis locutionis, quam liber Sapientiæ & Ecclesiasticus cum libris Salomonis habent: ita enim expressè docet S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. Dei c. 20. *Sapientia*, inquit, *& Ecclesiasticus propter eloquij nonnullam similitudinem, vt Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo: non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.* Et lib. 2. de doct. Christ. c. 8. *Illi duo libri, vnus, qui Sapientiæ, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach, eos scripsisse, constantissimè*

perhi-

Digitized by Google

perhibetur. Rabanus lib. 5. de vniuerso, c. 3. *Ecclesiasticus propter nimiam sensus similitudinem, & eloquij parilitatem, Salomonis titulo prænotatur.* Atque hoc ipsum etiam significat Athanasiana Synopsis, vt patebit ex eius verbis, quæ paulò pòst recitabimus.

Quamuis autem hæc ita sese habeant; vlterius tamen quæri potest; quis nam fuerit Ecclesiastici auctor, pro qua dubitatione dissoluenda quatuor personas memori mente condere oportet. I. Sirach, seu flexu latino, Sirachum. II. Iesum filium Sirachi. III. Sirachum, IESV filium. IV. IESVM Sirachi filium IESV Nepotem; & primi Sirachi pronepotem. His animaduersis dico, IESVM filium primi Sirachi esse auctorem Ecclesiastici; Hebraicâ linguâ ab illo conscripti. Patet B hoc 1. ex cap. 50. Ecclesiastici v. 29. *Doctrinam Sapientiæ & disciplinæ scripsit in Codice isto Iesus filius Sirach Ierosolymita, qui renouauit Sapientiam de corde suo.* Idem testatur lemma sequentis capitis. *Oratio IESV filij Sirach.* Quod etiam in Græcis editionibus apparet.

Idem patet secundò, ex Prologo, qui Ecclesiastico in Græcis & Latinis codicibus præponi solet; in quo asserit is, qui Ecclesiasticum in Græcam linguam transtulit, auum suum Iesum hunc librum Hebraicè conscripsisse. Iste autem non est alius, quàm IESVS filius eius Sirachi, quem supra primo loco collocauimus.

Patet idem tertiò ex Synopsi Athanasiana, cuius hac de re oratio, in quibusdam Ecclesiastici C editionibus procemij vice præmitti solet. Verba paulò pòst repræsentabimus. Item ex libello S. Epiphanij de mensuris & ponderibus, cuius verba initio huius capitis adduximus.

Porro librum hunc à primo auctore compositum fuisse Hebraicè testatur S. Hieronymus Epist. 115. vbi dicit Hebraicum exemplar à se hoc titulo visum. *Parabolæ IESV filij Sirach.* Idem docet S. Epiphanius lib. de mensuris & pond. & aliis. Hactenus de primo Auctore.

Quid de interprete in Græcam linguam? Accipe. Ecclesiasticum transtulit ex Hebræo in Græcum sermonem IESVS filius secundi Sirachi; nepos IESV; & primi Sirachi pronepos; suprà quarto loco à nobis commemoratus. Ita D Latinus & Græcus Prologus Ecclesiastici, qui est interpretis ex Hebræo; quique IESVM appellat suum auum. Idem affirmat Synopsis Athanasiana; seu alter Prologus; qui nonnullis editionibus Græcis præponi solet.

Ex his facile erit iudicium facere, cur liber iste communi vsu vocetur *Sirach*, seu Sapientia Sirach; vel absolutè *Sapientia*; fit enim breuitatis gratia; pro, *Sapientia IESV filij Sirach*, vel; *IESVS filius Sirach*: Nam IESVS primi Sirachi filius Hebraicè librum composuit: IESVS secundi Sirachi filius; eundem in Græcum sermonem conuertit. Quare cum antiqui scriptores ita loquuntur: *IESVS filius Sirach*; vel absolute; *filius Sirach*

A *hoc vel illud dicit*; referre id licebit, ad primum IESVM, tanquam ad Auctorem; ad secundum verò, vt ad Interpretem; vterque enim fuit filius Sirach; ille primi; hic secundi. Nouatoribus plerunque *Siracides* placet. Illud Damasceni lib. 4. cap. 18. Orthod. fidei ambiguum est; prout à veteri Interprete expressum est. *Qui omnium virtutum doctrina referti sunt, hoc est Sapientia Salomonis, & Sapientia Iesu, quam Pater Sirach composuit Hebraicè, Græcè interpretatus est nepos Iesu, & filius Sirach; studiosi quidem hi libri, &c.*

Vbi quis suspicari posset, Damascenum velle; Sirachum fuisse libri huius primum auctorem: & filium eius interpretem. At Græca verba omnem ambiguitatem tollunt; vt & recentior Damasceni interpres. ἡ δὲ πανάρετος, τουτέστιν ἡ σοφία τοῦ Σολομῶντος, καὶ ἡ σοφία τοῦ Ἰησοῦ, ἣν ὁ πατὴρ μὲν τοῦ Σιρὰχ ἐξέθετο ἑβραϊστί, ἑλληνιστὶ δὲ ἡρμήνευσεν ὁ τούτου μὲν ἔγγονος Ἰησοῦ, τοῦ δὲ Σιρὰχ υἱός, ἐνάρετοι μὲν, &c. *Panaretus autem, (quasi dicas, omni virtutis genere refertus) hoc est Sapientia Salomonis, & Sapientia Iesu (quam à Sirachi Patre Hebraica lingua editam, ipsius nepos, ac Sirachi filius, postea in Græcam conuertit) tametsi alioqui præclari, & elegantes libri sint.*

Scribit Genebrardus nonnullos esse, qui Iesum, Ecclesiastici auctorem, septuaginta interpretibus annumerent. Cornelius Bertramus Sectarius, in libro, quem Lucubrationes Franckentallenses inscripsit; arbitratur esse illum *Bensiram*, cuius apud Hebræos exstant cum scholiis Prouerbia: quia Bensira, est quasi filius Sirach; quod abnuit Serarius noster in Notis ad primam Epistolam S. Bonifacij. I. Quia *Bensira* Hebraicè habet in fine א. non ח. II. quia Hebræorum communis opinio est, vixisse Bensiram alterâ post Hieremiam ætate. At Iesus Ecclesiastici auctor, vixit post Oniam Pontificem, tempore ipsius filij Simeonis iusti, de quo cap. 50. III. *Bensira* dicitur ab iisdem Hebræis filium habuisse *Vzielem*, & nepotem *Iosephum*: non autem *Sirach, & Iesum*. Et illi, cum Sapientia inclyti fuerint, citantur ambo ab Hebræo Scholiaste Prouerbiorum eiusdem Bensiræ. IV. Ille Prouerbiorum Bensiræ liber, vel idem cum Ecclesiastico nostro liber fuit, vel diuersus. Si idem, vel erit Ecclesiasticus noster imperfectus. quia, ei quædam desunt, quæ illic sunt: vel, quibusdam redundabit, cum plurima, quæ illic non sunt, habeat. Si diuersus, quomodò verisimile est, eundem auctorem de iisdem penè rebus, & eodem penè modo, ac phrasi diuersos scripsisse libros, neque se vnam, eandemque rem sciat alibi etiam dixisse, vnquam innuere? V. Nouatori huic repugnat nouator alius Drusius præfatione in ipsum Bensiram.

Nunc accipe verba Synopseos Athanasianæ, vel Prologi, qui in nonnullis editionibus Ecclesiastico præfigitur. Adscribam Græcè & Latinè, quo maior lux iis, quæ hactenus dicta sunt, accendatur.

Digitized by Google

Ἰησοῦς οὗτος Σιρὰχ μὲν ἦν υἱὸς, ἔγγονος δὲ Ἰησοῦ ὁμωνύμου αὐτῷ. οὗτος οὖν ἐν χρόνοις κάτω γέγονε μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἀνάκλησιν, καὶ μετὰ τοὺς προφήτας σχεδὸν ἅπαντας. ὁ οὖν πάππος αὐτοῦ Ἰησοῦς καθὰ καὶ αὐτὸς μαρτυρεῖ, φιλόπονος γέγονεν ὁ ἀνὴρ ἐν Ἑβραίοις, καὶ φρονιμώτατος. ὃς οὐ μόνον τὰ ἑτέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ συνετῶν ἀνδρῶν ἀποφθέγματα συνήγαγεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἴδιά τινα ἀπεφθέγξατο, πολλῆς συνέσεως, καὶ σοφίας γέμοντα. ἐπεὶ οὖν τὴν Βίβλον ταύτην ὁ πρῶτος Ἰησοῦς σχεδόν τι συνειλεγμένην καταλιπὼν ἐξ ἀνθρώπων ᾤχετο, Σιρὰχ οὗτος μετ' αὐτὸν πάλιν λαβὼν τῷ οἰκείῳ παιδὶ κατέλιπεν Ἰησοῦ. ὃς δὴ ταύτην λαβόμενος εἰς ἓν ἅπασαν ἐναρμόνιον σύνταγμα συνήγαγε σοφίαν δῆτι τῷ αὐτοῦ, καὶ τῷ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ μὴν καὶ τῷ τοῦ πάππου ὀνόματι καλλωπίσας, ἐξ αὐτοῦ τοῦ τῆς σοφίας ὀνόματος ἀγαπητῶς μᾶλλον ἔχειν τὴν ἀκρόασιν πρὸς τὴν αὐτῆς τῆς Βίβλου μελέτην ἐπισπώμενος. λόγους οὖν φρονήσεως αἰνίγματά τι, καὶ παραβολὰς περιέχει, καὶ μερικάς τινας παλαιὰς θεοφιλεῖς ἱστορίας, περί τε ἀνδρῶν εὐαρεστησάντων τῷ θεῷ, καὶ εὐχὴν, καὶ ὕμνον αὐτοῦ. ἔτι δὲ ὧν ὁ θεὸς εὐεργεσιῶν ἠξίωσε τὸν λαὸν αὐτοῦ, καὶ ὧν ἔπλησε κακῶν τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν. ὀπαδὸς δὲ Σολομῶντος οὗτος ὁ Ἰησοῦς γέγονεν, οὐδὲν ἧττον ἐκεῖνου περὶ τὴν σοφίαν, καὶ παιδείαν εὐδοκιμήσας, πολυμαθὴς ἀληθῶς, καὶ ὢν, καὶ καλούμενος.

IESVS hic, Sirach quidem fuit filius, nepos autem Iesu eiusdem nominis sibi. Hic igitur temporibus inferioribus fuit post captiuitatem, & reuocationem, & post Prophetas ferè omnes. Ergò auus eius Iesus, sicut & ipse testatur, laboris amator, fuit vir inter Hebræos, & prudentissimus: qui non solùm aliorum, qui ante eum, prudentum virorum sapienter dicta collegit; sed & ipse propria quædam dictauit, multæ intellectionis, & Sapientiæ plena. Postquam igitur librum hunc primus Iesus ferè collectum relinquens ex hominibus abiit, Sirach hic post illum rursus accipiens suo filio reliquit Iesu. Qui quidem eum amplectens, in vnam omnem concinnam constructionem collegit Sapientiam, tam suo, quàm Patris, atq; etiam aui nomine vocans, ipso Sapientiæ nomine, vt auditor ad maiorem libri huius curam amanter suscipiendam alliceretur. Sermones igitur prudentiæ, ænigmataq;, & parabolas cõtinet; & particulares quasdam antiquas, diuinas historias, deq; viris, qui beneplacuerunt Deo, & orationem, & hymnum eius: præterea quibus Deus beneficiis dignatus sit populum suum, & quibus repleverit malis inimicos eorum. Sectator Salomonis hic Iesus fuit, nihil ominus illo ob Sapientiam, & disciplinam approbatus, multiscius verè, & existens, & vocatus. Hæc Synopsis Athanasiana.

Quia verò aliquoties mentio facta est Prologi, qui Ecclesiastico à IESV filio Sirach, interprete ex Hebræo in Græcũ, præfixus est, paucis dispiciendũ est; vtrũ Prologus iste sit Canonicus; seu nũ Canonica auctoritate constet: an verò plus auctoritatis non habeat; quam Prologi D. Hieronymi, quos plerunque libris abs se versis præposuit. Et sunt quibus arrideat ea opinio; quæ Prologo huic Canonicam auctoritatem abiudicat; ex quorum numero non tantum illi, qui próximè ante Concilium Tridentinum, vel sæculis superioribus D. Hieronymi Prologos quasi in eorum dictata iurati, secuti sunt; (quos Prologum istum ex Canone eiecisse nõ mirum; quando totum librum inde excluserunt) sed & alij nonnulli, qui Ecclesiastici auctoritatem vt sacrosanctam & diuinam venerantur ac suspiciunt; quorum præcipuum fundamentum videtur esse; quod Iunior IESVS, Sirachi iunioris filius, interpres tantummodo ex Hebræo in Græcum fuerit; & vt interpres ex Hebræo Prologum illum Græcum versioni suæ præposuerit. Quod si satis foret ad Canonicam auctoritatem obtinendam; tum ipsius etiam Hieronymi Prologi Canonica auctoritate constarent; quandoquidem vt IESVS filius Sirach Ecclesiasticum ex Hebræo in Græcum; ita D. Hieronymus multos veteris testamenti libros ex Hebræo in Latinum conuertit. Accedit, quod hic Prologus in quibusdam manuscriptis omittitur; teste Iansenio præfat. in Ecclesiasticum.

Verumenimuero hæc tanti apud me nõ sunt, vt ad eorum calculum, suffragium meum adiungam. Nam in noua Bibliorum recognitione, Clementis VIII. Pontif. Max. auspiciis euulgata, in præfatione ad lectorem disertis verbis dicitur: *Porrò in hac editione nihil non Canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est; atq; ea causa fuit, cur liber tertius, & quartus Esdræ inscripti, quos inter Canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumerauit, ipsa etiam Manasse regis oratio, quæ neque Hebraicè, neq; Græcè quidem extat, neq; in manuscriptis antiquioribus inuenitur, neq; pars est vllius Canonici libri, extra Canonicæ scripturæ seriem posita sint.*

Hæc præfatio, quin voluntate, scitu, & iussu summi Pontificis nouæ Bibliorum recognitioni præfixa sit, nemo dubitare potest; præsertim cum paulò pòst ista ipsa præfatio ad Lectorem summi Pontificis mentem circa alia interpretetur; nec interpretetur tantùm; sed & absolutè tradat; quæ fuerit summi Pontificis sententia his verbis: *Sed sicut Apostolica sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes S. Hieronymi, & alia id genus in aliis editionibus inseruerunt: ita quoq; non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione eiusmodi adiumenta pro studiosorum commoditate, atq; vtilitate in posterum adiiciantur: Ita tamen, &c.*

Ex quibus hoc argumentum conficio. Aut vera sunt aut falsa, quæ dicit præfatio: si vera, acquiescamus igitur. Si falsa; falsum igitur, quod Pontificis Maximi auctoritate, post tantam deliberationem, iudicio tam maturo, tam pensiculatè ad trutinam reuocato, palam & in facie totius Ecclesiæ promissum & publicatum est; nihil videlicet in illa editione non Canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum insertum esse. Fateor teneriorem esse meam frontem; quàm vt præfationem Pontificis Maximi approbatione euulgatam; falsitatis arguam. Sedes Romana & Apostolica est mea schola; hæc, si satis attendi, me docet, editioni nouæ Bibliorum

nihil

Digitized by Google

nihil penitus apocryphi, extranei & adscititij additum; at Prologus in Ecclesiasticum insertus est; omissique Prologi D. Hieronymi; & expressè mandatum, vt si in aliis editionibus D. Hieronymi præfationes addantur, id fiat Charactere diuerso, nec quidquam huius generis præcipit præfatio de Ecclesiastici Prologo: ergo editio illa sedis Apostolicæ ductu procurata, Prologum Ecclesiastici non habuit pro non authentico, aut pro adscititio, & extraneo.

Præterea præfatio illa accuratè rationem reddit, cur extra Canonicæ scripturæ seriem positus sit tertius & quartus Esdræ; eò quod hos *Tridentina Synodus inter Canonicos libros non annumerarit*; Item cur oratio Manassæ; *quòd neq. Hebraicè, neque Græcè quidem exstet; neq. in manuscriptis antiquioribus inueniatur; neq. pars sit vllius Canonici libri*; signum ergo est iudicio huius præfationis, summi Pontificis grauissima auctoritate comprobatæ; Cōcilium Tridentinum non habuisse Prologum Ecclesiastici pro Apocrypho vel non Canonico; alioqui prefatio hunc Prologum in eadem classe cum tertio & quarto Esdre, & cum oratione Manassis, reposuisset.

Adhæc Pontifex suo in Diplomate iubet, vt ne minima quidem particula de textu nouæ recognitionis mutetur, addatur vel detrahatur; signum ergo est Pontificem nolle, vt ab vllo Prologus Ecclesiastici de statione, quam nunc obtinet, depellatur. Et cur non depelleretur, si Canonicus non esset? Cur inter Canonicos libros locum sortiretur; si Canonica auctoritate præditus non esset?

His adde, quòd Clemens VIII. sua in Constitutione palam fatetur, editionem hanc nouam *summis laboribus ac vigiliis restitutam & quàm accuratissimè à mendis expurgatam fuisse*: Quomodo istud vero consonaret; si non particula, sed grandis pars apocrypha in editione illa relicta fuisset; contra publicam ipsorum emendatorum & recognitorum protestationem; & contra ipsam summi Pontificis de maximis vigiliis in hac recognitione insumptis apertam testificationem?

Easdem ob caussas planè mihi persuadeo, præfatiunculam, quæ Threnis Hieremiæ Prophetæ præfigitur, cuius exordium: *Et factum est, postquam in captiuitatem, &c.* Canonica auctoritate præditam esse: quia eadem penitus est eius ratio, quæ Prologi in Ecclesiasticum. Ita ego sentio, verbis prefationis nouæ Bibliorum recognitioni præfixæ insistens ac inhærens; vbi sedes Apostolica declarauerit; hanc nō esse suam mentem; sed Prologum in Ecclesiasticum & præfatiunculam in Threnos inter non Canonica reponi debere; omnia hæc & ex charta & ex animo meo spongia eluam & abluam. Interea nullius priuati, quantumuis licet eruditi, rationes in alteram partem me pertrahent.

A Ex his patet solutio ad argumenta in contrarium: nam licet I e s v s filius Sirach fuerit interpres; simul tamen fuit etiam scriptor Canonicus; quod ex testimonio Ecclesiæ discimus. Neque hoc de D. Hieronymo verè affirmaueris; quod ad Prologos eius attinet: neque vllum huius rei Ecclesia dat indicium. Quod verò in aliquibus codicibus non inuenitur iste Prologus, quid refert? Olim integri libri Canonici in nonnullis codicibus desiderabantur. An ideo non erant vel hodie sunt Canonici?

Iam regrediamur ad Hunnium; qui conuiciando in Bellarminum bacchari occipiens, cum breui periodo *duo splendida mendacia effutiuisse* clamitat. B Et quænam illa? Ait Bellarminus; S. Epiphanium, cum in libello de mensuris & ponderibus Sapientiam & Ecclesiasticum extra Canonem posuit, de Hebræorum Canone fuisse locutum: cum verò aduersus Anomœorum hæresin scribit, vtrumque sacris & diuinis libris accensuisse. Mirificè hic vociferatur Prædicans, vt non iniuriâ de potestate mentis exisse videri possit; cuius cum omnia dicta collegeris, nihil reperies, in quo vel mica salis insit. Dic Prædicans: An nō S. Epiphanius aduersus Anomœos collocat Sapientiam Salomonis & Ecclesiasticum *inter scripturas diuinas*? An non tu ipse ex Epiphanio hæc ipsa verba exscripsisti?

C *S. Epiphanius libros istos impropriè vocat scripturas diuinas; & laxiore significatu*, inquit Prædicans. Hoc tu dicis, sed non probas. Missis insanis clamoribus & grandiloquis *superlatiuis*, exaggerationibus, profer, si potes, aliqua argumenta; quibus dicto tuo fidem adstruas. Nam S. Epiphanius non aliter vtranque Sapientiam, Salomonis nimirum & Sirach, vocat diuinam scripturam, quàm Genesin & Euangelium S. Ioannis. Nam vt Aëtium Hæresiarcham remittit ad Genesin & Euangelium S. Ioannis; tanquam ad scripturas diuinas, ita & ad vtramque Sapientiam. Nihil discriminis adfert; non dicit, vt Prædicans solet; Sapientiam & Ecclesiasticum esse ferè *diuinas scripturas*; vel *impropriè* esse diuinas scripturas; sed D eodem numero & censu habet hos duos libros, & ab Aëtio itidem haberi legique cupit, quo reliquas *diuinas scripturas*; nam quod, vt Prædicans obiectat, *Sapientiam Salomonis, & Iesu filij Sirach enumerat post omnes libros Canonicos, etiam noui testamenti*, id non est indicio, libros istos non æquè esse diuinos ac alios; præsertim, cum enumeratis his duobus libris statim subdiderit hęc verba S. Epiphanius; *ϗ πάσαις ἁπλῶς γραφαῖς θείαις. Et omnes simpliciter diuinas scripturas.* Quid si quatuor Euangelia vltimo loco posuisset; an propterea non essent verè propriè dicta *scriptura diuina*? Quid si libros Sapientiæ Salomonis & I e s v filij Sirach, collocasset in medio vel initio; num ideò Prædicans pro verè diuinis scripturis habuisset?

Digitized by Google

Caussa cur vtramque Sapientiam posuerit vltimo loco, hęc est, quia non erat in Canone Hebræo; secundum quem, vt & in libello de mensuris & ponderibus, disposuerat S. Epiphanius libros Canonicos veteris testamenti: Quia verò sciebat Canonem Christianum ampliorem esse, etiam quoad libros antiqui testamenti; hinc factum est; vt Sapientiam & Ecclesiasticum expressè adiiceret; & tacitè itidem alios antiqui testamenti libros, vt Tobiam, Iudith, &c. nam plures huius generis esse innuunt illa verba. *Et omnes omnino diuinas scripturas*: Et quod in libro de mensuris ait; Geminam istam Sapientiam *εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρεσθαι, non recipi in numerum prædictarum scripturarum*; id de Hebræo Canone, non de Christiano intelligendum esse luce clarius liquet.

Laudat initiò Hunnius Ecclesiasticum, *tanquam librum insignem ad tradendum doctrinam virtutum ac morum*. Et mox crassissimos errores libro huic impingit. Qualis hæc laus, Hunnij? *Magnus & multus est eius vsus & allegatio in Ecclesiis nostris*, ait Prædicans; Credo, idque propter elogium, nisi fallor, quo Lutherus hunc librum insigniuit in Colloquiis mensalibus, titulo *de libris antiqui & noui testamenti*: *Ecclesiasticus, qui hunc librum composuit, est concionator legalis & iurista; docet quomodo vita hæc externa & ciuilis benè sit instituenda: sed non est Propheta; nihil docet de Christo.* (en insignem laudem. Quorsum ergo illa spectant, quæ toties, & tam copiosè de æterna Dei Sapientia in hoc volumine decantantur?) *Est liber sicut Thalmuth, ex variis libris collectus.* An non est hæc eximia laus conferri cum fabulosissimo Thalmuth?

Dicit Bellarminus, Caluinum vehementer odisse Ecclesiasticum, idque ostendit ex Antidoto ad Concilium Tridentinum. Respondet Iunius, *hoc esse falsum*. Si falsum est, cur ergo id, quod ex Ecclesiastico hauritur, appellauit, *fecem*? An non hoc ipso Ecclesiasticum pro sentina habuit? *Ab Ecclesiastico multa mutuabuntur*, inquit Caluinus de Pontificiis. *Vnde enim melius fecem haurirent?*

CAPVT XV.

De libris Macchabæorum.

CONTRA horum librorum Canonicam auctoritatem profert VVitackerus octo argumenta; quæ Hunnius ferè in suum Examen transtulit. Itaque vna fidelia duos istos nigerrimos parietes dealbare licebit; si tamen candoris capaces sunt.

I. Hieronymus in Catalogo virorum illustrium, & lib. 2. contra Pelag. Iosephum horum librorum autorem fuisse, ait. Iosephus autem nec Propheta fuit, & post

A *Christum, ac terminos veteris testamenti vixit: quare librum nullum scribere potuit, qui ad veteris testamenti terminum pertineret.*

At VVitackerum lectori pro argumento obtrudere mendacium, testabitur inspectus S. Hieronymus: non enim dicit S. Hieronymus Iosephum esse auctorem horum librorum, de quibus agimus: Sed ait, à Iosepho scriptum esse librum inscriptum, *περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ*, de imperatrice ratione, vel, *de rationis imperio, in quo etiam Macchabæorum martyria digesta sint*: & propter hoc opus quod adhuc inter opera Iosephi Græcè & Latinè reperitur, appellat S. Hieronymus Iosephum, *Macchabæorum scriptorem historiæ*; ex

B qua historia citat S. Hieronymus illud: *frangi & regi posse perturbationes animi, non eradicari.* Quanta ergo vel malitia vel imperitia VVitackeri, cum scribere, primique argumenti loco obiectare non veretur, Auctorem horum librorum, ex sententia D. Hieronymi, esse Iosephum: Nam quod præterea addit ex Annio, Iosephum apposuisse his libris tempora: id non moramur, quia iste nec primus nec postremus error Annij est.

II. Argumentum: Hi libri nominatim Apocryphi à Gregorio Magno, qui Pontifex Romanus fuit, vocantur L. 19. C. 16. Moral. Sic enim ait: De qua re non inordinatè agimus, si ex libris non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus. Tum adducit aliquid de Macchabæis. Ergò

C *ante Gregorium, id est, intra sexcentos post Christum annos, Ecclesia libros Macchabæorum pro Canonicis non habuit.*

Nego consequentiam. Contrarium patet ex Concilio Carthaginensi tertio; ex S. Augustino; ex Concilio Romano sub Gelasio; & ex testimoniis aliorum patrum, quos Bellarminus adfert; & Serarius Prolegom. Comment. in Macchabæos. De S. Gregorio dicimus, cum fortè Macchabæorum libros vocasse non Canonicos, quod non essent in Hebræorum Canone, vel quòd non essent in Canone tunc ab omnibus recepto; si forsan alicui videtur S. Gregorius loqui simpliciter de Canone, eti-

D am Ecclesiæ. Quocirca cum Macchabæorum libri ab omnibus pro Canonicis non agnoscerentur, per concessionem dicit: *Ex libris licet*, hoc est, esto, vt quidam contendunt, *non Canonicis*. Nec sine fraudis suspicione omissa est à VVitackero vocula *licet*. Huc referatur argumentum Hunnij sæpius iam protritum ac profligatum. *Hieronymus, Nazianzenus, Athanasius, Epiphanius, Damascenus, non ponunt hos libros in Canone, ergò, &c.* At alij æqualis auctoritatis ponunt. Cur igitur hos non sequamur potius, quàm illos? vt non repetam, quæ iam dicta, plures ex his ipsis quosdam libros non nisi ab Hebræo vel indubitato, & ab omnibus recepto Canone seiungere.

III. Argu-

Digitized by Google

III. Argumentum. *Lib. 2. cap. 12. Iudas Macchabæus laudatur, quod sacrificium pro mortuis obtulerit. At hoc nomine laudandus non fuit. quia Deus nullum huiusmodi sacrificium fieri præceperat. Quidquid autem in religione sine diuino præcepto geritur, Deo displicet, & reprehensionem, non laudem meretur.*

Argumentum hoc solita loquacitate admodum dilatat Hunnius; Nos paucis negamus Minorem. Et quando tandem demonstratum nobis dabunt Prędicantes, omne illud, quod in cultu sine præcepto diuino geritur, esse illicitum? Hactenus multum sudarunt. Sed nihil dum profecerunt.

IV. Argumentum: *Pro iis hominibus oblatum illud sacrificium fuit, qui sese idololatria, & sacrilegio obstrinxerant, ac polluerant, atq; in illo scelere perierant, vt legimus cap. 12. Nam milites Iudæ, res idolis Iamnensibus consecratas surripuerant, eaq; ἀναθήματα sub vestibus absconderant; quæ sunt, illis interfectis, inuenta sub militum vestimentis. Iste verò autor ait manifestum esse, illos propter hoc peccatum cecidisse. Iam ipsi Papistæ concedunt, pro huius modi idololatris, & sacrilegis nullum offerendum esse sacrificium. Nam hoc mortale peccatum fuit: & ipsi tradunt, pro iis, quos in mortali peccato mortuos esse constiterit, quod de istis autor affirmat, nullum fieri sacrificium oportere.*

Idem argumentum opponit VVitackeri ventosus expilator Hunnius. Respondeo cum Serario nostro in cap. 12. lib. 2. Macchabæorum: Primò, licere nobis, ex rei ipsius natura, pro omnibus fidelibus defunctis orare, nisi secus quidpiam de eorum statu reuelet DEVS, ipsos videlicet esse in cœlo, vel in inferno; aut, id Ecclesia iustas ob caussas prohibeat, vt in excommunicatis, & hæreticis, & si qui sunt similes. De reliquis fidelibus omnibus benè sperare possumus, & debemus, ideoque & pro iis orare possumus. Secundò; horum peccatum non fuit, quasi vellent furto isto idola colere, vt hæretici quidam ineptiunt, cum de iis, *qui cum pietate dormitionem acceperunt*, agatur, id est, ipso etiam Luthero, vel Melanchthone interprete, *cum vera fide*; sed fuit auaritiæ, & cupiditatis peccatum, quod vel in omnibus, vel certè in quibusdam fortè fuit veniale; non quod legem ignorarint, cum sub vestibus spolia illa occuluerint; & legem illam scire tenerentur; sed ratione obiecti, aut finis. Si verò in aliquibus fuit mortale, eos pœnituisse potuit ante prælium, vel in ipso prælio, adeoque in ipso iam lethalis plagæ, mortisque articulo, vt Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum.* Hinc factum, vt non tam grauiter in eos DEVS animaduerterit, quàm in Achan Ios. 7. Si damnatos, æternisque flammis addictos, boni isti Iudæi putassent, in patria eos sepulcra non intulissent: &, si in alia intulissent, id scriptura ipsa memoraret, vt supra de Iasone lib. 2. c. 5. versu 10. de aliis 2. Paralip. 21. ver. 20. & cap. 24. ver. 25. Hierem. 22. v. 19. vbi dicitur: *Sepultura asini sepelietur.*

A Obiicit VVitackerus: *Quamuis probabile fuisset, illos de peccato morientes doluisse, tamen publicum fieri pro huiusmodi hominibus sacrificium non oportuit, qui se idololatria polluerant, nisi de illorum vera pœnitentia certò constitisset.*

Sed quo argumento euincit VVitackerus istos in idololatriam incidisse? Num sat argumenti nobis esse putat suam affirmationem; & quidem nudissimam?

Ait Hunnius: *Si pœnitentiam egerunt, non indigebant sacrificio:* quod asserit; quia negat purgatorium, cuius fides quibus perspecta est, ij vanitatem Hunnianam statim explodent.

B Ait Hunnius, *Bellarminum memoria lapsum, dum citat Epist. 61. S. Augustini ad Dulcitium & lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 23. pro more precandi pro defunctis, nihil enim penitus hac de re locis notatis haberi.* Sed hæc & similia longè libentius librariorum erratis vel incuriæ adscribent illi, quibus diuina Bellarmini memoria cognita est, quàm ipsi Bellarmino; & quid mirum, in opere tam vasto non omnia errata librariorum castigari; vel typographorum menda vitari potuisse? Si tu, Prædicans, Tomum quartum sancti Augustini aperuisses, reperisses in eo opusculum, *de octo quæstionibus Dulcitij.* Et in secunda quæstione illud ipsum inuenisses, quod hic affirmat Bellarminus. Quod si à sexagesima prima Epistola, quæ Dulcitio Tribuno inscribitur, transisses ad Epistolam sexagesimam secundam, quæ est ad Aurelium, clarè vidisses

C mortuos, ex sententia S. Augustini, viuorum suffragiis ac officiis iuuari posse. Et si in libro primo cap. 23. de moribus Ecclesiæ nihil inueniebas; cur non adiisti lib. IX. Confess. caput XII. & cap. XIII. Item cap. CX. Enchiridij? Cur non librum de cura pro mortuis agenda? Quem tamen, vt video consuluit Prædicans.

Sed ait: *Est quidem in hac opinione Augustinus, posse aliquid suscipi ab his, qui superstites sunt, quod prosit mortuis; idq; confirmare parat exemplo Iudæ Macchabæi sacrificantis pro mortuis. In hunc autem errorem induxerat Augustinum error alius, qui est de purgatorio: de quo tamen ipse sibi non constat, interdum statuens esse Purgatorium, interdum dubitans, & dicens:* FORSITAN VERVM EST. En quàm vilis præco honorificè

D de S. Augustino scribat: quem concedit Purgatorium credidisse & statuisse; sed ne concessio pura omnino sit & ab omni labe mendacij seiuncta; ait, *Augustinum interdum de purgatorio dubitasse.* Verum hæc aliâs.

Quintum argumentum: *Spiritus sanctus nunquam solitus est in epitomen redigere prophani auctoris historiam: at secundus liber Macchabæorum, vt in cap. 2. legimus, contrahit quinq; volumina Iasonis Cyrenæi: & quæ libris quinq; Iason ille persequutus fuerat; ea vno libello complectitur. Quis autem ille Iason fuerit, incertum est: Propheta non fuit: id enim nemo dixit, aut dixerit. Quare ista huius Iasonicæ historiæ ἐπιτομὴ hoc modo contexta, in scripturis Canonicis censeri non potest.*

Digitized by Google

Hoc VVitackeri argumentum iam dissoluit Serarius noster in cap. 2. lib. 2. Macchabæorum, his verbis: sunt in scriptura, verbi gratia, Matth. 25.26. plurimi impiorum sermones, & orationes, quarum tamen epitomen, & quasi summam Spiritus sanctus in scripturis posuit. Cur ergò pia minimè impiorum autorum scripta, si velit, in breuiarium redigere, nobisque tradere non possit? Cur veritati etiam à prophano prolatæ diuinum testimonium dare non posit; quemadmodum per D. Paulum fecit Act. 17. ad Titum 1. Nónne & per gentiles Sibyllas, per impium Caipham, per brutæ asinæ os Dominus locutus est? Quin & solo humano iudicio, Græcorum nonnullos testatur Iosephus in præfatione Captiuitatis, Iudæorum res Græcam in linguam vertisse, neque à veritate multùm aberrasse. Si quid verò iste aberrasset, cum senatus Hierosolymitanus, qui mittebat, correxisset. Audiat suos saltem Magistros hæreticus. *Historia*, inquit Beza prolegom. in Apocalypsin, *Veritas aliunde potius, quàm à scriptore pendet.* Lutherus verò in S. Iacobi epistolam, sed prout solet, vehementius: *Quidquid, ait, Christum docet, Euangelicum est, etiamsi à Iuda, Anna, Pilato, & Herode fiat.* Etiamsi ergò librorum istorum auctor, Gentilis, & prophanus nescio quis fuisset, vera tamen quæ scripsisset, esse, & ab Hierosolymitana Ecclesia examinari, & tanquam vera commendari potuissent. Verùm, quomodo probat VVitackerus Iasonem istum Cyrenæum, fuisse scriptorem profanum, cum bonus, & sanctus quispiam Iudæus fuisse videatur? Multi enim in Cyrene Iudæi, prout patet Act. 2. & 6. significatque Artemidorus lib. 4. c. 26. & Iosephus creberrimè, vt lib. 14. cap. 12. lib. 16. c. 10. lib. 7. cap. 38. & in vita sua.

Sextum VVitackeri argumentum. *Lib. 2. Macchab cap. 2. multa narrantur de sacro igne, & arca, & tabernaculo, & altari, eaq; in monte quodam abscondita, ac posita à Ieremia fuisse dicuntur. Verùm apud Ieremiam ipsum nihil eiusmodi inuenias. Et autor ait: Deum promisisse, se ista demonstraturum, quando populum congregauerit. At post captiuitatem Babylonicam Iudæi illam arcam, illud tabernaculum, illud altare nec habuerunt, nec inuenerunt; nec istas res Deus postea cuiquam demonstrauit.*

Quod ad ignem attinet, repertus is est non quidem in se, sed conuersus in aquam crassam reuersis cum Nehemia Iudæis ex captiuitate Babylonica; vt refertur lib. 2. Macch. cap. 1. Quod attinet ad arcam & alia, sunt qui inuenta tradant eo tempore, cum sub Cyro Rege Hebræi in patriam reuerterunt. Ita Ribera noster in caput primum Aggæi. Contra quam sententiam, nihil, sat scio, habet VVitackerus, quod solidè opponat.

Alia opinio est, hæc inuenta fuisse non *propriè*, sed *mysticè*, CHRISTI Domini tempore, qui est arca vera, & verum thymiamatis altare, qui verũ tabernaculum excitauit, & in vnitatẽ fidei gentes congregauit: prout clarè dicitur Ioan. 11. Ita Rupertus lib. 10. de victoria verbi Dei, cap. 21.

Tertia opinio vult in nouissimis mundi diebus hæc inuenienda, cum Elias, & Enoch reliquias Israël congregabunt, & ad Christũ adducent. Ita Epiphanius in vita Hieremiæ Prophetæ, Dorotheus, Richardus de S. Victore lib. 4. exceptionũ cap. 11. (qui tamen postea subdit, *Antiochũ tulisse altare aureum*) Historia scholastica cap. 3. Iudith, &c. Ideoq; Gorion Ieremiam ita locutum vult cap. 17. lib. 1. *Non sciet homo, neq; cognoscetur locus, donec venero ego & Helias Propheta, famulus Domini. Tunc restituemus arcam in locum suum intra sancta sanctorum, subter alas Cherubinorum.*

Aduersus has duas sententias hæc torquet VVitackerus spicula: *Hæc vanissima coniectura est. Quæ enim causa est, cur hæc illo tempore Iudæis demõstrentur? Aut quis non ridiculum commentum rideat?*

Quis non rideat VVitackerum nudis exclamatiunculis & interrogatiunculis vtentẽ, quando id, quod aduersarij asserunt, firmis aliquibus argumentis destruere deberet? Si inuentio illa pertinet ad mysticam arcam, & mysticum altare ac tabernaculum, tam nõ eget quæstione, cur Iudæis denuo apparuerit; quàm cur Christus apparuerit, & in terris cum Hebræo populo cõuersatus fuerit. Si verò, vt aliis placet, hæc nouissimis mundi temporibus demùm reperientur; id fiet, non vt Iudaismus restauretur, sed vt Iudæi, arcâ visa, & Ieremiæ Prophetia completa, magis ad verissimam arcam CHRISTVM Dominum, & verissimum tabernaculum, ECCLESIAM CATHOLICAM adducantur, inuitantibus Enoch, & Elia.

Si historiam sacram consulimus, inquit Caluinista, *hoc falsum esse, quod de Ieremia narratur, reperiemus. Fuit enim Ieremias in carcere vsq; ad vrbis excidium, vt Ierem. cap. 37. & 38. Itaq; hæc auferre, & abscondere non potuit stante ciuitate, ac templo, nec id Principes, & Sacerdotes permisissent. Capta autem ciuitate, Chaldæi templum incendunt, preciosa omnia siue aurea, siue argentea, siue area diripiunt, secumq; auferunt, vt 2. Reg. 25. & Ierem. vlt. legimus. Non ergò Ieremiæ facta copia est auferendi arcam Domini, & altare incensi, quæ erant auro purissimo operta tota extrà, & intus, vt Exod. 25. 11.*

Quærit, vt video, Caluinista, quando Hieremias hæc ex templo abstulerit, & absconderit. Respondeo cum Serario, hæc in vasis, quæ Nabuchodonosor abstulit è templo, non fuisse cõstat ex Ieremiæ 52. Esdræ 1. Ideoque tum in templo non fuisse, vel alicui tradita esse, satis patet. Quando verò ablata sint, duplex est opinio. Prior est S. Epiphanij in vita Ieremiæ: factum id à Ieremia esse, antequam Hierosolyma, & templum vastarentur tertia captiuitate, vt scilicet Ieremias ipsi Iechoniæ persuaserit, sineret arcam auferri, quemadmodum & eidem persuasit, vt sese dederet in secunda captiuitate, Ieremiæ 27. v. 29. Posterior opinio vult, factum id esse, postquam iam Hierosolymam occupasset in

Digitized by Google

tertia captiuitate Nabuchodonosor, quod Ieremias Hierosolymæ relictus facilè ab ipso, vel ipsius ducibus arcam, & alia illa impetrare potuit, cùm apud hostes ipsos gratia, & autoritate multum valeret. Ierem. 39. & antequam templum incenderetur, post vrbem iam occupatam, dies aliquot interfluxerint. A

Contra hæc; quæ ferè etiam tradita à Bellarmino, quid habet VVitackerus? Nihil, vt video. Eius loco grunnit nescio quid Iunius. Ait, *Epiphanium de vita Hieremiæ esse pseudepigraphum.* Ait, inquam, sed quo argumento? Nec libellum Epiphanij de vita & morte Prophetarum vnquam vidisse (non enim dicam legisse) Iunius videtur. B

Putat Bellarminus, arcam & alia tradita fuisse Hieremiæ à Rege Ioachin seu Iechonia, vt occulerentur. Obiicit Iunius: *Ergo iam inde ab eo tempore Ecclesia tabernaculo, & arca fœderis caruisset. Est autem falsum hoc consequens; quod credi vetat bonorum pietas, scripturæ veritas. Ezech. 10. & 11. & alia innumera.*

Omnino caruit. Nec impedire potuit pietas, quia suadebat necessitas, ne quæ omniũ sanctissima habebantur in impiorum manus deuenirent. Nec quidquam est Ezechielis capite decimo vel vndecimo vel alibi, quod huic assertioni obstet; & tamen Iunius audacissimè hæc capita citat, quasi Bellarmini assertionem euertant. Nec his contentus, addit: *Et alia innumera*, mendacia, opinor, Iuniana. C

Ait Bellarminus Regem Nabuchodonosor ter venisse in Iudæam, & inde Regem & populum captiuum abduxisse. *Imò quater venit*, inquit Iunius, *sed prima expeditione Ioakimum reliquit in regno. Daniel. 1.* At ipsum Regem Nabuchodonosor quater non venisse, liquido patet ex capite vltimo libri secũdi Paralipomenon, vbi cum ascensus Regis Nabuchodonosor aduersus Regem Ioacim exponitur, è vestigio subiungitur: *Et vinctum catenis duxit in Babylonem.* Quamuis necessariò dicendum, remissum fuisse in regnum à Rege Babylonio: ea conditione vt tributum solueret; quod quidem se soluturũ promisit; sed promissa minimè fecit; Quare immisit ei Dominus *latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, &c. vt disperderent Iudam, &c.* quibus in ærumnis vitam finiit Ioacim anno vndecimo regni sui, relicto successore filio Ioachin, aduersus quem tertio mense venit Nabuchodonosor, captumque Babylonem abduxit. Et hic fuit secundus Regis Nabuchodonosor in Iudæam aduentus. Et quãuis Danielis 1. non cõmemoretur abductio Regis Ioacim in Babylonem; satis tamen est; quod in vltimo capite secundi Paralipomenon commemoretur. Neque enim scriptura scripturæ contradicit, tametsi & in Daniele abductio hæc satis insinuatur, hoc ipso quod dicitur, Domi- D

num in manu Nabuchodonosor tradidisse Ioacim Regem Iuda.

Dicit Bellarminus, inde etiam planum fieri arcam & tabernaculum iam antea sublata & abscondita fuisse; quòd cum in direptione vrbis sub Sedechia enumerentur Hier. 52. spolia, quæ ex templo Chaldæi abstulerunt, vsque ad phialas & mortariola, nulla tamen arcæ aut tabernaculi mentio fiat. *Malè argumentatur*, inquit Iunius, *ab auctoritate negatiuè. Reticeri autem à Hieremia, nil mirum: nam ærea, argentea, aurea Babylonij exportarunt. Ierem. 52. vers. 19. Lignea verò, vt arca, tabernaculum, &c. cum templo combusta sunt. Ierem. 52. vers. 13.*

Hoc inane est effugium: Licet enim arca lignea esset; fuit tamen de lignis Sethim pretiosissimis, auro item & argento nobilissimè & artificiosissimè exornata; ita vt Chaldæi, si in eorum manus peruenisset, eam pluris facturi fuisse videantur, quàm vasa argentea & ærea, imo & aurea, propter summam existimationem arcæ illius, non solum apud Hebræos, sed & apud Chaldæos ex Hebræorum commercio peruulgatam. Qua de caussa Persæ cum Christianis temporibus Hierosolymã sub Chosroe occupassent; abstulerunt ipsam *Dominicam Crucem*; non ignari, quo in honore & precio apud Christianos haberetur. Itaque bona est Bellarmini argumentatio; quia si arca à Chaldæis capta fuisset, id vtique scriptura Hier. 52. non tacuisset, præsertim cum Iudæi nil prius & antiquius habuerint fœderis arcâ.

Cum olim, Israëlitis aduersus Philistæos præliantibus, arca Dei in castra fuisset deportata; nihil adeo sollicitum habuit Heli sacerdotem, quam arca, ne in hostium potestatem deueniret. *Erat enim cor eius pauens pro arca Dei*, ait scriptura 1. Reg. 4. cumque *mali nuntij baiulus* venisset & internecionem populi, & propriorum filiorum recensuisset; non adeo commotus est grandæuus Heli. Sed quamprimum arcam ab hostibus captam audiit, *cecidit de sella retrorsum iuxta ostium; & fractis ceruicibus mortuus est.* Similiter & nurus eius, *audito nuntio, quod capta esset arca Dei*, præ dolore exstincta est, & lamentabiles illas voces edidit. *Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei.* Cum ergo arca Hebræis adeo curæ cordique fuerit; quis tam stolidus sit, qui ambigat, scripturam alicubi mentionem facturam fuisse, si arca in potestatem Chaldæorum peruenisset; aut conflagrasset. Hieremias proculdubio suis in threnis ac lamentationibus arcæ oblitus non fuisset.

Ridet Iunius sententiam Epiphanij de arca sub extremum tempus reperienda. *Scilicet restituentur Ecclesiæ Christianæ legales typi*, inquit Hæreticus, *in complemento Euangelij.* Non Ecclesiæ redde-

 tur

Digitized by Google

tur arca; sed Iudæis, vt, quemadmodum antea dictum, visâ arcâ, & Hieremiæ prophetia completa, eò promptius & celerius ad verissimam arcam Christum Dominum, & verissimum tabernaculum, Ecclesiam Catholicam, adducantur.

Ridet illam quoque sententiam, quæ vult arcam mysticè esse ipsum Christum Redemptorem nostrum; quæ arca inuenta est, tum, cum Christus ex vtero Virginis homo factus prodiit. *Si ita est*, inquit Iunius, *quid nobis arcam illam & tabernaculum, in specu seruari oportebat? Fabulæ.* Assentior *fabulas* esse, quæ tu hic & alibi blatis. Ideo enim etiam hac Ruperti sententia admissa abdi oportebat arcam, ne res omnium apud Hebræos sacratissima, impiis prædæ ac ludibrio foret. Et sic seruari arcam oportebat; non vt aliquando rursus in lucem promeretur, ex sentẽtia quidem Ruperti, mysticè arcam & inuentionem arcæ interpretantis; sed ne à gentilibus Chaldæis dehonestaretur.

Quærit VVitackerus: *Vbi sint illæ descriptiones Hieremiæ, quarum mentio fit in principio capitis secundi.* Vbi iam sint, nescio; vel potius vbi & quod non sint, scio, quia interierunt. Quid fuerint, accipe ex Serario in cap. 2. lib. 2. Machab. Non sunt vlla Ieremiæ libri, qui hodie inter Prophetas canonicum locum obtinet, portio: sed videntur esse alius quidam eiusdem Prophetæ liber, quem non habemus; in quo illius temporis acta quædam continerentur. Nam Græcè hîc dicuntur *ἀναγραφαί*, quo nomine, sicuti & altero *τῶν ἀναγραφῶν*, in eam significationem sæpe vtitur Iosephus in libris Antiquitatis, & contra Apionem. sicque Menander etiam Ephesius *τὴν τῶν ἐν Τύρῳ βασιλευσάντων ἀναγραφὴν* edidit.

Confirmatur hæc sententia. Primò, quia sanctus Matthæus cap. 27. vers. 9. ait: Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt à filiis Israël. At in hodierna Ieremiæ prophetia testimonium hoc non legitur. Ergò alius quidam eiusdem Prophetæ liber concedẽdus est. Negant conclusionem istam non pauci; & Euangelistam septem potissimum modis exponere annituntur. Omnes proponit Maldonatus noster in illum locum; priores quidem sex refutat: septimũ verò hunc tanquam omnium optimum proponit, vt in Matthæi contextum Ieremiæ vox irrepserit. At meum in animum vix ea de tot Græcis, Latinisque Codicibus, irrepere potest suspicio. Sed alium etiam Ieremiæ librum olim fuisse, testes in eum Matthæi locum Origenes, & diuus Hieronymus; qui tunc tamen, vel ob nonnullas deprauationes, vel ambiguas narrationes, quas Iudæi fortè, in quorum is manibus erat, addiderãt; apocryphus habebatur. Demum, visa est probabilis hæc sententia Francisco nostro Turriano, lib. 2. pro epistolis Pontificũ c. 13.

A Nec mirari debet Hæreticus, cum asserimus has Hieremiæ descriptiones periisse; quãdoquidem cõstat plurimos alios Prophetarum libros temporis diuturnitate vel hominum incuria intercidisse.

Septimum argumentum VVitackeri: *Multa sunt in his libris ἀσύμφωνα. & pugnantia, cuiusmodi hæc sunt, quæ proponam: Primùm, de morte Antiochi Epiphanis, qui fuit hostis Iudæorum infestissimus, libri non conueniunt. Nam lib. 1. cap. 6. vers. 8. & 16. Antiochus iste exstinctus esse dicitur animi tristitia, quam ex malo nuntio conceperat, idq́ Babylone in lecto: quando etiam filium tradidit Philippo, quem regno præfecit. At lib. 2. cap. 1. vers. 16. in fano Nanææ obtruncatur, & membratim conciditur. Ita nunc bis mortuum esse Antiochum audiuimus: quia ratio* B *duplex est moriendi. Verùm tertiam etiam eiusdem Antiochi mortem iste autor lib. 2. cap. 9. commemorat: vbi interno dolore viscerum, ex quibus vermes effluerent, & fætor horribilis in totum pænè exercitum redundaret, mortuum illum esse scribit peregrè in montibus, cũ in Iudæam contenderet. Vnus homo non potuit tam multas variasque mortes occumbere.*

Hæc nihil aliud sunt, quam VVitackerianæ phaleræ ad populum. Nam si quis dicat, non esse eundem Antiochum, cuius interitus describitur lib. 2. cap. 1. cum illo cuius mors describitur lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 9. quid aget VVitackerus? Quo argumento hũc oppugnabit? Non esse eundem Antiochum sensit citatus à VVitackero Canus; & Serarius noster in cap. 1. lib. 2. Machab. Quis igi- C tur Antiochus iste, si diuersus ab illo altero, Antiocho, cui cognomentum Epiphanes? Respondet Serarius esse Antiochum Demetrij maioris filium, & minoris à Parthis capti fratrem; quod quadrupliciter probat: *I. quia iste Antiochus hoc tempore vixit, initam cum Simone societatem dirupit, Hierosolymam septem diuersis castris obsedit, & plurimùm vexauit. Secundò, quia in Persidem, seu Orientales illas plagas, vt contra Parthos pugnaret, profectus est, vt lib. 38. Iustinus explicat; cum quo loco conferendum libri 36. principium; vbi de Persis. Tertiò, in expeditione ista Parthica, omnes Antiochum istum mortuum tradunt; sed vel generatim tantùm, vt Iosephus cap. 16. lib. 13. Vel speciatim quidem, sed ita, vt in mortis genere non satis profani scriptores consentiant, vt mirum non sit, si à nostro ipsi auctore a-* D *liquantulum dissentiant. Nam Iustinus, in prælio, metu suorum desertum ait, & occisum lib. 38. Appianus sub finem Syriacorum, eum se ipsum interfecisse. Ælianus de animalibus lib. 10. cap. 34. se ipsum è loco quodam præcipitasse. Accedit demum, vt Antiochum hunc esse opiner, bonorum etiam scriptorum calculus. Nam ita olim sensit Rupertus cap. 6. & 16. & 24. lib. 10. Et nostro seculo Sigonius lib. 2. in Sulpitium.*

Hac sententia posita in fumum abeunt Caluinianæ cauillationes; de triplici morte eiusdem Antiochi. Nam quod præterea cauillatur *bis mortuum esse Antiochum Illustrem; semel Babylone in lecto, lib. 1. cap. 6. & semel peregrè in montibus, cum in Iudæam contenderet lib. 2. cap. 9.* id non est docti viri solida obiectio, sed vani obtrectatoris inanis crimina-

tio:

Digitized by Google

tio: quæ tribus verbulis facillimè depellitur; nempe verè mortuum Babylone in lecto, vt dicit liber primus: & mortuum etiam peregrè in mõtibus; quia peregrè in montibus lethali morbo correptus est; sicque in his mors inchoata; & in Babylone consummata ac terminata.

At Bellarminus fateri coactus fuit, inquit VVitackerus, *vnum & eundem Antiochum esse; de quo lib. 1. Mach. cap. 6. & lib. 2. cap. 1. & 9.* Non coactus fuit, mi homo, sed liberè in hanc sententiam descendit; putauitque, nil opus esse diuersum Antiochum statuere; nam & absque hoc perfugio vestras obiectiones aduersus Macchabæorum libros dissolui posse; sicut ipse dissoluit; tribus illis capitibus inter se conciliatis; contra quam conciliationem nihil prorsus VVitackero suppetit, præter cauillationem illam repetitam; *eundem Antiochum ter esse mortuum; in fano Naneæ; secundò, peregrè in montibus; tertiò Babylone in lecto.* Cum Bellarminus expresè neget Antiochum in Naneæ delubro cecidisse: accepto *cadendi* vocabulo pro ipsa Antiochi persona: Dici autem cecidisse; quia exercitus eius in templo Naneæ ceciderat. Quem loquendi modum confirmat quoq; Bellarminus ex simili phrasi Genes. 14. Cur ad hæc obmutuit VVitackerus? cuius hæc est secunda repugnantia inter librum primum & secundum. *Lib. 1. cap. 9. vers. 3.* Iudas *dicitur occisus anno 152. regni Seleucidarũ: at in 2. lib. cap. 1. vers. 10. anno 188 literas scribit ad Aristobulum magistrum Ptolemæi, nimirum annis 36. post quam est mortuus.*

Hic rursus mutus est VVitackerus ad Bellarmini solutionem: qui putat vtrobique eundem esse Iudam; & tamen Sectariorum obiectionem nullo negotio depellit: quam facilius adhuc amoliri licebit; si quis statuat Iudam, de quo libro secundo capite primo, diuersum ab illo, de quo libro primo capite nono, vt facit Serarius noster in caput primum libri secundi Macchabæorum, non sine optimis vrgentibusque argumẽtis, quæ apud ipsum lector legat. Nobis satis est VVitackerianæ cauillationis filum interrupisse.

Tertia VVitakeriana repugnantia. *Lib. 1. cap. 4. vers. 36. Iudas templum purgasse dicitur ante mortem Antiochi post fugatum Lysiam: at libro secundo capite decimo in principio post mortem Antiochi facta hæc templi purgatio legitur. Nam eadem purgatio fuit, quod aduersarij concedunt.*

Neque hic responsum Bellarmini VVitackerus attingit, aut alius sectarius; cuius summa; facta esse hæc omnia, antequam moreretur Antiochus: sed libro secundo capite decimo, narrari quidem post mortem Antiochi, at non asseri facta post mortem Antiochi. *Voluit enim Auctor*, inquit Bellarminus, *absoluere, quæ de Antiocho dicturus erat, & tum demum redire ad Iudam, & templi repurgationem: quod autem dicitur facta post biennium, nõ significatur, post biennium à morte Antiochi; sed post biennium à profanatione. Nam profanatum fuit templum anno C. XLV. vt dicitur libro primo capite primo. Et post biennium exactum anno C. XLVIII. repurgatum fuit, vt habetur libro primo capite quarto. Quarè rectè Eusebius in Chronico, & Iosephus libro duodecimo antiquit. capite decimo, scribunt templum repurgatum tertio anno à profanatione, id est, post biennium iam exactum.*

Contra ista, quod diceret, (verba sunt Serarij in caput quartũ libri primi Macchabæorum) *cum negri quidem afferre posset VVitackerus, ipsum tamen non puduit, quasi duo isti inter se libri pugnarent; hanc ab hæreticis aliis acceptam, ab ipsoq; Bellarmino abiectam cramben, iterum ad nauseam proponere. multò videlicet Munstero nequior, qui in Gorionide libro tertio capite decimo tertio, eandem fatetur dedicationem, & explicat.*

Quarta VVitackeriana repugnantia. *Libro secundo capite decimo. Antiochus Eupator Epiphanis filius, regno suscepto, Lysiam rebus præfecisse legitur: at libro primo capite sexto. Lysias diu antè rebus præfuit, & Antiochum regem instituit, eumq; Eupatorem vocauit.*

Pudere debebat VVitackerum, tam leuis obiectionis, si quid in eo candidæ eruditionis infuisset. Licet enim Lysias sub Antiocho Epiphane iam dux belli esset, vt refertur libro primo capite sexto, postea tamen ab Antiocho Eupatore, filio Antiochi Epiphanis, vel in eodem munere confirmatus, vel etiam amplioribus honoribus adauctus fuit: & hoc, vt grates rependeret Lysiæ nutricio & educatori suo, imò & promotori ad diadema regium; Quomodo igitur caput decimum libri secundi aduersatur capiti sexto libri primi? An non quotidianus mos ita fert, vt qui sub decessore aliqua administratione fungebatur, sub successore eandem vel firmatam vel ampliatam, vel aliam longè præcellentiorem accipiat? Hactenus de quatuor repugnantiis à VVitackero confictis. Nunc argumenta eiusdem expendere pergamus.

Octauum VVitackeri argumentum: *Secundus liber humano se spiritu scriptum esse indicat. Nam primò, in fine libri veniam petit à lectoribus: quod à Spiritu sancto longissimè alienum est. Vera enim semper scribit, atque ita scribit, vt scribendum fuit; nec vnquam vel in re, vel in modo errat, nec venia illa nostra indiget.*

Respondet Bellarminus: Auctorem istum petere veniam non erratorum; quæ sciebat, nulla esse; sed sermonis minus compti, ac politi. Quid ad hæc VVitackerus? Nihil. Hoc exagitat, quod catholici exemplum Pauli adducunt, qui & ipse fatetur se sermone imperitum 2. Cor. 11. *Respondeo*, inquit VVitackerus, *Paulus se nunquam excusauit, quod tenuiter scripserit, & exiliter; aut minus præstiterit, quàm voluerit. Sed hic autor tenuitatem, & exilitatem scribendi suam agnoscit; ideoquè aliter facere non potuit, quin suæ infirmitatis conscientia impulsus, lectorum humanitatem, facilitatemq; imploraret. Hoc nunquam Paulus, nunquam Propheta aliquis, aut Apostolus fecit.*

Quid ergo volunt sibi illa S. Pauli. *Existimo me nihil minus fecisse à magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia.* An non est hæc quæ-

dam

dam agnitio, & ꝓfessio, atq; adeò excusatio sermonis minus elegantis quo in loquendo & scribendo vtebatur S. Paulus? An non similis professio exstat 1. Cor. 2? *Et ego cum venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi, &c. Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, &c.* Scilicet si S. Paulus expressè, vt Auctor libri secundi Machabæorum sibi ignosci postulasset; quod sublimitatem orationis non adhiberet, nec artificia ad persuasionem apta consectaretur, Spiritum sanctum longissimè à se fugasset; nec Apostoli & Canonici scriptoris nomen tueri potuisset.

Cum Deus Exodi 2. Moysen in AEgyptum ablegare vellet; inter cæteras excusationes hanc etiam attulit: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruũ tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Si Moyses hanc excusationem attulisset, cùm ad scribendos libros, impulsu Dei, sese accinxit, Propheta nimirum non fuisset; nec Spiritu sancto instinctus; si vera nobis narrat VVitackerus: *Quia Spiritus sanctus non vtitur huiusmodi excusationibus.* Cur ergo vsus in Moyse loquente? Cur itidem in Hieremia loquente? Hier. 1. *A A A Domine puer ego sum, quia nescio loqui.*

An hæc verba prolata sunt à Moyse & Hieremia non diuino, sed humano spiritu? Audi VVitackere; Spiritus sanctus ita vsus est hominum ministerio in scribendo & loquendo, vt tamen ex indisertis & infacundis minimè faceret eloquentissimos Tullios aut Demosthenes. Quapropter qui assumptus à Spiritu sancto, tãquam instrumentum *scribæ velociter scribentis*, conscius sibi erat suæ imbecillitatis in dicendo & scribendo; is absque vlla nota Spiritus sancti infallibiliter sibi adsistentis, hoc profiteri, & de ea se etiam excusare poterat. Neque de imperitia sermonis locutus est S. Paulus *συγχωρητικῶς, per concessionem* duntaxat, & ex aliorum de se sententia, vt vult VVitackerus & Iunius, sed *κατηγορικῶς absolutè*; Licet enim illud prius etiam Catholicis quibusdam interpretibus placuisse videam; res tamen ipsa loquitur S. Paulum hoc de se absolutè pronunciasse, tanquam nõ instructo *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*: & res ipsa, totaque Paulinæ orationis conformatio & instructio id loquitur.

Ait Auctor lib. 2. cap. 2. laborem huius Epitomes conficiendæ sibi fuisse molestum & sudoris difficultatisque plenum. *Sed nihil est tam difficile,* inquit VVitackerus, *vt Spiritui sancto molestum esse possit.* At non dicit Auctor Spiritui sancto confectionem illius epitomes fuisse molestam; sed sibi; Alius & aliud est Spiritus sanctus: alius & aliud auctor. Spiritui sancto nec molestum, nec difficile fuit loqui & cum Iudæis Ethnicisq; disputare per Paulũ: at hoc ipsi Paulo laboriosum ac difficile fuit, vt ipse passim de suis in Euangelio propagando laboribus prædicat.

Negat VVitackerus S. Lucæ scriptionem difficilem aut molestam fuisse, *quia Spiritui sancto nihil est molestum.* Si hoc verum, tum neque Moysi difficilis ac molesta fuit eductio Hebræorum ex AEgypto; neque dimicatio Heliæ cum Baaliticis idololatris, neque Ionæ profectio & prædicatio in Niniue; quia hæc omnia agebat per sanctos illos homines Spiritus sanctus. At quis hoc affirmare ausit; qui legerit tantos labores ac molestias subiisse Moysen cum Pharaone; præstantesque illos vates Eliam & Ionam tanto ob molestiarum magnitudinem & acerbitatem tædio affectos fuisse, vt mortem in optatis haberent? Etsi enim Spiritui sancto nihil molestum, instrumento tamen Spiritus sancti multa possunt esse molesta: nam S. Paulus, vt ad hunc reuertar, non tantum in scribendo, sed & in agendo instrumẽtum Spiritus sancti erat. An nihil illi laboriosum molestumque fuit?

Obiicit VVitackerus. *Quomodo potuit Macchabaicæ historiæ scriptori tam molestum esse, ex quinq; voluminibus Cyrenéi Iasonis breuem epitomen contexere? Ex auctore enim sumere quod voluit, & quod noluit, prætermittere, facillimum certè fuit. Humanus animus, humanus spiritus, humanum ingenium, humana confessio, humana historia, humana omnia.*

Mendax animus, mendax spiritus, mendax ingenium, mendax confessio, mendax historia, mendacia & falsa omnia in VVitackero. Adeo difficile est Epitomas scitè apteque conficere, vt pleriq; malint, nouos libros componere, quàm ab aliis compositos in compendium redigere.

Ex his etiam refellas frigidas nugas Iunij, quas de facilitate Epitomes conficiendæ hoc loco effundit: qui non minus frigidè ac ineptè cõfutare nititur, quæ Bellarminus tradit de diuersa ratione, qua vsi Prophetæ in scribendo; & qua historici. Et ne Iunianæ scientiæ prorsus expertes maneremus, hac eius nos aspergit portiuncula: *Prophetiarum quasdam versari in iure, quasdam in facto:* & quid ni ita distinguat Prophetias? Quia & ignorantiarum alia est *iuris*, alia; *facti*: Cur non & prophetiarum?

Quin & hoc docet nos Iunius Auctorem istũ petere veniam erratorum. Id testari hæc verba: *τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παρεγχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογράμμασι τῆς ἐπιτομῆς διαπονοῦντες*, id est, *accuratam quidem de singulis rebus peruestigationem auctori concedentes, aciem verò intendentes eò, vt lineamentis epitomes ipsius insistamus.*

Respondeo; non petit veniam erratorum, quæ sciebat nulla esse, sed orationis minus cultæ: nec concedit Iasoni simpliciter veritatem (vtor verbis Serarij proleg. in Machab.) *sed veritatem illam minutiorem, de singulis scilicet rebus, accuratissimamq; scriptionem concedit. Est enim Græcè τὸ ἀκριβοῦν περὶ ἑκάστων, id est, de quibuslibet accuratè pertractare, persequi exquisitè, minuteq; singula. quemadmodum & vers. 13. vbi, τὸ ἐμβατεύειν, est, altius in rerum narrationem, & explicationem ingredi.*

Digitized by Google

Mox Iunius sturnatim argumenta promit, quibus auctorem istum ostendat, humano, non diuino spiritu actum, scripsisse. *Quia est Epitomarius historia profana scripta ab Iasone Cyrenao homine profano.* Quo argumēto euincit Iunius historiam Iasonis fuisse profanam, non sacram? secundò, qua ratione fidem nobis faciet Spiritum sanctū non posse ex historia non sacra seligere Epitomē infallibilem, atque adeo Canonicam? Sed de his iam supra egimus.

Addit Iunius. *Auctorem hunc non fuisse certa & vera historia exscriptorem, sed dubia & interdum falsa epitomarium.* Hoc nihil aliud est, quam assertum omni ratione destitutum. &, vt Prædicans Hunnius loqui solet, *à probatione nudius Leberide*, vt & illud: *multa in secundo libro contineri scriptura Canonica* B *contraria.* Quæ omnia meros esse logos & futiles gerras, ex dictis liquet.

Nonum argumentum contra Macchabæorum libros Hunnij & aliorum: *Lib. 2. cap. 14. laudatur Razias sui ipsius truculentus interfector. ergo non est liber Canonicus.* Respondeo 1. mirum esse cur sanctus Augustinus hoc perfugio nunquam vti voluerit, vt diceret, libros Macchabæorum esse apocryphos. Cum enim Donatistæ Circumcelliones homicidia hoc Raziæ exemplo tueri conarentur, sanctus Augustinus nunquam dixit: *Secundus Macchabaeorum liber est apocryphus; quidquid inde profertur, id nihil ad imitationem facit, quia apocryphum est.* Nunquam hoc responso vsus est sanctus Augustinus; sed alia attulit epist. 61. ad Dulcitium, & libro secundo contra Gaudentium cap. C 23. Et tamen, si ei mens eadem fuisset, quæ nostris Hæreticis, nullo negotio se expedire potuisset.

Quid ergo S. Augustinus? Mortes horum hominum narrari in scriptura, non laudari: vel certè non ita laudari, quasi piè & sanctè fecerint, quod fecerunt, quamuis audacter & viriliter. & hominum iudicio, fortiter eos fecisse negari non posit.

Obiicit Prædicans Hunnius. *Hoc nec Raziam subleuat, nec ipsum etiam laudatorem.* Qua de caussa vero, mi Præco? *Quia si ex prophetico spiritu scripsisset, ne sic quidem illum laudasset?* Et cur non, obsecro, mi Prædicans? Ais: *Nonne enim pari modo laudari* D *posset Rex Saul, quod semetipsum interficiendo fecerit masculè, & fortiter, præsertim cùm hanc expressè rationem assignet in verbis ad armigerum, euagina gladium, & percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi.*

Imò pari modò laudatus est, hoc ipso, quod factum illius minimè muliebre sacra scriptura recensuit. Nam & hoc quod Saul fecit, & scriptura commemorat, ad egregiam & imperterritam animi fortitudinem, humano iudicio, pertinet; quamuis, vt Aristoteles etiam agnouit, nequaquam sit vera fortitudo, sed potius timiditas.

Cæterum an non Prædicanti omnis garriendi facultas eriperetur, si quis diceret, Raziam hæc, vt olim Sampsonem, fecisse, peculiari impulsu sancti Spiritus? cum enim Deus sit Auctor vitæ, cuius imperare potest, vt eam, quando iubet, finiat, siue hoc, siue illo modo. Neque responsio & defensio hæc à mente sancti Augustini aliena est, vt ostendit Serarius in cap. 14. lib. 2. Macchabæorum.

At sanctus Augustinus monet *sobriè* legendam esse scripturam de Macchabæis. Quid tum? Etiam scriptura Geneseos sobriè legenda est; ne quis dum legit incestum Loth, arbitretur incestum esse licitum: aut dum legit Polygamiam Patriarcharum, & ancillas loco vxorum ab ipsis vxoribus submissas, maritis, exstimet aliquis eadem hoc ipso tempore licere. AEquè igitur *sobriè*, ac illud in Macchabæis de Razia, hæc & id genus alia infinita legi debent. Vnde hæretici, nisi quia non *sobriè*, sed, vt sic loquar, *ebriè*, scripturam legunt?

Vide autem Prædicantis frontem, sed Prædicanticam. Accusat Bellarminum, quod præterierit hæc sancti Augustini verba: *Raziam, cùm humilitatem inter manus inimicorum non valeret ferre, non planè sapiētia, sed* INSIPIENTIAE *dedisse exemplum: non* CHRITI MARTYRIBVS, *sed Donati Circumcellionibus imitandum.*

Quomodo præteriit hæc verba Bellarminus, cum locum ipsum, vbi exstant, apertissimè citauerit; neque etiam quidquam Bellarmini caussam lædant, aut Prædicantem iuuent? Fatemur enim & nos Raziam (si peculiari Spiritus sancti impulsu ea quæ egit, non egit) non sapientiæ, sed insipientiæ dedisse exemplum; nulli hominum imitandum. An propterea censes sanctum Augustinum libros Macchabæorum habuisse pro Apocryphis? Etiam Loth & Ammon incestum committentes dederunt non sapientiæ, sed insipientiæ exemplum nulli bono imitandum. An ideo Genesin, & libros Regum repudiabimus, quia ista insipientiæ exempla prodiderunt?

Decimum argumentum Hæreticorum contra libros Macchabæorum. *Libro primo capite octauo, dicuntur Romani singulis annis committere vni homini magistratum suum, & omnes vni obedire: at, hoc est falsum nam duo consules eo tempore creabantur.*

Respondet Bellarminus; vnius tantum consulis mentionem fieri, quia in more apud Romanos positum erat, vt alternis diebus Consules imperarent. Cuius rei testis esse potest infelix exitus pugnæ Cannensis, cuius causa temeritas fuit alterius Consulis, penes quem eo die, imperium erat. Itaque licet duo consules essent, vni tamen commissa esse Resp. videbatur. Idque institutum est ab ipso primo exortu consularis dignitatis, ne videlicet (vt ait Liuius libro secundo) si duo simul consules imperarent, Regibus exactis, non remotus, sed duplicatus terror videretur.

Obiicit Iunius: *Hoc non fuisset singulis annis vni, sed duobus per singulos annos, per dies verò singulos vni è duobus fasces committere. Falsus itaq; Auctor Macchabaeorum;*

rum; falsa responsio. Rectius ego: Futilis cauillatio: quia licet consules per annum alternis imperarent, verè tamen adhuc affirmatur vni commissos fasces, traditumque magistratum, singulis annis; quia nunquam imperabat, nisi vnus; etsi non idem. Neque Auctori Macchabæorum aduersatur Halicarnassæus lib.5.citatus à Iunio; dicens; duodecim secures supremi magistratus insigne, consulibus præportatos esse; vni quidem mensem vnum; alteri mensem alterum; & sic deinceps: nam quod Liuius tradit de alternis diebus, hoc iste scribit de alternis mensibus: & sic in idem recidit, vni videlicet per singulos annos magistratum fuisse commissum; etsi non eidem. Taceo non deesse; qui locum Macchabæorum accipiant vel de Imperatore, quem cum exercitu in aliquam prouinciam mittebant; vel de Dictatore, qui quotannis, dum scilicet opus esset, creabatur. De quo vide Serarium in cap.8. lib.1.Macchab.

VVitackero & aliis Sectariis non sufficit libros Macchabæorum telis suis oppugnasse; conantur insuper orthodoxis extorquere arma, quibus pro Macchabæorum libris pugnant. *Aduersarij*, inquit VVitackerus, *duo argumenta adferunt præter illa communia: Primùm, hos libros à Clemente positos esse in Canone sacrarum scripturarum, vt manifestũ est in Can. Apostolorum vltimo. Secundùm, est Augustini testimonium lib.18.cap.36.de ciuitate Dei, quod eiusmodi est: Hos libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. Et lib.2.cap.23. contra Gaudentij epistolas simile testimonium reperitur. Ergò hos libros, verè, ac propriè Canonicos esse concludunt.*

Sed hîc sibi à mendacio temperare non potuit Caluinista; plura enim, quàm duo veterum testimonia adferri, testatur caput 15.& 10. Bellarmini; inspiciantur, & de vanitate Nouatoris debitum iudicium fiat; vt omittam testimonia & argumenta, quæ pro Macchabæorum Canonica auctoritate profert Serarius noster Prolegom. in Macchabæos.

Secundò asserit Caluinista, Bellarminum Clementis, aut Canonis Apostolorum auctoritate hos libros tueri. Nihil hic Bellarminus de Clemente; nihil de vllo Canone Apostolorum. Imò capite vltimo huius libri, Canonem 84. Apostolorum nomine vulgatum copiosè probat esse apocryphum. At Bellarminus vsus est testimonio huius Canonis in scriptis, seu dictatis, quæ auditoribus suis in Schola tradiderat; hæc enim vidit & legit & explicauit VVitackerus antequam tomi ipsi in lucem exirent. Quid Bellarminus dixerit in illis dictatis, ego nescio, quia nunquam vidi. Quid publicè hoc primo libro dicat, id scio; & defendo. Hic autem nulla prorsus Clementis mentio. Quamuis autem Bellarminus hoc testimonio vsus fuisset, quid demùm referret? An non & ex Apocryphis emicant aliquando scintillæ veritatis?

A Vt Hæretici D. Augustinum nobis hoc loco eripiant nihil non tentant. Is in Canone ponit libros Macchab. lib.1. de doctr. Christ. cap.8. Et in Concil. Carthagin. cui interfuit & subscripsit. Et li.18. de ciuit. Dei, cap 36. *Macchabæorum libros*, inquit, *non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atque mirabiles.*

Respondet VVitackerus. Augustinum vocare hos libros *Canonicos communi quadam vsurpatione huius nominis*, vno verbo, *æquiuocè*, vt ait Iunius. Hoc commẽtum iam sæpius explosum est, etiam ex ipso Augustino: qui vbi Canonici vel Canonis vocabulum vsurpat, non alia notione id vsurpat, quàm ea, qua epist.19. dixit: *Se solis illis scripturarum libris, qui iam Canonici vocantur, eum habere*

B *honorem, vt omnem ab illis errorem & falsitatem abesse credat.* Et vt Prædicantes in omnes partes sese vertant, nihil aliud vnquam ex S. Augustino extundent.

Ait VVitackerus: *Dici potest, Ecclesiam Christianam hos libros pro Canonicis habere; quia in Ecclesia leguntur, & in aliquo precio habentur; quanquam non omninò in parem cum reliquis autoritatem, fidemque sumantur.*

Si Ecclesia libros istos non aliam ob caussam pro Canonicis haberet, tunc dici posset; etiam scripta S. Augustini, aut S. Gregorij & similium Patrum pro Canonicis habere, quia hæc etiam publicè legit, & in aliquo pretio, & quidem ma-

C gno habet. Quis autem vnquam audiuit Patrum scripta hanc ob caussam ab Ecclesia pro Canonicis haberi?

Addit VVitackerus. Hæc ita se habere disci potest ex Augustino, sic enim in eodẽ loco scribit: *Quorum supputatio temporum non in scripturis sanctis, quæ Canonicæ appellantur, sed in aliis inuenitur, in quibus sunt & Macchabæorum libri.*

Si VVitackerus vir probus fuisset, verba sancti Augustini non inuertisset. Hæc enim verba non postponit illis: *Quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Sed anteponit: eaque, quo sensu accipienda sint, statim per sequentia declarat. Nam supputatio temporum à restituto templo vsque ad Aristobulum, non habetur in scripturis

D sanctis, *quæ Canonicæ appellantur*, nimirũ apud Iudæos, sed in aliis inuenitur, vt in Iosepho, & si qui alij rerum Iudaicarum scriptores exstitêre; in quibus sunt & Macchabæorum libri; quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. Ergo ex sententia D. Augustini, supputatio temporum habetur in scriptura non Canonica; sed apud Iudæos; & tamen Canonica; sed apud Christianos.

Obiicit VVitackerus. *Ex Augustini testimonio libros Macchabæorum tantum haberi Canonicos in Ecclesia propter Macchabæorum Martyria ac tormenta. Sed eiusmodi hoc est, propter hoc aut illud librum Canonicum haberi. Nam qui verè liber Canonicus est, is absolutè & omnino totus, non propter hanc vel illam partem vel caussam recipiendus est.* Ne dubita, S. Augustinus totos Macchabæo-

Digitized by Google

A chabæorum libros cum Catholica Ecclesia pro Canonicis habuit, inductus ad hoc tum aliis motiuis, inter quæ præcipuum locum tenet traditio Ecclesiastica;& Apostolica; tum etiam insigni illo Macchabæorum Martyrio; quod ad fidelium instructionem plurimum facere, liquido perspiciebat magnus ille præsul.

Sed en aliud ex Augustino spiculum. *Augustinus ait lib.1.cap.20. de ciuit.Dei. Neq; enim frustra in sanctis Canonicis libris nusquam nobis diuinitus præceptum, permissúmue reperitur, vt nobismetipsis necem inferamus. In his libris si non præceptum, tamen permissum est, vt sibi mortem aliquis inferat. Nam lib.1.cap.6. Eleazarus, qui voluntariam mortem adiit, laudatur. Et lib.2.cap.14. Raziæ fortitudo prædicatur, qui sibi manus violentas intulit.*

B Si libri Macchabæorũ homicidium suiipsius permittere dicuntur; quia referunt, quomodo Elezarus volens lubensque in mortem se coniecerit,& Razias sibi ipsi manus intulerit;sequitur etiam librũ Geneseos & libros Regum permittere homicidia & incestus; quia referunt, quomodo Cain fratrem suum Abel, & Ioab Abnerum occiderit; & quomodo Loth & Ammon, filius Dauidis, incestum commiserint. Imo liber Euangeliorum permittere dicetur suspendium suiipsius, vt & Acta Apostolorum; quia memorant quomodo Iudas sese suspenderit. Et si libri Macchabæorum ideò Canonici non sunt; quia hoc permittunt; etiam reliqui libri non erunt Canonici, quia similia facinora permittunt. Sed qs est, præter VVitackerũ, cui ita delirare lubeat? C

Deinde, si permittere nihil aliud sit, quàm non impedire;tum si Prædicans resti vitam finire velit; æquè parum impeditur à libro Ruth, vel à Cantico Canticorum, vel ab epistola ad Philemonem, atque à libris Macchabæorum; ergo illi æquè parum erunt Canonici, ac libri Macchabęorum. Adhæc Deus permittit peccata; hoc est, nõ impedit. An hoc quidquam de maiestate diuina detrahit? An ideo Deus non est? Sic & in proposito; an ideo scriptura, Dei seu diuina non erit, si permittat, hoc est, non impediat peccata? Addo ad extremum, vt Deum, sic nec scripturam permittere peccata; quatenus non permittere dicitur is, qui à vitiis dehortatur, & ad virtutes cohortatur: quod vt Deus; D ita etiam omnis scriptura Dei facit.

At Augustinus alibi dicit scripturam Machabæorum *sobriè* esse legendam. Quid tum? Dicit hoc propter Raziam, ne quis imprudentior crederet; sibi, exemplo Raziæ, idem concessum. Si S. Augustinus dixisset, Genesin & libros Regum *sobriè* esse legendos: ne quis incestum putaret licitum; item totam scripturam esse sobriè legendam; ne dum temerè, & vt sic loquar, *ebriè* legitur, in varias hæreses incurratur; an ideo canonicam auctoritatem Geneseos; Regum, atque adeo totius scripturæ negasset? Satis de VVitackero.

Quid Danæus? Nil nisi mendacia. Ait: *Bellarminum in libris Macchabæorum Canonizandis destitui præcipuo suo fundamento*, nempe, *synodorum auctoritate*. Et tamen Bellarminus cap.10. in quo de libris Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Macchabæorum simul egit pro his omnibus citauit Concilium Carthaginense III. Canon.47.& Trident. sess.4. Simile mendacium effudit Danæus ad caput 13. & 14. de libro Sapientiæ & Ecclesiastico, quorum auctoritatem negat à Bellarmino testimoniis conciliorum stabilitam; cum capite decimo pro vtroque illo libro Concilium Carthaginense & Tridentinum attulerit, & cap.13. pro libro Sapientiæ Concilium Sardicense & Toletanum II. Illud festiuum, quod Bellarmino opponit Concilium Carthaginense aduersus canonicam auctoritatem Macchabæorum; cum hoc Concilium libros Macchabæorum expresè in canone diuinarum scripturarũ ponat, vt iam aliquoties vidimus.

Clausulæ loco addo Lutheri de his libris iudicium. In Prologo super libros Macchabęorum ait, *primum librum tam dignum esse vt recipiatur in Canonem, quàm dignus est secundus, vt inde excludatur*. Cur igitur Lutherani Prædicantes saltem à primo libro dentes & vngues suos non abstinent? Cur non dignantur honore Canònis? Hactenus disputatum sit de libris antiqui testamenti.

CAPVT XVI.

De quibusdam partibus librorum Marci, Lucæ, Joannis.

FATETVR Hunnius ea, quæ hic scribit Bellarminus vera & recta esse. Itaque nihil carpit. Tantum Lutherum suum excusare nititur, ob sublata illa verba: ex 1.epist.cap.5. Ioannis; *tres sunt in cælo, qui testimonium dant. Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Ait, *Lutherum hoc fecisse, quod in nonnullis codicibus non exstarent:* At exstabant in aliis, & quidem emendatioribus & pluribus. Cur hos non secutus Lutherus? Caussam non reperio aliam, quàm quia, præter cætera, hoc etiam publicum monumentum sui in Arianos amoris publicè spectari voluit.

Danæus inuehitur in Bellarminum; *quod quæstiones iam sepultas denuò excitet; cum nemo sit, qui iam dubitet de his partibus noui testamenti.* At verò, vt alij Nouatores non dubitent, aut dubitauerint, dubitat profectò & dubitauit de historia adulteræ Ioan. 8. Beza in scholiis ad caput septimum Ioannis. quod Danæum fugisse, tantum Bezæ admiratorem & discipulum intimum, vix credo. Propior sum existimanti; Danæúm, hanc magistri sui impietatem dissimulare voluisse. Quid ergo Beza? *Versiculus iste*, nempe quinquagesimus tertius capitis septimi, *vsq; ad versum capitis sequentis* (octaui) *duodecimum, neq; apud Chrysostomum, neque apud Theophylactum extat. Eusebius quoq; in extremo li-*

Digitized by Google

bro tertio historia Ecclesiastica apertè dicit à quodam Papia hãc historiam de muliere adultera scriptam fuisse, quæ habeatur in Euangelio, quod dicitur secundum Hebræos. Sed & Nonnus eam prætermittit. Testatur deniq; Hieronymus dialogo aduersus Pelagianos secundo, in nonnullis codicibus non fuisse descriptam. Ex vetustis Stephani nostri codicibus septemdecim vnus duntaxat illam non habebat. In reliquis scripta quidem erat, sed ita, vt mira esset lectionis varietas, quam placuit bona fide suis locis annotare. Ad me quidem quod attinet, non dissimulo mihi meritò suspectum esse, quod veteres illi reiecerint. Deinde quod narrat Iesum solum fuisse relictum cum muliere in templo, nescio quàm sit probabile: & quod scribit, Iesum digito scripsisse in terra, nouum mihi, & insolens videtur, nec possum conijcere, quomodo possit satis commodè explicari. Tanta deniq; lectionis varietas facit, vt de totius historiæ fide dubitem.

Hæc Beza in Annotationibus super nouum Testamentum Anno 1556. apud Robertum Stephanum in Fol. Et dicere audet Danæus superfluum esse de his scripturæ partibus disputare; cũ de nobilissima Euangelij Ioannis parte, dubitet non aliquis ex circo Caluinianus, sed Caluinistarum primipilus Beza; neque dubitet tantum, sed & alios variis argumentorum generibus in eandem dubitationem coniicere tentet? quem malè informatum esse oportuit; quia, vt ait hic Iunius, symmysta Bezæ, adulteræ historia nõ fuit dubia, nisi apud *quosdam male informatos de rei veritate.* Hallucinatur autem Beza, etiam Iunio teste; cum ait; *Eusebium testari hãc historiam de adultera scriptam fuisse à quodam Papia:* nam vt Bellarminus rectè docet, *probabile est. Eusebium non loqui de hac historia adulteræ, sed de alia verè apocrypha. Nam in textu Græco Eusebij non habetur nomen adulteræ, sed περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης.*

Et huic Bellarmini sententiæ subscripsit Iunius Caluinista contra Bezam, hunc calculum: *Hæc vera certaq; distinctio est.* Falsus igitur Beza, cum affirmat Eusebium loqui de historia adulteræ apud S. Ioannem.

Eundem Bezam redarguit alius, nisi fallor, Caluinista, Franciscus Nansius in Notis ad caput septimum, Paraphraseos Nonni super Euangelium S. Ioannis, cuius hæc sunt verba: *Erasmus dicit. Eusebium Ecclesiastica historia lib. 3. cap. vlt. in fine, indicare hanc historiam de muliere adulterij delata apud Dominum, additam Euangelio Ioannis ex Euãgelio quod inscribitur secundum Hebræos. Idem hoc post Erasmum notarunt multi alij: sicut & ipse Camerarius. Sed videndum an id eo loco dicat Eusebius. Ruffinus quidem eius interpres ita habet. Vtitur sanè idem Papias testimoniis ex epistola Ioan. prima, & Petri similiter prima. Simul & historiam quandam subiungit de muliere adultera, quæ accusata est à Iudæis apud Dominum. Habetur autem in Euangelio, quod dicitur secundum Hebræos. Hæc ille. At in Eusebio Græco (qui tempore Erasmi nondum erat editus, sed anno demum 1544. excusus est à Roberto Stephano) ita legitur.* κέχρηται δ' ὁ αὐτὸς (Παπίας) μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου προτέρας ἐπιστολῆς, καὶ ἀπὸ τῆς Πέτρου ὁμοίως. ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ κυρίου, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον περιέχει. *Quæ Ioannes Christophorsonus ita reddidit: Idem scriptor (Papias) prioris epistolæ Ioannis, & Petri similiter prioris, vsus est testimoniis. Aliam porrò narrat historiam de muliere, quæ multorum criminum apud Dominum esset insimulata: quam quidem Euangelium secundum Hebræos complectitur. In quibus nullam vides adulterij mentionem.*

Adiungamus in gratiam Bezæ iudicium Caluini in Ioannem. *Constat Græcis ignoratam fuisse* (nõ omnibus, sed aliquibus. Ammonius enim Alexandrinus, antiquissimus auctor in Harmonia Euangelica eam ponit. Ponit etiam in synopsi Euangelij Ioannis D. Athanasius, vel quisquis illius synopseos auctor est; certè Græcus est. Citatur à Chrysostomo Homil. 60. in Ioannem, vt Latinos, eosque plurimos omittam. *Itaq; nonnulli* (Beza, Caluini corculum, & hædillus) *coniiciunt aliunde assutam esse: sed quia semper à Latinis Ecclesiis recepta fuit, & in plurimis vetustis codicibus reperitur; & nihil Apostolico spiritu indignum continet, nõ est cur eam in vsum nostrum accommodare recusemus.*

En quàm bellè concinat Caluini spiritus cum spiritu Bezæ: quem quod improbabile arbitratur, Christum solum cum muliere in templo relictũ; his iam pridem verbis notauit & confutauit Durçus noster pro Campiano aduersus VVitackerum. O intolerandam impurissimi nebulonis audaciam. mala profectò mens, malus animus. quasi tantundem esset periculi, si solus in templo Christus cum muliere relinqueretur, quantum si cum sua Candida Beza: aut, non eodem argumento pulcherrimam illam mulieris Samaritanæ cum Christo loquentis historiam (Ioan. 4.) reiicere posset. Pergit vero: Iesum digito scripsisse in terra, nouum mihi, & insolens videtur, &c. Quidquid ergò in scripturis Bezæ nouum videtur; quidquid ille non satis commodè explicare potest, quidquid variè in codicibus legitur, Beza iudice, meritò suspectum esse, atque dubium debet.

Et Maldonatus noster in caput octauum Ioannis. Hoc probare nõ potest Beza, hæreticorum interpres, Christum cum muliere, eaq; adultera mãsisse solum. Sed quis vir Beza? quàm pudicus? quàm abhorrens ab omni suspicione adulterij? Nemo Gallus ignorat; nec apud alias gẽtes quisquam ignoraret, si eius de amoribus libri, nihilo castiores, quàm illi Tibulli, illi Catulli, illi Ouidij, illi Martialis, legi possent, &c. Manserit Christus omninò cum muliere solus, an propterea murmurare hæreticus debuit; cùm discipuli in simili causa, vt idem narrat Euangelista, ausi non fuerint illum interrogare, cur cum muliere loqueretur? Si hunc locum idcirco delet, quòd solus cum muliere manserit Christus, inducat & historiam totam Samaritanæ; aut Christum accuset, quòd solus cum sola non in templo, sed in

loco item solo, in agro lõgè ab omni teste remoto loquutus fuerit. Quid quod hunc locum hæreticus interpres nõ intellexit? Putat enim Christum solum omninò cum muliere remansisse, quod credibile profectò nõ est. Nec enim concio, quæ frequens aderat, & ad quam Christi responsio nõ pertinebat; sed soli Scribæ, & Pharisæi, qui adulteram accusabant, dicuntur alius post alium exiisse. Et verò, si Christus cum muliere solus mãsit, quomodo mulier, vt ait Euangelista, mansit in medio? In medio quorum, si solus erat Christus? Ex ipsis igitur Euangelistæ verbis perspicuum est, non omninò cum sola muliere mansisse solum. Et, si alia coniectura non esset, tamen certè Apostoli, ac discipuli cũ illo mansêre. Cur enim concionantem, docentemque deseruissent, qui nunquam deserebant? Cùm ergò solus mansisse dicitur, ad solos accusatores, aut ad personas, quæ ad iudicium illud pertinebant, referendum est, neminem mansisse ex omnibus præter iudicem, & ream, id est Christum, & adulteram. Ceterùm, auditores eosdem, qui antè erant, remansisse, in quorum medio manserit adultera. Quæ, ideo non fugit, quia Christi erga se fauorem sentire cœperat.

Hæc in gratiam Bezæ, eiusq; discipuli Danæi dicta sunto. Qui mentitur, cum ait, (vtar enim verbis Andreæ Cydonij nostri, qui nuper pro illustrissimo Cardinale Bellarmino castigationẽ eorum, quæ Danæus scripserat, edidit) ideo reprehendi à Bellarmino Erasmum, & Caietanum, quòd quæstiones eas agitent, quæ nihil hoc tempore dubitationis habent. Non hoc in iis reprehẽdit Bellarminus. nam quæstiones agitari possunt, non modò ad refellendos aduersarios, sed etiam ad docendum, ne cui fortè in posterum eæ difficultates, quæ olim veteres vexarunt, offendiculo esse possint: quod & Patres olim fecerũt, & multi alij viri docti, & Bellarminus ipse summa cum laude præstat. Sed illud, & quidem meritò reprehendit, quòd, cùm Ecclesiæ vniuersæ consensu, nonnulli libri, de quibus olim dubitatum ab aliquibus est, iam recepti in canonem fuerint, ipsi suis, nescio quibus coniecturis adducti, de eorum librorum auctoritate dubitant, in quibus etiam numerant epistolam ad Hebræos.

Dicit Bellarminus, vltimũ caput Marci tempore B. Hieronymi, non fuisse ab omnibus receptum, vt canonicum, idque liquere ex epistola D. Hieronymi ad Hedibiam quæst. 3. Oggannit Iunius. *Non dicit Hieronymus non fuisse ab omnibus receptum, vt canonicum, sed tantum ferri in raris exemplaribus:* Cur præteris ista? *Omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus.* Quare ferebatur in raris exemplaribus? Quarè in omnibus fermè Græciæ libris desiderabatur? An non propterea, quia capitulum hoc non ab omnibus Canonicũ reputabatur? Certè huius defectus alia non fuit caussa, quam ista existimatio, quod non esset Canonicum. Nihil ergo dicit Bellarminus, quod menti S. Hieronymi nõ sit consentaneum: quidquid vilis iste ex Caluini schola vitilitigator blateret.

Quid Witackerus circa hoc decimũ sextum & sequentia capita disputet.

Liberalis hoc loco est VVitackerus. Propemodum vota nostra, certè exspectationem superat. Breuiter & per capita proponamus, quæ nobis larga manu largitur.

I. Quos libros noui testamẽti Canonicos esse statuunt Papistæ, hos Ecclesia nostra omnes & solos recipit.

II. Quos Tridentina synodus noui testamenti libros recensuit, hos Ecclesia nostra omnes & solos recipit.

III. Si Lutherus, aut qui Lutherum secuti sunt, nonnulli aliter senserint, aut scripserint de quibusdam libris noui Testamenti, vt de epistola Iacobi, aut Iudæ, aut de aliis quibusdam partibus, ij pro se respondeant. nihil ista res ad nos pertinet, qui hac in re Lutherum nec sequimur, nec defendimus, quiq; meliore ratione ducimur.

IV. De auctoritate nullius libri, qui pertinet ad nouum testamentum, dubitamus nec verò de auctore, præterquam epistolæ ad Hebræos. Quam Pauli esse aliqui veterum negarunt; infiniti verò affirmarunt, vt ipsemet VVitackerus agnoscit; cum quibus & vniuersalis Ecclesiæ iudicium facit; ac proinde firmum ratumque esse debet, epistolam hanc ab alio auctore, quàm à S. Paulo non esse profectam; vt capite sequenti contra Hunnij vaniloquentiam fusius dicetur. Cui, vt & omnibus Lutheranis Prædicantibus VVitackerus Caluinista hoc documentum præscribit.

V. Cum auctorem huius epistolæ esse Spiritum sanctũ intelligamus; & superuacaneum est, tam anxiè, ac curiosè de calamo quærere, & sine certo argumento aliquid affirmare, temerarium.

VI. Non valde hac de re contendamus; neq; enim necesse est: & res in dubio relinqui potest. vt interim sua epistolæ auctoritas constet atq; conseruetur. Pessimè ergo Hunnius, qui capite sequenti non modò de auctore, sed & de auctoritate huius epistolæ verbosissimè & insulsissimè nugatur.

Caluinista à se impetrare nequit, quo minus Luthero manum aliquo modo porrigat. Ait, *eum cum suis reiiciendo epistolam ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, etc. sequi iudicium atq; exemplum veteris Christianorum Ecclesiæ, & quorundam Patrum: & Caietani quoque.* Quid audio, VVitackere? Habuitne vnquam Ecclesia vetus orthodoxa epistolam sancti Pauli pro *straminea, omnisq; conditionis ac naturæ Apostolicæ experte?* Si Lutherus cum grege suo, repudiando has epistolas sequitur iudicium & exemplum veteris Ecclesiæ; cuius igitur Ecclesiæ iudicium & exemplum sequuntur Caluiniani has omnes epistolas recipiendo?

Digitized by Google

Quocirca mendacium VVitackeri est; quod de Luthero hic affirmat. Nunquam vetus Ecclesia has epistolas reiecit. Nam si reiecisset; posterior Ecclesia veteri nequaquam contraria; nunquam illas recepisset. Non nego aliquos aut reiecisse, aut in dubium vocasse. At quod aliqui veterum fecêre, id nequaquam veteri Ecclesiæ adscribi debet. *Quid hoc ad Ecclesiæ vniuersitatem?* clamat Iunius. Deinde magnum est inter Caietanũ & Lutherum discrimen. Caietanus errauit vt Ecclesiæ filius, corrigi & meliora edoceri paratus: Lutherus cum suis errat vt perfidus Ecclesiæ desertor; se suaque somnia omnibus Ecclesiæ decretis anteponere consuetus: omnes docere, à nemine doceri promptus.

CAPVT XVII.

De epistola ad Hebræos.

DVPLEX hic est controuersia. Vna de auctore; altera de auctoritate huius epistolæ. Auctorem esse sanctum Paulum affirmant Catholici. Negant Lutherani; Caluinistæ vel dubitant, vel abnuunt. Primum probat Bellarminus consuetudine Ecclesiæ, quæ epistolam hanc nomine Pauli palam legit. Oggrunnit Hunnius; *quid de hoc debili probationis genere sentiendum sit, supra semel atq; iterum indicauimus.* Vt debile sit apud Prædicantes totius Ecclesiæ, omnisque ecclesiasticæ consuetudinis contemptores, non est tamen debile apud Catholicos; præsertim Caietanum; qui ab Erasmo deceptus S. Paulo hanc epistolam abiudicat.

Probat idem Bellarminus ex epistola ad Corinthios Clementis hoc nomine primi Romani Episcopi, apud Eusebium lib. 3. cap. 38. *Clemens iste*, inquit arrogantissimus Prædicans, *non fuit alius Pontifex Romæ, quàm nos hic VVitebergæ.* Euge Pontificem VVitebergensem, & Papam Saxonicum. *Dij te tonsore Deaq; donent,* ô noue, & à sæculis omnibus inuise & inaudite *Papa*. En supercilium Superintendentium Lutheranorum; qui eò fastus paulatim procedunt; vt Pontifices haberi & salutari velint, more vetere illorum Romanorũ Pontificum. Sed valeant isti non Christi, sed Diaboli Pontifices; quibus nunquam dictum: *Tibi dabo claues regni cælorum:* sed illud, & quidem ab Orci Rege: *Tibi dabo claues abyssi.*

Ait VVitebergensis laruatusque Pontifex: *Citatus liber Eusebij tantum habet 36. capita: patet esse σφάλμα Typographicum in Bellarmino.* Vel hinc apparet, quanta carpendi & vellicãdi libidine flagret iste Prædicans. Nam editio Ruffini triginta o-
A ctò habet capita; & in trigesimo octauo reperi-
tur id, quod hic Bellarminus allegat. Græcus Eu-
sebius à Roberto editus triginta nouem habet
capita. Editio Christophorsoni tantum trigin-
ta tria. Ex quo clarè perspicias, quam Prædicans
iste in accusando soleat esse circumspectus.

In 34. inquit, *capite inuenio quidpiam de hac episto-
la: id verò cum sententia Iesuitæ non concordat.* Forsan
Prædicans Musculi sectiones sequitur. Nam cita-
tio eius nec cum Latina Ruffini, nec cum Chri-
stophorsoni, nec cum Græca editione consentit.
Vt vt sit, mentitur Hunnius, *nihil in verbis Eusebij
ex Clemente inesse, quod cum Bellarmini sententia con-
spiret.* Vult Bellarminus probare Apostolum Pau-
B lum esse Auctorem epistolæ ad Hebræos. An nõ
hoc Clemens disertè asserit illis ipsis verbis, quæ
ex Eusebio Prædicans recitat? Vbi erant Hunni
mens & oculi tui, quando hæc ex Eusebio in exa-
men tuum, dignum accurato examine, transfe-
rebas? Lector, obsecro, tantum inspiciat ipsa ver-
ba, siue in Eusebio, siue in Hunnio: & statim præ-
conem istum in manifestario mendacio tenebit.

Producit Bellarminus alios itidem Pontifices
Romanos. Item Concilium Carthaginense; Tri-
dentinum, & Patres. Quid Prædicans? *Testes istos
nihil moramur* (& nos multo minus moramur cla-
mores insanientium Prædicantium) *Patres ducti
fuerunt opinione, non certis argumentis.* At quibus tu
C duceris? Somniis, opinor, & tenuissimis, vel po-
tius crassissimis phantasiis. Vide verò vertiginẽ
Prædicantis. Ait, *se non dubitare, quin Apostolico spiri-
tu hæc epistola scripta sit.* Et tamen negat esse Cano-
nicam. Quid ergo est? *Prope par Canonicis scriptis.*
Scio præclara & eximia scripta interdum com-
mendari solere, tanquam spiritu diuino & Apo-
stolico exarata; licet nec sint Canonica, nec pro
talibus habeantur; ac proinde non valere hanc
consecutionem: *Hoc vel illud est scriptum spiritu diui-
no & Apostolico; ergo est Canonicum;* si nihil aliud ad-
iiciatur: attamen Hunnius sentẽtiæ suæ alibi tra-
ditæ memoriam nõ debebat deponere: eũ enim
epistolam ad Hebræos, verè pro Canonica agno-
uisse, manifestant, quæ in principio Exegeseos
D eiusdem epistolæ scripsit; *Quanquam in primitiua
Ecclesia,* inquit Hunnius, *dubitatum fuit, per quem ex
Apostolis, vel Apostolorum discipulis hæc epistola esset scri-
pta: tamen ipsius rei, ac materiæ sublimitas, & tractatio-
nis modus, atq; ratio, luculenter arguit, eam à Spiritu Dei
dictatam, inspiratamq; esse: cùm nullus sit in nouo testa-
mẽto liber, in quo Christi officium, & sacerdotium solidius
docetur, & splendidius illustratur.* Et paulò post: *Nihil
igitur vspiam in hac epistola est, quod non ad Apostolicam
veritatem pulcherrimo consensu quadret. Porrò sufficiat
nobis, quod eam à Spiritu sancto profectam scimus, etiamsi
de mediato auctore* (à quo nimirum Apostolo lite-
ris consignata sit) *non perinde constet; quemadmodum
neque certò nobis constat, quibus Auctoribus libri Regum,
& Paralipomenon conscripti sint, nec tamen hinc eorun-*

dem

Digitized by Google

dem auctoritati quidquam detrahitur. Hactenus Hunnius in Exegesi Epistolæ ad Hebræos excusa Frãcofurti apud Ioannẽ Spies, Anno M.D.LXXXVI.

Sed en irrefragabile, id est, *Hunnianum* argumentum. *Auctor Epistolæ ad Hebræos vocat se Apostolorum discipulum: ergo Auctor iste non est Paulus. quia Paulus scribens ad Galat. cap. 1. disertè negat se esse cæterorum Apostolorum discipulum. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum. Et paulò post: Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod prædicatum est à me, non esse secundum hominem, &c.*

Antecedens probatur ex illis verbis epist. ad Hebr. cap. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus; & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem: quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, &c.*

Cur Prædicans tacitus præteruolat responsionem Bellarmini ad hoc argumentũ; quod Magdeburgenses sublegerunt ex Caietano, Hunnius ex Magdeburgensibus? Cur hic elinguis est loquacissimus alioqui Prædicans? At infrà solutionem Bellarmini impugnabit. Exspectemus igitur donec disputationis cursus nos eò ferat. Interea nego antecedens; Et ad probationem ex c. 2. respondeo cum Ribera nostro in Comment. super idẽ caput. Paulum hic non dicere, se Euangelium accepisse ab iis, qui à Domino audierãt; aut se confirmatum fuisse per doctrinam vel per miracula ab Apostolis patrata; sed ipsum Euangelium fuisse confirmatũ; quod longè aliud est.

Alterum Hunnij argumentum. *Omnes Epistolæ Pauli fuerunt notatæ peculiari signo, quo cognoscerentur à Paulo dimanasse. Epistola ad Hebræos non fuit notata eo signo: Ergò non est Pauli Epistola. Maior exstat 2. Thess. 3. salutatio mea manu Pauli: hoc est signũ in omni Epistola.*

Respondeo Minorem esse Hunnianã, hoc est vanam & inanem. Ad probationem dico, hinc etiã liquidò elucere quantus Prædicans iste scripturarum sit interpres. Nam aut vult, vt quidem imperitissimè velle videtur; hæc verba; *Salutatio, mea manu Pauli;* fuisse signum, quo Apostolus oẽs suas Epistolas signabat: Et tunc sequitur paucissimas Epistolas esse D. Pauli; hoc enim signo pleræq; carent: vt Epistola ad Philemonem, ad Titũ; vtraq; ad Timotheum, ad Colossenses, & aliæ: aut vult Prædicãs, vt quidem velle debet, si quid velle oporteat, intelligit; verba illa: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen:* fuisse signum, q̃ omnibus epistolis suis Apostolus apponebat: & hoc signum indicari præcedentibus illis verbis: *Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni Epistola: ita scribo.* Et tunc neque epistola ad Hebræos hoc consueto signo caret: sic enim terminatur: *Gratia cum omnibus vobis.*

Dicit Prædicans, *non esse prorsus eandem clausulam.* Respondeo, etiam in epistola ad Colossenses nõ esse prorsus, secũdum Græca exemplaria, & multa Latina: Est enim hæc. *Gratia vobiscum:* at licet totidem verbis nõ constet, quot illa 2. Thess. 3. sensu tamen prorsus eadem est: precatur enim illis ad quos scribebat gratiam: sed quam & qualem? Gratiam, opinor, Domini nostri Iesu Christi; neque enim Apostolus aliam gratiam agnoscebat, quàm illam Seruatoris nostri. Itaque siue dicat: *Gratia cum omnibus vobis:* siue; *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.* Siue, vt 2. Tim. vlt. *Dominus Iesus Christus cum Spiritu tuo. Gratia vobiscum: Amen.* Idem omnino dicit. Et sic ambo Hunnij argumenta, confossa iacent; de quibus ipse Prædicãticè, hoc est, thrasonicè: *His duobus argumentis existimamus euinci, non Apostolo Paulo, sed alteri alicui ex Apostolis adscribendam, siue is sit Barnabas, siue quis alius.* En quomodo nænias & nugas suas circumspectat Hunnius. *Stramineis suis* obiectiunculis rem euictam existimat: & absq; dilatione sententiam pronuncians, Apostolo Paulo hãc epistolam abiudicat. Sed hic mos est Prædicantium; triumphum conclamare simul atq; vnum vel alterum, quamuis obtusissimum telum, in hostem emiserunt.

Arbitratur Bellarminus S. Petrum epistolæ ad Hebræos mentionem facere. *Petrus enim priorem epistolam scripsit ad Hebræos inter gentes dispersos, vt patet ex titulo; vtque OEcumenius docet, & ipse etiam Erasmus ad initium annotationum in hanc epistolam contendit: posteriorem ad eosdem scripsit, vt colligitur ex illis verbis cap. 3. Hanc vobis carissimi secundam scribo epistolam: In eodem autem capite postea subiungit; sicut & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis. Scripsit igitur Paulus, Petro teste, epistolam aliquam ad Hebræos.*

Et ita etiam sentiunt Interpretes epistolæ ad Hebræos, nominatim Ribera, & Alphonsus Salmeron, præstantes ex Societate nostra Theologi. Clamat Prædicans: *Errat Iesuita non vno modo; Primò, quòd in inscriptione prioris Epistolæ Petrinæ, per aduenas sparsim incolentes Pontũ, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam, Hebræos intelligit. Nos nihil hac in parte vel OEcumenij, vel Erasmi autoritatem morati, firmissimè demonstrabimus, gentes notari.*

Ampullas video Prædicanticas; nihil aliud. *Firmissimè* scilicet *demonstrabis*, more tuo; ventosa nimirum lingua & vanis pollicitationibus: non opere & reipsa. Neq; sententia, quam Prædicans se expugnaturum promittit, solius est OEcumenij aut Erasmi; sed & Athanasij in synopsi, Didymi Alexandrini Comment. in 1. epist. S. Petri, & aliorum. Verum hos non moratur Prædicans. Quid ergo moratur? Audiamus firmissimas demonstrationes, quibus planum facit Prædicans epistolam primam sancti Petri fuisse scriptam ad gentes, non ad Iudæos.

Patet hoc 1. ex vocabulo aduenæ, quo vtitur S. Petrus: sic ergo ratiocinemur. S. Petrus vocat illos ad quos scribit aduenas; ergo nõ scripsit ad Iudæos; ꝓbatur consequẽtia. *Quia vocabulum aduenæ non potest competere Iudæis dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam.* Sed tantum gentibus: *Quia cum olim nihil pertinerent ad populum Dei, nũc per Euangelium ad eun-*

lem sunt collecta. Sicut hãc periphrasin aduenarum (quos longè sit aduocaturus Deus) Petrus ipse gentibus accommodat Act.2. sed & Paulus Ephes.2.

Secundum argumentum. *Idem ostendit descriptio anteactæ illorum vitæ in gentilismo, quando primo capite prioris Epistolæ dicit ad illos Petrus, ipsos non auro, vel argento redemptos esse à vana sua conuersatione, quam acceperint ex Patrum traditione; quæ, qualis fuerit, describit cap.4. Satis est, inquit, quod anteacto vitæ tempore voluntatem* GENTIVM *patrauerimus, cùm versaremur in lasciuiis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis* SIMVLACHRORVM CVLTIBVS. *Hanc verò notationem esse conuersationis in Ethnicismo patet etiam ex Rom.1.*

Tertium argumentum: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum accessit, vt virtutes prædicetis illius, qui* E TENEBRIS *vos vocauit in admirabilem suam lucem. Qui quondam eratis* NON POPVLVS, *nunc populus Dei: qui quondam non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti. Respondeat Iesuita, num hæc Oseæ verba à Petro citata, (qui quondam eratis non populus, &c.) pertineant ad gentes, vel non? Si responderit, ad gentes pertinere, causam euicimus, quod epistolam suam Petrus ad gentes direxerit. Sin dixerit, non ad gentes spectare, experietur non modò Oseam aduersarium, sed habebit Paulum ipsum plenis tibiis reclamantem. Nam is Rom.9. ex hoc Oseæ loco vocationem gentium confirmat, inquiens; quos & vocauit, nimirum nos, non solum ex Iudæis, verùm etiam ex* GENTIBVS; *quemadmodum & Osea dicit: Vocabo populum,* QVI MEVS NON ERAT, *populum meum, & eam, quæ dilecta non erat, dilectam.*

Hactenus Prædicans suas inflauit tibias & buccas. Non me fugit sententiam, quæ epistolam hanc ad gentes, vel ad Iudæos simul & gentes scriptam asserit, probabilitate non destitui, & ab insigni doctrina & pietate viris defendi, at non ita vt thrasonicè irrefutabiles & irrefragabiles demonstrationes iactent, more iactabundi huius Prædicantis; sed vt sententiæ, quam Bellarminus amplectitur, suam quoque verisimilitudinem relinquant.

Ad primum Hunnianæ iactantiæ specimen negamus, Iudæos, per tam varias prouincias dispersos non posse dici *aduenas*, seu *παρεπιδήμους, peregrinos*, seu *peregrè aduenientes*; quia reuera aduenæ & peregrini erant, etiam propriè sumendo hæc vocabula; qui non erant in sua patria; sed extra illam sparsi & dispersi, vi & truculentia Christum & Christianos persequentium Iudæorum: nec tamen, quomodocunque aduenæ & peregrini erant; sed *electi*; quia iam fideles, & ad religionem Christi vocati: & aliquando non erant populus Dei; *Etenim quamuis Iudæi semper populus Dei vocati sint vsq; ad aduentum Christi* (vtor verbis Riberæ nostri prooemio in epistolam ad Hebræos) *postquam eum tamen reiecerunt, & in Crucem egerunt, desierunt appellari populus Dei, sicut legimus Daniel.9. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & nõ erit eius populus, qui eum negaturus est. Inde etiam Apocal. 2. Et*

A *blasphemaris ab iis, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.*

Ergo & Iudæi ex *non populo Dei, populus Dei* per susceptam Christi fidem facti sunt: & à synagoga Satanæ, traducti ad Ecclesiam Christi: quibus illud Pauli Ephes.2. æquè ac gentibus accini poterat. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum, & domestici Dei*; non enim amplius à Deo peregrinamini; non amplius Deo extranei estis, & quasi ignoti aduenæ; sed iam per fidẽ in familiam Dei adsciti estis; ita vt domesticorum nomen & honos vobis competat.

Illa verba S. Petri Actor.1. concionantis ad Iudæos; *Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunq; aduocauerit Dominus Deus*
B *noster*; non tantùm gentibus, sed & Iudæis conueniunt; quia & ipsi negato, & tot iniuriis, opprobriis, & tandem etiam atrocissima morte affecto Christo, longè à Deo recesserunt, & in peregrinam longeq; remotam regionem abierunt; vnde à Deo per Apostolos reuocandi erant.

Ad secundum respondeo, illud etiam esse illustre & luculentum audaciæ & ignorantiæ Hũnianæ speculum. Vana enim conuersatio, à qua capite primo *electos illos aduenas* ereptos ait; non describitur capite quarto; vt absque probatione assumit Prædicans: nisi dicere velit, ipsum etiam S. Petrũ fuisse idolorum cultorem; quia se etiam in suo illo sermone includit, vt quidem Græcus textus habet: ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν. *sufficit enim nobis præte-*
C *ritum vitæ tempus ad voluntatem gentium consummandam cum ambularemus* seu *versaremur in lasciuiis, &c.* Etsi Latina editio pronomine illo caret: *sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, &c.* Arbitror Hunnium tam insanum non fore, vt S. Petrum dicat fuisse Idololatram, ante vocationem ad Apostolatum. Sicut ergo illud de idolorum cultura non pertinet ad Petrum, ita nec ad illos, ad quos propriè S. Petrus suam illam Epistolam destinarat.

Hinc siue vertas: *Sufficit enim nobis, &c. cum ambularemus, &c.* siue, *sufficit enim. &c. his, qui ambulauerunt. &c.* nihil aliud vult S. Petrus, quàm prauis cupiditatibus iam modum esse statuendum; ne-
D que habenas laxandas, sed potius adducendas; satis enim, & plusquam satis esse, quod præterito tempore flagitiosis concupiscentiis vacatum sit *in luxuriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorũ cultibus*: (verè enim his omnibus, & id genus aliis vitiis mundus deditus fuerat) iã tempus aduenisse, vt peccatis mortui Christo viuamus, & veterem hominem cum vitiis & concupiscentiis crucifigamus. Itaque quod mundus agere solebat, Christo in Cruce nondum passo; id S. Petrus in posterum diligenter vitandum docet; vt sicut ille, qui passus est in carne, desiit à peccatis, ita & nos iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, temporis impendamus.

Posset quis verbositatem Prædicantis hac breui forma comprehendere. *Illi ad quos scribit S. Petrus, dediti fuerant idololatriæ: ergo non fuerunt Iudæi.* Antecedens patet ex cap. 4. Epist. 1. Sed negatur antecedens, & ad probationem dicitur, S. Petrum non affirmare, quid illi, ad quos scribebat, anteacto tempore, fecerint; sed quid facere cõsueuerint illi; qui cupiditatibus modum nullum statuunt, sed liberè, instar equi ac muli, inseruiunt. Id quod in vulgata versione satis clarum est & expeditum; nec obscurum in Græca, quam Erasmus & alij interpretes sequuntur; quia quod mundus agebat id per [illegible] sibi, & illis, ad quos scribebat tribuit, more non inusitato scriptoribus & concionatoribus: Etsi non nego etiam ad Iudæos quædam ex commemoratis à S. Petro vitiis pertinere posse.

Potest etiam, concesso antecedente, negari consequentia; nam ex Iudæis quoque præterito tempore idololatræ erant; nec cogimur Apostolum exponere de tempore proximè præterito. Deinde verba D. Petri; *illicitis idolorum cultibus,* accipi possunt non tam de crassa idola adorantium superstitione, quàm de aliis operibus, quæ idololatria interpretatiua potius, quàm formalis erant; cuiusmodi, idolothytorum esus, de quo locutus Paulus 1. Cor. 10. hortatur: *fugite ab idolorum cultura;* qua fortè de causa D. Petrus idololatriam iungit comessationibus, compotationibus, &c.

Ad tertium Respondeo, verba illa: *vos estis genus electum, &c.* etiam pertinere ad Iudæos; quia per fidem in Christum ipsi quoq; effecti sunt *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vocati in admirabile lumen: qui aliquando non populus; nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem consecuti:* vt Propheta Oseę cap. 2. vaticinatus fuerat. Quare inanissima est illa Prædicantis gloriatio; *Si hæc verba Oseæ citata à S. Petro pertinent ad gentes, causam euicimus, quod Epistolam suam Petrus ad gentes direxerit.* Audi thraso; intempestiuè de euicta caussa gloriari consuete: Prophetia Oseæ adæquatè spectata pertinet ad gentes & ad Iudæos, de vtrisq; enim prædixit fore, *vt ex non populo, fierent populus: & ex non misericordiam consecuto, misericordiam consecutus.* De Iudæis patet Oseæ. 1. *Voca nomen eius, absq; misericordia; quia non addã vltrà misereri domui Israël.* Item, *Voca nomen eius, non populus meus; quia vos non populus meus & ego non ero vester.* De gentibus verò patet ex eodem capite primo Oseæ citato ad Rom. 9. à S. Paulo. *Et erit in loco, vbi dictum est eis; non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.* Commentarius sub Hieronymi nomine in cap. 9. Epist. ad Rom. *Vocabo non plebem meam, plebem meam. Hoc loco Iudam significat. (Et non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam;) Israëliticum populum. Et erit in loco, vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, &c. Gentes demonstrat in Christo credituras.*

A Egit ergo Oseæ tam de Iudęis, quam de gentibus. Cuius Prophetiam allegans S. Petrus eam Iudæis accommodauit, quandoquidem ad solos Iudæos scribebat: S. Paulus autem eandem de vocatione gentium accepit; vterque rectè, & ex mente Prophetæ, quandoquidem & de gentibus & Iudæis intelligitur; vt clarũ ex ipso Oseæ textu.

Diruto igitur fundamento probationis *Prædicanticæ,* structura ipsa collabitur, patetque Iudæis, tanquam ad Euangelium nuper vocatis, qui quondam erant non populus; nuncupasse Petrum Epistolam suam priorem, & consequenter, etiam posteriorem, atque sic, quod ibidem ait. *(sicut & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis)* intelligendum esse de Epistola ad Hebræos scri-
B pta; quia nullam aliam ad Hebræos definitè scripsit, nisi eam, quæ hodie ad Hebræos inscripta est; in qua *aduenas dispersionis vocat Iudæos,* vt ait Ribera procemio in Epist. ad Hebr. *qui ex omnibus tribubus crediderant, & à suis fugati, atq; in exilium missi, dispersi fuerant in regiones Ponti, Galatiæ, &c. de quibus 1. Thess. 2. Vos enim imitatores facti estis fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu. quia, eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, &c. Ad eosdem scripsit Iacobus, sicut ipse indicat: Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. Quos continuò, quasi multa passos, & patientes consolatur: Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, &c. Eisdem ait Paulus Hebr. 10. Rememora-*
C *mini autem pristinos dies; in quibus illuminati (id est, simul ac baptizati estis,) magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, &c. Ex quibus intelligimus, ad quos ex Hebræis, & quibus in locis versantes, nunc scribat Paulus; nempe, ad eos, qui, quia in Christum crediderant, spoliati bonis suis à Iudæis fuerant; & in exilium eiecti, ita vt per regiones Ponti, & Galatiæ, & Cappadociæ dispersi fuerint. Nec verò putemus hanc persequutionem, & dispersionem illam esse, cuius meminit Lucas Act. 8. Illi enim per Samariam, & Iudæam dispersi sunt. Facta est, inquit, in illa die persequutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per re-*
D *giones Iudææ, & Samariæ; præter Apostolos. Prior enim hæc persequutio fuit. Deinde post aliquot annos ea, de qua Petrus, & Paulus loquuntur.*

Argumenta Erasmi, Caietani, & Hæreticorum Magdeburgensiũ soluit Bellarminus. Primum. *Quia de hac Epistola fuit aliquando dubitatũ.* Respondeo, etiã de Apocalypsi fuisse dubitatũ num esset Ioannis Euangelistæ; & num Canonica: Et tamen hac dubitatione non obstante Hunnius & Canonicam, & Ioannis Euangelistæ legitimũ partũ esse affirmat infrà cap. 19. Etsi, vt apparet, inuitus. Sed veritas nimis manifesta, præconi huic hanc confessionem extorsisse videtur. Esto, dubitauerint olim de hac Epistola nonnulli; at plures & potiores non dubitarunt; vt patet

hic apud Bellarminum, & Baronium Annali primo, Anno Christi L X. Nec habet quod contra garriat Prædicans, *quàm suffragia non numerari sed ponderari debere.* Et verò nos hic vtrumque præstamus: Nam suffragia & numeramus & ponderamus: & vtroque modo semper potiora & grauiora reperimus tam pro auctoritate Canonica huius Epistolæ, quàm pro eo, quod S. Paulus huius Epistolæ sit auctor.

Secundum argumentum aduersariorum. *Epistola hæc non habet præfixum nomen Pauli, nec consuetum salutandi modum.* Respondet Bellarminus; ex sententia veterum; si ideo non est Pauli, quia Pauli nomen non præfigitur, nullius erit, quia nullius nomen præfigitur. Epistola prima Ioannis non prænotatur nomine Ioannis, & tamen quis est, qui Ioannis eam esse ambigat?

Respondet Prædicans. *Hanc fuisse perpetuam Pauli consuetudinem, vt nomen suum præponeret.* Vnde verò compertum Prædicanti, Paulum nullam vnquam voluisse scribere Epistolam, nisi nomine suo anteposito, & vsurpata in aliis Epistolis salutatione præmissa? *Fecit hoc*, ait præco, *in omnibus aliis Epistolis; ergo & in hac idem factum oportuit, si à Paulo esset.* Prędicantica consequentia. Quasi verò Paulo, vel potius Spiritui sancto loquenti per Paulum, liberum non fuerit nomen & salutationem vel addere vel omittere. Dicat præco; si S. Paulus nomine suo & solita salutandi formula non insigniuisset Epistolam ad Romanos, an ideo Apostoli Pauli ea Epistola non esset? Faciamus nomen Pauli & salutationem abesse. An dicet Prędicans? *Hæc Epistola caret nomine Pauli; ergo non est Pauli.*

Ad illud de S. Ioanne respondet Prædicans: *aliam esse rationem Ioannis; neq; enim Ioannem tot scripsisse Epistolas, vt num hunc sibi morem perpetuum esse voluerit, iudicari queat.* Ex quo sequi videtur, vt si S. Paulus duas duntaxat scripsisset Epistolas, in quibus nomen suum expresßisset; Prædicantes haud grauatè concessuros fuisse hanc tertiam ad Hebræos esse S. Pauli; sicut haud grauatè concedunt, primam Ioannis esse Ioannis, quia scripsit duas tantùm, quibus nomen suum præfixit; neque enim tum collegissent Prædicantes, hunc morem addendi nomen Paulo esse *perpetuum.* At vbi quæso dixit S. Paulus hunc morem sibi esse *perpetuum? Non quidem dixit hoc,* inquiet Prædicans, *sed reipsa ostendit.* Qua verò re? An quia in omnibus aliis nomen suum adiecit? Hoc certè non est eius, quod Prædicans asserit, professio; nam cur in omnibus aliis Epistolis nomen adderet, caussas habuit; hic addendi caussas non habuit; omittendi habuit. In duabus Epistolis expresßit nomen suum S. Ioannes, *Senioris* vocabulo; In Euangelio periphrasi quandam se ipsum depinxit, vt quis illius libri auctor esset, facile intelligeretur; in Apocalypsi nomen disertè designat. Et tamen in prima Epistola tacet. In pluribus exprimit, in vna non exprimit. Cur non & hic ex

A plurium nota colligunt Prædicantes perpetuum Ioannis morem? *Non sunt*, inquit Hunnius, tot opera Ioannis, *quot Epistolæ Pauli.* Esto. Interim si stultum est ex more seruato in quatuor libris colligere perpetuum morem Ioannis; & colligendo primam Ioannis Epistolam repudiare; stultum etiam erit ex pluribus S. Pauli Epistolis talem morē colligere, & stultè colligendo, Epistolam ad Hebræos stultius adhuc repudiare, & à censu Paulinarum epistolarum excludere.

Nominis omisßi caussas reddunt antiqui Patres & Doctores, & cum his Bellarminus, quas Prædicans puerililibus suis spiculis oppugnat. Vna est, Pauli nomen Hebræis fuisse inuisum; Ideo prudenter omissum; ne ipsa nominis men-B tio à legendis tam salutaribus monitis Hebræos absterreret. Obiicit Prædicans: *Ergóne Paulo affingemus, quod occultando nomen suum in falsam opinionem illos inducere voluerit, vt putarent esse alicuius alterius?*

Primùm, non tam cum Bellarmino pugnat Prædicans, quàm cum Patribus antiquis, à quibus hæc ratio nominis occultati redditur.

Secundò, non magis culpandus est S. Paulus, quod ob omissum nomen, lectorum aliqui suspicari potuerunt, Epistolam hanc non esse Pauli, sed alicuius alterius; quàm culpari queat Auctor, qui librum Ruth, aut Iudicum, aut Paralipomenon conscripsit; quòd ob nomen suum non expressum lectoribus occasionem dedit vel C penitus ignorandi auctorem, vel existimandi esse eius, cuius non est; & non eius, cuius est. Grauis scilicet est hæc deceptio; præsertim quando liber salutariter & summa cum vtilitate legitur, suppresso auctoris nomine; non autem legitur, sed potius ex odio auctoris abiicitur; quando nomen auctoris exprimitur. Nescis, Hunni, morem medicorum, qui cum pueris absinthia tetra dare volunt; prius oras pocula circùm contingunt mellis *dulci flauoq; liquore*, vt *puerorum ætas* improuida interea *perpotet amarum absinthi laticem, deceptaq; non capiatur; sed potius tali tactu recreata valescat.* Eadem mens fuit S. Paulo in omisßione nominis.

S. Hieronymus in cap. 1. ad Galatas citatus hic D à Bellarmino dicit, S. Paulum, quia in hac epist. ad Hebræos cap. 3. dicturus erat, Christum esse Apostolum confesßionis nostræ, noluisse initio se, more solito, Paulum Apostolum nominare, ne videretur se cum Christo aliqua ex parte conferre. *Hæc ratio friuola est*, inquit friuolus Prædicans. Os impudens. Siccine respondes S. Hieronymo? *Potuisset*, inquit, *addere saltem Pauli nomen, omisso nomine Apostoli.*

At licet hoc fecisset, Prędicantes tamen hodie clamassent, esse alium Paulum, non illum magnum Apostolum. Et si quis obiiceret; etiam in Epistola ad Philemonem & Philippenses solum Pauli nomen fuisse positum, non adiecto nomire Apostoli; nec tamen quemquam esse, qui du-

bitet, num duæ illæ epistolæ sint veri & magni illius Pauli, multò minus, qui præfractè neget; ac proinde nec de Epistola ad Hebræos ambigi debere; è vestigio responsarent Prædicantes; *aliam esse rationem illarum Epistolarum; aliam huius: Illas Paulinas esse; hanc non esse Paulinam, manifestum fieri ex stylo & interno Spiritus sancti testimonio.* Ita perpetim habentisti, in quo volubilitatem linguæ suæ exacuant & exerceant.

Cur apud Hebræos iam conuersos, inquit Prædicans, *titulus Apostoli poterat Paulo sinistram concitare suspicionem exæquationis cum filio Dei; cum Apostolorum nomen iam pridem fuerit per orbem celebre?*

Ideo poterat, quia etiam conuersi ad fidem Hebræi non sat æquo erant in Paulum animo, quod præ cæteris semper vehementius legis & cæremoniarum abrogationem vrgeret. quarum ipsi adhuc æmulatores erant. In animo autem exacerbato & exulcerato quiduis sinistræ suspicionis facilè insidet ac inhæret. Deinde non tantum iam cōuersos per hanc Epistolam in fide confirmare; sed & alios ad fidem inuitare instituerat. Quocirca propter hos quoque Apostoli nomen reticendum censuit, ne si postea ipsum Christum *Apostolum confessionis nostræ* appellari audirent; Paulum cum Christo exæquari crederent: quod illis procliuè erat futurum tum Pauli, tum Christi odio.

Obiicit Prædicans. *Alij Apostoli non fugerunt appellationem Apostoli vitandæ suspicionis gratia de exæquatione cum Christo; sed hac appellatione liberè vsi sunt inter Hebræos; nil ergo caussæ fuit, cur Paulus scribens ad Hebræos ab hoc titulo abstineret.* Respondeo, fuisse aliquid caussæ, quia Paulum peculiari modo Iudæi non conuersi oderant, & iam conuersi minus amabant; quia præ cæteris omnibus crebrius, acrius, & maiore contentione cessationem legis Mosaicæ annunciare solebat: Et quia hoc in hac Epistola totis viribus acturus erat, ideo prudenter amputauit, quidquid Hebræis vel cauillandi, vel sinistrè suspicandi occasionem præbere poterat. *Pari modo*, inquit Prædicans, *nec veteris testamenti Sacerdotem appellare debuit ἀρχιερέα, summum Pontificem cap. 9. quia & Christum illo titulo insignire voluit eodem planè cap. nono.* Dispar est ratio, & quidem multum dispar: Quia periculum non erat, vt Hebræi sinistrè suspicarentur; ob communionem nominis; ἀρχιερέα seu summum Pontificem veteris testamenti exæquari cum Christo; cum S. Paulus in tota Epistola fermè nil aliud agat, quàm vt excellentiam Christi Sacerdotis, & Sacerdotij, quo fungebatur, supra Aaronicos Sacerdotes & Pontifices Hebræorum oculis subiiciat. An non copiosissimè ostendit Apostolus, quanto interuallo noui testamenti summus Pontifex antecedat summum Pontificem antiquæ legis?

Quis non videat leptologiam Iesuiticam? Scribe; *Prædicanticam, & in rebus tam friuolis argutationem tam nugacem?* imò & mendacem, sed Prædicantis

A Hunnij; qui tam impudenter in hæc incurrit, cum non sint Bellarmini, sed S. Hieronymi, cuius vt vel matula sit, indignus est Prædicans; non enim dicere possum lixa, vel cacula.

Theodoretus citatus hic à Bellarmino ait Apostolum nomen tacuisse. quia non erat Apostolus Hebræorum, primariò videlicet, durante illa prædicationis diuisione, de qua ad Galat. 2. sed gentium. Prædicans solita fronte in Theodoretum, scriptorem doctissimum; *hæc ratio*, inquit, *eiusdem est farinæ*: quia *si nomen celauit suum, propterea quod non fuerit Apostolus Hebræorum, sed gentium*: MVLTO MAGIS *ex hac causa prorsus sibi temperaturum fuisse, ne ad Hebræos scriberet, ne videretur, vt ἀλλοτριοεπίσκοπος falcem in alienam messem immittere.*

B Respondeo, minimè fuisse periculum, ne alienæ prouinciæ occupatæ accusaretur; quia non obstante diuisione illa muneris Apostolici inter gentes & Iudęos vsurpandi, poterat quiuis ad Hebræos scribere, vt socius & amicus; quo pacto Apostolum scripsisse testatur Theodoretus, imò etiam vt Apostolus; quia diuisio illa eo tantùm pertinebat, vt Paulus principaliter conuertendis gentibus insisteret: Petrus & alij; Iudæis ad fidem adducendis primariò operam darent.

Ait Prædicans: *Quamuis ad tempus ex conuentione visum est Apostolis, vt Paulus, & Barnabas in gentes Apostolatu fungerentur: tamen Iudæorum, & gentium vniuersalem Apostolum ipsum à Christo ipso constitutum fuisse, docent Verba Domini Act. 9. & 26.*

C Respondeo, neminem hoc negare: nam & Petrus tam Iudæorum, quàm gentium Apostolus à Deo constitutus est; hoc tamen non obstante, voluit Spiritus sanctus, vt initio nascentis Euangelij Petrus Iudæis; Paulus gentibus operam suam præcipuè addiceret. Qua ordinatione, interque Petrum & Paulum conuentione durante; Paulus ad Hebræos, iudicio Theodoreti, potius vt amicus & socius, quàm vt Apostolus scribere voluit.

Vide verò Prædicantis impudentiam ex his verbis eminentem. *Quicunq; sint ex Patribus, qui has rationes afferunt, cernit Bellarminus ad tantam rem nimis esse friuolas, & iam firmissimè refutatas.* Rectius

D dixisses: *Stolidissimè.* Quid enim, Hunni, contra D. Hieronymum, Theodoretum & Clementem Alexandrinum, pumilio aduersus inuictos istos bellatores posses? Horum namque Patrum sunt rationes prolatæ à Bellarmino, quibus causa redditur, cur Paulus suum & Apostoli nomen in hac Epistola reticuerit.

Argumentum aduersariorum à discrepantia styli, soluit Bellarminus dupliciter; nec suis, sed antiquissimorum Patrum responsis; vt Origenis, Clementis Alexandrini, Eusebij: quas solutiones apud Bellarminum lector leget. Quid Prædicans? *Vtraq; solutio nititur meris coniecturis, quæ pari facilitate reiiciuntur, qua proferuntur.* Frontem duram, & crebro impudentiæ vsu detritam. Non

sunt

sunt coniecturæ, quas Bellarminus producit; sed vetustissimorum sententiæ Patrum, quos, nisi Spurius, nemo reiicit; Et splendidè mentitur Prædicans, cum ait; *circa has Patrum sententias: Iesuitam non habere quod dicat; præter hoc: potest ita esse:* Non enim hoc dicit Bellarminus; sed vtramq; solutionem esse probabilem; simpliciorem tamen & expeditiorem illam Origenis, qui docet apud Euseb. lib. 6. cap. 18. hanc Epistolam non Hebraicè, sed Græcè scriptam & sententias esse quidem Pauli, verba autem Lucæ aut Clementis, quo tanquam interprete & scriba Paulus sit vsus. Quam sententiam copiosè probat Salmeron noster disput. 3. in Epist. ad Hebræos: quanquam & altera sententia; quæ vult primò Hebraicè scriptam, postea verò à Luca vel Clemente in Græcum translatam, obiectioni de styli diuersitate abunde satisfacit: nec quidquam contrà adfert Prædicans, præter clamores & inscitiam.

Vociferatur: *Nullibi legitur, Paulum ita inter se & quenquam alium partitum esse operam, vt ipse sententias subministraret; alter verò illas vestiret oratione.* Respódeo; si de sacra scriptura loqueris; fateor, hoc nullibi in sacra scriptura legi. At neque in sacra scriptura legitur Epistolam ad Hebræos non esse Pauli; aut non esse Canonicam; & tamen Prædicantes vtrunque firmiter credunt: Si autem Prædicans velit, hoc nusquam legi in veterum monumentis; tum solenne suum tenet, hoc est, mentitur; quia hoc legitur apud Eusebium ex Origene lib. 6. Ecclesiast. Hist. cap. 18. Nec Origenes ex suo cerebro id effinxit; sed ex prisca, & ad sua vsque tempora traditione continuata accepit. *Opinio*, inquit, *quæ ad nos vsq; peruenit, huiusmodi est. A quibusdam dicebatur, quòd Clemens Apostolorum discipulus, & Episcopus Vrbis Romæ, Græco eam sermone, non tamen sensibus expoliuerit; alij, quòd Lucas, qui Euangelium scripserit, & Actus Apostolorum.*

Hæc Origenes apud Eusebium ex versione Ruffini. Græcè est; *ἡ δ᾽ εἰς ἡμᾶς φθάσασα ἱστορία*, &c. *Historia seu traditio, quæ ad nos peruenit, &c.* Et tamen clamat Prædicans, *hæc nusquam legi. Et coniecturam Bellarmini à probatione esse nudiorem leberide.* Quoties Prædicans iste cum sua *leberide* in scenam ascendit? Qui quoties non habet quod dicat, *leberidem* indutus verbosissimè declamare incipit. Addo ad extremum ex natura sua non valdè firmum esse argumentum à styli diuersitate, si cætera sint paria: Non rarò enim accidit, vt vnus idemque homo stylo adeo diuerso vtatur; vt rem ignoranti, procliue etiam sit iurare, non vnum, sed duos auctores esse. Quid mirum igitur in Epistola quoque ad Hebræos grandiorem sermonem reperiri; cum, vt multis placet, & in his Baronio, Annali I. Anno Christi 60. hæc Epistola nouissimus Pauli partus fuerit; & ipsa maiestas & granditas argumenti scriptorem inuitare, excitare, & erigere potuerit, vt, præ-

A ter solitum, grandiorem orationem adhiberet.

Quarto loco profert Bellarminus argumentum, quo Magdeburgenses potissimùm nituntur; quodque supra Hunnius proposuit. Quia cap. 2. ponit se scriptor huius Epistolæ in numero eorum; qui ab Apostolis ad fidem conuersi sunt; atque adeo facit se discipulum Apostolorum. *Ait enim: Quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem; quæ, cum initiò cœpisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, confirmata est in nos, contestante* D E O *signis, & virtutibus, &c.*

Responsum ad hoc argumentum iam antea in hoc ipso capite attuli.

Nunc Bellarmini responsa videamus, & tuea-
B mur ab Hunnij insectationibus. Respondet. I. Bellarminus; *B. Paulum hæc dicere non de se, sed de hominibus sui temporis, quemadmodũ Isaias c. 64. in persona populi dicit: Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ; non est, qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te, &c. Quo loco, non loqui Isaiam de seipso, patet; quia ibidem longa oratione* D E V M *inuocat.*

Hoc loco Prædicans occasionem linguæ exerendæ & exercendæ nactus, loquacissimè nugatur de immunditiis peccatorum, & sordes illas exspuit, quas hæretici ex hoc Isaiæ dicto perperam & sordidè concipere, & postea in chartas eructare consueuerunt. At toti Prædicanticæ vociferationi, ne gutta quidem doctrinæ in-
C est.

Quæstio est apud Bellarminum, vtrum Isaias se etiam comprehenderit; sub illis verbis: *Non est, qui inuocet nomen tuum, &c.* Ad hanc quæstionem directè respondeas Prædicans. Mitte ambages, verbosasque excursiones. Ai vel nega. Si affirmes, è vestigio mendacij te arguet Isaias; qui ibidem longa oratione Deum inuocat. Si neges; verum ergo est, quod Bellarminus affirmat.

Clamat Prædicans. *Disertissimè loquitur Auctor Epistolæ de se quoq;: dicens: In nos confirmata fuit.* Respondeo. *disertissimè* quoque Isaias ait: *non est, qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te.* Et tamen sub his disertissimis verbis non continetur
D Isaias, quia ibidem religiosissimè Deum inuocat: ergo nec sub illis disertissimis verbis, *In nos*: comprehendetur S. Paulus; quia per *κοινωνίαν* dicta sunt, & in persona aliorum fidelium.

Secundum Bellarmini responsum est; nó esse absurdum dicere; ipsum etiam S. Paulum miraculis, quæ ab aliis Apostolis patrabantur, confirmatum esse.

Clamat Prædicãs: *Ei, qui fluctuat anxius ac dubius, opus est variis interpretamentis, vt ab vno deiectus, ad alterum se recipiat, secundum illud Paulinum: semper discentes, & nunquam ad intelligentiam peruenire valentes.* Hanc criminationem nunquam non habent in promptu Prædicantes; quando ab Orthodoxis scriptoribus varia responsa accipiunt; quæ

non

non sunt fluctuationis vel dubitationis argumenta, sed indicia vbertatis, qua veritas sese ab hostium suorum impressionibus tutari potest: Tantum enim abest, vt oppugnatores suos reformidet, vt eadem ab ipsis missa tela non vno, sed pluribus modis retundere queat, & iis quidem modis, aduersus quos isti vociferari; nullo autem pacto legitimè decertare possint.

Cum olim Ambrosius Catharinus in libris aduersus Lutherum, Lutheri obiectiunculas variis responsis & solutionibus dispelleret & depelleret; Lutherus lib. aduersus eundem Catharinum id nullo pacto tolerare valens, in has vociferationes erupit. *Nihil apud me valet, quod toties tentas. Potest etiam sic dici; potest etiam sic intelligi, potest etiam sic responderi, potest literaliter sic dici, potest mysticè sic dici; Tolle hoc, potest, mi Catharine; hæc omnia sunt argumenta falsitatis, & mera effugia, & planè robora mea sententiæ. hinc etiam super aristas incedere argueris, & omnia in dubium vertere. Sed sic dicito: Hoc, sic, & non aliter intelligi debet, vt efferas vnum constantem, simplicemq́; sensum scripturæ, sicut ego facio, & feci. Hoc est enim Theologi, sicut illud Sophisticæ.*

Hæc superciliosissimus Hæresiarcha; qui toto vitæ suæ tempore, vix aliud fecit; quàm euertere, quæ prius, tanquam ex ipso Dei verbo deprompta, insolentissimè venditârat, rudiq; plebeculæ obtruserat: oblitus fastuosi huius sui thrasonismi: *Hoc sic, & non aliter intelligi debet.* Hæc ex Luthero commemorare volui; vt patefacerem; quo Magistro Hunnius & alij Prædicantes criminari Catholicos didicerint, quando illos varia responsa ad idem argumentum adhibere vident.

Pergit Prædicans. Quomodo inficiari audet istam particulam (confirmationis) referri ad doctrinam? Optima ratione id negat Bellarminus; quia quomodo salus, hoc est, salutis prædicatio confirmata sit apud se & apud illos, ad quos scribit; statim sequentibus verbis declarat: *contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus*; vbi nihil apparet, de confirmatione per doctrinam. At alij Hebræi confirmati sunt, hoc est, instituti, instructi & eruditi per doctrinam. Non abnuo. Illud negat Bellarminus Apostolum hic agere de confirmatione per doctrinam. Hoc, si potes, oppugna precor.

Nōne vocula Nos est pluralis numeri, inquit Prædicans, *comprehendens simul & Hebræos, ad quos scribit?* vocula *nos* comprehendit & Paulum & Hebræos, & vtrosque confirmatos significat; sed per miracula, portenta, variasque virtutes; non inficiatur Bellarminus Hebræos cæteros esse ab aliis Apostolis in fide confirmatos per doctrinam: hoc tantum asserit, hic non agi de confirmatione per doctrinam.

Obiicit Prædicans: *Paulus non plus confirmatus est miraculis reliquorum Apostolorum, quàm hi per ipsius miracula. Act. 15. & 21.*

A Imo plus; quia serius fuit conuersus, & non nisi ingentibus iam passim per Apostolos patratis miraculis; quæ Paulum minimè fugiebant. Quapropter non dubium, quin sub primordia conuersionis suæ in agnita veritate Christi, per edita ab Apostolis miracula, mirificè corroboratus fuerit. Nec tamen ignoramus, nec diffitemur, miracula postea à Paulo patrata, fuisse etiam aliis Apostolis solatio & firmamento in fide. Et hoc tantum euincunt illa, quæ verbosus Hunnius hic ex cap. 15. & 21. Actuum Apostolicorum declamitat. Si enim propria, quæ quis edit, miracula, possunt aliquem in fide fulcire; cur non & aliena, seu ab aliis patrata? Nec grauatè concedo, quemlibet Apostolum verè potuisse proferre vel scribere illa verba: *Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus.* B

Quintum argumentum contra hanc Epistolam. *Quia videtur hominibus post agnitionem veritatis in peccatum lapsis, negare pœnitentiam cap. 6. & cap. 10.* Respondet Hunnius. *Non agnoscimus hoc argumentum.* Os hominis: An non est hoc argumentum tui Lutheri Proœmio in Epist. ad Hebræos? An non, postquam friuola ratione inductus, negauerat, hanc Epistolam esse D. Pauli, subdit. Vber das hat sie einen harten Knotten / daß sie am 6. vnd 10. Cap. stracks verneinet vnd versaget die Busse den Sündern nach der Tauffe / rc. *Præterea ista Epistola durum quendam nodum habet, quòd cap. 6. & 10. directè negat pœnitentiam peccatoribus post baptismum*: Et cap. XII. dicat; *Esau quæsiuisse pœnitentiam, nec inuenisse. Quod, sicut sonat, aduersari videtur omnibus Euangeliis & Epistolis S. Pauli: Et quamuis glossa addi queat, verba tamen tam sunt clara, vt nesciam, quæ glossa sit futura satis. Mihi videtur, esse Epistola ex variis consarcinata frustis, neq; de vno ordinatè agens.* Hæc tuus, Hunni, Lutherus. Quæ si nescisti; turpe est; Quid si dissimulasti? C

Addis. *Propter ista loca tam non posse reiici hanc Epistolam, quam nec Matthæi aut Marci Euangelium ob consimilem locum de peccato in Spiritum sanctum.* Rectè dicis Prædicans. Sed hæc dicito tuo Luthero; vt frontem perfricet; & cum Epistola ad Hebræos Euangelium quoque S. Matthæi & S. Marci repudiet. qui quod loquaciter explicas, quid sit peccatū in Spiritum sanctum, & cur dicatur *irremissibile*, labore hoc supersedere poteras, quandoquidem longè melius id præstant Catholici scriptores, & cum his in hoc capite Bellarminus; quem carpit Prædicans; quod dixerit; eum, qui ex malitia peccat nihil habere in se, vnde remissionem mereatur, & propterea eius peccatum dici *irremissibile*, quamuis absolutè remitti possit. Qui autem peccat ex ignorantia vel infirmitate, aliquid habere, vnde misericordiam Dei prouocet, iuxta illud: 1. Timoth. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* D

Ogge-

Oggerit Prædicans: *Hoc pacto omnium hominum peccata essent, & manerent irremissibilia; quandoquidem nullus omnium habet, vnde remissionem mereatur: quam non nos meremur, sed solus Christus plenariam peccatorum omnium remissionem nobis est meritus.* Non sequitur hoc Prædicans: quia non omnium hominum peccata fiunt ex malitia; sed multa ex infirmitate, multa item ex ignorantia. Deinde cum Bellarminus dicit, eum, qui peccat ex malitia, nihil habere vnde mereatur remissionem; quo innuit eum, qui ex infirmitate aut ignorantia peccat, habere aliquid quo mereatur remissionem: id minimè eò pertinet, quasi Bellarminus velit reparationem à lapsu seu peccato mortali, cadere sub meritum hominis, præsertim de condigno, id enim expressè negat Bellarminus lib. 5. de Iustif. cap. 25. sed *merendi* vocabulum sumit latius, qua notione vulgo dicere solemus de duobus vel pluribus, qui furta commiserunt, hunc *mereri* misericordiam, illum non *mereri* misericordiam, quod alter paupertate coactus vel mala societate seductus; alter nulla vel necessitate vel improba societate illectus, furtum perpetrarit, licet vterque absolutè loquendo dignus sit laqueo.

Prędicans ex *merendi* vocula materiam arripiens; *merendam* hic facit lautissimam, *in qua clamitat, nullum esse hominis meritum; Christum omnia meruisse.* Vociferetur, quantum libet, nos hic ista vt aliena à loco & tempore surda aure præterimus.

Ait Bellarminus, locum illum, cap. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam*; posse explicari de renouatione ad pœnitentiam in baptismo, non ad eam, quæ fit in reconciliatione post baptismum. Ogganniit Prædicans. *Hæc responsio tam est absurda, vt nihil supra.* Audax caput; an non te ab hac criminatione absterrere debebat Catalogus grauissimorum Auctorum, quorum hæc est explicatio, quosque Bellarminus nominatim citat? Ii sunt Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Anselmus, Sedulius, S. Augustinus & plures alij, quos omnes Prædicans iste pro vappis habet, ipse vappa nihili ac nauci, & si quid his duobus vocabulis vilius ac deterius.

Occinit Prædicans. *Perinde est, ac si quem grauissimè dehortaturus ab homicidiis, adulterio, &c. dicam ei, si prolapsus fueris in homicidium, aut adulterium, non poteris rebaptizari; renouari verò nihilominus potes per reconciliationem. Intelligit quiuis, scopas esse dissolutas, & ex arena funiculos.* Nempe tuas istas vociferationes quiuis intelligit esse *scopas dissolutas* & ex arena funiculos: adeo nihil cohæret: neque ratione colligatum est. Quasi verò intempestiuum sit, monere, non esse quidquam caussæ, cur quis iam baptizatus, promittat sibi renouationem ad pœnitentiam per iteratum baptismum; præcipuè si quis adhuc tyro & nouitius in religio-

A ne Christiana sibi persuadeat, (quod factu rudibus procliuè) baptismum, atque adeo expiationem malè commissorum per baptisma iterari posse.

Poterant, inquit Prædicans, *ex huiusmodi exemplis discere Romanenses, quàm peregrinæ & contortæ sæpe nascantur interpretationes, si quis ita pendeat ab auctoritatibus patrum.* Longè melius, nisi fallor, poterant Lutherani ex his exemplis discere, quam attrita frons sit Prædicantibus, ex quorum officina tantæ sycophantiæ in grauissimos Ecclesiæ Orthodoxæ Patres exsistunt, tamque ineptæ, inscitæ, & ab omni vero remotæ sacrarum litterarum expositiones, vt vix vnquam Sol insulsiores aspexerit.

B

Prior expositio nostra (non est tua, Prædicans, non habes tantum cerebri, vt bonam explicationem ex scriptura eruas,) *solida est*; (solida est; quia est Catholicorum tam veterum, quam recentium, & in his Bellarmini) *& ex visceribus textus deprompta.* Ecce Prædicantis μεγαλοφωνίαν. *Viscera textus: Ex visceribus textus.* Quis talia tam magniloqua audiens, Prædicanti fasces non submittat? qui mox iterum ex intimis stultitiæ suæ *visceribus* fabulatur, *sola recordatione baptismi iam olim suscepti remitti peccata post baptismum commissa.* Quam fatuitatem accuratè refellit Bellarminus libro de Baptismo cap. 18.

C Adiungit Prædicans: *Quod ex 12. capite profertur de Esau, qui non inuenerit pœnitentiæ locum, etsi cum lacrymis eam quæsierit; iterum affixus Iesuita Patrum interpretationibus, non vnam affert, sed duas; cum tamen cuiusque loci vnus tantùm sit verus, & genuinus sensus.*

Longè maior laus est affixum esse interpretationibus Patrum, quàm nugamentis Lutheri, Philippi & similium Nouatorum, à quibus iste odium in sanctos Patres hausit, & magna mercedis iactura nil sapere didicit, qui imperitiam suam cum aliàs tertio quoque verbo, tum hic etiam prodit; cum ait; *vnius loci vnum duntaxat verum genuinumq; sensum esse.* quod nunquam edixisset, si ex vera Theologia inexhaustam Spiritus sancti & sacræ scripturę fœcunditatem D cognouisset; neque aures præbuisset Lutherano illi effato lib. contra Catharinum: *Scio, quod solo litterali sensu pugnandum est, qui & vnicus est per totam scripturam. Nihil Origenes, nihil Hieronymus, nihil omnes, qui plures sensus dederunt.*

Digitized by Google

Responsio ad nugas Iunij, & Danæi.

CALVINISTAE, quos inter militarunt Iunius & Danæus, licet Epistolam ad Hebræos concedant vere esse Canonicam & diuinam, vt supra audiuimus ex VVitackero, negant tamen esse D. Pauli, nec Iunius & Danæus à se impetrare potuerunt, quo minus animaduersiones euomerent in hanc Bellarmini disputationem, de qua inter nos & illos conuenit quod attinet ad Canonicam auctoritatem, si quidem corde sentiunt, quod ore proferunt.

Accusat Bellarminus Lutherum, quod dixerit in Prologo super Epist. ad Hebr. eam nec esse Pauli, nec vllius alterius Apostoli, quod quædam contineat contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam. Respondet Iunius; *hic error personalis est Lutheri & aliorum paucorum, non autem communitati Ecclesiæ impingendus.* Vtinam Lutheri fuisset personalis, & cum pereunte periisset. Sed secus est: Error enim iste, Epistolam hanc non esse D. Pauli, non modò ad Lutheranos, sed & ad Caluinistas transiit. Ille autem alter, ad omnes fermè Lutheranos deriuatus est. Mirum autem tertium Heliam, & doctrinę Euangelicæ reparatorem in tam fœdum errorem prolabi potuisse. Vbi tunc erant criteria illa, quibus isti genuinas scripturas, tanquam Lydio lapide, & libella falli ac fallere nescia, explorare solent? Tam fœdus profectò & portentosus est hic Lutheri error, vt eius puduerit Hunnium, qui vt maximè pernegет Epistolam hanc esse D. Pauli; palam tamen prædicat, *ab alio quopiam Apostolo scriptam; & Apostolico spiritu præditam, omnis erroris exsortem.*

Ait Iunius; Brentium, Kemnicium, Magdeburgenses moderatius sensisse de hac Epistola, hoc est, vt interpretari æquum; Lutherum *impudentius* sensisse; istos minus *impudenter*, sed tamen *impudenter*.

Verba Bellarmini sunt. *Hæc Epistola recepta fuit ab omnibus Latinis post Lactantium. Soli enim Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius, hanc Epistolam non videntur agnoscere, nec enim eam vnquam citant, quod sciam.* *Rectè, NON VIDENTVR*, inquit Iunius. *Non impugnant tamen.* Ita est. Quid amplius? *Tertullianus certè adducit alibi, & in libro de pudicitia adfert copiosè multa, Epistolam adscribens Barnabæ.* Non nego, adducit eam, nomine Barnabæ: Expunge, si lubet, ex Bellarmini Codice nomen Tertulliani. Liber de duplici Martyrio non est S. Cypriani, vt iam pridem viri docti monuerunt: nec expositio Symboli. Itaque non facilè erit reperire citationem huius Epistolæ in S. Cypriano. Arnobius in Psal. 104. allegat, & quidem Pauli nomine. *Paulus clamat Hebræus ex Hebræis.* nisi quis

A hunc Arnobium discriminet ab illo, qui libros contra gentes vulgauit. Vtrum Latinorum consuetudo non receperit hanc Epistolam, vt scribit S. Hieronymus ad Dardanum, & quo etiam respiciens S. Hieronymus hoc affirmarit, docebit te Baronius Tomo. 1. anno Christi LX.

Citat Bellarminus pro auctoritate Canonica, quodque verè sit Paulina Epistola, Clementem Romanum, Clementem Alexandrinum, & Dionysium Areopagitam Epist. ad Titum. Obiicit Iunius. *Controuersa est horum auctoritas vel teste Romana Synodo & Gelasio Papa d. 15. C. sancta Romana.* At hoc decretum nil penitus continet de Dionysio; nihil item de Clemente Romano, præsertim de B celeberrima eius ad Corinthios Epistola, quam tota antiquitas semper admirata est: Et ex qua testimonium pro Epistola ad Hebræos desumitur. Opuscula Clementis Alexandrini adscribit apocryphis: fortè quia ab hæreticis nonnulla eius fuere falsata. Certè quæ hodie exstant, quæque veteres citant, summo semper in pretio ac honore fuerunt, vt frustra sit Iunius, si per Gelasij sanctionem testimonium Alexandrini Clementis nobis eripere tentet.

Illud placet, quod Iunius confitetur, Apostolum, *hac sui nominis dissimulatione infirmis consultum voluisse. Quam rem fieri, quæ ratio vetat?* inquit Iunius. Arrige aures Lutherane Hunni; vt distinctè C percipias, quid Caluinianus Iunius cantet; qui & hoc ingenuè nobis largitur, neutiquam ad tuum Lutheranum gustum. *Equidem & sententias & verba Pauli esse non dubitauerim: Stylum verò respectu eorum variari ad quos scribebatur, eodem consilio, quo & nomen dissimulari, modò dicebamus.* En liberalitatem Iunij, cuius sententia præ cæteris arridet; vt & supra significaui. Tam indisertus enim non erat Paulus vt orationem attollere nequiret, siue Hebraicè, siue Græcè scribendum esset. Quod si ab humili dicendi genere, ne scriptor manifestus fieret, discedere voluit, quis iure reprehendat? Concedit & illud Iunius, quantumuis ringente Hunnio, absurdum non esse, licet dicamus, Apostolum quoque capite secundo sese eorum nu-D mero inclusisse; qui in fide per miracula confirmati sunt.

Cætera, quæ Iunius adiungit, oppidò frigent & caligant, tantis tenebris obsita; vt ne ab ipso auctore suo visa & intellecta credam. Quod monet in cap. 9. vbi de arca, & iis, quæ in arca; *Græcè esse ἐν ᾗ, ita vt hoc relatiuum referri possit aut ad propinquius nomen τῆς κιβωτοῦ, aut ad remotius τῆς σκηνῆς*, valde fallitur, si nemini Catholicorum hanc obseruationem in mentem venisse existimat. Nam Ribera noster in cap. 9. ad Hebr. expressè eam tradit; relatiuumque illud, ἐν ᾗ non ad κιβωτὸν, sed ad σκηνὴν, referens, docet in arca nihil aliud fuisse præter tabulas legis; sensumque verborum Pauli hunc esse; in qua, scilicet *scena* seu ta-

O berna-

bernaculo, (non autem, in qua arca) *erat vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti*; de quo copiosius Ribera. Quanquam Bellarmini quoque sententia proba est; neque Nouatoribus expugnabilis. Neque ignorauit Bellarminus sententiam illam Riberæ, quam Hæretici quoque interpretes amplectuntur.

Quapropter frustra mittit Danæus Bellarminum ad Caluinum, Bezam, Iunium, vt huius loci ex cap. 9. & alterius ex cap. 6. de renouatione ad pœnitentiam verum intellectum ab illis discat. Apage cum his doctoribus, Danæe; sequitur Bellarminus sanctos Patres, tanquam doctores & Magistros suos; quorum isti tui non dicam discipuli, sed ne agasones quidem esse possent. Qui quales doctores habueris, satis ostendis, cum ad grauissimas capitis huius quæstiones & difficultates, nihil aliud adfers, quam illa tua solennia: *I. A non caussa pro caussa. II. Bellarminus secum pugnat. III. Illis ipsis auctoribus fidem detrahit, quos antea pro se adduxit. IV. Obiectiones sunt perspicuæ. V. Solutiones Bellarmini incertæ. VI. Bellarminus debuit prius discere, quàm in Ecclesia docere.* Quis adeo delirus, fatuus & stultus est, qui huiusmodi responsis, notis, animaduersionibus Bellarmini tomos nequeat refutare, si hoc est refutare? Et tamen ista ab insipientissima Caluinistarum turba tantum non adorantur.

Quia vero Lutherani, non modò negant Epistolam ad Hebræos esse D. Pauli, sed & omnem Canonicã eius auctoritatẽ inficiantur, ideo non abs re visum est ostẽdere, quã pulchrè cum Arianis in contemptu huius Epistolæ conueniant; & quam præclaram operam fratribus suis Trinitariis & Seruetianis in Polonia & Transyluania nauent. Audiamus ergo Theodoretum de Arianis, & in Arianis de Lutheranis pulcherrimè disserentem præfat. in Epist. ad Hebræos.

Nihil faciunt admirandum qui morbo Ariano laborant, si aduersum litteras Apostolicas insaniant, & epistolam ad Hebræos à reliquis separent, & eam adulterinam appellent. Qui enim aduersus Deum & seruatorem nostrum linguas mouent, quid non ausi fuerint aduersus eius beneuolos & grandiloquos veritatis præcones? Ipsius enim domini (Ioan. 15.) vox est. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Oportebat autem ipsos, & si nihil aliud, temporis quidem certè diuturnitatem vereri, quo hanc Epistolam in Ecclesiis perpetuo legerunt alumni veritatis. Ex quo enim litterarum Apostolicarum fuerunt Ecclesiæ participes, ex illo etiam Epistolæ ad Hebræos vtilitatem percipiunt.

Quod si nec hoc quidem ad eis persuadendum satis est, Eusebio quidem certè oportebat eos Palæstino credere, quẽ Patronum suorum secretorum appellant. Nam is etiam diuinissimi Pauli hanc esse Epistolam confessus est: & veteres omnes hanc de ea sententiã habuisse asseruit. Sed ij, omnibus valere iussis aduersus veritatem impudenter decertant, Apostolicæ Theologiæ, qua proœmium exornauit, splendorẽ non ferentes. Cum enim nõ possent resistere iis, quæ de vni-

A *geniti diuinitate apertè dicta fuerant, ausi sunt totã Epistolã eiicere, cum tamen & decreta, & alia sententiæ magnã habeant cognationẽ cum aliis epistolis. Suæ autẽ accusationi hunc prætextũ afferunt, quod Apostolica appellatio nõ sit similiter posita in proœmio. Oportebat autẽ eos considerare, eum eorũ qui ex gentibus, non eorum, qui ex Iudæis crediderant, fuisse constitutũ Apostolũ. Etenim dixit ei dominus (Act. 22.) Festina, & hinc cito egredere, nõ enim suscipient testimonium tuum de me. Vade quoniam ad gentes procul mittã te. Eiusmodi etiã pactum conuentum cum aliis iniit. Iacobus enim, inquit, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur esse columnæ, dederunt mihi & Barnabæ dextras societatis, vt ipsi quidẽ ad circumcisionẽ, nos vero ad gentes. Ita etiã scribens ad Romanos dixit. (Rom. 11.) Quatenus ego sum gentiũ Apostolus glorifico ministeriũ meum.*

B *Ea de caussa cum scriberet ad eos, qui crediderunt ex gentibus, appellationẽ adiecit, & Apostolicã dignitatem addidit, vt doctor & magister scribens ad discipulos. Ad Hebræos autem scribens: quorum non erat sibi credita cura; meritò nudã dignitate doctrinã eis tradidit. Aliorum enim Apostolorũ curationi suberant. Quod autẽ spiritali gratia plena sit epistola, & nullã omnino præbeat calumniæ occasionem, singulorum interpretatio docebit apertius.* Hęc pulcherrimè Theodoretus, auctor doctissimus, contra Arianos, & Arianorũ germanos, Lutheranos.

Theodoreto associemus Theophylactũ, qui & ipse in proœmio super hanc Epistolam Lutheranos penicillo admodum eleganter depingit. *Non possum equidem non admirari multorum hominum impudentiam, qui cum intelligant per epistolæ exordium fu-*

C *isse tot hæreses confutatas, haud tamen desistant asserere hanc epistolam haud Paulo conuenire, seu à cæteris epistolis alienam. Velim tamen non esse hos nescios, epistolæ huius & sensuũ profunditates; & vim illam inconfutabilem nullius esse alterius posse, quã Pauli, qui Christũ haberet in se loquentem. Quòd si dicendi modus illos offendit; intelligant Paulum Hebraica lingua hanc dictasse epistolam, vt qui ad Hebræos haberet sermonem, & vnum aliquem de suis contubernalibus in Græcum vertisse: & plerīq; Lucã hanc transtulisse ferunt, aut Clementẽ, cuius etiã in ea vel stylus seruetur. Nec secus ij peccant, qui hanc esse Pauli epistolam negant, quàm si à Paulo abesse Christum negarent.*

Notanda est & in hoc incredibilis Lutheranorum inuerecundia. Quando de controuersis antiqui testamenti libris agitur, perpetuò vocife-

D rantur: *Concilium Laodicenum non posuit libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, &c. in Catalogo librorũ Canonicorum. Athanasius in Synopsi omisit: Gregorius Nazianzenus in carmine de scripturis diuinis præteriit. Nec Nicephorus, nec Amphilochius, recensuit.* At quando ventum ad Epistolas Apostolicas, tum de Concilio Laodiceno, prędictisq; Patribus magis sunt muti, quã pisces. Qua de caussa? Quia nimis manifestum est ab his omnibus Epistolam ad Hebræos, & alias, in Canone collocari, quas ipsi spiritu Lutherano à Canone eliminant.

Pari candore vrgent carmina quædam Nicephori Callisti Xanthopuli, auctoris ex sequiore & recentiore Græcia; contra librum Iudith, Tobiæ, similes; Interim silentio prætereunt

Digitized by Google

alios longè antiquiores ex eadem Græcia; qui eosdem & noui & veteris testamenti libros cum Synodo Tridentina in Canone reponunt; Ex quorum numero est Philippus Solitarius in sua Dioptra lib. 4. cap. 19. qui tantùm abest, vt cum Nouatoribus nostris libros, de quibus disceptamus, à Canone seiungat; vt sex & quadraginta veteris testamenti Canonicos libros statuat. Ex qua assertione liquidò liquet, eum, & quidem ex communi Græciæ sensu; nullum, quem nos admittimus, reiecisse; sed & insuper de suo tertium Esdræ librum adiecisse. Nam quocunque te vertas sex & quadraginta antiqui testamenti libros non reperies, nisi Esdræ tertium adiungas; qui, vt infra cap. 20. videbimus, apud Græcos primum locum inter Esdræ libros obtinebat. Quod ad libros noui testamenti attinet, examussim nobiscum, non cum Lutheranis prædictus Auctor concinit.

CAPVT XVIII.

De Epistola Iacobi, Iudæ, secunda Petri, secunda & tertia Ioannis.

AIT Bellarminus, Lutherum in Prologis harum Epistolarum, Brentium, Kemnicium & Centuriatores Epistolam Iacobi & Iudæ penitus contemnere. Recinit Iunius: *Durius dictum. Negatur.* Mirari quis posset audaciam huius Caluiniani Prædicantis, qui Lutherum tueri velit, quem ipsi Prædicantes Lutherani iam defendere non audent, qui, vtpote linguæ Germanicæ gnari, melius norunt, quid Lutherus adprobè non rarò potus in chartas euomuerit, quàm Iunius, qui fortasse Germanicam linguam ignorauit, natione & origine Gallus. An non Lutherus nominauit Epistolam S. Iacobi ein rechte ströerne Epistel/*verè stramineam Epistolam comparatione Euangelij sancti Ioannis & Epistolæ primæ eiusdem, & Apostolico spiritu destitutam!* An non hæc verba Lutheri exstant in antiquis Bibliorum Lutheranorum versionibus! An non eadem verba, cum à reliquis Prædicantibus perpetuis tenebris addicta essent; vnà cum aliis nonnullis nocentissimis frustis Aurifaber in lucem retraxit, & primo tomo Paralipomenon Lutheri inseruit? An *stramineam* vocare Epistolam S. Iacobi non est eam penitus contemnere!

Ne tamen Luthero faciamus iniuriam, dicendum est, quid in posterioribus editionibus de hac Epistola senserit, omisso *stramineo* illo Prologo, quem prius præfixerat. Dicit ergo; Epistolam S. Iacobi laudo, & bonam iudico. At vide quomodo laudet. *I. Non est vllius Apostoli. II. Di-* A *rectè repugnat S. Paulo, & omnibus aliis scripturis; quia dicit, Abrahamum iustificatum ex operibus, cum S. Paulus Rom 4. contrarium doceat. III. Quamuis hoc fortè aliquâ glossâ excusari posset; illud tamen nullo modo est excusabile, quod dictum Moysis Genes. 15. de sola Abrahami fide loquens transferat ad opera. IV. Hinc colligi Epistolam hanc nullius Apostoli esse. V. Christianos vult instruere, nec tamen vel semel in tam prolixa instructione, meminit passionis, resurrectionis & spiritus Christi. VI. Nihil docet de Christo, sed loquitur de communi fide in Christum. VII. Iste Iacobus tantum vrget legem & opera legis. VIII. Omnia inordinatè miscet & confundit. IX. Nominat legem; legem libertatis, cum tamen sanctus Paulus nominet legem seruitutis, iræ, mortis, & peccati. X. Volebat occurrere illis; qui in fide sine operibus spem* B *ponebant, sed nimis fuit ad hoc perficiendum infirmis viribus.*

Hæc & id genus alia, sunt Encomia, quibus Lutherus Epistolam S. Iacobi afficit; vt proinde clarè videas, quàm verè dixerit Lutherus in ead. præfat. init. HANC EPISTOLAM LAVDO; Si hoc est laudare, quid est vituperare?

Vt cæteras stultitias prædicta in reprehensione comprehensas dissimulem; an non hæc palmam meretur; quando Lutherus dicit; *Hanc Epistolam non posse esse Iacobi; cum diu antè fuerit capite plexus sub Herode; quàm S. Petrus & S. Paulus Epistolas suas scripserint citatas in hac Iacobi Epistola*: Vt de citatione taceam, quis nescit, hanc Epistolam C non adscribi Iacobo Zebedæi, qui vulgò *maior* appellatur, martyrio sub Herode persuncto, sed Iacobo Alphæi, qui vulgò *minor* & frater Domini audit? Quæ est hæc Lutheri inscitia? Sufficiant ista retundendæ impudentiæ Iunianæ, quæ tam audacter inficiatur id, quod luce clarius liquet; videlicet, Lutherum, Epistolam S. Iacobi penitus aspernari.

Nec alia mens Lutheranis Prædicantibus, licet contemptum illum suum tectiorem habeant, quàm Lutherus. Ait hic Hunnius, *se & suos plus tribuere secundæ Epistolæ Petri & duabus postremis Ioannis, quàm Iacobi aut Iudæ.* Multum profectò Petrus & Ioannes debent Prædicantibus, D quod præponantur Iacobo & Iudæ. Sine dubio ægrè tulissent, si sibi æquatos vidissent. At quantum præferuntur? *Petri & Ioannis Epistolæ sunt apocryphæ.* (Quanta laus Petri & Ioannis) *sed Epistolæ Iacobi & Iudæ magis sunt apocryphæ.* An non est hæc insignis reuerentia Petro & Ioanni à Prædicantibus habita? Omnium istarum Epistolarum Canonicam auctoritatem probat Bellarminus ex Concilio Laodiceno; Carthaginensi, & Patribus. Ait Hunnius; *quod Laodicenum allegat, miror, cum eius vestigiis in Canone librorum veteris testamenti non insistat.* Dicam ego totidem verbis, & iure longè meliore, Hunnio Laodicenam Synodum contra Tobiam vel similem librum citanti: *Quòd Laodicenum Con-*

cilium allegat, miror, cum eius vestigiis in Canone librorum noui testamenti Prædicans non insistat: hæc, inquam, longè meliore iure Prædicanti recinam; quia ipse audacter vtitur hoc Concilio, quod libros quosdam veteris testamenti non reiecit; sed tantum in Canone suo non commemorauit: eidemque Concilio Epistolas controuersas noui testamenti inter Canonicas & diuinas scripturas reponenti, fidem habere detrectat.

Patres, inquit Prædicans; *non semper citant has Epistolas, vt Canonicas, sed vt sacras & Ecclesiasticas.* At Patres à Bellarmino citati citant illas, vt verè diuinas & Canonicas; quidquid tandem præco iste deblateret, quod liquebit singula Patrum testimonia perpendenti & penitius introspicienti.

Mox fucum vendit Prædicans: *Addimus*, inquit, *nos post scripta ea, quæ semper indubitata fuerunt, has Epistolas primo loco ponere. Prodest verò nihilominus discrimen attendere, inter ea, quæ semper extra omnem dubitationem fuerunt posita; & hæc, quæ, vt ex Eusebio, & Hieronymo audiuimus, olim fuerunt controuersa.* Si postponeretis cæteris ea solum de causa, quia olim de his dubitatum fuit; tolerabilis esset vestra postpositio. At hæc non est vobis causa postponendi: sed ista: quia alios libros pro verè diuinis & Canonicis agnoscitis; hos non nisi pro *æquiuocè* Canonicis, hoc est, pro non Canonicis seu apocryphis. Cur quod impiè sentitis, verborum inuolucris inuoluere studetis? An quia pudet impietatis? An quia, (quod probabilius) imposturam struitis?

Soluit Bellarminus octo aduersariorum argumenta contra Canonicam auctoritatem Epistolæ S. Iacobi. Solutiones primi & secundi prætervolat Prædicans. In tertio argumento furit. Obiiciunt Magdeburgenses: *Eusebius affirmat libr. 2. histor. cap. 23. hanc Epistolam, & illam Iudæ esse adulterinas; igitur non sunt firmæ auctoritatis.*

Respondet Bellarminus; *mendacium esse hoc, non argumentum. Hæc enim sunt Eusebij verba loco citato ab aduersariis: Sciendum*, inquit, *est, quod à nonnullis non recipiantur.* Et addit: *Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus penè Episcopis recipi.*

Responsio hæc Hunnio stomachum euertit. Itaque sic bacchatur: *Iterum se in apertum profert Iesuita, cuius spiritus sit filius. Magdeburgenses allegant Euseb. lib. 2. cap. 23. hoc non potest inficias ire hypocrita. Aduertat igitur oculos ad textum, & deprehendet, se per crimen falsi omisisse illa verba. (sciendum, quod sit adulterina;) quæ in eo loco Eusebij extare si negauerit, oportet esse hominem nullius planè conscientiæ, aut bonæ mentis.*

At verò hæc verba (*sciendum, quod sit adulte-*

A *rina*) exstare in Ruffini versione, quam sequitur Bellarminus, si Prædicans affirmauerit, oportet eum esse hominem nullius planè conscientiæ, neque frontis, aut bonæ mentis. Candidior hic Iunius, quàm Hunnius: qui agnoscit hæc in Ruffini versione non haberi. Sed vocat *confidentem, & licentiosum interpretem.* Qua de caussa? Quid si Ruffinus verba illa, *ἰστέον, ὡς νοθεύεται μὲν*, in suo Exemplari non reperit? Quid si alia distinctio, vel lectio fuit, quæ sensum à Ruffino expressum redderet? Christophorsoni translatio sic habet: *Illud tamen nos minimè præterire decet, quòd licet à quibusdam tanquã adulterina & minimè germana propterea indicetur, quòd non adeo multi ex veteribus illius Epistolæ, sicut*
B *nec eius, quæ dicitur Iudæ (quæ etiam in septem Catholicarum Epistolarum numero ponitur) vllam omnino mentionem faciant: tamen nos istas cum reliquis, in quàm plurimis Ecclesiis publicè receptas approbatasque cognouimus.*

Et quid multis verborum anfractibus opus est? Bona est Ruffini versio; bona Christophorsoni; mala verò & mens & versio Hæreticorum. Græca sunt ista. *οὗ ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν εἶναι λέγεται, cuius* (Iacobi) *prima ex illis, quæ Catholicæ appellantur, Epistolis esse dicitur.* Obseruetur hanc Epistolam dici ab Eusebio *primam* inter Canonicas, quia primum semper in Bibliorum codice tenebat locum in-
C ter Canonicas, donec Lutherus ex odio & contemptu hanc Epistolam in sextum locum in Germanicis suis Bibliis reiecit. Pergit Eusebius.

ἰστέον, ὡς νοθεύεται μέν. οὐ πολλοὶ γοῦν τῶν πάλαι αὐτῆς ἐμνημόνευσαν, ὡς οὐδὲ τῆς λεγομένης Ἰούδα, μιᾶς καὶ αὐτῆς οὔσης τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν, ὅμως δ᾽ ἴσμεν καὶ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις. Sciendum, quod vt spuria & adulterina arguitur. non multi igitur veterum eius meminerunt; sicut neque eius, quæ Iudæ dicitur; quæ & ipsa vna est ex septem Catholicis. Nihilominus scimus & has cum reliquis in plurimis Ecclesiis publicè receptas.

D Christophorsonus, qui Græcam editionem Stephani in versione sua secutus est; correcto textu legisse videtur; *ὅτι οὐ πολλοὶ τῶν πάλαι*, &c. vt scilicet caussa reddatur, cur *νοθεύονται*; cur ei nota *spuriæ & suppositititiæ* Epistolæ inusta sit; quia scilicet pauci veterum mentionem eius fecerant. At verò Sectarij verba illa; *ἰστέον, ὡς νοθεύεται*, sic vertunt. *Sciendum; hanc Epistolam esse adulterinam*: & inde concludunt: Eusebium hanc Epistolam habuisse pro adulterina. Pessimè. quia *νοθεύομαι*, non est esse *spurium*, & *suppositium*; sed est notari; argui, & accusari tanquam spurium. Aliud autem est esse spurium; aliud accusari & notari tanquam spurium: nam hoc etiam legitimo accidere potest,

&ac-

Digitized by Google

& accidit quotidie, vt docet experientia. At esse nothum & adulterinum; non potest accidere legitimo. Dicit ergo Eusebius: *Sciendum hanc Epistolam argui, notari & accusari tanquam spuriam; sed scimus tamen eam vicissim cum aliis à plurimis Ecclesiis publicè receptam.* Et nota illud: *cum aliis*; hoc est, cum Epistola prima Petri, cum prima Ioannis recepta est, & eodem loco posita; nempe, loco diuino & Canonico. Hanc verbi νοθεύεσθαι notionem tradit quoque Caluinianus seu Lexicographus seu Thesaurographus. Νοθεύομαι, inquit, *non solum est adulteror, corrumpor*, (quæ significatio non habet locum apud Eusebium) *sed etiam pro adulterino habeor, seu pro notho, aut spurio, vel supposititio.* Hæc ille. Verba igitur illa, ἰστέον ὡς νοθεύεται, sic transtulit Ruffinus. *Sciendum, quod à nonnullis non recipiatur.* Sensum nimirum secutus est, non verba; quia haberi pro adulterina, est non recipi. Et addidit; *à nonnullis*; Rectè; quia non apud omnes ἐνοθεύετο, *pro Spuria & adulterina habebatur*, vt patet ipsius Eusebij testimonio. Christophorsonus illud ὡς νοθεύεται expressit per illa: *quod tanquam adulterina & minimè germana à nonnullis iudicetur.* Rectè & ipse vim vocis νοθεύεσθαι, expressit; & illa; *à nonnullis*: adiecit, propter caussam ante dictam.

Quapropter non immeritò arguit Bellarminus Centuriatores mendacij, quòd dicant; *Eusebium affirmare, eas* (Iacobi & Iudæ Epistolas) *esse adulterinas.* Non affirmat hoc Eusebius: quod clarum secundum versionem Ruffini; in qua nihil aliud, quàm hæc: *Sciendum est, quòd à nonnullis non recipiatur.* Clarum item ex Græcis: nam νοθεύεσθαι, non est *esse adulterinum*; *sed haberi adulterinum*; *vel argui, tanquam adulterinum.* Hoc de Epistola S. Iacobi affirmat Eusebius, non autem prius illud. Nec dicit; vtrum etiam à se habeatur pro adulterina; sed absolutè ait: νοθεύεται, *Spuria habetur*, à nonnullis scilicet, non ab omnibus.

Hæc prius scripseram; quorum me necdum pœnitet. Re tamen accuratius considerata; omnium optimam & fidelissimam hoc quidem loco arbitror versionem Ruffini; nam νόθον, & νοθεύεσθαι Eusebio sæpius, vt & hoc loco, significat; quod *non recipitur*, seu, *ab omnibus non agnoscitur*: at *adulterinum, & minimè germanum*, fabulosis, & errorum magistris libellis potius tribuetur, vt sunt Euangelia Petri, Matthiæ, & ab hæreticis ficta, vel corrupta volumina, de quibus Eusebius lib. 3. cap. 25. Græcæ editionis; οὐδ' ἐν νόθοις αὐτὰ κατατακτέον, ἀλλ' ὡς ἄτοπα πάντη, καὶ δυσσεβῆ παραιτητέον. Vbi Christophorsonus; *ne in eo quidem scripturarum genere, quæ falsò inscripta, minimeq́; germanæ dicuntur, habenda sunt. &c.* Longè rectius hunc locum reddit Caluinista Grynæus; Eusebij itidem interpres; *ne inter illa quidem, de quibus dubitari diximus, collocanda sunt*, &c. Placet adscribere similem huius dictionis vsum in oratione Constantini, vel potius Eusebij, ad sanctissimũ cœtum cap. 11. fol. 162. apud Eusebium Græcæ editionis, vbi Christi è virgine natiuitatem, vocat νόθον *inusitatam, nunquam acceptam, vel consuetam*; νόθην τινὰ γέννησιν ἑαυτῷ ἐμηχανήσατο.

Eat nunc furiosus Hunnius, & Mænadis instar, in Bellarminum debacchetur. Tutus est Bellarminus ab insanientis vnguibus, quibus se cruentat, non illum. *Vide autem astum*: Clamat Furippus. Quem, oro, astum? *Dicit Bellarminus hæc esse Eusebij verba: Sciendum, quod non ab omnibus recipiantur. Mendacium hoc est*, (nempe, quod tu dicis Hunni; assentior, mendacium est; inspice Ruffinum, & mendacium tuum deprehendes) *& per Græcum textum facilè refellitur. Dicit enim Eusebius* ἰστέον, ὡς νοθεύεται. *de Epistola Iacobi hoc pronuncians.* Sed ex dictis liquet huius accusationis vanitas; præsertim si vltimam verbi νοθεύεσθαι notionem amplectamur; quam Ruffinus ad verbum expressit. Si autem Prædicans hoc reprehendit; quòd Bellarminus vtitur verbo plurali; *non recipiantur*; cum Ruffinus vtatur singulari: *nõ recipiatur*; de Epistola D. Iacobi loquens; friuola & iniusta est reprehensio; quia cum paulò pòst idem affirmet de Epistola Iudæ; potuit Bellarminus respiciendo ad sensum Eusebij non iniuria sub eodem verbo vtranque Epistolam complecti; ne breuitatis caussa omnia Eusebij verba exscribere cogeretur.

Ait Hunnius: *Nihil de receptione in numerum Canonicorum scriptorum habetur*, (apud Eusebium) *sed lectione.* Quid igitur volunt sibi illa Eusebij verba; cum ait? *Scire se has duas Epistolas in plurimis Ecclesiis cum aliis Epistolis Canonicis* δεδημοσιευμένας; *publicè approbatas & quasi vulgatas*, & consequenter, *receptas*, vt vertit Ruffinus: Nam quod fortè hæreticus quispiam interpres δεδημοσιευμένας interpretatur *lectas*, vt Prædicans tegmen haberet, sub quo recubaret; id parum moramur; quibus exploratum, quàm libenter hoc in genere Prædicantes Prædicantibus gratificari soleant.

Iunius agnoscit, id quod Bellarminus de Centuriatoribus scribit, esse mendacium, sed non esse *planè mendacium.* Imò & *planissimè & planissimum* mendacium est; sicut hactenus ostensum.

Quartum argumentum est. Hæc Epistola multum aberrat ab analogia doctrinæ Apostolicæ. Nam cap. 2. iustificationem non fidei soli, sed operibus adscribit: cum Paulus Rom. 3. dicat, hominem iustificari ex fide, sine operibus.

Hoc argumentum vrgere nolim, inquit Hunnius, *cum facilis sit conciliatio vtriusq; Apostoli, animaduerso vtriusq; scopo & consilio.*

Doctior ergo est Hunnius parente suo Luthero; qui tam facilè effectum dare vult; quod Lutherus neque à se, neque à quoquã alio præstari posse vel præstitum iri palam affirmabat. Quo ipso Hunnius Lutherum mendacij quoque accusat; & insuper pileo doctorali priuat; & denique vt stultus fatuusque ab omnibus habeatur & appelletur, efficit. Audi, quid in Colloquiis

mensalibus Lutherus dixerit. Vil haben gearbeit/ sich bemühet/ vnd darüber geschwitzt/ vber der Epistel S. Jacobi/ daß sie dieselbige mit S. Paulo vergli- chen/ wie denn Philipp. Melanchthon/ in der Apologia, etwas daruon handelt/ aber nicht mit einem Ernst/ denn es ist stracks wider ein ander/ Glaube macht gerecht/ vnd/ Glaube macht nicht gerecht/ wer die zusammen Reimen kan/ dem wil ich mein Baret auffsetzen/ vnd wil mich einen Narren schelten lassen. *Multi laborarunt; & conati sunt, & conando sudarunt, vt Epistolam S. Iacobi cum S. Paulo concordarent: Sicut & Philippus in Apologia aliquid de hoc tangit, sed non serio; quia ex diametro sibi aduersantur ista: Fides iustificat. Et; Fides non iustificat. Qui hæc concordare potest, huic imponam meum pileum doctoralē: & feram, vt stultus appeller.* Actum est de pileo & honore Lutheri; stultus nominetur oportet; quia fieri quod posse negabat; id à Catholicis iam dudum feliciter est præstitum, & ab ipso S. August. præfat. in Psal. 31. Et ab Hunnio, quamuis non verè; cui conciliatio hæc tam facilis accidit, quàm vulpi, vt comedat pyrum; qui quamuis fateatur argumentum ex irreconciliabili, vt Luthero videbatur, dissensione vtriusque Apostoli petitum, elumbe esse ac eneruε; aliis tamen modis iisque miris criminatur Bellarminum ipsamque veritatem propter hoc argumentum.

I. Hæc verba; *Cum Paulus Rom 3 dicat, hominem iustificari ex fide sine operibus*; *non legi in Centuria Magdeburgensium.* (Atqui Bellarminus non dixerat, legi in Magdeburgensium Centuria, neque argumentū hoc Magdeburgensibus attribuerat; quæ te vexant furiæ? ô Prædicans; & licet illis hoc argumentum totum, vt proponitur, attribuisset, verè tamen attribuisset; Eorum enim hæc sunt verba: *Epistola Iacobi ab analogia doctrinæ Apostolicæ haud mediocriter aberrat, dum iustificationem non fidei soli, sed operibus adscribit.* An non sunt hæc Centuriatorum verba? An non his verbis respexerunt ad caput 3 Epist. ad Rom. vbi dicitur; *Hominem iustificari ex fide sine operibus legis?* Nonne Lutherus contra Epistolam S. Iacobi potius furens, quàm scribens in Prologo suo eundem dissensum Iacobo à capite tertio & quarto Epistolæ ad Romanos obiectat? Nonne, quæ Cent. 1. lib. 2. cap. 4. Centuriatores nugantur, ex Lutheri nūgis mutuati sunt?

Omittamus ista. Bellarminus argumentū hoc nō adscribit Centuriatoribus, vt mentitur Hunnius; Itaq; nil doli ac fraudis machinari potuit in Magdeburgenses per illam sententiæ ex Epistola ad Romanos citationem. Et tamen Prædicans ingenti nisu & vociferatione producere aggreditur *occultissimum* Bellarmini, vt ait, *astum, qui non nisi ab attentissimo deprehendi queat. Producatur*, clamat, *in lucem, vt appareat, qualis sit hic Elymas, & in cudendis Strophis architectus: qui antequam respondeat, calumniam præmittit, non sine detestabili crimine falsi.* Quæ hæc tanta calumnia? Quod tantū crimen falsi? *Dicit Bellarminus, hoc argumento confiteri Lutheranos, se esse filios veterum illorum hæreticorum, contra*

A *quos Epistola ista scripta fuit.* En quanta calumnia; qua tam iniustè petuntur Lutherani, quàm olim illi ipsi Hæretici, contra quos hanc Epistolam conscriptam fuisse testatur S. Augustinus. Quæso, quæ caussa induxit Lutherum; vt hanc Epistolam vocaret *stramineam, & spiritus Apostolici exsortem*, quàm quia nimium ei videbatur bonorum operum commendare studium? Quæ item caussa extorsit ab eodem illa in hanc Epistolam conuicia; quæ plenis buccis in Prologo super eandem euomuit, nisi odium bonorum operū, quibus vt indefessè ac viriliter insistamus, Epistola D. Iacobi vel maximè contendit?

Recitat Bellarminus verba D. Augustini ex lib. de fide & operibus cap. 14. de illis, qui solam
B fidem absque operibus sibi sufficere credebant, contra quos Epistolam S. Iacobi editam ait; Et cum nimis prolixum foret totam B. Augustini orationem exscribere, eandem abrumpit, apposito consueto signo, &c. Vbi Prædicans: *Obserua, quòd hic sermonem Augustini per suum (&c.) nequiter abrumpit, ne si connexa citentur verba; ἐν αὐτοφώρῳ deprehendatur ipsius obscœna calumnia. Etenim quos perstringat Augustinus, partim ex allegatis, partim ex abruptis, (si integrè citentur) manifestum est: nimirum eos, qui ad salutem ita sufficere putabant solam fidem, vt interim* BENE VIVERE, *& bonis operibus viam Dei tenere* NEGLIGERENT. *Hoc verò in nostris Ecclesiis adeò non docetur, vt palam testificemur, esse prorsus incompatibilia, fidem & neglectum bene viuendi.*

C Quid iam doceatis non multùm moror; quia ne ipsi quidē pridie scitis, quid postridie docturi sitis, quippe arundines ab omni vento, quocunque momento, facilè mobiles & agitabiles. Hoc scio Lutherū initio sui Euangelismi, quando in Epistolā S. Iacobi furere cœpit, spem totā, & salutē in sola fide collocasse, neq; vllū à suis sectatoribus bonorū operum studiū ac vsum postulasse. Quo factū, vt sturnatim ad illum leuissimi quiq; tam dulcis doctrinæ blandimentis inuitati, aduolarent. Quid enim sibi volunt illa Lutheri ad Melanchthonē Tom. 1. Epist. Lat. Epist. 238. *Esto peccator, & pecca fortiter, sed fortius fide, & gaude in Christo; qui victor est peccati, mortis, & mundi: Peccandum est, quandiu hic sumus, &c. sufficit, quod agnouimus per*
D *diuitias gloriæ* DEI *Agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non auellet nos peccatum: etiamsi millies millies vno die fornicemur, aut occidamus.*

An nō hic perspicuè Lutherus nō tantùm iustificationem in præsenti, sed & adeptionem beatitudinis in altera vita soli fidei adscribit; Et ita quidem, vt quis saluus futurus sit, non modò si nulla bona opera faciat; sed licet pessima quæque etiam perpetret; cuiusmodi sunt fornicationes, homicidia & similia. *Sufficit*, clamat vesanus Hæresiarcha, *quod agnouimus per diuitias gloriæ Dei Agnum, qui tollit peccatum mundi*; hoc est, sufficit, quod credamus in Christum; *ab hoc non auellet nos peccatum, etiamsi millies millies vno die fornicemur.* Hæc frusta tam purulenta, conta-

giosa,

Digitized by Google

giosa, & exitiabilia, qui euomit; an Epistolam S. Iacobi, bonorum operum tam sedulam commendatricem, amare posset? An non sunt hæc longè deteriora, quàm sentiebant illi, contra quos epistola D. Iacobi scripta est, Augustino teste?

Deinde an non studium bonorum operum, atque adeo ipsa etiam bona opera tollit; qui disertè docet; nullum esse opus tam malum, quod hominem damnare; & nullum tam bonũ, quod hominem saluare posit; sed solam fidem saluare; & solam infidelitatem damnare? At hoc docuit Lutherus Tomo primo Nouorum operum olim Islebiæ ab Auribfabro,& nuper 1603. Lipsię editorum, in serm. super Euangel. *Attendite à falsis Prophetis.* Adscribam Germanicè; postea vertam. B Wann ich das verstehe / so merck ich / daß kein Werck so böß ist / das den Menschen mag verdammen / auch keines so gut / das den Menschen mög selig machen / sonder allein der Glaub macht vns selig / vñ der Vnglaub verdammet vns. Daß einer felt in Ehebruch / das Werck verdampt jhn nicht / sonder der Ehebruch zeigt an / daß er von dem Glauben gefallen sey / das verdampt jhn / sonst wär es nicht möglich. Also macht einen niemandt fromb / dann der Glaube / vnd nichts macht einen böß / dann der Vnglaube. *Si hæc intelligam, statim animaduerto, nullum opus esse tam malum, quod hominem possit condemnare; & nullum tam bonum, quod hominem possit saluare; sed sola fides nos saluat; & non credere, nos damnat. Quod quis in adulterium incidat, factum hoc non condemnat illum; sed adulterium ostendit, quod à fide exciderit. Hoc damnat illum: alioqui non esset possibile. Quocirca, nihil reddit hominem probum, nisi fides: & nihil efficit hominem malum, nisi non credere, seu infidelitas.*

Adhæc; An non studium bonorum operum sustulit, qui expresè docet non esse amplius vllum aliud peccatum in mundo, *præter infidelitatem?* At hoc palam docet Lutherus in *Postilla Domestica* Torgæ recusa Anno Christi 1601. Prima concione habita altera Pentecostes Feria, in illa verba: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam.* So ist nun diß so vil gesagt / keine Sünde ist mehr in der Welt / dann Vnglaube. Andere Sünde in der Welt seynd Herr Simons Sünde / D als wann mein Hensichen vñ Lenichen in den Winckel scheist / deß lachet man / als sey es wol gethan. Also machet auch der Glaub / daß vnser Dreck nicht stincket vor Gott. Summa summarum, An den eingebornen Sohn nicht glauben / das ist allein die Sünde in der Welt / darumb die Welt gerichtet wirdt.

Reddamus Latinè, & obstupescite, quotquot stupor non prorsus stupidos, sensusque expertes effecit, simulque ignoscite, quod turpissima Caci huius verba exscribo. *Perinde est, ac si dicat: Nullum est amplius peccatum, nisi non credere. Alia peccata in mundo, sunt Domini Simonis peccata: sicut quando meus Ioannellus, & Magdalenula cacant in angulum, omnes rident, quasi bene factum sit. Sic & fides facit, vt* A *stercus nostrum non fœteat coram Deo. Summa summarum, non credere in filium vnigenitum; id vnicum, & solum est peccatum in mundo, propter quod mundus iudicetur.*

Omitto plurima alia; quæ Lutherus nouo Saxonici Euangelij musto ebrius, contra bonorum operum necessitatem & exercitationem, magno suorum applausu eructauit; (quæ etiam legi poterunt apud Bellarminum libro quarto de Iustificatione capite primo) etsi postea, vt erat inconstans ac variabilis; cum videret suos effrænatè in omnium scelerum genera ruere; stylum nonnihil temperauit; & bonis operibus, si non corde; ore sanè nonnihil tribuit, vt & hodie Prædicantes faciunt, qui tamen quid de bonis operibus in pectore sentiant, satis promũt, cum aliâs tum quando istas propositiones: etiam à propriis ipsorum quibusdam symmistis & ministris, vt à Georgio Maiore, defensas, damnant vt impias, & nullo pacto tolerandas. *I. Bona opera sunt necessaria ad salutem. II. Neminem* (adultum scilicet) *absque bonis operibus saluatum esse. III. Impossibile esse vllum hominem absque bonis operibus saluari.* Has propositiones vocat Lutheranus Superintendẽs Schlüsselburgius impias & blasphemas libro de *Maioristis* fol. 30.

Ex his & infinitis aliis liquidò claret, Bellarminum Lutheranis nullam iniuriam facere, cum ait, istos esse filios veterum hæreticorum, qui soli C fidei, seclusis operibus, omnia tribuebant, contra quos epistola ista scripta fuit. Quam venerari & amare non poterãt propter odium bonorum operum; Ex quo vnico fonte natus est etiam in animo Lutheri & Lutheranorum odium aduersus S. Iacobi epistolam.

Accusat Prædicans Bellarminum; quòd non omnia sancti Augustini verba exscripserit. At nil opus erat. Plura exscripsit, quàm tibi audire libuerit. Ait Prædicans: *Quid senserint illi veteres hæretici, quos perstringit D. Augustinus, indicat ipsemet iis verbis, quæ noster Elymas improbè detruncauit. Sic enim sonat dictum Augustini completum: Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam subobscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc eum quidam* ARBITRATI SVNT *dicere:* FACIAMVS MALA, VT EVENIANT BONA: *quia dixerat Lex subintrauit, vt abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia.*

Et quid tibi tuisq; gregalibus hæc verba subsidij attulissent, licet ea Bellarminus recitasset? Sentiebant veteres illi Nouatores, facienda esse mala, vt eueniant bona; idq; ipsum Paulum docere mentiebantur, Roman. 3. Sed simul sibi persuadebant, *ad salutem obtinendam sufficere solam fidem;* An non in hoc capite vos fidos adstipulatores habent? Nam si ad salutem obtinẽdam etiam bona opera requiritis; cur Lutherus immania Paradoxa superius recensita ad sempiternam se-

Digitized by Google

ctæ vestræ ignominiam chartis mandauit, nullâ posteritatis reuerentiâ absterritus? Cur propositionem illam: *Bona opera sunt ad salutem necessaria*; vt impiam & blasphemam repudiatis, prout paulò ante ex Lutherano Superintendente monstratum est? Cur alia millena dicitis & facitis; quæ testatum faciunt, vos, more veterum illorum, *bene viuere & bonis operibus viam Dei tenere* in postremis ducere? Scilicet valdè excitatur studium bonorũ operũ in Lutheranis auditoribus; quando in Luthero legunt, *nullum esse peccatum; nisi infidelitatem. Nullum malum opus damnationem adferre, nisi infidelitatem. Nullum bonum opus saluare, nisi fidem. Satis esse si credant in Christum; etiamsi quotidie millies millies fornicentur aut homicidia committãt.* Vehementissimis scilicet flammis ad bona opera incenduntur, cum audiunt; *Impium & blasphemum esse, bona opera ad salutem necessaria esse.* Si non sunt ad salutem necessaria, dicet Lutheranus; abstinebo igitur: neque enim vllum dispendium salutis idcirco patiar; nam si paterer; iam bona opera ad salutem necessaria essent; quod Prædicantes, vt impium & blasphemum abominantur.

Tetigit nimirum Bellarminus Hæreticis ictu lethali cor ipsum, & primam originem odij in epistolam S. Iacobi patefecit. Hinc furit Hunnius, vt impos mentis; & postquam omnia vociferando compleuit, nil nisi conuiciator fuit; qui, vt verbis ipsius vtar, *mirabili textura* lectoris oculis glaucoma offundere conatur, ne videat expressimam illam similitudinem priscorum Hæreticorum; contra quos epistola S. Iacobi scripta est; & Lutheri Lutheranorumque; qui sentientes contra se iam olim editam, immenso eam persequuntur odio. Satis de his.

Ad argumentum quartum respondet Bellarminus cum S. Augustino præfat. in Psal. 31. Apostolos non pugnare inter se; Nam S. Paulum loqui de prima iustificatione: S. Iacobum de secũda. *Quod Augustinus vtatur hac distinctione*, clamat Hunnius, *dicimus esse purum putum figmentum*. Audacissime Prædicans; Num putas omnes mortales amisisse oculos, vel peritiam legendi; ne in posterum præfationem illam S. Augustini legere, & de tuo ore statuere queant? Tota enim præfatione vix quidquam aliud facit, quàm quod geminam iustificationem tradit; & gemina opera; alia, iustificationem antegressa: alia iustificationem subsecuta. Vbi autem gemina est iustificatio, an non ibi prima & secunda; quãdoquidem non sunt simul; sed se mutuò subsequuntur? Alteram, nempe primam, absq; operibus quæ sint meritum iustificationis: alteram, nempe secundam, non sine operibus peragi docet; idque vt sanctum Iacobum cum sancto Paulo conciliet; imò vt ipsum Paulum secum. Quam iustificationis, & operum iustificationem vel antecedentium vel subsequentium distinctionem, tradit & fusè explicat idem sanctus Augustinus libro 83. quæst. quæst. 76. Etsi autem materia hæc huc

A propriè non pertinet, sed ad librum quartum Bellarmini de Iustificatione; quia tamen pertinet aliquo modo ad defensionem epistolæ S. Iacobi, ideo breuiter & dilucidè per capita exponere visum est; quid in hac re satis ardua sentire oporteat. Sit ergo I. Assertio. *S. Paulus ad Rom. 3. & 4. disputat de prima iustificatione, cum quis ex iniusto fit iustus: S. Iacobus cap. 2. agit de secunda iustificatione cum quis ex iusto fit iustior.* Ita Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 8. & 10. S. August. præfat. in Psal. 31. Item lib. de fide & operibus cap. 14. In quæst. ad Dulcitium quæst. 1. Et lib. 83. quæst. 76. Pererius disput. 1. in cap. 4. epist. ad Rom. Bellarm. lib. 4. de Iustif. c. 18. qui hoc copiosè probat; quem lector consulat.

B Assert. II. *Inepta est & Caluinistica conciliatio vtriusq; Apostoli; quam Hunnius ex Caluino sublectam hic adhibet, quòd S. Iacobus loquatur non de ipsa iustificatione, sed de ostensione & declaratione iustitiæ per bona opera: Paulus autem de iustificatione propriè coram Deo*; quã Prædicans, more suo, exponit hic ineptè & Lutheranè, hoc est, hæreticè. Hanc assertionem luculenter probat Bellarminus loco citato. Quo lectorem breuitatis caussa remitto. Quæ immota & integra perseuerant, & à Prædicantis mala manu illæsa. Debebat autẽ Hunnius hic extra ordinem his de rebus blaterare ingressus; sua dicta firmare, non tantum nudis asseuerationibus; sed & probationibus, & inprimis euersione eorum, quæ Bellarminus contra hoc Caluini commen-

C tum disputat: vt enim hoc obiter dicam; si iustificationis vocabulum apud S. Iacobum non sumitur propriè; sed impropriè pro iustificationis declaratione; quomodo igitur *fides consummatur ex operibus*? vt asserit S. Iacobus: nam consummare est aliquid perficere, seu perfectionem & extremam manum ei addere. Si ergo opera ex fide facta non perficiunt fidem, id est, primam salutem acquisitam, quomodo *consummãt fidem*? Nam *consummare* seu perficere non est declarare seu ostendere aliquid esse perfectum; sed est ei perfectionem ampliorem impertire. Et quam ineptus esset; si quis in hac loquendi formula: Architectus consummat seu perficit domum; diceret; consummare nihil aliud esse, quàm declarare seu o-

D stendere domum iam esse perfectam; tam est absonum affirmare, verbum consummandi apud S. Iacobum nihil aliud esse; quàm consummationem declarare. Plura Bellarminus.

III. Assert. *Prima iustificatio fit absq; vllis operibus, quæ sint meritoria iustificationis.* Quod fusè docet Bellarm. loco cit. Quia nec opera, quæ iustificationem antecedunt, qualiacunque illa sint, seu interna seu externa, merentur iustificationem: neque illa, quæ iustificationem, eodem instanti comitantur, vt sunt actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, &c. Quia iustificamur gratis; *ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, vt ait Apostolus Roman. 3.

cunt

Digitized by Google

IV. Assert. *Secunda iustificatio, hoc est, augmentum gratiæ, fit per opera, verè huius iustificationis meritoria*, vt docet S. Iacobus cap. 2. & fusè explicat Bellarm. lib. 4. de iustif. cap. 18. & 19. Idem dicunt, qui dicunt *opera iustificare*; opera nimitum ex fide & gratia facta.

V. Assert. Non fuit tunc primùm iustificatus Abraham quando ei facta est promisio de filio & hærede, Genes. 15. vbi de illo dicitur: *Credidit Abram, & reputatum est ei ad iustitiam*; Sed prius iustus fuit; vt aliquot argumentis demonstrat Bellarminus, & satis apparet ex antecedentibus Geneseos capitulis. Quapropter nihil caussæ erat, cur Prædicans hic solito clamore contra Bellarminum vociferaretur: *Abrahamum iam tum fuisse iustum*: non inficiatur hoc Bellarminus; sed apertè concedit.

VI. Assert. *Quamuis iam tum Abraham iustus fuerit; sanctusque Paulus disserat de prima iustificatione; at sanctus Iacobus de secunda; nihilominus vterque Apostolus idem Abrahæ exemplum rectè adducit*: De sancto Iacobo patet; quia ipse agebat de secunda iustificatione; rectè igitur attulit exemplũ hominis iam iusti; iustioris per opera ex fide & gratia effecti. Nec obstat; quod sanctus Iacobus agat de illo Abrahæ actu, quando Genes. 22. immolare voluit filium suum Isaac; dicatque: *Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: cum tamen scriptura hoc non pronunciarit de Abrahamo filium immolante, sed de Abrahamo firmiter credente quãdo ei Deus promisit filium: non obstat, inquam, hoc; nam vt rectè docet Bellarminus; non vult Iacobus dicere, tunc primum eam scripturam impletam fuisse. Non enim ignorare poterat, verba illa multò antea fuisse dicta de fide Abrahæ, quando videlicet credidit Deo, promittenti sibi filium ex Sara, quod scriptũ est in Genesi cap. 15. sed dicere voluit, tũc etiam fuisse scripturam illam impletam, quando ex fide obtulit eundem illum filium super altare. Possunt enim illa verba applicari ad omnes insignes actus fidei eiusdem Patriarchæ. Quemadmodum si quis narraret aliquod factũ Nathanaëlis, in quo eius integritas, & simplicitas appareret, posset verè dicere, nunc impletum est, quod dominus ait: Ecce verum Israëlitam, in quo dolus non est.

Quod autem ipse etiam S. Paulus exemplo Abrahę iam iusti rectè vtatur; licet agat de prima iustificatione, inde liquet: quia ostendere volebat, opera facta absque fide & gratia non iustificare: & ad hoc probandum assumit exemplum Abrahæ, & argumentatur à *maiore ad minus*: si Abraham, qui erat iustus, non est magis iustificatus ex operibus sine fide; multo minus impius iustificabitur ex operibus sine fide. De quo plura Bellarminus & Pererius locis citatis.

Vtitur S. Iacobus, præter exemplum Abrahæ, exemplo Rahab meretricis. *Similiter autem & Rahab meretrix nonne ex operibus iustificata est, suscipiens*
A *nuntios, & alia via eiiciens?* Etsi autem Bellarminus arbitratur, S. Iacobum, vti voluisse exemplo primæ iustificationis, vt probaret à maiore, iustum fieri iustiorem ex operibus, & non ex fide tantum, si Raab ex meretrice facta est iusta ex operibus, & non ex fide tantum; probabile tamen est verè esse exemplum secũdæ iustificationis. Nam Raab priusquam exploratores hospitio susciperet; iusta fuisse videtur & conuersa ad fidem, auditis admirandis Dei operibus, factis in AEgypto & mari rubro; vt sentit noster Salmeron in cap. 2. S. Iacobi. Ex qua sententia sequitur, S. Iacobum vtrobique exemplum secundæ iustificationis vsurpasse.

Ex quibus omnibus disparent nebulæ Hun-
B nianæ hic de iustificatione sparsæ: quia nil penitus Prædicans adfert præter grandiloquæ & tumidissimæ linguæ ventosa asserta, vt, *quod Bellarminus de iustificatione prima & secunda docet, totum est nugatorium. II. Historia præcedentium capitum Geneseos, Bellarmini sententiam sole clarius refellit. III. ἀποδεικτικῶς concludimus, Abrahamum fuisse iustificatum, quando vocatus est ex domo Patris sui in terram peregrinam Genes. 11.* Vbi verò hæc apodixis? In ostentatione & lingua Hunnij, opinor; Nec Bellarminus negat Abrahamum fuisse iustificatũ priusquam promissionem diuinam de hærede acciperet: imò expressè & fusè hoc docet lib. 4. de Iustific. vt supra dictum. Nec tamen Prędicans vllo argumento euincet Abrahamum tum demum esse iustifi-
C catum, cum à Patre suo Thare de Vr Chaldæorum in Haran translatus est: Genes. 11. aut tum demum cum Dei vocatu & iussu in terram Chanaan discessit. Genes. 12. quia fieri potest, vt iustus fuerit cum de Vr Chaldæorum exiret. Et tamen Prædicans iactat *apodixes* & *thrasonismos*; ex quorũ numero quartus iste cũ summa imperitia coniunctus. *Genes. 15. non est iustificatus Abraham; sed pronunciatus duntaxat & declaratus esse iustus: sola fide, sine operibus: quæ ex fide fecerat: interprete, teste ac iudice* (nota facundiam Hunnianam) *Apostolo Paulo, quod in vltimam vsque æternitatẽ Iesuita non euertet*. Quid vultis amplius? Longũ spatium: *in vltimã vsque æternitatem*. Hinc tamẽ sequi video quiddam, quod nescio num Prædicantis palato arrisurum sit; hoc videlicet;
D S. Paulum c. 4. ad Rom. non agere de iustificatione, sed tantum de iustificationis iam factæ declaratione & ostensione: citat enim dictum illud ex cap. 15. Geneseos: *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. Sed hoc dictum, secũdum Prædicantem nõ pertinet ad iustificationem Abrahami; sed tantum ad declarationem iam iustificati; quia, vt ait, Genes. 15. quando Deo hæredem promittenti fidem habuit, non est vllo modo iustificatus; sed tantummodo iustus pronunciatus; ergo Apostolus citans hoc dictum, nihil aliud voluit; quàm Genes. 15. Abrahami iustitiam declaratam & ostensam esse. At hoc falsum est, etiam ex Prædicantis doctrina hoc loco: Ait enim, *sanctum Paulum ad Roman. 4. agere de*

vera

vera iustificatione coram Deo. Si de vera iustificatione coram Deo agit;ergo verba ista:*Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*; ad veram iustitiam retulit; non tantum ad iustitiæ iam antea adeptæ declarationem: quia sententiam Geneseos ad argumẽtum & institutum suum accommodauit: institutum autem eius erat agere de vera iustificatione: non de iustificationis declaratione.

Et vt dilucidius appareat, quàm Prædicans sit ineptus: addamus S. Pauli verbis commentarium;sed ex Hunnij assertionibus concinnatum. Ait sanctus Paulus: *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est*; hoc est, interprete Prædicante;*si Abraham ex operibus iustus declaratus est ac ostensus; habet gloriam;sed non apud Deum:* Et tamen Prædicans dicit:Abrahamum esse declaratum iustum ex operibus,idque S.Iacobum docere; non habebit ergo gloriam apud Deum; sed tantum apud homines; *Quid enim dicit Scriptura: credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam:* id est, *iustus declaratus est:* quia Genes.15. non est vllo modo iustificatus;sed tantum iustus ostensus. At certum est, sententiam illam:*Credidit Abram Deo,&c.* Primò & per se pertinere ad illam fidem, qua Abrahamus Deo filium promittenti firmiter credidit.

Si igitur tunc non est vllo modo iustificatus; sed tantum iustus declaratus; sequitur, vt antea dicebam,S.Paulum tantummodo de iustitiæ declaratione agere; non autem de ipsa iustificatione. Quod tamen Prædicans negat:& hoc ipsum iterum affirmat. Quæ hæc in dicendo constantia?vt & illa; dicere, *ostensionem iustificationis fieri per opera;non per fidem (fidem enim quis videt?*inquit Caluinianus Iunius.) Et rursus, *ostensionem & declarationem iustificationis fieri per fidem*: nam quod Hunnius hoc asserat, inde perspicuum fit; quia ait, Genes.15. Abrahamum tantummodo fuisse iustum declaratũ; at si quæ hic iustificationis iam antea comparatæ declaratio fuit;ea alia non fuit, quàm per fidem; quãdoquidem Genesis cap.15. nullum aliud opus externum commemoratur ante illa verba:*Credidit Abram Deo,&c.*de Abrahamo, nisi quod Deo hæredem & filium pollicenti firmissimè credidit:ergo etiam fides est declaratio iustificationis acceptæ, ex doctrina huius Prædicantis. Et rursus fides non est iustificationis acceptæ declaratio, sed opera per fidem edita; vt idem Prædicans asseuerat: Nec nisi ineptissimè,totoq; scripturæ textu Genes.15. reclamante, potest Prædicans verba hæc: *Credidit Abram Deo,&c.* referre aliò,ad primam scilicet Abrahami iustificationem;quandocunque illa contigerit; quia vel cœco, qui tamen non sit Prædicans, manifestum est; verba illa tantum pertinere ad id, quod illo capite continetur, nempe ad promissionem hæredis, & multiplicationem ac benedictionem posteritatis Abrahæ: Nec alium huius rei testem aut iudicem desidero, quàm contextus ipsius qualem qualem inspectionem.

Argumentum quintum contra epistolam D.Iacobi. *Hæc epistola muta est de opere Christi, & doctrina fidei, & solùm de operibus concionatur: solent verò Apostoli semper aliquid interserere de fidei doctrina: non igitur Apostolica hæc Epistola est.*

Ita Magdeburgenses delirant edocti à suo Luthero; qui primus huic epistolæ hanc inussit notam. Quid ad hoc deliramentum Caluinianus Iunius? *Epistolam hanc mutam esse de opere Christi & doctrina fidei,falsum:prout ex 1.& 5.cap.cuiuis constare potest, qui attentè legerit.* Non malè soluit Iunius Lutheranorum delirium. Quid enim illa cap.5. sibi volunt:*Adduxistis & occidistis iustum,& non restitit vobis. Patientes igitur estote fratres vsq; ad aduentum Domini,&c. Patientes estote & vos,&c. Quoniam aduentus Domini appropinquauit, &c. Ecce iudex ante ianuam adsistit.* Quis iudex, nisi ille qui iudicaturus est viuos & mortuos? Quis autem ille,nisi Christus,cui Pater omne iudicium tribuit?

Iam vero illa planè sunt ex doctrina Euangelica. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ,&c. Vngentes eum oleo in nomine Domini,&c.* Illa itidem ex cap.1. *In mansuetudine suscipite insitum verbum: quod potest saluare animas vestras*; manifestè loquuntur de Euangelio;vt & hæc: *Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis, & permanserit in ea, &c.* Hæc responsio totum argumentum elidit, vnà cum omnibus illis;quę contra Bellarminum hic garrit Hunnius.

Ait Bellarminus, S. Iacobum totum fuisse in operibus commendãdis propter hæreticos; qui solam fidem sibi sufficere rati opera negligebãt; & quia ab aliis Apostolis fidei doctrina satis fuerat explicata.Hunnius iterum materiam declamandi adeptus, vociferatur: Edisserat *nobis Iesuita,num existimet Apostolos sic inter se partitos Christianæ doctrinæ capita, vt quidam de fide in Christum, quidam verò de operibus tantum docerent, sine mentione doctrinæ de Christo?*

Bellarminus nunquam dixit, S.Iacobum nullam doctrinæ Christi fecisse mentionem: sed ait; hanc epistolam totam ferè consumi in bonorũ operum commendatione, ob caussam antea expositam. Nota particulam illam FERE. Deinde dico,Apostolos ita inter se conuenisse, vt quiuis ea scriberet,quib⁹ fideles maximè indigere arbitraretur. quia verò orta exitiali illa de solius fidei sufficientia, seclusis bonis operibus, persuasione, visum est maximum operæpretium fore, si quis hanc noxiam opinionem ex cordibus hominum radicitus exstirparet;ideò S. Iacobus potissimum in commendationem bonorum operum incumbere voluit.

Ait Prædicans: *An non hoc pacto Paulus ipse in posterioribus suis Epistolis potuisset prætermittere doctrinam de Christo,& occupatus esse in sola commẽdatione operum sub hoc prætextu, quia fidei doctrinam in prioribus suis Epistolis iam antè exposuisset?* Minimè verò;quia necessitas eorum,ad quos scribebat,minimè efflagitabat, vt omissa doctrina de fide Christi, to-

tum

tum sese prædicandis & inculcandis operibus bonis traderet; quia hæc persuasio forsan necdum ita inualuerat, vt publico, & Apostolico, & proprio scripto coërcenda videretur.

Num apud eos, inquit Hunnius, *ad quos scribit Iacobus, semper vel in conspectu esse, vel in memoria hærere poterat, quid Euangelistæ scripserint, quid Paulus?* Poterant hærere; sicut iam quoque hærere debent fidelibus in animo, quæ Euangelia & Apostoli de fide & doctrina Christi tradunt; saltem illa, quæ ad cuiusque statum pertinent; & ita saltem, ne quid contrà sentiant, & mente perperam imbibant. *Si*, inquit Præco, *non ex professo tractaturus erat autor huius epistolæ de Christo, de remissione peccatorum per ipsius sanguinem, atque mortem: saltem breuibus hanc necessariam doctrinā attigisset; ne videretur innuere, plus momenti positum in doctrina operum, quam fidei, adeoq; ipsius Christi.*

Attigit, quantum satis erat, & institutum exigebat. An non capite quinto de remissione peccatorum in Christi nomine impetrāda agit, cum iubet, vt infirmus in nomine Domini oleo vngatur à Presbytero, additque: *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quis dubitet per os & calamum S. Iacobi illud etiam impletum esse: Ioan. 16. *Spiritus sanctus glorificabit me.* Vel maximè Christum Spiritus sanctus glorificauit, quando per S. Iacobi operam, perniciosum illum errorem, qui in multorum animos sese insinuarat; iugulauit ac penitus confodit; tamque perspicuè nos edocuit, nec fidem sine operibus, nec opera sine fide ad salutem consequendam satis esse; sed vtraque copulari & insolubili quasi iugo simul deuinciri debere.

Ait Bellarminus. Si epistola D. Iacobi ideo adulterina censetur, *quia tota ferè consumitur in operibus bonis commendandis; Prouerbia quoque, & Ecclesiasten Salomonis adulterinos libros existimari debere, cùm nihil in iis præter conciones de moribus legatur: Vel, si Prouerbia, & Ecclesiastes inter sacros libros habendi sunt; aduersariis etiam consentientibus; nulla certè causa est, cur Iacobi Epistolam libris illis persimilem reiiciamus.*

Occlamat Prædicans: *Salomonem non fuisse Apostolum; sed Regem: Apostoli munus esse de Christo, eiusque doctrina & fide in Christum scribere.* Quasi verò, quæ de moribus & operibus S. Iacobus disputat, non sint doctrina Christi. Quasi fides, quam perpetuò vrget, iuncta operibus, non sit fides in Christum. Quasi verò non sit fidei Christianæ pars credere, non solam fidem ad salutem sufficere; sed præterea requiri opera. Initio epistolæ statim appellat *se seruum Dei & Domini nostri Iesu Christi.* Et quisquam adeo hebes erit, qui *à seruo Iesu Christi*, aliud exspectet, quàm quod ad fidem Iesu Christi pertinet? Nec de alia fide S. Iacobus disputat, quàm de Christiana.

A Mentitur Prædicans cum ait; Auctorem huius epistolæ *esse tantum concionatorem legalem: & doctrinam Euangelij propriè sic dicti prætermittere:* nam concionator Euangelicus est; & doctrinam Euāgelij propriè sic dicti acriter propugnat; nimirum, opera cum fide iungi debere; nec sola fide nitendum. Hæc Euangelij propriè sic dicti doctrina est; quicquid isti contra insaniant. Propria item Euangelij doctrina est commendare studium bonorum operum: quandoquidem Euangelium propriè sic dictum docet; vnicuique secundum opera sua in nouissimo illo die redditum iri. Sed isti vix æquis oculis commendationes morum & operum intueri queunt; hæret enim in eorum medullis error veterum, contra quos hæc epistola primitus scripta fuit.

B Quidquid ore præ se ferant; notum est; quis Lutheri in exordio huius tragœdiæ sensus fuerit; & quàm hodierni etiam Prædicantes iniquis auribus encomia operum accipiant, non ignorant, qui Prædicantium scripta terunt: qui si Epistolam hanc repudiant, quia de moribus & operibus disserit; etiam Salomonis Prouerbia & Ecclesiasten reiicere debebunt; vt rectè dixit Bellarminus: nam quòd *Prædicans noua munia Apostolis assignat; quasi ipsi de moribus & operibus ex instituto disserere vel scribere non debeant*; id Prædicantiū fraus est ac astus; qui fidem in Christum, & remissionem peccatorum perpetim in ore; nunquam in corde habent. Dixit Christus: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*

C An hoc non præstitit S. Iacobus in sua Epistola? An non Euangelium prædicauit & litteris mādauit aduersus nugacissimos blaterones, qui Euangelium in sola & operibus destituta fide positum arbitrabantur; & etiamnum arbitrantur?

Sextum argumentum contra epist. S. Iacobi, quod Centuriatores ex vecordi Prologo Lutheri desumpserunt. *Auctor iste vocat legem, legem libertatis, cum sit lex seruitutis, iræ, mortis.* Respondet Bellarminus, Iacobum non loqui de lege veteri, sed de noua. Quid Hunnius? *Argumentum hoc Magdeburgensium, non vrgeo.* Bene facis, quia ne cassa quidem nuce dignum est. Quæ Hunnius verbosè hic nugatur de distinctione legis & Euangelij;

D item de manca & imperfecta, vel potius nulla apud Lutheranos legis obseruatione; ea aliò pertinent. Illud ima mente condendum, quod ait; *Decalogum non pertinere ad Euangelium*; Lutheranū, opinor; ex quo sequitur, Lutheranum Euangelium non præcipere, *vt Deus diligatur; vt per nomen Domini vanè ac temerè non iuretur: vt parentes honorentur; vt homicidia, adulteria, furta non perpetrentur; vtque falsa testimonia non perhibeantur.* Quale Euangelium, quod ista, quæ præcipienda sunt, non præcipit; & quæ prohibenda, non prohibet.

Septimum argumentum, inquit Hunnius, *non moramur.* Si hoc argumentum non moraris, tunc neque parentem tuum Lutherum moraris: eius enim est hoc argumentum in Prologo iam

sæpius

Digitized by Google

sæpius nominato. Nec leue illud ducit redactum in hanc formam. *In epistola Iacobo adscripta citantur epistola Petri & Pauli; ergo epistola hæc non potest esse Apostoli Iacobi.* Respondet Bellarminus: nullam esse citationem, prout fingit Lutherus. Vide Bellarminum. Hactenus de epistola D. Iacobi.

Sequitur epistola Iudæ: contra quam proferunt Centuriatores quatuor argumenta: quæ soluit hic Bellarminus. Ad cuius solutiones obmutuit loquax cæteroqui Hunnius. Ait, *olim dubitatum de auctore & canonica auctoritate huius Epistolæ: hinc videri posse suppositiam.* At de Apocalypseos quoque auctore & canonica auctoritate quondam dubitatum fuit, & tamen Hunnius capite sequenti intrepidè eam D. Ioanni Euangelistæ, tanquam auctori adscribit; & de Canonica eius auctoritate nullam vult penitus quæstionem moueri.

B Adiungit Prædicans. *Iudam non citare librum aliquem Enoch; sed concionem diuinitus veteri illi Enoch inspiratam, ac proinde Canonicam.* Alij aliter sentiũt, vt videre licet apud Bellarminum. Quocirca necesse non est, vt Prædicanti fidem habeamus, donec sibi fidem perspicuis aliquibus argumentis conciliauerit. Nec vult Bellarminus, vt mentitur Prædicans; *citasse Iudam Enochi Prophetiam, vt profanum aliquem sermonem, licet ex apocrypho quopiam libro citasset;* quia non est necesse, vt omnia, quæ in apocrypho libro exstant, profana censeantur. Quid, si in librum Apocryphum transferretur, & inde à quopiam citaretur, principium Euangelij sancti Ioannis? Num propterea profanum, & minimè Canonicum esset? Vide autem Prædicantis ineptiam. *Si certo, inquit, constaret, ex eo libro, in quo Iesuita scribit fabulosa contineri, sententiam illam esse citatam: tum, quia non citatur eo modo, quo Arati, aut Menandri, aut Epimenidis versus à Paulo citantur, sed tanquam concio diuina, & prophetica: non dubitarem asserere, hac ipsa de causa in suspicionem venire ipsam quoq; epistolam.*

C Cur verò ea de caussa in dubium vocaretur Iudæ epistola? An in libro apocrypho nulla comprehendi potest sententia diuina & canonica? Atqui hoc adeo ab omni veritate remotum est, vt quotidie oculis nostris videamus, in libris perditissimorum sectariorum diuinas & canonicas sententias, easque non modicas, reperiri. An ideo non erunt Canonicæ; quia in libro Hæretico insunt? aut si inde citentur, Canonicæ esse desinent, quia ex libro Hæretico allegantur? Audi Præco. Aurum vbique est aurum, etiam in luto.

D Quod Prædicans secundam Petri non omnino abiicit, id facit tribus grauissimis argumentis inductus. Primum est: *quia capite secundo continetur vaticinium de pseudoprophetis in fine mundi regnaturis:* Quis ergo amplius dubitet, quin ista secunda epistola sit D. Petri, *& fermè Canonica:* non omnino; ast *fermè:* præsertim cum Prophetiam hanc de *pseudoprophetis* per Lutheranos & Caluinianos strenuè adimpleri in dies singulos intueamur.

Secundum: *quia continet vaticinium de Epicurismo ante mundi finem inualituro cap. 3.* Quod per Lutheranos & Caluinianos *impleri ocularitèr nemo pius negauerit.*

Tertium: *Capite primo dicit auctor, se esse ipsissimum Petrum, ergo euidens est auctorem huius epistolæ esse sanctum Petrum:* nam nullus vnquam impostor exstitit; qui sub alieno, & quidem grauissimo, nomine commentum aliquod in lucem spargeret. Ecce, mi Lector, quàm futilia & inania argumenta isti corradant, postquam Ecclesiasticam traditionem valere iusserunt.

Par vanitas Prædicantis elucet in his eius verbis: *Ioannis epistolæ duæ posteriores planè videntur Euangelistæ Ioãnis exaratæ stylo: & de secunda quidem res tam clara est; vt meo iudicio negari non possit: siquidem penè singula, quæ in ea occurrunt, totidem fermè verbis in prima Canonica monstrari queant.*

Inuictissimum profectò, & ineluctabile argumentum. Quasi verò in promptu non sit dicere; Ecclesiasticæ traditionis cõtemptori; alium quempiam sententias istas ex S. Ioannis priore epistola collegisse; & in epistolarem formam redegisse; spiritu non diuino; sed humano. Quo, precor, argumẽto huic occurret Hunnius, postquam Ecclesiæ testificationem & traditionem in postremis habere cœpit? Nam supposita Ecclesiæ traditione & auctoritate aliquid roboris habent hæc & similia argumenta; contempta illa, nihil aut parum. Hucusque de Hunnio.

Refutatio Iunij, & Danæi.

Vix quidquam adfert Iunius, quod peculiari refutatione eget. Epistolas, de quibus disceptamus, concedit esse *verè proprieq; diuinas & canonicas.* S. Iacobum conciliat cum S. Paulo Caluinisticè, eo scilicet modo, quo Lutheranus Hunnius. Argumentum quorundam aduersus secundam Petri epistolam à dissimilitudine styli, refellit his verbis: *Qui mirum at ate ingrauescente & dissimili argumento, esse styli dissimilitudinem?* Non placet Iunio, quod S. Hieronymus ad Hedibiam styli diuersitatem refert ad diuersitatem Interpretum, *cum Petrus interpretis nihil eguerit, sed aquè linguarum donũ acceperit atq; alij Apostoli, Actor. 2. acceptumq; studiosè coluerit.* Marcum fuisse interpretem D. Petri concors est veterum sententia, firmioribus nixa radicibus, quàm vt vno vel altero Iunij verbulo labefactari queat. Etsi autem variè disputant & sentiunt de hoc Interpretis officio, vt videre licet apud Baronium Tomo primo Anno Christi 41. mihi tamen præ cæteris probantur, qui Interpretes Apostolorum nil aliud fuisse tradunt, quàm notarios & amanuenses, quibus in litteris scribendis vtebantur. Isti enim cognitioni linguarum, qua

Apo-

Digitized by Google

A Apostoli diuinitus instructi erant; nihil penitus adimunt, sed tãtum priuilegium sartum tectumque custodiunt: nam & is, qui linguas has vel illas nouit; in iisdem linguis opus habere potest Interprete, hoc est, amanuensi seu Notario; & vt fortè quis non absonè nominauerit, *Responsali* seu *Apocrisiario*.

Ait Bellarminus contra secundam & tertiam Ioannis epistolam, obiici auctoritatem Papiæ apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 39. & Hieronymum de viris illustribus in Ioanne. Docuit enim Papias duos fuisse Ioannes, vnum Apostolum; & alterum, qui *Senior* dicebatur: & hunc harum epistolarum esse Auctorem, non illum, qui fuit Apostolus. *Hæc omnia*, inquit Iunius, *dicuntur ex falsa* B *verborum Papiæ interpretatione: quæ verba melius Irenæus intellexit, quàm Eusebius, & Hieronymus sit interpretatus, quum ait (vt ibidem refert Euseb.)* τοῦτο δὲ καὶ Παπίας Ἰωάννου μὲν ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονὼς, ἀρχαῖος ἀνήρ, &c. *Sic enim post illic ad verbum Papias:* Quod si quando aliquis adueniret sectatus seniores (id est Apostolos κατ᾽ ἐξοχήν, vt 1. Pet. 5. & 2. & 3. Ioannis) perquirebam seniorum ipsorum sermones, quid Andreas, aut quid Petrus dixisset, aut quid Philippus, aut quid Thomas, aut Iacobus, aut quid Ioannes aut Matthæus, aut alius quispiam discipulorum Domini dicunt. *Hæc verba Irenæus optimè de vno, & eodem Ioanne exposuit. Nam priore loco Papias Ioannem nominabat, ne cui de Apostolorum numero exclusisse eum videretur: posteriore verò,* C *iterum eundem nominat, quia tum adhuc tempore Papiæ idem Ioannes vixit, atq; loquutus est: cuius sermones cùm præteritos, vt aliorum Apostolorum, qui defuncti erant, tum præsentes superstitis Papias religiosè excepit ex ipsius, aliorumq; sermone. Quamobrem inscitè Eusebius conatur Irenæi interpretationem eôdem in loco postea subuertere; & malè Hieronymus Eusebium malè præeuntem sequutus est.*

Hæc Iunius procaciter quidem in Eusebium & S. Hieronymum; disciplinæ suæ, hoc est, Caluinisticæ, conuenienter. Nam vtrũ *Ioannes Apostolus, & Ioannes senior*, quos Papias enumerat, sint duo; an vnus & idem; hoc Irenæus nusquam explicatum dedit; Tantummodo Papiam Ioannis auditorem & Polycarpi sodalem nominat. quod ve- D rum esse potuit, licet Ioannes Apostolus, & Ioannes senior non vnus, sed duo apud Papiam essent, vt censuit Eusebius: qui non malè etiam ex ipsis Papiæ verbis colligit Ioannem illum seniorem diuersum fuisse à Ioanne Apostolo. Quid namque opus erat Ioannem seniorem seu Presbyterum distinguere, & extra Catalogum Apostolorum collocare; si idem cum Ioanne Apostolo erat? Licet enim, vt Iunius arbitratur, tempore Papiæ Ioannes Apostolus adhuc superstes fuisset; tamen non propterea eundem bis nominasset; quia etiam tunc vtique Apostolus fuisset; in Apostolorum collocandus Catalogo, non extra; & minimè omnium postponẽdus Aristioni cuidam quem natum nesciuissemus, nisi paucorum veterum diligentia memoriam eius nobis conseruasset. Nec dicit Papias, se ipsum aut cum Apostolis aut cum Aristione & Ioanne seniore versatum; sed se ex illis, qui cum ipsis familiariter vixerant, sciscitari consueuisse; quid singuli senserint, dixerint, tradiderint; & in his quoque Aristion & Ioannes Presbyter, seu senior, quem non improbabili coniectura coniectat Illustrissimus Cardinalis Baronius alium nõ esse, quàm Ioannem illum in Actis Apostolorum cap. 12. & 13. cognomento Marcum.

Danæus vitio vertit Bellarmino, quod tam copiosè de epistolis Canoincis olim dubiis disserat. *Qui enim de iis epistolis hodie contentiosè agit, præter hunc?* Adeone peregrinus & hospes est Danęus in Lutheranismo, vt nesciat, omnes istas epistolas, de quibus Bellarminus disputat, à Lutheranis ex Canone expungi? Reliqua sunt mendacia; vt quod Bellarminus *locum Iacobi ex cap. 2. de iustificatione ex operibus non intelligat*: quia scilicet non interpretatur locum illum conuenienter ad gustũ Caluinicum; *quod contra suam disciplinam meritum de congruo tollat: quod opera præparatoria*; hoc est, *dispositiones ad iustificationem neget. Quod Caietanum miserè ac duriter flagellet.* Et id genus alia cuiuis docto & bono viro indecora; at Caluinianis rabulis admodum decora.

Verùm vltimæ calumniæ subiicere libet verba Bellarmini, vt videas, quam vera sit illa criminatio: *Caietanus*, inquit, *de auctoribus Epistolæ Iacobi, Iudæ, secundæ, ac tertiæ Ioannis, dubitat. & propterea etiam eas minoris autoritatis vult esse, quàm ceteras. Porrò Caluinus omnes recipit; & Caluinistæ in illa confessione Possiacensi art 3. Nobis iam non licet aliud sentire, quàm esse has Epistolas Apostolicas, & diuinas. Vbi hic illa flagella;* quærit Andreas Cydonius noster lib. 1. castigat. in Danæum cap. 7. *quibus tam miserè proscinditur Caietanus? Vbi illa Caluini, & Caluinistarum laus? Quibus verbis Caluinus Caietano, tam luculenter præfertur? Consensit aliquando, nescio quo casu, Ecclesia Catholicæ Caluinus; neq; enim omnibus horis, atq; omnibus in rebus, aut amentes insaniunt, aut Hæretici à veritate discedunt; nescio quo errore animi, atq; imprudentia hallucinatus est Caietanus; ita tamen, vt paratus esset, suum Ecclesiæ iudicio submittere. Veritatem etsi non ideo recipimus, quia Caluinus dixit: non ideo tamen reiicimus, quia imprudens in eam incidit. Neq; enim cum homine, sed cum erroribus eius bellum gerimus. quem ideo auersamur, quia homo superbus, & arrogans, errores suos tueri pertinaciter, quàm Ecclesiæ vniuersæ, hoc est, Dei, per eam loquentis iudicium sequi maluit. Qui ne tum quidem orthodoxus fuit, cùm verum dixit. quia bonum non benè docuit: suis potius nescio quibus argumentationibus nixus, quàm reuelatione Spiritus sancti, quæ nobis per Ecclesiam innotescit.*

Digitized by Google

CAPVT XIX.

De Apocalypsi.

ACCVSAT Bellarminus Lutherum; quod scripserit; *se in Apocalypsi aliquid desiderare, cùm Apocalypsis asserat, fore beatos, qui seruant ea, quæ in ipsa scripta sunt, cùm tamen nemo intelligat, quæ illa sint. In præfatione verò antiquiore Testamenti noui ait; se Apocalypsin neque pro prophetico, neque pro Apostolico libro recipere, sed similem iudicare lib. 4. Esdræ.*

Respondet Iunius, fuisse *errorem personalem; postea à Luthero correctum.* Idem ferè responsum dat Hunnius. At quis in posterum fide dignum censeat Lutherum, quem in tam turpes & execrandos errores incurrisse videt tunc; quando maximè vociferabatur; *se certo certiorem esse suam doctrinā esse doctrinam Christi? se à vero non abire? verbum Dei à se stare?* Num verbum Dei à partibus Lutheri stetit; quando ipsum verbum Dei & diuinissimam Ioannis Apocalypsin tam contumeliosè explosit?

Hunnius callidè, ne dicam, nequiter ait, *se in Luthero nihil eius, quod Bellarminus obiicit, reperire potuisse.* Sed vel perfricto vultu mentitur, vel caussa in promptu est, cur nihil inuenerit; quia veteres editiones Bibliorum Lutheranorum non consuluit; ex quorum numero vna Norimbergensis apud Iodocum Gutknecht / anno 1527. præfat. in Apocalypsin hæc nobis probra in diuinū illum librum exhibet. Mir mangelt an disem Buch nicht einerley / daß ichs weder Apostolisch noch Prophetisch halte / ꝛc. Daß ichs fast gleich bey mir achte dem vierdten Buch Esdre / vnd aller ding nicht spüren kan / daß es von dem heiligen Geist gestellt sey / ꝛc. Endtlich / mein Geist kan sich in das Buch nicht schicken.

Multa in hoc libro desidero: vt neq; Apostolicum, neq; Propheticum iudicem, &c. Ferè similem existimo quarto libro Esdræ; neq; vllo modo animaduertere queo, à Spiritu sancto compositum esse, &c. Deniq; spiritus meus non potest cum hoc libro concordare. Nega, si audes, Prædicans, hæc verba extare in modo nominata Norimbergensi editione; aliisque antiquis. Nam quod postea hæc tam blasphema & impia rescissa sunt; id non excusat blasphemiam & impietatem Lutheri; sed aliquo modo velat: quamuis non apud omnes; sed apud illos duntaxat, qui os sibi à Prædicantibus sublini patiuntur.

Recipit Hunnius Apocalypsin contra suæ nugacitatis principium: quod est; *Vetus Ecclesia dubitauit de hoc aut illo libro; ergo non est canonicus:* nam & de Apocalypsi veterum quidam dubitarunt; & tamen Hunnius obuiis vlnis hunc librum amplectitur; non tam, opinor, amore libri, quam odio Romani Pontificis; quem ait *in Apocalypsi graphicè depingi:* in quo tamen multum aberrat, non enim Ecclesia Romana; sed hæresis Lutherana & Caluiniana per magnam illam Babylonicam Thaidem, vt & per bestiam *decicornem*, perque alia huius generis mystica symbola designatur; quatenus venturo Antichristo viam sternunt.

A Inter argumenta Erasmi contra Apocalypsin primum obtinet locum, quod quidam auctores huius libri non meminerunt; vt Dorotheus & Anastasius. Quid Bellarminus respondeat, leges in ipso Bellarmino. Iunius ait: *Non valet argumentatio ab auctoritate negatiuè.* Et tamen, quoties Iunius & alij hac argumentationis forma vsi sunt in hac ipsa de numero Canonicorum librorum materia? Quid illis frequentius in ore, quàm; *Concilium Laodicenum non meminit libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, &c. Ergo libri isti non sunt Canonici.* At familiare istis est carpere in aliis, quod sibi laudi ducunt.

Danæus hic omnia transfigit; consueto illo suo: Augumentatur *A non caussa pro caussa:* quod si B Danæo adimas, iam totus exarmatus erit.

CAPVT XX.

De libris Apocryphis.

HVNNIVS hic nihil peculiare adfert, nisi quod Apostolorum Canones arrodit; de quibus ex instituto Turrianus proprio Opere contra Magdeburgenses, & nos etiam satis multa in Responso ad Theses Hunnianas. Neque negat Bellarminus omnem omnium horum Canonum auctoritatem, vt mentitur Hunnius, sed Canonem octogesimum quartum reiicit; & cum Zepherino C Pontifice tantummodo septuaginta, vel sexaginta constituendos dicit.

Ad Iunium; is elegantissimam τοῦ ἀποκρύφου etymologiam seu originationem adducit: *Apocryphum*, inquit, *est, πᾶν τὸ μὴ ἐνδιάθηκον, quidquid non est in canone diuini fœderis penes Ecclesiam depositum, iussu & auctoritate Dei: tanquam si dixeris, ὅ, τι ἄπεστιν ἀπὸ τῆς ἁγίας κρύπτης, quidquid abest à sancta illa crypta, & thesauro Ecclesiæ Dei.*

Si *Græcista* quispiam, aut *Florista* huiusmodi veriloquium, vel potius *falsiloquium* proferret, rideremus; at cum Caluinistæ tales *gerras* promūt, linguis fauere iubemur. Si libris istis nomen aliquod indendum foret; quo significaretur, eos nō contineri in ista *Iuniana crypta*; potius ἄκρυπτοι D quàm ἀπόκρυφοι appellandi essent; vel ἀποκρυπτοι quasi *à crypta seiuncti ac dissiti:* hoc est, publici, manifesti, & in communi omnium luce positi. Canonici verò libri dicerentur, *à crypta κρυπτοὶ*, seu *κρυπτοὶ, occulti, absconditi.* à luce & conspectu hominum remoti. Quis hactenus huiusmodi fabulas audiuit, nisi postquam Iunius eas ex *sua crypta* deprompsit, qui fatetur *omne illud esse apocryphū, quod non est in Canone diuini fœderis:* & tamen post pauculos versiculos negat verum esse omnes libros, qui non sunt in Canone, numerari debere inter apocryphos, ex Hieronymi sententia. An non tu ipse paulò ante dixeras, omne illud esse apocryphum, quod non est ἐνδιάθηκον, hoc est, in Canone diuini verbi repositum?

Dicit

Digitized by Google

Dicit Bellarminus, non esse probabile, apocryphos vocari eos libros, quorum auctor ignoratur; alioqui multos sacros libros apocryphos futuros, vt librum Iudicum, Ruth, Iob, &c. *quorum auctores ignorantur. Negatur consequens*, inquit Iunius, *nam auctor dicitur æquiuocè. Humanorum scriptorum omnium auctor est homo, quisquis est: diuinorum verò auctor est Deus propriè, primò, & per se. homo auctor eorum dicitur impropriè, putà secundariò, & instrumentaliter solùm.*

Si hæc vera sunt, tum sequitur, S. Matthæum, S. Marcum, S. Paulum, esse auctores Euangelij & Epistolarum *æquiuocos*. Quis autem vnquam audiuit istiusmodi deliramenta? Non enim, quia Canonicus scriptor instrumentum duntaxat est Spiritus sancti; ideo *æquiuocè* seu *æquiuocus* auctor dici debet, vt *æquiuocus* iste Prædicans desipit: Verus enim auctor & propriè dictus Euangelij sui est S. Matthæus, licet secundarius; & quod de sancto Matthæo dico; id de quouis Canonico scriptore intellectum volo.

Quando igitur glossa dixit; *librum illum esse apocryphum, cuius auctor ignoratur*; ad proximum auctorem, quamuis secundarium, respexit. Quæ apocryphi notio sine dubio falsa est; vt allatis exemplis Bellarminus monstrat. *Optimè ait glossa*, inquit Iunius, *apocryphos vocari eos, quorum ignoratur auctor, id est, quorum auctorem nescitur esse Deum, vel potius scitur, non esse Deum, licet nomen hominis auctoris constet.*

Affingit Iunius Glossæ, quod ipsa nunquam; Iunius non semel, somniauit: nam glossa nihil aliud dicit, quàm eum librum esse apocryphum, cuius Auctor ignoratur. cætera sunt commenta Iuniana: ex quibus hoc paradoxum conficitur; omnes simpliciter Patrū libros esse apocryphos; quia Deus non est illorum auctor, eo modo, quo est librorum Canonicorum auctor: & scitur manifestè Deum non esse hoc pacto auctorem earum lucubrationum, quas sancti Patres euulgarunt.

In Canone 84. vel vt alij numerant 85. ex illis, qui Apostolis adscribuntur, ait Bellarminus, omitti libros Esdræ, Tobiæ, Iu ith, Sapientiam, Ecclesiasticum, &c. *De libris Esdræ Canonicis, falsum*; inquit Iunius: *nec verò Ecclesiasticus omittitur*. Negari non potest hunc Clementis Canonem variè legi. Fortè exemplar, quo vtebatur Bellarminus; caruit libris Esdræ & Ecclesiastico. Certè Haloandri editio, quæ exstat Græcolatina Tomo primo Concil. edit. Colon 1551. non habet Esdræ libros; nisi quod in margine nescio quis addidit: ἔσδρα δύο. Idem Canon versus à Turriano ad finem libri octaui Constitutionum Apostolicarum numerat Iudith inter libros Canonicos, qui tamen in aliis exemplaribus non comparet. Ecclesiasticus commemoratur quidem, sed non vt Canonicus. Monet enim Canon. ἔξωθεν δὲ προσιστορείσθω ὑμῖν μανθάνειν ὑμῶν τοὺς νέους τὴν σοφίαν τοῦ πολυμαθοῦς Σιράχ. Vbi per illud ἔξωθεν videtur Canon velle; extra Canonem legēdam *sapientiam* Sirach. Quē ipso in Canone non ponit; atque adeo omittit, vt Bellarminus dixit.

Placet, quod fatetur Iunius, ex testificatione Dei, & ex traditione Apostolorum, cognosci, qui nam libri sint Canonici: si tamen hoc non *dicis caussa*, sed ex animo dicit: sed vbinam hæc traditio Apostolica conseruata est? Nonne in Ecclesia? vt proinde cum traditionem & testificationem Ecclesiæ nominamus, nil nisi traditionem & testificationem Apostolorum nominemus.

Ait Bellarminus; *In Græcis codicibus duos libros Esdræ, esse tres nostros. Negamus*, inquit Iunius. At hāc distinctionem fuisse in Græcis codicibus manifestissimè colligitur ex synopsi Athanasiana; quę hac de re sic loquitur. *Esdræ liber primus, & secundus vno comprehēduntur volumine. Et primi quidem initium est: Et obtulit Iosias Pascha in Hierusalem Domino suo, quarta decima die mensis primi. Secundi verò: Et in primo anno Cyri regis Persarum, vt adimpleretur sermo, qui ab ore Hieremiæ processerat, excitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum.*

Ex quibus verbis luculētissimè apparet, eum librū, qui apud nos est tertius Esdræ; apud Græcos esse primum. (nam illa verba, quæ synopsis recitat, sunt principium nostri tertij) Et rursus primum & secundum librum Esdræ apud nos, esse secundum apud Græcos; quia verba, quæ synopsis citat, sunt initium primi libri apud nos: sub quo secūdum apud nos, à S. Athanasio comprehensum esse; inde planum fit, quia alioqui in Canone non recensuisset secundum nostrum librum Esdræ, qui Nehemias inscribitur; Quis autem vnq̄ librum hunc exclusit à Canone? comprehendit ergo synopsis librum nostrum secundum sub illo; qui secundus est apud Græcos, & primus apud nos; & quod hinc est consequens, rectissimè affirmauit Bellarminus tres libros Esdræ in codicibus Græcis esse duos nostros: quod etiam luce clarius elucescit, ex epitome seu summa, quam postea synopsis Athanasiana, more suo, ex libris Esdræ conficit. Nam tertium nostrum primo loco ponit; & primum secundumque nostrum; pro vno libro ducit, Quæ cum ita sint, nimis profectò audax est Iunius; cum hæc negare, & negando imperiti hominis existimationem incurrere non veretur.

Quia verò de libris Esdræ sermo est; non abs re erit sub finem hic audire, quod nam fuerit iudicium Lutheri de tertio & quarto Esdræ. Exstat hoc iudicium in Colloquiis Symposiacis titulo *de libris antiqui & noui testamenti*: Vbi Lutherus bene potus. *Tertium librum Esdræ* (editio Germanica ineptè habet Esther). *libenter proiicerem in Albim* (fluuium Saxoniæ) *In quarto libro, qui complectitur, quid Esdras* (editio, ineptè Esther) somniarit, seynd schöne / vnd auch sonst gute Pößlein / *insunt pulchræ & iucundæ facetiæ; cuiusmodi; vinum est forte; Rex fortior; mulieres adhuc fortiores; fortissima omnium veritas.* Vide ebrij Lutheri inscitiam. Tota antiquitas

tertium librum prætulit quarto multas ob causas; & quidem adeò prætulit, vt quidam Græci videantur tertium Esdræ habuisse pro Canonico; quartum ne agnouerunt quidem; aut certè vix. Et tamen iste tertium vndis adiudicat, quartum laudat. Sed num sobrius fuit, quando laudauit? AEgrè crediderim. quia dictum quod extollit, non exstat in quarto, sed in tertio Esdræ cap. 3. & 4. Fortè mensa largior Luthero memoriam eripuerat.

At mirandum non est, Lutherum huiusmodi seu comparationem seu iudicium instituisse inter tertium & quartum Esdræ: cum in Latinis Colloquiis mensalibus tit. *de nouo testamento* libros Regum multis parasangis, quo ad fidem & fidelitatem, anteponere ausus fuerit libris Paralipomenon, seu, vt ipse appellat, chronicorum. *Libri Regum*, inquit, *præcedunt centum & mille cubitos scripto chronicorum*; hoc est, Paralipomenon, &c. *Ideo libris Regum plus credendum est, quàm libris Paralipomenon.*

Refutatio Danæi ex cap. 7. lib. 1. Castigationis.

HOc loco leuat me labore noster Andreas Eudæmonioannes Cydonius; qui Danæi criminationes in postremũ huius libri caput acriter in caput auctoris regessit. Itaque verba illius duntaxat adscribam; cur enim actum agerem, quãdo tam multa necdum acta, supersunt agenda? Ait ergò: Me luculentissimus huius libri locus, ad se iam diu vocat, quo Danæus caput 20. benè longum, ac multiplicis eruditionis, doctrinæque plenissimum paucis lineis, sed multis mendaciis confutat. Obiicit enim Bellarmino, quod ab omnibus Patribus discedat. *Ne, omnes Patres*, inquit, *vno telo iugulasse videretur, quorum nemo vnquam repertus est, qui non aliquos libros esse apocryphos affirmet: quos autem illi vocant apocryphos, iste canonicos facit, tamen rima aliqua fuit excogitanda.*

Primò mendacium euidens est, ab omnibus Patribus Bellarminum discedere, qui in probandis libris Canonicis Patrum testimoniis tam multis, ac grauibus vsus est toto hoc libro, vt passim Danæus questus ea de re sit, cùm diceret, hominum priuato iudicio libros in Canonem referri: ita ad caput decimum octauum, decimum septimum, decimum quintum, & alibi.

Mentitur deinde, cùm ait, eos libros, quos Patres apocryphos vocant, Canonicos à Bellarmino fieri. Nam, quos aut omnes, aut maxima pars Patrum reiicit, nos quoque vno omnes ore, ex canone remouemus. Sed, si vnus aliquis, aut pauci Patres, vel aliquem librum apocryphum credidêre, vel de eius auctoritate fuêre dubij; ce-

A teri verò eum, vt verum, & genuinum diuinæ scripturæ librum recipiunt: non ideo Patres deserimus, quia eorum pluribus consentimus. Iam illud quàm ridiculum est argumentationis genus; nemo est Patrum, qui non aliquos libros esse apocryphos velit; Quos illi faciunt apocryphos, Bellarminus in canonem refert, ergò vno omnes telo iugulantur. Egregiè: si, cùm eundem librum omnes apocryphum esse velint; Bellarminus tamen in canonem recipiat: sed, si vnus Machabæorum libros, verbi gratia, alter Sapientiam Salomonis, alius Ecclesiasticum, aut Iudithæ librum apocryphum dicat, &, quos vnus improbet, reliqui vniuersi probent, ideo ne vno omnes telo

B conficiet, qui Iuditham contra vnius; Ecclesiasticum, aut Sapientiam contra alterius auctoritatem admittat? Dicat nobis magnus hic ex Melanchthone Dialecticus; quid tandem sit à disiunctis ad coniuncta paralogismum committere, si hoc est ratiocinari?

Sed rimam illam, quam Danæus reperit in Bellarmino, inspiciamus. *Hæc est*, inquit, *quod quisquilias ex illis, & particulas quasdam colligit, quas iste solos libros apocryphos appellat, & à Patribus ait fuisse appellatos; has igitur solas negat esse canonicas.* At Bellarminus, præter plurimos, quos à Gelasio numeratos haberi ait, distinctione decima quinta, sancta Romana: quosque ab In-

C nocentio, Athanasio, Eusebio recenseri dicit, qui magna ex parte non exstant: & præter nonnullas librorum particulas, quas quisquilias Danæus vocat: numerat librum Hermetis, qui Pastor inscribitur; librum tertium, & quartum Machabæorum; tertium, & quartum Esdræ; quæ profectò particulæ non sunt, sed integra volumina. Mentitur ergò Danæus, cùm ait, à Bellarmino solas quorundam librorum particulas inter apocrypha recenseri.

Præterea, mendacium illud quoque est, quod ita Danæus loquitur, ac si Bellarminus eorum librorum, quos Patres apocryphos absolutè appellarunt, particulas nonnullas duntaxat a-

D pocryphas esse diceret, deque iis Patres locutos doceret, cùm eos libros apocryphos appellarunt; vt ita deriuata à toto opere, ad vnam aliquam partem huius nominis inuidia, reliquus liber Patribus inuitis retineatur. Mendacium, inquam, hoc est, neque enim cùm de apocryphis agit, numerat Bellarminus alias particulas, præter orationem Manassæ, quæ secundo Paralipomenon subiicitur; Psalmum centesimum quinquagesimum primum, qui Psalterio Dauidis additur, atque appendicem libri Iob; at ij omnes libri, ex quibus has particulas, tanquam apocryphas remouemus, Caluinianis etiam testibus, nunquam dubiæ auctoritatis in Ecclesia fuerunt.

Digitized by Google

Sed pergit Danæus: *In quo tamen ipso*, inquit, *à suis confutatur, & æstuat in contrariis obiectionibus soluendis.* At à quo tandem confutatur in his librorum particulis reiiciendis? aut, quas obiectiones Catholicorum pro iis affert? Nam tertium, & quartum Esdræ, tertium, & quartum Machabæorum, pro quibus obiectiones aliquot affert, & dilucidè admodum, ac facilè soluit: particulas librorum si appellat Danæus, ridiculus est. Denique ita confutatur à suis, vt omnes eos libros, easque librorum particulas, quas in apocryphis hoc capite numerat Bellarminus, in Bibliis vulgatæ editionis Romæ editis, Pontificum deinde censura loco mouerit.

Concludit demum; *Rerum veritatem*, inquit, *in duobus posterioribus Esdræ libris tuendis negat, dũ ait Patres in his libris sequutos esse Hebræos.* At Bellarminus duos posteriores Esdræ apertè reiicit è Canone, non tuetur. Sed quam tandem rerum veritatem negat? An, quia ad alteram difficultatem respõdet? *Etsi in Græcis codicibus duo libri Esdræ sunt nostri tres; tamen non propterea Concilia antiqua, & veteres Patres, qui in Canone ponunt duos libros Esdræ, intelligere nomine duorum nostros tres; quod iĩ, Hebræos, non Græcos codices apertè sequuti sunt. Hebræi autem tertium Esdræ non habent.* An, inquam, quia hoc ibi docuit, rerum veritatem negat Bellarminus? At, vnde hoc Danæus colligit? aut quibus auctoribus probat? Denique, si posteriores illos Esdræ libros expungit ipse ex Canone scripturarum, quam ob causam Bellarmino succenset, quod neget eos ad Canonem pertinere? An, vt vbique veteris Ecclesiæ fidem, iudiciumque contemnat, mauult dicere Canonicum quidem à maioribus nostris tertium Esdræ habitum, atque in Canonicis à veteribus Conciliis numeratum, sed immeritò? At, vt id, illi, tanquam Hæretico fortasse licuerit; nobis certè Christianis non licet, qui, vt originem fidei nostræ iam inde ab Apostolis, eorumque successoribus repetimus; ita veteris Ecclesiæ & vestigia sequimur, & scita veneramur.

Refutatio censuræ generalis, quam Danæus primo libro Bellarmini subiecit.

SOlet Danæus, postquam speciatim frustilla quædam ex Bellarmini capitibus hinc inde carpsit; subiicere generalem totius libri censuram; qualem etiam huic primo libro attexuit, insulsam nimirũ, inscitam, indoctam, plenamque calumniis, imposturis ac sycophantiis; quam Cydonius noster iam satis refutauit; cuius verbis, vt antea, ita & hic Danæi petulantiam compescendam existimaui. Reliqua est totius libri censura, inquit Cydonius, (hanc enim methodum, toto hoc opere Danæus seruat, vt post exagitata singula capita, censuram totius libri subiiciat:) in qua suum illud; vt mentiatur, constanter, ac strenuè seruat. Hoc ait esse alterum Bellarmini in eo libro vitium, quod ita argumentatur. Patres nonnulli, aut Concilia, ex hominum nonnullorum priuato iudicio, librum Canonicum appellant; ergò, est verè Canonicus. Additque ab ipso Bellarmino hanc argumentationem eludi, dum sic scribit cap. 2. *De libris istis pauca dicamus; qui tametsi nonnullis Canonici visi sunt, tamen iure, ac meritò non Canonici, sed apocryphi nominantur.* Ac demum eum locum his verbis claudit Danæus: *Eodem modo ipse docet Genebrardum sodalem suum vitiosè colligere de libro quarto Esdræ: Legatur locus.* Quo loco mentitur primò, cùm ait, ita argumentari Bellarminum; nonnulli Patres asserunt hunc librum esse Canonicum, ergò est Canonicus. Quanquam enim nonnullorum Patrũ testimonium fidem aliquam, ac probationem iure optimo facit, quia virorum est & grauium, & doctorum, quos neque fallere voluisse, neque falsos esse verisimile est; tamen rem planè certam, & exploratam, pauca quædam illorum testimonia non faciunt. Sed cùm, aut omnes, aut plurimi consentiunt, tùm verò veteris Ecclesiæ sensum, & consensum satis agnoscimus, à qua discedere, Christianis non licet. Ad quæ testimonia, si iudicium accesserit Ecclesiæ vniuersæ, nisi qui infideli deterior esse velit, negare non potest, librũ verè esse Canonicum. Quarè, falsum item est, quod ait eam argumentationem eludi à Bellarmino, qui totius Ecclesiæ sensum, quæ eos libros in apocryphis habuit, priuato nonnullorum iudicio prætulit.

Iam illud est illustre mendacium, quod ait de Genebrardo reprehenso à Bellarmino, quod Patrum auctoritatem secutus, quartum Esdræ in Canonem reponit: & quia ad locum ipsum Bellarmini prouocat, eum afferamus. *Quartus Esdræ*, inquit, *citatur quidem ab Ambrosio, libro de bono mortis; & lib. 2. in Lucam; & in epist. ad Gratianum; tamen sine dubio non est Canonicus, cùm à nullo Concilio referatur in Canonem; & non inueniatur neq. Hebraicè, neque Græcè; ac demũ contineat cap. 6. quædam fabulosa de pisce Henoch, & Leuiathan, quos maria capere non poterant, quæ Rabbinorum Thalmudistarum somnia sunt. Itaque mirandum est, quid Genebrardo venerit in mentem, vt hunc etiam librum ad Canonem pertinere vellet, in Chronologia sua, pag. 90.*

En Bellarmini locus prolatus, atque descriptus est: reprehensionẽ istam Genebrardi, quòd Patribus Auctoribus eum librũ ad Canonem pertinere docuerit, ostendat nobis iste tam seuerus censor. Vnus Ambrosius eum librum citat; eum Concilia non agnoscunt; reliqui Patres non attingunt; fabulosas narrationes continet: & mirum Danæo videtur, si Genebrardum miramur quod reliquorum Patrum, & Conciliorum auctoritatem, vnius Ambrosij testimonio posthabuerit?

Tertium deinde Bellarmini vitium numerat A *æquiuocationem*: quia Canonici libri nomen non distinguit ea ratione, qua Kemnitius distinxerat. Sed, ne locus vllus sine mendacio sit, hæc subiicit: *Hanc generalem*, inquit, *istarum vocum notionem agnoscit tamen, etiam inuitus ipsemet Bellarminus col. 6. l. A.* At multò profectò verius citasset columna nulla, litera post alphabetum. Distinxit quidem libri apocryphi acceptionem cap. 20. sed istam Canonici libri diuersam acceptionem nusquam in libris Bellarmini inuenies: nisi, cùm eam ex Hæreticis refert, vt refellat.

Addit deinde Danæus. Canonicos libros interdum à Patribus appellari, *qui nonnullas sententias habent, cum Canonicis libris consentientes.* Quam B insulsam Kemnitij responsionẽ, vt condiat mendacio suo, sic ipse: *Hic*, inquit, *col. 57. l. A. B. librum Enoch vocat Canonicum, & col. 4. 64. l. A. librum tertium Esdræ.* Vtrumq; Danæi mendacium est. Nam Bellarminus cap. 18. cum de epistola Iudæ disputat, ait cum multis Patribus, etiam in apocryphis aliquid esse veri: atque huiusmodi esse, id, quod ex eo libro Enoch, Iudas Apostolus protulit; neque tamen eam ob rem totum librum approbasse: sicut Paulus etiam, ex Poëtis nonnunquam veras sententias profert; quorum tamen libros, & fabulas non ideo probat, tãquam scripturam Canonicam. Subdit deinde hæc verba Bellarminus: *At Iudas librum Enoch, non vt apocryphum, sed vt propheticum citat. Respondeo cum Augustino lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 23 sine dubio credendum esse, Henoch aliquid* C *Prophetici, & diuini scripsisse, & eius vaticinium insertum fuisse in eo libro, quem Iudas citat: sed eum librum propterea apocryphum esse: quod multa incerta, & fabulosa contineat, simul cum hoc vero vaticinio, quod Iudas citat.* Hic certè nusquam liber Henoch, qui nunc extat, aut extabat tempore Iudæ, Canonicus appellatur.

Iam verò quod tertium Esdræ Canonicum à Bellarmino appellatum esse ait, mendacium euidens est. Sic enim caput 20. claudit: *Porrò veteres Patres vtuntur interdum testimoniis ex hoc libro petitis, quem & nos non inutilem esse fatemur, sed & rarò id faciunt, & nusquam sacrum, & diuinum appellant.* Vbi hic tertius Esdræ à Bellarmino sacer, diuinus, aut D Canonicus appellatur?

Huic denique primo libro, ac mendaciis suis colophonem imponit, mendacio virulento, & frigido. *Et si plures*, inquit, *hoc scriptum compilarunt; solus tamen Bellarminus, magna animi ambitione, totam istius libri, & operis inuidiam in se deriuauit.* Quæro ex Danæo, quibus auctoribus compererit, à multis opus hoc compilatum? quibus argumentis, aut coniecturis id ita esse ostẽdat? Certè stylus idem est, & semper sui similis doctrinæ methodus, eruditionis vbertas, perspicuitas, cum candore, ac simplicitate coniuncta grauitas. Vnum illud argumentum reliquum est, quod mirantur aduersarij, in vno aliquo homine esse tantam eruditionem, doctrinam, acumen, linguarum peritiam, variam lectionem; & quod omnes in vnum conflati, assequi ipsi non possent; id in vno Iesuita esse potuisse non credunt. Ego verò, qui eodem cum Bellarmino aliquot annis domicilio vsus sum, & mecum omnes ij, qui eodem tempore Romæ è nostra societate vixerunt, affirmare etiam sanctè possumus, eum non modò aliorum opera nõ vsum, sed ne anagnosten quidem, aut amanuensem habuisse: sed suo ipsum studio, labore, industria, tantam supellectilem comparasse; ac libros hos, quos aduersarij ita calumniando tantoperè mirari se confitentur, sua etiam manu totos, atque integros exarasse. Quæ eius autographa, ab eo impetrata, meis ipse manibus in Collegij nostri Romani Bibliotheca collocaui.

Porrò, *quod deriuare in se vnum operis huius inuidiam Bellarminum voluisse dicit Danæus*; nominibus abutitur, gloriam verius dixisset. Gloriosa est enim, atque optanda Christiano Theologo Hæreticorum inuidia. Neque quidquam accidere optabilius potest ei, qui aduersus Hæreticos scribat; quàm vt, quia eius scriptis iugulari se sentiunt, scriptorem auersentur. Quanquam Bellarminus, quia gloriam, quæ est animi submissione, & Christiana modestia præditus, vehementer refugiebat, non prius adduci potuit, vt suas hásce lucubrationes in vulgus emitteret, quàm moderatorum suorum imperio, atque aliis rationibus compelleretur, quas ipse operis initio posuit.

Finis libri primi.

APPEN-

APPENDIX PRIMA AD PRIMVM LIBRVM ILLVSTRISSIMI CARDINALIS BELLARMINI; ADVERSVS IOANNEM PAPPVM, PRÆDICANTEM Lutheranum Argentoratensem.

ABSOLVIMVS, Deo bene adiuuante libri primi defensionem aduersus quatuor impugnatores Hæreticos VVitackerũ, Danæum, Iunium, Hunnium. Nunc paucis profligandi sunt minutiores quidam Prædicantes, qui hunc primum Bellarmini librum allatrarunt, partimque inscitia sua, & partim calumniis insectati sunt. Primas tribuemus Pappo Argentoratensi, qui anno Redemptoris M. D. XCVII. librum hoc titulo prænotatum publicauit. *Contradictiones Doctorum nunc Romanæ Ecclesiæ, indice & teste* ROBERTO BELLARMINO *Politiano Societatis* IESV.

Scopus scriptionis est, ostendere, *Ecclesiæ nunc Romanæ Doctores in multis, iisq; grauissimis fidei Christianæ capitibus inter se dissidere & pugnare*; his enim verbis declarat nobis Prædicans, quo consilio ad huius libri effectionem ac editionem animum appulerit; etsi, meo iudicio, rem verè nobis aperuisset; si dixisset, se ad laborem hunc suscipiendum accessisse, animo suis Lutheranis os sublinendi, fumosque vendendi; qui animus statim ex ipso *cõtradictionis* vocabulo emicat; neq; enim quælibet sententiarum diuersitas contradictio censeri debet; cum sæpè ita ab altero dissentiamus; vt tamen partem contrariam vel æquè probabilẽ; vel certè probabilẽ, aut non improbabilem iudicemus: quod in vera, perfecta, cõpleta, & formali contradictione nequaquã contingit; vbi quis alterã contradictionis partẽ simpliciter ac præcisè negare, & pro falsa ducere solet.

Deinde pleræq; doctorum dissensiones, (*contradictiones* à Pappo appellatę) non sunt circa dogmata fidei, sed vel circa modos & rationes probandi dogmata fidei; vel circa res liberas, & adiaphoras, de quibus siue hoc, siue illud sentias, in leges pietatis ac religionis minimè delinquas: aut si ipsa etiã fidei decreta tangant; tangunt ex imprudentia, insitaq; à natura mortalib. caligine; qua obsepti aliquãdo à vero aberrant; & falsi

A specie illusi id amplectũtur, quod omnibus modis repudiandũ erat. Si Prędicans candidè ac sincere agere volebat, debebat ex Bellarmino colligere tales *cõtradictiones*, quales Catholici colligũt ex scriptis Lutheri, Philippi & aliorũ Prædicantium; versantes nimirum circa fidei articulos, satis iam & probe cognitos, cum pertinacia, mente quiduis potius subeundi; quã cedendi; quo pacto Lutherani cõtradicunt Caluinianis, & hi illis circa Eucharistiã & *Vbiquitatẽ*; vt alia placita taceam; Quo etiã modo Lutherani Prædicantes sibi mutuò cõtradixerunt, & adhuc cõtradicunt circa varias materias; vt circa bona opera; circa electionẽ & Prædestinationẽ diuinã. Proferat, oro, Prædicans ex Bellarmino aliquẽ Catholicũ, qui
B cõtradicat huic articulo fidei: *Septẽ sunt Sacramenta verè ac propriè dicta.* Vel huic: *Baptismus, Cõfirmatio & Ordo imprimunt characterẽ.* Vel huic: *Sola fides nõ iustificat:* Proferat, inquã, aliquem Catholicum, qui his vel similibus propositionibus cõtradicat; & verè cõtradicat; sciens nimirũ esse propositiones ab Ecclesia, tanquã de fide, definitas; item pertinaciter, animo persistendi sua in cõtradictione, quidquid Ecclesia dicat; nisi aliud ex scriptura euidenter mõstretur. Huc enim se veri *contradictores* referre solent, vt patet in Luthero, Caluino, & id genus aliis veris, & vt sic loquar, *formalibus* cõtradictoribus, qui huc tanq̃ ad cõmune tutumq; latibulũ prouocant, quia sciunt se inde extrahi nõ posse; cũ quidquid adferatur, id ipsi, perfricta facie, sacrarũ literarum sensui consentaneũ esse
C inficiẽtur cõtempta omni traditione Ecclesiastica, repudiatis omniũ synodorũ decretis; cõtemptisq; arrogãtissimo supercilio vniuersorũ patrũ expositionibus; nemini cedere volentes, licet mille Augustini, & mille Cypriani contrà eant.

Nõ ita Catholici à se mutuò dissentiũt, si quãdo dissentiunt; nõ ita se mutuò refellũt; si quãdo refellũt; sed id primò faciũt salua pace; & illęso charitatis vinculo. *Sanitas pacis hoc facit*, inqt S. August. lib. 2. cont. Donat. de Baptis. c. 4. *vt cũ diutius aliqua*

Digitized by Google

obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias: donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerunq. Doctoribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens, & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt. Proinde charißimos nostros, inquit S. Augustinus Epist. 19. ad S. Hieronymum, *qui nostris laboribus sincerißimè fauent, hoc potius quanta possumus instantia doceamus, quo sciant fieri posse, vt inter charißimos aliquid alterutro sermone contradicatur, nec tamen charitas ipsa minuatur, nec veritas odium pariat, quæ debetur amicitiæ, siue illud verum sit quod contradicitur, siue corde veraci, qualecunq. sit dicitur, non retinendo in mente, quod distet à labiis.*

Sic salua vnitate & charitate, dissensit à collegis suis sanctißimus Martyr Cyprianus in quæstione de hęreticis rebaptizandis; quod testatur ipsius Epistola ad Stephanum Pontificem Romanum; quam in Dialogo aduersus Luciferianos S. Hieronymus citat; nec hoc tantum; sed & verba recitat; quibus planum fit quo corde Cyprianus diuersum ab aliis senserit. Et sunt ista: *Hæc ad conscientiam tuam, frater charißime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione protulimus; credentes etiam tibi pro religione tua, & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter, & vera sunt. Cæterum scimus quosdam, quod semel imbiberunt, nolle deponere, nec propositum suum facilè mutare: sed, saluo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint vsurpata, retinere. Qua in re, non vim cuiquam facimus, aut legem damus; quin habeat in Ecclesia administratione voluntatis suæ arbitrium liberum: vnusquisq. sit præpositus rationem actus sui Domino redditurus, &c.*

Ad Iubaianum quoq. de hæreticis rebaptizandis scribens, in fine libelli sic loquutus est: Hæc tibi breuiter pro nostra mediocritate scripsimus, frater charißime, nemini præscribentes, aut præiudicantes, quò minus vnusquisque Episcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis, & coëpiscopis nostris, non contendimus, cum quibus diuinam concordiam, & dominicam pacem tenemus, maximè cum Apostolus dicat, (1. Cor. 11.) *Si quis autem putauerit se contentiosum esse, nos talem consuetudinem non habemus, sed nec Ecclesia D e i. Seruatur à nobis patienter, & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, concordia Sacerdotij.*

Hæc S. Cyprianus; & cum illo sanctus Hieronymus.

Secundò, Orthodoxi ita inter se aliquando dissentiunt; vt parati sint mutare suam opinionem, quam primum Ecclesia vel per Concilium generale, vel per Christi Vicarium, summum Pôtificem, perspicuè ac euidenter declararit; quid amplecti; quidue respuere oporteat; quo pacto nulli prorsus Sectarij aut Catholicis, aut sibi mutuo contradicunt; iactitantes, se tunc cessu-

A ros, si ex scriptura conuincantur; quod dicunt, vt nunquam cedant; quandoquidem eam scripturæ esse mentem contumacißimè côtendunt, quam ipsi in malè sano cerebro efformant ac côcipiunt; Phantasmatis suis adeò affixi, & infixi, vt vita potius, quàm sententia migrare velint. Non ita Orthodoxi; vt dicebam; dissentiunt; quia semper cupiunt cedere sine vllis ambagibus, *cum, aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana*, vt ait S. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatist. cap. 3.

B Tam hunc, quàm priorem dissentiendi ab aliis modum *manifestatum tenemus in vno beato Cypriano*, vt ait S. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatist. cap. 5. Et de priore quidem constat ex dictis. Alterum autem modum, nempe S. Cyprianum paratum fuisse cedere, si Ecclesia contrarium definiuisset; seu, *quo modo accipere potuerit veritatem, contra id, quod sentiebat, inuentam: etsi litteræ tacent; merita clamant: si epistola non inuenitur, corona testatur: si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum. Non enim paruum documentum est pacatißimæ animæ, in ea vnitate martyrium meruisse, vnde se diuersum sentiens, noluit separare. Homines enim sumus. Vnde, aliquid aliter sapere, quàm se res habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententi-* C *am suam, vel inuidendo melioribus vsq. ad præcidendæ cômunionis, & condendi schismatis, vel hæresis sacrilegium peruenire, diabolica præsumptio est: In nullo autem aliter sapere, quàm res se habet, angelica perfectio est. Quia itaq. homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quandiu perfectionem angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus. Ideo dicit Apostolus;* (1. Cor. 10.) *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Humanum est ergò, aliquid aliter, quàm se res habet, sapere. Propterea dicit alio loco;* (Philip. 3.) *Quotquot ergò perfecti hoc sapimus, & si quid aliter sapitis, hoc quoq. vobis D e v s reuelabit. Quibus autem reuelat, cum voluerit, siue in hac vita, siue post hanc vitam, nisi ambulantibus in via pacis, & in nullam præcisionem deuiantibus? Non, quales isti sunt, qui viam pacis non cognouerunt; nec propter aliud vnitatis vinculum diruperunt.* D *Ideo Apostolus cum dixisset;* (Ephes. 4.) *Et, si quid aliter sapitis, hoc quoq. vobis D e v s reuelabit: ne putarent præter viam pacis, quod aliter sapiebant sibi posse reuelari, continuò addidit. Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. In quo ambulans Cyprianus, perseuerantißima tolerantia, fuso sanguine, sed in vnitate fuso: quia, si traderet corpus suum, ita vt arderet, & non haberet charitatem, nihil ei prodesset: per martyrij confeßionem peruenit ad angelicam lucem, vt si non ante, ibi certè, reuelatum agnosceret, quod cum aliter saperet, sententiam diuersæ opinionis, vinculo non præposuit vnitatis.* Hęc elegantißimè S. Augustinus.

Ex cuius verbis discimus, huiusmodi dissensiones & contradictiones permitti à Deo, vt pa-

tientia.

Digitized by Google

tientia, humilitas, & charitas eorum, qui doctoris officio in Ecclesia funguntur, comprobetur, cunctisque planum fiat, illos non modò docere; sed & doceri faciles ac promptos esse: quæ caussa cur rationes etiam suas, quibus in hanc vel illam opinionem inducuntur; intrepidè in medium adducant. *Nec arbitror*, inquit S. Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 8. *Beatum Cyprianum propter aliud contra consuetudinem quid sentiret liberius exprompsisse, prioremq́ dixisse, nisi vt alium, si fortè existeret, cui esset melius reuelatum, gratißimè acciperet, & ostenderet imitandam, non solùm docendi diligentiam, sed etiam discendi modestiam. Si autem nullus existeret, qui tale aliquid afferret, vnde illæ omnes verisimiles rationes, quibus mouebatur, refellerentur, in eâdem sententia permaneret sibi benè conscius, & non occultatæ quæ putabatur, veritatis, & retentæ quæ amabatur vnitatis. Nam & illud sic intellexit, quod ait Apostolus*: (1. Cor. 14.) *Prophetæ autem duo, vel tres loquantur, & cæteri examinent. Si alij sedenti reuelatum fuerit, ille prior taceat. Qua in parte, inquit, docuit, & ostendit multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquemq́ non pro eo, quod semel imbiberat, & tenebat, pertinaciter cõfligere: sed si quid melius, & vtilius extiterit, libenter amplecti.*

Rebaptizationem verò ab Hæreticis baptizatorum illicitam esse *tanto viro propterea Dominus nõ aperuit*, ait S. Augustinus lib. 1. de Baptismo cap. 18. *vt eius pia, & humilitas, & charitas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret; & non solùm illius temporis Christianis, sed etiam posterioris ad medicinalem, vt ita dicam, notitiam signaretur. Cum enim tanti meriti, tantæ Ecclesiæ, tanti pectoris, tanti oris, tantæ virtutis Episcopus, aliud de baptismo arbitraretur, quàm erat inquisita diligentius veritas firmatura, multiq́ eius collegæ, quãuis liquidò nondum manifestatum; id tamen tenerent, quod & præterita Ecclesiæ consuetudo, & postea totus Catholicus orbis amplexus est: non se ille tamen à cæteris diuersa sentientibus separata communione disiunxit; & hoc etiam cæteris persuadere non destitit, vt sufferrent inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis*: (Eph. 4.) *Ita enim corporis manente compage, si quid in quibusdam membris infirmabatur, ex eorum sanitate conualesceret potius, quàm præcisione mortificatum diligentiam nullius curationis admitteret.*

Secundò discimus ex S. Augustini verbis huiusmodi dissensiones & contradictiones nihil obesse auctoribus; propter conseruatum charitatis pacisque studium. *Si se ille separasset*; inquit S. Augustinus de B. Cypriano loc. cit. *quàm multi sequerentur, quantum sibi nomen inter homines faceret, quanto latius Cyprianistæ, quam Donatistæ vocarentur? Sed non erat filius perditionis, de qualibus dictum est*; (Psal. 27.) *Deiecisti eos dum extollerentur: sed erat filius pacis Ecclesiæ; qui tanta cordis illuminatione præditus, propterea non vidit aliquid, vt per eum aliud supereminentius videretur. Et adhuc, inquit Apostolus*. (1. Cor. 12. & 13.) *supereminentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Minus ergò ille penetrauit, vt cer-*

A *neret secretum abditum Sacramenti: sed, si sciret omnia Sacramenta, charitatem autem non haberet, nihil esset. Cum autem minus illud perspiciens, hanc tamen humiliter, fideliter, fortiter custodiuit, ad martyrij coronam meruit peruenire; vt, si qua in eius lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur.* Hæc de modo, quibus Catholici aliquando dissentiunt.

Si verò consideremus materiem, circa quam interdum controuersantur; eæ vel non sunt conclusiones, sed rationes & probationes conclusionum: Aut si sunt conclusiones; nõ concernunt fidei dogmata; sed sunt eius generis, in quibus, vt inquit S. Augustinus lib. 1. contra Iulian. cap. 2. *inter se aliquando, etiam doctißimi, atq́ optimi regulæ*
B *Catholicæ defensores, salua fidei compage non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit, & verius.*

Vel si ad dogmata fidei pertinent; nondum sunt vniuersalis Ecclesiæ decreto definita; aut si definita olim fuerunt, iterum temporis progressu in obliuionem venêre; aut secus, quam oportebat, intellecta & accepta sunt. Singula membra breuiter percurramus.

Apud Catholicos certum & indubitatum est per Baptismum, Confirmationem & Ordinem imprimi characteres singulos per singula hæc tria Sacramenta. Id ex manifesta Ecclesiæ definitione compertum habent. Iam quæstio nascitur inter Doctores, quibus probationibus demon-
C strari queat talem Characterem imprimi. Hinc exstruit Prædicans nonagesimam septimam cõtradictionem suam; quia Scotus dicit, teste Bellarmino lib. 2. de Sacramentis in genere, cap. 19. *Characterem non posse probari ex aliquo manifesto scripturæ testimonio, vel etiam ex Patribus: tamen ob Ecclesiæ auctoritatem non dubitat esse certißimum dari Characterem. Gabriel dubitat etiam, an Ecclesia id definierit, tamen dicit, esse præsumptuosum, negare Characterem: his enim verbis vtitur in fine primi dubij.*

Cæteri omnes, cum quibus & Bellarminus sentit, *non solùm Ecclesiæ auctoritate, sed etiam scripturis, & Patribus, docent characterem probari posse.*

En contradictionẽ intolerabilem. Ipsam conclusionem firmisimè tenet Scotus; & firmius,
D quàm olim eandem teneret Gabriel, si post luculentam Concilij Tridentini de charactere definitionem, in his terris vitam nobiscum degisset; tantum opinatur Scotus; characterem non posse perspicuè ostendi ex scriptura & Patribus: aliis, vt Bellarmino, contra sentientibus: & characterem vtroq; argumentorum genere, nimirũ ex scriptura & Patrũ auctoritate adstruentibus. Quis autẽ tam imperitus literarũ & cõsuetudinis Scholasticæ tam rudis est, qui nesciat hoc in omni doctrinarum genere accidere; vt vnam eademque conclusionem putent aliqui perspicuis rationibus muniri posse; alij illas rationes, tanquam infirmas & inefficaces, facili labore dissoluant; vel quia reuera infirmæ sunt ac

ineffi-

Digitized by Google

inefficaces; vel ſi validæ ſunt ac robuſtæ; alter nihilominus viam rationemq; nouerit, quibus vim earum eleuare, eludere atque adeo effugere poſsit, differendi arte & exercitatione, rerumque ad facultatem illam pertinentium vſu bene inſtructus atque excultus; & hic mutuus in argùmentis, quæ pro probatione concluſionum adduci ſolent, expendendis & diſcutiendis conflictus; tantum abeſt; vt veritati obſit; vt eam potius mirificè illuſtret, & in lucem educat; hac enim quaſi antiperiſtaſi excitata ingenia vel firmiores rationes indagant & excogitant; vel antè excogitatas ſolidius muniunt; nec ceſſant, donec id, quod non videbatur probatum, probent; vel accuratius probent, veritatemque ſolidis argumentorum copiis inſtruant.

Quod item fit; nec alio fine; cum Orthodoxi explicationem alicuius loci ex ſacra ſcriptura deſumpti non admittunt, aut, ſaluo auctoris honore, conuellunt ac refellunt. Neque enim quorumlibet *diſputationes*, inquit S. Auguſtinus, Epiſt. III. ad Fortunatianum *quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut ſcripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atq; reſpuere. ſi fortè inuenerimus. quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis.*

Neque huiuſmodi rationes, probationes & explicationes ſic à ſuis auctoribus proferuntur, vt contrà ſentire non liceat. *ſicubi fortè aliter ſapuerint, quam veritas poſtulat*; vt idem S. Auguſtinus præclarè docet Epiſt. 48. ad Vincentium: hoc namque ingenti veritatis præiudicio ac diſpendio fieret. Quocirca non modò ineptiſsimi, ſed & in ſeipſos iniquiſsimi ſunt Prædicantes, cum propter tales litterarias velitationes, magnis vocibus, contradictiones, intonant, & imperitæ multitudini perſuadent; *omnia apud Papiſtas diſsidiis & contradictionibus perſtrepere.* An non & ipſi ſuorum ſymmyſtarum rationes, probationes, & ſacræ ſcripturæ explicationes aliquando confutant, rati ſe meliores, firmiores, & diuinis litteris magis conſonas adferre poſſe? An non ingentia huiuſmodi contradictionum volumina ex Prædicantium commentariis colligere liceret, ſi quis in hiſce ineptiis bonas horas malè conſumere vellet; neque cogitaret longè ſatius eſſe; conficere Sectariorum contradictiones; quibus tam ipſi ſibi, quàm aliis ſuis *ſymmyſtis* & *ſynergiſtis* in dogmatibus & articulis ad ipſam fidem, vel ſectæ perfidiam pertinentibus contradicunt?

Et tamen Prædicans iſte magnã ſui libri partem non aliunde confecit; quàm ex huiuſmodi fictitiis antilogiis, ſine quibus omnis ars & ſcientia friget; omniſq; ingeniorũ exercitatio deficit; & indoles languet. Nam vbicunq; Bellarminus in Tomis ſuis aliquã auctoris Orthodoxi ratiunculã, aut probatiunculã, aut ſcripturæ expoſitionem non probat; ſtatim clamat hæc Lutherana Harpyia: *En contradictionẽ. Iſti Põtificij affirmant. Bellarminus negat.* Aut vice verſa; *Pontificij hi vel illi negant; Bellarminus affirmat.* Quid cum iſtis calumniatoribus & contradictionum tam ſcitis architectis agas? Si hoc eſt contradicere; tum nulla penitus eſt fuitue ſcientia, quæ contradictionibus non ſit fueritue pleniſsima; quia nulla vnquam exſtitit, in qua nonnulli eius cultores non attulerint aliquas rationes vel probationes, quæ ab aliis aut vt infirmæ non ſint confutatæ, aut vt falſæ non ſint repudiatæ. Iam verò vt ad ſecundum caput accedam, ſi Catholici diſſentiant in iis concluſionibus vel quæſtionibus, quæ fidem Catholicam non attingunt, quis tam rigidus, vel potius obſtipus, cenſor eſt; qui id Orthodoxis ſcriptoribus vitio vertat? Et tamen Prædicans iſte non modicam partem ſuarum contradictionum ex huiuſmodi liberis quæſtionibus à Bellarmino tractatis contexuit. Dicit fides: *per tria Sacramenta imprimi characterem.* Quid ſit iſte character, & in quo ſubiecto inſit; non tradit fides. Itaque alij dicunt, eſſe *relationem rationis*; alij, *relationem realem.* Bellarminus cum ſchola meliore & doctiore, *qualitatem abſolutam.*

Hic rurſus contradictionum anceps Pappus contradictionem nouam nactus eſt: vt & proximè pòſt de *ſubiecto* characteris, quem aliqui ponunt in intellectu, aliqui in voluntate; aliqui, & cum his Bellarminus, in ſubſtantia animæ. Sed qui huiuſmodi eruditorum in quæſtionibus liberis mutuas digladiationes ſopire cupit; is ante omnia efficere debet; vt fugata ex animis mortalium inſita natiuaque caligine, cunctis in controuerſis quæſtionibus veritas, meridiana in luce poſita; vniuerſorumque oculis expoſita propalam conſpiciatur; Et tum huiuſmodi ingeniorum altercationes è veſtigio conticeſcent: non enim aliam ob cauſſam iam exſiſtunt, quàm quia veritas denſis tenebris abdita deliteſcit; ad quam quiuis ſuam opinionem propius accedere credit.

Interea donec vel iſte Lutheranus Popus, vel de eodem grege aliquis alius hoc prę̃ſtiterit; publicè cum S. Auguſtino lib. 2. de pecc. Originali contra Pelagium, & Cæleſtium cap. 23. dicemus, has & ſimiles quæſtiones eſſe ex illarum numero; *in quibus, ſalua fide, qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiua ſuſpenditur, aut aliter, quàm eſt, humana, & infirma ſuſpicione conïicitur. veluti; cum quæritur, qualis, vel vbi ſit paradiſus, vbi conſtituit* DEVS *hominem, quem formauit ex puluere; cum tamen eſſe illum paradiſum fides Chriſtiana non dubitet. Vel, cum quæritur, vbi ſit nunc Elias, vel Enoch; an ibi? an alicubi? quos tamen non dubitamus, in quibus nati ſunt, corporibus viuere. Vel, cum quæritur, vtrum in corpore, an extra corpus in tertium cælum ſit raptus Apoſtolus: quanquam ſit impudens iſta inquiſitio, id ſcire volentium, quod ſe ille, cui hoc præſtitum eſt, ſalua vtiq; fide, neſcire teſtatur. Vel, quot ſint cæli, in quorum tertium ſe raptum eſſe commemorat. Vel, vtrum elementa mundi*

Digitized by Google

huius conspicabilis quatuor, an plura sint? Quid faciat solem, lunamq́, deficere his defectibus, quos prædicere Astrologi certa temporum dinumeratione consuerunt? Cur antiqui homines tamdiu vixerint, quam sancta scriptura testatur? Et, vtrum proportione longioris ætatis filios sera pubertate gignere cœperint? Vbi potuerit Matusalem viuere, qui in arca non fuit; qui, sicut in plerisq́, codicibus & Græcis, & Latinis numerantur anni, reperitur superuixisse diluuio? Vel, vtrum paucioribus, qui rarißimi inueniuntur, potius credendum sit; in quibus ita est numerus conscriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur? Quis enim non sentiat, in his, atq́, huiusmodi variis, & innumerabilibus quæstionibus, siue ad obscurißima opera DEI, *siue ad scripturarum abditißimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile est, & multa ignorari salua Christiana fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine?*

Hæc pulcherrimè S. Augustinus; quæ Prædicantis impudentiam, simul ac inscitiam fortiter neruoseque redarguunt. Dicat nobis Præco iste. Nullæné quæstiones liberè inter Lutheranos disputantur; aliis hanc; aliis alteram partem tuendam suscipientibus? Omniane Prædicantibus tam liquida, nuda, & aperta sunt, vt veritatem comminus *facie ad faciem* intueantur; omnesque vnum idemque, quauis in quæstione, dicant & sentiant? Operæpretium faceret Prædicans, si relictis Bellarmini tomis, ex suorum lucubrationibus prius omnes huiusmodi Prædicantium dissensiones in vnū conduceret; eoque confecto labore, æquiore animo toleraremus, si similē operā colligendis in argumento libero ex Bellarmino discrepantibus sentētiis impēderet.

Venio ad tertiam diuersitatis caussam; quia sæpe accidit, vt quæstio, de qua Doctores controuersantur, non sit definita ab Ecclesia: vt accidit tempore S. Cypriani in controuersia de rebaptizandis Hæreticis. A parte rei de fide erat; Hæreticos ad Catholicā Ecclesiam reuertentes non esse denuo Baptismate tingendos. Hoc tamen S. Cypriano & Sectatoribus eius nōdum innotuerat; quippe necdū ab Ecclesia decisum. Quapropter Hæreticos rebaptizandos esse cum suis cōtendebat: Sed inculpatè. Ingeminet & hic hæreticus Prædicans contradictiones; aliis Hæreticos reduces baptizādos aientibus; aliis inficiantibus: Nos cum S. Augustino lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. clamabimus: *Quod ille vir sanctus de Baptismo aliter sentiens, quam se res habebat, quæ postea pertractata, & diligentißima consideratione firmata est, in Catholica vnitate permansit, & charitatis vbertate compensatum est, & passionis falce purgatum est.*

Ecce in vnitate video Cyprianum & alios collegas eius, inquit S. Augustinus lib. 2. cap. 6. *qui, facto Concilio, censuerunt, omnes, qui extra Ecclesiæ communionē fuerint baptizati, baptismum nō habere, & ideo eis dandū esse, cum veniunt. Sed ecce, rursus in eadē vnitate video quosdam de hac re aliter sentire; & eos, qui ab hæreticis, vel schismaticis venerint, agnito in eis baptismo Christi, nō audere iterum baptizare. Hos omnes Catholica vnitas materno sinu complectitur, inuicem onera sua portantes, & studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum, si quid aliter sapiebant, dominus reuelaret.*

A

Imò has aduersantiū partium disceptationes arbitratur S. Augustinus viā & mediū esse; vt Ecclesia litibus finē imponat; Ait enim. *Quomodo potuit ista res tantis altercationum nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentā illustrationem, confirmationemq́, perduci, nisi primo diutius per orbis terrarū regiones, multis hinc, atq́, hinc disputationibus, & collationibus Episcoporū pertractata constaret? Hoc autē facit sanitas pacis, vt cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatē, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris.*

B

Idem cum in aliis multis quęstionibus, tum in numero Canonicorū librorū accidit. Tempore S. Hieronymi nondū generalis Concilij decreto sancitū erat; qui nam libri, & quot in Canone essent reponendi. Quocirca non modò alij forsan minoris famæ & nominis, quā S. Hieronymus; sed ipse D. Hieronymus, variè de hac quæstione sensit; vt & nō pauci ante illū maximæ auctoritatis in Ecclesia Dei doctores; idq; non aliam ob caussam, quā quia necdū generalis Ecclesiæ sanctione palā liquebat, quid de numero Canonicorū librorum statuendū esset. Numerus postea definitus est, cui definitioni D. Hieronymus, & alij libentisśimè acquieuissent; si vsq; eò vsura lucis obtigisset. Nō enim minus de S. Hieronymo nobis polliceri iure optimo possumus, quam S. Augustinus sibi de beato Cypriano pollicitus est, quem ait, facillimè correcturū fuisse errorem si plenarij Concilij decreto contrarium suæ sententiæ constitutum vidisset.

C

Adscribamus verba D. Augustini lib. 2. de Baptismo cap. 3. & 4. quæ facillimū erit ad nostrum argumentū accommodare. *Sanctus Cyprianus tantò excellētior, quanto humilior, qui documentū Petri sic amauit, vt diceret, documentū scilicet nobis & cōcordiæ, & patientiæ tribuens, vt nō pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquādo à fratribus, & collegis nostris vtiliter, & salubriter suggerūtur, si sint vera, & legitima, ipsa potius nostra ducamus: satis ostendit, facillimè se correcturū fuisse sententiam suā, si quis ei demōstraret, baptismū Christi sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quemadmodū amitti nō potuit cum foras exirent; vnde, multa iā diximus, nec nosipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi vniuersæ Ecclesiæ cōcordißima autoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet, si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata, & declarata per plenariū conciliū solidaretur. Si enim Petrū laudat, & prædicat, ab vno posteriore collega patienter, cōcorditerq́, correctū, quanto citius ipse cum cōcilio prouinciæ suæ vniuersi orbis autoritate patefacta veritate ceßisset; quia profectò & vni verū dicenti, & demōstranti posset facillimè consentire tā sancta anima, tam pacata, & fortasse factum est, sed ne scimus. Neq, enim omnia, quæ in illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ, litterisq́, commendari potuerunt, aut omnia, quæ mandata sunt, nouimus, &c.*

D

Hæc

Digitized by Google

Hæc more suo scitissimè & verissimè S. Augustinus.

Quæ omnia & ad illos bonæ sanctæque mentis & conscientiæ Doctores valent, qui aliquando definito nunc à Conciliis Canonicorum librorum numero, contradixerunt, à contradictione quamprimum cessaturi; si generalem Synodum aliud sanxisse cognouissent: sicut ipse S. Hieronymus, statim, relicta priore opinione, cessit; quando à Synodo Nicæna librum Iudith in classem sacrarum scripturarum cooptatum cognouit. Hic nimirum Catholicæ Ecclesiæ filiorum genius est; vt ad matris vocem & definitionem prompti alacresque iudicium suum aggregent; neque quidquam prius potiusue ducant, quàm vt Ecclesiæ decreta obseruent.

Idem dictum esto de recentioribus, qui post tot seculorum consensionem; post tot Conciliorum & Pontificum decreta & rescripta sententiam Hieronymi de libris Canonicis antiqui testamenti complexi sunt; vt Hugo Cardinalis, Liranus, Carthusianus, Caiêtanus, & quidam alij, quia vel innocenter nesciebant Ecclesiæ Pontificumque decreta; vel vim sensumque eorum nō satis assequebantur; vel in vnius Hieronymi Prologis vestigia sua ponentes, subque tanti viri clypeo tutos sese ac securos arbitrantes, rem diligentius non excutiebant; præsertim Caietanus, homo potius in Scholasticis subtilitatibus & argutiis, quàm in lectione Patrum, Conciliorum & veteris memoriæ exercitatus.

De his tamen singulis palam assero; eos, si vitam vsque ad absolutum Tridentinum Concilium produxissent; mandaturos fuisse, vt in spōgiam incumberent, quidquid secus, quàm Synodus decreuit, scripserant. Erant enim omnes isti *filij pacis Ecclesiæ*, vt de S. Cypriano loquitur S. Augustinus, & *filij obedientiæ*, vt à S. Petro appellantur. Nam quod Sixtus Senensis, etiam post Concilij Tridentini sanctionem à vero auius abiit in septem postremis Esther æ capitibus, id nimirum indicat, nos homines tenebris immersos esse; & in clarissima nonnunquam luce caligare. Fecit Sixtus, quod mortales solent; Non intellexit id, quod intellectu facillimum erat, si animum aduertisset. Impegit in decretum Synodi Tridentinæ, sed impegit, non vt Sectarius, sed vt filius cedere paratus, vbi vel ex Concilio mens Concilij monstrata fuisset; vel à summo omnium controuersiarum interprete, summo Pontifice, veritas declarata: Nam quod ipsa Cōciliorum decreta quantumuis clarissima interdum non intelligantur, aut aliter, quàm oportet, accipiantur, quid mirum, in tanta Ingeniorum varietate & multiplicitate, & in hac humanæ conditionis imbecillitate?

Ex his, quæ hucusque disputauimus, euanescunt non modò omnes illę contradictiones, quas Pappus ex libro primo Bellarmini de verbo Dei sese excerpsisse ait; sed simpliciter omnes

A omnino, quas toto suo libro proponit, vt lectoribus imponat. Ecce tibi horribiles contradictiones. *Septem postrema Estheris capita non recepit S. Hieronymus; eumq́; secutus Liranus, Carthusianus, Hugo, Caietanus & post Tridentinam Synodum Sixtus. At Bellarminus has capita recipit; ergo indignissimè sibi mutuo contradicunt.* Aliud contradictionis specimen. *Driedo negat librum Baruch esse Canonicum: Bellarminus affirmat. Driedo reiicit historiam Susannæ: Bellarminus recipit: Caietanus non admittit Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Macchabæos; Bellarminus hos omnes libros in Canone reponit. Caietanus deceptus ab Erasmo Epistolam ad Hebræos, & alias nonnullas à Canone excludit; Bellarminus includit.* Quis hoc infœderabile & irrreconciliabile bellum fœderet

B ac componat? Vnico verbulo: Concilium generale; aut generalis ille omnium controuersiarum iudex. Huius ore si Caietanus perspicuè ac dilucidè audisset, omnes illos libros, quos à Canone ablegauit, verè Canonicos esse; ne verbulum quidem contra reddidisset. Idem dico de Sixto Senensi, idem de Driedone; idem de aliis nostris *contradictoribus*: quales *contradictores* vtinam essent nostri Nouatores: Nouatores vtique non essent; quia errorem absque mora deponerent: Et præterea in vnitate Ecclesiæ permanerent; sicut omnes isti permanserunt, quorum nos auctoritate premere contendunt; quibus meritò quoties beatum Hieronymum, aliosq; ue priscos, & recentioris æui Liranum, Hugonem,

C Carthusianum, Caietanum, Sixtum, Driedonem proferunt, accinas: Abite hinc *lupi rapaces, qui pellibus ouinis indui cupientes, beati Cypriani* (Hieronymi, Lirani, Hugonis & aliorum) *litteras pro vobis esse arbitramini. Si auctoritas Cypriani* (Hieronymi, Hugonis, *&c.*) *sequenda est, magis eam sequendam esse* (noueritis) *in vnitate seruanda, quàm in Ecclesiæ consuetudine commutanda.* Huius enim (Hieronymi & id genus aliorum) *auctoritatem imperitis obiiciunt, vt se quasi rectè facere ostendant*; quòd integros libros ex Canone amputant; *nimirum miseri, & nisi se corrigant, à semetipsis omnino damnati, qui hoc in tanto viro eligunt imitari. Quod illi* (vt & cæteris) *propterea non obfuit; quia in ea pace, vnde isti aberrauerunt, qui viam pacis non cognouerunt, perseuerantissimis vsq; in*

D *finem greßibus ambulauit, &c.*

Nam illum næuum (de Canone truncato, & imminuto) *in candore sanctæ animæ, charitatis vbera contegebant: hanc autem fuliginem in istorum tartarea fœditate, vultus impacatus ostentat.*

Quæres, quæ tandem sit caussa, cur dissensiones, & discrepantium sententiarum diuersitates inter eruditos exsistant? Iam ex S. Augustino caussam assignauimus: quam audi denuò, & in intima præcordia demitte. *In nullo aliter sapere, quàm se res habet, Angelica perfectio est. Humanum est ergo aliquid aliter, quàm se res habet, sapere.* Hæc nimirum prima est huius rei origo; hic fons discrepantium sententiarum; quia cum veritas in cognoscendo & in agendo sæpe altis sit inuoluta

tene-

Digitized by Google

tenebris, fit. vt quis hac, alius non hac, sed alia via se ad abditos veritatis recessus peruenturum existimet; salua semper charitate & vnitate. Quod adeo vitari nequit, vt inter ipsos quoque Apostolos huiusmodi dissidia enata videamus.

Nonne & Apostoli, inquit S. Hieronymus lib. 3. contra Ruffinum, *saluis inter se amicitiis dissenserunt; cum Paulus, & Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum, stomachati sunt. Et separauit eos nauigatio, quos Christi Euangelium copulabat. Nonne idem Paulus in faciem Cephæ restitit, quod non recto pede incederet in Euangelio? Et tamen præcessorem suum, & columnam Ecclesiæ vocat: & exponit cum eo prædicationem, ne in vacuum curreret, aut cucurrisset.*

B De his vtriusque Apostoli discrepantibus sententiis pulchrè S. Chrysostomus Hom. 34. in Acta Apostolorum. Etiam, *in Prophetis inuenimus varias sententias, & varios mores. Erat Elias austerus, Moses verò mitis. Et hic quoq; asperior est Paulus: sed vide etiam hoc loco illius mansuetudinem. Volebat, inquit, vt is, qui defecerat ab illis à Pamphylia, ne simul assumeretur. Sic dux quidam belli, non vellet baiulum semper esse sordidum, & inter lixas; Ita, neq; Apostolus. Hoc etiam alios docuit, & illum emendauit. Dicet igitur quis; Malè fecit Barnabas? Minimè. Quoniam & valdè absurdum putare hoc esset. Et, quomodo non absurdum, ob rem paruam, dicere illum malum? Sed vide, quia primum quidem, malum nullum fuit, si contenti, saluis gentibus, auulsi sunt alter ab altero; sed etiam magnum bonum; quoniam nisi hoc fuisset; haud facilè relicturus fuisset alter alterum. Tu autem admirare hunc, quod neq; hoc celarit. Sed dicis; quamuis illos separari oportuerit, id tamen sine exacerbatione fieri debebat. Itaq; maximè hinc ostenduntur humana. Nam, cum in Christo hoc oportebat fieri, multò magis hic. Exacerbatio non fuerit mala; quando pro talibus vnusquisq; contendit, idq; iusta cum ratione. Itaq; si quis illorum exacerbatus, quod suum, & quod in suam gloriam quæsiuisset, bene: si autem vterq; volebat docere, & instituere; & hic quidem hanc, ille autem aliam viam ingressus est: quale hoc fuerit crimen? Multa etiam humana ratione faciebant. Non enim fuerunt lapides, vel ligna. Certant quidem, ad vnum autem finem tendebat vtilitas.*

Hæc S. Chrysostomus de diuersitate sententiarum in rebus practicis, quæ facile accommodare licebit ad quæstiones theoreticas & in contemplatione sitas. Et huc pertinet quoque illa Apostoli doctrina Epist. ad Rom. 14. vt rebus in liberis & adiaphoris suum cuique relinquatur iudicium; suusque sensus. *Alius*, inquit, *iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisq; in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit* DEO. *Et, qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit* DEO.

Quod ergo Apostolus concedit in rebus practicis, liberis tamen & indifferentibus; hoc cur Catholicis doctoribus non liceat in rebus speculatiuis, liberis tamen; nulloque Ecclesiæ de-

A creto definitis? Et tu, Prædicans, quis es, qui hanc libertatem doctoribus Catholicis per contradictionum calumnias adimere tentes, omni iure, etiam Apostolico, & ab ipsa humanæ naturæ conditione concessam? tibi tuisque æquè ac nostris vsitatam: Apud tuos tamen est necessitas; apud nostros contradictio, sed tuo *Prædicantico* suffragio; non veritatis calculo.

Aduerte aures Præco, & cum auribus mentem. Supra monui; & nunc iterum moneo; si contradictiones alicuius momenti, veras &, vt sic appellem, *reales* ex Bellarmino contexere cogitas, aut profer ipsius Bellarmini antilogias, quibus ipse sua vineta cædat; aut profer antilogias, quibus Bellarminus aliis doctoribus Orthodoxis; aut isti Bellarmino in capitibus & articulis fidei scientes volentesque contradicant; & tum non vmbratilium & inanium; sed solidarum contradictionum textor eris. At quando hoc præstabis? Tum, opinor, cum cerui *pascentur in arbore*, & pisces in aëre. Dum tamen hoc non præstas, nil es nisi impostor, indoctum vulgus contradictionum tuarum libro ludificans.

At tempus est, vt expendamus, quid Prædicans adferat contra modos nonnullos, quibus Bellarminus diuersas quorundã sententias aliquando excusat. Ait Bellarminus lib. 2. de Sacrament. in genere cap. 19. Scotum non dubitasse de charactere; sed tantum de probatione eius ex scriptura & Patribus. Hanc excusationem

C vocat Prædicans *frigidissimã*. Quid ita verò? Quia nihilominus manet contradictio. Nam Bellarminus cum aliis docet characterem ex scriptura & Patribus probari posse. Qualis hæc contradictio? Eius videlicet generis, cuius omnes libri extra Canonem tam sacri, quàm profani redundant. Non est enim vlla facultas siue sacra, siue non sacra, cuius cultores & Professores in probationibus conclusionum non dissentiant interdum; vt supra dicebam; omnibus quidem ad veritatem tendentibus; sed alio hanc viam; alio aliam eligente & præferente tanquam commodiorem, certiorem vel compendiosiorem. Quid enim probationes conclusionum aliud sunt, quàm via penetrandi ad veritatis cubilia? Quod

D si quis veritati absque probatione assentitur, vt quidem veritati de charactere assensus est Scotus, cum crederet nullam eius probationem ex scriptura aut Patribus produci posse; is absque medio ad finem pertingit; quo alij non sine mediorum interuentu peruenire contendunt.

Sed, vt demus Bellarmino, quod petit, inquit Prædicans, *hoc est, sint tales aliquæ inter istos contradictiones, quæ conciliari vtcunq; possint: nihilo minus tamen ipsorum controuertentium, interq; se, tanquam pro aris & focis digladiantium opiniones, Contradictiones erunt: & quamdiu suos vnaquæq; pars asseclas habebit, manebunt. Neq; enim propter has Bellarmini conciliationes omnis statim pugna in istorum libris, & scholis cessabit: qui in istum Arbitrum nondum compromiserunt.*

A At istæ, quales quales contradictiones, & eruditorum altercationes circa conclusionum probationes, necessariò eueniunt in omni disciplina & scientia; vt notum est vniuersis illis, quibus cor & communis sensus non obbrutuit, vel in lapidem stipitemue non migrauit; Dic Prædicans, an non hoc ipsis tuis Prædicantibus vsuuenit? An non & ipsi probationes quasdam suorum symmystarum aliquando, vt tenui pendentes filo, refellunt & de solidioribus circumspiciunt? An non ipsi etiam explicationes nonnullas quorundam scripturæ locorum à collegis suis, sectæque consortibus traditas interdum confutant? Teipsum igitur, ô præco, tuosque prius cura; & tum de *Papistis* curandis cogita.

B Quid quod in sanctorum Patrum commentariis idem videre licet. Quoties adducit S. Hieronymus probationes, vel scripturæ explicationes, reiectis aliis, quas minus solidas firmasque æstimabat. Quod de S. Hieronymo dico, id de aliis itidem sanctis Patribus intellectum volo, quia hic litterarius campus aliter non decurritur; quem qui aliter hoc mortalis vitæ statu decurri posse arbitratur, is fungus est, non homo. Et qui hunc campum hunc in modum decurrentibus, id dat crimini, is criminator est & Sycophanta; lunam allatrans, & contra impetum torrentis pleno & prono alueo in præceps ruentis stulta brachia tendens.

Ait Prædicans. *Quasdam opiniones reiicit Bellarminus tanquam simpliciter falsas; vt illam Sixti de septem* C *postremis Esthera capitibus; Driedonis de historia Susannæ; Caietani de multis libris Canonicis.* Meritò has opiniones reiicit Bellarminus; quia Concilium Tridentinum aliter definiuit ac docuit, quàm isti sentiebant; non quidem malo & hæretico more & animo; qui à Catholicis pectoribus longe abest; sed ex humana imbecillitate ingenij veritatem aliquando ob circumfusas tenebras, vel alias ob caussas clarè intueri nequeuntis. Id omni æuo à condito Christianismo accidit & accidet, quoad mundus stabit; eiusque luculentissima habemus in omni antiquitatis memoria exempla. Quæ tamen discrepantes sententiæ statim sopiuntur, cum veritas per Ecclesię D definitionem fidelibus manifestatur; nam qui tum non acquiescit; is iam non Ecclesiæ filius, sed transfuga, desertorque veritatis censetur.

Nam quod Sixtus etiam post Tridentinum Concilium in errorem impegit; id accidit; quia vim Tridentinæ sanctionis non est assecutus, siue id ob negligentiam & incogitantiam & incircumspectionem; siue ob præconceptam persuasionem, siue aliam ob caussam acciderit. Homo enim fuit: Humanum errorem commisit, at non hæreticum, quia non contumacem, non pertinacem; non præfractum frangique & superari nescium: vt enim supra aiebam, si summus Pontifex mentem Concilij, si non verbo; certè vel vnico nutu explicuisset; mox vela retrorsum dedisset; obliterata illa sua de postremis Estheris capitibus sententia.

At his defensionibus non tolluntur contradictiones, inquit Prædicans. Quæ verò contradictiones? Quod Sixtus, Driedo, Caietanus, alij senserunt, id vtique senserunt; neque enim factum infectum reddi potest. Verùm longè aliter Sixtus huic propositioni: *Septem postrema capita Estheris sunt Canonica*; contradixit; & longè aliter contradicunt Prædicantes; Ille, vt Catholicus, & Ecclesiæ vocem audire paratus; Isti, vt Hæretici, quibus mille Ecclesiæ nec curæ nec cordi; non sine præfracta contumacia. Itaque longè aliter sonat hæc propositio. *Septem postrema Estheris capita non sunt verè Canonica*; In ore Prædicantis; longe aliter in ore Sixti: sicut & illa: *Epistola ad Hebræos, Iacobi, Iudæ non sunt Canonicæ*: longè alium sonum auribus & mentibus nostris ingerit, cum à Caietano profertur; quàm quando à Prædicantibus pronunciatur. Nimirum vel maximè in præsenti locum habet tritum illud: *Duo cum dicunt idem; non est idem.* Huiusmodi, ô Prædicans, sententiarum diuersitates non sunt tam contradictiones, quàm humanæ imbecillitatis conditiones, sine quibus vita ista nō ducitur, propter difficultatem perueniendi ad verum; præsertim si Ecclesia suum decretum non interposuit; aut si aliquando interposuit; id postea obliuione rursus sepultum, aut perperam intellectum fuit. Nullas prorsus contradictiones ex Bellarmino Prædicans congeret; quarum similes ex veterum monumentis colligere nō liceat; omnibus enim seculis in diuersa itum est à doctoribus & pastoribus Ecclesiæ; donec tandem id, quod antea controuersum erat; Ecclesia definiuit, veritate in propatulo collocata. Cuius rei illustrissimum habemus Exemplum in Agrippino & S. Cypriano Episcopis Carthaginensibus in quęstione de rebaptizandis hæreticis.

Conciliat interdum Bellarminus opiniones, quæ primo adspectu apparent contrariæ; Clamat Prædicans. *Huiusmodi conciliationes non esse admittendas; cum ipse etiam Bellarminus non semper recipiat aliorũ modos, quibus diuersas sententias conciliare ac componere student. Nam lib. 4. de Pontif. cap. 14. reiicit Turrecrematam; qui Nicolaum IV. & Ioannem XXII. in decretis de paupertate Ordinis Minorum in omnibus & per omnia conciliare nititur.* At nosse debes, Prædicans, primò, multas opiniones non re, sed loquendi duntaxat ratione dissidere; Has, quo minus cōciliemus; quis pacis & concordiæ tam inimicus erit, qui vetet? Vsu id receptum est, tam in Philosophicis, quàm in Theologicis argumentis, vt norunt illi, qui in Scholis non sunt hospites planè ac peregrini.

Secundò, fateor, non omnem conciliationem esse approbandã; quidã enim, quantũuis inuitos

ac reluctantes, pacificare conantur, irrito labore; sed videndum, quibus fundamentis ac rationibus conciliatio fulciatur. Si quæ conciliationes à Bellarmino factæ, tibi, Prædicans, displicebant; cur non refutasti? Cur virium tuarum periculum in illis subruendis non fecisti?

Dicit interdum Bellarminus, recitatis diuersis doctorum opinionibus: *Neutram esse de fide, vel contra fidem. Quæ si vera est excusatio*, inquit Prædicans, *excusari profectò non poterunt, qui suas illas opiniones, tanquam & de fide & pro fide essent, Ecclesiæ obtruserunt.* Qui verò illi tam audaces, qui suam sententiam ab Ecclesia non determinatam fidelibus, tanquam de fide, obtruserunt? Cur nullos nominatim exprimis? Licet verò aliquis hoc vel faceret vel fecisset, (vt nunquam desunt, qui in asserendo, quàm in probando promptiores sint) veniam tamen mereretur vel bona fides, qua persuasi suam opinionem de fide certam crediderunt; vel error omnis malitiæ ac fraudis expers. Illud, *pro fide*, tua phrasis est; non Bellarmini; omnis enim Theologorum verisimilis & probabilis sententia pro fide est; quandoquidem nullus veri nominis Theologus vllam vnquam sententiam tuendam suscipit; nisi *pro fide*; hoc est, pro defensione & explicatione fidei, siue id reuera ita sit; siue ita sit, quia ita esse iudicat.

Quærit Prædicans: *Quid necesse fuit disputari vtrũ balsamum requiratur in chrismate necessitate Sacramenti, an solum necessitate præcepti, si neutra opinio de fide est, vel contra fidem?* Ideo de hac quæstione à doctoribus disputatur, vt veritas tandem patefacta eruatur. Ideo disputatur; quia libera quæstio est; liberis eruditorum disceptationibus exposita: cum nec scriptura, nec Ecclesia quidquam in hanc vel illam partem statuerit, quod quidem nobis constet. Angustis profectò terminis circumscribet Prædicans Theologorum disputationes, si non licet disputare nisi de illis sententiis, quarum veritas de fide certa est; vel manifesta falsitas contra fidem. Disceptabatur quondam vna ex parte à Cypriano & collegis; altera parte ab aliis Episcopis & doctoribus de baptismo Hæreticorum. Num disputatio illa propterea superflua censeri debet, quia eo tempore nihil dum ab Ecclesia de hac quæstione statutum fuerat, nec patefacta veritas, quæ postea Ecclesiæ vniuersalis decreto in lucem venit? Certè S. Augustinus adeo hanc disceptationem non habuit pro otiosa, superuacanea, & inutili; vt plurimas vtilitates inde exstitisse ferat cum alibi, tum libro primo & secundo contra Donatistas; cuius quædam super hoc dicta iam ante ex S. Augustino exscripsimus.

Pergit Prædicans. *Quamquam si omnino, quod Bellarminus in lib. de confirmatione cap. 9. supponit, in Sacramento Confirmationis chrismate opus est; certè de fide erit, siue pro ea sit, siue contra eam, scire qua necessitate* A *id requiratur.* Ego quid his verbis sibi Prædicans velit, planè non assequor. Forsan nec ipse. Nam supponit quidem Bellarminus, requiri ad Confirmationem chrisma; sed minimè supponit ad hoc chrisma necessitate Sacramenti etiam requiri balsamum; quandoquidem nec eorum sententiam, qui balsamum requiri dicunt; neque eorum, qui balsamum requiri negant, de fide vel contra fidem esse affirmat. De fide quidẽ est, ad Confirmationẽ requiri chrisma tanquam materiam; sed de fide non est ad hoc chrisma requiri balsamum, ita, vt si balsamum non adhibeatur, Sacramentum planè fit innalidum ac nullum; Et quid sibi volunt illa tam intricata & implexa? *de fide erit, siue pro ea, siue contra eam sit, scire, qua necessitate id requiratur.* B Quod de fide est, illud est pro fide, non contra fidem. Nihil enim quod sit contra fidem, de fide credendum est, directè ac per se; sed indirectè duntaxat; quia scilicet assensus alicuius propositionis de fide; dum fertur in illam tanquam in suum obiectum verum; simul etiam indirectè & obliquè propositionem contrariam inficiatur ac repudiat; vt quia de fide credo; hanc propositionem: *Datur purgatorium*; esse veram: simul de fide credo; hanc: *Non datur purgatorium*; esse falsam.

Ait interdum Bellarminus; auctores quorum improbabilis est sententia, scripsisse, aut ita sensisse ante Ecclesiæ definitionem. Et cur hac C excusatione non excusaret Bellarminus aliquos auctorum errores? An non hac ratione excusat vbique S. Augustinus errorem S. Cypriani de hæreticorum baptismo? qui libro secundo de Baptismo contra Donatistas cap. 7. Hæreticis illis Cypriani auctoritatem obiectantibus hunc in modum respondit. *Nolite nobis auctoritatem obiicere Cypriani ad baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani, ad vnitatis conseruationem. Nondum enim erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata: sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia; in ipsis quoque schismaticis, & hæreticis corrigere, quod prauum est, non iterare, quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare, quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in litteris eorum,* D *neque in Conciliis posteriorum; & tamen, quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. Hanc ergò saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus, ad plenarij Concilij confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi.*

Obiicit Prædicans. *Licet quando isti vel isti, hoc vel illud senserunt, quæstio nondum esset definita ab Ecclesia; sunt tamen & manent contradictiones, quia alij affirmant, alij negant.* At maiores non sunt contradictiones, quàm fuerint in quæstione

Digitized by Google

de hæreticorum baptiſmo; Cypriano affirmante, regreſſos ad Eccleſiam hæreticos rebaptizari debere; aliis id ſimpliciter inficiantibus; quorum ſententiam poſtea *Catholicus orbis terrarum robuſtiſſima firmitate conſenſionis* comprobauit. Vitari nequeunt in hac humanæ vitæ caligine huiuſmodi altercationes & diſſenſiones; cum *facie ad faciem* veritatem minimè intueamur; aut ſi vitari queunt; edoceat Prędicans, qua ratione id fieri queat; ducto exordio à ſuis; quos ſi in liberis itidem quæſtionibus vnum idemque ſapere & dicere concorditer viderimus, Prædicantis huius magiſterio inſtitutos; non cunctabimur, quo minus hoc vnitatis conſtituendæ artificium ab eodem grata mente diſcamus.

Interim ſicut olim vna in quæſtione libera, & necdum à Concilio vllo definita S. Cyprianus vnicuique liberam opinandi faciebat poteſtatem; ita & nobis eandem optimo iure factam arbitrabimur. *Supereſt*, aiebat S. Cyprianus, *vt de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit. Quid manſuetius?* inquit S. Auguſtinus libr. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas capite tertio. *Quid humilius? Nulla nos certè deterret autoritas à quærendo, quid verum ſit. Quando habeat, inquit, omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non poſſit, quomodo nec ipſe poteſt alterum iudicare. Opinor vtique in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſa ſunt. Nouerat enim quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia varia diſputatione verſabat, liberumq́; faciebat quærendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur.*

Hæc S. Auguſtinus de liberis & nullo Eccleſiæ decreto definitis quæſtionibus: de liberis inquam quæſtionibus; Quædam enim ſententiæ ita conſtitutæ ac comparatæ ſunt; vt quamuis nullo adhuc Eccleſiæ decreto repudiatæ ac condemnatę fuerint; attamen abſque nota defendi non poſsint; *erroneæ, ſcandaloſæ*, vel *hæreſi proximæ*; tolerantur tamen ab Eccleſia; donec tandem veritas liquidò patefiat, & perſpiciatur, & ab omnibus, reiecta falſitate, acceptetur: Huius generis eſt illa ſententia, quam recitat Bellarminus lib. 4. de Pontif. capite ſecundo. Pontificem, etiam vt Pontificem, poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſin, ſi abſque generali concilio definiat, & de facto aliquando accidiſſe: quamuis enim ſuperioribus ſæculis aliqua forſan veriſimilitudine non caruit; iam tamen omnem probabilitatem exuit; falſitate eius caput indies magis atq; magis in apertum efferente, & ſimiliter veritatis luce indies magis atque magis emicante.

A Occlamat Prædicans. *Cuiuſmodi, quæſo, hæc eſt, aut quam prouida Eccleſia, quæ iſtas opiniones non tempeſtiuè definit, vt quid ſentiendum ſit, fiat manifeſtum?* Item. *Cuiuſmodi rurſus hæc eſt Eccleſia, quæ opiniones tam erroneas hæreſique proximas tamdiu tolerat?* Audi Prædicans: eadem Eccleſia; quæ olim Agrippini, S. Cypriani, & ſodalium opinionem communi Eccleſiæ praxi & conſuetudini repugnantem tolerauit; tolerat & hodie hanc & ſimiles opiniones; Et ſicut olim Eccleſia tandem definiuit, quid in illa controuerſia ſentiendum ſit; ita forſan aliquando definiet quid in hac quæſtione ſentiendum ſit. Nec opus eſt properato: Non enim ignorat Eccleſia illud: *Feſtina lentè*: ne vllus conqueri poſsit, ſuam ſententiam B non maturo, ſed præcipiti iudicio damnatam eſſe. Et quamuis Eccleſia hanc de Pontifice aliaſque controuerſas quæſtiones decideret; num propterea vel iſte vel alij Prædicantes in Eccleſiæ ſententiam concederent? Nihil minus. Non expetunt definitiones, vt obſequantur, ſed vt calumnientur, tam ante, quàm poſt datas definitiones. Et ſi iſti tam ſunt definitionum auidi; Concilium Tridentinum adeant, & plures, quàm velint, definitiones inuenient.

Ait Bellarminus: Non eſſe recipienda Conciliorum, licet generalium, decreta, ante confirmationem Pontificis. *Quod dat Bellarminus, accipimus*, inquit Prędicans. *Erunt igitur hoc etiam* C *caſu vera contradictiones; Concilij, quod à Papa non confirmatur; & Papa non confirmantis Concilium, Verbi cauſſa, Concilij Baſilienſis ſtatuentis Concilium eſſe ſupra Papam, & Pontificum id improbantium.* Etiam contradictiones, hoc eſt, contrariæ ſententiæ erant; baptizatos ab Hæreticis denuo baptizandos eſſe; quod Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis in ſuo; & poſtea S. Cyprianus eiuſdem Vrbis Epiſcopus in alio Concilio ſanxit: Et, *Baptizatos ab Hæreticis denuo baptizandos non eſſe*: quod poſt S. Cypriani ætatem vniuerſalis Eccleſię decreto firmatum ac receptum eſt, vt paſſim teſtatur S. Auguſtinus. Quid verò hęc contrariarum ſententiarum diuerſitas obeſt; ſi in vnitate Eccleſiæ & charitate mutua perſtetur, D vt factum in illa de rebaptizandis hæreticis quæſtione; & nunc etiam fit tam in hac de Pontificis ſupra Synodos generales præeminentia, quàm in quibuſcunque aliis inter Catholicos Doctores controuerſis dubiiſque quæſtionibus. Nec adeo mirum mihi videtur illud, (quod tamen S. Auguſtinus libro quarto de Baptiſ. cap. 11. mirum reputat,) *quod accidere poſſe inuenit, qui diligenter aduertit, quoſdam, ſalua charitate, docere aliquid inutile, ſicut Petrus gentes cogebat iudaizare, ſicut ipſe Cyprianus hæreticos denuo baptizari. Vnde talibus bonis membris in charitate radicatis, & in reliquo non rectè ingredientibus dicat Apoſtolus*: (Philip. 3.) *ſi quid aliter ſapitis, id quoque vobis* D E V S *reuelabit: Et quoſdam rurſus*

ſine

Digitized by Google

sine charitate, docere aliquid salubre, de qualibus dominus A *dicit (Matth. 23.) super cathedram Moysi sedent; quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Vnde & Apostolus de illis inuidis, & maleuolis, Christianam tamen salutem annuntiantibus: siue occasione, inquit, Philip 1. siue veritate Christus annuntietur. Quapropter intus, & foris peruersitas hominum corrigenda est.*

Docet Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 11. Concilium generale, etiã illud, cui interfuerint Legati Pontificis, certam tamen instructionem à Pontifice non habentes, non esse infallibile, antequam à Pontifice approbetur ac confirmetur. Quid Prædicans? *Magnum nobis mysterium Bellarminus pandit.* Certè tam magnum, vt quantum video, captum tuum longè superet. Ais. B *Cur Pontifex suam ipsis mentem non tempestiuè aperit?* Tempestiuè aperit; ne dubites, Prædicans; vt patet in approbatione & cõfirmatione Concilij Tridentini facta à Pio IV. Satis tempestiuè mentem suam aperit Pontifex; quando confirmatio ab illo petitur; quamuis interdum prius aperuit, data certa Legatis instructione; quæ tamen semper darì nequit, ob caussas, quas in Bellarmino loco citato legisti quidem; sed callidè dissimulasti, ne recitatæ à te calumnias tuas infringerent.

Pulchra verò est illa Pappi locutio. *Pontificis mentem Concilio esse inuincibilem, nisi ipse Pontifex reuelet.* Quid, oro, est; *mentem huius esse alteri inuincibilem?* Num *inuincibiliter ignorari?* At longè aliud C est, mentem alterius inuincibiliter ab altero ignorari; & mentem alterius alteri esse *inuincibilem:* At inquit Præco; *Si mentem suam non statim initiò Pontifex aperiat; fieri potest, vt labatur & erret Concilium.* Respondeo; etiam fieri posse, vt Concilium labatur & erret, licet Pontifex, data instructione, statim mentem suam patefaciat: quia fieri potest, vt nec Concilium, nec Legati Pontificis mentem illam Pontificis & instructionem sequantur. Quod non semel in Conciliis accidit; testibus illis exemplis, quæ Bellarminus profert, qui insuper lib. 4. de Pontif. cap. 14. ait in quæstione quadam de Matrimonio nec Cælestinum, nec Innocentium aliquid certi statuisse, *sed vtrunque, quod sibi probabilius videbatur, respondisse; nec à Cælesti-* D *no factum esse decretum planè Apostolicum, & ex cathedra:* Addit Bellarminus: *Multa esse in ipsis etiam Pontificum Romanorum epistolis decretalibus, quæ non faciant rem aliquam esse de fide, sed solùm opiniones Pontificum de ea re nobis declarent.*

Ad ista, gaudio plenus exclamat Prædicans; *Beasti nos, Bellarmine, & caussam nobis præbuisti, de Decretalium Pontificiarum dogmatibus tamdiu dubitandi; donec nos certè doceas, quænam in illis de fide sint, & quas opiniones tantummodo Pontificum, quas sine animæ, & corporis periculo in medio nobis relinquere liceat, declarent.* Si vos Prædicantes beauit Bellarminus, est quod vobis partam beatitudinem gratulemur.

Vt autem Bellarminus Decretales Pontificum vobis explanet; & quid in qualibet constitutione sit tenendum de fide; quid non; quidque Pontifex pronunciarit ex cathedra; quid ex sua probabili sententia, tanquam priuatus Doctor, deprompserit; frustra, opinor, exspectatis; quia id iam abundè ab aliis est præstitum; & cuiuis paululum perspicaciori liquet, cum ex analogia fidei, tum ex collatione eorum, quæ in Decretalibus leguntur, cum aliis fidei decretis ac sanctionibus. Denique ex ipso etiam Decretalium contextu.

Sed pergendum est vlterius, inquit Prædicans. Perge igitur, & tandem nugas tuas fini. *Fieri potest, & fit, vt talis monstretur contradictio, quæ nullo horũ modo, possit excusari: nihilne igitur restat? Imò restat & septima excusatio. Autorem alterius opinionis, suam mutasse sententiam. quòd de* THOMA AQVINATE *tum aliàs, tum contradict. LVIII affirmat Quæstio est, vtrũ animæ in Purgatorio possint mereri? Non desunt inter Pontificios, qui Catholicorum nomine superbiunt, qui credant, animas Purgatorij habere omnia necessaria ad meritum, atq; adeò mereri. Ipse etiam* THOMAS *in 4. dist. 41. q. 1. art. 3. ad quart. dicit; post hanc vitam posse reperiri meritum, respectu præmij accidentalis. Idem tamen mutata postea sententia. q. 7 de malo, art. 11. disertè docet, in Purgatorio nullum posse esse meritũ, nec essentialis, nec accidentalis præmij. Hoc verò, non est ostendere, inter Pontificios de hac quæstione, nullam esse dubitationem: sed potius, Aquinatem de ea, non modò ab aliis, sed etiam à seipso dissentire.*

Iniquissime, vel potius stolidissime Prædicans, cui vnquam vitio datum est; si opinionem veritati minus propinquam in veriorem & veraciorem, firmis inductus rationibus, commutarit? Quis, nisi fatuus, talem commutationem vnquam in contradictionibus numerauit? nisi fortè dicere velis, libros Retractationũ sancti Augustini nil aliud esse; quam libros *contradictionum*; & tot contradictiones in illis exstare; quot exstant retractationes: & S. Augustinum non modò ab aliis, sed etiam à seipso dissentire. Sed nos Prædicanti occinemus illa S. Augustini verba, quæ libris retractationum præmisit; *Neq; quisquam, nisi imprudens, ideo, quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed, si dicit, non ea debuisse à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent: verum dicit, & mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum & ego. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem. Sed, qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: vt, qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat, quæ cognouerit dicenda non fuisse.*

Hæc contra istum Prædicantem S. Augustinus; qui etiam lib. 6. contra Iulianum cap. 11. liberè & ingenuè fatetur, se locum quendam Apostoli prius aliter intellexisse; & postea, veritate comperta, sententiam priorem deseruisse:

Digitized by Google

Sic enim Iulianum alloquens scribit. *Quod autem verba Apostolica, vbi dicit Rom. 7. Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum, &c. vsque ad illud, vbi ait, Miser ego homo, &c. me affirmas aliter intelligere, quàm eorum ipsum caput debet intelligi, nesciens mihi plurimum tribuis. Non enim ego solus, aut primus sic istum locum intellexi, quo euertitur heresis vestra, quemadmodum verè intelligendus est: imò verò, ego prius eum aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quadam illius temporis etiam scripta testantur. Non enim mihi videbatur Apostolus & de se ipso dicere potuisse: Ego autem carnalis sum, cum esset spiritalis, &c. Sed postea melioribus, & intelligentioribus cessi, vel potius ipsi, quod fatendum est, veritati, vt viderem in illis Apostoli vocibus, gemitum esse sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium, &c. Hinc factum est, vt sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti, notique doctores, qui & ipsum Apostolum aduersus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenuè confluxisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt.*

Hucusque S. Augustinus: contra quem æquè bacchatur Prædicans, ac contra S. Thomam, & alios. Nam si his non licet priores opiniones deserere, & veriores amplecti; non video cur id licuerit S. Augustino. Aut si huic absque vllius reprehensione commutandi ius fuit; cur idem ius negaretur S. Thomæ, & aliis subsecuti æui Doctoribus? Mirum est Prædicantem hoc loco vel mutire ausum; cum norit, parentem suum Lutherum, ab initio suæ defectionis, vsque ad vltimum vitæ articulum, nihil propemodum aliud fecisse; quàm sententias prius traditas & assertas permutare. Neque vitio hoc verteretur Luthero; si, deterioribus relictis, veras & solidas sententias amplexus fuisset; sique eas ipsas, quibus valedicebat, prius non venditasset quasi ex intimo Dei verbo depromptas, imò tanquam ipsissimum Dei verbum: sed quia tam inconstans & mutabilis fuit; vt quod prius, tanquam Dei verbum, summa animi contentione, vel potius furia, defenderat, id postea vt verbo Dei dissentaneum abiiceret; & tanquam falsum penitus repudiaret, quouis Vertumno versatilior. Quocirca ob hanc tantam, non in rebus liberis & leuioribus; sed in fidei capitibus & articulis leuitatem & mutabilitatem, iure optimo accusatur & culpatur LVTHERVS diuina dogmata, quasi ludum, vanissimus Ludio, tractare consuetus.

Vt interdum quædam Doctorum dicta & asserta veritati minus commoda Bellarminus mitiget vel excuset; dicere solet; Doctores illos, non propriè, sed impropriè locutos esse; vt S. Thomam fortasse nomen *meriti* impropriè accepisse, cum dixit; animas in purgatorio de-

A tentas mereri. Ita Bellarminus lib. 2. de purgat. capite tertio.

Obiicit Prædicans. *Cur quæso non maluit propriè loqui? Cum quidem ne manifestos quidem Barbarismos Scholastici vitauerint, quia propriè se loqui posse, nisi barbarè loquerentur, desperabant.* Nosse debet Prædicans, etiam non cogitantibus, improprias locutiones interdum excidere. Deinde num omnes tropos ex mundo & vsu loquentium Prædicans tollet? Et quis vnquam obstare poterit; nisi vsus, penes quem est ius & arbitrium loquendi, vt si quod vocabulum propriè & metaphoricè siue impropriè vsurpatur; ab impropria eius significatione abstineat. Mirum

B supra omnia mira foret, si Prædicans vllum nobis Scholasticum exhiberet, in quo nulla penitus impropria locutio reperiretur. Quæso te profer talem Scholasticum, & tunc contra Bellarminum tecum dicam, S. Thomam *meriti* nomen non impropriè, sed vel maximè propriè vsurpasse.

Ait Bellarminus lib. 2. de Ecclesia triumphante cap. 7. opinionem Caietani dicentis, non esse prohibitam Exodi 20. vllam imaginem vel idolum, sed solùm prohibitum esse, ne quis faciat imaginem quam quis habere velit pro Deo suo, solùm in modo loquendi sibi displicere, quia pro eodem habeat idolum &

C imaginem.

Quid ad hæc Pappus? *Nihilominus hæc Caietani sententia, licet ad meliorem loquendi modum reducta, à Caietani opinione ita distat, vt vtraque vera esse non possit.* Et quæ nam Caietani sententia distat à Caietani sententia? Dormis an vigilas? Caietanus *idolum & imaginem* pro synonymis accepisse videtur. Indicat Bellarminus sibi hoc displicere. Quid tu iam de Caietani sententia à Caietani sententia nihilominus discrepāte somnias? An fortè dicere volebas, Bellarmini sententiam nihilominus diuersam esse à sententia Caietani? Quis neget esse diuersam, si Caietanus imaginem & *idolum* pro synonymis reputat, hoc autem ipsum Bellarminus negat?

D Quā verò grauis & quam immanis est ista inter Caietanum & Bellarminum dissensio. Quam implacabilis rixa & contentio. Quis non videt istum captare muscas & culices, cum quæstiunculas de vocabulis nulla in disciplina non obuias tanto studio conquirit, & loco grauissimarum contradictionum obiiciat. Quot modos loquendi, quot vocabula minus commodè vsurpata correxit S. Augustinus in libris Retractationum. Inspice, oro, primum duntaxat & secundum caput; vbi tam sollicitè quosdam loquendi modos abs se vsurpatos emendat. Num & ipse nihilominus sibi contradicit; & non tantum ab aliis, sed & à seipso dissentit?

Dicit

Dicit Bellarminus Caietanum in Commentario super cap. 20. Exodi incautè locutum esse; & consequẽter cautius egisse 2. 2. quæst. 10. art. 4. vbi negat, licitum esse vendere idola gentilibus; Trahit & hic ronchos Prædicans, qui ait: *Etiamsi hoc modo excusetur Caietanus, nihilominus tamen & à seipso dissentit, & à Catharino, qui vult Deum in Decalogo imagines simpliciter prohibuisse, præcepto tamen positiuo & temporali.* Incautè quædam ab auctoribus cuiuscumque disciplinæ ac professionis proferri posse, tam notum est; quàm diem esse, cum sol lucet. Nec minus constat, eundem de iisdem, quæ incautè protulit, alibi cautius loqui & scribere potuisse. Cur igitur, cum quis aliquid minus cautè chartis mandauit; scriptũ ab illo cautius alibi; non excusaremus; quòd id non acciderit ex malitia, vel proteruia; sed ex humana incuria & oscitantia? An non sæpisimè in spongiam incumbere iubet S. Augustinus in libris Retract. quosdam loquendi modos minus cautè prolatos vel vsurpatos? An non passim cautiores substituit, & ab aliis substitui iubet? Quis hoc contradictioni adscribit? Quis reprehendit præter ineptos, rerumque humanarum & litterariarum censores imperitos? Et licet quis prius cautè quapiam de re scripserit; de eadem postea alibi incautè locutus: humanitas tamen ipsa præcipit; si alioqui sit orthodoxus, bonæque ac rectæ voluntatis Auctor; vt posteriorem incuriam & indiligentiam per priorem curam ac diligentiam purgemus & excusemus. Quod & Bellarminus candidè & ingenuè respectu Caietani præstitit.

At discrepat nihilominus Caietanus à Catharino. Quid tum? Res in opinione posita est; vtrum Deus simpliciter Iudæis cuiuscunque imaginis effectionem prohibuerit; an vtrũ tantum illam, quæ ad cultum diuinum dirigebatur? Siue hoc siue illud affirmes, nihil in dogmata fidei committes.

Nec ferre potest Prædicans, quòd Bellarminus quorundam scholasticorum sententias iam vel apertè damnatas, vel erroneas & periculosas, vel hæresi proximas hac ratione excusat: quia Doctores isti sententias suas Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ iudicio subiecerunt; quòd Hæretici rectis dogmatibus contradicentes nequaquam faciunt. Quæ certè excusatio iustisima est & æquisima, nixa bono sanctoque catholicorum animo, qui se & sua omnia iudicio Ecclesię sponte volentesque subdunt. Quo certè animo, tanquam proprio insigni, secernuntur Catholici ab Hæreticis; neque enim ipse error præcisè hæreticum efficit; sed voluntas obstinata perstandi in errore: nullique legitimo iudici amplius cedendi. quidquid demum ex officio sibi commisso definiat. Quæ mens longè abest à quouis orthodoxo Doctore, licet aliquando ex humani ingenij imbecillitate in errores incurrat. Quia non errare, non est perfectio humana, sed Angelica; & tunc à nobis obtinenda, cum Angelis similes erimus, in æterna scilicet beatitudine, vt supra ex S. Augustino audiuimus.

Sic idem Bellarminus libro primo de Eucharistia capite quinto Doctores, qui capite sexto D. Ioannis non de sacramentali, sed de spiritali Eucharistiæ manducatione agi censent; (quæ etiam sectariorum est sententia) excusat; interque illos & hæreticos multum interesse docet; quod Catholici id senserint optima intentione; vt videlicet facilius defenderent veritatem; hæretici autem, vt candem facilius oppugnarent. Deinde Catholici subiiciunt se ac sua censuræ conciliorum ac pontificum, quod hæretici non faciunt.

Licebit igitur secundum Bellarminum, inquit Prædicans, *falsis etiam, etsi non planè hæreticis, ad hæresin tamen proximè accedentibus argumentis & sententiis vti ad veritatis defensionem, quia fortasse veritas ipsa sibi non sufficit.* Hoc Bellarminus nusquam asseruit. Nam quod Catholici quidam scriptores negarunt caput sextum Ioannis agere de sacramentali Eucharistiæ manducatione, vt facilius veritatem Eucharistiæ defenderent; id non fecerunt; quod putarent eam sententiam, quam ipsi sequebantur, esse falsam; sed ideo hoc fecerunt, quia sententiam illam suam, credebant esse verã. Quod fit, vt non tanquam falsam; sed vt veram ad veritatis probationem assumpserint. Quis enim tam stolidus est; vt falsum cognitum & creditum ad veritatis tuitionem & patrocinium adducat; præsertim in argumento cælesti ac diuino; nisi fortasis ex hypothesi & conditione aduersarij. Neque vnquam Bellarminus, qui capite sexto Ioannis ait Christum de sacramentali Eucharistiæ manducatione disseruisse; assumet ad probationem veritatis contrariam Iansenij, Ruardi, Hesselij & aliorum opinionem, nisi fortasse ex hypothesi, vt dicebam; sed directè & per se ex illa disputatione Christi, præsentiam Christi in Eucharistia ostendet; vt facit capite sexto libri primi de Eucharistia.

Nec mirari debet Prædicans; si Catholicus, qui idem asserit. quod hæreticus, non censeatur hæreticus: quia idem asserit, at non eodem modo, non eodem animo; absque contumacia & pertinacia, cum promptitudine obsecundandi Ecclesiæ, quandocunque secus iudicauerit. An & hæc voluntas Sectariis nostris inest? qua cum careant, frustra profectò exspectant, vt aut Bellarminus, aut alius Catholicus scriptor, *lippientibus, vel potius cæcutientibus*, vel rectius, excæcatis eorum *oculis hoc collyrium* illinat; *& benedictum istud Panchreston*, vt Prædicans loquitur, impartiat. Quod Bellarminus lib. de Matrim. cap. decimo quinto, eodẽ modo excusat errorem Erasmi existiman-

Digitized by Google

ſtimantis propter fornicationem licere coniugi innocenti ad alias nuptias tranſire; id non immeritò fecit; quia ad finem ſuæ illius de hoc argumento diſputationis omnino totum ius & arbitrium ſtatuendi committere videtur Eccleſiæ, eiuſque ſummo Paſtori Romano Pontifici. Nec mirum Eraſmum hoc loco id feciſſe; quia varius erat & variabilis, & pro auræ mutatione ipſe etiam mutari conſuetus: Non tamen eſt, quod Nouatores idem excuſationis beneficium ſibi polliceantur; quia de eorum mente ac voluntate, vel potius contumaciſsimâ pertinacia, iam liquidò conſtat, adeo, vt quidquid ore profiteantur, id nihil aliud, quàm verba arbitrari debeamus. Planum id facit Lutherus, qui exordio tragœdiæ ſuæ omnia ſua ſedi Apoſtolicæ ſubiicere videri volebat; at paulò poſt manifeſtè apparuit, quàm ex animo, & quali ex animo hæc profeſſus fuerit.

Habes Prædicans ad præfationem tuam, atque adeo ad totum tuum librum reſponſum; ad quem, vt reuertar, ne præſtoleris. Iam ſucciſus eſt, eneruatus & elumbatus, quantus, quantus, cum nil niſi verba Bellarmini proferas, quibus titulum *contradictionum* præfigis; quàm verè, iam vidimus. Nam vbi Bellarminus duas vel plures ſententias, etiam in liberis, addo & minutis rebus recenſet; è veſtigio aduolat iſte: *En contradictionem inter Papiſtas: en diſſenſionem*: quaſi vlla ſit ſcientia, nedum hæc omnium Regina, Theologia & diuina ſapientia, in qua ex diuerſitate ingeniorum non pariantur & exſiſtant diuerſę ſententiæ. Quis auctor paulò accuratior vnquam prodiit, ex quo, ſi quis inſanire & inſaniendo calumniari velit, huiuſmodi contradictiones, vt iſte appellat, non liceat excerpere? Tecum habità, mi Prædicans, & ex tomis Lutheri contradictiones, non vmbratiles, ſed veras; non in rebus liberis, ſed in dogmatibus fidei; nobis exhibe & repræſenta; nam quod ab aliis id iam factitatum; ne te abſterreat. Facilem dabimus veniam, ſi actum agas. Et promitto eo magis publicè gratum futurum & profuturũ laborem tuum, quo à reuerentiore Lutheri Prædicante proficiſcitur. Tum addere licebit longè maiore etiam tuorũ plauſu & approbatione: *Cōtradictiones Lutheri, Iudice & teſte ipſo Luthero*. Et ad calcem libri. *Contradictionum Lutheri, indice & teſte Luthero*, FINIS. Similem operam ſi nauare lubeat colligendis Prædicantium Lutheranorum contradictionibus, non in rebus & quæſtionibus liberis & indifferentibus; ſed in iis, quæ fidei & religionis capita, ac ſummam concernunt; plures ſpiſsioreſque tomos Centuriis Magdeburgicis conficies.

Quod verò Bellarminus, diuerſorum, etiam Catholicæ religioni addictorum, ſententias enumerat rectè ac ordine facit; & id quod à locuplete & vbere ſcriptore vel inprimis exigitur, egregiè præſtitit, ſecutus officium nō modò commentatoris, ſed & hæreticorum oppugnatoris &

A expugnatoris; de priore D. Hieronymus lib. 1. contra Ruffinum: *Commentatoris officium eſt multorum ſententias ponere*. Cur non & bellatoris aduerſus Sectarios? Quod libro tertio aduerſus eundem Ruffinum tam in commentariis ſuper Epiſtolam ad Epheſios, quam in aliis ſe feciſſe teſtatur D. Hieronymus his verbis: *Nos in commentariis & illis, & aliis, noſtram, & aliorum ſententiam explicauimus, apertè confitentes quæ ſunt hæretica, quæ ſunt catholica. hic eſt enim commentariorum mos, & explanantium regula, vt opiniones in expoſitione varias perſequantur, & quid vel ſibi, vel aliis videatur, ediſſerant. Et hoc nō ſolum ſanctarum interpretes ſcripturarum, ſed ſecularium quoque litterarum explanatores faciunt, tam Latinæ linguæ, quàm Græcæ.*

B Hæc S. Hieronymus. Accurrat huc, quæſo, Prædicans, & contradictiones excerpat, & quoties hic vel ille locum ſcripturæ aliter interpretatur, toties *Contradictionem* ingeminet. Quod præmium inde referet? Riſum, opinor, quia nihil aliud meretur; cum commentariorum & diſputationum mos ſit varias opiniones ponere; vt harum rerum peritiſsimus æſtimator D. Hieronymus affirmat; qui & libro primo contra Ruffinum de eadem re pulcherrimè ſcribit in hunc modum: *Ego in Commētariis ad Epheſios ſic Origenem, & Didymum, & Apollinarium ſecutus ſum, qui certè contraria inter ſe habebant dogmata, vt fidei meæ non amitterem veritatem. Commētarij quid operis habent? alterius dicta ediſſerunt: quæ obſcurè ſcripta ſunt, plano ſermone* C *manifeſtant: multorum ſententias replicant, & dicunt; hunc locum quidam, ſic ediſſerunt: alij, ſic interpretantur; illi ſenſum ſuum, & intelligentiam his teſtimoniis, & hac nituntur ratione firmare: vt prudens lector, cùm diuerſas explanationes legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit, iudicet, quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Nam diuerſæ interpretationis, & contrariorum inter ſe ſenſuum tenebitur reus, qui in vno opere, quod ediſſerit, expoſitiones poſuerit plurimorum. Puto quod puer legeris Aſpri in Virgilium, & Salluſtium commentarios, Vulcatij in Orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, & in Terentij comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, & aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Perſium, atque Lucanum, argue interpretes eorum, quare* D *non vnam explanationem ſecuti ſint; & in eâdem re quid vel ſibi, vel aliis videatur, enumerent.*

Quibus verbis totum Pappi librum euertit S. Hieronymus, qui nihil eſt aliud, quàm fumus & fucus à principio ad finem vſque decurrens; in quo ne vnam quidem Bellarmini contradictionem proferre potuit; licet omnes omnium Tomorum Bellarmini angulos ſcrutatus fuerit: neque vllam itidem vllius catholici vel protulit vel proferre poteſt ſententiam veræ fidei contrariam, quæ ab auctore ſuo pertinaciter defenſa ſit; nam pertinacia in ſemel præconceptis opinionibus contra Eccleſiam tuendis repugnat notioni, &, vt ſic loquar, eſſentiæ Catholici hominis; Hac enim prærogatiua gaudet Catholica

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia, vt semper & vbique à filiis suis, religiosè & summa cum obsequendi voluntate audiatur tunc; quando quid sentiendum sit, exponit; quidquid prius iste vel ille Doctor & Catholicæ fidei explanator senserit: Omnes ad matris vocem, quasi è cælo missam, aduolant, & placita sua ad illius placita accommodant.

Nec plura de Pappico libro; quia, vt antea dixi, non nisi Bellarmini verba recitat; quibus tamen sua mendacia interdum assuit: quæ notare, superuacaneum duxi. Nam qui Prædicantes mentiri nescit, ille quæ sit huius pecoris natura, necdum nouit.

Hæc iam scripseram, cum ecce offertur mihi disputatio *de sacra scriptura auctoritate diuina & canonica Argentinæ, præside Pappo, proposita*, Anno Christi M. DC V. quam vt excussi, Pappum furem, mendacem, & indoctum calumniatorem esse, manifestè deprehendi. Furta arguunt singulæ propemodum Theses, quæ partim ex Rulli Basileensis syllogis disputationum Caluinisticarum de scriptura, alijsque thematibus, partim ex Iunio, VVitackero, Pareo, & similibus Caluinianis & Lutheranis symmistis ad verbum propè transcriptæ sunt.

Vbi agit de *numero & valore canonicorum librorum*, Thesin septimam totam confecit ex cap. 4. lib. 1. Hunniani examinis; quo loco, vt supra ad caput quartum vidimus, Prædicans iste ineptissimè librorum Canonicorum diuinam auctoritatem ex ipsis libris Canonicis adstruere nititur. Cuius ineptiam sibi imitandam Pappus censuit: qui Thesi octaua mentitur, *Canonem veteris testamenti, quem Lutherani & Caluinistæ statuunt, in Concilio Laodiceno approbatum*: quod geminum est mendacium: I. Quia Canon Concilij Laodiceni expressè admittit Baruch Prophetam, vt suo loco visum. Quem tamen anomalus & heteroclitus Lutheranorum & Caluinistarum Canon apertè reiicit. Deinde; quia Canon Lutheranus & Caluinianus palam repudiat Tobiam, Iudith, alios. Num hoc facit Canon Laodicenus?

Thesi IX. iterum duplex mendacium occurrit: *Patres approbasse Lutheranum & Caluinianum Canonem.* Demonstraui fusè ad caput septimum, nullum penitus ex Patribus antiquis à VVitackero, & hic ex VVitackero à Pappo quoque citatis; idem prorsus per omnia sentire, quod sentit Canon hæreticus. Et in hoc saltem plurimum distant; quod vt libros quosdam in Canone non commemorent, à Canone tamen palam non excludunt: vt faciunt nostri Nouatores.

Thesis X. tota est mendacium. Non ignoro quid Caietanus senserit. Velim tamẽ scire, vbi nã in Commentariis primæ partis D. Thomæ, quos Prædicãs generatim, nullo loco definitè indicato, allegat, hoc argumentum de numero librorũ Canonicorum tractauerit. De Cano & Benedicto Aria Montano; quos cũ Caietano pro Canone Hæretico testes laudat, apertũ est mẽdacium.

A Placet, quod Thesi 22. contra Hunnium, imò aduersus ipsum Lutherum, Epistolam ad Hebræos, secundam Petri, secundam & tertiam Ioannis, Epistolam Iudæ, & Apocalypsin tanquam verè & propriè canonicas recipit. *Primò*, vt inquit, *propter interna diuinitatis κριτήρια*. Qui verò fit, vt Lutherani Prædicãtes tam discrepantia & dissona habeant κριτήρια. Pappus Epistolam ad Hebræos *planè, perfectè, verè & propriè* dicit esse canonicam: idq; ob interna diuinitatis Criteria. Hunnius lib. 1. Exam. cap. 17. tribuit huic Epistolæ auctoritatem Canonicis scriptis *prope parem*. Quam ob rem? propter interna Criteria. A quo spiritu procedit hæc τῶν κριτηρίων diuersitas? Certè non à Spirito sancto; sed à spiritu Lutherano; qui à pri-

B mo statim ortu vsque ad hodiernum diem semper vertiginosus fuit. Epistolam Iudæ absque dubitatione verè Canonicam pronunciat Pappus: idque propter interna spiritus κριτήρια. Contrà Hunnius. *Epistolam Iudæ tanquam bonam & sanctam ad ædificationem plebis vsurpari posse existimo; ad confirmationem autem dogmatum minus habere valoris.* Cur ita iudicat Hunnius? Propter interna κριτήρια. Secundam Petri, secundam & tertiam Ioannis Lutherani, teste Hunnio, potiore loco habẽt, quàm Iacobi & Iudæ Epistolas: & hoc propter interna Criteria. At Pappus simpliciter pro diuinis & verè canonicis habet; vt & Epistolam Iudæ; & hoc propter interna κριτήρια. Quàm pulchrè concinunt duo isti Lutherani præcones? Etsi rectius

C Pappus, qui & bonas caussas alias reddit; quare Epistolæ istæ simpliciter pro diuinis & propriè Canonicis habendæ sint. *Quia*, inquit, *nunquam ab omnibus simul ecclesiis dubitatum fuit; sed quædam Ecclesiæ iis nunquam contradixerunt. 2. quæ dubitarunt, tandem in nostram sententiam iuerunt. Niceph. lib. 3. Ecclesia iam dudũ illas pro legitimis, & testamẽtariis recepit. Idem Hieronymus in catalogo. 3. Laodicenum Concilium admittit. 4. Dubitationis causæ, vt apparet, non sunt satis graues. 5. Argumentamur ab Ecclesia minus informata, ad melius informandam: aliàs etiam indubitata venirent in discrimen.*

Hæc non malè Prædicans. Ex quo tamen sciscitari lubet; cur non easdem ob caussas episto lam sancti Iacobi inter indubitatas & verè cano-

D nicas reponat? illam enim solam, tametsi immerentem, Thesi 24. relinquit inter dubiæ auctoritatis scripta. Nam & huic nunquam ab omnibus Ecclesiis contradictum est. Et quæ dubitarunt, tandem in nostram sentẽtiam iuerunt: eandemque Ecclesia iam dudum pro legitima & testamentaria recepit; eandem Concilium Laodicenum admisit. Accedit, quod dubitationis caussæ non sunt satis graues, etiam apud Pappum. Prima est, *quia Eusebius expressè dicit, sciendum ὡς νοθεύεται*, sed de sensu huius verbi νοθεύεται, abundè dictum est cap. 18. Et vt Eusebius, vel alij veterum hanc epistolam pro spuria & supposititia habuissent: aliæ tamen & quidẽ plurimæ Ecclesiæ eam receperunt; vt itidem testatur Eusebius; quarum

iudi-

iudicium, vt in epistola Iudæ, secunda Petri; posteriore & tertia Ioannis; non etiam sequamur in hac epistola Iacobi; argumentemurque, vt monet ipse Pappus, *ab Ecclesia minus informata ad melius informandam; aliàs etiam indubitatæ scripturæ venirent in discrimen.*

Secunda caussa, cur Pappus epistolam Iacobi dubiis accenseat, est; *quia præcipuum Geneseos testimonium de iustificatione Abrahami per fidem, neque tempori conuenienter citat, & contra Pauli mentem ad opera detorquet. Temporis circumstantiæ hic inter se conciliari prorsus nequeunt: meritò proinde inter τὰ ἀντιλεγόμενα refertur.*

Hoc purum putum est mendacium; vt ostendit Bellarminus. Et D. Iacobi cum D. Paulo concordia & harmonia cap. 18. à nobis iam est demonstrata; & passim à catholicis scriptoribus demonstratur. Et Pappo Lutherano Prædicanti oppono Hunnium itidem Lutheranum Prædicantem, qui in examine capitis 18. *rotundè* fatetur, facilem esse vtriusque Apostoli conciliationem; & argumentum ex discordia Iacobi cum Paulo cõtra auctoritatem huius epistolæ ductũ, *imbecillum esse.* Itaque non video, quid Pappum remorari queat, quo minus pari cum cæteris honore hanc epistolam dignetur, præter spiritum Lutheranum, à quo hoc quidem in capite nondum ad purum defæcatus est Pappus.

Quid autem de epistola D. Iacobi spiritus Lutheri sentiat; dictum est cap. 18. & patet cum ex aliis Lutheranis, tum ex sceleratissimo quodam Dialogo Germanico Anno Domini 1548. publicato cõtra librum *Interim* appellatum; vbi hæc prorsus blasphema, & quouis supplicio mactanda leguntur. Die letzte Oelung ist ein rechte Fantasey/ da bringt diser Meister Interim die ströwin Epistel Jacobi widerumb herfür/ vnd leugt auff S. Jacob Alphey Sohn deß Herren Bruder/ er hab dieselbig gemacht/ darzu ist es kein Epistel/ sonder seyndt etliche Sprüch confusè zusammen gelesen: Vor zeiten hieß man es ein Rapiat, aut Rapiarium, ein solch ding ist auch dise vermeinte Epistel/ deß vermeinten Jacobi/ Es ist eytel Plackerey/ darumb habens auch die Altväter nicht vnder die Bücher der H. Schrifft angenommen: darzu widerspricht derselbigen Jeckel S. Paulo/ vnd nimbt dem Glauben seine Gerechtigkeit.

Hæc Lutheranus ille, & ter execrandus *Dialogista* ex Lutheri spiritu; à quo si planè liber foret Pappus etiam Thesi hac 25. *Reliqua omnia noui testamenti scripta credimus habere Deum auctorem, & dogmata inde stabilimus ex vno librorum æquè ac ex altero:* Epistolam D. Iacobi inclusisset.

Thesis 27. ex Iunio confecta est: cuius nugas iam suo loco refellimus. Et ferè ex solis mendaciis constat; *vt Athanasium in synopsi duplicem facere canonem Iudæorum; vnum ἑβραϊζόντων; alterum, ἑλληνιζόντων. Libros, Iudith, Sapientia, Tobiam, alios, nunquam ab vniuersali Ecclesia orthodoxa receptos. multa dura, nõnulla falsa in iis contineri. Ecclesiam Christianam vsq; ad*

A *Hieronymi tempora constanti sententia pro non canonicis habuisse, à Christo & Apostolis non esse in Canonem relatos;* Hæc & alia huius farinæ, nihil aliud sunt, quã Prædicantica commenta.

Thesis 39. affirmat, *Euangelium Matthæi esse Matthæi, probatum esse ab Augustino ex scriptura.* Et citantur Acta cum Felice Manichæo. At cur non notatur illorum Actorum liber? Cur non libri caput; vt noua ista probatione pariter cum Prædicante frueremur? Sed tam verum est hoc ab Augustino ex scriptura vel probatum esse, vel ab alio quoquam probari posse; necessariò videlicet, & perspicuè; seposita Ecclesiæ auctoritate; quàm verum est à D. Hieronymo præfat. comment. in Matth. probatum esse ex veteri testamẽ-
B to, Euangelium Matthæi esse Matthæi. Nimirum valdè valida & robusta consequentia est: *Quatuor illa animalia apud Ezechielem cap. 1. significant quatuor Euangelistas: ergo Euangelium, quod hodie S. Matthæi nomine circumfertur, est S. Matthæi.* Quid si quis negaret caput illud primum Ezechielis esse Canonicum; Quo se verteret Prædicans? Quid si, licet canonicum esse concederet, aduersarius diceret; quod Prædicantes semper in ore circumferunt, ex sensu allegorico non duci firmum argumentum ad dogmatum demonstrationem?

Quid si quis contenderet; non hoc, quod hodie exstat, sed aliud quoddam Euãgelium, quod interciderit, ab Ezechiele præuisum & prædictũ; neque ad Matthæum, qui publicanus fuit; sed ad
C aliam quendam Prophetam respexisse? Quid si ne ad Matthæum quidem, sed ad alium quemcunq; potius oculos reflexisse asserat? Quo confugiet Prædicãs, si huiusmodi diuerticulis antagonista quispiam sese tueri velit? Qua ratione illum in viam retrahet; vel in via retinebit; nisi Ecclesiasticæ auctoritatis quasi fune & retinaculo?

Negare tamen non possum, mirificè mihi arridere Thesin 41. cum sequentibus nonnullis: vbi Pappus *prædicantissimi* planè videtur oblitus; & defectionem à suis symmystis fecisse. Affirmat I. *Scripturam sacram esse canonicam credendum esse fide historica simul & saluifica; si scripturam essentialiter sumas quoad doctrinam.* Non discutio distinctionem Lutheranam in fidem *historicam & saluificam.*
D satis mihi est in præsenti; ex Pappi sententia, scripturam esse canonicam credendum esse fide catholica, &, vt Lutherani vocant, *iustificante.* Neque examino, quam aptè doctrinam scripturæ, hoc est, rem significatam dicat esse essentialiter scripturam. Dissimulentur ista inscitiæ specimina. II. Affirmat hanc fidem, *quoad summã Legis & Euãgelij omnibus esse ad salutem necessariam.* III. *Ignorantiam, esse damnabilem.* IV. *Negationem simpliciter hæreticam.* Et in his quidem needum valde dissentit à reliquis Prædicantibus, si, vt videtur, per scripturam, rem scripturæ subiectam intelligit. Nam summa & generalia scripturæ capita omnibus ad salutem scitu sunt necessaria: & ignorantia verè est damnabilis, & negatio, hæretica. Sed nũ

sola

Digitized by Google

ſola eorum, quæ ab omnibus explicitè ſciri debent, negatio hæretica eſt? Non, opinor, hoc aſſeret Pappus; quod ex ſequentibus colligo.

Ait ergo V. *Scripturas accidentaliter dictas, quoad libros ſeu ſacra biblia, eſſe verbum Dei & regulam fidei ſimiliter non ſolum hiſtorica, ſed & ſaluifica fide credẽdum eſſe: Negationem eſſe hæreticam: ignorationem non item:* Neque hic ſubtilius inquiram, quàm aptè Prædicans ipſam ſcripturam prout characteribus ſignificantibus in charta, vel membrana, vel ſimili quopiam exarata eſt; vocet *accidentaliter tantum ſcripturam.* Certè nihil magis eſſentialiter eſt ſcriptura; quam ipſa ſcriptura in litterarum & characterum ſignificantium certa delineatione ſita: quemadmodum nihil magis eſſentialiter eſt vox humana, quam ſonus ille articulatus ab homine emiſſus; Hæc multò aptius, &, vt ſic dicam, eſſentialius, nominatur vox, quàm id, quod per huiuſmodi vocem ſignificatur. Mittamus iſta. Alia expendamus.

VI. Igitur docet; *Librum aliquem in particulari. v.g. librum Matthæi eſſe diuinum & canonicum vtraq; fide hiſtorica & ſaluifica tenendum eſſe; negationem eſſe hæreticam & damnabilem; ignorantiam non item, niſi accidentaliter; ſi quis ſcilicet ex ignorantia eò procederet, vt librum aliquem diuinum negaret eſſe Canonicum.* Hæc Pappus ex Pareo longè ſincerius & candidius; quàm Prædicantes in Colloquio Ratisbonenſi, qui, vt videre licet, ſeſſ. 10. 11. & 13. nunquam adigi potuerunt; vt disertè dicerent; *vtrum fide ſaluifica neceſſariò credendum ſit; ſacra Biblia eſſe verbum Dei.* Item, *vtrum fide ſaluifica neceſſariò credendum ſit; hunc vel illum particularem librum, vt Euãgelium ſancti Matthæi v.g. eſſe verbum Dei & Canonicum.* Semper tergiuerſati ſunt. Et aliquando quidem dixerunt; non eſſe *articulum fidei*; aliquando, *non eſſe dogma fidei.* Aliquando clamarunt; *aliud eſſe dogma fidei; aliud obiectum fidei.* Interdum aſſeruerunt; *neceſſariò credendum eſſe; ſed non eſſe articulum fidei.* Perpetuò confugerunt *ad teſtificationem primitiuæ Eccleſiæ*; quaſi quæſtio fuerit, vtrum teſtificatio primitiuæ Eccleſiæ catholica, &, vt Pappus loquitur, *ſaluifica fide* credenda ſit, tanquam dogma vel articulus fidei: cum non de teſtificatione, ſed de obiecto teſtificationis ſemper ſermo fuerit: vtrum ſcilicet de fide catholica & ſaluifica ſit; ſacra Biblia eſſe verbum Dei, vel Euangelium ſancti Matthæi eſſe Canonicum. Aliud autem eſt, ſacra Biblia eſſe verbum Dei, vel Euangelium Matthæi eſſe Canonicum; aliud; teſtificatio primitiuæ Eccleſiæ de ſacris Bibliis, quòd ſint verbum Dei; deque Euangelio S. Matthæi, quòd ſit Canonicum. At Hunnius perpetuò circa teſtificationem Eccleſiæ delirabat; quaſi id, de quo teſtificatio eſt; & ipſa teſtificatio, vnum idemque cenſeri poſsint. Nam tota quæſtio erat; num fide catholica & ſaluifica tenendum ſit; Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum. Hic in ſummas anguſtias redacti, præter effugia, ante commemorata, vociferati ſunt ſe mirari, *eas à nobis traditiones adferri, de quibus nos inter & illos nulla ſit controuerſia.* Eſt cum & Hunnius clamauit: *Non ſum in ea opinione, vt omnes traditiones reiiciamus.* Seſſ. 10. fol. 309. Edit. Lauing. *Semper enim præcedentibus diebus addita eſt hæc determinatio, quòd reprobentur traditiones illæ, quæ complectuntur articulos & dogmata.* Ex mente igitur Hunnij ſequitur, Biblia eſſe verbum Dei, & Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum, non eſſe articulum aut dogma fidei. Salua igitur fide negari poterit; hoc negat Pappus; & rectè quidem.

At Prædicans ſtatim relabitur ad teſtificationem Eccleſiæ, & diſputat; *vtrum nouum fidei articulum conſtituat.* De qua teſtificatione, neq; in Colloquio, neque etiam hic mihi ſermo eſt; ſed tantum de obiecto huius teſtificationis; Vtrum ſcilicet id, de quo erat teſtificatio primitiuæ Eccleſiæ, nempe Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum; fide catholica & ſaluifica credendum ſit. Hic vox Prædicantibus ſemper hæſit. Hunc nodum, vt ſoluerent, nulla vi, nulliſque machinis adigi potuerunt. Et modò aliquid *de fide ſua hiſtorica muſsitarunt; modò eum, qui Euangelium Matthæi neget eſſe Canonicum in ipſam ſcripturam ſacram impingere clamitarunt*; quod certè verũ; quia nullus magis in ſcripturam impingit, quàm qui ſcripturã funditus tollit; quod facit; qui ſacra Biblia negat eſſe Canonica; aut Euangelium ſancti Matthæi v. g. diuina & canonica auctoritate præditum eſſe. Interim tamen Prædicantes tranſactum nobis non dedêre; vtrum fide catholica & ſaluifica credendum ſit, ſacra Biblia eſſe legitimum Dei verbum; & Euangelium Matthæi verè Canonicum. Hic ſemper vox, quæ ad propoſitum faceret, faucibus intercluſa hæſit. Vt & tunc, cum quærebatur; vtrum hæreticus eſſet; ſi quis Euangelium ſancti Matthæi, (& eadem eſt ratio aliorum Canonicorum voluminum, cum ſingulorum, tum vniuerſorũ) pertinaciter inficiaretur eſſe Canonicum. Hic nullum expeditum reſponſum impetrare potuimus; omnia timida, implicata, & intricata erant.

Si quis, inquit Hunnius, ſeſſ. 10. *hodie negaret, Euangelium Matthæi eſſe Canonicum, is certè errorem damnatum committeret.* Et mox ad interna *Criteria* confugit. Quid verò obſtabat, ô Prædicans, quo minus diceres; hæreticum eſſe; ſi quis contumaciter abnueret Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum? An euidenter videbas, ex hoc ſequi, aliquid extra ſcripturã neceſſariò, & fide ſaluifica credendum eſſe; quod à Pappo concedi debet, quandoquidem tam liberaliter contra Prædicantium morem nobis largitur fide *ſaluifica* credi debere, Euangelium ſancti Matthæi eſſe Canonicum, eumque, qui hoc inficietur, hæreſeos notam incurrere: niſi fortè Pappus neceſſario aliquo argumento nobis planum facere velit, vbinam in ſcriptura proditum traditumque ſit; *Euangelium S. Matthæi eſſe Canonicum.*

Thesis 25. asserit; *librum Matthæi esse Matthæi, & non alterius, fide tantum historica teneri.* At quam vera est fides historica hæreticorum, tam vera est hæc Thesis. Hunnius hic liberalior videtur, quàm Pappus. Nam sess. 10. Colloquij Ratisbonensis sic loquitur. *Ille error, quo quis Euangelium Matthæi negat esse Matthæi, & negat esse Canonicum, impingit in ipsam scripturam.* Si error hic in scripturam impingit, est ergo hæresis, si accedat pertinacia; nam vt Hunnius eadem Sessione ait: *qui suo errore impingit in scripturam; is periculosè & hæreticè errat.* Cupimus autem nobis ostendi; vbi nam in scriptura contineatur, Euangelium Matthæi esse Matthæi; vt proinde is, qui hoc abnuit, in scripturam impingere, & aliquid, quod in scriptura comprehendatur, inficiari censeri queat. Nam quod Prædicans nugatur, ex primo capite Ezechielis demōstrari posse, (perspicuè nimirum & euidenter, seclusa Ecclesiæ auctoritate) Euangelium Matthæi esse Matthæi, an non hoc perquam ridicularium est, & omnium sibilis explodēdum? Qualis consequentia? *Ezechiel vidit quatuor animalia; ex quibus facies primi erat facies hominis; ergo Euangelium S. Matthæi est S. Matthæi, scriptura Ezechielis teste.*

Fatetur Pappus; *per accidens esse hæresin, si quis neget Euangelium S. Matthæi esse Matthæi.* Cur per accidens tantum? An non eadem Ecclesia, quæ Euāgelium S. Matthæi docuit esse Canonicum; docet etiam idem Euangelium à Matthæo, qui publicanus initio, postea Apostolus fuit, profectū esse? Si ergo primum credimus fide catholica & viuifica, cur non & hoc secūdum. & quidem per se ac directè: ita vt per se & directè Hæreticus existimari queat; quisquis Epistolam v.g. ad Romanos, neget esse S. Pauli. Et eadem est ratio aliorū librorum, quorum certi auctores ex determinatione Ecclesiæ nobis constant.

Nam quod citatus à Pappo Canus lib. 2. cap. 11. scribit, *librum esse huius vel illius scriptoris, non admodum interesse Catholicæ fidei, dummodo Spiritus sanctus auctor esse credatur;* id de illis asseruit, de quorum auctore adhuc sub iudice lis est; non de illis, quorum certus auctor Ecclesiæ definitione nobis innotuit: & sic etiam suam assertionem Canus intelligit; non quòd Ecclesia testificatione sua de auctore nobis nouum articulum fidei cudat; sed illum, qui à parte rei ignotus latebat, nobis patefacit; & in nostram cognitionem deducit. Fraudulenter ergo Pappus Canum allegat.

Thesis 26. planè est erudita; docet enim *scripturam in generali vel particulari esse diuinā & canonicam, non esse conclusionem fidei seu articulum; sed principium fidei.* Vbi admodum peritè conclusio fidei; hoc est, conclusio per argumentationem deducta ex fide; vocatur articulus fidei; quasi conclusio, vt sic, hoc est, vt ei quis assentitur mediante discursu, sit articulus fidei; & peritius adhuc, articulus fidei à principio fidei distinguitur. Hæc omnia reconditam quandā sapientiam olent: vt & istud

A Thesi 27. *Conclusiones ex principiis deductas propriè esse articulos fidei.* Ex quo sequitur, *Deum esse trinum & vnum*; propriè non esse articulum fidei; vt nec illa: *Christum esse incarnatum, ex Virgine natum, passum, mortuum, sepultum*; nisi *prout ex aliquo principio deducuntur.* ô subtilitates. Nunc vide & admirare eruditionis raritatem.

Thesi 28. *Scripturam esse diuinam & canonicam credi fide historica & saluifica tantum à fidelibus.* Metuebam ne diceret à Turcis & Ethnicis etiam fide saluifica credi. Iudæis tamen, *hypocritis*, & *Dæmonibus* huius rei fidem historicam concedit, me non inuito; nam fides illa *historica*, quam hæretici sua in officina architectati sunt, nemihem magis decet, quam hæreticos, Iudæos & Diabolos.

B Rectè affirmat Thesi 29. *Dogma de scripturis canonicis & diuinis esse de fide & articulum fidei.* Sed falsam reddit caussam; *Quia*, inquit, *expressè in scripturis & disertè continetur: vel euidenter inde deducitur. idq; Thesi 7. probatum ait.* Sed in hac Thesi nihil aliud fecit, quam quod stultitiam Hunnij iterauit, vel potius duplicauit; de qua supra. Vbi in scriptura continetur Canticum Canticorum & Ecclesiasten esse libros Canonicos? Dic, obsecro Prædicans. Citat quidem Hunnius lib. 1. Reg. cap. 4. siue vt nos citare solemus, lib. 3. sed hoc neque in illo capite expresſè & disertè continetur; neque vnquam euidenter inde deducetur.

Mendacium est Thesi 30. *Hi, qui scripturas admittunt, ex eadem euidenter probari posse hos ipsos libros, qui sunt in Biblico codice esse diuinos & canonicos.*

C Thesi 31. ait; *Illud, quod in Colloquio Ratisbonensi de cauda canis Tobiæ dictum est, neq; historica neq; saluifica fide tenendum esse, quia nō exstet in Græco exemplari*; sed hoc in Latinę & vulgatæ editionis iurato hoste dissimulandum est; non item illud, cum ait Thes. 56. *Concilium Carthaginense III. non esse sufficiens ad confirmationem Canonis, quia particulare fuerit*: Licet enim fuerit particulare, postea tamen totius Ecclesiæ suffragio comprobatum est.

Multo minus tolerari debet immane illud mendacium, quo Theses suas claudit: *In Ecclesia Pontificia nullum fuisse Canonem Biblicum à quatuor mille annis vsq; ad Concilium Tridentinum & Florentinum.*

D Os Pappicum: quid non mereris ob hanc effrenem & infrunitam impudentiam. Canon enim Biblicus in Ecclesia primitiua constitutus fuit postea temporis successu in obliuionem, vel dubitationem veniens, sæpius renouatus & repetitus est; nominatim in prædicto Concilio Carthaginensi; & in Romano sub Gelasio Pontifice; & à sanctis Patribus, præsertim à S. Augustino. Quanto rectius hoc de Lutherana synagoga affirmabitur, quæ vsq; ad Lutherum nullum prorsus Biblicum Canonem habuit, quia ante Lutherum nunquam & nusquam fuit. Interim obseruet lector, Pappum Ecclesiæ Pontificiæ quatuor millium annorum antiquitatem concedere. Quot annorum est synagoga Lutherana, ô Lutherane præco?

Digitized by Google

Nunc percurramus, sed breuiter, breuiculum Lutheranæ doctrinæ, quod Pappus Thesibus suis præfixit; quodque maximam partem ex Basileensi Rullo concinnauit. Thesi 12. ait, *Regulam certissimam omnis sensus & significationis esse analogiam fidei*; Lutheranam scilicet vel Caluinianam, quæ quid sit exponit nobis Rullus in Didascalia de verbo Dei Thes. 264. *Analogia fidei nihil aliud est, quàm constans, & perpetua sententia scripturæ, in apertis & minimè obscuris scripturæ locis: cuiusmodi sunt articuli fidei in Symbolo Apostolico ex scriptura totidem verbis collecti: cuiusmodi continentur in decalogo, in oratione Dominica, in aliis denique manifestis scripturæ textibus. Hac regula examinanda est quælibet interpretatio, vera ne sit, an falsa: sicut regula seruit ad explorãdum, rectum ne aliquid sit, an curuum?* Hæc ille.

Nos quidem haud abnuimus scripturam secundum analogiam & rationem fidei explicandam esse; quia scriptura non debet aliter exponi, quàm conuenienter fidei; sed huic analogiæ tum maximè insistimus, quando in scripturæ interpretatione ad Ecclesiastici Canonis traditionẽ, maiorumq; nostrorum consensionem firmiter adhærescimus, & ab ea nullo penitus pacto nos dimoueri sinimus.

Thesis 13. constituit admodum scitè scilicet, formam externam verbi Dei in significandi modo: quasi verò significandi modus verbis sit externus.

Doctius adhuc distinguit Thesis 14. hunc significandi modũ *in proprium & improprium.* Quasi vero, ipse sensus, in quo Pappus, formam internam verbi Dei collocat, non eodem modo in proprium & in improprium diuidi queat; & quidem longè rectius: nam sensus propriè dicitur proprius vel improprius: & ratione sensus ad ipsa etiam verba hæc appellatio deriuatur, vt alia sint propria, alia impropria.

Falsum est; quod Thesis 14. affirmat, omnia fidei dogmata verbis propriis in scriptura tradi. Nam illud Christi: *Ego sum lux mundi*, continet dogma fidei, & tamen non constat propriis verbis, sed metaphoricis; vt taceam, innumera alia scripturæ loca. Quia omnis scripturæ locus est dogma, hoc est, obiectum fidei; Dicere autem omnem scripturæ locum propriis verbis constare; id nihil aliud esse, quam vigilando somniare.

Falsum est Thesi 21. *Ecclesiæ sponsi præsentiam non absolutè, sed sub conditione obedientiæ promissam esse.* Absoluta enim promissio est illa Matth. 28. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.*

Thesis 23. falsa est de summo pastore; hic enim succedit Petro etiam in infallibilitate, & non errandi priuilegio. Falsa item est, de Episcopis, cum supremo capite in synodo legitimè congregatis: Nam & isti succedunt Apostolis in infallibilitate.

Thesis 25. nimis multum tribuit Prædicantibus, immemor, nisi fallor, illius, quod isti perpe-
A tim obiectant: *Omnis homo mendax.* Quid ergo Thesis? *Infallibilem veritatem assequuntur omnibus ætatibus fideles Ecclesiæ pastores*, (hoc est, Prædicantes, hos enim fidelium pastorum nomine indigitat Prædicans) *cum primis in fidei dogmatibus vel singuli per se meditando dies noctesque in timore Domini verbum Dei, vel in Concilio congregati, conferentes in timore & inuocatione Dei, &c.* En quo seipsos Prædicantes euehant. Infallibilitatem, quam & Pontifici Romano, & Conciliis orthodoxis abrogant, sibi palam nunc arrogant; & singulos etiam infallibiles faciunt, vel potius fingunt. Quis neget hoc nimium? præsertim pro Prædicantibus. Sed bene habet; caussam nostram cõtra Pappum agit Mylius & ipse Lutheranus Prædicans, qui in
B disput. de Iudice controuers. Thes. 111. disertè asserit, in eo *esse omnium Prædicantium maximam paritatem, quod errare iudicando, errare interpretando omnes possint, errentq; non raro aut leuiter.*

Ad eiusmodi τάξιν καὶ διάδοσιν, inquit Thesis 26. *alligauit se Spiritus Dei.* Et tamen Prædicantes indesinenter vociferantur, Spiritum sanctum *ad nullum locum esse alligatum*, ac proinde nec ad Papam, neque ad Cathedram eius, neque ad Concilia: spirare vbi velit, & quantum & quando velit. Nunc alligant ipsi Spiritum sanctum ad Prædicantes, conuentusque *Prædicanticos.*

Thesis 28. laudat illam sententiam D. Augustini ex lib. de vtilit. cred. cap. 2. *Non me ergo deseret Spiritus sanctus, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem*
C *amo, &c.* Præclarè hæc D. Augustinus. At vnde mihi liquidum exploratumque euadet hunc vel illum Prædicantem, vel plures simul nihil fingere, officio duci, veritatem amare; in timore Domini dies noctesques verbum Dei meditatos esse? Hæc cum mihi liquidò non patescant, iure optimo semper hæsitare possum, an non tum maximè fallantur & mentiantur Prædicantes, quãdo se minimè falli & mentiri sonoris vocibus protestantur.

Thesis 30. maiusculis & vncialibus characteribus excudi debebat. Et est ista. *Sensus & consensus vniuersalis Christianæ Ecclesiæ, est tanti faciendus, vt qui ab eo temerè discedunt, non sint ferendi.* Subsumo ego. *Sed Lutherani & Caluiniani temerè discesserunt à sensu*
D *& consensu vniuersalis Christianæ Ecclesiæ*; Quid sequitur? *Ergo Lutherani & Caluiniani non sunt ferendi.* Minor non eget probatione. quia contra veterem religionem annis Christi 1515. 1514. & antecedentibus toto terrarum orbe propagatam, introduxerunt ipsi nouam; quam vel in vnico inguriolo annis prædictis vixisse & viguisse, ipsi in æternum nunquam demonstrare poterunt.

Miror certè Pappum ausum fuisse hanc Thesin in *Breuiculum* Lutheranæ doctrinæ inferre.

Mendacia & calumniæ, quibus Pappus orthodoxos onerat & insectatur.

Breuiculo suæ fidei subiicit Pappus, *Breuiculum fidei Romanæ hodiernæ*, vt ait, *de principiis fidei*. Rectius appellasset: *Breuiculum pseudologiarum & imposturarum suarum*. Ex Catholicis enim scriptoribus, præsertim ex Stapletono, excerpit Hæreticus frustilla nonnulla; quæ longè aliter sæpe sonant, quando in ipsis Auctoribus cum antecedentibus & consequentibus connexa visuntur ac leguntur: vt cum ait Pappus; à Stapletono in *Triplica* contra VVitackerum cap. 17. doceri, *etiam ipsam diuinitatē Christi & Dei pendere à iudiciaria potestate pontificis*. At si quis ipsum Stapletonum legat; rectè hoc ab illo asseri comperiet, quod alioqui nudè positum, piis auribus non satis gratum accidere videtur. Addit enim Stapletonus, diuinitatem Christi & Dei pendere à testimonio & iudiciaria potestate Pontificis *quoad nos* non in se, & à parte rei. Nā vt nos Christū verè credamus esse Deū; vtq; etiam certa & supernaturali fide teneamus, Deum esse trinū & vnū, id facim' inducti auctoritate Ecclesiæ testificātis nobis eos libros, q hoc de Christo & Deo tradiderūt, diuinos, à Deo ipso dictatos, & ab omni falsitatis labe ac suspicione remotissimos esse: nam si præcisè hæc veritas ex ipsis Bibliorum codicibus eruitur, absque vlla Ecclesiæ testificatione; quæso, cur Trinitarius, cur Iudæus; cur Turca; cur Ethnicus, quando libros illos legunt, non assentiuntur? Cur statim aures mentesque à veritate auertunt, & ad fabulas conuertuntur? Certè alia non est caussa, quàm quia non recipiunt testimonium Ecclesiæ, sanctè & infallibiliter nobis asseuerantis; certissimò verum esse; quod libri illi de diuinitate Christi, ipsiusque adeo Dei tradunt. Nam si hæc testificatio dilucidè & perspicuè in ipsis sacris codicibus inesset; nemo prorsus in diuersam sententiam iret; sed omnes cupidissimè veritatem complecterētur. Nullus namque Iudæus vel Turca diuinitatem Christi respueret; si ita à sacris litteris proponeretur; vt iis lectis, veritas in ipsos oculos euidenter incurreret. Euidentia enim illa assensum necessariò extorqueret. Cum nemo sit tam hebes & tardus, qui assensum non præbeat; si perspicuè videat, id quod asseritur, infallibiliter cum vero consonare.

Vnde ergo id, quod à parte rei verè diuinum est ac infallibile, nobis itidem certò & infallibiliter eiusmodi esse liquet; nisi ex alia testificatione; eaque itidem certa & infallibili; quæ testificatio aliude non prouenit, nisi ab illa, quæ est columna & firmamentum veritatis, hoc est, ab Ecclesia. Neque Prædicanti adeo mirum videri debet, quod à Tannero nostro *in Examine Relationis Hunnianæ* scriptum est, sine hac interpretatione & testificatione Ecclesiæ impossibile fore credere (supernaturaliter) ex sola scriptura Deum esse vnum; esse tres hypostases diuinas in vna essentia: non est inquam quod adeo miretur & irascatur insulsus Pappus, quia nihil à veritate alienum complectitur.

Multa alia, quæ Pappus Catholicis tribuit, non sunt eorum placita, sed *Prædicantica* pseudologiæ & lœdoriæ: vt secundum Stapletonum has propositiones: *Deus est vnus, & trinus; Christus habet duas naturas*; non esse propositiones in verbo scripto comprehensas, sed scripti verbi interpretationes: & citat cap. 17. *Triplica* contra VVitackerum. Sed nihil horum ibi asseritur. Sic Thes. 17. ait ex Stapletoni sententia; *definitionem pontificis esse formalem caussam fidei, in quam fides vltimò resoluatur*. Citatque Relectionis Controuersiam quartam & sextam. Iam audi verba Stapletoni: *Tota caussa formalis fidei nostræ est Deus verax, seu, quod idem est, obiectum formale fidei nostræ est prima veritas reuelans, & intus in corde testificans: idemque vltimum, & in quod resoluitur omnis credentium fides, vt postea magis explicabitur quæst. 3. art. 2.* Hæc ad verbum Stapletonus. Et quisquam erit tam leuis & inconsideratus, vt post tam luculentum & apertum mendacium, quidquam amplius huic Prædicāti credendum aut fidendum existimet; quando Catholicorum sententias refert?

Nec opus plura mendacitatis & inuerecundiæ exempla depromere. Ex his satis agnoscetur frons Prædicantica: cuius hic etiam lucidissimū tibi speculum exhibeo. *Qui negat omnem fidem, qui negat Deum, Christum, passionem, redemptionem eius, resurrectionem mortuorum (hæc enim omnia in quantum credibilia sunt, à solius Pontificis infallibilitate, & reuelatione dependent) ille quidem grauiter peccat, sed toleratur adhuc in Ecclesia Romana propter multos Catholicos, qui hoc sustinuerunt. Hanc esse Pontificiorum hodie recentissimam fidem, propriis ipsorum verbis demonstrauimus in thesibus ad claram lucem.* Tu verò ad claram vsque lucem impudentissimè sycophantaris; & plusquam Diabolica mendacia impiis faucibus eructas. Mirer, si charta non erubuit, quæ primitus hæc talia ac tanta figmenta excepit. Mirer insuper, si vllus sit Lutheranorum cordatiorum, cui hæc execranda [illegible] creditu digna, vel verisimilia videri queant.

Postea disputare ingreditur Prædicans, de auctoritate sacræ scripturæ: quam diuinam esse; & à solo (secundum se scilicet, & in actu primo spectatam) Deo pendere, rectè statuit Thesi 4. & 5. Rectè etiam Thesi 6. docet, *Idem esse Dei verbum, siue scriptione, siue prædicatione sola absq; scriptione, nobis innotescat, & ad nos perueniat: Scribi enim vel non scribi esse verbo Dei accidentarium. Quod si verbum scriptum non scripto opponeretur*, inquit Thesi 8. *pari consequentia duplex foret Euangelium, prolatum* (seu traditum) *& scriptum, & per consequens duplex Christus, à quo tanquam à fundamento vnitas & pluralitas Euan-*

velis pendeat oportet. Sic foret duplex gratiæ promissio, duplex baptismus propter duplex verbum prolatum & scriptum. Hæc fortasſis procederent, ſi quis verbum ſcriptum & non ſcriptum, eſſentialiter, quoad rem ſignificatam, itemque ratione originis & cauſſæ efficientis diſcrepare contenderet: Nunc cum non differant, niſi modo; quod alterum ſcriptum ſit, alterum ſine ſcripto traditum; minimè ſequuntur ea; quæ ex diſtinctione verbi ſcripti, & non ſcripti Pappus infert: niſi fortè, cùm verbum fuit tantummodo traditum, antequam Moſes verbum in ſcripturas referret, & in nouo teſtamento, antequam noſtræ religionis antiſtites doctrinam Euangelicam litteris conſignarent; fuit alius Deus; & alius Chriſtus; & alius baptiſmus, & alia gratiæ promiſsio; & deinceps verbo ſcriptis comprehenſo, alius Deus; alius Chriſtus; alius baptiſmus; alia gratiæ promiſsio: ita vt omnia congeminarint.

Addit Theſ. 9. *Si ingrederetur verbi Dei eſſentiam diuiſio ſcripti & prolati* (hoc eſt, *traditi*) *verbi, ſic. vt conſtitueret duas verbi ſpecies, verbo pronunciato, euaneſceret illico verbum Dei: quandoquidem prolatia eſt tempori ὁμόχρονε. ſic pereuntibus libris periret iterum verbum Dei. contra expreſſum Chriſti dictum Iſaiæ 40. Verbum Domini manet in æternum.* Quis tam acutis eſt oculis, qui rationem huius ſequelæ perſpiciat? nam ſiue duas conſtituant ſpecies, verbum ſcriptum & prolatum ſeu traditum; ſiue non conſtituant duas ſpecies; ſed vnam duntaxat; diuerſimodè tamen affectam; certum tamen eſt, verbum Dei ore tantummodo pronunciatum, præterire & deſinere; quando vox vel ſonus ille deſinit. Cum enim tunc verbum Dei eſſentialiter conſiſtat in voce, permanere profecto diutius non poteſt, quàm vox ipſa perſeuerat. Et cum quando in ſcripta refertur, eſſentialiter conſiſtat in ſcriptura, ſeu in certis characteribus diuinam mentem & ſententiam nobis ſignificantibus & patefacientibus, interire certè poteſt; pereuntibus chartis ſeu tabellis, in quibus conſignatum eſt.

Neque obſtat illud: *Verbum Dei manet in æternum:* quia intelligitur primùm de verbo impreſſo; item de veritate verbi expreſsi; quæ perpetua eſt; item de fructu. Prædicans videtur hic nonnihil accedere ad ſtultitiam Alchymiſtæ Bauij; qui fortiter negat, verbum Dei eſſe externam ſcripturam, etiam prout eſt ſignificans; quæ in Bibliorum codice continetur, & in omnium lectorum oculos incurrit. Semper vociferatur, *Verbum Dei eſſe quoddam aliud; altius, ſublimius, diuinius.* Cuius ſtupiditatem in vtroque *Antimonio,* & nuper quoque in *Palæmone* ſatis ſuperque contudimus; à qua fatuitate longè abeſſe deberet Pappus, ſi conſtare ſibi vellet; quandoquidem prima ſtatim Theſi fatetur; id eſſe Dei verbum, *quod Deus per os ſanctorum Prophetarum & Apoſtolorum locutus eſt, & calamo eorundem ſcripſit:* cuius materiam Theſi 3. duplicem facit. *Simplicem & compoſitam. Simplicem*

A *vocat vel voces ſingulas, vel per ſtructuræ ſyſtema concinnatas. Compoſitam, libros vtriuſq. teſtamenti Canonicos.*

Mentitur Theſ. 10. *Æquipollere iſtas phraſes: Dictum eſt per Prophetas: ſcriptum eſt, ſic dicit ſcriptura.* Quia *dicere,* latius patet, quàm ſcribere; nam & quod abſque ſcriptura traditur, id verè dicitur. Sic ſynonyma non ſunt; *audire Chriſtum; audire Apoſtolos; ſcrutari ſcripturas; attendere lectioni.* Quia Chriſtus & Apoſtoli audiuntur etiam extra ſcripturam per verbum traditum; & per ſuperiores: iuxta illud, *Qui vos audit, me audit.* Sed hæc talia effudit Pappus odio traditionum.

Theſ. 12. affirmat, *Deum verbo ſuo auctoritatem cõciliaſſe variis modis, etiam quoad nos.* Non inficior. Sed addo; modos iſtos, quibus Deus verbo ſuo fidẽ
B conciliare ſtuduit etiam quoad nos, nobis certò & infallibiliter non conſtare, niſi per Eccleſiæ teſtificationem; quæ nos certos reddit, vera eſſe, quæ ſuper hac re diuinæ litteræ tradunt.

Securè mendaciis annumera; quod Theſis 13. affirmat, Moyſi expreſsè mandatum eſſe à Deo Exodi 34. vt in Pentateuchum legem tranſcriberet. Nihil in iſto capite de Pentateucho, ſed tantummodo hoc mandatum reperitur. *Scribe tibi verba hæc quibus & tecum, & cum Iſraël pepigi fœdus.* Quid hæc ad Pentateuchi totius ſcriptionem?

Theſis 15. mentitur, *Auctoritatem ſcripturæ inſitam, non eſſe à Deo obſignatam per Eccleſiam;* ſed *per ſummum, per oraculum, per rationale, &c.* Licet enim hæc verbo ſuo adſtruendo Deus adhibuerit; ſemper
C tamen Eccleſiæ auctoritas pariter interuenire debuit, & quidem neceſſariò. Nam aliunde poſterioribus Iudæis conſtare non potuit, vera eſſe, quæ in Pentateucho commemorantur, quàm ex teſtimonio Eccleſiæ: neque enim ipſi viderant; quæ ſæculis illis anteactis geſta fuiſſe Moyſes narrat. Itaque vt hodie auctoritas diuinis libris inſita, & à Deo obſignata; nobis non innoteſcit, niſi per Eccleſiam; ita & olim non niſi per eandem innoteſcebat: atque adeo per eandem quaſi obſignabatur quoad nos; vt accedente Eccleſiæ teſtimonio, tanquam externo quodam ſigillo; poſtea tandem ipſam à Deo immediatè impreſſam obſignationem agnoſceremus, & fidei oculis certò intueremur.

D Quapropter Theſis quoque 21. falſa eſt; cum aſſerit, *Canoni Hebræo Eccleſiam poſteriorem ſuis ſynedriis nullam auctoritatem attuliſſe:* ſi quidem loquatur, vt certè loqui videtur, de auctoritate quoad nos. Semper enim ſynagoga teſtificatione ſua apud poſteros libris Canonicis auctoritatem cõciliare & conſeruare ex officio ſuo debuit.

Vtra Maior ſit Eccleſiæ an Scripturæ auctoritas, quod tangit Theſis 22. dicetur infra ad caput vltimum lib. 3. Bellarmini. Diuerſo reſpectu ſe mutuò exſuperant: vt ferè in huiuſmodi comparationibus euenire ſolet.

Theſis 26. & aliquot ſequentes agunt de teſtificatione, qua ſcripturarum diuina auctoritas nobis aperitur. Sed quamquam Prædicans teſti-

Digitized by Google

monia, vel vera adferat, vel falſa confingat, nugas agit, niſi Eccleſiæ teſtificationem proferat. Nam vnde ſciam, Apoſtolos & Prophetas, imò & ipſam primitiuam Eccleſiam, ſcripturis, quas hodie pro canonicis habemus, teſtimonium perhibuiſſe; & quidem verum & infallibile, niſi Eccleſia de hoc me certò & infallibiliter edoceat? Vnde item certus ero; teſtificationem internam pectoris mei à Spiritu ſancto eſſe; niſi ex inſtitutione Eccleſiæ; præſertim cum videam, nil eſſe facilius & vſitatius, quàm vt is, qui ſe interno Spiritus ſancti ductu & impulſu regi arbitratur, ducatur & impellatur à malo genio. Neque teſtimonium Eccleſiæ, ſpectando infallibilitatem, minoris eſt dignitatis & auctoritatis, quàm teſtimonium Apoſtolorum & Prophetarum, quidquid Theſis 31. contrà garriat.

Nec diſplicet nobis dictum Caietani Theſ. 38. commemoratum, eam ſolam eſſe ſacram ac diuinam ſcripturam, quam Apoſtoli aut ſcripſerunt aut approbarunt. At vnde compertum habet Pappus, Apoſtolos non approbaſſe Tobiam, Iudith, ſimiles? Item nec ab Apoſtolo ſcriptam, neque ab Apoſtolis comprobatam epiſtolam Iacobi?

Theſis 40. & aliquot ſequentes, encomia ſcripturæ enumerant, quæ nemo bonus non agnoſcit; vt & hoc: *ſcripturam in ſe, intrinſecè, eſſe diuinam & infallibilem*; licet nullum prorſus extrinſecum Eccleſiæ teſtimonium accedat. Non ignota refers. At nobis quoad cognitionem, non eſt diuina & infallibilis, niſi per teſtimonium Eccleſiæ. Quid opus hac de re, quam non inficiamur, tam multa verba fundere Theſi 44. & 45.

Primarium ſcripturæ finem ait Theſis 47. eſſe τὸ γνῶσιν τῦ Θεῦ, vt cognoſcatur Deus: citaturque Ioan. cap. 17. v. 3. vbi tamen nihil de ſcriptura Chriſtus dicit: ſed eſto; ſit iſte primarius finis ſcripturæ. Quomodo obtinebitur abſque teſtimonio Eccleſiæ; cum hoc ſecluſo, neſciam certò & infallibiliter, verum eſſe id, quod ſcriptura mihi de Deo tradit? Addit: *finem etiam primarium ſcripturarum eſſe gloriam Dei.* Ita eſt. Sed hæc gloria vera & ſolida nunquam ex ſcriptura exſiſtet; niſi certò mihi liqueat, eam certò & infallibiliter eſſe ve-

A ram, & ab omni falſitate remotiſsimam. Hoc vnde mihi pateſiet, ſi non ex teſtificatione Eccleſiæ?

Lepidum eſt, quod Prædicans monet, nomine *gloria* non intelligendam illam, quæ Deo per nos confertur; *ſed illam, quæ nobis pateſit, & apud res creatas illuſtratur ſcripturæ reuelatione.* At cur, oro, priorem illam gloriam excludit? An non ideo etiam ſcriptura diuinitus nobis data eſt, vt Deũ prædicemus, laudemus; & glorificemus? Ait Prædicans: *Nihil per nos ipſi accedere poteſt.* Si nihil poteſt accedere, cur ergo monet Propheta? Pſal. 28. *Afferte Domino gloriam & honorem.* Audi Præco. Licet Deo quoad naturam eiuſque perfectionem nihil poſsit accedere; poteſt tamen, imo & debet
B aliquid Deo per nos accedere quoad cultum & venerationem; quam vt Deo largiamur, tota fermè ſcriptura à nobis efflagitat.

Sed en nouum arietem. *Eccleſia eſt ſcripturæ diſcipula; ergo non magiſtra; ergo non teſtis.* Reſpondeo, Eccleſiam eſſe hæc omnia: diuerſo intuitu. Diſcipulam, quatenus ex ſcripturis veritatem diſcit. Magiſtram, quoad nos, quatenus ſcripturas infallibiliter nobis explanat. Teſtem, quatenus de diuina & canonica bibliorum auctoritate teſtimonium perhibet. Neque abſurdum eſt, niſi in Prædicantis imaginatione, vt diſcipulus per teſtimonium ſuum Magiſtro ſuo pondus & auctoritatem apud alios conciliet. An non hoc quotidianum eſt, etiam in rebus humanis? Ne-
C que verò alios fines, de quibus Theſ. 50. & ſeq. conſequetur ſcriptura, ſi Eccleſiæ teſtimonio careat: Niſi enim certò & infallibiliter cõſtet, eam eſſe diuinam & ab omni errore immunem, nunquam à ſcriptura exſpectare poterimus illos fines, de quibus Apoſtolus 2. Timoth. 3. & alios, de quibus alibi ſcriptura.

Cætera, quæ Pappus diſputat de ſcripturæ Criteriis; profligabuntur in tractatu de Notis Canonicæ ſcripturæ agnoſcendæ, quem tertio vel quarto Bellarmini libro ſubiungemus.

APPEN-

APPENDIX SECVNDA AD PRIMVM LIBRVM CARDINALIS BELLARMINI DE VERBO DEI, CONTRA RVLLVM, CALVINISTAM BASILEENSEM.

VIX EST VLLVS TAM IGNObilis Prædicās Lutheranus, aut Minister Caluinianus, qui obscuritati suæ à clarissimis illustrissimi Cardinalis Bellarmini operibus lucem accendere non conetur. Hinc quamprimum aliquid scriptitare occipiunt, Bellarminum tertio quoque verbo inclamant;& refutare videri volunt;vt Lectores amplissimo Bellarmini nomine inuitati & incitati;hos etiam,qui viribus tam præpollentem aduersarium lacessere audēt, fænum in cornu gerere; & non modico ad dimicandum robore præditos esse existiment.

Fecit id non ita pridem Caluinista quidam Basileensis; quem *Rullum* indigitabo (neque enim aliud à me feret nomen) qui duos Tomos putidissimarum Thesium in Academia Basileensi propositarum, & Caluinistico more discussarum,euulgauit;& vt mala merx vendibilior esset; celeberrimum Bellarmini quasi accuratissimè refutati & funditus euersi nomē præscripsit; cum iste suis in Rhapsodiis ex infinitis illis Bellarmini disputationibus, paucula duntaxat frustilla hinc inde carpat & sugillet. Cuius petulantiam, vt tacitus præterirem, committere nolui. Neque susceptæ prouinciæ ratio id permittebat. Breuiter igitur Rullanam inscitiam & mentiendi intemperiem annotabo,& castigabo, eam, inquam, quæ primum Bellarmini librum tangit; neque enim quidquam adfert, quod non iam sit in VVitackero, Iunio, Danæo, & Hunnio abundè refutatum: vt proinde non sit necessarium, diutius immorari.

Disputatione tertia, postquam multa de effectis verbi Dei nugatus fuerat; tandem subiecta enumerare aggreditur. Itaque Thesi 189. *Subiectum, inquit, verbi Dei aliud est ληπτικὸν, aliud subiectū, ꝟ. Aliud subiectum, circa quod versatur.* Thesi sequente: *Subiectum ληπτικὸν est duplex: videlicet. Libri Canonici, in quibus continetur: & corda electorum, in quibus per Spiritum sanctum scribitur, 2. Cor. 3. 3.*

Recondita prorsus & planè abstrusa nos docet Rullus. Videlicet chartas vel membranas; vel cereas, vel etiam ligneas tabellas esse subiectum verbi Dei; quia in chartis, membranis tabellisue scribitur, & sic ab illis suscipitur; & per consequens, chartæ, membranæ, tabellæ, sunt subiectum ληπτικὸν, hoc est, *susceptiuum verbi Dei.* Quis hæc tam arcana vnquam sciuit, nisi postquam Rullus ea reuelauit? Quis vnquam credidisset hanc chartam huius meæ scripturæ quam nunc scribo, subiectum ληπτικὸν esse, nisi id, docente Rullo, didicisset? Miror cur aliud subiectum ληπτικὸν omiserit; nempe, aërem; nam & iste est subiectum verbi Dei; quando non scribitur; sed pronunciatur; consistit enim tunc in sono, & in vocibus articulatis; sonus autem est in aëre. Est ergo & aër subiectum *susceptiuum* verbi Dei. Quare tacitè præteritur à Rullo? Non iniuria posset aër litem intendere chartis & membranis, cum ipse sit subiectum verbi diuini longè antiquius, quā charta, membrana, tabula vlla: quia verbum Dei prius prædicatum est, quàm scriptum; prius igitur vt sonus in aëre sonuit; quàm vt scriptura in chartis membranisue apparuit.

Iam quod Rullus ipsa etiam corda fidelium constituit subiectum ληπτικὸν verbi Dei, scire equidem peruelim, an sit subiectum *vniuocè* cum charta, membrana, tabulis; an *æquiuocè* tantum, seu per similitudinem quandam & analogiam ad hoc subiectum externum, quod sub videndi sensum cadit. Et si verbum in cordibus fidelium non scribitur *atramento, sed Spiritu Dei viui*, teste Apostolo 2. Cor. 3. quæ & qualis sit hæc scriptura; & vbi, num in intellectu; num in voluntate: num in vtraque potentia? Aliquam enim harum facultatum *cordis* nomine intelligere oportet: nullus namque tam rudis est, qui in ipso corde materiali & carnali hominis verbum Dei exarari arbitretur. Hæc & id genus alia nobis explicata dare debebat Rullus; postquam vltrò eam prouinciam suscepit; vt nobis abdita prorsus panderet; & inter illa, etiam hoc, *chartam & membranam esse subiecta ληπτικὰ verbi Dei*, nimirum, scripti: etsi ipse *libros Canonicos* subiecta ληπτικὰ vocat; nec scio, quàm scitè. Nam si libros accipiat simul cum scriptura; vt quidem accipere videtur, hoc ipso quod ait; *libros Canonicos esse subiectum ληπτικὸν verbi Dei*, (quo sensu etiam dicere solemus: Hic

vel ille liber est Ciceronis, Aristotelis, Maronis, &c. Librum non pro sola charta aut materia, in qua characteres exarantur, sed & pro ipsis signis & characteribus, vsurpantes) si, inquam, hoc sensu libri vocabulum vsurpet, tunc perinde est ac si Rullus diceret: *Murum candidum esse subiectum Anni candoris; & aquam calidam, subiectum caloris*: at qui rectè, intelligenter, & ex artis præscripto loquuntur, ij dicere consueuerunt, *murum esse subiectum Anni candoris; & aquam subiectum caloris*.

Pergit Rullus. Thesi 191. *Libri Canonici, sunt libri, qui dictante Spiritu sancto à Prophetis & Apostolis sunt conscripti vel approbati*: (Nihil dum apparet, quod displiceat, dummodo vox *Prophetæ* ampliore significatu accipiatur; ob ea, quę iam ad cap. 7. Bellarmini, de hac voce aduersus VVitackerum disputauimus. Perge.) *Vt soli sint regula seu norma fidei & bonorum operum 2. Petri 1. 21. 2. Cor. 8. 18.* Hic non latet in herba; sed perspicuè patet anguis Hæreticus. Scilicet scriptura sola est norma fidei & morum; sed in schola Prædicantium; non orthodoxorum Christianorum; de quo alibi plura cōtra hunc & alios Nouatores. Addit tamen Caluinista geminam scripturæ citationē, escæ causſâ, vt inescet lectorem, qui hac dape tectum hamum vorat auidissimè: at si locos citatos inspicias, non inuenies, quod Rullus asserit; nempe, *solos libros Canonicos, seu solam scripturam esse regulam fidei & morum*. Et quo diligentius & consideratius locos illos inspexeris, eò minus quod thesis affirmat, inuenies.

Ait; *Libros canonicos non dici propter certum canonē ab Ecclesia fixum & constitutum; sed quia fidei vitaque regulam diuinitus præscriptam continēt*. Est quidem hæc vna caussa; at non sola; nam & respectu Ecclesiæ dicūtur libri isti Canonici; quia Ecclesia eos nobis, vt Canonem diuinitus præscriptum proposuit: & vt Canonem amplectendum venerādumque publicè declarauit. Nec libri Canonici in actu secundo canon seu regula essent, nisi Ecclesię propositio & declaratio accessisset. Sicut Canones Dialectici vel Arithmetici imperitis & ignaris non sunt canones & normæ, cum ex eorum præscripto nihil agere queant; at si accedat doctor, qui canones illos imperitis proponat & interpretetur; tum verè & in actu secundo, seu in exercitio, canones, hoc est, normæ ac regulæ fiūt. Itaque sicut canones Dialectici aut Arithmetici in actu primo, & respectu primi auctoris ac conditoris Canones quidem sunt; & tamen in actu secundo fiunt itidem & sunt Canones ab illo, à quo proponuntur & explanātur; ita & in nostro proposito libri Canonici, canones, normæ ac regulæ sunt à primo suo auctore, qui est Deus; & nihilominus iidem libri Canonici, sunt & fiunt ab Ecclesia, Canones, normæ ac regulæ in actu secundo, hoc est, in vsu & exercitio; quæ hos Canones nobis proponit, explicat, & interpretatur; sine qua ꝓpositione & expositione Canones isti nihil fructus nobis adferrent; quippe incogniti.

A *Libri Canonici*, inquit Rullus, *relati sunt in Canonem non ab Ecclesia sed ab ipso Deo per Prophetas & Apostolos. Eph. 2.* Vbi rursus, more solenni, scripturam citat. Nam Thesis ista minimè reperitur loco ex epist. ad Ephes. notato. At Prædicantes tuti sunt, quomodocunq; scripturā citent, dūmodo citēt. Audi Rulle. Libri Canonici relati sunt in canonē à Deo per constitutionē: ab Ecclesia per declarationem. Vnde enim nosti hos vel illos libros in Canonē esse relatos, per constitutionem; hoc est, canonicè factos & conditos esse; nisi quia Ecclesia testificatur hos vel illos libros canonicè scriptos, conditos, & vt sic loquar, natos esse? Quo ipso refert Ecclesia libros Canonicos in Canonem, sed testificando & declarando. Nec diffitemur; Deum, vt religionē ita & Canonem dedisse.

B Sed vnde hoc tibi liquet, nisi ex Ecclesię testimonio? Nū interfuerunt Caluinistæ, quando Deus, vt religionē, ita & Canonē dedit? Nū vtraq; dantem corā aspexerunt? Nec negamus, eiusdē esse & religionē & religionis Canonem præscribere: Ecclesiæ verò Canonē à Deo præscriptū reuerenter accipere & amplecti; sed addimus: eiusdem Ecclesiæ esse declarare & testificari, quæ nam sit religio à Deo præscripta; & quis Canon traditus, quia hoc aliūde innotescere nequit, (secluso miraculo, & extraordinaria reuelatione) nisi ex infallibili testimonio Ecclesiæ; de quo Rullus in 2. sua disput. Thesi 58. *Ecclesiæ testimonium de sacra scriptura reuerenter amplectimur, & nequaquā reiicimus, vt de nobis mentiuntur Papistæ.*

C At Papistas nihil vobis mendaciter affingere, vos ipsi testes eritis: nam si testimonium Ecclesię de sacra scriptura reuerenter suscipitis; cur reiicitis Tobiam, Iudith, Sapiētiam, Ecclesiasticū, alios? An non exstat de his testimonium Ecclesiæ? Dices; *Papistica*, non *Caluinistica*. Igitur, vt video, testimonium Caluinisticæ Ecclesiæ de his libris reuerenter cōplecteris, non eius; quæ, ante Caluinū & Lutherum natū, toto terrarū orbe dispersa erat. At hoc non est Ecclesiæ testimonium reuerenter suscipere; sed sua cōmenta & cerebri sui somnia sectari: quia Ecclesia vel potius synagoga Caluini recentior est ac magis nouicia, quàm vt de libris Canonicis canonicè, hoc est, infallibiliter testari queat.

D *Negamus*, ait Rullus, *nos propter solam Ecclesiæ auctoritatem scripturis fidem adhibere*. Idem negamus & nos. Nam scripturis fidem adhibemus propter reuelationem diuinam, æternamque illam maiestatem fallere & falli nesciam, quæ nobis hos libros à se conscriptos ac dictatos esse manifestauit: At nisi Ecclesia nobis proponeret hos vel illos libros esse Canonicos, & verè à Spiritu sancto dictatos, non possem eis, tanquam diuinis, fidem habere; quia non constaret mihi infallibiliter, hos vel illos libros Canonicos esse. Itaque propositio Ecclesiæ non est ratio credendi propriè loquendo; sed est conditio, sine qua ego fide diuina nunquam crederem, hunc vel illum librum esse Canonicum.

Et huc tendunt quorundam Catholicorum dicta, quæ iste Sectarius disp. 1. Thes. 59. vt & alij passim, exagitat; vt illud Eccij, *Scripturam non esse authenticam, nisi Ecclesiæ auctoritate.* Non est nimirum authentica respectu nostri; nisi Ecclesia vim & authenticam eius potestatem nobis manifestet; quia nihil nobis de illa constat, nisi ex Ecclesiæ testimonio. In se quidem est authentica; etiam absque hoc testimonio; quod nunquam negauit Eccius; sed ratione nostri non est authentica; nisi accedente testimonio Ecclesiæ. Sicut gemma est gemma; & in se habet *authenticam*, vt sic loquar, gemmæ vim; siue cognoscatur siue non. At ratione imperitorum non habet istam vim, nisi adsit peritus quispiam, qui suo testimonio, eoque certo, illum gemmæ valorem ac pretium patefaciat.

Sic illud Pighij: *Omnis, quæ nunc apud nos est scripturarum auctoritas, ab Ecclesiæ auctoritate dependet necessariò*; verum sensum habet; quia quoad nos, & vt loquuntur scholæ, in *esse cognito*, necessariò dependet scripturarum auctoritas ab auctoritate Ecclesiæ; nam propositio & testificatio Ecclesiæ est conditio sine qua fidelis librum hunc vel illum pro Canonico habere nequaquam posset.

Similiter, quod Canus ait; *nobis non constare scripturas à Deo prodiisse, nisi ex Ecclesiæ testimonio*; verum est. Fingamus hoc testimonium abesse; vnde cuiquã constare poterit hunc vel illum librũ à Deo prodiisse, tanquam Canonicum? Quæso, vllusne Caluinista interfuit, quando libri Moysis à Deo prodierunt, vt Canonici? Videruntne hoc euidenter? Aut elucetne hoc euidenter ex ipsis libris Mosaicis & tam clarè, quàm clarè sol lucet circa meridiem? Qui igitur factum, vt tot olim Sectarij libros Moysis simpliciter repudiauerint, & tanquam profanos absolutè contempserint?

Sic quod quidam VVolfgangus Hermannus dixit, vt Rullus & alij Nouatores referunt: *Scripturas tantùm valere, quantum valent fabulæ Æsopi, nisi accedat Ecclesiæ testimonium*, id quidem non probo; sed non est adeo absurdè dictum; vt mereatur stigmate illo à Rullo inuri: *O impium & blasphemũ os*: vtq; propterea VVolfgangus ille *impudentissimus Papista audire* debeat. Loquitur enim auctor ille de valore ratione nostri; qui certè non est Canonicus: si nobis Ecclesia de illo Canonico valore testimonium non perhibeat. Neque enim Canonicam existimationem de vllo libro habere possum; nisi Canonicus eius valor mihi per infallibile testimonium Ecclesiæ notificetur. Sed de testimonio Ecclesiæ circa libros Canonicos suo loco plura dicemus.

Nunc ad Rullum. Qui Thesi 192. imperitè ait; *Scripturam vocari Canonem Galat. 6 illis verbis: Et quicunq; hunc Canonem, siue hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israël Dei*: neque enim eo loco agit Apostolus de tota scriptura, vt

A per se notum; neque de parte scripturæ, neque de illa ipsa sua ad Galatas Epistola; sed de hoc dogmate; *In Christo IESV neq; circumcisionem aliquid valere, neq; præputium; sed nouam creaturam*: ac proinde circumcisionem iam nõ amplius vsurpandam esse. Hoc dogma, & hunc sensum de circumcisione & noua creatura per regenerationem baptismi, vocat Apostolus *regulam* seu *Canonem*; non autem scripturam sacram; vt Prædicans delirat.

Simili fuco illudit lectori cum illud ad Philipp. cap. 3. dictum. *τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, in eadem permaneamus regula*: refert ad scripturam, seu ad vniuersum scriptum Dei verbum, cum eo loco Apostolus nihil agat de libris Canonicis, sed de

B doctrina, quã per prædicationem Euangelij Philippenses acceperant. Verùm isti vbicumque *regulæ* aut *Canonis* nomen inueniunt; statim scriptum Dei verbum, idque vnicum, & illud quidem, quod hodie habetur, & prout hodie habetur, somniant & intonant.

Magnum operæpretium fecit Rullus, cum cur scriptura vocetur regula, nobis explanat Thes. 193. *Quemadmodum enim lapicida, aut architectus ad amussim, & perpendiculũ opus suũ exigit: ita, quid nos credere, & quemadmodum viuere oporteat, scriptura præscribit, vt huc fidem omnem, vitamq; nostram referamus.*

At non sola scriptura hoc facit; sed & non scriptum Dei verbum. Quod tibi ipsi sequenti Thesi

C excidisse videtur, quanquam nil simile cogitanti, cum ais: *Scriptura idem est in Ecclesia, quod est in Republica lex, quam Aristoteles in Politicis lib. 2. cap. 8. regulam vocat.* Accipio, quod das, & addo. Sed lex tam secundum Iustinianum & Iureconsultos, quam secundum Aristotelem duplex est; scripta, & non scripta: ergo & lex diuina in Ecclesia duplex erit.

Libros veteris testamenti, quos pro Canonicis habet, diuidit noua diuisione. *Primo in Pentateuchum. Secundo, in Prophetas priores; sub quo membro comprehendit Iosue, librum Iudicum, duos libros Samuelis, & duos Regum. In tertio ordine collocat Prophetas posteriores, ex quibus maiores quatuor, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel; & duodecim minores. In quarto ordine*

D *collocat Hagiographa*; Sed vt Nouatorem se ostendat, ab Hagiographis excludit Danielem; quem tamen includit S. Hieronymus in Prologo Galeato: Librum Ruth includit in Hagiographis Rullus, quem excludit S. Hieronymus; Lamentationes Hieremiæ Caluinista inter Hagiographa refert; minimè S. Hieronymus; aut alius veterum: sed nimirum iste Nouator non esset; nisi vbique nouandi libidinem promeret ac exerceret. Reliquos omnes Hæreticorum solenni consuetudine arcet à Canone; hoc adiuncto mendacio Thes. 206. *His*, (Tobiæ, Judith, aliis) *tantùm tribuimus, quantum eis vetus Ecclesia sensit esse tribuendũ.* Profer vel vnũ testimoniũ, quo probetur, veterẽ ecclesiã libros illos apocryphis annumerasse. Ve-

terem, inquam, Ecclesiam Christianam; (nam Synagogam nihil moramur; etsi nec ipsa Synagoga libros illos publicè & ex cathedra vnquam reiecit, tanquam apocryphos, vt alibi iam dictum.) Quod hic vel ille Doctor libros illos censuit apocryphos, quid hoc ad vniuersalem Ecclesiam? Et si quis pronunciauit hos libros ab Ecclesia Christiana apocryphos iudicari, deceptus fuit, tribuens id Ecclesiæ, quod quorundam Ecclesiæ membrorum erat.

Probat Rullus libros istos esse apocryphos; sed cuiusmodi argumentis? VVitackerianis; cuius scrinia expilauit, iam supra ad caput septimum fusè refutatis. I. *Quia nec à Prophetis, nec ab Apostolis sunt scripti vel approbati.* Negatur. caussa reddita est suo loco. Neque iste quidquam adducit, quo ruinosa VVitackeri argumenta fulciat.

II. *Quia in ipsis energia, vis, & maiestas diuini spiritus in rerum & verborum pondere & acrimonia minus elucet euidenter, quàm in cæteris.* Nempe Rulli & Rullistarum iudicio. Etiam Manichæis minus euidenter videbatur vis, efficacia & maiestas diuini spiritus elucere in veteri testamento; quapropter illud audacissimè aspernabantur & repudiabant. An non sunt grauissimè decepti? Lutheranorum iudicio non emicat ex Epistola D. Iacobi & Iudæ Apostoli vis, & energia, & maiestas Spiritus sancti; an non hoc suo iudicio auij à veritate abscedunt; etiam tuo tuorumque symmystarum iudicio?

III. *Quidquid in veteri testamento Canonicum est, id Iudæis traditum fuit; iuxta illud Rom. 3. Eis credita sunt eloquia Dei; sed isti libri Iudæis traditi non sunt; quia ne Hebraicè quidem scripti sunt. Dei igitur eloquia non sunt. Canonici igitur non sunt.* Hoc argumentum iam in VVitackero profligauimus. Quid si negarem Minorem? Addo, Maiorem simpliciter esse falsam; non enim quidquid in veteri testamento à parte rei & *obiectiuè* erat Canonicum, traditum est Iudæis tanquam Canonicum; sed quædam Christianæ Ecclesiæ reseruata sunt; vt eorum Canonica auctoritas propalaretur, palamque Christiano populo annunciaretur. Nihilominus verum est illud Apostoli: Eloquia Dei esse credita Iudæis; non enim dicit, *omnia*; sed indefinitè; *eloquia*. Quod verum, licet Iudæi non omnia, sed quædam duntaxat eloquia Dei; hoc est, quosdam tantùm libros diuinitus dictatos in Canonem receperint: vt taceam alia; quæ de hoc argumento iam supra ad caput septimum; & in Labyrintho Creticohunniano disserui.

IV. *Quia nonnulla in illis sunt quæ è diametro tum libris Canonicis, tum sibi ipsis repugnant.* Mendacium video, non argumentum; de quo supra satis cum de istis libris generatim & speciatim disputaretur.

A Nec minus luculentum mendacium complectitur Thesis 112. *Horum librorum in Ecclesia & fuisse semper, & futuram in posterum, ambiguam fidem.* Quo nihil falsius. At considera mirificam hanc, planeque Rullanam Thesin. *Scientia dignoscendi librum Canonicum ab Apocrypho, non est ad salutem necessaria:* Aut enim vult Caluinista nemini in Ecclesia hanc scientiam esse necessariam; & tum sequitur, neminem salutis iacturam passurum vel damnatum iri; licet nullus penitus sit in Ecclesia, qui sciat, Biblia esse Biblia; & AEsopum non esse Biblia; quia scientia dignoscendi librum Canonicum ab Apocrypho non est ad salutem necessaria. Quo posito, ruunt omnia, quæ Prædicantes Stentoreis vocibus de

B verbi scripti necessitate ad salutem & æternam beatitudinem obtinendam detonare solent: Aut vult huic vel illi non esse hanc scientiam necessariam; & tum, quamuis verum sit, hunc vel illum saluari posse, licet *positiuè* nesciat hunc illumue librum esse Canonicum; & hunc vel illum; apocryphum; attamen alio quodam pacto cuiuis hæc scientia ad salutem necessaria est; quia cuiuis necessarium est ad salutem, vt in nullam infidelitatem, vel hæresin incidat. Hinc fit, quod libro quinto suæ Analyseos optimè docet noster Gregorius de Valentia; *vt, etsi aliquam fidei veritatem absolutè non necesse habeas nosse, & credere; sub conditione tamen debeas illam & credere, & nosse. Nam, si contingat, tibi proponi eiusmodi veritatem fidei,*

C *atq; ei contrarium errorem; & alterutri assensum præbiturus sis: necesse sibi ad salutem est, vt veritati fidei assentiaris, non errori.* Vt si tibi proponatur quæstio, num Pentateuchus Moysis sit liber Canonicus, an non, & alterutri parti adstipulari atque assentiri velis; necessariò abs te (vt & à quocunque alio) exigitur, sub dispendio & amissione salutis, vt veritati assentiaris, & contrarium errorem respuas. Hoc pacto, nimirum ex hypothesi, cuilibet necessaria est ad salutem cognitio librorum Canonicorum & discretio à non Canonicis.

Quod si quis paradoxum hoc, vel potius monstrum Rulli penitius introspicere & subti-

D lius examinare velit; clarè intelliget, eo nihil aliud contineri; quàm hoc; non esse ad salutem necessarium, vt quis hos vel illos libros sciat & profiteatur esse Canonicos; & consequenter, nihil passurum damni quoad salutem, licet quis neget, libros Moysis, Iudicum, Regum, &c. esse Canonicos; imò licet totis Bibliis Canonicam auctoritatem detrahat. Huc enim tendere Rullum, testantur impij paradoxi duæ probationes; quarum altera est ista: *Scientia dignoscendi librum Canonicum ab apocrypho non fuit antequam Verbum Dei in scripta redigeretur: atque ita fideles, qui verbum scriptum nondum habebant, aliqua re necessaria ad salutem caruissent.*

Perin-

Perinde est, ac si dicat Prædicans: Antequam Christus incarnaretur, ex virgine nasceretur, pateretur, moreretur, sepeliretur, ad inferos descenderet; & tertia die resurgeret, non fuit ad salutem necessarium credere istos articulos fidei: *Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos; tertia die resurrexit à mortuis; ergo nec necessarium est ad salutem credere hos Symboli articulos postquam Christus incarnatus est, natusque ex Virgine, passus, crucifixus, mortuus, sepultus, & demùm à mortuis excitatus: quia si fideles iam tenerentur hos articulos scire & credere, tanquam ad salutem necessarios, sequeretur, eos, qui vixerunt, antequam hæc contingerent, re aliqua ad salutem necessaria caruisse*; ita enim delirat Rullus; & quidem insipientissimè. Non enim re aliqua ad salutem necessaria caruerunt; sed articuli aliqui illis non erant creditu ad salutem necessarij, quia necdum erant reuelati; & necdum etiam res articulis illis subiectæ actu euenerat. Quàm stolidè ratiocinantur, vel potius fatuantur isti de obiectis fidei; quasi verò posterioribus nequeat aliquid diuinitus reuelari, & ad credendum proponi; quod prioribus non fuerit reuelatum, nec ad credendum propositum.

A

Vide autem quàm Rullus totam scripturam non iam occultis cuniculis, sed manifestis machinis euertat. *Antequam libri Moysis conscriberentur, non fuit ad salutem necessarium scire, & credere libros Moysis esse Canonicos; alioqui sequeretur eos, qui vixerunt, antequam libri isti conscriberentur, caruisse re aliqua ad salutem necessaria*, sic enim loquitur Prædicans; *ergo neque, postquam scripti sunt, necessarium est ad salutem scire vel absolutè, vel ex hypothesi & credere libros Moysis esse Canonicos; ergo securus salutis potest quiuis eorum Canonicam auctoritatem negare*: Et quod de parte librorum Canonicorum dicitur, facilè ad omnes accommodare licebit. *Antea enim, quàm libri vniuersi veteris & noui testamenti conscriberentur, non fuit ad salutem necessarium scire & credere absolutè vel ex hypothesi libros illos esse Canonicos; ergo neque iam est necessarium ad salutem: ergo sine salutis dispendio infitiari licebit diuinam Canonicorum librorum auctoritatem*; quia, vt Prædicans ait; *nihil posterioribus est ad salutem creditu necessarium; quod prioribus non fuerit ad salutem scitu credituque necessarium; at libros illos, quos iam habemus pro Canonicis; Canonicos esse, non fuit scitu credituque necessarium ad salutem, antequam libri illi conscriberentur; ergo neque iam est scitu credituque ad salutem necessarium, libros illos esse Canonicos ac diuinos: consequenter, sicut sine dispendio salutis negari poterat libros illos esse Canonicos antequam conscriberentur; ita iam quoque postquam libri illi conditi sunt ac compositi, absque salutis dispendio negare licebit libros esse Canonicos.*

B

An non satis portentorum sub pauculis verbis Rullus complexus est? qui ne Ecclesiæ quidem scientiam dignoscendi libros Canonicos ab apocryphis concedit, tanquam necessariam ad subditorum salutem: *quia talis scientia non fuit in Ecclesia, antequam libri Canonici conscriberentur; ergo neque iam erit in Ecclesia talis scientia, postquam libri Canonici conscripti sunt: quia aliâs fideles, qui vixerunt, quando verbum Dei necdum erat in scripta redactum, caruissent aliqua re necessaria ad salutem*; Ita enim portentosam assertionem suam probat Rullus.

C

Qui æquè indoctè ac inscitè addit sequentia. *Differentia inter Canonicos, & Apocryphos libros non est, vt Canonici nihil aliud contineant, quàm quod ad salutem est necessarium, & Apocryphi per omnia sint reiiciendi: Nam in Apocryphis exstant quædam pertinentia ad salutem, sed quæ etiam in Canonicis traduntur: & in Canonicis reperiuntur nonnulla quæ citra salutis iacturam ab idiotis possunt ignorari.*

D

Imò, velis nolis, hoc, præter cætera, etiam vnum discrimen est inter Canonicos & apocryphos libros: quia ne vnus quidem apex est in vllo Canonico libro; qui non sit necessarius creditu ad salutem vel simpliciter, vel ex hypothesi; nam quidquid mihi ex vllo Canonico libro proponatur, id, si actum aliquem circa illud exercere velim; teneor acceptare & amplecti, tanquam diuinitus reuelatum, & à Spiritu sancto dictatum, inque litteras relatum; ita vt qui vel minimam periodum libri Canonici pertinaciter negat; is salutem consequi nequeat. De fide enim Catholica diuinaq; credere oportet, omnia, quæ in Canonicis libris cōprehenduntur, esse vera, & ab omni falsitatis suspicione remotissima. Vice versa, in libris Apocryphis, quatenus sunt Apocryphi, nihil penitus exstat, quod ad salutem creditu sit necessarium; imò etiam id, quod ad salutem creditu necessarium est; vt quod CHRISTVS passus, crucifixus, mortuus, sepultusque fuerit, si reperiatur in libro quopiam Apocrypho, non propterea ad salutem creditu necessarium est, quia in libro apocrypho reperitur, sed quia reperitur alibi in libro Canonico: vel ex verbo Dei non scripto exploratum habetur. nam liber apocryphus nullam credendi necessitatem & obligationem inducit, sicut liber Canonicus.

Addit demum RVLLVS: *Sufficit idiotis scire hanc doctrinam esse Orthodoxam, Canonicam & veram; Etiamsi ignorent, ex quibus libris Canonicis doctrina vera sit deprompta.* Non est quæstio, num plebeij, rudes & indocti doctrinam sibi propositam credere debeant veram esse ac Canonicam: sed vtrum scientia

digno-

Digitized by Google

dignoſcendi libros Canonicos ab Apocryphis, ſit neceſſaria ad ſalutem; non tantum rudibus, ſed ipſi Eccleſiæ; atque adeo omnibus Fidelibus; ſeu, vtrum neceſſarium ſit ad ſalutem, noſſe, qui libri ſint Canonici; qui apocryphi. Hoc tu negas; ex qua negatione, quantum abſurditatis & impietatis exiſtat; iam ſatis ſuperque demonſtrauimus.

Omnes noui teſtamenti libros recipit Rullus, vt verè Canonicos atque diuinitus inſpiratos: Epiſtolam quoque ad Hebræos D. Paulo tribuit. Quare nihil inter illum & nos controuerſiæ remanet, quod ad hos libros attinet. Illud forſan mirum, ſi non omnino falſum, videbitur, quod ait Theſ. 222. *in libris noui teſtamenti non tradi nouam doctrinam.* Quid ergo ſibi vult illud ſeruatoris noſtri Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, &c.* & longa illa eiuſdem diſputatio Matth. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non occides: ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio:* & multa alia in eandem ſententiam ibidem pronunciata; an non noua ſunt; & à Chriſto nouiter tradita? Quid referam noua præcepta de Sacramentis & fide Chriſtiana? Quid

A nouas inſtructiones & inſtitutiones paſsim in Euangeliis & Apoſtolicis ſcriptis præſcriptas? *Quia Dominus ac redemptor noſter nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo;* inquit S. GREGORIVS Hom. 32. in Euang. An non ipſa noui teſtamenti appellatio nouam doctrinam innuit? Nam vt veteris teſtamenti nomenclatura vulgo pro libris, ſeu doctrina antiquæ legis accipitur; ita & nouum teſtamentum accipitur pro libris ſeu doctrina legis Chriſtianæ; quæ & noua audit. Si lex noua, cur non & doctrina Euangelica vocetur noua? tametſi, fateor, aliquo ſenſu doctrinam Euangelicam dici poſſe non nouam: quatenus ſcilicet
B iam olim à doctrina antiqui teſtamenti adumbrata & pronunciata fuit; Et quatenus vtraque ad vnum eundemque Deum dirigitur ac deſtinatur; vnumque & eundem Chriſtum prædicat.

Mittamus iam Rullum Polanum, *Pol anum*, ſiue Græcè, ſiue Latinè hanc voculam accipias, redituri ad eundem ſæpius ſub calcem variorum librorum Bellarmini; quos hinc inde vellicauit ac morſicauit.

APPENDIX TERTIA.

CONTRA NOVELLVM QVENDAM PRAEDICANTEM LVTHERANVM.

A

EDIDIT nouitius quidam, & à puluere scholasticorum sedilium adhuc sordidatus Prædicans, Anno Christi 1604. disputationem *de numero librorum Canonicorum*, in qua præcipuè incurrit & bacchatur in Bellarminum propter Cōtrouersiam de verbo Dei; & in Theodorum Peltanum, & Adamum Tannerum Societatis nostræ Theologos; quorũ ille Anno Domini 1572. in Academia Ingolstadiensi *Catholicam de librorum Canonicorum numero, eorundemq́; auctoritate & legitima interpretatione, explicationem euulgauit*: hic, Anno salutis 1599. in Monacensi Gymnasio Disputationem Theologicam *de verbo Dei scripto & non scripto, & de Indice controuersiarum fidei*, contra Sectarios B huius temporis publicè proposuit. In quas nostrorum lucubrationes, cum Gripus iste (hoc enim nomine mihi vocabitur) incidisset; putauit præclaram sibi datam inclarescendi, & ex tenebris emergendi occasionem; si in istos Iesuitas, publicatis libris celebres, impetum faceret. Nec mora: In campum prodit; verbosa armatus disceptatione: quam, quò hostibus terribilior foret, vbique Græculis vocabulis refersit ac interspersit; ratus, opinor, multum ad præclari nominis existimationem valiturum, si non modò Latinis, sed & Græcis hastis pugnare doctus iudicaretur. Cuius disputatio commodissimè diuidetur in hæc tria membra; in *furta*; *mendacia*; C & *inscitiam*.

Quod ad furta attinet, singulæ fermè Theses nihil aliud sunt, quàm furtum; quidquid enim adfert, paucissimis exceptis, id vel ex Kemnicio, vel ex VVitackero; vel ex Hunnio, Magistro suo, vel ex Bellarmino, hæreticorum sententias recitante, sublegit & furaci manu in chartas suas transscripsit: nec quidquam adducit, quod nouam refutationem desideret; omnia iam in VVitackero & Hunnio refutata & profligata dedimus. Furtum est, quidquid Gripus vsque ad tricesimam Thesin *inclusiuè* garrit; furtum inquam, & quidem grande; quod, varietatis & oblectationis caussa, ornat subinde mendaciis, conuitiis & inscitiis.

Mendacium est, cum scribit Thesi 18. verba ista Origenis citata à Tannero: *quamuis nonnulli de ea, quæ ad Hebræos scripta, dubitauerint, sed ego dico, sicut mihi à maioribus traditum est, quia manifestissimè Pauli est; & semper omnes antiqui maiores nostri ita eam, vt Pauli epistolam susceperunt*: non reperiri apud Eusebium lib. 6. cap. 18. Inspiciat editionem & versionem Ruffini, & cum singula verba citata & recitata in Eusebio Ruffini inuenerit; tum ab accusatione impudentiæ Tannerum absoluat; inque seipsum, quidquid de Tannero dixerat, conuertat; quanquam quod ad sensum attinet, neque Græcus textus, neque ex Græco paulò religiosius expressa interpretatio Christophorsoni à Ruffino discrepat, vt legenti caput 19. circa finem planum erit.

Secundò eadem Thesi 18. mentitur Prædicans; Origenem hęc verba de auctore Epistolæ ad Hebræos protulisse apud Euseb. lib. 6. cap. 18. edit. Ruff. vel 19. edit. Christophors. *Epistolam ad Hebræos, quis scripserit, Deus nouit*: Non enim protulit hæc verba Origenes de vero & primo auctore Epistolæ; quem non alium quam S. Paulum esse, pro comperto habebat, sed loquitur de scriba Epistolæ; seu de illo; qui sensus & sententias Apostoli verbis vestierat. Liquet hoc clarè ex his verbis; quæ Origenes subiecit, postquam asseruerat, Epistolam ad Hebræos esse D. Pauli, quoad sensum, & sententiam. *Si verò requiras à me, per quem sit eius* (epistolæ ad Hebræos) *sermo compositus, pro certo quidem Deus viderit. Opinio tamen, quæ ad nos vsq; peruenit, huiusmodi est: A quibusdam dicebatur, quod Clemens Apostolorum discipulus, & Episcopus vrbis Romæ, Græco eam sermone, non tamen sensibus expoliuerit. Alij, quòd Lucas, qui Euangelium scripserit, & Actus Apostolorum.*

Hæc Origenes apud Euseb. ex versione Ruffini; vbi manifestissimè loquitur non de primo auctore; sed de illo, qui primo auctori Paulo stylum suppeditauit. Nec discrepat versio Christophorsoni, nec Græcus textus, vt consideranti & conferenti planum fiet.

Tertiò mentitur Prædicans, Thes. 17. cum negat apud Eusebiũ reperiri hæc verba de Epistolis Iacobi & Iudæ. *Nos tamen scimus etiam istas, cum*

cæteris ab omnibus penè Ecclesiis recipi. Quæ verba totidem verbis reperies apud Euseb. lib. 2. cap. 23. ex editione Ruffini: Nec dissentit versio Christophorsoni. nec obstat vocabulum δεδημοσιευμένας, vt imperitè obiicit Prædicans; quia significat, has Epistolas in omnibus fermè Ecclesiis publicatas, siue, quod idem, publicè receptas fuisse, in eum locum & ordinem; in quo apud alios nonnullos antea non fuerant. Nec refert; quod, vt Prędicans occinit, Eusebius lib. 3. cap. 3. dicit etiam Hermæ Pastorem ἐν ἐκκλησίαις δεδημοσιευμένον, *publicè receptum vel approbatum fuisse*; hoc enim non intelligitur de publica receptione in locum & sortem librorum Canonicorum; sed eorum librorum; qui vtiliter & fructuosè in Ecclesia legi posse iudicabantur. At de Epistolis Iacobi & Iudæ plus dicit Eusebius; nempe, receptas fuisse à plurimis Ecclesiis, eo modo, quo ab aliis non fuerant receptæ; ab aliis autem non fuerant receptæ, vt Canonicę; nam de earum Canonica auctoritate disceptabatur; ergo ab illis plurimis receptæ sunt, vt Canonicæ, & lectæ vt Canonicæ.

Deinde, esto, receperint aliquæ Ecclesię Pastorem Hermetis, vt Canonicum; atque adeo vocabulum illud δεδημοσιευμένον eadem notione accipiatur lib. 3. cap. 3. qua lib. 2. cap. 23. quid tum? An ideo *Pastor* Canonicus erit? Nullo modo: quia iudicium hoc quarundam Ecclesiarum non est à posterioribus confirmatum; imò, vt iudicium de Canonica auctoritate Epistolarum Iacobi & Iudæ temporis processu semper magis atque magis inualuit, ita iudicium de Canonica Pastoris auctoritate semper magis atque magis elanguit; tandem penitus euanuit. Nec dicit Eusebius Pastorem ἐν πλείσταις, *in plurimis Ecclesiis* receptum; quod affirmat de Epistolis Iacobi & Iudæ; sed ἐν ἐκκλησίαις. De quo plura iam supra ad cap. 18. Bellarmini.

Quartò mentitur Prædicans cum Thes. 18. citat Nicephorum lib. 2. cap. 46. & lib. 5. cap. 16. *quasi idem sit Nicephori iudicium de Epistola ad Hebræos, eiusq. auctore, quod Prædicantis*; cum tamen Nicephorus posteriore loco idem prorsus ex Origene asserat, quod Eusebius lib. 6. cap. 18. nempe sensum & sententias huius Epistolæ, absque omni dubio, esse D. Pauli; stylum, alterius. Priore etiam loco disertè asserit Nicephorus, Epistolam ad Hebræos esse Canonicam ac diuinam, verumque S. Pauli partum; & tandem de libris quorum Canonica auctoritas olim dubia fuit, hęc subdit Nicephorus. *Sed enim libri ij, tametsi controuersi ab antiquis sint habiti, postea tamen in omnibus, quæ sub cælo sunt, Ecclesiis, autoritatem sacrosanctam, & irrefragabilem obtinuerunt, & tanquam principia, & elementa pietatis nostræ sempiternæ permanserunt.*

Nonne idem Nicephorus in Carmine de Epistolis S. Pauli Epistolam ad Hebręos Canonicam esse statuit, & S. Paulo, tanquam auctori, attribuit, vt & in Carmine de libris noui testamenti: vbi quatuordecim S. Pauli Epistolas enumerat. Et quæ est decima quarta, nisi illa ad Hebræos?

Quintò mentitur eadem Thesi 18. cum citat Gregorium Nazianzenum *quasi idem quod Prædicans sentiat, de Epistola ad Hebræos*: Nam ex Carmine *de genuinis scripturis* euidenter constat, Nazianzenum Epistolam ad Hebræos habuisse pro Paulina & Canonica: quod Carmen Hunnius capite quarto sui Examinis citans, ineptè allegat & inscribit; *ad Monachos Cœnobitas*, cum hoc ab illo sit diuersum, neque vlla in eo Canonicorum librorum mentio fiat. Quod si fortè Gripus citare voluit carmen Amphilochij ad Seleucum, tum nihilominus solenne suum tenet, hoc est, impostorem agit. Audi, quid canat Amphilochius. *Quæ verò ad Hebræos notha esse dicitur plerisq. Sed malè; nam germana gratia est.*

Sextò mentitur Thes. 16. *in Epistola S. Iacobi nihil de Christi merito, sed tantum quædam morum præcepta tradi.* Mendacium hoc refutauimus iam cap. 18. nam & de vera Christianorum fide, quòd scilicet non sit nuda; sed operibus vestita, copiosè, imò ex instituto differit S. Iacobi Epistola.

Septimò mentitur ead. Thesi. *Eusebium clarè testari Epistolam S. Iacobi esse adulterinam verbis illis: ἰστέον ὡς νοθεύεται; Sciendum est eam esse adulterinam.* Nam nec Eusebius hoc loco suum iudicium explicat: nec verba Græca rectè redduntur Latinè, eo modo, quo ea versa recitat Gripus, vt fusè demonstratum ad cap. 18. vbi etiam commodior verbi νοθεύεσθαι notio ex ipso Eusebio allata est.

Octauò mentitur ead. Thesi *Origenem, teste Eusebio, lib. 6. cap. 24. non meminisse Epistolæ S. Iacobi.* Non dicit hoc Eusebius; sed postquam ex libro primo Commentariorum Origenis in Matthæum, noui testamenti Canonem recitasset; subdit; *de his quidem talia*: Origenes, nimirum. Sed vnde compertum habet Prædicans Eusebium cætera, quæ apud Origenem sequebantur non omisisse. Et vnde scit post mentionem factam trium Ioannis Epistolarum Origenem nullam fecisse mentionem Epistolarum Iacobi & Iudæ? Fortasse si Commentarij Origenis in Matthæum nō essent principio mutili ac mutilati, rem ita sese habere manifestò deprehenderemus: Constat enim ex libro quarto Commentariorum Origenis in cap. quintum Epistolæ ad Romanos; Origenem Epistolam hanc agnouisse & Iacobo Apostolo adscripsisse. En verba Origenis. *Iacobus Apostolus ita dicit: Resistite Diabolo & fugiet à vobis, appropinquate Deo, & appropinquabit vobis Iacob. 4. Vides & ipsum ita sensisse, quod tunc appropiet Deo, quando resistit Diabolo.* Epistolam autem Iudæ allegat idem Origenes lib. 5. Comment. super idem caput quintum Epist. ad Romanos. Accipe Origenis verba. *Quomodo etiam, quod Iudas Apostolus in Epistola Catholica dicit, poterit explanari? Ait enim ita: Angelos quoq. qui non seruauerunt principatum suum, &c.*

Ex

Ex quibus omnibus magis ac magis constat de ea lege hac Apostolum dicere, &c. En perspicua Origenis de Iacobi & Iudæ Epistolis testimonia; vt proinde hęreticis aduersus has Epistolas minimè patrocinetur, licet libro primo commentariorum in Matthæũ has Epistolas tacitus præteriisset; quod tamen incertum est.

Nonum mendacium Thes. 7. Errare Peltanum, cum Canonicos libros dici putat, vel quod illa auctoritas (quoad nos) per alicuius Concilij Canonem eis attributa sit; vel quia Spiritus sanctus eos per Ecclesiam Canone dignos iudicarit; & *Canonizarit*: hæc enim originatio cum cæteris consistere potest, quidquid contrà musset Prædicans; qui dicit; *testimonium de libris Canonicis Ecclesiæ tribuendum esse; Canonizationem minimè.* At cur non & Canonizatio in actu secundo & quoad nostram notitiam?

Decimum mendacium, cum duplici inscitia copulatum Thesi 11. Hæc verba Epiphanij χρήσιμοι μὲν καὶ ὠφέλιμοι, &c. Exstare in *Ancyroto*, seu *Anchorato*; cum exstent in libello de mensuris ac ponderibus. Secundò, pronunciata esse à S. Epiphanio, *de omnibus illis libris antiqui testamenti, quos Nouatores apocryphis accensent*; cum S. Epiphanius ea duntaxat de libro Sapientiæ & Ecclesiastico protulerit; de quibus S. Epiphanij verbis fusius iam supra suo loco egimus.

Nona Gripi thesis sit vndecimum eius mendacium; Ita sonat Thesis. *Qui libro Iob, Ecclesiastæ, & Euangeliis Matthæi, Marci, & Lucæ, B. Lutherum nostrum nominatim detraxisse scribunt; suo more calumniantur.* Citatque Bellarminum, Peltanum, Campianum, Tannerum. Verum istos non *beato* sed *beano* Luthero nullam penitus iniuriam facere; sed hunc, more suo, impudenter mentiri, euidẽtissimè ex ipsius Lutheri verbis demõstrauimus supra ad caput quintũ libri primi de verbo Dei.

Duodecimum mendacium Thes. 6. Ait, *verba illa Eusebij de Paulo Samosateno lib. 7. cap. 24. Edit. Christophors. vel 25. edit. Ruff.* (Gripus 29. caput citat) *Relicto Ecclesiæ Canone ad adulterinam deprauatamque doctrinam se transtulit; intelligi de Canone librorum Canonicorum, quasi aliquos libros inde exturbarit*; cum manifestissimè Eusebius loquatur de Canone Ecclesiastico; hoc est, de traditione Ecclesię; qua, velut per manus, doctrina de Christo fidelibus fuerat tradita & explicata: ab hac enim explicatione desciuit Paulus Samosatenus; neque vllũ, quod constet, librum Canonicum ex Canone exterminauit; nam & hæreticus esse quis potest, licet omnes & singulos Canonicos libros recipiat; aliter tamen, quam Ecclesiasticæ regulæ Canon ferat, interpretetur. Ad scripturarum enim Canonem adiungenda est *Ecclesiastica intelligentiæ auctoritas; & Prophetica Apostolicaq; interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigi debet*; vt eleganter docet Vincentius initio aurei libelli contra Hæreses. Et ab hac Ecclesiastici sensus norma, seu ab Ecclesiasticæ in-

A telligentiæ auctoritate defecit Samosatenus. deque hac defectione loquitur Eusebius; non autem de defectione, qua librum aliquem Canonicũ Canonica sua auctoritate negando priuarit.

Decimum tertium mendacium. Thesi 20. *De Apocryphis noui testamenti cum quoquam pugnare animus nobis non est: quippe quos aliqui etiam nostratium pro Canonicis, ἑπομένως tamen recipiant, ob interna potissimum diuinitatis κριτήρια.* Si tibi non est animus pugnare cum quoquam de his libris, cur igitur à Thesi 13. vsque ad 20. de his libris pugnasti, & à censu librorum Canonicorum excludendos clamitasti? Deinde, si verè tibi non est pugnandi animus, oportebit, vt libros illos non voces *apocryphos*; quamdiu enim apocryphos vocaueris,
B tamdiu dicemus te mentiri, quoties ais tibi de his libris pugnandi non esse animum. Adhæc, quid est esse Canonicum ἑπομένως? Tu vero non modo ἑπομένως, sed & προηγουμένως mentiris, quoties asseris Epistolam S. Iacobi aut Iudæ à vobis Canonicam reputari: nisi fortè apud Lutherum, esse *stramineum*, & esse Canonicum sint synonyma. Fuci & fumi verborum sunt esse Canonicum ἑπομένως, *consequenter*. Satis apparet, quænam sit hæc Canonica ἑπομένως auctoritas; nempe *apocrypha*, hoc est, nulla.

Decimum quartum mendacium. Thes. 21. Ait, *Libros secundi ordinis apocryphos esse, quibus ὑπὸ πάντων κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διαδοχὴν contradicebatur, quod errores admixtos haberent, ex quo Patres eos legi*
C *noluerunt*; Et in his numerat Thesi 22. librum Hermæ, qui inscribitur Pastor. Et tamen Thesi 17. dixerat, ex Eusebio, *hunc Hermæ Pastorem fuisse in Ecclesiis δεδημοσιευμένον publicè lectum æquè ac epistolas Iacobi ac Iudæ.* Aut igitur mentitur Gripus thesi 21. & 22. cum ait; *libros apocryphos esse, quibus ab omnibus secundum Ecclesiasticam successionem contradictum est*, & in horum numero collocat quoque *Pastorem Hermæ*; aut mentitur Thesi 17. *cum Pastorem istum in Ecclesiis, ait, æquè δεδημοσιευμένον, publicè lectum; ac Epistolas Iacobi & Iudæ.* Eligat Gripus, quidquid libuerit; datur optio. Semper tamen in sui, vt sic dicam, mendacij pice hærebit.

Thesis 24. 25. 26. & 27. est vnum quoddam perpetuum ac continuum mendacium, ex multis,
D iisque crassissimis, commentis compactum. Sed ponamus hoc grandius figmentum extra institutum censum. Libemus inde alia. Sit ergo decimum quintum mendacium. Thesi 24. *Esdram librorum veteris testamenti Canonem composuisse, & hoc testari Iosephum libro 1. contra Apionem.* Nullum verbum hac de re Iosephus eo in loco.

Decimum sextum mendacium. Thesi 27. *Melitonem Sardensem Episcopum apud Eusebium lib. 4. cap. 25. Salomonis Prouerbia, & Sapientiam pro vno libro numerasse.* Expresse enim distinguit Prouerbia à Sapientia; & hanc ab illis. Sed esto. Habuerit Melito Prouerbia & Sapientiam pro vno libro. Quid aliud inde sequetur; quam vt Prouerbia, ita & Sapientiam librum Canonicum esse.

Digitized by Google

Decimum ſeptimum mendacium, Theſi 27. *Plurimos Patres ſtare à partibus ſectariorum.* Imò ne vnus quidem eſt, qui idem prorſus ſentiat de libris antiqui teſtamenti, quod ſentiunt Hæretici; quod ad caput ſeptimum percurrendo omnes à VVitackero citatos Patres, fusè oſtendi. Nec iſte diffiteri poteſt; quare non ſemel, citato quopiam Patre, ſubiicit. *Errat tamen iſte vel iſte Pater.* Errant ſcilicet, quando ſecus ſtatuunt atque decernunt, quàm iſtis Nouatoribus placeat.

Decimum octauum mendacium. *Melitonem Sardenſem comprehendiſſe librum Eſtheris ſub libro Eſdræ; idq; liquere ex Damaſceno lib. 4 fidei Orthod. cap. 18.*

Decimum nonum mendacium; *Origenem apud Euſebium lib. 4. cap. 24. affirmare, Macchabæorum libros ἔξω τούτων, extra recenſitum Canonicorum librorum ordinem haberi*: non enim affirmat hoc abſolutè Origenes aut Euſebius; ſed reſtrictè; nempe, *à Iudæis. A Iudæis*, inquam, *haberi, ait, extra eorum librorum numerum, quos enumerauerat.* Quis autem hoc neſcit aut negat? Quanquam, ſi quis rem diligentius conſiderare velit, videatur Origenes potius incluſiſſe in Canone Hebræo libros Macchabæorum, quàm excluſiſſe. Nam illud ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκά etiam verti poteſt; *Præter hos libros ſunt etiam Macchabaici*; vt vertit Interpres Nicephori lib. 5. cap. 16. nam ἔξω τούτων, in enumerationibus; idem quoque valet; quod; *adhæc; præter hæc; inſuper, præterea*: vt ſi quis dicat: Rex Hiſpaniæ poſsidet totam Hiſpaniam, Sardiniam, Siciliam, bonam partem Italiæ, ἔξω δὲ τούτων, *præter iſta*, etiam vtraſque Indias & Braſileam. Nō enim iſtud ſemper ſignificat quaſi ſeiunctionem & ſeparationem à natura eorum, quæ prius recenſita ſunt; ſed etiam additionem ſeu adiunctionem & acceſſionem. Idem & hic de Origene abſque temeritate affirmari poteſt.

Vigeſimum mendacium, Theſi 27. *Athanaſium in Synopſi hiſtoriam Suſannæ in Canone collocare; & poſtea à Canone ablegare, in eadem ſcilicet Synopſi.* Impudens pſeudologia. Ter enim meminit Synopſis iſta hiſtoriæ de Suſanna; primùm, quando Catalogum librorum Canonicorũ texit, & initia ſingulorum deſcribit. Secundò, quando ex Daniele ſummã ſeu compendiũ conficit. Vtrobiq; diſertiſsimè & apertiſsimè in Canone ponitur hiſtoria Suſannæ, & omnes ſimpliciter Danielis partes, quas Nouatores ſceleratè reiiciunt. Tantùm poſtea ſub finem Synopſeos enumerans libros veteris teſtamenti quibus cõtradicitur, nominat quoq; Suſannã. Interim nõ retractat ſententiam duobus locis iam antea, & quidẽ conſtanter, abs ſe aſſertã: nempe, Suſannæ hiſtoriam in Canone reponi debere; non obſtante quorundam contradictione. Mentitur ergo Prædicans, cum ait; *libros iſtos ab Athanaſiana Synopſi in Canone extra Canonem poni.*

Vigeſimum primũ mendacium, Theſ. 27. *Errare S. Epiphaniũ, quando in libello de menſuris & põderibus Canoni accenſet librũ Baruch, & Epiſtolam Hieremiæ.* Ita

A ſcilicet iſti tractant ſanctos Patres; quos pro ſe ſtare, gloriantur; quorũ teſtimonia cum proferuntur; ſemper neceſſe habent iſti clamare. *Errat Epiphanius. Errat Athanaſius. Errat Damaſcenus. Errat Hilarius, &c.*

Vigeſimum ſecundũ mendacium; *Iſidorum in libro de diuinis officiis idem cum Lutheranis docere; neque de Canone Hebræo duntaxat; ſed & de Chriſtiano loqui.* Contrarium non loquitur, ſed clamat totum caput duodecimum libri primi de Officiis, vt latius demonſtraui ſupra ad caput ſeptimum contra imperitiam VVitackerianam.

Vigeſimum tertium mendacium, Theſ. 30. *Diſtinctionem quorundam Papiſtarũ, Sixti Senenſis, Peltani, Stapletoni, diſtinguentiũ libros Canonicos in Protocanonicos*
B *& Deuterocanonicos, fauere Lutheranorũ opinioni de libris Canonicis; quaſi alij ſint aliis magis Canonici & certiores quoad infallibilitatẽ.* Nihil minus Gripe. Nulli Catholici eſt iſta mẽs; vt ad caput quartũ & decimũ iam docui. Quò remitto lectorẽ. Attigimus Theſin trigeſimã; ad q̃ à principio nihil vidi aut legi niſi vnũ nuſquã interruptũ furtũ, mendaciis ſuffarcinatũ. Seqtur aliud furtũ, ſimilib. monilibus ornatũ à Theſi 31. vſq; ad vltimã 49. Eſt ergo

Vigeſimũ quartum mendaciũ craſsiſsimo filo contextum. *Cunctos Patres tribuere Canonicã auctoritatem etiam tertio & quarto Eſdræ.* Nihil falſius.

Vigeſimum quintum mendacium: *Concilium Carthaginenſe & Innocentiũ primũ Pontificẽ errare, quãdo in Canone librũ Sapientiæ & Eccleſiaſticum poſuerunt.*

C Vigeſimum ſextũ mendacium; à Bellarmino aſſeri, *S. Auguſtinũ non fuiſſe certũ de omnibus libris, quos lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 8. recenſuerat, num eſſent Canonici.* Bellarminus non dicit, Auguſtinũ non fuiſſe certum; ſed nõ *æquè certum*; quod longè aliud; vt ad caput decimum mõſtraui. Nec diſſentit à Bellarmino Gregorius de Valentia, vt mentitur Gripus; & ſit mendacium

Vigeſimum ſeptimum; tametſi diſſentiret; ſi Bellarminus id affirmaret, quod Prædicans ei mendaciter affingit.

Vigeſimum octauũ mendacium, Theſi 40. *Ieſuitas fabellas libri tertij Eſdræ cum Canonicis Eſdræ ſcriptis adæquatas velle.* Nomina Ieſuitam, qui hoc velit; aut reſorbe mendacium.

D Vigeſimum nonum, & quidem impudentiſsimum, mendacium eſt, *multos eſſe Papiſtas, qui omnẽ ſacræ ſcripturæ auctoritatem in ſe, & quoad nos vnicè ab Eccleſia ſuſpendant*: quaſi videlicet liber Canonicus non ſit Canonicus in ſe, à parte rei, & obiectiuè, niſi per declarationem Eccleſiæ.

Trigeſimum mendacium, Theſi 46. *Eccleſiam, ſecundum Papiſtarum quorundam hypotheſin, libros humana voluntate ſcriptos, id eſt, ſpiritu & inſtinctu humano, in Canonem referre poſſe.*

Trigeſimũ primum mendaciũ. Theſ. 47. *Papiſtæ nihil diuinitatis ſcripturæ ineſſe dicunt*; citatq; Andradium, Piſtoriũ, Eckiũ, & Hermannũ VVolfgangũ; ſeu, vt alij nominant, VVolfgangũ Hermannum; Qui tamẽ omnes nihil aliud volũt, q̃ in ſcriptura

ſacra

sacra nullam aliam vim vel diuinitatem inesse; niquàm quæ inesse solet signo respectu *signati* seu *significati*: quod verissimum est: quidquid enim diuinitatis in scriptura inesse fertur; id non est nisi per extrinsecam denominationem in ordine ad significata, quę diuina sunt, vel etiam in ordine ad diuinum auctoré, qui est ipse Deus: quia tamen hæc ipsa scripturæ sacræ maiestas ac diuinitas nobis non est nota, nisi per Ecclesiæ definitionem ac declarationem; ideo dicere solent; scripturas, *nullam vim authenticam vel Canonicam habere, nisi per Ecclesiæ declarationem, nimirum quoad nos*: Quam distinctionem ac differentiã Crassi isti ac Bruti capere nequeunt, licet millies repetatur & ingeratur.

B Trigesimum secundum mendacium. Thes. 50. *Papistas dicere, sensum scripturæ vnicè ab Ecclesia pendere.* Falsum de sensu in se. Hunc enim à Deo, tanquã à suo auctore, habet: Verum de sensu quoad nos, seu quoad declarationem. At hoc non vult Gripus, sed prius illud; Quapropter mentitur, & iure mendacij redarguitur: sicut enim edictũ Regis sensum habet à Rege in se, & quoad se; sensum verò quoad nos habet ab illo, qui nobis ignotum illud edictum explicat; ita & in proposito res sese habet.

Trigesimum tertium mendacium ead. Thesi 50. *Papistas ipsam scripturam secundum se ab Ecclesia suspendere:* hoc est; velle scripturam in se & quoad se, siue, vt scholæ loquuntur, obiectiuè, à parte rei, *non esse scripturam nisi per Ecclesiam.*

C Trigesimum quartum mendacium ibid. *Ita plerosq; Papistas hac de re loqui perplexè, vt vix ipsi seipsos intelligant.*

Trigesimum quartum mendacium. *Hoc subindicare Gregorium de Valentia lib 8. Analyseos cap. 5.*

Trigesimum quintum mendacium. *Hoc idem indicare Peltanum in sua disputatione de librorum Canonicorum numero.* Mentitur iste splendidè: nam locis, quos indicat, non disputant illi nostri Theologi de quęstione, quã vim scripturæ per Ecclesię declarationem & propositionem accipiant; sed de illa; *vtrius sit maior auctoritas, scripturæné an Ecclesiæ?* Quæ longè diuersa est quæstio ab illa priore.

D Trigesimo sexto mentitur; *Papistas, quando dicunt; scripturam secundum se, hoc est, à parte rei & obiectiuè, esse diuinam, nihil aliud intelligere, quàm solum, nudum, & inanem textum Biblicum, qui sine omni dianoea & sententia in codicibus expressus sit*: Impudens mendacium; quod impudentius confirmat ex Peltano, quasi dicat; *scripturam secundum se nil aliud esse, quàm membranas, litteras, & syllabas*: cum Peltanus Thesi 8. Sectionis tertiæ, nullum verbum de scriptura secundum se considerata agat. Itaq; sit hoc trigesimum septimum Gripi mendacium.

Trigesimum octauum mendacium. Thesi 49. *Stapletonum in Relect. princip. fid. controuers. 4. q. 5. dicere; scripturam esse quidem vocem Dei, sed non simpliciter, nec semper, sed quando Ecclesia illam loquitur*: vbi inprimis Gripus verba Stapletoni decurtat, ne lector animaduertat, quis sit Stapletoni sensus. Nihil enim aliud vult, quã scripturam, non esse simpliciter ac semper vocem Dei; in actu secundo & quoad nos; *nam & Diabolus & impostor hæreticus scripturam loquitur voce sua, non Dei*, inquit Stapletonus. *Semper autem esse vocem Dei, quando Ecclesia scripturam loquitur, quia nunquam nisi ex Deo loquitur; cum de fide loquitur, & nunquã vel fallit vel fallitur*; inquit Stapletonus. non autem negauit Stapletonus, scripturam simpliciter ac semper esse *vocem Dei* in actu primo & quoad se. Et tamen hoc Stapletonum voluisse mendaciter persuadere nobis conatur Prædicans: qui quando Euangelium non corruptum, & non falsatum legit ac publicè pronunciat; id quod pronunciat; verbum Dei est in actu primo, & quoad se: at verò, vt in actu secundo, & quoad nos, est vox & pronunciatio Prædicantis; minimè est verbum Dei; sed impostoris & sycophantæ; qui verba illa loquens, venit tanquam fur & latro; eo fine, vt furetur ac mactet. Sicut vox illa Caiphæ: *Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, &c.* fuit vox Spiritus sancti, vt bonum & verum sensum habebat, at ex mente Caiphæ, fuit vox Diaboli; quia pessimo sensu constabat.

Trigesimum nonum mendacium. *Peltanum Sect. 9. disputationis suæ Thesi 15. & seq. Stapletono contradicere.* Mentitur Gripus: quia Peltanus nil aliud dicit, quàm scripturam esse immediatè vocem Dei; in actu nimirum primo & in se; quod non inficiatur Stapletonus.

Quadragesimum mendacium. *Ex eo, quod quidam Catholici scriptores dicunt; Ecclesiæ auctoritatem aliquo respectu, dici posse maiorem auctoritate scripturæ, sequi Ecclesiam esse maiorem Deo.* Ex qua verò Dialectica sequitur hoc, nisi ex *Prædicantica*, hoc est, ex mendaciloqua?

Quadragesimum primum mendacium. *Papistis nullum relinqui effugium, quàm vt scripturam in se diuinam esse negent.* Miserum sanè hoc esset effugium. Quis adeo arctè nos constrinxit, vt non, nisi per hoc effugium, elabi possimus? Audi Prædicans. Scriptura in se, & quoad se, diuina est: Et hoc Catholicorum nemo vnquam aut negat aut negauit; quidquid vos mentiamini & calumniemini; diuina est, non quasi *subiectiuè* in se aliquid diuinitatis contineat; vt spissa Prædicantium capita sibi imaginantur; sed analogicè & relatiuè in ordine ad infallibilem veritatem, quam significat; & respectu auctoris sui; qui est prima ac summa veritas. Si qui Catholici scripturam aliquando vocarunt *nasum cereum, regulam Lesbiam*, aut quid simile; id non dixerunt de scriptura in se & quoad se; sed respectu vestri; qui eam, arbitratu vestro, fingitis, refingitis; flectitis, reflectitis; augetis, minuitis pro libitu & libidine.

Quadragesimum secundũ mendacium. Thesi 49. Scripturam à Costero vocari *scriptum chartaceum, membranam scriptam atramento, literam mortuam.* Nõ enim scripturam absolutè his nomini-

bus afficit Costerus; sed scripturam ab Ecclesiasticæ traditionis consensu abstractè consideratam. Quæ duo multum inter se differunt. Taceo; quòd mentitur Prædicans, cum dicit scripturam vocari à Costero *scriptum chartaceum; membranam scriptam*: quæ nescio quid contemptus innuunt; quia hæc sunt Costeri verba cap. 1. Enchiridij: *littera mortua; scripta atramento in membrana*: quæ locutio apertior est, quàm illa Prędicantica; & similis illi S. Gregorij in cap. 1. Regum; vbi vetus testamentum abstractum à spiritu per Ecclesiam interpretante, vocat *occidentem litteram; elementorum sonum, &c.*

Quadragesimum tertium mendacium, in problemate; quod nobis ἐν προσθήκης μέρει vnà cum mendaciis non paucis sese apponere Gripus ait; *Fidem Papistarum nihil aliud esse, quàm ignorantiam.*

Quadragesimum quartum mendacium. ibid. *Vel dubitationem.*

Quadragesimum quintum mendacium. ibid. *Vel nudum historiæ assensum.*

Quadragesimum sextum mendacium. ibid. *hoc docere Bellarminum lib. 1. de iustificat. cap. 7.*

Quadragesimum septimũ mendacium. ibid. *Papistas loco Spiritus sancti substituisse alium spiritum, qui in Papæ cerebro residet.* Hæc omnia mendacia apponit nobis Prædicans ἐν προσθήκης μέρει.

Quadragesimum octauum mendacium itidem ἐν προσθήκης μέρει. *Eos Lutheranos, qui hodie dubitant de Canonica auctoritate Epistolarum Iacobi, Iudæ; & similium, non carere Spiritu sancto propter istam dubitationem.* Quocirca Lutherus, qui Epistolam S. Iacobi appellat *stramineam*, nihilominus Spiritũ sanctum habet; si non mentitur Gripus. Mirari subit, quomodo vnus idemque Spiritus sanctus (vt istis videtur) tam diuersè obsignet testimonium suum de his Epistolis in cordibus suorum Lutheranorum; & quomodo tam discrepantia κριτήρια producat; In corde Lutheri testabatur iste spiritus initio, Epistolam Iacobi esse *stramineam; & omnis Apostolici spiritus expertem.* Postea hoc suum testimonium nonnihil temperauit: non tamen vllo modo Epistolam Iacobi, vel Iudæ, vel secundam Petri, vel alteram & tertiam Ioannis, vel Epistolam ad Hebræos in Canonem admisit. In corde Hunnij ferè admittit Epistolam ad Hebræos; quia *ferè* est Canonica. Idem *ferè* contingit secundæ Epistolæ S. Petri; Idem *ferè* secundæ & tertiæ S. Ioannis. Sed ab isto *ferè* longè adhuc absunt Epistolę Iacobi & Iudæ testimonio spiritus in pectore Hunnij, tanquam sub tegmine fagi, recubantis; & inde velut ex tripode de Canonica auctoritate Epistolarum Canonicarum vaticinantis. In aliorum Prædicantium cordibus aliud testatur. Quis iste tam variabilis & vertiginosus spiritus, qui in penetralibus, vel potius speluncis, cordium vestrorum tam inconstanter de vna eademque re; & quidem grauissima, testificatur? Ne homini quidem tam varia & malè cohærentia effutienti fides haberetur. Et vos non pudet hanc tantam inconstantiam ipsi Spiritui sancto, non sine blasphemia, affingere?

Quadragesimum nonum mendacium non iniuria dixeris esse diuisionem librorum sacrorum in Canonicos, apocryphos, & ἀντιλεγομένους, *quibus contradicitur.* qua diuisione vtitur Gripus Thesi prima; & eandem sub finem suæ disputationis repetit; ratus fortasse, placituram, si repeteretur. Quis vnquam audiuit libros apocryphos, & quidem, vt iste appellat, *simpliciter reiectitios*; quales Euangelium Matthiæ, Thomæ, Bartholomæi, Nicodemi, Iudæ & similium. de quibus Prædicans Thesi 22. dici *libros sacros?* vel etiam sacrorum librorum nomen mereri illos apocryphos, in quibus *nõ apparentes, sed veræ contradictiones, & insolubiles nodi insint*; vt de libris Tobiæ, Iudith, Macchabæorum & aliis, mentitur Gripus; quos tamen *sacros* appellat; & sub eodem *diuiso* cum libris Canonicis complectitur; in quibus insuper inesse ait multa ἀσύστατα, ἀσύμφωνα, καὶ ἀλλόκοτα; quæ Græca verba, vt & alia passim, proferre, opinor, non potuisset, nisi ea ex VVitackero furatus fuisset.

Quinquagesimum mendacium, quod bene vertat, sit, quod in summa totius disputationis, hoc est, in compendio omnium mendaciorum à se effusorum ait; libros apocryphos esse, quorum occulta origo non inclaruerit Patribus: Ex quo sequitur libros Ruth, Iudicum, Regum, Paralipomenon esse apocryphos, quippe quorum origo ac auctor nulli hactenus *inclaruerit.* Quis enim est Auctor libri Ruth? Quis Iudicum? Quis Paralipomenon? Cedo, sodes, Gripe, si nosti. Quem cum hoc quinquagesimo tuo mendacio valere iubeo. Non quod non procliue fuerit, totidem præterea ex miserandis tuis chartis excerpere; sed quia quod satis est, id satis. Refutationem ampliorem ne exspectes: quia Theses tuæ furta sunt ex Hunnio & VVitackero: quorum nugæ, ad nauseam vsq; discussæ ac refutatæ sunt. Etiam illa, quæ de Canonibus Apostolorum partim nugaris, partim mentiris, ex Hunnij disputatione de Colloquio cum Pontificiis ineundo sublegisti; quę copiosè refelli in Responso ad Hunnianas Theses. Neque hic itero. Liber est in medio.

Ad extremum rogo te, Gripe; vt ex laudatore tuo, Prędicante Ratisbonensi, Poëta *Laureato* an *Laruato*? qui Epigramma tali disputatione dignissimum ad Theses tuas appendit; scisciteris, quanta sit prima syllaba in *vipera*, vel *viperina*. Etsi nil opus sciscitari; iam hoc versu, scutica digno, quid sentiat, patefecit.

Ringantur Sathanas, viperinaq; pignora Ditis.

O Apollo, ô Musæ; hæc videtis, & tacetis? Hæc videtis, & Prædicantem istum titulo *Poëta Laureati* gloriari sinitis? Mirer,

Vipera ni rapiat Bardi de vertice laurum.

Non

Non ægrè feret Gripus, si ad hanc tertiam appendicem appendā tria verba de symmysta quodam Lutherano; Prædicante VVitebergensi, cui in his meis libris aliud nomen non erit, quàm *Labrax*. Is nuper de scriptura eiusque Canonica auctoritate & interpretatione decem disputationes euulgauit; insulsè, maximam partem, ex Kemnicio & Hunnio contextas, nouisque quibusdam mendaciis, calumniis, sycophantiis & contradictionibus farctas. *I.* Laudat Labrax illud Philosophi; *cum eo, qui negat, vel in dubium vocat principia, nullam disputationem esse ineundam.* Et tamen hoc quod laudat, mox Thesi 4 euertit; vbi dicit, cum Iesuitis pro principiis fidei, hoc est, pro sacra scriptura, *tanquam pro aris & focis, depugnandum esse.* Si cum negantibus principia disputandum non est; Iesuitæ autem, vt tu criminaris, principia fidei negant; qua ratione cum illis disputas?

II. Mox mentitur simul & conuiciatur, à primis Ecclesiæ noui testamenti initiis, nullam hæresin *eò impietatis progressam esse, vt sacrosanctæ scripturæ auctoritatem tam audacter ex toto vellicarit, reprobarit, & impugnarit; præter hanc vnam Iebusiticam.* Hanc pseudologiam simul & lœdoriam abundè refellit & depellit caput quintum & sextum Bellarmini lib. 1. de verbo Dei. Si vnquam Prædicans ostenderit, Iesuitas in scripturam grassari; vt Manichæi & Marcionistæ grassabantur; tum à mendacij crimine absoluetur: Quis vnquam ex nostris Epistolam S. Iacobi vocauit cum Luthero *stramineam, & spiritus Apostolici exsortem?* Quis de Iob, de Ecclesiaste, & aliis talia dicta dixit; qualia Lutherus? de quibus supra ad caput quintum & sextum. Quis cum eodem tot libros impia manu ex Canone exsecuit?

Illud non improbo, quod scribit, *difficilius ipsis esse cum Pontificio disputare, quàm cum Ariano, vel alio Sectario.* Credo; quia Pontificij vos *ad formam* compellunt; & intra certos limites constringunt. Quod quàm vobis difficile, arduum & molestum sit, vidimus nuper in Colloquio Ratisbonensi.

III. Imperitè dicit, *sacram scripturam dici Canonicam appellatione hac ei ab ipso Spiritu sancto imposita.* Vbi scriptum est; scripturam à Spiritu sancto appellatam Canonicam? Respondet Labrax. Psal. 19. (sic citat) *In omnem terram exiuit funiculus, siue amußis eorum.* At S. Paulus nihil habet de *funiculo* seu *amussi*; sed de *sono*: *In omnem terram exiuit sonus eorum*: cui cur non potius assentiar, quàm Prædicantibus; caussam nullam reperio; præsertim cum & ante sanctum Paulum, septuaginta interpretes, *sonum* verterint, non *amussim*, vel *funiculum*; & Hebræa lectio quam isti vrgent; non sit extra omnem de germanitate & sinceritate dubitationem. Sed esto; sit in illo Psalmi loco *funiculus, amußis, canon, regula*; & quidquid Prædicantibus lubet; non magis inde efficies scri-

A ptum Dei verbum esse *Canonicum*; hoc est, habere rationem *amußis, funiculi mensorij, regulæ, Canonis*; quàm verbum Dei non scriptum: quandoquidem non dixit B. Dauid: *In omnem terram exiuit scriptus eorum Canon; scriptus funiculus; scripta amußis, scripta regula*; sed absolutè; amussis, funiculus, Canon, regula; quæ æquè conueniunt in doctrinam viua voce, absque scripto traditam; ac in eam, quæ scripto comprehensa est. Illud placet, quod Labrax Aquinati, inter venerandæ antiquitatis testes & doctores sessionem præbet. Qua liberalitate, maledicentiam Lutheri in S. Thomam passim exercitam; nonnihil castigat.

B *IV.* Quod mentitur, *solam scripturam esse vnicam fidei & morum normam*; dissimulemus; quia mendacium hoc Prædicantibus non modò est solenne, sed & *essentiale*: vt & delirium illud de ipsis Bibliorum Codicibus ad extremum iudicium afferendis, vt ex illorum præscripto totus mundus iudicetur. Vbi Hunnius, & Hunniani *Pullastri* videntur cogitare de Deo, velut de iudice quopiam, qui dum partes audit, rationumq; momenta expendit, semper iuxta se libros Iuris habet; eosque consulit ac intuetur, ne fortè in dicendo iure, & suum cuique tribuendo ab æquitatis regula deflectat. Quod febrile delirium in Hunniano Responso copiosè profligauimus.

C *V.* Mentitur Labrax, *Deum seuerè præcepisse Moysi, vt scripta legis & Prophetarum diligenter asseruarentur, primùm quidē in arca fœderis, deinde verò in archiuis Regum.* Citatq; caput 31. v. 26. & cap. 17. v. 18. Deuteronomij. Verùm in his locis nihil penitus habetur aliud, quā vt Deuteronomij liber in arca reponatur. *Tollite*; mandabat Moyses, *librum istum*, (ergo de aliis aliorum auctorum libris, qui eo tempore nec concepti, nec editi erant, nullum dedit Moyses mandatum) *& ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri*, &c. & cap. 17. Nihil aliud præcipitur, quàm vt Rex acceptum à Sacerdotibus Deuteronomij librum studiosè euoluat. Nulla de aliis legis vel Prophetarum libris fit mentio.

D *VI.* Fatetur Labrax, *primitiuam Ecclesiam fuisse testem, qui nam libri essent Canonici.* Non nego verū esse. Quæro; vbi hoc scriptum? vbi tradit scriptura; primitiuam Ecclesiam aliquid de Canonicis libris testatam esse? Monstretur locus.

VII. Abnuit Labrax, *primitiuam Ecclesiam fuisse iudicem in controuersia, qui sint libri Canonici*: Et tamē paulò post sibi cōtradicens dicit; *Ecclesiā in discernendis & internoscendis Canonicis libris habuisse sese instar aurifabri; qui aurum vel gemmam iudicio suo verum aurum veramq; gemmam pronunciat.* At iste hoc facit iudicis instar. Iudicat enim verum esse aurum & veram gemmam; & ex auctoritate artificij sui id pronunciat; ergo & primitiua Ecclesia verè iudex librorum Canonicorum fuit. Nam quòd Labrax ita argumentatur: *Scriptura non accipit auctoritatem*, (*intellige* illam, quā in se, & quasi

Digitized by Google

in actu primo habet) *ab Ecclesia, ergo Ecclesia non est iudex*; id perinde est, ac si dicas: Aurum vel gemma non accipit suum valorem, pretiumq; quod à natura suâ habet, ab aurifabro; ergo aurifaber non est iudex, vtrum aurum sit verum aurum; & gemma genuina gemma.

VIII. Dicit Labrax, *magnum esse discrimen inter testimonium hodiernæ Ecclesiæ, & primitiuæ: Nam illud non probari, nisi eius testimonium cum testimonio primitiuæ ex asse congruat; primitiuæ autem Ecclesiæ credi, quòd ea partim ipsos Apostolos docentes audiuerit, partim ipsorum apographa ad manum habuerit.* Non negamus testimonium hodiernæ Ecclesiæ consentire debere, cum testimonio Ecclesiæ primitiuæ. At cum nos dicimus, testimonium hodiernæ Ecclesiæ de Epistola S. Iacobi & libro Tobiæ conuenire cum testimonio primitiuę Ecclesiæ; hoc autem vos pertinaciter abnuitis; rogo, vnde infi- B ciationi vestrę fidem facitis? Vnde vobis compertum, primitiuæ Ecclesiæ testimonium aliud non fuisse, quàm Epistolam S. Iacobi nomine inscriptam esse *stramineam*, & Tobiæ librum apocryphum, multis erroribus contaminatum? Audiuit quidem primitiua Ecclesia Apostolos docentes. At ego semper quæro; vtrum ex Apostolis audierit Epistolam S. Iacobi esse *stramineam*; *Apostolico spiritu destitutam*; & librum Tobiæ, *apocryphum*. Nam si hoc ex Apostolis audiuit; causæ nihil erit, cur non absque mora ad vestra castra transeamus.

Ad autographa quod attinet; vt ea aliquo in loco asseruata fuerint; quæri tamen potest; an etiam primitiua Ecclesia habuerit autographa pentateuchi; libri Iosuæ; Iudicũ, Ruth, Regũ, similium. Secundò, si habuit; vnde sciuerit esse autographa? Ex qua scriptura? Quę certè hic nihil testatur. Tertiò, loquendo de libris testamenti noui, vnde liqueat, primitiuam Ecclesiam non habuisse itidem autographa Epistolæ S. Iacobi, secundæ Petri, & aliarum quas isti in dubium reuocant? Quartò, licet alicubi autographum fuerit asseruatum, id tamen aliis aliunde aduenientibus, imo omnibus illis, qui ipsum Apostolum non videre propria manu scribentem; aliunde constare non potuit, quàm ex aliorum relatione & traditione; sicut si cui hodie exhiberetur liber calamo exaratus; quasi à Cicerone vel Virgilio, propria manu scriptus fuisset; an id aliunde, quàm ex traditione credere posset? Quintò, si quis negasset esse autographum; quis falsitatis conuicisset, & vnde?

IX. Lepidißimè Canonicorum librorum auctoritatem ex ipsis Canonicis libris probat: *quia multa scripturæ loca apertè testantur, id esse verbum Dei, quod in Bibliis continetur.* At vnde constat Prædicanti; hæc testimonia esse Canonica & authentica? *Ego Iehoua locutus sum. Isaiæ 58 14. Os Domini locutum est. 1. Cor. 2. 13.* Si quis hæc ipsa neget; vnde eis fidem conciliabit Labrax? Ais. *Aut vera sunt, aut falsa.* vtique vera. At vnde scis esse vera? Si

A quis neget esse vera; quomodo probabis esse vera?

X. Vetus testamentum probat nouum, atq; ex nouo vicissim probatur vetus. Proba ergo ex veteri testamento epistolam ad Philemonem esse Canonicam; Num potes? Et vice versâ, ex nouo, Cantica Canticorum vel Ecclesiasten in Canone reponi debere. Quid cunctaris? De hac fatuitate iam suo loco copiose actum est.

XI. Spiritus internus in cordibus fidelium testatur has vel illas scripturas esse Canonicas. Mirificus spiritus; qui cordi Lutheri dictat Epistolam Iacobi esse *stramineam*: cordi Caluini; Canonicam. Mirificus spiritus; qui in Lutheranorum pectoribus firmiter affirmat, & affirmationem nescio quo Criteriorum Sigillo authenticè obsignat; Epistolas Iudæ, secundam Petri; alteram & tertiam Ioannis esse apocryphas; at in animis Caluinistarum prorsus contrarium testificatur. Quis iste sibi tam impar spiritus?

XII. Ride & hanc stultitiam. *Testimonium Ecclesiæ posterius est ipsis Canonicis libris, ergo non potest esse primaria caussa cognoscendi id, quod prius est*: nempe Canonicos libros. Perinde ac si dicas: Confessio reorum, & testimonia, quæ ab aliis contra reos perhibentur & deponuntur; posteriora sunt, quàm ipsum crimen à reis perpetratum; ergo non possunt iudici esse primaria caussa cognoscendi criminis. Narratio & testificatio fide dignorum hominum de victoria quapiam ab C hostibus relata posterior est, quàm ipsa victoria; ergo non potest esse primaria caussa victoriæ cognoscendæ. Effectus posterior est, quàm caussa, ergo caussa nunquam potest probari per effectum. Vt tibi hæc deliramenta arrident? Atqui tuum nihil prorsus ab istis discrepat.

XIII. In ipsis Canonicis libris abunde habetur quoad sensum atq; effectum; qui sint libri Canonici; licet non totidem syllabis & vocibus. Ostende, obsecro; vbi quoad sensum habeatur in ipsa scriptura, Epistolam ad Philemonem esse Canonicam. Ostende, vbi hic sensus delitescat: vt & ego eum sentire coner. Id quod est Canonicum, in scriptura esse; agnosco; sicut id, quod est aurum, seu natura auri, est in auro: at testimonium, quòd sit Ca- D nonicum, hoc in scriptura desidero; hoc mihi monstrari cupio.

Dices. *Aurum esse aurum melius probari non posse; quàm per ipsum aurum, perq; testimonium ipsi naturæ auri quasi insitum: ergo etiam scripturam esse scripturam melius probari non posse quàm per ipsam scripturam.* Respondeo, negando consequentiam; quia aurum esse verum aurum, sensibus euidenter manifestum effici potest; at scripturam esse Canonicam, res est supra omnem sensum; & à sola fide pendens; ex se ergo, licet eam sursum & deorsum voluam; & penitißimè contempler, innotescere mihi nequit absque externo testimonio eius; qui vel quæ infallibiliter de diuina & Canonica librorũ auctoritate testificari ex officio

nouit;

nouit; quemadmodum etiam ipsa natura auri sæpe aliter imperitis notificari non potest; nisi per probationem & testificationem eius, qui veri auri explorandi scientia pollet.

XIV. Mentitur epistolam ad Hebræos, Iacobi, Petri secundam; Ioannis secundam & tertiam, Iudæ & Apocalypsin à Lutheranis eam solùm ob caussam extra Canonem poni; quòd dubitetur; num ab ipsis Apostolis illi libri sint conscripti: Quia Lutherus initiò reiecit epistolam S. Iacobi; quod ipsius fœdissimo naso videretur *straminea; & Apostolico spiritu destituta:* postea eandem repudiauit, quòd *doctrina eius doctrinæ Pauli ex diametro aduersaretur;* vt ipse imperitè calumniatur; non ergo à Lutheranis propter solam auctoris incertitudinem, sed propter rem ipsam reiicitur, si sui parentis vestigia sequi velint. Deinde, B si ideo tantùm apocryphis annumerantur, quia non est certum, an ab illis, quorum nomina præferunt, Apostolis, libri illi sint conscripti; etiam liber Iob; libri Regum; libri Paralipomenon, liber Ruth, & Iudicum repudiandi erunt; quia vel omnino nescitur, à quo auctore sint conscripti; vel incertum habetur, vtrum sint eorum auctorum, quorum nomina in fronte gerũt; si quæ gerant.

Præterea, quid incertitudo auctoris ad rem; si materia libri sit sancta? Et quis, præter sectarios, post tot annos, denuo in dubium vocauit; num libri isti sint eorum Apostolorum, quorum titulis insigniuntur?

Ad extremum; si ob solos auctores, non ob C auctoritatem ponuntur extra Canonem; cur dicit Labrax, se non magnopere cum quoquam pugnaturum, quo minus in Canone reponantur secunda epistola Petri, epistola ad Hebræos, secunda & tertia Ioãnis, *si de earum auctoritate potius, q̃ auctore disputatio moueatur.* Si, vt ait; ꝑpter solam incertitudinem auctoris excluduntur à Canone; non ergo excluduntur propter incertitudinem auctoritatis; si non excluduntur propter incertitudinem auctoritatis; debet ergo Labrax de auctoritate horum librorum neque parum, neque multum; neque magnopere, neque non magnopere cum quoquam litigare; sed ab omni prorsus litigio abstinere.

D *XV.* Festiuè statuit duplex verbum Dei; *quorum alterum continetur,* inquit, *in libris Canonicis, tanquam primarium; alterum in apocryphis, tanquam secundarium.* Vbi vnquam audita talia monstra extra Prædicantium monstrosa gymnasia? Quasi verò non omne verbum Dei sit infallibile, & extra omnem dubitationis aleam positum.

XVI. Apocryphos, quos vocat; veteris testamenti libros; vt Iudith, Tobiam; Sapientiam, Ecclesiasticum, similes; dicit ad auctoritatem Ecclesiasticis dogmatibus conciliandam, nullatenus adhibendos esse. I. quia ne in Iudaica quidem Ecclesia pro authenticis fuerunt habiti. II. Quia neq; Christi, neq; Apostolorum testimonio confirmati. Hoc delirandi modo Labrax efficiet, non tantum illa noui testamenti, quæ ipse pro apocryphis habet; A non posse adduci confirmandis fidei dogmatibus; sed ne illa quidem, quæ, omnium iudicio, sunt Canonica; quia Euangelium S. Lucæ ne in Iudaica quidem Ecclesia vnquam pro authentico & canonico est habitum. Neque Christi, neque Apostolorum testimonio confirmatum est. Loquor, cum schola dicam, *ad hominem Prædicantem;* qui nihil asserere debet, nisi quod in scriptura expressè comprehensum; vel inde per euidentem consequentiam deducitur. Vbi autem expressè scriptum, vel ex quo sacrarum litterarum loco euidenter colligitur; Euangelium S. Lucæ à Christo, & Apostolis fuisse confirmatum?

Deinde; si duæ illæ rationes efficiunt, ne libri veteris testamenti, quos isti apocryphi Prædicãtes appellant *apocryphos,* stabiliendis dogmatibus adhiberi possint, etiam efficient, libros noui testamenti, quos isti apocryphis deputant; dogmatibus confirmandis adhiberi non posse: at possunt adhiberi; vt iste disertè scribit. Probatur sequela, quia neq; Iudaica Ecclesia vnquam epistolam secundam Petri; neque secundam & tertiam Ioannis, &c. recepit; neque Christus vel Apostoli confirmarunt. Vbi enim hæc confirmatio in scripturis? Nam à Prædicante, thrasonico scripturarum iactatore, nunquam desinam scripturas efflagitare.

Antequam hinc abeo, libenter intelligerem ex Labrace; vnde tandem sciat, primam S. Ioannis epistolam potius & indubitabilius esse Canonicam; quàm secundam, vel tertiam, vel Apocalypsin? si confugiat ad interna Criteria, & spiritus testimonium internum; iam agnosco omniũ miserorum & ignorantium asylum. Si ad antiquitatis testimonium; iam ergo in Canonicis libris internoscendis humana auctoritate nititur, quod ipse nunquam fatebitur. Si ad stylum; dignus est, vt stylo pungatur. Pergamus.

XVII. Multa nugatur & mentitur Labrax, circa modum quendam loquendi, quo Stapletonus & quidam alij vtuntur; nempe, *Ecclesiam ex libro non Canonico facere posse Canonicum,* intellige per declarationem; nam isti Canonicum non appellant; nisi quod in actu quasi secundo Canonicum est; & vt tale omnibus publico Ecclesiæ præconio propositum. Hic Prædicans exultat, & mirificos pæanas canit; & *syllogismos cornutos* vibrat. Omnia prorsus ridiculè, inscitè, insulsè, ineptè: aptissimè tamen Lutheranorum obesis naribus. Et hic Labracem multum valere iubeo; donec iterum libris sequentibus conueniendi & colloquendi occasio dabitur.

APPENDIX QVARTA
DE VANITATE ET IMPVDENTIA EXTREMA SIBRANDI LVBBERTI CALVINISTÆ.

SCRIPSIT ANTE ALIQVOT A annos Sibrandus iste *de principiis Christianorum dogmatum libros septem*: in quibus ex instituto Cõtrouersiam primam Bellarminianam de verbo Dei scripto & tradito refellendam & exagitandam suscepit. Cuius opus serius ad manus meas peruenit, nimirum absoluta iam defensione librorum primi & secundi, quos Caluinista tribus prioribus sui operis libris insectatur & incessit. Duobus postremis Bellarmini libris opponit Caluinista suos postremos quatuor, Quos nos cum VVitackeri, Iunij & aliorum Prædicãtium chartis verbatim propemodum refutauimus, Tres priores attingere tanta sedulitate, & quasi κατὰ πόδα non B visum operæpretium; Nam primò vix quidquã adfert responso dignum; ad quod non iam abũdè in VVitackero, Iunio & aliis responsum sit. Deinde, qui legerit ea, quæ pro defensione libri tertij & quarti aduersus istum disserui; apertè intelliget, Savvbrandum hunc esse cauillatorem, calumniatorem, sycophantam; & impostorem vanissimum, mendacissimum, improbissimum; vbique sui simillimum; vt proinde is, qui eum vno vel aliquibus in libris refutatum dat; eum in cæteris itidem refutatũ dedisse existimari queat: quia eodem pede semper progreditur; eandem mentiendi & sycophantandi, & omnia peruersissimè peruertendi semitam perpetuò tenet ac terit; easdem inscitiæ, nequitiæ, frontis inuerecun- C dæ, mentisque prorsus flagitiosę notas omnibus paginis, imò omnibus paginarum lineis imprimit. Nonnulla specimina hic breuiter enotabo; nam in defensione libri tertij & quarti isthæc tibi non modio, aut trimodio, sed ipso prorsus horreo admetiar.

I. Quando Bellarminus pro auctoritate Canonica alicuius libri citat aliquem vel aliquos Patres; vt Augustinum, Innocentium I. Pontif. Gelasium Pontif. Athanasium; Eusebium, alios; aut aliquod Concilium vnum vel plura; mox ipse cum huiusmodi syllogismis in medium prosilit, lib. 1. cap. 4. *Quidquid est decretum in Concilio Carthaginensi tertio, hoc est verum: sed in illo Concilio decretum est, hos sex libros* (Iudith, Tobiam, Sapientiam, &c.) *esse regulam fidei; ergo hi sunt regula fidei.*

Ibid. *II. Quidquid statuit Innocentius Papa, hoc est verum; sed Innocentius dicit hos sex libros esse Canonicos; ergo hi sex libri sunt Canonici.*

Ibid. *III. Quidquid statuit Gelasius Papa, hoc est verum: sed Gelasius Papa dicit hos sex libros esse Canonicos; ergo hi sex libri sunt Canonici.*

IV. ibid. *Quidquid dicit Augustinus, hoc est verum: sed Augustinus dicit hos sex libros esse Canonicos; ergo hi sex libri sunt Canonici.*

V. Quidquid Origenes dicit; hoc est verum. Sed Origenes dicit septem postrema Estheris capita esse Canonica; ergo hæc septem capita sunt Canonica. Cap. 6. & 8. Similes infinitas delirationes suis in libris vsque ad ipsorum etiam, nil dubito, Cauinistarum nauseam ingerit & inculcat iste, quæ insignitæ cuiusdam improbitatis manifestissima sunt indicia. Nam primò mentitur, Bellarminum; quando Patrem quempiam vel synodum allegat; saltem tacitè, ita, vt ipse comminiscitur, argumentari: cum nihil minus tam de Bellarmino, quàm de quolibet alio scriptore, testimonia veterum citante, affirmari verè possit: neque enim is, qui S. Augustinum; S. Cyprianum, S. Ambrosium citat; propterea implicitè & tacitè hanc Maiorem ponit vel subintelligit. *Quidquid dicit Augustinus, hoc verum est. Quidquid dicit Cyprianus, hoc verum est:* Nam vt citatio, quam quis adfert, vera sit; non oportet, vt omne illud, quod S. Augustinus; vel S. Cyprianus vel alius de horum numero vspiam vnquam asseruit; verum sit; satis est; si verum vel sit, vel verum censeatur id, quod præsenti negotio confirmando profertur. Quemadmodum enim is, qui probandæ alicui Thesi adsciscit Platonis; Galeni, Aristotelis, vel Hippocratis testimonium; minimè hanc Maiorem statuit: *Quidquid dicit Plato; hoc verum est. Quidquid dicit Galenus, quidquid Aristoteles, quidquid Hippocrates, hoc verum est:* Sed satis habet; quod verum sit prolatum abs se testimonium; ita & in Theologicis disputationibus vsu venit; quando aliorum testimoniis & auctoritatibus muniuntur.

Deinde; quis non videt, quod suo loco fusius explicaui; hanc testimoniorum elusionem

fundi-

Digitized by Google

A funditus omnem omnino citationum rationem & consuetudinem abolere, & ad quæuis testimonia euitanda non rimam, sed patentissimam fenestram pandere? Vrgeat aliquis Medicum testimonio Galeni, vel Hippocratis; quid procliuius erit, quàm vim testimonij per *Savvbrandicam syllogizandi* rationem effugere: *Quidquid dicit Galenus, hoc est verum; sed Galenus hoc dicit; ergo est verum: Nego Maiorem. Quidquid dicit Hippocrates, hoc est verum; sed Hippocrates hoc vel illud dicit; ergo est verum. Respondeo, negando Maiorem:* Quò se argumentans vertat, audita huiusmodi Maiore; occasione testimonij abs se producti formata non dicam sophisticè; sed prorsus sycophanticè? Donec probet omnia esse vera, quæ Galenus dixit vel scripsit, *labitur amnis & annus; & labetur in omne volubilis æuum.* Interea alter suauiter sub ignorantiæ tegmine recubabit; & onus testimonij ab humeris suis depulsum sibi gratulari non desistet. B

Vrgeat prematque Iureconsultus alterum eiusdem professionis auctoritate Pandectarum, Codicis vel Nouellarum; eumque in angustias coniicere studeat; quid promptius fuerit, quàm salutem à tali quopiam syllogismo petere. *Quidquid dicunt Pandectæ; quidquid dicit Codex; quidquid dicunt Nouellæ, hoc verum est. Sed Pandectæ, Codex, Nouellæ hoc dicunt; ergo est verum. Respondeo, Maiorem esse falsam?* Quid consilij ob hoc inopinum responsum argumentator capiet? Num suscipiet prouinciam demonstrãdi verum esse omne illud, quod in Pandectis, Codice & Nouellis continetur? At hæc & infinitæ molis, & immensi temporis, ne dicam planè impossibilis, occupatio esset. Ita hæc Savvbrandica sycophantia vniuersis allegationibus, imò ipsi veritati, viam penitus intercludit. C

Solet Caluinista in huiusmodi syllogismorum monstris à se confictis ante omnia negare *Maiorem*; sæpe etiam *Minorem*; & postea verbosissimè & loquacissimè deblaterare; cur Maior Minorue non valeat; addita immensa mendaciorũ; conuiciorum & imperitiarum strue. Vide sis aliqua huius generis commenta. I. dicit cap. 4. *Libros Macchabæorum in Concilio Carthaginensi extra Canonem relictos esse.* Mendacium hoc luculentissimum perspicuè redarguit ipse Concilij solummodo inspectus Canon. Et tamen mox repetitur, quia *δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν.* II. Mentitur, *in Concilio Laodiceno statutum esse, nullum ex sex illis libris, Tobia, Iudith, Baruch, &c. esse Canonicum.* Impudens mendacium, vt & hoc. III. *Laodicenum Concilium, quoad hoc decretum, approbatum fuisse à sexto œcumenico Concilio Constantinopolitano*; seu à synodo Trullana. d. 16. cap. *Quoniam.* Quomodo potuit sexta synodus confirmare decretum synodi Laodicenæ de sex illis libris Canone depellendis, cum nullus huius generis Canon in Laodicena synodo fuerit sancitus? quia aliud est; libros aliquos non nominari in Concilio Laodiceno; aliud à Con- D

cilio, decreto facto, extra Canonem pelli vt spurios.

IV. mendacium. *Papam Adrianum Laodiceni Concilij Canonem etiam approbasse. C. sextum, d. ead.*

V. Mendacium. *Papam contradictoria approbasse; approbasse enim cum Laodiceno Concilio sex illos libros non esse Canonicos; & cum Carthaginensi, esse Canonicos.* O futilitatem & mentiendi impotentiam. Vbi statuit synodus Laodicena libros illos non habendos pro Canonicis?

VI. mendacium. *Innocentium primum numerare quatuor epistolas S. Ioannis.* Inspiciat lector epistolarum Decretalium & Conciliorũ editiones, nusquam quatuor; sed constãter, *tres* inueniet; etiam in editione Coloniensi, Anno 1551. publicata.

VII. mendacium, *ab Innocentio omissum librum Tobiæ.*

VIII. mendacium. *Omissum ab Innocentio Baruch.* Nam Innocentius nullum Prophetam speciatim exprimit. Sexdecim esse dicit: & sub Hieremia, more communi, Baruchum includit.

IX. mendacium. *Gelasium vnum duntaxat Regnorum librum percensere; & Samuelem prorsus præterire.* At Gelasius expressè dicit: *Regnorum libri quatuor.* Qui sunt illi ipsi, quos nos appellamus *libros Regum.* Hæretici autem, duos priores appellant *Samuelem*; seu libros *Samuelis.* Posteriores; *Regum.*

X. mendacium. *Baruch à Gelasio extra Canonem relinqui:* Nam more vsitato sub Hieremia comprehendit.

XI. mendacium. *Gelasium & Innocentium sibi mutuo repugnare; hunc enim numerare duos libros Macchabæorum; illum duntaxat vnum.* Sed non magis est contradictio inter hos, ac inter Gregorium Nazianzenum & alios; quorum ille statuit tantummodo vnum Paralipomenon librum: alij duos: nam sub vno comprehendit Nazianzenus geminos nostros, nisi quis eò insaniæ progredi velit; vt dicat, Nazianzenum alterum Paralipomenon à Canone reiecisse.

XII. mendacium, *eosdem Pontifices dissidere: Innocentium enim duos Esdræ; Gelasium tantummodo vnum statuere.* Sed hic sub nomine vnius complectitur etiam alterum; vt & Nazianzenus facit in Carmine *de genuinis scripturis*: nisi quis iterum sic stultescere velit; vt existimet, à Nazianzeno alterum Esdræ librum à Canone resectum fuisse.

XIII. mendacium. *Innocentium, reprobare Tobiam: Gelasium; approbare.* Videatur decretum seu epistola Innocentij, & mox euanescet vanitas.

XIV. mendacium. *Innocentium numerare quinque libros Salomonis. Gelasium, non nisi tres.* Quo innuit, Gelasium excludere à Canone librum Sapientiæ & Ecclesiasticum. Quod falsum: expressè vtrunque nominat. Licet Salomoni non attribuat. Parum refert. Non disputamus de auctore, sed de librorum auctoritate.

XV. mendacium. *Innocentium numerare quatuor epistolas Ioannis*; Gelasium non nisi tres. Inspiciatur Innocentius. Et hæc quindecim menda-

cia

cia plana & aperta continentur in vno capite Savvbrandico;nec curiosè collecta;sed *pingui Minerua*; prout & ipsa sunt pinguia. Qui volet,totidem inde,nullo labore,excerpet.

Quando Bellarminus dicit libros, quos isti sceleratè à sacro Canone amputant; vocari à Patribus *Canonicos*; annumerari libris Canonicis;in Ecclesia publicè fuisse lectos; nominari libros sancti Spiritus;eorum Canonicam auctoritatem ab Apostolis acceptam esse: & his similia:è vestigio cum saccis syllogismorum plenis accurrit Savvbrandus. En tibi aliquos. *I. Quidquid aliqui Patres ab Apostolis se accepisse dicunt, hoc docuerunt Apostoli: sed aliqui Patres dicunt se ab Apostolis didicisse hos libros esse Canonicos. Ergò Apostoli docuerunt hos libros esse Canonicos.*

B Cap.4. *II. Quos libros Isidorus. Cassiodorus.& Rhabanus dicunt esse Canonicos,illi sunt Canonici. Sed illi dicunt hos quinq; libros esse Canonicos. Ergò hi quinq; libri sunt Canonici.*

Ibid. *III. Quod aliqui Patres dicunt,hoc est verum. Sed aliqui Patres dicunt,hos libros diuinos esse. Ergò sunt Canonici.*

Cap.6. *IV. Quoscunq; libros aliqui Patres in Canonem retulerunt,ij sunt Canonici. Sed Estheram aliqui Patres in Canonem retulerunt. Ergo hæc septem posteriora capita sunt Canonica.*

Ibid. *V. Quem librum aliqui Patres sacrum esse dicunt,ille est Canonicus. Sed hæc septem capita aliqui Patres sacra esse dixerunt. Ergò, hæc septem capita sunt Canonica.*

C Ibid. *VI. Quod in Ecclesia legitur,illud est Canonicum. Sed hæc septem capita in Ecclesia leguntur. Ergò,hæc septem capita sunt Canonica.*

Ibid. *VII. Ex quibus libris aliqui Patres testimonia allegant, ij sunt Canonici. Sed ex his septem capitibus aliqui Patres testimonia allegant. Ergò hæc septem capita sunt Canonica.*

Cap.7. *VIII. Quemcunq; librum aliqui Patres nominarunt diuinam scripturam,ille est Canonicus. Sed aliqui Patres vocarunt Baruch diuinam scripturam. Ergò Baruch est liber Canonicus.*

Ibid. *IX. Quos libros Hilarius in Canone posuit, illi sunt Canonici. Sed Hilarius in Canone posuit Baruch. Ergò Baruch est Canonicus.*

D Cap.9. *X. Quemcunq; librum aliquis Pater vocat librum Spiritus sancti, ille est regula Christianorum dogmatum. Sed Tobias est ille,quem vnus Pater vocat librum Spiritus sancti. Ergò, Tobias est regula Christianorum dogmatum.*

Cap.11. *XI. Ex quo libro Concilium Sardicense probat Christũ esse verum Deum, ille liber est Canonicus. Sed Concilium Sardicense ex libro Sapientiæ probat Christum esse verum Deum. Ergò liber Sapientiæ est Canonicus.*

Cap.12. *XII. Quoscunq; libros Epiphanius numerat inter Canonicos,illi sunt Canonici. Sed Ecclesiasticus est ille,quem Epiphanius numerat inter Canonicos. Ergò, Ecclesiasticus est Canonicus.*

Cap.13. *XIII. Ex quo libro Augustinus probat,pium esse orare pro mortuis;ille est Canonicus. Sed liber Machabæorum est ille,ex quo Augustinus hoc probat. Ergò, liber Macchabæorum est Canonicus.*

In hos & similes insipidos syllogismos coniicit Caluinista testimonia veterum à Bellarmino producta; quorum aliqui, vt vides, formâ claudicant; atq; adeo informes sunt & inuestes. Quos seuerus censor mox castigat; clamitans; *aliud esse in præmissis,aliud in conclusione.* Cur aliud in illis; aliud in hac,nisi quia Caluinisticus faber aliud in illis; & aliud in hac posuit? Et quamuis non abnuam, ex testimoniis,si quæ proferũtur, syllogismos confici posse; longè tamen alios inde conficeret vir eruditus, candidus, & veri studiosus; quàm ineptus, liuidus, ater,& solius falsi amans Caluinianus; qui Bellarmino affingit, de quibus Bellarminus nunquam somniauit. Supradictos syllogismos suos ingenti animi voluptate destruit ac demolitur Savvbrandus,& modò cum *Maiore*, modò cum *Minore*, nunc cum vtraque viriliter luctatur; & phantasmata sua; vt pueri luteas casulas à se exstructas, fortiter deiicit:infarctis vbiq; pseudologiis & lœdoriis, non sine battologiis & tautologiis inanissimis.

Accipe aliquot mendaciorum paradigmata. I. cap. 4. Nazianzenum *in Carmine de genuinis scripturis dicere,libros Tobiæ,Iudith, Sapientiæ, &c. non esse ἐν γνησίοις, inter veros & germanos.* Non dicit hoc Nazianzenus. Adeatur,consulatur.

II. mendacium ibid. *Cyprianum in symbolo negare eos esse in Canone.* Non est auctor Cyprianus; sed Ruffinus.

III. mendacium ibid. *Isidorum lib.6. Etymolog. eosdem cum Caluinistis & Lutheristis libros in Canone collocare: non plures.* Impudens commentum. Videatur Isidorus.

IV. mendacium ibid. *Rhabanum sentire cum Caluinistis.* Vide caput 53. lib.2. de Instit. Clericorum; vbi non alios Canonicos libros enumerat, quàm Tridentina synodus.

V. mendacium ibid. *Quartum Esdræ librum vocari ab Ambrosio diuinum; libro de bono mortis cap. 10. & lib.2. in Lucam de nomine præcursoris.* Citat quidem Ambrosius quartum Esdræ; sed sine *diuini* epitheto.

VI. mendacium capite quinto: *Omnes iam librum Sapientiæ esse Philonis Apostolorum coætanei.*

VII. mendacium ibid. *Origenem apud Eusebium lib.6.cap.18. in libris veteris testamenti percensendis non sequi Iudaicum Canonem,sed Christianum.* An non ipse statim initio ita loquitur? *Non ignorare debemus viginti duos libros esse,sicut Hebræi tradunt.* Enumerauit ergo seriem librorum Canonicorum veteris testamenti ex Canone Hebręo,non Christiano.

VIII. mendacium; ibid. *Etiam Melitonem apud Euseb. lib. 4. cap.26. enumerasse Canonem Christianum,non Hebræum.* Et tamen paulò post dicit Savvbrandus,Melitonem, Origenem, Hieronymum & alios Canonem veteris testamenti ab Hebræis didicisse. Hebræum ergo Canonem nobis tradiderunt;

derunt; qui illum vtique tradiderunt; quem ab Hebræis didicerant. Et quomodo Canon Melitonis eſt Canon Hebræus; cum in illo non exſtet Eſtheris liber?

IX. mendacium ibid. *Athanaſium in ſynopſi recenſere Canonem Chriſtianorum; quod attinet ad libros antiquæ legis.* At vbi in Canone Athanaſiano Eſther? An non eſt iſta in Canone Chriſtiano? An non Athanaſius metitur Canonem, quem tractat, viginti duobus Hebræorum elementis? An non eſt hic Canon Iudæorum vulgò decantatus? Nec illud prætereundum, Caluiniſtam hic obiectare, *quòd Tertullianus librum Enoch pro Canonico habuerit libro de habitu mulierum cap. 3.* Ita eſt. Ipſe ita ſenſit. Nec contrarium ab vllo Hæretico non dicam euidenter, ſed nec veriſimiliter oſtendi poteſt. Et Tertullianus eo loco, ſatis expeditam rationem nobis oſtendit defendendi; quomodo in Canone poſteriorum Hebræorum libri, de quibus diſceptamus, non exſtiterint; quia Iudæi arbitratu ſuo ex Canone pellebant, quos expellere lubebat. *Cum Enoch eadem ſcriptura*, inquit Tertullianus, *etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino reiiciendum eſt; quod pertinet ad nos: Et legimus omnem ſcripturam ædificationi habilem, diuinitus inſpirari; à Iudæis poſtea iam videri propterea reiectam, ſicut & cætera ferè, quæ Chriſtum ſonant.* Vides igitur Tertulliani teſtimonio, Iudæos religioni non habuiſſe, quò minus in Canonem manus mitterent, & inde, quod ad ſtomachum non faceret, reſecarent, prout iam factitant hæretici: ac proinde probabilitate nō deſtitui coniecturam Sebaſtiani Heiſsij noſtri exiſtimãtis libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, alios, etiam in Canone Hebræo primitus exſtitiſſe; poſtmodum reciſos eſſe, à malis Iudæorum manibus; ſicut & hodie iiſdem impio hæreticorum ferro detruncantur.

X. mendacium ibid. *Citra omnem controuerſiam librum Baruch, additiones Danielis & Eſtheris Græcè ſcriptas.* Quanta aſſeuerandi audacia.

XI. mendacium ibid. *Libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, nunquam fuiſſe in Chriſtiano Canone.*

XII. mendacium ibid. *Eundem ſemper fuiſſe Iudæorum & Chriſtianorum Canonem.*

XIII. mendacium cap. 6. *Tertium & quartum Eſdræ librum etiam in Eccleſia, hoc eſt, in Eccleſiaſticis officiis publicè legi*: teſtemque citat Bellarminum lib. 1. cap. 20. At Bellarminus de quarto, quod in Eccleſiaſticis officiis legatur, nullum penitus verbum facit. De tertio diſertè hæc ſcribit. *Nihil ex hoc tertio libro in Eccleſiaſtico officio vnquam legitur.*

XIV. mendacium cap. 7. *Hilarium; Tobiam & Iudith, nullam aliam ob cauſſam in Canonem ponere; niſi quia Græci habent viginti quatuor litteras.*

XV. mendacium cap. 9. *In tota præfatione Hieronymi ſuper librum Iudith, ne verbum quidem exſtare, quo ſignificetur, Nicænam ſynodum, ita retuliſſe librum Iudith in numerum ſanctorum librorum, vt cenſuerit eum idoneum eſſe ad fidei dogmata comprobanda.* Legatur præfatio S. Hieronymi.

A XVI. mendacium ibid. *Concedendum eſſe Hieronymum ſibi contradicere; ſi præfatione in Iudith dicamus, ex eius ſententia, librum Iudith apud Hebræos inter Hagiographa collocari; cum in Prologo Galeato annumerauerit apocryphis.* At hæc friuola ſunt. Non contradixit ſibi S. Hieronymus, ſed ſententiam mutauit; quia & in illius ſchola *prior dies fuit poſterioris diſcipulus.*

XVII. mendacium ibid. *Aut errare Eccleſiam, dum librum à Nicæna ſynodo approbatum non recipit; aut falſum allegare Bellarminũ, dum hoc Nicænæ ſynodo tribuit.* Figmenta mera. Quis enim vnquam dixit; ſanctionem Nicænam de libro Iudith non fuiſſe ab Eccleſia receptam? Nam quod ſimile quid legitur in D. Hieronymo præfat. in libros Salomo- B nis, non mirum; quia ante Nicæni Concilij cognitam conſtitutionem præfatio illa facta eſt.

XVIII. mendacium ibid. *Nazianzenum Carmine de genuinis ſcripturis teſtari, librum Iudith ab Eccleſia non recipi.* Nihil de hac teſtificatione in illo carmine.

XIX. mendacium ibid. *Librum Iudith à Nicæna ſynodo & Hieronymo impropriè tantùm dici ſanctam.* Effrons commentum: quia ita ab illis appellatur *ſancta*; quo pacto apud Hebræos non erat *ſancta*; vt ſuo loco dictũ; ſed erat ſancta apud Hebræos impropriè; quia reputabatur inter hagiographa; hoc eſt, ſancta ſcripta; teſte S. Hieronymo præfatione in Iudith; (nam quod Savvbrandus pro voce *Hagiographa* ſubſtituere conatur vocem C *apocrypha* cum illis auctoribus, quos alioqui extremè contemnit, perquam ridiculus eſt) ergo Nicæna ſynodus & S. Hieronymus aliquid amplius in hoc libro, atque adeo ſanctitatem Canonicam (quam iſte propriè dictam nominat) agnouerunt.

XX. mendacium ibid. *Falſum eſſe, quod Nicephorus inter Sobnam, qui fuit tempore Ezechiæ, & inter Chelciam, qui fuit tempore Ioſiæ, ponat Eliacim.* Legatur cap. 16. Chronologiæ Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani; quam citat Bellarminus, confeſtimque liquido apparebit; num Bellarminus falſum ſcribat; an verò Savvbrandus ſplendidè mentiatur; qui imperitiſsimè exiſtimat à Bellarmino citatum eſſe Nicephorum Calliſtum D Xanthopulum, lib. 2. cap. 4. cum Bellarminus apertè nominet Chronologiam Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani. Num duo iſti Nicephori ſunt vnus & idem?

XXI. mendacium ibid. *Scripturam diſertè dicere, Eliacim fuiſſe non ſummum ſacerdotem, ſed præpoſitum domus 4. Reg. 18.* Sed hoc nihil aliud eſt, quàm diſertum mēdacium; Nam *præpoſitum domus Domini* nominat ſcriptura; non fuiſſe ſummum Pontificem, tantum abeſt, vt diſertè affirmet, vt ne vel minimo indicio indicet. Et quid dico indicet? Imò, vt contrarium prorſus ſignificet.

XXII. mendacium ibid. *Sobnam non fuiſſe ſummum pontificem, ſed ſcribam, vt 2. Reg. vel, vt nos citamus 4. Reg. 18. ſcriptum eſt; vel Theſaurarium, vt docet Iſaias*

cap.

Digitized by

cap.22. At nec in quarto Regum, nec apud Isaiam scriptum est Sobnam non fuisse summum pontificem; vt iste comminiscitur, sed omnia propemodum apud Isaiam verba contrarium euincunt, vt iam ad cap.12. ostendimus.

XXIII. mendacium ibid. *Hieronymum fateri se non magnam diligentiam in libro Iudith vertendo adhibuisse.* Vbi hæc D. Hieronymi confessio?

XXIV. mendacium ibid. Iudith in sua precatione cap.8. vers.18. dicere: *Sua ætate nullam tribum, nullamq; familiam sese idololatria polluisse.* Lector caput ipsum legat, & de mendaciloquo hoc capite, quid iudicandum sit, iudicet. Si ad Græcum textum prouocet; respondebimus eum nihilominus à mendacij culpa non posse absolui. Quia inprimis Græcus textus nô dicit; *ætate nostra*: sed, *ἐν ταῖς γενεαῖς ἡμῶν, in generationibus nostris.* Deinde, vt vertamus; *ætate nostra*: adhuc tamen in mendacio hæret hæreticus: quia Iudith subdit: *In diebus illis, quibus hæc ad Deum vota fundebat, neq; tribum; neq; familiam, neq; populum, neque ciuitatem ἐξ ἡμῶν*, hoc est, *Israelitarum, manufactos Deos adorasse*: quod cur à fide alienum videatur, nihil caussæ subest: quia Manasses omnes ciuitates, quas sua in ditione habebat, ad verum Dei cultum reduxerat: & ciuitates, quas occuparant iam Assyrij, non poterant reputari inter illas, quæ à Iudith nominantur *ἐξ ἡμῶν, nostræ*: nec Samaritani amplius in populo Dei censebantur, quandoquidem per variam idololatriam à vera religione & electa diuinitus plebe sese abiunxerant; nisi si qui fortè ex priscis Israëlitis in fide aduersus Samaritanorum colluuiem constantes inuictiq; perstitissent. Iam verò nullam tribum, nullamque familiam, integram videlicet, idololatriæ inquinamentis contaminatam fuisse, quando hæc Iudith loquebatur; quid tandem à fide abhorrens complectitur? præsertim cum familiæ Iudæorum latissimè paterent; & Iudith de suo tempore hoc affirmet; *οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ σήμερον, non est hodie, &c.*

XXV. mendacium ibid. *Iudith non esse in Canone Hebræo; & hoc testari Iosephum lib.1. contra Apionem, & Eusebium lib.3. hist. Ecclesiast.10.* Non dicunt isti Auctores, Iudith non esse in Hebræorum Canone: sed tantùm non recensent cum Hebræum Canonem recensent. Aliud est affirmatè dicere; aliquid non esse in Canone Hebræo; aliud, silere, nulla penitus libri mentione facta. Quorum posterius, non prius, Auctores nominati fecerunt.

XXVI. mendacium, & quidem blasphemũ cap.11. *Patres pigros & oscitantes fuisse, quòd cùm alia testimonia, eaq; solida essent in promptu* (pro diuinitate Christi comprobanda) *illi tamen, in præteritis, adhibuerint ex cap.7. vers.21. Sapientiæ illud: Omnium enim artifex sapientia me docuit:* Nam sancti Patres pro adstruenda diuinitate Christi vix vllũ idoneum testimonium omiserunt; & hoc insuper non nisi conuenientissimè & aptissimè adduxerunt.

XXVII. cap.11. *Librum Sapientiæ esse Philonis, teste Hieronymo præfatione in libros Salomonis.* Non te-

A statur hoc S. Hieronymus; sed dicit, nonnullos esse; qui hunc librum Philoni tribuant.

XXVIII. mendacium ibid. *Hoc ipsum testari Isidorum lib.6. Etymolog. cap.2.* Nihil minus; tantùm dicit, Iudæos affirmare, librum sapientiæ Philonis esse. Num si dicam; mundum, ex sententia Aristotelis ab æterno durasse: ideo tu dicere potes; mundum, me teste, ab æterno exstitisse?

XXIX. mendacium ibid. *Bellarminum negare hanc propositionem: Quoscunq; libros Melito inter Canonicos numerat; illi sunt Canonici.*

XXX. mendacium ibid. *Si hæc propositio concedatur; sequi eos libros non esse Canonicos, quos Melito non enumerauit.* Qua ratione, quæso, hoc sequitur? An in propositione additur aliqua particula exclu-

B siua; vt tantùm illi libri sint Canonici, quos Melito percenset?

XXXI. mendacium cap.12. *Bellarminum decipi, cum dicit; à S. Epiphanio hæresi VIII. percenseri Canonem, ex sententia Christianorum.* Nam si res secus habet; cur Sapientiam Salomonis & filij Sirach in Canone ponit? An duo isti libri in Canone Iudaico exstant?

XXXII. mendacium ibid. *Epiphanium aut decipi aut librum eius corruptum esse; quando hæresi VIII. Baruchum in Canone collocat.* Nec deceptio, nec corruptio est; sed mera & ipsissima veritas.

XXXIII. mendacium ibid. *Librum Ecclesiastici scriptum esse ætate Ptolemæi Euergetæ Regis Ægypti; idque constare ex præfatione.* At ex prologo illo nil a-

C liud colligitur, quàm librum hunc ex Hebræo in Græcum esse versum tempore prædicti Regis. Aliud est librum verti; aliud, librum condi.

XXXIV. mendacium ibid. *In prologo dici librum Ecclesiastici à Patre & auo fuisse collectum; & à nepote in Græcam linguam versum.* Nil Prologus de Patre Siracho, quasi & ipse operam suam ad confectionem libri contulerit; sed tantùm, quòd à suo Patre Iesu hunc librum acceperit; eumque filio suo tradiderit.

XXXV. mendacium ibid. Ecclesiasticum Hebraicè scriptum, non fuisse à primo auctore absolutum, sed à nepote demùm perfectum. At hoc non dicit Prologus; sed tantummodo: ne-

D potem magna cura & diligentia librum aui sui Græcè conuertisse.

XXXVI. mendacium ibid. *Auctorem petere veniam sui scripti.* At Auctor non petit; sed Interpres.

XXXVII. mendacium, cap.13. *S. Augustinum lib.18. de ciuit. Dei, cap.36. dicere: Quartum Esdræ esse opus Prophetæ Esdræ.* Nullum verbum de quarto libro Esdræ facit D. Augustinus: Historiam quandam refert, quæ tertio Esdræ reperitur. Quid hæc ad quartum?

XXXVIII. mendacium ibi. *Occidere seipsum, quod secundum Canonicos libros illicitum est, permitti, vt licitum & laudabile, à libris Machabæorum.* Impudens commentum: neque Raziæ exemplo excusabile.

XXXIX. men-

XXXIX. mendacium ibid. *Libros Macchabæorum scripsisse Iosephum, & hoc testari Hieronymum:* Geminum figmentum, de quo iam alibi.

XL. mendacium. *Auctorem libri secundi Macchabæorum fateri se non potuisse melius scribere.* Hoc in secundo Macchabæorũ libro nusquam inuenies. Hæc de Savvbrãdicis mendaciis sufficiant: Nam plura enotare, quis vsus vel fructus? Omnes pagellæ Savvbrãdicæ huiusmodi flosculis persperse sunt. Nũc aliqua inscitiæ specimina cape: nam imposturarum & fraudium epitomen si desideres; frustra desideres; Totus liber, nihil est aliud, quàm fraus & impostura.

Sub finem & principium libri probat Savvbrandus, librum Tobiæ, Iudith, Baruch, Sapientiæ; Ecclesiastici, Macchabæorum; additiones ad Hester & Danielem in Canonicis, atque adeo in principiis fidei numerari non posse; quòd principia debeant esse *extra omnem controuersiam posita; præcognita; antè concessa; isti autem libri sint controuersi, dubij; minimè antè concessi.* At Caluinista non animaduertit, quantam sibimetipse hac sua tam subtili ratione & ratiocinatione securim impingat. Nam si ideo libri Tobiæ, Iudith, Baruch, &c. non sunt in canonicis & principiis fidei habendi, quia à Lutheranis & Caluinianis in controuersiam vocantur; etiam septem Canonicæ epistolæ & Apocalypsis, & epistola ad Hebræos, non poterunt in schola Caluini esse Canonici & *principia fidei;* quia vocantur à Lutheranis in dubium; imo vix vllus veteris testamenti liber Canonicus fideique principium reputari poterit, quia vix vllus est; imò nullus est; qui non olim ab hæreticis in dubium reuocatus fuerit. Vt taceam de libris noui testamenti. Si ergo hæ controuersiæ & dubitationes nõ obstant, quo minus libri Moysis, Iudicum, Regum, similes; & apud Caluinistas ex nouo testamento, epistola Iacobi, Iudæ, &c. verè in Canonicis scripturis fideique principiis censeantur; mirum profectò foret, si ob controuersias, quas de libro Tobiæ aliisque immeritò mouent Nouatores; libri illi à Canonicis, fideique principiis excludi deberent. Exsistat qui hodie Canonicam auctoritatem Euangelij sancti Lucæ vel sancti Marci inficietur. An hoc ipso extra Canonem & classem principiorum fidei extrudetur? An non olim quidam vel ex stoliditate, vel ex peruicacia, communissima, fundatissima, & receptissima scientiarum principia reiecerunt? Num ideo non sunt amplius principia? Motum vel naturam esse; si quis inficietur *Capito;* iam scilicet Physicus principium certissimum & euidentissimum amittet. Insulsus est igitur Savvbrandus cum *libros ab altera parte negatos,* principiis fidei annumerandos negat.

Ait Caluinista. *Principia debent esse vera & necessaria: sed talia non sunt, quæ in libris Tobiæ, Iudith, Baruch, &c. traduntur. Ergo, &c.* Hanc Minorem nunquam probauit Savvbrandus, nisi clamando; *libros istos esse falsos, vitiatos, humanos;* & quæcunque

A huius probandi gratia adduxit, ea non fuêre argumenta, sed partim mendacia, partim deliria ex VVitackero, & id genus aliis Nouatoribus, excerpta. Quàm verò scitum & peritum illud; cum non semel *principia fidei à dogmatibus fidei* distinguit. Principia fidei sunt etiam Caluinista teste; quæ in sacris litteris continentur. An non & hæc ipsa sunt fidei dogmata? Imò adeo sunt fidei dogmata; vt sectarij nulla alia agnoscere velint, nisi quæ vel in scriptura comprehenduntur, vel inde per validam consequentiam deducuntur. Quomodo igitur illa effata Caluinistica subsistunt? *Dicimus; principia Theologica esse omnium dogmatum caussas.* Num idem est caussa sui ipsius? An principia fidei non sunt dogmata; & vice versa,

B dogmata fidei, principia fidei? Si diceret principia fidei, esse caussas conclusionum Theologicarum; rectè diceret; sed vtitur vocabulo *dogmatum.* An Nouatoribus nulla sunt fidei dogmata, præter conclusiones Theologicas?

Falsum insuper & indoctum est; quod dicit, cap. I. *Nos dogmatibus assentiri propter principia,* hoc est, propter præmissas; nam articulis & dogmatibus fidei assentimur immediatè propter diuinam reuelationem; Fides enim immediatè in obiecta sua inclinat non per discursum. Quod si dogmata fidei non cognoscuntur esse vera; nisi per principia seu præmissas; sequitur rudes & imperitos nescire fidei dogmata esse vera; quia veritatem hanc ratiocinando ex præmissis colli-

C gere nequeunt, cum nullam Theologicæ scientiæ cognitionem habeant.

Capite primo semper in ore habet Savvbrandus libros *priorum & posteriorum* Aristotelis. In quibus quàm versatus sit; sat indicat; cum asserit, *nunquam ex falso verum nisi per accidens colligi posse.* Citatque lib. 2. cap. 2. Priorum Analyt. Iunius in caput tertium libri quarti Bellarmini, apertè scribit; *Ex falso non sequi verum.* Lutherus adhuc crassius contendit; non modò ex altera præmissa vera; altera falsa: sed & ex vtraque vera sequi falsum, in disputatione de illo: *Verbum caro factum est.* Tomo primo Latin. VVitebergens. vbi sic ineptit Thes. 17. *Iste syllogismus expositorius: Pater in diuinis generat; Pater est essentia diuina; ergo essentia diuina gene-*

D *rat; est bonus: & tamen præmissa sunt vera; conclusio falsa; & ita ex vero sequitur falsum contra Philosophiam.* Thes. 18. *Iste syllogismus communis: omnis essentia diuina est Pater, Filius est essentia diuina; ergo Filius est Pater; est bonus; præmissa sunt vera, conclusio falsa.* Ex veris igitur præmissis, sequitur falsum contra Aristotelis & Dialecticorum doctrinam. Duo Caluinistæ palam contradicunt Dialecticæ huic regulæ; ex falsis; seu quod idem est, ex falso antecedente, & falsum & verum concluditur. Et quidem per se respectu illationis; quæ est expressa sententia Aristotelis, cuius lib. 2. priorum cap. 2. hæc sunt verba: ἐκ ψευδῶν δ' ἔστιν ἀληθὲς συλλογίσασθαι, καὶ ἀμφοτέρων τῶν προτάσεων ψευδῶν οὐσῶν, καὶ τῆς μιᾶς. *Ex falsis verum colligi potest, & cum ambæ propositiones sunt falsæ,*

& cum vna; quod multis postea exemplis declarat; nec vnquam dicit;hoc fieri *per accidens*; vt fingit Savvbrandus; & in primo posteriorum capite sexto simpliciter affirmat; καὶ ἀληθῆ ἐκ μὴ ἀληθῶν, *verum etiam ex non veris colligi*; affertque secundo priorum capite secundo exempla in *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*. Et capite tertio exempla secundæ Figuræ; & capite quarto exempla figuræ tertiæ. Et quis tam imperitus est artis disserendi, qui nesciat, inter potestates seu facultates syllogismorum numerari æquè istam;*vera ex falsis colligendi*;ac has:*plura concludendi: vel,circulariter, seu, in orbem ratiocinandi?* Sicut ergo hæ duæ potestates non sunt syllogismo per accidens; sed per se; ita & prior illa.

Stultitia Lutheri ipsi inprimis Luthero aduersatur:nam in libro aduersus Latomum disertè scribit: *Quamprimum antecedens fuerit verum, consequens erit etiam verum.* Deinde directè repugnat Aristoteli: 2. Priorum cap. 2. ἐξ ἀληθῶν μὲν ἐκ ἔστι ψεῦδος συλλογίσασθαι. *Ex veris non potest falsum concludi:* & cur hoc fieri nequeat, è vestigio demonstrat. Exempla, quæ pro suo deliramento Lutherus adducit,friuola sunt, inania, falsa; vt ostensum copiosè, in Oratione: *Vtrum Lutherus fuerit Theologus scholasticus.*

Sunt,qui dicant,axioma Logicum non esse, *ex vero non nisi verum*;sed ex veris non nisi vera colligi posse. Hinc non malè asseri, ex vero etiam falsum deduci; vt si quis veræ Maiori subiiciat Minorem falsam; euenire poterit, vt conclusio sit falsa; & tamen deducetur ex vero; nempe ex vna vera præmissa: vt si dicam; *Omnis homo est animal; omnis lapis est homo; ergo omnis lapis est animal.* Non abnuo, Aristotelem numero multitudinis loqui;ἐξ ἀληθῶν, *ex veris*. quasi indicet, vtranque præmissam debere esse veram:& sic non posse inde sequi falsum: attamen non absurdè loquuntur alij in singulari; *ex vero*; scilicet antecedente; non posse sequi falsum; & hoc verissimum est; quia præmissæ, Maior & Minor, in syllogismo antecedentis locum obtinent; siue igitur Maior, siue Minor falsa sit; iam antecedens falsum est; quia ad falsitatem antecedentis sufficit falsitas vnius propositionis seu præmissæ, quia in categoricis syllogismis æquiualet antecedens enunciationi copulatiuæ; ad cuius falsitatem sufficit falsitas vnius partis. Itaque quotiescunque Minor falsa est;& Maior vera;vel vice versa;minimè est Antecedens verum;sed falsum; Quo fit,vt mirum videri non debeat, si falsa inde nascatur conclusio; quia ex falso oritur falsum.

Nonnulli vtuntur etiam hoc loquendi modo;*ex falso non nisi falsum concludi*. Cui locutioni verus sensus subiici potest, si sensus sit non de illatione; sed de probatione; sic enim ex falso non sequitur verum: Hinc cum dixisset Aristoteles:

A *ex falsis verum concludi posse*: statim subdidit: *Non ita tamen, vt probetur cur sit*; hoc est, vt falsum sit caussa veri;*sed tantùm Quòd sit;nam cur res sit, non potest syllogismo ex falsis probari*. Nec ipsum Quòd sit simpliciter ex falsis probatur; sed tantum respectu eius; qui concesit propositionem vel propositiones falsas; nam qui præmissas falsas concessit; is non potest negare conclusionem;vt si quis has concedat: *Omne vitium est laudandum; Temperantia est vitium; ergo temperantia est laudanda*: Vtique & consequentiam concedere cogitur. Hinc sequela veri ex falso semper nititur concessione vel vtriusque vel alterius præmissæ falsæ. Quia verò logici præcipuè loquuntur de illatione seu caussa *illatiua*; non *probatiua* vel *effectiua* rei; ideo absolutè dicunt, ex falsis seu ex falso, nimirum antecedente; non tantùm falsum; sed & verum deduci seu concludi, & quidem per se, non per accidens: quia verum ex falso colligere æquè est potestas syllogismi, ac circulariter ratiocinari; quod syllogismo per se conuenit, vt supra dictum. Et hæc hoc loco de primo Caluinistici Savvbrandi libro sufficiant; in quo vix vllam obiectionem exstare arbitror; quæ non copiosè in VVitackero, Iunio, & aliis repercussa & discussa sit.

B

Non possum hic committere; quo minus tribus verbis aliquid dicam de quodam *Baccalaureo* Anglo, qui se nomine infausto, à Morte deducto, *Mortonum* indigitat. Edidit iste non ita pridem duo volumina; quorum priori hanc inscriptionem fecit. *Apologia Catholica ex meris Iesuitarum contradictionibus conflata, in qua Paradoxa, hæreses, blasphemiæ, scelera, quæ à Pontificiis obiici Protestantibus solent, ex ipsorum Pontificiorum testimoniis diluuntur omnia. Eius libri duo de notis Ecclesiæ.*

C

Posteriori, istam: *Secunda pars apologiæ catholicæ iudicem Ecclesiæ demonstrans (de qua controuersia pendent cæteræ omnes) in libros quinque digesta.*

Hoc opus, merito suo, inter stultissima, quæ ex Nouatorum officina prodierunt, sedem sibi deposcit: adeo fatuè, stolidè & insulsè non disD sertat; sed delirat, (Bellarmino semper in prima acie collocato) cuius inscitiam suis quibusque locis opportunè, prout inepti Baccalaurei dignitas postulat, tangemus. In quinque primis capitibus libri primi, partis secundæ, nugatur de libris Canonicis, eorumque numero. At nihil penitus reperi; quod noua refutatione egeat, omnia iam in refutatione aliorum Prædicantium protrita & prostrata sunt. Nam quod contradictiones occinit, more Pappi; solutionem non vnam, sed multiplicem ex iis petat; quæ in appendice prima Pappo respondimus. Pleraque contradictionum exempla, quæ producit,non sunt antilogiæ, sed *Mortonicæ* pseudologiæ & lœdoriæ.

Bellar-

Digitized by Google

A Bellarminus verisimile censet duos fuisse Danieles; quorum alter auctor sit partium Danielis, de quibus controuertitur; alter, eorum capitum, de quibus nulla dubitatio exsistit. Pererius præfat. Comment. in Danielem arbitratur, non esse probabile duos fuisse Danieles. Hinc Baccalaureus iste architectatur contradictionem inter Bellarminum & Pererium. Qualis, bone Deus, contradictio; qualis pugna inter hos duos eiusdem Ordinis doctissimos viros. In re libera; quæ eruditorum liberis disquisitionibus & disceptationibus proposita est; alter hoc sensit; alter, aliud. B Quis hoc ferat? Quis tantum dissidium toleret? Vterque firmiter & constanter credit & tuetur partes illas Danielis esse Canonicas & Sacrosanctas; Vnus id etiam geminato Daniele commodè ostendi & defendi posse opinatur; Alteri, alia sedet animo persuasio. Quis enantiologiam istam tacitus præteruolet? Vt & istam. Liranus, Caietanus, alij libros Tobiæ, Iudith, &c. excluserunt à Canone; Iesuitæ & alij includunt; ergo sibi mutuò contradicunt; perinde ac si errori contradicere vitiosum & probrosum foret. Quamuis, vt alibi me dixisse puto, nulla hic sit formalis & propriè dicta contradictio.

Nec moramur, quod iste Catholicorum scriptorum nonnullos lapsus; & quædam imprudentius dicta; corradit; & inde contradictiones commentitias nectit, vel sectæ suæ suppetias quærit; vt quod Lindanus lib. 3. Panopl. cap. 3. dubitat; num liber Iudith à Concilio Nicæno in Canonem relatus fuerit; atque adeo num in sacrosancta illa synodo quidquam de libris Canonicis decretū fuerit? Quid, quæso, hæc, docti alioqui, & de Ecclesia præclarè meriti præsulis dubitatio veritati officit? Si ad plura, quàm ad pauciora respexisset; & omnia, quæ ab aliis accuratè considerata sunt; ipse pariter enucleatè perpendisset, facilè sibimetipse scrupulum illum exemisset. Nec verbum in præsenti de hoc seu *Morrono* seu *Morticino* addam. Sequentibus libris sæpius in arenam ex suo bustuario protrahetur.

Finis Appendicis Quartæ.

DEFENSIO

LIBRI SECVNDI DE VERBO DEI, REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI, S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT PRIMVM.

Ostenditur, editionem Hebraicam Moysis & Prophetarum nunquam periisse.

CIRCA HOC CAPVT FERE muti sunt quatuor Prædicantes, Danæus, VVitackerus, Iunius, Hunnius. Primus & vltimus clamant, nil opus fuisse, *vt Bellarminus hunc laborem sumeret, cũ nulla subsit dubitandi caussa.* Si Bellarminus quæstionis huius examen omisisset; de omissione questi fuissent Prædicantes. Nunc conqueruntur vel potius calumniantur de tractatione. Ita in vtrunque semper parati sunt, quando criminari instituunt.

Vulgaris est persuasio, eaque grauissimorum auctorũ testimoniis fulciri videtur; scripturam sacram funditus interiisse; & ab Esdra, dictante sancto Spiritu, reparatam esse post captiuitatem Babylonicam. An non iure quæritur; *Vtrum res ita sese habeat?* Et secus rem se habere, ostendit Bellarminus; cui Prædicantes subscribunt; ex quibus Hunnius, cum nihil penitus attulisset, nisi quod ex Bellarmino sublegerat; hoc gemino thrasonismo caput primum concludit. *I. Testimonium ex cap. 14. lib. 4. Esdræ. somnium esse demonstrauimus. II. Nihil ad numerum librorum Canonicorum pertinere euicimus.* Et quid tu, ô Prædicans, demonstrares & euinceres, qui multum lingua, nil mente vales? Forsan id quod ex quarto libro Esdræ adduci solet, ne quidem sciuisses, nisi in Bellarmini *vitula* arasses.

Iunius, ex instituto suo, frustillatim quædam in hoc capite carpit. *Libros sacros ab Esdra restitutos esse eo modo, quo* vulgò creditur, *scriptum ait à sancto Basilio in epistola ad Chilonem* citata à Bellarmino, *non affirmatè, sed γυμναστικῶς.* Mihi verò Iunius non

A *γυμναστικῶς*, sed planè *συκοφαντικῶς* vbique & vndique materiam sugillandi corradere videtur; nam in epistola ad Chilonem comparat S. Basilius solitudinem, in qua Chilo degebat, cum variis aliis rebus; vt cum solitudine, in qua populus Israëliticus per quadraginta annos peregrinatus est; cũ solitudine, in qua Ioannes Baptista vixit; cum monte Carmelo; cum monte oliuarũ; cum monte Caluariæ; & cum campo etiam, in quem secessisse Esdras dicitur 4. Esdræ 14. vt ex diuino instinctu libros sacros iam pridem ab hostibus cõcrematos repararet. Sicut ergo verè & affirmatè enunciat: *Hic est mons Carmelus, in quo Helias commorans Deo placuit. Hic mons oliuarum, in quem Christus ascendit ac orauit. Hic mons est, vbi Saluator pro nobis crucifixus est:* ita affirmatè enunciat, *Hic campus, in quo, secessu facto, Esdras omnes diuinos libros ex mandato Dei*

B *eructauit:* sicut ergo affirmatè enunciauit in Carmelo Heliam vixisse; in monte oliuarum Christum orasse; in monte Caluariæ, Crucifixum esse; ita affirmatè, id est, seriò, enunciauit, Esdram in illo campo, in quem secesserat, libros diuinos, dictante Deo, restituisse; ac iam olim deperditos reparasse: neque enim campum hunc Esdræ pro typo solitudinis Monasticæ attulisset; si campũ, & quæ in eo gesta referuntur, pro fabulis habuisset; Quàm verè autem S. Basilius hoc de Esdra *affirmatè*, hoc est, seriò, & ex animo enunciarit, nostra non interest; qui nihil aliud ostendere volumus, quàm Bellarminum non malè in hanc sententiam citasse D. Basilium: in qua itidem fuisse Clementem Alexandrinum, libro primo stromat. & Irenæum libro tertio, capite vigesimo quinto, affirmat VVitackerus. At Bellarminus

tam hos duos, quàm Tertullianum aliter intelligi atque explicari posse docet.

Leontius Græcus contra sectas, Isidorus lib. 1. de Offic. Ecclesiast. cap. 12. & qui Isidori verba exscripsit, Rhabanus lib. 2. de Institut. Clericorum, cap. 54. satis apertè tradunt, Esdram verè sacras litteras penitus antea abolitas instaurasse; sed repugnant rationes à Bellarmino allatæ; & maiorum itidem Doctorum auctoritas.

Negat Iunius, *Esdram inuenisse nouas litteras Hebraicas, & antiquas reliquisse Samaritanis, nouas autem tradidisse Iudæis, quibus etiamnum vtimur*; vt scribit S. Hieronymus in Prologo Galeato. At quibus argumentis id negat? Grauissimis scilicet ac efficacissimis. Audiamus. *Hoc à Iudæis præceptoribus suis Hieronymus didicerat: audacissimis commētorum Magistris: & à Samaritanis, &c.* En frontem Caluinistæ B erga tantum Patrem; cui tota antiquitas laudem Hebraicæ cognitionis semper tribuit. Quis sancto Hieronymo tam antiquo & erudito non potius fidem habendam censeat; quàm huic tam nouitio sectario; qui ne discipulus quidem sancti Hieronymi esse potuisset. Et quamuis S. Hieronymus hoc à Iudæis didicisset; num propterea vanum commentū foret? Num omnia falsa; quæ Iudæi asserunt? Imò sicut Germano potius crederem dicenti; diuersos fuisse Germanorum veterum characteres à characteribus recentiorum; quàm Italo aut Gallo; ita potius credendum videtur Hebræis de diuersitate characterum testificantibus; præsertim si ad testimonium accedat C æui longæua vetustas; hoc est, mille anni supra ducentos.

Quod verò Iunius S. Hieronymo exprobrat *Magistros Iudæos*; quærere lubet, an nullum ipse sciat Caluinistam; qui Iudæis in Hebraicis operam dederit? Circumferat, oro, oculos, fortè inueniet plures, qui non modò baptizatis Iudæis, sed tamen Zvvinglianis & Caluinistis; vt Tremmelio & Leoni Iudæ; sed & non baptizatis in disciplinam se tradiderint. Certè Polanus minister Caluinisticus palam scribit Comment. in Danielem se in Morauia Rabbinis operam dedisse.

Quid amplius Iunius contra S. Hieronymū? *Mihi id quod asserit, non fit verisimile. Milesias*, hoc est, D *fabulas, puto.* At contrà istud Caluinianum *verisimile*, & contra *Milesij* Caluinistæ Milesias stat sanctus Hieronymus clamans: *Certum est Esdram scribam, legisque doctorem, &c. alias litteras reperisse, quibus nunc vtimur.* Obiicit Iunius: *Qua occasione aut quorsum illa scriptionis ab ipsis Patribus Prophetisq; sanctificata permutatio?* Varij reddunt varias caussas, inter cæteras etiam dissidium religionis & cultus inter Iudæos & Samaritanos; cū enim isti se à templo & consortio Iudæorum segregassent; nec tamen antiquos litterarū characteres dimitterent, aut, vt dimitterent, induci possent; æquum illi censuerunt, vt nouos characteres vsurparent, nō in veterum characterum, sed in Samaritanorum odium. Et hanc rationem reddit quoque Rabbi Moses Gerundensis sub finem Pentateuchi. Quamuis iste hanc litterarum permutationem referat ad illud tempus; quo decem tribus à Roboam, filio Salomonis, desciuerunt, vt patet apud Genebrardum in Chronologia.

Ait Bellarminus nos sine dubio nouas litteras Hebraicas habere: *Nam vt S. Hieronymus in caput nonum Ezechielis testatur, littera postrema alphabeti Hebraici antiqui similis erant T. Græcorum, & figuram crucis referebat. quoniam finis legis Christus crucifixus est: nunc postrema littera alphabeti nullam videtur habere crucis similitudinem: proinde sine dubio, nouas litteras habemus.*

Negantur ista, inquit Iunius. *Nam primum de T. Græcorum in eo loco Hieronymus nullum verbum. Præterea t. Samaritano quæ similitudo cum cruce? agit autem Hieronymus de t. postrema Hebræorum littera.*

Respondeo, si verba spectes; nihil eo loco habet S. Hieronymus de Græcorum T. At habet, si, vt debes, sensum spectes. Dicit enim extremam litteram veterum Hebræorum Tau, habere similitudinem Crucis, *quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Si veterum Hebræorum Tau habet similitudinem cū Cruce, quæ pingitur in fronte; ergo similitudinem habet cum Græcorum Tau, quia Crux, quæ in fronte pingitur, similitudinem habet cum Græco Tau, vt notum est.

Quod Iunius ait, T Samaritano nullam esse similitudinem cum Cruce; negat id S. Hieronymus; qui ante tot annos in Iudæa & Samaria inter Iudæos & Samaritanos versatus, certius, opinor, sciuit, qua figura Samaritanorum T constaret, quam iste post tot sæcula in nescio quo Batauiæ angulo. Fateor extremam litteram Samaritanorum, prout hodie efformari solet ab illis, qui formulas Samariticarum litterarum nobis exhibent; dissidere figurâ à T & à crucis specie. At si S. Hieronymus hac ætate formam huius litteræ videret; forsan diceret, à scalptoribus & scribis non rectè efformari.

Pergit Iunius. *Crucis vocabulum est homonymum. Et Crucis propriè dictæ, aut etiam patibuli figura multiplex. Postrema autem Alphabethi Hebraici littera, vnam quoq; patibuli, seu crucis figuram habet.*

At S. Hieronymus dicit, Tau, extremam veterum Hebræorum litteram, gerere similitudinem, non qualiscunque, aut cuiuscunque crucis; sed eius, quæ in fronte pingitur. At crux, quæ in fronte pingitur, non habet formam eius Crucis, quam vulgò vocamus *patibulum* seu *furcam*, ad cuius speciem aliquo modo accedit hodiernum Hebræorum Tau: sed eius; quæ refert figuram Tau Græci; ergo etiam illud veterum Hebræorum, & postea Samaritanorum Tau, non habuit formam alterius crucis, nisi eius, quæ Græorum Tau assimilatur. *Hoc cæcus fortasse negauerit*, vtor verbis Iunij, *videns, qui negat, desipit.*

A Fortasſis Iunius Eſdram Hebræis alios litterarum Characteres tradidiſſe & præſcripſiſſe, faciliùs abs ſe, vt credat, impetrari patietur; ſi ab aliquo ſuo in Caluini caſtris commilitone id affirmari intelligat. Accipiat igitur, quid Caluinianus VVitackerus ſcribat controuerſiâ primâ, quæſtione ſecunda, capite ſecundo: *Forſan etiam Eſdras characterum formas, ac figuras vel mutauit, vel emendauit. Hieronymus quidem ad Paulinum ait; Eſdram nouas quaſdam characterum formas poſt reditum inueniſſe. nam antè, Iudæis, ac Samaritanis communes characteres fuiſſe. Ita, ſi fidem habemus Hieronymo, Eſdras characterum nouas formas introduxit, elegantiores, ac faciliores illis, quibus antè vſi fuerant, iiſquè ſacros libros deſcripſit: veteres verò, Samaritanis reliquit.* B *Atque his accommodatè Hieronymus in Ezechiel.9. ait, vltimam alphabeti literam fuiſſe olim ſimilem τοῦ Græco: & nunc eam ita eſſe apud Samaritanos. At verò Hebræorum nunc vltima longè aliam, ac diſſimilem figuram habet, &c.* Ita Caluinianus VVitackerus.

Hæc iam ſcripſeram cum ecce in Commentarium Euſebianum Pſeudoſcaligeri incidi: qui quod hic de ſimilitudine extremæ litteræ Samaritanorum cum Græca Tau, aut Latina T. docemus; tanquam ineptum commentum, explodit & exſibilat. Si obiicias. I. Origenem id disertè aſſerentem in caput nonũ Ezechielis; mox ex tripode ſuo reſpondet: *Viderit Origenes, qui dixit Tau Samaritanum ſimile eſſe Cruci, aut T Latino vel* C *Græco. Quo nihil falſius dici potuit.* ἀυτὸς ἔφα. Quis? Burdonum ſurculus. An non & probat? Imò. Audi. *Nos verò negamus Tau Cananæum, alia forma fuiſſe, quàm qua hodie legimus apud Samaritas.* An non egregia probatio, hæc negatio? Cui ſi opponas Aquilam & Theodotionem, qui verterunt: *ſignabis Tau ſuper frontes*; & hac ratione Hebraici Tau ſimilitudinem cum Cruce in fronte ſignari ſolita (cuius Tau illud apud Ezechielem quidam typus fuit) agnouerunt; parum mouebitur iſte; quia cum ſuo; *Nos verò negamus*; ſatis ſe tutum ab horum auctoritate exiſtimabit.

D Si obiicias Hebræum ad Chriſtiana ſacra conuerſum; qui Origeni affirmarit, Tau vetus Hebraicum, apud Samaritas poſtea conſeruatum; geſſiſſe ſimilitudinem crucis; nihilo magis Burdius de ſua ſententia decedet; quia ipſe longè melius ſcit, quæ fuerint Samariticarum litterarum formæ ante mille, quadringentos & amplius annos, quàm ille ex Hebræo Chriſtianus, cuius teſtimonio Origenes nititur: imò nil erit procliuius, quàm dicere: *Non vidit igitur illa ἀρχαῖα σημεῖα Origenes, ſed ex fide aliena recitat.* Id vt ita eſſet; quis de re antiquiſſima fide dignior; antiquiſſimus ille Chriſtianus; an hodiernus ex Batauia faſtuoſus, omniumque contemptor ſuperciliosus hæreticus? Et cui iſte hanc ſuam deliram conſequentiam perſuadebit? *Origenes teſtatur, quendam ex Hebræo Chriſtianum affirmaſſe, vetus Hebræorum Tau, fuiſſe Cruci ſimile; ergo id ipſe ſuis oculis nunquam vidit; ſed alienis ſolummodò credidit.* Pulchrè profectò & ingenioſè; præſertim de Origene, qui omnium litterarum ſolertiſsimus & planè indefeſſus indagator fuit; ipſamque Palæſtinam non ſemel adiit & incoluit; & monumenta tam Iudaica, quàm Samaritica exploratiſsima habuit; quippe in omni diſciplinarum genere ſua ætate omnium princeps.

Si obiicias diuum Hieronymum, idem in caput nonum Ezechielis tradentem; è veſtigio accurrit Caluinianus Burdo. *Perſuaſit Origenes doctiſsimo Hieronymo* (*doctiſsimum* appellat; quem ſingulis propè pagellis, vt ignorantem & indoctum lancinat; ſed de hoc aliâs ego & alij) *qui in illum locum expoſitionem Origenis ferè ad verbum tranſtulit.* Nullo ergo auctoritas diui Hieronymi in pretio eſt huic Burdoni; vt vides. Quid ſi diuum Auguſtinum & alios cites, quanto magis ronchos trahet, frontemque corrugabit?

At num reiecti Hieronymi nullam cauſſam reddit? Imò. *Quia ſi Hieronymus Samaritanorum conſuluiſſet Alphabetum, aliter pronunciaſſet, neque ſecutus fuiſſet fidem illius, qui neque ipſe viderat, ſed aliena fide id ſcribebat.* Nunquam ergo vidit diuus Hieronymus alphabetum Samariticum. Quis hoc affirmat? Burdo. Quo auctore? Burdone. Quis hoc Burdoni reuelauit? Burdo. Quid amplius? Si ante mille ducentos annos extitiſſet; qui diceret; talem vel talem fuiſſe olim litteræ T. apud Germanos figuram, iſque inter Germanos & in Germania habitaſſet; hodie autem exoriretur, qui Germaniam numquam vidiſſet, & tamen antiquiſsimum illum falſi poſtularet, & in ius ambulare iuberet, quaſi falſum de littera T Germanorum ſcripſerit; quis adeo amens eſt; qui non animaduertat, antiquiſsimo potius, quàm huic nouitio fidem habendam eſſe. Eadem ratio in propoſito. Et vnde Caluinianus iſte ſcit, ſanctum Hieronymum Alphabetum Samaritanum, aut ſcripturam Samaritanam nunquam vidiſſe, cum in Iudæa potiſsimam ætatis partem contriuerit; & ad imitationem Origenis omnium Bibliothecarum angulos excuſſerit: & quidquid ſcripturis intelligendis ſeruiebat, diligentiſsimè conquiſierit & collegerit. Quanta impudentia eſſet; ſi quis hominem ſtudioſiſsimum, & litterarum omnium indagatorem vigilantiſsimum in media Germania habitantem; diceret; nunquam alphabetum aut ſcripturam Germanicam vidiſſe; licet inſpectio non parum ad multa, quæ præ manibus habebat, conducere potuiſſet.

Quid

Quid quod ipse D. Hieronymus vanitatem Burdonianam satis superque redarguit, cum libro secundo Commentariorum in Epistolam ad Galatas in principio ait; se consuluisse librum Samaritanorum super illo loco: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Respondet Burdius, *id quidem verum esse, sed Hieronymum non consuluisse Samariticum exemplar, cum Commentarium suum in Ezechielem ederet, sed fidem Origenis secutũ, ita de Tau Samaritano pronunciasse.* Noli quęrere, vnde hoc compertũ Burdoni. Bilis enim in nasum ascendet, si non statim dicenti assentiaris; quia ipse omnibus D. Hieronymi actionibus, vt arbiter, adfuit; ipse, vt oculatissimus Argus, coram vidit; quidquid D. Hieronymus aut legit aut vidit; vidit ergo & hoc, D. Hieronymum, non vidisse vllum Samaritanorũ exemplar antequam Commentarium in Epistolam ad Galatas elaboraret. Rogo tamen, vt Burdo nobis patefacere dignetur, quando nam D. Hieronymus scripserit illa in Epist. 106. *Samaritani etiam pentateuchũ Moysi totidem litteris scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepant.* Num hoc ante Commentarium in Ezechielem, an postea scripsit?

Mirum, hunc locum prolatũ non fuisse à Burdio lib. 7. de emendatione temporum, vbi more suo, *conuiciis superlatiuis* grassatur in Beniaminum Tutelensem Iudæum, quod scripserit in suo Itinerario; Samaritas carere his tribus litteris: *He* ex nomine Abraham; *Heth.* ex nomine Itzhac; *Ain.* ex nomine Iacob: quarum loco Aleph, hoc est, *spiritum tenuem substituant.* Ad quę Commentarius Burdonicus: *De tribus litteris, sycophantia Iudaica est. Totidem enim litteris, ne vna quidem minus aut amplius, Pentateuchum legunt; & , quod caput est, litteris nõ adulterinis, vt Iudæi; sed meris Mosaicis characteribus.* Cur non huic confirmando adduxit prædictum D. Hieronymi testimonium; qui proculdubio non tacuisset, si in Samaritano Pentateucho trium illarum litterarum omissionem obseruasset.

Nota Confessionem Burdonianam. Fatetur hodiernas litteras Hebraicas non esse illas natiuas, & primigenias; sed adscititias, imò adulterinas, quod quomodo symmystæ suo Iunio persuadere velit, ipse Burdo viderit; nam Iunius negat vllã mutationem in litteris Hebraicis factã; atq; adeo hodiernas prorsus genuinas, legitimas & primæuas arbitratur; quem Burdius in Commentario Eusebiano hoc elogio vnà cum aliis cohonestat; *Ea, quibus hodie Iudæi sacros libros, & omnia acta sua conscribunt, nuperæ, ac nouitiæ sunt, ex Syriacis deprauatæ; illæ autem, ex Samaritanis: quod, cum luce clarius sit, tamen quidam semidocti, semitheologi, & , vt significantius loquar, semihomines, non solùm Iudaicas litteras verè Hebraicas esse priscas audent deierare, sed etiam impios putant, atq; adeò palàm vocant, qui aliter sentiunt. Miserã verò doctorũ, & piorum hominũ conditionẽ: si doctrinæ, & pietatis suæ nõ alios testes habent, quàm asinos.*

Est ergo Iunius Caluinianus, Caluinistici Burdonis iudicio, *semidoctus, semitheologus; semihomo;* quin & *asinus.* Nunc ab effossis Siclis arma petit. *Visuntur hodie Sicli, qui quotidie Hierosolymis effodiuntur, & sub regibus Iuda in vsu fuerunt, in illis nummis eadem littera incusæ sunt; quæ in scriptis Samaritanorum leguntur, sine vlla vel exigua mutatione.* Ferit inprimis hoc argumentum Iunium; qui negat alias fuisse literarum formas ante Esdram; alias, post Esdrã. nam si non aliæ; vnde ergo in Siclis Iudaicis aliæ litteræ, quàm nunc Hebræis in vsu? Deinde, vnde Burdo fidem nobis faciet, Siclos illos esse à temporibus Regum Iuda? Vnde, omnia à scalptoribus, sculptoribus & fusoribus rectè expressa? Vnde, D. Hieronymum, Origenem, alios, nullum vnquam vidisse Siclum; vt suam de Tau Samaritano sententiam mutarent, & ad Burdonis opinionem accederent?

Posthæc impetum facit in Tertullianum, qui lib. aduersus Iudæos & libro tertio in Marcionẽ idem sentit, quod Origenes & Hieronymus. *Sed viderit ipse,* inquit Burdonius, *quòd Ezechielem literas Græcorũ scribentem inducit.* At non inducit Ezechielem litteras Græcorũ scribentem; sed tantũ vult Tau illud, de quo Ezechiel; similitudinẽ cum nostra littera T habuisse; quod nõ abnueret Burdo, nisi manifestus Crucis osor esset.

Illud festiuum est, & obseruatione dignum, *litteram Græcorum Tau, & Latinorum T, non referre veræ Crucis speciem; sed potius antennæ, solumq; Abyssinorum Tau, veræ Crucis formam gerere, vtpote quod verticem habeat; quo caret Tau Græcum & Latinum, cum in Cruce necessarius fuerit ille vertex, quòd αἰτία & titulus criminis in eo affigeretur.* Operam, vt video, perdidit Burdo legendis commentariis *iustis & amplissimis* de Cruce, quos citat, cum necdum intelligat diuisionẽ Crucis in *commissam & immissam.* Quæso, cur Crux commissa non est propriè Crux? An quia in ea titulus figi nequit? Num semper titulus fixus in Cruce? Deinde, vnde nobis iste probabit, nullã tabellam affigi posse Cruci commissæ; hoc est, in qua supra lignum transuersum nihil emineat? Hæc in præsenti sufficiant. Plura de isto Tau diximus nuper in Panegyrico Misenico; cap. 11.

Ait Bellarminus, libros Danielis & Esdræ scriptos esse lingua mixta, ex Hebræa & Chaldæa. *Hic Bellarminus grauiter fallitur;* inquit Iunius; *nõ enim mixta lingua, sed purè Hebraica Daniel, & Esdras libros suos conscripserunt: quorum in libris ea demum exstant Chaldaicè, quæ historicè aliunde fuerunt exscripta, id est, exempla litterarum, & actorum, quæ in fastos regios, & annales publicos relata fuerant: quæ verò spiritus Dei absolutè dictauit, hæc planè sunt Hebraica.* Si multum fallitur Bellarminus; plurimùm profectò fallitur etiam S. Hieronymus: qui præfatione in Danielem dicit. *I. Sermonem Danielis esse Chaldaicũ; & quibusdam eloquiis à nostro eloquio discrepare. II. Danielem maximè & Esdram Hebraicis quidem litteris, sed Chaldæo sermone conscriptos. III. Se, qui videbatur sibi sciolus inter Hebræos, cœpisse rursus discipulum esse Chaldaicũ.* Certè si liber Danielis Hebræo, & quidem puro

sermone conscriptus erat, vt vult Iunius, caussæ nihil suberat, cur S. Hieronymus denuo discipulus fieret; quia Hebræam linguam, quando præfationem in Danielem scripsit, longè melius norat, quàm Iunius, cum iam decrepitus viuendi finem fecit, & ad Caluini cælum descendit.

Et quia fortasse Iunius non habebit fidem S. Hieronymo, addam ex Caluini schola symmysten Polanum, qui prolegomenis in Danielem ista. *Sermo Danielis prorsus diuinus est, & à Spiritu sancto dictatus: isq; duplex, Hebræus & Chaldæus.* vbi vides, etiam Chaldæum sermonem esse diuinum ac Propheticum; quod tamen Prædicantes negant, quando de Tobia, Iudith, aliisque libris agitur, hoc argumentum obiectantes: *non sunt isti libri scripti sermone diuino & Prophetico*, hoc est, *Hebræo, sed Chaldæo*, ergo non sunt Canonici. At iste Prædicans etiam Chaldæum sermonem diuino annumerat.

Addit Polanus: *Caput primum, & primi tres versus capitis secundi, Hebræo: à quarto versu capitis secundi ad finem vsque capitis septimi, omnia Chaldæo: quinq; vltima capita rursus Hebræo sermone sunt perscripta.*

Hæc Iunij sodalis aduersus Iunium pro Bellarmino.

Linguam Hebræam omnium esse primam affirmat Bellarminus. Neque his repugnare ait, quod Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei capite vltimo dicit, linguam Hebræam inuentam post tempora Noë. Occlamat Iunius, *hæc verba: post tempora Noë, in illa Augustini sententia non comparent.* Nec Bellarminus dicit, D. Augustinum illa ipsa verba dicere; satis est, quod rem dicat: Rem autem, nempe, linguam Hebræam post Noë inuentam esse; S. Augustinum dicere, inde liquet, quia ætatem populi Dei diuidit in certos gradus & status, *cuius pueritiam ait fuisse à Noë vsque ad Abrahã; & ideo primam linguam inuentam esse; vt populus Dei posset fari*; quemadmodum rectè à Scholiaste D. Augustini in illud caput annotatum est. Verum igitur est, quod Bellarminus asserit; D. Augustinum dicere post Noë inuentam linguam Hebræam, non absolutè; quia initio mundi exstitit; sed respectu populi Dei iam multiplicati, & indies magis multiplicandi, & hac lingua, tanquam propria vsi.

CAPVT II.

Num Hebraica editio sit corrupta.

CLAMANT Hæretici, textum Hebræum vbique esse incorruptum; fontemque istum primigenium vbiq; limpidissimum, & sincerissimum censeri debere; quod profectò, vt iam olim in Labyrintho Creticohunniano scripsi, creditu difficillimum est, nec vllis rationibus euincitur. nam

A Hebraica vulgò est ignotior, quàm Græca, & Latina: facilius ergò ex imperitia liber hac lingua scriptus corrumpi potest, quàm Græcus, aut Latinus. Si ergò iam olim & Græca, & Latina exemplaria multis in locis corrupta fuerunt, ita vt doctissimis quibusque, & in his præcipuè S. Hieronymo, plurimum laboris suscipiendum fuerit, vt omnia pristinę integritati restituerentur: quis iure ambigat, eandem aleam subiisse Hebraicum quoque textum, librariis minus cognitum tam quoad verba, quàm quoad sententiam. Secundò; similitudo quorundam characterum huius linguæ; item ratio punctorum, non adeò vetus inuentum, & id genus alia, textui corrumpendo viam sternunt valde procliuem, quorum

B nihil in Latino, aut Græco sermone.

De qua re præclarè etiam Tannerus noster in disputatione sua de verbo Dei Thesi 48. & 49. *Editionem Hebraicam veteris testamenti, quomodo quæso audent vsq; adeò efferre, cum manifestum sit sine punctis citra errorem, vel certè citra præsentissimum errandi periculum (seposita versione Latina, vel Græca) vix, ac ne vix quidem vnum caput Hebraici textus legi posse? Quid enim, v. g. si quis illud Deuteronomij 4. vbi iam legimus;* לא תֹסִפוּ עַל-הַדָּבָר אֲשֶׁר אָנֹכִי מְצַוֶּה אֶתְכֶם. Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis: *minima punctorum facta mutatione, ita legeret*: Non deficietis super verbo, &c. לא תַסְפוּ אֶל-הַדָּבָר *nonne hac ratione insanus eorum clamor, quo hunc locum in nos velut fortissimum telum contra inuocationem san-*

C *ctorum, cultum imaginum, legem ieiunij, continentiæ, &c. intorquent, penitus conticesceret? Et omninò legi sic posset, nisi vulgata editio aliter legendum significaret.*

Aut fortasse volunt illi puncta vnà cum textu pro sacrosanctis habere? Certè, sine rubore non possunt. Cum enim puncta primùm post S. Hieronymi tempora, quadringentis, & amplius annis à Christo nato transactis, à perfidis Masoretis Iudæis ad textum adiuncta sint, vt refert Iacobus Episcopus Christopolitanus, (præfat. in Psal.) *& R. Elias* (præfat. Masoreth hammasoreth,) *quis credat hostes fidei nostræ in punctis addendis nunquam errasse, aut nunquam præiudicato suo errori fauisse? vt omninò quidem fauisse agnoscunt etiam sectarij, cum apud Isaiam cap. 9. pro* יִקְרָא אֵל, vocabitur Deus; *legunt*, יִקְרָאֵל Vocabit Deus. *Et similiter apud Hieremiam* יִקְרָאוֹ

D vocabit eum, *pro* יִקְרָאוּ vocabunt; *vel* יִקְרָאוּ הוּ vocabunt eum. *Vt taceam nullibi facilius, quam in scriptura Hebraica, propter maximam litterarum quarundam similitudinem, errores accidisse posse.* Hæc ille.

Plures rationes adferri possent, cur Hebraicus textus non possit vbique ab omni menda & labe existimari purus; & cur ineptè faciant; qui in omni controuersia ad hunc textum prouocant. Mihi vel hæc vna ratio sufficit, quòd licet fons ille nunquam lutulentus, sed semper; & vbique limpidus flueret; adhuc tamen omnia ad Hebraicum textum, iam post tot sæcula corrigenda, & exigenda esse non persuaderes, vel ob id solum, quod, qui omnia ad hoc perpendi-

culum exigunt, diuersissimas prorsus versiones, & interpretationes nobis procudunt. Et quidem multis in locis, tam diuersas, vt iurare possis, non esse eiusdem libri. sed diuersorum auctorum diuersos interpretes: qui vertendo, & reuertendo Hebraicum textum, non tam vertunt scripturas, quàm euertunt, dignissimi, qui solũ iubeantur vertere. Notauit iam olim inuictus ille pro domo DEI athleta Ioannes Cochlæus hanc vertendi licentiã, & libidinem, lib. de scriptur. auctor. contra Bulling. cap. 5. in Luthero, Pellicano, Felino seu Buzero, Munstero, Oecolãpadio, Zvvinglio, & aliis; qui vel integrum testamentum vetus, vel partem eius ex Hebraico peruerterunt, prolatis exempli & speciminis gratia, vno, vel altero loco, præclarè ab Hereticis istis Rabbinis accepto: quorum primus ille apud B. Dauidem Psal. 109. *Tecum principiũ in die Virtutis tuæ, &c.* Secundus ille Isaiæ cap. 1. *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt; & erubescetis super hortis, quos elegeratis, &c.* Nõ exscribo, ne longior fiat oratio, & in Tractatu de nouis versionibus & versoribus proprius erit de his dicendi locus.

Eadem fides, & concordia cum cæteris apparet in Leone Iuda, Castalione, Mollero, Iunio, Emmanuele Tremmelio, & in aliis Iudaicis, vel Iudaizantibus Bibliornm Hebraicorum versoribus; qui te, si eis obtemperes, tam incertum de sententia scripturę reddent, vt, si omnibus fidem habere velis, nihil omnino credas; quandoquidẽ tam discrepãtia simul credi nequeũt, aut, si vni potius, quã alteri te addicas, stultitiã tuam prodas; qui sine ratione huic potius, quã alteri auscultandum putes: cum omnes eôdem ouo sint progeniti, pariq; insolentia versionis suę synceritatẽ suam iactent. Quasi verò 70. interpretes, & S. Hieronymus, & qui tot sæculis hos, tanquã fidelissimos magistros secuti sunt, Hebraicæ linguæ, & sacrarum literarum peritiores nõ extiterint, vt proinde longè prudentius, Christianius, salutiq; tuæ cõducibilius agas, si tot annorum centuriis corroboratã interpretationem, tantosq; interpretes acceptes; quàm, si *nouitiis* istis, vt à Cochlæo appellantur. *Hebraistis*, te nõ instruendum, sed destruendũ committas; quibus inter se maior est pugna, & cõtentio, quã nobiscum. *Nemo inde strui potest*, inquit Tertulliann de præscript. cap. 12. *vnde destruitur; nemo ab eo illuminatur, à quo cõtenebratur.*

Satis autem nequeo mirari, aiebat S. Aug. epist. 8. *si aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus inuenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit. Omitto enim septuaginta, de quorum vel Consilij; vel spiritus maiore concordia, quàm si vnus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiã. nisi quod eis praemi nentem auctoritatem in hoc munere sine controuersia tribuendã existimo. Illi me plus mouent, qui cum posteriores interpretarentur, & verborum, locutionumq; Hebræarum viam, atq; regulas mordicus, vt fertur, tenerent, non solùm inter se, non consenserunt, sed etiam reliquerunt multa, quæ tanto post eruenda, & prodenda remanerent.*

A Si hæc de Hebraicis interpretibus suę ætatis, atq; adeò de ipso, & in ipsum sanctitate pariter, & eruditione, linguarumq; cognitione præstantissimum Hieronymum dicebat S. Augustinus, meliore iure hodiernis interpretibus id occinemus, cùm à priscis illis, vt tempore, sic & Hebraica eruditione longissimè absint. In quemlibet quoq; illorum multo aptius quadrat illud S. Augustini dilemma, quàm in S. Hieronymum: *Aut obscura sunt*, (quę interpretaris) *aut manifesta. Si enim obscura sunt, te quoq; in eis falli potuisse, non immerito creditur. Si autem manifesta; superfluum est te voluisse explanare, quod illos latere non potuit.*

Quod autem hoc loco S. Augustinus de vnanimi illo 70. Interpretum consensu sententiã suam
B nõ vult interponere, eam alibi, & quidẽ summa cum 70. Interpretum cõmendatione, interponit: nempe lib. 18. de ciuit. Dei cap. 42 43. Ait enim præter cætera: eos, illo ipso spiritu diuina oracula vertisse, quo Prophetæ eadem protulerunt, & in literas retulerunt: *Spiritus*, ait, *qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat in LXX. viris, quando illa interpretati sunt.* Et: *Ecclesia Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem iudicant præferendum. Quia, etsi non in eis vnus apparuisset spiritus sine dubitatione diuinus: sed inter se verba interpretationis suæ septuaginta docti more hominum contulissent; vt quod placuisset omnibus, hoc maneret; nullus eis vnus interpres debuit anteponi.* Quãtò minus ergò, & his, &
C S. Hieron. anteponemus istos nouellos versores, tam inter se discrepãtes, & spiritu diuino vacuos.

Sed ad Bellarminum nos referamus; qui aliquot exempla Hebraicæ editionis adfert. Primum est Isaiæ nono; *Et vocabitur admirabilis &c. At Hebræus textus modò non habet, vocabitur, id est* יִקָּרֵא, *sed vocabit* יִקְרָא: *neq; ignorauit Caluinus, meliorem hoc loco vulgatam editionem esse, quam Hebraicam.*

Hunnius hoc loco, Mænadis instar, bacchatur, & vt bonam spem concipiamus de solutionibus argumentorum, quas aduersus Bellarminum allaturus est; conuicia immanissima partim præmittit, partim respõsis suis immittit; vt cum sedẽ Apostolicã vocat *Thaidem Babylonicam*; *Veneficam Babylonicã*, (à qua Bellarminus *sit dementatus*; *& ce-*
D *rebrũ eius excantatũ*) *& Cathedram pestilentiæ*; quibus adde & illum flosculum: *Bellarminũ prodigioso stupore teneri*: & huius generis similia emblemata vbique orationi Hunnianæ inspersa.

Clamat *eodẽ recidere sensum, siue legamus vocabitur*; siue *vocabit*. Respõdeo, nõ ignorasse Bellarminũ, etiã illam lectionẽ; *& vocabit*; ita tandẽ explicari posse, vt verũ sensum reddat; Christiq; gloriam & diuinitatẽ nobis prædicet; sed quæritur; vtra lectio hoc melius, aptius, & euidentius contra Iudæos Christi hostes efficiat; illáne; *& vocabitur*: an illa: *Et vocabit nomen eius. &c.* Et nisi *prodigiosus stupor Prædicantem haberet*: perspicuè cerneret, illam lectionem: *Et vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, prin-*

ceps

ceps pacis; longe esse aptiorem ad Christi maiestatem & diuinitatem à Iudæorum perfidia asserendam; & consequenter primigeniam genuinamque lectionem non esse illam: quam hodie textus Hebræus repræsentat: *Et vocabit*: Sed illam: *Et vocabitur.* Quid enim inde conficias, si hoc modo cum Iudæis explices; *Et nomen eius.* hoc est, *paruuli, qui natus est nobis, & filij. qui datus est nobis, vocabit*, hoc est, *statuet, decernet, imponet, siue indet Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis?* An non qui locum Isaiæ in hunc modum explanat, Iudæorum & Arianorum caussam strenuè agit ac propugnat? Ait Prædicans: sensum contra Iudæos inconcussum stare: etiam secundum illam lectionem: & vocabit nomen eius: Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis. *Sed & sensus contra Iudæos persistat inconcussus*, ati, *siquidem si opus sermonis arguit, non propositum esse Prophetæ, recensere Dei patris epitheta; sed paruuli, nobis nati & dati nomina: quod relatiuum pronomē affixum indubitanter ostendit* שמו, *nomen eius, nempe, de quo dixerat, pueri.* Hoc quidem asserit Prædicans; sed absque probatione vel ratione, inquiet aliquis Iudæus aut Arianus, Christi Dei osor & hostis; quapropter qua facilitate Prædicans hæc verba fundit, eadem Iudæus aut Arianus illa reiiciet: dicetque; *pronomen affixum* planè non cogere, vt Epitheta illa referantur ad paruulum natum; sed referri debere ad Deum; qui nomen huius paruuli vocabit; hoc est; qui paruulo nomen imponet. At vniuersis hisce tergiuersationibus & exceptionibus viam præcludit illa lectio vera & Prophetica; iam tamen ab Hebræo textu exulans: *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius*, &c. Cuius nomen vocabitur *admirabilis, consiliarius, Deus fortis?* &c. Eius nimirum paruuli, qui natus est nobis, & filij. qui datus est nobis, *cuius principatus super humerum eius.*

Pergit Prædicans: *Ea est horum nominum, & elogiorum connexio, vt si vnum abiungas à filio, reliqua simul eidem auferas. Quæ enim alias Sybilla diuinare queat, ea nomina, quæ Relatiuo affixo proxima sunt, ad puerum, de cuius nomine ex professo differitur, non pertinere, sed tantum id, quod omnium est remotißimum? Secus quàm natura sermonis, & constructio permittit.* Hic primum quærere lubet ex Prædicante; si tanta est inter hæc elogia connexio, vt vnum à filio abiungi nequeat; quin & alia abiunguntur; cur Lutherus elogium illud augustissimum, *Deus*, non modò à filio abiunxerit; sed & in nonnullis bibliorum suorum editionibus penitus eraserit & obliterarit? An non hoc ipso totum illud celeberrimum vaticinium sustulit, & Christo Deo nostro sacrilegè prorsus planeque Iudaicè abstulit; quandoquidem tanta est inter hæc Epitheta connexio, *vt abiuncto vno à filio*, teste Prædicante, *necesse sit omnia item alia abiungi.* Deinde Iudæus aut Arianus facilè occurret Prædicanti nullum omnino ex prædictis Epithetis pertinere ad paruulum, qui natus est; ne illud quidem remotissimum; *prin-*

A *ceps pacis*; sed omnia eius esse, qui paruulo huic nomen impositurus erat. Forsan hoc adiicient: non fore incommodum; Etiamsi remotissimum tribuatur paruulo; cætera autem, quæ interiiciuntur; Deo: neque naturam sermonis & constructionis tantum aduersari, quantum existimat Prædicans; cuius sunt & ista thrasonica. *Placet, quod dicimus, in sensum ingerere oculorum. Hebraicus textus verbotenus conuersus sic habet: Et vocabit nomen eius Admirabilis, &c. Iudæorum sensus, prius elici non potest, nisi particula (nomen eius) moueatur suo loco, & ad vltimum epitheton reiiciatur: Et vocabit Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi nomen eius: princeps pacis. Hic, quiuis intelligit, vim inferri textui, per transpositionem violentam, & congeriem epithetorum ab-*
B *surdam, directam non in personam eius, cuius nomina & elogia se recensere velle Propheta indicat: sed in personam nominantis Dei collatam sine omni ratione.*

Totum hunc verborum fumum paucis verbis disiiciet Iudæus aut Arianus: videlicet: non esse opus; vt vllum ex illis Epithetis referatur ad paruulum: Omnia enim referri posse, imò & debere; ad eum, qui paruulo nomen impositurus sit: Addet insuper: Licet extremum Epithetum: *Princeps pacis*: referatur ad paruulum; non esse tamen necessarium; vt verba illa: *nomen eius*, traiiciantur vltra Epitheta, quæ Deo competunt; sed posse manere suo loco, sensu saluo; nec id mirum videri debere, cum certum sit Propheticas phrases, sæpe vt sensu, ita & verborum constru-
C ctione esse implexas ac implicatas. Hæc & id genus alia si Iudæus, aut Arianus Prædicanti occinat; quo se, cum vbique limpido suo fonte Hebræo vertet? At nihil horum caussari potest Iudæus aut Arianus, si lectio illa: *Et vocabitur nomen eius admirabilis*, tanquam vera & originalis accepteturv.

Re bene gesta canit Hunnius Epinicion. *Hæret in blasphemia sua pudefactus, & irretitus hypocrita, vt qui probare non potuit, turbidum fluere fontem Hebræum.* Imò non obscuro exemplo probauit Bellarminus. Hebræum fontem loco illo Isaiæ non esse purum ac perspicuum: neque tu quidquam pro altera lectione attulisti; quod vllo modo neruosè ac valide diuinitatem Christi demonstret ac
D defendat; quodque infidelibus repudiare, non sit procliue & promptum; cum è contra altera lectio; non tantum hostibus Christi os obturet; sed & gulam fermè elidat; quippe diuinitatem Christi illustrissimè oculis subiiciens ac repræsentans; vt ipsemet Caluinus coactus fuerit fateri lectionem istam: *Et vocabitur nomen eius*; longè esse probatiorem ac rectiorem. AEgrè fert Iunius hoc testimonium Caluini à Bellarmino allatum esse; & quidem ex antiquiore Institutionum editione, *vt difficilis sit inuentu locus; si quis Caluinum consulere cupiat.* Locus à Bellarmino citatus, non erit ei inuentu difficilis, si eandem Institutionum editionem habeat, qua Bellarminus est vsus. Nam vt quis propter inconstantiam Cal-

uini

Digitized by Google

uini (eademque est ratio Lutheri, Philippi & similium Nouatorum) omnes Institutionis Caluinisticæ editiones emat aut alleget; id nimis A operosum & sumptuosum foret; satis est, quod vna fideliter allegatur; quod Bellarminum fecisse inficiari non potest Iunius; nam & in posterioribus editionibus lib. 1. cap. 13. §. 9. Caluinus idem dicit, si sensum spectes; quamuis vocabula quædam mutauit; sed sensus plane est idem, vt iam dicebam. Illud periucundum est: quòd Iunius Caluinista ad hæc Caluini verba: *Quorsum tot Epitheta in Deum hoc loco* Isaiæ cap. 9. *congesta forent*; tanquam Chremes quidam Terentianus exclamat: *Hem Grammaticum*: (En, Caluinista Magistrum suum Caluinum appellat Grammaticum: neque enim verba illa sunt Bellarmini, B sed Caluini.) *Quasi verò insolens apud Hebræos esset*, inquit Iunius, *verbu tertia persona vtroiuis numero impersonaliter accipi, & modò actiuè nobis, modò passiuè ad euidentiam reddi oportere id, quod Hebræis ex idiotismo ipsorum est euidens. Hoc pueri norunt.*

Mirum, hoc non nouisse Caluinum, quandoquidem pueris notum est. Si, Iunio hæc scribente, Caluinus vixisset; manum ferulæ Iunianæ supponere debuisset; ob hanc adeo puerilem ignorantiam. Videndum tamen, an non hac pœna dignior sit Iunius hoc saltem loco: Non enim frustra miratur Caluinus, si, vt Iudæi oblatrant, verba illa; *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi*, ad Deum spectant; cur tot in Deum C sint congesta Epitheta?

Hanc admirationem cum Iunius Caluino eximere deberet, incipit nescio quid de verbis impersonalibus *grammaticari*; quasi *vocabit*, aut *vocabitur* Isaiæ 9. sit verbum *impersonale*. Quomodo *impersonale*, cum vtrumque verbum & primam & secundam personam habeat; cumque vtriusque initium sit reperire in Latina lingua; nam & *voco* & *vocor* in vsu est. At impersonalia maximè inde nomen trahunt; quod prima & secunda persona careant, quodque eorum nullum sit initium; vt docent non ignobiles Grammatici; licet alij aliter; quorum inextricabilem litem, non facio meam: Hinc *tadet, pudet, itur*; impersonalia sunt; quia prima D & secunda persona carent, nec initium eorum reperitur; Quis enim vnquam audiuit? *Tadeo, tades; pudeo, pudes; eor*, &c. Discat ergo prius Iunius à pueris, quæ sint verba impersonalia; & tum de impersonalibus Caluino concionetur. Fortè hoc voluit Iunius; verba *actiua* interdum etiam *passiuè* accipi tam singulari, quam multitudinis numero: ac proinde verbum Hebræum Isaiæ 9. quamuis *actiuè* enunciatum; *passiuè* tamen accipi debere. Hoc etsi verum esse Latini quoque sermonis consuetudo testetur; tamen multum sudabit, donec Iunius hanc Grammaticam Iudæo vel Ariano persuadeat; & ita quidem persuadeat; vt credat, verbum actiuum *vocabit*, Isaiæ 9. vsurpatum esse pro passiuo *vocabitur*. At si, vt par est; dicamus; ipsum originalem textũ verbum hoc pasiuè extulisse; nihil difficultatis aut tergiuersationis remanet.

Murmurat Iunius, quòd Bellarminus scripsit; Hebræum fontem, etiam Caluini iudicio, non semper & vbique purum fluere. *Negatur*, inquit Iunius. *Aliud est fontem in se turbidum esse; aliud videri nobis turbidum. Non est fons turbidus, sed mens eorum potius turbida, fortè etiam turbulenta, qui Grammaticam Hebræam nescientes inuehunt temerè (nam voluntariè quis faciat?) in alienas interpretationes. Eadē planè ratio sequentis loci. Debuerat Bellarminus Grammaticam suam melius euoluere.* Nemo nescit, Iuni; discrepare ista duo: *Esse & videri*: at Bellarminus sat manifesto testimonio Caluini planum facit; fontem Hebræum, Caluini iudicio, non tantum videri, sed & esse *turbidum* Isaiæ cap. 9. Frustra igitur Caluinianus iste liquidam veritatem turbat; Debuerat non Bellarminus; vt iste monet, Grammaticam suam melius euoluere; sed Iunius tam Latinam, quàm Hebræam Grammaticam melius discere; vt de loco Isaiæ, si non Theologicè, saltem Grammaticè aptius dissereret. Attingit etiam hunc locum VVitackerus controuersia prima, q. 2. cap. 9. Sed nihil adducit, quod non sit iam refutatum; nisi fortè hoc peculiari refutatione eget, quod monet; Iunium & Tremelium vertisse; *vocat*, nimirum, vt non tantum à nobis, sed & à cæteris Nouatoribus nouatores isti discreparent.

Alter locus, quo probatur, fontem Hebræum non esse vbique purum, est ille Hierem. 23. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster*: quam lectionem, vt rectam, probat quoque Caluinus lib. 1. Instit. cap. 13. §. 9. cum tamen fons Hebræus constanter habeat, *vocabit eum*, non; *vocabunt eum*. Iunius hic est Mutius. Hunnius *Locutius*; sed *Aius* tantum; quia nihil probat. Narrat nobis; quomodo Lutherus locum istum Germanicè verterit. Scilicet hoc iam agitur, vt inquiramus, quomodo Lutherus locum illum in Germanicam linguam verterit.

Addit Prædicans: Esse eundum sensum; siue legamus: *Vocabit eum*; siue, *vocabunt eum*. At non quæritur de sensu; sed de Originali scriptura. Vtrumque numerum, singularem scilicet, ac pluralem non posuit sacer textus; quod certum. Cum ergo fons Hebræus constanter nobis singularem numerum sistat; vetus translatio, & ipse Caluinus, & communis consensus, verbum plurale repræsentent; vtique oportet primigeniam scripturam hoc loco esse deprauatam, verbum singularis numeri pro verbo plurali nobis ingerens.

Tertius locus est ille Psal. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos*: vbi textus Hebræus non habet

bet : *Foderunt* ; sed, *sicut Leo*. Quid Hunnius? *Hoc exemplum ad confirmandam blasphemiam Iesuitæ nibil facit prorsus.* Nihil facit ad confirmandam blasphemiam; quia nulla est hic blasphemia; at multum facit ad confirmandam Bellarmini sententiam, quæ est, Hebraicum textum non esse vbique incorruptum ac inuiolatum. Est enim locus iste nimis manifestum corrupti Hebræi textus exemplum. *Quando dicunt nostri*, id est, Lutherani, inquit Prędicans, *omnia examinanda & emendanda esse ad Hebraum textum; non agunt de corruptelis Iudaicis, sed de ipsomet textu Hebraeo vndequaque puro & limpido.* Miserabilis responsio. Ait, textum vndequaque esse purum & limpidum; & interim fatetur, corruptiones Iudaicas irrepsisse. Si corruptus est alicubi à Iudæis; ergo non est vndequaque purus & limpidus. Si vndequaque est purus & limpidus; non est ergo à Iudæis corruptus. En vertiginem Prædicantis, qui nesciens quid garriat, aut agat, miserandum in modum circumrotatur; iamque hoc, quod Bellarminus probare instituit, concedit; iam negat: tandemque, vbi omnia expenderis, nihil inuenies, nisi hanc tautologiam: *Hebræum textum esse purum & limpidum, vbi purus est & limpidus; vbi vero purus non est ac limpidus; ibi esse corruptum; hoc est, non esse purum & limpidum.*

Ait Hunnius: *Hanc deprauationem Hebraici textus esse perspicuam.* Non abnuo. Interim video Thesin Bellarmini esse veram, nempe, fontem Hebræum non vbique purum ac limpidum fluere: nam etiam manifesta deprauatio non facit, vt locus non sit deprauatus. Quid verò, si, vt ista est manifesta deprauatio; ita plures sint in Hebræo textu; vel æquè manifestæ; vel certè eiusmodi, quæ conuinci & in manifestam lucem extrahi possint; siue deprauationes illæ ex malitia; siue ex ignorantia; siue fortuitò acciderint. Plures huius generis esse, arguunt exempla, quæ Bellarminus producit; & discrepantia veteris versionis Latinæ, quamuis ex Hebræo expressę; & septuaginta interpretum; vt alia huius notæ clara indicia tacitus præteream.

Si quæram ex Bellarmino, inquit Prædicans, *vnde norit, in vulgata editione legendum esse, foderunt? Nónne hîc necessariò ad fontes recurrendum ei est, licet inuito?*

Non recurrendum erit ad fontes; quia fontes sunt corrupti. Vnde ergo indaganda veritas? Ex editione vulgata Latina; ex Græca septuaginta & aliorum interpretum. Ex testimoniis Patrum, omniumque Christianorum consensu. At inquit Prædicans: *hoc est principium petere: Et nugas agere.* Si de se loquatur; concedo, quod asserit; verè enim *nugas agit*. Sin de Bellarmino, nego. Quæstio enim est, quomodo inuestiganda sit corruptio textus Hebræi in illo loco Psal. 21. Nos respondemus ad cubile corruptionis illius perueniri, si vulgata Latina, & Græcorum editiones, & patrum testimonia, & Christianorum vnanimis consensio consulatur. His enim viis ad veritatem recto tramite deducemur. Prædicans stultissimè contendit, *per ipsum textum corruptum Hebræum, corruptionem deprehendi posse; quia*, inquit, *tandem omnibus excussis, redeundum est ad textum Hebræum.* Reditur vtique; sed tanquam ad terminum & metam inquisitionis, non tanquam ad medium & modum inquirendi. Hic de mediis inquirendi agimus; non de eo, quod inquiritur.

Iustissimè quæritur, ait Prędicans, cur apud 70. interpretes sit *ὤρυξαν, foderunt*. Iustè hoc quæritur, fateor. Nec aliam ob caussam ita verterunt, nisi quia in Hebræo legerunt; *Caru, foderunt*; non autem *caari, sicut Leo. Vides igitur*, inquit Prædicans, *redeundum esse ad limpidum & purum vbiq. fontem Hebræum.* Reditur, non ad purum & limpidum vbique fontem Hebræum; sed iam ad purificatum; & rursus hoc quidem loco limpidum factum; collatione scilicet lectionis Hebraicæ cum versionibus ex Hebræo; quæ cum concorditer astipulentur illi lectioni Caru; non illi, *Caari*; indubitanter asseueramus; priorem illam lectionem esse genuinam ac diuinam, posteriorem verò foris aduentitiam & respuendam.

Iunius non diffitetur, locum hunc in Hebræo textu esse corruptum: sed negat deprauationem istam exstare in omnibus exemplaribus. Nec Bellarminus hoc asserit. Satis, & plusquam satis est, quod in plerisque exstat; vt testatur quoque Genebradus in Psal. 21.

Addit Iunius: *Corruptelam hanc conuinci posse etiam quorundam Iudaeorum testimoniis, multisq. aliis argumentis.* Non ignoramus hoc; nam idem quoque diu ante Iunium monuit & docuit Genebrardus; & Ioannes Isaac, citatus à Iunio, in suo pro Hebraica veritate libello. Nihilominus etiam illa corruptio, quæ corruptelæ conuinci potest; corruptio est; vt supra dicebam. Neque hæc, quæ Iunius hic adducit ex Isaaco, & vt videtur, ex Genebrardo, ignorauit aut non intellexit Bellarminus. Quare Caluinista his absque piaculo supersedere poterat: *Hæc si non intellexit Bellarminus, audax est profectò, qui de rebus non intellectis iudicet: si intellexit, vbi pietas hominis, qui idipsum nobis cupit adimere, quod religiosi etiam Iudæi concesserunt? Siccine odio nostri elidatur veritas?*

Conuicia isthæc sunt & calumniæ: Quia nihil tam altum & sublime attulisti; quod Bellarmini captum superet, nihil tam reconditum; quod ipse non prius viderit; quis enim nescit, quosdam Iudæos illam lectionem; *Caru, foderunt*, vel indicare vel defendere; quod in hoc ipso capite Bellarminus expresse monet. At quis ignorat & hoc, ferè omnes Iudęos, odio Christi & Crucis, pertinacissimè ad corruptam lectionem *Caari; sicut Leo*; adhærescere; neque vllis argumentis auelli posse?

Quartus locus est Psal. 18. vbi *Hebraici codices legunt*: In omnem terram exiuit *regula, seu linea, seu*

perpen-

Digitized by Google

perpendiculum eorum: cum tamen septuaginta verterint, φθόγγος αὐτῶν: &, eorum versionem approbauerit B. Paulus Rom. 10. vbi hunc Psalmum citat. Quid *quod Hieronymus ad litteram reddidit ex Hebræo;* exiuit sonus eorum? *vt omninò necesse sit, aut Paulum, & Hieronymum reprehendere; aut certè fateri fontem hoc loco non esse purum.*

Furit hic rursus VVittebergensis Prædicans: *Respondeo,* inquit, *non est vel Paulum reprehendere, vel Hieronymum, si fontem Hebræum dicamus esse purum: sed tantum opus est dicere, Bellarminum, aut præ inscitia non posse, aut præ malitia non velle intelligere, quod & Apostoli allegatio sit sancta, & fons vndiquaq; nihilominus limpidus.*

Moderatè, & pacatè Prædicans: ne filius videaris alicuius Furiæ. Quidquid vocifereris; aut concedere debes aliter habuisse fontem Hebręum versum à septuaginta; & ab Apostolo citatum: & à S. Hieronymo latinè redditum; aut istos omnes non bene vertisse Hebræum fontem: nam quod tu & Iunius dicitis, 70. interpretes, Apostolum, & Hieronymum, *respexisse ad sensum; & explicare voluisse; quæ nam sit illa regula seu norma in omnem terram diffusa; nempe ipsam prædicationem Euangelicam:* id libenter crederem; nisi compertum haberem, boni interpretis officium hoc postulare; vt quando verbum æquè aptè per aliud verbum eiusdem prorsus significationis exprimi potest, non exprimatur per aliud prorsus metaphoricum; vt est *sonus* respectu regulæ, seu lineæ, seu perpendiculi, seu vt vertit Iudaizans & Caluinizans Tremmelius, *delineationis.* Hinc si in textu Hebræo reperissent *Cauam*; non *Colam*, vtique septuaginta interpretes non reddidissent φθόγγον, nec Apostolus ita citasset; nec Symmachus vertisset ἦχον nec S. Hieronymus, *sonum*; sed Græci quidem exhibuissent nobis vocem ὁ κανών, vt fecit Aquila; & Latini, vocem *regula.*

Cur autem hæretici adeo vrgeant illud suum *perpendiculum*, caussa est; vt inde probent, scripturam esse regulam; quod non negamus; etsi solam scripturam esse regulam & vnicam, vt isti somniant, diffitemur; quanquam si hinc suam regulam statuere & adstruere velint, probare inprimis debebunt, Dauidem eo Psalmi loco tantùm de verbo scripto agere: non autem de ipsa prædicatione viuæ vocis ministerio tradita.

Dicit Bellarminus Psalmum 18. citari à S. Paulo Rom. 10. Respondet Iunius. *Citare negamus; non negamus destringere.* Quæ est hæc tua importunitas Iuni? Quid aliud est citare, quàm verba alterius auctoris ex instituto referre? An non facit hoc S. Paulus? *Sed dico: numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* An fortè ibidem nec Isaiam, nec Moysem citat, sed tantum *destringit*? dignus vtique est, qui hoc affirmat, cui mentum destringatur.

A Ad extremum hoc etiam adiungit Bellarminus: Interdum integras sententias deesse in Hebræo, cum non desint nec in versione LXX, nec in Hieronymi translatione. Exemplum habemus Exod. 2. vbi deest totum illud: *Alium quoque genuit, & vocauit nomen eius Eliezer, dicens, Deus patris mei auxiliatus est mihi, & liberauit me de manu Pharaonis.*

Respondet Hunnius: *Fingit hoc Iesuita; & quidem vtitur vocabulo; interdum; vt plus quàm semel factū innuat: atq; interim vnum tantum profert exemplum: idq; ipsum falsò allegat.*

Si vnum exemplum profert, ergò non fingit Bellarminus integros versus deesse in Hebræo, qui non desint in editione 70. & translatione
B D. Hieronymi.

Ad exemplum à Bellarmino ex cap. 2. Exodi prolatum, respondet Hunnius, & Iunius, *esse sarcturam, non pertinere ad illud caput secundum; sed ex capite 18. esse eo translata à 70. Interpretibus; Et in eundem errorem impegisse vulgatæ editionis auctorem, dum septuaginta Interpretes sequitur.* Hæc ægrorum somnia sunt. Vnde enim probant isti, 70. Interpretes intrusisse in caput secundū verba illa ex cap. 18. Vnde probant eos, nō vertisse id, quod in capite secundo inuenerant; sed caput secundum hoc assumento auxisse? Deinde auctor vulgatæ editionis, hoc est, S. Hieronymus in sua interpretatione non est secutus 70. Interpretes, sed textum Hebræum, quod ipse in singulis præfationibus
C perpetuò repetit; maximè Procemio in libros Regum, vbi intrepidè hæc de se: *Mihi conscius non sum mutasse me quidquam de Hebraica veritate. Certè si incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum iis opusculis, quæ nuper emendauimus, & vbicunq; discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum, cui magis accommodare debeas fidem; Et si nostra firmauerit; puto, quod eum non existimes coniectorem, vt in eodem loco mecum similiter diuinarit.* Et audent tamen effrontes istæ frontes accusare D. Hieronymum, quasi aliqua transtulerit, quæ in Hebraicis exemplaribus non repererit?

His absolutis disputat Bellarminus contra illos, qui Hebraicæ editioni nimis parum tribu-
D unt, eamque passim à Iudæis, odio Christianæ religionis deprauatam contendunt. Argumenta, quæ proferunt ex Origene, Iustino, Eusebio, Chrysostomo dissoluit Bellarminus. Vbi Prædicans; *Affert quædam friuola ex nonnullis patribus, Iustino, Origene, Chrysostomo.* Atqui ista friuola Prædicans sibi ab aduersario quopiam obiecta, nunquam dissoluere potuisset, si solutiones à Bellarmino edoctus non fuisset: nisi fortasse ad illud suum perfugium se recepisset: *Nos non tenemur auctoritate Iustini, Origenis, Chrysostomi.*

Profert deinde Bellarminus varia scripturæ loca, quæ contrariæ sententiæ auctores à Iudæis corrupta ferunt; eaque minimè corrupta esse

Digitized by Google

demonstrat: quin & inde ostendit; Iudæos Biblia non vitiasse; quia potissimã de Christo oracula potius sustulissent, & ex sacro textu excidissent, quàm nonnulla minuta, quæ ab istis, tanquam deprauationis paradigmata, producuntur; vitiassent: Hinc & in Psalmo secundo reliquisse illos illustre illud de Christo testimonium: *Osculamini filium, ne irascatur*, id est, *reuerentiam exhibete filio Dei, ne ipse irascatur, &c.* qui locus est inuictissimus contra Iudæos. Hic solennem suã consuetudinem retinens Hunnius multa loquaciter deblaterat: Inter cætera etiam hæc: *Disertè fatetur Bellarminus, versiculum illum Psalmi (Osculamini filium) non esse falsatum à Iudæis, sed relictum integrũ. Quia verò Latina versio ab hac sincera veritate Hebraica dissentit, palam est, id sine horribili corruptela fieri non posse, &c.*

Hæc futilis Hunnius; cum vt infra cap. 13. ostendit Bellarminus, idem prorsus sit sensus scripturæ Hebraicæ, & vulgatæ Latinæ; *apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus*; cumq; eodem modo 70. Interpretes & Chaldæus verterint; omnesque tam Græci, quàm Latini patres magno consensu hanc lectionem amplexi sint. nisi quis credibile arbitretur; quod monet noster Heissius; aliter legisse Latinos, & Græcos interpretes; vel, easdem literas Hebræas duplicem sensum facere: fortè verbum נשק nashak. *osculari*, agnouerunt interpretes sumi etiam pro *apprehendere*. Certè, in coniugatione Hiphil significat contingere, Ezech. 3. v. 13. nam osculantes & se cõ-
C tingunt, & apprehendunt. Altera vox *Bar*, significat quoque *purum*; non tantum *filium*: vnde Aquila vertit ἐκλεκτῶς; Symmachus, καθαρῶς: puritas verò, effectus disciplinæ est. Quid si LXX. legerint *Bor*, quod significat *munditiem*, seu *purificatorium*, quo purificatur argentum à scoria, quod metaphoricè disciplinæ conuenit. Sed forsitan nec *Bar*, nec *Bor*, legerunt. Quid, si Musar (quod propriè disciplinam significat,) vel, sine littera seruili מ. סר, à verbo יסר *iasar*, corripere, erudire? Nec tanta inter בר, & סר litterarum differentia, vt confundi non potuerint. Nec Bellarminus Hebræum textum tanquam indubiè genuinum pronunciat hoc loco; sed probat errata Hebræi
D textus non errata esse ex Iudæorum in Christum odio; eo quod reliquerint insignia pro Christo testimonia; sed, quod omnia illa testimonia sint ipsa scriptoris Canonici verba, & nulla ex incuria posterorum, vel litterarum deprauatione sint traducta, non asseuerauerit Bellarminus. Licet cap. 13. id sectariis per modum concessionis videatur dare contentus altero responso, quod idem Hebræi, & Latini textus sit sensus. Hæc ex superabundanti. Plura cap. 13.

Cur in Psalmo decimo tertio tolerentur & relinquantur octo versiculi: *Sepulchrum patens est guttur eorum, &c.* citati ab Apostolo Rom. 3. cum tamẽ nõ reperiantur in Hebraicis codicibus; aliquot rationes reddit Bellarminus: Prima est an-

A tiquitatis reuerentia; quia iam tempore S. Hieronymi in Psalmo illo decimo tertio legebantur, vt patet ex præfat. S. Hieronymi in lib. 16. super Isaiam: & in multis exemplaribus 70. Interpretum eundẽ locum iam olim tenebant, & tenent etiam in editione Sixtina. Et eosdem agnoscit Iustinus; Psalterium Romanum, Arabicum & AEthiopicum; & ex Græcis Diodorus, Theodorus, Cyrillus, Didymus, vt annotatur in scholiis & notis in Psal. 13. Rom. editionis 70. Interpret. Ex latinis S. Augustinus in Psal. 13. & alij.

In plerisq; tamen codicibus non comparent; neque in Hexaplis Origenis exstabant, vt ibidem monetur. Quia tamen in aliis reperiuntur; non temere loco moueri debuerunt; Etiam ob Apo-
B stoli honorem; qui versiculos illos non vno, sed ex pluribus scripturæ locis desumpsit: Et meritò potuissent fideles turbari & scandalizari, si sublatas vidissent, cum & ipsi sint sacræ scripturæ quædam pars.

Hic multa insulsissimè garrit Hunnius *de scandalo; de Romana curia; de vitiis eius curiæ: Papistas nolle confiteri Ecclesiam Romanam superioribus seculis errasse; Si enim vel in vno faterentur errasse eam, cum summo scãdalo, & pernicie Romanæ Ecclesiæ id coniunctum foret, & metuendũ, ne Lutherani inferrent; si in vno articulo errare potuit, & errauit: ergò etiã in reliquis errare potuit. Bellarminum esse Romanæ sedis parasitum, hypocritam, eius conscientiã clamare, nõ rectè fieri, quod illi versiculi inmiscantur illi Psalmo*; & plura huius generis, quæ fu-
C riosus Prædicans plenis faucibus eructat, cruda nimirum criminationum & mendaciorum frusta, pluris non æstimanda, quàm ipse Prædicans, hoc est, ne vnius quidem assis, aut teruntij; aut si quid hoc vilius.

Concludit Bellarminus hoc caput sententia sua, quæ etiam est Driedonis lib. 2. de Ecclesiast. dogmat. & scripturis cap. 2. & aliorum; videlicet; *scripturas Hebraicas non esse in vniuersum deprauatas, operâ, vel malitia Iudæorum: nec tamen esse omninò integras, & puras: sed habere suos quosdam errores, qui partim irrepserint negligentia, vel ignorantia librariorum: præsertim cum in Hebræo facilè sit errare ob litteras quasdam simillimas; partim ignorantia Rabbinorum, qui addiderunt puncta.*

D Ad hæc Iunius. *Negamus Rabbinos addidisse puncta; & eos, qui addiderunt, fuisse ignorantes.* Forsan Iunius sequitur eorum sententiam, qui Esdram auctorem faciunt punctorum & accentuum: *Sed illi errant*, inquit Genebrardus in Chronologia, *cum constet ex libris B. Hieronymi, ipsius tempore nulla exstitisse. Sunt autem adinuenta paulo post tempora Honorij Imperatoris, anno ab euerso templo 436. qui est à Christo passo, 476. in Tiberiade vrbe Galilææ. Huius muneris principes fuère Aaron Aseris, & Iacobus Nephtalis filij, qui, dum de nonnullarum vocum punctis inter se dissentiunt, Iudæos in duas partes diuidunt. Orientales enim, quique Babyloniam incolunt ad fluuium Nearda; posterioris; Occidentales prioris lectionem consectantur.*

Porro

Porrò Rabbinos istos, qui puncta inuenerunt, A & verbis Hebraicis addiderunt, omnes fuisse omniscios, neque vnquam in addendo à veritate digressos; si Iunius nobis perspicuis argumentis probauerit; plurimùm profectò præstiterit.

Quod Bellarminus dicit: fieri posse, *vt ex prauo affectu, & odio in Christum ea lectio interdum ipsis magis probata sit, quæ minus Christianis fauebat*: id ait Iunius *aduersari illis, quæ primo Bellarminus dixerat, de summa fide Iudæorum in conseruanda integritate & incorruptione sacrorum voluminum.* At non aduersantur; quia etiam non corrupto textu, verbis ambiguis occurrentibus; poterant isti cum suis punctis sententiam illam eligere, quæ Christianorum fidei ac dogmatis minus faueret. B Ait Bellarminus: possumus, si volumus, puncta detrahere, & aliter legere. *Negamus antecedens*, clamat Iunius, *et negamus consequens.* Si Iunius, vt videtur, negat Hebræa sine punctis legi posse; dignus est, qui omnium sibilis explodatur. Si autem negat tantum tam commodè & fructuosè & certò, non posse legi sine punctis; tum caussæ nihil erat, cur dictum Bellarmini sua censoria virgula notaret; quia hoc inficiari Bellarmino nunquam in mentem venit.

Danæus ad hoc secundum Bellarmini caput solitam fabulam agit; ridiculè cum *Paralogismo à figura dictionis* accurrens; vt quia aduersus tam accuratam Bellarmini disputationem nihil di- C cere poterat; quod eruditis probaretur; *Paralogismo à figura dictionis*, tanquam mormolycéo quodam, indoctos perterrefaceret, attonitosque redderet: qui mentitur, Bellarminum ideo affirmare, Hebræum fontem non esse vbique purissimum *quòd in Hebræo textu non semper inueniantur ea ipsa vocabula, quæ citant ij, qui ad illud Hebræum scriptum recurrendum volunt.* Nam Bellarminus non agit de solis variatis vocabulis; sed & de sensu simul cum vocabulis variato; eaque de caussa rectè scribit Hebræum fontem non esse vbique purum ac limpidum; vt Nouatores contendunt; & in his etiam iste; cui, Hebræi fontis omnimodam puritatem negare, non minus videtur absurdum, quam negare *solem ipsum* D *lucidum, & lucis nobis administrum esse.*

Iterum mentitur Caluinista, cum ait; *Bellarminum velle; nihil prorsus in textu Hebraico mutatum esse; ne ob puncta quidem, vel à primis auctoribus, vel à librariis perperam consonantibus adiuncta*; Bellarminus enim apertissimè concedit sub finem huius capitis, in textum Hebræum irrepsisse huius generis menda; vt & alia ex similitudine quarundam consonantium; & ex inscitia & oscitantia librariorum; quis enim sani capitis hoc abnuat; cum in Græco & Latino textibus idem quotidie euenire videamus: qui tamen longè minus talibus corruptelis expositi sunt, quàm textus Hebręus; cum aliâs ob caussas, tùm quia linguæ Græca & Latina vulgò longè sunt notiores, quàm Hebræa.

De octo illis versiculis in Psalmo 13. relictis, ne laboret Danæus. Iustæ sunt relinquendi caussæ, supra iam expositæ: neque verendum est fidelibus, ne sacræ scripturæ particulæ ab Apostolo ex diuersis locis decerptæ atque coniunctæ, vbi vbi legantur, sinceritati fidei possint officere.

CAPVT III.

De Editione Chaldaica.

SILENT hic tres nouatores, VVitackerus, Danæus, Hunnius. At Iunius, Onkeli & aliorum Paraphrastarum Chaldæorum patrocinium suscipiens, tuetur nonnulla loca, quæ Bellarminus ab ipsis perperam ex Hebræo in Chaldæum sermonem traducta affirmat. Eiusmodi locus est Gen. 4. vbi Hebræus, Græcus, & Latinus textus concorditer: *Quoniam occidi virum*: Chaldæus sensu planè contrario, addita negatione: *non occidi virum*: Respondet Iunius; *in Chaldæo verba legenda esse ἐρωτηματικῶς, per interrogationem. Et sic non reddi sensum contrarium.* Sed Iunius hoc ἐρωτήσεως commentum non affirmare; sed probare debebat. Certè interpretibus Chaldaicę Paraphrascos non incidit, vt patet ex Bibliis Regiis & aliis. Et quare non incidit; nisi quia necdum in cerebro Iunij satum, & inde in lucem prolatum fuerat.

Alter locus est Gen. 22. & 26. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; ita Hebræus textus habet, Græcus, & Latinus; *Et Apostolus ad Galat. 3. obseruari iubet promissiones Abrahæ factas, & semini eius: nec esse dictum, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Paraphrasis verò Chaldaica in his omnibus locis reddidit numerum multitudinis, benedicentur* בְּרִיל בְּנָךְ *propter filios tuos omnes populi terræ.*

Respondet Iunius: *Hanc formam accipiunt Chaldæi promiscuè; vtroq; numero*: Hoc tam verum est; quàm apud Hebræos idem esse; *in seminibus, & in semine*: quod adeo non est verum, vt Apostolus speciatim monendum censuerit, Abrahamo non esse dictum *in seminibus*; *sed in semine*; quia benedictio non erat danda gentibus per multos Abrahæ filios, sed per vnum, qui est Christus. Et quare Onkelus hoc vnius filij singulare priuilegium non extulit singulari numero; nisi quia Christo & Christianis parum amicus erat. Hinc dixit, *propter filios Abrahæ Gentibus benedictionem obuenturam*; hoc est, propter populum Israëliticum; ad quem in sua illa paraphrasi sine dubio Onkelus respexit. Et tamen caussam eius strenuè agit Iunius; quantumuis reclamante Apostolo, ad Galat. 3.

Digitized by Google

Tertius locus est, Exodi 12. vbi Hebræus, Græcus, Latinus textus: *Omnis filius alienigena non comedet ex eo.* Chaldæus: *Omnis filius Israël destructus*: Sic enim passim Iudæi eos appellant, qui ad fidem Christianam, relicto Iudaismo conuertuntur. Iunius. *Vel qui desciuerit, vt Chaldæa vox significat.* Necessaria profecto animaduersio. quasi aliquis destrui queat, nisi desciscendo ab eo, quod prius fuerat. *Nempe Onkelus*, verba Iunij recito, *filium alieni Dei, id est, idololatram interpretatus est, vel, qui ad idololatriam desciuerit. Atq; huic illius interpretationi suffragatur verborum sequentium antithesis, nec sine exemplo est.* A

At quocunque te vertas; nihil aliud dicis, quàm quod Bellarminus dicit: Nam per *filium destructum* intelligunt illi eum, qui, Iudaismo relicto, se vel ad idololatras, vel ad Christianos transtulit; quos itidem pro idololatris habent, præcipuè propter vsum ac cultum imaginum; in quo Iudæis bellè cum Caluinistis conuenit; quandoquidem isti etiam Ecclesiæ Catholicæ propter venerationem imaginum idololatriam obiectant: & si quis à Caluinismo ad fidem Orthodoxam transeat; filium *destructum* & *idololatram* & *apostatam* appellant. Hinc Latina versio Chaldaica verba hunc in modum expressit. *Omnis filius Israël, qui fuerit apostata, non comedat ex eo.* B

Quartus locus est Leuit. cap. 10. & cap. 21. vbi Hebręus, Gręcus, Latinus textus. *Capita vestra non radetis. seu nudabitis.* Chaldæus, sensu contrario: non multiplicabitis comam. vel vt habet Latina Chaldaicæ Paraphrasεos versio: *Nolite nutrire comam capitis vestri.* Iunius per ironiam: *scilicet.* Quid tibi vis cum tuo *scilicet? Nomen est ab Hebrææ matricis linguæ significatione ductum; quasi dicat, non multiplicabis nudationem, vel deglabrationem. Quam significationem iste non videns, temerè configit magnum illum interpretem.* At iste carpendi libidine cœcus, quid diceret prorsus ignorasse videtur. Nam Bellarmini sententia non nititur tantum auctoritate doctissimorum hominum, qui Chaldaicam paraphrasin vel in Latinum transtulerunt, vel translatam accuratè recognouerunt in editione Antuerpiensi Bibliorum Regiorum: Sed & ipso Chaldaico textu; nam vocabulum illud *Perua*, quo Chaldæus vtitur Leuit. 10. & 21. verè significat comam capitis & cæsariem; vt patet etiam Ezech. 44. & docet in suo Syrochaldaico lexico Guido Fabricius Boderianus Chaldaicæ linguæ longè peritior quam triginta aut quadraginta Iunij. Et quamuis verbū פְּרַע *Para* (vel *Phara*) significet *denudare, discooperire*, & nomen inde formatum פֶּרַע, à quo Chaldaicum illud *Perua, nudationem*; tamen ipsum etiam Hebræum *Perach* (seu *Pherach*) significat *cæsariem* seu *comam*: & ita vertit S. Hieronymus. Num. 6. v. 5. vbi & Chaldæus Interpres nomen *Peruah* (seu *Pheruah*) vsurpat; nec aliud significare potest; quam *comam, cæsariem*. & quod nam est illud Iunij figmentum? *Non multiplicabis nudationem vel deglabrationem?* quasi Deus non prohibuerit absolutè ipsam rasuram, seu nudationem capitis; sed tantum repetitionem seu iterationem. Nugæ Iunianæ. Æquè vnam atque alteram nudationem interdixit. Quapropter Onkelus planè contra Hebraicum textum vertit: *Non multiplicabitis Pheruah* id est, *comam, cæsariem*; quidquid Caluinianus contrà garriat; qui Onkelum hoc loco laudat, tanquam magnum Interpretem; & mox tanquam humani commenti fabulatorem traducit ob ea, quæ cap. 21. Num. nugatur de quodam puteo, de quo figmento hic Bellarminus.

Quintus locus est cap. 23. num. 9. *Populus solus habitabit, hoc est, cum aliis gentibus non miscebitur; paraphrasis Chaldæa, more Iudaico, reddidit; Ecce populus solus possidebit seculum*: id enim illi exspectant, vt soli dominentur in orbe terrarum.

Iunius: *Hæc interpretatio pendet ab æquiuocatione Hebræi verbi. Nam idem verbum &, habitare, & consistere, vel permanere significat. Etsi hæc quid ad nos?*

Mihi itidem videtur, hæc penitus nihil ad te pertinere. Quamobrem à carpendo & morsicando supersedere poteras. An non enim idem sensus redit, siue dicas; *habitabit*; siue *consistet*, siue *permanebit*? Quid tricaris nugator? Etiam si dicamus: *Populus solus permanebit*, vel *persistet*; non tamen propterea à Iudaico genio vindicabitur Onkelus, cum ipse vertit: *Ecce populus solus possidebit sæculum.*

Sextus locus Deut. 4. & 28. *vbi scriptura Hebraica, Græca, & Latina prædicit fore, vt Hebræi seruiant Diis alienis; quod etiam impletum nouimus non semel fuisse: Chaldaica paraphrasis deriuat hoc scelus idololatriæ ab Hebræis ad gentes. Vertit enim; seruietis populis seruientibus idolis.*

Hic rursus Iunius; vt gratiam Iudæorum aucupetur: *Hoc tam commodè exponi potest, haud scio, an etiam melius: seruietis populis seruientes idolis.* Sed hoc dicit Iunius; nec aliter probat nisi dicendo; si dicere est probare. Reclamant verba Chaldaica; & doctissimi illi viri, qui Chaldaicam paraphrasin Latinè reddiderunt.

Google

CAPVT IV.

De Editione Syriaca.

ETIAM hoc caput obiter perstringunt Prædicantes. Dicit Bellarminus, vnum, præter alia, editionis Syriacæ esse insigne commodum; *quod cum in titulis, ac sectionibus capitum mentio fiat ieiuniorum, venerationis crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoria sanctorum, aliarumq́ eiusmodi rerum, quas Lutherani, tanquam Romani Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacij hæc ipsa editio Lutheranos conuincit.*

Hic Hunnius caninæ linguæ exercendæ occasionem nactus, furiosè bacchatur in stata Ecclesiæ ieiunia, in venerationem S. Crucis; in cultum sanctorum; & in preces, ac suffragia pro defunctis. Sed insaniat, quantum volet lubetque: Nos istas Prædicantium vociferationes susque deque habentes; tam has quàm alias Ecclesiæ consuetudines à maioribus ad nos transmissas, & omnium Christianorum populorum consensu firmatas, reuerenter & religiosè amplectimur & obseruamus.

Iunius, ne omnino sileret, ait, in vetustis Syriacis exemplaribus nihil huius generis reperiri. Scilicet Iunius vetustiora Syriaci testamenti exemplaria vidit; quàm VVidmanstadius, Ferdinandi Imp. Cancellarius Inclytus, qui primus Syriacum testamentum typis descriptum euulgauit; & quàm doctissimus ille Guido Fabricius, interpres Syriaci textus: vt & alij de Bibliis regiis euulgatis bene meriti; qui nullo in Codice deficere viderunt, quę Caluinianus iste tam acutè videt in vetustissimis exemplaribus deesse. Vbi nam delitescunt illa vetustissima exemplaria?

Quod in iisdem Bibliis ponitur aliquando; *cōmemoratio S. Antonij, & sociorum eius*; non id est argumento cultum & venerationem primùm post S. Antonij tempora exstitisse; sed ad illum religiosum cultum, quo Christiani sanctos venerabantur; etiam S. Antonij & sociorum memoriā adiectam fuisse: Et perinde facit Iunius, ac si cōtenderet; in Latina Ecclesia cultum sanctorum nō esse antiquiorem ætate illa, qua vixit sanctus Franciscus, aut Franciscus de Paula; eò quòd exstent in Calendario Romano; quasi ipsi hoc Calendarium constituerint; & non potius ad iam constitutum adiecti fuerint.

Existimat Bellarminus probabiliter, Euangelium S. Matthæi, & Epistolam ad Hebræos scripta fuisse linguâ Hebræâ, communi eo tempore, quo Christus & Apostoli viui inter viuos vitam agebant; hoc est, Syriaca, idque euinci efficacissimis argumētis allatis ab Alberto VVidmanstadio, & Guidone Fabricio. Nihil ad hæc

A Iunius; nisi hoc subfrigidum. *Nobis argumenta illa, ne efficacia quidem ad hanc rem videntur esse.* Si tibi ne efficacia quidem videbantur, quare non refutasti? Num putas vniuersos mortales tam esse excordes, vt nudis tuis asseuerationibus fidem habeant? Discipuli tui fortasse tam sint creduli, Nos tantum credimus; quantum probas.

Quæris, cur Romana Ecclesia mutarit illam in Bibliis festorum, ieiuniorum, & venerandæ Crucis commemorationem; stulta quæstio est, vt paucis, id quod sentio, explicem: nam aut loquitur Iunius de nouo testamento Græco, Latino, aut Syriaco. Si de Græco aut Latino, nihil mutauit Ecclesia Romana; quia hæc festorum

B sanctis dedicatorum, ieiuniorum & aliarum cōsuetudinum Ecclesiasticarum commemoratio, & quasi indicatio seu *Notitia* nunquam fuit in nouo testamento Græco aut Latino. Si loquitur de testamento nouo Syriaco, mendacium est, Ecclesiam quidquam demutasse; vt constat ex doctissimi Guidonis Fabricij editione in Bibliis regiis.

CAPVT V.

De variis Græcis editionibus.

TOTVM hoc ferè caput exscripsit VVitackerus ex Bellarmino; & in suas chartas transcripsit; ratus, opi-

C nor, valere hic vetus illud: *Amicorum*, quales scilicet Iesuitæ & Caluinistæ, *omnia communia*. Non tamen se continere potuit, quo minus atrocem in Catholicos calumniam admisceret: agens enim de versione Theodotionis, qui ex Marcionista Iudæus factus fuerat; hæc virulento ex pectore eructat. *Papistæ quædam ex Theodotionis versione retinent, eaq́ pro Canonicis obtrudunt; nam Danielis cap. 13. & 14. apocryphum habent, non ex Hebraicis purissimis fontibus, sed ex impij Theodotionis vel hæretici vel Apostatæ Græca translatione.* Respondeo. I. Vtrum capita illa sint apocrypha an Canonica; iam visum est libro primo; ac proinde hoc loco non iterandum. II. Quæro ex Caluinista, vnde com-

D pertum habeat duo illa capita, atq; adeo ipsum totum Danielem hodie Græcè non legi ex interpretatione 70. seniorum; sed Theodotionis. Nam à tempore S. Hieronymi quo Daniel legebatur iuxta editionem Theodotionis, vsque ad ætatem nostram multa mutari potuerunt, quippe in tam longinqua vetustate; omnis mutationis genitrice. III. Si culpabile est legere vel partem Danielis, vel totum Danielem ex editione Theodotionis, in eadem culpa hærebit vetus Ecclesia, quæ teste S. Hieronymo, præfat. in Danielem; Danielem non legebat ex interpretatione 70. sed ex editione Theodotionis; & addit S. Hieronymus; *hoc rectè factum esse*; non obstante, quod interpres impius ac sceleratus fuit. Aut

igitur VVitackerus hodiernam Ecclesiam culpa liberet; aut veterem simul culpet; capita decimum tertium & decimum quartum religiosè lectitare solitam; vt Canonica, quæ iste impiè respuit, vt apocrypha. Hæc de VVitackero.

Iunius hic insignia historicæ peritiæ documenta edit. Nam præter editionem Græcam, de qua Clemens Alexand. lib. 1. Strom. fol. 368. edit. Lat. Parisiensis, quæ versionem 70. Interpretum antecessit; ait *fuisse aliam, ad vsum Synagogæ Iudæorum Alexandriæ factam Ptolemei Lagi temporibus*; eiusque meminisse Clementem lib. 1. Stromat. Sed manifestissimè hallucinatur hæreticus; quia luce clarius est; Clementem loqui de versione 70. Interpretum, quam alij dicebant factam, sub Ptolemæo Lagi filio; alij sub Ptolemæo Philadelpho. Verba Clementis sunt ista. *Versas fuisse scripturas, & legis, & Prophetarum ex Hebræo sermone in linguam Græcam aiunt, tempore Ptolemæi Lagi filij: aut vt dicunt nonnulli, tempore eius, qui fuit cognominatus Philadelphus, cum maximam ad eam rem contulisset diligentiam Demetrius Phalereus, & vt verterentur, vehementer procurasset.* Ex quibus Clementis verbis in auram abit commentum Iunij: & pariter dispelluntur hæc eiusdem somnia. *Discrimen hoc fuit, quod priuati operis fuerunt translationes illæ duæ, tum quæ ante Alexandrum fuit, tum quæ Ptolemæi Lagi tempore facta est: quæ verò Ptolemæi Philadelphi ætate facta est, opus fuit publici consilij; ac propterea in Synagogis obtinuit passim.*

Nugæ Caluinisticæ. Nam præter illam, quæ Alexandrum antegressa est; nullius meminit eo loco Clemens, nisi eius, quæ à 70. Interpretibus processit; quam alij ad Ptolemæum Lagiden, seu Lagi filium; alij ad Philadelphum referunt.

Aliam versionem librorum veteris testamenti ex Hebræo in Græcum producit Iunius his verbis ex Iustino Apolog. 2. pro Christian. fol. 56. Edit. Commel. *Secunda item publici Iuris fuit, quam ad postulatum Ptolemæi vltimi Herodes curauit fieri, atque confirmauit.* Meminit *Iustinus Martyr Apolog. 2. his verbis: Quum Ptolemæus Ægyptiorum rex bibliothecam institueret, (bellis nimirum corruptam,) & hominum omnium scripta comportare conaretur, de Prophetiis hisce certior factus, ad Herodem Iudæorum tum Regem misit, copiam sibi fieri Propheticorum librorum petens. Ac Rex quidem Herodes, illos, quos diximus, Hebraica lingua conscriptos ad eum misit. Verùm, cum Ægyptiis incogniti essent, quæ scripta erant, denuo legatione missa illum rogauit, vt ad se, qui libros eos in Græcum transferrent sermonem, homines mitteret: atque hoc sic facto, libri apud Ægyptios permansêre ad hodiernum vsque diem. Non ignorabat Iustinus historiam longè antea seculo Philadelphi gestam, quam in παραινετικῷ ad Græcos affirmat diligentissimè: non fallebatur in Herodis nomine, à cuius ætate vix annis centum aberat, & tenebat historiam: sed alteram historiam sibi probè cognitam referebat; cuius haud*

A *scio an alius quisquam auctor idoneus adeò perspicuè meminerit.*

Non mirum, neminem huius translationis meminisse; Est enim fictitia; & ex illa sub Ptolemæo Philadelpho procusa: quod intellexisset Iunius si legisset in Iustinum annotationes Langi & Sylburgij, hominum in iisdem cum Iunio castris militantium. Audi Iuni, Sylburgium, tibi, vt opinor, Heidelbergæ familiariter olim notum. Pag. 56. v. 20. *memoria Iustinus fallitur. nam, pro* Βασιλεύοντι Ἡρώδῃ *scribere debuisset,* ἀρχιερατεύοντι Ἐλεαζάρῳ: *item & pro* Βασιλεὺς Ἡρώδης *v. 22.* ἀρχιερεὺς Ἐλεάζαρος: *vt rectè Langus interpres notauit ex Aristea, & Augustino de Ciuit. Dei* lib. 18. c. 34. *Meminit eiusdem historiæ idem Iustinus supra, &c.*

B

Hæc Sylburgius. Eadem prius Perionius in Notis ad secundam Iustini Apologiam; qui similes memoriæ lapsus in Iustino obseruauit; vt in eadem Apologia positum nomen *Sophoniæ* pro *Zachariæ*; & nomen *Demodoci* pro *Phemij* in libro de Monarchia; nisi hæc & similia librariorum incuriæ assignare velimus.

Iunius tamen hanc, quę nunquam in rerum natura exstitit, editionem, ait *esse illam ipsam; quæ dicta sit* κοινὴ, *communis, quamque Lucianus Martyr postea emendarit; dictam à plerisque de correctoris nomine* Λουκιανὸν, teste Hieronymo ad Suniam & Fretellam. Quæ nil aliud sunt, quàm commenta Iunij. Nam

C editio κοινὴ est illa, quæ breui tempore omnes oras & bibliothecas peruaserat, & quæ, vt loquitur S. Hieronymus præfat. in lib. 16. super Isaiam, toto orbe dispersa erat; (sic enim legendum apud S. Hieronymum, *non toto orbe diuersa*) quod etiam patet ex nomine; nam ideo dicebatur κοινὴ, *communis* seu *vulgata*; quia passim habebatur & legebatur; sed hęc non erat alia editio, quàm ea, quæ ab Origene ex 70. Interpretibus, & ex Theodotione confecta fuerat, teste D. Hieronymo in Epist. ad Suniam & Fretellam, non longè à principio. *Κοινὴ autem ista, hoc est, communis editio, ipsa est, quæ & septuaginta. Sed hoc interest inter vtramque, quod κοινὴ pro locis & temporibus, & pro voluntate scriptorum veterum corrupta editio est*: quia

D cum alij, tum potissimum & præ cæteris multa immiscuerat ex Theodotione Origenes; quippe primus auctor huius κοινῆς & vulgatæ editionis; de qua communi editione, eiusque auctore Origene, hęc etiam scribit S. Hieronymus Epist. 89. ad S. Augustinum: *Quod autem in aliis quæris Epistolis, cur prior mea in libris Canonicis interpretatio asteriscos habeat, & virgulas prænotatas; & postea aliam translationem absque iis signis ediderim: pace tua dixerim, videris mihi non intelligere, quod quæsisti. Illa enim interpretatio septuaginta interpretum est, &c. Et miror, quomodo septuaginta interpretũ libros legas nõ puros, vt ab eis editi sunt, sed ab Origene emẽdatos, siue correctos per obelos, & asteriscos; & Christiani hominis interpret atiunculã nõ sequaris; præsertim cum ea, quæ addita*

sunt.

sunt, ex hominis Iudæi, atque blasphemi, post passionem Christi, editione transtulerit. Vis amator esse verus septuaginta interpretum? Non legas ea, quæ sub asteriscis sunt, imò rade de voluminibus: vt veterum te fautorem probes. quod, si feceris, omnes ecclesiarum bibliothecas damnare cogeris. Vix enim vnus, aut alter inuenitur liber, qui ista non habeat. En quãtus fuerit huius editionis κοινῆς vtique vsus: quanta exemplarium frequentia.

Cum ergo editio κοινὴ, nil aliud fuerit, quàm editio 70. Interpretum, teste S. Hieronymo, locis citatis; sed aucta ex Theodotione ab Origene; palam apparet, quàm non modò imperitus, sed & temerarius in affirmando sit Iunius; qui scribere non veretur, communem editionem, non esse illam septuaginta Interpretũ; sed illam, quæ sub postremo Rege AEgypti Ptolemæo, & sub Herode Iudæorum Rege facta sit; cum nulla huiusmodi vnquam exstiterit: vt antea vidimus. Quod autem ait S. Hieronymus hanc communem editionem etiam vocatam Λουκιανὸν, id non ideo accidit, quasi S. Martyr Lucianus fuerit auctor editionis κοινῆς; longe enim vetustior erat hoc Martyre Origenes, auctor communis editionis, sed quia in communem quoque emendationes quædam ex Luciani editione translatæ fuerant: nam Luciani editionem & communem siue vulgatam distinctas fuisse, euidenter colligitur ex S. Hieronymo, qui epist. 107. ad Chromatium hæc scribit: *Alexandria, & Ægyptus in 70. suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis vsq; Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Media inter has prouinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgauerunt: Totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.*

Et hæc Origenis editio erat illa κοινὴ, communis ac vulgata; quam hoc loco disertè S. Hieronymus ab editione Martyris Luciani distinguit. Ex his omnibus non coniecturam, sed certum iudicium fiat, qua fide Caluinianus Iunius in iis, quæ ad historiam sanctorumque Patrum sensa ac sententias pertinent, versetur.

CAPVT VI.

De interpretatione LXX. seniorum.

QVAE de hac celeberrima editione Bellarminus disserit, diligẽter quoque VVitackerus in suum librum comportauit: vt patebit conferenti VVitackeri controuersias cum disputationibus Bellarmini: in hoc tamen bonam operam nauauit VVitackerus, quod refellit impudentiam Iunij, qui sola asseuerandi libidine & temeritate inductus ait; Interpretationem septuaginta seniorum *forsan sub Ptolemæo Lago cœptam, subq; Philadelpho consummatam.* II. A septuaginta senioribus missis ab Eleazaro Pôtifice, solam Moysis legem translatam fuisse; idque testari *Aristeam, Iosephum, Philonem, Hieronymum, alios: postmodum verò libros cæteros itidem à septuaginta (etsi non ab iisdem illis) tempore succedente, Græcos fuisse factos propter Iudæos ἑλληνιστὰς, qui Hebrææ linguæ peritia planè caruerunt in sua illa diuturna peregrinatione. Atq; huc illa Ptolemæi vltimi, & Herodis historia, quam ex Iustino Martyre cap. 5. nota 2. adduximus, videtur facere. Est enim vtraq; à LXX. licet diuersis, translatio.*

Iuuat incredibilem Iunij Caluinistæ vanitatem ac inscitiam redarguere alterius Caluinistæ testimonio; vt qui à Catholicis & orthodoxis scriptoribus sapere nõ didicit; saltem à symmysta suo edoctus nonnihil sapere discat: & tantam in historia ruditatẽ vel paululum expoliat. Est is VVitackerus; qui & de tempore huius conuersionis & de libris conuersis hæc scribit; quibus Iunium adprobè profectò refellit. *Græcè multæ fuerunt versiones scripturarum, à variis auctoribus editæ. Illa autem est omnium sine controuersia longè nobilissima, ac celeberrima cuius septuaginta duo interpretes in Ægypto, Ptolemæi Philadelphi piæ voluntati morem gerentes, auctores exstiterunt. De hac editione Græca leguntur multa apud Epiphanium in lib. de mensur. & ponderibus; & Eusebium de Euangelica præparat. lib. 8. & Iustinum Martyrem in dial. cum Tryphone, multosque alios: & extat hodie de hac omni historia liber Aristæi, qui se Ptolemæi satellitem fuisse ait; quem tamen librum Ludouicus Viues in lib. 18. cap. 42. de ciuit. Dei, confictum ab aliquo recentiore esse putat. Versas quidem ab illis esse scripturas Græcè, dubium non est. cùm id tota antiquitas testetur. De reliquis verò, quæ narrantur, non perinde constat. Hanc autem puto Græcarum omnium esse antiquissimam, atque primam; quanquam Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. affirmat, vt videtur, longè ante hæc tempora Græcè conuersam, atq; à Platone lectam fuisse scripturam: atq; illud Numenij cuiusdam Pythagorici profertur à Clemente:* τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωυσῆς ἀττικίζων; Quid Plato aliud, quã Atticus Moses?

Sed si versi antè, sacri scripturarum codices in linguã Græcam fuissent, tum, illam versionem Demetrius, qui Philadelpho operam in construenda bibliotheca nauauit, non ignorasset, nec nouam desiderasset. Plato quidem, & Pythagorici scire quædam ex sermone hominum, & familiaritate potuerunt: libros verò sacros, Græcè (opinor) nunquam viderunt. Nam hæc prima fuit Græca versio, edita post Platonem, trecentis circiter annis ante Christum.

Sunt verò, qui 70. interpretes, non totam veteris testamenti scripturam, sed legem solummodo in Græcum sermonem transtulisse arbitrentur; & legis nomine non omnem veterem scripturam, sed Pentateuchum duntaxat intelligant. In hac opinione Iosephus fuit, in proœmio Antiquit. vbi hæc verba habet: Neque totam scripturam occupauit, sed legem solam tradiderunt ei interpretes: οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν. *Quare inductum se fuisse scribit, vt totas scripturas in Græciam transmitteret. Atq; hoc etiam de illo Hieronymus testatur: sed alij omnia esse versa scribunt, eorumque multò probabilior opinio videtur. Nam illa caussa, qua inducti sunt, vt quædam verterent, versa esse ab illis omnia*

persuadet. Nec Rex parte aliqua contentus fuisset. Et, quod aliqui de incredibili versionis celeritate commemorant, nullum omninò locum haberet, si tam pauca vertissent.

A

Chrysostomus contra Iudæos ait scripturas ab illis translatas in templum Serapidis repositas fuisse; atque ibi adhuc Prophetarum libros versos inueniri; μέχρι νῦν ἐκεῖ τῶν προφητῶν αἱ ἑρμηνευθεῖσαι βίβλοι μένουσι. *Et Theodoretus ait Iudæos ad Ptolemæum misisse non partem scripturarum, sed vniuersam scripturam aureis litteris descriptam,* χρυσοῖς γράμμασι τὴν πᾶσαν γραφὴν συγγραψάμενοι. *Si verò libri Prophetarum Græcè ab illis versi in Bibliotheca regia ad Chrysostomi ætatem remanserunt; siq́; Iudæi totam ad Regem cum interpretibus scripturam miserunt, nulli dubium est, quin scriptura tota ab illis in linguam Græcorum conuersa fuerit.* Hæc VVitackerus.

B

Vbi vides tantum abesse; vt sub Ptolemæo Lago editionem 70. seniorum inchoatam concedat; vt ne illam quidem, quam Clemens lib. 1. Stromat. exstitisse scribit, antequam Alexander Magnus rerum potiretur; agnoscat; etsi immeritò: Quis enim non potius fidem adhibeat Clementi Alexandrino Auctori vetustissimo, quàm VVitackero Nouatori recentissimo? Quis vnquam vel somniando, præter Iunium, dixit, 70. Interpretes bis in AEgyptum missos; & primos quidem solam legem; posteriores reliquas sacræ scripturæ partes conuertisse; nam quod ex Iustino adfert de Interpretatione sub Herode, id mera Iunij hallucinatio est; vt supra ostensum.

C

Quod verò Iosephus & alij dicunt, legem à septuaginta senioribus fuisse translatam, respõdent Catholici. & cum his Hæreticus VVitackerus, legis nomine totam scripturam veterem accipi; quæ legis acceptio confirmari potest. I. Ex scriptura noui testamenti: vt Ioan. 10. *Nonne scriptum est in lege vestra? Ego dixi, dij estis;* Et illud: *Vt adimpleretur sermo, qui in lege eorum scriptus est; quia odio habuerunt me gratis;* quæ non in Pentateucho, sed Psalmo 81. & 119. exstant. Sic 1. Corinth. 14. *In lege scriptum est; quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic:* quæ ex cap. 18. Isaiæ desumpta sunt, non ex libris Mosaicis.

D

Sed vt Philoni, Aristeæ, & ipsi Iosepho lib. 12. Antiquit. cap. 2. & lib. 2. contra Apionem, quibus locis de septuaginta Interpretibus agit, hæc responsio accommodari queat; non video tamen; quomodo per eam satisfiat illi, quod Iosephus scribit in procemio seu capite primo libri primi Antiquitatum: vbi expresè dicit, nõ totam scripturam, sed solam legem fuisse à 70. Interpretibus translatam: Ait enim se *imitari velle scribendis Antiquitatum libris, & quidem ex Hebræorum monumẽtis, Græcè ab se conuersis; liberalitatem & munificentiam summi pontificis Eleazari; qui Ptolemæo Philadelpho Græcisq́; aliis non inuiderit, quo minus fruerentur vtilitate, quæ ex Hebræorum libris percipitur;* additque: κἀμαυτῷ δὲ πρέπειν ἐνόμισα, τοῦ μὲν ἀρχιερέως μιμήσασθαι τὸ μεγαλόψυχον, τῷ δὲ βασιλεῖ πολλοὺς ὁμοίως ὑπολαβεῖν καὶ νῦν εἶναι φιλομαθεῖς. οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ᾽ αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν.

Mihi quoq; conuenire duxi, vt & pontificis imitarer magnanimitatem, & multos etiamnum Regi illi discendi cupiditate similes inueniri existimarem: Quanquam ille non totam scripturam adeptus est; sed sola illa, quæ ad legem pertinent tradiderunt ij, qui missi fuerant Alexandriam, interpretationis faciendæ gratia. Quibus verbis apertè satis testatur Iosephus non totam scripturam; sed solam Mosaicam legem à 70. Interpret. fuisse versam. Et ita intellexit Iosephum S. Hieronymus in Quæst. Hebraicis, his verbis: *Accedit ad hæc quoq; quod Iosephus, qui septuaginta Interpretum ponit historiam, quinq; tantum ab eis libros Moysi translatos refert.* Nec dubito, quin S. Hieronymus hæc scribens ad prædictũ Iosephi locum respexerit: qui in caput quintum Ezech. eandem sentẽtiam non modò Iosepho; sed & Aristeæ, & vniuersæ Iudæorum scholæ tribuit. quod etiam facit in cap. 2. Micheæ; Quibus omnibus locis in eandem sententiam dubitanter propendet; qui tamen septuaginta Interpretũ editionem suis in Commentariis super Prophetas passim explicat; & epist. 108. ipsos 70. Interpretes, tanquam Spiritu sancto plenos verè omnia ex Hebræo transtulisse affirmat; & si quæ vitia, vel Hebræis dissona irrepserint; id incuria librariorum: vel culpa correctorum accidisse.

Quidquid sit de Iosephi & Iudæorum quorũdam opinione; certa esse debet aliorum, quos Bellarminus citat, sententia; nempe 70. Interpr. totam scripturam veterem transtulisse; Absurdissimum enim est, quod Iunius fabulatur; istos interpretes, *bis in Ægyptum interpretandi gratia venisse.* Falsum item; si quis dicere vellet, nullam Græcam Prophetarum & aliorum voluminum Biblicorum nisi solius Pentateuchi fuisse ante Christum; cum Christus & Apostoli Græcam editionem citent: Falsum item; si quis cum Iunio delirare; sub vltimo Ptolemæo, aliam aliorum 70. Interpretum versionem fuisse institutam: hæc enim versio tota est commentitia; & ex malo Iustini textu contra omnem historiæ fidem à Iunio fabricata; qui non erubescit decantatissimũ illum Iudæum Philonem vocare, *Hebrææ & Chaldææ linguæ imperitissimũ, & eadem inscientia in Hebræo sermone laborasse Aristeum siue Aristeam:* ac proinde neutri credendum esse; quando dicunt, initio inter textum Hebræum & versionem 70. Interpretum miram fuisse consonantiam ac conuenientiam: sed cum Aristeas consensum hunc non ab vno solo, sed à quamplurimis publicè affirmatum ferat suo in commentario de 70. Interpretibus, non est, quòd calumnias Iunij multum moremur. Quis enim inficias ierit, nisi omnem frõtem detriuerit, illo in numero non vnum, sed plurimos fuisse, quibus & Græca & Hebræa lingua esset notissima; etiamsi daremus; ipsum Aristeam, Hebraicæ linguæ nullam penitus cognitionem habuisse.

Digitized by Google

Sed minus mirum est huc impudentiæ progressum Iunium, quando Lutherus in symposiacis colloquiis *titulo de linguis*, asserere audet, ipsos 70. Interpretes non fuisse linguæ Hebraicæ gnaros. Audi verba Hæresiarchæ. *Septuaginta Interpretes, qui Hebraica Biblia in Græcam linguã transtulerunt, Hebraicæ linguæ imperiti expertesq́; fuére. Versio illorum valdè est fatua, & absona. quia contempserunt litteram, modũque, ac morem loquendi. ita vt & sancti Hieronymi versio, illorũ translationi præferẽda sit: quãuis Hieronymo summã iniuriam irroget, quicũq; illum pro Hebræo habet.*

Os, & supercilium fastuosissimi Sectarij, qui 70. interpretes, Hebræos natos, imperitiæ Hebraicæ insimulare religioni non ducit, quasi ipse in angulo nescio quo Germaniæ satus, & educatus, melius tenuerit linguam illam, quæ 70. interpretibus natiua, ac vernacula erat; vt nihil dicam, de incredibili S. Hieronymi in hac lingua perdiscenda studio; deque laude, quam hac in cognitione omnium ætatum eruditi S. Hieronymo tribuerũt; vt proinde fungum esse oporteat, qui Lutherum maiores in Hebraica lingua processus effecisse arbitretur; quàm 70. Interpretes, aut S. Hieronymum; præsertim cùm à Luthero ipsa veritas hoc testimonium expresserit; quantumuis fortè à semipoto; quia, *in vino Veritas*, vt vulgo dici solet. *Non sum Hebræus secũdum Grammaticam, & regulas: quia non patior, me vspiam alligari; sed libere quoquò versum incedo.* Quantam Hebraicæ linguæ peritiam in Luthero fuisse oportuit, si, ne regulas quidem Grammaticæ nouit? Et tamen agrammatus iste apostata, non modò nouam Bibliorum in Germanicam linguam trãslationem aggressus est: sed & eam quasi purissimam, & Hebraicæ veritati prorsus consonam iactitare ausus fuit; ægerrimè, & impatientissimè aliorum versiones siue in Latinum, siue in Germanicum sermonem ferens. Quare, cùm Tigurini Leonis Iudæ, aliorumque translationem publicassent, & Zvvinglianus Typographus exemplar eleganter compactum Luthero VVitebergam misisset; has illigrates persoluit, teste Caluiniano Hospiniano in historia Sacramentaria, anno M. D. XLIV. *Ne post hac sibi aliquid mittat, quod à Ministris Tigurinæ Ecclesiæ profectum sit: se enim nullum cum eis commercium posthac habere, & libros eorum nec recipere, nec legere velle. Nam Ecclesias Dei cum eis communicare non posse. multos quidem labores eos sustinere, sed irritos, & frustraneos: quando quidem ipsi iam damnati sint; & alios quoq; miseros homines secum ad inferos abducant. se itaq; damnationis, & blasphemæ doctrinæ illorũ nolle consortem esse, sed quoad vixerit, & precibus & libris oppugnare constituisse.* Has gratias egit Lutherus Tigurino Typographo, ob Leonis Iudæ Zvvingliana Biblia ad se transmissa, &c.

Hunnius in examine huius capitis, nil nisi mendacia crepat: eadéq; postea oppugnat. Mentitur, Bellarminũ affirmare, *editionẽ 70. Interpretum esse sacrosanctã, incorruptam & inuiolatam*: hoc refutat Hunnius tanq̃ falsũ; ꝓductis aliquot exemplis à vulgata editione Latina, nobis sacrosancta & authẽtica, nõ parũ discrepãtibus. At quorsum ista Hunni? Nũ mendacia cudere iuuat, vt habeas in quæ hastis tuis, maximã partẽ plũbeis, incurras? An nõ disertè dicit Bellarminus olim quidẽ editionem 70. Interpretũ fuisse puram, sincerã, & ab omni mendo remotã, magisq; prophetarũ, q̃ Interpretũ spiritu & ductu elaboratam; hodie verò adeo esse corruptã & vitiatã, vt omnino alia esse videatur. Vbi erãt oculi tui Hũni, quãdo hoc caput examinabas, vel potius exagitabas? An deciderant in *calcaneum* aut *calceos*? Et decidisse existimo; alioqui verba tã clara vidisses: nisi forte mẽtiri libuit cõtra apertè visa verba: q̧ creditu pronius. Cum laruis ergo capitis tui pugnas, Hunni, non cum Bellarmino; nam si quid efficere cogitabas, probandum tibi erat, editionem 70. Interpretum nunq̃ cum Hebræa veritate ad vnguem concordasse; & in primo statim ortu suo vitiosam fuisse: non postea demum vitia irrepsisse.

Quanq̃ pleraq; ex illis, quæ Prædicans ꝓfert, nõ sunt dissensiones in sensu, sed in vocabulis tãtũ: Vt q̧ Gen. 3. latina editio habet: *Ipsa conteret caput tuũ.* At verò 70. *Ipse*; id nihil refert; quia sensus eodẽ redit; hinc & multi ex latinis legerunt; *ipse*, non, *ipsa*; quæ lectio omnibus hæreticis, Deiparæ Virginis osoribus, admodũ est inuisa; vt Hũnius à se impetrare non potuerit; quo minus eam hoc loco appellaret *detestabilem corruptelam, ex qua Papicolæ Idololatricam beatæ Virginis inuocationẽ adstruere sint conati.* Verum de hac lectione suo loco.

Sic q̧ Gen. 49. Græcè est; *nõ auferetur princeps ex Iuda.* Latinè autẽ ex Hebraico: *sceptrum*; id nihil est notatu dignæ dissensionis; cũ per *sceptrũ* Metonymicè nil aliud intelligatur, q̃ auctoritas & potestas regalis seu principalis. Sic q̧ ibidem Græcus textus habet: *Donec veniant, quæ sunt ei recondita*: Latinus aũt; *Donec veniat, qui mittendus*: id nullã prorsus diuersitatẽ arguit, si rem significatam spectes: Nã *τὰ ἀποκείμενα reposita & recondita*, alia nõ erant, q̃ Christus Redemptor noster cũ salutifera doctrina sua. Vaticinatur igitur Patriarcha; *sceptrum* seu poteastatem principalem non ablatum iri de Iuda; donec veniant hæc tam rara & pretiosa *ἀποκείμενα & κειμήλια*, hoc est, donec veniat cum sua doctrina, qui mittendus est; Christus Dominus.

Neque vlla est discrepantia Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga* (seu sceptrum) *de Israël.* Vbi septuaginta: *consurget homo ex Israël*: nam per virgam vel sceptrum metonymicè significatur principalis seu regalis potestas; quæ cum nõ sit nisi in homine; non abs re id, quod Hebræus & latinus textus tribuunt virgæ seu sceptro; tribuerunt 70. Interpretes duci seu Regi seu homini potestate illa sceptri seu virgæ vtenti; *Exurget homo ex Israël; & percutiet duces Moab, vastabitque filios Seth.* Quod ergo Græcus tribuit ipsi duci seu homini; hoc Hebræus & Latinus textus adscribunt sceptro seu virgæ; quę non percutit, nisi hominis interuentu.

Digitized by Google

Nec Psalm. 2. discrepantia est inter Græcum, Latinum & Hebræum textum, nisi in Prædicantis cerebro: *Nam osculamini filium;& apprehendite disciplinam;* cuius? filij Dei;sensu conueniunt. Quid enim aliud est osculari filium Dei, quàm eum amplecti; venerari, reuereri? Quis hoc præstat, nisi qui disciplinam eius apprehendit & recipit?

In loco Isaiæ cap. 9. non demonstrat Prædicans Græci textus disconuenientiam ab Hebræo & Latino,sed suam ruditatem & inscitiam. Arbitratur enim vocabulum illud Græcum, ἐξουσιαστὴς, respondere illi ex Hebræo reddito Latino: *Pater futuri sæculi,* hoc est, æternitatis: quod planè falsum est; ac inscitum Prædicantis commentum: nam Editio Roman. Græca 70. Interpr. plus non habet, quàm ista verba: καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. ἄξω γὰρ εἰρήνην, &c. In plerisque verò libris, vt notatur in Annotat. ad illud caput Isaiæ in edit. Sixtina; pòst, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, hæc sequuntur, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. S. Ignatius in epist. ad Antiochenses: καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστής. Et S. Irenæus aduersus hæreses lib. 4. cap. 66. Et vocatur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis. Euseb. Euangelica demonstr. lib. 7. καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. ἄξω γὰρ εἰρήνην. Et lib. 9. καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, ἄρχων εἰρήνης, ἐξουσιαστὴς, θεὸς ἰσχυρὸς, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος.

An non ex his liquido apparet Græcos; Illud Hebræum: *Pater æternitatis, seu futuri sæculi;* non vertisse per vocem ἐξουσιαστὴς, sed per has: πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, cum hoc, tanquam distinctum epithetum seu elogium ab eo, quod est esse ἐξουσιαστὴς, commemorent? Idem Eusebius; ὁ Σύμμαχος τοῦτον ἡρμήνευσε τὸν τρόπον, καὶ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, παράδοξασμὸς, βουλευτικὸς, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης. ὁ δ' Ἀκύλας, καὶ καλέσει τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς, σύμβουλος, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ. ἔτι ἄρχων εἰρήνης.

Iterū vides apud hos tres Interpretes, Symmachum, Aquilam, Theodotionem, ἐξουσιαστὴς seu δυνάστην, distingui ab illo elogio, πατὴρ αἰῶνος.

Vt verò ad Danæum nos conferamus; is ad hoc caput sextum tot ferè effudit mēdacia, quot verba: quæ non meis, sed Cydonij nostri verbis lib. 1. castigat aduersus Danæum refellam. Mendacium est, quod ait, à Bellarmino, ea, quæ tradit in cap. 6. vsque ad quartam quæstionem, deinde assumi, vt fundamenta fidei, ac pietatis suæ. Tres enim eæ quæstiones, nihil habent cum dogmatis fidei commune. Nam in prima quærit, quo tempore facta sit translatio septuaginta interpretum: in secunda, quos libros veteris testamenti transtulerint: in tertia, quomodo facta sit; mutuáne interpretum collatione, an verò vnus ab alio separatim scripserit. Quæ quæstiones,

A quomodo faciant ad dogmata fidei demonstrāda, aut confirmanda, vix fingi potest. Certè, ostendere Danæus debuit, quo loco, quáue ratione, vt fundamentis suæ fidei, vsus sit Bellarminus, iis rebus, quas in iis quæstionibus docuit. Mentitur secundò, cum scribit, ipso teste Bellarmino, septuaginta interpretes à B. Hieronymo reprehendi. Ait enim Bellarminus, Hieronymum, non eorum versionem, sed menda, quæ postea irrepserant, reprehendere, idque ex ipsomet Hieronymo probat. Mentitur tertiò, cùm ait ab ipsomet Bellarmino, eam versionem falsi, vitiiq; damnari; cum à Bellarmino vitiatus tantùm textus, non eorum translatio vspiam vitij arguatur. Mentitur quartò, cùm ait, docere Bel-

B larminum, ipsam septuaginta seniorum interpretationem non extare amplius, sed interiisse. Probat enim Bellarminus, eam non planè interiisse, licet admodum vitiata ad nos deuenerit.

Addit denique impudentissimum, & dignū Danæo mendacium. Negat, vnquam sacra Biblia à septuaginta translata senioribus fuisse: aut ea, quæ citata ab Apostolis, in nouo testamento legimus, ab iis ex septuaginta interpretum versione citata. *Nam Apostoli,* inquit, *eos, quos ex veteri testamento proferebant locos, ipsi gracè Græcè scribentes conuerterunt; quos postea nonnulli homines astuti in eam versionem, quam septuaginta appellarunt, inseruerunt, innexerunt, & intruserunt, vt reliquas eiusdem versionis, & si falsæ partes confirmarent, ad sui erroris defensionem.*

C Id porrò totum, qua ratione, qua historia, quibus auctoribus Danæus probat, cùm res testatissima, ac celeberrima sit, & vetustissimorum scriptorum, non modò Christianorum, sed Hebræorum etiam testimonio comprobata? Qua ratione, comperit, ea testimonia veteris testamenti, quibus Apostoli vsi sunt, intrusa in eam versionem postea, non ex ea potius sumpta fuisse? supercilio nempe censorio, loco eam versionem mouere, atque ex eo gradu deiicere vult, quem semper in Ecclesia Dei obtinuit. Hæc aduersus Hæreticos circa hoc caput.

Finem facerem, nisi duæ quæstiones exactius discutiendæ me remorarentur. Prima est; vtrum verum sit, quod Bellarminus cum Clemente A-

D lexandrino lib. 1. Stromat. asserit; exstitisse editionem Græcam veteris testamenti ante Alexandrum Magnum; Secunda, vtrum verum sit; quod docet Bellarminus, initiò inter Hebræum textum & versionem 70. Interpretum fuisse summū consensum.

Quod ad primam quæstionem attinet, negat non modò VVitackerus Hæreticus, vt antea dictum; sed & aliqui ex orthodoxis scriptoribus volunt versionem 70. Interpretum fuisse simpliciter omnium primam. Probant I. ex his Philonis verbis. Lib. 2. de vita Moysis. *Lex antiquitus scripta fuit linguâ Chaldaica* (hoc est, Hebræa) *mansitq́; longo tempore in ea, quamdiu legis ipsius pulchritudo non est intellecta ab externis hominibus. Postquam autem ex*

quo-

quotidiano eius vsu etiam ad alienos sensus quidam permanauit, simul gloriosa quoq; fama vbiq; terrarum increbuit (nam honestis rebus ad tempus obesse potest inuidia; illæ autem se proferunt tandem suâpte felicitate ingenij) extiterunt qui indignè ferrent, has leges parti tantùm humani generis innotuisse, Græcas gentes nullum earum gustum cepisse: dederuntq; operam, vt verterentur per idoneos interpretes. Id opus, quia magnum erat, & reipub. vtilissimum, non id priuatis hominibus obuenit, non mediocribus istis principibus, & regulis, sed Regi omnium celebratissimo. Ptolemæus is fuit, Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Ægypti Rex.

Hæc Philo; *quibus planè significat*, inquit Auctores contrariæ sententiæ, *ante perfectam à septuaginta translationem, ipsam diuinam scripturam absq; interpretatione aliqua delituisse in penetralibus Hebræorũ, eodem charactere, & quo olim scripta fuerat, idiomate.*

Respondeo; Philonem loqui de communi aliqua, celebri, & apud plures peruulgata, & publica auctoritate, instituta interpretatione; qualis nulla fuit ante 70. Interpretes, nam illa Alexandrum Magnum antegressa, cuius meminit ex Aristobulo ad Ptolemæum Philometorem Clemens; non videtur publica auctoritate facta; nec adeo passim nota & obuia; sed, raris exemplaribus, paucis duntaxat cognita. Quam quid mirum non venisse in manus Demetrij, diligentissimi alioquin & curiosissimi librorum indagatoris; cum hodie etiam, vbi exemplaria, vt apum examina, beneficio artis typographicæ, multiplicari solent; optimi quique libri diligentiam studiosissimorum & solertissimorum hominum fugere soleant; neque vllo pretio acquiri queant. Forsan etiam iam interierat illa versio Ptolemæi Philadelphi tempore. Forsan Rex Philadelphus, & ipse Demetrius, non qualemcunque versionem desiderabant; sed authenticam; cui tãquam cum primigenio textu verè consentienti, tutò fidem habere posset, id patet ex tota historia de 70. Interpretibus. Quid enim opus erat litteras dare ad Pontificem Eleazarum, tamque libros, quàm Interpretes Hierosolymis accersere; si non petebat Interpretationẽ publica auctoritate firmatam? Quid opus erat mittere viros septuaginta ex Concilio Sanedrim, florem Sapientiæ Hebreæ; si qualemcunque versionem, non autem publico synagogæ Hebraicæ suffragio comprobatam Philadelphus quærebat? An ex centum millibus, & quod excurrit, Iudæorum, qui in AEgypto sub Philadelpho degebãt, nullus erat, qui desiderio Regis & Demetrij satisfaceret vertendis in Græcum Hebræis voluminibus? An nullum in tota AEgypto exemplar legis fuisse credendum est? Quid, quod ipse Philo satis indicat, aliam versionem fuisse priorem hac septuaginta seniorum interpretatione. Quomodo enim ex quotidiano legis diuinæ vsu sensus quidam ad alios quoque manare potuit, si antea nõ exstiterunt græca quædam exemplaria, ex quibus hunc sensum caperent?

[A] Respondent, cœpisse ex familiaritate & consuetudine cum Hebræis. At cur non potius ex libris ipsis? Maior profecto & certior sensus percipitur ex ipsorum voluminum lectione; quàm ex alterius relatione. Nec refert, quod S. Augustinus lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 11. arbitratur, Platonem non ex lectione ipsorum diuinorum voluminum, sed ex aliorum narratione & instructione, ea, quæ operibus suis ex sacris litteris inspersit; didicisse; hoc enim asserit; quia nihil de hac versione, cuius ex Aristobulo Clemens meminit perspectum habebat, ratus, illam 70. Interpretum fuisse omnium primam. Et quia perspicuè videbat, rationem temporum non pati, vt dicamus, Platonem vidisse & legisse versionem 70. [B] Interpretum; cum diu ante istos viuere desiisset; ideo mutauit sententiam; quam, ipso teste, alibi fuerat secutus; nempe, Platonem vidisse & legisse in AEgypto libros sacros græcè conuersos; minimè sententiam mutaturus; si quid ei de hac priore Græca editione innotuisset. Nec mirum; paucis innotuisse; quia priuata & obscura erat; & forsan nõ nisi in vsum priuatorum quorundam concinnata.

Secundo obiiciunt verba illa Iosephi lib. 12. Antiq. cap. 2. sumpta ex Colloquio Philadelphi Regis cum Demetrio, Bibliothecæ regiæ Præfecto *Cœpit de ea re conferre cum Demetrio, rogans, qui factum sit, vt tam admirandarum legum nec historicus vllus, nec poëta mentionem fecerit. Tunc Demetrius respondit,* [C] *neminem ausum eam attingere quam constaret diuinam esse, & omni veneratione dignissimã: &, punitos esse quosdam à cælesti numine, qui illam temerè attrectare nõ sint veriti. Theopompũ enim volentem inde quædam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus triginta, & per interualla insaniæ Deum placasse, facilè coniicientem, quæ morbi causa fuerit: atq; etiam in somniis admonitum; hæc ideo pati, quòd fuisset circa res diuinas curiosior, eaque voluisset proferre profanis hominibus: quare, cùm à cœpto destitisset, sanam mẽtem ei fuisse redditam. Theodecti etiam poetæ, cum in quadam tragœdia vellet aliquid è sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse: &, cùm erratũ agnouisset, exorato Deo redditam sibi aciem.*

Quibus addunt Auctores contrariæ sententiæ ista. *Si aliqua antehac editio facta esset, haud ille De-* [D] *metrius caruisset, qui tam ingentem librorum molem collegerat, vt nullus penè eorum, quorum notitia haberetur, reliquus factus esset: cum alioqui Hebræorum scriptis, se penitus caruisse, profiteatur expressè. Quod si alicubi diuinæ scripturæ editio facta reperiretur, in Ægypto in primis illam extitisse oportuit: siquidem in Ægyptum peregrinatos philosophos; ibi res Hebræorum cognouisse, omnes affirmãt: ingentemq; planè Iudæorum multitudinem in Ægypto agere consueuisse, ex Philonis testificatione liquet.*

Respondeo, etiam exteros scriptores tam Græcos, quàm Phœnices Iudæorum & legis Iudaicæ suis in lucubrationibus meminisse; vt ex instituto ostendit Iosephus lib. 1. aduersus Apionem. Quod autem Rex admirabundus quæsiuit, quî factum esset, *vt nemo huius legis meminerit;* id acci-

accidit, quia Regi ignotum erat, quot quantique rerum Iudaicarũ meminissent. Quod Theopompus & Theodectes pœnas dederunt, nobis non officit: quia illotis manibus & absque debita reuerentia, in sacra illa volumina irruerunt. Quare non mirum si castigati sunt; in quam castigationem non incurrerunt plurimi alij; licet nonnulla ex sacris litteris suos in libros transcripsissent; vel etiam argumenta diuinæ scripturæ versibus illigassent, quod nominatim patet de Ezechielo Iudaicarum Tragœdiarum poëta; de quo Clemens lib. 1. Stromat. Credibile igitur est primum illum Interpretem, qui Alexandri imperium antecessit, piè, reuerenter ac religiosè munus transferendi scripturas ex Hebræo sermone in Græcum suscepisse & obiisse; ac proinde pœnas illas Theopompo & Theodectæ inflictas, vel similes euasisse. præsertim cum ne Ethnicos quidem sacra Hebræorum volumina & mysteria tractare vel enarrare ausos, semper huiusmodi pœnas luisse legamus. Cur verò hæc editio non peruenerit in manus Demetrij; caussas antea reddidimus: quam, etsi in AEgypto factam fuisse concedamus; nil tamen inde contra nos rectè concludetur; cum, licet in AEgypto facta; ex AEgypto efferri potuerit; & in AEgypto etiam retenta, Demetrij diligentiam effugere; quandoquidem, vt supra dicebamus; editio hæc non fuerat publico nomine facta; nec, vt videtur, in vsum publicum; neque multis exemplaribus variè dispersa; & fortè pauca illa exemplaria ætate Demetrij, variis casibus iam funditus interierãt.

Tertio obiiciunt verba illa Aristeæ: *Demetrius Phalereus cum regiæ bibliothecæ præpositus esset, diligenti cura elaborabat, vt ex vniuerso Orbe, quoad fieri posset, volumina compararet, distributis per opportuna loca hominibus, qui libros & emerent, & transcriberent: quo studio demum perfecit, vt quantum in se erat impleret Regis propositum. Nam præsentibus nobis, cùm ab eo peteretur, quot librorum millia congregasset*; *inquit*; *Rex, supra ducenta millia iam in bibliothecam redacta sunt, breuique numerum adimplebo, vt ad quingentorum millium summam ascendant. Nunciatur quoque mihi Iudæorum leges transscriptione dignas esse, & quæ in bibliotheca tua habeantur. Quid igitur obstat, ait, quod te hoc facere prohibeat? Nónne omnia tibi in hunc vsum prompta, subiectaq; sunt? Cum respondisset Demetrius; Interpretatione opus: intercipiens Rex; scripturum se, inquit, ad Iudæorum Pontificem, vt omnia perficiantur.* Hæc Aristeas. *Quibus demonstrat*, inquiunt auctores contrariæ sententiæ, *nullam ante ea tempora vulgatam fuisse Iudaicæ legis interpretationem. quippe, quam ipse Demetrius apud Regem curarat, vt fieret. nam, si aliqua exstitisset, eius vel saltem meminisse, necessariâ oblatâ occasione, debuisset.*

Sed non sequitur hoc, vt antea vidimus: quia fieri potuit, vt Demetrius hanc editionem ignoraret; cum diligentissimi quique librorum indagatores, etiam hoc tempore, multos ignorent; & interdum quoque cognitos nulla industria nancisci queant.

A Quarto asserunt Auctores contrariæ opinionis. *Philosophos si quid ex sacris litteris transtulerunt in suos commentarios; id non transtulisse ex libris Græcè conuersis; sed ex vsu & consuetudine cum Iudæis; nam & Clearchum, Aristotelis discipulum, teste Iosepho lib. 1. contra Apionem, vsum esse Hebræo homine ad interpretationem scripturæ: quæ si Græco sermone antea tradita fuisset, quorsum illi opus interprete?* Addũt; *Philosophos ea, quæ ex Hebræorum monumentis sumpsisse videntur, mutuari potuisse ex aliis scriptoribus, qui res Iudaicas litteris mandarunt; quorum non paucos enumerat Iosephus lib. 1. contra Apionem.*

Hæc non lædunt nos. Nam cur non & ex consuetudine, & ex libris, maximè ex libris Græcè versis, ea, quæ suis lucubrationibus insperserunt;
B hausisse censeri possent? præsertim cum nõ paucula, sed plurima transcripserint; vt passim docent cum alij, tum Clemens & Eusebius in Operibus de præparatione & demonstratione Euangelica: vt Numenius Pythagoreus Platonem nihil aliud esse dixerit; teste Clemente, quàm Moysen ἀττικίζοντα, *Atticizantẽ*: adeò, Numenij iudicio, Plato Moysen triuerat. Quomodo Moysen tam ad viuum exprimere potuisset si non ipsemet in eius lectione versatus fuisset; sed versatis fidem duntaxat habuisset?

Nec dicit Iosephus, vel Clearchus apud Iosephum, Aristotelem Hebræo homine ad interpretationem sacræ scripturæ vsum esse; sed ait; Aristotelem, & alios Græcos incidisse in quendam
C Iudæum, ex quo miráda intellexerint; quod fieri potuit, licet iam scriptura sacra fuisset in Græcã linguam conuersa, & non modò à Platone, sed & ab ipso Aristotele visa; quia Iudæus ille doctus erat non modo sacra, sed & Philosophiam; præsertim sacratiorem illam & reconditiorem, & explicandæ diuinæ scripturæ peritus: Quapropter facilè tam Aristotelem, quàm alios in admirationem rapere potuit non vertendis ex Hebræo scripturis, sed explicandis, earumq; sensis ac sensibus patefaciendis; cuiusmodi magistro *Ethnici* potissimum egebãt: neq; enim, quamuis Græcè loquentes scripturas, magis aut planius intelligebant, quam Eunuchus ille, qui legens Isaiam fatebatur, se, id quod legebat, intelligere non
D posse, absq; interprete. Hæc de prima quæstione.

Quod ad secundam attinet, non desunt, qui putent, septuaginta interpretes non transtulisse Hebræa, ita vt verba verbis quasi appenderent; sed iure suo; eoque prophetico addidisse & dempsisse quædam; Nonnulla etiam paraphrasticè reddidisse; nec in omnibus interpretum; sed & vatum, spiritu diuino instinctorũ, munere functos esse: & ea potissimùm aliter vertisse, quæ gentilibus offendiculo esse poterant; addita verò, quæ à Moyse constitutus ille senatus, *Sanedrim* dictus, ab eodem posteris prodenda acceperat, vel quæ peculiari Spiritus sancti reuelatione adiicienda cognouerant; cum non tantùm interpretes, sed & vates fuerint.

Pro-

Probari potest hæc sententia I. auctoritate diui Augustini; qui lib. 18. de ciuit. Dei cap. 43. docet neminem Interpretum anteponendum esse 70. Interpretibus: *Quia etsi non in eis vnus apparuisset spiritus sine dubitatione diuinus: sed inter se verba interpretationis suæ septuaginta docti, more hominum, contulissent, vt quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis vnus interpres debuit anteponi. Cùm verò tantum in eis signum diuinitatis apparuit, profectò quisquis alius illarũ scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax; aut congruit illis septuaginta interpretibus, aut, si congruere non videtur, altitudo ibi Prophetica esse credenda est. Spiritus enim, qui in Prophetis erat, quãdo illa dixerunt, idem ipse erat etiam in LXX. viris, quando illa interpretati sunt. Qui profectò auctoritate diuina, & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille vtrumq; dixisset: quia vtrumq; idem spiritus diceret, & hoc ipsum aliter, vt si non eadem verba, idem tamen sensus benè intelligentibus dilucesceret, & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam vt hinc ostenderetur non humanam fuisse in illo opere seruitutem, quam verbis debebat interpres, sed diuinam potius potestatem, quæ mentem replebat, & regebat interpretis.*

Nonnullis interiectis: *Si igitur, vt oportet, nihil aliud intueamur in scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei spiritus, quidquid est in Hebræis codicibus, & nõ est apud interpretes septuaginta, noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas Dei spiritus dicere. Quidquid verò est apud septuaginta, in Hebræis autem codicibus non est, per istos maluit, quàm per illos idem spiritus dicere, sic ostendens vtrosque fuisse prophetas. Isto enim modo alia per Esaiam, alia per Hieremiam, alia per alium, atq; alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc, ac per illum dixit, vt voluit. Quidquid porrò apud vtrosq; inuenitur, per vtrosq; dicere voluit vnus, atq; idem spiritus, sed ita, vt illi præcederent prophetando, isti sequerentur prophetice illos interpretando: quia, sicut in illis vera, & concordantia dicentibus vnus pacis spiritus fuit: sic & in istis non secum conferentibus, & tamen tanquam vno ore cuncta interpretantibus, idem spiritus vnus apparuit.* Similia S. Epiphanius libro de mensuris & ponderibus: Hieronymus præfat. in Pentateuchum; & in libro de optimo genere interpretandi.

Respondeo, horum patrum, præsertim S. Augustini grauissimam hac in re iure optimo censeri auctoritatem; sed tamen ea non obstante, nõ immeritò quęrit Bellarminus: quomodo si multa addita, multaque detracta, & multa aliter conuersa sunt; quam habeat Hebræus textus; Philo summam consensionem 70. Interpretum cum Hebraico fonte prædicet. Similiter & Aristeas: Accipe verba Philonis lib. 2. de vita Moysis: *In eo secessu, cum* (70. seniores) *consedissent solitarij, nemine interueniente arbitro, præter naturæ partes, terram, aquam, aërem & cœlum: de quibus primùm prodituri erant mysteria (nam mundi opificium, legis exordium est) tanquam numine correpti prophetabant: non alia alij, sed omnes ad verbum eadem, quasi copiam dictante singulis inuisibiliter. Et quis nesciat, cuiusq; linguæ, præsertim Græcæ, copiam, vt eadem sententia possit enuntiari variis mo-*
A *dis, nunc has, nunc illas voces accommodando? Id negant factum in prodendis his legibus; sed reddita propria propriis nominibus, Græcis ad Chaldaica* (sic Hebraicam linguam nominat Philo) *exactè respondentibus, quo melius perciperetur rerũ notitia. Quemadmodum enim geometria, dialecticaq; doctrina non admittit sermonis varietatem, sed semper iisdem vtitur vocibus; eódem modo & hi conuenientia rebus inuenerunt nomina, quæ sola declaratura erant sensum apertißimè. Id experimentis quotidianis creditur: siue Chaldæus Græcam linguam, siue Græcus Chaldæam didicerit; in vtraq; scriptura, tum Chaldaica, tum Græca eius interpretatione miratur germanitatem, imò rerum, verborumq; consonantiam adorat: non interpretes illos, sed initiatores, ac prophetas appellans, quibus datum est sincerißimas Moysis cogitationes assequi spiritu*
B *purißimo, &c.* Hæc Philo.

Similia Aristeas, & ex hoc Iosephus. Respondent aliqui: *Quod Philo ait, reddita esse propria propriis nominibus, non sic intelligi debere, quasi interpretatio illa facta sit ad verbum; & nil amplius habuerit, quàm textus Hebraicus. Nam id absque aliquo priuato instinctu diuini spiritus quibuscunq; bene peritis vtriusq; linguæ facere licuisset: sed potius, quod addit, illa Græca inuenta esse nomina, quæ sola declaratura erant sensum apertißimè; cùm alioqui reddere Græca singula verba Hebraicis singulis, nec si voluissent, facere potuissent: cum nonnulla sit in eis verba reperire, quæ vix vna periodo orationis, æquè rectè poßint Græcè interpretari.*

Vis spiritus prophetici, quo instructi fuêre isti interpretes, in hoc consistit; quòd septuagin-
C ta duo viri iisdẽ prorsus verbis & sententiis, tanquam aptis & propriis, Hebræam scripturam in Græcum sermonẽ conuerterũt; quod profectò sine peculiari Spiritus sancti instinctu ac ope fieri nõ potuit; cũ hodie ne duos quidem reperturus sis, qui, si negotium transferẽdi, non totam scripturã, sed vnũ vel alterũ scripturę caput eis committas; cõcordes in verbis & sensu futuri sint; Faciat periculũ, qui volet, meque verũ dixisse fatebitur. Quanq; quid opus facere periculum? Hoc nostro tempore non pauci scripturas ex Hebræo in Latinũ transtulerunt. Nũ conspirant? tantũ videlicet, quantũ lux & tenebrę; nox & dies: candidum & atrũ. At hic summa fuit inter tam multos consensio: summa in verbis & sententiis similitudo;
D quia fuit *identitas*, seu *ταυτότης*, qua nulla maior similitudo inuenitur; siue postea singuli in diuersis cellulis, vt quibusdam placet; siue in qualibet cellula bini simul sessitauerint, & versioni operã nauarint; vt placet S. Epiphanio, siue vna in Basilica, vel palatio simul collecti hãc operam susceperint & absoluerint, vt Bellarmino videtur; qui cum veterũ nonnullis, & in his cum S. Hieronymo, seiunctas distinctasq; cellulas non agnoscit.

In eo etiam vis & præsentia spiritus prophetici elucescit; quod totam scripturã septuaginta duobus diebus in Græcam linguam transtulerunt; quo apertè indicatur, eos more scriptorũ Canonicorum non tam egisse, quàm actos esse, fuisseq; instrumenta *scribæ* illius *velociter scribentis*, hoc est,

sancti Spiritus. Nam si humanis momentis rem ponderare velimus, vix tantillo temporis interuallo posset quis scripturam describere; nedum ex natiua lingua in peregrinam transponere. Maior ergo & præsentior virtus numinis hos Interpretes afflauit; vt tantum opus intra tam breue temporis spatium exigerent.

Quod aiunt, *Etiam absque peculiari Spiritus sancti instinctu Hebræa in Græcum aptè & conuenienter transferri posse*; id vt ita sit; (quanquam nō iniuriâ quæri posit, num ita sit; cum hæc felicitas paucis admodum Interpretibus obtigerit) tamen, vt septuaginta duo tam cōcorditer eandem scripturam tamque aptè, & consentaneè Hebræo textui vertant; vt omnes, quod Philo ait; *rerum verborumq; consonantiam adorent*; id humanæ naturæ facultatem longissimè excedit. Similia ferè iis; quę ex opere de ciuitate Dei recitauimus, scribit S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christian. cap. 13. Respondet Bellarminus, S. Augustinum & alios Patres piè quæsiuisse rationes excusandi & defendendi eam versionem, qua tunc Ecclesia vtebatur.

Secundò obiiciunt Auctores contrariæ sententiæ, Origenem, qui in epistola ad Iulium Africanum Hebræo textui nimium tenaciter inhærenti ista. *Vide, ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habētur passim in Ecclesiis. & legem statuamus fraternitati, vt deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros; assententur autem Hebræis; & persuadeant, vt nos puris impertiant, & qui nihil habeant figmenti. An non prouidentia in sanctis scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem? Non curam gessit eorū, qui empti sunt precio, pro quibus Christus est mortuus? qui, cùm sit eius filius, ei nō pepercit Deus, qui est charitas, sed pro omnibus eum tradidit, vt cum eo, omnia nobis gratis donet. Ad hæc autem considera, an non sit bonum, meminisse eius, quod scriptum est, Deut. 14. Non transpones terminos æternos, quos statuerunt Patres tui.*

Sed isti ad mentem & consilium Origenis animū aduertere debebant: nō enim hæc scripsit, quasi septuaginta Interpretes plura initiò sua in versione posuerint; q̃ in textu Hebraico repererint; sed quod ea, quæ suo & Africani tempore legebātur apud septuaginta, nec tamen exstabant in publicis Hebræorum codicibus, à Iudæis sacrilegè exsecta fuerint. Nam vt alia exempla, quæ Origenes in illa ad Africanū epistola producit, prætercam, de historia Susannæ agens, sic scribit: *Sed est verisimile, te adhuc quærere, cur apud Hebræos in Daniele, nō habetur historia (Susannæ) si hæc, vt dicis, tradunt eorū sapientes. Ad hæc, dicendum, q̧ ex iis, quæ Presbyterorū, & magistratuum, & Iudicū continebant vituperationē, quæcunq; potuerunt, sustulerunt à cognitione populi: quæ quidē seruantur in arcanis. Huius aūt exemplum dabimus, quæ narrātur de Esaia, & ab epistola ad Hebræos cap. 11. adducuntur in testimonium, scripta in nullo libro, ex iis, qui sunt palàm. Prophetas enim, & quæ passi sunt, percensens is, qui scripsit epist. ad Hebræos, dicit; Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. Percontabi-*

A *mur enim, ad quem refertur illud? Secti sunt, quod prisco quodam more non solùm Hebraico, sed etiam Græco, in plurali numero dicitur de vno. Est manifestum, quod dicunt traditiones, sectum esse Esaiam Prophetam: & hoc habetur in quodam apocrypho. Quod quidem fortasse consulto per dolum factum est à Iudæis, quibusdam non decentibus scripturæ iniectis dictionibus, vt toti fides abrogaretur. Sed est verisimile quendam, qui premebatur ab ea, quæ est in his, demōstratione, vsum esse consilio eorum, qui epistolam abrogent, tanquam quæ non sit Pauli. Aduersus quem aliàs seorsum vtimur rationibus, ad probandū Pauli esse epistolam.*

Adducam ergò in præsenti ex Euangelio, ea, quæ testatur Iesus Christus, de Prophetis, & quæ ab ipso quidem dicitur, historiam. Non habetur autem in veteribus scriptu-
B *ris, quoniam ipsa quoq; continebat accusationem iniquorum Iudicum in Israël. Sic autem habet dictio dicta à seruatore: Matth. 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ, quoniam ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, &c. Et quod deinceps sequitur, non discrepat ab iis, quæ priùs sunt posita; quod sic habet. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui missi sunt ad te: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Videamus autem, num sit dicendum, in his quidem verum dicere seruatorem, non inueniri autem scripturas, quæ significent ea, quæ narrantur à Seruatore. Nam, qui ædificant sepulcra Prophetarum, & ornant monumenta iustorum, damnantes ea, quæ ausi sunt Presbyteri in iu-*
C *stos & Prophetas, dicunt. Matth. 23. Luc. 13. Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non fuissemus eorum socij in sanguine Prophetarum.*

Dicat ergò nobis quispiam, quorumnam Prophetarum sanguine? Vbi nam est scriptū aliquid eorum de Esaia, aut Hieremia, aut aliquo ex duodecim, aut Daniele? Sed & de Zacharia filio Barachiæ occiso inter templum, & altare, à Iesu quidem didicimus, à nulla autem alia scriptura cognouimus. Quamobrem non aliud procurasse existimo eos, qui existimabātur Sapientes, & Principes, & Seniores populi, quàm vt ea adimerent, quæ eorum continebant accusationem ad populum. Non est ergò mirum, si veram historiam Susannæ, cui pararant insidias impudici seniores, q̃, qui non longè aberant ab instituto illorum Presbyterum, suffurati sunt, & subtraxerunt à scripturis.

D *Porrò autem in Actis quoque Apostolorum, cap. 7. Stephanus testimonium ferens, hæc dicit aduersus multos: Quem Prophetarum non persequuti sunt Patres vestri, & occiderunt eos, qui prius annunciauerunt de aduentu iusti, cuius nunc vos proditores, & homicidæ estis. Verum quidem dicere Stephanum fatebitur, quicunq; admittit Acta Apostolorum. Probari autem non potest ex veteri testamento, quòd iustè accuset Patres eorum, qui non credunt in Iesum: neque ex libris, quos habemus, noui testamenti. Paulus quoq; in priori ad Thessal. cap. 2. hæc de Iudæis testificans, dicit: Vos autem imitatores facti estis Ecclesiarum Dei; quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu. quia, eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt, & Prophetas, & nos persequuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduer-*

santur.

Digitized by Google

ſantur, prohibentes nos gentibus loqui, vt ſalui fiant. Exiſtimo in iis, quæ præcedunt, nos ſatis oſtendiſſe, fuiſſe quidem hiſtoriam, & cum magna intemperantia fuiſſe perpetratam ab iis, qui tunc erant, presbyteri, crudelitatem aduerſus Suſannam, & ſcriptam quidem eſſe prouidentia ſpiritus, ſubtractum autem eſſe, vt ita dicam, ſpiritum à Principibus Sodomorum.

Hæc & alia huius generis Origenes: ex quibus eluceſcit, eum non dicere, 70. Interpretes addidiſſe quædam ſuæ verſioni, quædam verò omiſiſſe; ſed potius Iudæos ex ſuis libris expunxiſſe, quæ apud 70. Interpretes exſtent; in codicibus autem Hebraicis non exſtent, ac proinde à Iudæis non eſſe petenda exemplaria, quaſi habeant incorruptiora, quàm Eccleſia Dei. Vtrũ autem hoc, quod Origenes aſſerit, verum ſit, in præſentia non diſquiro; quia hic tantum inquirimus; vtrum verum ſit, quod auctores contrariæ ſententiæ adſtruunt; Origenem dicere, aliqua à ſeptuaginta Interpretibus fuiſſe addita; & aliqua, quæ in Hebræo legebãtur, detracta: quod ſi factũ fuiſſet; veriſimile non eſt, Iudæos, qui abſoluta verſione, magno numero, conuocati fuerãt; vt audirent interpretationem, auditamque calculo ſuo approbarent, eam approbaturos fuiſſe; neque paſſuros; vt communibus ſuffragiis confirmaretur verſio, quæ ab Hebræo textu vel additione vel detractione diſsideret: At teſte Ariſtea, congregati Iudæi, vnanimi conſenſu, teſtati faſsique ſunt, diuinam ſcripturam rectè ſanctéque verſam; neque quidquam mutari debere; diriſque deuouerunt, ſi quis aliquid vel adderet vel demeret.

Reſpondent aliqui, *Iudæos illos verſionem ſeptuaginta Interpretum improbare, & tanquam cum Hebræo fonte alicubi non concinentem, notare auſos nõ fuiſſe; propter reuerentiam 70. Interpretum; quorũ, vtpote ex ſenatu Sanedrim, ſumma fuerit apud oẽs auctoritas & exiſtimatio.* Hæc facilius dicuntur, q̃ probantur: cum certo certius conſtet, Iudæos, maximè illo adhuc tempore, fuiſſe legis ſuæ retinentiſsimos, ita vt ne apicem quidẽ adiici aut abiici ſinerent. Quãto igitur magis hic reclamaſſent, ſi tam multa à 70. Interpretibus adiuncta vel abiũcta vidiſſent: neq; enim tam morigeri erãt, vt ad nutum, etiam maioribus ſuis, obtemperarent; præſertim quando de diuinarum ſcripturarum honore inuiolatè cuſtodiendo agebatur. Quid lamentationum non inſtituerunt, cum miles quidam Romanus ſacrum legis volumen laceraſſet; vt ſcribit Ioſephus lib. 20. Antiq. & lib. 2. belli. Quanto minus paſsi fuiſſent, ſi ſeptuaginta iſti, quamuis ſummæ dignitatis & auctoritatis viri libros ſacros vel addendo auxiſſent; vel detrahendo imminuiſſent: ſaltem facti huius rationem ab illis exegiſſent: neq; eam illi grauatè reddidiſſent. At nihil horum memorant hiſtorici.

Neſcio etiam, q̃ probabile ſit, ꝙ iidem tradunt, *editionẽ ſeptuaginta Interpretum tãtæ fuiſſe apud Iudæos auctoritatis, vt publicè in ſynagogis lecta fuerit;* nam ꝙ hoc probãt ex cap. 4. Lucæ, vbi Dominus legitur legiſſe in ſynagoga hæc Iſaiæ verba c. 61. *Spiritus Domini ſuper me, propter q vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me; ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, &c. prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Quæ ex 70. Interpr. verſione deſumpta eſſe patet ex S. Hieronymo; in Commẽtariis ſuper cap. 61. Iſaiæ, id apud me nõ nullum ponderis habet; nam fieri potuit, vt quæ Chriſtus in ſynagoga legit Hebraicè; Euangeliſta poſtmodum ex Interpretatione ſeptuaginta ſeniorum referret: Et præſertim cum Græca & Hebræa hic prorſus concinãt. Quis credat, ſtante adhuc ſynagoga, & pontificatu; in primaria ciuitate, libros diuinos alia lingua fuiſſe lectos; quã illa primæua & originali? Non nego poſterioribus ſeculis in quibuſdam ſynagogis lectos eſſe ſacros libros Græcè: id enim liquet ex Nouella 146. Iuſtiniani; ſed non loquimur de ſubſecutis temporibus; ſed de illis vetuſtioribus: & ex illa ipſa Imperatoris conſtitutione manifeſtum euadit; non ſine grandi contentione Græcis codicibus in ſynagoga aditum patefactum; multis ſolos Hebraicos libros legi debere contendentibus, ita, vt Imperator ſanctione ſua huic liti finem imponere coactus fuerit.

Nec cogunt illa verba Tertulliani cap. 18. Apologet. *Sed & Iudæi palam lectitant, vectigalis libertas vulgò aditur ſabbatis omnibus*; poſſunt enim hæc cõmodiſsimè intelligi de lectione Hebraica diuinorum voluminum; Quod & ſequẽtia innuunt; *Qui audierit, inueniet Deum. Qui etiam ſtuduerit intelligere, cogetur & credere.* Et qui ſtudendum, vt intelligat? Adhibito Interprete; qui Hebraicè lecta; Græcè aut Latinè reddat: nam Græca lingua Romanis quoque prope vernacula facta erat; adeo vſus eius inualuerat. At parum refert ad id, quod iam agimus, ſiue annuas, ſiue abnuas, ſacrã ſcripturam in ſynagogis Græcè fuiſſe lectam etiam ante Chriſtum, & ætate Chriſti; præſertim ab illis Iudæis, quos ἑλληνιστὰς nominabant. Id enim argumento eſt, ſummam fuiſſe 70. Interpretum cũ ſcriptura Hebræa conſenſionem. Et quidem ante Chriſtum, & poſt Chriſtum vſque ad Iuſtini, & Tertulliani tempora 70. Interpretum verſionem in publicis ſynagogis lectam fuiſſe, docet Salmeron noſter Tomo primo Prolegom. quinto.

Adferunt ex ipſo etiam Irenæo lib. 3. cap. 25. teſtimonium, quo probare nituntur verſionem 70. Interpret. diſcrepaſſe initio ab Hebræo textu. Sic enim ſcribit Irenæus agẽs de 70. Interpretib. *Verè impudorati, & audaces oſtenduntur, qui nũc volunt aliter interpretationes facere, quando ex ipſis ſcripturis (arguuntur) à nobis, & in fidem aduentus filij Dei concluduntur. Firma eſt autem, & non ficta, & ſola vera, quæ ſecundum nos eſt fides, manifeſtam oſtenſionem habens ex his ſcripturis, quæ interpretatæ ſunt illo modo, quo prædiximus, & Eccleſiæ annuntiatio, ſine interpellatione. Etenim Apoſtoli cùm ſint hi omnibus vetuſtiores, conſonant prædictæ interpretationi, & interpretatio conſonat Apo-*

stolorum traditioni. Etenim Petrus, & Ioannes, & Matthaeus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores, Prophetica omnia ita annuntiauerunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet. Vnus enim, & idem Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem praeconiauit, qui, & qualis esset aduentus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene, quia bene prophetata fuerunt: ipse, & in Apostolis annunciauit plenitudinem temporum adoptionis venisse, & proximasse regnum coelorum, & inhabitare intra homines credentes in eum, qui ex Virgine natus est Emmanuel. Sed caussae nihil erat cur Iudaei reiicere tentarent editionem 70. Interpretum; si verbis & sententiis cum Hebręo textu examussim congruebat. Constat quoq; ex Iustino, Iudaeos hanc versionem accusasse, tanquam non rectè ac fideliter factam.

Respondeo, Iudaeos non ideo reiecisse, quod cum Hebraeo fonte nō congrueret; sed quia mysteria Christi & Christianae fidei nimis apertè, clarè & significanter in omniū conspectu ponebat; absq; vllis inuolucris & aenigmatibus; & quidē lingua ea, quae passim nota erat; Graeca nimirū: quã lucem Iudaei perosi accusabãt 70. Interpretes, quasi perperam Hebraea interpretatos, vt hac accusatione homines à textu clariore & manifestiore, reducerent ad obscuriorē & tectiorē textū Hebraeum; vbi ꝓpter minus latè patentē hebraeae linguae cognitionē; multasq; varias & ancipites, quę in eius linguae vocabulis insunt, significationes; arbitratu suo veritatē occulendo, lectoribus illuderent; eo planè modo, quo hodie sectarij à vulgata latina editione ad Hebraeum textū Fideles abducere nitūtur: quia veritas in vulgata editione relucens; nimis aperta est ac liquida: Quapropter ad Hebraea exēplaria ꝓuocant; vbi norūt sibi paratas latebras, & euadēdi eludēdique, imo & illudēdi nō paucas ansas. Et tamen certū est, vulgatã editionem, cuius, vt infra videbimus, auctor est S. Hieron. fuisse & esse textui Hebraeo conformē ac consentientē; Hoc.n. testimonium ab ipsis Iudaeis huic Interpretationi perhibitū esse; testatur S. August. lib. 18. de ciuit. Dei c. 23. Et ipse D. Hieron. praefat. in libros Regum, monet, vt si quis de fide interpretationis suae ambigat, Hebraeos, fidei explorandae gratia, consulat.

Nam quod sectarij clamant; *hodiernam editionem vulgatam; non esse illam veterem Hieronymianam, quippe Hebraicis fontibus prorsus dissentaneam; cum Hieronymiana iisdem plane concors ac consona fuerit, id infrà vanitatis redarguetur.*

Vt ergo verbis compēdium faciam; sicut hodie Nouatores, odio veritatis Catholicae, vulgatã editionē audacter repudiant; & ad Hebraeum textū appellant; vbi ꝓpter linguae illius nō adeo omnibus obuium vsum; & ꝓpter varios sensus, ad quos singula ꝓpè vocabula trahi possunt, diuerticula varia inueniunt; ita olim Iudaei à 70. Interpretibus prouocabant ad Hebraea volumina; Et sicut sectarij nostri id eã causã se facere dictitant, quod editio vulgata ab Hebraeo textu plurimū

A discrepet; ita & Iudaei idem ferebant de versione 70. Interpretum respectu textus Hebraei: & sicut mentiuntur hodie Nouatores; neque alio fine vulgatam editionem aspernantur, quàm vt incautos decipiant; ita etiam mentiebantur olim Iudaei, nec alio consilio 70. Interpretes respuebant, nisi vt veritatem Dei in iniustitia detinerent: loquor autem de tempore illo, quo versio haec adhuc intacta & integra erat; postea enim propter additiones & detractiones varias Hebraeo textui admodum dissimilis euasit. Et sicut iam hac aetate ob calumnias in vulgatam editionem varij prosiluerunt, & adhuc prosiliunt, qui nouas ex Hebraeo in Latinum sermonem interpretationes procudant; ita & olim postquam Iu-

B daei in 70. seniorum versionem dentes exerere cœperunt; statim exstitēre Iudaici & *Iudaizantes* Interpretes, Aquila, Symmachus, Theodotion; qui nouas versiones ex Hebraeo in Graecum molirentur; quasi 70. seniores parum sincera fide in hoc munere versati fuissent. Et qua fide hodie Nouatores hanc interpretandi functionem administrant; contra vulgatam editionem: eadem administrabant eam veteres illi, contra 70. seniorum interpretationem: & qua fide olim vtebantur isti antiqui versores; eadem vtuntur hoc aeuo nostri isti nouelli.

Interim, quod S. Chrysostomus Homilia quinta in Matthaeum dixit; hoc & nos profitemur. Primò dicemus illud, inquit D. Chrysosto-

C mus; *quoniam ad faciendam verae translationis fidem, omnibus aliis iure septuaginta interpretes sint digniores, siquidem alij post aduentum Domini interpretati sunt, Iudaei siquidem permanentes, meritoq́; suspecti: quippe, qui inimicè, & subdolè multa corruperint, & data prorsus opera à Prophetis mysteria praedicta celauerint. Septuaginta verò ante centum, & aliquanto amplius Dominici aduentus annos, ad interpretandum tot, ac pariter accedentes, ab omni suspicione huiusmodi vindicantur. Atq; ob ipsum temporis interuallum, & illorum numerum, ac consensum, magis fide digni vtiq; fuerint.*

Liquet igitur cur olim Iudaei versionem 70. interpretum reiecerint. Itaque non valet illa argumentatio: *Iudaei repudiabant versionem 70. interpre-*

D *tum cum adhuc pura esset; & in primo suo statu; ergo tunc discrepabat ab Hebraeo textu; aliàs nulla fuisset caussa, cur à Iudaeis respueretur.* Non valet, inquam, haec argumentatio quia est similis huic: *Haeretici hodie aspernantur editionem vulgatam & pessimis modis oderunt; & ab illa perpetuò prouocant ad Hebraeum textum; ergo editio vulgata reuera discordat ab Hebraeo textu; quia alioqui non haberent Haeretici vllam probabilem caussam, cur semper nouas versiones postularent, reiecta vetere.* At sicut isti mentiuntur, quando clamitant, vulgatam editionem planè ab Hebraeo fonte dissidere; ita & veteres illi Iudaei mentiebantur affirmãtes hoc de 70. Interpretibus: & sicut haeretici nostri hoc faciunt, quia nimis manifesta veritas in vulgata editione elucet; ita & Iudaei splendorem

Chri-

Digitized by Google

Christianæ veritatis ex 70. seniorum interpretatione emicātis ferre non valentes; ad Hebræum textum, tāquam ad occulendum aptiorem, confugiebant; & inde nouas versiones procudendas esse contendebant. Quibus enim oculis putas, Iudæos legisse illud Isaiæ cap. 7. ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται. *Ecce virgo in vtero concipiet.* Quamobrem Iudaizantes interpretes, teste D. Chrysostomo, loc. cit. expulsa *Virgine*, substituerunt *puellam*, seu *adolescentulam.* κόρην vel παιδίσκην; nam *virginis*, nomen Iudaicis auribus nimis ingratum accidit; quia veritatem nimis dilucidè pandit.

Notum insuper est ex Nouella 146. Iustiniani Iudæos eam potissimum ob caussam vrsisse; vt in synagogis Hebræus textus legeretur, nō Græcus; vt nequitiæ suæ celandæ commodius velamen haberēt. Hinc Iustinianus sanxit, vt & Græca lectio adhiberetur, Ne, vt inquit, *facultas sit ipsorum Interpretibus, qui solam Hebraicam assumunt linguam, vt suo arbitratu, malitiosè hanc tractent, vulgi ignorantia suam tegentes improbitatem.* Iubet autem Imperator, vt vtantur 70. seniorum interpretatione; in quorum commendationem annectit & hoc elogium: *Quis nō illud in his viris admiretur, quod cùm longo tempore salutarem apparitionem magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi præcesserint: tamen illam futuram quasi præsentibus cernentes oculis, prophetica quodammodo gratia ipsos circumfulgente, sacrorum illi librorum interpretationem accommodarunt.* Quibus verbis indicat Iustinianus totam originem odij, quod Iudæi gerebant erga 70. Interpretes; quia scilicet nō diuersa ab Hebræis fontibus, sed eadem dicebant; at clarius & dilucidius; ita vt lux hæc istorum oculos, qui tenebras quàm lucem impensius amabant, nimium perstringeret ac cruciaret.

Quidam dicunt, *editionem illam, quæ appellata est κοινὴ, aliam nō fuisse, q̄ ipsam versionem 70. interpretū:* quod falsum est; si velint, vt velle videntur, fuisse ipsam primæuam & originalem 70. seniorum versionem; nam S. Hieronymus in epistola ad Suniam & Fretellam, disertissimè dicit, κοινὴν, *communem*, fuisse illam, quæ variis additionibus & detractionibus variata fuerat.

Et hæc pro defensione opinionis Bellarminianæ verisimiliter disputata sint. Ad me enim quod attinet, valdè propendeo, in sententiam D. Augustini, existimantis; 70. seniores, non tam fuisse Interpretes, quàm vates; in scribēdo à Spiritu sancto ductos & actos; idque quod vel addiderint; vel omiserint, singulari Spiritus sancti impulsu addidisse vel omisisse. Quod itidem placere video nostro Salmeroni Tomo primo proleg. quinto & sexto. qui ostendere conatur, veram, genuinam, & legitimam 70. Interpretum versionem hodieq; superesse; tametsi aliquibus mendis inquinatam; à quibus vt expurgetur operam inprimis dandam esse. Multi, inquit, ex antiquis Patribus, prçsertim Grçcanicę Ecclesię, illam eandem, quam nos modò habemus, alle-

A gant; ex illa contra Hæreticos disputant; illam exponunt; quod signum est insolubile, hanc eandem esse, quam nos habemus. Imò, veteres omnes, inquit idem Salmeron, tam Græcæ, quam Latinæ Ecclesiæ Patres, vt Clemens vterque, Romanus, & Alexandrinus, Dionysius, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & Gregorius, Athanasius, Basilius, Epiphanius, duo Gregorij, Nazianzenus, & Nissenus, Chrysostomus, & Cyrillus, nullam aliam nouerunt scripturam, quàm septuaginta: ex alia non producunt testimonia, sed ex ista: in hanc commentantur, per illam hæreses refellunt, & hæreticos reuincunt: vsq; adeò, vt si septuaginta Interpretum vacillaret autori-
B tas, omnium veterum Patrum scripta ruerent. quia falso scripturarum niti fundamento probaretur.

Nec satis dicere possum; quam absurditatem oleat; si quis contendat, latissimè patētem Græcorum, vel eorum, qui Græca lingua vtebantur, imò & Latinorum, & quibus latina lingua in vsu; Ecclesiam: per tot sæcula vsam esse Bibliorum codicibus enormiter & deformiter vitiatis corruptisque; vt plurimis in locis ab originali veritate quàm longissimè abscedant; & sæpius à scopo aberrent; quàm scopum tangant. Quod si quæ menda, temporis iniuria & longinquitate irrepserant, vt quidem irrepsisse nemo diffiteri potest; idem nimirum quod olim ætate D. Hie-
C ronymi in nouo testamento; & nostro sæculo in vulgata latina editione præstitum fuit; præstari itidem in Græca 70. Interpretum debuit; prout iam à Sede Apostolica præstitū videmus & gaudemus; cuius beneficio habemus 70. seniorum interpretationem ad vetustissima exemplaria limatam & castigatam, quam Sixtus V. Pontifex Maximus, suo in diplomate omnibus hunc in modum commendat: *Volumus & sancimus ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, vt vetus Græcum testamētum iuxta septuaginta, ita recognitum, & expolitum ab omnibus recipiatur, ac retineatur, quo potissimum ad Latinæ vulgatæ editionis, & veterum sanctorum Patrum intelligentiam vtantur. Prohibentes ne quis de hac noua Græca editione audeat in posterum, vel addendo, vel de-*
D *mendo, quidquam immutare. Si quis autem aliter fecerit, quam hac nostra sanctione comprehensum est, nouerit se in Dei omnipotentis, beatorumque Apostolorum Petri, & Pauli indignationem incursurum.*

Quo decreto interdici vides, ne quis quidquam editioni 70. Interpretum; quam Apostolica sedes curauit, adiiciat, vel detrahat; neque hoc tantùm; sed & illud; vt hæc editio *ab omnibus recipiatur, & retineatur.* Quo certè vetari videtur, ne quis, priuata auctoritate, inconsulta sede Apostolica, nouam 70. Interpretū editionem, à Vaticana discrepantem, moliatur, cuiuscunque tandem codicis præsidio nixus negotium istud tentet: neque tamen quenquam obstringi existimo ad hoc, vt credat; quidquid est in Romana

Digitized by Google

editione 70. Interpretum; id verè ex eorum officina profectum esse: & id, quod abest, eorum nō esse; cum Bulla Sixti V. hoc non asserat; neque etiam præfixa ad lectorē præfatio; quæ ait; id præcipuè spectatum; vt editio Romana, *ad eam, quam septuaginta Interpretes Spiritus sancti auctoritatem secuti ediderunt, quantum per veteres libros fieri potest, quàm proximè accedat.*

Finis imponendus erat disputationi de 70. Interpretibus: sed obstat Eusebij nouus cōmentator Burdius, qui fol. 122. Animaduersionū suarum de 70. Interpretibus non pauca scribit; quæ meritò diuidas in thrasonismos; conuicia; & audaciam. Thrasonismus est; *Multa de hac re* (de 70. Interpretibus) *à nemine animaduersa olim obseruauimus.* Qua thrasonica voce, vix quidquā in huius libris frequentius occurrit. Quod cum ei iustissimè à summo viro Hieronymo Mercuriali exprobratum fuisset; *mene gloriari?* aiebat Burdius. *Non est nostrum de nugis gloriari.* Imò non modò tibi proprium; sed & ꝓpemodum *essentiale* est. Consulantur tuæ in Festū, Varronem; Catullum, Tribullum, Propertium, Manilium lucubrationes. Vix pagella inuenietur, quæ non insigni thrasonismo reluceat; vt taceam, libros de emendatione temporum, & hunc ipsum Eusebianum Commentarium, qui vbique Thrasonis iconismos repræsentant. *Hoc* (gloriari) *relinquimus hominibus futilibus, vanis, & φιλαύτοις, qui triuialibus escis conuiuia sua instruunt.* Si gloriari huiusmodi hominis argumentū est; nulli difficile accidet, statuere; qualis hic tam gloriosus Burdo sit homo.

Conuicia sunt. I. Illa in Philonē. *Vide Philonem. Quàm infans est in Hebraïs? Quàm ridiculus? Quem certissimum est, nesciuisse Hebraicè. Quid, quæ ad fastidium περιτολογῶ Philon, & inter alia ex Chaldaismo scripturas conuersas ait? Quis non videt multa & apud ipsum Philonem affectata esse, & ad captandam admirationem excogitata?*

II. Illa in editores Irenæi, hoc est, in viros doctissimos; Franciscum Feuardentium, & Frontonem Ducæum: *Qui Irenæum postremò ediderunt, homines linguæ impurissimæ, qui muti sunt, si conuicium non dixerint, institutum solenne hariolantur, &c.*

III. Illa in Tertullianum; *cui parum nota Demetrij dotes fuerunt, qui Grammaticum probatissimum vocat duntaxat.* IV. Illa in S. Epiphanium *ineleganter dictū* (ab Epiphanio) *μέχρι κλεοπάτρας ad Cleopatrā; pro; vsq; ad finem Cleopatræ.* Scilicet hoc restabat; vt sanctus Epiphanius Burdonis in Græcis discipulus fieret.

Audaciæ & arrogantiæ exēpla hæc accipe. oēs veteres, & ipse inprimis Iosephus tradūt, hāc Bibliorū versionē petitā à Iudæis per Philadelphū Regem ex suggestione & ꝓcuratione Demetrij Phalerei Bibliothecæ regiæ præfecti. Hāc omniū Auctorū cōstātē sentētiā, quotquot de 70. Interpretū trāslatione scribūt, eamq; sub Philadelpho factā concedūt; audacissimè reiicit Burdo; & suū iudiciū tot tātorūq; virorū testimoniis antepo-

A nit. Qua de caussa? *Quia Demetrius non fuit in gratia Philadelphi; statimque sub primordia Regni Philadelphi, morsu aspidis periit.* Quis huius rei testis? Hermippus apud Laertium. Cui ꝓno assensu assentitur Burdo; tantum, vt noui aliq̄d adferat; & vetustati contradicat. Nam & Aristeas, & ex hoc Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 2. Tertullianus in Apologetico, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. Epiphanius, lib. de mensuris & pond. Eusebius lib. 8. de præparat. Euāgelica c. 1. & pleriq; alij ex Christianis scriptoribus vno ore affirmāt id factum cura & industria Demetrij Phalerei, gratia & auctoritate apud Philadelphū florentis. His tamen vniuersis præponitur à Nouatore vnus; isque ignotus & Ethnicus; & rerū Iudaicarum ignarus

B Hermippus. Qua mente, nisi nouandi & contradicendi libidine? Quis non magis credat vel vni Aristeæ, qui interfuit, quàm huic tenebricoso Hermippo?

At Aristeas est suppositititus, clamat Burdius. Faciamus suppositìtium esse illū libellum, qui hodie sub Aristeæ nomine circumfertur; at certum est olim exstitisse verum & legitimum huius Aristeæ commentarium, ex quo Iosephus & alij, ea, quæ de hac interpretatione litteris mandarunt, desumpserint. Occinit Burdius. *Iosephum ex hodierno Aristea sua descripsisse.* Quæso, vnde hoc exploratum Burdio? Num adfuit, cum Iosephus duodecimū illum Archæologiæ Iudaicæ librum conscriberet? Num coram vidit, quos auctores sequere-

C tur? Deinde; si Aristeas, qui hodie teritur, iam Iosephi ætate exstabat, fide profectò dignior censeri debet; quàm ille Burdianus Hermippus, & ipsemet Burdius, vel solo antiquitatis nomine & priuilegio; imò Burdius hodiernum Aristeam Iosepho longè antiquiorem facit; & ipsi etiam Aristobulo Iudæo ætate anteponit; qui in epistola ad Ptolemæum Philometorem hæc: *Δημητρίου φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων. Demetrio Phalereo negotium hoc procurante.* His non magis mouetur Burdius, quàm cautes leni flatu Austri, etiamsi hodiernus Aristeas vetustissimus sit; ipso teste Burdio; certoque liqueat, si iste commentarius non sit γνήσιος & genuinus, olim exstitisse verum & germanum Aristeæ de hoc argumento

D librum.

Offendit Burdonem, quòd noster Aristeas scribit, *senos Interpretes ex omnibus tribubus missos fuisse, quasi tunc duodecim tribus omnes exstarent, quarum decem tempore Ezechiæ in Mediam deportata fuerant. An alia tribus in Iudæa eo tempore præter Iudam & Beniamin?* Respondeo, alias tribus integras non fuisse tunc, præter Iudam & Beniamin; fuisse tamen ex omnibus aliis tribubus quosdam tribules; & reliquias partim in Iuda & Beniamin; partim in antiquis sedibus & domiciliis; neque enim omnes ad vnum in Assyriam translati sunt tempore Ezechiæ; quod patet ex historia Iudith de Bethulia; quæ post illam decem tribuum deportationem fuit vrbs celebris & populosa in tribu

Zabu-

Digitized by Google

Zabulon. At hic ſuauiter ridebit Burdius librum Iudith audiens. Sed ſi veritatis amans eſt; tantum ſaltem ei tribuere debet; quantum Iuſtino hiſtorico, Curtio, vel Liuio. Verum de libro Iudith ſatis libro primo.

Deinde in Euangelio D. Lucæ legimus Hieroſolymis habitaſſe Annam Phanuelis filiam ex tribu Aſer. Cur non ſuſpicemur tam in hac, quàm in aliis tribus Iuda vrbibus habitaſſe etiam alios ex aliis tribubus oriundos? Inſcribit & D. Iacobus Epiſtolam ſuam Canonicam *τοῖς ἐν διασπορᾷ δώδεκα φυλαῖς. Duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione.* Supererant ergo ex decem tribubus tribules. *Hoc nihil ad rem*; ait Burdius. Quare? *Concedamus inter Iudæos omnium tribuum tribules aliquos fuiſſe, quod tamen falſiſſimum eſt* (quo auctore, niſi teipſo?) *quomodo ſummus Pontifex Eleazarus eos ad manum & in numerato habere poterat; vt potenti Regi ſtatim ſuppeditaret; quandoquidem ſi ita eſſet quod certè non fuit* (Tu dicis, non probas) *nulli tribui certus locus aſſignatus eſſe potuit, ſed decem tribus oportuit quaſi inquilinas in duabus reliquis habitare.* Quam futilia omnia; Quã inania? Nam I. cur omnes iſti 70. Seniores ex omnibus tribubus Iſraëliticis nõ potuerũt habitare Hieroſolymis; cum, vt plerique volunt, fuerint ſenatores & aſſeſſores Synedrij, quod Sanedrim appellabant? Et tempore Apoſtolorũ habitabant Hieroſolymis *viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.* Act. 1. Quod multi non tantum de habitatione paucorum dierum, ſed de iugi accipiunt. Quod ergo tunc factum; cur non & tempore Ptolemęi accidiſſe credatur? Secundò, quis probabile credat, nullos penitus Iudæos manſiſſe extra tribum Iuda & Beniamin; cum ex hiſtoria Euangelica ſciamus, tempore Chriſti, imò & ante Chriſtum, Galilæam Iudæis incolis fuiſſe frequentiſsimam & celebratiſsimam; quæ tamen pertinebat ad tribus Zabulon, Nephtalim, Aſer, Iſachar. Quod de difficultate conuocationis obiicit; nihil eſt; quia Iudæi magis reſpectabant & reuerebantur ſummum Pontificem; quam Lutherani & Caluiniani hodie ſuos *Superattendentes*; & maius obſequendi ſtudium apud illos vigebat, quàm apud iſtos.

Pergit Burdo. *Tertullianus, cum hanc hiſtoriã tangeret, tribuum duodecim quoq; meminit, neq; erroris admonuit.* Non mirum non admonere erroris, vbi nullus error; vel vbi tum demum naſcitur error, ſi quis ſuperuacuè ſedulus de errore admonere velit. Nec Cyrillus Hieroſolymitanus, nec Epiphanius, nec alij erroris admonuerunt; quia nullum hic errorem agnouerunt; & quidem rectiſsimè. Forſan abs re non erit; ſi Burdo moneatur, vt oſtendat; vbi nam Tertullianus ſenos ex ſingulis tribubus ad Ptolemæum ablegatos ſcribat. Certè in Apologetico cap. 18. hoc non affirmat. Quid ſi Burdo ſuum fortaſſe errorem prius caſtigare; quàm vllum Tertulliani inceſſere debeat, ſi id, quod æquum eſt, agere cogitet?

A Nec placet Burdio illud D. Chryſoſtomi in cap. 15. Matthæi. *Per omnes tribus in duodecim partes diſſeminati erant Phariſæi. Tot partes facit*, Burdio interprete, *quot tribus eſſe arbitratus eſt.* Sed incomparabili interuallo diſtat auctoritas Chryſoſtomi ab auctoritate Burdonis, vt proinde incomparabiliter libentius audiatur ab illis, quibus aures non obſurduerunt, quàm Burdo: nam ſanctus ille Pater nihil aliud vult, quàm Phariſæos exſtitiſſe ex omnibus tribubus; quod tam certum eſt, quàm ex omnibus tribubus ſuperfuiſſe tribules tempore Chriſti; & Apoſtolorum; & nominatim tunc, quando S. Iacobus Epiſtolam ſuam Canonicam ad duodecim diſperſas tribus miſit.

Nec ſatisfaciunt Burdio Epiſtolæ Demetrij ad
B Regem, Regis ad Pontificẽ, Pontificis ad Regem, quæ exſtant apud Ioſephũ & alios. Quã ob rem? *Quia Demetrius iam obierat.* Hoc tu quidẽ cum tuo Hermippo aſſeueras, contra te ſtat Iudaicorũ & Chriſtianorum hiſtoriographorum chorus. *At ſtylus repugnat.* Hoc nimirũ exſpectabam, vt Criticus ad ſtylum confugeret. Quid ergo ſtylus? *Clamat tres illas Epiſtolas eſſe vnius hominis.* In cuius auribus? Burdonis; non meis; non veterum; nõ Ioſephi; nõ Tertulliani; non Epiphanij, nõ aliorum. *Apud Epiphanium in lib. de menſuris & ponderibus*, inquit Burdius, *duæ aliæ proferuntur, & ſtylo & verbis & ſententia diuerſiſſimæ.* De ſtylo, nugæ. De verbis & ſententia, gerræ. Conferat, qui volet. Odium veritatis & vetuſtatis, amorq; nouitatis hãs & ſi-
C miles voces ex pectore Burdonis excutit & elicit.

Ridet Burdo *cellulas*, habitacula Interpretum inter interpretandum. Verum multi veterum, quorum quilibet Burdonum *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*, has cellulas adſtruunt.

Ait. *Iudæis Hieroſolymitanis hanc translationem Alexandrinam adeo diſplicuiſſe, vt ſolenne ieiunium & angariam inſtituerint VIII. die Tebeth propter legem in profanum ſermonem conuerſam; & ex illa, vt ipſi putant, Alexandrinorum audacia tridui tenebras per vniuerſum orbem incubuiſſe fabulentur.* Qui nam iſti Iudæi? Num veteres illi ante Chriſtum; & æuo Chriſti; & aliquandiu poſt Chriſtum? Ne vnum quidem vel Iudæum fide dignum, vel Chriſtianum ſcriptorem de hac *Angaria* producere poterit Burdi-
D us. Quidquid proferet, ex Thalmudicis fabulatoribus, & mendaciſsimis impoſtoribus proferet; quibus tantum fidei habendum, cum ab antiquis ob hanc translationem ieiunium ſeu angariam indictam comminiſcuntur; quantũ cum fingunt, *triduanis tenebris terram fuiſſe obrutam.* Non nego; poſteriores Iudæos, fabularum amantiſsimos & cupidiſsimos tale quid inſtituiſſe; tantũ id à priſcis Iudæis factũ abnuo; quibus ſummo in pretio hæc verſio ſemper fuit; adeo, vt ea etiã vſi fuerint Chriſtianæ legis ſcriptores & antiſtites. Mirum ſanè eoſdem Iudæos ſimilem angariam non inſtituiſſe propter Archæologiam Ioſephi; in quam Græcè coniecit; quidquid ad hiſtoriam pertinens, Hebræorum libri He-

braico idiomate complectuntur. Certum igitur esto, hoc ieiunium à recentioribus Iudæis excogitatum, odio 70. Interpretum; in quo, vt & in aliis; à priscis illis, maioribus suis, immane quantum discrepent: Imò tantum abest, vt veteres Iudæi propter hanc translationem angariam seu ieiunium indixerint; vt potius quotannis tam ipsi, quàm Ethnici diem illum, quo translatio absoluta & perfecta est; festum, solenni gaudio, habuerint; quod supra ex Philone audiuimus; ob tanti beneficij memoriam, & ad insulam, in qua versio facta, traiecerint, ibique, initis conuiuiis, totum diem hilariter consumpserint.

Carpit Burdius Theologos quosdam quasi *publicæ lætitiæ & angariæ* discrimen non intellexerint. Nec video cur carpat, nisi quia illum in inexsaturabile omnes carpendi Cacoëthes tenet: nullus enim ex Theologis, ne ex editoribus quidem Irenęi; publicam illam lætitiam, de qua Philo, angariam interpretatus est: imò omnia, quæ Philo scribit; ostendunt; celebritatem illam fuisse diem festum; non *angariam*; Et si Burdius Philonem de angaria accipit; manifestè prodit, se aut cæcutire; aut prorsus cæcum esse; aut scriptores legere consueuisse conuenienter suis persuasionibus seu Phantasiis; ita vt sensum non ex ipsis sumat; sed ad ipsos adferat.

Falsum & illud, quod mox Burdo subiicit. *Propter hanc interpretationem nunquam inter Hebræos & Hellenistas bene conuenit*: Inanissimum commentũ: si loquamur de antiquis Iudęis ante Christũ, tempore Christi; & aliquandiu post Christum. Plurimum enim huic versioni non tantum Iudæi Hellenistæ; qui in AEgypto & alibi extra Hierosolymam & Palæstinam degebant; sed & ipsi Hierosolymitæ & Palæstini deferebant; vt patet vel ex vnico hoc argumento; quod Apostoli & Euangelistæ hac translatione vsi sunt; minimè id facturi; si Palæstinis Iudæis, tantopere exosa fuisset. Neque dissensio illa inter Græcos & Hebræos Act. 6. exstitit propter Interpretationem 70. Interpretum; vel occasione odij, quod inter istos ob translationem illam viguerit, vt Burdius nobis persuadere conatur; *sed quòd despicerentur in ministerio viduæ eorum*, hoc est, *τῶν ἑλληνιστῶν. Hellenistarum*; qua voce vtitur S. Lucas; significante Hebręos quidem sanguine, vel saltem professione; sed Græcè loquentes, vel in Græcia, aut alibi extra Iudæam habitantes. Procliue fuit hoc murmur, qua sunt infirmitate mortales, despectus impatientes, maximè cum etiam coniunctissimos aliquando propter vxores mutuis iurgiis & odiis inflammari videamus. Quocirca nil opus murmuris huius fomitem referre ad inueteratum odium inter Hebræos Palęstinos, & Hebræos Hellenistas.

Ait Burdius, *locum illud Act. vulgò pessimè intellectum. nam ἑλληνίζειν est lingua Græca vti.* Burdius scilicet supra vulgus euectus supra vulgus quoque sapit & intelligit. Attamen num vulgus ante Burdium hunc locum intellexerit, intelliget Burdo ex Commentario Lorini nostri in illud caput sextum Actuum Apostolicorum.

Ait Burdius. *omnem Iudæum, qui à dextris sinistrorsum legit, in Thalmud vocari ἀναγινώσκοντα αἰγυπτιστί, legentem Ægyptiacè, hoc est, vt glossa habet, ἀνάπαλιν, præpostero ordine, vt Græcienses & Hellenistæ Iudæi, qui Græcè tantùm legebant, non etiam Hebraicè: Hi enim Iudæi sola Biblia Græca in Synagogis legebant per totam Ægyptum, Græciam, & Italiam; & vix in mille Iudæis vnus reperiebatur, qui Hebraicè legeret.* Videtur hoc loco Burdius ex nimia festinatione vel manus vel mentis verba transmutasse, & pro eo, quod scribendum erat, *à sinistris dextrorsum*, vt paulo post loquitur Burdius; scripsisse ordine præpostero: *à dextris sinistrorsum*: cum qui Græcè legunt; non legant à dextris versus sinistram; sed à sinistra versus dextram. Deinde, quanta vbique asseuerandi securitas, vel potius impotentia? *Omnes per totam Ægyptum, Græciam, Italiam sola Biblia Græca legisse?* Quo auctore hoc affirmas? *Vix vnum è mille Iudæis Hebraicam linguam tenuisse.* Quo teste hoc testaris? *Ipsum Philonem Hebraicæ linguæ expertem fuisse, & hoc certissimum esse.* Quid non audet audacia Hæretica?

Ait iste. *Hellenistæ in nouo testamento multum differunt ἀπὸ τῶν ἑλλήνων, ἕλληνες sunt pagani. Hellenistæ Iudæi, Græcis Bibliis in Synagogis vtentes*: imò Græcè loquentes; vel in Græcia vel alibi extra Palæstinam degentes; licet in Synagogis Hebraicis Bibliis vterentur; neque enim à Bibliis hoc nomen adepti videntur, vt iste pro certo sumit. Quanquam, vt supra monui, nolo cum quoquam digladiari de hoc num Hellenistæ vsi sint in Synagogis editione 70. Interpretum. Si vsi sunt, id non nisi libentibus & approbantibus Palæstinis Iudæis factum est, donec tandem iuniores; à pietate progenitorum suorum degeneres, litem mouere cœperunt ob illam 70. Interpretum in Synagogis lectionem.

Quod dicit; *ἕλληνας in nouo testamento esse paganos*; id fortè non credet, qui locum illum Apostoli 1. Cor. 1. accuratius perpenderit. *αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς ἰουδαίοις τε καὶ ἕλλησι χριστὸν θεοῦ δύναμιν καὶ θεοῦ σοφίαν*, vbi vox *ἕλλην*, non videtur significare *paganum*, quia *κλητὸς ἕλλην*, *vocatus Græcus*, est fidelis & Christianus. Item si quis contendat in illo Ioan. 12. *ἦσαν δέ τινες ἕλληνες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ*. per *ἕλληνας* intelligi non *Ethnicos*, sed *Hellenistas*, hoc est, Iudæos, Græca lingua vtentes; nam si obiiciat auctoritatem vulgati Interpretis, statim quæremus, vnde tanta religio Burdoni, vt Interpreti nostro tantùm deferre dignetur, quem alioqui in postremis habet? Addemus & hoc, Interpretem nostrum *ἕλληνας*, vertisse *Gentiles*; non quod religione gentiles essent; sed quia habitatione. Ad hæc quid mutiet noster Burdo; nisi illum suum thrasonismum [illegible]-

τατον:

natos: Hæc cum ego quibusdam aperuissem (grandia certè mysteria, & singulari reclusione digna) *qui malè à litteris parati magnum nomen compararant* (fallor, an his mordet Iunium, qui de Hellenistis nō pauca delirauit in quinto & hoc sexto capite; si non hunc lancinat, certè alios ex Caluini Pædagogio *litteriones*; nam hæc tanta arcana Burdo pandere non initiatis minimè consueuit) *vt soli sapere viderentur*. (Hoc nimirum ferre nequit Burdo, vt quis solus sapere velit; quid enim ipse saperet; si quis solus saperet? Interim dum ipse solus vult esse *saperda*; feramus sanè.) *primùm fastidire*; (& quis non fastidiret tales nugas?) *postea, ne ignorasse viderentur, assentiri*. (Quantum ignorantiæ pretium; hæc funditus ignorasse, in quibus plurimum audaciæ & impudentię, nihil penitus doctrinæ.) *Postremò, quia vero vincebantur, in suis libris se ita sentire testati sunt*. Miseros, si ob vanissimos & inanissimos thrasonismos tuos in hanc tam ab omni vero abhorrentem sententiam descenderunt.

Repetit postea Burdius, quæ iam supra dixerat de mutuo odio Hellenistarum & Hebræorum: sed repetit tantùm ex Talmudicis fabulonibus & Mythologis; quibus, qui fidem commodat; eum ad AEsopum ablegamus; vt lactuca sibi simili labra sua exhilaret. Nullum figmētorum suorum scriptorem veterem laudare potest; totus est in suis Talmudicis Iudæis, quibus fabulosiores nugatores nec oriens, nec occidens sol vnquam adspexit; qui vbique mirum in modum hallucinatur, dum ex moribus & consuetudinibus, ritibus & sententiis Talmudicorum Iudæorum argumentatur ad mores & consuetudines, ritus & sententias veterum Iudæorum, qui vel ante Christum; vel post Christum; ante tamen Talmudicos fabulatores vixerunt.

Et hic terminus esto. Plura audiet aliquando Burdius, quo ego nullum vnquam vidi Hæreticum, cuius refutatio magis sit in promptu propter summam quiduis asseuerandi insolentissimam arrogantiam, omnesque alios præ se aspernandi plusquam Diabolicam insolentiam.

CAPVT VII.

De editione Græca noui testamenti.

SVNT, qui putent Euangelium S. Marci ab ipso D. Marco Latinè primitus scriptum fuisse: & quidem Romæ. Hanc opinionem vocat Hunnius *somnium*. Sed multò credibilius est, Hunnium esse *somniatorem*; quàm hanc sententiam *somnium*; quam vniuersi Syri amplectuntur, vt notat in Chronologia Genebrardus: Idem sentiunt auctores à Bellarmino citati: inter quos Anastasius Bibliothecarius in vita Damasi; Baronius item Tom. 1. Anno Christi X L V. qui non improbabilia argumenta adducit; quæ somniator Hunnius prius refutare debebat, quàm opinionem istam *somnij* condemnaret.

Diligentius, inquit Hunnius, *fuisset asseruatum à primitiua Ecclesia Latinum exemplar, tanquam authenticum, quàm Græcum. At certum est Græcum conseruatū, & periisse Latinum*. Quasi verò fieri nequeat; vt etiam absque negligentiæ culpa primum exemplar pereat. Vbi est originalis textus Epistolæ ad Hebræos, & Euangelij S. Matthæi? Nam quod Iunius & VVitackerus dicunt; *Euangelium S. Matthæi non Hebraicè primum, sed Græcè à S. Matthæo scriptum fuisse; similiter & Epistolam ad Hebræos*; id quia à nouatoribus contra vetustatem asseritur, nullam fidem meretur; præsertim quod attinet ad Euangelium S. Matthæi. Deinde, vnde compertū Hunnio, primigenium Latinum exemplar penitus interiisse? Certè non desunt, qui affirment, asseruari Venetiis inter S. Marci cimelia; vt notant Genebrardus & Baronius.

Cæterum vt Hæretici in antiquo testamento Hebræis fontibus, summam nulliusque extranei admistione alicubi turbatam puritatem adscribunt; ita eandem de Græcis fontibus in nouo testamento prædicant; sed vt ibi perperam; ita & hic.

Profert Bellarminus paradigmatis & speciminis gratia quosdam duntaxat ex Græca editione deprauatos locos: Primus est ille 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis*. vbi Græci: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανοῦ. *Secundus homo Dominus de cælo*. Hunnius clamat; *mendacium est Iesuiticum vitiosum esse hunc locum: verissimum enim id esse propter* Κοινωνίαν *naturarum in Christo, quiuis intelligit, qui non hausit ex veneno Nestorij*.

At non agitur de hoc, vtrum huic Græcæ lectioni verus aliquis sensus possit subiici; sed vtrū hæc Græca lectio sit vera & originalis. Hanc Prædicantis calumniam refutet Erasmus; qui in Apostoli locum ista notat: *Græci lectionem habent à nostra diuersam. Idq; constanter, ad eundem modum interpretantibus Chrysostomo, & Theophylacto*. ὁ δὲ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ: id est, *secundus autem homo, ipse Dominus è cælo. Quanquam, vt ingenue dicam, mihi magis probatur, quod in nostris codicibus scriptū est: præsertim cum ita legant Hieronymus, & Ambrosius: & magis respondet ad id, quod præcessit; de terra, terrenus: Proinde arbitror* ὁ κύριος *ad scriptum à studioso quopiam, quo voluerit orationem reddere explanatiorem: tametsi, nos reddidimus, ne non responderent Græca Latinis*.

Vulgatam editionem & lectionem Latinam expressit quoq; in versione sua Castalio Hæreticus; pro qua laudat Bellarminus Caluinū lib. 2. Instit. cap. 13. §. 2. & 4. & lib. 4. cap. 17. §. 25. Obiicit Iunius: *Bellarminus scripturā flagellat absre, quā Caluinus nō putauit temerè mutandā, sed rectè exponendam; & nusquam hæc Pauli verba nisi religiosè ab eo adducuntur*. Primùm, Bellarminus non flagellat scripturā, sed scripturæ corruptelā, ex Marcionis schola profectā. Deinde Iunius nihil respondet ad rem.

Digitized by Google

Quęstio enim est; quam lectionem adducat Caluinus in Institutionibus; Affirmat Bellarminus, eum adducere vulgatam Latinam: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Nega, si potes, verum esse quod Bellarminus ait. Quid alibi faciat Caluinus, aut quomodo Græcam illam lectionem exponat, quid ad nos? Hic quæritur, quid in Institutione sua egerit. Etsi Marloratus Caluini discipulus, in Indice scripturarum, quem Institutioni adiecit, nescio qua fide, Græcam lectionem designat. *Primus homo è terra terrenus. Secundus homo, ipse Domini è cælo;* cum tamen Caluinus non citet hanc lectionem; sed illam nostram vulgatam.

Quod Bellarminus dicit deprauationē istam fluxisse à Marcione; idque liquere ex libro quinto Tertulliani contra Marcionem oggrunnit Iunius: *Id verò in nulla Tertulliani editione comperi, licet collatis pluribus Rhenani, Gelenij, Pamelij:* Atqui vel dormitantem vel oscitantem te quæsiuisse oportet; si non reperisti in editione Pamelij. An non Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 10. edit. Pamel. ita scribit. *Eodem modo & in nomine hominis reuincetur* (Marcion) *primus, inquit, homo de humo terrenus; secundus, Dominus de cælo. Quare secundus, si non homo, quod & primus?* Pro vocabulo, *homo*, substituerat Marcion, *Dominus*: vt notat etiam Pamelius; vt suam hæresin eò melius tueri posset. Sed ait Tertullianus, eum nihilominus ex corrupto quoque loco reuinci: cur enim, inquit, vocatur secundus; si Christus non fuit homo æquè ac primus Adam?

Secundus locus à Bellarmino prolatus est iste 1. Cor. 7. *vbi nos habemus:* Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini sunt, &c. *Græci codices longè aliter habent. Nam illud, diuisus est, coniungunt cum sequentibus, sic: μεμέρισται ἡ γυνὴ, καὶ ἡ παρθένος. Diuisa est vxor, & virgo. Quam lectionem B. Hieronym. in lib. 1. contra Iouinianum affirmat non esse Apostolicæ veritatis.*

Vociferatur Hunnius: *Locus iste rectè habet in Græco; perperam autem in Latino. Estq; manifesta corruptela, si quis secundum Latinam editionem vulgatam legat; qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.*

Hactenus præter nudam asseuerationem nihil vidi. At fortè iam aliquid probationis adferet. Audiamus ergo. *Quid enim intelligit hypocrita per diuisum esse? Num in odium coniugij torquet, vt significet, à Domino separatum esse?*

Nihil minus; quia probè nouit Bellarminus, non ideo præcisè aliquem à Deo separari, quod in coniugio degit. Nouit coniuges quoque cum Deo coniunctè viuere posse. Quid ergo? *Num significat,* inquit Prædicans, *distractum esse cogitationibus mundi? Atqui, ad hoc significandum, minus apposita esset phrasis (diuisus est) præsertim sic absolutè posita.* Omnino hoc significat.

A Obiicit: *Atqui ad hoc significandum minus apposita esset phrasis* (diuisus est) *præsertim sic absolutè posita.* Atqui planè hæc locutio appositissima est; nam qui in coniugio degit, bonam suarum cogitationum partem transferre debet ad familiæ administrationem, liberorumque educationem & sustentationem; neque totum se diuino cultui mancipare potest; sed diuisus est; quandoquidem partem operæ, industriæ & cogitationum rebus temporalibus impendere cogitur. *In Græco fons purè fluit:* ait Prædicans; Admodum scilicet: Tam *purè*, opinor, quam versus Lucilij; quos Lyricus alicubi *lutulentos fluere* dicit.

Ad auctoritatem S. Hieronymi productam à Bellarmino, respondet Prædicans; *Hieronymum,*
B *ex nimia virginitatis admiratione quædam scripsisse contra Iouinianum, quæ cum Apostolica veritate minimè congruant; quapropter eo minus morari se ipsius auctoritatem in iis, quæ de hoc argumenti genere passim scripsit.* Similia ferè Iunius. Quam impudentiam in S. Hieronymum extorquet istis amor Iouiniani, cum quo communione studiorum & coniunctione voluntatum arctissimè copulati sunt. Non est autem ferendum Iunij mendacium, cum ait; *omnes alios patres agnoscere Græcam illam lectionem;* nam auctor commentariorum, qui apud Hieronymum exstant, Primasius, Haymo & S. Ambrosius initio libri de viduis, Latinam lectionem sequuntur, vt notat Lucas Brugensis in Notarionibus ad sacra Biblia; qui etiam testatur Parisi-
C enses habuisse duos Græcos codices, in quibus scriptum fuerit, vt vertit Interpres noster; Addit, se etiam vidisse à Simone Colinæo anno 1534. excusum, qui hanc scripturam exhibuerit. καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ, &c. Quæ si vertas, ipsissimam lectionem Latinam cernes.

Tertius locus est Rom. 12. vbi nos legimus: *Domino seruientes:* Græci non habent κυρίῳ, sed καιρῷ δουλεύοντες, *tempori seruientes;* Hunnius vocat hanc correctionem, *insulsum factum. Græcum textū esse integrum; nec mutandum.* Atqui in multis Græcis codicibus legitur κυρίῳ, non καιρῷ, vt in Regio ex Complutensi expresso, & in quinq; aliis quibus vsi Parisienses. *Quibus consentiunt*, inquit Lu-
D cas Burgensis, *Græcorum, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, atq; Oecumenij textus, & commentaria, Syricæq; editiones: Scholia adhac Latina, quæ apud B. Hieronymum exstant, & Primasij commentaria, ac Sedulij collectanea. Origenis interpres Hieronymus, cum hunc legendi modum explicuisset; scio, addidit, in nonnullis Latinorum exemplaribus haberi*, tempori seruientes: *quod mihi videtur inconuenienter insertum: nisi quis fortè ita dictum putet, vt in aliis idem Apostolus ait; Tempus breue est, superest, vt qui &c. vel, vt illud dictum est;* Redimentes tempus, &c. *Hodie in Latinis codicibus lectio hæc, tempori seruientes, non reperitur: constanter enim;* Domino seruientes, *habent*, &c. *Constanter enim Haymo, Anselmus, & posteriores nostræ editionis enarratores;* Domino seruientes, *edisserunt. quam-*

Digitized by Google

quam auctor Glossæ, ex Ambrosio, cuius interpretationem addidit, & alij, alterius litteræ; Tempori seruientes, *meminerint. Existimo D. Hieronymi castigationem, hanc legendi rationem,* Domino seruientes, *editioni nostræ dedisse: qui in epistola ad Marcellam scripta, vltima Tomi secundi, cum in eos acriter inuectus esset, qui studiosè ei detrahebant, quod in sacris noui testamenti litteris, quædam emendare tentasset, adiecit tandem:* Illi legant, spe gaudentes, Domino seruientes. *Varietati occasionē dedit, affinitas Græcarum vocum, κυρίῳ, & καιρῷ, præsertim cum voces scribæ breuiare soleant.* Hęc Brugensis.

Quin & Beza vertit: Domino seruientes: adiecto hoc scholio: *Ita in probatissimis quibusq; codicibus vetustis, & Græcis scholiis legitur. Sic quoq; legunt Chrysostomus, & Theophylactus, & ita citatur hic locus à Basilio in Ethicis, definitione 68. & à Clemente. Erasmus tamen interpretatus est, tempori seruientes, id est, καιρῷ δουλεύοντες. quæ lectio annotatur etiam ab Origenis interprete, & Glossa ordinaria, quam vocant. Explicatur autē tribus modis. Sunt enim qui existiment hoc dicto moneri pios, vt si quid incommodi acciderit, boni consulant, vt hoc cohæreat cum eo, quod sequitur. Alij verò putant præscribi fidelibus, vt pro temporis ratione sese accommodent fratribus; sicut dicit Apostolus se factum esse omnibus omnia. Alij demum καιρὸν accipiunt pro occasione, quod velit Paulus, nos studiosè omnem iuuandi occasionem captare. Quæ interpretatio mihi maximè probatur præ cæteris. Sed, vtcunq; accipias, non expresseris significationem verbi δουλεύειν, quod plus est, quam sese accommodare tempori, aut occasionem captare. Neq; puto vllum locum scripturæ, in quo simile dictum occurrat. Deniq; hanc sententiam vix putarim tam commodè posse accipi, quin à Christianismo prorsus dissideat. Itaq; omnino legendum esse puto τῷ κυρίῳ, & ab iis corruptum esse locum, qui compendium illud scribendi, κῷ, putarunt καιρῷ declarare; idq; eò verisimilius est, quod etianum hodie apud Basilium eo loco, quem ante citaui, ita scriptum inuenitur.* Hęc Beza; quæ adscribere volui in gratiā Hunnij, tam temerè pronunciantis illud: καιρῷ δουλεύοντες, tēpori seruientes, esse ipsum primigeniū & authenticum textū.

Quid hic Iunius; *Malè, quod paucorum est, exemplaribus Græcis omnibus tribuitur, & ex particulari adstruitur vniuersale. Sic probari corruptionem noui testamenti Græci oportuit scilicet. Hoccine Catholici hominis officium, aut factum?*

Hoccine Caluiniani hominis officiū, aut factum, *mentiri*? Nō enim dicit Bellarminus in omnibus Græcis exemplaribus hanc corruptelā extare. Neq; ita argumentatur. Quædā exemplaria hoc loco vitiosa sunt; ergo omnia; multoq; minus hanc argumentationē texuit: Alicubi corruptus est Græcus textus: ergo vbiq;. Hæc Prædicantiū figmenta sunt, nō Bellarmini argumenta. Hoc adstruit: In Græco textu inueniuntur manifesta quædam menda & errata; ergo falsum est, quod Prædicantes perpetim iactant; Græcum textum vbique esse purum & incorruptum. Interim tamen & Iunius agnoscit lectionem illam καιρῷ, pro κυρίῳ esse vitiosam.

Ait Bellarminus: *In plurimis Græcis codicibus, deesse*

A *multas veræ scripturæ partes, vt historiā adulteræ Ioan 8. Vltimum caput Marci; testimonium pulcherrimum Trinitatis, 1. Ioan. &c.*

Hic Hunnius furiis agitatus vociferatur: *Sceleratum, & sycophanticū & blasphemum est, id, quod pauci fecerunt hæretici, & quidem in paucissimis exemplaribus, attribuere velle ipsi Græco textui Beatorum Euangelistarum, & Apostolorum: præsertim hodie, vbi illius sacrilegij nulla vspiā vestigia apparent.* Pacatè Prædicans, ne videaris insanus. Non accusat Bellarminus ipsum Græcū textum prout ab Euangelistis & Apostolis profectus est: Tantū ait; in plurimis Gręcis codicibus quædā deesse; quorumcunq; tandē culpa desint: quod si negas, vt reuera negas, mendacij te redarguet Beza, qui ad caput 8. Ioannis notat, ex septendecim Græcis codicibus Roberti

B Stephani vnū duntaxat historiā illā adulteræ habuisse. Testatur idē Beza in cap. 5. Epist. primæ S. Ioannis testimoniū illud Trinitatis; *Tres sunt, &c.* in multis Græcis codicibus deesse; quod etiā liquet ex Notationibus Lucæ Brugensis. Nil ergo causæ erat cur tam impotenter hoc loco baccharetur Prædicās; nisi quod bacchari videtur apud eum ex cōsuetudine iam in alterā naturā migrasse: qui cōmotam insaniā necdum cōprimere valens clamitat: *Hoc extremum verò sceleratius est; quod ait Bellarminus: quædā in omnibus Græcis codicibus inueniri; quæ nō sint partes diuinæ scripturæ; vt Matth. 6. Quia tuū est regnū & potentia & gloria in sæculū. Si in omnibus Græcis codicibus exstant,* inquit Prædicans; *vnde ergo*

C *nouit verba illa esse adulterina?* Inde; quia Latini patres; qui Græcā linguā optimè nouerant, nullam horū verborum mentionē faciunt, quando orationē Dominicā exponunt: signū est igitur verba hæc à patribus illis nō fuisse reperta in Græcis exemplaribus, quibus vtebantur. Cur ad hanc Bellarmini rationē nihil respōdit Prędicans? Cur nihil ad istā alterā eiusdē? Quia Græci in sua liturgia recitāt quidē hęc verba; sed non cōtinuant cū oratione Dominica. Vnde & ipsi sentire vidētur, hæc verba nō pertinere ad orationē Dominicā; & cōsequenter nec esse diuinæ scripturæ partem.

Qui ergo factū, vt in Græcos codices, iam olim irrepserint? Nō displicet cōiectura, quā cum alij, tum Maldonatus noster in caput sextū Matthæi

D adferunt; id nimirū ex more Græcorū accidisse; quibus vsitatū, preces terminare aliqua *doxologia*, & laudatione Dei; Hinc Psalmis addiderunt illud: Gloria patri, &c. Salutationi Angelicæ istud; ὅτι σὺ ἔτεκες τὸν σωτῆρα ἡμῶν: *quia tu peperisti saluatorē nostrū*: & sermones suos ad populū plerunq; finiunt illis verbis doxologicis; ὅτι σοὶ τὸ κράτος, καὶ δόξα καὶ βασιλεία, &c. Quoniam tibi est potentia, gloria & imperiū. Simili igitur doxologia orationē Dominicā claudere voluerunt; quæ postea incuria hominū, ipsum contextū occupauit; & perinde faciunt hæretici, cum hæc verba partem sacræ scripturæ esse contendunt; ac si contenderent; illam doxologiam: *Gloria patri & filio, &c.* Esse partem Psalmorum; quia terminat Psalmos.

Ogge-

Oggerit Hunnius. *Etiamsi non esset pars orationis* A
*Dominicæ, tamen certum est, esse partem capitis vicesimi
noni primi libri Paralipomenon.* Sed mentitur Prædicans,
more suo. Nam citato loco exstant hæc verba: *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atq; victoria, & tibi laus*; quæ certè non sunt ista. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, *quia tuum est regnum, potentia, & gloria in secula.* Deinde non quæritur, vtrum verba illa sint pars diuinæ scripturæ simpliciter, sed vtrum sint pars scripturæ nouæ Græcæ; & quidem capitis sexti apud D. Matthæum; & Græci illius textus. Nam si propterea pars scripturæ sanctę nouę existimari deberent; quia ex libro Paralipomenon translata eò fuissent; non ab aliquo Apostolo, aut Euangelista; sed vel ab incuria; vel inobser- B
uantia; vel à quouis alio priuato, nulla ad id Spiritus sancti peculiari vi adacto; tum Hunnius, pro sua solertia, Euangelia quotidie, multis partibus augere posset, transcriptis ex Genesi, aut alio quopiam antiqui testamenti libro in Euangelia quotquot luberet, partibus. Num propterea veræ partes nouæ scripturæ diuinæ essent?

Calumniatur, quod Bellarminus dixit; quædam contineri in textu Græco, quę non sint veræ partes scripturæ diuinæ; *cum tamen postea vnum duntaxat exemplum producat.* Futilis est hæc calumnia; quia si Hunnius plura exempla desiderabat; cur Notationes Lucæ Brugensis non adiit; quæ non vnum, sed plura exempla suppeditassent. C
Vel ipsum suum κυρῷ ἀκολουθοῦντες accepisset, Hunnius; & iam alterum exemplum habuisset.

Quia vero Hunnius, vt & Iunius, hic tam multa & vana verba profundunt de adiectione illa: *quia tuum est regnum, &c.* lubet commemorare, quod nam Erasmi, magnæ apud istos auctoritatis, super hac re iudicium fuerit. Forsan Erasmum audient, qui ad Orthodoxorum vocem ambas aures iam pridem occlusas habent. *Hanc coronidem in omnibus Græcorum exemplaribus adiectam comperio,* inquit Erasmus. *Quoniam tuum est regnum, &c. Verum quando nec in vllis Latinorum exemplaribus adscriptum visitur, nec exponitur ab Hieronymo, aut vllo prorsus interpretum, præter Chrysostomum, & huius ab-* D
breuiatorem recentem Theophylactum, apparet ex solenni consuetudine sic additum, vt angelicæ salutationi quædam adiecerunt, nec ab angelo dicta, nec à quopiam alio. Nam, benedicta tu in mulieribus, Elizabeth verba sunt. Et; Quia peperisti seruatorem animarum nostrarum, à nemine dictum est. Consimili studio adiectum est in fine Psalmorum, Gloria patri. Proinde non est, cur Laurentius Valla stomachetur, bonam precationis Dominicæ partem fuisse decurtatam. Magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti sint, tam diuinæ precationi suas nugas assuere. Nugas enim iure dixerim ad diuinam doctrinam, quidquid ab hominibus profectum fuerit: præsertim, si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum auctorem conferatur.

Quod si quis contendat, hoc ab ipso Christo fuisse additum, necesse est, vt fateatur omnes nostros, ac totam Romanam Ecclesiam hactenus fugisse bonam partem dominicæ precationis. Ac ne Africanam quidem rectè legisse. Nam Cyprianus enarrans peculiari libello locum hunc Euangelij, ne verbo quidem agnoscit hanc coronidem. Porrò, qui ideo putant ab Euangelista fuisse additam; quod Chrysostomus interpretetur, leui nituntur argumento. Siquidem interpretatur ille, quod solennis vsus Ecclesiæ Græcanicæ quotidie sonabat: perinde quasi quis enarrans Psalmos, interpretaretur solennem illam coronidem, Gloria patri, & filio. Nec mirum, si hoc dignatus est facere Chrysostomus, cum in homiliis diligenter exponat hymnum, quo monachi quidam soliti sunt consecrare conuiuium suum. In aurea catena hoc modo citatur Chrysostomus. Quia verò solicitos nos fecerat inimici memoria, in hoc, quod dixerat, sed libera nos à malo, rursus audaciam præbet per hoc, quod in quibusdam libris subditur, quia tuum est regnum, &c. quod, vnde sumptum sit, nescio. Nam hæc verba non reperiuntur in Chrysostomi commentariis. Qui cōtendunt hanc coronidem adscriptam fuisse ab Euangelista, iidem confirmant, hanc editionem aut esse Hieronymi, aut certè ab illo castigatam, velim vt explicent nobis, cur ille tantam sacræ precationis partem ausus sit omittere: qui ne in commentariis quidem vllam huius fecerit mentionem. Hæc Erasmus.

Quid Danæus? Nil nisi conuicia. vt, cum caput hoc vocat *impurum*, & *blasphemum*, & *quo nihil sit impurius; vel mendacius*; & cum ait; *Bellarminum totam diuinæ, & veteris, & noui testamenti scripturæ fidem semel abrogare; eò quod negat omnimodam illam paritatem, quam iactant Haeretici, Hebræo & Græco fonti inesse: vt liberè sit fas dissentire Christianis hominibus.* Quot verba tot commenta; vt & in his: Bellarminum ita argumentari: *In nonnullis Græcis codicibus quædam immutata inueniuntur, ergo illa fuerunt mutata in omnibus codicibus.* Vbi frons, vbi pudor; vbi honestas? Erupit, euasit, excessit, ex Prædicantium corde, ore, calamo, chartis. Etsi non tam miror istos tam atrociter mentiri; quàm esse; quibus huiusmodi mendacia persuaderi queant.

Mentiendi satur expedit solita arma; & triarios illos in acie aduersus hoc caput constituit. Quos tandem? *Paralogismum à non consequente. Paralogismum à non caussa. Paralogismum ab accidente.* Quibus, si fortè succumberent, cum sat virium non haberent, suppetiatum submittit, Paralogismum *secundum quid.* Quos Heroas cum imperiti aduersus hoc caput emissum vident, iam ex imis fundamentis euersum existimant; cum nihil sint aliud, quam vmbræ & fumi indocti vulgi oculis præstinguendis comparati.

CAPVT VIII.

De Latinis editionibus.

HVNNIVS caput istud non tangit. Danæus hoc conuicio ferit: *Totum hoc caput est nihili.* Quis hoc asserit? Prædicans nauci. Iunius, ne nihil videatur dicere; ait; *Hieronymum vetus testamentum non modò bis vertisse in Latinum; semel ex editione septuaginta Interpretum; & semel ex Hebræo; sed etiam emendasse & recognouisse, idq; ex his Prologi Galeati verbis liquere: Quidquid enim crebrius vertendo & emendando sollicitius & didicimus & tenemus, nostrum est.* At cui rei ista Iuni? An vnquam aut vspiam negauit Bellarminus S. Hieronymum versionem suam ex Hebræo postea limasse & expoliuisse? Quis interpretum hôc non facit, si tempore & otio non destituatur?

Communis sententia est, S. Hieronymum non transtulisse nouum testamentum ex Græco; sed editionem iam antea exstantem à mendis tantùm emaculasse & emendasse. Nouator, vt aliquid noui dicat; contendit, *S. Hieronymum Latinum testamentum etiam vertisse ex Græco, suæq; sententiæ testem laudat S. Augustinum Epist. 10. ad Hieronymū; cum ait; non paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Euangelium ex Græco interpretatus es.* Cæterum qualis hæc interpretatio fuerit, docet ipse D. Hieronymus in Epist. qua D. Augustino respondet. *Si me in noui testamenti emendatione suscipis, &c.* Interpretatio ergo illa ex Græco, de qua D. Augustinus, nihil aliud erat, quàm emendatio Latinæ editionis ad Græca exemplaria.

Idem probare conatur Caluinista ex illo D. Hieronymi ad Lucinium. *Nouum testamentum Græcæ reddidi auctoritati.* Reddidit, sed emendando, nō vertendo: vt planum, ex Epistola ad Damasum; quæ tamen præfatiuncula pollicetur tantū quatuor Euangelia; seu correctionē quatuor Euangeliorum; Etsi non est dubium, quin totum nouum testamentum ad Græca exemplaria emendarit; id enim significant verba illa ad Lucinium; & similia in extremo libro de viris illustribus. Est autem mendacium cum summa historiæ ignorantia coniunctum, quod scribit Caluinista, *ex versione noui testamenti è Græco, exstitisse offensas in Ecclesia; ac propterea S. Hieronymum, vt tolleret offensas, veteri editioni, iamq; antea in Ecclesiis recepta emaculandæ; & ex Græcis codicibus restituendæ operam dedisse:* Quæ omnia commentitia sunt; nulla enim vnquam propter vllam versionem S. Hieronymi offensio nata est, nisi propter illam veteris testamenti ex Hebræo; vt patet ex S. Augustini Epist. 10. ad S. Hieronymum, & ex omnibus fermè D. Hieronymi in sacros libros procemiis. Loquor autem de offensionibus publicis, & alicuius momenti; nam quis tam felix vnquam fuit, qui labore suo in quorundam offensam nō inciderit;

A quāuis immeritò? Testatur hoc quod diximus, apertè S. Augustinus Epist. 10. ad S. Hieronymū: *Non paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Euangelium ex Græco interpretatus es. quia penè in omnibus nulla offensio est, cum scripturam Græcam contulerimus. Vnde, si quispiam veteri falsitati contentiosus fauerit, prolatis, collatisq; codicibus, vel docetur facillimè, vel refellitur. Et si quædam rarissima meritò mouent: quis tam durus est, qui labori tam vtili, non facilè ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit.*

CAPVT IX.

De Auctore vulgatæ editionis.

B DOCET Bellarminus, nouum testamentum non haberi à nobis ex interpretatione; sed tantum ex emendatione D. Hieronymi. Vetus autem testamentum totum esse ex versione D. Hieronymi. exceptis Psalterio, Sapientia, Ecclesiastico & libris Macchabæorum. Hoc probat aliquot argumentis, quę Prædicantes soluere nituntur, simulque aduersariorum argumenta contra hanc doctrinam refutat; quæ tamen defensione sua pars aduersa stabilire tentat. VVitackerus Controuers. 1. q. 2. cap. 6. pollicetur se luce clarius demonstraturum vulgatam editionem non esse veram germanamque Hieronymianam, sed si non prorsus diuersam, mixtam certè ex veteri, quam
C vocabant *Italam*, & ex Hieronymiana. Audiamus igitur & expendamus has luce clariores demonstrationes.

I. Hieronymus vetus testamentum transtulit accuratè ex libris Hebræis, quod sæpissime ipsemet testatur, vt præfat. in Psalterium ad Sophronium. Præfat. in Pentateuchum; præfat. in lib. Regum. Idem testatur S. August. lib. 18. de Ciuit. Dei & Isid. lib. 6. Etymolog. cap. 5. At vulgata editiò in singulis libris multum discrepat ab Hebræis exemplaribus; ergo vulgata editio non est illa Hieronymiana. Respondeo, vulgatam editionem non tantum dissidere ab Hebræo textu; quantum isti volunt; qui odio vulgatę editionis, & nimio Hebraici textus amore sæpe discrepantias somniant, vbi prorsus nulla inuenitur. Quod autem aliquando discrepare
D videntur, id fit, vel quia Nouatores, & alij *Hebraizantes*; verba Hebræa, vtpote πολύσημα, & vario significatu prædita, aliter accipiunt, quàm vetus interpres; idque studio nouitatis, ne temere nouam editionem machinati censeantur, si non aliquid noui pariant. Interdum dissensio censetur; quia vel textus Hebræus; vel Latinus deprauatus est; siue id culpa librariorum, siue malitia & improbitate quorundam falsariorum acciderit. Etsi enim Bellarminus nō concedit Hebraicum textū omnimodè esse corruptum, vt quidā contendunt; nō concedit tamen illi omnimodā puritatem, vt faciunt hæretici; sed media via incedit; vt nec nimis purum, nec nimis corruptū statuat: Quocirca bene contingere potest, vt ex

Digitized by Google

hoc capite diuersitates quædam exstiterint inter vulgatam editionem & Hebræum textum: quæ eò etiam magis, tanquam discrepantiæ; imperito & incircumspecto lectori apparent; quod S. Hieronymus crebrò sua in interpretatione, atq; adeo in vulgata editione, potius respexit ad sensa, quam ad vocabula; vt hic etiam notat Bellarminus.

Accedit, quòd isti vix possunt proferre vllum locum, qui verè à textu Hebræo aut Græco dissideat; vt infra suis locis planum faciemus. Adde tandem; vulgatam interpretationem, teste Bellarmino, esse aliquando mixtam; non ex illa veteri Latina versione; quæ *Itala* appellabatur, hoc enim disertè inficiatur Bellarminus; sed ex Latina versione 70. Interpretum, eodem S. Hieronymo auctore; idque potissimum in libris Regum, & in Prouerbiis vsuuenit. Quare non mirum, si quædam inueniantur in Latina editione, quæ nõ comparent in Hebręo; quia ex 70. senioribus desumpta sunt. Et hæc responsio optimè procedit secundum illorum sententiam, qui putant 70. Interpretes Spiritus sancti virtute instinctos, aliqua addidisse, quæ non repererint in originali Hebræo textu; idque auctoritate Prophetica & Canonica; cuius sententiæ sunt præstantissimi Ecclesiæ patres; Augustinus, Epiphanius; & alij: Optimè etiam procedit hæc responsio, si quis dicat; fontes Hebræos iis locis, vbi vulgata editio verè plus habet aut minus, quã Hebræus textus; non esse sinceros; sed id quod in editione vulgata exstat; in Hebræo autem non exstat; excidisse; quocumq; casu id acciderit; vt dicit Origenes in Epistola ad Iulium Africanum de historia Susannæ, & aliis quibusdam scripturæ diuinæ partibus & particulis, quæ legebantur in Græcis codicibus, non in Hebræis.

Si quis tamen, arbitretur, 70. seniorum versionem. initiò penitus cum Hebræo textu concordasse; nec quidquã additum esse; cuius saltẽ sententia in Hebręo nõ exstaret; si itidẽ quis sibi persuadeat; Hebræos codices nõ esse nisi paucis locis deprauatos; nec à Iudæis mutilatos & decurtatos; nec temporis diuturnitate vel librariorũ negligẽtia & inscitia vitiatos; tum vix video, qua ratione defendi queat, vulgatam versionem esse mixtam ex illa 70. seniorum versione; vbi vulgata versio cum Hebręo non concordat. Nam cum ea; quæ in versione 70. Interpretum verè diuersa erant ab Hebræo textu; non manauerint à 70. Interpretibus, quandoquidẽ illorum interpretatio examussim cum Hebræo textu congruebat, vt supponit hæc opinio; Hebræus itidem textus non sit mutilatus aut deprauatus; necessariò sequitur talia, quæ ex 70. Interpretibus desumpta & in vulgatam Latinam editionem translata dicuntur; non esse Canonica; cum fuerint 70. Interpretibus olim superaddita; quando puritas illius versionis ab Origene & aliis additione & detractione contaminari cœpit. Quis autẽ dicat

A Canonica & authentica esse; quæ nec sint in Hebræo textu, nec in prima 70. Interpretum versione exstabant?

Qua difficultate nequaquam premuntur; qui D. Augustini de 70. Interpretibus sententiã amplectuntur; aut etiam illam Origenis de audacia Iudæorũ sacros libros mutilantiũ, si quid minus illis arrideret, præsertim si esset eiusmodi quiddã, quod in seniorũ dedecus redundaret; vt erat historia illa Susannæ: etsi alias item ob caussas corruptelæ in Hebræo textu accidere potuerint per additionem, detractionem, immutationem; seu fortuitò; seu de industria.

Vtcunq; ista se habeant; iam Bellarmini sententiã sequimur, & ab hæreticorũ calumniis vindicamus; quæ constat, licet prætereamus illã de

B mixta versione rationẽ. Sed aiunt Hæretici. *Multa esse in vulgata versione; quæ Hieronymus aut aliter verterit, aut vertenda aliter docuerit, aut etiam tanquam malè versa reprehẽderit.* Sed cur id eueniat, quatuor caussas attulit Bellarminus. Quas VVitackerus prius solidè refellere debebat; quàm nobis catalogum huiusmodi locorum hic texeret. Et tamen exempla quæ profert, nihil penitus à vulgata editione discrepant si sensum consideres. Percurramus singula: *Gen. 1. legimus in vulgata editione; spiritus Domini ferebatur super aquas; habetur, inquit Hieronymus in Hebræo vocabulum, quod significat, incubabat, siue confouebat, in similitudinem volucris oua calore animantis.* At hæc est explicatio vulgatæ versionis; non re-

C iectio. Nam ferebatur spiritus Domini super aquas non quomodocunque; sed incubando & fouendo illas.

Gen. 4. *vulgata habet: Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Hunc locum Hieronymus sic potius esse vertendum censuit, quemadmodum Theodotion interpretatus est*: Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius; super Cain autẽ, & super sacrificium eius nõ inflammauit: *& hanc esse verissimã interpretationẽ confirmat.* At sensus idem est; quia *inflammauit Dominus super Abel*; quomodo, nisi respiciendo? Et quomodo respexit ad Abel nisi inflammando, & amoris igne acceptando illud Abelis innoxium sacrificium?

D *In hoc eodem capite, ait VVitackerus; illud superfluum esse dicit Hieronymus; Transeamus in campum, quod in nostro & Samaritanorum volumine legitur. Hoc autem idem est, quod in vulgata habetur*, Egrediamur foras.

An propterea nõ transtulit hoc Hieronymus; quia in quæstionibus Hebraicis superfluũ iudicauit? An nõ iam dixit Bellarminus, S. Hieronymũ aliquando priores mutasse sentẽtias? Quare nõ sequitur: *S. Hieronymus alicubi verba illa censet superflua; ergo nõ sunt ab illo translata*; quia fieri potest; vt dum transtulit, nõ censeret superflua; vel licet superflua censeret; nihilominus tamen transferret; cum sensus loci tale quid postulet, quale à 70. Interpretibus, à Thargum Hierosolymitano, & à nostro Interprete expressum est; vt

agno-

Digitized by Google

agnoscit etiam Oleaster non minimus ex Hebraizantibus Interpretibus, tametsi Catholicus, in scholijs ad caput IV. Geneseos. Et vnde notum est sectariis verba illa ex Hebræo textu non excidisse? Suspicionem profectò mouet, tum 70. Interpretum auctoritas; tum necessitas integrandi & implendi textus; ne quid sit hiulcum, & malè connexum.

Pergit VVitackerus. *Gen, cap. 30. v. 32. quod legitur; Cunctum gregem vnicolorem; Hieronymus admonet legendum esse; non vnicolorem; atq; ita locus, & ratio postulat.*

Hic rursus delirat VVitackeri acumen; quia nō sequitur: S. Hieronymus in Hebraicis Quæst. probat & explicat illam lectionem: *Non vnicolorem*: Ergo altera lectio, quæ negatione caret; nō est Hieronymiana. Quia, vt anteà dixi; fieri potuit, vt mutarit sententiam de versione, cum Quæstiones illas Hebraicas conscriberet: vel si prius Quæstiones Hebraicas conscripsit, quàm Genesin vertit; certè vertendo locum illum cap. 30. Geneseos absque negatione, censeri potest mutasse sententiam prius in quæstionibus Hebraicis explicatam, vel vtramque versionem probabilem iudicasse; & modò hanc, modò illam sequi voluisse. Nam quod vulgatæ itidem lectioni cōmmodus sensus subiiciatur, docebit lectorem commentariis Pererij nostri in caput illud trigesimum Geneseos. Neque ita locus & ratio lectionem illam alteram negatione affectam postulat, vt vulgata nostra nullius verisimilis explanationis capax maneat; vt Hæreticus existimare videtur, qui addit.

Similiter Esaiæ primo, quod vulgata editio habet, vt ambularetis in atriis meis; Hieronymus sic vertit; Calcare atrium meum non apponetis: atq; ita nunc illa versio habet, quam in Hieronymi operibus cum commentariis legimus. Eōdem modo pòst. vbi vulgata versio legit; Facti estis mihi molesti; Hieronymus habet; Facti estis mihi in satietatem. Et in fine capitis, quod in vulgata legitur; cum fueritis velut quercus; Hieronymus sic transtulit; Erunt enim quasi terebinthus. sunt huius rei infinita pene alia exempla.

Hic solitum vitium committit VVitackerus: Non enim sequitur; Hieronymus aliam quoq; versionem dedit; ergo illa altera non est S. Hieronymi; quia fieri potest; vt eundem locum bis idem Interpres transferat; nec semper eōdē modo: nec tamen quia aliter transfert postea, prior Interpretatio non est existimanda illius. Quot loca noui testamenti aliter vertit posterioribus editionibus Beza; quot Erasmus, quot Castaleo, quot alij versores hæretici? An ideo priores versiones non sunt Bezæ, Erasmi, aut Castaleonis? Iam verò illud: *Facti estis mihi molesti*: Et *facti estis mihi in satietatem*; vnum idemq; significant; Nam cuius quis satur est, id si ingeratur; molestiam parit. Et quamuis versio addita cōmentariis D. Hieronymi in Isaiā *terebinthum* exhibeat; in expositione tamen agnoscit D. Hieronymus, etiam quercū reddi posse; cum Hebræū vocabulum sit ambiguū: nec dubito ita reddidisse; etsi *terebinthum* quoq; recepit, vt si fortè quercus alicui non arrideret, terebinthus non displiceret.

Exempla, quæ ex nouo testamento VVitackerus adducit, nihil ad rem faciunt: quia S. Hieronymus non est auctor vulgatæ editionis noui testamenti, vt expressè Bellarminus docet; sed tantum corrector; nec tamen eiusmodi corrector & emendator, qui omnes mendas sibi emaculandas putarit. Hoc enim sibi non fuisse propositum his verbis clarè testatur in præfatione ad Damasum. *Hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum ordo est iste: Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes: Codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum, quæ ne multum à lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperauimus, vt his tantum, quæ sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur, vt fuerant.*

Quapropter mirum non est, si alicubi S. Hieronymus indicat, aliter verti potuisse Græca; quam nunc in nostra vulgata editione exstent; quia ipsemet in præfatione profitetur, se noluisse omnia mutare, quæ mutanda arbitrabatur, eò quòd longè lateq; per Ecclesias iam diffusa fuerant, & communi approbatione recepta. Præterea fieri potuit, vt S. Hieronymo vsuuenerit, quod quotidie Interpretibus vsuuenire consueuit; vt scilicet probaret, ea, quæ postea improbanda duxit; vtque emendationis indigere crederet; quæ cum maculis noui testamenti eluendis operam daret; sincera nulliusque correctionis indiga existimaret. Quis enim non mutat interdum sententias?

Quanquam, quæ VVitackerus adducit, minimè eiusmodi sint, vt inter nostram vulgatam editionem & sententiam S. Hieronymi irreconciliabilem discrepantiam contineant. Nam illud ad Galat. 1. *Continuò non acquieui carni & sanguini*; non dissidet ab illo; *Non contuli cum carne & sanguine*: Quia collationis cum quopiam finis est; adquiescere; ideo enim conferimus cum aliquo; vt vel ipse nobis, vel nos illi adquiescamus: Verbum ergo προσανεθέμην expressit Interpres noster per effectum; S. Hieronymus in commentario Epist. ad Galatas, per caussam. Si vim vocabuli spectemus; aptius reddi videtur per verbum *acquiescendi* quàm *conferendi*; Est enim idem quod assentiri, & vt Germani vocant, *beyfallen*. Qui autem alteri assentitur, is in eo, eiusue sententia acquiescit.

Quod verò VVitackerus cum Erasmo dicit: ex verbis illis cap. tertij Epistolæ ad Galatas: *Non obedire*; vel, vt alij codices habent, non *credere veritati*. omissis à S. Hieronymo in Commentario, quòd non inuenirentur in exemplaribus Adamantij; *liquidò patere, editionem vulgatam noui testamenti totam non esse D. Hieronymi*; id apud Bellarminum nulla probatione eget, cum id vltrò concedat: tametsi, quomodo locus iste hoc euin-

cat; facilius possunt isti asseuerare; quàm demonstrare.

Similis ratio est cap. 1. ad Ephesios; vbi noster posuit *pignus*, pro eo, quod Græcè est *arrhabo*: nam duo hæc vocabula eadem notione aliquando accipi solent; vt notat etiam Beza in primum caput Epist. 2. ad Corinth. *Hebræi*, inquiens, *à quo videntur hoc vocabulum sumpsisse Græci, Arbon vocant id omne, quo dato confirmatur fideiussio. Ideo vetus interpres pignus conuertit.* Quæ igitur culpa interpretis apud Caluinistas, si vertit, vt Caluinistarum Patriarcha Beza verti posse concedit? Quod itidem dictum sit de illo loco cap. 4. ad Ephes. *Qui desperantes semetipsos, &c.* Esto enim interpretem legisse ἀπηλγηκότες, non ἀπηλπικότες, quarum vocum facillimam esse permutationé agnoscunt Erasmus & Beza, rectè tamen reddidit noster, *desperantes*, quia desperatio nihil est aliud, quam omnis sensus abiectio. Quis enim minus quidquam sentit; quis vt isti loquuntur, magis *dedoluit*; quam qui desperauit, cui nulla salutis cura; nullus amplius rerum cælestium sensus superest?

Itaque vt locum hunc concludam, aut S. Hieronymus locos istos reprehendit priusquam nouum testamentum ad Græca exemplaria corrigeret, aut postea. Si prius, ergo postea mutauit sententiam, quando textum Latinum emendans, hęc intacta reliquit, ratus nihil continere, quod non posset tolerari. Si postea hos locos reprehendit, quàm nouum testamentum, iussu Damasi, emendauit; tum sequitur, S. Hieronymum de his locis priorem sententiam mutasse; mutando tamen non effecisse; quo minus id, quod hodie in vulgata editione legitur, aut correctione aut permissione D. Hieronymi legatur.

Verumenimuero VVitackerus contentus nó est argumenta, grauissima scilicet, attulisse, cur vulgata editio veteris testamenti, exceptis pauculis, non sit, ex versione; & editio noui testamenti ex correctione D. Hieronymi; rationes insuper quibus id Bellarminus probat, infringere, vel potius arrodere, conatur, cum quo in easdem dentes suos *Prædicanticos* exerit Lutheranus Hunnius. Nam cur nonnulla reperiantur in vulgata editione, quæ D. Hieronymus aliter vertenda fuisse dicit, id confert primò Bellarminus in culpam librariorum. Oggerit VVitackerus cum suo Lutherano succentore Hunnio. *Non esse errores librariorum iis in locis, quæ D. Hieronymus aliter vertenda existimaret.* Vnde hoc probant isti? Certè in singulis fermè præfationibus, quas libris à se translatis præfixit, & in quamplurimis aliis Epistolis conqueritur S. Hieronymus de incuria & oscitantia, atque adeo de erratis & mendis librariorum temerè & oscitanter à primigenio & castigato exemplari recedentium. Vnde ad Lucinium Bæticum Epist. 28. hæc scribit: *Opuscula mea, quæ non sui merito, sed tua bonitate desiderare te di-*

A *cis, ad describendum hominibus tuis dedi, & descripta vidi in chartaceis codicibus; ac frequenter monui, vt conferrent diligentius, & emendarent. Ego enim tanta volumina præ frequentia commeantium, & peregrinorum turbis, relegere non potui: &, vt ipsi probauêre præsentes, vix diebus quadragesimæ, quibus ipsi proficiscebantur, respirare cœpi. Vnde, si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed tuis, & imperitiæ notariorum, librariorumq; incuriæ; qui scribunt, non quod inueniunt, sed quod intelligunt; & dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.*

Secunda caussa, quam reddit Bellarminus, est varia significatio vocabulorum, nam B. Hieronymus modò vnam, modo alteram significatio-
B nem secutus est. Exempla adfert Bellarminus. Occlamat VVitackerus. *Boni interpretis est, expendere, quæ significatio maximè conueniat, eamq; amplecti.*

Non negamus hoc esse boni interpretis; sed quid si se expedire nequeat, quæ tandem significatio absolutè sequenda sit? Quid si vtramque, vel si plures sint, omnes, vel plerasque, probabiles existimet? Quid si quam prius probabilem reputabat, postea, re accuratius considerata, improbabilem iudicet atque adeo repudiet? Quid si vni contingat; quod iam diuersis contingere videmus non modò in Hebræis, sed, quod magis mirum, in Gręcis, tametsi notioribus. Quàm multi ex Hæreticis & Catholicis verterunt libros
C testamenti veteris ex Hebræo; & nouum ex Græco. Num inter se conueniunt? imò plusquam toto cælo non rarò dissident; & quod vnus candidum, alter affirmat esse atrum: & quod vni videbatur ex intimis Hebraici aut Græcanici textus medullis erutum, hoc alter, tanquam indoctum, rude & inscitum repudiat. Quæso conferat VVitackerus aut Hunnius, aut alius quispiam sectarius inter se versiones Castalionis, Leonis Iudæ, Iunij, Tremmelij, Bezæ, Erasmi, & similium; & videat, quomodo consentiant. Qui dissensus, vnde exsistit; nisi quia vel ex imperitia, quæ istis est solennis, vel ex varia vocabulorum significatione, alius sic, alius aliter hanc vel illam dictionem vel locutionem accipiendam putat?

D Nec verum est, quod Caluinista addit: *Si quando Hieronymus apertè dicit, se putare aliquem locum, aut verbum aliter esse vertendum quàm in editione vulgata versum esse perspicimus, manifestum est, illam versionem non esse Hieronymi,* quia fieri potest; vt prius aliter senserit. Fieri item potest, vt postea aliter senserit; neque enim, vt VVitackero domesticú exemplum adducam, ideo priores Bezæ versiones noui testamenti; aut Castalionis noui & veteris, non sunt Bezæ & Castalionis, quia postea apertè iudicarunt, multa loca aliter esse vertenda, quàm prius verterant.

Inter cætera variæ significationis adducit Bellarminus illud ex Psal. 2. *Adorate filium*; quod

Hiero-

Digitized by Google

A Hieronymus, teste ipso D. Hieronymo, vertit aliquando: *Adoratè purè*; eò quod Hebræum vocabulum *Bar*, tam hoc, quàm *filium* significet. *Fallit Iesuita*, clamat Prædicans. Non fallere, testis est ipse D. Hieronymus libro 1. contra Ruffinum: vbi hoc, quod Bellarminus tradit, expreſsis verbis affirmat. Quæ hæc Prædicantis impudentia? Cur non inspexit locum D. Hieronymi à Bellarmino designatum? *Semper Bar filium significat*, ait Prædicans. Hoc negat S. Hieronymus. Quis doctior, Hebraicè, atque adeo fide dignior, D. Hieronymus; an Locutius iste Prædicans? *Quod fallat Bellarminus*, ait Prędicans, *conuincitur ex ore suo. Nam supra dixit; esse hunc locum contra Iudæos in Hebræo textu inuictissimum. At non potest esse inuictus, si Iu-* B *dæi in illo hanc ambiguitatem vocis poßint ostendere. nunc porro in mutatam ab Hieronymo sententiam, culpam reiiciens.*

Tota quæstio est de S. Hieronymo: nam de hoc solo, eiusque sententia agit Bellarminus; vtrum scilicet ipse D. Hieronymus habuerit vocabulum illud Hebraicum *Bar* pro ambiguo, multisque significationibus prædito. Et habuisse, liquet ex his eius verbis lib. 1. contra Ruffinum. cap. 5. *Illud quoq; carpere dicitur, quod secundũ Psalmum interpretans, pro eo, quod legimus in Latino, apprehendite disciplinam, & in Hebraico volumine scriptũ est* בשׂרִ בר, *dixerim in commentariolis meis, adorate filium. Et rursum omne Psalterium in Romanum vertens sonum, quasi immemor expositionis antiquæ, posuerim, adorate purè:* C *quod vtiq; sibi esse contrarium omnibus patet. Et reuera, ignoscendum est ei, si ignoret linguæ Hebraicæ veritatem, qui interdum & in Latinis hæsitat.* בשׂרִ, *vt verbum de verbo interpreter,* καταφιλήσατε, *id est, deosculamini dicitur: quod ego nolens transferre putidè, sensum magis secutus sum, vt dicerem, adorate. Quia enim, qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere; quod se B. Iob Iob. 31. elementis, & idolis fecisse negat, dicens: si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum est in absconditο cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: quæ iniquitas maxima est, & negatio contra Deum altissimum: & Hebræi, iuxta linguæ suæ proprietatem, deosculationem pro veneratione ponunt: id transtuli, quod ipsi intelligunt, quorum verbum est.* בר *autem apud illos diuersa significat. Dicitur enim &* D *filium, vt est illud*: Matth. 10. Mar. 10. Act. 13. Ioan. 18. *Bariona, filius columbæ; & Barptolemæus, filius Ptolemæi & Barthimæus, & Bariehu, & Barrabas. Triticum quoq; & spicarum fasciculus, & electus, ac purus. Quid igitur peccaui, si verbum ambiguum diuersa interpretatione conuerti? &, qui in commentariolis, vbi libertas est disserendi, dixeram: adorate filium; in ipso corpore, ne violentus viderer interpres, & Iudaicæ calumniæ locum darem, dixerim: adorate purè, siue electè: quod Aquila quoque, & Symmachus transtulerunt.*

Non ergo fallit Bellarminus, quasi sententiam Hieronymi aliter, quàm se veritas habet, proponat; sed manifestiſsimè mentitur Prædicans, cum scribere audet, incertum esse, num S. Hieronymus verterit: *Adorate purè*; & in commentario exposuerit; *adorate filium.*

Quomodo incertum, cum D. Hieronymus verbis apertiſsimis hoc testetur; vt iam vidimus. Mox annectit Prædicans hoc alterum mendacium. *Si Hieronymus mutauit sententiam quemadmodum ait Iesuita circa locum Psalmi secundi factum, tum non in melius, sed deterius facta esset mutatio, idq; sine omni probabili ratione.* Atqui Bellarminus minimè attulit exemplum illud ex Psalmo secundo, vt ostenderet, B. Hieronymum sententiam mutasse; de hac enim causa varietatis & diſsimilitudinis, quæ interdum apparet inter nostram editionem & S. Hieronymi lucubrationes hic non loquitur, sed paulò inferius: sed attulit exemplum illud, vt demonstraret, S. Hieronymum eundem locum aliquando non vno, sed diuerso modo interpretari. Quocirca non modò mentitur Prædicans, cum scribit. *Bellarminum hoc exemplum adduxisse pro paradigmate mutatæ à S. Hieronymo sententiæ*; sed & imperitè miscet, quæ Bellarminus ordinatiſsimè distinxerat. Neque sine ratione bifariam vertit vocabulum illud *Bar*, D. Hieronymus, cum varia significata subiecta habeat; quidquid *Prædicantica* inscitia in contrarium garriat.

Tertiam caussam diuersitatis ait Bellarminus esse istam; quod S. Hieronymus interdum sententiam mutauerit. Obiicit VVitackerus. *Hoc in paucis forsan locis concedi posse, tamen in tam multis incredibile esse; nam si tam multa mutasset, iudicij sui auctoritatem non parum minuisset*, inquit Nouator. Bellarminus non dicit mutationem sententiæ esse vnicam diuersitatis caussam, sed pręter hanc caussam adducit quatuor alias; in quas diuersitas referri poſsit, si fortè illa de sententiæ mutatione locum non habeat. Deinde licet hæc vnica esset caussa discrepantiæ; non tamen propterea auctoritatem suam periculo exposuisset: cum, vt iterum domestico exemplo VVitackerum vrgeam, Beza nullam existimationis suæ iacturam apud Caluinistas fecerit; quamuis loca plurima noui testamenti aliter postea, quàm prius verterit atque explicârit. Vt taceam non tam multa esse loca, in quibus D. Hieronymus discrepet à nostra editione in nouo & veteri testamento, quàm multa Caluinianus comminiscitur esse.

Quarta caussa apud Bellarminum est ista: *Quia etsi B. Hieronymus interdum senserit, quædam mutanda in sua versione, & ea notauerit in suis commentariis, tamen Ecclesia, postea magis iudicauit veram primam versionem; & illam retinere maluit in editione vulgata*: quod aliquot exemplis Bellarminus declarat. Occinit VVitackerus. *Quando tandem, aut quomodo hoc iudicium Ecclesia declarauit? aut quam Ecclesiam intelligit? aut, quo iure potuit vlla Ecclesia iudicare versionem aut falsam, aut impropriam esse falsa propriaq; versorem?*

Facilis responsio. Ecclesia Christi id fecit; & auctoritate sibi à Christo concessa non falsam

A aut impropriam, sed veram genuinamque versionem retinuit; non obstante diuerso D. Hieronymi iudicio; & fecit hoc cum aliàs vulgatam editionem semper retinendo & vsurpando, tum etiam fidelibus commendando & proponendo tanquam authenticam, vt factum, in Concilio Tridentino; & nuper demùm à duobus Pontificibus Sixto V. & Clemente VIII.

Dicit Bellarminus: *Interdum Hieronymum videri reprehendere versionem nostram, cum tamen eam non reprehendat, sed solum explicet, quæ sit vis Hebrææ vocis; vt, cum in quæstionibus Hebraicis dicit cap. 1. Genes. pro eo, quod nos habemus spiritus Domini ferebatur super aquas; in Hebræo esse, incubabat, seu fouebat more auis.*

Respondet Hunnius, hoc esse *rancidum cauillũ.* B nam ex ipso exemplo, *quod Iesuita profert, satis apparere, Hieronymum, non tantum explicare, sed castigare, & emendare translationem à Papistis tantopere iactatam. Nam dum vulgata translatio habet Gen. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas: Hieronymus vicissim demonstrat, in Hebræo esse, incubabat, seu fouebat more auis: hoc ipso, non ambiguè declarans, vulgatam translationem emphasin Hebrææ phraseos nequaquam assequi, idcirco fontem purius, & limpidius fluere in Hebræo, iuxta cuius Canonem emendanda sit versio vulgata.*

Hæc Prædicans, satis profectò *rancidè.* Nõ enim ideo reprehendit aut castigat editionem aliquã; qui per verbum, suo iudicio, significantius & expressius editionem declarat; quia fieri potest, vt vtrunque sit probum, & primigenio textui con- C sentaneum; vt hic accidit.

Quis enim tam tardus est ac hebes, qui audiens illud: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*; nõ intelligat, id, non quomodocunque factum, sed fouendo, & quasi vim quandam afflando; neque enim frustra & temerè spiritus ille viuificator ac conditor super aquas ferebatur. Quod si, vt Prædicans contendit, verbum editionis nostræ non est consonum Hebræo fonti; sed illud duntaxat, quod S. Hieronymus explicationis & perspicuitatis gratia substituit, quî fit, quod noui Interpretes, se cum D. Hieronymo non conformant; cum perpetuò Hebræos fontes iactent? An non Castalio vertit: *Et spiritus diuinus se super aquas libraret.* An non Pagninus? *Spiritus Dei suffla-* D *bat in superficie aquarum.* An non alij aliter? An non ipse Lutherus suis in Bibliis Germanicis. Vnd der Geist Gottes schwebet auff dem Wasser? Quod certè longè propius accedit ad vulgatam editionem; quam id quod Hunnius limpidissimo fonti Hebræo penitus conforme clamitat.

Fumos vendit Prædicans; cum vociferatur, *Psalterium vulgatæ editionis non esse ex translatione D. Hieronymi.* Quid istis opus? An non hoc fatetur Bellarminus?

Danæus, veteri more in oppugnatione huius capitis rem strenuè gerit. Mentitur. I. *Vix quenquam rimari posse, quis sit noni capitis & quæstionis, quæ in eo continetur, vsus.* Obtusi capitis eum esse oportet, qui vsum huius capitis non intelligat. VVitackerus Caluinista idem caput eandemq; quæstionem tractat, plerisque ex Bellarmino sublectis. Num & hic Danæus Caluinista clamabit; *Vix quenquam rimari posse, quis sit VVitackeriani illius capitis vsus.*

II. Mentitur, *Bellarminum in toto opere, nihil aliud spectare, quàm ex hominum solo iudicio, auctoritate, & opinione pendere etiam sacræ scripturæ fidem totam.* Impudens commentum.

III. Mentitur, Bellarminum huncin modum argumentari: *Quædam in vulgata & communi Bibliorum versione, quæ cum emendatione Hieronymi consentiunt, continentur; ergo tota ea editio correcta ac probata est.* Perlegat lector totam Bellarmini hac de re dissertationem, & si hanc argumentationem repererit, tum in me mendacij crimen à Danæo transferat.

IV. Mentitur, *fateri Bellarminum multa in hac ipsa vulgari editione inesse perperam & male conuersa.* Stigma meretur frons tam effrons.

Refutatio Iunij.

SEPARATIM Iunius refelli debet; quia solito prolixior est & verbosior; quare & inanior, circa hoc caput IX. Dicit Bellarminus: Nos testamentum nouum Latinum editionis vulgatæ ex antiqua versione habere, quam tamen B. Hieronymus emendarit. Addendum, inquit Iunius: *Sed alij multi post Hieronymum iudicio suo vsi sunt in eo retinendo, partem hanc, aut illam emendationis suscipientes, & in ecclesiis vsurpantes.* Hoc non tantum nudè asserere debebat Iunius, sed & probare. Quis enim huiusmodi, vt sic loquar, *assertorem* non rideat; qui id addendum fuisse dicat, nec tamen probet, quod aduersarius præcisè negat, imò cuius contrarium omnibus argumentis efficere instituit?

Ait Hunnius. *Argumenta Bellarmini nihil conficere quia ex particulari ducuntur omnia in vtramuis partem.* Sed nescit Caluinisticus nugator quod *dicat*; hoc enim est Bellarmini argumentum. Multa loca noui testamenti, quæ reprehendit S. Hieronymus, inuenimus ita correcta, vt ipse affirmat esse corrigenda; quod inductione multorum exemplorum Bellarminus planum facit: ergo vulgata nostra editio est illa, quam D. Hieronymus correxit. Quid vitij in hac argumentatione? Si post aliquot annos quæstio existeret; num editio Catilinianarum aut Philippicarum sit illa, quam emendauit Muretus; an non rectè ac probabiliter ita ratiocinaremur? Multa loca Catilinariarum & Philippicarum quæ in suis commentariis reprehendit Muretus, inueniemus ita correcta; sicut Muretus corrigenda affirmauit; ergo editio hæc vel illa est ex correctione Mureti; quandoquidem certò constat Muretum Catilinarias & Philippicas emendasse: sicut certò compertum est S. Hieronymum emendasse nouum testamentum.

Dicit Bellarminus: non esse cur moueamur, quòd quædam loca nostra in editione non sint ita emendata, sicut ea emendanda censuit in commentariis sanctus Hieronymus; non enim omnia mutare voluisse, sed quædam duntaxat, idque ipsum profiteri in epistola ad Damasum; vt supra visum; vt verbi gratia: *Rom. 12.* legimus: Sapere ad sobrietatem, *quod Hieronymus libro primo in Iouinianum, vult legi,* sapere ad pudicitiam. *Et illud 1. Corinth. 13.* Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, *quod Hieronymus in caput quintū ad Galatas, vult legi,* ita vt glorier. *Et quædam alia, quæ ipse corrigit, in comment. epist. ad Galat. ad Ephes. & ad Tit. Nam, ipse idem præfat. Euangel. ad Damasum fatetur, se non omnia correxisse, quæ corrigenda esse putabat, ne nimis multa immutasse videretur.*

Respondet Iunius; *Hæc ineptè versa, quasi tergiuersante Hieronymo, hic pacis priuatæ caussa, illic victoriæ: postea vero contigit Hieronymo, quod vulgò dici solet, δευτέρων φροντίδων.* Sed quomodo fuerunt secundæ curæ; si, vt Bellarminus non absque verisimilitudine demonstrat; D. Hieronymus prius scripsit commentaria ad Galatas, ad Ephesios & ad Titum? Certè primas curas fuisse oportuit: secundas illas; quando nouum testamentum emendauit: & quidem πρωτίστας; aptiorem enim esse & Græco textui conuenientiorem vulgatæ editionis lectionem testantur ipsi etiam Caluinistæ; nam 1. Corinth. 13. sic legit & vertit Beza: ἵνα καυθήσωμαι, *vt comburar.* Sic etiam Erasmus. Castalio. *Si vel meum corpus comburendum tradam.* Notat Erasmus sequentia: *D. Hieronymus scribens in epistolæ ad Galatas caput quintū, ait in Latinū codicibus haberi,* ita vt glorier: *eamque lectionem vocat errorem, sed addit Græcorum etiam exemplaria esse diuersa. Nec dubium est, quin error natus sit ex mutatione literæ καυχήσωμαι, pro καυθήσωμαι. Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus, nobiscum & legit, & interpretatur καυθήσωμαι. Eaque lectio mihi videtur esse germana. Quanquam Hispaniensis editio habeat καυχήσωμαι.*

Sic Roman. 12. Beza & Erasmus cum vulgato Interprete reddunt: *Sapere ad sobrietatem.* Et tamen hæc & id genus alia, quæ ipsimet Hæretici, & hæreticorum patroni tanquam bene versa, amplectuntur, audet hæreticus Iunius cauillari, tanquam malè versa.

Dicit Bellarminus, nos habere Psalterium translatum ab antiquo interprete ex editione S. Luciani Martyris. Oggānit Iunius: *At illud commune Psalterium ex L X X. petitum erat.* Num hoc abnuit Bellarminus? Vide, quæso, suprà cap. 5. Nam hoc affirmari à Bellarmino adeò manifestū est, vt (libet enim Iunio suam phrasin reponere) *naso carere videatur, qui istud non odoretur.*

Postquam Bellarminus aliquot allatis exemplis probauerat, vulgatam editionem Psalterij, non esse ex pura & mera interpretatione septuaginta seniorum; hanc clausulam subdit: Igitur nostra non est illa ipsa versio LXX. Quid Iunius? A *Atqui non eam ipsam dicimus, sed ex ea plurimùm. Quid argumentando ex particulari in contrarium eruatur?* At Iunius parum sui memor est. Supra enim dixerat, idque se ex Iustino demonstrasse crediderat, veterem illam LXX. seniorum interpretationem interiisse; & postea sub Herode Rege ab vltimo AEgypti Rege Ptolemæo iterum reparatam esse, acceptis ex Iudæa aliis Interpretibus. Et hanc esse illam editionem, quæ postera ætate κοινῆς seu *communis* nomen tulerit. Nunc huius commenti oblitus, ait editionem Psalterij nostri esse ex versione L X X. seniorum, eorum scilicet, qui sub Ptolemæo Philadelpho scripturas ex Hebræo in Græcum transtulerint: licet quibusdam aliunde adiunctis. Et cum Bellarminus aliquot exem-B plis probarit, vulgatam versionem Psalterij non esse ex pura interpretatione L X X. Interpretum, sed ex editione communi, quæ ob caussas capite quinto commemoratas, etiam Lucianéa dicta fuit; clamat iste; *argumentationem ex particulari institui.* Qui nec scire videtur, quid sit argumentatio ex *particulari*, aut *vniuersali*; adeo stolidè & bardè passim argumētationem *ex particulari* obiectat. Probandum erat Bellarmino nostram editionem vulgatam nō esse illam, quam sanctus Hieronymus vertit ex L X X. Interpretibus, sed quam emendauit iam olim versam ex ea, quæ *communis* dicebatur; hoc vt ostendat, producit aliquot exempla ex nostro Psalterio ita prorsus sese habentia, sicut ea in editione *communi* diuus C Hieronymus affirmat legi; ex quo concludi ait; nostram Psalterij versionem ex communi illa editione esse; non ex illa pura 70. Interpretum. Quodnam vitium in hac argumentatione, nisi apud vitiosos, hoc est, illos, qui regulas benè disserendi ne à limine quidem salutarunt.

Affirmat Bellarminus, communem editionem appellari illam, quam primum Origenes emendarit, & in quam postea etiam correctiones nonnullæ Luciani Martyris admissæ fuerint; idque probat ex epistola diui Hieronymi ad Suniam & Fretellam; Clamat Iunius. *Aliena hæc probatio est; Nam illic agit Hieronymus de communi seu vulgata trāslatione Græca; hic verò de Latina vulgata agitur, D quam ab Origene, & Luciano, Græcis hominibus, destrictam fuisse, nulla vnquam (si benè memini) literæ prodiderunt. Quàm lepidè ex disparatis procedis argumentatio.*

Quanto rectius nos dicemus: Aliena hæc obiectio Iunij est; nam Bellarmino probandum incumbit, aliam esse editionem puram & sinceram 70. Interpretum; quæ erat in Hexaplis, aliam κοινὴν seu communem; & ex communi Psalterij nostri Latini vulgatam versionem expressam esse. Quid hic alienum ab instituto? Nam quod Caluinista ita loquitur, quasi Bellarminus velit ipsam Latinam vulgatam editionem ab Origene vel Luciano Martyre correctam, vel, vt ipse loquitur destrictam esse; id pura puta hæretici ca-

Digitized by Google

lumnia est; nullo vel in speciem verisimili fuco fundata.

Ait Bellarminus. Præter librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, Macchabæos, Psalterium, reliqua omnia veteris testamenti esse ex versione diui Hieronymi: *Negatur*, inquit Iunius negator. Num satis negare? *Mixtum esse*, inquit, *demonstrat locorum plurimorum comparatio, & mixtam quidem ex antiqua iam diu recepta, & Hieronymi emendatione.* At quæ nam sunt illa loca, & quæ locorum comparatio quæ hoc euincant? Tu nihil adfers, nudis tuis asseuerationibus contentus. Attulit quædam VVitackerus, & comparauit. Quid effecit? Tantundem quantum tu; hoc est, nihil.

Dicit Bellarminus, *constare: B. Hieronymum primum, & solum ex antiquis transtulisse ex Hebræo in Latinum, Testamentum vetus: & rursum constat, nostram editionem, translationem esse ex Hebræo in Latinum, exceptis Psalmis, Sapientia, Ecclesiastico, & Machabæis.*

Negatur, inquit Iunius, *Rationes in sequentibus ostendentur.* Vbi ostendentur? Ego nec in antecedentibus, nec in sequentibus vllas inuenio. Nec opus multis rationibus; nomina vel vnum, qui ante diuū Hieronymum ex Hebræo verterit vetus testamentum; & ea, quæ Bellarminus scripsit, ac probauit, obliterabimus. Sed nomina non ex tuo capite, sed ex aliquo probato auctore. Quod si fortè Caluinista hoc non negat; sed id quod Bellarminus simul iungit, nempe editionem nostram esse ex Hebræo; tum refutare debuerat rationes, quibus id Bellarminus adstruit: & non tantùm suum illud NEGATVR adferre: nam si negare satis est; tum quiuis liber refutatu facilis erit, etiam indoctissimo cuique.

Negat nostram vulgatam editionem fermè vbique cum Hebræo textu concordare, vt Bellarminus asserit. Sed iterum tantum negat: nec probat. Nimio, opinor, versionis suæ & Tremmelianæ amore excæcatus Iunius, nullam cum Hebræo fonte cōgruere existimat; nisi illam suo, & Tremmelij studio elaboratam, cuius incongruas, vt sic dicam, cum Hebræo textu congruentias si quis delegere & lectoribus patefacere vellet; opus nasceretur maius Iliade.

Inter cætera, quibus Bellarminus ostendit, versionem vulgatam esse ex Hebræo, adducit & hoc: *Quod sæpe in ipsis libris inueniuntur annotatiunculæ B. Hieronymi, dicentis, se expressisse fideliter, quæ erant in Hebræo; reliqua autem, de editione vulgata, vel ex Theodotione addidisse.*

Atqui hæc de emendatione, non de versione dicta sunt. Atqui Iunius hic rursum, quid dicat, non intelligit. Videat annotatiunculas D. Hieronymi libro Estheris & Danielis insertas, videbitque de additione ad ea, quæ ex Hebræo expresserat, sermonem esse; siue postea illa, quæ addidit ipse D. Hieronymus ex vulgata Græca, vel ex Theodotionis Græco textu de integro conuerterit; siue iam olim conuersa ex Latina edi-

A tione tum vulgata & vsitata in suam versionem transtulerit.

Pergit ineptire Iunius: *Quis ex eo confirmet versionem antiquam nihil ex Hebræo habuisse, & quæcunque habuit canoni Hebræo respondentia, ab Hieronymo fuisse singulat*

Nemo dicit, versionem antiquam Latinam nihil ex Hebræo habuisse; expressa enim fuerat ex 70. Interpretibus; quare, vt ipsi 70. Interpretes de Hebræo fonte aliquid habere debebant, ita & versionem Latinam factam ex 70. Interpretibus aliquid de Hebræo habuisse oportuit: hoc asserimus; Latinam illam editionem, qua vtebatur Ecclesia ante D. Hieronymum, non fuisse immediatè ex Hebraico textu; Sed ex Græca 70. seniB orum editione conuersam: Hieronymum autem primum omnium immediatè ex Hebræo fonte in latinam linguam libros sacros transtulisse: & si quid in Hebræis codicibus non inuenerat; ex vulgata editione vel ex Theodotione addidisse; vt patet in libro Estheris & Danielis. An non hæc clara sunt & plana? Quæ tamen planus iste tenebris Caluinisticis inuoluit; & diuum Hieronymum non ex Hebræo vertisse somniat; Sed tantùm vidisse, vbi nam Latina editio cum Hebræo Canone conueniret; & vbi non: & vbi conuenerit; intactam reliquisse: vbi discrepauerit, vel minus habuerit; correxisse vel suppleuisse; Hoc enim volunt sibi illa febriculosi sectarij verba, *vbi mutat, tangum dicit ex Hebræo canoni; vbi versio conuenit, non dicit.* Ægri deliria.

C Interpretationem libri Iob esse ex Hebræo; & à S. Hieronymo, inde præter cætera probat Bellarminus; quod D. Hieronymus, *Præfatione in Iob dicit; In antiqua editione Latina, & Græca libri Iob, deesse ad 800. versus, quos ipse de Hebræo, in sua editione posuerit; at nostra editio integerrima, & plenissima est, non minus, quàm Hebraica.*

Clamat Iunius, *Inconsequens particulari: libro Iobi Hieronymus adiecit, quæ deerant, ergo versus est ab Hieronymo. Qui sic argumentatur vigilans! Ceteram fuisse quidem apud Latinos dicit, de Græco nullum verbum.*

Quis sic calumniatur, nisi sycophanta & criminator? Argumentum Bellarmini est hoc. Constat S. Hieronymum librum Iob vertisse ex Hebræo, constat insuper S. Hieronymum ad 800. versus ex Hebræo adiecisse qui in nostra vulgata editione reperiuntur; neque quisquam vnquam quidquam de alia veteri ex Hebræo versione audiuit; quàm de illa, cuius auctor est D. Hieronymus; ergo ista, quam habemus in libro Iob, non est alia; quàm cuius auctor est D. Hieronymus. Quis hanc argumentationem reprehendat, nisi ille, qui vigilans somniat? Quod hos versus in Latinis codicibus defuisse D. Hieronymus affirmat, in Latinis, inquam, ex versione 70. Interpretum; hoc quid ad rem, de qua agitur? Quæstio est, vtrum vulgata Latina versio Iob, sit ex Hebræo, & à S. Hieronymo: ad quam nihil facit, si-

D

ue illi

ue illi octingenti versus defuerint in solis Latinis, siue etiam in Græcis exemplaribus.

Quid amplius? ex Annotatore & animaduersore fit nobis Iunius derepente vindex *violatæ*, vt putat, *diuinæ maiestatis ac gloriæ.* *Indigna*, inquit, *pio homine est affirmatio ista: vulgatam editionem integerrimam, & plenissimam esse, non minus quàm Hebraicam: hæc enim diuina integritate est, & plenitudine: translatio, minimè.* *Profectò cum istam comparationem Bellarminus scriberet; credebat illud verè esse in vulgo dictum: charta non erubescit. Profectò cum ista* Iunius *scriberet, credebat illud verè esse in vulgo dictum: charta non erubescit.* Quid enim criminis, si quis asserat, quod Bellarminus asserit; cum nil aliud significare velit; quàm æquè nihil in nostra Latina vulgata editione deesse, ac in Hebraica: vel, tam Latinam plenam & integram esse; quàm Hebraicam. Cur hoc non liceat dicere; si quidquid in Hebræa editione continetur, contineatur etiam in Latina? Nam quod Caluinista ait; *Hebræam editionem esse integram & plenam diuina integritate & plenitudine; translationem minimè*; id fumus est; nam Bellarminus loquitur de integritate & plenitudine primigenio & originali textui respondente; quæ si textum Hebræum adæquet; ita vt nec latius, nec minus latè pateat; certè tanta est, quanta illa: etiamsi plenitudo illa & integritas habeat prærogatiuam istam, quòd non modò res significata, sed & ipsa verba immediatè sint à Deo; quod in translatione non contingit; cum verba suppeditet Interpres: & quidem humano studio, non illo peculiari ductu & instinctu, quo scriptor Canonicus regitur ac ducitur. Sed hoc non obstat, quo minus id, quod Bellarminus de integritate & plenitudine asseruit, rectè asseratur.

Ait Bellarminus; *D. Hieronymum in Commentariis Prophetarum, ferè vbiq; duas versiones ponere, & explicare, id est, suam, quæ est nostra vulgata, & aliam septuaginta interpretum.*

Ad quæ Iunius: *Imò hoc ipsum probationes sexcentas suppeditat, quibus vulgatam hanc non esse Hieronymi confirmetur.* Et mox lectorem pollicitatione sexcentorum locorum attonitum, frustratur ac destituit; & ex sexcentis tria apponit ex cap. 1. & 53. Isaiæ, quæ nihil aliud probant, quàm probarint loca superius à VVitackero in hunc ipsum finem prolata. nempe, aut D. Hieronymum in quibusdam mutasse sententiam; & correxisse alicubi, quæ prius scripserat; aut vtramque versionem pro verisimili reputasse; aut vitio librariorum aliter in textu commentariis Hieronymi apposito legi, quàm legatur in nostra editione vulgata. Annon in dies singulos contingit; vt quę quis prius vertit, postea occasione data, nonnullis in locis mutet, siue in melius, siue in deterius? An propterea, quę prius vertit, negabimus esse illius Interpretis?

Inde præterea probat Bellarminus vulgatam editionem nostram ex Hebræo esse, & à S. Hieronymo; *quia illa omnia, quæ B. Hieronymus præfatione in Pentateuchum, & libro de optimo genere interpretandi, dicit non haberi in editione L X X. & se addidisse in sua translatione ex Hebræo, in nostra vulgata editione inuenimus, &c.*

A

Quid Iunius? *Inconsequens ex disparato. Agit enim Hieronymus in iis locis de editione L X X. Nos hîc de versione vtraque Latina agimus, antiqua, & Hieronymi. An verò consequitur illud? Hæc non sunt ex L X X. ergò ex Hieronymi translatione sunt. Omnino falsa est disiunctio, aut à L X X. aut ab Hieronymo esse oportere.*

Aliquoties testatus sum, me vix statuere posse, quid de Iunio statuam: num scilicet mentis compos aut impos hæc chartis mãdauerit. Quæstio est, repetam enim, vt vel tandem Bardus iste quæstionis statum capiat, vtrum vulgata versio nostra sit ex Hebræo, & ex sancti Hieronymi officina. Affirmat Bellarminus; & nos cum illo; hoc etiam argumento; quod omnia, quæ sanctus Hieronymus dicit non haberi apud 70. & se addidisse in sua translatione ex Hebræo, inueniantur in editione vulgata nostra. Hæc probatio est, at non sola; sed vna de multis. Mentitur ergo Iunius, cum locis à Bellarmino citatis dicit, *agi de Interpretatione 70. Interpretum*; nam sanctus Hieronymus loquitur de translatione sua ex Hebræo; deque iis, quæ ex Hebræo addiderat suæ illi nouæ ex Hebræo translationi, non exstantia apud 70. Interpretes. Nec ita argumentatur Bellarminus, vt Caluinista fingit: *Hæc non sunt ex L X X. ergo ex Hieronymi translatione sunt.* Vane impostor; an censebas omnes fore tui similes *blennos*; quibus hanc imposturam odorandi nasus deesset? Non argumentatur Bellarminus; vt tu comminisceris, sed hunc in modum. Omnia illa loca, quæ, cum non exstarent apud 70. ex Hebræo se addidisse suæ translationi scribit sanctus Hieronymus, reperiuntur in editione nostra vulgata; ergo ista est ex Hebræo & Hieronymiana. Quare non Bellarminum, sed laruas cerebri Iuniani, feriunt illa verba. *Omnino falsa est disiunctio; aut à septuaginta, aut ab Hieronymo esse oportere.* Non vtitur Bellarminus hac disiunctione. Quæso te fige tãdem modum tuis tam vanis & inanibus commentis. At non potes; quia paulò post eadem figmenta reponis.

B

C

D

Tertio probat Bellarminus vulgatam nostrã editionem esse ex Hebræo, & à S. Hieronymo, *ex illis locis, quæ B. Hieronymus monet, se aliter vertisse, quàm L X X. verterint: quæ in nostra editione omnia inuenimus, vt ipse se vertisse dicit, &c.*

Exempla vide apud Bellarminum. Iunius. *Quædam inueniri certò agnoscimus*: (Mirum, si solem meridie lucere non agnosceres) *sed omnia sic inueniri, vt ipse se vertisse dicit, falsum est*: Neque hoc dici Bellarminus; nam quod quædam aliter leguntur in nostra vulgata editione, fieri potuit ol

caussas

caussas hoc ipso capite à Bellarmino commemoratas, & supra iam à nobis expositas & defensas. Mutatio vel correctio prioris sententiæ hanc varietatem aliquando introduxit. Præter alias caussas; de quibus iam dictum. Nec est, quod Iunius verba illa Bellarmini: *Omnia inuenimus*: tantopere vrgeat; quia non vult, omnia, quæ sanctus Hieronymus aliter vertenda censuit, apud nos inueniri, sed ex omnibus eiuscemodi locis, quæ inueniuntur non pauca; colligi, nos Hieronymi editionem habere. Miror tamen Iunio Bellarmini argumentum adeo omni probabilitate destitutum videri; cum si non plus roboris haberet; tantundem tamen haberet quantum hoc Iunij & VVitackeri. *Quædam inueniuntur in editione vulgata, quæ Hieronymus aliter vertenda duxit ac dixit: ergo vulgata editio non est S. Hieronymi.* Quando ita argumentantur Hæretici; non occlamat Iunius. *Inconsequens ex particulari. Inconsequens ex disparato:* Sed quamprimum audiunt cum cæteris etiam hoc Bellarmini argumentum: *Complura loca, quæ S. Hieronymus scribit se ex Hebræo vertisse exstant in vulgata editione eo modo, quo se vertisse dicit: ergo editio vulgata est Hieronymiana;* statim occinunt; *Inconsequens ex particulari. Inconsequens ex disparato.*

Mendacium suprà effusum iterat hic Iunius; nimirum hanc consequentiam esse Bellarmini: Non est ex LXX. ergo ab Hieronymo est: non est hoc argumentum Bellarmini, sed mendacium Iunij.

Quartò probat Bellarminus sentẽtiam suam ex præfationibus: *Nam ipse testatur in epist. 89. ad Augustinum, se editioni suæ ex Hebræo, singulis penè libris, præfatiunculas præfixisse; quas etiam nunc videmus in Bibliis vulgatæ editionis: nec vllus vnquam negauit eas esse Hieronymi. At certè, non est credibile, totum opus periisse, præter solas præfatiunculas. Qui enim abiecerunt, vel neglexerunt editionem B. Hieronymi, cur, quæso, præfatiunculas conseruarunt?*

Iunius: *Exstant quidem præfationes illius: sed cum multiplex fuerit illius interpretatio; & singulis libris (præterquam in translatione ex LXX.) præfationem in vnaq; interpretatione addiderit: profectò ex præfationibus erui non potest hæc consequutio. Nam nostra adhuc memoria, pauci libri vnicam Hieronymi præfationem habent; plurimi binas: duo etiam ternas.*

Audacissime Caluinistarum, quis vnquam dixit S. Hieronymum vetus testamentum sæpius ex Hebræo transtulisse, quàm semel? excepto Ecclesiaste, quem bis transtulit, vt notat ipse Bellarminus. Et quod nam hoc tam crassum figmẽtum, D. Hieronymum singulis Interpretationibus, sæpius iteratis semper peculiarem præfationem addidisse. Vbi sunt illæ præfationes, oro? Nec in Tomis S. Heronymi exstant, nec in Bibliorum editionibus. Nam in Iosue vna est præfatio. Vna in libros Regum; quæ & Prologus Galeatus dici & ipsi Pentateucho præponi solet. Vna est in Isaiam. Vna in Hieremiam. Vna in Esdram & Nehemiam. Vna in Danielem. Vna in
A Ezechielem. Vna in duodecim Prophetas. Vna
in Estherem. Vna in Tobiam. Vna in Iudith. Gemina
in libros Paralipomenon; Gemina in Iob,
Gemina in Ecclesiasten; quanquam in Paralipomena
non præfixit geminã quasi bis ex Hebræo
verterit, sed operam illam suam diuersis amicis
dicatam voluit; quare & duplicem præfationem
adiunxit. Quanquam verius illud, quod Bellarminus
notat alteram præfationem pertinere ad
versionem ex Hebræo, alteram in qua fit mentio
obelorum & asteriscorum ad versionem, quam
D. Hieronymus fecit ex Græco. Hæc qui certius
explorare cupit, is ipsa biblia adeat; vel Tomos
S. Hieronymi, & postea de hac Iunij temeritate
sententiam ferat. *Nostra adhuc memoria pauci libri*
B *vnicam præfationem habent: plurimi binas* (falsum, in-
spiciantur biblia) *duo etiam ternas.* Qui nam illi
duo? loquor de libris antiqui testamenti. Forsan
nominabis Pentateuchum. Sed prima præfatio,
quæ Prologus *Galeatus* dici solet propriè est præ-
fatio in libros Regum. Deinde in vniuersam scri-
pturam quadrat, & quidem ex mente ipsius Hie-
ronymi, disertè id in proœmio illo affirmantis.

Pergit Iunius. *Quarum præfationum singulæ, ad
vnam certam aliquam interpretationem, & singularem
pertinent, ac non diuersarum interpretationum commu-
nes exstiterunt. Hoc diligens lector obseruet rogo, & ex ip-
sius præfationibus iudicium faciat: rem ita se habere, vt di-
xi, comperturum est.*

Diligens lector, obseruet oro, quam vanus &
C temerarius in asseuerando sit Iunius: qui vbi du-
as præfationes cernit; quas non nisi in vno vel al-
tero libro cernit, dicere audet, singulas illas præ-
fationes ad singulas versiones referri; quasi di-
uus Hieronymus non semel, sed sæpius ex He-
bræo testamentũ vetus conuerterit. Quo nil fal-
sius, excepto Ecclesiaste, quem bis vertit. At fa-
ciamus diuũ Hieronymum crebrius ex Hebræo
vertisse vetus testamentum; quid inde aduersus
Bellarminũ colliget Iunius? si præfationes præ-
fixæ non sunt Indices primę versionis factę à san-
cto Hieronymo; sint Indices secundæ; & si nec se-
cundæ; sint tertiæ, sint quartæ. Non enim cura-
mus, quanta sit hæc versio; sed vtrum sit Hiero-
nymi. Et si ex præfationibus præfixis probabile
D argumentum sumitur, versionem illam esse diui
Hieronymi, vt quidem sumi Iunius concedit; si
vnica esset præfatio singulis præfixa; sequitur nõ
malè Bellarminum argumẽtationem instituisse;
quia plerisque libris vnica duntaxat D. Hiero-
nymi præfatio præmittitur; Et quibus duæ præ-
mittuntur; eo maius indicium habent Hierony-
mianæ versionis, siue primæ siue secundæ, siue
tertiæ; quanquam semper primæ; cum vetus te-
stamentum non nisi semel ex Hebræo verterit.
Nam si vna præfatio versionem Hieronymianã
verisimiliter ostendit; cur non duæ; aut tres?

Ait Iunius, *Multa scripta intercidisse, quorum præfationes exstent.* Nõ ignoramus hoc; sed addimus; non esse vllo modo probabile, præfationes istas

Digitized by Google

ſtationem antiquam in bibliis retenturas fuiſſe; ſi ipſa D. Hieronymi verſio excidiſſet. Quid enim abſurdius, quàm vt in ſingulos libros præfetur & tanquam verſionem ſuam prædicet ille, qui non eſt Interpres illorum librorum? Si præfationes Iunij & Tremellij in biblia à ſe verſa præponerentur Biblijs verſis à Munſtero, aut Leone Iuda, aut Caſtalione, an non hoc factum abſurditatis pleniſsimum foret; ſicut & illud; ſi præfationes Iudæ aut Caſtalionis præfigerentur Bibliis verſis à Iunio & Tremellio. Quo etiam elidi- tur, quod proximè ſubiungit Iunius: *Verſionem noſtram vulgatam eſſe antiquã illam latinam à Hieronymo emendatam, quæ in Eccleſiis obtinuerit, vt grauior vitâretur offenſio.* At hoc eſſe mendacium, clamant ſingulæ in diuinos libros præfationes; in quibus perpetuò teſtatur D. Hieronymus, ſe vetus teſtamentum ex Hebræo vertiſſe; neque vnquam dicit; ſe in veteri teſtamento, veterem latinam vulgatamque editionem emendaſſe: excepto ſolo Pſalterio; cuius Latinam vulgatam editionem bis emendauit, vt patet ex præfat. in Pſalt. ad Paulam & Euſtochium. Aut proferat Iunius vllum ex D. Hieronymo locum, vbi hoc aſſerat; & manus dabimus. Tranſtulit quidem 70. Interpretes in Latinum; & ſuam tranſlationem recognouit; vt patet ex præfatione in libros Paralipomenon ad Chromatium; ſed quod vulgatam Latinam editionem, eouſque in Eccleſiis celebratam correxerit, (vt fecit in nouo teſtamento) id planè nuſquam proditum eſt: & vt maximè emendaſſet; tamen dicere, hodiernam noſtram vulgatam, eſſe illam ipſam; à vero perquam alienum foret; cum illa vetus vulgata fuerit ex Græco facta; noſtram autem vulgatam ex Græco non eſſe; tot differentiæ à Græco textu in ſingulis fermè pagellis obuiæ euincant. Effreni quadam aſſerendi libidine hunc Caluiniſtam laborare oportet; qui tam audacter de rebus antiquis abſque antiquitatis, imò contra antiquitatis teſtimonium, in rebus hiſtoricis inque facto, vt loquuntur, poſitis pronunciet.

Nec iuuant Iunium præfationes diui Hieronymi; altera in libros Paralipomenon paulò antè citata; altera in libros Salomonis, in quarum illa ſic ſcribit: *Memini editionem ſeptuaginta tranſlatorum olim de Græco emendatam tribuiſſe me noſtris:* In hac; ita. *Si cui ſanè ſeptuaginta Interpretum magis editio placet, habet eam olim à nobis emendatam*; quia D. Hieronymus non loquitur de emendatione Latini textus ex ſeptuaginta verſione expreſsi; & ad illud vſque tempus in Eccleſia vſurpati; ſed interpretationem ſuam ex Græco textu emendato nominat editionem ſeptuaginta Interpretum *emendatam.*

Locum illum Eccleſiaſt. 1. *Peruerſi difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus*; ait Bellarminus elegantiſsimè ex Hebræo à D. Hieronymo expreſſum: & ad verbum ita ſonare: *Peruerſum non poterit ad dirigere, & ſtultum non poterit ad numerari.*

Iunius. *Huius loci verſio ſecundùm Bellarminum ad verbum inepta, ſecundum Hieronymum impropria, & anguſta eſt. Ad verbum ita eſt: (vidi quod)* peruerſum non poteſt corrigi, & defectus non poteſt numerari: *ita eſt ad verbum, inquam. Hebræa conſtructio, &c.*

At non eſſe ineptam teſtabuntur quotquot verba Hebraica melius intelligunt, quàm Iunius. Idem teſtatur verſio Pagnini; & ipſa ad verbum, correcta à Montano; quæ ferè eodem modo huius loci ex Hebræo conſtructionem reddit; quam ſi Iunius non vidit, *Grammaticæ ſuæ oblitus eſt*; vt de Iunio meritò dicam, quod ipſe immeritò de Bellarmino aſſeruit. Quod D. Hieronymi verſio ſit impropria & anguſta, ſic probat Iunius. *Nam quod Salomon dicit, non corrigi; ille vertit; difficilè corrigi* Grande piaculum, dictionem adieciſſe; quam ſententia ipſa apertè deſiderat: non enim ſenſus eſt; *peruerſum non corrigi vnquam*; ſed corrigi rarò. Quem ſenſum in ſua verſione D. Hieronymus per voculam *difficilè*, exprimere voluit: Cauſſa enim cur peruerſus rarò corrigatur; eſt difficultas huius correctionis.

Reliqua inſuper anguſta ſunt, inquit Iunius, *nec ſolùm impropria. Nam peruerſum Salomo dicit de omni re, perſona, actione corrupta: Hieronymus ad perſonas ſolùm reſtringit.*

Hæc Caluiniſtæ commenta ſunt; quia Salomon loquitur primariò & per ſe de hominibus peruerſis, quorum vita & actio peruerſa; Iſti enim difficilè corriguntur, cum correctori ſuo Deo, eiuſque inſpirationibus dura mente reſiſtant; quæ difficultas minimè apparet in iis, quæ naturali dũtaxat peruerſitate peruerſa ſunt; hoc eſt, quæ aliquem defectum naturæ patiuntuur; quia non reſiſtunt correctori ſuo, ſicut homines; quorum peruerſitas eſt moralis & à libero arbitrio: nec ſuperabilis, niſi ſponte volenteſque correctionem admittant.

Addit Iunius: *Defectum quemlibet vniuersè notat Salomo; hic verò de ſolo defectu mentis enunciat; imò verò de hominibus non ex ſolo defectu, & priuatione, ſed etiam ex contrario habitu laborantibus.*

Certum eſt Salomonem loqui de morali defectu, qui proficiſcitur ex mente; ſiue conſiſtat in priuatione, ſiue in contrario habitu. Nam & vitioſus habitus, defectus quidam eſt, ſi comparetur cum habitu bono oppoſito: & præterea ſemper priuationem ipſius boni habitus annexam habet; nam intemperantia v. g. vt eſt habitus quidam vitioſus poſitiuus, priuationi temperantiæ ſemper & inſeparabiliter copulatur. Cum ergo Salomon loquatur nõ de naturalibus vel etiam rerum naturalium defectibus; ſed de illis, qui ex libera hominis voluntate exſiſtunt; meritò beatus Hieronymus defectũ illum *ſtultitiam* appellauit; cum vertit: *Stultorum infinitus eſt numerus.*

Omnis

Digitized by Google

Omnis enim huiusmodi defectus moralis & voluntarius, *stultitia* quædam est. *Quid ergo? Hieronymus errauit? Humanum est*, inquit Iunius. Quid ergo? Iunius S. Hieronymum criminatus est? Diabolicum est. Neq; enim S. Hieronymus *à generali sentētia in particularem abductus allegoriis Origenis, aberrauit*, vt iste fingit; sed sensum & mentem Salomonis eo, quo par erat, modo aperuit.

Ait Bellarminus: *Hieronymum distinxisse per asteriscos, & obeliscos eam editionem, quam fecerat ex Græco, non autem eam, quam fecerat ex Hebræo. In Psalterio igitur nostro vulgato debuissent esse asterisci, & obelisci, quorum meminit Hieronymus in præfatione, sed exciderunt negligentia librariorum.*

Iunius: *Hæc responsio non planè ex veritate est. Nam præfationes Hieronymi aliæ versionibus, aliæ emendationibus præfixa sunt. Quæ autem præfationes asteriscorum, & obeliscorum recordantur, eæ ad emendationes pertinuerant: puris versionibus aliæ præfationes fuerunt coniunctæ.*

Sed Bellarmini responsum esse ex mente veritatis, testabitur ipse diuus Hieronymus hæc ad S. August. scribens epist. 11. inter epist. Augustini. *Quod in aliis quæris epistolis, cur mea prior in libris Canonicis interpretatio asteriscos habeat, & virgulas prænotatas, & postea aliam translationem absque his signis ediderim; pace tua dixerim, videris mihi non intelligere, quod quæsisti. Illa enim interpretatio septuaginta interpretum est, & vbicunq; virgulæ, id est, obeli sunt, significatur, quod septuaginta plus dixerint, quàm habetur in Hebræo: vbi autem asterisci, id est stellæ prælucentes, ex Theodotionis editione, ab Origene additum est. Et ibi Græca transtulimus: hic, de ipso Hebraico, quod intelligebamus, expressimus, sensuum potius veritatem, quam verborum interdum ordinem conseruantes.*

Ex quibus verbis perspicuè patet, D. Hieronymum vetus testamentum transtulisse etiam ex 70. Interpretum editione; & ad hanc versionem spectare præfationes, in quibus obeliscorum & asteriscorum mentio: quandoquidem hæc versio signa hæc duntaxat habebat, non autem illa altera ex Hebræo: quanquam non negat Bellarminus illam saltem præfationem in Psalterium ad Paulum & Eustochium pertinere ad emendationem; quia præterquam quod S. Hieronymus Psalterium ex Hebræo & ex pura 70. editione in Latinum vertit, bis etiam Latinam vulgatam editionem, quæ ex Græca cōmuni editione erat, correxit, vt patet ex dicta ad Paulum & Eustochium præfatione. Neque ita argumentatur Bellarminus. *Est versio: ergo non habuit asteriscos & obeliscos:* Sed ita argumentum instituit. *Est versio ex Hebræo, ergo non habuit obeliscos & asteriscos*: Hæc enim sola his signis caruit, teste ipso D. Hieronymo. Multò minus ita argumentatur Bellarminus. *Est emendatio; ergo non habuit asteriscos & obeliscos.* Quæ est ista mentiendi impudentia? An non expressè fatetur Bellarminus, D. Hieronymum bis Psalterium, hoc est, vulgatam antiquam Psalterij latinam editionem emendasse, perque obeliscos &

A asteriscos distinxisse? An non citat Bellarminus præfationem diui Hieronymi in Psalterium ad Paulam & Eustochium, vbi hoc planis verbis affirmat?

Ait Iunius. *Esse infirmum hoc quorundam aduersus vulgatam editionem* argumentum. *Versio D. Hieronymi distincta fuit per obeliscos & asteriscos; qui hodie in vulgata editione non comparent; ergo non est Hieronymiana.* Rectè Iunius hoc pro *infirmo* argumento habet; vt & Bellarminus; quia in editione ex Hebræo non fuerunt ista signa: & si fuissent, quid mirum, si tanto temporis interuallo excidissent? Conatur tamen Iunius huius argumenti infirmitatem fulcire hoc tibicine: *Probabilius est, non fuisse in hoc opere peritura, quod translatitium est in ma-*
B *nibus omnium, quia communis vsus ea magis à perditione vindicare solet.* At longè credibilius est propter hunc ipsum vsum communem peritura fuisse illa stellarum & veruum symbola: Si enim culpâ & oscitantiâ librariorum ad finem operis deproperantium iam tempore D. Hieronymi sæpius omittebantur obelisci & asterisci in editionibus factis ex Græco; & in emendationibus Psalterij; ita, vt D. Hieronymus aliquando coactus fuerit denuo omnia interpungere; stellisque & obelis distinguere; quid cladis tot seculorum decursu his signis non fuisset illatum, quando incuria & inscitia, imò & audacia librariorum, immane quantum supra illam antiquorum excreuit.

Docet Bellarminus D. Hieronymum bis Ec-
C clesiasten vertisse; & quidem ex Hebræo. *Non est verum*, ait Iunius, *quod hic dicit Bellarminus.* At verum esse fatebitur quisquis geminam præfationem; alteram ad Chromatium & Heliodorum; alteram in Commentarios Ecclesiastæ ad Paulam & Eustochium legerit; manifestè enim duarum à se Ecclesiastæ ex Hebræo factarum translationum meminit: vt intelliget, quisquis præfationes illas accuratius inspexerit. Vna enim versio fuit sola & nudà absque commentariis, instituta cum Chromatius & Heliodorus commentarios in Osee, Amos, Zachariam, & *Malachiam* poposcissent. Altera cum commentariis in gratiam Blesillæ; quæ tamen supremo die intercepta, Hieronymi labore frui non potuit; fruituris
D eodem Paula & Eustochio, quibus tam versionem, quàm commentarium inscripsit. Vtraque hodie exstat in operibus S. Hieronymi; nisi quod posterior ad Paulum & Eustochium; malè inscribitur quasi sit versio ex editione 70. Interpretũ: non est ita; vt patet etiam ex Bibliis Regiis, vbi vulgata nostra textui Hebræo respondet; tanquã inde expressa: addita alia ex 70. Interpretibus interpretatione Latina.

Ait Bellarminus, D. Hieronymum in prima translatione cap. 2. sententiam hanc ita reddidisse. *Cogitaui trahere carnem meam in vinũ*: & sic etiam in commentario exponere; at in secunda translatione maluisse vertere: *Cogitaui abstrahere carnem meam à vino.* Et hanc lectionem nos habere, & me-

liorem

Digitized by Google

liorem esse. Obiicit Iunius: *Hæc de Hieronymi translatione ex LXX. sunt; & ipsius emendatione. nam, illa verba, ἑλκύσαι ὡς οἶνον τὴν σάρκα μου, exponit,* trahere ad vinum carnem meam, *sumpto ὡς pro εἰς, ex Græcorum vsu. Sic autem ab eo in commentario exponi, id à vero abest quàm longissimè. Nihil est in commentario, quod vel signo præ se ferat huiusmodi interpretationem.*

Crederem Iunio, nisi verba Hebræa testarentur hæc fideliter ex Hebræis conuersa esse, & nisi Græcæ editionis longè alius esset sensus, quàm iste fingit. Verba Græca sic habent. καὶ κατεσκεψάμην εἰ ἡ καρδία μου ἑλκύσει ὡς οἶνον τὴν σάρκα μου. Interpres, qui in Regiis Bibliis. *Et consideraui si cor meum trahet vt vinum, carnem meam.* Iunius hic Atticismum adfert, quasi ὡς pro εἰς posito: etsi autē non ignoro Atticè ὡς pro εἰς vsurpari solere, non est tamen probabile sacros interpretes hic Atticissasse: vnde magis credo ὡς comparationis esse; hoc sensu; *circumspexi, num cor meum attracturum esset carnem, tāquam vinum;* hoc est, vtrum carnis voluptatibus sese traditurum fuerit; sicut homines sese tradūt dulcedini vini. καὶ καρδία μου ὡδήγησέ με ἐν σοφίᾳ, καὶ τοῦ κρατῆσαι ἐπ' εὐφροσύνῃ. *Et cor meum duxit me* (non ad carnem, tanquam ad vinum) sed ad sapientiam, & ad temperantiam. Hæc Græci contextus sententia est; hic intellectus: cui suæ inscitiæ caliginem frustra offundere & affundere Iunius nititur. Quod negat, expositionem, quam Bellarminus adducit, *in S. Hieronymi Commentario reperiri;* more Caluinistico, audacissimè mentitur. Nam verba illa primæ versionis: *cogitaui carnem meam trahere in vinum:* seu vt habet ipse textus commentariis S. Hieronymi additus: *Consideraui in corde meo. vt traherem in vino carnem meam:* sic interpretatur D. Hieronymus. *Volui vitam meam tradere deliciis, & carnem meam ab omnibus curis liberare, & quasi vino, sic voluptate sopire: sed cogitatio mea & ratio naturalis (quam etiam peccatoribus Deus auctor inseruit) retraxerunt me, &c.* Hæc & alia in eandem sententiam D. Hieronymus. Et tamen Caluinista non veretur scribere explicationē à Bellarmino productam, in commentario Hieronymi penitus non exstare. Quid non audet inscientia & impudentia?

Ad id quod Bellarminus ait: nostram lectionem in Ecclesiaste esse meliorem; hanc notam appingit Iunius: *Interpretatio ex Hebræo, quam hic secundam vocat, sic habet vulgò;* cogitaui abstrahere à vino carnem meam: *sed si quis commentarium totum in eum locum expenderit, voculam à deprehensurus est redundare, & scripsisse Hieronymum,* cogitaui abstrahere vino carnem meam, *id est, per vinum: nec aliam redolet interpretationem vllam totus contextus commentarij. Itaque Hieronymus nec LXX. interpretationem mutauit, nec suam: sed integram vtramq; seruauit.*

Si quis totam hanc Iunij orationem propius inspexerit, Iunium delirare dicet. Nam S. Hiero-
A nymus suo in commentatio ne verbo quidem attingit illam versionem secundam: *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam:* sed priorem duntaxat versionem explanat. Non cupio, vt fides habeatur mihi; quilibet commentarium diui Hieronymi inspiciens, fidem habeat propriis suis oculis. Quam insignis esset abstractio; à voluptatibus & vanitatibus, si quis abstraheret carnem à vino, id est, *per vinum,* vt interpretatur Iunius.

Veram & communem sententiam probat etiam Bellarminus ex subiunctis Salomonis verbis: *Vt animum meum transferrem ad sapientiam.* Nam ideo à vino, omnibusq; voluptatibus se animum
B suum abstraxisse ait, vt eò studiosius & attentius sapientiæ vacare posset. Iunius. *Negātur ista.* Quid nobis cum tuo, *negantur.* Aperi oculos, & intuere textum; non quidem rectissimis, sed paululum rectis oculis; & tum renuncia nobis, an non hic verus sit verborum Salomonis sensus; vel saltem conformis secundæ ex Hebræo Hieronymianæ translationi. *Vt paucis dicam,* inquit Iunius, *hæc interpretatio aduersatur Salomonis argumento, vt adiuncta omnia clamant; & vocum proprietati ac phrasi vim facit.* Vt verum fatear, Iunius non tam sollicitus est vt verè & vera dicat, quàm vt dicat, susque deque habens quid dicat; quid enim in tota hac nota, præter futilia & inania verba, ne ab illo quidem proferenda, qui latina Salomonis verba vel obi-
C ter intelligat; nedum ab illo asserenda, qui cum suo Caluinoiudaico Tremmelio sacras litteras ex Hebræo in Latinum transtulit, quemadmodum & Acta Apostolorum ex Arabico.

Vt Bellarminus ostendat veram esse illam lectionē: *abstrahere à vino;* docet litteram ב frequenter significare, *de, ex, ab.* Iunius. *Hoc quidem verum est, sed falsum est, significare quoduis à vel ab separandi significatione.* Neque hoc asserit Bellarminus: satis est, quod aliquod A vel Ex significat, quod probat Bellarminus non vno exemplo. Si enim 2 Paralip. 16. v. 6. ב significat *ex,* vel *de* coniunctum cum vocabulo, *lignis;* & Leuit. 8. cum vocabulo *carne & panibus:* cur separandi significatio adeo
D ab illo aliena esset, præsertim cum iste ipse locus Leuitici cap. 8. v. 32. separationem & sciunctionem significet? *Quidquid reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.* Certè si Hebræa ita transferam. *Quidquid reliquum fuerit à carne & panibus, ignis absumet.* Illud ב eo loco sciunctionem seu discretionem significabit; iubetur enim, vt quidquid carnis aut panis reliquum fuerit à carne comesa; id comburatur. Habet ergo Iunius locum, & quidem à Bellarmino citatū, vbi ב significet *ex,* vel *de,* vel *a,* cum separandi notione. Deinde licet hæc significatio nusquam occurreret, nisi in illo dicto Ecclesiast. cap. 2. an ideo falsa & reiicienda foret? Multa Hebraica vocabula; vno duntaxat loco exstant; & sæpè vno tantum loco aliquan

Digitized by Google

A significationem habent, quam si alibi quærere instituas, operam perdas.

Ait Bellarminus, D. Hieronymum eundem scripturæ locum variis modis solere vertere, si verba Hebræa id ferant. Exemplum adfert ex Psalm. 2. vbi vertit, *adorate purè*: & tamen in commentario exposuit: *Adorate filium*; eo quod vox *Bar* ambigua sit & πολύσημος. *Solere negamus*, inquit Iunius. At exempla in promptu sunt in omnibus fermè capitibus Commentariorum in Prophetas; vt & in libro *de Optimo genere interpretandi*. & in epistola ad Suniam. *Fecisse interdum non negamus*, inquit Iunius, *velut ex relatione interpretationis alienæ, vel etiam pro commoditate oblata*. Ast non tantum diuersis modis vertit, ex relatione aliarum interpretationum; sed quia ipse etiam ita verti posse
B putat. Quæ hæc tanta temeritas vel luce manifestiora inficiari?

Docet Bellarminus D. Hieronymum aliquando mutasse sententiam, & loca sua correxisse. Hinc natam interdum varietatem inter textum nostrum & commentarios Hieronymi; seu versionem commentariis adiunctam. Quod declarat exemplo. *In libro de optimo genere interpretandi, & præfatione in Pentateuchum, dicit Isa. 11. non debere legi*: Flos de radice eius ascendet; *sed* Nazaræus de radice eius ascendet. *Et LXX. hoc nomen Nazarei, malè prætermisisse, & hunc locum citari à Matthæo cap. 2. vbi dicit*: Vt impleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur: *at ipse idem postea vertit, sicut verterant LXX. nimirum*; Et flos
C de radice eius ascendet. *Et in commentario cap. 11. Isaiæ, reddit rationem huius rei; quoniam verbū Hebræum ibi positum* נֵצֶר *scribitur per Tsade, cùm Nazaræus dicatur à verbo* נָזַר. *per Zain. Quocirca in commentariis cap. 2. Matthæi dicit, illud*; Quoniam Nazaræus vocabitur, *non esse desumptum ex aliquo vno propheta, sed ex eo, quod omnes Prophetæ Dominum sanctum futurum esse prædixerunt.*

Hic Iunius: *Hoc exemplum falsò apponitur, & Hieronymi torquentur loci. Etenim nusquam mutat interpretationem suam, sed eandem constanter retinet.*

Quid? an non præfatione in Pentateuchum dicit S. Hieronymus, apud Isaiam cap. 11. vertendum esse: *Nazaræus de radice eius ascendet*? si, vt tunc
D existimabat Hieronymus, illud Matth. 2. *quoniam Nazaræus vocabitur*, desumptum est ex cap. 11. Isaiæ; ergo D. Hieronymus apud Isaiam censebat verti debere; *& Nazaræus de radice eius ascendet*: nullus enim alius locus est apud Isaiam, quò illud dictū Matthæi Hieronymus retulit, vel etiam referri posse existimarit. An non idem docet planè ac disertè idem D. Hieronymus in libro de optimo genere interpretandi, & quidem illis ipsis verbis, quæ ex hoc libro Caluinista ipsemet recitat? An non postea in translatione sua, & in commentariis Isaiæ hanc sententiam mutauit; vertens ex Hebræo. *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: rationemque reddens, cur potius florem, quam *Nazaræum* interpretatus sit. Et quænam hæc ratio? *Illud, quod in Euangelio Matthæi omnes quærunt Ecclesiastici, & non inueniunt, vbi scriptum sit: quoniam Nazaræus vocabitur: eruditi Hebræorum de hoc loco assumptum putant. Sed sciendum, quod hîc* נצר, *per* צ *literam scribatur: cuius proprietatem, & sonum inter z & s. Latinus sermo non exprimit. Est enim stridulus, & strictis dentibus vix linguæ impressione profertur: ex qua etiam Sion vrbs scribitur. Porrò Nazaræi, quos LXX. sanctificatos, Symmachus, separatos, transtulerunt, per Zain, semper scribuntur elementum.*

An non his verbis expressè significat, pœnitere se prioris opinionis, cum putauit, Christum à S. Matthæo *Nazaræum* appellatum respectu ad hunc locum Isaiæ; ac proinde vertendum; *& Nazaræus de radice eius ascendet*: cum Netzer apud Hebræos, quo vocabulo Isaias vtitur, scribatur per *tsade*: Nazaræus autem, quod vocabulum S. Matthæus vsurpat, per *Zain*; vt proinde *Netsaræus* potius appellandus fuerit à Matthæo, quàm *Nazaræus*, si ad locum illum Isaiæ respexisset. Et quamuis in Commentariis super Matthæum non planè reiiciat, quod præfatione in Pentateuchum, & in libro de optimo genere interpretandi de hoc Isaiæ loco senserat; magis tamen probat, Matthæum non respexisse ad certum aliquem Prophetam; ideoque pluraliter Prophetas vocasse; atque hoc ipso ostendisse, se non verba de scripturis sumpsisse, sed sensum. An non est hoc mutare sententiam, vt Bellarminus dixit? Ex quibus nullo negotio de nugis & mendaciis Iunij iudicium facias.

Accipe nugacia eius dicta, nec ex Hieronymo; sed ex Caluinistico cerebro desumpta. *Hoc tantum ostendit* Hieronymus, *quod appellatiuè Hebraeis dicitur flos, id singulariter significari voce* Nezer, *vel Syra* Nozerath, *siue Nazareth; & inde* πατρωνυμικῶς *Nazaræi. vel Nazareni appellatione: subesse in voce* Nezer, *propheticam* ὑπαίνιξιν. *qua designetur Christus.*

Primùm: Nihil Hieronymus de voce Syra *Nozerath*, siue *Nazareth*; nihil de Patronymica inde appellatione *Nazaræi* vel *Nazareni*. Quia *Nazarenus* seu *Nazaræus* hac scripturâ non venit ab illo *Netser*, quo vsus est Isaias, cum hoc scribatur per *Tsade*, illud per *Zain*. Subesse in voce *Netser* propheticam ὑπαίνιξιν, qua designetur Christus, docet quidem D. Hieronymus; sed non ideo docet in Commentariis super Isaiam, *Nazareni* vocem, qua Matthæus vtitur, ab illo *Netser* descendere; aut eò respexisse D. Matthæum; aut eo Isaiæ loco vertendum esse: *& Nazaræus de radice eius ascendet.* Mendacium est D. Hieronymum voces illas distinguere solùm ex proprio & figurato vocis *Netser* vsu. Licet enim indicet *Netser* significare propriè *florem*; & mysticè Christum Dominum; non tamen dicit in illis Commentariis super Isaiam vocem *Nazaræi* vsurpatam à S. Matthæo, deduci à voce *Netser* vsurpata ab Isaia Propheta. Verum quidem est, S. Hieronymum non agere in cap. 11. Isaiæ de Nazaræis legalibus; hoc tamen agit, Christum *Nazaræi* vocabulo olim Nazaræis

zaræis

Digitized by Google

zaræis legalibus tributo ab Euãgelista affectum, non dici talem ab illo apud Isaiam *Netser*; cum vtriusq; diuersa sit origo, & diuersa scriptura. Esse autem Nazaræum per *Zain*, est esse *sanctũ, seu sanctificatũ*; *Nazaræus sanctus interpretatur*, inquit S. Hieronymus in cap. 2. Matthæi. *sanctum autem Dominum futurum, omnis scriptura commemorat.* Mentitur Iunius *Nazarenum per Zain; & Netsarenum seu Natsarenum à Netser per Tsade inscitè à Bellarmino confundi*; nihil enim adfert hic Bellarminus, nisi ex verbis & mẽte D. Hieronymi. Repetit mendacium; *Hieronymum nihil mutare.* Addit nouum. *Idem prorsus Hieronymum docere in cap. 9. Isaiæ, quod præfatione in Pentateuchum.* Mentitur, *D. Hieronymum in his locis docere Nazaræum à Netser dictum & Nazaræum legalem distingui vel litterarum ipsarum, per quas scribuntur, argumento.* Nihil horum tradit his locis D. Hieronymus. Nam quod D. Hieronymus subiicit: *super hunc igitur florem, qui de trunco & radice Iesse, &c.* num ideo sententiam de *Nazaræo* non mutauit? semper quidem D. Hieronymus locũ hunc ad Christum retulit; idque rectè; quia ad Christum referri debet, neq; vnquam ab hac sententia recessit: sed num *Nazaræus* vertendum sit pro, *flore*; & num S. Matthæus ad hunc locum suo in Euangelio; Christum, Nazaræum cum Prophetis appellans respexerit; id verò est, de quo variè sensit D. Hieronymus; Nam principiò affirmauit; postea in commentariis super Isaiam negauit: vt vidimus idque rectissimè ostẽdit Bellarminus, quidquid mendax Caluinista contrà blateret; qui iterum mentitur, *S. Hieronymum lib. 5. in Isaiam cap. 19. non corrigere duobus locis versionem suam priorem.* Quid ergo sibi volunt hęc D. Hieronymi verba? *In eo quoque quod nos transtulimus, incuruantem, & refrenãtem, possumus dicere; incuruum, & lasciuientem: vt intelligamus senem, & puerum. Nos autem verbum Hebraicum* אגמון, *agmon, dum celeriter, quæ scripta sunt, vertimus, ambiguitate decepti, refrenantem diximus: quod significantius Aquila transtulit,* σπαταλῶντα, *id est, qui nihil rectè agit.*

Ibid. *Melius reor etiam proprium errorem reprehendere, quàm, dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere. In eo, quod transtuli:* Et erit terra Iuda AEgypto in festiuitatem: *pro festiuitate, in Hebræo legitur* חגא, hogga, *quod interpretari potest,* & festiuitas.

Ait Bellarminus, D. Hieronymum aliquando explicare vim vulgatæ editionis per explanationem Hebraicarum vocum; vt cum ait; Gen. 1. pro eo, quod nos habemus; *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; in Hebræo esse; *incubabat seu fouebat more auis. Hæc,* inquit Iunius, *cum ipsis quoq; pugnant Hieronymi verbis. Pius lector consulens locũ iudicet.* Consulat suadeo: & iudicet. Quid iudicabit? Mentiri Iunium, quia idem prorsus dicit S. Hieronymus, quod eum dicere hic Bellarminus refert. Omnino consulat lector principium Hebraicarum quæstionum siue traditionum, & Iunio hoc suadenti obsequatur.

A

CAPVT X.

De auctoritate Latinæ editionis vulgatæ.

VVLGATAM editionem esse authenticam aliquot argumentis hic probat Bellarminus; quę Prædicantes soluere nituntur, præsertim VVitackerus Controuers. 1. q. 2. cap. 7. qui hoc loco, rei bene gerendæ gratia, oẽs neruos intendit. Primum argumentum: Per annos ferè mille, hoc est, à tempore Gregorij magni, omnis Ecclesia Latina hac vna editione vsa est: omnes concionatores hanc explanauerunt, & populis proposuerunt; omnia
B Concilia ex hac editione testimonia protulerũt, ad confirmanda dogmata fidei. Porrò Ecclesiam totis octingentis, vel nongentis annis germana scripturæ interpretatione caruisse; atq; in iis, quę ad fidem, & religionem pertinent, errores interpretis nescio cuius, pro verbo Dei coluisse, absurdum est, cùm Apostolus 1. Timot. 3. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis affirmet. Hoc argumentum est ipsius Tridentini Concilij.

Respondet VVitackerus: *Totam Ecclesiam non fuisse hoc omni tempore Latinam. nam erat præterea Græca. Etsi ergò Ecclesia Latina errauisset, non sequeretur, totam Ecclesiam errasse.*

Istud nihil est: licet. n. his mille annis non sola
C Latina Ecclesia fuerit tota Ecclesia; (nã neq; Bellarminus in argumento suo hoc aut assumit aut asserit) fuit tamen Latina Ecclesia his mille annis nobilissima, numerosissima, maximè latè patẽs & diffusa; ac potissima pars; cũ Ecclesia in oriente in dies magis schismaticorum, hæreticorumq; improbitate; & saracenorũ tyrãnide imminuta, ac in arctũ contracta fuerit; dicere aũt, nobilissimã & numerosissimam Ecclesiæ partẽ, in qua & ipse vicarius Christi, successor D. Petri, caput visibilis Ecclesiæ (apud Latinos. n. summus Põtifex residet) per mille annos, vera & germana scripturæ interpretatione caruisse; id non potest non esse absurdum, nisi apud absurdos sectarios.

Secundò respondet VVitackerus; *Ecclesiam falli*
D *posse in locorum quorundam versione, vt interim non desinat esse vera Ecclesia.*

Quomodo est vera Ecclesia, (vtar. n. responsione, q̃ VVitackero iam dedit Christophorus à Sacrobosco societatis nostræ Theologus, in defensione Decreti Concilij Tridentini de auctoritate editionis vulgatæ) si non est columna, & firmamentũ veritatis? si Christus non est cũ ipsa vsq; ad consummation[illegible]uli? Matth. 28. si non habet paracletũ ded[illegible]cem ipsam in oẽm veritatem? Ioan. 15. aut quomodo est columna, & firmamẽtum veritatis, illiq; perpetuò assistit Christus; atque in omnem veritatem deducit Spiritus sanctus, si pro verbo Dei habeat errores in fide, & moribus? Nam si de aliis erratis typographo-

Digitized by Google

rum videlicet, aut librariorum, VVitackerus loquitur, tum nihil ad rem loquitur.

Tertium VVitackeri responsum; quod ipse verbosius ꝓponit; hac breui collectione cōprehendi potest: *Ante Gregorium Magnum non fuit vna aliqua Latina versio authentica in Ecclesia Latina; ergo neq́, post Gregorium talis est admittenda.* Item: *Post Gregorium vsque ad Tridentinam synodum nullo vnquam Ecclesia decreto cautum fuit, vt hac vulgata Latina editio haberetur authentica; ergo neque Tridentina synodus tale decretum promulgare aut potuit aut debuit.*

Argutè profectò omnia: sed si quis vtriusque collectionis consecutionem neget; quibus argumentis ruentem fulciet Hæreticus? Multa ante Gregorium Magnum, & aliquot etiam sæculis pòst, non fuerunt in Ecclesia publicis decretis sancita; quia tempus, & mores hominum talem sanctionem non requirebant; postea sancita ac decreta sunt; circumstantiis aliud suadentibus & exigentibus: cur non idem licuisset Ecclesiæ in decernēda authentica verbi Dei versione? Quod decretum, si vnquam necessarium fuit; hac profectò ætate nostra necessarium fuit; qua turmatim veteris editionis fastuosissimi & arrogantissimi contemptores exstiterunt; peruersisq; suis, & omni errorum genere contaminatissimis versionibus omnia oppleuerunt. An non tempus erat, vt Ecclesia suam sententiam interponeret; & quid in tanta versionum varietate sequēdam esset, planè ac dilucidè declararet? eamque editionem, quæ iam tot sæcula, & omnium sæculorum calculos tulisset; subditis suis amplectēdum proponeret; ne in fraudem à sciolis nouas versiones iactantibus, & veteri impudenter & indesinenter derogantibus, inducerentur? Itaque licet huiusmodi decretum sæculis anteactis necessarium non fuisset; (sicut neque necessarium fuit propter reuerentiam & obseruantiam in editionem antiquam) hoc tamen sæculo, Nouatorum tam fœcundo & feraci, prorsus necessarium fuit, equidem eo sum animo, vt decretum de authentica Latina Bibliorum editione vnum ex maximè necessariis arbitrer inter illa, quæ Concilium Tridentinum condidit ob licentiam & petulantiam sectariorum huius æui; quæ, vt in aliis omnibus, ita potissimum in repudianda vulgata editione; nouisque comminiscendis & obtrudendis elucet.

Quartò respondet VVitackerus: *Ecclesiam Latinam à tempore Gregorij hac vna editione non esse vsam. quod probat: tum quia Isidorus Gregorio ætate posterior; ait, Hieronymi versionem ceteris meritò anteponi; quo innuitur, tunc plures exstitisse: tum, quia interpretes, & tractatores non semper soliti sunt sic verba scripturæ recitare, quemadmodum in vulgata editione nunc leguntur; quod ait constare, ex Beda, & Gilda, quem vtrumq́, post Gregorium floruisse ponit.*

Hæc responsio est VVitackeriana; hoc est, verbis quidem splendidè fucata; sed veri vacua. Non enim dixit Bellarminus; tempore D. Gre-

A gorij, aut etiam aliquandiu pòst non fuisse aliam versionem præter Hieronymianā; sed dixit; hanc vnam cæteris omnibus ab Ecclesia fuisse antepositam. & quidem ita; vt auctoritate sua versio illa reliquas omnes fugauerit, imò & planè exstinxerit. Vbi enim iam vetus editio, & si quæ aliæ D. Gregorij ætate adhuc supererant? Imò vbi iam ante aliquot annorum centurias fuère? Interière nimirum, quia nemini amplius curæ vel vsui erant; Hieronymiana versione omnes Ecclesias, scholas & bibliothecas occupante. Et quamuis ætate D. Gregorij; & aliquantò itidem pòst, diuersæ versiones exstarent; Hieronymiana tamen vbique in vsu Ecclesiæ primas tenebat. Testatur id Isidorus testis à VVitackero produ-
B ctus; quem si libro primo de Officiis Ecclesiast. capite duodecimo, attentius legisset; forsan à testimonio Isidori abstinuisset. Quid ergo ille? *De Hebræo in Latinum eloquium, tantummodò Hieronymus presbyter sacras scripturas conuertit; cuius editione generaliter omnes Ecclesiæ vsquequaque vtuntur. eo quod veracior est in sententiis, & clarior in verbis.* Vt arrident Hæretico illa verba? *Cuius editione generaliter omnes Ecclesiæ vsquequaq, vtuntur.* Idem testatur Rhabanus lib. 2. de Institut. Clericorum cap. 54. iisdem fermè, quibus Isidorus, verbis; vt illa non aliunde, quàm ex Isidoro mutuatus videatur: qui etiam lib. 6. Etymolog. cap. 3. scribit, interpretationem Hieronymi meritò cæteris anteferri; *cum & verborū tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior sit.*
C Vbi rursus vides, primas deferri interpretationi Hieronymianæ. At exstabant etiam aliæ; quando hæc Isidorus scribebat. Ita; sed principem locum obtinebat versio Hieronymi. Neque negat Bellarminus alias itidem versiones tempore diui Gregorij, aut Isidori exstitisse; tantùm affirmat, Hieronymianā semper summo in vsu, pretio, ac honore fuisse; adeo, vt cæteræ paulatim euanescerent, nimia Hieronymianæ versionis luce adobrutæ.

Quod VVitackerus ait; *interpretes, ac tractatores non semper solitos sic scripturæ verba recitare, quemadmodum in vulgata editione nunc leguntur;* summùm arguit varias vulgatæ editionis lectiones, vt rectè respondit Sacroboscus, natas ex manuscripto-
D rum exemplarium diuersitate: quod incommodum, ante recens iuuentam impressoriam artem difficile erat vitare. Sed & tractatores, sententias scripturæ frequenter allegabant, prout occurrebant memoriæ, certi de sensu, de verbis minimè soliciti, vt etiam annotauit Beza, in præfat. noui testam. anno 1565. dum ait: *Neq́, scriptores existimandum est, quoties locum aliquem citarint, toties vel libros inspexisse, vel singula verba numerasse.*

Dissimuletur aūt erratū illud Chronologicū Regij professoris, qui Gildam Gregorio Magno posteriorem statuit; cum Gildas natus fuerit anno Redemptoris 492. vt docet Polydorus Virgilius lib. 3. hist. Angl. Gregorius verò Magnus obierit anno 604. vt ostendit Baronius Annali 8.

Hoc

Hoc primum Bellarmini argumentum insectantur etiam alij Prædicantes. Hunnius hunc in modum: *Ratio à tot sæculorum vsu petita, hoc tantum euincit. Ecclesiam Dei vtiliter ea editione esse vsam, cùm non exstaret melior translatio.*

Plus euincit hæc ratio, ô Prædicans: nimirum, hanc editionem verè esse authenticam; mentiq; Spiritus sancti consentaneam; neq; enim credibile est, Deum permissurum fuisse, vt hæc editio tot sæculis in Ecclesia regnaret, & principatum obtineret, oppressis quodammodo reliquis omnibus, si, quod ad doctrinam & mores attinet, alicubi à Spiritus sancti sensu diuerteret.

Ait Prædicans: *Ad hanc editionem vulgatam sic alligari omnes, vt ne quidem tum, cùm à fontibus dissentit, recurrere liceat ad Hebraicam veritatem in veteri, vel textum Græcum in nouo testamento; id verò non modo per se præposterum, & absurdum, sed & tyrannicum esse dicimus.* *ἀυτὸς* scilicet ἔφα Prædicans cum Prædicantibus; quibus *tyrannicum* videtur, licentiam aspernandę vetustatis & veritatis coërcere, propositâ vna editione, tanquam germana & legitima: à qua nó liceat discedere, si de doctrina & moribus sermo sit; & cuius potior ratio haberi debeat, quàm Hebræi aut Græci textus; si quando à Latina editione, quoad doctrinam vel mores dissentiat: at si Prædicantes sibi subiectos; & in Academiis cuiuscunq; facultatis, præsertim Theologicæ, candidatos in recentissimam Concordiæ Lutheranæ formulam iurare cogant, & ad illam ita adigant, vt ne mutire quidem contrà liceat; ab omni *tyrannide* quàm longissimè absunt, quia quidquid isti agunt, id Euangelicè, scilicet, & non nisi ex mansuetudinis legibus agunt.

Dicit Bellarminus omnia Concilia ex editione vulgata protulisse testimonia ad confirmanda dogmata fidei: obiicit Iunius; *Ipsum D. Gregorium alia insuper editione, quam veterem vocat, vsum esse in libris Moralium.* Nó ignorauit hoc Bellarminus: multo minus negauit; interim non euertit Iunius, quod Bellarminus docuit; à tempore diui Gregorij nostram editionem semper fuisse summo in honore ac pretio: cæteris paulatim abolitis. Nam & ipso iam D. Gregorij tempore pluris æstimatam esse nouam, hoc est, Hieronymianam, editionem, quàm veterem, à S. Augustino *Italam* nuncupatam; patet ex D. Gregorij verbis; qui ait; se nouam, hoc est, Hieronymianam versionem explanare; sic tamen, *vt probationis gratia aliquando adhibeat etiam veterem*; idq; ideo, *quod tum quoque sedes Apostolica veterem vsurparet.* Ex quibus D. Gregorij verbis manifestum euadit, tum quoque vulgatam editionem nostram veteri versioni præpositam fuisse; quæ de ea existimatio ita indies inualuit, vt veterem editionem, vt & omnes alias, tandem penitus obrueret ac sepeliret.

Danæus aduersus primum Bellarmini argumentum nihil adfert nisi mendacium; cum ait; *esse desumptum ab auctoritate Tridentini Concilij*; Non enim argumentatur Bellarminus ab auctorita-
A te Tridentini Concilij, sed argumentum, quod Tridentinum Concilium vsurparat, vsurpat & ipse. Clamat Danęus, esse *paralogismum à non caussa.* Etiamsi Bellarminus ab auctoritate Cócilij Tridentini probasset versionem vulgatam esse authenticam; nullum tamen paralogismum *à non caussa* commisisset; quia à vera caussa, declarante & promulgante authenticam vim vulgatæ editionis, argumentum duxisset; neque enim Concilium Tridentinum aliter vulgatam editionem fecit authenticam, nisi declarando ac promulgando; non constituendo; nam si antea authentica in se non fuisset, nunquam vim authenticam ei indere potuisset; hanc enim in se acquirere debuit à Deo; Interpretis manum & calamum diri-
B gente, ne vspiam à Spiritus sancti mente in translatione aberraret.

Secundum Bellarmini argumentum est ex testimoniis veterum. Nam vel hæc nostra versio est Hieronymi, vel certè illa antiqua communis, quã Augustinus vocat Italam: si est illa antiqua, magnũ testimonium habet ab Augustino lib. 1. de doctrin. Christ. cap. 15. vbi dicit, eam omnibus esse præferendam. Si autem est Hieronymi, habet testimonia omnium veterum, qui eam videre potuerunt, &c.

Respondet VVitackerus: *Hoc argumentum nihil concludere: non enim quia vulgatam editionẽ laudant, ideo eam vnam authenticam, aut ipsis fontibus præferendam censent.* At certè tanta encomia à tantis viris
C huic editioni tributa; tanta item existimatio, quanta nullius alterius editionis fuit, satis indicant; Patres & ipsos communiter fideles habuisse hanc interpretationem pro tali, quæ Spiritus sancti sententiam vbique assequatur, quod ad doctrinam & mores attinet: nec tamen hoc ipso præfertur à nobis aut à Patribus, ipsi fonti Hebræo & Græco; sed exæquatur; si quidem Hebræi ac Græci fontes cũ latina vulgata editione consentiant. Sufficit nobis exæquatio; non postulatur prælatio. At si, quod ad dogmata fidei vel morum attinet, Græci & Hebræi fontes à vulgata versione discrepent; intrepidè eam huiusmodi fontibus præferimus; vtpote corruptis; quia decretum Ecclesiæ habemus, vulgatam editionem
D nusquam à mente Spiritus sancti deuiare, quoad dogmata fidei & morum; non habemus autem huiusmodi decretũ de textibus Hebræo & Græco, prout hodie exstant. Fuerunt quidem & sunt authentici, quis neget? sed vbi cum editione vulgata concordant; nam si alicubi discordent, ibi authentica vi præditos esse negamus.

Ait VVitackerus: *Augustinus multis verbis laudat eam interpretationem, quam 70. ediderunt; num inde aduersarij concludent illam interpretationem esse authenticam?* Omnino editionem illam 70. Interpretum haberemus pro authentica etiam propter S. Augustini auctoritatem, si exstaret purè & pura; sicut à suis auctoribus profecta est: nam aut Hebræo textui adhuc incorrupto planè conformis

Digitized by Google

fuit, vt existimat Bellarminus; aut si quid continebat, quod in Hebræo textu non inesset, id singulari Spiritus sancti impulsu additũ fuerat ab illis Interpretibus, vt censet D. Augustin. Quod ait sectarius: *editionem 70. Interpretum hodie à nobis nõ magni fieri, id commentum est Caluinisticum.* Exhibeat Ecclesiæ puram 70. seniorum versionem, & mox intelliget, quanti à nobis æstimetur. Et quomodo à nobis non magni fit; quæ tanta cura; impensa & industria non ita pridẽ à sede Apostolica ad vetustissimos codices castigata; & quoad licuit, primæuo nitori restituta; & in Latinum itidem sermonem conuersa fuit?

Secundò respondet VVitackerus, *incertum esse, quod Bellarminus suo in argumento sumit. nempe, vulgatam editionem, aut antiquam Italam esse, aut Hieronymianam*: id ratione probat duplici, quarum prior est; *quòd sint, qui illam, aut Aquilæ esse, aut Symmachi, aut Theodotionis saltam Latinam arbitrentur.* Posterior, *quod rationes abs se supra allatæ euincant non esse Hieronymi.* At probatur id quod Bellarminus assumpsit, certum esse: Nam tempore D. Gregorij Ecclesia Romana aliis Latinis versionibus post positis, vtebatur tantum antiqua Itala, & Hieronymiana. vt patet ex Proœmio D. Gregorij in libros Moralium: à tempore autem S. Gregorij, sola editione vulgata: ergo vulgata hæc, aut antiqua Itala est, aut Hieronymiana; aut ex vtraque composita: vt rectè aduersus VVitackerum argumentatur Sacroboscus. Probatur consequentia. Quia aliàs dicere oporteret, Ecclesiam statim à morte Gregorij, repudiatis illis duabus versionibus, introduxisse aliam quandã, quæ hucusq; perseuerarit, quod dictu foret puerile: cùm illæ duæ ideo cæteris fuerint prælatæ, quod essent verborum tenaciores, cum perspicuitate sentẽtiæ, vt loquitur Augustinus 2. de doctrin. Christ. 18. 19. aut veriores in sententiis, & clariores in verbis, vt ait Isidorus, de Officiis diuinis cap. 12. Posterior autẽ pars antecedentis, id est, Ecclesiam à tempore Gregorij vna vulgáta vsam: habetur ex refutatione quartæ responsionis VVitackeri ad præcedens Bellarmini argumentũ. Superest igitur solùm, vt priorem antecedẽtis partem demonstremus verã. Id verò faciemus; primũ ex Gregorio, cuius in præfatione Moralium hæc sunt verba: *Nouam translationem* (videlicet Hieronymi) *dissero; sed cum probationis causa exigit, nunc veterẽ, nunc nouam pro testimonio assumo: vt, quia sedes Apostolica, cui, autore Deo, præsideo, vtraq; vtitur, mei quoq; labor studij ex vtraque fulciatur.* Si autẽ plures eo tempore receptæ, & indubitatæ fidei fuissent, nulla esset ratio, cur ex illis quoq; interdum testimonia non assumeret; solisq; duarum versionũ limitibus vim suæ probationis coërceret. Quare, quod ait hîc Gregorius de his duab' versionibus Latinis, eodẽ pertinet, quo illud Augustini 18. ciu. c. 43. de Græca LXX. editione: *Cùm fuerint*, inquit, *& alij interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam, sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, sicut etiam est*

A *illa interpretatio, cuius autor non apparet; & ob hoc sine nomine interpretis, quinta editio nuncupatur: hanc tamẽ, quæ LXX. est, tanquam sola esset, sic recipit Ecclesia, atq; vtũtur Græci populi Christiani; quorũ plerig; , vtrũ alia sit aliqua, ignorant.* Quæ postrema verba indicãt alias Græcas editiones vsui fuisse solis doctioribus, qui illas adhibebant interdũ ad sua promouenda studia, vel ad melius intelligẽdam editionẽ LXX. vt indicat quoq; Hieronym' præfatione in Isaiam.

Deinde probatur eadem pars perspicuè ex Augustino, loco proximè nominato; vbi, postquam affirmasset, Græcos pro authentica, vnã LXX. interpretũ versionem recepisse, indicat apud Latinos quoq; ad sua vsq; tempora, non nisi vnam Latinã versionem, autoritatẽ obtinuisse, dum ait: *Ex hac*
B *LXX. interpretatione etiam in Latinã linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ latinæ tenent.* Neq; pòst, præter Hieronymi, receptam legimus aliam versionem. quare, maneat indubitata etiam hæc pars, atq; adeò, quod assumit Bellarmini argumentũ.

Neq; prior VVitackeri probatio quidquam omninò momenti habet ad huiusce veritatis fidem labefactandã. Nam vt ex Sixto Senensi lib. 8. Biblioth. hær. 13. tit. de obiect. hæret. num. 7. patet; est solum nuda quorundam recentiorum & fundamento carens suspicio: quibus, cùm quædam argumenta occurrerent, quæ suadere viderẽtur, editionem veteris testamenti, quam habemus, non esse S. Hieronymi, suspicari cœperunt illam, aut Theodotionis esse, aut Aquilæ, aut Symma-
C chi, ab autore incerti nominis Latinè redditam, & appositis Hieronymi præfationibus, pro illius editione suppositam: quod indicasse, meo iudicio, refutasse est. Nam quæso, qui fuerunt isti, Aquila, Symmachus, Theodotion? lege Hieronymũ, Prologo in Iob à se versum, & intelliges: erãt iudaizantes hæretici, qui multa mysteria Seruatoris subdola interpretatione celarunt. Horũ interpretationem Ecclesia Latina recepit, & solam in precio habuit, reiectis, refutatisq; antiqua Itala suæ pristinę integritati ab Hieronymo restituta, atq; ipsius Hieronymi versione? Hæc qui credat, emotæ mentis sit, necesse est.

Neque dicas cum VVitackero, Græcos, dictos interpretes recepisse. Nam, si recepisse tibi
D idem, quod habuisse sit; habuerunt quidem, sed vt interpretes malæ fidei, cuius rei causa, teste Philastrio, & Epiphanio, eorum editiones in hexaplis nunquam in media columna collocabãtur, sed hinc, inde: at, si approbasse velis, falsum omninò est. Nam is honos soli interpretationi LXX. quæ mediam in hexaplis tenebat columnã, fuit à Græcis tributus: vt, præter August. vbi suprà, fidem facit Euseb. lib. 6. hist. c. 12. Et sanè, si Latina Ecclesia, tã insignẽ, tamq; incredibilẽ metamorphosin, ac isti fingũt, admisisset; mirũ planè fuisset, nullũ ad hunc vsq; diẽ eius meminisse. præsertim, cũ veluti prodigiũ quoddã notarit Hienym. Prologo in Danielẽ, quod Ecclesia non legeret Danielem iuxta LXX. Interpretes; sed vteretur

Theo-

Digitized by Google

Theodotionis editione, cũ Danielẽ ex LXX. interpretatione, aut nõ haberet, aut certè ita vitiatũ haberet, vt à vero longiùs abesset. Hæc ex Sacrobosci disputatione contra VVitackerum.

Quod ait Hæreticus; *loca supra abs se allata; euincere, nostram vulgatam editionem non esse Hieronymianam*; id à vero abhorrere, vidimus capite superiore, vbi singula hæc loca sigillatim discussim'.

Hoc secundum Bellarmini argumentum allatrant & alij Prędicantes; Danæus solito spiculo obarmatus cum *Paralogismo à nõ caussa* irruit. Hoc scilicet telo, vel id genus eiusdem pretij aliis, omnia fermè Bellarmini argumenta sese expugnaturum, ridiculè confidit; dignior profectò irrisione, quã refutatione; qui præ furore mentis nil nisi delirare, mentiri & conuiciari nouit; vt cum ait; *nullum ex Patribus à Bellarmino hic nominatis Hebræam aut Græcam linguam sciuisse; eorum iudicium de editione vulgata Latina, esse iudicium cæcorum de coloribus*; vt taceam, id quod iam à Cydonio nostro est demonstratum; Danæum nullum penitus Bellarmini argumentum in hoc capite; vt & alibi passim; fideliter proponere; semper ea vel inuertit, vel truncat; vel sua infercit. Nusquam tuta & bona fides.

Quid Lutheranus Hunnius? *Testimonia veterum hoc tantum volunt, quod Latina translatio vulgata sit cæteris anteferenda, quæ scilicet tum in vsu erant. Interim non contendunt, nullã posse dari meliorem, quæ ad Hebraicã veritatẽ, & sensum Spiritus sancti ꝓpius accedat.*

Quocunque se vertant Prædicantes, vim argumenti effugere nequeunt. Quæ enim caussa, cur patres cæteris omnibus hanc versionem prætulerint; tam constanter, tam consentienter & vnanimiter; totque sæculis? Quæ caussa, cur hæc sola interitum euaserit, cæteris omnibus abolitis? Certè id non est factum, nisi quia authentica vis in illa translatione latens, & aliquando non obscurè inde emicans, patrum ac doctorum corda ad se, singulari Spiritus sancti impulsu, trahebat; & versionem istam peculiariter custodiebat, vt cæteris pereuntibus; ipsa, tanquam omnium optima, & fidelissima diuini spiritus interpres, salua ac superstes permaneret; Et si patres iudicassent, meliorem versionem cudi posse; quæ Spiritus sancti mentem verius ac melius explicaret, profectò aut cæteræ non fuissent penitus desertæ; præque hac nostra, omnino neglectæ; aut tot sæculorum interuallo ante nostram memoriam, extitisset aliquis, qui nouam editionẽ Latinam moliretur, eamq; nostræ opponeret; quod tamen nemo tentauit post D. Gregorij tempora; vsq; ad ætatem nostram, qua hæresis & licentia tot versores aduersus veterem versionẽ progenuit; vt eorũ numerus vix iniri possit; quorũ trãslationes ne suis quidẽ, hoc est, nouatoribus, generaliter probãtur; sed pauculis duntaxat huius vel illius sectæ; hinc ipsi translatores, & alij vice eorũ immaniter sese mutuò traducũt ac lacerant: dũ quilibet pro sua vel sui Magistri, tanq̃

A pro optima & fidelissima, pugnat; cũ omnes suis auctoribus ne vno quidem pilo sint meliores.

Iunius Caluinista fatetur vera esse, quæ Bellar. in argum. 2. sumit; sed addit; *nullũ horũ testimoniorũ esse, quo affirmetur versionẽ illã authenticã esse diuinitus, & diuino modo.* Atqui si in se & per se authentica est; non nisi diuinitus authentica esse potest; in se nimirum & per se: quia vim authenticam non habet ab homine, aut à Concilio; sed à Deo; qui mentem interpretis singulari ope ita rexit ac direxit, vt nusquam à Spiritus sancti mente deflecteret. Et hoc ita esse, cognoscimus quasi *à posteriore*; hoc est, ex decreto Ecclesiæ; quæ hanc vulgatam editionem authenticam, hoc est, Spiritus sancti sententiæ consentaneam esse declara-
B uit. Igitur diuinitus est hæc versio authentica, & diuino modo: Sed declaratio huius authentici, vt sic loquar, valoris, non est nisi per Concilij declarationem; hoc est, non per auctoritatem merè humanam; sed partim humanam partim diuinam; vno verbo, diuinitus inspiratam.

Tertium Bellarmini argumentum est istud: Habuerunt Hebræi sua lingua authenticam scripturam; Græci quoque habuerunt Græcè authenticam scripturam, id est, testamentum vetus ex versione LXX. & testamenti noui ipsos primos fontes; igitur æquũ fuit, vt Latina ecclesia, in qua sedes Petri est, & in qua perpetuò fides Christiana mãsura erat, haberet sua lingua authenticam scripturã; non aũt habuit aliam ferè à mille
C annis, q̃ istã: igitur ista authentica censenda est.

Respondet VVitackerus. *Versionem LXX. quam habuerunt Græci, non fuisse authenticam eo sensu, quo nos facimus nostram Latinam versionem authenticam.* Sed in hoc vir iste bonus multum errat, inquit Sacroboscus; cum enim dicimus, nos habere scripturam Latino sermone authenticam, aliud nihil volumus, quàm nostram translationem esse verum Dei verbum, integrum, incorruptum: ex quo grex Christi doceri, & quæstiones de fide, ac moribus intrepidè definiri queant: quo etiam modo authentica fuit LXX. interpretatio, qua longè, lateq; patens Gręcorũ vtebatur Ecclesia.

Obiicit VVitackerus. *Augustinus, qui LXX. interpretationi plurimum detulit, illam ex fontibus emendan-*
D *dam censuit: suam verò Latinam Papistæ per se authenticam habendam, nec ad fontes esse examinandam contendunt.* Respondeo; quod ait, Augustinum censuisse versionem LXX. ex fontibus emendandam, benè id quidem, si exemplaria, quę habebat, erãt vitiata, vt facilè accidere potuit, vel negligentia librariorũ, vel fraude Hebræorum, aut Græcorũ.

Quod verò subiungit, nos nolle nostram versionem ad fontes examinari, per fontes intelligens eos codices Hebraicos, & Græcos, qui modò habentur, iure id facimus. Nõ enim constat, eos, cum suis fontibus, id est, primis exemplaribus conuenire: quibus tamen conformẽ esse nostrã versionẽ, nos certos facit ecclesia: Itaq; sicubi exemplaria Hebræa aut Gręca discrepãt à Latina

Digitized by Google

vulgata editione, quod attinet ad fidei & morum dogmata, ea potius ad Latinam versionem; quâ istam ad illa comparandam & conferendam esse dicimus: Et quid, oro, tandem, isti cum sua collatione versionis Latinæ ad fontes Hebræos aut Græcos efficiunt? Tot iam contulerunt, & adhuc conferunt, & ex Hebræo Græcoque prorsus disparatas editiones nobis procuderunt. Qui mihi fidem non habet, is conferat inter se Latinas ex Hebręo translationes Castalionis, Leonis Iudæ, Munsteri, Iunij, Tremmelij, & aliorum: item vulgares versiones Germanicam, Gallicam, Anglicam, & videat quomodo inter se concinant; vt proinde collatio hæc & comparatio tuta certaque futura non esset, etiamsi textus Hebræus ac Græcus prorsus vbique locorum incorruptus decurreret.

Ait VVitackerus. *Nulla vnquam translatio hoc modo vel fuit, vel esse potuit authentica, vt eam cum fontibus comparare, ius fasq; non fuerit. Nam sola scriptura, quam Prophetæ, Apostoli atq; Euangelistæ θεόπνευστως conscripserunt est omni modo αὐθέντικος atq; αὐθεντικά.* Respondeo; si vulgata editio antea comparabatur cum fontibus, hoc est, cum Hebræo & Græco textu, etiam quod ad dogmata fidei & morum attinet; id factum esse; quia nullum exstabat Ecclesiæ decretum, quo hanc vulgatam editionem, veram ac genuinam per omnia Spiritus sancti sententiàm complecti nobis declararetur; at postquam huiusmodi iam decretum habemus ab Ecclesia, hoc est, à Columna & firmamento veritatis; certi sumus hanc vulgatam editionem cum Spiritus sancti sensu congruere; ac proinde nulla comparatione explorandæ veritatis gratia opus esse; etsi non negamus vtiliter comparari; sed veritatis illustrandæ, non euertendæ caussa, vt isti faciunt. Deinde negamus nullam translationem esse authenticam. Affirmando hoc asserit VVitackerus id, quod non nudè asserendum, sed solido quopiam argumento demonstrandum erat: nam & hæc vulgata versio authentica est; eò quod Spiritus sanctus interpretem ita gubernarit, vt à sententia diuina nusquam auius abiret & exorbitaret; de huius interpretis prærogatiua ac priuilegio certos ac securos nos reddit columna veritatis Ecclesia.

Quærit VVitackerus: *Si editio 70. interpretum fuit olim authentica, quando tandem in non authenticam mutata? saltem in Psalmis erit adhuc authentica, cum illi Latinam suam versionem Psalmorum, non aliunde, quam ex Græca illorum L X X. habeant. Etiam in aliis quoq; libris erit authentica, cum ex commentariis Græcorum eandem ferè nunc esse constet, quæ olim fuerit.* Huic quæstioni alia quæstione cum Sacrobosco satisfaciam. Si enim hodie eadem ferè est 70. interpretum editio, quæ olim; cur ergo VVitackerus superius capite tertio scripsit ista? *Quæ nunc in manibus habetur Græca versio scripturarum, ea sitne L X X. seniorum, an alia, inter doctos dubitatur. Verior* A *illorum sententia videtur, qui versionem illam omninò periisse existimant. & Græcam hanc, quam nunc habemus, mistam esse quandam, misereq; corruptam statuunt.* Nam si omnino periit editio 70. seniorum; & hæc, quę iam exstat, miserè corrupta est & ex variis miscellanea; falsum est igitur, quod hic ait; *esse hodie fermè eandem, quæ olim fuerit.* Frustra etiam quærit, quando desierit esse authentica; Nam tunc desiit esse authentica, cum aut omnino periit, vt iste ait; vel ita vitiata est; vt confusanea quædam mixtura euaserit: In Psalmis verò, vt & alibi, eatenus erit hęc editio, si adhuc exstat, authentica; quatenus cum vulgata in dogmatis fidei & morum consonat; vbi dissonat, authentica non erit.

B Non est autem in præteritis relinquenda VVitackeri contradictio, qua ipse sua vineta cædit. Supra capite tertio asseruit nullam translationem posse esse authenticam: hæc enim sunt verba eius: *Quantacunq; versionis 70. authoritas fuerit, non maior omninò esse potuit, quàm translationis: ergò, nimium ei tribuunt, qui eam ipsis authenticis scripturis parem faciunt.* At capite quinto sui ipsius oblitus, disertè docet, sinceram versionem posse esse scripturam authenticam; ibi namque, postquam verba diui Hieronymi recitarat, asserentis, Matthæum, suum Euangelium, & Paulum epistolam ad Hebræos Hebraicè scripsisse; subiungit: *Vtcunq; ea se res habeat, Græca editio, tum Euangelij secundum Matthæum, tum epistolæ ad Hebræos authen-* C *tica est. Nam & Hebraica illa, si quæ omninò erant, nusquam nunc extant, & Apostolis adhuc viuis, hæc Græcè prodierant, atq; in Ecclesia recepta, & ab Apostolis comprobata fuerant*: ergò, ipso iudice, versio esse potest authentica scriptura. Et, ne quid minus habuisse L X X. editionem putes; hæc quoque fuit ab Ecclesia recepta, & ab Apostolis comprobata. Vnde de ea editione hæc Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4. *Has tantùm studiosè meditare scripturas, quas in Ecclesiis confidenter legimus. Multò prudentiores te, & religiosiores fuerunt Apostoli, & primi Episcopi, veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Tu itaq; cum sis filius Ecclesiæ, non transgrediaris illius terminos.* Et Irenæus lib. 3. c. 25. *Petrus, & Ioannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores, Prophetica omnia ita annuntiarunt, quemadmodum seniorum in-* D *terpretatio continet. Vnus enim, & idem spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconizauit, quis, & qualis esset aduentus Domini, in senioribus autem benè interpretatus est, quæ benè Prophetata fuerant.*

Secundò respondet VVitackerus: *Consecutionem Bellarmini esse nullam: non enim magis sequi par fuisse; vt Latina Ecclesia haberet editionem authenticam, quàm vt Gallicana, Gallicam; Anglicana; Anglicam; Germania, Germanicam; Itala, Italicam.* Respondeo, maiorem fuisse rationem, cur Latinæ Ecclesiæ sua item esset authentica propria in lingua translatio; quia Latina lingua simul cum Græca & Hebræa in Crucis arbore sanctificata fuit; Item quia, vt Hebræa & Græca; ita & Latina est lingua

vniuer-

Digitized by Google

vniuersalis, nulla certa regione circumscripta: item, quia par erat, vt authentica versio exstaret apud illos; quibus Vicarius Christi & successor Petri semper præsens futurus erat; hi autem sunt illi; qui suis in sacris peragendis Latina lingua vtuntur. Et cum Ecclesiã Latinam nominamus, illam intelligimus, quæ in rebus diuinis Latina lingua vtitur, vbicunq; demum locorum versetur; quocirca nihil in lingua Italica Anglica, Gallica aut Germanica locum habet; quia particulares linguæ sunt, non vniuersales; nec à Christo in Cruce dedicatæ; nec ad vsum mysteriorum diuinorum assumptę: Quapropter nugis deputetur quidquid præterea hic garrit Sectarius: vt, *quid futurum sit; si Bellarminus singulis Ecclesiis tribuat vernaculá linguá authenticas editiones.* Primùm enim periculum non est, fore, vt Bellarminus authenticas translationes, easque vernaculas, quibusuis prouinciis concedat. Deinde si concederet; tum diceret, nihil prorsus discriminis inter illas futuras; sicut enim liber Canonicus à Canonico dissentire non potest; ita neque editio libri Canonici authentica ab alia editione authentica discrepare potest.

Addit Caluinista; *se nescire, quam tandem vocemus Latinam Ecclesiam*; Respondeo, meo iudicio, hanc ignorantiam in VVitackero esse aut *affectatam*, aut nimis *supinam & crassam*: nam Latina Ecclesia illa à nobis appellatur, quæ linguam latinam in sacris peragendis vsurpat; vbicunque prouinciarum constituta sit. Et cur à Latinis sacris dici non posset *Latina*; licet illa in Ecclesia Latina lingua non sit vulgaris ac vernacula? Nam & hodie Græca Ecclesia nominatur illa, quæ Græca lingua in sacris vtitur; licet illa lingua non sit apud illos, ipsi etiam vulgo, vsitata: imò ne in ipsa quidem Græcia iam lingua in sacris adhiberi solita, vulgo est vernacula; cum vulgaris lingua Græca; & vetus, quæ in sacris adhibetur, fermè tantum differant, quantum Latina & Italica.

Hunnius hic nihil adfert, quod ad rem faciat: tametsi omnia, quæ blatit, plurimum faciunt ad rhombum Prædicanticum. Ait, *non modò vtile, sed & necessarium esse, vt Ecclesia cuiusq; lingua habeat Biblia in suam linguam transfusa.* Et quid hoc, hoc quidem loco, ad rem? Infrà hac de re disputabitur: hic de authentica auctoritate vulgatæ editionis agimus. Mentitur deinde solenne illud Prædicantium mendacium; *Biblia sub Papatu pulueribus iacuisse obsita*; quod figmentum refutant tot commentarij à nostris doctoribus in sacram scripturam ante Lutherum natum editi; & ipsa etiam Biblia in Germanicam linguam translata, typisque excusa aliquot annis, antequam Apostaticus Lutherus in genitricis suæ infelici vtero conciperetur. Quid autem Hæretici recursu suo *ad fontes*, vt vocant, efficiant; id in dies singulos dilucidè satis experimur. Tot nimirum versiones & sententias ex fontibus illis hauriunt, quot

A capita haustum eunt; & tam diuersas translationes nobis cudunt, vt liquidò appareat, versores istos scripturam non ad Spiritus sancti, sed ad suam mentem vertere ac conuertere.

Iunius argumentum Bellarmini mutilat, & consueta sibi caligine obscurat; tum hoc adiicit: *id solum diuinitus esse authenticum, quod materia, forma, sermone, omnibus deniq; modis à Deo per seruos ipsius est traditum; sic vetus testamentum Hebraicè; nouum Græcè diuinitus esse authenticum. Quod verò humanâ operâ seu Græcè seu Latinè versum est, id diuinitus esse authenticum, qui putent; religioni pariter & rationi aduersari.* Ex quo sequitur VVitackerum Caluinistam, ex Caluinistæ huius sententia, religioni B pariter & rationi aduersari; quia, vt paulò antea dicebam, palam concedit Græcum Euangelium D. Matthæi, & Græcam Epistolam ad Hebræos diuinitus esse authentica; licet & illud & hæc initiò Hebraicè, & postea ab aliquo Interprete in Græcam linguam translata fuerint. Et certè non malè sentit VVitackerus. Nam quod in libris Canonicis, Hebræa aut Græca lingua primitus à Canonicis scriptoribus conscriptis non modò res, sed & ipsa verba immediatè à Spiritu sancto profluxerint; in translationibus autem verba ab ipso interprete seu translatore suppeditata sint; id non arguit, versionem aliquam non posse esse totam diuinitus authenticam: quia licet verba translationis translatori nõ sint C immediatè à Spiritu sancto suggesta & quasi ad calamum dictata, vt factum in ipsorum Canonicorum voluminum conscriptionibus; sed humano studio ac industria excogitata & chartis mandata; sic tamen interpreti Sanctus spiritus adfuit, vt & mentem & calamum eius gubernaret, ne vnquam in verbis translationis à vero & genuino suo sensu aberraret; Quapropter nihil obstat; quo minus ipsa etiam versio tali Spiritus sancti ductu elaborata; censeatur itidem diuinitus authentica; quia nihil ei deest, si certitudinem & infallibilitatem spectes; quod ipse primigenius textus habeat; tantum hoc est discriminis; quòd in primigenio textu verba etiam immediatè sint à Spiritu sancto; hic mediatè D duntaxat, quatenus interpretem, humano studio diuina volumina transferentem, ab omni errandi periculo immunem præstat, & in verbis quærendis ita regit, vt falsa pro veris non supponat.

Obiicit Iunius. *Pariter authentici esse non possunt diuini fontes & riui nostri*: Respondeo, id ita esse; si riui præcisè spectentur, quà riui nostri vel humani. Si autem, considerentur riui, vt singulari Spiritus sancti cura & protectione confecti, sic negamus, fontes & riuos ex fontibus illis deductos non posse pariter & æqualiter diuinitus esse authenticos. quoad certitudinẽ & infallibilitatem: nec Iunius contrarium aut probat, aut probare vnquam poterit.

Digitized by Google

Danæus tertium Bellarmini argumentum appellat *Paralogismum à non consequente.* Hac enim Panoplia vel simili Bellarminum vbique oppugnat; qua, si hominem spolies; iam nudus ac inermis adstat. Paralogismis, quos fingit, varietatis caussa, miscet passim mendacia & conuicia, vt iam crebrius monui. Nec longè abierim. Exemplū est in promptu. Vbi ipse proiectè mendax & effrons est, scribere non veretur, Bellarminum *insigniter impudentem esse:* quasi scribat; infra cap. 15. *diuinos libros ab auctoribus suis initio etiam Latina lingua fuisse scriptos, vti & Hebræa & Græca.* Quo nihil falsius. & à Bellarmini mente alienius fingi poterat: cum expresse hoc ipso libro doceat, quosdam libros Canonicos à suis auctoribus Hebraicè tantum; & quosdam Græcè tantum compositos fuisse: non autem; quod quidam Hebraicè, Græcè & Latinè simul, vt iste impostor comminiscitur; nam quod cap. 15. Bellarminus Latinæ linguæ meminit, tanquam eius, qua etiam scriptores Canonici vsi fuerint; id fecit propter Euangelium S. Marci, quod à sancto Marco latinè conscriptum fuisse, non caret verisimilitudine, vt supra vidimus.

Quartum Bellarmini argumentum: In Conciliis generalibus Ecclesiæ, aut paucissimi, aut interdum nulli inueniuntur linguæ Hebraicæ periti: malè igitur prouisum esset Ecclesiæ, si in rebus grauibus non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos codices, & mendicare à Rabbinis hostibus suis veritatem. Idem dicere possumus de Græca lingua. Nam & si nunc vtcunque multi inueniuntur, qui Græcè nouerint, tamen nō semper ita fuit. Nam, si Ruffino credimus lib. hist. 10. cap. 21. ex sexcentis Episcopis, qui ad Concilium Ariminense cōuenerunt, nemo fuit, qui sciret, quid sibi vellet ὁμόουσιον. Et propterea cum callidi quidam hæretici Ariani proponerent synodo, an vellet Christum colere, an ὁμόουσιον, omnes clamauerunt, se nolle ὁμόουσιον, sed Christum.

Respondet VVitackerus: *absurdum esse, ex Præsulum, & Episcoporum ignorantia sumi argumentum contra autoritatem, aut necessitatem fontium.* At Bellarminus nō sumit argumentum à Præsulum ignorantia, contra auctoritatem fontium; sed pro auctoritate editionis vulgatæ latinæ. Fontibus suū pretium & auctoritatem, quam habent, intactam relinquit: Cum enim pauci fint ex Episcopis & pastoribus Ecclesiæ; quorum munus est, in Conciliis sententiam dicere; qui Hebraicam & Græcam linguam teneant, absurdum profectò foret, si diceremus; istos rerum controuersarum iudices vel omnes, vel plerosque Latinam vulgatam editionem secutos non ex authentica, sincera ac integra scriptura sententiam pronunciare; sed ex tali; quæ fallere queat. Quo fit, vt in Conciliorum definitionibus fideles nunquam securè adquiescere possent; semper solliciti, ne fortè deprauata translatione decepti iudices, falsum, & ipsis fontibus contrarium sensum pro vero & genuino obtruserint.

Secundò Respondet VVitackerus. *Nullum fuisse generale Concilium, in quo non aliqui inueniri possent, qui scripturas in suis fontibus intelligerent.*

Id verò non probat VVitackerus, nisi auctoritate sua; inquit Sacroboscus noster; quæ, cum soleat sæpe mentiri; fidem non facit. D. Hieronymus lib. de viris Illustribus in Origene scribit; contra consuetudinem Græcorum fuisse, vt eorum quispiam reperiretur Hebraicè peritus: quantùm verò à Latinis ea lingua fuerit neglecta, vel hinc colligere licet, quod, vt refert Genebrardus in Chron. ann. Christi 1447. ipsa Græca lingua L X X. annis ex Italia, aliisque Occidentis partibus, ferè exulauit. Ex quibus fit perspicuū, quàm facilè accidere potuerit, vt in aliquo Concilio non esset, qui Hebraicè sciret. Deinde: esto, essent pauci aliqui Hebraicè periti; cæteri certè non facilè eis cederent, sed ex fide Latinæ editionis procederent, plus quam illis paucis. Hieronymo tribuentes; qui & peritior fuit, & correctioribus vsus est exemplaribus. Quare, quod subiungit VVitackerus, necesse non esse, vt omnes, qui scripturas intelligant, linguas etiam illas teneant, quibus eæ primùm conscriptæ fuerant: Id quidem verum est, si scripturæ sint fideliter versæ; secus, minimè. Nam, qui falsam versionem, pro vera scriptura habet, eius erroribus inficiatur necesse est.

Respondet tertiò VVitackerus, *falsum esse, nullum in Concilio Ariminensi inuentum, qui, quid sibi* ὁμόουσιον *vellet, intelligeret.* Sed, quæro ego, cur Patres, qui illi Concilio interfuerunt, ὁμόουσιον repudiarunt, & (si VVitackero credimus) damnarunt? Respondet; *quia vim verbi cognitam penitus, non habebant.* Ergò, tuo calculo, quid sibi vellet vocabulum illud, non intelligebant. & rectè quidem. Nam si intellexissent, quomodo filium eiusdem cum Patre substantię esse, negassent, ni placuisset, apertis oculis Arianam in hæresin sese præcipitesdare? præsertim cum Nicænum Concilium 318. Episcoporum, vocem illam à Patribus vsurpatam receperit, atq; in Symbolo posuerit, tanquam tesseram, ac notam, qua discernerentur Orthodoxi ab Arianis; qui filium patri consubstantialem esse negabant, & asserebant puram creaturam.

At aderant, inquit, *multi ex Græcia Episcopi, qui linguam Græcam optimè norant.* Respondeo, id splendidum esse mendacium. Nam Græci Episcopi vt est apud Sozom. lib. 4. c. 18. Socr. lib. 2. cap. 39. de industria manserunt Seleuciæ in Isauria, quoniam erant maxima ex parte Ariani: iiq; ue fuerunt, qui missis veteratoribus, imponere conati sunt Patribus Arimini in AEmylia congregatis: quod ignorare non potest, qui historiam illius Concilij legerit.

Hoc quartum Bellarmini argumentum stomachum non mouit, sed, vt videtur, penitus inuertit

Digitized by Google

uertit & euertit Hunnio. Quapropter *Romanæ Babylonis pudenda*; & *Romanum Antichristum* ructat; & præterea *asinos*, & quidem *rudes asinos, pigrosq; ventres, rabulas*, & *alastoras* in chartas suas largiter euomit; non sine admiratione, *cur Pontifex Romanus Romæ, & alibi in Italia, ferat Iudæos, non autem Prædicantes.* Ait, *hoc fieri interuentu pecuniæ.* Id vt credam impetrare à me non queo. Quia si pecunia hoc apud Pontificem efficeret, locus etiam Lutheranis & Caluinianis Prædicantibus Romæ & alibi esset; quia non deessent Reges & Principes, quos hæresis ad sua castra pertraxit; qui suis præconibus grandi ære ius commorandi Romæ & alibi in Italia mercarentur. Aliam igitur caussam subesse oportet. An ista subest, quod Prædicantes longè sint nequiores & nocentiores Iudæis? Miratur cur Bellarminus absurdum iudicet, vt Christiani in Conciliis verum & legitimum scripturæ sensum à Rabbinis emēdicent; sed non miraretur, Prædicans, si Rabbinorum amore excœcatus non esset, quos impostor ipse pro impostoribus non habet, ob communionem eiusdem artis, quam simul profitentur ac factitant.

Longè profectò Luthero mens alia fuit, à quo hunc Lutheri successorem discordare mirarer, nisi scirem hunc esse genium Prædicantium, vt non tantum à Magistris & antecessoribus suis, sed crebro ipsi etiam à seipsis dissentiant. Videamus ergo, quid Lutherus scripserit Tom. 3. Lat. VViteb. præfat. in Explicat. super nouissima verba Dauidis. *Ipsi, Iudæi tam variis, & discrepantibus interpretationibus. Grammaticis distinctionibus, punctationibus, textus Bibliorum tam miserè lacerant, & discerpunt vt; si ipsos interpretes sequi velimus, nunquam habituri simus Biblia, vna aliqua certa, & concordi sententia enarrata, aut intellecta; quoniam suam quisq; Rabbinorum interpretationem aliis præferri vult. Quid, quod ipsi coguntur fateri, multis in locis se nondum intelligere suæ linguæ vocabula? tantum abest, vt vbique puram, & consentientem Bibliorum explicationem habeant, quod ad Grammaticam sententiam attinet, vt de Theologica taceam, cuius prorsus nihil habent.*

Itaque Lutherus nullo modo aut ipse intelligentiam scripturæ à Iudæis petere vult; aut ab aliis petendam censet; imò apertè profitetur, se huius rei gratia ne Hebræa quidem elementa discere velle; redditque duplicem caussam. Prima est, *quod frigeant, & non infrequenter ineptiant, qui Iudæos sibi duces eligunt. Vide*, inquit Lutherus, *quid Nicolao Lirano, viro pio, & Ebraicè docto, & fideli interpreti acciderit. Is, quàm bonam, & vtilem operam sumit, cum Iudæorum corruptelas confutat ex noui testamenti libris. Sed idem rursus alibi quàm friget, quam ineptus est, cum suum Rabbi Salomonem sequitur; quàm nihil ad rem dicit, tametsi & textum, & scripturā Ebraicam sine ambiguitatē habet. Et is tamen vnus multò sincerior, ac purior interpres est, quā omnes illi & veteres, & recentes Ebraistæ, qui tanquā prorsus addicti sint Rabbinis, ita studiosè eos sequuntur. Profectò nō est vtilis Ecclesiæ opera, & studium*

A *Rabbinorū, & Grammatistarū iudaizantiū interpretationes, & sententias in Ecclesiā inuehendi. Nam illæ etiā fine studio per sese nimis facilè, & pertinaciter hærent. Et ipsa litera, seu textus à Iudæis recepta superstitiosa obseruatio, & aliorum interpretum autoritas, & exempla, facile caliginem offundunt, vt interim amissa vera sententia, & intellectu de Christo, vbi non oportuit, Iudaicæ imaginationes nobis incautis obrepant. Quemadmodum omnibus interpretibus video euenisse, nullo, ac ne* ME *quidē excepto.*

Testimoniū hoc Lutheri verum est. Notate & obseruate ô Prędicantes, tuque inprimis Hunni cum *tuis asinis*; tuque Danæę; & Iuni; cum tuo Tremmelio, aliisq; Iudaizantibus interpretibus, quotquot ad hunc vsq; diem exstiterunt. Exstiterunt autem quamplurimi.

B Altera caussa quam reddit Lutherus est ista. *Certum est, nos, qui Christiani sumus* (adde, Ecclesiæ Catholicæ filij) *verè tenere mentem, & sententiā scripturæ veteris testamenti; cum doctrinam noui testamenti, hoc est*, IESV *Christi cognitionē teneamus; qui, in scriptura Prophetica pmissus, & postea exhibitus, ipse secū lucē, & intelligentiā scripturarū attulit, vt Ioā. 5. inquit; De me Moses scripsit. & si illi crederetis, eratis & mihi credituri. &c.*

Quare, si mihi detur optio, vt aut Augustini, & similium puriorū scriptorum enarratio, & sententia (hoc est, ipsorum Apostolorum) ex scripturis retinenda sit, & simul eo, quo & ipse August. destitutus sit, carendū, quòd aliquādo à literis, aut vocibus Ebraicis aberrauit: aut Iudæorū certa, & explicatæ voces (quales tamē nec ipsi per omnia se habere coguntur fateri) sine Augustini, & veterū scriptorū intelligentia: C *hic quid potius optaturus sim, facilè est iudiciū, scilicet Iudæis multū valere dicerē, iuberē illos, vna cum suis interpretibus, & apicibus literarum, abire, quò digni sint: interim, me vitam recepisse. Nam etiamsi Augustinus ignorat Ebraicā vocem Kikaion (exempli causa) pro qua ipse cucurbitā legit Ionæ 3. Itē, etsi nescit cum Iudæis sonare illud, Veniet hembda gentiū, Aggai 2. Vbi tamē bono sensu legit; Veniet desideratus gentibus; in eo, neq; vertitur, neq; periclitatur eius fides, quæ veram suæ salutis ancoram tenet, hoc est, hunc, qui est via, veritas, & vita; de quo vaticinantur, & cui testimoniū dant, vt dictū est, Prophetæ omnes. Act. 4.*

Iudæi verò, quia Christum nō recipiunt, nunquā eò perueniunt, vt Mosi, Prophetarum, aut Psalmorū sententiam nosse, aut intelligere possint, quæ sit veræ fidei doctrina, quid decalogus requirat, quid exempla, & historiæ scripturæ D *doceant: sed tota scriptura (quam tamen quotidie sonant illorum Synagogæ) est eis, vt de hoc ipso prædixit Esaias cap. 49. tanquā si detur liber legendus nescienti literas. &c.*

Eant nunc Prędicantes, & Bellarminū rideant, quòd scripsit fieri posse, vt aliquando in Cōciliis generalibus, paucissimi, aut planè nulli inueniantur Hebraicę linguæ periti: itē absurdū esse; vt Christiani mendicare cogātur à Rabbinis, hostibus suis veritatē. An nō fatetur Lutherus, Hebręā linguā ad verā scripturæ intelligentiā nō esse necessariam? An non iubet, vt Iudæis & omnibus Iudaizantibus interpretibus multam salutem dicamus, ne cum ipsis pariter in varios errores præcipitemur? An non palam profitetur, se *ne alphabetum quidem Hebræum discere velle* propter illorū

vitan-

vitandas calumnias, qui vociferantur, scripturæ intelligentiam ab Hebræistis petendam esse?

At fortè Lutheri iudicio, necessaria erit lingua Græca propter nouum testamentum. Ne hoc quidem; quia vulgata Latina editio abunde sufficit. Audi Lutherum. *Quid Papæ cœtus queri potuit sibi deesse, quod ad integram lectionem scripturarum attinet? An non librorum noui testamenti (nam de vetere nunc non dico) certam, perspicuam, ac luce clariorem lectionem habuerunt? Quid nunc nostris nouarum sectarum* (Sacramentariorum, & Anabaptistarum) *autoribus deest? annon & hi certè in noui testamenti libris doctrinam Euangelij certò, & clarissimè traditam legunt? quam tamen, se non intelligere, ac tenere, ipsi satis ostendunt. An verò propter vnius cuiusq; insani, & à Satana exagitati cerebri furores, & somnia, etiam noui testamenti nouam versionem quæ ad illius* (Sacramentarij, aut Anabaptistæ) *fanaticum sensum congrueret edendam fuisse, aut esse iudicabimus? Quis hic futurus esset modus, aut numerus nouarum interpretationum?*

Quid longis verborum anfractibus opus? *Summa hæc est,* inquit Lutherus: *Nisi nos operam, & studium huc conferimus, vt scriptura textus, quoad eius fieri potest, ad sententiam scriptorum Apostolicorum in libris noui testamenti traditam, aduersus Rabbinorum corruptelas accommodemus, omninò melius esset, omisso studio Ebraicæ linguæ, simpliciter retinere illam hactenus receptam, & vsitatam versionem Bibliorum (quæ tamen maxima ex parte iam per noui testamenti libros explicata, & illustrata est) quàm tot nouas versiones cumulari (propter pauca quædam loca, vbi aut Ebraica lectio alia est, aut quarundam vocum interpretatio nondum certa est) quibus nihil proficitur; nisi quod dissimilitudo, & discrepantia lectionum memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem, quàm fuerat, dimittit.*

Mentitur Prædicans, *à Bellarmino Ruffinum mala fide allegari: non enim dicere Ruffinum, ex sexcentis eius Synodi Episcopis neminem fuisse qui sciret, quid sibi vellet ὁμοούσιον, nam Orientales id probe sciuisse; Occidentales verò ignorasse.* At Orientales non fuêre in Concilio Ariminensi, quia Seleuciæ conuenerant, iussu Imperatoris, vt sumptibus parceretur; quod patet ex Sozomeno, libro 4. cap. 15. & ex ipso Ruffino eo ipso loco, de quo iam nobis est sermo. Et quamuis alij pauciores Episcopos huic Concilio præsentes nominent, quàm Bellarminus, tamen omnes, præter pauculos quosdam malitia magis, quàm ignorantia deceptos; fuisse ex inscitia vocabuli *Consubstantialis* inductos, tam euidenter testatur Ruffinus, vt id nemo inficiari possit, nisi aliquis *Nigrinus*, qualis fuit Hunnius. Nugatur & Iunius quiddam de Concilio Ariminensi; *quasi Bellarminus non debuerit inde testimonium accersere.* At quæstio non est, quale fuerit Concilium Ariminense, de quo sententiam suam satis superque exposuit Bellarminus lib. 1. de Conciliis; sed hoc quæritur, vtrum isti, qui ex Occidente conuenerant, in errorem prolapsi fuerint

A ignoratione Græcæ dictionis *τοῦ ὁμουσίου*; & prolapsos esse, perspicuè ostendit Bellarminus: siue postea Synodus illa legitima fuerit, siue non: alia enim hæc est quæstio, & ab instituto nostro aliena.

Idem Iunius dicit, *absurdam ex absurdo esse argumentationem, quando Bellarminus ait; absurdum esse, vt Ecclesiæ Præsules à Rabbinis verum scripturæ intellectum emendicent.* Quid ita verò? *Quia nisi Hebraicæ & Græcæ editioni fidatur, periit fides.* At hoc nemo affirmauerit, præter illos, qui sunt, ex *cœtu Arcadico*, vt loquitur Iunius ex Arcadia oriundus. Neque Bellarminus ita argumentatur, vt fingit iste Arcas. *Episcopi nostri non intelligunt Hebræam, aut Græcam linguam; ergo necessariò habere debent editionem Latinam*
B *authenticam, ne à vero scripturæ intellectu prorsus aberrent.* quia editio Latina non est authentica propter Episcopos; sed in se & per se authenticam vim possidet, dilucidè nobis nunc Ecclesiæ vniuersalis decreto declaratam ac promulgatam: quia diuinæ prouidentiæ consentaneum erat, quod supra disputatum ac ostensum est; vt & Latina Ecclesia, certam, indubitatam, & ab omni errore seiunctam editionem haberet; notam iis, qui in ea Ecclesia populo Christiano præsunt, Sacramenta administrant, & pabulum verbi diuini subministrant, præsertim cum non vana sit suspicio, fontes, maximè Hebræos, variè esse turbatos, cuiuscunque tandem culpa; & vt turbati non essent; ipsa tamen dictionis & orationis He-
C bręæ obscuritas & ambiguitas, & interpretum ex Hebræo dissensio ac discrepantia argumento essent, diuinam prouidentiam decuisse, vt incommodo huic per claram & limpidam editionem authenticam mederetur: id quod factum est per decretum Concilij Tridentini. Nec est quod putent hoc decretum conditum esse; quod in Ecclesia desint viri Hebraicè Græceque insigniter docti; ipsi autem his talibus abundent: nam in Ecclesia Catholica & sunt & fuerunt, quibus VVitackeri, Iunij, Hunnij, Danæi & similes *Lauerniones* ne aquam quidem porrigere *possent.* Neque alios aduoco testes, quam illos, *qui olim* Complutensibus, postea Regiis Bibliis publicandis operam nauarunt. Quid simile vnquam
D à Sectariis præstitum? vt taceā innumeros alios Catholicæ Ecclesiæ filios harum linguarum scientia præclarè excultos. Interim isti cum tria quatuorue Hebræa vocabula sonare, cum adhibitis duobus tribusue Lexicis vnam radicem inuenire norunt; iam maximi sibi videntur Rabbini.

Quærit Iunius cum Danæo. *Cur Latina potius editio censeri debeat authentica, quam Arabica, Indica, Æthiopica; & si Latini translationem authenticam habere velint, cur eandem postulare nequeant Arabes, Indi, Æthiopes.* Sed ad hoc iam suprà abundè respōsum est. Nec quidquam aliud adfert Danæus, nisi quod mucronem illum suum retusum ac hebetem hic etiam stringit: *Est Paralogismus à non*

consa-

consequenti. Qua Panacéa sanat omnia. Aptè an ineptè, manum non verterit.

Vltimum Bellarmini argumentum. Videmus nouos hæreticos, qui contempta antiqua editione, nouis interpretationibus student, adeò diuersas, & inter se dissentientes editiones cudere, vt nihil ferè certi ex eorum editionibus haberi possit. Quare, Martinus Lutherus, in lib. contra Zvvinglium de veritate corporis Christi in Eucharistia: *Si diutius*, inquit, *steterit mundus, iterum erit necessarium, vt propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atq; ad ea confugiamus.*

Quærit VVitackerus, *cuiusmodi argumentum hoc est? Hæreticorum sunt diuersæ, & discrepantes editiones: ergò Latina vetus est authentica.*

Dico, inquit Christophorus à Sacrobosco, si VVitackerus Bellarmini verba fideliter retulisset; argumentum planè efficax, ac validum vidisset. Nam si hæretici, qui, contempta antiqua editione, aliter, quã illa, reddere student, malè omninò vertunt, experientia teste, ex Lutheri ingenua cõfessione, manifestum indicium est, recessum ab antiqua editione, ad corruptionem tendere: & è conuerso, accessum ad eam, tendere ad perfectionem: quodque consequens est, oportere, vt illa vera sit fidelis ac syncera.

Respondet VVitackerus secundò; se nõ probare editiones discrepantes. Vtinam id ita esset: sed num ita sit, vehemẽter dubito. Quia sine dubio probat in veteri testamento editionem Leonis Iudæ, Munsteri, Castalionis, Iunij, Tremmelij; in nouo Bezæ, Erasmi, Castalionis; Quibus quid diuersius, quid discrepantius? Scis quomodo Beza Castalionem, eiusque Biblia tam Latina, quam Gallica tractet?

Tertiò respondet VVitackerus: *Nullam se editionem nisi Hebraicam in vetere, & Græcam in nouo testamento authenticã facere.* Parum moramur, quas ipse editiones pro authenticis habeat, quas nõ; certi, VVitackerũ hæreticis annumerari debere, quãdiu Latinã vulgatam editionem authenticis annumerandum esse contumaciter abnuit.

Quartò respondet VVitackerus: *quod ad Lutherum attinet, se nescire, num ita scripserit; hoc de illo maledicum Cochlæum affirmasse. Rem nullius momenti esse.* At pudere debebat VVitackerum hæc ante effutire, quàm locum Lutheri à Bellarmino citatum & diligenter notatum inspiceret. An nõ enim hæc, quæ Bellarminus citat exstant in libro *qui defensio verborum cœnæ* inscribitur Tom. 7. Lat. VViteberg. non procul ab initio? Sed VVitackero nõ libuit librũ illum inspicere; in quo Sacramentarij ita à Luthero depinguntur, vt mirũ sit, librũ hunc à Caluinistis in Catalogum *librorũ prohibitorum* non referri. Quod autem nõ sint eadẽ prorsus verba à Bellarmino citata, cum iis, quæ exstant Tom. VII. caussa est; quia Lutherus librũ illum Germanicè vertit, quẽ alij aliter in latinam linguam transtulerunt; verbis quidem diuersis, at sensu eodem.

Obiicit Hunnius; *Lutherum eo loco non loqui de variis interpretationibus, hoc est, versionibus, sed de variis explicationibus scripturæ.* Sed vnde potissimum variæ istæ expositiones scripturæ, nisi ex diuersis translationibus? Nunquam enim magis dissonæ explanationes exstiterunt, nisi postquã adeo diuersæ versiones in lucem prodierunt. Quod clarum ex illis, quæ paulò antea ex ipso Luthero recitauimus.

Ait Hunnius; *non esse mentem Lutheri vt in hac discrepantia interpretationũ ad Concilia confugiatur.* Non est quæstio, quæ sit Lutheri mens, quam fortassis ipsemet præ amentia non satis exploratam habuit; sed quid scripserit; siue ex mente siue contra mentem suam id scripserit. Accipe verba Lutheri ex versione Matthæi Iudicis Lutherani Rabulæ. *Si hæc mundi machina per aliquot annos durauerit, iterum, more patrum, ad tollendas dissensiones humana quærentur præsidia, constituenturq; leges & decreta ad cõciliandam & seruandam in religione concordiam; quod quidem similem priori sortietur euentum.* Hæc sunt Lutheri verba; quibus quid futurum esset ex Saxonico suo tripode vaticinatus est; siue id, quod futurum canebat, fuerit ex mente; siue contra mentem ipsius: quanquã contrà fuit; vt sequentibus verbis dilucidè exponit. Interim tamen verum est, Lutherum, id quod nolebat, timuisse; & euenturum esse prædixisse.

Ait Prædicans; *Ad incommoda dissensionum euitanda non esse idoneum remedium, vt potestate prætoria obtrudatur versio illa longè vitiosissima pro norma, & regula. Sed his rebus multò rectius medemur, quando ex fontibus Hebræis, & Græcis demonstratur veritas, si quando illa propter editionũ diuersitatem in cõtrouersiam veniat.* Hic nihil penitus actum est, potestate *prætoria*, sed Ecclesiastica. Deinde Lutherus hunc Prædicantem mendacij arguit; qui vulgatam editionem Latinam vocat *certam, perspicuam ac luce clariorem*, saltem in nouo testamento; quomodo igitur, vt Prædicans mentitur, versio nostra est longè vitiosissima? An non idem Lutherus disertè affirmat, *omnino melius esse omisso studio Hebraicæ linguæ, simpliciter retinere illam hactenus receptam & vsitatam Bibliorum versionem, quam tot nouas versiones cumulari, quibus, vt ait, nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo & discrepantia lectionum memoriã legentium turbat.* Mentitur ergo Prædicans iste, teste & iudice Luthero, cum editionem vulgatam longè vitiosissimam esse pronunciat; cum ipse Lutherus palam fateatur, longè satius esse hanc retinere, quam tot & tam discrepantes versiones admittere.

Quod Bellarminus ait; ab Hæreticis tam diuersas translationes cudi, vt vix quidquam certi inde haberi posset; *negatur*, inquit Iunius. At id verũ esse suprà liberè professus est ipse Lutherus; quin & res ipsa id loquitur. Conferat, cui animus & otiũ, Castalionis, Leonis Iudæ, Munsteri, Iunij & Trẽmelij inter se versiones; videat, quam bellè concinant. Hac varietate & incertitudine cõmotus Lutherus nõ semel in commentariolo super

nouissima Dauidis verba publicè testatus est, se nullam penitus rationem habiturum Rabinorũ & Hebrȩistarum siue veterum siue recentium, si suam explanationem cum doctrina testamenti noui congruere animaduertat. *Nec moremur*, inquit, *quid alij Rabini, aut illis addicti Iudaizantes Hebraistæ* (quales Leo Iudas, Munsterus, Castalio, Iunius, Tremmelius) *ex ipsorum punctis & apicibus miserè contorta, & tanquam crucibus confixa Grammaticæ, quam vocant, obganniant, sed ea, vt commenta & fabulas repudiemus.* Adiungit & hoc de huius æui Hebraicis versoribus Lutherus; quod haud scio an Iunio & Tremmelio persuasurus sit. *Dico natiuam phrasin Hebraici sermonis in hunc vsq; diem nondũ in lucẽ prolatã esse, & sæpe ipsis* (nouis Hebræistis) *vim & significationem Hebraicorũ vocabulorum multorũ ignotam esse, vt res ostendit, tantum abest, vt vim phrasis, figurarũ & idiotismorum in ea lingua nouerint. Sed & in singulis vocabulis, & in structura, palã est eos fingendis æquiuocationibus ludere, etiam vbi nihil necesse est; dubitantes, hærentes, quæritantes, velut aliquis indoctus citharœdus eas chordas oberrans quæritat, at pertentat, quanam reddere velit, quos vellet sonos, aut numeros.*

Hæc & alia Lutherus de suis sectatoribus, qui perpetuò nouas translationes ex Hebrȩo procudunt, & ad fontes Hebræos à latina vulgata editione prouocant, quos tamen teste Luthero, non intelligunt; neq; eorum vim assequuntur, ꝙ Lutherus in illo cõmentario non semel repetit. Cuius tanquam filij, patris; aut discipuli doctoris, reuerentia duci isti debebant, parciusque in insectatione Latinæ editionis vulgatæ & in commendatione Hebræorum fontium versari.

Postq̃ Bellarminus absoluit argumẽta, quibus probauit vulgatã Latinam editionẽ esse authenticã, notat quȩdã in hoc ipso argumento Caluini & Kemnicij mendacia. VVitackerus & Danæus Caluinũ sub cultro linquunt; vt & Kemnicium. Iunius & Hunnius vtriq; opitulari conantur. Sed miserè. Ait Caluinus, *nec iudicio, nec recto delectu factũ esse, vt ex interpretationib. diuersis vna obtinuerit inter indoctos.* Quod calidissimum est mendacium.

Respõdet Hunnius; *Caluinũ non dicere interpretationẽ Latinam vulgatã à solis indoctis vsurpari. Nouerat enim in vsu fuisse, ac etiamnum esse etiã apud doctos. Inter indoctos autẽ ex diuersis interpretationibus vnã illam* OBTINVISSE *dicit, vt nimirũ haberetur omni ex parte pro authentica; quod nemo affirmabit, nisi qui sit indoctissimus, aut contra conscientiæ testimoniũ loqui præsumpserit.*

Sed Hunnius, veteri instituto, impudenter mentitur: non enim hoc tantũ voluit Caluinus post Concilium Tridentinum obtinuisse hanc versionẽ vulgatam, tanquam authenticã, *inter indoctos*; (quamuis, vt hoc tantũ Caluinus voluisset, nihilominus splendidè mentitus fuisset; cũ editionem vulgatã Latinè, Grȩcè, Hebraicè, & quod caput est, Theologicè doctissimi quique approbent ac commendent, cum quibus istæ ex nescio quibus paludibus coaxantes ranæ si cõparentur, quid aliud sunt quàm pygmæi ad gigantes?) Sed miratus est Caluinus hanc editionẽ etiam ante hoc Tridentinũ decretũ ita fuisse passim receptũ, & quia aliter stomachũ suum ob hanc communẽ approbationẽ testari nõ potuit, inter *solos indoctos* receptam fuisse mentiri nõ erubuit; in *indoctorum* classem reiiciens quotquot à tempore D. Gregorij scientia & sanctitate in Ecclesia floruerant. Quod clarè liquet ex his Caluini verbis in Antidoto Cõcilij Tridentini ad Sess. IV. *Sacra Dei oracula Moyses & Prophetæ lingua Hebraica: Apostoli Græcã prodiderũt. Ne quis mundi angulus expers esset tanti thesauri, accessit etiã donum interpretationis. Factũ est:* (obsecro, quando? An non ante Concilium Tridentinũ? An nõ quando interpretationis donũ Ecclesiæ concessum est?) *nescio quibus modis, certè nec iudicio, nec recto delectu, vt ex interpretationibus diuersis vna obtinuerit inter indoctos; saltem qui nulla linguarũ notitia instructi, qualecunq; ignorantiæ suæ subsidiũ quærebant.* An non manifestum est Caluinũ loqui de auctoritate, &, vt sic loquar, regno, huius editionis ante Concilium Tridentinum? Nam quæ alia causa patres Synodi Tridentinæ impulit, vt hanc editionem pronunciarent, & inuiolabili decreto decernerent esse authenticã; quàm quia videbant eam cõmuni superiorum ætatũ consensione approbatã fuisse? Ex quibus habet etiam Iunius ad mendacẽ suam hoc loco notã, respõsum; quem Lutheranus Hunnius expilasse videtur, vt Caluino, cui alioqui nõ satis propitius videri volebat; aduersus Bellarminũ patrocinari posset: Sed mendacia non nisi insipienter, aliis mendaciis defenduntur.

Alterum Caluini mendacium; *decreuisse Tridentinos patres, minimè esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, & ex certa veritate, falsum coarguunt.* Hoc ideo mendacium voco, quòd nihil eiusmodi in decreto Concilij legatur.

Occlamat Hunnius (& ante illum Iunius.) *Quamuis patres Tridentini Concilij fontium non faciant mentionem explicitam; tamen, dum versionem Latinam faciunt authenticã, & omni ex parte sacrosanctam haberi iubent, sponte iam sequitur id, quod Caluinus ei tribuit.*

Negamus hoc sequi. Nam si quid purum adferatur ex fontibus, id nunquã dissentiet à latina editione vulgata; si autẽ dissentiat, iam hoc ipso purum non erit. Impudenter igitur mentitur Caluinus, *Patres Tridentinæ Synodi statuisse, minimè audiendos esse alios, etiamsi ex fonte ipso purum liquorem adferant.* Si purus sit, obuiis vlnis acceptabitur: quia non diuertet ab ea editione, quam Tridentini patres authenticam esse declararunt. Si autem diuertat; iam liquor purus non erit. Et quid isti Prædicantes, perpetuò purum liquorem imperitis venditant, cum Lutherus disertè scribat, *nullum esse, qui fontis Hebraici vim penetret & assequatur.* Quod de Luthero omnibusq; Lutheranis & Caluinianis clamatoribus libentissimè cõcessero, quos & ex alio capite veram scripturæ sacræ intelligentiã attingere, qui credã? quia vt Lutherus verba nouissima Dauidis explanans ait; *qui*

sine

fine Christo diuinas litteras lectitat, non poterit non multis modis impingere, donec, seu cæcus ac furens ruat, idq; eò magis, quo studiosius in horum lectione versabitur, vocetur is sanè Iudæus, Turca, Scytha, aut si mauult, etiam Christianus; aut Lutheranus aut Caluinianus.

Tertium Caluini mendacium. *Adeò nullam esse in vulgata editione integram paginam, vt vix tres sint cōtinui versus, non insigni aliquo errore fœdati.*

Hunnius ait esse *hyperbolen*. Agnosco hyperbolen; & quidē admodum *Prædicanticam*; cuiusmodi hyperbolis omnes suas chartas isti opplent; qui, vt video, dum mentiuntur, non dicendum *ψεύδονται*, sed *εὐφημίας* gratia, *ὑπερβάλλειν*.

Post mendacia Caluini notat Bellarminus mēdacia Kemnicij, cuius hoc primum in hac quidē materia: *Concilium Tridentinū decreuisse, vt pro iis, quæ Spiritus S. in fontibus Hebraicis, & Græcis scripsit, ea recipiamus, quæ à librariis mutata, mutilata, vel addita sunt.* Hoc esse mendacium manifestum, nemo non intelligit. Hunnius pro Lutherano Kemnicio magis seriò rem agit, quàm pro Caluino. Ait, *Kemnicium non tantum loqui de mendis typographicis, sed & de illis, quæ nulla in editione mutentur, tamquā σφάλματα typographica, sed relinquantur in vniuersis exemplaribus.* Mentiri Hunnium, planum facient hęc Kemnicij verba in Examine Sess. IV. Cōcil. Trid. *Et tamen tanta est Pontificiæ congregationis impudentia, vt nō vereantur sine vlla exceptione statuere, vulgatam editionem nō esse reiiciendam, ne vllo quidem prætextu: etiamsi scilicet vitiosè quædam sint reddita, quædam mutata, mutilata, vel addita, ita vt cum fontibus non consentiant. Ita scilicet interpretis errata, librariorum σφάλματα, hominū additiones, & mutilationes pro verbo Dei acceptabimus; nec liberum erit, ipsis puris fontibus plus credere, quam cænosis, & lutulentis riuulis.* An nō mentitur hic Kemnicius ipsa typographica errata à Concilio fuisse approbata; sancitumque, ne quis aduersus illa hiscere tentet? An non mentitur Hunnius, dum hoc mendaciū à Kemnicio amoliri nititur? Expresse enim nominauit Kemnicius errata typographica, eaq; à Synodo Tridentina decreto suo confirmata fuisse, vultu Prædicantico comminiscitur. Sunt autē omnia exempla, quæ Hunnius ex Kemnicio, tanquam corruptelarum specimina, adducit, nauci ac nihili. Nam illud Gen. 9. *per hominem*; non habetur apud LXX. & in Hebræo potius est, *in homine*; quàm *per hominem*, vt patet ex inspectione Hebraici textus; & Pagnini, aliorumque Hebraizantium versionibus; & siue legamus, *in homine*; siue *per hominem*; siue omittamus, idem est sensus: nempe, sanguinē eius fundendum esse; qui sanguinem humanum fuderit. Quæso, à quo, si non ab homine?

Mutilari locum Matth. 9. omissis illis vocibus; *ad pœnitentiam*; mendacium est Prædicanticum: idem enim sensus est; non enim alio vocantur à Deo peccatores, quàm *ad pœnitentiam*. Fatetur ipse Erasmus, apud Hieronymum ea non exstare; & Beza, in duobus exemplaribus defuisse.

Lectionem vulgatam vltimi versus capitis primi ad Romanos ideo scilicet expungemus; quia Kemnicius & Hunnius clamant, *eam esse mendosam*; licet à sanctissimis & antiquissimis patribus approbata fuerit; vt à S. Augustino, S. Cypriano, Hesychio in Leuiticum; Auctore commentariorum, qui Hieronymo adscribuntur; Sedulio, Haimone, Anselmo, & posterioribus scripturæ interpretibus; vt patet in notationibus Lucæ Brugensis, & apud ipsum Bellarminum infra cap. 14. vbi, sicut & capitibus duobus antegressis, omnes locos, tanquam deprauatos, à Kemnicio obiectos defendit ac explicat; Et tamē Prædicans hic impudentissimè mentitur; Bellarminum ad ista loca à Kemnicio producta, *ne Gry quidē reponere, magisq; mutum esse, quàm piscem*: cum Bellarminus mox capitibus subsequentibus ad omnia accuratè respondeat. Quamobrē ego etiam hic verbis modum ponam; & responsiones ad alia in sequentia capita differam.

Secundum Kemnicij mendacium: *In Indice librorum prohibitorum à Paulo IV. edito, damnari omnes editiones Bibliorū, etiam veteris interpretis in quibus vel manifestissima quædam vulgatæ editionis errata correcta sunt.* Hoc etiam crassissimum mendacium est: non enim damnantur in eo Indice nisi editiones quædam ab hæreticis, vel suspectis impressoribus factæ: at omnes aliæ permittuntur.

Respondet Hunnius: *Hoc ipso non infirmat, sed stabilit assertionem Chemnitij Bellarminus, dum fatetur, Papam correctiones factas à nostratibus, quos Iesuita nominat hæreticos; damnare, quantumuis negare nequit, correctiones illas, esse rectas, & veras.*

At ego dico, Prædicantem istum accusationem mendacij à Kemnicio non depellere: nullam enim assertionem Kemnicij hoc loco Bellarminus infirmare, sed luculentum eius mendacium, in omnium conspectu ponere voluit: quod Iunius tangere non fuit ausus, metuens, opinor, ne digitos adureret.

Quod ex Kemnicio addit; *testamentum Erasmi à Paulo IV. In Indicem librorum vetitorum & fœtidorum coniectum, à Leone X. approbatum fuisse*; id commenti iam olim refutaui in Labyrintho Creticohunniano cap. 1. Adscribam, quæ tunc scripsi, quandoquidem meliora nō occurrunt. Ad primum, respondeo, non esse argumentum, sed mendacium. Non enim laudat Leo Erasmum, veterem editionem corrigentem, & sæpe reiicientem, sed studium, quod Pontifex in Erasmo putabat candidum, & syncerum, laudat: multò minus versionem illam, tanquam authenticam, approbat, aut vulgatæ editioni præfert. Neque enim vllum diploma, vt Pontifex, hac de re edidit; sed tantummodo, vt literarum, & literatorum insignis patronus (hac enim laude maximè claruit Leo) indefessum Erasmi laborem, sibi etiam dedicatū commendare voluit. Qua commendatione nihil minus instituit, quā errores, & lapsus Erasmi laudare, aut sinceritati veteris interpretis anteponere, imò omnibus eruditis liberā Erasmi refu-

candi potestatē permisit. Quo factũ est, vt statim ex omnibus prope mundi Christiani partibus, procederent, qui translationē Erasmianam cum Annotationibus; grauissimis cēsuris inurerent, & hallucinationes eius pate facerent, & profligarent; ex quorum numero Latomus, Stapulensis, Leus, Stunica, Sanctius, Natalis Beda, Theologi Parisienses, Albertus Carporũ Princeps, Sepulueda, & alij; aduersus quos plures dentatas apologias Erasmus euomuit, quæ in nono operum Erasmicorum tomo exstant. Quoties Beza, alijq; sectarij, Erasmi versionem carpunt?

Addo & illud, nō mirum fuisse, Erasmũ literas à Leone impetrasse; quia nondũ liquidò constabat, quale monstrũ Erasmus esset. Et, eruditi viri, quibus aula Leonis abundabat, facilè Pontifici persuadere poterāt, vt lucubrationē eius, quem, vt nominis claritate conspicuũ admirabantur, laudibus immeritis afficeret: quia Erasmus, lupũ sub specie ouis, insigniter celare norat. Quidquid sit, Leo X. à Concilio Tridentino nō dissentit, cum Erasmi editionē nec vulgatæ prætulerit, nec tanq̃ authenticā approbarit, quod Synodus Tridentina cum vulgata facit. Imò, si Leoni X. diuturnior lucis vsura obtigisset, cum versione, & annotationibus Erasmicis idem egisset, quod Paulum IV. egisse Kemnitius non sine stomacho refert. Retulisset videlicet in indicē librorũ damnatæ lectionis, donec ab erroribus expurgatæ in lucem, hominumq; conspectum venirent, quod ab aliis item Pontificibus de Erasmicis monumentis decretum videmus; & si quædam simpliciter, tanquam emendari nescia, perpetuis tenebris, vel potius foco adiudicarint.

Tertium Kemnicij mendacium: Concilium Trident. Sess. 21. cap. 2. vt probet, Ecclesiam habere autoritatē dispensandi in Sacramentorũ substantialibus *contra institutionē Christi*, abuti æquiuocatione veteris versionis, vbi 1. Cor. 4. ministri Christi, vocantur dispensatores mysteriorũ Christi. Quo loco exclamat Kemnitius; *Bone Deus, quanta est Antichristi impudentia in tanta luce cognitionis linguarũ, de tam graui materia, tam pueriliter ludere? cum Paulus οἰκονόμους vocet ministros Christi?*

Respondet Hunnius; *non Kemnicium, sed Bellarminum mentiri: Ecclesiam enim Romanam contra substantiam Sacramenti Eucharistiæ vnam duntaxat speciē laicis porrigere; idq; per vsurpatam dispensandi in Sacramentis potestatē.* Audio, non Kemnicij à mendacio liberationem; sed alterius insuper apud omnes Prædicantes tritissimi & vsitatissimi commenti additionē: Vetus Prædicantiũ cantilena est, *violari substantiam Sacramenti vna tantum data specie*: Audiuimus hanc næniam vsq; ad nauseā infinities decantari, nunquam probari: nam vt in duabus, ita & in vna specie essentialis integritas Sacramenti perfectè consistit; neq; quidquam ad substantialē perfectionem & integritatē deficit, siue vnā, siue duas species accipias; quod ab Orthodoxis scriptoribus millies probatum est; à Præ-

A dicantibus nimio stupore, vel intoleranda improbitate præpeditis, nunquā intellectum: tantum vociferantur: *Tam est absurdum*, dare vnam duntaxat speciem, *vt si non à Diabolo excæcati essent Pontificij, agnituri essent sui dogmatis notorias impietates & abominationes.* Quæ criminatio, si ad Hunnium remittatur; naturam criminationis exuet, & veritas esse incipiet.

Postremum Kemnicij mendacium: Conciliũ Tridentinum, ideo voluisse vulgatam editionem esse authenticam, quia, tota transformata est ad dogmata Pontificia. Quod mendacium non solum est hominis impudentis, sed etiam imprudentis, &c. Hic cum Hunnius responso destitueretur, calumniari cœpit voculas illas à Bellarmi-
B no vsurpatas: *Tota transformata est*: cum Kemnicius dicat: *In multis locis transformata est.* Et hæc mutatio Prædicanti bilem adeo in nares conciuit; vt Bellarminum *impudentissimum hypocritam* nominet, homo omnis frontis expers. Quasi verò Bellarminus *mala fide, & mente vulpina*, Kemnicio aliquid affinxerit, vt isti solent Catholicis: nam licet Kemnicius non dixerit, totā simpliciter scripturam vulgatę versionis ad dogmata Pontificia esse concinnatam; quandoquidem non habuit omnia dogmata, quæ in vulgata editione tradũtur, pro Pontificiis; non est tamen dubium, quin totā censuerit conformatā ad illa dogmata confirmanda, quæ nos inter & illos cōtrouersa sunt: & huc respiciens dixit Bellarminus id, quod non
C modò Hunnius conuiciis incessendum, sed & Caluinista Iunius annotandum existimauit. At cum Iunius *Tropista* sit; cur non συνεκδοχικῶς Bellarmini locutionem accepit? An non hoc pharmaco multa iam in suis notis, quæ videbantur ægra, sanauit, in sequentibus quoque sanaturus plura. Quid vsitatius, quàm dicere: *Totus es niger*, si parte aliqua niger sis.

Mirificè commendat Hunnius versionē Germanicam Bibliorum Lutheri. Ego iis acquiesco; quæ Cochlæus à Bellarmino citatus, Emserus, & alij innumeri de hac versione senserunt, & literis mandarunt; quodq; ipse translationem *Lutheri* legens, experientia disco; quæ certè me compellit, vt Lutherum numerem inter illos *versores*, de
D quibus ipse in cōmentario super nouissima Dauidis verba. *Cœperunt & nostra ætate inter paucos annos crescere, & cumulari nouæ versiones, vt videatur nullus modus futurus esse, & tandē tot editiones Bibliorum simus habituri, quot existent semidocti, ac sioli, qui sibi persuasionem alicuius eruditionis in lingua Ebraica induent.*

Hæc de se & sui similibus semi & sesquidoctis sciolis Lutherus. Quod dictum tam memorabile visum est Georgio VValthero Prædicāti Hallensi in Saxonia, vt illud inter Prophetias Lutheri referendum putarit, *libro de oraculis Lutheri, titulo de libris.* Interim tamē nō damno illum Prædicantē, q publicè in cathedra Lutheri Biblia virgis cecidit, cũ hoc Epiphonemate: *Discas melius*: vt scribit Mathesius cōcione duodecima de actis Lutheri.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones Hæreticorum contra vulgatam Latinam editionem.

PROPONIT VVitackerus vndecim rationes contra editionem Latinam vulgatam, quibus efficere contendit, eam non habendam authenticam: quas ordine soluam; & refellam; His enim refutatis profligatum erit, quidquid circa hoc caput alij Prædicantes mentiuntur. Primum argumentum: *Hieronymus, qui hanc editionem aut fecit, aut correxit, vt isti statuunt, eam ipse non putauit esse authenticam, cum tamen ea multò tunc purior extiterit, quàm nunc est.*

Esto, sit ita; quid infers? *Ergo neq; iam est authentica.* Negatur consequentia. Quia iudicium Ecclesiæ est supra iudicium Hieronymi, tametsi auctoris. Ait Caluinista: *Liberum relsquit lectoribus, hoc, aut illo modo multa interpretari: quia, num ab ipso rectè intellecta, & versa essent, dubitabat.*

Bene factum: quia Hieronymi non erat alios ad obsequium cogere: sed hoc est Ecclesiæ; quæ columna & firmamentum veritatis; de qua dictum: *Si quis Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

Pergit Caluinista: *Interdum ingenuè fatetur Hieronymus, se aliter transtulisse, quàm Hebraica veritas postulabat; vt Iona 4.* hederam *transtulit, iuxta Aquilam; non* cucurbitam, *vt LXX. cum ipse in commentariis in Ionam nec hederam, nec cucurbitam eo vocabulo significari posse doceat.*

Respondeo hoc Hieronymum ex modestia animique submissione de se sentire, & publicè profiteri potuisse; neque enim thraso erat, nuperis translatoribus similis; qui versiones suas, tanquam ex intimis Hebraici textus visceribus erutas, venditant. Secundò si quo in loco D. Hieronymus aliquid malè vertit; eam versionem non probauit Ecclesia; sed potius correctionem versionis illius; quod allatis exemplis ostendit Bellarminus. Nec obstat illa apud Ionam *hedera*, probata ab Ecclesia; improbata, vt videtur postea, à S. Hieronymo in commentariis super Ionam: nam primò non ita probauit Ecclesia editionem Latinam vulgatam, quasi nullum in ea reperiatur vocabulum non satis aptè ex Hebræo translatum; sed in iis, quæ ad dogmata fidei & morum spectant; hanc editionem declarauit esse authenticam. Deinde rectè vertes, siue *cucurbitam*, siue *hederam* vertas; Probabile enim est, nomen Hebræum *Cicaion*, siue *Ciceion* esse cômune cucurbitæ & hederæ, fortè & similibus virgultis, inquit Ribera noster in caput postremum Ionæ; cuius sunt & ista; Cicaion cucurbitam si-

A gnificare præter LXX. interpretes docent nonnulli Hebræorum. Abraham filius Hezræ testatur, sapientes Hispaniæ docere, esse cucurbitam, aut cucumerem. Illi etiam Iudęi, quos Augustin. epist. X. consultos fuisse dicit, ab illo Africæ Episcopo, vtrum malitia, an imperitia, (inquit August. ne Hieronymo contradicat) hoc esse in Hebræis codicibus responderunt, quod Græci, & Latini habebant: atque dicebant; *Quid plura?* inquit, *coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe.* Scio, quid in Epistola respondeat Hieronymus; Iudæos illos, aut Hebræas ignorasse litteras, aut ad irridendos *cucurbitarios* voluisse mentiri. Crederem id fortasse, si soli dixissent, sed dicunt B multi, & ante illos, & pòst. Ipsi etiam Sectarij cucurbitam interpretantur; nominatim Castalio; & Lutherus in Bibliis suis Germanicis.

De hedera, quî possumus dubitare, inquit Ribera, cum habeamus omnium Veterum interpretum consentientem autoritatem, quæ certè hoc loco plurimum valere debet apud nos, cum maiorem nullam habeamus. Neque enim hoc nomen reperitur in scriptura. Rectè ergò, & valdè probabiliter dicemus Hebraicum nomen, & hederæ, & cucurbitæ esse commune. Vt autem detur arbusculę etiam, quam Syri *ciceiam* vocant, Hieronymi suadet auctoritas.

Obiicit VVitackerns: *Hieronymo, nunquam, ne per somnium quidem, in mentem venisse, fore, vt Ecclesia* C *ipsius translationem pro authentica scriptura vnquam susciperet.* Meritò quæras ex Caluinista, vnde ei tanta cum Hieronymo consuetudo, & familiaritas, vt non modò eius dicta & scripta, sed & intima sensa, atque adeo ipsa somnia exploratè perspecta habeat? Et quamuis D. Hieronymus nunquam cogitasset, editionem suam, velut authenticam, ab Ecclesia probatum iri; an propterea, tanquam authentica, recipi non potuit? Quàm multa fiunt, quę nobis nunquam in mentem veniunt?

Secundum VVitackeri argumentum. *Si Latina hæc editio authentica esset, tum eam Latina ecclesia mox tanquam authenticam recepisset.*

Negatur sequela. Quam probat Hæreticus: D *Vetus testamentum Hieronymus transtulit, vt inquiunt; nouum correxit, rogatus à Damaso. Quare, si hanc Latinam editionem eo animo elaborasset, ecclesiaq; tradidisset, vt passim pro authentica scriptura in Latinis ecclesiis haberetur, tum statim ecclesiæ iudicio, iussuq; Damasi Pontificis, recepta & approbata fuisset.*

Respondeo, hoc non sequi, licet D. Hieronymus eo consilio translationem illam elaborasset, vt tanquam authentica reciperetur ab Ecclesia. Quis enim Damasum Pontificem, aut Ecclesiam cogere potuisset; etiamsi hæc Diuo Hieronymo sententia animo sedisset? An non nihilominus liberum illis manebat, vt editionem Hieronymianam vel authenticam declararent, vel ab huiusmodi declaratione abstinerent? Deinde

Digitized by Google

quis affirmare ausit, hanc fuisse mentem D. Hieronymi: qui & translatione veteris & correctione noui testamenti nihil aliud spectauit, quàm vt Ecclesia scripturas fideliter sincereq; ex Hebręo & Græco expressas legeret; cætera Ecclesiæ & posterorum iudiciis commisit.

Tertium argumentum. *Hieronymus multa reprehendit in editione vulgata; ergo non est authentica.* Antecedens dicit VVitackerus, *iam à se probatum cap. sexto.* At nos è contra cap. 9. omnia quæ VVitackerus produxit, refutauimus. Itaque non est, quod immoremur.

Quartum argumentum. *Hieronymus nec Propheta fuit, nec spiritu Prophetico præditus, ergo vulgata editio cum nil aliud sit, quàm interpretatio, non est ipsa per se authentica & θεόπνευστος scriptura.* Concesso antecedente, negatur consequentia; qua mirandum istos vti, cum hac ratione omnem vniuersis suis Germanicis, Anglicis, Gallicis, Danicis, Belgicisque Bibliis fidem & auctoritatem abrogent. Quis enim sartor sutórue Lutheranus Biblia Lutheri lectitans, non credit se, ipsum Dei verbum, & quidem purum putum legere? Quis triuialiũ Prędicantium non hunc ipsum thesaurum à Laicis Germanica Biblia lectitantibus possideri clamat? At si VVitackerus, & id genus alios è Scholis productos audimus, nec habent nec legunt ipsum per se Dei verbum diuinitus inspiratum. Quid ergo legunt? Num illud, quod *per accidens* duntaxat inspiratum?

Rationem addunt: *Quia nulla interpretatio per se est verbum Dei.* Sic nec Euangelium S. Matthæi erit *per se* verbum Dei; quia tantum est interpretatio. Nec Græca, quæ nunc exstat Epistola ad Hebræos; quia tantum est interpretatio. Quanquam si de Lutheranis, Zvvinglianis, & Caluinianis Bibliis agatur, libenter concedã, nec *per se*, neq; *per accidens* esse verbũ Dei; non quia sint interpretationes seu versiones; sed quia sint deprauationes, corruptelæ & imposturæ. De sinceris, & Orthodoxis versionibus nego nõ esse verbũ Dei; quacunq; demũ linguâ, pręsertim latinâ; & versionẽ quidẽ Latinam esse verũ, perq; omnia germanũ ac legitimũ Dei verbũ; declarauit nobis Ecclesia, hoc ipso quod vulgatã editionem Latinã declarauit esse authenticam. Cuiusmodi decretum de nulla alia translatione adhuc promulgauit. Quare de Latina editione vulgata certi sumus eam esse sincerum Dei verbum. De aliis Catholicorũ editionibus quacunq; demum lingua constantibus talem certitudinem nõ habemus, quia non habemus decretum Ecclesiæ.

Ait VVitackerus. *Interpretis est scripturã authenticam transferre, non suã interpretationem facere authenticam scripturã.* Respondeo, neq; S. Hieronymum translationẽ suam fecisse, hoc est, declarasse authenticam: Fecit tamen eiusmodi translationẽ, quæ in se erat authentica; & quã itidem Ecclesia declaratura erat esse authenticã. At Hieronymus potuit errare. *A posse ad esse*; quæ cõsequentia? *Et errauit.* Num in iis, quæ Ecclesia, tanquã authentica approbauit; quæque ad dogmata fidei & morum pertinent?

Vt Hieronymum, inquit Hæreticus, *in interpretando nunquam errasse fingamus, quid tamen de Latina Psalmorum vulgata versione respondebunt, quæ multum ab Hieronymiana Psalmorum translatione discrepat?*

Hoc respondebimus; vulgatã Psalmorũ editionẽ esse etiã authenticam; tametsi illã non habemus ex trãslatione, sed ex correctione D. Hieronymi; quæ quod à versione Hieronymiana multum differt; quid refert? quia hanc approbauit Ecclesia, non illam.

Quid statuent, inquit Hæreticus, *de illis Latinæ editionis partibus, quæ ex Græca Theodotionis, hominis à fide Christiana alienissimi, versione in Latinis Bibliis leguntur? Ipsumne etiã Theodotionẽ, à quo sua quædã librorũ fragmenta, tanquã vel interprete, vel autore acceperũt, Prophetico spiritu præditũ fuisse affirmabunt?* Nõ certè. Dicemus tamẽ, siquid est in editione vulgata latina pertinens ad dogmata fidei & morũ, desumptum ex Theodotione, approbatumq; ab Ecclesia; in iis Theodotionẽ minimè errasse; idq;, singulari protectione Dei, interpretẽ illum, quãuis perditũ & impiũ, iis in locis, quæ Christiana Ecclesia aliquando, tanq̃ authentica, approbatura erat, ab errore custodientis. Quod VVitackerus clamat; *Ecclesiã nõ habere potestatẽ declarandi interpretationẽ alicuius hominis, quãtumuis accuratã, esse authenticam*; id tantũ asseuerat; nõ autẽ probat; sicut & illud tantũ asserit; licet nõ sine mendacio: *Ecclesiã; hanc solã editionem declarasse authenticã.* Nõ enim solã præcisè, sed solã ex translationibus declarauit esse authenticã. De Hebræa & Græca editione, nemo dubitat, quin authenticæ sint, si vt à Canonicis scriptoribus prodierunt incorruptę perseuerant; de quo nihil nobis Ecclesia generali aliquo decreto exposuit. Nec illud mendacio caret, quod dicit; ab Ecclesia ipsis fontibus vulgatã editionem prælatã esse; nõ enim puris fontibus prælata est, sed summum æquata quoad infallibilitatem fideique & morum doctrinam.

Scripturam authenticam, inquit Caluinista, *oportet ab ipso Spiritu sancto ἀμέσως proficisci, ideoq; Paulus ait, omnem scripturam esse θεόπνευστον, 2. Tim. 3. 16. Interpretatio verò Hieronymi non est θεόπνευστος: ergò, non est scriptura authentica.*

Respondeo maiorem esse VVitackerianã, hoc est falsam, si illud *ἀμέσως* seu *immediatè* referatur etiam ad verba: Satis est ipsam rem immediatè à Spiritu sancto manasse; verba autem ita comparata esse; vt quatenus authentica sunt, vbique cum primigenio textu ac fonte concordent; quod etsi nõ contingit nisi Spiritus sancti ductu & concursu; non est tamen, eiusmodi concursus, qualis in scriptore Canonico; qui non tam agit, quam agitur; quippe tam rem quam verba immediatè à Spiritu sancto dictante excipiens & accipiens, sicut discipulus in schola tam rem, quã

verba

verba ex ore dictantis magistri excipit. At Interpres ipse humano studio verba apta conquirit, totumque orationis corpus concinnat; assistente tamen sancto Spiritu, ne aberret; si quidem authenticam editonem confecturus est; vt nostrum Interpretem confecisse, ex Ecclesiæ declaratione certò cognouimus.

Concludit VVitackerus hoc quartum argumentum acutissima quadam ratiocinatione. *Ante Concilium Tridentinum non habuit Ecclesia hanc vulgatam editionem pro authentica; ergo neque iam talis habenda est.* Negatur consequentia. Quia antea defuit Ecclesiæ declaratio; quæ nobis nunc facta. Quapropter, qui Ecclesiam posthac non audit, is nobis & ethnici & publicani loco erit. Et quamuis apertam hac de re definitionem non habuit Ecclesia ante Concilium Tridentinum, tamen ante id vulgata editio communiter pro authentica est habita; & hunc, præter alia, communem fidelium sensum, secuta synodus Tridentina eum confirmauit; effecitque, vt iam negari nequeat absque crimine. Quod olim secus erat.

Quintum argumentum. *Si Deus permisisset scripturam perire in Hebraicis, Græcisque fontibus, in quibus edita primùm fuit à viris diuinitus inspiratis, non ille satis cauisset Ecclesiæ suæ, fideiq; nostræ.*

Respondeo I. Concilium Tridentinum non dicere, scripturam in Hebraicis Græcisque fontibus periisse: quia tantùm declarauit, editionem vulgatam latinam esse authenticam; quod verum esse potest; licet Græci & Hebraici fontes non perierint. Deinde, quamuis fontes isti periissent; satis tamen Ecclesiæ prospectum fuisset per editionem vulgatam latinam cum fontibus olim exstantibus integrè & sincerè in iis, quæ ad fidei & morum dogmata spectãt, congruentem. Nonne Bellarminus fontes adhuc exstare fatetur, quamuis non vbique limpidè fluentes?

Sextum argumentum. *Antiqui Ecclesiæ Patres non secuti sunt vnam latinam versionem; ergo neque iam vna solùm pro authentica habenda est;* Negatur consequentia. Quia licentiæ huius æui modus ponendus fuit; & certi præfigendi limites, proposita vnâ editione latina authentica; quia vt omnium hæreticorum huius tempestatis parens ait, in explicatione nouissimorum verborum Dauidis: Tom. 3. VViteberg. lat. *Mundus est plenus leuibus & curiosis ingeniis, quos veluti prurientes auribus delectat nouitas, quosq; facilè fastidium capit sanæ doctrinæ, quæ re iam patefactum est ostium satanæ, quæuis deliria inuehendi in doctrinam.*

Infinitus item beneficio Quinti Euangelij eorum est numerus, *qui*, vt Caluinus scribit præfat. in sua opuscula, *statim opinione sapientiæ turgent, & tantùm non crepant, sibi diuites ac reges. Hinc tam multos videas*, subdit Caluinus, *qui in omnium sæculorum ignorantiam tragicè vociferantur, non minus ipsi indocti. Sed, quid faciant? Christiani videri volunt, & dicuntur; quia aliquot capita locorum communium delibarunt.*

A *Et quum nescire aliquid pudeat, de omnibus confidentissimè, quasi ex tripode, respondent. Hinc rursum, tot schismata, tot errores, tot fidei nostræ scandala. Qua occasione, nomen, & verbum Dei blasphematur inter impios. Tandem (quod est caput mali) dum obstinatè tueri pergunt, quod semel temerè effutiuerunt; tum, oracula Dei consulunt, ex quibus errorum suorum patrocinia quærant. Ibi, Deus bone, quid non inuertunt? quid non deprauant, atq; corrumpunt? vt ad sensum suum, non dico inflectant, sed vi incuruent. Scilicet verè dixit poëta, furor arma ministrat. Haccine est discendi via? versare, ac volutare scripturas, vt libidini nostræ seruiant? vt sensui nostro subiiciantur? quo, nihil est stolidius. O sonticam pestem, & certissima zizania inimici hominis: quibus vult occæcare verum semen. Et adhuc miramur vnde tot sectæ inter eos, qui primùm nomen*
B *euangelio dederant, ac renascenti verbo?*

Hæc Caluinus; cuius auctoritate VVitackero, opinor, omnis admiratio eximetur, cur iam Ecclesia authenticam editionẽ suis subditis proponat, cum tamen olim nullum huiusmodi decretum ediderit. Licentia versorum huius æui saluberrimæ sanctioni occasionem dedit; qua leuissimorum ingeniorum lasciuia offensus *sectarius quidam, & aliquando Ecclesiæ Parlamentariæ in Anglia Minister, non dubitauit dicere*, vt testatur Christophorus à Sacrobosco libro contra VVitackerum, appellationem à vulgata editione, ad Hebraicam, & Græcam lectionem, cum ea libertate, quam sibi sumunt nunc homines; expeditissimam esse viam ad fidem penitus exstirpandam;
C ad apostasiam, ad atheismũ. Et meritò sanè. Nam, si præter eam libertatem, q̃ vsurpant, exponendi scripturam, vt illis placet, des etiam facultatem accipiendi Hebraicũ, & Græcũ textũ, vt volunt, Deus bone, quid tandem erit, in quo consentiamus? Exemplis res hæc perspicua fiet. Interpres noster sic incipit caput primum Ioannis: *In principio erat verbum.* quod, recentiores aliqui sic vertunt: *In principio erat sermo ille.* At quo iure ita vertunt, reddere potes tu: *In principio erat fabula, vel disceptatio.* Nam, præter alias multas, has quoque significationes habet Græca dictio λόγος. Huius generis ex Hebraicis possim infinita exempla proferre. Nam, cum Hebræi pauca admodum habeant vocabula; fit, vt plerunque vox eadem
D Hebraica, varia significet: &, cum illorum substãtiua, sint maxima ex parte à verbis deriuata, accidit non raro, vt idem substãtiuum ad diuersas radices reuocare possis cum significationis mutatione maxima. Et hæc de ambiguitate vocum.

Variarum autem lectionum, præter similitudinem consonantium, & incuriam librariorum, quæ communia sunt aliis editionibus, habet Hebraicus textus propriam scaturiginem, eamque vberrimam, defectum vocalium; sine quibus primùm fuit à prophetis exaratus, vt fatentur docti omnes. Hinc Psalmus 109. Vbi LXX. (quos sequitur noster interpres) legerunt, *nedauuth Timmecha*; ideoq; verterunt, *tecum principium*; Hebræi nunc legunt, *nedauoth Tammecha*, & red-

dunt; *populus tuus cum spontaneis oblationibus*. In Græcis quoque variæ lectiones passim occurrunt: aliquando verò tot, vt sectariis dubiæ fidei reddant historiam. Vnde Beza in cap. 8. Ioan. loquẽs de historia adulteræ; *Tanta*, inquit, *varietas lectionis facit, vt de totius istius narrationis fide dubitem.* Atque hæc omnia ita se habere, agnoscit noster VVitackerus, Respons. ad Reginaldum maximè pag. 356. & seq. neque negare potest: sed nos, qui hæc pate facimus, *blasphemos* vocat; quia videmur accusare Deum, quod verbum suum Hebraicè, & Græcè conscribi voluit. Vbi solùm accusamus sectarios, qui fontibus abutuntur; & detegimus technas, ob quas ad fontes appellant.

Est & alia ratio perturbandi omnia, per mutationem distinctionum, quas habent exemplaria, ab Ecclesia recepta. In nouis autem editionibus facilè est mutare distinctiones, cum præiudicio fidei. Audax in hoc genere fuit Erasmus, vt legenti ipsius versionem, patebit. Antiqui Ariani teste August. lib. 3. de doctrina Christiana 2. sic caput primum Ioannis legebant: *In principio erat verbum. & verbum erat apud Deum. & Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum.* vt ità distinctus textus non faceret pro diuinitate verbi. Eâdem ex causâ Seruetus 2. lib. eorum trium, quos blasphemè inscripsit, de errore Trinitatis, illud Pauli Roman. 9. *quorum Patres. ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula:* sic distinxit, vt addito puncto post verba illa; *super omnia*; sequentia separarit à Christo.

Propter has igitur, & similes causas, optimè fecit Ecclesia declarando, è Latinis versionibus, vnam authenticam. *At*, inquit VVitackerus, *priscis temporibus plures erant versiones Latinæ, quã nunc sunt, teste Augustino*, lib. 2. doctr. Christ. cap. 11. *& tamen Ecclesia tunc non declarauit vnam aliquam authẽticam.* Respondeo; verum quidem esse, tunc plurimas fuisse versiones, indeque ortam confusionem, & perturbationẽ in Ecclesia, ac ideo, de tanta multitudine conquestos Hieronymum præfat. in Iosue, & Augustinum loc. cit. Sed an id incommodi passa est tunc Ecclesia remedio carere? Minimè gentium. Ea enim causa fuit, cur Damasus Hieronymo prouinciam mandarit, ad Græcam veritatem emendandi antiquam Italam, quæ omnium Latinarum translationum, quæ eo tempore existebant, fuit optima. Cui emendationi accessit noua translatio veteris testamenti, ex Hebræo ab ipso Hieronymo facta. Atque hic tanti viri labor, Pontificis iussu, maxima ex parte susceptus, vbi se ipse probauit, vim habuit efficiendi; vt reliquæ editiones, quæ confusionem, & perturbationem secum afferebant, de hominũ manibus sensim elaberentur. At, vbi nostra ætate recrudescere rursus cœpit antiquum vulnus: & efficax adhibitum remedium, hominum vitio contemni; Ecclesia nõ solùm iussit nostram versionem à mendis, quæ irrepserũt, purgari; verùm etiam suo decreto authenticam eam declarauit;

A seuerè præcipiens, ne quis illam quouis quæsito colore, præsumeret omninò reiicere.

Septimum VVitackeri argumentum. *Quæro, vtrum Tridentina synodus Latinam hanc editionem fecerit authenticam, an solummodo esse authenticam declarauerit?*

Respondeo, non factam à Concilio Tridentino, sed declaratam esse authenticam. Obiicit VVitackerus. *Si Patres Concilij Tridentini hanc editionem esse authenticam tantummodo declarauerunt; doceant igitur, quando illa primùm authentica esse cœperit.* Respondeo, factam fuisse in se, & per se authenticam primo statim ortu suo, quando à translatore seu interprete elaborata est. Non fuisse authenticam generali & manifesto totius Ecclesiæ
B decreto, sed factam authenticam post declarationem & constitutionem Concilij Tridentini. *Initio non fuit authentica*, inquit Caluinista. Distinguo. Non fuit authentica in se & per se: falsum; non fuit authentica generali & publica Ecclesiæ constitutione: esto. Quid aliud inde colliget Nouator, quàm Constitutionem de authentica vi vulgatæ editionis in Concilio demùm Tridentino conditam esse; quod vltro fatemur.

Octauum VVitackeri argumentùm: *Latina editio vulgata, est in multis locis planè barbara, & plena solœcismorum: vnde, eius authorem valde fuisse negligentem, colligi potest, &c.*

Hanc VVitackeri & aliorum Prædicantium impudẽtem simul & imperitam criminationem
C infra cap 14. copiosissimè refutabimus; & ad omnia barbarismorum & solœcismorum exempla ab his prolata sigillatim respondebimus; vbi etiam in specie redarguemus hoc VVitackeri commentum, cum ait; *in authenticis fontium scripturis non inueniri barbarismos & solœcismos*: perspicuè enim, allatis non paucis exemplis, demonstrabimus, in Græco textu noui testamẽti exstare plurimas loquendi formulas similes latinis, quas isti, vt barbaras & solœcas, damnant.

Interim audiat VVitackerus citatum à se diuũ Gregorium præfatione in libros Moralium, vbi vir sanctissimus ista. *Non metacismi collisionem fugio: non barbarismi confusionem deuito; situs, motusque præpositionum, casusque seruare contemno: quia indignum*
D *vehementer existimo, vt verba cælestis oraculi, restringam sub regulis Donati. Neq; enim hæc ab aliis interpretibus in scripturæ sacræ autoritate seruata sunt. Ex qua nimirum, quia nostra expositio oritur, dignum profectò est, vt quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur.*

S. Hieronymus in cap. 40. Ezechielis. *Illud sæpius monuisse sufficiat, nosse me, cubitum, & cubita neutrali appellari genere: sed, pro simplicitate, & facilitate intelligentiæ, vulgiq; consuetudine, ponere & genere masculino. Non enim curæ nobis est vitare sermonum vitia, sed scripturæ obscuritatem quibuscunq; verbis disserere.*

Et in cap. 47. *Quòd cubitos genere masculo, & non neutrali cubita dicimus, iuxta regulam Grammaticorum, non ignorantia id facimus, sed consuetudine, propter sim-*

plices

Digitized by Google

plices quosque, & indoctos, quorum in congregatione Ecclesiæ maior est numerus.

Hæc D. Hieronymus, VVitackero & vniuersis Prædicantibus non paulò eloquentior, & latinæ linguæ doctior, qui & caussam tangit, cur tam ipse, quàm alij in interpretando vsi sint vocabulis è medio sumptis, & aliquando etiam in speciem solœcis. Nimirum, quia habita est ratio multitudinis, cui tales loquendi formulæ notæ erant ac vsitatæ; ne igitur nouitate vel insolentia locutionis simpliciores offenderentur, hoc imbecillitati eorum concedendum esse viri doctissimi & eloquentissimi existimarunt; excepto, quod satis etiam perspectum habuerunt, verbũ Dei nõ in *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* consistere.

Quapropter ipsi etiam scriptores Canonici, Apostoli præsertim & Euangelistæ, diuina mysteria potius verborũ humilitate, quàm sublimitate exornarunt; idque perspicuitatis gratia. *Cuius euidentiæ diligens appetitus,* inquit D. August. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 10. *aliquando negligit verba cultiora, nec curat, quid benè sonet, sed quid benè indicet, atque intimet, quod ostendere intendit. Vnde ait quidam, cùm de tali genere locutionis ageret, esse in ea quandam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahit ornatũ, vt sordes non contrahat. Quamuis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, vt verbum, quod nisi obscurum sit, vel ambiguum, Latinum esse non potest; vulgi aũt more sic dicitur, vt ambiguitas, obscuritasque vitetur, nõ sic dicatur, vt à doctis, sed potius vt ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros Psalm. 15. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: quoniam senserunt ad rem pertinere, vt eo loco pluraliter enunciaretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodo singulariter dicitur: cur pietatis doctorẽ pigeat imperitis loquẽtem ossum potius, quàm os dicere, ne ista syllaba nõ ab eo, quod sunt ossa, sed ab eo, quod sunt ora, intelligatur, vbi Afræ aures de correptione vocalium, vel productione non iudicant. Quid enim prodest locutionis integritas, quam nõ sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omninò nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos, vt intelligant, loquimur? Qui ergò docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. Et si pro eis alia integra, quæ intelligantur, potest dicere, id magis eliget. Si aũt non potest, siue quia non sunt, siue quia in præsenti nõ occurrunt, vtetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur, atque discatur integrè. Et hoc quidem non solùm in collocutionibus, siue fiant cum aliquo vno, siue cum pluribus, verum etiam multò magis in populis, quando sermo promitur, vt intelligatur instandum est. quia & in collocutionibus est cuique interrogãdi potestas, &c.*

Hactenus pulcherrime S. Augustin. cujus hac de re verba vel recitasse, vel saltem indicasse debebat VVitackerus, si candidè disputare instituerat, ne iis, quæ de eloquentia sacrorũ librorũ ex D. August. attulerat, præter mentẽ Augustini lector aliquid conciperet, ratus eloquentiam, secundũ Augustini sententiam, in eo consistere, vt nullo vnquam verbo, vel modo loquendi minus latino vtamur; cuius contrarium disertis verbis D. Augustinus docet.

A Nonũ VVitackeri argumentũ. *Ipsi Papistæ fontes vtiles esse contendunt.* Ita est; & huius suæ seu contentionis seu existimationis nõ pauca documẽta dederunt. Quid inde concludes? An hoc? *Ergo soli illi fontes sunt authẽtici?* Quis audita tam inepta consecutione à risu sibi temperabit? Num hanc inde nobis texes consequentiam? Ergo editio vulgata latina non est authentica. Neq; hæc deliratio aliud, quàm risum merebitur: vt & illa. *Ergo fontes Hebrai & Græci magis sunt authentici, quàm vulgata editio.* Non quæritur, quid magis sit authenticũ; sed quid sit authenticũ. Sufficit fontibus, si tam sint authentici, (vt equidẽ sunt, vbi purè & incorruptè fluunt) quàm est vulgata latina editio; vt & huic satis est, si tam sit authentica, quàm fontes B puri & intaminati.

Docet Bellarminus quatuor temporibus licere nobis ad fontes Græcos & Hebræos recurrere; primò, quando in latinis codicibus videtur esse aliquis librariorũ error; huiusq; rei aliquot exempla producit; quibus adiungit VVitackerus alia quædã; vt, *1. Reg 19. v. 24. vulgata multis seculis habuit;* Cecinit nudus tota die. *Si fontes Hebræos inspicias, non* cecinit, *sed* cecidit, *legendum esse inuenias: tamen illud* (cecinit) *pergunt in textu retinere, & in margine* (cecidit) *inscribunt.* At noua Sixti V. vel Clementis VIII. correctio, illud *cecinit,* ex textu ablegauit; substituta vera lectione, *cecidit.*

Addit VVitackerus: *Ecclesiast. 24. v. 41. vetus edi-* C *tio habet, habuitque iam diu; ego quasi fluuius Dorix. Quis autem ille tandem fluuius est?* Interpres Ecclesiastici hac Græca voce in latina versione vsus est. Quod cur licitè, ac iure non fecerit? Quasi verò inauditum sit voces Græcas in latina versione retinere. *Si hæc vera est lectio,* inquit Caluinista, *cur non vetus illa emendatur?* Iam emendata est. Inspice biblia Clementina, inuenies que: *Ego quasi fluuij dioryx.* Sic illud Ecclesiast. 45. v. 6. *Cor ad præcepta*; iam in Bibliis correctum est; *coram præcepta*: atque adeò satisfactũ desiderio VVitackeri, vt & in illo Psalmi quadragesimi primi: *Ad Deum fortem viuum;* pro; *fontem viuum.* Et in illo Deut. 29. v. 23. *Sulphure & salis ardore comburens.*

Ait VVitackerus: *Infinita huiusmodi menda pro-* D *ferri posse;* quod dictum, si non mendaciis; hyperbolis tamẽ meritissimò adscribetur. Quod plaustra mendarum à librariis & typographis profectarum producere liceret ex textu Hebræo, & Græco; si quis id agere vellet? Festiuum tamen est hoc Caluinistæ argumentum. *Librariorum errata quæ in vulgatam editionem irrepserunt corrigi possunt ex Hebræis aut Græcis fontibus; si non semper: at sæpe: ergo vulgata editio Latina minus est authentica, quàm Hebræa aut Græca.* Argutè; quia hoc argumento quiduis efficere poterimus: vt vnam vulgatam editionẽ latinam; esse magis authenticam, quàm aliam vulgatam latinam in alio codice: & vnam Græcam vel Hebræam magis, quàm aliam Græcam aut Hebræam alterius exemplaris: quia la-

tinæ

Digitized by Google

tinæ vulgatæ editionis errata typographica & libraria emẽdari poſſunt ex vetuſtioribus manuſcriptis latinis codicibus: & Græca Hebræaque editio ſimiliter ex antiquioribus calamo exaratis exemplaribus caſtigari poteſt; ergo editio illa, quæ in illis antiquioribus codicibus continetur, magis authentica & excellentior, quod ad certitudinem & infallibilitatem dogmatum ad fidem & mores pertinentium attinet; quàm editiones illæ, Latinæ, Græcæ, vel Hebraicæ, quæ exſtant. Si hoc VVitackero in Græca & Hebræa editione videtur abſurdum; cur non & in Latina; ſi non videtur abſurdum; cur in Latina cenſeatur abſurdum; vt taceam; quando dicimus vulgatam Latinam editionem eſſe authenticam nos loqui de emendata & caſtigata in omnibus illis, quæ ad dogmata fidei & morum pertinent: nam in authentica ratione libri non comprehẽduntur librariorum vel typographorum errata, præcipuè ſi contrarium ſenſum efficiant in dogmatibus fidei ac morum. Sed quia talia menda ſemper iterum, vt zizania quædam & filices ſuccreſcunt; ideo indeſinenter ſtudendum eſt, vt exſtirpentur; quod præcipuè ſpectat ad publicam auctoritatem eorum, qui Eccleſiæ præſident. Quocirca cum ſynodus Tridentina mandaſſet vt vulgata editio Latina quàm correctiſsimè & emendatiſsimè excuderetur; id tandem à Clemente VIII. Pontif. Max. feliciter præſtitum videmus.

Quod VVitackerus dicit, *Latinos libros emendandos eſſe ex fontibus; non fontes ex Latina vulgata editione*; Reſpondeo, id falſum eſſe; ſi fontes in dogmate aliquo fidei vel morum à vulgata editione diſſentiant; nam tunc fontes, tanquam turbidè fluentes, depurandi & expurgandi ſunt ad latinam vulgatam editionem; de cuius in hac re genuino, vero ac legitimo ſenſu certiſsimos nos reddit Concilij OEcumenici infallibilis auctoritas & ſanctio. At ſi de librariorum erroribus duntaxat agatur, fit quidem ordinariè, vt per fontes Hebræos ac Græcos emendetur latina editio vulgata; Attamen non rarò contrarium accidit, vt ſcilicet per latinam editionem vulgatam caſtigentur, & rectè quidem, errata Typographica & libraria in Hebræo & Græco textu. Cuius rei teſtes laudo Interpretes hæreticos, qui ex Latina lectione vulgata ſæpe deducuntur ad cubilia erratorum in Græco vel Hebraico textu latentium. Qui mihi non habet fidem, is conſulat notas Eraſmi, Bezæ, Caſtalionis & aliorũ in ſuas verſiones ex Hebræo & Græco.

Secundò, licitũ eſt ad fontes recurrere, *quando Latini varias habent lectiones, vt quæ vera ſit, certò ſtatui nequeat. Exempli cauſſa, Ioſue 5. quidam codices vulgatæ editionis habent:* quibus iurauit, vt oſtenderet eis terrã: *quidam verò*, vt non oſtẽderet, *ſenſu contrario. Poſterior dicitur eſſe verior (inquit Bellarminus) quia in Hebræo conſtanter additur*, non. *Cur igitur eorum libri priorem retinent, quem ipſi falſum eſſe intelligunt, &*

A *confitentur?* inquit VVitackerus. Non retinent priorem ſenſum. Aperi & inſpice Biblia Clementina; correctum videbis, quod correctum cupis. *Sic etiam Ioſue 11.* inquit VVitackerus, quidam *libri habent*; non fuit ciuitas, quæ non ſe traderet. *quidam contrà*; quæ ſe traderet. *Et hoc eſſe verius affirmatur, propterea quod & Hebræo congruit, & ita legendum eſſe, loci circumſtantia poſtulat.*

Et ita legunt emendata nuper biblia. Quod Lucæ 1. etiam in Bibliis Clementinis legitur: *Fecit redemptionem plebis ſuæ*; id nihil eſt; quia idem ſenſus conſtit; ſiue hoc modo legas; ſiue; *Plebi ſuæ.* Et fortè Interpres noſter olim legit τῷ λαῷ αὐτῷ. Nec opus, omnia, quæ videntur menda, emendare; tum offenſionis vitandæ cauſſa; qua ratione im-
B pulſus D. Hieronymus, non omnia correxit in nouo teſtamento, quæ correctione egere viſa, vt ipſemet teſtatur in epiſtola ad Damaſum: *tum quod facilè fieri poſſe credendum eſt, vt maiores noſtri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quàm ij, qui poſt illorum ætatem ad nos peruenerunt, qui fortaſſe tam longo tempore identidem deſcribendo minus puri, atq; integri euaſerunt.* Vt rectè dicitur in præfatione Bibliis nuper auctoritate pontificia emendatis præfixa.

Licet inſuper ad fontes recurrere, quando latini codices habent aliquid anceps in verbis vel ſententia: item ad vim, energiam, & proprietatem vocabulorum melius percipiendam: vt fuſius oſtendit Bellarminus.

C Aggreditur nos VVitackerus nouo argumẽto. *Cùm Louanienſes Theologi tam multos errores, & vitia, in ſuis Latinis Bibliis inuenerint, atq; in margine indicarint: quam tandem lectionem authenticam eſſe ſtatuunt? Veterem ne textus, an nouam marginis? Si veterem, cur illam notarunt, & in ſuis miſſalibus mutarunt? Si nouam; cur non illam in textum recipiunt, ſed foris antehmen ſtare cogunt? vt interim taceam, eſſe illam multis ſeculis pro authentica habitam.*

Reſpondeo, illam ex diſcrepantibus lectionibus nobis videri veram & in textum recipiendam; quam vt veram proponit, inque textum recipit Eccleſia: illã itidem haberi à nobis authenticam, quam authenticam eſſe declarat Eccleſia; nemo enim nos hac de re certius poteſt certio-
D res reddere, quàm Eccleſia: nam quod Theologi Louanienſes in margine varias lectiones annotarunt; neque in textum eam lectionem, quæ verior videbatur, receperunt, *id rectè* ac ordine factum exiſtimo; quia non ignorabant docti illi viri ad auctoritatem publicam & vniuerſalem Eccleſiæ ſpectare; vt ſtatuat, quæ lectiones in ipſum contextum admittendæ ſint; & quæ inde ablegandæ: quod nuper factum; Romani Pontificis auctoritate bibliis emendatis; inq; textum receptis iis lectionibus, quæ recipiendæ vid ebãtur. Nec tamen Eccleſia vnquam adhuc declarauit eas ipſas lectiones, omnes & ſingulas, quæ iã in textum admiſſæ ſunt; eſſe veras ac legitimas, omniſque vitij expertes; ſed tantum nobis expo-

ſuit

Digitized by Google

ſuit vulgatam editionem latinam eſſe authenticam, quod attinet ad doctrinam fidei & morum; ita vt quidquid ex Hebræis aut Græcis fontibus in alterutro horum capitum cum vulgata latina editione non concordat, id tanquam non authenticum repudietur; poteſt autem vulgata editio hoc ſenſu & modo authentica eſſe, licet erratis librariorum non penitus careat.

Porrò non omnes voculas & lectiones quæ etiam in nuper caſtigatis Bibliis locum in textu obtinent; authenticas eſſe; liquet ex præfatione, quæ nouæ bibliorum emendationi præponitur; vbi inter cætera hęc leguntur. *Quam* (editionem) *ſicut omnibus numeris abſolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt; ita ceteris omnibus, quæ ad hanc vſq; diem prodierunt, emendatiorem, purioremq́; eſſe, minimè dubitandum. Et verò, quamuis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manu ſcriptis, Hebræis, Græciſquè fontibus, & ipſis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre ſtudium adhibitum fuerit; in hac tamen peruulgata lectione, ſicut nonnulla conſultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta ſunt; tum, quod ita faciendum eſſe ad offenſionem populorum vitandam S. Hieron. non ſemel admonuit, tum,* ob alias cauſas, &c.

Fallaciter igitur agit VVitackerus; quando quærit; quæ nam lectio ſit authentica; illáne, quæ in textu, an illa, quæ in margine: nam non diſputatur de authentica vi huius vel illius vocabuli; ſed totius ſcripturæ in iis, quæ pertinent ad dogmata fidei & morum: Interim, hoc ſaluo, fieri poteſt, vt aliqua lectio textum obſideat, quæ non ſit ab interprete; ſed ab oſtitantia librarij, vel à mala manu audacis alicuius correctoris, q̃ praua rectis ſubſtituerit. Quod ait Prouerb. 16. v. 11. lectum eſſe à multis annis; *lapides ſæculi*; pro, *ſacculi*. Et Sap. 12. v. 15. *Qui non debet puniri condemnas, & exterum æſtimas à tua virtute*: pro, *Qui non debet puniri, condemnare exterum æſtimas à virtute tua*: & 2. Cant. in fine *Bethel* pro *Bether*; id nihil eſt: probare enim non poteſt vitioſas iſtas lectiones omnia exemplaria obſediſſe; neque enim arbitror, VVitackerum omnia inſpexiſſe: fuêre igitur quorundam tantùm, non omnium codicum; & iam in noua Bibliorum emendatione, correcta ſunt.

Dices. Hinc ſequi, Eccleſiam nunquam, vel ſaltem non ante multos annos, habuiſſe interruptam, & à mendis liberam tranſlationem. Reſpõdeo, ſi, vt oportet, ſermo ſit de mendis librariorum, & quæ imperitorum inſcitia ſeuit; nõ adeo plenum eſſe abſurditatis, quin concedi poſsit; at ſi ſermo ſit de mendis, veritati officientibus in iis, quæ pertinent ad dogmata fidei & morum; profectis ab ipſo Interprete; negamus Eccleſiam nunquam habuiſſe incorruptam editionem latinam; nam talis fuit, & adhuc eſt noſtra vulgata latina editio; authentica enim eſt; conſequenter, integra, & à mendis prædicti generis incorrupta.

Libet hic adſcribere verba Sixti Senenſis lib. 8. Biblioth. Hær. 13. qui de toto hoc mendorum A genere ſapienter ſcripſiſſe videtur. ſic ergo ille loquẽs de tranſlatione antiqua noui teſtamenti, quàm S. Auguſt. Italam vocat; correcta à S. Hieronymo. *Si Hieronymus multa in ea errata deprehẽdit, & correxit, non ob id conſequẽs eſt, vt Eccleſia Latina ante Hieronymũ nullam veteris teſtamenti verã, ac ſincerã editionẽ habuerit. Nã, etſi nonnulla exemplaria olim fuerint corrupta, quæ poſtea Hieron. correxit, non ideo ſequitur, vt oẽs, quotquot habuit Eccleſia codices, fuerint vniuersè, & ex toto corrupti. Et eſto, etiam oẽs in aliquibus fuerint corrupti, non tamen fieri poteſt, vt oẽs ſimul iiſdem in locis fuerint deprauati, ita vt id in nullo exemplari integrum, & inuiolatum permanſerit, quod in multis exemplaribus eſſet vitiatum. Sequitur ergò, vt ex pluribus corruptis codicibus, facta ipſorum adinuicem, vel ad Græcos codices, colla*B*tione, facilè ab eruditis, eiuſmodi exemplaria in vnum cõferentibus, vera, ac integra cuiuſque loci tranſlatio haberi potuerit, & reuera ab his ſemper habita fuerit. Colligimus igitur aduerſus hæreticorum ſententiam, quod quanquam Eccleſia in ſingulis ſeorſum codicibus, ſynceram, ac integrã veteris teſtamenti tranſlationem non habuit, nunquam tamen in omnibus ſimul, & vndiq; collectis exemplaribus, exacta, abſolutaq́; veteris teſtamenti tranſlatione caruit: ſed ſemper in ipſa generali codicum vniuerſitate, quod in vno, atque alio codice corruptum fuit, id ipſum in hoc, vel alio codice integrum, & incorruptum permanſit.* Hæc Sixtus.

Decimum argumẽtum VVitackeri. *Quæ ſcriptura ante Chriſtum veteris teſtamenti, quæq; poſt Chriſtum per annos ſexcentos, & veteris, & noui teſtamenti,* C *authentica fuit, eadem nunc quoq; nobis authentica videri debet. At Hebraica editio veteris teſtamenti, & Græca noui, per ſexcentos poſt Chriſtum annos, authentica Dei ſcriptura in Eccleſiis Chriſtianorum habita ſemper fuit: Illa igitur nunc etiam à nobis tanquam authentica ſcriptura ſuſcipi debet.*

Reſpondeo, hoc argumentum nihil eſſe ad rem. Non enim quæritur, vtrũ Hebræa vel Græca editio ſit authentica; ſed vtrum vulgata Latina editio ſit authentica. Nos affirmamus. Hanc noſtram affirmationem, ne tangit quidem hoc ſuo argumento VVitackerus; tantum abeſt, vt euertat. Nam primò fontes illos fuiſſe authenticos, nemo vnquam negauit; quæ præcellentia illis non adimitur, licet latinam quoque editio- D nem authenticam eſſe ſtatuamus. Secundò, ſi puri ſunt iſti fontes, nec in iis, quæ ad dogmata fidei & morum pertinent, ab impiis & perfidis, vel imperitis deprauati; adhuc authentici ſunt ac perſeuerant. Vtrum autem integri ſint ac vbique purè fluentes, alia quæſtio eſt; ſupra iam à Bellarmino diſcuſſa. Sed quidquid de hac quæſtione conſtituatur; nil inde colligi cum ratione poteſt aduerſus vulgatæ editionis auctoritatem authenticam. Propterea hoc loco nil niſi verba fundit & vendit VVitackerus: nec quæſtiuncula illa ſua. *Si Eccleſia ſcripturam à Prophetis, atq; Apoſtolis editam amiſit, quis illam negligentiam defendere, quis ſacrilegium excuſare poteſt?* Bellarminum ferit, qui ſupra cap. 2. & 7. opinatur fontes Hebræos, & Græ-

A cos non eſſe adeò deprauatos, vt in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, ſcripturæ ſacræ integritas deſideretur: & , veteris teſtamenti diſcrepantiam plerumque in dictionibus quibuſdam poſitam eſſe, quæ ſenſum aut parum, aut nihil immutant: erroreſque, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil veritati officere; cùm puncta extrinſecus addita ſint, proindeq; & detrahi poſsint. quamuis viri, inſigniter docti, & linguarum periti, hac de re multum certent, & adhuc ſub iudice lis ſit; neque, vt rectè notauit Benedictus Arias Montanus, præfatione in Biblia à ſe edita, vllum deliberatum, aut certū de ea hactenus exſtet Catholicæ Eccleſiæ decretū, vel iudicium.

B Si autem, vt nonnullis viſum, fontium, Hebræi præſertim, integritas planè interiit, eius nulla in Eccleſia culpa hæret; ſed in improbitate perfidorum quiduis addētium aut dementium, & quadrata rotundis permutantium; eorum inſuper bono quidem Zelo, ſed fortaſſe non ſemper ſecundum ſcientiam; qui varias editiones miſcuerunt, notatis quidem initio per aſteriſcos & obeliſcos inſititiis, & aduētitiis; ſed deinceps omnibus in vnum confuſis poſtquam ſigna illa, diſtinctionis indicia, exciderunt. Obiicit VVitackerus. *Quod Pontificij vulgatam Latinam editionem authenticam faciunt; id ſibi ſumunt, vt faciant, quod ſe non poſſe facere, concedunt: nam qui ſcripturam authenticam faciunt, ij ſcripturam Canonicam faciūt:* ſola enim C *authētica eſt Canonica. Et quia eſt authentica, eſt Canonica. At illi hanc ſcripturam authenticam fecerunt; quippe quæ aliquando authentica minimè fuerit: ergò ſcripturam faciunt Canonicam, quod in Eccleſia tamen poteſtate, iudicioq; nequaquam poſitum eſſe confitentur.*

In hac obiectione non vna ineſt imperitia; nec vna pſeudologia. Negamus, Eccleſiam non poſſe facere ſcripturam authenticam & canonicam in actu ſecundo, & quoad declarationem: etſi fatemur non poſſe facere authenticam & canonicam in actu primo: quia hanc prærogatiuā non niſi à Deo accipere poteſt. Quod ſi qui ex Catholicis Doctoribus dicunt; Eccleſiam verè facere ſcripturam canonicam, etſi non diuinam, hanc enim excellentiam ſcripturam obtinere D diuinitus; illud verò ab Eccleſia, cum nil aliud ſit, quàm Canoni diuinorum librorum accenſeri: ij longè adhuc euidentius VVitackeri mendacium ſimul ac inſcitiam redarguunt: Nam illud directè affirmant ab Eccleſia fieri poſſe, quod fieri poſſe VVitackerus directè à noſtris negari ſcribit. Etſi non opus huc venire. Ambiguitate vocabuli ludit & lectoribus ſuis VVitackerus imponit: Nam in actu primo non poteſt Eccleſia facere ſcripturam authenticam & canonicam; poteſt autem in actu ſecūdo, per declarationem reſpectu noſtri & noſtræ notitiæ. Et hoc modo latinam vulgatam verſionem antea in ſe & per ſe fecit authenticam, declarando nimirum vim & auctoritatem eius canonicam.

Vndecimum VVitackeri argumentum: *Latina vulgata editio eſt certiſſimè apertiſſimeq; corrupta. Et corruptelas intelligo non fortuitas, aut leues, aut communes, quales librariorum indiligentia ſæpe in multis libris peperit: ſed in ipſa editione penitus inſitas, & graues, & nullo modo tolerandas. Vnde argumentum longè maximum contra huius editionis autoritatem colligitur. Hac de re multi doctiſſimi viri, etiam Papiſtæ, ſcripſerunt, vt Clarius, quem hoc nomine Canus grauiſſimè perſtringit: ſed res eſt certa, & manifeſta.*

Reſpondeo cum Sacroboſco noſtro, hîc nihil eſſe, niſi ſeſquipedalia verba, fumum maximum, ignem nullum, ingentem ſonitum, ictum vacuum.

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Pergit porro, & ait: *tamē hic Ieſuita* (Bellarminum intelligit) *qui antè non erat auſus fontes Hebraicos accuſare, pro Latina editione laborat; multumq; & Kemnitio, & Caluino, & aliis reſpondet. In quo, nullum habet maiorem, quàm ſe aduerſarium. Nam niſi fontes Hebræi, & Græci turpiſſimè corrupti fuerint, corruptam eſſe turpiſſimè Latinam hanc editionem ſequitur. Quis enim non hinc perſpiciat, aut fontes eſſe corruptiſſimos, aut Latinam vulgatam editionem innumeris vitiis abundare? quare vtramq; hanc defenſionem Bellarminus ſuſtinere, ac probare non potuit.* Ad hæc dico I. Bellarminum fontes Hebraicos accuſaſſe, proindeque mentiri VVitackerum, qui contrarium affirmat. Teſtimonium contra ſe dicat magiſter mendax. Sic enim habet in argumento præcedenti: *Bellarminus ex eorum numero eſt, qui fontibus æquiores ſunt, ideoq; Lindani, & Cani opininonem refellit: tamen, ne non probare decretum Tridentinum videatur, aliquid eſſe in fontibus corruptum aſſerit. Vt fontes igitur, non eſſe omninò puros doceat, quinque loca proponit, quæ ſine dubio corrupta eſſe arbitratur.* Hæc VVitackerus. Bellarminus verò ipſe non tantum quinque loca, exempli gratia proponit, verum etiam cenſet multò plura eſſe in Hebraicis vitiata: ita enim habet; lib. 2. de verbo Dei cap. 2. *Veriſſimam puto eorum ſententiam, &c.*

Reſpondeo ſecundò, Bellarminum non habere ſe aduerſarium: hoc enim VVitackero, & VVitackeri ſimilibus relinquit. Suſtinet quidem Bellarminus & fontes, & verſionem noſtram, in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, eſſe incorrupta: ſed hoc vtrumque ſtare poteſt cum corruptione, & diſcrepantia exemplarium in aliis. Nec quidquàm apud illum inuenies, quod vel fontes, vt ab ipſo defenduntur, vel verſionem noſtram arguat in dictis capitibus vitiatam. Hæc Sacroboſcus. Hactenus de vndecim ventoſis VVitackeri argumentis.

Reliqui Prædicantes circa hoc caput ſedulò ac indefeſsè duo præſtant. Quæ illa? Mentiri ac criminari. Mendacia Danæi iam enotauit & indicauit Cydonius noſter. Mendacia Hunnij videat, qui volet in ipſo Hunnio. Iunius præter ſuum *nego, negatur, negamus*; quæ in hoc capite ſatis pro imperio multiplicat, illud inſuper monet,

Bellarminum in enumerandis caussis, propter quas ad Græcos & Hebræos fontes recurrēdum sit; omittere præcipuam & quasi *ipsam substantiam*, id est, *doctrinæ veritatem cum fide & reuelatione diuina analogam & aliis scripturæ locis.* Non negamus, etiam hoc fine ad fontes recurri posse; sic tamen, vt vulgata editio latina stabiliatur, non vt euertatur; vtque noui aliquid inde adferatur; quo consilio fontes adeunt isti nostri Nouatores *Hebraistæ*; qui lectori aurum & argentum polliciti, referunt inde *simias & pauones*, id est, res ridiculas & *pauonis instar* picturatas; inanes tamen & ad solam speciem comparatas; quod iam olim, teste Lutherano Matthesio, in concionibus de Luthero, ipse Lutherus de istis Hebraicis versoribus pronunciauit: quorum magnificæ promissiones efficiunt, vt lectori eueniat quod Salomoni euenit; qui cū suos misisset allatum auri & argenti pondera, attulerunt simias & pauones.

CAPVT XII.

Defenduntur loca, quæ Kemnitius deprauata esse dicit in editione vulgata.

PRIMVS *locus est Genes. 3. vbi legimus*: ipsa conteret caput tuum. *Quem locum Kemnicius dicit esse corruptū, vt inde probetur intercessio, & patrocinium* MARIAE, *cum legendum sit*, ipsum conteret caput tuum. *Nam de semine, id est, Christo loquitur scriptura, vt omnes veteres docent.*

Respondet Bellarminus, editionem vulgatam variè habere. Quidam enim codices habent ipse; *quidam*, ipsa. Et propterea non esse contra vulgatam editionem, si cōuincatur, debere legi, ipse, *vel* ipsum.

Occurrit Hunnius: *Diuerticulum quærit in varietate veteris translationis; hoc ipso ostendens, illam sibi non constare. Non potest autem inficias ire, omnia exemplaria, quæ hodie imprimuntur in papatu, habere*, ipsa; *& iam censeri hanc lectionem à Papicolis pro authentica: ideo non opus est, vt latibulum sibi paret, in varietate exēplarium.*

Nil opus vllo latibulo; quia veritas amat lucem, nō latebras. Verum esse, quod Bellarminus scribit, testantur etiam illi, qui varias lectiones sacrarum litterarum collegerūt; vt Louanienses & Lucas Brugensis in suis Notationibus, qui codices à se aliisq; visos commemorant, in quibus *Ipse* legebatur. Quòd altera lectio valde inualuit, & omnia propemodum iam orthodoxorum exemplaria occupat; id non obscurum veritatis argumentum censeri debet; neque enim credibile videtur lectionem istam tacito, imò & expresso doctissimorū hominum consensu tam constantem approbationem merituram fuisse; nisi veritati congrueret, cuius & hoc sat euidens indicium, quod in nupera quoque bibliorum emendatione lectio hæc retenta est, quantumuis frementibus sectariis, Deiparæ hostibus, quos gloria Virginis huius vrit.

A

Secundo respondet Bellarminus; nō esse improbabile debere legi, *ipsa*: neq; esse hanc deprauationem Papistarum. Nam, etiamsi multi codices Hebraici habeant הוא, *ipse*: tamen legi vnū, in quo erat scriptum היא, id est, *ipsa*: ac præterea remotis punctis, illam vocem Hebraicam הוא posse interpretari, *ipsa*, nimis rudis est, qui nescit. Obiicit Hunnius: *Vtcunq; sit, num vnus ille codex (in quo fortè cauda litteræ ו non fuit satis protensa, sed resecta, vt videretur esse iod) præiudicabit vniuersis reliquis?*

Non petit hoc Bellarminus. Tantum ostendit, non adeo certum esse, quod Prædicantes certissimum esse clamitant; Hebræum fontem non nisi pronomen masculinum exhibere; cum Bellarminus Hebræum codicem viderit, in quo fœmininū pronomen exstabat. quod forsam in suo etiam exemplari reperit Interpres noster, præsertim, cum, vt Lucas Brugensis aliiq; notant, *fœmininū pronomen, nonnunquā eo modo scriptum reperiatur, quo masculinū* הוא, *quanquā* היא *legatur. Atq; ita hoc loco accipiendum, & legendum esse* היא, *nonnulli existimāt. Hinc Guido Fabricius, Pici Mirandulani Principis auctoritate nixus, in Hebraicis illis Bibliis regio operi adiunctis, quibus latina interpretatio inter contextas lineas inserta est, excudi curauit* היא, *quanquam errore positum sit* הוא.

B

Quæ præterea Hunnius hic effutit, quid aliud sunt, q̄ malè sobriæ mentis impura excrementa. *Tam obesæ naris non sumus*, inquit Prædicans, *vt dolos Iesuiticos non olfaciamus, quibus insolitum minimè est, ad eludēda nostra argumenta, cōminisci, aliter habere exemplar nuper in Bibliotheca Vaticana, vel alibi, (in Vtopia fortè) repertum. Nam mentiri in honorem, & emolumentum sedis Pontificiæ, non est illis peccatum, sed λατρεία potius, & eximius cultus Dei.*

C

Nihil horū chartis hic illeuisset Hunnius, si quę Iesuitis affingit, ipsi Prædicantes non actitarent; siq; calumniari, & mentiri in postremis non ducerent. Maior fides, candor, & probitas in Bellarmino inest; quàm, vt, quod non vidit, se vidisse profiteatur publicè: vt notum omnibus, quibus Bellarminus vel ex scriptis, vel de facie notus est.

Ait Bellarminus remotis pūctis vocem illam Hebraicam הוא, posse verti, *ipsam*, & nimis rudem esse qui hoc nesciat, cū passim occurrat in sacris litteris הוא pro היא. vt Genes. 3. v. 12. Exodi 3. v. 8. Qua auctoritate remoueas puncta? quærit Caluinianus Iunius. Ea, q̄ ipsa ratio & originalis textus concedunt; nā Moyses absq; punctis scripsit. Cur igitur nō liceat legere eo modo, quo primus auctor scripsit, hoc est, absq; punctis? Quid si pūctum, quod pronomē masculinū efficit, eo fine à Iudæis est appositū, quo nunc apponitur ab Hæreticis; vt scilicet gloria Deiparæ ex hoc loco nimis fulgidè emicans, nonnihil, mutato genere, obfuscaretur? *Vt demus, puncta remoueri*, inquit Iunius, *nonne est littera* ו, *& integra permanet nisi adiuncta secum postulauerint? Hic autē in Hebræo ita est; nimis ergò rudis, & audax in Veritatem, & Hebræam linguam, qui mutare*

D

tandi potestatē permisit. Quo factū est, vt statim ex omnibus prope mundi Christiani partibus, procederent, qui translationē Erasmianam cum Annotationibus; grauissimis cēsuris inurerent, & hallucinationes eius pate facerent, & profligarent; ex quorum numero Latomus, Stapulensis, Leus, Stunica, Sanctius, Natalis Beda, Theologi Parisienses, Albertus Carporū Princeps, Sepulueda, & alij; aduersus quos plures dentatas apologias Erasmus euomuit, quæ in nono operum Erasmicorum tomo exstant. Quoties Beza, alijq; sectarij, Erasmi versionem carpunt?

Addo & illud, nō mirum fuisse, Erasmū literas à Leone impetrasse; quia nondū liquidò constabat, quale monstrū Erasmus esset. Et, eruditi viri, quibus aula Leonis abundabat, facilè Pontifici persuadere poterāt, vt lucubrationē eius, quem, vt nominis claritate conspicuū admirabantur, laudibus immeritis afficeret: quia Erasmus, lupū sub specie ouis, insigniter celare norat. Quidquid sit, Leo X. à Concilio Tridentino nō dissensit, cum Erasmi editionē nec vulgatæ prætulerit, nec tanq̄ authenticā approbarit, quod Synodus Tridentina cum vulgata facit. Imò, si Leoni X. diuturnior lucis vsura obtigisset, cum versione, & annotationibus Erasmicis idem egisset, quod Paulum IV. egisse Kemnitius non sine stomacho refert. Retulisset videlicet in indicē librorū damnatæ lectionis, donec ab erroribus expurgatæ in lucem, hominumq; conspectum venirent, quod ab aliis item Pontificibus de Erasmicis monumentis decretum videmus; & si quædam simpliciter, tanquam emendari nescia, perpetuis tenebris, vel potius foco adiudicarint.

Tertium Kemnicij mendacium: Concilium Trident. Sess. 21. cap. 2. vt probet, Ecclesiam habere autoritatē dispensandi in Sacramentorū substantialibus *contra institutionē Christi*, abuti æquiuocatione veteris versionis, vbi 1. Cor. 4. ministri Christi, vocantur dispensatores mysteriorū Christi. Quo loco exclamat Kemnitius; *Bone Deus, quanta est Antichristi impudentia in tanta luce cognitionis linguarū, de tam graui materia, tam pueriliter ludere! cum Paulus οἰκονόμους vocet ministros Christi?*

Respondet Hunnius; *non Kemnicium, sed Bellarminum mentiri: Ecclesiam enim Romanam contra substantiam Sacramenti Eucharistiæ vnam duntaxat speciē laicis porrigere; idq; per vsurpatam dispensandi in Sacramentis potestatē.* Audio, non Kemnicij à mendacio liberationem; sed alterius insuper apud omnes Prædicantes tritissimi & vsitatissimi commenti additionē: Vetus Prædicantiū cantilena est, *violari substantiam Sacramenti vna tantum data specie*: Audiuimus hanc næniam vsq; ad nauseā infinities decantari, nunquam probari: nam vt in duabus, ita & in vna specie essentialis integritas Sacramenti perfectè consistit; neq; quidquam ad substantialē perfectionem & integritatē deficit, siue vnā, siue duas species accipias; quod ab Orthodoxis scriptoribus millies probatum est; à Præ-

A dicantibus nimio stupore, vel intoleranda improbitate præpeditis, nunquā intellectum: tantum vociferantur: *Tam est absurdum*, dare vnam duntaxat speciem, *vt si non à Diabolo excæcati essent Pontificij, agnituri essent sui dogmatis notorias impietates & abominationes.* Quæ criminatio, si ad Hunnium remittatur; naturam criminationis exuet, & veritas esse incipiet.

Postremum Kemnicij mendacium: Conciliū Tridentinum, ideo voluisse vulgatam editionem esse authenticam, quia, tota transformata est ad dogmata Pontificia. Quod mendacium non solum est hominis impudentis, sed etiam imprudentis, &c. Hic cum Hunnius responso destitueretur, calumniari cœpit voculas illas à Bellarmi-

B no vsurpatas: *Tota transformata est*: cum Kemnicius dicat: *In multis locis transformata est.* Et hæc mutatio Prædicanti bilem adeo in nares conciuit; vt Bellarminum *impudentissimum hypocritam* nominet, homo omnis frontis expers. Quasi verò Bellarminus *mala fide, & mente vulpina*, Kemnicio aliquid affinxerit, vt isti solent Catholicis: nam licet Kemnicius non dixerit, totā simpliciter scripturam vulgatę versionis ad dogmata Pontificia esse concinnatam; quandoquidem non habuit omnia dogmata, quæ in vulgata editione tradūtur, pro Pontificiis; non est tamen dubium, quin totā censuerit conformatā ad illa dogmata confirmanda, quæ nos inter & illos cōtrouersa sunt: & huc respiciens dixit Bellarminus id, quod non

C modò Hunnius conuiciis incessendum, sed & Caluinista Iunius annotandum existimauit. At cum Iunius *Tropista* sit; cur non συνεκδοχικῶς Bellarmini locutionem accepit? An non hoc pharmaco multa iam in suis notis, quæ videbantur ægra, sanauit, in sequentibus quoque sanaturus plura. Quid vsitatius, quàm dicere: *Totus es niger*, si parte aliqua niger sis.

Mirificè commendat Hunnius versionē Germanicam Bibliorum Lutheri. Ego iis acquiesco; quæ Cochlæus à Bellarmino citatus, Emserus, & alij innumeri de hac versione senserunt, & literis mandarunt; quodq; ipse translationem *Lutheri* legent, experientia disco; quæ certè me compellit, vt Lutherum numerem inter illos *versores*, de

D quibus ipse in cōmentario super nouissima Dauidis verba. *Cœperunt & nostra ætate inter paucos annos crescere, & cumulari noua versiones, vt videatur nullus modus futurus esse, & tandē tot editiones Bibliorum simus habituri, quot existent semidocti, ac scioli, qui sibi persuasionem alicuius eruditionis in lingua Ebraica induunt.*

Hæc de se & sui similibus semi & sesquidoctis sciolis Lutherus. Quod dictum tam memorabile visum est Georgio VValthero Prædicāti Hallensi in Saxonia, vt illud inter Prophetias Lutheri referendum putarit, *libro de oraculis Lutheri, titulo de libris.* Interim tamē nō damno illum Prædicantē, q̄ publicè in cathedra Lutheri Biblia virgis cecidit, cū hoc Epiphonemate: *Discas melius*: vt scribit Mathesius cōcione duodecima de actis Lutheri.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XL

Soluuntur obiectiones Hæreticorum contra vulgatam Latinam editionem.

PROPONIT VVitackerus vndecim rationes contra editionem Latinam vulgatam, quibus efficere contendit, eam non habendam authenticam: quas ordine soluam; & refellam; His enim refutatis profligatum erit, quidquid circa hoc caput alij Prædicantes mentiuntur. Primum argumentum: *Hieronymus, qui hanc editionem aut fecit, aut correxit, vt isti statuunt, eam ipse non putauit esse authenticam, cum tamen ea multò tunc purior extiterit, quàm nunc est.*

Esto, sit ita; quid infers? *Ergo neq; iam est authentica.* Negatur consequentia. Quia iudicium Ecclesiæ est supra iudicium Hieronymi, tametsi auctoris. Ait Caluinista: *Liberum reliquit lectoribus, hoc, aut illo modo multa interpretari: quia, num ab ipso rectè intellecta, & versa essent, dubitabat.*

Bene factum: quia Hieronymi non erat alios ad obsequium cogere: sed hoc est Ecclesiæ; quæ columna & firmamentum veritatis; de qua dictum: *Si quis Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

Pergit Caluinista: *Interdum ingenuè fatetur Hieronymus, se aliter transtulisse, quàm Hebraica veritas postulabat; vt Ionæ 4.* hederam *transtulit, iuxta Aquilam; non* cucurbitam, *vt LXX. cum ipse in commentariis in Ionam nec hederam, nec cucurbitam eo vocabulo significari posse doceat.*

Respondeo hoc Hieronymum ex modestia animique submissione de se sentire, & publicè profiteri potuisse; neque enim thraso erat, nuperis translatoribus similis; qui versiones suas, tanquam ex intimis Hebraici textus visceribus erutas, venditant. Secundò si quo in loco D. Hieronymus aliquid malè vertit; eam versionem non probauit Ecclesia; sed potius correctionem versionis illius; quod allatis exemplis ostendit Bellarminus. Nec obstat illa apud Ionam *hedera*, probata ab Ecclesia; improbata, vt videtur posteà, à S. Hieronymo in commentariis super Ionam: nam primò non ita probauit Ecclesia editionem Latinam vulgatam, quasi nullum in ea reperiatur vocabulum non satis aptè ex Hebræo translatum; sed in iis, quæ ad dogmata fidei & morum spectant; hanc editionem declarauit esse authenticam. Deinde rectè vertes, siue *cucurbitam*, siue *hederam* vertas; Probabile enim est, nomen Hebræum *Cicaion*, siue *Ciceion* esse cõmune cucurbitæ & hederæ, fortè & similibus virgultis, inquit Ribera noster in caput postremum Ionæ; cuius sunt & ista; Cicaion cucurbitam si-
A gnificare præter LXX. interpretes docent nonnulli Hebræorum. Abraham filius Hezræ testatur, sapientes Hispaniæ docere, esse cucurbitam, aut cucumerem. Illi etiam Iudęi, quos Augustin. epist. X. consultos fuisse dicit, ab illo Africæ Episcopo, vtrum malitia, an imperitia, (inquit August. ne Hieronymo contradicat) hoc esse in Hebræis codicibus responderunt, quod Græci, & Latini habebant: atque dicebant; *Quid plura?* inquit, *coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe.* Scio, quid in Epistola respondeat Hieronymus; Iudæos illos, aut Hebræas ignorasse litteras, aut ad irridendos *cucurbitarios* voluisse mentiri. Crederem id fortasse, si soli dixissent, sed dicunt
B multi, & ante illos, & pòst. Ipsi etiam Sectarij cucurbitam interpretantur; nominatim Castalio; & Lutherus in Bibliis suis Germanicis.

De hedera, quî possumus dubitare, inquit Ribera, cum habeamus omnium Veterum interpretum consentientem autoritatem, quæ certè hoc loco plurimum valere debet apud nos, cum maiorem nullam habeamus. Neque enim hoc nomen reperitur in scriptura. Rectè ergò, & valdè probabiliter dicemus Hebraicum nomen, & hederæ, & cucurbitæ esse commune. Vt autem detur arbusculę etiam, quam Syri *ciceiam* vocant, Hieronymi suadet auctoritas.

Obiicit VVitackerns: *Hieronymo, nunquam, ne per somnium quidem, in mentem venisse, fore, vt Ecclesia*
C *ipsius translationem pro authentica scriptura vnquam susciperet.* Meritò quæras ex Caluinista, vnde ei tanta cum Hieronymo consuetudo, & familiaritas, vt non modò eius dicta & scripta, sed & intima sensa, atque adeo ipsa somnia exploratè perspecta habeat? Et quamuis D. Hieronymus nunquam cogitasset, editionem suam, velut authenticam, ab Ecclesia probatum iri; an proptera, tanquam authentica, recipi non potuit? Quàm multa fiunt, quę nobis nunquam in mentem veniunt?

Secundum VVitackeri argumentum. *Si Latina hæc editio authentica esset, tum eam Latina ecclesia mox tanquam authenticam recepisset.*

Negatur sequela. Quam probat Hæreticus:
D *Vetus testamentum Hieronymus transtulit, vt inquiunt; nouum correxit, rogatus à Damaso. Quare, si hanc Latinam editionem eo animo elaborasset, ecclesiæq; tradidisset, vt passim pro authentica scriptura in Latinis ecclesiis haberetur, tum statim ecclesiæ iudicio, iussuq; Damasi Pontificis, recepta & approbata fuisset.*

Respondeo, hoc non sequi. licet D. Hieronymus eo consilio translationem illam elaborasset, vt tanquam authentica reciperetur ab Ecclesia. Quis enim Damasum Pontificem, aut Ecclesiam cogere potuisset; etiamsi hæc Diuo Hieronymo sententia animo sedisset? An non nihilominus liberum illis manebat, vt editionem Hieronymianam vel authenticam declararent, vel ab huiusmodi declaratione abstinerent? Deinde

Digitized by Google

quis affirmare ausit, hanc fuisse mentem D. Hieronymi: qui & translatione veteris & correctione noui testamenti nihil aliud spectauit, quàm vt Ecclesia scripturas fideliter sincereq; ex Hebręo & Græco expressas legeret; cætera Ecclesiæ & posterorum iudiciis commisit.

Tertium argumentum. *Hieronymus multa reprehendit in editione vulgata; ergo non est authentica.* Antecedens dicit VVitackerus, *iam à se probatum cap. sexto.* At nos è contra cap. 9. omnia quæ VVitackerus produxit, refutauimus. Itaque non est, quod immoremur.

Quartum argumentum. *Hieronymus nec Propheta fuit, nec spiritu Prophetico præditus, ergo vulgata editio cum nil aliud sit, quàm interpretatio, non est ipsa per se authentica & θεόπνευστος scriptura.* Concesso antecedente, negatur consequentia; qua mirandum istos vti, cum hac ratione omnem vniuersis suis Germanicis, Anglicis, Gallicis, Danicis, Belgicisque Bibliis fidem & auctoritatem abrogent. Quis enim sartor sutórue Lutheranus Biblia Lutheri lectitans, non credit se, ipsum Dei verbum, & quidem purum putum legere? Quis triuialiũ Prędicantium non hunc ipsum thesaurum à Laicis Germanica Biblia lectitantibus possideri clamat? At si VVitackerus, & id genus alios è Scholis productos audimus, nec habent nec legunt ipsum per se Dei verbum diuinitus inspiratum. Quid ergo legunt? Num illud, quod *per accidens* duntaxat inspiratum?

Rationem addunt: *Quia nulla interpretatio per se est verbum Dei.* Sic nec Euangelium S. Matthæi erit *per se* verbum Dei; quia tantum est interpretatio. Nec Græca, quæ nunc exstat Epistola ad Hebræos; quia tantum est interpretatio. Quanquam si de Lutheranis, Zvvinglianis, & Caluinianis Bibliis agatur, libenter concedã, nec *per se*, neq; *per accidens* esse verbũ Dei; non quia sint interpretationes seu versiones; sed quia sint deprauationes, corruptelæ & imposturæ. De sinceris, & Orthodoxis versionibus nego nõ esse verbũ Dei; quacunq; demũ linguâ, pręsertim latinâ; & versionẽ quidẽ Latinam esse verũ, perq; omnia germanũ ac legitimũ Dei verbũ; declarauit nobis Ecclesia, hoc ipso quod vulgatã editionem Latinã declarauit esse authenticam. Cuiusmodi decretum de nulla alia translatione adhuc promulgauit. Quare de Latina editione vulgata certi sumus eam esse sincerum Dei verbum. De aliis Catholicorũ editionibus quacunq; demum lingua constantibus talem certitudinem nõ habemus, quia non habemus decretum Ecclesiæ.

Ait VVitackerus. *Interpretis est scripturã authenticam transferre, non suã interpretationem facere authenticam scripturã.* Respondeo, neq; S. Hieronymum translationẽ suam fecisse, hoc est, declarasse authenticam: Fecit tamen eiusmodi translationẽ, quæ in se erat authentica; & quã itidem Ecclesia declaratura erat esse authenticã. At Hieronymus potuit errare. *A posse ad esse;* quæ cõsequentia? *Et*

A *errauit.* Num in iis, quæ Ecclesia, tanquã authentica approbauit; quæque ad dogmata fidei & morum pertinent?

Vt Hieronymum, inquit Hæreticus, *in interpretando nunquam errasse fingamus, quid tamen de Latina Psalmorum vulgata versione respondebunt, quæ multum ab Hieronymiana Psalmorum translatione discrepat?*

Hoc respondebimus; vulgatã Psalmorũ editionẽ esse etiã authenticam; tametsi illã non habemus ex trãslatione, sed ex correctione D. Hieronymi; quæ quod à versione Hieronymiana multum differt; quid refert? quia hanc approbauit Ecclesia, non illam.

Quid statuent, inquit Hæreticus, *de illis Latinæ*
B *editionis partibus, quæ ex Græca Theodotionis, hominis à fide Christiana alienissimi, versione in Latinis Bibliis leguntur? Ipsumne etiã Theodotionẽ, à quo sua quædã librorũ fragmenta, tanquã vel interprete, vel autore acceperũt, Prophetico spiritu præditũ fuisse affirmabunt?* Nõ certè. Dicemus tamẽ, siquid est in editione vulgata latina pertinens ad dogmata fidei & morũ, desumptum ex Theodotione, approbatumq; ab Ecclesia; in iis Theodotionẽ minimè errasse; idq;, singulari protectione Dei, interpretẽ illum, quãuis perditũ & impiũ, iis in locis, quæ Christiana Ecclesia aliquando, tanq̃ authentica, approbatura erat, ab errore custodientis. Quod VVitackerus clamat; *Ecclesiã nõ habere potestatẽ declarandi interpretationẽ alicuius hominis, quãtumuis accuratã, esse authenticam;* id tantũ asseuerat; nõ autẽ probat; sicut &
C illud tantũ asserit; licet nõ sine mendacio: *Ecclesiã; hanc solã editionem declarasse authenticã.* Nõ enim solã præcisè, sed solã ex translationibus declarauit esse authenticã. De Hebræa & Græca editione, nemo dubitat, quin authenticæ sint, si vt à Canonicis scriptoribus prodierunt incorruptę perseuerant; de quo nihil nobis Ecclesia generali aliquo decreto exposuit. Nec illud mendacio caret, quod dicit; ab Ecclesia ipsis fontibus vulgatã editionem prælatã esse; nõ enim puris fontibus prælata est, sed summum æquata quoad infallibilitatem fideique & morum doctrinam.

Scripturam authenticam, inquit Caluinista, *oportet ab ipso Spiritu sancto ἀμέσως proficisci, ideoq; Paulus ait,*
D *omnem scripturam esse θεόπνευστον, 2. Tim. 3. 16. Interpretatio verò Hieronymi non est θεόπνευστος: ergò, non est scriptura authentica.*

Respondeo maiorem esse VVitackerianã, hoc est falsam, si illud *ἀμέσως* seu *immediatè* referatur etiam ad verba: Satis est ipsam rem immediatè à Spiritu sancto manasse; verba autem ita comparata esse; vt quatenus authentica sunt, vbique cum primigenio textu ac fonte concordent; quod etsi nõ contingit nisi Spiritus sancti ductu & concursu; non est tamen, eiusmodi concursus, qualis in scriptore Canonico; qui non tam agit, quam agitur; quippe tam rem quam verba immediatè à Spiritu sancto dictante excipiens & accipiens, sicut discipulus in schola tam rem, quã

verba

Digitized by Google

verba ex ore dictantis magistri excipit. At Interpres ipse humano studio verba apta conquirit, totumque orationis corpus concinnat; assistente tamen sancto Spiritu, ne aberret; si quidem authenticam editonem confecturus est; vt nostrum Interpretem confecisse, ex Ecclesiæ declaratione certò cognouimus.

Concludit VVitackerus hoc quartum argumentum acutissima quadam ratiocinatione. *Ante Concilium Tridentinum non habuit Ecclesia hanc vulgatam editionem pro authentica; ergo neque iam talis habenda est.* Negatur consequentia. Quia antea defuit Ecclesiæ declaratio; quæ nobis nunc facta. Quapropter, qui Ecclesiam posthac non audit, is nobis & ethnici & publicani loco erit. Et quamuis apertam hac de re definitionem non habuit Ecclesia ante Concilium Tridentinum, tamen ante id vulgata editio communiter pro authentica est habita; & hunc, præter alia, communem fidelium sensum, secuta synodus Tridentina eum confirmauit; effecitque, vt iam negari nequeat absque crimine. Quod olim secus erat.

Quintum argumentum. *Si Deus permisisset scripturam perire in Hebraicis, Græcisquè fontibus, in quibus edita primùm fuit à viris diuinitus inspiratis, non ille satis cauisset Ecclesiæ suæ, fideiq; nostræ.*

Respondeo I. Concilium Tridentinum non dicere, scripturam in Hebraicis Græcisque fontibus periisse: quia tantùm declarauit, editionem vulgatam latinam esse authenticam; quod verum esse potest; licet Græci & Hebraici fontes non perierint. Deinde, quamuis fontes isti periissent; satis tamen Ecclesiæ prospectum fuisset per editionem vulgatam latinam cum fontibus olim exstantibus integrè & sincerè in iis, quæ ad fidei & morum dogmata spectãt, congruentem. Nonne Bellarminus fontes adhuc exstare fatetur, quamuis non vbique limpidè fluentes?

Sextum argumentum. *Antiqui Ecclesiæ Patres non secuti sunt vnam latinam versionem; ergo neque iam vna solùm pro authentica habenda est*; Negatur consequentia. Quia licentiæ huius æui modus ponendus fuit; & certi præfigendi limites, proposita vnâ editione latina authentica; quia vt omnium hæreticorum huius tempestatis parens ait, in explicatione nouissimorum verborum Dauidis: Tom. 3. VViteberg. lat. *Mundus est plenus leuibus & curiosis ingeniis, quos veluti prurientes auribus delectat nouitas, quosq; facilè fastidium capit sanæ doctrinæ, qua re iam patefactum est ostium satanæ, quauis deliria inuehendi in doctrinam.*

Infinitus item beneficio Quinti Euangelij eorum est numerus, qui, vt Caluinus scribit præfat. in sua opuscula, *statim opinione sapientiæ turgent, & tantùm non crepant, sibi diuites ac reges. Hinc tam multos videas*, subdit Caluinus, *qui in omnium seculorum ignorantiam tragicè vociferantur, non minus ipsi indocti. Sed, quid faciant? Christiani videri volunt, & dicuntur, quia aliquot capita locorum communium delibarunt.*

A *Et quum nescire aliquid, pudeat, de omnibus confidentissimè, quasi ex tripode, respondent. Hinc rursum, tot schismata, tot errores, tot fidei nostræ scandala. Qua occasione, nomen, & verbum Dei blasphematur inter impios. Tandem (quod est caput mali) dum obstinatè tueri pergunt, quod semel temerè effutiuerunt; tum, oracula Dei consulunt, ex quibus errorum suorum patrocinia quærant. Ibi, Deus bone, quid non inuertunt? quid non deprauant, atq; corrumpunt? vt ad sensum suum, non dico inflectant, sed vi incuruent. Scilicet verè dixit poëta, furor arma ministrat. Haeccine est discendi via? versare, ac volutare scripturas, vt libidini nostræ seruiant? vt sensui nostro subiiciantur? quo, nihil est stolidius. O fonticam pestem, & certissima zizania inimici hominis: quibus vult occæcare verum semen. Et adhuc miramur vnde tot sectæ inter eos, qui primùm nomen* B *euangelio dederant, ac renascenti verbo?*

Hæc Caluinus; cuius auctoritate VVitackero, opinor, omnis admiratio eximetur, cur iam Ecclesia authenticam editionẽ suis subditis proponat, cum tamen olim nullum huiusmodi decretum ediderit. Licentia versorum huius æui saluberrimæ sanctioni occasionem dedit; qua leuissimorum ingeniorum lasciuia offensus *sectarius quidam, & aliquando Ecclesiæ Parlamentariæ in Anglia Minister, non dubitauit dicere*, vt testatur Christophorus à Sacrobosco libro contra VVitackerum, appellationem à vulgata editione, ad Hebraicam, & Græcam lectionem, cum ea libertate, quam sibi sumunt nunc homines, expeditissimam esse viam ad fidem penitus exstirpandam; C ad apostasiam, ad atheismũ. Et meritò sanè. Nam, si præter eam libertatem, q̃ vsurpant, exponendi scripturam, vt illis placet, des etiam facultatem accipiendi Hebraicũ, & Græcũ textũ, vt volunt, Deus bone, quid tandem erit, in quo consentiamus? Exemplis res hæc perspicua fiet. Interpres noster sic incipit caput primum Ioannis: *In principio erat verbum.* quod, recentiores aliqui sic vertunt: *In principio erat sermo ille.* At quo iure ita vertunt, reddere potes tu: *In principio erat fabula, vel disceptatio.* Nam, præter alias multas, has quoque significationes habet Græca dictio λόγος. Huius generis ex Hebraicis possim infinita exempla proferre. Nam, cum Hebræi pauca admodum habeant vocabula; fit, vt plerunque vox eadem D Hebraica, varia significet: &, cum illorum substãtiua, sint maxima ex parte à verbis deriuata, accidit non raro, vt idem substãtiuum ad diuersas radices reuocare possis cum significationis mutatione maxima. Et hæc de ambiguitate vocum.

Variarum autem lectionum, præter similitudinem consonantium, & incuriam librariorum, quæ communia sunt aliis editionibus, habet Hebraicus textus propriam scaturiginem, eamque vberrimam, defectum vocalium; sine quibus primùm fuit à prophetis exaratus, vt fatentur docti omnes. Hinc Psalmus 109. Vbi LXX. (quos sequitur noster interpres) legerunt, *nedauoth Timmecha*; ideoq; verterunt, *tecum principium*; Hebræi nunc legunt, *nedauoth Tammecha*, & red-

dunt; *populum tuum cum spontaneis oblationibus*. In Græcis quoque variæ lectiones passim occurrunt: aliquando verò tot, vt sectariis dubiæ fidei reddant historiam. Vnde Beza in cap. 8. Ioan. loquēs de historia adulteræ; *Tanta*, inquit, *varietas lectionis facit, vt de totius istius narrationis fide dubitem*. Atque hæc omnia ita se habere, agnoscit noster VVitackerus, Responsf. ad Reginaldum maximè pag. 356. & seq. neque negare potest: sed nos, qui hæc pate facimus, *blasphemos* vocat; quia videmur accusare Deum, quod verbum suum Hebraicè, & Græcè conscribi voluit. Vbi solùm accusamus sectarios, qui fontibus abutuntur; & detegimus technas, ob quas ad fontes appellant.

Est & alia ratio perturbandi omnia, per mutationem distinctionum, quas habent exemplaria, ab Ecclesia recepta. In nouis autem editionibus facilè est mutare distinctiones, cum præiudicio fidei. Audax in hoc genere fuit Erasmus, vt legenti ipsius versionem, patebit. Antiqui Ariani teste August. lib. 3. de doctrina Christiana 2. sic caput primum Ioannis legebant: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum.* vt ità distinctus textus non faceret pro diuinitate verbi. Eâdem ex causa Seruetus 2. lib. eorum trium, quos blasphemè inscripsit, de errore Trinitatis, illud Pauli Roman. 9. *quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*: sic distinxit, vt addito puncto post verba illa; *super omnia*; sequentia separarit à Christo.

Propter has igitur, & similes causas, optimè fecit Ecclesia declarando, è Latinis versionibus, vnam authenticam. *At*, inquit VVitackerus, *priscis temporibus plures erant versiones Latinæ, quā nunc sunt, teste Augustino*, lib. 2. doctr. Christ. cap. 11. *& tamen Ecclesia tunc non declarauit vnam aliquam authēticam.* Respondeo; verum quidem esse, tunc plurimas fuisse versiones, indeque ortam confusionem, & perturbationē in Ecclesia, ac ideo, de tanta multitudine conquestos Hieronymum præfat. in Iosue, & Augustinum loc. cit. Sed an id incommodi passa est tunc Ecclesia remedio carere? Minimè gentium. Ea enim causa fuit, cur Damasus Hieronymo prouinciam mandarit, ad Græcam veritatem emendandi antiquam Italam, quæ omnium Latinarum translationum, quæ eo tempore existebant, fuit optima. Cui emendationi accessit noua translatio veteris testamenti, ex Hebræo ab ipso Hieronymo facta. Atque hic tanti viri labor, Pontificis iussu, maxima ex parte susceptus, vbi se ipse probauit, vim habuit efficiendi; vt reliquæ editiones, quæ confusionem, & perturbationem secum afferebant, de hominū manibus sensim elaberentur. At, vbi nostra ætate recrudescere rursus cœpit antiquum vulnus: & efficax adhibitum remedium, hominum vitio contemni; Ecclesia nō solùm iussit nostram versionem à mendis, quæ irrepserūt, purgari; verùm etiam suo decreto authenticam eam declarauit;

A seuerè præcipiens, ne quis illam quouis quæsito colore, præsumeret omninò reiicere.

Septimum VVitackeri argumentum. *Quæro, vtrum Tridentina synodus Latinam hanc editionem fecerit authenticam, an solummodo esse authenticam declarauerit?*

Respondeo, non factam à Concilio Tridentino, sed declaratam esse authenticam. Obiicit VVitackerus. *Si Patres Concilij Tridentini hanc editionem esse authenticam tantummodo declarauerunt; doceant igitur, quando illa primùm authentica esse cœperit.* Respondeo, factam fuisse in se, & per se authenticam primo statim ortu suo, quando à translatore seu interprete elaborata est. Non fuisse authenticam generali & manifesto totius Ecclesiæ

B decreto, sed factam authenticam post declarationem & constitutionem Concilij Tridentini. *Initio non fuit authentica*, inquit Caluinista. Distinguo. Non fuit authentica in se & per se: falsum; non fuit authentica generali & publica Ecclesiæ constitutione: esto. Quid aliud inde colliget Nouator, quàm Constitutionem de authentica vi vulgatæ editionis in Concilio demùm Tridentino conditam esse; quod vltro fatemur.

Octauum VVitackeri argumentùm: *Latina editio vulgata, est in multis locis planè barbara, & plena solœcismorum: vnde, eius authorem valde fuisse negligentem, colligi potest, &c.*

Hanc VVitackeri & aliorum Prædicantium impudētem simul & imperitam criminationem

C infra cap. 14. copiosissimè refutabimus; & ad omnia barbarismorum & solœcismorum exempla ab his prolata sigillatim respondebimus; vbi etiam in specie redarguemus hoc VVitackeri commentum, cum ait, *in authenticis fontium scripturis non inueniri barbarismos & solœcismos*: perspicuè enim, allatis non paucis exemplis, demonstrabimus, in Græco textu noui testamēti exstare plurimas loquendi formulas similes latinis, quas isti, vt barbaras & solœcas, damnant.

Interim audiat VVitackerus citatum à se diuū Gregorium præfatione in libros Moralium, vbi vir sanctissimus ista. *Non metacismi collisionem fugio: non barbarismi confusionem deuito; situs, motusque*

D *præpositionum, casusque seruare contemno: quia indignum vehementer existimo, vt verba cælestiū oraculi, restringam sub regulis Donati. Neq; enim hæc ab aliis interpretibus in scripturæ sacræ autoritate seruata sunt. Ex qua nimirum, quia nostra expositio oritur, dignum profectò est, vt quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur.*

S. Hieronymus in cap. 40. Ezechielis. *Illud sæpius monuisse sufficiat, nosse me, cubitum, & cubita neutrali appellari genere: sed, pro simplicitate, & facilitate intelligentiæ, vulgiq; consuetudine, ponere & genere masculino. Non enim curæ nobis est vitare sermonum vitia, sed scripturæ obscuritatem quibuscunq; verbis differere.*

Et in cap. 47. *Quòd cubitos genere masculo, & non neutrali cubita dicimus, iuxta regulam Grammaticorum, non ignorantia id facimus, sed consuetudine, propter sim-*

plices

Digitized by Google

plices quosque, & indoctos, quorum in congregatione Ecclesiæ maior est numerus.

Hæc D. Hieronymus, VVitackero & vniuersis Prædicantibus non paulò eloquentior, & latinæ linguæ doctior, qui & caussam tangit, cur tam ipse, quàm alij in interpretando vsi sint vocabuli sè medio sumptis, & aliquando etiam in speciem solœcis. Nimirum, quia habita est ratio multitudinis, cui tales loquendi formulæ notæ erant ac vsitatæ; ne igitur nouitate vel insolentia locutionis simpliciores offenderentur, hoc imbecillitati eorum concedendum esse viri doctissimi & eloquentissimi existimarunt; excepto, quod satis etiam perspectum habuerunt, verbū Dei nō in *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* consistere.

A

Quapropter ipsi etiam scriptores Canonici, Apostoli præsertim & Euangelistæ, diuina mysteria potius verborū humilitate, quàm sublimitate exornarunt; idque perspicuitatis gratia. *Cuius euidentiæ diligens appetitus*, inquit D. August. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 10. *aliquando negligit verba cultiora, nec curat, quid benè sonet, sed quid benè indicet, atq; intimet, quod ostendere intendit. Vnde ait quidam, cùm de tali genere locutionis ageret, esse in ea quandam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahit ornatū, vt sordes non contrahat. Quamuis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, vt verbum, quod nisi obscurum sit, vel ambiguum, Latinum esse non potest; vulgi aūt more sic dicitur, vt ambiguitas, obscuritasq; vitetur, nō sic dicatur, vt à doctis, sed potius vt ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros Psalm. 15. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: quoniam senserunt ad rem pertinere, vt eo loco pluraliter enunciaretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodo singulariter dicitur: cur pietatis doctorē pigeat imperitis loquētem ossum potius, quàm os dicere, ne ista syllaba nō ab eo, quod sunt ossa, sed ab eo, quod sunt ora, intelligatur, vbi Afræ aures de correptione vocalium, vel productione non iudicant. Quid enim prodest locutionis integritas, quam nō sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omninò nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos, vt intelligant, loquimur? Qui ergò docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. Et si pro eis alia integra, quæ intelligantur, potest dicere, id magis eliget. Si aūt non potest, siue quia non sunt, siue quia in præsenti nō occurrunt, vtetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur, atq; discatur integrè. Et hoc quidem non solùm in collocutionibus, siue fiant cum aliquo vno, siue cum pluribus, verum etiam multò magis in populis, quando sermo promitur, vt intelligatur instandum est. quia & in collocutionib' est cuiq; interrogādi potestas, &c.*

B

C

D

Hactenus pulcherrimè S. Augustin. cuius hac de re verba vel recitasse, vel saltem indicasse debebat VVitackerus, si candidè disputare instituerat, ne iis, quæ de eloquentia sacrorū librorū ex D. August. attulerat, præter mentē Augustini lector aliquid conciperet, ratus eloquentiam, secundū Augustini sententiam, in eo consistere, vt nullo vnquam verbo, vel modo loquendi minus latino vtamur: cuius contrarium disertis verbis D. Augustinus docet.

Nonū VVitackeri argumentū. *Ipsi Papistæ fontes vtiles esse contendunt.* Ita est; & huius suæ seu contentionis seu existimationis nō pauca documēta dederunt. Quid inde concludes? An hoc? *Ergo soli illi fontes sunt authētici?* Quis audita tam inepta consecutione à risu sibi temperabit? Num hanc inde nobis texes consequentiam? Ergo editio vulgata latina non est authentica. Neq; hæc deliratio aliud, quàm risum merebitur: vt & ista. *Ergo fontes Hebræi & Græci magis sunt authentici, quàm vulgata editio.* Non quæritur, quid magis sit authenticū; sed quid sit authenticū. Sufficit fontibus, si tam sint authentici, (vt equidē sunt, vbi purè & incorruptè fluunt) quàm est vulgata latina editio; vt & huic satis est, si tam sit authentica, quàm fontes puri & intaminati.

Docet Bellarminus quatuor temporibus licere nobis ad fontes Græcos & Hebræos recurrere; primò, quando in latinis codicibus videtur esse aliquis librariorū error; huiusq; rei aliquot exempla producit; quibus adiungit VVitackerus alia quædā; vt, *1. Reg 19. v. 24. vulgata multis seculis habuit*; Cecinit nudus tota die. *Si fontes Hebræos inspicias, non* cecinit, *sed* cecidit, *legendum esse inuenias: tamen illud* (cecinit) *pergunt in textu retinere, & in margine* (cecidit) *inscribunt.* At noua Sixti V. vel Clementis VIII. correctio, illud *cecinit*, ex textu ablegauit; substituta vera lectione, *cecidit*.

Addit VVitackerus: *Ecclesiast. 24. v. 41. vetus editio habet, habuitque iam diu; ego quasi fluuius Dorix. Quis autem ille tandem fluuius est?* Interpres Ecclesiastici hac Græca voce in latina versione vsus est. Quod cur licitè, ac iure non fecerit? Quasi verò inauditum sit voces Græcas in latina versione retinere. *Si hæc vera est lectio,* inquit Caluinista, *cur non vetus illa emendatur?* Iam emendata est. Inspice biblia Clementina, inueniesque: *Ego quasi fluuij dioryx.* Sic illud Ecclesiast. 45. v. 6. *Cor ad præcepta*; iam in Bibliis correctum est; *coram præcepta*: atque adeò satisfactū desiderio VVitackeri, vt & in illo Psalmi quadragesimi primi: *Ad Deum fortem viuum*; pro, *fontem viuum*. Et in illo Deut. 29. v. 23. *Sulphure & salis ardore comburens.*

Ait VVitackerus: *Infinita huiusmodi menda proferri posse*: quod dictum, si non mendaciis; hyperbolis tamē meritissimò adscribetur. Quod plaustra mendarum à librariis & typographis profectarum producere liceret ex textu Hebræo, & Græco; si quis id agere vellet? Festiuum tamen est hoc Caluinistæ argumentum. *Librariorum errata quæ in vulgatam editionem irrepserunt corrigi possunt ex Hebræis aut Græcis fontibus; si non semper: at sæpe: ergo vulgata editio Latina minus est authentica, quàm Hebræa aut Græca.* Arguté; quia hoc argumento quiduis efficere poterimus: vt vnam vulgatam editionē latinam; esse magis authenticam, quàm aliam vulgatam latinam in alio codice: & vnam Græcam vel Hebræam magis, quàm aliam Græcam aut Hebræam alterius exemplaris: quia la-

tinæ

itized by Google

fuit vulgatam editionem latinam esse authenticam, quod attinet ad doctrinam fidei & morum; ita vt quidquid ex Hebræis aut Græcis fontibus in alterutro horum capitum cum vulgata latina editione non concordat, id tanquam non authenticum repudietur; potest autem vulgata editio hoc sensu & modo authentica esse, licet erratis librariorum non penitus careat.

Porrò non omnes voculas & lectiones quæ etiam in nuper castigatis Bibliis locum in textu obtinent; authenticas esse; liquet ex præfatione, quæ nouæ bibliorum emendationi præponitur; vbi inter cætera hęc leguntur. *Quam* (editionem) *sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est; ita ceteris omnibus, quæ ad hanc vsque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minimè dubitandum. Et verò, quamuis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manu scriptis, Hebræis, Græcisque fontibus, & ipsis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen peruulgata lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt; tum, quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam S. Hieron. non semel admonuit, tum,* ob alias causas, &c.

Fallaciter igitur agit VVitackerus; quando quærit; quæ nam lectio sit authentica; illáne, quæ in textu, an illa, quæ in margine: nam non disputatur de authentica vi huius vel illius vocabuli; sed totius scripturæ in iis, quæ pertinent ad dogmata fidei & morum: Interim, hoc saluo, fieri potest, vt aliqua lectio textum obsideat, quæ non sit ab interprete; sed ab oscitantia librarij, vel à mala manu audacis alicuius correctoris, q prauа rectis substituerit. Quod ait Prouerb. 16. v. 11. lectum esse à multis annis; *lapides saculi* pro, *sacculi*. Et Sap. 12. v. 15. *Qui non debet puniri condemnas, & exterum æstimas à tua virtute*: pro, *Qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à virtute tua*: & 2. Cant. in fine *Bethel* pro *Bether*; id nihil est: probare enim non potest vitiosas istas lectiones omnia exemplaria obsedisse; neque enim arbitror, VVitackerum omnia inspexisse: fuêre igitur quorundam tantùm, non omnium codicum; & iam in noua Bibliorum emendatione, correcta sunt.

Dices. Hinc sequi, Ecclesiam nunquam, vel saltem non ante multos annos, habuisse interruptam, & à mendis liberam translationem. Respóndeo, si, vt oportet, sermo sit de mendis librariorum, & quæ imperitorum inscitia seuit; nó adeo plenum esse absurditatis, quin concedi possit; at si sermo sit de mendis, veritati officientibus in iis, quæ pertinent ad dogmata fidei & morum; profectis ab ipso Interprete; negamus Ecclesiam nunquam habuisse incorruptam editionem latinam; nam talis fuit, & adhuc est nostra vulgata latina editio; authentica enim est; consequenter, integra, & à mendis prædicti generis incorrupta.

Libet hic adscribere verba Sixti Senensis lib. 8. Biblioth. Hær. 13. qui de toto hoc mendorum

A genere sapienter scripsisse videtur. sic ergo ille loquẽs de translatione antiqua noui testamenti, quam S. August. Italam vocat; correcta à S. Hieronymo. *Si Hieronymus multa in ea errata deprehẽdit, & correxit, non ob id consequẽs est, vt Ecclesia Latina ante Hieronymũ nullam veteris testamenti verã, ac sincerã editionẽ habuerit. Nã, etsi nonnulla exemplaria olim fuerint corrupta, quæ postea Hieron. correxit, non ideo sequitur, vt oẽs, quotquot habuit Ecclesia codices, fuerint vniuersè, & ex toto corrupti. Et esto, etiam oẽs in aliquibus fuerint corrupti, non tamen fieri potest, vt oẽs simul iisdem in locis fuerint deprauati, ita vt id in nullo exemplari integrum, & inuiolatum permanserit, quod in multis exemplaribus esset vitiatum. Sequitur ergò, vt ex pluribus corruptis codicibus, facta ipsorum adinuicem, vel ad Græcos codices, colla-* B *tione, facilè ab eruditis, eiusmodi exemplaria in vnum cõferentibus, vera, ac integra cuiusque loci translatio haberi potuerit, & reuera ab his semper habita fuerit. Colligimus igitur aduersus hæreticorum sententiam, quod quanquam Ecclesia in singulis seorsum codicibus, synceram, ac integrã veteris testamenti translationem non habuit, nunquam tamen in omnibus simul, & vndique collectis exemplaribus, exacta, absolutaque veteris testamenti translatione caruit: sed semper in ipsa generali codicum vniuersitate, quod in vno, atque alio codice corruptum fuit, id ipsum in hoc, vel alio codice integrum, & incorruptum permansit.* Hæc Sixtus.

Decimum argumẽtum VVitackeri. *Quæ scriptura ante Christum veteris testamenti, quæ post Christum per annos sexcentos, & veteris, & noui testamenti,* C *authentica fuit, eadem nunc quoque nobis authentica videri debet. At Hebraica editio veteris testamenti, & Græca noui, per sexcentos post Christum annos, authentica Dei scriptura in Ecclesiis Christianorum habita semper fuit: Illa igitur nunc etiam à nobis tanquam authentica scriptura suscipi debet.*

Respondeo, hoc argumentum nihil esse ad rem. Non enim quæritur, vtrũ Hebræa vel Græca editio sit authentica; sed vtrum vulgata Latina editio sit authentica. Nos affirmamus. Hanc nostram affirmationem, ne tangit quidem hoc suo argumento VVitackerus; tantum abest, vt euertat. Nam primò fontes illos fuisse authenticos, nemo vnquam negauit; quæ præcellentia illis non adimitur, licet latinam quoque editio- D nem authenticam esse statuamus. Secundò, si puri sunt isti fontes, nec in iis, quæ ad dogmata fidei & morum pertinent, ab impiis & perfidis, vel imperitis deprauati; adhuc authentici sunt ac perseuerant. Vtrum autem integri sint ac vbique purè fluentes, alia quæstio est; supra iam à Bellarmino discussa. Sed quidquid de hac quæstione constituatur; nil inde colligi cum ratione potest aduersus vulgatæ editionis auctoritatem authenticam. Propterea hoc loco nil nisi verba fundit & vendit VVitackerus: nec quæstiuncula illa sua. *Si Ecclesia scripturam à Prophetis, atque Apostolis editam amisit, quis illam negligentiam defendere, quis sacrilegium excusare potest?* Bellarminum ferit, qui supra cap. 2. & 7. opinatur fontes Hebræos, & Græ-

cos non esse adeò deprauatos, vt in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, scripturæ sacræ integritas desideretur: &, veteris testamenti discrepantiam plerumque in dictionibus quibusdam positam esse, quæ sensum aut parum, aut nihil immutant: erroresque, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil veritati officere; cùm puncta extrinsecus addita sint, proindeq; & detrahi posint. quamuis viri, insigniter docti, & linguarum periti, hac de re multum certent, & adhuc sub iudice lis sit; neque, vt rectè notauit Benedictus Arias Montanus, præfatione in Biblia à se edita, vllum deliberatum, aut certũ de ea hactenus exstet Catholicæ Ecclesiæ decretũ, vel iudicium.

Si autem, vt nonnullis visum, fontium, Hebræi præsertim, integritas planè interiit, eius nulla in Ecclesia culpa hæret; sed in improbitate perfidorum quiduis addẽtium aut dementium, & quadrata rotundis permutantium; eorum insuper bono quidem Zelo, sed fortasse non semper secundum scientiam; qui varias editiones miscuerunt, notatis quidem initio per asteriscos & obeliscos insititiis, & aduẽtitiis; sed deinceps omnibus in vnum confusis postquam signa illa, distinctionis indicia, exciderunt. Obiicit VVitackerus. *Quod Pontificij vulgatam Latinam editionem authenticam faciunt; id sibi sumunt, vt faciant, quod se non posse facere, concedunt: nam qui scripturam authenticam faciunt, ij scripturam Canonicam faciũt:* sola enim *authẽtica, est Canonica. Et quia est authentica, est Canonica. At illi hanc scripturam authenticam fecerunt; quippe quæ aliquando authentica minimè fuerit: ergò scripturam faciunt Canonicam, quod in Ecclesia tamen potestate, iudicioq; nequaquam positum esse confitentur.*

In hac obiectione non vna inest imperitia; nec vna pseudologia. Negamus, Ecclesiam non posse facere scripturam authenticam & canonicam in actu secundo, & quoad declarationem: etsi fatemur non posse facere authenticam & canonicam in actu primo: quia hanc prærogatiuã non nisi à Deo accipere potest. Quod si qui ex Catholicis Doctoribus dicunt; Ecclesiam verè facere scripturam canonicam, etsi non diuinam, hanc enim excellentiam scripturam obtinere diuinitus; illud verò ab Ecclesia, cum nil aliud sit, quàm Canoni diuinorum librorum accenseri: ij longè adhuc euidentius VVitackeri mendacium simul ac inscitiam redarguunt: Nam illud directè affirmant ab Ecclesia fieri posse, quod fieri posse VVitackerus directè à nostris negari scribit. Etsi non opus huc venire. Ambiguitate vocabuli ludit & lectoribus suis VVitackerus imponit: Nam in actu primo non potest Ecclesia facere scripturam authenticam & canonicam; potest autem in actu secũdo, per declarationem respectu nostri & nostræ notitiæ. Et hoc modo latinam vulgatam versionem antea in se & per se fecit authenticam, declarando nimirum vim & auctoritatem eius canonicam.

A Vndecimum VVitackeri argumentum: *Latina vulgata editio est certissimè apertissimeq; corrupta. Et corruptelas intelligo non fortuitas, aut leues, aut communes, quales librariorum indiligentia sæpe in multis libris peperit: sed in ipsa editione penitus insitas, & graues, & nullo modo tolerandas. Vnde argumentum longè maximum contra huius editionis autoritatem colligitur. Hac de re multi doctissimi viri, etiam Papistæ, scripserunt, vt Clarius, quem hoc nomine Canus grauissimè perstringit: sed res est certa, & manifesta.*

Respondeo cum Sacrobosco nostro, hîc nihil esse, nisi sesquipedalia verba, fumum maximum, ignem nullum, ingentem sonitum, ictum vacuum.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
B *Spectatum admissi risum teneatis amici?*

Pergit porro, & ait: *tamẽ hic Iesuita* (Bellarminum intelligit) *qui antè non erat ausus fontes Hebraicos accusare, pro Latina editione laborat; multumq; & Kemnitio, & Caluino, & aliis respondet. In quo, nullum habet maiorem, quàm se aduersarium. Nam nisi fontes Hebræi, & Græci turpissimè corrupti fuerint, corruptam esse turpissimè Latinam hanc editionem sequitur. Quis enim non hinc perspiciat, aut fontes esse corruptissimos, aut latinam vulgatam editionem innumeris vitiis abundare? quare vtramq; hanc defensionem Bellarminus sustinere, ac probare non potuit.* Ad hæc dico I. Bellarminum fontes Hebraicos accusasse, proindeque mentiri VVitackerum, qui contrarium affirmat. Testimonium contra se dicat magister mendax. Sic enim C habet in argumento præcedenti: *Bellarminus ex eorum numero est, qui fontibus æquiores sunt, ideoq; Lindani, & Cani opininonem refellit: tamen, ne non probare decretum Tridentinum videatur, aliquid esse in fontibus corruptum asserit. Vt fontes igitur, non esse omninò puros doceat, quinque loca proponit, quæ sine dubio corrupta esse arbitratur.* Hæc VVitackerus. Bellarminus verò ipse non tantum quinque loca, exempli gratia proponit, verum etiam censet multò plura esse in Hebraicis vitiata: ita enim habet; lib. 2. de verbo Dei cap. 2. *Verissimam puto eorum sententiam, &c.*

Respondeo secundò, Bellarminum non habere se aduersarium: hoc enim VVitackero, & VVitackeri similibus relinquit. Sustinet quidem Bellarminus & fontes, & versionem nostram, in D iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, esse incorrupta: sed hoc vtrumque stare potest cum corruptione, & discrepantia exemplarium in aliis. Nec quidquàm apud illum inuenies, quod vel fontes, vt ab ipso defenduntur, vel versionem nostram arguat in dictis capitibus vitiatam. Hæc Sacroboscus. Hactenus de vndecim ventosis VVitackeri argumentis.

Reliqui Prædicantes circa hoc caput sedulò ac indefessè duo præstant. Quæ illa? Mentiri ac criminari. Mendacia Danæi iam enotauit & indicauit Cydonius noster. Mendacia Hunnij videat, qui volet in ipso Hunnio. Iunius præter suum *nego, negatur, negamus*; quæ in hoc capite satis pro imperio multiplicat, illud insuper monet,

Bellar-

Bellarminum in enumerandis caussis, propter quas ad Græcos & Hebræos fontes recurrēdum sit; omittere præcipuam & quasi *ipsam substantiam*, id est, *doctrinæ veritatem cum fide & reuelatione diuina analogam & aliis scripturæ locis*. Non negamus, etiam hoc fine ad fontes recurri posse; sic tamen, vt vulgata editio latina stabiliatur, non vt euertatur; vtque noui aliquid inde adferatur; quo consilio fontes adeunt isti nostri Nouatores *Hebraistæ*; qui lectori aurum & argentum polliciti, referunt inde *simias & pauones*, id est, res ridiculas & *pauonis instar* picturatas, inanes tamen & ad solam speciem comparatas; quod iam olim, teste Lutherano Matthesio, in concionibus de Luthero, ipse Lutherus de istis Hebraicis versoribus pronunciauit: quorum magnificæ promissiones efficiunt, vt lectori eueniat quod Salomoni euenit; qui cū suos misisset allatum auri & argenti pondera, attulerunt simias & pauones.

CAPVT XII.

Defenduntur loca, quæ Kemnitius deprauata esse dicit in editione vulgata.

PRIMVS *locus est Genes. 3. vbi legimus*; ipsa conteret caput tuum. *Quem locum Kemnicius dicit esse corruptū, vt inde probetur intercessio, & patrocinium* MARIAE, *cum legendum sit*, ipsum conteret caput tuum. *Nam de semine, id est, Christo loquitur scriptura, vt omnes veteres docent.*

Respondet Bellarminus, editionem vulgatam variè habere. Quidam enim codices habent ipse; *quidam*, ipsa. Et propterea non esse contra vulgatam editionem, si cōuincatur, debere legi, ipse, *vel* ipsum.

Occurrit Hunnius: *Diuerticulum quærit in varietate veteris translationis; hoc ipso ostendens, illam sibi non constare. Non potest autem inficias ire, omnia exemplaria, quæ hodie imprimuntur in papatu, habere*, ipsa; *& iam censeri hanc lectionem à Papicolis pro authentica: ideo non opus est, vt latibulum sibi paret, in varietate exēplarium.*

Nil opus vllo latibulo; quia veritas amat lucem, nō latebras. Verum esse, quod Bellarminus scribit, testantur etiam illi, qui varias lectiones sacrarum litterarum collegerūt; vt Louanienses & Lucas Brugensis in suis Notationibus, qui codices à se aliisq; visos commemorant, in quibus *Ipse*, legebatur. Quòd altera lectio valde inualuit; & omnia propemodum iam orthodoxorum exemplaria occupat; id non obscurum veritatis argumentum censeri debet; neque enim credibile videtur lectionem istam tacito, imò & expresso doctissimorū hominum consensu tam constantem approbationem merituram fuisse; nisi veritati congrueret, cuius & hoc sat euidens indicium, quod in nupera quoque bibliorum emendatione lectio hæc retenta est, quantumuis fre-

A mentibus sectariis, Deiparæ hostibus, quos gloria Virginis huius vrit.

Secundo respondet Bellarminus; nō esse improbabile debere legi, *ipsa*: neq; esse hanc deprauationem Papistarum. Nam, etiamsi multi codices Hebraici habeant הוא, *ipse*: tamen legi vnū, in quo erat scriptum היא, id est, *ipsa*: ac præterea remotis punctis, illam vocem Hebraicam הוא posse interpretari, *ipsa*, nimis rudis est, qui nescit. Obiicit Hunnius: *Vtcunq; sit, num vnus ille codex (in quo fortè cauda litteræ* ו *non fuit satis protensa, sed resecta, vt videretur esse iod) præiudicabit vniuersis reliquis?*

Non petit hoc Bellarminus. Tantum ostendit, non adeo certum esse, quod Prædicantes certissimum esse clamitant; Hebræum fontem non

B nisi pronomen masculinum exhibere; cum Bellarminus Hebræum codicem viderit, in quo fœmininū pronomen exstabat. quod forsam in suo etiam exemplari reperit Interpres noster, præsertim, cum, vt Lucas Brugensis aliiq; notant, *fœmininū pronomen, nonnunquā eo modo scriptum reperiatur, quo masculinū* הוא, *quanquā* היא *legatur. Atq; ita hoc loco accipiendum, & legendum esse* היא, *nonnulli existimāt. Hinc Guido Fabricius, Pici Mirandulani Principis auctoritate nixus, in Hebraicis illis Bibliis regio operi adiunctis, quibus latina interpretatio inter contextas lineas inserta est, excudi curauit* היא, *quanquam errore positum sit* הוא.

Quæ præterea Hunnius hic effutit, quid aliud sunt, q̄ malè sobriæ mentis impura excrementa. *Tam obesæ naris non sumus*, inquit Prædicans, *vt dolos*

C *Iesuiticos non olfaciamus, quibus insolitum minimè est, ad eludēda nostra argumenta, cōminisci, aliter habere exemplar nuper in Bibliotheca Vaticana, vel alibi, (in Vtopia fortè) repertum. Nam mentiri in honorem, & emolumentum sedis Pontificiæ, non est illis peccatum, sed* λατρεία *potius, & eximius cultus Dei.*

Nihil horū chartis hic illeuisset Hunnius, si quod Iesuitis affingit, ipsi Prædicantes non actitarent; siq; calumniari, & mentiri in postremis non ducerent. Maior fides, candor, & probitas in Bellarmino inest; quàm, vt, quod non vidit, se vidisse profiteatur publicè: vt notum omnibus, quibus Bellarminus vel ex scriptis, vel de facie notus est.

Ait Bellarminus remotis pūctis vocem illam Hebraicam הוא, posse verti, *ipsam*, & nimis rudem

D esse qui hoc nesciat, cū passim occurrat in sacris litteris הוא pro היא. vt Genes. 3. v. 12. Exodi 3. v. 8. Qua auctoritate remoueas puncta? quærit Caluinianus Iunius. Ea, q̄ ipsa ratio & originalis textus concedunt; nā Moyses absq; punctis scripsit. Cur igitur nō liceat legere eo modo, quo primus auctor scripsit, hoc est, absq; punctis? Quid si pūctum, quod pronomē masculinū efficit, eo fine à Iudæis est appositū, quo nunc apponitur ab Hæreticis; vt scilicet gloria Deiparæ ex hoc loco nimis fulgidè emicans, nonnihil, mutato genere, obfuscaretur? *Vt demus, puncta remoueri*, inquit Iunius, *nonne est littera* ו, *& integra permanet nisi adiuncta secum postulauerint? Hic autē in Hebræo ita est; nimis ergò rudis, & audax in Veritatem, & Hebræam linguam, qui mutare*

audet, scriptura pariter, & adiunctis reclamantibus. Nihil mutat Bellarminus. Litteram Vau integram relinquit. Tantum contendit, litterâ illâ integrâ perseuerante, remotis punctis, pronomen illud pro fæminino היא explicari posse.

Non sic duo se habent loci, citati à Bellarmino, inquit Iunius, *nam & punctũ fœmininũ est vtrobiq; adscriptũ.* (remoue punctũ, vt postulat Bellarminus; an nõ ꝓnomen illud iis locis fæmininũ erit?) & vocem fæmininam esse adiuncta clamitant. Etiam hic vulgatæ editionis exemplaria fermè vniuersa, & tot Patrum vnanimis consensus vocem fæmininam esse concordibus suffragiis testificantur.

Verbũ conteret, q̃ sequitur, in Hebræo est masculini generis, inquit Lutheranus Hunnius, *igitur & ꝓnomen, q̃ antecedit, masculinũ esse oportet.* Hanc obiectionẽ iã dissoluit Bellarminus, videlicet nõ esse nouũ in scriptura, vt cũ nominibus fæmininis coniungantur pronomina aut verba generis masculini: & adfert huius rei tria exempla. Quid Hunnius? *Respondetur hæc perpauca exempla nõ infringere cõmunem regulam.* Non quidẽ infringunt communem regulã; sed multo minus infringũt id, q̃ Bellarminus affirmat; nempe ex scripturæ vsu cũ nominibus fæmininis coniũgi verba masculina; ac ꝓinde nõ esse mirãdũ, licet Gen. 3. etiam pronomẽ fæmininũ cũ verbo masculino copuletur.

Lepidum est q̃ Hunnius ait: *In locis à Bellarmino allegatis clarũ esse nomina fæminina copulari cum verbis masculinis: sed hoc de loco illo Geneseos non constare, cũ ibi legatur ꝓnomen masculinum.* Fatetur ergo Hunnius exempla à Bellarmino allata esse ad rem accommodata. Quid ni ergo & ad hoc astruendum? Incredibile videri non debere; etiamsi Gen. 3. pronomen fæmininũ construatur cũ verbo masculino. Nam fæmininũ eo loco vice masculini positũ lectumq; fuisse; verisimile reddit tot doctissimorum hominũ *ipsa* legentium vnanimis consensio, præter alias non spernendas coniecturas, de quibus antea. Itaq; si quis Hunnij verbositatem in compẽdium redigat; videbit nihil ab illo responderi, nisi hoc: *In aliis locis coniungũtur nomina fæminina cũ verbis masculinis; sed nego hoc fieri cap. 3. Geneseos, in eo, de quo disceptamus, loco.* An non est hæc præclara Bellarminianæ defensionis refutatio?

Tantundẽ fermè reponit Bellarmino Iunius: Ait; *nomina fæminina copulari cũ verbis masculinis figuratè.* Quis hoc nescit? Non quæritur vtrũ huiusmodi constructio sit figurata, sed vtrum sit sacris litteris vsitata. Vsitatam esse ostẽdit Bellarminus allatis exemplis. Contra hoc prome si quid habes. Nam licet Ruth 1. v. 8. virile factũ nurũ suarũ exponat Noëmi, non ideo tamen in viros mutatæ sunt, vt de illis loquens fæminea nomina cũ verbis masculinis coniungeret.

Exempla ex Ecclesiaste & libro Esther libẽter negaret Iunius: sed nõ audet, apertè. Itaq; occultè vellicat. Sed frustra: quemadmodũ & tunc, cũ vt lectionẽ illam, *ipsa*, eludat, monet in membro sequente, *Tu conteres ei calcaneum* sequi pronomen

A relatiuũ Hebræum masculinũ; licet enim masculinũ sit; atq; adeo *semen* (quod Hebraicè masculinũ est) referat; nihilominus lectio nostra adhuc constat; nam sensus est; *ipsa conteret caput tuum; & tu insidiaberis calcaneo eius* seu, vt isti volunt, *tu conteres ei*, nimirũ semini mulieris, *calcaneum*. Quod Prædicantes clamant: Ecclesiam hanc lectionem *ipsa* fecisse canonicam & authenticam; falsum est; nõ enim mentem suam circa hoc nobis exposuit: cũ nihil aut contra fidem aut mores sequatur siue quis legat *ipsa*, seu *ipse*, seu *ipsum*. Mirabilis est autem impudentia Hunnij, qui audet à Bellarmino confossæ obiectiunculæ subiungere hunc arrogantissimum thrasonismum. *Quæ cum sint prorsus inuicta, nihil contra valere debet vllius hominis autori-*

B *tas; siue Chrysostomus appelletur, siue Augustinus, siue quo alio nomine.*

Multo minus apud nos valere debet vllius calumniatoris protrita & perfricta frons, siue vocetur Hunnius, siue Paræus, siue Iunius, siue VVitackerus; cuius est hoc insigne ac luculẽtum impudentiæ specimen. *Etsi omnes Patres dicerent, legendum esse* (ipsa) *tamen id nullo modo admitti probarique deberet.* Item: *Si qui Patres aliter legerint,* (quàm VVitackerus velit) *hoc nihil ad nos. August. lib. 11. de Genes. ad litteram, cap. 36. totum locum deprauatè legit.*

Simili impudentia insectatur D. Augustinum Hunnius, non sine mendaciis, impudentiæ consuetis comitibus: *Perspicuum est,* inquit Hunnius, *Augustinum multò leuius de hac insigni sententia loqui,*

C *quàm par sit. Nam vocabulum τηρήσει putauit significare, seruauit, cùm tamen significet, conteret. Alterum autem verbum, quod seruare significat, scribitur ab initio per τ, τηρήσει. Id autem hoc loco non legitur, sed notant er, & perspicuè, τηρήσει, cuius voculam si animaduertisset Augustinus, non mulieri accommodasset hanc textus particulam, sed semini eius. Idcirco non tenemur præstare hoc erratum Augustini, præsertim reclamante Hebræo textu, qui conterendi verbum habet; reclamante etiam Latina versione, quæ, non legit seruabit, sed conteret.*

Hæc Hunnius; qui non tantum impiè, sed & imperitè in D. Augustinum inuehitur: qui suo in codice Græco non legit τηρήσει, sed τηρήσει, quæ lectio in Germanicis quoq; nonnullis editionibus, vt & in Aldina, exstat in hunc modum: αὐτός

D σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. *Ipse tuum obseruabit caput, & tu obseruabis eius calcaneum*: quod à Patribus ferè lectum est, inquit Lucas Brugensis, atque adeo ab Hieronymo, vt patet ex Hebraicis Quæstionibus super Genesin. Ita etiam habet editio Sixtina 70. Interpretum. Vbi insuper annotatur. τηρήσει & τηρήσεις non τηρήσει & τηρήσεις in veteribus libris & in vulgatis editionibus legi. Concordat & Chaldaica paraphrasis, vt notat Lucas Brugensis. Et audet tamen impudentia & petulantia prædicantica D. Augustinum incessere; quasi auium à vero abeuntem; & textu corrupto deceptum; cum communem codicum Græcorum scripturam hoc loco amplexus & interpretatus fuerit.

Google

Simili audacia propter eandem lectionem, & voculam, *Ipſa*, inequitat Prædicans D. Ambroſio. Sed fungus ſit, qui Hunnio, & id genus aliis thraſonibus, contra D. Ambroſium, aliumue orthodoxũ Patrem detonantibus aures vel aſſenſum præbere velit. Quis enim Hunnius ad Ambroſium vel Auguſtinum duo lumina Chriſtiani orbis?

Teſtimonium D. Auguſtini lib. 2. de Geneſi contra Manichæos productũ à Bellarmino mirifica techna eludere conatur Prædicans. Ait: *Auguſtinum non dicere, legendum eſſe*, ipſa, *in promiſsione illa prima.* (non dicit Auguſtinus in actu ſignato legendum eſſe, *ipſam*; ſed de facto, & in actu exercito, legit, *ipſa* vel *illa: illa obſeruat caput eius*; hoc eſt, vt alia verſio habet, *illa conteret caput eius.* Nam illud pronomen, quod Prædicantes contendunt maſculino genere legendum; legit D. Auguſtinus fæminino: niſi forte, *illa*, non ſit pronomen in hac locutione; *illa obſeruat caput eius.*)

Pergit Prædicans. *Auguſtinus ſemini attribuit hoc opus*, nimirum, *conterere caput ſerpentis.* S. Auguſtinus eo loco non habet verbum *conterendi*, ſed verbum *obſeruandi.* Hoc mulieri adſcribit, per pronomen fæmininum; vbi Prædicantes vociferantur; neceſſariò debere eſſe pronomen maſculinum; quod adeo D. Auguſtino non eſt viſum neceſſarium, vt ipſe expreſsè pronomen fæmininum eo loco collocarit ac vſurparit. Quare vana ſunt & ab inſtituto aliena, quæ præterea garrit Prædicãs: *vt aliud eſſe caput ſerpentis conterere*, (S. Auguſtinus non vtitur verbo *conterendi*, ſed *obſeruandi*; vt iam ſæpius monitum) *quod ſemini vnicè competit*; (hoc dicit Prædicans, non S. Auguſtinus; quæſtio hic eſt, vtrum Auguſtinus legerit *ipſa* vel *illa*; huc collinea Prædicans) *aliud autem excludere Diabolum, ſtatim initio malæ ſuaſionis.* Imò & hoc eſt *conterere* caput ſerpentis; quis enim magis conterit hoc caput, quàm qui conſilia eius diſsipat; & ſuggeſtionibus viriliter reſiſtit. Sed non agitur de hoc, verum de lectione; an ſcilicet Auguſtinus legerit *ipſe* vel *ipſa* ſiue *illa.* Quamobrem, quidquid moliatur Hunnius, nunquam Kemnicium ſuum à mendacij culpa purgabit; quòd ſcribere non erubuerit; *omnes veteres legere; ipſum*: cum præter hos duos multi alij ex antiquorum numero à Bellarmino citati legerint, *ipſa*, non *ipſe*, vel *ipſum.*

Accurrit & Caluinianus Iunius Kemnicio latum ſuppetias; Audiamus Iunium: *Duo reprehendit Kemnicius. Vnum, quod vox Hebræa vertatur*, ipſa: *alterum, quòd de beata virgine exponatur. Hebræum, Chaldæum, totam antiquitatem dicit de ſemine accepiſſe. Hic negat, cauillaturque.* Sed mentitur Kemnitius. Quia Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, alij à Bellarmino nominati legunt, *ipſa* vel *illa*, nõ *ipſe* vel *ipſum.* Nec res plane eſt liquida de Hebræo, vt antea viſum. *Non ignorat Bellarminus*, inquit Caluiniſta, *antiquitatem priſcam non nouitiam à Kemnicio intelligi.* At nonne Auguſtinus, Ambro-

A ſius, Chryſoſtomus, Gregorius Magnus antiquitati ſatis antiquæ annumerari debent?

Ait Iunius: *Kemnicius non intelligit totam antiquitatem vniuersè, ſed communiter ſecundum notionem totius in modo.* En quàm ſollicitè Caluinianus Lutherani cauſſam agat. Supra capite decimo cum Bellarminus dixiſſet, Kemnicium affirmare, totam vulgatam *latinam editionem ad Pontificia dogmata conformatam eſſe*; è veſtigio proſiliit Iunius, *iniuriam fieri clamitans Kemnicio; quippe qui hac voce nõ fuerit vſus*: nullam voculæ illius explicationem, nullamque penitus moderationem & reſtrictionem reperit: Nunc cum partes defendẽdæ Kemnicianæ ſunt, & pſeudologiæ ſpecioſo aliquo
B prætextu obuelandæ, ſtatim memoria ſuggeſsit, quid pro Kemnicio reſpondendum eſſet. At nimis profundè hæret in hoc mendacij luto Kemnicius: nec Iunij, nec Hunnij, nec alterius Prædicantis manu extrahetur: hoc enim voluit dicere Kemnicius, *nullum ex antiquis legiſſe ipſa vel illa.* Quo mendacio, quid pinguius? Quod tamen iterat hîc Iunius. *Negamus priſcos illos Patres relatiuum iſtud de alio, quàm de ſemine mulieris accepiſſe propriè: negamus intellexiſſe de Maria virgine, niſi inclinante ſeculo.*

Audi Iuni. Propria huius loci quæſtio eſt; vtrum antiqui Patres legerint *ipſa*, vel *illa*. Si hoc negas: tum à Kemnicio primas impudentiæ non iniuria auferes. Quò Patres antiqui pronomen
C *ipſa* vel *illa* propriè retulerint; alia eſt quæſtio; nec valde ad hunc locum ſpectans, vbi de ſola lectione diſputatur. Quanquam ipſi Nouatores ſatis animaduertunt, quo Patres pronomen *ipſa*, retulerint. Quapropter adeo nituntur, vt hanc lectionem exturbent. Nam ſi contritionem illam capitis retulit Deus ad mulierem; iam ipſi, tametſi non oculatiſsimi, ſtatim vidẽt; quorſum res tandem euaſura ſit; propterea totis ſeſe opponunt corporibus; ſed vano oppoſitu; quia veritas omnia obſtacula perrumpit. Multa hic nugatur Iunius, quomodo aliqui veterum pronomen *Ipſa*, *retulerint ad Ipſam Euam; alij poſtea ad Eccleſiam; alij ad totam ſpeciem fæmineam; alij ad rationem inferiorem; alij ad D. Virginem*: Quorſum hæc omnia? omnia iſta
D verè dici poſſunt. Nec propriè de his hoc loco inquirimus; ſed de ſola lectione pronominis; Num *ipſe, ipſum*, an *ipſa*? Si hanc obtinemus, cætera ſponte ſubſequuntur.

Tria dicam, inquit Iunius, *quæ nemo bonus negaturus eſt. I. Vbi commodè fluit propria verborum interpretatio, iniquum eſſe, ſi ea omiſſa, ad figuram deflexeris: eſt autem propria horum verborum interpretatio, vt accipiatur de ſemine.*

Vix audeo diſſentire; ne ex bonorum numero excludar, quandoquidem Iunius dixit; *nullum bonum* negaturum ea, quæ ex Caluiniana ſua cortina editurus erat oracula. Sed quia huiuſmodi

Digitized by Google

vates plerunque solent esse mendaces ac vani; sine vllo bonitatis amittendæ periculo; dico; cõmodissimè etiam fluere propriam verborum interpretatuonem, si legamus *ipsa*; quia secundum proprium, verum, & litteralem sensum referri potest ad ipsam Euam, imo & ad D. Virginem; quandoquidem vnius loci plures possunt esse veri litterales sensus; vt non paucis iisque doctissimis Theologis placet. Quid si litteralis sensus primarius & immediatus sit ille, qui vocabulum *ipsa* ad D. Virginem refert? Id certè tantopere à vero non abhorret. Quod multis argumentis probabiliter suaderi posset, si id in præsenti ageremus. Deinde, licet spiritualis duntaxat sensus ad D. Virginem respiceret, pronomen tamen fœmininum *ipsa* adhuc proprium & litteralem sensum haberet; eum scilicet, qui id ad Euam, & per Euam, tanquam matrem viuentium, ad genus humanum refert: neque enim Patres, qui legunt *ipsa*, idcirco ab omni proprio & litterali sensu discedunt.

Secundo dicit Iunius: *Vbi figurata interpretatio assumitur, non tolli propriam, quæ primaria, & genuina est, sed figuratam adsui: ac proinde vsu venire plurimùm, vt demonstratiua, & relatiua pronomina, modò hoc, modò illo genere enuntientur secundum vtramuis interpretationem, vtraq; integra permanente.*

Nihil hic displicet, nisi quod Caluinista significationem spiritualem vocet assutam; non germanam. Ex quo sequitur, Apostolum Paulum quando ad Galat. 4. scripsit illa: *Scriptum est enim: quoniam Abraham duos filios habuit; vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed, qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta.* Non attulisse verum & germanum scripturæ sensum, sed assutum.

Tertio dicit Iunius: *Iniquissimè extrudi propriam interpretationẽ, vt emendicata, falsa, & cum ratione, fide ac veritate religionis pugnanti paretur locus.* Ita est Iuni; sed negamus huius generis esse illam, quæ locum hunc de beata Virgine explicat, vt tu blasphemas; cuius impietatem ipse etiam Prædicans Hunnius redarguit, qui, vi veritatis adactus, fatetur, verba illa; *ipsa conteret caput tuum*: adscribi posse Deiparæ, *parituræ eum, qui caput serpentis erat contriturus.* Mentitur tamẽ cum ait; *illos, qui legunt, Ipsa; mulieri hanc serpentis contritionem in solidum asignare, excluso semine, seu filio.*

Quærit VVitackerus, *si Maria caput serpentis contriuit, quomodo id contriuit?* Num quãdo Christum peperit? En peritum disputatorem; Quærit de modo contritionis illius; & per aliam interrogatiunculam respondet de tempore; quasi percontari, quomodo aliquid factum sit, & quando factum sit, vna eademque sit quæstio. Audiamus quid ipse sibi ad hanc quæstionem; *Num quando Christum peperit?* respondeat. *Parere Christum, non*

A *est caput serpentis conterere. Aliud enim est serpentis caput cõterere, aliud, illum parere, à quo serpentis caput conteratur. Num, quando in Christum credidit? at hoc ad fideles omnes pertinet: solus igitur Christus ipse hoc præstitit.*

Respondeo, inquit Sacroboscus noster, hoc argumentum esse floccifaciendum; nam simili probarem Deum per Nathan Prophetam, dicentem, 2. Reg. 16. Dauidem occidisse Vriam Hethæum, fuisse mentitum. Hac enim ratione rem aggrederer. Quomodo Dauid Vriam occidit? num, quando epistolam scripsit ad Ioab? at, scribere ad Ioab, non est Vriam occidere. Nam aliud est Vriam occidere; aliud, ad illum scribere, à quo Vrias fuit mortis periculo expositus. An quando Dauid Vriam ad mensam vocauit? at,
B hoc ad alios multos pertinet: ergò, soli filij Ammon occiderunt Vriam. Quemadmodum igitur hoc posterius argumentum est vitiosum, ita & prius illud, vitiosum esse necesse est. Vt autem vitium vtriusque argumenti detegatur, animaduertere oportet; quãdo plures ad vnam aliquam actionem concurrunt, siuè proximè, siue remotè id faciant, actionem singulis ipsorum verè adscribi, sicut effectus suæ causæ. Et ita, licet abesset Dauid, cùm Vrias est occisus; imò, licet, qui Vriam peremerunt, capitales cum Dauide inimicitias exercerent, ipsumque æquè peremissent, si in illorum fuisset potestate: quia tamen ille cooperatus fuit morti Vriæ, per suas litteras procurando, vt periculo eum exponeret Ioab, scriptu-
C ra non veretur dicere Dauidi; Vriam Hethæum percussisti gladio, &c. Pari ratione, quoniam beata VIRGO debellationi cooperata est inferni serpentis, ipsa quoque à SS. Doctoribus dicitur eius caput contriuisse. Conueniens autem erat, ipsam huic negotio interuenire; vt, quemadmodum cooperatus vterque sexus fuit nostræ ruinæ; ita, neuter deesset nostræ reparationi. De qua re, pulcrè Irenæus lib. 5. aduersus hæreses; vbi inter alia de Eua, & MARIA hæc habet: *Sicut illa seducta est, vt effugeret* DEVM: *sic hæc suasa est obedire* DEO, *vti Virginis Euæ*, VIRGO MARIA *fieret aduocata: & quemadmodum adstrictum est morte genus humanum per Virginem, soluetur per Virginem, æqua lance Virginalis inobedientia per Virginalem obedientiam.* Eo-
D dem accedit Augustinus tractatu de symbolo ad catechumenos, dum ait: *Per fœminam mors, per fœminam vita: per Euam interitus, per* MARIAM *salus.* Sed non sicut delictum, ita & donum. Nam Eua nostræ ruinæ, quæ ab Adami transgresione pendebat, cooperata fuit, solùm illum inuitando adesum pomi: at sanctissima Virgo, longè aliter promouit nostram reparationem. hæc enim naturam, in qua vicit, victori dedit: ipsum paruulum suis visceribus menses nouem fouit: suis vberibus, quandiu opus erat, lactauit: suis vlnis in AEgyptum, persequente Herode, portauit: quò nobis seruaret Emmanuelem; quem ideo IESVM vocatum sciebat, quia saluum facturus erat populum suum à peccatis eorum.

Secun-

Secundus locus est Genes. 6. vbi legimus, cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum. *quem locum Kemnitius vult esse corruptum, ad extenuandum peccatum originale; cùm in Hebræo sit;* figmentum cordis eius tantum malum, omni die.

Respondet Bellarminus, sensum esse eundem; quod & planissimè ostendit. Occinit VVitackerus: *Etiamsi hoc esset verum, tamen non haberet iustum defensionis momentum.* Sed meminisse debebat VVitackerus primò eius, quod D. Hieronymus in libro de optimo genere Interpretandi fusè docet, Interpretem iustè reprehendi non posse, quamdiu non mutat sententiam, licet verbum verbo non reddat: Debebat insuper meminisse eius, quod capite nono quæstionis suæ secundæ Bellarmino respõderat, parum interesse, siue Isaiæ nono vertatur *vocabitur*, siue *vocabit*, siue etiam *vocat: sententiam enim eodem recidere.* Si ergo parum interest de verbis, dummodo sententia retineatur; cur hic sanctionis suæ oblitus, tam durum se Bellarmino præbet?

Lenior multò ac clementior fuit VVitackerus in Bezam, cuius cum corruptelam & imposturam quandam in cap. 10. Lucæ notasset Guilhelmus Reginaldus mox his verbis Bezæ succurrendum censuit, in Responsf. contra Reginaldum pag. 215. *Quam caussam habes reprehendendi Bezam, cum negare nequeas, quin Basilius eodem modo retulerit textum, quo Beza: & fatearis. Basilium retinuisse veram loci intelligentiam.* An non satis manifestè hic docet VVitackerus, Interpreti satis esse si sensum seruet?

Secundò respondet VVitackerus, *hic mutari sensum; quia aliud est cogitationem esse intentam in malum; aliud, esse malam, & tantummodo malam. Minus enim est, in malum propensam esse, quàm esse iam reuera malam.*

Sed aut fallitur, aut fallit, aut vtrunque facit VVitackerus; est enim vtriusque translationis idem prorsus sensus. Nam aut per *cunctam cogitationem* intelligimus inclinationem & propensionem voluntatis ad malum in actu primo; & quasi in habitu; aut in actu secundo; si in actu primo; tunc sensus est; cor seu voluntatem esse prauam, & propter corruptionem, ad malum, & ad hæc bona sensibilia rectæ rationi repugnantia; valde procliuem: Idem prorsus sensus subiici potest huic sententiæ hũc in modum conceptæ. *Figmentum cordis eius tantummodo malum, omni die*; hoc est, cor semper ad malum propendet; seu studia cordis ad malum perpetim tendũt: nec refert; quod non *ad malum*; sed *malum* appellatur; Tritum enim est, vt propensio ab obiecto, ad quod vergit, nominationem desumat; vtque non tantum *ad malum*; sed & *malum* vocetur; vt patet de concupiscentia, quæ *malum* nuncupatur; non quod in se formaliter, non accedente voluntatis consensu, mala sit; sed quia ad malum inclinat. Itaque licet

A aliquando plus sit esse *malum*, quàm *intentum* seu *propensum* esse *ad malum*; aliquando tamen vnũ idemque est; cum reuera inclinatio ad malum, sit malum quoddam; non in se formaliter, sed ratione termini, ad quem propendet.

Si per *cunctam cogitationem* intelligamus actiones ipsas voluntatis, iam circa illicita obiecta actu ipso versantes; & sic ad malum intẽtas; (quid enim magis intẽtum est ad malum, quàm quod iam reipsa circa malum & illicitum versatur?) tũ rursus idem prorsus sensus vtrimque elicitur; Nam quid aliud est figmentum cordis quàm cogitatio à corde producta; quod figmentum tantummodo *malum omni die*; quia circa malum perpetim occupatur, & illicita semper sectatur;
B Quo fit, vt figmentum hoc formaliter in se etiam malum sit; nam actus ille; qui circa vetitum obiectum versatur, in se vtique malus est; & sic etiam malũm.

Obiicit VVitackerus. *In Hebræo nihil est, quod intentam significet.* Nihil est, si verba spectentur; esto. Nihil est si spectetur sententia; negatur. Nam hoc ipso, quod Hebræus textus habet, vt vertit Pagninus apud Oleastrum in cap. 6. Genes. *Omne figmentum cogitationum cordis eorum tantum malum omni tempore*; significatur, etiam propensio & intentio huius figmenti cogitationum, hoc est cordis seu voluntatis, & operationum voluntatis ad malum: quomodo enim figmentum cogitationum seu cordis, hoc est, ipsæ cogitationes
C malum sunt *omni die* sine inclinatione & intentione ad malum? Si VVitackerus tam velit esse rigidus, vt in aliqua interpretatione ex Hebræo vel Græco; nullum vocabulum ferre statuat, nisi quod exstet in Hebræo vel Græco; tum profecto paucæ erunt translationes siue sacræ siue profanæ, quæ in VVitackeri schola subsistere queant; cum vix vlla sit, quæ non, retenta eadem sententia, voces aliquas vel addat, vel omittat; & illi ipsi, qui nobis versionem Bibliorum ex Hebræo verbatim expressam promiserunt, vt Pagninus, aliquando euitare non potuerunt, quo minus aliqua vocabula in Hebræo non exstantia adiicerent, quod de Pagnino nominatim notat Arias Mõtanus in præ-
D fatione, quam Bibliis Hebraicis ad verbum latinè redditis præmisit. Necesse etiam erit, vt VVitackerus non modo S. Hieronymum aliam interpretandi rationem doceat; sed & librum eius de optimo genere interpretandi in spongiam incumbere iubeat; totus enim huic VVitackerianæ phantasiæ repugnat.

Secundum, quod VVitackerus in vulgata editione reprehendit, est istud: quia *ponitur cuncta cogitatio cordis, pro omni figmento cogitationum cordis humani.* Grande piaculum. Quasi *figmentum cogitationum cordis humani*, aliud sit, quàm *cogitationes*; & omne figmentum cogitationum, aliud, quàm *cuncta cogitatio*; seu *vniuersæ cogitationes.*

Tertiò, inquit VVitackerus, prætermissa est particula *tantummodo, quæ vim in significatione maximam habet.* At eadem particula omissa est à 70. Interpretibus; aut igitur hos simul cum Interprete nostro VVitackerus insectetur, aut Interpretem nostrum missum faciat. Sed quia religioni non ducet, etiamsi in ipsos itidem 70. seniores linguam stringat, adducere placet Caluinistam Castalionem; quem propter cõmunia studia VVitackerus magis reuerebitur; à quo hæc vocula itidem neglecta: sic enim hunc locum vertit. *Cum igitur videret Ioua hominum vitia in terris crescere, eosq; omnem animi conatum & cogitationem ad deteriora in dies singulos conferre.* Si sectario huic impune per VVitackerum hanc voculam præterire licuit, cur id non licuisset interpreti nostro? *At habet hæc vox vim maximam in significatione.* Quamcunq; habeat, ea satis intelligitur ex ipsa sententia; quamuis particulâ illâ careat; quam isti adiectam cupiũt, vt inde maiore cum probabilitatis specie extundant suum illud de peccato originali, & operibus nostris paradoxum; quasi illud naturam nostram ita vitiarit ac corruperit; vt nil nisi malè agere posit. Hinc ait Lutheranus Hunnius, *lectionem vulgatam perpulchrè ad extenuandum originis malum comparatam esse; cum veritas Hebræa extremam corruptionem naturæ significanter exprimat*; iudicio scilicet Lutheranorum & Caluinianorum.

Quod Bellarminus ait; non sequi hinc, vt Lutherani putant, omnia opera hominum esse mala; nam illa est hyperbole scripturæ, qua sæpe vtitur ad rem aliquam extollendam; sicut in eodem capite dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam.* Et tamen ibidem dicitur: *Noë vir iustus, ac perfectus fuit in generationibus suis.*

Respondet VVitackerus primò: *Lutherani non omnia hominum opera mala esse dicũt, sed quæ hominum sunt, nondum renatorum. Illa verò omnia esse mala, cùm ex aliis scripturarum testimoniis, tum ex hoc clarissimè patet.*

Verùm, quod hic breuiter tetigit Bellarminus, latè ostendit libro quarto de Iustificatione capite decimo, proferens loca sectariorum: & inter alia, affert art. 2. 31. 32. & 36. vbi apertè scribit Lutherus, omnia opera hominis iusti, *esse peccata mortalia.* Audax igitur mendaciorum artifex est VVitackerus. De illa quæstione, quam hic mouet de infidelibus, quorum opera omnia, vult esse mala, videri potest Bellarminus libro quinto de gratia, & libro arbitrio, vbi contrarium rectè ostenditur, & inter alia hic locus fusius explicatur. Summa est: cùm scriptura dixit, *omnem hominis cogitationem malam*; hyperbolicè locutam, vt aliàs sæpe. Ob quam caussam docet Augustinus libro de vnitate Eccles. cap. 12. sub fin. in sacris literis frequenter reprehendi omnes homines, cùm solos malos Spiritus sanctus reprehendere velit, &c.

A Nec refert, quod VVitackerus dicat, in his verbis nihil inesse hyperbolicum. nam id rationes, quas affert, non probant. Prima est. *Erat quidem Noë vir iustus, ac perfectus, sic tamen, vt iustitiam non in natura sua insitam habuerit, sed à Deo donatam acceperit.* Respondeo: ista non pugnare; iustitiam à Deo nobis donari, & inhærere formaliter. aqua enim ab igne quidem calorem accipit; ipse tamẽ calor aquam intrinsecè afficit. fortè dicere voluit iustitiam non nasci nobiscum; quod fatentur omnes. Sed quid hoc ad rem?

Secunda ratio: *Noë non fuit omninò illius corruptionis expers, quæ per omnem carnem peruaserat.* Respondeo, omnes nasci cum peccati originali; sed
B vbi ea media adhibentur, quæ Deus ad illud tollendum per Christi merita nobis præparauit, amplius illud non remanere: atque ita Noë, vel per remedium legis naturæ, quod respondebat nostro baptismo, & circumcisioni Iudæorum, fuisse in infantia à peccato originali purgatum; vel per actualem conuersionem cum fide, spe & charitate, in adulta ætate. Nec refert, in renatis remanere concupiscentiam. Nam hanc, non esse peccatum originale, alibi ostendi solet.

Tertia ratio: *De Noë sic in quæstionibus in Genesin sanctus Hieronymus: signanter dicit; in generatione sua: vt ostenderet, non iuxta iustitiam consummatam, sed iuxta generationis suæ iustitiam, eum iustum fuisse.* Respon-
C deo primò; Chrysostomum, illud, *in generatione sua*, exponere *(inter homines sui seculi)* vt non modò non minuat, verùm etiam augeat laudem iustitiæ Noë, qui, cum inter homines impios, & sceleratos viueret, inculpatam tamen traduceret vitam; quod erat factu longè difficillimum. Respondeo secundo, antecedentia, & consequentia, manifestè conuincere; hic agi de vera iustitia, quæ peccatum mortale excludit: atque ex consequenti, eximit Noë à generali illa sententia, quæ dicit: *omnis caro corruperat viam suam.* Sequitur enim: *cum Deo ambulauit*, præcedit: *Noë inuenit gratiam coram Domino.* Quod vtrumque opponitur generali corruptioni carnis, propter
D quam venit diluuium: quod pœna fuit grauium delictorum. Neque hoc voluit negare Hieronymus. Vnde Augustinus libro decimo quinto de ciuitate Dei, capite vigesimo sexto, qui illud, *in generatione sua*, cum Hieronymo facit particulam minuentem; *Noë*, inquit, *appellatur iustus in sua generatione; non vtiq; sicut perficiendi sunt ciues ciuitatis Dei in illa immortalitate, qua æquabuntur Angelis Dei, sed sicut esse possunt in peregrinatione perfecti.* Quibus verbis Noë solùm negat iustitiam patriæ, quæ non tantum peccatum; verùm etiam periculum omne, atque potestatem peccandi excludit: & supra veram rationem iustitiæ, quæ in hac vita obtineri potest, consummationem quandam, & perfectionem maiorem addit.

Digitized by Google

Hæc ex Sacrobosco contra VVitackerum; cuius impudentia, negantis Lutheranos docere, *omnia hominum opera esse mala*; vt magis contundatur; audiat ipsa articuli trigesimi primi & secundi verba Tom. 2. Lat. VViteb. *In omni opere bono iustus peccat. Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.* & quidem non *naturâ, sed misericordia Dei tale est*; ait Lutherus; naturâ autem sua planè est mortale, qui quanta pertinacia hos duos, vt & alios omnes, articulos defenderit, testatur ipse in Responso contra Louanienses pro suis assertionibus: *siue*, inquit, *exurant, siue submergant meos libellos, id quod dixi; iterum repetens dico. In hac sententia, me sic esse audacem, vt ignem, mortem, & omnia, etiam iras bestiarum istarum, Deo propicio, sim passurus, & omnem contraria docentem pertinaciter, pro hæretico habiturus, etiamsi Louaniensium, & Coloniensium Synagogarum Magistri nostri, ad vnum omnes aliter saperent. Quos & hic scriptis confiteor, me pro hæreticis, & misericordiæ Dei inimicis habere.* Periclitatur profectò VVitackerus, ne à Luthero in Hæreticorum Catalogum referatur; quando negat, opera, etiam renatorum, esse mala, cum Lutherus apertè fateatur, se pro hæretico habiturum, qui secus sentiat, quàm articuli illi doceant.

Quid, hic Hunnius? *Nos non agnoscimus hyperbolen, sed ipsiusmet rei magnitudinem, id est, corruptionis humanorum cordium atrocitatem, citra hyperbolicam amplificationem significanter expressam, quam Pontificij extenuant,* &c. illam nimirum rei magnitudinem; de qua secundus Lutheri articulus: *In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum conculcare.* Item; *fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu cœli.* Ista videlicet est magnitudo rei; cuius Prædicans vel amore vel admiratione captus, ferre nequit, vulgatam lectionem in hoc Geneseos loco; cumque nihil penitus attulerit, quo Bellarmini sententiam & explicationem vel obiter labefactaret; thrasonicè tamen hanc clausulam subdit. *Itaq; circa hunc locum Bellarminus indubiè tenetur constrictus, vt vulgatæ suæ translationi suppetias ferre nullo modo possit.* Si thrasonismi tui vincula forent; iam Bellarminus teneretur constrictus; sed quia nihil aliud sunt, quàm tenues & infirmæ venenati aranei telæ, neminè ligant, nisi muscas & culices Lutheranos.

Nec prætereundus est hic Iunius; qui negat idem esse: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*: Et, *Figmentum, id est, cogitatio cordis, non est nisi malum.* Negat inquam idem esse; & negationis suæ hanc reddit caussam. *Qui dicit, figmentum hominis est tantummodo malum, exponit habitum, & conditionem cordis humani in sese: qui verò dicit, intentum est ad malum tantummodò; exponit actum, & affectionem eius, ad intentum finem, etiamsi boni aliquid inesse in eo possit. Illud, longè ἐμφατικώτερον.*

Ineptè prorsus. Quasi vero intentum esse ad malum, significet necessario actum secundum, seu inclinationem in actu secundo ad malum; quia intentũ esse ad malũ idẽ significare potest, quod propensum seu inclinatum & procliuem esse ad malum; hoc autem significat habitum & conditionem cordis humani, vt loquitur Iunius; seu, vt in scholis dicimus; *inclinationem in actu primo.* Si Iunius semper actum secundum animo concipit; quando audit illa verba: *Intentum esse ad malum*; malè huius locutionis significationem concipit; aut si omnino ita concipere velit; concipiat etiam actum secundum in illo. *Figmentum hominis est tantummodo malum*, quia figmentum *actum secundum* denotat vel denotare potest; cum significet effectum, nempe cogitationem cordis; de quo effectu, affirmatur reipsa *malum*; ergo etiam posterior hæc versio de actu secundo accipi potest; non tantum de actu primo, seu habitu; vt vult Iunius; ergo est vtriusq; idem sensus; sicut & tunc idem sensus constat; licet vterq; locus de habituali duntaxat inclinatione ad malũ explicetur. Ad Exemplum de Noë, quod attulit Bellarminus, vt ostenderet, hanc scripturæ locutionem de nequitia & improbitate mortalium esse hyperbolicam; hæc oggannit Iunius. *Exemplũ dissimile.* Quid ita verò? *Nam disertè antithesin statuit Moses, inter Noë, & omnem carnem: antithesis autem vnum oppositum ab altero excipit necessario: non ergò cõprehenditur in eo loco Noë, omnis carnis appellatione. In hoc verò nulla est plane antithesis, aut sequens exceptio.* Hoc tu quidem affirmas, sed non probas. Nam si Noë tanquã vir iustus & perfectus excipitur ab illa generali sententia: *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*: vt concedit Iunius; cur nõ exciperetur etiam ab illa; *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*; cum idem prorsus significet, quod prior illa sententia; *omnis quippe caro corruperat viam suam super terrã*? Quomodo enim aliter corruperat, nisi quia cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malũ omni tempore; siue, quia eo figmentum cogitationũ eorum tantũ malum erat omni tempore. Et certè si Noë ab hac posteriore sententia nõ exceptus fuisset; cum cæteris diluuio periisset; Deus enim aquis exstinxit illos, apud quos adeo malitia creuerat & inualuerat; vt cuncta eorũ cogitatio, nõ nisi in sceleribus designandis patrandisq; consumeretur: nam vt & hoc obiter moneã; locus iste: *Cuncta cogitatio cordis*, &c. Vel; *omne figmentũ cogitationum eorum*, &c. Propriè loquendo non intelligitur de habituali inclinatione, quam homines ex peccato originali contraxerunt; nõ enim propter hanc propensionem, quæ per se nullum peccatum est; sed pœna peccati, deleuit Deus humanum genus diluuio; sed intelligitur de peculiari illa improbitatis & nequitiæ abundantia, quæ eo tempore regnabat; quo Noë viuebat; qua irritatus Deus totum genus humanum vndis perdidit. Et quod hæretici iam confugiunt ad omnimodam illam naturæ corru-

ptionem, qualem ipsi sibi fingunt; id profectò præter mentem sacræ scripturæ est, & præter sensum & institutum totius narrationis Mosaicæ; non enim puniuit Deus generali illa inundatione mortales propter corruptionem naturæ, natam ex originali peccato; sed propter summa scelera ac flagitia, quibus sese homines penitus immerserant.

Etsi, vt maximè locus hic de illa corruptione ex primæuo peccato orta intelligeretur, (quod Hæreticorum importunitati supra ex hypothesi concessimus) nil tamen vel contra vulgatam opinionem, vel pro suo errore stabiliendo hinc Hæretici exsculpere possent; vt iam antea demonstrauimus.

Addit ad extremum Iunius. *Vt nulla esset antithesis, esse totum in modo siue commune, quis nescit: & vocem omnis eo sensu frequenter accipi?* At totum hoc pro Bellarmino est: non enim aliud intendit, quàm huiusmodi vniuersales scripturæ locutiones non semper vniuersim, sed restrictè accipi debere; ac proinde neque illam; *cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*; sine exceptione intelligendam esse; quia vox *omnis* seu *cuncta* significat frequenter *totum in modo*, siue *commune* vt loquitur Iunius, hoc est, vniuersum non vniuersè sumptú. Illud nescio, ex qua Logica vel Theologia didicerit Iunius; *Exclusiua negans propriè & per se vniuersalis est*. Exclusiuam negantem vocat negatiuam propositionem vniuersalem; quam dicit semper vniuersim accipi sine vlla penitus exceptione. Ex quo sequitur; vniuersalem illam negatiuam enunciationem: *Non est, qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum*; absque vlla simpliciter restrictione accipi debere; vt & hanc; *nullus homo est verax*; æquiualentem huic; *Omnis homo est mendax*; quia negatiua propositio propriè & per se vniuersalis est sine vlla limitatione, si non fallit aut fallitur Iunius; non igitur ipse Christus verax fuit; neque bonú fecit: quia nullus homo est verax; nullus qui faciat bonum. At Christus vtique homo fuit. Sic & Apostolus vniuersim conqueritur; *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*. Propositio hæc exclusionem fert, quia est affirmans; at si in negantem conuertatur hoc modo; *nullus quærit quæ Christi sunt; sed tantum, quæ sua*; iam omnis exceptionis impatiens erit, ex decreto Iunij; atque adeo ipse etiam Apostolus Paulus includetur, vnusque erit ex illorum numero; qui sua quærunt, non quæ IESV Christi.

Tertius locus est Gen. 9. vbi legimus; *Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius*. Hunc locum dicit Kemnitius mutilatum esse, cum in Hebræo sit: Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem fundetur sanguis illius. Respondeo, illam omissionem non reddere sensum falsum, neque imperfectum; proinde, non esse magni momenti. Sensus enim est tam in Hebræo, quàm in Latino: qui occiderit hominem, occidetur etiam ipse.

De hoc loco diximus iam ad cap. 10. Sed hic denuo hæreticorum nugæ refelli debent. Ait VVitackerus, *sensum nec tam plenú nec tam perfectum esse, omisso illo (per hominem) non enim idem esse, si quis dicat: Qui occiderit hominem, occidetur & ipse; & si addiderit: per hominem. Nam illud prius sic intelligi posse, ac si à Deo occidendus esset; hoc autem posterius, illum ab homine neci tradendum asserere.* Sed vana est hæc cauillatio. Quis enim tam hebes est ac plumbeus, qui cum audit homicidam occidi debere; non statim intelligat, hoc faciendum esse ope & ministerio hominis, hoc est, magistratus & legitimæ potestatis; neque enim aliter iam ordinariè puniuntur homicidæ; cum Deus immediatè per se non soleat in hoc rerum statu pœnas ab homicidis repetere.

Idem fermè cum VVitackero, decantat hic Iunius; nisi quòd adiicit; *nihil, quod sit in fontibus, ab interprete omitti debere*; Ita est; si simpliciter ad perfectionem & integritatem sensus necessarium sit; secus, si sensui nihil detrahat. Et hoc ius conceditur per illud omnium sermone celebratum & approbatum monitum: *nec verbum verbo curabit reddere fidus interpres*: quod etsi maximè locum habet in translatione profanorum voluminum; non tamen ideo nullum locum habet in vertendis sacris monumentis; vbi interdum, si perspicuitas sensus id postulet, additionem & omissionem licitam esse, multis exemplis docet S. Hieronymus in libro de optimo genere interpretandi: vt & tunc cum omissio de sensu nihil decerpit.

Nam quod Lutheranus Hunnius vociferatur, omissionem istam esse. *I. Manifestam corruptelam. II. Falsationem textus. III. Mutilationem. IV. Et quidem talem, quæ hebetet & obscuret testimonium & argumentum instituti à Deo magistratus, & traditi eius gladij. V. Iesuitam hærere hic veluti murem in pice. VI. Nec vulgatam latinam translationem à falsatione vindicare posse. VII. Iesuitam in cauteriata sua conscientia cogi, vt agnoscat mutilationem in hoc loco.* id ampullis Prædicanticis adscribas licet securè. Nam quidquid argumenti ex hoc loco pro iure gladij magistratui concesso contra Anabaptistas desumi potest; id æquè inde deducitur, omisso illo, *per hominem*; ac addito. Quandoquidem cuiuis non stipiti notissimum est homicidas ordinariè & immediatè aliter non puniri, nisi per hominem; hoc est, per legitimum magistratum: imo tantum abest, vt omissa vox, *per hominem*; imminuat potestatem magistratus in homicidiis puniendis, vt potius eam notabiliter commendet. Nam si adiecta fuisset, tum potuisset fanaticus quispiam, quorum innumeros quintum Euangelium hoc tempore peperit, pro sua in scripturis interpretandis sagacitate & felicitate hanc conclusionem colligere: *En scriptura dicit homicidam occidendum esse per hominem: ergo cuiuis homini, etiam priuato; etiam absq; legitimi magistratus mandato ius fasq; erit homicidam interficere; non enim dicit*

scriptu-

scriptura; per magistratum; sed per hominem: ergo per quemuis, quia quiuis homo, est vtiq, homo. Qui hunc in modum ex lectione, quam Prædicantes vrgent, deliraret, facillimè apud sectarios exsisteret, quandoquidem inuenti sunt, qui occasione ex Lutheranis & Caluinianis versionibus arrepta multò adhuc stolidius delirare occœperunt. A

Ad extremum quæro, vnde Prædicantibus cõstet voculas illas, *per hominem*; olim in Hebræis codicibus, atque adeo in illis ipsis exemplaribus, quibus noster interpres vsus est, exstitisse præsertim cum neque apud 70. Interpretes exstet.

Quartus locus est Gen. 14. vbi legimus; *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum. Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Hunc locum dicit Kemnitius corruptum, *vt inde probare possemus sacrificium Missæ: Nam in Hebræo non habetur verbum offerendi, nec rationalis coniunctio, vt in vulgata editione.* B

Respondet Bellarminus, falsò Kemnitium dicere, haberi in vulgata editione verbum offerendi. Nec enim legimus, obtulit, *sed* protulit panem, & vinum.

Occurrit VVitackerus, in quibusdam exemplaribus haberi, *obtulit*. Idem dicit Iunius; & sic nominatim legi ait q. 109. in lib. Quæst. ex vtroque testamento, qui Augustino tribuitur. Hunnius fatetur in vulgata versione haberi verbum *protulit*, non *obtulit*. Quare vnius fortè & alterius codicis vbi errore librariorum scriptum est, *obtulit*, nulla ratio habenda est; & Iunius in manifesto mendacio deprehenditur, dum scribere nõ erubescit; auctorem Quæstionum illarum legisse, *obtulit*. En ipsa verba: *Obuiauit Melchisedech sacerdos Dei summi Abrahæ reuertenti à cæde regum; & protulit panes & vinum, & obtulit ei, & benedixit eum dicens, &c.* An non iste Auctor legit *protulit*? illud, inquam, protulit, cuius participium *proferens*, in nostra vulgata lectione habetur? Nam quod præterea adiungit; *& obtulit ei*; id non fecit, quasi hæc sint scripturæ verba; sed ipse ea de suo addidit; idque quod Melchisedech fecit, per hæc verba explicauit; quia protulit panem & vinum prolataque & Deo prius oblata seu sacrificata, postmodum Abrahæ & sociis in cibum dedit, vt de sacrificio illo participarent; vt ipse Bellarminus docet lib. 1. de Missa ca. 6. Et hoc significat auctor ille verbis illis: *Et obtulit ei*. Hunnius ait; *incidi neruũ argumentationis nostræ; si nõ legatur; obtulit; sed protulit*; seu proferens. *Siquidem ex hoc loco stabilire conamur Melchisedecum* OFFERENDO *panem, & vinum, adumbrasse sacrificium Missæ, in quo, sub specie panis, & vini offeratur corpus, & sanguis Christi.* C D

Omninò ex hoc loco sacrificium Missæ probant Orthodoxi Doctores; sed non præcisè ex illis verbis; *proferens panem, & vinum*; (quia hæc verba præcise spectata non significant sacrificium, alioqui quilibet caupo sacrificaret, quoties panem & vinum proferret ac de cella penaria vel vinaria promeret) sed ex illis, quæ adiunguntur: *Erat enim sacerdos altissimi*; quibus caussa redditur, quare panẽ & vinum protulerit; nempe, vt ageret id, quod sacerdotis proprium erat, videlicet, vt sacrificaret; *Erat enim Sacerdos altissimi.* Quapropter robur argumenti ex hoc loco à Catholicis ducti immotum inconcussumque manet; licet legamus, vt quidem legi debet, *proferens*. Num illam alteram lectionem, *obtulit*, seu *offerens*; nullo vnquam in codice obseruaui; neque apud illos reperi, qui ex instituto varietatem lectionis in Bibliis annotarunt; quod de se etiam testantur Bellarminus & Sacroboscus.

Mentitur autem Hunnius, cum ait Liranum rixari cum Iudæis, quòd verbum *Hozi* vertunt; *protulit*; malle enim illum, *obtulit*; *vt Missæ sacrificium eò plausibilius inde confirmari possit.* Nihil huius comparet apud Liranum in cap. 14. Geneseos. Tantum hæc reperio. *Sciendum, quod Iudæi, &c. Scripturas, quæ loquuntur de Christo, nituntur deprauare, &c. Hinc passum istum peruersè nituntur exponere*: (sicut iam Prædicantes faciunt) *dicentes, quòd iste Melchisedech protulit panem & vinum non in sacrificium, sed magis ad reficiendum Abraham, & populum eius.* Hæc & similia loco citato scribit Liranus, non autem ea, quæ ei Prædicans imponit.

Ait Bellarminus, coniunctionem ו sæpe accipi pro כי copulatiuam scilicet pro rationali; idque confirmat scripturæ exemplis. Hinc nõ esse mirum, licet eadem coniunctio Gen. 14. accipiatur itidem pro *rationali*; quemadmodum & ab interprete nostro accepta est; cum vertit: *erat enim Sacerdos altissimi.* VVitackerus non negat, ו in exemplis à Bellarmino citatis accipi pro כי, sed negat ita accipi Gen. 14. id aliter non probat; nisi auctoritate Caietani, qui in eum locum ista. *Quod in vulgata editione subditur, vt caussa oblationis* (erat enim sacerdos Dei altissimi) *in Hebræo non habetur, vt caussa, sed separata clausula; & ipse Sacerdos Deo excelso. Adiungit siquidem regiæ dignitati, & liberalitati dignitatem sacerdotalem.*

Sed valde fallitur, si putat VVitackerus nos tanti facere Caietanum, virum in scholasticis subtilitatibus quàm in patrũ lucubrationibus & venerandæ antiquitatis monumentis exercitatiorem, vt propter illius hallucinationem cuius caussam ei Hebræistæ præbuerant; cõmuni sanctorũ patrum sententiæ & explicationi valedicamus. Magnus vir Caietanus; sed dum in explanatione diuinarũ literarum à magnis, hoc est, à sanctis patribus discedit; in magnos errores incidit; deceptus ab illis Hebræistis, quos, vt supra vidimus, ipse Lutherus nõ semel Satyricè irridet. Et certè nõ nisi distortè ac peruersè coniunctio illa pro copulatiua eo loci sumitur: Nam si non est rationalis, sed copulatiua; cur non periodus illa sic concepta est? *At verò Melchisedech Rex*

Salem,

Salem, & ipse Sacerdos Deo excelso, seu *Dei altissimi, proferens panem & vinum, benedixit ei, &c.* Quale hyperbaton; si verba illa; *& ipse Sacerdos Deo excelso*; collocentur post illa: *proferens panem & vinum*: Cur non titulus Sacerdotalis simul cum regali immediatè cõiungitur? Quid opus interserere, illa? *Proferens panem & vinum*; quia omnia melius cohærerent, illis non antepositis, sed postpositis. Cum ergo anteponantur, clarum est omnibus, quibus oculi fumo Iudaico non sunt perstricti; per sequentia illa de Sacerdotio Melchisedecis rationem reddi cur panem & vinum protulerit; atque adeo verti debere: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*; non autem, vt Iudaizantes expositores volunt, *& ipse Sacerdos Deo excelso*: qui nugantur Sacerdotalis officij & dignitatis mentionem fieri propter benedictionem, quam Abræ impertiit Melchisedech; quasi benedictio non sit nisi à Sacerdote; cum Dauid non fuerit Sacerdos, & tamen 2. Reg. 6. *benedixit populo in nomine Domini exercituum.*

Mentitur autem egregiè VVitackerus, cum ait, *Andradium lib. 4. defensionis Concilij Tridentini docere, panem & vinum à Melchisedech non fuisse prolatum in sacrificium Deo offerendum; sed tantum in cibum Abrahæ & militum eius.* Manifestum mendacium; nam licet dicat panem & vinum in vsum Abrahæ prolata fuisse, (quod etiam expresè concedit Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6.) attamen non negat prius Deo in gratiarum actionem, tanquã à Sacerdote, sacrificata fuisse. Hæc enim sunt Andradij verba; *Quemadmodum aliis in rebus Melchisedech Christi personam gerebat, ita & Christi sacerdotium in eo repræsentauit, quòd panem, & vinum, quod Abrahamo ad alendum exercitum exhibuit, Deo primùm, quem præclarissimæ victoriæ auctorem agnoscebat, vsitato more litauerit. Panem, & vinum*, inquit Theodoretus, *Abrahamo Melchisedech rependit, vtpote talia vniuersorum DEO offerre consuetus.*

Hæc Andradius; vt taceam eundem cum aliis Catholicis scriptoribus vulgatã interpretis nostri translationem: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, fortiter tueri.

Etiam Iunius diffiteri non est ausus coniunctionem Hebræam aliquando fieri *rationalẽ*. Sed obiicit: *Propriè copulatiua est; figuratè interdum fit rationalis.* Quid hoc ad rem? siue propriè, siue figuratè rationalis sit; satis est, quòd sit rationalis. Iunius, vt & Hunnius, negat hoc, de quo disceptamus loco, esse rationalem. Nec habent aliam negandi caussam, nisi quia Missæ sacrificiũ prorsus Iudaicè oderunt. Quamobrem, vt Iudæi textum hunc odio Christiani sacrificij penitus oblitteratum cupiunt; ita & hæretici.

Iunius magnum hic facinus aggreditur. Etiam vulgatam lectionem sibi suisque patrocinari, nostræque sententiæ nihil opitulari contendit. Id vt obtineat, parenthesin hunc in modum adhibet. *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altissimi,) bene-*

A *dixit ei, & ait; Benedictus Abram, &c. Quid videtur, Bellarmine?* quærit Iunius. *Illámne parenthesin rationem reddere vocum antecedentium, an verò totius enunciati indicatiuo verbo sequente, nimirum benedixit ei, &c. hoc certè natura, & interpretationis modus (pendet enim antecedens membrum,) & parenthesis addita postulat.*

Ad hanc Iunij quæstionem respondebit Bellarminus I. Iunium somniare parenthesin, vbi nulla prorsus est parenthesis; Nam editio vulgata nuper correcta minimè verba illa parenthesi includit: vt neque aliarum pleræque hanc nouiter castigatam antegressæ. Addet insuper, neque in restituto Breuiario, quod Iunius citat, parenthesin comparere; in restituto inquam Cle-

B mentis IIX. iussu ac auctoritate: nam quod in prioribus nonnullis exemplaribus parenthesis additur; id nihil refert, vt iam dicemus. Tertiò respondebit, Iunium admodum benè in Breuiario versatum esse; idque inde manifestum fieri, quòd cum *feria tertia* infra hebdomadem Quinquagesimæ citanda esset; ipse citauerit feriam tertiam infra hebdomadem Quadragesimæ. Sed esto; circumscribantur verba illa parenthesi: caussam reddent non eius, quod sequitur; sed eius, quod antecedit; huius nimirum; *proferens panem & vinum*: caussam enim assignant, cur protulerit panem & vinum; in sacrificium videlicet, *quia erat Sacerdos altissimi.* Neque reddunt caussam huius. *At verò Melchisedech Rex Salem*; quæ enim

C caussa foret; si subderetur; *erat enim Sacerdos altissimi*; quasi verò non potuerit esse Rex Salem, nisi pariter Sacerdos esset; neque caussam reddunt; præcisè prolati panis & vini; quæ enim caussa esset; protulit panem & vinum, quia erat Sacerdos altissimi? An nemo panem & vinum ad manducandum & bibendum proferre potest, nisi Sacerdos altissimi? Et cum antecedentium non reddant caussam, si panem & vinum in solum esum & potum protulit; vt hæretici volunt; consequenter nec subsequentium caussam reddunt. Inauditum enim est; vt coniunctio rationalis, *enim*, ea forma loquendi, qua ponitur cap. 14. Geneseos, caussam reddat alicuius quod sequitur. Nam quæ esset constructio? *Erat enim*

D *Sacerdos altissimi, benedixit ei*: pro; *quia erat Sacerdos altissimi, benedixit ei*, &c.

Obiicit Iunius: Hieronymum in quæstionibus Hebraicis vertisse: *Et ipse Sacerdos Dei excelsi.* Quid tum? Verba videlicet Hebræa ad verbum expresit, non ad sensum; cum *vau* eo loco non sit copulatiua, sed rationalis coniunctio. Hanc interpretationem vocat Iunius, *splendidam, plenam, conuenientem, etiam ad verbum sententiam Moysis repræsentantem.* Quàm copiosus est in dilaudanda versione, quæ Caluiniano palato arridet. Quàm verò vera sint hæc elogia, satis ex supradictis liquet; verissima erunt, si in vulgatam translationem conferantur, quæ verè splendida est, plena, conueniens, & apertissimè Moysis senten-

tiam

tiam repræsentans. Si autem versio illa D. Hieronymi talis est, qualis à Iunio prædicatur, cur eam cum suo Tremmelio in sua bibliorum translatione non est secutus? Cur omissa *splendida, plena & conueniente* interpretatione substituit illam suam. *Malci-Tzedek autem Rex Schalemi proferens panem & vinum: Prout hic erat sacerdos Deo forti, excelso:* Illustrat tamen Iunius versionem quam tantopere celebrat, digno se commentario; cum ait; Illud: *Et ipse sacerdos Dei excelsi; comparatè intelligi debere: pro eo, quod est: qui ipse quoq; sacerdos erat Dei excelsi, vt erat Abraham. Quam rem innuere videtur Apostolus Hebr. 7. dicens; Habenti promissiones benedixit.* Scilicet hoc innuit Apostolus; quia id tibi tua phantasia innuit. Cui veterum, imò cui Nouatorum, excepto Iunio, hoc figmentum in mentem venit? Ne ipse quidem Castalio, quamuis Nouator maximus, in hanc nouitatem prorupit: nam sic hunc locum Latinè vertit. *Melchisedechus quoq; Solymæ Rex, & supremi Dei sacerdos, panem protulit & vinum, Abramumq; faustis ominibus prosequens dixit*, &c. Vbi nihil de comparato illo sensu, quem sua in officina Iunius procudit, aduersus Bellarminum scribens. Nam in versione Bibliorum nondum hoc commentum excogitasse videtur; cum translatio eius paulò ante allata hunc comparatum sensum non admittat. Neque aliis Hebræistis in mentem venit; quorum vnus, loco sacerdotis, *principem* substituit. *Quidam Modernus Hebræus*, inquit Oleaster in cap. 14. Gen. *vertit: Et Malchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum. Et ipse princeps* DEO *altissimo. Vocatur autem princeps* DEO *altissimo (inquit) eo schemate, quo filij Chet, vocant Abram infrà, Principem* DEI. Hæc ille *Iudaizans* versor: Similes nugas proferunt alij; postquam animo constitutum habent; non vetera, sed noua sectari. Cum veteribus tamen Vatalbus Hebraicè doctissimus facit in scholiis ad hoc caput excusis à Roberto Stephano. sic enim scribit. *Protulit panem & vinum, intellige, vt sacrificaret, vel vt offerret Deo. Nam, inquit, erat sacerdos Deo altissimo.* Vbi vides Vatalbum *vau* illud Hebræi textus accipere pro coniunctione rationali.

Ait Iunius, *S. Hieronymum illâ sua in Hebraicis Quæstionibus versione improbare nostram: & vel hinc constare, nostram non esse Hieronymianam.* Ast vbi dicit S. Hieronymus, sibi nostram non probari, aut nostram à se non esse profectam? Colligit hoc Iunius, harumperquam acutarum consecutionum beneficio: *S. Hieronymus vau illud Gen. 14. vertit per Et; in libro Quæstionum Hebraicarum; ergo improbat vulgatam translationem per; enim: & consequenter, vulgata translatio non est ab Hieronymo.* Nugæ sunt isthæc, non legitimę consequentiæ. Quasi vero idem auctor eundem locum non posit diuersis modis transferre; seruato eodem sensu. Nam D. Hieronymum locum hunc non aliter intellexisse, quàm hodie intelligatur à Catholicis Doctoribus, nempe Melchisedech pro-

A tulisse panem & vinum, vt ea Deo in sacrificium pro gratiarum actione offerret; patet ex variis locis, quæ Bellarminus libro primo de Missa cap. 6. ex operibus D. Hieronymi adducit: Nam in Epistola ad Marcellam, vt migret Bethlehem: *Recurre*, inquit, *ad Genesim, & Melchisedech regem Salem huius principem inuenies ciuitatis; qui iam tunc, in typo Christi panem, & vinum obtulit; & mysterium Christianum in saluatoris & sanguine, & corpore dedicauit. Et in epistola ad Euagrium de* Melchisedech scribit ex sententia antiquissimorum Patrum, Irenæi, Hippolyti, Eusebij tum Cæsariensis, tum Emisseni, Apollinarij, & Eustathij, ordinem Melchisedech in eo consistere, *quòd ipse non immolauerit cruentas victimas, sed pane & vino simplici, puroq; sacrificio Christi*

B *dedicauerit Sacramentum.* Idem, in quæstionibus in Genesim, explicans caput 14. *Mysterium*, inquit, *nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane, & vino, id est, corpore, & sanguine Domini* IESV. Idem in commentario Matth. 22. in fine dicit; *Melchisedechum pro Abrahamo obtulisse panem, & vinum.* Et cap. 26. dicit, *Melchisedechum sacerdotem* DEI *summi panem & vinum offerendo, præfigurasse mysterium Eucharistiæ.*

Eat nunc Iunius, & consuetâ audacia versionem D. Hieronymi extollat, quasi manifesto sit iudicio, D. Hieronymum nihil aliud de

C Melchisedecis facto & Sacerdotio sensisse, & docuisse, quàm quòd ipse cum suis gregalibus sentit ac docet.

VVitackerus & Hunnius obiiciunt, *S. Paulum in Epistola ad Hebræos ne vnico quidem vocabulo indicasse Melchisedecem aliter fuisse Christi typum, quàm ratione sacrificij cruenti in cruce; quodque, si ratione huius sacrificij typus Christi fuit, necessario sequatur, eum non gessisse typum Christi ratione cuiusdam sacrificij incruenti.* Quamuis solutio huius difficultatis aliò pertineat, adscribere tamen hic placet, quæ non ita pridem hac de re auditoribus meis dictaui in 3. p. D. Thomæ q. 83. Certum est, aiebam, ex fide, Christum fuisse, & esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Id enim ex-

D pressè testatur B. Dauid Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, &c. qui, totus est de Christo, vt ipse Christus interpretatus est Matth. 22. & S. Paulus ad Hebr. cap. 1. & 5. Vbi etiam, vt & seqq. capp. fusè disputat de hoc sacerdotio Christi *secundum ordinem Melchisedech*, & ex Genesi repetit totam historiam de Melchisedech, excepta oblatione panis, & vini: & accommodat ad suum institutum, præsertim cap. 7. Et hoc, eo fine, vt præstantiam sacerdotij CHRISTI supra sacerdotium Aaronicum ostendat; Vtque Hebræis planũ faciat, à sacerdotio Aaronico, eiusque sacrificiis non potuisse dari perfectionem, & consummationem salutis, sed necessariò exspectandum fuisse aliud Sacerdotium, &

sacri-

sacrificium in Melchisedech præfiguratum, & à D a o Psal. 109. Christo incarnando promissum; *Iurauit Dominus, & non penitebit eum, &c.* Quæ verba, diligenter expendit Apostolus cap. 7.

Cum ergò certum sit, Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron; certum etiam est, eum habere, & habuisse aliquod sacrificium secundum ordinem Melchisedech, distinctum à sacrificiis Aaronicis: Nam Sacerdos, seu Sacerdotium, & sacrificium sunt relatiua; ergò nouum Sacerdotium, infert nouum sacrificium: ergò infert sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quod respondeat figuræ Gen. 14. Vbi *Melchisedech panem, & vinum protulit. Erat enim Sacerdos altissimi.*

Quæritur itaque, quod nam sit hoc sacrificium huius noui Sacerdotis, *secundum ordinem Melchisedech?* Hæretici se facilè expediunt. Dicunt enim, esse sacrificium crucis: & probant ex Apostolo ad Hebræos. qui disputans de sacerdotio *secundum ordinem Melchisedech*, qui, non facit mentionem alterius sacrificij, quàm crucis. Sed hoc nihil est; cum aliqui putent, fecisse mentionem cap. 9. verbis illis: *Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium, hic mundari; ipsa autem cælestia melioribus hostiis, quàm istis.* Aliqui existimant omisisse; quòd non essent tanti arcani capaces. & hoc innuitur capite quinto; estque probabile, & mihi præ cæteris placet. Nam postquam dixerat, Christum esse constitutum sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, statim subiecit; se de isto sacerdotio posse aliquid dicere; se tamen silere quod nunc dicendi tempus non sit propter imbecillitatem auditorum, *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum; quoniã imbecilles facti estis ad audiendum.*

Quare, quomodocunque hæretici se torqueant, non possunt aliter ex S. Paulo argumentari, nisi ab autoritate negatiuè: *Apostolus non facit mentionem alterius sacrificij secundum ordinem Melchisedech, nisi crucis, ergò non est aliud.* Etiamsi antecedens esset verum, tamen nõ valeret consequentia. quia, caussas habuit, cur alterius sacrificij nullam faceret mentionem: & illas tantum prærogatiuas sacerdotis Melchisedech afferre voluit, quibus ipse, & Christus etiam, tanquam illius figuræ veritas; longè excellebat supra sacerdotium Aaronicum. *Erat enim Melchisedech Rex*, & quidem Rex Salem, quod est, *rex pacis; sine patre, & sine matre sine genealogia. neq; initium, neq; finem vitæ habens.* Benedixit etiam Abraham: *Minor autem à maiori benedicitur*, ait Apostolus: & Abraham dedit illi etiam decimas: quo ipso, superiorem agnouit. Et sic Melchisedech in Abraham omnes Leuiticos sacerdotes decimauit, & sibi subiecit. In his omnibus fuit Melchisedech typus Christi: & omnia longè excellentius in Christo fuerunt, tanquam in veritate sacerdotis, & sacrificij, &c. Et inde etiam euidenter elucescebat præeminentia sacer-

A dotij Christi supra Aaronicum. At verò in materia sacrificij illius, quæ erat panis, & vinum, non excelluit sacrificiis Aaronicis. quia boues, & oues, materia horum sacrificiorum, præstantiores sunt, quàm panis, & vinum. Et ita respondet P. Gregorius de Valentia in lib. & Disput. de Missæ sacrificio.

Sed posset aliquis obiicere: Licet boues, &c. præstantiores sint pane, & vino, vel speciebus panis & vini, non esse tamen præstantiores contento sub speciebus panis, & vini in hoc nouo sacrificio, quod est corpus & sanguis Christi: in qua materia, sacerdos iste secundum ordinem Melchisedech, infinitè excellit materiam sacrificiorum Aaronicorum. Et, quidquid Apostolus in cap. 7. de præstantia huius sacerdotij, ex figura Melchisedech ad Christum transtulit, tanquam ad veritatem; illud minus est, quoad præstantiam, quàm materia huius sacrificij, quæ est omnium præstantissima in hoc sacerdotio. Ergò, longè probabilius est omisisse S. Paulum, propter difficultatem huius mysterij; ne Hebræos, aliòquin ad credendum duros, nimia obrueret difficultate: vt dicit etiam Suarez in materia de incarnat. q. 22. quæ est de sacerdotio Christi. B

Sed quæritur, vtrum sacrificium in cruce fuerit secundum ordinem Melchisedech? &, an Christus ratione huius cruenti sacrificij fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech? Nam, quod non fuerit ratione huius sacrificij sacerdos secundum ordinem Aaronis, patet. quia non erat ex tribu Leui. Et iniuria fieret sacrificio Christi in cruce, si quis vocaret Aaronicum: cum fuerit perfectissimum. Bellarminus lib. 1. de Missa c. 6. negat sacrificium crucis fuisse secundum ordinem Melchisedech, formaliter loquendo. Negat etiam Christum formaliter vt sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, se ipsum in cruce obtulisse: licet concedat, ab illo, qui erat sacerdos secundum ordinem *Melchisedech*, sacrificium crucis oblatum esse. *Probat:* quia sacrificium secundum ordinem Melchisedech, formaliter, & reduplicatiuè, vt sic, debet esse incruentum: sed sacrificium crucis fuit cruentum. ergo, &c. Hæc quidem sententia est probabilis, & expedita contra hæreticos: *sed* contrarium forsan non minus verisimiliter asseritur: Quia difficile creditu est, Apostolum semper *materialiter* tantùm de sacerdotio, & sacrificio secundum ordinem Melchisedech locutum esse. Et probationes illius petitæ ex figura Melchisedech, & applicatæ ad sacrificium Crucis minus efficaces forent: Semper enim obiici posset, cur ita vrgeat sacerdotium æternum Christi secundum ordinem Melchisedech, respectu sacrificij crucis, cum non fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, respectu huius sacrificij. Et licet sacrificium Melchisedech fuerit incruentũ, nihilominus potuit esse figura C D

sacri-

sacrificij cruenti in cruce: Quia cruentum potest esse figura incruenti: vt patet in agno Paschali ratione sacrificij Eucharistici, vt ostendit Bellarm. c. 7. Ergò etiam incruentum potest esse figura cruenti. Et quis negat, quin sacrificia incruenta, vt oblatio panis, similę, vini in lege Mosis significauerint etiam cruentum sacrificium crucis? Adde, quòd incruentum sacrificium Missæ, est signum commemoratiuum sacrificij cruenti in cruce. Non enim necesse est, vt figura, & figuratum conueniant in omnibus particularibus modis. Satis est, si conueniant secundũ proportionem aliquam, & rationem generalem. Accedit, quod formaliter loquendo tertium sacerdotium constituere deberemus, ratione huius tertij sacrificij. Et tamen nemo agnoscit aliud sacerdotium, quàm Aaronicum, vel secundum ordinem Melchisedech. Nam quod Christus formaliter ratione sacrificij crucis non fuerit sacerdos legis naturæ, id per se clarum est. quia non erat in lege naturæ. Et Deus plus promisit Christo illis verbis; *Tu es sacerdos in æternum*, &c. quàm Sacerdotium legis naturæ, quod quiuis, præsertim familiæ princeps, obire poterat.

Licet ergo concedamus, sacrificium crucis formaliter fuisse etiam sacrificiũ secundum ordinẽ Melchisedech; habuit tamen adhuc Christus aliud sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quòd ad figuram Melchisedech propius, & principalius accederet; ipsúmque in se etiam incruentum esset: quod colligitur ex aliis scripturæ locis, maximè ex testimonio Malachiæ cap. 1. de sacrificio mundo ab ortu solis, vsq; ad occasum inter gentes offerendo. Hoc sacrificium non potest esse secundum Aaron, ergò secundum ordinem Melchisedech. quia, non datur alius ordo sacerdotij. II. idem patet ex illis; *Iurauit Dominus*, &c. *Tu es Sacerdos*, &c. etiã formaliter, quatenus Melchisedech incruentum sacrificium, sub speciebus panis, & vini obtulit: hunc enim sensum, tanquam maximè intentum nemo Orthodoxus negare poterit: ita vt illud, *secundum ordinem* extendamus etiam ad modum incruenti sacrificij; & ad materiam, quæ erat panis. & vinum: In sacrificio autem Christi, species panis. & vini. Idem patet ex illo; *in æternum*, hoc est, ad consummationem sæculi, quatenus Christus semper per ministros hoc sacrificiũ repetit. Nam sacrificium crucis æternum est, quoad fructum, non quoad exercitium.

Deinde illis verbis, *in æternum*, Deus aliquid peculiare Christo promisit: sed nil erat peculiare, nisi dicamus, sacerdotiũ Christi, quoad vsum, durare in æternũ. ergò, &c. probatur minor: quia, si tantum intelligamus de sacerdotio durante *in æternum* secundum fructum, tunc idem cõuenit sacerdotio Aaronico. quia hoc etiam durat in æternum secundum fructum. Ergò, si sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech promittitur aliquid peculiare, debet illi promitti

A duratio æterna; qualem nec habuerunt sacrificia Aaronica, nec sacrificium crucis; qualis est sola duratio, quoad vsum sacrificij secundum ordinem Melchisedech: hoc autem non est aliud, quam Missa. Et certè Christo videtur dictũ; *Tu es sacerdos in æternum*, &c. quo pacto Aaroni dictum fuit, implicitè saltem, hoc ipso, quod lex Mosis non erat duratura vsque ad finem mundi, *Tu non es sacerdos in æternum*; sed hoc tantum de duratione vsque ad finem sæculi negaretur: ergò, in illa altera promissione asseritur hoc de duratione vsque ad finem sæculi.

B Præterea cum lex Mosaica, typus legis Christi, habuerit sacerdotium semper durans, quoad vsum, quandiu durauit lex; omnino credendum est, tale sacrificium, & sacerdotium, esse etiã legi Christi promissum illis verbis, *Tu es sacerdos in æternum*, &c. vt figuratum respondeat quoad hoc, exactius figuræ: Cumque nouum sacrificium non quidem ex imperfectione, sed aliunde fructum sacrificij crucis per partes hominibus applicet, sæpius repetendum est. Et, nisi Christus ratione incruenti sacrificij fuisset sacerdos, vtique credibile nõ est, quod tanta cum asseueratione factus fuisset sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ratione solius sacrificij crucis. Potius ipse, & primus, & vltimus sacerdos fuisset sine ordine, vel typo præcedente.

C Deniq; ita etiam sentiunt SS. Patres, citati à Bellarmino cap. 6. Et in Cõcilio Tridentino Sess. 22. cap. 1. definitum est Christum in vltima cœna corpus, & sanguinem Deo patri obtulisse, vt declararet, se sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum, cõstitutum esse: Et, Apostolos sacerdotes creasse, eisque mandasse, vt sacrificium incruentum à se institutum offerrent.

Dices, etiam sacrificium Aaronicum significabat sacerdotium Christi; ergo etiã dici potest sacerdos secundum ordinem Aaronis. Respondeo, negando consequentiam: Et hoc, propter imperfectionem illius sacerdotij: quia non erat semper duraturum.

D Dices: etiam sacerdotium Melchisedech fuit temporale, neq; enim durauit semper. Respondeo, etiamsi in se fuerit temporale, tamen in repræsentando fuit quasi æternum. Hinc dicitur Melchisech *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium, neq; finem dierum habens, assimilatus filio Dei*, quoad perpetuitatem sacerdotij, in repręsentando nimirum.

Dices; etiam sacerdotes Aaronici offerebant aliquando panem, & vinum. ergò per hoc non distinguitur sacerdotium Aaronicum à Melchisedech. Respondent Gregorius de Valentia & Bellarminus sacerdotes Aaronicos nunquã habuisse panem, & vinum simul pro vnica, & principali materia sacrificij; sed tantum pro additamento aliorum sacrificiorum. quia, ad iuge sacrificiũ Exodi 29. & ad alia quædã holocausta, & victimas Num. 15. adhibebatur pars similæ; &

Digitized by Google

certa etiam mensura vini ad libandum, vt patet Num. 28. Offerebatur etiam interdum panis, sed sine vino, Exod. 29. Leu. 3. & 23. Nunquam autem in scriptura legitur panem, & vinum simul fuisse vnicam, & principalem materiam sacrificij legalis, sicut fuit in Melchisedech.

Dices: sacerdos secundum Melchisedech ordinem, debet offerre incruente panem, & vinum secundum substantiam. quia Melchisedech obtulit panem & vinum secundum substantiã. Sed Christus nõ obtulit panem, & vinum secundum substantiam. ergò non est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Respondetur maiorem esse falsam. Nam satis est, vt sacerdos secundum ordinem Melchisedech offerat substantiam aliquam sub speciebus panis, & vini. nec necesse est. vt in ratione determinata panis & vini figuratũ respondeat figuræ; satis est, quod respondet in ratione cõmuni substantiæ; & etiam, in ratione determinata specierum panis, & vini. Hæc ego in schola; quæ dispellendis hæreticorum nebulis hic recitanda duxi.

Quintus locus est, Numerorum cap. vlt. vbi vulgata editio: *omnes viri, ducent vxores de tribu, & cognatione sua, & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient*. Quibus verbis simpliciter prohiberi videtur, ne vir ducat vxorem, aut femina viro nubat extra tribum suam. At multa extant in scriptura exempla nuptiarum, quas inierunt personæ diuersarum tribuum. Accedit, quod Hebraicus textus solùm habeat, vt mulieres, quæ sunt hæredes bonorum paternorum, non posśint nubere aliis viris, quàm de sua tribu: de viris autem, & de mulieribus, quæ non sunt hęredes, nulla habetur lex. Respondet Bellarminus, sensum legis tam vulgatæ editionis, quàm textus Hebraici esse, vt si qua mulier careat fratribus, & proinde est hæres, non posśit nubere alteri, qui non sit de tribu sua; nec vllus posśit eam ducere, qui non sit de eius tribu. atque ita, dari legem & viris, & mulieribus; sed tamen propter mulierum bona. Hanc autem esse germanam legis sententiam, ex fine probat: qui, vt ibi dicitur, est, ne commisceantur hæreditates, & transeant de vna tribu in aliam; atque hoc modo satisfieri ait exemplis, quæ obijci ex scripturis in contrarium solent. Ad id autem, quod dicitur, haberi aliter in Hebræo, respondet, falsum esse. In primis namque data mulieribus lex in textu Hebræo clara est, vt & in Latino. Lex autem data viris (quam quidam negant Hebraĩcè haberi) huiusmodi verbis in fonte, licet obscurius, exprimitur: *Filij Israël adhærebunt vnusquisq; in possesione tribus patrum suorum*.

Obiicies, illud; *adhærebunt*, refertur ad possesionem, non ad vxorem, vt vult interpres Latinus, dum vertit; *omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua*. Respondeo, subintelligi in Hebræo, *vxori*; ita vt hæc sit sententia partim expressa, partim subaudita: *Filij Israël adhærebunt vxori, quisq; in possesione tribus patrum suorum*. Quomodo hunc locum intellexerunt Eusebius, Epiphanius, Ambrosius, Beda, & Damasus, quos citat Bellarminus. Et confirmatur. Nam statim sequitur ad verbum: *Et omnis filia hæreditans possesionem, adhærebit viro tribus suæ*. Ex quo clarè liquet, priorem sententiam intelligi de coniugio, vt habet Latina editio.

Obiicies secundò: In lege data mulieribus deesse Latino textui limitationem quandam expressam in Hebræo. Absolutè enim præcipit Latinus textus, vt nulla mulier nubat extra suam tribum: Hebræus verò solùm vetat, ne id faciat mulier *hæreditans possesionem*. Respondeo; satis intelligi in Latino textu dictam limitationem. Nam initio capitis quæstio fuit mota à populo, propter quasdam mulieres hæredes: de quarum nuptiis alienæ tribui metus fuit exortus, ne, ex similibus nuptiis oriretur possesionum confusio, & permistio, perturbans diuisionem à Deo initiò factam: & ad hoc incommodum tollendum, lex fuit à Deo lata. Quare, satis eo ipso intelligitur, esse sermonem de feminis hæredibus, quod exprimere prętermittit Hieronymus, vt posterior sententia, priori concinnius responderet.

Quid habet nunc, quod opponat VVitackerus? Magni aliquid exspectant omnes. Ait igitur: *Quidquid ergò Bellarminus attulerit ad excusandum huius interpretationis vitium, tamen quicunque vel leuiter locum inspexerit, errorem statim inueniet. Sed quia Bellarminus ait, non aliter haberi in Hebræo, quàm in Latino (quod illum miror tam confidenter, & falsò dicere voluisse) eum non alio, quàm Caietani testimonio confutabo. Sic enim in illum locum Caietanus: non habetur hæc clausula in textu Hebraico. Cardinalis iste negat haberi in Hebræo; quod in Hebræo haberi Bellarminus affirmat.*

Respondeo, VVitackeri partes fuisse, non inanibus verbis, & arrogantia plenis, locum hunc occupare; sed aliquid, vel ex se, vel ex alio afferre, quo improbaret solutionem Bellarmini. Nam fuisse, qui negarent Latinum textum hic cum Hebræo conuenire, non ignorauit Bellarminus: sed eos deceptos, optimis rationibus ostendit. Neque verò de conuenientia in verborum numero, sed in sententiæ, vt sic dicam, identitate agitur. quid ergò causæ prodest nuda autoritas Caietani, contra apertam, & conuincentem rationem?

At, inquit, Bellarminum Cardinalis, & autoritate, & veritate superat. Respondeo: hìc VVitackerus stoliditate omnes superat. Nam in quæstione versatur, vtrum Bellarminus veritate superetur? quare, reipsa hæc est petitio principij, vitium doctore parum dignum. Deinde, quod

ad au-

ad autoritatem attinet, peritia linguarum, quæ Bellarmino aderat, & deerat Caietano, in hoc negotio Bellarminum fecit superiorem.

Pergit VVitackerus. *Deinde mox idem Cardinalis subiungit. Vide quot, & quales additiones legis siluit interpres. non traditur lex de qualibet filia, sed de filia hærede. Itaq; multa sunt vulgatæ versionis in hoc loco errata, si credimus Caietano. &. tamen nullum Bellarminus videre potuit.*

Certè mereris VVitackere fustuarium. Dixerit Caietanus (neq; enim mihi in præsenti sit cõmentariorum ipsius potestas) additiones aliquot legis siluisse nostrum interpretem; non tradi legẽ de qualibet filia, sed de filia hærede: nonne ad hæc iam respondit Bellarminus? quorsum argumentum repetis, nec solutionem attingis? Hæc ex Sacrobosco contra VVitackerum.

Hunnius, more suo, in huius loci tractatione insanit. Furiosissimè enim probare nititur, crimen falsi commissum ab interprete vulgato, qui legem ita transtulerit, quasi fœminis simpliciter interdictum fuerit, ne viro alterius tribus nuberent; cum tamen totum illud caput vltimum Numerorum, prout à nostro Interprete latinè loquitur, & ipse quæstionis excitatæ status, sonora voce clament; legem illam tantum intelligi de fœminis, paternarum facultatum hæredibus; quibus nulli essent fratres, non autem de illis; quæ hæredes non essent. Quapropter cum Hunnius hic ingenti vociferatione exempla earum mulierum producit; quæ viris extra tribum suam nupserunt; nil aliud, nisi Prædicantem, hoc est, impostorem agit; neque enim vnquam ex textu latino vulgato euincet, hoc mulieribus, quæ in paternas opes non succederent, nefas fuisse.

Deinde impudentissimè mentitur simul & calumniatur Prædicans, Bellarminum docere, viris itidem prohibitum fuisse; ne aliquam coniugem extra tribum suam ducerent: non enim vnquam somniauit, multoque minus dixit aut scripsit hoc Bellarminus de viris absolutè ac simpliciter, cum multa ipsemet eorum virorum commemoret exempla, qui fœminas ex aliena tribu coniugio sibi iunxerunt; sed dixit & scripsit hoc de viris respectu fœminarum, quæ erant hæredes paternarum facultatum; Has enim ex alia tribu sibi adsciscere, lex vetabat; ne bona tribuum permiscerentur; Et de his viris hoc duntaxat casu loqui Bellarminum, euidentissimum erit cuiuis, qui vel obiter dicta Bellarmini inspexerit; vt proinde inuerecundum huius Prædicantis os satis mirari nequeam; cum tam impudenter in re tam manifesta, mentitur, non sine atrocissimis & furiosissimis conuiciis; vt mihi quidem hæc scribens de potestate mentis exiuisse videatur, & cuiuis intelligenti exiuisse videri queat.

A Nec alius est sensus editionis vulgatæ Latinæ; cum ait: *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua*: Non enim, vt iste Sycophanta criminatur, sermo est simpliciter de vxoribus, sed de vxoribus, quæ fratribus carentes, in paterna bona succedebant; Tales enim fœminas non poterant vlli viri ducere, nisi essent de tribu & cognatione illarum. Et de hoc duntaxat casu sermo est in illo capitulo; vt luce clarius legenti & consideranti liquebit. Nec puduit effrontem Hæreticum enormia sua mendacia & conuicia hac coronide coronare. *Pius lector obseruabit. Iesuitam præ studio asserendarum falsationum Latinæ versionis, nunc affirmare, nunc negare, nunc ædificare, nunc destruere, & quadrata mutare rotundis.*
B Obseruabit proculdubio pius lector Prædicantem istum ex meris Sycophantiis & imposturis consutum esse. Adeo nihil in eo candoris & eruditæ ingenuitatis inest.

Tricatur & Iunius nescio quid circa hunc Numerorum locum. Ait; *in Latina versione desiderari quædam, & mutilã esse interpretationem.* At hoc falsò à Iunio interpreti nostro obiici, manifestum fiet ei, qui versionem Latinã cum Hebræis, aut etiam cum ipsa Iunij & Tremmelij translatione comparare voluerit; nam quòd ad sensum attinet, omnia ab interprete nostro fideliter expressa videbit. Quod verò Bellarminus dicit; verbum, *adhærebunt*; ex Hebræo redditum, non debere iungi cum sequenti verbo; *possessioni*; sed
C cum vocabulo subintellecto; *vxori*; respondet Iunius; illam, quæ Bellarmino non probatur, constructionem, *esse ordinariam verbi Hebræi*; id verò, quod amplius Bellarminus dicit, *ex consequente, non autem primariò vi horum verborum confici.* Videtur Iunius cùm hæc cõmentaretur, parum fuisse memor annotationis cuiusdam suæ, quam ad caput vltimum Numerorum suis in Bibliis adiecit; vt vim verbi *adhærendi* explicaret; & est ista: *Adhærebunt; iunctis inter se connubiis; nam verbum hoc propriè coniugio tribuitur, vt Gen. 2. v. 24.* Si verbum hoc propriè coniugio tribuitur, propria igitur & primaria significatio illa censeri debet, quam adfert Bellarminus; cum proximè & immediatè sit de coniugio; non tantum re-
D motè & ex consequente.

Dicit Bellarminus, legem hanc eodem modo intellectam & explicatam ab Eusebio, Epiphanio, Ambrosio, Beda, Damasceno. Obiicit Iunius; *Horum testimonia falsò adduci, nam de fœmina, non de viro eos agere.* Mentiri Iunium fatebitur, quisquis ipsa patrum loca à Bellarmino notata, consulenda sibi duxerit.

Nec irrepercussa relinqui debet inscita calumnia Hunnij Lutherani, qui dicit verba illa: *filij Israël adhærebunt, &c. haberi quidem v. 9. Latinam autem translationem in versum octauum infarsisse hæc sequentia: Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua.* non enim tantum versu nono; sed & versu septimo similia verba leguntur; quæ Latinus

noster interpres, sensum spectans, reddidit per illa; *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua*; nec ea infersit in versum octauum; vt calumniatur Hunnius, sed reliquit in versu septimo, ad quem etiam pertinent; vt patet ex diuisione versuum Latinæ vulgatæ editionis, etiam eius, quæ nuper Pontificis auctoritate prodiit. Et has versuum sectiones si Hunnius apertis, non autem nitantibus oculis aspexisset, forsan hanc in nostrum interpretem calumniam ex præcordiis suis erumpere non siuisset.

Sextus locus est 1. Esdræ 9. vbi legitur *Pax illius* cum legi debeat; *paxillus*. Vbi vides aquilas istas Lutheranas etiam muscas captare; Est enim error librariorum; iam in editione & recognitione Vaticana sublatus; quanquam ne antea quidem omnia exemplaria obsidebat. Et si Hunnius Clementina Biblia inspexisset; sicut inspicere debebat; abstinuisset forsan ab hac sua vesania. *Cur (malum) non tollitur huiusmodi pudendum erratum? Imò cur istæ furiæ Tridentini Conciliabuli sub comminatione anathematis decernunt, ne quis translationem vulgatam Latinam vllo prætextu reiiciat?*

Furis Prædicans. Vbi vnquam patres Concilij Tridentini prohibuerunt, ne quis errata Typographica aut libraria vulgatæ editionis reiiciat? Ipsam vulgatā translationem, quoad quæstiones & dogmata fidei morumque repudiari vetuit, non autem menda præli vel scribæ. Idemque responsum volo VVitackero, qui quod miratur à Theologis Louaniensibus veram lectionem in margine notatam, non autem in textu positam; id ideo facit, quia modestiam Catholicorum metitur temeritate & audacia suorum symmystarum, qui confidentissimè, quidquid minus ad saliuam suam facere vident, è vestigio mutant; non ita Catholici Doctores, qui lento pede incedentes iudicium Ecclesiæ exspectant; cui Bibliorum authenticam recognitionem & ab erratis, si quæ irrepserunt, emaculationem ex officio competere non ignorant.

Septimus locus est. Iob 5. *Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Hunc locum vult Kemnitius deprauatum, ad inuocationem sanctorum comprobandam.

Respondet VVitackerus. *Kemnicius non versionem loci improbat, sed Papistarum ex hac versione argumentationem, sanctos esse inuocandos, quia ad aliquem sanctorum nosmet conuertere iubemur: quando tamen sancti in scripturis dicantur ij, qui sanctitatem in vita colunt. Et sic isti sæpe Latina versione ad sua dogmata stabilienda abutuntur.* Hoc nihil aliud est, quam apertissimum VVitackeri figmentum. An non Kemnicius inter exempla, quibus editionem nostrā probare conatur plurimis locis falsatam, corruptam, deprauatamque esse; hoc etiam ex cap. quinto Iob enumerat? An non dicit; *ex hoc loco malè verso & ad dogmata Pontificia transformato, Ponti-*

A *ficios inuocationem sanctorum exsculpere?* Quapropter non modò argumentationem Orthodoxorum ex hoc loco desumptam, sed & ipsam loci translationem Kemnicius imperitè carpit. Et hoc etiam dictum sit Iunio; qui VVitackeri mendacium mentiendo fecit suum.

Hunnius agit hic, quod solet; hoc est, furit & bacchatur impotentissimè & impudentissimè. Accusat Bellarminum, *quod in sententia Iob omiserit particulam interrogatiuam, & substituerit aliam.* Mentitur Prędicans; nam Hebraicè expressit sua in citatione Bellarminus particulam מי *Mi*, sed in versione non expressit interrogatiuè, quia eo loco non est interrogatiua, vt ineptus Prædicans
B existimat, sed indefinitè accipitur; vt non modo noster interpres; & Catholici Pagninus & Montanus verterunt; sed & Sectarius Castalio: Etsi non ignoro Iunium & Tremmelium totam hanc sententiam ἐρωτηκῶς transtulisse; qui tanti non sunt; vt propter illos, neglecta antiquitate, nouitatem amplectamur. Nec Vatablus vel potius Tigurinus interpres interrogatiuè vertit; licet in scholiis interrogatiuè explicet. Quanquam positâ etiam interrogationis notâ, nequaquam eneruatur argumentum Catholicorum, quod hinc pro inuocatione sanctorum petunt; Nam ex eo, quod rebus in arctis, communi more, receptum erat; interrogauit; ad quem nam sanctorum sese Iob conuersurus esset: quod enim
C Caluinianus Iunius ait; *nomine sanctorum intelligi sanctos huius vitæ*; non illos in altera; fidem faceret, nisi ex odio in cælites hoc profectum assertumque constaret. Certè Robertus Stephanus in scholiis, quæ dicuntur esse Vatabli, nomine sanctorum, *Angelos* intelligit. Quod si alicui Caluinistæ assentiri velimus, caussæ nihil video, cur non potius assentiamur Stephano, quàm Iunio. Quod Orthodoxi ex hoc loco inuocationem sanctorum adstruunt; *id Lutherano Hunnio videtur factum asininum. Venia* dignus est *asinus*, si aliorum facta *suis similia* existimet; quia vt stultus, sic & asellus, gradiens per viam; omnes sibi consimiles reputat.

D Octauus locus est Prouerb. 16. vbi pro lapides *sacculi*; legitur; *sæculi*. Sed est erratum librarium in quædam olim exemplaria intrusum; nunc noua Bibliorum recognitione extrusum. Quærit Hunnius, *quomodo editio vulgata possit esse authentica, & norma controuersiarum; si tot in ea insint menda?* Quot insunt? Quot Chiliadas iam numerasti? Deinde Concilium Tridentinum non approbauit menda typographica vel libraria vulgatæ editionis, imò mandauit, vt quàm correctissimè excuderetur; sed ipsum quasi corpus vulgatæ editionis approbauit, & authenticum declarauit, tanquam liberum ab omni errore, qui sit contra doctrinam fidei vel morum. Nec interdictum de reiicienda hac

editio-

Digitized by Google

editione, quocunque etiam prætextu, pertinet A ad errata librariorum, si quę irrepsisse deprehenduntur; Nihil enim Synodo magis in optatis fuit; quã vt diligentissimè aliena incuria aspersi errores, emacularentur.

Nonus locus est Ecclesiastæ 9. *Nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit.* Quem locum vult Kemnitius esse deprauatum, vt inde probetur dubitatio fidei de remissione peccatorum: Respondet Bellarminus, Hieronymum non verba verbis, sed sensum sensui reddidisse; idque optimè; Addit insuper explicationem huius sententiæ ex commentario S. Hieronymi in illud Ecclesiastæ caput. Quid VVitackerus? Calumniatorem dicas hoc loco, non disputatorem. Ait: *Interpretem vulgatum in hoc loco verba nec numerasse, nec expendisse,* B *sed pessimè vertisse: quod facilè constabit, si verba Hebraica cum hac interpretatione comparentur.*

Iam contulit Bellarminus; & tam nostræ editionis, quàm Hebraici textus, etiam verbatim latinè repræsentati, eundem prorsus sensum esse ostendit. Quid opus noua Latini textus cum Hebraico comparatione? Compara tamen, quando ita lubet. *Sic,* inquit, *locum Vatablus transtulit; Quodq; pariter amorem, & odium ignorat homo; ipsi autem* (Deo) *sunt omnia proposita. Pagninus sic: Etiam amorem, etiam odium nescit homo: quæ omnia ante eos sunt. Caietanus sic: Etiam amorem, etiam odium non sciens homo: omnia in facie eorum.*

Istæ versiones sensu non differunt ab hac, quã C Bellarminus ex Hebræo adducit. *Amorem & odium non est sciens homo, sed omnia ante faciem ipsorum:* Et ex consequente; si hæc sensu non differt à vulgata nostra translatione, neque illæ aliæ Vatabli, Pagnini, & Caietani different; quia cum Bellarminiana sensu examussim concinunt. Nec dissentit ista; quam Caluinianus ait, esse etiam D. Hieronymi in altera translatione. *Et quidem charitatem, & quidem odium, non est cognoscens homo, omnia in facie eorum. Hæc & sensu & verbis differt à vestra;* inquit Caluinista. De verbis; esto. De sensu; proba. Nos negamus; & negabit, quisquis verba intelligit ac perpendit. Mirum, VVitackerum non attulisse translationem Castalionis, quæ est ista: *nam hoc totum in animo meo agitaui, ac* D *perscrutatus sum, iustos, ac sapientes, eorumq; opera in manu Dei esse, adeò vt nec amorem homines, nec odium norint, cum sit eis planè perspicuum eadem vsu venire cunctis.*

Fortè hanc Castalionis versionem præteriit; quia sensu facile ad nostram trahi posse, qua est solertia, perspexit. Vt hoc ita sit; non debebat tamen tacitus præteruolare translationem Iuniotremmelianam non semel ab ipso laudatam; quæ si vspiam, hoc loco sincerissima est, sed sinceritate Caluiniana: *Nam totum hoc condidi in animo meo, idq; declaraturus totum hoc; iustos, & sapientes, factaq; eorum in manu DEI ipsius esse; tum re amata, tum exosa non vti homines, nullam, esse expositam ipsis.*

Hæc versio longè plus ad propositum VVitackeri fecisset; quàm omnes aliæ ab ipso enumeratæ. Cur ergo non attulit? An metuit; ne se & Iudaicos istos versores ludibrio exponeret, si tam ineptam insulsamque interpretationem in medium adferret? Qui cum fateantur in Hebræo esse, prout vertit Bellarminus, Pagninus, & alij, ipsi tamen audacissimè nomen *amoris & odij* transmutant in *rem amatam; odioq; habitam,* siue *exosam,* idque Metonymicè; vt dicunt isti Metonymistæ.

Pergit VVitackerus: *Non ille est verborum sensus, quem vos dicitis; omnia hîc incerta, dubiaq; esse: vt nemo intelligat, vtrum amore Dei, an odio fruatur, quousq; in hac vita permaneat. Falsissima est sententia hæc, & omnium scripturarum doctrinæ contraria. Nam scripturæ passim docent, eos, qui credunt, esse de fauore Dei, suaq; salute certos: quod verissimum, sanctissimumq; dogma non debet propter vestræ versionis errorem reiici.*

Hic verba nobis dat VVitackerus. Rei nihil. Nam qua facilitate ipse dicit sententiam nostrã de certitudine gratiæ esse falsissimam, & omnium scripturarum doctrinæ contrariam, & scripturam passim docere eos, qui credunt, esse de fauore Dei, suaque salute certos, absque vlla videlicet formidine oppositi; sicut fideles certi sunt absque formidine oppositi, Deum esse trinum & vnum: Eadem facilitate, & quidem longè maiore, dicemus nos; nec dicemus tantum; sed & efficacissimis argumentis euincemus, sententiam sectariorum esse falsissimam, & omnium scripturarum doctrinæ contrariam; nam scripturam passim docere, credentes debere *cum timore & tremore salutem suam operari; omnia incerta in futurum reseruari;* vno verbo, *nescire hominem iustum; vtrum amore an odio dignus sit;* quia licet huius rei suppetant quædam argumenta, ea tamen non sunt tam clara, perspicua, euidentia, quàm volunt sectarij.

Quod Caietanus & Mercerus, citati à Caluinista hunc Ecclesiastæ locum aliter explicant, quàm S. Hieronymus à Bellarmino laudatus, quamque alij scriptores Orthodoxi; id parum refert: quia Catholica Ecclesia non tam attendit, quid pauci pręfinitos limites transgressi doceant, quàm quid concors sanctorum patrum & doctorum mens ac sententia ferat. Iunius accusat Bellarminum, quasi verba Hieronymi mutilauerit. Calumniatur; nihil enim eorum prætеriit Bellarminus, quæ ad propositum faciebant. Nam vt semper integras patrum suam in disputationem sententias transcriberet, id breuitas instituti operis non sinebat. Quare, vt interdum aliquid de verbis omittat; Sensum certè semper integrè repræsentat. *Secundò, alia mente,* inquit Iunius, *afferuntur, quàm Hieronymus dixerit.* Mendacium. Bellarminus citat verba D. Hieronymi, vt ostendat homini incompertum esse; num ametur, an odio habeatur à Deo. Hoc D. Hieronymum sensisse, an non clarè testantur hæc eius

verba? *Porrò hic sensus est*, &c. *Inueni iustorum quidem opera in manu* DEI *esse, & tamen vtrum amentur à* DEO, *an non, nunc eos scire non posse, & ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, & in vultu eorum sunt omnia: id est, antecedit eos, cum de vita hac decesserint, notitia istius rei; quia tunc est iudicium, nunc certamen.* An non hæc D. Hieronymi verba Orthodoxæ huius loci explicationi manifestè suffragantur?

Ait Iunius: *Hieronymus non agit de iudicio, & sensu, quem pij de seipsis habent; sed de iudicio alieno: affirmat enim, ex præsente rerum specie, neminem facere iudicium posse, vtrum sit in gratia Dei, nec ne.* Fabulas audio: quas validè redarguunt illa D. Hieronymi verba: *Inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse; & tamen vtrum amentur à Deo an non; nunc eos scire non posse*, &c. Quid sibi vult illud *Eos*? An non ad ipsos *Iustos* pertinet? Quos ait D. Hieronymus, nunc scire non posse, vtrum amentur à Deo, an non.

Addit Iunius. *Dicit Hieronymus in hanc sententiam; nunc eos, scire non posse, putà homines in specie; non ipsos, qui affliguntur.* Incredibilis impudentia; quæ tam claræ sententiæ D. Hieronymi tenebras inducere tentet in tam clara luce. Quid enim manifestius, quàm D. Hieronymum loqui de ipsis iustis, quibus incompertum, num amentur, an odio habeant. Id quisquis Latina verba intelligit, fateatur oportet, nisi & mentem & oculos stirpitus amiserit. Quæ enim esset locutio vel locutionis constructio, si quis cum Iunio hunc in modum nugari institueret? *Scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset, & inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen vtrum amentur à Deo, nunc eos* (id est, alios homines in specie, vt delirat Iunius) ignorare. Quis adeò amens est & cæcus qui non intelligat illud relatiuum, *eos*; referre *iustos*, de quorum operibus loquebatur Salomon, scire volens, num à Deo amarentur, an odio haberentur. Nec aliud indicant sequentia D. Hieronymi verba, quæ Iunius vrget. *In futuro igitur scient.* Qui? videlicet, iusti. *& in vultu eorum sunt omnia*; id est, *antecedit eos*; (Quos? iustos, siue illos, quibus dixerat paulò ante D. Hieronymus, eos nunc scire non posse, vtrum amentur an odio habeantur) *cum de hac vita decesserint, notitia istius rei* (*puta cum ipsos alij in gloria visuri sunt*, interiicit Iunius, planè fraudulenter; quia non loquitur D. Hieronymus de cognitione aliena, sed de propria ipsorum iustorum) *quia tunc est iudicium; nunc certamen; & quicunque aduersa sustinent, vtrum per amorem* DEI *sustineant, vt Iob, an per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum. Hæc ipsa Hieronymi verba*, inquit Iunius, *quæ Bellarminus dissimulat.* Non dissimulauit; sed omisit; quia nihil erant ad rem. Nam antecedentia D. Hieronymi verba apertissimè loquuntur de cognitione propria ipsius iusti, non de aliena; imò & illa; quæ sequuntur, iamque re-

A citata sunt, idipsum dilucidè indicant; nam si incertum habetur, vtique apud illos etiam, quibus ista eueniunt, incertum habetur, quo fine Deus hæc vel illa cum illis agat. Et quamuis, vt isti contendunt, locus Ecclesiastæ etiam accommodetur ad externa, quæ homini eueniunt; ita vt spectando hæc, quæ foris sunt, iudicium fieri nequeat, vtrum quis ametur, an odio habeatur à Deo; id tamen alteram, eamque communem, & Orthodoxam explicationem D. Hieronymi de incertitudine gratiæ & salutis minimè tollit.

Tandem postquam Iunius sententiam D. Hieronymi deprauare frustra conatus est, suam no- B bis expositionem ex suis Bibliis adfert; quam supra quoque attigi: hanc nimirum; *Omnia adeo in manu Dei esse, vt nullus planè mortalium de eo, quod amat aut odit, queat agnoscere, id est, disponere arbitratu & auctoritate sua. Quid, obsecro, euidentius!* inquit Iunius. Imo, quid, obsecro, ineptius? quam quod *scire* seu *cognoscere* accipitur, pro; *disponere*. Quid ineptius, quam neminem scire, quid amet aut oderit? Quid ineptius, quam hoc loco amorem & odium pro re *amata* & *exosa* accipere?

Quod interpres noster vertit; *Omnia in futurum* seruantur incerta; id non eiusmodi quiddam est, quod nullo patrocinio defendi queat, vt putat Iunius, quia his verbis expressit illa C Hebræa; *sed omnia ante faciem ipsorum*; quæ nihil aliud sibi volunt, quàm harum rerum cognitionem nunc singulos quasi antecedere; postea in futuro sæculo patefaciendam, & per consequens, obscuritate implicitam in futurum reseruari. Optimè ergo D. Hieronymus sensum expressit, quidquid iste vnà cum aliis Nouatoribus criminetur. Quod ait; hanc nostram huius loci translationem non esse D. Hieronymi; facit pro more ac ingenio suo. Affirmat tantum; nihil probat. Bis enim vertit S. Hieronymus Ecclesiasten, vt supra visum; & in altera versione; quæ vulgatæ nostræ inserta; vt & commentariis D. Hieronymi in Ecclesiastem, id planè ad verbum vertit, quod Hæretici calumniis incesse- D runt. Hactenus de Iunio.

Hunnius circa hunc locum elinguis est; Non contentus recitasse expositiones VVitackeri & Iunij, addit insuper, *hic non esse sermonem de amore vel odio Dei, sed proximi*; vt sermo sit, neminem scire, num ab illo, qui est in facie, hoc est, à proximo suo, ametur aut odio habeatur: Hinc Lutherum sua in versione Germanica rectè vertisse; *Nullus homo scit aut amorem aut odium vllius alterius, quem habet ante se.* Stultissima tam versio, quàm explicatio. Siccine Christiani non scimus odium Turcæ erga nos, totamque nostram Rempublicã? Siccine Catholici nesciunt odiũ hæreticorũ erga se, suamq; religionẽ? Siccine Dauid fugatus à filio suo nesciebat odium

filij

Digitized by Google

filij erga se & ministros suos? Siccine duo capitales hostes, nesciunt, quo sint in se inuicem animo? Siccine filius, qui à Patre suo clementissimè & benignissimè educatur, & discipulus, qui à doctore suo fidelissimè instituitur, vxor quæ à marito, & maritus, qui ab vxore tenerrimè amatur, nescit erga se amorem patris doctoris, aut coniugis? Nam Lutherus cum grege suo mortales tam obtusa & plumbea corda gerere existimat, vt nullum amplius amoris aut odij sensum reliquum habeant?

AEquè stultum est, quod subdit Prædicans, etiamsi sermo sit de amore Dei, sensum tamen non esse quòd tu certò ignores, num à Deo ameris, *sed quòd nemo omnium eorum, qui circa te sunt, indubitatò, sciat, num tu sis in amore Dei vel in odio.* Sed quocunque se vertant Prædicantes, nunquam ostendent; sententiam illam non de propria quoque ipsius hominis scientia intelligi debere. *Nescit homo*; Quis? Non tantum alius, sed & ipsemet; vtrum odio, vel amore dignus sit. Quæso, si quis dicat: Nescit homo, quo die, quo morbo, quo modo, quo loco moriturus sit; an non significat, neminem hoc compertum habere; siue ipsummet hominem; siue alium quempiam ab ipso diuersum? Quod Bellarminus dicit, iustos, quantumuis nullius peccati sibi conscios, certò tamē statuere non posse, dum hic viuunt, iustine sint an non; id Hunnius æquis auribus accipere nequaquam potuit. Quapropter exclamat: *Si hæc cæcus quispiam Rabbinus Iudæorum enomeret, adscriberetur excæcationi mentis. Iam, quia facit Ecclesiæ Romanæ Doctor, imo Cardinalis, non pro luce reputandum fuerit?*

Dicam ego: Si stultissimam illam, & arrogantissimam persuasionem de certissima certitudine salutis, & gratiæ, qua isti tument, & turgent; sibiq; mirificè blandiuntur; amens quispiam, aut stipes tueretur, & amplexaretur, minus mirandum foret: nunc cum illi, qui doctores doctorū, & magistri magistrorum videri volunt, hanc insaniam sibi propugnandam rudique populo instillandam arbitrantur; linguis scilicet oculisq; fauere, & tanquam cælitus missum dogma suscipere oportet.

Obsecro te, inquit Prædicans, *si quis nullius sibi peccati conscius est, an non ille reipsa iustus est?*

Respondet Apostolus 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quia fieri potest, vt quis hæreat in peccato, quod culpabiliter ignoret. *Vbi nullum peccatum*, inquit Prædicans, *ibi iustitia regnet oportet.* At non est necesse, vt ego id certò & euidenter sciam. Verum quidem est, iustitiam esse; vbi omnis culpa mortifera abest. At num hoc certò & euidenter constat homini; vt isti delirant?

Quærit Prædicans: *Si Pontificij non possunt statuere, dum hic viuunt, sintne iusti, vel non: Vnde ergò scire possunt, se legem Dei etiam in hoc seculo perfectè posse implere?*

Ex scriptura scimus, legem Dei perfectè impleri posse. At non sequitur: ergo certò ac euidēter scio, me legem Dei perfectè implere. Bona quidem spe esse possum, me eam implere, ita vt nullo peccato mortali ex gratia diuina excidam; sed tamen hoc certò & euidenter, de lege Dei ordinaria, nec mihi, neque cuiquam alteri mortalium constat.

Decimus locus est Ecclesiast. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Hūc etiam locum vult Kemnitius deprauatum, ad probandam incertitudinem remissionis peccatorum.

Et VVitackerus: *Locus malè versus est, cū in Græco sit, περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνε. De propitiatione, seu de propitiatu peccati, noli esse sine metu.* Digna censoribus istis animaduersio: quasi non idem sensus constat, siue hoc, siue illo modo legas, vt vel cœco clarum: Quamcunque lectionem Hæretici elegerint, semper orthodoxis dabitur occasio inde oppugnandi stolidam illam fidem specialem seu *iustificantem* de certitudine gratiæ, qua isti sibi aliisque mirificè illudunt ac imponunt. nam vt rectè argumentatur Bellarminus; vel loquitur Sapiens de propitiatione iam obtenta, vt sit idē, de propitiatione peccati, & de propitiato peccato; & tunc falsum est, quod isti dicunt, hominem debere esse securum de obtenta venia: Vel, loquitur de propitiatione obtinenda; & tunc falsum est, quod iidem dicunt, hominem debere esse securum de venia obtinenda.

Hunnius & VVitackerus dicunt: *Reprehendi eorum carnalem securitatem, qui, quod se à peccatis expiatos autumant, ita fiunt securi, vt licenter peccent, & peccata peccatis cumulent.*

Non abnuo; Hoc tamen addo: Sapientem, vt hoc obtineat, hoc est, vt à perniciosa illa securitate homines absterreat; id inde potissimum suadere, quòd homo & de obtenta, & de obtinenda peccatorum propitiatione seu remissione certus non sit. Quo certè vix maius frænum petulantiæ humanæ iniici potest; sicut è contrario vix per vllum dogma carni & sanguini tantum laxantur habenæ, quantum per specialem istam hæreticorum fidem, qua non solum pueriliter, sed & fatuè prorsus sibi de sua iustitia certò & euidenter constare delirant. Iunius vtranque versionem, hoc est, illam; *de propitiatione* seu *propitiatu peccati*; & illam, *de propitiato peccato* repudiat; nouamque cudit. *De expiatione securus ne esto in abundantia, quasi dicat; ne confidas opibus tuis, fore, vt eis redimas peccata & maleficia tua.* Sed huic, oppono Caluinianum VVitackerum, & Lutheranum Hunnium, qui, vt vidimus, locum hunc aliter explicant; quin & aliter vertunt; Hunnius quidem hunc in modum: *De propitiatione ne fias timoris expers, vt amplius adiicias peccatum super peccato.* vbi illud ἐν πλεονασμῷ, quod Iunius interpretatur; *in abundantia*; refert ad sequentia, non ad antecedentia; vertitque, *amplius.* Et in quibusdam codi-

cibus Græcis non exstat, vt nec in editione Sixtina Græca 70. Interpretum; nec agnouit Hæreticus Castalio; quippe qui ita verterit; *ne securus esto; peccata peccatis addendo.* Nec debent hæc symmystarum testimonia & iudicia exigui ponderis apud Iunium esse ob societatem studiorum & sectæ; Nec obscurum est illud ἐν πληθυσμῷ pertinere ad sequentia; quia vetat, ne quis multiplicet (est enim *πληθυσμὸς multiplicatio*) peccata, aliis alia semper adiiciendo. Quamuis verò ad priora referatur, non tamen illum sensum, quem Iunius fingit, subiectum habet; sed potius hunc: *De propitiatione peccati noli esse nimium sine metu.* Verum Iunius hoc etiam loco documentum dare voluit se nouatorem esse; ideo & versionem & expositionem huius loci nouauit.

Vndecimus locus est Ecclesiastici 16. *Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum. Conqueritur Kemnitius, nos addidisse nomen Meriti, quod non est in Græco: & sic deprauasse hunc locum, ad merita bonorum operum ostendenda, sicut antea conquestus erat Caluinus Instit. lib. 3. cap. 10. §. 52.*

VVitackerus. *In paucis verbis multa errata. Sic enim Græcus textus habet.* πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποιήσει τόπον. ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. *Omni eleemosynæ fac locum: vnusquisq; enim secundum opera sua inueniet: nec verba eadem, & sententia diuersa.*

At in paucis VVitackeri verbis aliquot sunt mendacia; nam idem prorsus sensus est, & fermè eadem verba, si ex Græco verbatim exprimantur; & pro ποίησον, quod in nonnullis exemplaribus, legas ποιήσει, quæ lectio vulgatior ac communior, & in Sixtina item editione. Quod ad sensum attinet, rectè ostendit Iansenius in hunc locum, eundem esse in nostra vulgata translatione, qui in Græco.

Illius enim est iste: *Omnis misericordia, vel eleemosyna, quam homo homini impendit, faciet apud* DEVM *locum homini, vt ab eo scilicet assequatur, & ad id perueniat, quod exspectat, vnicuiq; secundum meritum operum suorum, quia, vt inquit Paulus 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Græcæ lectionis sensus est iste. *Omni eleemosynæ faciet locum* (Deus scilicet) *vel,* vt altera lectio habet; *fac locum, vnusquisque enim secundum opera sua inueniet.*

Quærit VVitackerus; *Illud meriti nomen vulgatus Interpres vnde habuit?* Respondeo, ex sensu textus Græci; nam vt rectè dicit Bellarminus, κατὰ ἔργα nihil est aliud, quàm *pro meritis operum.* Instat VVitackerus, *velim ex Bellarmino intelligere, in quo lexico aut libro hoc inuenerit?* κατὰ ἔργα, *nihil aliud esse, quàm, pro meritis operum?* Respondeo, Bellarminum hoc inuenisse in lexico & libro sacræ scripturæ; item in lexico & libro communis loquentium, & quid loquantur intelligentium, consuetudinis. Nam cum Deus toties in scriptura dicit; se *vnicuiq; redditurum* κατὰ ἔργα *secundum opera;* nihil aliud significat, quam se redditurum vnicuique tantum, quãtum operibus seu per opera meruit,

A vel; *secundum meritum operum.* Sicut si quis diceret; patremfamilias redditurum mercenariis κατὰ ἔργα, is vtique significaret, eum redditurum, *secundum merita operum;* hoc est, tantum quantum opera merentur. Sic si quis pro malefactis debitas pœnas persoluerit, dicere consueuimus; accepisse eum mercedem κατὰ ἔργα *secundum opera,* hoc est, *secundum merita operum,* seu *quantum opera merebantur.* Has igitur & id genus alias sacræ scripturæ, & tritæ consuetudinis phrases Bellarminus secutus, optimè dixit κατὰ ἔργα, *secundum opera,* nil aliud esse, quàm *pro meritis operum.*

Addit VVitackerus. *Inter opera, & meritum operum, si nullum discrimen Bellarminus statuere potuit, nihil est quamobrem sibi magnam, aut linguæ Græcæ, aut*
B *Theologiæ peritiam, scientiamq́; tribuat. Operibus merces promissa est in scripturis, meritis operum nulla, nisi mortis.* Ne dubites Caluinista; nouit Bellarminus discrimen inter opera & meritum; nempe meritum nihil aliud est, quàm ipsum opus; sed cum respectu & habitudine ad mercedem operi ex iustitia debitam: hanc enim solam habitudinem superaddit meriti ratio operi. Nescio autem num satis Caluinianum aut Lutheranum sit; quod Caluinista docet; in scriptura operibus promissam esse mercedem. Et quæ illa merces, nisi gratia & gloria? Cur ergo clamant isti perpetuò, *solam fidem iustificare & saluare;* hoc est, gratiam & beatitudinem apprehendere ac consequi: si operibus quoque merces gratiæ & gloriæ datur? Quàm
C pulchrè cohæret cũ hoc quod VVitackerus ait; *meritis operum nil deberi, nisi mortem.* Si ipsis operibus ex promisso Dei debetur merces; ergo & meritis operum; quia merita operum nihil aliud sunt, quàm ipsa opera cum respectu ad mercedem promissam ac debitam.

Negat etiam Iunius idem esse secundum opera & pro meritis seu secundum merita operũ. *Nam cum dicimus, inquit,* secundùm opera, *notatur plerunque solùm ordo antecedentium, & consequentium: cùm autem dicitur,* secundùm meritum operum, *notatur ordo causæ, & effectus ex ea causa consequentis.*

Hæc inania sunt fabulamenta nullo fundamento fundata. Nam siue dicas: Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meri-
D tum operum suorum; siue secundum opera sua; idem prorsus significas; sensus enim est, vnicuiq; destinari & reseruari mercedem pro dignitate & valore operum; quod breuius dicitur, *pro operibus;* siue *ratione operum.* Nonne idem sensus est, si dicam, mercenarium, exacto diurno opere, accepisse secundum opera; cum hoc; si dicam; eum accepisse, secũdum merita operum, seu pro meritis operum? An non vtrobique significo habitudinem operis ad mercedem iam debitam? Neque in illo modo loquendi, *secundum opera,* notatur alius ordo antecedentium & consequẽtium, quàm in isto; *secundum meritum operum;* notatur enim in priore illo, ordo operis ad præmium seu mercedem; at idem prorsus ordo notatur etiam

A in posteriore locutione; & vtrobique est ordo caussæ ad effectum; operis nimirum, quod est caussa, ad mercedem, quod est operis effectus moralis.

Quod adiicit Iunius, *vulgatam nostram versionem hic toto cælo aberrare ab editione Græca Complutensi, Romana, &c.* id toto cælo à veritate aberrat, vt antea ostensum: & liquidò cognoscet, qui Græcum textum cum nostro latino sincerè composuerit. Hæc de Iunio.

Hunnius mentitur, Bellarminum dicere, κατὰ ἔργα idem esse, *quòd meritum operum:* si Bellarminum inspicias, videbis eum non hoc, sed istud affirmare; κατὰ ἔργα *secundum opera* idem esse, quòd
B *pro meritis operum*; hoc diuersum quiddam est ab eo, quod nobis apponit Prædicans, qui ait; κατὰ ἔργα *non esse idem quod* διὰ ἔργα*, propter opera; hoc, significare meritum; illud non item.* Respondeo, licet inter κατὰ & διὰ *secundum & propter* sit quædam distinctio, quatenus vnum significat mercedem dari secũdum mensuram & proportionem operum; alterum verò denotat caussam, propter quam merces datur; vtrunque tamen vnum idemque meritum designat; vt si dicas: Huic vel illi retribuit Deus secundum opera; meritum indicas: vt & tunc, si dicas: propter opera retribuit Deus huic vel illi beato gloriam.

C Vt dilucidius Prædicantis subtilitas appareat, argutissimo argumento Bellarminum premere ingreditur. *Si* κατὰ ἔργα *significat, Pro meritis operum, tum etiam in aliis locis præpositio* κατὰ *significabit meritum eius rei, cum qua coniungitur in constructione. Ergò, cũ docet Apostolus, nos adoptatos in filios per Iesum Christum,* κατὰ τὴν εὐδοκίαν*, iuxta beneplacitum voluntatis Dei, & prædestinatos esse* κατὰ πρόθεσιν*, iuxta propositum Dei, Ephes. 1. & saluatos esse* κατὰ τὸν ἔλεον*, iuxta misericordiam Dei Tit. 3. vult dicere iuxta Grammaticam Iesuiticam, nos iuxta Meritum gratiæ Dei, & iuxta meritum, propositi, ac misericordiæ Dei esse prædestinatos, & saluatos.*

Respondeo, argumentum hoc esse speculum; vnum ex infinitis, Hunnianæ audaciæ & inscitiæ.
D Nam sola vox κατὰ non significat meritum; sed coniuncta cum vocabulo ἔργου vel πόνου, vel καμάτου, *operis, laboris*, vel alio quopiam huius generis; quia meritum est *actus, opus, labor* hominis, non Dei, aut alterius; vnde si coniungatur κατὰ cum voce, quæ non significat bonum hominis actum, vtique meritum significare non poterit. Ex quo statim elucescit, quid de Prædicanticis obiectiũculis sentiendum sit: nam in nulla penitus copulatur vox κατὰ cum voce alia, quæ bonum hominis actũ significet. Quomodo ergo κατὰ εὐδοκίαν, κατὰ πρόθεσιν, κατὰ τὸν ἔλεον idem significare queũt, quòd pro *beneplaciti, propositi, misericordiæ meritis?* Nugę & ineptiæ Prædicanticæ, quibus tamen ineptos admodum inescant, imò & saginant.

A Duodecimus locus est Ioëlis 2. *Præstabilis super malitia.* Quæ verba Kemnitis dicit nihil significare, & in Ecclesia nostra sine vllo intellectu cani.

Hanc sectarij vanitatem rectè redarguit Bellarminus, explicans quis huic loquendi formulæ subiiciatur sensus. Occinit VVitackerus. *Quid est, præstabilis super malitia? Bellarminum audiamus interpretem. Significat,* inquit, *præstabilis super malitia, excellens in miserando. quasi aut idem esset præstabilis super, quod excellens; aut malitia, quod miserando.* Calumniaris. Non dicit Bellarminus: *præstabilis super*; idem esse, quod excellens; & *malitia*; idem quod *miserando*; nec coniungit illud, *super* cum voce *præstabilis*, sed cum sequente. rectissimeque docet hanc esse sententiam: *Deum esse præstabilem,* hoc est,
B *eximium & excellentem: super malitia,* nimirum in remittenda & condonanda hominum malitia. Quæ explicatio tam proba est, ac genuina, & eam ipse etiam VVitackerus amplecti coactus fuerit, licet eam reprehendisset. *Dei clementiam,* inquit Hæreticus, *& bonitatem Propheta prædicat, eamq; tantam esse dicit, vt Deum mali pœniteat, quo populum afflictare decreuerat. Hoc, quid sit, facile intelligitur; Illud, non obscurum modo est, sed plane barbarum.*

Barbarum videlicet est, sed iudicio barbarorum Prædicantium, non sancti Hieronymi; qui in textu suo hoc verbum posuit & in commentario eodem vsus est; cui pati debet Kemnicius (& alij Prædicantes) vt plus tribuamus, quàm sibi; vt rectè dixit Bellarminus.

C Vbi Iunius. *Quid ergo? An eo minus obscurum est quòd Hieronymus vtitur?* Siue obscurum sit, siue clarum, non impetrabit à nobis vllus Prædicans, vt repudiemus, etiamsi sola auctoritas D. Hieronymi nobis suppeteret. quem ait Iunius; *interdum ex sua obscuritate laborare, dum studet grauitati.* Conferatur versio D. Hieronymi cum Iudaica versione Iunij & Tremmelij; & quæ nam dilucidior sit, æqua trutina examinetur. Certè versio Iuniotrémeliana tanta luce fulget; vt multis in locis nescias, vtrum sacram scripturam, an alicuius Thalmudici Rabbini in intimo synagogæ Iudaicæ sinu nati commentarium legas.

D Hunnius duo carpit. Primum, quòd vocabulum *præstabilis* non sit in Hebræo. Secundũ, quòd Interpres vocabulum *malitiæ* transtulerit ad malum culpæ, cum tamen eo loco sermo sit de malo pœnæ; quod malitiam appellari ait Prædicans inauditum esse. Ad primum respondeo, Interpretem nostrum non verbum verbo, sed sensum sensui reddidisse: quod ius fasque esse, docent ipsimet versores hæretici quotidiano suo exemplo. Ad secundum, negamus de solo pœnæ malo eo loco sermonem esse, quod apertissimè patet ex ipso textu, qui talis: *Conuertimini ad Dominũ Deũ vestrum. quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ. & præstabilis supra malitia.* Cohortatur Propheta Israëlitas ad pœnitẽtiam; inter cætera,

qui-

quibus ad salutarem conuersionem eos inducere tentat; commemorat quoque benignitatem & facilitatem Dei in ignoscendo, & in remittendis malis tam culpæ, quàm pœnæ, quæ propter mala culpæ infligere vel cogitarat, vel iam infligere cœperat: & hanc benignitatem & facilitatem Dei expressit interpres verbis illis: *præstabilis super malitia.* Deinde, licet eo loco de solo malo pœnæ Propheta ageret; an ideo Interpres noster vocabulo *malitiæ* perperam vsus fuisset? Quanta ruditas Prædicantis, cum ait, inauditum esse vocem *malitiæ* pro malo pœnæ seu afflictione accipi? Quod Prædicanti inauditum est, id iam audiat & discat ex commentario D. Hieronymi in caput secundum Ioëlis: vbi ista. *Malitiam in hoc loco non contrariam virtuti debemus accipere, sed afflictionem: iuxta illud quod alibi legimus: Matth. 6. sufficit diei malitia sua. Et, si est in ciuitate malitia, quam Dominus non fecerit.* Hæc D. Hieronymus; qui valde compertum habuit; quod huic Prædicanti incompertissimum fuit.

Decimus tertius locus est Micheæ 5. vbi legimus; *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda; ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.* Hunc locum deprauatum vult esse Osiander in annotationibus ad Harmoniam Euangelicam; & corrigendum pro, *paruulus es*; *parum est*, vt sis in millibus Iuda.

Iunius paucis se expedit; & rectè quidem. *Si peritior fuisset Osiander, aliter sensisset. Hæc interpretatio singularis est illius: Nihil ad nos.* Quod, Iuni, dicis de Osiandro; hoc eodem iure, id est, optimo dicere poteras de Kemnicio; deque alio quocunque vulgatæ editionis vituperatore. Si peritior fuisset Kemnicius, aliter sensisset. Verè probeque dictum.

VVitackerus vix audet reprehendere Osiandrum, reprehendit tamen; sed per ambages. *Pro Osiandro*, inquit, *nihil est quod respondeam.* Cur ergo non taces; & Osiandri stupidam hallucinationem ingenuè cum Iunio agnoscis? *Non videtur*, inquit, *contemnenda esse eius correctio.* At contemnit eam Iunius symmysta tuus. Contemnunt eam omnes Interpretes antiqui & noui, qui illud Osiandricum *parum est* tanquam inscitum & insulsum commentum aspernantur: etiam Iunius cū Tremmelio, qui in sua versione sic reddiderunt. *At tu Beth-lechem Ephrata minima vt sis in ducibus Iehudæ, ex te mihi prodibit, &c.*

Hunnius apertè Osiandrum tueri nititur: sed vt apertè; ita & ineptè ac insulsè; qui hoc loco Lutheri sui videtur oblitus cuius Germanicam versionem toties nobis apponit & oggerit; vt vulgati Interpretis auctoritatem eleuet. Cur non & hic Lutheri sui rationem habuit? Neque enim aut Michææ quinto, aut Matthæi secundo vertit, vt Osiander vertendum censuit, sed: communem & lectionem & translationem retinuit. Nec plura hic addam de Osiandrica imperitia & teme-

A ritate, contra quam copiosissimè disputat Franciscus Ribera noster in caput quintum Michææ.

Præter hæc sacræ scripturæ loca extra Psalterium ab Hæreticis, præsertim Kemnicio, allata & reprehensa; à Bellarmino autem defensa, multa alia adducit carpitque VVitackerus, quæ sigillatim excutere & expendere lubet, vt omnibus liqueat, quanta calumniandi libido istos teneat, præsertim, quando vulgata versio oppugnanda est. Genes. 1. v. 30. *Hæc verba desiderantur*, inquit VVitackerus, *in vulgata vestra editione*; omnes virides herbas. *Neq; superuacanea videri debent. Dominus enim hominis cibum à pabulo bestiarum hoc loco apertè distinguit. Homini Deus herbas, & arbores fructiferas; bestiis virides herbas omnes pro cibo dedit. Vulgatus interpres, iis*

B *verbis omissis, idem brutis, ac homini tributum à Deo alimentum esse dicit.*

Respondeo, esse eundem sensum, siue addātur verba illa, siue omittantur: id vt videas, en ipsa sacri textus dicta: *Dixitque Deus; ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram; & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam; & cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant, ad vescendum.* Vbi verbis illis: *oēm herbam afferētem semen super terram, &c.* hominibus, & brutis eundem cibum assignat; quod tamen accipiendum in distributione accommoda; vt monent Interpretes; nō enim omnis herba, omnesque fructus cuiuis animalis

C speciei attributi sunt, sed diuersis diuersi, prout vniuscuiusque natura exigebat: nam neque hominis aut equi aut bouis natura omnium simpliciter aut patiens aut appetēs tum erat; quemadmodum neque hodie. Neque absurdum censeri debet, eundem hominibus & bestiis cibum fuisse destinatum in communi; sicut neque iam in hoc rerum statu absurdum est dicere; hominū & bestiarum esse eundem cibum; quia herbis, fructibus; & carne victitant; tanquam cibo, quælibet tamen conuenienter naturæ suæ.

Lepidum est; quod VVitackerus tam accuratè cibum bestiarum à cibo hominum distinguere contendens, putat se id obtinuisse per illa verba ab interprete nostro, omissa: *omnes virides her-*

D *bas.* Scilicet herbæ homini in escam concessæ nō sunt virides. Fortè sunt coccineæ, aut purpureæ. An homo nulla herba vescitur, qua vescuntur bruta? An vice versa, bruta nullam comedunt herbam, nullosque fructus gustant, quam comedit & quos gustat homo? Quid si cum Pagnino, & Tigurinis aliisque Hebræistis vertamus; *omne olus terræ*; num distinctio VVitackeri subsistet? Num solæ bestiæ vescuntur oleribus: non homo? Nec futilitati suæ tegumentum inueniet, quamuis dicat; *homini datas esse omnes herbas sementificas; bestiis non sementificas.* Quia nihil est falsius. An nulla bestia herbis *sementificis* vescitur?

Iunius in Annot. ad primum caput Geneseos; per herbas homini cōcessas intelligit *satiuas, quæ-*

que

quæ cultu humano proueniunt; per *virides* animalibus attributas; *eas, quæ sponte nascuntur.* Nugas agit: tum quia in statu innocentiæ omnia sponte sua, nascebantur; tum quia bestiæ multas herbas comedunt, quæ iam non nisi per culturam crescũt & adolescunt; & vicissim homo multis herbis spontè prouenientibus in cibum vti solet. Idemque sentiendum de fructibus arborum. Itaque quidquid isti machinentur, nunquam tamen planum facient, omissionem illorum verborũ; *omnes herbas virides:* quidquam de sensu vero ac germano decerpere; quasi illis non positis, bestiæ proprio suo alimento careant: quia, vt homini, ita & bestiis, prioribus verbis propria esca decernitur.

Secundus locus, iudicio VVitackeri, in vulgata editione malè versus. *Genes.2.* vers.8. plantauerat Deus paradisum voluptatis à principio; *pro,* plantauerat Deus hortum in Heden ab oriente. *Nam* Heden *locum proprium significat, quemadmodum patet ex Genes. 4. vbi Cainum ad orientem huius loci assedisse legimus; & illum hortum non à principio Dominus condiderat, cùm herbas, arboresque frugiferas tertio demum die crearit, vt ex cap. 1. manifestum est. Rectius verterunt LXX. κατὰ ἀνατολάς; & Vatablus, Pagninus, Tremellius, ab Oriente.*

Quàm inscitus calumniator VVitackerus. Quasi verò quia vox *Eden,* aliis quibusdam in locis nomẽ proprium est loci; ideo Genes.2. etiam nomen proprium censeri debeat. Quis nescit idem nomen posse esse & proprium & appellatiuum, præcipuè apud Hebræos? Nec obstat, quod Hebraicè est, *in Eden seu Heden*; non enim ideo proprium loci nomen denotat; sed significat copiam & abundantiam deliciarum & voluptatum, quibus hortus ille à Deo conditus circumfluebat; quia quasi in visceribus deliciarum & mediis voluptatibus & oblectationibus creatus fuerat. Hinc etiã versio Vatablo adscripta vertit. *Et plantauit Dominus Deus hortos delicatissimos.* Quod carpit illud; à *principio*, iniquè ac imperitè facit; cum vox Hebræa, *ante* vel *principium* significet, vt veteres quoque Græci interpretes intellexerunt. Hinc, teste D. Hieronymo, libro de Hebr. Quæst. Aquila vertit, *ἀπ' ἀρχῆς.* Symmachus; *ἐν πρώτοις.* Theodotio, *ἐν πρώτοις*, ipse D. Hieronymus à *principio*; quod non ita explicari debet, quasi paradisus sit creatus ante omnes alias res; sed referendum est ad tempus primorum sex dierum, præsertim ad tertium diem, quo paradisum esse conditum communis & peruagata est sententia, inquit Pererius lib. 3. in Genesin; qui etiam docet, qua de caussa 70. Interpretes transtulerint, *ad orientem*; & quis verus sensus huic versioni subiici queat.

Tertius locus. Genes.2. vers.23. Hoc nunc os ex ossibus meis, *pro* hac vice os ex ossibus meis. Et, *esse in his verbis emphasin Hebrais vsitatam, scribit Caietanus.*

Quis Interpretem nostrum à tanto lapsu expurgabit; qui pro, *hac vice:* vertit *nunc:* Quasi non sit idem, si dicas; *Hac vice tantum lusi.* Vel; Nunc tantùm lusi. A nobis stant 70. Interpretes; D. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis; & ex recentioribus Hebræistis, Vatablus seu Tigurinus versor, & ipse Castalio; qui vertit. *Nunc demum. At latet Emphasis in illis; hac vice*; inquit VVitackerus. Emphasin istam, exposuit nobis, opinor, Iunius in notis ad secundum caput Geneseos: qui hac *Prædicantica* paraphrasi mentem non Adami, sed suam interpretatur: *Hac demum vice, &c. quasi dicat; nunc demum mihi singulare auxilium adest, singulari quadam forma, & ratione à Deo attributum: quod auxilium, ego altera illa vice, antequam indormiuissem, desideraueram.*

Locus quartus, quintus, sextus; *Genes. 3. vers. 6. aspectuque delectabile, pro, desiderabile ad consequendam intelligentiam. Vers. 8. in medio ligni paradisi, pro, inter arbores Paradisi.* Vers.17. *Maledicta terra in opere tuo, pro, maledicta terra propter te.*

Quod ad primum locum attinet, idem prorsus est sensus vulgatæ editionis, & eius, quam isti ex Hebræo proferunt. Nam quod aspectu delectabile est; vt erat arbor illa scientiæ boni & mali; id etiam est desiderabile, quia omne delectabile, est desiderabile. Et quia oculos coniecerat in arborem scientiæ boni & mali, non quomodocunque delectabilis & desiderabilis exstitit; sed propter intelligentiam & scientiam consequẽdam: hanc enim per esum fructum de hac arbore sese adepturam Eua sperabat; tum quia sciebat arborem illam à Deo *lignum scientiæ boni & mali* appellatam fuisse; tum quia Diabolus promissione scientiæ, si fructu arboris illius vesceretur; spem illius, quasi igne addito, vehementer inflammauerat.

Quanq̃ nil opus huc confugere: quia translatio nostra directè est Hebræo textui cõsentanea: qui ad verbũ sic habet: וְנֶחְמָד הָעֵץ לְהַשְׂכִּיל Quod etsi Pagninus ad verbum vertit: *Et concupiscibilis arbor ad intelligendum*; optimè tamen ad verbum quoque verti potest: *concupiscibilis arbor ad videndum*: quod nihil aliud est, quàm *aspectu delectabilis*: nam radix שָׂכַל, vt ipse Pagninus docet in Lexico, non tantùm significat *intelligere*, sed etiam *aspicere*, idque tam in coniugatione *Hiphil*, quam in *Cal.* Nil ergo caussæ est, cur vel latum vnguem à verbis nostræ translationis recedamus.

Secundum exemplum sycophantiam VVitackeri arguit: nam & Hebræa à Pagnino & Montano verbatim expressa cũ nostra editione conueniunt. Quæso, quid differunt hæc: *Abscondit se in mediis arboribus paradisi*; ab istis. *Abscondit se in medio ligni paradisi.* vel inter media ligna paradisi? Nihil penitus, si sensum spectes. Consentiũt 70. Interp. *ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου*, in medio paradisi. At VVitackerus statim, vt male translatum traducit, quidquid à Iudaica Iunij & Tremmelij versione dissentit. Quanquam isti etiam Iudaici Caluinistæ fatentur, Hebræum textũ habere; *in medio arborũ.*

In

In tertio exemplo nobiscum consentiunt 70. Interpretes; & S. Hieronymus in quæst. Hebr. sensusque eodem redit; siue legas; *maledicta terra propter te;siue;in opere,vel operibus tuis.* Nam si propter Adamum maledicta fuit; etiam maledicta fuit in opere Adami; & si maledicta fuit in opere Adami,maledicta etiam fuit propter Adamum.

Addo; si quid erratum sit; potius errorem esse in Hebræo: nam verisimile est nostrum Interpretem pro בַּעֲבוּרֶךָ, quod modo habetur in Hebræo; legisse; בַּעֲבוֹדֶךָ facta mutatione τοῦ ר in ד Qua lectione constituta;ad verbum erit;*in operari te*: vel; *in colere te*, terram scilicet. Cuius lectionis sensus examussim cum nostra concordat.

Septimus locus *Genes.4.v.13.* Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. *In Hebræo nihil est,quod vel leuissimā meriti significationem habeat. Vertendum erat. vt feram,* vel *sustineam,* vel *remissionem consequar, vt L X X. τοῦ ἀφεθῆναί με.*

Leuissima calumnia. An non vnum idemque prorsus est;Maius est facinus meum,quàm vt veniam merear; &, maius est facinus meum,quàm vt veniam consequar?Neque enim hic *meriti* nomen accipitur eo sensu, qui hæreticis perquam inuisus est. ac exosus;sed latiore significatu. Neque hinc Catholici, qui solidè argumentantur, meritum hominis apud Deum colligunt; non ignari, primam iustificationem seu reparationē peccatoris à lapsu non cadere sub meritum.

Octauus, nonus, decimus, vndecimus: *Versu 15.Nequaquam ita fiet;redundat.Neq. enim Caino dominus promittit fore.vt nemo illum occidat.* Vers.16. *Profugus in terra.pro in terra Nod.* vel Naid,*vt LXX.vel erroris. Vers.26 Iste cœpit inuocare:pro,tunc cœptum est. Non enim personam, sed tempus explicat Moses. Genes. 5. vers. 22.Illa verba,& vixit Enoch,superflua sunt.*

Lectionem prioris loci agnoscunt 70. Quos cum capite primo in illo κατ' ἀνατολὰς sibi VVitackerus sequendos duxerit,caussæ nihil habet,cur hic respuat; nisi quod recipit, quando lubet; & reiicit,quādo lubet. Vnde compertum,hæc quæ Interpres transtulit; non fuisse olim in Hebræo, & postea excidisse?Quod ait,Deum non promisisse Cain fore, vt nemo illum occideret; verum non est; si VVitackerus velit,vt videtur velle, cædem Cain non fuisse patrandam, aut patratam, vetante & prohibente Deo. Imò verbis grauissimis interfectionem Cain prohibuit: quod Caluinista discere poterat ex suis Symmystis & Synergistis Iunio & Tremmelio,qui ad cap. 4. Geneseos notāt: *Deum annuisse Kaino postulatum suum, & per grauissima pœnæ denunciationem cauisse, ne quis temerè in cædem illius prorumperet.* Quod etiam indicauit Castalio cum ita vertit. *Imò verò,quicunque Cainum occiderit, septupli pœnam subibit.* Quam Dei voluntatem, vt 70. & noster Interpretes clarius exprimerent,non malè addiderunt illud: *Nequaquam ita fiet:* si tamen in primigenio textu hoc ipsum non repererunt;quod non liquet.

A In secundo exemplo satius,nisi fallor,erit audire D.Hieronymum in quæst. Hebr. vbi ista; *Et habitauit in terra Naid. Quod Septuaginta Naid trāstulerunt,in Hebræo Nod dicitur:& interpretatur,σαλευόμενος,id est fluctuans,& instabilis,ac sedis incertæ. Non est igitur terra Naid, vt vulgus nostrorum putat: sed expletur sententia Dei,quod huc,atq. illuc vagus, & profugus oberrauit.*

Quocirca rectè vertit noster Interpres, qui non est alius, quàm ipse D.Hieronymus. Cum quo ex recentioribus Hebræistis facit Vatablus, vel potius Leo Iuda: qui vertit: *Habitauit profugus in terra,ab oriente deliciarum.* Et in scholiis: *Nod ita dicebatur à perfugio. aut certè vertendum, si fuerit appellatiuum.in terra perfugij,id est,in qua erat perfugium ipsis profugis.* B Vbi vides & Eden illud, quod capite primo noster interpres, *voluptatis,* transtulit; hic autem tanquam nomen proprium loci,retinuit; verti,*deliciarum.* Quid,quòd ipse Iunius in Notis ad caput quartum Geneseos interpretatur terram *Nod*.seu,vt ipse loquitur,*Nodi,terram agitationis & vexationis:* quod satis explicatur per illud: *profugus in terra.*

Ad illud de Enos, dico esse eundem sensum: si enim Enos cœpit inuocare nomē Domini;certè tunc cœptum est inuocari nomen Domini. A quo,nisi ab illo,qui cæteris omnibus pietate,religione, & cultu diuino antecedebat? Ad nostrā lectionem accedunt aliquatenus 70. ,qui reddiderunt. οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ. C *Hic sperauit inuocare nomen Domini Dei.* Et quia sperauit, ideo cœpit. Quomodo autem Enos dicatur cœpisse inuocare nomen Domini Dei,explicat Pererius libro septimo in Genesin. Hanc lectionem 70. Interpretum agnoscit etiam D.Hieronymus in quæst.Hebraicis.

Nec illud: *Et vixit Enoch*;superfluum est: quippe ab ipsis etiam 70. Interpretibus expressum, vt videre est in Bibliis Regiis.Et ad sententiam planè requiritur: alioqui existimare quis posset; solam Hebraicam & Hebræistarum scripturam secutus,Enoch non ambulasse cum Deo,*nisi postquam* genuit Mathusalem.Idq; vt ita esse videas, en tibi versionem Iuniotremmelianam. *Ambulauitque indesinenter Chanos* (Enoch) *secundum Deum,* D *postquam genuit Methuschelachum* (Mathusalem)*trecentis annis.* Et hoc,quod dico,agnouit etiam Oleaster, non minimus, tametsi Catholicus, ex illis,qui,Hebraicas potius,quàm à Patribus acceptas scripturæ expositiones amant. Ita enim in caput quintum Geneseos *Præ se fert textus iste,quod ante generationem Methuselach, non ambulauerit Chanoch cum Deo.forsitan malè vixit. Postquàm verò filium habuit: ambulauit cum Deo trecentis annis.*

Locus duodecimus, decimus tertius, decimus quartus;decimus quintus. *Genes.6.v.3. Non permanebit spiritus meus in homine,in æternum;pro,*non contendet spiritus meus. *Vers.6. Et præcauens in futurum;delenda sunt. Genes.8.vers.4. Vicesimo septimo die mensis, pro decimo septimo die mensis; vbi vulgata editio*

non

non fontes Hebræos, sed LXX. interpretes sequuta est: quod etiam fecit vers. 7. quando sic transtulit: qui egrediebatur, & non reuertebatur. *Nam coruus ibat, & redibat in arcam, quemadmodum ex Hebræo constat, quousque aquæ exaruerunt.*

Quod ad primum locum attinet, ita videlicet vertendum erit, quia Nouatores ita vertunt; præsertim VVitackeri amores, Iunius & Tremmelius: *non disceptabit spiritus meus.* Alij, vt Pagninus; *non erit, vt in vagina spiritus meus in homine in sæculum.* Vtranque versionem exponit Oleaster; etsi præfert illam: *non litigabit, vel disceptabit.* Nec abnuit Vatablus: sed quomodocunque vertant, nunquam vulgatam translationem euertent: idē enim semper sensus conficitur. Nam, quid aliud est; *non permanebit, vt in vagina spiritus meus in homine in æternum;* quia educetur; &, vt sic dicam, *euaginabitur:* vt & Vatablus fatetur; qui ait, idē esse; quòd; *non diu viuet homo.* ergo non diu permanebit spiritus in homine. Oleaster, dicit, se non videre, alicubi verbum *Iadon,* idem esse, quod *permanere;* At remoueat puncta, quæ necdum sunt *Canonizata;* legatque Iiddon. Est autem Iiddon, illud, quod alij Hebraizantes explicant; *quasi in vagina delitescet;* vt etiam Pagninus in Lexico annotauit. Accedit, quod ex illis ipsis, quæ eo in loco scripserat Oleaster, intellectu procliue erat, vulgatam editionem sensu ab istis non discrepare. Hæc enim sunt Oleastri verba: *Potest spiritus dupliciter accipi; vno modo pro spiritu, qui est ipsemet Deus: alio modo, pro spiritu, qui est anima, quam homini infudit. Si ergò accipiatur, iadon, vt significat litigare, vel iudicare, & spiritus pro spiritu; qui est ipse Deus: sensus erit; Non litigabit spiritus meus, id est, ego, qui sum spiritus, cum homine, quoniam ipse effectus est caro, id est carnalis. Ac si dicat; Non contendam iam amplius cum homine, arguendo ipsum: vt scilicet non sequatur suas concupiscentias; quoniam iam in carnalem conuersus est. Si verò accipiatur verbum, vt significat litigare, & spiritus, vt significat animam; sensus est. Non litigabit spiritus meus, id est anima, quæ est pars spiritus mei, aut quæ spiritualis est, cum homine, id est, corpore humano. Arguit enim continuè, spiritus carnem, cùm eam videt sequi brutales concupiscentias, iuxta illud Apostoli: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Cum quo, scilicet homine, ipse spiritus est caro, id est, videtur in carnem versus.* Etsi autem Oleaster magis probat hunc secundum sensum; id tamen nihil interest: quia sententia eodem semper recidit. Quapropter septuaginta quoque verterunt: οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου.

Verba illa: *Præcauens in futurum;* iam in noua bibliorum editione expuncta sunt; Quid vult amplius VVitackerus? Qui dicat velim; num antea in omnibus Latinis codicibus exstiterint?

Ad tertium Respondeo, si VVitackerus nobis perspicua quapiam ratione demonstrarit, Hebræum textum esse hoc loco purum ac sincerum in illo: *decimoseptimo mēsis die,* Latinos & Græcos codices vitiosos ac deprauatos, qui habent, *vigesimo septimo mensis die;* tum nō inuiti versionem nostram castigabimus; sed quando hoc præstabit VVitackerus? Aut quo argumento euincet hos potius, quam illos à mendo obsideri? Quis 70. Interpretes & nostrum tam lusciosos fuisse dicat; vt hoc tantum discrimen non viderint: quamuis non desint, qui vtranque computationem, nostram scilicet & Hebræam inter se conciliare tentent; è quorum numero Pererius noster in cap. 8. Geneseos.

Idem responsum sit Caluiniano de coruo ex arca emisso. Si enim alicubi mendum inest, citius crediderim inesse in Hebræo textu; quàm in Latino & Græco. Deinde Lucas Brugensis in Notationibus suis scribit se & alios quosdam vidisse aliqua exemplaria Latina, in quibus negatio deesset. Sed nil opus hoc perfugio. Dicimus enim cum Bellarmino, Luca Brugensi, & aliis, coruum non rediisse ad arcam, ita vt arcam ingrederetur; rediisse autem; sed ita, vt circa arcam volitaret; vel ei insideret. prius velle Latinos & Græcos Codices: posterius, Hebræos. Qua conciliatione posita, omnia consentiunt. Vide Pererium in cap. 8. Geneseos.

Locus decimus sextus. Genes. 11. vers. 12. *Arphaxad dicitur vixisse, post quam genuit Salethum; trecentos tres annos, in vulgata editione. Hebraicus verò textus illum quadringentos, & tres annos vixisse arguit.* Sed cum Ecclesia in nupera item Bibliorum recognitione lectionem vulgatæ nostræ translationis retinuerit; non adducar, vt credam nostram esse deprauatam; donec hoc non VVitackerus; sed Ecclesia vel Ecclesiæ summus pastor mihi dilucidè exposuerit. Interea nō video rationem, cur Latinam potius lectionem, quàm Hebræam corruptam existimare debeam.

Locus decimus septimus: *Genes. 13. vers. 2.* Diues valdè in possessione auri, & argenti: *pro,* diues valdè in pecore, in argento, & in auro. Quàm ingens lapsus nostri Interpretis; qui illud *Bemikneh* vertit *in possessione,* quod ipsemet Oleaster, & alij, qui Biblia iuxta nouas versiones interpretantur, & scrutantur, docet significare *possessionem;* à Chanah, *possideo;* & non nisi metaphoricè ad pecora transferri; quòd eo tempore potissima pars diuitiarum consisteret in pecore. Nec vitio vertendum; cum duo sequentia vocabula vertit in gignendi casu; cum Hebraicè coniūctam habeant præpositionem *In; in argento, in auro;* quia semper efficitur idem sensus. Nec est, quod dicat Hæreticus: omissum primum illud membrum; *in pecore:* quia cum nomen Hebræum sit ambiguum, vitio dari nequit Interpreti, si vnam, eamque magis propriam & loco huic non inconuenientem significationem elegerit. Nam quis neget eum hunc in modum vertere potuisse? *Abram diues erat valde in possessione, in argento, in auro:* Quid verò hoc aliud; quam quòd reddit Interpres? *In possessione auri & argenti.* Hisque expressis, facilè etiam intelligitur in illo altero; in quo diuitiæ tum præci-

puè consistebant; nempe in pecoribus, Abram fuisse valde opulentum.

Locus decimus octauus. Genes.13.vers.11. *Diuisiq, sunt alterutrum à fratre suo: quod quid sibi velit*, inquit VVitackerus, *intelligi non potest; textus Hebraicus apertus est; illos à se inuicem separatos fuisse.* Etiam Latinus apertus est apud illos, qui apertos habent oculos; quia nihil aliud significat quàm fratrem à fratre, Abram à Loth separatum fuisse. Nam illud, *alterutrum*, accipitur pro *inuicem*; vt & apud S.Iacobum cap.4. *Nolite detrahere alterutrum*; & cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, hoc est, *inuicem*.

Locus decimus nonus. Genes.14.vers.3. *Vallis syluestris dicitur, quæ Siddim vel campestris dicenda erat, nam nisi proprium sit, locum aratum, non syluestrem significat.* Ita audacter pronunciat VVitackerus; cum neque nunc, neque olim Interpretes in significatione vocis *Siddim* conspirarint. Hinc, teste diuo Hieronymo in Quæst. Hebr. aliqui, vt Aquila, verterunt, *τῶν περιπεδινῶν*; Theodotio, *τῶν ἀλσῶν, amœna nemora* innuens. 70. Interpr., *ἁλυκὴν, vallem salsam*. Pagninus, Vatablus, Tremmelius, Iunius & Castalio retinent ipsum vocabulum *Siddim*: quod Hebræis non planè perspectum esse fatetur Oleaster. Quamuis ipse putet hoc nomine significari *agros cultos & aratos*: quod & Vatablo placet in scholiis. Interim opinio hæc non euertit illam alteram, quæ *vallem syluestrem* seu *nemorosam* interpretatur, præsertim cum & *campestris*, seu *agris* culta simul & syluestris esse potuerit; quo pacto hodie etiam multas valles & agris frumentiferis & frequentibus syluis iucundè distinctas videmus.

Locus vigesimus. *Genes.17.vers.16. orietur ex eo, pro ex ea.* Sed idem sensus est: nam ex Sara, non nisi per Isaac nati sunt populorum Reges. Itaque siue dicas; *Ex ea*, siue, *ex eo*; sensus idem exsistit. Mirum, hoc loco hæreticos Saræ tam esse propitios, vt gloriam hâc nolint ab illa ad filium Isaac deriuari; cum tamen locus iste longè melius, etiam quoad litteram, intelligatur de Isaac, quàm de Sara; & si spiritualem sensum huius capituli spectemus, quē nobis Apostolus ad Galatas exposuit; multo magis quadrabit noster, quia de Christo allegoricè intelligitur, interprete ipso Apostolo; vnde maxime propriè de illo affirmatur: *Orientur ex eo Reges.* Quanquam si Catholici communi consensu locum hunc; *orientur ex ea Reges, &c.* interpretati fuissent de beata Virgine; sicut illum: *Ipsa conteret caput tuum*; de eadem Deipara interpretati sunt; sectarij totis viribus sese opposuissent; &, *ex eo*, *non ex ea*, legi debere vociferati fuissent. Sed tamen cum certum sit, id quod ibi de Sara & semine eius scribitur, de Christo intelligendum esse; necessariò concedere oportet; quæ Saræ promittuntur, pertinere etiam ad matrem Christi, hoc est, ad Deiparam; vnde si

A prærogatiua illa; *Reges orientur ex ea*; ad Saram spectat, spectabit itidem ad D. Virginem; quam autem benignis auribus hæc accepturi sint hostes Deiparæ, non satis vtique dispicio.

Nec omittendum illud: de quo opportunè monuit Tannerus noster. Voculam *Ben*, quæ *filium* significat, apud Hebræos nonnunquam esse generis fœminini, vt patet Genes.49. vers.22. vbi bis habetur Ben porath, *filius accrescens*; cùm manifestum sit, porath esse fœmininum. Quod si etiam in eo loco, de quo controuersia est, factum dicamus, iam noster interpres omnia ad Isaac referendo, per masculinum interpretatus est. Aliàs dicendum foret, omnia etiam præcedentia; *& benedicam ei, &c.* ad Saram pertinere. Omnia e-
B nim apud Hebręos sunt fœminina. Quod tamen nō satis cohæret instituto. quia propositum fuit, maximè filij illius, ex Sara nasciturі excellētiam monstrare, quod non satis fuit expressum, si omnia de Sara interpretemur. quia, fieri poterat, vt ea promissione non obstante, per alium filium eam benedictionem consequeretur. Equidem hac consideratione nihil dubito, quin & in Hebræo omnia de filio Isaac dicantur, & proinde in Latino eidem acutissimè sint accommodata.

Locus vigesimus primus. *Genes.19.vers.18. Quæso, Domine mi, pro; non, quæso Domine mi.* Nimis minutatim corradit calumnias VVitackerus: siue enim illud *Ne*, seu *non*, omittatur; siue addatur; idem prorsus sensus est. In montem enim Loth
C ne ascendere cogeretur, deprecatus est, contentus paruula, quæ iuxta erat, ciuitate. Hoc æquè in nostra translatione exprimitur, atque in illa Hebræistarum, quæ negationem adiunctam habet; quia quod hæc significat clarè & explicitè; hoc nostra declarat implicitè; vt & editio septuaginta Interpretum, quæ hac negatione caret.

Locus vigesimus secundus. Genes.21. *Nimis leue est, quod in vulgata legitur, Ismaëlem lusisse cum Isaaco. Lusit Isaacum potius, quam cum illo lusit: & ita vertendum, constat ex Apostolo ad Galat. 4. vers. 29. qui hanc irrisionem non aliud, quàm infestam persequutionem interpretatur. At verò si nihil Ismaël fecisset, quàm*
D *cum fratre lusisset, nec id Sara tam iniquè tulisset, nec Apostolus hoc nomine Ismaëlem tanti criminis reum damnasset.* Nimis pueriliter ludit hic VVitackerus: nā quomodo ipse Interpres & sancti Patres hunc lusum Ismaëlis cum Isaac intellexerint; discere poterat ex eorum Commentariis. Neque ludere cum aliquo id tantum significat, quod VVitackerus commemorat; sed præterea illusionem & irrisionem denotat; etiam vulgari loquentium consuetudine.

Locus vigesimus tertius, quartus, quintus, sextus, Genes.24. vers.22. *Duo sicli, ponuntur pro dimidio sicli. Et vers. 32. quid est distrauit camelos? Vertendum erat*, soluit camelos; *vel, clitellas camelo detraxit: quod non est, vt ego existimo, distrauit. Et in hoc etiam*

versu,

Digitized by Google

versu, aqua dicitur allata ad camelorum pedes lauandos, quæ lauandis, non camelorum, *sed illius serui pedibus erat parata. Et vers. 61. vulgata habet; qui festinus reuertebatur ad Dominum suum, pro his verbis; & tulit seruus ille Rebeccam, & abiit.*

Verum quod ad primum attinet, cum exemplaria hic varient: & Chaldæus quidem paraphrastes, vnum Siclum: 70. Interpretes, pondus drachmæ nobis exhibeant; patietur VVitackerus, vt dum aliquid certius in lucem venerit, vulgatæ editioni tam antiquæ, & tot sæculorum suffragiis comprobatæ adhærescamus. Nam quo iure nostram dicit esse vitiatam, eodem nos illud ipsum in Hebræum textum retorquemus; & res hæc non declarata per Ecclesiam, ad nullum fidei aut morum dogma pertinet, siue duo fuerint Sicli; siue dimidius. Ad quam opinionẽ videtur quoque accedere diuus Hieronymus in Quæst. Hebraicis, ita scribens: *Et tulit vir inaurem auream, didrachmum pondus eius. Bace, quod in hoc loco pro didrachmo scribitur, semiuncia est: Secel verò, qui Latino sermone siclus corruptè appellatur, vncia pondus habet.*

Quod ad alterum attinet, si VVitackerus correctiora exempla consuluisset, non *distrauit*, sed *destrauit* reperisset. Est autem desternere, equis, camelis, aliisue iumentis clitellas, ephippia, & id genus alia detrahere; nec est verbum nihili, sed probum, & eleganter ab Interprete nouatum, vel ex vetere quopiam scriptore acceptum; quod si hodie Criticus aliquis in antiquis Apuleij membranis inueniret, gemmam à se repertam existimaret.

Quod de aqua adiicit; iam olim monuerunt Louanienses de vera lectione; quæ & in textum recepta in noua Bibliorum recognitione: quæ sic habet. *Destrauit camelos, deditq; paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum, qui venerant cum eo.*

Eius, quod addit Hæreticus de reditu serui; & nostræ vulgatæ lectionis, sensus planè idem est. quia festinus reuertebatur seruus ille ad Dominum suum, vtique non sine Rebecca, Domini sui sponsa.

Locus vigesimus septimus Genes. 25. vers. vlt. *In vulgata Esau dicitur*, paruipendisse, quod primogenita vendidisset. *At textus Hebraicus ait illum contempsisse ipsam primogenituram. Potuit autem Esau primogenituræ venditionem perparui facere, & tamen ipsum ius primogeniti magni æstimare. Itaq; vulgatus interpres verborum sententiam, vimq; illius peccati minimè assequutus est.*

Quàm insulsus calumniator. Quia si ius primogenituræ Esau magni æstimasset; vtique pro re tam leui nunquam vendidisset: neq; vnquam venditionem ipsam parui fecisset; quin potius re accuratius considerata vehementer doluisset, cum animo suo reputans magnitudinem iuris, quo se imprudens priuasset: quod etsi postea, teste Apostolo Hebr. 12. contigit, id tamen nimis

A

serum erat. Certum est, cum initiò, vt ipsam venditionem; ita & ius primogenituræ parui fecisse; idque nostrum Interpretem rectè sua in translatione expressisse. Et hoc declarant illa Esau verba: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* hoc est, ius ad primogenituram. Et hac vili de primogenitura existimatione inductus, ad ipsam venditionem progressus est: Itaque interpres noster explicans & exprimens effectum, videlicet venditionem & contemptum venditionis, satis etiam expressit originẽ huius contemptus; nempe despicientiam ipsius iuris, quod, tanquam primogenitus, Esau habebat.

Locus vigesimus octauus, nonus, trigesimus, primus, secundus. *Genes. 27. vers. 5. vt iussionem patris impleret; pro, vt caperet venationem, quam adferret.* At

B

sensus vtriusq; lectionis idem est: nam hoc Isaac præceperat Esau. *Sume arma tua, pharetram & arcum, &c. & affer, vt comedam, &c.* Hoc igitur patris præceptum exposuit Interpres noster illis verbis: *Vt iussionem patris impleret*; quæ alia non erat; quàm vt venatu aliquid apprehensum sibi adferret. Sensum igitur spectauit Interpres, non verba appendit.

Vers. 33. illa verba: *Vltra quàm credi potest, admirans; redundant*, inquit VVitackerus. Sed mentitur. Pertinent enim ad explicationem vehementis illius admirationis, qua Isaac ob nouitatem rei perculsus fuit; nec ipsis etiam Hebræis verbis repugnant. Quæ sic vertit Vatablus vel potius

C

Leo Iuda. *Et expauit Isaac ingenti pauore, idque supra modum.* Pagninus, vel Arias Montanus: *Contremuit Isaac tremore magno vsq; valde.* Et in margine: *Expauit pauore vehementissimè.* Iunius & Tremelius: *Tunc contremuit Iitzack tremore magno admodum.* Castalio: *Maiorem in modum obstupefactus.* Quid, quæso, interpretis nostri versio habet, quod cum hisce nouorum versionibus non congruat, quodque sensus loci & magnitudo admirationis, qua Isaac tenebatur, non requirat?

Genes. 31. vers. 32. ait VVitackerus, redundare ista: *Quod autem furti me arguis.* Iterum calumniatur, quia optimo iure ab Interprete adiecta sunt, vt sensus clarior efficeretur; qui sine his obscurus est & varia aposiopesi seu reticentia implica-

D

tus, vt patet ex illorum versionibus, qui nulla sensus ratione habita, Hebræa ad verbum reddunt.

Genes. 34. vers. 29. illa desiderantur, inquit VVitackerus: *Et diripuerunt denique, quidquid in domo qualibet erat: Illa verò redundant; Quibus perpetratis audacter.* At licet priora verba essẽt omissa in versione nostra, tamen omissio ista fraudi aut dãno non esset sententiæ; nam quidquid VVitackerianis istis verbis significatur, hoc totum exhibent lectori hæc nostræ versionis: *Oues eorum, & armenta, & asinos, cunctaquè vastantes, quæ in domibus & in agris erant, paruulos quoq; eorum, & vxores duxerunt captiuos.* Illa, *quibus patratis audacter*, exigit maior perspicuitas sententiæ.

Digitized by Google

Locus trigesimus tertius. Genes.36. vers.24. vulgatus Interpres ait; *Anam inuenisse aquas calidas in solitudine: quam versionem omnes, qui Hebraicè aliquid intelligunt, falsam esse norunt. Inuenit enim iste Ana non aquas calidas, quarum hîc nulla mentio inueniri potest, sed mulos. Locum igitur hunc L X X. malè verterunt, eosq́; vulgatus interpres secutus, à veritate Hebraica aberrauit.* VVitackerus sententiam definitiuam nimis præcipitat. Licet enim Hæretici versores, & quidam alij ex Hebraizantium numero, contendant vertendum esse *mulos*; lis tamen vt olim, ita & iam quoque sub iudice disceptatur; nec omnes in sententiam, quam VVitackerus proponit, eunt. De antiquis audi S. Hieronymum in Quæst. Hebraicis: *Ipse est Ana, qui inuenit Iamim in deserto, cum pasceret asinos Zebeon patris sui. Multa, & varia apud Hebræos de hoc capitulo disputantur. Apud Græcos quippe, & nostros super hoc silentium est. Alij putant, iamim, maria appellata, iisdem enim literis scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ iuxta idioma linguæ Hebraicæ, maria nuncupentur: quod scilicet stagnum repererit, cuius rei inuentio in eremo difficilis est. Nonnulli putant, aquas calidas iuxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. Sunt, qui arbitrentur, onagros ab hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur iamim. Plerique putant, quod equarum greges ab asinis in deserto, ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalia nascerentur. Aquila hunc locum ita transtulit: ipse est Anas, qui inuenit τὺς ἰαμείμ. Et Symmachus similiter, τὺς ἰαμείμ. quæ interpretatio pluralem numerum significat. Septuaginta verò, & Theodotion, æqualiter transtulerunt, dicentes τὸν ἰαμεὶν, quod indicat numerum singularem.*

Ex quibus intelligas mentiri VVitackerum, quando ait, 70. Interpretes transtulisse *aquas calidas*, hosque secutum interpretem nostrum à veritate aberrasse. Nam 70. Interpretes retinuerunt vocem Hebræam, teste D. Hieronymo: & patet in Bibliis Regiis & in editione Sixtina. Ex recentioribus audi Oleastrum, & intelliges, quàm nō sit extra controuersiam num vox *Iamim* mulos significet. *Impingunt hîc omnes in vulgatum interpretem, quod pro iemim legerit maiim, id est, aquas, & ex suo, calidas addiderit. Hieronymus in libro Hebraicarū quæst. de hac re sic dicit ad verbum: Multa, & varia apud Hebræos, &c. Vt autē ego etiam quid de hac re sentio, dicam: Arbitror hîc (iemim) non mulos, vt moderni dicunt, sed maria significare. Moueor ad hoc primùm, quod radix iemim sit (iam) quod in confesso est, mare significare. Neque obstat, quod nostri obiiciunt, scilicet scribi, iamim, dum maria significat, non, iemim. Ad quod dico, variam punctaturam in nominibus eiusdem radicis, non semper variare significationem, &c.*

Est autem aduertendum, scripturam hîc factum, seu inuentionem huius viri, quasi rarum aliquid enarrare. Non est autem rarum stagna in solitudine inuenire: ideo reiicimus illorum sententiam, qui dicunt eum stagna, aut aquas inuenisse in solitudine. Non audeo autem mulos vertere: quia nusquam in scripturis vocabulum hoc significare mulos reperi: & propter paucos Hebræos, qui, (vt sæpe testatus sum) coniecturis potius, quàm linguæ peritia aguntur: non puto nomen à suæ radicis significatione alienandum. Quam ob rem æstimo hunc. Anah. ideo hoc rarum in solitudine inuenisse dici, quod venam aquæ salsæ, quam hîc mare scriptura vocat, repererit. Nam, hoc rarissimum est: aliquando tamen reperitur. Et audet tamen VVitackerus Interpreti nostro insultare, quasi iam omnium consensu aduersus illius versionem conclamatum esset.

Locus trigesimus quartus. *Genes.37. vers.2. Ioseph dicitur in vulgata fuisse annorum* sedecim, *cum gregem patris sui pasceret, vnâ cum fratribus suis: in Hebraico verò textu, annorum septendecim. Verùm nihil negotij est,* inquit Pererius in illud ipsum Geneseos caput: *quantum ad veritatem vtriusque sententiæ, ista conciliare inter se. In promptu enim est, dicere, Iosephi fuisse tunc decimum sextum ætatis annum iam expletum: fuisse autem decimum septimum tantummodo inchoatum: & Latinum interpretem voluisse describere ætatem Ioseph ab annis eius iam completis; alios verò, ab vltimo eius anno iam inchoato. Nempe frequens est apud historicos, & chronographos talis computandi diuersitas: vt alij annos duntaxat exactos percenseant, alij etiam inchoatos tantùm.*

Locus trigesimus quintus. Ibidem: *Vulgatus Interpres,* ait, *Iosephum accusasse fratres suos apud patrem suum crimine pessimo, quasi certum aliquod, fœdumq́; scelus designaretur: at Hebraicus textus sic habet: retulitquè Ioseph malam illorum famam ad patrem ipsorum: hoc est, illorum mores improbos ad patrem detulit: eumquè de illorum cunctis vitiis certiorem fecit.* Nugas agit VVitackerus; & sumit pro certo, quod est incertum. Sumit quasi certum, Iosephum nō detulisse certum crimen fratrum ad parentem. Quod incertum est; & in disputatione versatur, vt patet apud Pererium in hoc caput Geneseos. Nec tamē versio nostra necessariò crimen certū indicat: Nam potuit illos generatim accusare, qꝫ malè passim audirent propter improbam ac flagitiosam vitam; quod erat crimen pessimum; Quod enim peius crimen, quàm improba & flagitiosa vita? Quare Interpretes noster non dissentit ab Hebraica lectione; quæ sic ad verbum habet: *Et retulit Ioseph infamiam eorum malam ad patrem eorum*; nimirum Hebræus textus effectum; Interpres noster caussam posuit; Flagitiosæ enim vitæ effectus est infamia. Quis nescit, nisi quis metonymiam nescit, caussam pro effectu, & hunc pro illa vsurpari solere?

Locus trigesimus sextus. Genes. 38. vers. 5. *Vetus interpres legit, Quo nato, parere vltrà cessauit: quod à sensu Hebraici textus alienum est. Ita enim vertendum*

est;

est; & erat in Chezib, cùm ea pareret istum. Est autem Chezib vrbis apud Philistæos nomen. VVitackerus odio Interpretis nostri, & amore criminandi iterum temerè sentētiam præcipitat; & controuersię finem imponere properat, nondum omnium auditis expensisq; suffragiis. Nam & olim & hoc etiam tempore lis est de significatione vocabuli *Chazbi*, vel *Chezab*, num sit nomen proprium loci, an verò appellatiuum, vt vocant. De antiquis testem accipe D. Hieronymũ, qui hæc in Quæst. Hebraicis. *Et adiecit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Sela.* hæc autem erat in Chazbi, *quando peperit eum. Verbum Hebræum hic pro loci vocabulo positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens: Et vocauit nomen eius Selom: Et factum est, vt mentiretur in partu, postquam genuit eum. Postquam autem genuit Selom, stetit partus eius. Chazbi ergo non nomen loci, sed mendacium dicitur. Vnde & in alio loco scriptum est; Mentietur opus oliuæ; id est, fructum oliua non faciet.*

Ex recentioribus audi Oleastrum, non postremum inter Hebraizantes interpretes: *Multi putant Chezib esse hic loci nomen, quemadmodum videtur esse Michææ 1. vbi habetur: Et domus (Achzib) id est, talis loci: erunt Leachzab, id est, in mendacium, vt Sanctes vertit. Probatur etiam esse nomen loci. Iosue 15. Et Cheilab & Achzib. Dicunt etiam Hebræi Chazab significare mendacium; ad quod citant illud Psalm. 4. quæretis chazab, id est, mendacium; sed Hieronymus dicit Isaiæ 54. verbum Chazab significare, deficere: vbi, interpretatur, cuius non iechazebu, id est, deficient aquæ; ex consequenti verò, mentiri; quod nihil aliud sit, quàm à veritate deficere: & nomen chezib defectum, & mendacium significare videtur. Vnde illud Psal. 116. Ego dixi in festinare meo; omnis homo chozeb, id est, deficiens, seu deficit, & tandem moritur: ac si dicat; Dum dies meos festinare considerarem, dixi omnẽ hominem tandem per mortem deficere. Et proculdubio iste est germanus illius literæ sensus. Illud etiam, quod Numeri 23. habetur: Non est vir Deus, vt mentiatur. Melius vertas, vt deficiat: & filius hominis, vt mutetur, seu vt pœniteat eum. Hîc verò non arbitror loci esse nomen, sed significare defectum. Et sensus est: Et fuit defectus, id est, defecit à pariendo, dum pareret illa illum, scilicet, selah. Neque obstat, quod verbum, fuit, cùm sit generis masculini, non potest ad vxorem referri: quoniam hoc sæpe fit: vt scilicet verba fœminina ponantur pro masculinis, & contrà: sed hîc non est opus, cùm verbum possit esse impersonale.*

Trigesimus septimus locus. Genes. 38. vers. 12. *Hiras vocatur, opilio gregis à vulgato interprete, quemadmodum à LXX. ὁ ποιμὴν αὐτοῦ. Sed Hieronymus hanc versionem improbat; & verbo Hebraico, non pastorem, sed amicum significari docet. Ita iste Hiras, qui cum Iuda in villam profectus est, amicus eius, non pastor fuit.* Si Hæreticus candidè & sincerè egisset, aut nomẽ Hieronymi subticere, aut sententiam eius non truncatam, sed integram adducere debebat. *Pro pastore,* inquit sanctus Hieronymus, *amicus legitur. Sed verbum ambiguum est. quia iisdem literis vtrumque nomen scribitur. Verùm amicus Re; pastor; Ro legitur.* Cum er-

A go, teste sancto Hieronymo, nomen hoc sine punctis scriptum planè sit ambiguum, iure culpari nequeunt septuaginta Interpretes, quod elegerunt eam nominis notionem, quam argumento loci potissimùm quadrare videbant. Et sanè longè credibilius est, 70. illos veritatem attigisse, quàm nouos istos veterum oblocutores & contemptores.

Trigesimus octauus locus. *Genes. 38. vers. 23. vetus translatio habet: certè mendacij arguere nos non potest. At Hebraicè verborum hic est sensus. Ne simus contemptui.* Verum ab hoc sensu non discessit interpres noster. nam mendacij argui; est exponi contemptui; seu pudefieri; vnde Vatablus vertit; *ne pudefiamus.* si scilicet postea ab ea mẽdacij arguamur,
B quasi non seruauerimus fidem. Quanquam Castalio versionem illam suam nouam, *ne probrosi simus:* nouo itidem glossemate ornat. *Si amplius eam quæramus, rescifcetur hoc; & nobis probro erit, me scortatum esse.* Ingeniosè scilicet, vt solet Castalio.

Trigesimus nonus locus. *Genes. 39. vers. 6. desiderantur hæc verba. Quapropter reliquit omnia sua in manu Ioseph.* Desiderantur. Sed à quibus? Ab hostibus vulgatæ editionis; Absunt enim sine vllo sensus dispendio. Nam hoc ipsum iam antea significatum fuerat illis verbis vers. 4. *A quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa, quæ ei tradita fuerant.* Et satis significatur postea his ipsis verbis: *Nec quidquam aliud nouerat* (Putiphar) *nisi panem, quo vescebatur.*

C Quadragesimus locus est. Genes. 39. vers. 10. *Aliquid deest, sine quo sensus perfectus non est. Sic enim legimus in vulgata; Huiusmodi verbis per singulos dies; addendum erat ex Hebraico fonte;* allocuta ea est Iosephum. *Illa verò, quæ sequuntur verba, superflua sunt: & mulier molesta erat adolescenti.* Posset VVitackerus non iniuria lectori mouere suspicionem, an ista satis sobrius scripserit. Quid enim deest in ista oratione? *Huiuscemodi verbis per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Nulla hic ellipsis, nulla aposiopesis. Nihil penitus aliunde supplendum. omnia plena sunt ac integra; eiusdem prorsus cum Hebræis sensus ac sententiæ. Nec redũdant illa: *molesta erat adolescenti:* quia assidua illa de flagitio perpetrãdo compellatio,
D Iosepho molestissima accidebat.

Locus quadragesimus primus. Genes. 40. v. 5. *Hæc omnia verba desiderantur; Pincerna ille, & pistor ille, qui erant regis Ægyptij, & qui vincti in turri carceris.* Num propterea aliquid de integritate sensus deperiit?

Quadragesimus secundus locus. *Genes. 40. vers. 16. tria canistra farinæ, pro, tria canistra alba, vel viminea; sed hic vetus interpres secutus est septuaginta, non fontem ipsum Hebraicum.* Scilicet plus fidei tibi tuisque Hebraizantibus symmystis habendum est, quam 70. Interpretibus. Quanquam neque noui versores in translatione huius loci conueniãt. Nam Iunius, & Tremelius verterunt. *Canistra crebris foraminibus seu foraminosi operis.* Oleaster. *Dictio,*

Digitized by Google

Chori, frequentius significat foramen, vnde quidam vertunt: foraminum, id est, perforata, & melius, meo iudicio. Chaldæus Paraphrastes: *Tria canistra plena pane principali.* Aquila. τρεῖς κόφινοι γύρεως, *tres cophini pollinis, seu floris ex farina.* Symmachus. τρία κανᾶ βαΐνα. *Tria canistra ex ramis palmarum.* Cum ergo nec veteres, nec recentiores in translatione huius loci consentiant, impudens est VVitackerus, qui nostro Interpreti tot tantosque viros secuto litem quasi de male conuerso hoc loco mouere non erubescit.

Locus quadragesimus secundus. Genes. 41. vers. 45. *Vulgatus interpres in eo nomine, quod Pharao Iosepho imposuit, exponendo, coniecturam potius, quàm rationem certam, secutus est. Primùm enim ait, illa nomina esse Ægyptiaca: deinde interpretatur; Saluatorem mũdi. Sic enim in textu vulgata editionis legimus: Et vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi. Septuaginta, duas has dictiones sine interpretatione posuerunt. Et Hebræi dubitant, Ægyptiane, an Chaldaica sint. Iosephus eas voces interpretatus est; inuentorem occultorum, itidemque Hebræi recentiores, & Chaldæus Paraphrastes.* Vnde verò Hieronymus *didicerit voces has esse Ægyptiacas, eisque* mundi Saluatorem *significari, mirum videri potest.* Mihi longè magis mirum videtur Caluinistam hunc eò audaciæ processisse; vt D. Hieronymum docere conetur, quomodo cognomentum *Zaphanat Phaanecha*, Iosepho à Pharaone impositum, interpretandum sit, cum Hieronymus in AEgypto & inter AEgyptios aliquandiu vixerit, eorumque, Bethlehemi postea commorãs, quotidiana consuetudine vsus fuerit; qui sine dubio melius indicare & iudicare potuerunt, quid ex lingua AEgyptiaca depromptum esset, quàm iste ex vltima iam post tot ætates, Britannia contra D. Hieronymum declamitans. Qua de re Eugubinus in recognitione Pentateuchi ita scribit: *Voces, quæ in Hebræo ponuntur hoc loco, & quas septuaginta non interpretatas omiserunt, quasi earum significationes ignorarent, aut Ægyptiaca, aut Chaldaica sunt. Aben Ezra fatetur ignorare se, quid propriè significent. Sanctus tamen Hieronymus interpretatus est, Saluatorem mundi, dicitq́, eas Hebraicè significare, Absconditorum repertorem: sed non esse eas interpretandas Hebraicè, sed Ægyptiacè. Et sane ipsarum literarum forma videtur externa, non autem Hebraica. Itaq́, verisimile est, B. Hieronym. diligenter super ea re requisiuisse, atq́, eo modo reddidisse. Cui etiam gratia plurima habenda, quod rem obscuram, & ab ipsis 70. ignoratam, & ab Hebræis, nobis aperuerit. Sunt autem hæ voces corruptæ apud 70. interpretes. Nam pro illis, posuerunt ipsi, psomthophanech: nisi fortè consultò eas immutarunt, quod ex Ægyptiis intellexissent, apud Hebræos potius esse corruptas: quod mihi non sit verisimile.*

Quadragesimus tertius locus. Genes. 49. vers. 11. *Iacob de Iuda ait; ligans ad vitem pullum asinæ suæ. Vulgatus autem interpres, ea verba sic transtulit; Ligans ad vitem, ô fili mi, asinam suam.*

Quid tu hic carpis Caluinista, cum verba Hebraica verbatim expressa alium sensum non reddant, quàm quem noster Interpres nobis exhibet? En tibi seu Montani seu Pagnini ex Hebræo versionem prout in Bibliis Regiis exstat. *Ligans ad vitem pullum suum, & ad vitem optimam, fili mi, asinam suam.*

Quadragesimus quartus locus. Genes. 49. vers. 24. *Iacob ait de Iosepho: Et roborata sunt brachia manuum eius: quod in vestra editione, sententiam planè contrariam habet:* dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum eius. *Sequutus hoc loco interpres est versionem 70. non Hebraicum textum.* Sed mentitur VVitackerus: non enim est contrarius, sed idem plane sensus, nimirum iste: Quoniam Ioseph omnem fiduciam auxilij, & præsidij sui in Deo posuerat, idcirco omnia vincula, quibus ipse vel à fratribus, vel ab AEgyptiis constrictus fuerat, dissoluta sunt.

Eundem sensum reddunt hæc ex Hebræo. *Roborata sunt brachia eius;* dissolutis scilicet & abiectis vinculis; significatur videlicet annulus aureus, & currus, & alia principalia ornamenta, quibus à Pharaone ornatus, & decoratus est, vt narrat scriptura Genes. 41. vt rectè explicat Pererius in cap. 49. Geneseos. VVitackerus verba vulgatę editionis ita accepit; quasi brachia & manus Ioseph elanguissent ac eneruatæ fuissent. qui non est Interpretis nostri sensus, sed Caluinistæ figmentũ. Et hæc sunt, quæ ex libro Geneseos VVitackerus carpenda selegit. *Si reliquos veteris testamenti libros,* inquit, *ista ratione excuterem, erratorum quidem magnam copiam inuenirem, multasque paginas complerem.* Scilicet errores non errores inuenires, similes illis, quos ex Genesi produxisti; cusos in malè sano cerebro tuo, cui error est, quidquid aut nouum aut nouatum non est.

CAPVT XIII.

Defenduntur loca, quæ in Psalmis malè reddita fuisse à latino interprete, Caluinus contendit.

PRIMVS locus est Psalm. 2. vers. 12. *Apprehendite disciplinam.* Hunc locum vitio interpretis deprauatũ vult Caluinus in Antidoto: cùm in Hebræo sit, *osculamini filium.* Respondet autem Bellarminus sensum esse eundem.

Obiicit VVitackerus. I. *Interpreti scripturæ non licet verba mutare; atq́, hac defensione deinceps vti, sensum esse à se redditũ. Non enim, quem ipse reddiderit, sed quem verba Sobrvocsz postulent, videndum est.*

Cur verò non liceat mutare verba; seruato eodem sensu? An non boni interpretis hæc quasi prima norma est, ab ipso etiam S. Hieronymo præscripta in epist. ad Suniam & Fretellam, vt nõ verba verbis, quasi paria & demensa respõdeant, sed sensus sensui? An non lib. 3. de finibus scribit M. Tullius verbum è verbo exprimere, indisertis interpretibus in more positum esse?

Stoma-

Stomachatur & Iunius morosè satis ad verba Bellarmini, dicentis, sensum loci huius rectissimè versum; per illud; *Apprehendite disciplinā. Nempe*, inquit, *vt recta est formicæ anseruidé semita, quod vulgò dici solet. An igitur hic rectissimus, & optimus interpretandi modus, si res clara per obscuras nubes, recta per mæandros λοξούς, & determinata per ἀπεριγράπτους, atq; indeterminatas consequutiones exponatur? si species, aut etiam indiuiduum, vt hic, per summum genus, atq; generalissimum enuntietur? Ita enim est hac interpretatio.*

At nos negamus id hoc loco aut fieri aut factum esse. Nam *apprehendite disciplinam*: clarum, perspicuum, & determinatum est, si iungatur cum antecedentibus, vt rectè iungi debet: In antecedentibus autem sermo est de filio Dei; cui in hęreditatem termini terræ concessi, quique Rex supra sanctum montē Sion constitutus est; Huius igitur doctrinam, disciplinam & institutionē apprehendere, amplecti, & sectari nos iubet Psalmus; non alicuius alterius; ne irascatur Dominus; qui huic doctori & institutori nostro dixit. *Filius meus tu es, ego hodie genui te.*

Addit Iunius. *Quod si Chaldæi nescimus Christi; si Græci, si alij Græcorum auctoritate freti hoc modo reddiderunt; at non sic tamen Hieronymus in versione, & commentario suo. Non sic igitur omnes, quod hic ausus est affirmare; sed ij demum qui auctoritatem L X X. sequuti sunt.* At fallit Iunius. Nam versio D. Hieronymi ex Hebræo non habet; *Osculamini filium*: Sed; *adorate purè*; & Commentarius: *adorate filium*: Nec damnat D. Hieronymus lectionem 70. Interpretum vt patet ex lib. 1. contra Ruffin. cap. 5.

Malè Bellarminum asseruisse, omnes veteres Latinos pariter & Græcos legisse; *apprehendite disciplinam*; tum nobis persuadebit Iunius, si alicuius antiqui scriptoris hunc locum secus legentis & citantis in medium attulerit. Cum autem VVitackerus contendat, interpreti non licere, vt verba pro verbis subiiciat; non iniuriā ex illo scisciteris; an non hoc fecerit in hoc ipso loco D. Hieronymus, cuius versionem VVitackerus laudat. An non vertit? *Adorate filium*; seu purè; siue. *electe?* Verbum certè Hebræum non significat adorare. sed osculari; neque osculari propriè est adorare. Dicet Caluinista. Esse eundē sensum; quia enim, qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere; ideo Hebræi *deosculationem* pro *veneratione* ponunt. Rectè quidem hæc responderi video; sed non nisi inconstanter ita respondet VVitackerus, dum imperitè clamat; ipsa etiam verba ab interprete retineri debere.

Secundò, negat VVitackerus esse eundem sensum huius; *osculamini filium*; & huius; *apprehendite disciplinam.* Quo argumento id probat? Acutissimo. Audi. Quis dixerit; *apprehendere disciplinā*, esse idem quod; *Osculari filium*? Quid opus hac interrogatiuncula? 70. Interpretes & omnes Græci ac veteres Latini; dixerunt idem esse, *apprehendere disciplinam filij Dei*; & filium Dei *osculari* seu *venerari*: quia hoc ipso quod filij Dei doctrinam complectimur; filium Dei veneramur; & hoc ipso; quòd filium Dei veneramur, doctrinam eius recipimus; nullus enim verè veneratur filium Dei, nisi qui doctrinam filij Dei acceptat. Et vt VVitackero testem domesticum excitem, etiam Lutherus in Operatione secundi Psalmi Tom. 3. Lat. VViteberg. docuit; *apprehendere disciplinā*; & *osculari* seu *venerari filium, vnum idemq; significare.* Accipe Lutheri verba. *Ferè ab omnib. ista translatio reprobatur*; apprehendite disciplinā. *Nam in Ebræo Nascu Bar dicitur, quod Hieronymus in Psalterio Ebraico transtulit*; adorate purè. *quia Bar etiam purum, & electum significat. Idem, in commentariolo sic dicit*: In Ebræo *legitur.* Nascu Bar. *quod interpretari potest*, adorate filium. *Bar enim & filium significat.*

Burgensis. & Liranus sic: Osculamini filiū. *Nusquā autē dicitur* Bar disciplinam *significare. Osculari autem interpretantur*, homagium præstare, *vt sit sensus*; osculamini filium. *id est, cum reuerentia, & humilitate Regem & Dominum Christum suscipite.*

Sed tentemus vtcunq; omnia concordare. Osculum, primò signum est reuerentiæ, & adorationis, quomodo sacra, & diuina osculamur, & honoramus, aut humiliter prostrati. pedes. & vestigia osculamur, sicut Maria Magdalena Christum osculata est. Iuxta hoc Hieronymus transtulit: adorate purè.

Secundò, est signum recognitionis, & fidei præstandæ, vt in homagio, vbi osculari solemus manum, agnoscentes hoc ipso Dominum, quem osculamur. Tertiò, signum est perfectissimæ amicitiæ, & caritatis, quo solemus oculos, aut faciem osculari. de quo Apostolus præcipit Rom. 16. salutate inuicē osculo sancto. *Quo osculo Christus suos discipulos legitur reuerētes excipere solitus. Verū, quando hoc modo osculantes solent mutuo sese apprehendere. & amplecti, nostra translatio habet*; apprehendite disciplinā, &c.

Iam aliud Bar. *quod filiū, purum, disciplinā, translatū est. sic concinnemus: quod fides Christi, est verè disciplina nostra. Ideo. qui in Christum credit, (id est filiū osculatur) verè disciplinā apprehendit, portans crucifixum Christū in seipso (vt ad Galatas scribitur.) Non enim Christus secundum carnem osculatur, aut apprehenditur, sed in spiritu, id est, dū crux, & passio eius, quibus disciplinamur.* (Ebr. 12.) *amanter suscipitur. Ideo nostra translatio ad verbum nihil est. ad sensum autem propriissima.* Hæc olim Lutherus, cum sanior esset; nam insanior effectus hæc in Cōmentariis suis super eundem Psalmū effudit. *Quod ad Grammaticā attinet, norunt Ebraicè docti, legendū hic. nō vt latinus textus habet*; apprehēdite, *sed* osculamini. *Itaq; consiliū suū permittimus septuaginta interpretib. nos tamē à veritate Ebraica ideo nō discedemus.*

Quod 70. verterunt δράξασθε παιδείαν, *in Ebræo est* Bar: *ac latè patet eius significatio. Est enim adiectiuum nomen, & significat*, purum, electum. *Ideo Hieronymus vertit*, adorate purè. Ibid. *Hieronymus non verbum, sed sententiam expressit, cum vertit*, adorate. *Sed in eo lapsus est, quod nomen.* Bar, *reddidit aduerbialiter*, adorate purè. *Si nominaliter vertisset, rectè fecisset*; adorate purum, electum, lucidum. *Sic enim nos quoq; solemus dicere*; *Mea lux, meum corculum.* Scilicet Lutherus Hebraicę linguę intelligentior erat Hieronymo.

Digitized by Google

Tertiò obiicit VVitackerus: *Pulcherrimum de Christo testimonium, quo Christi hostes refellantur, nobis hac versione eripitur. Nam disciplina sic intelligi potest, vt nihil ad Christum pertineat: sed quòd filium osculari iubemur, in eo nobis eius & diuina natura, & imperium commendatur.* Respondeo, minime eripi nobis hoc testimonium aduersus Iudæos; quia, idem vtriusque versionis sensus est; vt iam diximus. nec *disciplinæ* nomen hoc in Psalmo generatim accipitur, sed pro disciplina eius, de quo in antegressis Psalmi versiculis sermo est; pro disciplina, inquam, filij Dei. Quare quidquid contra Iudæos efficit hæc versio. *Osculamini filium*: hoc etiam efficit ista: *Apprehendite disciplinam.* Ex quibus facilè etiam disiiciuntur & dissipantur nebulæ, quas hic Hunnius spargit post multa conuicia. *Apprehendite disciplinam*, clamat Prædicans, *omnibus sanis hominibus attestantibus, latissimè patet, neq; quisquã vllo argumento in speciem saltem probabili astruet hinc æternam Deitatem Christi, sicut quidem ex verbis (osculamini, vel adorate filium) astrui, & Iudæos in hoc articulo conuinci posse, Iesuita ipse supra confessus est.* Meros clamores Prædicanticos audio, in quibus ne mica rationis. Nam vt disciplina latissimè pateat, in hoc tamen Psalmo non patet latissimè, quia sermo est de disciplina eius, qui à Deo audiit: *Filius meus tu es, ego hodie genui te.* Nonne filij nomen commune etiam est ad filios hominum, & ad filium Dei? Quemadmodum ergo, si Iudæus diceret; hic non agi de filio Dei, sed de filio Dauidis vel alterius hominis, rectè opponeremus; filij nomen eo loco: *Osculamini filium*; accipi pro illo cui dictum est; *Filius meus es tu*, &c. eo quod totus Psalmus de illo filio loquatur; ita & hic, si quis obiiceret, nomen *disciplinæ* generatim vsurpari; statim occurrere liceret; vsurpari determinatè pro disciplina eius; de quo totus ille Psalmus tractat. Quis autem ille nisi vnigenitus Dei filius?

Oggrunnit Hunnius: *Quod si vtriusq; versionis sensus est idem, idem vtiq; argumentum hinc exstrui poterit. Videamus ergò num res processura sit: Contra Iudæos, & Arianos sic argumentari possumus: Psalmo 2. legitur de Messia: Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis de via. Beati omnes, qui CONFIDVNT in eo. Ergo Messias est verus filius DEI, quem osculari tenemur, & adorare, & in eo CONFIDERE. Iam substitue corruptelam Latini Translatoris, & argumentare: Psalmo 2. legitur; apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus, (id est, DEVS pater;) Beati omnes, qui confidunt in eo, id est, in DEO patre. Ergo Christus est verus DEVS. Nónne ridebunt sic argumentantem Iudæi, & Ariani? Quin & Christiani talem Sophistam putribus ouis eiicient foras.*

Certè dignus est Prædicans, qui non nisi *putria oua* esitet, vel ob hoc, quòd mechanico isto loquendi modo vsus tam mechanicum, & tonstrinis potius ac macello, quam scholis & gymnasio dignum argumentum procudit, non ex Bellarmini penu, sed ex stultissimo suo cerebro. Nec dubito, quin Hunnium sic ex suo pectore, non A ex Bellarmini assertione; delirantem Iudæi pariter & Ariani irrisuri sint. Dicent enim, argumentum ex vulgata translatione à Prædicante malè formatum, sic instituendum fuisse. *Apprehendite disciplinam eius, cui dictum: Filius meus es tu; ego hodie genui te; postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ; & possessionem tuam terminos terræ; & de quo etiam dictum; Beati omnes, qui confidunt in eo: ergo Christus est verus Deus; quia nullius institutionem, disciplinam & doctrinam, tanquam ad salutem necessariam, sub periculo iræ diuinæ incurrendæ, amplecti, neq; in quoquam absolutè confidere iubemur, nisi in eo, qui Deus sit.* Hoc modo conformatum argumentum iisdem penitus lacertis aduersus Iudæos & Arianos pugnat, quibus illud, ex altera translatione deductum.

B Necdum satis patefecit Prædicans suam stultitiam. Magis eam detegit. Quapropter pergit: *Si cauillum Iesuiticum militat, nónne licebit pari modo argumentari ex aliis etiam scripturæ locis? Velut Prouerb. 4. legitur: Tene disciplinam: ergò Christus est verus Deus. Si rideas, tuebor meum enthymema glossemate Iesuitico, & dicam: quid aliud est, tenere disciplinam, nisi tenere eruditionem, & doctrinam filij Dei? Ita quoq; colligam Ecclesiastici 51. vbi dicitur; assumite disciplinam; ergò Christus est verus Deus. Rides?* Nõ est in tanta ineptia, vel potius nequitia Prædicantica periculum risus. Magis à bile periculum impendet. Quis enim æquo animo ferat Prædicantem tam improbè & flagitiosè ludere, & lectoribus illudere; quasi non ex totius Psalmi secundi argumento, C decursu ac discursu euidentissimum sit *disciplinæ* nomen determinatè ac signatè sumi pro doctrina & institutione Christi; quæ disciplinæ determinatio minimè est in loco illo Prouerbiorum & Ecclesiastici: Quo fit, vt simpliciter & absolutè, nulla præmissa disciplinæ ad definitum sensum determinatione, nequeam inde argumentum pro Christi diuinitate ducere; sicut possum ex verbis sæpe iam nominatis Psalmi secundi, eò quòd definitè loquatur de doctrina & *disciplina* filij Dei. Verùm, quia Lutheranus Hunnius Bellarminum audire noluit; audiat parentem suum Lutherum, cuius ex Operatione in secundum Psalmum verba paulò antea recitauimus: quibus apertè fatetur, eundẽ esse sensum huius D versionis; *apprehendite disciplinam*; quem huius: *Osculamini filium.*

Et tamen Lutheri successor Hunnius appellare audet cap. 6. sui Examinis translationem nostram; *intolerabilem corruptelam; nothum quid, quodq; prorsus nihil conferat ad fidem Christianam aduersus Iudæos confirmandam.* Lutherus contra, & quidem rectè, pronunciat, esse *propriissimam versionem, si sensum spectemus.* Vtri fidem habebimus? Luthero, opinor; neque pro sua Prædicantica modestia ægrè feret Hunnius, si discipulus magistro postponatur: Licet paulò pòst denuo mentiatur, versionem nostram esse *errorem nulla ratione vel sanabilem, vel saltem excusabilem.* Sed de hoc Psalmi loco iam alibi quoque egimus: simulq;

osten-

ostendimus: quomodo credibile sit, septuaginta Interpretes aliter legisse Hebræum textum, quàm hodie habeat; ita videlicet, vt Græca, & deinceps nostra Latina Hebræo ad verbum responderent.

Secundus locus est. Psal. 4. ***Filij hominum, vsq; quo graui corde?*** Hunc locum reprehendit Caluinus, quod in Hebræo nihil simile sit. Nam pro illis verbis nostris, ***graui corde, vt quid***, in Hebræo est, ***gloria mea ad ignominiam.***

Respondet Bellarminus verisimile esse, corruptum esse textum Hebræum vitio librariorũ, moxq; ostendit, quomodo id accidere potuerit. Obiicit VVitackerus: ***Textus Hebræus in hoc loco non alius est, quàm Hieronymi tempore fuit, quemadmodum ex illius Psalterio constat. L X X. locum malè legerunt, ac verterunt, eosq; secutus est interpres.***

Facilè dictu, sed difficile probatu. Quis enim credat tot tamquam præstantes viros ad Ptolemæum Regem missos in huius loci translatione deceptos fuisse; aut exemplaria corrupta Hierosolymis secũ attulisse? Et quamuis D. Hieronymus aliter verterit, quando Psalteriũ ex Hebręo Latinitate donauit; nihilominus lectioné nostrã minimè repudiauit; Nam si repudiasset; vtiq; in Psalterio Latino amplius non cõparuisset; cum illud habeamus, nõ quidem ex translatione; sed tamen ex emendatione & correctione D. Hieronymi. Quæso, si mendũ hoc in loco veritati Hebraicæ contrariũ hærere existimabat; cur nõ sustulit? Si septuaginta interpretes perperam vertisse arbitrabatur; cur Psalterium ex 70. Interpretibus in Latinam linguam translatum ab hac macula non liberauit?

Ridet Hunnius Bellarminum, quòd ostendat, qua ratione contingere potuerit, vt septuaginta interpretes verba Hebręa acceperint in eum sensum, quem ipsi Græcè, & postea interpres Latinè expressit. Eadẽ opera ridere poterat Prædicans suum Lutherũ, qui hac de re eodẽ modo scribit, quo Bellarminus; Etsi Lutherus quidẽ insigniter halucinatur; dũ putat interpretẽ nostrũ vertisse ex Hebræo, cũ versio vulgata Latina nõ sit ex Hebræo, sed ex Græco. Audiamus tamẽ Lutherũ in Psalmũ quartum isthæc cõmentantem vel operantẽ. Nam cõmenta illa sua, inscripsit. *Operationes. Perspicuũ est, interpretẽ nostrum, quisquis fuerit errasse*; (nõ errauit interpres; quia ad verbũ transtulit, quod in Græco reperit, secutus Græcũ exemplar, nõ Hebræum;) ***& beth pro caph legisse: & quod amplius est, dictionẽ vnam, in duas diuisisse: pro lichlimma (quod ad ignominiã sonat) legisse leb lamma, (quod, cor vt quid, significat.) Ideo, vbi Hieronymus, ignominiosè, vna dictione, ibi, corde vt quid, ille duabus transtulit. Et, quod Ebræus chebodi; noster, graues; Hieronymus, gloriosi mei, seu inclyti mei, reddidit. Nam gloria Ebraïs eodem pœnè verbo significatur, quo grauitas.***

Hæc Lutherus; qui non aliter ostendit, quomodo Hebræi textus & ex cõsequenti latinæ etiã translationis diuersitas enasci potuerit, quã Bellarminus. Quis autem præstabit rectã esse illam, quam hodie hæretici & Hebraizantes vrgent, nõ illam, quam septuaginta interpretes secuti sunt, nobisque exhibuerunt?

Luthero adiungamus Caluinianum Musculum, qui non malè de hac disparitate versionum scribit in Psalmum secundum: Imò non tantum non malè, sed & plane conformiter iis, quæ Bellarminus hic tradit. Adscribam, vt auctoritate doctiorum Prædicantium insulsas Hunnij vociferationes nonnihil retundam. Ita ergò VVolffgangus Musculus: עַד־מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה; *quæ verba Græcus sic reddidit; ἕως πότε βαρυκάρδιοι ἵνα τί; id est; vsquequo graui corde? vt quid? Versionis huius ratio est, quod Hebraica olim sine punctis legebantur, id quod varietati lectionis causam dedit. Sic* כְּבוֹדִי *pro* כְבוֹדִי, *id est graues lectum: & dictio* לִכְלִמָּה, *in duas separatas dictiones diuisa est, ita vt* כ *litera pro* ב *accepta, causam dederit legendi* לֵב, *id est, corde; eamq; dictionem præcedenti* כבודי *iungendi, vt legatur* כְּבוֹדֵי לֵב *id est, graues corde: atq; ita quod sequitur* לָמָּה, *sequentibus applicandi, vt pote* לָמָּה תֶּאֱהָבוּן רִיק, *id est, vt quid diligitis vanitatem? Itaq; conspicuum est, Græcum interpretem legisse ad hunc modum:* עַד־מֶה כְּבוֹדֵי־לֵב לָמָּה תֶּאֱהָבוּן רִיק, *id est. Vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem?*

Hæc nõ malè, fatendũ enim, Musculus aduersus imperitos istos clamatores, pręsertim Hunniũ, qui ne Hieronymo quidẽ hic parcit, quasi in translatione huius loci scopũ non per omnia tetigerit, vertens; *Vsquequo inclyti mei ignominiosi.* Vbi vel impudentissimè vel imperitissimè mentitur Prædicans, non enim ita vertit S. Hieronymus, sed hunc in modũ. *Filij viri, vsquequo inclyti mei, ignominiosè diligitis vanitatẽ quærentes mendaciũ.* Vbi Prædicans illud; *ignominiosè*, mutat in, *ignominiosi*; & coniungit cum antecedentibus, cum D. Hieronymus manifestè copulet cum sequentibus.

Secundò mentitur Prædicans, cum fabulatur *D. Hieronymũ respuere interpretationẽ Latinæ editionis.* Quæso, vbi respuit? Mõstra, obsecro, locũ. Nam D. Hieronymum veterẽ Psalterij ex Græco translationẽ emendasse scimus; eamq; non aliã esse, quàm, qua hodie vtimur, agnoscimus. Si respuit, cur non ex Psalterio à se correcto expunxit?

Dicit Bellarminus, esse eundem sensum, siue vertamus, vt habet vulgata translatio, siue, vt volunt sectarij. Hunnius rursum in furiam versus ita insanit: ***quod dicis Bellarminus, sensum eundem esse in Hebræo, (vt à nobis legitur) & in editione Latina vulgata, ideo facit, quod putat, omnes homines esse truncos, stipites, caudices, bardos, asinos, qui non videant, aut intelligant, quid intersit inter hæc duo; vsq; quo graues corde? & vsq; quò gloria mea in ignominiam, vel calumniam? Et glossa Iesuitica, nescias, num incedat super capite, vel pedibus, adeò insanum in modum ineptit.***

Hæc furiosus Prædicans, vel si mauult Rudens. Verba Bellarmini sunt ista. Deus, eo loco conqueritur de hominibus, quod neglectis æternis, diligant temporalia: & quidem secundum versionem Græcam, & Latinam, vocat eos graues

corde,

corde, quia tales sunt vitio suo: secundum Hebræum textum, vt modò se habet, vocat eos gloriam suam, seu inclytos suos: quia tales sunt beneficio diuino, si in eis imaginem cælestem, non vitium proprium consideremus.

Propter hæc Bellarmini verba Furippus VVitebergensis ista adeo insulsa, imò biliosa & stulta euomuit.

Quid, obsecro, queat esse coactius? intonat Prædicans. Nihil hic coactum, ne conuicia quidem tua; quæ sponte sua tibi profluunt & effluunt, numerosque ad aptos veniunt. Quod Prædicans plane damnat conciliationem versionis Græcæ & Latinæ cum textu Hebræo, prout hodie ab Hæreticis vrgetur ac propugnatur, id mirarer, nisi hunc Lutheranum præconem non modò in melioris notæ monumentis, sed & in ipsis Lutheri Tomis peregrinum prorsus ac hospitem esse compertum haberem. Ipse enim Lutherus in quartum Psalmum cum versione, quæ hæreticis allubescit, alias itidem conciliat. Accipe eius verba. *Nunc facilè erit alias translationes huic meæ conciliare. licet sensum non adeò reddant expressum. Filij hominum, &c. quasi dicat; Verè filij hominum estis magis, quàm filij viri, quem referre debetis, sed carnem eius. & patrum vestrorum, non fidem eorum sapitis, vsque quò graui corde, vsque quò increduli estis corde, & pondere infidelitatis deorsum ruentes, in fiducia rerum incumbitis, ac gloriam, quam mihi debetis, creaturis tribuitis? sicut iam satis est dictum. Ita & illud Hieronymi: Filij viri, vsquequò ignominiosè diligitis vanitatem? quasi diceret: Cedit hoc ad gloriæ meæ ignominiam, & vestræ, quòd deserta fiducia mei, diligitis alia, quàm me, qui sum veritas, &c.*

Ita Lutherus. Eat nunc, & non tam contra Bellarminum, quàm contra Lutherum clamet Lutheranus Prædicans. *Vni dicto affingit* (Lutherus) *geminum sensum, &c. cum tamen constet, Dauidem illic loqui non in Græca, vel Latina lingua iuxta versiones, sed in sua lingua Hebraica, & proinde non ambiguum, aut duplicem, sed vnum duntaxat certum, & constantem sensum expromere, &c.*

En discipulum, Lutheri magistrum & correctorem effectum. Si Lutherus viueret, quàm pilosum istum *Onocrotalum* insigniter ob hanc stoliditatem vellicaret. Miratur etiam VVitackerus, quomodo eos, *qui cælestia contemnunt, terrena consectantur, Deus suam gloriam ducat?* Hoc iam explicauit Bellarminus. Cur non refutasti? Ideo eos gloriam suam nominat, quia imaginem & similitudinem Dei impressam habent. Cur hoc non refellit VVitackerus, si displicebat? Ait Bellarminus; illud Kebude *graues*, posse esse participium passiuum verbi כָּבֵד vel nomen verbale. Iunius iterum tanquam Chremes vel Laches quispiam Terentianus. *Hem*, inquit, *miseram Grammaticam.* (miserum calumniatorem.) *Non vides, Bellarmine, illud gloria nomen ab Hieronymo accipi quasi δι ὑπαλλαγῆς dictum; pro eo, quod est, gloriosi, inclyti? quid opus torqueri participia, aut nomina confingi insolentia, in tanta frequentia τῶν δι ὑπαλλαγῆς λεγομένων in linguis omnibus? Etsi nos vocem illam negamus vocandi casu accipi oportere. Nam, quid aliud est Hebraeis filij viri? Inepta foret Propheta tautologia. Tum oppositum nomen ignominiæ, & sequentia adiuncta impedimento sunt. Postremo, prosodia aduersatur, & argumentum loci.* Hæc ex Iunio recitare volui, vt lector mecum dispiciat, num Caluinianus iste mentis sat compos fuerit, quando hęc chartis illeuit. Bellarminus loquitur de vocabulo *Kebude, graues*; qualenam sit, num participium passiuum; an verbale à verbo כָּבֵד. Iste respondet de vocabulis initio versus illius quarti positis *Filij viri*, & de Hieronymo nugatur; quasi per enallagen vel hypenallagen nomine *gloria* vsus fuerit, cum S. Hieronymus vocabulo gloriæ non vtatur, vt qui verterit: *Filij viri, vsquequo inclyti mei, ignominiosè diligitis vanitatem quærentes mendacium.* Quare cætera omnia, quę Iunius deblaterat, planè sunt vt verbo Iuniano vtar, ληρώδη, gerræ Germanæ, & si quod aliud huius generis Epithetum aptum occurrit.

Tertius locus est Psalmo 31. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Hunc etiam locum reprehendit Caluinus, *propterea quod in Hebræo sunt alia verba, & alius sensus. Ad verbum enim est in Hebræo: succus meus sine humore, & viror meus versus est in siccitates æstiuas.* Respondet I. Bellarminus nostrum interpretem non posse reprehendi, quia non vertit ex Hebræo, sed de Græco transtulit in Latinum, Græcus autem textus nostro textui optimè respondet. Occurrunt Prædicantes VVitackerus & Hunnius; *vel ideo maximè interpretem nostrum mereri reprehensionem, quod de Græco nō de Hebræo textum transtulerit.* Sed si interpres hoc nomine reprehendendus est; ipsa multo magis Ecclesia Latina reprehensione digna erit; quippe quæ ab Apostolorum temporibus vsque ad Hieronymi ætatem alia Latina editione non est vsa, quàm illa, quæ erat ex Græco: nam D. Hieronymus primus extitit, qui ex Hebræo sacros libros Latinè redderet. Quàm autem ægrè initiò Latini translationem D. Hieronymi admiserint; satis notum est ex Epistolis mutuis D. Augustini & D. Hieronymi. Scilicet nemini licebat ex Græcis 70. Interpretum exemplaribus sacram scripturam transferre, neque translata quisquam vti licitè poterat; quia post quindecim propemodum sæcula nasciturì erant calumniatores & Sycophantæ Lutherani & Caluiniani; qui hoc factum antiquitati probro ac crimini darent; profundique cuiusdam stuporis omnes veteres damnarent, quòd Latina versione ex Græco contenti fuerint; neque cum istis ad fontes Hebræos recurrerint, totque versiones procuderint, quot malè sani capitis versores, vt modò fit, ad fontes vertendos, vel potius euertendos, accessissent.

Hunnius vni responso ad responsionem Bellarmini duo alia, pro ea, qua est copia; & quidem subtilissima, adiungit. Alterum est: *Putat Iesuita cæteros homines esse anseres, qui hoc rancido re-*

sponso

sponso sibi satisfieri patiantur. En responsum & verbis & sensu non in Lycéo, aut in liberali aliquo gymnasio, sed in sutorum, sartorum, textorum similiumque opificum officinis prognatum, & inde ab Hunnio sumptum, vnde paulò antea *putria oua* sumpserat.

Alterum est. *Fatetur Bellarminus, alium esse sensum vulgatæ editionis ex Græco expressæ; & Hebraici textus, prout hodie habet: ergo irrefutabiliter concluditur; pro eliminato vero sensu irrepsisse per translatorum negligentiam sensum falsum & peregrinum.* Quis non videat euidentiam huius consequentiæ; quæ similis est huic; imò prorsus eadem, nisi quod illa pluribus, hæc paucioribus verbis constat? Alius est vùlgatæ ex Græco editionis sensus; & alius Hebraici textus, prout hodie legitur. Certissimum est igitur sensum vulgatæ editionis esse falsum; hunc verò verum. Quid dilucidius?

Secundò respondet Bellarminus, probabile esse 70. Interpretes aliter legisse textum Hebræum, quàm hoc tempore exstet, indeque eum, quem vulgata lectio exhibet sensum expressisse. Ostendit insuper Bellarminus, qua ratione fieri potuerit, vt verba Hebræa à sensu, quem repræsentarunt septuaginta seniores, transferrentur & conformarentur ad sensum, quem vrgent nostri Sectarij. Respondet VVitackerus; *Quod Bellarminus textum Hebraicum esse in hoc loco corruptum suspicatur à scribis, id Genebrardus non est ausus dicere.* Non quæritur, quid Genebrardus dixerit, sed quid Bellarminus; & num quod dixit, probabili aliqua ratione confirmarit; vt reuera confirmauit, quam VVitackerus ne tangere quidem ausus fuit: cuius, vt & aliorum Prædicantium, peruerso de Psalterij nostri translatione iudicio, opponimus iudicium Pellicani, inter Nouatores non infimi; qui ista præfat. in Psalterium. *Tanta dexteritate, eruditione, & fide Hebraico, quoad sensum, concordare deprehendimus vulgatam editionem Psalterij, vt eruditissimum, pariterque piissimum, & verè Prophetali spiritu præditum fuisse interpretem Græcum, & Latinum non dubitem. quanquam alicubi dissentiant à punctis Hebraicis, quibus nunc Iudæi vtuntur; quæ olim non fuisse similia, ambigere cogar, & quarundam literarum mutationem factam, suspicio fit conferentibus singula diligenter.* Hæc Sectarius iste magnus sua ætate Rabbinus habitus.

Hic rursus Lutheranus Prædicans præter insanos clamores nihil penitus adducit. *Videntur, inquit Bellarminus, 70. Interpretes paulo aliter legisse. Probet ille suum* V I D E N T V R, inquit Hunnius; *& rationes edat, quibus suæ coniecturæ fidem faciat. Quod, cum non possit, contabescit, & hic, & alibi in suis, quæ nectit, mendaciis.*

Hæc mera sunt Prædicantis mendacia: Inde enim, & quidem satis firmiter, ostendit Bellarminus aliter legisse 70. Interpretes; quia aliter verterunt, quam ferat iam textus Hebræus, nempe in hunc modum. ἐςράφην εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναι ἄκανθαν. *Conuersus sum in ærumnam, dum infigitur* (mihi) *spina.* Certè 70. Interpretes imperiti linguæ Hebraicæ non erant. Quocirca minimè fit verisimile, eos hunc locum hoc modo conuersuros fuisse; si hodiernam lectionem in Hebræo reperissent. Quod si vnus, duo, tres, quatuorue huiusmodi παρόραμα admisissent; quis sibi persuadeat, neminem ex tanto numero futurum fuisse, qui illud animaduerteret? Idem ostendit Bellarminus ex similitudine & affinitate dictionum Hebraicarum, quarum alterius in alteram mutatio & transitio perquam facilis est & procliuis. Quam Bellarmini coniecturam his arietibus, validissimis scilicet, labefactat Hunnius. *I. Bellarminus sua correctione nihil proficit, cum tertiam personam verbi mutat in primam, adiecto affixo pronomine* חִי. *II. Istud* חִי *est merum nugamentum Bellarmini. III. Nullo testimonio probatur. IV. Nulla ratione. V. Nullo codice. VI. Hebræus textus apud Hieronymum in Psalterio non habet id pronomen affixum, sed simpliciter* נֶהְפַּךְ*, quod significat,* versus est. *VII. Tempore D. Hieronymi incorruptissime exstabat textus Hebraicus*, secundum *quem etiam versionem suam D. Hieronymus sincerè instituit.* Ex his manifestè elucet, incredibilis vanitas & audacia huius Prędicantis; qui tam temerè id, quod à Bellarmino demonstratum est, inficiari, & quasi omni ratione destitutum repudiare non veretur; cum Bellarminus, quidquid asserit; ex 70. Interpretum auctoritate confirmet: qui nisi aliter textum Hebræum legissent; hoc modo, nunquam vertissent; erant enim omnibus Prædicantibus Hebraïcè longè eruditiores & peritiores; totiusque gentis doctissimi. Mirandum, quomodo miser Prædicans, in angulo nescio quo Saxoniæ delitescens, litem intendere non erubescat tantis viris, vnus septuaginta duobus; præsertim cum similitudinem illam vocabulorum, quam Bellarminus vrget, nemo nisi truncus ac stipes, abnuere queat.

Deinde quærendum est ex Prædicante, num viderit Hebræum Codicem, ex quo D. Hieronymus Psalteriũ in latinam linguã transtulit; cum tam confidenter affirmet, textum D. Hieronymi caruisse illo pronomine חִי. vbi impudentissimè mentitur, S. Hieronymum vertisse: *versus est.* Videatur Psalterium illius, ex Hebræo quod exstat Tomo VII. Operum D. Hieronymi; & Psalmo 31. seu vt Hebræi numerant 32. versic. 4. hic versiculus reperietur: *Versatus sum in miseria mea, cum exardesceret æstas iugiter.* Et si, vt Prædicans vult, tempore D. H I E R O N Y M I Hebræus textus incorruptissimè exstabat; non igitur incorruptus est is, qui hodie exstat quia non respondet prædictæ

ver-

versioni D. Hieronymi. Hinc nullus ex nouis Hebraistis transfert eo planè modo, quo D. Hieronymus. Pagninus in Bibliis Regiis. *Versus est humor meus in siccitates æstatis.* Caietanus. *Versa est humiditas mea in siccitates æstatis.* Vatablus. *Versus est succus meus in siccitates æstiuas.* Iunius & Tremelius. *Conuertebatur præstantissimus succus meus in siccitates æstiuas maximè.* Castalio. *Vertebatur succus meus in æstiua cremia.* Musculus. *Immutabatur succus meus in ariditatem æstatis.* Caluinus. *Versus est in siccitates æstatis viror meus.* Has & similes versiones ex Hebræo proferunt nobis tam Catholici nonnulli, quam sectarij; quarum nulla cum Hieronymiana illa; *Versatus sum in miseria mea cum exardesceret æstas iugiter.* penitus concordat. Si ergo Hieronymiana versio ex textu Hebræo sincerissimo & incorruptissimo fluxit; vt affirmat Prædicans, oportet, vt hodiernæ Hebraistarum versiones ex fonte turbido & impuro promanent.

Obiicit VVitackerus. Versioni vulgatæ vix vllum commodum & tolerabilem sensum assignari posse. Si vel illum quem citat, Genebrardum, oculis apertioribus & attentioribus inspexisset; sensum valde commodum reperisset. *Conuersus sum*, inquit doctus ille Psalmorum interpres; *volutatus sum, me versaui in mea ærumna & vastitate; propter manum tuam, id est, plagam, dum configitur spina, tua videlicet, super me, per Zeugma. Dum me pungit animæ aculeus solicitudinibus, & curis. (Sic spinam metaphoricè exponit Christus Matth. 13. & 19.) dum à te vehementibus malis afficior, ac in meum corpus, quasi spinam violentè infigis, vel dum ærumnæ aculeis me pungis, & configis.* Huic addere poteras hanc Iansenij Paraphrasin; *Per diem, perq; noctem assiduè manus tua Domine, ac potestas scelerum vltrix, me grauiter pressit, immissa mihi graui tribulatione: ego autem, dum sic spina infigeretur mihi, dum sic me pungeres aduersitatum stimulis, per miseriam meam, quam immisisti, conuersus sum ad te.* Quem huius loci sensum approbat hic etiam Bellarminus.

Occinit VVitackerus. *Hanc expositionem nec Hieronymi versio admittit, nec Genebrardus probat; quid verbum Haphac vix dicitur de resipiscentia.* Primò, falsum, quod VVitackerus ait de versione Hieronymiana: Est enim ista. *Versatus sum in miseria mea, cum exardesceret æstas iugiter.* An non admittit hæc versio sententiam, quam Iansenius & Bellarminus adducunt? Quod ad Genebrardum attinet; iam habet responsum à Sacrobosco nostro; qui ait, hanc verbi *haphac* notionem probari aliis magnis viris; Et Isaiæ 60. v. 5. vsurpari pro conuersione ad Deum: Et ex consequenti, pro *resipiscentia.* Iunius hoc loco fermè elinguis est; nihil adfert præter inanem quandam cauillationem. *ô populares*, exclamat, *ferte linguæ Hebrææ auxilium. Grammaticorum est informare: iste, deformat linguam miserabiliter. Excutiantur litteræ, euentilentur apices: nihil in tota Hebræa lingua deprehendetur eiusmodi. Nec prior vox, nec phrasis Hebræa est.*

Hæc iste Chremes ex Comœdia, sed num exclamasse & vociferationibus plebem concitasse sufficit? Num ideo euersa sunt, quæ à Bellarmino scripta? Num ideo, voces à Bellarmino allatæ non erunt Hebrææ, quia iste negat esse Hebræas? An nemo præter Iunium Hebrææ linguæ gnarus est aut fuit? Miram spem isti de lectorum suorum facilitate concepisse videntur, cum illis omnia sua somnia tam securè obtrudunt; & quod impudentius est, pronum assensum ab illis efflagitant.

Quartus locus est in eodem Psalmo 31. Vbi enim legimus: *In chamo, & freno maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te.* Vult Caluinus debere legi; *in lupato, & freno ora eorum ad coërcendum, ne accedant ad te.* Respondet Bellarminus, miram esse Caluini in hac re impudentiam. Nam LXX. & B. Hieronymus in suo Psalterio ad Sophronium, & omnes Patres sic semper legerunt, vt nunc legimus: & Hebræa verba, etiam vt nunc habentur, sic possunt commodissimè exponi.

Hunnius dat hic manus; & hoc suo testimonio ora Caluini, VVitackeri & Iunij reclamantium probè contundit. *Circa hunc locum non puto reprehendendam versionem Latinam. Est enim eius sensus, qui & Hebraici textus; quod quemadmodum indomitorum equorum, & mulorum maxillæ freno, & fiscellis constringuntur, si nolint obsequi: sic impios non nisi calamitatibus domari, vt tandem domini obsequiis se submittant.* Hæc Hunnius.

Oggannit VVitackerus. *Etiamsi 70. Interpretes ita verterint, vt habet vulgata editio; id tamen non referre; cum notum sit, eos non rarò longissimè à textu Hebræo recessisse.* Non disquiram hic vtrum quod VVitackerus dicit, verum sit, quando tantum ab Hebræo textu celeberrimos illos interpretes recessisse affirmat; hoc profectò insigne est mendacium, quod ait, eos hoc loco ab Hebræo textu recessisse; cum idem prorsus sit sensus Hebræi textus & 70. Interpretum; vt patet ex *Pagnino in* Bibliis Regiis, ex Caietano & aliis, qui textum Hebræum verbatim expresserunt.

Secundò respondet VVitackerus, *Hieronymum in hoc loco non mutasse veterem versionem, non quod eam emendari non posse indicaret, sed quòd tolerabilem esse existimaret.* Si tolerabilis est; cur ergo Caluinus tuus eam tolerare noluit? Deinde mentitur VVitackerus; nam D. Hieronymus non modò in veteri editione Latina suo studio correcta hanc versionem retinuit; sed ipse insuper ita vertit, in Psalterio ad Sophronium, quod ex Hebræo transtulit.

Tertiò respondet VVitackerus. *Quod patres sic legerunt, vt nunc legitur, quid hoc ad rem?* Multum profectò ad rem facit. Quis enim sani capitis non malit amplecti versionem, quæ patribus probata fuit, quàm nouam istam nuper à Caluino ex lacu Lemanno erutam?

Quar-

Digitized by Google

Quartò negat VVitackerus sensui textus Hebræi, vt nunc habet, commode aptari posse sensum Latinæ versionis: *Aliter*, inquit, *opinati sunt Pagninus, Vatablus, Montanus, Tremmelius; & Genebrardus ait dissolutam esse à LXX. sententiam; sed facilitatis caussa. Verum; illi sententiam sua dissolutione multò magis difficilem, & implicatam reddiderunt.*

Vbi tot propemodum video mendacia; quot nomina. Nullus istorum dixit; sensum translationis nostræ cum Hebræo textu non concordare; Et si Tremmelius hoc asseruisset; tanti *Iudaizantis* Caluinistæ affirmationem penderemus, quanti cassam nucem. Pagninus & Montanus ad verbum sic expresserunt textum Hebræum. *Ne sitis sicut equus & mulus non intelligere.* Quæ non discrepant ab his nostris: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Pergunt. *In lupato* (vel, *chamo*) *maxillam eius* (vel, *os*) *ad epistomio stringendum* (vel, *obtura*) *ne propinquare ad te.* Vel, *ne appropinquet tibi.*) Nostra versio: *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Iam sensus vtriusque idem omnino est: hic nimirum, vt Deus, afflictionibus & ærumnis illos coërceat, qui nequitiæ & flagitiis dediti, Deum in postremis habent; quò calamitatibus & miseriis adducti, ad Deum confugiant, quia, vt vulgò dici solet; *vexatio dat intellectum.* Latina ergo editio iubet: *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*; (hoc est, improborum) vt ad te approximent, teq; hac necessitate adacti quærere, & salubriora sectari incipiant. Quem sensum reddit Vatabli vel potius Leonis Iudæ & Musculi versio; quorum ille: *Ne sitis sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, quorum maxillas lupato ac freno nisi constringas, tibi non appropinquant.* Hic; *Quorum maxilla, nisi lupato & freno stringatur, ad te non accedent.* In schóliis addit seu Vatablus seu Stephanus. *Hebraicè. In lupato & freno os eius* (*subaudi, equi & muli*) *ad claudendum* (*vel coërcendum*) *non accedere ad te. Subaudi* (*nisi*) *in principio: nisi in lupato*, &c. Hæc iste ex Hebræo; simulque Musculus, quibus se VVitackerus in Hebræis imparem esse, non grauatè fatebitur, si quid adhuc sinceritatis in animo eius reliquum relinquitur. Nec Caluini, Iunij, Tremmelij, Castalionis translationes à sensu versionis nostræ ita abeunt, vt conciliari nequeant. Vertit Caluinus. *Ne sitis sicut equus & mulus, quibus non est intelligentia. Capistro & freno maxillam eius constringes, ne calcitrent contra te.* Vertunt Iunius & Tremmelius. *Ne estote, vt equus, vt mulus, expertes intelligentiæ, cuius os freno & habena constringendum est, ne appropinquet ad te; ore suo*, inquiunt in scholiis, *ne mordeat, noceatue tibi.* Castalio. *Quorum maxillæ frenis sunt & lupatis coërcendæ, ne quem inuadant.* Et harum versionum sensum præcipuè probat VVitackerus; vt ex his eius verbis liquet. *Propheta admonet, ne*

A *simus rationis, & iudicij expertes, equo, muloq; similes, quibus os freno, & chamo coërcendum est, ne in nos irruant.*

An non idem sensus, qui his tantopere arridet, subiici potest translationi nostræ? *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*; hoc est, ne blasphemiis & impietate sua in te irruant, coërce illos in chamo & freno; tanquam mulos & equos, quibus non est intellectus. Et hunc & priorem sensum optimè expressit his verbis in paraphrasi Psalmorum Iansenius, eximius sacræ scripturæ Interpres. *Quoniam tamen Domine multi sunt, qui equis, mulisq; indomitis similes tibi non*
B *acquiescunt, sed recedunt à te; ideo, tu, quæso, eos afflictionibus, & pressuris ita constringas, vt vel ad te reuerti compellantur, vel saltem à libera malefaciendi facultate cohibeantur ad eum modum, quo solent equorum, ac mulorum ora chamis, & frenis constringi, ne mordendi potestatem habeant, & vt cogantur obsequi voluntati hominum.*

Quòd 70. Interpretes illud: *In chamo & freno maxillas*, &c. separarunt ab illo: *Nolite fieri sicut equus & mulus*; ita vt quodlibet proprium versiculum propriamque sententiam constituat; id nec veritati Hebrææ, nec perspicuitati orationis quidquam demit: imò non parum claritatis addit; quidquid VVitackerus contra garriat; qui fraudulenter quoque
C Genebrardi expositionem adducit; Verba Genebrardi integrè, & fideliter recitata sunt ista: *Frena eos, qui brutescunt; qui non accedunt ad tuam hominis naturam, rationem, & virtutem. Eos cohibe, qui sunt veluti bestiæ, neque tibi propinquant rationis vsu, religione, fide, virtute.*

In qua explicatione, quid tandem inest, quod meritò à Caluinista carpi queat? Quanquam Genebrardus minimè respuit illam alteram explicationem, quam Nouatores huic loco subiici contendunt, & obuiis vlnis amplectuntur.

Porro si vsquam aliâs, in huius profecto lo-
D ci tractatione dilucide elucescit; quàm nullus in Iunio Caluinista candor fuerit; quàm nulla sinceritas, & ingenuitas. Bellarminus locum Psalmi sic citat; ex memoria, opinor, non inspecto ipso Latino textu, nisi librario adscribere velis. *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te.* Hic clamat Iunius: *Bellarminum mutare translationem, vt Caluinum grauet; translationem enim habere, approximant: & ita referre Caluinum. Bellarminum artificiosè mutare verbum, quod Caluinus mutari voluerit, & Caluino affingere impudentiam.* Atqui iurare ausim Bellarminum non de industria verbum *appropinquant* posuisse loco verbi, *approximant*; sed vno eodemque loco ac pretio vtrunque habuisse; Et illud

appropinquant, vel à librario; vel ex citatione non inspecto textu manasse; vt frequenter contingere solet, cum quis ex memoria aliquos scripturæ locos citat: neque vllo modo Caluinum grauare voluisse, quod ad hoc vocabulum attinet. Quomodo hoc potuisset velle, cum Caluinus non reprehendat vocabulum *proximant*, siue *approximant*; sed totam loci sententiam, quasi Hebræo textui non congruentem; planeque dissentaneam? Nihil de verbo Caluinus; vt manifestissimè patet in Antidoto. Solùm versionis sensum exagitat, tanquam difformem originali textui. Et audet tamen mentiri Iunius, Caluinum nihil nihil nisi *approximandi* barbaram vocem mutari voluisse.

Quintus locus est Psal. 37. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Et quid intelligemus*, inquit Caluinus, *per lumbos impletos illusionibus?* Respondet Bellarminus: verbum Hebræum נִקְלֶה, ignominiam, & ardorem significare: quocirca Dauidem loqui de eo pruritu, ac ardore libidinis, qui dum in corpore existit, illusiones in mente gignit. Porrò Græcum interpretem, quem Latinus, & (quod magis est mirum) Chaldæus sequutus est, effectum pro caussa posuisse, quod neque nouum, neque mirum cuiquam videri debet.

Non placet Prædicantibus hæc Bellarmini expositio. *Multò melius Genebrardus*, inquit VVitackerus; *qui per illusiones intelligit morbos, propter quos illi erat ab inimicis insultatum, atque illusum. Dauidis enim is sensus est, lumbos, vel renes suos grauissimo, acerbissimoque morbo repletos esse.* At nonne legerat VVitackerus illo ipso loco, hæc etiam Genebrardi verba? *Illusionibus; pudendis motibus & affectibus.* An non his verbis recipit etiam Genebrardus illam explicationem, quam Bellarminus sequitur? nec immeritò; cum huiusmodi tentationes carnisque inflammationes, verè sint ludibria & illusiones; in lumbis potissimum regnantes, vel potius sæuientes. *Quod viris*, inquit S. Gregorius. Homil. 13. in Euangelia, *luxuria in lumbis sit; fœminis in vmbilico, testatur Dominus, qui de Diabolo ad Beatum Iob loquitur dicens: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius.*

Hunnius hic antiquum obtinet; id est, non tantùm ineptit, sed & furit: furendoque hæc nugamenta & conuicia effutit. I. *Dauid loquitur de ærumnis & angustiis, quas patiebatur, ergo non de ardore & æstu carnis.* Quasi verò huiusmodi æstus, præsertim concitatior & inflammatior, non sit ærumna & calamitas, viro præsertim sancto, & cui timor Dei in corde. Nam quod ignis venereus Prædicantibus non sit tormentum, sed oblectamentum, id facilè credet; quisquis hósce petulcos Satyros propius nouit.

II. *Nulla est verborum connexio; si illa lumbi mei repleti sunt illusionibus; intelligantur de pruritu carnis: Qualis enim structura; si quis dicat: Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem; tota die contristatus ingrediebar*: quoniam lumbi mei *impleti sunt pruritu, & ardore libidinis, & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu meo. Ecquid videtur tibi lector optime?*

Hoc mihi videtur, te planè fatuum ac fungum esse, si non vides, prout non vides, huiusmodi orationem aptè cohærere. Quid enim malæ connexionis, si ab externis illis angustiis ac miseriis, quæ ab hominibus inferuntur, transeat Propheta ad illas, quas caro exsuscitat?

III. *Iesuita ex suo suorumque fraterculorum sensu de Dauide iudicat.* Rectius, & vero propius suspicari quis posset, Prædicantes iudicare ex suo sensu de Dauide. Quia enim tentationes & incitamenta carnis non habent pro miseria, sed pro oblectatione; ideo putant, neque Dauidi hos ardores tam molestos fuisse, vt propterea, tanquam de onere AEtna grauiore, debuerit apud Deum conqueri. Miranturque proculdubio ipsum etiam D. Paulum, qui *ab Angelo Satanæ colaphizatus* ad preces confugit, seque huius flagelli ictibus subduci postulauit. Quamquam vt illusiones & ardores Dauidis, ita & *stimulum carnis* apud S. Paulum illusores isti iam aliò transtulerunt, vel potius detorserunt.

IV. *Dauid habebat plures vxores, quarum vsu flammas obortas exstinguere poterat; ergo locus ille Psalmi non intelligitur de ardore carnis.* Quasi verò, qui mariti sunt, ignibus illicitis & amoribus incendi nequeant. Quid, nisi mala cupido, impulit Dauidem, vt adulterium committeret? Nullusne vnquam exstitit Prædicans, quantumuis vxorio iugo deuinctissimus; quem flamma carnis ad impermissa incitarit? Quæ præterea Prædicans aduersus cælibatum vociferatur, ex LVTHERANIS gurgustiis & ganeis petita sunt. Quapropter silentio potius contemni, quam verbis refelli debent.

Sextus locus est Psalm. 67. *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Caluinus vult debere legi: *qui habitare facit vnicos in domo, id est, qui orbos, & solitarios ditat familia.* Respondet Bellarminus, verba Hebræa optime recipere plures sensus, & omnes veros: quod sigillatim postea ostendit.

Occurrunt Iunius, VVitackerus & HVNNIVS: *vnius loci vnum duntaxat esse sensum.* Hoc

suum placitum isti neque probant, neque vnquam vlla probabili ratione probare poterunt: quia in copiam & fœcunditatem scripturæ, vel potius Spiritus sancti iniuriosum est ac contumeliosum. Verterint alij siue Catholici siue hæretici; *vnicos*, vel *solitarios*, vel *orbos*, non damnat Bellarminus; dummodo ipsi etiam non damnent versionem 70. Interpretum; *μονοτρόπους*, & quæ inde manauit; nostram: *vnius moris*, quandoquidem verbum Hebræum, hanc nostram etiam fert, vt ostendit Bellarminus, neque quisquam ex hoc Prædicantium ternione id inficiari ausus est. Hunnius ex tribus vel quatuor huius loci sensibus à Bellarmino allatis occasionem nactus; laxat linguæ frena ad mendacia & conuicia. I. Mentitur, *esse Theologiam Origenitam*, *si quis vni loco plures sensus attribuat.* Origenistas igitur omnes propemodum veteres Patres scripturæque Interpretes fuisse oportuit, quia vix vllus est; qui sacras litteras explanans, non adducat plures eiusdem loci sensus: Etiam veros, & ex Spiritus sancti mente profectos.

II. Mentitur, *Bellarminum non ædificare suam sententiam super Hebraicam voculam* יְחִידִים *sed super aliam quandam, quæ non sit in textu.* Spissum commentum. Disertè enim ait Bellarminus, vocem illam significare *vnos*, & *vnitos*. Quid aliud est *vnitos* seu *vnos homines habitare in domo*; quàm, vnius moris homines habitare in domo: qui vni seu vniti; sunt vtique vnius moris, seu, vt septuaginta locuti sunt, *μονοτρόπους*. Verbosè declamitat Prædicans contra vitam solitariam, & eremiticam; eò quod Bellarminus dixerit; hunc locum sic itidem exponi posse: *Facit habitare solitarios in domo*; id est, facit, vt quidam præ amore cælestis contemplationis, relicta frequentia, ad loca deserta se recipiant, & soli habitent, vt olim Helias, postea Ioannes Baptista, & noster Paulus, Antonius, Hilarion fecerunt. Mentitur Prædicans, *exempla Heliæ & Ioannis Baptistæ nihil ad eremiticam vitam facere. Neminem eremum intrasse spe merendi, Deóue placendi.* Factum Pauli, Antonij, Hilarionis probat Prædicans, sed certa conditione, si scilicet eremum petiuerunt, eo fine, quem ipse illis præstituit; & à quo omnes fuisse alienissimos, ipse non nescit. Mox calumnias vomit in nostros Monachos, quos conuiciatur *in mucidissimis opellis proram & puppim æternæ beatitudinis collocare: Horum ordinem in hoc Psalmo non esse stabilitum; eius meminisse Christum Matth. 24. quando tales Pseudoprophetas venturos dixit, qui munus Christi inuolaturi essent, & dicturi. Ecce hic est Christus*, &c. *id est, in Cœnobiis*; vt prætercam alia, ex mediis Lutheranorum biuiis & triuiis, circulis, popinis & tabernis cereuisiariis à Prædicante isto hausta; quem pudor remorari debebat, si vllus pudor fronti penitus detritæ superfuisset, ne hæc tam triuialia, & scurrilia toties à Lutheranis Mimis & Sannionibus decantata; hic rursus lectori suo oggereret; ne potius conuiciator, quàm examinator operis Bellarminiani existimaretur.

Scurratur etiam Iunius occasione quintæ expositionis hunc in modum. *Addatur, si placet, quinta explicatio. Facit, vt solitarij, id est homines à proprio, omnibusq; perspicuo sensu, ac interpretatione locorum, & à communi doctrina* D E I *aberrantes in cogitationes vagas, habitent in familia, id est, greges discipulorum, cæcorumque societates colligant duces cæci, atque in eis ceruiculam iactent, vt Iesuitarum manipulus.* Hæc expositio est vera; si in locum *Iesuitarum* substituantur Lutherani *Prædicantes*, & Ministri Lutherani. Nec dubito, Bellarminum quoque huic expositioni aliquid loci concessurum; vel in Iunij gratiam.

Septimus locus est in eodem Psalmo, vbi pro eo, quod habemus: *Qui habitant in sepulcris*; Caluinus contendit esse legendum; *In siticuloso suo.* Et quidem negari non potest, quin vox Hebræa צְחִיחָה, locum arentem, & siccum designet. Sed neque credibile est ignorasse Græcum interpretem, cum vocabulum sit satis notum. Voluit igitur interpres horrorem deserti illius exprimere, vnde Deus populum suum eduxit, quod quidem instar sepulcri esse videbatur. Qua phrasi vsum videmus Ezechielem cap. 37. qui Babylonicam captiuitatem sepulchra Iudæorum nominauit. Nec absurdè solitudo illa sepulchrum nominatur; in qua tot millia sepulta sunt, iuxta illud Num. 14. *In solitudine hac iacebunt cadauera vestra.* Fatetur Hunnius Caluini reprehensionem non esse magni momenti. Idipsum non diffitente Iunio; qui nihil aliud dicit, quam Interpretem vertisse *obscurius.* Quod aliud iudicium ferret obscurus Prædicans?

VVitackerus occlamat. *Non satis esse; vt interpres aliquem sensum, qui commode possit defendi, exhibeat; sed debere esse Spiritui sancto consentaneum: hunc autem non esse talem; neque enim Prophetam loqui de illo deserto, vnde suum populum Deus eduxit, quemadmodum Bellarminus existimat, quòd propter horrorem sepulcris comparetur; sed ait, eos, qui rebelles sunt, à Deo in loca arida, & siticulosa detrudi. Quid hoc ad illud desertum, per quod populum suum Deus in terram Cananeam eduxit?* Sed VVitackerus tantum dicit; nihil probat: nam quod hic agatur de eductione populi Israëlitici ex AEgyptiaca seruitute, manifestè conuincitur ex ipsius Psalmi verbis: Dixerat enim in eodem versiculo B. Dauid. *Qui educit vinctos in fortitudine*, (id est, qui graui seruitute oppressos in libertatem vindicat) *similiter eos, qui exasperant*, (id est, Israëlitas, *domum exasperantem*, hoc enim

nomen passim tribuit illis Deus apud Ezechielem; qui in sua eductione ex AEgypto Deum toties exasperarunt, vt notum ex libris Mosaicis:) *qui habitant in sepulchris*. Et mox subditur: *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto: Terra mota est, etenim cæli distillauerunt à facie* D E I *Sinai, à facie* D E I *Israël.* An non hæc disertè de exitu filiorum Israël ex AEgypto canunt? An non alluditur ad antecessionem illam Dei in nube, & columna ignis? An non hic decantatur & celebratur idem, quod in Psalmo 113. Miram audaciam in VVitackero fuisse oportuit, nisi mauis dicere, inscitiam, cum amore Caluini; & odio nostri Interpretis hæc tam plana abnuit. Quanquam minimè inficias imus, hanc eductionem; & exasperationem, & quod de sepulchris seu siccitatibus dicitur; etiam aliter explicari posse; vt patet apud Genebrardum & alios; sed addimus; expositionem à Bellarmino allatam esse etiam veram, legitimam ac propriam. Et quamuis VVitackerus Genebrardi expositiones rideat; nihil tamen aliud obtinet, quam quòd nouum risum suis lectoribus debet.

Addit Caluinista: *Hoc non totum fuit, quod in isto versu Caluinus reprehendit. Sic enim verba habent in Hebræo: Educit vinctos compedibus; at rebelles inhabitant locum aridissimum. Latinus interpres sic transtulit falsò, atque ineptè: Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris. Quid magis perturbatum dici potuit?* Hic iterum suspicari cogor, VVitackerum, quando hæc scribebat, dormitasse; aut *Antidotum* Caluini non inspexisse. Nihil aliud reprehendit in Antidoto Caluinus, nisi quod ab illo reprehensum esse Bellarminus hic scribit. Prouoco ad librum Caluini. Inspiciatur, & fumus VVitackerianus euanescet. Deinde versio ex Hebræo, quam adfert, non est Caluini; sed Iunij & Tremmelij. Et tamen Caluinistis suis illam proponit tanquam Caluini. Nam Caluinus in Antidoto nihil aliud habet, quàm ista verba: *Rebelles autem in siticuloso loco.* In Commentariis super Psalmos sic vertit. *Educens vinctos compedibus; at rebelles habitabunt in terra arida.*

Octauus locus est in eodem Psalmo: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus diuidere spolia. Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Hunc locum præ cæteris maximè vexat Caluinus, dicens, *interpretem, vbi sensus optimè fluit in verbis Dauidis, inuoluisse ænigmata, vnde se nullus Oedipus expediat.* Vult autem ipse legi: *Reges exercituum fugerunt, fugerunt, & habitatrices domus diuiserunt spolia. Si dormiatis inter medias ollas, eritis sicut penna columbæ, quæ tecta est argento, & cuius alæ tectæ sunt flauo auro.*

Respondet Bellarminus, non posse accusari nostrum Interpretem, qui fideliter verterit; quidquid in textu Græco reperit. Occlamant Hunnius & VVitackerus; *Vertere debuisse ex fonte Hebræo; non ex riuulo Græco.* Atqui licet ex Hebræo vertisset; num vobis satisfecisset? 70. Interpretes verterunt ex fonte Hebræo. Num vobis placet eorum translatio? Quàm placeat, abundè testantur tot in tantos viros à vobis missæ calumniæ. Dicitis, *errasse & hic & alibi 70. Interpretes.* Hoc non facilè persuadebunt Sectarij; cum alias ob caussas, tum quia Bellarminus perspicuè ostendit; Hebræum textum sic olim constitutum ac comparatum fuisse, sicut à 70. Interpretibus versus &, vt ex versione apparet, lectus est; non autem prout hodie à nouis istis versoribus, vel potius *euersoribus*, legitur ac vertitur. Parum omnino verba à se mutuo distant, quæ proinde pro varietate additorum punctorum vel eum sensum reddunt, quem 70. Interpretes expresserunt, vel eum, quem amplectuntur Nouatores, tametsi inter se minimè concordes; quod testantur diuersæ huius loci versiones ex eorum officinis profectæ.

Libet hic adscribere, quæ de hoc loco contra VVitackerum pro Bellarmini defensione eruditè scripsit Sacroboscus noster: Discrepantia, inquit, hinc prouenit, quod alia puncta nunc addita sint sacro textui, quam cum quibus legerunt L X X. sicque quod modo legitur, *malchei tseuaoth*, reges virtutum, siue exercituum; legerunt LXX. *malchi tseuaoth*; proindeque reddiderunt, *ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων*, rex virtutum, siue exercituum. Similiter in secundo loco L X X. legerunt *iedidoth*, reddideruntque *τοῦ ἀγαπητοῦ*, *dilecti*; vbi modò paulò aliter legimus, *iiddodun*, *fugient*, vel *fugerunt*. De tertio dico, *neuath Daiith*, vt propriè significat habitatricem domus, speciosam scilicet, & delicatam, quæ ferè semper domi se continet; ita metaphoricè accipi pro *pulchritudine*: quæ caussa fuit, vt LXX. reddiderint *ὡραιότητι τοῦ οἴκου*. Et Hieronymus (*pulchritudinem*) vt aliàs ferè semper. De quarto ait Bellarminus, *scephataim*, non significare *ollas*; cum illud sit dualis numeri: nec ollæ natura geminæ; qualia ferè existunt, quæ per dualem numerum efferunt Hebræi. Deinde, vt significet *ollas*, vel aliud simile; significat etiam *terminos*; vnde vertit HIERONYMUS inter terminos, LXX. *ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων*, *inter medium sortium, siue hæreditatum*: quasi dicerent, inter terminos duarum hæreditatum. Quare, quid magis cogit cum Rabbi Dauid, & eius sequacibus, nouis Arpinatibus, reddere *ollas*; quàm *cleros*, siue *sortes*, cum

anti-

antiquis multò doctioribus; præsertim cum minores Rabbini, quos ferè sequuntur aduersarij, fuerint à Deo alieni, non item LXX. Deinde si vnus locus per aliũ interpretandus est, Gen. 49. v. 14. ipsi recentiores legunt: *Isachar asinus fortis accubans inter terminos.* & tamen eadem est ibi Hebraica phrasis, quæ hic. Sed quid VVitackerus ad hæc, quæ maxima ex parte in defensionẽ nostræ lectionis attulit Bellarminus? Ne verbum quidem. Et tamen adeò impudens est, ac frontis expers, vt sibi credi velit, Bellarminum suo munere minimè esse defunctum: secumque præclarè agi, quod librum edidit inscriptum; *disputatio de sacra scriptura contra Bellarminum*: etiamsi in progressu, quando ad rem venitur, quę maximè premunt, silentio prætereat.

Quid Iunius & Hunnius? Prior ille ægerrimè fert, quod Bellarminus tam clarè ostendit lectionem Hebræam, quam 70. Interpretes, hanc quã in latina etiam editione habemus, versionẽ nobis tradiderunt. *Ista fluent planè*, inquit Caluinista, *si corrumpi omnia licuerit; literas, vocales, accentus, voces, sententias, vt hic Bellarminus facit. Nam harũ deprauationum (quas iste emendationes putat) nulli cum ratione Grammatica, & linguæ proprietate vel in speciem conuenit. Nonne, sic etiam Turci facillimè Alcoranum suum in Testamento vetere inuenerint?*

Nil nisi mendacia video: quia omnia & cum Grammatica & cum linguæ proprietate consonant, vt fatebitur, quisquis vel modicè litteras Hebræas gustauit. Quod annectitur de Turcis, num Alcoranum suum inuenturi sint in vetere testamento, quod Iunius cum suo Tremmelio Iudaicè prorsus ex Hebræo vertit; aut in illo, quod transtulit Castalio; non satis scio; hoc euidenter exploratum habeo; eos, quidquid demũ conentur, non reperturos suum Alcoranum in veteri testamento nostræ & vulgatæ editionis ac translationis. Quod Bellarminus Caluinum notat, quasi inscitè *habitatrices* pro *habitatrice* supposuerit; pius Caluini filius Iunius excusat per enallagem, cuius iure liceat *singulare* pro *plurali* ponere. Vbi nimia in Caluinum obseruantia Iunium eius quod dicere volebat, contrarium, dicere coëgit. Non enim reprehendit Bellarminus Caluinum, quod singulare pro plurali, sed quod plurale pro singulari posuit. Sed & huic medebitur enallage: quamuis fortasse nõ libens; cum enim Caluinus fidelem & Hebræo examussim respondentem translationem promiserit; non decet, vt verbum Hebræum singulare in plurale commutet: quia vt æquè facilè fieret plurale pro singulari ponere, tamen non fuit æquè fidele; quamuis postea in Commentariis Psalmorum singulariter vertit. *Et habitatrix domus diuidet spolia.*

Tetigit etiam Bellarminus *Ollas* Caluini, in hac Caluini versione. *Si dormistis inter medias ollas*;

A (In Psalmis transtulit: *Si iaceatis inter ollas.*) Hoc ferre nequiit Iunius; Quare pro Caluino, insurgens; ait; *Caluinum respexisse ad euidentiam, cum ita redderet.* Magna euidentia, *inter ollas*. Quando nos dicimus hoc vel illo loco 70. Interpretes, vel nostram vulgatam editionem respexisse ad euidentiam; tum Iunius huiusmodi respectum ne ad aures quidem admittit; tantum abest; vt ad animum. At quando Caluinus noue, hoc est, ineptè aliquid reddit, tum respicit *ad euidentiam*; Etiamsi vox Hebræa non significet id, quod Caluinus affert. Deinde si euidentius est illud; *inter ollas*; quàm quod alij Nouatores adducunt; Cur ipse Iunius, tantus Caluini admirator & propugnator, illud; *inter ollas*, non retinuit? Cur B hunc in modum reddidit vna cum suo symmysta Iudaico Tremelio? *Etiamsi iacueritis inter duas strues lapideas, eritis similes alis columbæ, tectæ argento, cuius pennæ sunt ex fuluo auro effosso.* En Caluinus lectori dat ollas; Isti duo Caluinistæ: *strues lapideas*: adduntque glossam, quid sit iacere inter *strues lapideas: id est, in summis angustiis, sordibus, & squalore vixeritis: metaphora à calonibus, & lixis castrensibus, qui à ventorum, & cæli iniuria vtcunq; se defendunt noctu, delitescendo inter lapides focarios, ac proinde omnem in partem fuligine, & atrore maculantur.* Hæc isti explicationis caussa, ne tam profundæ eruditionis ignari essemus.

Quid amplius Iunius? *Lapidum focariorum vsus non est tam in vulgo cognitus, quàm ollarum, quæ lapi-* C *dibus illis, aut fulcris ferreis adnituntur. Quapropter Synecdochicè rem maluit perspicuam facere, quàm in obscuro relinquere, seruata angustius proprietate vocis.* Ergo tu & tuus Tremelius reliquistis rem in obscuro; quia nullam fecistis vestra in versione mentionem *ollarum*; sed tantummodo lapidum. *Quid vetat*, inquit Iunius, *vt etiam propriè Hebræum nomen accipiamus pro ollis* ad focarios lapides vtrinque ordinatis. Si nil vetat, cur ergo tu tusque Tremelius non accepistis propriè nomen Hebræum pro *ollis*. Cur maluistis lectori dare *lapideas strues*, quàm *ollas*, quas tamen liberaliter dedit *ollarius* Caluinus? Cur si *ollæ* displicebant, non dedistis cum aliis, *Tripodas*: aut cum Vatablo in scholiis *Chitropodas*; aut *caldarias*, aut *vasa* D *plena fulgine*? Cur non cum Castalione, *cortinas*? Quantum, bone Deus, discrimen inter *cortinas* & *ollas*. Et tamen nouator ille appendit nobis cortinas, Musculus Caluini *ollas* retinuit, quo nil ab ingenio alienum fecit; quia Musculi libenter habitant in ollis. Lutherus vertit. Wenn ihr zu Feld ligt. hoc est, *quando estis in castris: vel quando estis in campis.* En conuenientiam sectariorum in huius loci translatione; qui susque deque habent suas absuditates, dummodo sint nouitates oppositæ vulgatæ editioni *inter cleros*, seu *sortes*: quod Hieronymus: *inter terminos*; & Caietanus, vel potius Iudaizantes, quorum opera Caietanus vsus est; *inter confinia*; quod ab illo D. Hieronymi non abludit.

In illo, quod noster habet: *Dilecti, dilecti*; valde variant noui Interpretes. Caluinus, Musculus, Iunius, *fugerunt, fugerunt*; vel *fugiunt, fugiunt*: vel, *fugiebant, fugiebant*: Castalio. *Cessere, cessere*; Caietanus; *mouebantur, mouebantur*. S. Hieronymus olim. *Fœderabuntur, fœderabuntur*; & hanc, vel huic assimilem, versionem secutus est Lutherus in Bibliis suis Germanicis; vertit enim: Die Könige der Herschaten sind vndernander Freunde. *Reges exercituum sunt inter se amici*, vel, *fœderantur inter se*; vt vel hæc ipsa aliorum diuersitas cordatum quemque ad vulgatæ lectionis defensionem incitare debeat.

Clamat Hunnius; *Quæ, per Deum immortalem, est constructio. Rex exercituum* (virtutum) *dilecti, dilecti. Quis sensus?* Sensus loci huius duplex est; (vtar enim verbis Sacrobosci nostri) vnus litteralis, allegoricus alter: vterque à Spiritu sancto intentus: sed ille proximè, hic remotè. Sensum allegoricum, quia pertinet ad statum præsentis Ecclesiæ, explicant communiter patres, Augustinus, & alij, quos sequutus est hîc Bellarminus. Sensum verò literalem, quia pertinet ad populum Iudæorum, pauciores persequuntur. Eum tamen conabimur hic inuestigare. Siquidem ille basis ac fundamentum est alterius. Est igitur hic: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*: id est, Dominus suppeditabit materiam in pæanas prorumpendi, iis, quibus incumbit, triumphalia carmina pro victoria populi cantare: & hoc quidem, de virtute multa, siue exercitu multo, supple. prostrato: vel, cum copioso exercitu, qui erit populi, & magna præstabit. *Rex virtutum dilecti, dilecti*; Dabit hoc, dico, Dominus, Dominus ille, & rex exercituum, dilectissimi sui populi; *& speciei domus diuidere spolia*: id est, dabit ille quoque Dominus, ac rex pulchritudini domus, siue speciosæ mulieri, quæ domus ornatus est; vel quæ domi ferè semper est, & ad bella non procedit, diuidere hostium spolia. *Si dormiatis inter medios cleros*, &c. id est, vos dilectus DEI populus, qui malis ante premebamini; vbi vobis dabit DEVS securis accubare, in medio sortium vestrarum, tunc eritis similes pulcherrimæ columbæ, albo, & fuluo colore distinctæ; læti scilicet, ac festiui.

Dixi; suppeditabit materiam canendi, &c. quoniam mos erat apud populum DEI parta victoria, decantandi hymnos. Vnde, submersis AEgyptiis, cecinit cum populo Moses celebre illud canticum, cuius initium est; *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est: equum, & ascensorem proiecit in mare*. Et, Debora cum Barac, deuicto Sisara, decantat aliud, (Iud. 5.) quod incipit: *Qui sponte obtulistis, &c.* Dixi, cum exercitu multo, vel de exercitu multo; quoniam vox Hebræa significat exercitum; pro quo accipitur vox Latina, qua vtitur noster interpres, vt Psal. 45. vbi dicitur: *Dominus Virtutum ipse est rex gloriæ*. Præterea in textu Hebraico aliqua particula subintelligitur, quæcunque illa sit. Vnde Pagninus intelligit, *erat*: vt sit sensus; exercitus magnus erat. Hieronymus vertit; *Dominus dabit verbum annuntiatricibus fortitudinis plurimæ*; quod eodem redit, si dicas, cum exercitu plurimo; qui ex consequenti intelligitur magna præstiturus. Si subintelligas particulam *de*; satis commodè id facies; vt sit antithesis; Dominus dabit annuntiatricibus de exercitu multo prostrato; & mulier imbellis, quæ domi residet, spolia diuidet, parta victoria.

Hebræi, vt in scribendo non exprimunt vocales, sed subintelligunt, ita in loquendo; maximè cum carmine scribunt, non omnia ponunt: sed, quasdam dictiones, prout locus postulat, supplendas relinquunt: quo fit, vt sicut eorum scriptio variæ lectioni est obnoxia: ita ipsorum loquendi ratio, occasionem præstet variæ interpretationi: sicque fit, vt debilia, minimeque exercitata ingenia, omnia putent ænigmata. Eius, quod dixi, exempla non desunt: &, ne aliunde repetamus, verba illa, *columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*; non videntur sensum habere. quare, omnes subintelligunt *eritis*, sicut *pennæ columbæ deargentatæ*, cuius *posteriora dorsi* desinunt, *in pallore auri*, vel aliud simile.

Dixi; dilectissimi populi sui, pro, *dilecti, dilecti*. quia hæc repetitio familiarissima est Hebræis, ad augendam significationem. Dixi; *eritis festiui*, &c. pro, eritis, vt columba deargentata, id est candida: quoniam albus color est signum lætitiæ. Eccles. 9. & Apocalyp. 6. Et in hac Poëtica descriptione elegantiam habet; ad cuius augmentum additur maior decor; ex adiunctione flaui coloris. Cætera, quæ posuimus in reddenda paraphrasi explicata sunt. Vnum hic ex VVitackero possumus contra hanc nostram paraphrasin obiicere. Verbum (*dabit*) non posse repeti, & coniungi cum *speciei domus*. Nam illa verba ait, *perfecta distinctione separata, nec vllo modo coniungi posse*. Respondeo, antè Bellarminum, & nos, Liranum, & Iansenium verbum (*dabit*) ex superioribus repetiisse, & coniunxisse cum (*speciei domus*:) quos viros in hoc genere non facilè vincit auctoritate VVitackerus. Deinde; *omnia illa; Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus diuidere spolia*: Codex Vaticanus, septuaginta Interpretum, intra eundem ambitum, siue periodum coërcet. Adiunge: in Poëticis sæpe non ratione sententiæ, sed metri, notas distinctionum exprimi. Hæc ex Sacrobosco; quæ, nisi fallor, quæstioni Hunnianæ de sensu huius loci satisfacient.

Digitized by Google

Mysticam huius loci interpretationem, quam Bellarminus hic adfert; petulanter exagitat VVitackerus, cuius tamen petulantia non tam Bellarminũ, quam D. Augustinum tangit; ex quo, *maximam partem*, desumpta est. Ridet, quod Bellarminus verbum *Dabit*, ex superiore versu repetit. Risum hunc iam coërcuit Sacroboscus. Ridet, quod ait; illud *speciei*, valere; *ad speciem & ornatum*; Regem enim exercituum daturũ Apostolis & Prædicatoribus Euangelij virtutem, vt diuidat gentium deuictarum spolia ad speciem, hoc est, decorem & ornatum domus Dei, quæ est Ecclesia; *Hoc ne tolerabile quidem est*; inquit VVitackerus. *Quis enim sic Latinè loquitur?* At tolerare debes velis nolis; & Interpres noster ita latinè locutus est, linguæ Latinæ nõ paulò, quàm VVitackerus, peritior. Quis, nisi insulsus, carpat; si quis dicat: *dabit spolia τῇ ὡραιότητι speciei domus*; ornandæ & illustrandæ domui spolia distribuet. Scilicet Interpres noster per mille trecentosque annos exspectare debebat; donec à VVitackero latinè loqui disceret.

Ait, Genebrardum excogitasse aliam expositionem. Esto; num ideo mala, quam Bellarminus ex Patribus attulit? Quæ hæc consequentia? Genebrardus aliam huius loci, & quidem mysticam, adducit; ergo expositio Bellarmini non est probanda. Quasi verò nequeant plures eiusdem loci mysticæ explanationes adferri; omnesque probæ & probandæ à probis, quidquid sit de improbis Hæreticis.

Illud; *si dormiatis inter medios cleros*, sic mysticè explicat Bellarminus: si vos, ô Prædicatores, & pastores Ecclesiæ, maneatis inter duas sortes, siue hæreditates, cælestem, & terrenam; ita, vt dum hic viuitis, non toti sitis in rebus temporalibus occupati: nec toti, in spiritualibus: nec toti in actione; nec toti in contemplatione; sed in medio: tunc erit Ecclesia, quasi columba formosissima, & pulcherrima, habens alas deargentatas, & dorsum deauratum, &c. Hic VVitackerus insignem sese cauillatorem, ac sycophantam præbet. *Num*, inquit, *Prædicatores in medio actionis, & contemplationis esse debent? Hoc autem quid aliud est, quàm ab actione, & contemplatione vacare, nimirum omninò inutiles esse?* Quid aliud agit VVitackerus, quàm quòd ex mera, vt apparet, nequitia, improbè, & flagitiosè cauillatur: neque enim in medio contemplationis, & actionis versari, idem est, quod ab actione & contemplatione vacare; sed est vtriusq; extremi participem esse; partimque contemplationi partim actioni operam dare: medium enim tenet; qui nec totum se actioni, nec totũ contemplationi tradit, sed partim huic, partim illi studet. Quæ in argumento morali communis est medij notio & significatio, vt notum omnibus; & tamen non erubuit VVitackerus, Bellarmini dictum hic cauillari vel potius criminari, cum manifestissimũ sit, quo sensu vocem medij Bellarminus hic vsurparit.

A *Dormire inter medios cleros*, inquit VVitackerus, *nouo modo exponitur inter duas sortes: & tum hæ sortes de actione & contemplatione ineptissimè intelliguntur.* Vbi nota minimùm duo mendacia: primum, quòd mystica hæc expositio sit noua: est enim sanctorum Patrum; quos Bellarminus hic sequitur. Secundum, has sortes referri ad contemplationem & actionem; expressè enim refert Bellarminus has sortes ad hæreditatem cælestem & terrestrẽ; inter quas actione & contemplatione hanc vitam ducere oportet.

Nonus locus est in eodem Psalm. 67. vers. 17. *Vt quid suspicamini montes coagulatos?* Vult enim Caluinus esse legendũ; *Vt quid inuidetis montibus opimis?* Sed verbum illud רצד, non nisi hoc loco inueniatur; & tot sint ferè expositiones huius verbi, quot
B sunt interpretes; cur, quæso, magis sequendus erit vnus Campensis, quàm interpretes septuaginta? Quærit VVitackerus; Si hoc loco septuaginta Interpretes sequẽdi ac audiendi sint; quid futurum sit de aliis, qui aliter verterint; de Vatablo, inquam, Pagnino, Montano, & similibus. Respondeo nos non admodum esse sollicitos, quid de horum hoc loco versione fieri debeat; quia nostram tuemur, ac stabilimus; cui si aliorũ versiones repugnant; illam amplectimur; & has respuimus. Certè ipsa varietas & multiplicitas versionum huius loci, tantum non sonora voce nobis acclamat, vt translationi 70. Interpretum & nostræ adhæreścamus; quos vim verbi Hebræi
C hoc loco longè melius intellexisse crediderim; quàm istos post tot demum sæcula natos. S. Hieronymus vertit. *Quare contenditis mõtes excelsi?* Caluinus in Psalmis: *Vt quid exilitis montes celsitatum?* Caietanus: *Quare saltabitis montes celsitudinum?* Vatablus: *Quare inuidetis vos montes quantumuis cliuosi?* Iunius & Tremmelius: *Quare deuceretis vos montes frequentes gibbis?* Musculus: *Quare resultabatis montes excelsi?* Castalio: *Cur insolescitis montes tumidi?* Pagninus in Bibliis Regiis: *Vt quid despicitis mõtes gibbosi?* Cum ergo tanta sit translationum varietas, prudenter faciet, quisquis repudiata nouitate, vetustatem potius sibi sequendam duxerit.

Hunnius horribiliter tonat & fulminat, quòd Bellarminus dixerit; hic stãdum esse iudicio 70.
D Interpretum. *Falsissimum est*, clamat Prædicans, *Hebræum textus litem facilè dirimit*. (Apparet hoc certè ex tanta versionum varietate & dissimilitudine) Bellarminũ vocat *Antichristi mancipium*. Quare? *Quia suprà, cap. 6. fassus est translationem 70. Interpretum, vt hodie exstat, multis locis esse corruptam & vitiatam; nunc iubet, vt in huius Psalmi versione amplectamur translationem 70. interpretum, non habita ratione textus Hebraici; sicque verum ordinem inuertens, facit, vt, veteri verbo, currus bouem trahat, & filia matris locum occupet, matrem suo loco & sede depellat.* Pulchrè & argutè. Fortè à domesticis exẽplis sumpsit hos loquẽdi modos Prędicãs. Ad rẽ. Etiãsi Bellarminus dixerit, editionẽ 70. Interpretũ multis locis esse vitiatã, non tamẽ necesse est, vt sit etiã vitiata illis

 in locis,

Digitized by Google

locis, in quibus consentit cum translatione Latina vulgata, approbata, tanquam authentica; generalis Concilij decreto, ad finem mundi vsque immobiliter duraturo; quantumuis licet Prædicantes ringantur & runpantur; cælumque ac terram vociferationibus compleant. Cum ergo translatio nostra, Concilij suffragio & sanctione confirmata, hic consentiat cum 70. Interpretibus; & hi cum illa; non iniuria concludimus; 70. seniores hoc loco reuerenter auscultandos, nouos autem versores, præsertim hæreticos, aliò cum suis versionibus amandandos esse; si suas supra nostram efferre, & per suas, nostram exterminare velint. Eat nunc & vociferetur, quãtum & quandiu voluerit Prædicans. Manum nõ vertero ob insani clamores insulsos atq; inconditos: qui quò validiores sint & concitatiores socium sibi adsciscere poterit Hunnius Iunium; Lutheranus Caluinistam, cuius sunt ista: *Hic locus bifariam falsus est*: nam & *falsa est translatio vetus, quæ verbum ὑπολαμβάνετε significans eo in loco*, suscipitis, *exponit*; suspicamini. *Et, falsò tribuitur Caluino interpretatio, quam ex Campensi posuit, ac si eam sibi vindicaret. Nam interpretationem Paraphrastæ Chaldæi in trãslatione sua planè secutus est. In Antidoto non suam attulit: sed satis ipsi fuit, vt ineptum Vulgatæ modum in eo loco ostenderet.*

Hoc loco tria mendacia procudit nobis Iunius. Primum, verbum Græcum ὑπολαμβάνειν nõ rectè verti, *suspicari*. Quis enim vel tiro linguæ Græcæ ignorat ὑπόληψιν esse *suspicionem*? Secundum, Caluinum hanc versionem: *vt quid inuidetis montibus opimis*; non adducere, tanquam suam; quascunq; enim adducit in Antidoto, vbi quartam Sessionem Concilij Tridentini exagitat; eas, vt veras, probas, legitimasque, ac proinde, vt abs se probatas, adducit. Sed animaduertit Iunius suam versionem stare nõ posse, si stet versio Caluini. Tertium, Caluinum interpretationem Paraphrastæ Chaldæi in translatione sua secutum esse. Caluinus aliter quidem in Commentariis super Psalmos hunc locum vertit; verum Chaldaici Paraphrastæ ne verbo quidem meminit.

Miratur VVitackerus, cur Bellarminus nullam huius loci expositionem attulerit: miranti respondit iam Sacroboscus; nimirum, aliam à Bellarmino non fuisse susceptam prouinciam, quam ostendendi, nostram editionem Latinam non fuisse vitiosam, quomodocunque postea interpretari illam nos oporteat. Quare, non tenetur singula exponere. Volo tamen ego huic homini gratum facere. Verba igitur illa; *Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos? mons in quo bene placitum est Deo habitare in eo*, hunc habent sensum. Mons Dei est mons admodum ferax, ac fertilis. Quare igitur suspicamini esse propter hunc, alios? id est, quare de aliis nescio quibus pinguibus montibus cogitatis, aliosue exspectatis, cùm nulli sint,

A qui huic monti comparari queant? Hic enim est mons, quem Deus elegit ad inhabitandum.

Locus decimus est in eodem 67. Psalmo, vbi legimus: *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*. Sic enim legendum Caluinus censet: *Etiam defectores vt inhabitet Dominus Deus*. At profectò nimia est hæc libido contradicendi, cùm & sensus sit idem, & verba vulgatæ editionis sint meliora: & ipse etiam S. Hieronymus ex Hebræo vertetit; *Non credentes inhabitare Dominum Deum*.

Mentitur VVitackerus hanc nostram versionem nec cum Hebræo, nec cum Græco conuenire. Cur cum Hebræo non conueniat, pulchram reddit rationem; quòd non sit ex Hebræo, sed ex Græco. Quasi quod ex Græco est, cum Hebræo
B consentire nequeat. Verùm vt futilis est hæc ratio, ita mendax assertio. Cum Hebræo enim consentire testatur translatio S. Hieronymi ex Hebræo, qui non aliter vertit, quàm habeat vulgata editio. Secundò idem testantur versiones Hæreticorum; quæ, si sensum spectes, à nostra non discrepant. Iunius ita vertit: *Etiam rebelles habitando captiuos facis Iah Deus*. Caluinus in Psalmis: *Accepisti dona in hominibus, atque etiam rebelles, vt inhabitet Iah Deus*. In Antidoto: *Etiam defectores, vt inhabitet Dominus Deus*. Musculus: *Accepisti dona inter homines, etiam rebelles, ad habitandum, Domine Deus*. Idem testatur Pagnini & Montani ad verbum ex Hebræo versio. *Etiam rebelles ad inhabitandum Iah Deum*, vel; *vt inhabitarent Dominum*.

C Mendacium insuper est versionem nostram dissentire à textu Græco, qui est iste, ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώπῳ, καὶ γὰρ ἀπειθοῦντες τοῦ κατασκηνῶσαι. *Accepisti dona in homine* (Regia Biblia ἐν ἀνθρώποις, *in hominibus*) *etenim non credentes, inhabitare*, vbi subaudiuntur illa: *Dominum Deum*. Sixtina Editio 70. Interp, habet ἀπειθοῦντας sed videtur esse mendum typographicum. Sensus huius loci est iste, interprete Genebrardo: *Etiam non credentes, cepisti, vel accepisti, vt inhabitet Dominus Deus cum eis. Sic enim debet resolui: Etiam rebelles, & incredulos in gratiam recepisti. Inhabitare*; τοῦ κατασκηνῶσαι, *subaudi*, ἕνεκα; *causa inhabitandi; vt Psalm. 9. vers. vlt. ad inhabitandum, vt inhabitet, Hebrææ literæ congruenter. Nam est Græcismus simul, & Hebraismus. Est ergò sensus, vel per zeugma, vel per con-*
D *structionem inuersam. Per zeugma quidem ad verbum proximè positum: vt*, non credentes; *regatur à verbo*, cepisti. *Etiam non credentes, siue incredulos (Hebraicè rebelles) cepisti: vt iam inhabitet Dominus Deus cum eis. Etiam rebelles plurimos, & Dei penitus ignaros tibi subegisti: Gentiles cepisti, comprehendisti, tui iuris fecisti; vt verè dici possit, te tunc habitare cũ eis, vt Saluatorem Deum. Per ordinem verò inuersum, vt nihil repetatur: sed Accusatiuus, non credentes, regatur à parte posteriore infinitiui*, inhabitare, *quod Chaldæus mauult: vt inhabitet Dominus Deus etiam rebelles, & incredulos, apud eosq́; resideat, quibus antea erat infestus.* Dominum Deum; *regitur à parte anteriore verbi*, inhabitare. *Sic, hic versus à superiore pendet. Cepisti dona pro hominibus, idque etiam, vt Deus inhabitet non credentes. Non modò vt ea Iudæis, &*

fidelibus

fidelibus effusè tribuas, verùm etiam gentibus fide, spe, charitate Dei Patris tui carentibus.

Hinc apparet, quam verè & scitè scripserit VVitackerus versionem nostram discordare à Græco contextu. neque nisi ruditati VVitackerianæ adscribi debet, quod monet; post verbum κατασκηνῶσαι esse plenum punctum. Et tum nouam sententiam incipere: κύριος ὁ θεὸς εὐλογητός. Quis hoc ignorat Caluinista? An non noster Interpres nouam sententiam sic auspicatus est? *Benedictus Dominus die quotidie.* Nam illud, quod antecedit; *Dominum Deum*; fatemur in Græco expressè non poni; ponitur tamen in Hebræo;& in Græco subintelligitur; quia sermo est de Deo; qui etiam *non credentes* seu *rebelles* sibi sumpsit, vt in eis,tanquam in suo domicilio,habitaret.

In Iunio duo obseruanda veniunt. Primò, reconditum quoddam mysterium, *nec vulgo*, vt ait, *nec Bellarmino notatum*. Quid illud? Hieronymum illud, *non credentes pro vna voce posuisse*; hoc est, vt Dialectici loquuntur, pro *nomine infinito* vsurpasse. En mysterium ab ætate D. Hieronymi vsque ad hæc tempora absconditum, & nunc tandem Iunio reuelatum. Ex quo tamen sequi videtur, Deum ex Prophetæ sententia, non modò homines, sed & lapides, stirpes, elementa, & id genus alia sibi pro domicilio ad inhabitandum elegisse;quia vt lapis est *non videns*, ita & *non credens*:& vt stirpes *non videntes*; sic & *non credentes*: ergo si non credentes assumpsit sibi Deus,non credentes,inquam, *Iunianè* seu *infinitè* acceptos,etiam lapides & stirpes sibi ad inhabitandum per gratiam & fidem elegit:quod quomodo cum vero cohæreat; ipsi Iunio dispiciendum relinquo.

Alterum obseruatione dignum consistit in his verbis; quæ Iunius alleuit, ad hunc versiculum: *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum: Negamus eam esse aut vocis aut loci totius sententiam.* Et tamen & vocem & locum in hãc sententiam vertit D.Hieronymus:nec ipse tantùm:sed & Nouatores, imò ipse Iunius: vt patet ex versione eius superius allata.

Hunnius grunnit hic locum hunc nimis obscurè ab Interprete nostro redditum; cui lucem affundi censet; si vocula, *etenim*, mutetur in; *Insuper*, prout vertit sanctus Hieronymus. At si vocula, *etenim*, tanta hunc locum caligine aspergit, id,opinor, non fiet,nisi apud illos, quibus ignotum, eam apud 70.interpretes, & alios sæpissimè pro,dictione,*etiam*, accipi. Quos si noster Interpres imitari voluit, inexpiabili scilicet crimine sese obstrinxit. Mentitur Prædicans cum scribit, *ex versione nostra nullum certum sensum elici posse: ita,vt si ex Iesuita sub iuramento quæratur,quis sit horum verborum sensus, exponere tamen illum haud posit.* Hæc omnia nihil aliud sunt,quàm nugaméta & commenta Prædicantica: iam antea sensum attulimus, eumque certum ac solidum; quem nullo A negotio ipse etiam Bellarminus attulisset; si explicationem Psalmorum, nõ defensionem translationis nostræ instituisset.

Vndecimus locus est eôdem Psalm.67.vbi legimus: *Conuertam in profundum maris.* Nam in Hebræo contrarium haberi Caluinus dicit;hoc est, *reducam ex profundis maris.*

Respondet Bellarminus I. Posse rectè ex Hebræo verti, *in profundum*, idque probat testimonio Rabbi Dauid, qui asserit interdum מן pro ב vsurpari;vt Deut.33.vers.2. מסיני *In Sinai.*

B Ad quæ Iunius: *Nec auctoritas D.Kimchi, nec locus Deuter. verè adducitur. Nam Kimchi ex aliorum sententia illam interpretationem affert in sua Grammatica, sed idem mox docet de sententia sua Hebræam particulam* מן *propria significatione exponi melius posse: & in loco Deuteronomij, vel ipso teste, propria est illius præpositionis significatio.*

More suo, mentitur Iunius; &, vt hoc sciremus, ipsemet mendacium suum detegit. Licet enim Rabbinus iste particulam illam dicat melius Deut. 33. accipi posse pro *De*, interim tamen non negat accipi posse pro *In*; simulque satis indicat multos in hac sententia versari: de quo videat Lector Pagnini Thesaurum in voce מן vbi multa profert exempla quæ hãc præpositionem pro *In* vsurpari posse ostendunt.

C Hunnius putat, *Bellarminum, ex desperatione Rabbini huius testimonium citasse.* Rectius forsan quis crediderit, Prædicantem istum ex desperatione mentiri ac calumniari. A quo enim vsus Hebraicarum vocum petenda est? A Prædicantibus,an à Rabbinis? Ait,*vulgatam nostram versionem Deuter. 33. non habere, In, sed De, De Sinai, De Seir.* Scilicet ignorauit hoc Bellarminus; qui nihil aliud voluit hic probare, quàm mirandum non esse, si noster Interpres Psalm. 67. præpositionem Min, pro Latina *In* accepit, cum ipsimet Rabbini hoc sensu eam vsurpari posse doceant, cum alibi, tum Deuter.33. licet noster Interpres eam ibi per latinam præpositionem *De* expresserit.

D Mentitur VVitackerus, cum ait; *Bellarminum hoc loco in translatione nostra errorem agnoscere.* Quomodo,obsecro, agnoscit, cum demonstrare tentet,rectè ex ipso etiam Hebræo,*in profundum*, verti posse.

Secundò respondet Bellarminus varias esse lectiones huius loci tam in Græcis, quàm in Latinis exemplaribus: cum alij legant, *In profundum*; alij, *in profundis*: de quo videri possunt Notationes Lucæ Brugensis. Posteriorem lectionem maximè probat Bellarminus; quia conuertere in profundis maris, nihil est aliud, inquit Bellarminus, quam eos, qui sunt in profundis maris, hoc est, in profundis vitiorum ac flagi-

flagitiorum extrahere, & ad meliorem frugem traducere. Ait VVitackerus, *Grammaticos forsan non concessuros Bellarmino, in profundo maris conuertere, idem esse, quod è maris profundis extrahere.* Sed parum moratur Bellarminus quid Grammatistæ concedant; quia Theologum agit, non Grammaticum. Quis Theologus neget, peccatorem quando in profundo & barathro criminum hærens conuertitur, inde extrahi; & ex profundo illo seu barathro educi?

Mentitur Hunnius, Bellarminum, *furtim pro accusatiuo vulgatæ editionis substituere ablatiuum.* Quomodo furtim? An non fatetur publicè in quibusdam codicibus legi; *in profundum?* An non hãc ipsam lectionẽ ex Hebræo defendit & explicat? Num te, præco, nullius amplius impudentiæ pudet? An frons funditus periit & interiit? Imò, vt videas, quàm non cupiamus, quidquam hic furtim agere, palam confitemur, hanc lectionem; *In profundum*, haberi itidem in noua & recognita nuper Bibliorum editione; quam lectionem defendemus, donec Ecclesia illam alteram, quam isti ex Hebræo inculcant, nobis seqnendam proposuerit: nullis Prædicantium criminationibus absterriti; cuius sensus est iste; Genebrardo Interprete: *E Basan regione Og hostis tui sæuissimi, ex ipsismet regionibus inimicorum tuorum, conuertam inimicos tuos in profundum maris, eos in mare demergam, vt olim Pharaonem, & Ægyptios. Ad Og enim, & Pharaonem respicit versiculus. Vel ex Basanitide regione (se retraham) & conuertam (inimicos tuos) in mare.*

Duodecimus locus est in eodem Psalmo 67. vers. 28. *Ibi Beniamin in mentis excessu.* Miratur Caluinus, quid cogitarit interpres, qui sic vertit, cũ in Hebræo sit רֹדֵם, id est dominator eorum. Respondet Bellarminus, illud verbum posse significare; *dominator eorum*, à verbo רָדָה: & etiam, *altè dormiens*, à verbo רָדַם. Posteriorem lectionem sequuti sunt Græcus, & Latinus interpres: sed vtraque est vera interpretatio; nec vna, alteram destruit. Nam per Beniamin intelligunt Catholici scriptores cum Augustino Apostolum Paulum, qui & fuit in mentis excessu tam altè dormiens, vt ne sciret an esset in corpore; & simul fuit præcipuus Dominus, siue Princeps spiritualis Ecclesiæ gentium.

Obiicit VVitackerus. Quis credat Dauidem de Paulo nunc loqui? S. Augustinus id credidit, & cum Augustino grauissimi quique Interpretes. Oggrunnit Iunius: *Expositio hæc est tota falsa: nam & aliena est à propheta consilio, naturaq́ loci; & allegorica prorsus, idq́ licentiosissimo genere allegoriæ.*

Quis hoc asserit? Iunius; Caluinianus Minister insulsus, contra D. Augustinum, & veteres Psalmorum explanatores. Num audiendus? Audiat ipse potius Lutheranum suum Symmystam Hunnium; qui hoc loco, præter morem, sanior ista scripsit: *Hunc locum puto non exagitandum esse. Idcirco nihil addo.* Hæc de mystico & allegorico sensu intellecta sunto. Nam quæ Hebraizantes & Nouatores quasi ad litteram, adferũt de tribu Beniamin, vel de Rege Saul ex tribu Beniamin, iis pretium & valorem suum minimè detrahimus, quandoquidem is litteralis sensus esse videtur.

Ait Bellarminus: vtramque versionem veram esse, hoc est, tam illam; *in mentis excessu:* quam illam; *dominator eorum.* Obiicit VVitackerus: *Hoc nimiæ solertiæ fuit, qua Bellarminus vsus est, vtramq; interpretationem miscere: vox enim Hebræa non significat vtrunque, sed saltem alterutrum; ergo est erratum vel in nostris editionibus, vel in Latina vetere.* Verum cum Hebræa dictio *Rodam* sit ambigua, & pro varia deriuationis suæ ratione id significet, quod habet nostra versio, & illud, quod Hebraizantes volunt; vt ostendit Bellarminus, & ante illum B Iansenius in hunc Psalmum; haud abs re dicitur, Spiritum sanctum huiusmodi verbo hic vsum, vt siue verteretur vt versum est, à 70. Interpretibus; & nostro vulgato; siue vt ab istis vertitur, rectè, & ad Spiritus sancti mentem accommodatè verteretur. Quapropter causse nihil est cur miretur VVitackerus, vtranque sententiam à Bellarmino fuisse coniunctam.

Decimus tertius est in Psalm. 131. vbi legimus; Viduam eius benedicens benedicam. Quem locum *& Caluinus, & Kemnitius dicunt esse corruptum, cum in Hebræo sit* צֵידָהּ, *id est,* victum eius. Respondet Bellarminus, Caluinum bis mentiri in hoc loco. Quod & planè demonstrat. Addit; si error sit; esse in Græco. Quid Hunnius? *Bellarminus molli* C *brachio tractare cupiens Latinam editionem à Conciliabulo Canonizatam, nõ erratum nominat; sed varietatem, quæ fuerit animaduersa à Chrysostomo, Hilario, & aliis, etiam recentioribus.* At Prædicans molli brachio hic præterit, neque Caluinum à mendacio impacto vel leuiter defendit. Dixerat Caluinus, hoc erratum à nemine fuisse notatum. Hoc vocat Bellarminus mendacium; notauit enim varietatem lectionis hoc loco Chrysostomus & Hilarius, & D. Hieronymus Quæst. in Genesin; & multi ex recentioribus. Hic silet Lutheranus Prædicans, & Caluinum, cui toties iam subsidio accurrit, sperata ope destituit.

Quod Bellarminus dicit, si vllus hic sit error, eum esse in Græco; *Vide,* inquit Hunnius, *quàm in-* D *uitus agnoscat esse errorem; cùm sit error fœdus, & monstrosus, pro victu, viduam ponere.* Atqui grauissimi Auctores & antiquissimi tam Græci quam Latini χήραν, hoc est, *viduam* legerunt; quos vt tam temerè fœdi & monstrosi erroris damnemus, haud sinit pietas; & quod Bellarminus ait; fermè esse eundem sensum siue *victum*, siue *viduam* legas; id vsq; adeo à vero non recedit; vt propterea in has vociferationes erumpere debuerit: *Vbi, Bellarmine, cerebrum tuum? Vbi os? In qua Grammatica, quo lexico idem vnquam, aut saltem ferè idem esse legis, victum & viduam!* Modestè Prædicans, & pacatè; non enim tibi negotium est cum aliquo VVitebergensi *cereuisiario*; sed cum illo viro, in cuius vultum rectis oculis intueri, vt opinor, minimè potuisses. si

præ-

præsens præsenti fuisses. A Nunquam dixit Bellarminus: *Victum & viduam*, idem aut fermè idem significare; sed totius periodi seu comprehensionis huius dixit eundem fermè sensum esse: & verum est. Si enim promisit Deus se victui Sionis largiturum benedictionem; vtique etiam viduis Sionis benedictionē promisit; quandoquidem benedictionem non aliter pollicitus est; quàm vt ad salutem hominum redundat. Paratragœdiat hic etiam VVitackerus: nullumque turpius erratū fingi posse clamitat, quàm sit hoc. Sed nos in Ecclesiæ & tot vetustissimorum Patrum authoritate acquiescentes, omnes horum vociferationes ne vnius quidem assis æstimamus. Quis scit an non hoc peculiari Spiritus sancti instinctu factum sit; ac etiamnum fiat. B

Pessimè habet Hunnium, quod Bellarminus scripsit, lectionem vulgatam non sibi videri mutandam, quòd idem ferè sit sensus, semperque in Ecclesia Græca & Latina lectum sit, *viduam*, & hoc probat testimonio D. Hieronymi, qui in epistola ad Suniam, & Fretellam sapienter monet: *Ea, quæ in Psalmis Latinis videntur dissentire ab Hebræo, esse quidem notanda, & obseruanda à doctis; tamen non esse propterea mutandum textum, qui tot sæculis in Ecclesiastico vsu fuit, & tantam obtinuit auctoritatem.*

Macte Bellarmine, clamat Hunnius: *siccine consultus decernis tamen, crassissima etiam errata non mutanda esse, sed mordicus retinenda!* C *Nimirum idem principium, & axioma tenent Pontificij in vniuersa sua impia, & idololatrica religione. Pergite sic, vos Pontificij, & implete mensuram impietatis*; vt omittam alia huius generis prædicanticæ linguæ crepitacula, quibus Lutheranos sanniones oblectare, orthodoxos autem perterrefacere nititur; quæ iam dudum non timere, sed ridere didicimus. Scilicet propter solos Prædicantium clamores nihili pendemus tot veteres scriptores, quibus vulgata lectio cognita & probata. At *errores non debent defendi vetustate*: ait VVitackerus. Sed Prædicantes nondum demonstrarūt lectionem vulgatam exploratum errorem continere: quid si enim fons Hebræus olim aliter habuit, quàm hodie? id vt suspicemur, facit auctoritas tot Patrum Græcorū D & Latinorū, qui nostram lectionem secuti sunt. Idem suadet tam constans Ecclesiæ in hac lectione retinenda perseuerantia.

Vociferatur Hunnius; *Hieronymo Bellarminus suam hanc flagitiosam sententiam de non mutandis erratis Latinæ editionis impudenter affuit.*

Nec affuit, nec affingit; sed eam, in qua fuit, D. Hieronymo sententiam verè attribuit; nam in epistola ad Suniam & Fretellam disputans de illo septuagesimi tertij Psalmi loco, docet legendum & cantandum esse; prout ipse verterat. *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*; cum tamen Hebræus textus & Græcus ex Hebræo redditus habeat non verbum *quiescendi*, sed *comburendi*, vel *succendendi: ex quo perspicuum est*, inquit sanctus Hieronymus, *sic psallendum, vt nos interpretati sumus* (nempe, quiescere faciamus, &c.) *Et tamen sciendum, quid Hebraica veritas habeat, hoc enim quod 70. Interpretes transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesia decantandum est; & illud ab eruditis sciendum propter notitiam scripturarū.* An non expressè tradit his verbis D. Hieronymus id, quod eum sensisse Bellarminus scripsit?

Si verum dicit Iesuita, inquit Prædicans, *cur Hieronymus ipse correxit hunc locum, & mutauit, dispungendo vocem*, viduam; *& substituendo ex Hebræo, venationem; qua scilicet paratur victus.*

Ostendat Prædicans, D. Hieronymum dispunxisse nostram lectionem in Psalterio, quod ex Græco emendauit, hoc est in nostro; nostrum enim est ex correctione D. Hieronymi; nam quod in Psalterio ad Sophronium vertit, *venationem*, id nobis non officit; quia Psalterium illud ex Hebræo transtulit; nō ex Græco; neque etiam ad Græcum emendauit, vt nostrum: Vtrunque autem Psalterium, hoc est, tam nostrum ad Græcorum Codicum fidem à D. Hieronymo castigatum, quàm illud, quod ex Græco transtulisse dicitur; habet hodie; non, *venationem*; sed, *viduam*; exstat vtrunque cum illo ex Hebræo; publicatum olim à Fabro Stapulensi. Neq; in Quæstionibus in Genesin hanc nostram lectionem damnat; sed tantum monet in plerisque Græcis codicibus scribi non χήραν, sed θήραν; Nobiscum insuper conueniunt Psalterium Arabicum, AEthiopicum, & Paraphrasis Apollinarij, vt notatur in Annot. ad Psal. 131. edit. Rom. 70. Interpr.

Clamat Prædicans; *Hieronymum non censuisse quidquam mutandum, si sensus idem permaneat; si verò mutetur; omnino voluisse mutari.* Ostendat Prædicans sensum hic penitus mutari; sed ostendat id paulò melius & fidelius, quàm antea. Secundò, ostendat D. Hieronymum voluisse, vt, quoties alius sensus in Græco vel ex Græco redditur, quàm in Hebræo exstet; mutatio instituatur. Hoc nusquam, opinor, D. Hieronymus asseruit; qui, vt vidimus, absolutè vetustati hunc honorem defert; vt quod iam olim decantatum est in Ecclesia, loco suo non pellatur; sufficere enim, vt docti sciant, quid fons Hebraicus contineat. At dixit sanctus Hieronymus, *si quid dubitationis exsistat, recurrendum esse ad fontes Hebræos & Græcos*; Non negamus; Num ideo voluit; vt quoties aliquid diuersum in fontibus reperitur, ideo derepente textus Græcus aut Latinus mutetur, idque quod tot sæculis est decantatum, eiiciatur?

Testimonium, quod Zvvinglianus Pellicanus Psalterio nostro tribuit suprà à nobis recitatum,

tum, exsibilant tres Prædicantes, VVitackerus, Iunius, Hunnius. Hic dicit esse *hyperbolicum*: Iunius ait; *esse iudicium particulare viri boni quidem, & pro suo illo sæculo eruditi, sed in quo tum maiorē cognitionem veritatis & linguæ, tum minorem in coniecturis iudiciisq́; libertatem iure desideres.* Hoc Iunij de Pellicano iudicium fortè Tigurini, apud quos Pellicanus vixit & obiit; affirmabunt omnis iudicij expers esse; & Iunium, siue cognitionem veritatis Zvvinglianæ & Caluinianæ, siue peritiam linguæ Hebrææ spectemus, longè Pellicano postponi debere; & in hoc ipso Iunij iudicio minorem in iudiciis & cōiecturis libertatem requiret is, qui Pellicani vitam scripsit, Lauatherus. VVitackerus opponit Pellicano iudiciū Brunonis Amerbachij, Heretici, & Lindani Catholici Episcopi. Sed prior non egrè feret si in hac controuersia Pellicani potius, quàm ipsius iudicio stemus. Alter nihil aliud dicit; quàm fortè à Græco quopiam natione, non à Latino, Psalterium nostrum in latinam linguam fuisse translatum, idque propter genus dicendi minus latinum, iis temporibus, quibus latinitas necdum valde imminuta & inquinata fuerat. At nosse debet VVitackerus, nos non disputare de latinitate huius Psalterij, sed de fidelitate; & num sententiæ ac menti Spiritus sancti consonet. Quanquam solœcismi & barbarismi, quorum accusatur, non sunt aut tam multi, aut tam inexcusabiles, quàm multos, & quàm inexcusabiles eos esse Prædicantes nostri iactitant; vt infrà ostendemus. Quod addit Caluinista; Lindanum opinari Græcum nostrum Psalterium non esse ex Interpretatione 70. sed Symmachi; id nos non angit; quia opinari liberum est; Alij non minus docti aliter sentiunt. Quanquam non diffitendum ex aliorum editionibus quædam huic 70. translationi addita fuisse; Hactenus de locis Psalterij à Caluino reprehensis & à Bellarmino defensis. Restat, vt defendamus ea, quæ præter hæc VVitackerus & Hunnius ex Psalterio traducunt & calumniantur.

Refutatio eorum, quæ Witackerus ex Psalmo octogesimo nono criminatur.

PRimus locus est vers. 4. *vbi Latina editio iuxta versionem L X X. interpretum habet; Ne conuertas hominem in humilitatem: & dixisti, conuertimini filij hominum: Hebræi fontes longè aliter habent: Conuertis hominem ad contritionem, & dicis, conuertimini filij hominum. Quàm sunt hæ dissimiles sententiæ?*

Non sunt dissimiles; si rectè intelligantur. Idem enim vtriusque sensus est: vt docet sæpius à te citatus Genebrardus, ex cuius commentariis in Psalmos, quandoquidem iis delectari videris, adscribam, quæ ille pro conciliatione Græci &

A Latini textus cum Hebræo scribit. **Ne auertas.)** *Compositum pro simplici, vt esset expreßior antithesis cum Paronomasia; auertas, conuertimini: vt Græcè, ἀποστρέψῃς et ἐπιστρέψατε. & Hebraicè* תשוב, tasob, שובו, shubu. *Ne vertas, ne redigas hominem ad tenuitatem, calamitatem, abiectionem, miseriam.* Et dixisti:) Et, *pro*, qui; *vt alibi è Kimhi in Miclol: vel, pro*, quia; *è Chrysostomo.* Qui dixisti, conuertimini. *Qui monuisti, vt conuerterentur homines, ne hominem deiicias in humilem statum, ne eum deprimas, & affligas, ne malis absorptus non poßit conuerti, & ad te redire. Hic septuaginta, R. Ioseph, & R. Anonymum malo sequi, quàm recentiores ineptius ista explicantes. Hebræa affirmanter quidem enunciantur; sed eandem sententiam reddunt, ob particulam aduersatiuam, & tamen: Vertis hominem ad tenuitatem, & dicis (& tamen*
B *dicis) conuertimini filij hominum; quasi dicat; Cùm iubes hominem conuerti, & resipiscere, ne eum ad has miserias redigas; quibus obrutus, non est probabile, eum mentem adiecturum ad resipiscentiam. Sic Michea 5.* Bethleem paruula es in principibus Iuda; & (& tamen) ex te exibit dux, qui regat populum meum Israel. *Nam hæc affirmans, huic neganti apud Matth. 2. cap. ob eandem causam respondet:* Bethlehem nequaquam paruula es in principibus Iuda. Ex te enim exibit dux, &c. *Poßit etiam suspicari aliquis,* אל *præcedentis versus finem, L X X. in huius principium contulisse, ac legisse.* Al, ne, *non* El, Deus.

Secundus locus est in eodem Psalmo vers. 6. *Latina vetus habet; Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt: quorum verborum nescio an sensus aliquis reddi*
C *poßit. Hebraicè sic: Inundatione abripis eos, somnus sunt.*

Hoc etiam loco sensum genuinum ac legitimum à Genebrardo discere poterat VVitackerus; sic enim ordinanda & disponenda sunt verba: *Eorum anni erunt ea, quæ pro nihilo habentur; nempe vt in Hebræo exponitur, velut aquæ fluxus, & somnium, id est, eorum anni pro nihilo habebuntur, nihili æstimabuntur præ fugacitate. Duntaxat sequuntur sensum. Nam ad verbum, vt attigimus; inundasti eos, somnium, vel somnus erunt: vt comparetur fugacitas vitæ fluminum rapido fluxui, quæ cum impetu feruntur, ac velociter abeunt: deinde somniis, quæ ab expergefacto aufugiunt, & quasi fumus, qui dissoluitur in aërem, euanescunt.*

Tertius locus vers. 9. *Posuisti seculum nostrum in illuminatione vultus tui; vulgata habet: quæ, sic in Hebræo*
D *textu legūtur: Posuisti occulta nostra in lumine faciei tuæ.* Quanta criminandi libido? quis nescit vocem עלם frequentissimè significare *sæculum*: & hic itidem, mutatis solummodo punctis significare posse? Deinde, sensus conficitur, siue hoc, siue illo modo vertas; vt rectè docet Genebrardus, cuius sunt ista: *Vitia nostri sæculi, & vitæ nostræ acta (metonymicôs) posuisti (per zeugma) in illuminatione vultus tui; id est, ante lumen vultus tui, ante oculos tuos claros, & limpidos. Ea habes lucida, & notißima. Ea recordaris, & punis. (vt Psal. 108. vers. 14.) In vtroq; hemistichio idem ait per epexegesin. Græcè sæculum est nominatiui casus ὁ αἰών. tumq́; subaudiendum verbum, est, intellectu eodem: vbi aliqui sæculum pro curriculo ætatis singulorum accipiunt. Sed præstat esse asyndeton inter duo, & in accusatiuo, sæ-*

culum.

Digitized by Google

A *culum, accipere. Massoretæ legunt balummenu, non bolamenu. Ex quo, alij interpretantur, abscondita nostra, vt sit antithesis. Peccata, quæ existimauimus esse occulta, posuisti in lumine vultus tui. Alij, adolescentiam. Verùm in hac etiam forma seculum significare possit.*

Quartus locus vers. 10. & 11. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum labor, & dolor: quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur. Quid hæc sibi tãdem volunt? aut, quis tam peritus interpres est (vnum excipio Genebrardum) qui se hæc commodè interpretari posse promittat? Verba Hebræa alium sonum, sensumq; habent. Quoniam omnes dies nostri declinauerunt in ira tua: consum-*B *psimus annos nostros tanquam sermonem. Dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni sunt, aut ad summũ octoginta anni: etiam excellentißimum eorum, labor, & molestia: cùm abierit, auolamus illicò.*

Hic, præter aliquot mendacia, nihil video. Mendacium est, neminem, præter Genebrardũ, cõmodam vulgatæ lectionis interpretationem promisisse; quia plurimi ante Genebrardum, & in his etiam Iansenius, commodissimam interpretationem attulerunt; vt & olim D. Hieronymus epist. 139. ad Cyprianum. Mendacium itidem est alium esse sensum verborum Hebraicorum. nam si quis dissensus esset; is maximè esset in illis: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*: dissidere enim videntur ab illis ex Hebræo: *consumpsimus* C *annos nostros, tanquam sermonem.* At non dissident; teste ipso D. Hieronymo; qui vtranque lectionem epistola ad Cyprianum explicãs sic scribit: *Anni nostri sicut aranea meditati sunt. Breuitatem humanæ vitæ, quæ sentẽtia Dei hucusq; subiecta est; & quam in priori versiculo somnio comparauit, dicens: Percutiente te eos, somnium erunt: nunc sermoni loquentium comparat: vt, quomodo sermo, qui in ore versatur, dum profertur, intercipitur, & esse desistit; sic & omnis vita nostra pertranseat, atque desistat. & hoc in ira, & in furore Dei, cui meritò subiacemus, viuente in nobis, vt supra diximus, sententia Dei. Quæ sit autem ira, & furor Dei, crebrius diximus: non quod Deus vlciscatur iratus; sed quod patientibus pœnas iratus esse videatur. quod enim in nos ex perturbatione descendit; in illo, ex iudicio, & ex veritate est. Pro* D *sermone loquentis, septuaginta, meditationem araneæ transtulerunt. quomodo enim loquentis sermo prætereuolat; ita, & opus araneæ incassum texitur. De quo, super persona hæreticorum, scriptum est in Esaia 59. Telam araneæ texunt, quæ parua, & leuia potest capere animalia, vt muscas, culices, & cætera huiusmodi; à fortioribus autem rumpitur; instar leuium in Ecclesia, simpliciumque, qui eorum decipiuntur erroribus; cùm viros in fidei veritate robustos non valeant obtinere.* Hæc S. Hieronymus.

Videtur etiam dissensio esse inter illa 70. Interpr. *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Et illa, quæ D. Hieronymus ex Hebræo reddit: *Quoniam transibimus cito, & auolauimus.* Sed non est vlla dissensio, si sensus spectetur. Hebræa ad verbum habent; inquit doctissimus Genebrardus: A *Quoniam tonsio, est, velox, & euolabimus: id est, quia nos celeriter tondes, & resecas, euolamus: quia transitus noster est celer, auolamus: allusione poëtica, vt, cùm apud nostros Parcæ filum vitæ nostræ ducere, & secare memorantur. Ex quo etiam liquet, quid LXX. appellarint, corripi; nempe, rapi celeriter ex hac vita, & quasi euolare. Anni nostri sunt septuaginta, & ad summum octoginta. Quoniam superuenit mansuetudo (tua ô Domine) super nos, suaue suauis prouidentia, quæ nos hinc corripit, hoc spatium non solemus transgredi. Alioqui si hîc essemus diutius, propter incommoda senectutis nimia labores, & dolores; hoc non esset viuere, sed quotidie perire. Ex mansuetudine tua proficiscitur, quod tunc corripiamur, id est, hinc euolemus; Vel, castigemur, videlicet per mortem, vt in Græco παιδευθησόμεθα.*

B Vocabulum ergo tonsionis acceperunt 70. Interpretes metaphoricè & metonymicè pro mansuetudine; quia signum clementiæ & benignitatis est, si vita post 80. annos quasi detondeatur & abscindatur, quandoquidem nihil nisi labores & molestiæ sequuntur. Qui 70. Interpretum sensus optimè cum Hebræo textu concinit, etiam vt ab ipsis Hæreticis redditur. Quod verum testabitur, qui cum eorum versionibus nostram animo sincero & candido contulerit. Caluinus ita vertit; vel potius Caietanus; ex quo versionem Caluinus sublegisse videtur. *Quia præterit cito, & nos auolamus*; Musculus: *Quando celeriter abraditur, & auolamus.* Iunius & Tremelius: *Quo festinè exciso; auolamus.* Castalio: *Tum celeri sectione auo-* C *lamus.* Vatablus vel Leo Iuda: *Celeriter transit, nosq; auolamus.* Istæ hæreticorum versiones, cum nostra & 70. Interpretum translatione non inconcinnè conciliari queunt; si quis pacis quàm contentionis amantior lector ad nostram vulgatam & 70. Interpretum editionem accedat; memor illius, quod à D. Hieronymo in epistola ad Suniam & Fretellam iam olim prudenter scriptum est: *Non debemus putida nos interpretatione torquere, cum damnum non sit in sensibus, quia vnaquaq; lingua, vt ante diximus, suis proprietatibus loquitur.* Ibidem idem sanctus Pater: *Non debemus sic verbum de verbo exprimere, vt dum syllabas sequimur, intelligentiam perdamus.*

Quintus locus in eodem Psalmo vers. 14. & 15. *Et præ timore tuo iram tuam dinumerare. Dexteram* D *tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia. Hebraicè sic: Et sicut timor tuus, ira tua: numerare dies nostros sic doce, & adducemus cor in sapientiam.*

Quod ad sensum attinet, idem est secundum Hebręum Græcumque & nostrum ex Græco expressum textum; tantum in distinctione & interpunctione aliquod est discrimen. S. Hieronymus in epistola ad Cyprianum, & in suo Psalterio ex Hebræo ita reddidit: *Quis nouit fortitudinem iræ tuæ, & secũdum timorem tuum indignationem tuãm? Inter Hebraicum, inquit, & septuaginta diuersa distinctio est. LXX. enim dinumerationem timori; & furori Domini copulant. Porrò Hebraicum sequenti aptat versiculo, vt sequatur; Vt numerentur dies nostri, sic ostende, & veniemus corde sapienti.*

Quod isti ex Hebræo adferunt; *dies nostros*. Septuaginta, *dexteram tuam*; id accidit ob similitudinem ieminach per caph & ieminu, quorum illud *dexteram tuam*; hoc, *dies nostros* significat; vt docet Genebrardus. Cæterum quod ad interpunctionem attinet, excors profecto fuerit, qui non potius septuaginta seniores, quàm posteriores Hebræos & Masoretas auscultandos arbitretur: cumque duarum illarum vocum tanta sit affinitas, vix dubitare licet Hebræum textum tunc id exhibuisse quod 70. Interpretes reddiderunt, nó quod posteriores nobis obtrudunt; nam quod ipse etiam D. Hieronymus in epistola ad Cyprianum miratur, quomodo 70. Interpretes pro *dies nostros* verterint *dexteram tuam*, id nihil est; quia D. Hieronymus affectu quodam suo peculiari semper magis æquus fuisse videtur textui Hebræo, etiam prout sua ætate exstabat, quam 70. Interpretibus.

Quidquid sit de hoc, nostram quoque lectionem & translationem non magni negotij est ad Hebræam, vt iam habet, accommodare: cupit enim Propheta sibi manifestari dexteram Dei, hoc est, potentiam, misericordiam, benignitatem, opem; in hac autem dextera continentur etiam dies vitæ nostræ; & ex ea pendent; petendo igitur vt Deus dexteram suam sibi notam faceret; petiuit etiam, vt dies vitæ suæ sibi notos faceret; quandoquidem in dextera Dei consistunt; qua proinde cognita ipsos etiam dies nostros cognoscamus oportet: *Et fac simul eruditos corde sapientia vel in sapientia*. Hæc translationis nostræ explicatio, an non eundem sensum efficit quem illa Iunij & Tremelij Caluinistarum: *Numerare dies nostros ita doce nos, vt inducamus animum sapientem*; vt nihil dicam de aliorum Nouatorum versionibus.

Sextus locus est in eodem Psalmo versu 19. *Respice in seruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum. Hebraicè verò: Perspicuum fit ergà seruos tuos opus tuum, & decor tuus in filiis eorum.*

Sic ex Iunio, & Tremelio suis VVitackerus, sola conuiciandi libidine inductus: cum sit idem sensus. Quid enim aliud est illud, quod ex Hebræo vertit D. Hieronymus: *Appareat apud seruos tuos opus tuum, & gloria tua super filios eorum*; quàm quod 70. reddiderunt? *Respice in seruos tuos & in opera tua: & dirige filios eorum*. Quid est gloria super filios; quam directio & gubernatio? Quid aliud: *Videatur super seruos tuos opus tuum*; quàm *respice in seruos tuos & in opera tua*; quia respiciendo in seruos suos videbit Deus in iisdem seruis opus suũ, opus, inquam, redemptionis ac liberationis, &c.

Satis hinc constare potest, inquit VVitackerus, *quàm præclarè inter Hebræos fontes, & Latinam editionem conueniat.*

Ego etiam satis hinc constare existimo, quãtus calumniator sit VVitackerus; qui tam temerè criminatur, quæ non intelligit. *Sunt huius Psalmi versus septendecim* (iuxta Nouatorum diuisionem) inquit ille idem: *ausim dicere, errata esse in veteri versione huius Psalmi plura, quàm sunt in Psalmo versus.* Ego vicissim dicere ausim, in hoc solo Psalmo, VVitackerum plures alogias & pseudologias effudisse; quam sint in hoc Psalmo versus. *Et eadem est reliquorum etiam Psalmorum ratio*; inquit Caluinista: Eadem est ratio, si agatur de tuis nugamentis & figmentis, quibus alios itidem Psalmos, saltem nonnullos, allatrasti; nihilo meliora & veriora adducturus, si alios itidem Psalmos exagitandos suscepisses.

Sequitur palmarium mendacium. *Verè dici potest, non esse hos Dauidicos Psalmos, quos illi in suis sacris lectitant atque cantitant, sed Græci Latiniq. Interpretis errores.* Verè dici potest, nusquam propemodum VVitackerum calumniatoris partes impudentius egisse, quàm hoc loco, vbi totam Ecclesiam Latinam & Græcam, hoc est, vniuersalem, inuerecundè audet accusare, quasi nunquam à condita Ecclesia, legerit aut cecinerit Psalmos veros Dauidicos, donec isti nudiustertiani Interpretes orti sunt, qui tam disparatè ex Hebræo nobis Psalmos repræsentant, vt vix vllus cum altero concordet; tamque insipidè, ieiunè, ac profanè; vt in multis Horatij Odis ac Pindari hymnis, plus saporis, hoc est, spiritus, inesse videatur, quàm in horũ, hoc est, Castalionis, Iunij, Tremelij & similium translationibus, quibus nihil insulsius fingi potest. Et tamen iste vult, vt has insulsas nugas gemmis nostris, quæ à quindecim, & amplius sæculis probatæ ac spectatæ sunt, anteponamus. Satis de VVitackero. Nunc videamus, quid Hunnius contra Psalterij nostri versionem blateret.

Refutatio eorum, quæ Hunnius carpit, quasi malè in Psalterio nostro versa.

Præter enumerata loca (à Caluino) *placet quædam etiam alia proponere*, inquit Prædicans, *vt magis patescat Romanensium* (scribe, Prædicantium) *malitia & imperitia*. Primus locus est Psal. 7. vers. 14. *vbi latinus interpres reddit; sagittas suas ardentibus effecit. Dic mihi, lector candide, quis sit sensus?*

Sensum facillimè tibi dicet candidus Psalmorum Interpres, ac Paraphrastes Iansenius: Ausculta ergò. *Sagittas suas ardentibus effecit*; hoc est *sagittas etiam suas fabricatus est his, qui odio, & ira ardentes, me iniustè persequuntur. Seueritatem enim iustitiæ suæ, quæ hactenus sese non exeruit, & hebetata videri poterat, iam declarare Deus decreuit, vt per hãc, tanquam per gladium quendam impœnitentibus mortem tum corporalem, tum æternam infligat; vt ex ea, tanquam arcu*

quodam iaculetur sententiam mortis, & æternæ perditionis; quæ, tanquam ignita quadam iacula, succendat igne inexstinguibili eos, qui odio ardentes me persequuntur.

Quæ Paraphrasis duplicem indicat intelligentiam, inquit ille idem Iansenius: iuxta priorem dictio *ardentibus ablatiuus est instrumenti; iuxta posteriorem; datiuus acquisitiuus.* Habes sensum planum ac facilem. Num adquiescis?

Hunc sensum admittunt etiam Hebræa ad verbū sic à Pagnino & Montano expressa. *Sagittas suas in ardētes operatus est*; hoc est, sagittas suas præparauit contra illos qui odio & inuidia ardentes me exagitant. Et si hæretici tam cupidi essent vetustatis & veritatis propugnandæ, quàm oppugnandæ, perspicuè intelligerent, ne suas quidem versiones à vulgata editione discrepare si sensum spectes. Caluinus sic vertit: *Sagittas suas persequentibus aptabit.* Iunius & Tremelius: *Sagittas suas in feruidos occupaturus est.* Musculus: *Sagittas suas in persecutores operatus est.* His versionibus suis, vt maximè Nouatores à vulgata recedere tētarint, in eius tamē sensum vel inuiti inciderunt; vt patebit, si quis singulas cū sensu nostræ translationis comparare velit. Idem dico de illa Caietani: *Sagittas suas persequentibus operabitur*, deque illa, quam adfert hic Prædicans ex Hebræo Psalterio D. Hieronymi, sagittas suas ad comburendum operatus est; ad comburendum scilicet persecutores & exagitatores suos. Obseruet autem candidus lector mentiri atrum hunc Prædicantem, quoties allato ex Psalterio D. Hieronymi ad Sophronium testimonio quopiam dicit; Psalterium nostrum per illud à sancto Hieronymo fuisse correctum ac emendatum. Non enim correxit diuus Hieronymus per Psalterium à se ex Hebræo translatum, Latinum illud Psalterium, ex Græco conuersum; quod multis annis ante Hieronymi ætatem in Ecclesia receptū fuerat; sed propriam & separatam ex Hebræo translationem instituit, eamque ita conformauit, fecit ex veritate Hebræa conformandam esse censuit; nihil præiudicans Psalterio ex Græco, quod communi Ecclesiæ vsu tum receptum erat; sicut hoc etiam tempore receptum est: imò tantum abest, vt huic Psalterio quidquam derogatum voluerit, vt id etiam ad fidem Græcorum Codicum diligenter emendarit, emendatumque Ecclesiæ tradiderit.

Quapropter quidquid Prædicans carpit, hoc redundat in sanctum Hieronymum, cuius iste, summa fraude, perquam obseruans videri cupit; omnia enim quæ Hunnius conuiciis incessit, habemus ex correctione D. Hieronymi. Certè si tam tetra, fœda & absona fuissent, quàm volunt Prædicantes, diuus Hieronymus ea inemendata non prætermisisset. Hæc dixerim, fuci amoliendi gratia, quem lectori facere conatur Prædicans, obiecta D. Hieronymi ex Hebræo translatione: nam & hæc nostra D. Hieronymi est, non quidem vt interpretis; sed vt correctoris ac emendatoris.

A Secundus locus, *Psalmo duodecimo, versu vltimo, fecit Interpres Latinus: In circuitu impij ambulant; secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Hic, si retineatur Latina interpretatio, necessario emergit sententia, quæ Prophetæ Dauidi circa hūc versiculum in mentem non venit.*

Ita quidem mentitur ineptus Prædicans; qui reiicit, quæ non intelligit; nam nostræ, & Hebrææ scripturæ idem sensus est, vt rectè ostendit doctissimus Genebrardus; à quo disce, quæ nescis. *In circuitu; ad nocendum vndique circumdant probos. Secundum altitudinem; secundum alta, & profunda tua iudicia. Multiplicasti; multos, & potentes esse pateris homines impios, à quibus innocentes oppugnentur. Secundùm alta tua iudicia augentur impij. Quos proximè impios vo-*
B *cabat, nunc appellat filios hominum, & opponit filiis Dei. Multitudo, & potentia impiorum (vt Genes. 6. vers. 2.) (nam Græcè est* πολυώρησας*, & opponitur τῷ* ὀλιγωρεῖν*, contemnere) referenda est ad iudiciorum Dei abyssos. Sic altitudines Satanæ, (Apocalyp. 2. vers. 24.) alta, & profunda eius consilia, & astus. Non alienè aliqui in bonum; vt filios hominum probos appellet. Impij quidem omnia circumquaque obtinent ad innocentes opprimendos. At tu, multiplicasti filios hominum, qui tibi curæ sunt, neque sinis opprimi secundùm tuam altitudinem, pro tua maiestate. Sic alii verbis idem, quod proximè enuntiabit. Ad verbum: secundum altitudinem (tuam) epulatio filiis hominum (est) id est, pro altis, & profundis tuis consiliis, & decretis suppetunt impiis epulæ, & opes ad indulgendum genio, & voluptatibus. Sensus hic simplicissimus est, à nostris*
C *etiam L X X. expressus.* Hæc ille.

Ex quibus liquet, Hebræa, si rectè vertantur, non discordare à versione nostra & 70. Interpretum. Quod si discrepent, signum est, perperam esse à suo Interprete accepta & translata: neque enim propterea abiicienda est & aspernāda, tanquam Hebræo textui dissona, versio nostra; quia Castalio ineptè hunc locum sic reddidit. *Vbique obuersantur impij, excellente apud hominum genus nequitia.* aut quia Iunius cum suo Tremelio hunc in modum. *In qua* (generatione) *circumquaque impij obambulant: quum extollitur res vilis inter filios hominū.* Propius ad verum sensum Hebræum & Græcum Vatablus seu Leo Iuda: *Circumquaque enim oberrant impij, cum euehuntur, qui inter homines perditissimi sunt.*
D Et Musculus: *Circumquaq. impij ambulant, cum exaltantur vilissimi filiorum hominum.*

Tertius locus Psal. 15. vers. 3. *Legit editio Latina: multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. Vocabulum (infirmitates) obscurat, & in alienum sensum transformat textum.*

Mentitur ineptus Prædicans; qui paulò post ipsemet suum mendacium redarguit, cum fatetur, vocabulum Hebræum pro quo noster vertit, *infirmitates*, propriè significare, *dolores*. Quid sunt dolores, nisi infirmitates? Si ergo dixisset Interpres noster, *Multiplicati sunt dolores eorum*: tum rectè vertisset: at quia vertit, *Infirmitates*, in culpa hæret. Etsi Prædicans mauult *idola*, quod vox Hebræa metaphoricè idola significet; quo pacto ait ver-

tisse D. Hieronymum. Sed nosse debebat Prædicans, eundem D. Hieronymum correxisse nostrum Psalterium; neque tamen versiculum, qui Prædicanti non arridet, dispunxisse. Signum igitur est, D. Hieronymum translationem nostram non improbasse; alioqui in spongiam incumbere iussisset; & quis volentem vetuisset? Sensus autem est; *multiplicatæ sunt infirmitates eorum*, inimicorum scilicet: Relatiuum sine antecedente, vsu linguæ, inquit Genebrardus. Infirmitates vocat, vilia, errores, peccata, per *Acelonem*; quia de idolis seu idololatria sermo est; quam ait B. Dauid istos impios multiplicasse, & post eam accelerasse. hoc est, cupidè insecutos & amplexos esse. Nam illud; *post ea*, diuisim legi debet, non coniunctim. In quem sensum Caietanus ex Hebræo: *Multiplicabuntur idola eorum, post ea accelerauerunt.* Nam loco nominis tropici; quod D. Hieronymus, Caietanus, Vatablus & alij ponunt; posuit interpres noster *infirmitates*, quas, vt & dolores, (quo vocabulo Iunius & Caluinus vtuntur) propriè significat vox Hebræa, qua hic vsus B. Dauid.

Cum autem Prædicans adeo efferat hanc diui Hieronymi versionem ex Hebræo: *Multiplicabuntur idola eorum post terga sequentium*; cur, oro, Lutherus, eam, sua in versione Germanica non est secutus? Cur nouam excogitauit? Sic enim reddidit: aber jhene/ die einem andern nacheilen/ werden groß Hertzleid haben. *Sed illi qui alienum sequuntur, magnas cordis afflictiones patientur.* Scilicet versionem nostram valere iubebimus, quæ rectè intellecta examussim cum Hebræo concinit; istorumque peruersas multiplicesq; versiones amplectemur; sed quam? Num omnes simul? At fieri nequit; quia disparatæ sunt. Num illam Castalionis? *At eorum, qui multo cum labore aliò properant, neq; libamina cruenta libo.* At vocat me Lutherus ad suam; quæ cum hac non conuenit. Si Luthero aures præbere velim; manum iniiciunt Iunius & Tremelius; & hanc suam mihi offerunt: *Horum multiplicant dolores; qui alium dotant.* Si hos sequi velim; mox meliora promittit Caluinus. Quæ illa? *Multiplicabuntur eorum dolores, qui offerunt alieno.* Nec silet Musculus; quin & ipse merces nouas offert: *Multiplicabuntur angustiæ eorum, qui post alienos Deos festinant.* Nec deerunt alij, qui alias translationes ingerant. Quid agam? Illud, opinor, factu optimũ erit; vt eam retineam; quam Græca & Latina Ecclesia à primo suo ortu vsurpauit: etiam ante quã D. Hieronymus ex Hebræo nouã Psalterij translationem vulgaret.

Locus quartus Psal. 16. vers. 14. & 15. *Plane corruptus, & obscuratus textus in Latino. Vbi sic sonat:* Eripe animam meam ab impio; frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum. *Qui in exponẽdo sequi vult Latinam hanc versionem, sensum planè peregrinum constituat, oportet. In Hebræo sic est: Eripe animam meam ab impio gladio tuo: à viris manus tua Domine; à viris, qui sunt de mundo: pars eorum in vita illorum.*

A

Hic iterum antiquum obtinet Prædicans, hoc est, mentitur: nam Latina versio optimum & planè genuinum sensum habet, vt patet ex Paraphrasi Iansenij, & ex Commẽtario Genebrardi. Nec multũ abit ab Hebræo. Nam quando petit, animã suam eripi ab impio; id vtiq; instrumento aliquo fieri cupit; nimirũ, potẽtia & virtute Dei; quæ est quasi gladius Dei. Secundò petit etiam frameam; hoc est, gladium Dei, robur & potentiam, qua pios protegit, eripi ab inimicis manus diuinæ, hoc est, potentiæ diuinæ: pro quo isti ex Hebræo adferunt: *A viris manus tua Domine.* Et hos *viros manus Dei*; vocat noster Interpres *Inimicos manus Dei.*

B

Sequitur: *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum*: hoc est; *Domine in hac ipsorum vita, postquam nullam aliam nec exspectant, nec accipient; tu eos separabis à paucis in terra existentibus à iustis scilicet, quorũ paruus est numerus, si conferatur ad impiorũ multitudinem. Dabis enim eis in hac breui vita ipsorum portionem, quam iustis non hic, sed in futura æterna vita largitris.*

Nec est hic discrimen inter Hebræa & nostra: nisi quod, vbi Hebræa habent nomen, *pars vel portio*; nostra & Græca 70. editio habet verbum, *diuide*: quod factum ex diuersitate punctorũ; quia idem vocabulum vtrunque significat, vt docet Genebrardus; pro varietate punctorum: quia igitur 70. Interpretes legerunt vocabulum Hallekem cum punctis verbi; ideo per verbum reddiderunt. Alij per puncta nominis; hinc nomen partis seu portionis, seu diuisionis in locum Hebrææ dictionis substituerunt. Quis non videt; quorum potior hac in re sit auctoritas? Ferè tamen eodem sensus recidit, præsertim, si per *paucos de terra*; non intelligamus iustos & electos, vt habet Iansenij Paraphrasis cum Euthymio, sed improbos & reprobos; vt sensus sit; *à paucis de terra*; id est, à mundo deditis hominibus diuide eos, iustos scilicet, & separa, dum adhuc viuunt iusti, tollendo scilicet impios de terra, &c. Quos ergo *paucos de terra* vocat nostra translatio; hos isti vocant *viros mũdi*; seu, *qui sunt in seculo*; à quibus etiam iustos liberari Propheta cupit.

D

Quintus locus est Psal. 21. vers. 2. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. Hæc posteriora verba, (& non ad insipientiam mihi) non sunt Hebræo consentanea; & si iuxta hanc corruptam editionem sit exponendus versiculus, fingẽdum erit, Christum non de sua loqui aliqua insipientia, sed aliena, quam in se recipit expiandam.*

Respondeo I. 70. Interpretes æquè fuisse peritos linguæ Hebraicæ, ac posteriores Interpretes, vel etiam nouellos istos, quibus plus est Iudaicæ iactantiæ, quàm Hebraicæ scientiæ; cumque dictio Hebræa, qua hic vtitur Propheta, non modò silentium, sed & excisionem stupo remque significet, vt docet Hebraicè doctissimus Genebrardus, non impetrabunt à nobis nouitij isti versores; vt relicta vetustissima Græca & Latina versio-

Digitized by Google

versione; istam, quam nobis obtrudunt, amplectamur: *Et non est silentium mihi*: licet sciamus ita versum ex Hebraico à D.Hieronymo; quem ait Prædicans, *correxisse hoc loco versionem nostram*; quod impudens est commentum: nam si D.Hieronymus correxisset, non exstaret in nostro Psalterio, cum sit ex correctione D. Hieronymi. At D.Hieronymus in Psalterio ex Hebræo transtulit: *nec est silentium mihi*; quo pacto quinta & sexta editiones iam antea verterant. Non negamus; Num ideo correxit versionem nostram?

Quod ad sensum attinet, Planus is est, apud non Planum; *clamo*, inquit, *ad te per dies, & noctes; & tamen, quod me non exaudis, non potest mihi imputari ad insipientiam. Non est enim aliquid, quod stultè, & malè à me gestum est, vt propter hoc, me non exaudias.*

Sextus locus Psal.25. vers.14. (ita citat Prædicans modò nostros Psalmorum numeros, modò Rabbinicos in allegando sequi solitus) *legit Latina interpretatio: firmamentum est Dominus timentibus eum. Quod etsi per se. & suo loco piè dicitur; huc tamen non pertinet, sed sensum peregrinum inducit. Proinde beatus Hieronymus castigauit hanc vitiosam versionem hoc modo: secretum Domini timentibus eum. Et, quod rectè verterit, docet connexum membrum versiculi: & testamentum ipsius, vt manifestetur illis.*

Sed Prædicans ante omnia ꝓbare debebat, 70. Interpretes malè fecisse, quòd nomen *Sod* acceperunt pro *Iesod* per aphæresin poëticam; quorum illud, *arcanum, secretum*; hoc, *firmamentum*, seu *fulcrum* significat; quandiu enim Prædicans luculenta aliqua ratione id non demonstrat; parum morabimur illud *arcanum* seu *secretum*, quod isti ex Hebræo promunt; contenti *firmamento*, quippe quod vetustatis firmamento nitatur. Nec cogunt nos verba illa. *Et testamentum ipsius, vt manifestetur illis*; mutare *firmamentum* in *arcanum* seu *secretum*; quia, *Dominus firmamentum est timentibus eum*; & testamentum ipsius eo etiam fine est, vt manifestetur illis, *qui timent Dominum*; instruendi & instituendi gratia.

Septimus locus in eodem Psalmo versu penultimo: *Innocentes, & recti adhæserunt mihi. Hæc Pontificius aliquis Doctor, pro concione. vel disputatione interpretaturus declamabit de sodalitate piorum, quod ad exemplum Dauidis habere debeant sibi adhærentes homines pios, & innocentes. Et hoc quidem suo loco non negatur; hoc autem nequaquam congruit. Itaque dispuncto peregrino isto sensu, Hieronymus, vt & nostri, vertunt: simplicitas, & æquitas seruabunt me.*

Hanc Prædicantis inscitiam redarguat Genebrardus; cuius sunt ista in hunc locum: *Ad verbum: Innocentia, siue integritas, & rectitudo custodient me. Vel deprecanter: custodiant me: adhæreant mihi; me muniant. Quod L X X. intellexerunt metonymicè, abstractum pro concreto, Vel etiam legerunt commodioribus punctis* תם וישר Tam veiashar, *innocens, & rectus: non, cum Masoretis* Tom veiósher, *innocentia*, & *rectitudo*. Adhæserunt; *sunt socij mei.*

A Quod Prædicans ait; *maternam Dauidis linguam requirere, vt vertatur: simplicitas & æquitas seruabunt me*; falsum est, vt patet ex dictis; quia *concreta* pro *abstractis* in interpretatione ponere licet; vt taceam, totam diuersitatem versionis pendere ex diuersitate punctorum, vt iam vidimus, Quod si materna lingua desiderat hanc quam Prædicans dilaudat versionem, mala ergo erit illa Iunij versio. *Integritas & rectum custodiant me.* Et illa Castalionis; *Conseruent me integritas & æquitas.* Qua deprecationis formula vertit quoque hunc locum Lutherus.

Octauus locus Psalm.28.vers.6. *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus, quemadmodum filius vnicornium. Quid? An Dauid indicat, vocem Domi-*
B *ni comminuere cedros, vt vitulum Libani? quis hic sensus? &, quis ille vitulus Libani? num ceruus aliquis, aut capreolus? &, quis est ille dilectus, vt filius vnicornium? Redde & hic sensum Prophetæ, si potes, ex vitiosissima hac translatione.*

Desine vociferari Prædicans. Sensum planissimum reddemus non ex *vitiosissima*, sed ex optima & integerrima versione nostra. Celebratur in hoc Psalmo vox Domini, quæ *ad litteram*, nihil est aliud, quàm tonitru & fulmen cæleste, & sonitus; quem terra concussa edit; mysticè; prædicatio Euangelij. Sed misso iam hoc sensu, accipe litteralem ex Genebrardo. *Vox Domini. Ratio, cur Deus adorandus, omnique honore afficiendus; nempe, quia præstans, plenus maiestatis potentissimus. Nam, hoc doce-*
C *tur ab effectu insignibus, vsq; ad Psalmi finem.* Vox Domini; *tonitru à Domino productum, è medio nubium percipitur, & inter densas pluuias. De meteoris, & iis, quæ fiunt in cælo vel alibi, & præcipuis fragoribus aëris, terræue, quorum effectio mirabilis est, sic loqui solet scriptura. quoniam illorum causæ, ita occultæ sunt, vt immediatè, & proximè, & ex tempore à Deo fieri videantur; neque creatam vllam habere causam. Hinc in Iob (38. vers. 22 28. 29.) Deus, Pater niuis, & glaciei. Item, (Psal. 134. vers. 7) Producens ventos de thesauris suis. Item, (Psalm. 105. vers 19. iuxta Hebr. verit.) Sylua Dei, &c. Etsi autem vox siue simpliciter, (vt Exod. 20. vers 18.) Populus videbat voces; siue cum accedit vocabulum*, Domini, *propriè significet tonitru cæleste, & fulmen; tamen etiam hîc extendi potest ad sonitus, quos terra edit. Nam nihil aliud est in terra tre-*
D *mor, quàm in nube tonitru, vt Plinius inquit. Hinc Trebellius Pollio*: Auditum tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante; quo motu, multæ fabricæ sunt deuoratæ, multi terrore mortui: *De quo possint intelligi versus hîc aliquot. Maiestatis, vel in, cum maiestate. Super aquas multas; vt supra, maria. Aquis multis incumbit; & super eas tonat. De pluuiis densis, alij, de maribus, & pelagis. Vel, supra aquas, plus quàm aqua multæ. Nam tonitru est magis sonorum, & vehementius aquis multis, & sonitum, bombumq; edit terribiliorem.*

In Virtute: *in potentia. Tonitruum est præpotens, & magnificum, terribiliter incedit. Quippe quod maria, & terras tremefaciat; & imbrium infinitam copiam profundat: & frangat altissimas cedros, & densissimarum syluarum arbores.*

Digitized by Google

Vox; *fulmen, vel tonitru sternit maximas cedros profundissimè fixas, frangitque. Quod possit accipi de terrestri tonitru, id est, terræ motu. Est vbi,* vox Domini, *signet fulmen, quod coniunctum esse solet cum tonitru.* Confringentis: *oratio clarius enuntiaretur, si mutaretur in nominatiuum.* Confringens, &c. *de quo mox.* Libani; *quo in monte erat sylua cedris insignibus, & aliis arboribus celsitudine præstantibus nobilis. metaphora arborum, & montium comprehenditur, quidquid in hoc mundo excelsum, & sublime est.*

Et comminuet eas: *Cōminuet Dominus per suum tonitru siue caleste, siue terrestre mira facilitate arbores Libani, vt firmas, & rigidas ac si essent molles, & teneræ, instar vitulorum in Libano pascentium. Ad verbum; Exilire faciet, è suo loco, quod aliqui accipiunt de terræ motu.* Libani: *Rabbini construunt in Accusatiuo cum sequentibus: Libanum, & Sirionem (montes syluosos) tanquam filium vnicornium, repente exilire facit.* Comminuit; *feriuntq. summos, Fulmina montes.*

Et dilectus: *id est, at, sed (aduersatiuè) dilectus, id est, Israël erit fortis, pulcher, lætus, alacer ad euadendum: quasi diceret, celeriter euadet, & exsiliet alacriter è mediis periculis, vt pullus vnicornium è mare, & fæmina vnicornibus satus, pernicitate vigens. (Deut. 33. vers. 17.) ὁ ἠγαπημένος ὡς υἱὸς μονοκερώτων;* Hebraicè Sirion, *per aphæresin, pro* Iesurun. *Vel per metathesin; dilectus, siue directus, vt in aliis locis, (Deut. 32. vers. 15.)* vbi iesurun dicitur recalcitrare, & Dei obliuisci. Iesurun *diminutiuè, pro Israël, quasi Israëlulus, vt Latinè Corculum; dilectum vertunt; vbi aliqui malè corrigunt, directum. Nam iasàr non tantùm significat rectum esse, sed & placere, arridere, probari alicui. Sic alluditur ad Deut. 33. vers. 17. quo loco, Ioseph tauro pulcherrimo comparatur, & eius robur cornibus rhinocerotis, tauri Indici; quasi diceret; In his montibus Israël dilectus Dei similis erit vnicornium pullo, qui est robustus, & celer ad euadenda syluarum discrimina. Vel, est epithetum Domini;* & dilectus; *Dominus, quemadmodū vnicornis, cuius cornu expetitur, & ad medicinam, & ad opificia; erit, supple, vel apparebit, videbitur, quidue simile.*

In condensis; *Vi verbi Dei, densitate errorum mundi discussa,* dilectus, id est, *Christus apparebit sicut vnicornis. Qua, cùm non videtur in syluis, incipit apparere post densas syluarum arbores disiectas, & discussas vi vētorum, & fulminum. Alludit fortassè ad cornu eius bifurcum, instar crucis. Talem enim formam eius pingit Iustinus Martyr (dial. contra Tryphonem): & talem designat Clemens Alexandrinus (lib. 1. pædagog. cap. 4.). dum κεράτων μονοκερώτων ἐραστὰς, cornuum vnicornium amatores Dei pueros, siue filios esse ait, &c.*

Ex his habet Prædicans explicationem vulgatæ editionis: videtque, prætereà, cur in distinctione, interpunctione, & translatione versus illius: *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus, quemadmodum filius vnicornium;* potius sequamur 70. Interpretes, nostramq; versionem; quam Rabbinos; & qui Rabbinorum vestigia sedulò premunt Hæreticos; Castalionem, Iunium, Tremelium, Caluinum, Musculum; Lutherum, & si qui ex orthodoxis nimium *Hebraizant,* aut *Rabbinizant,* nō ad sobrietatem, sed supra; ex quorum numero Caietanus, Pagninus, qui nobis hoc vel quid assimile occinunt. *Exilire eas* (cedros) *faciet, sicut vitulum. Libanum & Sirion, sicut filium vnicornium. Sic ex Hebræo fonte reddendum pronunciamus, inuitis inferorum portis,* inquit Hunnius. Atqui, nisi fallor, valde *lubentibus inferorum portis,* vetustatem & auctoritatem 70. Interpretum & translationis latinæ tam antiquæ, totque sæculis comprobatæ oppugnatum itis. Nil gratius Orco, quàm si nouitas introducatur, expulsa antiquitate. Nec moramur; quæ sit hoc tempore textus Hebraici interpunctio & distinctio. Notum est; quàm multa posteriores Rabbini turbarint & miscuerint; & contra genuinam primigeniamque distinctionem distinxerint.

Cum autem Prædicans vbique Psalterium diui Hieronymi ex Hebræo prædicet; vt nostrum ex Græco deprimat, cur hoc loco illud deserit? Nam sanctus Hieronymus non transtulit: *Et exilire faciet eas* (cedros) *sicut vitulum:* sed: *Disperget eas, quasi vitulum.* Sic enim quædam editiones illius Psalterij habent. Aliæ, vt illa, quam Faber Stapulensis dedit: hunc in modum: *Et disperget eas, quasi vitulum Libani, & Sarion, quasi filium rhinocerotis.* Vbi vides distinctionem nostram in Psalterio Hieronymiano ex Hebræo: quam hoc loco agnoscit quoque auctor Commentariorum in Psalmos, qui D. Hieronymi nomine circumferuntur.

Nonus locus. Psalm. 29. vers. 5. *Quoniam ira in indignatione eius;* Hebræus textus כִּי רֶגַע בְּאַפּוֹ *quoniam momentum in ira eius. Ideo & B. Hieronymus habet;* quoniam ad momentum est ira eius. *Sententia est consolationis plenissima, quæ per vitiosam à Pontificiis canonizatam Latinam versionem, penitus obscuratur, & penè in contrarium sensum abripitur.*

Mentitur simul & calumniatur Prædicans. Idem enim sensus est siue hoc, siue illo modo vertatur. Nam ira furor breuis est; indignatio multò est grauior; cum ergo indignatur, breui & celeriter indignationem deponit, citoque placatur, vt non tam indignari videatur, quàm irasci; quod non solet esse diuturnum. At *clarius esset, si verteretur; quoniam momentum in ira eius.* Demus, clarius fore. Num propterea explodenda est versio tam antiqua? Ipse etiam Spiritus sanctus, multa clarius in scripturis proponere potuisset, si voluisset; Num propterea censores isti Spiritum sanctum ad suam ferulam vocabunt? Nec tam liquida est vox Hebræa רֶגַע, vt non iam olim variè reddita fuerit. Hinc Quinta editio: ὅτι συντέλεια ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ. *Consummatio est in ira eius.* Aquila. *ἀθροισμός, Collectio.* Adde, quod 70. Interpretes pro רֶגַע legerunt רֹגֶז, quæ vox iram significat, & seclusis punctis tātum dissident vna litera, Zaiin, pro Aiin posita.

Decimus locus Psalm. 33. *Obscurè dicitur versu 7. Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum.*

Non dicitur, quid immittat. Quid immitteret? Auxilium, opem, tutelamque immittit. An nullam vnquam orationem ellipticam legisti? *Textus Hebraeus*, inquit Prædicans, *longè nitidius fluit; & Hieronymus inde sic reddit: Circundat Angelus Domini in gyro timentes eum.* At noster ab Hebræo nihil prorsus differt, si sensum spectes.

Vndecimus locus in eôdem Psal. v. penul. *Mors peccatorum pessima. Rectius Hieronymus ex Hebraeo: Interficiet impium malitia.* At sensus idem est; quia mors peccatorum ideo est pessima, quia ab improbitate sua quasi occiduntur, hoc est, in sceleribus suis moriuntur. Deinde diuersitas existit ex diuersitate punctorum, seu vocalium, quę verbo תמותה subiiciuntur: nam si dicas תְּמוּתָה *themuthath* mortē significabis. Si verò dicas, תְּמוֹתֵת themetheth, ad verbum erit; *Interficiet.* Quis sanæ mentis abnuat 70. Interpretes aptius vocales huic voculæ supposuisse, quàm posteriores Rabbinos & Masoretas?

Duodecimus locus. Psal. 34. v. 8. *Superuacuè exprobrauerunt animam meam. Vides hic nomen, cum quo construitur verbum* (exprobrauerunt) *non poni in Datiuo, adiecta alia voce accusatiui casus: sed ipsummet nomen in Accusatiuo poni, & sonum edere, absq; sensu. Itaq; B. Hieronymus ex Hebræo locum hunc à corruptela vindicans ponit: sine causa foderunt animæ meæ.* Quam scitè grammaticatur Prædicans. Sed patiatur, oro, vt noster Interpres, Psalterium ex Græco conuertens Phrasin 70. Interpretum aliquando exprimat; qui & ipsi eodē prorsus modo locuti sunt. *Μάτην ὠνείδισαν τὴν ψυχήν μου.* Nec multum dissimiliter Symmachus. *ἀναιτίως ὑπώρυξαν τὴν ψυχήν μου. Sine caussa suffoderunt animam meam.* Si Græci commiserunt solœcismum; etiam noster commisit; Si nō: neq; noster; quia locutio eius Hellenismus censeri debet. Si Gręcæ locutionis nullus est sensus; etiam nostræ versionis nullus erit; si est aliquis sensus illius; erit & nostræ. Est autem optimus sensus textus Græci, hoc enim dicit; *exprobrauerunt animam meam*, id est, probris & opprobriis affecerunt. Quo? tendendo laqueos & pedicas, quibus me irretirent. Pro *Hapheru*, legerunt 70. Interp. *Harephu. Malè*, inquiet Prædicans. Malè scilicet; quia malus id affirmat. Taceo sensum tandem eodem recidere.

Decimus tertius locus. Psal. 43. v. 19. *non recessit retro cor nostrum: & declinasti semitas nostras à via tua. Sensus hic inuertitur, & Deo tribuitur, quasi semitas populi à sua via declinarit, quod Dauidi præter meritum affingitur.*

Mentitur Prædicans vel malitiosissimè vel imperitissimè. Nam particula negatiua, *Non*; pertinet ad totam illam sententiam, atque adeo etiam ad verbum *declinasti*. hoc modo, vt rectè explicat Iansenius: *Neq; cor nostrum, te derelicto, aliò deflexit; neq; permisisti, vt actiones nostræ declinarent à via mandatorum tuorum. in qua nos constanter perdurare fecisti etiam in his multis malis.* Quod si quis verbum *declinasti*, omnino affirmatiuè accipiendum existimet, faciat id licet; sed eo modo, quem tradit idem Iansenius ex patribus; non quem hic insinuat Prædicans, natū in Lutheri & Melanchthonis schola; & postea in Caluini officina educatum; quasi Deus positiuè inclinet & incitet ad scelera & flagitia; & ad hoc, vt à præceptis Dei recedamus.

Decimus quartus locus est Psal. 47. v. 11. & 12. *Circumdate Sion, & complectimini eam. narrate in turribus eius, ponite corda vestra in virtute eius. Sensus obtenebratus est vitiosa translationis fuligine*, inquit fuliginosus Prædicans. *Mutetur ergò, rumpantur vt ilia Papæ*; imò non mutetur, rumpantur, vt ilia criminatori Prædicanti. nam primò Interpres noster fidelissimè expressit, quæ in 70. Interpretibus reperit; quorum, *quod ad vetus testamentum attinet*, inquit S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 15. *Excellit auctoritas; qui iam per omnes peritiores ecclesias tanta præsentia Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. Qui, si, vt fertur, multiq; non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent; nihil in alicuius eorum codice inuentum est, quod non iisdem verbis, eôdemque verborum ordine inueniretur in cæteris: Quis huic autoritati conferre aliquid, ne dum præferre audeat? Si autem contulerunt, vt vna omnium communi tractatu, iudicioq; vox fieret, nec sic quidem quenquam vnum hominem qualibet peritia ad emendandum tot seniorum, doctorumq; consensum aspirare oportet, aut decet. Quamobrem etiamsi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus inuenitur, quam isti posuerint; cedendum esse arbitror diuinæ dispensationi, quæ per eos facta est: vt libri, quos gens Iudæa cæteris populis vel religione, vel inuidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus, ministra regis Ptolemæi potestate, tanto antè proderentur. Itaq; fieri potest, vt sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere gentibus, ille, qui eos regebat, & qui os vnum omnibus fecerat, Spiritus sanctus iudicauit.*

Deinde respondeo, versionis Græcæ & nostræ Latinæ eundem sensum esse cum textu Hebræo, prout ab hoc ipso Prædicante ex D. Hieronymo repręsentatur. Nostra dicit. *Circumdate Sion, & complectimini eam.* Altera, quam Prædicans probat: *Circumdate Sion & circumite eam.* Quæso, quæ hic sensus discrepantia? *Complectimini eam*; quomodo, nisi in orbem circumeundo, vel in orbē, & *circulariter*, vt sic dicam, apprehendendo? Nostra versio & Græca. *Narrate in turribus eius.* Altera; *Numerate turres eius*: quæ differentia nata est ex ambiguitate verbi *Saphar*, quod in *Kal* significat *numerare*; in Piel, *narrare*, vt notat Genebrardus. Sensus eôdem redit; iubet enim, vt enarremus magnitudinem & multitudinem munitionum Ecclesiæ; quod fieri non potest, nisi quis numeret munitiones Ecclęsiæ. Quod ergo versio ex Hebræo disertè iubet; hoc tacitè iubet, vel potius supponit iam factum esse nostra: Quod nostra iubet expressè;

hoc tacitè insinuat versio ex Hebræo. Neque enim vult, vt præcisè turres & propugnacula numeremus; sed vt numerando apud alios itidem deprædicemus ac decantemus. Nostra tandem. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Versio ex Hebræo. *Ponite cor vestrum in mœnibus eius.* Quantum discrimen inter vtranque translationem? *Mœnia* Sionis, quid, quæso, aliud sunt, quàm virtus & fortitudo, & vt 70. reddiderunt *δύναμις* Sionis? quemadmodum & mœnia cuiuscunque alterius ciuitatis, quid aliud sunt, quam ciuitatis robur ac potentia?

Decimus quintus locus Psal. 53. v. 6. *Auerte mala inimicis meis. Si quis hoc legat, putabit precari Dauidem pro inimicis, vt Deus ab illis mala auertat. Et habent tales precationes suum aliàs locum. Hic autem, quomodo cohæret immediatè connexum membrum? & in veritate tua disperde illos. Proinde fallit translator, cuius errorem Hieronymus ex Hebræo corrigit hoc pacto: redde malum insidiatoribus meis.* D. Hieronymus nullum errorem hic corrigit; quia in versione nostra nullus est; nisi in malè sana huius Prædicantis phantasia: qui quæ non capit, carpit: Non enim eorum verborum is est sensus, quem Prædicans comminiscitur; sed iste; *Auerte mala inimicis meis;* hoc est; *certò confido, quod à me auertes mala in inimicos meos, retorquens in eos malum, quod mihi parauerunt; & pro tua iustitia, & tua in seruandis promissis fidelitate, disperdes illos.*

Hic sensus ne minimum quidem dissentit ab illo, qui verbis ex Hebræo à S. Hieronymo redditis subiicitur, nam vtrobique est iste. *Auerte à me mala in inimicos meos.*

Decimus sextus locus. Psal. 54. v. 24. *Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Quam tu, mi lector, putas ineptam, & incongruam, & à scopo, atque mente Dauidis alienam texere paraphrasin super hæc verba Romanenses; qui, huic corruptissimæ versioni insistunt?* Quàm tu verò, mi lector, putas ineptum & incōgruum, & à scopo veritatis alienum hunc Prædicantem, qui odio 70. Interpretum & versionis nostræ plenus, satis habet vociferari & calumniari, *nudior*, vt cum Prædicante loquar, *leberide* ab omni probatione. Quis ignorat Hebræa, vt hodie concepta sunt; aliter sese habere, quàm 70. Interpretes verterint? At quis simul ignorat, si alia puncta subiiciantur duobus verbis, מחמאות machamoth, & וקרב vkrob, tunc confieri eum sensum, quem 70. in sua translatione expresserunt? Et quis non potius assentiatur in additione punctorum seu vocalium 70. Interpretibus, quàm posteriorum sæculorum Rabbinis & Masoretis, nostrisque Nouatoribus, qui vt fidem derogarent celeberrimæ illi versioni multa aliter punctis signarunt, quàm lecta fuerant à 70. Interpretibus; nō quòd essent veriora; sed quia ad pruriginem priscis contradicendi aptiora erant. Et quamuis ipse etiam D. Hieronymus fermè verterit, vt nunc Hebræa habent; id factum est ex ambiguitate vocum Hebræarum si punctis

A careant; & quia videbat, quem sensum expressissent 70. Interpretes, in aliam partem deflexit; non sat æquus vbique 70. Interpretibus, magis hoc loco eligens sequi Iudaizantem Symmachū, quàm clarissimos illos Interpretes. Nam Symmachus sic reddidit. *λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν, καὶ ἡ καρδία αὐτῶν πολεμεῖ. Læuiora butyro ora eorum, & cor eorum pugnat.* Qui Symmachus, vt & Aquila, & Theodotion alio consilio post 70. Interpretes Biblia non transtulerunt, quàm vt iisdem 70. interpretibus apud omnes celebratissimam existimationem detraherent: non secus ac hodie Nouatores nostri agunt, qui sacras scripturas vertendi nullum finem faciunt, eo tantum fine, vt vulgatam editionem deprimant.

B Locus decimus septimus Psal. 57. v. 8. *Sicut cera quæ fluit, auferentur; supercecidit ignis, & non viderunt solem. Propheta duabus similitudinibus describit interitum impiorum. Prior sumitur à testudine tabescente: posterior à mulieris aborsu: vtramq; corrumpit translator.* Quod attinet ad primam similitudinem, nihil peccarunt 70. Interpretes, quod loco huius, quæ in Hebræo habetur; *Sicut limax, qui dissoluitur & liquescit; & corrumpitur; euanescent;* posuerunt hanc; *sicut cera, quæ fluit, auferentur:* quia idem vtriusque similitudinis sensus est: sicut si quis illud: *dissipabitur sicut nebula vel fumus:* interpretaretur per illud nostrum Germanicum: Er wird vergehen/als wie der Butter an der Sonnen: *diffluet sicut butyrum in sole:* is vtique sensum parabolicæ illius

C locutionis verè ac rectè exprimeret.

Quod attinet ad illud: *supercecidit ignis:* rectè id versum est à 70. Interpretibus: nam verbum נפל legerunt cum Camets & Patach; Et sic significat, *cecidit*, & nomen *Eshet* Poëticè & Syriacè idē est, quod אש *Esch, ignis.* Quod verò alij Rabbini & Rabinizantes verbo illi alia puncta subiecerunt; & illud *Eschet* in alia significatione acceperunt; id nobis non est curæ; quia 70. Interpretes his omnibus iam pridem anteponere didicimus cum aliis nominibus, tum quia Ecclesia versionem ex horum versione expressā nobis vt sacrosanctam proposuit. Cecidit ergo ignis de cœlo, exstinctiq; sunt impij, ita vt solem amplius non viderent.

D Locus decimus octauus. Psal. 60. v. 7. *Permanet in æternum in conspectu Dei, misericordiam, & veritatem eius quis requiret? Hoc posterius membrum, & verbis, & sensu deflectit ab Hebraica veritate. Vertendum erat, (quod facit Hieronymus:) misericordia, & veritas seruabunt eum.* Hic rursus deflectit à veritate Prædicans. Idem enim sensus est Hebræi textus & nostræ versionis. Nam vocabulum illud *Man* acceperunt 70. Interpretes Syriaco more pro *Mi, Quis.* Solent autem Poëtæ sacri, qualis Dauid, captare Syriaca; quod multis exemplis Genebrardus docet. Ait ergo; *Misericordiam & veritatem (eius) quis obseruet eam?* Vel, *quis; Quàm felix. Quàm felix & beatus, qui eius rei misericordiam & veritatem requiret & obseruabit.* Rabbini & Rabinizantes ac-

cipiunt

Digitized by Google

cipiunt illud *Man*, pro verbo, *præpara*; quos Nouatores nostri turmatim sequuntur; totique loco longè alium sensum affingunt; quod ex hac Iunij & Tremmelij versione discas. *Benignitatem & fidem præpara, quæ custodiant eum.* Ineptior est illa Castalionis. *Habitet in æternum apud Deum sub clementia fidiq; custodia.*

Caietanus à suis Iudæis & Iudaizantibus persuasus, retinet ipsam vocem *Man*. *Gratia & veritas Man, custodient eum.* Minusculis tamen characteribus imposuit peregrino vocabulo hoc Latinum; *doni*. In commentario sic scribit: *Man dictio Hebraica absq; interpretatione manet propter incertitudinem significationis. Alij præparationem; alij pronomen interrogatiuum; alij, cibum; alij, munus; alij manna, quo aliti sunt patres in deserto, intelligunt. Mihi consideranti, scriptum esse,* Ioan. 1. *Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est: videtur, quod Propheta Messiæ opera per hoc intendat describere: & consequenter Man, donum significet in proposito.* Hæc isti incerti ac fluctuantes, postquam viam tritam Ecclesiæ deseruerunt, Rabbinisque ac Masoretis incautè sese tradiderũt, vetustatis tædio, nouitatis studio.

Obserua, Hunnium laudare hanc D. Hieronymi versionem, quasi Hebraico textui maximè consentaneã; cum tamen D. Hieronymus omittat particulã *Man*, de qua potissimũ est controuersia. Et si versio D. Hieronymi tam conformis est veritati Hebraicę; cur Lutherus non expressit Hieronymianam translationem in Germanico suo Psalterio? Cur vocabulũ *Man* à D. Hieronymo omissum, vertit ipse, vt pleriq; Nouatores faciunt per *para*; vel *ostende*. Erzeige im Güte vnnd Trewe/die in behüten. *Ostende illi benignitatem, & veritatem, quæ custodiant eum.*

Locus decimus nonus. Psal. 61. v. 4. *Veruntamen precium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti. Hic particula (cucurri in siti) nihil cõmune habet cum Hebraica veritate, quæ referente Hieronymo, habet; placuerunt sibi in mendacio. Intendat Iesuita neruos, & experiatur, possitne colore aliquo fucare locum, ne cogatur fateri, absurditatem admissi errati.*

Quã audax & effrenis solet esse inscitia. Quasi vero nemo hactenus exstiterit; qui nostram versionẽ ostenderit esse consentaneã textui Hebraico. istã autem, quã Nouatores vrgent, ex Rabbinorũ officina profectã, qui verba Hebręa, aliis, quã 70. Interpretes punctis affecerunt; & ex consequenti, alium sensum effecerunt. Videntur enim legisse *Iarutsu*, à *Rauats*; vt sensus sit; Interprete Genebrardo, *magno studio persecuti sunt me; cucurrerunt, vt etiã sitim contraherent*: vel legerunt *iarutsu* à Radice *Ruts*, quod proprie denotat *currere*; inquit Lucas Brugensis in suis Notationibus. Atq; Masoretę illud ירצו deduxerunt à *Ratsa*; hinc reddunt: *voluerunt, dilexerunt.* Et quamuis כָּזָב propriè significet mendaciũ, quia tamen mendaciũ est defectus veritatis; rectè à septuaginta Interpretibus positũ est *pro defectu potus*, hoc est, pro *siti*, subintellecta præpositione בְּ *In*. Quod autẽ noster habet:

A *Cucurri in siti*, id accidit; quia vertit ex Græco, in quo vox ἐδίψων, anceps est. Potest enim esse primæ personæ singularis numeri, & tertiæ, pluralis. Priori sensu accepit interpres noster, qui transtulit ex Græco: posteriore autẽ accipi debere; ostendunt Hebræa; Num malè ergo noster Interpres? Nõ sequitur; quia etiã illud: *Cucurrerunt in siti*; ad ipsum Dauidẽ referri potest, vt subintelligatur, *pedes mei*; quod, quid aliud est, quã, *cucurri in siti*; nimirũ, vt insecutiones hostiũ meorum effugerẽ: & hanc lectionẽ; *Cucurri in siti; constanter habent Latini Codices*, inquit Lucas Brugensis, *& vnanimiter exponunt Latini tractatores.*

Locus vigesimus. Psal. 71. v. 6. Et permanebit cum Sole, & ante Lunã. *Hæc quidẽ translatio Latina* B *vetus. Corrige autẽ, & redde: Timebunt te, quamdiu erit Sol, & vltra Lunã.* Non est opus vlla correctione; quia idẽ est sensus. *Quoniã enim Hebræi*, inquit Genebrardus, Timere, *vsurpant, pro, colere, sensus est: Colent eum fideles, quamdiu sol perstabit. Apud eos, in perpetuũ permanebit eius agnitio, ac honor. Ad verbũ: Timebunt te, colent te. (ô Christe.) Per tertiã autem personã, verterunt LXX. vt explicarent, ad quẽ referretur hic timor, siue cultus: nempe ad Christũ, non Deũ patrem. Potuerunt etiã accipere, per metathesin Poëticã, Iiraucha pro Ieerech. Nam* ארך arac, *est* prolongari, diu permanere, lõgæuũ esse. Cum sole: *quamdiu extiterint Sol, & Luna: dum præsenserit Sol, & Luna.* In eorũ conspectu; *id est, vsq; ad consummationẽ sæculi, imò verè in æternum.*

Locus vigesimus primus ibid. v. 15. Honorabi- C le nomen eorum coram illo. *Sed textus authenticus Hebræus habet voculã* דָּמָם *sanguis eorum. Ideoq; vertendũ, vt Hieronymus facit: preciosus erit sanguis eorũ coram oculis eius.* Sed sensus eódem redit; quod, mirum, nunquam à stupore huius Prædicantis aduertis quãdo id vel inprimis animaduersum oportuit. Nam quid aliud est, *Honorabile nomen eorum coram illo*; quàm; *pretiosum erit nomen eorũ corã illo*; & quid aliud hoc ipsum, quàm; *Pauperes erunt magno in pretio & honore apud illum?* Nonne vtrunque horũ exprimitur per illud; *Pretiosus erit sanguis eorum coram oculis eius?* Siue enim hoc, siue illo modo loquendi vtaris, semper pretium & honorem, quo inopes & oppressi apud Deum valent; significas. Et tamen isti nostrã & 70. Interpretũ translatio- D nes, quę Hebraicũ sensum, optimè exprimunt ac repræsentant, & hic & alibi passim incessere audent, quasi ab originali textu lõgissimè recedãt.

Locus vigesimus secundus ibid. v. 17. Et erit firmamentum in terra in summis montiũ. *Translator non assequitur mentem.* (Mentitur Prædicans) *mutetur ergò versio in melius. Erit pugillus frumenti in terra, in summitate montium.* Vt vinum vetus; ita & versio vetus melior est. Non opus vlla mutatione; primò; quia constanter & certò mutatores isti demonstrare nobis nequeunt, in quid versionem nostram mutare debeamus, cum necdum inter se consentiant, quid Hebræa illa vocabula פִּסַּת-בַּר pissath-Bar significent. Hunnius iubet, vt vertamus; *Et erit pugillus frumenti.* At

occur-

Digitized by Google

occurrit D. Hieronymus; qui offert nobis illud: *Erit memorabile*, vel; vt veteres Codices habent; *Erit memoriale tritici.* Aderit & Caluinus cum suo illo: *Erit palma tritici.* Alij occinent: *Erit particula, aut vola* seu *palma*. Alij; *erit multiplicatio*, seu *abundantia*: Alij, *erit placenta*, vel *placentula*. Alij; *erit panis substantificus.* Cum ergo versores isti inter se non conueniant, caussa nulla suppetit, cur vni potius, quàm alteri me addicam, relicta 70. Seniorum Interpretatione & nostra, quæ inde manauit.

Deinde noster optimè sensum expressit; nam quid aliud est pugillus, vel vola, vel multiplicatio frumenti, quàm frumentum; & quid frumentum aliud, quam *στήριγμα* firmamentum & fulcimentum sustentandæ hominum vitæ; quòd panis, præcipuus hominum cibus, ex frumento conficiatur; qui panis in ipsis sacris litteris firmamentum appellari solet. Psalm. 104. v. 16. *πᾶν στήριγμα ἄρτου συνέτριψεν. Omne firmamentum panis contriuit. Rursus Isaia 3. omne robur panis, & omne robur aquæ. ἰσχὺν ἄρτου καὶ ἰσχὺν ὕδατος. Non est igitur ab arcanis litteris aliena interpretatio*, inquit Lucas Brugensis in Notationibus: *si firmamentum exponatur pro frumento, seu pane, præsertim cum sit Hebraicè*, פִּסַּת-בַּר, *firmamentum frumenti.* quia 70. Interpretes vocem *Pissath* deduxisse videntur à סַפ, quod præter reliqua Chaldæis significat certum reddere. *firmare*, & *fulcire.* Hinc Chaldæus Paraphrastes vertit: *Erit fulciens seu confortans panis in terra, &c.*

Locus vigesimus tertius Psal. 72. v. 5. *Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. Hebræum textus habet: non sunt vincula mortis eorum, & firma sunt palatia eorum.* Vt hoc affirmet Prædicans, attamen haud fidem omnibus faciet; nam qui se Hebraicę linguæ peritissimos existimant, ad verbum vertunt; *Et sana fortitudo eorum.* Caietanus cum suis Iudæis. *Et sana vis eorum.* Iunius, Caluinus & Musculus. *Pingue est robur eorum.* Castalio. *Vigent valentq.* Alij; *non sunt ligamenta in morte eorum; quippe fortis, robustus*, &c. Alij aliter; non est igitur, cur tam securè & cõfidenter, quasi certã Prædicans nobis suam *Palatiis ornatam* versionem diuendat.

Secundò dico; septuaginta Interpretes & nostrum exhibuisse nobis sensum, vt decet bonos Interpretes. *Non est respectus morti eorum*; hoc est, carent meditatione mortis; quam *neq. considerant, neq. respiciunt. Mortem non curant, neq. eius timore afficiuntur. non eam ponunt ante oculos, ne hoc illos affligat. Quare Hieronymus; Non cogitant de morte sua.* Et Chaldæus; *Non tenentur, neq. conturbantur, propter diem mortis suæ.*

Quem sensum ferunt quoque Hebræa. *Non sunt vincula morti* vel *mortis eorum*: quia cum mortem nõ considerent; securè, licet sceleribus onusti, moriuntur; quia frequens mortis consideratio iniicit mortis metum; metus autem quasi vinculum quoddam est, quo quis præpeditus, mortem refugit. Et firmamentum in plaga eorum; hoc est, quando in hac vita puniuntur, non firmiter & constanter puniuntur, sed pœna citò desinit; quod quid aliud est, quàm illud: *Sana fortitudo eorum*; quia licet interdum malis quibusdam afficiantur; statim tamen inde euadunt, & sic sana perstat vis, vel fortitudo eorum; vel, vt vertit S. Hieronymus; *Firma sunt vestibula eorum*; vel, vt Prædicans vult, *palatia eorum.*

Locus vigesimus quartus. ibid. v. 18. *Veruntamen propter dolos posuisti eis. In Hebræo est: profectò in lubrico posuisti eos. Et sic habet etiam Hieronymus.* Idem sensus est; quia lubricum, siue lubricitas dolus est; facilè enim decipit; quia facilè quis in lubrico cadit. *διὰ τὰς δολιότητας, propter dolositates*, id est, lubricitatem, *ἔθου αὐτοῖς; posuisti eis; pedes* scilicet, *in tali loco, vt dum alleuantur, deiiciantur.* Aliqui subintelligunt *κακὰ*; hoc est, *posuisti eis mala*; Et ita dicunt in Græcis haberi. At in Romana 70. Interp. versione non comparet hoc vocabulum; tametsi in Bibliis Regiis legitur; quæ etiam legunt, *διὰ τὰς δολιότητας αὐτῶν*; quod pronomen abest à Sixtina editione.

Locus vigesimus quintus. Psal. 75. v. 4. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Dic mihi Lector, quæ sit sententia?* Si petis spiritalem, & allegoricã, ecce tibi eam ex paraphrasi Iansenij. *Cum in maxima mœroris caligine degeremus, ac tetra desperationis nube circundati essemus, tu ab altissimis cælorum montibus, qui ab initio semper firmi perstiterunt, luce tua nos mirabiliter, & magnificè perfudisti, lætificando nos splendore auxilij, & opis tuæ, quo tuo splendore sicut nos exhilarasti, ita contra per ipsum omnes hostes nostri corde valdè insipientes, velut oculis perstrictis, conturbati sunt; cum inopinatum & nobis auxilium, & sibi exterminium cernerent; verè insipientes, vt qui se tibi resistere posse præsumerent.* Si autem sententiam magis litteralem desideras, explica de montibus Iudææ, in quibus tot mira patrauit olim Deus.

In Hebræo, inquit Prædicans, *sententia lucida est, ad verbum ita sonans. Illustris tu, potens præ montibus prædæ.* Sed alij, qui proculdubio non minus quã hic præco, scientiæ Hebraicæ se possedisse autumant, aliter vertunt. *Tu clarior & generosior, quàm sint montani prædones.* Vatablus. *Illustrior es & magnificentior, quàm montes, in quibus laceratur.* Iunius. *Illustris factus es, magnificus ex montibus direptionis.* Addit Iunius glossam. *Nobilitata est maiestas tua ex eo maximè*, quòd *Assyriorum castra montes occupantia diripienda tradidisti nobis.* Hanc suam versionem dicent Iunius & Tremmelius examussim cum Hebræo textu congruere; & tamen non congruit cum illa, quam Hunnius, tanquam verbatim ex Hebræo expressam venditat.

Retinebimus ergo vulgatam editionem ex fontibus 70. Interpretum deriuatam, donec isti conspirauerint; quod nunquam futurum noueris: vt nec olim *Iudaizantes* Interpretes inter se consensêre, postquam antiquitati multam salutem dixere, nouasque versiones obscurandis priscis moliti sunt. Nam Aquila vertit, *ἀπὸ ὀρέων*

ἀλωνίων. quem secutus est S. Hieronymus: *A montibus captiuitatis*. Symmachus. *ἀπὸ ὀρέων θήρας*. *à montibus venationis*. Theodotion. *ἀπὸ ὀρέων καρπίμων*. *A montibus fructiferis*. Et posito, vocabulum Hebræū, quo vsus est Propheta, nihil aliud significare, aut olim etiā significasse. tempore 70. Interpretum, quàm id, quod isti in suis versionibus Græcis, vel Latinis nobis exhibent; cum tamen Propheta oculo fatidico potius ad cælos, quàm ad Iudææ montes respexerit, istique cælestes montes æterni sint, & simpliciter incorruptibiles, indeq; omnia ad salutem necessaria nobis, defluxerint; indeque etiam maiestas Dei maximè radiet ac fulgeat, meritò *prædæ* vel *direptionis*, vel *captiuitatis* vocabulo omisso, illud substituerunt; quod montium istorum excellentiam dilucidius repræsentat; cuiusmodi est elogium *æternitatis* & *incorruptionis*; Et hoc iure fecêre 70. Interpretes, cum teste D. Augustino potius fuerint vates quàm Interpretes.

Locus vigesimus sextus Psal. 75. v. 10. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Pro ira vertit translator, cogitatio: Sicq; textum caligine inuoluit. Et apparet, ipsummet ignorasse sensum verborum.* Euidenter apparet Prædicantē mentiri: quia, vt paulò post dicam, versio nostra ab Hebræo textu non discrepat, si rectè intelligatur; cuius rectæ intelligentiæ doctissimus & antiquissimus noster interpres minimè ignarus fuit, vt calumniatur Prædicans: Antequā tamen hoc ostendo, iure optimo videor ab hostibus nostri Interpretis, & correctoribus petere posse, vt ipsi prius de aliqua fideli & constanti huius loci ex Hebræo translatione circumspiciant; inque ea conueniant. Nam dum dissident, numquam adducemur, vt id, quod nobis oggerunt, amplectamur. Vide, obsecro, consensionem horum interpretum. Caluinus. *Certè indignatio hominum confitebitur tibi, residuum indignationum ligabis.* Quā pulchrè concinit cum isto Lutheri vel Hunnij? *Si pergant irasci, accinctus es.* Et cum isto Musculi. *Reliquias iræ tibi accinges.* Et cum illo Caietani. *Reliquias irarum cinges.* Iunius & Tremmelius. *Æstus hominum celebrat te, residuo æstuum accinges tuos.* Castalio. *Nam tibi rabies hominum laudi est, tu exsuperantibus furoribus decoraris.* Symmachus olim. *θυμὸς ἀνθρώπου ἐξομολογήσεταί σοι, λείψανον θυμῶν περιζωσθήσῃ.* *Ira hominis confitebitur, reliquiæ iræ cinctæ.* Cum igitur isti necdum de sensu Hebraici textus exprimendo inter se conspirent; non est quod nos à nostra versione auulsos ad se traducere tentent.

Deinde dico, eundem esse sensum translationis nostræ, & eius, quæ ex Hebræo verbatim adfertur: nihil enim aliud est; *cogitatio hominis confitebitur tibi*; quàm; *cogitatio hominis celebrat te*; laudi tibi est & gloriæ; non quælibet cogitatio, sed cogitatio irata, & cum indignatione coniuncta; neque enim Interpres noster de qualicunq; cogitatione loquitur; quia vertit ex Græco. Græcus autem habet *ἐνθύμιον*, quæ vox nō quamlibet mentis actionem significat, sed copulatam cum *θυμῷ*. *cum ira & indignatione. Et reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.* *καὶ ἐγκατάλειμμα ἐνθυμίου ἑορτάσει σοι.* An non quidam ex ipsis nouis versoribus vertunt; *reliquiæ* vel *residuum*, sicut & Symmachus, *λείψανον*? Vox, *cogitationum*; accipitur, vt antea, non pro qualibet actione mentis, sed pro ea, quæ iram & indignationem continet, vt patet ex Græco.

Tota difficultas est in illis: *diem festum agent tibi*; hoc est, *celebrabunt & ornabunt te.* Nam festum diem alicui agere, nihil aliud est, quàm aliquem celebrare, venerari & honestare. Certè alium sensum non expressit Castalio illa sua versione. *exsuperantibus furoribus tu decoraris.* Nam quod nos vocamus *reliquias* seu *residuum cogitationū indignantium*, id appellat ipse; *exsuperantes furores*; Et, *diem festum agere*; *decorari*. Similis sensus facilè exsculpetur ex illo aliorum, *cinges*, vel *accinges*, vel *accinctus es*. D. Hieronymus vertit. *Reliquiis iræ accingeris*; nimirum, tanquam ornamento & honestamento; quod tibi cedit in laudem & gloriam; sicut cedit dies festus, tuo nomini consecratus.

Locus vigesimus septimus Psal 76. v. 2. *Manibus meis noctu contra eum, & non sum deceptus. Ponendum erat; Manus mea nocte extenditur, & non quiescit.*

Quod ad priorem partem attinet, idem nostræ versionis sensus est, qui translationis, quam Prædicās ex D. Hieronymo proponit. Dicit enim Propheta: *manibus meis nocte ex aduerso ipsius sum: per totam noctem manus supplices ad Deum tendo*: quod idem est; cum hoc: *Manus mea nocte extenditur, & non sum deceptus*; id est, *exaudiuit me; non frustra oraui. Quare nec manus; tanquam in vanum laborans, remitto*: & hoc est, quod in Hebræo dicitur: *manus mea non quieuit.*

Quanquam & hîc ab Hunnio postulo, vt si velit nos à versione nostra desciscere, prius inter se, ipsos Hebraizantes conciliet, qui in translatione huius loci maximè dissident. Castalio. *Suppurante noctu meo vulnere sine intermissione.* Pagninus. *Manus mea nocte defluxit, & non se remisit.* Iustinianus. *Plaga mea nocte decurrit.* Felix quidam citatus à Musculo. *Vulnus meum per noctem defluxit.* Iunius & Tremmelius. *Manu mea noctu perfusa, & non intermittente.* Addit glossam Iunius. *Præ afflictionum grauitate madentibus ex continua lacrymatione manibus, siue precando conserantur, siue adhibeantur ad abstergendos oculos.* Alij apud Vatablum. *Virtus mea vacillabat.* En harmoniam nouorum Interpretū. Et tamen suadere non desinunt, vt hanc nouitatem tam incertam & fluctuantem sequamur, repudiata tot sæculorum antiquitate.

Locus vigesimus octauus. Psal. 83. v. 13. *Quoniam misericordiam & veritatem diligit Deus.* Hebraicè. *Quoniā Sol & scutum Dominus.* At 70. Interpretes, eosque secutus noster, voluerunt explanare, in quo Deus esset Sol & Scutū, vt rectè dicit Genebrardus, *inepe. dum misericorditer se nobis impartitur, &*

proui-

Digitized by Google

prouidet; est velut salutaris ille solis fulgor, mundi oculus; dum veritatem, & fidem seruat, id est, promissa perficit fideliter, est nobis scuti, ac propugnaculi loco. Misericordiam, ad solem; veritatem, promissorumque praestationem ad scutum retulerunt, in similitudine euoluenda.

Locus vigesimus nonus. Psal. 86. v. 4. *alienigenæ.* In Hebræo, *Philistæi.* Primùm, nonne passim in scriptura appellantur Philistæi, *alienigenæ*? Quid igitur peccarunt 70. Interpretes, & noster, si Philistæos vocarunt alienigenas? Deinde necdum conuenit inter ipsos Hebraizantes, num *Philistæi* sit vera versio? Iunius vertit, *Palæstinum.* Castalio, & Musculus; *Palæstinam.* S. Hieronymus & Caietanus: *Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia.* Pagninus & Montanus in Bibliis Regiis ad verbum. *Ecce Palæstina & Tyrus.* Vatablus vel Leo Iuda. *En Palæstina & Sor cum Æthiopibus.* Non est ergo certum, quod Hunnius ex suo Luthero & Caluino de Philistæis nobis hic apponit. Sed siue *Philistæos*, siue *Palæstinos* legamus; rectè reddiderunt nostri; *alienigenas.*

Locus trigesimus ibid. v. vlt. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Hieronymus ex Hebræo sic vertit; Et cantabunt quasi in choris omnes fontes mei in te.* Quid tū? 70. Interpretes, & noster, plures & antiquiores quàm D. Hieronymus, verterunt, vt nos legimus. Deinde cur Lutherus non est D. Hieronymi translationem secutus, si cęteris omnibus præferenda? Vertit enim; Vnd die Senger die am Reigen/ werdē alle in dir Singen eines vmbs ander. Quæ quàm cum Latino D. Hieronymi concordent, facilè aduertunt, qui Germanicam linguam intelligunt. Adhæc, si illa D. Hieronymi versio tam est Hebræa, cur Hebraizantes nostri eam non sequuntur; qui & hic tam sunt distracti, vt tot translationes nobis cudant, quot sunt Interpretes. Iunius & Tremmelius. *Quapropter canunt æquè ac exsultant, omnes fontes vitæ meæ de te.* Item: *Choreas ducunt vel tripudiant omnes fontes mei.* Quàm diuersa hæc translatio ab Hieronymiana, vt & illa Castalionis. *At in te cantores simul & tripudiantes, omnes mei fontes sunt.* Et illa Caluini: *Et cantores sicut tibicines, omnes fontes mei in te.* Et illa Caietani. *Et principes sicut parturientes.* Alij verterunt: *Omnes modulationes meæ;* Alij; *omnes contemplationes meæ.* Chaldæus Paraphrastes: *Omnes species laudis:* Alij; *omnes scaturigines meæ, &c.* I nunc & mirare, cur antiqui Interpretis auctoritas nobis sit sacrosancta, & talis etiam semper merito suo esse debeat; cum alij tot & tam sibi mutuo aduersantes versiones comminiscantur. Quomodo autem versio nostra aptè cum textu Hebræo congruat, docebit te Genebrardus.

Locus trigesimus primus. Psal. 88. vers. 47. *Memorare, quæ mea substantia. In Hebræo; Memento mei, quod sit tempus meum. Et nota simul solœcismum;* memorare, *pro* memento. *quem non notarem, nisi sub interminatione anathematis obtruderetur.*

Hic rursus Prædicans calumniandi impotentia excæcatus, non attendit ad sensum; qui vtrobique idem est: iste nimirum, *memento, quàm tenuis sit & imbecilla, mea subsistentia, vita, duratio.* Quod de solœcismo solœcus Prædicans annectit, infra refutabitur. Quæ Hunnius hic carpit ex Psal. 89. ea abunde iam refutata sunt supra in VVitackero eiusdem Psalmi calumniatore.

Locus trigesimus secundus. Psal. 91. versu penult. *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & bene patientes erunt. Malè versum (& benè patientes erunt:) nec congruit ad antecedens membrum.* Mentitur Prædicans. Nam *bene patientes erunt*, est ad verbum id, quod 70. Interpretes dicunt: *εὐπαθοῦντες ἔσονται*, hoc est, *bene affecti, bene dispositi ad annunciandum, quoniam rectus Dominus Deus noster.* Hoc quid aliud est; quàm quod isti ex Hebræo adferunt; *pingues & virides*, siue *frondentes* erunt; id est, alacres, excitati & expediti ad Dei laudes vbique prædicandas & decantandas. Hinc in scholiis Græcis explicatur: *εὐπαθεῖν, benè patientem & affectum esse;* [illegible] *turgere, virere, vigere.*

Locus trigesimus tertius. Psal. 105. v. 13. *cito fecerunt, obliti sunt operum eius. Verbum* (fecerunt) *est superfluum.*

Mentitur Prædicans: quia verbum Hebræum Meharu, *accelerarunt;* rectè exponitur per duo ista; *Citò fecerunt;* hoc est, *celeriter valdè à laudibus Dei celebrandis sese expedierunt.*

Locus trigesimus quartus. Psal. 106. v. 17. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum. In Hebræo est,* אֱוִלִים, *stulti, propter viam sceleris sui, scilicet humiliati sunt: sicut statim in sequenti membro versiculi subiungitur.*

Si Prædicans nobis persuadere cupit, 70. Interpretes errasse, probare debebit, & quidem euidenter; eandem tunc Hebraici textus lectionem fuisse, quæ hodie exstat. Quid enim, *si 70. Interpretes legerunt verbaliter*, inquit Genebrardus, אולים, uuelim, *roborauit eos de via, &c. Nam, vt Massoreta monent, non scribitur cum iod* אוילים, euilim, *sed sine iod,* אולים vlim, *id est,* robusti. *Vel in Piel,* אולים uuelim, affixo Mem poëticè habente etiam hiric ante se. Hinc אל El Deus, quasi fortis, & אול *Vl* robur, &c.

Locus trigesimus quintus. Psal. 107. v. 9. *Moab lebes spei meæ.* In Hebræo; *olla lotionis meæ.*

Idem est sensus: quia vocat Moab, *lebetem spei suæ*, quòd speraret se Moab vsurum ad vilia ministeria: vt ad ablutionem manuum, vel pedum. Hinc Iunius: *Moab pollubrum meum.* Alij; *Moab spes lauacri mei*, vel, *peluis meæ.* Ait Musculus 70. Interpretes & vulgatum nostrum vocem רחץ, non Hebraico, sed Chaldaico significatu vsurpasse; Nam Chaldæis idem esse, quod *sperare*; Hebræis, lauare. Symmachus *ἀμεριμνίας μου.*

Psalmo eodē centesimo septimo, v. 10. *Mihi alienigenæ amici facti sunt. In Hebræo: super Philistæis ouabo.*

At alij vertunt aliter. Iunius. *Contra Palæstinam clangentem agam.* Caluinus & Vatablus. *Super Palæstina iubilabo.* Castalio. *In Palæstinam adoream sonabo.* Pagninus & Montanus in Bibliis Regiis.

Super

Digitized by Google

super pelesetb taratantarizabo. S. Hieronymus: *cum Philisthiim fœderabor.* Caluinianus Musculus. *Super Philistæas iubilabo.* Caietanus. *Super Philistym clangam.* At siue hoc, siue illo modo reddas, rectè verterunt 70. Interpretes & noster, *alienigenas*; vt iam supra visum.

Locus trigesimus sextus. Psal.108.v.1. *Deus laudem meam ne tacueris. Malè versum. Vertendum est: Deus laudis meæ, ne tacueris. Ita non Danidi, sed Deo asseritur illa laus.*

Hic rursus Prædicans cæcitate percussus non videt, quod vel cœcus videat; videlicet, eundem esse sensum. Petit enim à Deo, ne laudem suam taceat; sed ab hostium criminationibus tueatur; Hoc ipsum significant illa: *Deus laudis meæ, ne taceas*; perinde enim est, ac si dicat: *Deus laudis meæ defensor ac Patronus, ne taceas.* Nam glossam *Prædicanticam*, quam hic assuit, nihil moror. Quis enim non animaduertat, quàm contortum sit illud? *Deus laudis meæ, hoc est, quem laudare soleo, ne taceas.*

Locus trigesimus septimus. in eod. Psal. v. 24. *Caro mea immutata est propter oleum. Diuinando quis certum assequatur sensum?*

Et hic solitum cœcitatis peccatum peccat Prædicans; quia ex vtraque versione idem sensus enascitur: nempe, *caro mea immutata est*, hoc est, elanguit, emarcuit propter oleum, hoc est, propter defectum olei seu pinguedinis seu vnguenti; quo tristibus his in rebus non vtebar. Hinc & S. Hieronymus vertit; *Caro mea immutata est* (hoc est, *macilenta facta est*) *absq; oleo*; quia pinguedine olei non vtebar.

Locus trigesimus octauus. Psal.109. v. 5. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum. In Hebræo legitur; Populus tuus spontaneus in die victoriæ tuæ, in ornatu sancto.*

Si Prædicans à nobis impetrare vult, vt versionem 70. Interpretum & nostram repudiemus, duo postulabimus. I. Vt perspicuo aliquo argumento planum faciat, textum Hebræum, vt hodie legitur, punctisque notatur; esse verum, genuinum & legitimum; non autē illum, quem suis in codicibus repererunt 70. Interpretes, punctisque, prout ipsis videbatur, affecerunt, affectum extulerunt & Græcè expresserunt. Hoc primum nostrum est postulatum; vt enim doctissimus Genebrardus, & partim ipse etiā Caluinianus Musculus demonstrat, varietas, quæ videtur esse inter 70. Interpretes, & hodiernum textum Græcum, ex sola litterarum quarundam & punctorum diuersitate oritur.

Secundò postulabimus; vt Prædicans prius his nouis Rabinicis & Masoreticis versoribus vnam eandemque translationem huius loci persuadeat; quod vbi fecerit ac effecerit, tum id nobis renunciet, quidque facto sit opus, deliberabimus. Nam quod noster vertit; *Tecum principium.* D. Hieronymus reddidit: *populi tui spontanei erunt.* Iunius & Tremmelius: *Populus tuus, populus*

A *voluntarius.* Caietanus. *Populus tuus spontanei.* Castalio. *Tua copia voluntaria erunt.* Vatablus seu Tigurini. *Habes promptissimum populum.* Felix à Musculo citatus. *Populus tuus cum oblationibus.* Pagninus apud eundem Musculum. *Populus tuus spontè veniet.* Campensis. *Populus tuus spontaneas offeret, & liberales oblationes tibi.* Caluinus. *Populus tuus cum voluntariis oblationibus.* Hactenus isti in illo nostro & nostri Interpretis: *Tecum principium.*

Iam in illo: *In die virtutis*, quanta discrepantia? Iunius. *Die copiarum tuarum.* Castalio. *Qua die expeditionem cum sacra maiestate facies.* Caluinus: *In die exercitus tui.* Vatablus: *Cum educes tuas copias.* Illud nostrum: *In splendoribus sanctorum:* Iunius: *In deco-*
B *ris locis sanctitatis.* D. Hieronymus: *In montibus sanctis.* Felinus & Campensis apud Musculum: *In vrbe sancto splendore insigni. Et omnimodus ille decor, qui te comitabitur.* Ipse Musculus: *In splendoribus sanctitatis.* Mutandū aliquid fuit, tantùm ne cum vulgata editione consentiret. Nec minus: *Rabinizant & Iudaizant*, & controuersantur in illo: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Iunius cum suo Iudæo Tremmelio. *Inde ab vtero tibi aderit ros iuuentæ tuæ accuratissimæ.* Castalio. *Ex vtero auroræ habebis rorem tuæ iuuentutis.* Caluinus. *Ex vtero ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.* Alij aliter, vt patet apud Musculum; quia nec est modus, nec finis nouandi, postquam semel ab antiquitate discessum est.

C Quanquam Lutherus, cum nullo prorsus cōsentit, vt se omnium nouatorum nouissimū esse demonstret. Sic enim vertit Germanicè. Nach deinem Sig/wird dir dein Volck wülliglich Opffern/ in heiligen Schmuck. Deine Kinder werden dir geboren/wie der Thaw auß der Morgenröthe. *Post victoriam tuam, offeret tibi populus tuus sponte, in sancto ornatu. Filij tui nascentur tibi, sicut ros ex aurora.* An non sat noua hæc versio? Quæ Arianis non potest non gratissima accidere, quandoquidem obscurat, vel potius penitus tollit, quidquid sanctissimæ Trinitatis cultores ex hoc loco pro diuinitate filij Dei colligunt. Quod & de aliis *Hebraizantium* versionibus dictum esto.

Locus trigesimus nonus. Psal.119. v. 4. *Sagittæ*
D *potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. In Hebræo: cum carbonibus iuniperorum.*

Idem sensus est; quia 70. Interpretes, & noster, genus pro specie posuerunt. *Septuaginta doctè per Synecdochen*, inquit Genebrardus, *per speciem arboris deserti, & vastitatis, intellexerunt similes omnes arbores in genere.*

Locus quadragesimus. Psal.121.v.7. *Fiat pax in virtute tua. Hebraicus textus sonat: sit pax in muris tuis.*

Qualis calumniator. Quasi in *virtute tua*, & *in muris tuis*; non sit vnum & idem. Nam virtus, robur, fortitudo & potentia vrbis muri sunt ac mœnia: & vice versa, muri virtus & potentia vrbis.

Locus quadragesimus primus. Psal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion; facti sumus sicut consolati. Consolati legitur, pro somniantes.*

Hic iterum solenne suum tenet Prædicans. Nam idem sensus consit. Ait enim Psalmus; *adeò consolati lætatiq; sumus nostra restitutione*. Genebrardi verbis vtor, *vt videremur verius somniare reditum, quàm reipsa, & oculis vsurpare. Insperatum enim tantum bonum vix credere poteramus. Cuiusmodi tropo apud Liuium lib. 33 de Græcis audientibus vocem præconis, iubentis, vt beneficio populi Romani retinerent libertatem, & suis legibus viuerent. Maius gaudium, inquit, fuit, quàm quod vniuersum homines caperent. Vix satis credere, se quisque audisse; alij alios intueri mirabundi, velut somnij vanam speciem. Sic in Actis Act. 12. v. 9. Petrus exiens sequebatur angelum, & nesciebat verum esse, quod fiebat, existimatq; se visum videre. Chaldæus: sicut valentes, sicut infirmi, qui conualuerunt.*

Locus quadragesimus secundus. Psal. 126. v. 5. *Ita filij excussorum. Quis est sensus, Bellarmine?*

Iste est, ô Prædicans: Sicut sagittæ in manu alicuius robusti sunt hostibus terribiles; ita filij piorum, etiam afflictorum, & in hoc mundo miserorum sunt fortes, & valentes: Deus, eos iuuat, ac roborat, nec deserit. Eis, propter patres, quantumuis concussos, & quassatos calamitatibus, fauet, & adest. Rectiusque inquit Genebrardus exponitur Nehurim, *Excussorum*, quàm *iuuentutum, vel pueritiarum. Nam frigidus est sensus, & ferè Rabbinicus. Quales sunt in manu viri fortis sagittæ; tales sunt iuuentutis nati, id est, liberi iuuenum; siue in iuuentute suscepti, cum illi sæpius maximas parentibus molestias creent: vt Ismaël, Caïn, Ruben, &c. Iuxta illud vetus: Heroum filij, noxa: Et verbum Euripidis de liberorum orbitate εὐτυχὴς ἀτυχία. Deinde vox, non iuuentutem, sed pueritiam designat, quæ ætas nondum est ad procreationem matura.*

Hæc Genebrardus, qui verè ait hunc sensum esse Rabbinicum; Quare tam cupidè à Prædicantibus arripitur, vt proinde non tantùm sit Rabbinicus, sed & Prædicanticus; præsertim si addantur glossæ istæ Iunianæ: *Pueri bene instituti sunt optimum patrisfamilias instrumentum, sicut sagittæ tersæ sunt apta instrumenta militi.*

Locus quadragesimus tertius. Psal. 128. v. 3. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores; prolongauerunt iniquitatem suam. In Hebræo est: Supra dorsum meum arabant arantes, longos ducebant sulcos suos.* At ex vtraque versione idem sensus exsistit; significatur enim vtraque locutione & hostium crudelitas, & calamitatum magnitudo, vt rectè notat Iansenius. Et cur quod Hebraicè similitudine arationis & sulcorum indicatur, non potuissent 70. Interpretes similitudine fabrorum malleis suis incudem tundentium explicare; cum idem sensus vtrique similitudini subiiciatur, nemoque tam imperitus sit, qui nesciat diuersis similitudinibus eandem sententiam exprimi posse?

Locus quadragesimus quartus Psal. 134. v. 13. *Quia indicabit Dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur. Respondeat Bellarminus, quid sibi velit Latina translatio his verbis? in seruis suis deprecabitur.*

Hoc sibi vult: Erga seruos suos se facilem & exorabilem præbebit, sinens se ab eis, cum affliguntur, facilè exorari. Quod D. Hieronymus significauit hac sua versione: *Et in seruos suos erit placabilis.* Idem vult illa ex Hebræo translatio, quam Prædicans adfert. *Seruorum suorum miserebitur.* Nec est, quod Hunnius nasum contrahat ad vocem *deprecabitur*, passiuè sumptam; quia multa huius generis apud veteres occurrunt, vt suo loco planum faciemus, quando solœcismos & barbarismos Hunnianos ad examen reuocabimus.

Locus quadragesimus quintus. Psal. 138. v. 11. *Forsitan tenebræ conculcabunt me. In Hebræo, operient. Mutatur sensus, per verbum conculcabunt.*

Mentitur Prædicans; nam quod conculcatur, id ab oculis subducitur: nō enim videtur, quod pes calcando premit; quia tegit.

Locus quadragesimus sextus. ibid. v. 14. *Confitebor tibi; quia terribiliter magnificatus es. In Hebræo* נפליתי *magnificatus sum. Mutata persona, sensus alius inducitur.*

Iterum mentitur Prædicans; quia idem est sensus: Alloquens enim Deum ait: *Magnificatus es*, in mea scilicet formatione. Magnus effectus es, & mirabilis in mei opificio & structura. Hebræus textus. *Magnificatus & mirificatus sum; scilicet ex te; qui magnificus es, ac mirificus. Mirificè factus sum; sed à te mirifico.* Itaque prima etiam persona id significat, quod secunda; nempe mirabilem & magnificam creatoris maiestatem ac potentiam.

Locus quadragesimus septimus. ibid. v. 17. *Mihi autem nimis honorificati sunt, amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Ex Hebræo vertendum est; Et mihi quam preciosæ sunt cogitationes tuæ, Deus! quàm inualuit earum summa! dinumerabo eas, & præ arena multiplicabuntur.*

Vt nebulæ istæ Prædicanticæ disiiciantur, adscribere placet huius loci explicationem ex doctissimo Psalmorum Interprete Genebrardo. Mihi autem nimis honorati. *Altera pars Psalmi, docet, præsertim ergà amicos Dei, vigere ipsius prouidentiam. Hoc enim est epithetum piorum.* Mihi: *Datiuus emphaticus, apud me, vt sentio, vt video. Theodoretus, in Psal. 118. ver. 63. passiuè exponit.* A me; *honorantur autem à me valdè amici tui sancti; ô Domine, eos magnifacio, colo, honoribus afficio.* Honorificati; *preciosi propriè*, יקרו iakeru. *In precio, & honore mihi sunt valdè amici tui, ô Deus. Eos copiosè, studioseq; colo, & veneror. Hinc Hieremias Constantinopolitanus sanctos honorandos colligit in suo primo ad protestantes responso cap. 15.* Amici; *rectè, vt docui: & si recentiores*, cogitatus, *interpretentur. Adde; sequi mox*

anti-

antithesin de D E I *inimicis.* Principatus; *excellentia, & dignitas eorum; quàm est potens, & fortis, vel multiplex, quantum inualuit? sic & Chaldaus:* Mihi quam honorati, & celebres sunt, qui amant te iusti, Deus: & quàm validi sunt principatus eorum. *Hebraicè,* ראשיהם rhaschehem *id est,* capita eorum. *Quoniam autem* ראש rhosch, *siue* caput *metaphoricè significat cacumen cuiuslibet rei, principem, siue principatum pracipuum, summum, ideo recentiores, vt tantum dissentiant à maioribus, pro vltimo sumunt.*

Ex his facilè erit refellere insulsas Prædicantis obiectiones. I. *Nulla est connexio cum antecedentibus secundum Latinam versionem. Quomodo enim cohærent ista? cum modò dixisset, quo modo sit formatus à* D E O *in vtero, & cuncti ipsius dies, velut in libro annotati, vt illicò velut in extasin raptus, incipiat concionari de sanctis?* Optimè cohærent; quia in prima parte Psalmi, *canit Propheta Deum omnia sua, nempe actiones, cogitationes, & locutiones perfectè nosse; quod quidem colligit, tum ex eo, quòd ipsum Deus totum intus, & foris fecerit, tum ex eo, quod vbiq; præsens adsit. Deinde verò ob hanc Dei vbiq; præsentis, omniaq; potentis omni scientiam, Dei amicos se colere, & contra, Dei inimicos se detestari asserit, offerens se ex bonæ conscientiæ testimonio probationi omnia cognoscentis Dei. Itaq; quæ de scientia Dei canit in principio Psalmi, vult ostendere esse caussam sui ergà iustos boni affectus, in impios verò odij:* vt rectè docet Iansenius.

Addit Prædicans; *Et quomodo, quæ de numeratione habet Propheta, huc quadrabunt? Neq; enim cum hunc Psalmum componeret, cogitauit quidquam de numerandis sanctis.* Neque etiam cogitauit de numerandis Dei cogitationibus; quia sciebat eas esse innumeras; Quid ergo volunt sibi illa? *Dinumerabo eos,*&c. Hoc nimirum, si amicos tuos numerare velim; non potero, quia multiplicati sunt plusquam arenæ maris. Et, vt loquitur Prædicans, si numerare tentem amicos tuos, & singulos nominatim persequi, viderer arenas Libycas dinumerare velle; adeo multiplicati sunt.

Subiungit Prædicans: *Etiamsi Latina versio esset authentica, inde tamen inuocatio sanctorum extrui non posset; eò quòd Dauid neq; hic, neque alibi sanctos inuocat, nec inuocandos docet.* At docet hic Dauid, sanctos esse honorandos; ergò & inuocandos, quia inuocatio, est quædam cultus species.

Locus quadragesimus octauus ibid. v. 20. *Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate ciuitates suas. Obsecro te, Bellarmine, vt te Oedipum præstes in hoc enodando ænigmate. Fateor enim, me, quid velit translator Latinus, ignorare penitus; & credo ipsummet ignorasse, ac etiamnum ignorare vniuersos Pontificios.*

En vanissimi Prædicantis iactantiam; à quo sensum huius loci nec capi, nec intelligi, libenter credo. Num ideo omnes alij rudes sunt; quia rudis Hunnius ita thrasonicè rudit? Audi

A Prædicans Genebrardum; vt alios taceam, & considera, an non mentitus fueris, quando dixisti; locum hunc, neque ab ipso interprete, neque ab vllo Pontificio intellectum esse. Genebrardus ergo primum verba Hebræa verbatim sic exprimit Latinè: *Qui, vel quia dicunt tibi in maligna cogitatione:* Acceperunt in vanum ciuitates suas, ô Deus. *Facessant à me homines sanguinarij, qui sibi dicunt in suis malignis cogitationibus: accipient, (amici sui) in vanum ciuitates suas, id est, quas eis dederis; qui obtrectant tuis ergà probos beneficiis; ac aiunt, te bona in eos frustra conferre, quòd eos ecisuri sint, & ab illis eos disturbaturi. Et planius; cum* L X X. *continuata apostrophe: Viri sanguinum facessite à me, quia malignè cogitatis, & apud vos dicitis*

B *hoc, quod sequitur: accipient quidem illi (pij) ciuitates suas, quas eis Dominus dederit; at in vanitate, vanè, frustra, quod illas eis simus erepturi; quod eos simus necaturi: quasi Dei ergà suos prouidentiam, & beneuolentiam possitis interuertere.* suas; eius, Dei. *In aliquibus exemplaribus, est* tuas. *Sic Græcè,* σοῦ. *Est idem sensus. Frustra ciuitates suas consequentur, frustra eas recipient, frustra restituentur. Nam eos inde excutiemus, & deturbabimus. Vel; frustra, ô Domine; in tuas ciuitates eos restitues. Nam illas eis eripiemus. Vox impiorum* D E O *cum gigantibus bellantium.*

Dicet Prædicans, *Locum esse malè versum:* Hoc iam non quæritur; sed istud; vtrum versionis nostræ possit aliquis commodus sensus reddi;

C & num ab vllo Pontificio intelligatur. Posse, iam ostendimus; vt & illud; à Pontificiis versionem istam intelligi. Secundò, quomodo vis, vt locus iste vertatur? *Hieronymus,* inquis, *reddit; qui contradicunt tibi sceleratè, eleuati sunt frustra aduersarij tui.* Cum hic probes versionem D. Hieronymi, cur non probasti etiam illam versiculi antegressi? *Mihi autem, quàm honorabiles facti sunt amici tui.* Deinde, si cupis vt à vulgata editione hoc loco discedamus; dic, quam debeamus amplecti. Num illam, quæ abs te ex S. H I E R O N Y M O allata est? At alij aliter vertunt, & hic quoque miserandum in modum inter se variant & discrepant; vt fungum esse oporteat, qui dimissa certa, & tot sæcu-

D lorum calculo comprobata Interpretatione, nouas istas, easque incertissimas sequi velit; præsertim cum nitantur ferè Rabbinicis & Massoreticis commentis.

Locus quadragesimus nonus. Psal. 150. *Laudate Dominum in sanctis eius: Hinc Asini Romanenses,* inquit Asinius Prædicans, *inuocationem sanctorum moliti sunt adstruere.* Nemo Catholicorum attulit hoc argumentum, tanquam demonstratiuum & necessarium; sed vt verisimile ac topicum; cui per sua conuicia calumniatores isti probabilitatem nunquam detrahent; vt nec per suas nouas versiones; siue reddant; *in sancto suo,* siue, *in sanctuario eius.* Siue cum Iunio. *Laudate Deum fortem de sanctitate eius,* siue, *in sancti-*

Digitized by Google

tate eius. Imò neque profanam Castalionis translationem adeo nostræ aduersam puto, vt nobis non itidem probabile argumentum pro cultu sanctorum suppeditare queat. *Laudate Deum in sanctis suis.* Hactenus de locis Psalterij aduersus Prædicantium inscitiam ac impudentiam.

CAPVT XIV.

Defenduntur loca, quæ Hæretici aiunt esse corrupta in editione Latina noui testamenti.

PRIMVS locus est Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores. Mutilata est,* inquit Kemnitius, *pulcherrima sententia. nam deest in Latino, ad pœnitentiam.*

Respondet Bellarminus, primò, in quibusdam Latinis inueniri istam particulam. Oggannit Hunnius. *Hoc, an verè dicat; non moramur.* Credo: quia nec veritatem moraris. Nam verè hoc à Bellarmino asseri, testantur Louanienses; qui in nonnullis Latinis codicibus eam inuenerunt. Obiicit VVitackerus: *non inueniri hanc particulam in illis libris, quibus nos tanquam emendatissimis vtamur, neq; in Missalibus recens recognitis.* Quid tum? An ideo falsum, quod ait Bellarminus, hanc sententiam exstare in quibusdam Latinis exemplaribus?

Secundò respondet Bellarminus, verisimilius esse illam particulam in Græco esse superfluam, & in emendatis codicibus non fuisse. Quod probat auctoritate D. Hieronymi qui in Commentario eius loci, eam non legit, cum tamen diligenter contulerit Græcum cum Latino, & ex Græco Latinum correxerit. Adde Bezæ testimonium; qui hæc in duobus vetustis exemplaribus defuisse scribit. Respondet VVitackerus, *Chrysostomum legisse, item Theophylactum; & Robertum Stephanum in plurimis exemplaribus fuis eandem reperisse.* Hæc nec nescit nec negat Bellarminus. Tantum quæritur; quæ exemplaria sint emendatiora? Illáne, quæ vocibus illis carent, an quæ nō carent? Nam esto, Chrysostomus & hunc secutus Theophylactus legerint. At D. Hieronymus & alij non legerunt. Cur ergo carpitur editio nostra tam antiqua, quasi truncata & mutila? Præsertim cum duæ illæ voculæ; *ad pœnitentiam*; ne in Syriaca quidem editione compareant, illa, inquam, cuius editor ac Interpres Caluinianus Tremmelius; Scholiastes verò Iunius?

Hunnius hic more suo magnificè ac thrasonicè inuehitur. Quæro, inquit, *quæ possit esse tam grauis, tamque iusta caussa, vt omnes Bellarmino Codices Græci cogantur mentiri?* Ne vnus quidem Bellarmino, aut à Bellarmino cogitur mentiri. Quid mentiris Prædicans? Nihil Bellarminus de mendacio Codicum, sed vtri sint emendatiores: Nostri Latini; an Græci. Et quamuis, vt Prædicans loquitur, *Codices Græci*, repræsentantes illas voculas: *ad pœnitentiam; mentirentur;* non tamen omnes mentirentur; quia nec est, nec fuit in omnibus. Prioris testem do tibi Bezam. Posterioris D. Hieronymum; & editionem Syriacam. At, inquit Prædicans, *Hieronymum secutum esse versionem vulgatam, quamuis mutilatam.* Sed Prædicans, more suo, ait tantum; nec quidquam rationibus ostendit. Nam si D. Hieronymus textum S. Matthæi hoc loco mutilum deprehendisset, vtique ex Græcis codicibus suppleuisset, quando nouum testamentum ad fidem Græcorum Codicum emendauit; aut defectum saltem in Commentario indicasset; at nihil horum fecit; signum igitur est, D. Hieronymum hunc locum pro sano & integro habuisse, neque aliter in Græcis codicibus scriptum reperisse, quàm exstabat in vulgata Latina: neque enim defectus iste dissimulandus fuisset, sicut alia quædam D. Hieronymus ad loquendi modos attinentia dissimulauit, & consuetudini inueteratæ concessit.

Arctius constringemus hominem, clamat Prædicans, *vt nusquam elabendi rima pateat.* Væ tibi Bellarmine. Captus es, absque spe effugiendi. Vinculis ferreis constrictus teneris. Quo te vertes? En vincula quibus te insolubiliter ligat Prędicans. Particulæ illæ; *ad pœnitentiam: Exstant Marci 2. & Lucæ 5. ergo etiam exstare debent apud S. Matthæum; cum omnes eandem omnino Christi sententiam recitent.* Habes adamantinam catenam, qua Prædicans Bellarminum ligat: quia fieri nō potest, vt vnus Euangelista aliquid commemoret, quod ab alio sit omissum. Quanquam si de Latinis codicibus agatur; mentitur Prædicans, cum ait, apud S. Marcum exstare illa verba; *ad pœnitentiam.* Nam codices vulgatæ editionis iis carent, & duo etiam ex antiquis exemplaribus, Græcis, opinor, teste Beza in caput secundum Marci. Et Syriaca editio Tremmelij. Et ad hunc Marci locum hanc annotationem adiecit Erasmus. *Græci addunt; εἰς μετάνοιαν, ad pœnitentiam. Quanquam id suspicor adiectum à quopiam. Nam nec in antiquissimis codicibus nostris reperitur, nec in Constantiensi, nec in meo vetustæ typographiæ: Etiamsi apud Theophylactum additum est.*

Instat Prædicans: *Si voculæ, ad pœnitentiam; superfluæ sunt apud Matthæum, erunt etiam superfluæ apud Marcum & Lucam.* De Marco, esto, de Luca nego. Nam Lucas adiecit; quare non superfluunt. Adiecisse, colligimus ex consensu omnium Codicum Græcorum & Latinorum, & ex Syriaco itidem textu Tremmelianæ editionis. Apud Marcum & Matthæum superflua

sunt

sunt illa verba; quia ab ipsis Euangelistis non sunt profecta; superflua non essent; si à mente, manu & calamo eorum essent.

Obiicit Prædicans: *hac ratione etiam alia loca, tanquam superflua, argui posse; nominatim vbi dicitur; Ioannem baptizasse ad pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Sed blatero Hunnius tantum blaterat; quid & quomodo, nihil pensi habet: nam cur hæc verba censeantur superflua, caussæ nihil suppetit; cum in omnibus omnino Græcis Latinisque codicibus tam priscis, quàm nouis absque vlla controuersia exstent. Simili ferè modo delirat VVitackerus; qui contendit, voces istas: *ad pœnitentiam: requiri ad sensum apud S. Matthæum;* Et probat; *quia apud S. Lucam requiruntur ad sensum.* Stupidè prorsus. Non enim simpliciter requiruntur ad sensum apud S. Lucam, sed quia S. Lucas ea adiecit; si non adiecisset, tam non requirerentur ad sensum; quàm non requiruntur apud S. Matthæum; Nam quando Christus ait; *se non venisse vocare iustos;* Sed peccatores; vtique omnes syllabæ clamant, vocationem illam aliò non spectare, quàm ad pœnitentiam; neque enim aliò vocare solebat Christus Dominus peccatores, quàm ad meliorem frugem.

Secundus locus est Ioannis 14. *Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. Hunc locum vult Kemnitius esse deprauatum, ad probandum, quæcunque in Conciliis definiuntur, accipienda esse pro oraculis Spiritus sancti. nam in Græco non est*, dixero, sed, dixi, *εἶπον ὑμῖν.*

Respondet Bellarminus. I. Augustinum & alios veteres sic legere, vt nos legimus. Obiicit Hunnius, *non notari à Bellarmino, vbi D. Augustinus sic legat.* Atqui si Prædicans inspexisset Tract. 77. D. Augustini in Euangelium S. Ioannis, iam reperisset locum; Et quis, præter hunc, tam tardus est ac bardus, qui quando audit, S. Augustinum nostram lectionem secutum esse; non statim ipse cogitet, hoc num ita sit, in disputationibus S. Augustini super cap. 14. Ioannis quærendum esse. Ait Prædicans; *etiam si Augustinus legerit; Dixero, nos eius auctoritate non tenemur.* Hoc scilicet restabat, vt Prædicans impudentiam suam non modo in Bellarminum, sed & in ipsum S. Augustinum eructaret. Equidem hunc morem habet iste Præco; vt patrum videri velit obseruantissimus; quamdiu aut dicunt, aut dicere videntur, quod auditu gratum est: Sed simul atque stylum vertunt, tum Prædicans in has vel similes voces erumpit: *Tu tuas res tibi habe, conditione tua non vtor. Augustinum, Bedam, alios, nihil moror.*

Secundò respondet Bellarminus, esse eundem sensum cum Græco. Obiicit Hunnius; *Græcum verbum εἶπον esse Aoristi secundi; alterum; dixero, futuri, ac proinde non esse eundem sensum. hocq; vel pueris constare.* Si est Aoristi temporis; non igitur certam complectitur temporis differentiam; ergo & hanc & illam significare potest. Ergo & futurum. Idem ergo sensus est. Et eundem esse, sic probat Bellarminus; quia *non intelligimus Dominum dixisse; Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæ tunc dixero vobis; sed, quæ nunc dixero, id est, ea, quæ nunc à me audistis, & non intelligitis, tunc Spiritus sanctus in memoriam vobis reuocabit, & explicabit.*

Occurrit VVitackerus: *Christus non ait: Spiritus sanctus vobis suggeret, quæ nunc dixero vobis, sed quæ iam antè dixi vobis. Nam ἃ εἶπον, non significat, quæ nunc dixero, sed quæ prius à me dicta sunt.*

Itaque ex sententia VVitackeri, Spiritus sanctus tantum ea, quæ Christus Dominus ante illud tempus Apostolis dixerat, suggesturus erat; non illa, quæ postea cum eis, etiam post resurrectionẽ, locutus est; vsque dum in cælos ascenderet; Et tamen certum est Christum, tempore illo, inter resurrectionem & ascensionem varia cum discipulis tractasse: nam vt D. Lucas Act. 1. testatur, *præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Quis dicat; Christum non promisisse Apostolis, fore, vt illa etiam ipsis in memoriam reuocaret, quæ cum ipsis post hæc vsque ad passionem suam egit: & post passionẽ vsque ad Ascensionem acturus erat? Nam vt iam antea contra VVitackerum scripsit Sacroboscus noster, post versum vigesimum sextum capitis decimi quarti, vbi Christus hæc de paracleto discipulis promisit, multa sequuntur Apostolis à Christo dicta, quæ prius non dixerat illis; quarè falsum est Christum *prius omnia dixisse.* Cum autem post Christi discessum Apostoli indigerent Spiritu sancto ad reuocandum illis in memoriam (vsurpo verba Sacrobosci) & explicandum, tam quæ toto tempore intermedio vsque ad ascensionem, erat dicturus: quàm, quæ prius iam erant dicta, intellexit interpres promissionem fuisse generalem: & explicauit optimè, per verbum (dixero,) vt sensus sit: Apostoli mei, multa iam vobis dixi; & longam ad vos nunc habiturus sum orationem (hæc terminatur ad caput 18.) non dubito, quin vobis facilè subeat, fore, vt propter labilem memoriam, multa eorum sitis obliuioni tradituri, multoque plura propter rerum sublimitatem, minus benè penetraturi. Verùm non vos hæc habeant molestè: nam, me absente, habebitis aliũ doctorem, qui vobis, quæcunque à me audiueritis, suggeret iterum, & explicabit. Hæc Sacroboscus, & rectè.

Addo; cum Codices Latini constanter habeant, & ab antiquissimis temporibus habuerint, *Quæcunq; dixero vobis*: probabile sit, nostrum Interpretem suis in exemplaribus non reperisse *ἃ εἶπον*, sed *ἃ ἂν εἴπω*, non enim sine caussa tantus est in Latinorum exemplarium consensus. Quidquid sit de hoc, verè dixit Bellarminus,

Orthodoxos non constituere fundamentum Conciliorum in hoc Diui Ioannis loco, etsi argumentum Topicum, & verisimile inde peti posse, nemo Catholicorum abnuat: siue legamus; *quacunq; dixero*: siue, *quacunq; dixi*.

Tertius locus est. Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei. Hunc locum reprehendit Caluinus, tanquam malè redditum. tùm, quia in Græco est ὁρισθέντος, id est, declarati, siue manifestati. tum, quia illa prædestinantur; quæ non sunt: Christus autem semper fuit filius Dei.*

Respondet Bellarminus, interpretem nostrum optimè reddidisse. Nam etsi verbum illud Grçcum ὁρίζειν significet finire: & apud profanos auctores accipiatur sæpe, pro, *declarare*; tamen in scriptura aliter accipitur. Vt enim docet B. Dionysius lib. de diuin. nominibus cap. 5. hoc verbum est proprium Theologiæ, id est, habet in scriptura peculiarem significationem. nam vbique significat *statuere, decernere, definire*, nunquam autem, *declarare*. quod nonnullis exemplis Bellarminus ostendit.

Obiicit VVitackerus verbum ὁρίζειν, *hoc ipso loco nihil aliud significare, quàm declarare, demonstrare, indicare*; idque probat ex Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto. *Falsissimum ergo esse constat*, inquit VVitackerus, *quod Bellarminus tam confidenter dixit*. Quis non rideat VVitackerum, quando aduersus Bellarminum disputans, eum ipsum locum pro probatione sua & refutatione Bellarmini adducit, de quo tota est controuersia? Negat Bellarminus ὁρίζειν, hic idem esse; quòd declarare vel patefacere. Tu affirmas. Quid efficis? Nam quod auctoritate Chrysostomi & aliorum, te munire conaris, frustra es. pro Bellarmino stant alij patres, his quos adfers, nihilo inferiores; & præterea ipsa scripturæ phrasis, & verbi huius vsus. Nam, quod VVitackerus ait, *verè dici posse ὁρίζειν, numquam in scripturis, aut alibi, significare idem quod prædestinare*; id mendaciis per me licet, adscribatur: in omnibus enim locis à Bellarmino citatis, idem est ὁρίζειν *finire, definire, destinare*: quod *prædefinire, prædestinare*; Cum enim definitio & destinatio Dei sit æterna; omnia antecedit; si omnia antecedit; sequitur, omnem Dei definitionem & destinationem esse prædefinitionem seu prædestinationem; & omnem ὁρισμὸν, προορισμὸν, & omne ὁρίζειν, προορίζειν.

Tertullianus lib. contra Praxean legit, *definitus*. Ait Bellarminus, idem esse, quod *Prædestinatus*. Occinit VVitackerus; *hoc non dubitem ad doctorum hominum vniuersum senatum referre*. Referas, & causa cades; si verè sit doctorum, non semidoctorum Senatus: Nam definitio Dei; est prædefinitio, cum omnia antegrediatur, quippe æterna; si est prædefinitio, ergo & prædestinatio. Si definitus est prædefinitus; ergo & prædestinatus, quia prædestinatus & prædefinitus idem valent.

Quid hic Iunius? Nugas. *Aliud est*, inquit, ὁρίζειν, *definire, determinare, destinare; aliud* προορίζειν, *præfinire, prædestinare: nec aliter probat, quàm quia alterum est verbum simplex, alterum compositum*; quasi inauditum sit, vt verbum simplex & compositum eandem significationem habeant; vt *nosco, cognosco: gemino, congemino, duplico, conduplico, transeo, pertranseo*: quid mirum igitur si ὁρίζω quoque & προορίζω dicta de Deo eiusdem sint significationis; cum in Deo omnis ὁρισμὸς sit ab æterno; Quo fit vt dici debeat προορισμὸς, *præfinitio*, seu *prædestinatio*, cum omnia antecedat.

B Ait Iunius, verbum ὁρίζειν idem esse, quod *declarare & aperire* Act. 17. v. 26. ὁρίσας προστεταγμένους καιρούς; Sed aut mentitur, si hoc contra mentem asserit; aut turpiter fallitur, si ex imperitia hoc affirmat; nam ὁρίζειν eo loco simpliciter nihil aliud est, quam præfiuire & determinare; vnde & Erasmus vertit: *præfiniitq; præstituta tempora*: Noster, *definiens statuta tempora*. Beza, *definitis temporum opportunitatibus*. Cum autem hæc temporum definitio & determinatio exstiterit ab æterno, sequitur eam nihil aliud esse, quàm præfinitionem, prædeterminationem & prædestinationem.

Ait Iunius: *Verbo* ὁρίζειν *ad Rom. cap. 1. non posse competere, nisi declarandi, & manifestandi significationem: Christus enim non est prædestinatus filius Dei secundum eam rationem, quam dicit Apostolus, nempe potentiâ secundum spiritum sanctitatis, ex resurrectione, vel per resurrectionem ex mortuis; sed nobis, & respectu nostri determinatus, & definitus est filius Dei.* ἀποδεδειγμένος *(vt dicitur Act. 2. v. 22.) demonstratus, definitus, & probatus à Deo.*

Sed Iunius neque quid dicat aut scribat intelligere videtur. Nam quæstio est; quomodo Christus seu filius Dei prædestinatus sit filius Dei; cum fuerit ab æterno filius Dei, non per prædestinationem, sed per generationem. Varij varia commentantur; sed res plana est ac perspicua, si quis potius ad verba & sensa Apostoli, quàm ad aliorum dicta mentem aduertere velit. Perpendamus Apostoli verba. *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei*; non absolutè, sed vt in humana natura subsistens; *in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.* vt veniens in mundum ad redimendum genus humanum, veniret cum virtute, & secundum spiritum sanctificationis, & ad resurrectionem mortuorū; id est, exerceret diuinam suam potentiam, edendo plurima, & insolita miracula; quibus, se Deum ostenderet; & homines, ad veram Dei fidem, & cultum adduceret. Præterea, dando spiritum sancti-

sanctificationis, remittendo peccata, & sanctificando animas; nec solùm inuisibiliter, sed etiam visibiliter, & manifestis signis, vt factum est in die Pentecostes, & aliâs sæpenumero in primitiua Ecclesia. Ac demum, *ex resurrectione mortuorum*, per se ipsum, & sua virtute à mortuis resurgendo, & alios suscitando à mortuis, vel per seipsum, vel per discipulos. Quin etiam confirmando fidem, & spem futuræ vniuersalis resurrectionis mortuorum, & beatissimi status electorum, in quo sanctitas & felicitas eorum, omni ex parte perfecta erit.

Itaque tantùm abest, vt ad istam mirabilium operum effectionem non possit filius Dei dici prædestinatus; (quod Iunius somniat) vt multi grauesque Doctores putauerint, verbum *prædestinandi* non referri ad id, quod proximè sequitur, nempe ad filiũ Dei, sed ad id, quod posterius sequitur: *In virtute secundum spiritum sanctificationis, &c.* cum enim filius Dei hæc miracula aliquando partim per se, partim per discipulos suos ex æterno Dei decreto effecturus esset; rectè ad eadem opera prædestinatus dici potuit. quãquam, mea sententia, rectius faciunt, qui vocem *prædestinatus*, ad ipsum filium Dei referunt, prout orationis Paulinæ series necessariò exposcere videtur; nam filius Dei verè prædestinatus est, vt in humana natura subsistens; sit filius Dei; hoc enim non habet per æternam generationem, sed per decretum Dei; quod nihil est aliud, quàm prædestinatio.

Ait Bellarminus: Etiam Irenæum legisse; *prædestinatus* est; & Concilium Tolet. XI. cap. 1. eodem modo legisse, & exposuisse. Obiicit Iunius: *Irenæum scripsisse Græcè.* At hoc nondum ita liquet, vt nullus amplius dubitandi locus supersit. Secundò, etiamsi Græcè scripsisset; tamen Interpres eius est antiquissimus; ita vt auctoritas eius iure aliis testibus accenseri queat. In Concilio Toletano negat Iunius hũc locum vnquam vel vsquã adduci. Et vt videamus, quàm verè hoc dicat Iunius, ipsemet seipsum è vestigio refellit ac mendacij coarguit: Citat enim hæc Concilij Toletani verba: *Per hoc, quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantùm (nam neq; factus, neq; prædestinatus accipitur) per hoc tamen quòd de virgine* MARIA *natus est, & natus, & factus, & prædestinatus esse credendus est.*

Non iniuriâ dubites, num Iunius vigilauerit an somniauerit, quando hæc ex Concilio Toletano recitauit. An non Concilium disertè asserit, Christum secundum carnem, & vt ex Deipara Virgine natus est, vocari *natum, factum & prædestinatum?* Vnde hoc accepit Concilium Toletanum, nisi ex capite primo epistolæ ad Romanos. Verum igitur est, quod Bellarminus dicit; Concilium Toletanum non modò legisse, sicut nos legimus; sed & sic exposuisse.

Obiicit Hunnius; in Græco textu non esse προορισθέντος; sed ὁρισθέντος; *Quocirca non posse verti; prædestinatus.* Sed nugatur tantùm; quia *destinare*

A & *prædestinare*, respectu ordinationis diuinæ idem sunt; cum rebus destinatis priora sint. Taceo, Græcorum nonnullos legisse προορισθέντος, vt patet ex sancto Epiphanio Hær. 54. sub finem: *Certum est*, inquit Prædicans, *prædestinari ea, quæ nondum sunt vt aliquando sint.* Esto. Etiam filius Dei prædestinatus est vt esset filius Dei in natura humana subsistens, quia aliquando non fuit filius Dei in humana natura subsistens; potuit igitur ad hunc modum prædestinari, vt esset filius Dei. Quod non diffitetur Prædicans; & tamen à lingua sua obtinere nequit, vt sileat.

Citat Bellarminus illud Actor. 2. ὡρισμένῃ βουλῇ, *definito consilio*; aitque; certum esse, non significare
B declarationem, sed diuinam ordinationem. Vbi Hunnius: *Quisque intelligit absurdè verti*; prædestinato consilio: *consilium enim Dei fuit ab æterno, & est potius id, quod prædestinat, quàm quod prædestinatur.* At Prædicans saltat extra oleas; quæstio enim est, num in illo Actuum loco; ὁρίζειν sit *declarare*; & ὁρίζεσθαι *declarari.* Negat Bellarminus, & rectè, Prædicans hoc dissimulat; & num verbum illud per latinum, *prædestinari*, reddere liceat, quærit; quasi in hoc controuersia sita sit. Quanquam quid vetat, illud ὡρισμένῃ βουλῇ, vertere, *prædestinato consilio*: id est; prius ordinato, prius decreto, priusque destinato. *At consilium potius est id quod prædestinat, quàm quod prædestinatur*, inquit Prædicans. Imò vtrunque est; diuerso respectu; quatenus enim
C firmum certumque est ab æterno; prædestinatum, hoc est; quasi antè, vel prius fixum ac statutum est. Quatenus verò est de hoc vel illo obiecto; *prædestinans* est.

Citat Bellarminus etiam illud Rom. 8. *Quos prædestinauit*; προώρισε; aitque, ne aduersariorum quidem iudicio, *declarationem* significare. Obiicit Hunnius: *Hic non esse verbum simplex* ὁρίζειν, *sed compositum* προορίζειν, *ac proinde nihil ad rem facere.* At si ὁρίζειν, vt isti volunt, Rom. 1. est *declarare*, cur non & προορίζειν sit declarare, vel, si lubet, *prædeclarare?* Quis autem vnquam audiuit προορισμὸν esse *prædeclarationem*, & προορίζειν *prædeclarare?*

D Quartus locus est Rom. 1. in fine capitis, vbi habemus: *Qui, cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerũt; quoniam, qui talia agunt digni sunt morte, non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Hunc locum nõ solum Kemnicius, sed etiam Valla, Erasmus, Iacobus Faber, & alij, corruptum esse volunt.

Respondet Bellarminus, nostram lectionem omninò esse meliorem. Nam secundum Græcam, sensus est, peius esse consentire malè agenti, quàm malum agere. Secundum Latinam; sensus est contrarius; peius esse, malè agere, quàm consentire malè agentibus. At certè absolutè peius est malè agere, quàm consentire malè agenti.

Hic considera Prædicantium mutuam pugnam. VVitackerus concedit verum esse, quod Bellarminus ex Græco textu elicit. *Improbis συνευδοκεῖν*, inquit Caluinista, *vnum est ex grauissimis peccatis, quæ non nisi in perditißimos homines cadunt. Peccare per se impium est, pœnaque sempiterna dignum: quantumuis id fiat conscientia reclamante. At peccata, & sua, & aliorum approbare, ac defendere, eaq; rectè facta iudicare, iisque animo, & iudicio applaudere, & peccatis delectari, hoc est, συνευδοκεῖν, vt Apostolus loquitur, summum penè peccati cumulum habet.*

Hæc VVitackerus Caluinista. Nũc audi alium Caluinistam, Iunium scilicet. Falsum est, (quod Bellarminus ex Græco textu colligit; quodque VVitackerus ex eodem textu verissimè colligi palàm confitetur) *nam copulantur Græca lectione hæc duo crimina, ad exaggerationem: malefacere, & malefacientibus acclamare; non autem comparantur oppositè, vt rectè monet OEcumenius. Latina ergò in vitio est. Deinde, etiamsi opponas, plus est, malè agentes sermone confirmare, & malefactis eorum applaudere, quàm si malè ipse dũtaxat egeris: quod tubicinis exemplo fabulæ affirmarunt.*

Audi & Lutheranũ Prædicantem Hunnium: *Non est sensus, quem aduersarius Græco textui affingit; ac, si dicat Græcus textus; non solum faciunt eadem, sed (quod peius est) assentiuntur etiam iis, qui talia faciunt. Sed hæc est mens: non contenti sunt, vt ipsimet flagitia perpetrent, sed hanc suam impietatem noua accessione adaugent, & aggrauant, dum aliorum etiam peccata probant, suaq; assensione, se illorum participes reddunt.*

C Verum enim verò ex Græca lectione verè colligi sensum illum, quem colligi dixit Bellarminus, patet, si quis Græca verba oculo sincero, nõ Hunniano aut Iuniano inspiciat: ait enim: οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν; non solùm scelera illa perpetrant; ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι, sed & scelera illa perpetrantibus assentiuntur. An non communi loquentium consuetudine, si quis ita loquatur, posterius membrum pro grauiore habet, quàm prius? si dicam; non solum scortantur, sed & mœchantur: non solum furantur, sed & latrocinantur; an non significo grauius scelus esse adulterium & latrocinium, quam scortationem & furtum? An nõ Græcus textus similem locutionem, & ex consequenti, similem sensum continet? D Quod VVitackerus ait, συνευδοκεῖν peccantibus; esse grauissimum scelus; id forsan verum esset, si συνευδοκεῖν significaret id, quod VVitackerus significare cupit; nempe imperium mala faciendi vel incitationem ad malum; sed quia συνευδοκεῖν ex vi verbi nil aliud significat, quàm simplicem consensum in commissum scelus, vel simplicem comprobationem eius, ideo difficile erit, vt VVitackerus commentum suum nobis persuadeat.

Obiicit Iunius: *Nimis eleuari significationem verbi συνευδοκεῖν, cum per consentire simpliciter exponitur.* At certè tantum non eleuatur à nobis, quantum, præter meritum, ab istis exaggeratur: Nam vt nil non moliantur, nunquam tamen ostendent, verbum A συνευδοκεῖν plus significare, quàm consensum in alterius peccatum. Hinc & Erasmus, Nouator alioqui satis magnus, & nostro Interpreti parum æquus, τὸ συνευδοκεῖν per verbum *assentiendi* expressit, vt & Castalio; Et quamuis Beza olim vertisset; *Qui patrocinantur*, in editione tamen coniuncta cum Tremeliana versione ex Syriaco & Hanouiæ 1603. excusa, sic reddidit: *Sed etiam facientibus consentiunt vltrò.* Neque repugnat Etymo vocis hæc notio, vt putat Iunius; neque OEcumenius aduersatur; qui συνευδοκεῖν explicat εἰς τὸ ἴσον παρακαλεῖν τὸν πλησίον. *Proximum ad malum cohortari vel incitare*; nam hæc cohortatio & incitatio etiam per simplicem consensum & approbationem fieri potest; dum enim, qui mala perpe-B trant, animaduertunt, se non cohiberi ab illis, à quibus possent & deberent, audacius & effrenatius in scelera prorumpunt.

Quod Bellarminus dicit, in Græcis itidem esse variam lectionem; id mendacissimo Hunnio mendacium est; quamuis Bellarminus pro se citet Origenis & Chrysostomi cõmentarios, itemque OEcumenium, apud quem mentionem fieri eius Græcæ lectionis, οὐ συνῆκαν, ex qua versio nostra; *non intellexerunt*, expressa est, quamque se in antiquo Codice Græco reperisse Titelmannus refert; fatetur etiam Caluinianus Iunius. Et tamen impudens Hunnius Bellarminum mendacij arguere audet, quòd scripserit; Græcos codices variare; & sic nihil certi inde concludi posse: C præsertim cum antiquissimi Patres Cyprianus, & Commentarius Ambrosij, & alij, lectionem latinam secuti fuerint & explicarint: quod non fecissent; vtpotè Græcè docti; si latinam versionem à Græco textu discordare deprehendissent. Calumnia enim est, quod Hunnius blaterat, *eos vulgata nostra versione fuisse deceptos.* Attamẽ calumniando dat nobis Prædicans aliquid, quod minimè est respuendum, nimirum vulgatam editionem nostram esse antiquissimã; quippe quæ iam tempore sancti Cypriani in vsu Ecclesiæ fuerit. Qua vel sola de caussa, his tam nouellis & ineptis recentium versorum translationibus anteponi debet.

Mendacium de approbata versione Erasmi-D ca à Leone X. Pontifice reponit hic nobis Prædicans. Sed vt centies milliesue reponat, nihil aliud est, quàm Prædicantium figmentum, vt iam alibi dictum simul & ostensum.

Ait Bellarminus; nostram lectionem meliorem esse quàm Græcam. Obiicit VVitackerus *aliter visum esse aliis Papistis*. Citatque Catharinum, qui magis probarit Græcam lectionem, quàm Latinam. Licet verò vni Catharino innumeros Latinos opponere possem, vnicum tamen opponam Toletum; qui in cap. 1. epistolæ ad Romanos ita scribit. Fateor, lectionem Græcam probabilem esse, propter interpretum tantorum auctoritatem. Tamen magis mihi probanda videtur lectio nostra vulgata. Dubium enim non

est, etiam antiqua exemplaria Græca varia fuisse, vt constat ex Origene, & OEcumenio: & aliquibus exemplaribus, quæ nunc habentur. Ratio autem, propter quam mihi vulgata probabilior videtur, hæc est: quia paulò superius hos in reprobum sensum traditos esse dixerat. hæc autem reprobatio mentis, vti explicuimus, cæcitas fuit in iudiciis, non solùm particularibus, sed multis vniuersalibus. Hæc ergò verba, quæ concludunt totam sententiam, valdè consonant, si legamus, eos non intellexisse horum criminum perpetratores, nec consentientes obnoxios esse morti. Putarunt enim crimina hæc manere impunita, & multa eorum crimina non esse, quod ad sensum reprobum pertinet; qui sensus quadrat cum illa sententia: *cùm Deum cognouissent, non vt Deum glorificarunt.*

Vt Bellarminus vulgatam translationem nostram explicet, ait; verba illa; *cum cognouissent*: intelligi debere, de cognitione theorica; illa autem; *non intellexerunt*: de cognitione practica. Itaque sensum esse, cum cognouissent veritatem; affectuum tamē prauorum magnitudine ita fuisse excæcatos, vt non potuerint sibi persuadere, sic esse agendum. *Arguta distinctio*, inquit Iunius: *sed vitrea, vel iudice Batto.* Ridicula cauillatio, & digna morione, vel iudice Batto; cur enim vitrea? *Si*, inquit, *admittenda esset talis distinctio, verbum, cognoscendi, potius ad practicam, quam ad theoricam cognitionem; & verbum, intelligendi, potius ad Theoricam, quàm ad practicam cognitionem referri deberet*, citatque cap. 8. primæ epist. ad Corinth. in quo tamen nihil huius comparet. Addit, *hoc ipsum centies in libro Iob tradi.* At Iunius implicitè centies mentitur, quoties hoc *centies* producit. Quis enim latinæ linguæ tam ignarus est, vt nesciat verbum *intelligendi & cognoscendi* communi notione pro quacunque intellectus actione accipi, & pro subiecta materia & circumstantiis modò pro practica, modò pro speculatiua cognitione poni: nam vt alia loca prætercam; pro cognitione speculatiua vsurpatur verbū cognoscendi 1. Corinth. 13. *Nunc cognosco ex parte, sicut & cognitus sum.* Verbum autem *intelligendi* pro cognitione practica Psal. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Cum ergo hic omnes circumstantiæ clament, verbum, *cognouerunt* ad speculationem; verbum verò *intellexerunt*, ad actionem pertinere; omninò rectè fecit Bellarminus, qui vtrique verbo suam conuenientem significationem attribuit.

Hunnius ipsam distinctionem per se non improbat; sed hoc dolet, quòd adhibita hac distinctione, commodus sensus nostræ translationis reddatur; clamant enim Prædicantes latinæ versioni nullum legitimum sensum subiici posse. Hoc quod Prædicantes prædicant, falsum esse; perspicuè demonstrauit Bellarminus. Quapropter Hunnius in furorem conuersus, vociferatur: *Quæ hæc est argumentandi ratio? Num, quia tu aliquo modo fucare potes corruptelam Latinæ translationis,*

A *& particulam illam superfluam, cum altera textus particula (adhibita quadam distinctiuncula) conciliare, ideo textus Græcus falsus est?*

Hoc non est Bellarmini dictum; sed tuum mēdacium. Non enim ideo nostram lectionem veriorem pronunciat, quàm Græcam, quod aliqua eius tolerabilis explicatio adferri possit, sed alias huius rei caussas attulit; Deinde per distinctionem cognitionis *speculatiuæ & practicæ* nihil aliud demonstrare instituit, quàm mentiri Prædicantes, quando tanta contentione clamant, nostram lectionem non modò textui Græco aduersari; sed & omni probabili & tolerabili sensu destitui.

Affingit Hunnius Bellarmino hoc argumen-

B tum: *Particula, (non intellexerunt) potest cum altera particula (cum cognouissent) conciliari, ne cum ea pugnet: Ergò, falsus est Græcus textus, in quo particula illa (non intellexerunt) desideratur.*

Hoc argumentum ne per somnium quidem Bellarmino in mentem venit. Quid calumniaris Prædicans? Sed sic argumentum Bellarminus instituit. Verbum, *cognouerunt*, explicari potest de cognitione Theorica; illud; *non intellexerunt*; de cognitione practica: ergo falsum est; quod Prædicantes asserunt, id quod in nostro textu habetur, esse falsum, & ab omni verisimili sententia destitutū. Hæc vis est argumenti Bellarminiani. Quocirca nihil moror iam insanos Prædicantis clamores: *Hic tu, Bellarmine, locos Dialecticos omnes*

C *excute, & dispice: ex quo, illud tuum argumentum deductum sit, & edissere nobis, quæso, quæ sit ratio consequentiæ, quis neruus, quod vinculum, aut concludendi medium?*

Hic tu, Prædicans, nihil aliud es, quàm *os*, & quidem *linguatum os*, ne dicam impurum, qui tonas, non in Bellarmini asserta, sed in tua figmenta, grandiloquosque thrasonismos; ex quibus & iste vnus: *Nisi id nobis ostenderis; te diuinam scripturam calumniatum, & autori huius, Spiritui sancto, conuicium fecisse, palàm pronunciamus.* Nisi tu nobis ostenderis, Bellarminum, argumentum, quod tu ei affinxisti, extruxisse; pro eo, qui es, te habebimus; nempe pro conuiciatore ventoso, ac turgido.

D Quintus locus est Rom. 4. vers. 2. *vbi dicitur, Abraham non esse iustificatum ex operibus. Conqueritur enim Kemnitius, nos addidisse,* legis: *vt possemus exponere locum illum de operibus legis illius, quæ cæremonias præscribebat.*

Respondet Bellarminus, meram esse calumniam. Nam latini codices vel omnes, vel ferè omnes non habere illud: *legis.*

Fateor, esse verum, inquit VVitackerus, *si de iis codicibus loquatur, qui hodie in hominum manibus versantur. Nam ante aliquot sæcula, aut omnes Latini codices, aut ferè omnes habebant illud,* legis, &c.

Si igitur in Codicibus, qui hodie versantur in manibus hominum hæc particula non exstat; quos Codices Hunnium habuisse dicemus, qui

auda-

Digitized by Google

audacissimè affirmat, se, quotquot viderit latinæ translationis exemplaria, in omnibus inuenisse voculam illam; *Legis*. Nulla igitur vidit, quæ hoc tempore teruntur ac leguntur, quandoquidem ab his, teste VVitackero, abest illud: *Legis*. Non vidit igitur Hunnius Biblia Louaniensium toties Antuerpiæ excusa; quæ hac vocula carent, nisi quod in margine notant; in Manuscriptis & apud Ambrosium inueniri illud *Legis*. Non vidit etiam Biblia nuper, viuente tamen adhuc Hunnio, Romani Pontificis auctoritate recognita, à quibus similiter vox, *legis*, exulat.

Ait Hunnius, *In Ambrosij & Hieronymi commentariis & textu exstare vocem*, legis: *non igitur mentitum esse Kemnicium.* Esto sanè, quorumcunq; demum sint Cõmentarij illi, qui Ambrosij & Hieronymi nomine circumferuntur. Sed num ideo Kemnicium tuum à mendacio expedies? Non enim ita hanc voculam additam dixit, quasi in nonnullis duntaxat exemplaribus addita fuerit; aut olim etiam, & ætate Ambrosij & Hieronymi; sed quasi, omnia omnino exemplaria occupasset; nec olim; sed nuper, vel patrum nostrorum memoria: idque fraude & culpa Papistarum: Hoc impudens esse mendacium, testantur tot exemplaria, in quibus vocula *legis* non comparet; testantur idem Commentarij Ambrosianus & Hieronymianus; qui non nuper, vel patrum memoria; sed ante multa sæcula conditi sunt; & tamen hanc voculam nobis exhibent. Quamobrem neque Caluinianus Iunius Lutherano Kemnicio vtiliter patrocinatur; cùm ait, *Kemnicio vt à mendacij nota liberetur, sufficere, si vocula*, legis, *in aliquot codicibus inueniatur*; nam Kemnicius ita loquitur, quasi simpliciter tota editio vulgata ab hoc vocabulo sit infessa; quod, vt iteratò dicam, Kemnicianum, hoc est, impudens mendacium est.

Sextus locus est Roman. 11. *vbi legimus; si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Calumniatur Kemnicius nos detraxisse integram sententiam, nimirum*; si autem ex operibus, non amplius est gratia, alioqui opus iam non est opus.

Respondet Bellarminus exstare quidem hanc sententiam in Græcis Codicibus, & à Theophylacto explicari. Non tamen eius meminisse Origenem, non Ambrosium, non Chrysostomum; non Augustinum. Et Erasmum in Annotationibus ad hunc locum, adiectionem hanc pro superflua ducere. Obiicit VVitackerus: *Falsum esse, quod Bellarminus de Chrysostomo asserit: & Erasmum deceptum fuisse, non inspecto Chrysostomi Codice.* Respondeo, in Latina Parisiensi editione; & in Græca Commeliana exstant quidem hæc verba, tanquam verba Pauli; sed non explicantur à Chrysostomo; neque vel minimo verbulo attinguntur. Nam quod tanquam verba Paulina recitantur in ipsa periodo, quam Chrysostomus enarrandam suscepit, quis id à Chrysostomo esse præstabit, cum in explanatione ipsa nulla sit horum verborum mentio? Et apertissimi mendacij est,

A quod VVitackerus ait, *verba ista à Chrysostomo explicari*; sicut & illud: *Explicari à Theodoreto.* Recitantur quidem cũ verbis, & inter verba Pauli apud Theodoretum. Sed quis scit num à Theodoreto? quandoquidem ea non interpretatur. Explicantur etiam à Theophylacto & OEcumenio; sed quantuli isti ad Origenem, Augustinum, Ambrosium, & alios?

Hîc iterum stringit Hunnius dentes in Latinos patres; *deceptos, clamitans, vulgata versione, eaque de caussa non attigisse hæc verba.* At multi ex Latinis patribus plus etiam dormientes, Græcè sciebãt, quàm Hunnius vigilans. Negat Hunnius verba illa esse superflua. non negaret; si doctior quàm loquacior esset; Nam prior illa pars (*si autem ex o-*

B *peribus, iam non est gratia*) superflua videtur. Iam enim dixerat (*si ex operibus; iam non est gratia.*) Posterior autem pars (*alioquin opus, iam non est opus*) quãtum ad sensum, in priori sententia significata est.

Septimus locus est Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Kemnitius docet, malè versum esse, *sacramentum*, cùm sit Græcè *μυστήριον*; atque ait, id à nobis factum esse, vt possemus inde probare Matrimonium esse Sacramentum.

Respondet Bellarminus; idem esse mysterium Græcis, & Latinis Sacramentum. Græci enim, cùm de Sacramentis agunt, semper *μυστήρια* vocant.

Quid VVitackerus? *Nihil aliud nostri repondunt, quàm quòd vocabuli ambiguitate Papistæ abutun-*

C *tur, ad confirmandum Matrimonij Sacramentum. Nam est in Græco μυστήριον, quod nusquam in scripturis ita sumitur, vt significet eam rem, quam nos propriè sacramentum dicimus.*

Mentitur VVitackerus: Kemnicius enim reprehendit ipsam versionem, nõ id tantùm, quod ex versione orthodoxi colligunt. Quanquam mendacium est orthodoxos ex *versione*, hoc est; ex vocabulo *Sacramenti* præcisè concludere matrimonium esse sacramentum; quia posito, quod Interpres noster mysterij vocabulum *retinuisset*, nihilominus ex hoc loco matrimonium propriè dictum sacramentum esse validè conclusissent; cum omnes propemodum syllabæ sonora

D voce clament; Apostolum de practico gratiæ signo loqui; quid autem aliud est sacramentum, quàm gratiæ sanctificantis practicum signum? Nonne Græci ex hoc ipso loco colligunt, matrimonium esse sacramentum propriè dictum; nec tamen hoc faciunt, inducti voce *Sacramenti*; qua ipsi sua in lingua carent; neque etiam ad hoc asserendum inducuntur præcisè vocabulo *mysterij*; sed circumstantiis & modo loquendi, quo Apostolus vtitur, legitimè & pensiculatè discussis & examinatis, statuunt, matrimonium, ex Apostoli sententia, sacramentum esse.

Ex quibus nullius negotij erit dispellere fumos Hunnianos, quos hic circumquaque diffundit. *Si omne illud, quod est mysterium, hoc est, arca-*

num

Digitized by Google

num quiddam & reconditum, censeri debet sacramentum, sequitur nos innumerabilia habere sacramenta. Quis, ô Prædicans, vnquam dixit, omne mysterium, hoc est, omne arcanum, retrusum, & reconditum; esse gratiæ signum practicum; hoc est, sacramentum propriè dictum? Quis vnquam ita desipuit? Quis vnquam tali insipientia Prædicanti occasionem dedit; vt vanissimam illam suam sequelam, quasi ex nostra argumentandi consuetudine, contexeret? Quis vnquam ita ratiocinationem præcisè instituit? Hoc vel illud dicitur mysterium, arcanum, sacramentum; ergo est sacramentum propriè dictum. Nemo nescit, plus ad sacramentum propriè dictum requiri, quàm *sacramenti* vocem.

Obiicit Prædicans: *Locus in Paulo penitius inspectus, semetipsum explicat, sic cohærente textu: μυστήριον hoc magnum est: sed ego loquor de Christo, & de Ecclesia. Quibus, haud obscurè declarat, se, non matrimonium inter virum, & fœminam, sed coniunctionem mysticam illam Christi, & Ecclesiæ, nuncupare mysterium.*

Quò penitius locum Pauli inspicio, eò penitius video Hunnium imperitum sycophantam esse. An non per multos versiculos illius capitis loquitur Apostolus de coniunctione maris & fœminæ, deque charitate mutua inter coniuges? An non coniunctio maris & fœminæ, qualis ibi à sancto Paulo describitur, & est, & appellatur *matrimonium?* An non immediatè ante hæc verba: *Sacramentum hoc magnum est*: dixerat Apostolus: *propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna*: statimque subiungit: *Sacramentum hoc magnum est.* Quid refert illud relatiuũ *Hoc?* Nonne id, quod immediatè præmiserat? *Erunt duo in carne vna.* Duos esse in carne vna; eo modo, de quo loquitur Apostolus, quid aliud est; quàm matrimonium? Nec obstant illa verba: *Ego autem duo in Christo & Ecclesia*; quia duos esse in carne vna; non generatim vocat magnum mysterium seu sacramentum; sed *in Christo & Ecclesia*; hoc est, inter illos, qui per Christum renati; & renascendo Ecclesiæ inserti sunt, atque adeo coniunctionem Christi cum Ecclesia per coniunctionem suam repræsentant.

Quærit Prædicans, *Si matrimonium apud nos adeo magnum mysterium & sacramentum est, cur ab illo arceantur sacerdotes?* Facilis responsio; quia aliud quoddam maius est mysterium & arcanum; sacerdotibus sacramentorumque administris & dispensatoribus conuenientius, nempe cœlibatus, cui proinde cedat oportet coniugium, tametsi magnum mysterium seu sacramentum: Nec iniuria de cœlibatu quoque dicitur: *Sacramentum hoc magnum est*; quia adeò magnum est; vt omnium Prædicantium captum vsumque lon-
A gissimè exsuperet, non exsuperaturum, si ipsi essent in Christo & Ecclesia. Sed ne obliuiscamur Iunij par est, vt notetur eius hic mẽdacium; cum ait; *Optimè Kemnicium monere, vt tollatur æquiuocatio, & de vocibus non fore magnam contentionem:* Atqui ne vnum quidem Iota aut apicem hac de re habet Kemnicius: cuius sunt ista verba ad verbum. *Matrimonium probatur esse vnum ex septem sacramentis, quia vetus Interpres Ephes. 5. pro mysterio reddidit sacramentum.* Vbi impudenter mentitur, ideo Catholicos colligere ex hoc loco matrimonium esse sacramentum, quod Interpres noster transtulerit: *Sacramentum*, quasi ex ipsa vocula præcisè hoc concludant. Quo nihil impudentius ab arrogantissimo examinatore fingi
B potuit: cuius mendacium locupletat nunc Iunius alio commento; ita vt apud istos figmentorum nec finis sit, neç modus.

Quod VVitackerus obiicit, Caietanum negasse; ex loco diui Pauli conuinci posse matrimonium esse sacramentum, id parum nos sollicitos tenet; quia priuatus Caietani error non præiudicat communi doctorum, imò ipsius Ecclesiæ consensui. notumque est Caietanum in veteri testamento nimium Hebraizando, & in nouo nimium *Erasmizando*, in graues errores incurrisse.

Octauus locus est Ephes. 6. *Accipite armaturam*
C *Dei, vt possitis resistere in die malo: & in omnibus perfecti stare.* Kemnicius vult hunc locum esse deprauatum; quia, in Græco est, omnibus perfectis, *ἅπαντα κατεργασάμενοι*; & sic exponunt Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, & alij.

Respondet Bellarminus, esse eundem sensum; sed oportere illud, *perfecti*, coniungere cum voce, *omnibus*, non cum verbo, *stare*. Siquidem sensus Apostoli est, vt armemur ex omni parte spiritualibus armis, vt sic armati possimus in acie contra diabolum, non cadere, sed stare.

VVitackerus Bellarmini responsionem vix
D tangit; contentus attulisse loci huius expositionem aliam, eamque, vt ait, ex Chrysostomo & OEcumenio, quasi propterea Bellarmini respõsio & explicatio locum non habeat, quia alia itidem non contemnenda potest adferri. Sit *κατεργάσασθαι ἅπαντα, deuincere, & debellare omnes aduersarios,* qui quoquo modo caput attollunt; interim iure nequit respui, quod Bellarminus ait, *ἅπαντα κατεργάσασθαι*, esse etiam *in omnibus perfectum esse*; nam qui *ἅπαντα κατειργάσατο omnia perfecit*, quæ ad arma comparanda, vel ad victoriam obtinendam hostesque profligandos pertinent; vel hostes iam debellauit, is vtique in omnibus perfectus est. Dicit igitur Apostolus: *Accipite armaturam Dei,* Græcè *πανοπλίαν*, id est, omnia arma, galeam, scu-

tum,

Digitized by Google

tum, gladium, loricam, &c. *vt in omnibus perfecti*, id A est, ab omni parte muniti, & armati, id est, præditi, & perfecti omnibus virtutibus, *possitis stare* contra diabolum: siue, & est idem, vt omnibus perfectis, id est, cum omnia arma comparaueritis, & indueritis, tunc possitis stare, &c.

Negatur hæc constructio & interpretatio, clamat Iunius. Quid verò nobis cum tuo millies iterato *negatur?* Quasi vero tuum hoc *Negatur*, tam sit efficax & potens, vt, tanquam validissimus aries, omnia subruat & prosternat. *Sunt*, inquit, *detorta omnia in hac interpretatione, vel pueris è ludo testibus*. At in hac tua criminatione omnia sunt cauillatoria & nugatoria, omnique probatione destituta, vel iisdem pueris è ludo testibus; ad quorum subsellia grandis iste Caluinianus Minister, *vetusque* B *puer* dum prouocat, cui risum non moueat? *Quis puer*, inquit, *exponat*, *ἅπαντα κατεργασάμενοι, in omnibus perfecti?* Nullus, opinor, puer id faciat, quia puerorum non est interpretari D. Paulũ, sed Donatum. At quod nullus puer faciet, id facient Theologi sacrarumque litterarum gnari; quia, vt antea dicebam, *ἅπαντα κατεργασάμενος*, dicitur ille, qui omnia, quæ ad finem aliquem obtinendum necessaria erant, præstitit ac perfecit. An non talis, qui omnia præstitit ac perfecit; in omnibus est perfectus? An non omnia perfecit? si omnia perfecit, ergo *κατὰ πάντα, secundum omnia*, seu *in omnibus*, perfectus est.

Nec silet hic Hunnius. *Vocabulum*, inquit, *ἅπαντα, non ad virtutes, sed ad ipsum actum, rectè & feliciter pugnandi refertur: quod adiectum Participium (κατεργασάμενοι) demonstrat. Neque enim dicimus, virtutes* C *κατεργάζεσθαι*.

Quàm est insulsus hic Prædicans: quàmque inscitus, qui illud, *ἅπαντα*, ad ipsum, eumque solum actum; non autem ad actus obiectum, qualecunque illud sit, referat. Si *κατεργάζεσθαι est operari, agere, perficere*, ergo habet obiectum, circa quod versetur; ergo istud obiectum, significatur per illud vocabulum *ἅπαντα*, *omnia*, vt scilicet omnia agat & perficiat, quæ necessaria fuerint. Dic, quæso, Prædicans, si quis dicat: *ἅπαντα κατεργασάμενοι, omnia perfeci*, quid significat illud *ἅπαντα?* Actumne an obiectum? Quis nisi stipes dubitet, quin obiectũ. Ergo & hic eadem est ratio. Quod D ipsum dicere oportet, licet quis illud *ἅπαντα* cũ VVitackero referat ad hostes; nam sensus erit; vt possitis, postquam debellastis hostes, stare. At inquit Hunnius, *non dicimus virtutes κατεργάζεσθαι*. Apostolus non dixit *τὰς ἀρετὰς* sed *ἅπαντα κατεργασάμενοι*; postquam omnia perfecistis, & operati estis, quæ necessaria sunt ad hũc spiritualem conflictum; Inter hæc autem, quæ necessaria sunt, vel primum locum obtinent virtutes, quare & istud *ἅπαντα κατεργάζεσθαι* mediatè saltem virtutes attingit. Sicut proximè & immediatè illas attingit illud: *ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ*, *accipite armaturam Dei*; quia hæc armatura non nisi ex virtutibus contexitur. Itaque quando subdit Apostolus, *ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι*; *vt possitis resistere, & omnibus perfectis, seu in omnibus perfecti*; seu *omnia operati stare*, vtique ad armaturam, de qua prius mentionem fecerat, alludit; quæ, vt antea dicebamus, non nisi ex annulis virtutum connectitur.

Hallucinatur, aduersarius, inquit Hunnius, *quod galeam, scutum, gladium, loricam, adeoq; omnia arma interpretatur de omnibus virtutibus*. Qua de caussa hallucinatur Bellarminus? Audi, & Prædicantem ride. *Quia Paulus nõ loquitur de virtutibus nostris, sed Dei*; imò & Dei & nostris. Dei, quia illas dedit; nostris, quia illis vtimur. Quod insinuans Apostolus, ait: *Accipite armaturam Dei*; Item: *Induite vos armaturam Dei*. Armatura ex virtutibus conserta, Dei est, quia à Deo conceditur. Et nostra est, quia à nobis accipitur & induitur.

Videaũt inauditam hactenus Philosophiam. *Fides*, inquit Prædicans, *non est in prædicamẽto Qualitatis, sed relationis quia se vertit ad Christum*. Si fides ideo est relatio, tunc sequitur, omnem virtutem, imò omnem etiam actionẽ esse relationem, quia omnis virtus tendit in suum obiectum, omnisque actio vertit se ad suum terminum. Verum hæc portenta non peperit Philosophia; sed prædicantium mater ignorantia.

Nonus locus est Hebr. 9. *Ad multorum exhauriendæ peccata*. Conqueritur Kemnitius, malè esse reddita Græca verba, nam *ἀνενεγκεῖν*, non est *exhaurire*, sed *auferre*.

Respõdet Bellarminus, esse eundem sensum: nostrumque Interpretem propriissimè vertisse. nam *ἀναφέρειν* propriè esse sursum *ferre, efferre, educere*; sicut ergo, cùm aqua, vel sordes educuntur ex aliqua sentina, dicuntur sordes exhauriri; ita etiam peccata, quæ Christus extulit, & eduxit è profundo pectoris nostri, rectè dicuntur ab illo esse exhausta.

Prædicantes iniquis oculis hanc versionem Interpretis nostri aspiciunt; quia nimis manifestè sententiam orthodoxam de perfecta & omnimoda peccati abolitione oculis subiicit, quæ Prædicanticis placitis ex diametro aduersatur: quale illud, hic ab Hunnio & VVitackero expositum: *Peccata remitti, non vt non sint sed vt non imputentur in condemnationem*. Mentitur autem Prædicans, cum ait; *Ex Iesuitarum doctrina peccatum ita remitti, vt nulla planè eius vestigia nullaq; reliquiæ remaneant*. Non docent hoc catholici, vtpote quibus bene notum sit; contrarium verum esse; luctamque illam, quæ inter carnem & spiritum perpetim intercedit; & propensionem ad illicita; quæ in homine etiam per baptismum renato, perseuerat, ex peccato exstitisse: quanquam fatemur, ita remitti peccatum, quando remittitur, vt nihil prorsus, quod peccatum vel culpa vocari possit, remaneat.

Effundit deinde Hunnius solenne illud omnium Prædicantium mendacium; nos de peccatorum remissione dubitare: quasi verò, qui arrogantis-

gantisſimam illam hæreticorũ præſumptionem A fidemque ſtultiſsimam, quam ſpecialem appellant, repudiat; propterea de peccatorum, etiam propriorum remiſsione dubitet. Quaſi verò inter dubitationem, & inter illam inaniſsimam ſectariorum confidentiam non detur medium quiddam, quo homo de Dei benignitate bene ſperet, ſibique peccata remiſſa credat; at non ſine formidine oppoſiti; quandoquidem nullus certò ac euidenter ſcit, omnia à ſe præſtita, quæ ad remiſsionem peccatorum requiruntur.

Quod Bellarminus dicit, peccata exhaurire, & ἀναφέρειν ſeu ἀνενεγκεῖν, *ſurſum ferre*; eundem ſenſum reddere, id ſic oppugnat Iunius: *Hoc fundamentum eſt iſtius interpretationis. Quiſquis exhaurit, ſu*B*ſtollendo exhaurit. ergò exhaurire, eſt ſuſtollere. Perinde, atq; ſi dixeris: quiſquis mergit, deiiciendo mergit. ergò mergere. eſt deiicere: & καταβάλλειν eſt exponendum, τῷ βυθίζειν, ἢ καταποντίζειν verbo.*

At dicat Caluiniſta; quid vitij ſit in prima illa conſequentia? Si enim quiſquis exhaurit, ſuſtollendo exhaurit, quod vel cœcis notum, certè exhaurire erit ſuſtollere. Sed Iunius, vt videtur, aliam conſequentiam texere volebat; verùm ἀπεὶ ἐσβλεψίᾳ, conſuetaq; incogitantia abreptus, eam nobis attulit, quam nolebat, certè quam non debebat. Dic, Iuni, an non hanc conſequentiam in animo habebas? *Quiſquis exhaurit ſuſtollendo exhaurit; ergo ſuſtollere eſt exhaurire.* Ergo rectè fecit C vulgatus Interpres, qui loco vocis *ſuſtollendi*, poſuit vocem *exhauriendi*. Quid in hac conſequentia non probum aut probandum: cuius tamen mens non eſt, omne *ſuſtollere*, eſſe *exhaurire*; minimè verò; ſed illud; quod fit per reſpectum & habitudinem ad fontem, ſentinam, cloacam, aut aliud quid ſimile. Neque altera conſequentia, quam Iunius adducit, reiici poteſt, niſi ab imperito, quia vitio caret: ſi enim quiſquis mergit deiiciendo mergit; mergere profectò erit deiicere; non quoduis *deiicere*, ſed quod fit in aquam. Et ex conſequenti, καταβάλλειν per verbum καταποντίζειν vel βυθίζειν rectè exponitur, ſi circumſtantiæ loci id exigant.

Subtilior eſt VVitackerus, qui Bellarminum D hunc in modum aggreditur. *Proferat exemplum aliquod, vbi ἀνενεγκεῖν ſignificet*, exhaurire. *Quanquam enim ἀναφέρω, eſt ſurſum fero, tamen & ſurſum ferre, & haurire non idem eſt, quod exhaurire. Non enim qui haurit ex fonte, proinde fontem ipſum exhaurit. Sed ἀναφέρειν ſæpius ſignificat auferre, aut perferre; vt, cùm in hoc loco, tum in alio ſimili, 1. Pet. 2. 24. Chriſtus dicitur peccata noſtra ἀνενεγκεῖν εἰς τὸ ξύλον, id eſt, ſuper lignum pertuliſſe, vt ibi vetus etiam interpres tranſtulit.*

Reſpondeo, ſignificationes vocabulorum ex circumſtantiis ſubiectis vel ampliandas vel reſtringendas eſſe: Itaque licet *ſurſum ferre* ſeu *ſuſtollere*, non ſit ſimpliciter idem, quod omnia ſur- A ſum ferre & ſuſtollere, ſicut haurire non eſt abſolutè idem, quod exhaurire; hoc tamen loco, de cuius verſione diſceptamus, neceſſariò per *ἀνενεγκεῖν ſuſtollere*, intelligere debemus, omnia perfectè & funditus eſſe *ſurſum lata*; hoc eſt, *exhauſta*; quia Chriſtus peccata, non ἀνήνεγκεν *imperfectè*, ſed *perfectiſſimè*; & conſequenter ἀνενεγκεῖν ſeu ſurſum ferre, idem erit, quod exhaurire; neque enim ita ſurſum tulit aut ſuſtulit peccata, vt aliqua peccata vel aliquid peccati in illa ſentina relinqueret; ſed totam euacuauit; & per conſequens; exhauſit.

Decimus locus eſt Hebr. 13. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Hîc vult Kemnitius eſſe poſitum B nomen *meriti*, quod in Græco non habetur.

Reſpondet Bellarminus verbum Græcum εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς; ſignificare propriè, *delectatur Deus*, ſiue vt Eraſmus vertit, *placet Deo*. Latinè autem rectè dici, benè mereri de aliquo eum, qui facit rem illi gratam, nemo eſt, qui neſciat. Sic ergò dixit noſter Interpres, *his hoſtiis promeretur Deus*, id eſt, his hoſtiis res grata fit Deo, & benè meretur de Deo, qui illas offert. Accepit enim interpres, *promereri*, in paſsiua ſignificatione.

Obiicit VVitackerus. *Nullum eſſe meritum hominis apud Deum. Ineptè ergo Interpretem promerendi verbo vſum.* At dicit tantùm VVitackerus; nihil- C que probat. Cur tantummodo dicenti aures præberemus? Eandem cantilenam decantat nobis Iunius. Sed ſimili modulo, & ſucceſſu. Quibus ſuccinit Hunnius; qui putat verbum *promerendi* ab Interprete vſurpatum, *vt meritũ inde procederet*; quod ex Græco textu fabricari nequeat. Sed rurſus linguax Hunnius nil niſi vana lingua eſt. Non enim hic fundus eſt & fundamentum meriti; alia longè meliora & efficaciora loca ſuppetunt. Quanquam & Græcum verbum εὐαρεστεῖται, eundem ſenſum reddit, vt oſtendit Bellarminus. Si enim rem gratam facere alicui eſt bene de illo, & apud illum mereri; iſque, de quo, vel a- D pud quem bene meremur, nobis obligari & deuinciri dicitur; ſequitur, etiam illum, qui rem gratam Deo facit; apud Deum mereri; taliſque Deum deuinciri & obligari; quod Interpres noſter vocat: *Deum promereri*, paſsiuè nimirum hoc vocabulo accepto. Occlamant Prædicãtes; *Aliam eſſe rationem apud homines, aliam, apud Deum*. Vociferentur quantum libuerit, merita apud Deum nunquam nobis extorquebunt. Quibus quod ipſi carent, terque quaterque infelices ſunt, & longè adhuc infeliciores, quod ſe iſtis carere gaudent.

Stomachum mouet Prædicantibus verbum *promereri*, paſsiuè poſitum. *Quàm putidum hoc?* ait VVitackerus, *talibus hoſtiis promeretur Deus*. Quàm putidus ſycophanta VVitackerus, qui quæ in Plauto aliiſque antiquis ſcriptoribus cum volu-

Digitized by Google

ptate legit, in nostro Interprete carpit? Quoties antiqui verba, vt appellant, deponentia, *passiuè* vsurpant? Inspice, sodes, Nonium, aut alium veterem Grammaticum. An vetabunt isti, quo minus antiquus Interpres noster antiquos imitetur?

Oggannit Iunius: *Bonus Interpres nec Grammaticè, nec Theologicè loquutus est: nam, vt ait Bernardus serm. 61. super Cant.* meritum meum, miseratio Domini.

At Iunius nec *Grammaticè*, nec *Theologicè* calumniatur; quia calumniari neque Grammatica, neque Theologia docet. Et quidem Interpretem nostrum Grammaticè locutum esse, inde liquet; quia grauissimi & antiquissimi scriptores verbis *deponentibus* passiuè vsi sunt; vt verbo *tueor* seu *tuor*, pro video, Lucretius hoc versu. *Fit, quasi tornata vt saxorum structa tuantur*: id est, videantur, & Critici, tanquam rarum quid & pretiosum, notant verbum *Intueri* passiuè accipi apud Arnobium lib. 7. Nec nos negamus, meritum nostrum esse miserationem Domini; quia sola Dei misericordia vim & dignitatem meriti nostris operibus impertit. Hunnius hic à seipso nō desciscit. Conuiciatur & calumniatur strenuè & alacriter ob verbum *promeretur* passiuè vsurpatum. Obserua solœcismum, inquit. *Fatetur Iesuita vulnus inflictum Prisciano per translationem veterem; & dignos esse fratres ignorantiæ Tridenti olim congregatos, qui in scholis vapulent; quòd solœcismos etiam obtrudunt, quos nemo quisquam vllo prætextu, ausit, aut præsumat reticere.*

Prædicantis mendacium est, fateri Bellarminū, *solœcismum* ab Interprete nostro esse commissum: non enim ignorauit Bellarminus multa vocabula aliter fuisse olim vsurpata ac hodie; & Interpretem nostrum nō fuisse tam imperitum Latinæ linguæ; vt quæ vel ex communi consuetudine, vel ex veterum monumentis non accepisset, translationi suæ insereret. Quis non legit illa apud veteres Grāmaticos, nominatim Nonium ex priscis scriptoribus excerpta vocabula: *Aucupaui, vagas, refragabunt, suffragabunt, auspicaui, eluctaui, scruto, auguro, cunctant, contempla, criminat, dignaui, proficisceret, sortirent, moderant, luctant, partirent, cohortarent, præliant, complectite, expergisceret, congredias. Certatur*, pro *certat, execrarent, imitat, consolo*, pro *consolor. Minitas* pro, *minaris. Percontat, ominas. Paciscunt. conuiuant, mirabis. Opino*, pro opinor. *Opitula*, pro *opitulare; Recordauit, præstolat. Rhetoricasti*, pro Rhetoricatus es, *tutant; copulantur*, pro copulant. *Præsagitur*, pro, præsagit. *Osculaui. Manducatur*, pro manducat; *Rixat, adiutatur*, pro adiutat; *murmurari* pro murmurare; & hoc speciatim notari volo ab Hunnio; qui hoc vocabulum speciatim in nostro Interprete irrisit. *Miras*, pro miraris. *Gliscitur* pro gliscit; & id genus alia infinita; quæ si hodie eruditus quispiam suo loco orationi inspergat, solœcismum scilicet committet; & iudicio solœcistarum Prædicantium dignus erit qui vapulet. Profectò digni sunt isti, qui vapulent, quando tam imperitè & inscitè Interpretem veterem insectantur, omne illud solœcum esse rati, quod in suo *Dasypodio* non reperiunt.

Vndecimus locus est Iacobi cap. 5. *Et alleuiabit eum Dominus.* Quod hoc modo versum ait Kemnicius, vt inde probetur efficacia extremæ vnctionis. At rectè dicit Bellarminus ex Græco verbo ἐγερεῖ, quod ad verbum expressum idem est, quod *excitabit*, clarius elucere vim & efficaciam extremæ vnctionis, quàm ex vocabulo Latino nostræ translationis; quod fusius ostendit Bellarminus. Nec opus plura addere; nam quæ Hunnius de extrema vnctione hic declamat, aliena sunt ab hoc loco, licet non sint aliena ab Hunniano ingenio, sunt enim nugamenta & mēdacia. Mentitur Iunius cum ait, Kemnicium reprehendere verbum *alleuiandi* loco verbi *alleuandi* positum. Nihil enim de hoc Kemnicius, sed tantum hoc carpit, quod Græcum ἐγερεῖ per Latinum *alleuiandi* Interpres reddiderit. Nec de Monachis vlla est hic apud Kemnicium mentio; quos tamen Iunius dicit à Kemnicio reprehensos, quasi ex verbo *alleuiandi collegerint, effectum extremæ vnctionis hunc esse, vt spectra fuget, & incursionem Dæmonis repellat.* Sed non est bene istis figulis, nisi fingant.

Duodecimus locus est 1. Ioan. 5. *Hæc scribo vobis, vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei.* Kemnicius dicit, sententiam hanc esse mutilatam. Nam in Græco sic habetur; *Hæc scribo vobis, qui creditis in nomine filij Dei, vt sciatis, quoniam vitam æternam habetis, & vt credatis in nomine filij Dei.*

Respondet Bellarminus: non esse Latinum Codicem mutilum; sed Græcum redundantem.

VVitackerus dicit, se de hoc loco cum aduersario litigare nolle. Pone ergo verbis tuis modum. Hunnius mentitur *in omnibus Græcis exemplaribus verba illa exstare.* Et tamen, *vel ipso* VVitackero teste, Robertus Stephanus in quibusdam Græcis exemplaribus ea non reperit. Ait Bellarminus: Bedam legisse eo modo, quo nos. *Nos non moramur Bedam*, clamat Hunnius. Et nos multò minus moramur Prædicantem eiusque proiectam frontem. Ait Bellarminus, Erasmo visum, hæc verba esse superflua. Respondet Prædicans, *se Erasmi suspiciunculam susque deque habere.* Et nos ob Hunnianas calumnias, quæ, vt ipse loquitur, ne oboli quidem vnius sunt, manum non verterimus: Iunius probat Græcam lectionem ex OEcumenio. At nos nostræ fidem conciliamus ex Beda; qui OEcumenium ætate diu antecessit.

Defensio locorum noui testamenti, quæ Witackerus, & Hunnius insectantur, tanquam vitiosa & malè versa.

PRæter hactenus ex nouo testamento allatos & defensos locos adducit VVitackerus alios non paucos, tanquam vel male in nostra editione versos, vel vitiosos, vel mutilos atque truncatos. Quorum nonnullos perstringit quoque Hunnius; sed quàm meritò; iam videbimus. Expilauit autem VVitackerus scrinia Erasmi; cui id potissimum curæ cordique fuit, vt deprimendo veterem translationem nouam suam faceret vendibiliorem apud illos, qui nouitate potius, quàm vetustate gaudent.

Primus locus est Matth. 3. vers. 2. *Appropinquabit regnum cælorum*, pro, *appropinquauit*; quia Græcè est ἤγγικε. VVitackerus correctiora exemplaria inspicere debuerat, quæ semper habuere; *appropinquauit*. Quam lectionem exhibent etiam biblia auctoritate summi pontificis nuper recognita. Neq; tantum hoc loco, sed & capite quarto D. Matthæi vers. 17.

Secundus locus est Matth. 6. vers. 4. *In vetere versione desunt: In propatulo. Græcus enim textus habet:* ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. Respõsi loco accipiat VVitackerus id quod iam olim à Theologis Louaniensibus, & à Luca Brugensi annotatum est. *Multa Latina exemplaria, teste D. Augustino, in hunc Domini sermonem, addunt;* palam. *Addit & vnum eorum, quæ hodie exstant, quod Rob. Stephanus S. Germani latum dixit. Consentiunt Syra: conformia sunt Græca; non ea solùm, quæ nunc exstant, sed & ea, quibus vsi sunt interpretes Græci. Veruntamen in eis, quæ olim consuluit S. Augustinus, defuit, & etiam nunc in exemplari Vaticano deest.*

Tertius locus est, ibidem vers. 7. μὴ βαττολογήσητε *vetus Interpres transtulit,* nolite multum loqui. *Aliud autem est, multum loqui; aliud,* βαττολογεῖν. *Non enim Christus prohibet longas preces, sed verborum eorundem molestam, & hypocriticam repetitionem.*

Si hic est aliqua culpa, in eadem hærebit Beza, qui vertit: *orantes autem, ne sitis loquaces.* Et Erasmus, qui sic: *Ne sitis multiloqui.* Sic & Tigurini, & Tremeliana versio ex Syriaco. Castalio. *Ne garrite.* Clarum est, Battologiam hic accipi pro *polylogia* seu *multiloquio*, nam statim subdit Euangelista. *Putant enim, quod in multiloquio,* ἐν πολυλογίᾳ, *sua exaudiantur.* Ex quibus liquidum, βαττολογεῖν & βαττολογίαν, idẽ hic esse, quod πολυλογεῖν & πολυλογίαν. Neque quidquam caussæ erat, cur Beza prioris translationis suæ pœnitens, postea verteret: *Ne eadem blaterate, vt Ethnici.*

Locus quartus. Ibid. vers. 11. ἄρτον ἐπιούσιον, *transtulit panem supersubstantialem.* Neque hic aliud responsum adhibebo, quàm quod à Theologis Louaniensibus & Luca Brugensi annotatum est: *Vndecim nostra manuscripta exemplaria,* inquit Brugensis, *habent,* Panem nostrum quotidianum: *sed vt plura, sic antiquiora, melioraque vulgatæ editionis scripta, tum nostra, tum Epanorthotæ, quod impressi libri,* super substantialem *(duo M. SS.* substantialem) *seruant. Id quod, hunc edisserens locum B. Hieronymus, à se expressum testatur. In Euangelio Lucæ,* quotidianum *legitur. In Matthæi quoque, ante Hieronymum, Latini,* quotidianum *legerunt, id quod ex D. D. Cypriano, Ambrosio (lib. 5. de sacram. cap. 4.) Augustino (in Enchiridio cap. 115.) aliisq; manifestum est. Vnde adhuc hodie, orationem orantes Dominicam, quæ secundum Matthæum vtimur, dicimus;* Panem nostrum quotidianum: *ita nempe, vt à primis Ecclesiæ fidelibus, continua successione, parentes filios viua voce docuerunt.* Græcè est, τὸν ἐπιούσιον, *quod ab* ἐπὶ *&* οὐσία *deduci potest: (sicut à* περὶ *&* οὐσία *sacri scriptores* περιούσιον *formauere) quasi super substantiam, quod est præcipuum, ac peculiarem, aut qui super omnes substantias est, & vniuersas superat creaturas, vt Hieronymus intellexit: vel, quasi* ad substãtiam; *vt eum panem, id est, victum (panis enim appellatione, cetera omnia nutriendo corpori nostro necessaria. Hebræorum more, comprehenduntur) significari intelligamus, qui nostra substantiæ, nostræ naturæ sustentandæ sufficiat, hoc est, vt Græci interpretantur,* ἐπὶ τὴν ἡμῶν οὐσίαν καὶ τροφὴν ἐπαρκοῦντα, *minimè scilicet delicatum, sed frugalem. Hunc panem significare voluisse videtur, qui vertit,* quotidianũ; *id est, cibarium, quo vesci, & sustentari quotidie solemus: quem & Syrus dixit panem indigentiæ, seu necessitatis nostræ.* S. Hieronymus 2. epist. ad Titum caput enarrans; *Vnde & illud,* inquit, quod in Euangelio secundum *Latinos Interpretes scriptum est:* Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie; *melius in Græco habetur, Panem nostrum* ἐπιούσιον, *id est, præcipuum, &c.*

Hæc Brugensis. Fortè VVitackero melius sapuit; *victus alimentarius* Castalionis; (sic enim vertit: *Victum nostrum alimentarium da nobis hodie*) quàm panis *supersubstantialis* beati Hieronymi. Non defuerunt, non improbante Erasmo, qui vertere tentarent: *Panem nostrum crastinum;* alij, *Panem nostrum continuum,* vt testatur Castalio; qui imperitè scribit, interpretem nostrum apud Lucam vertisse *supersubstantialem*: nam apud Lucam vertit, *Quotidianum.*

Locus quintus ibid. vers. 25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis; in Græco,* τί φάγητε, καὶ τί πίητε, *quid comedatis, & bibatis.*

Locus sextus ibid. vers. 32. in latino, *sicut Pater vester:* In Græco ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος. Ad vtrunque locum respondet Sacroboscus noster, has ipsas VVitackeri nænias refellens; cum Christus iubet, ne simus soliciti quid manducemus, satis etiam intelligitur, neque solicitos nos esse oportere, quid bibamus; similiter, cùm ait scire Patrem, nos his indigere, nemo est, qui nescit agi de Patre cælesti. Adiunge, quod dictæ particulæ facilè adiungi potuerint à Græcis, qui in hoc genere, satis fuêre liberales; vnde versu 13. in Græ-

Digitized by Google

co, post illa verba; *Sed libera nos à malo*; additum habes; *quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria, in sæcula*: quod optimi quique auctores, agnoscunt suppositititium. Quoniam tamen VVitackerus in responsione contra Reginaldum pag. 331. hoc fateri abnuit, apponenda censui verba Ariæ Montani, cuius ille iudicium solet magnifacere. Sic igitur habet Arias: *Animaduerte lector, hanc clausulam, non esse de textu; quamuis in Græcis exemplaribus habeatur; & à Chrysostomo super Matth. homil. 20 exponatur. Ab nonnullis enim textui insertum, vel ex eo probatur; quod Græci etiam hodierna die dicunt; sacerdoti tantùm licere hæc verba proferre. ita enim dicunt respondere solitos esse in missa, quando chorus dixit; sed libera nos à malo.* Huc accedit, quòd nullus veterum Latinorum interpretum, huius clausulæ meminit. Aliud exemplum temeritatis Græcorum habes Ioan. 8. vers. 59. siue vltimo, vbi illa; *transiens per medium eorum, & præteriit sic*: quæ reperiuntur in Græcis libris, sed non in Latinis. Beza cum Erasmo censet, à quopiam textui adiuncta. Et priora quidem verba ex Lucæ 4. vers. 30. Posteriora verò, ex aliquo scripturæ loco: scilicet ad concinnè nectendum dictum caput sequenti; quod ita sine dubio se habet. Neque negandum putauit ipse VVitackerus respon. eodem ad Reginaldum pag. 331. Hæc Sacroboscus.

Nunc, audi Erasmum. *Etiamsi* (quid bibatis) *reperitur additum in nonnullis codicibus, superfluum est; quòd cibi nomine potus contineatur; & aqua potus nemini non pateat. Certè nec apud Chrysostomum additur, nec apud Hilarium. Hieronymus indicat in nonnullis codicibus adscriptum fuisse, verùm edisserens negligit. Nos, passi sumus adiici, ne Latina non responderent Græcis. Certè, in peruetustis exemplaribus non adscribitur.*

Locus septimus, cap. 7. vers. 14. In latino, *quàm angusta porta: in Græco ὅτι στενὴ ἡ πύλη. quoniam angusta porta.*

Audi, quid iam olim scripserit Maldonatus noster ad hunc locum. *Quàm angusta*: Græcè, *ὅτι στενὴ, quoniam angusta est*: vt suspicio esse posit, in nostra versionè pro, *quàm* quoniam esse legendum: aut, quod quidam putāt, nostrum interpretem, *ὡς*, pro *ὅτι* legisse. Neutrum credo. Potius legisse, *τί στενή*; quemadmodum Euthymius, & Theophylactus legunt; illud etiam monentes, *τί*, accipi, pro *ὡς, quàm*, vt noster vertit interpres. Est autē, vt ego quidem opinor, Hebraismus מה, quod idem significat, quod *τί, quid*; & *ὡς, quàm*, vt Psal. 8. vers. 1. & 10. *Quàm admirabile est nomen tuum.*

Locus octauus, cap. 9. Matth. ver. 8. *timuerunt*; in latino positum est, pro, *admiratæ sunt*, cum in Græco sit, *ἐθαύμασαν*. Hunc nodum dissoluit Maldonatus. Quamuis *θαυμάζειν*, inquit, propriè sit *admirari*, tamen hoc loco positum est pro, *timere*. Est enim admiratio quædam, quæ ex gaudio; alia, quæ ex timore proficiscitur. Itaque Lucas cap. 5. vers. 26. quod hîc Matthæus *θαυμάζειν*, *admirationem* vocat, *ἔκστασιν stuporem* appellat; & vehementem timorem interpretatur. *Et stupor*, inquit, *apprehendit omnes; & magnificabant Deum, & repleti sunt timore.* Timor autem intelligendus est, non ille, qui ex odio; sed ille, qui ex magna alicuius opinione, & reuerentia nasci solet. cuius lib. 3. Reg. cap. 3. vers. 28. singulare exemplum est: vbi, cùm populus in illo iudicio inter duas meretrices Salomonis sapientiam perspexisset, *timuisse* dicitur Salomonem. Quemadmodum ergò illic, *timere*, pro *admirari*; ita hîc, *admirari*, pro *timere* positum est.

Locus nonus. Ibid. vers. 15. *filij sponsi*; in latino, pro, *filij thalami*. nam in Græco est, *οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος*. Sensus idem est, quia filij thalami nuptialis, vtique filij sponsi sunt, hoc est, familiares & sodales sponsi, qui in ipsum nuptiale conclaue admittuntur.

Locus decimus, cap. 14. vers. 3. *Philippi nomen deest in Latino, quod Græci libri habent. Is enim fuit Herodis frater: eiusque vxorem Herodiadem impius Herodes incesto matrimonio sibi coniunxerat.*

Sensus idem est, etiam absente Philippi nomine; quod defuisse in vno vetere exemplari Græco apud Matthæum: in plurimis autem vetustis exemplaribus apud Lucam cap. 3. vers. 19. testatur Beza, & satis apertè olet glossema.

Locus vndecimus, ibid. vers. 21. in latino est, *quinque millia*. In Græco, *ὡσεὶ πεντακισχίλιοι. Circiter quinque mille.*

Respondet Maldonatus. Noster Interpres neque hic, neque apud Marcum legit *ὡσεί*. apud Ioannem autem, legit. Quod attinet ad sententiam, nihil interest. Solent enim auctores sacri perfectum numerum ponere, etiamsi paulò minor aut maior sit. Hæc ille. Quæres, cur Interpres noster particulam illam non legerit? In promptu caussa est, quia in codicibus, quibus vsus est, non reperit.

Locus duodecimus. Ibid. vers. 26. *deest nomen*, discipuli. *Nam in Græco est, ἰδόντες αὐτὸν οἱ μαθηταί, cùm sit in Latino tantùm, videntes eum.*

Respondet Sacroboscus. Ex præcedentibus suppleri: nam præmittitur, Christum compulisse discipulos suos nauem conscendere: &, quarta vigilia noctis venisse ad eosdem ambulantem super mare. quare, quod subditur; *& videntes eum, turbati sunt*, aliò referri non potest, quàm ad discipulos.

Deinde VVitackerus dissidet à magistro suo Beza; qui nomen *discipuli* non refert ad priora illa; *Videntes illum*: sed ad posteriora; *Turbati sunt*. Sic enim vertit. *Et eo viso super mare ambulante, discipuli turbati sunt.*

Locus decimus tertius cap. 15. vers. 8. *in Latino est*; populus hic labiis me honorat; cùm sit in Græco sic. *ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ. appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat.*

Hic iterum Hæretico Maldonatus respondeat: Græcè legitur: *Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat; cor autem eorum, longè est à me.* sicut apud Is. cap. 29. vers. 13. septuaginta verterunt; nisi quod apud LXX. non est στόματι αὐτῶν. vt hoc loco; sed αὐτῶ; nec τιμᾷ, sed τιμῶσι. nulla tamen iniuria sententiæ. Appropinquare Deo, est Deum colere, vt Psal. 148. vers. 14. *Hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israël, populo appropinquanti sibi:* id est, qui illum colit. Appropinquantes enim vocat, quos proximis verbis sanctos appellauerat: sicut è contrario, longè esse à Deo, est, illum non colere. sensus ergò est; Populus hic labiis colit me, corde non colit. Noster Interpres priora verba non legit; neque quisquam, quod sciam, Latinus, aut Græcus auctor præter recentiores, Euthymium, & Theophylactũ. Et est vero simile, Christum ex Isaia ea tantùm decerpsisse, quæ pertinebant ad causam, de qua agebatur, Agebatur autem de honore.

Locus decimus quintus. Ibidem vers. 31. *deest,* mãcos sanos, *cum in Græco sit* κυλλοὺς ὑγιεῖς. Respondet Sacroboscus. Nec Græcum contextum tempore D. Hieronymi ista verba habuisse; licet nũc habeat. Hinc Hieronymum caussam inquirere, cur Matthæus nullam fecerit mentionem de curatis mancis. Textum quoq; Chrysostomi cum nostro Interprete conuenire. Adde Erasmum, qui hæc verba supposititiis annumerat.

Locus decimus sextus. cap. 17. vers. 19. *In latino est;* quare nos non potuimus eiicere illum, *pro,* illud, *scilicet* dæmonium: *in Græco est:* ἐκβαλεῖν αὐτό. Quàm immanis error; quàm dignus notari à professore Regio VVitackero. Interpres respexit ad vocabulum *Dæmon,* non ad illud, quod proximè positum erat, *Dæmonium*; eique Pronomen masculinum adiunxit. Quis hunc lapsum vnquam satis excusare poterit; quasi inauditum sit apud Latinos, vt adiectiuum vel relatiuum genere discrepet ab illo cui adiungitur; per respectum scilicet ad vocem aliam; cum qua alioqui genus idem habet: quod infrà plurimis exemplis docebimus; hic vnum vel alterum attulisse sufficiet. Terent. in Andria. *Vbi illic est scelus, qui me perdidit?* En scelus, *qui. Vt illum dii Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est.* En *illum, senium.* Et, *senium, qui.* Si noster solœcismum commisit; commisit & Terentius. Si iste respexit ad sensum, non ad verba, siquidem intelligitur, *scelestus, senex,* cũ quibus relatiuum *qui* consentit, etiam noster ad sensum, vel ad vocabulum *Dæmonis,* quod masculinum est, respexit. Quocirca nihil est caussæ, cur Erasmus suspicetur errore librariorum *illum* pro *illud* fuisse scriptum: multo minus necesse erat; vt in margine attexeret hoc conuicium: *Solœcismus.* Sed Erasmus existimabat suam versionem non fore satis elegantem & apud Nouatores plausibilem, nisi vbique Interpretem nostrum seu iure seu iniuria, solœcismorum accusaret.

A Locus decimus septimus, cap. 18. vers. vlt. *deest in latino,* offensas eorum. τὰ παραπτώματα αὐτῶν. Nugas agit VVitackerus; quia idem sensus est, siue addatur, siue non. *Et haud scio,* inquit Erasmus, *an explicandi caussa sit additum, quandoquidem apud Hieronymum non additur.* Nec adeo magnum est incommodum, quod caussatur Beza, si verbum ἀφιέναι absolutè ponatur. quanquam non ponitur absolutè; quia subintelligitur, quid remittendum sit; culpa scilicet, seu offensa.

Locus decimus octauus, cap. 19. vers. 17. *in Latino sic est:* quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. *In Græcis verò plerisque, & emendatissimis codicibus;* τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. hoc est; cur me dicis bonum? nullus est bo-
B nus, nisi vnus, Deus.

Huic iniustæ VVitackeri obiectioni (quia nec Erasmus, nec Beza hic Latinam translationem damnant) satisfaciat Lucas Brugensis, qui ad hunc locum ista notauit: Græca & Syra, Græcique interpretes Euthymius, & Theophylactus habent, etiam in Matthæo, *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi vnus, Deus:* quomodo & Hilarium legisse, tum ex proprio loci commentario, tum ex libro nono de Trinitate, manifestum satis esse videtur. Cæterùm, exemplaria quædam Græca, Vaticanum, & Parisiensium, cum Secũdo, quod ex Italia acceperant, Octauũ, Latinis libris consonantia, legunt; τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός. sed non addunt, ὁ θεός. Origenes tractatu o-
C ctauo in Matthæum, vtramque lectionem ponit, atque exponit. Augustinus, libri, de consensu Euangelistarum secundi cap. 63. Matthæi Euangelio tribuit, *Quid me interrogas de bono?* Marci, & Lucæ, *Quid me dicis bonum?* id quod vero simillimum est. Rationi enim maximè est consentaneum, quod annotarunt quidam nostræ ætatis scriptores; lectorem aliquem, minus attentum, iudicasse, id quod in Matthæo erat; *Quid me interrogas de bono?* τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, nõ perinde quadrare: quia reprehendat adolescentẽ Christus, quòd cùm vnus, solusq; Deus sit bonus, ipsum bonum vocauerit; itaque substituisse, id quod in aliis est Euangelistis; Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi vnus, Deus. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς,
D εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. Nam & in Luca est εἷς, *vnus*; tametsi nostra editio, *solus,* habeat. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. legit & explicat τὸ, *Quid me interrogas de bono?*

Locus decimus nonus, cap. 20. vers. 9. *in latino est,* acceperunt singulos denarios, *pro* singuli denarium: cùm sit in Græco, ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον.

Qualis cauillator VVitackerus? An adeò cæcus est, vt non videat eundem sensum vtrobique existere?

Locus vigesimus, ibid. vers. 15. *In latino est.* Aut non licet mihi, quod volo facere? Pro. *An non licet mihi facere in meis rebus?* Græcus habet: ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι, ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; Respondeo, illud, *rebus,* non est in Græco; vt monet etiam Beza; secundò,

vnde

vnde scit VVitackerus Græcum textum, quem noster Interpres secutus est, non esse verum ac genuinum; illum autem, quem ipse amplectitur esse legitimum,& ab ipso Euãgelista profectum? Tertiò sensus manet illæsus & integer siue hoc, siue illo modo legas.

Locus vigesimus primus cap. 21. vers.30. *Eo Domine*, in Latino, pro, *ego Domine*. ἐγὼ κύριε.

Respondeo, varia est Græcorum codicum lectio, pro eo; *eo Domine*, inquit Lucas Brugensis: Quidam legunt, ναὶ κύριε, *etiam Domine*. Quidam, ἐγὼ κύριε ἐγὼ ὑπάγω. *Ego Domine, ego vado*. Quæ duo, in noui Testamenti à se anno 1563. editi margine Basileenses signarunt. Plerique, quotquot nos vidimus, ἐγὼ κύριε, *ego Domine*. Quidam (Erasmus scilicet) in nonnullis Græcis se reperisse, pro ἐγὼ ὑπάγω; sed, vt arbitratur, ad Latinorum exemplaria castigatis.

Nupera Bibliorum recognitio illud: *Eo Domine*, retinuit. Et sensus semper idem remanet; quique lectionem illam, ego Domine, propugnant ac defendunt, necessariò verbum *eo*, vel *abeo*, vel *vado*, vel simile quid subintelligunt. *Subauditur verbum* πορεύομαι *quod expressi*, inquit Beza, vertit enim: *Ego abeo Domine*. Quocirca non est, cur tantas turbas ob hunc vel similes locos VVitackerus cieat; cum tota hæc varietas sit sine iniuria sensus.

Locus vigesimus secundus, cap.24. vers.6. *Opiniones præliorum*, in Latino ponitur, pro, *rumores bellorum*, ἀκοὰς πολέμων ad verbum; *auditiones bellorum*. At cum VVitackerus tam diligenter materiam nostrum Interpretem insectandi ex Erasmo comportarit, debebat etiam illud ex eodem Erasmo annotasse; opinionem nonnũquam pro *fama* accipi. Et quamuis Erasmus dicat, id tantum fieri, cum ad hominem refertur, non cum ad rem; tamen non est tanta Erasmi auctoritas, vt de nominum notione, & significatu disserenti, & nulla veterum testimonia adferenti fidem habeamus contra Interpretem nostrum, cuius famuli melius, opinor, latinè loquebãtur, quàm omnes isti nouitij versores, qui virgulam censoriam tam acriter in nostrũ Interpretem distringũt. Taceo, sensum incolumem conseruari, quia ἀκοαὶ *auditiones* & rumores bellorum, generant opiniones bellorum; seu faciunt, vt homines bella instare opinentur.

Locus vigesimus tertius, cap. 26. vers. 61. διὰ τριῶν ἡμερῶν, quod est, *triduo*. Vetus transtulit, post triduum.

Respondeo, sensus eodem recidit. Nam qui dicit, templum illud; post triduum; fore denuo integrum, perfectum, & absolutum; is vtique nihil aliud significat, quam templum illud, Intra triduum, seu triduo fore perfectum ac integrũ. Et hic rursus iniquior est VVitackerus Interpreti nostro, quàm Magister eius Beza, qui ad hunc locum ista. διὰ *positum est*, pro, ἐν. *Plinius lib 9. cap 51. Cætera fœminæ in triduo excludunt. Vetus Interpres, post*

A *triduum, id est,* μετὰ τρεῖς ἡμέρας. *Idem Marci 14. vers. 58. interpretatur, per tres dies*. Imò, *per triduum*.

Locus vigesimus quartus. Ibid. vers.71. In Latino est: *exeunte illo ianuam*, pro *exeuntem eum in vestibulum*, cùm in Græco sit, ἐξελθόντα αὐτὸν εἰς τὸν πυλῶνα.

Respondeo, quoad sententiam, idem est; nam vestibulum ante atrium erat; sicut in amplis ædibus esse solet, vt rectè dicit Maldonatus, Itaque ex atrio per ianuam in vestibulum egressus est.

Locus vigesimus quintus, cap. 28. vers. 2. In latino; post; *reuoluit lapidem*, deest, *ab ostio*. ἀπὸ θύρας.

Respondeo cum Sacrobosco, cùm ibi agatur de lapide, quo occlusum erat sepulcrum, quando angelus dicitur eum reuoluisse, nemi-
B nem esse, qui non intelligat, reuolutum ab ostio monumenti. Sed his næniis voluit malus causidicus tempus terere, & peior scriptor chartam consumere.

Defenduntur loca ex S. Marco.

PRimus locus. Marci cap.2. vers.7. In latino est, Quid hic sic loquitur? blasphemat. Pro, *Quid iste ita loquitur blasphemias?* τί οὗτος οὕτω λαλεῖ βλασφημίας; Meritò VVitakeri ineptiam irridet Sacroboscus hunc in modum. Quid hic sic obiicit VVitackerus? Nugatur. Quid hic sic VVitackerus obiicit nugas? Magnã
C profectò criminandi libidinem in istis inesse oportet; quando leuissima quæq; tam anxiè conquirunt, vt suppetat, vnde Interpreti nostro malè dicant, cum tamen idem sensus constat, siue hoc, siue illo modo legas; nec verisimilitudine careat Interpretem nostrum Græca verba suis in exemplaribus sic distincta reperisse. τί οὗτος οὕτω λαλεῖ; βλασφημεῖ.

Secundus locus Marci 3. vers. 29. In latino; *reus erit æterni delicti*, pro, *æterni iudicij*. αἰωνίου κρίσεως.

Respõdeo, sensus eodem recidit, vt iam VVitackero respondit Sacroboscus. quia æternitas iudicij non oritur nisi ex æternitate delicti. *Hoc nihil refert ad sensum*, inquit Erasmus, *per synecdochen enim aliud ex alio intelligitur*. Adde quod Beza citat
D codicem, in quo non κρίσεως, sed ἁμαρτίας scriptum erat.

Tertius locus Marci 14. vers. 14. *Vbi est refectio mea?* pro. *vbi est diuersorium?* ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα.

Respondeo, idem sensus est; & vtrunque significat vox Græca; vt testatur etiam Erasmus ad hunc locum. Hinc noster Lucæ 2. κατάλυμα vertit *diuersorium*.

Quartus locus productus ab Hunnio. Marci 5. vers. 35. *Adhuc eo loquente veniunt nuncij ad Archisynagogum*: In Græco fonte est; *ab Archisynagogo*, id est, *ex ipsius ædibus*. At non tantũ sic est in Græco fonte; sed in nuper recognitis Bibliis; quæ si Hunnius consuluisset; forsan sibi ab hac minimè necessaria obiectione temperasset.

Digitized by Google

Defenduntur loca ex S. Luca.

PRIMVS locus Lucæ 1. v. 28. Aue, gratia plena. Sed κεχαριτωμένη est *gratiosa*, vel *gratis* dilecta; non, *plena gratia*. Respondet Sacroboscus, commune hæreticorum esse, detrahere sanctissimæ DEI matri: proindeque contra totam antiquitatem hîc mutant lectionem. Sed benè accidit, vt, postquam à nobis discesserunt, ipsi inter se non conuenirent: dum alius, *gratam*, alius, *acceptam*: alius, *gratiam consecutam*; alius, *dilectam*; alius, *in gratiam receptam*; alius, *gratis iustificatam*; alius, *gratis dilectam*, interpretantur, quemadmodũ notauit Maldonatus.

Lubet paulo fusius pro Interprete nostro, & inprimis pro gloria & honore beatissimæ Virginis contra istorum imperitiam & impietatem agere. Aiunt dictionem κεχαριτωμένη significare *gratificatam* seu *gratam factam*; non, *gratia plenam*. Primùm, quod dicunt, facile damus. Neque id fugit interpretem nostrum; vt proinde, his monitoribus, & Doctoribus minimè eguerit. Sententiam enim illam, ad Ephes. 1. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, ita vertit; *gratificauit nos in dilecto*. Si sciuit χαριτοῦν, esse, *gratificare*, seu, *gratum facere*; proculdubio sciuit etiam, passiuum χαριτοῦσθαι, esse *gratificari*, seu, *gratum fieri*; & quod hinc sequitur, κεχαριτωμένην, esse, *gratificatam*; seu *gratam factam*. Alterum quod dicunt, nempe τὸ κεχαριτωμένη, nõ significare, *gratia plenam*, reiicimus, vt falsum; imò asserimus, rectissimè, & appositissimè interpretem vocibus illis; GRATIA PLENA, Græcam dictionem expressisse. Gratificamur enim à DEO per gratiæ infusionem; &, quò quis maiorem accipit gratiam, eò magis (liceat per Hæreticos passiuè hoc verbum vsurpare) gratificatur, & consequenter, eò plenior erit gratia. Cùm igitur D. VIRGO, super omnes mortales gratificata fuerit: Id enim dignitas officij Matris DEI, ad quod ab æterno destinata erat, exigebat; sequitur, quòd omnibus aliis hominibus, imò, & Angelis plenior gratia fuerit. Iure igitur interpres noster, respiciens ad causam huius gratificationis, posita causa loco effectus, vel potius vocabulo causæ, loco vocabuli effectus, κεχαριτωμένην, *plenam gratiâ* vertit. quia, per plenitudinem gratiæ, tanquam per caussam, κεχαριτωμένη, & gratificata Deipara fuit. Quis autem nescit, causas per effecta, & ipsa effecta per causas tropo Metonymiæ satis trito, & noto describi, & intelligi solere? Quod mirum est, istos, Grammatices tam studiosos, non aduertisse. Sed nolunt videlicet *gratia plenam* cum Antiquitate; quæ sola, ad hanc tuendam interpretationem nobis sufficere deberet *gratificatam*: Vel; quod minus adhuc aptũ est. *Gratiosam* volunt; vt suum illud de fauore DEI externo, & iustitia imputatiua falsum dogma melius velent. Nam, si quis D. Virginem *plenam gratia*, celebrari audiat; statim aliquid intra, & non extra Virginem, mente, & cogitatione effor-mat: quam notionem, vox illa altera, tam distinctè animo nequaquam subiicit; ac proinde fraudi hæreticorum aptior est.

Scimus, alios quoque *plenos gratia Dei* dici, neq; tamen gratiæ magnitudine, cum hac nostra Virgine comparari posse. Plenitudinum enim vna, est plenior alterâ, vt rectè dixit S. Thomas 3. p. q. 7. a. 19. Secundum quod aliquis diuinitus præordinatus est ad altiorem, vel inferiorem statum. Nam & mare, plenum est aqua, & fluuius, & fons. At, quis nesciat quantum mare excedat copia, & abundantia aquarum fluuium, vel fontem? Eôdem modo S. Stephanus Act. 8. dicitur *plenus fide, & Spiritu sancto*, id est, donis S spiritus, inter quæ, haud postremum est, gratia sanctificans. Et paulo post in eodem cap. secundum vulgatam editionem, appellatur *plenus gratia, & fortitudine*. licet in Græco textu sit, πλήρης πίστεως, id est, *plenus fide*. Verum plenitudo hæc gratiæ in Stephano tantò minor fuit, quàm in B. Virgine, quantò minor, & inferior est Diaconus Matre DEI, & dignitas Diaconi, dignitate Matris DEI. Quæ MARIAE peculiaris plenitudo gratiæ, satis ab ipso quoq; Angelo expressa est verbis illis amplissimis; *Dominus tecum. Et benedicta tu in mulieribus*.

Secundus locus Lucæ 2. v. 40. *Puer crescebat & confortabatur*; vbi deest; *spiritu*. Respondeo, quædam exemplaria vocem *spiritu* exhibent. Secundò, vnde nos VVitackerus certos reddet τὸ, spiritu, non esse assumentum in Græcis codicibus. Tertiò, illud, *confortabatur*, nõ malè ad augmentũ etiã corporis referri potest. Quartò; vt maximè ad animũ referatur; tamen etiã absq; vocabulo *spiritu*, statim intelligitur, Christũ spiritu roboratu & confortatũ esse; cum subito subiiciatur: *plenus sapientiâ. & gratia Dei erat in illo*; cuius simile de Christo testimonium in fine capitis repetitur.

Tertius locus Lucæ 3. v. 13. πράσσετε, non, *facere*; sed, *exigere* significat, Publicanos enim Baptista alloquitur. Respondeo, Hic quoque futilem cauillatorẽ VVitackerũ vides. Nã πράσσειν & *facere* & *exigere* significat, vt omnibus notũ. Monens ergo Baptista Publicanos, ne quid facerent, vltra id, quod constitutũ erat, monuit, ne quid exigerẽt, vltra debitũ. Erat enim cõstitutũ quantũ tributi exigere deberẽt; plus facere, erat plus exigere, vt notat Maldonatus. Quare illud πράσσειν rectè vertit interpres *facere*; quidquid VVitackerus ex Magistris suis Erasmo, Beza & aliis contra garriat.

Quartus locus c. 6. v. 11. *Ipsi repleti sunt insipientia*; pro, *amẽtia*. ἐπλήσθησαν ἀνοίας. Sed si VVitackerus nõ fuisset ἄνους, abstinuisset ab huius loci reprehensione; quandoquidẽ certũ est, *fatuũ & insipientẽ* dici etiã posse ἄνουν; quod vocabulũ licet propriè significet amentẽ; tamẽ pariter significat *insipientẽ*; cum insipiẽtia sit quędã amentia, nõ illa furiosa tantũ; sed & illa, quæ mitiore vocabulo *demẽtia* dicitur. Cũ igitur Pharisæi viso Christi tanto miraculo potius excæcati & infatuati quã illuminati fuerint; iure dicũtur repleti *insipientia*; excordesq; effecti.

Quintus locus Lucæ 11. v. 53. ἀποστοματίζειν (vel ἀποστομίζειν) αὐτὸν περὶ πλειόνων, *vetus interpres transtulit*, os eius opprimere de multis: *ineptè. Est enim eum vrgere de multis.*

Respondeo, quamquam non desunt, qui suspicentur legendum esse ἀποστομίζειν atque adeo ita etiam legisse nostrum Interpretem; (quo verbo vtitur etiam S. Paulus ad Titum cap. 1. οὓς δεῖ ἀποστομίζειν, *quibus oportet os obturare*) tamen necesse non est, vt huc veniamus; nam & verbum ἀποστομίζειν, seu ἀποστοματίζειν significat, *os occludere & obturare*, Quod Germani significanter exprimunt, das Maul herab hacken: quando alicui ita imponitur silentium, vt quod respondeat, non habeat. Et hoc probatur auctoritate Theophylacti Græci scriptoris, qui notiones Græcarum vocum melius proculdubio sciuit, quàm VVitackerus. Ita ergò ille. *καὶ δὲ ἀποστομίζειν αὐτὸν ἤρξαντο, τοῦτ' ἔστι πολλαῖς ἐρωτᾷν αὐτὸν, καὶ ἀπορεῖν. γίνεται γὰρ τὸ ἀποστομίζειν, ὅταν πλείονες ἐρωτῶσιν ἕνα, περὶ ἄλλων, καὶ ἄλλων ὑποθέσεων. τότε γὰρ μὴ δυνάμενος ἀποκρίνασθαι, ἔμφασιν δίδωσι τοῦ ἀνοήτου ἐξαπορηθῆναι. τοῦτο τοίνυν ἐσοφίζοντο καὶ οἱ κατάρατοι ἐκεῖνοι κατὰ Χριστοῦ. πολλοὶ γὰρ ἐρωτῶντες τὸν ἕνα, ἐδόκουν ἀποστοματίζειν αὐτὸν, καὶ εἰς ἀπορίαν ἄγειν, ὡς μὴ δυνάμενον ἀποκρίνασθαι. ὅπερ εἰκότως ἐγένετο. πῶς γὰρ ὁ εἷς δύναιτο πολλοῖς ἀποκρίνασθαι ἄλλα, καὶ ἄλλα ἐρωτῶσι*; Quæ Theophylacti verba sic Latinè conuertit Erasmus; *Verùm ἀποστομίζειν etiam illum cœperunt, hoc est, frequenter interrogare eum, & perplexum reddere. Fit enim τὸ ἀποστομίζειν, cum plures interrogant vnum de aliis, atq; aliis argumentis. Tum enim, qui non potest respondere, speciem præbet stulti, quod hæreat. Hoc sanè tunc moliebantur etiam scelesti illi aduersus Christum. Nam, cum multi interrogarent vnum, videbantur ἀποστομίζειν illum, & ad hæsitantiam deducere, vt, qui non posset respondere, id quod probabiliter accidisset. Quo pacto enim vnus posset multis respondere, alia, atq; alia interrogantibus?* Adfert & aliam Theophylactus explicationē; sed hæc maximè ad defensionem nostri Interpretis facit; Omitto apud Hesychium ἀποστομίζειν, esse φιμοῦν, *obturare*, siue *os occludere*. Quæ cum ita sint, non multum moramur, quid alij aduersus Interpretem tam vulgatum, quàm probatum deblaterent.

Dices; quomodo tentarunt Christo obturare os variis quæstionibus, cum nihil aliud desiderarint, quàm vt loqueretur, quo eius capiendi & carpendi, imò & accusandi haberent occasionem; vt sequentibus verbis testatur S. Lucas. Respondeo, duo illos tentasse. Primum; Christo obturare os, vt gloriari possent, se Christo fecisse; quod ipse illis sæpe fecerat. Sæpe enim scribis & legisperitis os ita obturauerat; vt penitus, tanquam elingues, obmutescerent. Secundum, vt si fortè ad tot quæstiones propositas respondere conaretur; in verbis & responsis eum caperent: quod indicant illa Euangelistæ verba: *Insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.* Quanquam si illud: *Cœperunt opprimere os illius*: ita explicemus: cœperunt vrgere os illius:

A omnis difficultas cesset; nec apparet caussa cur is, qui importunè variis quæstionibus ad respōdendum vrget, non posit dici *opprimere os alterius.* Hinc & nos illis, qui importunius instant, dicere solemus. thu ein wenig gemach. *Exspecta parumper.*

Sextus locus Lucæ 13. v. 3. & 4. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo*, pro; *aut illi decem & octo.* Respondeo, habent quidem iam Codices Græci particulam disiunctiuam ἢ, sed vnde nobis probabit VVitackerus Euangelistam non scripsisse, ὡς, prout legit noster Interpres; & vertit D. Hieronymus?

Septimus locus. Lucæ 15. v. 8. *Euertit domum*, pro: *Euerrit domum.* σαροῖ τὴν οἰκίαν. Obiicit eun-

B dem locum Hunnius additque: *Insania esset, si mulier propter amissam drachmam euerteret domum.* Respondeo, calumniatores isti, si ad criminationes tam præcipites non ferrentur, facilè animaduertissent, erratum librarium in illo verbo hærere; ac proinde *euerrit* scribi debere; sicut semper in codicibus emendatioribus scribebatur; & postremo etiam in recognitis Bibliis eadem lectio comprobata fuit.

Octauus locus. ibid. v. 14. *Postquam omnia consummasset*, pro, *consumpsisset*, δαπανήσαντος. Eundem locū obiicit Hunnius. Respondeo, cum *consummare* nihil sit aliud, quàm finem rebus imponere, isque, qui omnia abligurijt; finem rebus suis imposuerit; rectè dici potest omnia *consum-*

C *masse*, hoc est, confecisse, &c.

Nonus locus. Lucæ 16. v. 22. In latino sic legitur. *Sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos, &c.* pro eo: *Mortuus est etiam diues, ac sepultus est.* Tum nouā sententiā inchoatā. *Et in inferno eleuans oculos.* Respondeo, hic iterum incumbit VVitackero onus probandi, Græcam distinctionem & interpunctionem esse legitimam; nostram, vitiosam & respuendam. Vt hoc euidentibus aliquot argumentis demonstret, opem Erasmi & Bezæ, à quibus calumnias suas in Interpretem nostrum accepit, implorare poterit.

Decimus locus. Lucæ 19. v. vlt. *Omnis populus suspensus erat audiens* illum: pro, *Populus omnis ab illo pendebat, cum eum audiret.* ὁ λαὸς ἅπας ἐξεκρέματο αὐτοῦ

D ἀκούων. Rectè dixit Sacroboscus, dubitari posse, num VVitackerus fuerit mentis compos, quando hæc scripsit, cum Interpres noster Græca verbatim expresserit; nam quod VVitackerus illud αὐτοῦ coniungere videtur cum verbo ἐξεκρέματο, non cum sequenti ἀκούων, planè delirat, & illud ipsum, quod Sacroboscus de VVitackero pronunciauit, mirum in modum confirmat.

Locus vndecimus ab Hunnio allatus Lucæ 10. *Post hæc designauit Dominus & alios septuaginta duos. In Græco, ἑβδομήκοντα, septuaginta. Erratur igitur in numero. Hic error paulo post repetitur: Reuersi sunt autem septuaginta duo; pro septuaginta.*

Respondeo, hęc planè est Prædicantica, hoc est, imperitissima obiectio, vt fatebitur, quisquis

lego-

legerit, quæ Maldonatus & Iansenius ad hunc locum disserunt. Et Beza Græcum Codicem citat, in quo disertè scriptum erat ἰσοδυναμοῦντα δύο, *vt planè nihil certi habeam quod constituam*, inquit Beza. At haberes, si vetustatem, quàm nouitatem sectari malles. Vide Brugensem in Notationibus.

Duodecimus locus ab Hunnio quoque prolatus. Lucæ 8. *Venerunt autem ad illum mater, & sorores eius, & non poterant audire illum præ turba: audire, ponitur pro adire.*

Respondeo, Hunnius correctiores Codices, & in his postremam Bibliorum recognitionem inspicere debebat, ibique non *audire*, sed *adire* inuenisset. Sic & paulò pòst; pro, *compellebantur*, vidisset, *complebantur*; si oculos ad veritatem, quàm ad calumnias & insectationem apertiores habuisset.

Defenduntur Loca ex S. Joanne.

LOCVS primus Ioan. 5. v. 16. Post hæc verba, *persequebantur Iudæi Iesum*, desunt illa; *& studebant eum interficere*, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι.

Respondeo cum Sacrobosco, redundare Græca, & ex versiculo 18. huc translata esse. Nec leguntur apud Chrysostomum. Erasmus, cui VVitackerus libentius obsequetur: *In Græcorũ codicibus additum reperio*, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι*; fortaßis ob hoc, quia sequitur: propterea magis quærebant eum interficere, sed reclamantibus magno consensu Latinorum codicibus.*

Locus secundus. cap. 12. v. 35. *Adhuc modicũ lumen in vobis*; pro, *adhuc paruo tempore lumen est vobiscũ.* ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι. Hanc inscitiam nõ meis, sed Maldonati in hunc Ioannis locum verbis depellam. Adhuc modicum, lumen in vobis est, *in Græcis codicibus legitur;* ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, adhuc modico tempore lumen vobiscũ est. *Noster interpres videtur legisse;* ἔτι μικρὸν, φῶς ἐν ὑμῖν ἐστι. adhuc modicum, lumen in vobis est. *sed sensu eôdem. Nam, illud modicum, per se sumptum, non cum lumine coniunctũ, pro breui accipitur tempore*, vt c. 13. v. 33. Filioli, adhuc modicũ vobiscũ sum. Et c. 14. v. 19. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Et cap. 16. v. 16. & 17. & 19. Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicũ, & videbitis me. *Quibus in locis etiam Græcè est* μικρὸν, modicum, *absolutè positum. quemadmodũ & hoc loco credendum est nostrum legisse interpretem.* In vobis *autem, idem est, atq; vobiscum. Nam,* in, *accipi aliquando pro,* cum. *& Græcè* ἐν *pro,* σὺν, *notius est, quàm vt admonere debeamus. Exempla sunt Matth. 11. v. 21. & 16. v. 27. In Græca Catena hanc lectionem inuenio.* ἔτι μικρὸν χρόνον φῶς ἐν ὑμῖν ἐστι adhuc modico tempore lumen in vobis est. *Quocunq; modo legamus, sensus est, breui tempore lumen habituros.*

Tertius locus. cap. 21. v. 22. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Sic autẽ legendum erat: *Si velim eum manere, donec veniam; quid ad te?* in Græco; ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε;

Respondeo, VVitackerus in triplici varietate lectionis inter grauißimos & doctißimos viros tamdiu agitata, nimis præproperè, imò absq; vlla auctoritate sententiam pronunciat; & controuersiam, tamquã Iudex legitimè ad hoc vocatus & electus, decidit; cum sit vnus è multis, cui vix dicendæ sententiæ potestas; nedum definiendi ius ac facultas. Legatur Lucas Brugensis in Notationibus; quanque temerarius sit VVitackerus statim apparebit, & quidem dilucidè. Mira est istorum audacia, qui sua, quasi oracula, proponunt, & pro oraculis coli & suscipi volunt; Etiamsi sint noua, nupera, nudiustertius ex Nouatoris alicuius cerebro prognata, nõ sine hac plusquã canina impudentia, qua à nobis extorquere nituntur, vt auditis hisce nonis, è vestigio assensum præbeamus, & vetera omnia valere iubeamus; quod, vt apud nos efficiant, non adferunt rationes; sed verba grandiloqua & sesquipedalia; quibus nos, tanquam pusiones, terrere conantur; vt cum Hunnius hic clamitat; *nostram lectionem esse turpißimum erratum, quod nõ modò sensum obscurarit penitißimè, sed etiam Augustinum in errorem abripuerit, vt expositionem effingeret supra modum contortam & peregrinam.* Mox pari grandiloquentia idem Prædicans: *Repetitur,* inquit, *eodem modo crassißimum illud erratũ.* Hæc si quis Prædicantici genij ignarus audiat, an non derepente vela submittat; & ad Prædicantium partem transeat? At qui nouit huiusmodi *superlatiuis* verborũ exaggerat onibus nil nisi Prædicanticum fumum subesse, ?e non plus istis mouetur, quam si mortuo aut surdo fabulam canas.

Quartus locus ab Hunnio prolatus, Ioan. 1. *legitur error nulla ratione excusabilis. nempe;* Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. *Atqui Bethania non erat trans Iordanẽ, neq; illic baptizauit Ioannes. Sed in Bethabara baptizabat, sicut Græci Codices habent vniuersi. Miror, quem fucum illinere poßit Bellarminus, vt à vitio translationem Latinam excuset.* Respondeo, has Prædicanticas nebulas vno spiritu difflabunt illi auctores, qui duas *Bethanias* statuunt; quæ sententia adeò est verisimilis, vt nullis vnq̃ machinis vllus Prędicãs eam sit labefactaturus, multò minus euersurus.

Quintus locus ab eodem Hunnio obiectus. Ioan. 5. *Sic vertit translator.* Est autẽ Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominabatur Hebraicè Bethsaida. *Atqui Bethsaida erat opidũ Galilææ, patria Andreæ, & Petri In Græco autẽ est* Βηθεσδά. *Bethesda.* Quasi verò nõ poßint esse duo loca eiusdem nominis; vt omittam mentiri Prędicantem, cum dicit indistinctè Græcos codices habere *Bethesda.* Quidã enim habent, vt Latini, *Bethsaida*, vt notat Maldonatus in hunc Ioannis locum; & sic etiam habet Græcum Vaticanæ Bibliothecæ antigraphum, & Græca Romana Theophylacti editio, vt testatur Lucas Brugensis.

Defen-

Digitized by Google

Defenduntur loca ex Apostolorum Actis.

PRIMVS locus Act. 2. v. 42. *Et communicatione fractionis panis.* Pro, *& communicatione & fractione panis.* καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Hic iterum non iniuriâ petimus à VVitackero, vt aliquo perspicuo argumento demonstret, lectionem, quæ nunc Græcos Codices obsidet; meliorem esse illâ, quam noster Interpres suis in codicibus repertā optima fide repræsentauit? nam ex versione eius liquet, eum legisse, καὶ κοινωνίᾳ κλάσεως τοῦ ἄρτου. Sed hæretici κοινωνίαν & κλάσιν libenter in duo membra partiuntur, ne id quod nolunt, nimis luculenter appareat.

Secũdus locus ibid. v. vlt. In idipsum, pro *Ecclesia*, τῇ ἐκκλησίᾳ. Sed cum vox *Ecclesia* absit ab omnibus Latinis exemplaribus, non immeritò subit suspicari, eam foris intrusam, & ex glossemate in textum illapsam esse. Quod Græci codices illud; *in id ipsum*; iam coniungunt cum principio capitis tertij; id nobis non est curæ; quia Interpres noster bliteus non fuit; vt meritò cogitare liceat, eum, voculam illam, copulaturam fuisse cum fine capitis secundi, si verè eò non pertineret.

Locus tertius cap. 3. v. 18. Qui prænunciauit, pro, *Quæ prænunciauit.* ἃ προκατήγγειλε. At recognita Bibliorum editio, non habet, *Qui*, sed, *Quæ*; quæ lectio etiam antea in correctioribus codicibus reperiebatur.

Locus quartus cap. 10. v. 30. *Vsq; ad hanc horam orans eram hora nona*, pro, vsque ad hanc horam eram ieiunans, & hora non precabar.

At, quis nisi temerarius, præstabit, vel si opus sit, interposito iureiurando confirmabit, veram & genuinam esse Græcam lectionem; nostram; spuriam & insinceram, præsertim cum exstet etiam in recognitis Bibliis, neque minor sit auctoritas Latini vulgati textus, quàm Græci: maximè cum Latini codices, paucissimis exceptis, constanter conspirent; neque Arabs Interpres ieiunij meminit, teste Beza.

Locus quintus ibid. v. 32. hæc desunt. *Qui cum adfuerit, loquetur tibi*, ὃς παραγενόμενος, λαλήσει σοι. Respondeo, cum Sacrobosco, hæc verba satis ex antecedentibus intelligi: Et videri à Græcis textui apposita.

Locus sextus cap. 12. v. 8. *Calcea te caligas tuas*; pro, *subliga sandalia tua.* ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Respondeo, imperitus Sectarius nescit, etiam *caligas* veteribus fuisse calceamenti genus. De quo plura non addo, quandoquidem doctissimè verba hæc D. Lucæ & nostri Interpretis explicat Ioannes Lorinus noster in cap. 12. Actuum. Adde, quod Erasmus & Beza in omnes Interpretis nostri carpendi occasiones intenti, hic tanquam Si-

A lij quidam silent, & vix vt Mutij mutiunt, minimè tacituri, si quid non tacendum in hac versione deprehendissent. Sed VVitackerus supra Magistros suos ab ipsis suis Magistris sapere doctus est.

Locus septimus cap. 16. v. 13. *Vbi videbatur oratio esse*; pro; *vbi solebat oratio esse.* οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Respondeo, rectè vertit noster Interpres; nam quod solenne est, id etiam videtur, & tale censetur; ideoque satis assecuta est sensum editio nostra, cum qua & Syra concordat, inquit Lorinus, & ita etiam Caluinianus & Iudaicus Tremmelius in sua versione ex sermone Syro.

Locus octauus cap. 18. v. 5. *Instabat verbo Paulus*, B pro, *astringebatur spiritu Paulus.* συνείχετο τῷ πνεύματι. Ita quidem noui versores. Sed rectè noster Interpres, inquit Lorinus, effectum exprimere malens pro caussa; quam continet textus Græcus: quia enim vrgebatur à spiritu; ideo propagationi verbi sollicitè operam dabat.

Locus nonus ibid v. 16. *Minauit eos à tribunali*, pro, *abegit eos à tribunali.* ἀπήλασεν. Nihil hic offendit VVitackerum quàm verbum *minare* non semel in sacris litteris vsurpatum. Quod nunc aures asperè verberat; at si in Apuleio, aut Petronio Arbitro, aut simili quopiam ab aliquo Critico reperiretur, tantum non adoraretur, & elegantissimum, omnibusque gratiis ac leporibus plenissimum reputaretur. Prout etiam Cri- C tici apud Apuleium verbum hoc annotant, & tanquam probum illustrant, vt proinde Erasmũ, VVitackerum & similes audaciæ simul ac insciciæ pudere deberet, si quis pudor in impudentes cadere posset. Apuleius lib. 7. Metamorph. *Gregatim pecua comminantes.* In quæ verba Apuleij emaculator. *Minare idem, quod agere. Paulus Festi epitomator*; Agasones equos agentes, id est minantes. *Et paulò pòst*: Agere modò significat ante se pellere, id est, minare. *Supra lib. III.* Nos duos asinos minantes, baculis exigunt. *Sic prominare* infra lib. IX. vtitur hac dictione Anianus ad Pauli libros sententiarum, & *inferioris æui alij* auctores.

Locus decimus. ibid. v. 21. hæc desunt. *Oportet* D *omnino, me festum, quod instat, agere Hierosolymis.* δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα. Respondeo, Liranus non absque caussa negat hæc esse de textu, vel esse in libris correctis. *Quia nec Paulus iuit in Hierusalem*, inquit Liranus, *sed postea, per magnum tempus*: tametsi Baronius anno Christi 54. & Lorinus in cap. 18. non improbabiliter secus statuunt.

Locus vndecimus cap. 19. v. vlt. *Cum nullus obnoxius sit*, pro, *cum caussa nulla sit*, μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος. Respondeo, hic iterum delirat VVitackeri acumen. Optimè enim vertit Interpres, *cum nullus sit obnoxius*, hoc est, cum nullus sit reus, nocens, de quo, tanquam de auctore, huius seditionis concitatæ possimus rationem reddere: nam

ἄστω

Digitized by Google

ἄιτιος est hic, vt & alibi frequenter, ὑπαίτιος, ἄξιος κολάσεως, *sons, reus, dignus supplicio.*

Locus duodecimus. cap. 22. v. 12. *Vir secundum legem*, pro, *vir pius secundum legem*, ἀνὴρ εὐσεβής. Respondeo, codices Græci non consentiunt: nam quidam habent εὐλαβὴς, quidam εὐσεβὴς, vt notat etiam Erasmus; & aliqui Codices Latini habent, *Timoratus*; hoc enim vocabulo solet Interpres noster Græcam vocem εὐλαβὴς reddere. Tandem idem sensus est; nam vir secundum legem, & testimonium habens ab omnibus, quid aliud est nisi vir pius, εὐσεβὴς, εὐλαβὴς & religiosus?

Locus decimus tertius cap. 24. v. 14. *Quod secundum sectam, quam dicunt hæresin, sic deseruio patri Deo meo*: pro, *quod secundum viam quam dicunt hæresin, ita seruio patrio Deo.* ὅτι κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, οὕτω λατρεύω τῷ πατρῴῳ Θεῷ.

Respõdeo, idem est sensus, siue legas *secundum viam*; siue, *secundum sectam*, quia ὁδὸς seu via accipitur hic pro *secta*; quo pacto olim etiam in scholis audiebatur: *Via Nominalium, Via Realium*: hoc est, *secta.* Miratur Erasmus, *quid Interpreti nostro in mentem venerit, quòd Latinam vocem sectam interpretatur per Græcam, cum hæresis apud Græcos nihil aliud sit, quàm secta*; Sed nescio quàm docta sit hæc admiratio; si enim secta rectè ponitur loco *via* vt iam dictum; via autem rectè declaratur per vocem *hæresin*; rectè etiam declarabitur *secta*, per vocem, *hæresin*, cum idem hic sit, quod via. Iustior est Bezæ admiratio, in cap. 14. Marci, vbi miratur, quo consilio Erasmus vocabulum Græcum ἀνώγεον verterit per aliud Græcum; *Triclinium*; cum Latinum *cœnaculum* in promptu fuerit. Quod attinet ad illud πατρῴῳ Θεῷ, nec Græci nec Latini codices consentiunt. Quocirca non poterit VVitackerus nostram lectionem simpliciter damnare, nisi prius euidenter nobis ostenderit, sublata omni varietate lectionis & dubitatione; quænam sit lectio authentica & originalis.

Locus decimus quartus. cap. 27. v. 42. *Vt custodias occiderent*, pro. *vt vinctos occiderent.* ἵνα τοὺς δεσμώτας ἀποκτείνωσι. Respondeo, nimia hæc est impudentia cum grandi ignorantia copulata. Quis nescit apud Latinos scriptores & veteres Iureconsultos nomen *custodia* accipi pro ipsis *vinctis* seu *reis*, qui custodiuntur. vt apud Suetonium in Domit. cap. 14. apud Paulum Iureconsultum, & Terentianum Clementem; cuius sunt ista. *Si custodia se interfecerit, vel præcipitauerit, militis culpa adscribitur, & castigatur. Quod si ipse custos custodiam interfecerit, homicidij reus est.* Et Modest. L. 12. ff. de publ. iud. *Custodias auditurum tam clarissimos viros, quàm patronos caussarum adhibere debere.* Seneca. *Quemadmodum eadem catena & custodiam & militem copulat*: vt prætercam, alia huius generis loca. Ex quibus liquidò apparet, quantus VVitackerus sit calumniator, qui in nostro Interprete carpit, quod præstantissimi Auctores vsurparunt; *custodiam* scilicet pro *reis* seu *vinctis*, qui custodiuntur.

A Locus decimus quintus ab Hunnio obiectus. cap. 16. v. 1. *Legit vetus translatio*; Discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris viduæ fidelis. *In Græco est*; υἱὸς γυναικός τινος ἰουδαίας. *Filius mulieris cuiusdam Iudææ. Ex Iudæa ergò femina, facit editio Latina viduam.* Respondeo, si Prædicans inspexisset correctiora exemplaria; ipsamq; nouissimè recognitam Bibliorum editionem, hanc lectionem reperisset: *Filius mulieris Iudææ fidelis.*

Defenduntur loca ex Epistola ad Romanos.

B PRIMVS locus Rom. 2. v. 3. *quod iudicas*; pro. *qui iudicas.* ὁ κρίνων. At versu 3. omnes Latini libri habent, *qui iudicas*: vt proinde mendacium sit VVitackeri, quod scribit, si non est mendum typi, versiculum tertium pro secundo ponentis; in quo hæc primùm, *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis, qui iudicas.* Postea subditur; *eadem enim agis, quæ iudicas.* De hoc loco si loquatur VVitackerus, falsarius erit; *Quod*, pro, *Quæ* substituens. Legunt quidem iam Græci codices; *Qui iudicas*; sed non constat, num hæc veterum fuerit lectio, quin nec ex Origenis, nec ex Chrysostomi, nec Theophylacti, nec ex Ambrosij Interpretatione quidquã colligi potest, vt fatetur Erasmus. Et sensus idem manet siue hoc, siue illo modo legas.

C Secundus locus cap. 5. v. 6. *Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus*, pro, *Christus enim, cum adhuc infirmi essemus*: ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν.

Responsum accipiat VVitackerus ab Erasmo. *Apparet codicem, quem secutus est Interpres, habuisse εἰς τί, id est, ad quid? Vterq; sensus est tolerabilis. Ad quid enim, subaudi, ne spes confundat. Et vt quid, legit Ambrosius quoq;*

Tertius locus ibid. v. 13. *Peccatum non imputabatur, cum lex non esset, pro, peccatum non imputatur; cum nulla lex est.* ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου.

Respondeo, vtriusque lectionis idem est sensus: nostramque sequitur S. Augustinus, & S. Ambrosius, teste Toleto in hunc locum: Et fa- D cile ex imperfecto, ἐνελογεῖτο nasci potuit præsens, ἐλλογεῖται. Testatur Erasmus se in commentariis Chrysostomi reperisse ἐλογεῖτο, in Theophylacto, ἐλλογεῖτο. Quæ vitio librariorum ex genuino ἐνελογεῖτο deflexa esse, facile est animaduertere.

Quartus locus est cap. 7. v. 25. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Iesum Christum*: *pro, gratias ago Deo, per Iesum Christum.* εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Respondeo, hæc parum nos mouent. Nam nostram lectionem vno ferè consensu tuentur Latini codices: *& sic legunt ex veteribus Græcis*, inquit Lucas Brugensis, *Irenæus lib. 3. cap. 22. Origenes, hunc enarrans locum, Chrysostomus explicans ver. 7.*

Psal-

A *Psalmi 121. Ex Latinis, Ambrosius lib. de Dominica incarnationis Sacramento cap. 7. oratione in obitum Theodosij, lib. 2. de Abraham, cap. 6. Augustinus, cum multis aliis in locis, tum sermonibus quinto de verbis Apostoli; & 49. ac 53. de diuersis; Primasius, Autores commentariorum, quæ D. Hieronymo, & B. Ambrosio adscribuntur. Sedulius His accedunt, Haymo, Anselmus, Autor Glossæ, Carensis. Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, aliiq; enarratores.*

Neque inter se conueniunt Græci Codices. Plerique habent, inquit Brugensis, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, quod est, *gratias ago*: hocque modo & legunt, & intelligunt Græci tractatores, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius; atque inter Latinos Patres, Hieronymus, octauæ Algasiæ quæstioni respondens. Est hæc & Syriaci B testamenti lectio. Quidam verò Græci libri, Parisiensium vnus 10. χάρις δὲ τῷ θεῷ scribunt, hoc est, *Gratia autem Deo*. Quam scripturam videri possint redolere Latina exemplaria non pauca, quæ habent, *Gratia autem Dei*; fierique hinc verisimilis eorum coniectura, qui Latinè nobis, *Gratia Deo*, legendum esse coniiciunt, quomodo apud Hieronymum, quæstione ad Algasiã octaua, primum legitur. Decem nostra manuscripta; *Gratia autem Dei*, habent; sed recentiora illa minusque emendata. Antiquitate, integritateque præstantia, omnia, *Gratia Dei*, legunt, quibus cùm vetustissimi Patres, scriptoresque, Græci, & Latini, disertè adstipulentur, non facile in erroris suspicionem venire debent. Quin imò, sicut Græcè C nonnulli legunt, χάρις τῷ θεῷ (ita enim absque δὲ *autem* coniunctione, quidam producit) sic facilè potuit interpres, χάρις τοῦ θεοῦ, duabus literis aliis, legisse, præsertim cũ ω & ν figurâ maximè affines sint: iotaque, illi, nunc non subscribatur, nunc subscriptum non animaduertatur.

In eundem D. Pauli locum hęc Toletus: Gręca exemplaria habent. Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, vt non solùm declaret gratiam Christi liberare nos ab hac captiuitate, sed etiam gratias agat pro ea, tanquam pro beneficio gratuito Dei: ac si diceret; gratia liberat Christi, quæ est Dei insigne beneficium, pro quo gratias omnis homo agere tenetur. Nostra tamen lectio accommodatior est, D quam Origenes Græcus auctor, similiter & Methodius apud Epiphaniũ hæresi 64. secuti sunt, & eandem sequuntur Hieronymus Epist. ad Hedibiam, q. 8. & Augustin. lib. 1. contra Epist. Pelagian. cap. 11. Vtraque tamen lectio in eundem tendit sensum.

Quintus locus cap. 8. v. 18. *Existimo, quod non sunt condigna passiones*, &c. pro, *certò statuo*, λογίζομαι. Respondeo, hæreticus animaduertisse debebat, verbum, *existimo*, non esse opinantis, aut dubitantis, sed affirmantis & asserentis, vt rectè notat in hunc locum Cardinalis Toletus. Ex qua animaduersione ruunt omnia, quæ hîc Erasmus aduersus Interpretem nostrum inaniter deblaterat, qui vel ex communi hominũ sermone discere poterat, verbum *existimandi*, non semper esse cum dubitatione coniunctum. Sæpe enim dicimus de re nobis certa & explorata: *Existimo hoc ita vel ita sese habere.*

Sextus locus. cap. 12. v. 19. *Non vosmetipsos defendentes*, pro, *vlciscentes*. ἐκδικοῦντες. Respondeo, cum Sacrobosco, VVitackerum hîc prodere suam inscitiam. Nam defendere etiam *vlcisci* significat. Vnde Tertullianus contra Marcionem lib. 2. *durum videbatur populo à Deo exspectare defensam, edicendam postea per Prophetam, mihi defensam, & ego defendam.* quibus verbis patet *defensam* accipi consueuisse pro *vindicta* & defendere, pro *vindicare*, siue *vlcisci*.

Septimus locus. cap. 13. v. 1. *Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*, pro, *quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt*. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσί. *At editio Vaticana*, inquit Sacroboscus, *& alij emendati codices Latini* hoc modo habent: *quæ autem sunt* (supple potestates, de quibus proximè antè) *à Deo ordinata sunt*. Hæc verò lectio eadem est cum Græca.

Octauus locus. cap. 14. v. 5. *Vnusquisq; in suo sensu abundet*, pro, *vnusquisq; in animo suo plenè certus est*. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω.

Respondeo cum Sacrobosco; *Interpretem nostrum* rectissimè vertisse. Postquam enim præmisit Apostolus; alios solitos religioni adhuc ducere, Iudæorum festa non obseruare: alios huius modi dies pro non sacris habere; suadet, vt quisque hac in re suo iudicio permittatur; nec infirmi alios condemnent; nec alij asperius cum infirmis agant, sed eos patienter ferant, donec in scientia proficiant. Hanc esse mentem Pauli, quilibet facilè perspiciet. Vnde Arias Montanus, qui verbis Græcis, quàm potest, maximè inhæret, sic habet; *vnusquisq; in proprio sensu abundet*. Et rectè quidem, quandoquidem πληροφορούμενον esse, nihil est aliud quam esse repletum & refertum, & ex consequenti, abundantem.

Nonus locus ibid. v. 6. desunt; *Et qui non curat diem, Domino non curat*, καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ οὐ φρονεῖ. Hic rursus audiat Caluinista suum Erasmum. *Apud Theophylactum additur hac particula. Verùm quoniam nostrorum Codicum magnus est consensus, nec apud Ambrosium reperitur, nec apud Origenem; fieri potuit, vt quod in Paulo defuit, de suo suppleuerit aliquis.*

Decimus locus cap. 16. v. 23. *Salutat vos Gaius hospes meus, & vniuersa Ecclesia*, pro, *& vniuersa Ecclesiæ*. καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης. Respondeo, facilis fuit mutatio ex illo, καὶ ἡ ἐκκλησία ὅλη, in id, quod hodie Gręcos codices occupat.

Vndecimus locus obiectus ab Hunnio. cap. 16. v. 5. *Salutate Epænetũ, dilectum mihi, qui est primitiuus Asiæ*. Pro Asiæ, legitur in Græcis codicibus, *Achaia*. Verum Latini libri, inquit Lucas Brugensis, constanter, *Asia*, seruant; consentientibus Latinis Tractatoribus, præter nostræ ætatis aliquot, qui & textus suos ex Græco, *Achaia* emendarunt.

Asia, se legisse declarat D. Hieronymus, enarrans caput Ezechielis 43. Porrò & inter Græcos authores. Origenes, non solùm in huius loci commentario, sed etiam Homilia in Numeros vndecima, disertè, *Asia* legit. Et inter Græcos libros, Parisiensium quintus, *ἀσίας*, non *ἀχαΐας*, scribit. Quamobrem vulgata Græcorum lectio, de prauata à quibusdam existimatur, similis loci occasione, qui est prioris ad Corinth. 16. *οἴδατε τὴν οἰκίαν στεφανᾶ, ὅτι ἐστὶν ἀπαρχὴ τῆς ἀχαΐας.*

Defenduntur Loca ex prima Epistola ad Corinthios.

PRIMVS locus 1. Cor. 3. v. 5. *Ministri eius, cui credidistis*, pro, *ministri, per quos credidistis. διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε.* Respondeo, ad sensum haud magni refert, hocne an illo modo legas, vt fatetur etiam Erasmus.

Secundus locus ibid. v. 9. *Dei adiutores*, pro, *administri, vel cooperarij, συνεργοί.* Putidum calumniatorem. Quasi *cooperarius*, non idem prorsus significet, quod *adiutor*, vel, *administer*. Pudeat Caluinistam tantæ in calumniis & insectationibus leuitatis.

Locus tertius. cap. 6. v. vlt. pòst, *in corpore vestro*, desiderantur: *Et in spiritu vestro; quæ sunt Dei. καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ θεοῦ.* Respondeo, cum ipsemet Erasmus scribat ab hoc additamento Græco, magno consensu discrepare Latinorum Codices & Interpretes; non est cur huic consensui valedicamus, & Nouatoribus istis adhærescamus.

Locus quartus cap. 9. v. 22. *Vt omnes saluos facerem*; pro, *vt omnino aliquos saluos facerem. ἵνα πάντως τινὰς σώσω.* Quis non videt procliuem fuisse mutationem ex *πάντας*, in *πάντως*, quod cum sensum non absolueret, adscitum est illud *τινάς*. Et proculdubio lectio nostra melior est, & charitati, qua inflammatus erat Apostolus, conuenientior; & omnibus iis, quæ ibidem Apostolus de se commemorat, conformior. Et ipse Beza testatur Syriacam & Arabicam translationes cum nostra facere.

Locus quintus. cap. 15. v. 23. *Deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt*, pro, *deinde qui sunt Christi, in aduentu ipsius. ἔπειτα οἱ χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ.* Respondeo, si calumniator oculis non caruisset, vidisset vtiq; vtriusq; lectionis eundē sensum esse. Addo, in noua editione legi, *in aduentu*, non, *in aduentum*.

Locus sextus. ibid. 34. *Ad reuerentiam vobis loquor*. pro, *loquor vt vobis pudorem incutiam, πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω.* Magnum sacrilegium, quod *reuerentia* vocabulum Interpres noster vsurpauit pro, *pudore*, seu *erubescentia*, caussamque pro effectu posuerit; nam ex reuerentia erga aliquem *pudor* seu *erubescentia*, seu *verecundia* nasci solet; cum quis ab illo, quem reueretur, reprehenditur.

Locus septimus ibid. v. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, pro *non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur. πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.* Respondeo cum Sacrobosco, Grȩca esse hîc corrupta. Nā primū pugnat Græca lectio cum indubitatis scripturæ sententiis. Hebr. cap. 9. *Constitutum est omnibus hominibus semel mori; post hoc iudicium.* Similiter hîc ver. 21. & 22. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: Et, sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Rom. 5. sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum, mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Gen. 2. & 3. In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris. puluis es, & in puluerem reuerteris.* Deinde, si Pauli mens, ex Paulo inuestiganda sit, vide quod sequitur: *in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Vbi, manens in eâdem antithesi Paulus, sicut prius prædixerat, omnes morituros: sed non immutandos omnes, vt intelligeremus, de qua mutatione esset sermo, subiungit explicando, & repetendo priorē sententiam: mortuos quidem omnes resurrecturos incorruptos; sed solos electos immutandos, ad statum videlicet meliorem. Postremò, teste Hieronymo, vt quidam Græci codices eam lectionem habebant, quam probat VVitackerus, sic alij habebant hanc; *omnes quidem dormiemus; sed non omnes immutabimur.* Quæ lectio, sensu non differt à nostra. Ex his patet, quàm immeritò VVitackerus Græca, quæ hodie circumferuntur, vocet *purissimos fontes*: quamque peruersè egerint Caluinus, & Beza; qui, quò vulgatam editionem traducerent, maluerunt generalem mortuorum resurrectionem cōtra Ecclesiæ sententiam, & apertissima scripturæ testimonia negare, quàm vitiositatem suorum Græcorum codicum agnoscere.

Locus octauus. ibid. v. 54. desunt: *cum corruptibile induerit incorruptibilitatem. ὅταν τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν.* Respōdet Sacroboscus, iure optimo posse nos præferre Latinum textum, textui Græco; & existimare, illa verba ex versu proximè præcedenti repetita, vitio alicuius Græci. Accedit, quod S. Hieronymus eôdem modo vertit, quo noster interpres: vnde fit perspicuum, fuisse Grȩca exemplaria, quæ sic legerunt, eaq; optima. Nam talia conquisiuisse ipsum, cum iussu Damasi molitus est nouum testamentum Græcæ fidei restituere, fas est existimare. Sed, inquit, VVitackerus; *æquali iure possimus suspicari hæc verba: cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, addita fuisse textui. Nam etiam ipsa paucis antea lineis reperiuntur expressa.* Respondeo, id esse falsum. Nam de his verbis conueniunt Græci, & Latini codices: de illis, non item. Deinde alterutra repeti postulabat decursus orationis Apostoli; vtraque minimè: illaque repetita verisimilius est, de quibus conueniunt exemplaria. Adde, quod

Digitized by Google

hæc verba: *cum autem mortale hoc induerit immortalitatem*, maiorem connexionem habeant cum sequentibus: *tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in Victoria*; quàm illa alia; *cum corruptum hoc induerit immortalitatem.*

Locus nonus.ibid.v.55. *Vbi est mors stimulus tuum, pro, vbi est inferne Victoria? ποῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος*; Respondeo cum Sacrobosco, hocsolum discrepate nostrum textum à Græco, quod ea pars versus, quæ prior est apud nos, posterior fit in Græco; & contrà: quodque nostri codices in vtraque parte sententiæ alloquantur mortem; Græci verò in vna mortem; in altera, infernum. Sic enim se habent Græca: *Vbi tuus, mors, stimulus? vbi tua, inferne, Victoria?* Latina autem sic: *Vbi est mors Victoria tua? vbi mors stimulus tuus?* Et quidem Latina lectio videtur melior. Nam versus 54. sic terminatur: *absorpta est mors in victoria.* quare, melius incipit versus 55. *Vbi mors victoria tua?* vt Latinè habetur: quàm; *vbi tuus, mors, stimulus?* vt habetur Græcè. Adde, quod LXX. ex quibus Oseæ testimonium petit Paulus, sic incipiunt: *Vbi mors victoria tua?* quod maximè faciebat ad propositum Apostoli disputantis de resurrectione; proindeque nec omittendum, nec mutandum omninò. Similiter versus 56. incipit: *Stimulus autem mortis est peccatum.* ergo, melius terminatur 55. versiculus, *vbi est mors stimulus tuus?* vt in vulgata editione legimus; quàm, *vbi est tua, inferne, victoria?* Sic enim principium versus 55. melius connectitur, & cohæret cum fine præcedentis: & finis eiusdem, cum principio subsequentis, vt nemo non videt.

Dices, apud LXX. haberi; *vbi tuus inferne stimulus?* non, *vbi mors stimulus tuus?* Respondeo, Paulum pro *inferno* posuisse, *mortem*, vt patet ex initio versus 56. vbi explicans, quod præmisit in fine versus 55. ait, *stimulus autem mortis* (non, *stimulus autem inferni*, de quo non fuerat locutus) *peccatum.* Accedit, quod hoc necessariò debeant dicere etiam ij, qui velint defendere Græcam lectionem Apostoli. Nam Græcè incipit versus 55. *Vbi mors stimulus tuus?* quod non legitur apud LXX. sed, *vbi tuus inferne, stimulus?*

Ex dictis hactenus concludendum, cum nostra lectio melius connectat Apostoli contextu; & minus inuertat locum LXX. Interpretum, vnde est petitum testimonium; rectiusque in ea cohæreant omnia; non esse ab ea propter Græcos codices, qui nunc circumferuntur, recedendum, sed existimandum, correctioribus exemplaribus vsum nostrum interpretem. sic Beza in Lucam c.20.v.18. in re non dissimili; *ἅπαντα ἃ ἑώρακα, Omnia, quæ vidi, exemplaria ita scriptum habent; sed vetus interpres aliter legit, & rectius, vt opinor.*

Locus decimus ab Hunnio obiectus 1.Cor.11. *Nam oportet & hæreses esse: vt & qui probati sunt, manifesti*

A *fiant in vobis. Hic Latina versio*, inquit Prædicans, *particulam (in vobis) priore loco positam omisit; cum tamen in omnibus Græcis habeatur codicibus.* Scilicet Prædicans iste omnes inspexit Codices, tam editos, quàm ineditos, cùm adeo audacter de consensu omnium Codicum pronunciet, idque quod certissimò nescit, adeo intrepidè asseueret. Nec refugimus hanc particulam ideo, quod si addatur, concedendum sit, vt isti contendunt, posse esse sectas & hæreses in Ecclesia; sed quia in Interprete nostro non comparet, eam ob causam à nobis non recipitur; præsertim cum sine vllo sensus detrimento absit. Et licet in textu esset; non tamen significaret id, quod isti volunt, nempe in Ecclesia posse esse hæreses propriè dictas;

B minimè verò; quia quamprimum quis verè efficitur hæreticus, statim definit esse membrum Ecclesiæ; &, per consequens, non est amplius in Ecclesia, sed extra illam. Quocirca vt maximè Apostolus eo loco locutus fuisset de dissidiis in doctrina, non de dissidiis animorum ira & odio inuicem incensorum, nequaquam tamen per illud, *in vobis*, significasset, posse esse hæreses in Ecclesia; sed posse esse hæreses inter illos, qui ab vno Christo Christianorum nomen trahunt. Sicut & iam, si quis Iudæus aut Ethnicus diceret: *Multæ sunt in vobis hæreses seu sectæ*; nihil aliud indicaret, si vera loqui vellet, quàm multas esse sectas inter illos, qui communi Christianorum nomine censentur; non autem, in

C Ecclesia Catholica multas hæreses seu sectas esse. Adde, quod clarum videtur, prius illud, *in vobis*, exstitisse vitio librariorum ex illo posteriore.

Defenduntur loca ex secunda Epistola ad Corinthios.

PRimvs locus 2. Cor. 1. v. 11. *Vt ex multarum personis facierum, eius, quæ in nobis est, donationis, per multos gratia agantur pro nobis. Verba in Græco sunt: ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων*

D *τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν. id est vt donum ex multis personis in nos collatum per multos celebretur gratiarum actione pro nobis.* Respondeo cum Sacrobosco, has lectiones sensu non discrepare: quod verum esse, discet, qui vtramque cum Græcis componere volet.

Secundus locus cap. 7. v. 8. *non me pænitet, etsi pæniteret*, pro, *non me pænitet, etsi me pœnitebat. οὐ μεταμέλομαι, εἰ καὶ μετεμελόμην.* Hic rursus calumniatorem agit VVitackerus; quia idem est sensus; & voculæ illæ, *etsi*, coniunctim legendæ sunt, vt leguntur in noua Bibliorum editione, non disiunctim, vt falsò citantur à VVitackero.

Ter-

Tertius locus cap. 9. v. 1. *Ex abundanti* est mî scribere vobis, pro, *superfluum est mî*; περισσόν μοι ἐστί. Respondeo, Interpres noster non habet priscum illud & Poëticum *Mi*, sed tritum, mihi. Secundò, idem prorsus est vtriusque versionis sensus; Et cum VVitackerus similesque Sectarij hæc talia Interpreti nostro exprobrant; satis ostendunt; se incredibili calumniandi libidine inflammari.

Locus quartus cap. 12. v. 11. *Factus sum insipiens*, deest, *in gloriando*. καυχώμενος. Respondeo, ex antecedentibus abundè intelligitur, in quo nam se insipientem factum esse Apostolus asserat; vt proinde adiectione huius vocabuli minimè sit opus.

Ex Epistola ad Galatas.

PRIMVS locus cap. 3. v. 24. *Lex Pædagogus noster fuit in Christo*, pro, *in Christum*. εἰς Χριστόν. Respondeo, ista eôdem recidunt, quidquid tandem Caluinista cauilletur.

Secundus locus cap. 4. v. 18. *Bonum æmulamini in bono semper*, pro, *bonum æmulari in bono semper*. καλὸν τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε. Respondeo cum Sacrobosco, nostrum Interpretem legisse ζηλοῦσθε; Quæ lectio planior est & melior, quàm illa altera.

Tertius locus ibid. in fine cap. illa verba: *Qua libertate Christus nos liberauit, sunt cum initio capitis sequentis coniungenda*; In libertate, qua Christus nos liberauit, &c. τῇ ἐλευθερίᾳ ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἐλευθέρωσε, στήκετε. Respondeo, S. Hieronymus secus vertit, teste ipso Erasmo, secusque legunt Ambrosius, & Augustinus, hinc nouum sermonis caput ordientes: *State igitur*, &c.

Loca ex aliis D. Pauli Epistolis.

PRIMVS locus Eph. 1. v. 22. *Super omnem Ecclesiam*, pro, *Super omnia ipsi Ecclesiæ*. ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ. Respondeo, sensus primùm eôdem recidit. Deinde, Interpres legit ὑπὲρ πᾶσαν ἐκκλησίαν. Et quis nobis demonstrabit, non hanc, sed illam alteram lectionem esse primigeniam, & ab ipsius Apostoli manu & calamo profectam?

Locus secundus. cap. 2. v. 10. *Creati in Christo IESV in operibus bonis*, pro, *ad opera bona*, ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς. Respondeo, quis vel puer Rudimentarius ignorat ἐπὶ cum dandi casu accipi etiam pro *In*.

Locus tertius. cap. 5. v. 4. *Quæ ad rem non pertinent*. pro, *Quæ non conueniunt*; τὰ μὴ ἀνήκοντα. Respondeo, gratulari possumus Interpreti nostro, quod in tam insulsos & imperitos insectatores incurrerit, qui dum Interpretis errata prodere volunt, inscitiam suam fermè dixeram asininam, luculentissimè patefaciunt. Quis adeo rudis est; qui non intelligat idem prorsus significari cum dico: *hæc non pertinent ad rem*, & ; *hæc non conueniunt*, *huic* scilicet *rei*, *loco*, *tempori*?

Locus quartus Coloss. 2. v. 14. *Chirographum decreti*, pro, *in decretis*, τοῖς δόγμασιν. Respondeo, idem prorsus sensus ex vtraque versione conficitur, quod non abnuet, quisquis mentem D. Pauli eo in loco assequitur.

Quintus locus 2. Thess. 2. v. 13. *Elegit vos Deus primitias in salutem*, pro, *ab initio ad salutem*. ἀπ' ἀρχῆς. Respondeo, Interpres noster legit ἀπαρχὰς seu ἀπαρχὴν, vt monet quoque Erasmus, & notat Gagneius in quibusdam Græcis exemplaribus legi, ἀπαρχὰς.

Sextus locus 1. Timoth. 6. v. 5. deest, *secede ab eis, qui eiusmodi sunt*. ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. Respondeo cum Sacrobosco, ea in generali admonitione haberi infra versiculo 11. Vnde ea suspicor huc translata. Nec immeritò ita suspicamur, quia sequentia verba: *Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia*: longè aptius cohærent, cum his proximè antegressis: *Existimantium quæstum esse pietatem*; si omittantur illa, quæ VVitackerus ex Græcis infercire cupit.

Septimus locus 2. Timoth. 2. v. 4. *Vt ei placeat, cui se probauit*, pro, *vt ei placeat, à quo delectus est miles*. ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ. Respondeo cum Sacrobosco, esse eundem sensum; Nam hoc ipso, quod miles à duce delectus est, duci sese probauit; alioqui Dux eum non delegisset.

Octauus locus Epist. ad Philem. v. 9. *Cum sis talis, vt Paulus senex*; *pro*, *cum sim talis*, nempe, *Paulus senex*. Respondeo, Græcus textus æquè fert nostram versionē ac illam VVitackerianam. μᾶλλον παρακαλῶ τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης. vbi illud: τοιοῦτος ὢν, æque reddi potest; *cum talis sis*; ac, *cum talis sim*. Nam quod Erasmus ait, *rationem Grammaticæ palam reclamare*, vt illud τοιοῦτος ὢν referatur ad Philemonem, palam ostendit, se nimia carpendæ versionis nostræ cupiditate excæcatum, nesciuisse, quid scriberet.

Nonus locus Hebr. 1. v. 3. *Purgationem peccatorum faciens*; deest, *per seipsum*. δι' ἑαυτοῦ. Respondeo cum Sacrobosco, eam particulam satis intelligi, & videri maioris explicationis caussa à Græco aliquo adiectam.

Eadem epist. Hebr. 3. v. 3. *quanto ampliorem honorem habet domus*, *pro*, *quanto ampliorem habet*, *quàm domus*, *is*, *qui construxit*, *&c.* Respondeo, nisi VVitackerus sibi suisque nimis æquus; Interpreti autem nostro iniquissimus esset; hanc loquendi formulam libenter Interpreti condonasset. Est enim Hellenismus posito genitiuo pro ablatiuo. πλείονα τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου, ampliorem honorem habet domus, pro, domo. Cuiusmodi exempla suo loco ex antiquis scriptoribus proferemus.

Decimus locus Hebr. 12. v. 8. *Ergo adulteri, & non filij estis*, pro, *spurij, & adulterini, non filij estis*. ἄρα νόθοι ἐστὲ, καὶ οὐχ υἱοί. Leuissima animaduersiuncula. Quis nescit *adulterum* adiectiuè vsurpari posse pro, *adulterino*?

Vndecimus locus ibid. v. 18. *accessibilem ignem*, pro, *incensum ignem*, κεκαυμένῳ πυρί. Respondeo cum Sacrobosco, correctiores codices legere *accessibilem*, sicque habere editionem Vaticanam, quæ nuper Pontificis auctoritate prodiit.

Loca ex Epistolis Canonicis, & Apocalypsi.

PRIMVS locus Iacobi 1. v. 19. *Scitis fratres mei dilectissimi*, pro, *itaque fratres mei dilectissimi*. ὥστε ἀδελφοί μου ἀγαπητοί. Respondeo, noster Interpres pro ὥστε legit ἴστε, redarguat, si potest, Caluinista hanc lectionem, & manus dabimus.

Secundus locus 1. Petri 2. v. 5. *Superædificamini, domos spirituales*, pro, *domus spiritualis*. οἶκος πνευματικός. Respondeo, recognita editio auctoritate Pontificis habet: *Domus spiritualis*. Quid vult amplius VVitackerus?

Tertius locus ibid. v. 23. *Tradebat autem iudicanti se iniustè*, pro, *iudicanti, iustè*. τῷ κρίνοντι δικαίως. Respondeo, hic nobis probare debebit VVitackerus hanc esse primigeniam scripturam, nostram autem adscititiam, quia interpres noster legit ἀδίκως cuius sententia, omnibus consideratis, longè profectò melior est, quam scripturæ Græcæ. Etsi huius quoque commodus sensus assignari queat, vt docent Interpretes.

Quartus locus. 1. Petri 4. v. 14. desunt: *Quod ad illos quidem attinet, blasphematur; quod ad vos autem, glorificatur*. κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται. Respondeo, non immeritò suspicantur viri docti, verba hæc nihil aliud esse, quam assumentum ex glossemate natum; nec agnoscuntur à Beda, vt fatetur ipse Erasmus, nec à Syro translatore, vt liquet ex versione, quam Caluinianus Tremmelius ex Syriaco idiomate nobis dedit.

Quintus locus. 2. Petri 1. v. 3. *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem, donata sunt*: pro, *vtpote cum diuina virtus eius omnia, quæ ad vitam, & pietatem requiruntur, donauit*. ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης. Respondeo, si quis veritatem agnoscere, quàm criminari malit, facilè ex nostra versione eundem sensum eliciet, quem verba Græca præferunt; nam sensus est à superioribus dependens. *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & Christi IESV Domini nostri*; ita, *quomodo* (vel, *quemadmodum*) *omnia diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem* (spectant) *donata sunt*. Quibus ad verbum exprimuntur Græca illa: χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη ἐν ἐπιγνώσει τοῦ θεοῦ, καὶ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης.

Sextus locus. ibid. v. 16. *Indoctas fabulas secuti*, pro, *doctas*. Respondeo, correctiora exemplaria habent, *doctas*, vt & postrema Bibliorum correctio.

Septimus locus ibid. *Christi virtutem & præscientiã*: pro, *virtutem & præsentiam*. Pudeat VVitackerum, cum Interpreti tam audacter librariorum errata obiicit. Quid hæc ad Interpretem? Inspiciant hæretici emendatos codices, & Biblia nuper Pontificis iussu euulgata; & hos errores sublatos reperient. Quid opus his cauillationibus vel potius imposturis, si candidè & sincerè agatur?

Octauus locus 2. Petri 2. v. 8. *Aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis opprobrijs excruciabant*: pro; *aspectu enim & auditu iustus ille habitans inter eos, de die in diem animam iustam iniquis factis excruciabat*, ἐβασάνιζεν; Respondeo cum Sacrobosco, Interpres noster legit ἐβασάνιζον. Quantulum autem discrimen inter ἐβασάνιζεν & ἐβασάνιζον? Nimirum vnius litterulæ. Nec tamen vlla vel æquitas vel moderatio apud Caluinistam obtinere potuit, quo minus hinc etiam nostri Interpretis incessendi occasionem arriperet.

Nonus locus 1. Ioan. 5. v. 17. *Et est peccatum ad mortem*; pro, *Et est peccatum non ad mortem*. καὶ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον. Neque hic probat Caluinista illud οὐ, seu illam negationem, esse ab Apostolo, non ab aliena manu.

Decimus locus Epist. 3. Ioan. v. 4. *Maiorem horum non habeo gratiam*, pro, maius istis non habeo gaudium; χαράν. Respondeo cum Sacrobosco, Interpretem nostrum legisse χάριν, vt habet etiam decimum Parisiensium exemplar Græcum. Sensus verò est; nihil perinde mihi gratum est.

Vndecimus locus Epist. Iudæ v. 5. *Scientes semel omnia*, pro, *vt qui semel hoc sciatis*, εἰδότας ἅπαξ τοῦτο. Respondeo cum Sacrobosco, hic solum disputari posse, vtrum legendum sit, *omnia*, vt habent Latini codices; an, hoc, vt habent Græci; neque rem esse alicuius momenti.

In Apocalypsi c. 2. v. 14. ponitur, *Edere, & fornicari*; *pro, edere, quæ idolis immolantur, & scortari*; φαγεῖν εἰδωλόθυτα, καὶ πορνεῦσαι. Respondeo cum Sacrobosco, in Græcis codicibus nunc esse, φαγεῖν εἰδωλόθυτα: Eam tamen vocem videri ab aliquo maioris explicationis ergò additam, ex Numer. 25. vbi historia ipsa narratur. Cæterùm, cum Apostolus dicit: *habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, & fornicari*; satis indicat, de quorum esu loquatur, nempe idolothytorum; ad quæ inuitari populum hortatus est Balaam, quo offensam Dei incurreret, sicque deseri mereretur.

Atque

Atque hæc sunt, inquit Sacroboscus, quæ cōtra vulgatam nostram editionem obiecit VVitackerus. Quàm verò parùm ea causæ nocuerunt, nunc credo satis intelligit lector. Quod in sua peroratione addit; *se è multis pauca selegisse; &, si omnia consectari vellet, volumen facturum*; apud æquū iudicem nobis minimè præiudicabit. Si enim, quæ selegit, huiusmodi erant, qualia existimandum, fuisse, si quæ fortè consultò prætermisit? Sed & hanc hominis iactantiam comprimere debuit, quod prius illi in hæc verba respondit Reginaldus, (in refutatione reprehēdens. VVitacker. pag. 399.) *Ait VVitackerus esse 600. loca, in quibus contra fidem Græcorum, & perpetuum eorundem consensum, errores Latinæ translationis sunt à nobis retenti: de qua enumeratione audeo primùm sine vlla maiore deliberatione demere 500. & adhuc in reliquo numero, ipsum conuincere multorum mendaciorum*. Neque nos Erasmi, Clariine commouet testificatio. Nam, ea dicunt, quæ oculis deprehendimus esse longè falsissima; vt minimè opus sit eorum ad auxilium confugere, qui vtrumque temeritatis insignis arguêre.

Præter ista obiicit Prædicans Hunnius locum 1. Petri 3. v. 18. *Vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu*. Respondeo, si Prædicans, vt debebat, emendatiores Codices, illos inprimis, qui, ipso adhuc apud superos, non apud inferos agente, auctoritate Pontificis prodierunt, inspexisset, lectionem, quam desiderat, repperisset; hanc nimirum, vt nos offerret Deo, *mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu*.

Ex eodem capite v. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritu prædicauit*. *Illud erat* ; inquit Prædicans, *in Græco non est, sed absolute dicitur τοῖς ἐν φυλακῇ spiritibus in carcere*, scilicet, *existentibus*. Respondeo, editiones emaculatiores, & inprimis Pontificia editio, non habent; *spiritu*, sed; *spiritibus*. Cur oculos non aperuit Hunnius, & legit, nisi quia calumniari, quam à calumniis abstinere maluit? Quàm imperitè carpit illud, *erant*; quandoquidem in Græco textu implicitè continetur; nam quid aliud est, prædicauit spiritibus, qui in carcere, quam prædicauit spiritibus, qui erant in carcere? Quod adeo clarum, vt ipsemet barbarus Hunnius ellipticam illam Grææ locutionis formam per vocabulum, *existentibus*, explere debuerit; vt sensus sit; *Prædicauit spiritibus, qui existebant in carcere*. At *existebant & erant* non sunt idem scilicet in barbara, & barbata Prædicantium schola.

Obiicit idem Prædicans illum locum 2. Petri 1. v. 10. *Quapropter fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Particula* (per bona opera) *non reperitur in fonte Græco: sed est* additamentum *Pontificiis gratum, & opportunum*.

Mentitur Hunnius solenni suo more. Nam ipsemet Beza fatetur se in nonnullis exemplaribus reperisse, *διὰ τῶν καλῶν ἔργων*. Et Guillelmus Canterus in libello variarum lectionum Græcarum quæ Tomis Bibliorum Regiorum insertæ sunt, ex antiquissimis Græcis codicibus eandem lectionem annotat. Et Henricus Stephanus, quamuis Caluinianus eadem verba ponit, saltem in margine editionis suæ. Et quamuis non adderentur hæc verba, eôdem tamen sensus rediret; vt patet ex verbo *σπουδάσατε* & Latino *Satagite*; quomodo enim firma & certa reddi potest vocatio, nisi per bonas honestasque actiones? Hinc etiam Robertus Stephanus, Pater Henrici (nisi quis vult esse *Vatablum*) in scholiis ad hunc locum hæc notat: *Vt per bona & recta opera alij sibi persuadeant, vos esse electos ad vitam*.

Carpit Hunnius hunc etiam locum ex cap. 13. ad Hebr. *Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio exceptis. Sensus praua translatione corruptus est*. Respondeo, Interpres noster Hellenismum in Latina lingua seruare voluit, ad verbum transferens illud: *ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους*. Stomachatur quidem Erasmus propter hunc Græcismum; sed sanus stomachus parum moratur nauseabundum Roterodami ventriculum, cui nihil sapit, nisi quod dicacitatem, contemptumque vetustatis resipit. Hactenus de locis à VVitackero & Hunnio obiectis.

Nunc eorundem solœcismos, & barbarismos excutiamus: Tanta enim est istorum importunitas & flagitiosa audacia, vt antiquissimum nostrum Interpretem; quem Cuiacius lib. 7. Obseruat. cap. 33. *diuinum* verè appellat; non tantum sententiæ multis in locis ex Hebræo & Græco malè redditæ insimulare: Sed & variorum solœcismorum & barbarismorum postulare audeant; ita, vt vbicunque voculam, vel loquendi formulam hodie vel minus, vel nequaquam tritam, inueniunt; statim solœcismum aut barbarismum intonent: Quis verò, præter istos, adeo temerarius & præceps fuerit, qui pro certo affirmare audeat; cum tanta veterum scriptorum iactura facta sit; ea, quæ quibusdam apud vulgatum Interpretem noua videntur; non apud veteres quoque in vsu fuisse? *Si quis hodie in Germania aut Polonia natus*, inquit Clarissimus Orator Muretus Orat. in Cornelium Tacitum, *qui Italiam nunquam vidisset, nunquam hominem Italum loquentem audisset, paucos tantum quosdam libros Etrusco sermone scriptos legisset, eosque, vtcunque intellexisset, & omnium vocabulorum, quæ in eis legerentur, indicem confecisset, deinde incideret in aliquem Florentiæ natum & educatum, qui inter ciues suos disertissimus haberetur: & eum notare vellet, tanquam malè loquentem, quod quædam diceret, quæ ipse in illis paucis libris, & in illo suo præclaro indice non haberet, quis nostrum in*

tali spectaculo risum tenere posset? Atqui nihilo minor nostra stultitia est, qui in tanta veterum scriptorum disperditione, tam longo temporum interuallo, tanta Latini sermonis obliuione, & ignoratione, optimanota scriptores damnare non veremur: quorum coqui & muliones multò melius, quam omnes nos, Latinè & intelligebant, & loquebantur. Hæc accommodatè ad nostrum institutum disertissimus Muretus.

Biennium est & amplius, cum Hunnij & Mæuij cuiusdam, Humiani discipuli, petulantia permotus, Interpreti nostro pro virili operam laturus accurri, in libro contra Mæuium. Eam disputationem nunc auctiorem & luculentiorem effectam; huic loco, ad quem propriè spectat, inserere volui: ratus, decere; vt qua diligentia Andreas Alciatus, summus Iurisconsultus, Barbarismorum & Solœcismorum infamiam ab antiquis Iureconsultis depulit lib. 4. de Verborum significat; cum ea Iuris auctores & Antistites seuerus ille Criticus Valla aspersisset, eadem, vel suppari; eadem nota olim ab eodem Valla & Erasmo; nunc à Sectariis Interpreti nostro, inusta; ab eodem auerruncetur. Iuuat pro tam probo, probato, spectato Interprete *apologare.* Hic cachinnos tollent Prædicantes, audito *apologandi* vocabulo. Et tamen Seneca vtitur verbo *Apologauit.* Epist. 47. *Quod libri omnes ingerunt*, inquit in eandem Epistolam Lipsius: *Et est Græcanici fontis ἀπολέγειν, quod valet illis, reiicere, repudiare. Ipsa vox retenta, sed aliter paulò flexa. Ita dixerunt, Catamidiari, aporiari.* Quos clamores nō edidissent Prædicantes; si vt *aporiandi*; sic & *apologandi* dictionem in translatione nostra inuenissent? Nunc, quod instat, agamus.

De Solœcismis, & Barbarismis, quos Hunnius, VVitackerus, Mæuius, & alij calumniatores vulgatæ editioni obiiciunt.

ETIAM solœcismorum, & barbarismorum accusant Hæretici vulgatam editionem nostram. Ex his Caluinianis, Hunnianis, & Mæuianis Sycophantis quærere oportet: an non ipsis scriptoribus Canonicis, qui Græcè scripserunt, idem obiici posit, quod vulgato interpreti, iure, an iniuriâ, necdum pronuncio. Nisi enim fallor, in oratione Græca scriptorum Euangelicorum, & Apostolicorum, non pauciora reperientur, quæ à regulis Græcæ linguæ, & elegantiæ discedere videantur, quàm in Latino interprete; vt postea productis aliquot exemplis, planum faciemus. Deinde nescio, num Hunnius, & Mæuius sciant,

A se cum his calumniis vestigia ethnicorum premere; idemque interpreti nostro obiectare: quod à fide Christiana alieni quondam vniuersim omnibus scriptis, & scriptoribus Canonicis obiectabant; quorum criminationes, & sycophantias refellerunt cum alij, tum elegantissimè Arnobius lib. 1. cont. Gentes; cuius hæc sunt verba, longiuscula quidem, sed tamen ad fraudes istorum confutandas appositissima.

Sed ab indoctis hominibus, & rudibus scripta sunt, & idcircò non sunt facili auditione credenda. Vide, ne magis hæc fortior caussa sit, cur illa sint nullis coinquinata mendaciis, mente simplici prodita, & ignara lenociniis ampliare. Triuialis, & sordidus ser- B *mo est. Nunquam enim veritas sectata est fucum: nec, quod exploratum, & certum est, circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quæritur assertionis, suspicantes adiuuant, non veritatis lineamenta demonstrant. Ceterùm, qui scit, quid sit illud, quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia sectatur artificia verborum, quibus capi consueti sunt audientes, & ad consensum rei circumscriptionis necessitate traduci.*

Barbarismis, & solœcismis obsita sunt, inquit, res vestra, & vitiorum deformitate polluta. Puerilis sanè, & angusti pectoris reprehensio: quam, si admitteremus, vt vera sit, abiiciamus ex vsibus nostris quorundam fru- C *ctuum genera, quod cum spinis nascuntur, & purgamentis aliis, quæ, nec alere nos possunt; nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit, ô quæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, vtrumne quid leue, an hirsuta cum asperitate pronuntur? inflectatur, quod acui; an acuatur, quod oportebat inflecti? aut, qui minus id, quod dicitur, verum est, si in numero peccetur; aut casu, præpositione, participio, coniunctione? Pompa ista sermonis, & oratio, missa per regulas, concionibus, litibus, foro, iudiciisque seruetur, deturque illicimò, qui voluptatum delinimenta quærentes, omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est; non, quali cum amœ-* D *nitate dicatur: nec, quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus vtilitates: maximè, cum sciamus etiam quosdam sapientiæ deditos, non tantum abiecisse sermonis cultum, verum etiam, cum possent ornatius, atque vberius eloqui, triuialem studio humilitatem secutos; ne corrumperent scilicet grauitatis rigorem, & sophistica se potius iactatione ostentarent. Enim verò dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere voluptatem: & cum tibi sit ratio cum male se habentibus, atque ægris; sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere.*

Quanquam, (si verum spectes) nullus sermo natura est integer: vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex

scripta.

si vipra, vt hic paries dicatur, aut hæc sella? cum neq; sexum habeant fœmininis generibus, masculinisq; discretum; neq; quisquam docere doctissimus me possit; ipsum, hic & hæc, quid sint; aut cur ex his vnum, sexum virilem designet; fœmininis generibus id, quod sequitur, applicet? Humana ista sunt placita, & ad vsum sermonis faciendi non sanè omnibus necessaria. Nam & hæc paries forsitan, & hic sella dici sine vlla reprehensione potuisset, si ab initio sic dici placuisset; & , à sequentibus sæculis communi esset in sermocinatione seruatum.

Et tamen, ô isti, qui pollutas res nostras vitiorum criminamini: stribiligines & vos istas libris illicis maximis, atque admirabilibus non habetis? Nonne aliud hæc vtres, aliud dicitis hos vtres? cœlus, & cœlum; non item filius, & filum: non item crocus, & crocum: non item fretus, & fretum: non item apud vos positum hoc pane, & hic panis: hic sanguis, hoc sanguen: candelabrum, & iugulum, ratione eadem iugulus, & candelaber? Nam si singula nomina non possunt genera plura habere, quàm singula: neque eadem possunt esse huius generis, & illius: genus enim transire genus in alterum nō potest. Tam peccat, qui genera masculina fœmininis pronuntiat legibus, quàm ab eo peccatur, qui articulum masculinos fœminini generis anteponit. Atqui, vos conspicimus & res masculinas fœminine, & fœmineas masculine, & quas dicitis esse neutras, & illo, & hos modo, sine vlla discretione depromere. Aut igitur nulla est culpa differenter hic vti: & frustra nos dicitis solœcismorum obscœnitate deformes: aut, si certum est, singula, quibus debeant rationibus explicari: in similibus vitiis, vos quoque versamini: quamuis Epicadeos omnes, Caesellios, Verrios, Scauros teneatis, & Nisos. Hæc præclarè Arnobius.

Nunc in specie examinemus solœcismos, & barbarismos; quos Hunnius interpreti nostro obiicit.

De solœcismis Hunnianis ex Psalterio.

ALiquot placet proponere solœcismos, & barbarismos ex Psalterio duntaxat; inquit Hunnius. *Et primò quidem abusum particulæ gratis, quæ inscitè ponitur, pro, absq; causa, vt Psal. 34. Gratis absconderunt mihi interitum laquei sui. Ibid. quia oderūt me gratis:* Et aliis locis, quæ Prædicans citat. Respondeo, si his locis, vox, *gratis*, inscitè vsurpatur:
D etiam à L X X. interpretibus inscitè vsurpabitur vox δωρεάν, vt & à S. Ioanne Euangelista, qui citat illud Psalmi: *odio habuerunt me gratis:* ἐμίσησάν με δωρεάν, vbi etiam Erasmus vertit, *gratis*; Latinæ linguæ non paulò peritior, quàm Hunnius. Similiter Apostolus ad Galat. 2. inscitè vsus est voce δωρεάν. ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανε; Vbi Erasmus δωρεάν, reddit, *frustra*: noster, *gratis*. Sicut enim apud Græcos δωρεάν, propriè loquendo, opponitur *precio*, & *mercedi*, vt Matth. 10. δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε; noster; *gratis accepistis, gratis date*: hoc est, absque precio accepistis; &, vt Caluinianus Beza vertit; *dono accepistis, dono itidem date*; seu *absq; precio date*: ita, apud Latinos, *gratis*, propriè loquendo, op-
A ponitur precio, & mercedi; vt apud Cic. pro Cluentio: *seruire alicui gratis.* Alibi; *habitare gratis in alieno. Gratis diligere virtutes.* Et apud Martialem: *gratis conuiua recumbis*: hoc est, absque precio. Hinc & Castalio Matth. 10. transtulit: *Gratis accepistis, gratis date.* Lutherus; vmb sonst. Nemo autem Germanicè gnarus, nescit hoc vocabulum opponi *precio*. Et sicut à LXX. interpretibus, & à S. Ioanne, & S. Paulo, aliisque hæc vox δωρεάν, vsurpata est absque vlla inscitiæ, vel imperitiæ nota (nisi fortè ab Ethnicis per contumeliam, summamque iniuriam inusta:) pro eo, quod est, *absq; causa*, seu *absq; occasione data*: seu, *immeritò*: ita & Latinus interpres vocem L X X. interpretum, S. Ioannis, & S. Pauli meritissimò expressit per Latinam vocem *gratis*:
B quæ, vt negationem precij, seu mercedis significat: ita per consequens significare potest, ex vsu, & accommodatione, negationem causæ; ad imitationem Græcæ vocis δωρεάν. Et, quicunque ob hoc interpretem nostrum inscitiæ accusat; is simul Euangelistam, Apostolum, & L X X. interpretes inscitiæ condemnat; vel, vt rectius loquar, ignorantiam suam, & criminandi libidinem luculenter manifestat. Hinc & Germanorum vocabulum vmb sonst/ non tantum significat negationem precij, vel mercedis; vt, cum dicimus; er arbaitet mir vmb sonst / er wohnet inn disem Hauß vmb sonst / sed etiam negationem causæ; vt, cùm dicimus; Er hasset mich vmb sonst/ hoc est; *odit me, nulla data causa.*

C Nec moror Bezam, qui apud S. Ioan. vertit: *Oderunt me immeritò.* Hoc adiecto scholio; *Vulgatus, & Erasmus*, gratis. *Impropriè. Gratis enim fieri dicitur, quod precio, vel mercede non fit; vt, cùm dicitur; Christus nos gratis redemisse, id est, nullo à nobis dato precio.* Cur ergò vocabulum, *gratis*, non retinuisti Matth. 10. in illo Christi monito? *Gratis accepistis, gratis date.* Cur vertisti? *Dono accepistis, dono date.* Et, si in latino vocabulo, *gratis*, est, vt sic loquar, improprietas: etiam erit in voce δωρεάν; in qua interpreti nostro molestus, vel potius iniquus censor esse nequit Caluinianus Beza; nisi simul iniuriosus sit in Euangelistam, & in S. Paulum ad Galat. 2. vbi Beza vertit illud δωρεάν, *sine causa. Igitur sine causa Christus mortuus est.* Addita hac censura: *Vulgata, gratis. Prorsus impropriè.* Non magis impropriè, quàm ipse S. Paulus dixerit δωρεάν, pro eo, quod est, *absq; causa.* Sicut enim Græca vox à negatione precij trāslata est ad negationem causæ, ita & Latina. Quare Hunnius, Beza & similes, non interpretis antiqui, sed suam imperitiam per huiusmodi calumnias insigniter produnt, ac detegunt.

Sequuntur alij solœcismi, & barbarismi, inquit barbarus Hunnius, Psal. 7. Sagittas suas ardentibus effecit. Quis verò hic barbarismus, aut solœcismus, qui non itidem hæreat in L X X. interpretibus, quorum verba noster interpres ad verbum vertit? τὰ βέλη αὐτοῦ τοῖς καιομένοις ἐξειργάσατο. Si de sensu quæras, is non vnus, sed varius, quorum quilibet commodissimus, ab interpretibus redditur. Duos dabo:

Digitized by Google

I. Sagittas suas ardentibus carbonibus operatus est, ignitasque fecit, vt vehementius offenderent, ac incenderent. II. Sagittas suas fabricatus est his, quibus odio, & ira ardentes me iniustè persequuntur, vt alios sensus prætercam. Psal. 51. *Emigrabit te de tabernaculo tuo; pro emigrare faciet.* Vnde verò constat Hunnio interpretem nostrum absque veterum exemplo, ita locutum esse; & verbum alioquin *intransitiuum*, transitiuè vsurpasse? Vel vulgata lexica inspexisset Prædicãs, si Turnebum consulere non libebat; in quibus hæc notantur. *Emigrare*, pro *eiicere* Titinnius Veliterna. *Quot pestes senio, & iurgia sesemet diebus emigrarunt*: hoc est, *eiecerunt se*. Non deest ergò vetustissimi auctoris exemplum, quo interpretem nostrũ à calumniis Prædicantis asseramus. Et mirum fuerit, si Hunnius non adnumeret illud Varronis apud Nonium: *Ventiq; frigidu se ab axe eruperant.* Taceo interpretem nostrũ vocem compositam *emigro*, non iniuria pro simplici *migro*, accipere, & transitiuè vsurpare potuisse. Cui enim ignota sunt illa veterum, *migrare leges*, pro transgredi; *migrare morem*, pro mutare? Et apud Gell. lib. 2. c. 19. *cassita migrat nidum*, hoc est, transfert?

Quanta verò Prædicantis inscitia, & stupiditas est, cùm solœcismorum, & barbarismorum loco producere audet illud ex Psalm. 59. *Partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor. Partibor*, pro *partiar*; *metibor*, pro *metiar*, inquit ineptissimus Prædicans. Quid tritius, & vulgatius apud vetustissimos Latinitatis auctores, quàm huiusmodi verba; apud Plautum præsertim, vbi, *scibo*, audibo, mentibor, & plurima huius notæ in omnibus Comœdiis Plauti. Et, quis Plautus? Homo linguæ, atq; elegantiæ in verbis Latinæ princeps, inquit Gell. lib. 7. cap. 17. Pergit delirare Prædicans.

Psal. 76. legitur: *Scopebam spiritum meum.* Qualis barbarismus? Supra omnem scilicet veniam. Ausus fuit interpres ex Græco *σκοπέω σκοπῶ* cudere Latinum vocabulum *scopo*, quod est *considero, scrutor, exploro*; idque exemplo antiquissimorum & probatissimorum auctorum; qui Græca sæpe leuiter inflexa in Latium induxerunt, quod Horatius cuiuis non modò dat laudi, sed, vt fiat, monet. Sic enim canit in arte:

Et noua, fictaq; nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parcè detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioque? ego cur acquirere pauca
Cùm possum, inuideor? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit: Licuit, semperq; licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Nihilo maior barbarismus erit, si cum aliis legamus: *scopabam*, à scopis. Quo verbo etiam *scientissimus, & eloquentissimus* vtitur Hieronymus cum in Isaiæ (cap. 14.) translatione, ita scribit: *scopabo Babylonem in scopa terens, dicit Dominus exercituum. Dignũ verò scitu est; scopã, seu verius, scopas, vti Fabio placet, dici à Græcis κόρημα ἀπὸ τοῦ κορεῖν, quod scopare, ornareq;*

A nobis indicat. *Vnde illud apud Aristophanem elegantissimum μὴ κόρει τὴν Ἑλλάδα, ne scopes Græciam, &c. Congruit aptissimè cum Hieronymi translatione.* Hæc Cæl. Rhodigin. lib. 10. antiq. lect. cap. 5. annotauit; qui vocabulorum Latinæ linguæ melior, & peritior arbiter fuit, quàm omnes Hunnij, Hunnianique pulli, quotquot hactenus extiterunt, vel adhuc existent.

Sequitur alius solœcismus Psalm. 77. Attendite popule meus. Popule in vocatiuo non reperitur apud Classicos scriptores, inquit Classicus Prædicans. *Meus autem habet in vocatiuo, mi.* Fortè non iniuria postulet aliquis ferulam, vt *beato huic* aliquot ictus incutiat. Licebit enim, opinor, vilissimum caput nominare *beanum*, cum florem illum Christiani orbis B Patres Tridentinæ synodi maledicentissima lingua *beanos* appellare non erubuerit. Quis Grammaticus vnquam regulam illam statuit, de vocabulis, *in us*, secundæ flexionis? An non inter exempla, quæ vel puerulis nota sunt, proferuntur ista? *Populus ô popule: fluuius, ô fluuie.* Quorum prius confirmatur ex illo ad Octauium: *quantum te, popule Romane, de me fefellit opinio?* An non veteres Grammatici, in illo Lucani lib. 2: *Degener ô populus*, atticismum notant contra communem legem? Et quamuis Phocas huiusmodi vocum, qualis est, *populus*, vocandi casum potius in, *us*, quàm in *e*, desinere dicat, haud tamen istam terminationem improbat. Miram spermologi huius calumniandi libidinem esse oportet, cum in C interprete nostro tam minuta ad cauillandum conquirit; & illa ipsa, quæ conquirit, non nisi ineptissimè cauillatur; quem, ne ineptiam illam de pronocabulo, *meus* effunderet, vel vnicus ille Virgilij lib. 6. AEneid. locus absterrere debebat: *Proiice tela manu sanguis meus* — Num & Virgilium in ius ambulare iubebit Prædicans verbis illis solennibus? *Meus in vocatiuo habet mi.* Pudeat te huius tuæ inscitiæ, vel potius improbitatis.

Ex eòdem Psalmo solœcismi arguit Prædicãs illud: *tanquam potens crapulatus à vino.* Quid hîc criminatur Prædicans? Num ipsum verbum *crapulor*? At hoc inusitatum non est, quod ex Græco *κραιπαλάω* formatum esse, ex Horatij præscripto, nemo non videt. Num passiuam significatio- D nem in verbo, quod vocant, *deponenti* insectatur? At neque hoc bonis auctoribus insuetum dico, vt testatur verbum *imitor*, cuius participium *imitatus*, à primæ notæ scriptoribus passiua notione effertur, vt alia huius generis præteream.

Illud, *de post fœtantes.* Hebraismus est. Num ideo barbarismus, aut solœcismus, vt calumniatur Prædicans? Semper clamãt isti, Latinam versionem non exprimere vim, geniumque Hebraici sermonis: cumq; idiotismos primæuæ linguæ retinet, *barbarismos, & solœcismos* obiectant, ipsi barbarismorum, & solœcismorũ pleni. Quid enim aliud, quàm solœcismus est, ista Hunnij locutio, (Examinis fol. 328.) *Ex his verbis ita versis, Papistæ, vt & Bellarminus ipse, limbum Patrum extruxit? Papistæ*

exstru-

exstruxit. Pulchra profectò structura. Sed tolerabiles essent huiusmodi in hoc, aliisq; Prædicantibus barbarismi, & solœcismi; nisi penitus barbarismis in genere, & professione vitæ sese addixissent ac consecrassent: *Omnium sectarum, & hæresum genera sunt quatuor*, inquit Damascenus lib. de hæres. *Barbarismus, Scythismus, Hellenismus, & Iudaismus, ex quibus nata sunt cætera.* Barbarismum ita definit, vt Lutheranismum videre videar; quem ait, *esse illorum; qui nemini parēt, aut vnum, idemq́; sentiunt, sed quod sibi quisq; statuit, id, legū instar, pro animi libidine seruant.* Quæ quidem est viua ipsissimi Lutheranismi pictura.

Ad rem: si quæram ex Prædicante, vnde norit, interpretem nostrum, aut S. Augustinum, qui eâdem voce vtitur, hāc ipsam, aut similem phrasin, apud veterū quempiam non inuenisse, quod respondeat, non suppetet. Tot enim sæculis ab ætate S. Augustini, & interpretis nostri remoti; totq́ue Latinorum scriptorum libris diuturnitate temporis obrutis, ac planè deperditis, non nisi temerè asserent, locutionem illam solœcam, aut barbaram esse, cum nesciant eius originem. Adscribam verba literatoris cuiusdam non vulgaris de hoc ipso Psalmi loco: *An rectè dicamus, de post fœtantes, de sub pede, de propè fontes? Licet nolim frequenter sic loqui, tamen minimè eiusmodi locutiones barbaras esse censuerim: quia similiter loquuntur magnæ autoritatis viri. Florus de bello Ligustico: sic de sub Alpibus, id est, sub ipsis Italiæ faucibus. Et Cic. orat. 1. in Catilinam: In ante diem quintum Kalendarum Nouembrium. Vituperatur & ille loquendi modus, licet in sacris habeatur, & apud Orosium: præter hodie, vsq; ad nunc; ab heri, à deorsum, &c. Rectè tamen dices cum Cicerone; ad pridie Calendas; sub posteaquam veni. Cic. lib. 2. ad Attic. Ibi volo esse vsq; ad pridie Calend. Maias. sæpißimè similiter loquitur ad pridie. Balbus Ciceroni lib. 9. ad Atticum. Sub posteaquam nostras rationes cum Oppio ad te dedi.*

De aliis solœcismis, & barbarismis Hunnianis.

EX Psalmis accusat Hunnius etiam ista: Psal. 88. *Memorare, quæ mea substantia. Memorare, pro memento. Item, varia tempora à verbo odi; vt odiui; odientes, odite; quæ in nullo planè sunt vsu apud probatos scriptores*, inquit Prædicans. *Et tamen toties in Psalmis occurrunt.* Carpit & syntaxin verbi, *dominor*; quod Psalmi cum gignendi casu iungunt: *Omnium inimicorum suorum dominabitur.* Psal. 10. Ibid. *Cadet, cum dominatus fuerit pauperum. Et alibi sæpe. Hæc non monerem*, ait præco ignorantiæ, *si non fratres illi ignorantiæ, Tridentinæ factionū patruculi, nobis latinam illam translationem longè vitiosissimam, atque adeò in ea etiam solœcismos, & barbarismos sub comminatione anathematis suscipiendos, & suspiciendos obtruderent.*

Vt has, similesq́ue calumnias vniuersim semel depellam, responsum eiusmodi dabo, quod

A non tantum ad prædicta ex Psalmis loca; sed ad omnia, quæ Prædicans iste insulsè carpit, accommodari queat: quod, non ex meo, sed ex eloquētissimi Mureti instructissimo penu depromam: qui lib. 15. Variarum lect. cap. 1. elegantissimè, vt solet, censores istos, & imperitos Latinitatis Aristarchos refellit: *Diu & ipse*, inquit, *in eo errore versatus sum, vt nisi qui aut Ciceronis ætate, aut paulò antè vixissent, aut certè illi ætati suppares fuissent, non satis dignos arbitrarer, quorum exemplo, qui latinè aut scribere, aut loqui vellent, niterentur. Sed postea, re tota mecum accuratius considerata, visus ipse mihi sum nimio plus mihi sumere qui, de Seneca, Liuio, Valerio, Celso, Quinctiliano, Columella, vtroq; Plinio, Tacito, Suetonio, Velleio, Q. Curtio, Lactantio, aliisque eiusmodi scriptoribus, quos & ab iis* B *ipsis temporibus, quibus Latina lingua floruisse diceretur, propius abfuisse, & suo quemq; sæculo, disertissimos habitos esse constaret, temerè pronuntiare auderem. Certè enim neq; quisquam vnquam veterum eos malè Latinè locutos esse dixit: neque nos, tam longo interuallo, valdè boni eius rei æstimatores sumus. At, multa simplicia vocabula, multa etiam loquendi genera in eorum libris leguntur, quæ apud Ciceronem, & eius æquales nusquam reperias. Primū, quis hoc præstare audeat? Ciceronis scriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamq́ue multis partibus mancam, ac mutilam, multis vulneribus, multis cicatricibus deformatam: Sallustij vix centesimam; Varronis tantundem; Catonis è tam multis voluminibus vnum de re rustica commentariolum: tot philosophorum, tot oratorum veterum, tot poëtarum, tot historicorum, tot iurisconsulto-* C *rum scripta perierunt: & ex illis fractis, ac laceris, quæ ad nos peruenerunt, Romani sermonis reliquiis adfirmare audemus, si quid in eis non reperiatur, id apud veteres in vsu non fuisse?*

Quanto credibilius est, noua multa, atque inusitata nobis videri, quæ si eorum libri exstarent, in frequentissimo vsu posita fuisse constaret. Illi autem, quos stultè, & arroganter, vt minus eleganter locutos, despicere audemus, cùm & bibliothecas haberent omni genere librorum instructissimas, & eas diligentissimè peruolutarent, & acerrimo iudicio præditi essent: quis scit, an ea ipsa ex vetustioribus sumpserint, quæ frustra nobis aut nouitatis, aut peregrinitatis nomine suspecta sunt? Cū sæpe contingere videamus, vt multæ voces diu ab istis censeantur inter nouas, quæ postea vsq; ab vltima antiquitate à nobilissimis auctoribus prodi- D *tæ, ac propagatæ reperiuntur. Quid quod in istis ipsis Ciceronis reliquiis multa sunt, quæ semel tantùm leguntur? Ergò, si paullum charta aut mus, aut tinea adrosisset, aut situs, aut caries corrupisset, aut scintilla è lucerna in certam aliquam libri partem incidisset, hodie* pigrandi, *&* controuersandi *verba, multaq́; alia istis delicatis barbara essent; quæ nunc ita non refugiunt, vt inculcent.*

Et vt magis intelligas, totum hoc è stulta quadam opinione pendere; scito, multos ex istis ineptè fastidiosis, quibus quicquid dicunt, quod Ciceronis non sit, meros lapides loqui videntur; quibus, vt olim athletis in arenam descendentibus, circum danda essent amphotides, quoties in publicum prodeunt, ne delicatæ ipsorum aures vocum non Ciceronianarum ictibus contunderentur, sæpe esse à me magna voluptate delusos.

Idem beneficium amphotidum conferri deberet in barbaros, barbatosque Prædicantes, ne verba Psalmorum, *odini, odientes, odite, memorari, dominari gentium, de post fœtantes, &c.* & Euangeliorum; *angariare, manicare,* & id genus alia, *Prædicanticas*, propè dixeram, *Arcadicas* aures ferirent, & feriendo offenderent.

Sed vt me ad propositum referam, inquit elegantissimus Muretus, *etiamsi hoc demus, nouata esse multa ab iis, qui post Ciceronem fuerunt, quid causæ est, cur ea reiicere debeamus? Quorsum igitur illud Horatij?*

Vt folia in siluis. Et illud:

-----licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Nonne Cicero, & multa nouauit ipse; & Catonem, Varronem, Brutum, aliosque, vt idem facerent, hortatus est? An fortassis personale illud priuilegium fuit; vt cum Cicerone, & cum iis,

Qui tum viuebant homines, atque æuum agitabant,
exstinctum esse videatur? Incomprehensibile Ciceroni *fingere licuit: quid ni aliis alia ad eundem modum postea licuerit? Equidem existimo Ciceronem, si ad Quinctiliani, & Plinij, & Taciti tempora vitam producere potuisset, & Romanam linguam multis vocibus eleganter conformatis eorum studio auctam, ac locupletatam vidisset, magnam eis gratiam habiturum, atque illis vocibus cupidè vsurum fuisse. Nam istorum quidem audire est operæ pretium amentiam. Ad Taciti, aut Suetonij voces nauseant; ipsi, eas scriptis suis intexunt, quæ ne in culina quidem illorum patienter audiri potuissent, &c.*

Quid tu igitur? inquies. Ex omnibus antiquis scriptoribus, nullo discrimine verba, quibus vtare, depromes? Imò verò adhibebo iudicium, habebo delectum: & cùm ex iis potissimum, qui antiquitatis quoque ipsi Principes visi sunt, Cicerone, Cæsare, Terentio, aliis, quam plurima sumpsero: cum orationis meæ genus ad eorum exemplar quàm maximè potuero, conformaro: ex aliis quoque lectissimũ quodque carpam: &, quo quisque maximè excelluisse videbitur, id imitari, atque exprimere conabor: neque in iis modò, quos paulò antè nominaui, sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, & quod magis mireris, Apuleio, Cassiodoro, & Sidonio Apollinari multa reperiam, quibus suo loco positis, oratio vberior, & ornatior fiat.

Tibi quoque, Dari, auctor sum, vt idem facias; in primisque, vt ne eorum stultitiam imiteris, qui vsque eò antiquitatis studiosi sunt, vt voces quoque Christianæ religionis proprias refugiant, & in earum locum alias substituant, quarum nonnullæ, etiam impietatem olent; qui non fidem, sed persuasionem; *non* sacramentum corporis Dominici, *sed* sacrificum crustulum: *non*, excommunicare, *sed*, diris deuouêre: *non*, Angelos, *sed* genios: *non* baptizare, *sed* abluere *dicunt: aliaque eodem modo deprauant.* Qui, vt *opinor, nisi sibi metuerent, etiam pro Christo,* Iouem opt. max. *dicerent. Est enim magis Ciceronianum. Quæ autem insania est, cùm* porricere; *cùm*, impetrire, *cum* tripudium solistimum, *cum* pateras & sympuuia *legimus; notare ea, tanquam dicta sapienter; quòd ex auguralibus, & Pontificalibus libris deprompta sint; propria Christianæ fidei, &*

A *Christianorum rituum verba, vt non satis Latina contemnere?* Hæc omnia eximius Muretus.

Ex quibus, fumi instar, euanescunt Prædicantium in interpretem nostrum maledicta: quem verbum *memoror*, pro *recordor*, primum excogitasse, & vsurpasse, quo testimonio planum faciet Prædicans? Secundò, vt maximè primus auctor fuisset, an non *licuit, semperque licebit signatum præsente nota producere nomen?* si verbum hoc reperiretur in Apuleio, aut in *Castorum* quopiam, vel *Opicorum* libro, tantùm non adoraretur ab istis, & orationi, tanquam gemma annulo, insereretur. Nunc nauci est, ac nihili tantùm propterea, quia ab interprete vulgato vsurpatur. Longè citius gratiam huius verbi fecisset Hunnius Erasmo, Be-
B zæ, Castalioni, aut alteri eiusdem tribus, ac classis, quàm interpreti tam vetusto, tam probato, tam docto, totque sæculis iam spectato; præsertim cùm ipse fortassis vocem hanc non procuderit, sed ab aliis iam pridem procusam acceperit: aut, ex consuetudine sublatam, in vsum reuocarit. Occidunt enim verba, & intereunt, & tandem quasi ab interitu denuo resurgunt:

Vt folia in syluis pronos mutantur in annos.
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modò nata, vigentque.

Quare idem Horatius de poëta.

Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quæ priscis memorata Catonibus, atque Cethegis,
C *Nunc situs informis premit, & deserta vetustas.*

Cùm M. Tullius nouat interdum voces; aut ex Græco transfert, monere solet, non esse quidem vsitatas; molliendas tamen vsu, ac consuetudine. Si verba etiam noua, & antea inusitata; annis, senioque molliuntur, & obtinent; vt in Latina ciuitate, iam non vt peregrinæ, sed vt ciues degant; mirum profectò foret; *si memorari, odini, angariare, manicare,* & similia Bibliorum verba nec dum decem & plurium sæculorum *spatio mollita, & Latij iure* donata essent? Grande piaculum, quòd non tam interpres noster, quàm vsus verbum *memoror*, formauit à verbo *memor*; cumque eodem casu iunxit, quo dictio *memor* iungi solet. In qua itidem culpa hæret antiquissimus auctor Ter-
D tullianus; qui libro, *De fuga in persequutione,* sic loquitur: *vt & illius commemoremur*, hoc est, *meminerimus, mentionem faciamus.* Si quis Capitolinus, si quis Spartianus, si quis Lampridius, si quis Vopiscus, aut Trebellius, hac voce vsus nosceretur, iam hoc ipso, omnem asperitatem, atque duritiam deposuisset; & vt *lupini aqua macerati, omnem amaritiem exuisset*, vt scitè ait Muretus: cùm tamen Tertullianus hos omnes ætate antecesserit.

Idem verbum ex verbo *μνησθῆναι* reddidit interpres Lucæ 1. in Cantico Zachariæ. Mentitur Hunnius, cùm ait, *eodem verbo vsum interpretem in Cantico D. Virginis*; non enim vertit, *memorari misericordiæ suæ,* vt citat Prædicans: *sed, suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.*

Quæ

Quæ de verbo *memoror* diximus referri etiam ad verbum *odini* debent; & omnia eius tempora, quæ Hunnio stomachum mouent. Quanquam alia itidem defensio accedit. Nam verbum *odiuit* vsurpauit M. Antonius in epistola quadam sua, vt apparet ex XIII. Philippica Ciceronis, vbi hæc Antonius: MIHI QVIDEM CONSTAT, NEC MEAM CONTVMELIAM, NEC MEORVM FERRE: NEC DESERERE PARTES, QVAS POMPEIVS ODIVIT. Neque verò id M. Cicero incessit, vt *piissimus*, & alias non taciturus, si in *odiuit* barbarus fuisset Antonius. An satis vetus verbum *odiui*, quod Ciceronis æuo iam vsurpabatur?

Dominari gentium, hellenismus est: quem, nec Erasmus improbat apud S. Lucam cap. 22. Licet ibi aliud quiddam in interprete carpat. Eodem hellenismo vsus est Lactantius libro de ira Dei: *Homini tantum honoris attribuit, vt rerum omnium dominaretur.* Nimirum, quia ἄρχω, κυριεύω, ἀνάσσω, & id genus alia, cum *gignendi casu* construũtur; ideo Græcos Latinus interpres imitatus, eadem structura verbum *dominor* extulit.

Quod si Prædicans tam rigidus, & inexorabilis censor est, vt omnes hellenismos, solœcismi damnet, quid fiet cũ illo Virgilij? *Iustitiæ ne prius mirer?* Et cum illo? *nec veterum memini, lætórue malorum.* Num & illa Horatiana; *Desine mollium querelarum, abstineto irarum, inuidit auenæ*, & similia, eò impellent Prædicantem, vt Horatium *solœcistam* faciat, cum Latinè scribens Græcam syntaxin sequatur? Dic Prædicans, quidnam minus cum Latino sermone congruit? Illúdne Horatij: *Et quà pauper aquæ Daunus agrestium Regnauit populorũ?* An illud nostri interpretis in veteri, & nouo Testamento sæpius iteratum; *Dominari gentium; dominari eorum?* *Cur illud* regnauit cum patrio casu Lyricus iunxit, nisi quia *dominium*, seu *dominationẽ, & imperium* significat: qualia verba apud Græcos gignendi casum regunt? Ne autem Prædicãs excipiat contra Lyrici scripturam; nouerit probatam à Lambino, optimo Horatij commentatore; qui eam cùm aliunde, tum ex Porphyrione confirmat, quam etiam Michael Brutus tuetur, eamq; *vulgò receptam* nominat. Hactenus de Hunnio.

Ex iisdem Psalmis hos duos locos solœcismi accusat VVitackerus controuers. 1. quæst. 2. cap. 9. Psal. videlicet 67. vers. 20. *Benedictus Dominus Deus die quotidie.* Psal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion.* En, quanta nouatorum importunitas. Qui in versione, cuius ob antiquitatem origo nescitur; quæ sola in Ecclesia Latina perpetuò decantata, ac omnium ecclesiarum vsu celebrata fuit, nihil tolerandum contendunt, quod aliquo modo à Grammaticæ legibus recedat; cùm sanctus Augustinus, (at quantus vir, & quantulus ad illum VVitackerus?) etiam manifestos barbarismos consuetudini indulserit. Et isti antiquitati antiquissimæ nihil largiri volunt; non equidem in manifestis barbarismis, & solœcismis, sed in eiusmodi locutionibus, quas vitij nunquam cõuincere possint, nisi quatuordecim, aut quindecim à Christo sæcula solœca, & barbara facere velint? Audiamus modestiam D. Augustini, lib. 2. de doctr. Christ. cap. 13. eamque cum arrogantissimo, & ignorantissimo Nouatorum supercilio componat, qui volet. *Illud etiam, quod iam auferre non possumus de ore cantantium populorum;* Psal. 131. *Super ipsum autem floriet sanctificatio mea: nihil profectò sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, vt non floriet, sed florebitur diceretur. Nec quidquam impedit correctionem, quam consuetudo cantantium. Ista ergò facilè etiam contemni possunt, si quis ea cauere noluerit, quæ sane intellectui nihil detrahunt.*

En, quid S. Augustinus vsitato vulgi mori concedendum existimarit. Et isti, tam seueri Latinitatis custodes, nihil tribuent tot sæculorum consensioni? *Quid enim obest intellectori, quòd ita scriptum est; quæ est terra, in qua isti insident super eam, si bona est aut nequam; & quæ sunt ciuitates, in quibus ipsi inhabitant in ipsis. Quam locutionem magis alienæ linguæ esse arbitror, quàm sensum aliquem altiorem.*

Imò tanta est vis consuetudinis, ait ibidem S. Augustinus, *etiam ad discendum, vt qui in scripturis sanctis quodammodo nutriti, educatiqúe sunt; magis alias locutiones mirentur, easqúe minus Latinas putent, quam illas, quas in scripturis didicerunt, neq; in Latinæ linguæ autoribus reperiuntur.*

Ex veteri testamento carpit præterea VVitackerus hos duos locos, Genes. 42. vers. 13. *Alius non est super.* Et illum Genes. 21. vers. 26. *Non audiui præter hodie.* Sed VVitackerus meretur ferulam, quia prior Anastrophe est, perquam elegans, probis etiam auctoribus vsurpata. Nonne illud Virgilij lib. 3. AEneid.

O mihi sola mei super Astyanactis imago;

& illud Valerij, *Nec spes vlla super*------, etiam solœcismi erunt; si modus loquendi interpretis nostri condemnetur, vt solœcus? In altero ponitur *præter.* pro, *præterquam*: quasi diceret; *non audiui, præterquam hodie.* In quo quid culpæ?

Vtinam Grammatici isti tricones cogitarent ad se pertinere, quod olim sapienter monuit diuus Augustinus cum Grammaticis ad fidem Christianam accedentibus obseruandum esse: *Hi*, inquit in libro de Catechizandis rudibus cap. 9. *qui loquendi arte ceteris hominibus excellere videntur, cùm veniunt, vt Christiani fiant, hoc amplius, quàm illis illiteratis impartire debemus, quod sedulò monendi sunt; vt, humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia, quàm verborum amplius deuitare: & cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam præferre consueuerant. Maximè autem isti docendi sunt scripturas audire diuinas, ne sordeat eis solidum eloquium: quia non est inflatum, &c. His enim maximè vtile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, vt præponitur animus corpori. Ex quo fit, vt ita malle debeant*

veriores,

Digitized by Google

veriores, quàm disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores, quàm formosiores habere amicos. Nouerint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum. Ita enim non irridebunt, si aliquos Antistites, & ministros Ecclesiæ fortè animaduerterint, vel cum barbarismis, & solœcismis Deum inuocare: vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligere, perturbatoque distinguere. Non, quia ista minimè corrigenda sunt, vt populus ad id, quod planè intelligit, dicat amen: sed tamen, piè toleranda sunt ab eis, qui didicerunt, vt sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Itaque forensis illa, nonnunquam fortè bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest.

Solœcismi, & Barbarismi Hunniani ex nouo Testamento: & primum quidem ex cap. 5. S. Matthæi.

Solœcismos aliquos notabimus, inquit Hunnius Solœcista: (fortè tuos, non interpretis; fortè ignorantiam tuam notabis, & quidem nota indelebili:) *vt pateat, ea, ob quæ pueri in scholis vapulant, canonizata esse ab ignorantiæ fratribus Tridenti bacchantibus.* Ita bacchans Prædicans. Qui, primò reprehendit, tanquam barbarum & solœcum illud Matth. 5. *Quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Nolo dicere de verbo angariare*, inquit Prædicans, *quod respuunt Auctores classici.* Si interpres noster, est solœcus, aut barbarus, propter verbum *angariare*; oportet vt vel ipse Matthæus, vel Matthæi ex Hebræo in Græcum interpres sit solœcus, ac barbarus; quia vtitur verbo ἀγγαρεύω, quod & hîc, & cap. 27. tam est Græcum, quàm *angario* Latinum. Ipse S. Marcus haud effugiet huius Prædicantis virgulam. Nam Latino verbo vsus est cap. 15. si, vt grauissimi Auctores volunt, Euangelium Latino sermone conscripsit. Si autem Græcè scripsit, tum Græcè barbarus fuit, censore Prædicante; quia ἀγγαρεύω tam est Græcè *elegans, & scitum*, quàm Latinè, *angario*.

Quod sequitur, inquit Prædicans, *constare, saluo Prisciano, nequit. Vade cum illo, & alia duo. Quid? num passus? Absurdum id, & à syntaxi Grammatica alienum.* Tu verò, mi Prædicans, egregiè inscitiam tuam nobis patefacis, & quidem *saluo*, vt opinor, *Prisciano.* Quæ enim hæc tanta ruditas Prædicantis (& ipsius etiam Erasmi, qui hoc loco interpreti nostro negotium facessere audet) vt ea solœcismi, & barbarismi loco obiiciat, quæ apud elegantissimos, probatissimos, & Latinissimos auctores passim occurrunt: quibus in more positum, non tam respicere ad vocabulum, quàm ad sensum. Ex quo fit, vt genus sæpe mutetur, & cum antecedentibus non cohæreat, si verba spectes; etsi cohæret, si rem ipsam consideres. Lucret. li. 1.

Crescunt arbusta, & fœtus in tempore fundunt;
Quod cibus in totas vsq; ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omnes.

Cur non hîc exclamat Prædicans. Quid? *in totas?* Num *arbusta? Absurdum id, & à Grammatica Syntaxi alienum.*

Audi, quid ad hunc locum annotet Lambinus. quanquam antea ex nescio quibus codicibus, (quos, vt præstantissimus Muretus alicubi ait, habebat plerunque satis obsequentes) locum sanum sanare, hoc est, in ægritudinem coniicere volebat. TOTAS, inquit, *retineo, & subintelligo*, ARBORES, *vt res significata spectetur, non vocabulum, quod significat. Arbustum enim, & arborem pro eodem vsurpat Lucretius. Ne quis autem minus exercitatus in lectione veterum, hoc loquendi genus, vt inusitatum damnet; sic Homerus quodam loco, cum ita dixisset;* -- νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε Κυανέη, *&c. subiecit*, τὸ μὲν οὔποτε, *&c. cum* νεφέλη *sit generis fœminini. Quod defendens Plutarchus* νεφέλη, *inquit, &* νέφος *συνωνύμως λέγεται. Quare, cum vocem* νεφέλη *primo loco posuisset, subiecit articulum neutrum* τὸ, *spectans vocem eiusdem significationis*, νέφος. *Sic Lucretius hoc loco, cum supra posuisset*, ARBVSTA, *vocem neutrius generis; subiecit* TOTAS, *spectans vocem* ARBORES, *quæ idem valet.* Hæc commentator Lucretij: quæ interpretem nostrum ab Hunnij, & antiquioribus Erasmi criminationibus, penitus absoluũt, liberumque, abire iubent. Qui verba illa, ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο, non secundum verba, sed secundum sensum in hunc modum interpretatus est: *Quicunq; te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Nimirum ἓν μίλιον, *vnum miliare*, expressit per *mille passus.* Postea respiciens non ad præcedens genus, sed ad sensum, vertit, *alia duo*, intuens videlicet ad vocem μίλιον, seu μίλια, ita vt subintelligatur, *vade cum illo & alia duo millia*, seu *milliaria*.

Mirum est, hos tantos venustatis, & vetustatis Græcæ, & Latinæ criticos, à censura sua liberum præstitisse vocabulum, μίλιον. Quod, nec Græcum est, nec Latinum, sed neutrũ quiddam. Ostendant illud in eiusmodi auctore, quales ipsi ab Interprete nostro requirunt, vt omnium vocabulorum suorum rationem reddat. Sed bono animo esto, optime, doctissime, antiquissime, & integerrime interpres; lis tibi est cum *stipitibus, sudibusque praeustis*; cum Prædicantibus inquam, & cum illo ex Hollandia Roterodamo: stat à te antiquitas; stant probatissimi scriptores; stant ipsi Euangelistæ: qui, phrases, & locutiones suas tueri nequibunt, te cadente; cum stante, stant, cumque cadente cadunt.

Reuertamur ad *mille passus, & ad alia duo.* Num Lucretius potissimus, & accuratissimus scriptor, vno tantum loco interpreti nostro suppetiatum accurrit aduersus *Prædicãticam* inscitiam? Imò verò, non vnas, sed plures copias submittit. Nam lib. 6. ita canit.

In Syria quoq; fertur item locus esse, videri
Quadrupedes quoque, quò simul ac vestigia primùm
Intulerint, grauiter vis cogat concidere ipsa.
Manibus vt si sint diuis mactata repente.

Nam

Digitized by Google

Nam hîc, cum posuisset, *quadrupedes*, mutato genere, subiungit IPSA, & MACTATA, quasi vocem ANIMALIA vsurpasset. An hîc cum Prædicante exclamabimus? *Hoc, saluo Prisciano, constare non potest. Quadrupedes, ipsa, & mactata.* Quid? *Num quadrupedes ipsa? Num quadrupedes mactata? Absurdum id est, & à Grammatica Syntaxi alienum. Corrigatur ergò hoc modo. Ipsas, & mactatæ.* At, qualis versus erit iste? *Manibus vt si sint diuis mactatæ repẽte?* Nimirum versus erit ex correctione Hunniana Hunnianus, & *Prædicanticus.*

Vt autem interpretis nostri translatio, & loquutio magis, ac magis vndique muniatur, & sycophantarum istorum imperitia lucidius elucescat, non grauabor adscribere, quæ alius Lucretij scholiastes, ac editor, pro defensione nostri interpretis nobis suppeditat. Est is Hubertus Giphanius, nostræ Ingolstadiensis Academiæ olim Professor; qui, in Collectaneis suis ad Lucretium multa colligit, ex quibus calumniæ in vulgatum interpretem omnes penitus disiiciuntur, quod attinet ad mutationẽ generis in loco prædicto Matth. 5. Adscribamus eius verba, subsidio interpreti præclarissimo futura.

Solent sæpe veteres nomini in orationis serie collocato adiicere aliud genere non respondens; sed aliud potius, quod quidem vi, & notione cum illo conueniat, genere nõ item: vt sunt genus, & gens, fetus & fetura, arbor & arbustum, flumen & fluuius, &c. Puto enim tam consimilia debere esse, & notione, & sono hæc verba, vt alterum non expressum lectori statim succurrat: aut certè difficilem non habeat quæstionem. Sic Varro lib. 1. de re rust. cap. 12. Sin cogare secundum flumen ædificare; curandum, ne aduersus eum ponas, hieme. &c. eum scilicet fluuium, & tamen in orationis serie expressum est flumen. Simili ratione videri potest extulisse noster eum versum:

Quòd cibus in totas vsq; ab radicibus imis
Per summos, ac per ramos diffunditur omnis.

Tametsi enim in præcedenti versu,

Crescunt arbusta. & fetus in tempora fundunt;

arbusta expresserit poëta, eiq; illud, totas, genere non conueniat: quia tamen alteri vocabulo, quod illi, arbusta, vi respondeat, nempe arbores, accommodari potest; vt sit, in totas, scilicet arbores, id est, arbusta: ea, inquam, re non contemnenda videtur ea scriptura: imò, etsi libri varient, retinenda sola, ac defendenda. Nam, vt admonui ad oram libri, varietas est magna scripturæ. Neq; mutari debuit illa scriptura; quia varior sit scriptura. Sic &,

Harum intestinum quoduis quale esse putandum 'st? cum tamen antecedat animalia, (primùm animalia sunt iam partim tantula:) sed cùm veteribus omnibus libris sit, harum, subintelligi debet consimile nomen, animantium. Simile quid & esse posset pag. 110. versu 4.

-------sæpe videmus
Illorum spoliis vepres volitantibus auctas:

Nam præcedit, lubrica serpens: sed præstat, τὸ illorum, referre, & ad serpentem, & ad vitulos, ac cicadas. Similis, & penè gemina est ea Grammaticorum obseruatio de generum varietate; vt, Terentius in Eunucho sua; Centauro in-

A *uebitur magnâ, &c. Et quod ad rem potius, quàm ad vocem fiat relatio aliquando: Ennius lib. 10. Annal.*

Insignita ferè tum millia militum octo
Duxit delectos bellum tolerare potentes.

Et Valerius lib. 1.

--------fratrisq; pauenti
Progeniem, diuumq́; minas: hunc nam fore regi
Exitio--------

Hæc sumus persequuti copiosius, vt antiquitatis illustretur cognitio, ac studium probetur magis. Sic & pag. 164. vers. 8.

Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
Commiscet; finit hæc violentis omnia verti
Turbinibus.

Et Prudentius lib. 2. in Symmachum:

---------& creditur istis
B *Numinibus, qui transfugio meruére sacrari.*

Hæc Giphanius.

Verumenimuerò vt hæretici Prædicantes adhuc expressius videant, vulgato interpreti non deesse patrocinium aduersus criminatorum lœdorias, & opprobria; referam hîc, quæ ad sermonem sancti Valeriani Episcopi Cimelensis, *de bono disciplinæ* notauit Melchior Soldastus, antiquitatis studiosus; quem vtinam Deus fido hoc filo, ex Caluini Labyrintho aliquãdo educat. Ille ergò ad ista verba Valeriani; IVSSVM OBIICIAT; hæc notat. *M. S. Iustus obiiciat. Et subauditur, equus. Isidorus: sub religionis disciplinam sæculi potestates subiectæ sunt: & quamuis culmine regni sint præditi, vinculo tamẽ fidei tenentur adstricti; subintellige, Principes. Interpres*
C *Hieremiæ cap. 9. vers. vlt. Omnis autem domus Israël incircumcisi sunt corde. Quamuis in Hebræo בֵּית masculini sit generis, tamen interpres respexisse videtur Israëlitas. Item Matth. 20. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, scilicet gentilium.*

Gratia tibi Soldaste, qui aduersus Bezam tuum, quem immeritò in epistola tua dedicatoria ad eundem, vocas *Reuerendissimum*, & *Theologorum facilè principem*: & aduersus Erasmum, Hunnium, & similes sycophantas interpretis nostri patrocinium tam ingenuè suscipis, tamq́ue fideliter suscepto fungeris. Addis in margine; *Reprehendit hoc Beza.* Ita est; reprehendit in scholiis ad cap. 20. Matth. his verbis: *Dominantur eorum, duplici errore: cùm repetendus sit genitiuus, gentium; & hoc verbum apud*
D *Latinos tertio casui iungatur.* Quid tu? *Non sanè eruditus interpres adeò omnium rerum fuit imperitus, qui minus, quàm congruere hæc, & canoni Latino conuenire posset ignorare. Sciuit profectò, seseq́ue sciuisse docuit; relatiua ad sensum, quàm ad verba Hebræos referre. Eius rei passim exstant exempla, etiam in nouo Testamento; cuius scriptores ferè hebraizant. Marcus cap. 5. vers. 41. καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς τοῦ παιδίου, λέγει αὐτῇ, quasi præcessisset, τῆς κόρης. Franciscus Lucas, & Beza è M S S. reponunt, αὐτῷ. Sed & illam lectionem M. S. Cœnobij S. Galli approbari vidimus. Nec desunt, qui confirment. Lucas cap. 8. vers. 5. ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ. &c. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ φυὲν ἐξηράνθη. &c. ἕτερον, scilicet σπέρμα. Ioan. cap. 17. vers. 2. καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. αὐτοῖς,*

Digitized by Google

videlicet, ἀνθρώποις, vt exponitur versu 5. Sic Apoc. 5 cùm prælegatur, ἵερον, sequitur vers. 9. ἄξιος. Et v. 13. cùm præcedat κτίσμα, sequitur λέγοντας. Exempla multò plurima obseruauit Beza in annotationibus.

Et tamen Beza ausus est reprehendere in Interprete, quod ipsis sacris scriptoribus dat laudi. Si mutatio generis excusatur in Græco, cur reprehenditur in Latino Interprete? Quis iste candor? Sed perge, tu Soldaste, operam nauare vulgato interpreti aduersus Bezam, Hunnium, & alios.

Mutatii generis exemplum est illud Ioan. epist. 2. in principio. ὁ πρεσβύτερος ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, καὶ τοῖς τέκνοις, οὓς ἐγὼ ἀγαπῶ. οὓς refertur ad υἱούς; pro quo τέκνα dixit: Auctoritate, si ius fasque dicere, Homeri, qui, φίλε τέκνον scripsit, ἀντὶ τοῦ παῖ, Odyss. β. & Odyss. π. Vt Anacreonti sua sibi constare possit lectio scribentis: βρέφος φέροντα τέξεν; quasi antecesserit παῖδα. Attici enim, ita in aliis, Hebræos imitantur. Thucydides; ὁ οἶκος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, λεγόμενον μὲν σφίσιν πολλαχόσε, &c. Veluti dixerit νόσημα. Ipsos Atticos imitantur Latini, quibus hæc generis mutatio non insolita. Hæc Soldastus. Qui in margine ad illam Anacreontis scripturam; βρέφος φέροντα τέξεν, annotat: *quam turbant Stephanus & Beza.* Verè, turbant. At, quid non turbant isti turbatores, & turbines? Benè sit tibi ob hanc interpreti nostro nauatam operam, aduersus turbulentos istos.

Quid, quod ipsemet Beza aduersus se ipsum pro interprete nostro nobis patrocinium non denegat. Nam in prima verba alterius epistolæ Ioan. vers. 5. eadem quæ tu, scribit, dicitque: *Apostolum in illo, καὶ τοῖς τέκνοις, οὓς ἀγαπῶ, potius rationem sententiæ, quàm verborum habuisse, quasi præcessisset, τοῖς υἱοῖς. Hebræis autem æquè familiare esse, relatiua ad sensum, quàm ad verba ipsa referre.*

Si hoc ita est, cur ergò reprehendunt Prædicantes illud; *Reges gentium dominantur eorum?* Cur illud? *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* cùm interpres respexerit, more Hebræo, Græco & Latino, & optimorum Auctorum exemplo, ad sensum potius, quàm ad verba; &, subaudiantur ea vocabula, quæ pronominibus illis genere respondeant. Hactenus Bezam, contra Bezam, pro interprete nostro aduocatum habuimus & audiuimus.

Nunc audiamus Bezam, eiusdem interpretis causam agentem aduersus Hunnium. Locum Matthæi ita vertit Beza: *Et quisquis te angariauerit ad milliare vnum, abi cum eo duo. Duabus de causis hoc verbum, angariauerit, retinui. Primùm, quia Latinum nullum habeo, quod satis vim illius exprimat. Deinde, quia Vlpianus etiam Iurisconsultus illud non repudiauit lib. 40. Pandect. de priuileg. Veterum.* Hæc Beza, Hunnij vanitatem redarguens; qui hoc verbum culpare audet, cùm Beza dicat se ad sententiam exprimendam non inuenisse aptius.

Porrò cum Sectarij tam sint intenti solœcismis ex Interprete nostro colligendis, quærere lubet ex illis, num vllus occurrat in omnibus noui testamenti Latinis libris, qui tam apertam ac manifestam solœcismi speciem præ se ferat, quàm iste Apocalypseos primo. χάρις ὑμῖν ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Gratia vobis ab eo, qui est, qui erat, & qui venit, seu venturus est.* Quid non commentatur Beza ad hunc locum suis in Annotationibus, vt solœcismi maculam hinc auertat? Et tandem cum nihil aliud reperisset, putauit id nō factum absque mysterio significandæ immutabilitatis Dei, quæ, vt ait, *διὰ τοῦ ἀπτώτου forma indeclinabili,* à S. Ioanne hic ostenditur: *Nihil enim hic σόλοικον, vbi verba mysteriis contemperari, non mysteria verbis corrumpi, aut minui necesse est.* Hæc quidem Beza. quæ tamen ægrè persuadebit illis, qui Grammaticæ regulas norunt. Non culpo hanc defensionem; tantum postulo; vt nostro Interpreti, si non par, attamen non planè dissimilis benignitas obtingat: nec statim exsibiletur, si aliter, quàm Grammaticæ constructionis norma ferat, loqui videatur.

Erasmus hic impudenter, & absque vllo freno in Apostolum, & Euangelistam Ioannem inuectus; *Ingenuè fatendum est,* ait, *Græcum sermonem nihil omninò significare, quomodocunq; legas, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ἀπὸ ὁ ἐρχόμενος. Nam finge poni verba ipsa, velut absoluta, tolerabile est, ὁ ἐρχόμενος. Sed quid tandem significat, ὁ ἦν? Ad verbum, ita sonat, si tamen exprimi potest, ab ens, ab id, quod erat, & ab is, qui venturus est. Valla putat hac nouitate sermonis significatam immutabilem in Deo proprietatem, præsertim cùm in spiritibus inflexerit casum, καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων. Cæterum illud ἐρχόμενος participium est verbi, quod ad vtrumq; tempus anceps est. At, hoc sanè loco magis conueniebat futurum, cum præcessissent duo tempora.*

Hæc Erasmus. Et miraris adhuc, si maledicum suum calamum stringat in vulgatum Interpretem, exque eo ingentes Indices & syllabos solœcismorum & barbarismorum texat; cum ne sancto quidem Ioanni parcat, sed tanquam *solœcistam, & absq; mente loquentem* incessat. Quanquam autem ex hoc loco Erasmus sensum nullum eruere potuit, an ideo sensu caret; idque quod Erasmus potuit, nemo alius potuit? An non locutionis illius hæc est sententia. χάρις ὑμῖν ἀπὸ τοῦ ἐκείνου ὃς ἐστιν, ὃς ἦν, καὶ ὃς ἔρχεται ἢ ἐλεύσεται.

Castalio paulò hic modestior est, quàm Erasmus. Ait enim: *Sed quia ab imperfecto ἦν (quod pro præterito poni solet) nullum ducitur participium, ipso verbo vsus est pro participio: id quod ab Hebræis fit nonnunquam.* Mox tamen alium solœcismum notat, & simul, quid agendum sit, monet: *Quod ad solœcismum attinet, (qualis paulò post sequitur, ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς, pro, τοῦ μάρτυρος) noli moueri. Talia sæpe occurrunt etiam in Paulo. Tu à bonis mores, à disertis sermonem discito.* Rectè, ô Castalio; quod tuum monitum si in tuorum gregalium præcordia altius descendisset, aut etiamnum descenderet, nequaquam tanta conuiciorum plaustra in vulgatum veteremque

Digitized by Google

Interpretem effunderent, qui, immane quantum discrepent à modestissimo simul & litteratissimo ingenio D. Augustini; in illud Psalmi Quinquagesimi: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, &c.* hæc scribentis. *Expressit Latinus Interpres verbo minus Latino proprietatē tamen ex Græco. Nam oēs nouimus Latinè non dici sanguines, nec sanguina, sed sanguinem: tamen quia ita Græcus posuit plurali numero, nō sine caussa, nisi quia hoc inuenit in prima lingua Hrebræa, maluit pius Interpres minus Latinè aliquid dicere: quàm minus propriè.* Explicat deinde S. Aug. quare pluraliter dixerit, *in sanguinibus*. In Psalm. 148. idem S. Pater ita scribit: *Ego dicam, ossum: sic enim potius loquamur, melius est, vt nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.* Et lib. 3. de doctr. Christ. cap. 3. *Plerunque loquendi consuetudo vulgaris vtilior est significandis rebus, quàm integritas literata. Mallem quippe cum barbarismo dici: Non est absconditum à te ossum meum, quàm vt esset ideò minus apertum, quia magis Latinum est.*

Alij solœcismi Hunniani ex Euangelistis, &c.

Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum. Duplex solœcismus*, inquit Hunnius. Imò duplex fungus Hunnius. *Eorum gentium, qualis constructio?* Quærit Hunnius. Quæramus & nos, τοῖς τέκνοις, οὓς ἀγαπῶ, qualis constructio apud sanctum Ioan. epist. 2. Qualis constructio in pluribus exemplis, quæ supra protulimus? Deinde imperitè, & malitiosè coniungit Hunnius, *eorum*, cum voce, *gentium*, cum coniungenda sit cum voce, *hominum*, vel *populorum*, vel *subditorum*. *Dominantur eorum illatinè dicitur*, ait Hūnius. Et hoc ipsum *illatinè*, quàm est Latinū? Sed de verbo *dominandi* cum patrio casu iam antea satis egimus.

Tam Beza, quàm Erasmus vertit Matth. vlt. *Euntes ergò, docentes omnes gentes, baptizantes eos, &c.* *Eos gentes* quæ constructio Hunni? Quod Bezam, & Erasmum tibi ineptè percontanti responsuros putas; hoc tibi itidem à me responsum existima.

Matth. cap. 20. *Filius hominis non venit ministrari. Validus ictus bono seni Prisciano incussus*, inquit Prædicans. Si Latinus *Priscianus* hoc loquendi modo percutitur ab interprete, oportet & Græcum *Priscianum* per similem loquendi formulam percussum esse ab ipso S. Matthæo, vel ab interprete illius in Græcum: sic enim vertit, οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, quod noster interpres ad verbum expressit. Clamat Erasmus in annotationibus ad cap. 20. Matth. *Quis vnquam dixit, hominem ministrari, cui ministerium exhibetur?* Et in margine: *solœcismus interpretis*. Interpres non dixit; *Ministrari hominem, sed, non veni ministrari*: hoc est, vt ministretur mihi. In quo; tam parum solœcismi est, quàm in hac locutione; *non veni audiri, sed audire: Non veni spectari, sed spectare.* Qui loquendi modi passim apud probatos scriptores obuij sunt. Quòd si quis omninò contēdat, disparem esse rationem, cum hoc non contendam. Tantùm hoc indesinenter ingeminabo; Græcum διακονῆναι, quo vsus est Euangelista, vsitatius, aut venustius nō esse, quàm Latinum, *ministrari*: eamque ob causam interpreti nostro accusationem barbariei cum Euangelista communem esse.

Cap. 22. *Impletæ sunt nuptiæ discumbentium*, pro *discumbentibus*. Si hic solœcismus est; erit & in illo Virgilij 1. AEneid. *Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.* Et in illo Plauti: *Parasitum, qui me compleuit flagitij, & formidinis*: vt plurima huius generis testimonia probatissimorum Auctorum prætercam.

Eodem cap. *Neque nubent, neque nubentur. Ingens iterum vulnus inflictum Prisciano.* Imò veritati, per tuum mendacium. Nam, vbi barbarismus? Num in voce *nubent*? Ita sentire videtur Beza in Annotationibus: *Vulgata vertit, nubent, quod est mulierum tantùm.* Sed falsum id esse, vel pueris constat. Nonius; *Nubere veteres non solùm mulieres, sed etiam viros dicebant.* Quod confirmat his antiqui poëtæ versibus: *Sed meus Frater postquam videt me inde eiectum domo Nupsit posterius dotata vetula.* Exstant quoque exempla apud Tacitum, & Suetonium de Nerone. Iuuenal. *quid quæris? nubit amicus.* Martial.

——*vxori nubere nolo meæ.*

At verbum *nubentur* barbarismi accusant. Ita quidem Beza; ita & Erasmus. Qui quærit; *Quis vnquam audiuit, nubuntur?* Apud Plautum in Persa legimus; *nubitur*: tametsi impersonaliter. *Nuptus*, seu nupta est, passiuè apud optimos auctores reperitur. Nil ergò piaculi commisit interpres noster, quod passiuam personam vsurpauit, analogiam secutus. Cùm enim, *nubere*, sit *velare*, & ab hoc velandi capitis more, ad coniugij societatem translatum sit; non inscitè fecit, quod passiua voce Latina, Græcam passiuam expressit. Quis enim barbarismi condemnet eum, qui sic loquatur? *Capita nubentur*, seu *obnubentur*, hoc est, *velabuntur*. Si, *saluo Prisciano*, vt Prædicans barbarè blaterat, ita loqui licet; cur traducunt interpretem, quasi capitale facinus commiserit, posito in versione sua verbo, *nubentur*? Quod si Latinum est, pro, *velabuntur*; erit & Latinum in illa altera significatione: quæ ex hac prima originem ducit: vt taceam, quod iam sæpius dictum: interpretem nostrum plura veterum scripta vidisse, quàm nos: quorum auctoritate nixus, hoc verbo sibi vtendum existimauerit. Nam *nubere*, pro *operire, tegere, velare*, Latinis in vsu fuisse, liquet quoque ex illo Arnobij lib. 4. *Quod aqua nubat* (hoc est, *operiat*) *terram, appellatum est inquiunt, cognominatusque Neptunus.* Quis ergò barbarismus erit, si dicam; *Terra nubitur*, aut *nubetur* aquis?

Quod prætereа quiritatur Erasmus: *interpretem neq; temporis rationem habuisse*, positis verbis futuri temporis, *nubent, & nubentur*; cùm Græca sint præsentis: imperita reprehẽsio est. Certum enim est verba præsentis temporis per enallagen sæpe accipi debere pro futuris: quod & hîc visum interpreti non absque iusta causa. De resurrectione enim futura Christo cum Saducæis sermo, ac disceptatio erat, cui non iniuriâ interpres verba quoque futura accommodauit, rectéque censuit; hanc ipsam futuri vim verbis Græcis, quamuis temporis præsentis, subesse.

Post hæc loco solœcismi adfert Hunnius mẽdacium. Luc. 1. *Suscepit Israël puerum suum, memorari misericordiæ suæ*. Nam editio nostra sic habet; *recordatus misericordiæ suæ*. At, de verbo *memoror*, satis iam supra.

Luc. 21. *Et omnis populus manicabat ad eum*. Quis legit vnquam *manicabat?* inquit Prædicans. Quis verò legit vnquam apud Græcos scriptores, *καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτόν?* Quis vnquam extra Euangelistæ, & LXX. interpretum scripta legit, *ὀρθρίζω πρός τινα*; quod Latinè dicitur; *matutinus, seu diluculò ad aliquem venio?* Si ergò barbarismi nota inuritur interpreti propter verbum à se fictum, eo consilio, vt vim Græcæ locutionis, & quidem insusitatæ, exprimeret: ab eâdem censura liberari non poterit ipse Euangelista, cuius phrasis prorsus est noua, ac sine exemplo, nisi scriptorum Ecclesiasticorum, hoc est, LXX. Interpretum; qui hac notione verbum *ὀρθρίζω* excogitarunt, vt vim dictionis Hebrææ melius repræsentarent, vt Psal. 62. *πρὸς σὲ ὀρθρίζω*; vbi Interpres; *Ad te de luce vigilo*. Ad te *manico*, seu *manè eo, manè venio*. Beza dicit *ὀρθρίζειν* perinde esse, ac si dicas; *diluculari*. Quo *diluculandi* nouo verbo si Beza vti voluisset; quid aliud Caluinistæ adscripsissent, nisi; *Bonum factum!* Iam in Lexicis circumferretur hæc vox, & cum ceteris, & forsan præ ceteris, iure Latinitatis gauderet. Verbi *manicandi* meminit quoque S. Augustinus quæst. 46. in librum Iudicum: quidam enim Latini codices Iud. 9. habebant, *manicabis*: vbi nunc legimus: *primo mane oriente sole, irrue super ciuitatem*. Dicit Erasmus: *Augustinum hoc verbo fuisse offensum*. At, vnde hâc offensionem colligit? Quia S. Augustinus nihil aliud dicit, quàm hoc; *Manicabis, Latinum verbum esse, mihi non occurrit*.

En alium solœcismum Hunnianum. Luc. 23. *Ventres quæ non genuerunt*. At multæ editiones, & in his, recognita illa Clementis VIII. Pontif. Max. non habent *quæ*, sed, *qui*. Et, cur illa lectio, *quæ*, tolerari non posset, cum præcedat, beatæ steriles; ad quas, relatiuum *quæ* referre, nihil omninò vetaret. Vbi Erasmus; *Apparet hallucinatum interpretem, quod κοιλίαι, id est, ventres, apud Græcos sit fœminini generis*. Quid ais, Erasme? An propterea hallucinatus esset, licet ad Græcã vocem respiciens, relatiuo fœminino vsus fuisset? Quoties optimi Latinitatis Auctores, non ab illo, quod expressum est, sed ab illo, quod subintelligitur, genus petunt? Nam, quod ibidem; *vbera, quæ non lactauerunt*, non respexit ad Græcum masculinum *μαζοί*, vt obiicit Erasmus, id nihil est. Cur enim non posset huiusmodi respectus esse in vno, & non in alio? Etsi, vt dixi, aliter defendi hoc potest; etiamsi lectio illa, quam Prædicans, & Erasmus incessunt, germana esset.

Ioannis 4. *Non coutuntur Iudæi Samaritanis. Quæratur in Vocabulariis verbum coutor*, inquit Prædicans. Mi Præco, non sequitur, hoc, vel illud vocabulum non reperitur in vulgatis lexicis; ergò est barbarum. Sicut neque rectè collegeris: Hoc, vel illud vocabulum reperitur in vulgatis lexicis; ergò, non est barbarum. quia, multa non barbara in nullum lexicum sunt relata; & fortè nonnulla barbara, in ea relata sunt. Magnum crimen, quod interpres verbum nouauit, (si tamen nouauit, & non ab antiquioribus accepit) vt vocem Græcam adverbum exprimeret. Et nisi fallor, si quis Atticam elegantiam spectet, videbit, Græca Euangelistæ; *οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις*, tam esse Attica, quàm sunt Latina ista Interpretis: *non coutuntur Iudæi Samaritanis*. Erasmus vertit; Commercium habent; *recedens à Græcis, vbi minimè necesse est*, inquit Beza. Ipse vertit, *vtuntur*. At dictio Græca non *vsum* præcisè, sed *mutuum vsum* signatè denotat; quem exprimit vox nostri interpretis, non illa Bezæ.

Aliud Hunniani solœcismi exemplum. *Maiora horum faciet*, pro, *maiora his*, inquit Hunnius. Erasmus; *Interpres per obliuionem reliquit genitiuum Græcum, cum nihil esset opus*. At, hac tam Hunnij, quàm Erasmi censura, multò minus opus erat. Scilicet per Criticos istos nefas erit Interpreti, vti hellenismo. Idem responsum sit ad locum illum Hebr. 6. *Homines enim per maiorem sui iurant*: Præsertim, cum apud eximios Latinæ linguæ Magistros, huiusmodi hellenismi non desint exempla. Sic enim Augustinus Saturnius libro nono Mercurij maioris capite decimo: *Aliàs cum genitiuo iunguntur Comparatiua, nimirum imitatione Græca*. Cic. in Valerium; *Ceterarum rerum præstantior erat*. Plinius libro septimo: *Omnium triumphorum lauream adepte maiorem*. Curtius V. *In oculis duo maiora omnium nauigia submersa sunt*.

Vox *pænitemini* Actor. 3. valdè pungit Hunnianas aures: vt & vox *intentator* Iacobi 1. Et *minorauit* 2. Corinth. 8. sed Hunnius fortè magis odit rem verbo *pænitemini* subiectã; quàm ipsum verbum, quod iam minimum mille ducentos annos tulit. Quod de aliis duobus similiter dictum esto. Lepidum est autem, quod ait Hunnius: *Intentator malorum est, qui intentat alicui mala*. Tuo

scilicet

ſcilicet iudicio; ſed non interpretis, hoc quidem S. Iacobi loco. Nam *intentatorem* negatiuè, pro *non tentatore*, vſurpat. Quod ſi barbarum tibi videtur, memineris, tuum *intentatorem* nihilo eſſe elegantiorem: neque, vt opinor, vocem ἀπείραστος, ea notione, qua accepta eſt à S. Iacobo, apud vllum Græcæ linguæ profanum, probatumque inuenies. Scio etiam Eraſmum, Caſtalionem, vocabulum ἀπείραστος aliter interpretari, & explicare: ſed & hoc ſcio, Interpretem noſtrum omnibus iſtis, etiam ſimul, & *collectiuè* ſumptis longè doctiorem, & vtriuſque ſermonis peritiorem fuiſſe. Quamobrem cauſæ nihil video, cur iſtos poſt duodecim, & amplius ſæcula potius audiamus nouas ſacræ ſcripturæ verſiones, & expoſitiones nobis afferentes.

Nec à ſolœciſmo, & barbariſmo liberat Prædicans illud Act. 10. *Hoc autem factum eſt per ter. Caue tibi Priſciane*, rudit rudis Prædicans. Moneamus nos, *Priſcianum Græcum*, vt caueat ſibi ab ipſo Euangeliſta Luca, ne quem colaphum ab eo accipiat. τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τρίς. Quid ni & hic *bonum Priſcianum*, tametſi Græcum miſerati, dicamus cum Prædicante Hunnio? *Grandis alapa rurſus infringitur homo ſeni Priſciano.* Vbi enim vnquam auditum illud ἐπὶ τρίς; Quod Eraſmus aptius verti potuiſſe ait, *ad ter*. Sed nos in auctoritate Interpretis tam fidi, ac fidelis acquieſcimus: Eraſmumque toties cum ſua verſione ad ferulam *Bezanam* vocatum, non grauatè abire ſinimus. Ipſe quidem vertit; *tertiò*. Beza, *ter*. Interim nos cum ipſo S. Luca ἐπὶ τρίς; &, cum Interprete, *per ter*, libẽter retinemus. Vt & alibi, ἀπ' ἄρτι, *à modo*: quæ tam ſimilia ſunt; tametſi alterum in Græca; alterum, in Latina lingua: vt, qui Latinum ſolœciſmi, aut barbariſmi inſimulat: is, eadem cenſura Græcum, atq; adeò ipſum ſacrum ſcriptorem perſtringere debeat.

Allatrat quoque Hunnius illud Act. 8. *Multi eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Quid? Num exibant ij, qui habebant ſpiritus immundos? Abſurdè hoc dicitur, & incongruè*; inquit abſurdus, & incongruus Prædicans: qui calumniam hanc mutuatus eſt ab Eraſmo. Sed, ſi quæ hîc eſt culpa Interpretis, illa etiam redundabit ad ipſum S. Lucam; cuius hæc ſunt authentica verba. πολλῶν γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ ἐξήρχετο; quæ ad verbum ſic ſonant: *Multorum enim habentium ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant*: quorum verborum ſtructuram difficile eſt intelligere, vt agnoſcit ipſe Beza. qui, hanc eſſe arbitratur. πνεύματα γὰρ ἀκάθαρτα πολλῶν τῶν ἐχόντων, (αὐτὰ) βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ ἐξήρχετο. *Spiritus enim impuri multorum, qui eos habebant, clamantes magna voce egrediebantur.* Eâdem benignitate legamus verſionem Interpretis, & forſan ei æquiores erimus; qui videtur pro πολλῶν legiſſe πολλοί. vt ſenſus ſit; *Multi eorum, qui habebant ſpiritus immundos, liberabantur, & clamantes magna voce exibant*; nimirum, immundi illi ſpiritus. Nam ſi verba foris adſciſcimus, vt ipſius S. Lucæ verba

A conſtare doceamus; cur id non liceret in Interpretatione noſtri Interpretis? *Debebat*, inquiunt, *clarè, & abſq; ambiguitate vertere.* At ſatis clarè, dilucideque vertit; ſi tu tenebroſam mentem ad lectionem non adferas.

Actor. 21. vſurpauit interpres verbum ſimplex *ſuadere*, pro compoſito: *perſuadere*. Furit propterea in interpretem Hunnius, & ante illum, Eraſmus. Sed, ſi ſolus eſt Interpres noſter, qui ſimplici verbo vice compoſiti vſus eſt; tunc mittant iſti in illum conuiciorum lapides. At ſi plurima antiquitatis exempla ſuppetunt, quibus ſe tueri interpres valet; tum iſti calumnias ſuas reſorbeant, & ſtultiloquentiam occluſiorem habere ſtudeant; quod & Eraſmo dictum volo circa illud; *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Act. 20.
B Vbi interpretem affectati ſolœciſmi, & Latinitatis de induſtria violatæ accuſat: cùm Plautus, excellentiſſimus latinè loquendi magiſter, hac ipſa locutionis formula non ſemel ſit vſus; vt, *Nihil inuenies hoc certo magis certius.* Idem: *Nam magis multò facilius patior verba.* Idem: *Amiciorem credam magis ſodalem, an Bacchidem, incertum eſt admodum.* In Sticho: *Magis eſt dulcius.* Valer. Max. lib. 3. *Vterque noſtrum inuidia magis, quam pecunia locupletior.* Iuſtinus lib. 3. *Non inuentione earum magis, quàm exemplo clarior.* Plaut. Menæchm. *magis maiores nugas egerit.* Eat nũc Eraſmus, & interpretem vulgatum affectati ſolœciſmi accuſet.

Vt autem Hunnius prorſus ſe ſcurram de tri-
C uio probet, ac exhibeat, nõ veretur Examini ſuo inſerere argumentum ſcholaſticum lingua Germanica, *quale pueris*, vt ait, *in ſchola proponi ſolet, in Latinam linguam vertendum*: idque poſtea ipſemet barbatiſſimus puer ex commẽtitiis ſolœciſmis, & barbariſmis vulgatæ editionis Latinè concinnat; vbi tamen pleraque vocabula non ſunt Interpretis ſolœciſmi, aut barbariſmi, ſed mendacia, & inſcitiæ Hunnij, vt hactenus abundè oſtenſum. Secundò, ſimile argumentum poſſet Lucianus, cælique & cælitum contemptor quiſpiam componere, ex verbis Græcis Euangeliſtarum & Apoſtolorum, quod nihilo prorſus elegantius foret, quàm id quod Hunniana ſcurrilitas commenta eſt. Quid enim, ſi quis ita Epiſto-
D lam auſpicetur. χάρις ὑμῖν ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος, καὶ παρὰ τοῖς τέκνοις, οὓς ἀγαπῶ; & cætera pari leuitate & ſacrilega temeritate pertexere pergat? An propterea aliquid de Euangeliſtarum, & Apoſtolorum auctoritate per huiuſmodi ſcurriles ſycophantias delibabitur ac decerpetur? Nec aliter olim Ethnici egerunt cum ſcriptis Euangelicis, & Apoſtolicis Græcis, quàm hodie agant hæretici cum illis, quæ vulgatus interpres ex Græcis Latina fecit.

Nominarũt antiqui etiam aperta orationis vitia apud magnos auctores reperta, non ſolœciſmos, ſed honeſtiore vocabulo *ſolæcophanes*, quaſi dicas, *apparentia ſolœca*, idque propter antiquitatis honorẽ ac reuerentiam: docet etiam Quin-

Digitized by Google

tilianus lib. 1. Instit. cap. 5. barbarismi & solœcismi vitia *excusari aut consuetudine, aut auctoritate, aut vetustate, aut denique vicinitate virtutum, nam sæpè à figuris ea separare difficile est.* At calumniatores nostri nihil horum aut agunt, aut agendum existimāt, quando de Interprete nostro, & quidem antiquissimo agitur; solœcismos & barbarismos ea vocabula aut dicendi genera appellitant, quæ Critici huius æui in Festo, Nonio, Gellio, Apuleio, Suetonio, & aliis inuenta, vt pretiosas venerandæ vetustatis reliquias exosculantur, & in publicum proferunt, & omnibus venum exponunt, non sine laudibus; *quia laudat venales, qui vult exponere merces.* Quid iidem in Arnobio & Tertulliano sibi non mereri videntur, quando vocabula abstrusa, iam pridem desita, & ex communi vsu sublata, eruunt, & in lucem promunt? Quàm sibi gratulantur, quàm se circumspiciūt? Quàm sibi videntur pulchri & ingeniosi, quàm lauti ac beati? Si Meursius in Arnobio, aut Iunius in Tertulliano verbum *manicabat*, à nostro Interprete vsurpatum inuenisset, ciuicam coronam depoposcisset. Nunc vilipenditur & irridetur, cum vsurpatum sit ab illo, qui forsan æuo vtrunque, hoc est, Arnobium & Tertullianum antecessit. Aristotelicum pronunciatum est, ex secundo Topicorum desumptum & communi rectè sentientium suffragio comprobatum: *In vsu verborū sequendam esse vulgi consuetudinem; Exempli gratia, salubrè vocandum esse, quod valet ad sanitatem efficiendam, vt multi vocant.* Hoc axioma secuti ipsimet scriptores canonici verbis ex media turba petitis, nulliusque captum superantibus, diuina oracula conscripserunt. Eosdem imitatus interpres noster vocabula vulgi sermonibus trita, & formulas loquendi etiam infimis sua ætate notas adhibuit, ne vllus esset, qui ignoto & inusitato orationis genere à sacris litteris euoluendis absterreretur aut arceretur.

Cum olim Agobardum, Episcopum Lugdunensem Fredegisus reprehendisset, quasi vulgatum scripturæ Interpretem maledictis insectatus fuisset, ægerrimè tulit Agobardus hanc sibi imponi impudentiam. Quare instituta ad Fredegisum Apologia, sic inter cætera scribit. *Quis de nobis calumniatus est vnquam Editorem aut Interpretem aliquem diuinarum scripturarum? Dicitis reprehendisse nos Apostolos, & Interpretem, quos tantùm putabamus vnquam reprehendendos, quantum nunc putamus Veritatis vituperatores laudandos. Diximus namque, quia interpretes diuinorum voluminum, vel expositores, non curarunt omninò tenere indeclinabiliter regulam Grammaticæ artis, quod vtiq; neq; imperitiâ, neq; malitiâ fecerunt; sed ratione condescensionis; vt, sicut vsus sanctæ scripturæ est, verbis condescendere humanis, quatenus vim ineffabilis rei humano more loquens, ad notitiam hominum deduceret, & mysteria insolita solitis ostenderet rebus; ita & interpretes eius eam sequendo, illud studuerunt summoperè transferre, vnde manifestiorem sensum legentibus præberent, etiam si contra Grammaticam essent eatenus, vt sacramento rei concordarent. Et ita hoc ad nostrā sumpsimus defensionem, vt sicut illos, qui poterant, si voluissent, omnia secundum disciplinam Grammaticam proferre; sed, vt nobis condescenderent, & simplicitatem veritatis non desererent, non sunt veriti, aliqua contra eandem disciplinam loqui; reprehendere nullus debet; ita nobis omninò debet parcere, qui, etiam si velimus omnia secundum Grammaticam loqui non possumus; si tamen fidem rectam, & sensum Catholicum tenemus; in hisque verbis, quibus possumus, dicimus, &c.*

A

B

Hæc Agobardus: qui quod interpres noster alicubi transtulit *sanguines*, vel *sanguinibus*, *non solum non reprehendimus*, inquit, *sed neq; ab impiis audiuimus vnquam reprehensum.* At si iam viueret Agobardus, audiret in dies singulos non modò hoc vulgati Interpretis verbum reprehendi, sed & totam translationem veterem arrogantissimè, ab impiis sciolis sperni, & infinitis maledictis proscindi.

Concludat hanc Apologeticam pro vulgata versione disceptationem D. Augustinus; qui ista, lib. 4. de Locut. sacræ scripturæ Quæst. 55. in illud: *Omnis primitia olei.* Num. 18. *Neq; hoc, quod dictum est, primitia, Latinum videtur; primitiæ quippe numeri tantùm pluralis dici solent. Sed si potuerunt Interpretes nostri transferre, quod in Græco inuenerunt; non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, &c. cum sanguis in Latina lingua numeri tantùm sit singularis; cur etiam hic piget & singularem numerum primitia, sicut habet Græcus, exprimere?*

C

Excerpta ex Apologetica Disputatione cuiusdam Caluinistæ pro vulgato Interprete.

ET hæc quidem hûc in modum concinnaueram pro defensione nostri Interpretis & translationis; cum ecce, præter opinionem; etsi non præter voluntatem, affertur ex vltima Britannia, Alberici Gentilis Iurisconsulti Caluinistæ origine Itali; incolatu nunc Angli; Professoris Regij, *de Latinitate veteris Bibliorum versionis malè accusata; disputatio.* Placuit titulus, simul vt inspectus. At metui, ne fortè ironicus aut antiphrasticus esset. Aperio; Quò plura lego; eò magis video argumentum inscriptioni vtcunque consonare; Dico, *vtcunque:* quia ita tuetur versionem nostram; vt interdum tamen mordeat; & nescio qua lancinandi dulcedine illectus, dentes abstinere nequeat. Sed cōdonemus ista. Supra Caluinianam fidem & indolem, strenuè caussam Interpretis nostri egit, idque bifariam; primùm; generatim; Deinceps, speciatim. Audiamus prius accusationis capita; Tum Apologiam.

D

I. Vulgus flagellat illum Interpretem, etiam, quia Barbarus sit & solœcus. Rectè dicis, *Vulgus.* In vulgo igitur, Valla, Erasmus, Hunnius; tuus Beza & cæteri Interpretis nostri flagellatores importuni.

Digitized by Google

II. *Nuper vidi summi Theologi cuiusdam nostri Themà compositum de barbarismis & solœcismis interpretis illius irridendo eidem.* Noui, quem designes. Noui non tantum ex libris, sed & de facie. Hunnium denotas. Qui quomodo vester? Num Lutherani *coutuntur* Caluinistis? Num Hunnius, cum viueret, *vester* & *vestras* audire voluit? Caluinistas potius pro *suibus*, quàm pro *suis* habuit; quod liquidum ex aculeatissimis lucubrationibus, quas in Caluini sectatores diuulgauit. Quomodo igitur *vester* est? Forsan post mortem *vester* effectus est; translatus in Caluini cælum, quod non est aliud, quàm Lutheri: Licet enim in huius vitæ statu vtriusque Synagoga dissideat; in centro tamen terræ omnes conueniunt; sicut lineæ ex medio circuli ad peripheriam ductæ. At num placet tibi vel vulgi vel Hunnij factum? Nequaquam. Laudo. Quas ob caussas è Incipe *apologare*, vt Senecæ verbo te excitem.

I. *Fuisset irridendus interpres, qui totam versionem scripsisset, vt Hunnius scripsit totum Thema.* Rectè dicis; quia si quis tantum vocabula ex diuersis locis excerpere, & postea in vnum corpus compingere velit; vix erit vllus scriptor, etiam latinissimus; ex quo huiusmodi planè ridicularium Thema confici nequeat. Tentet quis hoc in & ex Plauto; Ex Fragmentis veterum Poëtarum; ex Catone & id genus aliis; vel ex Apuleio; vel Symmacho; vel ex Christianis Tertulliano, Arnobio; Eiusmodi vel Epistolam, vel oratiunculam, vel declamatiunculam consuere licebit, quæ auditoribus non tantùm ilia risu distendat; sed & propemodum rumpat.

II. Qui in volumine magno habet tantùm pauca illa; quæ Hunnius notat; homo nec exemplo caret scriptorum laudatorum, *nec si careret, adeo fuit deridendus impotenter*; Adde & *impudenter*. Quid enim impudentius illa Hunniana scurrilitate?

III. *Facit faciem næuus, quod dicitur, venustiorem, quæ tota næuus sit deformissima.* Et hoc probè. Quod ergo in corpore talis næuulus; hoc in oratione vocabulum cascum & à Pacuuij proauo petitum; vel etiam ex media vulgi consuetudine desumptum, opportunè insertum. Eadem est ratio ipsarum loquendi formularum.

IV. *Vitia quædam orationis audiunt figuræ & ornamenta.* Summa vtique æquitate; quam rabulæ isti soli nostro Interpreti denegant.

V. *Solœcismi sunt apud politissimos vtriusq; linguæ. Audiunt tamen, honoris & reuerentiæ caussa,* solœcophane. Nec quisquam vel emendare cogitat, vel meliora concupiscit.

VI. Sic pro Hilario habet Erasmus in præfatione ad eum Patrem. Cur Erasmus eadem A moderatione non est vsus erga veterem Interpretem? An existimabat, suam non surrecturam; nisi depressa veteri?

VII. *Rusticos solœcismos & barbarismos in Apocalypsi* (Græcè scripta) *agnoscunt nostri* (Caluiniani; Beza, similes.) Cur ergo, vt in nostrum Interpretem, sic & in Auctorem non stringunt linguas & calamos? Optimè enim mones; eandem ob caussam vulgatam versionem non esse irridendam aut traducendam; ob quam Caluiniani Græcum textum non subsannant aut repudiant. Quæ illa? Supra tetigimus ex Beza. Hic suis verbis reponamus. *Sic defendunt* (solœcismos & barbarismos in Apocalypsi) *quoniam Ioannes noluerit, nec à verbis discedere, quibus plerumque vtitur, Prophetarum.* B *Quod ego pro versione illa Latina non semel attulerim, vbi idem est aliquando quæsitum, ne à verbis textus discederetur.*

VIII. *Nec summa illa sermonis puritas debet his in auctoribus quæri; & semper pro certo loquitur emendatè, qui sequitur auctoritatem Dei.* Non semel iam dixi, relici non posse & irrideri veterem interpretem; nisi pariter reiiciatur ipse originalis textus: quia quidquid ad vocabula & orationis structuram pertinens, obiectant; id & in Græcum textum torquere licebit illis, qui sibi omnia licere volunt.

IX. *Displicet immensum audacia Castalionis profana, simul & puerilis interpretatio.* Et tamen tuus vel C *vester* fuit. Nam si Hunnius vester est, quanto magis Castalio?

X. *Vetus Interpres, quò facilius probaret, de Hebræo & Græco textu probè translationem suam se confecisse, idcirco barbara nonnulla & solœca intexuit. Quod olim à summis viris factum. Lucullus in suis historiis, quo eas facilius probaret Romani hominis esse, barbara quædam & solœca adspersisse dicebat.*

XI. Nec vna caussa suppetit, cur ita egerit vetus Interpres: *quia versio illa facta est populo, qui non solet emendatissimè loqui.*

XII. Sic ipsi Euangelistæ multa dicendi genera è medio sumpserunt; vt sese vulgo accommodarent.

D XIII. *Et Hieronymus sic. Propter simpliciores multum in sermone deiiciendo laborauimus. Quid cum Apostolis Cicero? omnia munda mundis.*

XIV. *Exstarent vtinam sex septemue Galeni libri, contra hos scripti, qui in solœcissantes incubuêre. Tradebat ille neminem prorsus ob orationis solœcismos & barbarismos reprehendendum.* Et hæc est generalis pro Interprete nostro apologia ab hoc Caluini discipulo elaborata.

Nunc specialem, si non singulorum, at quorundam, quæ ab Hunnio flagellantur defensionem parat. Ex quorum numero.

I. *Angariare.* De quo satis supra.

II. Noceo te, quod Meursius in Criticis, citatus hic ab Apologete, docet esse Plautinum & elegantissimum archaismum; vt & Schioppius in suspectis lectionibus lib. 4. Epist. 6. Vbi & *noceri* passiuè apud Apuleium & Vegetium annotatur. Et ab aliis notantur apud Vitruuium illa: *Neq; ab ignis violentia nocentur. Larix ab carie aut tinea non nocetur.*

III. Mille passus & alia duo. Quæ Hunnius saluo Prisciano constare posse negat. Quid noster Apologetes? *Vehementer indignum est, vt sub Donati regulis verba cœlestis oraculi restringantur, inquit Gregorius. Cum Prisciano* lib. 17. defendes Interpretem ab ista accusatione; qui ad illud Virgilianum; *Qualis eram cum Praeneste sub ipsa*: redditum *ri ipsa, ad intellectum Vrbis; quia Praeneste est neutrum.* Post plura, de quibus iam supra; adiungit hoc exemplum ex Iure: *Fideicommissa quocunq; sermone relinqui possunt; non solum Latina, vel Græca; sed etiam Punica vel Gallicana, vel alterius cuiusq; gentis.* Vbi respectum, ad vocem, *lingua*; non ad illam, *sermo*.

IV. Principes gentium dominantur eorum: ventres, quæ; Euertit; Impletæ sunt nuptiæ discumbentium, maiora horum, neq; nubent, neq; nubentur; filius hominis non venit ministrari, & similia rectè asseruntur per istum ab Hunnianis criminationibus, de quibus copiosè supra.

V. Contor. Ait Hunnius *non inueniri in vocabulariis*; & Beza vocabulum *planè barbarum & obscurum* nominat. *Ad vocabularia*, quod *attinet*, inquit Caluinianus Apologetes, *sunt illa quidem hodie copiosissima, & fortassis perfecta in his quæ ætatem eam optimam habent orationis latinæ: verum quàm sint in cæteris manca, quæ sunt aut prioris, aut posterioris sæculi, ego ostendere possim vocabulis sanè sexcentis, & amplius. quibus vocabulis si vsus est interpres noster, ipsum nemo reprehendere iustè potest. Neq; tamen hoc affero nunc, quia meminerim legere me vocabulum, de quo agitur, vsquam. Nam ipsum repræsentatum aio de suo Græco συγχῶμαι.* Latini simili forma habent, *coamatores, coamicos, coaccedere, coæstimari*, alia.

VI. Manicare. Quis vnquam hoc verbum legit? Clamant Beza & Hunnius. *Respondeo, me legisse*, inquit Apologetes; *est scilicet à mano manico, vt à fodo fodico, quod Meursius docet, & in Chrysologo inuentum interpretatur. Laudatissimus scriptor ille Theologus, æui Imperatoris Martiani, itaq; nec longè ab æuo Hieronymi. Fuerunt suo cuiq; sæculo vt vitia sic verba sua, quod certum est. & scribit Pithœus eruditissimus, qui & huius generis verba sic notat, atq; nostrum hoc ad veteres Persij, & Iuuenalis glossas: Tribulare, Minorare, Angustiare, Plagare, similia, irrisa Hunnio. Manicare posterioris sæculi verbum, est ὀρθρίζειν apud Lucam, quod memini notasse me apud Augustinum in libro Iudicum, & epistola quadam, quæ nunc properanti non succurrit: ait Pithœus. Et his verò vti vocabulis debuit noster interpres, quia lex sit omnibus dicta, Vtere verbis præsentibus.*

VII. Nec caussa fuit cur Hunnius perstringeret illud Psal. 36. *Zelate ipsos*, vel, vt textus habet: *neq; zelaueris facientes iniquitatem.* si Augustinus lib. contra Adimantum de vulgo sic. *Non frustra vulgo dici solet: Qui non zelat, non amat.* & lib. 3. de ciuit. cap. 3. *Dij non zelant coniuges suas*, & lib. 12. contra Faust. *Moyses populum zelans.*

VIII. Verbum *calefacimini* irridet Hunnius. Et tamen legere potuit in Vitruuio: *Calefaciuntur, calefaciuntur*. Et apud alios; *facitur, paruifacitur, satisfacitur*.

IX. Reprehendit Hunnius *linguatam*. Et tamen Tertullianus lib. de Anima dixit, *ciuitatem linguatam*.

X. Carpit *infrunitum*; quo vsus Seneca lib. de vita beata. *Infruniti animi est.* Meus Codex, inquit Lipsius; scribit; *Infroniti.* Festus. Fruniscor & frunitum dixit Cato: nosque cum adhuc dicimus *infrunitum; certum est antiquos*, dixisse frunitum. Gellius lib. 4. cap. 9. *Verba infrunita & obtundentia.* Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 16. *infrunita est & antiquaria.* Hæc ex Lipsio in Senecam. Nemo hodie nō nouit, teste nostro Apologete, ex Festo & Nonio, vocabulum *infrunitum esse probum.* Excipiendus tamen Hunnius, qui nil nouit nisi mentiri & calumniari.

XI. Inpræsentiarum subsannatum ab Hunnio, *notatum habent etiam lexica. Et erat olim in secundo Rhetoricorum ad Herennium. Et hodie legitur in quarto annalium Taciti, in tertio Floridorum Apuleij*, apud Hieronymum ad Algasiam q. 11. Nostri, *(id est I. C.) inpræsentiarum est*, pro *præsens est*. Quod nobis sufficit: tametsi non desint; qui huic vocabulo ne in Apuleio quidem aliquid loci concedere dignentur.

XII. Bilem mouet Hunnio vox *Nimietas. Qua vsus Hieronymus Epist. 27. Seruius in VIII. Æneidos, Arnobius lib. 7. Et alij latiniores apud Lexicographos.*

XIII. Migrare notatum est, *actiuè dictũ pro transferre. Sed sic tamen dixit Gellius, ipse Cicero, alij: vt alij obseruarunt. Sæculo illo Hieronymi dixerunt etiam exulare actiuè. Huc mihi ad ea tempora reuoca istud examen, quum ea versio scripta est. Fuerit enim ridiculum, malle sermonem, quo locuti sunt homines, quam quo loquantur: Pari passu morum ac literarum currit licentia. Et perinde vt alij mores, ita alius priscis extitit sermo: postera ætas veluti disciplinam pristini sæculi, ita & sermonem fastidire cœpit.*

XIV. Nec mihi dicat Beza in cap. vlt. Act. *se non meminisse legere apud meliores latinitatis auctores vocem* CASTORVM, *quæ est in vulgata: Si ea vtitur*, Arnobius, & Minutius. Vtitur eadem Trebellius Pollio. *Fuit hoc nomen in vsu tum. Multa sunt verba vocabulaq; quæ post Ciceronem in vsum frequentem recepta sunt: quibus ille vti noluit, aut non est ausus, aut est vsus rarissimè. Eiusdem quoq; nonnulla nec admodum placuisse posteris visa, vt de his eradit alicubi ad Pandectas Budæus latè. Expendatur versio ex scriptoribus Ecclesiasticis, Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, aliis. dico audenter esse nihil in veteri versione, quod in illis non ostendam.*

XV. In-

Digitized by Google

XV. Ineptit Hunnius censor, dum ait; ODI *in aliis temporibus nullo planè in vsu esse apud scriptores probatos: apud veterem interpretem igitur malè esse* ODIENTES, ODIVIT, ODITE. *Ego autem legi odientes apud Tertullianum, odiui dixit* Antonius. *Quid tum si amauit iste voces à communi alienas vsu? Sic & Odio, Odis, Oditur, Odiri, Osi sunt, notant alij vsurpata.*

XVI. Criminatur Hunnius illud: *Partibor* pro *partiar*. *Metibor* pro *metiar*. Quæ nemo non nouit ex Nonio; & his similia: *Viuebo, Venibo, Dicebo, Expedibo, Audibo, Aperibo, Obedibo,* alia. *Antiqua sunt inquies, & desita.* At huiusmodi delectati Tertullianus, Arnobius, Apuleius, alij propiores tempori eius translationis.

XVII. *Aperiandi* vox Græco fonte cadens non facit ad stomachum Hunnij. Ea tamen ex communi vsu in nostram translationem venit. Et quis iste Prædicans, qui se receptæ consuetudini tamquam vetustæ opponat? Notat & Lipsius in Senecâ *aperiandi* verbum ea forma qua verbum *Apologandi* apud Senecam.

XVIII. Flagellat Hunnius Interpretem ob vsum vocabuli *gratū*. At Græci suo *δωρεὰν* notione eadem vtuntur; sed & Theologi vsi sunt ad eum modum. *Hi sunt probati auctores Theologis.*

XIX. Quis veterum irrisionem Hunnianam effugiet, si Interpres noster effugere non potuit? Væ tibi inprimis Tertulliane: apud quem *absolentes pro solitum vsum abdicantes: Retrosiores, pro antiquiores: Temperatim* pro, *secundum tempora; Assentari, Assentator*, *pro assentiri: Passiuum pro promiscuo, à passim: quo etiam Hieron. & alij dicuntur vsi: & passiuitas pro inconstantia; & sic etiam passiuus* pro *vagante,* & *passiuitus, gentilitus, planitus, natiuitus.* Hæc & similia quærat Hunnius in suis vocabulariis; & vbi repererit, nobis renunciet.

XX. Apud eundem Tertullianum est *inuestis*, pro, *sine vestibus, & nudus: Infœderatus*, pro, *non fœderatus: Incriminatio, Inalienus, Inbonus, Inuerus*, vbique negante particula IN. Et Hunnius ferre dedignatur vocabulum *Intentator.*

XXI. *Ineloquaces, illiberis*, pro, *sine liberis, à rate,* apud eundem Tertullianum, *& Inspeciata, Inuxera virginitas, Inorum. & Inorem.* pro, *sine ore: & Inauritum, Innubem.* pro, *claro. Inclarum*, pro *non claro* dicit Symmachus. & idem *Inhumanum*, pro *diuino*: item Apuleius, *Impressum, Inauratum,* pro *non presso, Indelectatum*, Petronius. Illa mira compositio apud Lucretium, & Sallustium, *Intactus, Incultus, quiddam contrarium tactui, & cultui. Vt mirandum sit notari à Beza Immorigerum, Inobedientem*, ab Hunnio *Inauxiliatum*. nam etiam Priscianus loquitur de passiuo *auxilior*.

XXII. Dixit Gellius lib. 9. cap. 4. *res incredulas,* pro *incredibilibus. Ecquid igitur noster Interpres non dixerit Incredibiles, pro incredulis? Cæterum & vocabularia notant idem vocabulum sic apud Apuleium in Hermetis Asclepio.*

XXIII. Ait Manutius de inusitatis nonnullis locutionibus & verbis apud Ciceronem, *ea*
A *fermè omnia periisse scripta, in quibus illi dicendi modi frequentius deprehendi potuissent.* Idem dicam ego de reprehensis apud Interpretem nostrum. *Aut certè deprehendi posse omnia, si quis legerit Ecclesiasticos, & scriptores medij æui.*

XXIV. Ridendus Hunnius, qui auctores poscit classicos. *Popule in vocatiuo non reperitur apud classicos scriptores*, inquit. *Sanè etiam Priscianus suus sic: Fluuius pro fluuie: Populus pro popule*, &c. *Idem & Seruius. Hic quoq; quod antiqui omnem vocatiuum extulerunt nominatiuo similem, quod tu Atticum esse, non ignoras, & in libris, de causis linguæ Latinæ, Scaliger adnotauit, vbi tamen simul notat illud Plinij ad Ciceronē. Salue, omniū primus parens patriæ appellate. quod defendet, reprehensum Hunnio, popule meus. Vtuntur scriptores & hic*
B *metaplasmo.* Et sic (quod apud Priscianū sequitur) *vocatiuus pro nominatiuo. Et metaplasmum apud veteres non rarum notant alij: ocle pro oculus, Ausonio solennem.*

XXV. *Et nunc istam disceptationem absolui. Vellem nostros Theologos non nugari cum Pontificiis* (& tamen, quis vestrum non nugatur nobiscum? Cuius ex vestris disputationes aliud sunt, quàm nugæ & nugacitates?) *& tempus frustra absumere, & aduersariis vias euagandi aperire. An non satis argumentorum nobis est in quæstionibus de ea versione absq; istis Grammaticis solœcismorum & barbarismorum?* Audite & obedite Prædicantes Lutherani & Caluiniani huic Caluiniano monitori; & aduersus spicula calamorū vestrorum Interpretis nostri acri hyperaspistæ: quem fateor versioni nostræ contra
C suos Gregales non malam operam nauasse. Qui etiam Bezæ colaphum infringit, quod vocabulum *vnanimiter* reiiciat, dicatque; non meminisse se legere apud Latinè loquentes; cum verbo hoc vtatur Vopiscus in Tacito. Sic *examinor*, passiuè, quod nusquam à se lectum scribit Beza, vel apud Ciceroné lib. 2. de Oratore legere potuit. Nunc ad alia.

CAPVT XV.

De editionibus vulgaribus.

D AIT Bellarminus; Ecclesia Catholica non quidem omnino prohibet vulgares translationes, vt Kemnicius impudēter mentitur: nam in indice librorū prohibitorū à Pio IV. edito regula quarta, videmus cōcedi lectionē eiusmodi librorū iis, qui vtiliter, & cum fructu ea vti possunt, id est, iis, qui facultatem ab ordinario obtinuerint. Prohibetur tamen, ne passim omnib. sine discrimine concedatur eiusmodi lectio; &, ne in publico, & communi vsu Ecclesiæ scripturæ legantur, vel canantur vulgaribus linguis, vt in Concilio Trident. Sess. 22. cap. 8. & can. 9. statuitur.

Versutos homines, inquit Iunius, *qui non vulgares translationes, sed euulgari prohibent. Et quorsum vulgares, amabo, nisi vt vulgentur, & in commune prodeant?*

Non

Digitized by Google

Non absolutè prohibent euulgari; sed prohibent, ne euulgentur sine delectu & discrimine; ita, vt promiscuè quicunque cuiuscunque sortis & status tranlationibus vulgari lingua constantibus, vti queant. Quanquam quis Catholicorum in Germania, Gallia, Polonia & aliis regionibus hæresi deformatis, arcetur, quo minus Biblia ab Orthodoxis in linguam Germanicam, Gallicam, Polonicam conuersa, liberè emat, legat, terat, verset, reuerset? Certè Biblia Dietenbergeri & Eckij, à Catholicis Typographis frequenter excusa sunt, & adhuc excuduntur.

Quorsum vulgares, amabo, inquit Iunius, *nisi vulgentur, & in commune prodeant*? Pulchrum & ingeniosum argumentum suo dicto insinuat nobis Iunius, nimirum tale: *Quidquid est vulgare*, hoc est, *quidquid vulgari lingua constat, illud debet vulgari*, hoc est, *promiscuè omnibus concedi, sed Germanica, Gallicæ, Polonica Bibliorum translationes sunt vulgares, debent ergo euulgari*, hoc est, *omnibus indiscriminatim concedi*. Quid non efficiet Iunius illa sua Maiore? Vereor, ne nimis multum; & plus quoque quàm ipse velit. Quot enim libri lingua vulgari conscripti sunt; quos tamen euulgari, hoc est, omnibus absque delectu concedi posse, ne ipse quidem Iunius concesserit. Quid enim? Num si pestilentissima Serueti opera in linguam vulgarem Germanicam, Gallicam, Polonicam aut Hungaricam translata essent, sicut fortè sunt; ideo euulgari, & ab omnibus indiscriminatim legi deberent? Quid ni; si non fallit Iuniana regula? *Quorsum vulgares istæ translationes, amabo, nisi vt vulgentur & in commune prodeant?* Pulchrè; quia ipsi Iunio aduersè; qui Controuersia sexta, vbi Bellarminus de libris noxiis exterminandis disputat, libenter fatetur, *opera fidei & morum innocentiæ damnosa, non vulganda, sed exterminanda esse*.

Addit Iunius aliud argumentum priori non absimile. *Deus olim scripturam vulgari vernaculaq; lingua prædicari & perscribi, & in vulgus exire voluit; ergo nunc etiam vulgari lingua prædicari & perscribi debet*. Quod ad prædicationem verbi Dei attinet, nemo negat vulgo vulgari lingua verbum Dei esse proponendum; neque enim concionatores nostri concionantur ad Germanos Latinè, Græcè, aut Hebraicè; sed Germanicè; sic Poloni, Polonicè; Galli, Gallicè: aliique sua lingua cum vulgo agunt; quo pacto non est apud me dubium Apostolos etiam Persis Persicè; Indis Indicè, AEgyptiis AEgyptiacè, breuiter, vnicuique nationi propria gentis lingua Euangelium annunciasse. At de scriptione nego Deum voluisse aut iussisse, vt quacunque lingua vulgari verbum Dei in litteras mitteretur; sed Hebrea duntaxat; quæ olim erat quidem Hebræis vulgaris; sed postea vulgaris esse desiit, Syriaca in eius locum suffecta; & Græca; quæ & ipsa cum olim esset quibusdam vulgaris, iam desiit esse vulgaris, etiam apud ipsos Græcos, quandoquidem

A lingua, qua vulgus Græcum hodie vtitur, tantum fermè distat à veteri Greca, quantum Italica à Latina: denique Latinâ; quæ vulgaris quidem olim fuit, hodie verò vulgaris non audit; cùm nulli vulgo, populo vel nationi amplius vsitata sit; his, inquam, tribus solummodo linguis vulgaribus Deus verbum suum scriptis comprehensum vulgari & propagari voluit, ob caussas postea explicandas; non autem aliis, etiamsi aliis etiam linguis vulgaribus verbum Dei olim prædicatum fuerit; & verò adhuc quotidie prædicetur.

Obiicit Iunius; *testamentum æterni patris debet in omnium cohæredum conspectu poni; sic enim tam facilè nec fallent, nec fallentur*. Non abnuimus; In omnium B cōspectu ponitur hoc testamentum Hebraicè, Græcè, Latinè. Omnibus æqua est potestas legendi. Si quis harum linguarum rudis sit, credat aliis testamentum patris proponentibus & enarrantibus; & quidē lingua vernacula enarrantibus; sic enim minus fallet vel falletur vulgus, si doctioribus fidem habeat; quàm si ipsum testamentum in vernaculā linguam conuersum indoctis oculis percurrat; & cum se veritatē reperisse existimat; falsitatem inuenerit; sicque & fallat & fallatur; quod nunquam sæpius accidit, quam post tot vulgares versiones publicatas, quibus omnes propemodum anguli referti sunt.

Accusat Bellarminus Kemnicium menda- C cij, quod in Examine quartæ Sess. Concilij Trid. scripsit, prohiberi omnino vulgares translationes. *Sed è vestigio*, inquit Hunnius, *illum à mendacio rursus absoluit inscius, subiiciens*: Prohibetur tamen, ne passim omnibus sine discrimine concedatur eiusmodi lectio; &, ne in publico, & communi vsu Ecclesię scripturę legantur, vel canantur vulgaribus linguis. *Verum ergò manet, quod D. Chemnitius his sequentibus verbis, à Iesuita truncatè recitatis, scribit: Quia tantùm de Latinis editionibus disputant. Oblique igitur, quod aliâs apertè faciunt, damnant, si in alias vernaculas, & populares linguas scriptura transferatur. Concederent enim aliâs in publico Ecclesiæ cœtu sacra Biblia popularibus legi, & cantari linguis.*

Hæc insulsus Prædicans; quibus dum nititur D à mendacio Kemnicium expedire, ipse pariter aliquot mendacia effundit; ex quibus vnum, quòd Bellarminus, *truncatè citauerit Kemnicij verba*; cum omnino non citauerit Kemnicij verba; sed sensum. Quæso num truncare verba queo, quando non verba, sed sensum verborum cito? Alterum est; *Kemnicium non scripsisse, vulgares translationes omnino à Pontificiis prohiberi*; An nō ex Kemnicij verbis apertissimum est; Kemnicium hoc, & nihil aliud voluisse? Quia dicit patres Concilij Tridentini *oblique damnare; quod aliâs Pontificij apertè damnent*, nimirum, vt in alias vernaculas & populares linguas scriptura transferatur. Quis tam cœcus est, qui non videat, Kemnicium dicere, à Catholicis præcisè ac simpliciter transla-

tiones

Digitized by Google

tiones vulgares vetari? Quo ipso impudenter mentitur; cum non vetent, nisi ea restrictione, ne omnibus promiscuè, absque delectu, permittantur; & ne in publicis rei diuinæ officiis legantur.

Quod Bellarminus ait, lectionem vulgarium editionum concedi his, qui cum fructu ea vti possunt; Respondet Prædicans; *Qui non catarrho Pontificio laborant, odorantur perfacilè, quis dolus lateat: quia non conceditur, nisi quos norunt in cœno barbarico Pontificiarum impietatum ita demersos; ita ex amatorio poculo purpuratæ Babylonicæ meretricis ebrios, & in Romana Synagogæ placita iuratos, vt nō nisi ad sensum illum vniuersa exigant, quæcunq; tandem in sacris Bibliis occurrunt.*

Si Prædicans loquitur de Germania; splendidè, etiam contra conscientiam, si quam tamen aut habet, aut habuit, mentitur. Notissimum enim est vniuersæ Germaniæ, Biblia Germanica, & Euangelia à Catholicis viris in nostram linguam conuersa, omnibus absque scrupulo permitti; neque vlli vllam ea de caussa religionem aut scrupulum iniici. Quod itidem fieri existimo in aliis prouinciis sectarum contagio contaminatis; Nec dubito, id fieri supremi pastoris concessu vel indulgentia; ne si Orthodoxæ versiones vernaculæ desint, hæretici suas subintroducant, & clanculum submittant. Nam quod tanta libertas non conceditur illis, qui versantur in regionibus à peste hæretica intactis, mirum non est; quia cum hæreses ex incauta & indocta Bibliorū lectione & verbi Dei inanissima ostentatione hoc æuo fermè exstiterint, meritò datur opera, ne similis detur sectis producendis occasio, illis in prouinciis, quas hactenus diuina bonitas ab hac peste seruauit intactas. Nam quod Prædicantes volunt, vt ipsis etiam sutoribus, sartoribus, lanionibus, cerdonibus, & cuicunque ex infimæ plebis fæce, copia fiat arbitratu suo scripturas versandi & euoluendi; id quis non intelligat esse nimium, cum ne ipsi quidem Prædicantes suis tam vberem legendi potestatem faciant; vt postea dicemus; quidquid alioqui amplissimis verbis polliceri soleant. Legat enim quis Lutheri Biblia v.g. independenter à *Confessione Augustana*, ab *Apologia*, à *Formula Concordiæ*, vno verbo, à Iudicio Prædicantium, idque quod legit, & ex lectione verum esse iudicat, quamuis *Formulæ Concordiæ* contrarium, proferat in publicum; videamus, quale præmium huiusmodi Lutheranorum Bibliorum lector reportaturus sit: Carcerem nimirum, aut exilium, si mentem non mutet; cum omnium fortunarum dispendio & iactura referet.

Quis dedit Pontificibus potestatem, inquit Hunnius, *vt aliquos à lectione Bibliorum arceant?* Ille dedit hanc potestatem; qui dixit. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis: & quodcunq; ligaueris* A *super terram, erit ligatum & in cælis.* Quibus Christi verbis freti Ecclesiæ præsules, nihil morantur clamores Prædicantium, etiamsi ob huiusmodi interdictum *titiones infernales*, & nescio quæ alia conuicia eructent.

Antequam Bellarminus ipsa argumenta pro Catholica conclusione & sententia proponat; ait; decere, vt Christiani contenti sint illis tribus linguis, quas Dominus titulo crucis suæ honorauit Ioan. 19. Et, quæ omnium consensu antiquitate, amplitudine, & grauitate omnibus aliis præstant; ac demum, quibus ipsi libri diuini ab auctoribus suis initio scripti fuerunt, hoc est, Hebræa, Græca, & Latina. Ex quibus Bellarmini verbis fabricat Hunnius huiusmodi argumentum; B *Dominus titulo Crucis suæ honorauit tantùm linguam Hebraicam, Græcam & Latinam; Ergò his tribus linguis decet esse contentos. Est argumentum non absimile huic: sunt quatuor Euangelistæ: ergò quatuor tantùm, & non plures debent esse ordines mendicantium.*

Argutius egisset Prædicans; si dixisset; argumentum Bellarmini esse assimile huic. *Tantum sunt quatuor Euangelistæ; ergo quatuor tantum & non plures debent esse in vniuersa Saxonia Superintendentes.* Omissa scurrilitate & ad auctorem suum remissa; quæro, quid desideret Prędicans in argumento illo etiam vt ab ipso præcone formatum est? Neque enim hanc solam causam adducit Bellarminus; sed & illam, quòd tres istæ linguæ cæteris C antiquitate, amplitudine & grauitate præstent; quodque his initiò libri sacri fuerint conscripti; sed dissimulemus has alias caussas; tantum illam primam sedulò expendamus; statimq; elucescet, tantum roboris in illo argumento inesse, quantum in argumento topico & probabili inesse consueuit; neque enim omnium argumentorum vis & ratio est *necessaria & apodictica*; cum non omnia argumenta sint necessaria & apodictica.

Quòd ergo tres istæ linguæ ad Crucem Christi, & ad titulum caussamque crucifixionis Christi sint adhibitæ, id profectò casu & fortuito non est factum, sed mysterij gratia; & cur non etiam huius; vt significaretur, tribus istis linguis ea potissimum, quæ diuinitus nobis patefacta sunt, D consignari & prouulgari debere; quia per vsum illum in Cruce, tituloque Crucis consecratæ & quasi *canonizatæ*, & ex numero profanarum linguarum exemptæ sunt. Nec refert, quod titulus ille trilinguis Hebræogræcolatinus, *fuerit factum Pilati*, vt obiicit Iunius; quia Pilatus titulum illum non scripsit, scribendumue curauit absque occulto Spiritus sancti ductu & impulsu; quia ita scripsit, sicut Caiphas prophetauit, scilicet nō à semetipso, sed ab altiore quadam virtute incitatus.

Quod ait Bellarminus has tres linguas omnib. aliis antiqtate, amplitudine & grauitate antecellere; *de his*, inqt Iunius, *attribuū Grāmatici certāt.* Sed

qui?

qui? Triuiales nimirum & *pedanei*, & *diobolares*, quibus nulla alia supellex, præter ferulas, non autem eruditi illi ac venerandi litteratores, qui rerum pretia iustis momentis ponderant. Nam si Iunius negat Hebræam linguam cæteris antiquitate, & grauitate præstare; legat suam ipsius orationem de excellentia Hebrææ linguæ, quam Hebraicæ suæ Grammaticæ præfixit. De Græca consulat, quæ à Concaluinista suo disputantur in vestibulo Thesauri Græci. Nam quod Iunius ita Bellarmini dictum proponit, quasi voluerit, *Latinam linguam præstare Hebrææ & Græcæ*; parum candidè agit: Nam Bellarminus non confert linguam Latinam cum Hebræa vel Græca, vel vtraque: sed has tres simul cum aliis linguis. Si Iunius concedit Hebræam quidem & Græcam B præstare aliis linguis antiquitate, amplitudine, & grauitate; de lingua autem Latina id inficietur; tum nominet nobis linguam, cui tria hæc elogia melius competant, quam linguæ Latinæ. Quæ nam, oro, ex linguis vulgaribus grauitate & amplitudine Latinam superat? Quid sibi vult ænigma illud Iunij? *Vix fuit Latina linguæ durabilis ad centum annos vnius moris constitutio?* An dicere vult, fuisse mutatam pro mutatione temporum? At hoc idem Græcæ linguæ accidit; idem ipsi Hebrææ. Si in his mutatio non obstat; quia vera Græca lingua, & vera Hebræa, puraque reperitur adhuc in scriptoribus, qui hac lingua purè tersèque vsi; idem omnino asserendum erit de lingua Latina, quæ & ipsa adhuc purissima & sincerissima plurimis in monumentis inuenitur. C

Iam dispiciamus, quàm fortiter Prædicantes Bellarmini argumenta profligent. Primum argumentum sumitur ex vsu Ecclesiæ veteris testamenti, qui fuit à tempore Esdræ vsque ad Christum. Nam à temporibus Esdræ desiit in populo Dei lingua Hebraica. Siquidem in illis LXX. annis, quibus Hebræi fuerunt inter Chaldæos in Babylone, obliti sunt linguam propriam, & Chaldaicam didicerunt; & deinceps Chaldaica, seu Syrica fuit illis materna. Quocirca libro 2. Esdræ cap. 8. habemus, quòd cum legeretur liber legis Domini vniuerso populo, Nehemias, & Esdras, & Leuitæ interpretabantur: quia alioqui nihil populus intelligebat. Itaque propterea, vt ibidem dicitur, facta est lætitia magna in D populo, quia intellexerunt verba legis Esdra interpretante.

Occlamat Hunnius. *O argumentum ipso Thoma dignum. Cuius ictu sic percellor, vt quo me vertam, nesciam.* Quo te versurus sis, facile est diuinare; ad mendacia, calumnias, & inscitiam te conuertes. Verum me dicere: argumento est hoc tuum responsum. *Quod populus Iudaicus ex captiuitate reuersus minus intelligebat Hebræum codicem, per accidens id factum est, quia spacio LXX. annorum paulatim dedidicerant linguam Hebræam.*

Concedit ergo Prædicans id, quod Bellarminus suo in argumento sumit, nempe populum, A cui lex lecta, linguam Hebræam non intellexisse; quod VVitackerus & Iunius præcisè negant; vt videas, quàm belle præcones isti consonent; tametsi tantum abest, vt Hunnius cum VVitackero & Iunio concordet, vt ipse etiam à seipso dissentiat; vt paulò post videbimus: Nec diuersa Prædicantis, etiam eiusdem, responsa vocarem, dissensum, nisi me cogeret hæreticorum importunitas, qui si in Bellarmino vnius argumenti diuersas solutiones legant, statim *contradictionem, inconstantiam, incertitudinem, spiritum vertiginis, &* alia de genere eodem intonant.

Quid amplius Hunnius? *Velle hinc concludere, debere Biblia non lingua nota, sed ignota proponi populo; est à baculo argumentari ad angulum.* Hunnius argumentatur, meo iudicio, à cauillatione, ad scurrilitatem; & ab vna imperitia ad aliam. Si enim in linguas peregrinas & vernaculas sacræ litteræ necessariò transferri debent, in gratiam rudis & inconditæ plebis; cur Esdras & alij non conuerterunt legem ex Hebræo sermone in Chaldæum? Cur ipsa multitudo hoc beneficium consono clamore ab Esdra & principibus non postulauit? Certè si Hunnius vel similes Stentores, Esdræ legem palam legenti adstitissent; hoc vel aliud huius generis consilium Esdræ dedissent. Quid te crucias totos dies, canora & sonora voce legem publicitus prælegendo? Transfer, aut transferendam cura in linguam vernaculam, Chaldæam scilicet; teque & nos omnes totumque populum molestia liberabis. Idem ipsemet populus ab Esdra & aliis primoribus efflagitasset, si spiritu Lutherano caluisset.

Addit Hunnius: *Si firmum esset argumentum, tunc etiam ante captiuitatem non debuit Iudæis Deuteronomion prælegi in festo tabernaculorum lingua nota, nempe Hebræa, sed erat id in aliam transferendum linguam, vt lectio interpretem requireret.*

Negatur hæc sequela. Quia Hebræa non erat qualiscunque lingua vernacula & vulgaris; sed sancta, magisque etiam futuris temporibus in Cruce Christi sanctificanda: Non enim dicimus; vulgari lingua verbum Dei scribi non debere; quia & Hebræa & Græca, & Latina olim fuêre vulgares, sed non quæcunque vulgari; vt contendunt Hæretici. Hinc posito, quod hac ætate Latina lingua alicui nationi rursum vulgaris fieret, non propterea Latina Biblia aut verterentur aut exterminarentur, sed locum pretiumque suum retinerent.

Pergit Hunnius. *Scriptura pro beneficio reputat, si Deus nobiscum loquatur lingua non peregrina, sed nota: id verò beneficium nobis eripere conantur locustæ Apocalypticæ.*

Vbi scriptura dicit, in beneficio numerandum esse; quod Deus per Biblia Germanica cum Germanis loquatur Germanicè: Et cum Gallis Gallicè per Biblia Gallica, & cum Anglis Anglicè per Biblia Anglica? Olim quidem quando cum Prophetis loquebatur, eisque mentem &

volun-

ed by Google

voluntatem suam patefaciebat, beneficium reputabatur, & quidem ingens, prout etiam erat, si sermone plano, claro, facili, noto, nullisque ænigmatibus & obscuritatibus inuoluto vteretur: at nusquam proditum est; beneficium existimari debere, si quod olim tribus pręcipuis linguis, sacris litteris illigatum est; id hodie in quamlibet vernaculam linguam transferatur, & rudi populo indiscriminatim lectitandum proponatur. Tantum enim abest, vt sit beneficium, vt tum legitimum nomen habere censeri debeat, si *maleficium* appelletur, propter incommoda, quæ ex his vernaculis translationibus exsistunt, nisi cautè & circumspectè legantur, potissimum in tanta ingeniorum licentia, & vetera quæque abrogandi petulantia. Quanquam, vt iam supra dictum, non simpliciter prohibet Ecclesia, ne scripturæ in vernaculas linguas transferãtur; sed ne translatæ etiam à Catholicis scriptoribus, quibusuis absque delectu permittantur.

Verùm quoniam Hunnius animaduertit, se his solutionibus nihil efficere, aliam conuiciis egregiè farctam, lectori suo propinat. Audi, *Quod Iudæis post reditum Hebræa lingua fuerit planè ignota, purum putum est mendacium.* Bellarminus non dicit, fuisse Iudæis planè ignotam: Multi enim linguam Hebræam norunt; sed ait, linguam Hebræam desiisse esse vernaculam in populo Dei; quod longè est aliud: nam & hoc tempore Italis lingua Latina non est planè ignota; cum multi sint inter Italos Latinæ linguæ gnari & periti: Et tamen Latina lingua desiit esse vernacula apud Italos. Neque etiam illud: *planè*; in Bellarmini verbis apparet: quod de suo adiecit Prædicans: Cum enim lingua Chaldaica seu Syriaca affinis sit Hebrææ, fieri non potuit, vt populo Dei lingua Hebræa planè esset ignota, quandoquidem vtebantur vernacula, quæ cum Hebræa magnam affinitatem habebat. Sicut iam Italo vulgo Latina lingua non est planè ignota, cum vtantur vernacula, quæ ex Latina, tanquam filia ex genetrice sua, progenerata est.

Fuit Chaldaica lingua Hebrææ adeo cognata, inquit Prædicans, *vt qui alterutram intelligeret, alteram quoque non planè ignoraret.* Nimirum sicut qui nouit Latinam linguam, non planè ignorat Italicam; & vice versa, propter vtriusque linguæ similitudinem; aut certè paulò plusculum. nam si is, qui nouit Hebraicam linguam, eo ipso etiam ita scit Chaldaicam, vt quod legit vel ab alio legi audit; satis superque intelligat; cur, obsecro, D. Hieronymus librum Tobiæ sermone Chaldaico scriptum, in Latinam linguam conuersurus; asciuit sibi sermonis Chaldaicæ doctum; qui quæ Chaldaica Tobiæ verba, D. Hieronymo per Hebraica exprimeret ac interpretaretur, ipse eadem postea veste Latina amiciret? An non callebat S. Hieronymus linguam Hebraicam? Vtique. Et tamen Tobiam Chaldaicum interpretaturus, adhibet alium Interpretem. *Vtriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens*, inquit, *vnius diei laborem arripui, & quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit; hoc ego accito notario, sermonibus Latinis exposui.*

Nec obstat, quod Prædicans obiicit, *Danielem Chaldæo sermone perscriptum esse; & tamen facilè intelligi ab illo, qui Hebraicæ linguæ sit gnarus;* nam primo experientia testatur contrarium: deinde D. Hieronymus, qui præfatione in Danielem isthæc. *Et ego adolescentulus post Quintiliani & Tullij lectionem, ac flores rethoricos, cum me in linguæ huius pistrinum reclusissem: & multo sudore, multoq; tempore vix cœpissem anhelantia, stridentiaq; verba resonare, & quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem, impegi nouissimè in Danielem: & tanto tædio affectus sum, vt desperatione subita omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verùm adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebrius sua in lingua ingerente, Labor improbus omnia vincit: &c. qui mihi videbar sciolus, inter Hebræos, cœpi rursus esse discipulus Chaldaicus. Et, vt verum fatear, vsq; ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere, & intelligere, quàm sonare.*

Tertio contrarium testatur id, quod iussu Regis Nabuchodonosor cum Daniele & sociis actũ est: Nam Asphanez præpositus Eunuchorum iussus est conquirere adolescentes *decoros forma, & eruditos, omni sapientia, vt doceret eos litteras & linguam Chaldæorum.* Dan. 1. In his autem adolescentulis erat Daniel cum sociis, quibus vtique Hebræa lingua nota erat, quippe natiua, & cum lacte materno imbibita; & tamen docentur adhuc linguam Chaldaicam; signum igitur est, tam vicinas non fuisse, vt qui vnam nosset, æquè alteram nosceret. Similis ratio est de Syriaca, si hæc Iudæis vernacula fuit; vt quidem tempore Christi fuisse videtur. Nam Hebræam non intellectam fuisse ab eo; qui solam Syriacam teneret, patet exemplo Rapsacis 4. Reg. 18. quem cum Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Ioahæ rogassent; *Precamur, vt loquaris nobis seruis tuis Syriacè; siquidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis Iudaicè, audiente populo, qui est super murum; Respondit eis Rapsaces, dicens: Nŭmquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus, &c. Et exclamauit voce magna Iudaicè, & ait, &c. Audite verba Regis magni, regis Assyriorum. Hæc dicit rex; Non vos seducat Ezechias. non enim poterit vos eruere de manu mea. Neq; fiduciam vobis tribuat super Dominum, &c.*

Non ergo inter has linguas, Hebræam veterem & Chaldæam, Syriacamque vel Syrochaldaicam tanta fuit vicinitas, vt qui vnam intelligeret; ideo quoque alias plenè & sufficienter intelligeret. Sicut qui tenet Latinam linguam is non ideo plene intelligit Italicam aut Hispanicam, quamuis affinem; nec vice versa.

Digitized by Google

A Sed est insolubile aduersus Bellarminum Hunnij argumentum. *Paulus Act. 21. & 22. multitudinem Hebraeorum allocutus est Hebraicè; ergo Hebraica lingua erat tunc populo vernacula, alioqui frustra D. Paulus hac lingua fuisset vsus.* Huic tam praeclaro spiculo, quo Bellarminus prostratus iacet, subiicit Praedicans. *Deprehensus ergo est hypocrita in notorio mendacio, & demonstratum irrefutabiliter* (nota bullas & ampullas Hunnianas) *Hebraicam linguam non fuisse ita Iudaeis ignotam, vt ipse somniat.* At Hunnius in notoria imperitia & manifestaria calumniandi libidine palam tenetur: lingua enim, qua Paulus ad populum vsus, nulla alia fuit, quam Syriaca seu Syrochaldaica, tunc vniuersis Israëlitis communis, quae vocatur *Hebraea*; quia ex Hebraea tanquam surculus quidam exstiterat; & quia à
B populo, cui Hebraeorum nomen proprium erat, vsurpabatur; vt docent Interpretes in illum locum Actuum Apostolicorum, nominatim Ioannes Lorinus noster, & Alphonsus Salmeron Tom. 1. Proleg. 35.

Instat Praedicans. *Prophetae Aggaeus, Zacharias & Malachias Hebraicè oracula sua ediderunt; & in litteras retulerunt; ergo Hebraica lingua non fuit Iudaeis ignota:* Quis dicit fuisse ignotam Iudaeis? Vtique Iudaei sciebant illam linguam: sed doctiores duntaxat; non omnes promiscuè; quia non erat amplius vernacula. Et perinde facit Praedicans, ac si ita deliraret. *S. Paulus scripsit ad Romanos Graecè; ergo Graeca lingua fuit Romanis vernacula.* Nihil minus
C sequitur, sed hoc tantùm; *ergo inter Romanos erant nonnulli, qui Graecam linguam intelligerent.* Quod si Prophetae illi ad promiscuum vulgus viua voce vaticinia sua pronunciarunt; & postea demum in litteras retulerunt, quaerendum est ex Praedicante, vndenam nouerit; eos lingua veteri Hebraea vsos, non autem communi illa, quae tunc in vulgo obtinebat? Quàm verò ridiculum, quod Praedicans dicit, ex communi & trita Hebraeae linguae consuetudine, *etiam Pilatum aliquid Hebraicè didicisse; idq; constare ex titulo Cruci superposito, in quo Hebraea lingua.* Quasi verò necesse fuerit, ipsum Pilatum formulam Hebraici tituli concepisse? Quasi verò vbi Latinè vel
D Graecè eundem titulum dictarat; non potuerit alius eundem titulum verbis Hebraicis exprimere. Nec obstat illud: *Quod scripsi, scripsi;* Nam & quod Iudex per alium agit, id per se censetur agere; vt notum est. Quanquam fortè Pilatus linguam Syriacam tenuit, quae tum vernacula erat; neque enim omnia cum Iudaeis in Christi caussa per Interpretem egisse videtur.

Nunc ad VVitackerum & Iunium: quorum ille ait, *Bellarminum insigniter abusum esse loco Esdrae seu Nehemiae.* Quid ita vero? *Quia ex ipso loco constat populum satis rectè intellexisse verba, quae legebantur: vnde sequitur linguam non fuisse illis ignotam.*

Tu quidem hoc pro tua auctoritate asseueras, sed non probas. imò, ne tibi iniuriam faciam, probas. & quidem multipliciter. I. *Quia Esdras attulit librum legis.* II. *Legit coram multitudine virorum & mulierum, & quotquot erant apti ad intelligendum*, hoc est, Interprete VVitackero, *qui per aetatem aliquid intelligere poterant.* vel, vt vox Hebraica sonat, *qui intelligenter audiebant: ergo non audiebant modò, sed & intelligenter audiebant, hoc est, intelligebant ea, quae audiebant.* Haec quem feriunt? Intelligenter vtique audiebant; & audiendo intelligebant; sed quorum beneficio? Ipsius nimirum Esdrae, & Nehemiae, & Leuitarum; qui quae ex libro legebant, simul interpretabantur, vti dicitur *versiculo nono.* Neque audio Iunium, qui hic nugatur; *eos non interpretatos fuisse translatione Grammatica, qua linguam ignotam per notam exprimimus, sed concionali expositione & accommodatione populari, idq; Hebraicè.* Miram hominis huius confidentiam, qui non minus asseueranter pronunciare audet hac de re, quàm si ipse interfuisset; & *concionalem* illam suam expositionem audiuisset.

Quasi verò pij illi viri *Praedicantes* fuerint, rati nihil à populo de lege intelligi, nisi verbosa & clamosa, hoc est, *Praedicantica* concione exornetur & dilatetur: Neque enim, quae legebantur ex lege, praesertim quae ad totum populum pertinebant, tam erant retrusa & sublimia, vt *concionali* commentario egerent; sed id solummodo agendum erat, vt quod populo lingua Hebraea legebatur, id ad eorum notitiam ministerio linguae notioris perueniret. Et hoc indicant omnia verba ex Hebraeo ad verbum expressa à Pagnino & Montano. Nam v. 7. & 8. vbi nos habemus. *Iosue & Bani, & Serebia, &c. Silentium faciebant in populo ad audiendam legem:* Hebraea sic habent. *Intelligere facientes populum legem, &c. Et legerunt in libro in lege Dei expositi, & ponendo intellectum intellexerunt in lectione, &c. Dixitq; Nechemiah & Hezra Sacerdos scriba & Leuitae intelligere facientes populum,* &c. Quae omnia longè clarius sonant expositionem linguae per aliam linguam, quam *concionalem* explanationem. Quanquam esto; non tantùm Hebraea verba expresserint per linguam vulgo notam; sed & paraphrasticam explicationem adiunxerint; id tamen non est factum Hebraicè; sed lingua, quam secum ex captiuitate aduexerant. Itaque siue illud nostrum *Interpretantes*, siue illud ex Hebraeo: *Intelligere facientes*; referas ad solam translationem de lingua in linguam, siue simul etiam ad aliquam exegesin & explanationem claritatis caussa adiunctam; nihil Bellarminianae sententiae id officit; quia siue illud tantum; siue vtrumque fuerit factum, ideo factum est, quia Iudaei paternam linguam in tam diuturno exilio dedidicerant.

Quo autem loco numerabimus hoc seu cõuicium, seu deliramentum Iunij? *Quod Bellarminus Nehemiam illum inter docentes & interpretantes numerat, dormitantis sermo est, aut aliud agentis.* Atqui hæc vel nictantis vel somniantis inania sunt, & penitus vana phantasmata. An non perspicua suppetunt ipsius sacræ scripturæ verba? Accipe quæ Interpres noster reddidit. *Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) & Esdras Sacerdos & scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerso populo:* Anne dormitat aut aliud agit, qui istud: *Interpretantes vniuerso populo:* refert etiam ad Nehemiam? An non æquè antecedit ac Leuitæ, quibus verba illa proximè postponuntur? Quo argumento euincet Caluinista solos Leuitas munus & onus interpretandi subiisse? Quis credat Esdram & Nehemiam in lege doctissimos nihil protulisse, quod ad legem intelligendam faceret, sed illum solo lectoris, hunc solo auditoris vel assessoris officio contentum fuisse?

Quod VVitackerus vrget: *Intelligentibus lectam fuisse legem*; non abnuimus; quia stultis & insipientibus frustra legeretur. Infert. *Ergo illis, qui ipsam legem per se absq; interprete intelligebant:* Hæc consequentia à parum intelligente profecta est. Quid enim? An non etiam illa, quæ non nisi interprete adhibito intelligimus, intelligenti leguntur, si adsit, qui nobis singula idiomate nobis noto exponat? Quid quod ipsi Prædicantes fatentur, populum non intellexisse legem lectam ab Esdra, nisi, vt loquitur Iunius, *concionalis expositio adhiberetur. Et tamen lex lecta est intelligentibus, hoc est, aptis intelligere, adhibita exegesi*; nam si absque Interpretum interpretatione legem intelligebant, quid opus erat illis explanatoribus? Pari modo dicimus & nos lectam fuisse legem intelligentibus ab Esdra; quia aderant Interpretes, qui linguam vulgo ignotam, transferendo in linguam iam vernaculam efficerent notam.

Obiicit VVitackerus. *Populus aures habuit ad librum legis attentas. Quorsum verò aures ad audiendum arrexisset, nisi quæ lecta audisset, intellexisset.* Omnino frustra aures arrexisset; si non adfuissent Interpretes, qui quæ Esdras legerat, interpretati fuissent. Non est, quod VVitackerus tam auritus miretur istos aures ad librum legis arrexisse; quia iuxta Esdram stabant Interpretes, qui quæ Esdras legerat, fidelissimè linguâ vernaculâ populo proponebant. Quapropter meritò in Esdram & in librum legis oculos coniiciebant, & ad sententiam eius percipiendam aures mentemq; aduertebant. Sicut si quis iam pro concione legeret mandatum Imperatoris lingua vulgo ignota scriptum, adsistente ad latus lectoris Interprete, qui verbatim singula peregrino idiomate lecta; populo, notâ linguâ, proponeret; an non arrectis auribus astarent, auresque & animum tam ad lectorem, quàm ad Interpretem aduerterent?

Excutiamus reliqua VVitackeri argumenta: *Esdras à manè vsq; ad meridiem è libro legisse fertur: & ver. 19. quotidiè, à die primo ad diem vltimum per septem dies; proculdubio tantum laboris non sumpsisset in legendo, nisi auditores intelligentes habuisset.* Quis dubitat habuisse auditores intelligentes? nõ enim truncos & stipites habuit, sed intelligentes, beneficio Interpretationis adhibitæ à Leuitis, à Nehemia & ipso Esdra: sicut Professor linguæ Hebraicæ, qui tirones in hoc studio linguæ huius elementis imbuit; auditores intelligentes habet; at intelligentes non immediatè, sed mediatè propter Magistri explicationem. Quemadmodum & ille, qui scriptum aliquod Italicum legit, simulque interpretatur Germano, solum linguam Germanicam tenenti, is vtique auditorem intelligentem habet, quia nisi intelligens esset, frustra laborem illum caperet.

Pergit VVitackerus: *Longè absuit à Prophetæ sapientia hominum multitudinem congregare, tum prodire in medium, librum aperire, legere tanto studio, spacioq; tam multarum horarum ea, quæ populus minimè intelligebat.*

Imo verò intelligebat; sed per interpretes. Quoties fit, vt quis alteri legat ea, quæ licet immediatè non intelligat, intelligit tamen adhibita alterius linguæ interpretatione? Num frustra cum altero loquitur; qui per Interpretem cum illo loquitur? Num inanem operam sumit; qui sensa sua Interpreti aperit, hic porrò alteri, ignaro eius linguæ, qua is, qui interpretem adhibet, vtitur? Num talis censetur auditores non intelligentes habere?

Quorsum pertinebat, inquit VVitackerus, *quod versu nono* explanatè *legerit, vt Tremellius; vel,* distinctè, *vt vetus interpres transtulit; nisi vt ex illa scripturæ plana lectione populus omnia melius intelligeret, quæ legerentur?* Ideo *explanatè* seu *distinctè* legit, vt interpretes textum sacrum eò melius perciperent, assequerentur, & intelligerent, probeque intellectum populo fideliter interpretando proponerent: Nec dubito in ipsa turba fuisse, qui veterem Hebraicam linguam adhuc tenerent, præsertim seniores; quorum proinde Esdras etiam rationem habendam duxit.

Perinde est, inquit Caluinista, *siue rectè, siue vitiosè legas apud eos, qui nihil eorum, quæ leguntur, intelligant.* Perinde est, si is qui legit, nolit, vt qui audiunt, lecta intelligant. Si cupiat, vt eorum, quæ leguntur, sententiam assequantur, idque, adhibito Interprete, neutiquam perinde est siue rectè, siue vitiosè legas; sed rectè & distinctè legendum est, ne Interpres fallatur, sensuque non percepto, alios, quibus lecta interpretatur, in errorem inducat. Si quis coram Imperatore aut Rege Christiano legeret Epistolam Turcicè à Turcarum Imperatore, aut Persicè à Persarum Rege scriptam; explicandam de-

Digitized by Google

inde vulgari & patria lingua per Interpretem; num nihil referret, siue primus ille bene, siue malè; siue distinctè, siue confusè legeret? Imò plurimum referret propter Interpretem, qui Imperatorem aut Regem deciperet, si sententiam litterarum non assequeretur. Quomodo autem assequeretur, si alter distinctè & ad intelligendum aptè non legeret? Nec fauent VVitackero illa v. 9. *legit apertè ad intelligendum, & intellexerunt, cum legeretur.* Quod Tremmelius cum suo Iunio vertit: vt citat quoque VVitackerus. *Legebant enim librum illum, legem Dei explanatè, & exponendo sensum dabant intelligentiam per scripturam ipsam.* Etsi enim duo isti Caluiniani Symmystæ verba Hebræa satis ad suam sententiam detorserunt; placitumque illud istis solenne: *Scripturam per scripturam explanari debere*; satis luculenter prodiderunt verbis illis: *Exponendo sensum, dabant intelligentiam per scripturam ipsam*: tamen & horum Caluinistarum verba sensum commodum admittere possunt; nam Interpres, qui aliquid alicui ex lingua ignota per notam interpretatur; vtique exponit sensum, & dat intelligentiam per scripturam ipsam; quia ipsam scripturam ex vna lingua in aliam transfert. An non septuaginta Interpretes, qui Biblia de Hebræo in Græcum transtulerunt, exposuerunt sensum, & exponendo sensum dant intelligentiam per scripturam ipsam; cum nihil aliud interpretentur, quam scripturam? An non hoc ipsum præstitit Latinus noster Interpres? An non idem, suo saltem iudicio, præstiterunt Iunius & Tremmelius in sua Bibliorum translatione? Quod ergo isti Interpretes fecerunt, hoc fecerunt & illi, qui adstiterunt Esdræ diuinam legem publicè lectitanti. Tantum hoc interest, quod priores Interpretes interpretationem suam in litteras retulerint; isti verò qui Hebręa per Chaldæa interpretabantur, viua duntaxat voce id præstiterint.

Nec obstat illa versio, quam VVitackerus sub Vatabli nomine adducit: *Explicantes sententiam, & erudientes inter legendum*; siue enim fida, siue infida sit hæc translatio, caussæ nostræ nihil detrimenti adfert; nam & Interpres ex lingua in linguam; explicat sententiam, & erudit inter legendum; si interpretetur, dum alter legit; vt isti apud Esdram Interpretes egerunt; qui singulas periodos, seu comprehensiones lectas ab Esdra; statim populo transtulisse & proposuisse videntur. Munsterus sic vertit. *Et legerunt in libro, in lege scilicet Dei explicato (sermone) & illi accommodantes ingenium, intellexerunt lectionem.* Castalio sic. *Igitur diuinæ legis libro ita apertè recitato atque declarato, vt inter recitandum intelligeretur*, &c. Profectò istæ hæreticorum versiones sententiæ Bellarminianę nequaquam aduersantur; nam quid aliud est ille Munsteri; *Explicatus sermo*; quam *sermo interpretatus*, & ex lingua

A in aliam linguam translatus? Quid aliud ille Castalionis liber; *apertè recitatus atq; declaratus*, quàm liber ex lingua ignota in linguam notā conuersus? Has versiones admittere possumus, si bonam mentem ac sententiam sibi substerni sinant: Scholia adiuncta repudiamus: ex quorum numero illud in Bibliis Tigurinis super illa suæ translationis verba: *Et legerunt in libro, in lege Dei luculenter*, &c. *hoc est, submonebant populum, vt diligenter auscultarent, & cum fructu.* Etsi enim non imus inficias, hoc itidem factum ab illis, qui Esdræ legenti adsistebant; negamus tamen hoc solùm ab illis factum; vt hæretici volunt; quia & hoc fecerunt, & præterea, quæ Esdras legebat Hebraicè; ipsi Chaldaicè populo inter-
B pretabantur.

Quærit Iunius, *quomodo fieri potuerit, vt spatio septuaginta annorum Hebræi linguam mutarent.* Quasi verò hoc videri debeat mirum. Transfer Germanos in Italiam, aut Hispaniam, & vide, an non post 70. annos desitura sit apud illos lingua Germanica, adeo vt amplius haud queat appellari vernacula: idque ex consortio & consuetudine cum Italis; Idem hic vsuuenit ex tam diuturno Iudæorum cum Chaldæis conuictu. Licet non inficiemur mansisse cognitionem Hebrææ linguæ, sed apud peritiores, non in vulgo. Quia Bellarminus dicit; Post captiuitatem Babylonicam Hebręis fuisse maternam linguam Chaldai-
C cam siue Syriacam, quærit Iunius: *Vtra, obsecro?* nam si pro eadem sumis, quid opus tautologia? Etiamsi Bellarminus pro eadem sumeret, nullam tamen tautologiam committeret; quandoquidem exploratum est Chaldaicam linguam aliquando Syriacæ appellationem tulisse. *Si sumis pro duabus*, inquit Iunius. *Dic, vtra? Chaldaica? negamus. Syra? Negamus.* Hoc tuum *negamus*, ne vnius quidem assis pendimus. Audi breuiter Iuni. Lingua, qua Iudæi domum reduces vsi sunt, Chaldaica fuit: postea vsu diutino in Syram, quam vocant Hierosolymitanam, conuersa. *Quamuis enim Chaldaicè loqui à Babyloniis Israëlitæ didicissent*, inquit doctissimus Masius præf. in Grammaticam Syricam, *tamen sermone Hebrai-*
D *co inde à cunabulis assuefacti, peregrinam linguam in patria sic suis casibus vbique conseruare non potuerunt, vt non ipsam multis modis ad patriæ, hoc est, Hebraicæ normam accommodarent. Itaq; ex illo sermone, quem à Chaldæis acceperant Israëlitæ, cum eum ipsi, vt dixi, plurimùm casibus, terminationibusq; mutauissent; & multa insuper Græca vocabula admiscuissent; (vt erat insequentibus temporibus apud plerasq; nationes, Græcorum lingua in multo vsu) effecta est ea lingua, quæ non modò à nostris hominibus; sed ab illis quoq;, quorum propria est, Syrica vocatur.*

His non absimilia tradit Guido Fabricius Boderianus, & ipse vir doctissimus, & in linguis exercitatissimus Præfat. in Dictionarium Syro-

chal-

chaldaicum: qui de initio linguæ Syriacæ disserens, ait, hanc regnante Dario Hystaspis filio nomen & originem habuisse. *Tunc enim*, inquit, *facta est Iudæis illis, qui iam septuaginta annos, & amplius in Babylone exulauerant, libera Hierosolymam redeundi potestas. Qui itaq; ex tribu potissimum Iuda & Beniamin ad patrias sedes in Syriam tunc temporis reuersi sunt, sensim labentibus annis, Chaldaeoq; sermone nonnihil immutato, huic linguæ dederunt originem.* Hæc ille. Itaque statim ab exilio Babylonico vsi sunt lingua Chaldæa; quæ paulò post degenerauit in Syricam, genti illi vernaculam factam, quæ & Syra Hierosolymitana vocatur; quam Christus quoque Redemptor noster ore & vsu suo consecrauit ac dedicauit.

Primo argumento suo robur addit Bellarminus ex verbis Christi & Euangelistarum; apud quos sæpè vocabula Syriaca exstant, hausta ex materna tunc & vernacula lingua. VVitackerus & Iunius concedunt Syram Hierosolymitanam fuisse Iudæis vulgarem tempore Christi; sed negant id de Esdræ & Nehemiæ æuo, mox à reditu ex Babylone. Nec Bellarminus dixit, tunc Iudæos locutos esse Syriacè, sumendo propriè linguam Syriacam: sed Chaldaicè, quæ lingua latiore significatu aliquando dici solet Syriaca; idque ex Esdra manifestè probauit. Nam quæ prçterea Iunius de origine linguæ Syriacæ adducit, ea penes auctorem suum relinqui volo. Ego Masium & Guidonem Fabricium, (quorum Iunius vix potuisset esse discipulus) audiendos puto, qui linguam Syriacam existimant natam, post Babylonicum exilium, ex Chaldęo idiomate, etsi & ipsa quoque, vt fit, in varias dialectos postea abiit.

Quod VVitackerus verbosè hic declamat, vulgus quidem Syriaca lingua vsum, sed Hebræam nihilominus linguam intellexisse, id tam verum est, quàm vulgus Italicum, cui Italica lingua est vernacula, Latinam linguam intelligere, hoc est, sufficienter ac plenè. Nam quod aliqua verba intelligant, & plura quàm Germanus, Bohemus, aut Hungarus, quid mirum; cum maior sit inter Italicam & Latinam linguâ affinitas, quàm inter Latinam & Germanicam, aut similem quampiam.

Aggreditur nos VVitackerus argumento inexpugnabili. *Christus Ioan 5. v. 39. iubet etiam ipsos Laicos scrutari scripturas. At quomodo scripturas Hebraicè scriptas scrutari poterant, si Laici, hoc est, plebs, non intelligebant linguam Hebraicam; cum libri sacræ scripturæ conscripti fuerint non lingua Syrica, sed Hebræa.* Huic argumento duo deesse video: Primum, quia non probat illud *scrutamini*, continere præceptum ad omnes vniuersè pertinens. Secundum, quia vt maxime præceptum contineret, non probat tamen illud: *Scrutamini scripturas*, prolatum fuisse ad promiscuam multitudinem; sed neque hoc vnquam demonstrare poterit; à veritate enim alienum est; cum tota Christi disputatio, quæ capite illo quinto describitur; aduersus Pharisæos, legisque peritos instituta fuerit, quorum pernicaciam & infidelem contumaciam concione illa sua Christus redarguere voluit: Nam populus Christo eiusque doctrinæ vehementer fauebat; quod clarum ex cap. 7. Ioannis v. 49. vbi Pharisęi cum ministris ad Christum comprehendendum missis expostulantes: Clamitabant. *Numquid & vos seducti estis? Numquid ex principibus credidit aliquis in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.*

At Berrhœenses Iudæi de quibus Actuum 17. v. 11. sedulò scripturas scrutabantur. Non abnuimus, sed doctiores, & quibus peritia linguæ & legis; non vulgus, & qui ex vulgo. Et fortè isti ipsi legebant scripturas Græcè ex translatione 70. Seniorum. Iudæis enim per Græciam dispersis, non penitus ignota esse potuit gentis illius lingua.

Pergit VVitackerus. *In Synagogis legebant Iudæi scripturas Hebraicè*, hoc est, *veteri illa Moysis & Prophetarum lingua, non illa nouitia, & demum post captiuitatem Babylonicam nata; ergo populus in Synagogis congregatus intelligebat illam linguam, alioqui frustra libri sacri lecti fuissent.* Negatur consequentia; quia etsi per se linguam non intelligebant; intelligebant tamen adhibito Interprete; qui interpretatione ex lingua in linguam, & concionali lucem auditoribus è plebe accenderet. Hinc Christus Lucæ 4. cum locum quendam Isaiæ legisset, *plicuit librum*; & postea sententiam lectam explanare cœpit. Hinc & Paulus Act. 13. v. 15. post lectionem legis & Prophetarum, rogatus est, vt verba ad populum faceret; quod lingua tum vernacula, hoc est, Syriaca, fecit. Vtrunque, nimirum lectionem Moysis & Prophetarum lingua veteri; & interpretationem lingua communi coniunxit Iacobus Apostolus Act. 15. vbi dicit: *Moysen ab antiquis temporis habere in singulis ciuitatibus, qui ipsum prædicent, cum in Synagogis per singula Sabbata legatur.*

At titulus Crucis scriptus fuit Hebraicè, lectusq; à compluribus Iudæis. Sed à doctioribus, non à vulgo. Neque enim dicimus scribis, Pharisæis & legis peritis linguam veterem fuisse ignotam; Vulgo ignota fuit, non principibus populi, & illis, qui studio ac labore peritiam sacrarum litterarum sibi comparauerant.

At Paulus ait Act. 26. v. 14. se Christum audisse τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, Hebraica lingua loquentem. Mirum, ni Christo & Paulo vetus Hebraica lingua ignota fuerit. De populo agimus Caluinista, non de Christo & Paulo; vt taceam, hic per Hebraicam dialectum rectissimè intelligi posse linguam Syriacam, vt & cap. 22. vbi S. Paulus multitudinem Hebraicè affatus est, de quo loco iam supra satis superque.

Digitized by Google

Hæc à me testimonia afferuntur, inquit VVitackerus, *non vt linguam fuisse hanc purè Hebraicam doceam, sed vt non Hebraica tamen omninò dissimilem fuisse euincam; quando & Hebraica vocatur, & eam populus intelligebat*. Quid opus hisce Strophis? Lingua vulgaris olim erat Chaldaica: postea Syriaca; ex priore illa prognata. Nec tamen tanta est inter illas cum Hebræa similitudo, vt qui vnam intelligit, plene etiam intelligat aliam; vt patet hodierna experientia; non enim qui scit Hebraicā linguā; ideo etiam scit Syriacam; aut qui hanc, etiam illam; sicut non ideo nouit linguam Italicam, qui Latinam nouit; Et vice versa, qui Italicam, ideo etiam Latinam; licet magna sit inter illas cognatio.

B *Dici Hebraa non potuisset*, inquit VVitackerus, *si qui ea vsi sunt, ne quidem Hebraicè intelligere potuissent*. Respondeo, rectè vocatam Hebræam, tū quia ex veteri Hebræa exstiterat; tum propter similitudinem & conuenientiam, ob quam lingua quoque inferioris Germaniæ seu Belgij, dici solet Germanica; licet reuera Germanus superioris Germaniæ Belgam non intelligat; sicut nec Belga talem Germanum: tum denique, quia vsurpabatur ab illis, qui Hebræi iam ab antiquis temporibus audiebant. Quid vero præter morem contingit; si populus nomen linguæ imponat? Nam si Germani quoque linguam suam in Germania residentes mutarent; vtiq; lingua Germanica appellaretur à loco & incolis; sicut & hodiernæ in Galliis & Hispaniis, dicuntur Gallica & Hispanica, & tamen non sunt illæ, quibus Galli & Hispani quondam sunt vsi.

C Quanta sit vicinitas inter linguam Anglicam & Scoticā, de quibus hic VVitackerus, ego certè nescio; quippe vtriusq; expers. Hoc scio, inter Hebraicam & Syriacam nō esse maiorem, quam inter nostram, qui in superiore Germania degimus, & inter Belgicam: ac proinde sicut Germanus & Belga se mutuò non intelligunt, licet vtraque lingua vocetur Germanica; ita & olim Hebraicè loquens non intelligebatur à Syro, neque hic ab illo.

D Quod D. Petrus ex loquela agnitus est Galilæus Matth. 26. non arguit Petrum locutum esse lingua veteri Hebraica; sed vulgata Syrica, quæ & ipsa pro diuersitate regionum diuersas habebat Dialectos, vt & hodie Germanica, & aliæ; neque tamen solum dialectorum discrimen, impedit intelligentiam; vt patet; maior distantia accedat oportet. Et insigniter fallitur VVitackerus, cum scribit, nō fuisse inter Syram Hierosolymitanam & Hebræam maiorem differentiā, quam inter eandē linguam dialectis à seipsa dissidentem; vt Græcam communem v. g. à Dorica, Ionica, &c. Magna hæc est ruditas: quia experientia constat, non ideo aliquem Syriacam linguam, etiam Hierosolymitanam, qua Thargum Hierosolymitanum, & nouum testamentum conscriptum est, intelligere; quia intelligat Hebraicam; quod tamen accideret, si nulla inter illas, nisi dialectorum varietas intercederet.

A Quod Bellarminus pro sua sententia adducit illud Iudæorum Ioan. 7. *Turba hæc, quæ non nouit legem*: id VVitackero bilem mouit: *Turpiter*, inquit, *abusus est Iesuita testimonio S. Ioannis, hoc enim non de lingua, & verbis, & litteris, sed sententia sensuq; legis intelligendum est*. Audio quid dicas; sed non video, quid probes. Non negat Bellarminus dictum illud accipi posse de sensu & sententia; sed addit; simul accipiendum de verbis, quæ rudi populo cum ignota essent, ignotam quoque efficiebant sententiam: imò si rem *Prædicanticè* spectare velimus; ideo legem ignorabant; quia legem legere non poterant: quippe incognita lingua scriptam; nam si legere potuissent, facilè intellexissent, cum verbum Dei ex sententia *Prædicantium* sit lucidissimum.

Vt VVitackerus diligentiam suam perspicuè nobis probet, non tantum refellere nititur, quæ Bellarminus typis euulgauit, sed & quæ auditoribus in schola dictauit. Subiungit enim Caluinista. *In Epitome dictatorum Bellarmini obiicitur, Christo clamante in cruce, Eli, Eli lammasabachtani, quosdam dixisse, Eliam vocat; quia linguam ignorabant*. Varia comminiscitur VVitackerus, vt elabatur; præter cætera etiam hoc: illusionis gratia id factum. At Euangelistæ verba satis indicant; quosdam seriò sibi persuasisse Heliam ab illo inuocatū esse: Ait enim: *Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iste, &c. Cæteri vero dicebant; sine videamus, an veniat Elias liberans eum*. Quæ verba apertè docent, eos, à quibus prolata sunt, nihil ludificandi caussa hac in parte egisse, sed seriò existimasse Heliæ opem à Christo imploratam fuisse; idque quia non intelligebant nomina illa purè Hebraica *Eli, Eli*, &c. vt rectè etiam sentit vir doctissimus Guido Fabricius præfat. in nouum testamentum Syriacum; & Alfonsus Salmeron noster Disputatione 30. in primam Epist. ad Corinthios.

Secundum Bellarmini argumentum sumitur ex vsu Apostolorum, qui non scripserunt Euangelia, aut Epistolas linguis earum gentium, quibus prædicabant, sed tantum Hebraicè, aut Græcè, &, vt quidam volunt, Latinè: nam multorum sententia est Marcum scripsisse primo Euangelium Latinè, postea in Græcum conuertisse.

Ad hoc argumentum varia respondent Prædicantes. I. Hunnius. *Non posse ostendi vllum Apostolum quidquam scripsisse Hebraicè*. Fateor, non posse ostendi illi, qui totam antiquitatem eiusque testimonium in postremis ducit: penitusque respuit; at ostendi potest illi; qui antiquitatem audit; quæ testatur Euangelium à D. Matthæo scriptū fuisse Hebraicè; vt & Epistolam ad Hebræos à S. Paulo. Siue postea Hebræa illa lingua fuerit vetus, qua vsi Moyses & Prophetę, siue noua illa Syriaca; prout placet VVidmanstadio, Guidoni Fabricio, nostro Salmeroni loc. antea cit.

Secun-

Digitized by Google

Secundò respondet Hunnius, *illud de Euangelio Latinè à sancto Marco conscripto, esse fabulam Pontificiorum.* Hoc esse Hunnianum mendacium patet ex illis, quæ supra ad caput septimum diximus.

Tertiò, quærit Hunnius, *cur Apostolus Romanis Græcè non Latinè scripserit, si tanta debet esse hac in parte maiestas ac dignitas linguæ latinæ?* Si Hunnius huius rei cognoscendæ tam est auidus, examinet ipsum D. Paulum; quo nemo hominum melius nouit, cur ad Romanos non Latinè, sed Græcè scripserit, sicut potuisset, si voluisset. Forsitan id ideo factum est, quia parum referre putabat, siue Latina, siue Græca lingua vteretur, quandoquidem Romæ etiam satis communis erat Græca lingua; & copia suppetebat eorum, qui Græcè ignaris scripta Apostoli interpretarentur.

Quartò quærit Hunnius: *Si scripta Apostolorum, aut Euangelistarum, non sunt legenda, in lingua materna: cur Græcis scripsit Paulus Græcè? velut, Corinthiis, Galatis, Philippensibus, Thessalonicensibus.*

Quis negat linguâ maternâ & vernaculâ Apostolorum scripta esse legenda? Græca olim Græcis; Latina Latinis; Hebræa quondam Hebræis vernacula fuit. His vernaculis vsi sunt Apostoli; ex quorũ facto, Prædicans tale argumẽtum procudit. *Apostoli scripserunt ad Græcos vernacula Græca; ergo iam quoque fas est nouum testamentum, atq; adeo totam scripturam in quamlibet linguam vernaculam conuertere, & omnibus indiscriminatim exponere.* Pulchra consequentia, & digna plumbeo Prædicantium ingenio. Quanquam non vetamus in vernaculas linguas scripturam transferre, vt iam sæpe dictum; sed tantum interdicimus, ne huiusmodi translationum omnibus absque delectu potestas fiat, ne dum vitam quærunt, temeritate sua in mortem incurrant.

Cur Apostoli potissimum Græcè scripserint, caussam fuisse ait Prædicans, *quòd esset omnium per orbem vulgatissima.* Non abnuo, hanc fuisse caussam; sed nego fuisse solam. quia præter hanc in caussa fuit dignitas, maiestas & antiquitas huius linguæ in titulo Crucis Christi iam dedicatæ & consecratæ.

Experitur quoq; VVitackerus non vno modo vires suas in dissolutione argumenti Bellarminiani. Respondet ergo primò: *Ecclesia potuit ad tempus carere vernaculis versionibus.* Quamdiu verò potuit? Certè aliquot sæcula: donec tandem Hæretici exstiterũt, qui insanis clamoribus, rudem plebeculam peruersis suis versionibus peruerterunt, & ita dementarunt, vt nihil intelligendo, omnia se intelligere arbitrentur. Quamobrem sicut olim Ecclesia magno fructu translationibus vulgaribus caruit; ita iisdem, his etiam temporibus; cum indoctissimus quisq; doctissimus sibi videtur, maximo emolumento careret; sed quia per hæreticorũ importunitatem pessimas suas & falsissimas versiones tãta insolentia venditantium, non licuit à vernaculis versionibus abstinere; ideo à Catholicis scriptoribus elabora-

A tæ permissæ sunt ac concessæ; non tamen absque delectu permittendæ & concedendæ omnibus; saltem illis in locis, vbi adhuc legum Ecclesiasticarũ auctoritas apud omnes viget: nam in Germania & id genus aliis prouinciis, quas hæreseos flamma iam corripuit, quis prohibet, quo minus Biblia vernacula à Catholicis edita liberè quiuis lectitet?

Et quamuis Germanicæ Bibliorũ versiones antiquiores sunt Luthero, & Lutherana factione; tamen non videntur exstitisse vllæ vernaculæ in his regionibus Aquilonaribus, nisi postq̃ hæretici exstiterunt, qui vernaculis versionibus, tanq̃ hamo quodã, miseros in perniciem pertrahere cœperũt; qualis fuit Valdus cũ suis Valdensibus,

B VVicleffus, Hussus, & similes, q̃ ante Lutherum, idem fecerunt, quod Lutherus, hoc est, prætextu vernaculæ scripturæ, mundum deceperunt & seduxerunt.

Secundò respondet VVitackerus: *Apostoli & Euangelistæ non scripserunt (fateor) Euangelium tam variis linguis, quàm viua voce prædicarunt: nam, id fuisset infinitum. Satis fuit, quod hanc Euangelicam doctrinam vna lingua scriptam reliquerint, ex qua facile hauriri, atq; in alias omnes linguas deriuari posset.*

Vbi id faciendi mandatum exstat? vbi vel minima reperitur litterula scripturas Euangelicas omnibus vernacula lingua proponendas esse? Satis vtique fuit, quòd Christianæ religionis antistites cælestem doctrinam vnâ linguâ scriptam

C reliquerunt. Cur eo, quod tuo quoque testimonio, satis est, non estis contenti?

Tertiò respondet VVitackerus: *Scripserunt ea lingua, quæ fuit omnium communissima, & à plurimis populis intelligebatur: & è qua scripturæ commodissimè possent in alias linguas transferri, ac traduci; hoc est, Græca, quæ, quanquam non erat vulgaris, & popularis omnium, tamen à plurimis non ignorabatur.*

Et tamen nulli prouinciæ, nisi Græcanicæ, materna erat ac vernacula. Nam quod ait, ex Græca lingua commodissimè potuisse in alias linguas vernaculas traduci, id vt ita sit, non probat tamen nobis Hæreticus, Apostolos hoc consilio Græcè scripsisse, vt inde in linguas singulis nationibus, quibus prædicarant, natiuas, trans-

D ferrentur.

Quàm porrò immane est mendacium, quod VVitackerus ait; *Omnes illas gentes, quas nominat Irenæus lib. 1. cap. 3. Græcè aut locutas esse; vel certè Græcã linguam intellexisse.* Nominat Irenæus Germanos, & in Germania fundatas Ecclesias. Obsecro, quis vnquam dixit, vel somniauit, Germanos temporibus Apostolorum, aut ætate Irenæi, qui à temporibus Apostolicis propè abfuit, Græcè locutos esse, aut Græcam linguam intellexisse? Multò minus id tum affirmari poterat, quàm id hodie posit; cum tamen multi ex Germanis inueniantur, quibus Græca lingua optimè sit perspecta. Num propterea dicemus, nationem Germanicam, hoc est, ipsum vulgus, ipsamque im-

peritam multitudinem Græcè nosse, aut Græcè loqui, vel loqui posse? Nominat insuper Irenæus Iberos, siue significet illos, qui ad Pontum Euxinum habitant, siue illos, qui notiore vocabulo Hispani appellantur. Quæso, num siue isti, siue illi Iberi vnquam Græcè locuti sunt, aut intellexerunt? Non magis quàm hodie: semper enim alio vernaculo sermone vsi sunt; nec Græci vllus fuit vsus, aut notitia, nisi inter paucos, litteris excultos, vt iam quoque contingit. Nominat præterea Celtas seu Gallos, Afros, AEgyptios: Num Galli & Afri Græcè loquebantur ætate Apostolorum, & eius qui ad hanc ætatem proximè accessit, Irenæi?

At inquit VVitackerus: *In Gallia Irenæum Græcè suos libros scripsisse; idq; argumento esse Lugdunensibus & Gallis Græcam linguam non fuisse incognitam.* Perinde est ac si quis diceret; VVitackerum in Anglia suos libros Latinè scripsisse; & Iunium in Hollandia, & Hunnium in Saxonia, & Danæum in Gallia; idque argumento esse; Anglis, hoc est, vulgo Anglicano; Hollandis; hoc est, vulgo Hollandico, Saxonibus, hoc est, vulgo Saxonico, & Gallis, hoc est, vulgo Gallicano, linguam latinam non esse incognitam. Non nego, in Oriente & AEgypto Græcam linguam valde inualuisse: Hoc tamen semper fixum firmumque manet, hanc linguam nec AEgyptiis, nec Palæstinis, neque Syris, neque aliis fuisse vernaculam & vulgarem, sed alias, à Græca lingua diuersas, vt ostēdit etiam hoc loco Bellarminus. Ait VVitackerus: *Origenem, Athanasium, Theophilum, Cyrillum & alios, sua scripsisse & edidisse Græcè: hinc colligi, ab Ægyptiis Græcam linguam fuisse intellectam.* Perinde ac si diceret: Hosius in Polonia, Lindanus in Belgio, Eckius in Germania, Bellarminus in Italia, Canus in Hispania, Roffensis in Anglia, Feuardentius in Gallia, scripserunt & euulgarūt opera sua Latinè; Ergo Latina lingua est prædictis gentibus vulgaris ac vernacula: *At Græcè concionabantur prædicti Patres ad Ægyptios & Orientales.* Esto; (quanquam id tam clarum non est, quàm solis splendor in meridie.) Quid inde sequitur? Nihil certè aliud; quàm linguam Græcam fuisse admodum in AEgypto & aliis Orientalibus prouinciis vel potius prouinciarum præcipuis ciuitatibus, vsitatam; non tamen vulgarem & patriam, neque omnibus notam. Ait VVitackerus; *non fuisse opus, vt statim à promulgato & propagato Euangelio illud in vernaculas linguas conuerteretur; fuisse enim, qui interpretari facilè possent.* At nos dicimus, etiam hoc tempore non deesse, qui populo scripturas facilè interpretari possint, licet non vertātur in vulgares linguas. Si ergo olim non opus erat vertere in vulgares linguas scripturam; quia erant, qui facilè interpretari possent; etiam hoc tempore non erit necessarium, quia non desunt, quibus prompta sit facultas voce viua vulgo scripturas vernaculè & patriè interpretandi.

A Quod VVitackerus dicit, *statim post Apostolorum ætatem sacras litteras in omnes ferè linguas fuisse conuersas*; id eiusmodi est mendacium, quod inter præcipua VVitackeri commenta iure suo collocari queat. Nominet vel vnam linguam vulgarem (de latina non loquor) in quam primis trecentis à Christo nato annis, scriptura fuerit traducta: nam quod de latina adducit; id ad rem non facit; neque enim de latina, sed de vernaculis variarum gentium linguis disputamus.

Ait Bellarminus; *Petrum scripsisse Iudæis, similiter Iacobum Græcè, & Ioannem suam epistolā Parthis, vt Augustinus affirmat lib. 2. Euangel. quæst. q 39. Et Higinus in epist. 1. & Ioannes 2. Papa, in epist. ad Valerium: & tamen Græca lingua nec Iudæis, nec Parthis materna fuit.*

B Respondet VVitackerus primò: *Quorsum hæc spectent, nescio, nisi vt fortè Apostolos de industria scripsisse ad quosdam, persuadeat, quæ illi non possent intelligere, quod ab instituto Apostolorum fuit alienissimum.*

Facilè scire poteras, si voluisses. Eo enim spectant, vt probet Bellarminus, Apostolos noluisse vernaculis linguis doctrinam Christianam consignare; si enim hoc volebant, cur Euangelium litteris non mandarunt Indicè, Persicè, Parthicè, Scythicè, Germanicè?

Secundò respondet VVitackerus: *Iudæi in illa dispersione, linguā Græcam omnium ferè hominum communem didicerant; vt, quas ab Apostolis Græcè scriptas epistolas accepissent, satis intelligerent, &c.*

Quidquid tergiuersetur Hæreticus, nunquā
C euincet Iudæis, metu persecutionum, per varias mundi partes dispersis, Græcam linguam fuisse vernaculam ac maternam. Neque aliud efficere vult Bellarminus, quàm non esse necessarium, vt linguā vernaculā Euāgelium & Euangelica doctrina tradatur, & consignetur, cum non obstante, quod Hebræis dispersis lingua vernacula esset Hebræa; Apostoli tamen non Hebraicè, sed Græcè ad eosdem scripserint. Quod ait VVitackerus; *Linguam Græcam fuisse omnium fermè hominū communem*; id VVitackerianis hyperbolis per me adscribatur licet. Num Indis, Persis, Scythis, Germanis, Gallis, Britannis, Belgis, Cimbris, hæc lingua communis fuit?

Tertiò respondet VVitackerus: *Ioannem non*
D *existimo ad Parthos epistolam suam scripsisse. Vnde hoc Augustinus acceperit, incertum est. Liceret non minus fingere ad Indos scripsisse, quàm ad Parthos.*

Non est cur Augustini auctoritatem postponamus VVitackero, tantam tantillulo. Quis enim tam excors sit, qui non videat, ad cuius partes transire debeat, si Augustinus asserat hoc vel illud ita se habere: VVitackerus autem contrarium affirmet. Nam quòd addit, Parthos non fuisse ignaros Græcæ linguæ, cum occiso Crasso Græcis versibus à Parthis illusum fuerit; id perinde est, ac si diceret; Britannos & Germanos nō fuisse ignaros Græcæ linguæ, cum Græcis versibus & Satyris Pontifici & vniuersis Cælitibus à Britannis & Germanis illusum fuerit. Ex huius-

modi

Digitized by Google

A modiGræcanica illuſione nihil aliud conficitur, quàm nonnullos ex Britannis vel Germanis linguæ Græcæ fuiſſe peritos, non autem ipſum vulgus,& multitudinem,quæ non immeritò *imperita* cognomẽtum iam pridem eſt adepta. Et quoties VVitackerus dicit Apoſtolos ſcripſiſſe Græcè, *quòd ex Græca facillimè poſſent ſacræ litteræ in alias gentiles patriaſque linguas deriuari ac transmitti*; toties id, quod necdum probauit, ſed neque vnquam probare poterit; inaniter, tanquam iam probatum, aſſumit. Certè, ſi ſcripta Apoſtolica vertenda fuiſſent ex Apoſtolorum voluntate ac iuſſu in linguas vernaculas, æquè facilè potuiſſent transferri ex lingua Latina in aliquam vernaculam, quàm ex Græca. Et æquè ex aliqua vernacula in
B Græcam, quàm ex Græca in illam. Et ſi Hæretici ideo in nouo teſtamento Græcam linguam putant eſſe adhibitam, quia procliue erat illam in linguas gentium vernaculas transmittere; cur plerique ſcriptores veteris teſtamenti eandem ob cauſſam Græcè non ſcripſerunt? Cur Hebraicè cæleſtem doctrinam litteris conſignarũt; linguâ videlicet illa, quæ patentiſsima non fuit? Cur Matthæus in ſuo Euangelio, & Paulus in epiſtola ad Hebræos huius transferendi facilitatis nullam rationem haberunt?

Iunius circa hoc ſecundum Bellarmini argumentum totam fermè Lutheranorum & Caluiniſtarum argumentandi rationem labefactat
C & conuellit. Ait Bellarminus: nuſquam à nullo vnquam proditum Apoſtolos alia lingua quidquam ſcripſiſſe, niſi Græca, Hebræa, vel Latina, neque ad nos vllam ſcriptionem Apoſtolicam vulgari & triuiali lingua conceptam perueniſſe. Ridet Caluiniſta hoc argumentum tanquam elumbe, neruiſque penitus deſtitutum. *Ex auctoritate negatiuè ſtatuit*; (verba ſunt Iunij) *non leguntur epiſtolas ſcripſiſſe. linguis earum gentium, quas prædicabant, non igitur ſcripſerunt. Logicè ſane*, ait Iunius. Et tamen quis Caluiniſtarum & Lutheriſtarum ad nauſeam vſque non oggerit hoc argumentum, quando contra traditiones tonant? *Hoc vel illud non eſt ſcriptum in ſacris litteris; ergo non eſt præceptum vel inſtitutum à Chriſto vel Apoſtolis*; licet perpetua
D Eccleſiæ conſuetudo & antiquiſsimorum patrũ auctoritas, id à Chriſto præceptum vel inſtitutum eſſe liquido teſtificetur: in noſtro autem propoſito, cum nullus penitus auctor vnquam extiterit, qui ſcripſerit aut dixerit, Apoſtolos quidquam in litteras retuliſſe alia lingua quàm Hebræa, Græca, vel Latina; tam audax tamen eſt Iunius, vt argumentum ab hoc vnanimi vetuſtatis conſenſu deſumptum irridere, & tanquam infirmum aſpernari non vereatur.

Quo vel vnius antiqui ſcriptoris teſtimonio firmatus verba illa in chartam effudit? *Agnoſcimus libros diuinitus Canonicos non aliter quàm Græcè ſcripſiſſe; at non aliud ſcripſiſſe, nec alia lingua, quàm his tribus, minimè credimus* (& tamen hoc credit VVitackerus, Hunnius, aliique quinti verbi præcones) *ſed Eccleſiarum ædificationi, quacunq; lingua tribuiſſe quidquid vocationis ipſorum poſtulabat ratio*. Nominet nobis Caluiniſta vel vnum veterem ſcriptorem, qui tradat, quidquam ab vllo Apoſtolo litteris mandatum alia lingua, quàm Hebræa, Græca, aut Latina; Nam ſi hoc fecerit, tum non inuiti patiemur, vt iterum iterumque argumentum illud explodat. Non eſt vllum veſtigium in antiquitate, quo probari poſsit Apoſtolos in ſcribendo alia lingua vſos, quàm tribus ſupra dictis; aliter ergo non ſcripſerunt. Fatetur Iunius nullum eſſe veſtigium huius rei in antiquitatis memoria; & tamen adeo ſagax eſt, vt etiam ſine veſtigio odorari, & quid vernaculè ab Apoſtolis conſcriptũ fuerit, inueſtigare poſsit.

At vide hominis vertiginem; & quam parum conſideret, quid aut quomodo ſcribat. Cum Bellarminus tota ſuâ diſputatione nil aliud velit, quàm Apoſtolos, ea, quæ ſcripſerunt tanquam ſcriptores ſacri & Canonici; non ſcripſiſſe niſi Hebraicè, Græcè aut Latinè; iſte extra oleas iam ſaltat; *& veteres, quando dixerunt, Apoſtolos nil niſi iſtis linguis ſcripſiſſe. de libris ſolùm egiſſe Canonicis. Nec tamen propterea quicquam ab illis amplius fuiſſe ſcriptum negaſſe*. Quorſum iſti fumi, ô Caluiniſta? An non Bellarminus palam de ſolis libris Canonicis agit ac diſputat? An vnquam diſcutiendum propoſuit; num Apoſtoli aliquam epiſtolam, quæ non eſſet Canonica, vernaculè ſcripſerint? Si ferire vis Bellarminum, cur aërem verberas, niſi quia tibi curæ non eſt, quid efficias, dummodo apud tuos nunquam ſiluiſſe, & Bellarminum egregiè oppugnaſſe videaris tunc, quando tua phantaſmata impugnas. Quanquam ne hoc quidem nobis probare potes, Apoſtolos aliquid ſcripſiſſe vernacula quapiam & vulgari lingua, diuerſa à tribus illis, quæ primas inter omnes tenent; vt nec illud; huiuſmodi ſcriptum ab Apoſtolis, non vt à ſacris, ſed vt à merè humanis ſcriptoribus profectum eſſe.

Nonne Græcè ſcripſerunt? inquit Iunius. *Atqui vel vnica gens proferatur Græcè neſciens, ad quam illi ſcripſerint*. Profero Romanos; licet enim Græca lingua admodum eſſet Romæ vſitata; certum tamen eſt non fuiſſe vniuerſim omnibus Romanis notam, multoque minus vernaculam. Deinde profero Germanos, Sarmatas, Indos, Gallos, Britannos, Belgas, quibus Euangelium S. Ioannis v.g. ſcriptum eſt; quia vniuerſis Chriſtianis ſcriptum eſt; & tamen exploratum habemus, nationes illas Græcam linguam minime intellexiſſe; licet fortè inter illos pauci eſſent, quibus Græcæ linguæ cognitio non deeſſet. Num quod paucorum erat, vniuerſæ genti adſcribi poteſt? Num dicere poſſumus, Germanos intelligere linguã Hebræam,

quia

quia nonnulli reperiuntur, quibus hæc lingua non est ignota?

Ait Iunius; *Exsules dicebantur olim Parthi in vulgo, à sermone Scythico, prout meminit Iustinus 41. histor. vel potius, ab Hebræo. pur diuidere. Et inde 1. Ioannis epistola ad Parthos fuit à quibusdam appellata, id est, ad pios exsules dispersos extra solum natale suum. Ex eo autem vulgata illa opinio est ignoratione profecta vocis.*

Sed æquius est, vt fidem habeamus Hyginio & Ioanni Pontificibus & S. Augustino citatis à Bellarmino; & Idacio libro contra Arianos, aliisque, qui docent epistolam sancti Ioannis verè ad Parthos, hoc est, ad illum populum, qui Parthorum nomen tulit, scriptam esse. nam si ideo scripta diceretur ad Parthos, quòd scripta esset ad exules; etiam epistola Iacobi, Iudæ, & vtraque Petri dici debuisset scripta ad Parthos, quia omnes scriptæ fuerũt ad eos, qui in dispersione versabantur, hoc est, ad exules.

Marcum Euangelium scripsisse Latinè, docet aliqui testimonio eius libri de vitis Pontificum, qui hactenus sub Damasi Pontificis nomine circumlatus est; & non ita pridem plenior in lucem venit, Anastasij Bibliothecarij nomine præscripto. Hoc testimonium, vt eludat Iunius, duo, quasi fabulosa, Damaso, seu quisquis ille auctor fuit, obiicit. Primum, *quòd ait, à Petro Euangelium Marci conscriptum fuisse.* Atqui non solus Damasus ita censuit; multi veterum in eadem opinione fuêre, vt testatur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & S. Hieronymus lib. de viris Illustribus in Marco, & epist. 150. quod Marcus Interpres, & discipulus S. Petri fuerit, exque ore & prædicatione eius Euangelium conscripserit, vt scribit quoque Eusebius lib. 3. hist. Ecclesiast. cap. vlt. & Clemens Alexandrinus Comment. in epist. S. Petri. Quàm grande autem piaculum dicere, à Petro illud Euangelium fuisse scriptum; quod ex loquentis & quasi dictantis eius ore scripsit auditor eius Marcus. Scilicet propter hoc reiiciemus quidquid Auctor ille de Pontificibus memoriæ mandauit.

Subiungamus alteram fabulam, inquit Iunius, *quæ cum hac eodem est contextu posita:* Post omnem, inquit, quatuor Euangeliorum fontem, quæ ad interrogationem, & testimonium eius (hoc est, Petri) firmata sunt; dum alius Græcè, alius Hebraicè, alius Latinè scribentes consonant, omnia eius testimonio sunt firmata. *Prudentem, & verum scriptorem, qui Petrum anno post passionem Domini XXXVIII. martyrio coronatum scribat, & tamen quatuor Euangelia firmasse testimonio suo: cùm Ioannem Euangelistam post annos minimùm XXVIII. perhibeatur scripsisse; & anno demum sexagesimo octauo à passione Christi, vt Eusebius, Hieronymus, & alij referunt, obiisse.*

Sed caussę nihil est, cur tam petulanter insultet, ac inequitet Auctori huic Hæreticus: quia nõ desunt graues auctores, (citat Maldonatus Proleg. in Euangelia) qui existiment, Ioannem Euãgelium scripsisse anno post passionem Christi

A trigesimo secundo, vel tertio. Qua opinione posita, videre potuit S. Petrus Euangelium S. Ioannis; quippe qui demum anno Christi 69. martyrium subierit, hoc est, anno trigesimo quinto post passionem Saluatoris nostri, vel trigesimo sexto, si à trigesimo tertio Christi anno numerare incipias, vt nonnulli fecerunt, de quibus tom. 1. Baronius ad annum Christi 69. Quod multò magis fieri potuit, si cum auctore isto addamus adhuc duos annos, & trigesimo octauo à passione Redemptoris anno Petrum passum affirmemus. Quod tamen non placet. Illud certè admodum fit probabile, Ioannem tam serò non scripsisse Euangelium, quàm nonnulli statuunt: idque rectè etiam demonstratur à nostro Salmerone tom. 1. Prolegom. 34. Cùm ergò in Chronologia

B Auctores non consentiant, petulantis profectò ingenij est, debacchari in veteres, quod eam sequuntur sententiam; quam quia non intelligis, aut aliam amplecteris, insectaris, vt falsam.

Tertium Bellarmini argumentum petitur ex vsu vniuersalis Ecclesiæ. Nam, vt Augustin. docet epist. 118. contra id, *quod vniuersa Ecclesia facit, disputare, insolentissima insania est.* Vniuersa porrò Ecclesia semper his tantum linguis, Hebræa, Græca, & Latina vsa est in communi, & publico vsu scripturarum, cùm tamen iam dudum desierint esse vulgares.

Hoc ita sese habere variè & copiosè demonstrat Bellarminus enumeratis propemodum

C omnibus prouinciis, in quibus Christiana religio aliquando floruit. Respondet Hunnius: *Maiorem esse veram, si Ecclesiæ consuetudo nitatur fundamento scripturæ.* Quasi verò possit in Ecclesiam irrepere consuetudo vniuersalis, quæ fundamento scripturæ careat; in Ecclesiam, inquam, quæ columna est ac firmamentum veritatis, & aduersus quã inferorum portæ nunquam præualent. Neque S. Augustino vnquam in mentem venit pronunciatum illud ita limitare; contra id quod vniuersa Ecclesia facit, disputare insolentissimæ est insaniæ; si scilicet scripturæ consonet; supposuit enim, imò & certissimus fuit, hoc ipso, id, quod vniuersa facit Ecclesia; scripturæ consonare, quia id vniuersa facit Ecclesia; exploratum namque

D habebat, vniuersam Ecclesiam nihil facere, quod vllo modo à scripturæ veritate & sensu discreparet. Et planè blasphemus est in sponsam Christi Prædicans, cum hæc verba hoc loco effundere audet. *Interdum vniuersa Ecclesia obseruat aliquid contra mandatum Dei.* Ergo vniuersa Ecclesia errat. Ergo non est columna & firmamentum veritatis. Ergo portæ inferi præualent aduersus illam. Ergo promissus & datus Paracletus non deducit illam in omnem veritatem. Nam quod ait, *vniuersam Ecclesiam Iudæorũ, tempore Christi, & ante ipsius aduentum Pascha celebrasse non præscripta à lege die, sed sequenti die sabbati*; incertius est, quàm vt id hodie perspicuo aliquo argumento nobis probaturus sit Prædicans. Illo ipso enim die, quo Christus

vltimum

vltimum Pascha celebrauit ex præscripto legis, celebrarunt & alij Pascha; nec transtulerunt in sequentem Sabbati diem, vt Prædicans somniat: vt taceam, hic de Ecclesia Christiana, non de Iudæorũ Synagoga sermonem esse, præsertim pro tempore quo iam iam regnum Ecclesiasticum ab ea transferendum erat.

Quid Iunius ad dictum S. Augustini? *Hac verba quidem legi apud Augustinum. Verùm in ea epistola statuit Augustinus, quæcunque regulæ fidei, & bonis moribus conueniunt, ea ab omnibus vbiq; seruari oportere, quæ media sunt, non item: sed in eis consuetudinem Ecclesiæ, huius, illius, prout contigerit, sequendam esse. Hoc autem negamus esse medium, siue indifferens: nam contrà præcepit Deus.*

B Iunius, more suo, tantum dicit: & nihil ad rem dicit. Quæritur, vtrum verum sit illud dictum S. Augustini; contra id, quod vniuersa Ecclesia facit, disputare insolentissimæ est insaniæ. vel nega hoc dictum; vt facit tuus symmysta Hunnius; vel concede; quid de mediis & indifferentibus rebus nugaris & tricaris? Id quod vniuersa Ecclesia facit; iudicio Augustini, non est medium seu indifferens; sed necessariò faciendum, & quærere aut dubitare, num faciendum sit, insolentissimæ est insaniæ.

Considerandum est, inquit VVitackerus, *non tam, quid factũ, aut obseruatum in Ecclesia fuerit, quàm quid fieri, obseruariq; debuerit. Non enim sequitur, si Latinæ tantùm linguæ vsus publicus obtinuit in Italia, Hispania, Gallia, Germania, reliquisque his populis, idcirco hoc nullo modo reprehendi potest: sed, videndum est, quàm rectè hæ* C *Ecclesiæ fecerint in eo, quod scripturas lingua ignota publicè legerint. Et, si Ecclesia scripturas vetuit nisi Latinè legi, non proinde putandum est nihil in ea re Ecclesiam errauisse.*

Ecce frontem Caluinisticã, Lutheranæ frontis sororem. Vniuersalem Ecclesiam accusare audet erroris, ob sacram scripturam tantum Græcè, Latinè, & Hebraicè lectam. Quod Iunius tacitè insinuat, hoc VVitackerus & Hunnius palam profitentur, nempe, *vniuersam Ecclesiam posse errare, & à semita veritatis excidere. At non tam considerandum est, quid factum sit, quàm quid fieri debuerit.* S. Augustino alius est animus. Hoc ipso enim quod aliquid D ab vniuersa fit Ecclesia; ita & non aliter fieri debere & debuisse decernit; quia rectum est; & quia à Spiritu sancto est.

Obiicit Iunius; *Ecclesia consuetudinem nihil posse contra præceptum diuinum, esse autem præceptum diuinũ, vt sacra scriptura, quauis lingua vernacula, legatur.* Vbi, obsecro, exstat istud diuinum præceptum? Cur non monstras locum, ô Caluinista? Forsan continetur his verbis; *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Aliud est prædicare Euangelium omnibus nationibus: aliud, scribere Euãgelium omnium nationum linguis. Illud præcepit Deus; hoc, minimè.

Fuisse vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem, vt sacra scriptura non nisi Græcè, Hebraicè, aut A Latinè legeretur, probat 1. Bellarminus ex S. Augustino lib. 2. de doctr. Christ. cap. 11. vbi dicit: *Ad intelligentiam scripturarum esse necessariam cognitionem tantum trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ: quia in illis linguis scriptura diuina legeretur.*

Occurrit VVitackerus: *Si locũ ipsum consuletis, nihil tale dici ab Augustino, animaduertetis. Id Augustin. ait; hominibus Latinæ linguæ necessariam esse duarũ præterea aliarũ linguarũ cognitionẽ, vt rectè scripturas intelligant, Hebrææ, & Græcæ: rationẽ subiungit*, vt ad præcedentia exẽplaria, *fontes significat, recurratur. Num sequitur? quia, qui homines Latini sunt, vt melius scripturas percipiant, Hebrææ, & Græcæ linguæ nonnullam scientiam sibi comparare debent. Ergò, scripturæ solitæ sunt non nisi tribus hisce linguis legi.*

Omnino hoc sequitur; qa si tẽpore D. Augustini alia versio, vt Punica, v. g. Afris vsitata fuisset; mẽtionẽ eius facere D. August. nõ intermisisset; cũ in libris de doct. Christ. ex ꝓfesso doceat, quæ præsidia sibi cõparare debeat, q sacrarũ litterarũ intelligentiã consequi velit. Nã ꝙ isti obiectant; D. August. illis in libris tantũ Latinæ linguæ homines instruere, id nõ abnuimus: sed tamen quia inter Afros seu Pœnos scribebat, q præter linguã Latinã Punicam quoq; callebant; nõ vtiq; subticuisset qd Punicę translationis lectori necessariũ esset, si vlla talis versio eo tẽpore exstitisset. Nec refert, ꝙ vt Hunnius obiicit, August. non vtatur voce exclusiua *tantum*; quia licet nõ vtatur explicitè; vtitur tamen tacitè; quia homini Latinæ linguæ duabus aliis linguis opus esse ait; ad intelligentiam sacræ scripturæ adipiscendam: neq; vel vllo verbulo indicat, præter has duas, aliam quãdam vel alias esse necessarias. Tantùm igitur has necessarias iudicauit, eò quod his, & non aliis linguis sacra scriptura tum legeretur.

Quod Bellarminus dicit, nullum antiquum Auctorem meminisse alicuius vernaculæ translationis, & primis quadringentis annis, quibus Ecclesia maximè floruit, scripturas non nisi Hebraicè, Græcè & Latinè lectas fuisse, id vocat VVitackerus *insigniter ac apertissimè falsum.* Nec tamẽ vllum veterem scriptorem nominare potest, qui intra quadringentos illos annos vllius vernaculæ versionis meminerit. Certè si alia deessent, vnica illa de diuinis voluminibus ad rogũ per tyrannos quæsitis, deque Traditoribus enatis historia, id liquidum planumque redderet. Si enim scripturæ fuissent in linguam vulgarem conuersæ, exemplaria huiusmodi versionis valde fuissent multiplicata, & postea in ædibus vulgi, à tyrãnorum satellitibus reperta. At quis vnquam audiuit, vllum Codicem Punica vel Africana lingua constantem inuentum exustumque fuisse? Quis vnquam ex vulgo ab ipsis etiam Donatistis, accusatus fuit, quasi Codices diuinos prodidisset, incendendosque quæsitoribus tradidisset? Imò Donatistæ, crimen traditionis, etsi per summam iniuriam, ferè tantum Episcopis & Clericis orthodoxis impingebant; quia tanta

erat

erat exemplarium raritas & infrequentia, vt vix nisi apud Clericos inuestigarentur & inuenirentur sacra biblia. Quod si antiqui illi christiani, more nostrorū sectariorū, vulgatas versiones tā importunè vrsissent, & procurassent, omnes christianorum domus vel certè pleræque biblia habuissent; & persecutores exiguo labore ingentes bibliorum struices ad pyram colligere potuissent: quia videmus per vulgares Bibliorum versiones rem eò adductam, vt vix sit sutor, aut sartor, aut fullo, aut cerdo, in cuius officina non exstent vernaculè versa Biblia.

Sed VVitackerus ex tabulis cum Bellarmino agit, eumque conuincere nititur, veteres vulgarium versionum meminisse. Nam primò: *D. Hieronymus in Dalmaticam seu Sclauonicam linguam sacros libros vertit.* Quis veterum hoc de S. Hieronymo memoriæ prodidit? VVitackerus citat Cardinalem Hosium in libello de sacro vernaculè legendo. Non ignoramus recentiores aliquos scriptores hoc tradere; sed Bellarminus dicit; nullum antiquum scriptorem meminisse vllius vulgaris translationis intra primos trecētos annos. Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ idem de diuo Hieronymo affirmat, & ante illum Erasmus; Quàm vetusti isti? Nec vllum huius rei in D. Hieronymo vestigium apparet. Nam quod Sixtus citat epistolam ad Sophronium, planè fallitur; nihil enim huius ibi reperitur; vt notat etiam Salmeron noster disp. 30. in 1. epist. ad Corinth.

Secundò idem probat VVitackerus, testimonio Alphonsi à Castro, qui lib. 1. contra Hæreses cap. 13. ita scribit: *Fatemur olim sacros libros in linguā vulgarem fuisse translatos.* Quàm antiquus Alphonsus? An non vidisti, quid Bellarminus asserat? Non dicit, nullum scribere, scripturas olim fuisse in vulgares linguas conuersas; sed dicit, nullum veterem huiusmodi versionum mentionem facere, quasi vllæ intra primos trecentos annos exstiterint. Deinde Bellarminus, Salmeron, & alij perpetuò clamant, non damnari simpliciter vulgares bibliorum versiones, sed tantum vetari, ne publicè in Ecclesia legantur, omnibusque absque delectu permittantur. Et quamuis olim, etiam primis quadringentis post Christum natum annis, Biblia promiscuè fuissent in linguas maternas versa, & omnibus indiscriminatim permissa; & publicè in Ecclesiis lecta, (quod tamen nunquam factum est) nihilominus meritò iam prohiberentur, postquam rudis popellus eam scripturæ intelligentiam & peritiam sibi arrogat, vt iam non à Doctoribus doceri; & à pastoribus pasci, sed ipsos doctores docere, & pastores pascere tentet. Multa enim quæ prius sanctè & legitimè concedi poterant, postea non minus sanctè ac legitimè interdicuntur, temporis hominumque circumstantiis id ita efflagitantibus.

Tertiò citat VVitackerus Hardingum nostri æui scriptorem, dicentem: *Armenos, Russos, Æthiopes, Dalmatas, Moschos Scripturas legisse vernaculas.* Quid hæc ad Bellarminum? Quàm antiquus testis Hardingus? Num primis quadringentis annis id apud prædictas nationes factitatum est? Si affirmas, quo veteri auctore affirmas? Nec ignorauit Bellarminus, quid prædictæ gentes hoc tempore faciant, vel etiam superiori memoria egerint, postquam ab obedientia sedis Apostolicæ recesserunt; & barbariei frena laxarunt, ita vt vix inter illos reperire sit virum doctum, linguæque alicuius principalis gnarum. Idem VVitackero responsum sit ad Eckium, quem producit, magnus vtique amicus Eckij.

Quartò citat testem veracissimum, & qui vel solus Bellarmino silentium imponere poterat; *Cornelium Agrippam in libro de vanitate scientiarum, vbi dicit; à synodo Nicæna decretum esse, vt nullus Christianus domi suæ careret bibliis.* Quis præter istum Zoroastrę discipulum huiusmodi decreti vnquam meminit? Exstant Canones Concilij Nicæni; exstāt Acta à Gelasio Cyziceno collecta. Nihil de hoc decreto; cuius vanitas vel inde apparet; quod pleraq; Christianorum pars nesciat legere; etiam vernaculè. Quid ergo opus præcipere, vt nullus sit Christianus, qui domi suæ non habeat Biblia? O decretum non Nicænam Synodum, sed VVitebergensem culinam vel cauponam olens.

Quintò producit Caluinista Socratem, qui lib. 4. cap. 33. scribit de Vlphila Gotthorum Episcopo, eum scripturas in linguam Gotthicam transtulisse. *τὰς θείας γραφὰς εἰς τὴν γοτθῶν μεταβαλὼν τοὺς βαρβάρους μανθάνειν τὰ θεῖα λόγια παρεσκεύασεν.* Vetus Auctor Socrates. Quis abnuat? Sed num ideo habemus primis quadringentis annis exstitisse aliquam versionem vernaculam; & publicè in Ecclesiis lectam? Vertisse ait, Socrates, non autem curasse, vt linguâ Gotthicâ in Ecclesia sacræ litteræ legerentur. Nam hoc etiam æuo exstat scriptura Germanicè & Polonicè, Catholicis interpretibus; & tamen dum res diuina peragitur, scriptura non canitur Germanicè, aut Polonicè, sed Latinè. Habuit quoque S. Brigitta sacrorum Bibliorum Codicem sermone Gotthico, vt refertur in vita eius Tomo quarto Surij. Quid si Socrates non de translatione litteris mandata; sed de interpretatione vocali per Gotthicam linguam facta loquitur: qua effecit, vt Gotthi sacras litteras discerent (*μανθάνειν* habet textus) non vt legerent; sed consideratis aliis, quæ & Socrates, & Sozomenus de Vlphila (vel Vulphila) scribūt rectè admittitur, Socratem loqui de scripturis in aliam linguam scripto translatis per Vlphilam: at, si vera Socratem, & Sozomenū hac in re scribere tenent Sectarij nostri, sciant ab vtroque historico Vlphilam pro Ariano Episcopo haberi, qui vtique scripturas, præsertim tot diuinitatis Christi testimonia corrupit potius, quàm reddidit. Bellarminus verò, non loquitur de translatione per Ecclesiam reprobata, qualis vtiq; fuit

Vlphilæ

Digitized by Google

Vlphilæ Ariani, ſicut Socrates loco per VVitackerum relato, & Sozom. lib. 6. cap. 37. tradunt.

Sextò producit VVitackerus D. Chryſoſtomum, quem ferunt ſacram ſcripturam in linguā Armenam vertiſſe. Quis hoc fert? Sixtus Senenſis lib. 8. Bibliothecæ: Hunc enim ſolum VVitackerus citat. Quid hoc teſtimonium officit Bellarmino, aſſerenti, nullum antiquum auctorem meminiſſe alicuius vulgatæ verſionis. Neſcis, quàm Sixtus ſit antiquus.

Septimò producit VVitackerus Hieronymū, *qui in Epitaphio Paulæ, ait, Pſalmos à Palæſtinis in Paulæ funere cantatos fuiſſe Hebræo, Græco, Latino, Syroq; ſermone, idq; non ſolùm triduò, donec illa ſubter Eccleſiam, & iuxta Domini ſpeluncam conderetur, ſed per totam hebdomadam. Pſalmos ergò in Syriacam linguam verſos fuiſſe conſtat.*

Reſpondet Stapletonus in libro Anglicè edito contra Iuellum, has fuiſſe cantiones extraordinarias, non Pſalmos Dauidicos. *Hoc commētum,* inquit VVitackerus, *nulla ratione nititur, atque aliis etiam Papiſtis diſplicet. Palam enim Hieronymus de Pſalmis loquitur, cum ait; in ordine perſonabant.* At Stapletoni reſponſum nō adeo à vero deflectit, vt omni veriſimilitudine careat: neq; enim S. Hieronym. Pſalmos Dauidis nominat, ſed præciſè Pſalmos decantatos fuiſſe affirmat; Quis neſcit Pſalmorū nomen etiam pro quibuſcunq; hymnis & canticis accipi poſſe? Nec obſtant illa verba: *In ordine perſonabant*; tū quia etiam alij hymni *alternis* concini poſſunt; vt patet quotidiana experientia; tū quia illud; *in ordine perſonabant*, referri poteſt ad variarum linguarum homines, qui ſibi mutuò ſuccedebant; ita vt Latinis deſinentibus, ſuccederent Græci; his Syri, vel Hebræi, qua viciſsitudine fiebat, vt Pſalmi in ordine perſonarent. Fortè Pſalmi, quos Syri cantabant, non erant tranſlationes Pſalmorum Dauidicorū, ſed paraphraſes; quales etiam habent Germani in ſua lingua, & quas præcipuè in proceſsionibus & peregrinationibus concinunt.

Bellarminus dicit locum D. Hieronymi eſſe corruptum (ſic enim refert VVitackerus, qui dictata Bellarmini habuit; nam in opere typis excuſo nihil huius generis inuenio) nam quoſdam libros non habere voculam *Hebræo* & illam alteram *Syro* poni pro Hebræo. *Ita quouis ſe vertunt*, inquit VVitackerus, *vt iſtam lucem fugiant.* Sed VVitackerus quouis ſe vertit, vt calumnietur. Nam Marianus Victorius, qui emaculandis Hieronymi operibus præclaram operā nauauit, teſtatur à pleriſq; exemplaribus abeſſe vocem, *Hebræo*: cui cur non haberemus fidem; cum plurima & antiquiſsima Hieronymianorum operū exemplaria viderit, & inter ſe contulerit: nam quod VVitackerus Eraſmū præfert; mirum non facit. Similis, ſimili, iuxta vetus verbū. Sed ait: *Si lingua Syra Hebræam hoc loco ſignificaret, deberet primo loco numerari.*

Reſpondeo, non eſſe neceſſarium; quia licet Hebræa ſit prima, omniumque antiquiſsima, tamen in enumeratione trium præcipuarum linguarū ordo iſte antiquitatis & dignitatis neminem tam arctè obſtringit, vt ſi Græcam aut Latinam linguam prius nominet, ideo inexpiabile ſcelus admiſiſſe cenſeri queat.

Octauò producit VVitackerus teſtimonia ex Annalibus domeſticis, hoc eſt, Anglicanis. *In noſtris hiſtoriis legimus Scripturas fuiſſe in linguam Britannicam iuſſu regis Athelſtani ante annos 900. conuerſas. Et Ioannes Treuiſanus ſcribit Bedam noſtrum tranſtuliſſe Euangelium Ioannis in Anglicum. Lib. 5. c. 24. Et, Pſalmos eſſe tranſlatos iuſſu Aluredi. Lib. 6. c. 1. Et Beda ait lib. 1. c. 1. hiſtoriæ Anglicanæ; ſcripturas ſuo tempore in quinque linguis Britannicis lectas fuiſſe. Sic enim in illo loco habet:* Hæc inſula in præſenti, iuxta numerum librorū, quibus lex diuina ſcripta eſt, quinque gentium linguis vnam, eandemq; ſummæ veritatis, & veræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur, & cōfitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scotorū, Pictorum, & Latinorum; quæ meditatione ſcripturarum omnibus eſt facta communis.

Reſpōdeo, nullus ex his teſtatur intra primos quadringentos à Chriſti ortu annos, aliq; in Eccleſia exſtitiſſe vernaculā. Quapropter hic etiam vmbram ferit VVitackerus, nō Bellarminum. Et q̃ vetuſtus Auctor Treuiſanus? Necdum ſeſqui ſæculum eſt, cum ſcripſit ac floruit. Quod ad Bedam attinet, nego eius eſſe illum ſenſum, quem Caluiniſta comminiſcitur, nempe ſacras litteras quinq; iſtis linguis fuiſſe lectas; ſed lectas fuiſſe à quinq; linguarum hominibus, ab Anglis, Britonibus, Scotis, Pictis & Latinis; quamuis non niſi Latinè, q extrema verba manifeſtiſsimè declarāt, cum de Latina lingua dicit: *Quæ meditatione ſcripturarum omnibus eſt facta communis.* Quam ob rem facta eſt lingua Latina omnibus cōmunis? Propter lectionē & meditationem ſcripturarū? quia enim oēs illæ nationes, Angli, Britones, Picti, Scoti Latinè legebant ſacras litteras, ideo Latina lingua omnibus eſt facta communis.

Addo ad extremum, etiamſi nationes iſtæ habuiſſent Biblia ſuas in linguas conuerſa, necdum tamen negotium penitus confectum eſſet; Nam præterea probandum reſtaret, has vulgares verſiones in Eccleſiis cum res diuina perageretur, publicè fuiſſe lectas. Hoc quando tandem demonſtraret VVitackerus, etiamſi verum eſſet, quod ipſe Bedæ imponit?

Pergit deinceps Ieſuita, inqt VVitackerus, *& particulares Eccleſias, commemorat*; in quibus ſolius Hebrææ, Græcæ & Latinæ vſus viguerit. Ita eſt, ſed quare tu Eccleſias Orientis, Ponti, Cappadociæ, Aſiæ Minoris, Phrygiæ, Pamphyliæ, & AEgypti à Bellarmino enumeratas tranſilis, & ſtatim in Africam te recipis? An vſus tot tantarumq; Eccleſiarū nihil ad rem facit? Neſcio num ita ſentias; Ita certè palam ſentit Lutheranus Hunnius, qui argumentū Bellarmini à tot Eccleſiarum exemplo ne vno quidem teruntio dignū pronuntiat; Prædicans ne obolo quidem dignus. Imò addit;

ideo verbum Dei ab his Ecclesiis citò fuisse deperditum, quòd vernaculis versionibus carerẽt: & hoc tempore nihil magis auxisse verbum (Lutheranum & Caluinianum intellige) quàm Biblia in maternas linguas translata. Nõ negamus regnum Lutheri & Caluini egregiis incrementis harum versionum ministerio fuisse adauctũ; indeque natas omnes sectas, quotquot hoc æuo exstiterunt. Hoc si Hunnius in lucro deputat, deputet, per me licet. Ego quid damnum sit nescio, si hoc est lucrum.

Iunius solenni suo instituto, vellicat hinc inde quædam ex Bellarmini dictis; idq; inscitissimè. Ait Bellarminus, vniuersam Ecclesiam semper his tantùm linguis Hebræa, Græca, & Latina vsam in communi & publico scripturarum vsu, cum tamen iam dudum desierint esse vulgares. Respondet Iunius; *Hæc negantur simpliciter dicta.* Quid negas? Num has linguas desiisse esse vulgares? Quanquam cur quæro, quid neges? Ausim dicere, ne quidem teipsum nosse quid neges. Nam quid sibi volunt ista tua nugaméta? *Hebræa primùm, & Græca lingua, tanquam vulgata simul, atque authentica obtinuerunt in Ecclesia Dei; ac postea, licet in desuetudinẽ abeuntes in vulgo, authentica permanserunt: Latina verò, vt vulgata obtinuit diu, nunquam vt diuino modo authentica. Dispar est itaq; harum linguarum ratio. Nam illa semper vt authẽtica, canonis authentici, & sanctificata à Deo lingua habenda sunt: hæc tantisper, dum vulgata fuit, vsum quidem, at non auctoritatem obtinuit apud eos, quibus vulgaris exstitit.*

Quid nugaris de lingua authentica? Num Bellarminus hic de lingua authentica agit? Num negat, linguam Hebræam & Græcam esse authẽticam? Num ideo non sunt amplius istæ linguæ authenticæ, quia desierunt esse vulgares? Nũ hæc inseparabili nexu coniuncta existimas? Quodq; iam Latinam linguam authentica dignitate priuare niteris, facis, quòd hostem Latinæ linguæ decet; Latinam enim linguam, prout editione vulgata & veteri translatione continetur, authẽticam esse; docuit nos Ecclesia longè certior testis, quàm iste Caluinianus, qui contrarium asserit. Extra verò editionẽ vulgatam sic Latina lingua est authentica, sicut Græca & Hebræa; quia ipsa etiam titulo crucis Christi, vsuque & scriptione Apostolorum sanctificata est & consecrata. Quare falsum itidem est, quod ait; *linguã Latinam dum vulgaris fuit, vsum quidem, at nõ auctoritatem, obtinuisse apud illos, quibus vulgaris exstitit.* Imò verò eandem prorsus auctoritatem obtinuit, quam Græca, aut Hebræa; & iam etiam diuinitus accidit, vt Ecclesia nobis declararet veterem latinam editionẽ planè esse authenticam, & Spiritus sancti sententiæ consentaneam, quod attinet ad fidei & morum quæstiones. Quod necdum nobis per Ecclesiam indicatum est, de editione aliqua Græca vel Hebræa, prout hodie exstant. Qua de caussa etiam lingua Latina, prout continetur in
A veteri translatione, singularem quandam auctoritatem & prærogatiuam adepta est.

Obiicit Iunius: *Falsum esse q̃ Ecclesia in publico & cõmuni scripturarũ vsu tantũ vsurparit linguã Hebræam, Græcã & Latinã.* Nec tamẽ vllũ exemplũ vllius nationis ꝓfert, quo Bellarmini dictũ redarguat. At Christus mãdauit, vt oẽs gẽtes sua quæq; lingua instruerẽtur, & Christiana religione imbuerentur. Nemo negat, sed vt iã sæpius dictũ; aliud est, omniũ gentium linguis oẽs gentes docere, q̃ adhuc præstat Catholica Ecclesia; aliud, omnium gẽtium linguis doctrinã verbi Dei scribere, scriptamq; gentibus tradere. Primũ faciendum fuit & est, ex præcepto Christi. Alterũ, nequaquam.

Mentitur Iunius, cũ Bellarmino affingit, eum
B dicere, vniuersam Ecclesiã vsam esse lingua Latina. Non venit hoc vnq̃ Bellarmino in mentem. Aperi oculos, Caluinista, calumniandi cupiditate occlusos; nã Bellarminus ait, vniuersam Ecclesiam his tribus linguis Hebræa, Græca & Latina vsam: non quòd singulæ partes huius vniuersitatis omnibus tribus vsæ fuerint; sed quia omnes omnibus; & singulæ aliqua ex his tribus.

Mendaciis item annumeretur, q̃ ait Iunius, *ex sententia Augustini lib. 2. de doctr. Christ. cap. 10. & 11. authenticã propriam & per se intelligẽtiam sacræ scripturæ tantũ hauriri ex cognitione linguæ Hebrææ & Græcæ.* Nunquam hoc somniauit D. August. alioqui neque ipse authenticam, propriam & per se sacræ scripturæ, saltem antiquæ, notitiam habuisset;
C quia Hebræam linguam non tenebat.

Immane itidem mendacium est, cum dicit, Augustinũ de latina Bibliorũ editione nullum verbũ facere. Nam singulæ pagellæ librorum de doct. Christ. contrarium ostendũt. Et ipse apertè profitetur se linguæ Latinæ homines instruere velle, vt fructuosè in latinorũ Bibliorũ lectione versentur: quibus Græcã & Hebræam linguã nõ aliter affirmat esse necessariam, q̃ vt ad exemplaria præcedentia recurrere possint, si q̃ dubitationem attulerit Latinorũ Interpretum infinita varietas. Quomodo illa vocula, *Tantum* vi ac potestate contineatur in Augustini dictis; iam supra ostendimus. Illud item Iunij figmentum est, Augustinum in libris *de doctr. Christ.* non informare
D vulgus, sed eum, qui doctrinam sacram *vulgo expositurus est.* Proœmium libri, ipseq; totius operis decursus contrarium docet. Nam homines Latinæ linguæ, hoc est, qui Latinã linguam intelligebant, & Latinè scripturas legere cupiebãt, instruit in illo opere D. August. At non tantũ, qui plebem docebant, sed & maxima pars plebis eo tempore, Latinã linguam intelligebant, & vsurpabant; & iam quoq; plures, quàm doceant vulgusque instituant, Latinam linguam callent.

Quàm verò acutus est Iunius, cum ex quinto capite libri secũdi de doct. Christ. colligit, etiam D. Augustini ætate exstitisse vulgares, ac vernaculas translationes. Audiamus verba S. Augustini: *Ex quo factum est, vt etiam scriptura diuina, qua*

tantis

Digitized by Google

tantis morbis humanarum voluntatum subuenitur, ab vna lingua profecta: quæ opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longè, lateq; diffusa innotesceret gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetunt, quam cogitationes, voluntatemq; illorum, à quibus conscripta est, inuenire, & per illas, voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus.

Hic per varias Interpretum linguas intelligit Iunius *varias translationes* in linguas vulgares ac vernaculas. At S. August. nihil aliud intelligit, q̃ variorum interpretum ex Hebræo in Græcũ, & ex Græco in Latinum versiones. Nam vt Græcorum Interpretum non fuerit magna multitudo, Latinorum tamen tãta exstitit, vt eorum numerus non potuerit iniri; teste ipso D. Augustino. Dictum D. Augustini lib. 4. de Baptismo contra Donatist. *Quod in vniuersa Ecclesia seruatur, si nõ possit assignari eius initium, de Apostolica traditione descendere, & sic semper fuisse meritò credi*: limitat Iunius, *si scilicet sit legitimũ*, hoc est, *si ad Prædicantium stomachum faciat*. Nam si facit, ex Apostolica traditione descẽdit: si non facit, non descendit; sicut & hoc; sacras scripturas non alia lingua publicè in diuinis officiis legi, quã Hebræa, Græca, Latina. Etsi enim hoc ita in vniuersa Ecclesia obseruatum fuit, ac proinde ex Augustini regula ab Apostolis originem trahere censeri debeat; quia tamen Prædicantes aliter censent, regula D. Augustini vacillat; cuius infelicitatem est quòd deploremus, vtpote, qui à Prædicantibus non didicerit; aliquid in vniuersa Ecclesia obseruari posse; cuius initium nesciatur; & tamen sit illegitimum; diuinæque legi ac voluntati aduersum.

Iussus Iunius edicere, quando tandem vsus publicus solius linguæ Græcę & Latinæ in Italia, Germania, Gallia, Hispania, Græcia, vbicunque Catholici sunt, introductus fuerit; propemodũ obmutescit. Ne tamen planè mutus fiat, quærit, ꝙ ad propositum nihil facit. *Quid ergo? An his tantùm locis vniuersa Ecclesia definitur?* Minimè: neq; hoc affirmat Bellarminus: sed has prouincias nominauit ideò; vt si nequeat ostẽdi principium consuetudinis vtendi tãtum Latina & Græca lingua in sacris, idem postea iudicium fiat de reliquis aliarum nationum Ecclesiis.

Deinde cum Iunius caput & originem huius moris indicare non posset, hæc verba effutiuit: *Hoc vis iniusta efficit, ex quo eæ linguæ vulgares esse desierunt, aut certè cõmunes; eius autem tyrannidis principium ab iis, qui non sunt ἀνίστορες, ostendi potest.* At quia à te non ostenditur, non ægrè feres, si te inter ἀνίστορας numerem. Omitto dicere, Latinam linguam nũquam fuisse Germanis vulgarem; neq; iam quoque communem. Nam quando vnum reperies, qui Latinè norit, semper mille tibi opponam, quibus Latina lingua ignota est.

Ait Bellarminus: In Oriente, tempore beati Hieronymi in publico vsu tantum fuisse editionem Græcam 70. Interpretũ per Origenem, Lu-

A cianum, aut Hesychium emẽdatam. Et linguam Græcam non fuisse vulgarem à Constantinopoli vsque Antiochiam, multoque minus in Syria & AEgypto. *Multiplex error*, clamat Iunius: In tuis, opinor, verbis, non Bellarmini. *Primùm, hoc non de toto Oriente, sed de Oriente Imperij Romani iugum ferente, verum est: apud Parthos, seu Persas, & Orientales reliquos, in extimam Indiam, & Taprobanam vsque, ita fuisse quis credat?* Vnde probabit Iunius scripturas apud Parthos publico in vsu fuisse Parthicè, apud Persas Persicè: apud Indos, Indicè? Quis veterum hoc prodidit? Nimis nouellus est Iunius. Non credimus hoc asseueranti nisi cum assertione sua testimonia antiquitatis proferat. Et vide, quàm sit obliuiosus Iunius. Negat verum, quod dicit
B Bellarminus *de toto Oriente*. Et tamen paulò post citat & approbat illa diui Hieronymi verba, de Galatis, quos dicit, *excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur*, habere peculiarem quandam linguam. An non *omnis Oriens*, & *totus Oriens* synonyma sunt?

Secundò. Græcam tantum fuisse in vsu non dicit Hieronymus, nec putauit sibi fore tã liberales Interpretes, qui exclusiuam particulam sermoni suo adiicerent. Multò minus existimauit D. Hieronymus exorituros tales cauillatores, qui manifestissimis quibusq; rebus tenebras offundere studerent. Omnes enim syllabæ præfationis in librum Paralipomenon clamant, D. Hieronymum, *exclusiuam* illam particulam subintellexisse; & necessariò ex men-
C te diui Hieronymi addi debere: ita vt AEgyptij publicè tantum Hesychij; Palæstini tantum Origenis: Illi, qui inter Constantinopolim & Antiochiam interiacebant, tantùm Luciani editione vterentur, publicè, inquam, & in sacris. Et hac *trifaria varietate totum inter se orbem compugnare* ait. Quomodo *compugnabant*, si non quilibet, quos D. Hieronymus nominat, vna duntaxat editione vtebatur? Quomodo AEgyptij cum Palæstinis & hi cum aliis compugnabant; si AEgyptij æquè ac Palæstini, Origenis editionem vsurpabant; & Palæstini æquè Hesychij, ac AEgyptij, & isti æquè Luciani; ac habitatores à Constantinopoli vsque Antiochiam?

Tertiò inquit Iunius: *Non est consecutio hæc ne-*
D *cessaria: obtinuit in istis locis hæc, aut illa editio Græca; ergò in Ecclesia obtinuit apud vulgus. Nam fieri potest vt apud docentes, & doctos obtinuerit: in vulgo autem, & in publico Ecclesiæ ibi obtinuerit demum, vbi capax fuit Ecclesia illius linguæ.*

Quocunq; se vertat Iunius, nunq̃ huic consecutioni vim & robur adimet. Quia nullus prorsus est antiquus scriptor, qui in Oriente vllã vernaculam linguam in vsu publico scripturarum vsitatam fuisse dicat: signũ igitur infallibile est; solam Græcam in publico Ecclesiæ vsu fuisse receptam, tempore D. Hieronymi. Nam si Hæretici nos falsitatis conuincere volunt; proferant antiqui alicuius scriptoris testimonium, qui asserat, aliam quàm Græcam Hebræámue fuisse Orienti

vsitatam, ætate D. Hieronymi; Nam quidquid sine huiusmodi testimonio agunt; frustra agunt; & non tam disputatores, quàm blaterones agũt.

Præterea, veritatem historiæ nõ sapit, inquit Iunius, *quod Græcam linguam inde à Constantinopoli vulgarem fuisse negat. An ergo nescit Bellarminus, in minore Asia trans Constantinopolim, & Pontum fuisse Panionium, & linguam Ionicam, & Æolicam in Asia minore tota secundùm mare mediterraneum ad Euphratem vsq; fermè fuisse vulgarem; versus Pontum verò communem, licet nõ vulgarem exstitisse?*

Quidqd tricetur Caluinista, id ꝙ Bellarminus asserit, verum est ac certum: licet enim Græci per Colonias in Asiam & Orientem traductas linguã suam longè lateq; propagassent; exploratum tamen habetur, indigenis veris & antiqs non Græcam, sed aliam aliasue linguas vulgares fuisse: neque enim oẽs in Oriente Græcam linguã intelligebant: sicut ergo Græca linguã non est facta Italiæ vulgaris ac vernacula, licet Græci olim magnam partem Calabriæ insedissent; & in ea sedes fixissent, ita & Orienti non propterea lingua Græca facta est vulgaris & vernacula; ꝙ Græci multa inibi loca occupassent, & suam quoque linguam induxissent: nam vt lingua appelletur vulgaris, oportet, vt à toto vulgo ꝓuinciæ illius intelligatur; quod qui de Græca respectu Orientalium affirmat, is nescit, quid dicat. Ait Iunius: *satis esse, quod lingua Græca fuerit communis in Oriente.* At Hæreticus non videt se suis suorumq; placitis parum consentaneè loqui. Ipsi enim contendunt, Biblia legenda esse lingua vulgari, materna, vernacula, quæ à quouis, etiam ex infimo vulgo intelligatur: hoc non est factum in Oriente; quia licet Græca lingua communis esset, vt eam nominat Iunius, non erat tamen vulgaris, materna, vernacula, nec ab omnibus intelligebatur: & multò minus in AEgypto lingua Græca vulgaris erat, vt rectè ostendit Bellarminus. *At erat communis,* inquit Iunius. Hoc non sufficit, si isti sibi constare velint; quia vulgus AEgyptium non intelligebat Græcam linguam. Debet autẽ scriptura tradi lingua vernacula & vulgari, vt isti cõtendunt. Secundò, Græca lingua in AEgypto & Syria non magis fuit communis, quàm Italica iam fit in Germania. Num propterea lingua hodierna Italica communis dicitur in Germania, quia passim reperiuntur in Germania, qui linguam Italicam norint? Verùm, esto, *fuerit Græca communis Orienti,* vt vult Iunius; at non fuit vulgaris. Vulgari autem lingua sacræ litteræ omnibus, ipsique adeo vulgo proponendæ sunt ex sententia Nouatorum, non igitur rectè factum, quòd vulgo in Oriente scriptura Græcè est proposita, non vernaculè seu vulgariter.

Traiiciamus cum VVitackero in Africam; qui dicit: *An fuerit aliqua scripturarũ versio Punica, incertũ est. Non fuisse quomodo aduersarius probabit vel ex Augustino, vel ex cuiusquã alterius testimonio?* Et quomodo tu ꝓbabis fuisse vel ex Augustino, vel ex cuiusq̃
A alterius testimonio? Vbi huius rei vllũ vel obscurissimũ in tota antiquitatis memoria vestigium? quanquam nil opus petere ab Hæretico huiusmodi versionis aliquod vestigium; quia palam fatetur, nulla huius rei monumenta nunc exstare. Qua ergo temeritate absque vllo antiquitatis monumento affirmas, fuisse id, quod fuisse non nisi ex antiquorũ monumentis constare potest? Nam quod addis, *etiam olim scripturas in vestrã, hoc est, Britannicam linguam fuisse translatas, quarum tamẽ versionum vix vlla nunc vestigia appareant:* id nihil est; nam vt ipsæ versiones non exstent, exstant tamen testimonia Annalium, quibus huiusmodi versiones exstitisse testatum redditur, quæ tu ipse supra protulisti; tametsi ex Beda perperam. At
B quis vnquam mortalium, vsque ad hãc nostram adeo Biblicam & Scripturariam ætatem vnquã dixit aut scripsit, exstitisse aliquando Punicam versionem Bibliorum?

Erant, inquit, *pij Episcopi in omnibus illis Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ partibus, qui de populi sui salute solicitè cogitabant. In his, nullum esse inuentum, qui pro suis Pœnis faceret, quod fecisse pro Dalmatis suis Hieronymum legimus, vt scripturas in linguam popularem verteret, incredibile videtur.*

Principiò, vbi legimus, S. Hieronymum Biblia in Dalmaticã linguã transtulisse? Monstra, obsecro, locũ in D. Hieronymo, vel alio quopiã ex veterũ numero. Secũdò, Antistites Punici etiã sine vulgaribus Bibliis salutẽ gregis sibi cõmissi satis
C superq; ꝓcurare poterãt. Neq; enim lectio Bibliorũ lingua vulgari vulgo est necessariũ pabulũ; neq; vnq̃ pro necessario habita est, nisi in stabulis hæreticorum; qui hac mellita esca oues à vero pastore & ouili auertunt. Quomodo credibile est D. Augustinum in libris de doct. Christ. & in tot Homiliis ad populum, totque tractatibus super Euangelica & Apostolica scripta, nunquam facturum fuisse mentionem Punicæ versionis, si quæ olim vnquam vel fando audita fuisset?

Addit VVitackerus: *In locis celebrioribus Afros fuisse locutos Latinè;* idque multis D. Augustini testimoniis probat. Quid hac probatione opus, cum nemo nesciat, D. Augustinũ ad Pœnos Latinè non Punicè verba fecisse; & Afros Latinè lo-
D cutos esse? sed negamus Afris latinam linguam fuisse vulgarem, & ab omnibus intellectam; sicut solet intelligi lingua vulgaris; nam D. Augustinus in expositione inchoata epistolæ ad Romanos apertissimè testatur; quosdam Latinè & Punicè; & quosdam Punicè tantum sciuisse, & tales fuisse fermè omnes rusticos. Cur hoc à Bellarmino prolatum testimonium non attigit VVitackerus? Nec obstat, quod D. Augustinus serm. 24. de Verbis Apostoli ait, *se prouerbium quoddam Punicum Latinè dicere velle, eò quod non omnes nouerint Punicè.* Ex quo sequi videtur, linguam Latinam fuisse vulgatiorem, quàm Punicam. Hoc enim dixit non propter Pœnos, quibus vtique materna lingua nota erat; sed propter aduenas & pe-

regrinos; quorum semper in Africa magna frequẽtia. Sicut si iam quispiam in Germania concionans Latinè apud studiosos variarum nationum diceret. Prouerbium *Germanicum est, sed dicam Latinè; quia non omnes norunt Germanicè*; is profectò non significaret aliquos Germanos non nosse linguam patriam; sed hoc diceret, propter nõ Germanos, seu exterarum nationũ homines.

In Ecclesiis Hispanicis, Gallicis, Anglicis, Germanicis, Italicis fatetur VVitackerus scripturas fuisse Latinè lectas; sed ait, *à vulgo intellectas.* Num ab vniuerso vulgo? Vix impudentia hoc affirmet; quis enim vnquam somniauit Germanicum vulgus aliquando Latinam linguam intellexisse? In Africa communior erat Latina lingua, quàm in Germania; & tamen non omnes Afri intelligebant Latinam linguam, vt iam ex S. Augustino diximus. Deinde quidquid sit de hoc; Latina lingua Germanis, Hispanis, Anglis, Gallis non fuit vulgaris ac vernacula; Latinè igitur habendo & lectitando scripturas, non habuerunt aut lectitarunt scripturas vernaculè & vulgariter; nam quod VVitackerus suspicatur, nationes istas semper habuisse vernaculas scripturæ versiones, id inanis est suspicio, nullo fundamento subnixa; in solo VVitackeri & similium malè feriatorum cerebro nata.

Mendacium est, quod Iunius scribit: *Carolum Magnũ desinente vsu Latinæ linguæ in Galliis curasse scripturas linguis vernaculis reddi.* Quo auctore hoc scribit Iunius? Quo teste? Nam quod semper & pro auctore, & pro teste seipsum nobis ingerit; frustrà est, si nos adquieturos sperat. Qui ad probationes Bellarmini nihil aliud reponit; *quàm populum semper etiam habuisse vernaculas scripturæ versiones;* nec tamen hoc vllo testimonio confirmat: Item; *quod Latinæ linguæ vsus in publico scripturarum & communi vsu retentus sit; etiam postquam vulgo Latina lingua cessauit, id euenisse Tyrannide Romanorum Pontificum, ex quibus* Gregorium VII. *immanissimi hominis* elogio, honoris caussa condecorat: nec hoc libidini calumniandi, qua ardet, sibi satisfecisse visus est; plura & atrociora conuicia in eundem optimum & præstantissimum Põtificem euomit; dum eum, *turpissimum satanæ mancipium, & Christiani orbis incendiarium flagitiosissimum, res Ecclesiæ furenter agẽtem*; ore maledico & execrando appellitat. Et quidquam solidi responsi ad doctissimas Bellarmini probationes ab hoc criminatore exspectes? qui, vt & alibi, passim, in scenam venit: cum illo suo: *Negamus; negatur. Inconsequẽs. Ignoratio elenchi. Ex auctoritate negatiuè infert, & ab exemplo corrupti sæculi. Illudit disputator ignoratione elenchi. Fallit à dicto secundum Quid.* Quibus dictis, tanquam oraculis, fidem haberi vult; quæ vt fidem inueniant apud Caluinistas, qui has inani logias ex tripode profectas arbitrantur; apud nos certè non fidem, sed risum inueniunt.

Quartum Bellarmini argumentum à ratione petitũ. Conuenit enim ad Ecclesiæ vnitatem

A conseruandam, vt publicus vsus scripturarum sit in aliqua lingua communissima, talis est Latina, & olim Græca; Respondet VVitackerus, *in hoc argumento omnia esse infirma. Nullam enim nunc ferè minus esse communem linguam, quàm Latinam, cum nulli nunc Latinè sciant, nisi qui à magistro didicerunt.* Sed VVitackerus animaduertere debebat; linguam *communem* seu *communissimam* vocari hoc loco illam; cuius cognitio per Christianas prouincias plerasque diffunditur; siue id fiat primo ab ortu; siue studio & industria. At certum est Latinam linguam per Occidentem; imo & per Orientem; per vtrasq; Indias; per Brasiliam & Iaponiam latè diffundi; & plurimis notam esse: ita vt quocunq; quis veniat, semper aliquos Latinæ linguæ gnaros
B inueniat. Quid autem est linguam aliquam esse *communissimam*; quàm longe lateq; per varias nationes diffusam esse? Quàm latè profectò diffusa non est Germanica, Belgica, aut Anglica, aut similis vernacula lingua. Quotusquisque enim est in Hispania ex Hispanis, in Italia ex Italis; in Anglia ex Anglis, qui nouerit linguam Germanicam; aut ex Germanis, qui nouerit linguam Anglicam, aut Hispanicam, aut Belgicam?

Secundò argumentatur VVitackerus contra Bellarminum hũc in modum: *Si ea ratio fuit, quam fuisse ipse Bellarminus fatetur, quare Apostoli initiò omnia ferè Græcè scripserint: quia tunc ea lingua omnium fuit communissima, & deinceps scripturæ translatæ fuerunt Latinè: quia pòst Latina cœpit esse communior: sequitur,*
C *nunc quoque scripturas oportere in alias linguas conuerti, quæ & Latinâ, & Græcâ nunc communiores sunt. Tales sunt Dalmatica, Italica, Gallica, Germanica, Polonica. Sunt enim hæ magnarum gentium linguæ maternæ: Latina verò nunc nullius gentis materna lingua est, &c.*

Respondeo hoc non sequi. Ad probationem nego vllam ex nominatis linguis esse in occidẽte communiorem, quam sit lingua Latina. Licet enim singulæ sint magnarum gentium linguæ; nullius tamen vsus tam latè patet, quam vsus linguæ Latinæ, quæ, vt notũ, singulas nationes, quas VVitackerus nominauit; peruadit. Quis, obsecro, vsus vel locus Polonicæ in Germania: aut Germanicæ in Polonia; aut Gallicæ in Hispania;
D vel Hispanicæ in Gallia aut Germania? At in singulis his nationibus vix celebriorẽ quempiam pagum inuenies, in quo non simul aliquem vel aliquos Latinæ linguæ scientes & intelligentes inuenias: nam quod hodie nulli genti est materna, id *communitatem* & amplitudinem eius non impedit, sed potius iuuat & promouet; quia non circumscribi certis limitibus, diffusionis vtique, & vt sic dicam generalitatis argumentum est.

Tertiò ait VVitackerus; *vnitatem, & concordiam Ecclesiæ conseruari posse, licet scripturæ legantur vernaculè. Nam olim cũ scripturæ Hebraicæ Hebræis, Græcè Græcis, & Latinè Latinis legerentur; tamen fuit summa societas Christianorum, & coniunctio Ecclesiæ; nec aliquid impediit, quo minus Concilia generalia haberentur.*

Respondeo, tres illas principales linguas non distrahere Christianorũ vnitatẽ & concordiam; quandoquidem omnibus Christianis notũ est, has linguas in Cruce Redemptoris fuisse dedicatas, & cælesti doctrinæ litteris mandãdæ destinatas; neq; tres linguæ tantã diuersitatẽ efficiũt, quantã innumerabiles vernaculæ. Neq; vnquam vllũ concilium celebratũ est Hebraicè; nisi fortè primũ illud Hierosolymitanũ; quanq̃ credibile est Apostolos tunc non vsos Hebræa veteri; sed noua, hoc est, Syriaca, Hebræis tunc vernacula. Reliqua aut Græcè aut Latinè celebrata sunt, & vel à solis Græcis, vel solis Latinis; & si qui Latini Græcis; aut Græci Latinis interfuerunt, ij aut vtriusq; linguæ periti fuerunt; aut facilè per Interpretes sese mutuò intelligere potuerũt. Quanta confusio nasceretur, si diuersarũ regionum Doctores & Episcopi ad synodum conuenirent, nec Hispanus cũ Germano; nec iste cũ Italo; neq; hic cũ Polono; neq; iste cũ Anglo; neq; alij cum aliis sua sensa communicare possent? Quæ turbæ orirentur, si singuli Biblia suæ nationis citarent, vrgerent, & tanq̃ authentica reliquis præferrent; & Spiritus sancti sententiæ conformiora esse contenderent? Quod eueniret, nisi in aliqua communi lingua conuenirent.

Ex his habet quoque Hunnius responsum ad suas nugas; q fatetur, *in Conciliis, quia litterati conueniũt, vsui esse posse Codicem Bibliorũ in ea lingua, quam omnes intelligunt:* Omnino talis Codex non modò potest esse vsui, sed & planè necessarius est; Et tamen hoc subsidio ad veritatẽ indagandam tam necessario carebit Ecclesia, si sacra scriptura per infinitas vernaculas linguas sit distracta; neque vnâ omnibus communi comprehensa.

Iunius statuit duas linguas cõmunes simpliciter: *Nam lingua*, inquit, *cõmunis, variè dicitur. Communes authenticæ duæ sunt, Hebræa, & Græca, in quibus fontes habentur authentici. Communes verò simpliciter dicuntur duobus modis. Nam lingua communis habenda est primùm Ecclesiarum inter ipsas, id est, literatorum in Ecclesiis; atq; hæc sanè apud nos Latina esto. Secunda, vernacula Ecclesiæ vnius cuiusque; quæ inter Ecclesias vnius gentis, & tractus ὁμογλώσσου, interquè membra ipsarum communis est; vt Germana Germanis, Itala, Italis, &c. Hæc autem, dum Bellarminus confundit, fucum facit.*

Hæc cũ Iunius scribit, egregium impostorem agit. Nam lingua simpliciter communis non est illa, quæ vni duntaxat nationi communis est, sed quæ per plures gẽtes propagata vsurpatur. Quis enim linguã Germanicã, aut Polonicã vocat *communẽ* in occidente, licet amplissimæ nationi vsitata sit? At est communis Germanis aut Polonis. Nũ propterea toti Occidenti? An nemo in Occidẽte præter Germanos & Polonos? Bellarminus non loquitur de lingua, quæ vni genti sit cõmunis; quæ tantũ est communis *secundum quid*, sed de vna communi in Occidente; qualis nulla est, nisi Latina; & ex parte etiam Græca.

Quintũ Bellarmini argumentũ. Populus non A intellegeret Prophetas, Psalmos, & alia, licet vernaculè in Ecclesia loquerẽtur; qa omnia magnis difficultatibus inuoluta densisq; obscuritatibus implicata sunt. Addit Bellarminus, plebeios sæpe loco emolumenti potius detrimentũ ex scriptura vernacula capturos; quod pluribus exemplis planum facit.

Respõdet VVitackerus primò: *Hinc sequi, ne doctos quidẽ scripturas legere debere; quia ipsis æquè obscuræ sunt, ac difficiles.* Hoc nõ sequitur: quia docti maius lumen habent in his obscuritatibus euoluendis, & difficultatibus enodãdis. Deinde, exercitatiorem intellectũ habent in singulis conferendis & expendẽdis. Tertiò cautius & circumspectius id agunt; neq; iudicium præcipitant, sicut solent ru- B des & imperiti. Quartò, si verè docti sunt, iudiciũ & sententiã suã libenter submittunt ac subiiciũt iudicio ac sentẽtiæ Ecclesiæ; patrumq; dictis; nec tam noua quærere & inuenire student; q̃ proba maioribusq; probata: quo quasi retinaculo intra veritatis limites retinentur; ne exorbitent: quæ omnia leue & instabile vulgus vix præstat; præsertim, vbi ex Prædicãtibus intelligit, verbũ Dei esse *lucidissimũ*; cuius legitima intelligentia ab Ecclesia & ab Ecclesiasticæ traditionis Canone non sit petẽda; sed ab *vnctione spiritus*, qua omnes Christiani affatim delibuti sint.

Ait VVitackerus: *Omnia ad salutẽ necessaria apertè in scripturis tradita esse, vt à quouis intelligi, si velit, facilè possint.* Respõdeo, licet id ita esset; quis tamen C nescit, etiam clarissima ab improbis obscurari tenebrisq; inuolui, & penitus negari posse? Quid clarius in scriptura noui testamenti, q̃ diuinitas Christi & Spiritus sancti? An non est hæc lux Arianis & Seruetianis caligo? Quid clarius his verbis: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus?* Quantas pepererunt, & etiamnum pariunt disceptationes & controuersias? vt taceam, omnia, quæ in scriptura comprehenduntur, licet sint difficillima, ita à quouis credi debere; vt si circa ea actum velit elicere; eum oporteat esse actum assensionis, nõ dissensionis; Debet enim credere illud, quod hoc illóue loco à scriptura traditur, verum esse, quamuis id ipse nõ intelligat; neq; etiam videat; quomodo cum alio quopiam eiusdẽ scripturæ D loco, propter apparẽtem contradictionem, concinat. Quod imperitæ multitudini difficile præstitu accidit, propter insitam leuitatem & temeritatem; qua contingit; vt pleriq; falsum non metiantur nisi suo captu; idque falsum arbitrentur, quod ipsi non capiunt, & ideo præcisè; quia non capiunt.

Respondet præterea VVitackerus: *Vulgus, licet non omnia vernaculè lecta intelligat, intelligere tamen quædam; siq; minus sententiam assequatur, intelligere saltem verba; quando in lingua materna recitantur; atq; hoc magnopere ad sensum assequendum conducere.* Verùm hæc vtilitas tanti non est pendenda, quanti faciendum periculum; ne hoc ipso, quòd verba tantum capiunt; res verbis subiectas perperam con-

cipiant

cipiant & apprehendant; aut intelligentiam verborum existiment esse intelligentiam rerũ; præsertim cum is mos vigeat apud imperitos, vt cum verba intelligunt, rem quoque ipsam sese ad vnguem intelligere opinentur; nam quòd VVitackerus adducit exemplum Eunuchi illius Act. 8. Isaiam legentis, neque tamen omnia intelligentis, id nihil est: quia Eunuchus non legebat Isaiam, vt facilem & luce clariorem; sed vt intellectu arduum, & interpretis indigum: suamque tenuitatem in intelligendo non modo agnoscebat, sed & palam fatebatur. At isti nostri, quamuis bardi, legunt & audiunt scripturas, tanquam Magistri ac doctores; & iudices; neque vllius interpretis egentes; aut si quando Interpretem desiderant; non desiderant Philippum Euangelistam, qui scripturæ arcana verè recludat, sed aliquem Philippum Melanchthonem, qui prioribus tenebris alias adhuc crassiores superinducat.

Verissimum esse; quod Bellarminus ait; ex vernaculis Bibliorum versionibus & lectionibus magnos errores atque adeo hæreses existere; quando incondita plebs illotis manibus pedibusque in hoc sacrarium Dei irrumpit; id exempla veterum & recentium Nouatorum apertè testantur. Non repetam vetustissima; contentus iis; quæ post millesimum Christi annum euenerunt: Videmus enim eos; qui hæreses proseminare studebant, in id è vestigio incubuisse; vt scripturam populo vernaculè obtruderent; perpetimque monerent; *Verbum Dei sedulò legendum, dies noctesq. terendum ac versandum; in eo enim spem salutemq. nostram consistere, nec tam considerandum, quid maiores nostri dixerint aut senserint; quàm quid verbum Dei dicat & sentiat*: neque veram eius intelligentiam ab Ecclesia & Ecclesiæ Doctoribus, sed ex ipso Dei verbo peti debere: Quibus incircumspectæ plebeculæ instillatis derepente, velut agmine facto, variarum hæreseon & absurdissimarum opinionum monstra in orbem terrarum irruperunt; & velut locustæ illæ Apocalypticæ ex Orco emergentes; terram cum sempiterno plurimorum exitio operuerunt.

Nec ignotum id fuit hæresiarchis, & peregrinarum opinionum architectis. Hinc VValdo seu VValdus VValdensium seu *pauperum de Lugduno* parens, ciuis Lugdunensis, idiota planè indoctus; hoc ipsum sectæ suæ propagandę medium sub ipsa primordia statim adhibendum existimauit. De quo hæc Illyricus in Catalogo testium *Veritatis* ex Codice ante trecentos annos scripto; cuius Auctorem fuisse putat Reinerium; qui caussas Hæreseos VValdensium enumerans, etiam hanc commemorat: *Quia nouum testamentum & vetus vulgariter transtulerunt, & sic docent & discunt. Et quia sunt Laici idiotæ falsè, & corruptè exponunt scripturam*: vt Ioan. 1. exemplum: *sui*, id est, *porci, eum non receperunt. Sui*, dicentes, id est, *sues*. Et in Psalmo; *Increpa feras arundinis*: Die Schwal-
A ben/ *arundinis* pro *hirundinis*. Psalmis etiam interponunt titulos: Der Weidepsalm. *Exsurgat Deus*, Der Raachpsalm. De profundis, der Roßpsalm. & sic de cæteris.

Quis fructus inde secutus? Multiplex. I. Hæreseos istius varia multiplicatio & propagatio. *In omnibus sunt ciuitatibus Lombardiæ*, inquit ille idẽ Auctor, ab Illyrico primùm citatus, postea Bohemicis Historiis à Frehero Caluiniano insertus: *Et in prouincia, & in aliis regnis, & terris, plures auditores habebant, & in publico disputabant, & populum vocabant ad stationes solennes in foro, & in campo, & prædicabant in tectis. Non erat, qui eos impedire auderet, propter potentiam, & multitudinem fautorum suorum.*

B II. Incredibile discendi & docendi (sed tamen nunquam ad scientiam & doctrinam perueniendi) omnium, etiam muliercularum studium. *Omnes viri & mulieres*, inquit ille Auctor, *parui, & magni, nocte & die, non cessant discere, & docere. Operarius enim in die laborando, nocte discit, & docet: ideo parum orant propter studium. Docent etiam & discipuli sine libris. Docent etiam in domibus leprosorum, &c. Item discipulus septem dierum alium quærit, quem doceat, vt cortina cortinam trahat. Qui excusat se, quod non possit discere, dicunt ei; disce quotidie vnum verbum, & post annum scies dicta; & sic proficies.*

III. Maximus contemptus aliorum omnium, præsertim clericorum. *Cum in vnum conueniunt, primùm dicunt: Cauete, ne inter nos sit curuum li-*
C *gnum: id est, ne aliquis extraneus adsit: & suam doctrinam præcipiunt occultari Clericis: sicut quidam loquuntur per signa, quæ nullus intelligit, nisi ipsi: sic & ipsi verba transformant. Ecclesiam vocant*, Steinhauß, vel, Strohauß; *Clericos, scribas: religiosos, Pharisæos: & sic de multis aliis directè non respondent.*

IV. Ingens desiderium exterminandi vniuersos Clericos ac religiosos. *Audiui ab ore hæreticorum*, inquit Auctor iam sæpe nominatus, *quod intendebant Clericos, & claustrales redigere ad statum fossorum, per ablationem decimarum, & possessionum, & per potentiam, & multitudinem credentium eorum fautorum. Cum quidam hæresiarcha hæreticus chirothecarius in Cheron duceretur ad mortem, dixit coram omnibus: Meritò nos damnatis modò; quia si status noster non*
D *esset imminoratus; potestatem mortis, quam exercetis contra nos, modò exercuissemus contra Clericos, & religiosos.*

V. Repulsio omnium, quæ ex scriptura noui testamenti non probarentur. *Quidquid Ecclesiæ Doctor docet*, inquit ille, *quod per textum noui testamenti non probat, hoc pro fabulis totum habent.*

VI. Conuicia innumerabilia in Ecclesiam Romanam: præter cætera: *Ecclesiam Romanam, non esse Ecclesiam* IESV, *sed Ecclesiam malignantium, & meretricẽ, quæ sedet super bestiã in Apocalypsi*, &c. Omitto alia, quæ quiuis apud citatum Auctorẽ legere potest, insignia profecto documenta & argumenta, quid emolumẽti ex vulgaribus versionibus imperito popello indiscriminatim obiectis, enasci

Digitized by Google

ſoleat. Nati ſunt autem VValdenſes circa Annum Domini 1160. vt dicit Prateolus in Catalogo: & Alphonſus à Caſtro V. *Baptiſmus* ex Guidone.

Cum tempore Innocentij III. Metis, & in diœceſi Metenſi impoſtores quidam exorti fuiſſent, nihil prius habuerunt, quàm vt ſeductis, & ſeducendis Biblia in Gallicum conuerſa proponerent. *Significauit nobis venerabilis frater noſter Metenſis Epiſcopus, per litteras ſuas*, inquit Innocentius Pontifex lib. 2. epiſt. fol. 468. edit Colonienſ. *quòd tam in diœceſi, quàm in vrbe Metenſi, Laicorum, & mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo deſiderio ſcripturarum, Euangelia, Epiſtolas Pauli, Pſalteria, moralia Iob. & plures alios libros ſibi fecit in Gallico ſermone transferri.*

Quid ex huiuſmodi tranſlatione, & inordinata eius lectione ſecutum eſt? I. Occulta conuenticula. II. Ingens inſolentia & audacia, etiam in mulierum animis. III. Omnium aliorum contemptus; præſertim ſacerdotum & qui in clero numerabantur. IV. Impatientia omnis reprehenſionis & inſtructionis. V. Incredibilis ſuperbia & philautia. hoc eſt, ſui ipſius amor & admiratio. Docet hæc omnia loco citato Innocentius. *Tranſlationi huiuſmodi* (Bibliorum in Gallicam linguam) *adeò libenter, vtinam autem & prudenter, intendunt, vt ſecretis conuentionibus talia inter ſe Laici, & mulieres eructare præſumant, & ſibi inuicem prædicare: qui etiam aſpernantur eorum conſortium, qui ſe ſimilibus non immiſcent, & à ſe reputant alienos: qui aures, & animos talibus non apponunt. Quos cum aliqui Parochialium ſacerdotum ſuper his corripere voluiſſent, ipſi eis in faciem reſtiterunt: conantes rationes inducere de ſcripturis. quod ab his non deberent aliquatenus prohiberi. Quidam etiam ex eis ſimplicitatem ſacerdotum ſuorum faſtidiunt; & cum ipſis per eos verbum ſalutis proponitur, ſe melius habere in libellis ſuis, & prudentius ſe poſſe id eloqui, ſubmurmurant in occulto.*

Poſtea exſtitit VViclephus; qui & ipſe, Dæmonis impulſu, piſcari volens, aptiorem naſſam non reperit, quam Biblia in Anglicanam linguã conuerſa; populoque ad liberam lectionem, liberamque diiudicationem propoſita. Nam & ipſe Huſſus in quadam ſua Replica, quæ exſtat Tom. 1. operum Huſsi, teſtatur VViclephum, Biblia in Anglicanum ſermonem tranſtuliſſe. Qui fructus inde enati ſunt? Iidem, qui apud VValdenſes, & Metenſes illos, nominatim iſte: libera non tantum quibuſuis Laicis, ſed & mulieribus Prædicandi cõceſſa poteſtas; teſte Thoma VValdenſi lib. 2. doctr. fidei cap. 70. *In tantum autem per Angliam*, inquit VValdenſis. *hæc hæreſis viguit, vt etiam auſæ ſint in pleriſq. maioribus eiuſdem regni Conciliis ſine rubore ius ſibi vendicare, & poſcere, liberè prædicandi: & adhuc inſtat annus, intra quem Bohemi inuaſores hæretici id eis in libellis tranſmiſſis ad regna, quaſi publicam, & dignam expoſtulauerunt iniuriam: hoc forſan ſibi inſtantius ambiunt. quia quorundam hæreticorum Valdenſium circa hanc rem practicam aduerterunt.*

A Ipſimet ergo hæretici Bohemi hanc tantam indignitatem & mulierum petulantiam indignè ferebant; ſed tuebantur ſe doctrina ſui Magiſtri VViclephi, & exemplo VValdenſium; quanquã in Bohemia mulieres Huſsiticæ vix vno pilo meliores & modeſtiores fuêre, quàm in Anglia Anglicanæ; de quibus idem VValdenſis cap. 73. *Hæreſis iſta, ita conualuit, vt in ciuitate Londinenſi fœminæ ſuper ſellas eleuatas congregationi virorum ſtultiſſimæ publicè legerent, & docerent ſcripturas: quas ipſi nimirum aliis tradiderunt, quia, quod licet fragili vaſculo mulieri, ſi viris licere non poſſet, agere poſſit iniuriarum.* En à mulieribus publicè prædicantibus acceperunt viri; quæ ipſi porrò aliis traderent.

Nec aliter actum ab Huſſo & Huſsitis in Bo-
B hemia. Audi Cochlæum lib. 1. hiſt. Huſsiticæ. *Inſtituit pelliſices, ſutores, & ſartores, & id genus alios mechanicos, qui crebris concionibus operam dantes, & ſacras litteras in vernaculam linguam tranſlatas feruidè legentes, cum ſacerdotibus coram plebe diſputarent. Et non ſolùm viri, ſed & Beguttæ, aliæq; mulieres, eò audaciæ, & inuerecundiæ proruperunt, vt de ſacris litteris diſſerere, & presbyteris certamina mouere præſumerent: quin etiam libros componerent, de quarum vna ſic habetur in antiquo cuiuſdam Boëmi (cuius nomen non habetur expreſſum) volumine. Hæc enim mulier Iezabel, magna comminatione in ſeruos* DEI *deſæuiens ludens, & illudens ſanctis ſcripturis, non ſanctam Eccleſiam, ſed ſuam propriam ſectam attollens, ſic mentitur, & dicit: Quod in omni ſtatu. ſpecialiter in ſpirituali, nec vnus quidem, excluſis*
C *Huſsitis, inueniri poteſt; qui vitam ſuam ſpiritualiter, & honeſte agere, Verbum* DEI *in ſpiritu ſancto prædicare poſſet. Et, vt pro ſe & ſuis duntaxat vitæ ſanctitatem, & prædicationis veritatem reſeruet, cæteris excluſis, tanquam reprobatis, & reprobis, materiam ſuæ præſumptionis continuat, &c. Cuius tractatus ſumma deuotione ſuæ ſectæ ſexus promiſcui ſuſceptus eſt, legitur, & pro magni muneris tenetur reuerentia, quod & mulier ad gloriam ſcripturarum mira ſubtilitatis ingenio, Magiſtri Huß, & ſuorum ſequacium nouerit defendere veritatem, ſeu potius ventoſam vanitatem, &c.*

Idem Cochlæus lib. 4. Hiſt. Huſsiticæ. *Tantum verò erat inter Hußitas de laudibus ſui Magiſtri certamen, vt non ſolùm presbyteri crebris eum concionibus laudauerint in publico, ſed etiam Laici, & idiotæ, vt pelliſices,*
D *ſartores, ſutores. & alij vulgares (vti ſcribit quidam Bohemus) Mechanici, atq. etiam Beguttæ illius ſectæ, certamina ſacerdotibus partis Romanæ iniecerint. Sed & mulier quadam librum in defenſionem eius edidit. Cuius ſanè libri proœmium in hæc Verba, (quemadmodum refert quidam minimè ſpernendus Theologus Bohemus) incipit, ex Bohemico in Latinum tranſlatum: Iſtud ſcriptum, & digeſtum mitto vobis, quod antea miſeram ad quoddam monaſterium: ſed mittens vobis, aliquid adſcripſi, & appoſui de Antichriſtis, qui ſeſe oppoſuerunt parti noſtræ, & maximè Magiſtro. Et nota* (inquit) *hoc, quod dicit Magiſtro. Per quam prolationem ex omnibus Doctoribus non intelligunt alium, niſi Magiſtrum ſuum Huß.*

In horum hæreticorum veſtigiis ſua quoque veſtigia ponere voluit Lutherus; nam vt fabulæ,

quas fecerat, & ex cerebro suo procuderat, populo placerent; Biblia in vernaculam linguam transtulit; & omnibus liberrimè non tanquam discipulis, sed tanquam magistris lectitanda obiecit; absque vllo antiquitatis & Ecclesiasticæ traditionis respectu.

Fructus huius versionis & lectionis his verbis nobis indicat Cochlæus in Historia de vita & Actis Lutheri, Anno 1522. Etsi ipse ibi de solo testamento nouo agat; nam postea vertit vel potius peruertit Lutherus testamentum quoque vetus. *Mirum in modum multiplicabatur per Chalcographos nouum testamentum Lutheri, vt etiam sutores, & mulieres, & quilibet idiotæ, qui Teuthonicas litteras vtcunque didicerant, nouum illud testamentum, tanquam fontem omnis veritatis, auidissimè legerent, quicunque Lutherani erant: illudque sæpe legendo, memoriæ commendarent, in sinu secum portantes codicem. Ex quo tantam intra paucos menses sibi doctrinam arrogabant, vt non solùm cum Laicis partis Catholicæ, verùm etiam cum Sacerdotibus, & Monachis, atque etiam cum Magistris, & sacræ Theologiæ Doctoribus, disputare de fide, & Euangelio non erubescerent. Quin imò, repertæ sunt mulierculæ quæ propositis thematis, editisque libellis Teuthonicis, ausæ fuerint vltrò prouocare: & quidem procacissimè insultantes, ignorantiamque improperantes, & contemptui habentes viros, non modò Laicos, atque priuatos homines: verùm etiam quoslibet Doctores, & Licentiatos totius facultatis Theologicæ, ac totas etiam Vniuersitates: id quod de Argula, nobili quadam muliere, compertum habetur. Eoque audaciæ, abiecto muliebri pudore, processerunt mulieres Lutheristæ, vt etiam ius, officiumque publicè in Ecclesia docendi; tametsi Paulus apertè contra diceret, ac prohiberet, sibi vsurparent.*

Nec deerant eis defensores viri Lutheristi, qui dicerent, Paulum eatenus prohibuisse docendi munus mulieribus, quatenus adsint viri, qui docere sciant, & valeant. Vbi verò cessent, aut negligant, nesciantue viri, ibi optimè licere mulieribus, vt doceant. Et Lutherus ipse longè antea docuerat, mulieres quoque Christianorum, verè Sacerdotes esse; atque adeò, quidquid è Baptismo repserit, verè Papam, Episcopum, & Sacerdotem esse, iuxta illud Petri dictum: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, &c. *Cum igitur mobile vulgus vbique magis intentum sit, & auidum ad res nouas latè diuulgandas, quàm ad res consuetas in suo statu conseruandas: factum est, vt turba Lutheranorum, longè plus operæ impenderit discendis sacris litteris ita translatis, quàm impendit populus Catholicorum: vbi Laici eam curam potissimè in Sacerdotes & Monachos reiiciebant.*

Hæc Cochlæus de fructibus huius versionis vernaculæ; inter quos maximè eminet insignis ille & copiosissimus prouentus fanaticorum spirituum, & vt Lutherus appellat, *Swermerorum*; qui velut examina apum mox extiterunt, & non modò Germaniam, sed & vicinas regiones peruolitarunt, incredibili multitudine; quæ ipsummet Lutherum admiratione ac stupore defixit: cuius alia caussa non fuit, quàm illa vniuersis

A sutoribus, sartoribus, lanionibus, cerdonibus, coquis, farctoribus, & id genus aliis ex infimo vulgi censu libera sacram scripturam vernaculè euoluendi potestas; quam omnes auidè arripientes, impigrè factitarunt, cuius faciendi à Luthero potestatem acceperant. *Omnes tument*, inquit Tertullianus lib. de præscript. *omnes scientiam pollicentur. Ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant docere, contendere.*

Sanctè affirmare possum, inquit hic Hunnius, *reperiri apud nos, immenso* DEI *beneficio, non modò viros, sed etiam fœminas complures, quæ ex sacrorum Bibliorum lectione tenent, & ad vsum suum accommodare norunt præclarissima quoque scripturæ dicta, quæ diuini spiritus conso-*
B *lationem spirant efficacissimam: velut illud Ezech. 33.* Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. *Et illud Ioan. 3.* Sic DEVS dilexit mundum, &c. *Item Ioan. 6.* Hæc est voluntas eius, qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. *Et Matth. 11.* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Et illa:* Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantum, sed etiam totius mundi: *aliaque innumera dicta. Quæ nostri homines,* DEO *per Verbum suum operante, ad erigendas suas conscientias, etiam in morte norunt piè traducere.*

C Ecce, quantam lucem, quantam consolationem adferunt, & pariunt isti scripturæ citatores, recitatores, & lectores. Quis ex Pontificiis sententias ab Hunnio adductas nouit? quis vnquã legit, quis vnquam audiuit, quis vsurpauit? Etsi, fateor, neminem ex Catholicis nosse, legisse, audisse, vel vsurpasse, sensu Lutherano; quo solo, faucibus istorum dulciores sunt, quam mel, & fauus. Placet autem, quod ait; istos suos, *sententias scripturæ traducere*; sed *piè*, quia scripturam malè accipiendo tam se, quàm scripturam ipsam traducunt, hoc est, ludibrio habent; non piè, sed prorsus delirè.

D De Argula femina nobili, cuius supra Cochlæus mentionem faciebat; fusè nuper egimus in *Doctorali inauguratione* typis iam excusa. Extant adhuc eius opuscula & Epistolæ; quibus non modò vniuersam Ingolstadiensem Academiam audacissimè ad publicam disputationem prouocauit; sed & damnatorum Arsacianorum capitum & articulorum defensionem aduersus Academiam suscepit; variasque litteras ad varios Principes, nempe ad Fridericum Electorem Saxoniæ; ad VVilhelmum Ducem Bauariæ, &c. aliosque dedit; vt Lutheri caussam strenuè agerent; & Papatum funditus demolirentur: Et, nisi fallor, hæc est illa Lutheri spiritu plenissima disputatrix; quæ cum etiã singulare ad certamen depoposcisset clarissimũ Academiæ nostræ Professorẽ Ioannem Eckiũ; ille muliebrẽ petulantiã

dete-

detestatus, colum & fusum tractanda misit (non enim procul Ingolstadio degebat) partim in tantæ temeritatis contemptum; partim, vt insanientem commonefaceret; quæ fœminis studia competant.

Magno hæc saga apud Lutherum in honore & pretio fuit, ob incredibilem, qua flagrabat, Lutheranismi propagandi cupiditatem; quare & litteras & ad ipsam dedit, & ipsa vicissim ad Lutherum. *Mitto ad te, optime Spalatine,* inquit Lutherus Tom. 2. Epist. Lat. fol. 181. *litteras Argulæ Christi discipulæ, vt videas & gaudeas cum Angelis super vna peccatrice filia Adam conuersa, & facta filia Dei. Tu, quæso, si potes eam attingere, nomine meo salutes & in nomine Christi consoleris; nam & ego quæro, qua ad eam pertingam, scripsissemque tam, si certus fuissem per te posse litteras ad illam venire.* Hæc Lutherus Anno Domini 1524. Eodem Anno idem ad eundem Spalatinum. *Argulam illam seruet & triumphet Christus, Amen.* Ad eundem Spalatinum fol. 244. Tom. 2. Lat. Epist. *Si quæ responderit Argula nostra, rogo has meas simul ad eam litteras mittas; potes enim, quod ego non possum.* Vtinam exstarent Lutheri ad Argulam; vel huius ad Lutherum Epistolæ; suppeditarent nobis, sat scio; nec pauca, nec obscura Lutherani spiritus specimina & paradigmata. Nunc in viam redeamus; qui plura cupit, Doctoralem inaugurationem de qua supra; consulat; vbi de hoc argumento copiosè actum.

Cum igitur Hæresiarchæ initio suarum hæreseôn adeo insolenter & impotenter verbum Dei iactent, idque vulgo liberè lectitandum prostituant; non immeritò inde concludimus, vernaculas versiones plus obesse, quàm prodesse; neque enim sectarum parentes nouique repertores Biblia vernacula tantopere vrgerent, & inconditæ turbæ tam cupidè obiectarent, nisi animaduerterent, hanc rationem esse aptissimum & appositissimum vulgi venandi & illaqueandi rete.

Neque tamen dicimus hæc incommoda oriri ex ipsa per se Bibliorum lectione, etiam vernacula; sed ex Bibliorum lectione vernacula, prout ab hæresiarchis instituitur, permittitur, imò & præcipitur; nam primò ipsi Biblia sua variis erroribus inquinant, & falsaria manu multis locis deprauant; quod vel vnus Lutherus satis superque docet; in cuius Germanica noui testamenti translatione nonnulli supra mille errores peruersasque nouationes notarunt, & publicis scriptis prodiderunt. Deinde Biblia legi iubent, nulla habita antiquitatis & Ecclesiasticæ traditionis ratione; nisi, vt ipsi aiunt, *cum verbo Dei concordet*, hoc est, nisi dicat, quæ ipsis lectoribus arrident, & auditu grata sunt; tum enim, iudicio istorum, cum verbo Dei antiquitas & Ecclesiastica traditio consonat; aliàs, nequaquam. Ex hac autem effreni legendi licentia, quid aliud sequitur, quàm effrenis quidlibet comminiscendi libido, & rerum omnium confusio, & chaos

A magis, quàm priscum illud Hesiodéum, indigestum; perinde enim facis, si Bibliorum lectori Ecclesiasticæ traditionis Canonem auferas, ac si equo lasciuienti frenum demas, &, quo libet, euagari finas. Necesse prorsus est, vt in varios errores præcipitêre, si Ecclesiasticæ traditionis Cynosuram, vt sic loquar, deseras. *Sæpe magno studio, & summa attentione perquirens,* inquit Vincentius Lirinensis, *à quamplurimis sanctitate, & doctrina præstantibus viris, quo nam modo possim certa quadam, & quasi generali, ac regulari via, Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere; huiusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: Quod siue ego, siue quis alius vellet exsurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus, atque*
B *integer permanere, duplici modo, munire fidem suam, Domino adiuuante, deberet. Primò scilicet diuinæ legis auctoritate; tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.*

Cum ergo isti Bibliorum lectores Ecclesiasticæ traditionis auctoritatem ac regulam penitus spernant, & solum Dei verbum, vel potius phantasiam suam sectentur; mirari non debemus, si ex errore in errorem delabantur, nihilque certi habeant, quo se gressusque suos firment ac sustentent. Id quod non modò vernaculorum, sed & Latinorum, Græcorum, & Hebræorum Bibliorum lectoribus accidit; quando, Ecclesiastico Canone non nituntur, & sine hac rate per immensum scripturarum mare nauigare volunt. In vulgaribus tamen versionibus maius huius te-
C meritatis periculum impendet, quandoquidem vulgus procliuius est ad id derelinquendum, sine quo recta scripturæ intelligentia frustra quæritur.

Hic forsitan requirat aliquis, inquit Vincentius Lirinensis in suo Enchir. cap. 2. *cum sit perfectus scripturarum Canon, sibique ad omnia satis, superque sufficiat, quid opus est, vt ei Ecclesiastica intelligentia iungatur autoritas. Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine, non vno, eodemque sensu vniuersi accipiunt: sed eiusdem eloquia, aliter, atque aliter, alius, atque alius interpretatur: vt penè, quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Pris-*
D *cillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremò Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur.* Hæc optimè & pulcherrimè Vincentius.

Iam discutiamus ea, quæ contra hoc Bellarmini argumentum VVitackerus adfert. Respondet primò; *Si Bibliorum lectio tam periculosa populo fuit, cur ea Dominus scribi voluit, eaque lingua, quam tota Ecclesia intellexit, & postea transferri in Græcam, Latinamque linguam, quam communissimam esse, ipse aduersarius affirmat? Sepelienda potius hæc erant, quam litteris mandanda, si sint tam perniciosa pietati, & bonis moribus.*

Respon-

Respondeo, Deum doctrinam cælestem ideo scribi voluisse, quia lectio eius periculosa non est, nisi illis, qui suo iudicio nixi, Ecclesiasticæ auctoritatis filo regi nolunt. Dedit Deus simul cum scriptura fidelibus Doctores & Pastores tam præsentes, quàm qui olim inter Christianos floruerunt, & sacrarum litterarum explicationem litteris consignatam ad posteros transmiserunt. Hos audiant fideles, horum vestigia insequantur; ab horum monitis ac institutione ne latum quidem vnguem discedant, aut discedere cogitent; & Biblia securè siue vernaculè, siue Græcè, siue Latinè percurrent, quia fidis certisque nituntur ducibus.

Secundo respondet VVitackerus; *nihil quod in scriptura reseratur, quemquam offendere posse; etiamsi videatur admodum turpe ac nefandum; cuius generis est adulterium Dauidis; incestus Loth & Thamar, & id genus alia.* Fateor, nihil eorum, quæ in scriptura memorantur, offendere posse quenquam eorum, qui Ecclesiæ iudicium suo priuato anteponunt; at si quis cerebrosus Ecclesiæ auctoritatem suæ persuasioni posthabeat; neque attendere velit, qua de caussa quidque in scripturam scriptum sit; tum profecto in plurima incurret, quæ ei nihil aliud, quàm Petra scandali & lapis offensionis erunt; Testes sunt Manichæi, & alij veteres hæretici; qui vetus testamentum repudiarunt. Qua de caussa autem, nisi quia suo sensu ducti in nonnulla incidebant, quæ imbecillitate ingenij sui capere non poterant; nec tamen in Ecclesiæ auctoritate acquiescere volebant. Eandem ob caussam sustulerunt hæretici huius temporis ex censu librorum testamenti veteris Tobiam, Iudith, Sapientiam, Macchabæos, & alios, minimè id facturi, si non suo iudicio, sed antiquæ traditionis norma sese gubernare voluissent. Itaque licet non inuiti concedamus, huiusmodi vitia non oriri per se ex scriptura, ac proinde nec scripturæ adscribi debere; quod hic frustrà nulloque aduersante VVitackerus verbosè probat, attamen, quia hæretici tantis clamoribus vernaculas versiones vrgent, easque à vulgo absque traditionis Ecclesiasticæ ductu euolui iubent; Et quia vulgus admodum est mobile, & ad id, quod hæresiarchæ suadent mollius quàm cera, ideo non immeritò Ecclesia decreto suo sanxit, ne vernaculæ versiones quibusuis, absque delectu, permitterentur. Licet enim non sit malum scripturas legere, etiam vulgari lingua; simpliciter tamen malum est scripturas legere absque Ecclesiasticę traditionis ductu & magisterio: siue legantur vernaculè, siue Latinè, Græcè, aut Hebraicè. Et quia vulgus huius Ecclesiastici magisterij plerunque est impatiens, hinc opera datur, ne materna in lingua scripturas temerè ac indiscriminatim lectitet, ne dum salutem quærit, in barathrum perditionis ruat.

Iucundi sunt VVitackerus & Iunius, cum nobis axioma illud occinunt: *Propter abusum non esse tollendum vsum: hinc licet aliqui vernaculis abutantur; non idcirco vernaculas è medio tolli debere;* Iucundi, inquam, sunt, cum ipsi reipsa propter abusus, tametsi plerumque commentitios, plurima è religione Christiana; quamuis saluberrima, & totius antiquitatis testimonio firmata, funditus sustulerint. Deinde dico, vsum, probum scilicet ac laudatum, non posse appellari id, quod anteactæ Orthodoxorum consuetudini aduersatur. Ex quo sequitur, non vsum, sed potius abusum dici debere; si publicè in Ecclesiis fideliumque cœtu scripturæ lingua materna legantur; quia repugnat totius antiquitatis praxi ac mori, vt copiosissimè Bellarminus ostendit: Nihil igitur hic loci habet tritum illud: *Propter abusum non esse tollendum vsum*: quia hic nullus planè est vsus, legitimus videlicet ac probatus, qui nomine *vsus* in illo pronunciato solus intelligitur, solusque abusui verè opponitur.

Adhæc si agamus de priuata sacræ scripturæ vernacula lectione; licet vsus eius absolutè loquendo, posset esse salutaris, spectatis tamen temporum & ipsius vulgi, prout iam constitutum est, circumstantiis; considerata etiam hæreticorum in verbo Dei vernaculè vendicando insolentia & impudentia, è re profectò Christianæ Reipublicę fuit, vt huiusmodi vernaculæ versiones passim indoctæ multitudini non concederentur. Nam & vsus, alioqui per se bonus, rectè vel prohibetur vel temperatur seu restringitur, si per experientiam discatur plus detrimenti, quàm emolumenti inde existere, sicut manifestè compertum est, his temporibus plus nocumenti, quàm vtilitatis ex vsu vulgarium versionum nasci; cum, ob spiritum hæreticum, qui omnia fermè loca perflat & peruolitat, vel saltem afflat, imperita multitudo admodum procliuis sit ad traditionis & regulæ Ecclesiasticæ contemptum, sine qua quisquis scripturam legere ingreditur, in errores ruat, & à vero excidat oportet. Quapropter antequam sectæ istæ ex inferis in lucem prodirent; Ecclesia nihil de vernaculis editionibus constituit; quia necessarium non erat; maiore tunc in vulgi animis simplicitate morumque innocentia & in priscam religionem obseruantia vigente; neque ita etiam vernaculas prohibuit, (vernaculas inquam, quarum auctores probati ac Catholici) quin superiorum permissu legi queant.

Obiicit VVitackerus. *Græcam & Latinam fuisse olim linguas vulgares; & tamen his vulgaribus linguis à vulgo scripturas esse lectas; posse igitur & iam linguis vulgaribus scripturas legi; Aut si iam non possit; olim quoque non potuisse: Et si iam tanta incommoda pariat, olim itidem peperisse; Et si olim non fuere interdicta, neque iam interdici debere.*

Respon-

Digitized by Google

Respondeo, fuisse quidem linguas illas vulgares, at non vnius nationis vulgo, sed alteram quidem multis in occidente prouinciis; alteram multis in oriente: simulque fuisse linguas principales, & titulo crucis dedicatas; Et quamuis ex Latina etiam & Græca scripturæ lectione errores oriri queant, si quis in scripturam absque timore Dei, & Ecclesiastici Canonis ductu irruat; non erat tamen cur prohiberentur: quia nullo vnquam tempore à condita Christiana religione plebs imperita ita Bibliis inhiauit & incubuit; sicut post annum Domini Millesimum, & maximè hoc nostro æuo, idque instinctu hæresiarcharum, qui Bibliis, tanquam hamo, piscantes, facilè credulos mortales in perniciem pertraxerunt, & adhuc pertrahere non desinunt: Quando enim vnquam auditum est, opifices, & ex vulgi fæce abiectissimos quosque perpetuo *Biblia, Biblia, verbum Domini, verbum Domini*, crepasse, iactasse, venditasse; maiorumque scita, placita, ac dogmata petulantius repudiasse ac conculcasse? Certè primis à Christo quadringentis annis Biblia vix apud vllos alios reperiebantur, quàm apud Ecclesiasticos, vt supra dictum: Neque de vllis hæreticis, ne Arianis quidem, omnium importunissimis legimus, eos ita Biblia lanionibus, cerdonibus & aliis ex cæmento plebis prostituisse, sicut postea fecerunt VValdenses, VViclephistæ, Hussitæ, & nostri sectarij. Quapropter meritò vulgaribus translationibus hac ætate modus aliquis ab Ecclesia est positus. Quod si ex Græcis Latinisque editionibus, quando non leguntur animo fidem antiquam retinere parato; multum damni hauritur, non scripturæ, sed lectoris vitio; quanto magis id accidere necesse est; si iam Biblia in peregrinas & barbaras linguas translata indiscriminatim vulgo ad nouitatem tam propenso obiiciantur.

Quod Hunnius hic dicit: *Ex historiis polygamiæ antiquorum patrum, nullum esse in Lutheranis Ecclesiis periculum, quandoquidem sedulò edocentur polygamiam per Christum Saluatorem abrogatam Matth. 19.* id quam verum sit, intelliget, quisquis legerit Lutheri Commentarium super caput decimumsextum Geneseos Tom. 4. Germ. anno 1528. & alia, quæ de polygamia ex variis Lutheri libris adducit vir clarissimus Doctor Ioannes Pistorius in primo spiritu Lutheri, Azoara sexta, Lege & obstupesces impurissimi desertoris os & frontem, non tantùm in hoc de polygamia, sed & in pluribus aliis capitibus, vt in illo de libello repudij, & similibus.

Sextum Bellarmini argumentum. *Si oporteret lingua vulgari scripturas sacras publicè legere, oporteret etiam singulis ætatibus mutare translationes. Nam linguæ vulgares singulis sæculis magna ex parte mutantur, &c.*

Respondet I. VVitackerus, *omnia in hoc argumento esse ridicula. Nam falsum esse singulis ætatibus linguas mutari. Non enim toties mutatæ sunt*, inquit,

A *linguæ primariæ Hebraica, Græca ac Latina.* At VVitackerus animaduertere debebat, Bellarminum loqui de vernaculis linguis, quæ singulis prouinciis vel nationibus circumscribuntur, non de illis, quę ob amplitudinem suam primarium locum iure tenent; neque iam vsu communi loquendi discuntur, sed ex libris, in quibus cum exstent, incorruptè conseruari possunt; cum quidquid corruptionis incidat, id semper, librorum beneficio, sanari possit. Si VVitackerus negat in vernaculis & vulgaribus linguis, qualis, Germanica, Belgica, Anglica variis ætatibus varias & ingentes mutationes euenire consueuisse; tum nimis imperitum sese ostendit; nam vt de sola lingua Germanica dicam; si quis Germanus

B incurrat in Germanicum librum ante sesquisæculum scriptum, vix quidquam intelligit. Si autem adhuc vetustiora offerantur monumenta, sudandum erit; vt sensum eruat, si tamen eruet. Testatur hoc primùm *liber Euangeliorum in Theodiscam linguam versus*, qui olim Frisingæ exstabat in Bibliotheca Diui Corbiniani, quem vidit & inspexit Rhenanus, & ex quo rhythmos quosdam recitat; rhythmicè enim conscriptus erat. Legat Germanus, quæ apud Rhenanum libro secundo rerum Germanicarum inueniet; & mox intelliget, quantum intelligat. Nec continebat liber iste versionem Euangeliorum in Germanicam linguã, sed paraphrasin Poëticam seu rhythmicam, quæ liberior esse solet, quàm translatio.

C Addit enim demitque iure rhythmico; vt concinniores efficiantur numeri. Et vt maximè fuisset Euangeliorum translatio, id tamen nostræ caussæ non officeret, quia non ignoramus, etiam ante hæc tempora sacras litteras vernaculè fuisse redditas; tantum hoc contendimus, in publico fidelium conuentu, non esse legendas vernaculè, neque iam, exortis tot hæresibus, tam solutis, effrenatis & efferatis, imperitæ multitudini indiscriminatim concedi debere; Quocirca nil opus erat, cur Rhenanus hac nota veteres illos Germanos seu Francos laudaret; nouosque perstringeret. *Perpetua laus Francorum veterum est, qui sacros libros in suam, hoc est, Germanicam linguam vertendos curarint, quod nuper à Theologis quibusdam im-*

D *probatum scimus.* Si hodie prisci illi Franci viuerent, aliter, quàm Theologi illi neque iudicarent, neque decernerent; spectatâ æui huius licentiâ & leuitate. Bene & sanctè veteres illi, in tanto fidei candore; Bene & sanctè huius ætatis Catholici in tanta hæreticorum verbum Dei vernaculè iactantium & rudi popello vanissimè propinantium impudentia & vociferatione.

Idem liquet ex rhythmis Ottfridi Monachi VVissenburgensis, qui veteri Francico, hoc est, Germanico sermone Euangelia numeris inclusit. Idem constat ex variorum Auctorum Germanicis rhythmis, quos nuper Tomo 1. parænecticorum veterum publicauit Goldastus. Quod ergo in Germanica lingua accidit, hoc procul-

dubio

A dubio etiam aliis vsuuenit; ac proinde incommodum foret cum mutatione linguæ ac dialectorum semper etiam mutare translationes.

Hunnius duo ad hæc respondet, *Primum, Germanos nihilominus legere posse Biblia Germanica, licet idioma mutetur; sicut olim Hebræi legebant Biblia Hebræa, licet lingua iam Hebræa in vulgo desiisset, & in Chaldaicam & postea Syriacam degenerasset.* Respondeo, si Lutherani opifices cogerentur legere Biblia ea dialecto, qua vtitur Codex Frisingensis, & qua Ottfridus in suis Rhythmis, & Notkerus Monachus S. Galli in Psalterij translatione, quæ adhuc apud S. Gallum exstat, & Rex Tirolus in suis parænesibus, & id genus alij; pauciores, opinor, Bibliorum Codices in Lutheranis Cerdonum & B Phrygionum officinis inuenirentur; plus etiam, nisi fallor, hæretici typographi, otij ab excudendis huiusmodi Bibliis haberent. Nam quod Prędicans putat *Misnicam linguam, qua Lutherus in Bibliis suis vsus, semper ab omnibus Germanis intellectum iri*; id vt credam, facilè adduci nequeo; quia vix nata fuit ea editio, nec tamen sat intellecta à Tigurinis; quare mox aliam cuderunt. Neque isti ea lingua vsi sunt, quæ omnibus probaretur. Hinc non ita pridem Piscator quidam piscaturus & ipse cum noua versione Germanica in theatrum adscendit; Ascendent & alij, non dubium, vbi à Chorago euocabuntur. Si igitur iam repudiant mutuo Nouatores suas versiones, dialectis linguæ Germanicæ tam propinquis, quid C fieret, si ab hodierna lingua secuturi æui lingua tantum dissideret, quantum hodie dissidet lingua nostra ab illa Codicis Frisingensis vel Ottfridi; vel ab illis Germanicis iurandi formulis, quæ exstant libro tertio de dissensionibus filiorum Ludouici Pij.

Secundò respondet Hunnius, *paulò post adfuturum finem mundi, & sic timendum non esse; ne vernacula lingua nostra ita immutetur, vt vix, aut ne vix quidem à nobis intelligi queat.* Quando verò Hunnius è cæle sti consilio ad nos descendit; vt hæc de non procul dissito mundi termino arcana nobis nunciaret? Forsan Stifelij spiritus, aut Osiandri genius migrauit in Hunnium; quorum vterque cum suis de fine mundi præsensionibus, vniuer- D sis pòst venturis sæculis affatim ridendi largissimam suppeditauit materiam.

Septimum Bellarmini argumentum. *Videtur omninò maiestas diuinorum officiorum requirere linguam magis grauem, & venerandam, quàm sint illæ, quibus vulgò vtimur, si id commodè fieri possit, præsertim cum in sacris mysteriis multa sint, quæ secreta esse debent, vt etiam veteres docent, &c.*

O argumentum Achilleum, clamat Hunnius, *Quis Hercules hunc nodum secare queat?* Tu certè neque soluis, neque secas; nisi fortè conuiciari & calumniari, sit secare; Ex quo genere: *I. Antichristi serum. II. Idolum Missæ. III. Blaterare de secretis Papisticorum mysteriorum. IV. Eleusinia sacra*; Sic Missam sceleratus vocat. *V. Mussare sacra. VI. Supposititius & spurius Areopagita Dionysius. VII. Hoc Iesuita suis mulierculis persuadeat, nobis in æternum non persuaserit. VIII. Missaticum sacrificium. IX. Missificuli asini. X. Alastores. XI. Cymmeriæ & Ægyptiacæ Papatus tenebræ. XII. Nugacissimæ cæremoniæ & Missarum spectacula.* Hæ sunt serræ quibus Hunnius nodum à Bellarmino propositum secat: nam in toto eius ad hoc argumentum responso, nihil aliud, quo & quod pugnet, inuenies, quam has eius lœdorias, nisi addere placet Prædicantis impudentiam in S. Basilium, propter locum de traditionibus; vbi vociferatur Hæreticus: *Basilij locus quædam continet palam absurda sub nomine Apostolicæ traditionis ab ipso venditata.* En reuerentiam Prædicantis in S. Basilium: de quo tamen ait hic B VVitackerus; *se suosq; Basilio, vt & Hieronymo, plurimum tribuere propter summam ac multiplicem eruditionem.* Sed iam satis perspicuè in Hunnio vidimus, quid hoc VVitackerianum *plurimum* significet. Postquam tamen loquacitatem Hunnij penitius inspexi, vnicum argumentulum sub densa calumniarum nube delitescens, deprehendi. Et est istud. *Verbum Dei omnium gentium linguis est prædicatum; ergo sacra omnium gentium linguis celebranda sunt.* Vbi consequentiæ probatio? In charta non cōparet. Num remansit in calamo, an in typo Chalcographico?

Quod S. Basilius pręfectum culinæ Imperatoriæ sibi importunè de quæstionibus scripturæ obstrepenti, hoc dicto coërcuit: *Tuum est de pul-* C *mentis cogitare, non dogmata diuina decoquere*: id non improbat VVitackerus. *Erat enim*, inquit, *homo omnium indoctissimus atq; ineptissimus. Et verò, qui huic similes sunt,* (omnes autem Lutherani & Caluiniani sectarij similes sunt) *similiter tractandi, & seuerissime reprehendendi sunt.* Accipimus, quod dat VVitackerus, & inde concludimus similiter tractandos & seuerissimè reprehendendos esse illos, pro quorum ineptia, inscitia, & insolentia Hunnius hoc loco Deo non necessarias gratias agit his verbis: *Quod nobis Bellarminus nostros pharmacopolas, sutores, cæterosq; opifices obiicit: agimus æterno Deo gratias, eò rem deuenisse, vt sutor aliquis in rebus fidei plus norit, quàm olim tota Monachorum cohors.*

D Talis fuit ille sutor Carlstadianus, qui vt habetur Tomo 2. Ihen. Germ. fol. 467. edit. 1558. Orlamundi cum Ipso Luthero de imaginibus disputauit; cuius disputatio hac clausula terminata est. *Dixit Lutherus vos me condemnastis. Respondet sutor; si damnatus esse velis, habeo te & quemlibet alium pro damnato, quamdiu loquitur aut docet contra Deum, & veritatem.* Cui Lutherus; *Hoc quiuis infans de triuio mihi dicere potuisset*: Vnd stund damit auff/vnd eilet zum Wagen. *Cumq; dicto surgens, properauit ad currum.* Et sic discessum est. Pro his sutoribus, & id genus aliis opificibus ex Lutherana Bibliorum lectione tam copiose institutis & eruditis persoluit Hunnius Deo grates. An non huic occini poterat illud: *Ne sutor vltra crepidam*? Luthe-

Digitized by Google

rus nō hoc sed illud vsurpauit in istum sutorem, A
eiusque socios. Ihr brinnet alle für meinen Augen/als ein Fewer/ihr werdt mich doch nicht fressen. *Ardetis omnes ante oculos meos instar ignis, non, opinor, deuorabitis me.*

Redeamus ad VVitackerum, qui ait: *Monendi omnes sunt, vt, quando scripturas legunt, eas cum iudicio legant, & modestiam adhibeant, ne huic insulso Demostheni similes videantur; qui, quia totus esset & illiteratus, & praiudicata opinionis haresi occupatus, Basilio visus est indignus, qui de rebus sacris verba faceret. Sic enim illum Basilius alloquitur:* δογμάτων θείων ἐπαΐειν ὁ ἐδ... [illegible]

Si omnes monendi sunt, vt ita scripturas legant; ne similes euadant huic imperito Demostheni, (hoc enim nomen erat præfecto culinæ) cur id non faciunt Prædicantes? Cur cuiuis licet ineptisimo, sacras litteras legendi amplisimam potestatem faciunt, ita vt cum sint omnium mortalium rudisimi, ventosa tamen vesica magis tumeant, seque mirificè, tanquam omnibus Papistis doctiores, circumspiciant. B

Sententiam illam D. Hieronymi ex Epistola ad Paulinum: *Quod medicorum est promittunt medici, &c. Sola scripturarum ars est, quam sibi omnes vendicant, &c. Hanc garrula anus, &c.* non improbat VVitackerus, imò concedit iustam esse querelam: *quia*, vt inquit, *non debent illi sacras scripturas tractare, qui sunt illarum ignari ac imperiti.* Optimè dicis VVitackere. Cur ergo opifices Caluiniani & Lutherani, & cur vestræ aniculæ sacras scripturas tractant? Num eas simul cum opificio suo callent? C

Hic obseruandum est, inquit VVitackerus, *Hieronymum illos viros, atq; illas fœminas, de quibus loquitur, non ideo reprehendere, quod scripturas legerent; sed, quod, cum semel aliquid de scripturis gustassent, omnia statim se tenere putarent, seq; alios docere, & scripturas aliis interpretari posse crederent; cum eas, ne ipsi quidem intelligerent; quodq; temerè in scripturas inuolarent, nec ea modestia vterentur, qua in legendis scripturis adhibenda esset.*

Ista omnia, quæ VVitackerus commemorat Lutheranis opificibus, Magistellis, & mulierculis propria sunt quarto modo; comprehenduntur ergo & ipsi in illa Hieronymiana reprehensione. Bone Deus, si vidisset D. Hieronymus Lutherani & Caluiniani vulgi in scripturis sacris tractandis temeritatem, & audacisimam procacitatem, quibus verborum fulminibus tantum scelus non fuisset insectatus; cum quæ tempore D. Hieronymi fiebant, ludus iocusque fuerint, præ illis, quæ nostra tempestate eueniunt. D

Refutatio Danæi.

Expedivimus hactenus tres Prædicantes. Non prætereundus Danæus, cui barbam iam depexuit Cydonius noster, cuius refutatione vtar, vt inter tot labores nouo refutandi labore leuer. Ita ergo ille. Ad caput decimum quintum, quo de vulgaribus editionibus disputat Bellarminus, pari mendacitate, atque impudentia Danæus omnia miscet. Mentitur primò, *interdicere Bellarminum lectione sacra scriptura, atq; ab ea pios arcere, eiq; fidem prius abrogasse.* Nam neque quidquam dixit, quo fides sacrorum librorum labefactari posse, sano homini videretur: neque verò negat legi à fidelibus, & piis viris debere scripturas: *Catholica*, inquit, *Christi Ecclesia, non quidem prohibet omninò vulgares translationes, vt Kemnitius impudenter mentitur*, &c.

Quare, cum sacrorum librorum vsum, ac lectionem omnibus iis, qui Latinè, Græcè, aut Hebraicè norunt, sine discrimine concedamus: præterea verò iis, quorum mores probati, & intelligentia non plane rudis; pollicetur, fore, vt quamuis idiotæ sint, tamen vtilitatem ex ea lectione percipiant, vulgari etiam idiomate legere permittat Ecclesia: cumque ea doceat disertis verbis Bellarminus, neminem profectò Danæus pium existimat, nisi illiteratum, rudem, ac deprauatis moribus, vel certè infirmum in fide. Nam iis solis legendi vulgari idiomate sacras litteras facultas denegari solet ex regula Pij IV.

Mentitur secundò, dum ait, *Contendere Bellarminum, sacram scripturam, peregrina, & exotica lingua lectam, apud Hebraos olim fuisse: & Apostolorum tempore, in publico fidelium cœtu. Nam negat, post Esdra tempora, fuisse vulgarem Hebraicam linguam, qua tamen in publico cœtu scriptura legebantur.* At peregrinam eam, & exoticam quis dixerit filiis Israël fuisse? Similiter Græcè scripsisse Apostolum ad Romanos; Græcè Ioannis, ac Lucæ Euangelium; Græcè Apocalypsim, & reliquos Apostolicos libros scriptos fuisse: quos tamen apud omnium gentium Ecclesias legi solitos, ne aduersarij quidem negant. At Græca lingua, litteralis illa quidem, neque vulgaris erat, non tamen peregrina, & exotica.

Mentitur tertiò, cum ait, *à mendacio ordiri Bellarminum sententia sua confirmationem: quod dicat, tribus his linguis, Hebraica, Graca, & Latina, scripturam scriptam esse. Quia, etsi verum est, Graca, vel Hebraica lingua scriptam esse, non tamen Latina.* Mendacium hoc Danæi duplex est: Nam, cum supra iam dixerit Bellarminus, non ignobiles scriptores, existimasse à Marco Euangelium Romæ Latina lingua scriptum fuisse, non mentitur, si id asserit, quod à grauibus auctoribus didicit.

Deinde, quod ait, *ab hoc argumento sententiæ suæ confirmationem Bellarminum petere*, mendacium est: solùm enim affert rationes quasdam aptas, & congruas, cur his potissimum linguis legi in cœtu fidelium sacras litteras, ac Deo laudes decantari statuerit Ecclesia. Nimirum quod hę tres linguæ, antiquitate, amplitudine, & grauitate cæteris præstent; quod eas crucis suæ titulo Dominus cohonestauit; quòd eas potissimum elegit, quibus sacræ litteræ scriberentur. At verò vulgari idiomate, sacros libros in cœtu fidelium legi, & Deo laudes cantari non oportere, quæ est Catholicæ Ecclesiæ sententia: probare aggreditur.

Mentitur quartò, cùm ait, *Bellarminum, qui dixerat Latina etiam lingua sacros libros scriptos fuisse: rem non ita se habere, se ipsum postea mendacij arguentem, agnoscere, ac fateri.* At Bellarminus, probatione secunda, de Apostolis ita loquitur. *Non scripserunt Euangelia*, inquit, *aut Epistolas linguis earum gentium, quibus prædicabant, sed tantùm Hebraicè, aut Græcè & vt quidam volunt, Latinè, &c.* Ita Bellarminus non se, sed Danæum arguit impudentissimi mendacij: qui, quod verbo supra affirmarat, testibus etiam confirmat.

Mentitur quintò, cum argumenta Bellarmini refert. Vnum enim eius argumentum in tria dissecat; neque fideliter refert.

Mentitur sextò, cum profert secundum Bellarmini argumentum, quod ipse quartum numerat. *Quartum argumentum*, inquit, *Apostoli tantùm Græcè scripserunt; tota sacra scriptura Hebraicè duntaxat, & Græcè edita est: atqui, illi per vniuersum terrarum orbem, & populis omnibus, qui vel Hebraicè, vel Græcè nesciebant, prædicarunt: ergò ignota illis populis lingua, sacram scripturam annunciarunt, tractarunt, concionati sunt.* Locum hunc integrum de industria retuli, quia, multa mendacia continet. Primò enim detruncat Bellarmini verba; qui dixit, *Apostolos Hebraicè, vel Græcè, & vt quidam volunt, Latinè scripsisse*: quod ideo facit, vt ea contradictio, quã suprà commentus fuerat, & affinxerat Bellarmino, aliqua ratione appareret. Deinde, argumentum ipsum inuertit, & perdit. Non enim hic quærimus, qua lingua Apostoli concionati sint, aut annunciarint Euangelium, cum ad populum verba facerent. Scimus eos, vernacula, & vsitata populis lingua concionatos: sed, illud quærimus, scripserint ne alia lingua Euangelium, & Epistolas suas? Nam, si alia lingua non scripserunt, his profectò linguis legebantur in Gallia, Hispania, AEgypto, & aliis regionibus, apud quas, iam Ecclesias prædicatione sua Apostoli fundauerant. Neque enim versiones in alias linguas Apostolorum tempore factas fuisse nouimus: neque verò sacrarum litterarum vsu caruisse eas Ecclesias eo tempore, verisimile est. Denique si sua lingua vti singulas Ecclesias sacris litteris voluerunt; cur non aut eorum linguis scripserunt; aut iam scriptos diuinos libros ipsi transtulerunt, vt authenticam scripturæ versionem haberent: neque dubitare possent de interpretis fide?

Tertiò, cum Bellarminus ita scripserit: *Non scripserunt Euangelia, aut Epistolas linguis earum gentium, quibus prædicabant, sed tantum Hebraicè, aut Græcè, & vt quidam volunt, Latinè*: cur Danæus ita reddidit? *Apostoli tantùm Græcè scripserunt, tota sacra scriptura Hebraicè duntaxat, & Græcè edita est?* Quorsum illa veteris testamenti mentio à Danæo addita? (nam illud quoque comprehendi nomine totius sacræ scripturæ, nemo dubitat:) cum de nouo tantum Bellarminus loquatur, quod Græcè, aut Hebraicè scriptum dixit: quia Euangelium Matthæi constat Hebraicè primùm fuisse editum; de Epistola ad Hebræos, anceps sententia est, Græcène, an Hebraicè edita primùm ab Apostolo fuerit. Hæc igitur, quæ rectè, ac verè dicta à Bellarmino fuerunt, cur ita peruertit Danęus? Nimirum, vt rerum inutilium, atque alienarum admistione vis demonstrationis obtunderetur; ac vir doctissimus, ad rem non loqui videretur. Ita propria est ea Danaicorum scriptorum gloria, vt sal etiam ipsum, cum attigerint, infatuent.

CAPVT XVI.

Soluuntur obiectiones Hæreticorum.

PRIMA obiectio sumitur ex 1. Cor. 14. vbi inter cætera sic loquitur Apostolus. *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum, &c.* Et infra. *Si orem lingua, &c.* Ex quo loco colligunt Hæretici publicas Ecclesiæ lectiones & preces debere fieri lingua vulgari. Hunnius boni ominis caussa, mentitur: *Bellarminum nil inuenire, quod ad hunc Apostoli locum respondeat.* Os Prædicantis. Quomodo nihil inuenit, cum copiosissimè de hoc Paulino loco, deque toto Apostoli scopo disserat, omnesque nebulas clarissima veritatis luce dispellat? Quis non miretur, Prædicantes fronte adeo destitui, vt id affirment, cuius falsitatem deprehendere vel pueris sit procliue?

Danæus vt pacatiore animo solutiones Bellarmini refelleret; in ipso statim capitis limine immaniter bacchatur, & furisè conuiciatur. *Incredibilis*, inquit, *Bellarmini & ignorantia & simul impudentia in hoc capite manifestè ex vulgato prouerbio cernitur: ἀμαθία θράσος.* Vera erunt hæc omnia expuncto Bellarmino, & substituto Danæi nomine; cuius plusquam *cynica impudentia*, plusquã *asinina ignorantia*, & plusquam *Diabolica audacia* criminandique impotentia non modò circa hoc

caput; sed in singulis, quotquot liber eius complectitur, luculentissimè apparet; in cuius omnibus dictis, ne mica quidem salis & eruditionis inest; omnia mendaciis, conuiciis, fraudibus, imposturis, & sycophantiis horrent.

Bellarminus hîc tria docet; primum: In magna parte capitis decimi quarti non agi de lectione scripturarum; nec de officiis diuinis. Secundum, agi de exhortatione spirituali, siue collatione: nam in conuentibus Christianorum primò legebantur scripturæ, deinde fiebat concio ab Antistite, tum celebrabantur mysteria, postremò inter se de rebus diuinis sermones miscebant. Tertium. verba illa; *Si orem lingua, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est. Quid ergo? orabo spiritu.* & quæ sequuntur; intelligi non de diuinis officiis, nec de publica scripturarum lectione, sed de canticis spiritualibus, quæ Christiani componebant ad laudandum Deum, & gratias ei agendas, & simul ad suam & aliorum consolationem, & ædificationem. Secundum igitur & hoc tertium vult Apostolus peragi lingua omnibus nota; non peregrina; quorum vtrumque fusè probat Bellarminus.

Quid ad hæc Prædicantes? Aduolat Iunius solito armatus telo. *Negatur distinctio.* Cur negas? *Quia ipsa propositio Apostoli est generalis in principio capitis. Ambite spiritualia* (nos legimus: *æmulamini spiritualia*) *sed magis tamen, vt prophetetis.* Nihildum video, quod Bellarmini distinctionem labefactet; neque enim negat Bellarminus, Apostolum magis optasse, vt Corinthij prophetarent, hoc est, doctrinam cælestem dilucidè ac distinctè interpretarentur, quàm vt linguis ignotis loquerentur.

Postea percurrit Apostolus species, inquit Iunius, *ad genus istud, modumq. & finem præscribit illarum: modum; intelligi. Finem, ædificationem Ecclesiæ Dei.* Iunius, veteri instituto suo multa pro probatis & concessis sumit, quæ tamen ipse necdum probauit; neque nos vnquam concessimus. Posito enim, quòd Apostolus in illo capite aliquid dicat de ipsa scripturarum lectione, aut diuinorum officiorum publica celebratione, negamus Apostoli mentem hanc esse; vt scripturæ & publica officia legantur ea lingua, quæ à quouis intelligatur, ob caussas, quæ postea à Bellarmino adferuntur, de quibus infrà; quanquam in Corinthiorum Ecclesia lectionem scripturarum & officiorum diuinorum celebrationem omnes fermè intelligebant; quandoquidem omnia hæc peragebantur Græcè, quæ lingua Corinthi vulgaris erat. De interpretatione, collatione, & spiritualibus canticis, fatemur voluisse Apostolum, vt instituerentur ea lingua, quæ ab omnibus intelligeretur, idque propter consolationē & ædificationem audientium: itaq; horum trium modus finisque erat intelligi ab omnibus. Quòd calumniatur Iunius, Bellarminum, *exhortationem & collationem pro eodem accipere*, id nihil aliud est, quàm inanilogi Ministri criminatio; Expressè enim distinguit hæc duo Bellarminus. Quis tam stupidus est, qui nō videat aliud esse *exhortari* seu *concionari*; aliud, inter se *conferre*; illudq; vni; hoc pluribus competere? vt proinde caussæ nihil fuerit, cur Iunius Bellarminum discrimen hoc docere voluerit.

Ait Bellarminus. Ne turbationē pareret multitudo, Apostolus instituerat vt duo aut tres tantum in singulis collationibus loquerentur, & cæteri audirent ac diiudicarent: & si fortè dum vnus diceret, alteri inspiratū fuisset aliquid melius, vt primus taceret, & secundus loqueretur.

Ad hæc Iunius. *Negatur conclusio.* Si Iunio demas istud suum *negatur*, propemodum totus exarmabitur. Sed en stultæ negationis stultiorem probationem. *Quia procedit argumentatio à non distributo ad distributū. vt loquuntur. & quod est totius generis ad speciem solam restringitur: (quod est indignius) quia res de postrema specie dictæ ad primam speciem rapiuntur præposterè, tanquam si à specie vna ad alteram valeret argumentatio.*

Quæ tam insulsa sunt & inepta; vt dubitem, vtrum ipse horum verborum auctor seipsum intellexerit. Nam primum Bellarminus verbis citatis nullum argumentum instituit, sed solam nudamque assertionem ponit; quam postea fusè probat auctoritate Interpretum, & ex ipsius Apostoli oratione. Quomodo igitur argumentatur à non *distributo ad distributum*? Deinde, quomodo id quod totius generis est ad vnam speciem restringitur? An non sunt hæc expressa Apostoli verba? *Prophetæ*, hoc est, interpretes scripturæ, *duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent.* Et, *si alij reuelatum fuerit, prior taceat.* An non hic de exhortatione & interpretatione sermo est? An non vult, vt vno loquente, cæteri taceant? An non vult, vt si alteri melius quid diuinitus reuelatum fuerit, prior orationi suæ finem imponat; & cum cæteris alterum audiat, idque ordinis seruandi, & confusionis vitandæ caussa? Quod si Iunius omnino contendit hoc etiam pertinere ad *collationem*, non magnopere aduersabor, sicut neque aduersatur Bellarminus; quis enim abnuat in collatione itidem seruandum fuisse ordinem, & fugiendam confusionem; quorum ille necessariò turbatur, & hæc necessariò nascitur, si loquendi vices non obseruentur.

Quamuis autem in omnibus sacri illius conuentus actionibus ordo seruari deberet; maximè tamen in exhortationibus & collationibus seruari debebat; vt proinde non immeritò de his duabus actionibus speciatim monendum censuerit Apostolus. Hinc Bellarminus id, quod totius generis erat, non magis ad vnam vel alteram speciem restrinxit, quàm ipse Paulus; qui sigillatim monuit de ordine in exhortationibus & collationibus diligenter custodiendo.

Digitized by Google

A Quid verò sibi volunt illa? *Quæ de postrema specie dicuntur, præposterè rapiuntur ad primam.* Quæ hæc *postrema species?* Quæ *prima?* Nam si primam actionem, quæ in Christianorum conuentibus obibatur, consideremus, ea, quantum ex Apologia secunda Iustini patet, quam hic citat Bellarminus, est lectio scripturæ: Tum concio seu explicatio & interpretatio; Tertio, diuinorum mysteriorum celebratio. Denique collatio de rebus diuinis. Si ergo Iunius *primæ speciei* vocabulo intelligat lectionem sacræ scripturæ; tum mendacium est; Bellarminum illa; *Prophetæ duo aut tres dicant,* &c. Et illa: *Si alij reuelatum fuerit,* &c. referre ad primam speciem; non enim refert ad lectionem scripturarum, sed ad exhortationem, & collationem; quorum illa secunda est actio, apud Iustinum; hæc, postrema.

Citat Bellarminus pro explicatione sua S. Cyprianum, S. Augustinum, S. Basilium, Ambrosium, Sedulium, Haymonem, Theodoretum, & Oecumenium. Ad quos omnes, Iunius audacissimè. *Id non dicebant, aut volebant illi. Negatur.* Quid nobis cum tuo *Negatur?* Inspiciantur Auctores, deque impudentia Iuniani huius *Negatur,* iudicium fiat. *At verba Apostoli referuntur ad collationem?* Num ad solam? Quo argumento id euinces? Referri, nunquam negauit Bellarminus.

Quid Danæus? Stultissima quæque, & mendacissima. Mentitur I. *nescire Bellarminum, quis modus obseruatus fuerit in sacris fidelium conuentibus & synaxibus.* An non Bellarminus ex Iustino Martyre modum huiusmodi conuentuum explicat?

Secundò mentitur, *Bellarminum dicere, modum, quem obseruabant veteres Christiani; petitum fuisse à Monachis.* Non enim hoc dicit Bellarminus; sed hoc; Synaxes primorum fidelium fuisse similes illis; quæ à Monachis peragi consuetæ, *Collationes* nominabantur.

Tertiò mentitur, *nullas huiusmodi collationes Monachorum exstitisse;* Hoc commentum satis superque refutant Collationes Patrum à Cassiano in litteras relatæ.

Quartò mentitur, *si quæ tales Monachorum collationes exstiterint, non exstitisse, nisi post Constantinum Magnum. Neq; enim Monachos huius imperio antiquiores esse.* quod mendacium alibi coarguendum erit: & ex libro primo D. Augustini, de Moribus Ecclesiæ Catholicæ satis refellitur, vbi inter cætera, quæ in Catholica Ecclesia erant instituta, etiam Monasticen commemorat, non tanquam nudius tertius natam, sed tanquam Ecclesiæ notam; cumque nata pariter natam.

Quintò mentitur, *Bellarminum non ex scriptura sapere; hoc est, ea, quæ hic de conuentibus Christianorum scribit, non ex scriptura petere.* An non petit pleraque ex priore Epist. ad Corinth. cap. 14. An hæc Epistola non est pars scripturæ?

Sextò mentitur, *Bellarminum sapere ex solo Haymone, Sixto, Rhabano, Ruperto, Lombardo, Aquinate;* quos honoris caussa Caluinianus iste, *quisquilias* appellitat. Quanquam melius absque vlla dubitatione sapit, qui cum tantis viris sapit, quàm qui cum Caluino, Luthero, Beza, & Danæo desipit. AEgrè fert Danæus Doctores istos à Bellarmino citari pro explananda mente Apostoli; in obscuro illo Epistolæ ad Corinthios de Christianorum conuentibus, loco. At cum Bellarminus etiam alleget Ambrosium, Theodoretum, Theophylactum, Basilium, Augustinum, Chrysostomum; num & hos *quisquiliis* annumerat?

B Septimò, impudenter mentitur, *Bellarminum negare, finem scripturæ esse instructionem & consolationem populi.* Neque vnquam hoc somniauit Bellarminus; tantum abest, vt hoc scripserit, cum directè repugnet Apostolo Rom. 15. Quid ergo asserit Bellarminus? Hoc. *Diuinorum officiorum præcipuum finem non esse instructionem vel consolationem populi, sed cultum Dei.* quod longè aliud est, quàm quod hic comminiscitur Danæus; qui vt mendacium suum duplicet; non veretur scribere, Bellarminum, *hoc ipsum,* nempe, finem scripturæ non esse instructionem & consolationem populi, *infra, in hoc ipso capite repetere;* Et hoc non iniuria octauum Danæi mendacium dixeris.

C Nonò mentitur, Bellarminum negare Pauli disputationem 1. Cor. 14. intelligi debere, de sacræ scripturæ lectione & recitatione. Non negat hoc Bellarminus; sed tantum dicit; in magna parte huius capitis, non agi de lectione scripturarum, nec de officiis diuinis, sed de exhortatione spirituali, siue collatione.

Decimò mentitur Danæus, Bellarminum sibi non constare; quòd concedat in illo capite tractari de interpretatione & explicatione *scripturæ.* At *non excludit lectionem & recitationem scripturæ;* quia dicit; in magna parte capitis illius non agi de lectione scripturarum; concedit igitur in aliqua parte agi de lectione scripturarum. Deinde etiamsi diceret Bellarminus in illo capite nil agi de lectione scripturæ; sed de sola explicatione & interpretatione; D non tamen sibi contradiceret; quia per lectionem scripturæ intelligitur separata & seiuncta ab explicatione lectio; quo pacto apud Germanos concionatores primò separatim legi solet Euangelium, vel pars alia Bibliorum; quæ postea explanatur. At certum est scripturam explicari posse, licet talis recitatio peculiaris non præmittatur; nam alicubi, qui ad populum verba faciunt peculiarem sacri illius textus, quem explicandum susceperunt, recitationem non præmittunt; neque enim necessariò cum interpretatione coniuncta est; aut hæc cum illa. En decadem mendaciorum, quæ vno propemodum flatu Danæus effudit.

Quod attinet ad cantica spiritualia, quæ canebantur in conuentibus Christianorum, cõposita à Christianis ad laudandum Deum, & gratias ei agendas, & quæ, ex Bellarmini sententia, Apostolus iubet, lingua omnibus nota concini; negat Iunius talia cantica in sacris synaxibus decantari consueuisse. Verum huic Caluiniano Ministro oppono Lutheranũ Prędicantem Hunnium; qui ista. *Quod etiam de canticis spiritualibus agatur non negamus.* Non negant ergo Lutherani, quod Caluinianus iste imperitè inficiatur. Imo Hunnius ex canticis spiritualibus linguâ notâ concinendis argumentum sumit, quo probet, etiam scripturas in conuentibus Christianorum lingua notâ & vulgari legi debere: *Quia si cantiones illæ, sic erant accommodandæ, vt inseruirent aliorum intelligentiæ, & quæ hinc consequitur, ædificationi; multò magis lectio scripturæ & peractio Sacramentorum ita in Ecclesia instituenda est, vt populus intelligat, atq; hinc fructum percipiat ædificationis.*

Quod ad diuina officia attinet, negamus esse parem rationem. Quia cantica illa concinebantur potissimum propter vtilitatem, ædificationem & consolationem audientium; Debebant ergo linguâ auditoribus notâ institui. At diuinorum officiorũ primarius finis est cultus Dei; qui Deo deferri potest, licet non adhibeatur lingua plebeiis itidem nota. Iam verò lectionem scripturæ referri ad consolationem & ædificationem proximi, nequaquam abnuimus: sed vt audientes fructum hunc percipiant; sufficit, si explicatio & interpretatio linguâ omnibus notâ instituatur; nam propter tenebras & difficultates, quibus sacræ litteræ vndique sunt circumseptæ; non rarò contingeret; si rudes & imperiti solas scripturas absque explanatione audirent; vt potius damnum, quàm emolumentum reportarent.

Scripturæ intelligentia, inquit Hunnius, *populo magis necessaria est, quàm cantionum ab aliis compositarum; quandoquidem scriptura est omnis fidei nostræ fundamentum, estq; organum illud, per quod salutem operatur Dominus.*

Absolutè quidem magis est necessaria scripturæ intelligentia, quàm cantionum; sed huic necessitati satisfit per explicationem & interpretationem. At si linguâ penitus peregrinâ & ignotâ spirituales cantiones ad populi ædificationẽ institutæ decantentur, speratus fructus inde non existet.

Quod Prędicans dicit, *esse axioma Apostoli, si quid dicatur in Ecclesia aut legatur, id verò à cœtu auditorum non intelligatur, dici aut legi sine ipsorum ædificatione*: id non est axioma Apostoli; sed figmentum Prædicantis. Quis enim tam rudis est, vel ex infima plebis sorte, qui inficietur, officia diuina, quamuis peregrino idiomate celebrata, pertinere ad ædificationem auditorum, cum omnes sciant pertinere ad cultum Dei, fieri autem nequeat, vt

A id, quod pertinet ad cultum Dei, simul etiam non ædificet, quamuis linguâ ignotâ peragatur. Deinde licet lectio scripturæ non ædificaret eos, quibus idioma ignotum est, ædificat tamen, si explicatio & interpretatio adhibeatur; quod satis est.

Rursus oggerit Prædicans; *S. Paulum non agere potissimùm de canticis spiritualibus.* Sed oggerit hoc tantùm, neque tamen vel hilum probationis adfert. Quis solùm blateranti fidem habeat, nisi quem magis delectat blaterare; quàm cum ratione agere? Loquimur autem de illis verbis Apostoli: *Si orem lingua, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est. Quid ergo? Orabo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu; psallam & mente.*
B *Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit.* Hæc enim de canticis spiritualibus intelligi, euidenter demonstrat Bellarminus: & tantum abest, vt Prædicans contrarium ostenderit, vt ne conatus quidem fuerit ostendere; nisi solis asseuerationibus suis, quibus omnia transfigere nititur.

Ait Prædicans; *Non intelligi quascunq; cantiones, sed inprimis in scriptura comprehensas, vt Psalmos Dauidis, Asaph, Idithum, filiorum Core.* Arbitratur nimirum Prædicans, istos ex Psalmis fecisse alios Psalmos, & modulos Dauidicos in rhythmos vel versus alios redegisse; eo modo, quo ho-
C die Lutherani & Caluiniani Psalmos Dauidicos rhythmicè & paraphrasticè in peregrinas linguas translatos cantillare solent. Vnde compertum Prædicanti, illos, quibus donum linguarum erat, non alios hymnos composuisse & concinuisse; quàm qui paraphrases quædam Psalmorum Dauidicorum essent? Quasi verò etiam hoc tempore non sit vsitatissimum, hymnos Deo collaudando decantare, qui ex Psalmis non sint desumpti; sed ex pia mente sanctoque Christianorum vatum affectu deprompti.

Iam Hunnius ex illa sua de Psalmis Dauidicis hypothesi huiusmodi argumentum cudit. *Si non vult Apostolus Psalmos Dauidis, Asaph, &c. qui sunt pars*
D *scripturæ, recitari aut decantari lingua peregrina, sed ita tractari vt populus Amen dicere queat, & ad sui ædificationem intelligat: pari ergo modo reliquam etiam scripturam vult legi, & recitari in cœtu Ecclesiæ, in ea lingua quæ intellecta cedat ad ædificationem. At prius verum est. Verum igitur & posterius.*

Mirum est, Prædicantem non vidisse nihil procliuius esse, quàm negare Maiorem: Qua negata, ruit tota thrasonis huius iactantia. Cum enim in Ecclesia semper sint ac fuerint Prophetæ, hoc est, scripturæ Interpretes, qui quacunque linguâ, etiam ignota, lectas populo interpretarentur, causæ nihil erat, cur Apostolus præciperet, vt ipsa lectio & recitatio scripturarũ vbique vulgari lingua fieret; quia ex interpretatione

pote-

poterat populus omnem, quem ex scripturis debet, percipere fructum, omnemque consolationem & spiritualem ædificationem; quandoquidem scriptura ita comparata est, vt absque explicatione vix à vulgo ritè capiatur.

Dices. Etiam cantica spiritualia, quamuis idiomate ignoto composita & decantata potuisse plebi nota fieri per interpretationem, nihil ergo fuisse caussæ, cur Apostolus iuberet ea linguâ vulgari institui; si mẽs eius non erat, vt ipsa scripturarum lectio lingua vulgari institueretur. Respondeo, nos ex scriptura certos esse; Ecclesiæ datos esse Doctores & Interpretes, qui auditoribus scripturas explanent, non autem datos esse Interpretes, qui cantica per donum linguarum peregrino idiomate, vt Persico, vel Arabico composita, fidelibus explicent; præsertim cum aliquando euenerit, vt ne ille quidem, qui loquebatur, linguam, qua loquebatur, intelligeret; vt rectè notat probatque ex ipso Apostolo Bellarminus. Deinde scripturæ ad omnes omnino pertinent, propterea æquum est, vt communes habeant Interpretes; at verò cantica illa spiritualia à priuatis proficiscebantur; proximeque & immediatè ad instructionem & consolationem fidelium referebantur. Quocirca nil opus erat, vt à Deo Ecclesiæ darentur talium canticorum Interpretes & explanatores, & tempus vtilioribus & magis necessariis impendendum, his canticis elucidandis impertiendum fuisset; fortasse cum dispendio aliorum pietatis exercitamentorum; quæ in sacris illis conuentibus suscipi consueuerant.

Dices. In diuinis officiis sæpe leguntur multa, audiente populo, latinè, vt Psalmi, epistolæ diui Pauli; Euangelia, & similia, quæ tamen populo postea lingua vernacula non explicantur. Respondeo, nil esse necesse; quia tum partes scripturæ, quæ recitantur, sunt etiam partes diuinorum officiorum; diuina autem officia primario referuntur ad cultum & honorem Dei; qui Deo deferri potest, licet adhibeatur lingua plebi non cognita. Aliâs extra officia diuina, si quid ex scriptura seorsim legatur, vernaculè legitur; sic concionatores in Germania Euangelia, aut epistolas D. Pauli, aut alias scripturæ partes, quas explicandas susceperunt, prius vernaculè auditoribus clarè & intelligenter prælegunt; vbi autem mos iste non viget; tunc saltem inter ipsam explicationem verba scripturæ reddũtur & proponuntur vernaculè; quo casu interpretatio seu explanatio etiam prælectionis seu recitationis vicem subit. Addo ad extremum, etiam Minorem Prædicantici syllogismi claudicare: Nam Psalmi Dauidis sunt magna pars diuinorum officiorum; falsumque est Apostolum velle, vt ij in Ecclesia, non nisi lingua vulgari, quam populus intelligat, recitentur.

A Perstringit Prædicans Bellarminum, quod dixerit, Apostolum hic tãtùm loqui de oratione & gratiarum actione, quæ fit per donum linguarum, linguâ aliquâ maximè extraneâ, quam nemo intelligebat, vt Arabicâ, vel Persicâ. *Eâdem planè censura notat linguas omnes,* inquit Prædicans, *quæ non intelliguntur à populo.* At primùm, particula illa exclusiua, *Tantùm,* non comparet in Bellarmini verbis. Cur ergo additur à præcone isto; nisi quia lectoribus illudere studet? Secundò, non ignorat Bellarminus eandem esse rationem omnium linguarum ignotarum; imò expresse docet; Apostolum iubere, vt cantica ista lingua nota, nullaque ignota instituantur; sed inter ipsas tamen ignotas linguas vna magis est extranea, B quàm altera; Germanis enim longè magis extranea est lingua AEthiopica, aut Indica, quàm Italica aut Gallica; iam licet Apostolus hymnos istos nullo peregrino idiomate institui velit; ne tamen lingua aliqua penitus extranea, & quæ à nullo prorsus intelligatur; instituantur, magis velle potuit; eo quod tunc intelligentiam huiusmodi canticorum difficilius adhuc consequi possimus: Multo enim citius inuenietur, qui aliquid alicui Italicè aut Gallicè interpretetur, quã qui Indicè vel Iaponicè. Ait Prædicans, *se suosque non agnoscere vlla diuina officia in Ecclesiæ cœtu præter prædicationem verbi ad populum congregatum, & administrationem baptismi ac cœnæ.* Quid ergo sunt *Vesperæ,* quæ à Lutheranis multis in locis concinun- C tur, non sine organica harmonia? Quid sunt preces laudesque *Matutinæ*; quas adhuc nonnullis in templis Cathedralibus decantant? Quid Missæ Germanicæ, quas alicubi celebrant? Fortè has administrationi cœnæ adscribet: Nam quod præterea addit; *tempore Baptismi & cœnæ vernaculè populum de vtroque mysterio instruendum esse*; id sæpè nimis serum foret; Quocirca Catholici Doctores dant operam, vt hæc & id genus alia religionis nostræ arcana; populo totius anni decursu explanent, non tum primùm, quando iam percipiendi sacramenti tempus instat.

Christianos antiquos cantica spiritalia composuisse probat Bellarminus primò ex Philone, D de Essæis. Respondet Hunnius, *incertum esse, num illa Philonis ad Christianos pertineant.* At pertinere euidenter demonstraui in tribus Apologiis pro vita B.P.N. Ignatij contra impudentiam Miseni. Idem copiosè nuper docuit lib. 3. Trihæresij Serarius noster. Mentitur deinde, *Eusebij iudicio non esse certum, vtrum Essæi illi fuerint Christiani.* Quid ergo volunt sibi illa Eusebij verba lib. 2. hist. Eccles. cap. 16. *Ista Philonis tam perspicua, tamq; rata testimonia de nostra religionis viris solùm tradita esse pro certo arbitramur.* At Eusebius dicit, *probabile esse, Philonem per commentarios, quibus Essæos vsos scribit, intellexisse Euangelia, & Apostolorum scripta, & expositiones quasdam veterum, vt videtur.* Prophetarum mysteria

aperientes. Non nego Eusebium hoc dicere; Verùm aliud est dicere; probabile esse Commentarios Essæorum fuisse scripturas Apostolicas & Euangelicas, & quasdam expositiones arcana Prophetarum pandentes; & aliud; probabile esse; Essæos fuisse Christianos. Prius asserit Eusebius. Posterius, nequaquam. Non enim dicit, sibi *probabile videri*; sed, *pro certo arbitramur*, dicta illa Philonis non nisi de Christianis intelligi debere; & per consequens, Essæos Christianos fuisse.

Loquitur illic Philo, inquit Prædicans, *de eiusmodi hominibus, quorum aliqui vix toto triduo cibum capiant: qua de re quid sentiat Apostolus, indicio est ipsius sermo Rom.13. & Colos.2.*

Certè ex hoc indicio manifestè liquet non fuisse Lutheranos; quibus triduanum ieiunium, durius morte ipsa supplicium foret. Quod si biduanum vel triduanum ieiunium non est Christianum; neque scriptis Apostoli consonum; non igitur Christianus fuit tuus Lutherus, de quo in præfatione secundi tomi ista Melanchthon. *Vidi continuis quatuor diebus, cum quidem rectè valeret, prorsus nihil edentem aut bibentem.* Quamquam verisimile est mentiri Philippum; cum ventri potens Lutherus adeo vorax bibaxque fuerit; vt ne vltimo quidem vitæ suæ die à largo prandio & opipara cæna abstinuerit; vt testantur epistolæ, quæ de morte eius vulgatæ sunt.

Misso Luthero, dic Prædicans, erantne Christiani, de quibus S. Augustinus hæc scripsit lib.1. de moribus Catholicæ Ecclesiæ cap. 33. *Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequaq; vsitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissimè sine cibo ac potu ducere. neq; hoc in viris tantùm, sed etiam in fœminis.*

Pergit Prædicans. *Neq; quidquam ex Philone profert Eusebius, quod non ad Iudæos accommodari queat.* Mentiri Prædicantem docent tres meæ Apologiæ aduersus Misenum; & Trihæresium Serarij eiusdemque Minerual, Pseudoscaligero & Drusio persolutum; & ipsa Eusebij lectio. Et si omnia, quæ Eusebibus adfert, Iudæis accõmodari possent; quæ tamen non possunt; certè perpetuæ virginitatis & castimoniæ professio tam virorum quàm mulierum, Iudæis accommodari nequiret. Ferè enim tam parum erat hæc professio Iudaica; quàm parum hodie est Lutherana vel Calniniana.

Ait Prædicans: *Si maximè ad Christianæ professionis homines pertineret: tamen enumerantur illic, quæ ab Apostolica Theologia sunt remota, præsertim quæ de Allegorica expositione scripturæ dicuntur, prodeunt ex officina Origenis, qui absynthio suarum allegoriarum fontes diuinæ scripturæ horribiliter vitiauit.*

Sed mentitur simul & calumniatur Hæreticus: cũ enim Philo & Essæi Origenem ætate longè antecesserint, fieri non potest, vt Essæi rationem scripturas allegoricè explicandi ex officina Origenis desumpserint. Deinde num omnis al- A legorica scripturæ explanatio prohibita est? Profecto non magis, quàm moralis vel tropologica. Quod si quis in allegoriis modum excedat, & amore allegoriarum abreptus ipsum litteralem sensum destruat; hic perperam agit. Sed ita in allegoriis Essæos versatos esse; quo argumento nobis planum faciet Prædicans?

Idem de Canticis spiritualibus probat Bellarminus ex Apologetico Tertulliani. Respondet Prædicans: *non esse bonam hanc consequentiam. Tempore Tertulliani canebant Christiani cantiones à se compositas in cœtu Christianorum, ergo etiam tempore Apostolorum.* Nonne suprà concesserat Prædicans, Apostolum in illa ad Corinthios epistola loqui B etiam de canticis spiritualibus non ignota, sed vulgari lingua in conuentu fidelium concinendis? Canebantur ergo etiam Apostolorum temporibus. Deinde si Ecclesia, Tertulliani æuo, hũc morem habuit; vnde, oro, nisi ab Apostolis, à quibus propè aberat, accepit?

Ad locum ex epist. ad Ephes.5. & Coloss.3. vbi hortatur Apostolus, *vt in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus seipsos commoneant*; Respondet Prædicãs, *eum loqui de Psalmis & Hymnis in scriptura comprehensis, & hoc certius esse, quàm vt vllo colore negari queat; quidquid tandem dicat Haymo à Bellarmino citatus.* Sed quidquid garriat Prædicans, nunquam euincet, Apostolum non loqui in epistola ad Ephesios & Colossenses, etiam de Canticis spiri- C tualibus, quæ ipsi Christiani composuissent, præsertim cum concedat Prædicans, S. Paulum in epistola ad Corinthios de his Canticis loqui; Et quamuis etiam iuberet, vt se mutuò excitarent *Cãticis, & Hymnis spiritualibus*, qui in scriptura continentur; quæ proculdubio etiam est Apostoli mens ac sententia; attamen minimè sequitur, voluisse Apostolum, vt Hymni illi lingua Græca, Hebræa, & Latina scripti vel scribendi, recitarentur etiam & concinerentur in Ecclesia, quauis linguâ vulgari; quia non dixit, vt omnes se mutuò in Ecclesię cœtu Hymnis spiritualibus commoneant; sed ita id præcepit, vt etiam extra Ecclesiæ cœtum præstari posẜit. Deinde, diuina of- D ficia celebrabantur Græcè apud illos, ad quos scribebat; quam linguam plerique intelligebãt: vnde cantando se mutuò omnes vel plerique se commone facere poterant. Tertio, *in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus* scripturæ, omnes, etiam hoc tempore, se commonere possunt, licet Cantica illa non canantur aut recitentur vernaculè in publico Ecclesię cœtu; quia commonitio ista fit per interpretationem & explicationem sacerdotum seu concionatorum, qui plebeis lingua vulgari hymnos scripturæ, vt & alias scripturæ partes, explanant; eosque officij sui commonefaciunt; & ad virtutis studium sectandum inuitant: quod postmodum ipsi etiam auditores, etsi ex ordine vulgi, præstare queunt; instructi nimirum à doctoribus & interpretibus.

Quod

Digitized by Google

Quod subiicit hypocrita, inquit Prædicās, *quoniam ista Cantica sunt ad populi consolationem, vult Apostolus, vt fiant lingua, quæ intelligatur, nonne suo se iugulat gladio? An non enim & Psalmi Dauidis, imo vniuersa scriptura in hunc finem est tradita, vt per consolationem scripturarum spem habeamus. Rom. 15. qui potest autem scriptura hūc finem consolationis assequi apud populum Christianum, si legatur ea lingua quam populus ignorat?*

Hunc consolationis finem rudes assequi possunt per exhortationem & explicationem Interpretum seu Doctorum; Ideo enim Deus dedit Ecclesiæ Doctores & Pastores, vt imperitā multitudinem erudiant & pascant; explicandis & expandēdis sacrarum litterarum arcanis; & quamuis scripturæ lingua vulgari in Ecclesiæ cœtu legerentur vel canerentur, quotus tamen quisq; ex plebe, legitimum sensum assequeretur; cum pleraq; scripturæ loca ita sint comparata; vt vix tandem ab eruditis, licet magna adhibita attentione & consideratione, penitus penetrentur.

Adhæc finem consolationis assequuntur etiam vulgares, quando vident ad diuina officia, Deique laudes celebrandas sacram scripturam adhiberi. Quis enim tam sit plumbeus, qui quādo Matutinis vel vespertinis laudibus; vel Missæ officio adsistit; non simul etiam mentē ad Deum eleuet; indeque rore spiritualis solatij perfundatur, licet eas scripturæ partes, quæ in his officiis decantātur vel recitantur, nō intelligat? His peractis digreditur Prædicās in conuicia gratia varietatis, quæ, vt vulgo dici solet, *delectat.* Vocat Bellarminum *corruptæ mentis hominem, qui nesciat, quid dicat aut statuat, quid pro se faciat, quid contra se.* Hæc talia euomit; quia his glandibus Lutheri de grege porcos oblectari & saginari nouit. Dicit Bellarminus; non omnes in Corinthiaca Ecclesia intellexisse Græcam linguam. Miratur Prædicans, qua ratione hoc verum sit, cum Corinthus fuerit Græciæ ciuitas; & ne ignoraremus situm eius; admodum Geographicè nobis imaginem eius ob oculos ponit. Sed perinde est, ac si, aliquo dicente; non omnes qui hodie degunt Constantinopoli, scire linguam Turcicam, aut non omnes, qui Norimbergæ versantur, nosse linguam Germanicam; nec omnes, qui Cracouiæ habitant, perspectam habere linguā Polonicam; Prædicans miraretur, quomodo non omnes sciant Turcicam linguam: cum Constātinopolis sit ciuitas in Turcia; & quidem Metropolis; nec omnes Germanicam, cum Norimberga sit Germaniæ ciuitas; nec omnès Polonicam, cum Cracouia sit primaria vrbs Poloniæ; quasi verò ad celebria cuiuscunque nationis loca non soleant omnis generis & idiomatis homines confluere; vel negotiandi, vel etiam habitandi caussa; qui tamen linguam loci illius non teneant. Quot habitant Pragæ, quibus ignota est lingua Bohemica? Quot in Hungaria, qui non callent Hungaricam? Quot in Græcia; qui Græcè nesciunt? Idem Corinthi factum cogita; tempore Pauli.

Obiicit Prædicans: *Omnium interest, vt intelligāt diuina officia, hoc est, sacramētorū admininistrationē.* Negamus diuina officia nō patere latius, quàm sacramentorum administrationem: quia horæ canonicæ sunt diuina officia; neq; tamen sacramentorum administratio. Secundò negamus, *omnium interesse*; vt quæuis diuina officia speciatim intelligant: sufficit illis generalis notitia; scire nimirum, hæc ad laudem cultumque Dei spectare; quia diuina officia non sunt primariò propter fidelium instructionem, sed propter cultū & honorem Dei. Tertiò, licet ea diuina officia, quæ sunt sacramentorum administratio, vel in sacramentorum administratione consistunt, aliquo modo intelligi debeant à fidelibus; hanc tamen intelligentiam satis superq; assequi possunt per exhortationem & interpretationem doctorum & cōcionatorum Ecclesiæ. Quis enim apud Catholicos nescit, quid in Missa agatur, licet nō intelligat linguam, qua Missa celebratur? Quis itidem ex institutione pastorum nescit; quid in baptismo fiat, aut quid percepturus sit; quando ad Eucharistiam sumendam accedit? *At populus debet dicere, Amen,* inquit Prædicans, *quomodo id faciet; si nō intelligat linguā, qua diuina officia celebrantur? neq; opus erat illud, Amen, ita solenniter & clara voce respondere, sicut in templis sacrificulorum, sed intelligit Apostolus per illud, Amen, auditorum assensum, approbationem, & in precando coniunctionem, &c.* Respondeo, Apostolum voluisse, vt ad cantica ab ipsis fidelibus composita; christiani responderent; *Amen*; & idcirco iussisse; vt linguâ notâ instituerentur: At de diuinis officiis nūq̄ dixit; vt idiotæ & plebeij respōdeant, *Amen*; quāuis pōterant in Corinthia Ecclesia, quia pleriq; linguā Græcā, qua celebrabātur diuina officia, intelligebāt. Tertio dico; etiā populū posse respōdere, *Amē*, hoc est, id ꝙ Latina vel Græca lingua recitatur vel decātatur, assensu suo approbare; quia populo exploratū est ꝓbeꝗ; ꝑspectū in diuinis officiis nihil aliud recitari aut decātari, nisi ꝙ *Amen*, hoc est, vt Prædicans interpretatur, *assensum & approbationē* mereatur; certi enim sunt solum id, quod sanctū honestumque ac laudabile est, à ministris Ecclesiæ eo tēpore recitari. Quæ generalis notitia sufficit, vt quis *Amen* respōdere queat; etiamsi id ab illo exigeretur. At quādo christiani, ignotâ penitus linguâ, cātiones spirituales à se compositas decātabāt; ne generali q̄dē notitia cōptū habebāt, q̄dnā illud esset, ꝙ canebatur; & sic non poterāt reddere *Amen*; quandoq̄dem nesciebāt, vtrū assensu vel dissensu, approbatione an improbatione dignū esset. Quod ridet Prædicans *Amen* in templis Orthodoxis clara voce à Choro, vt vocant, redditum; quærere lubet; an nunq̄ pedem intulerit in vllum Lutheranū fanū, in quo itidē precibus Prædicantium à responsante multitudine sonora, imo & Stentorea voce, *Amen* redditum fuerit? Si *Amen* non debet reddi, clarè & sonorè, cur id fit, in non paucis Lutheranorum delubris?

Dicit

Dicit Bellarminus; successu temporis, crescẽte fidelium multitudine, solis clericis relictum, vt in publicis Ecclesiæ conuentibus psallant. Negat Prædicans hoc esse verum; nec aliter probat, nisi călumniis; & inanibus tantologiis & battologiis. Calumniam vide in his. *Ex Ecclesiis nostris sacrificorum grex & fex suo merito pulsa est*: Substitutis nimirum Prædicantium quisquiliis & peripsematis. Tautologiam agnosce in istis. *Paulus vult, vt in diuinis omnes psallant, etiam rudes & plebeij; ergo hoc non conuenit solis Clericis*. Vbi hoc Paulus? Produc locum. Nota autem Prædicantem, vocabulum *Clerici* vocare *stylum pontificium*. Rectè. Quia profectò *Clericus* non sonat Prædicantem Lutheranum, aut Caluinianum; sed solùm Catholicæ & Orthodoxæ Ecclesiæ ministrum.

Vt Iunius Caluinista refellat ea; quæ Bellarminus in destructione primi hæretici argumenti disserit; à mendacio exordiendum censuit. Ait, *negasse Bellarminum, cantiones spirituales intellectas fuisse ab illis, à quibus canebantur; & tamen postea contrarium asserere*. Mentitur Iunius: non enim dicit Bellarminus absolutè non fuisse ab illis intellectas; sed *sæpè* non fuisse ab illis intellectas; aliquando enim à spiritu ita agebantur; vt quæ peregrinâ linguâ canerent; ipsimet non intelligerent: cum hoc tamen consistit; ipsosmet non rarò cantiones spirituales composuisse; & per consequens, intellexisse; & intellectas decantasse.

Negat Iunius cantiones spirituales quas Bellarminus ex Philone & Tertulliano adducit; *decantatas fuisse in Ecclesiæ sacris conuẽtibus, tempore collationum aut prophetiarum; sed post absolutam cœnam publicam, quam aliquando Christiani instituebant, maximè in refrigerium inopum*. Sed aduertere debebat Iunius post huiusmodi cœnam publicam, & quidem in conuentu fidelium & in Ecclesia semper exhortationem, & scripturæ interpretationem, quam Apostolus Prophetiam vocat, & collationem institutam fuisse; atque adeo cœnam illam non sacram, in sacrum conuẽtum desiisse. Quod hæc Tertulliani verba planissimè testantur. *Post aquam manualem & lumina*, (id est, postquam finitâ cœnâ manus ablutæ sunt & lychni accensi) *vt quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere*. Vbi nota illud; *Deo canere*; quod sacrum quid, non profanum significat. Nota & illud: *de scripturis sanctis*: licet enim Tertullianus hoc loco verbum *canendi* duntaxat vsurpet; non tamen dubium est; quin etiam tunc agerent; quod paulò superius in eodem cap. 39. Tertullianus scripserat: *Cogimur*, hoc est, conuenimus, *ad diuinarum litterarum commemorationem; si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus: ibidem etiam exhortationes, &c*. Imò cum his conuentibus, In quibus hæc fiebant, plerunque iungebantur cœnulę illæ; quas *ἀγάπας* appellabant, erantque pars sacri illius conuentus: neque enim agit Tertullianus de illis cœnis, quas quiuis domi suæ Christianus parare ac instituere poterat; sed de illis, quas Christiani in vnum coacti & congregati quandoque instituebant, maximè refocillandis iis, quibus domi res & facultas tenuior erat. Quia igitur cœnulæ illæ sequebantur post conuentus sacros, in quibus scripturæ legebantur & explanabantur, & cohortationes adhibebantur; post cœnulas autem illas cantionũ spiritualium modulatio subiiceretur; hinc rectè dixit Bellarminus ex Tertulliano liquere, Christianos consueuisse, cantica spiritualia componere, & canere in Ecclesia tempore collationũ spiritualium: quia licet post *agapas* finitas nulla scripturæ lectio, aut explicatio, aut collatio instituta fuisset; verum tamen scripsisset Bellarminus; quia antecessit; & totus ille conuentus pro vno reputabatur; nec profanus erat, sed sacer.

Locos D. Pauli ad Ephes. 5. & ad Coloss. 3. negat Iunius *pertinere ad publicos sacrosque Ecclesiæ conuentus: sed tantum ad priuata conuiuia*. Contrà affirmat Lutheranus Prædicans Hunnius, vt supra visum: & certè omnes Apostoli syllabæ clamant, commonitionem illam mutuam in Psalmis & Hymnis & Cãtionibus spiritualibus posse etiam quadrare in publicos & sacros Ecclesiæ conuentus; nam quod Apostolus ad Ephesios præmittit; *nolite inebriari vino, in quo est luxuria*; nil obstat; quia separatum est præceptum, vbiq; obseruandum; & quamuis Apostolus respexisset ad conuiuia, quæ *agapæ* dicebantur; ne scilicet in illis ebrietati indulgerent, sed potius Psalmis & spiritualibus Cantionibus se mutuò ad diuinas laudes celebrandas incitarent, id tamen sententiæ nostræ non officeret; quia *agapæ* illæ erant pars sacri conuentus, vt iam ex Tertulliano ostendimus: *At orta fuisset ἀταξία & confusio, si cuiuis fuisset integrũ Cantiones à se compositas decantare*, inquit Caluinista. Certè non magis, quàm in collatione & disquisitione. Quia vt hic suæ cuique erant loquendi vices; ita & illic canendi.

Ad Philonem respondet Caluinista; *eum agere de Essenis, non de Christianis*. At istos fuisse Christianos iam alibi ostensum est; vt supra dixi. *Cæterum Eusebium falsum* (cuius iudicio, nisi Caluinistæ?) *Philonis verbis abutitur* (scilicet, te censore) *cum inscitè ad Christianos traducit, quæ ille de Essenis dixerat*: sic enim inscitus Caluinista cauillatur. Cui Dionysius Areopagita est *Supposititius*; vt & Hierotheus à Dionysio citatus. Caussam dat; *quia vterque fuit Hieronymo ignotus*. Si hoc est indicium auctoris spurij, nõ paucos alios spurios esse oportet; quia non paucos alios præteriit suo in Catalogo diuus Hieronymus. Vetus est hæc aduersus Dionysium cantilena; sed iam ꝑtrita & penitus contrita; vt mirum sit repetitionis non puduisse Iunium.

Eusebium errare in opinione & iudicio de Essenis, constare ait Iunius ex Hieronymo *in vita*

Pauli Eremitæ. in ipso principio. At in illo principio nihil aliud inuenio, quàm Hieronymi iudicio, Paulum fuisse primum Eremitam, qui scilicet vastam illam & horridam solitudinem incoluerit, non primum Monachorum; qui non per inuiam eremum, sed per villas & agros domicilia figebant, vt de Essæis Philo memorat.

Videtur Iunio mirum, quomodo fieri potuerit, vt aliqui essent Corinthi, Græcæ linguæ ignari, prout affirmat Bellarminus. Pari ratione mirari poterit, quomodo aliqui versentur Pragæ in Bohemia, qui nesciant Bohemicè; & Possonij in Hungaria, qui nesciant Hungaricè. Ipse Iunius diu Heidelbergæ in Germania, & Leidæ in Holandia versatus est; & tamen fortassis neque Germanicam neque Holandicam linguam tenuit, quippe Gallus natione.

Quod Bellarminus dicit, solis Clericis relictum esse, vt communes preces in Ecclesia peragant; id sic refellere nititur Iunius. *Ecclesia est populus Dei.* (Quis neget? Notum est; *Ecclesiæ* vocabulo etiam fidelem plebem interdum contineri; etsi non perpetim: sæpe enim nomen *Ecclesiæ* Clerum duntaxat, vel magistratum Ecclesiasticum significat) *Oratio Ecclesiæ est, quæ fit ab Ecclesia.* Distinguo; *mediatè*, vel *immediatè*; *adæquatè*, vel *inadæquatè*; per se totam, vel per illos, qui totius vicem gerunt. Conclude iam. *Ergo oratio Ecclesiæ fit à populo Dei.* Non negamus: sed num à toto per se, *proximè & immediatè & adæquatè?* Hoc tibi probandum remanet Iuni; quod nisi probes, fumos & verba vendis.

Ais; *si qua oratio non fit à populo Dei*, per se scilicet; vel per partes quæ totius vicem obeunt; *non est oratio Ecclesiæ, etsi in Ecclesia fit.* Non abnuo; sed cum distinctione data. quia falsum est, orationem, quæ fit à Clero, non fieri à populo; fit enim à Clero nomine & loco populi; sicut oratio legati, quæ instituitur ad Regem quempiam nomine totius Reipublicæ; est oratio totius Reipublicæ; non *immediatè*; sed *mediatè* in Legato.

Si quis dicat, inquit Iunius, *Ecclesia est corpus Cleri. Ergo. æquiuoca est propositio, & quatuor habet terminos itaq. nihil efficit.* Mirabiles loquendi formulas audio. *Ecclesia est corpus Cleri:* perinde ac si dicas: Homo seu totum hoc integrum, quod vocatur homo, est corpus capitis, vel manus, vel pedis. Quis vnquam audiuit, aliquod totum seu integrum esse *partis corpus?* Deinde, quod in integro syllogismo vitiosum est, id transfert iste ad vnam enunciationem, quasi vitiosa sit, si constet quatuor terminis. Imo licet sex septemue terminis constet, non ideo vitiosa erit. Quid somniat hic de quatuor terminis; & in qua Bellarmini propositione hos quatuor terminos reperit? Vbi dixit Apostolus 1. Corinth. 14. *Communes Ecclesiæ preces debere ab omnibus, etiam idiotis, peragi;* immediatè videlicet, & per se; sic enim intelligit Caluinista.

A *At idiotæ sunt pars Ecclesiæ, quæ corpus est.* Etiam idiotæ & opifices in Republica sunt partes illius Reipublicæ, num propterea & ipsi orationem instituere debent ad Regem vel Principem; si quando cōmuni nomine legatio ad Regem aut Principem instituitur?

Secundum Hæreticorum argumentum: *Ex oratione non intellecta nulla vtilitas sequitur. Isaiæ 29. & Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, &c. & 1. Cor. 14. Si orem lingua spiritus meus orat, mens autem sine fructu est. Igitur preces omnes tam publicæ, quam priuatæ lingua vulgari fieri debent.*

Respondet Bellarminus inter cætera, falsum esse, quod ex publica Ecclesiæ oratione nulla vtilitas percipiatur, nisi ea oratio à populo intel-
B ligatur; quod fusè postea ostendit.

Respondet Hunnius, *Bellarminum committere fallaciam plurium interrogationum.* Quæ stultissima est responsio, cum in tota illa ad hoc secundum argumentum solutione nil prorsus interroget Bellarminus; sed absolutè & categoricè ad argumentum respondeat. Potestne *fallacia plurium interrogationum* absque interrogationibus committi?

Iunius ait Bellarminum illudere *elenchi ignoratione.* Sed tam scit Iunius quid sit *elenchi ignoratio*, quam Hunnius quid *fallacia plurium Interrogationum*; vtrunque vtrique æque est perspectum; quibus tamen, & id genus aliis responsis, passim
C vtuntur; eo solum fine, vt aliquid ad rem dixisse videatur, licet nihil prorsus, quod ad rem faciat, attulerint.

Non quæritur, inquit Hunnius, *an intercessio vnius Christiani apud Deum prosit alteri, quacunq. tandem fiat lingua. Est hoc extra controuersiam.*

Imo hoc quæritur, quia vos Prædicantes perpetuò clamatis, orationem; quæ nomine Ecclesiæ fit ab Ecclesiæ ministris, nihil prodesse plebi, quòd non fiat lingua plebi nota. Prodesse; euidenter ostendit Bellarminus.

Quæstio est, inquit Prædicans, *de precibus publicis, quas simul vniuersa Ecclesia coniungere debet, num conueniat & vtile sit lingua ignota institui.* Tu arbitratu tuo formas quæstionis statum; si communes Ec-
D clesiæ preces à toto populo persolui deberent, vt tu in quæstionis statu supponis, iam cessaret omnis quæstio de lingua; Quis enim è vestigio nō animaduerteret, preces publicas Ecclesiæ instituendas esse lingua populo nota; quādoquidem à populo persolui non possunt, nisi noto idiomate? status igitur quæstionis est; vtrum preces publicæ concipiendæ sint lingua vulgari & populo nota. Vos affirmatis; caussam redditis; *quia alioqui populo non prosunt illæ preces; & quia à populo persolui debent; ergo lingua populari.* Nos ad quæstionem negatiuè respondemus; probamusque prodesse populo; licet nec linguā notā populo; neq; ab ipso populo; sed à Clericis loco populi persoluantur.

A Dictum Isaiæ: *Populus hic labiis me honorat*; Prædicāti occasionem dedit exspatiandi contra statas preces Sacerdotum, Monachorum & Monialium; & contra traditiones. Quo in campo cum versantur Prædicantes; tum demum diserti sunt; sannisque, conuiciis, maledictis & mendaciis copiosi. Quis Prædicantium in hac materia caninam suam facundiam non exercuit; nec tamen eruditorum; sed scurrarum more?

Citat Bellarminus dictum Origenis Homil. 20. in Iosue, asserentis, si quis audiat scripturæ lectionem; quam non intelligat, hanc saltem vtilitatem inde capere, *quod solo auditu, velut precatione quadam, noxiarum virtutum, quæ te obsident, virus depellitur.* Similia D. Chrysostomus Homil. 3. de Lazaro. Occinit præco. *Non loquuntur de scriptura lecta linguâ alienâ; sed de scriptura lecta quidem lingua materna, quæ tamen ob rerum sublimitatem non cuiuis in omnibus suis partibus sit obuia.* Hoc dicit Prædicans; fidem non habeo; crederem; si aut Origenes aut Chrysostomus hanc suam esse mentem nobis indicassent. Loquuntur enim absolutè de illo, qui vel audit vel legit scripturam; nec tamen intelligit; dicuntque, ex hac ipsa, licet non intellecta lectione, sanctimoniam quandam contrahi; & Dæmones nobis insidiantes, velut ex *opere operato*, pelli ac fugari. Quis autem magis non intelligit; quàm qui nihil intelligit? Itaque, si quis Scytha aut Gotthus linguæ Græcæ planè ignarus, audiuisset, scripturas Græcè legi; aut ipsemet Græcè legisset; tametsi non intellexisset, ex sententia Origenis & Chrysostomi, non modicam vtilitatem inde hausisset; Nec obstant illa Origenis verba: *Si enim vides, ô auditor, legi scripturam in auribus tuis, quam non intelligis; & sensus eius tibi videtur obscurus*: quia nemini sensus lectæ scripturæ magis est obscurus; quàm qui linguam; qua scriptura legitur, non intelligit. Magis vrgent illa sancti Chrysostomi: *Quanquam fieri non potest, vt omnia ex æquo ignores.* quæ non nisi ad illum, qui linguam intelligit, referri posse videntur. Quod licet Hunnio liberaliter concederem; nihilominus à mente sancti Chrysostomi non deflectet, qui dixerit; verba scripturæ etiam ignoto idiomate recitata auditoribus vtilitatem adferre; nā qui verba quidem intelligit; sensum autem non percipit; iure comparatur illis, qui nihil intelligunt: cum, æquè ac isti, non sanctificentur, per singulorum verborum intelligentiam; sed per verborum vsum & quasi contactum seu contrectationem; quæ etiam ignorantibus linguam conuenit.

Citat insuper Bellarminus sanctum Augustinum, qui lib. 3. de doctr. Christ. cap. 9. dicit: *Iudæos non frustra coluisse Deum figuris & cæremoniis quarum significationes multi eorum non intelligebant.* Oggerit Prædicans: *Has cæremonias fuisse scriptas lingua Hebræis nota.*

Respondeo, non quæritur, qua lingua fuerint scriptæ; sed num cæremoniæ & figuræ, quarum significationes plerique non intelligebant, fuerint illis vtiles, & Deo gratus cultus. Secundò, cæremoniæ istæ scriptæ fuerunt lingua populo nota, ante captiuitatem Babylonicam, non posteas vt suo loco vidimus. Et quamuis apud sacerdotes & in sacris vsus esset veteris linguæ Hebrææ; ex vulgi tamen vsu iam abierat.

Concedit tandem Prædicans, quamuis reluctans, *profuisse illas cæremonias rudioribus; etsi vim earum non intelligentibus*: cur non & Ecclesiæ communes preces populo prodessent, licet vim earum populus non assequatur? *Precibus vestris*, inquit Prædicans, *admiscentur superstitiones.* Quæ illæ? Silet. Rursus: *Sunt sine mandato Dei.* Quî verò?

B An nō monemur, vt sine intermissione oremus? Adiungitur *opus operatum*. Sed tu quouis *operario* crassior, & capitis spissioris plane nescis, quid sit *opus operatum*; quam ruditatem cum cæteris Prædicantibus communem habes.

Vide nouū Prædicantici stuporis specimen. *Exemplum*, inquit Hunnius, *Iudaici populi multò magis contra Papistas militat. Si enim ne tum quidem, vbi ex Dei consilio quorundam explicatio in tempus differebatur noui fœderis, fas erat sacra peragere lingua ignota: quanto minus iam licet, vbi omnes obscuritates pristinæ per exortum Solis Iustitiæ sunt sublatæ.*

Quid hæc *ad rhombum?* Libet enim vti voce

C toties à Prædicante iactata; & propemodum ad nauseam vsque inculcata. Non est quæstio, qua linguâ diuina officia Hebræi celebrarint; sed nū cæremoniæ, quorum vim populus non intelligebat, fuerint populo vtiles, Deoque gratæ & acceptæ.

Adhæc si Hebræa, Græca, aut Latina lingua alicui genti vulgaris esset; minimè prohiberetur gens illa tali vulgari idiomate diuina officia celebrare; vt patet exemplo superiorum ætatum, quando Græca & Latina lingua amplissimis populis erant vernaculæ ac vulgares.

Tertiò; quidquid Prædicātes tergiuersentur; post exilium Babylonium diuina officia apud Hebræos nō instituebantur lingua vulgari; quia

D vulgaris erat Chaldaica, & pòst, Syriaca; sed lingua plebi ignota, hoc est, veteri Hebræa. *At omnes obscuritates iam sunt sublatæ.* vmbræ nimirum & inuolucra Mosaicæ legis sublata sunt. Sed non omnes vmbræ & inuolucra, *ignorantiæ*, quæ imperita multitudo habet in capite; alioqui omnes iam etiam rudissimi; doctissimi doctores essēt. Quæso te, fuitne in veteri testamento præfiguratum vel præsignificatum fore tempus; quo diuina officia idiomate omnibus noto & vernaculo celebrarentur? Vbi hæc figura in antiqua lege?

Profert Bellarminus alium locum D. Augustini ex lib. 6. de Baptismo cap. 25. vbi dicit, multos vsurpare preces per ignorātię simplicitatem,

non modò ab imperitis loquacibus, sed etiam ab Hæreticis compositas, arbitrantes, quod bonæ sint; neque tamen has preces esse infructuosas. Hic locus Augustini, inquit Prædicans, *quid obsecro prodest Iesuitæ; & quid ad præsentem caussam?* Hoc prodest Iesuitæ, & hoc ad rem facit; quia luculenter ostendit, orationem, licet non intellectam; fructu suo in conspectu diuino non carere. *At Augustinus nō loquitur de oratione peregrino idiomate concepta.* Esto: loquitur tamen de oratione; cuius vim non intelligat ille, qui orat, licet lingua nota concepta sit; dicitque, non esse inutilem, quamuis non intelligatur. Si igitur precatio potest esse vtilis in lingua nota; licet vis eius non intelligatur; cur, obsecro, esset inutilis in lingua plebi ignota, quando fit pro populo & loco populi à destinatis Ecclesiæ ministris?

Clamat Prædicans: *Nonne coram Deo vna lingua tam sancta & pura est, quàm alia?* Respondeo, absolutè quidem & absque relatione ad aliud vel alia; omnes æquè esse sanctas, non tamen omnes æquè esse sanctas, si spectentur secundum quasdam habitudines; & prærogatiuas peculiares; exempli caussa, Hebræa lingua non magis pura est & sancta coram Deo, in se præcisè considerata, ac Germanica vel Polonica; at si consideretur, vt lingua populi Dei; ab ipso Deo vsurpata; & cælestibus arcanis patefaciendis & explicandis adhibita; sic in conspectu Dei purior est & sanctior, quàm lingua Germanica vel Polonica. Vnde etiam per antonomasiam lingua sancta dici solet. Quam appellationem si linguæ Germanicæ aut Polonicæ tribuas, risum excitabis quam maximum; quis enim vnquam has duas linguas appellauit sanctas? Sic Græca & Latina non sunt puriores & sanctiores apud Deum, quã aliæ; sanctiores tamen sunt, relatæ ad crucem Christi; in qua cum Hebræa quodãmodo dedicatæ & consecratæ sunt; qua dignitate & præcellentia carent Germanica & Polonica lingua; vt taceam, Græcam quoque linguam, adhibitam consignandis noui testamenti & legis gratiæ mysteriis. Quod non improbabiliter etiam de Latina lingua affirmatur, propter Euangelium sancti Marci. In quo duæ istæ linguæ aliis longe antestant.

Non sonat incommodius, ait Hunnius, *in Dei auribus, si quis Christianus Scytha precetur Scythica lingua, quàm si Latinus lingua omnium elegantissima Latina, vel Græcus Græca.* Verum hoc quidem est absolutè loquendo; deque precibus priuatis: At non est verum, posita Ecclesiæ præceptione & praxi communi; quæ iubet, vt preces publicæ in conuentibus publicis, non nisi tribus sæpè iam nominatis linguis celebrentur. Istę enim preces alia lingua institutæ, quàm Deus per Ecclesiam & traditionem perpetuam velit; incommodè sonant in auribus Dei; qui mandauit, vt Ecclesiam audiamus, & si non audiamus pro publicanis & Ethnicis habeamur.

A Citat Bellarminus Origenem; vt ostendat, precationem prodesse; licet à precante non intelligatur. Quid Prædicans? *Origenis loca non agunt de precatione in ignota lingua vbi nihil prorsus percipiat, sed de carminibus lingua quidem populari compositis, quorum tamen non omnes partes intelligas, summam verò nihilominus assequaris.* Manifestè mentitur Prædicãs; quia Origenes dicit: *Etsi nos non intelligimus, quæ de ore proferimus, illæ tamen virtutes, quæ nobis adsunt, intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ, adesse nobis, & ferre auxilium delectantur, &c.* En clara Origenis verba de omnimoda non intelligentia; non enim dicit; eas preces prodesse, quas partim intelligimus; sed prodesse, licet *non intelligamus*; eoque modo comparati simus, quo vel incantato-

B res, qui verba quædam, tametsi penitus sibi ignota, proferentes, vel sopiunt, vel ex cauernis protrahunt serpentes; vel ægri; qui medicamenti fructum & vtilitatem percipiunt, quamuis medicamenti vim & efficaciam minimè intelligant. Quocirca tota Origenis ratiocinatio huc tandem redit. Quemadmodum incantator per verba sibi ignota, & æger per pharmaca, quorum virtutem nescit; optatum effectum consequitur; ita & is, qui orat, fructu exspectato non priuatur, licet orationem non intelligat.

Quod Lutheranus Prædicans Lutheri Biblia à dilucida claritate hic tantopere dilaudat; & propemodum supra solis claritatem effert; rectè

C facit; nam si Lutherani Biblia Lutheri non decantarent; Zvvingliani & Caluiniani id non facerent; qui lucidiora biblia Bibliis Lutheranis quærenda censuerunt. Neque id faceret Prædicans ille Lutheranus, qui vt refert Mathæsius in concionibus de Luthero, Lutheri Biblia publicè pro suggestu virgis cecidit; cum hoc monito: *Discas melius.*

Citat Bellarminus D. Antonium Eremitam; qui dicere solebat. *Illam esse perfectam orationem, in qua animus ita absorbetur in Deum, vt non intelligat ipsa verba sua.* Prædicans hic, vt Cacus quispiam, flammas vomit: & conuiciis in sanctum Antonium sæuit; vocat primò, per contemptum; *sententiolam*: tum addit; *à scripturarum auctoritate esse pumice*

D *sicciorem.* Tertiò, *cassa nuce inaniorem.* Quartò, *facessere iubet Antonium cũ sua fictitia deuotione, & in Deum absorptione. Regnet*, inquit *Paulus.* Vtinam in tuo pectore regnaret. Nunquam hæc exspuisses in sanctissimum eremitam Antonium scommata & conuicia. Quid vult Paulus? *Sic orari præcipit in Ecclesiæ cœtu, vt non modò tu intelligas, sed etiam alij percipientes sensum verborum, ædificationem inde percipiant.* Prædicans chordã oberrat eadem. Non enim de publicis Ecclesię precibus loquitur sanctus Paulus, vt ostensum antea, nec de oratione omnino priuata, quam quis solus & ab aliis seiunctus; vel si cum aliis coniunctus, tacitè tamen apud se, peragit; & hanc omnino priuatam dicit sanctus

o Anto-

Digitized by Google

Antonius esse optimam tunc, si quis ita in Deum feratur & rapiatur, vt ne quidē sua ipsius verba percipiat; quod profectò verissimum est; quid enim per precationem aliud quærimus & expetimus; quàm vt mens nostra cum Deo vniatur & copuletur; & vnum, quà licet, cum Deo fiat; atque adeo facta hac, quasi vnitione; impetret ea, quibus in hac vita opus habet. Si ergo, teste D. Antonio, oratio, etiam priuata, potest esse optima, sanctissima, fructuosissima; licet verba non intelligantur; cur non etiam publica Ecclesiæ oratio posset esse optima, sanctissima, & fructuosissima, licet verborum sensum plebs non percipiat?

Locum illum Isaiæ vigesimo nono, & Matthæi decimo quinto: *Populus hic labiis me honorat,* ita interpretatur Prædicans; *vt in quauis specie diuini cultus coniuncta sint cor & labia;* coniunctionem verò cordis & labiorum consistere ait in hoc; *vt intellectus verba intelligat; quæ ab ore seu labiis pronunciantur.* Egregium sanè scripturæ Interpretem; qui id pro certo sumit; de quo omnis est disceptatio. Nam vt daremus locum illum Isaiæ pertinere ad preces; de quo tamen quæri posse meritò Bellarminus monet; minimè tamen solis labiis Deum honorat, & corde à Deo procul distat; qui preces lingua sibi ignota ita fundit; vt mente in Deo rebusque cælestibus fixus hæreat; quod præstare potest; licet sensum verbis subiectum non intelligat; Quoties enim Prædicans dicit; *inter precandum corde cum Deo coniungi, nihil aliud esse, quàm sententiam verbis precum subiectam intelligere;* toties id quod needum demonstrauit, neque vnquam demonstraturus est, inaniter ingerit. Hac futili sua glossa etiam sancti Antonij dictum elidere conatur; cum ait; *illud tolerari posse; si Antonij mens fit, vt sic ardeat precatio, & in precatione deuotio, vt de verbis non multum solicitus animus, de re ipsa magis cogitet, & rerum consideratione verba propè negligat, nihil id contra nos, nihil pro confirmando themate Iesuitico.*

Minimè hoc voluit Antonius; sed tunc optimam esse orationem, si ita mens in Deo absorbeatur, vt verba sua non intelligat. Quomodo autem non intelligit sua verba; si in verborum significatis defixa hæret? An significata verborum, formaliter, quà talia, percipere queo, nisi percipiam & intelligam verba?

Dictum illud Apostoli: *Si orem lingua, Spiritus meus orat; mens autem sine fructu est.* Sic exponit Prædicans: *Si quis in cœtu Ecclesiæ oret lingua Ecclesiæ ignota, tum potest orantis quidem spiritus precari serio: interim mens, id est, sensus verborum, quia non intelligitur ab Ecclesia, ideo (ratione Ecclesiæ) caret fructu.*

A Hæc Prædicans; qui mox Bellarmino insequitur; quasi aliter hunc locum interpretetur; cum tamen Prædicans ex ipso Bellarmino hanc suam expositionem sublegerit; tametsi mutatis & additis nonnullis, vt solent fures, ne deprehendatur furtum. Adscribamus ergo Bellarmini verba: vt euanescat fumus Prædicanticus. Non reprehenditur oratio, quæ non intelligitur, sed ei anteponitur oratio, quæ intelligitur. Non enim Apostolus dicit orationem esse sine fructu, sed mentem. Qui enim orat lingua quam non nouit, vt cùm rudes homines recitant Latinè septem Psalmos, affectu quidem & spiritu proficiunt, tamen mens eorum sine fructu est, quia non eruditur. Eius-

B modi verò orationem, non reprehendi vt malam, & penitus infructuosam, declarat Apostolus illis verbis: *Nam tu quidem bene gratias agis.* Et idem confirmat apertè Chrysostomus hoc loco. Adde, quod, vt supra ostendimus, Apostolus loquitur de lingua, quam nemo in tota Ecclesia intelligere potest. Quocirca frustra hæc Apostolica verba aduersus consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ adducuntur. Etsi enim in communibus Ecclesiæ precibus Latinis mens rusticorum sine fructu maneat, tamen non manet affectus rusticorum sine fructu, nec mens plurimorum aliorum, qui Latinè sciunt, & fructus mentis, qui deest Idiotis, compensatur vtilitatibus multis; quæ inde proueniunt, quod

C Scripturæ in publico conuentu, communissimo idiomate, id est, Latino, assiduè leguntur.

Hæc Bellarminus. Ex quibus patet; *Ecclesiam non manere sine fructu*, vt mentitur Prædicans; si linguâ ignotâ preces peragantur; nam affectus rudium inflammatur & ad diuinum amorem incitatur; licet mens seu intellectus non instituatur & erudiatur. An hæc in Deum inque res cælestes inflammatio non est insignis fructus? Deinde plurimi ex Ecclesia etiam fructum institutionis & eruditionis percipiunt; quia linguam intelligunt. Quod idiotæ hoc institutionis fructu priuantur; id non refert;

D quia plurimis aliis vtilitatibus hoc compensatur; & idiotæ, quantum satis est, à pastoribus & doctoribus Ecclesiæ rerum diuinarum cognitione priuatim & publicè lingua vernacula informantur, ita vt quem fructum non capiunt ex publicis precibus, eum abundè capiant ex publicis concionibus; & doctrinæ Christianæ explicatione. Spiritum seu affectum per preces, licet lingua incognita peractas incendi & inflammari posse; notius est, quàm vt longa probatione egeat; cum quotidiana experientia eorum, qui diuinis officiis intersunt, id planum testatumque faciat.

Iunius

Digitized by Google

Iunius circa hanc disputationis Bellarminianæ partem seipsum propemodum superat. Profert enim ex pharetra sua non modo vetera; sed & noua spicula. Cuiusmodi *I. Est ignoratio elenchi. II. Dissimile. III. Elenchus idem. IV. Extra curriculum, Bellarmine, ferris. V. Hæc & sequentia nihil ad rem. VI. Bellarminus dum manum petitur, pedem porrigit. VII. Non decet hominem disputandi peritum ἐξορχεῖσθαι. VIII. Diuersa non probant. IX. Dispar ratio. X. Principium petitur. XI. Hoc etiam negamus. XII. Non vi sua per se; sed per accidens. XIII. Secundum quid. XIV. Inconsequens argumentatio ex dissimili. XV. Dispar comparatio. XVI. Ex diuerso nihil sequitur. XVII. Mutilatum est hic vtrunque simile. XVIII. οὐδὲν πρὸς ἔπος. XIX. Diuersum esse iam satis ostendimus. XX. Hæc ὑπὲρ τὰ θύρας. XXI. Est Antoniana hyperbole. XXII. Hæc aliena sunt à Pauli mente. XXIII. Negatur. XXIV. Fallit elencho. XXV. Pro amphora vrceus. XXVI. Probari istud non potest. XXVII. Negatur hæc circumscriptio & affirmatio tota. XXVIII. Dispar simile.* His & similibus telis configit Iunius ea, quæ Bellarminus ad secundam sectariorum obiectionem respondet. Quis huiusmodi nugis & gerris sibi satisfieri patiatur, nisi ille, quem nugæ & gerræ magis delectant, quàm veritas? Quid facilius, quam refutare etiam maxima & vastissima volumina, si refutare nihil aliud est; quàm commentariis aduersarij huiusmodi notulas & dicteriola apponere & appingere; idque num aptè an ineptè fiat; susque deque habere? Quid ineptius, ac alibi sæpius dictum; quàm copiosissimis Bellarmini disputationibus nihil aliud opponere, quàm has vel similes stultissimo cuique obuias quisquilias: *Est ignoratio elenchi. Est dissimile. Est dispar ratio*; & centum talia; neque tamen ostēdere; rem ita, vt affirmatur, sese habere; quasi huiusmodi Caluinisticæ phantasiæ deliramenta, suscipere ac venerari debeamus velut oracula.

Nihil dico de inscitia & pseudologia, qua Iunius putidas & febriles suas animaduersiunculas passim exornat; vt cum ait; *ex oratione non intellecta, ne ipsum quidem orātem aliquid vtilitatis percipere; & hoc D. Paulo auctore*; cum expressè dicat S. Paulus; *si orem lingua, spiritus meus orat*: id est, spiritus & affectus proficit; incenditur, inflammatur; etsi mens, hoc est, intellectus, sine fructu manet; sine fructu scilicet eruditionis & institutionis. Deinde falsum est quod ibidem Iunius ait; *Ex oratione, quam auditor nō intelligat, nullum fructum ad auditorem redire.* Contrarium enim euidenter ostendit Bellarminus; tantumque abest, vt hoc sit necessarium; vt oratio mihi possit & soleat esse vtilissima, licet pro me fundi aut fusam esse, penitus ignorem: &, vt sæpius iam dixi, si quis non planè sit ferreus; & ab omni pietatis sensu derelictus; necesse est, cor eius tangi; quando diuinis officiis, etiam incognitâ linguâ peractis adsistit.

Falsò insuper adducit Iunius verba D. Pauli: *Si orem spiritu mens mea orat; sed intelligentia mea sine*
A *fructu est; nam tu quidem benè gratias agis; sed alius non ædificatur.* Non enim sic loquitur S. Paulus; sed in hunc modum: *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* Nam quod Apostolus ait; *alterum non ædificari*; loquitur de ædificatione instructionis & eruditionis; non de ædificatione incensi inflammatique affectus; nam & ex oratione nō intellecta potest quis cælestium rerum amore ac desiderio inflammari.

Locum Origenis citatum à Bellarmino, de quo iam antea contra Hunnium, ait Iunius, *intelligi non de oratione, sed de scripturæ lectione.* Si locus Origenis intelligitur de scripturæ lectione; cur perpetuò clamitatis, *nihil vtilitatis percipi ex non in-*
B *tellecta scripturæ lectione*, cum Origenes totâ illâ Homiliâ nihil aliud fermè agat, quàm vt demōstret, scripturæ lectionem, quantumuis non intellectam, plenam emolumenti ac fructus esse? Cur indesinenter vociferamini, *diuina officia nihil fructus parere, nisi peragantur linguâ vniuersis præsentibus notâ*; cum diuinorum officiorum non exigua pars sit lectio scripturæ; scripturæ autem lectio etiam non intelligentibus conducibilis sit, & perquam fructuosa, ex Origenis sententia.

Insuper mentitur Iunius Origenem de sola lectione scripturæ agere; nam & de oratione idē prorsus asserit, vt ex his eius verbis liquet: *Constat multas esse virtutes intra nos, quibus vel animarum no-*
C *strarum, vel corporum cura permissa est, quæ vtique si sanctæ Scripturæ leguntur à nobis delectantur, & validiores erga nostri diligentiam fiunt si linguis loquamur, & spiritus noster oret, sensus autem noster sine fructu sit. Dixit enim & hoc sanctus Apostolus, & mirum quodammodo mysterium humanis auribus protulit, dicens, aliquando fieri posse, vt spiritus, qui in nobis est, oret, & sensus noster sine fructu sit. Intellige ergo ex hoc, quia fit aliquando noster quidem sensus sine fructu: spiritus autem, id est, virtutes illæ, quæ animæ nostræ in adiutorium datæ sunt, pascuntur & reficiuntur ex auditu scripturæ sanctæ, velut ex diuinis & rationabilibus cibis. Quid dico quia diuinæ virtutes pascantur & epulentur in nobis, si nos verba diuinæ scripturæ proferamus ex ore? Ipse Dominus noster Iesus Christus si nos inueniat his vacantes, & huiuscemodi*
D *studiis & exercitiis operam dantes, non solum pasci & refici dignatur in nobis, verumetiam si has epulas apud nos viderit apparatas, patrem secum dignatur adducere. Sed hæc quia satis magna, & supra hominem videntur, non meis tibi, sed ipsius Domini & Saluatoris sermonibus comprobentur, dicentis. Ioan. 14. Amen dico vobis quia ego & Pater veniemus, & mansionem faciemus, & cœnabimus apud eum.*

An non hinc clarissimum relinquitur, Origenem etiam de Oratione loqui, cum citet locum Apostoli, quem de oratione intelligi debere, ne ipsi quidem Nouatores abnuunt.

Quòd oratio non intellecta non sit inutilis probat Bellarminus ex illis Apostoli verbis: *Nam*

tu quidem bene gratias agis; & ex Chrysostomo in A
hunc ipsum locum. *Quam vere istat* inquit Iunius. Imò non modò verè, sed & verissimè. Nam hæc sunt S. Chrysostomi verba, à teipso citata: *Tu quidem rectè gratias agis, spiritu scilicet concitatus sonas: sed ille nihil audiens, neque sciens quæ dicuntur, stat non magnam capiens vtilitatem.*

Subdit Caluinista: *Quid his verbis cum affirmatione istius?* Multum: quia Chrysostomus idem asserit, quod D. Paulus, nempe orationem, tametsi non intellectam, prodesse; licet mentem seu intellectum precantis vel audientis non erudiat. Hoc asserit D. Chrysostomus. An hoc nihil ad sententiam Bellarmini facit?

Obiectio tertia est Brentij; Extra, de officio B
Iudicis ordinarij cap. *Quoniam in plerisque*. vbi præcipit Innocentius III. vt cum in aliqua vrbe permixti sunt homines diuersarum linguarum, Episcopus prouideat viros idoneos, qui diuersis linguis diuina officia celebrent, & Sacramenta administrent diuersæ linguæ hominibus.

Respondet Bellarminus, Innocentium tantum loqui de lingua Græca & Latina; idque ostendit cùm aliunde, tum ex occasione, qua decretum illud ab Innocentio & Concilio Lateranensi conditum est; *Commenta hæc sunt*, inquit Iunius, *nam primum neq. ex verbis Concilij Lateranensis, neq. ex cap. probari potest ista restrictio.* Mētiri Iunium palam faciunt ea, quæ Bellarminus disputat. Cur non refutauit, si refutare poterat? Quando C
tandem definet iste Caluinista asseuerationes & negationes suas loco probationum nobis obtrudere? Nam si quis temporum rationem diligenter expendat, inquit Cardinalis Hosius, & cum illo Ledesma noster libro *de scripturis vulgari lingua nō legendis*, facile cognoscet, quæ caussa huius decreti ferendi fuerit; Nam Concilium hoc habitum fuit sub Innocentio III. Anno Domini M. CCXV. *Cum enim eo tempore Constantinopolis & magna pars Palæstinæ in Latinorum ditionem peruenissent, atq. in eo Concilio Constantinopolitanus Patriarcha, atq. Hierosolymitanus interfuissent, & ad sedis Apostolicæ obedientiam Græci rediissent, putauerunt Patres, eorum mores & ritus, quantum cum Deo possent, sustinendos esse. & ita constituerunt, vt vtraq. pars per proprios ritus &* D
linguam celebraret. Nam Ecclesia Græca Hierosolymitana alios habet quoque ritus in Missæ celebratione. At certum est, in Calabria & Sicilia hodie quoq. extare populos aliquot, in quibus habitant mixti simul Græci & Latini, & seruatur illud Concilij statutum, singuli namque suos habent proprios Sacerdotes, & suos ritus. De iis itaq. Græcis & Latinis tātum loquitur Concilium. Vnde in eo Concilio de Græcis varia constituuntur, vt Can. 4. & can. 14. Fuere enim in eo Cōcilio aliquot Patriarchæ & Episcopi Græci cum Legatis Imperij Græcorum: de illis itaq. tantum intelligitur, & de eorum cultu & ritu, non de aliis vulgaribus linguis.

Hæc citati duo Auctores; & cum illis Bellarminus. Hoc solummodo voluisse Innocentium, & cum eo totum Lateranense Concilium, inde claret; I. quia si Innocentius voluisset; vt in quauis ciuitate, vbi diuersarum linguarum homines degebant, sacra vniuscuiusque gentis proprio idiomate peragerentur, multò magis id decreuisset, de singulis, iisque integris prouinciis, vt viuendi more; sic & lingua discrepantibus: sed nullum de his in decreto illo exstat verbum; sed tantùm de hominibus diuersæ linguæ in eadem ciuitate habitantibus; vt tum quidem Græci cū Latinis, & hi cum illis degebant, propter captam Constantinopolim magnamq; partem Palæstinæ subactam.

II. Si voluit Innocentius, & cum eo totum Concilium Lateranense, summæ semper in Ecclesia Dei auctoritatis, vt sacra publicè cuiusuis gentis propriâ linguâ obirentur; cur id non factum est in Italia, Gallia, Germania & aliis huiusmodi prouinciis? Nam factum non esse, ipsi sectarij minimè ignorant; quod enim vel tenuissimū vestigium superest, ex quo probari possit, diuina officia aliquando Germanicè in Germania fuisse celebrata? Quod de Germania dico, de aliis itidem regionibus intellectum volo.

Dicent fortè, *posteriores Pontifices obstitisse, ne decretum Innocentij & Lateranensis synodi reciperetur.* Qui nam illi Pontifices? Nominent, oro; Nonne Iunius capite superiore iam tempore Gregorij septimi, & Ruperti Tuitiensis, qui Innocentium diu antecesserunt; *tyrannidem Romanorum Pontificum* inualuisse, & morem sacra vernaculè faciendi aboleuisse scripsit? Quomodo ergo id fecerunt Pontifices, Innocentio posteriores? *At*, inquient, *Innocentium, veterem illum morem restituisse.* Quomodo restituere potuit eum morem, qui nullo vnquam in more fuerat? Nam sacra nunquam fuisse ordinariè, alia nisi Græca, Latina, Hebræaque lingua peracta, supra vidimus; probatque omnium ætatum consensu Bellarminus.

III. Nihil minus voluisse Innocētium, quàm vt sacra publica cuiusuis gentis idiomate celebrarentur, inde etiam planum fit. Quia noluit, vt lingua vulgari biblia legerentur; patet hoc ex epistola Innocentij capite antegresso citata, ad Metenses; vbi commemorat, quanto damno Biblia in Galliam linguam translata vulgus legerit. Et in alia epistola ad Abbatem Cisterciensem & collegas eius, idem argumentum tractans præcipit, vt diligenter in auctorem & lectores translationis illius inquirant: simulque enumerat, quantum nocumenti ad imperitam multitudinem ex vernacula illa versione redundarit.

Et quia Innocentij epistola ad viuum nobis repræsentat id, quod hoc æuo, vbi omnia vernaculis translationibus plena sunt; fieri consueuit, non grauabor nonnulla tanti pontificis verba adscribere; vt in iis, tanquam in speculo, sectarij

sese

Digitized by Google

sese agnoscant. *Cùm olim venerabilis frater noster Metensis Episcopus per suas nobis litteras intimasset, quod tā in diœcesi quàm in vrbe Metensi, laicorum & mulierum non modica multitudo Gallicæ cuidam translationi diuinorum librorum intendens; secretis conuenticulis etiam inter se inuicem eructare præsumerent, aliorum aspernantes consortium, & in faciem redarguentibus presbyteris resistentes, quorum simplicitatem fastidiunt, in suæ translationis peritia confidentes, non protinus ad vindictam nos res accendit incognita, sed vniuersis tam in vrbe, quàm in Metēsi diœcesi constitutis, sub eo tenore litteras curauimus Apostolicas destinare, qui vobis ex transcripti earum poterit inspectione patere. Eidem insuper Episcopo & Capitulo Metensi dedimus in mandatis, vt inquirerent solicitè veritatem, quis fuerit auctor translationis illius, quæ intentio transferentis: quæ fides vtentium; quæ caussa docendi. Si vtentes ipsa, venerarentur Apostolicam sedem, & Catholicam Ecclesiam honorarent; vt super his & aliis quæ necessaria sunt ad indagandam plenius veritatem, per eorum litteras sufficienter instructi, plenius intelligeremus & planius, quid super his statui oporteret.*

Nuper autem idem Episcopus per suas nobis litteras intimauit, quod quidam eorum quos notabiles prioribus litteris denotarat, mādatis recusant Apostolicis obedire, quibusdam eorum clanculò, quibusdam verò iam publicè obediendum dicentibus Soli Deo: ab occultis etiam conuenticulis non cessantes, officium prædicationis occultè, licet à nullo mittātur, prohibiti etiam sibi non metuunt vsurpare: aspernantes sibi dissimiles, & translationi eidem vsque adeò insistentes, vt nec Episcopo, nec Metropolitano suo, nec nobis ipsis asserant parituros, si eam decreuerimus abolendam. Licet autem tales in eo reprehendi meritò videantur, quod occulta conuenticula celebrant, officium prædicationis vsurpant, simplicitatem despiciunt sacerdotum, & eorum consortia, qui dictam translationem non recipiunt, aspernantur: Ne quid tamē subitò facere videamur, discretioni vestræ (de qua plenè confidimus) per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus ad ciuitatem Meten. pariter accedentes, cum eodem Episcopo conuocetis corā vobis talia sapientes, & adhærentes translationi prædictæ, & si fieri poterit, quæ in eis reprehensibilia fuerint, auctoritate freti Apostolica, sublato appellationis obstaculo, corrigatis. Quod si correctionem vestram recipere fortè noluerint, inquiratis super capitulis illis, quæ in litteris, quas Episcopo miseramus, expressa fuisse, superiùs vobis expreßimus, & aliis etiam diligentiùs veritatem, & quod inueneritis per nuncium vestrum, & litteras pleniùs intimetis, vt per vos certiores effecti, prout procedendum fuerit, procedamus. Cū enim in hoc vniuersalis Ecclesiæ vertatur negocium, & agatur caussa fidei Christianæ, ad exequendum Apostolicæ sedis mandatum, cum summa diligentia & cautela, vos studiosos & promptos esse volumus & mandamus. Si ergo Innocentius noluit; vt ipsa Biblia vernacula promiscuè ab imperita multitudine legerētur, incredibile prorsus apparet; eum mādasse, vt publica Ecclesiæ officia vernaculè celebrarentur; cum eadem sit horum; quæ scripturæ vernaculæ, ratio.

Ait Iunius: *Etiamsi in decreto Innocentij exstaret expressa restrictio ad linguam Græcam & Latinam, con-*A *sequi tamen iuris eiusdem analogiam oporteret.* Simile quid Lutheranus Hunnius; videlicet, *decretum ad alias itidem linguas proferendum, cum par sit ratio.* Verum talis ex constitutionibus principum seu pontificum argumentandi ratio, friuola est ac futilis, quando constat mentem eius, qui constitutionem condidit, ad certum signatumq; quiddam restrictum fuisse, vt hic ex omnibus temporis, loci, personarumque circumstantiis constat; videlicet, Innocentium tantummodo de Græca & Latina lingua locutum fuisse; propter commixtionem Græcorum & Latinorū in variis Græciæ, & totius formè orientis vrbibus. Quocirca ineptiunt Prædicantes cum occlamant. *Est par ratio aliarum linguarum.* Negat hoc Innocentius; & B nos cùm illo. Mentitur Iunius, cum ait; *hanc nostram ad Græca & Latinæ linguæ idioma restrictionem repugnare verbis Innocentij.* Lector legat ipsam Concilij sanctionem & Caluinistam manifestæ Lœdoriæ teneri videbit.

Quarta obiectio est etiam Brentij. *Finis diuinorum officiorum publicarumque lectionum est populi instructio, consolatio, & ædificatio,* quod probat ex tribus scripturæ testimoniis. *Ex lingua ignota & peregrina, quæ instructio, quæ ædificatio, quæ consolatio percipi potest? ergo,* &c. Respōdet Bellarminus. Et propositionem & assumptionem huius argumenti falsam esse. Nam finis præcipuus diuinorū officiorum nō est populi instructio, vel consolatio, sed cultus Deo ab Ecclesia debitus, Cleriorum C enim officium est, nomine totiuś populi Christiani perpetuò immolare Deo sacrificium laudis, vt ipse requirit. Psal. 40. &c. Obiicit Iunius: *Responsionem hanc vitiosam esse elencho & homonymia.* Et iterum nobis suum *elenchum* reponit. Quo se verteret; si hoc telo priuaretur? *Elenchus est,* inquit, *cum de fine Brentius indefinitè agit, hic de præcipuo fine.* Quomodo agit Brentius de fine *indefinitè* cū tres fines definitos certosq; nominet, instructionem; consolationem, & ædificationem? Estne hoc indefinitè de diuinorū officiorum fine agere? Cur omisit Brentius finem præcipuùm; qui est cultus Dei? quem meritò nominatim expreßit Bellarminus; quandoquidē alio fine hunc finem Brentius non subticuit, nisi, vt os lectoribus suis sub- D lineret; eisque persuaderet; nullum penitus diuinis officiis præstitutum esse finem, si non celebrentur vulgari idiomate.

Deinde negamus fine consolationis & ædificationis carere populū, nisi vernaculè sacra fiāt. Experientia.n. docet, etiā rudes magna cælestis dulcedinis & voluptatis copia perfundi; quādo diuinis officiis reuerenter asßistunt. Quo sensu si carent Nouatores, id eò fit, quia plūbei sunt; & ad nihil, nisi ad vernaculas suas næniolas, mollescūt & liquescunt. Hoc ipso etiam ædificantur. Quia ædificatio non est tantum mentis instructio & eruditio; sed & ardor & inflammatio. Instructionem si idiotæ non consequuntur per diuina officia; at consequuntur per conciones & scripturæ

linguâ vernaculâ institutas explanationes; quod sufficit ad hoc, vt & ipsi dici possint *per patientiam & consolationem scripturarum spem habere.* Hactenus de elencho Iuniano.

Sequitur homonymia, *quam committit Bellarminus*, cum vocem *Ecclesiæ restringit ad Clerum, cum tamen Ecclesia vtrunque ordinem & clericorum & laicorum simul comprehendat.* At Iunius insignem committit Pseudologiam, vbi enim restrinxit Bellarminus Ecclesiam ad solos Clericos exclusis Laicis? An ideo restrinxit, quia dixit, Clericorum munus esse loco totius populi Deo cultum exhibere, & orationibus tota castra Ecclesiæ protegere? Perinde est, ac si quis dicat, Rempublicã aliquam restringi ad Oratores, & Legatos, qui nomine totius Reipublicæ legatione fungũtur; vel ad vigiles & excubitores, qui pro salute totius ciuitatis excubias agunt.

Hunnius pro vbertate & copia linguæ suæ multa hic contra Bellarminum effundit, in id vnum semper intẽtus, vt locum quempiam communem, omnium Prædicantium ore tritum nãciscatur; quo adepto iam regnat, & triumphat, omnesque aduersarios nullo nisu proterit. Itaque in Bellarminum hic vibrat. *I. Theatrica Missæ sacrificium. II. Quod à Deo nunquam institutum. III. Nec est cultus Deo debitus. IV. Sed execranda diuini nominis blasphemia. V. Extrema contumelia in meritum passionis Christi. VI. Idolum missaticum. VII. Sacrificium Missaticum. VIII. Sacrificulis Pontificiorum relinquẽdum. IX. Bellarminus est Caiphas. X. Existimat omnes homines esse anseres aut asinos. XI. Qui hoc negat, non argumentis refutandus, sed stultorum in modum plagis corrigendus est.* Egregiam verò disputationis Bellarminianæ refutandæ rationem, quæ si semel recipiatur, vt sanè apud Nouatores receptissima est; quo quis maior est scurra; eò maior disputator erit.

Arguit Bellarminum mendacij, quòd dixit; eos, qui non sunt imperitissimi, Latinè scire, & instrui, dum audiuntur diuina officia. Ait, *paucissimos esse ex Laicorũ cœtu, qui Latinam linguam norint.* Nec Bellarminus dixit esse plurimos: sed dixit; eos, qui non sint imperitissimi, Latinè nosse; horum vtrum sint plurimi, an paucissimi, nequaquam definiuit. Quid in hoc dicto mendacij?

Obiicit Prædicans; Non satis esse, vt conciones ad populi instructionẽ dirigantur; sed etiam sacramentorum celebrationem eò dirigi debere. Non imus inficias. Sed num ex celebratione sacramentorum nil consolationis populus percipiet, nisi Germanicus quispiam *Stentor*, sub ipsum celebrationis articulum nescio quid Germanica aut alia vernacula lingua declamitet aut deblateret?

Addit Bellarminus. Merito S. Paulus mauult quinque verba in sensu suo ad instructionem loqui, quàm decem millia verborũ in lingua, quia melior est cohortatio quæ ab omnibus intelligitur, licet breuissima, quàm ea quæ non intelligitur, etiamsi sit longissima.

Hic exclamat Hunnius: *Habemus confitentem reum: qua sua confessione totum commentum, quod hactenus tam vehementer vrsit, penitissimè conuellit, nobisq; velut in manus subministrat hoc argumentum.* Vt exultat Hunnius? Quæ exultandi caussa? Inscitia. Nam sacramentorum administratio non est cohortatio, vt iste imperitè existimat; & quasi id ipsum Bellarminus sentiat, vanè iactat. Quis tam hebes est, qui nesciat aliud esse concionem seu exhortationem ad populum; aliud, sacramentorum administrationem?

Dispiciamus qualenam argumentũ, & quàm inuictum Prædicanti in manus Bellarminus tradiderit. *Quæ cohortatio melior est, meritò præfertur ei quæ deterior est. Melior autem est in peragendis sacramẽtis cohortatio, quæ ab omnibus intelligitur, quàm ea quæ non intelligitur. Rectè igitur Augustanæ Confessionis Ecclesiæ faciunt, quod istam rationem meliorem, ei, quæ deterior erat, substituerunt, &c.*

Respondeo ad Minorem. Si adhibeatur ipsi sacramentorum administrationi cohortatio, illam proculdubio esse meliorem, quam auditores intelligant, ea, quam non intelligant. At nos negamus; ea, quæ in nostris Ecclesiis sacramentorum administrationi Latinè adhibentur, esse exhortationes seu conciones: nam vel ad ipsam sacramentorum essentiam pertinent; vel sacramẽtorum confectioni adhibentur, vt partes diuini illius cultus & obsequij; Quare quod Nouatores omnia in exhortationes & conciones vertunt, nihil ab hæreticorum ingenio abhorrens faciunt. Quod si quandoque exhortatiuncula sacramentorum administrationi vel præponenda vel postponenda est; ea vtique fit lingua vulgari; sed hæc exhortatio semper distinguitur ab illis, quæ latinè sacramentorum confectioni & administrationi adiungi ex vsu orthodoxæ Ecclesiæ consueuerunt.

En aliud Prædicantis argumẽtum; & quidem acutissimum, ex ipso Bellarmino confectum: *Melior est exhortatio, quæ intelligitur, quam quæ non intelligitur: ergo Episcopi, Cardinales, Papæ, potius debebãt concionari, quàm missificare; quia melius est linguâ notâ ad populum verba facere, quàm lingua ignota Missas dicere.* Quid tibi videtur lector de hoc prædicantico deliramento? An integri cerebri eum existimabimus, qui hunc in modum insaniat? Bellarminus exhortationem cum exhortatione confert. Iste ab exhortationibus ad Missas transilit. Aperi tandem aures Prædicans. Missa non est exhortatio, sed sacrificium. Non exhortationem cum sacrificio ignotâ linguâ celebrato, sed exhortationem lingua nota institutam cum illa, quæ ignota lingua instituitur, confert Bellarminus; & illam, tanquam meliorem, huic præfert.

Quinta obiectio Kemnicij: *Christus prædicauit lingua vernacula: Apostoli in die Pentecostes loquebantur variis linguis magnalia Dei, & postea dispersi per orbem terrarum prædicauerunt vbique linguis populorum eorum*

quibus prædicabant, igitur oportet variis linguis, iisq; vernaculis scripturas diuinas habere. Nam si non inquinatur verbum Dei, si proferatur lingua vulgari, cur inquinabitur si scribatur lingua vulgari?

Respondet Bellarminus, hoc argumento nihil concludi: nam si bona est consequentia à prædicatione ad scripturam, cur Apostoli solùm scripserunt Græcè, cum prædicauerint tam multis linguis? igitur verbum Dei rectè prædicatur lingua vulgari, quia prædicatio explicationem continet.

Hæc & similia Bellarminus. Ad quæ Prædicans. Hic tu obserua, *hypocritam non obscurè concedere, inquinari verbum Dei, si scribatur lingua vulgari.* Sed hic tu, pie lector, obserua, non obscurè mentiri Hunnium, quando hoc affingit Bellarmino. Quis enim adeo omnium rerum ignarus est, qui verbum Dei contaminari ab hac vel illa lingua existimet? Non igitur ea de caussa scripturas in vulgares linguas conuerti nolumus, quòd ab illis verbo Dei periculum *inquinationis* immineat, sed quia non expedit, vt indocto vulgo vulgares versiones indiscriminatim concedantur ob imperitiam, & quæ inde nascitur, facilitatem & procliuitatẽ ad imbibendos crassos tetrosq; errores.

Clamat Prædicans. *Etiam Laicis datum præceptum legendi scripturas.* Huic præcepto quomodo satisfacient; si linguam Latinam nesciant, neque scripturam vernaculè versam habeant? Monstret nobis obsecro, Prædicans, hoc præceptum Laicis datum? Nam ex illo, *Scrutamini scripturas* Ioan. 5. & ex facto Berrhœensium, scripturas scrutantium, nõ magis extundet tale præceptum Prędicans, quàm ex pumice aquam. *At Moyses legebatur olim in Synagogis coram populo Act. 15.* At Hebraicè legebatur. Nec tamen ab omnibus intelligebatur, nisi adhibita interpretatione & explicatione, cum multi ex Iudæis non nisi vernaculam, hoc est, Syriacam linguam nossent. Sic & hoc tempore in Ecclesia Catholica pro concione perpetuò scripturæ leguntur & explanantur, vt populus erudiatur, idque ex diuinis litteris discat; quod sibi scitu est necessarium.

Iunius hoc argumentum intorquet: *Qua lingua prædicatur verbum Dei, scriptum quoq; eadem exstare opus est: prædicatur linguis vernaculis; iisdem ergo scriptum exstare opus est.*

Si Iunius luculenter maiorem probaret, tum demum validus argumentator esset; sed cum eam ab omni probatione nudam adfert, nil aliud meretur, quàm vt nugator habeatur.

Quærit Bellarminus; cur Apostoli solùm scripserint Græcè, cum prædicauerint tam multis linguis. Obiicit Iunius Bellarmino *contradictionẽ*, quia alibi dixerat, Euangelium Matthæi Hebraicè scriptũ, vt & Epistolã ad Hebræos; & Euangelium D. Marci Latinè, hic autẽ affirmat Apostolos solũ Græcè scripsisse; Quę & quanta contradictio? Meminisse debebat Iunius, Bellarminum de Euangelio D. Marci id non tanquam certum, sed vt probabile ex nonnullorũ sententia, asseruisse; neq; item omnino exploratũ esse, num Epistola ad Hebræos Hebraicè initio scripta fuerit; nõ enim desunt, qui hoc negent: Remanet ergo solũ S. Matthęi Euangeliũ. Quod cum noui testamenti vnica duntaxat sit particula; meritò dicere hic potuit Bellarminus, Apostolos solùm Gręcè scripsisse; quia *à potiore*, vt vulgo dici solet, *fit denominatio.* Dicere insuper licet; à Bellarmino nõ asseri omnes Apostolos; sed *indefinitè* Apostolos Græcè scripsisse: ad cuius veritatẽ satis est, vt verificetur de aliquibus.

Reliqua quę hic carpit Caluinista, solennes Iunij ineptię sunt; & nugamenta ex nugarũ tripode fusa. Vt *I. Solutiones sunt falsæ.* Qua de causa? Quia Iunius hoc affirmat. *II. Quid hac responsione facias?* Refutare debebas, si poteras. Si non poteras, tacere. *III. Dissimile.* Tu cum tuis *dissimilibus* valde tibi similis es; semper nimirum insulsus, ineptus, inscitus. *IV. Falsa igitur argumentatio.* Quis hoc asserit? Iunius, Acquiescamus igitur; quia Iunius dixit, numquam mentiri solitus, nisi quando mentitur.

Sexta obiectio Kemnicij est. *S. Hieronymum vertisse scripturas in linguã Sclauonicam. Itẽ, scripturas versas fuisse in linguã Chaldaicã; & Græcã, quæ vulgares erant; & in Latinã, quando erat vulgaris.* Respondet Bellarminus, nos non negare posse scripturas verti in linguas vulgares, sed ꝙ contẽdimus est, nõ debere publicè legi lingua vulgari, nec passim omnibus permitti legendas scripturas lingua vulgari.

Occurrit Hunnius. *Quod Papa versiones vulgares damnet, alibi est ostensum.* Vbi? Si ostendisti; mendaciter ostendisti; hoc est, nõ ostendisti. An non permittuntur in Germania Orthodoxis Biblia Germanica à Catholicis Interpretibus versa? An nõ Biblia in Polonicã linguam translata sunt approbatione Gregorij XIII. Pontif. Max. An non Catholici Angli Rhemis degentes in linguam Anglicanam Biblia conuerterunt? quæ nunc à Catholicis Anglis teruntur & leguntur absque scrupulo; vt taceam de aliis nationibus.

Ait Prædicans, *Si scriptura in vernaculã linguã versa publicè nõ est legenda; ergo nec priuatim legi debet.* Negatur cõsequentia: quia multa priuatim decenter fiunt; quæ si publicè fierent, nõ nisi indecenter fierent: Antea & à Bellarmino & à nobis causæ sunt redditę, cur scripturas vernaculo idiomate publicè legi non expediat.

Multa hic declamat Iunius, propter abusum non esse tollendũ vsum; quasi verò nos vulgaris lectionis vsum tollamus propter abusum. Negamus vllũ talem vsum vel fuisse vel esse in Catholica Ecclesia. Occinat Iunius Caluinistis suis & Lutheristis illa sua. *Iudicent pij, verũ vsus rei à Deo imperatæ, promissionibus coniunctæ, & omnibus natura sua salutaris, sit impediendus propter accidentarium, abusus & infelicis euentus in aliquos incõmodum. Quanto id iustius, quod Ioanni dicitur Apocal. 22. non esse obsignanda verba Prophetiæ, quicunque tandem euentus*

consequatur, nam vtut iniusti iniustè agant, & sordescant sordidi, iustos tamen & sanctos eò amplius adhuc operam iustitiæ & sanctimoniæ daturos esse.

Rectè Iuni loqueris, sed parum consentaneè tuis symmystis; qui sub prætextu *abusuũ*, tot monasteria & templa euerterunt; quot in æthere sidera lucent, cum cælum noctibus hibernis aut æstiuis sudum est, & innubilum.

Ait Bellarminus, se neque apud D. Hieronymum, neque apud vllum veterem legisse, Hieronymum sacras litteras in linguam Sclauonicam transtulisse. Quod Bellarminus vir tantæ lectionis non legit, hoc legit Iunius. Vbi? In Epistola ad Sophronium, in qua D. Hieronymus. *Nec hoc dico, quod prædecessores meos mordeam, aut quicquam his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissimè emendatam, olim meæ linguæ hominibus dederim: sed quod aliud sit in Ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud Iudæis singula verba calumniantibus respondere.*

Quasi verò illud, *linguæ meæ* significet linguam Sclauonicam; non Latinam; loquitur enim S. Hieronymus de veteri Psalmorum Latina translatione abs se emendata & castigata; & quidem bis, vt patet ex Epist. ad Paulum & Eustochium Psalmis præfigi consueta. Hanc diligentissimè emendatam ait se dedisse *linguæ suæ* hominibus, id est, Latinis; quos homines *linguæ suæ* appellat, quia alloquebatur Sophronium, hominem Græcum, tametsi Latinæ linguæ non ignarum. Inscitè igitur faciunt, qui ex his D. Hieronymi verbis *Sclauonicam* linguam exsculpere tentant: quanquam Iunius pro sua in peregrinis linguis exercitatione corrigit commentum commune de lingua Sclauonica; *In Dalmaticam enim Biblia à Hieronymo conuersa fuisse, cum fuerit Dalmata.* quorum hoc tam verum est; quam illud.

Ait Bellarminus; si scriptura in Sclauonicam linguam à D. Hieronymo translata sit; id non factum, vt publicè in Ecclesia legeretur; sed ad consolationem priuatam piorum hominum, qui versione illa sine periculo vti poterant. Quærit Prædicans: *Cur non hodie eandem ob caussam vulgares versiones vulgo permittantur?* An non permittuntur, in his præsertim septentrionalibus prouinciis? Quæso quis arcetur à priuata & vernacula Bibliorum lectione? In aliis regionibus, quę ab hæresi intactæ manserunt, vulgarium versionum legendarum potestas fit; sed cum delectu & iudicio; illis nimirum; qui non ita comparati sunt; vt dum in scriptura solatium quærunt; exitium inde hauriant. Quapropter splendidè mentitur Hunnius, cum hæc effutit. Scias velim, nemini in regno Pontificio concedi lectionem Bibliorum in lingua vulgari, *nisi de quo certissimi sunt, quod cor suum in Papistica doctrina indurarit, & aggrauarit. Nec puto concedi sine precio, nam nihil est, in quo non negotientur illi Ecclesiastici institores meretricis Babylonicæ.*

Mendacium hoc effrontis Prædicantis refellit ipso quotidiano vsu vniuersa Germania; imò omnes prouinciæ ad septentrionem, in quibus adhuc aliquid auitæ fidei superest.

De Chaldaica editione respondet Bellarminus, eam non tam versionem, quàm paraphrasin esse; neq; vnquam magnam auctoritatem apud Catholicos habuisse. Respondet Hunnius, *esse magnæ auctoritatis apud Iudæos.* Quid Orthodoxis cum Iudæis? Scilicet videndum est, quid perfidi Iudæi sentiant, non quid Catholici. Iunius ait; *quod lingua Chaldæorum & vulgaris fuerit genti Chaldæorum; & communis finitimarum multarum Chaldaica versio exstiterit.* At iam non semel fassus est Bellarminus vulgares versiones nõ simpliciter damnari aut vetari; tantum caueri, ne publicè in Ecclesiæ conuentibus legantur. Ostendant isti nobis Chaldaicam translationem olim loco Græcę, Hebraicæ aut Latinæ vsurpatam fuisse.

Dices. Hac ætate à Maronitis, Libani Montis incolis & Apostolicæ sedi subiectis linguam Chaldaicam publicis in sacris vsurpari, vt testatur Posseuinus noster in sacro suo apparatu V. Maronitæ: AEgyptij quoque seu Coptæ seu Coptitæ, qui nuper, sedente Clemente VIII. Pontif. Max. cum Ecclesia Romana in gratiam redierunt, vtuntur in sacris publicis lingua Arabica, vel vetere AEgyptiaca; vt patet ex Liturgiis S. Basilij Magni, S. Gregorij Theologi, S. Cyrilli Alexandrini; quas non ita pridem ex Arabico in Latinum sermonem cõuertit Victorius Schialach Accurensis Maronita, è Monte Libano. Respondeo, neminem dicere, intrinsecè malum esse alia publicis in sacris vti lingua, quàm Hebræa, Græca, aut Latina. Cum ergo non nisi vsu & consuetudine Catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ id prohibitum sit; inficiari non possumus, id concessu Ecclesiæ licitum reddi. Quod ergo Catholici Maronitæ vel AEgyptij hoc tempore faciunt, id permissu & approbatione summi Pontificis faciunt; ergo iure ac licitè. Cur autem hoc Ecclesia permittat, caussa est; quia nationes illæ Græcæ, Hebrææ aut Latinæ linguæ penitus sunt ignaræ. Nec spes vlla restat, fore, vt vsus alicuius ex prædictis tribus introducatur, cum alias ob caussas; tum quia sub infidelium dominatu pleræque ex illis nationibus degunt: quorum tyrannide fit; vt publicę scholæ, in quibus iuuentus informetur, institui nequeant; etiam ob egestatem & inopiam, ad quam barbarorum immanitate redacti sunt. Accedit, quòd cum iam olim, quando Dæmonis & impostorũ fraudibus ab Ecclesia Catholica desciuerunt; aliis linguis sacra sua celebrare occœperint, iam ad matrem reuersis; nolit Ecclesia omnia adimere; quæ etiam, superiorum approbatione, honestè ac licitè retineri possunt.

Porrò, vt hodie hæretici nostri; ita & olim Græci, quando Romanam Ecclesiam sceleratè deseruerunt; ad eandem defectionẽ alias quoq;

natio-

Digitized by Google

nationes inuitarunt, cum aliis escis, tum etiam hac; quod sacra publica quauis vulgari lingua plebique nota celebranda & obeunda sint. Hinc Theodorus Balsamon, ex schismaticorum numero non infimus; interrogatus à Marco Patriarcha Alexandrino; An *Orthodoxi Syri* (sic vocat Syros qui Græcis schismaticis adhærebant;) *& ex Armeniis, nec non ex aliis regionibus aliqui fideles propria lingua extra periculum sacra celebrent; an verò cogantur prorsus Græca linguâ & scripturâ Sacerdotio fungi?* Respondit Balsamo planè schismaticè & hæreticè, hoc est, Lutheranè, & Caluinianè. *Magnus Apostolus Paulus ad Romanos scribens inquit. An Iudæorum tantum Deus? num & Gentium? certè & Gentium. Qui igitur rectè in omnibus de fide sentiunt, etsi sint Græcæ linguæ omninò expertes, propria dialecto sacra conficient, exemplaria consuetarum sacrarum precum habentes non euariantia, vt desumpta ex contaciis Græcanicis litteris eleganter descriptis.*

Exstant hæc Balsamonis responsa Tom. 1. Iuris GræcoRomani. Vbi vides, quis spiritus schismaticum Balsamonem agitarit; cum alij Græci inter cæteras caussas, quas reddunt, cur Armenij in tot errores inciderint, hanc etiam vnam fuisse affirment; quòd morem & modum sacra Græcè peragendi deseruerint. Audi, quid Græcus quidam scribat in relatione de origine errorum Armeniacorum, quam reperi in manuscripto quodam Codice Bibliothecæ Bauaricæ, *Βασιλεύοντος ῥωμαίων θεοδοσίου καὶ περσῶν βραμσαπῶ, μὴ εὑρισκομένων τινῶν ἐν ἀρμενίᾳ καλῶν ῥωμαϊκὴν ἢ γράμματα εἰδέναι, ἀνέστησαν τινὲς παρὰ τὴν διατύπωσιν τοῦ μεγάλου γρηγορίου, καὶ μετεποίησαν ἑαυτοῖς ἀρμενιστὶ ψαλμῳδίαν καὶ γράμματα, καὶ μελίσματα. ὅπερ μαθὼν θεοδόσιος ὁ βασιλεὺς, ὠργίσθη ἀρμενίοις, διὰ τὴν παράβασιν τῶν τοῦ ἁγίου γρηγορίου παραδόσεων. Imperante Theodosio, & regnante apud Persas Bramsapo, cum nulli in Armenia reperirentur, qui Romanam* (hoc est Græcam, hanc enim intelligit Auctor,) *linguam perspectam haberent: exstiterunt nonnulli, qui contra formam à magno Gregorio* (Armeniæ Episcopo) *præscriptam, sibimetipsis Armeniacâ linguâ, Psalmos & litteras, & cantiones transtulerunt. Quod audiens Theodosius Imperator, valde succensuit Armeniis eò quod traditionem à sancto Gregorio acceptam violassent.*

Narrat deinde Auctor, quomodo quidam ex Armenis ad Theodosium profecti eiusdem animum mitigare studuerint; & inter cætera etiam hoc promiserint; se nunquam amplius ab Ecclesia Catholica & Apostolica secessionem facturos, semperque Romanam, hoc est, *Græcam linguam* retenturos, *διὰ τὸ εἶναι ταύτην, ἤγουν τὴν τῶν ῥωμαίων μελῳδίαν ἀγγελικὴν καὶ οὐράνιον, καὶ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὴν ἡμετέραν παχύτητα συνισοῦσθαι ταύτῃ. quòd hæc, hoc est, Romana seu Græca Melodia sit Angelica & cælestis, quam rusticitate nostra nequaquã assequi aut æquare liceat.* En quanti referre arbitrati sunt Græci, vt diuina officia Græca lingua celebrarentur. Et tamen schismaticus Balsamo omnibus nationibus sacra vernaculè peragendi largam potestatem facit. Vocat Auctor iste linguam Græcam Romanam; quia Imperatores Constantinopolitani nominabant se Romanos Imperatores; quibus ipsa Constantinopolis erat *Noua Roma*. Subditi, Romani; Hinc ipsa lingua: Romana. In viam redeo.

Non negamus Ecclesiam nationi alicui hanc gratiam facere posse; vt lingua vulgari diuina officia celebret. quod cum Maronitis factum; etsi lingua Chaldæa non videtur plebi vernacula; cum, vt scribit Posseuinus, plebs vtatur lingua Arabica: Tantùm diffitemur, hoc indiscriminatim fieri posse aut debere; quia antiquissimus Ecclesiæ mos tres principales solùm linguas rei diuinæ adhibendi mutari non debet absque grauissimis caussis.

Iam quod sacræ litteræ vel in Græcam linguam, quæ olim vulgaris erat, translatæ sunt, vel primitus Græcè conscriptæ; quid refert? Aliqua tandem lingua adhibenda erat conscribendæ doctrinæ cœlesti. Num igitur fas erit, vt iam quoque sacras litteras in omnes vulgares linguas transferamus? Nõ prohibentur omnes linguæ vulgares, sed illæ, quæ non sint Græca, Hebræa, aut Latina; quæ si, vt olim; iterum alicui nationi communes ac vulgares fierent; non ideo ex publicis sacris exturbarentur, sed tam in diuinis officiis, quàm in Bibliis religiosè retinerentur, & omnibus legendæ & terendæ proponerentur, vt supra non semel dictum.

Vtrum Christus illa ex Psalmo; *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Protulerit in Cruce Hebraicè an Syriacè; an partim Hebraicè, partim Syriacè; quæstio est apud eruditos. Bellarminus arbitratur protulisse Hebraicè totam illam sententiam; quia nihil erat caussæ, cur Dominus verba Dauidis Hebraicè inciperet, ac deinde mutaret in Syriacum idioma; idque etiam probat auctoritate D. Hieronymi lib. de Hebraicis nominibus. Iunius audacter pronunciat, *verba illa fuisse à Christo Syriacè prolata*: & à Marco cap. 15 quam simplicissimè relata: *Elohi, Elohi, lema sebaktani.* Credas Iunium adfuisse, quando Saluator verba illa protulit: adeo intrepidè asseuerat; quod asseuerare non potest, nisi prius corrupto & deprauato D. Marci textu; qui non habet *Lema*, sed Lamma; Nec, *Sebaktani*. Sed *Sabacthani*, vt & textus S. Matthæi; Etiam prout Græcè & Latinè ab ipso Caluiniano Beza editus est. Quid, quod Iunij vanitas ab ipso Tremmelio tam fido sodali abundè refellitur; qui apud S. Marcum ex Syriaco hunc in modum vertit. *Il, Il, Lemana Schenaktani.*

Quid Iunius ad testimonium B. Hieronymi? *Meminisse hunc oportuerat, nihil fermè sui in toto illo libro Hieronymum attulisse; sed tantum Philonis & Origenis fuisse interpretem, vt ipse in prologo narrat. Sic*

autem

autem Origenes Syram sententiam ad Hebræos fontes reuocarat.

Vicissim meminisse hunc Caluinistam oportuerat. Philonem & Origenem longè melius sciuisse; quæ verba sint Syriaca, quæ Hebræa? quippe in Syria & inter Syros ante multas annorum centurias versatos, quàm sciuerit ipse in nescio quibus Germaniæ aut Belgij angulis pronuper delitescens; qui tantos viros Hebræam & Syriacam linguam docere non veretur; quorum ne dignus quidem discipulus esse posset. Deinde, quando quis alterius sententiam comprobat, nonne eandem facit suam? Si igitur D. Hieronymus sententiam illam Origenis de illis verbis Christi in Cruce probauit, vtique idem sese sentire professus est. Rectè igitur Bellarminus citauit D. Hieronymum pro ea sententia, quæ dicit verba illa ex Psalmo à Christo *purè* Hebræè fuisse pronunciata, & quidem tota. Denique mendacium est; quod Iunius ait; *Hieronymum in toto illo libro nihil fermè sui attulisse; sed tantum Philonis & Origenis fuisse Interpretem*: nam contrarium disertè testatur D. Hieronymus in eius libri præfatione: Offensus enim varietate & mendis Codicum Philonis, nouum opus molitus est; *Rei ipsius vtilitate commotus*, inquit, *singula per ordinem scripturarum volumina percurri: & vetus ædificium noua cura instaurans fecisse me reor quod à Græcis quoq; appetendum sit.*

Infrà, *Ac ne fortè consummato ædificio quasi deesset manus, noui testamenti verba & nomina interpretatus sum, imitari volens ex parte Origenem, quem post Apostolos, Ecclesiarum Magistrum, nemo, nisi imperitus, negat. Inter cætera enim ingenij sui præclara monumenta, etiam in hoc laborauit, vt quod Philo quasi Iudæus omiserat, hic vt Christianus impleret.* vbi vides D. Hieronymum in explicatione vocabulorum noui testamenti ita secutum esse Origenem; vt tamen suas quoque symbolas conferret.

Septima obiectio est eiusdem Kemnicij, à Chrysostomi & aliorum Patrum exemplo; *qui, etiam Laicos, frequenter monebant, vt legendis scripturis diligentem & assiduam operam nauarent.* Respondet Bellarminus, verba Chrysostomi quæ in concionibus proferebat, semper accipienda esse iuxta mentem ipsius, & occasiones quibus ad ea dicenda adducebatur. Quoniam igitur eo tempore dediti erant homines Theatris, spectaculis, aliisque nugis, & scripturas diuinas nunquam legebant, ne ij quidem, qui capaces erant, propterea Chrysostomus ad eam desidiam excutiendam, perpetuò hortabatur omnes ad lectionem scripturarum, non quod vellet omnes omnino, etiam rudissimos id facere, sed vt ij saltem id facerent, qui cum fructu poterant.

Absurda responsio, inquit Hunnius, *sibiq; ipsi manifestè contraria, videlicet Chrysostomum* O M N E S *hortari solitum ad lectionem scripturarum, non tamen vt omnes id facerent. Quis hic spiritum vertiginis in hoc pseudodoctore non animaduerterit?*

Quis in calumniatore isto spiritum conuiciandi non animaduertit? Quæ enim in Bellarmini verbis contradictio? An non potest concionator quispiam hortari omnes suos auditores, vt aliena restituant; & tamen non velle, vt omnes restituant; quia fieri potest, vt adsint, qui aliena non detineant? An non omnes hortari potest, vt ob ebrietatem vel scortationem seriò pœnitentiæ sese tradant; Et tamen nolle, vt omnes id agant; cum necesse non sit, vt omnes ebrietatis vel fornicationis crimine se contaminarint? Sic & omnes auditores suos excitare potuit D. Chrysostomus ad scripturæ lectionem; Et tamen simul etiam velle, vt hoc non præstetur, nisi ab illis, qui id cum fructu præstare possent; neque enim vel Chrysostomi, vel vllius alterius patris mens ea fuit, vt quiuis, quantumuis rudis, audax, & præceps in scripturam irrueret; cum non ignorarint sancta sanctè & reuerenter tractari debere; neque fas esse, vt inmunda ista animalia ad montem maiestate Dei fumantem appropinquarent.

Quod etiam respondeo ad illa, quæ Iunius hic exscribit ex Hom. 16. Chrysostomi in Ioannem; & quæ Hunnius ex Theophylacto in cap. 6. ad Ephesios: Et quæ alij ex aliis patribus. Nam huiusmodi cohortationibus, licet generalibus, nihil aliud volunt, quàm scripturas ab illis legendas, quibus lectio illa salutaris sit; nō noxia, aut exitiosa; qualis plerunque est rudibus & idiotis. Itaque quando Hæretici obiiciunt nobis cum alios patres, tum D. Hieronymum, etiam mulieres ad sedulam diuinorum voluminum lectionem inuitantem; præcipuè Paulam & Eustochium, respondeamus nos; vt iam olim respondit Ledesma noster in suo libro de sacro vernaculè faciendo, cap. 30. *Patres nolle, vt cuiuis passim, & absque discrimine sacra Biblia concedantur, sed adhibitio delectu, vt qui tales sint, qualis erat D. Paula, legant: boni, inquam, & pij ea legere possint. Itaq; his idem respondemus, quod D. Bernardus, qui Monachis vinum petentibus, & Timotheum allegantibus, dixit: Da mihi alterum Timotheum, & ego cibo eum si vis, etiam auro, & poto balsamo. Sic istis dicimus. Da mihi alteram Paulam, & alteram Eustochium, et non solùm apertiora scripturarum, sed etiam arcaniora vulgari lingua permitto.*

Refu-

Refutatio argumentorum, quæ VVitackerus pro vernacula sacrarum literarum lectione adfert.

PRAETEREA, quæ VVitackerus disseruit contra argumenta à Catholicis Doctoribus adferri consueta; de scripturis passim vernaculè non reddendis, neque omnibus indiscriminatim permittendis, qua iam antea copiosè refutauimus; Sex adducit argumenta VVitackerus pro vernaculis scripturarum versionibus; quæ refellere oportet; ne quid irrepercussum remaneat: Etsi pleraque iam supra satis sunt euersa & profligata.

Primum argumentum. *Quod omnibus est à Domino præceptum, id omnes facere debent: At scripturas legere omnibus præcepit Dominus. Ergo omnes scripturas legere debent.* Minorem, in qua omnis controuersia consistit, sic probat. *Voluit Deus voluntatem suam scribi, verbum suum litteris mandari, scripturas suas hominibus commendari, atq; ea quidem lingua, quæ non doctis tantum, sed plebeiis nota esset. Quorsum id verò, nisi vt omnis populus scripturas legeret, Deiq; voluntatem, verbumq; agnosceret?*

Necdum video vllum præceptum diuinum de scripturis ab omnibus vernaculè legendis. Nam si quis VVitackeri verba in formam syllogisticam redigat; nō prodibit alia, quam isthæc. *Deus voluit doctrinam suam scribi: ergo voluit ab omnibus vernaculè legi.* Quid promptius quàm negare consequentiam? Quid difficilius, quàm eandem probare? Si dicas: *Deus voluit doctrinam suam scribi linguâ notâ & vulgari, saltem ante captiuitatem Babylonicam; ergo voluit eandem ab omnibus indiscriminatim, vernaculè, quauis lingua vulgari, legi:* Rursus negatur consequentia, cui quando tandem argumento aliquo fidem faciet VVitackerus? Qua alia lingua libri Moysis conscribi debebant, nisi lingua Hebræa, populo tunc vernacula & materna? Sed qui ab Hebræa argumentatur ad quasuis alias vulgares; is, argumentatur, vt supra dicebat Lutheranus Hunnius à *baculo ad angulum*; vel, si mauis, *ab angulo ad baculum.*

Sed ecce reperit VVitackerus mandatum Dei & quidem expressum, Deut. 31. v. 11. & 12. vbi de lectione scripturarum coram toto populo sic præcipitur. *Leges verba legis huius coram toto Israële illis audientibus, & in vnum omni populo congregato. Et ne fortè quisquam è populo existimaret se priuilegio aliquo excusari, & ab hoc Dei mandato liberari, distributione quadam vtitur Moses, & nominat viros, fœminas, paruulos & peregrinos; subiungit etiam posteros.*

Pulcherrima probatio. Quæstio est, num omnibus & singulis præceptum sit scripturam lingua vulgari & vernacula legere. Nos abnuimus.

A Affirmat iste; & adfert locum, qui non continet præceptum legendi datum omnibus & singulis; sed solis Sacerdotibus; neque eiusmodi, hoc quidem loco, præceptum est, quod ipsos etiam Sacerdotes obliget ad quotidianā & indesinentem sacrarum litterarum lectionem; qualē hæretici vrgent & iactant, & suis quoque opificibus persuadere conantur; sed tantum iubet lex illa; vt filij Leui septimo quouis anno in solemnitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex Israël, legant verba legis huius, hoc est, Deuteronomium, *coram omni Israël, audientibus eis.* Hoc valde diuersum est ab eo; quod Nouatores cupiunt.

Itaque vt VVitackeri ineptia dilucidius appareat; in lucem extrahamus ineptissimas conse-
B quentias, quas Caluinista sub tegmine testimonij ex Deuteronomio tegit; ne absurditate sua lectori vel risum vel indignationem moueant. *I. Mandatum est Sacerdotibus, filiis Leui, vt post septem annos, in anno remissionis legerent coram omni populo Deuteronomium: Ergo mandatum est omnibus Christianis, vt scripturas diu noctuq; lingua vulgari & materna euoluant. II. Mandatum est omnibus Israëlitis, tam viris, quàm mulieribus; tam maioribus, quàm minoribus, vt septimo quoq; anno audirent Deuteronomium, quando certo tempore certoq; in loco à Sacerdotibus publicè legebatur; ergo mandatum est omnibus iam Christianis, vt perpetuò Scripturas vernaculè voluant, euoluant, & reuoluant.* Quis hæc deliramenta non rideat? Mandauit Deus Sacerdotibus, vt coram populo quouis se-
C ptennio Deuteronomium legerent: hoc transfert iste, ad totam scripturam; & ad ipsos Israëlitas, quibus nihil aliud præceptum erat, quàm vt Deuteronomium audirent; quando legebatur septimo quoque anno à Sacerdotibus: idque non alio fine; quàm vt timerent Dominum, eiusque præcepta obseruarent: Addo, nihil certius esse; quàm præceptum illud legendi & audiendi fuisse cæremoniale seu legale; & Iudæis duntaxat præscriptum; & per consequens, morte Christi abrogatum, quemadmodum & cætera legalia præcepta; nam si adhuc durat, prout in Deuteronomio exstat; cur Caluinistæ non conuocant septimo quouis anno gregales suos, eisq; Deuteronomium prælegunt?

D Obiicit VVitackerus. *Si finis & caussa proxima alicuius legis sit perpetua, ipsa etiam lex perpetua iudicanda est: At caussa illa, ob quas DEVS voluit scripturas legi, sunt perpetua; Ergo vult illas perpetuis sæculorum ætatibus populo legi.*

Hoc argumento reuocabit VVitackerus in vsum omnia omnino veteris testamēti sacrificia & ritus; quorū finis primarius fuit cultus & honor Dei; qui cultus & honor Dei perpetim apud Christianos quoque perdurare debet; Num ergo & illa sacrificia illæque priscæ cæremoniæ adhuc vsurpabuntur? An non est alia ratio colendi Deum, quàm per Mosaicos illos ritus? Pari modo, licet Deum semper timere, & mandatis eius obtemperare debeamus, non

est

Digitized by Google

est tamen necessarium; vt id fiat modo illo Deuter.31.tradito, quia aliis modis fieri potest; nam & in Ecclesia Catholica certis diebus legitur & explicatur verbum Dei collectæ in vnum multitudini,tam viris, quàm mulieribus, tam paruulis, quàm natu grandioribus: Et Catholicæ Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus præceptum est, vt hoc faciant; & subditis etiam,vt attentè audiant,*vt discant timere Deũ*,& iussis eius obsequi. Hęc finis longè melius obtinetur, si Sacerdotes populo scripturas prælegant & explanent, quàm si ipse populus scripturas imperitè scrutetur, & scrutando à tanta profunditate opprimatur; vt taceam absurdissimum esse hoc VVitackerianum argumentum; si tamen hoc nomine stultitia tanta digna est. *Deus timendus est,& venerandus; & præcepta eius impigrè & sedulò exhaurienda; sed hoc non potest fieri, nisi omnibus fiat potestas scripturas arbitratu suo vernaculè perpetim percurrendi; ergo*,&c. Probatur Minor. *Quia Deut. 31. præceptum est Sacerdotibus,vt populo septimo quoq; anno Deuteronomium legant; idq; eo fine,vt Deum timeant,& mandata eius obseruent: ergo scriptura promiscuè ab omnibus est legenda vulgari lingua; nam nisi hoc fiat, fieri non poterit, vt Deum timeant,& mandatis eius obsequantur.* Certè si quis verborum fumos & nebulas, quibus legentium oculos Caluinista inuoluit, dispellat; nil aliud, quàm quod iam dixi, VVitackerum dicere depręhendet.

Imò ex hoc ipso Deuteronomij loco validè refelluntur Hæretici. Si enim Deus volebat, vt Deuteronomium semper à vulgo legeretur & tereretur; cur non præcepit, vt quiuis exemplar Deuteronomij sibi compararet? Cur Moyses non tradidit exemplaria libri promiscuæ multitudini,*sed Sacerdotibus filiis Leui, qui portabant Arcam fœderis Domini,& cunctis senioribus Israël: præcepitq; eis dicens: post septem annos anno remissionis, in solennitate tabernaculorum,conuenientibus cunctis ex Israël, vt appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus,leges verba legis huius coram omni Israël,audientibus eis,& in vnum omni populo congregato, &c.* Si eo tempore tam Biblici fuissent Hebræi, quàm Biblici nunc sunt Caluiniani & Lutherani: expostulassent cum Moyse; quod legem à se scripto comprehensam, solis Sacerdotibus,& populi senioribus tradidisset: quin & exemplaria magno clamore sibi dari postulassent pro priuata & domestica lectione: addidissentque, se Marte suo lecturos legem; nil opus esse, vt à Sacerdotibus,& populi Antistitibus, certis solénium dierum conuentibus prælegeretur, & explicaretur. Nec illud etiam in Moyse tolerassent, quod sacræ litteræ his verbis referunt Deuter. 31. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine atq; compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant Arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ Domini Dei vestri.* At Israëlitæ, si Caluiniano aut Lutherano spiritu agitati fuissent,occlamassent: Nequaquam; sed describite librum istum,multiplicate exemplaria, date legenda sartoribus, sutoribus,cerdonibus, tignariis,cęmentariis,&c.

De cantico illo: Audite cæli, quæ loquor Deut. 32.hæc edixit Moyses: Deut. 31. *Nunc itaq; scribite vobis canticum istud,& docete filios Israël: vt memoriter teneant, & ore decantent & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israël.* Si volebat, vt Deuteronomium legeretur ab omnibus, etiam idiotis, eo modo, quo nunc Nouatores contendunt scripturas legi debere; cur non idem præcepit de Deuteronomio, quod de ipso cantico? Cur non iussit describi à singulis,& memoriæ mandari? Cum post exilium Babylonicum Iudæi in patriã reuertissent, eundem legis librum diligenter euoluerunt. Sed qui? Num vulgus? 2.Esdræ.8. *Attulit Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisq; qui poterant intelligere; in die prima mensis septimi. Et legit in eo apertè in platea,quæ erat ante portam aquarum,de mane vsq; ad medium diem, in conspectu virorum & mulierum, & sapientum,& aures omnis populi erant erectæ ad librum.* Si auditores isti fuissent Lutherani aut Caluiniani,libri exemplaria importunis vocibus ab Esdra efflagitassent, vt hac lectione etiam intra priuatos parietes proprio studio & industria fruerentur.

Addit scriptura. *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, & iuxta eum Mathathias,& Semeia,& Ania,& Vria,&c. & aperuit Esdras librum coram omni populo, super vniuersum quippe populum eminebat, &c. Et legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad legendum, & intellexerunt, cum legeretur. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersata) & Esdra Sacerdos, & Scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerso populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro,&c. Abiit itaq; omnis populus,&c. quia intellexerant verba,quæ docuerat eos. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Esdram scribam, vt interpretaretur eis verba legis*,&c. Tandem subiicitur. *Legit autem* (Esdras) *in libro legis Dei per dies singulos à die primo vsq; ad diem nouissimum,&c.* Illustre speculum, etsi nec Lutheranum nec Caluinianum: quis scripturam legere & interpretari, & quis legentes & interpretantes audire debeat; & vbi.Hinc euidenter elucescit,nihil minus apud Hebræos viguisse,quam solemnem istum sectariorum morem,nimirum, vt quiuis ex infimo etiam vulgo, librum legis haberet, legeret & tereret, suoque arbitratu intelligeret; sed lectionem,veramque intelligentiam à Sacerdotibus & Doctoribus, ab illo præsertim, qui in *altum* euectus *gradum* supra *omnes eminebat*; petendam fuisse; quem pro vero scripturæ sensu assequendo, ne ipsi quidem familiarum principes & Sacerdotes adire detrectabant.

Præterea nihil minus apud Hebræos viguisse, quàm hanc scripturas legendi libidinem, qua mirificè isti gloriantur; patet etiam ex facto,

quod describitur. 4. Reg. 22. & 23. & 2. Paralip. 34. vbi videbis tantam fuisse exemplarium raritatem, vt cum Helcias Pontifex librum legis in templo reperisset; id quodammodo pro miraculo habitum fuerit, omnibus ad librum, tanquam ad insuetum quoddam prodigium, attonitis & obstupefactis. Quæ inusitata admiratio nullũ habuisset locum, si vt hodie, omnes anguli codicibus Bibliorum redundassent.

Addit VVitackerus. Deut. 17. v. 19. & 20. *Regi nominatim præcipitur, vt legat scripturas: & rationes adduntur eædem, quæ prius, & quædam etiam Regi peculiares, nempe ne efferatur superbia animus eius, suosq́ue fratres despiciat, & ne recedat ab hoc præcepto dextrorsum aut sinistrorsum.*

Ex hoc scripturæ loco non aliud exsistit argumentum pro VVitackeri caussa, quàm hoc. *Regi præcipitur, vt describat sibi Deuteronomium, & studiosè omnibus diebus vitæ suæ euoluat; ergo omnibus mandatum est, etiam Christianis, vt sacras litteras dies noctesq́ue legant, licet sint idiotæ, & ex infima plebis sorte.* Quæ hæc consequentia vel potius amentia? Et tamen, si rem penitius introspicias, nihil aliud dicit VVitackerus, quàm quòd hac consequentia complexus sum: Quod enim Regi Israëlitarum præcepit Deus; hoc iste ad omnes Christianos extendit: & quod de solo Deuteronomio iussit, hoc iste ad totam scripturam profert; & quod de scriptura Deuteronomij Hebraicè legenda præscripsit, hoc iste traducit ad quasuis vernaculas versiones. Notare oportebat Hæreticum id, quod ibidem adiungitur: *Accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus.* Nimirum, non quoduis exemplar Deuteronomij regi ad legendum propositum est; sed traditum acceptumque à Sacerdotibus Leuiticæ tribus; ne fortè, si aliunde exemplar Rex accepisset; id deprauatum corruptumque esset; quippe non profectum ab illis, quibus custodia legis diuinæ commissa erat. Quapropter optimè sibi consulunt illi, qui cum Biblia legere volunt, siue Latinè, siue Græcè, siue Hebraicè, siue vernaculè, exemplar à *Leuiticæ tribus Sacerdotibus*, hoc est, ab Ecclesiæ Catholicæ Antistitibus accipiunt; non à Luthero, non à Beza, non à Castalione, non ab aliis huius classis sectariis; qui sunt extra tribum & sortem legitimorum Ministrorum Ecclesiæ.

Neque tantùm Regi præceptum erat; vt exemplar acciperet à Sacerdotibus Leuitici generis; sed & hoc, vt in legendo non suam, sed Sacerdotum sententiam & explicationem sequeretur; nam & ad Regem pertinebat præceptum de adeundis Sacerdotibus Leuitici generis, deque consulendo iudice, si quid difficultatis & dubitationis emersisset. Hinc & Iosias Rex cum Deuteronomium legit 4. Reg. 23. & 2. Paralip. 34. id non fecit, nisi stipatus Sacerdotibus & Prophetis. *Ascendit enim Rex in templum Domini; & omnes viri Iuda, vniuersiq́ue qui habitabant in Hierusalem*

A *cum eo Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus à paruo vsq́ue ad magnum, legitq́ue* (Rex) *cunctis audientibus, omnia verba libri fœderis*, &c. Quo significatur, tum demum fructuosè sacras litteras legi, si legantur præsentibus Sacerdotibus, hoc est, coniunctæ cum Ecclesiasticæ traditionis Canone ac norma.

Necdum finis probandi ex scripturis. En igitur aliud primi argumenti fulcimentum. Deut. 6. v. 6. 7. 8. 9. *Hoc mandatũ proponitur toti Israëli, & vehementer etiam vrgetur, vt verba legis diuinæ sint in cordibus illorum insculpta, vt narrent filiis suis, vt loquantur de iis sedentes domi suæ, & ambulantes in itinere, cubantes & surgentes, vt habeant ea manibus suis alligata tanquam signa, vt sint semper ob oculos suos, deniq́ue* B *vt inscribantur postibus ædium suarum in portis suis.*

Quid infers ex his VVitackere? Si quid ad rem inferre velis; hanc consecutionem texere debebis: *ergo omnes Christiani obligantur ad hoc, vt scripturas vernaculè legant & relegant, versent ac reuersent.* Qua consequentia quid ineptius? Deinde nusquam in toto Deuteronomio præceptum est Israëlitis, vt Deuteronomium describant; vel domi suæ habeant; quia quidquid capite sexto Dominus per Moysen mandabat, id memoria retinere & exequi poterant per solam lectionem quæ certis temporibus à Sacerdotibus Leuitici generis instituebatur: sicut & iam idiotæ omnia, quæ ipsis ad salutem scitu necessaria sunt, C scire queunt ex instructione & institutione Pastorum & Doctorum Ecclesiæ. vt taceam; illud: *Eruntq́ue verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo,* &c. *Scribesq́ue ea in limine & ostiis domus tuæ.* &c. potissimum referri ad præceptum, quod proximè antecedit: *Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est. Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Eiusdem roboris vel potius vanitatis est, quod sequitur. Hier. 36. v. 6. 7. *Mandauit Propheta Barucho, vt legeret librum, quem scripserat ex ore eius, coram toto populo: & ratio subiungitur, si forte procidant deprecantes coram Iehoua, & reuertatur quisq́ue à via sua pessima.*

Fumos vendis VVitackere. Quid hoc causam D tuam iuuat? An ideo ab vniuersis sutoribus & sartoribus & balneatoribus & tonsoribus vernaculè diuini libri legendi sunt; quia Baruch, iussu Hieremiæ, legit Prophetiam ex ore eius exceptam, coram vniuerso populo? An non etiam in Catholica Ecclesia legitur sacra scriptura coram vniuerso populo; vt fit in concionibus, quæ vernaculè instituuntur; tametsi hoc non fiat sine adiuncta explicatione? Obserua autem, In toto illo Hieremiæ capite, non apparere vllum Lutherani aut Caluiniani spiritus vestigium. Nemo enim ex tanta hominum multitudine, quæ ad audiendum Baruch confluxerat; exempli ex volumine illo sumendi sibi potestatem fieri postulauit. Si Lu-

Digitized by Google

therani & Caluiniani adfuissent, statim describendi copiam elatis vocibus efflagitassent.

Pergit VVitackerus. *Ioan. 5. præcipit Christus: Scrutamini scripturas; quo in loco non doctos tantùm & eruditos alloquitur, sed indoctam etiam plebem & imperitum vulgus. Quomodo autem scripturas scrutabuntur, nisi conuersæ sint in linguas ipsis etiam indoctis notas?* His quæ VVitackerus garrit, duo deesse video; primum, quod non probat, sed tantum asserit, verbis illis: *Scrutamini scripturas*; contineri imperium. Alterum, quod non probat, sed inaniter tantum affirmat, hoc imperium pertinere ad omnes simpliciter tam doctos quàm indoctos. De primo audi quid D. Cyrillus scribat B lib. 3. in Ioan. cap. 4. *Communis & trita huius textus expositio: cum imperio quodam excitari à saluatore ad inuestigandas scripturas Pharisæos affirmat, vt testimonia inde possint de Christo colligere. Verùm quoniam illud copulauit, & non vultis venire ad me: & caussam inuestigationis adiecit, quia vos in ipsis putatis vitam æternam habere: nullo pacto hæc oratio cum imperio, sed cum indicio proferenda est. Nam si cum imperio legitur, cum similiter propter copulam totus sermo ita proferendus esset, scrutamini dixisset, & venite ad me. Nunc autem non ita, sed; non vultis, inquit, venire ad me. Huiusmodi ergo sensus est. Nam quoniam videbat à Mosi libris, multa eos diligenter quidem, sed imperitè aduersus eum colligere, idcirco inutilem eis ostendit hanc diligentiam esse. Quæ namque, inquit,* C *vtilitas est, si scripturas quidem scrutamini, putantes ad vitam æternam per ipsas peruenire? Quum autem eas testimonium mihi perhibentes inueniatis, in quibus ego vita sum appellatus, non vultis ad me venire, vt vitam habeatis. Quare sequitur inde maxima vos animarum vestrarum detrimenta colligere, vnde salutem consequi putatis. Ad contradicendum enim solum scripturam legitis, quæ verò ad vitam æternam conducunt ne in mentem quidem veniunt vestram.* Hæc S. Cyrillus.

Ex cuius sententia vides sensum illius dicti non esse imperatiuum; sed vt sic loquar, *indicatiuum*. Non enim imperat, vt scrutentur scripturas; sed indicat & significat eos scrutari scripturas, inque illis spem salutis reponere; sed D frustra; cum ita legerent scripturas, vt Christum auersarentur; & à lectione scripturæ semper animo magis in Christum hostili recederent. Deinde, vt maximè verba illa significarent imperium; non tamen hoc imperium pertinuisset ad omnes; sed ad Pharisæos tantum & scribas, & principes: Isti enim Christo & doctrinæ eius potissimum resistebant: cui pleraque plebis pars valdè fauebat, & addicta erat. Quod ipsimet populi primores confiteri coacti sunt Ioan. 7. *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis; sed turba hæc, quæ non nouit legem maledicti sunt.* Quomodo hoc præceptum dari potuit vniuersæ plebi, etiam si præceptum esset; cum tempore Christi, non Hebræa, quo legis libri A conscripti fuere; sed Syriaca vulgo Iudaico vernacula esset? Tertiò, vt maximè præceptum hoc, si præceptum esset, ad omnes simpliciter Iudæos, etiam indoctos, pertineret; quid hoc ad omnes Christianos, qui doctrinæ Christi promptissimo assensu fidem habent; quibus dulcius est credere, quam scrutari; qui, excussâ illâ Iudæorum peruicaciâ & duritiâ, Christo eiusque institutioni aurem libenter inclinant; Si enim Christus verba illa per modum imperij protulisset; propter Iudæorum contumaciam & inflexibilem ceruicem sic ea protulisset; Quocirca ad eos, qui iam Christiani facti sunt, nihil prorsus pertinerent: Nulli enim, qui iam verè credidit; dici potest; vt scrutetur scripturas, quò cre- B dat; quia iam antea credidit. *Nemo quærit*, (aut scrutatur) inquit Tertullianus lib. de præscript. *nisi, qui aut non habuit, aut perdidit. Omnem prolationem quærendi & inueniendi credendo fixisti.*

Quid quod nouatores nostri cum suo *scrutamini*, vel *quærite*, palam indicant, se necdum Christianos esse; *Si enim verè adhuc quærunt; nihil certi deprehenderunt: & interim quodcunq; videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt, quamdiu quærunt.* Quibus si obtemperare velis, quando clamant: *Scrutamini scripturas: Quærite & inuenietis*: quid aliud efficies, quam quòd te itidem nihil dum certi reperisse profiteberis? *Nam tu, qui proinde quæris, spectans ad eos, qui & ipsi quæ-* C *runt, dubius ad dubios, incertus ad incertos, cæcus ad cæcos in foueam deducaris necesse est: quia cum quærunt adhuc, nondum tenent; cum autem nondum tenent, nondum crediderunt. Cum autem nondum crediderunt, non sunt Christiani. Si verò decipiendi gratia prætendunt se adhuc quærere, vt nobis per sollicitudinis iniectionem tractatus suos insinuent*; non difficile est statuere, quid facto sit opus; *qui enim per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt?* Concludo igitur, *nihil vltra scire*, quàm quod semel credendo amplexus es, *omnia scire est. Fides tua, inquit, te saluum fecit; non exercitatio scripturarum. Fides in regula posita est; habes legem & salutem ex obseruatione legis.* Itaque nihil ad Christianos pertinet D istud *Scrutamini* vel illud Quærite. Quia iam inuenerunt. Fatuum autem est, id quod iam inuenisti scrutando iterum perquirere.

Non inuenisti veritatem; clamat Lutheranus: Ideo adhuc locum habet; *Scrutamini scripturas: Quærite*, & inuenietis. At licet quis scrutando Lutheranam veritatem, quæ à falsitate nihil penitus discrepat; reperiat; ex aduerso stat Caluinista; negatque veritatem à me in Lutherano fundo inuentam; & monet, vt denuo scruter scripturas; sed in schola Caluini; & mox genuinam veritatem oculis meis oblatum iri. Cui si paream, redarguet me Anabaptista, aut Trinitarius, & ad se veritatis quærendæ gratia inuitabit.

Sed

Sed si, quia alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quærere debemus, in quantum possumus inuenire, semper quæremus, & nunquam omnino credemus. Vbi enim erit finis quærendi? vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi? apud Marcionem? sed & Valentinus proponit: Quærite & inuenietis. Apud Valentinum? sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit, & Hebion & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. Ero itaque nusquam dum vbique conuenior: Quærite & inuenietis: & velint me sic esse nusquam quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit, quod quæri oportet, quod credi necesse est. Hæc elegantissimè & verissime Tertullianus.

Nihil ergo ad Christianos illud *Scrutamini*: quia iam crediderunt: Et si scrutari scripturas ad Christianos pertinet, non vt nouam fidem inde eruant, sed vt veterem defendant, & ab aduersariorum iaculis tueantur; id non est imperitæ multitudinis & idiotarum; sed eorum, quos posuit Deus in Ecclesia, ne circumferamur omni vento doctrinæ; Pastorum scilicet & Doctorum, qui verbo & exemplo Dominicum gregem pascunt; & lupos ab ouilibus arcent; & vt arcere queant, scripturas scrutantur non quasi ancipites & dubij explorare velint, num Catholica fides sit veritati consentanea; vel vtrum aliqua alia quærenda & in publicum educenda sit; sic enim Hæretici scrutantur scripturas, nosque easdem scrutari iubent; Sed vt se & sibi commissos in antiqua & semel suscepta religione confirment ac consolident.

Citat VVitackerus Chrysost. Hom. 40. in Ioannem; qui ait; verba illa: *Scrutamini scripturas continere præceptum.* Non nego id affirmare D. Chrysostomum. Sed num dicit verba illa complecti præceptum ad omnes omnino Christianos pertinens? An non disertè ait; Iudæis illud præceptum datum? Dicet VVitackerus, *Esse eandem rationem de Christianis.* Ego verò id pernego. Quia Iudæi illi in Christum non tantum non crediderant, sed & personam & doctrinam eius vehementissimè & pertinacissimè oppugnabant. At qui verè Christianus est, is iam Christo dictisque eius fidem habet, omnemque cultum ac honorem defert: Quomodo igitur par est ratio Iudæorum & Christianorum; vt ex æquo illud: *Scrutamini scripturas* ad vtrosque pertinere existimari posit? Mitto dicere: verbum *ἑλκύει*, quo vtitur S. Chrysostomus; sæpe idem esse; quod *hortari, incitare.* Et hoc sensu hic à Chrysostomo vsurpari & ipsa materia, & sequentia verba suadent.

En alium ex scriptura fucum imperitorum oculis obiectum. Ioan. 20. v. 31. *Euangelista ait: Hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. At omnes expetunt vitam ac salutem; fidem etiam omnes cupiunt, aut saltem cupere debent.* Respondeo, etiamsi

A totum concedam, quod VVitackerus hic adducit; nondum tamen obtinebit; quod vel inprimis obtentum cupit: scilicet, scripturas omnibus vernaculè esse permittendas; vt eas ipsimet legant, euoluant, scrutentur & rimentur; vt Prædicantes iubent. Omnibus proponuntur scripturæ in Ecclesia Catholica, etiam rudissimis & imperitissimis; sed proponuntur à doctoribus & concionatoribus; non sine explicatione & interpretatione; quod satis est, vt fides in animis fidelium foueatur, alatur; augeatur: imò hoc longè satius & conducibilius est; quàm si cuiuis idiotæ ius fiat verbum Dei, arbitratu suo legendi & tractandi. Sic si qui sint in Ecclesia Catholica Catechumeni iam rationis

B compotes; iis ex scripturis sanctis, quæ scitu necessaria sunt, proponuntur, explanantur & inculcantur, vt fides in eorum cordibus nascatur. Mirum est, istos vernaculas versiones & lectiones adeo vrgere; vt totam quodammodo fidem, omnemque salutis rationem inde suspensam arbitrentur. Quod si quis legendi, etiam vernaculè, sit ignarus? vt quidem infiniti ignari sunt. Nam semper mille ignaros prius inueniemus; quàm decem gnaros. Quid de istis fiet? An neque fidem, neque salutem consequi poterunt? Fortè respondebit Caluinista, *hos ex aliorum lectione & instructione tantum de sacris litteris gustare posse, quantum illis ad fidem & salutem satis est.* Rectè: sed hoc ipsum ex Docto-

C rum & Pastorum instructione consequi licebit; licet scripturæ non extent lingua vulgari; quia Doctores & Pastores lingua nota & vulgari singulis ex diuinis libris ea proponunt & explanant, quæ ad salutem necessaria sunt: ac proinde ipsis etiam idiotis: & ne vernaculam quidem scripturam legere peritis, omnia quæ scriptura tradit, scripta sunt; vt credant Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes vitam habeant per nomen eius.

Vltimum primi argumenti fulcrum est istud. Rom. 15. v. 4. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta esse dicit Paulus: nos ergo doctos esse Dominus voluit, & hæc salutaris scientia est. Subiun-*

D *git: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, qui ergo scripturis carent, carent patientia, carent consolatione, carent spe; nam ista omnia ex scripturis nascuntur.*

Respondeo ne idiotas quidem scripturis carere, licet careant vernaculis versionibus: quia omnibus & singulis ea à Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ proponuntur & exponuntur; quæ ad consolationem, patientiam & spem in animis gignendam necessaria sunt. Quod si patientia, spes & consolatio nasci nequit, nisi ex vernacula lectione; carebit igitur his omnibus, qui legendi etiam vernaculè, rudis est. At potest alios audire legentes. Non nego: sed addo, talem etiam audire posse Doctores & Pastores Eccle-

Digitized by Google

siæ è loco superiore ad suos auditores ex scriptura concionantes, & verbum Dei interpretantes: Etiamsi nullæ vernaculæ versiones per manus & officinas imperitorum circumuolitent.

Secundum VVitackeri argumentum. *Ea arma, quibus populus est contra Satanam muniendus, non sunt populo adimenda. At scripturæ sunt eiusmodi arma. Ergo scripturæ populo adimendæ non sunt. Adimuntur autem si ab earum lectione populus arcetur. Propositio per se manifesta est. Assumptio verò probatur Christi ipsius exemplo. Matth. 4. Quando enim Christus rem habuit cum Satana, & manus cum illo conseruit, non aliis armis eum repressit ac refutauit, quam Scripturis. Ter illi respondit. Scriptum est. & tertio responso illum profligauit.* Esto, quod infert Syllogismus: Sed nego appendicem quæ conclusioni annectitur: *Adimuntur autem scripturæ, si ab earum lectione populus arcetur*: nego hoc; si vt debet Caluinista loquatur de vulgaribus versionibus; Nam quantum satis est ad debellandum Satanam, eiusque insultus comprimendos, quiuis idiota haurire potest ex concionibus & instructione Pastorum & Doctorum Ecclesiæ; etiamsi nulla exstet vernacula versio. Quid si quis nesciat legere; vt quidem infiniti nesciunt; num isti prorsus inermes erunt; nec habebunt, quo dæmonis tela retundant? Quid factum de antiquis Christianis, quibus nulla vulgaris versio? An statim Diabolo manus dabant? An illæ gentes cum salutis nostræ capitali hoste nullum bellum gerebant; de quibus hæc memoriæ prodidit Irenæus lib. 3. cap. 4. *Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum Deum credentes, fabricatorem cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei filium.* Pari modo fidelibus, qui vitam egerunt antequam Moyses legem Dei in litteras referret, nulla suppetebat armatura, quibus à se impressiones Cacodæmonis amolirentur; quia needum telum istud vibrare poterant: *Scriptum est.*

Miror VVitackerum non animaduertisse diabolum eodem gladio aduersus Christum vsum? An non & ipse dixit? *Scriptum est*: Cuius exemplum imitantur hæretici, quoties cum suo *scriptum est*; in medium prodeunt; vt in Responso ad Theses Hunnianas copiosè monstraui. Et valde scilicet metuit Dæmon hunc ictum; quando à Caluinista vel Lutherista cum hasta illa: *Scriptum est*, appetitur & percutitur. quia hastam hanc non vibrant, vt Christus aduersus Diabolum; sed vt Diabolus aduersus Christum; præsertim quando in Orthodoxos hoc missile suum spargunt. Vt taceam, idiotarum non tam esse

A scripturis aduersus Dæmonem dimicare; quàm firma & immota fide, spe non vacillante; incensa charitate; & ab Ecclesiæ Catholicæ placitis ac dogmatibus nunquam recedendi constantissima voluntate; vt præteream signum sanctæ Crucis; & alia Orthodoxis vsitata; quæ iste hic subsannat; sannisque subiungit hoc paradoxum inter Stoica non infimo loco collocandum. *Sola scripturarum arma contra Dæmonem & valere possunt, & valere debent.* Quæ vox sine dubio Diabolo est gratissima; maximè cum citationes scripturæ factas aduersus se à Lutheranis & Caluinianis non magis curet, quàm Elephas muscam. At scriptura vocatur *clypeus*; & *gladius spiritus*; *scutum*, & quid non? Quis

B hoc nescit? Num ideo omnes apti sunt, vt hoc clypeo, hoc scuto & gladio vtantur? Non omnibus eadem arma conueniunt. Cum Dauid adhuc adolescentulus armis Regis Saul indutus esset, 1. Reg. 17. dicebat: *Non possum sic incedere, quia vsum non habeo.* Quibus ergo armis assuetus erat? Funda & baculo: His instructus intrepidè aduersus Goliath processit, & clarissimam victoriam retulit. Idem & idiotis in hac pugna contingit; qui vsum clypei illius & gladii spiritualis doctioribus in Ecclesia committentes; funda & baculo contra dæmonis impetus rem gerunt; certi se non deuictum iri; quamdiu hæc arma non abiicient; Etsi, vt antea dictum; quiuis fidelis, ex ipsa etiam scri-

C ptura tantum edocetur; quantum illi sufficit vt in laqueos Diaboli non incidat.

Vide verò, mi lector, mirificum Caluinistæ huius syllogismum. *Omnes, qui rem habent cum Satana, debent scripturas legere, vt armis illis quæ ex scripturis subministrantur, dextrè ac scitè contra hunc capitalem, & teterrimum hostem vtantur: At Satanas omnibus sine exceptione hominibus bellum indicit: Omnes ergo scripturas debent legere, & per consequens scripturæ lingua vernacula populis proponi debent.*

Mirificus sane Syllogismus, siue verba, siue verbis subiectum sensum spectes. Cuius Maior VVitackeriana est, hoc est, futilis. Quid enim?

D An fideles à Diabolo non infestabantur; quando verbum Dei nondum erat litteris consignatum? An si infestabantur, nullum suppetebat reluctandi subsidium? Et hodie, qui legere nesciunt; aut tentationum Dæmonis expertes sunt; aut armis, quibus se tueantur, carent; quia legere nesciunt; omnes autem, *qui rem habent cum Satana*; inquit Caluinista, debent scripturas legere. ô monstra.

Tertium argumentum VVitackeri. *Ita legendæ publicè scripturæ sunt, vt ex iis populus fructum aliquem capere possit: At in ignota lingua, populo vtiles esse non possunt; Ergo in linguam populo notam vertendæ sunt.*

Mino-

Minorem probat ex 1. Cor. 14. *Si veniam ad vos linguis loquens, quid vos iuuabo?* &c.

Respondeo I. Si loquatur de lectione publica scripturæ, quæ fit in exhortationibus & concionibus; maiorem esse veram; falsam; minorem: quia in Catholica Ecclesia legitur scriptura in concione vel exhortatione lingua auditoribus nota; vt norunt omnes; idque vel separatim, prout fit in Germania; vel coniunctim cum explicatione; vbi Euangelium vel pars scripturæ, quam concionator explanandam suscepit; non legitur separatim, sed cum explicatione coniungitur. Si autem loquatur Caluinista de publica scripturæ lectione, quæ fit in ipsis diuinis officiis, ita vt diuinorum officiorum sit pars, tum distinguo Maiorem. Si enim sensus sit, populum debere ex huiusmodi lectione capere fructum eruditionis seu institutionis; negatur Maior. Si sensus sit, populum debere inde capere fructum deuotionis, pijque affectus erga Deum & res sacras; & emolumentum; quale ex cultu Dei percipitur, quando ritè obitur; tum vera est Maior, & Minor falsa. Supra enim iam sæpe ostendimus, preces & cultum Dei prodesse, licet in ignota lingua instituantur; Idiotas itidem pio affectu affici & inflammari, quando diuino cultui, etiam Latinè peracto, reuerenter adsistunt. De loco ex 1. Cor. 14. iam fusè supra disputatum est. Agit enim non de diuinis officiis, sed de canticis, quæ quiuis componebat, & in publicis conuentibus decantabat. De quo supra: & infra iterum occasionem dabit VVitackerus.

Quartum VVitackeri argumentum. *Dominus præcipit & requirit, vt populus sit eruditus, & sapientia ac scientia plenus, atq; salutis mysteria perfectè teneat, & sæpe conqueritur de ignorantia populi, & iubet exerceri in verbo, vt hinc sapientiam & intelligentiam comparent: ergo debet populus scripturas legere, nam sine lectione scripturarum non potest eam scientiam consequi: legere autem non potest, nisi vertantur: verti ergo scriptura debent.*

Respondeo, negando consequentiam. Quia quidquid scientiæ Deus à populo requirit, id totum, & quidem copiosè, populus habere potest ex instructione & institutione Sacerdotum & antistitum Ecclesiæ; licet Biblia versione vulgari non legantur. Et qui vel Catechismum Christianum nouit, is meliora, profundiora, certiora, & fructuosiora nouit, quã omnes Ethnicorum olim Philosophi. Neque scripturæ loca, quæ VVitackerus citat, volunt; vt omnes sint Doctores, (*nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores?* 1. Cor. 12.) Sed vt quiuis sciat, & quidem probè, quæ ad suum statum, suamque professionem pertinent, neque tantùm speculatiuè, sed multò magis practicè: *Factores enim legis diligit Deus*. Et tum de populo Christiano verè affirmari poterit illud, etiam à religionis nostræ hostibus: *En populus sapiens & intelligens, gens magna*. Deut. 4. neque enim quò istud de Hebræis olim affirmaretur, petiit beatus Moyses, vt omnes essent legis Interpretes; sed vt quiuis ea, quæ ad se pertinebant, opere perficeret, Deumque ex animo veneraretur ac coleret; vt patet ex his eius verbis. *Scitis quod docuerim vos præcepta atq; iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis in terra, quam possessuri estis, & obseruabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis.* Quæ Sapientia? Vt obseruetis, quæ præcepi vobis, & impleatis opere. Et tum dicent: *En populus sapiens & intelligens.* Sed isti nostri Pseudoprophetæ & Pseudodidascali ipsos etiam sutores, sartores, aliosque opifices, quin & mulierculas suas in doctores & doctrices transformare, mirabili metamorphosi, contendunt; & hac vanissima scientiæ pollicitatione credulum vulgus ad se pelliciunt; quod cum maximè Sapientiæ opinione tumet; tum vel maximè stultescit. Ecclesia corpus est: *Quod si omnia essent vnum membrum, vbi corpus?* 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra vnumquodq; in corpore, sicut voluit.* Si omnes Magistri, vbi discipuli? Si omnes doctissimi, vbi plebs & idiotæ, quorum scire est credere; scientiæ copia; fidei abundantia & immobilis constantia? qui satis docti sunt; si, vt supra dictum, probè teneant, quæ singulis pro cuiusque statu ad salutem sunt necessaria: inter quæ, mysterium illud; *quod absconditum fuit à sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis Dei.* Coloss. 1. Et in hac cognitione eiusque, qua praxin respicit, executione consistit abundantia illa scientiæ & sapientiæ, quã Apostolus omnes fideles pollere & excellere optat.

At Chrysostomus & alij hortantur Christianos, vt scripturas lectitent, & quidem attentè ac sedulo, inquit VVitackerus. Quid tum? Illos monent, qui hoc cum fructu præstare possunt; quique legunt non vt magistri magistrorum, doctoresque doctorum; neque contempto Ecclesiasticæ traditionis Canone; sed reuerenter, animo submisso, & Ecclesiasticæ regulæ ac explicationi subiecto. Nam quod neque patres, neque sacra scriptura omnes simpliciter ad lectionem sacrarum litterarum adstringant, inde manifestissimè elucescit, quod multi reperiantur; qui legendi sunt ignari, etiam vernaculè. Quid igitur de istis fiet? An non poterunt censeri *populus sapiens & intelligens?* An in illis verbum Dei *abundanter* seu copiosè habitare nequibit? An non insigniter fide, sermone & cognitione excellere poterunt? Vnde hoc consequentur, nisi ex eruditione verbi Dei, licet lectioni ipsimet vacare non queant? Idem ergo iudicium fit de aliis, qui cum careant vernaculis editionibus; scripturas ipsas euoluendi potestatem non habent; quippe linguarum Hebrææ, Græcæ aut Latinæ ignari.

Tandem quidquid hæretici obsibilent, nos cum D. Augustino lib. cōtra epist. Fundam. cap. 4, apertè clamamus. *Turbam, non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutißimam facit*; quæ sententia hanc quoque ex VVitackeri pectore confessionem extorsit. *Fateor cum Augustino, accuratam mysteriorum cognitionem non requiri à plebe, sed sufficere illi, si fundamentum religionis saluum & integrum tenuerit. Non enim omnes possunt esse viuaces in intelligendo, sufficit si sint simplices in credendo. Verùm ista simplicitas non est huiusmodi bruta ignorantia, qualem in suis Laicis esse volunt Papistæ. Ista enim ignorantia quam tuentur Papistæ, planè stupor potius quam simplicitas dici potest. At simplicitas Christianorum cum prudentia coniungi debet.*

Mentitur VVitackerus: quia cum simplicitate Laicorum coniungunt Papistæ eorum cognitionem; quæ cuiuis in suo statu ad fidei tutamē, & incrementum, & ad salutis adeptionem necessaria sunt; quam simplicitatem, qui *stuporem* appellat, is nullâ eloquentiâ à stupido mendacio excusari potest.

Subdit VVitackerus. *Fateor non tantam scientiam in populo desiderari, quantam in litteratis, qui toti sunt litteris ac libris dediti; sed omnino ignarus scripturarum, & scientia populus esse (quod Papistæ volunt) non debet.*

Hic rursus mentitur VVitackerus; nam Papistæ populum perpetuò, & à teneris vnguiculis in doctrina cælesti instruunt; Cur instruerent, si vt iste fabulatur, populum prorsus rudem cælestisque doctrinæ expertem esse cuperent? Nec eludere potest Caluinista dictum illud S. Gregorij Magni: *Non requiritur in vulgo scientia, sed bona vita*; Et illud Tertulliani in præscriptionibus. *Fides tua saluum te fecit; fides tua ait, non scientia tua, aut scripturarum exercitatio.* Sic enim citat VVitackerus hunc Tertulliani locum. Nazian. orat. 1. de Theologia ait; *non omnium est de Deo & rebus diuinis disputare.* Cui verissimo & clarissimo dicto VVitackerus caliginem affundere tentat hac nebula: *Non dicit, scripturas à populo legendas non esse; sed non cuiuuis esse de Deo & arcanis religionis mysterijs differere.* Quamuis hic de lectione scripturarum nihil dicat, hoc ipso tamen, quod ait, non cuiusuis esse de Deo & rebus diuinis differere; simul docet non cuiusuis esse scripturas legere ac scrutari, eo modo, quo eas legendas & scrutandas Nouatores semper clamant; neque etiam Laicos ea scientiæ copia instructos esse debere; qua VVitackerus eos mendaciter instruit; Quid enim deest illi, quo minus publicè & priuatim de Deo rebusque diuinis disputet, qui ita iis doctrinæ præsidiis excultus est; quæ VVitackerus non verè, sed per imposturam vniuersis Laicis attribuit?

Quintum argumentum. *Christus docuit lingua vernacula: Apostoli & discipuli Christi in die Pentecostes Euangelium lingua cognita annunciarunt, tum etiam postea, cum in orbem terrarum disseminati sunt, omnes gentes sua ac patria lingua docuerunt. Hinc ita concludi-*

A *mus: Sacra Euangelij doctrina non contaminatur cum lingua vernacula annunciatur aut docetur, ergo nec cum vernaculè scribitur aut legitur.*

Hoc Kemnicij argumentum est, ait VVitackerus, *quod Iesuita ait in dictatis manuscriptis non valere vnum obolum. Quare verò non valet?* primò (*inquit*) quia à prædicatione verbi ad scriptionem non sequitur argumentum, cum in prædicatione omnia populo explicentur, vt possint intelligere, at in scriptione nuda singula proponuntur. Secundo, quia Apostoli variis linguis prædicarunt, at vna tantum lingua omnes scripserunt. *Istam Iesuitæ responsionem examinemus.* Examina igitur; sed peritè, non indoctè.

B Ais. *Fateor primò verbum prædicatum multò melius intelligi, quàm cum nudè legitur: quia cum prædicatur, explicantur singula, & ad vsum populi variè accommodantur ac referuntur, quod in nuda lectione nequaquam fieri potest. Debet tamen idem verbum lingua vernacula populo proponi, vt dum prædicatur verbum, habeant libros sacros in manibus, atque ita videant, num id verbum Dei sit, quod illis proponitur.* Vbi vnquam auditum est, Indos, Persas, AEthiopas, Scythas habuisse in manibus Euangelium Indicè, Persicè, AEthiopicè & Scythicè conscriptum, *vt viderent*; quod videndum esse Caluinista monet, num id verbum Dei sit, quod illis proponitur? Scilicet auditores Idololatræ & necdum Euangelio collustrati, iudicare poterant & debebant de ipsa doctrina sibi ab Apo-
C stolis proposita; deque ipsis Apostolis, magistris ac doctoribus suis; & quidem inspectis libris vernaculè de Euangelio conscriptis. Audi Caluinista: Apostoli sibi & doctrinæ suæ per vitę sanctitatem, perque signa & prodigia, prædicationis comites, fidem apud auditores conciliabant; vt certò statuere possent, doctrinam ab ipsis annunciatam descendisse de cœlo; neque humanum commentum esse. Nam quod de Berrhœensibus Act. 17. Caluinista oggannit; id nihil ad rem facit; quia Berrhœenses illi erant Iudæi Hebrææ, & forsan etiam Græcæ linguæ, periti. Quocirca vernaculis versionibus non egebant. Et necdum planè Christo nomen tum dedisse videntur, *quando quotidie scrutabantur*
D *scripturas, si hæc ita se haberent*: aut si iam Christo nomen dederant, non scrutabantur scripturas quasi dubij de doctrina cœlesti; sed vt accuratiore eius peruestigatione magis in semel agnita veritate corroborarentur.

Mox impostorem agit VVitackerus. Ait. *Iesuita similitudinem quandam adfert. Nutrices solent cibum non integrum sed præmansum in ora infantium ingerere: ita ministri non debent integrum librum scripturarum populo tradere.*

Caluinista hic cauillatur & caluit: quod testabūtur ipsa Bellarmini verba huc adscripta. Quēadmodū non licet sic argumentari: Matres dant infantibus panem dissectum in particulas, vel

etiam præmansum, possent igitur dare etiam integrum & solidum, nam est idem panis. Ita non licet argumentari; ministratur populis verbum Dei explicatum à Concionatore, igitur ministrari etiam debet sine explicatione, & lingua vulgari scriptum. Hæc Bellarminus; quæ aliter sonant, quàm prout à Caluinista proferuntur.

Videamus, quid ad hanc Bellarmini similitudinem respondeat. *Respondet; populum non debere semper infantibus esse similem, vt semper opus habeat cibo præmanso, hoc est, vt quando verbum audit lingua vernacula, nihil intelligat, nisi à Ministro explicetur.* Nec Bellarminus dicit, populum ita debere esse comparatum, vt penitus nihil intelligat, nisi accedente doctoris explicatione; sed ait; populum semper infantis quasi locum in Ecclesia obtinere; cui ob infirmitatem præmanso cibo ordinariè opus sit. Quod verum esse docet experientia; quàm enim multi & iam olim & hoc quoque æuo suffocati sunt; dum conantur cibum verbi cælestis solidũ non à doctoribus præmansum sumere; quod fit, quando simul explanatio adhibetur. neque vnquam hanc infantiam reprehendit Apostolus, vt mentitur Caluinianus; imò ideo Deus posuit in Ecclesia doctores & pastores; quia populus, tanquam paruulus infans, his nutritoribus semper eget; vt ab illis panem verbi Dei fractum, hoc est, explicatum accipiat.

Quod vt intelligatur, obserua *paruuli* nomen in scripturis accipi in bonam & in malam partem. In malam; Ephes. 4. vbi ait Apostolus; Ecclesiæ datos Apostolos, Doctores, Pastores, vt iam non simus *paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ.* Talis paruulus minimè omnium est ille; qui scripturæ cibum non sumit, nisi præmansum & explicatum à Doctoribus & Interpretibus orthodoxis. Imò ideo cibum hunc nõ sumit nisi præmansum, ne talis sit paruulus, qualem reprehendit Apostolus; inconstans scilicet; nunquam firmiter gressum figens; mobilis ad quamcũq; doctrinæ auram; quales paruuli sunt isti nouatores nostri; licet non tantum bibliorum, vt sic dicam, bolos, sed tota biblia vno spiritu sibi deglutire posse videantur; secũdò, paruulus vel puer, vel infans, accipitur pro eo, qui neque ea nouit, quæ sibi ad salutem & ad professionem suam necessaria sunt. De tali paruulo est illud 1. Corinth. 14. *Nolite pueri effici sensibus; sed malitia paruuli estote;* & ad Hebr. 5. *Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo.* Obiurgat enim Hebræos; quòd tanto tempore modicos & nequaquam sufficientes progressus in doctrina cælesti fecissent. Tales paruuli non debent esse idiotæ & plebeij; quia culpabiles sunt; sed esse debent paruuli malitia; & arrogantia seu supercilio & fastu; qui ipsos doctores docere non conentur: sed cibum verbum diuini non nisi à doctoribus præman-

A sum sumant ac gustent. Et isti paruuli laude digni sunt; & populo hic status competit; & quicunque altius quid meditatur aut ambit; ille se decipit & in barathrum sempiterni exitij detrudit.

Postremum argumentum ducitur ab vsu & praxi veteris Ecclesiæ: *quia olim habebantur scripturæ vernaculè; cur non & modo?* Ego inuertam: olim non habebantur, cur modo haberentur? aut si habebantur, erant raræ & infrequentes; nec publicè in conuentibus fidelium legebantur; cur ergo iam publicè legerentur? De Hieronymi versione in linguam Dalmaticam vel Sclauonicam, vt de Vlphilæ in Gotthicam, su-
B pra diximus. De translatione facta à Chrysostomo in linguam Armeniacam desidero testem paulò locupletiorem, quam sint VVitackerus & Symmystæ eius. Et vt maximè verum esset à prædictis & aliis Patribus scripturas esse in vulgaria idiomata conuersas, rectè tamen respondet Bellarminus, id non factum vt publicè in Ecclesiis vernaculæ illæ versiones legerentur, sed in priuatum fidelium solatium. Hoc responsum vocat VVitackerus *commentum:* quod tamen euertere nequit; Quomodo illud frigidæ illæ interrogatiunculæ euerterent? *Si legi scripturas publicè voluissent, eas nunquam vernaculè vertissent.* Quæ enim alia harum versionum caussa esse potuit? Iam caussam reddidit Bellarmi-
C nus; aut adquiesce, aut refelle. Quid opus his & id genus aliis nugatoriis circulis? *Si nefas fuisset, scripturas lingua vernacula publicè legi quemadmodum Papistæ nobis persuadere volunt, num putamus Hieronymum, Chrysostomum, & alios pios Patres, eas vnquam in proprium ac natiuum vulgi sermonem versuros fuisse? Incredibile hoc quidem & absurdum est.*

Nihil nisi inania verba audio. Si probatæ fidei historicum protuleris, qui testetur, vllam vernaculam versionem publicè in Ecclesiæ conuentibus inque diuinis officiis lectam, tum fidem nobis facies; interea verba das lectori, merosque logos.

D Ais: *Lectas ab omnibus scripturas fuisse multis Patrum testimoniis euincam.* Fac ergo quod polliceris; & euince lectas fuisse publicè, in diuinis officiis, vernaculè, lingua à Græca, Hebræa, aut Latina distincta; & tum te victorem non tantùm pronunciabimus; sed & coronabimus. In prima acie ponitur diuus Hieronymus in Psalmũ octuagesimum sextum. Quid ergo ille? *Dominus narrauit in scripturis populorum in scripturis sanctis. Quæ scriptura (inquit) populis omnibus legitur: vndè apparet nullos ab illius lectione prohibitos esse. Sed quare sunt scripturæ omnibus lecta? Respondet Hieronymus eodem in loco, vt scilicet omnes intelligant. Non ergo vt vnus aliquis vel pauci intelligant.*

Digitized by Google

Nunquid vernaculè in diuinis officiis? Nunquid in & ex Bibliorum codicibus in vernaculas linguas translatis? Certè hoc non euincitur ex illo D. Hieronymi, (seu quisquis ille auctor est) testimonio. Etiam hodie scriptura populis omnibus legitur; sed in concione vel exhortatione vbi explicatio & interpretatio adiungitur, neque alio fine legitur, & à doctoribus exponitur, quàm vt omnes intelligant, quæ ad ipsos pertinent.

Obiicit Caluinista Chrysostomum; qui Homil. 1. in Euangelium S. Ioannis scribit: *Syros, Ægyptios, Indos, Persas, Æthiopas, & alias innumeras gentes dogmata diuina in suam linguam transtulisse, atq; ita homines barbaros philosophari didicisse.*

Addit Theodoretum lib. 5. de curandis Græcanicis affectionibus vbi ista legimus: *Hebræi libri non modò in Græcum Idioma conuersi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Persicam, Indicam, Armenicamq; & Scythicam, atq; adeò Sauromaticam, semelque vt dicam, in linguas omnes, quibus ad hunc diem nationes vtuntur.*

Prædictis Anastasij Sinaitæ testimonium adiungere licet, qui in suo ὁδηγῷ dicit, *facilius corrumpi posse scripta patrum, quàm sacras litteras, quòd illa in peregrinas linguas non sint conuersa; hæ autem in omnium gentium linguas translatæ fuerint*, quas ipse ex communi exstimatione 72. statuit.

Iam parat VVitackerus triumphum. Iam coronam poscit. Iam currum ascendere gestit. At exspecta paulisper, dum & nostram sententiam audias. S. Chrysostomus non dicit totas scripturas, vel Euangelia, vel vetus vel nouum testamentum in peregrinas linguas fuisse translata; sed dogmata diuina; hoc est, capita, & quasi compendia fidei nostræ; quo pacto etiam hodie dicere possumus: Iapponas, Sinas, Malabares, Peruanos, Mexicanos, Brasileenses, & alias ad Orientem & Occidentem nationes; suam in linguam diuina dogmata transtulisse; quia exstant catechismi & breuia fidei Christianæ summaria prædictarum gentium linguis cõscripta. Num ideo significamus; totam scripturam in Iapponicam, Malabaricam, Mexicanam vel Peruanam linguã fuisse conuersam?

Secundò respondeti potest; S. Chrysostomũ nil aliud velle quã dogmata fidei ad AEgyptios, Persas, AEthiopas, & alias nationes propagata & diffusa fuisse, ita vt AEgyptij, Persæ, AEthiopes, & aliæ gentes suâ qualibet linguâ de diuinis dogmatis loquerentur, & pro statu ac conditione differerent, & disputarent. Hoc videlicet est; Syros, AEgyptios, Persas, AEthiopas, alios populos, suam in linguam diuina dogmata transtulisse: quia sua lingua sonabant, recitabant, pronunciabant & profitebantur diuina dogmata. Quo sensu etiam nobis dicere fas est, Iapponas, Sinas, Malabares, Brasileenses, Peruanos, Mexicanos, alios, suam in linguam diuina dogmata transtu-

A lisse; quia linguâ suâ dogmata fidei loquuntur, recitant, decantant, profitentur.

Ad testimonium Theodoreti Respondeo; me fidem Interpretis desiderare; qui vertit; *Hebræi libri*: cum Græcè sit: καὶ ἡ Ἑβραίων φωνὴ μόνον εἰς τὴν τῶν Ἑλλήνων μετεβλήθη, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν τῶν Ῥωμαίων, καὶ Αἰγυπτίων, καὶ Περσῶν, καὶ Ἰνδῶν, καὶ Ἀρμενίων, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, εἰς πάσας τὰς γλώττας, αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ. Quæ verba nihil aliud significant; quàm diuina dogmata omnium gentium linguis prædicari, annunciari, doceri; quæ prius Hebræa voce, hoc est; ab Hebræis tradita fuerãt; nam quòd per φωνὴν τῶν Ἑβραίων intelligat doctrinam per Hebræos olim & apud Hebræos traditam, apparet ex antithesi, quam facit Theodore-
B tus; doctrinam enim Hebræorum, & per consequens Christianorum, opponit doctrinæ Platonis, Aristotelis, Anaximandri, Anaximenis & aliorum philosophorum, eamque collapsam & vix ab vllis sectatoribus amplius celebrari affirmat; doctrinam verò Hebræorum in omnes gentes μετεβλήθησαν, hoc est; propagatam & diffusam dicit. Quid hoc ad translationem Bibliorum in linguas vernaculas? Si ego hodie asseram, dogmata Stoica, Epicurea, Carneadéa & similia corruisse, τὴν δὲ τῶν χριστιανῶν φωνὴν Christianam verò prædicationem seu doctrinã μετεβλήθησαν in Iapponum, Sinarum, Malabarum, Peruanorum, & Mexicanorum linguas, an ideo significatum volo, Biblia in horum omnium populorum linguã
C esse translata?

Quod attinet ad Anastasium Sinaitam, docet ille quidem Euangelicam doctrinam septuaginta duabus linguis esse conscriptam: sed sine dubio in hanc persuasionem venit non ipsâ experientiâ edoctus; sed communi illa persuasione inductus, qua vulgò existimatur, non plures, quàm septuaginta duas linguas esse: & quia omnibus istis linguis Euangelium annunciatum arbitrabatur; in omnem enim terram exiuit Euangelicæ prædicationis sonus; simul etiam credidit, omnibus his linguis Euangelium fuisse scriptum: Euangelium, inquam; non enim de tota veteri & noua scriptura loquitur Anastasius. Quanquam Anastasius *Euangelij* nomine fortas-
D sis totam nouam Euangelicam scripturam non intellexit; sed tantummodo præcipua fidei capita & dogmata omnibus scitu ad salutem explicitè necessaria; quæ plerunque in vulgarem linguam translata, & scripto comprehensa proponi solent, vt firmius memoriæ inhærescant, vt & hodie apud Iapponas, Sinas, Peruanos, Mexicanos & similes gentes fieri solet. Itaque licet dicerem: Euangelium seu Euangelicam doctrinam omnium harum nationum linguis esse scriptã; non tamen significarem totum testamentum nouum omnibus his linguis scriptum: multo minus totam scripturam.

Ad Testimonium ex D. Augustino lib. 2. de doctr. Christ. cap. 5. à Iunio quoque productum,

iam

Digitized by Google

iam supra respondimus, summa est; quando sanctus Augustinus dicit; scripturam per varias Interpretum linguas longè lateque diffusam esse; eum loqui de Interpretibus non vulgaribus & vernaculis; sed Græcis & Latinis; quod ex mente D. Augustini affirmari docent & antecedentia & consequentia, vt supra ostensum. Quare frustra sibi VVitackerus hoc testimonio D. Augustini tantopere blanditur; in cuius omnibus tomis ne vestigium quidem vllius Punicæ vel Africanæ translationis apparet.

Cohortationes D. Chrysostomi & aliorum Patrum ad scripturæ lectionem, institutas etiam ad Laicos non damnamus. Hortabantur nimirum ad hoc præstandum illos, quos credebant id cum fructu & spirituali solatio facere posse; & hortabantur non ad vulgarium versionum lectionem; sed ad Græcam, Hebræam, aut Latinam editionem; quia agebant cum illis, qui harum linguarum peritiam habebãt. Si tempore Chrysostomi & aliorum Patrum laici & idiotæ tam impudenter & irreuerenter, ne dicam sacrilegè, Biblia tractassent, prout hodie Nouatores diuinum illum Codicem tractant; equidem quanta contentione populum ad bibliorum lectionem incitarunt, tanta, si non maiore, eundem ab eadem lectione cohibuissent; cum inde vitio non scripturæ, sed suo non vitam, sed mortem haurirant; stupraque omnes doctores sese insolentissimè efferant.

Quod Theodoretus lib. 5. de Curandis Græcanicis affectionibus ait; *hæc nostratia dogmata non ab iis solum teneri, qui sunt Ecclesiæ magistri, populorumq; præceptores, sed ab ipsis quoq; sutoribus, fabrisque ferrariis, lanificibus præterea, cunctisq; opificibus, quin & à fœminis item omnibus & ab agricolis fossoribusque*; id istorum impudentiam nihil subleuat; neque enim hæc Theodoreti verba indicant plebeios eo tempore ita sese gessisse; sicut se iam gerunt Lutherani & Caluiniani opifices, fossores, rustici, bubulci; & sectariæ mulierculæ; sed omnes, etiam infimæ conditionis homines, sciuisse, quæ scitu ad salutem erant necessaria; & ea mysteria cognouisse; quæ quondam sapientissimis quoque Philosophis abscondita & ignota fuerant; id vt nostri quoque in Ecclesia Catholica idiotæ consequãtur; sedulò opera datur; & ab omnibus pastoribus & doctoribus ex officio danda est: neque enim necesse est; vt hanc cognitionem hauriant ipsi ex propria lectione librorum; (quid enim; si legere nesciant?) sed eam ex instructione & institutione doctorum suorum multo certius & securius obtinere queunt. Neque Theodoretus dicit, vulgus, cuius rerum cælestium cognitionem dilaudat; lectitandis Bibliis eam obtinuisse; (quis enim credat, omnes, quos nominat, legendi gnaros fuisse?) quare ex institutione doctorum ea discere potuerunt, quæ hodie etiam ex eorundem informatione plebeij & indocti discere debent; & vt discant, sedulò omnes enituntur, qui officij sui sunt memores.

Refutatio eorum, quæ Witackerus disputat de precibus publicis & sacris lingua vernacula peragendis.

ACTVM est de his supra. Sed quia VVitackerus, separatim disputat; *vtrum preces publicæ sint lingua tantùm Latina habendæ, an lingua vernacula quarumuis gentium*, ideo separatim quoque disputatio eius refelli debet; non iteratis tamen illis; quæ iam prius discussa sunt. Principiò dissoluere conatur Caluinista, argumenta, vt vocat, *Papistarum*, quorum ait hoc esse primum. *Maiestas diuinorum officiorum linguam magis grauem ac venerandam requirit, quam sunt vulgares linguæ quarumuis gentium; Ergo Latinè, non vernaculè peragenda sunt.*

Ad hoc argumentum VVitackerus, pro copia sua, non vnum, sed plura dat responsa. Primum constat partim ex conuiciis, partim ex ineptiis. In cónuiciis numero, quod ait, Latinis sacris, quibus Romana Ecclesia vtitur, *nihil leuius, nihil futilius, nihil ineptius esse posse.* Toleretur hæc criminatio à leui, futili & inepto Caluinista. Ad ineptias pertinent sequentia. *Non agnosco ego maiorem sanctitatem in vna lingua, quàm in alia. neque maiorem etiam dignitatem vnius linguæ, quàm alterius.* Ergo lingua tua Britannica æquè erit sancta ac lingua Hebræa? Quis tamen hactenus vnquam exstitit, qui linguam *Anglicanam* vocauerit sanctam; linguam autem Hebræam non vocauerit Sanctam? Et quis vnquam dixit; linguam Anglicanam in cruce Christi fuisse consecratam & dedicatam? de qua meritò dubites, vtrum tempore passionis Christi nata fuerit. Et quamuis, vt supra dictum; omnes linguæ, quatenus præcisè sunt signa rerum, æquales sint; non sunt tamen æquales antiquitate, amplitudine, vsu, addo & elegantia. Vt igitur homo homine dignior est & honoratior antiquitate stirpis, amplitudine honoris, officij, quod administrat; magnificentia; licet alioqui omnes homines naturâ sint pares; ita & lingua linguæ præstat specialibus quibusdam prærogatiuis, quæ ex vsu, antiquitate, & amplitudine potissimùm exsistunt: quæ faciunt, vt vna etiam censeatur sanctior, honoratior, & cæteris dignior, quæ cælestibus mysteriis explicandis adhibeatur. Quod si nullum penitus est inter linguas discrimen, cur olim à Græcis, acutissimis & ingeniosissimis hominibus, omnes aliæ linguæ habitæ sunt, imò & appellatæ *barbaræ*? cur itidem Romani eadem nota notarunt omnes alias linguas præter suam & Græcam?

Addit

Digitized by Google

Addit VVitackerus: *Euangelium, ipso Pentecostes die omnibus linguis, etiam barbaris, annunciatum esse; absq; vlla imminutione grauitatis & maiestatis Euangelicæ.* Respondeo, hodie quoq; Euangelium omnium gentium linguis prædicari & annunciari. Sed aliud est, omnium gentium linguis prædicari; aliud, omnium gentium linguis scribi; & publicè in conuentibus sacris, diuinisq; officiis recitari. Illud nihil detrahit de auctoritate Euangelij, ob caussas supra recensitas; hoc profectò grauitatem diuinorum officiorum non augeret aut conseruaret propter vulgi ad contemptum sacrorum proni inueteratum morem, & mobile ingenium; & olim gentiles, ipso naturæ instinctu, censuerunt, non omnia passim vulganda esse; nam, vt quidam ait; *vulgare ac leue fit, quod leue vulgus habet*: & Catechumeni olim exire iubebantur cum diuinior Liturgiæ pars inchoaretur. Neque quod gentiles egerunt per se malum erat; quia ex naturæ fonte haustum erat; etsi malum euadebat, quatenus applicabatur ad sacrilega illa ethnicorum sacra. Idem docuisse & voluisse sanctos Patres, Dionysium Areopagitã, Basilium & alios, ostendit Bellarminus. VVitackerus reiicit Dionysium. Scilicet nisi reiecisset; nesciuissemus eum in Caluini castris militare. Quid aliud agat reus; quàm vt testem, à quo euidenter conuincitur, repudiet?

Ait, *neq; Christum, neq; Apostolos iussisse vnquam vt illa mysteria populum celarentur.* Sed dicit tantum; non item probat; simulq; impingit in argumentum, quod toties in hoc & superiore capite risit Iunius, Vitackeri Symmystes. *Non legitur Christum vel Apostolos hoc iussisse; ergo non iusserunt. Non est scriptum; ergo non factum.* Quantò rectius petemus nos ab Hæreticis, vt monstrent nobis locum, vbi Christus aut Apostoli iusserint; vt sacra publica cuiusuis populi vulgari idiomate peragantur. *At sacramenta eorumq; vis, vsus & fructus debent populo esse nota.* Quis neget? At necesse non est, vt hanc notitiam comparent ex vulgari sacrorum publicorum celebratione; sed ex institutione & informatione concionatorum; totamque vim, & efficacitatem sacramentorum intelligere queunt, licet ipsa confectio & administratio sacramentorum Latinè, non Germanicè, Belgicè, aut Anglicè peragatur: neque enim in ipsa demum sacramentorum susceptione debent fideles doceri, quid sibi mysterium illud velit, sed prius hæc & similia à catechistis & concionatoribus edocendi sunt.

Ait Caluinista: *Sacramentis nihil magis ludicrum, aut nugatorium videri posset, nisi illorum ratio causaque cognosceretur. Quid enim commodi infanti accidisse putabit Ethnicus, aut aliquis huius Sacramenti ignarus, si viderit illum baptizari? & quem quæso fructum illius opinione homo Christianus percipit, quando frustum panis, & pauxillum vini sumitur? certè nihil ineptius homini videri potest, cui harum rerum ratio & finis non constiterit.* Quis negat Christiano harum rerum rationem

A constare debere? sed vt constet, minimè oportet; vt sacra vernaculè peragantur; sufficit ad hoc, instructio facta per concionatores & catechistas; neque vt quis fructum Eucharistiæ, verbi gratia, & ea, quæ ad communionem dignè ineundam & obeundam pertinent, cognoscat; necesse est, vt ipsius Liturgiæ & Canonis rationem intelligat; horum enim cognitio non ad plebem, sed ad ministros spectat.

Ad Patrum testimonia respondet VVitackerus, *eos à sacrorum cognitione non arcuisse fideles, sed tantum infideles; & necdum per baptisma renatos; hisque applicasse illud: Nolite sanctum dare canibus, aut margaritas porcis.* Sed Caluinistam hunc impudenter mentiri planum facient ipsa D. Basilij & S. Dionysij B adscripta verba; ex quibus luce clarius constabit hos, vt & alios Patres, etiam de laicis & idiotis fidelibus locutos esse. Ita igitur D. Basilius libro de Spiritu sancto cap. 27. vbi postquam enumerauerat multos ritus & mores ex doctrina non scripta, sed tradita profectos, subiungit. *Reliqua item, quæ circa baptismum fiunt, veluti renunciare satanæ & angelis eius, ex qua scriptura habemus? Nonne ex priuata & arcana hac traditione? nonne ex doctrina quam Patres nostri in silentio quod curiosos, & otiosos submouet, seruarunt? Pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conseruari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto? Aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moses, qui nõ omnia, quæ erant in C templo passus sit omnibus esse peruia, sed prophanos extra sacros cancellos statuit? Sed priora atria purioribus permittens, Leuitas solos dignos censuit numinis ministerio: mactationes autem, & holocautomatũ oblationes, reliquumque ministerium Sacerdotibus assignauit: atque vnum ex omnibus selectum in adyta recepit; ac ne id quidem semper, sed vno tantum die quotannis: rursus & huius diei certam horam, qua fas esset ingredi, præstituit, quo propter nouitatem & insuetudinem cum stupore intuerẽtur Sancta Sanctorum: probè sciens pro sua sapientia, res vsu tritas, & vndecunq; parabiles, expositas esse contemptui: cæterum ei quod sepositum, quodque rarum est, huic natura coniunctam esse summam admirationem ac studium. Ad eundem profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres in occulto D silentioq; mysteriis suam seruare dignitatem. Neque enim omnino mysterium est quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud edictum. Nam dogmata silentur, edicta verò publicantur.*

Hæc S. Basilius; quem liquidò patet, etiam de laicis idiotisque fidelibus loqui. Neq; est, quod aliquem perturbet illud; *Non initiatis*: nam per *nõ initiatos* intelligit omnes, qui in numerum ministrorum Ecclesiæ nõ sunt cooptati; omnes enim tales sunt ἀμύητοι qua voce vtitur S. Basilius; idq; manifestum fit ex Moysis exemplo; quod adfert; is enim non tantum Ethnicos à sacratioribus

templi

Digitized by Google

templi locis arcuit; sed & fideles Iudæos, imò à quibusdam etiam sacerdotes; idemque ait Basilius in Ecclesia obseruari, dum mysteria passim omnibus non vulgantur, sed silentio, maioris religionis & reuerentiæ caussa, obteguntur.

Beati Dionysij Areopagitæ hæc sunt, præter cætera, verba lib. de Ecclesiast. Hier. cap. 1. alloquentis Timotheum: *Obserua diligentius ne Sancta Sanctorum efferas, nō prophanis luminibus violanda permittas, verum reuereberis magis, occultiquè Dei mysteria spiritualibus visibilibusq́ue notionibus honorabis, atq; intemerata seruabis, nequaquam ea rudibus tradens, sed sanctis solis sanctarum rerum intelligētias sacratius pandens.*

In eodem capite: *Ipsi quoque sanctissimi Principes nostri, dum sacra publicè agenda instituerunt, non apertis ac patulis sensibus, sed signis angustioribus tradiderunt. Est enim non omnis sanctus, neq; omnium scientia est, vt sacra testantur eloquia.*

Paulò post: *In humanis imaginibus res diuinas, materialibusq́ue figuris spiritalium maiestatem, atq; in iis quæ nobis sunt familiaria, summa illa, & supersubstantialia partim scriptis partim non scriptis institutionibus suis (iuxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt: non modo prophanæ multitudinis causa, cui ne ipsa quidem fas est signa contingere, verùm ob id quoque quod hæc nostra sacratissima functio, significatiua est, plenaque (vt dixi) signis pro modo & ratione captus nostri, indigetq́ue visibilibus figuris, quibus veluti adminiculis, ad eorum augustiorem intelligentiam subuehamur. Non sunt tamen opertæ diuinis Pontificibus signorum rationes, quas in eos efferre fas non est, qui adhuc fidei rudimēta percipiunt. Sciunt enim profectò, vt ij qui de sacris rebus diuinitus instructi leges dederunt, ac constantissimis & omni admistione puris, inconfusisq́ue sanctarum distinctionum ordinibus, distribuenda cuique pro merito & captu suo prouidentissima ratione censentes, functionem ipsam instituerunt. Quocirca tuis sacris pollicitationibus inductum, sanctum est profectò & me admonere, & te earum meminisse, vt eminentissimam pontificalis muneris rationem nemini tradas, præterquam æqualibus tuis reuerēdissimis præsulibus, quibus sacra tractare institutum est, ipsosquè illos pontificio iure monebis, mundi vt munda contingant, solisq́ue communicent diuina diuinis, perfecta perficientibus, sanctisq́ue sanctissima.* Quid clarius, quàm diuina mysteria, & quæ ad sacramentorum administrationem, & publica cultus diuini officia pertinent, non omnibus etiam fidelibus, esse propalanda. Sed iis tantùm, qui initiati, hoc est, ad ministerium Ecclesiasticum deputati sunt.

VVitackerus, tanquam popularis Minister, prehensat hic populum, & ab illo gratiam inire cupit. Quo pacto? quia dicit, *populum à Papistis accenseri canibus & porcis*, ex illo Christi Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos.* Verumenimuero hæc nihil aliud sunt, quàm *phaleræ ad populum.* Nos populum pium, fidelemq; nec *canum* nec *porcorum* loco habemus; sed impios, impuros & profanos siue Ethnicos, siue Christiana professione fucatos, quorum ex populo non paucos esse non inficiabitur VVitackerus; qui liberè hic fatetur, *multos inter Caluinistas suos esse profanos*; cui libenter fidem habuissem, tametsi dixisset, omnes, ne vno quidem excepto, esse profanos. Si igitur aliqui dictum illud Christi ad plebem fidelem applicant; non de tota plebe loquuntur, sed de nonnullis, qui in plebe, & ex plebis censu; deque eo intelligendi sunt, quod facilè apud imperitam multitudinem euenire potest, vt scilicet margaritas diuinorum mysteriorum pedibus conculcent, & sancta non sanctè accipiant. *Audiant hoc loco illi*, inquit sanctus Chrysostomus Homil. 24. in Matthæum, *qui impudenter omnibus ac temerè copulantur, despicabilia ea, quæ sunt reuerenda, facientes. Nam & mysteria ideo clausis ianuis celebramus, & eos, qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus, non quia infirmitatem aliquam mysteriorum deprehendimus, sed quia ad participationem eorum illi adhuc, quos arcemus, infirmi sunt.*

Secundum argumentum Catholicorum ait VVitackerus esse istud. Leuit. 16. vers. 17. *Iubetur populus foris manere, & Sacerdotem expectare, dum ille sanctuarium ingressus, preces solus offerat, pro se & pro populo. Hoc illo loco præcipitur, &c. Vnde manifestum est, populum non modò non intellexisse Sacerdotem, sed ne audiuisse quidem. Ergo non necessarium esse videtur, vt populus intelligat preces, quæ à Sacerdote offeruntur.*

Respondet Caluinista. *Non sequi hoc ex illo præcepto & exemplo:* nam primò, *disertum fuisse Dei mandatum, vt populus foris staret: proferat illi, si possunt, eiusmodi aliquod mandatum pro sua Latina Liturgia sacrisq́ue peregrinis; sed non possunt; In religione autem nihil sine mandato tentandum est.*

Respondeo, si nos vicissim à Caluinista peteremus mandatum pro sacris Nouatorum publicis vernaculè peragendis, forsan æstuaret VVitackerus, donec huiusmodi mandatum nobis depromeret. Secundò, ex perpetua praxi & consuetudine Ecclesiæ, sacra publica non nisi Hebraicè, Græcè aut Latinè peragendi; colligimus, hoc vt ita fiat, Apostolorum præceptum esse; secuti verissimam illam diui Augustini regulam. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Libro quarto contra Donatist. capite vigesimo quarto. Præclarè etiam diuus Basilius libro de Spiritu sancto capite vigesimo nono. *Apostolicum arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare.* Præterea si in religione nihil sine mandato faciendum est; quo mandato colunt Caluinistæ *diem Dominicum*; nō diem Sabbati?

Secundò respondet VVitackerus; *hoc quod Leuitici cap. 16. præcipitur, fuisse typicum, typos autem veteris testamenti iam sublatos esse.* Si typicum fuit; ergo aliquid præfigurabat; ergo præter cætera etiam hunc morem, sacra non vernaculè coram populo celebrandi; ita vt sacerdote sacris operante,

plebs

Digitized by Google

plebs quasi foris stet; dum linguam, qua sacra peraguntur, non intelligit. Typus ille Mosaicus iam sublatus est: fateor. Neque mos noster typus est; sed est antitypum, siue illud, quod per veterem iamq; antiquatum typum præsignificatum & præmonstratum est. Sed Caluinista figuram seu typum imperitè cum re significata miscet. Hinc & Origenes Homil. 5. in Numeros dicit: *Moysen non esse passum, vt omnia quæ erant in templo, omnibus essent peruia, quod sciret, res vsu tritas, esse expositas contemptui: quod verò sepositum & rarum, habere admirationem & reuerentiam.*

Tertiò, respondet VVitackerus; *quando sacerdos ingrediebatur in sanctuarium, eum tum fuisse absentem populo.* Quare mirandum non esse, si à populo non fuerit intellectus, at nostros sacerdotes præsentes coram præsente populo peregrina lingua vti; & hoc absurdum iure censeri. Cauillatur VVitackerus: quia & populus & sacerdos in eodem templo erant; non erant igitur sibi mutuo absentes; licet non viderent sacerdotem intra sanctuarium constitutum; nam non videre aliquem præcisè, non facit absentiam; alioqui absens mihi esset, qui in eodem conclaui mecum versaretur; si, ne eum viderem, oculos de industria clauderem. Deinde non est quæstio, vtrum populus sacerdotem viderit, aut non viderit, sed vtrum intellexerit, quod gerebat in sanctuario. Dicimus non intellexisse; quia foris manebat populus; quid mirum igitur, si & populus noster foris manere iubeatur, dum sacra Christianus sacerdos peragit; hoc est, si ad intelligentiam mysteriorum non admittatur; hoc est enim foris manere.

At populus præsens est; & videt auditque sacerdotem. Verum apud Græcos, vt maximè sacerdotem audiant; non tamen eum vident, quando potissima & sacratissima Liturgiæ pars perficitur; quia clauduntur fores tabernaculi; vt ex diuo Chrysostomo; & ex Græcorum libris Ritualibus liquet. Deinde, vt maximè videat & audiat populus sacerdotem; id nihil refert: quia in sacro non loquitur populo; sed Deo pro populo. Quocirca necesse non est; vt populus vel linguam illam, vel mysteriorum rationem intelligat. Quando Christus populo loquebatur in parabolis; vtique à populo videbatur & audiebatur; & tamen non intelligebatur. Num hoc absurdè factum? Olim etiam in veteri testamento multa videbat & audiebat populus in templo; quorum tamen cognitionem non habebat: neque facilè populo etiam significatio illorũ mysteriorum ab intelligentibus patefieri debebat. *Sciat, cui hæc reuelantur,* inquit Origenes Homil. 5. in librum Numer. *& spiritualiter inspicienda creduntur, non sibi tutum esse aperire ea, & pandere, quibus non licet pandi, sed operire debet singula, & operta cæteris minus capacibus tradere portanda in humeris, & ceruicibus imponenda. Cum enim ex verbis mysticis eruditi, & perfecti quoque Doctores opera populis iniungunt, & plebs agit*

A *quidem & implet quæ mandantur, non tamen eorum quæ geruntur intelligit rationem: quid aliud geritur, nisi operta & velata Sancta sanctorum super humeros portantur?*

Subiungit postea Origenes; *sed & in Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est; nec tamen ratio eorum omnibus patet.* Et post allata huius generis exempla, subdit: *Et tamen omnia hæc operta & velata portamus super humeros nostros, cum adimplemus ea & exequimur, vt à magno pontifice atque eius filiis tradita & commendata suscepimus. Cuncta hæc ergo & horum similia cum gerimus, nec tamen eorum assequimur rationem, leuamus humeris nostris, & portamus adoperta & obtecta diuina mysteria: nisi quis sit inter nos Aaron, aut filius Aaron, quibus ista conceditur nuda, & reuelata perspicere.* B *Ita tamen conceditur, vt sciant sibi velanda hæc, & operienda, vbi cæteris dari ea, & in opus proferri ratio poposcerit.* Hæc Origenes.

Oggeret Caluinista, *typos iam desiisse.* Quis ignorat cessasse Mosaicos typos? Num propterea nihil amplius in sacris debet esse opertum? Num omnia omnibus patefacienda sunt? Hoc negat Origenes; neget Basilius, D. Dionysius & alij Patres; nec ratio id patitur; alioqui etiam profanis & sceleratis, atque adeo ipsis Ethnicis arcana ista pandi deberent. Neque hoc sacrorum, vt sic vocem, tegumentum, est aliquid *legale* & *typicum*; sed est veritas, respondens veteri legis typo, tanquam figura figurato; & significatum, C signo.

Tertium argumentum ait VVitackerus esse Hosij in libro de sacro vernaculè legendo, quod huiusmodi est: *Non modò non aucta, sed diminuta religio & pietas est, postquam aliqui lingua vernacula in officiis Ecclesiasticis vti cœperunt: ergo Latina lingua peragi potius & celebrari debent.*

Respondet VVitackerus *propter abusum non esse tollendum vsum. Quid enim si multi deteriores fiant? num ideo sequitur vernaculas preces prorsus remouendas esse? Euangelij doctrina multos reddit peruersiores, & pertinaciores, & improbiores: non tamen propterea à populo celari debet. Quando Christus prædicauit & populum docuit, Pharisæi obstinatiores facti sunt: & Apostolus dicit, Euangelium esse quibusdam odorem mortis ad mortem,* D *& tamen nihilominus Euangelium semper prædicandum est.*

En quam expedite confugiũt sectarij ad hoc, vt abusus seiungatur ab vsu; neque hic propter illum damnetur; qui tamen auribus carent, quãdo idem ab illis postulamus. Audi Caluinista. Quando vsus rei est contra præceptum Apostolicum vel Ecclesiasticum, minimè tolerari debet; vsus quauis lingua vulgari rem diuinam peragendi; est contra præceptum Apostolicum & Ecclesiasticum; minimè ergo tolerari debet; & potius abusus, quàm vsus nomen meretur. Inter cæteras autem huius præcepti caussas hæc etiam vna est; quod facile in contemptum venit, quod vulgo indiscriminatim traditur. Hoc si antea nesci-

nesciuissemus, nunc euidenter id exemplo Nouatorum huius ætatis didicissemus.

Addit VVitackerus: *Multos inter suos esse verè pios & sanctos, licet non desint profani quoque.* Crederem; nisi ipsum *Caluinistæ* nomē me vetaret; quod profectò nullam pietatem nullamque sanctimoniam sonat. Quàm sancti sint Caluinistæ satis liquet ex Caluini libro de scādalis; ex libro Zvvinglij de seditionibus: ex Commentariis Polani super Danielem; vbi de Caluinistici vulgi pietate non semel lamentabiliter conqueritur; cuius querimonias exscripsimus in Bauio & Mæuio, easque Caluinistico Litho spectandas proposuimus.

Quartum argumentum ait Caluinista esse Hardingi, quod ita se habet: *Asiæ minoris magna pars, Græcanicâ tantùm linguâ in sacris vsa est: At totus populus non intellexit Græcè: Ergo licet in sacris ignota lingua vti.*

Respondeo primò, inquit VVitackerus. *Probandum illi fuit totam Asiam minorem lingua Græca in sacris vsam esse: quod cum non faciat, eius syllogismus constat ex solis particularibus, atq; ita nihil concludit.*

At Hardingus facilè id probare poterat, quia nulla penitus apud vllum veterem scriptorem mentio exstat; in Asia Minore, vel biblia aliter lecta, vel sacra aliter peracta esse, quàm Græcè, vel Hebraicè apud Iudæos quidem regionis illius incolas. Proferant Hæretici vel vnicum testem, qui hoc non dico disertè testetur, sed vel occultè insinuet. Neque putabat Hardingus vllum fore tam stupidum vel malitiosum, qui probari sibi desideraret solem meridie lucere. sicut enim nullus vnquam ex vllo auctore demōstrabit in Africa diuina officia aliter celebrata fuisse quàm Latinè; licet Afri peculiarem quandam linguam haberent, Punicam scilicet; ita nullus vnquam ostendet in Asia, sacra fuisse instituta idiomate cuiusuis gentis vernaculo. Lepidum est; quod VVitackerus ait, syllogismum constare ex meris particularibus; ideo, quòd Hardingus in Maiore tantummodo partem Asiæ minoris posuerit. si dixisset; Totam Asiam Minorē Græca lingua vsam, syllogismus rectè habuisset. O VVitackerianam subtilitatem, futilitatis Caluinianæ sororem: Etsi qualem syllogismum Hardingus fecerit, ignoro: quia Anglicè contra Iuellum scripsit; & credibile mihi sit, VVitackerum hunc syllogismum arbitratu suo formasse & dolasse; vt haberet, quod imperitè carperet.

Secundò petit VVitackerus, *vt probetur Minor;* quam ait ab Hardingo confirmari duplici testimonio. Primum sumitur ex Actor. 14. 11. *Vbi cum Paulus hominem sanasset, qui ab vtero Matris claudus fuerat, populus dicitur* Λυκαονιστὶ, *Lycaonicè, vocem sustulisse ac dixisse, Dij assimilati hominibus descenderunt ad nos. Ex quo colligit, totum populum Asiæ minoris non intellexisse Græcè, quia Lystra ac Derba, quæ duæ Asiæ minoris vrbes sunt, populus non Græcè, sed Lycaonicè loquutus est.*

A Respondeo, inquit VVitackerus. *Lycaonica lingua non fuit alia lingua à Græca, sed varia tantum Dialectus. Paulus enim non prædicauit Euangelium illi populo Lycaonicè, sed Græcè: quem tamen loquētem populus procul dubio intellexit, vt ex claudo illo apparet, qui à Paulo sanatus & ad fidem conuersus est.*

Ineptissima responsio; nam Lycaonica lingua tantum discrepabat à Græca, quantum Galatica, aut Cappadocica differebat à Græca; aut Punica à Latina. Nam Galatas præter Græcam, vt & Cappadocas, suam propriam & natiuam habuisse linguam, testis est diuus Hieronymus præfatione in secundum librum Commentar. epistolæ ad Galatas, & de Cappadocibus idem
B testatur sanctus Basilius libro de Spiritu sancto capite vigesimo nono, quia vt Latina lingua in Africa, ita & Græca in Asia erat aduentitia, & à Græcis colonis eò importata, manente nihilominus salua & integra vernacula & natiua lingua; sicut Punica manebat in Africa. Hoc etiam satis innuit sanctus Lucas in Actis capite decimo quarto versu decimo, cum ait, Lycaones, viso grandi illo, quod Paulus patrarat, miraculo, exclamasse Lycaonicè; *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Nam si lingua Lycaonica fuisset Græca; sola dialectorum varietate nonnihil discrepans; non videtur sanctus Lucas appellaturus fuisse linguam *Lycaonicam*; sed absolutè Græcam. Hinc & Syriacus textus habet ex versione
C Caluiniani Tremelij. *Extulerunt vocem suam lingua regionis:* Guido Fabricius in Bibliis Regiis transtulit. *Extulerunt vocem suam idiomate regionis.*

Rectè igitur dixit Hardingus, in Asia minore sacra Græcè fuisse celebrata; neque tamen omnes Græcè intellexisse. Et idem de Africa dicere licuisset; in qua diuina officia non instituebantur aliter, quàm Latinè; & tamen aliqui Afrorum tantum Punicam linguam norant. Adhæc, vnde quæso, scit VVitackerus, Paulum & Barnabam Græcè Lycaonibus annūciasse Euangelium? An non dono linguarum instructi erant, vt cuiuis genti sua lingua cælestem doctri-
D nam pandere possent? Et quamuis Græcè cum Lycaonibus egissent, non tamen idcirco infirmaretur argumentum Hardingi; qui non negat Lycaones Græcè sciuisse; sed negat, quod omnes; sicut neque in Africa omnes nouerunt Latinè: docti duntaxat natiuam patrij soli linguam, nempe Punicam; non illam aliunde cum Romanorum imperio illatam.

Quærit VVitackerus *Cur, si Paulus Lycaonicè locutus est, non Græcè, scribit sanctus Lucas Lycaones exclamasse Lycaonicè.* Facilis responsio: quia non ad verba, sed ad miraculum in claudo persanato gestum obstupuerunt; & obstupefacti Lycaonicè exclamarunt: *Dij similes facti hominibus, &c.* Deinde

non intempestiua mentio est Lycaonicę linguæ; A
licet Paulus non Græcè, sed Lycaonicè locutus
sit; cum enim plerique Græcam quoq; linguam
nossent; indicare voluit S. Lucas, qua lingua Lycaones in exclamatione illa vsi fuerint. Vt ergo si D. Paulus apud Pœnos Punicè Prædicasset & miracula operatus fuisset, quorũ magnitudine attonitus populus, in similem vocẽ erupisset; is, qui postea rem gestam litteris mandaret; aptè & conuenienter diceret; populũ *Punicè* exclamasse; licet Paulus Punicam linguã vsurpasset; pari modo & hic aptè & in tẽpore D. Lucas *Lycaonicæ linguæ* meminit. Fortè ideo etiam meminit, vt intelligeremus, qua lingua Apostoli tum fuerint vsi. Cauillatur autem vel potius mentitur VVitackerus cum argumentationem Hardingi ait esse
B similem huic. *Doricè locuti sunt, ergo nõ Græcè.* Commento suo probabilitatem conciliaret, si ostenderet nobis linguam Lycaonicam non magis fuisse à Græca diuersam, quàm Doricam. Hoc, opinor, tum faciet VVitackerus, quando demonstrabit, linguas Phrygiam, Isauricam, Ciliciam, Pisidicam, Galaticam, non magis à Græca lingua discrepasse; quàm Doricam à Græca. Nec quidquam caussę erat, cur VVitackerus tam operosè probare conaretur incolas Asiæ Minoris intellexisse Græcam linguam; perinde facit, ac si nobis probare vellet, Afros, Hispanos, Gallos intellexisse linguam Latinam. Quis negat hoc? Quis nescit Episcopos Basilium, Nazianzenum, Amphilochium Cappadociæ & Lycaoniæ
C Episcopos Græcè ad populum verba fecisse; & monumenta posteris Græco sermone conscripta reliquisse? Sed probare debebat Caluinista, omnes Asiæ minoris indigenas Græcè nouisse, vel pro iis, qui Græcè non nouerant, sacra vernaculè celebrata fuisse.

De argumento à Crucis titulo tribusque linguis in eo sanctificatis, quod hic arrodit Caluinista, satis dictum est initio huius capitis contra vanitatem Hunnianam. Ait, *esse allegoricum.* Num propterea omni verisimilitudine destitutũ est? Ait, *has tres linguas gessisse vices omnium*; & ita docere Caietanum Ient. 1. quæst. 4. Ego libentius crediderim, Iudæos, qui Christum Dominum cruci-
D fixerunt, gessisse vices omnium Caluinistarum. Nemo pius est, qui non fateatur tres illas linguas peculiari quodam honore fuisse affectas, cum ad regiam Christi dignitatem omnibus patefaciendam adhibitæ sunt. Quis vnquam hanc præcellentiam linguæ nostræ Germanicæ; aut quæ VVitackero materna, Anglicanæ tribuit?

Refutãtur argumenta, quibus Witackerus probat officia Ecclesiastica vernacula cuiusque gentis lingua peragenda esse.

QVæ hic adducit VVitackerus; ea maxima ex parte iam superius in Hunnio, Iunio & Danæo profligata sunt. Itaque breuiter nos expediemus. Primum VVitackeri argumentum ex 1. Corinth. 14. *Si preces lingua Latina sint vbiq; populo proponenda, tum populus ignorabit ea quæ dicentur: At Apostolus hoc prohibet disertè in eo capite: Ergo non sunt preces publicæ, lingua Latina vbiq; celebrandæ.*

Respondeo Minorem esse falsam: cui ne minimo quidem argumẽtulo probabilitatem conciliare conatur VVitackerus; loco probationis quæ omnino necessaria erat; refellere ingreditur varias expositiones & sententias quibus orthodoxi Doctores caput illud decimumquartum prioris epistolæ ad Corinthios explanant. Ait ergo. *Quidam Papistæ respondent, non loqui Paulum in eo capite de precibus, de officiis, aut de statu sacris, sed de exhortationibus & concionibus publicis, quas illi fatentur lingua vernacula fieri oportere.*

Nego, inquit VVitackerus, *hanc fuisse mentem Apostoli, vt in exhortationibus & concionibus tantum peregrinam linguam prohiberet. Quis enim adeo insanus esset, vt concionem apud populum incognita lingua haberet?* VVitackerus indicasse debebat, qui nam ex Catholicis sentiant Apostolum in toto illo capite, de solis exhortationibus, seu concionibus egisse? An non apertè referunt nonnulla ad conciones: alia ad preces; alia ad alia? Nimirum VVitackerus sibi videtur fingere aduersarios, in quos dicacitate sua incurrat, vt copiosi & acuti disputatoris nomen apud suos inueniat. Et cum quærit; quis adeo insanus sit, vt concionem peregrina lingua instituat; monendus est, vt ab Apostolo responsum exspectet; quia certum est in Ecclesia Corinthiorum fuisse, qui vt donum linguarum ostentarent, peregrina lingua interdum in collationibus & exhortationibus vtebantur. Et nisi tales exstitissent; nunquam id fieri prohibuisset Apostolus: nam ex Corinthiorum abusu occasionem sumpsit scribendi illa, quæ super hoc argumento scripsit.

Quid, quod ipsemet VVitackerus confitetur, Apostolum etiam de concionibus loqui; en tibi eius confessionem. *Fateor Apostolum loqui de concionibus: huc enim spectat illud, quod habetur vers. 29. Prophetæ duo aut tres λαλείτωσαν, loquantur, & reliqui iudicent, sed hoc totum esse, de quo omnino, & per totum illud caput disserit, nego.* Quis Catholicorum dixit aut scripsit, hoc duntaxat Apostolum in illo capitulo agere? Et si quis dixisset; errasse pronunciaremus. Itaq; inanem hic sumit operam, cum

pro-

probare instituit; verba illa; *si precer lingua, &c.* non de concionibus, sed de precibus intelligi debere. Concedimus non grauatè. Quid vis amplius? Negamus tamen intelligi de publicis totius Ecclesiæ precibus, diuinisq; officiis; accipi enim debent verba illa, vt supra cũ Bellarmino vidimus, de canticis spiritualibus, quę Christiani componebant ad laudandum Deum, & gratias ei agendas, quæ ita concinenda sunt, vt *Idiota*; hoc est; VVitackero explicatore, *qui locum occupat, & sedet inter Laicos*; siue, qui laicus ipse, & vnus è vulgo est; posſit respõdere, *Amen*. Vbi Caluinista Interpretem nostrũ flagellat; quasi Græca illa, *ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου*, ineptè verterit: *qui supplet locum idiota τόπος*, inquit VVitackerus, *nusquam* pro *vice* sumitur. Quam peritè. Quid ergo, dicat, oro, VVitackerus, sibi vult vocabulum *τόπος* in illa dictione: *τοποτηρητὴς?* An non significat hic *τόπος* *vicem*, quia totum vocabulum significat eum, qui *vices alicuius gerit*; siue *vicarium*. Sic & latinè; locum alicuius tenere; est vicem eius gerere: hinc à quibusdam *locitenens* appellatur. Et eadem phrasi vtuntur Germani. Nihil ergo in hoc peccauit Interpres: vt nec in illo; quod *τὸ ἀναπληρῶν*, vertit, *supplet*: nam sensus eodem redit; & non tantum ille; qui locum laici tenet, siue pro laico aliquid facit; supplere vel implere vicem laici dicitur; sed & ipse laicus: nemo enim magis tenet locũ Laici, quàm Laicus. nam quod quidam ex Catholicis locum hunc ita intellexerunt; quasi Apostolus de illis locutus sit, qui loco & nomine Laicorum constituti sunt, vt aliquid in Ecclesia agant; & *Amen* respondeant. minus quadrat: Bellarminus aliam sententiam sequitur, & nos cum illo; libenterque fatemur, S. Paulum de ipsis Laicis loqui, non de Clero, vel Clericis, qui Laicorum vice fungantur.

Quod verbosè hîc VVitackerus ostendit, ipsum populum olim in sacris publicis *Amen* & alia nonnulla celebranti sacerdoti respõdisse; nouerit, se eo labore supersedere potuisse; si tamen vllus labor est scrinia Bellarmini & aliorum expilare, & in sua scripta transferre. quemadmodum & hic & alibi à VVitackero factũ; qui mox in Bellarminum impetum facit: quod dicat, verba illa & sequentia: *si orē lingua, spiritus meus orat, &c.* intelligi de cantionibus spiritalibus quas Christiani componebant, & in publicis Ecclesiæ conuentibus decantabant. Ad quæ Hæreticus. *Loquitur quidem Apostolus (fateor) de illis Canticis, & fuisse olim huiusmodi hymnos inter Christianos non ignoro.*

Liberalior est VVitackerus hoc loco, quàm Iunius; qui, vt supra visum, negabat, hunc Pauli locum de cantionibus ab hoc vel illo compositis, & in Ecclesia concini solitis intelligi. Accipimus ergo grato animo, quod nobis largitur Caluinista; qui addit: *Non loquitur tantum de illis canticis.* Si de toto illo capite decimo quarto lo-

A quaris; in confesso est apud Bellarminum; Apostolum non tantùm de his canticis loqui; sed & de exhortationibus & concionibus; imò etiam de lectione scripturarum; & publicis officiis; si autem loquaris de verbis illis: *Si orem lingua, spiritus meus orat*; & nonnullis sequentibus, tum negamus, ibi nõ tantùm de his cantionibus agi, nam illud: *si orem lingua*; non refertur ad officia publica; sed solùm ad illa cantica, quæ precationibus annumerari debere quis neget, nisi qui negat hymnos laudando Deo compositos Psalmosq; Dauidis orationes esse?

Oratio Apostoli, inquit Caluinista, *generalis est.* Tu quidem dicis; sed desideratur probatio: nisi B fortè tautologia hæc, seu battologia; quam subiungis, probationis loco à nobis accipienda sit. *Loquitur generaliter & communiter de omnibus officiis Ecclesiasticis & lingua ignota in Ecclesia vsum, siue in concionibus, siue in precibus, siue in Canticis, rationibus generalibus, & communibus damnat.*

Nullam video probationem, sed inanem repetitionem. Quam denuo iteras. *Lingua incognita est inutilis, ergo in Ecclesia vsurpari non debet.* Respondeo, esse inutilem in exhortationibus, concionibus, collationibus & canticis illis spiritalibus, de quibus Bellarminus; quia instituuntur ad populum, populo erudiendo & informando. Nego esse inutilem, in publicis Ecclesiæ officiis; C quæ instituuntur Deo colendo; tum diuinæ clementiæ populo conciliandæ; fiuntque non ad populum, sed pro populo. Et si lingua ignota inutilis est; si ergo quis lingua Syriaca, Arabica aut Indica preces pro VVitackero concepisset, oleum & operam perdidisset; quia lingua peregrina est inutilis.

Obiicit Caluinista: *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo, nullus enim audit. spiritu verò loquitur mysteria ὁ λαλῶν γλώσσῃ. qui loquitur lingua, id est, incognita, inquit Thomas Aquinas. Nullus enim audit, id est, intelligit. At in Ecclesia sic loquendum est, vt non Deus solus intelligat, sed & homines.* Respondeo, in concionibus & collationibus & cantionibus D spiritalibus, quas priuati componere solebãt, ita loquendum erat, vt homines quoque intelligerent, non solus Deus; in publicis officiis, id necesse non erat, quia, vt dicebam, hæc pro populo fiebant, & adhuc fiunt, non ad populum; vt exhortationes, collationes, & cantiones spirituales. Idem respondeo ad illud ex versiculo sexto. *Si venero ad vos linguis loquens (quantumuis innumeris) quid vos iuuabo? quasi diceret nullum omnino fructum ex sermone meo capietis.*

Nihil scilicet iuuo, quo ad instructionem, sed in aërem, hoc est, vanè & inaniter loquor, si lingua ignota vtar in concionibus, collationibus & canticis illis spiritalibus; non autem nihil iu-

uo, vel aërem verbero; si lingua ignota & peregrina pro populo orem; Deumque propitium reddere enitar; quod fit per publica Ecclesiæ officia. Quanquam negandum non est; etiam ex canticis lingua ignota decantatis fructum boni & incensi affectus capi posse.

Ait Bellarminus: Precationes etiam non intellectas valde fructuosas esse. Obiicit VVitackerus; obstare illa verba D. Pauli. *Quid vos iuuabo? quasi dixisset nulla in re nobis vtilis ero.* Addo ego; in concionibus, exhortationibus; collationibus, & canticis illis spiritalibus, quoad instructionem mentis vtilis non ero, si peregrinam linguam adhibeam: non autem vtilis non ero, si in publicis precibus & sacris ignotam linguam adhibeam. Mirum est eò insaniæ processisse sectarios, vt preces lingua ignota conceptas, fructuosas esse negent. Ex quo sequitur, si quis Germanus oret pro tota Ecclesia; preces eius non prodesse nisi Germanis; quia aliis nationibus hæc lingua est peregrina & incognita. Similiter si Anglus pro totius Ecclesiæ tranquillitate preces fundat; solis Anglis ea precatio proderit; quia aliis nationibus hæc lingua ignota est. Et cũ Christus olim Ioannis decimo septimo, pro omnibus in se credentibus orauit; nihil emolumenti attulit, nisi illis, qui Hebræam aut Syriacam linguam intelligebant. Et sanctus Paulus tot suis precibus, tot genuflexionibus tantùm Græcè aut Hebraicè doctis opem tulit, non nobis Germanis, aut Belgis, non Anglis, non Hybernis. OEcumenius quem citas & alij loquuntur de concionibus & collationibus: quæ inutiles sunt quo ad mentis instructionem, nisi lingua auditoribus nota instituantur.

Illustrat Bellarminus veritatem similitudine: *Si quis pro rustico roget regem, non necesse est vt rusticus intelligat, quid eius aduocatus ipsum causa regi dixerit, nec multum curat ille, modò id, quod desiderat impetrare possit: ita non necesse est, vt populus illas preces intelligat, quas Minister eius nomine Deo facit.*

Respondeo, inquit VVitackerus. *Ista Iesuitæ ratio non sequitur, & malum argumentum est; Oratio non fit populo, sed Deo pro populo. Ergo necesse non est populum intelligere quid minister precetur.*

Quare non valet hæc argumentatio? *Quia minister est instar oris populo: precatur quidem Deum, sed tamen pro populo, & licet populus ore taceat, dum precatur minister, interim tamen precantem ministrum corde sequitur, & respondet ad extremum Amen.*

Etiam aduocatus est instar oris clienti rustico. Nec tamen necesse est, vt rusticus intelligat, quid aduocatus dicat; nisi generatim; scit enim quod suam caussam apud Regem agat: sic & populus scit, aduocatum suam caussam apud Deum agere; & sicut rusticus corde sequitur af-

A fectum aduocati sui Regem deprecantis, licet linguam aduocati non intelligat; ita & populus sequitur affectum deprecantis & caussam agentis apud Deum; additque *Amen, Amen; fiat, fiat:* nam vt hoc *Amen* adsonet, satis est notitia generalis eorum, quæ in Ecclesiasticis officiis fiunt; qua omnes fideles instructi sunt; nullus enim tam est bardus & hebes; qui nesciat officia Ecclesiastica colendo & propitiando Deo institui.

Ait VVitackerus: *Si populus non vnà cum ministro precetur, non necesse erit populum adesse, & in vnum locum conuenire cum ministro, sed solus minister poterit Deum precari pro populo absente. sed publicæ preces sunt, id est totius Ecclesiæ.* Quis Catholicorum

B docet, præsentiam populi simpliciter esse necessariam ad hoc, vt Minister pro populo preces fundat? Aliæ caussæ suppetunt, cur populum adesse deceat, imò & oporteat; vt scilicet plurium sit comprecatio; vt Deus citius sacerdotis preces exaudiat, si multi pro sua quisque necessitate, eodem loco & tempore, licet non iisdem verbis orent, & se quasi idoneos exhibeant, pro quibus vota concipiens sacerdos exaudiatur, præsertim cũ is sæpe generaliter oret Deum, vt fidelium vota suscipiat, necessitatibus succurrat, pro quibus singuli supplicant. Hæ & similes sunt caussæ propter quas populum adesse oportet; non autem, quod Minister pro absente non possit precari. Orauit Christus Ioan-

C nis decimo septimo, pro omnibus in se credituris vsque ad finem sæculi. Num omnes tunc Christo præsentes erant? Oratur quotidie pro vniuersa Dei Ecclesia: Num omnia Ecclesiæ membra oranti adsunt? Et quamuis vel nullus vel non totus populus adsit; nihilominus oratio illa est oratio totius Ecclesiæ; quia fit à ministro non priuato; sed totius Ecclesiæ nomine: sicut licet non adsit cliens, oratio tamen aduocati ad Regem, est oratio clientis; & licet non adsit tota Respublica, oratio tamen legati ad eum, ad quem Reipublicæ nomine allegatus est, totius Reipublicæ existimatur.

At vide futilitatẽ Caluinisticam. *Si rusticus ille,*

D inquit VVitackerus, *audiret aduocatum suum ignota lingua apud Regem causam suam agentem, & ea loquentem quæ ipse non intelligeret, suspicari posset, eum non tam pro se, quàm contra se loqui. Ita populus cum audit ministrum incognita lingua precantem, dubitare potest, num Deum pro se, an pro aliis, an contra se precetur.* Hæc nihil aliud sunt, quàm VVitackeriana nugamenta; nam exemplum de rustico frequentissimum est, qui adstat securus doli patrono suo latinè, vel alia ignota lingua patrocinanti, & securè etiam Iudici offert; quæ aliquando latinè ab aduocatis conscribuntur; nil prorsus de fide patroni hæsitans: sic & Christianus populus certissimus est diuina officia pro se nõ contra se celebrari. Neq; vllus scrupulus vllum Catholicum de hoc angit.

Digitized by Google

Quid si ne Sacerdos ipse intelligat, quid loquatur? inquit VVitackerus. Nihilomin⁹ oratio vtilis erit; quia fructus diuinorum officiorum non pendet ab intelligentia ministri; alioqui quo sacerdos esset intelligentior & doctior; eò fructuosior esset oratio.

Rursus cramben non iam bis, sed longè sæpius recoctam reponit Hæreticus: Apostolum illis verbis: *Si lingua orem; spiritus meus orat, &c.* omnem incognitæ linguæ vsum in precibus publicis improbare. Probat primò: *Quia versu 19. dicitur ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.* Secundò, *quia loquitur de huiusmodi precibus, quibus populus suum assensum subiungens respõdet Amen, vt patet vers. 16. quod tum demum fit, cum populus in vnum locum congregatur.*

Ad primum Respondeo, vt iam antea; verba illa: *Si orem lingua, &c.* intelligi de canticis spiritalibus: & illud, *in Ecclesia;* nil aliud velle; quàm quando huiusmodi cantica in Ecclesia concinuntur; concinantur lingua nota; ita vt auditores posśint subiungere *Amen.* Ex quo patet etiam solutio ad secundum: Neque enim voluit Apostolus, vt eâ linguâ officia diuina publica instituerentur, qua idiotæ & plebeii possent subiungere Amen; neque occasio aut necesśitas erat, vt hoc moneret, quandoquidem Corinthi diuina officia celebrabãtur Græcè, cuius linguæ fermè oẽs periti erant: locutus est ergo de cantionibus illis spiritualibus, de quibus iam sæpe dictum.

Ait Bellarminus; cum quis ignota lingua precatur affectum incendi ac inflammari, licet intellectus non erudiatur. Et hunc esse sensum illius dicti: *Si orem lingua spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est.* Respondeo, inquit Caluinista. *Ridicula hæc planè interpretatio est. Bonus affectus aut desiderium precandi non iuuatur legendo verba incognita.* At experientia contrarium docet; cui frustra obluctatur VVitackerus: Videmus enim quosdam, qui legere duntaxat norũt, summa spiritus dulcedine ac voluptate latinas preces percurrere; & idiotas, qui diuinis officiis reuerenter adsistunt; ingenti delectatione perfundi: quam si nũquam VVitackerus sensit, id eò factum est, quia Caluinianum palatum & stomachum habuit. Sic ex actione & pronunciatione alicuius, sæpisśime auditoris affectus vehementer inflammatur & concitatur, licèt eius linguæ, qua concionator vtitur, sit ignarus, atque adeò quoad intelligentiam non instruatur.

Addit: *Si affectus eius, qui lingua incognita precatur, bonus sit, mens verò non proficiat, quia non intelligit: quare non vtitur ea lingua quam intelligit, vt vtrique & mente nimirum & affectu proficiat?* Ideo hoc fit; quia non omnes sunt tam eruditi, vt eam linguam, qua preces conceptæ sunt, perfectè intelligant; vel etiam, quia sunt publicæ preces Ecclesiæ, nõ alia nisi latina lingua persoluendæ. Quo casu æquum est, vt quis priuatum bonum institutionis & eruditionis præferat bono cõmuni; quod Ecclesia spectat, dum publicas preces non qua-

A uis vulgari lingua vult institui. *Papistæ ipsi fatentur,* inquit VVitackerus, *preces lingua cognita ac intellecta factas, vtiliores ac meliores esse: quare ergo non precantur lingua cognita? nam eo modo preces fieri debent, quo nobis vtilisśimæ esse posśint.*

At VVitackerus animaduertere debebat nec Bellarminum, nec Hardingum hoc asserere de precibus publicis Ecclesiæ; quas longè melius & vtilius latina lingua peragi totis viribus contra vestram perfidiam demonstrant. De quibus ergo precibus loquuntur? De priuatis: ibi enim præter fructum pij affectus; est etiam fructus institutionis; qui postremus fructus licet non sit in publicis Ecclesiæ precibus, quando linguâ auditoribus ignotâ instituuntur, id tamen non re-
B fert; quia defectus iste compensatur vtilitatibus multis, quæ inde proueniunt; quod lingua non vulgari publicæ preces in Ecclesiæ conuentibus instituuntur. Sic enim eorum reuerentia & maiestas conseruatur, & à profani vulgi contemptu illæsa custoditur; vt alia emolumenta taceam; de quibus copiosè libro suo de scripturis quauis lingua non legendis: Ledesma noster capite decimo sexto & sequentibus.

Quod obiicit Lyranũ in c. 14. epist. 1. ad Cor. dicentẽ: *Populum si intelligat orationẽ Sacerdotis melius reduci in Deum, & deuotius respõdere,* Amen. Id generatim, verũ esse, adduci nequimus, vt credamus. Quia cõtrarium docet experientia; & vt maximè verum esset; tamen publica Ecclesiæ officia non
C instituuntur primario, propter populi deuotionem, sed propter cultum Dei; qui longè decentius, grauius & honorificentius peragitur Latinè vel Græcè; quàm cuiusuis gentis vernaculo idiomate.

Sed en insolubile VVitackeri argumentum, quo nos oppugnat. *Precatio est species sermonis, ergo ridiculum est linguâ incognitâ precari.* Respondeo, aut loquitur VVitackerus de precibus, quas quis pro alio facit, tanquam vices illius gerens; aut de precibus, quas quis ipsemet fundit: si primum; tunc etiam argumentum suum applicare poterit ad orationem Christi; qui pro credentibus & credituris in se orauit lingua plurimis incognita, Ioan. 17. Lingua videlicet Syriaca aut Hebræa.
D Exclamet hic quoque VVitackerus. *Precatio est species sermonis, ergo ridiculum est precari, lingua plerisque, pro quibus oras, incognita:* Si autem loquatur Hæreticus de ipso, qui orat; tum Apostolo manifestè contradicit dicenti: *si lingua orẽ spiritus orat.* Si spiritus orat; ergo ridiculum non est, linguâ, quamuis incognita, orare; quia fructuosisśimũ est vt spiritus oret; licet mens absq; fructu institutionis maneat. Intellexisse autem Apostolum vocabulo *lingua,* linguam ignotam; non diffitentur ipsimet sectarij. Addo, si Deus non intelligeret omnes linguas, tum VVitackerianum deliramentum procederet; sed cum nihil Deo sit opertum; fieri non potest, vt fructu careat bona precatio, quamuis non intellecta.

Patres, Chryſoſtomus, Baſilius, Auguſtinus, OEcumenius loquuntur de fructu inſtitutionis, quando aiunt; ex precibus non intellectis nullum fructum percipi; loquuntur enim de fructu eruditionis; neque aliter explicandi ſunt, quàm illud Apoſtoli: *Mens autem mea ſine fructu manet.*

Preces non intellectas vtiles eſſe docet Bellarminus exemplo cæremoniarum antiquæ legis, quarum vim populus non intelligebat, & tamen fructuoſiſsimè à populo vſurpabantur. Reſpondet VVitackerus: *Proferat Ieſuita tale aliquod disertum Dei mandatum de precibus non intellecta lingua habendis, quale Iudæi de iis cæremoniis habuerunt.*

Proferimus perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem; quam qui non audierit, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus:* & ex hoc perenni more colligimus meritiſsimò ſaltem Apoſtolicum præceptum. Ridebit hoc reſponſum Eccleſiæ & omnis Eccleſiaſticæ conſuetudinis irriſor: ſed irridendo nunquam nauiculæ noſtræ hanc firmam anchoram eripiet.

Secundò reſpondet VVitackerus, *non fuiſſe Iudæos ignaros, quid cæremoniæ illæ ſignificarent, licet tam clarè non intellexerint, quàm modo nos hoc tempore.* Si Caluiniſta loquatur de aliquibus; non abnuimus; ſi de vulgo; negamus: imò tantùm abeſt, vt ne Leuitis quidem & Sacerdotibus accurata de his ſcientia ſuppeteret; quia omnia ſub velamentis quaſi de induſtria detinebantur. de quo præter cæteros fusè Origenes Homil. 5. in Numeros.

Citat Bellarminus Auguſtinum, quòd preces non intellectæ fructuoſæ ſunt. VVitackeri circa hanc citationem calumnias refutauimus iam ſupra in Hunnio, vt & quæ circa vel potius contra Origenis teſtimonium & dictum ſancti Antonij mendaciter garrit. Omnia iam refutauimus, cum ſupra Hunnij quiſquilias excuteremus, quarum non paucas ex VVitackero in ſuum ſtoliditatis pleniſsimum examen tranſtulit.

Aliud telum. *Orans loquitur, ergo ſcire debet, quid loquatur: quia turpe eſt loqui, & quid loquaris non intelligere.* Reſpondeo, ſatis eſſe, vt in genere ſciat, quid loquatur. Nam cum quis recitat Pſalmos, quos non intelligit, certus eſt, ſe cum Deo, deque rebus bonis ac ſanctis, ſibique neceſſariis loqui; quod ſufficit, vt abſque temeritate cum Deo loqui cenſeri queat: præſertim cum bonus mentis affectus faciat; vt etiam illę preces, quibus hæretica quædam immixta ſunt, vtiles fiant; vt ex ſancto Auguſtino ſuo loco dictum eſt; quandoquidem Deus affectum potius & cor precantis intuetur, quàm verba.

Secundum VVitackeri argumentum, ex illis Apoſtoli verbis 1. Corinth. 14. verſ. 11. *Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus: ergo ſi miniſter incognita lingua* A *precabitur, & ille populo, & populus viciſſim illi barbarus erit. At hoc in Eccleſia fieri non debet, vt populo Miniſter barbarus ſit, aut populus illi. Ergo miniſter non debet lingua incognita precari.*

Ieſuita argumentum hoc non attigit, inquit Caluiniſta. Ideo non attigit; quia nouum non eſt, nec à primo diſtinctum; verbis enim illis loquitur Apoſtolus de exhortationibus & collationibus; quas lingua peregrina non vult inſtitui; quæ ſi ignota lingua concipiantur; & loquens audienti, & audiens loquenti barbarus efficitur. At in publicis precibus diuiniſque officiis neque loquens audienti, neque audiens loquenti barbarus eſt; quia diuina officia non diriguntur ad populum; ſed ad Deum; qui omnes linguas B intelligit: Quod ſi quædam ad populum diriguntur; iam adſunt miniſtri alij, qui vicem populi ſubeant, & omnium loco, id quod præſtandum eſt, præſtent. In hac igitur reſponſione noſtra & Bellarmini ruunt omnia, quæ hic præterea verbosè VVitackerus declamitat. Neque obſtant conſuetudini ſacra non vernaculè celebrandi verba illa Apoſtoli 1. Corinth. 14. verſ. 40. *Omnia decenter & ordine in Eccleſia fiant:* Nam vel maximè decentia & ordo conſeruatur; ſi ſacra officia non peragantur vernaculè. *At populus tum orat priuatim.* Eſto; An non & hoc eſt ordinis? Neque enim populus conductus eſt, vt publica ſacra celebret. *At ſi Miniſter ſolus orat, iam preces publicæ efficiuntur priuatæ.* Hoc dicit VVitackerus, non ve- C ritas. Perinde eſt ſi diceret: orationem legati ad regem quempiam habitum nomine totius Reipublicæ fieri priuatam; quòd ſolus legatus oret, cæteris omnibus tacentibus.

Tertium argumentum. *Ipſi Papiſtæ intelligunt & concedunt Armenos, Ægyptios, Moſconitas, Æthiopas ſacra ſua, vulgari ſermone peragere, & preces ſuas linguis vernaculis habere: quid ni ergo & aliæ Eccleſiæ eodem modo faciant; ſi illi rectè faciunt?* Iam reſpondit Bellarminus, hos vel eſſe ſchiſmaticos; quid ergo mirum ſi faciant, quod Nouatores noſtri agunt: vel ſi qui ex his aliiſue Orientalibus Orthodoxi ſunt, aliaque lingua, quàm Græca, Latina aut Hebræa publicas Eccleſiæ preces & liturgias peragunt, D id faciunt cum approbatione ſedis Apoſtolicæ, & Eccleſiarum omnium matris Romanæ conſenſu. Cum verò Lutherani & Caluiniani adeo vernaculas linguas in ſacris vrgeant, qui fit, quod Græcis, quarum amicitiam tantopere olim ambierunt; non fiunt auctores, vt ſacra ſua vernaculè celebrent; & biblia in vernaculam Græcam, ſimiliter & Liturgias D. Chryſoſtomi, D. Baſilij, & ſancti Iacobi transferant; cum hoc tempore lingua vulgaris Græca; fermè tantùm, ſi non plus, à veteri Græca differat, quantum Italica à Latina.

Quartum argumentum. *Conceſſum fuit Morauis, vt ſua lingua in ſacris publicis vterentur; Quæro ergo cur non idem aliis Eccleſiis concedi poſſit?* Reſpondeo, ideo

non debere concedi, quia non est eadem concedendi caussa; nam Morauis turmatim ad Ecclesiam venientibus deerant Ministri, Latinæ linguæ gnari; qui Latinè sacra obirent; ne igitur penitus Ministris destituerentur, concessum est, vt sua lingua vterentur, quoad Doctorum hominum maior copia in Morauia & Bohemia existeret; vt respondet quoque Bellarminus.

Oggrunnit VVitackerus. *Si hoc initio necessarium illis fuit, possunt ergo sacra vernaculè celebrari, quod ante non debere fieri affirmauit, quia diuinorum officiorum maiestas, linguam magis grauem requirit. Hæc si vera ratio sit, nulla potest esse caussa cur vernaculè fiant.* Vbi negauit Bellarminus, sacra non posse cum Apostolicæ sedis consensu vernaculè celebrari, si scilicet legitima subsit caussa; vt erat sub primordia conuersionis Morauiæ; quam licet Caluinista vocet *commentitiam*, num ideo commentitia erit? Quod Orthodoxi scriptores dicunt sacra publica ob decentiam & maiestatem postulare linguam grauem & venerandam; quales tres illæ antiquissimæ & amplissimæ; id intelligitur, nisi necessitas à summo Ecclesiæ pastore cognita; aliud suadeat: Multa enim necessitate suadente, & accedente superioris permissu decenter & grauiter fiunt; quæ extra necessitatis casum non nisi indecenter & leuiter fierent.

Quintum argumentum sumitur ex auctoritate Iustiniani Imperatoris Nouell. 123. de diuersis Ecclesiasticis capitulis (VVitackerus ineptè citat; *lib. de capitibus Ecclesiasticis, 123. cap.*) vbi hæc Imperator. *Iubemus, vt omnes Episcopi pariter & presbyteri, non tacito modo, sed clara voce, quæ à fideli populo exaudiatur, sacram oblationem & preces in sancto baptismate adhibitas, celebrent: quo maiore exinde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi efferantur, &c. His igitur de causis conuenit, vt inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosis Episcopis, & presbyteris Domino nostro Iesu Christo Deo nostro cum patre & Sancto spiritu proferantur.*

Respondeo, nihil in his verbis Iustiniani reperiri, quod ostendat, alia, quàm Græca, Latina, vel Hebræa linguâ publicas Ecclesiæ preces peragi debere: Nihil enim præscribit de genere idiomatis, tantum mandat, vt quæ ex præscripto Liturgiarum & Ritualium librorum clarè pronuncianda sunt, clarè pronuncientur; ad ædificationem & deuotionem Auditorum incendendam; minime autem vult, vt omnia, quæ ad Liturgiam pertinent clara voce pronuncientur. hoc enim consuetudini Græcorum ex diametro repugnat; qui etiam potissima Liturgiæ parte fores tabernaculi claudere solent; ne sancta illa Laicis pateant; & adhuc minus vult, vt quauis vulgari lingua id fiat; sed aliqua ex tribus consuetis; quam si auditores intelligunt; bene habet; sin minus, nullo afficiuntur damno; quia, vt supra dictum; defectus iste, seu non intelligentia, multis aliis commodis compensatur. Quod si Iustinianus hac sua sanctione voluit quascunque gentes Romano Imperio subiectas sacra vernaculè peragere; cur id non factum est? Proferat Hæreticus Auctorem; qui vi huius constitutionis tale quid in Romanum orbem inuectum tradat. *At auditores debent ædificari & instrui; & respondere Amen;* Respondeo; etiam apud nos ædificari & instrui & respondere posse; si linguam intelligant; nemini enim interdicitur, quo minus cum Ministris Ecclesiæ Sacerdoti succinat, si linguæ & cantus sit peritus. At si imperitus sit; contentus erit; si alij locum eius suppleant & vices agant, & deuotionem atque adeo ædificationem aliis modis procurabit; vt fieri videmus ab his; qui reuerenter & religiosè diuinis officiis intersunt; quæ quamuis peregrino idiomate peracta miram vim & efficacitatem habent, animum ad superna leuandi, & cælesti suauitate afficiendi. Mitto dicere hæc verba in veteri Nouellarum translatione non exstare; neque ab ipso Cuiacio exponi.

Sextum & vltimum argumentum sumit Hæreticus ab auctoritate SS. Patrum. Primus locus datur S. Basilio qui in Epist. 63. *ad clericos Ecclesiæ Neocæsarianæ scribit in hunc modum: Illucescente iam die* πάντες κοινῇ ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος καὶ μιᾶς καρδίας τὸν τῆς ἐξομολογήσεως ψαλμὸν ἀναφέρουσι τῷ κυρίῳ. *pariter omnes velut ore vno, ac corde vno confessionis Psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam profitetur. Et ne quis hoc de Græcis tantum hominibus intelligi suspicetur, subiungit.* ταῦτα τὰ ἔθη πάσαις ταῖς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις συνῳδὰ καὶ σύμφωνα εἶναι: *has consuetudines omnibus Dei Ecclesiis consentientes esse. Sequitur etiam eodem in loco. Horum gratia si nos fugitis, fugietis simul & Ægyptios, fugietis Lybiam vtramque, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnicas, Syros & qui ad Euphratem habitant, & vt semel dicam, omnes apud quos vigiliæ ac preces communesque Psalmodiæ in precio sunt:* παρ᾽ οἷς ἀγρυπνίαι, καὶ προσευχαὶ, καὶ αἱ κοιναὶ ψαλμῳδίαι τετίμηνται.

Respondeo, ex his Basilij verbis non colligi Psalmodias istas à prædictis gentibus lingua vulgari & vernacula decantatas esse; quia decantari potuerunt, vel Græcè; quandoquidem lingua Græca latissimè patebat; vel Hebraicè vel Latinè. Sic quod idem Basilius ait Hom. 4. in Hexaëmeron, Ecclesiam emittere συμμιγῆ ἦχον, *promiscuum strepitum virorum, mulierum, paruulorum in precibus ad Deum*; id nihil facit pro sacris vernaculè faciendis; quia hoc factum est non alia lingua; quàm Græca, Latina, aut Hebræa: quæ tum quibusdam gentibus vernaculæ erant. Neque Laici iam quoque à precibus publicis concinendis arcentur; si linguam, qua preces canuntur, nouerint: at si non nouerint; non ideo lingua Latina in vernaculam conuertitur; sicut neque hodie Græci ideo deserunt veterem Græcam linguam; licet desierit esse vulgaris ac vernacu-

la. Et postquam Latinæ linguæ vsus desiit in Africa, Italia, Hispania, Gallia esse vulgaris; ordo is est institutus; vt loco vulgi, siue viri sint, siue mulieres; certi ministri deputentur, qui preces publicas vice & nomine omnium persoluant. Latini patres, quos citat, loquuntur de eo tempore, quo Latina lingua erat multis gentibus vulgaris, aut valde communis. Hinc omnes simul psallebant, & Missæ linguâ populo notâ celebrabantur, quia Latina lingua erat omnibus vel plerisque nota. Hinc illæ patrum cohortationes, vt omnes simul psallant; idque faciant attentè & intelligenter, vocemque suam cum Sacerdotum vocibus coniungant: quæ admonitiones iustissimę erant; quandoquidem lingua auditoribus non ignota omnia peragebantur; & consuetudo ita ferebat, vt tota Ecclesia simul psalleret. Nunc alia est ratio; antiquato vulgari Latinæ linguæ vsu; quam linguam propter intermissum communem vsum ex Ecclesia diuinisque officiis minimè conueniebat exturbari; inque locum eius vulgares & vernaculas substitui. Multa etiam dicta patrum, præsertim, quæ desumuntur ex cõmentariis super 1. Cor. 14. intelliguntur de exhortationibus, concionibus & collationibus; quas noto idiomate institui necesse est; cum immediatè propter vtilitatem auditorum instituantur.

Quod Caluinista dicit; *eum, qui preces fundit, quas non intelligit; similiorem esse psittaco, picis, merulis, quas aues videmus interdum verba sonare; sed sine intellectu*; calumnia est; quia homo, qui recitat Psalmos, quamuis speciatim non intellectos, scit saltem in genere cum quo loquatur, quid petat; quem per orationem illam veneretur; cuius gratiam & beneuolentiam expetat; quod psitacus, opinor, nescit; neque ex institutione discere potest; licet integrum Dauidis Psalterium sonare disceret.

Fabrum Stapulensem nihil moramur. Non tantum hunc, sed plures alios errauit errores. Plus Caietano tribuimus, cui si Latina lingua in sacris displicuit; cur ipse Latinè, non Italicè sacra fecit? Neque est, quod propter fastidiosum huius vel illius priuati stomachum Ecclesia linguas vernaculas in vsum inducat; satius est, vt priuatus ad communem Ecclesiæ gustum sese accommodet; quam vt illa priuati cuiusque appetitioni satisfaciat. Hæc contra VVitackerum disputata sunto.

Refutatio censuræ & examinis Danæani in hunc secundum Bellarmini librum.

SOLET Danæus ad finem cuiusque libri adiungere examen quo quasi per anacephalæosin perstringit, quidquid prius contra alicuius Bellarminiani li-

A bri disputationem deblaterauerat, vel, vt rectius loquar, omnium mendaciorum, calumniarum; conuiciorũ, inscitiarum, fraudium, & imposturarum, quas effutiuerat, Epitomen quandam conficit, quem suum morem hic quoque seruat; nugisque nugacissimis, vanissimis & mendacissimis similem prorsus coronidem imponit: quæ verissima erit; si pauculis duntaxat verbulis immutatis ad Danæi contra hunc secundum librum putidissimas nænias & quisquilias applicetur. *Nam triplex est inprimis in* toto hoc Danæi ad secundum Bellarmini librum responso *peccatum*, vt hominem Caluinisticum *clementissimè atq; benignissimè tractemus. Impietas, contradictio, & nugacitas. Ac quidem impietas per totum* hoc Re-
B sponsum *multiplex*: Verum breuitatis caussa omissis contradictionibus & nugacitate tantum hoc dico; Danæum tam proiectè & effrenatè in hac totius libri censura; & in toto Responso mentiri; quasi nullus amplius sit in cælo Deus, qui mendacium oderit, ac detestetur; & debitis aliquando suppliciis castigaturus sit: Et quasi omnes illæ sententiæ; *os, quod mentitur, occidit animam*, Sap. 1. Et, *Nolite mentiri*, &c. Coloss. 3. Et, *Qui loquitur mendacia, peribit*. Prouerbior. 9. & id genus aliæ ex Bibliis sint erasæ; omnisque ingenuæ frontis pudor funditus ex toto mundo exulet. Nec satis mirari possum, vllum reperiri virum doctum, qui talem Sycophantam ferre queat; aut alicuius æstimet, nam
C quot vel *fictitiæ impietatis*, vel *contradictionis* vel *nugacitatis* exempla producit, tot profert luculentissima inanissimi sui pectoris mendacia; vt perspicuè intelliget; qui figmenta huius cum Bellarmini dictis comparare volet; *qui modò quidpiam ad argumenta Bellarmini effutiat, siue verum, siue falsum; illi perinde est, atque idipsum iustam solutionem argumenti esse credit homo ineptus, ergo cæteros ex suo ingenio metitur ac putat stolidos, qui ipsius responsiones totis capitibus legerint. Fallitur, cachinnabunt enim omnes, non solum ridebunt, qui ista capita legent, ac perpendent.*

Hæc Danæi verba in neminem aptius quadrant, quàm in auctorem suum; in cuius toto responso, quantum quantum est, ne mica
D quidem boni & ingenui & eruditi viri inest. Adeo omnia inscitiis, conuiciis, mendaciis, alogiis & inconstantissimis nugamentis horrent; vt pio & docto lectori horrorem incutiant. *Dies me deficeret si omnes istius* pseudologias, morologias, antilogias & lœdorias *enumerare vellem.*

Finis libri secundi.

Digitized by Google

TRACTATVS DE NOVIS HAERETICORVM TRANSLATIONIBVS BIBLICIS.

Adiunctus

Defensioni alterius libri Bellarminiani,

Qui est

De variis sacræ scripturæ editionibus.

Lutherus Tom. 3. Lat. VViteberg. comment. de Nouissimis Dauidis verbis in præfatione.

Omnino melius esset omisso studio Ebraicæ linguæ, simpliciter retinere illam hactenus receptam, & vsitatam versionem Bibliorum (quæ tamen maxima ex parte iam per noui Testamenti libros explicata, & illustrata est,) quàm tot nouas versiones cumulari, (propter pauca quædam loca, vbi aut Ebraica lectio alia est, aut quarundam vocum interpretatio, nondum certa est) quibus nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo, & discrepantia lectionum, memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem, quàm fuerat, dimittit.

3. Reg. cap. 18.

Optima propositio, quam locutus est Elias. (*sed tertim*)

Ad Hæreticum versorem.

Biblia vertendo tenuis tibi fama paratur.
Maior vti fiat gloria; verte stylum.
Maxima si porro capiunt te præmia laudis;
Verte solum, & tua mox fama perennis erit.

Ad eundem.

Num noue versor aues cognoscere, versio quæ te
Præcipuè deceat? versio sola soli.
Hanc ordire alacer; sed ne, te quæso, reuerte.
Nulla reuersio te; versio sola decet.

In hæreticos versores.

Biblia cur tanto numero peruersa feruntur?
Vertigo quia vertit, non eruditio.
Versorum versatilium gens cuncta repleuit
Vertiginosis versionibus loca.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM HVIVS TRACTATVS.

Præfatio.
Cap. I. *Catalogus recentium versorum.*
Cap. II. *De Catholicorum nouis versionibus.*
Cap. III. *Hæreticorum nouas versiones non esse tolerandas, ostenditur primò eius exemplo; quod veteres egerunt, cum D. Hieronymi ex Hebræo versio in lucem prodiit.*
Cap. IV. *Versores nouos Hæreticos non esse recipiendos, quia alio fine non vertunt, quàm vt editionem veterem euertant.*
Cap. V. *Reiiciendas esse Hæreticorum versiones, quia pleraq; Iudaizant & Rabbinizant.*
Cap. VI. *Versiones quasdam nouas reiici debere, quod potius sint Grammaticæ quàm Theologicæ.*
Cap. VII. *Nouorum versorum Biblia reiici debere, quia omnia nouant.*
Cap. VIII. *Recentium versorum ridicula propriorum nominum nouandi contentio, vt hoc etiam titulo repudiandi sint.*
Cap. IX. *Nouos versores reiici debere, quia inter se non concordant.*
Cap. X. *Noui versores insulsi sunt, insipidi, profani, omni spiritu destituti, & ideo fugiendi.*
Cap. XI. *Noui versores se mutuò damnant, carpunt, perstringunt, lacerant, insectantur, ideo reiici debent.*
Cap. XII. *Nouos versores sua Biblia crebro mutare, vertere, inuertere, peruertere, & ad hæreses suas detorquere, eaq; de caussa meritißimò contemni ac repudiari.*

TRACTATVS
DE NOVIS HAERETICORVM TRANSLATIONIBVS BIBLICIS.

Præfatio.

MVLTA noua tulit hæc noſtra A
ætas: præter cætera, plurimos
Bibliorum ex Hebræo & Græco Interpretes, qui verſione veteri tot ſæculorum conſenſu comprobata minimè contenti; nouas mundo obtruſerunt verſiones, tam Latinas, quàm variarum gentium linguis vernaculis conceptas; de quibus iam olim vtilem libellum publicauit, vir in propugnandis Eccleſiæ Catholicæ dogmatibus impiger ac indefeſſus Ioannes Cochlæus; cuius diligentiam iuſtas ob cauſſas imitari volui. I. Quia Cochlæi labor & liber vix amplius in vſu eſt ac notitia. II. Quia poſt Cochlæum prodierunt in lucem plures no-
uelli Interpretes; de quibus aliquid dicere ope- B
ræpretium erit. III. Quia de eodem argumento vtile eſt diuerſas lucubrationes exſtare, quemadmodum alicubi dicit D. Auguſtinus; vt ſi quis fortè in hanc vel illam non incidat; incidat in aliam: neque enim quiuis liber quouis defertur; aut ad quamuis bibliothecam aditum reperit. IV. Quia cum in ſuperioris libri defenſione tam multa de variis Bibliorum interpretationibus & editionibus, quæ ex antiquorum officina profectæ ſunt, cum Bellarmino diſputauerimus, non iniuriâ nouitij iſti verſores nobis vi-
tio verterent; ſi penitus taciti præterirentur. C
Texàm igitur primo Indicem horum Interpretum. Deinde dicam, num verſores iſti tolerandi ſint.

CAPVT I.

Catalogus recentium verſorum.

CLARITATIS cauſa diuiſiones quędam præmittendæ. Nam I. Interpretum iſtorum aliqui fuêre Catholici; aliqui hæretici, & aperti Eccleſiæ hoſtes. II. Quidam integra Biblia; hoc eſt, vetus & nouum teſtamentum tranſtulerunt; quidam tantum vetus; aliqui nouum. Inter hos rurſus diſcrimen video; quia nonnulli ex teſtamento veteri tantum tranſtulerunt quaſdā partes; alij integrum corpus. III. Alij vel integra Biblia, vel partem in Latinam linguam tranſtulerunt. Alij integra, vel partem, in aliquam vulgarem ſeu vernaculam; Et vix in ſeptentrione eſt natio, in cuius idioma ſacræ litteræ non ſint conuerſæ vel ab Hæreticis vel à Catholicis. Vulgares verſiones, excepta Germanica, non ſcrutabor, neque in examen vocabo; neque enucleatè enumerabo; quia mihi homini Germano paucæ exteri idiomatis translationes notæ ſunt; quamuis ſciam in ſingulis fermè prouinciis, Hæreticorum vernaculis Interpretationibus oppoſitas eſſe alias Interpretationes à Catholicis viris elaboratas.

Ex Hæreticis igitur, qui Latinitate donarint tota Biblia, hoc eſt, omnem tam nouam, quàm veterem ſcripturam pauci ſunt; ſaltem mihi cogniti: neque vllus occurrit, niſi *Sebaſtianus Caſtalio*, cuius editionem ex officina Oporiniana Anni M. D. L V I. vidi & legi. Alij veteri teſtamento, vel nouo duntaxat contenti fuerunt.

Vetus teſtamentum, & quidem integrū tranſtulerunt coniunctis operis, Emmanuel Tremelius

melius primum Iudæus, deinde Monachus; postea Caluinianus, & Franciscus Iunius Biturix itidem Caluinista; quorum translatio sæpius prodiit; nouissimè autem typis elegantissimis Hanouiæ anno Domini M. DC. III. cum magno auctario annotationum & obseruationum, quas Iunius, symmystæ & synergo suo Emmanueli superstes, auxit; nõ ex patrũ, sed ex Rabbinorum cõmentis potius, quàm commentariis. Imò Iunius libros illos, qui tantùm Græcè exstant, quosque Hæretici pro apocryphis habent, ex Græco in Latinum transtulit: Et vt nobis suã probaret diligentiam; tertium quoque Machabæorum librum & tertium quartumque Esdræ, & orationem Manassæ adiecit; quæ omnia nos ipsi apocryphis accensemus. Quod ante Iunium simili diligentia, si conatus vetera euertendi diligentiæ nomen meretur, Castalio præstitit.

Secundus sit Sebastianus Munsterus; qui omnes veteris testamenti libros in Latinam linguã vertit; præter illas partes librosq; integros, quos Hæretici, tanquam apocryphos, reiiciunt: nec aliter poterat; quia homini Iudæo potius, quàm Christiano, religio erat libros illos attingere. Vidi Biblia eius Hebraicè & Latinè duobus tomis edita, Basileæ M. D. XXXIV. & XXXV.

Tertium locum teneat Leo Iuda Tigurinus Minister, qui totam Bibliorum translationem ex Hebræo moliens, prius ad cælum Zvvinglianum vocatus est, quàm cogitata omnino perficeret: qui quid veteris testamenti ex Hebræo verterit, ipse nobis denarrat, in suprema sua ad Theodorum Bibliandrum compellatione; quæ præfationi in Tigurina Biblia inserta est his concepta verbis. *Te autem, charissime mi Theodore, per ipsum Dominum Iesum, cui seruimus* (scilicet) *oro atq; obtestor vt ea tu in nostra Bibliorum versione absoluas, quæ morbo hoc meo interceptus, transferre, absoluereq; non potui. Octo videlicet postrema capita Ezechielis, à quadragesimo nimirum capite, Danielem totum, librum Iob integrum, Psalmos siue hymnos quadraginta octo vltimos, à 102. scilicet Psalmo, libellos item Salomonis duos, Ecclesiasten, & cantica canticorum, quos ob rerum, & orationis difficultatem, hactenus non attigi, volens illos vltimo reseruare conatui* Ex qua oratione vides, quid recutitus Leo, & quid Theodorus Bibliander in Latinum sermonem transtulerit: Postquam enim *Leo ad Dominum suum,* (inquit præfatio) Zvvinglij & Lutheri magistrum, infelicissimè migrarat, *Bibliander, ea, quæ promiserat, fide præsentissima diligentiaq; accuratissima,* (sic mulus mulum scabit, manusque manum fricat) *præstitit*; qui tamen libros, quos sectarij pro Apocryphis habent non attigit; ne contaminaretur ex ingressu *in Prætoriũ*; & Pascha manducare nequiret. Itaque ea prouincia demandata est Petro Cholino, tanquam Græco, qui absq; huiusmodi periculo hæc talia tractare poterat, non item Bibliander totus Iudæus & Hebræus. Et vt videas Cholini huius bene de omnibus merendi cupiditatem, etiam orationem Manassæ &

A quartum librum Esdræ; quorum neutrum aut Græcè aut Hebraicè viderat, ex Latinis Latiniores fecit; vt ipse testatur in procœmio, quod translationi suæ præfixit. *Librum Esdræ quartum, & precationem Manassis nec Græcè nec Hebraicè videre mihi contigit, tamen ne illa quoq; manerent incultiora, nonnihil ad nostrum stylum attemperata nostræ versioni inseruimus, eam scilicet habitura fidem & authoritatem quã ea, quæ ex Latino in Germanicam, Gallicam, aut aliam quamuis linguam versa sunt.* In cuius diligentiã posteris temporibus posuerunt vestigia sua Castalio & Iunius; qui tam ipsum Cholinum, quàm veterem interpretem Latinius & aptius loqui docuerunt; vt & Iunius Castalionem, donec tandẽ existat aliquis, qui etiã Iunium ad ferulam vocet.

B Et tres illi Interpretes continentur in illis Bibliis, quæ vulgo Tigurina appellantur. quibus adiunctum nouum testamentum ex versione, vt aiunt Erasmi; quam fortè si Erasmus reuiuisceret, negaret esse suam, quia Cholinus & Rodolphus Gualtherus eam interpolarunt; & ad varios Codices castigarunt; cuius profecto castigationis Erasmus impatientissimus fuit. Horum Bibliorum editionem vidi excusam Tiguri Anno Redemptoris M. D. XLIIII.

Quartus sit ex eadem schola Tigurina Conradus Pellicanus; Munsteri Præceptor; vterque prius Monachus Franciscanus, postea, orto Lutherano sidere, ad Zvvinglianam sectam transfuga. Hic commentarios scripsit mole, quàm eru-

C ditione grauiores in eos libros veteris testamenti, quos hæretici solos, vt Canonicos, recipiunt; adhibita veteri & vulgata translatione, sed multis locis mutata, & ad Hebræum textum, vt Pellicanus profitetur, accommodata, hoc est, vt ego interpretor, deprauata. Statuerat quidem initio nullam, nisi vulgatam versionem, vsurpare; sed amicorum consilio & typographi monito destitit ab hoc consilio, de quo ipse hæc præfat. ad lectorem. *Translationem vulgatam D. Hieronymi titulo adhibuissem, si meo licuisset arbitrio agere: sed rogatus à fratribus & calcographo, cum iam liber commentariorum prælo subiiciendus esset, vt veterem textum alicubi emendarem, qui certè negari non potest, alicubi esse neglectiorem, alicubi liberiorem, vt author secutus claritatem &*

D *elegantiam sermonis magis sensum de sensu, quàm verbum de verbo sæpe expresserit.* Construat, qui potest, hæc Pellicani verba; ego certè non possum. Sed pergit. *Amicorum itaq; piorum tum consilio tum precibus obsecutus, translationem, quæ sub Hieronymi nomine in Ecclesiis recepta est, interpolatam reddidi.* Hæc ille cæteris nouatoribus modestior; præsertim in versione & commentariis Psalterij; quod bis edidit; vt ipse testatur; & ex illo Cochlæus; in priore magis Iudæos, quàm Christianos secutus est; in posteriore magis Christianos, quàm Iudæos.

Quintus sit Zvvinglius, qui Psalterium ex Hebræo vertit; Item Isaiam, & Hieremiam; versionem suam nouâ nomenclaturâ *complanationem* appellitans. In Isaia adiunxit veterem & vulga-

tam

tam editionem, idque ex consilio Pellicani; vt ait; Iste enim vulgatæ translationi non admodum iniquus fuit; vt suo loco dicam. Exstant hæc omnia tomo tertio operum Zvvinglij.

Sextum locum obtineat Aretius Felinus, sic enim ementito nomine sese appellauit Martinus Bucerus, Monachus Dominicanus; postea Ordinis desertor, & modò Lutheranus, modò Zvvinglianus, prout leuitas animi & inconstantia ferebat; qui Psalterium vertit. Huius translationem ampliter dilaudat Pellicanus. *Magna ex parte,* inquit, *imitati sumus non solum sententias sed & verba Neoterici illius Aretij Felini, quisquis is fuerit, certè eruditi, pij, & diligentißimi Interpretis, & commentatoris; vtinam & in aliis libris Canonicis tam dextrum ductorem sequi licuisset.*

Is Aretius, quem non nosti, Pellicane, si tamen non nosti, alius non est; quam Martinus Bucerus; vt fide; sic & nomine varius & mutabilis; nam aliquando nominauit se Aretium Felinum: aliquando Varemundum Luitholdũ. Aliquando Conradum Trevv de Fridensleuen, vt testatur Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ. Prius illud nomen sibi indidit in libro Germanico *de bonis Ecclesiæ, qui sint iusti horum possessores, quis sit horũ abusus & rapina, ac quomodo commodißimè vera & Christiana horum possessio, & vsus restitui poßint. Item responsio ad dialogum contra Protestantes editum 1540. sub nomine Conradi Treuis de Fridensleuen.* Superius autem in libro itidem Germanico: *Quis impedierit Haganoæ ne colloquium de religione haberetur; item quo iure à Protestantibus petatur restitutio bonorum Ecclesiasticorum, deniq; quid de pace religionis actum sit Augustæ, Schvvinfurti, Norimbergæ, Francofurti, Haganoæ 1540. sub nomine Varemundi Luitboldi.*

Septimus sit Oecolampadius; qui in cõmentariis, quos in vetus testamentum maximè in Prophetas euulgauit, nouam ex Hebræo versionem sibi cudendam existimauit.

Octauus VVolffgangus Musculus, qui commentarios suos in Psalmos non sine noua translatione prodire voluit. Facti sui rationem reddit in præfatione ad Lectorem, vt & Oecolampadius. Idem fecit Musculus in aliis quibusdam super scripturam commentariis.

Nonus esto Caluinus, qui idem in Psalterio fecit.

Decimus, Ioannes Bugenhagius Pomeranus Lutheranus, Lutheri sodalis intimus.

Vndecimus Georgius Maior, cuius Psalterium Argentorati Sturmius edendum curáuit, *quòd minimum,* vt ait, *à veteri interpretatione dissideret.*

Duodecimus sit Henricus Mollerus, Hebrææ linguæ in Academia VVitebergensi Professor; qui Psalterium ex Hebræo vertit; cuius versio adeo arrisit Bezæ, vt eam suum in Psalterium transferendam duxerit.

Decimus tertius esto Iodocus VVillichius, qui & ipse Psalterium ex Hebræo transtulit.

Agmen claudat Felix Pratensis, qui & ipse Psalten aliter psallere docere voluit; quàm hactenus psalluit. Versionẽ eius dedit Basilea Anno Christi 1524. quam sæpe Musculus citare solet. Nec dubito, plures esse Nouatores, qui vel partes scripturæ vel totam scripturam Latinè conuerterint; sed hos ego duntaxat vidi. qui sufficient, opinor, quia ex his omnes licebit examussim cognoscere.

Solum nouum testamentum vertit ex Græco Latinè Beza cum annotationibus maioribus & minoribus. Quo loco collocabimus Erasmum, qui ante Bezã idem decurrit stadium? Inter Catholicos non videtur mereri sedem. Sectarij ęgrè in sua castra recipient. Ergo, qui viuus neuter esse voluit; iam quoque neutrum, sed separatum locum habeat: cui fortassis non iniuriâ adiungetur Iacobus Faber Stapulensis, qui & ipse amphidexter; Etsi Sturmius in quodam Antipappo, eum tandem ad quintum Euangelium perfectè transiisse scribit. Hic Epistolas D. Pauli noua ex Græco translatione donatas in lucem dedit. Nam Vallam addere, nihil necesse; nõ enim nouus versor fuit; sed veteris versionis calumniator suis in veterem noui testamenti Interpretem obseruationibus; quas cum Erasmus nescio in qua Bibliotheca placidè quiescentes, & feliciter delitescentes reperisset, in publicum extrusit; ingenti, scilicet, publicę rei bono.

Ex Syriaco transtulit nouum testamentum Caluinianus Tremmelius; cuius editio coniungi solet cum versione Bezana in Bibliis Iuniotrẽmelianis Hannouiæ Anno Domini M. DC. III. excusis. Acta Apostolorum Latinè vertit Iunius Caluinista ex Arabica translatione.

Vetus & nouum testamentum integrum, cum omnibus suis partibus; etiam illis, quas sectarij à Canone excludunt; Germanicè reddidit Lutherus; qui falsam, deprauatam & pessimã suam vulgarem versionem, noui testamenti etiam Latinè publicauit, vt non tantum Germanos, sed & exteros inficeret, vt scribit Cochlæus in Actis Lutheri 1522. Quod alij Nouatores aliis linguis vernaculis similiter præstiterunt, vt hac esca imperitum vulgus inescarent. Tigurini quoq; nõ contenti Bibliis Lutheranis nouam versionem Germanicam cuderunt per suum Leonem Iudam, non sine Lutheri stomacho, vt suo loco dixi, & infra repetam. Norimbergâ prodiit non ita pridẽ, S. Matthæus & S. Marcus duodecim linguis, editore quodam Hæretico; inter quas vernaculę; Germanica, Belgica, Anglica, Italica, Hispanica, Gallica, Polonica. Nec puto esse in his septentrionalibus prouinciis linguam Christiano populo vsitatam, in quam Nouatores Biblia non transtulerint. Vidi Frisingæ in instructissima Bibliotheca Reuerendi & omni doctrinarũ genere excultissimi Domini *Antonij Velseri*, Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonici; Biblia Lutheri in Islandicum; eademque in Danicum sermonem conuersa. Ipse Castalio satis non habuit Bi-

›lia Latinè conuertiſſe; etiam Gallicè reddidit. Etſi à Beza & aliis Geneuenſibus hoc ſuo labore exiguam gratiam retulit. Hæc de Hæreticis.

Ex Catholicis recentioribus vertit ex Hebræo & Græco tota Biblia Santes Pagninus Lucenſis; qui verſionem ſuam ſæpius recognouit; Et illa quidem veteris teſtamenti illata eſt in Regium Bibliorum opus à Plantino excuſum; ſed caſtigata ab Aria Montano, Raphelengio, Guidone Fabricio,& aliis. Eandem ſequitur in explicatione Pentateuchi Hieronymus Oleaſter commentator Hebraizans.

Iſaiam ex Hebræo tranſtulit Franciſcus Forerius Luſitanus; neque hunc ſolum; ſed & libros Iob, Dauidis, Salomonis & omnium Prophetarum, vt in ſuo Apparatu Poſſeuinus ſcribit.

Vtrumque teſtamentum vertit ex Hebræo & Græco Iſidorus Clarius Brixianus. Pſalterium ex Hebræo reddidit, vel potius reddendum curauit, Caietanus; qui cum, ipſomet teſte, linguæ Hebrææ ignarus eſſet; nouam translationẽ concinnauit ex quatuor aliorũ verſionibus, & operâ ſtudioque duorum Iudæorum, altero baptizato, altero non baptizato, vt ipſe ſcribit præfatione in Pſalmos.

Nouum teſtamentum ex Græco verbatim expreſsit Arias Montanus: cuius verſio Bibliis Regiis inſerta eſt. Ex Syriaco vertit nouum teſtamentum Guido Fabricius Boderianus; quam translationem in Bibliis regiis inuenies. Accipe & hoc, quod in Apparatu ſuo ſcribit Poſſeuinus noſter his verbis. *Balthaſſar Etzelius Societatis noſtræ, Latinas fecit è Syriaca lingua Epiſtolam ſancti Petri ſecundam: Duas poſteriores S. Ioannis. Epiſtolam S. Iudæ & Apocalypſin, quæ omnia deerant in Syriaco nouo teſtamento, ſiue Cæſareo, quod Viennæ in Auſtria; ſiue regio, quod Antuerpiæ erat. Quæ nos à Maronitis accepimus ex orientalium Codicibus, in quibus exſtant.*

Prodierunt quoq; vernaculæ verſiones à Catholicis elaboratæ; vt Germanica vtriuſque teſtamenti, Interprete Dietenbergero; alia veteris; Interprete Ioanne Eckio. Alia noui; Interprete Hieronymo Emſero. Item Anglica per Anglos, qui Rhemis in Gallia degebant; & Polonica per Iacobum Viecum Societatis noſtræ, mandante Gregorio XIII. Pontif. Max. & approbante Clemente VIII. Habent & Galli Orthodoxi ſua vernacula Biblia; vt & aliæ nationes. Primus qui Biblia in Italicam linguam verterit, fuit, teſte Poſſeuino in ſuo Apparatu, Iacobus de Voragine Archiepiſcopus Ianuenſis ſeu Genuenſis; longe ante huius ætatis enatas hæreſes. Germanicè item exſtabant Biblia, etiam Catholicè verſa, diu antequam Lutherus naſceretur. Fecimus etiam ſupra ad caput 15. & 16. Bellarmini aliarum vulgarium verſionum mentionem; neque enim Catholici ſimpliciter prohibent vulgares verſiones, vt mentiuntur hæretici; ſed vetant, ne cuiuis promiſcuè concedantur, hoc præcipuè æuo, vbi omnia ſectis redundant; Item ne in publicis Eccleſiæ ſacris & precibus legantur.

Fortè mirabitur quiſpiam cur Biblia Franciſci Vatabli præterierim. Sed ſcire debet Lector Vatablum Biblia non vertiſſe; neque eius eſſe verſionem, quam Robertus Stephanus in Bibliis Lutetiæ Anno 1545. editis (hanc enim tantum editionem vidi) vulgatæ translationi adiunxit, ſed Leonis Iudę Zvvingliani; & qui, mortuo Leone extremam operi manum addiderunt; Bibliandri & Cholini, de quibus ſupra dictum. Id cõſtat vel ex ipſo Beza, qui eam in ſuis Iconibus Leoni tribuit; vt in ſua Chronologia Genebrardus notat, & ex hoc Poſſeuinus in Apparatu. Nec opus eſt multis teſtibus. Confer Biblia Tiguri edita cum illa editione Stephani, verumq;, quod dico, deprehendes. Sed Stephanus, more vulpino & vafro conſilio nomen celauit; quia Pariſiis apud Catholicos tum degebat; & in prooemio editioni illi præfixo ita perplexè & implicatè loquitur, vt, niſi lector diligentiſsimè attendat, exiſtimare poſsit, Vatablum illius translationis eſſe auctorem; cum tamen non ſit Auctor, ſed Leo Iuda vel potius Iudas, & alij duo Zvvingliani, de quibus iam ſupra. Scholia adiuncta à diſcipulis Vatabli emendicauit Stephanus; ſed nec ipſa fideliter vel ab auditoribus excepta, vel à Stephano typis deſcripta ſunt: Scribit enim Genebrardus, Vatablum grauiſsimè cum Stephano ob ſcholia illa publicata expoſtulaſſe; neq; vnquã, quippe plurimis locis deprauata, pro ſuis agnouiſſe.

In Hiſpania Anno Chriſti 1584. edita ſunt Biblia cum duplici translatione, & ſcholiis Franciſci Vatabli expurgatis & emendatis; vt in ſuo Apparatu Poſſeuinus ſcribit. Sed cuius ſit illa altera translatio vulgatæ adiuncta, equidẽ neſcio; quia Hiſpanienſem illam Bibliorum editionem nunquam vidi. Si eſt illa, quam Stephanus in editione ſua vulgatæ verſioni oppoſuit; non eſt Vatabli; hominis Catholici; ſed Zvvinglianorum Tigurinorum, quos miror tam patientes eſſe, vt Roberto Stephano non dicant diem: qui plurimos eum in errorem induxit; vt translationem, quæ eſt peſtilentium Zvvinglianorum; crederent eſſe hominis Catholici, & in Catholicis locis recuderent. Dico, *peſtilentium*: Iure meritoq;. Nam verſores eius, ne ipſe quidẽ Robertus nominare eſt auſus; metuens ne peſtem Pariſiis inferre videretur. Habes verſorum recentiorum Indicem. Nunc ad alia gradum faciamus: & à Catholicorum verſionibus breuiter nos expediamus, vt eo liberius poſsimus poſtea de Hæreticis agere.

CAPVT II.

De Catholicorum nouis versionibus.

CATHOLICI, qui in vernaculas linguas Biblia transtulerunt, laudem merentur, quia nõnulli id fecerunt sedis Apostolicæ consensu & permissu; vel certè approbatione Antistitum iis in locis, vbi degebant; vel ipsa necessitate temporum compulsi,& manifesta vtilitate inde enascitura adacti; cum enim partim hæretici, partim dubij & suspecti Auctores vniuersos propemodum angulos, & omnes opificum officinas vulgaribus,iisque peruersis, & pessimum in modũ deprauatis, & ad sectas accommodatis translationibus repleuissent; è re communi fore censuerunt,si tot venenis per vulgus longè lateque serpentibus antidotũ pararent, nec certius, præsentius, & efficacius pro temporis & hominum conditione repererunt; quàm piam, veram, sinceram, & Orthodoxam Bibliorum in vernaculũ nationum hęretica peste infectarũ idioma translationem ex vulgata & veteri & tot sæculorum cõsensu approbata expressam, & ad patrum doctorumque Ecclesiæ sententias & expositiones conformatam,non ex Rabbinorum turbidis lacunis haustam.Itaque nihil est,quod amplius de huiusmodi versionibus dicam.

Quod attinet ad Catholicorũ Latinas ex Hæbræo, vt aiunt, versiones lubet hic adscribere iudicium Genebrardi, viri doctissimi & linguarũ peritissimi,de Bibliis Pagnini; quod per me ad omnes Hebraizantium translationes applices licet. Ita ergo ille Procœmio in opera Origenis, *Santis Pagnini versio* (post editionem vulgatam) *omnium optima est,sed vt liberè dicam,minus diligens,nimis ambitiosa,nimis curiosa,nimis Grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum æmula, quæq; recentium præceptionum subtilitate ,noxam synceritati & sententiam, & verum sæpiuscule afferat : vnde nec satis interdum cohæret cum veterum Hebræorũ doctrina,nec cum fidei Catholicæ mysteriis.* D *Quin in propriis nominibus locorum,fluuiorum,hominum, &c. parum fidelis est, proptereaq; imperitè factum est, vt veteri traductione neglecta Iacobus Zieglerus Landauus Bauarus in sua Palæstina ad Santeã accesserit, moreq; infœlicium data optione peius elegerit. Nam præter quã quod multa brutè describit,quid ibi opus fuit flagellare nostrum interpretem qui sese in propriis vocabulis ad suauitatem Latinam accommodauit, quod Latinis verteret? Ipse Iosephus multò magis fuerat flagellandus, vt Græcorum ritus sese aptaret quibus suas Iudaicas Antiquitates lucubrabat, omnia ferè deformauit, & ad linguam Græcã deflexit. Nescio qualibus auribus isti sint præditi. Certè Romanis, Latinisq; auribus dulcius sonat, nisi maximè fallor, Iacob. quam Iabaacob. Isaac quam Iitshhac. Ieremias quam Iirmenahu. Idumei quam Edu-* A *min. Sichem vt ipse Lucas protulit quam Schechem, vt prætercam cæteras glandes ad quarum esum nos reuocare studens inuentis frugibus.* Hæc Genebrardus. Nec immerito:

I. Quia viro Christiano, præsertim religiosam vitam professo, parum est decorum à Rabbinis potius, quàm ab Ecclesiæ doctoribus in vera & genuina scripturæ sententia eruenda & legitima interpretatione inuenienda pendere; quasi Spiritus sanctus perfidis Iudæis; non Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus à Christo redemptore nostro promissus fuerit. Quàm indecens in vasto amploque opere siue versionem,siue annotationes & scholia spectes; aut nullam aut rarissimam sanctorum patrum mentionem fieri; nec dicta & B translationem,eorum dictis & sententiis,sed Iudæorum expositionibus,vel potius impositionibus,& sæpe non tam explicationibus, quàm implicationibus confirmari. Quid veritatis apud Rabbinos,acerrimos Christiani nominis hostes, reperias,quod ex sanctorum patrum monumentis non liceat longè melius & tutius desumere? Iure hic vsurpauero illud Tertulliani libr. de pręscript. *Nobis etsi quærendum est adhuc & semper* (quæ sit scripturę legitima & germana sententia & versio Spiritus sancti menti consentanea) *vbi tamen quæri oportet? Apud hæreticos* (& Rabbinos?) *vbi omnia extranea & aduersaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere? Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infœde-* C *ratis, ne dicam ab hostibus regibus, donatiuum & stipendium captat, nisi planè desertor, & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum drachmam requirebat, etiam pulsator ille vicini ianuam tundebat, etiam vidua illa nõ inimicum, licet durum iudicem, interpellabat. Nemo inde strui potest, vnde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro; & à nostris, & de nostro, idq; dumtaxat, quod saluâ regulâ fidei potest in quæstionem deuenire.* Sicut certè iam post Concilij Tridentini definitionem, saluâ fidei regulâ, in quæstionem deuenire non potest, vtrum vetus & vulgata Bibliorum editio sit authentica, certa, sincera; & Spiritus sancti sententiæ consona; hoc enim disertè ab œcumenico illo concilio definitum est.

D Cum igitur isti adeò hebraizent, vt multa fidei nostræ mysteria clarissimè in scripturis iuxta veterem versionem, sanctorumq; patrum explanationem elucescentia, vel tenebris inuoluant, vel alio cum Rabbinis detorqueant; non iniuriâ Theologi Hispani in Indice suo expurgatorio iusserunt annotationes quasdam *Santis* obliterari; nec iusserunt tantum; sed & nominatim designarunt, quæ nam sint illæ annotationes nimiũ Iudaizantes; siue postea ex ipsius *Santis* officina; siue ex aliorum additamentis natæ sunt; In Bibliis certè Pagnini exstant; quas etiam apparatui suo inseruit Posseuinus noster.

Iam verò, vt in veteri testamento tolerabile aliquo modo fuerit (quanquam non fuit) disce-

dere à tot sæculorum recepta Hebraicorum nominum scriptione & prolatione; quid, obsecro, nouatione ista opus erat in nouo testamento Græcè conscripto? Quid opus erat ex Galilæa vbique cudere *Galil*. Ex Iesu, *Iesuah*; ex Maria; *Miriam*. Ex Zebedæo, Zebadiah. Ex Christo, Masiach. Ex Emmanuel, Himmanuel. Ex Zabulon, Zebulun. Ex Salomone, Selomoh. Ex Iuda, Iehuda. Ex Cananæa, Chenahanæa. Ex Abel, Hebel. Ex Barachia, Berachiah. Ex Zacharia, Zechariah. Ex Pascha, Pesach. Ex Iacob, Iahacob. Ex Isaac, Ischac. Ex Simeon, Simhon. Ex Iordane, Iarden. Ex Nathanael, Nethanel. Ex Samaria, Semariiah. Ex Matthia, Matthaniah. Ex Gaza, Hazza. Ex Esaia, Iesaihiah & Iesaiah. Ex Azoto, Asdod. Ex Damasco, Dammesec; vt alia infinita huius generis silentio prætercam; quæ in omnibus prope pagellis noui testamenti à Pagnino Latinè facti occurrunt. Scilicet Euangelistæ & Apostoli, qui Græcè scripserunt, docendi erant, quomodo hæc & similia vocabula scribere & pronunciare debuerint; impellendiq; Christiani, vt non amplius cum Apostolis & Euangelistis Seruatorem nostrum appellarent Iesum, sed Iesuah: neque amplius dicerent: *Aue Maria gratia plena*: sed cum Sante; *Aue Miriam gratia affecta*. Nec cum Euangelista. *Ne timeas Maria*. Sed, *ne timeas Miriam*. Nec dixit Maria ad Angelum: Sed *Miriam*; *Quomodo fiet istud*. Nec Maria, sed *Miriam* abiit cum festinatione in montana. Nec Maria, sed *Miriam* dixit. *Magnificat anima mea dominum*. Nec Maria, sed *Miriam* mansit tres circiter menses cum Elisabeth: Neque Ioseph ascendit ex Galilęa, sed ex *Galil*, in Bethleem non cum Maria, sed *Miriam*, desponsata sibi vxore. Neque Maria Magdalene, & Maria Iacobi, sed *Miriam*, Magdalene, & *Miriam* Iacobi emerunt aromata, &c. Quid verbis opus? *Non Anna Prophetissa, filia Phanuel*, &c. Sed *Channah filia Penuel* superuenit cum puer IESVS in templum introduceretur, &c. Lucæ 2.

Quis Christianus hæc & similia æquis auribus accipiat? nam licet non repugnarent Apostolorum & Euangelistarũ huiusmodi vocabula scribendi consuetudini, aduersarentur tamen communi Christianorum Græcorum & Latinorum; seu, qui Græcis & Latinis Bibliis vtuntur, vsitato solennique mori; & tot ætatum concordissimæ consensioni. Si hæc nouandi libido tolerabilis non est in veteri testamento; vt infra contra sectarios ostendam; quanto minus ferri debet in nouo; cum non iam septuaginta Interpretibus, sed Euangelistis & Apostolis contraria fit; à qua pleriq; etiam Nouatorum diligenter abstinuerunt in nouo testamento, clarè conspicati se risui & irrisui omnibus fore, si Iudaicam istam scribendi & proferendi rationem in nouum testamentum inducere conarentur.

De Caietano, quid dicam? In cuius integro super Psalmos commentario nescio quoties sanctorum patrum mentio vel citatio, vel auctori-

A tas & sententia appareat. Numeret, cui lubebit. Haud grandem, nisi fallor, numerum conficiet. Quis non miretur, doctissimum & acutissimum virum maluisse fidem habere quatuor recentioribus ex Hebræo versionibus, & duobus Iudæis, alteri baptizato, altero baptismatis experti; quã omnium Græcorum & Latinorum patrum explicationi; & totius antiquitatis testimonio? Scilicet ante Caietanum, non est expositus sacræ scripturæ textus; sed *textus interpretum arbitrio compositus*; vt loquitur Caietanus. Scilicet sancti patres non exposuerunt textum Psalmorum verũ ac legitimum; sed textum, prout ab *Interpretibus intellectus est*. Scilicet tota Ecclesia Græca & Latina, Orientalis & Occidentalis, & tot Monacho-

B rum myriades non cecinerunt vsque ad Caietanum, genuinum, sincerumque Psalterij textum; sed Interpretum Græcorum & Latinorum. Bone Deus, quis ad psallendum adigi posset, si psallendi pensum ex Caietani translatione persoluendum esset; qua nihil insuauius & insipidius, qui dum Psalmorum versionem quàm maxime fidã, hoc est, prorsus litteralem, & ad verbum expressam dare voluit; *ad Ecclesiæ quidem vsum prorsus inutilem reddidit*; vt rectè dixit Canus lib. 2. de locis Theolog. cap. 13. in fine. Quis, oro, sanæ mentis sibi persuadeat, Caietanum linguæ Hebraicæ rudem, cum duobus suis Iudæis; & quatuor recentissimis versionibus; cumque omnibus, quæ adhibenda curauit, Vocabulariis non fuisse dece-

C ptum; deceptos autem Græcos & Latinos Interpretes; Hebraicè scientissimos; omnesque Patres horum vestigiis insistentes à vero Psalmorum sensu auios abiuisse?

Isidorus Clarius ita in hoc vertendi munere versatus est; vt nouus librorum prohibitorũ Index, iussu Clementis VIII. editus, hoc de eo decreuerit. *Ex Bibliis Isidori Clarij Brixiani prologus & prolegomena præcidantur: Eius verò textum, nemo textũ vulgatæ editionis esse existimet*. Professus quidẽ fuerat veteris editionis correctionem: sed eius quod promiserat videtur in ipso operis progressu oblitus. De quo, vt & de aliis huius classis versoribus hæc Canus, loc. supra cit. quem malo lector, quàm me audiat. *Hominibus his, qui nouandis rebus*

D *student, illud sæpe accidit, vt dum Codicum, vel Hebraicorum, vel Græcorum, quos penes se habent, exempla sequuntur, nihil aliud agant, quam ex non correctis emendata corrigere. Quo quidem in loco Isidorus Clarius ferendus nõ est, cuius emendatio nihil est aliud, quàm interpretis veteris reprehensio. Pollicetur enim in operis fronte veterẽ editionem correctã; postea verò quã pollicitatione hac depellit inuidiã nouitatis, multa inserit, adiicit quædam, nonnulla mutat; vt lector nõ aliud possit in locis mutatis intelligere, quàm aut veteris interpretis errorem, aut veterum codicũ deprauationẽ. Quam bellũ erat potius nouã editionem cõfiteri, quã veterem emendare: ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur. Nota sunt eiusmodi plurima loca apud Isidorũ Clarium, & in veteri, & in nouo testamento: proferremq; illa nisi ad alia properaret oratio. Illud tantũ*

admo-

admoneo, huiusmodi vel mutationes, vel detractiones, vel additiones quæ curiosos homines sæpe delectant, parentibus nostris, si nunc viuerent, futuras esse molestissimas. Id quod ex primo libro Historiæ quam vocant Tripartitam, *colligere licet. Cum enim vt ibi dicitur multi Episcopi conuenissent, & quidam eorum rogatus esset, vt faceret sermonem populo, vir scilicet eloquio & sapientia præditus, ille locus venit in medium. Tolle lectum tuum & ambula: vbi pro lecto, Cubile, dixit. Tunc Spiridion Cypriorum Episcopus, vir sanctissimus, indignatus in eum, & exiliens de cathedra Sacerdotali. Tu melior es, (inquit) eo qui, lectum, dixit, quia eius verbis vti confunderis? Hoc autem fecit populo conspiciente, mediocritatem docens eum, qui eloquij supercilio pratumebat. Erat enim idoneus ad pudorem incutiendum cum esset venerandus, & operibus gloriosus, similiq; presbyter aeuo atq; Sacerdotii officio. Quid hic faceret si Isidori Clarij, quid si Erasmi, quid si Caietani, quid si reliquorum tam varias & multas versiones & inuersiones audiret? Quo putas animo ferret, cum in aliis libris, tum maximè in Daυidicis Psalmis, Caietani lectionem & textum vsq; adeò à nostro discrepantem, vt vix possis agnoscere, an idem liber sacer, an alius sit?* Hæc Canus.

Quid igitur? Dicat quispiam. Tune omnem ex Hebræo aut Græco versionem damnabis, vel saltem valere iubebis; & ex lectorum manibus excuties; cumque his simul etiam Hebraicę Grecæque linguæ studium relegabis, & ex Ecclesia Dei exterminabis? Minimè verò. Absit à me hoc piaculum; Vtinam omnes Hebræa rimentur & scrutentur; sed ita, vt vetera non euertant. Ita, vt plus antiquis, quàm nouis deferant; ita, vt sanctos patres magis quàm Rabbinos, Ecclesiam magis quàm Synagogam audiant, honorent, sequantur. ita, vt nouas ex Hebræo aut Græco versiones conficiant vel lectitent tanquam elucidationes vulgatæ editionis; & vt subsidij aliquid sacræ scripturæ intelligendæ suppeditantes; non autem vt authenticum sacræ scripturæ textum; vt monet quoque tertia Regula Indicis Clementini. Non negamus Hebræos esse consulendos. Sed est modus in rebus. Nam qui immodicè id faciunt, & sine vllo modo eiusmodi studia consectantur, inquit Salmeron noster Prolegom. VI. in nouum testamentum, *præterquam quod parũ succi & vtilitatis inde hauriunt, magno se periculo errores imbibendi exponunt, & Patres veteres auersantur, & eorũ sensus, vt allegoricos, horrent, & deniq; Iudaicum spiritum fugiunt, & induunt. Admonendi sunt igitur, qui Hebraicas litteras sibi addiscendas proponunt, vt obseruent illud Apellis: Ne sutor vltra crepidam. Grammaticam accipiant, & proprias vocum significationes: reliqua à traditione antiquorum Patrum petenda esse intelligant.*

Quid, quod ipsi Hæretici, & inprimis Lutherus, illos rident, qui puppim & proram interpretationis suæ in Rabbinorum commentariis collocant; vt supra in defensione Bellarmini exemplis ex Luthero allatis planum feci, de quo rursus infra dicendi occasio recurret. Etsi Lutherus & isti non recurrunt ad Ecclesiæ patrumque consensionem, sed ad nouum testamentum, ad cuius analogiam dicunt explicandum vetus, quidquid Rabbini & Rabbinorum asseclæ dicant. Ex Græcis & Hebræis illustrare licet veterem vulgatamque editionem, & sanctorum patrum doctrinam; & Ecclesiasticæ traditionis Canonem; non autem oppugnare, exterminare, repudiare: Hoc enim Hæreticorum proprium est; non filiorum Ecclesiæ, qui sunt filij obedientiæ.

Ait Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, in vulgata editione *nonnullas inueniri mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata & multa parum accommodatè versa, & minus Latinè expressa, obscurè & ambiguè interpretata, aliqua omissa; quædam transposita, immutata, ac vitio* scriptorum deprauata, quæ Santes Pagninus, Thomas Caietanus, Franciscus Forerius, & Hieronymus Oleaster, viri ex Dominicano Ordine eruditissimi Interpretationibus & explanationibus suis indicarunt. Quod ad solœcismos & barbarismos ipsamque Latinitatem vulgatæ nostræ editionis attinet; arbitror, nec vanis ductus argumentis, in tribus quatuorue paginis Psalterij Caietanici; & versionis Pagninicæ plus solœcismorum & barbarismorum reperiri, quàm in tota Bibliorũ editione vulgata quanta. quanta est. Quid magis Barbarum Psalmis à Caietano versis? Quid magis inquinatum eius commentario? Quid longius à Latinitate distat; quam translatio Pagnini? Et tamen has trabes in suorum oculis non vidit Sixtus: stipulas & festucas nonnullas in nostro Interprete vidit. Si versionis fidem & aptitudinem, claritatem & perspicuitatem spectes; quis est in Ecclesia; qui versionem Caietani aut Santis proferat? Quid obscurius Caietani translatione? Quoties corrigitur & corripitur Santes à Montano & aliis Bibliorum regiorum editoribus? Quoties ab aliis accusatur, vt parum fidelis & insincera eius translatio? Oleastri in Pentateuchum Commentarij magis pio & erudito lectori arriderent, si magis sanctos patres, quam vanos Rabbinos redolerent.

De Forerio nihil habeo, quod dicam: profitetur ipse nouam se editionem Isaiæ molitum non vt veterem euerteret, sed vt fulciret. Et puto præstitisse quod promiserat. Cur enim lectorem deciperet his in præfatione verbis? *Hebræa in Latinum sermonem conuerti, vt verbum pro verbo reddens, quoad eius fieri potuit, ostenderem in commentario sententiam, quam vulgatus Interpres reddidit, ab Hebraicis verbis non abhorrere. Non tamen eo inficias esse aliquot locos, qui magis commodè conuerti potuerint:* (Et quis nam Interpres vnquam exstitit, qui non potuerit esse perfectior?) *Sed ijdem ipsi, qui in eum illudunt, & tragœdias maximas excitant, sæpe ita verterunt, vt fœdius verti vix possint.*

Vt ergo hoc caput concludam, dico nõ modò licitum, sed & fructuosum esse Hebræa & Græca

accuratè scrutari; sed hactenus, vt vulgatam editionem tuearis, explices, illustres, sanctorumque patrum dogmata confirmes & munias, non vt palam clamue arrodas, vellices, oppugnes; & quibus potes, machinis euersum eas. Et si intelligere cupis, quo pacto lingua Hebræa & Græca vti debeas, habes huius luculentum paradigma in Genebrardo linguarum peritissimo; qui suis in Psalmos commentariis, immortali nominis sui fama & gloria id vniuersos docet; dum ex ipsis Hebræis Græcisque fontibus veterem editionem defendit, explicat & illustrat. Vtinam exsisterent, qui in præeuntis vestigiis vestigia sua pari felicitate, breuitate & perspicuitate ponerent.

Porrò sicut ex Catholicorum numero Isidorus Clarius & quidam alij dederunt nobis veterem translationem emendatam; non nouã versionem, sed veteris correctionem; hoc est, si suo nomine res appellanda cum Cano, corruptionem, ita præter Pellicanum Zvvinglianum, duos ex Lutheri schola Prædicantes inuenio, qui idem consilium ceperint: Alter est Paulus Eberus Pastor Ecclesiæ VVitebergensis; alter Lucas Osiander, multis infamibus chartis qua Latinis, qua Germanicis aduersus Catholicos dispersis, non incognitus. Prior editioni vulgatæ, à se, si superis placet, correctæ; apposuit Germanicam Lutheri translationem. In præfatione, quæ prolixa est; palam testatur *se retinere antiquam versionem Latinam; vbicunq; eam Hebraica lingua sensus ferre possit.*

Quis huius emendationis fructus? Quis euentus? Is, cuius ipsum Auctorem dispuduit. Audi eius querimoniam. *Oportet me hoc in loco fateri & deplorare me sæpius nimia festinatione officinæ typographica & aliis meis Ecclesiasticis & Scholasticis occupationibus impeditum fuisse, quo minus verborum difficiliorum proprijssimas significationes diligenter inquirerem, & alios doctiores de iisdem consulerem: adeo vt me nunc pudeat & pœniteat huius instituta correctionis, & mutatæ versionis Latinæ, & optarim, imò etiam, si scirem, per Celsitudinis vestræ* (Ducem Saxoniæ alloquitur) *intercessionem impetrari posse, supplex rogarem, vt clementissimus Elector ac Dominus noster seriò prohiberet, ne hæc à nobis emendata versio, posthac vnquam aut vllibi excudatur: cum neq; sit amplius vetus illa, quæ in scholis & templis vsurpata fuit hactenus in lectionibus & concionibus sacris, neq; noua dici mereatur integra & perfecta; cui in locis obscurioribus tutò fidere lector possit.* Magnas tibi gratias, ô Prædicans, ob tam candidum, sincerum & ingenuum de tua correctione iudicium. Inter vera, quæ vnquam totius vitæ tuæ decursu locutus es; fortasse nihil vnquam, quod verius sit, locutus es: Et inter bona quæ vnquam optasti, optimum fuit; quòd adeo ardenter concupiuisti; vt hæc tua veteris versionis deprauatio sempiternis tenebris sepeliretur, omni spe resurrectionis præcisa. Macte hoc animo, mi Prædicans. Vicisti exspecta-
A tionem nostram hac tam liberali confessione tua.

Eiusdem confessionis palam edendæ plurimum caussæ habuit Osiander propter correctã, hoc est; vt æquum interpretari; propter corruptam abs se vulgatam translationem; & edidisset; si tantum frontis ei superfuisset, quantum Ebero. Ait sua in præfatione Osiander, *in veteri versione quadam obscurè versa; quadam addita; quadam non ad verbum, sed ad sensum; se hac correxisse;* Non aliter nimirum correxisti ac Eberus; qui tam egregiè correxit; vt correctionem suam ipse suo voto & suffragio palam damnauerit, funditusque exterminatam & obliteratam voluerit. Illud placet; quod Osian-
B der fatetur, *veterem translationem adhuc publicam auctoritatem obtinere.* Apud Catholicos certè; gaudeo, si & apud Sectarios. Gaudeo, si in aduersariorum castris, nec Beza, nec Castalio, nec Iunius, nec Tremmelius, neque vllus alius versor nouus, tantum efficere potuit, vt vetusta hæc translatio sua de statione, quam tot sæculis meritissimò tenuit, depelleretur. Age Prædicans, quod par est; omni ope adnitere; vt vetus versio publicam auctoritatem retineat: Quanquam quî id præstes tuis deprauationibus interstitis, non satis dispicio. Neque enim versio, quam nobis propinas illa vetus est; quæ hactenus publicam auctoritatem obtinuit; neque omnino noua; sed tertia, *nouan-*
C *tiqua*; id quod etiam Eberus de sua verè pronunciauit.

Placet insuper, quod Facultas Theologica Academiæ Tubingensis in Approbatione Bibliorum Osiandricorum inter cætera de nouis versoribus & versionibus publicè scribit: *Multi hoc nostro litteratissimo sæculo in conuersionibus Bibliorum & eorundem Interpretatione sedulam & non contemnendam operam nauarunt; sed eam tamen, in qua lector non satis æquus* (imò & æquissimus) *nonnihil* (imo innumera) *desiderare posset. Nam dum illi nouas conuersiones afferunt, videntur studiosis Theologiæ veterem illam & vsitatam velle manibus excutere.* (Omnino hoc voluerunt plerique omnes noui versores) *Nonnulli in vertendo obscuram diligentiam Hebræorum*
D *& sordidam ἀκρίβειαν, quam illorum Grammatici habent, sequentes, non modò gratiam, sed fructum studij sui propemodum omnem amittunt.* (Fallor, an Munsterus, Iunius, Tremmelius hoc aculeo petuntur tametsi non immeritò?) *Sunt etiam non pauci, qui destituti solidiore cognitione Hebraicæ linguæ & ignari proprietatis & elegantiæ, interpretationes in medium afferunt, aut prodigiosas, aut certè non satis instituto conuenientes.* Rectè sentitis. Libens subscribo vobis. Quid prodigiosius versione Munsteri? Quid portentosius translatione Castalionis? Quid mõstrosius traductione Iunij & Tremmelij? Laudant Osiandrũ *quòd veterẽ & antiquitatis nomine gratam translationẽ non reiecit.* Solidã mereretur laudẽ, si hanc versionem intactam, illibatam, & inuio-

latam

latam reliquisset; neque suas deprauationes interspersisset: Nam σφάλματα, quæ sibi Osiander imaginatus est; non sunt Interpretis errata; sed Prædicantici cerebri somnia; & dum σφάλματι Interpretis nostri corrigere studuit; suam inscitiam patefecit; vt & ante Eberus, cuius exemplo si non didicit sapere, imputet ipse sibi, suoq; tam bardo capiti caussam assignet.

Scribit Suffridus libro de scriptoribus Phrysiæ, VVilhelmo Cantero, viro erudito, & inter politiorum Musarum cultores non incelebri, constitutum fuisse, Biblia post tot Interpretes ex Hebræo & Græco transferre: morte tamen præpropera hanc cogitationem interruptam esse. Certè absque grauiore Ecclesiæ incommodo. Quid enim opus, vt quis linguarum peritus post Homerum nouam Iliadem; & post Virgilium nouam AEneidem condat?

Memorabile arbitror, quod de beato Patre nostro Ignatio memoriæ prodidit Ribadeneira libro quinto capite decimo: *Illud diligentissimè cauit, ne quid nostris obreperet, quod candorem fidei quoquo modo inquinaret, & peregrinis omnino, aut nouis opinionibus inficeret. Itaque cum timeret, ne ex Hebraicæ linguæ necessaria cognitione aliquid discerent, ex quo ad nouas interpretationes perquirendas, nouosq; sacræ scripturæ sensus delaberentur; statuit vt nostri veterem, vulgatamque editionem, longo tot sæculorum vsu comprobatam, omnino retinerent, & magno etiam studio tuerentur. Quod Concilium etiam Tridentinum, suis postea decretis cauit & sanxit.*

CAPVT III.

Hæreticorum nouas versiones non esse tolerandas, ostenditur primò eius exemplo; quod veteres egerunt, cum D. Hieronymi ex Hebræo versio in lucem prodiit.

ECCLESIA Latina vsque ad tempora D. Hieronymi non est vsa alia Bibliorum editione, quàm 70. Interpretum, & Latina versione inde expressa. Neque enim vllus veterum nominari potest, qui vllius Latinæ translationis ex Hebræo ante D. Hieronymum factæ & euulgatæ meminerit. Primus ergo D. Hieronymus hanc prouinciam Latina Biblia ex Hebræis faciendi suscepit. Sed quàm multi fuêre, & quidem doctissimi, & clarissimi, vt de ipsa fidelium multitudine nihil dicam; qui hãc D. Hieronymi laborem minus probauerint; intelligere licet ex aliquibus D. Augustini ad D. Hieronymum epistolis; qui suum & complurium aliorum de noua illa versione sensum non vno loco explicat; ostendens, quàm ægrè Christianus populus ab illis auellatur & abstrahatur, quæ per quadringentos & amplius an-

A nos sanctè tenuerat, & coluerat: quia vt non malus poëta canit: *pro magno teste vetustas creditur*; qui & salutare hoc monitum adiicit: *Acceptam parce mouere fidem.* D. igitur Augustinus audita fama de consilio Hieronymi Hebræa in Latinum transferendi: *Ego sanè te mallem,* inquit epistola decima ad Hieronymum, *Græcas potius canonicas nobis interpretari scripturas, quæ septuaginta Interpretum autoritate perhibentur. Perdurum erit enim si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentius cœperit lectitari, quod à Græcis Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonabunt, maximè quia facile contradictor conuincitur Græco prolato libro, id est, linguæ notissimæ. Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit, vix aut vnquam ad Hebræa testi-
B monia peruenitur quibus defendatur obiectum.*

Et hoc non tantum, quia lingua Hebræa paucioribus nota est, quàm Græca; sed quia inter ipsos etiam Hebrææ linguæ guaros minor est concordia & conuenientia, de sensu vocabulorum & integrarum comprehensionũ, quàm inter Græcè doctos; cum, vt ipse Caietanus Hebræorum amore tantùm non extra se raptus, confitetur, *omnes ferè dictiones Hebrææ sint æquiuocæ.* Et quis me vel quemuis alium lectorem reddet certũ, hunc, quem ex tot homonymiis tu eligis sensum, esse verum & legitimum, & à Spiritu sancto profectum?

Addit D. Augustinus: *Quod si etiam peruentum fuerit,* (hoc est, inuestigando constiterit, Hebræos
C Codices aliter habere) *tot Latinas & Græcas auctoritates damnari quis ferat?* En D. Augustinus Græcas & Latinas editiones Hebraico textui anteponit. Dicat fortè quis; si contentio oriatur, num Græca aut Latina consentiant, ab Hebræis prouocari posse ad Iudæos, si alij, qui iudicent, desint: At hoc non est consultum & expediens: *quia etiam consulti Hebræi,* inquit S. Augustinus, *possunt aliud respondere: vt tu solus* (alloquitur Hieronymũ) *necessarius videaris, qui etiã ipsos* (hoc est, Iudæos) *possis conuincere. Sed tamen, quis iudicet,* mirum, *si potueris inuenire.* Mox subiicit historiam, vel potius tragœdiam, quæ ex lectione nouæ Hieronymianæ versionis exstiterat. *Quidam frater noster Episcopus cum lectitare instituisset in Ecclesia cui præest: interpreta-
D tionem tuam, mouit quiddam longè aliter abs te positum apud Ionam Prophetam, quam erat omnium sensibus memoriaq; inueteratum, & tot ætatum successionibus decantatum:* En quantum veteri traditioni & institutioni tribuatur. Subdit D. Augustinus: *Factus est tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus & inflammantibus calumniam falsitatis, vt cogeretur Episcopus (ea quippe ciuitas erat) Iudæorum testimonium flagitare. Vtrum autem illi imperitia an malitia, hoc esse in Hebræis Codicibus responderunt, quod & Græci & Latini habebant atq; dicebant. Quid plura? Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe.* Vides laudabile populi in antiquis institutis retinendi ardorem, & nouitatis incredibilem fugam.

by Google

Audi verò, quid de Hieronymo sentiat Augustinus doctißimus de doctißimo: sanctißimus de sanctißimo: *Vnde etiam nobis videtur aliquãdo te quoq; in nonnullis falli potuisse.* Nec temere tam tenaces fuere veteris Græcæ & Latinæ versionis veteres Christiani; *neq; enim paruum pondus habet illa* (editio) inquit S. Augustinus, *quæ sic meruit diffamari, & qua vsos Apostolos non solùm res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini.*

In epist. 8. ad eundem Hieronymum rursus suam pluriumque aliorum mentem ac sententiam aperit D. Augustinus his verbis: *De vertendis in Latinam linguam sanctis libris Canonicis laborare te nollem, nisi eo modo, quo Iob interpretatus es, vt signis adbibitis quid inter hanc tuam, & Septuaginta, quorum est grauißima autoritas, interpretationem distet, appareat. Satis autem nequeo mirari, si aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus inuenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritißimos fugerit. Omitto enim Septuaginta de quorum vel consilij vel spiritus maiore concordia quam si vnus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præminentem autoritatem in hoc munere sine controuersia tribuendam existimo. Illi me plus mouent, qui cum posteriores interpretarentur, & verborum locutionumq; Hebræarum viam atq; regulas, mordicus, vt fertur, tenerent, non solum inter se non consenserũt, sed etiam reliquerunt multa quæ tanto post eruenda & prodenda remanerent.*

Si, ô sanctißime Præsul, hæc te tuo mouebant tempore, quo minus à semel recepta translatione discedendum putares; quid nos iam facere, post duodecim fermè sæcula, conuenit? Quanto rectius mirabimur, *si aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus inuenitur*, quod iam à mille ducẽtis annis totam Christi Ecclesiam fugerit; præsertim cum qui indies nouas versiones cudunt, ex diametro sibi aduersentur; neque magis conspirent, quàm ignis & aqua in frigore & calore; inque siccitate & humiditate.

Adiungit D. Augustinus argutum dilemma; quod nos longe rectius in nouos versores torquebimus. *Aut obscura sunt* (quæ interpretaris) *aut manifesta. Si enim obscura sunt, te quoq; in eis falli potuisse, non immeritò creditur; Si autem manifesta, superfluum est te voluisse explanare quod illos latere non potuit.* Scio, quid ad hoc dilemma respondeat D. Hieronymus in epistola ad S. Augustinum, quæ est vndecima inter Augustinianas. At non disquirimus; quid tum responderi potuerit; sed quis fuerit Christiani populi sensus, quando D. Hieronymi versio primùm in lucem prodiit. Illud intrepidè dico, dilemma illud S. Augustini, post tot sæcula, maximum robur aduersus nouos versores habere: Aut enim obscura sunt, quæ interpretantur, aut manifesta. Si obscura, illos quoq; in eis falli potuisse, meritißimò creditur: præsertim post tot ætatum spatia, per quæ veritatem semper latuisse, neque vnquam per veram & sinceram sacrarum litterarum translationem nobis innotuisse; quis sanæ mentis sibi persuadeat? Si

A sunt manifesta; superfluum est nouellos istos voluisse explanare, quod priscos illos Interpretes latere non potuit.

Forte dilemma hoc retorquere conabuntur in nos, eo modo, quo illud D. Hieronymus retrorsit in S. Augustinum; & inde colligere tentabunt, nullum penitus post antiquos debere vllum in sacras litteras commentarium conscribere: *Omnes veteres tractatores*, inquit S. Hieronymus, *qui nos in domino præcesserunt, & qui scripturas sanctas interpretati sunt, aut obscura interpretati sunt aut manifesta: Si obscura, quomodo tu post eos ausus es disserere, quod illi explanare non potuerunt? Si manifesta, superfluum est te voluisse differere quod illos latere non potuit, maximè in explicatione Psalmorum.* In promptu

B est responsio: nam scripturæ sacræ infinitus est thesaurus, quod ad sententiam attinet; vnde, vt semper inde haurias, nũquam tamen exhauries; quare semper aliis atque aliis, non tamen contrariis, expositionibus locus est; vt taceam, posteriores scriptores non tam laborare, vt noua procudant, quàm vt antiqua illustrent, & vel ordine, vel clariore explanatione dilucidiora reddant; vel iam ex memoria hominũm fermè abolita, denuo in memoriam reuocent, nouaq; & vetera promant: noua, quoad lucem & ordinem, dicendique modum; vetera, quoad fidei dogmata & placita; neq; enim nouus commentator noua dogmata cudit; sed prisca defendit. Res secus habet in translationibus: Translata e-

C nim semel scriptura in aliam linguam, sincerè, candidè, fideliter, perspicuè; quid opus est alia vel aliis translationibus? Scripturas sacras à vulgato nostro Interprete sincerè, candidè, fideliter, & perspicuè latinitate donatas esse, testantur minimùm vndecim sæcula à translatione illa vsque ad nouos versores nostros præterlapsa.

Redeo ad diuum Augustinum, qui in epist. 19. non postulat versionem Hieronymi ex Hebræo; sed potius illam, quam ex 70. Interpretibus Hieronymus fecerat. *Ideo, inquit, desidero interpretationem tuam de Septuaginta, vt & tanta Latinorum Interpretum, qui qualescunq; hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitia careamus, & ij qui me inuidere putant vtilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri*

D *potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra Septuaginta autoritatem, tanquam nouum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam interpretationem audire consueuerunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est.* Vides quomodo vbique S. Augustinus, & cum illo Christianus populus, nouam ex Hebræo versionem auersetur, senioresque septuaginta, & quæ ex illis facta erat, Latinam versionem retineri velit.

Clamant Hæretici, Augustinum, *hoc fecisse ex ignorantia linguæ Hebrææ*. Non quæritur, vtrum D. Augustinus Hebrææ linguæ gnarus, aut ignarus fuerit. Hoc in quæstione versatur, quid D. Augustinus, & alij plerique Christiani orbis

sense-

senserint de noua translatione D. Hieronymi; & num hanc nouam veteri anteponendam censuerint. Non censuisse, luce meridiana clarius est.

Quid Ruffinus? Cui, licet minor fides, vt diui Hieronymi inimico; non tamen omnis in hoc argumento abroganda videtur; qui D. Hieronymum in speciem non inualidè vrget ob nouata Biblia his & id genus aliis Epicherematis. *Quis prudentum, vel quis sanctorum aggredi voluit in latinum vertere, quod tu ausus es?* Loquitur Ruffinus de trãslatione Græcorum auctorum in linguam Latinam; & post aliqua subdit: *An* (hoc aggressus es) *vt scripturarum diuinarum libros quos ad plenissimum fidei instrumentum Ecclesiis Christi, Apostoli tradiderunt, noua nũc, & à Iudæis mutuata interpretatione mutares?* En Ruffinus diuo Hieronymo exprobrat, quasi *Iudaizantem* translationem Ecclesiis obtruserit.

Subiicit: *Ista verò, quæ nunc tu interpretaris, & per Ecclesias & monasteria, per oppida & castella transmittis, quomodo suscipiemus? tanquam diuina, an tanquam humana? Et quid facimus quod quæ Prophetarum vel Legislatorum nominibus titulãtur, veriora hæc abs te, quàm illa quæ Apostoli probauerunt affirmantur? Istud commissum dic quomodo expiabitur? Si enim in explicanda lege aliquid aliter sensisse damnabile apud te ducitur, ipsam legem peruertere in aliud quàm Apostoli tradiderunt quoties damnabile iudicandum est? Cur non magis pro huius ausi temeritate dicamus: quis ex tot & tantis prudentibus & sanctis viris, qui ante te fuerunt ad istud opus ausus sit manum mittere? Quis præsumpserit sacras sancti Spiritus voces, & diuina volumina temerare? Quis præter te diuino muneri, & Apostolorum hæreditati manus intulerit? Et quidem cum ingens copia fuisse ex initio in Ecclesiis Dei, & præcipuè Hierosolymis eorum, qui ex circumcisione crediderant, referatur: in quibus vtique linguæ vtriusq; perfectam fuisse scientiam, & legis peritiam probabilem, administrati pontificatus testatur officium. Quis ergo in ista editorum virorum copia ausus est instrumentum diuinum, quod Apostoli Ecclesiis tradiderunt, & depositum sancti Spiritus compilare? An non est compilare, cum quædam quidem immutantur, & error dicitur corrigi?*

Hæc pro veteri Ecclesiarum more & bibliorũ versione acerrimè Ruffinus; qui & ista addit: *Petrus Romanæ Ecclesiæ per viginti & quatuor annos præfuit: dubitandum non est, quin sicut cætera, quæ ad instructionem pertinent, etiam librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradiderit: quæ vtique iam tunc ipso sedente & docente recitabantur. Quid ergo? Decepit Petrus Apostolus Christi Ecclesiam, & libros ei falsos, & nihil veritatis continentes ei tradidit: & cum sciret quod verum est, haberi apud Iudæos, apud Christianos volebat haberi quod falsum est? sed fortasse dicit: quia sine literis erat Petrus, & sciebat quidem Iudæorum libros magis esse veros, quàm istos, qui erant in Ecclesia: sed interpretari non poterat propter sermonis imperitiam. Et quid? Nihil in isto agebat ignea lingua per Spiritum sanctum cælitus data? Non ergo omnibus linguis loquebantur Apostoli. Sed concedamus, quia non*

A *potuerit Petrus Apostolus facere, quod hic modò fecit: de Paulo quid dicimus? Num & Paulus sine literis fuit? Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, edoctus secus pedes Gamalielis: qui etiam & ipse Romæ positus, si quid Petro defuisset, putas non potuit adimplere? Quomodo ergo isti, qui præcipiebant discipulis vt attenderent lectioni, emendatas eis & veras non dabant lectiones: & qui præcipiunt ne attendamus Iudaicis fabulis & Genealogiis, quæ quæstiones magis præstant quàm ædificationem, & iterum cauere nos iubent, & obseruare maximè eos qui ex circumcisione sunt, quomodo non præuidebant per spiritum quod futurum esset tempus, post quadringentos ferè annos, quando Ecclesia cognito eo quod ab Apostolis non sibi esset tradita veritas veteris instrumenti, legatos mitteret ad istos, quos illi tunc circumcisionem vocabant; obsecrans & exorans, vt sibi de veritate, quæ apud ipsos est,*
B *aliquid largirentur? Per totos istos quadringentos annos errasse se, & ignorasse quod verum est, fateretur? Æstitam quidem se esse ex gentibus sponsam Christo per Apostolos, sed non ab eis veris monilibus exornatam: putasse se lapides esse pretiosos, nunc autem deprehendisse, quod non sunt vera ista gemma, quas sibi Apostoli Christi imposuerant; erubescere se ad publicum procedere, falsis & non veris lapidibus adornatam, & ideò rogare se, vt vel Barabbam illum, quem aliquando vt Christo nuberet, spreuerat: mittant ad se, qui possit cum vno electo ex suis viro, ornamenta sibi vera, quæ Apostoli non præstiterant, reparare?* Hucusque Ruffinus.

Resecuerat nonnulla ex Codicibus à se ver-
C sis diuus Hieronymus, quòd in Hebræis exemplaribus non exstarent; nominatim historiam Susannæ, Draconis Babylonici, & hymnum trium puerorum. Ob quam caussam sic inuehitur Ruffinus in diuum Hieronymum: *Omnis illa Historia de Susanna, quæ Castitatis exemplum præbebat Ecclesiis Dei, ab isto abscissa est, & abiecta atque post habita. Trium puerorum hymnus, qui maximè diebus solemnibus in Ecclesia Dei canitur, ab isto è loco suo penitus erasus est.*

Non discutio, iure an iniuriâ hæc Ruffinus in sanctum Hieronymum declamauerit: hoc tantum assero; hinc elucere; quantopere prisci Christiani versionis à septuaginta Interpretibus
D profectæ, & Ecclesiis Dei traditæ, inque Latinam linguam translatæ amantes ac retinẽtes fuerint; omnem perosi nouitatem; quamq; ægrè nouam translationem, amore veteris, tulerint & admiserint; quod singuli quoque propemodum Prologi Hieronymiani libris nouiter ab se versis præfixi, testantur. Vbique enim contra *obtrectatores* suos, vt ipse vocat, hoc est, contra illos, qui nouam illam versionem non recipiebant, sese defendit.

Si ante mille ducentos annos orthodoxi, neque ij omnes ex triuio, sed doctissimi quique, Hieronymi versionem in Ecclesiam recipere noluerunt; eique vitio dederunt; quod post quadrin-

dringentos annos opus à nullo Sanctorum aut A Doctorum Eccleſiæ tentatum tentaſſet; quodq; nonnulla ab omnibus Chriſtianis legi ſolita reſecuiſſet; quid nos iam facere par eſt; cum nouitij & nuperi iſti verſores ſua Biblia de Græcis & Hebræis fontibus, vt gloriantur, *recenter & fideliter* conuerſa nobis offerunt poſt duodecim propemodũ ſæcula; quibus diſtamus ab illis Chriſtianis;qui quadringentorum annorum vetuſtatem tanti fecerunt; vt veteri tranſlationi adhærendum, nouæ multam ſalutem dicendam cenſuerint: Quãto minus ferre iam debemus, vt iſti nudiuſtertius prognati Bibliorum corpus detruncent,& impiis manibus integros libros amputent; & Canonem tot ætatum conſenſione & Conciliorum OEcumenicorum auctoritate fir- B matum, ſacrilegè mutilent. Quanto rectius & æquius nos iam clamabimus. *Nolo ſapientiam, quã Petrus & Paulus non docuit: nolo veritatem quam Apoſtoli non probauerunt. Tua verba ſunt: poſt quadringentos annos non debere ſimplices Latinorum aures nouæ doctrinæ voce pulſari. Modò tu dicis. Omnis qui putabat Suſannam nuptis & innuptis exemplum pudicitiæ præſtitiſſe, errauit. Non eſt verum. Et omnis qui putabat quod puer Daniel Spiritu ſancto fuerit repletus, & arguerit adulteros ſenes, errauit. Non erat verum. Et omnis Eccleſia per orbem terrarum ſiue eorum, qui in corpore ſunt, ſiue eorũ qui ad Dominum perrexerunt, ſiue illi ſancti confeſſores fuerunt, ſeu etiam ſancti martyres, quicunq; hymnũ trium puerorum in Eccleſia Domini cecinerunt, omnes errauerunt, & falſa cecinerunt.* C Et omnes, qui veterem tranſlationem amplexi & ſecuti ſunt; quiq; Pſalmos ex antiqua verſione vel canendo vel legendo percurrerunt; & omnes; qui Tobiam, Iudith, aliqua Eſtheris capita, Baruch Prophetam, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Machabæos, tanquam à Spiritu ſancto dictatos coluerunt ac ſuſpexerũt; omnes inquam iſti; à vero auij abierunt. *Modò ergo nobis, poſt quadringentos* (imo poſt mille & quingentos & amplius) annos *legis veritas empta pretio de ſynagoga* (& recentium horum Hebræiſtarum officina) *procedit. Poſteaquam ſenuit mundus, & perurgentur cuncta ad finem, ſcribamus etiam in ſepulcris veterum, vt ſciant & ipſi qui hic aliter legerant: quin Ionas nõ habuit vmbram concurbitæ, ſed hederæ. Et iterum cum voluerit legiſlator, nec hederæ, ſed alterius virgulti. vt ricini,* D quem noui iſti hortulani eradicata hedera & cucurbita plantarunt.

S. Hieronymi conſilium & inſtitutum ſanctum erat, & à Spiritu ſancto profectum; quod euentus probauit; Hæc enim ex Hebræo verſio in Eccleſia præualuit, & reliquas omnes (de Latinis loquor) exſtinxit, *ſtellas exortus vti ætherius ſol.* Quod ſine diuino nutu accidiſſe, credendum nõ eſt; Volebat enim Deus, vt veteris quoque teſtamenti in Eccleſia ſua exſtaret clara, perſpicua, & fida verſio; in cuius lectione homines Latinæ linguæ latiſsimè diffuſæ, & ad Occidentem Orientemque latius etiam diffundendæ & propagandæ; ſ curè verſari & conquieſcere poſſent. Et tamen reclamatum eſt, amore vetuſtatis ſemper & vbique venerandæ ac ſuſpiciendæ. Quid ergo? Num nos poſt tot annorum centurias hodie veteri verſioni nuncium remittemus; & nouatorũ nouas editiones amplectemur; quos à Spiritu ſancto nõ excitari vel inde manifeſtiſsimum fit; quia ſectarij ſunt; & in id vnum intentis quomodo vetera ſubruant, & noua introducant: vt taceam alias notas; de quibus poſtea; quæ ſatis nobis produnt; quo ſpiritu iſti in his nouellis verſionibus cudendis agitentur: nam ſi Spiritu Dei mouentur; vnde in eorum verſionibus tot & tam diſparati ſenſus? tot diſsidia, & diſſenſiones tam à ſe mutuo; quàm ab omni, quæ nos anteceſsit, antiquitate? Cur quod vertit vnus; alter, tãquam falſum, repudiat? Cur tertius à ſecundo, toto cælo diſcrepat? Cur quartus à tertio? Cur quintus à quarto? ſed de his poſtea.

Quid ſua in verſione ſpectarit; hac confeſsione ſua D. Hieronymus candide aperuit epiſt. 11. ad S. Auguſtinum: *Ego non tam vetera abolere conatus ſum, quæ lingua mea hominibus emẽdatè de Græco in Latinum tranſtuli, quàm ea teſtimonia quæ à Iudæis prætermiſſa ſunt vel corrupta, proferre in medium, vt ſcirent noſtri quid Hebræa veritas contineret, ſi cui legere nõ placet, nemo compellit inuitum. Bibat vinum vetus cum ſuauitate, & noſtra muſta contemnat, quæ in explicatione priorum edita ſunt, vt ſicubi illa non intelliguntur, ex noſtris manifeſtiora fiant.*

Habes ſinceram D. Hieronymi confeſsionẽ. Num ſimilem edere queunt Nouatores noſtri; omnium veterum contemptores arrogãtiſsimi? Vtinam poſſent. Sed vel ipſum *Nouatoris* vocabulum obſtat. Niſi enim omnia in peius nouarent, nouatores non eſſent. Quare fruſtra ſunt, cum verſiones ſuas exemplo & facto diui Hieronymi tuentur: multo minus proficiunt; cum ſacroſancti Canonis mutilationem eiuſdem auctoritate excuſare nituntur; quia S. Hieronymo in vertendis ex Hebræo Bibliis longè alius finis propoſitus fuit, quàm iſtis: & aliud erat poſt quadringentos annos editionem aggredi, à nullo eò vſque tentatam; aliud iam poſt mille & fermè ducẽtos à D. Hieronymo annos; & poſt mille quingentos & amplius, à promulgato Euangelio; nouas verſiones omnium ſæculorum conſenſui & approbationi aduerſantes fabricare; & in iis fabricandis nihil aliud moliri, quàm vt omnia noues; & antiqua antiques; & à maioribus noſtris rogata & fixa, abroges, & refigas.

Bone Deus; quid diceret S. Auguſtinus; ſi hodie nobiſcum in hac militãte Eccleſia militaret, totque & tam diſcrepantes; ſingulas tamen plenis buccis veritatem ſinceriſsimam adpromittentes tranſlationes intueretur; qui quid de Hieronymiana editione ſenſerit, ſatis ſuperque nobis ſuprà declarauit; de qua etiam lib. 18. de ciuitate Dei cap. 43. *Ex hac ſeptuaginta Interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum eſt, quod Eccleſiæ Latinæ tenent. Quamuis non defuerit temporibus no-*

stris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem scripturas conuerterit. Sed eius tam literatum laborem, quamuis Iudæi fateantur esse veracem, septuaginta verò interpretes in multis errasse contendant: tamen Ecclesiæ Christi tot hominum autoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem iudicant præferendum, quia etsi non in eis vnus apparuisset spiritus sine dubitatione diuinus: sed inter se verba interpretationis suæ septuaginta docti, more hominum, contulissent, vt quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis vnus interpres debuit anteponi.

Quod D. Hieronymus Tobiam & alios quosdam a Canone reiecit; eò factum est; quia numerus Canonicorum librorum nondum fuerat ad liquidum discussus & generalis Concilij decreto definitus: constituto iam ab Ecclesia Canone; scelus est vel minimam particulam amputare velle; quod isti, vt impudenter; ita & sceleratè faciunt; quod D. Hieronymus nequaquam fecisset, si Ecclesiæ sanctionem super hac re aut vidisset, aut cognitam habuisset; quia Ecclesiæ obsequentissimus filius erat; cuius isti sunt proditores, & manifestarij hostes.

Cum D. Hieronymus versionem suam exemplo Origenis defendere pararet; quasi & ipse nouam, quamuis Græcam, ex Hebræo translationem adornarit, hoc seu effugium seu perfugium præcludere studuit Ruffinus in sua contra diuũ Hieronymum Inuectiua. *Ego,* inquit Ruffinus, *Origenis nec vnum locum ex scripturis diuinis de Hebræis inuenio translatum. A te omnes scripturas video esse mutatas. Et quomodo factum tuum & illius simile videri potest? Apostatæ quidem & Iudæi interpretati sunt ea, quorum lectione Iudæi maximè vtuntur. Et quia frequenter, si disputatio accidisset, vel immutata esse aliquãta, vel deesse vel abundare in nostris scripturis mentiebantur: voluit Origenes nostris ostendere qualis apud Iudæos scripturarum lectio teneretur, & in proprijs paginis vel columnellis, editiones eorum singulas quasq; descripsit: & ea, quæ apud illos sunt addita vel decerpta, certis quibusq; signis additis, ad versiculorum capita designauit: & in alieno, non suo opere; suas tantummodo notas fixit, vt sciremus non quid nobis, sed quid Iudæis aduersum nos certantibus, aut deesse aut abundare videretur, &c. Cæterum neq; verbum aliquod de suo vnum saltem inseruit, neque nostrorum exemplariorum fidem fecit in aliquo vacillare: sed ea quæ minus videbantur secundum cursum literæ plana & lucida, spiritualis intelligentia ostendit referta mysterijs. Quid tibi ergo Origenis factum in hoc potest præstare solatiũ: cuius neq; opus simile aliquod ostendere potes, & in quo tantum laboras, vt litera occidat consequentem: dum ille è contrariò spiritum viuificantis esse conetur assertor? Tuum igitur frater, tuum istud est factum, nec quenquam nunc ta in comitem vel socium in Ecclesia habuisse certum est: nisi illũ solum, quem frequenter commemoras Barabbam. Quis enim alius auderet ab Apostolis tradita Ecclesiæ instrumẽta temerare, nisi Iudaicus spiritus? Illi te, ó mi frater, antequam à Iudæis capereris, charissima, illi te in hac mala præ-*

A *cipitant.* Hæc Ruffinus in D. Hieronymum. Meritò an immeritò, non disputo.

Nos profectò & hæc & huius generis alia meritissimò Nouatoribus nostris occinimus; quoties à D. Hieronymi exemplo patrocinium temeritati suæ quærunt. Quid enim simile fecit eius Hieronymus, quod isti indies agunt? Num versione sua fidem ab Apostolis acceptam labefactare; & nouam mundo fidem propinare voluit? Num vociferatus est, Ecclesiam Latinam ad illud vsque tempus legitima scripturarum editione caruisse, neque quid nobis per sacras litteras Spiritus sanctus loqueretur, intellexisse? Nũ eo duntaxat consilio translationem ex Hebræo publicauit, vt sedis Apostolicæ auctoritas, na-
B uisque Petri inde oppugnaretur, nouisque machinis admotis concuteretur? Soli igitur sunt, absque duce & antecessore; qui hanc temeritatis viam calcarint & triuerint; neque nisi mendacissime D. Hieronymum in suam societatem adsciscunt. Rectius agerent, si Aquilam, Symmachum & Theodotionem sibi iungerent. Nam vt isti Græcè, ita nostri isti Latinè *Iudaismum* Christianismo præferunt; plurisque Rabbinos, quam Christi fide imbutos Doctores faciunt. Neque à D. Hieronymo vsque ad Lutheri infaustum ortum, vllum inuenient, etiam Hæreticum, qui simili audacia nouas versiones antiquæ obiecerit & opposuerit.

Proditum quidem est; & nos iam ad caput
C decimum quintum Bellarmini ostendimus; aliquot Hæresiarchas Biblia ex vulgata latina editione in vernaculas linguas plebi inescandæ & traducendæ traduxisse: non sine vbere grauium errorum semente; sed qui post Hieronymum ex Hebræo Biblia conuerterit, & vertendo Hieronymianam translationem abolere & exterminare studuerit; neminem, opinor, reperiemus, licet omnes antiquitatis angulos excutiamus. Iniustè igitur patronum sibi quærunt D. Hieronymum; qui quomodo his clientibus patrocinaretur; qui illum, *quando placet, condemnandum, & quãdo placet imitandum producunt.* Condemnant versionem Hieronymi, tanquam parum fidam, & ab Hebraicis fontibus dissidentem: & tamen
D Hieronymum facti sui auctorem se habere iactant. *Nemo,* inquit Ruffinus, *succidit arborem, ... cui inniti parat; nemo in sua caussa fidem ... eius explorat; cuius ipse re- ... probat fidem.*

CAPVT

CAPVT IV.

Hæreticos versores nouos non esse recipiendos, quia alio fine non vertunt, quàm vt editionem veterem euertant.

POST septuaginta interpretum celeberrimam totoque orbe decantatissimam versionem nouas versiones moliri instituerunt Aquila Ponticus, Symmachus, & Theodotio. Primus initio Gentilis, deinde Christianus, postea Iudæus. Alter Ebionita, seu, vt alij volunt, Samarita, postea ad Iudaismum transiens, denuo circumcisus. Tertius, initiò Marcionista; deinde Iudæus Apella; qui alio consilio nouam ex Græco translationem neque inchoarunt, neque perfecerunt, quàm vt editionem septuaginta Interpretum in gratiam Iudæorum obscurarent, exque hominum vsu abolerent, & oracula de Christo à septuaginta illis senioribus nimis clarè expressa, tenebris inuoluerent, & hæc omnia studio gratificandi Iudæis, vt præter alios antiquos Patres docet S. Epiphanius in libello *de ponderibus & mensuris*. Quocirca Iudæi has translationes, præsertim Aquilę, cupidissimè arripuerũt, quippe ad palatum & stomachum suum facientes, valere iussis septuaginta Interpretibus à Christo & Apostolorum cœtu comprobatis.

His ex antiquitate peruersis versoribus similes sunt versores nostri sectarij, quibus aliud propositum non est, quàm vt versionibus suis antiquam versionem euertant, & dogmata hactenus à fidelibus recepta ex Ecclesia studiosè euerrãt. Hinc clam & palam, tacitè & occultè, directè & per cuniculos, in translationem veterem dentes stringunt; suasque speciosis verbis venditant; & ad cælum efferunt; vt antiquam deiiciant ac humi affligant. Quapropter Tremelius & Iunius in præfatione ad Electorem Palatinũ caussam reddentes, cur ipsi etiam Biblia ex Hebræo transtulerint; duas afferunt: *alteram communem omnium*, vt dicunt; alteram; *singularem*. *Communis caussa*, inquiunt, *ipsa est, qua Patres olim & homines nostri hac nostra memoria vsi sunt. Illi enim cum Ecclesiam benè & solidè institui cuperent, nihil tam necessarium & vtile ad vetus Testamentum fore iudicabãt, quàm vt cum Hebræis fontibus omnia compararentur, & ex iis hauriretur veritas, & aliqua vna translatio cum Hebræo textu conformata in Ecclesia sua inualesceret.*

Quod ad Patres attinet, mentiuntur isti. Nominent vel vnum Patrem Hieronymo priorem, cui hæc sententia mente sederit: & post Hieronymum vsque ad Lutherum quem, oro, nobis dabunt; qui censuerit opus esse; vt in Ecclesia alia translatio, præter vulgatam, & nostram in Ecclesia inualesceret. Nominent vel vnum, & contenti erimus: Nam quod addunt de hominibus nostri temporis, id verum est de Hæreticis; qui simul atque exstiterunt, de noua translatione circumspicere cœperunt; vtpote nouatores, veterumque osores; quorum spiritu & genio orthodoxi quidam afflati idem magis necessarium, quàm par erat, arbitrati sunt.

Pergunt Hæretici: *Cumq; ab eo labore propter varias & graues occupationes, quibus tum distinebantur, & propter ignorationem sermonis Hebraici abstinuerint, alij ad interpretationem L X X. confugiebant, alij hinc inde ex multorum interpretationibus corradebant quicquid aut ad scopum aucturis, aut ad præsentem vsum videbant pertinere.*

Scilicet à tempore Apostolorum vsque ad ætatem Hieronymi per quadringentos annos nullus in Ecclesia fuit; cui Hebraicæ linguæ peritia obtigisset: vt nec post Hieronymum vsque ad Lutheri natalem. Exspectandum erat per tot annorum centurias donec Iunius, Tremelius, Castalio, Munsterus, Pellicanus, & id genus alij nascerentur; qui tam Hebræa, quàm Græcâ & Latinâ linguâ instructi, Ecclesiæ erranti, & vera scripturarum intelligentiâ carenti opem ferrent.

Addunt Caluinistæ: *Nam quod illi ad sermones suos ferè quasq; interpretationes obuias, præsentis ædificationis causa, rapiendo non satis ad firmitatem doctrinæ attenderunt, (cum iidem plerumquè vnum locum in varias sententias & interpretationes omisso scopo traducerẽt) vt ut præposterum est, in ea tamen ætate fuit tolerandum: cũ quia hominum in linguis exercitatorum penuria laborabat, tum vel maximè quia boni illi Ecclesiastæ cuiq; potius tenuissimo è plebe ruditer, quam doctis solidè operam dabant de industria.*

Intolerabilis calumnia; quasi doctissimi illi Patres Græci & Latini; quorum eruditissima exstant aduersus omnis generis hæreticos monumenta; & accuratissimæ ad populum conciones nullam solidæ doctrinæ suis in lucubrationibus, & ad plebem institutis exhortationibus habuerint; neque ex vero scripturarum fonte, sed ex variarum interpretationum turbidis & turbulentis fontibus hauserint: quod factum oportuit, vsque ad Lutheri tempora: quia nulla alia ex Hebræo vnquam antea exstitit Latina translatio, quàm D. Hieronymi; & hæc, iudicio Hæreticorum, insincera est, & contaminata; neque textui originali consona: idemque dicendum erit de quibuscunque Græcis Interpretationibus, quas isti supercilio grandi aspernantur, velut Hebræo textui dissentaneas: En Diabolicam Nouatorum istorum arrogantiam; factumque prorsus intolerandum, quo inflati se & commenta sua omnium seculorum memoriæ insolentissimè anteferunt; & ita insaniunt, quasi vsque ad suum ortum nulla vnquam in Ecclesia linguæ Hebraicæ cognitio viguerit. Quid amplius?

Ad rem paulatim Caluinistæ accedunt; & in sanctum Hieronymũ Caluinisticâ dexterâ missile virulentum iaciunt. *Vnus Hieronymus magis præ-*

mon-

Digitized by Google

monstrauit viam, quàm aliquid dignum tanto hiatu præstitit. Habes sanctissime Pater Hieronyme, operis tui censuram, & laboris mercedem post mille ducentos annos; sed à Caluinistis *Iudaizantibus*, quorum alter, Iunius, per integrum biennium fuit atheus, vt ipsemet scribit in vita sua: alter primò Iudæus, postea malus monachus: tandem hæreticus perfidus. quos tu, si nobiscum viueres, aliis coloribus non depingeres, quàm depinxisti Vigilantium, Iouinianum, Heluidium, & id genus alia monstra. Tota antiquitas, vnanimi consensu, te totum negotium transactum dedisse; operique felicem coronidem imposuisse existimauit: & nunc oriuntur nescio qui terræ filij, obscuri sectarij; qui te viam duntaxat *præmonstrasse*; non rem confecisse deblaterant; non sine inusta thrasonismi nota, quasi plura promiseris, quàm præstiteris.

Mentiuntur autem duo isti Caluini discipuli, cum aiunt; *Augustinum infinitis locis desiderium suū super hac re abunde exposuisse*; hoc est, postulasse, vt ex Hebræo in Latinam linguam conuerteretur scriptura. Quàm hoc Augustinus desiderauerit, imò quàm versioni Hieronymianæ initiò restiterit, perspicuè liquet ex illis, quæ capite superiore ex variis diui Augustini locis attulimus. At vult Augustinus *veteris instrumenti veritatem ex Hebræis exemplaribus, noui verò è Græcis eruendam esse*; sed num per nouas ex Hebræo translationes, quibus tollatur vsitata illa tot annorum curriculo in Ecclesia Dei? Monstra, oro, locum, vbi hoc desiderium suum D. Augustinus explicet. Nam quod cognitionem Hebraicæ & Græcæ linguæ in sacrarum litterarum tractatore postulat, id non ideo facit, vt nouæ cudantur versiones, per quas antiquæ euertantur, sed vt latina vetus illustretur, sicubi fortè minus plana est & expedita; vtque multarum locutionum vis & efficacitas magis perspiciatur, collata versione latina cum Hebræis loquendi formulis. Hæc Augustini mens est; eadem & nostra; sed isti vbique nouas versiones somniant; de quibus D. Augustinus ne vigilans quidem vnquam cogitauit.

Vocant isti D. Augustinum *expertem sermonis Hebraici, hinc non multum de translatione ex Hebræo laborasse, sed in Latina ex 70. senioribus concinnata acquieuisse, quòd nihil melius videbat.* Vt D. Augustinus Hebræi sermonis fuerit imperitus, & ideo aliam versionem non desiderarit; qui factum est, quod in nullius animo, ex iis, qui Augustinum antecesserunt, hæc cupiditas vertendi Biblia ex Hebræo exstitit? Incredibile prorsus est per quadringentos annos ex tot millibus orthodoxorū, neminem fuisse, qui Hebrææ simul & Latinæ linguæ gnarus esset: itemque nullum talem postea Hieronymo successisse. Nam quod de *videndo* adiungunt, arbitror, idque certissimis & euidentissimis argumentis persuasus, D. Augusti-

A num clausis oculis plus vidisse; quā omnes Caluinistas apertis, imo & apertissimis. Profitentur, *se de nullius nomine scientes detracturos*, & tamen paulò antea & D. Hieronymum & D. Augustinum conuiciis insectati fuerant.

Quid Munsterus? An in mercibus suis commendandis & dilaudandis, & in veteris translationis auctoritate deterenda & deprimenda elinguis est? Minimè vero: neque enim Biblia sua vendibilia fore credidit, nisi appensa, tanquam hedera, propriæ versionis laudatione, & antiquæ vituperatione. Audi laudantem se, & vituperantem vetera. Qui Hebræam linguam vel mediocriter est doctus, facilè videbit, interpretem no-

B strum, quicunque tandem is fuerit, interdum *non satis oculatum fuisse*; (sed iudicio talparum) *Iudæi quoque nostram in nonnullis locis irrident editionem, dicentes, eam Hebraicæ veritati non per omnia & examussim respondere.* (Graues profectò testes Iudæi, dignique, qui toti Christianæ antiquitati anteponantur.) *Aduertimus & nos iam à viginti annis labes quasdam intolerabiles irrepsisse, non tam interpretis culpa quam scriptorum vitio.* Si librarij duntaxat errant menda, tolli poterant, sine noua versione. Tu cur non sustulisti? nec opus habuisses nouam translationem cudere: tot sudoribus & laboribus, quot te præfatione in Prophetas exantlasse deprædicas: Ais; *de labore nihil aliud dicam; quàm quod fuerit immensus.* (Quis te coëgit, vt hunc labo-

C rem subires?) *Queruntur alij, qui in vnum scripserunt librum, labores, difficultates, vigilias & sudores: at quanto iustius à me fieri possunt querelæ, qui singulos sacros libros, & singula eorum verba pensitare, versare, & reuersare cogor, atq; illustrare Rabbinorū expositiones, & seligere meliora? Non hic licuit septuaginta, aut vulgatam, aut etiam aliorum quorumcunq; vbique sequi editionem, præsertim cum in plerisque locis ab Hebraica veritate dissidere deprehendantur, & alicubi nonnihil obscurum vel alienum, vel minus aduehere, ita vt non raro mens Prophetarum vel non sit expressa, aut certe non valuerit intelligi, &c. Atq; hæc scribo, non vt contempserim ea, quæ ab Interpretibus nostris sunt tradita* (colaphum interpretibus impingis, & te impingere negas? Quid hoc rei?) *sed cum possem è fonte bibere, quid opus erat ad riuum descen-*

D *dere? Nemo ignorat, qui vel à limine salutauit sacras literas in veteri instrumento Hebraicam veritatem consulendam & obseruandam. Hoc fateri cogor, quod pleraq; scripturæ loca ex vulgata editione nunquam intellexissem, nisi Hebraicè legere valuissem, atq; Hebræorum consuluissem commentarios.* Scilicet postquam Rabbinos studiosè euolueras, contemptis sanctorum Patrum Commentariis, tum præclarè scripturas intellexisti; spiritu Rabbinico lucidissimè omnibus tuis sensibus collustratus.

Reuertamur ad præfationem primi Tomi; vbi totas habenas maledicentiæ suæ laxat aduersus vulgatam editionem; vt maledicendo fidem & auctoritatem suæ conciliet. *Non est perpetuò ad*

hæc (errata editionis antiquæ) *conniuendum.* Mirum te in ea tam vberem erratorum & errorum segetem reperisse; quam vndecim & quod excurrit, sæcula non repererint. *Quanquam vereor, ne si quis diligentius conetur illa emendare, sicuti omnes pro Domini verbo zelare tenemur, totus contra illum commoueatur orbis, excitentur tragœdiæ, clament omnes, vociferentur, ingemiscant, & nemo moribus & vita tam alienus sit à Christo, qui hic non ostentet se zelum gerere pro verbo Domini, etiamsi nunquam opere & veritate illud implere studuit. Quæ in re si cum talibus expostulare cœperimus, quærẽtes quanam ratione sic insaniant, nihil habent quod respondeant, nisi quod per veteres communis illa editio sit probata. Tanta est enim vetustatis consuetudo, vt D. Hieronymi vtar verbis, vt etiam cõfessa plerisq; vitia placeant.* Vitia confessa nemini placent. Nec obstamus, quo minus aperta vitia corrigantur. Tantum negamus, omne id vitiosum cẽseri debere; quod isti vitiosum proclamant. Neque, vt ringaris, vllum ostendes in vulgata editione vitium, quod doctrinæ fidei vel morum repugnet. Vetustatem meritò veneramur; nam qui à vetustate orthodoxa recedit, is ad nouitatem, hoc est, ad leuitatem & inconstantiam transit.

Pergis: *Nemo non nouit, quantus tumultus superioribus annis excitatus fuerit contra Erasmum, quod corrigere ausus fuerit, sic enim illi loquuntur, sanctum Euangelium, & violare rem tam sanctam.* Non iniuria Erasmo reclamatum est à doctis; quia multis locis nouum testamentum non vertit, sed peruertit; & omnes alios, etiam veterem Interpretem, quasi cõmunis omnium Magister ad ferulam suam vocauit; & Latinum interpretem, latinè loqui docuit perquam stolidè, longè melius existimationi suæ consulturus, si ab ipso didicisset sapere.

Idem mihi euenturum scio, multorũ calumnias haud obscurè præuidens, qui in hoc theatrum ingredi præsumpserim, & veteris testamenti nouam tentarim versionem. Propheta es, vt video, vel Prophetæ filius. Oraculum fudisti; & futura non modò præsensisti; sed & prædixisti. Nam non tantùm Catholici, sed & ipse Lutherus; & multi ex Zvvinglij & Caluini grege versionem tuam, tanquam Rabinisticam, contemnunt ac floccifaciunt.

Ais: *Solatur me conscientia mea, quod non in gloriam meam & veterum reprehensionem, quibus etiam maximam debemus gratiam, postquam id egerunt quod præstare potuerunt, præsertim in tanta librorum penuria hunc subierim laborem, & quod aliud non deprompserim, quàm quod Hebræum textum habere deprehendi, testibus Rabinorum commentariis.* Si non instituisti nouam versionem studio reprehendendi veteres; Cur igitur & hic & alibi toties antiquum Interpretem mordes & insectaris? Hic rursus aliud loqueris, & aliud agis. Quales gratias habeas & re-

A feras priscis, patet tum ex ante citatis verbis, tum ex illis, quæ mox contra Augustinum Steuchum detonas, quem iniquè fers Interpreti nostri hoc elogium dedisse. *Quis non miretur ipsius Interpretis prudentiam, iudicium, vtriusqúe linguæ in eo absolutissimam peritiam explicandi maiestatem & ingenij diuinitatem? qui quæ sunt in lingua Hebræa manca, mutila, compendiosissima, horrida, dura, & illorum hominum loquendi more perplexa, fecit apertissima, illustrissima, & linguæ nostræ maximè accommodata. Et quis non stomachetur Mosen à quodam summo viro latinitati donatum, in qua nulla sermonis Hebræi exponitur proprietas? Alius qui Hebraica nostræ linguæ accommodare aut nesciebat, aut non poterat, tanta obscuritate repleuit editionem, vt nemo ferè sit qui eum librum legere possit. Quamobrem* B *non possum non eorum damnare audaciam, qui alias hac nostra tempestate editiones attentare voluerunt, quasi hæc malè sit reddita. Et præterea cum interpres noster, & sapientissimus & doctissimus fuerit, quid opus erat omnem eius editionem euoluere, & ad viuum resecare? præsertim cum videamus esse, tum paucissima tum leuissima ea, in quibus nostra editio ab Hebræa veritate discrepat, & nulla ferè sit inter codices Hebræos & Latinos differentia: tam prudentissimè interpres noster, Græcè & Hebraicè doctus, hanc absoluit editionem, inuitis etiam illis, qui duas tenentes voculas Hebraicas miseras & infelices, illico tantum auctorem erecto & fastuoso supercilio damnare aggrediuntur. Ego certè cum diligentissimè veritatem Hebraicam cum nostra contulissem editione, præter leuissima, nihil aliud dissonum in ea reperi.*

C Hæc Steuchus. Cui encomio si postea in collatione Latinæ editionis cum textu Hebræo consentaneè non agit aut iudicat; id nihil ad me. Testimonium per se verum est; & quidquid siue Steuchus, siue tu hic; siue alij Hæretici Interpreti nostro obiectant, id facillimam defensionem habet; vt vidimus, & reipsa probauimus, cum in secundo libro Bellarmini Kemnicianas, Hunnianas, VVitackerianas, Iunianas, & aliorum Nouatorum criminationes copiosissimè refutaremus.

Ridiculus est Munsterus, cum multis probare nititur, ab antiquitate discedẽdum esse; D Quidquid enim vel de Ethnica vel Turcica antiquitate nugetur, nos palam profitemur, ab antiquitate Christiana & orthodoxa, ne latum quidem vnguèm abeundum esse: & nisi nobis probet studium nostrum defendendi veterem translationem, esse simile illi, quo vel Iudæi vel Turcæ sua instituta tuentur; nihil vnquam efficiet, quantumuis multa verba profundat. Aliud est defendere vetustatem Christianam & orthodoxam; aliud antiquitatem Ethnicam. Clamant, *antiquitatem errasse.* At longè procliuius est creditu, errare nouatores, qui vetustatem erroris accusant; quia nisi errones essent, nunquam in hanc audaciam prorumperent. Illud item lepidũ arbitror,

quod

quod Munsterus suam translationem defendit exemplo Hieronymi, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. At quam D. Hieronymi exemplo iniustè vtatur, satis ostensum est capite superiore. Quàm verò se tueatur exemplo Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, res ipsa loquitur. quia tres isti egregiè *Iudaizabant*; *Iudaizat* & Mũsterus. Tres isti ex Bibliis Christianis fecerunt Rabinica; idem fecit Munsterus. Tres isti oracula & vaticinia de Christo obscurarunt, & caligine densa inuoluerunt: idem fecit Munsterus. Tres isti nihil aliud propositum habuerunt, quã vt luminibus septuaginta Interpretum officerent; Munstero alius non est finis, quàm vt veteris Interpretis famam & gloriam deprimat, sic tamen, vt eadem opera in septuaginta quoque Interpretes calamum exerat. Nam Aquilæ, Symmacho & Theodotioni parcit propter cognationem tribus.

Idem Munsterus præfat. in Hebraicum Euangelium Munsteri, quod à se vel sui simili confictum euulgauit; dentes suos nec obiter, nec leuiter vulgatæ versioni infigit his inter cætera verbis: *Nec audiendi sunt quidam, qui quoniam in illiteratis litteris consenuerunt, dicere solent, satis sibi translationem Hieronymi esse: nescientes, plurimùm referre, è fontibus aliquid an è qualibuscunq; lacunis aliquid hauriatur.* Scilicet vetus translatio lacuna est; versio Munsteri ex Iudæorum intimis penetralibus deprompta, fons est limpidissimus & purissimus; imò adeo limpidus; vt neque Zvvingliani, neque Caluiniani ex eo potare voluerint, sed alias cisternas sibi foderint, Iunianas, Tremelianas, Castalionéas, Tigurinas, Leoninas & Bibliandricas. Scilicet in illiteratis litteris consenuerunt, quotquot à diuo Hieronymo vsque ad Nouatorum nostrorũ ætatem vixerunt: solæ *litterata litteræ* sunt, quas Munsterus ex synagoga Thalmudica producit. Deinde ex Catholicis nemo est, qui inficietur Hebraicæ linguæ peritiam plurimùm conferre ad sacrarum litterarum intelligentiam; at non illam peritiam effrenem & infrunitam; qua Munsterus & alij sectarij gloriantur & inflantur; sed habenis modestiæ, reuerẽtiæ & Ecclesiasticæ traditionis coërcitam; quæ vetera non abroget, sed stabiliat; non irrideat & traducat, sed veneretur ac suspiciat; nec nouas translationes meditetur, sed de priscis muniendis sedulò circumspiciat.

Addit Munsterus aliam caussam, cur veteri translatione non debeamus esse contenti: *quòd quædam ob sermonum idiomata sic in alienam linguam transfundi non possunt, vt vel eandem & natiuam paremue natiuæ gratiam claritatemq; referant.* Num igitur vetus translatio reiicienda; & noua cudi debet? Profectò si alia non est in Hebræo textu gratia & venustas præter eam quam nobis sua in versione expressit Munsterus, tũc fateor me nescire, quid sit inurbana & inficeta barbaries & rusticitas. Quid insulsius & ab omnibus gratiis remotius

A versione Munsteri? Vix vllus Thrax aut Scytha tam horridus & horrificus apparet. Et audet transfuga iste opprobrare versioni nostræ; quasi Hebræam amœnitatem non pari lepore expressserit? O iudicium hirsuto Polyphemo dignum.

Ait; *multa ab interpretibus malè esse reddita.* Tu igitur vir ille es, qui acu rem semper tetigisti? Nunquam nimirum aberrasti. Absit, absit. Piaculum fuerit hoc dicere. Iudæi tui te semper vera in semita firmarunt, ne extra recti orbitam excideres. Pepo sit, non homo; qui credat nostrum Interpretem à vero auium iuisse; te aliorsum nũquam abreptum esse. Ne tuis quidem Zvvinglianis hoc persuasisti; nec persuaderes; licet adhuc B his in oris vitam agitares.

Dicit: *se in vno Isaia plura, quàm ducenta loca annotasse, non rectè ab Interprete nostro versa.* Quæ nam hæc sint loca nescio: nec in scholiis Munstericis ad Isaiam notata videntur. Si tamen sigillatim in schedula quapiam notata alicui exhiberentur, non dubito; quin reperiret vel ducenta Mũsteri mendacia; vel saltem centum mendacia; & totidem inscitias, vel calumnias & sycophantias. Promitto; vbi ducenta hæc & amplius loca à Munstero notata repererero; me Interpretem nostrum omni culpa liberaturum.

Ait Munsterus, *se non damnare veterum laborem,* C *nec contemnere studium.* Si nec damnas, nec contemnis; cur carpis? Cur tam abiectè de vtroque loqueris? *Iuuamur*, inquit, *nostro æuo beneficio multitudineq; librorum, quos priscis nouimus defuisse.* Non apparet ex versione tua, & ad eam adiũctis scholiis, quibus libris vsus fueris, nisi Rabbinicis & Thalmudicis; quorum auctores non modò sunt profani; sed & prorsus impij, & Christiani nominis hostes aperti. Hos nec vidisse, nec legisse eo modo, quo à te, Iunio, Tremelio, & cæteris Iudaicis versoribus visi lectique sunt; magnum vtique operæpretium arbitror: & vt hi libri priscis defuerint; attamen plurima alia, quæ nec Munstero, nec vlli alteri versori hæretico suppetebant; habuerunt adminicula tam interna, quã D externa; quorum subsidio fulti longè citius & certius ad veritatem peruenerunt; quàm isti nostri per suos Rabbinos & Thalmudistas, homines ex fabulis coagmentatos.

Ait Munsterus S. Hieronymum *præter nuda Biblia & rudem præceptorem, eumq; malè fidum in veteri testamento nihil habuisse.* Iure quæras; vnde hoc Munstero compertum? vt & illud: Præceptorem Hieronymi, à quo Hebraicarum litterarum cognitione imbutus est, *fuisse rudem & imperitum?* Quibusnam, quæso, præceptoribus vsus est Mũsterus? An non Thalmudistis? An non Massoretis? An non iuratis Christi hostibus? qui quo longius ab æuo D. Hieronymi aberant; eò igno-

rantiores & indoctiores euadebant. Quàm, oro, A bene fidi Thalmudistæ? Quàm bene fidi Massoretæ? Docebit nos hoc suo loco non quiuis ex triuio; sed ipse Lutherus, qui Rabbinos istos & Rabbinistas non vno loco ad viuum viuacissimis coloribus depingit. Vnde itidē scit, D. Hieronymo in discendis litteris Hebraicis defuisse Grammaticam? An quia Grammatica Munsteri tum non exstabat, nullà alia in rerum natura erat? Qui quod tantopere commendat Grammaticæ studium, tanquam ad verum scripturæ intellectum, vtilissimum instrumentum; nō diffitemur cognitionem Grammaticam multum huc opis & subsidij conferre: At solam sufficere; vel etiam in præcipuis instrumentis numerari debere; id verò diffitemur. Satis apparet, quàm B Grammaticales, ineptas & insulsas versiones & explanationes nobis illi cudant; quibus spes omnis est in Grammatica; quos Grammaticæ quantulacunque cognitiuncula ita inflat; vt omnibus Theologis priscis & recentibus *bellum Grammaticale* indicant rudissimi & insolentissimi Grammatistæ. Satis in præsenti de Munstero.

Munstero adiungamus socium OEcolampadium, tempore paululùm priorem. Nam OEcolampadius suos in Esaiam commentarios cum noua de Hebræo translatione edidit anno Christi 1525. Munsterus translationem suam anno salutis 1535. Quid ergo Apostata OEcolampadius præfat. ad lectorem? *Moneo, me non secutum, vel Hieronymi vel septuaginta, vel aliorū editionem. Nam quum* C *animaduerterem in plerisq; multum illos ab Hebræo dissidere, & alicubi nonnihil vel obscurum, vel alienum, vel minus aduehere, ita vt sæpe mens Prophetæ, vel non expressa sit, vel ego (quod non inficias eo) intelligere non valuerim, gratificaturus studiosis nouam dedi tralationem, ne quid de Hebraica veritate desideraretur, quæ in veteri instrumento potissimum consuli & obseruari debet.* Simili propemodum excusatione vsum audiuimus Munsterum, vt omnino videatur verba sua ab OEcolampadio emendicasse. Ait, *se non contemnere quæ ab Hieronymo & 70. Interpretibus tradita sint*; sed verba paulò antè recitata aliud significant; nisi fortè honoris, non contemptus argumentum iudicari debeat, quando dicit, Hieronymi & se- D ptuaginta seniorum translationes, alicubi *vel obscurum, vel alienum, vel minus aduehere; & ab Hebræo multum dissidere, crebroquê Prophetæ mentem non exprimere.*

Tigurini Ministri in præfatione, quam Bibliis suis præfixerunt, paulo ciuilius rem agunt; & subtilius per occultas verborum technas & futelas assequi nituntur, quod alij per aperta conuicia obtinere contendunt. Aiunt: *Nos D. Hieronymi exemplo docti, nolumus cum quoquam propter versionem vel editionem nostram digladiari, aut imperiosius à quoquam postulare nostrā vt recipiat, veterem conspuat. Quibus enim hæc nostra displicet, iis manet integra & intacta vetus vulgaris, & recepta illa sua, quam nos hac nostra minimè damnamus: etsi interim apertè fateamur, ipsam non vbiq; & semper cum Hebraica & Græca veritate congruere.* Sub præfationis finem; *Quæ prius de editione testamenti veteris inculcauimus, eadem repetimus in præsenti, manere videlicet veterem vulgatamq; editionem suis admiratoribus per nos omnino integram atque intactam, quippe quam nos hac nostra neq; damnamus neque mutamus. Legatur illa in Theologorum scholis, canatur publicè in templis, citetur sola in concionibus sacris, nullus obstat, nos nostra probanda tantum, & iuuandi studio studiosis sacrarum literarum proponimus.* Hæc si istis in pectore non in solis labris nata fuissent, probanda vtique essent. Sed nō est dubium, quin aliud promptū in ore; aliud clausum in pectore habuerint, vtpote bilingues Zvvingliani, nam nisi antiquā versionem spreuissent, suam post tot sæcula nunquam in publicum protulissent; neque enim eo sunt ingenio Nouatores, vt noua sua antiquis posthaberi patiantur.

Breuitatis caussa omitto aliorum ex Hebræo versorum vel apertas machinas, vel opertos cuniculos, quibus editioni nostræ fidem detrahūt; vt suæ adstruant.

Idem factitant, qui libros veteris testamenti, quos ipsi vocant Apocryphos, ex Græco transtulerunt; vt Sapientiam, Ecclesiasticum, Macchabæos, & id genus alios. Iunius præfatione, quam horum librorum versioni præposuit. *Permulti inueniuntur vbiq; loci varij, distorti, deprauati: deprauati autem? imo profligati æquè in contextu Græco atque in translationibus, quos quidem locos partim ex canonicorum scriptorum auctoritate, partim ex ipsorum auctorum secum aut aliorum cum ipsis comparatione, partimq; ex iudicio necesse fuit emendare.* Rectius dixisses; *Deprauare.* Quid enim aliud actitaret audacia Caluinistica?

Cholinus Zvvinglianus præfat. in suam eorundem librorum versionem. *Elaboraui, vt quoad fieri posset, satisfacerem omnibus, aut certè quàm plurimis, id est, vt ita Græcum exemplar (cum nihil eorum extet Hebraicè) ad verbum sequerer, vt, sicut opinor, tamen linguæ Latinæ munditiem seruarem, & fugerem obscuritatem, vt quandoquidem sicut Erasmus Roterodamus nouo, ita M. Leo, iam veteri testamento munditiem linguæ conciliauit, ita vt iam (quod semper optaui) non vtiliter modo sed etiam iucundè, & minori negotio, ingeniorumq; diuexatione, sineque detrimento & offensa linguæ politioris in ludis literariis à pueris, & extra eos à doctis sine tædio barbariei, quæ multos ne legerent, deterrebat; legi liceat, &c.* Hæc osor iste, maximus scilicet, barbarismorum & solœcismorum; cui mirum, alium fuisse gustū, quàm OEcolampadio, qui proœmio in Isaiam scribit, se etiam *non abhorruisse manifestarios & inexcusabiles solœcismos & barbarismos, vt ante oculos poneret, qua phrasi Propheta sit vsus.* Si licuit hoc OEcolampadio Zvvingliano, cur per Zvvinglianos idem non liceret Interpreti nostro; præsertim cū solœcismi & barbarismi plerique, quos isti Interpreti nostro affingunt, maxima ex parte sint sciolorum commenta & inania phantasmata.

Subdit Zvvinglianus versor: *Si cui videtur vetus potius Interpres retinendus, & sequendus, eo quod ex Hebraico fonte suam interpretationem transtulisse fortaßis cuipiam videri poßit, cùm nos ex Græcis nostra verterimus, qui ante nos errasse, & ab Hebraicis declinasse potuerint, nosque post eos, vt fit, adhuc longius aberrare, nos certis argumentis collegimus, veterem quoque interpretem, non ex Hebraicis, sed ex iisdem, quibus nos, Græcis, suam interpretationem transtulisse.* De Sapientia non est controuersia, quin Interpres noster è Græco verterit. At quomodo nobis probabis Interpretem nostrū ex Græco transtulisse librum Tobiæ, Iudith, capita nonnulla Estheris; prophetamque Baruch? Multum certè sudabit sectarius, nisi fallor, donec hoc commonstrauerit; qui suæ versionis comendæ, & nostræ carpendæ gratia mox hæc subiungit: *Quod interpretatio* (veteris Interpretis) *sæpè quàm longißimè à nostra abest, in causa est, maxima Græcorum exemplariorum diuersitas, & corruptio tanta, vt non minima pars nostri laboris in collatione exemplariorum, & mendorum emendatione versata sit: sicubi ergò ille mendo seductus fuit, aut aliam, quàm nos, lectionem secutus, aut alioqui variam inuenimus lectionem, nos eam diuersitatem in margine annotauimus; ne quis aut illum confinxisse aliquid de suo, aut nos suspicaretur.* Scilicet Cæcilius iste oculatior, & in recta lectione, variantibus exemplaribus deligenda, circumspectior & fortunatior & à bonæ notæ codicibus melius instructus fuit, quàm Interpres noster.

Veniamus ad nouos noui testamenti versores. Beza statim in vestibulo suæ interpretationis impetum in nostrum Interpretem atrocissimū facit; veritus, opinor, fore, si non in ipso limine vulgatam editionem laceraret, vt versionis Bezanæ vel nulli vel pauci reperirentur emptores. Ait ergo: *Vulgatæ editionis, qua iam pridem vtimur,* verè iam pridem, quia ante mille ducentos annos, imò ante D. Hieronymi tempora) *quis autor fuerit, video inter doctos homines non constare. Hoc quidem constat, præterquàm quod plurimis locis à librariis est deprauata, sæpe illam à Græcis discedere, sæpe obscurè multa interpretari, quædam prætermittere, quædam adiicere; vt minimè mirum sit, eruditis hominibus nunquam satisfecisse, imperitis autem multis magnos errores obiecisse.*

Mentiris Beza. Doctissimis quibusque & Græcæ linguæ peritissimis, & ante & post diui Hieronymi tempora satisfecit, per mille ducentos, & longè plures annos. *Eruditos voco,* inquit Beza, *non eos duntaxat, qui præcipuè hoc nomine digni sunt, quales sanè perpauci semper extiterunt; sed eos quoque, qui vel mediocrem vtriusq; linguæ peritiam ad pietatis cognitionem attulerunt.* Ego etiam istos eruditos voco; sed non tantum: Est quidem Græcæ linguæ cognitio pars aliqua eruditionis, sed non eiusmodi, vt qui ea caret, eruditi nomen tueri nequeat; alioqui vt antiquitate, ita & nominis celebritate clarissimos scriptores in classem ineruditorum allegare cogemur; tantum propterea, quia non

A potuerunt *Græcissare*; quorum tamen discipulus nescio num Beza queat esse, qui hæc subiungit:

Cæteros, quod ad id attinet, de quo agimus, nihil moror: quorum tamen duo genera esse video. Vnum eorum, qui per imperitiam, quòd pleraque errata non modò non intelligunt, sed ne suspicari quidem possunt; idcirco in recepta illa interpretatione acquiescunt; qui tamen proculdubio meliora amplecterentur, si quis illa commonstraret. Nemo est, qui nō meliora amplecteretur, si quis commonstraret. sed grauis est quæstio; vtrum Beza, Erasmus & similes meliora demonstrarint, quàm vetus Interpres. Ego *negatiuè* respondendum censeo; mecumq; omnis ille; qui rectè censet. Quin & ipse Beza *negatiuè* respondet, quod

B ad alios versores attinet: profitetur *enim se maxima ex parte vulgatam editionem amplecti, & cæteris omnibus anteponere)* meliora ergo monstrat vulgata editio, iudicio Bezæ, quam omnes aliæ. Si omnes alias superat, cur à sola Bezana superaretur? Certè id nunquam concedet Castalio. Et si Beza vulgatam translationem cæteris omnibus anteponit; ergo & suæ anteponit; nam inter cæteras omnes & ipsa continetur. Non ergo ægre feret, si quod ipse facit nos itidem faciamus. Iam progredere Beza.

Alterum eorum est, qui peruerso quodam ingenio, & ignobili natura præditi, ita in craßis illis, & obscuris tenebris versantur, vt veritatis lucem sponte refugiant. Illi,

C *commiseratione sanè aliqua digni sunt: isti verò planè indigni, quorum corruptis, & deprauatis iudiciis quisquam commoueatur, quin imò aperti sunt veritatis hostes. Mirus est enim inter mendacium, & ignorantiam, quæ isti tantopere delectantur, consensus.* Id euidenter apparet in huius temporis hæreticis, quos & mendacissimos & ignorantissimos videmus; admirabili mendacij & ignorantiæ harmonia & concentu.

Perge. *Afferunt tamen ipsi aliquid, ne nihil dicere videantur: sed quod ipsos, vel mulierculis deridendos propinet. Maiores nostri,* inquiunt, *illa interpretatione fuerunt contenti.* Optimum, validissimum, & ineluctabile argumentum à maiorum auctoritate, & orthodoxæ antiquitatis testimonio. *Cedo,* inquit

D Beza, *quos maiores appellatis.* Omnes, qui post diui Hieronymi tempora in Ecclesia Catholica vixerunt; imò & illos, qui D. Hieronymum antegressi sunt. quia editionis nostræ in nouo testamento Hieronymus non est auctor, sed tantùm emendator. *Augustinum, Ambrosium, Hilarium, vllum deniq; scriptorem eruditum esse nego,* inquit Beza, *qui non ab illa sæpenumero discesserit.* Si verba spectes, esto; quia Patres sæpe ipsimet sententias, quas citabant, ex Græco Latinè reddebant: & tempore D. Augustini circumferebantur plures translationes Latinæ, vt ipse D. Augustinus non semel testatur: sed inter istas plures semper principatum obtinuit versio Italica, seu vulgata, vt ex eodem sancto Augustino liquet; & hanc vulgatam, dicimus

esse hodiernam nostram; etsi à D. Hieronymo emendatam, & à mendis, quę irrepserant, emaculatam.

Ad Hieronymum quod attinet, verba Bezæ sunt, *si vetus illa editio tam erat emendata, quàm vos esse vultis. cur Damasi Romani Episcopi hortatu idem in illa tentauit, quod olim Origenes in veteris testamenti Græca interpretatione?* Quia irrepserant errores partim librariorum & exscriptorum, partim quorundam audaculorum culpa. Hinc Hieronymus expurgandi prouinciam suscepit; sed mandante & approbante Damaso, Romano Pontifice: cuius Pontificis iussu, tu Beza, veterem editionem à mendis librariorum non expurgasti; sed per nouam tuam funditus euertere studuisti. Nec valet hæc Bezæ deliratio. *Hieronymus correxit olim editionem vulgatam; ergo multis locis dissidet à Græcis fontibus.* Imò si correxit; ergo non dissidet, quia per correctionem ad fontes Græcos reuocauit. & reuocatam nos hodie retinemus; quanquam diuus Hieronymus nō veteris Interpretis errores, qui nulli erant, emendauit, sed labes editioni illi à librariis adspersas, extersit, & assumenta aliunde addita, resecuit; idque non priuata auctoritate; sed publica Pontificis Maximi; Quæ versio cum temporū diuturnitate & hominum incuria rursus maculis quibusdā fœdata esset; nuper denuo Pontificis Max. auctoritate cum antiquis exemplaribus collata, & pristino nitori restituta est.

Ait Beza. *Quod vulgatam editionem Hieronymo tribuitis. cum summa illius infamia coniunctum esse, res ipsa clamat: quia, si ita est, certè necesse est fateamur Hieronymum plurima, eaq; manifesta errata non animaduertisse.* Tribuimus D. Hieronymo non vt Interpreti; sed vt correctori. Errata, quæ fingis, Græco textui manifestè repugnantia, nō sunt in editione vulgata; sed in tua phantasia. Quocirca non mirum, si ea non vidit D. Hieronymus; qui fatetur quidęm quædam adhuc emendari potuisse; sed calamo se imperasse; ne plura mutaret; quàm sensus cum Græco textu concordandi necessitas exposceret. Neque enim omnia, quæ aliter reddi possent, aliter reddere oportet; aliâs neque finis neque modus vertendi vnquam esset: & quæ diuus Hieronymus non mutanda censuit; ea postmodum antiquitas calculo suo comprobauit; & Hieronymum non mutando rectè fecisse, vnanimi consensu declarauit; hoc ipso, quòd editionem illam, prout à S. Hieronymo fuerat correcta, inuiolatam retinuit.

Ait Beza; *Cùm tot penè sint huius vulgatæ editionis exemplaria, quot sunt codices, primùm omnium oportuit decidere, quænam illa sit ceteris anteponenda.* Mendacium est, tot esse vulgatæ editionis variantia exemplaria, quot codices. Deinde, eam reliquis omnibus anteponēdam dicimus; quæ olim iussu summi Pontificis recognita & ad manuscriptos libros castigata prodiit, Quid vis amplius?

Veritas, quamuis vetustior sit mendacio, inquit Beza, *tamen nō perinde, vt vinum, probatur vetustate; quod istis in mentem venire debuerat, quibus nihil ferè præter vinum sapit.* Imò, vtcunque Caluinista tergiuerseris, inter cæteras veritatis agnoscendæ notas, postrema non est; Christianæ vetustatis auctoritas; cuius tanta vis est; vt ipsi etiam Pellicano, quantumuis Zvvinglij discipulo Sacramentario, hanc confessionē extorserit præfat. in Commēt. super vetus testam. *Vbi sensus est apud Hebræos etiam anceps, Veterum autoritatem prætuli nouis, & cum Hieronymo, atque LXX. Græcorū interpretibus malui dubitare; quàm cum Iudæis nouitiis tanquam de re certa statuere.* Zvvinglius insuper in Apologia *complanationis* suæ in Isaiam cap. 41. dicit: *Ea, quæ à priscis scripta sunt, eruditiora esse, quàm vulgò putetur.* Quod certè verissimū est. Quid enim sunt Nouatorum, & ipsius etiam Zvvinglij quisquiliæ, comparatæ cum veterum Patrum commentariis & lucubrationibus?

Alij, inquit Iosephus libro secūdo cōtra Apionem, *in nulla re paterna perdurare, optimum esse putant.* Et hoc animo sunt nostri Sectarij. *Nos autem* (Catholici) *è diuerso, vnam esse prudentiam, atq; virtutem existimamus, nihil penitus vel facere, vel cogitare contrarium his, quæ antiquitus sancita noscuntur; quod scilicet indicium legis est optimo fœdere constitutæ. Nam ea, quæ nunc non habent modum, experimento sæpe corrupta redarguuntur. Apud nos autem, qui credimus ab initio positam legem diuina voluntate, nihil aliud pium est, quam hanc sub integritate reseruare. Quis enim eius quidquam mouere potest, aut quid melius adinuenit? vel quis ab aliis tanquam præcellentius ad statum reipublicæ nostræ* (translationis nostræ) *aliquid transferre potest?*

Bezam antecessit Erasmus; qui multis Apologiis, iisque verbosissimis, vel, vt rectius loquar, Satyris, in antiquum noui testamenti Interpretem debacchatus est; plaustra solœcismorum & Barbarismorum & locorum corruptè translatorum obiectans. *Excusent*, inquit inter cætera sua conuicia, *ea loca, in quibus ostendimus, Interpretem palam vel dormitasse, vel lapsum esse, vel ita inscitè reddidisse Græca, vt ob illius incommodam interpretationem summates Theologi, qui tantum Latinè sciebant, aut non consuluerunt Græcos codices, insigniter lapsi sint. Iam enim non ausim dicere, turpiter. Hæc, si notiora sunt, quàm vt negari possint, fateamur interpretem hominem fuisse, ne quid dicam acerbius.* Et tamen omnibus suis clamoribus & vociferationibus Erasmus obtinere non potuit, vt Beza vulgatam editionem Erasmianæ postponeret, vt iam vidimus; quia vulgatam omnibus præfert.

Neq; alij conuiciatores quidquam aliud tot criminationibus in Interpretem effusis efficiūt; quàm quod calumniando faciunt, vt gloria eius quotidie magis emineat atq; emicet. Hinc postquam omnibus machinis appeti cœpit; declarauit OEcumenica synodus Tridentina hanc, ex omnibus authenticam editionem esse; & omnibus anteponi debere. Qua certè maior gloria vulgatæ editioni obtingere non potuit. Eat nūc & vociferetur Iunius in notis contra secundum librum Bellarmini de verbo Dei cap. 13. Hiero-

oymum

Digitized by Google

nymum vſum *eſſe Iudæis peßimis præceptoribus*; Ecce verſio, quæ maximam partem ex officina Hieronymi profecta vel lima eius caſtigata eſt, vltra mille ducentos annos in Eccleſia regnat & omnia pulpita occupat. Quod nobis argumento eſt; à D. Hieronymo optimè & accuratiſsimè factum, vndecunque tandem Hebrææ & Græcæ linguæ notitiam acquiſierit. Sed cum Iunius D. Hieronymo præceptores Iudæos exprobret; quærere lubet, quis nam ille fuerit cum quo, coniunctis operis, Biblia tranſtulit? An non fuit Tremmelius? An Tremmelius non fuit Iudæus, poſtea Monachus, Petri Martyris ſocius; Tandem Caluiniſta? Num ideo vel vno pilo melior fuit? Præterea, an non tota verſio Iuniotremmeliana plus eſt Iudaica ſeu Rabbinica, quàm Chriſtiana & Eccleſiaſtica? Quos in ſua translatione præceptores habuit Munſterus Chriſtianos an Iudæos? Amandus Polanus Caluiniſta Baſileenſis in Prolegom. Comment. ſuper Danielem fatetur ſe in Morauia vſum *Rabbinis præceptoribus*. Num eam ob cauſſam commentarium *Polanicum* Caluiniſtæ aſpernantur?

Occlament denique alij Prædicantes paſsim; & verſionem noſtram obſcuritatis, errorum, ſolœciſmorum, & barbariſmorum inſimulent; nos inſaniam illorum ſuſque deque habemus; eiſque opponimus. I. Antiquitatem, totiuſque vetuſtatis iudicium, Inuiſa vox Hæreticis, *antiquitas*. Grata; *nouitas*; quia grata, falſitas. Nos vetera iuuant. Nam vt vinum vetus ex Chriſti dicto, melius eſt nouo; ſic & vetus noſtra verſio melior eſt nouis. Bibant labra Caluiniſtica muſtum ex labruſcis Bezæ, Iunij, Tremmelij, Caſtalionis, Munſteri & ſimilium expreſſum; nos iuuat ille liquor; qui antiquitate ad purum & liquidum depuratus eſt & defæcatus.

Secundò, opponimus ipſorum Iudæorum teſtimonium; qui teſte D. Auguſtino lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 43. faſsi ſunt verſionem D. Hieronymi eſſe veracem. Et nonne ipſe D. Hieronymus Prologo in libros Regum & Epiſt. ad Sophronium & alibi, intrepidè prouocat ad Hebræos, vt teſtimonium ferant, num verſio, quam ex Hebræo tranſtulerat, Hebræo textui conſonet?

Memorabile eſt, quod Cochlæus in libello de nouis translationibus prodidit de Helia Leuita Iudæo, Germano, Iudæorum ſui temporis eruditiſsimo: Adſcribam Cochlæi verba: *Dum ego Romæ agerem, & in Hebraicis rudimentis qualibuſcunq; vterer præceptore Helia Iudæo Germanico, dicebat ille mihi; ſi quis labori eius precium daturus eſſet, vellet me adiutore (ipſe enim Latinæ linguæ ignarus erat) Hieronymi interpretationem (quam ego inter legendum conferebam eius ex Hebræo Germanicæ interpretationi) contra omnes illius impugnatores, ſiue Iudæi eſſent, ſiue Chriſtiani, ex Hebræo ita defendere, vt à nullo iuſtè impugnata videri poßit. Ego autem longè pauperior eram, quàm vt iuſtum illi laboris precium promittere auderem, aut dare poſſem; atq; ita, omiſſus fuit ille labor, cuius memoria perſæpe mihi dolori eſt; quando video, tam multos translatores nouos, qui Hieronymo longè impares, & inferiores, Hebraicæ linguæ peritiam temerè, ac ſuperbè ſibi vendicant, cum ſint Iudæis interim per fatuam præſumptionem, & arrogantiam ſuam ridiculo; & audaci variatione ſua nihil aliud efficiant, quàm vt Chriſtianos aut in veteri lectione conturbent, aut per nouam in damnatas hæreſes abducant.* Hæc Cochlæus.

Adiungo & Pellicani, quamuis Zvvingliani, teſtimonium; qui commentariis ſuis in ſcripturam vulgatæ editionis titulum præſcribere cogitarat; & feciſſet; niſi quidam omnia nouandi nimium cupidi, conſilio obſtitiſſent, quorum monitis abductus, vel ſeductus potius, translationem vulgatam *interpolatam reddidit*; Et in laudem verſionis antiquæ hæc ead. præfat. in vetus teſtamentum ſubtexuit. *Placeat venerandæ auctoritatis habere translationem vulgarem in populo Chriſtiano, & noſtram hanc ei conferri.* At non præferri. Neque enim hoc petiit Pellicanus. Quanquam neque collatione opus eſt; nam cur venerandæ antiquitatis translationem conferret quis cum nupera elaborata à Zvvingliano quamuis multò cæteris æquiore & modeſtiore; cuius modeſtię ſpecimen elucet etiam in hoc eius iudicio, quod tulit de verſione vulgata Pſalterij. *Tanta dexteritate, eruditione, & fide, Hebraico, quoad ſenſum concordare deprehendimus vulgatam editionem Pſalterij, vt eruditißimum, pariterq; piißimum, & verè prophetali ſpiritu præditum fuiſſe interpretem Græcum, & Latinum non dubitem.*

Hæc Pellicanus. Quæ iniquiſsimo animo fert, Caluinianus Iunius; vt ſupra ad ſecundum Bellarmini librum viſum. At ringatur licet; *quod ſcripſi ſcripſi*, inquit Pellicanus, æquè Hebraicarum litterarũ Tiguri olim, ipſo adhuc viuente Zvvinglio; ac Iunius Neapoli Nemetum, vel neſcio vbi alibi locorum, Profeſſor.

CAPVT V.

Reiiciendas eſſe Hæreticorum verſiones, quia pleræque Iudaizant & Rabbinizant.

INTER cæteras cauſſas, cur veteres ab Aquilæ, Symmachi & Theodotionis translationibus abhorruerint; vna erat iſta; quòd Iudæorum placitis ſuccinerent; neq; tam Eccleſiæ Doctores, quàm Iudæorum Magiſtros amplecterentur & aſſectarentur. Hæc ratio, quemuis cordatũ, meritò mouere debet, vt nouis ſectariorũ verſionibus multam ſalutem dicat; plus enim pleræque *Iudaizant*, quàm *Chriſtianizant*; præ aliis autem eximiè illa, quæ Munſtero auctore prodiit; qui quaſi Iudæus eſſet, non Zvvinglianus, vbique, nil niſi Rabbinos ſpirat & crepat. Neſcio

d by Google

quoties Doctorem Christianum reperturus sis, cuius auctoritate versionem suam muniat: In notationibus profectò eius, tertio quoque verbo *Rabi Salomon, Dauid Kimhi, Aben Ezra, Rabi Menahem. Abraham* Hispanus Auctor Fasciculi myrrhę; *Seder Olam, Rabi Moses de Cozi. Moses Gerundensis, Arba Tura, Rabi Calonymus. Abraham de palmis. Rabi Iacob, filius Haiim, de regno Thunesij*, & huius farinæ alij. Quære Augustinum; Hieronymum, Ambrosium, Gregorios, Romanum, Nazianzenum, Nyssenum, Thaumaturgum, Basilium, Cyrillos, Chrysostomum, & huius generis alios Ecclesiæ Christianæ antistites, oculatus sis oportet, si vel vnus in tuos oculos incurrat. Omnia occupant Rabbini. Omnia Rabbinos olent; ipsa versionis dictio; ipse spiritus & genius; ipsæ annotationes & explicationes vbique Synagogam halant.

Quod itidem dictũ sit de translatione Tremelij & Iunij; & plerorumque aliorum; ne ipso quidem Luthero excepto; qui omnes semper plus Iudæis, quàm Christianis doctoribus & Orthodoxæ antiquitati tribuunt; Equidem valde præposterè, ne dicam, stultissimè & stolidissimè. quod multis rationibus ostendam, ac primo auctoritate Lutheri; quandoquidẽ mihi res est cum illis, qui Lutherum aut pro auo, aut pro patre habent. Principio igitur ipse Lutherus quid de Iudaicis istis translationibus sentiat non vno loco planum fecit, postquam nonnihil primus furor resedit; idque ex sequentibus lector intelliget.

I. Narrat VValtherus Lutheranus in libro aduersus Lutheranum Prædicantem Aurifabrum, vt Surius scribit in commentario rerum gestarum ad annum Christi 1566. *Munsterum reprehendisse Lutheri versionem in 2. cap. Ionæ Prophetæ. quod aliter verterit locum quendam Lutherus, quàm habeat Hebraismus, vel Hebræorum expositores: at Lutherum sic illi respondisse; non esse curandos Hebræistas Grammatistas, qui in sensu scripturæ sint Rabbinistæ, id est animal sine intellectu.* Si Rabbinistæ & Hebraistæ sunt *animalia sine intellectu*, vt Lutherus affirmat, insipienter agunt, qui his animalibus totos sese in disciplinam tradunt. Verba Munsteri, quæ hanc censuram à Luthero elicuerunt sunt isthæc in cap. 2. Ionæ super illa verba Prophetæ, vt à Munstero versa sunt; *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: veruntamen adiiciam, vt videam templum sanctitatis tuæ: Miror, quo hic Lutherus respexerit, vt hanc sententiam negatiuè verterit, quasi Propheta doluerit, se amplius non visurum templum Domini. Hoc Hebraismus non habet, nec Hebræorum expositores.*

II. Si Iudæi & Rabbini tales sunt; quales à Luthero depinguntur; tum profectò Lutherani, & qui Lutherum, tanquam virum Dei & Prophetam venerantur, non nisi fatuè agunt, quòd Iudæos & Rabbinos in translatione & explanatione sacrarum litterarum sequuntur. Quales autem sint Iudæi in scripturis exponendis & intelligendis, discere poteris ex his Lutheri elogiis, quæ Iudęis tribuit in libro de Iudæis, & eorum mendaciis Tom. 7. Lat. VViteberg. *Gloriantur se esse populum sanctum, à Deo electum; cui eloquia Dei commissa sint.* Quid adhæc Lutherus? *Si ideo necesse est, eos haberi à Deo pro populo sancto; quia verba, & legem* DEI *habent; tunc & Diabolos in inferno digniores dicam, qui sint populus Dei, quàm Iudæos, imò quam omnes homines. Nam Dæmones habent Verbum* DEI, *& longè melius sciunt, quàm Iudæi, vnum esse Deum, qui ipsos creauit; ad quem ex totis viribus diligendum, honorandum, timendum conditi sunt; ad quem colendum, cum in sanctificatione nominis, tum & Sabbati; deinde ad vitandum homicidium, omne malum, quo creaturæ lædi possint, obligati sunt. Sed quid prodest Diabolis, quod legem Dei habent, & optimè sciunt? Nunquid & ipsi gloriabuntur se esse singulares, electos angelos, & carissimos Deo, præ quibus alij angeli nihil sint? O quàm longè esset Diabolis melius, quod non scirent legem, & mandata Dei,* &c. *Planè eiusmodi gloriatio est, quod Iudæi gloriantur in suis synagogis, laudant Deum, & gratias agunt, quod sanctificarit ipsos per legem; quod elegerit in populum; cum benè sciant, se nullum seruare mandatum Dei, se esse plenos superbia, inuidia, vsura, auaritia, & omni scelere, ac malitia: & eos maximè, qui volunt esse valdè religiosi, & sancti in suis orationibus. sunt enim tam cæci, vt non solum vsuram, (vt de aliis sceleribus taceam) impudenter exerceant: sed docent etiam, eam (vt suum ius) tanquam præceptam à Mose, quo mendacio blasphemant Deum ipsum, &c.*

Ecce lector Lutherus comparat Iudæos cum Diabolis. Hinc ad marginem libri Lutheri adscriptum est: *Iudæi collati Diabolis.* Et tamen ab his, qui iudicio Lutheri, Diabolo similes sunt; volunt Nouatores veram scripturarum translationem & intelligentiam discere, ab his, inquam, qui, vt Lutherus ibidem ait, *non sunt pij Iudæi*, quos scriptura commendat; *sed feces, sputa, extrema colluuies, sanguinarij & fornicarij populi.*

III. Si Iudæi fugiendi sunt, non igitur ab illis verus & legitimus scripturæ sensus peti debet; sed sunt fugiendi, suadente Luthero his non tam verbis quàm tonitruis. *Tanquam pestem fuge Iudæos, & scias, vbicunq; habent suas Synagogas, ibi nihil aliud esse quàm nidum Diabolorum; in quo fastus Diabolicus, gloriatio vanissima, mendacia, blasphemia horrenda contra Deum, naturam, & omnes homines, quas acerbissimè, virulentissimeq; exercent, non aliter, atq; in ipso inferno. Et, cum videris Iudæum, aut audieris docentem, vel loquentem, cogita te videre venenatissimum Basiliscum, qui & solo aspectu homines inficiat, & interimat. Traditi sunt per horrendam iram Dei, vt putent suam superbiam, Sathanicam gloriationem, blasphemias, execrationes contra Deum, & homines, esse insignem cultum Dei, quia tam generosum sanguinem Prophetarum circumcisos sanctulos (quantumcunq; sunt palpabilibus sceleribus mali) benè deceat; & putant se seruire* DEO. *Fuge gentem sathanicam tanquam pestem.*

IV. Si Iudæi indigni sunt, vt vel Biblia aspiciant, indignum est, vt ab illis vllus Christianus scripturę genuinũ sensum discere velit; at verum

Digitized by Google

prius; quod probatur ex his Lutheri verbis: *Profectò non digni estis, qui sacra Biblia seriò aspiciatis, vt interim taceam, intus legatis. Debebatis pro margarito Verbi Dei, pro illo balsamo, nihil quàm suillum stercus tractare. Hæc essent sacra his Prophetis digna; qui verba æternæ, & diuinæ maiestatis, quæ summa cum reuerentia exultantes cum tremore audire debebant, instar importunæ suis polluunt, & dilacerant.*

V. Si Iudæi in potestatem Satanæ sunt traditi, stultè facit, qui eos sibi magistros deligit in scripturarum studio. Sed verum prius. Verum ergo & posterius. Minoris veritatem sic te docet Lutherus. *Caue, ô Christiane, Iudæos; quia per iram horrendam Dei Sathanæ traditi sunt. Nam non solùm vero intellectu scripturæ, sed omni pudore, communi sensu priuati sunt; & Sathan per eos tantùm deridet scripturam, vt de cætero eis in nullo articulo confidere, aut tutò credere possis, etiamsi nonnunquam excidat Verbum veri,* &c. Et mox: *Proinde vbicunque videris Iudæum sic pertinacem, potes dicere: Hic video incarnatum Diabolum.* Paulò pòst, eosdem, *sceleratos nebulones* appellitat.

VI. Si Iudæi capitali odio persequuntur Christianos, frustra speras fore, vt te in sacris scripturis intelligendis diligenter & fideliter erudiant; quid enim beneficij iuratus hostis in te conferat? Sed verum prius; verum igitur & posterius. Minorem planam nobis facit Lutherus his verbis: *Citius dico, quàm hoc ferrent, quòd nos gentes (quas ita conspuetare solent, execrari, abominari, maledicere) participes simus Messiæ, promissionum, cohæredes, & comparticipes; tunc decem adhuc Messias, & Christos crucifigerent; &, (si fieri posset) ipsum Deum occiderent cum omnibus Angelis, & creaturis, etiamsi mille infernis essent puniendi. Adeò non humana mente comprehensibilis est, induratissima superbia, quæ est in illo nobili sanguine (vt videri volunt) patrum, & circumcisis sanctis. Volunt soli habere Messiam, & esse mundi Domini: maledictæ gentes goim debent esse serui, (suum desiderium) id est, aurum, & argentum omne dare Iudæis. Antequam discederent ab hoc pertinaci errore, citius scientes in æternum manerent damnati.*

Hoc virulento odio contra gentes sunt tincti, & imbuti à teneris, à suis Patribus, & Rabbinis; & adhuc indesinenter hoc veneno odij inebriantur; adeò, vt iam intrarit sanguinem, medullas, & ossa eorum, vt iam abierit in naturam. Et quam in se non possunt mutare carnem, & sanguinem, ossa, & medullas, tam non possunt exuere tumorem huius fastus, & acerbitatem odij. Nisi Deus miraculo seruet, necesse est eos ita cæcos perire, &c.

Ergò scias, Christiane, & nihil dubita, te post ipsum Diabolum, nullum acerbiorem, virulentiorem, vehementiorem hostem habere, quàm verum Iudæum, maximè eum, qui seriò vult esse Iudæus. Nam forsan multi inter eos sunt Epicurei, qui credunt, quod bos, aut anser credunt, &c.

VII. Si Iudæi sunt sceleratissimi; malè sibi consulit, qui eos in studio scripturarum Duces

A ac magistros sibi deligit; sed verum prius; verum ergo & posterius. Minorem veram esse intelliges ex his Lutheri verbis. *Si non essent summa cæcitate percussi, posset eos turpissima, & scelerata eorum vita conuincere, cuiusmodi faciant pœnitentiam. Pleni enim sunt idololatria, & incantatione, vanitate, mendaciis, stultissimis superstitionibus, vbi fidunt signis, figuris, characteribus nominis tetragrammaton, pleni odio, & inuidia acerbissima. deinde fures, & latrones, qui nullam buccellam edunt, nec pilum, aut filum gestant in corpore, quod non prædati, & furati sint nobis per voracissimam vsuram. Viuunt ita quotidie ex rapto & furtis, cum tot vxoribus, & liberis, vbiuis gentium latrocinantes, fures callidissimi. Viuunt, inquam, impœnitentes in omni securitate. Nam vsurarius est sceleratior, quàm*
B *latro, quem oportuit in patibulo septies altiori, quàm aliæ sunt furcæ, pendere.*

Et postquam Lutherus sententiam suam de septuaginta Danielis Hebdomadibus protulisset, subiecit *Quam ridiculum videtur circumcisis sanctulis, quod nos maledicti goim hunc locum ita interpretati sumus, & intelligimus, præsertim cum ipsorum Rabbinos, Thalmudistas, & Kochabistas non legerimus; quos pluris faciunt, quàm omnem scripturam.* Et mox: *Molestissima quidem res est, ad tam intricata, & multiplicia mendacia, ac fatuitates respondere: sed oportet nostris dari occasionem cogitandi de insigni malitia Rabbinorum in illo præstanti, & egregio loco Danielis,* &c.

Quid verbis opus? Tandem exemplo decla-
C rat Lutherus quomodo Rabbini locum Danielis de 70. Hebdomadibus tractent. *Est enim veteratorium quiddam, simile huic expositioni orationis Dominicæ, quam audiui monachus (vt vocant) nouitius: quod quidam indoctus eius orationis aptissimè cohærentis, & etiam in membra sua vera diuisa, ita diuulserat, & è contra ineptè consutam corruperat: Pater noster, in cœlo sanctificetur. Nomen tuum veniat. Tuum regnum fiat. Tua voluntas sicut in cælo, & in terra, &c.*

Tales sunt, teste Luthero, Rabbinorum explicationes; quibus proinde acclamat Lutherus illas εὐφημίας. *Probè, pulchrè, bellè, ô sancti, & circumcisuli & lepidi Rabbini. O ingentem vestram impudentiam sceleratissimi, & cæci Rabbini. Quomodo possunt melius elabi, aut euadere, quàm si claudant oculos, & aures; nul-*
D *lam scripturam, nullam historiam considerent, sed secundum animi sui somnia dicant superbè: nobis ita videtur: nos sic volumus. Ergò necesse est Deum, & angelos sic loquutos esse, &c. Ipsi sunt illi magni Rabbini, & Rabiosi, qui Deum & Angelos docere possunt. Dic vbi hæc scripta, picta sunt? In mammis, ni fallor, infernalis scrophæ, cuius lacte hi Iudæi educati sunt. Quis Prophetarum hæc dixit? Marcolphus. Nam verè sunt anilia, & fictitia.*

VIII. Si Rabbini sunt rudes & indocti asini; pessimè agunt, qui Rabbinos potius, quã Christianos magistros audire & imitari volunt: Sed verum prius; verum igitur & posterius. Minorem à vero non dissentire, docet hæc Lutheri cohortatio. *I nunc, crede Rabbinis rudibus, &*

indoctis asinis, qui neq; scripturam sanctam, nec historias considerant; sed tantùm è suo fœtido, impudentissimoq; ore euomunt contra Deum, & angelos, pro libidine, quæ volunt.

Fingunt quidem ex se infinita mendacia, verùm non tam subtiliter, quàm araneus telam, sed vt porci litteras scribunt, & vestigium relinquunt in volutabro. Rustica, agrestia, & admodum crassa sunt eorum mendacia, vt palpari possint à mediocriter attentis.

Et si centena millia annorum certamina instituerent ad mentiendum, & omnes Diaboli eos adiuuarent, tamen perpetuò pudefacti cogerentur cedere.

IX. Si Hebræa lingua adeo intercidit, vt ne Iudæi quidem eam satis intelligant, stultè agunt, qui vnicis Iudæis in translatione & intelligentia scripturarum nituntur; sed verum est prius, ergo & posterius. Minor patet ex Lutheri præfatione, quam testamento à se translato præfixit, vbi ista; prout citat Cochlæus in libro iam sæpe nominato. *Cum Hebræa lingua adeò interciderit, vt ne Iudæi quidem satis ipsam intelligant, video quàm non glossis eorum sit credendum.*

Quid igitur faciendum? Audi Lutherum. *Si aliquid lucis accedere veteris testamenti libris potest, necesse est id à Christianis fieri, qui cognitionem Christi habent: sine qua linguarum quoq; peritia parum est profutura.*

Mox aculeum suum infigit D. Hieronymo. *Atq; ea quidem caussa est, quod Hieronymus, alijq; veteres interpretes, tam sæpe sint hallucinati.* Mentiris Luthere. Iam perge. *Quanquam autem meum studium, quod in hanc translationem posui, commendare ipse nec debeam, nec velim; hoc tamen certò confirmare possum, quod innumeris in locis sententiam clarius, & maiore cum fide dependerim, quàm Hieronymus.*

Magna profectò videtur esse superbia, inquit non immerito Cochlæus, *ita sese præferre Hieronymo, vt non solum hallucinatum persæpe dicat in transferendo, verumetiam imputet in caussam, quia Christi cognitionem non habuerit. Si autem Hebraica lingua adeo intercidit, vt ne Iudæi quidem satis intelligant, dicat Lutherus, vnde ipse eam rectius ac plenius didicerit quàm Hieronymus? aut quomodo sciit se maiori cum fide transtulisse, quam transtulit ille? Quod si tam certus & perfectus erat in sua translatione Lutherus, vnde accidit quæso quod in altera post editione Germanica tam multa mutauit, addidit, omisit, quod secus ediderat, in priore, cui prologum hunc suum præfixerat? Vbi sic variauit translationem suam Hieronymus? Vanissima est igitur huiusmodi nouorum arrogantia, atq; philautia translatorum, quæ sibi præ omnibus placent, seseq; inuicem laudant, veteres verò superbè contemnunt.* Hæc Cochlæus. Porro quod de imperitia linguæ Hebraicæ apud Iudæos regnante Lutherus hic dixit; non semel etiam asseruit in commentario *de Nouissimis verbis Dauidis* Tom. III. Lat. VViteberg. Ex quo nonnulla in defensione secundi libri recitauimus.

X. Si qui Christum nescit, scripturam non intelligit, Rabbini autem Christum nesciunt; sequitur stultè eos facere, qui Rabbinis se in disciplinam tradunt, quo ab illis verum scripturæ sensum consequantur. Sed verum prius: verum ergo & posterius. Minor liquet ex his Lutheri verbis. *Si quis hunc nostrum Seruatorem Iesum Christum filium Dei, quem Christiani prædicant, non verè agnouit, aut nouisse studet, huic omnibus modis consulendum est, vt à libris scripturæ sacræ prorsus abstineat. Non enim poterit non multis modis impingere, donec seu cæcus ac furens ruat, idq; eo magis, quo studiosius in horum lectione versabitur, vocetur is sanè Iudæus, Turca, Scytha, aut si mauult, etiam Christianus.*

XI. Si ipsi Iudæi in explicatione scripturæ inter se summopere dissident, fatuum fuerit, certam ab illis sperare scripturæ intelligentiam, sed verum prius, verum ergo & posterius. Minoris probationem accipe ex his Lutheri. *Ipsi Iudæi tam variis & discrepantibus interpretationibus, Grammaticis distinctionibus, punctationibus, textus Bibliorum tam miserè lacerant & discerpunt, vt si ipsos interpretes sequi velimus, nunquam habituri simus Biblia, vna aliqua certa & concordi sententia enarrata aut intellecta, quoniam suam quisq; Rabbinorum, interpretationem aliis præferri vult. Quid? quod ipsi coguntur fateri, multis in locis se nondum intelligere suæ linguæ vocabula? tantum abest vt vbiq; puram & consentientem Bibliorum explicationem habeant, quod ad Grammaticam sententiam attinet, vt de Theologica taceam, cuius prorsus nihil habent.*

XII. Si Iudæorum Rabbini in scriptura nihil vident, à stultitia excusari nequit; qui Rabbinos sibi duces eligit. Sed verum prius; verum ergo & posterius. Minorem probat Lutherus. *Quod Iudæorum Rabbini horum nihil vident, sed sententias clarissimè traditas studio deprauantes miserè torquent & lacerant, id sanè rectè & meritò fit, videlicet vt nihil videant, quos iuuat esse cæcos. vt de ipsis iam olim prædixit Esaias fore vt videntes non viderent nec intelligerent. Quare & nostros Rabbinos* (Munsterum, Iunium, Tremmelium, similes) *illorum discipulos, suos Magistros sequentes, necesse est esse cæcos. Sed ne nos quidem hæc visuri essemus, nisi lux noui testamenti præiret, vt in faciem veteris, remoto velamine, intendere possimus, sine qua veteris testamenti scriptura velata est vt Paulus ait. 2. Corinth. 3.*

XIII. Si regula verè scripturas interpretandi est cognitio noui testamenti, tum à vero aberrare oportet Rabbinos; qui sine noui testamenti cognitione scripturas interpretari conantur, simulque in errorem labi necesse est horum discipulos, licet Christiano nomine glorientur: sed verum prius ex Lutheri sententia; verum ergo & posterius: Probatur Minor auctoritate Lutheri: qui illud ex nouissimis Dauidis verbis: *Aspexisti me velut in forma hominis, qui in supernis est Dominus Deus*; interpretans de filio Dei, labentibus annis, assumpta humana natura ex virgine nascituro: subdit; *Scio hic Hebraistas ferè omnes aliter interpretari. Sed quid agendum? Hanc sententiam, cum hoc loco verba Dauidis vltro, & sine vlla offensione Grammatica, iuxta naturam sermonis Ebraici*

esse-

offerant, sine dubitatione recipienda est à nobis, qui Christum profitemur, nec quærendum aut audiendum, si quid aliud adferatur. Hanc retineamus, tanquam certam, germanam & diuinitus patefactam, alias interpretationes vt humana opinione anxiè quæsitas, contortas & obscuras reiiciamus: Nam nobis certa & minimè fallax est noui Testamenti doctrina, interpretantis Propheticas sententias. Quare & librorum veteris testamenti interpretatio, cum nouo congruens minimè dubia esse debet.

XIV. Si natiua Hebræi sermonis phrasis necdum in lucem prolata est, ne apud ipsos quidem Iudæos, malè sibi, aliisque consulunt; qui Rabbinis scripturarum germanâ scientiâ sese poliendos tradunt: sed verum prius, verum ergo & posterius. Minor est Lutheri; quod planum ex istis. *Ne ab ipsis quidem* (Iudæis & Hebraistis) *negari potest natiuam phrasin Hebraici sermonis in hunc vsq; diem nondum in lucem prolatam esse, & sæpe ipsis vim & significationem Hebraicorum vocabulorum multorum ignotam esse, vt res ostendit, tantum abest, vt vim phrasis, figurarum, & idiotismorum in ea lingua nouerint. Sed & in singulis vocabulis, & in scriptura palam est eos fugiendis æquiuocationibus ludere, etiam vbi nihil necesse est, dubitantes, hærentes, quæritantes, velut aliquis indoctus citharœdus, easdem chordas oberrans, quæritat, ac pertentat, quænam reddere velit, quos vellet sonos aut numeros.*

XV. Si Iudæi conantur scripturas peruertere, & à Christo ad sua deliria detorquere; pessimè agunt, qui horum in scripturis interpretandis vestigia sequuntur. Sed verum prius: verum ergo & posterius. Minorē persuadet lectori suo Lutherus in hunc modum. *Iudæi inter se multum sæpe dissident; nec quidquam certi habent. & vbicunq; possunt, student & in vocabulis & sententiis, quæsita aliqua ambiguitate seu æquiuocatione, detorquere dicta ad sua deliria, etiā cum sententiæ in toto contextu ad doctrinam scriptorum Apostolicorum pulchre congruunt. Nobis enim certissimum est, hunc nostrum Iesum Christum vnum esse Dominum omnium, cui scriptura ita se subiicit, vt de eo præcipuè testimonium dicat, videlicet, propter hunc solum scripta & tradita.*

XVI. Si spirituales Israëlitæ, hoc est, Ecclesiæ Doctores, potius audiendi & sequendi sunt, quā carnales Iudæi & Rabbini, ab insipientiæ nota vindicari nequeunt, qui Rabbinis attentiores aures præbent, quàm Doctoribus Christianis. Sed verum prius apud Lutherum, ergo & posterius. Minor patet ex his Lutheri verbis: *Hi ipse Ioannes vnà cum Paulo & aliis Apostolis & Euangeliorum scriptoribus, & multis millibus eorum, qui ipsos audierunt, & doctrinam ab eis acceptam posteris tradiderunt: Hi, inquam, omnes, certè tam fuerunt Iudæi seu Israëlitæ, & Abrahæ semen, eius de sanguine nati, ac multo sinceriores, & certioribus testimoniis, quàm ista extrema fex circumcisorum: qui se Iudæos Israëlitas gloriantur, quorum de origine nulla proferri possent testimonia. Nunc igitur si credendum esse ducimus testimoniis Iudæorum, seu Israël, quanto potius credemus his Iudæis, quos constat esse verè Israëlitas, qui iam ab annis mille quingentis per orbem terrarum Euangelij vocem palam sonarunt, & ea constitutas*

A *Ecclesias gubernarunt, & fide ac confessione eius vicerunt Satanam, mundum, peccatum, mortē, singulari dono Spiritus sancti, scripturas Propheticas interpretati sunt, & illustrarunt, & qui cum ipsi, tum eorum discipuli, in Ecclesia miranda opera fecerunt. Multo rectius, inquā, his veris Israëlitis credimus, quam his obscuris nuper natis, nothis, aut certè, quos res testatur ab illis suis maioribus degenerasse, qui hoc tanto tempore millium & quingentorū annorum, nec vllo miraculorum testimonio probati sunt, nec scripturæ Propheticæ interpretatione sua lucem attulerunt, sed manifestis corruptelis passim deprauarunt.*

Postremo nihil vnquam publicè in Repub. aut Ecclesia Dei laude dignum gesserunt, sed in latibulis Synagogarum suarum clandestino scelere, dolis & odiis, quemadmodum filij tenebrarum, id est, Satanæ mendacis, & homicidæ spi-
B *ritus, atrocissimis & virulentissimis maledictis, execrationibus, blasphemiis, mendaciis, cædibus, latrociniis, & quātū in ipsis est, ferro ac flamma in veros, sinceros, germanos, ꝗ γνησίους Iudæos & Israëlem, hoc est, Apostolos & Prophetas, furenter sæuierunt, & grassati sunt, & in dies augent eam immanitatem, nostrum sanguinem, velut exsorbendum, sibi mutuo propinantes. Vnde manifestè deprehendi, teneri, & conuinci possunt, quod non sint Israël aut semen Abrahæ, sed degeneres ac nothi, imò virulentissimi, furiosissimi, & planè Diabolici hostes Israëlitarum & filiorum Abrahæ. Præterea scripturæ Propheticæ perniciosi fures, raptores, prædones, & sacrilegi deprauatores.* Qui, vt in libro de Iudæis ait Lutherus, *siue edant, siue bibant, siue dormiant, vigilent, stent, sedeant, induant vel exuant vestes, siue ieiunent, siue lauent, siue orent, canantq; in Sy-*
C *nagogis, quicquid viuunt, spirant, faciunt aut omittunt, omnia sunt tincta, infecta, Rabbinis abominationibus, idololatria & superstitione, vt Mosi vix vllum vestigiū apud eos agnoscas. Quamobrem tanquam à sacrilegis raptoribus & grassatoribus auferenda & vindicanda est diuina scriptura, vbicunq; à simplici Grammatica textus adiuuamur, & interpretatio ad noui testamenti sententiam dextrè accommodari potest, quam formam explicandi scripturam Propheticam, Apostolorum literæ nos pulchrè docent multis illustribus exemplis.*

XVII. Si Lutherū ipsum pœnituit, quod initio in versione sua nimium *Iudaizasset* & *Rabbinisasset*, velaque postmodum retrorsum dedit; sequitur discipulos quoque & filios Lutheri, exemplo Magistri & parentis, ex Rabbinorū schola
D discedere debere; Sed verum prius, verū igitur & posterius. Minor patet cum ex his, quæ hactenus ex Luthero adduximus, tū ex hoc, quod vt Cochlæus ait; *Lutherus tandem publicè fassus est, non se solum, sed etiam Santem Pagninum, & Sebastianū Munsterum crebro errasse in sua ex Hebræo translatione, eò quod Rabbinorum glossis nimium crediderint, qui de Christo prauas habent opiniones. Moses (inquit) & scriptura Iudæis nostri temporis incognitus est, nec verè apud eos est Moses antiquus, qui vtiq; vult Messiæ testis esse. Cum igitur Iudæi Messiam tam sceleratè tractent, impossibile est eos Mosen, vel in vno versu rectè intelligere.*

Hæc omnia, quæ hactenus ex Luthero dicta sunt, confirmare possumus ex eiusdem commentario super cap. 16. Genes. vbi ex Iudæis, &

Rab-

Digitized by Google

Rabbinis meros facit Grammaticos, omnis cognitionis, quæ in rebus consistit, expertes; plenos nugarum & ineptiarum; quorum lectio nõ Theologum, sed Grammaticum reddat. *Nuga Iudaeorum*, inquit, *arguunt eos nihil scire sacrarum rerum, & tamen trahunt secum magnos viros; & nostro tempore viros in ipsorum lingua doctissimos, qui tales sæpe nugas admirantur. Accidit autem hoc Iudæis ideo, quia amiserunt cognitionem rei. Notitiæ enim duplices sunt: alia, quid nominis: alia, quid rei. Qui notitiam rei non habet, illum notitia nominis non subleuabit. Vetus verbum est: Nihil dicas, quod non probè scieris. Exempla plurima protulit nostra ætas. Multi enim doctissimi, & facundissimi, quia loquuntur de rebus non intellectis, præter modum inepti, & ridiculi sunt.* (Quorum primus est Lutherus.)

Ita si rem habeas benè notam, facilis est Grammatica: sicut Horatius quoq; monet, verba non inuita sequi, vbi res benè præuisa, cognita, & meditata sit. Vbi autem notitia quid rei non est, ibi notitia quid nominis frustra est.

Ego autem verbosius vos de hac re admoneo, vt cum legetis aliquando Rabbinos, sciatis quales sequamini magistros. Norunt quid nominis; quid rei non norunt. Itaq; nihil sani docere possunt.

Nos, Dei benignitate habemus cognitionem rerum: ipsi excæcati sunt. Etsi igitur Grammaticam norunt, tamen sententiam veram scripturæ non norunt. Est eis scriptura, vt Esaias ait, liber, quem non possunt legere. Quis igitur eos sibi imitandos proponet?

Non autem accipienda hæc eo modo sunt, quasi Grammaticæ studium damnem, quod omninò necessarium est: sed nisi cum Grammatica etiam ipsas res discas, nunquam fies bonus Doctor. Oratio enim, vt ille dicebat, in pectore, non in ore nasci debet.

Particula; Nonne vidi posteriora videntis me; *valdè cruciat Grammaticos. Ego autem moneo, ne vllo modo Rabbinorum expositiones legentes eis adhibeatis fidem. Grammatica quidem necessaria est, & vera; sed, ea non debet regere res, sed seruire rebus. Amiserunt autem Iudæi excæcati rerum cognitionem omnem; & tantùm de vocabulis Grammaticè disputant. Sententiam* (scripturæ veram) *nobis dat non Grammatica, quam solam Rabbini habent, sed rerum sacrarum cognitio. Ea cum destituantur Rabbini, prorsus negligendi sunt. Vos curate, vt primò res benè habeatis notas, postea facile erit Grammaticam discere. In ea qui peccat, peccat venialiter: sed in rebus peccare, est peccatum mortale. Porrò voco notitiam rerum aliud nihil, quàm notitiam noui testamenti; eo bene cognito, patet vniuersa veteris testamenti scriptura. Quia autem Rabbini non solum ignorant Christum; sed, in totum abiiciunt, quid possumus ex eis discere? Et tamen multi magni, & docti viri, hodie sapientiam magnam iudicant, si nugas Rabbinorum omnes habeant notas. Rhetores oratorem vocant, qui non in sermone solùm est copiosus, sed in cognitione rerum. Et, nota est sententia; pectus disertos facit. Quibus enim verba nascuntur in ore, hi loquaces, non diserti sunt. Horum similes sunt Rabbini omnes, nullo excepto. Nihil habent nisi fallaces siliquas verborum, & inanes bullas.*

XVIII. Si sunt plurima vocabula, quorum significatio ipsis etiam Iudæis est ignota; & si ita vsus & cognitio linguæ Hebraicæ intercidit; vt haud vnquam perfectè restaurari queat: fatuè agunt, qui ex ore Rabbinorum non secus ac ab oraculo falli & fallere nescio dependent; omniumq; vocularum explicationes & notiones tanquam diuinitus dictatas excipiunt. Sed verum prius: verum ergo & posterius. Minorem nobis probatam dat Lutherus his verbis in cap. 34. Geneseos. *Supra aliquoties dixi, plurima vocabula esse, quorum significatio etiam ipsis Hebræis ignota est. Ita intercidit vsus, & cognitio huius linguæ, vt haud vnquam perfectè restaurari queat. Nec vocum tantùm, sed & phrasium, & constructionum multiplex, & varia est obscuritas: qua fit, vt vim, & figuras, aut emphases plurimarum dictionum, & sententiarum ignoremus. Aut, si qua ratione in integrum restitui poterit, per Christianos id fiat oportet; qui, ex nouo testamento, veram cognitionem scripturæ sanctæ habent. Iudæi obscurant genuinum sensum suis æquiuocationibus, distrahentes vocabula in varias & multiplices significationes, idq; studiosè faciunt, ad serendas quæstiones, & errores omnis generis.*

Sed diligens, & bonus Grammaticus debet dare operam, vt varias significationes in vnam quandam, & certam redigat. quia necesse est vnius vocis esse vnam propriam; & genuinam significationem. Monstret igitur radices singulas, & earum proprietates, postea figuras, metaphoras, allusiones, & phrases colligat. Hoc Rabbini non faciunt. Quia cadentibus rebus, cadunt etiam vocabula, & eorum significata, sicut Iureconsultorum, Medicorum, Theologorum sermonem nemo intelligeret omissis rebus. Et exemplo potest esse scholastica Theologia. Nemo enim ex auditoribus nostris est, qui intelligit Scotum, Thomam, & similes. quia res, & vsus verborum exoleuit. Idem in aliis disciplinis fieret, nisi maneret vsus, & exercitatio earum. Pereuntibus enim rebus, etiam verborum intellectus subinde fit obscurior.

Sed iam tandem finem faciamus, inquit Lutherus in libro de Nouissimis verbis Dauidis. *Et spero me his commonefactionibus hoc effecisse apud eos qui textũ scripturæ sua lingua legunt, & rectè ac fœliciter Ebraicari volent, ne Rabbinorum corruptelas sequantur, sed vt veram eius sententiam, præcipuè in his locis, quæ ad testimonia de filio Dei congruunt, tanquam illis rursus extorqueant, & tanquam manu assertam, suæ sinceritati restituant, nec morentur illorum malè consutas & contortas interpretatiunculas, quas ex ipsorum audacter interdum conficta Grammatica sibi finxerunt.* Hactenus de Luthero. Qui, vt vidisti, de omnibus Rabbinis post Christum natum loquitur, ne quis suspicetur Lutherum recentiores duntaxat Rabbinos detestari.

Subsignemus hæc omnia Lutheri dicta, & asserta testimonio eius, qui ex Lutheri conuictu, & consuetudine, spiritu Lutheri plenissimus fuit: Is est Ioannes Forsterus, qui præfatione in suum Hebraicum lexicon de Rabbinis ore Lutheri loquitur; & calamo Lutheri hunc in modum scribit. *Sæpe vehementer demiratus sum Nostratium (vt pace*

ipsorum dicam) socordiam; qui, absq; vllo iudicio commentaria Iudaeorum, in quibus nulla lux, nulla notitia Dei, nullus spiritus, nulla vllius disciplinae, seu artis vera, ac solida scientia, nulla linguarum, at ne quidem Hebreae linguae est cognitio, amplecti maluerunt, quàm, vt ipsi considerarent voces, ac earum significationes. Quid obsecro Iudaei intelligerent, quorum cordibus (vt Paulus Apostolus noster testatur) velamen Mosi in lectione veteris testamenti vsq; ad diem hodiernum impositum manet, sensusq; eorum occaecati sunt, vt in finem legis intendere non possint? Qui verò finem legis filium Dei, natum secundum carnem ex Virgine, verum Messiam, mediatorem, victimam, & liberatorem humani generis non cernunt, neque agnoscunt, eumq; subiectum, & scopum vniuersae scripturae esse ignorant: insuper regnum ipsius tantùm externum, corporale, & temporaneum somniant, non spirituale, nec aeternum esse credunt, neq; inter promissiones legis, & Euangelij de gratuita remissione peccatorum, propter mediatorem Christum discernunt: quid, & quomodo docerent alios Mosen, & Prophetas? Quare, rectè Christus eos vocauit caecos, & duces caecorum, vt interim taceam virulentiam ipsorum, & odium, quo flagrant in Christum, vt pauca inuenias de Christo vaticinia, quorum vel verba aliqua, vel integram sententiam non sceleratissimè deprauarint.

Nihil igitur profuerunt, nisi quòd velut Bibliothecarij libros tantum sacros (quos Biblia vocamus) ac aliquot Grammaticos nobis Christianis suppeditarunt, at quod ad sacrae scripturae intelligentiam (vt iam dixi) atq; etiam linguae Hebraeae cognitionem attinet, praestiterunt, quod laudem mereatur, omninò nihil. Nam dictionaria, & commentaria ipsorum plus obscuritatis, & erroris in Ecclesiam Christi inuexerunt, quàm lucis, & veritatis. Id, quod in Nostratium commentariis videre licet, cum (vt ipsis videtur) vox aliqua ambigua, aut obscurior sententia occurrit, allegant aliquot Rabbinos, & vt ipsi variè exposuerunt (rarò enim, aut nunquam, inter ipsos conuenit) ita referunt, postea lectorem dubium relinquunt: quis verò ipsorum rectè senserit, & quem sequi oporteat, minimè indicant: aut, si indicant, quia vim vocabulorum ignorant, facilè falsum pro vero amplectuntur, vt non ipsi tantùm errent, & fallantur, verùm etiam lectorem fallant, & ita iuxta Christi dictum accidat, caecus si caeco dux fuerit, vt ambo in foueam cadant.

Commemorarem plus mille themata, quorum significationem veram, ac genuinam, nec Dictionaria, nec Commentaria ipsorum ostendunt; quin potius studiosum eius linguae, misere à veritate abducunt. Et mox plura vocabula Rabbinis, vt ait ignota producit: haec subiicit in gratiam Munsteri & similium versorum ac Interpretum.

Non est autem haec illorum pudenda stultitia, qui omnem aetatem suam consumunt in Rabbinorum Commentariis, ea vt addiscant, & intelligant, & tum egregiam nauasse operam, atq; magnam eruditionis laudem assequutos existimant, si ex illis sacros libros interpretentur; negligentes interim proprietatem sermonis Hebraici, quae ipsa est lux, & optima Interpres scripturae sacrae? Cur non potius Christum, Euangelistas, Apostolos, & inprimis Paulum (qui tacitus est scripturae interpres) consulunt? qui, etsi in multis locis cum testimonia scripturae, ex Mose, & Prophetis iuxta Graecam septuaginta interpretationem allegant, (quae tum vsitata erat,) tamen extra illas citationes, complurimas cum voces, tum phrases scripturae non solùm vsurpant, verum etiam clarissimè explicant, quae aliòqui in exterioribus tenebris delituissent non intellecta, &c.

In Dictionariis, atq; scholiis oportet indicare non inania somnia Rabbinorum, sed quantum assequi possumus, propriam ex fontibus scripturae sacrae sumptam significationem, quae semper praelucere nobis, & tanquam columna ignis in conspectu esse debet, quod à Christianis scriptoribus hactenus non est factitatum, sed fascino Iudaico, capti, vni themati (vt in ipsorum cum Dictionariis, tum etiam Commentariis patet) duo, aut tria, aut etiam multò plura & quidem dissimilia tribuerunt significata, vt in tam multiplici varietate nescias, quae cuiusuis vocis in quolibet scripturae loco propria sit significatio, atq; ita in ambiguo haereas, &c.

Quid Zvvinglius? Num & ipse Rabbinisticos istos Interpretes perstringit? Vtique; siue id seriò, siue *dicis* caussa faciat. Ex quo tria argumenta contra hos Iudaeorum asseclas colligo. I. Si Rabbini magna ex parte suam linguam ignorant, propterea, quòd ab eruditione alieniores sunt, ineptè faciunt, qui his totos sese addicunt, neque quidquam pròbant, nisi Rabbinicum spiritum oleat; Rabbinosque perpetuo in ore, calamo, & papyro habent; & omnia sua ex Rabbinis confirmant, & ad eorum placita conformant; sed verum prius apud Zvvinglium in Apologia *complanationis in Esaiam* cap. 41. Verum ergo & posterius.

II. Si Rabbini *per variarum rerum imperitiam, puta rerum veterum & Cyclopadiae temerè hallucinantur, & ita in Christum perfidia contenebrati & excaecati sunt; vt non satis firmi ac fidi sint, vt te eis tuto credas*, stultè studiis suis consulunt; & alij non tam prosunt, quàm obsunt, qui scripturae veram translationem & interpretationem ex Rabbinorum Commentariis petunt; sed prius illud asserit Zvvinglius praefat. *complanationis* in Isaiam; ergo & posterius. Cur Rabbinicus Munsterus hoc Zvvinglij Magistri sui assertum violauit?

III. Si septuaginta Seniorum versio omnibus anteferenda est; etiam Rabbinis, propter vetustatem, perperam igitur agunt, qui contemptis, aut vix obiter inspectis, septuaginta Interpretibus, Rabbinos perpetim crepant. At verum prius ex sententia Zvvinglij loco antea notato; verum ergo & posterius.

Luthero & Zvvinglio adiungamus Pellicanum propter communia sectae studia; qui quàm posteris annis Rabbinicas versiones improbarit, & facto & verbo docuit; cum Psalterium à se prius satis *Rabbinicè* conuersum ac publicatum, secundis curis emendauit, & ad editionem vul-

A gatam accommodauit, non sine insigni antiquæ translationis encomio; qui insuper quid de Rabbinorum commentariis sentiret, his verbis testatum reliquit Prœmio in testamentum vetus. *Qui pererrare volet Hebræorum commentarios, & interpretationes, suspenso pede, vt per salebras, & spinas, incedet cautissimè, omnia dogmata pro suspectis habens, ac pectore fidei signaculo confirmato, in Dominum Christum, ceu scopum, oculos mentis defigens, illa scripta percurret. Multò autem tutius fuerit, multò conducibilius, & iucundius, à Iudæis tantùm accipere Grammaticas obseruationes, & quidem cum iudicio; sensum verò sanctarum litterarum venari ex diligenti collatione inter ipsas, adhibitis etiam Orthodoxis tractatoribus, qui ex tanta librorũ clade superstites apud Græcos & Latinos existunt. Nam, quod attinet ad rerum pondus, & dogmatum veritatem,* B *minimum illis tribuendum videtur, qui scopum. Christum ignorant, ad quem omnes sacræ voces collimatæ sunt. Imò sacrilegis clamoribus, & impia oris impudentia execrari eum non cessant cum suis cultoribus: vnde iustissimo iudicio Dei excæcati, ad clarissimas quoq; scripturas veluti luscïosi ad solem cæcutiunt. Deum mendacem faciunt, quasi non præstiterit fidem, regnum Messiæ florentissimum non agnoscunt, beneficia Dei vniuerso mundo per Christum exhibita non intelligunt, nec gratis animis accipiunt: Isti cæci, velut in tenebris Cimmeriis palpantes, stolidos suos populares secum in foueam abducunt, exules, & omnibus malis circumuentos, vana spe lactantes, dum suaue illis somnium narrant, & lepidi congerrones delirant, &c.*

C Vide cum quanta cautela Rabbinos in consilium aduocandos existimet Pellicanus, quibus alij omnia tribuunt. Et quibus, ne in Grammaticis quidem regulis Pellicanus fidit; his alij, Pellicani in Zvvinglianis castris commilitones, etiam in ipso scripturæ legitimo sensu inuestigando & eruendo omnia credunt.

Idem sensus Zvvinglio fuit; qui Rabbinorum Canones Grammaticos discendos censuit; sed *perfunctoriè*, vt ipse loquitur, *puta sic, vt non ignores illorum Canones, nec tamen eis aut ad miraculum edisfendis insenescas, aut securè fidas.* En, neque in Grammaticis tricis finit Zvvinglius, vt Rabbinis securè fidas; & tu ab his infidis Doctoribus totam scripturæ intelligentiam petes? D Hæc ex Hæreticis contra Hæreticos Rabbinistas disputata sint; quorum insipientiam ne ipsis quidem primariis Nouatoribus tolerabilem visam esse vidimus. Insignis profectò amentiæ argumentum est solos Rabbinos sectari, inque eorum vestigiis vestigia ponere, quando scriptura vel in aliam linguam transferenda, vel legitimus eius sensus eruendus est. Nam primo, Spiritus sanctus non est promissus Rabbinis, sed Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus; hos enim, non perfidos Rabbinos respiciunt illa promissa Christi Ioan. 14. *Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* En Apostolis eorumque successoribus, siue, quod idem, Ecclesiæ Christianæ promissus est paracletus. Qualis ille? *Spiritus veritatis.* Cur ergo alibi hunc veritatis spiritum quæris? Quomodo promissus est? *Vt maneat vobiscum*; Constanter scilicet, perseueranter, & immobiliter; hoc enim significat vocabulum *manere.* Quamdiu manebit? *In æternum.* Ergo non solum mansit *cum* & *in* Apostolis; sed etiam in illis, & cum illis, qui Apostolos subsecuti sunt. Quis huius spiritus non est capax? *Mundus*; hoc est, infideles & perfidi, ergo & Rabbini, qui infidelium sunt infidelissimi, & perfidorum perfidissimi. Quare non sunt capaces huius spiritus? Quia non vident eum, nec sciunt eum; vno verbo, quia sunt infideles & increduli, & excæcati. *Vos autem cognoscitis eum*; quia fideles estis; *& quia apud vos manebit.* Ecce repetitum promissum de immobilitate huius spiritus.

Neque tantum apud vos manebit, sed, quod plus est; *in vobis erit*: vt ita impleatur, quod Matth. 10. de Apostolis suisque discipulis affirmauit: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hoc vel maximè verum est, quando Doctores Ecclesiæ vel ipsa Ecclesia, scripturas nobis interpretantur & explanant: neque enim tam ipsi loquuntur, quàm Spiritus sanctus in ipsis & per ipsos.

Quid facturus est spiritus iste veritatis manens perpetim in Ecclesia; seu in præsulibus & Doctoribus Ecclesiæ? Audi Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, (si omnia, ergo rectam quoque & genuinam scripturæ ex Hebræo & Græco in Latinam linguam translationem & intelligentiam) *& suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*

Rursus Ioan. 16. dicebat Dominus multa quidem alia discipulis exponenda restare; sed imbecilliores in præsenti esse, quàm vt ea capere possent. *Adhuc multa habeo vobis dicere. Sed non potestis portare modò.* Quid ergo? An propter infirmitatem hac adeo necessaria instructione discipuli, seu Ecclesia perpetuò carebit? Nequaquam; quia alius erit, qui omnia pandet exponetque. *Cum autem venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ergo etiam veram scripturæ ex Hebræo & Græco translationem. Neque enim mentiri potuit CHRISTVS; aut non facere Spiritus sanctus, quod eum Christus facturum promiserat. Neque dixit Christus: *Docebit vos omnem veritatem*, si sciatis *Hebraicam linguam*: sed absolutè promisit, fore, vt Spiritus sanctus Ecclesiã doceat omnem veritatẽ, quacunq; demũ lingua vtatur, neq; enim aut Ecclesia, aut veritas, aut ipse Spiritus S. ab hac vel illa

lingua

Digitized by

lingua pendet. Quod noto propter improbitatem Nouatorum, qui contendunt superioribus sæculis multos errores in scripturis vertendis & explanandis exstitisse; quod vel panci vel nulli essent; qui Hebraicè nossent; quasi verò Spiritus sanctus doctores Ecclesiæ & ipsam Ecclesiam aliter ab erroribus immunem pręstare nequeat, nisi per Hebraicam linguam. Quasi verò promissiones Christi ad Hebraicam linguam alligatæ sint.

Sed in viam redeo. Cum ergo hæc tam grandia & magnifica promissa Christianæ Ecclesiæ facta sint; non Synagogæ iam desertæ; Christianis doctoribus; non Rabinisticis fabulatoribus, fatuus iure habetur, qui veritatem in Rabbinorum commentis; non in sanctorum patrum cômentariis quærit. Et his accidit, quod Regi Israël 3.Reg.22. qui cum scire vellet num Ramoth Galaad oppugnanda & in manus suas à Deo tradenda esset; non consuluit Prophetas Domini; sed Pseudoprophetas; qui Regi assentabantur, & grata duntaxat canebant. Quos suspectos habens Iosaphat Rex Iuda; verum vatem expetebat. *Non est hic*, inquiens, *Propheta Domini quispiam, vt interrogemus per eum? Et ait Rex Israël ad Iosaphat; Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Iemla.* Sic & isti dicunt; sunt quidem multi veteres doctores & scriptores Christiani, quos consulere liceret in transferendis & exponendis scripturis; *Sed nos odimus illos*: quia nec dicunt, nec scribunt placita & iucunda placitis & dogmatibus nostris. Si quis eos compellet, vt Iosaphat Rex Iuda, Regem Israël: *Nè loquaris ita Rex*; ne Christianos doctores tantopere asperneris: exorari se interdum sinunt, vt Christianorum monumenta inspiciant; Interea Rabbini *ferreis cornibus*, vt Sedecias ille, insigniti; faustissima quæque & lætissima nunciant. *Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus Regis.* Hunc illumue locum scripturæ ita transfer & expone, mentemque Spiritus sancti acu attinges.

At si Doctores Ecclesiæ suam sententiam dicere & iucunda vaticinari iubeantur; quid aliud dicunt, quàm quod Michæas dixit: *Viuit Dominus, quia quodcunq; dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* Si postea sententiam suam promant, & liberè hanc vel illam versionem aut scripturæ interpretationem reprehendant, tanquam vitiosam, & à Spiritus sancti mente alienam; an non mox audiunt illud; quod dixit Rex Israël ad Iosaphat. *Nunquid non dixi tibi; quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?* Nunquid non dixi tibi Christianos Doctores animo meo ex diametro aduersari, mihiq; contraria semper commentari ac profari? In quos mox maledicta congeruntur, & pugni conuiciorum resonant; vt & Michææ factum. Accessit enim Sedecias, filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam; & dixit: A *Mene ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi?* Rabbinosne destituit Spiritus sanctus, & ad solos Ecclesiæ Doctores & Pastores migrauit? Ita omnino; Manifestum id fit ex antea adductis Christi verbis, & ex aliis, quæ paulò pòst adducentur.

Quod tempore Michææ accidit, idem postea accidit, Synagoga cum omnibus Rabbinis; propter duritiam cordis à Deo reiecta ac reprobata. *Egressus est spiritus*, aiebat Michæas, *& stetit coram Domino; & ait; Ego decipiam* Achab Regem. *Cui locutus est Dominus. In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus; Decipies, & praualebis: egredere, & fac ita. Nunc igitur, ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic* B *sunt, & Dominus loquutus est contra te malum.* Hic spiritus mendax residet in pectore & ore & calamo & chartis Rabbinorum, postquam Spiritu sancto indignos sese effecerunt: qui non modò Rabbinos miserandum in modum decepit; sed & hodierno die Rabbinorum sectatores in varios errores pręcipitat.

II. Christus Redemptor noster non dixit testes suos fore Rabbinos; & spiritum *Rabinisticum*; sed discipulos suos & spiritum veritatis testimonium de se perhibituros affirmauit: frustra igitur apud Rabbinos veritatem scripturæ quærunt isti Nouatores; veritas autem scripturæ, Christus est; quandoquidem tota ad Christum dirigitur, & refertur. Antecedens patet ex C illis Christi verbis Ioan. 15. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis: quia ab initio mecum estis.*

Et ex illis Act. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.* Non ergo Rabbini sunt testes Christi & Christianæ Ecclesiæ, sed discipuli Christi; & horum posteri. Ab istis ergo viam ad cælestem beatitudinem, & veritatem vitamque disce: non ab illis, qui te & à via, & à veritate, & à vita abducent.

III. Ad fideles pertinet hoc promissum Christi; Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego* D *diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Cum igitur Rabbini sint capitales hostes Christi & religionis Christianæ, qui fieri potest, vt Christus in scripturis se eis manifestauerit? Et si se eis non manifestauit, quomodo tibi manifestabunt veritatem, quæ Christus est?

IV. Hæc Christi assertio Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi*, non pertinet ad Rabbinos & Synagogam; sed ad Doctores Christianos & Ecclesiam; cum quibus semper manet instruendo & dirigendo eos in omnem veritatem. Stultè ergo facit, qui apud Rabbinos à Deo desertos, scripturæ veritatem indagare tentat, cum à veritate auditum auerterint; ad fabulas autem conuerterint.

V. Si Christus Ecclesiæ suæ dedit Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, sequitur & se & alios decipere illos, qui neglectis hisce Pastoribus & Doctoribus, Rabbinos non modò extra Ecclesiam constitutos, sed & Ecclesiæ hostes infensissimos audiendos & sequendos censent, cum de vero scripturæ sacræ sensu agitur; sed verum prius, vt patet ad Ephes. 4. Verum igitur & posterius.

VI. Christus discipulis suis, non Rabbinis, aperuit scripturas; sensumque genuinum patefecit; vt scribit S. Lucas cap. 24. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas; & dixit eis; Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, &c.* Frustra ergo à Rabbinis petitur scripturæ sensus, cum hunc Christus Rabbinis non aperuerit; sed discipulis suis, eorumque successoribus. Non apertum autem à Christo sensum; quis vnquam videbit?

VII. Scriptura clausa est & operta; nam si clausa non esset; necesse non fuisset, vt à Christo aperiretur; at aperta est, vt patet Lucę 24. & idem fatentur duo illi discipuli euntes in Emaus; his ad se mutuò verbis: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Cum igitur clausa sit; quæro, cui claues referandi scripturam Christus commiserit? Nam prima apertio facta à Christo, non sufficit; cum, quibus aperta est, iam pridem viuere desierint; noui autem homines in Christum credentes successerint, & adhuc quotidie succedant; qui apertis scripturis opus habent. Quæro igitur, cui claues aperiendi scripturam commiserit; & quidem illam scripturam, quę passim Christum prædicat, & *tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum*, à sæculo, Prophetarum, vbique prædicit; cuius salutarem aduentum *omnes Prophetæ à Samuel, & qui deinceps locuti sunt, annuntiauerunt.* vt dicitur Act. 3. Num Rabbinis? Quis credat illos esse quasi ianitores ad Christum ostia pandentes, qui Christum capitali odio prosequuntur, omnibusque diris deuouent?

Sine dubio igitur claues aperiendæ scripturæ tradidit Deus Ecclesiæ & Doctoribus Ecclesiasticis. Cur igitur Rabbinorum fores pulsas, & vt tibi ianuam ad Christum; hoc est, legitimum scripturæ sensum patefaciant, postulas? Num Rabbinica clauis scripturam reserat? Quibus dictum est: *Tibi dabo claues regni cælorum*; non tantum claues potestatis & iurisdictionis, sed etiam scientiæ? Rabbinis an Petro eiusque successoribus? Synagogæ an Ecclesiæ? Multa in hanc sententiam vtiliter disputari possent; sed hæc satis sunto; quæ tam clara & euidentia sunt; vt ipsum Lutherum à Rabbinis discedere coëgerint; vt fusè ex ipso Luthero ostendimus; sicut & Zvvinglium & Pellicanum; qui Iudæis ne in Grammaticis quidem regulis absque cautione & circumspectione fidem haberi volunt. Quomodo igitur

A isti scripturam aperiunt? Qua claui vtuntur? Collatione veteris & noui testamenti; imò eiusdem etiam testamenti inter se collatione. Hinc siquid veteris testamenti cum nouo consonat; intrepidè illud amplectere; quidquid Rabbini & Hebraistæ contra occlament; monet non semel Lutherus.

Sed quàm ista scripturarum collatio certa sit & expedita, & quam parum à Rabinicis figmentis differat, quotidie experimur, quotquot cum hæreticis in arenam descendimus. Quid si perperam, quid si ineptè conferas, quis iudex erit? Conferunt etiam Rabbini inter se loca testamenti veteris. An ideo nō sunt Rabbini, hoc est, mendaces, & fallaces? Aliud ergo quiddam ne-

B cessarium est, de quo suo loco disputabitur.

Zvvinglius, postquam præfat. in Apolog. *complanationis suæ* super Isaiam, multa disseruerat; cur Iudæis abroganda sit fides; tandem per interrogationem nobis demonstrat, quomodo ad veritatis cognitionem, etiam sine Rabbinorum adminiculo peruenire possimus. *Quis ergo*, inquit Zvvinglius, *iudicium meum ita illustrabit, vt & apud illos* (Rabbinos) *videam, vbi deprauauerint, & apud hos, quid ipsi non viderint? Pete, & accipies; pulsa, & aperietur tibi.*

Sed varij pulsant apud Hæreticos. Num quod verum est, accipiunt? Pulsauit Castalio. Beza negat eum accepisse veritatem. Pulsauit Beza. Negat Castalio aliquid veritatis Bezæ datum. Pulsa-

C uerat Munsterus. Sed post illū pulsauit Leo Iuda; Bibliander, Cholinus, alij innumerabiles. Cur? Nisi quia à prioribus *pulsatoribus* veritatem non crediderunt acceptam.

Ait Zvvinglius. *Quis ades pulsabit eius, de quo nihil boni speret?* Miranda est igitur Nouatorum immensa stultitia, qui pulsant fores Rabbinorum, à quibus nihil boni sperandum. At ipsi sperant omne bonum. Quàm meritò? Sperant aurum, & inueniunt carbones. Quid amplius Zvvinglius? *Fide igitur opus est. Pete itaq; in fide, nihil hæsitando. Fidem si habeas, iam Olympo dices: Facesse hinc in Euxinum, & abibit; hoc est, nihil erit tam densum, & impermeabile, quod fide non penetres. Fides loquentem spiritum semper intelligit.* Sed hæc fidei clauis nimis

D est generalis, quam quò quis est pertinacior hæreticus, eò pertinacius sibi arrogat. Claue fidei tentauit scripturam referare Lutherus. Reclamarunt, quotquot post Lutherum vel vernaculas, vel Latinas editiones adornarunt; quia si putassent, claue fidei scripturas à Luthero fuisse apertas, minimè post Lutherum nouas claues referandæ scripturæ, hoc est, nouas versiones, sibi comparassent.

Pellicanus præfat. in vetus testamentum paulo propius ad veri scopum accessit; neque enim Zvvinglianismus omnem, vt aliis Apostatis, vetustatis sensum ademerat. Quid ergo ille? *Quis studiosus Theosophiæ temperet à lacrimis, & gemitibus, cogitans interitum tot priscorum Græcorum, & Latinorum,*

quos

quos probabile est. & colligi potest ex catalogis illustrium scriptorum, indiesq; se quibusdam in lucem recipientibus, omnes veteris instrumenti libros copiosè interpretatos esse? Horum commentaria si non temporum iniuria, & negligentia hominum intercidissent, sed peruenissent ad posteros omnes, præcipuè illorum, qui linguam Hebraicam nouerunt, non tot erroribus, & tam crassis nebulis Ecclesiæ Latinæ inuolutæ essent. Vbi verum ex falso prominet. Nam quod ad patrum commentarios appellat, rectißimè facit. Quod conqueritur iacturam tot præstantißimorum commentariorum in sacram scripturam, iustißima querela est. Quod arbitratur, ideo scripturas non fuisse ab Ecclesia, & Doctoribus Ecclesiæ vniuersim spectatis, intellectas; quod multorum eruditione & pietate insignium Theologorum scripta perierunt, in eo manifestè errat; quia Christus dixit: Spiritum veritatis mansurum in Ecclesia in æternum. Quomodo spiritus iste perpetim mansit, si Ecclesia à vero scripturæ intellectu aberrauit? Si errarunt Latini; si Græci; qui tandem non errarunt? His enim duabus nationibus nullæ fuerunt potiores aut latiores in Christiana Republica.

Quod si collatio scripturæ, aut firma fides clauis illa est, qua scripturæ arcana patefiunt; mirari subit quomodo Christus semper Apostolis & discipulis, præsertim sub extremum vitæ tempus, concionatus fuerit de spiritu veritatis, qui docturus esset omnem veritatem, & omnia annunciaturus, & nihil reliquum facturus, quod scire Ecclesiæ interesset. Quæso, cur non dixit Christus discipulis: conferte inter se scripturas, & nihil intelligentiam vestram fugiet. Credite firmiter, pulsate fortiter, scrutamini scripturas, & nihil vobis imperuium erit. Cur vbique spiritum veritatis, qui *cum* & *in* discipulis perpetim mansurus esset pollicitus est? An ideo, vt hoc veritatis spiritu ducti scripturas ritè conferre, & firmiter credere possent? Sed cum tam multi quotidie conferant; tanque multi firmißimè sese credere iactitent; & tamen conferendo & credendo repugnantia prorsus nobis producant & procudant; Equidem persuadere mihi nequeo, his collatoribus, & his, vt sic loquar, *creditoribus* Spiritum sanctum aut promissum, aut datum esse.

Dicat quis: *Ergo nihil Rabbinis tribuendum est*, tuâ sententiâ. Non certè mea. Tribuamus illis, quod Zvvinglius & Pellicanus tribuunt: Nimirum aliquam Grammaticę intelligentiam; quam ab illis consequi poßis; non tamen planè certam; vt disertè Pellicanus & Zvvinglius affirmant. Quanquam Lutherus tam est in Rabbinos asper, vt ne verborum quidem & Grammatices peritiam illis largiatur. At S. Hieronymus vsus est præceptoribus Iudæis; præcipuè illo Barabba, ob quem toties lancinatur à Ruffino. Quid tum postea? D. Hieronymus Rabbinos subiecit Ecclesiæ; & doctoribus Ecclesiasticis,
A non illam & hos Rabbinis; audiuit inquam, quid Iudæi dicerent; sed postmodum dicta Iudæorum ad Christianæ fidei regulam expendit. Imitentur & isti; neque *Rabbinismi* aut *Iudaismi* à nobis amplius accusabuntur. *Non est dedignatus vir tantus*, inquit Munsterus, *& tam celebris per orbem, rursus fieri discipulus, etiam illorũ, qui inimici erant crucis Christi & nominis Christiani.* Discipulus fuit, sed ita, vt linguam, non sensum veramque scripturæ intelligentiam à Iudęis didicerit. Discipulus fuit, sed simul censor & iudex. Quod si censuram & iudicandi functionem à discipulo abhorrere censes; noueris, nullum probum probatumque Rabbinorum esse discipulum, qui non simul sit index & censor. At isti nostri, Rab-
B binis, sese, vt mancipia heris, substernunt; & quidquid nugantur, tantùm non adorant. Ait Munsterus: *Si quis aliter me vertisse deprehenderit, quàm Chaldæus, aut Rabbini interpretati sunt, is me temerarium proclamet licet.* Imò ideo te temerarium pij omnes iudicant, quòd non nisi Rabbinis testibus & doctoribus omnia confirmas. Ipsis Nouatoribus tuis multò magis placeres, si minus *Rabbinisticus* esses. Ne tui quidem Zvvingliani hoc tuum *Rabbinizandi* studium æquo animo tolerare potuerunt; vt supra ex Pellicano & Zvvinglio, satis est demonstratum, vt de Luthero, auo tuo, nihil dicam; qui Biblia tua Rabbinica eximio testimonio decorauit. Et inter cæteros te etiam notant & perstringunt his suis verbis Tigu-
C rini præfat. in Biblia sua. *Videas alios Hebraicæ phrasi adeò fuisse deditos, & affixos, vt versio Latina vel non vsquequaq; ad Hebraicam veritatem sit emendata, vel nimis Hebraica facta, id est, propter Hebraismos relictos impedita. & in ea lingua nunquam versatis, obscurißima.* Nec video ad quem potius, quàm ad Munsterum tendant hęc verba Pomerani in Psalterium suum præfantis. *Quorsum enim attinet, quod quidam hodie impiorum Rabbinorum, & blasphemorum Iudaeorum, detorris, & violentis expositionibus sacras litteras transferentes, conspurcant Psalmos, & multos scripturæ locos, seipsos, & alios summis consolationibus, quas in Christo habemus, priuantes? Cur faciunt suos labores in Ecclesia sanctorum contemptos? Qui, si perrexerint, sacratißimam contemnere Apostolorum, atq; adeò Christi autoritatem,
D non mirentur, si vicißim ipsorum sapientiam contemnamus.*

Si dicas, Lutherum & alios Nouatores damnare in Munstero id, à quo ne ipsi quidem omnino puri sint & intacti; Respondeo, mirum videri non debere, si sectarij & verbis & factis sibimetipsi contradicant; Nam non constare sibi, est eorum propria profeßio; sicut & aliud in corde, aliud in ore; aliudque in opere habere.

CAPVT VI.

Versiones quasdam nouas reiici debere, quod potius sint Grammaticæ quam Theologicæ.

SCRIBIT Lutherus in prefatione super vetus Latinum Psalterium, teste Matthæsio, concione XII. de vita & Actis Lutheri; (neque enim ego præfationem illam inuenire potui) er hab geh ßt (dabo verba Germanica prout à Matthæsio Lutherano Prædicante referuntur.) Die jungen Hebreisten sollen was sonderlichs / vnd köstlichs herfür bringen / aber es gehe jhm wie König Salomon / der hoffet auff was köstliches auß India / so bracht man jhm Affen / vnd Pfauwen. Das meiste theil brauche Affenberg / vnd ahme entweder den Rabbinen / oder vorigen Version nach / oder beklaide jhr ding mit Pfauwenspieglen / brocken Hebreisch mit ein / vnd verbremen jhr ding mit Ciceronis worten / vnd formulen / vnd verschnüren mit Greckischen werten. *Se sperasse, recentiores Hebræistas adducturos eximium quid & pretiosum; sed sibi idem euenire, quod olim Salomoni, qui cum speraret pretiosissima queque ex India se accepturum, nihil aliud acceperit, quàm Simias & Pauones. Plerosque versores Simias imitari, & vel Rabbinos, vel veterem translationem referre; vel interpretationes suas Pauonum quasi ornamentis insignire, immixtis Hebraicis vocabulis; verbisque & loquendi formulis Ciceronianis, & Græcanicis dictionibus, velut emblematis quibusdam, passim interspersis.*

Hæc Lutherus de suis versoribus; quos non immeritò Simiis & Pauonibus comparat; quia mira, rara, & pretiosa pollicentur; Et tamen reduces nihil aliud adferunt, quam imitamenta & interpretamenta Rabbinica, hæretico fuco illita; Sed an non Lutherus in eadem naui nauigat? Negat ipse, vt vidimus capite superiore; & videre licet in proprio Lutheri Libello, de Interpretando seu vertendo, qui exstat Tom. XII. Germ. VViteberg. vbi rationem reddit, cur multis Psalterij Germanici locis sensum potius spectarit, quam verba, *contemptis Iudaicorum Rabbinorum & Grammaticorum regulis ac glossis*, additque: *non esse mirandum, etiamsi aliquando à Grammaticis & Rabbinis discedat: se enim secutum esse hanc regulam: vt sicubi verba commodiorem & meliorem sensum tulerint, non passus sit se per Grammaticam à Rabbinis compositam ad sensum minus commodum abduci; Esse enim communem litteratorum regulam; non sensum verbis, sed verba sensui subiici debere.* Vbi vides, quàm Luthero Grammaticæ, pigmentisque fucatæ versiones displicuerint? Num serio?

At qui isti versores? Si Luthero credis, plerique iuniores *Hebraistæ*; quia plerique potius sunt
A Grammatici, quam Theologi. Inspice versionem Munsteri vna cum suis annotationibus; vt tota est Rabbinica; ita tota est, cum vniuersis annotationibus, Grammaticalis; quod & de Iuniotremmeliana non iniuriâ affirmaueris; vt de aliis taceam; in quibus omnia ad Iudaicorum Grammaticorum & Masoretarum Canones & documenta conformata videbis. Et hinc contemptus ille septuaginta Interpretum, & veteris translationis; *nostri enim veteres interpretes*, inquit Genebrardus, præfat. in Psalterium; *quia examinantur, expenduntúrque ex vno Kimhi, & paucissimis aliis, quibus perpetuò honorificum visum fuit à superioribus dissidere, vt famam apud posteros sibi conciliarent, ab istis malè audiunt, qui nouitiis duntaxat delectantur. At-*
B *qui, illi sæpe dormiunt, magisque sunt Grammatici, quàm Theologi, præsertim R. Kimhi; qui proinde à Iudæis negligitur, tantum habetur pro* Medacdec, *id est, Grammatico, etiamsi κατ᾽ ἐξοχὴν apud istos, malè quidem feriatos interpretes, intelligatur* Docti *nomine. In istorum enim annotationibus* Doctus inter Hebræos, *est Kimhi, qui inter eos tamen censetur indoctissimus, quantum ad rem, & sententiam, & Theologiam pertinet. Hos autem vnos isti legunt; siue, quia alios, vtpote obscuriores, & abstrusiores non intelligunt; siue, quia his contenti sunt, quos vident suo ingenio congruenter, longissimè à receptis maiorum interpretationibus discedere.*

Quanta autem ex his Grammaticalibus translationibus incommoda sequantur, docet Zvvin-
C glius prefat. in *complanationem* suam super Isaiam. Cum (in Isaia & aliis Prophetis) *eruditionem tantam cum summa grauitate coniunctam esse deprehenderem, ad hanc (fateor) opinionem deueni, vt crediderim tum Iudæos ipsos, tum nos non adeò omnes penetrare ad eius ætatis qua & vixerunt, & scripserunt diuini vates proprietatem. Etiamsi omnes strenuè certemus nihil non ediscere. Hoc autem non aliunde vsuuenire, quàm quod persuasi sumus, nihil nisi rusticum, indoctum, & infans in illa lingua reperiri. Hinc factum est vt interpretes, Hebræorum locutiones nobis propinauerint, vt tropos, qui in linguam peregrinam non transponuntur non reduxerint, vt figuras illorum in alia lingua non transformauerint. Hinc numeratæ verborum translationes, sententiarum autem vel negligentia vel ambi-*
D *guitas. Hinc tenebræ, inscitia, & quid sequaris, incertitudo. Hæc secuta sunt, dissidium; audax in rebus incompertis definitio, & impudens in aduersarios conuiciatio, nocentiora mala. Verbis enim vtcunque iuxta elementorum rationem intellectis, non etiam sententiis, tam aniles allegorias coëgit asciscere ac fingere cum pudor, ne quid ignorare videremur, tum amor nostri, qua nobis plus, quam par est, credimus, & maiora, quam vires nostra possint, tribuimus.* Hæc non malè Zvvinglius de suorum translationibus; dummodo ipse suam Psalterij, Isaiæ, & Hieremiæ versionem non excludat; quia eiusdem omnino est farinæ; & ne hilo quidem melior.

Notat quoque Rudolphus Gualtherus Zvvinglij gener, præfat. in tertium Tomum operum

Zvvin-

Zvvinglij, eiusmodi sacræ scripturæ versores & translatores; *Alius*, inquit, *dum verba diligentius obseruat, & interpretatur, non in hoc est, vt sensum eorum argumento præsenti (quod in primis facere oportebat) accommodet; sed talem se gerit, vt literatorem potius agere, & Grammaticam docere, quàm scripturæ sensus scrutari videatur.* Et quis iste alius? Iam nobis id exposuit Lutherus. *Iuniores Hebraistæ*: quorum Dux Munsterus; nisi fortè Iunius & Tremelius hanc gloriam Munstero eripere tentent.

Ad hanc Grammaticalium versionum classem si referamus quoque totam vtriusque testaměti translationem ex officina Castalionis profectam, nemo, opinor, de nobis, tanquam de iniuriosis, conqueri poterit: Etsi enim in verbis Hebraicis & Græcis anxiè exponendis non hæret; tota tamen in Latinitate hæret; sed quali? Certè non Romana; sed nescio vnde aduecta, quam statim primis ad lectorem verbis præfert: *Nouum fœdus de Græco transtulimus: vetus de Hebræo.* En *nouum & vetus fœdus*. Piaculum fuerat dicere: *Nouum & vetus testamentum. Quartum Esdræ ex Latino in Latinum transtulimus*; Nimirum, vt nos per quartum Esdræ librum Latinitatem doceret. Hanc editionem totam affectata, ne dicam insulsa latinitate picturatam, hoc elogio exornat Zvvinglianus vel Caluinianus, qui Bibliothecæ Gesnerianæ Epitomen confecit: *Castalio vertit tota Biblia, ita diligenter, ac summa fide ad Hebraica, & Græca exemplaria collatis veteris ac noui testamenti libris omnibus, ac inde in Latinam linguam, obseruata vbique & perspicuitatis, & elegantiæ, & proprietatis ipsius ratione, vt omnes omnium versiones hactenus editas longo post se interuallo reliquisse videatur.*

Hæc encomiastes ille; qui paulo post has laudes alio encomio funditus euertit. *Translatio vtraq; Bibliorum à multis reprehenditur: & vir doctissimus* (scilicet) *Theodorus Beza, cum manifeste multos locos noui fœderis corrupisse arguit, & scripto peculiari aduersus eius reprehensiones edito, docet sacras literas in Latinum, & Gallicum sermonem pessimè ab ipso conuersas esse.*

Quia verò iste ad Bezam nos ablegat, operæpretium erit videre, quibus laudibus Beza trāslationem Castalionis extollat in Responsione ad defensiones & reprehensiones Castalionis. Primo reprehendit Beza Basileenses Ministros & Symmystas, quod passi sint Basileæ Biblia Castalionis Latina & Gallica edi. Audi Bezam: *Translationem noui testamenti tum Latinam, tum Gallicam à Sebastiano Castellione istic scriptam, & excusam, optimo iure reprehensam fuisse in meis annotationibus, non solùm vt indoctam, sed etiam vt multis locis impiam, & à sancti Spiritus sententia prorsus discrepantem, vobis, vt existimo, non constabat, cùm edendæ suæ defensionis potestatem illi faceretis: sed nunc tandem, (vt spero) perspicuè cognoscetis.* En Castalionis versio Iudicio Bezæ, impia est, & à Spiritus sancti mente prorsus discrepans.

II. Quod ad Hebræam linguam attinet, inquit Beza, alloquens Castalionem; *hoc tibi affirmo, ex hominum eius linguæ peritissimorum sententia, nullam esse tuæ translationis paginam, in qua summam eius inscitiam non prodas. Quod etiam nonnulli iam pridem multis modis ostendissent, nisi tuam illam veteris testamenti translationem iudicassent vnâ potius liturâ, quàm correctionibus indigere.*

Quid Hebraicè doctissimus Genebrardus præfatione in Origenem? *Castalionis versio est affectata, plus habens pompæ & phalerarum, quam rei & firmitatis, plus ostētationis quàm substantiæ, plus fuci quàm succi, plus hominis quam spiritus, plus fumi quàm flammæ, plus humanarum cogitationum, quàm diuinorū sensuum, plus foliorum, quàm fructuum. Tot verbis vix adhuc explico hominis vanitatem, qui Dei sacramenta sermone, non modò animo, se posse complecti putauit. Elegantiam pollicetur, & tamen verba interdum vsurpat alienissima à Ciceronis puritate. Præterea ex inferis suscitat Genios, pollubra, & similia pagana vocabula quæ pridem sepulta oportuit, nedum in scripturæ contextum illata. Mysteria ex oculis subducit, submutatis verbis. Vbi dixit Deus, fiat firmamentum; ille, Iussit Deus, ne vllum diuini verbi, per quod omnia facta sunt, vestigium in prima rerum conditione appareat, & velut innuat quod assumpta Ochini persona, cuius libros contra diuinam Trinitatem de Italico in Latinum se memorabat conuertere, pro nouis Arianis disputauit.* Hæc verissimè Genebrardus.

Quid amplius Beza de Castalione? *III. De latino sermone, quantum ipse tibi placeas nemo non videt: neq; etiam ignoro, quibusdam, qui (vt inquit Augustinus, de hac ipsa re loquens) eo sunt infirmiores, quo doctiores videri volunt, non rerum scientia, qua ædificamur, sed signorum, qua non inflari difficile est, tuos quosdam sonitus suauiter tinnire. Ego verò vnum esse me ex illis non inuitus profiteor; qui totam hanc rationem sacros libros interpretandi, non modò parum vtilem, sed etiam perniciosam esse existimem. Arbitror enim intolerandam esse audaciam, si quis ab illa nuda quidem & simplici, sed verè tamen diuina & plena masculæ maiestatis eloquutione discedens, Prophetici & Apostolici sermonis puritatem, quasi fuco quodam orationis inficiat: imò etiam eousque me in hac re quodammodo superstitiosum haberi patiar, vt vel ipsas (si fieri posset) syllabas appendi & numerari velim, nedum vt sine necessaria ratione vocabula illa rebus theologicis consecrata & formulas quasdam Hebræas (quibus nihil vllâ linguâ ἐμφατικώτερον dici potest) innouari debere cēseam, tanti apud me est non modò res ipsa, sed etiam diuina illa Spiritus sancti eloquutio. Hæc (inquam) non tam mea, quàm summorum & Orientis & Occidentis Theologorum sententia est: qui etiam quum volunt politè & ornatè, & suo quodam modo de rebus sacris disserere, tamen quoties scripturam citant, neque verba innouant (sicut tu facis multò audacius, quàm vlli profanorum etiam librorum interpretes) neque sermonis (vt tu disertissimus homo, incultissimè loqueris) incultum, & obscuritatem ita horrescunt, vt propterea profana sacris permiscuerint.*

IV. Miror te vetera & omnibus trita vocabula expunxisse, vt noua & plerisq; obscura substitueres, &c. Et scito, non deesse qui tuam orationem nec mundam, nec Latinam in multis esse arbitrentur, vt quum scribis, adeò præstantior, incultus orationis. Hebraei natu, dicere reipublicæ, consuetudinem habere cum aliquo internè: detrimenta, pro; offendicula, & alia (vt ipsi dicunt) multa. Reprehendunt etiam in te, præter illam in nouandis vocabulis audaciam, peruersitatem quandam iudicij, quæ facit vt rarißima quædam & obsoleta nonnulla ineptè affectes, vt illa; publicare Euangelium, congenulare, defetisci, pollucere Pascha, polluctùrus, contentius, expetere in aliquem, septiduum, & eiusmodi alia, de quibus tu cogitabis, quomodo illis ipsis mundanis respondeas, quibus placere voluisti. Nam quod ad me attinet, me à te & ab illis in istis reprehendi, dummodo mihi obiicere meritò non poßint, sententiam à B *me esse deprauatam, facilè patiar.*

V. Audaciam tuam acriter, sicut debui, reprehendi, quod baptizandi, baptismi, Angelorum, Mediatoris, & si quæ sunt eiusmodi vocabula solennia, & omnibus perspicua, expunxeris, vt prophana quædã, & in iis etiam nonnulla plerisque ignota substitueris. Et meæ reprehensionis causas attuli, quoniam videlicet hæc mutatio, præterquam quod nec vtilis est nec necessaria, non poterat non offendere multorum animos. Iniquum etiam esset Theologis non licere, quòd aliis artium Magistris, vt quæ longo vsu & optima fide possederunt, tanquam sua retineant. Postremo timendum & illud est, ne vocabulis amißis tandem ipsarum etiam rerũ possessione depelleremur. Etsi enim Christiana religio sita non est in literis & syllabis, tamen nemo C *non videt, quantopere ad rerum cognitionem intersit, quid quibus verbis dicatur: adeò quidem, vt multæ grauißimis de rebus controuersiæ, sæpe vnius vocabuli explicatione dirimantur. Quod si tu nec vides nec sentis, planè te ferreum, atq; adeò chalybeum esse oportet. Quid fiet igitur si temerè non tantum verba, sed etiam loquendi formulas, atq; adeo sensus quosdam integros nostro arbitratu innouemus?*

Nunquam (inquis) negaui Theologis fas esse concessis verbis vti, quinimo ipsemet Theologorum verbis sæpe vtor. At enim rogo, si ita sentis cur contrarium facis? aut saltem nobis ostende, cur alia retinueris, alia prorsus expunxeris. Quid refert, inquis, quo verbo res dicatur, dummodo sit eadem? Plurimum certè refert, quum noua ab omnibus non intelliguntur, & sæpe vel ambigua vel diuersa sint, quæ pro certis & iisdem obtruduntur. Deniq; quid pluri- D *bus opus est? Quum de re constat, & vocabula longißimo vsu trita sunt omnibus, vnde tandem hoc nouãdi studium, nisi ex stulto & ambitioso ingenio? At enim Latinæ linguæ studiosi (inquis) parum Latinis magis offenduntur, & peregrinis verbis imperiti facilius decipiuntur. Atqui non erat istorum disertulorum morositati eousq; indulgẽdum, vt propterea tot hominum millia offenderes, atq; adeo sacras literas tam fœdè profanares. Imo ne hoc quidem perpetuò verum est quod scribis. Quem enim, obsecro, commõstrabis, qui baptizandi, vel baptismi, vel Angelorum vel Ecclesiæ nomine offendatur? Quis verò sani iudicij homo non cohorruit, cum beatos illos Angelos audiret in Genios esse transformatos? Est enim hoc vocabulum non modò multiplicis & incertæ apud ipsos veteres idololatras signi-* A *ficationis, sed prorsus etiam profanum, atq; adeo ex media vsq; fœdißima superstitionis cloaca repetitum.*

VI. Nec illud excusare vnquam poteris, quod synagogam Latinè Collegium, Gallicè colleges, sis interpretatus. Putasti nimirum collegia à colligendo dici, sicut synagoga παρὰ τὸ συνάγειν deducitur, quam inscitiam magistri in ludo etiam flagris castigarent.

VII. Coger te, Castellio, ad Grammaticorum ferulam relegare, vt ibi discas cum aliquo iudicio scribere, & loqui. quod vbi feceris, tum fortaßis tuam interpretationẽ inspicere, ac diligentius considerare non pigebit. Falleris enim si nobis esse tantum otij putas, vt in purgando Augiæ stabulo tempus aliquod poßimus consumere.

VIII. Quis iste nouus versor Castalio? *Ingenium superbiæ & vanißimæ ambitionis plenißimum; quod* B *minimè mirum est. Deum vltum esse summa iudicij peruersitate, vt quod omnes rectũ censuerint,* solus Castellio *sponte quadam naturæ, prauum esse suspicetur, cumq; nihil magis ambire videatur; quàm vt simplex esse videatur, nunquam tamen in aliorum iudicio adquiescat. Itaq; cum esses in hac ciuitate,* (compellat Beza Castalionem) *vt omnes narrant, nullus dies præteribat, quin prodigiosum quiddam in medium proferres, adeò vt de ipso sacrorum librorum Canone non modò ambigeres, sed etiam pertinacißimè, & arrogantißimè diceres, Canticum Canticorum inter prophanas cantiones numerandum.* Hæc, & plura huius generis Beza de latinissimo isto translatore. Quorum non modicam partem ad ipsum Bezam, vt & ad Erasmum, & similes applicare licebit; qui fuco, & prætextu promissæ Lati- C nitatis, veterem translationem in contemptum adducere studuerunt; quia tota Latinitas istorũ consistit in voculis quibusdam & obseruatiunculis Grammaticis. Itaque quoties Beza Castalionem ad Grammaticos amandat his verbis: *In Grammaticorum ludum te dimitto*; toties iisdem verbis iure optimo ipsemet Beza, Erasmus, Valla, Stapulensis, & alij antiqui Interpretis criminatores ablegari possunt.

Ostendunt & Tigurini Ministri præfat. in sua Biblia, elegantulos istos versores, & Latinitatis affectatores sibi non probari: verè an fictè, nescio; nisi quod scio pleraque hæreticorum esse ficta. Quorum orationem adscribere placet in eorum gratiam, qui non nisi illa Biblia cum gustu D legunt; ex quibus se credunt non meliores, sed latiniores futuros. Ita ergo illi: *Curauit* (Leo Iuda Interpres) *vbique, vt oratio, siue versio esset simplex, & quantum potuit, Latina, exceptis verbis aliquot, & idiomatis, quæ receptiora, & notiora sunt; vtpote & ab Apostolis vsurpata, quàm, vt mutari conueniat, aut necesse sit; cuius generis sunt fides; pro fiducia; fidelis pro fidenti, & veraci. benedictus, pro laudandus, prædicandus, aut laudatus; benedicere, pro fortunare, omnigenis bonis dotare, bene precari, laudare, prædicare, gratias agere, & gratulari; gratia, pro fauore, & beneficio gratuito, siue condonatione; confiteri, pro liberè fateri, laudare, vel cum laude prædicare, item cum gratiarum actione celebrare; euangelizare, pro lætum nuntium afferre; & quæ huius claßis, ac ordinis permulta alia sunt. Videntur enim nobis quidam nimis*

esse morosi, qui cum omnibus professionibus, siue facultatibus peculiaria quædam permittunt vocabula, solis id diuinis litteris non concedunt, & vrentes iis, mirè sugillant. Quid, quod quædam in sacris loquutiones sunt, quæ vix possunt in alienam linguam tersè conuerti, vt non simul pereat bona pars gratiæ, adeoq́; mysterij, quod alias ex relicta linguæ proprietate rectius, faciliusq́; agnoscitur. At quis hic non videat potiorem rationem habere oportere religionis, quàm linguæ exteræ, auriumq́; plus satis delicatarum? Hæc isti.

Et tamen in iisdem Bibliis, in præfatione, quam Zvvinglianus Cholinus Interpres præposuit libris à se ex Græco versis, quos Hæretici vocant apocryphos; gloriatur ille, se multos Hebraismos, *liberius quidem, quod ad dictionem attinet, sed quod ad sensum auctoris pertinet, vt puto, rectius, veroq́ue propius, & exactius planiusque vertisse:* & inter hos mutatos Hebraismos numerat: *Benedicere*; pro, *laudes agere, salutare, commendare, prædicare, secundare, fortunare, beare, fausta precari, bene ominari, fauere, &c. Benedictio, pro, felicitate, felici fato, salutatione, beneficio, &c.* Hæc Tigurinus interpres Cholinus in Bibliis Tigurinis. Et tamen in prima præfatione laudant isti Leonem, quòd Hebraismos, vt est, *Benedicere, & benedictio*, admodum religiosè seruauerit: idque propterea, quod vix fieri possit, vt *Hebraismi in peregrinam linguam pari gratia transferantur*. Nihilominus in iisdem Bibliis dicit Cholinus, se & hos & alios quàm plurimos Hebraismos mutasse, vt de scriptoris mente liquidius constaret. Quæ hæc eorundem Bibliorum consonantia, quæ constantia?

CAPVT VII.

Nouorum versorum Biblia reiici debere, quia omnia nouant.

NOVATIO hæc consistit partim in numero, & ordine librorum Canonicorum & in Phrasibus; partim in orthographia & pronunciatione. De hac postea. Nunc de prioribus capitibus. Reiiciendi sunt versores isti; quia multos libros verè canonicos in versionibus suis ad apocryphorum classem relegant; Ex veteri testamento Tobiam, Iudith, Prophetam Baruch, partes quasdam Danielis & Estheræ; librum Sapientiæ; Ecclesiasticum, primum & secundum Macchabæorum; & quod deterius, cum his æquant orationem Manasse, tertium & quartum Esdræ; & tertium Macchabæorum: quasi priores illi non sint maioris pretij, quàm isti. De his iam copiosissimè actum est, libro primo de verbo Dei, defensionis Bellarminianæ.

Committere tamen non possum, quin obiter notem hic inscitiam & mendacitatem Caluiniani Iunij; qui in Bibliis suis præfat. in libros, quos vocat, *Apocryphos*, dicit tertium Macchabæorum *esse librum illum, quem sanctus Hieronymus procemio in libros Regum vocat Pastorem*; &, vt reconditissimam Iunij scientiam intelligamus; addit; *Græcè vocari, πάστορ, siue pastorem, latino casu, non autem pastôrem, vt plerique omnes putauerint; nempe ἀπὸ τῆς παστάδος seu παστάδος, id est, ab atrio, in quo sacerdos summus cum fideli comitatu suo intercessit, ne Rex veniret in sanctuarium.* Quo commento vix quidquam fabulosius & magis commentitium audiui. Certissimum enim est sanctum Hieronymum in Prologo Galeato, seu illo, qui libris Regum integer præfigitur, intellexisse eundem *Pastorem*, quem in libro de scriptoribus Ecclesiasticis: *Hermen, cuius Apostolus ad Romanos scribens meminit capite decimo sexto; asserunt, auctorem esse libri, qui appellatur Pastor.* Nam Græci, vt Athanasius, & alij, & Interpres D. Hieronymi Sophronius, hunc librum appellant *ποιμένα. ποιμὴν* autem Græcorum non est nisi *pastor, pastôris*, Latinorum, quidquid iste de *pastade* seu *pastide* confingat, qui pari vanitate tertium Macchabæorum librũ Philoni Iudæo attribuit, (vt & Sapientiam) eumque *Schimbonis* (qui aliis, *Simon*) sacerdotis nomine inscribit ea solum de caussa, quia Nouatori non tantum versiones, sed & inscriptiones nouare libet; vt verum se Nouatorem probet.

Mox impudentissimis conuiciis grassatur in Auctorem libri secundi Macchabæorum; quem ait, *plus Iasoni cuidam Cyrenæo, & sibi, quàm veritati tribuere; eundemque appellat inerticulum & audacem, re, ratione, verbis ab omni lege discedentem historiæ, iudicia sua intempestiuè apponentem passim, ac nonnunquam etiam præter fidei sanctæ analogiam.* Hæc effrons iste Caluinista in Auctorem illũ; se & secta sua prorsus digne; sacro autem auctore, indignè. Sed non est opus has calumnias refellere; commemorasse, est refutasse. Vix quis de profano historico tam abiectè, vel potius, calumniosè, loquitur.

Nouum testamentũ vertunt Caluiniani versores integrum, nullaque parte mutilatum; omnia eius membra, venerantur, vt sacrosancta & Canonica, nisi quod Beza nescio quid tricatur de historia adulteræ apud sanctum Ioannem. Lutherus & Lutherani hic quoque machæram suam exerunt, & ex canone amputant epistolam ad Hebræos, diui Iacobi, posteriorem diui Petri; duas diui Ioannis, epistolam Iudæ, Apocalypsin. De quibus suo loco satis. An non magna est hæc innouandi libido?

Similis nouitas apparet in dispositione & ordine. In nostris & antiquis Bibliis primum locum tenet Pentateuchus: sequitur Iosue, liber Iudicum. Ruth. Quatuor Regum. Duo Paralipomenon. Duo Esdræ; Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica: Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecimi Prophetæ.

Digitized by Google

Libri duo Machabæorum. Quid Hæretici? Vt egregiè omnia nouent, primò omnium libros, quos pro apocryphis habent, in angulum relegant, & extra censum aliorum collocant; etiam Lutherus. Quamuis neque in his inter se conspirent. Nam Iunius Sapientiæ & Ecclesiastico postremum locum tribuit. Tobiæ primum; Libro Iudith tertium. Prophetæ Baruch quartũ. Quintum epistolæ Hieremiæ. Sextum partibus Danielis. Nonum partibus nonnullis libri Estheræ. Decimum, tertio Macchabæorum, qui in Canonem receptus non est, quem etiam nouandi libidine præponit primo & secundo Macchabæorum libris verè Canonicis. Qua eadem nouandi prurigine pellectus secundum locum assignat orationi Manassæ, septimum libro tertio Esdræ. Octauũ libro quarto Esdræ; qui & ipsi verè sunt Apocryphi. Et quartum quidem ex Latino ait se Iunius *ad latinitatem reuocasse*. Habemus gratiam pro opera: Mundus enim latinam linguam non nouit, nisi postquam Iunius Latinum quartum Esdræ librum latine loqui docuit, & nos in illo. Hæc dispositio Iunij.

Zvvinglianus Cholinus longè alia via incedit in Bibliis Tigurinis. Nam primo loco collocat librum Sapientiæ. Secundo Ecclesiasticum. Tertio, orationem Manassæ. Quarto, Prophetam Baruch. Quinto, partes Danielis. Sexto Iudith. Septimo & octauo. Tertium & quartum Esdræ. Nono partes Estheræ. Decimo & vndecimo primum & secundum Macchabæorum. Duodecimo, tertium Macchabæorum. Lutherus sic disponit in versione sua Germanica. Iudith. Sapientia. Tobias. Syrach. Baruch, Macchabæi, partes Estheræ. Partes Danielis. Reliquos verè apocryphos omittit in edit. VViteberg. 1551. Quid opus alios percensere? Nouatores non essent, nisi non modò à nobis, sed & ipsi inter se dissiderent. Nec conueniunt in dispositione librorum, quos omnes pro Canonicis habent: Nam Symmystæ Tigurini post librum Esther, collocant quatuor Prophetas maiores; tum minores, & post istos; Iob; tum Psalterium. Postremo libros Salomonis.

Munsterus alium ordinem instituit. Nam post Prophetas tres Maiores & Minores ponit Psalterium, postea Iob. Deinde Prouerbia. Sequitur Daniel. Post hunc Paralipomena; seu, vt ipse vocat, duo libri Annalium. Succedit Canticum Canticorum. Tum Ruth. Deinceps Threni. Proximè Ecclesiastes. Agmen claudit Esther. Quid est nouare, si hoc non est nouare?

In noui testamenti ordine Caluinistæ, quod sciam à nobis non discrepant. Lutherus odio quodam in epistolam D. Iacobi & ad Hebræos permotus primum & secundum locum inter Canonicas tribuit primæ & secundæ Petri. Tertium, quartum, quintum, tribus Epistolis diui Ioannis. Sextum epistolæ ad Hebræos. Septimũ, Epistolis Iacobi & Iudæ; Octauum, Apocalypsi.

A Cum Catholica Biblia semper post Paulinas epistolas illam ad Hebræos proximè collocarint; & primum locum inter canonicas epistolæ D. Iacobi tribuerint.

Nec ordinem receptum tantummodo turbant, sed & inscriptiones librorum. Hinc primus & secundus Regum, est istis *primus & secundus Samuelis*. Noster tertius Regum, his est, *primus* Regum. Quartus; *secundus*. Libri duo Paralipomenon; *duo libri Chronicorum*, seu *Annalium*. Psalterium, *liber Hymnorum* in Bibliis Tigurinis. Euangelium secundum Mathæum, Marcum, Lucam, Ioannem; *Euangelium, authore Matthæo, authore Marco, authore Luca, authore* Ioanne, apud Castalionem.

In Psalmis numerandis cum Iudæis se con-
B formant, non cum Christianis. *Omnes doctores nostri*, inquit Cochlæus, *vniformiter Psalmorum numeros ponunt, & allegant, secundum translationem* L X X. *Interpretum, sicut habemus in Bibliis nostris, qua in re Hieronymus quoq; in commentariis vbiq; suis, Ecclesia, non Synagoga numeros in Psalmorũ allegationibus obseruat. Prouenit ea diuersitas ex nono Psalmo, quem Iudæi in duos diuidunt. Eos sequuntur nunc translatores noui, vt veteribus videantur doctiores. Vnde non verentur in popularibus quoque sermonibus suis Iudaica peruersitate Psalmorum numeros allegare. Vt necessarium sit auditori semper à nono Psalmo propemodum ad finem vsque Psalterij in noua ista Psalmorum allegatione, vnitatem recidere, & vno minus intelligere quam à nouis illis Doctoribus allegatur. Verbi gratia Psalmum quem Ecclesiastici Doctores*
C *dicunt Decimum, isti allegant vndecimum, & quem nostri vicesimum, isti vicesimum primum vocant. quem nostri centesimum, isti centesimum primum vocant, & pulcherrimum atq; prolixissimum inter omnes Psalmos, cuius initium est Beati immaculati in via, nostri* C X V I I I. *isti* C X I X. *faciunt, vbiq; Synagogam potius quam Ecclesiam in scripturarum allegatione imitantes. Vnus tamen ex eis Ioannes Pomeranus hac in re ab aliis nouis discrepans, antiquos in Psalmis Ecclesiæ numeros in Psalterio suo conseruat*; nimirum in editione anni M. D. XXVI. nam in editione anni M. D. XLIV. iam *iudaizat* Pomeranus. Zvvinglius tamen, etsi Nouator maximus nostram Psalmos numerandi rationem retinuit. Nec obscurum nouandi specimen præbet, quòd isti versores & euersores verba mutãt, licet idem
D prorsus significent cum verbis, quæ noster Interpres vsurpauit: cuius rei innumera tibi occurrẽt exempla, præcipuè in Beza & Erasmo. Sed mutant eo solùm fine; ne frustra vertendi laborem suscepisse videantur.

Est & alia nouationis species non tacenda. Nam in distinctione versuum sacræ scripturæ, in interpunctionibus, & id genus aliis, semper Iudæos potius & Masoretas sequuntur, quàm orthodoxam vetustatem. Hinc Pellicanus, quamuis inter omnes alioqui sectarios hac in re minus effrons ac impudens; Iudæos hic potius, quã Christianos sequi voluit. Accipe eius verba: *Illud etiam admonere lectores volo, me versuum numerum adsignauisse iuxta morem Hebræorum. Nam & Latinorum*

vetustissi-

vetustissimis codicibus, & Hebraicis, versuum numerus adscriptus est ceu sacer, non carens omninò vtilitate, quod fatemur, ad exactam diuinorum testimoniorum citationem. Quoniam autem nostri ab Hebræis dissentiunt in numero versuum, meam fidem haud interposuero, vtri melius rem tetigerint. Nam & nostri sensum de sensu exprimêtes, periodos, cola, & commata Iudæorum facile mutarunt. Et, in Hebræorum scripturam mendas irrepere tum distinctionis tum literarum, tum verborum fuit procliue. Non hanc ob caussam tantùm; sed quia Masoretæ, distinctionis huius auctores, nihil aliud sunt, vt Genebrardus rectè dixit, quàm *puri Grammatici, distinctionibus, accêtibus, motionibus, punctis occupati.* Quos quis sanæ mentis septuaginta Interpretibus anteponat?

CAPVT VIII.

Recentium versorum ridicula propriorum nominum nouandi contentio; vt hoc etiam titulo repudiandi sint.

DICI vix potest, quàm noui versores in nominibus propriis hominum, locorum & similium ridiculi sint, ne dicam fatui & stolidi; dum nomina in veteri testamento vsurpata ita transformant, & ab vsitata scribêdi & pronunciandi forma detorquent, vt quæ alioquin ipsi etiam plebi notisśima, & apud vulgus vulgatisśima sunt ex antiquo vsu, vix à doctis intelligantur, nisi quis mentem attentè aduertat. Id vt videas Indicem quendam texere lubet; posita primùm vulgata appellatione; tum noua Nouatorum Hebraizantium & *Rabinizantium*. Ordiamur à Prophetis.

Vulg. & Com. *Esaias* vel *Isaias*. Iunius & Tremel. *Ieschahia*. Munst. *Iesaia*. OEcolampad. *Hesaias*. *Ieschaaiahu*, vel *Ieschaaia*. Quam pulchrè sonat in auribus Christianorum (nam Iudæos veri Christiani nihil morantur) principium illud Isaiæ Prophetæ ex versione OEcolampadij: *Visio Iesaaiahu filij Amoz, quam vidit, super Iehudah, & Ierusalam; in diebus Tziiahu Iotham Abbaz Iebbizkiiahu regum Iehudah.*

Quis, propè dixeram, alastorum ista intelligit, si quis hæc dicat se latinè, latinisque auribus consuetè proferre? Quis credet, cum magis homini Latino videantur Arabica, quam Latina. Sed huic fortaśsis incommodo remedium adhibet versio Iuniotremeliana. Audi & iudica. *Visio Ieschahiæ filij Amozi, quam vidit de Iehuda & Ieruschalaimis, à temporibus Huzziiæ Iothami, Achazi Iechizkiiæ, regum Iehudæ.*

Vbi nescias num Latinam, an Sclauonicam vel Dalmaticam linguam audias. Paulo propius

A ad nostrum captum sese demisit *faciunda...* Munsterus. *Visio Iesaiæ filij Amoz, quam vidit super Iehudam, & Ierusalem, in diebus Vziiahu, Iotan, Ahaz, & Iehizkiiahu regum Iehuda.*

Veniamus ad alium Prophetã. Vulg. & Com. editio. *Ieremias*. Hæret. Iun. Trem. *Iirmeia*. Ex quorum versione vide, obsecro, num Ieremiæ principium intelligas. *Verba Iirmeia filij Chilkiiæ, ex sacerdotibus qui erant Hanathothiis in terra Biniaminis.*

Munsterus: *Verba Iirmeiahu fili Hilkyahu de Sacerdotibus, qui erant in Anathoth in terra Biniamin. Ad quem factum est verbum Domini in diebus Iosiiahu filij Amon, regis Iehuda.*

B Ezechiel. Iun. *Iechezkel*. Luth. *Hesekiel*. Caluinianus Drusius nomen hoc sursum deorsumq; versat, pilæ instar, libro secũdo Hebraicarũ Quæstionum quæst. 48. *Ezeciel, Iehezciel. Iezeciel, Iezciel, Iehezciel, Ieeziel.*

Daniel. Iun. addita vna littera *Daniiel*. Mirum nõ fecisse *Diniil*. Sicut ex Balaam factus est *Bileam*. Quamuis autem nomen hoc proprium, fermè integrum sancto Prophetæ relictum sit, alterum tamen, quod in Babylone accepit, *Baltassar*, mirificè variatum est. Iunius. *Beltschatzar*. Munsterus. *Beltsazar*. Lutherus. *Beltsatzer*. Eadem fortuna perculit socios Danielis *Sidrach, Misach & Abdenago*. Iam enim audiunt *Schadrach, Meschach, Habed-*
C *nego*. Munst. *Sadrach. Mesach. Abednego*. Vide autem quàm pulchrè verterint Iunius & Tremelius septimum versiculum, primi capitis Danielis. *Imposuit Danieli nomen Beltschatzaris, & Chanania, Schadraci, & Mischaeli Meschaci ac Hazaria Habednegonis.*

Vbi cum Iudaismo Latinismum permixtum vides affixa flexione & terminatione latina. Vides & illud, ne natiuum quidem nomen Ananiæ intactum mansisse, euasit enim *Chanania*; & Misael; *Mischael*, & Azarias; *Hazaria*. Similem aleam subiit apud Danielem inuictus ille gentium domitor Nabuchodonosor factus *Nebucadnetzar*. Munst. *Nebuchadnazar*.

D Asphenez præpositus Eunuchorum; *Aschpenaz*. *Edixerat Rex Aschpenazo*, in Bibliis Iunianis Daniel. 1. Lutherus. *Aspenas. Malasar*. Munst. *Melzar*. Iunius & Tremelius ex *Malasar* nomine proprio faciunt appellatiuum; vertuntque: *promum*. Daniel. 1. vers. 11. & 16. Ibid. vers. vlt. & alibi apud Munsterum potentisśimus Monarcha *Cyrus* factus est *Chores*, & apud Lutherum, Munsteri Simium, *Cores*. Quod nomen, opinor, ne ipse quidem Cyrus agnosceret, si reuiuisceret.

Pergamus ad alios Prophetas. Noster Osee Iunio est Hoscheah. qui nostris in Bibliis suam Prophetiam sic auspicatur. *Verbum Domini quod factum est ad Osee filium Beeri in diebus Ozia, Ioathan,*

Digitized by Google

Achaz. Ezechiæ regis Iuda, in diebus Ieroboam filij Ioas. Regis Israël.

In Iunianis longe aliter. *Verbum Iehouæ, quod fuit ad Hoschebam filium Beeri, à temporibus Huzziiæ. Iothami, Achazi, Iechizkiiæ regum Iehudæ; & temporibus Iarobbami filij Ioaschi regis Iisraëlis.*

Munsterus, & qui Munsteri nomenclaturas affectatur, Lutherus; Hosea: qui iussu Dei *abiit* & accepit *Gomer* filiam Debelaim. Apud Tremelium; *abiens assumpsit Gomeram, Diblaiimanam;* quæ peperit filium, cuius nomen *Iezrahel*. Iunius *Iizrehel*. Munst. *Iizreal.*

Ioel beneficio & gratia istorum nomen retinuit. Sed loco filij mulctarunt Patrem. Neque enim est amplius filius Phathuel; sed filius *Pethuelis* apud Iunium & Munsterum.

Amos aspiratione auctus & ditatus est studio Iunij & Tremelij. *Hamos.* Apud nos sic exorditur. *Verba Amos, qui fuit in pastoralibus Thecue.* Apud Iunium sic. *Verba Hamosi, qui fuit inter pecuarios Tekohani, quæ vidit de Iisraële temporibus Huzziiæ regis Iehudæ, & temporibus Iarobbami filij Ioaschi regis Iisraëlis, biennio ante motum terræ.*

Cum Abdia miserrimè actum est: Rebaptizatus enim iam *Hobadia* appellatur à Iunio: à Mũstero, *Obadia*, aspiratione detracta. Meliore loco est Ionas; cui solum sigma ademptum: sed Patrẽ loco filij manibus istorum deformatum cerne. Nam Ionas non est amplius filius *Amathi*. Sed, *Amitthai.* Nec Niniue, est Niniue; sed *Nineue.*

Peior sors Michæ, qui Munstero est *Micha.* Iunio *Mica.* qui nobis hactenus ita loquebatur. *Verbum Domini quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Ioatham, Achaz & Ezechiæ regum Iudæ; quod vidit super Samariam & Ierusalem.*

Nunc Iuniana Metamorphosi, linguam mutauit: *Verbum Iehouæ, quod fuit ad Micam Moraschthiten, diebus Iothami, Achaz, Iechizkiiæ Regum Iehudæ, quod vidit super Schomrone, & Ieruschalaimis.*

Ecce integram Samariam mutat iste in *Schomron.* v.9. *Ægra est Schomron:* non Samaria. v.6. *Disponam Schomronem.*

Sequitur Nahum noster; qui Iunio *Nachum.* Nobis Prophetia *Nahum.* Iunio, *Nachumi.* Fuit hactenus *Elcesæus*: Nunc *Elkoschæus.*

Habacuc Iuniana metamorphosi abiit in *Chabakkuk.* Quid Sophonias? Vix agnoscitur. *Tzephania.* Apud Munst. *Zephania.* Iunius plerunq; liberalior est in additamentis litterarum. Experire, quæso, num hoc exordium eius intelligas. *Verbum Iehouæ, quod fuit ad Tzephaniam filium Cuschi, filij Gedaliæ, filij Amariæ, filij Chizkiiæ, filij Amonis Regis Iehudæ.*

Quis nouit *Chaggai*, vel Munsterianum *Haggai?* Atqui is noster Aggæus est. Cuius initio, quis agnoscit Regem *Dariasues*, creatum à Munstero; qui nobis est *Darius?* Quis ibid. agnoscit Iunianum *Zerubbabelem*, filium *Schealthielis* Tremeliani & Munsteriani?

Adesto tu quoque non iam *Zacharias*, sed *Zecaria* vel *Zecharia*: vel *Sacharia* qui hactenus fuisti filius *Barachiæ.* nũc *Berecia*, mutato Patre. qui fuit filius Addo, nunc *Hiddonis* Prophetæ. Vaticinatus fueras sub Dario Rege; nunc Munstero compellente; sub Rege *Dariasues.*

Malachias iam est *Maleaci.* Munstero per apocopen *Malachi.* In cuius cap.1. vers.2. noster Interpres. *Nonne frater erat Esau Iacob. dicit Dominus, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui?*

Pulcherrimè Iunius. *Nonne frater fuit Hesau Iahakobo; dictum Iehouæ, dilexi autem Iahakobum, Hesauum verò odio habui?*

Neque aliis Prophetis parcitum est. Apud Metamorphitas istos Samuel est *Schemuel.* Mater eius Anna, *Hanna, Channa.* Esdras, *Hezra. Ezra.* Nehemias. *Nechemia.* Iob. *Iiob, Iiobus*, nec habitauit in terra Hus, sed *Hutzi.* Nec habet amplius amicos *Baldat Suhitem*; sed *Bildad Schuchiten*, nec *Sophar Naamathiten*; sed Tzophar Nahamathiten, vna aspiratione ditiorem: nec dicas post hac, quod vnius filiarum nomen vocauerit *Diem.* Et alterius *Cassiam*; & tertiæ, *Cornustibij.* Quid ergo? Audi Iunium & Tremelium. Primæ indidit nomen *Iemima.* (mirum non fecisse ex illa *Mimam*) Secundæ, *Ketziha, Keren--Happuc.* Munsterus. *Iemima. Kezia. Karenhapuch.* Tigurini, *Kerenhaphuch.* Castalio lepidissimè. *Querenappucam.*

Nec veteribus illis Prophetis parcitum est. Moyses fit *Mosche. Quintus liber Moschis siue Deuteronomium* cuius initũ vide num intelligas. *Ista sunt verba quæ eloquutus est Mosche vniuerso Iisraëli cis Iardenen, in deserto, in campestribus quæ sunt è regione Suph, inter Paranem & Thophelem, & Lambanum, & Chatzerothas ac Di--zababum.* Omnia videntur Sarmatica latinis nonnihil aspersa.

Quid Moyse vetustiores. *Isaac & Iacob?* Ille. *Iitzchak.* Cuius vxor non Rebecca, sed *Ribka*, quorum filij non Iacob & Esau; sed *Iahakob & Hesau.* Nec vocauit Isaac Iacob, vt benediceret ei. Gen. 28. sed *Iitzchak* vocauit *Iahakobum.* Nec dixit: *Proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel.* Sed abi in *Padanem Syriæ in domum Bethuelis.* Nec Lia est vxor Iacob, sed *Lea.* Nec Liæ ancilla est *Zelpha*, sed *Zilpa.* Gen.30. Etiam filij Patriarchæ Iacob mutarunt nomina. Ruben, est *Reuben.* Simeon, *Schimhon.* Iuda, *Iehuda.* Aser, *Ascher.* Zabulon, *Zebulun.* Nephthali, *Naphthali.* Manasses, filius Ioseph, *Menasche.* Beniamin, *Biniamin.*

Eadem calamitas Reges quoque inuasit & comprehendit, vt & fortissimos duces. Pharao, est *Parho.* (Cur non Baro?) Iosue, *Iehosuach*, vel *Iehosua.* Cedo an horum Iunianorum Iudicum nomina agnoscas. *Hotnielis, Ehudis & Schamgaris. Gidhonis. Tolahi, Iiphthachi, Ibtzanis, Elonis, Habdonis. Schimschonis.* Quis nouit istos? Samsonem etiam vulgus nouit; vt & Iephte. Quis ex vulgo nouit *Schimschonem*, vel *Iiphthachum?* Gedeon notissi-

Digitized by Google

mus est. non ita Lutheranus *Gideon*; vel Iunianus *Gidhòn*; vel *Simson*.

Audi alia. Saul, *Schaul*. Salomon, *Schelemo*. Roboam, *Rechabbam*. Ieroboam, *Iarobbam*. Iosaphat, *Iehoschaphat*. Quis nouit sequentes Reges Iuda creatos à Iunio & Tremelio. *Achazia, Hathalia, Ioasch, Amatzia, Huzziia, Iotham, Achaz, Chizkiia, Menasche, Amon, Ioschiia, Ioachaz, Iehoiakim, Iehoiacin, Tzidkiia.*

Quis nouit istos Reges Israël ab iisdem duumuiris Caluinianis coronatos. *Achazia, Iehoram, Iehoachaz, Iehu, Ioasch, Iarobbam, Zecaria, Schallum, Menachem, Pekachia, Pekach, Hoschea h.*

Finis nullus sit, si omnia persequi velim. Lege si placet prima capita libri primi Paralip. & confer Iunium, Munsterum, similes cum editione veteri, & recepta scribendi & proferendi huiusmodi nomina ratione; vix, ac ne vix quidem intelliges, qui nam nominibus illis significêtur; quod nô tantum factum in nominibus propriis hominum, sed & regionum, populorum, fluuiorum, vrbium; Quis intelligit clausulam libelli Ruth prout à Caluinistis Iunio & Tremelio vertitur? Hæ sunt Generationes *Peretzi: Peretz genuit Chetzronem, Chetzron autem genuit Ramum; & Ram genuit Hamminadabum. Hamminadab autem genuit Nachschonem, & Nachschon genuit Salmonem, Salmon autem genuit Bohazum: & Bohaz genuit Hobedum, Hobed autem genuit Iischaium: & Iischai genuit Dauidem.* Pro illis nostris: *Hæ sunt generationes Phares.* Phares *genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed. Obed genuit Isai, Isai genuit Dauid.*

Integer liber de huiusmodi versorum stultitia confici posset: Quæ tâta est; vt ne ipsi quidem Zvvinglio, eiusque discipulo Pellicano probari potuerit. Quapropter præfat. in *Complanationem* super Isaiam his verbis istorum stoliditatem notauit, & redarguit. *Hebræorum litteras aliquando caruisse vocalibus notis, quas parum ciuiliter ipsorum Rabini & finxerunt, & supposuerunt, non tantùm hinc colligitur, quod & D. Hieronymus nullam prorsus ipsarum fecit mentionem, & vetustissimi eorum codices, etiamsi nunc habeant eas notas, aliquando tamen non habuisse, cum ex atramenti dissimilitudine, tum ex situ earum deprehenditur: sed vel hinc maximè, quod vocalibus nunquam caruit ea lingua, א a, enim, ע e, י i, ו o & u, nunquam eis defuerunt. Quamuis hæ voces, in quibus tot consonantes sine vocalibus constipantur, videantur contrà venire: sed vulgare fuit eis aduoculare ad huiusmodi. Quomodo si Germanicè scriberetur* fisch/ *id est, caro; iam Heluetij legerent* fleisch / *Sueui* fluasch / *Doggenburgij* flâisch / *Rhæti* flaisch/ *&c. cùm interim eadem manerent originales, quas ipsi radicales vocant; & substantiales literæ. Vsu igitur constabat huius generis lectio: qui tamen, posteaquam toties in captiuitates varias abducti sunt, & peregrinæ Gentes aut patriam ipsorum, aut ipsos in patria non sua tenuerunt, prorsus exoletus est factus. Quamuis in istis legendis etiam non nihil deprehenderimus, quod tamen ad hoc in-*

A *stitutum propter prolixitatem parum congruit. Vbi verò cunque tantum sit respirationis eis datum, vt vel redire ad literas suas, vel hunc voculandi modum excogitare potuerint, incertum est. Hoc tamen ambiguum non est, tum tandem inuentum esse, quum eis omnis ferme peritia perierat.* Cuius rei argumenta sunt plusquam barbaræ voculationes, quibus, (nisi quòd veritas contaminari nequit) tantùm non fœdant diuina eloquia. דריוש an non sese offert, quomodo legi amet? nempe Darius. AEquè כורש, si puncta indoctorum magistrorum auferas, nónne sua se sponte legit κῦρος Cyrus? Quæ ergo intemperiæ monent, vt pro *Darius* legant *Dargafasch*, & pro Cyrus, *Koresch*? Sic quum pro יון, hoc est Ion, Iasan: & pro כרכר, hoc est, carruca, *Kirkar*: & sex-
B centa huiusmodi legunt. Taceo enim quæ apud Danielem apertè comprenduntur esse deprauata, ex Græcis allata vocabula. Quis non videt, non alium cacodæmonem, quam inscitiam rerũ priscarum, tam inurbanam lectionem persuasisse? Hæc Zvvinglius; quæ recitare voluimus in gratiam Munsteri, qui Cyrum transformat in *Cores*, & Darium in *Darenes*; quanquam in hoc mutandi & nouandi genere nulli sunt intolerabiliores quam Iunius & Tremelius, qui tamen *Cyro & Dario* pepercerunt, neque de solio præcipitarunt.

Quid Pellicanus? *Propria hominum, & locorum nomina, vt in Ecclesiis decantata sunt, vsurpauimus, quãdo vocalibus, & diphthongis duntaxat à pronuntiatione,*
C *quæ Iudæis hodie celebratur, abludunt. Siquidem incertum est, an Iudæorum antiquitas ea sic protulerit, contra quam Græcos, & Latinos interpretes orthographiam obseruare cernimus. Nam olim notis vocalium, & diphthongorum Hebræos caruisse magni viri existimant, & Iudæorum authenticos libros adorandæ vetustatis, etiamnum reperire est literarum solùm, & non vocalium characteribus exaratos.* Quia tamen hæreticus erat, hoc temperamentum adiunxit ne suos symmystas offenderet; quorum aures nullam nisi *Rabbinicam* pronunciationem ferunt. *Quandoquidem verò nihil est in hoc periculi, non improbamus nostrates, qui Iudæorum consuetudinem hodie receptam in propriis nominibus efferendis æmulantur.* Vides igitur, ne ipsis quidem Nouatoribus hanc nouandi libidinem arridere.

D Nec immerito. Primò. Quia repugnat septuaginta Interpretibus, qui Hebraicæ linguæ peritissimi; procul dubio non ignorabant, quomodo propria nomina scribenda & efferẽda essent. Nam quod post tot annos, imò sæcula, quidam nuperrimi Hebræistæ, & Rabinistæ eos accusant, quasi nec Hebraicè nec Græcè satis doctos, id apertior est calumnia, quam vt refutationem mereatur, solo risu, solisque sibilis digna. Hæc ratio ipsum quoque Zvvinglium, quantumuis Nouatorem maximum, non parum mouit, quo minus peregrinam istam pronunciationem approbaret.

Secundò repugnat Euangelistarum & Apostolorum consuetudini; qui istam Hæreticam

ſcribendi & nomina efferendi rationem non vſurparunt, ſed eam, qua nos hodie vtimur. Neque enim ſanctus Petrus 2. Petri 2. nouit Iunianum *Bilham*, aut Lutheranum *Bileam*; ſed *Balaam*. Nec S. Paulus ad Hebr. cap. 11. Iunianos Iſraëlitarum Iudices cognitos habuit; ſed hos noſtros; qui ſunt; *Gedeon, Sampſon, Iephte*. Nec Paulus *Hauam*, vel *Chauuam*, ſed *Euam* vel *Heuam* 1. Tim. 2. vt plura exempla, quæ paſsim obuia ſunt, non accumulem. Quocirca probare nequeo, quod Pagninus hanc Iudaicam & Rabinicam pronũciandi rationem, etiam in nouum teſtamentum à ſe ex Græco in Latinam linguam conuerſum, traducere conatus fuerit, planè contra ipſam Euãgeliſtarum & Apoſtolorum conſuetudinem. Quid opus eſt iſtis *εὐφωνίαις & κακοφωνίαις*? Verè enim vanæ & inanes ſunt; & omnis pietatis vacuæ. Quid obſecro, ad pietatem in hominum animis augendam faciunt? Quid ad fidelium ædificationem conferunt?

Ad extremum, cum toti Chriſtianę antiquitati, & vniuerſis Patribus tam Græcis, quàm Latinis, & communi omnium Chriſtianorum veterum ſenſui & conſenſui hæc nouitas aduerſetur, iure optimo vel hoc ſolo nomine à nobis exploditur atque exſibilatur, & ad aures Arcadicas ablegatur: cumque Lutherus Rabinos adeo oderit, vt eos ſi potuiſſet ad Orcum vſque deprimere cunctatus non eſſet; & Munſteri verſionem extremè contempſerit, haud temerè aliquis miraretur, quomodo adduci quiuerit; vt Munſterum hac in re ſequendum ſibi exiſtimarit; niſi iam omnes perſpectum haberent, Lutherum fuiſſe Vertumnum, & ex eodem ore calidum ſimul ac frigidum efflaſſe; & non ab alio *Cacodæmone*, vt Zvvinglius ait, quàm ab inſcitia ad iſthæc nouanda impulſum eſſe.

CAPVT IX.

Nouos verſores reiici debere, quia inter ſe non concordant.

DICI non poteſt, quanta ſit inter iſtos tranſlatores diſſenſio, quanta varietas, ſiue rem, ſiue verba, ſiue modum interpretationis ſpectes. Qua varietate iam ſuo tempore obſtupefactus & offenſus Lutherus, ſcripſit; idque, tanquam oraculum, inter prophetias Lutheri relatum eſt à Georgio VValthero, Prædicante Lutherano, in libro de Prophet. Lutheri, titulo, de libris. Es iſt jetzt zu vnſer zeit ſo vil dolmetſchens der Bibel / daß mit der zeit villeicht ſo vil Biblien kommen werden / ſo mancher Klügel inn der Hebreiſchen Sprachen / Meiſter ſeyn wirdt / daß da kein end ſeyn wirdt. *Noſtra ætate tot ſunt Bibliorum verſiones, vt temporis ſucceſsione tam multa fortaſſe futura ſint Biblia, quam multi ſcioli in Hebraica lingua Magiſtros ſeſe profitebuntur, vbi nec finis nec modus erit.* Quis his ſciolis feneſtram aperuit? Nonne ipſe Lutherus? qui arrogantiſsimè tam ſeptuaginta Interpretes, quàm ſanctum Hieronymũ accuſat, quaſi Hebraicæ linguæ imperiti fuerint, nobiſq; verſionem Hebræo non reſpondentem, tradiderint.

Quid ergo de his ebrius Lutherus in ſuis colloquiis ſympoſiacis, *titulo de linguis? Septuaginta Interpretes, qui Hebraica Biblia in Græcam linguã tranſtulerunt, Hebraicæ linguæ imperiti expertesq; fuêre. Verſio illorum valde eſt fatua & abſona, quia contempſerunt literam, modumq; ac morem loquendi, ita vt ſancti Hieronymi verſio illorum tranſlationi præferenda ſit: Quamuis Hieronymo ſummam iniuriam irroget, quicunquè illum pro Hebræo habet.* Ecce, mi lector, vnde ſciolis, de quibus Lutherus, Princeps ſciolorum, conqueritur, hæc tanta nouas verſiones excogitandi libido? Ab ipſo nimirum Luthero eam ſuxerunt, qui faſtuoſiſsimo ſupercilio ſeptuaginta Interpretes, Hebræos natos, imperitiæ Hebraicæ inſimulare audet, quaſi ipſe in angulo neſcio quo Germaniæ ſatus & educatus, melius tenuerit linguam illam, quæ ſeptuaginta Interpretibus natiua ac vernacula erat; vt nihil dicam, de incredibili ſancti Hieronymi in hac lingua perdiſcenda ſtudio, deque laude quam hac in cognitione omnium ætatum eruditi ſancto Hieronymo tribuerunt, vt proinde *fungum* eſſe oporteat, qui Lutherum maiores in Hebraica lingua proceſſus effeciſſe arbitretur, quam 70. interpretes, aut ſanctum Hieronymum, præſertim cum à Luthero ipſa veritas hoc teſtimonium expreſſerit; quantumuis fortè à ſemipoto; quia *in vino veritas*, vt vulgo dici ſolet. *Non ſum Hebræus ſecundum Grammaticam & regulas: quia non patior me vſquam alligari; ſed liberè quoquo verſus incedo.* Quantam Hebraicæ linguæ peritiam in Luthero fuiſſe oportuit, ſi ne regulas quidem Grammaticæ nouit? Et tamen agrammatus iſte apoſtata non modò nouam Bibliorum in Germanicam linguã tranſlationem aggreſſus eſt; ſed & eam quaſi puriſsimam, & Hebraicæ veritati prorſus conſonam, iactitare auſus fuit; ægerrimè, & impatientiſsimè aliorum verſiones ſiue in Latinum, ſiue in Germanicum ſermonem ferens.

Sed ad ad rem. Diſcrepantiam horum verſorum oſtendit & expendit olim Cochlæus in libello ſuo de nouis trãſlationibus, allato pro ſpecimine Pſalm. 109. cuius tempore, necdum tam multæ verſiones prodierant, ſicut ad hoc vſque noſtrum æuum prodierunt. Adferamus igitur nouorum Interpretum huius Pſalmi tranſlationes, vt inde ſtatuamus, quàm concorditer alios item ſcripturæ locos tractent.

Aretius Felinus; ſeu Martinus Bucerus, qui ſub illo fictitio nomine latet. *Dixit Autophyes Domino meo, ſede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedibus tuis.*

Vbi nota, ſectarium iſtum inuſitato prorſus omnibus ſæculis exemplo; nomen Dei tetragrãmaton, quod pleriſque eſt Iehoua, exprimere

per Græcum nomē *Autophyes*: quod fortasse magis est Orphicum, Hesiodéum, aut Homericum, in Christiana profectò schola inauditum & insolentissimum. Et tamen Nouator iste totum Psalterium suum hac voce contaminat; vel, vt ipse arbitratur, ornat. Pergat iam.

Autophyes è Zion potens potens imperium tuum, exerce potestatem in medio hostium tuorum. Populus tuus aderit spontaneus in die, quo virtutem tuam declarabis, in vrbe sancto splendore insigni, vt ros matutinus, aderit ab vtero iuuentus tua. Autophyes iurauit, nec pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum iuxta rationem Malcizedeck. Dominus ad dexteram tuam, cadet tempore iræ suæ Reges. Exercebit iudicium in gentibus, replebit omnia cadaueribus, cadet caput terræ amplæ. De flumine in via bibet, propterea extollet caput suum. Sic Buccrus hunc Psalmum transtulit.

Quoniam verò, inquit Cochlæus, *in vno duntaxat huius Psalmi versu magna est nouorum translatorum, & inter se ipsos diuersitas, & à textu nostro dissonantia, non abs re fuerit, eorum verba super eo versu sigillatim recensere, vbi nos habemus Tecum principium, &c. Lutherus itaq; in Germanico suo Psalterio (in latino prius vtebatur nostro textu) sic habet. Post victoriam tuam offeret tibi spontaneè populus tuus, in sancto decore, filij tui nascentur tibi, sicut ros ex aurora.*

Pomeranus verò quem in Psalterij explanatione omnibus præfert Lutherus, hic in textu longè magis nostro, quàm Lutheri sui textui concordat, sic enim habet. Tecum principatus in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum tuorum, ex vtero ante Luciferum genui te. Pellicanus autem in priore Psalterij editione sic interpretatus est. Populus tuus oblationes liberales in die virtutis tuæ, in decoribus sanctitatis ex vtero auroræ tibi ros generationis tuæ. In posteriore autem editione nostrum per omnia textum in hoc versu recenset atq; amplectitur, nisi quod falsò dicit, Latinos perperam interpretatos esse principium, pro principatu. Felinus quem præ aliis commendat Pellicanus iste, aliter habet quam habet ipse in vtraq; editione, cuius verba vt propius conferendo inspiciantur, repeto ex supradictis, ait enim. Populus tuus aderit spontaneus in die, quo virtutem tuam declarabis, in vrbe sancto splēdore insigni, vt ros matutinus aderit ab vtero iuuentus tua. Munsterus qui literarum Hebraicarum studiosissimus habetur, in noua translatione sua sic habet. Populus tuus spontanearum est (voluntatum) in die exercitus tui, in magnificentiis sanctitatis, ab vtero auroræ est tibi ros natiuitatis.

Hos sex versores speciminis loco adduxit Cochlæus; vt inde intelligamus, quàm isti in suis translationibus conspirent: exque tanto consensu colligamus, quo spiritu isti agantur, num pacis an dissidij?

Addamus nos sex alios, si non plures. Iunius ergo & Tremelius. *Populus tuus populus voluntarius die copiarum tuarum: in decoris locis sanctitatis inde ab vtero, tibi aderit, ros iuuentæ accuratissimè.*

Castalio. *Tuæ copiæ voluntariæ erunt, qua die expeditionem cum sacra maiestate facies. ex vtero auroræ habebis rorem tuæ iuuentutis.*

A Zvvinglius in suo Psalterio. *Populus autem tuus in die triumphi tui vota offeret cum sancta pompa.*

Leo Iuda in Bibliis Tigurinis. *Habes promptissimum populum, quum educes tuas copias. tibi (etiam) est ros generationis tuæ in summo decore & sanctitate ex vtero auroræ.*

In margine allinitur hæc versio. *Populus tuus liberalitatum in die copiarum tuarum, in decoribus sanctitatis, ex vtero sine locis auroræ.*

Musculus. *Populus tuus spontaneus, in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctitatis, ex vtero velut ex aurora tibi ros iuuentutis tuæ.*

Maior. *Populus tuus spontaneus (offeret) in die victoriæ tuæ, in ornatu sancto. Ex vtero oritur tibi ros generationis.*

B Habemus iam duodecim Psalterij sectarios versores. qui quàm probè inter se concinant, manifestè vides, quibus hoc studium, vt si sensu discordare non possint, saltem discordent verbis: Adiungamus huic dodecadi aliquot supernumerarios. Et in his Pomeranum, qui postea versionem à Cochlæo citatam mutauit; ne fortè videretur minus cum lupis vlulare. *Populus tuus erit spontaneus in die victoriæ tuæ in ornatu sancto, ex vtero Auroræ vt ros nascentur tibi filij tui.*

Felix vertit. *Populus tuus cum oblationibus, in die virtutis tuæ in decoribus sanctitatis, ex vtero ortus est tibi ros generationis tuæ.*

Campensis à Musculo citatus. *Populus tuus spōtaneas offeret, & liberales oblationes tibi.*

C Caluinus. *Populus tuus cum voluntariis oblationibus in die exercitus tui, in pulchritudine sanctitatis: ex vtero ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.*

Ex Catholicis Caietanus sic reddidit. *Populus tuus spontanei in die fortitudinis tuæ, in decoribus sanctitatis, de vulua auroræ tibi ros natiuitatis tuæ.*

Pagninus. *Populus tuus sponte veniet in die fortitudinis tuæ, in pulchritudinibus sanctitatis, ex vtero ab aurora fuit tibi ros natiuitatis tuæ.*

Iustinianus in suo Psalterio. *Populus tuus voluntarij, in die virtutis tuæ in decoribus sanctuarij, ex matrice ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.*

Vides erudite, lector, quam nihil sit constans & certum, quando constans & certa Catholicæ
D Ecclesiæ translatio & sentētia relinquitur. Quot capita tot enascuntur versiones, in id vnum omnibus incumbentibus, vt nouam translationem cudant, ne videantur vertendo inanem cepisse operam, si cum aliis consentire velint.

Vnde hæc tanta diuersitas? Omnes promittunt scientiam Hebraicæ linguæ. Omnes fidelem & à primigenio textu neutiquam abeuntem versionem pollicentur. Et tamen, qui hæc omnia quasi iurati spondent, inter se plusquam plurimùm dissident; & spiritu vertiginis mirum in modum circum rotantur, cuius circum actionis aliam caussam non video, quàm quia tot sæculorum versionem repudiant; suumque tenue ac

exile iudicium & ingenium omnibus antepo-nunt, & oculatiores eſſe volunt, quàm omnes quotquot ad hunc diem ſacras litteras tracta-runt. Quod de Hæreticis intellectum eſto. Nam ſi talis mens Catholicis eſſet, iam Catholici eſſe deſiiſſent.

Vetera ergo veneremur, ſuſpiciamus & ample-ctamur, & vetuſtatis anchora intellectum & voluntatem noſtram firmemus, alioqui perpetuò fluctuabimus; & inconſtantiæ turbine circumferemur; vt videre licet in hæreticis; qui alij poſt alios noua Biblia cudũt, vt noua procudãt. Nam quid opus erat, vt Zvvingliani poſt Lutheri Germanica Biblia alia euulgarent; ſi nil nouare,& in omnibus cum Luthero concordare volebant? Cur Lutherus Biblia edidit poſt illa vernacula, quæ legebantur antequam Lutheri pater,& forſan auus naſcerentur? Quæ neceſsitas adegit Piſcatorem, vt in eodem fluuio poſt iſtos omnes piſcaretur, verſis Germanicè Bibliis,& aliquid ſe capere poſſe ſperaret; quod non eſſet captum à Lutheranis & Zvvinglianis? Cur Leo Iuda & alij poſt Munſterum nouas tranſlationes tentarunt? Cur poſt hos Caſtalio? Cur poſt omnes iſtos Iunius & Tremelius? Cur? niſi quia Nouatores vetera antiquare;& noua introducere,& nouis, quæ priores Nouatores excogitauerant, alia noua ſuperinducere cogitabant. Quid, quod ne ipſi ſibi conſtant: Quoties Lutherus Biblia ſua vertit, inuertit; peruertit, tranſuertit: vt veterem magis atque magis euerteret? Quoties id factum à Tigurinis in editione Germanica? Quoties ab aliis in latinis tranſlationibus?

CAPVT X.

Noui verſores inſulſi ſunt, inſipidi, profani, omni ſpiritu deſtituti; & ideo fugiendi.

HIc non tam mea probatione, quàm nouorum Bibliorum lectione opus eſt. Lege Iunium & Tremelium,& ſi palatum tuum non obbrutuit; multis locis potius AEſopum, aut Mileſias Apuleianas; aut ſimile quid, quàm ſacra Biblia te legere credes: quod de pleriſque aliis intelligas credaſque licet, mea fide, ſi tamen tibi & mea fides. Nam ſi Lutheranus es aut Caluinianus, mirandum non erit, ſi malis veſci glandibus, quàm ficubus. Quid iucũdius, ſuauius & amœnius Pſalterio ex vulgata verſione; vel ex 70. ſeniorum Interpretatione; ꝙ tot ſanctiſsimorum hominum ore tritum & decãtatum; tot doctiſsimorum Patrum commentariis illuſtratum eſt? Quid cõtrà inſuauius, inamœnius & horridius Pſalmis pro-

A ut ab iſtis vertuntur? Nimis longum facerem, ſi multa exempla congererem. Quid celeberrimo illo Pſalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo, &c.* mellitius? At vide num quid ex hac Iuniotremeliana verſione ſpiritalis iucunditatis ac ſolatij extundere queas. *Dixit Iehoua Domino meo, ſede ad dexteram meam, donec diſpoſuero inimicos tuos in ſcabellum pedum tuorum. Scipionem robuſtum tuum emiſſurus eſt Iehoua, Tziione, dicens, dominare in medio inimicorum tuorum. Populus tuus populus voluntarius die copiarum tuarum in decoris locis ſanctitatis, inde ab vtero, tibi aderit ros iuuentæ tuæ accuratiſsimè. Iurauit Iehoua, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in ſæculum ſecundum ordinem Malcitzedeki. Dominus, qui ſedet ad dexteram tuam, frangens die iræ ſuæ Reges. Iudicium exercebit in* B *gentes, complens corporibus, frangens caput, in regionibus plurimis. De torrente in via bibet, idcircò attollet caput.*

Sic diuinus Pſalmus ex trãſlatione Caluiniſtica, ſiccior eſt pumice. AEquè aridus eſt à Caſtalione verſus. *Ait Ioua Domino meo: ſede ad meam dexteram, donec tuos hoſtes effecero ſcabellum pedum tuorum. Sceptrum tuæ potentiæ mittet ex Sione Ioua, ad dominandum inter hoſtes tuos. Tuæ copiæ voluntariæ erunt, qua die expeditionem cum ſacra maieſtate facies: ex vtero auroræ habebis rorem tuæ iuuentutis. Iurat Ioua, non mutaturus ſententiam, te Sacerdotem eſſe in æternum, ad rationem Melchiſedeci. Dominus tibi dexter tuus, cum iraſcetur, reges obtruncabit. Vlciſcetur gentes cum vaſta ſtrage corporum: caput obtruncabit, quod ampla terræ* C *præeſt, ita vt ex torrente bibat in via, atque ideo, caput attollat.*

Quid queris lector? Neſcio quis pſallere poſſet, ſi ex horum verſione pſallendum eſſet. Crux immenſa foret, non obiectatio. Quod de aliis itidem recentium verſorum verſionibus dictum ſit.

Quomodo Caſtalio tractat Cantica? Paraphraſin elegiæ alicuius Propertianæ aut Tibullianæ te legere credas, nõ canticum omnium canticorum ſacratiſsimum. Id vt nobis perſuaderemus, initio ad marginẽ adſcripſit. *Sulamitha Salomonis amica atq; ſponſa.* Quaſi in hoc Odario Salomon amicam ſuam celebraret, ſicut olim Poëtæ ſuas Cynthiam, Deliam, Corinnam, Neæram. D Hinc illa amaſio, non Spiritu ſancto digna. Lepidulas habes inter inaures genulas. *Mea columbula, in petræ forulis, in cochleæ latibulis, oſtende mihi tuum vulticulum, fac vt audiam tuam voculam, nam & voculam venuſtulam, & vulticulum habes lepidulum. O te formoſam amica mea, ô te formoſam, quæ columbinos habes ocellos, cincinnulis interiectos, &c. Coccineæ vittæ ſimilia ſunt tua labella: elegans oratiuncula, &c. Ceruiculam habes Dauidicæ turris ſimilem, &c. Tota bella es, amica mea, &c. mea ſororcula ſponſa, &c. Tu mihi cor vulneraſti, mea ſororcula ſponſa; altero ocellorum tuorum, altera comarum tuæ ceruiculæ. Quanto formoſiores habes mammulas: mea ſororcula ſponſa, quanto pulchriores habes mammulas vino, & vnguẽta quibuſuis odoribus fragrantiora?* Mox ſequũtur, *pomariolum, viridariolũ, planta-*

Digitized

riolum, fonticulus, puteolus, riuuli, &c. Aperi mihi mea sororcula, mea amicula, mea columbula, mea perfecta. nã & caput rore, & capillos nocturnis plenos guttulis habeo. Exui meam tuniculam. Mox sequuntur. *areolæ, turriculæ. Hæc vna mea columbula, hæc vna matercula suæ, hæc suæ genitriculæ lectissima est, &c. Quàm formosa, quàm bella es, amore delicatula, &c. Vtinam esses mihi quasi fraterculus, qui mea mammas matercula suxisses, quem ego nacta foris dissuauiarer. Est nobis paruula sororcula, quæ mammulas non habet, &c.*

Quid verbis opus? Nihil mollius, fractius, & amatoriis blanditiis affinius fingi potest, quàm Canticum hoc prout à Castalione deformatum & turpissimè inquinatum est, transtulit nimirũ conuenienter suo sensui; quia alio loco asma hoc non habebat, quàm loco carnalis & lasciui odarij ab eo profecti, qui nimio erga amicam suam amore incensus esset.

Et vt aliquid ex nouo testamento delibem, cui pio persuaderi poterit; vt D. Virginem salutet illis verbis non Angeli; sed Castalionis. Luc. 1. *Salue accepta, cui Dominus adest; quæq; es mulierum fortunatissima.* Pro illis; *Aue gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui.* Pro quo Nouator. *Felix & istius ventris fœtus.* Quis ferat illud Ioan. 1. *Et sermo corporatus est. Pro, Verbum caro factum est.* Quis innumerabilia alia in Castalionis & similium Nouatorum translationibus digerat, nisi & stomachum & os & sensum ferreum habeat?

Testatur Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, Castalionem verba illa Actor. 2.. ὃν προσπήξαντες ἀνείλετε. *Quem affigentes, interemistis,* transtulisse. *Quem vos ad palum deligatum sustulistis. Quæ verba,* inquit Sixtus lib. 8. *proximis annis inter Iudæos quosdam ab Anabaptistis Florentinæ ciuitatis ad fidem receptos, non absq; ingenti Anabaptistarum periculo, magnum rumorem in conuentulis eorum excitarunt, addubitantibus Iudæis illis, an Christus iuxta vetustum Romanorum, & Hebræorum morem fuisset cruci suffixus, aut potius palo infixus, iuxta præsentem Turcarum cõsuetudinem, quemadmodum Castalionis editio significare videbatur.*

In editione tamen Bibliorum Castalionis anno 1556. Basileæ apud Oporinum hæc versio non exstat; vertit enim; *Quem vos in crucem egistis, &c.* Forte in antiquiorem vel posteriorem aliquam editionem Sixtus incidit. Fuit enim Castalio in hoc nouandi genere audacissimus & impudentissimus: vt Beza non semel ostendit; *Orcum* pro, Inferno, *furiosum,* pro, energumeno, & alia pro aliis ponere & permutare consuetus.

A CAPVT XI.

Noui versores se mutuò damnãt, carpunt, perstringunt, lacerant, insectantur, ideo reiici debent.

NON longè abierim. Testes huius mutui conflictus sunt Beza & Castalio. Lege aduersaria eorum scripta propter noui testamenti translationem, dum ille suam, hic suam tuetur versionem, videbisque pugnam, ex qua nullo negotio colliges, vtrunque non illo spiritu, quo scripturæ scriptæ sunt; sed illo, quo oppugnatæ, agi & a-
B gitari. Quoties Beza carpit Erasmum? Qui si viueret, denuo, vt olim in non paucos, Apologiam aduersus Bezam conficere cogeretur versionis suæ defendendæ gratia. Quoties Erasmus reprehendit Vallam? Quoties Stapulensem? Quoties alios? Sic nulla inter hos pax est; quia pax non est in mendacio, veterumque contemptu; sed in veritate & in antiquorum amore & obseruantia. Et certè, quòd alij post alios semper Biblia vertunt, quid aliud faciũt, quàm quod priores versores tacitè reprehendunt. Nam si prius benè versa crederent, actum non agerent.

Profitentur quidem Tigurini Ministri; Iunius, Tremelius, alij, se nullius laborem in sacris litteris transferendis antea exhaustum, carpere aut
C vellicare: sed factum haud cum professione concinit. Nisi fallor, hæretici versores sic mutuò affecti sunt, sicut Lutherus parens istorum affectus fuit erga Biblia Tigurina, sibi dono à Typographo Tigurino missa: cum enim Tigurini Leonis Iudæ, aliorumque translationem publicassent, & Zvvinglianus Typographus exemplar eleganter compactum Luthero VVitebergam misisset, has illi grates persoluit, teste Caluino Hospiniano in hist. Sacramentaria anno M. D. XLIV. *Ne posthac sibi aliquid mittat, quod à Ministris Tigurinæ Ecclesiæ profectum sit, se enim nullum cũ eis commercium posthac habere, & libros eorum, nec recipere, nec legere velle. Nam Ecclesias Dei cum eis communicare non posse, multos quidem labores eos sustinere, sed irritos, & fru-*
D *straneos: quandoquidem ipsi iam damnati sint, & alios quoq; miseros homines secum ad inferos abducant. Se itaq; damnationis & blasphemæ doctrinæ illorum nolle consortem esse, sed quoad vixerit, & precibus & libris oppugnare constituisse.* Has gratias egit Lutherus Tigurino Typographo ob Leonis Iudæ Zvvingliana Biblia ad se transmissa; indignissimè ferens, quod Zvvingliani sua ex Hebræo versione nõ contenti, aliam moliti fuissent; quasi licentiam quam Lutherus sibi impudenter sumpserat, Zvvingliani & alij sectarij eodem iure sibi sumere non potuerint, inconsulto arrogantissimo Lutheri supercilio, qui in cap. 15. Geneseos, teste eodem Sacramentario Hospiniano, his coloribus se, suosque quos procrearat, liberos depinxit. *Vide nostra*

Digitized by Google

A *tempora. Müncerum, Anabaptistas, Sacramentarios, Zvvinglium & OEcolampadium* (Lutherum) *quid excitauit, nisi horribilis præsumptio & ambitio? si quis quatuor Græca verba* (aut Hebræa) *scribere, vnum Psalmũ explicare potest, scientia tanquam fermento inflatur, vt in nubibus sibi videatur incedere, longe supra alios homines.* cum nihil aliud sint, quam indocti Grammatici, *qui*, vt in caput sextum Geneseos scribit Lutherus, *sibi persuadent, scripturã sanctam non posse intelligi, nisi per regulas Grammaticas; & illam solicitam punctorum rationem. Itaq; sententia nulla tam absurda est; quin eam prærancidis Grammaticorum regulis defendant, & ornent.*

Atqui dic mihi, quæ vnquam lingua fuit, quam homines ex Grammaticis regulis feliciter didicerunt loqui? B *Nonne etiam illa linguæ, quæ regulatissimæ sunt, sicut Græca, & Latina, tamen magis vsu discuntur? Quam magna igitur absurditas est, in sancta lingua, vbi theologica, & spirituales res tractantur, omissa rerum proprietate, sententias ex regulis Grammaticis colligere? Atqui hoc Rabini, & eorum discipuli ferè vbiq; faciunt, &c. Hæc dum sequuntur, & etymologiam vbique solicitè venantur, incidunt in mirabiles phantasias, &c. Hæc absurditas ex prærancidis regulis Grammaticorum enata est. Cùm potius vsus loquendi considerandus sit: is enim est, qui Grammaticum erudit.*

Recito autem hæc eò prolixius, vt moneam vos, ne, cùm in tam ineptos interpretes incideritis, eos sequamini, & admiremini tãquam singularem sapientiam. Nam etiam magni viri, hisce Rabinorum stultitiis delectantur, non C *dissimiles sacramentariis, qui verba Christi non negant;* Hoc est corpus meum; *sed sic exponunt; Panis est panis, & tamen corpus Christi, id est, creatura eius.* Hic est sanguis meus, *id est, vinum meum. Hanc libidinem deprauandarum sententiarum nemo sanus ferret in fabulis Terentij, aut Virgilij eclogis; & scilicet nos eam feremus in Ecclesia?*

Concludat hoc caput iuuenis ille Prædicans, qui, vt Lutheranus Matthæsius scribit Concione XII. de Actis Lutheri, die deutsche Biblien auff der Cantzel mit Gerten steupet/vnd darneben sagt/sie sell es besser lernen. Biblia Germanica in Cathedra virgis cædebat: cum hac monitione; *discas melius.*

D

CAPVT XII.

Nouos versores sua Biblia crebro mutare, vertere, inuertere, peruertere, & ad hæreses suas detorquere, eaq; caussa meritissimò contemni ac repudiari.

ETIAM hoc nomine reiici debent noui versores, quia inconstantes sunt & variabiles; quod prius probabant, id postea damnant. Quod prius lectoribus, tanquam verbum Dei, obtrudebant, id postea reiiciunt. Quod prius, tanquam optimè versum, dilaudabant, & venditabant, id postea repudiant. Fecit hoc Castalio, Beza, Erasmus, Iunius, alij; confer posteriores editiones cum prioribus; vnius versionis non vnum, sed plures Interpretes fuisse existimabis; adeo variant & inter se discrepant. Mirificè in hoc inconstantiæ theatro excelluit Lutherus, personamque Vertumni & Protei sibi cõmissam præclarissimè sustinuit.

Quàm impudenter discordauerit à se ipso, inquit Cochlæus, *in duplici sua translatione* (Psalterij) *in quinq; libris Moysis alijsq; Prophetis* (imò in omnibus simpliciter vtriusque testamenti libris) *probè scimus, Pastor Dresdensis Thelogiæ Doctor, Petrus Ysenbergius, & ego, qui iussu pij & catholici principis, Ducis Saxoniæ Georgij sanctæ ac sempiternæ memoriæ viri, vtriusque translationis exemplaria ad inuicem contulimus, tanta sane erat variatio, vt præ fastidio, vix bene tres paginas conferendo perlegere potuerimus, &c. Quis ergo credat glorioso Thrasoni huic, quod impudenter gloriatur se clarius & maiori cum fide vetus transtulisse Testamentum, quàm transtulit Hieronymus? In tanta enim variatione non potest esse, neq; magna fides, neq; opus Spiritus sancti. Ait enim Christus, sit sermo vester Est Est, Non Non. Et Paulus. Fidelis autem Deus quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo Est, & Non, sed est in illo Est. Non est igitur tutum, huiusmodi translatoribus, qui heri sic, hodie aut cras aliter transferunt, habere fidem.*

Sed Lutherus paratũ habet aduersus inconstantiæ & leuitatis suæ vituperatores responsum; Nam ad finem libelli de Interpretãdo, qui Germanicè exstat tom. 12. VViteb. sic Lectori suo valedicit. *Si quis curiosè sapere velit ac dicere* (ponã verba eius Latinè, prout à Cochlæo versa sunt) *nos Psalterium nimis lõge à verbis abstraxisse, is apud seipsum sapiat, & hoc Psalterium nobis irreprehensum dimittat. Nos enim scienter id fecimus, & omnia sanè verba aurea expendimus trutina, & omni cum diligẽtia ac fide in Germanicum transtulimus. Affuerunt quoq; satis multi homines docti. Sinimus tamen & prius Germanicũ Psalterium nostrum permanere, propter eos qui desiderant videre nostrum exemplum, & vestigium, quomodo interpretando propius ac propius acceditur. Prius enim Psalterium Germanicum in multis locis est Hebræo propinquius, & longius à Germanico. Istud verò est Germanico propinquius, & Hebræo longius.* Hæc Lutherus. *Cuius variata translatio*, inquit Cochlæus, *meritò derogat & suspectam facit, fidem peritiamq; transferentis, iuxta illud S. Iacobi. Vir duplex animo, inconstans est, in omnibus viis suis. Etenim de mutata à seipso Psalterij translatione, leuitatem ac dedecus suum proprio prodit ore.*

Aliquando Lutherus caussam tantæ in Bibliis suis discrepãtiæ & variationis confert in auaritiam typographorũ; qui festinatione sua, quæstus gratia suscepta, textum deprauent ac corrumpant. Calua est excusatio, nec audienda nisi ab imperitis; quibus non compertum, mobile & versabile Lutheri ingenium, quadrata rotundis & quadratis rotunda mutare consuetum.

Nec

A Nec ipse tantum Lutherus Biblia sua perpetuo mutauit; sed & idem sibi posteri Lutheri in Biblia patris sui licere voluerunt; etsi alij Lutherani variationem hanc iam non vocent mutationem, sed *falsationem. Hinc tres Prædicantes Dresdenses Nicolaus Blum, Tobias Rudolph, & Adam Moller*, apertè scribunt in cócione Funebri Crellij Cancellarij Saxonici. daß man erst jeßo newlich an deß Luthers Bibel mit verfelschung Schelmisch gehandlet hab: *quod nuperrimè in deprauandis & falsandis Lutheri Bibliis nequiter & sceleratè actum sit: & quidem ab illis Prædicantibus; qui tunc in Saxonia primarias cathedras obtinebant*, quos tres prædicti Prædicantes, vocant búbische Pfaffen / Lugner / Buben / vnd Schelmen: *flagitiosos popas, mendaces, furciferos, nebu-* B *lones.*

Quid attinet dicere quàm hæreticorum versiones non sint ex fide; siue verba, siue rem spectes; sed contra fidem omnemquem fidelitatem ab Interprete præstandam. Magnificè quidẽ versores isti fidẽ suam iactare & deprædicare solent: Sed faciat periculum, qui volet, conferat aliquot pagellas vel cum Hebræo, vel cum Græco, mox clarè perspiciet, quàm sint isti fidi Interpretes, quippe ad hoc vnum intenti vt vertendo à vetustate quàm maximè recedant; & nouitatem sectentur; vetera cótemnant; noua stabiliant: Dogmata Ecclesiæ conuellant; sua firment: audaces, temerarij; odio antiquæ translationis excæcati. Et sæpe Hebraicè & Græcè non tam docti, C quàm sibi videntur; Grammatici potius, quàm Theologi; Rabbinorum magis discipuli, quam Doctorum Christianæ Ecclesiæ.

De versione Tigurina seu Leonis Iudæ, (hæc enim sub Vatabli nomine à Roberto Stephano per summam imposturam venditata fuit) ita scribit optimus harum rerum censor & æstimator Genebrardus præfat. in Origenem. *Nec opus est cõmemorare Vatableam, quæ circumfertur interpretationẽ. Nam aut illa Vatabli nõ est, viri, vti accepimus, (neq; enim per ætatem vnquam mihi hominem videre concessum est) doctissimi, & quod multo pluris faciendum est, Christianissimi, qui longè abhorret à sectariorum tum incipientiũ emergere disciplina, institutis, opinionibus, sed quorundam discipulorum ipsius, qui prauè dormitando à Doctore acce-* D *pta peius intelligebant, typisq; mandabant, vel nomen sui Doctoris prætexentes, interim suas nouitates nouarum rerum cupidis specie Dei verbi instillabant. Quod mihi ex eo sit probatum, quia à bonis & doctis eius discipulis, quorum adhuc manent reliquiæ, intellexi illum ea supposititia editione sic fuisse offensum, vt protinus Robertum Stephanum Typographum iam apostasiam illam suam meditantem & accelerantẽ ad se accersitum grauissimè obiurgaret, & falsi crimine, quod nõ nisi fuga diluere potuerit, postularet. Aut si illa editio eius est, Vatablus, quod horreo cogitare, nõ modo dicere, vel malitiosissimus fuit vel Hebraicæ linguæ ignarissimus. Quippe quam pessimè potuit, maximam partẽ & potiorem scripturæ conuertit, velut de industria à litera & sensu discedens, & data opera aberrationem à veritate Hebraica appetens, vt eum, dum lego, & cum Hebraico, (cuius notitiam mediocrẽ si mihi assumo, Dei gratia id mihi aliquo iure videor facere, qui mihi per multos annos in eo sermone tum discendo, tum docendo, misericorditer affuit, de qua re aliorum esto iudicium) confero, mihi videor in alio mundo versari, & non sacras litteras legere, sed fabulas è sacris litteris deductas & delineatas, sed farragines è verbo Dei, & humanis cogitationibus consarcinatas, quæ non tam ad veritatem, quã vertentis opinionem pertineant. Vide Vatable, (te enim appello, quem esse cum Christo & puto, & opto) tibi quanta, quam non pianda iniuria ab ingratissimis discipulis facta est. Si tuo nomine & fama ad pietatis euersionem abusuros fuisse sciuisses, tune ipsis prius non palam exactis & explosis regiam cathedram ascendisses? tunè vt eruditis tuis prælectoribus interessent ij, qui Catholicam tuam doctrinam in hæreticam erant tuo magno dedecore transformaturi permisisses? Deus de te meliora.*

Geneuensem versionem, quam ego nunquam vidi, his coloribus depingit idem Genebrardus. *Geneuensis* (Interpretatio) *est Rhapsodia assuta à variis Santis, Munsteri, Vatabli, & reliquorum centonibus & pannis. Si nihil in Theologia, si nihil in Dei verbo videre exactius velis sed nuda Grammatica esse contentus, quam à Donato dudum debes didicisse, illam amplectere, in ea versanda te exerce. Præterea in perpetuo sis metu, ne ea falsa aliqua cogitatione tingant. Quin & in illa affectus dictantium & vertentium perspicuè notabis atq; leges. Nam vt Munsterus, neglecta vocum propria notatione, sæpe Lutheranizabat, & à suo D. Francisci instituto discedebat, ita vos Caluinolatræ transfertis Scripturæ voces ad vestra dogmata: quamuis de vobis non mirer magnopere, cum hactenus fueritis linguæ sanctæ ignari, nec Græcam colueritis, nisi quatenus amores; & poëtica vos eo pellexerunt. Ex omnibus ministris vnus Beza Græcè nouit, & tamen magis versatus in Homero quàm Platone, in Anacreonte quam Aristotele, in Demosthene quam Nazianzeno & Theologis auctoribus: vnde (ò risum) in suis scoriis ad nouum testamentum à se miserè suiq; deq; versum. scriptores noui testamenti Græcè loquentes suas phrases mutuari passim obseruat ab Homero, & cæteris Græcis Poëtis, qui illos fortasse, præter vnum Paulum, aut etiam Lucam nunquam legerunt. Ac sanè secutos communem linguam. formam & vsum, atq; adeò oratores potius quàm Poëtas, luce ipsa est clarius.*

De versione Lutheri hæc Cochlæus in Actis eiusdem, Anno 1522. *Quis satis enarrare queat, quantus dissidiorum turbationumq; & ruinarum fomes & occasio fuerit hæc noui testamenti* (& veteris) *translatio; in qua vir iurgiorum, datâ operâ, contra veterem & probatam Ecclesiæ lectionem, multa immutauit, multa decerpsit, multa addidit, & in alium sensum detorsit, multas adiecit in marginibus passim glossas erroneas atq; cauillosas, & in præfationibus nihil malignitatis omisit, vt in partes suas traheret lectorem. Inuenti sunt igitur ex Germanis qui ex ea translatione admissos ab eo passim errores, & mutationes collegerunt, alij supra mille, alij pauciores. Inter quos sanè Hieronymus Emser præcipuam laudem promeruit, qui non solum notauit, ac populo edidit Lutheri errata in translatione.*

verum etiam propriam translationem, quæ probato & recepto Ecclesiæ textui Latino per omnia consonaret, velut Antidotũ contra Lutheri venena euulgauit, non sine grandi Catholici populi consolatione. Ex eo enim labore didicerunt Catholici. vbi errasset Lutherus, & gloriantes de suo Euangelio Lutheranos poterant cum fiducia refutare.

Idem Cochlæus de eadem translatione. *Data opera* Lutherus *pleraq; loca scripturæ aliter vertebat, in aliumq́; sensum trahebat, quàm habebat Ecclesia; Præsertim verò in iis locis, quæ notißima cunctis vulgo erãt. Qualia sunt. Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Canticum Mariæ, & Canticum Zachariæ: vt ex iis populus eò facilius crederet, Ecclesiam non habuisse hactenus verum textum Euangelicum. In oratione igitur Dominica quæ à Matthæo commemoratur sexto capitulo, mox immutauit initium dicens. Noster Pater in cælo. tuum nomẽ sit sanctum. At vniuersa Ecclesia & omnis Germania hactenus sic dixit, Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum; nec Græci aliter habent, &c. In fine addit integram clausulam, quam vel antiquißima Ecclesiarum exemplaria, ante annos DCC. aut DCCC. scripta nusquam habent. Etenim ait Ecclesia. Sed libera nos à malo. Amen. Lutherus verò sic ait. Sed libera nos à malo: Quia tuum est regnum & virtus. & gloria in sæcula, Amen. Cætera tria habentur Lucæ 1. In salutatione itaq; Angelica, vbi Ecclesia ait, Aue gratia plena, Lutherus ait. Aue grata, seu amabilis, Teuthonicè* du holdselige. *Hoc est digna amari. In Cantico Mariæ quod Magnificat vulgò dicitur, vbi Ecclesia legit aut canit. Beatam me dicent omnes generationes, Lutherus ait; Beatam me glorificabunt omnes filiorum filij. Deniq; in Cantico Zachariæ quod per omnes matutinas legitur, ac Benedictus appellatur, vbi Ecclesia canit, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Lutherus sic vertit. Quo ad viuimus in sanctitate & iustitia, quæ ipsi placita est. Hæc exempli gratia commemorata sint.*

Ex quibus facile cognoscitur, Lutherum peßima intentione nouum testamentum eo tempore in linguam vertisse Germanicam. scilicet vt conuinceret, aut saltem persuaderet populo. Ecclesiam in textu sacro sæpe errasse, & Germanos (quod postea publicè iactare ausus fuit) hactenus vsq; ad prædicationem suam, nunquam antea verum & Germanum audisse Euangelium. Ipse tamen met. post aliquot annos, priorem suam editionem in plerisq; locis mutauit: adeò sanè vt ex solo Matthæi Euangelio annotauerint quidam locos XXXIII. in quibus aliter habet secunda editio eius, quam prima, quæ posteriorem quinq; annis præcesserat. Nec his versionibus contentus, Latinam quoq; editionem, à propria sua Teuthonica in multis diuersam, adiecit, anno post primam editionem septimo, scilicet vt non solum Germanos, verumetiam Latinos quoslibet in sacra Euangelij lectione perturbaret. Hæc Cochlæus.

Neq; tamen insolentissimus & tumidissimus Apostata obstrictum se credebat, ad reddendam rationẽ, si quis causam posceret, cur sacras literas tot locis vel truncasset; vel perperam vertisset; vel additamentis inauditis augere voluisset. Audi, quid idem Cochlæus memoriæ prodiderit in Actis Anno 1530. *Cum esset eodem anno interrogatus Lutherus à quodam amico: Cur in Paulo ad Rom. 3. diceret in Teuthonico, hominem iustificari sola fide: Cum*

A *id Paulus non diceret, & per hoc daret Papistis ansam calumniandi Teuthonicam eius translationem: Ipse superbißimè magno cum contemptu Papistarum illis respondit. Primum vt ita diceret Papistis. Si Lutherus certò potuisset scire, omnes Papistas in vnum coniunctos, ita habiles existere, vt vel vnum Capitulum in scriptura nossent rectè ac benè in Teuthonicum vertere. quod ea noluisset esse humilitate, vt eos orasset pro ope & adiutorio ad vertendum nouum testamentum. Deinde vt eis diceret. Lutherum vertisse nouum testamentum in Teuthonicum, iuxta summã diligentiam facultatemq́; suam, & per hoc neminem coẽgisse vt legat. Suum itaq; esse testamentum, suamq́; interpretationẽ, si errauerit ibi, nolit super hac iudices pati Papistas: quia habeant adhuc nimis longas ad hoc aures, & eorum Ika Ika sit nimis debile ad iudicandum super inter-*
B *pretatione ex Latino in Teuthonicum. Ipsum quidem scire probè. eos verò minus scire quam animal molitoris; quid artis, diligentiæ, rationis & intelligentiæ requiratur ad bonam interpretationem: Quia non sunt experti: Qui si duo prima verba Matth. 1. Liber generationis, interpretari deberent. nullus eorum sciuisset ad hoc dicere Gack, & indicant mihi nunc totum opus. pulchri sanè socij. Si ergo* (inquit) *Papista tuus multa vult garrire de hac voce, sola, ei confestim dicito sic: Doctor Martinus Luther vult sic habere, & dicit, Papistam & asinum esse rem vnam. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum scholares aut discipuli esse. sed Magistri ac Iudices. Hæc & id genus ibi multa contemptim, & superbè Lutherus.*

En supercilium thrasonis, omnium quotquot terra tulit, arrogantissimi & fastuosissimi. *Cum*
C *autem nouum testamentum à Luthero in Germanicam linguam versum,* inquit Cochlæus in Actis M. D. XXVII. *ac multis in locis deprauatum, & per falsas annotationes ad confirmandas hæreses eius adornatum, multisq; millibus exemplarium per Calcographos adauctum, & euulgatum, vbiq; circumferretur venale: & inclytus ac maximè Catholicus Princeps, Dux Saxoniæ Georgius, constantißimè illud non solum reiiceret priuatim, sed & publicis edictis interdiceret subditis suis. per omnem suam in Turingia, Misniaq; & Saxonia ditionem: atq; ex hoc grauem inuidiam, odiumq; & obtrectationem à Lutheranis pateretur, tanquam is qui Tyrannicè opprimeret verbum Dei, & persequeretur Euangelium Christi. Hinc factum est, vt illi fidelis & deuotus Capellanus Hieronymus Emse-*
D *rus, qui iam pridem ediderat annotationes in Lutheri testamentum nouum, ac de multis eum erroribus palam conuicerat: Nouum testamentum ex recepta & approbata per totam Ecclesiam translatione Latina, verterit in Teuthonicũ quàm fidelißimè, iussu & petitione prædicti Principis, qui & præfatione sua opus illud maximè commendabile bonis ac piis omnibus reddidit. Vnde factum est vt illius editione frequenti, Lutheri testamentum, & nomen & authoritatem magna ex parte apud Germanos perdiderit.*

Inter cætera enim Princeps ille sic ait in prologo Teuthonico. Ea propter nos maturo ac deliberato consilio, atq; etiam ex mandato & commißione Romanæ Cæsareæ Maiestatis, CAROLI V. *Domini nostri omnium Clementißimi, dictam Lutheri interpretationem ac nouum testamentum, dilectis fidelibusq; nostris subditis, ad euitandas pœnas & damna, tum corporis, tum animæ, intentione*

pror-

Digitized by Google

prorsus paterna debitaq́; ac bona, interdiximus, atq́; etiam è manibus eripuimus: Id quod Lutherus cum nonnullis cōplicibus suis nobis pessimè imputantes, criminati sunt nos, velut Tyrannum ac persequutorem, & hostem sancti Euangelij, ac verbi Dei, qui illud liberè legi ac prædicari in terris nostris non permittamus. In quo sanè iniquissimè nobis molesti sunt. Speramus enim in Domino, omnes, qui nos benè cognoscunt, non aliter percepisse vnquam, quam nos Euangelium ac verbum Dei, quomodo ab Ecclesia Catholica receptum est, libenter audiisse. Vtinam & facto illud sequuti simus, quod tamen facere, quantum gratia nobis contulit Deus, studuimus, ac de cætero studebimus pro virili. Neq́; igitur verum Euangelium, neq́; verum verbū Dei, sed duntaxat Lutheri, & aliorum pseudo Euangelicorum Concionatorū, fallaces doctrinas, sermonesq́; & scripturas, in terris nostris supprimere intendimus. In quo sanè proposito constanter, Deo volente, per diuinam gratiam, vsq́; in finem perseuerabimus. Hęc inclytus ille & sempiterna memoria dignissimus Princeps.

Memorabile est, quod de hoc nouo testamento in Anglicanā linguam translato cōmemorat Cochlæus Anno 1526. *Duo*, inquit, *Angli Apostatæ, qui aliquandiu fuerant VVittenbergæ, non solū quærebant subuertere Mercatores suos, qui eos occultè in exilio fouebant, & alebant; Verumetiā cunctos Angliæ populos, volente nolente Rege, breui per nouū Lutheri testamentū, quod in Anglicanā traduxerant linguā, Lutheranos fore sperabant. Venerant iam Coloniā Agrippinā, vt testamentū sic traductū, per Typographos in multa millia multiplicatum, occultè sub aliis mercibus deueherent inde in Angliā. Tanta enim eis erat rei benè gerēdæ fiducia, vt primo aggressu peterent à Typographis, sex millia sub prælū dari. Illi autem subuerentes ne grauissimo afficerenter damno, si quid aduersi accideret, tantū tria millia sub prælū miserunt. Quæ si feliciter venderentur, facilè possent imprimi denuo. Iam litteras ad sanctos, qui sunt in Anglis, præmiserat Pomeranus, & ad Regē quoq́; scripserat ipse Lutherus. Cumq́; nouū Testamentum mox subsecuturū crederetur, tanta ex ea spe lætitia Lutheranos inuasit, ac vanæ fiduciæ vento inflauit, vt gaudio distenti ante diem ruperint secretum vanis iactationibus.*

Exulabat eo tempore Coloniæ Ioannes Cochlæus, qui Typographis Coloniensibus notior ac familiarior factus, audiuit eos aliquando inter pocula fiducialiter iactitare, velint nolint Rex & Cardinalis Angliæ, totā Angliam breui fore Lutheranam. Audiuit item duos ibi latitare Anglos, eruditos, linguarumq́; peritos & disertos, quos tamen videre aut alloqui nunquā potuit. Vocatis itaq́; in hospitium suum quibusdā Typographis, posteaquā mero incaluissent, vnus eorū in secretiori colloquio, reuelauit illi arcanū, quo ad Lutheri partes trahenda esset Anglia. Nempe versari sub prælo tria millia Exemplariū noui testamenti Lutherani in Anglicanā linguam translati, ac processum iam esse vsq́; ad litterā Alphabeti K. in ordine Quaternionū. Impensas abunde suppeti à Mercatoribus Anglicis, qui opus excusum clam inuecturi per totā Angliam latenter dispergere vellent, antequā Rex aut Cardinalis rescire aut prohibere possit. Cochlæus intra se metu & admiratione variè affectus, foris mirabundus mærorē dissimulabat. Altero autem die periculi magnitudinē tristis secū expendens, cogitabat, quonam pacto possit cōmodè pessimis illis conatibus obsistere. Abiit igitur clam ad Hermannū Rinck, Patriciū Coloniensem, ac Militē Auratū, qui & Cæsari, & Regi Angliæ familiaris erat, & Consiliarius, eiq́; rem omnē vt acceperat vini beneficio, indicauit. Ille, vt certius omnia constarent, alium misit exploratū in eam domū, vbi opus excudebatur, iuxta indiciū Cochlæi. Cumq́; ab illo accepisset rem ita habere, & ingentē papyri copiā ibi existere: adiit Senatū, atq́; effecit, vt Typographis interdiceretur, ne vltra pgrederentur in eo opere. Duo Apostatæ Angli arreptis secū Quaternionibus impressis, aufugerunt, nauigio per Rhenū ascendentes VVormaciā, vbi plebs pleno furore Lutheri zabat, vt ibi per alium Typographū cœptū perficeretur opus. Rincus verò & Cochlæus de his mox admonuerunt litteris suis Regē, Cardinalemq́; & Episcopū Roffensem, vt quā diligentissimè præcauerent in omnibus Angliæ portubus, ne merx illa perniciosissima inueheretur. Ferunt dominū Cuthbertū Tunstallū, virum disertissimum, Episcopum tunc Londinensem, nunc Dunelmensem, cum adeptus fuisset vnum ex his exemplaribus, in maxima concione ad populum Londini publicè affirmasse, supra duo millia deprauationum atq́; peruersitatum se in vno opere illo deprehendisse. Vides hic incredibilem & indefessam Dæmonis & satellitum eius in spargendis erroribus, & propagandis hæresibus diligentiam & audaciam.

Mira canit Lutheranus Matthæsius de studio in Bibliis transferendis à Luthero insumpto. Ex quibus quædam mirificè mihi placent. I. Illud, quod ait, *Lutherū Synedrion quoddā & Consistoriū eius rei gratia cōstituisse, cuius assessores fuerint, Philippus, Cruciger, Pomeranus, Ionas, Aurogallus; & Rorarius, tanquā Notarius.* Et quis inficias eat tantorum virorū cœptis Apollinē cum toto suo Helicone adspirasse?

II. Illud quod scribit, *Lutherum & dictos assessores non rarò immensitate laboris defatigatos ac fractos, iucundè ac hilariter simul canasse; & aliquando Musicam instituisse; semelq́; Virgilianos illos versus de Didone:* Dulces exuuiæ, &c. cecinisse; *succinente etiam Philippo*, inquit Matthæsius, *qui cælestem hanc harmoniam præsens auribus suis hausit.* Nec est quod quis ambigat vitrum illud pictum Lutheri, cuius mentio in symposiacis Colloquiis, in quo totus Catechismus depictus & descriptus visebatur; hilaritatem epulantium sæpius auxisse; mentesq; mirabiliter illustrasse ad Hebraici, Græci, Latini, Chaldaiciq; textus latebras accuratè peruidendas, & Germanicis verbis aptè exprimendas.

III. Quod narrat, *Lutherum aliquot veruces mactandos curasse; adhibito lanione, qui indicaret, quibus Germanicis vocabulis singula veruecum partes, particulæ, membra & membranulæ afficiantur, & vernaculè appellentur.* Hoc quia non præstitum fuit à septuaginta Interpretibus, nec à D. Hieronymo; ideo toties à vero abscesserunt, & incommodè Hebræa, illi Græcis; iste Latinis verbis expresserunt. Felix Lutherus, qui Germanico lanione adiutus tam feliciter omnia executus est. Sed cur nō curauit mactandos quoq; boues & hircos? Cur nō & volatilia? At hæc fortè mactata sunt, sed in culina, si non à coquo, certè à coqua Borra; & postmodū

Digitized by Google

Bibliaci Synedrij assessoribus apposita; vt dispicerent; quo nomine quoduis membrum appellaretur, aut appellandum esset. Miseros veruеces, qui his Bibliis hostia cecidistis, longè melioribus aris digni.

IV. Mirificè placet, quod Pomeranus quod annis diem festum celebrauit in honorem Bibliorum à Luthero conuersorum; indigitatum: *Festum translationis Bibliorum.* Volebat fortè imitari festum illud in AEgypto in insula Pharo celebrari solitum in memoriam factæ ibidem translationis à septuaginta Interpretibus, de quo festo hæc Philo in libr. 2. de vita Mosis. *Hodie quoque solennis celebritas renouatur in Pharo insula, ad quam nō Iudæi tantum, sed & alij plurimi traiiciunt, locum veneraturi, in quo primum visa hæc est interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recente, acturi Deo gratias. Post vota autem & gratiarum actiones, alij tentoriis fixis in littore, alij discumbentes in ipsa arena, sub dio epulantur cum amicis & domesticis, praeferentes tunc littus palatiis regiis.* Miror hoc *Pomeranicum* festum non fuisse translatum à Dressero in libellum de *Festis*, aut à Caluiniano Hospiniano in similis tituli & argumenti opus.

A V. Illud etiam valde arridet, quod refert, aliquos Prędicantes his Lutheri Bibliis vti noluisse; & quendam ex hoc grege à Pomerano fuisse reprehensum, quod Euangelium Germanicè legisset pro concione ex testamento Gręco; cum hac monitione: *Praelegas semel populo Euangelium ex testamento Germanico Doctoris,* was gilts es / es wird sich besser geben?

VI. Illud itidem probo, quòd recenset, *Lutherum ægrè tulisse, cum audiret concionatores quosdam suos concionibus suis immiscere Hebraica & Graeca vocabula;* vt *Adonai, Kyrie;* & id genus alia; Quis, obsecro, primus his sciolis huius nouationis occasionem

B dedit? An non ipse Lutherus? Par igitur erat, vt non tam aliis, quàm sibi succenseret.

Illud deniq; vehementer probo, quod Matthæsius tam seriò omnes hortatur; *vt Lutheri Biblia studiosè euoluant.* Decebat enim hoc Lutheri commensalem & intimū symmysten; quia probabile erat nos id nunquam facturos. Sed iam nouos istos versores & euersores & peruersores Bibliorum valere iubeamus, nosque ad alia gradum faciamus.

Finis tractatus de nouis versoribus.

S. Augustinus in illud Psal. 123. *Fortasse pertransiit anima nostra aquam sine substantia:* Seu, vt noster, *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

Quomodo potuerunt Latini expresserunt, quod Graeci dicunt ἆρα. Sic enim Graeca habent exemplaria. ἆρα, quia dubitantis verbum est, expressum est quidem dubitationis verbo, quòd est fortasse, sed non omninò hoc est. Possumus illud verbo dicere minus quidem Latinè coniunctio, sed apto ad intelligentias vestras. Quod Punici dicunt, iar, non lignum, sed quando dubitant, hoc Graeci ἆρα, hoc Latini possunt vel solent dicere, putas, cum ita loquuntur. Putas, euasi hoc? Si ergò dicatur, forsitan euasi, videtis, quia non hoc sonat, sed quod dixi putas. vsitatè dicitur, Latinè non ita dicitur. Et potui illud dicere, cum tracto vobis. Saepè enim & verba non Latina dico, vt vos intelligatis.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX PRIMA, AD SECVNDVM LIBRVM ILLVSTR. CARDINALIS BELLARMINI CONTRA SAVVBRANDVM LVBBERTVM CALVINISTAM.

SECVNDVM, & tertium libros suos de *principiis Christianorum dogmatũ* opposuit Caluinianus iste secundo Cardinalis Bellarmini libro de variis sacræ scripturæ editionibus. Cur verbatim à me non refutetur, causa reddita est, in Appendice quarta, quam ad primum librum adieci. Vt autem ex primo Sauubrandico libro florilegium quoddam pulcherrimorum, & odoratissimorum flosculorum Caluinisticorum excerpsi; ita & ex his duobus similem anthologiam conficiam; duabus calumniarum & mendaciorũ centuriis constantem; si quis Chiliadas conficere velit, per me faciat licet: tam copiosam materiem inueniet, vt faber potius materiæ; quàm materies fabro defutura sit.

Mentitur ergo I. *Aduersarios*, hoc est, Catholicos, *ita sese implicare*, in quæstione, num Hebraica editio sit corrupta; *vt difficile sit verum controuersiæ statum proponere.* Legatur cap. 2. Bellarmini, eiusque defensio; & mox vanitas ista in auras abibit.

II. Mentitur lib. 2. cap. 2. Cum Bellarmino hunc syllogismum tribuit: *Vbicunq; Caluinus aliter legendum contendit, quàm in Hebræo textu legitur, ibi Hebræus textus est deprauatus. Sed hoc loco Esaiæ 9. Caluinus contendit legendum esse*, & vocabitur admirabilis, &c. *Cum tamen in Hebræo textu legatur*; Et vocabit. *Ergò, textus Hebræus etiam Caluini confessione est deprauatus.* Nunquam hic syllogismus Bellarmino in mentem venit. Vide cap. 2. Mirum Savvbrandum non more ac instituto sollenni syllogismum hunc in modum formasse: *Quidquid dicit Caluinus, hoc est verum; sed Caluinus dicit meliorem esse in dicto Isaiæ loco lectionem vulgatam, quàm Hebraicam; ergo hoc verũ est.* Negasset proculdubio Savvbrandus Maiorem, sicut & prioris Syllogismi Maiorem negat. Et tamen Caluinistæ pro parentis sui dictis, tanquam veritati per omnia cõsonis, acerrimè alioqui pugnare solent: quasi ex stigmatico illo ore nulla penitus falsitas excidere potuerit. Bellarminus non alio consilio testimonium Caluini produxit; quàm vt eo Caluinistarum fauces obturaret; apud quos summo

A in pretio Caluini nomen & auctoritas. Cui tamen Caluinianus noster hoc loco nuncium remittit; melius facturus, si ei potius in aliis, quàm in hoc de ista versione indicio valedixisset.

III. Mentitur ibid. non esse Caluini Minorem primi syllogismi: *Caluinus contendit legendum esse; & vocabitur admirabilis*; cum tamen in Hebræo textu legatur; *Et vocabit*: Impudens mendacium; tametsi in posterioribus Institutionum editionibus sic legit: *Hoc est nomen, quo vocabunt eum, Deus fortis, &c.* Sed sensus cum nostra versione coincidit; vt suo loco dictum; & veritatis perspicuitas Caluinum hic verum fateri coëgit; meliorem esse versionem Latinam; quàm lectionem Hebræam, prout hodie constituta est.

At vide stultitiam Savvbrandi, qui vt ostendat
B Caluinum non prætulisse versionem illam: *Et vocabitur*, seu; *nomen, quo vocabunt eum*: huic; quæ ex hodierno textu Hebraico redditur: *Et vocabit*: hæc tria deliramenta producit. I. *Vetus Interpres ante Caluinum ita vertit*; nempe; *& vocabitur: ergo hæc versio nõ est Caluini.* Dixitne Bellarminus) hanc versionem esse Caluini? Nullo modo; sed dixit; à Caluino approbari, & præferri illi alteri: *Et vocabit*: Igitur si auriculas tuas, Caluinista, apertius nobis monstrare cogitabas; delirium hoc tuum in istud conuertere debebas. *Versio illa est antiqui interpretis; ergo Caluinus illam non approbauit.* Pulchrè. An ideo nullius versionem suffragio meo approbare possum; quia illa non est mea? Num tu nullum à Iunio & Tremmelio vel Leone Iuda
C locum Latinè redditum approbare potes; ideo tantùm, quia versio illa non est tua?

II. *Hieronymus etiam vertit; Et vocabitur: ergo Caluinus non approbauit lectionem illam, alteriq; antepesuit, prout Bellarminus scripsit.* Quàm autẽ peritè S. Hieronymum à veteri Interprete distinguat; suo loco vidimus.

III. *Græca translatio, quæ nunc exstat, vertit:* [illegible] *, ergo falsum est, quod Bellarminus Caluino attribuit.*

IV. *Caluinus hanc interpretationem*; (Et vocabitur) *secutus est; ergo non est verum, quod Bellarminus scribit; à Caluino fontem Hebræum Latinæ versioni fuisse*

postpositum. Quis Caluinistæ huius stuporem non obstupescat?

Grammaticatur deinde, instar Iunij, vel, vt rectius loquar, non paulò ineptius, de tertia persona actiua *passiuè* accipi solita; & ita rem gerit; vt ex sententia illius, necesse sit dicere; omnia verba tertiæ personæ actiuè posita, accipi *passiuè*: vt Iob. 4. v. 19. *conterent eos,* id est, cõterentur. Iob. 7. v. 3. *ærumnosas noctes constituerunt mihi,* hoc est, *ærumnosæ noctes mihi constitutæ sunt.* Perinde ac si dicerem; in hac locutione; *Bestiæ deuorabunt bouem;* verbum *deuorabunt,* accipi passiuè; quia æquiualet huic; *Bos deuorabitur, à bestiis.* Et in hac phrasi. *Pararunt mihi lautam cœnam;* verbum, *pararunt* sumi passiuè, quia illud ipsum passiuè exprimi potest: *Parata est mihi lauta cœna.* Quis non miretur Samij Lucumonis acumen. *Pater vocabit filium, Ioannem; ergo filius vocabitur Ioannes.* Ergo *vocabit* accipitur passiuè pro *vocabitur.* Argutè. Redeamus ad Savvbrandica mendacia.

V I. Mentitur, hunc syllogismum esse Bellarmini. *Quicunq; verbum actiuæ vocis vertunt indefinitè, seu neutraliter, illi fatentur textum Hebraicum esse deprauatum: sed Caluinus vertit Verbum vocandi, quod est actiuæ vocis, neutraliter. Ergò textus Hebræus, etiam Caluini confessione, corruptus est, & deprauatus.* Euolue omnia Bellarmini opera, nunquam hoc syllogismi somnium reperies; vt neque istud, quod quintum inter mendacia locum teneat: *Quicunq; interpretando Hebraica resoluunt verbum singulare, quod potest accipi neutraliter, in plurale; &, pro,* vocabit eum; *scilicet,* vocans, *vertunt,* vocabunt eum, *phrasi Latinis vsitata; illi, fatentur textum Hebraicum esse deprauatum. Sed Caluinus ita resoluit verbum* ויקרא vocabit eum; *& pro eo, vertit;* vocabunt eum. *Ergò textus Hebræus etiam Caluini confessione est deprauatus. Miror nisi Bellarminum horum argumentorum pudeat;* inquit Savvbrandus. At ego non miror hunc Caluinistam talia mendacia effutire; & tam insana portenta comminisci; quia in omnibus suis libris nil aliud facit; quàm quòd sibi frontem ex vultu funditus abrasam ostendit.

VI. Mendacium cap. 3. Hebræam editionem prout nunc exstat, *vsq; ad Concilium Tridentinum fuisse authenticam:* Vnde hoc nosti? Vbi vllum hac de re exstat Ecclesiæ decretum? Vbi declarauit aliqua Synodus Hebraicam editionem, prout hodie exstat; in omnibus & per omnia originali textui & Spiritus sancti menti esse consentaneam? Quod si vsque ad Concilium Tridentinum fuit authentica; vtique & iam erit authentica; quia Concilium Tridentinum nihil de Hebraicæ editionis; sed de Latinæ versionis authentica auctoritate decreuit. Loquor autem de authentica vi & auctoritate respectu nostri, hoc est, cognita.

VII. Mentitur ibid. Bellarminum dicere *vulgatam editionem Latinam corrigi posse ad Hebræa exemplaria;* & intelligit correctionem quoad dogmata fidei & morum: Quo nihil alienius à sensu Bellarmini dici potuit.

VIII. Mend. ibid. *Bellarminum dicere editionem Hebræam, quæ vsq; ad Concilium Tridentinum fuerit authentica, nunc non esse authenticam.* Vbi hoc Bellarminus?

IX. Mend. ibid. *Bellarminum ex Canonica scriptura Hebræa fecisse non Canonicam.* Vbi hoc Bellarminus?

X. Mend. cap. 4. *Disputationem de versione vulgâta Latina, cuius sit; esse prorsus inutilem ac superuacuam.* Cur igitur ipsi Caluinistæ tam operosè disputant de huius versionis auctore, & inter cæteros Drusius lib. de *Quæsitis per Epistolam;* Epist. 27. vbi contra Savvbrandicum mendacium hoc nobis testimonium perhibet: *Qui veterem editionem, quã vulgatam dicimus, simpliciter Hieronymi esse negant;* (vt facit Savvbrandus) *non minus errant, meo iudicio, quàm illi, qui eam purè Hieronymi esse contendunt.* Et mox producit Drusius Patres, Augustinum, Eucherium, Iunilium, & insuper Dialogum secundum Maxentij, antiquæ translationis testes ac laudatores.

XI. Mend. ibid. *De auctore vulgatæ versionis ita variare aduersarios, vt penè tot sint sententiæ, quot sunt capita.*

Ibid. *Vulgatam editionem sæpe esse barbaram.* Abunde hoc mendacium iam refutauimus; & ab Alberico Gentili Caluinista Italobritanno Iurecõsulto satis profligatum est, vt vidimus suo loco. Exempla quæ Savvbrandus adfert sunt argumenta insipientiæ Savvbrandicæ, non testimonia barbariei, quæ in editione vulgata resideat. Barbarismum nominat. I. Illud: *Factumq; est vespere & mane dies vnus.* quia Latini non dicunt: *Dies factum est; sed dies factus vel facta est.* O inscitiam dignam, quæ vapulet. Quis non videt interpretem iunxisse illud. *Factum est;* cum *vespere & mane;* non cum vocabulo *dies;* vt sensus sit; vespertinum & matutinum tempus factum esse vnum diem; ac si dicerem; materiam & formam simul vnita & connexa facta seu factam esse *hominem.*

Profert II. illud Gen. 2. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt;* illud *creata, refertur ad cælum, & terram. At, quis vnquam fando audiuit in Latina lingua duobus, vel pluribus substantiuis subiici nomen adiectiuum plurale in fœminino genere?* At editio Clementina habet *creata:* Nec illud, *creata,* tam est intolerandum, quàm Savvbrando apparet; non enim desunt Grammatici, qui doceant, neutro generi fœmininum vniuersim præstare; atque adeo adiectiuum plurale cum fœminino iungi debere. Quæ si nescit Savvbrandus, Orbilio alicui se recoquendum, & denuo rudimentis informandum tradat.

III. Non potest concoquere illud Gen. 2. *Et homo non erat, qui operaretur terram.* Quid sit, *homo operatur terram, ignorat Latinum;* inquit Caluinista. Forsan Ciceronianum, & Plautinum: non illud, quo sancti patres, & veteres Ecclesiæ scriptores

vsi; quod qui non videt infinitis partibus antestare Savvbrandico, is nihil videt.

Ait Savvbrandus, *Hieroymum fuisse Latinæ linguæ peritißimum; scripsisse purißimè & latinißimè*, ac proinde *Interpretationem vulgatam non posse viro tam polito adscribi, vtpote multis locis barbaram.* Et tamen quoties occurrit in operibus S. Hieronymi illud: *factumq; est vespere & mane dies vna seu vnus*; & alia, quæ hic imperitè carpit: vt est illud; *Faciamus ei adiutorium simile sibi. Adæ verò non inueniebatur adiutor similis: Hieronymum ita locutum esse, credat qui volet*; ait Caluinista. Bene facis, quod nobis credendi potestatem facis; ni fecisses, vix ausi fuissemus, ita locutum, credere; nec illud ab Hieronymo profectum nobis persuaderemus; quod à te eruditè prorsus reprehenditur, ex cap. 2. v. 19. *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam*; vbi si reprehendis, vocem neutram, *Ea*: insulsissimum te ostendis: sin hyperbaton illud: *Dominus Deus*: respectu verbi *adduxit*: iniquissimus es, qui in nostro Interprete damnes; quod optimis & latinissimis scriptoribus laudi datur.

Mendacium Savvbrandicum duodecimum numero, quod ait, Lucam Brugensem, in Notationibus suis, *admodum laborare, vt excuset hunc locum: Ponam inimicitiam inter semen tuum & semen mulieris, & ipse conteret tibi caput*: (Sic enim sacrum contextum citat Caluinista) non enim laborat, vt excuset hunc locum à barbarismo, nullum enim inesse, siue *ipse*; siue *ipsum*; siue *ipsa*; legamus; optimè perspectum habuit; sed laborat, vt monstret; quæ lectio Hebraico textui censenda sit conformior.

XIII. Mendacium; Brugensem tandem cōcludere legendum: *Ipsum conteret.* Quod effrons mendacium est; vt patebit vel obiter inspicienti Brugensem.

Carpit & illud Gen. 4. v. 22. *Malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* Qui hoc sugillat; is Sycophantam in cuncta opera calumnię & mendaciloquentiæ sese comprobat.

Arrodit & illud Gen. 7. v. 15. *Ingressa sunt ad Noë in arcam bina & bina.* Vbi per summam imposturam sacrum textum truncat; vt speciem solœcismi vel barbarismi inde extundat: Sic enim habet versio nostra; *Vniuersæ aues, omnesq; volucres ingressa sunt ad Noë in arcam, bina & bina ex omni carne*: Vides illud, *ingressa* copulari cum vocabulo; *Aues* vel *volucres*; posita interpunctionis nota post illud: *in arcam.* Sectarius omissis antecedentibus & neglecto commate, ita versionem nostram proponit, quasi noster Interpres dixerit: *Ingressæ sunt bina & bina*: qui manifestus solœcismus est; at non nostri translatoris; sed Caluiniani veteratoris: Nam quod post illud; *in arcam*; subiecit Interpres: *bina & bina*: non est solœcismus; quia ad sensum respexit; seu ad generalius nomen; *animalia*: non ad id, quod proximè antecesserat: cuiusmodi & illud Matth. 17. *Quare nos non potuimus eiicere illum*: de quo satis suo loco: vt & de illo: *Maiora horum faciet*; & id genus aliis.

Noua Bibliorum editio non habet Ioan. 7. v. 12. *murmur multus*: sed; *multum*: quam lectionem iam olim ad marginem Louanienses Theologi annotauerant. tametsi non nisi ab insulso *murmuratore* reprehendi potest; *murmur multus*: cum Nonius testetur masculinè à priscis vsurpatum adducto illo Varronis: *Murmur fit verum.*

Illud Act. 8. *Vade contra meridianum*: dignum profecto fuit virgula Savvbrandica: non enim æquiualet huic: *vade contra meridiem*: Subaudito vocabulo *situm*, aut simili quopiam.

XIV. Mend. Vulgatam translationem 1. Corint. 6. v. 19. esse hanc: *Membra vestra templum est Spiritus sancti.* Nam & noua Clementis VIII. & veteres editiones communiter habent: *Templum sunt Spiritus sancti.* licet Louanienses ad oram notent, nonnullis in codicibus reperiri eam scripturam, quam Caluinista incessit; licet immeritò; nam apud probatos Auctores similia exempla occurrunt; Cic. in Pisonem: *Exposui breuiter consulatum meum, aude nunc furia de tuo dicere; cuius fuit initium Ludi Compitalitij.* Plinius. *Angustiæ, vnde procedit, Isthmos appellatur.* Huius generis est & illud 1. Cor 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, stultitia enim est ei.*

XV. Mend. vulg. editionem *in omnibus penè capitibus ad Hebræam veritatem vel aliquid apponere, vel ab ea aliquid detrahere, vel in ea aliquid immutare.*

XVI. Mend. *Vulgatam editionem aliquando sententiam prorsus peruertere.*

XVII. Mend. *Hieronymum sæpe errasse in versione sua.*

XVIII. *Testari hoc Augustinum Epist. 8. ad Hieronymum.*

XIX. *Testari hoc ipsum Hieronymum in cap. 19. Isaiæ.*

XX. Mend. *Se non fecisse studio mordendi, quod quædam errata editionis vulgatæ & Hieronymi detexerit.* Tuam inscitiam detexisti; vt & alij Prædicantes, quorum scripta expilasti; non errata nostræ versionis & Hieronymi.

XXI. *Se & suos Caluinistas cum reuerentia vulgatam editionem legere.* Testes huius reuerentiæ sunt scilicet, conuicia, quæ plenis faucibus in vulgatam editionem exspuitis.

XXII. Mend. his verbis comprehensum. *Hieronymum, tanquam Magistrum nostrum, veneramur.* Id planum testatumque scilicet faciunt tot criminationum plaustra, quibus S. Hieronymus à Caluinistis & Lutheristis tantum non obruitur.

Digitized by Google

XXIII. Mendacium cap. 5. Bellarminum dicere; *nostram versionem cum Hebræo textu non congruere*: non dicit hoc absolutè; sed addit; *aliquando non congruere.*

XXIV. Mend. Bellarminum dicere, *disconuenientiæ caussam esse ipsum Hieronymum*: Non dicit hoc; sed culpam reiicit in librariorum incuriam; & in id, quod aliquando D. Hieronymus sensum potius secutus est; quam verba Hebræa; *aliquando*, inquam; non semper & vbique. Vnde minus accuratè rem inspicientibus discordare versio nostra videtur; cum reuera probè consonet.

XXV. Mend. *Hæc duo simul consistere non posse; incuriam librariorum esse aliquando caussam dissonantiæ; aliquando autem D. Hieronymum sententiã potiùs, quàm verba secutum.* Quæ, oro, in his repugnantia; vt simul constare non queant?

XXVI. Mendacium immanissimum. *Nullum esse caput, in quo non sit peccatum à vetere Interprete.* Hæc nimirum est *reuerentia* illa, qua Savvbrandus vulgatam editionem legit. Hæc obseruantia, qua S. Hieronymum, vt discipulus Magistrum, prosequitur.

XXVII. Mend. *Bellarminum dicere; in versione sua Hieronymum vbiq; sensum potius expressisse; quàm verba.* Vbi hoc Bellarminus? Quapropter omnia ruunt, quæ de hoc hic suo ex fanatico cerebro Caluinista blaterat; neque enim asserta Bellarminiana; sed sua somnia refutat tautologus & battologus Caluinisticus, qui omnia propemodum quæ capite quarto insulsissimè garriuerat; mox capite quinto regerit; more suo; quia omnes eius disputationes nil aliud sunt, quam fatuitates, repetitiones & stultiloquentiæ inanes.

XXVIII. Mend. Bellarminum dicere; *Vulgatam editionem non posse errare, nullam aliam ob caussam, quàm quod sit ab Ecclesia approbata.* Vbi Bellarminus hoc in capite nono; quod tu hic insectaris; vel etiam alibi? Ostende, sodes, locum. At vide vel potius ride hoc acumen. *Vulgata editio non fuit authentica tempore Apostolorum; ergo neq; iam.* Antecedens est perspicuum: Quia tunc necdum nata fuerat. O acumen. Considera & hoc. *Non fuit authentica tempore Hieronymi: ergo neq; nunc*: Antecedens probatur; *quia Hieronymus liberum cuiuis esse voluit; vt hac versione vteretur, vel non vteretur.* An non est ista acuti disputatoris collectio? Audi Caluinista. Vulgata editio nostra in se & quasi in *actu primo* authentica fuit, quam primùm exstitit; respectu nostri authentica est facta; postquam nobis authentica eius auctoritas ab Ecclesia est patefacta; & publicè vniuersis fidelibus proposita.

XXIX. Mend. cap. 6. Bellarminum dicere; *vsum diuturnum Latinæ editionis in Ecclesia esse caussam, cur Latina editio vulgata, sit authentica.* Nusquã hoc dixit Bellarminus; sed hoc: hunc tam diutur-

A num vsum, esse indicium authenticæ auctoritatis; quod longè est aliud.

XXX. Mend. Ex hoc sequi, *etiam errores vulgatæ editionis esse authenticos.* In qua vel ex qua Dialectica hoc sequitur? Num ex Savvbrandica?

XXXI. Mend. *Per multa sæcula in vsu Ecclesiarum fuisse errores quosdam vulgatæ editionis.* Nullum errorem, etiam librarium, vnquam Caluinista proferet; qui à condita vulgata versione omnia exemplaria, omnibus ætatibus insederit atque obsederit.

XXXII. Mend. Bellarminum ita argumentari; *Vulgata editio laudatur ab Augustino, Gregorio, & aliis; ergo est authentica.* Non ita argumentatur Bellarminus; quia laudatio versionis non est caussa
B authenticæ auctoritatis; sed, supposito Concilij Tridentini decreto, per hæc & similia argumenta ostendere vult; decretum illud esse legitimum, sanctum & ab omnibus recipiendum; idque ex tam diuturni temporis vsu; & ex Encomiis in hanc versionem collatis; & aliude liquere.

XXXIII. Mend. Bellarminum dicere: *Totam simpliciter Ecclesiam à mille fermè annis hac vulgata versione vsam*: Impudens commentum; quia Bellarminus perspicuè loquitur tantummodo de Ecclesia Latina: Quis enim tam imperitus est, qui nesciat Græcos hac versione non esse vsos? Itaque in fumum abeunt, quæcunque effrons Caluinista nugatur; qui toto suo libro in tanta verborum & nugarum volubilitate & multiplicita-
C te vix vnum argumentum Bellarmini candidè ac sincerè proponit.

XXXIV. Mend. Bellarminum dicere, *solam nostram vulgatam editionem Latinis fuisse in vsu.* Hoc suum mendacium vt Savvbrandus euertat, multa de variis apud Latinos olim vsitatis translationibus declamitat; sed frustra; quia nunquam Bellarmino in mentem venit, negare; plures fuisse olim versiones Latinas; sed ait; idque verissimè, per mille propemodum annos hanc vnam in Ecclesia regnasse; & omnia pulpita obtinuisse.

XXXV. Mend. *Græcam Ecclesiam nunquam habuisse Græca in lingua scripturam veteris testamenti authenticam.*

XXXVI. Mend. *Si à Concilio Tridentino Latina*
D *editio facta*, hoc est, declarata, *sit authentica; tum sequi; nullam fuisse ante Concilium Tridentinum Ecclesiam Latinam.*

XXXVII. Probat hoc Savvbrandus per aliud mendacium. *Quia Bellarminus dicit; nullam posse esse Ecclesiam Latinam; sine Latina editione authentica scripturarum; at nulla fuit editio Latina authentica ante Concilium Tridentinum.* O caput immedicabile; quæ somnia non somnias? Quæ deliria non deliras; & Bellarmino impudentissimè affricas? Quis dicit *Ecclesiam non posse consistere absq; scriptura Latina*; Imò etiam absq; scriptura simpliciter quocunq; demũ idiomate cõcepta sit? Quis dicit Latinã editionem nõ fuisse authenticam in se & *in actu primo* ante Concilium Tridentinum?

XXXVII. Mend.

Digitized by Google

XXXVIII. Mend. *Hoc tempore nullam esse Latinam Ecclesiam.*

XXXIX. Mend. Hanc propositionem esse Bellarmini. *Quam linguam Episcopi in conciliis generalibus non intelligunt, in ea scriptura sacra authentica esse non potest.* Mentiris impostor: Nunquam hoc scripsit Bellarminus.

XL. Mentitur iterum Caluinista; cum scribit: *Latinam vulgatam editionem esse authenticam, eo quod pauci Episcoporum Latinæ Ecclesiæ intelligant linguam Græcam vel Hebraicam.*

XLI. Mendacium. Bellarminum dicere; *Græcam & Hebræam editionem ideo non esse authenticam, quòd multi Episcopi Græcam & Latinam linguam non intelligant.* Vbi frons? vbi pudor? vbi candor?

XLII. Hanc propositionem esse Bellarmini. *In quacunque lingua sunt multæ versiones sacræ scripturæ, in ea lingua est versio authentica.* ô Sycophantam.

XLIII. Mendacium. *Ante Lutheri ætatem ex mille Episcopis vix vnum fuisse, qui potuerit Latinè legere.*

XLIV. Mend. *Hebræam linguam ante Lutherum prorsus iacuisse, & de nomine etiam incognitam fuisse.* Mendacium hoc luculenter coarguit Clementina prima *de Magistris*, vbi mandat Pontifex, vt linguæ Hebraica, Arabica, & Chaldaica doceantur *vbicunq; Romanam Curiam residere contigerit*, itemque in *Academiis Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi & Salmanticensi.* In margine editionis Gregorianæ hæc annotantur: *In aliquot antiquioribus codicibus ita legitur; Hebraica, Græca, Arabica, & Chaldæa*, &c. Et glossa testatur *in Originali* exstitisse illud, *Græca*; quamuis *cancellatum*. Vt vt sit; sequitur tuum

XLV. Mendacium, quod ais; *Græcam linguam ante Lutherum ita fuisse neglectam; vt ipsæ Academiæ solitæ sint scribere & dicere: Hæc Græca sunt, quæ legi non possunt.* Scilicet dictum, quod nonnullorum imperitia peperit, totis Academiis attribuendum est. Quis nescit ante Lutherum in Italia floruisse Græcarum litterarum peritissimos; vt taceam alios, qui diuersis ætatibus Græcè docti vixerunt, quorum non exiguus numerus.

XLVI. Mendacium. *Concilij Tridentini patres negare, Hebræam scripturam esse authenticam.* Quomodo negant, cum nil de Hebræa vel Græca editione agant.

XLVII. *Concilij Tridentini patres vetare, ne Latinæ versiones ex Hebræis fontibus corrigantur.* Concilium nil statuit de Latinis versionibus, sed solummodo de Latina versione vulgata: Secundo, non vetuit, ne librariorum errata corrigantur ex Hebræis fontibus.

XLVIII. Mend. Illud Psalmi primi: *in cathedra pestilentiæ; non esse rectè versum.*

XLIX. Mend. Nec illud: *Ideo non resurgent impij in iudicio.*

L. Mendacium. Nec illud: *In consilio iustorum.* Quia emendatæ editiones, & in his Romana, non habent *in Consilio*: sed, in *Concilio.*

LI. Mend. *Papistas dispensare in substantialibus Sacramentorum.*

LII. Mendacium. *Papistas noua Sacramenta instituere.*

LIII. Mend. *Lutherum fuisse primum, qui Biblia in Germanicam linguam transferre tentarit.* Ipsemet vidi & legi Biblia Germanica aliquot annis ante Lutherum natum edita.

LIV. Mend. cap. 7. *Ex omnibus Bellarmini dictis non aliam caussam colligi, cur Latina editio vulgata, sit authentica; quàm quia vel à Hieronymo scripta; vel quia ab Ecclesia approbata est.* Legantur Bellarminus, & ea, quæ supra ad cap. 10. disputauimus, & mox hæc mendacitas dissipabitur, sicut *deficit fumus à facie venti.*

LV. Mend. *Hanc editionem non fuisse authenticam statim atq; exstitit.* A primo enim ortu authentica fuit in se siue, vt scholæ loquuntur, *in actu primo.*

LVI. Mend. Gregorium in Iob dicere, *editionem nostram vulgatam, ne suo quidem sæculo pro authentica habitam fuisse.* Non dicit hoc S. Gregorius: Et si dixisset; intelligendus esset de authentica ratione *respectu nostri*; non de illa *in actu primo.*

LVII. Mend. Bellarminum fateri; *à D. Hieronymo multos errores commissos esse.* Vbi hoc Bellarminus?

LVIII. Mend. *Hieronymum malè transtulisse Ionæ 4. hederam.* De quo satis ad cap. XI. Si hedera vel cucurbita non est; quid ergo erit? *Ricinus*, inquit Savvbrandus. Quis hoc affirmat? *Lumen illud Hebraicarum litterarum Mercerus*, inquit idem Savvbrandus cap. 4. Scilicet tota post Hieronymum Latina antiquitas & ipse Aquila; & quotquot Aquilam secuti; cum sua *hedera*, & tota Græca vetustas; & vniuersa Latinitas, ex 70. Interpretibus expressa, relicta sua *cucurbita*; huic Mercero, nuperrimo Hebræistæ, fasces submittere debent. Non nego probabilitate non destitui, quod isti asserunt; sed nego tam certum esse; quàm certum id isti contendunt, hoc est, quàm certum, meridie solem lucere, licet Drusius lib. 2. Quæst. Hebraicarum Quæst. 44. & alij Nouatores reclament; imò Drusius ne ambigendum quidem amplius censet; quia Cicaion, teste Hieronymo, est Syris & Pœnis *Elcheroa*; aliis *Elcherua*; & absque articulo Arabico *Cherua*, quam Officinæ & Glossæ vocum Arabicarum interpretantur *Ricinum*: Plinio & Græcis *Cici*. Hebræis recentioribus, *Cic.* per apocopen à *Cicaion.* Quis ergo amplius dubitet; quandoquidem hoc cum *glossis* suis tam constanter & asseueranter affirmat Caluinianus Drusius; qui ægrè fert, Mercerum in partem tantæ laudis venisse; Quocirca cœlum & terram testatur, se hæc prius auditoribus suis tradidisse, quàm Merceri lucubrationes lucem adspicerent. De quo non laboro;

Tantummodo in re dubia tantam asseuerandi audaciam detestor. Idem Drusius Epist. 33. acriter insurgit in Caluinianos Gallicos Bibliorum Interpretes, quod in Iona nomen Cicaion retinuerint, nec *ricinum* verterint, cum nullum apud eruditos (scilicet) sit dubium, *Cicaion* esse ricinum.

LIX. Mend. Bellarminum dicere; *versionem vulgatam, si non esset ab Ecclesia approbata, errare; nunc, quoniam ab Ecclesia approbata est, non errare.* Vanissimum mendacium: Nunquam hoc, quod Sycophanta comminiscitur, Bellarminus somniauit. Quidquid igitur Savvbrandus contra deblaterat, id non Bellarminum, sed insani cerebri Savvbrandici commentum ferit.

LX. Mend. *Leonem X. Clementem & Adrianum Pontifices Romanos, in Bulla præfixa nouo testamento Erasmi fateri, vulgatam editionem esse corruptam.* Legatur Bulla Leonis; ne vnum quidem apicem de corrupta editione vulgata inueniet.

LXI. Mendacium. *Omnes doctos clamare vulgatam editionem esse vitiosam.* Si tamen per antiphrasin, *doctorum* nomine, *Caluinistas* intelligat; à mendacio absoluetur; quanquam nescio quàm meritò.

LXII. Mendacium. *Ex Bellarmini sententia, id quod vitiosum est, propter Ecclesiæ decretum, non esse vitiosum.*

LXIII. Mend. cap. 8. *Lutheranos non dicere omnium hominum, sed hominum non regeneratorum opera esse mala.* Quid ergo sibi vult hic articulus 32. Lutheri? *Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.* Item art. 31. *In omni opere bono iustus peccat.* Si peccat iustus in opere bono; quanto magis in malo. Si in bono & in malo; in omnibus ergo peccat; ergo omnia opera omnium hominum mala sunt. Quid sibi volunt execranda illa Lutheri contra Latomum effata? *Peccatum (quod horrescere faciet omnes pilos magistrorum nostrorum) volui & nunc dico, prædicatione per se stare inesse operi bono, quam diu viuimus, sicut risibile inest homini (loquor ad morem Aristotelis, non Sophistarum, qui adhuc nesciunt, quid sit per se apud Aristotelem, aut propria passio) sed esca, somnus, mors, insunt prædicatione per accidens. Vt ergò non sequitur; homo semper est risibilis, ergò semper ridet; ita non sequitur; homo viuit, ergò semper vigilat, comedit, moritur. Tamen vt sequitur, homo viuit, ergo est risibilis, dormitiuus, mortalis, &c. Ita sequitur; homo benefacit, ergo peccat: quia, homo benefaciens est subiectum, & peccatum eius passio.*

LXIV. Mendacium. *Melchisedechum lassos Abrahæ milites, & diuturna pugna fractos pane & vino refecisse, Bellarmino idem esse, atq; Deo panem & vinum sacrificare.* Diabolicum mendacium. Neque enim aliud occurrit, quo tantam nequitiam retundam.

LXV. Mendacium. *Bellarminum ex Ambrosio lib. 4. de Sacramentis cap. 3. probare, in vulgata editione* A *legi debere Gen. 14. proferens panem & vinum*; non; *offerens: cum tamen apud Ambrosium legatur; obtulit.* Nullum hac de re verbum Bellarminus ex Ambrosio.

LXVI. Mend. Hanc orationem Bellarmini esse blasphemam. *Cur Christus Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, nisi quia ille obtulit panem & vinum; hic seipsum in specie panis & vini?*

LXVII. Mendacium. Hanc Bellarmini orationem posse resolui in hunc modum. *Nulla alia caussa est, ob quam Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quàm hæc sola, quod Melchisedech obtulit panem & vinum: Christus autem seipsum obtulit in specie panis & vini.* Calumnia prorsus Satanica. B

LXVIII. Mend. *Melchisedechum non sacrificasse, testari phrasin Hebræam.*

LXIX. Mendacium. *Idem testari omnes Grammaticos.*

LXX. Mend. *Idem testari Andradium & Ariam Montanum.*

LXXI. Mend. *Omnes Grammaticos testari Vau eo loco* (erat enim Sacerdos) *non esse particulam caussalem.*

LXXII. Mend. *Lehem* eo loco, vbi noster: *Proferens panem & vinum, non significare panem, sed cibum in genere.*

LXXIII. *Testari hoc omnes Grammaticos.*

LXXIV. *Fateri hoc Andradium.* Quis nescit C ipsosmet sectarios, & in his Leonem Iudam, & Castalionem vertere; *panem.*

LXXV. Mend. *Nihil Deo oblatum fuisse; sed quidquid productum est, Abrahæ, eiusq; exercitui oblatum esse.*

LXXVI. Mend. *Docere hoc ipsum textum.*

LXXVII. Mendacium. *Testari hoc omnes Grammaticos.*

LXXVIII. Mend. *Fateri hoc Andradium, Ambrosium, Epiphanium.*

LXXIX. Mend. *Bellarminum dicere; hæc duo; omnes viros simpliciter prohiberi de tribu aliena vxorem ducere: & omnes mulieres iuberi nubere viro de tribu sua*; vnum idemque significare. *Equidem hic frontem desidero,* inquit Caluinista. Meritò desideras; D sed in te, non in Bellarmino.

LXXX. Mend. *Duo prædicta dicta colligi & confici ex vulgata versione nostra.*

LXXXI. Mend. *Versione vulgata omnes penè doctores deceptos esse.*

LXXXII. Cap. 9. *Omnes patres testari Hebræum textum esse incorruptum; & quidem vbiq;.*

LXXXIII. Mendacium. *Si Psalterium nostrum ex Græco sit versum, tum vulgatam versionem non esse authenticam: Græcam enim versionem nunquam fuisse authenticam; per consequens, neq; Latinam posse esse authenticam.*

LXXXIV. Mend.

LXXXV. Mend. cap. 10. *Aliquos ex Catholicis dicere Græcam noui testamenti editionem prorsus esse corruptam.* Nomina Catholicum, cuius hæc sit sententia.

LXXXV. Mend. Bellarminum dicere; *Græcam noui testamenti editionem ita esse corruptam, vt non possit esse authentica.* Vbi hoc Bellarminus?

LXXXVI. Mend. hunc syllogismum esse Bellarmini; vel factum ex mente Bellarmini: *Quem locum Tertullianus corruptum esse dicit; ille est corruptus; sed hunc locum 1. Cor. 15. primus homo de terra terrenus, &c. dicit Tertullianus esse corruptum; ergo est corruptus.*

LXXXVII. Mend. Hunc syllogismum formari posse ex doctrina Bellarmini. *Quidquid Hieronymus dicit, non esse Apostolicæ veritatis, hoc est corruptum. Sed, Græcam lectionem* 1. Corinth. 7. v. 33. *Hieronymus negat Apostolicæ esse veritatis. Ergò est corrupta.*

LXXXVIII. Mend. enorme. Bellarminum scribere; *in Græcis libris deesse vltimum caput Marci.* quasi diceret Bellarminus, hoc caput in omnibus Græcis codicibus deesse.

LXXXIX. Mend. *Historiam adulteræ Ioan. 8. in omnibus Græcis codicibus exstare.* At hoc negat Beza & alij. Addit quidem Savvbrandus: *In omnibus nostris:* Sed num Bellarminus de Savvbrandicis tantùm exemplaribus locutus est, quando negauit in omnibus exemplaribus inueniri? An ideo falsum est, quod Bellarminus asseruit; quia Savvbrandus hanc historiam in suo vno vel altero vel sesquialtero codice reperit? Quantus hic Caluinista criminator? Quantus Sycophanta?

XC. Mend. Bellarminum dicere: verba illa: *quia tuum est regnum, &c. in nullo Latino libro reperiri.* Legatur caput 7. Bellarmini; quod Savvbrando insano suo capite decimo exagitat.

XCI. Mend. caput vndecimum Disputationis vel potius delirationis Savvbrandicæ nihil est aliud; quam *vnum perpetuum, & nusquam interruptum* mendacium cum perenni tautologia & battologia. Quidquid enim hic mentitur, id iam supra capite sexto & septimo mentitus fuerat.

CXII. Mend. lib. 3. cap. 1. Bellarminum quæstionem *de editionibus vulgaribus seu vernaculis confusè tractare.* Adi caput 15. Bellarmini. & mendaciloquo huic ori, quod meretur, imprecare.

XCIII. Mend. cap. 2. *Omnibus hominibus non modò permissum; sed & necessarium esse, vt scripturas suis quiq; vernaculis linguis legant.* Quid facient illi; qui nesciunt legere? Quid factum Germanis, Gallis, Belgis, antequam in has linguas Biblia transferrentur?

XCIV. Mend. *Omnibus hominibus præceptum esse diuinitus vt scripturas vernaculo idiomate legant.*

XCV. Mend. *Ab Apostolis laudatum esse, vt Laici sua quiq; in vernacula lingua scripturas legant.* Vbi hæc seu laus seu laudatio? Nemo obstat, quo minus Laici scripturas Hebraicè Græcè, Latinè euoluant; at vt id fiat vernaculo vniuscuiusque idiomate; id nusquam scriptum aut præceptum legimus.

XCVI. Mend. *Vernaculas versiones esse arma seu armaturas illas, quibus Laici Diabolo debeant resistere.* Valde scilicet mucronem Lutheranorum aut Caluinisticorum Bibliorum Dæmon perhorrescit.

XCVII. Mend. *In Ecclesia primitiua Laicos sua quemq; lingua vernacula scripturas legisse.*

XCVIII. Mend. *Patres hoc asseuerare.*

XCIX. Mend. *Nominatim Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum.*

C. Mendacium cap. 4. Bellarminum *perperam dixisse, Demosthenem, præfectū culinæ, S. Basilio de diuinis dogmatis disputanti contradicentem aliquid de scripturis protulisse. Non enim hoc scribere Theodoretum lib. 4. cap. 17.* Quid ergo scribit Theodoretus? *Demosthenem barbarico* (hoc est, Savvbrandico) *ritu & sermone increpasse Basilium.* Sed in quo increpauit? Nonne in explicatione scripturæ? Nonne totus increpationis fons & origo erat; quod Demosthenes ille Arianus existimaret se melius & certius scripturas intelligere, quàm S. Basilium, orbis terrarum Magistrum? Nam de cælestibus dogmatis ex sacris litteris disserenti sese præfectus ille opposuit: & scripturas peritius explicare, quàm S. Basilius, videri voluit. Quapropter & illud à viro sancto audiuit; *Tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere.* Absoluimus pseudologiarum Savvbrandicarum centuriam. Nunc alteram auspicemur, & quidem à mendacio spissißimo.

CI. Mend. *Has consequentias esse Bellarmini; Cocus non debet Basilium barbarico ritu increpare: ergo Laicis non licet scripturam legere.*

CII. Mend. *Cocus non debet Basilio minari, ergo Laicis non licet scripturam legere.*

CIII. Mendacium. *Cocus debet insculorum condimenta curare, ergo Laicis non licet scripturam legere.*

CIV. Mendacium. *Cocus obturatas aures habens non potest diuina dogmata audire, ergo Laicis non licet scripturam legere.* Quanto rectius inferes: *ergo Savvbrandus est tenebrio: si non nebulo.*

CV. Mend. Hunc syllogismum esse Bellarmini. *Quicunq; non debent scripturam lacerare, neque docere eam, priusquam ipsi didicerunt, illi non debent sacram scripturam legere. Sed deliri senes, & garrulæ anus non debent sacram scripturam lacerare, neq; eam docere, priusquam ipsi didicerunt. Ergò, Laici, non debent scripturam legere.*

CVI. Mendacium. *Nonnullos ex Papistis ante aliquot annos simpliciter negasse, licere scripturas in vernaculas linguas vertere.* Nec Sotus, nec Censura Coloniensis; nec Hardingus, quos citas, hoc simpliciter negant.

CVII. Mendacium. *Papistas iam docere; illis tantum licere Biblia in vernaculas linguas vertere, quibus hoc à Papa permissum est.* Vbi hoc Bellarminus, quem nominas huius sententiæ suffragatorem?

CVIII. Mend. *Statum controuersiæ esse istum; An liceat sacram scripturam absq; Papæ permissione in linguas vernaculas vertere?*

CIX. Mend. *Papistas negare.* Non est iste status controuersiæ; sed hic: *Num omnibus promiscuè, absq; delectu, vernaculæ versiones sint permittendæ.* At nisi Savvbrandus omnia inuerteret ac peruerteret, tantus impostor non esset.

CX. Mend. *Papistas neminem velle scripturas vernaculas legere, nisi quibus hoc à Papa permissum est.*

CXI. Mendacium. *Tempore primitiuæ Ecclesiæ scripturam ferè in omnes linguas vernaculas traductam fuisse.*

CXII. Mend. *Hoc affirmare Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum.*

CXIII. Mend. *Omnes doctos affirmare versiones Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, Ægyptiacam factas esse tempore Apostolorum.* Quid de Syriaca versione Bellarminus sentiat, vide cap. 4. lib. 2. Reliquas Apostolicis temporibus posteriores esse, certo certius liquet.

CXIV. Mendacium non semel iteratum. *Manifestum esse tempore primitiuæ Ecclesiæ scripturam in omnes linguas translatam.* Supra addiderat: *Ferè.* Nunc istud *Ferè* disparuit. Dic, quæso, num etiam in Germanicam & Belgicam linguam tempore primitiuæ Ecclesiæ scriptura translata fuit? Quid ni affirmes, cum in omnes translata fuerit? Inter omnes autem vna itidem est Germanica & Belgica lingua.

CXV. Mend. cap. 7. Ex Bellarmini sententia titulum Crucis tribus linguis exaratum simpliciter esse caussam necessariam, ob quam sacra scriptura tantum in linguis Hebræa, Græca & Latina exstare debeat.

CXVI. Mend. *Bellarminum scribere, sacram scripturam in publico tantum debere exstare & legi iis linguis, quas Christus crucis suæ titulo honorauit.* Nusquam hoc dixit Bellarminus: sed hoc; in publico & communi vsu Ecclesiæ, hoc est, in diuinis officiis, scripturas non nisi tribus illis linguis legi vel cani debere.

CXVII. Mend. *Argumentum à titulo Crucis, produci tanquam necessarium & demonstratiuum*; cum tantum adferatur vt topicum & probabile. Nec ignorat Bellarminus, permissu sedis Apostolicæ, ipsa etiam diuina officia aliis linguis celebrari posse.

CXVIII. Mend. Hunc syllogismum esse Bellarmini. *Quæ linguæ antiquitate, grauitate, & amplitudine reliquis præstant, in iis tantùm scriptura extare debet. Sed Hebræa, Græca, & Latina linguæ sunt reliquis omnibus antiquiores, ampliores, & grauiores. Ergò*

A *scriptura in Hebræa, Græca, & Latina lingua tantum exstare debet.* Nunquam dicit Bellarminus, scripturam tantùm tribus illis exstare debere; sed scripturam non nisi tribus illis linguis legi vel cani debere in Ecclesiasticis conuentibus: nec in vernaculas linguas versam, omnibus absque delectu permittendam esse. Itaque quoties aliud Bellarmino Savvbrandus affingit, toties facit id; quod vnum in omnibus suis libris propositum habuit, hoc est, calumniatur & mentitur.

CXIX. Mendacium. *Illos qui Apostolos proximè secuti sunt, vertisse sacram scripturam in omnes linguas.* Quæso, quis vertit in Germanicam?

CXX. Mendacium. Bellarminum docere, B *Deum solis antiquissimis & grauissimis linguis Hebræa, Græca, Latina coli & adorari debere.* Monstrum hominis, non hominem huius calumniosi & prodigiosi mendacij fabrum iure appelles; Addamus & hunc Savvbrandicum flosculum, sed extra numerum: *Bellarminum attulisse argumentum ab antiquitate, amplitudine, & grauitate tanquam apodicticum, seu demonstratiuum.* Minimè verò; quia attulit tanquam topicum & conueniens. Quocirca non sequitur: *vernaculas versiones simpliciter esse illicitas*; vel sacra publica absolutè nulla alia lingua præterquam Hebræa, Græca vel Latina celebrari posse; vt hic nugatur Caluinista.

CXXI. Mendacium. Bellarminum dicere; C *olim sacra publica Græcè peracta tantùm propter amplitudinem linguæ Græcæ.* Vbi hoc Bellarminus?

CXXII. Mendacium. *Hebræam, Græcam, & Latinam linguam nunc apud nullum populum esse in vsu.*

CXXIII. Mendacium. Hanc propositionem esse Bellarmini: *Sacra publica non debent iis linguis fieri, quæ apud nullum populum sint in vsu; hoc est; quæ nulli populo sint natiuæ ac vernaculæ.* Vbi hoc Bellarminus?

CXXIV. Mend. *Si communissima lingua sacra publica celebrari debent; tum sequi; ea celebrari debere lingua Sclauonica; hanc enim omnium latissimè diffundi.* Nemo non videt inanem cauillationem; præter mendacium: Nam Latina longè latius ex- D tenditur; ad vtrosque scilicet Indos, ad Iaponas & Sinas; & multis locis, vbi Sclauonica lingua viget; non desunt, quibus & Latina lingua sit cognita.

CXXV. Mend. *Vnam linguam non esse grauiorem,* hoc est, maiestatis pleniorem, *quàm alteram.* Inscitum & inficetum mendacium. Quis tam insanus est, qui neget linguam Hebræam esse grauiorem lingua Holandica vel Frisica, qua Savvbrandus iste lallat.

CXXVI. Mend. Bellarminum dicere; *A temporibus Esaiæ vsq; ad Christum linguam Hebraicam desiisse esse vulgarem in populo Dei.* Dormitabat, opinor, Caluinista, quando Bellarminum legebat; qui dicit: A temporibus *Esdræ*; non *Esaiæ*.

CXXVII. Mend.

Digitized by Google

CXXVII. Mend. hanc propositionem esse Bellarmini. *Quemadmodum factum est in Ecclesia Iudaica à tempore Esaiæ vsque ad Christum, ita in Ecclesia Christiana fieri debet.* Oggerit Caluinista. *Non quidquid factum est in Ecclesia Iudaica, obseruari debet in Ecclesia Christiana.* Vbi asseruit Bellarminus, quod tu ei impostoriè imponis?

CXXVIII. Mend. Hunc syllogismum esse ex Bellarmini sensu exstructum. *In quorum linguā aliquot peregrinæ voces irrepserunt, illi suam linguam prorsus ignorant. Sed in Iudaicam linguam aliquot peregrinæ voces irrepserunt. Ergò Iudæi suam linguam prorsus ignorabant.*

CXXIX. Mend. Bellarminum dicere, *Iudæos à tempore Esdræ vsq; ad ætatem Christi & deinde prorsus ignorasse linguam Hebræam.* Vbi hoc Bellarminus? An non vbiq; doctiores excipit? An non de vulgo loquitur?

CXXX. Mendac. Hanc propositionem esse Bellarmini. *Quod faciunt Iudæi in suis synagogis, hoc etiam Christiani in suis Ecclesiis facere debent.* O calumniatorem & genuinum principis calumniatoris fœtum.

CXXXI. Mend. iam sæpius iteratum. *Scripturas tempore primitiuæ Ecclesiæ in omnes linguas fuisse conuersas.*

CXXXII. Mend. *Idq; eo fine, vt promiscuè ab omnibus legerentur.*

CXXXIII. Mend. *Item, vt sacra publica vernaculè celebrarentur.*

CXXXIV. Mend. Argumentum ex vsu Apostolorum, quod est secundum apud Bellarminum, & quintum apud Savvbrandum, (qui structuram & compagem disputationis Bellarminianæ vbique dissoluit ac discerpit) *adferri à Bellarmino, tanquam necessarium & demōstratiuum*; quasi nullo modo fieri posset, *vt sacra publica alio idiomate celebrentur; quàm quo in scriptis Canonicis Prophetæ & Apostoli fuère vsi.*

CXXXV. Mend. Bellarminum contendere, *solum Marcum originaliter scripsisse Latinè.* Vbi hoc contendit Bellarminus? Nam cap. 15. ait: sunt qui existiment Euangelium Marci Latinè scriptum. Similiter cap. 7. nil aliud facit Bellarminus, quā quòd aliorum sententias de Euangelio num Latinè primitus an Græcè scriptum fuerit, commemorat. Estne hoc contendere Euangelium Marci Latinè fuisse scriptum?

CXXXVI. Mend. *Damasum in vita Petri nil dicere, ex quo colligi possit, Marcum Euangelium suum scripsisse Latinè.* Videatur Anastasius Bibliothecarius seu Damasus: & mox vanitas euanescet.

CXXXVII. Mend. *Damasum, & epistolas Decretales, esse ridiculas, ineptas, & falsas.*

CXXXVIII. Mend. *Hieronymum testari præfat. Comment. in Matthæum & in catalogo virorum illu-*

A *strium, & præfat. in Marcum; Marcum fuisse primum Episcopum Antiochiæ.* Nullum verbum sanctus Hieronymus de Antiochia; sed de Alexandria. Sed en insolubile argumentum torquet Savvbrandus aduersus Bellarminum. *Quibus linguis scriptura originaliter scripta est, iis tantùm legi, & sacra publica iisdem tantùm celebrari debent. Sed Hebræa, & Græca lingua tantùm scriptura originaliter scripta est. Ergò scriptura, his tantùm duabus linguis legi, & iisdem sacra publica administrari debent. Maior est posita à Bellarmino,* inquit Savvbrandus. *Minor vnanimi veterum testimonio & omnium doctorum consensu confirmatur.* Non veniant in censum mendacia quæ hic effutiuntur. Dissimulentur licet. Si Bellarminus neget Minorem; quid ages? Falsum enim est, omnes veteres, vnanimi consensu, tradere, libros noui testamenti tantummodo Hebræa & Græca lingua conscriptos esse: vt suo loco vidimus. Quid si Bellarminus neget Maiorem abs se fuisse positam, prout abs te ponitur & adducitur, quo te vertes? Neque enim in terminis, *vt loquimur*; neque etiam implicitè Maiorem istam posuit; sed tantùm inde probauit in vulgares & vernaculas linguas non esse promiscuè scripturam vertendam; quòd Apostoli ad nationes quasdam linguā non vernaculā scripserint. Nam si vernaculè scripturam indiscriminatim legi volebant; cur non vernaculo vniuscuiusque nationis sermone sua in scriptione sunt vsi? B

C Vibrat & hoc missile in Bellarminum Savvbrandus. *Qua lingua originaliter scriptura scripta non est, in ea neq; scriptura legi, neq; sacra publica administrari debent. Sed Latinā lingua scriptura originaliter scripta non est. Ergò in Latina lingua neq; scriptura legi, neq; sacra publica administrari debent. Viderit Bellarminus, quid sit responsurus ad hoc argumentum*; inquit Caluinista. Si Bellarminus neget Minorem; quid facies? si neget Maiorem: occidisti.

CXXXIX. Mend. Hoc esse Bellarmini argumentum. *Sacra scriptura, & publica sacra Hebræa lingua apud Hebræos scripta, & facta sunt, vt ab omnibus intelligerentur. Ergò scriptura, & sacra publica apud Christianos lingua omnibus ignota legi, & celebrari debent.* Os inuerecundum. Vbi hæc stultitia in Bellarmino? D

CXL. Mend. Hunc syllogismum esse Bellarmini. *Quæ linguæ sunt necessariæ ad SS. Scripturarū cognitionem, in iis tantùm scriptura exstare, & legi, ac sacra publica administrari debent. Sed hæ tres, nempe Hebræa, Græca, & Latina sunt tantùm necessariæ ad SS. Scripturarum cognitionem. Ergò, his tribus linguis tantùm exstare scriptura, & legi, & sacra publica administrari debent.*

CXLI. Mend. Bellarminum ex Augustino asserere, *omnibus hominibus ad intelligētiam sacræ scripturæ esse necessariam cognitionem trium linguarum He-*

braea, Graca, Latina. Istud, *omnibus hominibus*, in Bellarmino non comparet. Quare sit

CXLII. Mend. Savvbrandicum; *A Bellarmino Augustinum aut non inspectum; aut non bona fide adductum.*

CXLIII. Mendacium desperatissimũ. Hoc argumentum esse Bellarmini. *Latina lingua homines opus habent Graca & Hebraa lingua ad scripturam cognoscendam: ergo aliarum linguarum homines debent scripturam ignota lingua legere.*

CXLIV. Mendac. ad nauseam vsque repetitum. *In primitiua Ecclesia scripturas in Ægytiacam, Arabicam, Æthiopicam & omnes alias linguas fuisse conuersas.* Mox recinit & regerit; quæ iam toties nouus iste Battus summo cum fastidio decantauerat: & ea insipientiæ dat documenta; vt si quis pro merito illum exagitare velit; nec modus nec finis vllus sit futurus. Quæ enim hæc deliria? *Iosephus Scaliger, vero nomine, Burdo, promisit se editurum Psalterium Æthiopicum & Ægyptiacum, ergo certum est sacrã scripturam in primitiua Ecclesia fuisse non modò in Æthiopicam & Ægyptiacam; sed & in omnes linguas translatam. II. Raphelengius habuit Pentateuchum Persico idiomate: ergo in primitiua Ecclesia tota scriptura est versa in linguam Persicam,* nec dubium quin à Simone & Iuda Apostolis. Quis enim alius hunc laborem cepisset? *III. Apud Comitem de Nevvenar exstat liber vetustissimus continens vniuersum nouum testamentum lingua antiqua Frisonum: certum est ergo scripturas in ipsa primitiua Ecclesia in linguam Frisonum fuisse translatas. IV. Iunius aliquos noui testamenti libros ex Arabica lingua transtulit; sequitur ergo quod antea. V. Postellus dicit se vidisse Euangelia linguâ Æthiopicâ: ergo in primitiua Ecclesia translata sunt sacra littera in linguam Æthiopicam. VI. Ambrosius Thesens sape allegat Psalterium Indicum; ergo, &c. Idem ex Euangeliis Armenicis multa citat; ergo Euangelia in Armenicum sermonem sub ipsa Christianismi incunabula transfusa sunt. Et adhuc audebit dicere Bellarminus, nullum veterem scriptorem alterius alicuius versionis meminisse?* inquit Savvbrandus.

CXLV. Mend. Hunc syllogismum esse Bellarmini: *Quod vniuersalis Ecclesia facit, hoc & nos facere debemus. Sed vniuersalis Ecclesia semper legit scripturam lingua Latina, Graca, & Hebraa; & in iisdem sua sacra administrauit. Ergò nos omnes debemus scriptura ignota lingua legere, & in eâdem sacra publica administrare.*

CXLVI. Mend. Minorem ita formari debere ex mente Bellarmini. *Vniuersalis Ecclesia semper legit scripturam ignota lingua; & sacra publica semper administrauit ignota lingua.* Rectè enim habet Minor superioris syllogismi: sed conclusio est Savvbrãdica; hoc est, sycophantica & impostoria. Nam Bellarminus probare instituit semper linguâ Hebræa, Græca vel Latina in sacris publicis scripturas esse lectas.

CXLVII. Mend. *Non esse faciendum, quod vniuersa facit Ecclesia.*

CXLVIII. Mend. *Vniuersam Ecclesiam tempore passionis Christi deseruisse Christum,* hoc est; à vera fide desciuisse. Nunquid & Deipara? Nunquid & alij non pauci?

CXLIX. Mend. *Omnes Iudaeos in mortem Christi conspirasse.* Nunquid & Ioseph ab Arimathia? Nunquid & Nicodemus?

CL. Mend. Hunc esse Bellarmini syllogismũ. *Quidquid dicit Augustinus hoc verum est. Sed Augustinus dicit, illud omnibus hominibus obseruandum esse, quod vniuersa Ecclesia docet. Ergò hoc ita fieri debet.*

CLI. Mend. *Vniuersam Ecclesiam legisse scripturam linguâ cognitâ,* hoc est, vernaculâ; *& sacra administrasse linguâ cognitâ,* hoc est, vulgari & vernacula.

CLII. Mend. *Arabes id fecisse linguâ Arabica.*

CLIII. Mend. *Ægyptios Agyptiaca.*

CLIV. Mend. *Indos Indica.*

CLV. Mend. Hoc argumentum esse Bellarmini. *Aliqui in Oriente non sciuerunt Gracè: sed aliqui in Oriente legerunt scripturam lingua Graca. Ergò scriptura in linguas vernaculas verti, & in iis legi non debet, & sacra publica in iis administrari non debent.*

CLV. Mend. Bellarminum, *si ad rem argumentari velit; sic ratiocinationẽ suam instituere debere. Graca lingua fuit in toto Oriente ignota. Sed Orientales legerunt scripturam lingua Graca. Ergò legerunt scripturam lingua ignota.* Quam effrenatus sycophanta.

CLVII. Mend. *Anglos publicis in sacris vsos fuisse lingua Anglicana.*

CLVIII. *Dalmatas, Dalmatica.*

CLIX. *Sclauos & Bohemos Sclauonica.*

CLX. *Frisios Frisica.* Mirum, non addidisse vel numeri augendi caussa: Germanos, Germanica. Belgas, Belgica.

CLXI. Mend. *Afros, qui tantùm sciebant Punicè; sacra publica fecisse idiomate Punico.* Nunquam hoc vllo vel in speciem probabili argumento ostendet Savvbrandus?

CLXII. Mend. Hoc esse Bellarmini argumentum. *Aliqui populi Occidentis non sciuerunt Latinè; & aliqui legerunt scripturam Latinè, & fecerunt sacra Latinè. Ergò nemo debet scripturam lingua vernacula legere, neq; sacra publica lingua vernacula administrare.*

CLXIII. Mend. Bellarminum sic argumentari debuisse. *Nullus populus Occidentis sciuit Latinè; & omnes populi Occidentis legerunt scripturam Latinè, & fecerunt sacra Latinè. Ergò nemo debet scripturam in lingua vernacula legere, neq; sacra in lingua vernacula facere.* Quæso, ne doceat sus Savvbrandus Mineruam.

CLXIV. Mend. cap. 8. *Papistas docere, sacra publica tantùm Latina lingua fieri debere.* Num excludũt Græcam & Hebræam? Inspice, oro, Bellarminũ; sed attentioribus, quàm antea oculis.

CLXV. Mend. cap. 9. Hoc esse Bellarmini argumentum. *Sacra publica debent graui, & veneranda lingua fieri. Sed Latina lingua est grauis, & veneranda. Ergò, sacra publica debent Latina lingua fieri.* Bellarminus disertè non de sola Latina; sed & de Hebræa & Græca loquitur. Quando tandem desines mẽtiri? Tum, opinor, cum desines viuere. Antè enim nulla spes affulget. Et quando desines Bat-

tus

tus esse? Nam toto hoc capite nono nihil aliud agis, quàm quòd mendacia Battologicè repetis.

CLXVI. Mendac. Battologicum capite decimo. Deum mandasse, vt preces & sacra publica notâ, hoc est, vulgari & vernacula lingua faciamus. Vbi hoc præceptum?

CLXVII. Mendacium; *Hoc mandatum exstare 1. Corinth. 14. illis verbis: si incertum sonum tuba dederit, &c.*

CLXVIII. Mendac. Battologicum ad nauseam vsque inculcatum. *Omnes populos in primitiua Ecclesia vernacula lingua sacra publica administrasse.* Vnde hoc colligit? Quia Origenes contra Celsum libro octauo scribit: *Omnes homines lingua vernacula Deum precari.* Ex quo vlterius rectè sic concludes secundum Dialecticam Savvbrandicam. *Germani, qui Romanum Pontificem, tanquam Christi Vicarium, venerantur, etiam lingua vernacula precantur Deum; ergo lingua vernacula administrant publica sacra.*

CLXIX. Mendac. Paulum velle, *vt quidquid in Ecclesia ex Spiritus sancti instinctu profertur; id proferatur lingua nota,* hoc est, vernacula: Hanc enim intelligit Caluinista per linguam notam.

CLXX. Mendac. *Paulum reprehendere doctores illos, qui Spiritus sancti instinctu extraordinariè loquebantur, idque ignota lingua:* Minime verò; non enim is erat Paulus, qui Spiritus sancti vim & impressionem cohibere & comprimere studeret; sed illos reprehendit, qui in exhortationibus sacrisque collationibus ex ostentatione quadam peregrina lingua vtebantur; vt dono linguarum se præditos declararent.

CLXXI. Mendac. *Id quod fit lingua ignota,* hoc est, *non vernacula, neminem ædificare.*

CLXXII. Mendac. *Diuisionem hominum in Clericos & Laicos esse contra Dei verbum.* At hoc negant Caluinistæ Angli; quibus suus est *Clerus* à Laicis distinctus, vt patet ex Conciliabulo Londinensi non ita pridem celebrato.

CLXXIII. Mendac. *Institutionem, qua soli Clerici publica officia canunt, esse contra Dei verbum.* Vbi?

CLXXIV. Mend. *Officia diuina populo nunc penitus esse ablata.*

CLXXV. Mend. *Populum nunc nullas partes habere in Papisticis sacris.*

CLXXVI. Mendac. Impudens: *Bellarminum dicere; nunc alium esse finem publicorum sacrorum & diuinorum officiorum, quàm fuerit in primitiua Ecclesia.* Dic effrons caput; vbi hoc Bellarminus? An non cultus Dei diuinorum officiorum præcipuus & perpetuus finis à Bellarmino constituitur?

CLXXVII. Mendac. æquè impudens: *Alium nunc esse, & alium olim fuisse finem canticorum spiritualiumque à priuatis composita in Ecclesia idiomate vulgari concinuntur;* de quibus Apostolum loqui probauit Bellarminus capite decimo sexto. Nã vt olim, ita & hodie talium cantionum finis primarius est instructio & consolatio populi.

CLXXVIII. Mend. Bellarminum negare, *ædificationem populi; esse etiam finem diuinorum officiorum.* Est finis; sed non præcipuus.

CLXXIX. Mendac. Bellarminum abnuere, *cantionum spiritualium, quæ lingua vernacula concinuntur, finem esse cultum Dei.* Finis est; sed non præcipuus. Aliud est, non esse finem; aliud; non esse præcipuum finem. An non hæc omnia clarè Bellarminus? Sed huic talpæ nil claret præter mendacia & calumnias.

CLXXX. Mend. *Se apud Papistas vidisse multos septuagenarios, qui non potuerint orationem Dominicam, neque Symbolum Apostolorum, neque Decalogum Domini recitare.* Suspicor te non rectis oculis decrepitos illos & capulares seneciones intuitum; proque Papistis habuisse, qui Caluinistæ vel Lutheristæ erant. *Miserabilis illa facies,* inquit Lutherus præfatione in Catechismum, *quam proximè, cùm visitatorem agerem, vidi, me ad edendum hunc catechismum, simplicissimè, & breuissimè tractatum coëgit. Deum immortalem, quantam calamitatem ibi vidi: vulgus, præsertim autem illud, quod in agris viuit, item plerique Parochi, adeò nullam Christianæ doctrinæ cognitionem habent, vt dicere etiam pudeat. Et tamen omnes sancto illo Christi nomine appellantur; & nobiscum communibus vtuntur Sacramentis: cum Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, & Decalogum non modò non intelligant, sed ne verba quidem referre possint. Quid multis morer? nihil omninò à bestiis differunt.*

CLXXXI. Mendac. *Cum sacra administrantur ignota lingua,* hoc est, vernacula, *tum neque Deum honorari, neque populum ædificari.*

CLXXXII. Mend. *Ignota,* hoc est, non vernacula, *lingua cantare vel precari, esse quasi auium voce cantare.* Nam saltem Clerici, qui Latinè canunt; id quod canunt, intelligunt: aut si non intelligant; adhuc tamen est ingens inter homines & aues cantantes diuersitas, vt patet ex iis, quę Bellarminus capite decimo sexto, & nos ibidem disputauimus.

CLXXXIII. Mendac. Battologicum. *Illos, qui ignota lingua precantur similes esse auibus, quæ voces sonare edocentur, & earum vim ignorant.* Minimè gentium: nam homo, qui psallit vel precatur lingua non intellecta, facit id animo affectuque pio; gloriæ diuinæ promouendæ desiderio; & gratiæ cælestis tam sibi, quàm aliis impetrandæ voto. Quod aues non faciunt, licet dies noctesque verba sonare edoctæ cantillent.

CLXXXIV. Mend. *Sanctum Augustinum in Psalm. 18. Savvbrando de auibus & hominibus ignota lingua precantibus adstipulari.* Nihil minus: non enim

Digitized by Google

ignorauit sanctus Augustinus preces, quamuis non intellectas, si piè & religiosè concipiantur, Deo gloriam & precanti non modicam vtilitatem parere; vt ostendit Bellarminus; sed eas similes auibus dixit; qui sine vllo gustu vel sensu interno psallunt & cantant; nec vel in genere cogitant, quid agant; & quid cantiones illæ sibi velint; instar auium; quibus nullus sensus, cur verba quæ didicerunt, enuncient; & quò referantur vel quid saltem in genere significent.

CLXXXV. Mend. Battologicum. *Eum, qui ignotâ linguâ preculas recitat, Dei verbum profanare, & naturæ ordinem inuertere.*

CLXXXVI. Mend. Batticum. *Sacerdotem, qui baptizauerat in nomine Patria & Filia, & Spiritua sancta; nullo discrimine à merulis & psittacis seiungi:* nam Baptismus ille valuit iudicio Pontificis; at licet omnes merulæ & psittaci verba illa super Catechumenum non sine affusione aquæ protulissent; baptismus tamen irritus fuisset: imò licet verba integrè & incorruptè pronunciassent, nihil effecissent.

CLXXXVII. Mend. *Preces lingua non intellecta conceptas, esse inutiles.*

CLXXXVIII. Mend. Bellarminum *vocare publicam Ecclesiæ orationem, quæ non est Ecclesiæ.*

CLXXXIX. Mend. *Precationem Cleri non posse dici precationem Ecclesiæ: quia Clerus non est Ecclesia.* Perinde ac si dicas: Oratio oratoris pro Republica, non est oratio Reipublicæ; quia Orator non est respublica. Vt igitur orator in hoc exemplo est Respublica per repræsentationem; ita & Clerus est tota Ecclesia per repræsentationem: loco enim totius Ecclesiæ psallit & precatur publicè.

CXC. Mend. crassum. Hæc duo, *proficere affectu; & tamen nihil intelligere* (speciatim videlicet) *esse contradictoria.* In qua Logica? Num in Caluinistica omnis λόγου vacua? An non videmus quotidie, Latinis dramatis & comœdiis etiam infimos de plebe; nil penitus intelligentes mirificè commoueri; & interdum lacrymas vbertim profundere, licet, quid dicatur, non intelligant?

CXCI. Mend. *Fidem cum precatione iungi non posse, nisi verborum sensum in specie & explicitè intelligas.*

CXCII. Mend. *Eos, qui precantur in Ecclesia lingua auditoribus ignota, nil prodesse audientibus.* Ex quo sequitur, si quis Germanus pro Indis Germanicè oret; eum Indis nil prodesse; quia Indi non intelligunt linguam Germanicam.

CXCIII. Mend. Battologicum. Bellarminum negare, *ædificationem populi esse finem diuinorum officiorum.* Vbi negat? Ait, non esse finem præcipuum. An ideo non est finis?

CXCIV. Mend. Hoc argumentum esse Bellarmini. *Quod soli Clerici faciunt, eius finis non est ædificatio: sed soli Clerici immolant Deo sacrificium laudis: ergo finis publicorum sacrorum nō est ædificatio, sed cultus Dei.* Profligatæ frontis & mentis hunc Sycophantam A esse oportet; qui tam flagitiosè in conspectu totius mundi calumniari & mentiri audeat.

CXCV. Mendacium. Bellarminum, hunc syllogismum. *Quemadmodum Christus, & Apostoli sacra publica administrarunt, ita etiam & nunc administrari debent. Sed Christus, & Apostoli administrarunt sacra publica notâ linguâ. Ergò, & nunc notâ linguâ administrari debent.* eludere & dicere, *à prædicatione ad scripturam nō valere consequentiam.* Impudens mendacium, hanc enim solutionem, non dat Bellarminus ad hoc argumentum, quod Savvbrandus confinxit, sed ad hoc Kemnicianum. *Christus prædicauit lingua vernacula, &c. ergo etiam scripturas licet habere vernaculas.*

CXCVI. Quæ Savvbrandus fol. 264. & 265. B scribit, nil aliud sunt, quàm vnum quoddam *continuum mendacium* ex pluribus particularibus mendaciis consutum: vt, *omnes homines in primitiua Ecclesia sacra publica peregisse lingua nota,* hoc est, vernacula & vulgari. Syros Syriacè, Arabes Arabicè, AEgyptios AEgyptiacè, & alios sua quemque lingua.

CXCVII. Mend. *Hoc fateri Hardingum contra Iuellum; Lyram & Thomam.*

CXCVIII. Mend. *Idem docere Origenem, Theodoretum, Basilium.*

CXCIX. Mend. Eckium in locis *titulo de Missa* scribere; *ab Indis Indicè celebrari Missam.* Primùm, Eckius non loquitur de omnibus Indis; sed de Indis Australibus; sic enim vocat Abassi- C nos. Secundò dicit, his *permissum esse, vt* sua, hoc est, AEthiopica lingua Missas celebrent. Ergo absque permissu id orthodoxis non licet.

CC. Mendacium idque vndique bene stipatum & conglobatum. *Tota & vniuersa primitiua Ecclesia vsa est linguâ notâ,* hoc est, vernacula, *in publicis sacris. Omnes Apostoli celebrarunt sacra publica, linguâ notâ;* hoc est, populo, apud quem versabantur, vernacula & vulgari. *Ipse Dominus noster vsus est lingua nota,* hoc est, vulgari & vernacula in publicis sacris. Nil aliud dico, quàm illud Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Hactenus de Pseudologiis Savvbrandicis; quarum ingens est in omnibus pagellis huius Caluinistæ copia; vt, si quis velit, sex. septem octoue mendaciorum millia ex D huius Caluinistæ opere *de principiis Christianorum dogmatum* ea facilitate colligere posit; qua nuper vir clarissimus Gaspar Schioppius quingenta mendacia excerpsit ex epistola illa Iosephi Burdonis; in qua nouator & veterator ille per summum nefas in inclytam Scaligerorum stirpem & familiam sese insinuare studuit.

Ego cum Savvbrandum vel Danæum lego; ita afficior, vt certò credam, me lectis eorum commentariis, si Caluinista essem; Caluino in perpetuum valedicturum & ad Catholicorum castra è vestigio transiturum; offensum tot tantisque mendaciis, sycophantiis, criminationibus, calumniis, cauillationibus, quæ profectò non sunt sancti & ætherij, sed maligni & tartarei spiritus

operę;& manifestissima indicia. Nihil Savvbrādus candidè, ingenuè; liberaliter & sincerè proponit;aut refellit. omnia inuertit, peruertit,mutat,immutat,& Bellarmino aliisque ea attribuit, quæ ipse sua in febriculosa phantasia delirauit. Nulla frons,nullus pudor,nullus vel Dei vel hominum metus apparet in hoc Caluinista: vt interdum serio dubitare cogar, an non funditus mentem amiserit; id quod ex defensione sequētium duorum librorum magis elucescet; vbi ad verbum propemodum hunc sceleratum Caluinistam refellemus; nacti tum primùm eius de

A principiis opus; cum iam primi & secundi Bellarminiani libri apologiam confecissemus.

Sed sanctè lectori affirmare possum; nihil prorsus in tribus prioribus Savvbrandi libris (ex quibus syllogen quandam mendaciorum Savvbrandicorū proposuimus) contineri,quod non in VVitackero & aliis Prædicantibus abundè profligatum fit: nam totus Savvbrandicus liber est rudissima quædam ex VVitackero coagmentata Rhapsodia.

APPENDIX SECVNDA, AD LIBRVM SECVNDVM CONTRA PATELLARIOS QVOSDAM PRÆDICANTES, GRIPVM LAWINGANVM, LABRACEM WITEBERGENSEM; MORTONVM MORTVALEM; & similes.

PVBLICAVIT GRIPVS iste anno Domini M. D. V. disputationem *de sacris scripturæ fontibus & versionibus*;ex Hunnio,Kemnicio,& id genus aliis rabulis consarcinatam; conuiciis, calumniis, mendaciis, inscitiis & similibus phaleris vbique insigniter exornatam. Enotabimus nonnullas in gratiam Gripi & aliorum; nihil enim occurrit,quod peculiari refutatione egeat.

Mentitur primo;fol.5. *Vetustissimos Patres, Irenæum libro tertio capite vigesimo quinto. Epiphanium libro de mensuris & pond. Augustinum libro secundo de doctrina Christiana capite decimo quinto, & libro decimo quinto de ciuitate Dei,capite vigesimo tertio.& libro decimo octauo capite quadragesimo secundo & quadragesimo tertio, & ex recentioribus Bellarminum deceptos, cum LXX. Interpretes nulla in re errasse autumant.* Vide Bellarminum cap.6, & ea,quæ ad caput illud dicta sunt.

II. Mentitur ibid. *Veteres in hanc sententiam venisse, deceptos fabulâ 70.domuncularum seu cellularum:* Quasi sic ratiocinati fuissent. *Septuaginta Interpretes septuaginta cellulis discreti fuerunt,dum Biblia ex Hebræo in Græcum verterent; nunquam ergo à genuino scripturæ sensu aberrarunt.* Quæ collectio non est digna eruditissimis illis Patribus & scriptoribus; sed dignissima *Gripis, Mortonis, Labracibus,* & id genus aliis Lutheranis Caluinianisque blateronibus.

B III. Mentitur Gripus fol.6. Bellarminum *impudentissime scribere, quædam in omnibus Græcis codicibus inueniri, quæ non sint partes diuinæ scripturæ, velut appendicem in orationem Dominicam: quia tuum est regnum, &c.* At præter argumenta, quibus Bellarminus & nos cum illo id efficaciter capite septimo probauimus; euidenter idem liquet, ex antiquissimis orationis Dominicæ in Germanicā linguam translationibus; quarum duæ formulæ exstant apud Zvvinglianum Vadianum libro secundo de collegiis Monasteriisque Germaniæ veteribus, & aliam longè antiquiorem habeo ex sancti Galli Monasterio descriptam ex manuscripto codice. In quarum nulla omnino comparet illa appendix, quam hodierni Nouatores
C orationi Dominicæ assuunt. An credibile est maiores nostros hac appendiculā cariturós fuisse;si vera pars orationis Dominicæ foret?

IV. Valde argutus est Gripus, cum nos hunc in modum premit fol.7. *Olim Hebræa editio fuit authentica;ergo & hodie* Probatur consequentia *Quia certum est olim fuisse incorruptam, ergo & hodie certum est.incorruptam esse.* Nec abludit ab hoc tanto acumine Labrax, qui in sua disputatione de variis Bibliorum editionibus Thesi 8.9. & seq. hoc argumento vtitur. *Prophetæ vsi sunt Hebræa.& Apostoli Græca lingua; ergo editiones Hebræa & Græca, prout hodie exstant, absq; dubio pro authenticis habendæ sunt; non autem Latina.*

V.Menti-

Digitized by Google

A V. Mentitur Gripus fol.8. *Bellarminum ex vno ore calidum frigidumq́, euomere, & iam fontes corruptos affirmare, iam negare.* Nil opus longa apologia. Legatur cap. 2. & inde, quam mercedem Gripus promeruit, ex bono & æquo statuatur.

VI. Mentitur Gripus, fol.11. *Eos, qui pro Concilij Tridentini Canone pugnant, necessariò cogi, vt dicant, fontes penitus corruptos esse.* Nam Bellarminus & alij pro Concilij Tridentini decreto pugnant, nec tamen in hanc necessitatem se coniici sentiunt.

VII. Mentitur Gripus, fol.12. *Vulgatam editionem innumeris, iisq́, grauissimis scatere corruptelis.*

VIII. Mentitur ibid. *Eam non tantùm à proprietate Hebraicarum & Græcarum dictionum, sed & à sententia quandoq́, longissimè recedere.*

B IX. Mentitur: *Eam multa vitiosè, plura obscurè, plurima ridiculè reddere.*

X. Mentitur; *Eam quibusdam locis nonnulla addere: Quibusdam omittere.* Mera hæc sunt *Prædicantica* figmenta. Certum enim esse debet, ob infallibilem Ecclesiæ auctoritatem, si quando vera & *realis* incidit dissonantia, quod ad fidei & morum dogmata attinet; Latinæ versionis & Hebraici siue Græci textus; Hebræum textum corruptum; Latinum verò sincerum & intaminatum censeri oportere.

C XI. Mentitur Gripus, cum nostræ versioni obiicit *obscuram ruditatem; salebrarum lacunas, anfractuum hiatus, barbarismos & solœcismos.* Qua calumnia etiam Labrax nostrũ Interpretem adspergit: sed fronte & mente his præconibus vsitata.

Nec absimiles criminationes in eundem iacit Bibliander in libro, quem inscripsit: *Amplior consideratio Decreti synodalis Tridentini.* Vbi vulgatam Euangeliorum editionem ex AEthiopico textu aliquoties emendare nititur, dignus, qui ad extremos AEthiopas, sed non ad illos, quos Homerus vocat *ἀμύμονας*, ablegetur. Nostro item Interpreti tam pueriliter & leuiter, non dico vera; sed in malè sano cerebro Zvvingliano efficta orationis vitia obiicit; itemque pleonasmos, omissiones, & nescio quid aliud; vt planè non nostri Interpretis, sed suam ignorantiam & calumniandi insatiabile cacoëthes perspicuè prodiderit.

D XII. *Per summam impudentiam* appellat Gripus fol.15. amplissimum & æterna memoria celebrãdum Cardinalem Ximenium, *ridiculum & blasphemum*; qui Bibliorum multiplici linguarum ornatu illustrium tantam laudem promeruit; vt non modò orthodoxis, sed & plerisque ex sectariorum classe sit admirationi & venerationi. Et tamen iste nudiusquintus enatus Prædicans, qui pronuper inepti Hunnij desiit esse ineptus discipulus, tantum virum, tanta eruditione; tanta dignitate non modò Ecclesiastica, sed & politica; tanta litterarum studia amplificandi flagrantem cupiditate; nominare audet *ridiculum & blasphemum.* O impurum os Prædicanticum.

XIII. Calumniatur *Bipedes asellos esse, qui vulgatam versionem fontibus anteponant.* Et addit, *se hoc dicere cum sancto Hieronymo:* nam quia alicubi sanctus Hieronymus *bipedes asellos* nominat; fit, vt quisquis iam Prædicantium næniis non succinit, is *bipes* sit *asellus*, & quidem ex sententia Hieronymi, quamuis inuitissimi: nam si hodie viueret, non magis prædicantium aduocatus esset, quàm olim Heluidij, Vigilantij; Iouiniani, Pelagij, & similium quadrupedum burdonum, Prædicantibus nostris ad omnia gemellorum.

XIV. Mentitur Labrax Thesi 27. *Olim in Papatu semper & per omnia beatum Hieronymum habitum esse auctorem versionis, quæ in vtroque testamento exstat: At nunc Iesuitas, & in his Bellarminum, libro secundo capite nono, nouam sententiam introducere.* Quod inter pinguissima Prædicantium mendacia numeres licet. Nam quod postea Thesi 28. & seqq. versionem nostram insectatur, tanquam Hebræo & Græco contextui dissentaneam; solœcismosque & barbarismos obiectat; facit, quod spiritus Prædicanticus suggerit; & quia noua mendacia proferre nequit, vetera reponit. Illud lepidum censeo, dum optat; Thesi 33. vt aliqua exstet editio, *quæ quàm proximè ad fontes Hebraea & Græcæ linguæ accedat.* Ergóne post tot latinas & vernaculas Hæreticorum versiones & euersiones nulla in synagogis sectariorum exstat, quæ quàm proximè ad Hebræum Græcumque textum accedat? Nullàne post tot annos, post tantum conatum, post tot pollicitationes, post tot aureos promissos montes inuenitur, quæ Lutherano huic stomacho plenè satisfaciat?

Mortonus, morticinium illud Anglicanum, p. 2. Apolog. Cathol. capite sexto & septimo nil profert, quod non sit iam copiosè protritum. Capite octauo, insigniter mentitur; cum dicit, ex Bellarmini sententia, *omnia veteris testamenti, excepto Psalterio, haberi ex translatione Hieronymi.* Appello ad caput nonum Bellarmini. Idem Caluinista impudenter hæc verba tribuit Bellarmino capite nono, §. *Quarta caussa; Vulgata Latina est Hieronymi, nam si comprobata fuit ab Ecclesia, cur Hieronymus ausus est mutare quidquam.* Quære in illo capite, & si hæc verba à Bellarmino scripta repereris, caussæ nihil dicam, quo minus à Caluinista mendacij culpam in me transferas.

Calumniam struit capite nono, quòd Patres Concilij Tridentini vulgatam editionem definiuerint esse *authenticam*; & tamen iusserint, vt emendaretur, & aliquot postea consecuti Pontifices emendationis negotium susceperint, & reipsa etiam perfecerint. Sed aduertere debebat Nouator, synodum minimè voluisse, vt editio vulgata abs se authentica declarata, emacularetur & expurgaretur ab erroribus; qui ipsius versionis, siue Interpretis vulgati essent; sed ab illis,

quos

A quos vel incuria librariorum; vel audacia imperitorum & temerariorum, vel temporis longinqua vetustas aſperſerat. Hos tolli & elui iuſsit. Quo fit, vt Concilium minimè authenticam pronunciarit vulgatam editionem quoad errores ſuperadditos; ſed puram illam & integram prout ab auctore ſuo prodiit; authenticam pronunciauit; Neque Pontifices poſtea per quadraginta annos mendis huius authenticæ editionis propriis & quaſi natiuis; ſed mendis aliunde & ab externa manu adſperſis, expurgandis & eluendis occupati fuerunt; nec dicit Lucas Brugenſis à Mortono citatus Louanienſes Theologos, *multos errores ipſius verſionis vel Interpretis annotaſſe*; quia loquitur de erroribus librariis; typographicis, & id genus aliis, quos B longa ætas; libris inducere ſolet.

Obiicit miſer iſte Baccalaureus, *monſtri ſimile eſſe; vt verſio pronuncietur & decernatur authentica priuſquam ſit & exſtet, quàm emendatiſsima: At Concilium Tridentinum editionem vulgatam declarauit authenticam; & poſtea demum mandauit, vt in poſterum, quàm emendatiſsimè & correctiſsimè imprimatur: & à mendis vindicetur; quod eſt* ὕστερον πρότερον. *An non veſtris legibus cauetur*, inquit Caluiniſta; *ne quis infantem in matris vtero baptizare præſumat?* Sed nil niſi calumnias audio; quia cum vulgata editio in ſe & per ſe, quod ad ſenſum & ſententiam attinet, ſit pura, fidelis; & Spiritus ſancti ſenſui conſona; iure & ordine prius etiam declarari C potuit authentica, quàm à mendis aduentitiis, librariis & typographicis emacularetur; cum non ſint verſionis vel Interpretis; ſed foris irrepſerint; ſtudioque & induſtria virorum doctrina præſtantium, & præſertim auctoritate Sedis Apoſtolicæ eliminati poſsint, (cum non omnia exemplaria inſederint) prout iam ſingulari Dei beneficio à Clemente VIII. Pontif. Max. factum videmus & gaudemus.

Accuſat rudis iſte Baccalaureus Cãtabrigienſis verſionem noſtram ſolœciſmorum & barbariſmorum. Sed cauſſam Interpretis noſtri fideliter agit maior Baccalaureo Albericus Gentilis Iuris Doctor & Profeſſor Caluinianus in Acade- D mia Oxonienſi; à quo diſcere poterit iſte Nouator; quàm iuſtè hanc dicam noſtro Interpreti ſcribat.

Quæ à capite vndecimo vſque ad decimum quintum excluſiuè nugatur de locis ſcripturæ à noſtro Interprete perperam conuerſis; nil aliud ſunt, quàm Lœdoriæ & Pſeudologiæ; ex VVitackero, & id genus aliis conſarcinatæ; & ſuo loco ſatis ſuperque refutatæ. Nam quod ſuorum hoc eſt, Bezæ, Tremelij, Iunij verſiones dilaudat; non culpo. Quis Caluiniſtarum operam decantaret; ſi à Caluiniſta vituperaretur? Quòd inſuper Rhemenſes Bibliorum in Anglicanam linguam Catholicos interpretes irridet, mirum non facit: nam Caluini de grege porcellus, non ſaginatur niſi Caluiniſticis glandibus & quiſquiliis. Scire tamen velim, cur Caluiniſtæ Angli Caluiniſticam Bibliorum verſionem antea vſurpatam, nunc ita cum nouo Rege faſtidire inceperint; vt nouam moliantur; id enim teſtatur Robertus Gentilis, Alberici filius, præfatione, quam diſputationi paternæ, *de Latinitate veteris verſionis malè accuſata* præfixit. His namque verbis affatur Ioannem Hauſonum Doctorem Theologiæ, Anglum. *Amas veterem verſionem* (quam Baccalaureus iſte Anglus tot conuiciis inſectatur) *& in Anglica verſione cum aliis nunc iuſſu Regis conficienda, verſaris.* Forſan nouæ verſionis non eſt alia cauſſa, quàm quod prior non fuit ſatis Caluiniana, hoc eſt, ſatis peruerſa & inuerſa, tametſi eam hac laude non carere euidenter oſtendit liber *Gregorij Martini*, quem inſcripſit, *Detectionem corruptelarum hæreticarum in verſionibus Bibliorum publicè editis à Tindallo, & ab aliis ſectariis.*

Quidquid ſit; Ego ad Thomam Iames itidem Anglũ me recipio. qui ſuperiore anno hoc ipſum de vulgata editione argumentum tractandum ſuſcepit, publicato libro, quem horrifico titulo inſcripſit: *Bellum papale*: Siue, *Concordiam diſcordem Sixti Quinti & Clementis Octaui, circa Hieronymianam editionem.* Quem hic titulus vel ſola auditione acceptus non perterrefaciat? Totus liber inſumitur in annotanda varietate & diſcrepantia editionis per Clementem procuratæ & vulgatæ, ab editione Sixti Quinti & Louanienſium; Hinc ſcilicet exſtitit *papale hoc bellum* Troiano longè grauius, periculoſius, & funeſtius. Quanquam niſi valde fallor, in ipſo titulo non vnum ſed plura deliteſcunt mendacia. Nam Biblia priora, quæ Sixtus ediderat, & ex quibus iſte variantes lectiones excerpit; & Clementinis opponit; ipſemet Sixtus ſub incudem reuocare & accuratius recognoſcere decreuerat; offenſus mendarum, quæ irrepſerant, multitudine. Quam tamen cogitationem ſuam præpropera morte abreptus, reipſa perficere non potuit. Quod ergo Sixti conſilium imperfectum manſit; tandem Clemens Octauus perfecit; & mentem voluntatemque Sixti ad rem contulit; recognitis illis Sixtinis Bibliis. Quæ cauſſa cur & Sixti nomen præſcriptum gerant in hunc modum: *Biblia ſacra vulgatæ editionis Sixti Quinti Pontificis Maximi iuſſu recognita atque edita.* Clamat Hæreticus; *hunc titulum eſſe falſiſsimum.* Sed patere obſecro, mi Caluiniſta; vt Clementi Octauo, & tot doctiſsimis viris, qui recognitioni illi præfuerunt; imò toti mundo orthodoxo potius fidem habeamus, quàm tibi; cuius religio à mendaciis adeo non abhorret; vt præter men-

tiendi artem nullam aliam tenere videatur. Patere, vt fide tibi negata, præfationi ad lectorem à teipso descriptæ, & *Bello tuo Papali* insertæ assentiamur: in qua hæc leguntur. *Conuentum illum* (eruditorum hominum, qui Bibliis emaculandis insisterent) *ob varias grauissimasque Sedis Apostolicæ occupationes, iamdudum intermissum, Sixtus Quintus diuina prouidentia ad summum Sacerdotium euocatus, ardentissimo studio reuocauit, & opus tandem confectum, typis mandari iussit. Quod cum iam esset excusum, & vt in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animaduertens non pauca in sacra Biblia prali vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem reuocandum censuit, atque decreuit.*

Censuit ergo Sixtus priora Biblia à se excusa sub incudem reuocari debere; Nec solum censuit, sed & quod censuerat, decreuit. Quod igitur ipse communi immortalium lege impeditus præstare non valuit; id tandem præstitit Sixti successor Clemens exque Sixti voto & desiderio Biblia recognouit; & recognitis Sixti nomen præfixit; abolitis illis, quæ prius Sixti nomine prodierant; & ipse Sixtus sub incudem reuocare statuerat; ex quibus iste nunc copias ad hoc fictitium & imaginarium suum bellum educit. Qui putido suo in Prœmio ad Pseudoepiscopum sciscitatur, *Quæ Biblia velimus in tot dissentientibus Bibliorum editionibus pro veris, legitimis, authenticis, & indubitatis, in omnibus publicis priuatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus, recipere & tenere. Si Stephani*, inquit, *industriam laudant, damnant Hentenij.* Apage, Caluinista, Stephani Biblia. Nihil cuiquam orthodoxo cum illis negotij. *Si Hentenium probant, irriti sunt labores Louaniensium.* Et Hentenij & Louaniensium laborem & industriam suscipimus, suspicimus, laudamus & admiramur; interim id, quod absolutius & perfectius est, anteponimus. *Si Louanienses*, inquit Caluinista, *diligentes fuerunt, quid opus fuit gemina industria Sixti?* Ideo opus fuit, quia sacrarum litterarum vltima & authentica emaculatio & recognitio primariò pertinet ad Sedem Apostolicam; non ad vllas alias, quantumuis celebres & toto Christiano orbe decantatas, Academias. Itaque eam editionem, tanquam omnibus præstantiorem; & ad mentem Tridentini Concilij conformatam amplectimur, quam nobis, volente & iubente Sixto Quinto, dedit & exhibuit Clemens Octauus. Quidquid cum hac congruit, ratum gratumque accidet; quidquid disconuenit; irritum ingratumque eueniet; siue sit ex Hentenij, siue ex Louaniensium; siue ex cuiuscunque alterius officina depromptum.

A Vt primam Sixti editionem ad ima vsque Hæreticus deprimat; eam vocat *ignorantiam*: Clementis editionem, *scientiam*: illam, *tenebras*, hanc; *lucem*; illam, *antiquitatem errorum*; hanc *nouitatem veritatis*. Si tam magnificè de Clementis editione sentit; cur paulò post duos hosce Pontifices immanissimis conuiciis proscindit ac lancinat? Cur Bacchæ instar sic furit & bacchatur? *O ridendam discrepantiam & crassam stultitiam Pontificum Romanorum.* Quomodo non *crassus*, vel potius *crassissimus* sycophanta es & calumniator; si, vt ipse fateris, *pro Clemente stat nuda veritas Hebraica, Chaldaica, Græca.*

B Quo ore, qua mente, hæc & plura huius generis conuicia in Clementem iacis; si, vt scribis, in tua ad lectorem appendice, *illud sine dubio apud omnes non vulgarem meretur laudem, quod tot loca in vulgata editione post tot Pontificum & annorum interualla, vindicauerit in libertatem, reuocauerit ad fontes, correxerit ad fidem Codicum tam Græcorum, quàm Hebraicorum.*

Mentitur deinceps Caluinista vitiosum esse in editione Clementis illud Geneseos tertio: *Ipsa*, pro *Ipse*.

Mentitur iterum, *decem ad minus sententias temerè insertas in vno libro Prouerbiorum Salomonis, expungendas esse.*

C Mentitur tertiò; *Decem millia verborum in vtroque testamento à Græcis, & Hebraicis fontibus, & à Chaldaico paraphraste dissidentia, & à Clemente retenta; adhuc corrigenda & emaculanda superesse.*

Mentitur quartò: *Hæc verborum dena millia à Louaniensibus in notis marginalibus iam pridem fuisse annotata.*

Vbi professi sunt Theologi Louanienses omnes illas varias lectiones, quas ad oram attexuerant, esse Græcis & Hebraicis fontibus consentaneas, illas verò voces, quæ in textu erant; ab Hebraicis & Græcis fontibus dissentire? Deinde num Clemens nullam penitus lectionem à Louaniensibus in margine D signatam, in contextum recepit? Quæso, lustra diligentius Biblia Clementis & Louaniensium: & vide, an ex fictitiis illis tuis decem vocabulorum Chiliadibus, non inuenturus sis plurimas dictiones textu à Pontifice donatas.

Præter mendacia adfert Caluinianus hoc argumentum. *Hieronymus fuit Linguarum peritissimus. ergo non est probabile versionem vulgatam totius ab Hebræo dissidentem ex eius officina prodiisse.* Antecedens apud Catholicos indubitatum est; nescio num & apud sectarios. Quamquam quid me nescire dico; quod certissimo compertum habeo; nimirum antecedens non modò Nouato-

ribus

ribus esse dubium; sed & penitus falsum; cum aliunde liquet; tum ex præfatione, quam Iunius & Tremelius Biblicæ suæ versioni præfixerunt. Si iudicio Nouatorum diuus Hieronymus linguæ Hebraicæ fuit peritissimus; & exactissimè Hebraico fonti versionem congruentem dedit; cur non sunt contenti translatione illa Psalterij, quæ inter opera diui Hieronymi exstat; & quam ex Hebræo à diuo Hieronymo factam esse; extra controuersiam est, etiam apud ipsos Hæreticos? Cur post Hieronymianam tot alias cuderunt; & etiamnum cudunt? Itaque sicuti repudiant translationem Hieronymianam Psalmorum, licet non diffiteantur ab Hieronymo profectam: ita quamuis liquidissimè & euidentissimè illis demonstraretur versionem vulgatam esse diui Hieronymi; nihilominus caussarentur, eam ab Hebraico textu deflectere: vitiisque scatere.

Sed vt ad Caluinistæ delirium directè respondeam; concesso antecedente, nego consequentiam: non enim tam dissentit ab Hebræis fontibus; quàm istorum phantasiæ, odio & liuore excæcatæ, dissentire apparet: & sicubi sit dissensus; dicam potius corruptum textum Hebræum, quàm versioni inesse vitium; & hoc dicam innixus Ecclesiæ, columnæ & firmamento veritatis, quæ hanc versionem, vt authenticam, nullo prætextu repudiari sinit.

Præter hunc Anglum vidi alium, Ioannem Rainoldum; qui librum non ita pridem *sex thesium de Scriptura & Ecclesia, cum earundem Apologia* aduersus Bellarminum, Stapletonum, Baronium, alios, euulgauit; sed eneruem prorsus & elumbem; nec mirum; quia, vt alicubi ipsemet scribit, podagrico & arthritico morbo vehementer laborare solet; Hinc nil neruosum solidumue ab isto sperandum. Lingua tamen caruit glossagrâ: egregiè enim illam exercuit, sed in mentiendo, cum alibi passim; tùm in hoc de Canonicorum librorum auctoritate argumento. Vno quasi halitu hæc effudit mendacia præfatione ad Academiam Oxoniensem.

I. *Concilium Tridentinum in erroris turpissimam notam incidisse, cum vulgatam editionem authenticam declarauit.*

II. *A synodo obtrudi tanquam authentica, quæ librarij mutarunt.*

III. *Quæ mutilarunt.*

IV. *Quæ addiderunt.*

V. Mendac. *Hoc inde confirmari, quod Concilium Tridentinum iussit, vt vulgata editio quàm emendatissimè posthac imprimatur.* Atquæ hæc stultitia? *Synodus Tridentina iussit, vt vulgata editio posthac quàm emendatissimè imprimatur.; ergo synodus Tridentina approbauit tanquam authentica, librariorum errata quæ in vulgata editione insunt.*

VI. Mendac. *Synodam Tridentinam definiendum à Papa reliquisse, quæ tandem impressio vulgatæ editionis*

A *authentica esset*: Minimè verò: Nam Concilium Sedis Apostolicæ suffragio comprobatum definiuit determinatè & signatè, *vt hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, pro authentica habeatur*; vbicunque tandem fuerit vel olim impressa; vel futuris ætatibus sit imprimenda: Hanc, inquam, editionem authenticam declarauit; non impressionem. Quid ergo postea præstiterunt Pontifices? Hoc, vt ab editione vulgata, temporis & librariorum errata tollerent; totamque versionem primæuæ suæ integritati & natiuo nitori restituerent: & hoc commisit synodus sedi Apostolicæ; cum præcepit, vt vetus vulgata editio quàm emendatissimè posthac
B excudatur: quod tandem à Clemente IIX. perfectum est; qui veterem ac vulgatam scripturæ editionem, quanta potuit diligentia, castigatam dedit.

VII. Mend. Illud, *ipsa conteret: esse mendum librariorum; & hoc mendum, esse approbatum à Concilio Tridentino.*

VIII. Illud item Iosue vndecimo: *Quæ se non traderet.*

IX. Mendac. Et illud: *Euertit domum.* Lucæ decimo quinto.

X. Mendum esse illud: Ioan. 21. *Sic eum volo manere.*

XI. *Et hoc mendum à Concilio Tridentino authenticum declaratum.*

C XII. Mend. *Tridentinam synodum sanxisse, latina librariorum vitia pro Græcis & Hebraicis Spiritus sancti verbis, suscipienda esse.*

XIII. Mend. *Titulum Bibliorum Clementis VIII. mentiri, dum affirmat Biblia illa, Sixti V. iussu, fuisse recognita ac edita.*

XIV. In Apologia Theseos quintæ fol. 134. *Romanam Ecclesiam verbum Dei adulterare multis modis.*

XV. *Romanam Ecclesiam apocryphis*, hoc est, *humanis scriptis, auctoritatem Canonicam, hoc est, diuinam tribuere.*

XVI. Mendac. *Ecclesiam Romanam præcipere, vt vulgata editio vbique recipiatur* (etiam quoad errata libraria, sic enim calumniatur hæreticus) *vt sacra*
D *& Canonica.*

XVII. Mendac. *Omnes priscos Patres innuere vulgatam editonem à germana Spiritus sancti sententia aberrare.*

Quid tibi videtur lector de Nouatoris huius mendaciloquentia? si paucis verbis tot pseudologias effutiuit; quantam copiam in toto libro latitare arbitraris; qui verbo dicam, nil aliud est; quàm mendaciorum quidam minimè pertusus sacculus.

Nunc Gripum reuiso: qui disputationem de vernaculis Bibliorum editionibus ignorantia, conuiciis & mendaciis insigniter farcit. cui Ledesma noster & Cardinalis Hosius est *blasphemus* fol. 17. Mox vomit mendacium ab Hunnio

Google

iisdem propè verbis acceptum: *iis solummodo concedi lectionem vernaculæ scripturæ, qui laborent catarrho Papistico.* Cui in Germania interdicitur, ne Biblia Dietenbergeri vel Eckij legat? Mentitur; ideo *vetitas vernaculas editiones; ne Christiani lucem adspiciant:* imò ne lucem amittant.

Similia mendacia fundit Labrax VVitebergicus in disputatione de sacris scripturæ versionibus vulgatis. Prima Thesis & sequentes vsque ad octauam nil aliud sunt, quàm vna quædam continua & nusquam intercisa lœdoria & pseudologia. Thesis octaua Bellarminum antilogiæ arguit; quia capite decimo quinto: *cum paulò antè hæreticos proclamasset eos, qui passim scripturas in linguam Germanicam, Gallicam, Anglicam, vertunt; & iisdem linguis publicè scripturas legunt, & canunt: tamen mox sui oblitus conqueritur, iniuriam fieri Ecclesiæ Romanæ, cum accusatur, quod vulgares Bibliorum translationes prohibeat.* Cæterum nullam ego hic Bellarmini contradictionem, nullamque obliuionem, sed Prædicanticum mendacium inuenio: Non enim dicit, Hæreticos ideo esse hæreticos, quòd Biblia in Germanicam, Gallicam aut Anglicam linguam vertant; sed ait; Hæreticis hunc esse solennem morem, vt Biblia in vernaculas linguas vertenda, & omnibus indiscriminatim ad lectionem proponenda; & ipsa etiam publica sacra non nisi vernaculè peragenda censeant. Postea subdit; Mentiri Kemnicium, cum dicit, *Papistas vulgares translationes omnino prohibere.* Quæ hic contradictio? Quis lapsus memoriæ? In qua Dialectica hæc sibi contradicunt? *Hæretici clamitant; Biblia in vulgares linguas transferri; & omnibus permitti debere: Iniuria fit Catholicis, cum reprehenduntur, quasi vulgares versiones penitus vetent, nullique earum vsum concedendum existiment.* Ostendas, oro, Logicam, in qua hæ duæ enunciationes sint antilogicæ, & ex qua qui priorem asserit, iure tanquam obliuiosus carpi possit, si posteriorem quoque asserat. Quæ præterea suis in Thesibus Labrax & Gripus garriunt; maximam partem in conuiciis; criminationibus & sycophantiis consumuntur; neque quidquam adferunt; cuius solutio peti nequeat ex illis, quæ ad caput decimum quintum & decimum sextum disputauimus.

Ineptit & Mortonus de hoc ipso argumento à capite decimo quinto, deliræ suæ Apologiæ parte secunda libri primi vsque ad caput trigesimum secundum. Ex quibus omnibus vix micam salis; pseudologias verò lœdorias & alogias plurimas, & apertissimas expresseris. Dicit Bellarminus, *non omnino prohiberi vulgares versiones;* citatque Regulam quartam Indic. libr. prohibit. Pij Quarti, ac proinde mentiri Kemnicium, qui contrarium scripserit. Caluini-

A sta obiicit, *à Clemente Octauo, omnino prohiberi: itemque ab Indice expurgatorio Hispaniensi,* testemque laudat Azorium libro octauo Institutionũ Moralium, capite vigesimo sexto: *Hinc non Kemnicium, sed Bellarmini culpam mendacij contraxisse.* sed dum Hæreticus hæreticum Kemnicium à mendacio liberare nititur; non vno mendacio sese implicat & inuoluit. Nam primùm, Kemnicius id quod scripsit; longè scripsit ante restrictionem Clementis Octaui, & ante edictum illud Hispaniense, cum *Examen suum* non diu post absolutum Tridentinum Concilium in vulgus emiserit: non igitur vel ad Clementis limitationem, vel ad Hispaniensem illam sanctionem respicere potuit; vt excusandi Kemnicij B caussa fabulatur Mortonus; cum antequam Clemens ad Sedem Apostolicam adscenderet; Kemnicius ad inferos, nisi fallor, descenderit.

Deinde, nec Pontifex, neque Generalis Inquisitio Romana ita vulgares versiones vetuit, vt sibi dispensandi, easque, cum quibus visum fuerit, communicandi potestatem ademerit: Neque nouum neque insolens videri debet, vt priores leges per posteriores temperentur & restringantur, vel etiam penitus abrogentur; Accidit enim, vt quod prius videbatur vtile; vel etiam verè vtile erat; successu temporis comperiatur, vel euadat inutile. Addo denique in his C septentrionalibus regionibus nemini religionem iniici ob lectionem Bibliorum in vernaculas linguas conuersorum; dummodo à Catholicis Interpretibus prodierint: idque non dissentiente vel inuita Sede Apostolica. Itaque hac etiam ex parte tam Kemnicius, quàm Mortonus mentiuntur, quoties vulgares versiones penitus vetari asserunt; Bellarminumque id inficiantem mendacij arguunt.

Mentitur Mortonus capite decimo sexto, *Temporibus Apostolorum ab omnibus indifferenter sacras litteras esse lectas; idque negantem Bellarminum mendacij accusat.* Quæso te, num etiam à Persis, Indis, AEgyptiis, Illyricis & aliis, qui tunc D Christo nomen dederant, sacræ litteræ indiscriminatim lectæ sunt? Quomodo legi potuerunt; cum non exstarent, nisi Græcè & Hebraicè, neque harum linguarum omnibus Christianis cognitio suppeteret? Quomodo omnes promiscuè legere potuerunt; cum non omnes fuerint legendi gnari? *At omnes, qui norunt linguam Hebræam vel Græcam, vel vtramque; legebant absque delectu.* Esto, Et hodie nemo arcetur à lectione Latina, Græca vel Hebræa. Illud obseruatione dignum est; quod Caluinianus iste Vlphilam, Gotthorum Episcopum, secta Arianum; appellat *sanctum:* tam verè scilicet, quàm verè nominat Savvbrandus Caluinum; *sanctissimum Dei seruum.*

Caro-

Carolum Magnum scripturas in Germanicam linguam transtulisse tum nobis Nouator persuadebit, cum locupletes huius assertionis testes protulerit. Exstabat olim in Bibliotheca Frisingensi liber insignis Euangeliorum *Francicè*, hoc est, *Germanicè* versus, sed rhythmis, non prosa (de quo Rhenanus libro secundo Rerum German.) compositus iussu Valdonis Episcopi Frisingensis, scriptus à Sigefrido Presbytero *ante sexcentos annos*, inquit Rhenanus. Quis veterum tale quid de Carolo Magno scriptum reliquit? vt taceam nos loqui non de poëtica; sed soluta sacræ scripturæ versione; nec de translata eius parte; sed de translata tota: qualis non erat illa Frisingensis codicis, ex quo nonnullos Rhythmos recitat Rhenanus; qui Nouatrice aura afflatus hoc elogium subnectit: *Perpetua verò laus Francorum veterum, qui sacros libros in suam, hoc est, Germanicam linguam, vertendos curarint. Quod nuper à Theologis quibusdam improbatum scimus.* Meritò; ob alios hominum mores, & alia tempora; neque enim Franci prisci è plebe, eo calebant spiritu, qui exorto Luthero, Germanos, nouosque Francos exagitare cœpit.

Valde tumultuatur & conuiciatur Caluinista; quod Bellarminus scripsit, vulgus ex vernacula scripturarum lectione non tam emolumentum, quàm detrimentum capere, sed tonet ac fulminet; experientia quotidiana Bellarmino veritatis testimonium perhibet. Nec opus pluribus: Res in aperto est; & euidentissimè claret illa clades, quam hæc indiscreta & promiscua Bibliorum lectio progenerauit.

Pro non permittendis promiscuè vulgo vernaculis versionibus sumitur etiam argumentum ex obscuritate scripturarum; quas Lutherus dixit esse *apertissimas & clarissimas*. Mentitur Mortonus capite decimo nono, *falsò hoc Luthero affingi*. Legantur Bellarminus libro tertio capite primo, & quæ ad caput illud ex Luthero scripsimus; & manifestarij mendacij sycophanta iste tenebitur. *At Lutherus præfatione in Psalmos, fatetur Psalterium in multis locis à se non intelligi; habuit ergo scripturas pro obscuris.* Cæterum nisi hanc Lutheri confessionem Caluinista in Bellarmino legisset; in ipso Luthero nunquam legisset, tam variæ scilicet lectionis homo est. Deinde, num ideo, quæ Bellarminus de claritate sacrarum litterarum ex Luthero adducit, Lutherus non scripsit; quia alibi contrarium scripsit? Atqui hoc minimè affirmabit is, cui exploratum est; Lutherum ex antilogiis consutum esse; nihilque crebrius actitasse; quàm vt ex eodem ore frigidum & calidum efflaret.

Ait Hæreticus: *Quæ omnibus explicitè scitu sint necessaria; clarè in scripturis proponi, ipso Bellarmino teste.* Num ideo peruerti & in alienum sensum à

A malè sanis capitibus rapi nō possunt? Quid clarius diuinitate filij Dei in scripturis? Num nemo aut exstitit, aut existit; qui eam omnibus machinis oppugnatum tendat? Quid clarius in scripturis describitur, quàm resurrectio carnis? Num ideo nulli vnquam inuenti; qui Resurrectionem carnis sacrilegè pernegarent? Mitto dicere, illa ipsa, quæ clarissimè in scripturis continentur; tantummodo clara esse secundum generales quasdam & communes rationes; at secundum speciales notiones immensis obscuritatibus & difficultatibus inuolui. Quo fit, vt cum à temerario vulgo, diuinam maiestatem scrutari ingresso non capiuntur, nihil sit procliuius, quàm vt vel in dubium vocentur, vel B penitus repudientur, vel prauis persuasionibus corrumpantur: & quis nescit; præter hæc explicitè scitu omnibus necessaria; plurima, imò pleraque alia in scripturis esse tenebris obducta; vt propter paucula aliquatenus perspicua minimè oporteat, totam scripturam imperitæ multitudini vernaculo sermone obiicere.

Laudat Mortonus Iosephum Acostam, quod libro secundo de Christo reuelato capite secundo scripsit; *neminem esse tam rudem & imperitum, quin, si humiliter legat, multa illic vtilia, veraque intelligat; neminem tam doctum, qui non illic multò plura ignoret, quàm sciat.* Subiungit Caluinista: *Non potuit, mihi credo, Caluinus magis appositè & expeditè* C *caussam hanc concludere.* Sed iste aduertere debebat, Acostam non loqui de vernaculè versis scripturis, quas Caluinus cum suis præcipuè vrget. Secundò; illa verba: *si quis humiliter legat*: accuratè perpendenda erant: Nam *humiliter* legere, non est modo Caluinistico vel Lutheristico legere; quem vnum Caluinus & Lutherus in optatis habent; qui suos ita instruunt, vt scripturas, tanquam Magistri Magistrorum, euoluant; & illud *Cedo nemini*; cogitatione, verbo & opere præferant.

Scribit idem Acosta capite quinto, *eum, qui legit mente pura, plura intelligere de sanctis scripturis posse, quàm magna vallatus commentariorum copiâ as-* D *sequi possit: si sermo sit de scientia, quæ non inflat.* Addit. *Equidem vidi viros prorsus illiteratos & vix Latinè scientes ex scripturis tanta depromere, sensusque eos afferre,... vt penitus miratus sim; neque dubitauerim longo gymnasij Biblici terendi tempore, nihil tale homines discere.* Vbi iterum nota, Acostam sycophanticè à Caluinista citari. Neque enim loquitur Acosta de vernacula; sed de latina Bibliorum lectione. Deinde loquitur de lectione, quæ pura & sincera mente instituitur. qualis rara in vulgo; imò nulla in Caluiniana & Lutherana turba. Tertiò, non loquitur de illa cognitione scripturarum, quam isti iactant; sed potius de illa; quæ non tam intellectum erudit; quàm voluntatem accendit, & ad cælestia erigit; cu-

ius ne exiguum quidem sensum hæretici habent; vsque adeo bruto palato constant. Nam quod Caluinista nescio quam *Susannam* Anglicanam puellam in Bibliis lectitandis eodem profectu versari dicit; quo viri, de quibus Acosta; id vt credam; hodie à me non impetrauero; forsan nec die crastina; non ignarus, quanto piorum & impiorum scripturariæ lectiones discrimine distent.

Capite vigesimo ait Caluinista: *Hieronymum etiam in fœminis studium scripturarum commendare.* Et nos commendaremus; si ætas nostra ferret Paulas, Eustochia; similes; Græcè, Hebraicè, Latinè eruditas; discipulas, non magistras; infra, non supra doctos sapere doctas; sed quia hæc ætas profert Argulas, affines VViclephicis & Hussiticis lamiis & strigibus; de quibus ad caput decimum quintum, iure optimo fœminas ad fusum & colum ablegamus; & quæ scire debent, ex institutione & informatione doctorum Ecclesiæ haurire iubemus.

Mentitur Mortonus, *populum Catholicum non magis de scripturis bibere, quàm pecora.* Nam quidquid populo Catholico ad salutem scitu est necessarium, id à concionatoribus orthodoxis assiduè & accuratè ex ineunte æuo instillatur, imò & inculcatur.

Cohortationes Patrum ad lectionem scripturæ, quas Caluinista accumulat; nihil faciunt ad vernaculas versiones; quia ad illos institutæ sunt, quibus Latina vel Græca lingua nota erat; Item ad illos, qui fructuosè in legendis scripturis versari poterant; quales non sunt superciliosi isti lectores Lutherani & Caluiniani. Cohortabantur insuper ad lectionem verorum & genuinorum Bibliorum; non ad illa; quibus augustum hoc nomen non nisi æquiuoce tribuitur; quo ex genere sunt Lutheri, Lutheranorum, Zvvinglianorum & Caluinistarum variis linguis publicata Biblia, innumeris locis falsaria manu corrupta & miserè ad perniciosas hæreses detorta.

Sed en ingeniosissimum argumentum. *Apostolus scripsit epistolam; omnibus qui sunt Romæ dilectis; & aliam; omnibus, qui sunt Corinthi; aliasque aliis vniuersis: ergo epistola ad Romanos ab omnibus legi debet, etiam à vulgaribus & plebeiis homuncionibus.* Acutus profectò & validus aries. Ex quo tamen confici videtur; Anglis non licere epistolam ad Romanos legere: quia Apostolus dicit; *omnibus, qui sunt Romæ dilectis.* Non; *omnibus, qui sunt in Britannia.* Præterea, Apostolus scripsit ad Romanos Græcè. Quid si aliqui ex fidelibus Græcam linguam ignorabant? Num ideo epistola ad illos non pertinebat? Quid si

A Græcè quidem intelligebant; Græcè autem legere imperiti erant (aliud enim est Græcè nosse, aliud Græca legere posse; sicut aliud est; Germanicam linguam nosse; aliud; Germanicam linguam nosse legere; illud omnium Germanorum est; hoc duntaxat paucorum) num eam ob caussam epistola hæc nihil illos concernebat? Aut num ideo insinuauit Apostolus epistolam illam (& eadem est ratio aliarum) in singulas vernaculas transferri deberes vt singuli suapte industria sensum & argumentum assequi possint? Quod munus, & quæ functio tandem relinquetur Ecclesiæ doctoribus & sacrarum litterarum Interpretibus, si quiuis proprio Marte omnia discere; & sibi ipse

B doctor ac institutor esse velit?

Priori huic delirationi non sunt dispares istæ: *Ioannes scribit Electæ & natis eius.* Siue: *Electa Domina & liberis eius; ergo omnes homines debent legere scripturas in vernaculam vniuscuiusque linguam translatas.* Eruditè: *Senior scribit charissimo Gaio. Ergo scriptura ab omnibus vernaculè legi debent. In Apocalypsi scribit Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia; ergo omnes debent scripturam vernaculè versam legere. Et si quis legere nesciat; saltem audire debet vernaculè.* Scitè & argutè. Prætereo alia huius generis acumina.

Capite vigesimo secundo insigniter partes

C suas, hoc est, functionem impostoris agit Mortonus. Nam cum quidam scriptores dicunt, olim in primitiua Ecclesia sacra publica idiomate vulgari fuisse peracta, iste id ita accipit ac proponit, quasi asserant, *sacra publica simpliciter & vbique lingua vulgari ab omnibus Christianis fuisse celebrata;* cum non loquantur, nisi de linguis Græca vel Latina; quæ tunc magnæ occidentis & orientis parti vulgares & vernaculæ erant.

Bellarmini esse hæc verba: *Sine orationis intelligentia consolatio percipi omnino nulla potest;* tum credam, cum ea Caluinianus in Bellarmino mihi demonstrauerit. Interea mendaciis Mortoni-

D cis annumerentur licet; vt & ista omnis impudentiæ & mendaciloquentiæ plenissima; quæ Bellarmino impudentissimè affingit. *Olim ædificatio populi in precibus necessaria fuit; & præcipuus vsus precum fuit ædificatio & consolatio populi; nunc verò vsus precum præcipuus non est ædificatio aut consolatio populi, &c.* Quære capite decimo sexto, §. *Obiectio quarta,* & §. *Secunda obiectio,* & §. *At obiicies.* Et si hæc in Bellarmino repereris, tum à mendacij crimine Caluinistam absoluemus. Qui hanc calumniam ex Savvbrandicis lacunis hausisse videtur. Hoc affirmat Bellarminus, *finem præcipuum officiorum diuinorum non esse instructionem vel consolationem populi; sed cultum Dei.* Nil aliud Bellarmino verè adscribitur.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 25. Ineluctabile argumentum profert. *Sine quo nemo ratione præditus orare rectè possit, id ad orationis cultum diuinum est inprimis necessarium; at sine precum vero intellectu populus Amen adhibere, id est, precibus consentire nequit*: ergo, &c. Monstrum informe, ingens. Quare fraudasti nos beneficio conclusionis tuæ per intempestiuam abruptionem tuam? Si aposiopesis tua nobis expressam conclusionis mentionem non inuidisset; vidissemus vtique syllogismum, dignum, à quo, tanquam ab archetypo, omnes syllogismorum construendorum formam caperent. Deinde, si quis neget Minorem, si tamen hoc nomen tanta ineptia meretur, qua ratione eam fulciet Hæreticus? Quid enim obstat, quo minus populus precibus publicis ignotâ linguâ persolutis accinat *Amen*; hoc est; consentiat, vt interpretatur Mortonus, cum certus sit, nihil in illis precibus agi, nisi quod ad gloriam & honorem Dei; & ad animarum vtilitatem salutemque pertinet. An non potest & idiota assentiri orationi sui aduocati; licet aduocatus caussam lingua Latina peroret?

Considera & hoc non eruditæ mentis, sed altissimi cuiusdã stuporis luculentissimum documentum: *Si Cantores Ecclesiastici ab Ecclesia sunt remouendi, quatenus cantando nec intelligi ab aliis possunt, nec se ipsi intelligunt: sequitur, tam corrigendum esse vsum precandi in lingua ignota, quàm altum planè silentium esse illis cantoribus imponendum: at, cantus Ecclesiastici in Ecclesia Romana, quia, eandem confusionem pepererunt, nonnullis Pontificiis Doctoribus perquam eruditis meritò displicuerunt: illam igitur controuersiam libet attingere, huic vsque adeo cognatam, vt propemodum eadem esse videatur, sed paucis.* En syllogismum; qualis nec ex Chrysippi, nec ex Platonis, nec ex Aristotelis schola & dialectica vnquam exstitit. Quis hunc mentis compotem credat, aut ad credendum induci se sinat? Cum autem Caluinopapista iste cantum & cantores Latinos adeo detestetur & exterminatos cupiat; cur non suis gregalibus in Anglia persuadet; vt cantui Latino & cantoribus multam salutem dicant; & tam illum, quàm hos exulatum trans mare ire iubeant? Cur idem non conatur in Lutheranorum Synagogis efficere? Nam & isti non pauca alicubi suis in fanis Latinè per cantores ad id deputatos, cantillant, vt patet ex eorum Ritualibus libris, quos *Agendas* nominant. Cur hac in re doctrinæ suæ de precibus publicis vernaculè instituendis, sunt immemores? Neque enim, credo, vulgus Britannicum vel Saxonicum, vel Palatinum nobis vicinum Latinam linguam intelligere.

Mentitur cap. 27. Mortonus cum dicit, hæc esse Bellarmini verba cap. 15. §. *septimo. Non dicenda est Latina lingua cæteris venerabilior, quatenus verba spectamus; Latina non est aliis melior, quatenus est Latina.* Verba Bellarmini sunt isthæc. *Non enim dicimus esse sanctiorem* (Latinam linguam) *nec etiam grauiorem, si verba spectemus; sed dicimus, hoc ipso esse grauiorem & magis reuerendam, quod non est vulgaris.*

Multis conatur Caluinista cap. 28. depellere incommoda ex vulgari lectione nasci solita; quæ à Catholicis vehementer cõtra aduersarios vrgentur. Sed nugas agit. Nimis enim notum est, quæ & qualia in Lutheri & Caluini schola deliria & phantasmata exstiterint, postquam omnibus deliris & phantastis scripturas vernaculè euoluendi potestas facta est. Hactenus de Mortono.

Mussitat & Rainoldus in suis arthriticis thesibus rancidulum quid de vernacula scripturarum lectione: Sed adeo insulsè & inscitè; vt contemptum mereatur, non responsum, ne fortè exasperatis articulorum doloribus acrius discrucietur, & ad rabiem vel desperationem adigatur. Acriter ingerit illud Chrysostomi Hom. 9. in Epist. ad Coloss. *Audite, quicunque estis mundani, & vxori praeestis, & liberis, quomodo vobis quoque maximè mandet legere scripturas, & non leuiter, nec temerè, sed magno studio, ac diligentia.* In margine alleuerunt Hæretici editores: *Scriptura diligenter legendæ ab iis, qui habent vxorem, & liberos.* Idem Chrysostomus ibid. ἀκούσατε, παρακαλῶ, πάντες οἱ βιωτικοί. *Audite*, oro, *vos omnes sæculares,* καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς, εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε, τῶν ἀποστόλων τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια, διδασκάλους διηνεκεῖς. *Parate vobis libros medicamenta animæ. Si nullos alios vultis, nouum quidem certè Testamentum vobis parate. Apostolorum actus, Euangelia, magistros perpetuos.* Insurgit Hæreticus in Heruetum, qui illud βιβλία verterit *libros; longè rectius fecisse* dictitans *Musculum, ipsam Græcam vocem Biblia retinendo: velle enim Chrysostomum, vt* βιωτικοὶ & κοσμικοὶ, hoc est, *seculares, Biblia sibi comparent; si minus integra; saltem nouum testamentum; eaq; assiduè voluant ac reuoluant.* At Nouatorem istum hoc secum perpendere decebat; Chrysostomum, auditores suos non cohortatum esse ad lectionem Bibliorum loquentium linguâ Thracicâ vel Schyticâ; vel alia qualicunque peregrinâ & exoticâ, sed Græcâ. Græcè enim intelligebant, ad quos verba faciebat. Neque nos obstamus, quo minus ij, qui Græcè, Latinè, vel Hebraicè norunt, Biblia sibi comparent, &, vt par est, reuerenter & religiosè lectitent. Deinde, quantum D. CHRYSOSTOMVS auditores suos ad Bibliorum lectionem excitauit & incitauit; tantum, si hodie viueret, eosdem ab eadem lectione absterreret, ob genium ætatis & mores hominum, qui non amplius legunt, vt discant; sed vt doceant; non vt veterem fidem muniant & stabiliant; sed vt euertant; non vt prisca seruent; sed vt noua dogmata cudant.

Legunt; non vt Doctorum discipuli; sed vt Magistrorum Magistri; Ita legunt vt non spiritum pietatis, modestiæ & submissionis inde hauriant; sed ingentes spiritus fumant; & ventosa vesica inflatiores euadant; *Populus Lutheranus in vniuersum adeo proteruit,* inquit Cochlæus in libro; *An expediat Laicis legere noui testamenti libros linguâ vernaculâ; vt vnusquisque eorum, qui Lutheri nouum testamentum perlegerit, existimet se cunctis Papistis (ita vocant Catholicos) in scripturarum intelligentia præferendum. Vnde factum est, vt non solùm sutores, pelliones, sartores, lanij, cerdones, cultrifices, & id genus alij vel vilissimi, ac sordidissimi quique ex infima plebe artifices, qui modò Teuthonicè sciunt legere, petulantissimè per noui testamenti librum,* B *quem è sinu proferunt, Pastores suos, & Monachos concionantes incessant, & redarguant: Verùm etiam nobi-* A *les eò leuitatis per contemptum deueniunt, vt ad disputationis duellum Theologiæ Doctores, abiecta muliebri verecundia, prouocare ausint. Quarum vna, nomine Argula, totam Vniuersitatem Ingolstadiensem (licet in ea esset doctissimus Theologus Ioannes Eckius, qui ne à Luthero quidem, & Oecolampadio disputationibus vinci potuit) ad congressum disceptandi propositis thematis procaci contemptu euocare non erubuit. Sed non tulit eam indignitatem Illustrissimus vtriusque Bauariæ Dux VVilhelmus, qui tam immodestæ matronæ maritum, & honorifica, vtiliq; exuit præfectura, & à se longius cum vxore relegauit.*

B

Finis Appendicis secundæ.

DEFEN-

DEFENSIO LIBRI TERTII DE VERBO DEI REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT PRIMVM.

Scripturam non esse tam apertam per se, vt sine explicatione sufficiat ad controuersias fidei terminandas.

AIT Bellarminus scripturam, ex Lutheri sententia, esse per se *certissimam, facillimam, apertissimã, sui ipsius Interpretem, omnium omnia probantem, iudicantem, & illuminantem*, &c. Hæc enim esse Lutheri verba præfat. Assertionis Articulorum à Leone X. damnatorum, excogitasse tamen Lutherum duo effugia; primum, *etiamsi alicubi scriptura sit obscura, tamen illud idem alibi clarè proponi.* Alterum, *scripturam, licet per se clarissimam, esse tamen obscuram superbis & infidelibus, ob eorum cæcitatem & prauum affectum.*

VVitackerus controuers. 1. q. 4. cap. 1. Sibrandus lib. 4. *de principiis Christianorum dogmatum*, Hunnius lib. 3. *Exam.* cap. 1. Danæus in *notis* vel potius (B) mendaciis ad hoc libri tertij primum caput, reprehendunt Bellarminum, quasi statum controuersiæ non rectè proponat, imò & de industria peruertat; & *sanctissimo viro* Luthero (sic enim indigitatur à Caluinista Sibrando) iniuriam faciat: *Non enim nostra sententia est*, inquit Savvbrandus, *scripturam adeò perspicuam esse, vt nulla interpretatione opus habeat; neq; dicimus, eam adeò facilem esse, vt quilibet idiota eam perfectè intelligat: Palam enim asserimus, donum interpretationis esse in Ecclesia necessarium: fatemur etiam in sacris scripturis multa adeò obscura esse, vt non tantum idiotis, sed etiam doctissimis quibusq; negotium facessant, nec à nobis, nisi in altera vita perfectè cognosci possint. Interea tamen negamus, omnia obscura esse, vel ita obscura esse, vt vel nihil in iis absq; Commentariis* (A) *intelligi, vel vt idiota ex earum lectione nihil proficere possint.* Similia VVitackerus & alij.

At quidquid hodierni Prædicantes Lutherani vel Caluiniani de obscuritate vel perspicuitate scripturæ sentiant; (neque enim vlla in sententia persistere solent; quia omni vento doctrinæ circumferuntur; & pro impetu vertiginis suę modo hoc, modò illud decernunt) luce tamen meridiana dilucidius est; Lutherum in ea fuisse opinione, quam ei Bellarminus tribuit; & verè existimasse totam scripturã *in se* & *per se* esse apertissimã, facillimã, clarissimam, neq; vllius distincti à se Interpretis indigam. Id perspicuè docent

I. Verba Lutheri à Bellarmino citata; neque enim in præfatione illa loquitur de aliqua parte; vel aliquibus dogmatis scripturæ; sed simplici- (B) ter de *tota* & *adæquata* scriptura hoc affirmat.

II. In confutatione Lutherana Rationis Latomianæ Tom. 2. Lat. VViteb. sub finem, ita scribit. *Non sunt Euangelia tam obscura, vt pueris ea nõ possint patere.* Vbi non de hac vel illa Euangeliorum particula; sed de tota Euangelij summa loquitur.

III. In libro de *seruo arbitrio* quẽ Bellarminus etiã citauit, hoc tam aperte de vniuersa scriptura Lutherus asserit, vt non immeritò Prædicantium id inficiantium durã frontem mirari quis posset; nisi iam constaret; Prædicantem esse eiusmodi animal; quod quiduis absq; rubore audeat.

Ait Lutherus: *Esse in scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita; inuulgatum est per impios Sophistas; sed nunquam vnum articulum produxerunt, nec produ-*

cere poſſunt, quo ſuam hanc inſaniam probarent. Vides igitur in ſcriptura omnia eſſe *expoſita*, ex Lutheri opinione; *omnia*, inquam, quod ad rem per verba ſcripturæ ſignificatam attinet, nam ne neſcias, Lutherus duplicem *obſcuritatem* conſtituit; alteram, *rerum*; alteram, *verborum*: Rerum obſcuritatem penitus à tota ſcriptura remouet; Verborum obſcuritatem in ſcriptura alicubi reſidere non abnuit. Et huc pertinent hæc eius verba, ſi tamen deliria dici debent verba.

IV. *Hoc fateor, eſſe multa loca in ſcripturis obſcura, & abſtruſa, non ob maieſtatem rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorum, & Grammaticæ, ſed, quæ nihil impediant ſcientiam omnium rerum in ſcripturis.* Ecce ſcriptura clara & aperta eſt, reſpectu omnium rerum, quæ in ea continentur.

V. *Res in ſcripturis contentæ omnes ſunt proditæ, licet quædam loca adhuc verbis incognitis obſcura ſint.*

VI. *Stultum, & impium eſt, ſcire, res ſcripturæ eſſe omnes in luce poſitas clariſsima, & propter pauca verba obſcura, res obſcuras dictitare.* Tota ergò obſcuritas ſcripturæ non prouenit à rebus, & myſteriis ſignificatis; hæc enim omnia clariſsima & apertiſsima ſunt; ſi non mentitur Lutherus; ſed prouenit obſcuritas ſcripturæ ex *paucis verbis obſcuris*. Num depellendæ huic obſcuritati nullum ſuppetit remedium? Imò verò. Audi.

VII. *Si vno loco obſcura ſunt verba; at alio loco clara ſunt.* Cum ergo res omnes ſacræ ſcripturæ ſint clariſsimæ; & quæ adhuc obſcuræ ſunt propter verba; alibi notis, claris, & perſpicuis verbis explicentur; nihil aliud ſequitur, quàm totam ſcripturam *per ſe*, & *in ſe* eſſe clariſsimam & apertiſsimam; cum præter rem ſignificatam & verba, nihil aliud complectatur; in vtriſque autem ſummã claritatẽ habeat; *immediatã* quidem in rebus; in verbis, licet perquam paucis, *mediatam*; nempe per alia verba clariora & notiora alio in loco ad idem myſterium declarandum vſurpata. *Nam eadem res*, inquit Lutherus, *manifeſtiſsimè toti mundo declarata, dicitur in ſcripturis tum verbis claris, tum adhuc latet verbis obſcuris.* Quid quod nullo modo ſcriptura appellari debet obſcura; propter quædam ſigna eius.

Quia VIII. *nihil refert, ſi res ſit in luce, an aliquod eius ſignum ſit in tenebris, cum interim multa alia eiuſdem ſigna ſint in luce. Quis dicet fontem publicum non eſſe in luce, quod hi, qui in angiporto ſunt, illum non vident, cùm omnes, qui ſunt in foro videant.*

IX. *Quæ ſunt ſummæ maieſtatis, & abſtruſiſsima myſteria, non ſunt amplius in receſſu, ſed in ipſis foribus, & in propatulo producta, & expoſita.*

X. *Tu & Sophiſtæ agite & producite vnum aliquod myſterium, quod ſit in ſcripturis adhuc abſtruſum.*

XI. *Deſinant miſeri homines tenebras & obſcuritatem cordis ſui blaſphema peruerſitate ſcripturis Dei clariſsimis imputare.*

XII. *Id oportet apud Chriſtianos eſſe in primis ratum, atq; firmiſsimum; ſcripturam ſanctam eſſe lucem ſpiritualem, ipſo ſole longè clariorem, præſertim in iis, quæ*

A *pertinent ad ſalutem, vel neceſsitatem.* Sed omnia, quæ in ſcriptura continentur, pertinent ad ſalutem & neceſsitatem; ſaltem hactenus; vt nihil eorum inficiari, vel in dubium vocare; vel etiam contrario aſſenſu labefactare liceat.

XIII. *Oportet id, quod alterum metrum, & menſura eſt, multò certiſsimum, & clariſsimum eſſe, quale eſt lex.* Sed tota ſcriptura eſt metrum, & menſura. Nam vt Lutherus ipſe dicit; *Omnia, quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: & omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt vtilis ad docendum*; Vbi notandæ voculę illæ: *Omnia*; *omnis*. Ergo tota ſcriptura eſt certiſsima & clariſsima. Poſt longam pro totius ſcripturæ clariſsima perſpicuitate diſputationẽ hæc tandem ſubiungit Lutherus.

B XIV. *Obſecro, ſuntne illa verba ſcripturæ obſcura, vel ambigua; Deus creauit cœlum, & terram: Verbum caro factum eſt; & omnia, quæ pro articulis fidei totus accepit mundus? Vnde accepit, nonne ex ſcripturis? Et quid faciunt; qui adhuc hodie prædicant? Scripturas interpretantur, ac declarant. At ſi obſcura eſt ſcriptura, quam declarant, quis nos certos facit, ipſam eorum declarationem eſſe certam? Alia noua declaratio. Quis & illam declarabit? Ita fiet progreſſus in infinitum.*

XV. *Summa; ſi ſcriptura obſcura, vel ambigua eſt, quid illam opus fuit nobis diuinitus tradi? an non ſumus ſatis obſcuri, & ambigui, niſi de cœlo nobis augeatur obſcuritas, & ambiguitas, & tenebræ? Vbi tunc illud Apoſtoli manebit? Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, & increpandum, & arguendum? Imò inutilis*

C *eſt, Paule, prorſus, ſed ex Patribus longa ſæculorum ſerie receptis, & ſede Romana, talia petenda ſunt, quæ tu ſcripturæ tribuis. Quare, tua ſententia reuocanda eſt, vbi ad Titum ſcribis; Epiſcopum oportere potentem eſſe in doctrina ſana, exhortari, & redarguere contradicentes, & os oppilare vaniloquis & mentium deceptoribus.*

XVI. *Chriſtus quoq; vocem ſuam recantet neceſſe eſt, qui nobis falsò promittens, dicit; Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. Quomodo non reſiſtent, quando obſcuris, & incertis contra eos pugnamus?*

XVII. *Contra te* (Eraſmum alloquitur) *de tota ſcriptura dico, nullam eius partem volo obſcuram dici. Stat ibi, quod ex Petro retulimus: Lampadem lucentem nobis eſſe verbum Dei in loco caliginoſo. Quod ſi pars huius lampadis non lucet, potius pars caliginoſi loci, quàm*

D *ipſius lampadis erit. Non ſic illuminauit nos Chriſtus, vt aliquam partem obſcuram voluerit relictam nobis in ſuo verbo, dum nos ad illud iubet attendere. Fruſtra enim attendere iubet, ſi non lucet.*

Quid clarius, & euidentius, quàm Lutherum ſenſiſſe totam & integram ſcripturam, nulla penitus eius parte excepta; eſſe *apertam*, *lucidam*, & *lucentem*, omniſque obſcuritatis expertem. Quocirca Bellarminus ſtatum quæſtionis ex Lutheri ſententia optimè propoſuit; tametſi Prædicantes manifeſta Lutheranæ delirationis abſurditate & vanitate abſterriti, alium nunc controuerſię ſtatum; ex ſuo cerebro confingunt. Hinc Lutherani collocutores in Colloquio Ratiſbonenſi

Digitized by Google

fol.469.edit.Lauing. *Monendus initio eſt lector de ſtatu quæſtionis inter nos & aduerſarios. Is non eſt, an quædam, vel etiam multa ſint in ſacris litteris obſcura. Hoc namq; fatemur ipſi.* At non fatetur hoc Lutherus: Diſertè enim clamat: *De tota ſcriptura dico;* NVLLAM EIVS PARTEM VOLO OBSCVRAM DICI.

Præterea Lutherum & ſocium eius Melanchthonem habuiſſe initio ſui Euangeliſmi ſcripturam totam pro *facillima, clariſsima & apertiſsima*; patet etiam inde, quod Philippus in Locis anno Domini 1523. Argentorati excuſis; ſub finem ſcripſit; *ſolam ſcripturam legi debere; patrum Commentarios, vt peſtem, fugiendos eſſe. Cenſeo,* inquit, *non aliter atq; peſtem fugiendos hominum commentarios in rebus ſacris, quòd doctrina ſpiritus purè, niſi è ſcripturis hauriri non poßit.* Quæ ſine dubio ex ſenſu etiam ſui Lutheri ſcripſit: qui in præfatione, quam Annotationibus Philippicis in Epiſt. ad Romanos præpoſuit; hunc eundem ſuum & Philippi affectum his verbis prodidit. *Sola ſcriptura, inquit, legenda eſt citra commentaria.* Et cur ſola ſcriptura legenda; niſi quia, vt Lutherus ait, eſt *certiſsima, facillima, apertiſsima, & ſui ipſius interpres fidiſsima,* nullius alterius expoſitoris egens.

Eſt autem obſeruatione perquam dignum VVitackerum & Sibrandum, VVitackeri ſimium & expilatorem valde commendare diſtinctionem illam Lutheri in *obſcuritatem verborum* ſeu *Grammaticam*; & *rerum,* quarum hanc à ſcripturis remouet, illam ſcripturis attribuit; vt vidimus; cum diſtinctio hæc ſit longè ſtolidiſsima & inſipientiſsima. Nam primò, quæ nam ſunt illa verba, eaque, vt Lutherus ipſe fatetur, non adeo multa, quæ rebus clariſsimis & ſolis inſtar lucentibus tenebras offundunt? Cur non deſignauit Lutherus? Cur non Savvbrandus aut VVitackerus? Suntne Græca? Suntne Hebraica? Suntne Latina? Certè nullum arbitror in Latinis Bibliis reperiri vocabulum, quod Latinè benè gnaro non ſit perſpectum. Nonne hanc verborum pauculorum obſcuritatem potuit Lutherus tollere in ſuis Bibliis Germanicis? Quæro num in his Lutheri vernaculis Bibliis diſtinctio Lutheri etiam locum habeat? Si habet, obſecro, nominatim aliquis Prædicans exprimat & ſeparatim nobis enotet illa Germanica vocabula; vel phraſes & modos loquendi, qui res, alioqui per ſe clariſſimas, obfuſcant & inobſcurant. Et mirũ ſanè eſt tot doctiſsimos viros, in verbis & Grammatica verſatiſsimos; nõ potuiſſe ſuperare hanc Grammaticam difficultatem & obſcuritatem; quod nominatim mirari licet de Origene & D. Hieronymo, qui ſummam Grammaticæ cognitionem habuêre; & tamen ſcripturas etiam ſibi admodum obſcuras eſſe conqueruntur.

Reſpondet Savvbrandus, *fuiſſe illos bonos Grammaticos ſed non optimos; erraſſe enim ſæpe in ſenſu Grammatico; hinc non mirum eſſe ſi & ipſa dogmata interdum non intellexerint.* Huic Caluiniſtæ oppono Caluiniſtã alium VVitackerum; qui ambos Origenem & Hieronymũ ait fuiſſe *Grammatices peritiſsimos*; ergo *optimos Grammaticos*; ergo propter obſcuritatem ſenſus Grammatici à vero non aberrarunt, quippe in hoc ſenſu exercitatiſsimi; tanq̃ Grãmatices peritiſsimi; vt taceã, ſecundum Lutherũ, id, quod vno loco verbis obſcuris enunciatur, in alio clariſsimis efferri. Quapropter facile fuit tantis illis viris obſcuritati vnius loci ex claritate alterius lumen accendere. Adhæc quanta ſtultitia eſt; dicere; rem ſcripturæ, quæ myſteria reconditiſsima & ab omni humano ſenſu remota complectitur, eſſe clariſsimam & apertiſsimam, verba autem quædam eſſe obſcura? Quæſo quid eſt obſcurius: in hac oratione: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus*: res, an verba? Præterea claritas ſcripturæ, qua talis, nõ poteſt exſiſtere niſi ex verbis. Nam res ſcripturæ non aliter nobis obiiciuntur & proponuntur, niſi per verba. Si ergo verba obſcura ſunt; quomodo res ſignificata, vt per illa verba nobis repræſentatur poteſt eſſe clara? Et ſi res eſt clariſsima, quomodo verba poſſunt eſſe obſcura? Mentitur Sibrandus cum ait, quaſi ex ſententia Lutheri, *dogmata, quæ ad ſalutẽ neceſſaria ſunt,* hoc eſt, quę ab omnibus explicitè ſciri & credi debent, *& quorũ ſumma Apoſtolico ſymbolo cõprehenſa eſt, eſſe in ſacris litteris perſpicua.* Nam Lutherus expreſsè toti ſcripturæ, & cuicunque eius parti clariſsimam perſpicuitatem tribuit; vt antea vidimus, productis ipſius Lutheri verbis, quæ nulla vnquam hæretica cauillatio eludet.

Neque Lutherus prædicta diſtinctione contentus eſt: aliã ſuperaddit in eodẽ libro de *ſeruo arbitrio. Duplex,* inquit, *eſt claritas ſcripturæ, ſicut & duplex obſcuritas: Vna externa in verbi miniſterio poſita; altera, in cordis cognitione ſita. ſi de interna claritate dixeris; nullus homo vnũ iota in ſcripturis videt, niſi qui ſpiritũ Dei habet, &c. Si de externa dixeris; nihil prorſus relictũ eſt obſcurũ, aut ambiguũ; ſed omnia ſunt per verbũ in lucem producta certiſsimã; & declarata toti orbi, quæcunq; ſunt in ſcripturis.* Hanc Lutheri diſtinctionẽ monet VVitackerus *valde eſſe neceſſariam.* Ego verò hanc tantã *neceßitatẽ* non ſatis aſſequor. Si enim, vt Lutherus dicit; *nulla penitus externa obſcuritas in ſcripturis relicta eſt*; (per externã obſcuritatem omnẽ illã intelligens; quæ extra legentiũ animos poſita eſt) mirari ſubit; quomodo prius aſſeruerit, ſcripturã aliquibus in locis eſſe obſcuram propter verba. An non obſcuritas, quæ in verbis cõſiſtit; externa eſt? Et ſi, vt hic Lutherus affirmat, nihil prorſus in ſcriptura relictum eſt *obſcurum vel ambiguum*, loquendo de externa obſcuritate, extra lectorũ mentes ſita; quomodo ipſemet hic dicit *duplicem eſſe obſcuritatem*; (ſicuti duplex eſt claritas) *internam & externam*? Nimirum Lutherus vbique nõ modò cum aliis, ſed & ſecum pugnare ſolet. Qua de cauſſa non moror etiam licet alia quædã loca ex Luthero proferantur, quibus obſcuritatem ſcripturæ agnoſcere videtur: nam homo varius & inconſtans ex eodem ore calidum ſpirabat & frigidum, & prout furoris

impetus,& innata rabies,& nonnunquam potus largior ferebat,modò hoc,modò illud afferebat; nusquam & nunquã fixus & stabilis nisi in mendaciis & plusquam diabolicis maledicentiæ spiculis vibrandis.

Omisso aliquantulũ Luthero,videamus quo modo iam Prædicantes, statum quæstionis forment. Audiuimus quidem antea ex Sibrando; Nunc audiamus VVitackerum, qui duo dicit: *Primum; scripturas ita esse apertas,vt à populo,atq; ab indoctis,cum fructu aliquo, ac vtilitate legi possint.* Maximè si legant,more & modo Lutherano,& Caluiniano; quæ lectio quantum vtilitatis pepererit; & adhuc quotidie pariat, docuimus capite postremo libri superioris; & copiosè in Bauio.

Secundum: omnia, quæ sunt ad salutem necessaria, apertis verbis in scripturis proponi. Vt hoc maximè verum esset de articulis, qui ab omnibus explicitè credendi sunt; tamen id non esset satis; simpliciter enim ad salutem necessarium est; vt nihil eorum negem,quæ in scriptura comprehenduntur; siue clara sint, siue obscura. Licet namque talia abstrusiora & minus trita non tenear scire; ad hoc tamen obligor, ne ea aut in dubium vocem; aut negem; quod procliue lectori Lutherano vel Caluiniano; hoc est,illi; qui suis ventis nauigat; & alterius magistri ductu & instructione in euoluendis Bibliis non vtitur.

Similia nugatur Hunnius,& hic, & in disputatione sua de Colloquio cum Pontificiis ineundo; vbi Thesis 273. hunc in modum claritatem scripturæ decantat. *Sunt quidem aliqua, in scripturis obscura, & intellectu difficilia; at, quod attinet dogmata fidei,ea maximè,quæ inter nos,& Papistas controuertuntur, sunt illa tam clarè proposita sacris litteris, vt si solis radio scripta forent, vix clariora esse queant.* Ergò, si paucissima capita excipias. (repetam enim,quæ ante aliquot annos Hunnio respondi in responso meo ad supradictam disputationem cap.18.) quæ omnibus scitu necessaria censentur, cætera non erunt dogmata fidei. Licebit igitur sine fidei discrimine potissimam sacræ scripturæ partem negare. Cur enim negare non liceat sine hæresews crimine,quod non est dogma fidei? Vidimus nuper Hunnium in hoc luto miserabiliter hærentem,& luctantem, nec tamen qua ratione eluctaretur, satis dispicientem. Etsi enim pleraque,quæ sacræ litteræ tradunt, explicitè cognoscere non sit necessarium ad salutem: necessarium tamen est, vt assensu contrario in ea non impingam,si mihi proponantur; quod certè facillimum erit, si quis sine duce, & indice lumen præferente, res tam tenebricosas euoluere, & perscrutari velit, ingenij sui non tam bonitate,quem remeritate fretus, vt hæretici faciunt; qui non tantùm articulos fidei Christiano scitu necessarios,sed & tota Biblia modici sui ingenij angustiis sese comprehendere posse, vanissimè credunt.

A Sed discutiamus Hunnianam thesin. Ait, *dogmata fidei esse clarissima, quasi solis radio scripta essent;* Intelligit autem per fidei dogmata, ea, quæ omnibus ad salutem cognitu sunt necessaria. Respondeo; dupliciter aliqua dici clara; primò, propter verba; secundò, propter res verbis subiectas: quia res tritas, & obuias continent. Primo modo, concedo, quædam esse in scripturis clara: dicuntur enim verbis planis, & perspicuis: nego autem,quod clara sint respectu rerum, quæ verbis illis planis, & claris substernuntur. Res omnibus scitu necessariæ sunt, quæ continentur in symbolo; quæ certè, si verba spectemus,radiis solaribus clariores apparent. Quid enim magis perspicuum istis? *Credo in* DEVM *patrem omnipotentem,creatorem cæli & terræ,*&c. omnia

B texuntur simplicissimis verbis; & tamen res difficillimas verba ista comprehendunt; &, circa singulas illas res grauissimi errores exstiterunt, & adhuc existunt: & est,qui audeat dicere, se res illas clarè intelligere? Nam, vt de primo vocabulo dicam,*credo*: est quidem verbum planum, & perspicuum: sed perspicuum non est, quod sit *credere*, quid sit *fides* in Deum? adeoque perspicuum non est, vt de fide grauissimas habeamus controuersias. Eodem modo, dictio, *in* DEVM, videtur plana,vt &,*Deum esse*. Verùm,an non fuerunt, qui, DEVM esse, negarent? An non qui DEVM rem creatam esse,sibi persuaderent? Iam vox *Patris* quid significet,omnes norunt; at,vtrũ

C DEVS sit Pater,vtrum genuerit filium sibi æqualem,&c. tam difficile est, vt Ariani, & alij id pertinacissimè negent. Percurrat, qui volet, reliquas symboli partes, & vbique ingentes difficultates reperiet.

Deinde dicat Hunnius, si dogmata fidei omnibus scitu necessaria tam dilucidè in scriptura traduntur, ac si solis radio scripta forent, vnde tot,& tam diuersæ, & sibi mutuò repugnantes de his ipsis fidei dogmatibus explicationes? Quomodo res facilis trahi potest ad sensus tam diuersos? Hæc enim fidei dogmata exponit aliter Arius, aliter Eunomius, aliter Eutyches, aliter Macedonius, aliter Monothelitæ, aliter Iconomachi; aliter Lutherus, aliter Zvvinglius, aliter

D Caluinus,aliter Schvvenckfeldius,aliter Vbiquistæ,aliter Anabaptistæ,aliter Husitæ. Vnde hæc diuersitas in rebus tam claris, quàm si *solis radio* scriptæ forent? Quid clarius his verbis, *Hoc est corpus meum?* Scis, quot explicationes super hæc quatuor verba à non paucis sint collectæ? Mirum dictu; istos Gnosticos, & *intelligentes*, acriore ingenio præditos esse ad dogmata fidei percipienda, quàm Apostolos, cum Christo in dies singulos familiariter viuentes, & versantes; qui crebrò conciones,& collocutiones Domini, verbis perspicuis, omnisque fucati splendoris expertibus, nec de rebus adeò abditis contextas, minimè intelligebant; quocirca Dominum interdũ adibant explicationis gratia, vt Matth. 13.

Ediss-

Digitized by Google

Edissere nobis parabolam zizaniorum. cap. 15. non intellexerunt illud; *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, &c.* Hinc Petrus; *Edissere nobis parabolam istam: at ille dixit; adhuc & vos fine intellectu estis?* Lucæ 18. cum dixisset; *Ecce ascendimus Hierosolymā, &c.* subdit Euangelista: *& ipsi nihil horum intellexerunt: &, erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Quid, quod ne illud quidem; *Modicum, & non videbitis me, &c.* assequi poterant? Hinc collatis inter se capitibus, aiebant; *Quid est hoc, quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur.* Eodem modo non intellexerunt iidem discipuli illud; *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum. Dixerat autem IESVS de morte eius: Illi autem putabant, quia de dormitione somni diceret.* Similia humanæ imbecillitatis exempla in intelligendo, multa alia in sacris litteris occurrunt, quibus nonnihil Prædicantes coërceri deberent; ne, tam temerè sibi, & illiteratissimis quibusq; dogmatum fidei claram, & perspicuam cognitionem arrogarent; cum Apostoli Christum quotidie audire, coramque intueri soliti, in rebus alioqui non adeò arduis cæcutiuerint.

Fortè dixerit quis, Apostolos tum nondum accepisse Spiritum sanctum. Respondeo; Apostolos, sine vlla dubitatione, tunc plus Spiritus sancti habuisse, quàm habeant omnes Prædicantes, quotquot sunt, aut fuerunt, aut aliis erunt in annis. Erant enim amici, & filij Dei; ergò, gratia præditi; & tamen in verbis Christi tanta laborabant caligine. Illud insuper meritò sciscitetur quis ex Prædicantibus, vbi, & quando Christus illis aperuerit sensum, vt scripturas clarissimè intelligerent? An forte interfuerunt, quando Christus post resurrectionem suam, *aperuit* discipulis, *sensum, vt intelligerent scripturas*, vt scribit S. Lucas. An fortè cum duobus discipulis tendebant in Emaus, quando Dominus, *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant?* An & ipsi verè dicere possunt; *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Dicant vbi, aut quando eis Dominus sensum scripturæ patefecerit? Si enim Apostoli, absque hoc Christi beneficio sensum scripturæ nō assequebantur; quis Prædicantes, Euangelicosque assequi credat, homines tam pinguis & rudis Mineruæ? Si similia ex orthodoxo scripturarum intelligentiam profitente quærant Prædicantes, in promptu erit responsio, & quidem vera, & solida. Statim enim dicet; Ecclesiæ veram scripturarum intelligentiam à Spiritu sancto patefactam; & per Ecclesiæ magisterium omnibus illis patefieri; qui malunt Ecclesiæ docenti aures dare, quàm proprij cerebri, vel aliorum *Phantastarum* deliria amplecti.

Obiiciunt Prædicantes: *Quod scriptura videatur multis in locis obscura, id contingere ex humani ingenij imbecillitate*; Verùm cum hæc imbecillitas à primo ortu nobis sit cognata; natiuasque vt sic loquar, tenebras in intellectu nostro nobiscum circumferamus; non immeritò certum & infallibilem scripturæ interpretem quærimus & expetimus, qui ex officio nobis verum scripturæ sensum exhibeat, absque vllo errandi periculo. Deinde falsum est ex sola humanæ mentis infirmitate hanc obscuritatem & in scripturis intelligendis difficultatem enasci; Oritur enim etiam, & quidem maxima ex parte; ex rerum planè sublimium & cælestium, & ab humana cogitatione penitus remotarū maiestate & celsitudine; quæ nostrum captum longè transcendunt; neque in cuiusquam intelligentiam, nisi fidei lumine collustratam, cadunt.

Lutherus lib. de seruo arbitrio aliam reddit obscuritatis caussam: *Quod multis multa manent abstrusa, hoc non fit scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate & socordia, qui non agunt, vt clarissimam veritatem videant.* Sed vt superbis, infidelibus, cæcis & socordibus scripturæ sint obscuræ; quis tamen nisi arrogantissimus; talpaque cæcior affirmet, omnes illos fuisse *superbos, infideles, cæcos, socordes*, quibus obscura in legendo fuit scripturā? Quæso, fuitne *cæcus, socors, superbus, infidelis* Eunuchus ille, qui iter faciens, & in curru sessitans, legebat Isaiam, nec tamen intelligebat? Erantne *superbi, infideles* & socordes Apostoli; quando interdum sermonum Christi sententiam non assequebantur? Erantne tot sancti patres, quorū testimonia producit Bellarminus, *cæci, socordes, superbi, infideles*; qui ingenuè palam confitentur, scripturas sibi accidere difficiles & obscuras?

Deinde, vt maximè Lutherus quando contra Erasmum & alios bacchabatur, sensisset, nullam obscuritatem in scripturis esse nisi *per accidens*, vitio lectorum; & propter verba quædam minùs cognita; tamen hodierni Prædicantes Sibrandus, VVitackerus, Hunnius non inuiti confitentur multa scripturæ loca esse per se & in se difficilia; quæque interpretatione & explicatione per se egeant. At quis iste interpres in istorum schola, quia Ecclesiæ hoc munus deferre abnuunt? Agemus hac de re suo loco & tempore.

Nunc dispiciamus, quid Prædicantes reponant ad argumenta, quibus Bellarminus ostendit, scripturas esse obscuras. Primum, producit Bellarminus B. Dauidem; qui scripturas obscuras esse fassus, petiit sibi earum diuinitus concedi intelligentiam. Psal. 118. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.*

Respondet VVitackerus Quæst. 4. controuers. 1. cap. 3. *Ista caussam non attingunt. Nemo enim nostrûm est, qui cum Dauide non concedit, Deum assiduè orandum esse, vt nos doceat legē suam, vt illuminet corda nostra, &c. Ergò hoc Dauidis exemplum frustra nobis obiicitur.* Non frustra obiicitur; quia Lutherus, vt supra vidimus, fecit scripturam *lucidissimam, clarissimam, apertissimam & facillimam*: sublata omni prorsus difficultate & obscuritate, præter illam, quæ ex pau-

culis minus perspectis verbis nascitur. Si ergo scriptura adeo omnis obscuritatis expers erat, non apparet ratio, cur tam sollicitè beatus Dauid apud Deum institerit, pro luce gratiæ & intelligentiæ; vt legem Dei intelligere posset. Nam difficultas illa & obscuritas Grammatica ex verbis oriri solita, quam solam relinquit Lutherus in scriptura, non potuit Dauidem impedire; quo minus scripturam exactè intelligeret, si ex alio capite difficultas & caligo nulla erat; quia ipse Hebraica vocabula; quibus sacri libri conscripti erant; optimè intelligebat; vt & phrases & formulas loquendi Hebræas; quippe Hebræus ex Hebræis natus, & inter Hebræos educatus, totaque vita sua versatus. Quod argumento est, ipsum aliam obscuritatem à lege remoueri voluisse; quam *verbalem* illam Lutheri; Deinde, vt maximè iam Prædicantes difficultatem & obscuritatem aliquam in scriptura agnoscere incipiant; tamen multa imò præcipua fidei nostræ capita; & omnibus scitu credituque ad salutem necessaria, aiunt lucidissimè, & ipsis solis radiis clarius in sacris litteris perscripta esse. Quæ si ita se haberent, saltem B. Dauid ratione horum non postulasset sibi cœleste lumen concedi; quid enim opus est singulari Dei auxilio, vt quis sanis oculis præditus videat solem in meridie lucere? At B. Dauid ratione omnium, quæ in lege & scriptura continentur, flagitat sibi lucem infundi; vt arcana peruidere & penetrare queat. Neque, opinor, Lutherus, aut alij Prædicantes accensebunt Dauidem *superbis, infidelibus, cæcis, & socordibus*, quibus clarissima scripturæ dogmata caliginosa sint; propter caliginem, non in scriptura, sed in eorum mentibus inhærentem.

Secundò respondet VVitackerus: *Loquitur illic Dauid non præcipuè de externa intelligentia (nam litteras proculdubio nouit, & Grammaticum, atq; historicum sensum scripturæ in plerisq;.) sed de interna illa πληροφορίᾳ.* Scilicet VVitackerus scit Grammaticum atque historicum scripturæ sensum in omnibus; Beatus Dauid tantum in plerisque. Scilicet noctua Caluiniana acutius cernit; quàm cælestis illa aquila. Iam verò Caluinianam illam *plerophoriam* nunquam in Dauidis pectore insedisse; non grauatè concedimus; habuisse tamen illum summam de promissionibus & dictis Dei in scriptura comprehensis certitudinem, testantur cum alia, tum illud inprimis: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et quæ nam est ista externa scripturæ intelligentia? Intelligentia in proposito est actio intellectus, occupata circa rem significatam per verba scripturæ; cuius rei claram, & perfectam cognitionem dispulsis tenebris, sibi optat à Deo concedi; Ergo non est omnibus per se obuia & in promptu; vt isti volunt; sed latet; & non nisi cælitus lumine accenso penitius introspicitur.

Sibrandus cap. 2. ex dictis Dauidicis à Bellarmino citatis format huiusmodi syllogismum: *Quod absq; peculiari spiritus reuelatione non intelligitur, hoc adeò obscurum est, vt in eo absque interpretatione nihil cognosci, & Laici ex eius lectione nullum fructum consequi possint. Sed sacra scriptura absque peculiari spiritus illuminatione non intelligitur. Ergò scriptura adeò obscura est, vt in ea absq; interpretatione nihil cognosci, & Laici ex eius lectione nullum fructum capere possint.* Vbi incredibili vanitate admiscet Laicos; quasi Bellarminus nunc disputet; vtrum Laici fructum aliquem capiant ex lectione scripturarum; cum tota illius disputatio in hoc versetur, vt ostendat; scripturas esse obscuras, nec tam claras & faciles; quàm claræ & faciles iactantur à sectariis, præsertim à Luthero. Itaque Caluinista iste non Bellarmini, sed sui male sani cerebri syllogismum oppugnat. *Nos respondemus*, inquit, *maiorem esse bimembrem. Vnum membrum est, nihil posse in scriptura cognosci absq; interpretatione. Alterum, Laicos ex eius lectione nullum fructum consequi. Nos ad vtrumq; distinctè, & primùm ad posterius respondebimus. Si Maior in hunc modum formatur: Quod absq; peculiari spiritus reuelatione non intelligitur, hoc adeò obscurum est, vt Laici ex eius lectione nullum fructum capere possint. Si inquam Maior, in hunc modum formatur, tum est falsa.*

Hæc, vt dicebam, non sunt Bellarmini argumenta, sed Savvbrandica commenta, nihil enim de Laicis Bellarminus dicit; Et tamen *Maior* verissima est; Laicos nullum prorsus legendis scripturis operæpretium facere; nisi sese reuelationis & interpretationis illius, sine qua scripturæ nunquam rectè intelliguntur; participes faciant; neque vnquam participes sese facient, nisi scripturas, vt discipuli Ecclesiæ legant; eiusque magisterio sese, sensumque & iudiciũ suum, submittant. Neque vlli vnquam promisit Deus illuminationem & gratiam intelligendi scripturas; nisi per Ecclesiæ magisterium. Et si quis Laicus, etiam hæreticus; verè aliquem scripturæ locum intelligit; neque ex se; neque ex suorum Prædicantium commentariis, aut explicatione; sed ab Ecclesia Catholica, & per consequens, à Spiritu sancto, verum sensum sacrarum litterarum Ecclesię reuelante, habent; neque vllius priuati explanatio aut certa aut infallibilis est, nisi quatenus cum infallibili Ecclesiæ sensu concordat. Et vt nulla sacræ scripturæ particula spiritu humano conscripta est; sic nulla spiritu humano, & *ἰδίᾳ ἐπιλύσει proprio studio & conatu* intelligitur; sed opus est, vt explicatio ab eodem spiritu procedat; à quo initiò ipsa scriptio, & sacrarum litterarum constitutio processit, qui non est alius; quàm Spiritus sanctus; iuxta illud oraculum 2. Petri 1. *Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.*

Quapropter ne illa quidē, quæ clarissima in scripturis videntur, absq; Spiritus sancti immediato vel mediato instinctu & interpretamento intelliguntur. Hinc planè falsum & impium est; quod hic garrit Hunnius. *Sunt sententiæ sacrarum litterarum, quàm plurimæ, dogmatibus confirmandis adhiberi solitæ, tam dilucidæ, tam manifestæ, vt sine vlteriore interpretatione sensum Spiritus sancti sponte reddant. Exempli caussa, in quæstione contra Arianos, quod Christus sit Deus, nihil potest locis Ioan. 1. Rom. 9. Coloss. 1. Hebr. 1. & Ioan. 5. esse illustrius. Iam de articulo resurrectionis mortuorum summa est scripturæ perspicuitas, adeo, vt si de hoc capite vel solus exstaret Apostoli tractatus 1. Cor. 15. nemo quisquam iustè posit notam obscuritatis impingere sacris litteris, circa hunc articulum Resurrectionis ex mortuis.*

Si loca, quæ Hunnius producit tam sunt clara & euidentia, vt nulla vlteriore Spiritus sancti interpretatione egeant; qui fit, quòd Ariani in horum locorum explicatione tam turpiter olim aberrarunt, & hodie etiam aberrant? Quæ caussa huius rei, nisi quia Spiritus sancti interpretationem valere iusserunt? Et cur valere iusserunt; nisi quia in scripturis nihil est tam clarum & dilucidum, quod à malè feriatis ingeniis, & suo indicio nimium tribuentibus; & Ecclesiæ Catholicæ magisterium aspernantibus non possit deprauari, & in alienum sensum aut trahi aut rapi? Quocirca scribit S. Augustinus lib. 2. de nupt. & concupiscent. cap. 31. non esse mirum, *si sua dicta deprauentur à Pelagianis; quando de scripturis sanctis, non vbi obscurè aliquid dictum est, sed vbi clara, & aperta sunt testimonia, id facere consueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum.* Quid clarius istis verbis? *Baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti*: & tamen, *circa ista verba tot diuersitates opinionum fortassis numerantur, quot sunt homines*, inquit idem S. August. lib. 3. de baptism. cont. Donat. cap. 15.

Idem dico, de locis ad Resurrectionem carnis spectantibus. Nam, non obstante hac tanta Paulinæ dissertationis perspicuitate; exstiterunt nō pauci, qui secus, quàm oportebat, de Resurrectione sentirent. Quam ob rem? Quia relicto Spiritus sancti sensu per Ecclesiam nobis tradito, suum iudicium in explicandis scripturis sequi cœperunt; quod nulli, qui temerarius esse velit, impossibile est; licet enim verba videantur facillima & apertissima; significant tamen res abstrusissimas & reconditissimas; si non tantum secundum generalem quandam notionem considerentur; sed etiam secundum speciales suas rationes inspiciantur. Quæ faciunt; vt si quis postea Ecclesiasticæ interpretationi aures occludat, in grauissimos errores incurrat; etiam circa illa scripturæ loca; quæ Prædicantibus nostris sole meridiano videntur esse clariora.

Ad Sibrandum; qui sibi suauiter fingit & componit argumentationes; quasi ex sensu Bellarmini; cum non sint nisi Caluinistæ vani inania somnia: Ex quibus cape & hoc specimen. *Scriptura absq; spiritus illuminatione non intelligitur; ergo Laici in ea legenda operam perdunt.* Quæso te, vbi frons tua? Itáne argumentatur Bellarminus? Vbi? In quo loco? In quo capite? Certè in nullo capite, nisi in tuo; in quo per febrile forsan delirium, ita Bellarminum argumentari comminisceris. Quis enim nescit etiam laicis, dum scripturam legunt; Spiritus sancti illuminationem adesse posse; si legant scripturas; vt discipuli Catholicæ Ecclesiæ; Certi ab eius sensu nusquam & nunquam discedere; parati, omnia quæ vllo modo Ecclesiæ sensui & interpretationi aduersantur, repudiare: si inquam ita Laici scripturas legant; quis cum fructu legere abnuat? Sed quia iam plerumque; præsertim idiotæ, & nullius, nisi vernaculæ, linguæ gnari; scripturas legunt, non tanquam maiorum suorum discipuli; sed vt Magistri; neque vt filij Ecclesiæ, sed vt spurij, iudicium matris suæ nihil morari consueti; fit, vt plerunque isti ex lectione scripturarum vtilitatis nihil, detrimenti plurimū reportent; quia in legendo aut suum iudicium sequuntur; aut alicuius vel aliquorum Prędicantium, qui suum iudicium secuti sunt. Neque vnquam vlli priuato promisit aut promittit Deus certum & infallibilem scripturæ sensum, nisi per magisterium & institutionem Catholicę Ecclesiæ.

Pergit Savvbrandus: *Si Bellarminus ita intelligit Maiorem, quod ex spiritus reuelatione intelligitur, hoc prorsus obscurum est, tum sequitur ex hoc argumento, scripturam non tantùm Laicis, sed etiam doctis, imò omnibus, qui non sunt diuinitus illuminati, obscuram esse, ac proinde vi huius argumenti, non tantum Laici, sed etiam docti ab eius lectione arcerentur.* Primùm, Maior, quam fingis, non est Bellarmini; sed tua. Deinde, concedo etiam doctis scripturas esse obscuras; iisque necessariam esse supernā illuminationem: quia Dauid doctissimus erat; & tamen precabatur Deum; *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Tertiò dico; etiam doctos in scriptura verum sensum nunquam assequi, nisi beneficio Spiritus sancti per Ecclesiam omnes erudientis; Hinc quisquis horum verborum: *Et verbum caro factum est*; verum sensum habet; siue doctus siue indoctus; siue Sacerdos, siue Laicus; siue Catholicus, siue Lutheranus, aut Caluinianus; is à Spiritu sancto per Ecclesiam loquente; hunc verum sensum habet; Et vt Lutherani & Caluiniani scripturam, quam habent, non habent; nisi à Catholica Ecclesia; ita si quem adhuc verum sensum retinent, eum non habent, nisi ab Ecclesia. Quartò dico; etiam doctos à legendis scripturis arcendos esse; quando in iis legendis proprio iudicio nituntur, contempto Ecclesiasticæ traditionis Canone; nam vt indoctis hoc casu lectio scripturæ venenum est; sic & doctis; quia tamen docti rarius in hoc periculo ver-

fantur; ideo etiam minus periculi eis imminet; præsertim si solidè docti sint; non scioli & sesquidocti; omnium sensum suo postponere soliti.

Sed en aliud argumentum, quod Bellarmino nunquam in mentem venit; & tamen tanquam Bellarminianũ proponitur & refellitur: *Quod ex Spiritus sancti reuelatione intelligitur, hoc prorsus obscurum est, ac proinde legi non debet: sed sacra scriptura absq; Spiritus sancti illuminatione non intelligitur: ergò prorsus obscura est, & legi non debet. Respondeo*, inquit Caluinista, *aut esse puras particulares, aut exclusiuam addendam esse medio termino, vt æquipolleat vniuersali, verbi gratia; Quod ex Spiritus sancti reuelatione tantùm intelligitur, hoc prorsus obscurũ est; sed scriptura, ex Spiritus sancti reuelatione tantùm intelligitur, ergò scriptura prorsus obscura est. Sed iam Minor falsa est. Licet enim scriptura, absq; spiritus reuelatione non intelligatur, tamen non per solam spiritus illuminationem intelligitur.*

Vbi nota primùm inscitiam, cum concedit in Maiore primi syllogismi illud non legi debere; quod ita obscurum est, vt non nisi per Spiritus sancti illuminationem intelligatur. Quis sanæ mentis dicit, hoc, quod ita obscurum est, legi nõ debere? Legi debet; sed ita; vt legenti adsit illuminatio sancti Spiritus. Aderit, si legat, vt Ecclesiæ Catholicæ filius & discipulus. Quod Minorem alterius syllogismi tam anxiè negat; eamque postea aliter atque aliter format & reformat; fumos vendit. Scimus scripturas non sola Spiritus sancti illuminatione intelligi; sed etiam Doctores & Pastores, in Ecclesia; & præterea proprium vniuscuiusque studium & laborem requiri; sed hoc etiam simul scimus; Spiritus sancti illuminationem & instructionem esse primam & principalem, & vt sic dicam, *originalem* caussam, cur verum scripturæ sensum assequamur. Quæ caussa si absit; vanũ & inane est; quidquid homo vel per se, vel per alios moliatur; in irritum omnis conatus recidit.

Deus non semper immediatè agit, inquit Caluinista, *aliquando enim per se ipsum, absq; mediis, hominem instruit, vt Moysen, Isaiam, Paulum, alios; aliquando cum mediis gratiam suam coniungit.* Hic video Swenckfeldianis, Anabaptistis, aliisque enthusiastis paratum latibulum; quibus solenne dicere; se immediatè à Deo instrui. Audi Caluinista. Constitutâ Ecclesiâ Deus homines per Doctores & Pastores, quos Ecclesiæ dedit; instituit; Hinc si quis prorepat; qui se hoc vel illud immediatè ex Spiritus sancti illuminatione accepisse dicat, licet Ecclesiæ receptis dogmatis & consuetudinibus repugnet, is vt impostor, à nobis exploditur; non vt Spiritus sancti organum honoratur: neque enim vlli quidquam immediatè reuelat Spiritus sanctus, quod doctrinæ tot annis ab Ecclesia receptæ sit contrarium; cum Spiritus sanctus sibi non sit contrarius.

A Ait Sibrandus cum VVitackero; *scripturam dupliciter posse cognosci; externo modo, & interno:* Per internum intelligunt id, quod supra ex VVitackero audiuimus; nempe certam & euidentem de salute sua certitudinem; quam *plerophoriam* vocant; quæ non est à Spiritu Dei; sed à genio Lutheri & Caluini; neque, vt verum scripturæ sensum habeam, oportet; vt fidem illam specialem Hæreticorum temere habeam; satis est; quod ab Ecclesia edoctus, firmissimè teneo; illam esse genuinam scripturæ sententiam, quam ab Ecclesia accepi. Adde siue quis externo; siue interno modo scripturam intelligat; non aliter eam, quàm Spiritus sancti beneficio verè intelligit; Omnis enim vera scripturæ
B intelligentia, siue externa, siue interna vocetur, à Spiritu sancto, tanquam à sacrarum litterarum auctore, profluit.

Mentitur Sibrandus; quando Bellarminum, quasi hunc in modum argumentari fingit. *Verbum Dei absque Spiritus sancti auxilio non sufficit ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam: ergo prorsus non sufficit; vel, quod idem est; ergo etiam cum Spiritus sancti illuminatione coniunctum non sufficit ad veram sententiam in controuersiis ostendendam.* Prima consequentia est quidem vera; non enim sufficit verbum Dei scriptum ad omnes omnino fidei quæstiones componendas & determinandas; sed non rectè colligitur ex illo an-
C tecedente; nam caussa, cur scriptura non sufficiat ad omnes omnino lites definiendas non est ista: quod sine auxilio Spiritus sancti nequeat intelligi; sed quia non omnia dogmata fidei continet; cum præter scriptum Dei verbum, exstet insuper non scriptum; vt libro quarto disputabimus. Sic & secunda consequentia vera est; sed ineptè ex antecedente colligitur; non enim ideo etiam cum Spiritus sancti ope non sufficit scriptura; quia absque Spiritus sancti ope non sufficit; sed ideo; quia non omnia dogmata expressè complectitur; Hinc Spiritus sanctus per scripturam sacram non plurium dogmatum veram & legitimam intelligentiam nobis largitur, quàm ipsa scriptura conti-
D neat: & per consequens, etiam cum Spiritus sancti auxilio non sufficit.

Secundò profert Bellarminus exemplum Domini; qui Lucæ vltimo interpretatus est scripturas discipulis, qui nouerant phrases Hebraicas, cum essent Hebræi; & nec *superbi*, nec *infideles*.

Respondet VVitackerus I. *Quis nostrûm vnquam scripturarum interpretationem sustulit? certè nemo. Nos enim omnes libenter fatemur, scripturas interpretatione egere.* Si nescis; Lutherus sustulit, cum scripturas luce lucidiores pronunciauit, vt supra vidimus; cumque Euangelia, etiam pueris, *propter claritatem*, nota esse posse affirmauit. Deinde

vos etiam sustulistis, & tollitis, saltem respectu eorum locorum, quæ tam clara esse contenditis, quasi radiis solaribus conscripta essent. Quid opus interprete eius rei; quæ claritate sua cum solis splendore contendit? Et tamen his tenebris vestris nihil absterritus; dico, etiam clarissimum scripturæ locum indigere Spiritus sancti interpretatione, ne à tenebrionibus in alienum sensum rapiatur.

Secundò respondet VVitackerus. *Fuerunt discipuli illi stupore quodam oppressi, ac perculsi eo tempore, & tardi, ac inepti ad aliquid intelligendum: adeò, vt non mirum sit, eos sine interpretatione scripturas intelligere non potuisse.* Bona verba, VVitackere. Si non religiosius; saltem vrbanius de Apostolis, aliisque Christi discipulis senti ac loquere; non enim tibi tantum iuris suppetere arbitror, quantum Christo; vt exclamare possis sine vlla temeritatis vel blasphemiæ nota: *O stulti & tardi corde ad credendum*, &c. Certè illis diebus; quibus in trepidatione ob metum Iudæorum versabantur. Hebraicam linguam non fuerant obliti; neque impij erant, aut scelerati; poterant ergo scripturas etiam ante Christi explicationem intelligere; si, vt Lutherus delirat; *res per verba sacrarum litterarum significatæ, sunt apertissimæ, facillimæ & clarissimæ*; quia verba Hebræa, vtpote Hebræi, optimè perspecta habebant. Et tamen alio magistro & Interprete opus habuerunt.

Tertiò respondet VVitackerus; *qui Grammaticum scripturæ sensum intelligunt, debent tamen audire scripturæ explicationem, vt melius intelligant.* Atqui secundum Lutherum, intellecto Grammatico sensu nulla superest amplius difficultas & obscuritas, cum omnis obscuritas proueniat ex paucis verbis non satis exploratis. Præterea, licet hoc locum haberet in iis, quæ hæretici concedunt esse obscura; non tamen locum haberet in iis, quæ dicunt ipsa solis luce lucidiora esse; quid enim opus vlla explicatione in iis, quæ magis per se lucent, quàm per vllam declarationem lucere queant? Quid necesse, soli lumen accendere?

Tertio loco profert Bellarminus Eunuchum Act. 8. *qui interrogatus à Philippo, num intelligeret, quod legebat; Quomodo possum*, inquit, *intelligere, nisi aliquis ostenderit mihi? ergo scripturæ, inquit Bellarminus, egent interpretatione.* Respondet VVitackerus. I. *Nos concedimus multa in scripturis obscura esse, atq; interpretatione egere: ergò, nihil contra nos concludit hic locus.* At Lutherus initiò hoc non concessit; neque alij Prædicantes Lutherani Euangelij musto an cereuisia? ebrij. Nam quod postea, animaduersa stultitiæ suæ perquam ridicula absurditate & vanitate, sententiã mutarunt; quid hoc ad nos? An ideo quod prius docuerant, & ingenti clamore venditarant; non docuerunt, aut mundo obtruserunt?

Secundò respondet VVitackerus; *Etsi Eunuchus ille pius fuit, & scripturarum admodum studiosus, fuit*

A *tamen imperitus & minus exercitatus in scripturis.* Fortè ideo, quia scripturas in Caluini schola non didicerat. Dolendum hanc felicitatem Eunucho illi non obtigisse, vt ex Commentario Oecolampadij, aut Zvvinglij, aut alterius sectarij veram Isaiæ & aliarum scripturarum intelligentiam assequeretur; quæ tamen felicitas VVitackero, bono sidere, obuenit. Sed quare imperitus Eunuchus? *Quia interrogauit Philippum, num Propheta de se, an de alio loqueretur.* Quis neget hoc grande imperitiæ argumentum esse? Nullus enim Prophetarum quidquam de se, suisque rebus prædicere & vaticinari solet, neque in tertia persona de se loqui; ita vt solis luce clarius fuerit, Isaiam non de se, sed de alio Propheta vaticinatum esse, vt

B proinde insignis inscitiæ index fuerit illa quæstio; num Propheta de se, an de alio canat. Quis non detestetur hanc Caluinisticam vanitatem; quæ per se clara facit; quæ absque Interpretationis luce non magis clarescunt; quàm aër absente sole. Seposita enim Ecclesiæ certa & infallibili explicatione; nullum penitus est verbulum in toto capite quinquagesimo tertio Isaiæ; in quo legendo Eunuchus occupabatur, quando Philippus ad currum se adiunxit, quod aliquis pertinax non queat ad ipsum Prophetam vel referre vel torquere; sicut etiam nullum est in sacro illo contextu verbum, quod Iudæi non alio, quàm ad Saluatorẽ nostrum transferant; & hoc ideo; quia veræ interpretationis à Spiritu sancto tra-

C ditæ & per Ecclesiam nobis explicatæ nullam rationem habent. Hoc ipso quod tam sedulus scripturæ lector hanc quæstionem proposuit, satis apparet; caput illud per se non esse tam clarum, vt statim verus sensus in omnium oculos incurrat. Hinc & S. Hieronymus Epist. ad Paulinum dicit; Christum *latuisse* in illa scripturæ littera *clausum.* Aperiri igitur & pandi debuit interpretationis claui.

Ad hæc duo scripturæ loca eodem ferè modo respondet Sibrandus, VVitackeri expilator. Illud lepidum, quod ait; *Eunuchum fuisse Laicum*: Quid inde? An non ex sententia Lutheri; *viri*, iudicio tuo, *sanctissimi*, etiã *Laicis* scriptura est apertissima & facillima? Quî ergo factum; vt laicus

D iste difficultatem sentiret; seque sine Interpretis opera Isaiam intelligere posse negaret? An non tu supra dixisti, etiam laicis scripturam legentibus, illuminationem sancti Spiritus promissam esse? Quare defuit huic, aut certè non adfuit nisi per Interpretem, eumque non qualemcunque, sed viuum & spirantem? At *Eunuchus legebat scripturam in via*: Quasi verò non liceat scripturam tam accuratè euoluere & perpendere in via, quã in Muséo aut Bibliotheca. Adde ex hoc perspicuè colligi, quàm studiosus lector & indagator scripturarum Eunuchus iste fuerit; Si enim ne in via quidem & in curru considens, à lectione sacrarum litterarum abstinuit; facile est coniecturam facere, eum domi quoque di-

Digitized by Google

ligentem operam scripturis lectitandis impendisse.

Fatetur tandem Savvbrandus, *interpretationem scripturæ esse in Ecclesia necessariam.* Non est igitur tota scriptura *facillima, apertissima, clarissima*, vt delirat Lutherus; & vt idem stultescit, *omnis prorsus obscuritatis expers*, excepta illa; quæ ex pauculis quibusdam verbis existit. Quid opus facillima, clarissima, & apertissima interpretari? Quæro ex Caluinista; an putet etiam necessariam esse interpretationem respectu eorum; quæ ipsi iam existimant in scripturis esse lucidissima; cuiusmodi sunt illa dogmata vt aiunt, quæ ab omnibus explicatè sciri debent? Certè si hæc talia in sita & natiua luce lucent; nulla requiritur explicatio. Et tamen quot videmus Prædicantium commentarios super symbolum Apostolorum, & in Articulos adeo claros, ac si, vt loquitur Hunnius, *solaribus radiis* conscripti forent.

Iam Sibrandus, more suo, incipit texere syllogismos; à mente Bellarmini hoc loco alienissimos; quos tamen suis venum exponit, quasi ex intimo Bellarmini sensu confectos. *Quod absque interpretatione intelligi non potest, hoc est adeò obscurum, vt Laici in eo legendo frustra laborent. Sed scriptura, absq; interpretatione intelligi non potest. Ergo scriptura est adeò obscura, vt à Laicis legendo cognosci non possit.* Respondeo, inquit Caluinista; *Maiorem esse falsam*; Et tamen verissima est; si intelligatur, vt debet; nam quod absque interpretatione non intelligitur, id adeo obscurum est, vt & laici, & non laici frustra in eo legendo laborent; si interpretem & Interpretationem non adhibeant; vt si lingua Persica à me absque Interprete non intelligitur; ea mihi adeo obscura est; vt frustra in ea legenda laborem, si interpretationem non adhibeam. Minor verissima est; vt & conclusio; si, vt debet, sensus sit, scripturam adeo esse obscuram, vt nec à laicis, neque ab aliis sine Interpretatione cognosci queat: operamque & impensam perdi; si quis aut suo, aut alterius priuato studio, veram scripturarum intelligentiam consequi nitatur; spretâ Ecclesiæ scripturas publicè, certò & infallibiliter nobis explicantis voce & auctoritate.

Accipe alium syllogismum: *Quod absq; interpretatione intelligi nequit, hoc adeò obscurum est, vt vera sententia, in rebus controuersis, ex eo colligi nequeat. Sed verbum Dei absq; interpretatione intelligi non potest. Ergò, verbum Dei adeò obscurum est, vt vera sententia, in rebus controuersis, ex eo colligi nequeat.* Respondeo vt supra; Maiorem esse veram, si intelligatur exclusa interpretatione: Verissimum est enim id, quod absque interpretatione intelligi nequit, adeo obscurum esse, vt vera sententia in rebus controuersis ex eo colligi nequeat; si non accedat interpretatio: Posita autem; si accedat interpretatio; Minor vera est; vt & conclusio, si ad illam applicet quis distinctionem in *Maiore* datam. Num verbum Dei verè tam est obscurum, vt nisi publica Ecclesiæ auctoritas & interpretatio accedat, minimè vera sententia in rebus controuersis ex eo colligi queat.

Quartò producit Bellarminus ex scriptura locum illum 2. Petri vlt. vbi asserit B. Petrus, in Epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu, quę instabiles & indocti deprauent. Respondet VVitackerus. I. *Nos concedimus nonnulla loca esse δυσνόητα, ergo locus iste non facit contra nos.* At id, quod tu concedis, non concessit Lutherus; qui nullam penitus difficultatem vel obscuritatem in scriptura agnouit, nisi *verbalem*, vt sic dicam; eamque raram & modicam.

II. Respondet VVitackerus. *Petrus non ait πάντα, sed τινὰ tantum δυσνόητα esse; & quid si quædam obscura sint? At sequitur partem maximam manifestam & facilem esse.* At Lutherus ne *aliqua* quidem in scripturis difficilia agnouit; sed *omnia* cognitu prona & facilia statuit. Deinde sanctus Petrus nonnulla, quæ insignem obscuritatem continerent, insinuare voluit, interim nequaquam negauit alia item esse difficilia; & nulli absque certa interpretatione peruia; etsi minoribus tenebris obsita quàm alia. Accedit; quòd non admodum firma est hæc consequentia; *Quædam in Aristotele sunt difficilia; ergo reliqua sunt clara & perspicua*; nam qui asserit aliqua in Aristotele esse difficilia, is minimè asserit; reliqua omnia difficultatis esse expertia, & nullius Interpretis indiga; sed quædam præ aliis difficultate sepiri & circumuallari, ita vt comparatione illorum alia quodammodo sint clara & perspicua. Eadem est ratio in proposito.

III. Respondet VVitackerus; *Etsi Petrus in homines ἀμαθεῖς καὶ ἀστηρίκτους, indoctos, atq; instabiles, in uehitur, qui scripturas στρεβλοῦσι detorquent; non tamen arcet eos omninò à lectione scripturarum.* Verum etsi Petrus in *actu signato*, vt dialectici loquuntur, *indoctos* & *instabiles* non arcet à scripturarum lectione, satis tamen illos inde arcet, in *actu exercito*; hoc ipso enim, quod scribit *indoctos* istos & *instabiles* detorquere & deprauare scripturas ad suã ipsorum perniciem; tacitè omnes *indoctos* & *instabiles* monet vt aliorum exemplo edocti, à scripturis abstineant, ne & ipsi idem, quod alij, ad suam ipsorum perniciem agant.

IV. Respondet VVitackerus; *Non dicit Petrus Paulinas Epistolas obscuras esse, imò ne quidem in Paulinis Epistolis esse quædam obscura; sed in iis rebus, de quibus ipse in Epistolis suis scribit.* Hanc solutionem sublegit VVitackerus ex Kemnitio, quam inprimis accipio; & inde concludo, mentiri Lutherum, quando dicit; *in rebus scripturæ nullam penitus esse difficultatem, omnes esse faciles, planas, apertas*; En S. Petrus, interpretibus Hæreticis manifestè cõtrarium scribit; & multas res, de quibus Epistolæ Paulinæ disserunt; testatur esse difficiles & obscuras. Deinde, si, vt sectarij concedunt; res per scripturã significatæ sunt difficiles, & obscuræ; ergo ipsa etiam scriptura, vt scriptura pro

stylo

ſtylo & charactere, & pro ſigno rerum ſignificatarum *formaliter* ſumitur; obſcura eſt; fieri enim nequit; vt oratio, quę res difficiles ſignificat; non ſit etiam difficilis, prout ordinem & habitudinem ad res illas habet. Etſi autem non ignoro; res difficiles verbis claris & perſpicuis explicari poſſe; tamen illa ipſa verba alioqui per ſe clara & perſpicua; fiũt difficilia & obſcura; prout illis hæ vel illæ res difficiles ſubſternuntur: exẽpli gratia. Orationes iſtæ; *Verbum Caro factum eſt; Hoc eſt corpus meum, In principio creauit Deus cælum & terram, &c.* Si verba per ſe ſpectemus, planæ ſunt, perſpicuæ, dilucidæ; at ſi conſideremus has orationes cum habitudine ad rem ſignificatã; difficillimæ ſunt & obſcuriſsimæ propter profunditatem myſteriorum, quæ ſignificant: quod teſtantur tot ſententiæ & tot controuerſię de Incarnatione Chriſti Domini, de Euchariſtia, & de creatione rerum exortæ.

Vt ergo ad inſtitutum redeamus, licet ſanctus Petrus de materia Paulinis epiſtolis ſubiecta locutus fuiſſet; tamen hæc difficultas & obſcuritas neceſſariò etiam redundaret ad verba; vt ex allatis exemplis planum: prout verba ſunt ſigna rerum; reſque ipſis etiam verbis appellationem tribuunt.

Ad extremum, diuum Petrum loqui etiam de ipſa ſcriptura, ſeu de ſignis rerum, inde patet; quia dicit, vt cæteras ſcripturas, ita etiam ea, quæ Paulus ſcripſit, ab *indoctis & inſtabilibus* deprauari ſeu detorqueri; at ſcripturæ deprauantur & detorquentur præcipuè ſecundum verba; dum illis alius hunc, alius alium ſenſum ſubiicit; & modò huc, modò illuc rapit: res propriè non deprauantur vel detorquentur; ſed ſigna rerum, hoc eſt, ipſa ſcriptura.

Savvbrandus ex allegato D. Petri teſtimonio hunc ſyllogiſmum architectatur. *Quæ abſolutè difficilia ſunt, ea opus habent interpretatione: ſed quædam in ſcriptura abſolutè difficilia ſunt; ergò, quædam in ſcriptura opus habent explicatione. Reſpondeo,* inquit Caluiniſta; *totum argumentum à nobis concedi: non enim excludimus interpretandi munus ex Eccleſia.* Verbis quidem non excluditis, at reipſa excluditis, eos enim Interpretes ſtatuitis, qui & falli & fallere in interpretando poſſunt; & quibus abſque formidine fidem nunquam habere queas. Mentitur Caluiniſta, cum ait; Bellarminum, ex hoc, quod ſanctus Petrus dicit, in epiſtolis Paulinis quædam eſſe difficilia; inferre velle; *ergo omnia in ſcripturis ſunt difficilia*; non ita deſipit Bellarminus; ſed Nouator talia deliramenta Bellarmino affingit; vt habeat figmenta, quibus refutãdis & chartam & tempus, & otium tam ſuum, quàm lectorum perdere valeat. Aliunde, mi homo, colligitur ſcripturæ obſcuritas; non præciſè ex hoc, quia B. Petrus dixit; *Quædam in Paulinis epiſtolis eſſe difficilia.*

Quod idem Caluiniſta negat, hanc conſequentiam eſſe bonam: *Quædam in ſcriptura ſunt dif-* A *ficilia; ergo ipſa ſcriptura* (quoad quædam) *eſt difficilis,* id opinor, nunquam feciſſet; ſi bona mentis ſanitate præditus fuiſſet; ſi enim res ſunt difficiles; fieri non poteſt; vt ſigna quibus explicantur, nõ ſint difficilia, prout ſunt talium difficultatibus implicatarum rerum ſymbola; ſiue alioqui per ſe loquendo ſint clara & perſpicua; ſiue non. Vt de Savvbrandica ſanitate meritò dubitemus; id etiam argumento eſt; quòd ait; prædictam conſecutionem eſſe huic ſimilem. *Quidam in mari ſunt piſces; ergo ipſum mare eſt piſcis.*

Eſt & iſte ſyllogiſmus malè affecti cerebri euidens indicium. *Quod abſolutè difficile eſt, hoc adeò obſcurum eſt, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex eo* B *erui non poſſit: ſed quædam in ſacra ſcriptura abſolutè difficilia ſunt. Ergò, tota ſcriptura adeò obſcura eſt, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex ea erui non poſſit.* Quis integri ſenſus ita aut argumentatur; aut alios, quibus mens non mota loco, argumentari dicit? Et tamen iſte tales ſyllogiſmos vbique cudit, recudit, format, reformat; exſtruit, & mox iterum deſtruit; quaſi eſſent ſyllogiſmi Bellarmini & aliorum Catholicorum, cum ſint phantaſmata Caluiniſtica, ex ſolida & ſtolida ignorantia procreata.

Secundum Bellarmini argumentum deſumitur à communi conſenſu veterum patrum, è quibus octo adducit, Irenæum, Origenem, Ruffinum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, C Auguſtinum, Gregorium. *Qui ſanè omnes doctiſsimi Patres,* inquit VVitackerus, *à nobis prætermitti poſſunt*: quia nihil planè aſſerunt, *quod contra nos faciat: Vel enim dicunt, obſcura eſſe quædam in ſcripturis; vel ſine interna luce ſpiritus, ſcripturas non rectè à nobis intelligi poſſe, vt oportet: quorum vtrumque concedimus.* At Patres iſti non tantum hoc dicunt; ſed & ſcripturas ſine Eccleſiæ magiſterio, & interpretatione non poſſe intelligi; *ſcripturas* inquam *totas*: non tantum hanc vel illam partem. Num & hoc conceditis? Admittitis quidem in Eccleſia donum Interpretationis, ſed quale hoc ſit; nec vos ignoratis, neque nos latet. Taceo, Patres à Bellarmino productos omnes *directè* aduerſari illi delirio Lutheri, cum dixit; *in ſcripturis ratione* D *rerum nullam penitus ſupereſſe difficultatem vel obſcuritatem.* Contra quod opinionis monſtrum Bellarminus præcipuè omnia ſua tela dirigit.

Primus ex Patribus adductus eſt Irenæus. Is in lib. 2. contra hæreſes cap. 47. cum oſtendiſſet multa eſſe, etiam in creaturis ipſis, obſcura, ac difficilia, &c. ad extremum iſta ad ſcripturas accommodat. Reſpondeo, inquit VVitackerus, *nihil dici verius potuit: nemo enim vnquam aſſecutus eſt omnia, quæ in ſcripturis tradita ſunt.* At inprimis Lutherus in ſcriptura omnia poſuit *planiſſima, apertiſſima, faciliima*; quomodo igitur concordat cum Irenæo, qui dicit, nonnulla adeo eſſe abſtruſa, vt eorum in hac vita cognitio Deo ſit commendanda? Deinde cum ſanctus Irenæus

totam ſcripturam dicat eſſe *ſpiritualem*; an non indicat totam ſcripturam, & non tantum aliquã eius partem, requirere ſpiritualem Interpretem; quia requirit ſibi ſimilem; cum *animalis homo* ita ſit comparatus, vt non tantum ſpiritualia non percipiat; ſed neque explanare queat. Dicit VVitackerus; ſe hoc non inficiari; ſi non inficiatur; concedat ergo Bellarmino, ſcripturam, etiam adæquatè ſumptam, non eſſe ex ſe tam claram & perſpicuam, vt ſine interprete & interpretatione ad controuerſias fidei terminandas ſufficiat.

Secundum teſtimonium eſt Origenis, qui in homil 12. in Exod. ait, non tantùm in ſcripturis adhibendum eſſe ſtudium, ſed & preces etiam die ac nocte fundendas eſſe, vt veniat Agnus de tribu Iuda, & aperiat nobis librum ſignatum. Reſpondet VVitackerus. *Nos & ſtudium, ac diligentiam in ſcripturis legendis requiri, & preces etiam aſsiduas neceſſarias eſſe dicimus.* Si hoc ſerio, & ex animo dicitis; falſum eſt ergò, quod aſſeritis, ſcripturas vel totas eſſe *lucidiſsimas*, vel ſaltem quoad multas eius partes; ita vt interprete non egeat; ſed ipſa ſit ſuiipſius interpres. Si hoc ita eſt; quid opus precibus? Quid ſtudio, & labore? cum liber ſcripturæ non ſit vobis *liber ſignatus*; ſed *apertus*; vel totus, vel ſaltem in iis, quæ omnibus ſcitu, & explicitè creditu neceſſaria ſunt: nam ſi in cæteris ſtudio & labore, precibuſque opus eſt; non igitur ſuapte luce ita cætera lucent; vt vltrò in omnium oculos incurrant. Obſcura ergo ſunt; ergo eruenda per Interpretem; eumque fidum ac certum, decipique & decipere neſcium.

Tertius à Bellarmino prolatus eſt Ruffinus. Is lib. 11. Hiſt. cap 9. ſcribit, Baſilium ac Nazianzenum, ambos Athenis eruditos eſſe, ambos collegas per aliquot annos fuiſſe, remotis Philoſophorum libris in ſcripturas ſummo ſtudio incubuiſſe, atq; in illis totos fuiſſe, eaſq; didiciſſe ex Patrum ſcriptis, & authoritate, non ex ſua præſumptione. Reſpondet VVitackerus; *Hos eximios viros tantam operam poſuiſſe, tantamq; diligentiam in ſtudio ſcripturarum, vt non mediocrem aliquam, & vulgarem ſcientiam conſequerentur, ſed vt accuratè ſcripturas intelligerent, atque ad alios docendos apti euaderent. Eiuſmodi ſtudium, ac diligentia ab iis omnibus adhiberi debet, qui Paſtorum, ac Doctorum munere, in Eccleſia fungi volunt. Quales fuêre Baſilius, & Nazianzenus: at, in populo tantus labor nõ neceſſariò requiritur. Sufficit enim iis, vt articulos fidei, & ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, intelligant, rectèq; teneant.* Quid hæc omnia ad rem VVitackere? Non igitur quantum ſtudij & operæ ſcripturis euoluendis impendere debeat ille; qui paſtor & populi præſes futurus eſt; quantumque ille; qui in vulgi ſorte manſurus; hæc eſt quæſtio; vtrum ex hoc tanto ſanctiſsimorũ virorum Baſilij & Gregorij ſtudio & labore; non colligatur rectè; ſcripturas eſſe obſcuras & abſtruſas; non faciles, planas, liquidas, & ſole clariores, vt vociferatur Lutherus? Cur ad hoc nihil reſpondes? Cur extra oleas vagaris? Mirum dictu, tanta illa ingenia tantum laboris exantlaſſe in rebus; iudicio Lu-
A theri; *apertiſsimis & facillimis*; cum nec *ſuperbi*, nec *infideles*, neque *cæci*, neque *ſocordes*, neque *profani Sophiſtæ* eſſent; quibus omnibus ait Lutherus ſcripturas, quamuis per ſe clariſsimas & limpidiſsimas, eſſe caliginoſas & tenebricoſas.

Quartus eſt Chryſoſtomus: *Is homil. 40. in 5. cap. Euangel. ſecundum Ioan. in hæc verba; ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. ait opus eſſe magno labore, ac ſumma diligentia in diuinis ſcripturis, & oportere nos profundius effodere, ac ſcrutari, & inueſtigare diligenter, vt, quæ altè abdita deliteſcunt, inuenire poſsimus. Non enim rem, inquit, in ſuperficie, & in promptu poſitam effodimus, ſed quæ tanquã theſaurus profundè reconditur.* Reſpondet VVitackerus: *Hæc non probãt ſcripturas ita obſcuras eſſe, vt eas laici legere non debeant.* Quid tibi iam cum Laicis,
B Caluiniſta? Non diſputamus hic, vtrum ſcripturæ legi à laicis poſsint aut debeant: ſed vtrũ ſcripturæ ita ſint obſcuræ, vt egeant interprete; an ita claræ, vt nullo interprete opus habeant. Obſcuras eſſe; & interprete egere; teſtatur Chryſoſtomus hoc ipſo quod ait; ſcripturæ ſenſum non eſſe in ſuperficie, & in promptu poſitum; ſed latere; & eruendum & quaſi effodiendũ eſſe. Quis eruet? Quis effodiet? Num tu ſolus, tuo labore & iudicio? Minimè verò, nam ſi id tentes, pro theſauro & auro erues & effodies carbones. Opus igitur eſt fido, vero & veraci ductore & inſtructore; cuius filo ductus ad veritatem peruenias.

Quintus eſt D. Ambroſius, *in epiſt. 44. ad Con-*
C *ſtantium Epiſcopum. vbi hæc verba reperiuntur: Mare eſt ſcriptura diuina, habẽs in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introierunt flumina.* Reſpondet VVitackerus: *Fatemur libenter cum Ambroſio, multos eſſe obſcuros in ſcriptura ſenſus, & mari ſimilem eſſe ſcripturam.* Hoc non eſt faſſus Lutherus; qui in ſcriptura nullam profunditatem, hoc eſt, obſcuritatem, agnouit, niſi in pauculis verbis ſitam; neque vos vbique ſcripturam *mare* eſſe creditis; ſed alicubi tantum. Huc enim tendunt illa VVitackeriana: *Idem Ambroſius præterea ait, ſtatim eòdem in loco, eſſe in ſcripturis fluuios etiam dulces, atq; perſpicuos, & fontes niueos, qui ſaliant in vitam æternam. Sic fluuiis etiam ſcripturam comparat: ſunt in ſcripturis, vt in mari, profunda multa, fateor: ſed*
D *tamen paulò poſt ipſe Ambroſius: Diuerſa, inquit, ſunt ſcripturarum fluenta. Habes, quod primum bibas; habes, quod ſecundum; habes quod poſtremum.* Hæc ex Ambroſio Caluiniſta. Ex quo libenter intelligerem; vtrum verba illa: *Hoc eſt corpus meum; Verbum caro factum eſt;* ſint fluuius, an profundum mare? Mihi profectò non modo mare, ſed & profundiſsimum mare videntur; in quo tot millia quotidie miſerãdum in modum, naufragiis factis, intereunt. Et tamen hæretici hęc inter clariſsima & liquidiſsima ſcripturæ loca numerant; quippe ab omnibus ſcienda, & explicitè credenda. Deinde an non in fluuiis etiam ſunt vortices & voragines? An non ſæpe altiſsima profunditas? Sit alius ſcripturæ locus alio profundior. Quid inde? Quandiu pro-

fundus

fundus erit; duce; qui te per illam profunditatem illæsum ducat, opus habebis.

Sextò profert Bellarminus diuum Hieronymum; qui passim docet in scripturarum intelligentia doctoribus & ductoribus opus esse; maxime præfat. Comment. in epistolã ad Ephesios, & in epistola ad Algasiam Q. 8. Respondet VVitackerus: *nos hæc omnia libenter agnoscimus.* Si libenter agnoscitis, desinite tergiuersari; & inprimis Luthero os obstruite, vociferanti, nullam penitus in scripturis difficultatem & obscuritatem superesse. Deinde vobismetipsis etiam os obturate; quando quædam; præsertim dogmata fidei, lucidissima esse contenditis, vt nullo interprete egeant. Quæso, an non te quoque annuente, B complectuntur verba illa: *Hoc est corpus meum:* dogma aliquod fidei, omnibus scitu & explicitè creditu necessarium? An hoc dogma in Caluini schola ita pellucidum est, vt nullum penitus Interpretem desideret; sed se fulgore suo derepente in audientium animos insinuet; sicut illa; quæ à Philosophis vocantur, *prima & generalissima principia?* An non integra propemodum librorum & commentariorum & explicationum plaustra super his quatuor vocabulis à Caluinis confecta sunt? Quam ob rem, nisi quia tenebris inuoluta sunt?

Addit VVitackerus: *Interea non sequitur, ita esse omnia in scripturis obscura, vt laici eas attingere non debeant.* Iterum somniat de Laicis. Nihil hic Bellarminus de Laicis; sed tantùm, vtrum scripturæ sint obscuræ, sic vt interpretem desiderent. Hoc solum ex D. Hieronymo probare instituit: cum laicis & de laicis hic nulla prorsus est disceptatio, quos isti immiscent, eo duntaxat fine, vt omnia confundant, & ordinatissimam Bellarmini seriem interrumpant.

Septimò profert Bellarminus ex diuo Augustino quatuor testimonia: *Primum ex secundo libro de doctrina Christiana capite sexto, vbi Augustinus docet, vtilem esse scripturæ obscuritatem ad edomandam superbiam nostram, & ad intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerunque vilescunt.* Respondeo, inquit VVitackerus; *Augustinus eodem capite ait, Spiritum sanctum fami nostræ occurrere in locis apertioribus, & nihil ferè ex obscurioribus illis locis erui, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Huic obiectioni occurrit Bellarminus capite sequenti. Cur responsum Bellarmini non refellit VVitackerus; antequam hunc D. Augustini locum nobis obiectaret? Hic nihil aliud dico; quàm quod Catholici responderunt Lutheranis in nupero Colloquio Ratisbonensi sess. 8. *Notanter dixisse Augustinum Ferè. Itaq; manent adhuc quædam obscura, alibi in scripturis non declarata. Deinde, hoc ipsum ignoratur, quænam sint illa loca clara, per quæ obscuriora alia declarentur. Vnde manet adhuc summa difficultas intelligendi scripturam, etiam in illis locis, quæ clara videntur, vt patet exemplo Lutheranorum, & Caluinistarum, quorum illi clara censent hæc verba: Hoc est corpus meum, & per hæc alia obscuriora declaranda: isti verò obscura censent, & per alia loca scripturæ clariora explicanda, &c.*

A

Addo sanctum Augustinum hoc loco agere de figurata & propria oratione. Ea igitur, quæ obscurius tradi docet vno loco per tropos & metaphoricas loquẽdi rationes, alibi *Ferè* apertis, hoc est, non *tropicis*, non *figuratis & ænigmaticis* explicari scribit; quæ respectu sermonis tropici & ænigmatici aperta sunt; imò & *apertissima*; si tantum spectentur, vt sunt verba propria; nullisque metaphoris inuoluta: etsi adhuc obscura esse queunt, prout sunt signa rerum tam abstrusarum & à cognitione humana remotarum: sic quod capite nono eiusdem libri dicit; *in iis, quæ apertè in scriptura posita sunt, inueniri illa omnia, quæ continent fidem moresque viuendi, spem scilicet atque charitatem;* minimè vult, omnia, quæ etiam simplicioribus scitu & explicitè creditu necessaria sunt, ita tradi, vt nullis planè difficultatibus & tenebris obsepta sint; sed hoc dicit; ea, quæ talia sunt; vt præcepta credendi, sperandi & diligendi; tradi in scripturis verbis non tropicis & ænigmaticis; sed propriis, claris, apertis; ita vt verba aperta figuratis opponat. Hæc tamen aperta verba minimè remouent à scriptura omnem obscuritatem; vt patet quoque hodierna experientia; vbi de præceptis viuendi, hoc est, de fide, C spe, & charitate acerrimè disputatur. Qua de caussa, nisi quia nebulis & obscuritatibus circumuallata sunt?

Secundum Augustini testimonium sumitur ex duodecimo libro Confess. capite decimo quarto, vbi Augustinus ait, miram esse diuinorum eloquiorum profunditatem. Fatemur hoc esse verissimum in multis sanè locis, inquit VVitackerus. At hoc non fassus est auus tuus Lutherus; qui nullam reliquit in scripturis profunditatem, nisi *verbalem*; quam ipse ex suo cerebro extuderat.

D Addit VVitackerus: *Quemadmodum quidam loci eiusmodi sunt, vt in iis elephas natare possit: ita alij tam expediti, plani, minimeque præcipites, aut periculosi, vt agnus facile possit quasi vado pertransire.* Concedo de Agno; qui non transit nisi in Petri Nauicula. At de hædo, vel hirco Lutherano, vel Caluiniano, vehementer dubito; quia cum *stirpea rate* natet; hoc est; proprio iudicio feratur; nullus locus tam facilis & expeditus est, in quo vel reipsa non faciat naufragium, vel à naufragij periculo non longe distet.

Tertium testimonium sumitur ex epist. 3. D. Augustini ad Volusianum, vbi Augustinus ait, tantam esse Christianarum literarũ profunditatem, vt in iis quotidie proficiat aliquis, si eas solas ab ineunte pueritia, vsq; ad decre-

pitam

Digitized by Google

pitam senectutem maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conaretur addiscere. *Respondeo*, inquit VVitackerus; *hic Iesuita perfidiam suam insignem, ac fraudem planè singularem prodit.* Quam ob rem? *Quia statim subsequuntur verba, quæ ille omisit; Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta perueniatur difficultate.* O insignem calumniatorem VVitackerum, qui omissionem horum verborũ Bellarmino dat crimini, quasi ea per fraudem præteriisset; cum adeo Bellarminianæ caussæ nihil obsint, vt etiam plurimum prosint. Nam ad ea; quæ omnibus scitu & explicitè creditu necessaria sunt, ait D. Augustinus non perueniri tanta difficultate, quanta peruenitur ad quædam alia. Si non tanta; ergo saltem aliqua. Si aliquâ; ergo etiam illa, quæ omnibus scitu & creditu necessaria sunt, non carent omni difficultate; vt isti delirant, quia, ex Augustini sententia, non peruenitur ad illa sine difficultate; etsi non cum tanta, quantâ peruenitur ad alia nonnulla.

Quanto rectius nos fraudis & perfidiæ accusaremus VVitackerum, qui hæc Augustini verba citans dissimulauit sequentia; quæ vel sola omnibus Hæreticis, præsertim Luthero; gulam elidunt. Subdit enim: *Sed cum quisq; ibi fidem tenuerit, sine qua piè, rectèq; non viuitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant; tantaq; non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimisq; cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura hoc loco habet; cum consummauerit homo, tunc incipit.* Hæc ibi S. Augustinus; quæ non euertuntur per hoc, quòd, vt VVitackerus oggerit, Augustinus in eadem epistola dicit, *Scripturam, tanquam amicum familiarem, sine fuco loqui ad cor, non doctorum tantum, sed & indoctorum, eaque, quæ mysteriis occultat, non eloquio superbo erigere*; nam his & aliis verbis nihil aliud vult S. Augustinus; quàm scripturam simplici & obuio dicẽdi genere contextam esse; non sublimi, elato, magnifico, flosculisque eloquentiæ exornato; sed plano, æquabili, humili; quod facilitate sua omnes ad se inuitet; neminem absterreat; tametsi grandia mysteria occultet ac celet; lectoresque non modò *manifesta veritate pascat*; sed etiam *secreta veritate exerceat*. Vbi *manifesta veritas* comparatè nominatur illa; quæ non tam abdita est; quàm alia: & ad quã, vt S. Augustinus loquitur, non tanta difficultate peruenitur, quanta ad aliam vel alias; etsi non sine difficultate eò peruenitur. Sic intelligi debent in eadem epistola, loca scripturæ *prompta & recondita*; *aperta & operta*; quia omnia humanum quidem captum superant; & sic intellectu difficilia sunt; sed quia alia aliis magis captum nostrum superant; fit, vt quædam dicantur aperta; quædam operta, quædam manifesta; quædam recondita. Et quo, nisi vulpino & fallaci animo, præteriit VVitackerus illa S. Augustini verba de modo dicendi, seu phrasi scripturæ; cum ait esse

A *omnibus accessibilem, paucissimis penetrabilem.* Ergo difficilis est. Quia facilia facilè penetrantur ab omnibus.

Quartum Augustini testimonium habetur epist. 119. cap. 21. In scripturis multò nescio plura, quàm scio. Respondeo, inquit VVitackerus, *hanc omnium veram, atque ingenuam confessionem esse oportet, vt se à perfectione scientiæ longissimè abesse fateantur: tamen, quæ sunt necessaria, Augustinus & sibi nota esse profitetur, & facilè intelligi posse concedit.* Quid opus hac confessione, si, vt Lutherus dicit, nihil difficultatis & obscuritatis inest in scripturis, quod ad rem significatam attinet; nam vt quis plura verba in scripturis sibi ignota confiteatur, quàm nota; in quibus solis agnouit Lutherus difficultatem & caliginem; id,
B nisi fallor, stulta confessio est, profecta ab homine Latinæ linguæ gnaro; aut Germanicæ, si de Germanicorum Bibliorum lectore agatur.

Quæ necessaria sunt, inquit VVitackerus, *ea Augustinus sibi nota esse profitetur; & facilè intelligi posse concedit.* Atqui omnia, quæ in Bibliis traduntur certo quodam modo & sensu omnibus ad salutem necessaria sunt, vt supra dictum. Deinde Augustinus proculdubio nota habuit communia fidei dogmata. Num ideo omni difficultate carent? Idem doctissimus Antistes abstrusissima quæque scripturæ loca probè intellexit. Num ideo sequitur; ea omni difficultate carere? Communia facilè concedit intelligi posse facilè, id
C est, vt ipsemet explicat, non cum tanta difficultate, cum quanta alia magis abdita. Facilè, sed in Ecclesiæ schola. Facilè; sed Ecclesiâ facem præferente.

Octauum testimonium à Bellarmino adductum, est S. Gregorij Homil. 6. in Ezechielem; vbi multa de obscuritate scripturarũ scribit; & caussas reddit; cur Deus scripturas voluerit esse caligine inuolutas. Respondet VVitackerus: *Dici nihil verius potuit.* Si hoc nihil verius dici potuit, nihil ergò falsius dici potuit; quàm quod dixit Lutherus, totam scripturam esse *facillimam, apertissimam, clarissimam*: quia hoc disertè negat S. Gregorius, & cum illo veritas. *At Gregorius non dicit omnia in scripturis obscura esse; Ait enim; In quibusdam locis ob-*
D *scurioribus: Ergò, non omnia, sed quædam in scripturis obscura sunt, si credimus Gregorio.* Respondeo, non omnia obscura esse in eodem obscuritatis gradu; quia quædam adeo obscura sunt; vt alia respectu eorum non censeantur obscura, sed aperta; licet ipsa etiam adeo obscura sint; vt certo Interprete egeant; & in hoc genere numerari debent plerique articuli fidei; qui & alio nomine *clari* appellari silent; quia claris, perspicuis, & paucis verbis traduntur & circumscribuntur; & communes generalesque eorum notiones facilè concipiuntur & apprehenduntur; etiam à rudibus; licet si quis vlterius progredi velit; omnia summis difficultatibus & obscuritatibus impedita inueniat.

Nunc

A Nunc ad Savvbrandum; qui ex testimoniis Patrum à Bellarmino adductis *stultissimos & insipientissimos* syllogismos fabricat; eosque quasi ex Bellarmini officina profectos venditat. Ex testimonio Irenæi hunc phantasticum syllogismum struit. *In quo quædam cognoscimus, quædam ignoramus, hoc totum est obscurum. Sed in scriptura quædam cognoscimus, quædam ignoramus: ergò, tota scriptura est obscura. Respondeo*, inquit Caluinista, *maiorem esse falsam*. Cum quo aduersario pugnas Sibrande? An cum Bellarmino? Vbi Bellarminus inanissimum hūc syllogismum proposuit? Non Bellarminum, sed tua phantasmata oppugnas. Nam ex testimonio Irenæi, nihil aliud colligere voluit Bellarminus; quàm scripturas esse obscuras; contrà ac delirauit Lutherus; qui totas docuit esse apertissimas B & lucidissimas. Neque dixit Irenæus quædam in scripturis esse clara; quędam obscura; sed quorūdam in scripturis nos cognitionem consequi; quorundam non consequi. Num ideo ea, quorū in scripturis cognitionē assequimur, clara sunt; obscura illa sola, quorum cognitionem in hac vita minimè adipiscimur? Nū hoc aut Irenæus, aut Bellarminus ex Irenæo asseruit? Quanto rectius ego fatuam hanc vestram ex Irenæo insulsè deductam risero consecutionem: *Irenæus dicit; nos ex scripturis quædam in hac vita assequi; ergo ea quæ assequimur de scripturis, non sunt obscura, sed clara & perspicua.* Probatur consequentia: *Quia nihil in hac vita assequimur, nisi quod clarum est & perspicuum.* C Bella sanè consequentia; & digna acumine Lemannico.

En alium syllogismum: *In quo sunt quædam obscura, ex eo vera sententia, in rebus controuersis erui non potest: In scriptura sunt quædam obscura: ergò, ex scriptura vera sententia in rebus controuersis erui non potest.* Neque iste syllogismus est Bellarmini; sed Sibrandi; qui mirabiliter huiuscemodi insanis argumētationibus & struendis & destruendis oblectatur: propterea omnes suas phantasias in syllogismos redigit. Quod non culparem; nisi sua inanissima commenta Bellarmino affingeret; imò laudarem Sibrandi propositum; quia stultitia nunquam magis eminet, quàm quando D veste syllogistica induitur, tum demum clarissimè auriculas Midæ exerit. Si ex Irenæi & Bellarmini dictis syllogismum formare volebas; talem formare debebas: *In quo omnia ita sunt obscura, vt sine certo Interprete vera sententia certò & infallibiliter inde erui nequeat; id certo Interprete eget. In scripturis omnia ita sunt obscura, vt sine certo Interprete vera sententia inde erui non queat; ergo scriptura eget certo Interprete.* Maior est clara: vt & Minor. Nam licet quædam in scriptura videantur esse clarissima, & lucidissima; maximè dogmata ab omnibus explicitè credenda; non sunt tamen adeo clara; vt à contumacibus negari nequeant; vel vt intelligi absq; certo interprete queant: id inde patet, quia plurimi hæc ipsa dogmata vel inficiantur; vel in alium sensum rapiunt; Quare hoc, nisi quia tam clara non sunt, vt certo interprete non egeant? & quotiescunque, etiam hæreticus, verum sensum alicuius loci, quamuis suo iudicio clarissimi, assequitur, eum non nisi beneficio interpretationis à Spiritu sancto per Ecclesiam traditæ assequitur.

Ex testimoniis Origenis condit syllogista noster hos inconditos syllogismos. *In quo sunt multa obscura, hoc totum obscurum est: sed in scriptura sunt quædam obscura; Ergò scriptura, est tota obscura.* Nunquam, ne per somnium quidem, hoc syllogismi monstrū Bellarmino occurrit: tantùm abest, vt eius auctor sit. Si Savvbrande, vir probus & candidus esses; sic argumentum instituisses. *In quo sunt, testimonio Origenis, multa obscura, id non est totum facillimum, apertissimum, clarissimum, lucidissimum; sed in scriptura sunt multa obscura; teste Origene; ergò scriptura non est tota facillima, apertissima, clarissima, lucidissima*, vt insanit Lutherus. Quid vitij in hoc syllogismo, quem ex scopo disputationis Bellarminianæ formasses; si solidus argumentator, non putidus calumniator esses? Deinde, quando Origenes, aut alius Pater dicit; quædam in scripturis esse obscura; num ideo affirmat alia non esse obscura; sed tam clara, ac si radiis solaribus conscripta forent? Nam Patres cum quædam in scriptura dicunt esse obscura; id ideo dicunt, quia respiciunt ad ea, quæ notabilem, & præ cæteris insignem difficultatem continent.

Accipe & hunc syllogismum. *Quod absque Agni reuelatione non intelligimus, hoc prorsus obscurum est; sed scriptura absque agni reuelatione non intelligitur: ergò, prorsus obscura est.* Iste syllogismus verissimus est: cuius veritatem & euidentiam eludere nititur Caluinista hoc cauillo: *Dico duplicem esse reuelationem: vnam vniuersalem, qua Deus vniuersaliter omnes homines illuminat. hæc illuminatio est naturæ, ipsi naturæ scilicet ab initio generationis insita. Alia, particularis, solis electis propria. Hæc illuminatio est interna, & semper cum sanctificatione coniuncta. De hac loquitur Origenes: &, si Bellarminus argumentum de ea intelligit, concedimus totum.* Nil opus his fumis, ô Nouator. Cuius nullam veritatem cognoscimus, nisi beneficio Agni; hoc est, Christi, & Spiritus sancti, veritatem intellectui nostro patefacientis, *id totum est obscurum*, sed nec pars scripturæ, nec tota scriptura intelligitur, nisi beneficio Agni & Spiritus sancti veritatem scripturæ nobis patefacientis; ergo tota scriptura est obscura. Nam quod iste de cognitione *sanctificationis* iniicit; id Caluinisticæ nequitiæ tegumentum est; non enim de huiusmodi cognitione cum pio affectu hic præcisè sermo est; sed de cognitione; quæ scripturæ veritatem verè attingat; idque verè assequatur;

quod

Digitized by Google

quod ſcripturæ verba, tanquam ſigna, ſignificãt: quæ cognitio non tantùm probis, ſed & improbis communis eſſe poteſt: etſi eam ne improbi quidem aliunde habent, quàm à Spiritu ſancto, ſaltem mediatè; per Eccleſiam nimirum; quæ immediatè à Spiritu ſancto, gubernatore ſuo, verum ſcripturæ ſenſum accipit, & poſtea ad omnes ſiue bonos ſiue malos diffundit; ſicut Interpres Ariſtotelicus v. g. adeptus ſtudio, vigiliis & laboribus verum Ariſtotelis ſenſum, eundem poſtea cum auditoribus communicat ſiue probi ſint, ſiue improbi.

Ex facto Baſilij, & Gregorij Nazianzeni hic naſcitur ſyllogiſmus in officina Savvbrandica: *Cui docti viri operam dant, idq́ longo tempore, hoc eſt totum obſcurum: ſed ſacra ſcriptura eſt id, cui docti viri operam dant, idq́ longo tempore; ergò ſacra ſcriptura eſt tota obſcura. Reſpondeo ad maiorem,* inquit Caluiniſta, *non ſequi, illud totum obſcurum eſſe, cui docti viri operam dãt.* At certè niſi id cui tanto ſtudio, tanto conatu, tanto tempore opera datur, totum ita obſcurum eſſet; vt ſine Interprete diſci verè nõ poſſet, cauſſę nihil ſuppeteret, cur tanto ſtudio in id incumberetur; Quis tantum & operæ & impenſæ inſumit in inueſtigãdis *apertiſſimis, faciliimis, clariſſimis, lucidiſſimis,* quales ſcripturas eſſe fingit Lutherus? *At quædam clara ſunt?* Verùm non tam clara; vt Interprete nullo egeant: quem in omnibus ſcripturæ locis ſancti iſti viri adhibebant, & ſequebantur; *ſcripturæ intelligentiam non ex propria præſumptione; ſed ex maiorum ſcriptis & auctoritate* rimari & accipere conſueti.

Mox aduolat alius ſyllogiſmus ex fœcundo Savvbrandi pectore: *In quo diſcẽdo docti viri multum induſtriæ ponunt, hoc adeò obſcurum eſt, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex eo erui non poſſit. Sed ſacra ſcriptura eſt illud, in quo diſcẽdo docti viri multum induſtriæ ponunt: ergò ſacra ſcriptura adeò obſcura eſt, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex ea erui non poſſit.* Caluiniſta ſtultè negat Minorem: *quia etiam in rebus mathematicis, naturalibus, & iuridicis diſcendis docti viri multum laboris ponunt.* Videtur in Minore addere voluiſſe particulam *excluſiuam tantùm*; ſed ea vel in mente, vel in calamo hæſit; non enim apparet. Maior veriſſima eſt; ſi addatur; veram ſentẽtiam inde erui non poſſe abſque Interpretatione: quę particula; etiam concluſioni adiicienda eſt; rectéque habebit totus ſyllogiſmus.

Ex teſtimonio Chryſoſtomi hic ſyllogiſmus prodit: *Quod ſine ſumma diligentia intelligi nequit, hoc totum eſt obſcurum: ſed, ſacra ſcriptura ſine ſumma diligentia intelligi nequit: ergò, tota ſacra ſcriptura obſcura. Reſpondeo ad Maiorem,* inquit Caluiniſta, *ex ſumma diligentia non ſequi totalem obſcuritatem. Poſſunt enim quædam eſſe obſcura, quædam perſpicua.* At Chriſtus non dixit: *Scrutamini partem ſcripturæ,* vel *partes*; ſed *ſcripturas*; hoc eſt; totam; nulla eius parte excepta. Quid eſt *ſcrutari* totas ſcripturas? *Inueſtigationem perquam diligentem adhibere,* inquit Chryſoſtomus: *Diuina enim indigent ſumma diligentia.* Sed tota ſcriptura & omnes eius partes ſunt diuinæ; tota ergo ſcriptura, & omnes eius partes ſumma indigent diligentia: & conſequenter tota ſcriptura cum omnibus ſuis partibus eſt obſcura; ita, vt egeat interprete; & vbi hoc tempore magis opus eſt Interprete, quàm in illis, quæ hæretici dicunt, clarè à ſcriptura tradi; nempe in dogmatibus fidei, quæ ab omnibus tenenda & explicitè credenda ſunt; in dogmate inquam de Trinitate, de Incarnatione; de Chriſti deſcenſu ad inferos, de Eccleſia; de Sanctorum communione, &c. Adde, quod Chryſoſtomus ait, vera ſcripturæ ſenſa eſſe *effodienda*; hoc enim verbum *ſcrutari*, innuere; in ſuperficie enim & in promptu poſita nemo effodit; cumque hoc Chryſoſtomus de tota ſcriptura affirmet, non de hac vel illa duntaxat parte; neceſſariò efficitur, totam ſcripturam ita eſſe obſcuram, vt Interprete egeat.

Ex S. Ambroſij dicto ſic fatuatur Caluiniſta: *Quod habet quoſdam profundos ſenſus, hoc eſt totum obſcurum; ſed ſcriptura habet quoſdam profundos ſenſus: ergò tota ſcriptura eſt obſcura.* Syllogiſmus iſte non eſt Bellarmini; ſed tuus Savvbrande. Deinde ſanctus Ambroſius non dicit; ſcripturam habere *quoſdam profundos ſenſus*; ſed abſolutè, habere *profundos ſenſus.* Illa particularis nota eſt additamentum hæretici. Præterea ſanctus Ambroſius non dicit; partem ſcripturæ eſſe mare; ſed ait: *ſcripturam eſſe mare*; quod longè rectius intelligitur de tota; quàm de parte vel partibus eius: & vbi magis & profundius mare eſt; quam in articulis ab omni fidelium cœtu tenendis; in articulis inquã humanitatis & mediatoris Chriſti Domini, Euchariſtiæ, Eccleſiæ, & id genus aliis; in quibus iſti miſerrimè fluctuant, & fluctuando æternùm pereunt. Itaque ſyllogiſmus ſic concinnetur: *Quod vbique habet profundos ſenſus, hoc totum eſt obſcurum Sacra ſcriptura vbique habet profundos ſenſus: quippe diuinos; ergo* ſacra ſcriptura vbique eſt obſcura; & conſequenter vbique eget interprete: & ſi quando clara dicitur, id fit comparatè ad loca obſcuriora; vel ad modos loquendi tenebricoſiores; quippe tropicos & metaphoricos.

Ex teſtimoniis ſancti Hieronymi, ſancti Auguſtini & ſancti Gregorij nullum texit textor noſter ſyllogiſmum. Quæ extra ſyllogiſmos contrà garrit, ea iam in VVitackero, cuius veſtigiis Sibrandus inſiſtit, profligauimus: neque video, quid circa dicta Patrum aliud præſtiterit; quàm quod ad nauſeam vſque hoc ſuum mendacium inculcauit; cum toties repetit; Bellarminum ita ratiocinari. *Quædam in ſcripturis ſunt obſcura, ergo omnia.* Mentitur, quoties hoc deliramentum Bellarmino affingit.

Tertium argumentum ducit Bellarminus à ratione: in ſcripturis enim, duo, inquit, conſideranda eſſe; Res, quæ dicuntur; & Modum, quo dicuntur: vtrumuis ſpectemus, ſummam eſſe difficultatem. Primùm enim, res obſcuriſſimas eſſe, nimirum diuina myſteria, quæ in ſcripturis traduntur, de Trinitate, de incarnatione Chriſti, & huiuſ-

modi.

modi. Respondeo, inquit VVitackerus, *res ipsas scripturæ esse quidem obscuras, absconditas, abditas, & mysticas; non autem in se, sed nobis.* Et ne mox VVitackerum insipientiæ, aut amentiæ accuses, cum negat, recondita illa, & abditissima mysteria esse in se difficilia; en tibi temperamentum. *In se cum dico, non naturam rerum ipsarum intelligo, quasi res non essent omnino obscuræ (fateor enim obscuras esse) sed hoc volo, res ipsas scripturæ, quemadmodum in scriptura proponuntur & traduntur, non esse obscuras.* Mirabilis distinctio; fatetur in se res illas obscuras non esse; & si quæras, quid sit istud *In se?* Respondet; *vt proponuntur & traduntur in scriptura.* Estne hoc considerare res pro vt sunt *in se?* An non istud *in se;* denotat considerationem rei abstractam & seiunctam à quocunque alio; atque adeo etiam à signis, quibus significatur? Si quis rem considerat præcisè in se, an non abducit mentem à quocunque alio, ad quod res illa habitudinem habet? Quanta fatuitas, dicere res absolutè esse obscuras; hoc est, in se esse obscuras (hoc enim significat modus iste loquendi *In se*) esse autem faciles & claras prout per signa quædam nobis proponuntur. An signa mutant rerum naturam? An res Metaphysicæ ideo faciliores & clariores sunt; quia per verba explicantur? An mysteria sanctissimæ Trinitatis, aut Incarnationis, aut Eucharistiæ ideo apertissima & clarissima euadunt; exuta omni obscuritate, quia scriptis comprehensa & consignata sunt?

Deum esse substantiâ vnum, inquit VVitackerus, *personis trinum, Deum factum esse hominem, & huiusmodi, licet in se quidem, si rerum ipsarum naturam spectemus, adeò obscura sint, vt nulla ratione à nobis percipi possint: apertè tamen in Scriptura proponuntur, si ea scientia contenti esse velimus, quam Deus nobis impartire voluit.* Vbi obserua primum constantiam Caluinistæ; qui illud *in se*, nunc aliter accipit, quàm antea, nempe pro abstracta rerũ consideratione, mente ab omnibus extexnis, etiam signis; auocata. Secundò Caluinistam hanc doctrinam furatum esse ex libro Lutheri *de seruo arbitrio;* Tertiò, esse vanam & inanem: Quidquid enim contrà nitantur; res significata hac enunciatione: *Deus est trinus & vnus;* est difficillima & obscurissima; etiam vt hac enunciatione significatur; licet enim singula verba videantur clara; quia homo generali conceptu scit quid sit *Deus;* scit, quid sit *vnum;* scit, quid sint *tria;* attamen quàm primum intellectus incipit prædicatum illud; *trinus & vnus;* cum subiecto coniungere; ingentes existunt tenebræ & difficultates; quibus superandis nulla ingenij subtilitas, sed sola fides sufficit: hic enim verè locum habet illud: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quod testantur tot hæreses circa, quin & contra hoc, dogma exortæ; quæ sæpius compressæ, denuo repullularunt, & hoc quoque æuo repullulant; & tandem in *Mahometismum* degenerant.

Savvbrandus rursus cum syllogismis adest. *In quo traduntur summa mysteria, in eo omnia sunt obscura; sed in scriptura traduntur summa mysteria. Ergò, tota scriptura est obscura.* Iste syllogismus non est Bellarminianus, sed Savvbrandicus. Nam Bellarmino satis est; vt probet falsum esse, quod Lutherus, forsan bene potus, euomuit; nempe scripturas esse *vbique, & totas facillimas, clarissimas; lucidissimas;* hoc ipso enim, quod summa & maximè ardua mysteria in scripturis tradi ostendit; simul etiam ostendit, mendacium esse, quod Lutherus euomuit. Vtrum autem tota scriptura & omnes eius partes ideo sint obscuræ; quod tota scriptura & singulæ eius partes summa & celsissima mysteria complectantur; id hic nec definit Bellarminus, nec definito opus est: si enim tota ex hoc capite non est obscura; tota tamen obscura est aliunde; quatenus scilicet diuinitus est tradita; & vt verè intelligatur, eo interprete eget; qui non humano & fallibili, sed diuino & infallibili spiritu ducatur ac gubernetur.

Itaque si quis candidè ex Bellarmini sensu syllogismum conficere velit; hunc vel similem nobis dabit: *In quo traduntur summa, celsissima & abditissima mysteria, in eo non sunt omnia clarissima, planissima, lucidissima; vt delirat Lutherus; In sacra scriptura traduntur summa, celsissima, & abditissima mysteria, ergo in sacra scriptura non sunt omnia clarissima, planissima, lucidissima; vt delirat Lutherus.*

Postea adfert Sibrandus ex VVitackero distinctionem obscuritatis, de qua antea: additque; mysteria scripturæ esse obscura, *secundum oculos naturæ: credenti non esse obscura.* Quasi verò fidelis mysteria, quæ credit, clarè & euidenter intueatur? An non ad credentem pertinent illa Apostoli 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate;* Si etiam in credente superest ænigma; ergo & obscuritas; Nam quod *ænigmaticum* est, illud vtique obscurum est. Et quamuis fides oculos ad hæc mysteria attollat; quæ sola natura attollere nequit; non tamen ea, nisi per caliginem, & per consequens, obscurè attingit.

Quod attinet ad modum dicendi, quo scriptura vtitur; scripturas obscuras esse sex rationibus probat Bellarminus. Prima est; quia in scripturis multa sunt, quæ primo aspectu contraria ac planè repugnantia videri possint. Respondet VVitackerus: *Videri possunt nonnulla in scripturis, homini non satis attentè consideranti, sibi contraria: sed certum est tamen scripturas optimè secum consentire.* Neque Bellarminus inficias it, scripturas optimè secum consentire: sed ex apparentibus illis antilogiis & enantiologiis demonstrat, scripturas non esse *apertissimas, lucidissimas, & clarissimas;* vt Lutherus insanit; cum

summis ingeniis præditi Theologi multum in conciliatione quorundam scripturæ locorum desudent. Quantum laboris exhaurit sanctus Augustinus in libris de consensu Euangelistarum, vt omnia loca in concordiam redigat? Quod obscuritatis euidens argumentum esse; qui negat, hic negando, se fungum demonstrat. Cur Hæretici Tobiam, Iudith, Macchabæos ex sacro Canone expungunt? Præter cæteras caussas, quamuis futiles & inanes, hanc etiam reddunt; quòd multa tam inter se, quàm cum aliis scripturæ locis minimè concinentia comprehendant: quorum ἐναντιοφανῶν solutionem cum ob summam caliginem non videant, malunt totos libros repudiare, quàm contradictionum fictarum & vmbratilium conciliationem inuestigare, vel inuestigatam approbare.

Secunda ratio, qua Bellarminus probat scripturas, quoad modum dicendi, obscuras esse, hæc est: quia scilicet verba multa in scripturis ambigua sunt, & orationes etiam multæ ambiguæ: vt Ioannis octauo versu vigesimo quinto, Principium, qui & loquor vobis. *Respondeo*, inquit VVitackerus; *est quidem hoc ambiguum, ac falsum, & planè ridiculum; sed tantùm in Latina illa vulgata versione. Debet enim verti*; quod loquor; *non*, qui loquor. *In Græco contextu omnia facilia sunt. Verba enim sunt; τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, id est, κατὰ τὴν ἀρχήν. quorum verborum hic quidem sensus est satis expeditus; non alius sum, quàm, quem me dixi esse ab initio.* Non est quæstio, quomodo VVitackerus hunc locum explicet; sed num obscurus sit. Obscurum esse, testantur infinitæ propemodum expositiones, quibus, vt in hunc locum scribit Beza, expositus fuit; prout etiam videre licet in Annotationibus Erasmi ad caput octauum Ioannis, & in Commentario Maldonati nostri: Quod si locus, maximè in Græco textu, tam clarus est; vnde tot diuersæ interpretationes apud ipsos etiam Græcos? Nam quod VVitackerus nostrum Interpretem mordet, vertentem; *Qui*, non *Quod*; iusta foret fortaßis admorsio, si perspicuè ostenderet; Interpretem suo in exemplari non reperisse ὅτι, sed ὅ, τι. Hoc autem, quando planum faciet Caluinista, vt & illud, lectionem ὅτι non posse ferri? Quanquam ne omnes quidem Græci ὅ, τι legunt, sed ὅτι; vt sit coniunctio, *quia*, vt patet apud Erasmum & alios. Itaque quidquid moliatur, nunquam efficiet, vt modus hic loquendi non sit obscurus; maximè secundum Græca verba; quid enim obscurius quàm interroganti: *Tu quis es?* respondere: *τὴν ἀρχὴν, ὅτι vel ὅ, τι λαλῶ ὑμῖν.* hoc est, vt interpretatur Beza, *id sum, quod ab initio loquor vobis*: Licet enim hæc latina verba sint expedita; Græca tamen impeditißima sunt, in quibus τὴν ἀρχὴν accipitur ab istis pro ἐξ ἀρχῆς & iungitur cum verbo λαλῶ, & ἀπὸ κοινοῦ repetitur, verbum εἰμί. Quod si, vt videtur, Interpres noster legit, ἡ ἀρχή, longe clarior euadet sensus, quàm

A sit is, quem isti adferunt, & omnibus aliis præferunt.

Savvbrandus hoc loco hunc syllogismum nobis apponit. *In quo quadam dicendi formulæ sunt obscuræ, illud totum est obscurum. Sed in scriptura quædam dicendi formulæ sunt obscuræ. Ergò, tota scriptura est obscura.* Subdit Caluinista: *Bellarminus, dißimulata Maioris vanitate, probat Minorem; quæ non est controuersa.* Vanißime Nouator; vbi nam Bellarminus hunc syllogismum fecit; & postea, Maiore omissa, Minorem probauit? Ostende locum, aut te impostorem simul & calumniatorem esse, nemo inficiabitur, qui tibi non sit similis: neque enim hac ratione, desumpta ex scripturarum phrasi, probare instituit Bellarminus totam scri-

B pturam esse obscuram propter obscuriores loquendi formulas; quia non ignorat, multa planè & dilucidè in scriptura contineri si phrasin spectes; sed etiam ex hoc capite, phraseos nimirum seu locutionum, in scripturis tenebras existere si non in totis (hoc enim nemo asserit) certè in aliquibus partibus; quod tam est euidens, vt ne ab isto quidem sectario negetur.

Tertia ratio Bellarmini est, quia sunt imperfectæ multæ orationes ac sententiæ in scripturis, vt ad Romanos quinto versu duodecimo: *Sicut per vnum hominem, &c.* Respondet VVitackerus; *Locum non esse tam obscurum, quin poßit intelligi.* Egregium responsum: *Potest tandem intelligi locus iste: ergo non est obscurus; obscurißima quæque in Metaphysicis*

C *& Mathematicis tandem intelligi queunt; ergo non sunt obscura:* quasi illa duntaxat obscura sint; quorum sententiam nullus humanus intellectus assequi potest.

Quarta ratio Bellarmini; quia sunt in scripturis multæ orationes præposteræ, vt Geneseos decimo, versu trigesimo primo sic script legim⁹; *Isti sunt filij Sem secundum cognationes, ac linguas suas.* At capite vndecimo, in ipso principio, dicitur: *tota terra illo tempore vnius labij, ac linguæ fuisse.* Respondet VVitackerus, *ὕστερον πρότερον scripturis esse familiare.* Quid hoc ad rem? An ideo anticipata narratio non parit obscuritatem? Quanta obscuritas nata est in Euangelistis circa negationem beati Petri; ob ὕστερον πρότερον, quo vsus est

D sanctus Ioannes in sua Euangelica historia; cum quæ in domo Caiphæ facta sunt, prius narrauit; quàm quæ in domo Annæ, ex quo factum, vt prima negatio videretur in domo Annæ accidisse; quę tamen accidit in domo Caiphæ, vt ex aliis Euangelistis planum.

Secundò respondet VVitackerus: non debet verti: *Erat populus vnius labij*, sed, *Fuerat vnius labij. Et sic quidem Tremelius vertit, vt omnem ambiguitatem tolleret.* Sed credibile est nostrum Interpretem Hebraicæ linguæ Tremelio non paulo peritiorem fuisse; vt & 70. Interpretes, qui verterunt: *καὶ ἦν ἡ γῆ χεῖλος ἕν. Et erat terra labium vnum.* Quocirca nihil caussæ habemus; Cur tot tantosque viros deseramus; & huic No-

uatori adhæreamus: præsertim cũ à nobis etiam A
ſtet Nouator Caſtalio; qui ita vertit: *Cum autem vniuerſus terrarum orbis eodem ſermone atque oratione vteretur, &c.* Et vt VVitackerus per nouas ſuas verſiones maximè hoc loco ambiguitatẽ & obſcuritatem vitaret; an non alia huius generis exempla occurrunt? An non illuſtre illud, quod ex hiſtoria paſsionis Dominicæ deſumitur?

Quinta ratio Bellarmini, quia ſunt in ſcripturis phraſes quædã Hebraicæ linguæ propriæ; quæ nobis intellectu ſunt valde difficiles, &c. Reſpondet VVitackerus; *Non eſſe adeo difficiles; quin tandem ſtudio & labore difficultas ſuperari queat.* Quis abnuit? Num ideo ſcriptura ex hoc etiam capite, non ſit difficilis & obſcura? *At poteſt pelli obſcuritas.* Quid tum? Etiam noctis obſcuritas pelli B
poteſt, aduentu ſolis. An ideo non eſt obſcura nox?

Sexta ratio Bellarmini, quia in ſcripturis ſunt orationes figuratæ plurimæ; tropi, Metaphoræ, allegoriæ, hyperbata, ironiæ, &c. Reſpondet VVitackerus; *His tropis non obſcurari, ſed illuſtrari ſcripturam; cum & Rhetores in eum finem tropos adhibendos doceant, non vt obſcuretur, ſed vt ornetur atque illuſtretur oratio.* VVitackerus de induſtria veritati ſeſe opponit: nam vel cæco liquet planius, clarius, & dilucidius dicẽdi genus eſſe; cæteris paribus, quod verbis propriis idque ad quod ex prima impoſitione, deſtinata ſunt, ſignificantibus conſtat; quàm quod conſtat tranſlatis ſeu metaphoricis; C
& allegoricis; cum allegorica ex ſua natura ſint ænigmatica; & hinc tenebricoſa. Metaphorica autem ita comparata ſint; vt intellectum quaſi per ambages ducant ab eo, quod ſignificare videntur immediatè, ad aliquid aliud; ita vt in tropicis vocabulis loco vnius, noſter intellectus duo vel plura concipere & apprehẽdere debeat; Exempli cauſſa, in his; *Vicit Leo de tribu Iuda; Aſperges me domine hyſſopo*, debet intellectus & animal, quod *Leo*, & herbam, quæ *hyſſopus* appellatur, concipere, & ab his ad aliquid aliud trãſgredi, nempe ad Chriſtum; & ad internam peccatorum per pœnitentiæ lauacrum expiationem. Hinc vt aliquis metaphoras & allegorias, rectè intelligat; oportet, vt & naturam earum rerum, à quibus D
metaphoræ ducuntur; & earum, ad quas ducuntur, cognitas & perſpectas habeat; vt præclarè docet ſanctus Auguſtinus libro ſecundo de doctrina Chriſtiana capite decimo ſexto & ſequentibus. Hoc autem admodum eſt difficile, & conſequenter, obſcurum; nec tam planum & liquidum, quàm quando aliquid propriis verbis proponitur.

Tropis & allegoriis orationem ornari; non inficiamur; quia pariunt varietatem; varietas, ornatum; iiſdem illuminatur oratio; quia variatur; nam hæc illuminatio nihil aliud eſt, quàm variatio; non autem planior & expeditior ad intelligendum oratio tropis efficitur per ſe loquendo: Dico, per ſe loquendo: Interdum enim ex rebus tam notis tropi & allegoriæ ducũtur, vt tropica & allegorica oratio æquè ſit clara & perſpicua ac non tranſlata. Neque verum eſt omnia quæ in vno loco ſcripturæ dicuntur tropicè vel allegoricè, alibi explicari non tranſlatè. Vbi enim explicantur allegoriæ pleræque Ezechielis & Apocalypſeos?

Quartum Bellarmini argumentum. Si ſcripturæ non ſunt obſcuræ, quare Lutherus ipſe, & Lutherani tam multos in ſcripturas commentarios ediderunt, eaſq; tam variè interpretati ſunt, adeò, vt Oſiander afferat viginti diuerſiſsimas de iuſtificatione ſententias inter ſolos Confeſſioniſtas (hoc eſt, Lutheranos) verſari? Reſpondet VVitackerus primò: *Multitudinem Commentariorum fortaſſe non ita neceſſariam fuiſſe; quia ſine tot commentariis ſcriptura intelligi potuit.* Si loquitur VVitackerus, vt decet, de immanibus Commentariorum molibus Brentij, Muſculi, Pellicani, Caluini, Bullingeri, Gualtheri, & ſimilium; fatemur, iis prorſus nihil opus fuiſſe; cum in omnibus vix mica ſalis appareat; vt ſæpè mirer, reperiri homines, qui in chartis iſtis inſulſiſsimis tempus perdant & operam ludant.

Secundò reſpondet VVitackerus: *Commentarios editos eſſe, vt melius ac facilius intelligantur ſcripturæ.* Quid opus cõmentariis, ſi in ſcriptura nulla eſt difficultas, nulla obſcuritas, ratione rerum, vt disertè ſcripſit Lutherus. Num iſti obſcuris lampadibus ſuis lampadi ſolis lucem accendere volunt? An non dixit & ſcripſit Philippus in ſuis locis *ſolas ſcripturas legendas, & Patrum Commentarios, vt peſtem, fugiendos eſſe?* Cur ergo iſti iam ſuis obtrudunt ſuos commentarios? An non dixit Lutherus? *Patrum Commentarios eſſe obſcuriores ipſis ſcripturis?* An non de iſtorum commentis verè affirmabimus; quod falsò Lutherus de Patrum lucubrationibus? An non de Patrum commentariis clamat Rullus Baſileenſis in ſua diſputatione de Interpretatione ſcripturæ: *Scriptura ſacra eſt clarior omnium Patrum, qui poſt Apoſtolos fuerunt, commentariis?* Nefas ne erit hoc vere ad Hæreticorum commentarios transferre?

Tertiò, & quartò reſpondet VVitackerus: *Summum eſſe inter Confeſſioniſtas conſenſum in articulis fidei; & Oſiandrum fuiſſe, hominem leuiſſimum & audaciſſimum;* Hoc poſtremum non improbo; dummodo VVitackerus fateatur, hanc laudem eſſe Oſiandro cum reliquis ſymmyſtis ſuis communem. De tanto conſenſu dubito; Quia vt *Concordiſtæ* nonnihil concordent; quamdiu ſtabit illa concordia? *Non eſt pax impiis.* Multi ex *Confeſſioniſtis vbiquitatem*, tanquam monſtrum, deteſtantur? An vbiquitas non eſt articulus Lutheranæ fidei?

Iam cape hunc Sibrandicum ſyllogiſmum: *In quod Lutherani multos commentarios ſcribunt, hoc to-*

rum est obscurum: sed Lutherani multos commentarios scribunt in vniuersam scripturam. Ergò tota, & vniuersa scriptura, est obscura. *Respondeo, Maiorem esse falsam*, inquit Caluinista. Cur falsa? An non Lutherani & Caluiniani in totam scripturam commentarios scribunt? An non ideo, quia totam scripturam pro obscura habent? fatuus enim est, qui commentarium scribit in id, quod vel clarius est, vel æquè clarum ac suus commentarius: aut igitur sectarij fungi sunt, cum suis in totam scripturam commentariis, aut totam scripturam arbitrantur obscuram. Placet, quod Savvbrandus ait; quædam in istorum commentariis *non euolui, sed inuolui; obscurari, non illustrari.* Magis placuisset, si dixisset *pleraque, vel omnia.*

Quintum Bellarmini argumentum. Ipsi protestantes fatentur multa esse obscura; Lutherus, Brentius, Kemnicius, Centuriatores. *Respondet* VVitackerus: *Iam ergo nos absoluunt, & se mendaces esse, ac calumniatores palam produnt; quid iam nactus Iesuita est, cùm tota hac disputatione sua, id multis rationibus euincere, ac persuadere conatus fuerit; quod nos, nostra sponte concedimus, in eoque refellendo tam multum operæ posuerit, quod nos quidem nunquam defendimus.* Hoc nactus est Bellarminus; vt iam pateat Lutheri & Lutheranorum vanitas, qui clamitabant, scripturas totas esse *lucidissimas, facillimas, apertissimas*, nullaque sui parte obscuras, si res significatæ considerentur. Nam quòd postea vel ipse Lutherus, vel Brentius, vel alius quispiam de hoc grege, scripsit aut fassus est, scripturam aliquibus partibus suis esse obscuram, id minimè moramur; quia non ignoramus Vertumnos istos semper mutari, & nunquam in eodem statu graduque persistere. Insuper hoc etiam nactus est Bellarminus; vt appareat vestra vanitas, cum quædam in scripturis tam clarè tradi affirmatis, vt nullo interprete egeant; cum dogmata fidei, ab omnibus explicitè credenda, quæ isti clarissimè in scripturis proponi blaterant, vel maximè egeant Interprete, quod hodiernæ plusquam hostiles controuersiæ satis superque testantur.

Sibrandus hunc syllogismum in medium adfert: *Quod Lutherani fatentur, hoc est verum: sed Lutherani fatentur in scriptura esse quædam obscura. Ergò in scriptura sunt quædam obscura. De præmissis huius syllogismi, nihil dicam*, inquit Caluinista. Quid ita vero? *Quia*, inquit, *sunt ex hypothesi.* Quomodo ex hypothesi? An quia hypotheticæ? Sed vbi signum hypotheseos? An quia non absolutâ, sed hypotheticâ tantùm sententia Lutheranorum nituntur? Atqui id secus habet; nam Lutherani iam non hypotheticè, sed categoricè docent, quædam in scripturis esse obscura. Cur igitur Hæreticus noluit attingere *præmissas* sui syllogismi? Si verum dicere licet, ideo; quia Maiorem vidit esse falsissimam; & Ipsi etiam Caluinismo iniuriosam. Væ Caluinismo; si omne illud ve-

A rum esset; quod fatentur Lutherani. Quia ergo Caluinista maiorem palam mendacij arguere aut noluit, aut non ausus fuit; hinc præmissas attingere noluit. Et quamuis verum non sit omne illud, quod Lutherani fatentur, verum esse: hoc tamen verum est; quod fatentur, quædam in scripturis esse obscura.

Si hoc verum est, ex sententia Lutheranorum, sequitur falsum esse, inquit Caluinista, *quod dixit Bellarminus in principio huius disputationis; Lutheranos dicere; totam & vniuersam scripturã esse facilem & perspicuam.* Minimè hoc sequitur: quia vtrunque dicunt. Lutherus enim & Lutherani aliquando dixerũt, *totam scripturam esse facilem & perspicuam*: vt supra

B probatum ex Luthero: Postmodum alij Lutherani, absurditate animaduersa; docuerunt, quædam tantùm in scripturis esse obscura. Ita Protei isti vtrunque asserunt, neque vllam illis iniuriam Bellarminus infert.

Refutatio Danæi, Junij, Hunnij.

DAnæus ad hoc caput nihil adfert præter mendacia, & conuicia, quæ satis discussit Cydonius libro primo, Castigat. capite nono. Quo lectorem remitto. Nam quòd Iudices controuersiarum in Catholica Ecclesia

C constitutos vocat *cæcos, iudicantes de coloribus*; quòd *hostes scripturæ*: quodque summum Pontificem, tanquam *vnicum Apollinem* aut *Papinianum lites definire ac decidere* nugatur; id linguæ Danæanæ condonandum est. Facit quod nouit. Benedicere non didicit. Maledicit igitur; suisque maledictis Bellarmini copiosissimas & solidissimas disputationes euersum tendit; irrito nisu.

Iunius solenni instituto suo, frustilla quædam ex Bellarmino excerpit, & postea carpit. Ait: *Scripturas per se natura sua esse claras, nobis verò non esse claras propter impedientes tenebras, tum naturales nostras, tum impedientes atque circumstantes à tenebrarum principe.* At supra Caluinianus VVitackerus dicebat, *scripturas, atque adeo res ipsas, tametsi secun-*

D *dum se abstrusas & obscuras, esse claras & perspicuas, vt à scriptura significantur, etiam respectu nostri.* Vult ergo VVitackerus scripturas adeo esse natura sua & respectu nostri faciles & euidentes; vt etiam facilitatem & perspicuitatem suam deriuent in res, quantumuis alioqui reconditas & caliginosas; easque clarè & dilucidè nobis proponant. Iunius dicit *scripturas esse obscuras ratione nostri.* In quo etiam à Luthero discrepat; qui tantum *superbis & infidelibus* scripturam dixit esse obscuram; cæteris *facillimam, apertissimam, liquidissimam*; idque ex natura sua, *cũ propter homines scripta sit*; vt inquit Lutherus; *stultum autẽ foret, si hominibus, alioqui magna caligine inuolutis, traderetur lex & regula obscura*, vt supra Catherũ vociferantem audiuimus. certè

qui

Digitized by Google

qui ſcripturam vel totam, vel ſecundum aliquas ſui partes ſtatuit eſſe dilucidam, is multò aptius affirmat eſſe dilucidam ratione noſtri; quàm tantùm ex natura ſua; cum propter nos ſit condita; ideoq́ue etiam videndum fuerit, quid noſtræ naturæ potiſsimum conueniat. Quanquam ſi veritatem conſulamus; ſcriptura aptè, & vt oportet, concepta & inſtituta eſt; licet plurimam obſcuritatem affuſam habeat; quia Deus cum ſcriptura dedit ſimul hominibus Interpretem certum & infallibilem, qui obſcuritates elucidaret; vt taceam alias cauſſas, propter quas ſcripturarum caligo vtilis eſt ac fructuoſa.

Negat Iunius ſcripturam verbis illis: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua, &c.* & ſimilibus; teſtimonium de ſua obſcuritatę perhibere. *Negatur*, inquit. Sed quid nobis cum toties inculcato iſto Iuniano *negatur*? Quo iſte, tanquam validiſsimo cuneo, omnes nodos diſrumpere tentat. Quid apertius; quàm B. Dauidem illa precatione: *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam*: poſtulaſſe legis diuinę intelligentiam? Quā quid opus erat petere, ſi lex diuina nullam penitus, præter *verbalem*, eamque modicam, obſcuritatem, habet; vt Lutherus docet. Nec verborum obſcuritas impediebat Dauidem, quia Hebræus Hebrææ linguæ exactā cognitionem habebat, vt ſupra dictum. Neque erat *infidelis*; ſed fide præditus; atq; adeo non erat cœcus. cur ergo flagitauit à Deo legis intelligentiam, ſi non lex erat obſcura; quamuis iam per fidem illuminato? *At petiit profectum in cognitione legis.* Sit ita; verùm hæc ipſa petitio arguit ſcripturæ caliginem; nam quod omni penitus obſcuritate caret; quod ad rem attinet; illud ſimul poteſt percipi; totumque pariter abſque ſucceſsione intelligi; nihil enim obſtat; cum nulla difficultas aut obſcuritas interueniat: at ſcriptura, ſecundum Lutherum, *tota eſt lucidiſsima & apertiſsima*, fideli nimirum & renato; ergo ſimul tota diſcitur & percipitur. Ergo Dauid non fudit preces ad Deum pro profectu; aut ſi fudit, vt reuera fudit, pro profectu; ſequitur, ſcripturas, non eſſe tam claras, quàm claras eas Lutherus facit.

Circa locum diui Petri de epiſtolis Paulinis eodem ferè modo nugantur Iunius & Hunnius, quo VVitackerus & Sibrandus. nempe; illud, *In quibus*, pertinere ad res; non ad epiſtolas Paulinas. Reſpondeo, Illa particula: *In quibus*, non pertinet ad res, vt abſolutè ſunt res, abſtrahendo à ſignis, quibus denotari & indicari queunt; ſed ad res, vt ſignis quibuſdam ſignificantur, nobiſque proponuntur; non enim dicit S. Petrus quaſdam res ſeu quædam myſteria fidei noſtræ eſſe abſolutè intellectu difficilia; ſed eſſe difficilia intellectu, prout de illis Paulus in epiſtolis ſuis diſputat; conſequenter, prout ſubſtant ſignis; ſeu verbis epiſtolarum D. Pauli; ex quo fit, quædam

A etiā in ipſis D. Pauli epiſtolis eſſe difficilia; quædam, inquam, ſigna; quia fieri non poteſt; vt ſi res ſignificatæ ſint arduæ, difficiles & obſcuræ, ſigna itidem, quibus ſignificantur, non ſint obſcura, & difficilia; quatenus ſunt talia ſigna.

Mentitur Hunnius, cum dicit; *Bellarminum ex hoc loco concludere; omnia quæ ſunt in Paulinis epiſtolis, eſſe obſcura.* Vbi hoc Bellarminus? Cui ſatis eſt; vt contra Lutheri inſaniam oſtendat ex hoc loco; quaſdam res in Paulinis epiſtolis eſſe intellectu difficiles. Quod directè deliramento Lutheri refragatur, qui contendit, nulam penitus in ſcripturis reſpectu rerum obſcuritatem ineſſe.

B Philoſophatur hoc loco Iunius admodum ſubtiliter de cauſsis obſcuritatis & difficultatis: *Difficultas*, inquit, *aut à rerum ipſarum natura eſt, quæ percipiuntur; aut, ab ipſis percipientibus; aut ab iis, quæ intercurrunt, media. Res, quæ percipiuntur, naturâ ſuâ intellectu difficiles ſunt, aut per obſcuritatem, vt res futura, aut per maieſtatem ipſarum, vt myſterium ſanctæ Trinitatis, &c. Sic, quid ſole clarius? quid difficilius aſpectu? nam hebeſcit acies oculorum noſtrorum vi radiorum illius. A percipientibus difficultatem eſſe, quis ſanus neget? Nam res, quæ ſunt ſpiritus, homo ψυχικὸς non poteſt capere: nouus, in tantum capit, in quantum renouatus eſt; id autem eſt incohatione, & ex parte. A mediis, quæ Deus ipſe Eccleſiæ obtulit, id eſt, à ſcriptura, negamus difficultatem eſſe: ſcripturam claram eſſe, & illuminare oculos piorum affir-* C *mamus, nō habere obſcuritatem à ſe vllam.* Hæc Iunius. Prorſus contraria Lutherus. Qui à rebus ſignificatis nullam penitus agnouit difficultatem vel obſcuritatem; nullam item à percipientibus, niſi eſſent *cæci, infideles, & ſuperbi.* Ab ipſa ſcriptura penitus nullam, niſi ex pauculis quibuſdam verbis minus cognitis exortam. Quomodo, quæſo, nulla eſt difficultas à ſcriptura; quatenus eſt ſcriptura; cum res tam abſtruſas & obſcuras contineat? An non quæuis ſcriptura fit & denominatur obſcura, ab obſcuritate rerum? Metaphyſica etiam, vt litteris conſignata eſt, an non dicitur obſcura propter obſcuritatem rerum, quas tractat? An non appellatur ſcriptura Ariſtotelis obſcura ob difficultatem rerum? Nam ſigna ipſa, D vt eſt ſcriptura; vel vocalis oratio, non dicuntur obſcura; ſi τεχνικῶς ſeu *materialiter* & ſeparatim à ſignatis conſiderentur; ſed omnem obſcuritatem induunt, vel à ſignificatis; vel à modo ſignificandi, vt ſi ſit allegoricus vel ænigmaticus.

At ſcriptura illuminat. Etiam Metaphyſica, vt eſt ſcripta, illuminat. Num ideo ſequitur; non eſſe obſcuram? etiam obſcura illuminant; quando explicantur. Ergo licet ſcriptura, vt eſt ſcriptura; difficultatibus & tenebris implicata ſit; illuminat tamen, poſtquam ſenſus illius aperitur. A quo autem certo & infallibiliter aperitur, niſi ab eo, cui Deus claues cælorum, claues inquam ſcientiæ & poteſtatis ſeu iuriſdictionis commiſit?

A Quanta Iunij vanitas est, cũ hoc suum commentum probat ex illo Christi dicto Ioan. 3. *Amen amen dico tibi, quod scimus, loquimur, & quod vidimus testamur; sed testimonium nostrum non recipitis.* hæc vniuersè. subiungit; *si terrena dixi vobis, (hæc de medio, id est verbo, & scriptura sacra planè, humiliter, conuenienter res nobis exponente) & non creditis; quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis? hæc, de rerum difficultate, quæ percipiuntur.* Quis vnquam extra Caluini scholam audiuit, illa; *si terrena dixi vobis*; intelligi de scriptura? Cur non dixit: *si terrena scripsi vobis?* Quanquam ne sic quidem loquendo res ipsas exclusisset; solamque scripturam inclusisset; nam qui hunc in modum loquitur; is & res & signa rerum; hoc est, verba, complectitur: Nonne etiam *terrena* difficultatibus plena sunt; vt B Physica, Metaphysica, Medicina, Mathematica? quanquam respectu cælestium difficultas ista videatur quodammodo *facilitas*. Quàm futile & illud; verba illa; *Quomodo si dixero vobis cælestia, &c.* referri ad rerum difficultatem, prout distinguuntur à signis, quibus denotantur; & opponi priori membro, vbi actũ de *terrenis*. Nugæ Iunianæ. Quasi verò qui de terrenis scribit aut loquitur, non scribat aut loquatur de ipsis rebus; sed de solis signis; is autem, qui de cælestibus se agere vel acturum dicit; de solis rebus, exclusis signis, agat aut acturus sit.

Prædictis gerris adiicit Iunius hoc Epimetrum: C *Pòst sequitur difficultas, ac potius impossibilitas eorum, qui percepturi sunt. Nullus enim ascendit in cælum, putà, qui res diuinas videre, & testari possit; nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo: res visas, & percognitas eloquens, & testificans; supple, & cuicunque filius voluerit reuelare, ex demenso ipsius.* Vt scripturas, quantum necesse est, intelligam, necesse non est, vt in cælum ascendam; sufficit, vt cum Paulo ascendam Hierosolymam videre & audire Petrum; hoc est; vt intrem in scholam Ecclesiæ ibique audiam, quis sit huius vel illius scripturæ genuinus ac legitimus sensus. Hic enim, & non extra, traditur; aut si aliquando etiam extra; id non fit, nisi quia ex Ecclesiæ ore & institutione ad extraneos quoque venit. Neque scriptura vspiam dicit; vel seipsam, vel res quas tradit, adeo D obscuras esse; vt obscuritas illa & difficultas sit insuperabilis, atque adeo in *impossibilitatem* transeat; licet enim homo viribus suis nihil assequi queat; potest tamen adiutus fidei lumine; & Ecclesiæ magisterio, explicantis fidelibus verum scripturæ sensum; & luce instructionis suæ omnem caliginem depellentis.

Meminerit pius lector, inquit Iunius, *nos hic de perspicuitate medij, id est, scriptura sacra: non autem de perspicuitate rerum singularum in se, aut nostra perspicientia in eis agere. Hæc tria multi imperitè, nonnulli artificiosè confundunt, vt decipiant imprudentes.* At tu non minus imperitè hæc tria distinxisse videris; Nam scripturam facere per se & ex natura sua claram; solas autem res scripturæ arduas & difficiles; nil aliud est, meo iudicio, quàm quid dicas aut asseras non intelligere; cum fieri nequeat; vt scriptura, quatenus consistit in signis rerum, vel potius, prout nihil aliud est, quàm signa rerum, non sit difficilis; si res sint difficiles. Cumque Lutherus res ipsas scripturæ dixerit *clarissimas, & lucidissimas*; & præterea ipsam scripturam *facillimam, apertissimam*, & tantum propter paucula verba minus cognita alicubi tenebrosam; nullamque ex parte hominum obscuritatem & difficultatem agnouerit; nisi *per accidens, in cæcis, superbis, infidelibus*; fit, vt longè aliter, quàm Iunius hisce de rebus philosophatus fuerit; quod num fecerit ex imperitia, an decipiendi animo, Caluinistæ nobis explicatum dabunt.

Locum illum diui Pauli 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat super fundamentum, &c.* ait sanctus Augustinus libro de fide & operibus capite decimo quinto & decimo sexto, sibi esse intellectu difficillimum. Prosilit Hunnius, intonatque; *esse quidem in hoc loco aliquid obscuritatis; verum hoc quidquid est, facillimè dispelli, inspecto textu; & accuratè expenso; cumque aliis scripturæ locis collato.* Scilicet Hunnius ingeniosior est, quàm Augustinus, & animi perspicacioris; & in scripturarum lectione, meditatione, indagatione; & collatione exercitatioris. Non modicum argumentum grandis cuiusdam stuporis est; nihil vel parum difficultatis & caliginis iis in locis sentire; vbi summa ingenia æstuant, & omnes neruos contendunt; vt ad veritatis penetralia pertingant.

Obiicit Iunius. Non sequi: *Locus iste est difficilis Augustino; ergo absolutè est difficilis.* Cæterum si tanto viro, tantis gratiæ & doctrinæ donis diuinitus cumulato, inque scripturis tritissimo & versatissimo, locus aliquis difficilis & obscurus videatur; non ineptè colligimus, absolutè obscurum esse; præsertim si aliorum itidem de obscuritate consensus & iudicium accedat, vt hic fit; cum enim tot & tam diuersæ expositiones à summis doctrina & sanctimonia viris prolatæ sint; vniuersis, qui oculis non carent, liquet, id aliunde non prouenisse; quàm ex ingentibus tenebris, quibus locus ille obseptus est.

Quod Iunius dicit, sanctum Augustinum libro secundo de doctrina Christiana, *negare hunc Apostoli locum esse difficilem*; id cæteris Iunianis mendaciis annumeretur. Nihil enim simile diuus Augustinus. Ait Iunius: *Non valere hoc argumentum. Locus iste est difficilis, ergo scriptura difficilis; inepta à parte integrali, & quæ minimè principalis est, de toto argumentatio.* Non inficior, esse hanc ineptam argumentationem. Sed num Bellarminus hunc in modum argumentatur? Quoties Prædicantes huiusmodi argumentationes

cudunt,

cudunt, & Bellarmino attribuunt; toties non argumentantur, ſed mentiuntur. Nam Bellarminus probationibus, quas adducit, nihil aliud vult efficere; quàm ſcripturas non eſſe vbiq; *lucidiſſimas & clariſſimas*, vt delirat Lutherus: Et cum illo olim Prædicantes, licet nunc pedem referant, & difficultates agnoſcere incipiant: Vtrum autem tota ſcriptura vbique ſit ita obſcura; vt Interprete egeat vbiq, non definit Bellarminus: quia vbique loquitur *indefinitè*; ſcripturam eſſe obſcuram: Quod verum, licet aliquæ duntaxat partes eius obſcuræ eſſent; non omnes. Quanquam, quod ad me attinet, equidem ſentio, vt iam aliquoties indicaui, non diſſentiente, opinor, Bellarmino; ſcripturam totam, etiam vbi clariſsima videtur, ita eſſe difficilem & obſcuram; vt Interprete certo egeat; qui nobis veram ſententiam eius aperiat; cum nullus locus ſit tam clarus in tota ſcriptura, quem malè feriata ingenia non poſsint alio rapere, & à genuino ſenſu ad peregrinum detorquere.

A teſtimoniis patrum citò ſe expedit Hunnius. Mentitur, *ea ſtatum ſeu cardinem diſputationis non attingere.* Quomodo non attingunt? An non Lutherus dixit; *nihil penitus difficultatis & obſcuritatis in ſcripturis ineſſe?* An non hoc omnium patrum teſtimonia à Bellarmino producta directè negant? Quomodo igitur ſtatum controuerſiæ non tangunt? Mox idem Prædicans, ſtultiſsimè contendit, articulos de Trinitate, de Incarnatione Verbi & id genus alios, vt in ſcriptura traduntur, eſſe *clariſſimos, euidentiſſimos, & apertiſſimos.* Qua ſtultitia neſcio num maior excogitari queat: quæ ineffabilia & ſimpliciter incomprehenſibilia myſteria dicit eſſe lucidiſsima & facillima, prout in ſcripturis traduntur. Nam ſi tanta luce circumfluunt; Vnde tot & tam intricatæ de his myſteriis quæſtiones? Vnde tot controuerſiæ? Vnde tot errores? Vnde tot ipſorum etiam myſteriorum inficiationes?

Alia, quæ Bellarminus de obſcuritate ſacrarum litterarum diſputat ex modo dicendi, quo ſcriptura vtitur; acutiſsimis ſolutionibus repellit & refellit Prædicans.

I. *Diſputator fertur extra oleas.*

II. *Impudens Ieſuita in re manifeſta nugas agit.*

III. *Dignus eſt, qui putridis ouis eiiciatur foras.*

IV. *Ieſuita ſententiis per ſe claris offundit caliginem.*

V. *Non citat bona fide ſcripturas, ſed Satanam imitatus amputat id, quod verum & genuinum ſenſum ſponte ſuppeditat.* Quid illud? Citans Bellarminus illa verba Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios & in tertiam & quartam generationem*; omiſit hæc; *eorum qui oderunt me*: quæ ineptus Prædicans refert ad filios & poſteros, cum referenda ſint ad *patres*; dicit enim Deus; ſe viſitare iniquitatem patrum eorum, qui *oderunt me*, in filios, & in tertiam & quartam generationem; idque non propter peccata poſterorum, ſed impiorum malorum.

A VI. *Semper extra ſtatum quæſtionis verſatur aduerſarius.* Quia quidquid adferat, quod Prædicantium deliramenta feriat; id, tanquam alienum à propoſito, proclamari & traduci debet; ne Prædicantium ſtultitia nimis apertè in lucem prodita ab omnibus irrideatur, & explodatur.

VII. *Non quæritur, vtrum hoc vel illud dictum ſit obſcurum; ſed an circa dogmata, quæ cognitu ſunt ad ſalutem neceſſaria, tanta ſit obſcuritas ſcripturæ, vt ſe explicare nequeat.* Quæritur Prædicans, vtrum, quod Lutherus delirando tradit; tanta ſit claritas & perſpicuitas ſcripturæ; vt nulla ſua parte ſit obſcura, & tenebris inuoluta; hoc, inquam, quæritur; Et hoc euertunt non modò omnia Bellarmini argumenta, ſed omnes propemodum argumentorum ſyllabæ. B

VIII. *Semper extra ſepta oberras noſter diſputator.*

IX. *Μηδὲν πρὸς ἔπος adfert diſputator.*

X. *Omnia, quæ vt obſcura, adfert Bellarminus clara ſunt.* Quibus? Mihi, ait Hunnius, & aliis Prædicantibus; *non fratribus ignorantiæ, qui interſunt concilio Pontificio.* An non habes egregiam reſponſionem ad argumenta Bellarminiana?

XI. *Impium eſt ob hanc vel illam ſententiolam obſcuriorem, totam ſcripturam arguere obſcuritatis.* Num facit hoc Bellarminus? Mentiris, quoties id aſſeris: Non enim totam hinc ſcripturam obſcuritatis; ſed Lutherum ſtultitiæ & delirij arguit & redarguit; affirmantem, nihil penitus in ſcripturis difficultatis & obſcuritatis eſſe, niſi ratione paucularum vocum minus vulgò cognitarum. C

XII. *ἀπροσδιόνυσον eſt, ob dictum aliquod nihil agens de dogmatibus, inferre velle obſcuritatē ſcripturæ circa dogmata tradenda.* Mirū, omitti illud; *μηδὲν πρὸς ἄλφιτα*; cum iam habuerimus: *ἀπροσδιόνυσον*, & *μηδὲν πρὸς ἔπος*, & ſimilia ex compitis à Prædicantibus collecta.

XIII. *Imperitia eſt, & oſcitantia, non attendere, quomodo ſcriptura per ſcripturas explicentur.*

XIV. *Iniquiſſimum eſt, propter imperitiam, & ruditatem fraterculorum in papatu, negligentium Hebrææ linguæ ſtudium, tribuere ſcripturis ipſis obſcuritatis vitium.* D

XV. *Dic tandem aliquid de tribus capellis.* Vides, opinor, nimis multa & efficacia à Bellarmino contra Lutheri deliramentum diſputari; Itaque vt inde lectorem auertas; ad *tres capellas* diuertis melior vtique *caprarius*; quàm animarum paſtor.

XVI. *De dogmatibus eſt quæſtio, non de his vel illis dictis.* Quæſtio eſt, (quoties dicendum?) Vtrum, vt Lutherus inſaniuit, tota ſcriptura ſit *lucidiſſima, apertiſſima & facillima.* Nos negamus; Et ad huius negationis euidentem demonſtrationem, & Lutheranæ ſtultitiæ manifeſtam redargutionem, tendunt omnia Bellarminiana argumenta; quæ adeo firma immotaque conſiſtunt; vt Præ-

Digitized by Google

dicantes ea nisi calumniando attingere non audeant.

XVII. ***Errat Bellarminus ignoratione aut occultatione status.*** Quomodo Bellarminus vel ignorat vel occultat statum, cum ex Luthero totum statum candidè & apertè lectori proposuerit? Lutherus dixit, totam scripturam, nulla eius parte excepta, esse *clarissimam, lucidissimam, facillimam, apertissimam.* Hoc assertum mendacij conuincimus ex tot commentariis ipsius Lutheri, & aliorum Prædicantium. Quid enim his opus, si Lutherus non stultescit, sed vera dicit? Neque Lutherani tantum edunt commentaria immania in ea scripturæ dicta, *quorum intelligentia non ita nobis ad salutem est necessaria*; vt loquitur Hunnius, sed etiam in ea; quæ cognitu ad salutem omnibus sunt necessaria; vt in articulos de Trinitate, de Incarnatione, de Eucharistia. Ad quid perditio operæ & impensæ, si hæc dogmata, etiam ex Hunnij & hodiernorum Prædicantium sententia, sunt apertissima & lucidissima prout in scriptura traduntur? His & id genus aliis machinis defendit se Prædicans à Bellarminianis telis.

Negat Hunnius Lutherum scripsisse; necessarium fore; *si diutius steterit mundus; vt ad Concilia, eorumq; decreta denuo confugiamus propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc passim regnant.* Quid ergo volunt sibi hæc Lutheri verba ex libro, qui inscribitur; *Defensio verborum cœnæ, accipite, comedite,* Tom. 7. Lat. VViteb. &c. *Si hæc mundi machina per aliquot annos durauerit, iterum more patrum ad tollendas dissensiones humana quærentur præsidia, constituenturq; leges, & decreta ad conciliandam, & seruandam in religione concordiam, quod quidem similem priori sortietur euentum.* An non hæc verba expressè continent; quod Luthero Bellarminus tribuit? An non dicit; fore, vt denuo homines ad concilia confugiant, seruandæ vnitatis & concordiæ caussa; & vt tot litibus ex varia scripturarum interpretatione enatis finem imponant?

At non placet Luthero, vt id fiat. Nec Bellarminus scripsit, placere aut placuisse. Scimus conciliorum hosti factum huiusmodi probari non potuisse; interim tamen vidit & palam confessus est; quid futurum atque adeo necessarium sit componendis dissidiis; si diutius steterit mundus; nimirum vt ad conciliorum decreta & definitiones redeatur; sine quibus nulla vnquam inter sectarios pax & amicitia coibit, dum quiuis, arbitratu suo, scripturas modulatur & interpretatur securus omnis synodicæ sanctionis & explanationis.

Maior est autem Hunnij impúdentia & vanitas, quàm vt vllo velo tegi possit; cum negat, Lutherũ in libro de *seruo arbitrio* scripsisse; totã scripturam, *quoad omnes suas partes claram, perspicuam, facilem & apertam esse*; ratione rerum, quas tractat. Quæso, quid clarius his Lutheri verbis supra iam recitatis. *De tota scriptura dico* (nota Præ-

A dicans, *de tota*) *nullam eius partem volo obscuram dici.* Vbi Prædicans, vt apertissimæ Lutheri vesaniæ mantelum aliquod iniiciat, hanc ad marginem, reclamante, opinor, conscientia, notam alleuit. *Nullam eius partem volo obscuram dici*: id est, *nullum in ea articulum*: cum Lutherus de tota simpliciter scriptura dicat, eam *claram* esse; & *nullam eius partem obscuram*; Scripturam totam *lampadem* lucentem esse, & si quæ pars huius *lampadis* non luceat, potius partem caliginosi loci, quàm partem *lampadis* fore. *Non sic*, inquit Lutherus, *illuminauit nos Christus, vt aliquam partem obscuram voluerit relictam nobis in suo verbo; dum nos ad illud iubet attendere, frustra enim attendere iubet, si non lucet.* At Deus iubet attendere ad totam scripturam; tota igitur scri-
B ptura, iudicio Lutheri, clara est ac lucida, instar *lampadis* vndequaque lucentis.

Nonne hæc itidem Lutheri verba sunt? *Id oportet apud Christianos esse inprimis ratum atq; firmissimum, scripturas sanctas esse lucem spiritualem, ipso sole longè clariorem, præsertim in iis, quæ pertinent ad salutem & necessitatem.* Vbi rursus totam scripturam facit sole clariorem, in omnibus quidẽ partibus suis, præcipuè verò in dogmatis, cunctis scitu & explicitè creditu necessariis. Itaque insigniter effrons est iste Prædicans, dum quod Lutherus apertissimè de tota scriptura affirmat, id ad sola dogmata prædicta restringit: quanquam & de articulis omnibus scitu & creditu explicitè necessariis falsum est, quod Lutherus vniuersè as-
C serit, vt ex ante dictis manifestum relinquitur.

CAPVT II.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

PROFERT & dissoluit Bellarminus vndecim argumenta hæreticorum, quibus probare volunt, scripturam esse per se claram & perspicuam. Primum sumitur ex cap. 30. Deuteronomij. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, nec in cœlo situm, neq; transmare. In qui-*
D *bus verbis summa quadam ostenditur scripturarum facilitas.* Respondet Bellarminus, *veteres hunc locum intellexisse non de facilitate intelligendi scripturas; sed, de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest gratiæ auxilium.* Occurrit VVitackerus: *Non est nostri instituti de sensu huius loci disputare, & quomodo sit ab Apostolo vsurpatus in cap. 10. ad Rom. quærere.*

Et tamen Hunnius adeò sui instituti censuit disputare de sensu huius loci; & quomodo sit ab Apostolis vsurpatus, vt verbosissimam, quanquam rerum inanissimam, hic sibi declamationem texendam existimarit; de qua postea. Quid ergo agit VVitackerus, quandoquidem de sensu loci non vult disputare? *Videndum tantum nobis est*, inquit, *num ex hoc loco concludi possit, scripturam faci-*

Digitized by Google

lem esse: quod quidem ex ipsis verbis patet: primò; quia dicit mandatum absconditum non esse: deinde, quia ait, non opus esse, vt in cælum aliquis ascendat, & nobis illud enuntiet: vel, vt mare transeamus, & illud in locis peregrinis quæramus: vbi, tollit excusationes illas, quibus homines vti solent: & concludit hoc verbum esse prope in ore, atq; in animo: ergò, ignotum nō fuit. Ita, sensus est, Dei voluntatem illis fuisse in scripturis apertam, vt eam non possent ignorare, aut ignorationis aliqua excusatione vti. Sed VVitackerus vendit fumos: Nam non probat locum istum de cognitione totius scripturæ accipi debere; neque hoc vnquam probare poterit. I. Quia Moyses non loquitur de tota scriptura; cum eius ætate tota necdum nata esset; summum loquitur de suis libris seu de pentateucho: ex hoc ergo loco, si ad intelligentiam scripturæ transferatur; tantū claritas & perspicuitas quinque librorum Moysis colligetur. Secundò; etiamsi daremus ad facilitatem cognoscendi totā scripturam pertinere; nimis multum tamē hinc efficeretur, quia contra ipsum VVitackerum, eiusque gregales concludere liceret, totam scripturam esse claram, facilem & perspicuam; quod isti nō concedunt; quia fatentur, plurima in scripturis esse difficilia & tenebris plena.

Adderemus ad extremum, scripturas esse verbum non absconditum; sed clarum, planum & perspicuum, quia per interpretationem maiorū fit planum, clarum & perspicuum. Hinc præcepit Moyses Deut. 31. vt septimo quoq; anno verba legis coram omni Israële à Sacerdotibus legerentur, qui tanquam Magistri, obscuris lucem explanationis accenderent, & rude vulgus erudirent. Sed clarum est verba illa Moysis vel Dei per Moysen, non esse intelligenda de tota scriptura, imò nec de totis libris Moysis; sed de Decalogo; neq; in hac prima responsione agit Bellarminus de facilitate cognoscendi decalogum; sed de facilitate adimplendi & exequendi.

Itaque VVitackerus cum hic de perspicuitate & facilitate totius scripturæ multa deblaterat; *extra oleas* fertur; vt Hunniana phrasi vtar. Omnia enim, quæ ibi Moyses locutus est; ad solam facilitatem exequendi Decalogi spectant; qui est *verbum non absconditum*; quia continet præcepta, quæ ipsa natura singulorum cordibus inscripsit. Et sic est sermo *iuxta quemuis*, & *in corde cuiusuis*, itemque *in ore*; omnes enim non furandum, non mœchandum, non falsum testimonium dicendum, prædicant. Neq; cum gratiæ auxilio obseruatio horum, ad quæ ipsa natura inclinat, adeo est difficilis, multoque minus impossibilis.

Secundò respondet VVitackerus: *Si verum sit, quod Patres isti dicunt, tum hoc multò magis cōcedendum est, quod nos contendimus. Nam, si facilè possunt impleri præcepta Dei, tum facilius certè intelligi queunt.* Facilè concedimus, non esse arduum cognoscere præcepta decalogi; cum ex ipso naturali lumine nota sint; & in singulorum mentibus resplendeant. Quid hinc extundet VVitackerus? Num hanc consequentiam? *Præcepta decalogi sunt intellectu facilia; ergo & tota scriptura?* Quid, nisi ludibriū, debebit doctis, si ita desipere instituat? Quod VVitackerus adiungit. *Lutheranos verè inficiari, legem Dei à nobis impleri posse*; id pulchrè conuenit cum illo Ioannis. *Et mandata eius grauia non sunt. Grauia non sunt, nō possunt ergo à nobis impleri.* Hæc nimirum est Lutherana argumentatio; cui gemella deliratio.

Secundò respondet Bellarminus, verba illa posse etiam accipi de facilitate cognoscendi & intelligendi decalogum. Vbi VVitackerus: *Certum est, Moysen illic loqui de tota Dei voluntate, quæ in toto verbo scripturisq; declaratur, atq; ita illum locum ad totam scripturam pertinere. Hortatur enim populum accuratè, vt in omnibus viis Domini ambulet, &c.* Sed certum est; si VVitackerus non mentitur, hinc sequi, totā scripturam esse facilem, claram & perspicuam; quia in toto verbo, scripturisq; declaratur nobis diuina voluntas. At VVitackerus cū Symmystis suis hoc abnuit. Nec refert, quòd Moyses ait, custodienda omnia *præcepta & ceremonias, quæ in hac lege* (hoc est, in Deuteronomio) *conscripta sunt*, quia in Decalogo omnia tanquam in Epitome quadam, comprehenduntur. Et qui Decalogum obseruat, omnia obseruat.

Ait VVitackerus. *Accipiamus, quod dat Bellarminus. Si enim Decalogum manifestum, ac facilem esse concedit, sequitur libros historicos, ac Propheticos multò faciliores esse, qui ferè quasi commentarij quidam sunt Decalogi, eiusq; planiorem, ac pleniorem in se expositionem continent.* Negatur hæc sequela, vel potius stultitia. Quis enim vnquā dixit, obscurissimam Ezechielis aut Danielis Prophetiam esse commentarium decalogi? *At vbiq; inculcatur Decalogus.* Meritò: quia vbiq; est necessarius. Si dicas: *Totam legem, & Prophetas pendere ex illis præceptis; diligendi Deum, & proximum; & ex his duobus, etiam ipsum decalogum; legem igitur & Prophetas clariores & faciliores esse; quàm Decalogum*, perinde est, ac si diceres; conclusiones pendere à principiis *generalissimis & notissimis*; ergo conclusiones notiores esse principiis.

Obiicit VVitackerus, *nonnullos hæc non de solo decalogo, sed de tota lege accipere*: at alij aliter sentiunt. Et quamuis de tota lege intelligerentur; quæso, nihilne est obscurum in omnibus quinq; libris Moysis; nihil caliginosum, nihil difficultatibus implicitum? Omniane in lege plana sunt & expedita? Nemo, opinor, hoc affirmauerit, nisi planè peregrinus & hospes in lege.

Sibrandus hic iterum totus est syllogisticus. Itaque in prima acie hunc syllogismum collocat. *Quod non est occultum à nobis, neq; est remotum à nobis, sed est nobis propinquum, in ore, & corde nostro, illud prorsus obscurum non est: sed verbum Dei non est occultum à nobis, neq; remotum à nobis; sed est nobis propinquum, in ore nostro, & in corde nostro. Ergò Verbum Dei non est prorsus obscurum.*

Subiungit Caluinista: *Bellarminus concessa Maiore, respondet ad Minorem, ac primum dicit Mosen loqui non de facilitate intelligendi scripturam, sed de facili-*

Digitized by Google

rate implendi: hoc probat testimonio Tertulliani, Ambrosij, Chrysostomi.

Sed triplex hic mendaciũ animaduerto. Nam Bellarminus nihil penitus nec de *Maiore*, nec de *Minore* dicit; quia nullum omnino syllogismum formauit; totus enim iste syllogismus Savvbrandicum figmentum est, non textura Bellarmini. Deinde mentitur, cum ait; *Bellarminum loqui non de facilitate cognoscendi; sed implendi scripturam.* Tertiò mentitur, Bellarminum, *hoc probare testimonio Tertulliani, Ambrosij, Chrysostomi*: Bellarminus enim in prima responsione, hunc locum non refert ad scripturam; sed ad solum Decalogum. nec ad facilitatem intelligendi decalogum; sed ad facilitatem exequendi; & hoc prædictorum patrum testimoniis probat. Itaque cum vmbris luctatur Sibrandus, quando hæc subdit. *Quod factu facile est; hoc etiam intellectu difficile non est: sed verbum Dei factu facilè est secundum hos Doctores; ergo intellectu difficile non est. Maior est manifesta: nam quod prorsus non intelligimus, hoc facere non possumus. Intelligentia enim actionem præcedit.* Respondeo, Caluinista vagatur *extra septa.* Nam Bellarminus & quos citat, non loquuntur de toto verbo Dei, sed de solo Decalogo; qui, vt facilis est executionis, ita etiam expeditæ est intellectionis. Deinde non probat Maiorem; sed aliquid aliud: Maior erat. *Quod factu facile est, hoc intellectu difficile non est.* Hæc si propius inspiciatur, falsa deprehenditur. Quid facilius, quàm se vel aliud corpus mouere? Quid difficilius intellectu, quàm motus? Quid facilius, quàm operationes vitales exercere; Et tamen quantis obscuritatibus istæ actiones inuolutæ sunt? An non omnes Philosophi in his explicandis sudant? Quid facilius, quàm agere vel pati? Quid actione & passione difficilius est ad intelligendum?

Subiungit Caluinista. *Hac responsione non contentus Bellarminus, addit alteram, nempe, posse etiam intelligi de facilitate cognoscendi. Quod, si ita est, habemus, quod volumus. Nam si verbum Dei facilè intelligitur, sequitur, illud prorsus obscurum non esse.* Bene habet. Futilitatem obiectionis tuæ ipsemet animaduertisti. Quocirca subdis. *Dicit Bellarminus, id tantùm de Decalogo intelligi debere: hoc probat; quod omne verbum Dei, quod nunc exstat, eo tempore non exstabat. Quod enim nondum est, hoc neq; facilè, neq; difficile esse potest. Sed verbum Dei tum præter Decalogum nullum erat. Ergò neq; facilè, neq; difficile esse potuit. Minor huius syllogismi est falsa.* Cur falsa? Eratne totum verbum Dei scriptum, quando Moyses seu voce seu scripto verba illa Deuter. 30. protulit? *Fuit*, inquis, *in paradiso promulgatum.* Num scriptum Dei verbum in Paradiso fuit promulgatum? Num totum, quod hodie exstat? O imposturam. Contendunt sectarij ex hoc loco Deuteronomij euincere Dei verbum scriptum esse clarum, dilucidum, intellectuque promptum & facile. Et ecce à scripto verbo transilit iste ad non scriptum, quo vitam actionesque suas gubernarunt illi, qui prius vi-

A uere desierunt, quàm verbum Dei in literas mitteretur. Sed en argumentationẽ: *Non scriptum Dei verbum intellectu est facile, ergo & scriptum.* Probatur consequentia. *Quia scriptum & non scriptum Dei verbum sunt vnum & idem verbum secundum substantiam.* Quis Caluinistæ huic concesserit; non scriptum Dei verbum omni difficultate carere?

Dicit Bellarminus. Fortasse nullas adhuc fuisse scripturas, quando Moyses prædicta verba, quæ Deut. 30. leguntur, protulit. Contra Sibrandus: *Quod dicit, falsum est. Cum enim Moyses Deuteronomium scriberet, quatuor priores libri scripti erant: vocatur enim Δεύτερος νόμος, quod lex in prioribus libris scripta, in hoc libro iteratur. Manifestum igitur est, quatuor priores libros, & triginta capita quinti libri eo tem-*
B *pore scripta esse.* Iunius quoque clamat; *falsum; vel Moysis ipsius testimonio: Erant enim perscripti mandato Dei, & in Ecclesia asseruabantur quatuor libri Mosis, & pars maxima Deuteronomij. vt ibidem testatur Moses Deut. 30. 10.* Impudentius Hunnius: *Moyses adhuc in monte agens cum Domino, iussus est scribere vniuersos sermones: Exod. 34. Idq; ipsum ab eo factum, testatur historia Exod. 24. Vbi iam tum scripsisse perhibetur vniuersos sermones Domini; & volumen illud ita conscriptum in actione fœderali respersisse sanguine.* Sed inprimis Prædicantes animaduertisse debebant, Bellarminũ, non absolutè dicere; nullas tunc fuisse scripturas, sed. *fortasse* nullas fuisse. Quod si quis Moysen vltimo vitæ tempore quatuor priores libros, & ipsum Deuteronomium cõscripsisse affirmet;
C quo solido argumento à Prædicantibus refelletur? Nam quod Iunius ait, ex cap. 30. Deut. constare, quatuor priores libros Moysis, cum parte maxima Deuteronomij in Ecclesia fuisse asseruatos, id ex illo capite nequaquam colligitur; cum de solo Deuteronomio ibi sermo sit; vt & cap. 31. vbi dicitur: *Scripsit itaq; Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus*, &c. Et; *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine atq; compleuit, præcepit Leuitis.* &c. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ Domini Dei vestri.* Sic quod cap. 30. dicitur; *Quæ in hac lege conscripta sunt*; id vt multum probet; Deuteronomij conscriptionem probabit: non tamen conscriptum iam fuisse, quando Moyses protulit verba illa: *Mandatum hoc, quod ego*
D *præcipio tibi hodie.* Nam pleraque quæ in Deuteronomio continentur, prius viua voce proposuit Moyses populo; quàm litteris mandaret.

Hunnij obiectio anile delirium est: cum putat id, quod Moysi imperatum est Exod. 34. fuisse à Moyse factum Exod. 24. Siccine Moyses exequi potuit mandatum Dei, antequam illud à Deo acciperet? An non id, quod Moyses capite 24. scripsisse dicitur; prius scripsit, quàm populus cum vitulo aureo idololatriam committeret? An non mandatum illud Exodi 34. accepit Moyses à Deo, postquam populus iam idololatriæ piaculo se obstrinxerat? Deinde quod attinet ad locum Exodi 34. idem dico Hunnio, quod iam dixi in Responso ad Theses Hunnianas; videli-

cet,

cet sermonem ibi esse nõ de vniuersis præceptis, A
sed de illis decem, quę continentur in Decalogo. Nam statim subditur de Moyse; *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem*. En, quid Moyses, iussu Dei, in litteras retulerit, verba nimirum *decem fœderis*, hoc est, decem præcepta. Ad hanc solutionem obmutuit Hunnius in colloquio Ratisponensi; & est, cum aliorum, tum S. Augustini in Exodum. *De Moyse dictum est*, inquit S. Augustin. quæst. 166. in Exod. *quod ipse scripserit: cui etiam* DEVS *paulò antè dixerat. scribe tibi verba hæc: Cum primùm verò legem accepit, cuius tabulas abiecit, & fregit, nec ipse excidisse dictus est tabulas lapideas; & modò dictum est; Excide tibi duas tabulas lapideas; nec ei dictum est, vt scriberet, sicut ei modò dicitur: nec eas ipse scripsisse narratur. sicut modò narrat scriptura, & dicit: scripsit in ta-* B
bulis testamenti decem verba: sed tunc dictum est; & dedit Moysi statim vt cessauit loqui ad eum in monte Sina, duas tabulas testamenti, tabulas lapideas, scriptas digito DEI.

Nec obstant verba Domini, initio capitis; *Præcide tibi duas tabulas lapideas, instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti*. Nam scripsit DEVS eo modo, quo rex dicere potest, se epistolam ad aliquem scribere, si per suum scribam, seu notarium scribat. hoc enim sibi iure tribuit, quod ministerio seruorum suorum efficit.

Caietanus tamen, Lipomanus, & alij in Exodum arbitrantur verba illa; *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem*; non de Moyse, sed de DEO acci- C
pienda; tum ob illud quod initio capitis legitur tum maximè propter illa, quæ Deut. 10. à Moyse commemorantur. Eo namque loco, testari videtur, *decem illa fœderis verba*, in tabulis posterioribus, non secus ac in prioribus ab eo conscripta fuisse. Sed parum interest, siue in hanc, siue in alteram sententiam concedamus. Nam & posterioris opinionis auctores, referunt illud Præceptum Moysi datum; *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israël fœdus pepigi*; tantummodo ad Decalogum: In hoc enim fœdus illud positum erat, vt manifestè patet, ex verbis illis: *& scripsit in tabulis verba fœderis decem*: Et hæc decem verba, aiunt, Moysen iussum esse scribere non in tabulis lapideis, sed in volumine legis. Ta- D
ceo, locum hunc eò minus ad Hunnij institutum facere, si non Moyses; sed DEVS decem illa fœderis verba scripsit.

Sic ille locus Exodi 24. *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini*, non indicat tunc litteris consignatum fuisse, quidquid vnquam Deus cum eo loquutus est; sed quidquid loquutus est, ex monte Sinai ardente, & fumante, partim ad vniuersum populum; partim ad Moysen solum; quæ describuntur in Exodo à cap. 20. vsq; ad 24. Initium cap. 20. est hoc; *Loquutusq; est Dominus cunctos sermones hos*; qui statim ibidem percensentur. De his dicitur deinceps cap. 24. *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini*; illos nimirum, *cunctos*, seu *vniuersos*, qui à cap. 20. vsq; ad 24. commemorantur; nisi quis in illud volumen fœderis, quod tunc Moyses scripsit, populoque audiente legit, existimet cum Caietano, etiã illa præcepta quæ cap. 12. & 13. Exod. continentur à Moyse relata fuisse. In eandem sententiam explicandum est illud Apostoli Heb. 9. ex cap. 24. Exod. *Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum*, &c. Hic verus est loci illius sensus, non ille; quem Prædicantes comminiscuntur, quasi ex his testimoniis colligi queat, totam Genesin, vel totam Exodum tum conscriptam fuisse: cum posterior locus tantum de conscriptione Decalogi; prior tantùm de certis quibusdam præceptis scripto comprehensis agat.

Dixerit quispiam: sit ita, vt affirmas; Nihilominus manifestum relinquitur, sacram scripturã exstitisse; antequã Moyses verba illa Deut. 30. vel scriberet, vel ore ad populum pronunciaret: quia volumen de quo Exodi 24. & tabulæ Decalogi de quibus Exodi 34. vtique scripturam sacrã continebant, vel potius sacra scriptura erant. Respondeo, ita mihi quoque videri; & Bellarminum non dixisse; nullas tum fuisse scripturas sacras, sed *forte* nullas fuisse; neque eas, quas Prædicantes fuisse contendunt.

Sed en ingruentem à latere syllogismum Sibrandicum: *Quidquid tempore Mosis scriptum fuit, hoc est intellectu facile, sed tempore Mosis quatuor priores libri, & maxima pars quinti libri scripta fuit: ergò quatuor priores libri, & maxima pars quinti libri non est intellectu difficilis*. Quàm vanus nugator Sibrandus. Non est quæstio, num tempore Moysis quinque libri Moysis conscripti fuerint; si enim Moyses illos scripsit; vtique tempore Moysis conscripti fuerunt; sed quæstio est, vtrum priores quatuor libri pleni & integri conscripti fuerint; quando Moyses protulit illa verba Deut. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie*, &c. Item, num hoc mandatum pertineat ad omnes priores libros, non tantum ad Decalogum. Bellarminus posterius negat. Prius in dubitatione ponit. Prædicantes vtrumque affirmant. Hæc quæstio est & controuersia; ex cuius vero sensu syllogismus verus contexendus erat: non ille fatuus & stolidus; cuius Maior plena est falsitatis; Quis Prædicantibus vnquam concessit, *omne id esse intellectu facile; quod tempore Moysis scriptum est?* Si Prædicantes non essent talpis cæciores, animaduerterent, se his & id genus aliis deliramentis propria sua dogmata euertere. An non fatentur multa esse in scripturis obscura, intricata & implicata? An nõ hoc etiam ad libros Moysis pertinet, præsertim ad Genesin? Estne Genesis vbique intellectu facilis & expedita?

Necdum finis ineptiarum Sibrandicarum. *Quatuor priores libri Mosis cum 30. capitibus quinti libri, non sunt intellectu difficiles, sed in iis scripta sunt, quæcunq; sunt ad salutem necessaria. Ergò, quæcunq; sunt ad salutem necessaria, illa non sunt intellectu difficilia.*

Prin-

A Principiò, libenter intelligerem, quis Caluiniano Maiorem concesserit; aut ex qua hypothesi illa sit vera? Secundò; si omnia ad salutem scitu & explicite creditu necessaria continentur in libris Moysis, sequitur, non esse necessarium ad salutem, vt præcipua Euangelicæ doctrinæ capita & dogmata explicitè sciamus & credamus; quod genus articulus de Incarnatione, passione & morte, Resurrectione & Ascensione Christi, quia hæc & similia non continentur in libris Moysis explicitè; sed tantum obscurè, ænigmaticè, multisque vmbrarum velis operta. Periculum est, ne Caluinistæ tandem solo pentateucho contenti sint; & reliquos libros omnes ex canone sacro dispungant.

B Pergit Sibrandus: *Alia ratione probari potest, tum plura, quàm solum Decalogum, scripta esse. Versu enim 10. meminit non tantum præceptorum, quæ sunt Decalogus, sed etiam statutorum, vel ceremoniarum, quæ non sunt in Decalogo. Et vers. 16. meminit non tantùm præceptorum, & statutorum, sed & iudiciorum, quæ etiam non sunt in Decalogo. At statuta, & iudicia eo tempore scripta erant. Falsum igitur, quod dicit Bellarminus, præter Decalogum eo tempore nihil scriptum fuisse.* Bellarminus non dixit absolutè, nihil tum scriptum fuisse; præter Decalogum, sed adiecit temperamentum per particulam *Fortasse.* Deinde, vt se Prædicantes in omnes partes vertant, nunquam perspicuè euincent, aliam tum fuisse scripturam præter Decalogum, & *librum* illum *fœderalem*, de quo Exod. 24. C tum, inquam, quando Moyses verba illa Deuter. 30. ad populum protulit: quia priusquam Deuteronomium conscriberet; pleraque Deuteronomij viua voce Israëlitis proposuerat. Quando ergo hæc & sequentia verba: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie*, &c. Moyses locutus est; nondum Deuteronomium conscripserat; & fortè neq; alios libros: non potuit igitur tunc Moyses ad scripturam respicere pronunciando illa verba: Nam quod v. 10. legimus: *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta eius, & cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt*; id non obstat. quia quando Moyses hæc populo proposuit; nihil de scriptura Deuteronomij dicere potuit; quandoquidem Deuteronomium necdum in litteras miserat; D sed postea cum sermones & conciones suas ad multitudinem scriptis mandauit; etiam scriptarum cæremoniarum & præceptorum meminit; quæ prius absque scripto viua voce, populo tradiderat. Inepta est ergo hæc Savvbrandi ratiocinatio. *Versu decimo fit mentio cæremoniarum & præceptorum; & v. 16. iudiciorum; ergo non solus Decalogus conscriptus erat; quando Moyses verba illa multitudini proposuit.* Quasi verò non potuerit pleraq; Deuteronomij prius populo proponere, & postea litteris mandare; neque vllo argumento probat Sibrandus *statuta & iudicia eo tempore quo Moyses verba illa locutus est, scripta fuisse*; sed absq; vlla probatione id asserit, consueta sibi futilitate impulsus.

A Ex qua prodiit etiam hoc argumentulum: *Si omnia illa sunt facilia, quæ illo tempore scripta erant; tum sequitur, omnia præcepta, statuta, & iudicia Iehouæ esse facilia. Illa enim omnia tum scripta erant. At, quidquid est ad salutem necessarium, hoc præceptis, statutis, & iudiciis Iehouæ continetur. Ergò, quod ad salutem necessarium est, hoc non est intellectu difficile.* Qualis syllogismus. Quàm informis & monstrosus. Posito nihil aliud tunc scriptum fuisse, quam Decalogum, negamus sequelam cum sua probatione. Falsum enim est, omnia statuta, præcepta, iudicia ideo fore intellectu facilia; si omnia, quæ tum scripta erant; fuêre intellectu facilia: quia præter Decalogum nihil scriptum erat, vt ponit hæc opinio; Quomodo igitur ex facilitate Decalogi colligeB mus parem facilitatem aliorum? Dices: alia continentur virtute in decalogo. Ita, sed num eam ob caussam sunt æquè facilia intellectu? Etiam remotæ conclusiones continentur in principiis generalibus. Num ideo conclusiones ęquè sunt faciles intellectu ac principia?

Iam cum dicit; *quidquid est ad salutem necessarium, id contineri præceptis, statutis & iudiciis Iehouæ.* Si hoc, vt videtur, intelligit de *præceptis, statutis, & iudiciis* Mosaicis, nescio qua ratione Sibrandum à Iudaismo excusem; nimis enim apertè *iudaizat*, si hoc affirmat. Deinde, cum, vt Nouatores tradunt; sola fides iustificet ac saluet, & per consequens, sola ad salutem sit necessaria; viderit Caluinista; quàm decretis suis constanter & conC sentaneè asserat; ea, quæ ad salutem necessaria sunt contineri præceptis, statutis & iudiciis Iehouæ; quia hæc plura complectuntur, quàm solam fidem.

Addit Sibrandus: *Si quis disputandi gratia concederet, solum Decalogum esse intellectu facilem, tamen obtineremus, quod volumus. Non enim dicimus totam scripturam facilem esse, sed quædam tantùm in scriptura esse facilia.* Primùm; non dixit Bellarminus, solum Decalogum in scripturis esse intellectu facilem; sed Moysen de solo decalogo locutum esse verbis illis: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi*, &c. Secundò, nunquam scripsit Bellarminus; omnia simpliciter in scripturis esse obscura; concedit quædam esse clara & satis perspicuè explicari: D quanquam & hæc ipsa claritas & perspicuitas interprete egeat, cum nihil sit tam euidens, quod non aliorsum rapi queat. Cur ergo vobiscum litigat Bellarminus? Ideo, quia Lutherus totam scripturam, omnesque eius partes dixit esse *lucidissimas, apertissimas, facillimas.* Deinde quia vos ipsi ea, quæ clara esse statuitis, ita clara esse statuitis; vt nullo alio interprete egeant, sed sua luce se interpretentur; & omnes controuersias componant. Denique, quia vt in factis, sic & in dictis inconstantes estis. Dicitis quædam in scripturis esse *clara*; quædam *obscura*; Et tamen illa Moysis asserta: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie*, &c. ad vniuersam scripturam pertinere clamitatis. Est ergo vniuersa scriptura *facilis, aperta*; nō supra

nos;

Digitized by Google

nos; neque *procul posita*; sed *iuxta nos, in ore nostro, & in corde nostro.* Quo fit, vt Bellarminus non frustra vobiscum luctetur; cum modò falsum, modò verum defendatis; quanquam non nisi multa falsitate admixta.

Tota scriptura, inquit Sibrandus, *diuiditur in legem, & Euangelia; &, quacunq; in veteri, & nouo testamento scripta sunt, illa sunt explicationes legis, & Euangelij. Vnde sequitur, dimidiam scriptura partem; vt pote qua vel legem tradit, vel eam explicat, etiam ex Bellarmini sententia esse facilem.*

Admittamus diuisionem in gratiam Sibrandi. Illud non assequimur; omnia, quæ in veteri & nouo testamento conscripta sunt; esse explicationes legis & Euangelij; hoc est, veteris & noui testamenti. Idē ergo seipsum explicat. *Nequaquam*, inquit Caluinista. Sed pars explicat partē. Quæro igitur? Vtrum Exodus explicet Genesin, an vice versa? Vtrum Deuteronomium explanet Psalterium, & Prouerbia Salomonis, an hęc Deuteronomium? Item vtrum Ezechiel interpretur Danielem, Hieremiam, Isaiam; & duodecim Minores Prophetas; an isti Ezechielem? Denique, vtrum Apocalypsis exponat Lucam & Acta Apostolorum; an hæc Apocalypsin? Quàm pulchro & eleganti ordine omnia distributa sunt. *Media pars veteris testamenti, explanat aliam mediam partem veteris testamenti; clara & facilis obscuriorem & difficiliorem. Idem contingit in nouo testamento.* Quis non miretur mirificam hanc diuisionem in partes tam æquales, hoc est, in duas *medietates*.

Hactenus Savvbrandus tantùm lusisse videtur; *nunc pedem paulo propius figit: Bellarminus concedit verbum Dei, de quo Moses loquitur, facile esse. At loquitur nō de aliqua parte, sed de toto Dei verbo.* Hoc negat Bellarminus. Tu probas. Loquitur de *præceptis, statutis & iudiciis.* Hoc iterum negat Bellarminus: Neque tu probas: De solo enim Decalogo loquitur verbis illis: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie,* &c. neque aliter hoc mandatum ad alia *præcepta, statuta & iudicia* extenditur; nisi quatenus virtute in Decalogo comprehenduntur. Prę terea, vt maximè concederetur, omnia præcepta; cæremonias & iudicia, quæ in lege Moysis continentur esse & fuisse Israëlitis facilia, num inde sequeretur; totam scripturam esse facilem & apertam? An in Genesi v. g. in Ezechiele & similibus libris nihil inest præter præcepta, cæremonias, & iudicia? Fuissent etiam hæc facilia populo; quia sensum omnium ex interpretatione Moysis audierat; Item, quia Sacerdotes & duces suppetebant; quos exorta dubitatione aliqua consulere licebat; & ex ore eorum veram sententiam haurire. Taceo, quod & hic Cæcilius noster cæcutit; dum Moysen de toto verbo Dei, tanquam facili, & claro, loqui; totumque verbum in præceptis, statutis & iudiciis situm scribit: Si totum verbum Dei in his tribus consistit; sique hæc tria sunt clara & perspicua; totum igitur Dei verbum erit clarum & perspicuū ex sententia Savv-

A brandi. Si hoc verum, mentitur ergo sibiq; contradicit, quando & hic & alibi passim clamitat, quædam duntaxat in scripturis esse clara; non omnia.

Addit. *Loqui Moysen de lege concedit Bellarminus.* De lege Decalogi, mi homo, non de tota lege. *Et loqui eum de Euangelio docet Paulus in Epist. ad Rom. cap. 10. v. 6. Loquitur enim de ea lege, quæ nobis affert iustitiam ex fide. Illa autem lex est Euangelij. Si igitur illud verbum, de quo loquitur Moyses, non est obscurum, sequitur, neq; legem, neq; Euangelium esse obscurum. Loquitur enim de lege, & Euangelio: At lege, & Euangelio comprehenditur totum Dei verbum. Ergo omne Dei verbum est intellectu facile.* Iterum & suum & suorum gregalium dogma euertit Savvbrandus; cuius an-
B tilogiam denuo contemplare. *Omne verbum Dei; seu,* quod idem; *totum Dei verbum, est intellectu facile. Quædam in verbo Dei clara sunt & facilia. Quædam, obscura & difficilia.* En constantiam Savvbrandicam. Deinde; quomodo & quo sensu S. Paulus Rom. 10. sententiam Moysis allegarit; non est opus hic inquirere. Videantur Interpretes Epist. ad Romanos, nominatim Toletus. Hoc dico; S. Paulum non loqui de scriptura; sed de prædicatione & acceptatione fidei: Ait enim, prædicationis verbum non esse arduum & difficile, ita vt capi nequeat; sed facilè & expeditum, præsertim accedente viua voce prædicatoris seu Interpretis; cum credituris fides in Christum proponatur, prout articulis quibusdam obuiis & secun-
C dum generalem quandam rationem non admodum arduis comprehenditur; quales sunt Articuli, de Christi incarnatione, passione, morte; resurrectione, ascensione, &c. Hoc namque significant illa Paulina verba. *Quid dicit scriptura?* Deut. 30. v. 14. *Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum* IESVM, *& in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis; saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Ecce quàm facile & expeditum est verbum fidei. At num scriptura nihil aliud continet, quàm quosdam articulos cuiuis fideli explicitè creditu necessarios? Et num isti ipsi articuli; si non tantum generatim, sed penitius & accura-
D tiùs inspiciantur; omni difficultate & obscuritate carent?

Hunnius hoc loco, verbosissimam declamationem, vel potius vociferationem, de variis capitibus texit; Et quidquid fermè controuersiarum est, infercit. Negat I. *Moysen loqui de facilitate cognoscendi vel implendi Decalogum; sed de verbo fidei; idq; sole clarius colligi ex Apostolo ad Rom. 10.* Neq; Bellarminus, neque vllus alius Catholicus nescit; verba illa Moysis ad verbum fidei & ad prædicationem Euangelicam translata esse; Interim neque hoc ignorant: Moysen etiam de præceptis Decalogi; vel, vt aliis videtur, de vniuersis, in Deuteronomio conscriptis locutū esse; id enim ipsa verba Moysis planū testatumq; faciunt, quæ

Digitized by Google

populum instruebant; quid in illo legis statu obseruare; & quibus ritibus Deum colere; quibusque iudiciis in controuersiis decidendis vti deberet. Interim Apostolus rectissimè eadem verba, vel sensu spirituali, vt nonnullis placet; vel sensu litterali quod magis probo, ad Euangelij prædicationem accõmodare potuit: cum, vt infra dicemus, eidem scripturæ loco plures sensus litterales substerni, eosque omnes scriptor Canonicus sibi tanquam scopum, propositas habere queat. Ex qua obseruatione ruunt omnia; quę hic ventosus Prædicans deblaterat; qui addit.

II. *Præcepta Decalogi esse obseruatu impoßibilia.* Cur ergo puniuntur fures & homicidæ?

III. *Concupiscentiam esse peccatum; etiam illam, quæ voluntatis consensu caret.* Antiqua est hæc & digna Prædicantibus nænia. Maximos igitur & sceleratissimos peccatores Prædicantes esse oportet; cum ipsimet passim fateri soleant, se huiusmodi *concupiscentiis* esse plenissimos? Dixerat Bellarminus: præcepta Decalogi facile intelligi, cum sint naturalia. Huic dicto calces obuertit Prædicans, instar muli, clamat enim:

IV. *Lex Dei consistit in hoc, vt Deum ex toto animo, & ex totis viribus diligamus, & proximum sicut nosmetipsos, hoc non potest corrupta natura facere; ergo non est verum, quod Bellarminus scribit; præcepta Decalogi esse intellectu facilia; quòd sint naturalia, hoc est, ipsius luminis, in singulorum animis à natura accensi; quidam radij & splendores.* Quid euidentius, & ingeniosius hoc Prædicantico syllogismo?

V. Quod Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Tertullianus, Augustinus, Moysis locum Deut. 30. explanent de facilitate implendi Decalogum; id sibi Hunnius persuadere nequit; *cum nihil huius generis*, etiam post *diligentem inquisitionem inuenerit.* Idem quiritatur Iunius; & querelam suam his verbis terminat. *Nescio, quid Bellarmino in mentem venerit, cum hæc patribus illis affingeret.*

Hæc mendacia pleniora sunt impudentiæ, quã vt dissimulari vel possint vel debeant: Nam quod ad Tertullianum attinet; is lib. 4. contra Marcionem cap. 27. expressè de legis, atque adeo Decalogi facilitate disputat; sic inter cætera scribens: *Totum exprobrationis hoc erat, quòd* (Pharisæi) *modica curabant, ei vtiq; cui maiora non exhibebant, dicenti, Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Paulò pòst. *Inuehitur* (Christus) *& in doctores ipsos legis, quod onerarent alios importabilibus oneribus, quæ ipsi ne digito quidem aggredi auderent; non legis onera suggillans, quasi detestator eius: quomodo enim detestator, qui cum maximè potiora legis prætereuntes incusabat, eleemosynam, & vocationem & dilectionem Dei; ne hæc quidem grauia, ne dum decimas rutarum, & munditias catinorum? Cæterum, excusandos potius censuisset, si importabilia portare possent.*

Similem locum de facilitate legis habet Tertullianus lib. 3. contra Marcionem; vbi etiam hac de re fusius disserit. Sed nil opus remotiora secta-

A ri. Nam libro quarto, contra Marcionẽ, cap. 35. disertè & palam Tertullianus commendatam in Deuteronomio legis facilitatẽ, ad eius obseruationẽ refert: Accipe Tertulliani verba. *Non venit,* inquit (Christus Luc. 17.) *regnum Dei cum obseruatione. Nec dicunt; ecce hic, ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Quis non ita interpretabitur, intra vos est, in manu, in potestate vestra: si audiatis, si faciatis Dei præceptũ? Quòd si in præcepto est Dei regnũ, propone igitur contra, secundũ nostras antitheses, Moysen, & vna sententia est. Præceptũ* (inquit Deut. 30.) *excelsum nõ est, nec longè à te. Nõ est in cælo, vt dicas, quis ascendet in cælũ, & deponet nobis illud, & auditum illud faciemus? Propè te est verbũ, in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis facere illud. Hoc erit: Non hic, nec illic. Ecce enim intra vos est re-*
B *gnum Dei.* Ex quibus liquidò apparet; qua fide & fronte Iunius & Hunnius Bellarminũ accusent; quasi Tertullianum mala fide citauerit.

Pari scelere negant Origenem, Ambrosium, & Chrysostomum rectè laudatos testes: Nam aut non inquisiuit Hunnius vtrum Bellarminus bona fide patres illos citarit; Et tum mentitur, cum ait; se *post diligentem inquisitionem* nihil reperisse: Aut inquisiuit; & tum mentitur, cum ait, se nihil inuenisse; nam tres Prædicti patres in cap. 10 Epist. ad Rom. disertis verbis explicant locum Deuteronomij de facilitate implendi præcepta; nisi forte Hunnius clausis oculis quæsiuit; At neque hac ratione mendacij culpam effugiet; nam clausis vel nictantibus oculis quærere; nõ
C est *diligenter inquirere.*

Mentitur & Iunius, cum dicit, *neq; Origenẽ neq; Ambrosium, neq; Chrysostomũ, neq; Augustinum retulisse verba Deuteronomij ad præcepta; sed ad doctrinã fidei, & ad apprehensionem illius per fidem.* Ita Prædicans: qui dicat velim; An non in vera doctrina fidei comprehendatur & includatur quoque obseruatio mandatorũ? Quorsum & ad quos spectat illud? *Si vis ad vitã ingredi, serua mandata.* Licet ergo prędicti patres verba Moysis explicassent de doctrina fidei & vera veræ fidei apprehensione, (vera, inq; non Lutherana aut Caluiniana; quæ non est vera veræ fidei apprehẽsio, sed vana imaginatio) simul etiam de præceptis explicassent; quia in veræ fidei doctrina, eiusq; vera apprehensione includũ-
D tur pręcepta, eorumq; obseruatio. Deinde, quàm Iunius temerè quiduis asserat; patebit ex verbis vnius horum patrum nimirũ D. Augustini; qui inter cętera, etiã sic scribit lib. de *perfectione iustitiæ* contra Cælestium: *Nec aliam ob caussam scriptura cõmemorat nõ esse grauia diuina præcepta, nisi vt anima, quæ illa grauia sentit, intelligat, se nondũ accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini, qualia cõmendantur, leuia scilicet, atq; suauia, & oret gemitu volũtatis, vt impetret donũ facilitatis. Qui enim dicit; fiat cor meũ immaculatũ, &c. Et cætera huiusmodi, q̃ cõmemorare longũ est, hoc vtiq; orat, vt pcepta Dei faciat, q̃, vt fierẽt, nec iuberetur, si nihil ibi nostræ voluntas ageret: nec oraretur, si sola sufficeret. Cõmendantur ergò, nõ esse grauia, vt cui grauia sunt, intelligat nondũ se accepisse donũ, quo grauia nõ sint; nec arbitretur ea se per-*

ficere,

ficere, quando ita facit, vt grauia sint, &c. *Audiamus ergò & in his testimoniis, quæ deinde posuit, Deū sua præcepta non grauia commendantē: In Deuteronomio; Deut 30. Si cōuersus fueris ad Dominū Deum tuū ex toto corde tuo. & ex tota anima tua: quia mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est graue, neq; longè à te est. Non est in cælo, vt dicas, quis ascendet in cælum.* &c. Hæc & alia D. Augustinus, qui similia prorsus scribit in lib. de natura & gratia cap. 69. Ex quibus planum euadit, quàm verè dicat Iunius Augustinum Deuteronomij locum non interpretari de facilitate implendi præcepta cum gratiæ auxilio. Simili fide & candore de tribus reliquis patribus id affirmat.

Ne verò Danæum tacitum prætereamus, videndum est, quibus ille responsis solutiones Bellarminianas labefactare tentet. Ait: *Ad primum nostrorum argumentum respondet Bellarminus: Mandatum Dei, quod legem Decalogi continet, esse intellectu facile; quia est naturale. Fallitur, si de serie sententiarum Mosis, aut legis, de significatione Grammatica vocum, de robore argumentorum Decalogi, & artificio intelligit; sin autem de summa doctrinæ, verum.*

En quàm pulchrè concinat Caluinianus iste cum Sibrando, VVitackero, & aliis; qui in præceptis Decalogi cognoscendis summam facilitatem agnoscunt & prædicant: Nec immeritò: Quæ enim est difficultas in hoc præcepto intelligendo? *Non occides. Non furaberis, siue seriem sententiarum Moysis, aut legis, siue significationem Grammaticam vocum, siue robur argumentorum Decalogi & artificium consideremus.* Nam quód Germanus v. g. linguæ Latinæ ignarus, non intelligit; cum audit; *non occides; non furaberis*; id non obstat; proponatur ei Germanicè; statimque vim præcepti assequetur. Quod si peregrina alicui lingua rebus ipsis obscuritatem pareret; tum nihil penitus clarum esset; quia nihil est, quod non posit lingua alicui ignota efferri. Verius & aptius locutus fuisset Danæus, si dixisset, præcepta Decalogi esse facilia intellectu secundum generalē quandam doctrinæ rationem; difficilia, secundum specialem magisque distinctam, & enucleatam doctrinæ explicationem, quæ complectitur veras notiones, &, vt vocant, quidditates earum rerum, quæ in Decalogo præcipiuntur vel interdicuntur; item, quid quodlibet præceptum virtute contineat; & quousque intendatur; & quibus limitibus circumscribatur: Horum enim omnium cognitio ardua est & perquam difficilis, vt testantur tot commentarij, etiam à sectariis, in solum Decalogum editi.

Addit Danæus. *Eadem sacra scriptura in reliquis partibus suis, quod ad summam doctrinæ eodem modo agit, & facilis est: quod ad peculiarē explanationem, vbiq; difficilis.* Quæ rursus non satis consonant cum aliorū Nouatorum, placitis; qui volunt multa esse in scripturis obscura, etiam quoad *summam doctrinæ*, seu generalem quandam cognitionem: at iste Caluini discipulus, omnia plana & expedita statuit. Rursus alij, quædam tam clara & facilia faciunt; vt etiam, quoad peculiarem explanationē nullam in illis difficultatem agnoscere videantur. At iste omnia in scriptura difficultatibus plena fatetur, si res significatas non tantùm obiter, & quasi in summa superficie inspiciamus; sed ex oculis ad interiora penetrare velimus: neque malè quoad hoc sentit; etsi cum suis vix consentit. Neque hoc Bellarminum latuit.

Eiusmodi peculiaris locorum explanatio est certorum artificum, inquit Danæus, *nempe Grammaticorum, Rhetorum, Dialecticorum; quas artes pleriq; Christiani non didicerunt.* Hic primò nō iniuria miretur quis, cur peculiarem & magis enodatam enucleatamque scripturæ explanationem tribuat Grammaticis, Rhetoribus & Dialecticis; nulla penitus Theologorum mentione facta. Certè Ecclesia nunquam peius habuit, quàm his temporibus, quibus Grammatici, Rhetores, Dialectici in sacras litteras inuolarunt, & omnia fœdo suo contactu conspurcarunt. Fortè voluit dicere; Theologum, qui scripturas rectè interpretari velit his disciplinis instructum esse debere. Quod nō diffitemur; sed quare veritatem non apertè proponit Danæus? Deinde, cum, vt scribit Danæus, pleriq; Christiani harum scientiarum rudes sint & ignari, mirū est; cur Prædicantes clamosissimis vocibus, etiā rudissimos & imperitissimos quosque ad scripturarum lectionem inuitare, imo & incitare soleant. Conuicium autē Caluinisticum est; cum ait; *ne Patres quidem, qualis Haimo, Rupertus, Rhabanus, Abulensis & similes, harum artium ad scripturæ cognitionem necessariarum fuisse peritos*: quos tamē plus Dialecticæ vno in digito, quàm Danæum in toto corpore habuisse, mihi certum est; vt & omnibus illis, qui, quanta sit Hæreticorum iactantia; & cum hac coniuncta inscientia; exploratum habent.

Secundum argumentum sectariorum sumitur ex Psalmo 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Et Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbū tuum. Et; Declaratio sermonum tuorum illuminat*: Et Prouer. 6. *Mandatū lucerna est, & lex lux. Ex his & huiusmodi locis constat*, inquit VVitackerus, *verbum non ita obscurum esse, vt intelligi nequeat, sed perspicuum esse ac manifestum.* Quis vnquam dixit, verbum Dei ita obscurū esse, vt intelligi nequeat; accedente nimirū fido interprete? Ad hoc secundum argumentū dupliciter respōdet Bellarminus; his locis agi nō de vniuersis scripturis; sed tantū de pręceptis *Dominicis*.

Occurrit VVitackerus, *hoc apertè falsum esse.* Nam Psal. 118. *Dauid totum verbum Dei prolixè laudat. & petit à Deo, vt totum sciat, non eius partem modò aliquam: atq; in Psal. 18. de duabus illis rebus verba facit, quæ Deum nobis ostendant, atq; prædicent: & quibus homines ad Dei cognitionem perueniant; nempe de creaturis, & de Verbo Dei, quod etiam ibi multis ab eo nominibus insignitur. Vocatur enim lex, vel doctrina Domini, testimonium Domini, statuta Domini, præcepta Domini, timor Domini, metonymicè; quia, docet nos timorem, reuerentiamq; Domini:*

Digitized by Google

& hanc doctrinam ait esse integram, ac perfectam, & afferre sapientiã imperitis. Non ergò parte aliquã intellexit, sed totam scripturã, vera perfectaq́; sapientia magistrã. In quibus tam multis verbis nihil inuenias, quod Bellarminus; vel quicunq; hanc primã responsionem tueri cupit, vnâ negationis liturâ delere non valeat. Nihil enim probat; sed tantũ affirmat VVitackerus: Quis solummodò affirmanti fidem habeat? Neq; est quæstio, vtrum in aliquibus locis Psalmi 118. sed vtrum illa ad totũ verbum pertineant: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: Et: *Declaratio sermonũ tuorũ illuminat*. Item, num illud ex Psal. 18 *Præceptũ Domini lucidũ, illuminans oculos*; ad totum verbũ spectet; an ad sola præcepta, non autem, num in illo Psalmo aliquid reperiri posit, quod ad totum verbum pertineat. Et quidem ad sola præcepta referri debere; suadent, quæ proximè subiiciuntur: *Etenim seruus tuus custodit ea; in custodiendis illis* (vtique præceptis) *retributio multa*. Cum porro VVitackerus & alij Prædicantes tam contentiosè contendant, illa: *Præceptum Domini lucidum*, &c. Et: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine*; de tota scriptura accipienda esse; quærere ex illis licebit; qua constantiâ affirment; quædam in scripturis esse obscura; quædam clara. Si totum verbum est *lucidum*; quomodo in eo multa sunt obscura & tenebricosa? Si totum verbum est *lucerna* ardens & lucens nobis per se, absque explanatione (sic enim hoc suum dogma intelligere debent; si consentanea sibi velint loqui) qua ratione in eo multa sunt caliginosa, & intellectu ardua?

Savvbrandus more suo syllogismis rem agit: *Quod efficit hominem sapientem, & illuminat oculos nostros; item, quod pedes nostros dirigit, & in via lumen est: hoc adeò clarum est, vt veram sententiam in rebus controuersis ostendere posit. Sed verbum Dei efficit hominem sapientem, & illuminat oculos nostros, dirigit pedes nostros, est nobis lumen in via, & affert nobis lucem. Ergò verbum Dei adeò clarum est, vt veram sententiam in rebus controuersis ostendere posit.* Subdit Caluinista: *Bellarminus concessa Maiore, respondet ad Minorem, & dicit, hoc non de tota scriptura, sed de aliqua parte, nempe de lege Decalogi intelligendum esse.* Vane Nouator. Vbi nam Bellarminus Maiorem huius syllogismi concesit; & Minorem non de tota lege, sed de parte legis intelligendam esse docuit, cum huius syllogismi, quem ex cerebro tuo procudisti, ne verbulo quidem meminerit. Tua hæc sunt commenta, ne dicam deliramenta, necdum nata, & in lucem edita; quando Bellarminus suos commentarios euulgauit: qui febriculosi tui syllogismi Maiorem nunquam absque distinctione concederet; Diceret enim: si Maior hoc sensu accipiatur: Quod per se absque Interprete & explanatore efficit hominem sapientem, & illuminat oculos nostros; item quod per se, absque vllo directore pedes nostros dirigit, & in via lumen est absque vllo, qui lumen illud nobis expandat, ablato tegumento; & præferat; hoc adeo clarum est; vt absque Interprete veram sententiam in rebus controuersis ostendere possit: Si, inquam, Maior hoc sensu accipiatur; vera erit; sed falsa Minor; Negamus enim verbum efficere *hominem sapientem, & illuminare oculos* absque Interprete; vel *dirigere pedes* absque directore; vel esse *lumen*, lucemue afferre, absque adiutore; qui lumen hoc nobis proponat, oculisque nostris obiiciat. Si autem Maior in hunc modum formetur. *Quod efficit hominem sapientem, & illuminat oculos nostros, item quod pedes nostros dirigit, & in via lumen est; hoc adeo clarum est; vt absq; interprete veram in rebus controuersis sententiam ostendere posit*; tum negatur Maior. Nam & Metaphysica, vt rem exemplo declarem; & Mathematica efficiunt hominem sapientem; & illuminant oculos; & sunt in via lumen quoddam; & dirigunt intellectum; sed num idcirco tam sunt lucidæ, claræ & perspicuæ, vt nullo egeant Interprete; vtque sua ope, absque explanatoris interuentu, sufficiant ad omnes controuersias Metaphysicas vel Mathematicas dirimendas? Istæ etiam scientiæ *præstant sapientiam paruulis*, hoc est, auditoribus initio rudibus & imperitis. Num absque doctore sapientiam istam rudibus initiò auditoribus præstant?

Oppugnat Sibrandus primũ responsum Bellarmini, eodem ferè modo, quo VVitackerus: nimirum nudè asseuerando loca illa ex Psalmis intelligi de toto verbo; non tantum de præceptis; quam tamen suam asseuerationem nullo argumento probabilem reddit. Nam quod ait; Psalmo 18. fieri mentionem legis & testimonij: Quid hoc ad Bellarminum; qui de his duntaxat Psal. 18. verbis loquitur: *Præceptum Domini lucidum*; eaque ad sola præcepta pertinere dicit? Sic non obstat: quod ibidem canit Propheta. *Lex Domini immaculata, conuertens animas*: quia Bellarminus non de his verbis disputat: sed de illis; *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Frustra igitur Bellarminum Bellarmino opponit Sibrandus, cum ait in solutione primi argumenti, Dauidem nomine *legis* intelligere omnes diuinas scripturas; nam in Responso ad secundum, nihil dicit Bellarminus, quomodo B. Dauid *legis* nomen vsurpet; sed tantùm agit de illis duobus locis; *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Et: *Declaratio sermonum tuorum illuminat*. Quo loco diligenter obseruandum est; quod dicit: *Declaratio sermonum tuorum illuminat*: non igitur ipsi sermones in se; & à nullo declarati illuminant. Sic ipsum in se verbum non erit nobis *lucerna, lux, lumen, directio*; nisi declaretur; quia *declaratio illuminat*: Ergo & verbum declaratum illuminat; non declaratum, non illuminat.

Producit Caluinista S. Augustinum serm. 23. in Psal. 118. affirmantem, *totum verbum esse lucernã, non*

tantum

tantum partem eius. Hoc non negat Bellarminus, vt patet ex secunda solutione; quam mox subiicit. Interim sua etiam verisimilitudo manet primæ huic sententiæ seu responsioni; in quam Hunnius furiosè, vt solet, impetum facit: his spiculis armatus. I. *Nomine præceptorum intelligitur totum Verbum Dei in illo Psalmi loco: Præceptum Domini lucidum: ergo malè sentit Bellarminus.* Probatur consequentia. Quia Hunnius hoc dicit; Nemo igitur amplius dissentiat. Nemo adamantinam hanc probationem repudiet, aut in Hunnianam offensam incidet.

II. *Propheta eos effectus tribuit præcepto; qui in præcepta Decalogi & alia competere nequeunt; vt, quod lætificet cor; illuminet oculos, id est, consolationem & lætitiam spiritualem excitet. At lex Decalogi terret potius hominum corda, quippe damnationem prædicans. 2. Cor. 3.* Ergo Bellarminus perperam explicat locum illum Psalmistæ de præceptis. Cur verò præcepta Dei adeo terrent Prædicantes? Fortè, quia illa non obseruant. Non enim video caussam; cur præceptum illud: *Non occides; non furaberis, non mœchaberis*; quenquam perterrefacere debeat, qui non sit homicida; fur, adulter: quiq; Deum assiduè precetur; vt diuina gratia adiutus, à talibus criminibus immunem vitam ducat. Neque præcepta Decalogi, & alia obseruantur à Christianis, vt olim à Iudæis, *seruiliter*; qui ad officium, etiam pœnis temporalibus à Deo constitutis compelli debeant; sed custodiuntur, vt sic dicam, *filialiter*, ex amore placendi Deo, eique sincero corde perpetim famulandi.

III. *De verbo, quo decantat Propheta, prædicatur, quòd auro, & lapide pretioso desiderabilius, quod melle, & fauo dulcius sit. Quod encomium, cum absurdissimum sit, aptare legi, sine adiuncto Euangelio (sic enim lex terribilis potius est, ob fulmen maledictionis in eos omnes, qui non in omnibus manent, quæ scripta sunt in libro legis:) sequitur irrefutabiliter Iesuiticam glossam esse falsam.* Quis præcepta vel legem seiungit ab Euangelio? Nullus profectò Christianus; quod si hoc scelus committit Iudæus appella: quid ad nos? Cur verò in Decalogum, & alia præcepta diuina; qua talia, competere non potest illud elogium; vt dicantur, *auro & lapide pretioso desiderabiliora, & dulciora super mel & fauum?* Fortè ideo; quia nonnulli ex Lutheri ouis exclusi pulli non horruerunt palam scribere: Decalogus gehöret auff daß Rahthauß / nicht auff den Predigstuel. *Decalogus pertinet ad prætorium, non ad cathedram Ecclesiasticam.* Item. Alle die mit Mose vmbgehen / müssen zum Teuffel fahren / an Galgen mit Mose. *Omnes, qui cum Mose se occupant, ad Diabolum ibunt. Ad furcam cum Mose.* Hæc scilicet & alia ex schola Lutheri in Mosen & Decalogum iacta conuicia, effecerunt, vt encomiis illis Propheticis affici amplius nequeant, vide secundum Tom. Lutheri Lat. VViteb. 1582. fol. 400. b.

Thrasonismus ille; *sequitur irrefutabiliter*; stultæ loquacitatis dignum est operculum: quoties enim Hunnius extremè delirauit; hoc vel simile quid subiicit: *Ex hoc irrefragabiliter, imò ἀδιαμαχήτως, conclusum manet. Nunquam soluetur hoc argumentum in omnem sempiternitatem, seu, quod sonantius; æuiternitatem.* Quibus verborum bombis terrentur imperiti; ad risum mouentur periti.

IV. *Si non acquiescit in hoc responso Bellarminus, age mecum in ius ambulet; & caussam mecum disceptet coram Apostolo Paulo.* Quis hac verborum granditate non commoueretur; si Hunnianum genium ignoraret? An non crederet Bellarmino exitium imminere, si turgidis promissis facta responsura existimaret? Quid ex bullis istis nascitur? Ridicula consequentia. *Apostolus Rom. 10. refert illum versiculum Psalmi 18. In omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum, ad Prædicationem Euangelij factam per Apostolos: ergo falsum est, quod Bellarminus scribit; versiculum illum, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos; pertinere tantum ad præcepta.* Quid vnquam collectum certius, aut conclusum firmius?

Sed en acutiorem adhuc subtilitatem. *Si tempore Dauidis verbum Dei erat lucidum; si illuminabat oculos, si sapientiam præstabat paruulis; multò magis iam totum lucidum censeri debebit; quia post B. Dauidem edita sunt multa scripta prophetica lucidissima*; præsertim Ezechiel & Daniel; & plerique ex duodecim Minoribus Prophetis, qui vbique sole clarius lucent: & per mediam lucem incedunt, sine vllis obscuritatibus; vt taceam scripta Euangelica, præcipuè Apocalypsin; quæ tam clara est, vt vel sola sat lucis nouo & veteri testamento impertiat. *Præter meritum ergo Pontificij scripturis obscuritatem impingunt, cum tot lumina tam lucida, & soles tam radiosi sese mutuò clarissimè illustrent; dispulsis omnibus nebulis.* Si quæras ex Prædicante; si totum Dei verbum lucidum est & caliginis expers; quomodo ex ipsius sententia, quædam sint in scripturis obscura? respondebit: Vtrumque vero consonare: per gratiam enim quinti Euangelij rerum naturas iam esse permutatas; ita vt non tantùm contraria, sed & contradictoria pariter sint vera: cuius beneficij caussa, quis non videt Prædicantibus amplas deberi gratias; præsertim quando accedunt illæ phaleræ.

V. *Bellarminus disputat vt cæcus de colore.*

VI. *Ruit omne, quod falso suo interpretamento superstruxit aduersarius.*

VII. *Bellarminus non intelligit rectè*, hoc est, Lutheranè *legem illam: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

VIII. *Si rectè*, hoc est, hæreticè, *intelligeret; nunquam affirmaret, Decalogum renatis obseruatu facilem esse.*

IX. *Sicut pertinaciter passim contendit in suis impuris scriptis*; vt calumniatur impurus Prædicans, qui solis conuiciis & thrasonismis Bellarminum obruere conatur.

X. *Immani audacia scribit Bellarminus in Psalmo 18. tantum agi de praeceptis Dominicis.* Immaniter mentitur Prædicans, cum hoc Bellarmino imponit; quia Bellarminus disputat non de toto Psalmo; sed de versiculo illo: *Praeceptum Domini lucidum, &c.*

XI. *Bellarminus in faciem contradicit Augustino; illud; Lucerna pedibus meis, &c. de sanctis scripturis omnibus interpretanti.* At Prædicans palam in conspectu omnium mentitur; quia Bellarminus in secunda solutione Augustini explicationē & sententiam approbat. Hactenus de prima Bellarmini responsione ad secundum sectariorum argumentum.

Secundum Bellarmini responsum est istud. *Dici potest agi quidem de scripturis omnibus, sed scripturas dici lucidas, imò lucem & lucernam, non quod facilè intelligantur, sed quod intellecta cum fuerint, mentem illustrant. Respondeo,* inquit VVitackerus, *ideo lucernam vocari, quòd in se lucem, & claritatem habeat, qua alios illuminat, nisi aut planè caeci sint, aut sponte oculos ab hac luce auertant.* More videlicet vestro; qui vobis hanc lucernam probè intueri videmini; quando oculos in tenebras plusquam AEgyptiacas defigitis. Accipe paucis quomodo verbum Dei sit nobis lucerna. Lucerna nobis est prout ponitur supra candelabrum EcclesiæCatholicæ, nō vt supra Lutheri aut Caluini tripodē collocatur. Hoc candelabrum; quid aliud est, quam Ecclesiasticæ traditionis Canon; cum quo coniuncta scriptura; iam lucet & radios suos ad omnes in domo Ecclesię degētes mittit: & nisi supra hoc ecclesiasticæ explicationis & interpretationis quasi candelabrum lucerna verbi Dei statuatur; nunquam lucebit; quidquid tandē moliaris; neque vlli in *actu secundo* lucerna erit. Vt enim Sol nō lucet nobis, nisi in cælo & ex cælo; sic lampas ista nos nec illuminat, nec caliginem mentis dissipat, nisi in Ecclesia, & ex Ecclesiæ adytis. Clament Prædicantes ad rauim vsque: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Falleris, non est tibi lucerna; non lucet tibi. Decipis te & alios: aut si qui veritatis radij ex hac lucerna tibi allucent; ex lampade, quatenus supra Ecclesiæ candelabrum posita est, tibi, quamuis extra eius septa vaganti, allucent.

Quod supra attigi de Metaphysica & Mathematica; id & hic tangam. Vtraque lucerna est. Vtraque illuminat. At vbi lucerna ista hominibus lucet? Num in casis & tuguriis rusticorum? Minimè gentium; sed in scholis Philosophorum & Mathematicorum; hic lucet, hic illuminat: hic sapientiā animos imbuit, quia hic explicatur & explanatur. Hic obscura quæque elucidantur. Hic innodata doctè enodantur. Hic intricata clarè extricantur. Eadem est ratio in nostro proposito. Est scriptura lucerna; non quod per se nobis luceat; sed quia quando ab Ecclesia explicatur, tum nobis lucet; tum mentes nostras

A radiis coruscis collustrat: vno verbo, tum vera nobis est lucerna.

Lucerna, inquit VVitackerus, *aspicitur ab his, qui oculos habent; qui verò caeci sunt, iis nulla lucerna lumen ostendit.* Quid verò si oculos habeant, nec tamen videant; & lampadem quidem ipsam quasi materialiter aspiciant; non autem id quod in lampade seu lucerna est formale ac præcipuum: lucem nimirum? Metaphysica, vt dixi, lucerna est: Hanc aspiciat imperitus quispiam, etiam Latinæ linguæ alioqui gnarus, sed Philosophicæ scientiæ ignarus. Videt iste lucernam. Num ei lucet? Nihil minus. Quia non videt luce interpretationis accensam; sine qua illuminari nequit. Etiam Eunuchus ille legens Isaiam, vi-

B debat Lucernam; & tamen non lucebat illi; quia lux interpretationis deerat; quæ lucem lucernæ in apertum proferret, sicut postea protulit Philippus.

Hanc eandem secundam responsionem refellere aggreditur Sibrandus mendacio. Ait: *Concedit Bellarminus Dauidem agere de tota scriptura, & hanc dicit esse lumen, & lucem, &c. non quòd lumen in se habeat, sed quòd intellecta lucem afferat.* At Caluinista impudenter mentitur; non enim negat Bellarminus scripturam *in se lumen habere*; sed docet dici lucidam, imò lucem & lucernam, non quòd facilè intelligatur, sed quòd intellecta cum fuerit, mentem illustret. Non negat igitur scripturam in se lucem esse, & lumen ha-

C bere; sed negat hoc lumen nobis aliter affulgere, nisi beneficio intelligentiæ, quæ non venit, nisi ex interpretatione & explanatione Ecclesiæ. Vt enim is, qui affirmat Physicam aut Metaphysicam esse lucidam, imo lucem & lucernam, eo quod intellecta mentem illustret, nequaquam asserit Physicam aut Metaphysicam in se nullum lumen habere; sed lumen hoc ad nos non nisi per interpretationem redundare; ita & de sacris litteris cogita.

Addit Caluinista. *Non quia scriptura intellecta illustrat, ideo lux est; sed quia lux est, ideo illuminat & lucem adfert.* Sed Savvbrandus Sycophantam agit: non enim agit Bellarminus de luce scripturæ, vt est in se; sed respectu nostri. Qua

D quidem habitudine certum est, scripturam neque esse lucidam, neque lucem, nisi quia & quatenus nos illuminat: quemadmodum & sol nobis neque est lucidus, neque lux, nisi quatenus visu percipitur; licet in se sit lucidissimus. Quocirca ruunt hæc Caluinistæ nugamenta: *Sicut Sol lucidus est, etiamsi omnes homines essent caeci; eodem etiam modo scriptura lucida est, etiamsi omnes homines suos oculos ab ea auerterent.* Lucidus esset hoc casu Sol; sed sibi, non nobis, sicut noctu lucidus est, non nobis in hac mundi parte versantibus; sed sibi; vel aliis, qui eum tunc intuentur.

Neq; tamen negamus, inquit Hæreticus, *scripturam intellectam illuminare mentes nostras; sed, non propterea*

lucida

lucida est, quòd à nobis intelligitur. At nobis propterea lucida & lux est, quia à nobis intelligitur: & ideo intelligitur, quia interpretatio adhibetur.

Obiicit Caluinista: *Ita illius lux penderet à nostra intelligentia; &, si nos intelligeremus, esset lucida: si verò non intelligeremus, non esset lucida.* Nobis fit lucida; quando eam intelligimus. Lucida nobis non est; quando eam non intelligimus. Sicut sol nobis lucidus est; quando lucem intuemur; lucidus non est, quando nec solem, neque solis lucem aspicimus, aut apprehendimus: Sic vt nobis lucida sit & lux; à nobis pendet; quemadmodum à nobis pendet, vt sol sit nobis lux & lucidus.

Instat Caluinista: *Si hic homo scripturam intelligeret, esset lucida; si alter eam non intelligeret, non esset lucida: atque ita vno, eodemque tempore, esset lucida, & non lucida. Vtrumque æquè absurdum.* Lucida esset, & non esset lucida respectu diuersorum: Quæ in hoc contradictio? Idem sol vigilanti, & oculos aperienti lucidus est: dormienti, vel oculos claudenti, vel planè cœco, lucidus non est. Eadem Metaphysica scientia scienti lucida est; nescienti, non lucida; vno & eodem tempore. Quanta in hoc antilogia? Post omnes istas nugas agnoscit tandem ipsemet Nouator duplicem in scriptura lucem; alteram, respectu sui; alteram respectu nostri: At neque hanc neque illam vnquam Bellarminus negauit; sed solùm de lucido & luce scripturæ respectu nostri disseruit, alteram autem lucem semper supposuit. Hinc mentitur Caluinista, cum Bellarmino hunc syllogismum affingit: *Quod nobis lucidum non est, hoc omninò lucidum non est; scriptura non intellecta nobis lucida non est: ergò scriptura non intellecta prorsus lucida non est.* Tuum est hoc huius syllogismi commentum. Neque structura; neque amens huius delirij mens vnquam Bellarmino in mentem venit. Quæso num omnis omnino pudor tua in mente funditus periit; qui hæc inscitiæ portenta in Bellarminum, tanquam in auctorem conferas? Nam quod nobis non est lucidum; illud in se potest esse lucidum, potest & alteri esse lucidum. Sicut sol cœco non est lucidus; est tamen in se lucidus; est & aliis lucidus.

Quod Bellarminus dicit, scripturam non esse lucidam, nisi intellectam, verum non est, inquit Caluinista. *Scriptura enim non tantùm lucem in se habet; sed nobis etiam lucem adfert.* At lucem non adfert, nisi intellecta. Neque intelligitur, nisi explicata. Et si tu scripturam non intellectam, cuiquam lucem adferre dicas; tum dilucidum est te non intelligere quid dicas: Nam vt Physica vel Metaphysica nulli, nisi intellecta, lucem adfert; ita nec scriptura: & si vel modicum lucis Caluinistæ inesset, hæc tam clara & lucida non carperet, multò minus penitus inficiaretur.

Danæus circa hãc Bellarmini responsionem & doctrinam agit, quod solet; hoc est, mendacia
A impudenter fundit. Primum est, Bellarminum affirmare: *Præceptum Domini, quod est in Decalogo, non esse lucidum & facile ad intelligendum, sed esse lucidum, postquam intellectum fuerit.* Mentitur Caluinista. Non dicit hoc Bellarminus de Decalogo; sed de toto Dei verbo. Neque hoc loquendi modo vtitur, *Verbum Dei esse facile ad intelligendum postquam intellectum fuerit: sed esse lucidum, postquam intellectum fuerit;* tunc enim illuminat animos. Alterum mendacium est; *Bellarminum sibi contradicere; cum superius scripserit, Decalogum esse facilem ad intelligendum: hic illud ipsum neget.* Sed turpiter mentitur Sectarius: neque enim vel in prima vel in secunda responsione negauit Bellarminus præcepta Decalogi esse facilia intellectu; tantum asse-
B ruit, ea mentem non illustrare & dirigere, nisi intellecta. Quod verissimum est. Nihil enim nominabit Caluinista, quantumuis clarissimum & lucidissimum, quod vllo modo intellectum illustret, nisi prius intelligatur; ne sol quidem prius oculos illuminat, quàm à videndi sensu percipiatur.

Tertium Nouatorum argumentum. Matthæi quinto: *Vos estis lux mundi. At, si Apostoli lux mundi sunt, quomodo prædicatio, & scriptura Apostolorum non clarissima sunt?* Respondet Bellarminus, *Loqui Dominum de luce exemplorum probitatis, & morum. Voluit enim Apostolos esse quadam exempla sanctitatis omnibus hominibus ad imitandum proposita.* Replicat VVitackerus: *Fateor de luce morum intelligi posse hæc verba:*
C *sed dico præterea, de luce etiam doctrinæ intelligi debere.* Num hoc inficiatur Bellarminus? An non verbis proximè subsequentibus idem disertè fatetur? An non tu ipse paulò post hæc verba subiicis? *Iesuita admittit, posse etiam de prædicatione, ac doctrina Apostolorum ista intelligi; sed eam, tum lucem dici, vt suprà monuit verbum lucernam appellari; non quòd facilè intelligatur, sed quòd, quando intelligitur, tum illustret mentem, & erudiat de rebus altissimis. Respondeo,* inquit VVitackerus, *ista responsione nihil esse futilius*, nimirum, responsione VVitackeriana: *Quasi verò sol lumen in se nullum habeat, nisi cæci ipsum aspiciant.* Habet in se, licet cæci illud non videant. Sed non habet in se respectu nostri, nisi intelligatur: sicut sol habet in se lumen, etiam noctu, quando à nobis
D non videtur, sed non habet lumen respectu nostri; quia nobis noctu non lucet.

Commemorat hoc loco VVitackerus respõsionem Cardinalis Hosij ad hoc argumentum lib. 3. contra Prolegomena Brentij: quæ talis est: *Apostolorum prædicationem apertam, & illustrem fuisse, scripturam tamen non esse æquè apertam; prædicasse quidem illos apertè, sed scripta eorum esse obscuriora. Et vtitur similitudine quadam: Demosthenis enim orationes iam scripta multò sunt intellectu difficiliores, quàm quando habitæ sunt: quia, multa in his non apparent, quæ tum erant illustria, cùm eas orationes pronunciaret, adeò vt verè dici possit, magnam partem Demosthenis, in Demosthenis orationibus desiderari. Ita se rem habere dicit in*

scriptis Apostolicis. Miratur Caluinista, cur Bellarminus hac solutione non sit vsus; putatque id factum, *quod ei parum roboris habere visa* fuerit. Sed fallitur VVitackerus: bona est responsio illa Hosiana; Quis enim nescit viuam vocem multum lucis & claritatis rebus addere: quod totum perit, cum vox docentis abest. præsertim cum Doctores & interpretes non soleant nudam doctrinam proponere; sed interpretationem adiungere, & interpretando obscuris lumen accendere, cur vero hac responsione non fuerit vsus Bellarminus, caussam aliam non video, quàm quia necessarium non est, vt quis omnibus, quantumuis probis ac solidis responsis vtatur; potissimum, quãdo quis sectatur compendia, & breuitatem, quoad fieri potest. Neque quidquam VVitackero suppetit, quo eam solutionem oppugnet: nã quod dicit; *quoad summam doctrinæ tandem in illorum scriptis facilitatem & perspicuitatem apparere; quæ erat in prædicatione viuæ vocis præconio peragi consueta;* id meram & ineptam VVitackeri seu Battologiam seu tautologiam complectitur: Hoc ipsum enim est; quod VVitackero demonstrandum incumbit, si responsi illius neruum incidere velit.

Sed ait: *λόγος προφητικὸς est lucernæ similis 2. Petri 1. ergo etiam λόγος ἀποστολικὸς est lucernæ similis, erit igitur clarus & perspicuus, imò longe clarior & dilucidior,* quam *λόγος προφητικός.* Verum isthæc nugamenta sunt, non argumenta; Non agitur de comparatione verbi Prophetici & Apostolici, vtrum altero sit dilucidius; sed vtrum viua vox Apostolorum, doctrinam Christi annunciantium, aliquid claritatis & perspicuitatis addiderit, quod nunc in eodem scripto verbo non appareat. Et huc debebat VVitackerus tela sua, si quæ in pharetra habebat recondita, dirigere: non nescio quid de lampade seu lucerna garrire. Quis diffitetur verbum Dei esse lucernam: at negamus lucere nobis, nisi prout cum Ecclesiæ interpretatione copulatur.

Sibrandus solenne suum tenet, næniasque suas syllogismis illigat: ex quibus & iste vnus. *Omnis lux est clara:* in se; esto. Nobis; absque omni adiumento, nego. *Sed Apostolica doctrina est lux mũdi: ergo Apostolica doctrina ita clara est, vt tenebras à luce, id est, errores à veritate distinguere possit.* En qualis syllogismus: cuius conclusio duplo plus complectitur, quàm in præmissis contineatur: Nam conclusio hæc esse debebat. *Ergo Apostolica doctrina est clara;* quæ distinguenda iuxta distinctionem Maioris. *Apostolica doctrina clara est in se;* concedo. *Nobis, absq; interpretationis Ecclesiasticæ subsidio;* nego. Verbosè probare nititur Sibrandus, Apostolos esse lucem mundi ratione doctrinæ. Num hoc inficiatur Bellarminus? At ne sine syllogismo aliquid asserat, accipe syllogismum. *Quæ re mundum illustrant, ea re sunt lux mundi. Sed Apostoli sua doctrina mundum maximè illustrant:* Num sola? An nõ etiam exemplo vitæ? *Ergo Apostoli sua doctrina maximè sunt lux mundi.* Nihil horum abnuit Bellarminus; vt etiam agnoscit Caluinista; *An Apostolica doctrina non sit in se lux?* Est in se lux; sed nobis non est lux, nisi cum à nobis intelligitur, quia prius animũ non illuminat, quàm à nobis intelligatur.

Addit Caluinista; sed crasso filo textum mendacium. *Bellarminus dicit, eam tùm tantum lucem esse, cùm à nobis intelligitur. Non autem in se, & ratione suæ naturæ lucem esse.* Vbi hoc Bellarminus? Monstra, quæso, locum, & tunc à mendacij crimine te liberum pronunciabimus. An non sufficiebat, te antea idem mendacium effutiuisse; num hic repetendum erat, iuxta illud: *τρὶς τὸ καλὸν;* cui annumeres etiam hoc nouum; si tamen nouum; & nõ potius iteratum: *Bellarminum in hunc modum disputat: Nulla lux est lucida, nisi videatur; doctrina Apostolorum est lux: ergò Apostolorum doctrina non est lucida, nisi intelligatur.* Nusquam hoc argumentum Bellarminus contexuit. Quàm effrons es Savvbrande? Maior vera erit adiectâ vnicâ voculâ: *Nulla lux est nobis lucida nisi videatur: Doctrina Apostolorum est lux, ergo nobis non est lucida nisi videatur.* Sic constat veritas argumenti.

Doctrina Apostolorum est nobis lucida, inquit Caluinista, *nisi quis sit naturâ deprauatus, aut à Satana excæcatus, aut datâ operâ scire nolit.* Perinde ac si diceret. Doctrina Physica aut Metaphysica est omnibus lucida, nisi quis natura sit deprauatus, aut à Satana excœcatus, aut data opera scire nolit. Atqui fieri potest; vt quis nec natura deprauatus sit, nec à Satana excœcatus, nec etiam data opera scire nolit; & tamẽ doctrinam Physicam aut Metaphysicam non intelligat. Si hoc fieri potest in scientiis naturalibus, quanto magis contingere poterit in sacrarum litterarum cognitione: quãquam fateor nulli deesse occasionem discendi ea; quæ suo statui sunt necessaria, si quis Ecclesiæ scripturas nobis interpretantis magisterio & disciplinæ se velit subdere.

Danæus hic mutus est. Loquacissimus contrà Hunnius: & tamen cum totam ipsius verbositatem penitius introspexeris; nihil aliud videbis; quàm eum dicere; quod Bellarminus docuit, nempe locum illum; *Vos estis lux mũdi;* tamẽ probitatis quàm de doctrinæ luce accipi. Neque Prædicans, *se suosque affirmare scripturam esse facillimam ad intelligendum.* Et tamen clamat cum suis: *Vos estis lux mundi;* id est; *scriptura, & quidem tota, tam clara est; quàm est hæc lux aspectabilis mundi:* non enim dixit Christus: Vos estis partim lux mundi; partim caligo: hoc est, doctrina vestra partim est clara; partim tenebricosa.

Audi mirificam solutionem eius, quod Bellarminus dicit; scripturam intellectam illustrare mentem; & eatenus esse lucidam, lucem, lucernã. *Haud aliter,* inquit Prædicans, *ac si quis contendat, nostris hominibus linguam Arabicam esse lucidam, adeoq; esse illis lucem, & lucernam: idq; deinde, sic interpretetur, si ab illis intelligatur, esse lucidam. Hoc pacto, nihil quidquã tam posset esse obscurum, quin lucerna dici posset: siquidem & sibyllæ folia longè obscurissima, si intelligantur, præbent*

lucem,

Digitized by Google

lucem, id eſt, de rebus altis, & profundis erudiunt. En tibi ſenſum Ieſuiticum: Hoc verè eſt pro rebus dare verba, & pro theſauro carbones. Rectiſsimè ſentis, ô Prædicans: vt vbique, ita & hic pro rebus das verba, & pro theſauro *carbones*; & crabrones, hoc eſt, aculeata maledicta: quia hoc Opificij Prædicantici proprium munus. Omnino, quidquid mentem illuminat, ſi explicetur, lucerna & lux dici poteſt; præſertim, ſi non ſit aliquid ex triuio, deque *lana caprina*; ſed cognitio alicuius momenti & ponderis; Lucerna eſt & lux in ſe; cumque explicatur & enodatur, nobis etiam ſit lucerna & lux. Quæ nomina verbo Dei potiſsimum tribuuntur; quia nihil magis mentes noſtras meliore & diuiniore & magis neceſſaria cognitione illuminat, quàm verbum Dei ſincerè explicatum.

Quartum argumentum Sectariorum 2. Pet. 1. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Reſpondet Bellarminus; *Hoc etiam loco Prophetarum voces vocari lucernam; non, quia facilè intelligantur, ſed quia intellectæ illuminant, & iter oſtendunt ad Chriſtum, qui eſt verus ſol iuſtitiæ.* Oggannit VVitackerus: *Certum eſt ſcripturam lucernæ comparari.* (Quis negat?) *quod in ſe lucem & claritatem habeat.* (nemo abnuit) *Quam etiam hominibus oſtendit* (ſi accedat legitima interpretatio; ſicut & Metaphyſica claritatem ſuam auditoribus oſtendit, ſi Interpres accedat) *niſi illi aut cæci ſint, aut oculos auertant.* (aut, quod addendum, interprete careant; nam fieri poteſt, vt quis Metaphyſicæ lumen non videat; & tamen nec cœcus ſit, nec oculos auertat; & hoc tantùm propterea; quod lux illa necdum ſit expoſita; ſed lateat adhuc intra, vt ſic loquar, lampadis & lucernæ illius penetralia. Sed *Craßi* iſti videntur de ſcriptura rationari per omnia, ſicut de ſole aut lampade in conclaui quopiam accenſa: Tam illum enim, quàm hanc ſtatim intueri poteſt, qui oculos habet; neque de induſtria faciem auertit. Sic Nouatores de ſcriptura cogitare videntur; quaſi quicunque illam aſpicit & legit, ſtatim radiis illius colluſtretur; quod longè ſecus eſt; cum ſit *liber ſignatus*; & ideo per interpretationem reſignandus; ſol tectus; & ideo per explicationem euoluendus; vt fulgorem ſuum emittere queat. Lampas operta; cuius operimentum demi debet per explanationem; vt tenebras diſiicere poſsit. Et per hæc diſsipantur omnes VVitackeriani fumi, quos hic ſpargit.

Sibrandus hunc ſyllogiſmum in medium adfert: *Omnis lucerna ſplendens in obſcuro loco tenebras pellit, & viam monſtrat: Verbum Dei eſt lucerna ſplendens in obſcuro loco. Ergò verbum Dei tenebras pellit, & viam monſtrat, hoc eſt, errores patefacit, & veritatem manifeſtat.* Reſpondeo, Minorem eſſe diſtinguendam. Nam ſi ſenſus ſit verbum Dei eſſe lucernam ſplendentem in obſcuro loco; hoc eſt, in mentibus noſtris; abſque interpretatione Eccleſiæ; & quamuis non ponatur in candelabro Eccleſiaſticæ traditionis, tum minor eſt falſa. Si autem ſenſus ſit, ſcripturam eſſe talem, addita interpretatione Eccleſiæ; tum minor eſt vera. Sed quid hæc Minoris veritas cauſſam Nouatorum iuuat?

Ex prædicto ſyllogiſmo format Caluinianus iſtum: *Quod errores patefacit, & veritatem manifeſtat, hoc eſt ita perſpicuum, vt ex eo in rebus controuerſis vera ſententia indagari poßit. Verbum Dei errores patefacit, & veritatem manifeſtat. Ergò, verbum Dei adeò perſpicuum eſt, vt ex eo in rebus controuerſis vera ſententia indagari poßit.* Reſpondeo, Minorem eſſe falſam, ſi ſenſus ſit; ſcripturam abſque interpretationis Eccleſiaſticæ luce errores patefacere, & veritatem manifeſtare. Veram, ſi ſenſus ſit; ſcripturam hoc efficere; adiuncta Eccleſiaſtici Canonis explanatione. Verum hic ſenſus neq; eſt ad ſenſum, neq; ex ſenſu, ſed directè cõtra Nouatorum ſenſum. Cætera quæ Sibrandus hic ſubiungit, inanes tautologiæ ſunt, iam ſupra confutatæ; vt cum ait; *non quia Bellarminus ſolem videt, ideò ſol clarus eſt;* (ſed Bellarmino clarus eſt; quia Bellarminus ſolem videt) *eſt enim lucidus & clarus, etiamſi Bellarminus eum non videret.* (ſed Bellarmino non erit lucidus & clarus; ſi eum non videat Bellarminus) Hunnius & Danæus, vt & Iunius hic ſilent. Vtinam id crebrius actitarent.

Quintum Nouatorum argumentum. 2. Corinth. 4. *Quod ſi opertum eſt Euangelium noſtrum; in iis, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus ſeculi excæcauit oculos infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio gloriæ Chriſti. Fidelibus igitur omnibus ſcriptura eſt aperta, & facilis.*

Reſpondet Bellarminus: Apoſtolum non loqui de intelligentia ſcripturarum, ſed de cognitione, & fide in Chriſtum, quam Apoſtoli prædicabant. Prædicantes tumultuoſè inſtant, locum hunc Apoſtoli de intelligentia ſcripturarum intelligi debere: *De Euangelio* (ſcripto) inquit Hunnius, *tam perſpicuè diſſerit, vt qui negat, eum meritò iubeamus numerare ſyllabas.* Atqui clariſsimum eſt ſanctum Paulum non loqui de ſcriptura; ſed de Prædicatione ſua & annunciatione Euangelij ſeu doctrinæ Euangelicæ, & per conſequens, de cognitione Chriſti, & fide in eundem. Id enim verba quæ ſubiiciuntur luculenter indicant: *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et prima capitis verba idem demõſtrant: *Ideo habentes hanc miniſtrationem,* prædicandi nimirum Euangelij, *iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum: in iis qui*

pereunt,

pereunt, est opertum, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij, gloriæ Christi, qui est imago Dei. Quibus verbis significat, se Euangelium clare ac dilucide annunciare; ita vt si quibus occultum maneat; id non contingat aut suo aut Euangelij vitio, sed propria ipsorum culpa. De prædicatione ergo Euangelij locutus est; non de scripturis; quæ clara erat, tum, quia Apostolus non tantum cælestem doctrinam auditoribus proponebat sed & eandem, tanquam eiusdem fidelissimus & certissimus Interpres, auditoribus explanabat; tum quia prædicatio illa, quoad summa fidei capita & generalem quandam notitiam clara & perspicua erat; adeo, vt si quibus non inclaresceret, id ex insita cæcitate mentis propriaque nequitia proueniret.

Obiiciunt Prædicantes; *Cum illa prædicatio, quam Apostolus adeo claram pronunciat, postea in litteras relata fuerit; sequitur, illam in litteras itidem relatam, euidentem & dilucidam esse; neque enim aliquid litteris mandare; obscuritatis caussa esse videtur.* Respondeo, relationem in litteras non esse quidem per se obscuritatis caussam; esse tamen; quatenus caret viua voce Interpretis singula latius explanantis, & aptè in auditorum mentes cælestia dogmata inserentis; neque enim viua vox tantum facit *ad excitandos motus*; vt nugatur VVitackerus; sed & ad intelligentiam plurimùm conducit; vt norunt, qui in docendi & discendi munere aliquãdo versati sunt: & hoc non eò solùm, quòd interdum explicationem copiosiorem & quasi paraphrasin contineat; sed præcisè etiam, quatenus viua vox est, in qua, vt ipsa experientia planum facit, mirifica quædam vis & efficacia etiam ad clariorem intelligentiam inest.

Secundo dico; prædicationem, de qua loquitur sanctus Paulus, litteris quoque consignatam, esse euidentem & perspicuam, quoad generalia capita & dogmata; non ita tamen claram, vt nullo penitus Interprete indigeat. Quid clarius istis verbis? *Verbum caro factum est; Hoc est corpus meum, &c.* Et tamen vel maximè egent Interprete, cum plurimi circa hæc tam perspicua verba errores exorti sint: nam & clara ad prauos sensus detorqueri possunt: oportet ergo, vt adsit certus interpres, qui nos ab huiusmodi prauis detorsionibus immunes præstet. Quod si etiam illa, quæ clara videntur, egent Interprete; multò magis subsidio interpretationis opus habebunt, quæ ipsorum itidem Nouatorum iudicio, obscura sunt.

Ad extremum dico scripturam esse clarissimam & lucidissimam; sed supra Ecclesiæ candelabro positam; & Ecclesiastici Canonis traditione expositam; quæ lucem scripturæ quasi educit, & oculis nostris subiicit. *Quod si opertum est Euangelium nostrum*, hoc est, si scriptura Ecclesiasticæ interpretationis luce accensa, adhuc ob-

A scura & tenebricosa manet; *in iis, qui pereunt; est opertum*, hoc est, scriptura huius lucis fulgore accensa; non obscura manet, nisi illis; *qui pereunt*; hoc est, qui Ecclesiam non audiunt; qui Ecclesiasticæ traditionis Canonem spernunt; qui à scriptura in Ecclesia Catholica lucescente oculos auertunt, & conuertunt ad illam, prout sub modio Lutheri vel Caluini abscondita; imò & deprauata, & intercisa est. Concedimus ergo hæreticis scripturam ab Ecclesia explicatam non esse *opertam*, sed apertam; ita vt ab omnibus, quãtum cuique necessarium est, capi & intelligi queat: & si quibus operta sit & obscura; præsertim in iis, quæ ad salutem explicitè cognitu & creditu necessaria sunt; opertam esse iis duntaxat, qui de in-

B dustria hanc lucem fugiunt; seque liberè in tenebras abdunt.

Hic iterum monendi sunt Prædicantes, vt videant, ne ex hoc loco diui Pauli nimis multa, cũ præiudicio & damno suæ caussæ, colligant. Si enim in scripturis multa sunt obscura, etiam illis, qui non pereunt; sed iustis & amicis Dei; vt VVitackerus, Sibrandus & alij fatentur; falsum est igitur, quod hic asserunt; scripturam *tantùm esse obscuram & opertam iis, qui pereunt*; reliquis autem claram & dilucidam. Quomodo hoc cum priore placito concordat?

Sextum Sectariorum argumentum sumitur ex sancto Augustino libro secundo de doctrina

C Christiana capite sexto, vbi ait: *Nihil ferè in scripturis esse obscurum, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Respondet Bellarminus; sanctum Augustinum non frustra adiecisse illud *Ferè*. Multa enim obscurissima alibi nõ explicari. Deinde esse admodum difficile inuenire vbi nam apertè inueniatur id, quod vno loco obscurissimè dicitur; & loca, quæ nobis videntur apertissima, aliis posse videri obscura: quod declarat exemplis illis: *Hoc est corpus meum; Bibite ex hoc omnes.*

Respondent Sibrandus & Hunnius: *Se non negare quædam in scripturis esse obscura.* Cur ergo omnibus ferè argumentis vestris eò collineatis, vt omnimodam scripturæ claritatem & perspicui-

D tatem euincatis, qualem in libro *de seruo arbitrio* Lutherus statuit? *Illa*, inquit Sibrandus, *quæ obscura & nusquam explicata sunt, non sunt valde ad salutem necessaria.* Ergo sunt quidem ad salutem necessaria, sed non *valde*. Quàm verò *valde!* Dic Caluinista, an non ad salutem valde necessarium est, vt obscurissimam Ezechielis vel Apocalypseos Prophetiam credam esse scripturam diuinam, & à Spiritu sancto dictatam? Cedò, obtestor te; num quis absque salutis æternæ dispendio hanc veritatem inficiari vel in dubium vocare potest? Licetne absque beatitudinis sempiternæ amittendæ periculo assensum præbere huic propositioni? *Ezechielis Prophetia non est scriptura diuina.* Quò non progreditur hæreticorum temeritas?

Occasione eius; quod Bellarminus dixit de verbis cœnæ; verbosissimè declamitat Hunnius de vtraque specie; *Christum scilicet vtramque instituisse; etiam pro Laicis* (at non præcepit vt Laici vtramque necessariò sumerent; aliud est institutio, aliud præceptum) *Apostolum Corinthios ad vtramque speciem admisisse; similiter primitiuam Ecclesiam vtramque vsurpasse, & hoc confessos esse Patres Concilij Constantiensis, licet impudentissimos;* (At non probat Prædicans Paulum vel primitiuam Ecclesiam exhibuisse Laicis vtramque speciem, tanquam simpliciter ex diuino præcepto necessariam; factum non negamus; de mente facti quærimus) *Si Laici à calice excludantur, ipsos etiam sacerdotes excludi debere: Nam in modum Bellarmini sic argumentabor*, inquit Prædicans, *ex verbis Marci decimo quarto, Biberunt ex eo omnes: Mandatum Christi dicentis; Bibite ex hoc omnes, pertinet ad solos eos omnes, de quibus Marcus iuxta fidem historiæ enunciat, quod tum in ea actione ex poculo Cœnæ biberint. At tùm in ea actione biberunt neque hodierni Clerici, neque Laici: sed, (iuxta fidem historicam) soli duodecim Apostoli. Ergo mãdatum illud Christi (Bibite ex hoc omnes) nec ad hodiernos Clericos pertinet, nec Laicos: sed ad solos duodecim Apostolos. Sic ergo deductione ad absurdum refellitur argumentulum Bellarmini.*

Hæc futilis Prædicans, qui more suo totam vanitatem suam vanissimo thrasonismo concludit: *Manet inconcussum mandatum illud, &c.* Quàm cæcus fuit, qui non viderit mandatum illud: *Bibite ex eo omnes;* non datum duntaxat Apostolis; vt erant hæ vel illæ priuatæ personæ, sed vt vicem obibant, & personam omnium in Ecclesia futurorum sacerdotum sustinebant: Itaque sicut pro se & omnibus secuturis sacerdotibus hoc mandatum à Domino acceperunt ita etiam ex calice suo & omnium sacerdotum loco biberunt; ipso facto suo ostendentes; quid sacerdotibus, in Ecclesia Christi, sacramentorum administris futuris; agendum sit.

Quod Zvvingliani & Caluiniani verba illa; *Hoc est corpus meum;* à vero & legitimo sensu in peregrinum & spurium detorquent; id ait Hunnius accidere; *non obscuritate verbis illis insita; sed ea, quæ in Zvvinglianorum & Caluinistarum capitibus resideat.* Hoc sacramentarij strenuè negant; palamque profitentur; se claritate verborum & collatione aliorum scripturæ testimoniorum in hanc sententiam descendisse; & Lutheranos hanc tantam veritatis perspicuitatem intueri non posse præpeditos densa & plusquam Cimmeria cerebri caligine, & plusquam toto cælo à sincera verborum cœnæ sententia auios ire. Et sic indesinenter iurgantur, seque mutuis, iisque infinitis conuiciis impigrè depectunt, sine vlla spe finis litibus imponendi; quia nullum arbitrum, iudicem, certumque & infallibilem loci illius Interpretem admittunt; & hæc Hæreticorum perennia iurgia vel sola planum testatumque faciunt; esse necessarium aliquem scripturæ interpretem, qui planè, perspicuè, & euidenter sensum scripturæ explanet, & obscuritates dispellat; siue illa obscuritas nascatur ex ipsis sacrarum litterarum assertionibus, siue ex lectorum capitibus: imò licet penitus nulla in scripturis obscuritas & difficultas esset, sed tota ex lectorum tenebricoso cerebro existeret; nihilominus Interprete certo & cuius vox euidenter audiri posset, opus foret; quia etiam tum contingeret; quod hodie apud Hæreticos contingit; vt omnia litibus personarent; Nam & à suis tenebris haud facilè auellerentur homines; & quod cuique caliginosum cerebrum dictasset; id tanquam certum, & ex intimo Spiritus sancti pectore depromptum arriperet; vt & hodie contingit; cum ad insitam scripturæ obscuritatem accedit ingens illa, quam hæretici in suis capitibus circumferunt. Iunius & Danæus hic nihil peculiare adducunt.

Septimum argumentum Hæreticorum: *Summa totius scripturæ, quæ in præceptis Decalogi, symbolo, oratione Dominica, & sacramentis consistit, habet in scripturis apertissima testimonia. Igitur tota scriptura apertissima est.* Negat Bellarminus consequentiam, & antecedens; illam; quia etsi omnia aliquo modo ad illa reduci possint, tamen ipsa in se obscurissima sunt, vt patet de vaticiniis Prophetarum, de Canticis Canticorum, de Epistola ad Romanos, de Apocalypsi, &c. Antecedens autem negat; quia si de illis omnibus apertissima & lucidissima exstarent scripturæ testimonia; quomodo tot controuersiæ de singulis orirentur?

Occinit Hunnius: *Nos in argumento nostro non sic informamus consequens, vt aduersarius fecit, ideo mirum non est, eò plausibilius ab illo negari consequentiam. Sic autem inferimus; Omnium & singulorum capitum doctrinæ catechetica, (quæ est doctrinæ ad salutem necessariæ ceu compendium, ac summa) proferri possunt ex sacris litteris apertissima testimonia, luce ipsa clariora. Ergò, scriptura, quo ad Capita, & Articulos ad salutem cognitu necessarios (hic enim est controuersiæ status) apertissima, & clarissima est.* Moueri posset his Prædicanticis nebulis, cui mos istorum ignotus est; qui argumenta sua formant, reformant, dolant & redolant, prout fert spiritus vertigo: & cum manifestæ absurditatis rei tenentur, tum argumẽtum sua ex officina profectum esse abnuunt. Totam scripturam *apertissimam & facillimam* esse; disertè asseruit Lutherus; vt capite primo visum. Id etiam, quamuis inconstanter, satis apertè innuunt VVitackerus, Sibrandus, Hunnius, alij, vt supra non semel monuimus; ob quædam scripturæ & Patrum testimonia, quæ plus probant, quàm isti alloqui velint; si constare sibi velint. Sed formet Prædicans consequentiam vt volet; etiam illa *lucidissima, & sole clariora*, vt vocat; dog-

nata; tam clara non sunt; vt Interprete non egeant: licet enim, quoad generalem quandam cognitionem perspicua sint; plena tamen sunt difficultatibus, quoad cognitionem magis particularem, vt agnoscit etiam Danæus, & quidem rectè. Possunt quoque, quantumuis videantur lucidissima, à proprio sensu ad improprium & tropicum rapi, siue id fiat ex natura itidem ipsarum rerum; quæ verbis tam claris exprimi nequeunt; quin signa ambigua maneant; & apta aliò trahi; siue id fiat ex obscuritate intellectus nostri; siue ex improbitate & malitia lectoris; siue aliunde; omnia ista arguunt; in his itidem Iudice & Interprete opus esse; qui caliginem, vnde, vnde tandem exortam, dispellat. Nam quod VVitackerus, Hunnius & Sibrandus, aiũt, *controuersias circa hæc dogmata non nasci ex ipsorum dogmatum caligine; sed ex tenebris & improbitate male feriatorum hominum*; id vt ita esset; non tamen propterea Interpres certus non erit necessarius; cuius munus sit non modò caliginem scripturæ; sed & tenebras lectorum, & inde exortas controuersias, dispellere; quanquam omnino falsum est, hæc dogmata quæ clarissima in scripturis videntur, difficultatibus & obscuritatibus carere; vt antea diximus: *Sed sic*, inquit VVitackerus, *nihil omnino certum, nihil apertum, aut enucleatum scriptura haberent*. (Esto; si à certo, & infallibili interprete discedatur:) *Nihil enim adeò perspicuum est in scripturis, de quo non aliqui dubitarint; vt, Deum esse omnipotentem, creasse cælum, & terram, natum esse Christum ex Maria Virgine, conceptum esse per Spiritum Sanctum, & huiusmodi, plana quidem sunt, & apertè in scripturis posita; sunt tamen de his Controuersiæ*. (Quare sunt controuersiæ; nisi quia à certæ interpretationis regula abitur?) *Non ergò statim obscura sunt, de quibus multa controuersia: quia, ex ingenij humani peruersitate, ac curiositate potius, quàm ex rerum obscuritate istæ tam multiplices Controuersiæ nascuntur*. Etiamsi daremus, non omnia esse obscura, de quibus controuersiæ existunt; hoc ipso tamen, quòd humani ingenij peruersitas & curiositas rebus etiam clarissimis tenebras inducit, necessarius est certus & infallibilis interpres; qui tenebras istas luce veritatis dispellat; vt antea dictum.

Eadem propemodum deblaterat hic Savvbrandus: qui Bellarminum *arguit contradictionis: Quia dixerat, anus & pueros scire Deum esse incarnatum; passum; & rusticos intelligere mysteria redemptionis: iam autem dicit; si de omnibus articulis exstarent tam clara testimonia, quam volunt Hæretici; nullas amplius fore controuersias; sed omnes mox compositum iri*. En quanta contradictio. Anus & pueri, & quiuis de plebe, norunt fidei nostræ prima rudimenta & summa capita; quoad generalem & communem quandam cognitionem; quam à doctoribus Ecclesiæ, & ex institutione maiorum accipiunt; ergo Bellarminus sibi contradixit; quando negauit, id, quod Prædicantes insanis vocibus asseuerant; nempe, de omnibus articulis fidei & sacramentis reperiri in scripturis *apertissima testimonia, luce ipsa clariora*. sic enim loquitur Hunnius; *vt ad eorum lucem non possit quidquam accedere*. Si testimonia quæ de articulo Eucharistiæ in sacris litteris exstant *luce ipsa clariora* sunt; vt ad eorum lucem non possit quidquam accedere; qui fieri posset, vt tantæ adhuc contentiones inter Lutheranos & Caluinianos vigerent? licet enim cæci sint; omnes tamen adeo cœcos & excæcatos esse; vt lucem ipsa luce lucidiorem; & quæ nullam claritatis accessionem ferat, non videant; id vero supra omnem fidem est. Quid antilogiæ in hac Bellarmini doctrina inest? Valeat igitur Sibrandus cum fictitia sua contradictione; qui etiam Bellarmino hunc syllogismum affingit; *De quibus est controuersia, illa non sunt manifesta; sed de omnibus articulis Christianæ fidei est controuersia; Ergò nulli articuli Christianæ fidei sunt perspicui, & clari*. Maiorem libenter admittimus; si sensus sit; *Illa, de quibus est controuersia, non esse adeo manifesta, vt interprete nullo egeant*: & consequenter, nullos articulos fidei adeo esse claros & perspicuos, vt non egeant Interprete; quandoquidem omnes in dubium vel reuocantur vel reuocari possunt; tametsi negandum non est, illis claritatem & perspicuitatem quandam inesse; si secundum generalem quandam notionem & rationem considerentur ac concipiantur.

Accipe & hunc eiusdem notæ ex Savvbrandica disciplina syllogismum: *Quæ in scripturis habent apertissima, & clarissima testimonia, illa adeò perspicua sunt, vt vera sententia ex iis, in rebus controuersis erui possit; sed, quæ in decalogo, symbolo, & sacramentis continentur, habent apertissima testimonia in sacris literis. Ergò, vera sententia in rebus controuersis ex scriptura erui potest*. Respondeo maiorem esse falsam, si sensus sit; illa adeo esse perspicua, vt vera sententia, absque vllo interprete; in rebus controuersis, inde erui queat: & similis distinctio ipsi etiam conclusioni adhibenda est: vt taceam concessa Maiore; minorem quoque negari posse: falsum enim est, de omnibus symboli articulis; & Decalogi præceptis; deque vniuersis sacramentis eiusmodi testimonia in scripturis exstare; quæ *ipsa solis luce clarius* micent; & quorum splendori nihil penitus lucis accedere possit.

Octauum Hæreticorum argumentum sumitur ex diuo Chrysostomo Homilia tertia de Lazaro; vbi dicit, *Apostolos omnia manifestè, clareque prodidisse*. Respondet Bellarminus diuum Chrysostomum his & id genus aliis amplificationibus vsum, vt excuteret torporem multorum, qui magno cum fructu scripturas legere poterant; neque tamen sacro huic studio quidquam temporis impendebant: nam diuum Chrysostomum

stomum scripturæ alioqui difficultatem & obscuritatem agnouisse; constare ex aliis locis; quæ ipse etiam Bellarminus citat.

Respondet VVitackerus: *Fatetur Iesuita multos cum fructu posse scripturas legere.* (Quis hoc vnquam negauit?) *Quod satis est.* (sit ergo satis, si satis est, non ergo ad scripturæ lectionem vocandi indiscriminatim omnes; quando certum est non omnes cum fructu legere vel lecturos) *Hi verò multi non modò docti sunt; sed etiam indocti.* (si legant, vt debent, hoc est, vt discipuli; vt ab Ecclesia verum sensum discere & accipere parati; suo iudicio nequaquam nixi, nec obstinatè eidem affixi. Quæ cum pauci ex vulgo præstent; pauci fructuosè: plurimi damnosè legunt.) *Satis constat,* inquit VVitackerus, *Chrysostomum non de doctis tantùm, sed & de indoctis loqui. Aliàs enim aliena esset, atque inepta eius comparatio: quia, à doctis & Philosophi etiam ipsi intelligi possunt.* Loquitur de indoctis quoque; sed illis, qui ita sint comparati; vt se doceri sinant; non à se; sed à vero doctore; ab Ecclesiasticæ traditionis magisterio; nullum enim ad scripturæ lectionem inuitauit Chrysostomus, nisi ad lectionem accederet, prout accedere oportet, si quis ex sacris litteris vitam, non mortem haurire velit.

Iam vide insignem VVitackeri consequentiam. *Chrysostomus ait; scripturas esse Philosophorum libris apertiores: ergò, possunt scripturæ ab indoctis cum fructu legi.* Perinde ac si diceret. Aristoteles multis in locis est planior, & clarior, quàm Plato; ergo Aristoteles etiam ab indoctis legi potest. Item: Plato aliquibus in disputationibus dilucidior est, quàm Aristoteles; ergo etiam Plato ab indoctis legi potest. Eruditæ consequentiæ, quia VVitackerianæ. Non negamus quædam sacrarum litterarum clara & perspicua esse, si comparentur, cum Philosophorum scriptis, quorum multi de industria obscuritatem affectarũt; interim illud non damus; ea ipsa, quæ in scripturis clara & perspicua sunt; adeo clara & perspicua esse; vt nullo interprete indigeant, cum, vt sæpe dictum, quotidie videamus; etiam illa, quæ videbantur clarissima, summis clamoribus in controuersiam vocari; quemque sensum subiectum habeant; ingenti contentione inquiri. Mitto dicere; hæreticos, dum dicta Chrysostomi cupidiùs vrgent; iterum sui obliuisci; neque aduertere, plusquam velint ex Chrysostomo probari posse; si hanc probandi rationem inire ac tenere velimus. Nam Chrysostomus ait, Apostolos & Prophetas: *Omnia manifestè clareque tradidisse;* sine inuolucris quibus Philosophi sua inuoluerunt. Si omnia manifestè clareque tradiderunt; si vt idem Chrysostomus dicit: Homilia tertia, in secũdam epistolã ad Thessalonicenses: *Omnia clara sunt & plana in diuinis scripturis;* vbi manet obscuritas & difficultas; quam VVitackerus cum suis in multis sacrarum litterarum locis inesse passim prædicat?

A Ait VVitackerus; Chrysostomum eodem loco dicere: *πάντα τὰ ἀναγκαῖα omnia necessaria, esse aperta & manifesta;* videlicet quoad generalem quandam cognitionem; neque tamen etiam secundum hanc ita plana & perspicua sunt; vt nullo penitus interprete opus habeat. Hinc communissima Christianæ religionis elementa teneræ ætati, imò & populo; proponi & explicari videmus ab illis, qui docendi munus in Ecclesia Catholica obeunt.

Quod Chrysostomus in Prolog. epistolæ ad Romanos, auditores ad sedulam lectionem scripturæ incitat; non improbamus; legant, relegant, quicunque possunt cum suo & aliorum

B fructu: Neque enim alio fine ad scripturarum lectionem auditores suos vocasse censendus est sanctus Chrysostomus. An verò hoc tempore siue æui, siue hominum vitio plus emolumenti an detrimenti capiatur ex promiscua Bibliorum lectione; id notius est, quàm vt anxia disquisitione egeat.

Quod, citante VVitackero, Chrysostomus Homilia prima in Ioannem scribit, *Eum nulla caligine, nullisque tenebris suam operuisse doctrinam, solisque radiis clariorem & illustriorem esse;* quærere libet; an VVitackerus cum suis nullam prorsus caliginem vel obscuritatem in Euangelio diui Ioannis agnoscat? Cur ergo Lutherani & Caluiniani Euangelium hoc tot Commentariis explanare

C student, cum sit ipsa solis luce illustrius? An soli lux est accendenda? An non ipsum Euangelij huius exordium tam est sublime, vt omnem propemodum humanam intelligẽtiam exsuperet? Addo deinde, Chrysostomum hanc amplificationem vsurpasse, propter candidam simplicitatem sermonis; quo historiam Euangelicam sanctus Ioãnes contexuit; & quia pleraque, maximè historica, tam plane refert; vt quo ad generalem cognitionem prorsus sint obuia & aperta; præsertim cum in Ecclesia versentur; qui hæc talia rudioribus vel explicent, vel explicare possint; quo sensu idem Chrysostomus dixit Homilia prima in Matthæum: *Et seruo & rustico, & vidua & puero, & ei, qui valdè imprudens est, scripturas faciles*

D *esse ad intelligendum, & prorsus expositas:* Faciles sunt; quia nõ desunt; qui fidei capita, ad vnumquemque spectantia, singulis perspicuè explanẽt; sicut facile & pronum est videre solem; quia adest lumen per aërem diffusum, cuius interuẽtu promptum est cuique volenti solem adspicere.

Eadem ferè circa testimonia Chrysostomi nugatur Sibrandus; qui dictum illud ex Homilia tertia in Lazarum hoc syllogismo includit: *Quæ ita manifesta, & clara sunt, vt vel sola lectione intelligi possint, ex iis, in rebus controuersis vera sententia erui potest: sacra autem scriptura ita manifesta est, & clara, vt vel sola lectione intelligi possit. Ergò, ex sacra scriptura in rebus controuersis vera sententia erui potest. Bellarminus,*

Digitized by Google

inquit Caluinista, *concessa Minore, respondet ad Maiorem. & contendit, ex Chrysostomi sententia, multa esse obscura in sacris scripturis.* Vbi Sibrandus impudenter mentitur, vt ferè semper solet, quoties syllogismum cudit. Quomodo enim Bellarminus syllogismi huius *Minorem* concedere potuit, cum syllogismum istum nunquam viderit, quippe longo pòst tempore demum ex cerebro Savvbrandico prognatum? Deinde, quis non videt Minorem esse falsam; & directè contra scopum & institutum Bellarmini; qui probare instituit; scripturam egere interprete; atque adeo tam planam non esse; vt ex ipsa lectione, absque vllo Interpretationis beneficio, nobis illucescat, etiam in illis; quæ istis videntur clarissima: vt quo ad illa verba: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus;* quæ Lutherani & Caluiniani densis tenebris adspergunt; & spissis obscuritatibus inuoluunt; quæ vt dissipentur ac dispellantur, planè opus habemus Interprete, eoque certo & infallibili, cuius vox ab omnibus absque vlla ambiguitate audiri queat.

Sed en aliud ex Chrysostomo nexum argumentum: *Chrysostomus alloquitur sutores, piscatores, & vt vno verbo dicam, idiotas; ergo ex idiotis etiam multi sunt, qui secundum Bellarmini sententiam, scripturam, etiam cum fructu, legere possint.* Quis abnuit? si legant orthodoxè, non hæreticè: si dependenter ab Ecclesiæ iudicio & magisterio; non autem ita; vt se omnibus anteferant; & quidquid somniant, id scripturæ sensum esse credant; cum fructu legent, si legant, non vt veterem fidem abiiciant, nouamque amplectantur; sed vt in veteri contra omnes Nouatorum technas & insidias sese confirment ac stabiliant.

Ait Sibrandus: *Ex cuius lectione Idiota proficere possunt, hoc non est valdè obscurum: sed ex scriptura lectione idiotæ proficere possunt: ergò scriptura adeò obscura non est.* Nos longè rectius dicemus: *Ex cuius lectione* plurimi idiotæ plurimum detrimenti capiunt, illud non est tam clarum, quàm clarum id à Prædicantibus iactatur. Sed ex scripturæ lectione plurimi idiotæ plurimum detrimenti capiunt, vt docet quotidiana experientia; ergo scriptura non est tam clara, quàm clara ab istis iactatur. Accedit, quod nemo Catholicus dicit, nullum ex idiotis posse cum fructu sacras litteras legere; possunt omnes illi; qui reuerenter & cum timore Dei, animoque Ecclesiæ ad nutum obtemperandi ad lectionem illam se conferunt. Sed quotusquisque Laicorum hoc æuo ita comparatus est, præsertim si aura Lutherana nonnihil sit afflatus?

Hæc eadem loca Chrysostomi ex VVitackero & aliis sectariis corrasa, protulerunt Hæretici collocutores nuperi Colloquij Ratisbonensis sess. VIII. eaque Catholicis pro scripturæ illa perspicuitate, quam ipsi somniant, obiecerunt. Responsa Catholicorum in Actis Colloquij inuenies. Quid verbis opus? Fatentur ipsi Prædicantes VVitackerus, Hunnius, Sibrandus, Danæus & alij, multa in scripturis esse obscura & difficilia: quædam, perspicua & clara; quod nos non negamus; si agatur, vt Danæus etiam monet, de generali & communi quadam notitia; non de magis speciali & distincta; nam quoad hanc etiam illa, quæ clarissima videntur, obscuritatibus inuoluta sunt. Quid clarius illis verbis: *In principio creauit Deus cælum & terram,* si ea secundum generalem cognitionem consideres? At si ad particularem singulorum discussionem descendere velis, longè plures difficultates, quàm dictiones reperies. Et quamuis hæc verba homini fideli sint & videantur clara, beneficio luminis, quo per fidem collustratus est, aliis tamen propter speciales difficultates possunt hæc verba videri obscura; ita vt quis ea vel penitus inficietur, vt fecêre Philosophi, quibus creatio visa impossibilis; & multi hæretici, qui verba ista in alienum sensum detorserunt: Quocirca plane Interpres aliquis necessarius est; qui omnes dubitationes, siue ex claris, siue ex obscuris Scripturæ locis exortas sententiã suã & interpretatione tollat.

Nonum Nouatorum argumentum: *In veteri testamento erat scriptura liber signatus: Isaiæ vigesimo nono. Nunc est apertus Apocalypsis quinto, & velum templi scissum est Matthæi vigesimo septimo, ergo scriptura iam est aperta, clara, dilucida.* Et ne quis hic Prædicantibus iterum obiectet, plus probari, quàm velint, nempe totam scripturam esse apertam, claram & perspicuam; vel totam olim fuisse obscuram; tacitæ obiectioni occurrendum censuit VVitackerus cum ait: *Hoc argumento non vtimur, vt probemus totam scripturam veteri populo Iudaico obscuram, atque ignotam fuisse, sed, vt doceamus, multò clariorem iam esse Christianorum cognitionem, quàm fuit olim Iudæorum.* Atqui si liber ille signatus apud Isaiam est tota scriptura, seu tota totius scripturæ sententia; oportet totam scripturam, seu totam totius scripturæ sententiam populo Hebræorum fuisse obscuram & tenebricosam; quia Isaias non dixit de parte scripturæ; sed de tota scriptura, quod sit liber signatus. Contrà; si liber ille apertus in Apocalypsi significat totam scripturam, seu totam totius scripturæ sententiam, oportet totam scripturam totamque eius sententiam nunc esse apertam, facilem, claram, dilucidam; quia liber ille apertus, si ad scripturæ sententiam pertinet; non pertinet ad partem, sed ad totam. Tota igitur scriptura in veteri testamento obscura fuit; & tota in nouo clara est. Sed hoc etiam Prædicantium iudicio, falsum est.

Hunnius clamat; *Num argumentum hoc modo à nostris hominibus proponatur, certò scire non possumus;*

forte,

fortè, quia scire nolebas. VVitackerus & Sibrandus argumentum hoc, tanquam ex suorum symmystarum pharetra depromptum, agnoscunt & tueri conantur. Quo pacto putat Hunnius formandum argumentum? Audiamus: *Nos per ratiocinationem à minori ad maius ita solemus informare: si scriptura veteris testamenti prædicatur lux, lucerna pedum, lumen semitarum nostrarum, &c. eique perspicuitas adscribitur in rebus ad salutem necessariò requisitis: quanto magis nunc in nouo testamento totum systema scripturæ Propheticæ, & Apostolicæ dicendum est in rebus ad salutem necessariis clarum, & perspicuum, postea quam quæ in scriptura veteris testamenti fuerunt olim obsignata, & obscuriora, nunc illustrata sunt irrefragabili euentu, & concionibus Christi, Apostolorumque scriptis explanata. Et hunc in modum congruunt loca, quæ, de libro signato, & clauso, rursumque aperto leguntur Esaiæ vigesimo nono, & Apocalypsis quinto.* At nos contrà dicimus. Neque in veteri testamento neque in nouo, scriptura ita fuit aut est lux, aut lucerna pedibus aut lumen semitarum nostrarum; vt nullo prorsus Interprete eguerit aut iam egeat, qui dispulsis tenebris lucem hanc nobis expandat; & in mentes nostras quasi immittat, aut lucernam accendat, vt pedibus & semitis nostris luceat. Licet enim Euangelistarum & Apostolorum scripta & conciones ad veteris testamenti libros accesserint; in his ipsis tamen, nihil est tam clarum & perspicuum, quod non fiat obscurum, si quis ab Ecclesiasticæ traditionis regula discedat; & scripturas ex proprio cerebro interpretari instituat. Quod ætatis nostræ in religionis quæstionibus indesinentia iurgia & implacabilia bella euidentissimè comprobant.

Ad argumentum igitur propositum respondet Bellarminus, nec Isaiæ, neque Apocalypseos locum intelligi de scriptura, seu sensu scripturæ; sed de mysteriis Christianæ fidei; quæ olim variis typis, & ænigmaticis inuolucris tradebantur & populo proponebantur; nunc autem sine illis tenebricosis figuris & caliginosis tegumentis clarè doceri ait; & hanc suam interpretationem probat auctoritate Origenis & sancti Hieronymi.

Respondet VVitackerus: *Si fateatur, scripturas apertiores esse Patrũ commentariis, quoad veritatem, tum concedit veritatem apertiorem esse in scripturis, quàm in Patris cuiusquam scriptis, quod satis est.* At VVitackerus nimis properè triumphat: quia Bellarminus non loquitur de scriptura: sed de mysteriis communibus & generalibus redemptionis nostræ; vt de natiuitate, circumcisione, prædicatione, passione, morte, resurrectione & ascensione Christi; quæ iam populo proponuntur à Christianis doctoribus clarè & perspicuè; quia sine typis & vmbris antiquis proponuntur. Quo fit; vt longè sint clariora, quàm olim cum Mosaicis illis nebulis adhuc inuoluerentur. Dices: *Hæc tamen mysteria etiam in scripturis proponi absque vmbris typicis; ergo etiam perspicuè.* Respondeo, neque Bellarminum, neque nos id inficiari; si de generali & rudi quadam cognitione horum mysteriorũ agamus; negamus tamen adeo clarè proponi; vt non egeant interprete; non tantum quoad magis exactam; sed etiam quoad generalem cognitionem; cum loca hæc etiam, quoad generalem cognitionem, à vero sensu aliorsum rapi queant à male feriatis ingeniis; vt proinde quando clarissimi quoque loci veram sententiam assequimur, eam non assequamur, nisi beneficio Ecclesiæ; quæ nos docuit; hunc, & non alium sensum huic vel illi scripturæ loco subiici. Ergo, vt rem in pauca conferam; scriptura iam est liber *apertus*; quia per nouum testamentum omnes legales figuræ declaratæ sunt; & quod vetus scriptura de Christo tradebat per varia, eaque tenebrosa ænigmata; hoc noua absque huiusmodi gryphis proponit: & per consequens, dilucide, comparatione facta ad vmbratiles illos typos.

Veniamus ad Sibrandum συλλογίζοντα; *Quod apertum est, hoc adeò perspicuum est, vt sufficiat ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam; sed verbum Dei apertum est: ergò, verbum Dei sufficit ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam.* Huius syllogismi Maiorem dicit Caluinista à Bellarmino concedi. Ast vbi? Quo loco? Bellarminus hunc syllogismum neq; ex sua, neq; aliorum sententia posuit aut proposuit. Quomodo ergo Maiorem concessit? sed iste Caluinianus, vt quiduis fingit, ita etiam quiduis Bellarmino affingit. Nam Maior falsa est; si vt debet, intelligatur, id quod apertum est, adeo esse perspicuum, vt absque vllo interprete & iudice sufficiat ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam. Nam si hoc ita sese habet; quã ratione fit, vt Caluinistæ Lutheranos non è vestigio trahant in suam sententiam; quando illis ostendunt verba illa, iudicio Caluinistarum, lucidissima & clarissima; Hoc est corpus meum. Vel vice versa; cur Caluinistæ non eunt pedibus & manibus in sentẽtiam Lutheranorum, ostensis illis verbis: Hoc est corpus meum; quandoquidem tam aperta sunt, si non mentiuntur Lutherani; vt solis fulgorem exsuperent: & ipsa lectione, vel potius sola inspectione veritatem patefaciant. Certè si hæc verè ab istis prædicarentur; controuersiæ cito sedarentur.

Dicit Origenes Homilia duodecima in Exodum, *Iam quoque opus esse; vt Agnus de tribu Iuda aperiat nobis libros signatos:* non sunt igitur tam aperti; quin semper adhuc aperiri debeant. *At Agnus iam aperuit.* Aperuit olim; sed & quotidie aperit per doctores, quos Ecclesiæ in hunc finem dedit; quia semper in Ecclesia succedunt sibi mutuò alij atque alij, quibus apertione librorum signatorum opus est. Respondent Prædicantes, & in his Hunnius; *Intelligi hoc non præcisè de explicatione seu patefactione veri sensus in scriptura latentis; sed de ob-*

signatione scripturæ in animis fidelium per Spiritum Dei venientis. Cæterum Prædicantes nugas agunt: quia in tota ista controuersia non est quæstio de pio affectu cum scripturarum cognitione coniunctio; sed de sola cognitione veri sensus scripturæ; qualis non tantùm in probis; sed & in improbis esse potest: & de hac loquitur Origenes; quia hanc cognitionem nullus, etiam improbus, habere potest; nisi beneficio Agni librum signatum & clausum nobis resignantis & recludentis, non immediatè per se, sed per Ecclesiam, eiusque Ministros.

Scire velim, inquit Hunnius, *num si quid desit lucis scripturis, id à Patribus emendicari queat?* Non *emendicari*; sed sumi seu accipi: neque ita; vt scriptura in se lucida fiat, sed vt nobis eius lux affulgeat: neque à Patribus tantùm, sed & à præsenti Ecclesia, eiusque præsentibus doctoribus sumi debet.

Quærit Hunnius: *Num agnus de tribu Iuda nobis libros scripturæ non potest aperire sine Patrum perplexis, & à se inuicem discrepantibus interpretationibus?* Posset sine his aperire; sed non vult nisi per istos. Quia ideo pastores & doctores in Ecclesia posuit, vt per eos scripturæ arcana mortalibus aperiret. Quorum lucubrationes Prædicans nunquam *perplexas & inuicem discepantes* nominaret; nisi Cacodæmonis compedibus implexus esset, & à veritate auius iret. *Quis Patribus aperuit?* clamat Prædicans. *Num alij Patres?* Omnino, Patres ætate antegresi. Vt & Ecclesia illa; cuius æuo vitam agitabant *Quis rursum his?* Alij Patres, & Ecclesia illius temporis. Et ita, vsque ad Apostolos; à quibus primi Patres & Ecclesiæ doctores instructi atque informati sunt.

Scriptura sacra, inquit Prædicans, *obscuriora illa certius simul, & manifestius explanat, quàm vlla facere queant commentaria Scriptorum seu Ecclesiasticorum, seu Scholasticorum.* Asserit hoc Prædicans: sed non apparet probatio. Proba, Prædicans; vt videaris disputare, non blaterare. Profert Bellarminus testimonium diui Hieronymi ex epistola decima tertia ad Paulinum; vbi dicit, adhuc hodie manere velamen non modò in facie Moysis, sed etiam in facie Euangelistarum & Apostolorum, si consideremus scripturarum difficultatem, ac propterea orandum esse: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Prædicantes VVitackerus & Savvbrandus huic Hieronymiano loco opponunt alium ex capite quadragesimo quarto Ezechielis, vbi sanctus ille Pater isthæc: *Priusquam Saluator humanum corpus assumeret, & humiliaret se, formam serui accipiens, clausa erat Lex, & Prophetæ, & omnis scientia scripturarum, clausus erat Paradisus. Postquàm autem ille pependit in cruce, & loquutus est ad latronem; hodie mecum eris in Paradiso, statim velum templi scissum est, & aperta sunt omnia, ablatoque velamine dicimus: Nos omnes reuelata facie gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam.*

Ad quæ Savvbrandus: Illa duo; *Velamen ablatum est, & velamen manet adhuc hodie in facie Moysis, & Apostolorum, ex diametro pugnant.* (Ita est.) *Proinde si Hieronymus hæc eodem modo intellexit; tum aut errauit in epistola decima tertia; aut in Commentario ad quadragesimum quartum caput Ezechielis. Elige, Bellarmine, quam sententiam voles.* Non opus vlla electione; quia vtrobique D. Hieronymus verum scripsit: Nam velamen ablatum est; vt dicit in caput quadragesimum quartum Ezechielis; quia ænigmatici illi Mosaicæ legis typi desierunt; & per veritatem, nempe per Christum, eiusque sanctissimam vitam non modò completi; sed & illustrati sunt; vt iam apertè videamus; quid omnes illæ veteris legis vmbræ spectarint; & quò quasi collineatint. Et sic velamen à facie Moysis, hoc est, antiquæ scripturæ, per Christum ablatum est. Manet tamen tam in facie Moysis, quàm Euangelistarum & Apostolorum aliud velamen; nempe illud, quo sensus verus scripturæ obtegitur; licet enim velamen typorum per declarationem & illustrationem noui testamenti ablatum sit, ita vt iam nihil amplius de Christo quasi venturo typicè proponatur; manent tamen & noui & antiqui testamenti scriptis suæ tenebræ, obscuritates, & difficultates; quæ sententiam scripturæ velant; quæque, vt remoueantur, *Deus assiduis* precibus exorandus est. Ita nulla penitus est in dictis sancti Hieronymi contradictio.

Nam quod Savvbrandus ait; Illum ex Ezechiele locum, *loqui de intelligentia cum Spiritu sancto coniuncta.* Alterum, *de intelligentia à Spiritu sancto disiuncta*; friuolum est; quia nulla vera scripturæ intelligentia; etiam in improbo & hæretico pectore, aliunde est, quàm à Spiritu sancto mediatè vel immediatè: ipse enim solus verum scripturæ sensum aperit, sicut ipse solus sacram scripturam condidit. Multa hic de duplici intelligentia scripturæ, more suo, tautologicè effutit Sbrandus; oblitus, opinor, se similes quisquilias iam supra nobis plenis modiis admensum esse: cum vt sæpe monuimus; in hac controuersia; non sit quæstio, nisi de vera intelligentia scripturæ; quæ non necessariò cum pio affectu & sanctimonia vitæ copulatur.

Hic denuo ex Prędicantibus sciscitari lubet: si locus ille D. Hieronymi in Ezech. 44. pertinet ad sensum & intelligentiam scripturæ; quomodo fieri possit, vt quædam in scripturis adhuc maneant tenebris velata, difficilia & obscura; vt Prædicantes fatentur; cum D. Hieronymus disertè dicat; *aperta esse omnia: velamenque ablatum*; totum vtique: *cum nos omnes*, vt ait, *iam facie reuelata*

gloriam

gloriam Domini contemplemur. Nihil profectò in scripturis obscurum remansit, si hæc diuus Hieronymus de scripturis intellexit. Liquet ergo alium Hieronymianis verbis sensum substerni; eum nimirum, de quo antea.

Notetur Sibrandi cum VVitackero consensus. Fatetur ille locum D. Hieronymi intelligi de intelligẽtia scripturæ; quamuis à Spiritu sancto disiuncta; quasi vlla possit esse scripturæ vera intelligentia, quæ à Spiritu sancto non proficiscatur. At VVitackerus dicit; loqui D. Hieronymum de difficultate credendi sine Spiritu sancto, non de difficultate intelligendi. Atqui omnes syllabæ D. Hieronymi clamant, cum loqui de difficultate intelligẽdi scripturas; cum Moysen, hoc est, vetus testamentum; Euangelistas & Apostolos, hoc est, nouum testamentum, adhuc velamine tectos disertè scribat; neque de nondum credente; sed de fideli in illa epistola agat: cui licet velamen infidelitatis ablatum sit; & nota prima fidei elementa generali quadam notitia; si tamen ad exactiorem eorum, quæ scriptura complectitur, cognitionem progredi velit, velata omnia reperit; hoc est, tenebris obscurata & obnubilata; quæ, vt discutiantur, adiutore, fidoque interprete, qui lampadem præportet, opus est.

Decimum argumentum Lutheri proprium: *Patres probant sententias suas ex scriptura; sed non debet probari quod notius est ex minus noto: igitur scripturæ sunt clariores, quàm commentaria Patrum.* Respondeo inprimis, argumentum hoc esse simile huic. Philosophi probant sententias suas in commentariis suis ex Aristotele, & Platone; ergo Aristoteles aut Plato clarior & dilucidior est, quàm Interpretum Commentarij. Item Brentius, Bullingerus, Zvvinglius, Caluinus; Bucerus, Melanchthon, & ipse Lutherus probant in Commentariis, quos super Biblia ediderunt, sententias & explicationes suas ex scriptura; ergo scriptura est clarior & dilucidior, quàm eorũ commentarij. Quid ergo opus est vastis illis commentariorum voluminibus, quæ isti euulgarunt; si minus lucis continent, quàm ipsa scriptura?

Respondeo deinde; Patres dum scripturam interpretantur, probare interdum suas interpretationes ex scriptura; sed non ex illa scripturæ parte, quam interpretantur; sed ex alia; quam vt clariorem & dilucidiorem assumunt ad hoc, vt ostendant, huic vel illi loco hanc vel illam sententiam substratam esse: verbi gratia, Catholicus Doctor explicans illa verba: *Hoc est corpus meum,* orthodoxè & catholicè cõtra Caluinistas & Lutheristas, assumit varia ex aliis scripturæ locis testimonia, quibus id euincat, & veritatem testatam publicè reddat; Hæc testimonia simul cum explicatione clariora & magis perspicua sunt; quàm locus ille: *Hoc est corpus meum;* cuius elucidandi gratia adferuntur. Itaque licet Interpres

A suam sentẽtiam de scripturæ loco probet etiam ex scriptura, non tamen per minus notum probat notius; sed per notius seu per notiora scripturæ loca; (siue sint notiora absolutè, siue secundum nos, siue ex aduersariorum conditione & affectione) probat id, quod minus notum est ac perspicuum; nempe hunc vel illum esse huius vel illius loci sensum. Itaque Commentarius constans partim ex aliis scripturæ locis, partim ex bonis firmisque ratiocinationibus scriptura munitis; notior est; quàm scriptura seu scripturæ locus, cuius est commentarius. Quando igitur Lutherus dicit: *Patres probant sententias suas ex scriptura.* Respondeo, falsum esse; si intelligatur, quod eodem loco, quem, tanquam obscurum, B commentario illustrant, vtantur Patres, ceu testimonio, ad explicationis suæ confirmationem; tunc enim non modò *obscurum per obscurum*; sed etiam idem per idem explanare tentarent: si autem intelligatur de aliis scripturæ locis; concedimus id à Patribus fieri, sed negamus tunc probari id, quod notius est ex minus noto: nam testimonia scripturæ, quæ Patres interpretationi suæ admiscent, notiora sunt, quàm locus, quem explicare instituunt. Sunt igitur scripturæ non absolutè; sed quæ commentarij quasi vice assumuntur, clariores, quàm illæ, quibus Patres per commentarium lucem accendere instituunt.

Præterea in vocabulo *ex scriptura* latet homo- C nymia seu æquiuocatio. Nam hunc vel illum esse huius vel illius loci genuinum sensum demonstrare licet ex illo ipso, quem explanandum Patres suscipiunt loco; non præcisè, vt explicandus est ad probationẽ adhibitus, hoc enim fatuum foret; sed rationibus & discursibus ex loco illo eiusque circumstantiis collectis solideque deductis. Sic orthodoxi ex his ipsis verbis: *Hoc est corpus meum;* & ex omnibus totius sacræ illius actionis adiunctis, euidenter demonstrãt; panem in corpus Christi conuerti, atque adeo sub specie panis *verè, realiter, & substãtialiter* corpus Christi præsens esse: & hac formâ probandi negamus id, quod notius est, probari per minus notum; nam discursus illi, seu rationes ex sacratissimis D Christi verbis formatæ & eductæ, notiores sunt; quàm ipsa verba, de quibus controuertitur.

Denique Lutheri obiectio locum forsan haberet; si Patres illum ipsum locum, quem explanandum suscipiunt, ad probationem adhiberent; id quod nunquam fit; vt antea dictum; sed semper vel alia scripturæ loca notiora aduocantur; vel certè ex loco explicando rationes firmæ deducuntur; quæ luce sua tenebras fugent. Semper igitur scripturæ commentarius, si verè hoc nomen sibi vendicat; clarior est; quàm ipsa scriptura, cuius est commentarius; idque vel absolutè; vel respectu hominum, quibus cum disputatio instituitur. Neque tamen affirmamus;

omne illud, quod Patres affirmant, esse clarius, quouis quod in scriptura reperitur; vel ad illud probandum ex scriptura peti potest: sed de solis commentariis & explicationibus scripturæ loquimur;quas necessario, ipso textu,qui explicatur, magis dilucidos esse oportet, nisi superuacaneas explicationes comminisci velimus;quod de Patrum lucubrationibus affirmare, impium; de sectariorum autem nugacissimis commentis, pium.

Ad hoc Lutheri argumentum paulò aliter respondet Bellarminus; cuius responsionem Sibrandus & VVitackerus clamosè allatrant. Ait Bellarminus, dupliciter aliquid notius esse; primò, secundum notitiam verborum, quæ in perspicuitate sententiæ consistit, sicut dicimus, notiorem esse, id est, faciliorem, & clariorem sententiam propriam, quàm figuratam. Deinde secundum notitiam veritatis rei; quæ in eo posita est,vt quis intelligat id quod dicitur,esse verum. Exempla dat motum & vitam: nam si verba respicias, æquè intelligitur hæc sententia; Homo viuit; ac ista:homo mouetur. Et tamen quod attinet ad notitiam veritatis notius est hominem moueri, quàm viuere. Hoc posito addit;Patres scripturarum testimoniis suas sententias confirmare, quia notius est, verum esse, quod in scripturis habetur;quàm quod habetur in Patribus: & tamen iidem Patres commẽtariis suis scripturas illustrant, quia verba scripturæ sunt obscuriora,quàm verba Patrum.

Obiicit VVitackerus; *Hanc esse ineptam responsionem;nam clariores esse scripturas Patribus.quo ad veritatem, nihil aliud est, quàm veriores esse, de quo non controuertitur.* Sed dum VVitackerus Bellarmino ineptiæ notam inurere tentat;in non modicam ineptiam incurrit: Nam scripturas clariores esse quoad veritatem, non tantum est scripturas esse veriores; sed esse veriores, etiam nobis, seu iudicio nostro; saltem generali; omnes enim homines, qui aliquid sapiunt, hac persuasione imbuti sunt;scripturas esse veriores, quàm Patrum dicta seu commentaria; licet speciatim & distinctè veritatem illam scripturæ non intelligant: quia omnes norunt scripturam esse infallibile Dei verbum; quocirca quam primum scripturæ testimonium audiunt, de veritate eius minimè ambigunt; etiamsi veritatem illam in particulari non habeant compertam.

Qualis hæc distinctio? inquit VVitackerus. Bona, etsi supra tuum captum, vt video. *Ex verbis veritas oritur.* Ego hactenus credebam veritatem potius oriri ex rebus; ideo enim verba vera vel falsa sunt, quia respondent aut non respondent rebus, quas enunciant. *Si fateatur*, inquit VVitackerus, *scripturas apertiores esse Patrum commentariis, quoad veritatem, tum concedit veritatem apertiorem esse in scripturis, quàm in Patris cuiusquam scriptis, quod satis est.* Respondeo, tum VVitackerus id quod cupit, obtineret, si Bellarminus fateretur, veritatem distinctè, & in specie esse in scripturis apertiorem, quàm in Patrum commentariis. Sed cum hoc non afferat, nisi de veritate in communi, seu de generali quadam persuasione;qua omnes homines imbuti sunt,illud esse verum,quod scriptura affirmat, aut quod ex scriptura producitur, tametsi necdum veritatem illam intelligunt; ideo nihil habet, quod VVitackerus ex Bellarmino iure pro se arripiat, & in caussæ suæ patrocinium interpretetur. Esto enim; sit veritas apertior & notior in scriptura, quàm in Patrum libris, secundum hunc generalem veritatis conceptum; at non est apertior & notior secundum notionem & notitiam specialem & distinctam.

Si volumus scripturam cum Patrum commentariis comparare, inquit VVitackerus, *maiorem ferè in his, quàm in illa difficultatem inueniemus.* (tuo scilicet, sed non sanè sentientium iudicio) *Non minor enim perspicuitas est in Euangelio Ioannis, aut in Epistolis Pauli, quàm in Tertulliano, in Irenæo, in Origenis, & Hieronymi libris quibusdam, & in aliis non nullis Patrum scriptis.* Hæc omnia sine probatione temerè asserit VVitackerus; licet enim in Tertulliano, & id genus aliis, multa valdè tenebricosa occurrant; ea tamen, quæ scripturæ explicationem seu commentarium continent; semper clariora & dilucidiora sunt;quam ipse scripturæ locus,cuius est explicatio seu commentarius; quia id, quod in scriptura seu scripturæ loco abditum latet,eruit & in omnium conspectu ponit, idque quod inuolutum erat, euoluit, vt iam in se & secundum se videri queat. Quod si interdum id fiat verbis obscurioribus, ea ipsa tamen verba, quatenus arcanum sensum patefaciunt; plus claritatis habent, quàm illa scripturæ; quandoquidem verum sensum nobis pandunt, forsan non visuris illum, nisi commentarius iste præluceret.

Addit Hæreticus: *In scholasticis omnibus tanta est obscuritas, quanta in scripturis nusquam inuenitur.* At nos hic loquimur de Patrum in scripturas commentariis, non de acutis illis scholasticorum disputationibus. Deinde omnibus scholasticis tantam inesse difficultatem; vix fidem fecerit VVitackerus:non enim desunt, *qui clarè &* perspicuè, etiam de abditis *quæstionibus*, scribant, quantum materiæ sublimitas concedit.

Tertiò;obscuritatis cuiusdam caussa est, quòd multa disputationibus istis ex aliis scientiis, vt ex Physica & Metaphysica admisceantur; quarum non omnes gnari sunt.

Quartò dico, etiam ipsas Scholasticorum subtiles disputationes, quatenus sunt explicationes quædam scripturæ, & articulorum fidei vt sic dicam, illustrationes, clariores & dilucidiores esse, quàm ipsa scripturæ loca, quæ explanant. Ex locis enim scripturæ, & ex articulis fidei

ea mysteria & dogmata ratiocinando, & vnum ex alio deducendo eruunt.& in apertum proferunt; de quibus nemo fortasis, licet millies scripturam legeret; cogitasset; eò quod prœunte luce tenebras scripturæ discutiente caruisset: auditis verò & intellectis scholasticorum accuratis disquisitionibus, fateri cogitur; hoc vel illud ex hoc illoue scripturæ loco, seu fidei articulo consequi, rectéque inde concludi. Et quod multis modus dicendi scholasticorum obscurus est & tenebrosus, id fit; quia neque in his subtilitatibus, neque in genere dicendi scholastico (cui sua sunt peculiares phrases & proprij *termini*) versati sunt; Quid mirum, si talis disputatio alicui obscura accidat; cum quiuis commentarius Latinè scriptus tenebricosus sit illi; qui Latinæ linguæ vel imperitus, vel non valdè peritus est.

Ait VVitackerus: *Si qua esset in verbis scripturæ obscuritas maior, quàm Patrum, tamen non hinc sequeretur, scripturas sic obscuras esse, vt à populo legi non deberent.* Imò planè sequitur, scripturas sic esse obscuras, vt à populo sine duce, certoque Interprete legi non debeant: quia pestem inde haurient; suo, non scripturarum vitio; si absque magistris & rectoribus immensum hoc scripturarum mare transire velint.

Scriptura, inquit VVitackerus, *non minus apertè de rebus necessariis loquitur, quàm vlli Patres, aut multò etiam magis: quia Spiritus sanctus omnibus dicendi virtutibus excellit.* Excellit quidem, sed non vbique exserit: quia patres id, quod scriptura breuiter, & concisè tradit; fusius, & latius, & per consequens, clarius populo proponunt, & exponunt. Et quamuis Spiritus sanctus omnibus dicendi virtutibus, inter quas etiam est perspicuitas, excellat; tamen non omnes semper, & vbique vsurpare voluit, iustas ob caussas; sed si quid obscurum, vel minus clarum remaneret, id vt à doctoribus Ecclesiæ elucidaretur; instituit. ideo enim Ecclesiæ doctores dedit.

Quærit Caluinista: *Vbi Augustinus, aut Chrysostomus, aut quisquam Pater apertius scripsit, Christum suo sanguine, ac morte homines à suis peccatis, & æternis suppliciis liberasse, quàm Euangelistæ, quàm Paulus, quàm Petrus, quàm reliqui, quorum in scribendo Spiritus sanctus opera vsus est?* In omnibus ferè concionibus, & libris suis sancti isti patres hanc veritatem diuinitus nobis patefactam, apertissimè & fusissimè explanarunt, quodque scriptura velut Epitome quadam paucis verbis conclusit; id sanctissimi Doctores isti disertissimè & copiosissimè omnium oculis exposuerunt; vt cuncti longè euidentius videant, lectis vel auditis illis commentariis, quantum beneficium contineant; quàm si sola scripturæ verba legant.

Iunius etiam arrodit hanc Bellarmini ad Lutheri argumentum responsionem. *Negatur*, inquit, *distinctio*. Nihil aliud exspectabam, quam hoc millies vsurpatum & inculcatũ *negatur*, quo

A Iunius, tanquam Tenedia bipenni, omnia dissecat; & diffindit, *siue de vtrouis*, inquit Iunius, *siue de vtroq; acceperis, vera est Lutheri argumentatio. Negatur.* Lubet enim tuum tibi clypeum opponere. Sed en syllogismum. *Quod perfectam in se claritatem habet verborum, aut sententiarum, & rerum diuino modo, id per se notius est, & clarius imperfecto, vt riuis ductis clarior est fons purus: scriptura perfectam diuinitus claritatem habet: est igitur clarior, & notior per se.* Negatur Minor, si intelligatur, vt debet, quoad nos: quam qua ratione fulciet Prædicans? An non iam sæpius ex D. Augustino relatum est; certo quodam Dei consilio multa in scripturis remansisse operta & occulta? vt taceam de obscuritate; quæ ex aliis capitibus nasci-B tur; de qua satis supra. Et si de obscuritate verborum agatur; dicimus, commentarios, quoad verba, clariores esse, quod satis ex ipsa commentarij naturâ liquet. Falsum est igitur; quod Iunius dicit, *Scripturam perfectam diuinitus in se habere claritatem*: nam *perfectam*, qualis in hac vita possibilis; non habet, nisi ab Ecclesia, & à doctoribus Ecclesiæ; qui interpretatione sua abdita pandunt; &, vt lux illa nobis luceat & fulgeat, efficiunt.

Nescio num prudens an imprudens Iunius sequentia subiunxerit. Concedit, *scripturas non esse notiores nobis, licet natura notiores sint*; hoc concesso hæc subiicit: *Cum homo sit imperfectus, non capit id, quod perfectum est, & quidem perfectione su-C pra naturam, facultatesq; ipsius: at, si quid capit perfecti, id nec perfectè in se, nec modo perfecto capit, sed pro suo modulo imperfectis, & proportionatis ipsi (vt loquuntur) mediis. Huiusmodi autem media humana sunt, cum ea illustrauit, & disposuit Deus: & in hoc numero sunt sanctorum hominum, & Orthodoxorum Patrum commentaria.*

Fatetur ergo commentarios sanctorum patrum necessarios esse ad rectam scripturarum intelligentiam; cum sine his mediis homo imperfectus perfectionem scripturæ assequi nequeat: quos quod *media imperfecta* nominat; id perfectò Caluinistæ condonare oportet. Si autem hæc vera sunt; malè ergo agunt Prædicantes, qui co-D nantur homines ab his intelligendæ scripturæ mediis penitus abducere. Ex quorum numero Hunnius, cuius est hæc vociferatio. *Quoniam demonstrari potest, Patrum scripta, præsertim quando versantur in interpretatione scripturæ, sæpe esse prorsus aliena à scopo Spiritus sancti; & verba Patrum obscuriora verbis scripturæ: nónne rerum ordo inuerteretur, si in interpretanda scriptura velles Ecclesiam ad scripta Patrum alligatam? Sed satis est, si examinatione textus, consideratione antecedentium, & consequentium, & phraseos, adhibita simul analogia fidei, quam Paulus omnis interpretationis mensuram constituit, eruatur vera cuiusq; loci sententia.*

Hæc impudens Prædicans; qui vt frontem magis perfricet, ait; quosdã ex patribus *fuisse Hebraica*

& Græcæ linguæ penitus ignaros; (quocirca cum istis radices Hebræas & Themata Græca inuestigare, vel potius ludicrè grãmaticari nequierunt; magna sanè iactura) *& ideo explicationes dedisse impertinentes.* (Nullus vnquam *impertinentiores* explicationes dedit, quàm Lutherus cum suis. Neque vllus *impertinentiæ* huius modus aut finis erit; nisi ad patres, probos & fidos illos magistros, redeatur.) *Quosdam ex præpostera veteris translationis veneratione fontes non inspexisse, ideoq; absurdas haud rarò glossas textui scripturæ assuisse.* (Scilicet iam, cum Prædicantes antiquam versionem extremè contemnunt, & plenis fontibus sese non tantùm proluunt, sed & propemodum submergunt; omnes glossæ & glossulæ aptæ, concinnæ & ex Spiritus sancti sensu depromptæ sunt: Cum tamen euidenter constet, stultitiam multis sæculis nusquam regnum suum latius protulisse; quàm hoc æuo; quo sapientissimi isti tanto studio ad fontes concurrunt; omnesque ad concurrendum inuitant, immemores moniti illius à Luthero profecti comment. in cap. 7. Matthæi. *Illud summè probibitum est, quod quisque proprij capitis ductu tantum sibi arrogat, & nouam doctrinam ac spiritum comminiscitur, semet pro sapientissimo reputans, omnium magister esse volens, omnes vituperans, quorum nihil illi est commissum.* At quis tibi hoc vel potius hæc commisit Luthere? quæ tota vita tua adeo exercuisti; vt vix quidquam aliud egisse videaris? Quo duce & impulsore posteri tui idem factitant, nisi te ad hanc audaciam, vel potius effrontem effrenemque impudentiam præeunte, & facem præferente?

Subdis. *Et tamen istorum Thaletum seu potius Momorum, plena sunt omnia* (cuius culpa, nisi tua?) *qui in tantum sapientes sunt, vt etiam iungere vulpes, & mulgere hircos sciant, & equos à cauda infrenare, aliis antè in os frenum inserentibus.* Hæc Lutherus de se & suis catulis, patrum arrogantissimis irrisoribus & reprehensoribus; quorum signifer Hunnius, qui præter iam enumerata conuicia etiam hoc in patres euomit. *aliquos ex primariis patribus, si non ex toto, at ex parte sequi methodum Origenicam, & scripturæ dicta per se lucida suis allegoricis interpretationibus inuoluere magis & obtenebrare, quàm explicare & elucidare.* O frontem stigmate dignam, vt hoc cauterio admonita; pudoris aliquid ad linguam demittat; ne tam inuerecundè, vel potius flagitiosè de Christianæ religionis Doctoribus & proceribus quiduis effutiat.

Savvbrandus hic totus in Philosophum transformatur; deque eo, quod notius est naturâ; quodque notius nobis; verbosè disputat; Et vt nobis Philosophicæ suæ eruditionis gustum præbeat, plurimos Philosophos, quasi iam à se in succum & sanguinem conuersos, testes laudat, Thomã, Albertum, Zabarellam, Suessanum,

A Buranam, Louanienses, Colonienses, Themistium, Philoponum, Auerroem, Iauellum, Titelmannum, Velcurionem. Quis non tanto tantorum virorum agmine stipatum Sibrandum reformidet? Sed pone metum: isti omnes nihil aliud dicunt; quàm aliud esse notius naturâ; aliud notius nobis: quam distinctionem in scholis Philosophorum vsitatam Bellarminus nunquam respuit. At aliam attulit. Num ideo prædictam respuit? Aliam attulit, quia magis ad propositum fuit; & vanitatem Lutherani argumenti dilucidius demonstrauit; & hunc etiam Sibrandicum syllogismum lumbifragium subire cogit: *Per quod Patres sua scripta probant, illud est notius, quàm scripta Patrum: sed, scriptura est il-*
B *lud, per quod patres sua scripta probant: Ergò scriptura est notior, quàm scripta Patrum.*

Respondeo ad Maiorem per distinctionem. Notius est secundum notitiam veritatis rei generalem, confusam & indistinctam; concedo Maiorem. Notius est, secundum notitiam verborum, quæ in perspicuitate sententiæ consistit; nego Maiorem. Concessa Minore, eadem distinctio ad conclusionem adhibetur: vera enim est; si intelligatur de notitia veritatis rei; falsa, si accipiatur de notitia verborum. Qua distinctionis luce omnes Caluinistæ huius fumi in auras euanescunt, qui multa hic mendacia non sine insigni inscitia agglomerat. ex quibus vnum:
C Bellarmino *id secundum veritatem rei notius esse; quod nobis notius est.* Ex quo infert; *Scripturas nobis esse notiores, quam patrum commentarios; cum secundum rei veritatem sint notiores, teste Bellarmino.* Calumniatur Prædicans; nam illud nobis notius dicitur, prout hoc opponitur ei, quod est notius naturâ; quod secundum claram & distinctam cognitionem nobis notius est; & magis in sensus nostros incurrit; at cum Bellarminus dicit; scripturas esse notiores secundum veritatem rei, minimè loquitur de veritate rei particulari & distincta; sed de communi illa æstimatione, quam omnes conceperunt de scripturis, nempe verum esse, quidquid ex illis profertur, etiamsi veritatem distinctè & expli-
D catè non percipiant. Itaque quod nobis *ad hunc* duntaxat modum notius est; *id minimè est* notius nobis eo notitiæ modo, *qui* notiori naturâ opponitur; sed reuera notius naturâ manet, nec fit aut est nobis notius: neque obstat exemplum de vita & motu allatum à Bellarmino: licet enim non negem; *hominem moueri* nobis esse notius etiam distinctè & explicatè, & eo sensu, quo hic loquendi modus in scholis vsurpari solet; quàm *hominem viuere*. attamen exemplum hoc minimè allatum est, quasi per omnia simile; sed vt quiddam assimile; quatenus præcisè secundum rei veritatem in communi notius est hominem moueri; abstrahendo à cognitione particulari & distincta, qua

hoc

hoc cognoscimus; & manendo tantum in generali motionis notitia.

Iterum mentitur, cum dicit; *quod naturâ notius est, hoc Bellarmino secundum verba notius esse.* Est & hoc mendacium. *Scripturam sacram non esse naturâ notiorem, quàm scripta Patrum, ex doctrina Bellarmini.* Nihil horũ asseruit Bellarminus; quia de distinctione notioris naturâ & nobis nihil disputauit; aliam subuertendo Lutherano argumento adhibuit; quam iste non intelligens, imperitè cum hac altera confundit ac miscet. Si tamen scire velit, quid hac de re sentiamus; aio; scripturam naturâ notiorem esse; Patrum commentarios notiores nobis. Cum hoc tamen consistit, quod Bellarminus dicit, scripturas esse notiores nobis secundum rei veritatem; hoc est, secundum generalem veritatis conceptionem ac notitiam, vt supra explicatum; propter quam assumunt patres scripturæ testimonia ad suarum sententiarum confirmationem & elucidationem; Etsi id etiam fit, vt initiò dictum; quòd clariores vel iam antea satis explanatæ sacrarum litterarum sententiæ, ad lucem obscurioribus immittendam, meritò adhiberi solent; quo pacto videmus priores propositiones Euclidis. v. g. seruire demonstrandis & declarandis posterioribus.

Necdum desinit delirare Sibrandus: *Si vera sententia ex eo elici potest, quod nobis ignotius est, tum multò magis ex eo, quod nobis notius est, colligi potest. At scripta Patrum sunt ignotiora quo ad nos, & tamen ex iis vera sententia, secundum Papistas, in rebus controuersis elici potest. Ergò, vera sententia in rebus controuersis, multò magis ex sacra scriptura (illa enim secundum Bellarminum est notior, quo ad nos) colligi potest.* Quis tibi dedit Minorem? Quis concessit? Quam tu adeò securè adducis, quasi omnes mortales consono ore dicant; scripta Patrum esse ignotiora, quàm scripturam. Nonne hoc negat Bellarminus; si agamus de notitia verborum vt ait; *quæ in perspicuitate sententiæ consistit? At scripturæ sunt notiores secundum generalem veritatis conceptum.* Quid tum? Non ideo simpliciter notiores sunt; aut commentarij patrum absolutè ignotiores, quàm scripturæ.

Vndecimum Hæreticorum argumentum: *Patres primæ Ecclesiæ sine commentariis scripturas legerunt: & idem fecerunt postea omnes alij veteres: quorsum igitur nos nouam istam semitam commentariorum ingredimur?* Respondet Bellarminus; *Primos patres, qui continuò post Apostolos fuerunt, non legisse commentaria; quia, nulla erant: sed tamen adiisse commentaria viua, id est, Apostolos, & eorum discipulos, & non ex proprio ingenio scripturas intelligere voluisse.* Deinde Iustinum, Irenæum & alios cœpisse commentaria conscribere, idque Hieronymum testari de viris illustribus in Ioanne.

Respondet VVitackerus. *Certum est, fuisse tempus, quando Ecclesia & legebat, & intelligebat scripturas sine commentariis.* Aërem verberas Hæretice. An

A non hoc vltrò concedit Bellarminus? Addis: *Ante Origenem nullos proferre possunt, qui commentarios aliquos in scripturas ediderint; atq; is quidem vixit ducentis post Christum annis: ergò, tamdiu Ecclesia commentariis caruit. Quòd verò obiicit ex Hieronymo in Catalogo scriptorum illustrium, in Ioanne, Iustinum, atq; Irenæum commentarios scripsisse in Apocalypsin, falsum est.* At neque tu vllum testimonium proferre potes, quo planum facias, nullum ante Origenem commentarios in scripturam edidisse. Deinde, quoties suis in commentariis meminit Origenes tractatorum scripturæ; se suamque ætatem antegressorum? Nonne Clemens Alexandrinus antecessit Origenem? An non hodie eius in Epistolas Canonicas exstant

B commentarij, & eius in vniuersam scripturam explicationes commemorat Eusebius lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 11. qui etiam libro 5. cap. 26. mentionem facit commentarij ab Heraclito in Apostolum editi; & alterius in Hexaëmeron Candidi & Apionis; qui omnes Origene priores floruerunt. An non Pantænus antegressus est Origenem? An non D. Hieronymus testatur in Catalogo, multos in sanctam scripturam Pantæni exstare commentarios? An non Melito Asianus, maior ætate est Origene? Atqui ab eo librum vnum de Apocalypsi Ioannis elaboratum esse, auctor est D. Hieronymus in Melitone. Testatur idem se sub nomine Theophili Sexti Antiochensis Episcopi legisse cõmentarios in Euan-

C gelium & Prouerbia Salomonis; qui tamen D. Hieronymo cum aliorum voluminum elegantia & phrasi non congruere visi. Addo, libros aliorum vel contra Hæreticos, vel Gentiles pro fide nostra, vel aliis de argumentis compositos; quorum non paucos vetustissimorum & Origene antiquiorum Patrum enumerat D. Hieronymus, nihil aliud fuisse; quàm explicationes sacræ scripturæ. Accedant ad extremum Iustinus & Irenæus, qui vt D. Hieronymus in Ioanne testis, Apocalypsin interpretati sunt.

Occlamat VVitackerus. *Hieronymus hoc non affirmat, sed dicit tantùm eos interpretatos fuisse Apocalypsin.* At VVitackerus mentitur, hæc enim sunt D.

D Hieronymi verba. *Quam* (Apocalypsin) *interpretatur Iustinus Martyr, & Irenæus. Interpretatur,* inquit in præsenti; vt intelligas, interpretationem non fuisse viuæ vocis; sed litteris mandatam, quæ non vni æuo; sed aliis itidem ætatibus loqueretur. *Fortasse,* inquit VVitackerus, *obscuriores ex Apocalypsi locos exposuerunt.* (Ecquis dubitat? Quia clara, & luce natiua lucentia non exponuntur.) *Sed quàm rectè, ex eo patet, quod errorem Chiliastarum huius libri auctoritate stabilierint.* Ne dubita, rectius exposuerunt Apocalypsin, quàm omnes Nouatores, quotquot ad hunc diẽ eam exponere aggressi sunt; nam quod tu tantis viris errorẽ illum Chiliastarũ exprobras, quantulus est næuus iste ad Caluinianã lepram, qua tu quantus, quantus,

obsi-

oblitus es. *Demus*, inquit Caluinista, *eos in Apocalypsin scripsisse quædam, num inde sequetur in totam scripturam ab illis editos commentarios fuisse?* Hoc neque necessarium est, neque id affirmauit Bellarminus; Tantùm dixit, D. Hieronymi auctoritatem secutus, Iustinum & Irenæum in Apocalypsin scripsisse commentaria, quod verum, licet non ediderint in totam scripturam commentaria. Quid tricaris & tergiuersaris nugator, vel potius impostor? Vt veritati tenebras offundas, nullas non tenebras moues. *Iudæi*, inquis, *ante Christum nullos commentarios in Prophetas habuerunt, & tamen eos intelligebant.* Qua auctoritate hoc asseueras, nisi tua? Profer probatum dicti tui auctorem, & dispiciemus num fides habenda sit. Iam enim non tantum assensum suspendimus; sed & apertè dissentimus. Et vt interpretes non habuissent; Prophetarum tamen intelligentiam capiebant ex viua doctorum Synagogæ instructione ac institutione.

Hunnius hic nil præter morem & institutum agit. Calumniatur & mentitur intrepidè quasi vtriusque agendi, & à superis & ab inferis ius liberum largamque copiam accepisset. Aiunt isti suo in argumento; *non modò primos Ecclesiæ patres commentaria nulla legisse, sed neq; postea alios priscos patres.* Quod commentum dicit Bellarminus innumerabilibus prolatis exemplis redargui posse. Vbi Prædicans; *Quid ais? Num innumerabilia exempla potes afferre, quod primi illi patres commentarios legerint?* Vanissime impostor; an hoc Bellarminus de primis patribus, qui continuò Apostolos secuti sunt, asseruit? An dixit, innumerabilia exempla produci posse, quòd commentarios legerint? An non disertè scribit, istos nulla legisse commentaria, quia nulla tum exstabant? An nõ argumentum duas partes habet, alteram de patribus, qui immediatè æuum Apostolicum secuti; alteram de remotioribus ab hac ætate? An vtrosque negat commentaria legisse? An non de posterioribus ait Bellarminus, innumera exempla proferri posse eorum, qui scripturæ cõmentarios euoluerint? Hæc omnia Prædicans nequiter & flagitiosè miscet; quasi Bellarminus dixerit, innumeris exemplis planum fieri posse; patres, qui Apostolos immediatè secuti sunt; commentaria legisse.

Hinc infero, clamat Hunnius, *primi illi non opus habuerunt commentariis, ergo neq; nos.* Negatur consequentia. Perinde est ac si dicas: Primi illi, qui audiuerunt Hippocratem, vel qui Aristotelem, non habuerunt opus commentariis in Hippocratem vel Aristotelem, ergo neque nos. Quis nisi delirus hanc consecutionem admittat? Nam vt discipulis Hippocratis & Aristotelis ipsi tales tantique magistri commentariorum loco fuerunt; ita & apud nostros primos illos doctores Apostoli commentariorum vicem obibant. ex quorum ore & recenti calentique adhuc relatione veritatem vbertim haurire poterant.

Obiicit Hunnius. *Apostoli non erant vbiq; præsentes; ergo non poterant vbiq; audiri.* Respondeo, corpore non erant vbique præsentes; at doctrina vbique præsentes erant. Quod si quid exstitisset, quod ex tradita doctrina expediri nequiret. adibantur Apostoli, legatione missa, vt factum in Actis cap. 15. & Paulus Hierosolymam ascendit, vt cum Apostolis conferret, *ne in vacuum curreret.* Eandem rationem tenebant alij. Occinit Hunnius; *non fuisse tutum ex relatione aliorum, qui se discipulos Apostolorum ferebant, accipere, quid Apostoli docuerint aut tradiderint*; idque ostendit exemplo Papiæ apud Eusebium lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. vlt. *cui hoc prætextu aliquot errores obtrusi.* Sed Prædicans dissimulare non debebat id, quod eodem loco monet Eusebius; videlicet, Papiam relationes & traditiones illas malè intellexisse; *quod esset homo ingenij pertenuis.* Non igitur culpa hæsit in traditione, sed in eo, qui in nonnullis traditiones secus quàm oportebat, accepit. Neque est, quod Prædicans tantopere miretur Papiæ exemplum à Bellarmino productum. Optimè enim fecit; quod scripturas non ex suo; sed ex Apostolorum & Apostolicorum discipulorum doctrina intelligere ac interpretari voluit. Etsi nonnulla non satis assecutus; vt homo, lapsus est. Quod si tanti viri ab æuo Apostolico tam propè dissiti interdum errarunt; quid existimandum de hodiernis thrasonibus; qui licet insolentissimè scripturarum scientiam sibi arrogent; plures tamen errores vna hora errant, quàm Papias & similes totius vitæ suæ decursu. Satis de Hunnio.

Ad Savvbrandum; qui sic syllogizat: *Quod absq; commentariis in primitiua Ecclesia intelligi potuit, hoc ita perspicuum est, vt ad veram sententiam in dogmatis controuersis ostendendam sufficiat. Sed scriptura tempore primitiuæ Ecclesiæ absq; commentariis intelligi potuit. Ergo, scriptura ita perspicua est, vt ad veram sententiam in dogmatis controuersis ostendendam sufficiat.* Subdit Hæreticus incredibili impudentia. *Bellarminus concessa Maiore, negat Minorem.* O detritam Prædicantis huius frontem. Vbi vnquam Bellarminus de hoc syllogismo vel verbulum fecit? Vbi concessit Maiorem? Vbi negauit Minorem? Nonne id, quod hæc *Minor* ponit, expressè & disertè concedit? Nonne fatetur, primos illos patres, *qui statim post Apostolos floruerunt; nullos legisse commentarios, quia nulli tum conscripti erant?* O singularem Caluinistæ huius vel imperitiam vel malitiam; qui Bellarmino ea affingit, quorum contraria Bellarminus disertè palamque scribit. Nihil dico de *Maiore*, quæ & ipsa vtroque pede claudicat, quemadmodum pleræque aliæ, quas hactenus textor iste texuit. Falsum enim est, id quod absque scriptis commentariis, (quamuis non absque viuis & spirantibus) in primitiua Ecclesia intelligi potuit, ita esse perspicuum, vt ad veram sententiam in dogmatis controuersis ostendendam per se sufficiat absq; vllo interprete; de quo iam sæpius dictum. Cæ-

tera

tera nugamenta Sibrandus cum VVitackero communia habet : illud peculiare ; quod ait; *Hieronymum nec in Irenæo neq; in Iustino meminisse commentariorum ab ipsis in Apocalypsin editorum.* At iam ante meminerat in Ioanne. An non hoc satis? *At Iustinus & Irenæus non tam illustrarunt, quàm obscurarunt Apocalypsin propter Chiliastarum errorem.* Verum vbi plura nitent in corpore non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parum cauit natura : multò minus linguam in tantos patres, totius Christianæ religionis lumina, nefariè stringam.

Præter hæc vndecim argumenta Nouatorum à Bellarmino hactenus soluta, tria alia producit VVitackerus. Primum est : *Si scripturæ tam obscuræ, ac difficiles sunt ad intelligendum, vt cum fructu à populo legi non possint ; tum id factum est, vel quia non potuit Spiritus sanctus apertius scribere ; vel, quia noluit.* Respondeo ; quia noluit. Obiicis. *Noluisse, pugnat cum fine scribendi.* Negamus. Probas. *Quia in hunc finem scribi voluit Deus, & litteris mandari, vt nos ea disceremus, quæ scripta sunt, & eius voluntatem inde cognosceremus, vt patet Rom. 15.* Voluit, vt ea disceremus; sed magisterio Ecclesiæ, & doctorum; quos in hunc finem in Ecclesia collocauit, & singulis ætatibus collocat. Scripsit, vt scripturas intelligamus; sed in schola Ecclesiæ; non Lutheri aut Caluini.

Addis : *Non ludit nos Deus, cum iubet scripturas legere : sed ideo vult nos legere scripturas, vt eas cognoscamus, atque intelligamus.* Quis dubitat, nos à Deo non ludi? Seriò iubet, vt scripturarum cognitioni nos dedamus, sed sub institutione & instructione Ecclesiæ, & Doctorum, quos Deus Ecclesiæ dedit. Ais. *Scriptura vocatur regula, norma, scopus oculis expositus, facilis ergo & aperta sit necesse est.* Respondeo, etiam Dialecticam, Grammaticam & Arithmeticam esse regulam, normam, scopum oculis expositum. An ideo nulla explicatione egent? An per se lucent? Tota scriptura est regula & norma. Num ergo tota facilis est & aperta? Quoties hoc negauit ipsemet VVitackerus? Tota scriptura est scopus oculis expositus. Num igitur tota adeo facilis est & aperta; vt nullius Interpretis indigeat? Concludit VVitackerus hoc suum argumentum acutissimè. *Voluit Spiritus sanctus scripturas litteris mandari vt nos eas intelligeremus,* (nimirum per institutionem Ecclesiæ, Doctoresque Orthodoxos) *& hunc illi finem propositum fuisse, multa sunt in scripturis ipsis, quæ testantur; ergo ita scriptæ sunt, vt à nobis intelligi possint,* (si discipuli Ecclesiæ esse; & à docentis ore pendere velimus.)

Alterum VVitackeri argumentum. *Alij hominum sunt fideles, alij infideles: Fideles scripturam intelligunt; ergo scriptura est adeo clara, vt nullo egeat interprete.* Qualis ratiocinatio vel potius deliratio? Intelligunt fideles ex scripturis ea, quæ ad A cuiusque statum pertinent. Num hanc intelligentiam proprio Marte consequuntur, an institutione & instructione Ecclesiæ, eorumque, qui in Ecclesia docendi officio funguntur : *At scriptura est φῶς, lumen, & φωτισμὸς, illuminatio.* Verum hoc lumen non illuminat nisi collocetur supra Ecclesiæ candelabrum : vt iam sæpius dictum. Illuminatio ista ad oculos nostros non pertingit, nisi per canalem, vt sic loquar, Catholicæ Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ traditionis.

Tertium VVitackeri argumentum petitur ex variis patrum testimoniis. Ad testimonia ex D. Augustino & S. Chrysostomo iam antea respondimus. Et in genere ad omnia respondemus, scripturas nominari aliquando à patribus faci- B les, claras, apertas; ob interpretem, facilem, clarum, apertum; qui semper præsens in Ecclesia; qui semper adiri & audiri potest; qui omnia reddit facilia; omnia declarat; omnia aperit. Sic scriptura lux est, lumen est, lucerna est; iisdem patribus; quia lux & lumen est in Ecclesia, quod scripturã illustrat; illustratamque nobis proponit. Interdum etiam patres loquentes ex suo sensu & mente; scripturas pronunciant faciles & apertas; quia ipsis iam ab Ecclesia explicatæ, faciles & apertæ erant. Quo pertinet illud Iustini Martyris in Dialogo cum Tryphone Iudæo, vbi probans Christum esse Deum, sic alloquitur eos, quibus cum sermonem habuit. *Attendite iis, quæ ex sacris scripturis commemorabo, quæ sunt eiusmodi,* C *vt auditione tantum, non explicatione aliqua egeant* : videlicet explicata iam ab Ecclesia adeo clara sunt; & eidem sancto Martyri tam perspicua videbantur; vt sola auditione; non alia interpretatione egere censerentur. Accedit, quod quorundam locorum verba adeo sunt perspicua, vt nulla alia indigeant peculiari interpretatione, nisi communi hac Ecclesiæ asseueratione, qua restatum fiat, eo ipso sensu loca huiusmodi capienda, quem verba primo statim aspectu repræsentant. Ex his promptum erit etiam ad reliqua testimonia ex Clementis Alexandrini, Hieronymi, Ambrosij, Basilij, Cyrilli Alexandrini, Fulgentij & Bernardi operibus à VVitackero producta respondere; & ad singula fermè sigillatim respon- D sum est in Colloquio Ratisbonensi Sess. VIII. cum Hæretica pars testimoniorum horum pleraque ex Kemnitio & VVitackero in suam farraginem comportasset.

CAPVT III.

Proponitur quæstio de iudice controuersiarum, & simul disseritur de sensibus scripturarum.

DISSERIT Bellarminus de scripturarum sensibus antequam indicet, quis vel ex nostra, vel ex hæreticorum sententia, sit controuersiarum Iudex: & communi more diuidit sensum in litteralem (qui & historicus & Grammaticus dici solet) & in spiritualem seu mysticum. Illum rursus partitur in proprium, & improprium, (qui etiam tropicus seu metaphoricus dici consueuit) hunc in allegoricum, tropologicum, & anagogicum. Hunnius clamat, *hæc nil facere ad rhombum*: Lutheranum scilicet, multoque minus faciunt ad nasum Lutheranum, cui omnis honestior & vetustior doctrina ingratum odorem spirat. Quomodo nihil ad rem, disputare de scripturæ sensibus, quando disputatio de scripturarum iudice ingredienda est, cuius aliud non est officium, quam vt veros scripturæ sensus certo & absque erroris periculo mortalibus patefaciat?

Dicit Bellarminus diuisionem sensus & litteralem & spiritalem colligi ex Apostolo 1. Cor. 10. vbi ait, *Omnia accidisse Iudæis in figura ad correptionem nostram.* Obiicit Sibrandus lib. 5. de principiis Christ. dogmatum cap. 2. *Paulum hoc loco neq; directè, neq; indirectè docere, multiplices esse scripturarum sensus, eosq; germanos & genuinos.* Sed Hæreticus nescit quid dicat: Si enim res gestæ populi Israëlitici fuere typus & figura eorum, quæ in Christiana Ecclesia, seu in Christiano populo aliquando gerenda erant; vtique res illæ gestæ aliquid significabant; si vt gestæ aliquid significabant; ergo etiam aliquid significabant, vt relatæ in litteras; quia eædem res, quæ prius gestæ fuerant, postea in litteras relatæ sunt: at disertè affirmat Apostolus, res illas in & à populo Israëlitico gestas aliquid significasse, quia typi erant & figuræ; omnis autem typus & omnis figura aliquid significat; Typus enim, & id quod typo adumbratur, sese mutuò respiciunt, sicut etiam figura & figuratum; signum & signatum.

Porro significatio facta per ipsas res; non est litteralis; quia res non sunt litteræ; est ergo spiritalis. Habemus ergo spiritualem sensum ex Apostolo; & ibidem etiam litteralem: verbis illis: *Scripta sunt autem ad correptionem nostram.* Omnis enim scriptura hoc ipso quod est scriptura significans, litteralem aliquem sensum habet. Quæ adeo euidentia & perspicua sunt; vt dum hæreticus Bellarmino maximè contradicere nititur; illud ipsum quod Bellarminus asserit, asserat. Dic

A Caluinista; si S. Paulus eo loco non docet esse litteralem & spirituale scripturæ sensum; & vtrumque germanum ac legitimum; quid igitur docet eo loco D. Paulus? Fare age. *Veterem historiam, quæ secundum litteram tantùm intelligenda est, accommodat ad Corinthios, & docet, illa, quæ veteribus acciderunt, esse typos, id est, imagines, & tabulas, vt in iis videre possint, quid fugere, & quid sequi debeant. Item; quomodo Deus erga peccatores affectus sit. Deinde dicit; ea ad nostram correctionem scripta esse; quasi diceret; Illa exempla litteris mandata esse, vt in iis, tanquam in imagine quadam videre possimus, quæ pœna nos maneat, si illorum facta imitabimur.* Vbi obserua primò, illum Iudaismũ. *Veterem*, hoc est, antiqui testamenti, *historiam tantùm secundum litteram intelligendam esse*; & per consequens, non referendam ad Christum & ad

B Christianæ religionis mysteria. Quo quid magis Iudaicum? Quid magis Apostolo Paulo contrarium, disertè affirmanti, res in populo illo gestas, fuisse typos futurorum, & omnia, quæcunque euenerunt, *facta esse in figura nostri*, hoc est, ita, vt nos & nostra sacra & instituta repræsentarent?

Deinde obserua, Caluinistam, dum spiritalem sensum oppugnat, eundem confirmare ac stabilire. Si enim illa scripta sunt ad correctionem & correptionem nostram, hoc est, ita, *vt in iis videre possimus, tanquam in tabulis & imaginibus, quid fugere & quid sequi debeamus*: Significant ergo res illæ prius gestæ, & postea litteris consignatæ; tropo-

C logicè. At tropologia pertinet ad sensum spiritualem. Habemus igitur ex hoc D. Pauli loco sensum spiritualem; etiam Caluinistæ huius suffragio; nempe tropologicum, qui mores format. Frustra ergo nititur contra Bellarminum Hæreticus, cum tandem idem dicat, quod Bellarminus docet.

Ait Bellarminus, hos duos sensus, litteralem & spiritualem fuisse etiam significatos per *librum scriptum intus & foris*, de quo Apocalyp. 5. & Ezech. 2. & ita sentire D. Hieronymum in cap. 2. Ezech. Respondet Sibrandus. *Ex hoc loco probari non posse multiplicē esse scripturarum sensum.* Atqui Bellarminus hic non agit de multiplici; sed tantum de duplici scripturarum sensu; nimirum de littera-

D li & spirituali. Cur tu filum disputationis Bellarminianæ turbas? Quotuplex enim sit sensus spiritualis, non hic, sed infra, Bellarminus disquirit. Addit Caluinista. *Ipse Hieronymus dubitauit, quid significaret externa & interna scriptura: Hoc docet particula; Vel certè.* Mentitur Caluinista; Duas enim libri huius explicationes adfert D. Hieronymus; nam primò illud, *intus & foris* interpretatur; per *ante & retro*, quia liber ille de futuris & præteritis scriptus erat. Postea subdit. *Vel certè foris in historia littera; intus intelligentia spiritali, de qua & Psalmista. Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Num hæc dubitantis vox est & assertio? Num qui duas explicationes eiusdem loci adfert, idcirco de posteriore ambigit?

Digitized by Google

Hieronymi verba, inquit Caluinista, *de sensu externo, quo etiam impij scripturam intelligunt, & de sensu interno, quo Spiritus sanctus solis credentibus scripturarum intelligentiam obsignat, accipi possunt.* Nouatorem istum nugas agere, palam faciunt D. Hieronymi verba; quæ manifestè loquuntur de sensu scripturæ literali, & de spirituali: &, quod hinc sequitur, de duplici; quod solum hoc loco Bellarminus probare instituit. Nam de *illa obsignatione scripturarum in cordibus credentium*, hoc est, sectariorum; nunquam somniauit D. Hieronymus: quia de sola scripturæ intelligentia, eaque duplici loquitur; literali videlicet & spirituali, quarum vtraque ipsis etiam improbis communis esse potest. Nam vt in literali; sic & in spirituali sensu potest quis excellere; quantumuis vitam tali cognitione minimè dignam ducat.

Probat quoque Bellarminus geminum hunc sensum ex libro Philonis de vita contemplatiua; & Nazianzeno ad Nemesium, qui sensum literalem comparant corpori, spiritualem, animæ. Quid Caluinista? *Hoc nihil notat, quàm Papistici dogmatis infirmitatem. Si enim alia pro multiplici scripturarum sensu argumenta haberent, non peterent patrocinium ab Essenis, iuratis Christianæ religionis hostibus.* Multa hic sunt notatu nō indigna. Nam, primò, si Papisticum dogma est, sensum scripturæ diuidere in literalem & spiritualem; Papistas fuisse oportuit; antiquissimos Patres; qui hanc diuisionē posteris tradiderunt. Et ipsum etiam Savvbrandum Papistam esse oportet; quia paulo antea concessit in scripturis reperiri sensum *litteralem & spiritualem* illum, qui *tropologicus* appellatur. Secundò non ex solo Philone; sed etiam ex Gregorio Nazianzeno duplicem hunc sensum Bellarminus asseruit. Cur præteris Nazianzenum; si displicebat Philo, sed Nazianzenum à Philone seiunxit, vt faciliorem calumniandi ansam haberet. Tertiò, Essenos fuisse iuratos Christianæ religionis hostes, tam à vero abhorret, quàm cum vero concordat, hoc elogium in Sibrandum omnesq; Caluinistas competere. Falsitatem huius dicti satis superque redargui in tribus Apologiis contra Misenum, vt & Serarius noster in suo *Tribæresio* contra Iosephum Pseudoscaligerum, sed verum Burdonem.

Esseni, inquit Caluinista, *apud Philonem docent, totam legem habere similitudinem animalis, hoc est, habere multiplicem sensum, &c.* Quàm ineptus Cauillator. Tota lex seu Scriptura geminum habet sensum; tota, inquam, quia maxima & potissima pars gemino sensu constat. An non æthiops totus niger rectè nominatur, licet in aliqua corporis particula candeat?

Addit. *Anima corpori præstat; & Philo spiritualem sensum cum anima, literalem cum corpore confert. Spiritualis igitur literali præstantior est.* At inprimis istum triti illius meminisse oportebat. Non esse necessarium, vt exempla sint in omnibus similia iis, quorū gratia adducuntur; vnde vt exemplum il-

A lud Essęorū seu Philonis cōstet, satis est, si spiritualis sensus animæ dicatur similis; quòd vt anima internum quiddam est; & sub corpore quasi delitescens, ita & sensus spiritualis internum quiddā sit, & quasi sub litterali abditus. Vtrum autem iam cum anima quoq; conueniat in hoc, quod vt anima præstantior est corpore; ita hic præstantior sit sensu litterali; alia quæstio est. Et vt in aliis, sic & in proposito contingere solet, vt secundum varias considerationes & respectus litteralis mystico; & hic illi pręstet, de qua re legi potest Gabriel Vasquez in 1. p. S. Thomæ q. 1. art. 10. disp. 16. cap. 4.

Nam quod Bellarminus dicit, ex solo sensu litterali peti argumenta efficacia, cum enim sen-
B sum, qui ex verbis immediatè colligitur, esse sensum Spiritus sancti; id Caluinistam nihil iuuat; licet enim litteralis sensus hac prærogatiua spiritualem exsuperet; attamen in aliis à spirituali exsuperatur vicissim; v. g. Abraham duos filios habuisse, sensus literalis est: At quanto præstantior est sensus spiritualis, quem S. Paulus persequitur Gal. 4. Item sensus litteralis est Genesis cap. 2. *Erunt duo in carne vna.* At spiritualis longè excellentior affertur à S. Paulo Ephes. 2. *Sacramentum hoc magnum est, &c.* Idem dicendum de historia Ionæ Matth. 12. deq; non alligando bouis triturantis ore 1. Tim. 5. & id genus aliis.

Tritum illud: *ex solo litterali sensu efficacia argumēta desumi*; intelligendum est; ordinariè, & vt pluri-
C mum: quia ordinariè magis nobis constat sensus litteralis, quàm spiritalis. Alioqui nemo inficiari potest, ex spirituali quoq; sensu argumenta firma peti, quādo nobis iste sensus vel ex scriptura, vel ex traditione Ecclesiæ, communique sanctorum Patrum doctrina certò liquet; quod præter alios rectè obseruauit & docuit Gregorius de Valentia 1. p. D. Thomæ Disput. 1. q. 1. p. 5. Neq; litteralis duntaxat sensus à Spiritu sancto descendit, sed & spiritualis: mentiturque impudenter Sibrandus, cum Bellarminum ita interpretatur, quasi voluerit, *solum litteralem sensum à Spiritu sancto proficisci*; cum Bellarminus tantummodo dicat; non semper constare, num spirituales & mystici sensus, qui varij sunt, semper sint à
D Spiritu sancto intenti.

Eundem geminum scripturæ sensum probat Bellarminus ex Nazianzeno ad Nemesium. Respondet Savvbrandus. *In meo exemplo nihil est Nazianzeni ad Nemesium.* At in meo est, edit. Colon. 1570. fol. 829. & præter cætera hæc ipsa verba ad quæ citatio Bellarmini respicit. *Est in scripturis noster duplex sensus alter internus ac spiritualis, alter externus, nec litteræ corticem excedens*: An non Nazianzenus manifestè hic duplicē scripturæ sensum constituit? Nam quod Caluinista hæc verba recitat, quasi ea Bellarminus ex Nazianzeno citarit: *Sicut verbum Dei genitum, habet naturam diuinam inuisibilem, & humanam visibilem, ita verbum Dei scriptum habet sensum externum, & internum*, egregium syco-

phantam agit: nam hanc similitudinem protulit Bellarminus vt suam, non vt Nazianzeni, prout Caluinista impudenter mentiri ausus est. qui ait; dictum Nazianzeni posse intelligi *de sensu externo; & de interno cum plerophoria* (Caluiniana illa phantastica) *coniuncto*. At si Nazianzenus vel obiter inspiciatur, statim liquebit, eum loqui de sensu litterali & spiritali, vt significat intelligentiam litteralem & spiritalem scripturę; & hæc intelligentia etiam locum habere potest in eo, qui quod intelligit, nequaquam agit; & cuius mores ex diametro intelligentiæ repugnant; quia aliud est esse doctum, & tam litteralis, quàm spiritalis sensus peritum; aliud, esse probum.

Ait Caluinista *Sequeretur hinc sensum allegoricum, qui cum inuisibili verbi natura confertur, esse literali præstantiorem*. Bellarminus non agit iam de sensu allegorico, sed de mystico seu spirituali, qui latius patet, quàm allegoricus propriè dictus; sicut genus latius patet, quàm species. Deinde iam supra concessimus, sensum spiritualem secundum aliquem respectum posse præstare litterali.

Sensum litteralem docet Bellarminus esse illum, quem verba immediatè præferunt; quem partitur in simplicem seu proprium, qui cōsistit in proprietate verborum; & in figuratum, quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam. Reprehendit VVitackerus litteralis sensus definitionem. *Quis enim erit litteralis sensus horum verborum Psalm. 90. super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem; si is sit litteralis horum verborum sensus, quem verba immediatè præ se ferunt? Ostendant leonem, quem Christus conculcauerit; ostendant aspidem vel basiliscum, super quem ambulauerit.* Quàm audacter pronunciat inscitia. Audi Caluinista. Sensus litteralis; quem verba illa Psalmi immediatè præferunt; non est *leo, aspis, basiliscus, & draco*; vt sunt animalia, prima impositione his nominibus significata: vt tu imperitissimè hallucinaris; sed per hæc verba immediatè quamuis metaphoricè, & velut secunda impositione, litteraliter significatur Diabolus, qui ob ferocitatem leo est; & propter noxium & pestilentissimum virus, aspis, draco, basiliscus: Hic ergo cacodæmon proximè & immediatè significatur per illa verba Psalmi; idemque litteralis sensus est; prout ab his verbis proximè & immediatè significatur. Nā quòd VVitackerus sibi imaginatur, figuratam seu metaphoricam locutionem immediatè significare id *à quo*. non id, *ad quod* translatio facta est; rudis quædam & Caluiniana phantasia est; nam primò & immediatè significatur per vocabulum metaphoricum id, ad quod translatio facta est; tametsi non sine respectu ad id, à quo translatio sumpta est.

Ex quibus facilè omnes VVitackeri nebulas, quas hic veritati offundere tentauit, dispelles: vt cum quærit; *Si Iesuitica hæc literalis sensus definitio vera sit; quem quæso literalem sensum habebunt illa Christi verba, Matth. 5. 29. 30. si oculus dexter te offendat, erue*

A *eum: si manus dextera te offendat, abscinde eam?* Istum litteralē sensum habent hæc verba; vt à te abiungas & segregès eum, qui tibi occasio offensionis est & ruinæ; licet tibi tam charus sit; & tam vtilis, quàm charus est oculus; aut quàm vtilis in agendo manus. Itaque neque oculus neque manus eo loco proximè & immediatè significant oculum vel manum, naturalia instrumenta corporis; sed res charas, iucundas & vtiles, quibus omnibus abdicare se oportet; si inde nobis exitium struatur. Et eadem est ratio aliarum metaphoricarum locutionum.

Addit VVitackerus: *Alphonsus de Castro lib. 1. contra Hær. cap 3. melius literalem sensum definit, quam Iesuita, vt sit nimirum huiusmodi, quem aut voces, aut res*
B *vocibus expressæ significant.* Si Castrius voluisset sensum litteralem, etiam metaphoricum, significari aliquando à rebus ipsis; tum non tantum aliis contradixisset; sed & in errorem non modicum incurrisset; nam quomodo dicetur sensus litteralis, qui non significatur à litteris; sed à rebus; aut si & à litteris; non nisi remotè & indirectè; non propinquè, non directè? Quæ remota & indirecta significatio per litteras, si ad sensum litteralem sufficeret; tum omnis sensus mysticus & spiritualis litteralis esset; quia omnis significatur à litteris remotè & indirectè. Quid ergo voluit Alphonsus illa sua sensus litteralis descriptione? Hoc; *sensum litteralem multis modis haberi*, (explicabo enim mentem Alphonsi verbis Vas-
C quij nostri 1. par. quæst. 1. art. 10. dist. 15. cap. 3.) *aliquando ex nuda vocum significatione: intelligit autem, cùm propriè vsurpantur: aliquando non à vocibus ipsis, sed à rebus per voces significatis; id quod de metaphorica significatione intelligit: his enim verbis, non contendit ille sensum metaphoricum, qui interdum est literalis, vocibus remotè, proximè verò rebus significari; sed sensum illum sumptum fuisse ex rerum similitudine, propter quam voces ipsæ ad secūdariam significationem translatæ metaphoricè aliquid designant: in quem modum ipse suam sententiam paucis explicauit.*

Tumultuatur quoque hic inscienter simul & insipienter Sibrandus: *Si ille in genere est litteralis sensus, quem verba immediatè præ se ferunt; tum ille non est litteralis, quo verba, à propria significatione ad alie-*
D *nam transferuntur. Et contra; si ille sensus est litteralis, quo verba à propria significatione ad alienam transferuntur, tum ille in genere non est literalis, quem verba immediatè præ se ferunt. Duo enim contradictoria de eodem subiecto simul vera esse non possunt.* Verba audio, nihil rei aut probationis. Negamus, sensum litteralem proprium non esse illum, quem verba immediatè præferunt. Negamus item, sensum litteralem figuratum non esse illum, quem verba immediatè exhibent. Negamus per sensum litteralem metaphoricum id immediatè significari; quod istis videtur, vt oculum corporeum, verbi gratia, in hoc Psalmi versiculo: *Oculi Domini super iustos*; quia immediatè hoc vocabulo significatur vis perspiciendi & intelligendi, qua

pollet

pollet Deus, tametsi non sine respectu ad oculum corporeum.

Insinuat Sibrandus hasce consecutiones: *Est metaphoricum significatum; ergo non immediatum. Metaphoricè significat, ergo non immediatè*: quas consequentias parit insipientia & ignorantia & nutrit audacia; qua etiam impulsus ait; *definitionem generalem sensus literalis assignatam à Bellarmino non conuenire omnibus eius speciebus*: Cui enim speciei non conuenit? Num sensui litterali proprio? Num metaphorico?

Sed en Sibrandicam sensus litteralis definitionem: *Est, quem littera*, hoc est, *verba siue propriè siue impropriè sumpta præ se ferũt.* Quæ definitio nihil differt à Bellarminiana, nisi quòd omittit vocabulũ *immediatè*: Quod necessariò addendum vel subintelligendum, vt addidit Bellarminus; nam & ipse D. Thomas 1. par. quæst. 1. art. 10. quem hic Nouator citat, expressè dicit, sensum litteralem sensus figurati non esse ipsam figuram, sed figuratum. *Non enim cum scriptura nominat Dei brachium*, inquit, *est sensus litteralis, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id, quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operatiua.* Vbi vides ex doctrina D. Thomæ metaphorico nomine non significari id à quo, sed id ad quod translatio sumitur; & per consequens, hoc immediatum significatum esse; & tam VVitackerum quàm Sibrandum desipere, cum quærunt quis nam sit sensus litteralis eius: *super aspidem & basiliscum ambulabis, &c.* si sensus litteralis statuatur ille, quem Bellarminus definiuit.

Spiritualem sensum dicit Bellarminus esse eum, qui aliò refertur, quàm ad id, quod verba immediatè significant. *Hoc falsum est*, clamat Savvbrandus, *& se mutua contradictione perimit.* Quid ita verò? *Quia sensus litteralis figuratus est, quo verba à propria significatione transferuntur ad alienam. At sensus spiritualis, vt Bellarminus definit, est is, qui aliò refertur, quàm verba immediatè præ se ferunt, hoc est, quo verba à propria significatione, ad alienam transferuntur. Aut igitur sensus litteralis figuratus à spirituali non differt, aut falsæ sunt eius definitiones.* Hic iterum Savvbrandus partes impostoris à diabolo sibi commissas gnauiter agit: Nam Bellarminus non dicit, sensum spiritalem esse illum, *qui aliò refertur, quàm verba immediatè præ se ferant*; sed esse illum; qui aliò refertur, quàm ad id, quod verba immediatè significant. Quæ aliter sonant, quàm illud, quod nobis Caluinista obtrudit. Neque vllo modo cum definitione sensus litteralis *figurati* seu *improprij* concurrunt; quia in hoc sensu minimè referuntur verba aliò, quàm ad id, quod immediatè significarunt: nam in illo versiculo: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, etc.* immediatè significant verba illa *Diabolum*, neque aliò referuntur. Nugatur igitur & cauillatur, vel potius calumniatur & mentitur Prædicans, quando definitionem sensus spiritalis, cum litterali figurato eandem esse scribit secundum Bellarminum.

A Etsi autem propriè loquendo, proximè & immediatè, sensus spiritalis non significatur à verbis, sed à rebus, significatur tamen remotè & indirectè à verbis. Et propter hanc significationem remotam & indirectam dixit Bellarminus, sensum spiritalem esse illũ, qui aliò refertur, quàm ad id, quod verba immediatè significant. Nam illud 1. Cor. 9. *non alligabis os boui trituranti*: aliò refertur, quàm verba immediatè significent. Immediatè enim significãt boui, bruto rationis experti, in area trituranti os non esse claudendum, quò minus inter laborẽ possit capere cibum; at spiritualiter aliò refertur, quàm hæc verba immediatè significent, nempe ad ministros Euangelij, quos alimento dignos iudicat Apostolus,
B propter laborem, quem in propagatione Euangelij exhauriunt. Quanquam propriè & strictè loquendo sensus spiritalis non est nisi ille, qui à rebus per voces significatis proximè & immediatè significatur.

Diuidit Bellarminus sensum spiritalem in *allegoricum, anagogicum & tropologicũ.* Oggannit VVitackerus. *Quod ad tres illos sensus spirituales attinet, ineptum certè est dicere, tot esse sensus scripturæ, ad quot verba ipsa transferri, & accõmodari possunt. Etsi enim verba variè accommodari, & applicari possunt, nempè vel tropologicè, vel allegoricè, vel anagogicè, vel alio aliquo modo; non tamẽ ob id sunt varij sensus, variæ interpretationes, & explicationes scripturæ, sed sensus tantùm vnus est, idemq; literalis, qui variè potest accommodari, & ex quo varia*
C *colligi possunt.* Quàm imperitè omnia. Ipsemet Caluinista initiò ita loqtur: *Quod ad tres illos sensus spirituales attinet, etc.* Ait *tres esse sensus spiritales.* Et mox negat, *tres esse sensus.* Quid est sensus scripturæ, nisi significatum scripturę, variè à signis repræsentatum? Et cum Caluinista fateatur in scriptura esse *allegorias, anagogias & tropologias*, non nisi stultè negat, hos esse tres diuersos sensus; cum tropologia ad mores; allegoria ex rebus veteris legis ad res noui testamenti; anagogia ad cælestem patriam pertineat. Nec Bellarminus dicit, tot esse sensus scripturæ, ad quot ipsa verba transferri & accommodari possunt. Sed duos tantum generales sensus constituit; primum, litteralem eumque duplicem. alterum, spiritualem; eumque
D triplicem.

De sensu *accommodatitio*, vt aliqui appellant, nullum verbum fecit. Nihil autem aliud est vsus sacræ Scripturæ per *accommodationem*, quàm verborum scripturæ per extensionem quandam ad eam rem applicatio, quam nec sacer scriptor intendit, neque illis verbis significare voluit; non solum non primariè & historicè, sed neq; secundariè & mysticè, vt explicat Vasquius 1. par. q. 1. a. 10. d. 14. cap. 1. Quanquam alij aliter sentiunt; & *sensum etiam accommodatitium* vel ad litteralem, vel ad aliquem spiritualem referunt. Quidquid sit de hoc, illud liquet; fæcunditati diuinæ cumprimis consentaneum esse; vt ea scriptura, quam

Digitized by Google

dictauit; sensibus ac sententiis copiosa sit & multiplex.

Subdit VVitackerus. *Apostolus quidem ad Gal. 4. historiam illam de duabus vxoribus Abrahami allegoricè, vel typicè potius, de duobus testamentis interpretatur: ait enim disertis verbis ἅ τινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, etc. At ibi non statuit duplicem esse sensum illius historiæ, alium historicum, alium allegoricum; sed, ait tantùm, posse istam historiam allegoricè accommodari ad institutum suum, & ad rem illustrandam, quam in manibus habebat.* Etiam ipsum Apostolum literas VVitackerus docet. Dicit expressè Apostolus: *ἅ τινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. quæ sunt per allegoriam dicta.* Et tamen Caluinista dicit, Apostolum, historiam illam *typicè* potius, quàm allegoricè interpretari. Cur ergo non dixit Apostolus? *ἅ τινά ἐστι τυπούμενα. Quæ typicè dicta sunt.* Taceo *typicum* & *allegoricum* in proposito vnum idemque esse. Quod si historiam illam de duobus Abrahę filiis allegoricè interpretatus est; quomodo in historia de duobus filiis Abrahæ non duos sensus agnouit, alterum, historicum, quem sine dubio Apostolus non negauit; alterum, *allegoricum*. Quo nomine an non ipse Apostolus illum alterum mysticum sensum affecit?

In verbo *ἀλληγορούμενα, ἡ τύ χρησις est*, inquit Caluinista; *quia historia illa non allegoricè sed typicè à Paulo eo in loco accommodatur, aliud autem est typus, aliud allegoria.* Sed cui potius credendum? VVitackero, an Paulo? qui disertè dicit; *Quæ sunt per allegoriam dicta.* Non dicit, *per typum.* Quanquam, vt antea dictum, *allegoria* & *typus* vnum idemque hic, communi Ecclesiasticorum scriptorum vsu, significent: Nam quod Rhetores *allegoriam* tunc vocant, quando aliud sonant verba, ac nos intelligimus, vt in metaphora, hyperbole & aliis tropis; id non obstat; quippe qui non ita attendamus ad rhetoricas, quàm ad Ecclesiasticas loquendi formulas, non tam ad allegorias sermonis, quæ ad litteralem sensum pertinent, quàm ad allegorias facti, quæ pertinent ad sensum spiritualem, de quo nobis est disputatio. Dolendum est D. Paulum nō fuisse institutum in schola VVitackeri, vt huiusmodi *catachreses* vitare disceret.

Est, inquit VVitackerus, *illius scripturæ* (de duobus filiis Abrahæ) *vnicus tantùm sensus; litteralis nempe, seu Grammaticus.* Negat hoc Apostolus: qui palam testatur; *illa per allegoriam dicta esse.* Si *allegoricè* seu *typicè* dicta sunt; si duo illi filij *duo testamenta* significant; si Agar, *seruitutem*, hoc est, veterem legem denotat; historia ergo illa aliquid aliud tempore legis gratię gerendum significat: continet ergo sensum *allegoricum*; cum hic sensus nihil sit aliud, quàm veritas gerenda tempore gratiæ; significata aūt tempore legis. Quid tam clarum, quod istorum inscitia non vocet in dubium?

Ex quo ignorantiæ fonte manarunt etiam isthęc VVitackeriana deliria. *Totus integer sensus non est in verbis propriè sumptis, sed pars in typo, pars in re ipsa, quæ gesta fuit. In altero horum seorsim, & per se con-* A *siderato pars tantùm sensus continetur; ex vtrisque verò simul coniunctis, plenus ac perfectus sensus absoluitur.* Tota historia Genes. 16. & 22. de duobus filiis Abrahæ, deque Agar & Sara litteralis est; & propriis verbis contexta; saltem maxima ex parte; quanquam admissio metaphoricarum dictionum litteralem sensum nil penitus impedit. Tota itidem allegorica est & typica: non partim historica, & litteralis, partim allegorica; sed tota & hoc & illud: quidquid tergiuersetur, vel potius fatuetur VVitackerus.

Neque sapientius de his disserit Savvbrandus: Allegoricum sensum vocat Bellarminus, cum verba scripturæ, præter literalem sensum significant aliquid in nouo Testamento, quod ad B Christum, vel ad Ecclesiam pertineat. *In hac definitione*, clamat Caluinista, *penè tot sunt errores, quot sunt verba: Primus error est, quod sensum allegoricum à Grammatico figurato distinguit. Allegoria enim de arte Grāmatica est, vt inquit Hieronymus in epistolam ad Galatas cap 4.* En quantus error. Allegoricum, hoc est, spiritualem sensum distinguit Bellarminus à figurato, hoc est, à litterali. Quis rectè sentientium, & intelligentium errorem hunc non errauit? At allegoria *est de arte Grammatica, inquit Hieronymus in epistolam ad Galatas cap. 4.* Si Caluinista animaduertisset, nomen *allegoriæ* esse homonymum, & varij significatus, forsan hanc imperitiam in chartam non effudisset: Non enim loquitur Bellarminus de *allegoria*, vt tropus Rhe-C torum est; sed vt sensus scripturæ; & perinde facit, ac si quis audiens aliquem de cane animali terrestri disceptantem, clamaret; canis ad sidera pertinet; non ad animalia terrestria; quasi verò non hoc & illud verum esse queat.

Adiungit Caluinista: *Paulò pòst Hieronymus sensum allegoricum vocat spiritualem. Sed si allegoricus sensus de Grammatica est, & allegoricus sensus est spiritualis; tum & aliquis sensus spiritualis de Grammatica est. Sed allegoricum sensum esse Grammaticum, docent omnes Rhetores.* O intolerandam ineptiam ex sola *æquiuocatione* vocabuli allegorię natam, quam iste vel ex improbitate vel ex ruditate non distinxit. Nego aliquem sensum spiritualem, etiam allegoricum, *de Grammatica esse*; quia sensus Gram-D maticus est litteralis, spiritualis, & in hoc allegoricus; non est litteralis; per consequens, nec Grammaticus: nisi quis, more istius vel ruditer vel nequiter in vocabulo *allegoria* velit ludere; & per illius homonymiam imperitis illudere. nam cum allegoria nihil aliud est, *quàm continuata quædam metaphora*, vt definit Caluinista, minimè ad sensum spiritualem pertinet, sed ad litteralem figuratum seu metaphoricum. In vtraque significatione accepit hoc nomen D. Hieronymus loco citato; & prius quidem, vt allegoria figuram Rhetoricam significat: postea verò, vt sensum spiritualem.

Vide autem & detestare extremam Caluinistę huius vanitatem; qui refutare volens id, quod

Bellar-

Bellarminus scribit; allegoricum esse sensum, qui significet aliquid in nouo Testamento gerendum, quod vel ad Christum, vel ad Ecclesiam pertineat; sic insanit: *Hoc totum falsum est: quia sequeretur, non posse allegoriam esse, nisi quando significatio est de Christo, & Ecclesia. Sed, hoc est falsum. Omnes enim prophani libri sunt allegoriarum pleni.* Pleni sunt allegoriarum; sed Grammaticarum; non Theologicarum, de quibus solis hic nobis sermo. Quæso obtestorque te Caluinista, ostende mihi in Homero vel Horatio, quem testem laudas; aliquam veritatem significatam, quæ significet aliquid gerendum tempore noui Testaméti circa Christum, & membra Christi; ipsumq; Christianam Ecclesiam? Profer, obsecro, huiusmodi quiddam, & tum dispiciemus, quid de Bellarmini definitione statuendum sit. Sic cum D. Hieronymus dicit in profanis scriptis multas esse *allegorias*, non loquitur de allegoriis Theologicis; sed de Grammaticis vel Rhetoricis. Quod enim sæpius dictum, id vt iterum iterumque dicam, cogit me horum stupor; allegoriam nimirum, de qua Theologi & sancti Patres, & scripturæ interpretes disputant, propriè, immediatè, & directè non esse in verbis sitam, sed in rebus; in quo differt à Rhetorica allegoria, quæ proximè & immediatè in verbis consistit; hinc plerique allegoriam Rhetoricam aiunt esse illam, quæ aliud verbis, aliud sensu ostendit, ac etiam contrarium; proximè videlicet & immediatè, vt dictum, quandoquidem in verbis consistit; & verè ad litteralem sensum pertinet. Nostra autem allegoria non consistit in verbis, proximè videlicet & immediatè; sed in rebus; hinc ad sensum litteralem pertinere nequit.

Quapropter cum Bellarminus sensum allegoricum definit per verba; minimè vult hunc sensum proximè & directè per verba significari; sed tantum remotè & indirectè; quatenus res gesta in veteri Testamento significans aliquid gerendum in nouo, significatur etiam secundum sensum litteralem per verba. Adferamus exemplum. Quæ de Abrahamo commemorat Apostolus ad Gal. 4. scripta in Genesi, ea ad literam & proximè significantur per verba, quibus Moyses in descriptione illius historię vsus est. At vero id, quod res illa gesta, tempore nouæ legis gerendū proximè & immediatè significat; verba Moysis non nisi remotè & indirectè significant; totusque sensus per se ac propriè loquendo consistit in rebus. Ex quibus, opinor, satis apparet discrimen nostræ allegoriæ ab allegoria Rhetorica, & à sensu litterali metaphorico.

Pergit ineptire Sibrandus: *Quod Bellarminus in definitione dicit, eum sensum esse allegoricum, cum verba scripturæ præter literalem sensum, significant aliquid in nouo Testamento, quod ad Christum, & Ecclesiam pertineat, hoc potest ita resolui, vt in allegoriis, & literalis sensus sit semper verus, & ille etiam sit verus, qui præter literalem intelligitur. At hoc non est semper verū.* Negamus hoc non semper esse verum, loquendo de Theologicis allegoriis, quidquid sit de Grammaticis seu Rhetoricis; nam nullus penitus est in toto veteri Testamento sensus allegoricus; qui non fundetur in re aliqua vera, per verba veteris Testamenti ad literam verè significata. Dico verè; siue id fiat propriè, siue figuratè: neq; enim sola propria *significatio*; sed & figurata; vera significatio est. *In allegoria*, inquis, *plerumq; aliud dicitur, & aliud significatur:* Aliud dicitur etiam in nostra allegoria; quia sensus litteralis, qui per verba proximè & immediatè significatur, alius est ab illo; qui per verba tantummodo significatur remotè & indirectè, per rē verò litteraliter à verbis significatam; significatur proximè & directè: & sic allegoria etiam nostra, *aliud prætendit in verbis*, quatenus ad eam verba saltem remotè & indirectè spectant; & aliud intelligit in sensu; quia per rem in veteri Testamento gestam, significat mysterium tempore gratiæ gerendum.

Ais. *Si in allegoriis aliud dicitur, & aliud intelligitur, tum non vniuersaliter verum est, & literalem sensum intelligi, & præter illum etiam aliud intelligi.* Cur vniuersim hoc non est verum? An non in historia de duobus filiis Abrahæ (& eadem est ratio aliarum allegoriarum) id quod verba historiæ, proximè & immediatè significāt; hoc est, ipse sensus litteralis; intelligitur; & præterea aliquid aliud; nempe duo testamenta; atq; adeo sensus allegoricus?

Addit Savvbrādus. *Allegoria est continua metaphora, vt docet Erasmus ad Gal. 4. & Cic. in Oratore. At sermo totus metaphoricus secundū proprietatē verborū intellectus de eodē subiecto, plerunq; falsus est.* Quid hoc ad rem? Non agimus de allegoria Grāmatica seu Rhetorica; sed de Theologica; quę proximè & directè in nullis verbis cōsistit, sed in rebus; vt crebro dictū. Et quis vnquam dixit, totū metaphoricum sermonem debere esse verū *de eodem subiecto secundum proprietatem verborum?* Imo in plerisq; metaphoricis locutionibus nō potest sermo metaphoricus esse verus de subiecto secundum proprietatem verborum: vt illud: *Vicit leo de tribu* Iuda: nō potest esse verum de Christo si vox *leo* sumatur propriè; vt nec istud de Deo. *Oculi Domini super iustos, &c.*

Sensus allegoricus, inquit Caluinista, *qui propriè, & verè allegoricus est, secundum proprietatem verborum intellectus, plerunq; est fictitius: Exempli gratia; super aspidem, & basiliscum ambulabis: hoc, allegoricè intellectum, verum est.* At Caluinista ostēdere debebat sub his verbis, vt proximè & immediatè metaphoricum aspidem & basiliscū significant, esse sensum allegoricum, non Grammaticè; sed Theologicè; est enim sensus litteralis figuratus; & absq; vlla allegoria Theologicè sumpta verus. Sed iam mouet hæreticus litem de nomine; nempe typum esse, non allegoriam, quādo res gesta in veteri Testamento significat gerendam in nouo. Quàm vilis vitilitigator. Si non placet nomen allegoriæ hac notione tot Patribus & ipsi D. Paulo vsurpatum; retineas licet nomē typi; dummodo rem ipsam,

Digitized by Google

hoc est, veritatē huius sensus mystici & spiritualis confitearis: Quanquā cum D. Paulus à nobis stet, quod ad nomē quoq; attinet, non est, quòd multum triuiales istos Grammaticos moremur. *At Apostolus allegoriam accepit per catachresin pro typo seu figura;* inquit Sibrādus ex Erasmo. Verum, vt hoc ita esset; an non exemplo D. Pauli, idē à posterioribus licitè fieri potuit: hoc tanto duce præeunte? Nonne ipsa etiam catachresis apud Rhetores tropus est & ornamentum orationis? Et quamuis Apostolus *allegoriæ* nomine forsan vsus sit per respectum ad allegoriam Rhetoricam, quę aliud verbis, aliud sensu ostendit, hoc tamen perquam aptè factum est. Vt enim Rhetorica allegoria aliud significat, quàm verba præ se ferre videantur; quod in omnibus metaphoricis locutionibus accidit; ita & in nostra allegoria aliud significatur; quàm verba, quę sensum allegoricum saltem remotè & indirectè significāt, præ se ferre, primo intuitu existimentur. Nec est; quòd quis verbis Rhetorum deceptus arbitretur allegoriam Rhetoricam duo habere significata: Nam vt aliæ metaphoricæ locutiones, sic & allegoria, vno tātum significato contenta est; quamuis alterum, vnde translatio facta est, innuat & connotet. Hinc oratio ista: *Vicit leo de tribu Iuda*; non significat *leonem* animal; & Christum; sed Christum solummodo, cum habitudine tamen & respectu ad *leonem* animal.

Animaduertit tandē Sibrandus pugnam hanc de voce tenuiorem esse, quàm vt tanta contētione depugnari debeat. Quocirca hanc obiectionem sibi obiicit. *Instas: siue typicum dicatur, siue allegoricum, res eódem redit. Sunt enim duo sensus huius loci. Vnus literalis, vt verba sonant; alter typicus, qui præter literalem sensum intelligitur. Respondeo; in ipsis verbis esse veram historiam, & illam historiam esse typum, siue figuram alterius cuiusdam mysterij.* Nihil horum inficiamur. Sed hunc ipsum typum, & hanc ipsam figuram in vera historia positam, appellamus quoq; cum Apostolo *allegoriam*; neque patiemur vllis strophis istam appellationem nobis eripi. Et siue sermo Rhetorum allegoricus; semper sit fictitius, vt Sibrandus cum Erasmo affirmat; siue non; attamen allegoria Theologica per veram historiam non tantum significare potest, sed & reuera rem veram significat.

Quòd Caluinista hoc loco verbosè ostendit per *typicum* seu *figuratum sensum* non aboleri sensum litteralem; id probatione nulla eget; nemo enim id negat. Quod abnuit sensum typicum, seu, vt nos vocamus, *allegoricum* esse *nouum & diuersum à litterali*, id argumento est; istum cum suis nec sensus litteralis, nec typici rationem assequi.

His ita discussis planè sperabam me iam ex hoc Savvbrandicæ inscitiæ procelloso freto euasisse; sed en dum manibus terram tenere videor, in medios fluctus abripior. nam capite vndecimo & vltimo libri quinti de principiis, promit-

A tit *pleniorem allegorici sensus explicationem*; quam si nominasset, *copiosiorem imperitiæ Sibrandicæ demonstrationem*; titulus capitis materiæ subiectæ longè melius respondisset. Neque tamen vel obiter allegoriam Theologicam tangit, semper circa Grammaticam seu Rhetoricam oberrat. Commemorat principiò definitionem D. Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 9. vbi dicit, *allegoriam esse tropum, quo aliud ex alio intelligitur.* Displicet Caluiniano hæc definitio; *quòd nimis latè vagetur, cum & per synecdochen, & per metonymiam, & per metaphorā, & per ironiam aliud ex alio intelligatur.* Sed duo aduertisse debebat Caluinista. Primum, D. Augustinū hic non definiuisse *allegoriam* Theologorum sed Rhetorum; de qua nobis hic nullus esset sermo, nisi

B Nouatorum importunitas & ignorantia nos de ea dicere cogeret. In eodem tamen capite paulò inferius, facit D. Augustinus mentionem allegoriæ eo sensu, quo id nominis vsurpatur à Theologis. Accipe eius verba: *Vbi allegoriam nominauit Apostolus, non in verbis eam reperit, sed in facto, cùm è duobus filiis Abrahæ, vno de ancilla, altero de libera, quod non dictum modò, sed etiam factum fuit, duo testamenta intelligenda monstrauit: quod, antequam exponeret, obscurum fuit: proinde allegoria talis, quod est generale nomen, posset specialiter ænigma nominari.* Ecce allegoria de qua Apostolus, non in verbis, sed in rebus sita est; & hac notione Theologi allegoriam, sensumque allegoricum vsurpant.

Alterum, quod Nouator aduertere debebat,

C est istud; D. Augustini definitionem esse bonam, si in bonam mentem incidat. Nam allegoria est tropus non vnius verbi; sed orationis, quo aliud ex alio intelligitur: per quod satis superque à tropis, quos Caluinista nominat, secernitur, cum omnes illi, in vno duntaxat verbo consistant. Hæc si ex Rhetoricis præceptis perspecta habuisset Savvbrandus, S. Augustini definitionem reprehendere, fortasis religioni duxisset.

Nec placet illi definitio D. Hieronymi in cap. 4. epist. ad Galatas, cum dicit de allegoria Rhetorica (quanquam dictum hoc etiam ad allegoriam Theologicam accommodare liceat) *allegoriam aliud prætendere in verbis, aliud significare in sensu. Latior est quam par est*; inquit Caluinista: *omnes enim*

D *tropi, quos iam nominaui, aliud prætendunt in verbis, & aliud significant in sensu.* Si Savvbrandus sui fuisset memor, forsan hic non improbasset definitionem, quam in capite quinto probauerat, maximè cum allegoria prætendat aliud in verbis non singularibus & disiunctis; sed coniunctis & in orationem coagmentatis. Est enim allegoria tropus orationis; quo pacto tropi singulorum verborum non prætendunt aliud; cum in singulis duntaxat verbis consistant.

Definitionem sensus allegorici à Bellarmino allatam eâdem hîc inscitia exagitat Sibrandus, qua capite quinto. De qua, cum supra abundè dictum sit, hic nihil addo. Caluinista; definit, vt prius, *allegoriam continuam metaphoram; quæ in hoc*

Digitized by Google

differat à metaphora: quod hæc vnum, atque alterum verbum in aliqua sententia, illa verò, totam sententiam à natiua significatione ad alienam transferat. Vt, Deus eripuit me ex ore huius leonis 2. ad Tim. cap. 4. 17. est metaphora. Os enim leonis posuit pro potestate Neronis. Reliqua accipiuntur propriè. Quā subtilia, & arcana omnia; quādoquidem vix puerorum prima rhetorices elementa discentium vim, & facultatem superant.

Hæc sententia, inquit Caluinista, *semen mulieris conteret caput serpentis, Gen. 3. est allegoria. Tota enim sententia, à natiua significatione ad alienam transfertur. Semen mulieris pro eo, qui ex muliere nasciturus erat. Serpens, pro Satana, conteret, pro superabit. Est enim idem, ac si dicas, Iesus Christus, filius Virginis destruet opera diaboli. Hæc est vera, & orthodoxa doctrina de allegoria.* Negamus esse allegoriam Theologicam in prædicta sententia; prout in verbis consistit, & immediatum aliquod significatum significat: quia allegoria Theologica non consistit proximè & immediatè in verbis, sed in rebus; Etsi nō nego *allegoriam Rhetoricam* in illa sententia contineri; vt & Theologicam, in rebus per sententiam illam significatis; atque adeò etiam in verbis, sed remotè & indirectè: *Hæc est vera & orthodoxa doctrina de allegoria*, inquit Sibrandus. Scilicet; Qui tu veram doctrinam de allegoria Theologicè sumpta traderes; cum ne verum quidem *allegoriæ* huius conceptum vnquam in animo tuo informaris aut efformaris? Vix nosti, quid sit *allegoria* Rhetorica; quomodo tu *allegoriam* Theologicè acceptam verè & doctè explicares? quæ quàm tibi minimè explorata sint, docent etiam normæ planè enormes; & regulæ, vt sic loquar, *irregulares*; quas cognoscendo sensui allegorico hic assignas, quarum prima:

Ad allegorias confugiendum est, cùm verba propriè intellecta, absurditatem pariunt, vt Rom. 12. 20. Carbones ignis coaceruabis super caput eius; hoc est, inimici animus emollietur per accepta beneficia. Estne in his Pauli verbis allegoria Theologicè accepta, prout proprium & distinctū sensum spiritualem significat? An non verba illa litteralem; tametsi figuratum sensum complectuntur? Estne litteralis figuratus sensus allegoria?

Secunda regula similis priori. *Cum verba propriè intellecta flagitium notant. Hoc casu ad metaphoricum sensum recurrendum est.* Num ille metaphoricus sensus idcirco erit Theologicè allegoricus? An non sensus metaphoricus, est sensus litteralis? Imò ipse sensus allegoricus rhetoricè sumptus, nihil est aliud, nisi sensus litteralis. Itaque duæ istæ regulæ non sunt Canones cognoscendi sensus allegorici; sed litteralis proprij vel improprij.

Lepidum est, quod verba illa Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, adducit pro exemplo *sensus allegorici*: imò ne improprij quidem sermonis exemplum sunt; sed proprij; tametsi non in schola Caluini; quia caro filij hominis

A propriè manducatur, licet nō manducetur more Capharnaitico.

Tertia regula. *Cum verba propriè accepta falsitatem arguunt: tunc videlicet ad improprium sensum litteralem confugiendum est*; Iterum quæro; Estne sensus improprius litteralis allegoricus Theologicè? Nam de allegoria Rhetorica non laboro. Hactenus de sensu allegorico cōtra imperitiam Caluinisticam.

Ad tropologicum accedamus, quem Bellarminus ait esse, *quando verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores.* Sibrandus & VVitackerus nihil aliud opponunt, *quàm sensum tropologicum non esse nouum sensum.* Sed in promptu est huius inscitiæ redargutio. Nam
B sensus tropologicus, non est litteralis, neque allegoricus, neque anagogicus, est ergo nouus, hoc est, alius seu à litterali diuersus. Non esse litteralem; (nam de aliis nō est difficultas) hinc elucet; quia proximè & immediatè consistit in rebus; in verbis, non nisi remotè & indirectè. At sensus litteralis proximè, immediatè & directè consistit in verbis seu litteris, à quibus etiam nomen ducit: sunt ergo duo sensus.

Cur sensus tropologicus non sit nouus, hoc est, alius & distinctus sensus; acutam rationem reddit VVitackerus; *quia ex ipsis verbis necessariò aperteq́ fluit, atq. adeò ex ipso cōtextu colligitur, ergo nō est nouus seu distinctus.* Vbi vnum deesse video, videlicet, quod non probat VVitackerus sensum tro-
C pologicum proximè, immediatè, & directè ex verbis fluere, nam quod remotè & indirectè inde fluit; quid refert? cum aliter fieri nequeat, nisi vt sensus scripturæ ex scripturæ verbis existat; siue id fiat immediatè, vt contingit in sensu litterali, siue mediatè, vt accidit in sensibus mysticis.

Sensum anagogicum ait Bellarminus esse illum, cum verba aut facta referuntur ad vitam æternam. Alij, sensu non dispari, dicunt, sensum anagogicum esse veritatem per res significatam, quæ sit gerenda tempore gloriæ, quocunque tandem tempore res illam significans fuerit gesta. exemplum est illud Psalm. 94. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*: quod ad
D verbum intelligitur de terra promissionis; anagogicè de vita æterna, ad Hebr. 4. VVitackerus vocat sensum anagogicum, *typicum*. Non repugno; dummodo fateatur nomen *typi* seu *typici* non esse proprium sensus *anagogici*, sed competere etiam sensui allegorico.

Negat tam ipse, quàm Sibrandus esse *nouum & distinctum sensum à litterali.* Probat VVitackerus ex D. Thoma, qui 1. p. q. 1. art. 10. dicit, *sub litterali sensu plures litterales sensus esse posse; hoc intelligi non potest nisi de sensu allegorico, tropologico, vel anagogico; ergo isti sunt sensus litterales. & quod hinc sequitur, nec noui, nec distincti.* Imperitissimè: nihil enim aliud vult S. Thomas, quàm interdum sub eodem scripturæ loco plures litterales sensus, hoc est, qui à

Digitized by Google

litteris proximè & directè significentur, comprehendi; non autem sensum Tropologicum, allegoricum & anagogicum sensus litterales esse; cum secundum S.Thomam proximè & immediatè non à litteris, sed à rebus ipsis significentur; ipseque D.Thomas tres istos sensus, tanquam membra opposita, à sensu litterali distinguat. Quanta verò ruditas in verbis illis: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*: non agnoscere duos distinctos sensus, cum vt ipsimet Hæretici fatentur, sint duo distincta significata. Nam duo distincta significata, quid aliud sunt, quàm duo distincti sensus? Esse hic duo distincta significata, probatur. Quia vox, *requies*, litteraliter significat terram promissionis. Deinde terra promissionis, Hebræo populo destinata; significat cælestem patriam: quod ipsemet VVitackerus & Savvbrandus hic confitentur. Quis tam cœcus, qui duo significata hic, & duos diuersos significandi modos; nō videat; nisi fortè terra *Chanaan*, & *cælestis patria* non sunt duæ res distinctæ; neq; modus significandi per verba directè; & alter significandi directè per res; diuersi.

Ait Sibrandus. *Vocabulum, requiem, per metonymiam significare terram Chanaan.* Non abnuo; quia sensus iste litteralis est; tametsi tropicus. *Et terram Chanaan per eandem metonymiam significare æternam beatitudinem.* Hic desidero maiorem in Sibrando troporum cognitionem. Tropi Rhetorici nō sunt rerum, sed verborum, vel orationis. Non potest igitur terra Chanaan metonymicè significare beatitudinem; cū terra Chanaan non sit *verbum* vel *oratio*, sed res. Non igitur metonymicè significat cælestem patriam; sed significat eam *typicè*; Qui typicus significationis modus propriè & Theologicè dicitur *anagoge*, seu *anagogicus*; quòd mentē sursum tollat, & ad sidera leuet.

Sibrandus stultè cōtendit esse sensum Grammaticum seu litteralem; quasi verò, quod toties iam dictū, sensus litteralis esse queat is, qui proximè & immediatè à rebus significatur; remotè tantum à verbis; qui rursus ineptè verba D.Thomæ 1.p.q.1.art.10.ad 3. vbi ait; *sensum parabolicum* (iste substituit, *figuratum*) *sub litterali comprehendi; per voces enim significari aliquid propriè & aliquid figuratiuè; neq; litteralem sensum esse ipsam figuram, sed figuratum*: ad sensum mysticum seu spiritualem refert; cum D.Thomas manifestè loquatur de sensu litterali proprio & improprio; quem *figuratum* vocat; quod tropo seu figura constet, aitque, huius *figurati*, hoc est, improprij sensus litteralis significatum, non esse ipsam figuram, hoc est, id, à quo tropus seu figura venit; sed *figuratum*, hoc est, id ad quod tropus seu figura tendit. *Non enim cum scriptura nominat Dei brachium*, inquit S.Thomas, *est litteralis sensus quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operatiua.* Hæc S.Thomas. Ex quibus patet, quàm inscitè Sibrandus illud, *Figuratum* interpretetur de sensibus mysticis seu

A spiritualibus; quasi id quod allegoricè, tropologicè vel anagogicè significatur; significetur per voces, proximè scilicet & directè; quod D. Thomæ nunquam in mentem venit.

Pari peritia tractat Sibrandus S.Augustinum lib. de vtilitate credendi cap.3. *Vbi*, vt inquit, *omnes scripturæ explicādæ modos recenset, & anagogen præterit.* Mentitur Caluinista; nam vt S.Thomas q.1.art.10. in solutione secundi argumenti docet; Augustinus eo loco sub sensu allegorico reliquos duos spiritales sensus complectitur, Tropologicum scilicet & Anagogicum: Nec *historiam*, *ætiologiam*, *& analogiam* vt distinctos sensus; sed vt sensus litteralis modos quosdam commemorat. Eodem ferè modo explicandus est alius D. Augustinus locus lib. imperfect. de Genesi ad litteram cap.2.

B Obiicit Sibrandus. *Sensum anagogicum omitti à D.Hieronymo in epist. ad Hedib. q.12.* Iterum mentitur Sibrādus. Nam sensum allegoricum omittit ibi D.Hieron. Anagogicū expressè sub nomine *spiritualis intelligētiæ* ponit. Et postea his verbis describit. *In spirituali Sensu ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cælestibus disputamus, vt præsentis vitæ meditatio, vmbra futuræ beatitudinis sit*; quibus verbis nullum aliū, præterquam *anagogicum* sensum D.Hieronymus describit.

Mentitur denuò Sibrandus, cùm ait, *sensum anagogicum omissum à D.Hieronymo in c.4. Amos*: nam expressè hic sensus eo loco à D.Hieronymo e-

C numeratur. *Debemus*, inquit, *scripturam sanctam primùm secundum litteram intelligere, &c. Tertiò, secundum futurorum beatitudinem.* An non hic habemus sensum anagogicum?

Porrò quatuor sensus quos Theologi communiter iam constituunt; simul indicauit D. Augustinus lib.1. de Genesi ad litteram cap.1. *In libris omnibus sanctis intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur* (habet sensum anagogicum) *quæ facta narrentur*, (en historicum seu litteralem sensum) *quæ futura prænuntientur* (ecce sensum allegoricum) *quæ agenda præcipiantur vel moneantur*, (vides sensum tropologicum.)

Sensus allegoricum, tropologicum, & anagogicum non esse legitimos scripturarum sen-

D sus, sic probat Sibrandus. *Is est genuinus, & legitimus scripturarum sensus, ex quo efficacia argumenta peti possunt: At ex solo literali sensu efficacia argumenta peti possunt: Bellarminus de verbo Dei lib.3.c.3.&c.* Conclusio, vt opinor, ista esse debet. *Ergo solus litteralis sensus est genuinus & legitimus scripturarum sensus.* Si negemus Minorem: quid aget Savvbrandus? Nam peruulgatum illud; *Ex solo litterali sensu efficacia argumenta duci*; verum est; non vniuersim & absolutè; sed *ordinariè*; & *vt plurimum*: vt supra monebatur; & rectè etiam traditur à Gregorio de Valentia ad art.10.q.1.p.1.D.Thomæ, nam & ex sensu spirituali firmissima argumenta ducūtur; quando is nobis certò constat. Quia verò litteralis sensus ordinariè, & vt plurimum nobis

notori

notior est; hinc occasio dicto illi vulgari pro cudendo data est. Neque ab his dissentit Bellarminus, vt fatebitur, quisquis eum hic attentius legerit, quàm Savvbrandus.

Quod si Savvbrandico syllogismo aliquid roboris inesset; plus efficeretur, quàm Caluinista effectum cupit. Quid enim respondebit, si quis talem syllogismum condat? *Is, ex quo semper efficacia argumenta peti possunt: est legitimus & genuinus scripturarum sensus: Ex litterali sensu non possunt semper efficacia argumenta peti; ergo litteralis sensus non est legitimus & genuinus scripturarum sensus.* Minor patet eo casu, qui non infrequens; cum non est certum, sed tantum verisimile, hunc sensum conuenire huic scripturæ loco; vt si plures sensus asignentur, & dubium sit; num omnes illi, vel aliqui eorum, quadrent in aliquem locum, atque adeo num omnes fuerint à Deo intenti.

Vt ergo in huius syllogismi speculo Hæreticus videt; non inde iudicium de legitimo scripturæ sensu faciendum esse: quod argumenta efficacia inde peti posint; vel nô posint; ita idem agnoscat in suo: quia ex omni scripturæ sensu argumenta efficacia peti possunt, loquendo per se de sensu, vt est à Spiritu sancto, sed aliquando per accidens fit, ob nostram ignorãtiam, ne efficacia argumenta inde duci queant; idque non modo in mysticis sensibus contingit; sed & nonnunquam in ipso litterali sensu, vt paulò antè ostendimus.

Secundum Sibrandi argumẽtis. *Is est genuinus & legitimus scripturarũ sensus, qui est Spiritus sancti. sensus mystici non sunt Spiritus sancti; ergo non sunt legitimi scripturarum sensus.* Negatur Minor. Num à Spiritu sancto non est sensus ille mysticus; quem Apostolus ad Gal. 4. ex historia de duobus filiis Abrahæ adducit? *At non constat nobis semper, vtrum sensus mystici sint à Spiritu sancto intenti*; teste ipso Bellarmino. Verum aliud est, non constare nobis semper, vtrum hi vel illi sensus sint à Spiritu sancto intenti; aliud, vtrum sint à Spiritu sancto intenti; quia possunt à Spiritu sancto esse intenti; licet hoc nobis certò non liqueat.

Tertium argumentum. *Genuinus & legitimus scripturarum sensus non ex humano cerebro, sed ex Spiritu sancto proficiscitur. sensus spirituales deducuntur ex humano cerebro*; Sixtus Senens. lib. 3. Biblioth. *Ergo*, &c. Negatur Minor; quia sensus mystici æquè sunt à Spiritu sancto ac sensus litteralis; quamuis nobis non semper de hoc planè aperteque constet. Nec dubito Sixtum à Sibrando impudenti mendacio onerari, cum loco citato suæ Bibliothecæ de mysticis sensibus, & emolumentis, quæ pariunt plurima scribat, eosque vehementer obiurget, qui hos sensus, tanquam leuioris momenti, præteruolant. Quomodo igitur credibile est Sixtum scripsisse sensus litterales proficisci tantum ex humano cerebro, hoc est, esse commenta humani capitis ac ingenij?

A Quartum argumentum. *Genuinus & legitimus scripturarum sensus non est sibi contrarius: sensus Mystici sæpè sunt sibi contrarij. Ergo, &c.* Si hoc argumentum aliquid contra sensus mysticos efficit, efficiet quoque contra sensus litterales; nam & isti sæpè sibi mutuò aduersari videntur. Si dicat; *non verè sibi mutuò aduersari; sed id accidere ex caligine mentis humanæ; cui non semper litteralis sensus perspectus est; Hinc fieri, vt alius istum iudicet verè litteralem sensum; alius, alium*; idem prorsus responsum à nobis quoque accipiat: nam ipsi sensus mystici inter se non pugnant; sed pugnare videntur ob inscitiam humanam; quæ sæpè, vt litteralem, ita & spiritualem sensum ignorat. sicut ergo cum duo sibi mutuò oppositi, & contradictorij litterales sensus adferuntur, clarum est, alterum non esse ex Spiritus sancti mente; ita & de mysticis cogitare debemus.

Quintum argumentum. *Sensus mystici aliquando sunt ridiculi & inepti, aliquando scripturam peruertunt. Ergo non sunt legitimi sensus.* Dicamus & nos. Sensus litterales, præsertim qui ab Hæreticis adferuntur, sæpè sunt ridiculi, inepti, impij. ergo sensus litteralis non est legitimus scripturæ sensus. Quasi verò tales sensus litterales seu mystici, sint veri nominis sensus; non potius ludibria maleque sanorum capitum figmenta. Neque testimonia, quæ ex D. Hieronymo Caluinianus adducit; pugnant in legitimos spiritales sensus; sed in eos, qui magis phantasmatum, quam mysticorum sensuum nomen laudemque merentur: passim enim ipsemet D. Hieronymus scripturam spiritaliter exponit; & in hunc etiam sensum exponendam monet. Post hos tam egregios syllogismos repetit Sibrandus mendacia supra iam ab ipso effusa, & à me refutata. I. *Augustinum lib. de vtilitate credendi præterire sensum anagogicum & tropologicum.* At alibi non præterit; vt supra notauimus, & hoc ipso loco, nomine allegoriæ omnes sensus spirituales comprehendit.

Secundum mendacium. *D. Augustinum in locum Anagogici & Tropologici sensus substituere sensum analogicum & atiologicum*; quia isti non sunt duo noui sensus; sed duo modi sensus litteralis; vt suprà dictum.

Tertium mendacium. *Idem facere D. Augustinum lib. imperf. de Gen. ad litteram cap. 2.* Non idem facit; vt antea monstratum.

Quartum mendacium, de quo supra. *Sanctum Hieronymum præterire anagogicum sensum q. 12. ad Hedibiam.*

Quintum mendacium. *Præterire itidem in cap. 4. Amos.*

Sextum mendacium. *A D. Hieronymo in cap. 24. Hieremiæ absolutè dici, Origenem, allegoricum interpretem delirare; quasi scripturam allegoricè interpretari, sit delirare*; nam D. Hieronymus hoc non simpliciter protulit; sed cum restrictione: *hoc loco*; quia

cum

A cum suis allegoriis faciebat *vim historicæ veritati*; vt inquit S. Hieronymus; quod in allegoriis valdè vitiosum; veritati enim literalis contextus & sensus superstrui debent; non ita institui, vt & hunc & illum euertant. Emendat Sibrandus textum D. Hieronymi; & *anagogicum* legit, pro *allegoricum*. Cuius codicis auctoritate? *At exemplum est anagogicum.* Aut mentitur, aut fallitur, quia potius est morale. Nam allegoricus Interpres dicebat Iudæos *de cælesti Hierusalem captos, & in terram Chaldæorum translatos*; hoc est, ex amicitia Dei, in eius iram incidisse; & ex potestate Dei per peccatum in potestatem Diaboli peruenisse; inde tamē iterum suo tempore eductum iri, &c. Neque ideo emendandus textus: Quia Patres nomen allegoriæ aliquando latius, etiam pro aliis spiritualibus sensibus vsurpant. *At Origenes lib. 4. περὶ ἀρχῶν statuit tantummodo sensum litteralem & spiritualem.* Quid tum? Nos quoque hos duos sensus statuimus; sed vtrumque postea in sua membra tribuimus.

Ait Bellarminus; esse scripturæ diuinæ proprium, quia Deum habet auctorem, vt sæpenumero contineat duos sensus, litteralem & spiritalem. Obiicit Sibrandus. *Ex hoc sequi, omnes scripturæ partes habere sensum litteralem & spiritualem; cum omnes scripturæ partes sint à Deo; at hoc falsum esse fatetur Bellarminus; nam illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Deut. 6. & Matth. 22. non habet, nisi vnum sensum, nempe litteralem.* Quàm futilis cauillator Savvbrandus? Non enim voluit Bellarminus ideo præcisè scripturam habere plures sensus, quòd Deum auctorem habeat; sed quia Deum auctorem habet, qui & potuit & voluit *sæpenumero*, ait Bellarminus; non vbique; varios sensus locis scripturæ subiicere; quia vt omnipotens; ita & omnisciens est; ac proinde ex intentione sua non tantum varios sensus litterales, sed & spiritales propositos habere, & res etiam ad significationes mysticas accommodare valuit. Hæc est vis rationis Bellarminianæ. Ait Sibrandus, *etiam in profanis scriptoribus reperiri allegorias & tropologias.* De allegoriis Rhetoricis non abnuo. De Theologicis nego, ob caussas suo loco redditas. Tropologias in solis scripturis reperiri, neque Bellarminus, neque vllus alius docuit.

Quid, quod neque tropologicus sensus in aliis libris reperitur, quo pacto in scripturis inest: nam in scripturis hic sensus non significatur immediatè & proximè à verbis; sed à rebus; res enim gesta significat, quid à nobis geri debeat. Ostendat Caluinista librum profanum, cuius res proximè & immediatè per verba significatæ; significent tropologicè, ex proposito & intentione Auctoris; quid à nobis gerendum sit; quæ actiones suscipiendæ; quæ fugiendæ: idque non in vno, sed in plerisque locis: Nam tropologiæ, quæ in Seneca, Plutarcho; & id genus aliis exstant, non sunt tropologiæ Theologicæ; sed Grammaticæ vel Rhetoricæ: sunt enim Paræneses, Gnomæ, dicta, monita, documenta de moribus benè sanctèque instituendis ac conformandis; Et sensus harum parænese0n & præceptionum de moribus non significatur à rebus, sed à verbis; ideo huiusmodi tropologiæ nihil ad nostrū sensum Tropologicum, seu tropologias Theologicas pertinent; cum nostræ à rebus; non à verbis immediatè significentur. Hallucinatio inde prouenit; quia Savvbrando vera & genuina tropologici sensus Theologicè accepti notio ignota est. Ex quibus conficitur præcepta de moribus, etiam illa, quæ in scripturis per verba præscribuntur, non spectare ad sensum tropologicum Theologicè consideratum, sed ad litte-
B ralem.

Mox Savvbrandus verbosissimè repetit argumenta, vel potius nugamenta, quibus capite 8. monstrare contendit, sensum allegoricum, tropologicum & anagogicum non esse legitimos scripturæ sensus. Iam enim cap. 10. monstrare nititur, *esse vnicum duntaxat verum & legitimum scripturarum sensum.* Præter deliramenta superius refutata, adducit sequentia. I. *Verbum Dei dicitur esse purum argentum excoctum in fornace terrea, defecatum septemplicìter. Psalm. 12. 7. hoc est, esse certum, verum, ratum, atque indubitatum: idem esse repurgatum valdè Psalm 119. v. 140. hoc est, esse doctrinam per se purā, & repurgatam ab omnibus ludiis & sophismatis: Idem, esse velut igne expurgatum. Prouerb. 30. 5. Ergò sacra Scri-*
C *ptura habet tantùm vnam quandam certam, & simplicem sententiam.* Nego consequentiam. Probas. *Oratio quæ non habet vnam ac simplicem sententiam nihil certi docet.* Negatur iterum, quod absque vlla probatione, temerè asseueras. Nam eò magis docet, quò pluribus sensibus abundat; præsertim sensibus diuersorum generum. Et tantum abest, vt scriptura, præter litteralem sensum, nullo alio instructa sit; vt multis locis non modò plures diuersorum generum; sed etiam plures eiusdem generis, nempe plures litterales sensus complectatur, vt docet D. Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. cap. 27. & lib. 11. de ciuit. Dei cap. 19. Et passim lib. 12. Confess. maximè cap. 27. & 31. & cap. 20. & 28. inter cæteros sensus adfert tres
D illius loci Geneseos: *In principio creauit Deus cælum & terram*; Nempe, *in Principio*, id est, *in Filio*, hoc est, *in sapientia sua æterna.* Item, *in principio*, id est, *initio temporis.* Tertiò, *in principio*, id est, *antequam aliquid aliud fieret*. hoc est, *initio operis diuini.* Postea cap. 31. eiusdem libri affirmat, omnes eiusmodi sensus posse censeri litterales: *Cùm alius, inquit, dixerit; hoc sensit Moyses, quod ego; & alius, imò, illud, quod ego: religiosius me arbitror dicere; cur non vtrumq; potius, si vtrumque verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omninò aliud verum quispiam in his verbis videt; cur nō illa omnia vidisse credatur is, per quem vnus Deus, vera, & diuersa visuris, sacras literas multorum sensibus temperauit.* Hæc præclarè D. Aug. contra istorū clamosam & rixosam imperitiam.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus quærendum est, si vnica duntaxat est scripturæ sentētia, eaq; plana, aperta & obuia; cur Prædicantes suis in cōmentariis tam diuersas, imò & aduersas, litterales expositiones adferant; eundemq; locum sæpè ternis quaternisq; explanationibus illustratum eant? Item, si sententia scripturæ adeò est in promptu; vbi ergo est illa difficultas & obscuritas, quam in multis scripturæ partibus inesse isti palam interdum confitentur.

Hæc, inquit Caluinista, *est differentia inter oracula Dei & Satanæ, quòd hæc sunt ambigua & in varias formas flecti possunt: vt, dico te Aeacida Romanos vincere posse. Illa verò sunt certa, rata, firma & indubitata*; in se quidem; sed ratione nostri fieri potest, vt res aliter se habeat, propter tenebras, quę mētibus nostris sunt insitæ; quibus impedimur, quo minus id, quod in se certum, firmum, & indubitatū est; semper recto & irretorto oculo intueri queamus. Deinde diabolus olim de industria, vel potius necessitate coactus, affectauit obliquos & ancipites loquendi modos; cū enim sæpenumero de euentu rerū incertus esset, debuit orationem ita attemperare; vt quidquid euenisset, verū prædixisse videretur. At Spiritus sanctus futurorum omnium gnarus, & neminem in errorem inducere volens, quippe spiritus optimus & rectissimus, longè aliud spectauit; cum scripturā sacram tenebris, obscuritatibus & difficultatibus obsepsit, & circumsepsit; id enim neque ex ignorantia, neq; ex fallendi desiderio fecit; sed alias iustissimas ob caussas, quas sancti Patres copiosè reddunt, & ex illis noster Valentia 1. p. d. 1. q. 1. p. 5. Nec ideo scripturæ sunt perplexæ, quia plures sensus eis substernuntur; nam perplexum illud dicitur quo quis ita implicatur; vt se explicare nequeat; Hoc minimè contingit in proposito; vbi quis in plano & tuto sistitur, in quemcunque verum scripturæ sensum incurrat.

II. *Sancta Scriptura nescit fallere, aut falli, vt dicit Aug. lib. 1 de merit. & remiss. c. 22. At si in tā varias formas posset flecti*, hoc est, si variis sensibus posset exponi, *tum posset fallere & falli*. Ergo, &c. Respōdeo, Minorem esse Savvbrandicam, hoc est, friuolam & vanam: Tantū enim abest, vt propter varios sensus aut fallat, aut fallatur; vt vel maximè & largissimè erudiat & instituat; cum ex eisdē locis pleno quasi cornu, plures non rarò sensus litterales, & sæpissimè plures spirituales fundat. Deinde, an non ipsi Prædicantes variis & diuersis sensibus litteralibus imò & mysticis scripturas interpretantur? Num ideo scriptura fallit aut fallitur? Quod si quis in eruēdo vero scripturæ sensu, aberrat; non scripturæ vitio, sed sua culpa aberrat.

III. *In epistola prima ad Volusianum ait S. Augustinus, sancta Scriptura sincera, & solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec vllo lingua tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat. At sermo qui variè exponi potest neq; sincerus, neq; solidus est, neq; ab omni fuco & inanitate liber esse rectè dici potest.* Ergo, &c. Negatur

A Minor Sibrande; quia varietas illa, quā scriptura suppeditat, non est ἐναντίωσις, seu contrarietas & repugnantia; sed conuenientia & consonantia; neq; enim sensus litterales & mystici sibi mutuò aduersantur; si spectentur, vt a scriptura traduntur; quanquam aliquando ex humani ingenij imbecillitate cōtrarij sunt; quod certò nobis de veritate huius vel illius sensus non liqueat; isque hunc; alius alium, legitimum sensum esse contendat. Cæterùm si id, quod pluribus modis exponi potest, nō est sincerum ac solidum; tum neque suam scripturam hęretici pro sincera & solida habere & venerari possunt; quandoquidem ipsi quoque suam scripturam pluribus & diuersis, imò & aduersis sensibus litteralibus & mysticis exponunt.

B IV. *Scriptura se ipsam exponit, & auditorē errare non sinit, teste Chrysostomo Hom. 13 in Genesin. Sed quod iuxta tam varios sensus explicari potest, hoc auditorem errare sinit, ergo, &c.* Iterum Minoris probationem desidero; de qua tamen nihil omnino Sibrandus laborat. Negamus scripturam sinere, vt lectores, propter varietatem sensuum, à vero tramite aberrent. Nam si quando erramus; non erramus, quia scriptura sinat nos errare; hoc est, quia vel in errorem ipsa impellat, vel ab errore non reuocet; sed quia nos vel natiua caligine, qua circumdati sumus, verum perspicere nequimus; vel temeritate & audacia effrenes; id, quod nos ipsi somniamus, mentem Spiritus sancti credimus,

C & ad illud, tanquam ad cælestem veritatem, pertinacissimè adhærescimus.

V. Lactantius scribit lib. 6. cap. 21. *Deum disertè locutum esse; & summa prouidētia carere fuco voluisse ea, quæ diuina sunt; At quod tam varios sensus admittit, id disertè dictum non est, neq; fuco carere (vt iam ante dictum est) rectè dici potest.* Rursus oblitus est Sibrandus probandæ Minoris. Mirum, tam esse incurium, vt quæ propositio maximè curam exigit, de ea fulcienda nullam curam suscipiat. Negamus id quod variis sensibus fœtum ac fœcundum est; aut non disertè scriptum, aut fucatum esse. Nemo, nisi ignauus & fucatus fucus hoc affirmauerit; quia copia sensuum, quos Spiritus sanctus scripturæ intexuit atque illigauit, non

D est fucus, sed immensi illius spiritus, dulcissimus & exoptatissimus fructus. Quid disertius dicitur, quàm quod ita dicitur, vt plures in animo notitias ingeneret, easque non falsas, sed veras? Ait Sibrandus, *Porphyrium iam olim Christianos irrisisse propter tam varias scripturarum expositiones.* Quid mirum, si impius homo idem fecit; quod vos hodie facitis? Num propterea sensibus scripturæ, extremum vale dicemus; quia propter illos, quamuis sanctè, castè & integrè tractatos, irrisui sumus improbis ac sceleratis?

Declamat post hæc Savvbrandus de ætiologia, analogia, & tropologia, & vt Criticæ suæ nobis gustum aliquem præbeat; putat formam ex-

plicandi scripturas accommodatæ ad mores, aptius appellari posse *Ethicam*, quàm *tropologiam*. Nimis serò monet. Iam *tropologia* omnes libros & scholas occupat; vix sperare licet, fore, vt vocabulo Savvbrandico de statione sua decedat.

Vt Sibrandus chartas impleat & multiplicet, & integrum librum de solis scripturæ sensibus conficiat, loquaciter ostendit, *Patres aliquando allegoriæ & anagoges vocabula vno eodemq́ sensu accepisse. neq́ semper & vbiq́ distinxisse*; Quod vltrò fatemur. Quid opus probatione? Imo addimus, ab iisdem aliquando Tropologiam quoque *anagoges* appellatione affici. Num propterea strictè sumpta proprios & distinctos sensus non constituunt? In omni propemodum scientia hoc contingit; vt vocabula nunc latius, nunc restrictius vsurpentur, & interdum confundantur; saluo semper discrimine, quo secundum proprias suas rationes à se mutuo secernuntur. Hactenus de Sibrando, nam quæ præterea adiungit, inanes iterationes sunt.

Subit mirari, cur VVitackerus & Sibrandus his sensibus tam infestos sese præbeant, cum eorum in castris Caluinianis commilito Danæus in hoc capite, *Caluinianos cum Bellarmino summè consentire dicat; & quidem in omnibus, excepto controuersiarum Iudice. In hoc capite*, inquit Danæus, *nobis cum Bellarmino in cæteris* (hoc est, in illis, quæ de variis scripturæ sensibus disputat) *summa consensio est, ac pene sumus gemelli* (en concordiam) *in vno tantum sumus dissimiles, ecquis in controuersiis de religione iudex & disceptator sedere debeat.* Si in hoc tantum puncto Caluinistæ à Bellarmino dissentiunt, cōsentiunt igitur cum illo in reliqua disputatione huius capitis, quæ est de variis scripturæ sensibus. Cur igitur duo isti Caluinistæ VVitackerus & Savvbrandus tantas turbas concitāt; & quidquid de his sensibus Bellarminus disseruit, totis copiis, licet ventosioribus, quàm robustioribus, euersum tendunt?

Ipse etiam Iunius vix quidquam circa hanc disputationis Bellarminianæ partem carpsit: nō coërciturus vtique dentes; si rodendi & arrodendi materiem inuenisset. Neque Lutheranus Hunnius dissertationem Bellarminianā de sensibus scripturæ insectatur; Tantum exempla illa duo; à Bellarmino adducta: *Bibite ex hoc omnes*: Et, *Hoc est corpus meum*: Catholicè explicata; maledicentiæ suæ spiculis configere nititur; linguęque laxandæ copiam nactus furiosissimè simul ac dementissimè in transubstantiationem & in communionem sub vna specie declamitat, ex communibus nimirum iamque pridem contritis Prædicantium Topicis, quæ à Popinis exiguo discrimine distant.

Accipe nunc, quid Rullus Basileensis, Caluinista, de his sensibus sentiat. Disp. quinta de verbo Dei Thesi 277. sic scribit: *Figmentum igitur scholasticorum de quadruplici scripturæ sensu, Grammatico, Tropologico, Anagogico, & Allegorico, repudiamus.* Men-

A titur, cum diuisionem hanc *figmentum scholasticorum* nominat; nam nec *figmentum* est; nec à scholasticis, quod ad rem attinet, excogitata, sed ex sanctorum Patrum commentariis, imò ex ipsis sacrarum litterarum fontibus hausta.

Mendacij & conuicij sui has adfert Rullus rationes. I. *Quia ex his solus sensus Grammaticus seu litteralis est genuinus.* vbi probatio?

II. *Quia innumera loca ex sacra Scriptura adduci possunt in quibus impossibile est illos quatuor sensus monstrare.* Quis Scholasticorum dixit; hos quatuor sensus in qualibet scripturæ sententia seu sententiola reperiri? An non hoc palam negat Bellarminus? Deinde, non idcirco hæc diuisio figmentis iure annumeratur, quòd non cuiuis scripturarum B loco hic quadruplex sensus subiiciatur. An non satis est ad veritatem & rectitudinem eius, quod in vtroque testamento existat, etsi non in singulis locis, quilibet ex dictis sensibus sigillatim existet?

Ride porrò hanc imperitiam. *Quis, quæso*, inquit Rullus, *erit historicus, seu Grammaticus sensus* (*vt à Scholasticis dicitur*) *in verbis Psalmi 91 v 13. super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Item Matth. 5. 29 30. Si oculus dexter te offendat, erue eum: si manus dextera te offendat, abscinde eam, &c.* Hæc indoctissimè Rullus: Nam primò, tritum receptumque est, apud Theologos cuilibet scripturæ loco esse suum litteralem sensum: quem alij etiam Grammaticum & histori- C cum nominitant. Iste contrà tendit; & *insulsè* negat, quod non intelligit. Deinde an non sensus tropicus seu metaphoricus, in litterali sensu numeratur? Nonne immediatè à litteris, hoc est, verbis, significatur? Ad ineptam suam quæstionem petat Rullus responsum ex iis, quæ supra hac de re disputauimus. Breuiter dico: *Aspidem, Basiliscum, Leonem & Draconem*, sensu litterali, sed tropico & metaphorico in eo Psalmi loco significare Diabolum; & tentationes ab illo ingestas & excitatas. *Oculum dextrum*; & *manum dextram* apud S. Matthæum; rem nobis charam, valde iucundam; quam procul abiiciendam monet Christus, si nobis sit scandalo & offensioni.

Tertia Rulli ratio. *Ex Tropologia, Anagogi, &* D *Allegoria non possunt firma argumenta colligi ad probandum aliquid.* Cæterum, quo sensu hoc cum vero consonet; antea ostensum est: Ex quibus etiam elucescit: quomodo accipiendum sit tritum illud hic à Rullo adductū *symbolicam Theologiam non esse argumentatiuam.* Addit Rullus. *Metaphoricam* quoque. Quis dixit *metaphoricam* Theologiam non esse argumentatricem; hoc est; ex sensu litterali metaphorico; hic enim per *metaphoricam* Theologiam intelligi debet; non posse duci firma & efficacia argumenta? An excludunt Theologi sensum litteralem metaphoricum; quando asserunt, ex litterali sensu efficacia argumenta duci posse? Non nego, esse; qui spiritualem sensum vocent aliquando, *metaphoricum, tropicum, figuratum.*

Digitized by Google

guratum. Certè admodum *metaphoricè, tropicè,* & *figuratè*: Quod ferendum in illis; qui spiritalem sensum non tollunt. Non ferendum in Caluinista; qui hos sensus exterminatum tendit.

Vnicus est, inquit Rullus thesi 271. *verus proprius ac genuinus scripturæ sensus: quia plus vno verum esse nequit.* Cur, quæso, plures vno sensu veri esse nequeunt? Num quia duo vera simul consistere non valent? Quis sani capitis hoc affirmet, cum verum vero non repugnet? Inuehitur Rullus in illos, qui definiunt litteralem sensum esse eum; *quem verba propriè tantùm intellecta præseferunt.* Qui nam sunt isti tam rudes definitores? quibus nihilo subtilior Rullus cum thesi 275. existimat vnum idemque esse; litteralem sensum esse illum, *quem verba propriè tantùm intellecta præ se ferunt*: Et, *Litteralem sensum esse illum; quem verba immediatè præseferunt*; nam prius illud, falsum est; cum excludat sensum metaphoricum, qui & ipse litteralis est: posterius, verum: includit enim sensum metaphoricum; qui & ipse immediatè à verbis significatur.

Laudat Rullus S. Thomam 1. p. q. 1. a. 10. dicentem; *sensum litteralem esse eum, quem Auctor intendit*; Sed si Caluinista animum ad doctrinam totius articuli aduertisset; facilè deprehendisset; verba hæc nõ ita præcisè accipi; sed aliquid subintelligi debere; videlicet, sensum litteralem esse eum, quem Auctor intendit proximè & immediatè significare per verba. In quo differt sensus litteralis ab omni mystico & spirituali.

Hic porrò considera, quid pertinacia tuendi noua; & vetera labefactandi non audeat? Vt Rullus euincat vnum tantummodo esse, etiam litteralem, vniuscuiusque loci sensum; nouam architectatur sensus litteralis partitionem, in *simplicem* & *compositum*. Thesi 281. compositum definit, *qui ex figura & figuræ veritate constat*, *Hic est*, inquit, *in omnibus illis locis, in quibus sub typo aliquo Christus describitur. Vt ex Ægypto eduxi filium meum. Osee 11. v. 1. In hoc dicto, filius, non populum modò Israëliticum, sed & Christum significat. Qui tantùm de populo Israëlitico interpretantur, partem tantùm sensus litteralis afferunt, non totum sensum: quia totus sensus litteralis compositus, de signo, & re significata simul, intelligendus est. Consistit enim in accommodatione signi ad signatum, &c.* Ineptè omnia. Nam duo distincti sensus litterales nil aliud sunt, quàm duo distincta significata à verbis proximè & immediatè repræsentata: sed sub illis verbis: Ex Aegypto vocaui filium meum; sunt duo distincta significata à verbis immediatè repræsentata; vt fatetur Rullus; & satis per se liquet; alterum est, eductio populi Israëlitici ex Aegypto: Alterum, reuocatio Christi ex Aegypto; ergo sunt duo distincti sensus litterales; quorum neuter alterius pars est; vt cum illo vnum integrum sensum absoluat. Nam quòd illa ipsa eductio populi Israëlitici, vt est res quædam, significauit etiam Christi ex Aegypto reditum; non pertinet ad

A sensum litteralem; sed ad allegoricum; quia sensus litteralis proximè fit per verba; non per res; vt iam sæpè dictum.

Quærat quis, quid nam sit secundum Rullum Tropologia, Anagoge & Allegoria; quandoquidem negat esse distinctos sensus. Attende: id enim mox tibi explicatum dabit. Thesi 281. *Tropologia, Anagoge & Allegoria non sunt varij sensus eiusdem loci, sed tantùm varia ex vno sensu consectaria, vel variæ vnius sensus accommodationes ad vsum,* &c. Habes Rulli phantasiam: quam hoc argumento euertes. *Tropologia, Allegoria, & Anagoge sunt distincta significata; ergo distincti sensus.* Consequentia nota est. Antecedens probatur. *Quia tropologia significat mores; Allegoria; rem gerendam in militante Ecclesia; Anagoge rem perficiendam* B *in Ecclesia triumphante; at hæc tria significata sunt prorsus diuersa; ergo & diuersi sensus.*

De quadruplici hoc scripturæ sensu disputat etiam Baccalaureus Mortonus Anglus parte secunda stultescentis suæ Apologiæ, vel potius Alogiæ, lib. 5. & sequentibus vsque ad septimum; vbi nihil inuenias, præter confusam quandam mendaciorum farraginem; conuiciis vbique intertextam. I. Mendacium. *Verum significandi in scripturis modum pontificios miris distinctionum technis miserè obscurasse.*

II. Mendacium. *Malè distingui à Bellarmino sensum in litteralem & mysticum.*

C III. *Idque propterea, quòd sensus mysticus* (prout in diuisione illa accipitur) *sit interdum ipse sensus litteralis*: non magis est sensus litteralis, quàm homo, leo in illa diuisione; *Animalium aliud est leo, aliud, homo.*

IV. Mendacium. *Hæc esse Maldonati verba in cap. 5. Ioan. vers. 4. Est interdum sensus mysticus, sensus ipse litteralis.* Verba Maldonati sunt ista. *Præter consuetudinem meam mysticum hoc loco sensum expono* (agit de probatica piscina) *quia hunc eundem arbitror esse litteralem.* Non absolutè; sed in eo loco: nec propriè; sed propter mystici sensus; qui est baptismus per illam piscinam significatus; excellentiam, & significandi euidentiam: adeò enim perspicuum arbitratur, per D piscinam illam baptisma significatum esse, vt illud potius baptismi mysterium à verbis, tametsi mediatè & indirectè; indicatum existimet; quam piscinam probaticam.

V. Mendacium. *Diuisionem sensus spiritualis in tropologicum, allegoricum, & anagogicum esse laxam, & quasi luxatam.*

VI. Mendacium. *Anagogen* (quæ in diuisione ponitur) *esse speciem quandam allegoriæ.*

VII. Mendacium. *Hanc à Bellarmino allegorici sensus datam definitionem*: Allegoricum sensum vocant cum verba scripturæ præter litteralem sensum significant aliquid in nouo, quod ad Christum vel Ecclesiam pertinet: *esse angustiorem.*

Digitized by Google

VIII. Mendacium. *Idq; propterea, quod multi sentiant, allegoricum sensum etiam in nouo testamento reperiri.* Quid hoc officit definitioni quam dedit Bellarminus? An dixit; illud tantum esse allegoriam, quod tempore veteris testamenti significabat rem ad Christum vel Ecclesiam spectantem? Nunquam hoc scripsit Bellarminus. An nihil in nouo testamento factum est, quod significaret rem in nouo itidem testamento, hoc est, in Ecclesia Christiana peragendam? Inspice, obsecro; Bellarminum denuo; sed apertioribus oculis. Forsan exempla inuenies.

IX. Mendacium. *Accuratissimam sensus distinctionem esse istam. Modus significandi alius est proprius; alius figuratus.* Accuratissima est, si summa ineptia; est summa accuratio; & manca imperfectio, suprema perfectio.

X. Mendacium. Cap. 2. quosdam Catholicos sic definire sensum allegoricum; *Sensus allegoricus litteralis est is*, &c. Quis Catholicorum nominat sensum allegoricum Theologicè acceptum, *litteralem?*

XI. Mendacium. Alphonsum à Castro lib. 1. de Hæresibus cap. 3. de sensu allegorico hæc verba scripsisse; sensus allegoricus *est is qui deducitur ex similitudine quam res vocibus significatæ cum alia re habent: vt si hominem voracem aut auarum lupum aut talpam dixeris:* Mentitur impudenter. Hæc enim, quæ Caluinista miserè mutilauit, scripsit Alphonsus de sensu litterali metaphorico; vt patebit legenti Alphonsum.

XII. Mendacium. Hæc in eodem loco esse Alphonsi verba. *Is erit sensus* (allegoricus) *quem vocis prolator intendit.*

XIII. Mendacium. S. Thomam 3. p. q. 1. art. 11. scribere hæc verba: *cum brachium Dei dicitur, non membrum ipsum, sed virtus operatiua per membrum significatur.* Nam quæstio prima tertiæ partis continet tantummodò articulos senos in quorum nullo prædicta verba comparent. Si dicat; verba illa exstare p. 1. q. 1. a. 11. numerabo ego mendacium Mortonicum XIV. quia quæstio prima primæ partis denis duntaxat articulis constat.

XV. Mendacium. Verba illa, quæ leguntur 1. part. quæst. 1. artic. 10. ad tertium, *scripta esse à S. Thoma de sensu allegorico*; expressè enim ea protulit de sensu litterali, quamuis metaphorico.

XVI. Mendacium. *Hæc esse verba Azorij* lib. 8. Instit. Mor. ca. 2. § 9. *Quidam Pontificij opinantur*, &c. Num vox *Pontificij* apud Azorium?

XVII. Mendacium. Gretserum lib. 1. de cruce cap. 6. scripsisse; *Absalonem in quercu pendentem, qui impius & sceleratus fuit, gessisse figuram Christi de cruce suspensi.* Nunquam hoc somniauit Gretserus. Legatur caput citatum operis de cruce; & stigma Mortonicę fronti ob impudentiam inuratur. Verba mea sunt ista. *Vera crux fuit* (quercus in qua Absalon pependit) *crucisq; Dominicæ manifesta figura* (vt docet D. Gregorius Nyssenus, A quem citaui, Comment. in Psalmorum Inscriptiones, explicans inscriptionem Psalmi tertij) *sicut & Absalon in illa pendens præfigurauit nostrum illum filium Dauid; in hoc dissimilis, quòd ille pependit in cruce Patri honorem erepturus; hic patri redditurus, personam nostram sustinens, qui instar Absalonis contra Regem Regum, Patrem nostrum, rebelles insurrexeramus.* Hæc ibi. Ex quibus euanescit Mortonica vanitas. Non enim dixi; Absolonem gessisse figuram Christi, quà impius & facinorosus erat; & propria sua scelera illa in arbore luebat; sed quà in quercu illa medius inter cælum & terrã pendenat; præcisè ob peccata. Nam & Christus in cruce pependit ob peccata; etsi non sua vt Absalon; sed nostra; & in hoc Absalon minimè Christi typus vel figura fuit; & vt Absalonis coma B affixa est illi quercui per ipsum transeuntem Absalonem; ita & Chirographum peccati, quod aduersus nos erat, affixum est cruci per Christum, vt ait Nyssenus.

Quamuis autem res mala; quà mala, non posset esse typus Christi; vel rei bonæ & sanctæ; potest tamen esse typus Christi secundum abstractam aliquam à malitia rationem & conceptionem; vt v. g. ebrietas & nuditas Noë præfigurauit abundantissimum Redemptoris nostri in nos amorem; quo quasi inebriatus, nudus in cruce pendere voluit: præfigurauit, inquam, non quatenus ebrietas est piaculum & scelus; sed quatenus mentem ita occupat; vt C quis pro eo; quem charum gratumque habet; æquo animo quæuis opprobria, & quaslibet contumelias sit perpessurus; atque adeò ipsam quoque nuditatem subiturus, nam hæc omnia splendidissimè elucent in Christo; qui amore erga humanum genus quasi inebriatus eò processit; vt nullum probrorum genus nostræ salutis caussa defugerit. Vide Azorium nostrum lib. 8. Instit. Moral. cap. 2. § 10.

XVIII. Mendacium. *Bellarminum falsò dicere; inter nos & aduersarios conuenire ex solo litterali sensu argumentum efficax ad fidei dogmata confirmanda duci posse: esse enim pontificios; teste Azorio lib. 1. cap. 2. Quæst. 10 qui velint, etiam ex mystico sensu argumenta peti posse:* quia Bellarminus nil aliud vo- D luit, quàm constare inter nos & aduersarios, *ordinariè & vt plurimum* ex solo sensu litterali argumenta duci posse.

XIX. Mendacium. Esse aliquos Pontificios, qui doceant, *sensum Spiritus sancti esse mutabilem.*

XX. Mendacium. *Ita, vt liceat Ecclesiæ nouum aliquem sensum comminisci.*

XXI. Mendacium. *Et à scripturis hactenus abhorrentem.*

XXII. Mendacium. *Hoc docuisse Cusanum.* Millies mendacium hoc à Prædicantibus ingestum est, & decantatum: de quo vide Labyrinthum Creticohunnianum; vbi à me copiosè dissipatum est. Hæc commenta obiter ex nugamen-

tis

tis Mõtonicis de sensibus scripturæ enotauimus. Si quis accuratius inquirere volet; duplo vel triplo plura reperiet.

In hos quoque sensus impotentissimè grassatur Lutherus in Psalm. 22. Tom. 3. Lat. VVitteberg. Mentitur. I. *Thomam cum Lyra & suis, in orbem vulgasse quadrigam illam sensuum scripturæ, litteralem, tropologicum, allegoricum & anagogicum.* Quia distinctio hæc longè & antiquior ætate D. Thomæ & Lyræ.

II. Mendacium. *Diuisionem hanc nihil esse aliud, quàm inconsutilis tunicæ Christi in quatuor partes dissectionem.*

III. Mendacium. *Hinc effectum esse; vt verba quidem scripturæ haberemus, sed sic dispartita & lacerata, vt prorsus nihil constantis intelligentiæ, quæ animas induceremus, nobis reliquum fecerint.*

IV. Mendacium. *Neque Thomam cum omnibus Thomistis vniuersisq́; Scholasticis Doctoribus vnius capituli vel in Paulo vel Euangelio, vel quocunq; libro scripturæ intelligentiam germanam & legitimam vnquam aut habuisse aut docuisse.*

V. Mendacium. Impios esse illos versiculos. *Littera gesta docet, quid credas allegoria. Moralis quid agas; quò tendas anagogia.*

VI. Mendacium. *Per hos versus litteræ, neq; fidem, neque mores, neque spem, sed solam historiam inutilem tribui.*

VII. Mendacium. *Allegoriæ non mores, non spem.*

VIII Mendacium. *Tropologicæ solos mores.*

IX. Mendacium. *Anagogiæ solam spem assignari.* Insana commenta: Nam Auctor horum versiculorum hæc minimè disiungere, sed quid in vnoquoque sensu præcipuè eluceret; indicare voluit: relicta cuiuis fide, spe; institutione, & conformatione morum. Nam litteralis sensus & docet, & spem, fidemque fouet; & mores concinnat; sed doctrina in eo præcipuè emicat. Idem iudicium est de aliis.

X. Mendacium. Doctores nostros *Illustrium patrum Abrahæ, Isaac, & sanctorum totius populi Israël gesta, non ad fidem docendam tractauisse, sed velut mortuas historias fastidiuisse.*

XI. Mendacium. *Scripturas quidem apud nos esse, sed ita partitas & quadruplationibus in lacinias inutiles & incertas redactas, vt nec fidei, nec morum doctrinis seruiant.*

XII. Mendacium. *Tantam ruditatem inualuisse, vt nec Grammaticam rectè intelligerent.*

XIII. Mendacium. *Quod figuratum inueniebant hoc mysticum, id est, nullum sensum fecisse.*

XIV. Mendacium. *Idem esse allegoriam, tropologiam, & anagogen.*

XV. Mendacium. *Has ab Apostolo non agnosci pro sensibus; sed pro mysteriorum locutionibus.*

XVI. Mendacium. *Idq; 1. Cor. 14. illis verbis; Spiritus autem loquitur mysteria.* Hæc de Luthero.

Etiam Labrax in sua Disput. de scripturarum Interpretatione cõuiciis & pseudologiis in quadruplicem nostrum sensum bacchatur.

A I. Mendacium. *Veteres Monachos & Doctores Scholasticos mysticum sensum mutasse in allegoricum:* Quomodo mutarunt in allegoricum; cum sensus allegoricus absque vlla tali mutatione sit *mysticus,* & aliquis mysticus, allegoricus; quemadmodum sine vlla à nobis facta mutatione homo est animal; & aliquod animal homo.

II. Mendacium. Monachos illos eam ob causam *esse insulsos.*

III. Mendacium. *Et Origenis vestigia secutos;* nam Origenes ita statuebat sensum mysticum allegoricum; vt euerteret litteralem. Quod nullus Scholasticorũ aut Monachorum nostrorum fecit; aut faciendum docuit.

IV. Mendacium. *Monachos & Scholasticos contendere; sensum allegoricum in singulis scripturæ phrasibus.*

B

V. Mendacium. *Et verbis quærendum esse.*

VI. Mendacium. *Et quidem necessariò.*

VII. Mendacium. *Illos suauiter somniasse scripturam sacram secundum singulas partes quadruplici modo interpretandam esse.*

VIII. Mendacium. *Et hoc ideo, vt liberaliores essent Origene.*

IX. Mendacium. *Iesuitas mysticum sensum in merè allegoricum commutare;* hoc est; solum allegoricum sensum pro mystico agnoscere.

X. Mendacium. *Et hoc cum Origene.*

XI. Mendacium cum inscitia: *si sint quadruplices scripturarum sensus, necesse esse; vt singulis earum dictionibus & phrasibus sint insiti.*

C

XII. Mendacium cum pari inscitia: *Nisi enim sint insiti & natiui, necessariò esse consequens; vt non sint scripturarum, sed interpretum sensus.* Audi Prædicans. Sensus allegoricus, tropologicus & anagogicus immediatè insunt in rebus; quia proximè significantur per res; mediatè fundantur in verbis; sed non est necesse; vt singuli in singulis; vt rectè docet Bellarminus; neque enim quiuis scripturæ locus, multò minus qualibet phrasis, longeq́; adhuc minus qualibet dictio tres illos mysticos & spiritales sensus simul admittit.

XIII. Mendacium. *Oedipo diuinatore vel Delio natatore opus fore si scriptura quadruplici illo sensu prædita esset.*

D

XIV. Mendacium. *Nullam fore scripturarum certitudinem.*

XV. Mendacium. *Nullam firmitatem.* Ista non sequerentur, licet singula scripturæ loca omnes supradictos sensus reciperent. *De sensibus scripturæ hæc verbum dixisse sufficiat;* inquit Labrax. Rectius dixisses: *hæc mentitum esse sufficiat:* Nunc in viam redeamus.

Cum scriptura sit obscura, & variis sensibus prædita; vt Bellarminus capite primo; secundo, & hoc tertio demonstrauit; cumque in varios etiam sensus; eosque absurdissimos, & à Spiritus sancti mente alienissimos, rapi queat, omnino opus est aliquo in hac vita Interprete, & Iudice; qui verũ scripturæ sensum certò & absq; erroris

Digitized by Google

periculo nobis patefaciat; & controuersias exortas auctoritate sua infallibili componat. Neque inficiantur hoc Hæretici.

Quæritur, quis sit iste Iudex? Respondemus, esse Spiritum sanctum; cum enim scriptura non sit humano spiritu composita; sed diuino; vtiq; non humano, sed diuino spiritu interpretanda est, vt docet quoque D. Petrus 2. epist. 1. Neque in hoc à nobis dissentiunt sectarij. Fatentur, imò etiam magnis clamoribus adstruunt; Spiritum sanctum esse Interpretẽ sacrarum litterarũ. Sed vlterius quæritur, vbinam Spiritus sanctus hoc suum officium exerceat; & per quem, seu quos? Cum enim certissimum sit Spiritũ sanctum *immediatè* per se hoc munus non obire, necessariò quæri & inuestigari debet, quis nam ille sit, per quem Spiritus sanctus scripturam interpretetur, litesq; exortas componat. Quod est quærere, quis nam sit in hac vita ordinarius, immediatus & visibilis interpres scripturæ, & controuersiarum infallibilis iudex; qui ab omnibus adiri & audiri queat. Hæretici circa hanc quæstionem, vt & circa alias, varij sunt, & inconstantes: Initio Lutheranæ tragœdiæ, vt Lutherus populum sibi deuinciret, & ad partes suas adiungeret; quemuis, etiam priuatum, fide tamen præditum interpretem scripturæ, atque iudicem ex officio constituit; magno imperitæ multitudinis applausu; quæ mirificè sese circumspectabat, quod noui Euangelij beneficio derepente ad tantæ dignitatis fastigium euasisset.

Hanc fuisse Lutheri mentem, rectè ostendit hic Bellarminus ex præfatione in Assertionem articulorum ad Fabianum Felicem; quem his affatur verbis. *Quod sæpius sum antea testatus, Fabiane Felix, imò felicissime, esse & in Laicis spiritum iudicij & ardoris (vt cum Isaia dicam) vel tu maximè euincis & declaras qui de re Christiana, quam valeas, purè, argutè, piè, feliciterq́; & iudicare & disserere, cum essemus Philippus meus & ego, coram Eylenburgæ, quàm egregium specimen ostendisti. Neq; dubito in hac aula esse æmulos tibi quàm plurimos, &c.* Respondet Hunnius, *Lutherum his verbis nihil amplius Fabiano huic tribuere, quàm Paulum suis Corinthiis Laicis, cum inquit: vt prudentibus loquor, iudicate vos quod dico: hoc ipso spiritum iudicij manifestè eis tribuens. Nam & supra capite secundo de spiritualibus hominibus, id est, Dei spiritu renatis, pronunciauerat, illos omnia iudicare.* Quæso te Prædicans, num tribuit Paulus etiam Corinthiis Laicis; vt Sacerdotes & Clerici essent; officiumque, Sacerdotum & Clericorũ occuparent; quod in præfatione illa Lutherus Fabiano ingẽtibus verborum ampullis tribuit? Num hac oratione eos allocutus est? *Pertinet & hoc ad nostram peruersitatem, & sensum reprobum, in quem nos tradit Deus, vt Clerici veritatem damnemus, quã Laici amplectuntur, & fiant Sacerdotes, qui Sacerdotes non sint: Laici, qui Laici non sunt. Quare visum est, deinceps ad vos Laicos, nouum genus clericorum scribere.*

A Num simile quidpiam reperitur in Apostolo? Num Laicos Corinthios reposuit in numero Clericorum & Sacerdotum; nouosq́ue & inusitatos antea Clericos instituit; vt fecit Lutherus? Num Laicis munus iudicandi ex officio competere docuit? An iudices omnium controuersiarũ, & ex officio totius scripturę interpretes creauit; quia ipsis 1. Cor. 10. & 11. arbitrium detulit diiudicandi, num id, de quo tunc agebat, rationi consentaneum esset; nempe an non par esset; vt ab idolorum cultura, quàm diligẽtissimè abstinerent, & vt mulieres velato capite orarent? Si Apostolus alicui dixisset; Tu ipse iudica, an nõ deceat Christianos à fornicatione & ebrietate immunes viuere; num propterea talem omnium B controuersiarum iudicem, & quidem ex officio, constituisset? Lutherus non detulit Fabiano suo iudicium de agendis vel omittendis, *iisq́;* notis & manifestis; sed de grauissimis fidei *capitibus*: Laudat enim illum, quòd & ipse cum aliis Laicis spiritu iudicij, & ardoris instructus sit, & quòd de re Christiana purè, argutè, piè feliciterq́; disserere & iudicare queat; eaq́; de caussa eundem suum Fabianum in nouum *Clericum* transmutat. Num simile quid Corinthiis tribuit Apostolus? Nam quod 1. Corinth. 2. ait, *spiritualem hominem omnia diiudicare*; primùm quæri posse video; num Fabianus ille spiritualis homo fuerit. Secundò, eadem quæstio vniuersim de omnibus sectariis excitari potest; Neque enim dubitatione caret, C num, quod iactant, spirituales sint; neq; Luthero constare potuit, num Fabianus ille spiritualis esset, cum homo nesciat, quid sit in homine; & nõnunquam contingat, vt qui valde spiritalis habetur; parum aut nihil de spiritu participet. Verum de sensu huius dicti Apostolici infra agendum erit cap. 10.

Interea solum obseruetur hanc consequentiam esse Prædicanticam: *Spiritualis homo omnia iudicat*; quicunque tandem sensus huic dicto substernatur; *ergo quiuis homo spiritualis*, id est, vt explicat Hunnius, *Dei spiritu renatus, est infallibilis scripturæ interpres, & omnium controuersiarum iudex.* Nota vertiginem Prædicantis; Initio capitis, cum omnes Interpretes & iudices enume-D rasset, de priuatis tacuit; neque vllum *in* hunc consessum admisit: Nunc vbi stultitia *Lutheri* defendenda venit, etiam priuatis *ius*, & arbitrium interpretandi & iudicandi transcribitur; ea tamen cautione, vt quod interpretantur & iudicant; non ex suo humano, sed ex Spiritu sancto interpretentur ac iudicent: Et Prædicans acriter expostulat cũ Bellarmino, quod scripserit; *Lutherum quemlibet remittere ad spiritũ, quem quisque habuit dum scripturas diligenter legit: quasi,* inquit, *quisque Laicus suum habeat proprium & peculiarem spiritum ad diiudicanda dogmata, quod Luthero in mentem non venit.* At venisse; testis est ipse Lutherus, cum alibi, vt post dicam, tum primis verbis epistolæ ad Fabianum: *Quod sæpius sum antea te-*

Digitized by Google

statum, esse & in Laicis spiritum iudicij & ardoris, id tu maximè euincis. An non spiritum iudicij Laicis tribuit? *At non priuatum*, inquies. Priuatum esse, vel inde liquet, quòd nunquam & nusquam Deus promiserit, se sanctum Spiritum, (qui est, vt sic loquar, publicus quidam spiritus) largiturum singulis priuatis, ita vt scripturam infallibiliter exponant; & de controuersiis fidei infallibile iudicium ferant. Quapropter donec Prædicantes huiusmodi Christi promissionem nobis ostenderint; vel euidentibus signis ac miraculis huic singulorum laicorum spiritui publicam auctoritatem conciliarint; nos & ipsum spiritum & iudicium inde profectum non modò pro priuato, sed sæpe etiam pro fanatico habebimus. Quod si quis omnia, quæ ipsi etiam Prædicantes tam Lutherani, quàm Caluiniani, cautius iam, vt sibi videntur, de interprete scripturæ & iudice litium disputant, penitius introspicere, & in sua elementa resoluere velit; tandem ad priuatum Hæreticorum spiritum deueniet; eoq; totam commentorum machinam niti cernet.

Porrò Lutherum initio sui Euangelij quemlibet Laicum fecisse & constituisse interpretem scripturæ, & iudicem totius doctrinæ Christianæ, publicum videlicet, & ex officio, patet cum ex aliis Lutheri dictis, tum ex concione super Euangelium; *Attendite à falsis Prophetis*; Tom. I. operum Germ. Lutheri ab Aurifabro editorum, & non ita pridem Lipsiæ recusorum fol. 166. Es ist kein Richter auff Erden in geistlichen Sachen vber die Christliche Lehr / dann der Mensch / der den warhafftigen Glauben inn seinem Hertzen hat / etc. *Non est vllus iudex in rebus spiritualibus de Christiana doctrina, nisi homo, qui veram fidem in suo corde habet, siue sit vir, siue mulier, siue iuuenis, siue senex, siue seruus, siue ancilla, siue doctus, siue indoctus; quia Deus non respicit personas, omnes æqualiter amat. Quocirca solæ etiam potestatem iudicandi habent.*

An non satis manifestè Lutherus hoc loco, quemlibet priuatum iudicem Christianæ religionis constituit? Ex qua Lutheri de Iudice doctrinæ Christianæ semente, pullulauit, & exstitit quidquid portètorum hoc sæculo exstitit. Cùm enim ex Luthero intellexissent, cuiuis vera fide prædito potestatem esse liberè iudicandi de doctrina Christiana; hac potestate iudiciaria Carlstadius, & alij VVitebergæ vti voluerunt, inscio, & inconsulto Luthero. Itaque sicut olim Iudæi in Stephanum; ita isti *impetum vnanimiter fecerunt* in imagines, easq; deturbarunt, comminuerunt, & incenderunt; multaq; alia vel abrogarunt, vel nouarūt, quæ Luthero, cùm ad eū perlata fuere, stomachum propemodum euerterunt: nihilque prius habuit, quàm vt hos Christianæ doctrinæ Iudices à se factos, & creatos, coërceret, ac in ordinem denuo redigeret. Itaque ex fictitia sua Pathmo VVitebergam aduolauit, aliquot concionibus (exstant Tom. I. Germ. operibus, quæ Aurifaber edidit) iudices istos, eorumque facta vehementissimè, & acerbissimè exagitauit. Quid agis, ô bone? Cur iudices à te creatos damnas? Nonne sæpius dixeras; *quemlibet vera fide præditum Christianæ doctrinæ iudicem esse? Christianos iam planè liberos; externis huiusmodi signis alligari, aut seruire nequaquam debere?*

Dices; *Carlstadius & socij eius non fuerunt prædìti vera fide?* At hoc ipsi fortiter negant. Tu quî probas? Nulla, opinor, alia ratione, quàm asseuerando. Tu negas, spiritu Dei præditos; illi potius, quàm hoc concedant, te spiritus diuini prorsus exsortem proclamabunt. Dices: *Meum erat, de his rebus iudicare, & statuere.* At illi occinent; *Cur non & meum? An tu spiritum libra, & ære mercatus es, vt, quidquid agis, id ex Spiritu sancto agas; &, quidquid nos agimus, id ex dæmonis instinctu agamus? Non debebatis quidquam me inconsulto agere.* At Carlstadius, cum suis oggeret: *Spiritus vbi vult, spirat. Quid nobis tecum negotij? Nam & nos primitias spiritus possidemus. An, nisi te conscio, & approbante, spiritus in pectoribus nostris æstuans, & erumpere gestiens, nihil aggredi audebit?*

Editus est VVitebergæ anno Domini M. D. XXIII. ex doctrina Lutheri, vt inscriptio habet, libellus: *De iure, & potestate Christianæ communitatis, omnem doctrinam iudicandi; & Doctores vocandi, constituendi, destituendi*: In quo hæc portenta leguntur: *Christus ademit Episcopis, Doctoribus, & Conciliis ius, & potestatem iudicandi doctrinam, eamq; omnibus tribuit, & vniuersis Christianis in communi.* Si probationem huius mōstri cupis, en tibi Archimedeam; Christus Ioan. 10. dicit: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Item; *Oues meæ non sequuntur alienum, sed fugiunt ab eo: quia, non nouerunt vocem alienorum.* Item; *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt, & latrones; sed non audierunt eos oues.* Hîc perspicuè vides, inquit Lutherus, *cuius sit ius iudicandi doctrinam. Episcopi, Papa, docti, & omnes habent docendi potestatem: sed oues iudicare debent, vtrum doceant vocem Christi, vel vocem alienorum. Quid, quæso, contrà mutire possunt bullæ illæ aqueæ perpetim clamitantes; Concilia, Concilia?*

Ergò, cùm adeò amplam Lutherus omnibus iudicandi potestatem fecisset, mox innumeri erupêre iudices; sed ipsius etiam spiritus Lutherani; quod Luthero intolerabile accidit. Immeritò. Si enim omnibus iudicandi de quauis doctrina æqua est potestas, vt ipse Lutherus palam asseruit; magna nimis prærogatiua frueretur doctrina Lutheri; si supra omne iudicium cuiusuis iudicis collocata esset. Sæpius de his suis iudicibus lamentabiliter cōquestus est Lutherus: & quia eos ex sua doctrina proseminatos fuisse non ignorabat; & tamen progenitoris, ac proseminatoris titulum, & honorem horrebat; non rarò acerbissimis eos conuiciis insectatus est; & studiosè sese non semel purgauit, & compsit, ne id, quod erat, esse videretur; hoc est, ne ipse horum omnium tam absonorum

ſpirituũ auctor haberetur. Fecit hoc cùm aliâs, tum in epiſt.quadam ad illuſtriſſ.Saxoniæ Principes;(exſtat tom.2.epiſt.lat.fol.223.)Vbi ſpiritũ Altoſtettinum, Lutherano muſto feruentiſsimum,eo vſque proceſsiſſe ait.vt publicè dictitaret; *Scripturã nihil aliud eſſe quàm Bibel. Bubel. Babel.*

Cum Lutherus in libro de inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ tom.2. lat.VVitteb.ſtultiſsimè deliraſſet omnes omnino Chriſtianos, etiã fœminas, eſſe verè & propriè ſacerdotes; eiſq; omnia ſacerdotalia munia cõpetere;tãdem hæc, ebrius ſine dubio,eructauit. *Septimum & vltimum officium eſt iudicare de dogmatibus.Planè non vulgaris ratio eſt, cur hoc officium ſibi arripuerint laruæ ſacerdotales.& hypocriſes Chriſtianæ, ſcilicet, quod præuiderint fore, ſi hoc officium cõmune relinquerẽt,nullum prædictorum proprium retinere poſſent. Adempto enim auditoribus iudicio, quid non poſsit & audeat Doctor,etiã (ſi fieri poſſet) Satana peior? Rurſus permiſo, ibi mãdato iudicio auditoribus, quid poſsit & audeat Doctor etiam angelo de cælo maior?quãdo hoc admiſſo fieret, vt non modo Petrum Paulus argueret, ſed & Angelos de cælo anathema faceret. Itaq; de Sacerdotio de officio docendi baptizandi,conſecrandi, ſacrificandi,ligandi, orandi iudicandi,quanto timore & tremore dixiſſent & ſtatuiſſent Pontifices & Concilia, ſi iudicium? formidandum fuiſſet auditorum,imò quam nihil vnquam fuiſſet vniuerſus Papatus, ſi regnaſſet hoc iudicium? optimè igitur ſibi conſuluerunt, dum officium ſibi vendicauerunt. Verum hoc potuerunt & præualuerunt, donec definita ira, iuxta Danielem, impleretur At nunc illuſtrante nos aduentu Saluatoris, deſtrui cœpit iniquus ille.& ſpiritus oris eius interficit Aduerſarium illum ſuper omnem cultum Dei exaltatũ.Nunc enim ſtat illud Chriſti Ioan.10 Oues meæ vocem meam audiunt. Vocẽ alienorum non audiunt. Matth 7 attendite a falſis Prophetis Matt. 16 attendite à fermento Phariſæorum,quod eſt hypocriſis. Matth 23 Super cathedrã Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcũq; dixerint vt ſeruetis ſeruate & facite, ſecundũ opera verò eorũ nolite facere. His & ſimilibus multis locis tum Euangelij tũ totius ſcripturæ, quibus admonemur, ne falſis Doctoribus credamus,quid aliud docemur, quàm vt noſtræ propriæ quiſq; pro ſe ſalutis rationem habens,certus ſit quid credat & ſequatur, ac iudex liberrimus ſit omniũ qui docent eum,intus a Deo ſolo doctus Neq; enim alterius doctrina vera vel falſa damnaberis aut ſaluus eris, ſed tua ſolius fide Doceat ergo quiſquis quod docet,tibi videndum eſt,tuo ſummo periculo aut commodo,quid credas.*

Paulò pòſt texit Lutherus inſipiétiſsimas haſce conſecutiones. *Eſt Chriſtianus, ergo habet Spiritum ſanctum; ergo eſt iudex omnium. Quiuis Chriſtianus habet Spiritũ ſanctum;ergo docetur omnia a Spiritu S. Ergo omnia iudicare poteſt. Vnctio docet illum omnia: ergo iudicis officio ritè fungi poteſt. Chriſtianus eſt certus,quid credere debeat,& quid non credere debeat; ergo eſt iudex omnium. Nũc rogo te* vociferatur inſanus Lutherus, *quæ eſt ſpons Papiſtarum, qui iactãt: Laicos oportet nobis credere nõ ſibi ipſis? Quid hoc eſt dicere,niſi, fatemur quidem Chriſtianos habere Spiritum S. quo certiſsimè ſciunt, quid credendum ſit aut nõ ſit: Veruntamẽ quia Spiritus S. eſt nobis inferior,noſq; illo multo doctiores,ideo nobis debet*

A *ſubiici,& nos audire? Igitur ſeipſos voluerunt hac ratione Magiſtros facere,vt liceret docere quæcunq; liberet,dũ nullius iudicium oportuit formidare.Hoc obtento, nullius fuit negocij ſibi omnia vſurpare quæ Dei & hominum ſunt, ac planè Deos fieri. Nobis autẽ dictum eſt; Vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus, vos autẽ fratres eſtis, Ideo prorſus eiuſdem Iuris ſumus omnes.* (Ecce Lutherus omnes omnino Chriſtianos in diiudicãda doctrina decidẽdiſq; controuerſiis pares facit.) *neq; enim permittit fraternitatis nomen & cõmunio, vt alter altero ſuperior ſit, aut plus hæreditatis aut iuris habeat, præſertim in rebus ſpiritualibus,de quibus nunc agimus. Ideo officium iſtud iudicandi, ſicut & omnia alia prædicta,non modo recuperare nobis licet, ſed niſi recuperauerimus, Chriſtum fratrem abnegabimus. Neq; enim hic de libito aut licito, ſed*
B *de præcepto & neceſſario tractamus.*

En ex præcepto qlibet Chriſtianus eſt iudex religionis Chriſtianę;ergo eſt iudex & interpres ex officio; nã neceſsitas præcepti neceſsitatẽ officij arguit. Similia multa ex Luthero adferri poſſent; ſicut & Bellarm. hic illuſtrẽ locum adducit, quẽ agnoſcit Hunnius,& laudat;*cumq; Luthero ſuffragiũ noſtrum coniungentes dicimus,*inquit Prędicans: *Papa tu concluſiſti cum conciliis:nunc nos habemus iudicium,nũ acceptare velimus aut debeamus,nec ne. Quare?quia Papa non ſtabis pro nobis,nec reſpondebis pro nobis, quando moriendum nobis eſt Et falſam doctrinam nemo iudicare poteſt niſi ſpiritualis homo.Ideo res eſt inſana,quod Concilia cõcludere,& ſtatuere volunt,quid credendum ſit.Cum ſæpe nullus vir ſit ibi, qui diuinũ ſpiritum vel modicũ olfece-*
C *rit* Hæc viliſsimus Prædicans; qui ſi aliquid definiret vel decerneret;eiuſq; definitioni & decreto quiſpiã ſe opponeret, ſicut ipſe dicit Papæ & cõcilio repugnãdum eſſe; pœnas vtiq; dare, & poſt vincula variaſq; exagitationes ſolum vertere cogeretur. Qua de cauſſa? Quia Prædicantes, arrogantiſsimi ſupercilij beſtiæ, ſecum agi eo modo ferre nequeunt, quo ipſi cum Eccleſiæ Principibus agendum docent;& reipſa etiam agunt.

Quãta verò ſtultitia;vel potius veſania eſt,*imperitæ* plebi rerũ cæleſtium,etiã diuinitus *inſpiratæ* doctrinæ,iudiciũ ſupremum cõmittere: & quidem de paſtoribus & Doctoribus, vt cõmiſit Lutherus? *Et tamẽ neq; morbo laborans ſat ſcio,* inquit Galenus, *te ipſum vulgo cõmiſeris ſed ex omnib⁹, delectis*
D *paucis aliquot;atq; his quidẽ medicæ rei peritiſsimis: neq; nauigãs cuiuis è numero vectorũ, ſed vni videlicet gubernatori. Deniq; & in rebus minimis, ſi ædificas fabro credis, ſi calceamentis egeas, coriario, Qui fit igitur vt vbi,de rebus ſummis periculũ eſt,tibi vendices iudicandi poteſtatẽ adimẽs eam iis,qui plus ſapiunt,quã tu?* Hæc Galen. Quid dixiſſet; ſi leue & inconditũ vulgus vidiſſet à Luthero iudicẽ ſuorũ Doctorũ & Magiſt.conſtitui?

Lumine naturæ notũ eſt illud Ariſt.8. Polit. *ἓν πλῶν ἀδυνάτων ἢ χαλεπῶν ἐστι μὴ κοινωνήσαντας τῶν ἔργων, κριτὰς γενέσθαι σπουδαίους. Vnũ vel impoſsibilium,vel difficiliũ eſt, eos bonos & accuratos eſſe iudices,qui operis nullã habẽt notitiã.* Si hoc valet in his noſtris caducis,& nõ tantum perituris, ſed & quotidie pereuntibus; quanto magis valet in diuinis & cæleſtibus, quæ

Digitized by Google

non modo indoctæ multitudinis, sed & doctissimorum captum longè exsuperant?

Oportet, inquit S. Basilius epist. 75. ad Neocæsareanos, *vt eadem prope sint animi industria præditi, & qui aliorum scripta iudicaturus est, & qui illa conscripsit. An cum de agriculturæ operibus iudicare non poterit, qui non ipse est agricola: & qui Musices scientiam non tenet, nec consonantiam, nec dissonantiam in musicis rhythmis cognoscat: sermonũ iudex mox erit quicunq; volet: qui neq; præceptorem suum, neq; tempus, in quo didicerit, assignare valet: nec prorsus quidquã eorum quæ ad sermones iudicãdos attinent: siue multum, siue parum intelligit.* Vt taceã pessimos vulgi affectus; qui tenebras offundũt, ne verum cernatur. *nam & mel malè morbo quopiam affectis,* inquit S. Basilius loco citato, apparet gustui amarius propter corruptelam organi. *Quin & oculus vitiatus multa non videt eorum, quæ sunt, & multa suspicatur, quæ non sunt. Idem & in iudicanda sermonum virtute sæpenumero fieri video: quando eorum qui conscripserunt mentem habitumùe non assequitur iudex.*

Supradictam Lutheri de iudice & iudicandi potestate amẽtiam secuti sunt olim antiqui Prædicantes; & etiamnum sequuntur recentiores, fucatam tamen & coloratam verbis. Aiunt enim I. *Deum esse supremum iudicem controuersiarum & scripturæ summum interpretem:* Seu quod idem est, *Spiritum sanctum:* seu quod eòdem recidit; *Christum Dominum.* II. Interdum dicunt, *Deum seu Spiritum sanctum, vt loquitur per scripturam, esse summum iudicem ac interpretem.* III. Aliquando dicunt, *scripturam esse summum Interpretem & iudicem.* IV. *Sunt, qui & Ecclesiæ hanc auctoritatem deferant,* inter quos hic Iunius. V. Ne sui obliuiscantur Prædicantes, se quoque tacitè in horum iudicum cœtum insinuant: & tandem rudi quoq; popello stationem in hoc iudicio assignant: Postquam enim Prædicãtes iudicem visibilem controuersiarum de sua sede deturbare conati sunt; se ipsos *tacitè* substituere studuerunt: *tacitè,* inquam, ne fraus nimium aperta initio omnes abalienaret. Nunc, postquã vires acquisierunt & multis in locis, ita inualuerũt, vt omni timore soluti viuãt, machinamẽta sua dilucidius in lucẽ promũt, & produnt; & se etiã iudiciaria potestate præditos esse, clamitãt, tanquã Spiritus S. verbiq; diuini interpretes.

Quare, cùm Hunnius iudicem controuersiarũ distinxisset, in primarium, *Deum* videlicet; & in secundarium, *Verbum* scilicet *Dei*; haud potuit sui, & suorum symmystarum obliuisci, quo minus & sibi, suisq; in hoc iudiciario consessu subsellium aliquod assignaret. *Non negamus,* inquit, *illud iudicium de controuersis dogmatibus in scriptura quasi reconditum, beneficio doni interpretationis Doctorum* (Prædicantiũ) *erui:* (En quàm ingeniosè irrepũt in officium iudicis) *& in Ecclesia promulgari;* (ita vt sensus verbi Dei sit ille, quem Prædicantes volunt) *non, vt prætoria potestate,* (sed, *Prædicãtica,* quæ omni prætoria potestate violentior, & impotẽtior est) *sententias dictent; sed, vt officio fungãtur interpretum:* (quibus tamen, si quis obsequi nolit, exterminetur;

A &, aut in carcerem, aut in exilium mittatur) *Estq; donum hoc nec ad locum certum, nec ad Episcoporum successionem* (multò minus ad Prædicantes) *alligatum; multò minus alicui peculiariter, seu testamento, legatum. Sed, distribuit Spiritus sanctus hoc donum prout vult.* Vnde autem sciam, huic, vel illi Prædicanti scripturam mihi edisserenti, in distributione hoc donũ scripturas rectè & verè interpretandi obtigisse? Prædicans dicit; *sibi obtigisse.* Quid si mentiatur? Nam, *Spiritus sanctus distribuit, pro vt vult.* Quis ergò, me certum reddet, vtrum Hunnio hoc donũ largiri voluerit? Hunnius dicit; *sibi concessum esse.* Sed ego semper vereor, & meritissimò quidem, ne Hunnius impudenter mentiatur; cumq; Spiritus sanctus distribuat donum scripturas verè
B interpretandi *prout vult;* neque, vt Hunnius dicit, alicui, vel aliquibus, *quasi testamento leget;* semper vereor, ne hic, vel ille Prædicans à Spiritu sancto in distributione huius doni sit neglectus. Vnde ergò certus reddar? Num ex testimonio ipsius Prædicantis? At, quid agam? Prædicans non tantùm potest mentiri, sed & re ipsa mentitur. Qua ergò ratione me certum reddet?

Pergit Hunnius in suam, & Prædicantium gratiam; *Itaque cùm incidit controuersia, quæritur, quomodo ea in nostris Ecclesiis indicetur, cum non agnoscamus vnum aliquem visibilem iudicem, qui prætoria potestate, seu Tenedia bipenni; quæstiones decidat.* Qua, oro, potestate, & qua *bipenni,* nisi *Prædicantica;* quæ omni *Prætoria* potestate insolentior, & omni *Tenedia* bipenni in-
C tolerabilior est, decidit Hũnius quæstiones, quas cũ Huobero habuit? Quos aduocauit? Quis Huoberum expulit? Num Spiritus sanct*? Negat hoc Huoberus? Nũ verbũ Spiritus sancti? Negat hoc Huoberus. Nũ Hũnius *bipẽni Prædicãtica?* Affirmat Huoberus, & affirmabit vsq; ad tumulũ & orcũ.

Audiamus rursus Hunnium; *Nos vnum iudicem agnoscimus Deum.* (Non audet dicere visibilem in Prędicantibus, & in codice Bibliorum.) *Is Ecclesiæ suæ commendauit librum scripturæ Propheticæ, & Apostolicæ, tanquam indubitatum canonem faciendi iudicij.* Nunc attẽdamus, quàm scitè, & dextrè, se, & suos Prędicantes ad iudicialem thronũ eleuet. *Donum insuper contulit interpretationis, cuius adminiculo Doctores* (Prædicantes) *Ecclesiæ, scripturæ sensum eruere &*
D *iuxta scripturã, de mota quæstione iudicare debent.* Hoc scilicet restabat, vt Prædicantes in partem, & fortè iudicis Ecclesiastici venirent. *Hoc,* inquit Hunnius, *iudicat etiam Ecclesia,* (hoc est, Prædicãtes) *minimè certè muta:* (quia Prædicantes nõ sunt Mutij, sed Stentores;) *cuius iudicium non est absolutum;* (an non iudicium absolutum est, quod Huoberum ex Saxonia absolutè eiecit, & ante Huoberum tot Caluinistas?) *sed est determinatum valde;* quia *determinatè* dicitur; *aut Prædicanti huic, vel illi obtempera; aut hinc determinatè absq; mora migra:* Non datur tertium. Quid hoc iudicio magis determinatum? *Et est etiam iudicium hoc,* inquit Hunnius, *ad scripturæ canonem restrictum.* Quoad tamẽ, & quantum, & quomodo volunt valentiores Prædicantes; quo-

rum iudicium ad sacræ Scripturæ, Canonē ideo duntaxat alligatum est, ac restrictum, quia ipsi hoc affirmant. Si quis hoc neget; non aliter hoc probare possunt, nisi sua auctoritate, & testimonio.

Addit Hunnius; *Quando Doctores Ecclesiarū* (Prędicantes) *facta diligēti examinatione*, veram sententiam; (At cuius iudicio, nisi Prædicātium?) *ex diuinis literis commonstrarunt, reliqua Ecclesia de sententia lata itidem iudicat.* (Verùm, væ illi, qui contra Prędicantium sententiam iudicet. Experietur non *Pratores*, sed *Prædicantes*; nō *Prætoriam* potestatem, sed *Prædicanticam*; nō *Tenediam* bipennem, sed *Prædicanticam.*) *Et, vbi Ecclesia deprehendit sententiam illam scripturæ consentaneam*, inquit Hunnius, *amplectitur illam, reiecta opinione contraria.* Quid, si quis ex Ecclesia dicat; sententiam Prædicantium non esse consentaneam scripturæ; quid tum fit? Hoc nos his verbis docet Hunnius: *Magistratus piam* (Prædicantium) *sententiam salutaribus edictis defendit; & operam dat, vt veritas in populo suæ fidei commisso propagetur, exstirpatis, quoad fieri potest erroribus.* Et, vt hoc eò lenius, & suauius procedat, adhibetur *Prædicantium* impulsu, carcer: item mulctæ pecuniarię: Tandem, si spes nulla superſit, vt quis in Prædicantium sentētiam concedat, exilium aut mors decernitur. Tantùm abest; vt Prædicantes *Prætoria* potestate quidquam agant, aut controuersias *Tenedia* bipenni decidant.

Ab hac Hunnij stolliditate non longè abludit; quod hic tradit Iunius. *Iudicium esse duplex; priuatum & publicum: illud esse omnium fidelium vniuersè & singulariter; hoc eorum, qui vocatione publica & auctoritate fulciantur; hoc est, Prædicantium; esse item, aut particularis Ecclesiæ, aut plurium in vnum corpus coëuntium, aut omnium: & vtriusq; iudicij legem & canonem, esse scripturam sacram: auctorem verò & ducem esse Spiritum sanctum.* Vbi vides, omnia propemodum in hoc iudicio tribui Prędicantibus & ministris Lutheranis & Caluinianis. Quos isti in visibilis & immediati iudicis & interpretis nostri locum sufficiunt; cum tamē alioqui ad rauim vsq; clamitent, non homines, sed scripturas, vel Spiritum sanctum loquentem per scripturas, esse iudicem & interpretem illum, quē quærimus. Bene faciunt Prædicantes quod ad hoc dignitatis fastigium ipsimet sese euehunt. Quis illos tanto honore afficeret, si ipsi suimet obliuiscerentur? Quæro tamen vtrum isti iudices & interpretes possint fallere & falli? Si dicas: *posse falli & fallere; si à scriptura recedant: non posse falli & fallere; quandiu scripturæ adhærent:* tum iterum, quæro; num à scriptura possint recedere? Inuiti respondent Prædicantes ad hanc quæstionē. Placet tamen ingenuitas Georgij *Molitoris* seu *Mylij*, olim Augustani, nunc Saxonici pręconis; qui in disputatione de iudice controuersiarum palam fatetur, *Iudices & Interpretes istos Prædicanticos à scriptura, atque adeo à vero abire, & sic fallere & falli posse:* cuius confessioni perquam libenter subscribo; sed simul miror stultitiam

A Lutheranorum & Caluinianorum, qui Prædicantibus tam credulos sese exhibēt, vt quidquid illi verbum Dei esse clamant, id statim, tanquam Verbum Dei arripiant; cum vltrò fateantur, se errare posse, sæpiusq; in non leues errores incidere. Cur non quiuis audiens Prædicantem Verbum Dei insolenter iactantem, secum ita ratiocinetur? Quid si me deciperes? Quid si fallereris? Quid si mentireris? quia, tu ipse fateris, te mentiri posse. Si autem mentiaris, quorsum me conferam? Ad scripturam? Sed sic inextricabilem, & nunquam finiendum Labyrinthum ingrediar. Apud Pontificios, si me subordinatus, & subdelegatus iudex fallat, aut fallere tentet; recurrere licet ad alium, cuius auctoritas certa, ac infalli-
B bilis. Hîc, quid agam? quandoquidem omnes testantur, se mentiri posse, & de facto quoq; non rarò mentiri. Nam, si isti, quos video, mentiantur, quò postea eundum erit? Num ad alium, aliósue Prædicantes? Sed omnes sunt eiusdem speciei. Itaque si vni conueniet mentiri, conueniet & alteri.

In eo paritas omnium est maxima, (inquit de Prædicantibus Prædicans Mylius Thesi III.) *quod errare iudicando, errare interpretando omnes possunt, errantq; non rarò, aut leuiter:* hoc est, vt Thesin Prædicanticam clarioribus verbis interpretemur; non rarò mentiuntur, aut leuiter, & quidem omnes. quia, vt idem Prædicans ait: *nulla hîc disparitas est hac parte, nisi quatenus ex accidente quopiam, ætatis, eru-*
C *ditionis, experientiæ, loci, aut vitæ quidpiam differentiæ sese offert:* hoc est, omnes Prędicantes mentiri possunt æqualiter, nisi fortè alij aliis magis hanc artem norint, ratione eruditionis, aut loci, quem tenent; quia sunt *Superintēdentes*, aut *Professores primarij* in aliqua Lutherana Academia, sicut est iste. Cautè tamen sibi, suisq; Superintendentibus prouidit hac assertione Prædicans: nimis enim abiectum fuisset, si quemlibet ruralem Prædicantem, & agriculturæ, quàm scripturæ peritiorem; sibi etiam, quoad *accidentia*, æquiparasset.

Ne tamen Prædicans prætereat inconditam multitudinem, cui omnis Lutherana fabula seruit, eidem vnam, alterámue thesin dicauit; ni-
D mirum; *Omnes Christianos fideles esse controuersiarum de fidei dogmatibus iudices; sed priuatos: & hoc præcipere Christum; mandare Paulum; exigere Ioannem.* Debent ergò isti de Prædicantibus iudicium ferre, sed priuatim; hoc est, in ædibus suis. ita enim interpretandum videtur istud *priuatim*; non in templis, non in scholis; sed priuatim, domi suæ, intra domesticos parietes. Nec dubito, Lutheranum vulgus potestate iudiciaria à Prædicantibus sibi concessa, vti. Sed, quo minus promat publicè, obstat ipsa delatæ dignitatis nomenclatura. Iudices sunt, sed priuati. Itaq; nihil contra Prædicantes palàm moliri, aut iudicare audent; si fecerint, væ capitibus eorum. *Iudices isti aut in carcerem compinguntur, aut in exilium eiiciuntur.* Qua de

causa?

caussa? An non Prædicantes dant subditis iudicandi potestatem? Dant vtique; sed ita, vt & vtantur priuatim; hoc est, ne vllo indicio prodant, se diuersa à Prædicantibus sententia esse; hoc, si fecerint, nihil certius est, quàm fortunarum, & patriæ amittendæ periculum. Principibus tamen, quamuis Laicis, concedit Brentius citatus hic à Bellarmino publicam de doctrina Christiana potestatem.

Hæc sunt in æternum vera, inquit Hunnius, sed in schola Sectariorum, non in schola Christi, in qua semper doctum & traditum, auditumque est illud quod à Theodoro Studita, insigni auctore, scriptum est in epistola ad Leonem Sacellarium lib. 2. epist. 129. *De altero capite, quid dicemus, cum perspecta sint omnia prudenti; ac solerti menti tuæ? Eòdem nimirum tendebat Leonis Imperatoris conatus, vt nos cum heterodoxis sermonem conferremus, disceptante illo, atque in oppositum iudicante, vt arbitrabatur. Quin & eius* (Michaëlis Balbi) *qui nunc imperat, mens eadem fuit, cùm ante tres annos nobiscum coram egit: ita tamen, vt nequaquam iudicem se futurum diceret, sed hunc, at q; illum, ex iis scilicet, qui nobiscum eadem sentiebant. Sed neque nos, qui præsentes aderamus, neque inclytus Pontifex noster id tulit; quippe iniquum, & alienum. Non enim de rebus seculi, carnisq; sermo est, de quibus indicandi penes Imperatores potestas est, & iudicium seculare; sed de diuinis, ac cælestibus dogmatibus, quæ aliis commissa non sunt, quàm iis, quibus Deus Verbum dixit;* (*Matthæi 16.*) *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; &, quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Quinam autem hi sunt, quibus hoc iussum fuit? Apostoli, & eorum successores. Quinam porrò sunt successores? Qui Romanam nunc primam sedem tenet: qui Constantinopolitanam secundam; qui Alexandrinam, & Antiochenam, & qui Hierosolymitanam. Hæc quinquertex, hoc est, quinque Patriarcharum potestas Ecclesiæ; penes hos diuinorum dogmatum iudicium. Imperatorum verò, & præsidum est, opem ferre, & comprobare, quæ decreta sunt, & reconciliare, qui carnaliter dissident, ac discrepant. Haud aliud quidquam illis, de diuinis dogmatibus, neque à Deo traditum est; nec, si fiat, stabit.*

Vt igitur re paucis comprehensa verbis compendium fiat, dicimus, I. Laicis competere iudicium de fidei doctrina, sed priuatum; non ex officio; dependens ab Ecclesia eiusque doctoribus; non liberum, independens, & absolutum: qualia formare solent Nouatores huius temporis, qui iudicant, non vt discipuli; sed vt magistri; & plerunque, vt magistrorum magistri; & quodcunq; somniant, hoc, tanquam scripturę sensum, venditant. Neq; vllus est, qui Laicis huius generis iudicium, subiectum videlicet, & à maiorum auctoritate dependens, abiudicet, imò, quiuis, qui Catholicam religionem amplectitur, iudicat singula eius capita cum veritate consonare, aliàs potius dissentiret; quàm assentiretur; accuratius iudicium & discussionem subtiliorè doctoribus & pastoribus Ecclesiæ committit; qui nobis diuinitus dati sunt; vt doctrinâ suâ, velut

A anchora, nos firment, ne semper fluctuemus, & à quouis fanatici spiritus vento circumagitemur: quibus proinde mos fideliter gerendus est, ex illo Apostoli monito Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Qui sunt isti præpositi? *Qui vobis locuti sunt verbum*, inquit in eodem capite Apostolus, hoc est, Doctores & Pastores Ecclesiæ; qui Deo de grege bene vel malè pasto custoditoque rationem reddent. Nam quod Lutherus & alij clamant, *non Doctores, sed nos ipsos Deo de doctrina rationem reddituros; ac proinde necessarium esse*, vt nos ipsi doctrinam examinemus, neque in iudicio Doctorum adquiescamus; id nihil aliud, quàm vanissimus quidam fumus est: tan-
B tum enim abest, vt Deus quemquam in extremo illo die reprehensurus aut condemnaturus sit, quod Doctoribus & Pastoribus Ecclesię obtemperarit; vt potius seuerissimè omnes illos sit puniturus: qui iudicium suum iudicio Doctorum & Pastorum anteposuerunt.

Secundò dicimus quæstionum fidei Iudices ordinarios, & ex officio (quanquam non supremos, sed ad alterius superioris iudicis, aspectabilis in terris sententiam alligatos, ab eoque dependentes) esse Doctores & Pastores Ecclesiæ, etiam singulos; quia ipsorum est docere, pascere, regere & dirigere subditos: quod ipsa Doctoris & Pastoris vocabula apertè indicāt. Ex quo conficitur, eorundem munus hoc etiam exposcere;
C vt quæ salutaria, quæ verò noxia sint, diiudicent, & ad illa populum cohortentur, ab his verò auertant.

Tertiò dicimus, præter istos Iudices, debere esse in Ecclesia aliquem alium iudicem supremum visibilem, ordinarium, immediatum, aditu & auditu ab omnibus facilem; apertum, perspicuum, in definiendo falli & fallere nescium: hunc affirmamus esse Pontificem Romanum vel solum, vel cum Concilio. Et hanc Catholicam doctrinam nunc Bellarminus plurimis argumentis demonstrare ingreditur.

CAPVT IV.

D *Adferuntur testimonia ex Testamento veteri pro sententia Catholicorum.*

PRIMVM argumentum sumitur ex cap. 18. Exodi, vbi legimus Moysen tanquam principem & caput illius Ecclesiæ ad omnia dubia circa legē Domini exorta respōdisse; & quidem perspicuè ac euidenter, vt quæ eius sententia esset, indubitatò omnes intelligerent.

Respondet VVitackerus. *Moyses fuit Propheta singulari sapientia præditus, extraordinariis à Deo donis ornatus, diuinis etiam testimoniis populo commendatus & à*

Digitized by Google

Deo ipso ἀμέσως missus. Papa verò nihil tale habet. Si enim talis sit, ostendat nobis dona illa extraordinaria, quibus praditus est, & testimonia illa, quibus est à Deo Ecclesia commendatus, atque ita nobis fidem faciat. Dona extraordinaria Papæ ostendere, nil opus; quandoquidem non extraordinarius, sed ordinarius iudex est; qui successionis suæ seriem per sedecim fermè secula omnibus intueri volentibus exhibere potest. Voces autem, quibus populo Christiano commendatus est, alię non sunt, quam illę: Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum:* Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Luc. 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat, fides tua.* Nec quæritur, vtrum Moyses fuerit ordinarius vel extraordinarius rerum ad religionem pertinentium Iudex. Qualiscunq; fuerit, ab hoc Moysis & Iudaicæ synagogæ facto & exemplo, argumentamur ad statū Ecclesię nostrę. Nam si Deus in lege Mosaica controuersiarum ad religionem pertinentium constituit Iudices, visibiles, ordinarios, immediatos, qui adiri & audiri ab omnibus facilè possent; quorū sententia partibus perspicuè & euidenter innotesceret: omnino censeri non debet Ecclesiam sine huiusmodi iudicibus, atq; adeo quodam ipsorum etiam iudicū iudice reliquisse. Quæ enim caussa est cur tales iudices populo Israëlitico dederit, quàm vt pax & tranquillitas conseruaretur, lites exortæ quamprimum coërcerentur, turbatoresq; & malè feriata ingenia punirentur? Cur hoc præsidio orbasset Deus iam Ecclesiam sanguine filij sui constitutā? An nullæ sunt fueruntúe controuersiæ? An Deus ipse immediatè, absq; vllius iudicis ministerio, hoc munere fungitur? At contrarium nobis euidenter constat; Deum scilicet lites & contentiones, quotquot hactenus in Ecclesia enatas nouimus, non per se *immediatè*; sed per ministros & iudices Ecclesiæ, præsertim per summum, composuisse & sustulisse: vt enim olim præter inferiores iudices in quæstionibus fidei & religionis, erat vnus summus, reliquorū caput, ita & illud ipsum in Ecclesia Christi, ordinis conseruandi, & pacis tuendæ gratia fieri debuit; olimq; futurum esse; in veteri illa, tanquam in figura nouę, adumbratum, & præsignificatum fuit.

Secundò respondet VVitackerus. *Fateor in quauis Repub. iudices esse debere, qui lites inter homines ortas dirimant, & earum finem faciant, licet non tanta auctoritate, quanta Moses. fateor etiam in singulis particularibus Ecclesiis ministros esse oportere, qui scripturas populo interpretentur, & de voluntate Dei quærentibus respondeant: sed à singulis Ecclesiis ad totam vniuersalem Ecclesiam non valet argumentum.* Cur non valet argumentum? quandoquidē tota Ecclesia est quasi vna domus; vno ergo communi patrefamilias eget. Tota est, quasi vnum corpus, vno ergo eget capite visibili; at hoc nihil est aliud, quàm iudex iste vniuersalis, immediatus & visibilis, quem quærimus, & ab istorum blasphemiis asserimus.

Caussa, cur argumentum à particularibus Ecclesiis ad vniuersalem non valeat, ista redditur à

A VVitackero, *quia tum etiam posset quis ex hoc loco concludere, debere esse inter omnes Christianos vnum summū politicum iudicem (quia Moses in Rep. Israëlitica talis fuit) qui singula disceptet, quæ in controuersiam vocantur. At ne ipsi quidem Papistæ hoc postulant.* Hæc causa futilis est; quia in politica gubernatione, non est tanta vnitas & coniunctio, quanta in spirituali & Ecclesiastica: neque enim omnia regna & principatus vnum regnum constituunt. Neque omnes Respublicæ sunt membra vnius cuiusdam communis Reipublicæ; sicut omnes particulares Ecclesiæ sunt partes vnius totius & vniuersalis Ecclesiæ.

Tertiò respondet VVitackerus: *Oportere hoc Aaroni potius, quàm Moysi tribui, idq; ob duas caussas. Primò,* B *quia Aaron fuit ordinarius Sacerdos, cui successum est, non Moses, cuius extraordinarium munus fuit. Mosi enim in suo munere nemo successit. At Sacerdotes multi, qui post Aaronem certa successione primum locum in illa Ecclesia tenuerunt, homines impij fuerunt & Idololatræ, vt ex sacris literis abunde constat.* Respondeo, Non aduertit VVitackerus, rem eodem redire; siue hoc iudicandi officium tribuatur Moysi, siue Aaroni. Semper namq; nostrum argumentum recurret. Si enim Deus in veteri Ecclesia voluit communem controuersiarum iudicem esse, siue is fuerit Moyses, siue Aaron; siue successores Aaronis, siue Moysis, incredibile prorsus est, similem iudicem in Ecclesia Christiana, tam longè lateq; diffusa, non fuisse institutum & constitutum. Deinde licet Moysis munus fuerit extraordinarium ratione successionis; C ordinarium tamen in se & ratione ipsius functionis fuit. Nec obstat quod multi postea ex successoribus Aaronis fuêre scelerati, & idololatræ; quia officium hoc non pendet à moribus; nam & Caiphas, quamuis pessimus; verus Pontifex fuit. Adde, quod nonnulli fuerunt idololatræ; non definiendo ex cathedra, neque enim talem monstrare possunt Prædicantes; sed priuato errore vel potius scelere.

Secunda VVitackeri caussa. *Quia Moyses non fuit Sacerdos post legem latam, & consecratum atque vnctum Aaronem, nec sacerdotio functus omnino est, sed Propheta tantum fuit, ergo illi non est tribuendum hoc iudicium, quod ipsi voluit Sacerdoti tantum conuenire.* Respon- D deo, licet hoc ita esset; quid caussam VVitackeri iuuaret? si sacerdos non fuit; vel saltem sacerdotalia munia post consecratum & vnctum Aaronē non exercuit, at exercuit antea; & inter cætera etiam actus iudiciales circa fidei & religionis capita & dogmata. Deinde dico, falsum esse, quod VVitackerus asserit: licet enim Moyses instituto Aaronico sacerdotio iamq; promulgato, sancitisque legalibus ritibus ac ceremoniis, publica sacrificia perficienda Aaroni, & filiis reliquerit; primas tamen in his, quæ religionem concernebant, ipse semper tenuit. Quare similiter, vt antea, exortis quæstionibus & dubitationib⁹, semper ad Moysen, velut ad interpretem & iudicem, ibatur.

Digitized by Google

Quod Moyses & Aaron Psal.98. numerantur inter sacerdotes: Respondet VVitackerus, *vel Hebreum vocabulum significare viros primarios populi vt 2. Sam.8.18. vbi Dauidis filij dicuntur fuisse Cohenim. Et Samuel non fuit Sacerdos, nec natus in familia sacerdotali. vt in 1. Chronicorum 6.27. videmus. At contra*, inquit Bellarminus, *quia si hoc loco viri primarij dicerentur Sacerdotes, etiam Samuel, qui erat vir primarius, fuisset vocatus Sacerdos. Quod tamen non fecit Dauid, qui sciebat, Samuelem non fuisse Sacerdotem, sed iudicem tantum: non enim descendit ex familia Aaron, sed Core consobrini eius. 2. Paralip 6.* Addit VVitackerus. *Moysen dici sacerdotem quia fuerat Sacerdos ante consecratum Aaronem, nam postea desiit sacerdos esse, & Propheta tantum, ac Magistratus fuit.* Scilicet post consecratum & vnctum Aaronem Moyses *degradatus* fuit, & de pristinæ dignitatis loco deturbatus.

Ait Bellarminus, *Moysen fuisse Sacerdotem extraordinarium, & maiorem Aarone.* Et hoc illustrat exemplo: Sicut in nouo Testamento, inquit, Apostoli omnes non quidem maiores, nec omnino pares, sed tamen aliquo modo æquales Petro erant in Ecclesiastica potestate, vt Cyprianus docet in tractatu de simplicitate Prælatorum: cum hoc tamen discrimine, quod Petrus ordinarius erat pastor totius Ecclesiæ, cui soli succedi debebat, reliqui extraordinarij, quibus non erat in illa potestate succedendum. *Hoc planè stupidum commentum est*, vociferatur VVitackerus. *Quis enim diceret Petrum fuisse ordinarium pastorem, reliquos verò extraordinarios, cum omnes eandem vocationem, & idem mandatum à Deo acceperint, vt patet Matth.28?* At nisi VVitackeri cerebrum stupore perculsum fuisset, nunquam Bellarmini dictum stupidis commentis accensuisset. Non enim negat Bellarminus, Apostolos fuisse ordinarios Pastores, respectu vocationis & muneris; sed negat fuisse ordinarios ratione successionis; quia nemo illis in amplitudine potestatis Apostolicæ, successurus erat. *At Episcopi dicuntur successores Apostolorum.* Omnino in munere Episcopali Apostolorum successores sunt, at non in amplitudine, aut magnitudine Episcopalis muneris; nam Apostolis in totum orbem potestas fuerat data; Episcopis iam in certam duntaxat diœcesin Ecclesiastica potestas conceditur. Et hoc volunt sancti Patres, quādo Episcopos Apostolorum successores nominant.

Si illa Iesuitæ similitudo valet, inquit VVitackerus, *cur non vt Moses superior fuit Aarone, quia ille extraordinarius erat Sacerdos, hic ordinarius, sic & reliqui Apostoli sint Petro superiores, cum hic ordinarius Pastor fuerit, illi extraordinarij?* Cauillatur Caluinista. non enim ideo Moyses sumus fuit Sacerdos & Maior Aarone, quia extraordinarius fuit ratione successionis; sed quia absolutè à Deo ipsi etiam Aaroni prælatus, & toti illi populo præfectus fuit. Ex quo euanescit VVitackeri cauillatio; quæ fortè locum habuisset; si ob extraordinarium sacerdotium præcisè, Moyses Aarone maior fuisset. Itaque si Caluinista Apostolos cæteros supra Petrum euehere contendit; opus erit, vt omisso sacerdotio extraordinario ratione successionis in amplitudine potestatis Apostolicæ, demonstret reliquos Apostolos D. Petro à Christo fuisse antepositos: & S. Petrum ab his in omnibus dependisse, sicut dependit Aaron à Moyse.

Quod Hæreticus dicit, *extraordinaria esse ordinariis semper maiora*: id forsan suis auditoribus persuadebit; nobis nō facile fidem faciet. Quod est enim maius in Academiis; (lubet namque Academici professoris inscitiam Academico exemplo refellere) esse professorem ordinarium vel extraordinarium? Si extraordinaria maiora sunt, mirum, Caluinistam ab ordinaria professione in Academia Cantabrigiensi non descendisse ad extraordinariam, à minore videlicet ad maiorem. Neque verò ita argumentatur Bellarminus. *Moyses fuit extraordinarius sacerdos ratione successionis; ergo maior Aarone.* Sed ait, fuisse Maiorem Aarone; quod expressè ex scriptura colligitur, quamuis in extraordinario, ratione successionis, sacerdotio.

Quartò respondet VVitackerus. *Si auctoritas Mosis extraordinaria fuit, certè non trahi potest ad ordinariam aliquam huiusmodi authoritatem stabiliendam, qualis illa est quam Papistæ defendunt.* Extraordinaria fuit ratione successionis, quia Moysi non est successum, extraordinaria non fuit, sed ordinaria ratione functionis, quia semper in Ecclesia erat mansura; non quidem in posteris Moysis, sed Aaronis. Hinc non iniuria ab illa auctoritate ad nostram argumentum ducimus.

Quintò respondet VVitackerus. *Fieri potest, vt Moyses hac in re personam Christi gesserit, atque eius typus fuerit, qui summus iudex est omnium controuersiarum. Iam verò typi omnes sublati sunt, & tritum est illud, à typis non valere argumentum.* Moyses non tantū Christi, sed & visibilis nostri iudicis typum & figuram gessit: nam vt ibi litibus componendis necessarius erat Iudex visibilis ordinarius & immediatus, sic & in Ecclesia Christiana talis Iudex necessarius est, & eo magis, quò plures & grauiores quæstiones in populo Christiano, quàm in Hebræo semper extiterunt. Et cuius est illud dictū; *à typis*, hoc est, *à figuris antiqui testamenti non valere argumentum?* Scilicet à sacerdotio Melchisedecis, qui typum Christi Sacerdotis gessit; & à manna Hebræis cælitus subministrato, nefas erit, argumentum ad Sacerdotium Christianum & ad Eucharistiæ mysterium petere. Neque aliter typi iam sublati sunt; quàm quia nihil eorum quæ in Ecclesia Christiana nunc geruntur, vmbra & figura est aliquorum in alia huius vitæ Ecclesia aliquando gerendorum; sicut illa veteris Testamenti typus & figura erant eorum, quæ in Christiana Ecclesia labentibus annis gerenda erant.

Sextò respondet VVitackerus. *Si Moyses fuit summus Iudex. & Sacerdos maior Aarone, tum duo indices fuerunt, & duo etiam summi Sacerdotes in illo populo.*

lo. (Esto, nihil hic absurditatis video) *imò sacerdos aliquis fuit summo Sacerdote maior, quod fieri nullo modo potest.* Fuit maior Sacerdote summo; non simpliciter summo, sed summo cum respectu ad alios, quibus sua ex familia descendentibus præerat. Sic & Apostoli fuerunt summi Sacerdotes, respectu eorum, qui tantum Sacerdotes erant, & respectu etiam Episcoporum, quibus tanta potestatis plenitudo non est concessa; quanta pollebant Apostoli; & tamen his summis sacerdotibus fuit maior, nempe D. Petrus.

Savvbrandus hic antiquum obtinet, & deliros, quos comminiscitur syllogismos Bellarmino affingit. Ex quibus iste agmen ducit lib. 6. de Princip. cap. 2. *Quidquid fecit Moyses in Ecclesia Iudaica, hoc etiam Papa facere debet in Ecclesia Christiana; Sed Moses in Ecclesia Iudaica indicauit omnes causas. Ergo Papæ interpretatio in Ecclesia Christiana est sensus Spiritus sancti.* Respondet Caluinista, *aliud esse in conclusione; quàm in præmissis: Quæstionem enim esse, an Papæ interpretatio sit verus scripturæ sensus. Huius neque subiectum, neq; prædicatum in præmissis reperiri.* Vehemēter, vt antea, ita & nunc de integro dubito & hæreo, num Savvbrandus sit integri cerebri; aut enim prorsus excordem, aut extremè flagitiosum esse oportet, quando audet palam Bellarmino eos syllogismos tribuere; de quibus ipse neque vigilans, neque somnians quidquam vnquam cogitauit: & qui etiam ex dictis Bellarmini nunquam colligi queunt nisi vel à stupidissimo vel à malitiosissimo. Quis tam plumbeus est, qui non videat & formam & materiam propositi syllogismi esse pessimam & teterrimam? Quis falsitatem Maioris non è vestigio odoratur; vel imposturam, qua Bellarmino affingitur, non derepente olfacit, cum nihil stultius excogitari queat, quàm omnia illa, quæ Moyses fecit, à Papa itidem facienda esse? Nemo adeo insanit, vt insanus Caluinista mentitur: qui multa à Moyse facta commemorat, quæ à Papa nec fiant, nec fieri queant. Quo fine hæc commemorat, nisi vt imperitis oculos perstringat: vtque habeat, quod cauilletur & mentiatur, & vt sua phantasmata in suo cerebro exstructa destruat.

Discursus Bellarmini & Catholicorum est iste Deus dedit Ecclesiæ Israëliticæ, postquam ad quandam Ecclesiasticæ Reipublicæ formam redigi cœpit, controuersiarum ad religionem pertinentium supremum iudicem, cuius sententia ab omnibus audiri & euidenter intelligi posset; ergo credendum est, similem quoque iudicem Ecclesiæ Christianæ diuinitus datum esse, cum eadem, (si non multo maior) sit huius iudicis necessitas in Ecclesia Christiana, quæ erat in illa Hebræa.

At Moyses fuit Propheta, clamat Sibrandus, & post illum Hunnius. *Papa non est Propheta.* Quid officium Prophetæ ad officium Iudicis controuersiarum? quasi verò nemo possit esse controuersiarum fidei iudex, nisi sit Propheta. Etiam Prædi-

A cantes seipsos constituunt controuersiarum iudices, & scripturæ interpretes, quamuis *secundarios*, vt supra Hunnius nobis exposuit. An ideo Prędicantes Prophetis annumerabimus? Non fit similis noster Iudex in dono prophetię, quo claruit Moyses; futura non tantum præuidens, sed & prædicens; at similis est in officio iudicandi, & ea, quæ ad religionem pertinent, clarè ac dilucidè populo sibi commisso exponendi.

Videamus cæteras Savvbrandi & Hunnij nugas. I. *Moyses fuit extraordinarius, & eius officium fuit extraordinarium. Papa autem est ordinarius, & eius officium est ordinarium. Non igitur Papa & Moses habent idem officium.* Respondeo, Moysen fuisse extraordinarium iudicem ratione successionis, non ratione ipsius muneris, quo fungebatur. Sic enim, tanquam ordinarius iudex, iudicabat, & caussas ad religionem spectantes, cognoscebat. At Papa ratione muneris, & successionis ordinarius est, sicut postea in eadem Republica summus sacerdos, ex stirpe Aaronica, ratione functionis & successionis ordinarius erat, prout nunc est noster supremus Pontifex. Itaq; dissimilitudo tantum est in successione; non in ipso munere. Et quamuis Moysi non sit successum, successum est tamen Aaroni; qui & ipse, vt summus sacerdos, hoc iudicandi munere functus est, vt & posteri eius summi sacerdotes. Si igitur illa in Ecclesia erant controuersiarum fidei iudices sibi perpetua serie succedentes; vt litibus exortis finem imponerent; plusquam mirum foret, si re tam necessaria Deus Christianam Ecclesiam carere voluisset.

II. *Si omnia, quæ in Iudaica Ecclesia facta sunt, debent fieri in Ecclesia Christiana, tum omnes ciuiles lites ab vno ciuili Magistratu determinari debent. Nam ita factum est apud Iudæos per Mosem, sed hoc apud Christianos fieri non debet, Ergo neque omnes Ecclesiasticæ caussæ ab vno determinari debent.* Respondeo, Maiorem & sequelam eius esse Savvbrandicam futilem & inanem. Quis dicit, omnia in Ecclesia Christiana esse facienda, quę facta fuère in Ecclesia Hebræa? Num caro circumcidenda, quia in illa prisca Ecclesia circumcisa fuit? Deinde negamus ideo omnes ciuiles caussas ab vno supremo iudice iudicandas esse, si omnes caussę fidei ab vno supremo iudice diiudicentur; quia, vt supra aduersus VVitackerianas nugas diximus, omnia regna huius mundi non sunt vnum regnum, neq; vnum corpus; sicut omnes Ecclesiæ particulares sunt & constituunt vnum corpus, vno capite præditum.

III. *Moyses habuit expressum mandatum de eo Exod. 3. vers 7. Ostendat Papa Romanus expressum mandatum.* Facile est ostendere Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Luc. 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Annon satis mandati Sibrande? Neq; enim hæc mandata soli Petro, sed & successoribus tradita sunt.

Digitized by Google

IV. Obiectio Hunnij. *Moyses fuit illustribus ac planè diuinis miraculis, tanquam cælestibus sigillis & testimoniis à Deo commendatus populo, & indubia eius authoritas sancita: quod de Pontifice prædicari nequit.* Respondeo, si cathedra Petri omnibus aliis signis & miraculis destitueretur, an non sat miraculi foret, quòd per sedecim propemodum sæcula tot inter procellas & hæreticorum validissimos insultus & assultus inconcussa perseuerat, & de omnibus sectariis, quamlibet potentissimis, gloriosè tandem triumphat? Deinde, Pontifex eiusque potestas commendata est populo Christiano grauissima Christi voce, quæ nobis est loco omnium miraculorum, vt taceam plurimos Pontifices, miraculis patratis clarissimos & illustrissimos in hac cathedra sedisse, eique signis & prodigiis auctoritatem conciliasse. Cum autem Prædicans in Moyse hæc miracula vocationis adstruendæ instrumenta & testimonia adeo prædicet, qui fit, quod Saxones non similia miracula petiuerunt à Luthero; quando se à Deo missum iactitauit, vt Christianos ex AEgypto & tenebris AEgyptiacis educeret in terram promissionis, & in lucidissimam & planè admirabilem veritatis lucem? Quid signi edidit, quo verbis suis fidem faceret?

V. *Mosi loquebatur Dominus*, inquit Hunnius, *de facie ad faciem priuilegio planè peculiari, & ne quidem sanctissimis Prophetis cõmuni, teste ipso Domino Num. 12. Papæ nõ ita loquitur Deus.* ergo, &c. Nec, vt arbitror, Deus facie ad faciem cum Prædicantibus loquitur, & tamen inter controuersiarum iudices iam sibi subsellia concedi postulant, etsi non expressè inter summates; sed tacitè. Quasi verò singularis illa gratia, quæ Moysi speciatim obtigit, sit conditio ad iudicis officium sic necessaria; vt absque illa nemo hoc iudicandi munus, ritè ac legitimè obire queat.

VI. *Moses in caussis religionem attinentibus pronunciabat non ex suo quodam priuato spiritu & libitu citra Verbum Dei, sicut Romanus facit Pontifex, sed ex Dei verbo ad ipsum facto, quod postea, Domino iubente, scripto complexus est, hac ipsa nimirum de caussa, ne posterioribus ætatibus Israëliticus populus subinde è cælo responsa expectaret, sed ad doctrinam Mosis scriptam, velut indubitatam normam, certissimumq; tribunal remitteretur, nimirum ad legem, & ad testimonium. Esa. 8.* Etiam noster Iudex in caussis fidei nõ fingit decisiones ex suo cerebro, vt mentiuntur cerebrosi Prædicantes; sed eas ex assistentia Spiritus sancti depromit conuenienter verbo Dei tam scripto, quàm non scripto; & Ecclesiasticæ traditionis Canoni consentaneè. Cupio autem, vt Prædicans probet; Moysen, omnia responsa, quæ populo pro tribunali dedit, litteris consignasse; & quidem eo fine, ne postea populus necesse haberet, adire iudicem, si quæ dubitatio exsisteret; hoc enim intelligere videtur Prædicans, cum ait; *noluisse Moysen, vt populus è cælo responsa exspectaret.* Quasi verò, qui legis diuinæ declarationem, verumque intellectum à iudice quærit, responsum è cælo exspectet. Non è cælo immediatè responsum exspectat, sed à iudice, quem coram adit, videt, audit; nam quod ait Prædicans, *populum remitti ad legem & ad testimonium*; id non ignoramus, sed quid si quæstio de ipsa lege & testimonio eiusque sensu enascatur? Quorsum tunc ibimus?

VII. *Non negamus*, inquit Hunnius, *sub Mose constitutum tribunal à quo caussarum omnium Religionis legitima peteretur decisio. Id tribunal Saluator cathedram Mosis nominat. Matth. 23.* Fatetur ergo Prædicans & Moysen fuisse controuersiarum iudicem, & cathedram Mosaicam fuisse constitutam, è qua responsa darentur, litesque exortæ deciderentur. Si talis cathedra erat in Synagoga; quis neget similem iudiciariam auctoritatem exstare in Ecclesia Christiana? Neque id inficiatur simpliciter Prædicans; tametsi virus hæreticum his verbis aperit. *Sicut, qui in cathedra succedebant Moysi, in eaq; sedebant, errare poterant (nisi fortè Iesuita Pharisæos & scribas, quos Dominus dicit in cathedra Mosis sedere Matth. 23. non errasse pronunciat) & propterea non simpliciter, & citra vllam disquisitionem eis fides habenda erat, sed solummodo, in quantum illi sedebant in Mosis cathedra, id est, quoad doctrinam Mosaicam ex scriptis eius sonabant: ita quoq; iudicio sedentium in cathedra Petri non simpliciter acquiescendum est, sed eatenus duntaxat, quatenus & in quantum Apostoli Petri doctrinam proponunt.* Sed nos negamus fieri potuisse, vt qui in cathedra Moysis sedebant, aliam, quàm Moysis doctrinam, hoc est, veram & sanam inde traderent; quod contra huius Prædicantis imperitiã copiosè ostendimus in responso ad Theses Hunnianas cum aliis argumentis, tum præcipuè D. Augustini testimoniis. Multò magis abnuimus iam quempiam in D. Petri cathedra sedentem, & aliquid inde tradentem, totique Ecclesiæ proponentẽ: à vero excidere posse; quandoquidem clara est illa Christi promissio; qua Petro pollicitus est; fore, *vt fides eius nunquam deficiat.* At Prædicantes strophas istas excogitant; vt quæcunq; definitiones ab Ecclesiastico controuersiarum interprete dentur; semper pateat euadendi rima; dum in quæstionem vertunt, num ex cathedra Petri ipsam doctrinam Petri, an aliam tradiderit; & si minus arrideat; statim exclamare possint; *doctrinam hanc non esse recipiendam, vtpote ex cathedra Petri non profectam, cum Petri atque adeo ipsi cælesti doctrinæ aduersetur.* Sic isti iudicum iudices, & doctorum doctores, censorumque legitimorum censores illegitimi atque adeo iniustissimi fiunt. Quid emolumenti cathedra Moysis Synagogæ attulisset; vel cathedra Petri Ecclesiæ Christianæ, si non fuisset & etiamnum esset, ita comparata, vt etiam mali cogerentur & cogantur inde dicere bona; absque vllo subditorum periculo, vel timore, ne fortè obtemperando eorum definitionibus & decretis, in errorem laberentur, vel hoc etiam tempore laban-

Digitized by Google

tur, quia semper potuisset quis esse sollicitus, ne forte ab illis in Cathedra Moysis vel Petri sedentibus non instructus, sed deceptus & in errorem inductus abiret.

Non placet Hunnio, quod Bellarminus vocat Moysen Sacerdotem extraordinarium, ratione videlicet successionis. *Hoc si verum est*, inquit, *collapsa igitur sit oportet Cathedra eius in morte ipsius. At hanc ad vsq; Christi tempora durasse, & in ea successisse qui tenerent illam, testis & author est Christus ipse loco ante citato Matth. 23.* Non sequitur, ô Prædicans; sed tantum hoc, potestatem iudicandi de doctrina transiisse à Moyse non ad Moysis posteros, sed ad Aaronem eiusque posteros; & dictam esse cathedram Moysis, à primo auctore & institutore, licet reuera non in Moysis, sed in Aaronis posteritate resideret. Neque Sacerdotes illi censebantur successisse Moysi; sed Aaroni, quandoquidem Deus voluit, vt Sacerdotium per lineam ab Aarone deductam continuaretur, & propagaretur, non per illam, quæ à Moyse descendebat.

Obiicit Prædicans. *Pontifex veteris testamenti fuit typus Christi non Petri, multò minus Papæ.* At velis nolis Petri quoque & successorum Petri typus fuit. Omnia enim in figura contingebant illis, teste Apostolo, hoc est, omnia, quæ in illo populo gerebantur; significabant ea, quæ aliquando in Ecclesia Christiana gerenda erant. Vt igitur in illo populo vnus erat summus Sacerdos, princeps omnium; & controuersiarum fidei iudex ac disceptator, ita in nostra Ecclesia vnum Sacerdotem summum omniumque principem, & controuersiarum fidei iudicem futurum esse præmonstrabatur, & præsignificabatur.

Sed en consecutiones Hunnianas. *Hieremias Propheta opposuit se Sacerdotibus & Sacerdotum principibus; ergo falsum est, quod Bellarminus affirmat, simpliciter standum fuisse iudicio Pontificis in veteri testamento. Christus non stetit iudicio Pontificum ordinaria successione gaudentium; iterum ergo falsum est, quod Bellarminus scribit.* His argumentatiunculis nihil deest, quàm quod Prædicans non ostendit, Hieremiam & Christum Dominum opposuisse se Sacerdotibus ex cathedra Moysis docentibus; non autem priuatam suam doctrinam priuatim venditantibus, aliisque oggerentibus: vt taceam, istos non tam in doctrina, quam in moribus & vita ab Hieremia & Christo reprehensos. Quod enim Christus neque cathedram Moysis, neque in hac cathedra sedentes repudiarit, liquidò cõstat ex illa Christi ad turbas & discipulos suos cohortatione, Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.*

Eiusdem notæ est hæc Prædicantis næniola. *Summi Sacerdotes antiqui testamenti errarunt aliquan-*

A *do in ipsa doctrina, vel idolomaniam introducendo, vel errores manifestos defensando & veritatem condemnando: ergo errare poterant quatenus etiam ex Moysis cathedra docebant.* Sæpè ab hoc Prædicante postulatum est, vt adferret alicuius Pontificis exemplum, qui ex cathedra errorem docuerit & definierit, populoque ex auctoritate illa publica amplectendum obtruserit. Hoc dum non præstat, laterem lauat, & verba frustrà fundit: Nam quidquid vel scelerum vel errorum commiserunt; id priuatum & personale fuit; nullo pacto ex publica docendi auctoritate promanans.

Non placet Prædicanti, quod S. Cyprianus Ecclesiam super Petrum ædificatam pronunciat.
B *Nimis fragile, inquit, & ruinosum fuisset Ecclesiæ fundamentum.* Imò firmissimum & penitus inconcussum fundamentum. Nam quod tu illud quassare & labefactare conaris ex historia passionis Dominicæ; nugas agis. Qualiscunque enim ea negatio Petri fuerit; siue ex ore tantum; vt credibile est, siue ex ore simul & pectore processerit; non præualuerunt portæ inferi aduersus eam, quandoquidem Christus nondum super Petrum seu Petram, Ecclesiam ædificarat; ædificaturus demum post resurrectionẽ suam; quando Petro absolutè dictum est; *Pasce oues meas.* Hinc Matth. 16. non dixit: *Super hanc Petram ædificaui*, sed; *ædificabo Ecclesiam meam.*

C *Non est peculiaris aliqua cathedra assignanda Petro*, inquit Prædicans, *quæ non pari planè modo atque gradu sit cathedra Pauli, & reliquorum Apostolorum.* Hæc quidem futilis effutit Prædicans, sed absque probatione: si fidem nobis facere velit, demonstrandum erit, easdem prærogatiuas, quæ Petro, concessas fuisse Apostolis, eorumque singulis successoribus. Certè nulli Apostolorum facta sunt amplissima illa promissa: nisi soli Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; Et, tibi dabo claues regni cælorum; & quodcunque solueris*, &c. Quæ omnia plenissimam Ecclesiæ administrandæ, regendæ, & tam in doctrina, quàm in moribus dirigendæ Petro & succes-
D soribus eius potestatem & facultatem concessam significant. Quam potestatem metaphorico *cathedræ Petri* vocabulo indicare solemus. Ostendat similem cathedram, pro Paulo, Iacobo, Andrea, vel alio Apostolo à Christo exstructam; in qua non solum ipsi; sed & successores eorum perpetuò sedeant.

Quod Prædicans dicit: *in cathedra Moysis sedisse omnes illos, qui Moysis doctrinam sonabant, & nunc in cathedra Petri*, (quam Prædicans potius *cathedram Christi* appellandam censet) *sedere omnes illos, qui doctrinam Apostolicam tradunt & docent*; id tanquam *Prædicantium* commentum explodatur; nam cathedra Moysis ius & potestatẽ infallibiliter interpretandi, definiendi, decidendi &

deter-

Digitized by Google

determinandi in fidei quæstionibus significat. Num hoc ius omnibus doctrinam Moysis profitentibus olim competebat? Num competit hodie omnibus doctrinam Christi complectentibus? Nihil minus. Non ergo omnes in cathedra Petri sedent; quandoquidem non omnes hoc iure & hac controuersias fidei diiudicandi potestate præditi sunt.

Reliqua, quæ Prædicans hic attingit de paritate Apostolorum, alio spectant. Pares fuerunt, quatenus omnes potestatem suam à Christo acceperunt; & quidem in vniuersum mundum; Impares fuerunt; quatenus solus Petrus peculiari modo fundamentum, dux & caput Ecclesiæ constitutus est; & quidem cum Priuilegio successionis; quod aliis Apostolis non est concessum quoad potestatis amplitudinem, in qua eis nemo succedit; vt supra dictum; & suo loco copiosius explicabitur.

Reuertamur ad Savvbrandum; qui postquam Bellarmini argumentum variè, quanquam ineptè, vellicauerat, hoc demum responsum promit. *Si Moses ratione officij iudicauit omnes lites Ecclesiasticas, hoc fecit vel respectu Regni, vel Prophetiæ, vel Sacerdotij. At non fecit respectu regni; iudicare enim caussas Ecclesiasticas non pertinet ad Regem. neq; respectu Prophetiæ. Aaron enim. & eius successores id etiam fecerunt, nec tamen fuerunt Prophetæ. Ergo si fecit, fecit ratione Sacerdotij. Volunt enim hoc supremum iudicium pertinere ad Sacerdotem.* Omnino caussas ad religionem pertinentes iudicauit Moyses, vt Sacerdos, & quidem summus. *At Moyses non fuit Sacerdos*, inquit Savvbrandus, *Aaron enim erat Sacerdos.* Audio quid dicas; non video, quid probes. Initio enim egressionis ex Ægypto solus Moyses summus Pontifex & controuersiarum iudex in illo populo fuerat; vt patet ex lib. Exodi, maximè cap. 18. postea mandauit Dominus Moysi, vt Aaronem fratrem cum filiis suis Sacerdotio initiaret, vt legimus cap. 28.

Ad locum illum Psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius*. respondet Savvbrandus, *vocem Cohen apud Hebræos esse æquiuocam.* At hoc ipsum monuit & annotauit Bellarminus, sed quæ nam hæc consequentia? Vox illa alibi locorum significat *proceres & viros primarios*, vt 2. Reg. 8. ergo etiam hoc Psalmi loco non significat propriè Sacerdotem; sed viros primarios; nam si hic viri primarij dicerentur Sacerdotes, etiam Samuel, qui erat vir primarius, fuisset vocatus Sacerdos, inquit Bellarminus, quod tamen non fecit Dauid, qui sciebat Samuelem non fuisse Sacerdotem, sed iudicem tantùm; non enim descendit ex familia Aaron, sed Core, consobrini eius. 1. Paralip. 6. hinc dixit: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius; & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Quid, quòd ipsemet Sectarij, Iunius, Tremmelius, Castalio, loco vocabuli *Cohen* in hoc Psalmo, ponunt vocabulum *Sacerdos*; quamuis Iunius versionem bonam hac mala expositione contaminet. *Dauid hos non dicit fuisse Sacerdotes, sed hos in Sacerdotibus, id est, inter Sacerdotes, vel Sacerdotibus iunctos, inclamauisse Iehouam, atq; exauditos esse.* Sed cum ipsemet Iunius fateatur, Moysen fuisse Sacerdotem; neque vllus de Aarone id inficiari queat, caussæ nihil suppetit, cur Iunianam deprauationem potius, quàm explanationem Psalmistæ recipiamus. præsertim cum Hebraismus ille; *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius*; nihil aliud significet, quàm hoc: Moyses & Aaron Sacerdotes eius; Et Moysen fuisse Sacerdotem docent præter auctores à Bellarmino citatos, ipsimet Rabbini, vt R. Ionathan. R. Iose. R. Iosua. R. Berechia, & ab Abben Ezra vocatur *Sacerdos Sacerdotum* vt notat Genebrardus in Psal. 98. quibus omnibus contradicit Savvbrandus, cum abnuit, Moysen fuisse Sacerdotem, neque his tantum; sed & symmystis suis Caluinistis VVitackero & Iunio, & sibimetipsi. nam paulò post dicit *fatemur Mosen fuisse Sacerdotem.*

Moysen propriè & verè fuisse Sacerdotem probat Bellarminus ex lib. Exod. 28. & 29. vbi Moyses exercet omnia munera sacerdotalia. Siquidem sacrificat, docet, consecrat vestes, & quod maius est, Pontificem & Sacerdotes inungit, & initiat. Quocirca Mosen propriè Sacerdotem fuisse docent omnes veteres, &c. Obiicit Savvbrandus. *Si omnes sunt Sacerdotes*, qui talia agunt. *tum Samuel etiam Sacerdos est. Docuit enim. Hoc ita manifestum est, vt probatione non sit opus. Vnxit Dauidem in Regem 1. Sam. 16. v. 13. Et sacrificauit 1. Sam. 16. v. 2. Et tamen Samuel non fuit Sacerdos.* Samuelem non fuisse Sacerdotem existimat Bellarminus; tametsi non desunt, quibus contrarium persuasum sit, etiam ex veterum numero, vt patet apud Franciscum Bozium lib. 5. de temporali Ecclesiæ Monarchia, cap. 17. At sequendo opinionem Bellarmini; negamus id quod Caluinista vult, confici; nam ea, quæ Samuel gessit, extraordinariè, & quasi ex peculiari commissione Dei gessit; quo pacto Elias Propheta lib. 3. Reg. cap. 17. sacrificauit; quem tamen certum est, non fuisse Sacerdotem. Nam, vt rectè docet Genebrardus in Psal. 98. *In tribu Leui, quatuor erant stirpes, quarum sola Aaronia erat Sacerdotalis. Aaronica, Caathitica, Meraritica, & Gersonitica. Etsi enim Aaronitæ essent Caathitæ, siue de stirpe Caath, vnius è tribus filiis Leui, tamen quia Caathitæ per lineam duntaxat Aaronis erant Sacerdotes, per alias, vt per lineam Choræ, de qua fuit Samuel, simplices Leuitæ, partem per se quartam constituunt, & à Caathitis separantur. Non ergo fuit Sacerdos, nisi fortasse per quandam dispensationem ad tempus, secundum quam per sese holocausta obtulit. 1 Reg. 7. vers. 9. benedixit hostiæ ibid. cap. 9. vers. 13. tulit lenticulam olei & in Regem vnxit Saulem cap. 10. vers. 1. vt Abben Ezra notat Exod. 30. vers. 34. Quod facile concedet cui venerit in mentem Gedeonem idem præstitisse quantum ad holocausta, qui tamen erat de tribu Manasse, vt idem ibidem censet. Iud. 6. v. 19. 20.* Hæc Genebrardus. Similia Abulensis in cap. 1. lib. 1. Reg. q. 1.

Obiicit Sibrandus. *In veteri testamento, vno & eodem tempore non erant plures summi Sacerdotes, legitime electi quam vnus, erat enim typus Christi. Ab eo igitur tempore quo Aaron summus Sacerdos creatus erat, Moses summus Sacerdos esse non potuit.* Assertionem video; sed probatione destitutam, nam tempore Christi Annas & Caiphas duo summi erant Pontifices, & Dauid 1. Paralip. 24. constituit summũ Sacerdotem Sadoc de filiis Eleazari; & Ahimelech de filiis Ithamar. Dices. Non functos esse simul summo Sacerdotio; sed alternatim. Quid tum? Interim vterq; appellabatur summus Sacerdos. Et quamuis Moyses fratrem filiosq; fratris instituisset Sacerdotes, ipse tamen semper adhuc primas in populo tenebat tam in spiritualibus, quã in temporalibus; omnesque grauiores quæstiones ad ipsum deferebantur, etiam postquam Aaronem instituerat Sacerdotem, vt patet ex pentateucho, in quo semper tamquam præceptor & instructor, Moyses describitur.

Danæus circa hoc argumentum totus paralogismis immersus est. Dicit, *Bellarminum ex facto & re extraordinaria rem ordinariam colligere; Moysis enim administrationem, ius & auctoritatem fuisse planè extraordinariam, sicut est Deut. 34. vers. 10. & in persona ipsius exstinctam & finitam fuisse. Primum itaq; paralogismum in hoc argumento esse, ignorationem elenchi, quod fiat migratio à genere ad genus.* Danæus, veteri more, mentitur & calumniatur. Nam potestas dirimendi & diiudicandi quæstiones fidei Moysi concessa, non fuit in se extraordinaria; sed valde ordinaria; neque cum Moyse exstincta; sed & ad posteros, Sacerdotes nimirum Aaronicos, & summos Pontifices transmissa: quia talis auctoritas semper erat in populo Dei necessaria: Neque Moysis duntaxat tempore; sed & singulis ætatibus quæstiones exoritura erant, quæ publica auctoritate terminari & definiri debebant. Et cum hęc potestas Moysis, quemadmodum & Sacerdotium eius, extraordinariis annumeratur, id aliam ob caussam non fit; nisi quia Moysi in hac potestate, vt & in toto Sacerdotio, non est successum per posteros Moysis, sed soli Aaroni per posteros eius; quibus Moyses totum ius & Sacerdotium suum transcripsit, & quodammodo transfudit.

Quod Deut. 34. dicitur: *Et non surrexit vltra Propheta in Israël sicut Moyses*; id non significat, nullum amplius exstitisse diuinæ voluntatis interpretem, & quæstionum de fide iudicem; sed non surrexisse talem; quem Deus tantis donis cumularit; & tanta quasi familiaritate, dignatus fuerit: hoc enim indicant illa verba: *Quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis atq; portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæq; terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaq; mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israël.* Abeat igitur & valeat Danæus cum sua ignoratione Elenchi, & cum paralogismis à *non consequente*; & à *non caussa*; quos à Bellarmino in hoc primo argumento commissos fabulatur. Quid Danæo superesset, si hæc ei adimerentur spicula; quæ ferè sola vibrat, etiam tunc quando grauissimæ Bellarmini argumentationes disiiciendæ sunt: quæ tamen cuiuis, quantumuis imperitissimo nebuloni, prompta sunt ac procliuia. Quid facilius, quam dicere? *Est paralogismus à non caussa. Papa non est Moyses. Moyses & Papa magno discrimine distant. Moyses fuit Propheta; Papa non est Propheta*; & huius farinæ alia, stultæ mentis & fatuæ linguæ plana testimonia.

Concludo defensionem primi huius argumenti verbis, quæ legimus Exod. 18. *Altera die sedit Moyses, vt iudicaret populum* (erat ergo iudex) *qui assistebat Moysi à manè vsq; ad vesperam.* En copiam litium & litigantium. A prima luce vsque ad extremam, perpetuò erant, quibus ius dicere, & reddere oportebat. *Quod cum vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in populo* (iudicando) *ait: quid est quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsq; ad vesperam? Cui respondit Moyses: Venit ad me populus quærens sententiam Dei.* (erat igitur etiam iudex Ecclesiasticus in sententia Dei populo explicanda occupatus.) *Cumq; acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicẽ inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius.* En functionem iudicis pulcherrimè à Moyse depictam & descriptam. nam vt Aristoteles quoque quinto Ethicorum præclarè scripsit. *Cum aliqua de re ambigunt ac controuersantur, ad iudicem confugiunt.* Cum videret Iethro, Moysen tantis laboribus sustinendis parem non esse: & populum nimis diu distineri ac extrahi propter multitudinem eorũ, qui indies ius sibi dici postulabant: hoc ei consilium suggessit. *Esto tu populo in his quæ ad* DEVM *pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasq; populo cæremonias, & ritum colendi, viamq; per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.* Quid hæc verba aliud sibi volunt, quàm Moysen, fuisse iudicem Ecclesiasticum controuersiarum de Religione & cultu. Neque enim functio huiusmodi iudicis clarius & luculentius describi potuit, quam supradictis verbis.

Addebat Iethro. *Prouide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios & decanos, qui iudicent populum omni tempore; quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent; leuiusq; sit tibi, partito in alios onere. Si hoc feceris implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare, & omnis his populus reuertetur ad loca sua cum pace. Quibus auditis*, inquit scriptura, *Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.* Vbi elegantissimè series iudicum sibi mutuo subiunctorũ & subordinatorũ quæ tunc in illo populo erat, & in Ecclesia Christiana aliquãdo futura erat, exprimitur; omniũq; oculis spectãda subiicitur. Oportebat scilicet vt *partito* in alios iudicãdi *onere* essent *tribuni, quinquagenarij, decani*, hoc est, pastores & doctores, qui potestate à

supre-

supremo iudice accepta, faciliora tantummodo iudicarent. & hęc ipsa etiam, non nisi dependenter à supremo iudice. & quidquid *grauius* occurreret; ad Moysen, hoc est, ad supremum iudicem referrent.

Obiiciunt hæretici. *Moysen in his quæ ad Deum pertinebant, non fuisse absolutum iudicem*; si per absolutum iudicem intelligunt iudicem à Deo non dependentẽ, fatemur non fuisse absolutũ iudicem: quia in iudiciaria sententia ferenda pendebat à Deo: Si per absolutum iudicem intelligunt eum, qui in foro Ecclesiastico à nullius alterius hominis arbitrio dependebat; negamus, Moysen non fuisse absolutũ iudicem (qua sola notione & ratione appellamus nos iudicẽ nostrum *absolutum*.) A B quo enim hominum Moyses in sententia iudiciaria dependebat in illo suo foro? Num à iudicandis? Num à partibus litigantibus? Num à controuersantibus? Minimè verò: tum enim litigantes non fuissent tam iudicandi, quam iudicis iudices. Quis credat, vllum, nisi seditiosum & sceleratum nostrorumq; hæreticorum typum & prodromũ contradixisse, vel ausum cõtradicere Moysi, si quid ex iudiciali suo solio definiuisset, eaque, qua pollebat, authoritate, monstrasset, hac & non alia via incedendum: hoc & nõ aliud sentiendum esse? An tu putas Israëlitas, morem sectariorum imitatos, dixisse? Moyses vt iudex hoc quidem definiuit; amplectendumq; propostuit, sed examinandum est, num diuinæ voluntati cõgruat: quia etsi nondum scriptum est, aliquando tamen scribetur: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ergo etiam hanc iudicis nostri sententiam examinare, & ad trutinam reuocare debemus. Qualis hæc fuisset politia? Qualis gubernatio? Vel potius qualis vniuersę laudabiliter constitutæ gubernationis euersio?

Secundum argumentum pro iudice controuersiarum visibili, immediato, ordinario & infallibili sumitur ex cap. 17. Deut. *Si difficile atq; ambiguum apud te iudicium perspexeris,* &c. Ex quo loco videmus, dubitantes non remitti ad spiritum suum, sed ad iudicem viuum, hoc est, Sacerdotem summum. Respondet VVitackerus, quasi in antecessum. *Malitiosè hoc à Iesuita dictum est, nos scilicet homines de re aliqua dubitantes, ad priuatos suos spiritus remittere. Nos enim non ad priuatũ suum spiritum quenquam remittimus, sed ad ipsam scripturam, & ad spiritum Dei clarè in scripturis loquentem.* Ita quidem dicitis; sed sub his tam speciosis verbis, si quis omnia diligenter excutiat, nullum alium, quàm Lutheri, aut Caluini, aut alterius Prædicantis spiritum reperiet; qui vtique priuatus est; & quotiescunque aliquis fidei & assensus & omnium, vt sic dicam, *phalerarum* vestrarum resolutionem instituere incipit, tandem in spiritum priuatum, tanquam in extremum terminum, desinit.

Vt distinctè respondeam, dico primo, inquit VVitackerus, *præceptum illud fuisse conditionale, quod patet ex ipsis verbis, iussi sunt enim, qui summum illum iudicem adierunt, facere secundum illud, quod is eos ex præscripto legis doceret. Iubentur ergo omnes decreto iudicis obtemperare, sed cum hac conditione, si is secundum legem Dei iudicet, id est, hanc esse Dei voluntatem ex lege ostendat. Hoc nos quoq; libenter concedimus, Sacerdotem ac ministrum quemuis, nedum solum Pontificem audiendum esse, quoties secundum legem iudicabit.* Ita olim quoque soluere conatus est hoc argumentum Brentius; citatus hic à Bellarmino; & post illum Savvbrandus, Hunnius, Iunius, & alij Prædicantes communiter. Respondet Bellarminus. I. verba illa: *& docuerint te iuxta legem eius*, non haberi nisi in editione vulgata; quam isti nihili pendunt. Occurrunt Prædicantes; *Satis esse, quod in editione vulgata exstent; cum ea à Tridentina Synodo, tanquam authentica, declarata fuerit.* Nemo nostrum negat, verba illa, vt recta & Spiritus sancti menti consentanea, recipienda & veneranda esse. Tantum dicimus, caussæ nihil suppetere, cur ea adeo vrgeantur à Prædicantibus, cum non inueniantur, nisi in illa editione, quam ipsi multis mendis atque erroribus scatere prędicant.

Secundò respondent VVitackerus, Savvbrandus, Hunnius, Iunius, prædicta verba apertè haberi in libris Hebraicis: Hunnius more suo in hæc conuicia erupit. *Meretricis frontem habet Bellarminus, qui tam clara mendacia scribere non erubescit.* Verum non iniuriâ dubites, an non meretrice progenitus sit, qui hæc meretricia conuicia C euomit. Certum est, in Hebraico textu verba illa non haberi, ita, vt conditionem seu hypotheticum sensum sonare ac præ se ferre videantur; prout in Latina vulgata editione, conditionem sonare videntur, si non attentè; sed obiter solùm & quasi in transcursu inspiciantur: Et hoc solum voluit Bellarminus.

Patet hoc ex ipsis sectariorum versionibus. Sic enim hunc locum reddiderunt Iunius & Tremmelius. *Deinde facies ex præstituto illius sententiæ, quam indicauerint tibi* (*vbi noster: & facies, quodcunq; dixerint*) *ex præstituto legis, quam docuerint te, & secundum iudicium illud, quod dixerint tibi, facito.* (Noster, *& docuerint te iuxta legem eius.* Quæ Iunij versio multo magis absolutũ sensum præ- D fert, quàm nostra. qui etiam notat v. 10. & 11. Hebraicè ad verbum legi. *Secundum os legis illius*; vbi ipse cum suo symmysta vertit: *ex præstituto illius sententiæ*; & *ex præstituto legis.*

Castalionis versio sic habet. *Vos autem iis, quæ illi in loco à Ioua Deo vestro electo decreuerint, paretote, & curatote, vt omnia quibus vos instruxerint, exequamini, vtq; ex præscripto legis, qua vos instituerint, exq; sententia quam dixerint, ita faciatis, vt ab eo quod vobis statuerint, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram deflectatis.*

Tigurini. *Obserua, vt facias secundum omnia, quæ te docuerint. Iuxta legem, quam tibi præscribent, & iuxta sententiam, quam dicent tibi, ages.* Vbi vides, illud *iuxta legem* ab istis, non cum antecedentibus, vt in

nostra editione, sed cum consequentibus iungi. In eandem ferme sententiam vertit Pagninus; quem citat Hunnius. Arias verò in Bibliis Regiis ad hunc modum. *Et facies super os verbi, quod annunciabunt tibi è loco ipso, quem elegerit Dominus, & custodies faciendo iuxta omnia, quæ docebunt te super os legis, quam te docebunt, & super iudicium, quod dicent tibi, facies: non declinabis à verbo, quod annunciabunt tibi*, &c. Ex quibus omnibus elucescit, verum esse, quod Bellarminus dixit; verba illa; *& docuerint te iuxta legem eius*; cum hac hypothetica, vt apparet, emphasi, non nisi in vulgata editione haberi; quia in Hebræo ad verbum expresso non exstat; vt constat ex versione Montani.

Deinde Prædicantes quasi pro concesso sumunt, vocem *legis*, significare hoc loco legem Mosaicam, vel sacram scripturam: cum tamen omnes circumstantiæ clamare videantur nomine *legis* intelligi debere ipsam sententiam iudicis. Nam illud: *Et facies super os verbi, quod annunciabunt tibi.* Et illud, quod sequitur: *Super os legis, quam te docebunt, & super iudicium, quod dicent tibi, facies*: sunt synonyma; sicut ergo illud, *super os verbi*; significat sententiam iudicis; ita & vox *legis*. Hinc & Iunius transtulit: *Facies ex præstituto illius sententiæ.* Nec refert, quod posteriore loco est; *super os legis.* nam & illa iudicis sententia definitiua lex quædam est, particularis, sequenda & amplectenda à Iudice. Et omnia illa: *Super os verbi; super os legis; super iudicium*; nihil aliud volunt, quàm iudici illi accuratissimè & examussim obtemperandum esse; & ab ore legis seu sententiæ illius, ne latum quidem culmum recedendum; quod etiam indicant illa verba: *non declinabis à verbo, quod annunciabunt tibi, ad dextram vel sinistram.* Quanquam nō contendo quo minus vox legis accipiatur pro lege Moysis seu scriptura; nihil enim aliud inde sequitur, quam sententiam iudicis illius debuisse cōformem legi. Quod adeo verum est, vt non potuerit non conformis esse legi.

Prædicantes, nominatim Hunnius, aliud effugium quærunt; nam prædicto loco Deuteronomij, *tantum de caussis forensibus & ciuilibus, deq; inspectione lepræ agi comminiscuntur.* Quod commentum multis modis refellere licet. I. Quia generatim dicit *inter caussam & caussam*; nimirum, qualiscunque illa sit, de qua controuersia existat. Caussa autem non significat *determinatè* forense genus caussæ, sed & Ecclesiasticum, & fidem & cultum spectans.

II. Quia verba illa; *facies quodcunq; dixerint* &c. etiam decisiones rerum ad religionem pertinentium comprehendunt. *Facies quodcunq; dixerint*; in quacunq; materia siue forensi, siue Ecclesiastica.

III. Quia non tantùm ambiguitates, difficultates, & lites oriri poterant de causis externis & ciuilibus, vt de *lepra & sanguine*; verumetiam (& quidem multo magis) de Ecclesiasticis, & ad fidem cultumque pertinentibus. Oportuit igitur & horum aliquem iudicem & definitorē constitui, qui controuersias tales cognosceret ac decideret. Vtrum enim cognitu & diiudicatu facilius & procliuius est, lepra ista corporalis, an difficultas aliqua de reconditis diuinæ religionis mysteriis? Si ergo pro facilioribus illis iudex datus est; cur non & pro magis arduis?

IV. Etiam septuaginta interpretes, consentiente Hebraico textu, eo vocabulo vsi sunt, quod quamuis difficultatem, & dubitationem comprehendit: sic enim verterunt. ἐὰν δὲ *ἀδυνατήσῃ ἀπὸ σοῦ ῥῆμα ἐν κρίσει ἀναμέσον αἷμα, αἵματος, καὶ ἀναμέσον κρίσις κρίσεως, καὶ ἀναμέσον ἁφὴ ἁφῆς, καὶ ἀναμέσον ἀντιλογία ἀντιλογίας. ῥήματα κρίσεως ἐν ταῖς πόλεσιν ὑμῶν &c. Si autem impoßibile sit verbum à te in iudicio inter sanguinem & sanguinem, & inter iudicium & iudicium, & inter lepram & lepram, & inter controuersiam & controuersiam, verba iudicij in vrbibus vestris*, &c. Vbi *κρίσις* & *ἀντιλογία* quoduis iudicium, & quamuis contradictionem seu controuersiam in quacunq; materia denotant.

V. Constat ex aliis sacræ scripturæ locis fuisse rerum Ecclesiasticarum apud Israëlitas iudices, & inter hos vnum primum & præcipuum, & cæterorū præsidem. liquet hoc potissimum ex 2. Paralip. cap. 19. vbi de Rege Iosaphat. *In Hierusalem quoq;* (in loco scilicet illo, quem Dominus elegerat) *constituit Dominus Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israël, vt iudicium & caussam domini iudicarent habitatoribus eius.* Quod hoc iudiciū, quæ hæc *caussa domini*, nisi dubitationes, difficultates, & controuersiæ de rebus diuinis, vt paulò post sacra scriptura his verbis indicat? *Omnem caussam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis inter cognationē & cognationem, vbicunq; quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus, ostendite eis vt non peccent in dominum, & ne veniat ira super vos & super fratres vestros.* An non videmus hic manifestè iudices controuersiarum ad fidem & cultum diuinum pertinentium, quos Iosaphat procul dubio ex pręcepto illo in Deuteronomio diuinitus per Mosen dato instituit? Addit sacra scriptura *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Ecce supremū in cōtrouersiis ad fidem pertinentibus decidendis iudicem, & aliorum omnium præsidem.

Ex hoc ergo loco clarissimum ac planissimum fit, illum Deuteronomij etiam ad caussas & controuersias fidei pertinere, quidquid Prædicantes ex odio iudicis Ecclesiastici cōtrà blaterent. Qui & hæc verba stultè vrgent. *Et iudiciū inter portas tuas videris verba variari*: quasi inter portas aliarum ciuitatum tantum causæ forenses, & ad politicos iudices pertinentes cognitæ ac diiudicatæ fuerint; quas cum diiudicare iudices illi inter portas non potuerint; necesse fuerit deferre ad Sacerdotes Leuitici generis, eo in loco morantes, quem Dominus electurus erat. Sed hoc inane est; neq; enim in aliis ciuitatib⁹ soli politici iudices, sed & Sacerdotes, Leuitici generis iudicabāt,

eorum

eorū.n. notio ꝓpriè erat *de lepra*. Ait ergo, si ambiguitas & difficultas de lepra internoscenda inciderit, eamq; iudices in tua ciuitate, hoc est, Sacerdotes expedire nequerint, (neq; .n. Hierosolymis tantum Sacerdotes Leuitici generis degebant) ascende & confer te ad locū, quē Dominus præ cæteris elegit, ibiq; dubitationis tuæ, & difficultatis solutionē inuenies. Sicut ergo lepra à iudicibus, hoc est, à Sacerdotib⁹ inter portas sedētibus diiudicari interdū poterat; & quando non poterat, ad superiores iudices referebatur; ita idē de quacunq; alia cōtrouersia, de lege, de mādato, de cæremoniis, deq; cultu euenire poterat.

VI. Quidqd Prædicantes caussentur ac tergiuersentur, semꝑ tamē clarissimū euadit locū istū ad Ecclesiasticas quoq; lites ac contētiones ptinere; nā in plerisq; controuersiis agebatur de intelligentia legis Mosaicæ; & sacræ scripturæ; hæc enim Hebræis simul etiam ius quasi ciuile erat; si igitur vel de possessionib⁹ distrahendis vel comparādis, vel de hoc, illóue crimine puniendo; vel de matrimonio iungēdo, vel de lepra, vel de alia re quapiam controuersia oriebatur, id fiebat, qa sententia legis non ita plana & pspicua erat, qd in hoc vel illo casu agi deberet: aut si pspicua esset, partiū studio in diuersa rapiebatur, vt quotidie fieri solet. Adibantur ergo tunc Iudices, & si illi inferiores litē cōponere nō possent; ad supremū ibatur, & quid ex præscripto legis facto opus esset, exqrebatur; ita oēs cōtrouersiæ, quāuis prima facie solū apparerēt forēses & politicæ, tandē in quæstionē de vero legis intellectu desinebant, & sic ad Ecclesiasticū Iudicē directè pertinebant; vt taceam, illas controuersias quæ de sensu legis immediatè exsistere poterāt; & de facto etiā exsistebāt; quarum notio pcipuè iudicis huius erat.

VII. Prædicantiū vanitati oppono aliū Prædicantē, cuius auctoritas forsan potior illis erit, q̄ oēs aliæ rationes & ꝓbationes. Audiant ergo Iuniū in hāc suā versionē: *Si occulta tibi res erit in iudicio ferēdo inter cadē & cadē, inter litem & litē; aut inter plagā & plagā, &c.* sic cōmentātē: *Cades politica sunt, & ad iudicū cognitionē pertinēt, plagarū discrimen ad cognitionē Sacerdotū: litiū verò aliæ publicæ, aliæ Ecclesiasticæ, cuiusmodi sunt quæ aut ꝑpter conscientiā magis instituta sunt, vt Zelotypiæ & consimiles, aut quæ ciuili iudicū cognitione peruestigari nō possunt; sed ꝑpter rei ꝓbationumq; incertitudinē permittuntur eorum conscientiæ.* Vbi apertè fatetur Iunius locum hunc etiam Ecclesiasticas lites & quæstiones complecti. Hactenus de prima Bellarmini responsione.

Secundò Respondet Bellarminus, verba illa: *Et docuerint te iuxta legē eius*, non sonare conditionē, sed assertionē & ꝓmisionē; nā si conditionē significarent, tum non tam Iudices fuissent iudicandorum iudices; quàm iudicandi, iudices iudicum: ꝑpetuo enim vociferari potuissent cum nostris Nouatoribus: *Hæc iudiciaria sentētia minimè cū lege consonat. Quocirca non est amplectenda.* Atq; etiā dubij ac ꝑplexi à iudicib⁹ abiissent, ac antea

A fuerant. Nā semꝑ cogitare potuissent. *Forsan errarunt isti iudices. Forsan me, quamuis nolentes, deceperunt. Forsan in errorē induxerunt, legis sentētiam non assecuti.* Idē pars parti potuisset obtrudere, & sic litibus nec modū nec finē ponere. Pars.n. dānata dixisset: *Quid mirū me caussa cecidisse, & te superiorē euasisse? Non iudicarunt isti Iudices iuxta, sed contra legem.* Ergo illud, *iuxta legē*; non sonat conditionē, sed ꝓmissionē: vt rectissimè dixit Bellarminus: non.n. sensus est conditionalis: morē geres: *Si te docuerint iuxta legē*; quasi euenire queat, vt non doceant iuxta legē: Sed *facies quodcunq; dixerint, & docuerint te iuxta legē* quia nihil tibi dicēt, nisi *iuxta legē*. Quēadmodū si qs viuente S. Paulo dixisset; facies quodcunq; dixerit, & docuerit te iuxta legē Christi; is
B minime significasset, fieri posse, vt S. Paulus aliqd contra legē Christi aut doceret aut diceret, ac proinde, dicta illius & doctrinā longo primùm examine pensi tandē esse, vtrū legi Christi concinant; sed absolutè pronunciasset, S. Paulū audiri debere, absq; vlteriore inquisitione; eò q̄ qdqd diceret, aut doceret, id *iuxta legem* Christi diceret ac doceret. Eundē sensum significamus quando dicimus. Faciendū esse qdqd Spiritus S. *iuxta legē* nos docet. Nū sensus huius locutionis est, *Spiritū S.* non *iuxta* sed *contra legem* dicere & facere posse?

Ita illā particulā; *iuxta legē*; interpretandā esse, patet ex pœna in præfractos & cōtumaces adiūctā; quæ alia nō est, q̄ pœna mortis. Neq; enim dicit scriptura, post latā sentētiam à iudice; ius, fasque esse multū disquirere & disceptare de veri-
C tate, & æquitate sententiæ, deq; eius cū lege conuenientia, sed ait; *Sequeris sententiam eorū, nec declinabis ad dexterā, neq; ad sinistrā.* Mirū, Deum non dixisse, vt Prædicantes dicunt: *Examinabis diligenter iudicū illorū sententiam, nū congruat cū verbo Dei: & si in phantasia tua deprehēderis non congruere cum verbo Dei, iudicio saltē tuo; tūc morē nō geres, sed toto pectore refragaberis.* Nihil simile in scriptura apparet: quæ etiam adiungit. *Qui aūt superbierit* (quæ maior superbia, q̄ supremi & à Deo instituti iudicis sentētiam, ad examen ꝓprij cerebri vocare) *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tēpore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille*; licet millies clamet ac reclamet; sententia Sacerdotis aberrat à lege.
D Nequeo amplecti, saluā cōscientia. *Morietur homo ille*, qsqs in hunc modū sꝑbierit ac insanierit: & loci huius, optimus, opinor, interpres est Christ⁹ Dominus, qui Matth. 23. de his ipsis iudicibus, & de hac iudiciaria auctoritate & potestate agens, hæc ꝓtulit: *super cathedrā Moysi sederūt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite: secundū opera verò eorum nolite facere Dicunt enim & non faciunt.* Omnia inqt Christus, *facite*, quæcunq; ex cathedra illa vobis tradunt, ex qua etiam malis non nisi bona loqui possunt, vt sæpe S. Augustinus explicat, cuius multa testimonia produximus in Responso Hunniano.

Quid Prædicantes? VVitackerus: *Remittuntur ad sacerdotem, non nisi in ambiguis dubiisq; causis, & eius*

A *iudicio stare iubentur. Quidnum simpliciter, quamcumq́ tandem sententiam tulerit?* Omnino: quia non feret ex cathedra illa, in qua sedet; aliam, quàm iustam, & diuinis legibus consonam: *Tantam potestatem*, inquit Caluinista, *nunquam Deus homini cuiquam tribuit.* Negat hoc ille, qui ex Cathedra Moysis docentes audiendos esse monuit, quidquid inde docerent, quia certum erat, etiam malos, non nisi bona in loco illo tradituros esse.

Addit: *Hūc sacerdotem nominatim ad legem astrinxit, ne extra legem verbum faceret, aut aliquid respondere.* Non nego, adstrinxit Deus hunc iudicem, ne quid extra legem pronunciaret; quod contra legem foret. Num propterea contra legem sententiam dicere & docere potuit? Etiam D. Paulum adstrinxit Deus, vt nihil *extra*, hoc est, *contra*
B doctrinam Christi doceret; Num propterea discutiemus multumque examinabimus, num ea, quæ D. Paulus docuit, cum doctrina Christi & lege Dei consonent? Quærit Caluinista. *Num debebant homines sacerdotis iudicio stare non docentis secundum legem?* Non debebant; sed negamus fieri potuisse, vt sacerdos ille aliquid contra legem Dei doceret: hoc ipso enim, quod supremi Iudicis officio fungebatur, & ex auctoritate diuinitus sibi tradita lites definiebat & decidebat; certi erant homines, illum non contrà, sed secundum legem & mentem Dei pronunciare. Quapropter statim adquiescere debebant, absque vllo vlteriore examine, & quidem sub periculo
C mortis: cuius pœnæ æquitas non apparet, nisi huiusmodi iudicis iudicium absolutum, certum, & infallibile fuisset: quod veritatis vi coactus ipse tandem Caluinista aliquo modo agnoscere videtur his verbis: *Pondus magnum iudicij fuit in Sacerdote, & quod ille semel statuisset, id ratum in externo foro fuit, vt hoc modo controuersia litesq́ tollerentur.* Si quod sacerdos iudicarat, ratum fuit in foro externo, non ergo licebat Sacerdotis sententiam in foro externo in dubium vocare; aut num legi concineret, scrupulosius examinare: supponebatur igitur tanquam certum, sententiam prolatam cum lege concordare; alioqui in foro externo rata non fuisset, quia Israëlitæ in foro externo nullam sententiam ratam habebant, nisi quam diuinæ legi conformem credebant.

D Obiicit VVitackerus: *Si sacerdoti facta est promissio talis, tum etiam ad iudicem politicum eadem pertinet, quia is cum sacerdote coniungitur. atq; ita nec politicus etiam iudex in rebus politicis errare potest; quod Papistæ (opinor) non concedent.* Negamus hoc sequi; quia Iudex, cuius hic mentio, Ecclesiasticus est; vtpote summus sacerdos, non politicus: *Hoc falsum esse*, inquit VVitackerus, *patet ex ipso contextu. Loquitur enim Moses illic de controuersiis inter caedem & caedem, inter causam & causam, quæ sunt lites forenses ac politicæ, ergo loquitur de politico iudice.* Respondeo, verbis illis; *inter sanguinem & sanguinem*; & aliis, significari quidem etiam lites forenses; sed tamen eius generis, quæ semper legem Dei tangebant, & ex ea definiendæ & terminandæ erant; vnde simpliciter ad sacerdotem summum, tanquam ad supremum legis diuinæ Interpretem, pertinebant: sicut iam omnes ciuiles caussæ ex Iure ciuili determinandæ, pertinent ad summum Iuris præsidem. Dixi iam suprà, Hebræis aliud ius ciuile non fuisse, quàm legem Dei: ad cuius præscriptum omnes suas actiones, etiam in foro externo, conformare debebant. Hinc longè verisimilius est, nomine *Iudicis*, qui bis hoc loco nominatur, designari illum, qui in hoc ipso edicto vocatur *Sacerdos eo tempore ministrans Domino*. Quis iste, nisi Princeps Sacerdotum, qualis erat Amarias, de quo supra, quem, Hebraicus textus nominat, *Caput*: Græcus *ἡγούμενον, præsidem & antistitem* cæterorum iudicum: nam ad formam legis in Deuteronomio præscriptæ, constituit & instituit Iosaphat iudices illos. Nec obstant illa: *Ex decreto iudicis morietur homo ille*; quasi Princeps Sacerdotum in neminem mortis sententiam pronunciare potuerit, hoc enim falsum est, quando crimen Ecclesiasticæ notionis erat; vt in proposito erat, si quis iudicio Sacerdotis summi nollet obtemperare. Nam quod iam Christianis Sacerdotibus hoc interdicitur, id prouenit ex iure positiuo humano Ecclesiastico. Sed esto; intelligatur iudicis nomine iudex politicus, diuersusque sit à Sacerdote, cuius ibidem fit mentio, an ideo Sacerdos ille non erat iudex? Imo adeo iudex erat, vt Deus per decretum iudicis, eum morte affici iusserit, qui superbia elatus, imperium ac sententiam Sacerdotis illius aspernaretur. An iudex non erat, cuius sententiæ sub periculo mortis parendum erat?

Dat etiam Bellarminus per concessionem, Iudicis nomine posse intelligi principem politicum. Sed tum, inquit, Sacerdoti tribuitur sententia definitiua, iudici autem exsequutio in contumaces: *Qui superbierit*, inquit, *nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur.* Occlamat VVitackerus: *Hoc falsum esse constat; Nam primò ista verba illic habentur in editione vulgata, ex decreto iudicis morietur. ergo iudex etiam ipse debet ferre sententiam, & eum qui reus est morti adiudicare, & per consequens definitiua etiam sententia iudici tribuitur.* Respondeo, etiamsi sola executio pertineat ad illum iudicem; rectè nihilominus dici, contumacem illum morti tradi ex decreto iudicis; quia & ipse decretum summi sacerdotis approbat, ratumque habet; & exequendo, quodammodo suum facit: & cum rerum capitalium vindicibus mandat, vt hunc vel illum capitali supplicio afficiant; ipse etiam decretum quoddam edit; quia mandat, ergo decernit; Quid enim mandatum, nisi decretum? Res exemplo clarior euadet. Fert Rex aut Princeps in reum quempiam mortis sententiam. Executionem mandat Iudici; hic illis, quos *Ministros iustitiæ* appellamus. Sententia definitiua & decretum, Regis est. Idem decretum est Iudicis; quia decernit & mandat, vt lictores seu carnifi-

carnifices id exequantur, quod per Principis sententiam definitum est. Idem & hic cogita; & VVitackerianam futilitatem ride.

Vitium est in vulgata editione, inquit VVitackerus. Hoc scilicet restabat, vt textum corrigeres, quò tuis rebus melius consuleres. Vbi hoc vitium? *Quia vers. 12. exponitur pro. & vel, aut: quod patet ex Hebræo & Græco contextu. in Græco est ἢ, hoc est, vel. Hebræa etiam vox significat, aut; seu, vel, nunquam verò ex, vt sic legenda sint verba. Qui non vult obedire Sacerdoti aut iudici, moriatur.* Grande vitium, & dignum VVitackeriana virgula: quasi sensus non eodem recidat; siue antiquiorum, siue recentiorum versiones sequaris. Imò versio, quæ verbatim ex Hebræo expressa est; eneruat totum VVitackeri argumentum; quod paulò antea formauit ex versione illa nostra: *Ex decreto.* Et sententiam Bellarmini stabilit; nempe Iudici, si hoc nomine intelligatur Iudex politicus, nihil aliud competere, quàm executionem definitiuæ sententiæ à summo sacerdote latæ, cum nullius hic decreti, quasi ab ipso etiam iudice profecti mentio fiat.

Valde laborant Hæretici, vt hunc iudicem à sacerdote seiungant. Hinc vertunt; *& adibis ad sacerdotes Leuiticos, vel ad summum iudicem*; vbi nos; & 70. Interpretes; *& ad iudicem*; quanquam in Hebræo etiam sit coniunctio *copulatiua*: sed sectarij mutant in *disiunctiuam*, vel *disiunctiuè* explicant; vt eò facilius iudicem illum à sacerdotibus, seu summo sacerdote seiungant. Nam coniunctionem illam copulatiuam accipiendam esse *disiunctiuè* probant ex versu duodecimo, vbi ad verbum Hebræa sic habent: *Et vir, qui fecerit in superbia ad non audiendum ad sacerdotem, stantem ad ministrandum ibi cum Domino Deo tuo; vel ad Iudicem, & morietur vir ipse, & auferes malum ex Israël.* Vbi per disiunctionem Iudex à sacerdote separatur; & septuaginta quoque interpretes transtulerunt; ἢ τῷ κριτῷ. Sed his, vt dixi, nihil opus est; si vt in altero responso concedit Bellarminus; Iudex iste fuit Politicus; clarum enim est; distinctum fuisse à summo sacerdote: & sententiam definitiuam pertinuisse ad sacerdotem, executionem ad Iudicem; sententiæ à sacerdote latæ, & approbatorem & executorem. Quocirca, qui sacerdotis imperio reluctabatur, is etiam reluctabatur Imperio Iudicis siue executoris; qui sententiam à sacerdote pronunciatam suffragio suo comprobabat; consequenter, rebellis, reus fiebat mortis tum ob sacerdotis, tum ob iudicis spretum imperium; quia vnum idemque erat; in altero quidem, vt in auctore; in altero, vt in executore residens.

Nec obstant illa versu nono, si *disiunctiuè* legantur: *vel ad iudicem*: quibus significari videtur, hunc etiam politicum iudicem adiri potuisse, vt definitorem. nam ad istum, non ablegantur hoA mines, nisi vt ad summi sacerdotis ministrum; quique fortasse sententiam latam non modò exequeretur, sed & controuersias exortas ad summum sacerdotem deferret, & quasi *admissionalis* officio fungeretur. Sed; non opus est legere *disiunctiuè*; cum Hebraicè & Græcè sit coniunctio copulatiua. Nam quod Iunius dicit: *ex versu duodecimo, constare copulatiuam voculam accipi debere disiunctiuè*; id nihil est; quia vice versa potest quis dicere; ex verso nono constare; coniunctionem disiunctiuam versu duodecimo, accipiendam esse copulatiuè, quia & apud Græcos, Latinos & apud Hebræos ipsos inusitatum non est; vt disiunctiuæ dictiunculæ vim *copulatiuarũ* habeant.

B Hæc disputata sint posito; quod iudicis nomine intelligatur Iudex politicus distinctus à summo sacerdote. quamquam mihi multo magis probatur & sacerdotis & Iudicis vocabulo vnum eundemque Ecclesiasticum Iudicem intelligi, vt antea dictum; Quia Hebraicè est; *ascende ad sacerdotes, & ad Iudicem*; quasi diceret, ad concilium sacerdotum, & eorum principem, summum sacerdotem; vt rectè Bellarminus notat; Nec ab hoc sensu noster Interpres abit: Neque repugnant illa vulgatæ editionis: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur*: nam iudex ex cuius decreto contumax morte multandus est, alius non est, quàm is, qui verbis proximè antegressis, appellatur C *sacerdos, eo tempore ministrans Domino.* Neque aduersantur Hebræa. Quia licet dicas: *Sacerdoti aut Iudici*: voculam tamen disiunctiuam *copulatiuè* licet accipere; vt sensus sit: *Sacerdoti & Iudici.* Quo non duos significo; sed vnum; sicut & hac loquendi formula. *Summo Pontifici & Iudici controuersiarum obediam.* Illa etiam; *aut, vel*; sæpe accipiuntur pro *siue*; vt & Græca vocula; ἢ. Sensus ergo erit. *Sacerdoti, siue Iudici.* Vbi rursus non duos, sed vnum significo; vt cum dico: Morem geram summo Pontifici, siue controuersiarum iudici.

Denique hæc omnia illustrantur ex illa Iureconsultorum lege 53. de verb. significat. *Sæpe* D *ita comparatum est, vt coniuncta pro disiunctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis, nam cum dicitur apud veteres adgnatorum, gentiliumque, pro separatione accipitur; at cum dicitur super pecuniæ, tutelaue suæ, tutor separatim sine pecunia dari non potest, & cum dicimus. Quod dedi aut donaui; vtraque continemus, cum verò dicimus. Quod eum dare facere oportet, quoduis eorum sufficit probare; cum verò dicit prætor. Si donum, munus, operas redemerit, si omnia imposita sunt, certum est omnia redimenda esse. ex re ergo pro coniunctis habentur, si quædam imposita sunt, cætera non desiderabuntur.*

His expeditis videamus, quid amplius adferat VVitackerus. Nam prioribus solutionibus

non

non contentus aliam adfert, vt copiam Caluiniani disputatoris mirari subeat. Ait: *Verba Deuteronomij non esse intelligenda de perpetuo iure interpretandi Scripturas, sed de authoritate tantum definiendi difficiles lites ac cõtrouersias, siue Ecclesiasticas illas quidẽ, per ministrum, siue politicas & forenses per magistratum, vt esset semper in vtrisquè aliquis, à quo prouocare non liceat: alioqui enim nullus esset litigandi finis.* Caluinista ipsemet sua vineta cædit. Negat locum illum intelligendum de perpetuo iure interpretandi scripturas: & tamen addit; *intelligendum de auctoritate definiendi difficiles lites ac controuersias, etiam Ecclesiasticas, & ad religionem pertinentes.* Vnde exstiterunt istæ difficiles lites ac controuersiæ? Nonne ex difficultate & obscuritate legis, vel ex partium studiis; aliis legem huc; aliis illuc trahentibus? Quod si perpetua debuit esse auctoritas, quæ has difficiles lites cõponeret; debuit etiam esse perpetua auctoritas, quæ legem & scripturas interpretaretur; & quid tenendum esset, partibus clarè ac dilucidè exponeret ac proponeret. Certè lites istæ difficiles Ecclesiasticæ, erant *de lege, de mandato, de caremoniis, de iustificationibus*; & id genus aliis, quæ componi non poterant, nisi in illa Hebræorum Ecclesia esset perpetuum ius interpretandi scripturas.

Ait VVitackerus non valere hoc argumentum: *Lites de cæde, & plaga, de sanguine, de lepra, & huiusmodi, finienda semper sunt ab aliquo iudice, & debet esse aliquod forensium controuersiarum certum iudicium, ergo oportet esse aliquem summum iudicem penes quem sit authoritas interpretandi omnes scripturas, & à quo prouocare non liceat.* Hoc argumentum non proposuit Bellarminus, sed finxit VVitackerus; & ideo fortasſis parum ponderis & roboris habet. Dicimus loco sæpius nominato Deuteronomij de solo iudicio Ecclesiastico; non de vllo politico sermonem esse; quia sermo est de summo sacerdote, tanquam de summo iudice; & quamuis, quæ in lege nominantur, sint & possint aliquando esse politici iudicis & ciuilis notionis, prout tamen ad summum sacerdotem deferebantur, sic Ecclesiastici tribunalis erant, quia non deferebantur eò, nisi prout ex vero legis diuinæ intellectu determinari & definiri debebãt, vt supra iam fusius dictum.

Ne tamen VVitackeri argumentum penitus aspernari videamur, sic illud ad nostrũ institutũ aptamus. Si Deus constituit Iudicem summũ de cæde, de plaga, de sanguine, de lepra, qui adeundus & simpliciter audiendus esset, pœnâ mortis rebellibus & contumacibus propositâ; sequitur, eum tantò magis Ecclesiasticarum litium iudicem constituisse; quanto istæ controuersiæ grauiores sunt, quam aliæ; & quanto etiam nocentiores, si non componantur. Sed verum prius, secundum VVitackerum. Verum ergo & posterius.

Sed iam cantilenam toties decantatam recinit nobis Caluinista noster: *Hac lege non est consti-*
A *tutum vllum de religione iudicium*; (audio affirmantem, sed non probantem. quorsum aditio summi sacerdotis, si nullum hic iudicium de religione?) *quod sibi Deus vni reseruauit, nulli homini permisit* (meræ asseuerationes tautologicæ.) *cũ sciret quàm facile homines religionem inficiant prauis opinionibus* (Homines nimirum Lutherani & Caluiniani, nõ illi, qui ex loco & in loco, quem Dominus elegerat, sententiam pronunciabant, quidq; sequendum esset, cum auctoritate & potestate cathedræ definiebãt) *sed lex lata est de iudiciis externis forẽsium controuersiarum, quas aut magistratus politici, aut sacerdotes iudicabant.* (iterum nihil præter tautologias & antilogias apponit nobis VVitackerus; nam paulo superius ipsemet fassus fuerat, hanc legem
B etiam de Ecclesiasticis caussis per ministrum decidendis intelligi; nunc hoc ipsum negat. Qua constantia?) *Nulla autem respublica stare potest, nisi summum aliquod tribunal habeat, à quo nulli fas sit prouocare.* (Et stabit Ecclesia, nisi summum aliquod habeat tribunal, à quo nulli prouocare liceat, cũ in Ecclesia longè grauiores & compositu difficiliores controuersiæ oriri soleant; & tanto difficiliores, quanto res cælestes terrenas istas antecedunt?

Aduerte autem vertiginem Caluiniani spiritus. Contendit nunc, pro tempore scilicet, VVitackerus, legem hanc de solis ciuilibus caussis accipiendam: additque, à tribunali isto non dari appellationem: & tamen simul docet, sub-
C dito fas esse, discutere sententiam, num secundum legem lata sit; & refragari. Quæso, qua ratione hæc consistunt, si eiusmodi tribunal est, à quo nulla conceditur appellatio?

Ait Bellarminus: legem prædictam esse generalem de omnibus dubiis, quæ ex lege oriebantur, & occasionem huius legis fuisse propter eos, qui seruiunt diis alienis, idque patere ex initio capitis. Respondet VVitackerus: *De dubiis ex lege ortis nulla mentio habetur in lege, in qua non nisi forenses externeq́ lites commemorantur.* Huic Caluinistæ contradicit I. Caluinista Iunius, vt supra visum. II. Ipse VVitackerus qui fatetur supra, hic etiam de Ecclesiasticis caussis per ministrum
D Ecclesiasticum terminandis agi. *III. Ipse* contextus legis: quia meminit *summi sacerdotis*: Quorsum eius mentio, tanquam *præsidis*, si nihil ad illum ista lex? IV. *Ipsa ratio & finis* legis, & alia, de quibus iam copiosè diximus.

Ait VVitackerus, *id quod de occasione legis attexitur, falsum esse; nec valiturum aliquid, si verum esset.* Mentitur & calumniatur Hæreticus: quia immediatè ante istam legem latam præceperat Deus de interficiendis iis, qui se idololatriæ crimine contaminassent: & postea subiicit: *si difficile & ambiguum, &c.* Occasione ergo idololatrici sacrilegij, quod vtique Ecclesiasticæ notionis est; lex hæc lata est; non quidem de solo Idololatriæ cri-

mine,

mine, si quando obscurum esset; sed & de aliis omnibus caussis ex vero legis intellectu definiendis.

Savvbrandus alia ratione infirmare nititur argumentum Catholicorum ex hoc Deuteronomij loco ductum: *Quod Deus promittit, hoc præstat. Promisit autem Sacerdotes (loquor ex hypothesi) semper secundum legem suam pronunciaturos esse. Quæro igitur cum Caiphas pronunciaret. Christi doctrinam esse blasphemam; Christũ esse populi seductorem, Christum item, vt blasphemum, esse è medio tollendum, an summus sacerdos tũc contra legem iudicauerit an non? si negas blasphemus es, si affirmas, falsa est tua sententia.* Quo nos vertemus, vt cornua cornuti huius syllogismi effugiamus? Effugiemus autẽ, nisi fallor, si à Caluinista petamus, vt ꝓbet Pontifici Iudæorũ cum suo concilio, adhuc Christo in terris versante, suam constitisse supremam definiendi auctoritatem; Ipso enim Domino præsente, & forma aspectabili inter Iudæos degente; palamque docente, & cælestem doctrinam explicante, nil amplius opus fuit suprema Pontificum Iudaicorũ auctoritate; nam quod Christus, etiam sub extremum vitæ tempus monuit turbas; vt quæcunque Scribæ & Pharisæi sedentes in cathedra Moysis dicebant, ac docebant, impigrè facerent; id non ideo fecit; quòd cathedræ illius auctoritas tunc etiam infallibilis permaneret, sed ne, vt aliâs sæpè, calumniarentur Scribæ & Pharisæi, quòd synagogę à Deo institutæ nullum honorem deferret; Moysisque ac legis Mosaicæ contemptor esset: eam ob caussam, ne quam eis calumniandi occasionem præberet; de cathedra Moysis non secus locutus est; ac si eius infallibilis in definiendo auctoritas etiam eo tempore salua & integra persisteret; Nec periculum erat; vt populus in aliquẽ errorem propterea induceretur; quia Christus præsens doctrinâ & miraculis, quæ quotidie patrabat, satis euidenter ostendebat, cui nam fides habenda esset; sibi, an Iudæorum synedriis contra doctrinam Christi furentibus. Ex quibus habes solutionem ad argumentum Sibrandicum. Nam infallibilitatem, quam Deus summo sacerdoti Hebræorum & concilio suo promiserat; fideliter vtique præstitit; sed non promisit, nisi vsque ad prædicationem Christi Domini; Qua durante infallibilem auctoritatem non tribuit; quia ex promisso non obligabatur dare. Nil ergo contra promissa, quæ pro eo statu nulla erãt, egit. Expediuimus VVitackerũ & Savvbrãdum.

Restãt nonnullæ quisquiliæ Hunnianæ. *Quæritur, inquit, an verum sit glossema Iesuiticum, quod Sacerdotes veteris Testamenti, semper actu tales futuri fuerint, vt in dicendis sententiis, inter causam & causam, sanguinem & sanguinem, nunquam non iuxta legem pronũciarent, & nec iudicio errare possent, nec affectibus ad iniquam sententiam pronunciandam abripi sese paterentur? Siue neget, siue affirmet Iesuita, tenetur irretitus, vt elabi nequeat.* En Hunnianũ Thrasonismum: qualibus omnes Hunnij chartæ oppletæ sunt; neq; vsquam magis, quàm illis locis, in quibus Hunnius, præter vaniloquentiam, nihil penitus adfert.

Videamus tamen angustias, in quas coniectus Bellarminus elabi nequit: *Si respondere volet,* inquit Prædicans, *semper illos iuxta legem fuisse pronunciaturos, sequetur nõ modo Prophetam Ieremiam sententiis Sacerdotũ iuste fuisse vexatũ, sed ipsum Dominum gloriæ per talem sententiam Sacerdotũ iustè adiudicatum Cruci, cui sententiæ tanquã per omnia sanctæ ac iustæ (vigore huius sanctionis Mosaicæ) fuerit acquiescendũ.* Vndique imminent angustiæ Bellarmino; Quomodo euadet? Si quis tamen petat, vt Prædicans demõstret, aliquid ꝙ ad doctrinã vel mores pertineat, contra Hieremiam à sacerdotibus ex cathedra definitũ esse; is, nisi fallor, elabi poterit: quia Prædicans hoc nunquam demonstrare poterit; nam quidquid contra illum machinati sunt, præsertim cap. 18. id tanquã priuati contra Prophetam machinati sunt; neq; agitur eo capite de solis sacerdotibus, iisq; in concilium coactis: sed de populo Iudaico, qui Hieremiæ infestus & infensus erat ꝓpter conciones; quibus peccatores ad pœnitẽtiam hortabatur. Et vt de solis sacerdotibus caput illud loqueretur; nunquam tamen ex scriptura euincet Hunnius, oẽs in Hieremiam insurrexisse; multoq; minus oẽs in concilio legitimè congregatos sententiam aduersus Hieremiam de doctrina pronũciasse. Alia est ratio pastorũ in concilio congregatorũ publica auctoritate, alia dispersorũ, & qui, dum in locis quiq; suis sedent, proprio iudicio indulgent, vt rectè, dicit Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 6. Concilia autẽ Iudæorum tempore Christi iam carebant infallibili definiendi auctoritate & certitudine; vt supra dictũ; q̃d mirũ igitur si & illa, quæ directè contra doctrinã & vitam Christi congregata fuerant? Neq; hoc obstat promissioni factæ Deut. 17. & alibi: quia promissio hæc de infallibili certitudine iudicij non extendebatur, nisi vsq; ad tempus præsentiæ & prædicationis Christi. Vbi iam sunt angustiæ illæ Prædicanticæ, in quas Bellarminus compactus?

Addit Prædicans: *Eodem affirmato suffragabitur Bellarminus impiis Iudæis clamantibus aduersus Prophetam Domini. Ierem. 18. Non peribit lex à Sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à Propheta.* Iudæi illi, non errarunt, dicendo, legem à sacerdote, hoc est, à sacerdotum concilio & officio non perituram pro eo tempore; quo istud pronunciarunt. Verè enim non periit, nec perire potuit ob promissa Dei; quibus veritas in cathedra Moysis immobiliter constituta est; vsque ad tempus, quo Redemptor noster humana carne vestitus, ipsemet Iudæam obiturus, & cælestem doctrinam hominibus explicaturus erat. Errarunt tamẽ Iudæi illi alio nomine bifariam; primò, quia credebant, ne à singulis quidem sacerdotibus sigillatim spectatis legem perire posse. Hinc addicebant se incautè nonnullis sacerdotibus, eisque contra Hieremiæ conciones & hortamenta

aures

Digitized by Google

aures improuidè præbebant; & hoc prætextu suum factum purgabat; quòd sacerdotes essent, quibus lex perspecta & explorata esset; quique aliud non traderent, quàm quod lex præscriberet ac præciperet.

Secundò errarunt; quia gerebant personam Iudæorum, qui Christum persecuti sunt; etiam vsque ad necem: qui & ipsi dicebant: *Non peribit lex à sacerdote. Nos Moysen habemus & Prophetas; Nos vero legis intellectu præditi sumus.* Et tamen grauissimè errabant; & iam lex, hoc est, infallibilis illa definiendi & interpretandi auctoritas, à cathedra Moysis recesserat; prout prædictum fuerat ab Ezechiele cap. 7. cuius vaticinium hic Hunnius citat; quamuis non intelligat.

Quod si referatur ad tempus, quo Hierosolyma à Chaldæis incensa ac vastata, ipsumque templum euersum fuit; tum minimè significat infallibilem illam auctoritatem definiendi à cathedra Moysis abscessuram: sed tantam fore calamitatem; cui nec propheta ex visione; neque sacerdos ex lege, neque saniores sua prudentia & consiliis aliquid leuamenti & medicamenti reperturi sint: Solebant enim Iudæi rebus in arctis consilium & auxilium quærere à Prophetis, à Sacerdotibus & à Senioribus; à primis propter visiones, quibus diuinitus illustrabantur: ab alteris; propter peritiam legis: ab vltimis, propter multarum rerum vsum & experientiam. Hæc omnia ærumnæ leniendæ pharmaca prædicit Propheta cessatura; vt sic nihil opis à quoquam sperare liceat.

Ait Hunnius: *Populum Iudaicum sæpe in graues errores delapsum esse, quando sacerdotum iudicium sequebatur.* At num sacerdotum ex cathedra Moysis docentium? Vnicum profer exemplum, & sileo.

Oggrunnit Hunnius: *Scriptura nusquam tribuit Sacerdotibus Prætoriam potestatem pro suo arbitrio pronunciandi, sed ad legem illos astringit, & hactenus illorum iudiciis obsecundare iubet.* Quis dicit; sacerdotes in cathedra Moysis sedentes, & inde sententiam pronunciantes, aliter pronunciare & definire debuisse; quàm iuxta legem? Imò impossibile erat aliter, quàm iuxta legem aliquid ex illa cathedra decernere, hoc ipso, quod erat infallibilis. Hanc pronunciandi auctoritatem & potestatem dedit Deus summo Ecclesiæ Israëliticæ sacerdoti seu soli, seu cum sacerdotum concilio: aliis autem parendi obligationem imposuit; & quidem parendi absque vlteriore disquisitione & inquisitione, num legi sententia sit conformis an difformis; qui certissimò statuere debebant conformem esse, hoc ipso, quod ex Cathedra Moysis pronunciata esset: alioqui Deus non sacerdotes; sed potius eos, quorum caussa agebatur, & ventilabatur, constituisset iudices. Quis enim potius Iudex censeri debet; isne, qui fert sententiam; an ille, qui sententiam latam examinat & discutit, & si non arrideat, reiicit?

A Quærit Hunnius: *Qua lege concessum sit sacerdotibus dictare sententias in caussis criminalibus?* Et quænam lex, nisi Ecclesiastica positiua hoc prohibet? Moyses sacerdos erat. An non iussu illius, occisa impiorum multa millia? Ioiada summus pontifex erat. An non ipso iubente & dictante interfecta est nefaria Athalia? 4. Reg. 11. Quid de Macchabæis Ionatha & Simone dicam? Summi sacerdotes erant, & tamen non modò sententiam mortis in sceleratos ferebant; sed & ipsi sua manu cōtra hostes suos fortissimè dimicabant: vt alia huius generis exempla passim obuia prætercam.

Neque negat Bellarminus, vt calumniatur Prædicans,
B Reges, Principes & Magistratus politicos Iudæorum habuisse ius dictandi & ferendi sententiam mortis in maleficos; & non solam executionem; sed loquitur Bellarminus in casu legis Deut. 17. nam posito, vt quidam volunt; iudicis nomine in ea lege intelligi iudicem politicum; tum ita legem accipiendam dicit; vt sententia definitiua pertineat ad summum sacerdotem: executio sententiæ ad iudicem: In hoc videlicet casu, quo quis ex superbia sententiæ à sacerdote pronunciatæ acquiescere nolit: tum enim sententiâ mortis contumacia frangi debet. In aliis casibus suum ius magistratibus politicis manebat integrum & inconcussum: neque enim omnes caussæ ad summum sacerdotem deferebantur, sed obscuræ duntaxat, difficiles, & am-
C biguæ, quas & ex quibus alij iudices se expedire nequibant. Et diligenter obseruandum est in ea lege sententiam mortis nō nisi in immorigeros decerni: Quia fortè in aliis caussis sacerdos non ferebat ipse sententiam mortis, si crimen dignè supremo supplicio esset; sed tantum indicabat quid ex lege diuina facere oporteret; relicta sententia definitiua eiusque executione magistratibus politicis.

Ait Bellarminus; Legem Deuteronomij generatim intelligendam esse, de omnibus dubiis, quæ per aliorum sententiam non poterant definiri. Respondet Hunnius: *Vt per benignam concessionem largiamur ei, sub hac sententia comprehendi (vt ipse contendit) omnia dubia, quæ ex lege oriebantur. Quid ob-*
D *secro, lucri faciet? Nimirum id, quod collocutoris Pontificij nuper Ratisbonæ sunt eadem obiectione lucrati; qui hoc ipsum vrgentes, suo sunt gladio iugulati.* Et mox verbosum syllogismū texit; quem collocutoribus nuper in Colloquio Ratisbonēsi propositum mendaciter scribit. Excutiatur totum Colloquium prout à Catholicis & Hæreticis excusum est; nusquam syllogismus, quem hic cudit, reperietur. Neque ego memini vnquam vel mihi vel collegis meis tunc fuisse propositum; ne quis Hunnium non mentiri credat; eò quod syllogismus iste fortè fuit propositus; sed non in Protocollum relatus: nam vel maiusculis litteris insertus fuisset, iussu Hunnij; si vnquam comparuisset tanti hunc fœtum suum facit Prædicans: qui est

iste:

istæ: *Qui in omnibus caussis religionis tenentur iuxta legem Mosis scriptam pronũciare, his prohibitum est in caussis illis religionis quicquam præter vel extra scriptam legem Mosis statuere aut definire. Atqui Sacerdotes in omnibus caussis religionis tenentur statuere ac definire iuxta legem. Ergo prohibentur quicquam statuere in caussis religionis præter vel extra legem.* Vbi nota primùm strophas huius impostoris. In *Maiore* nominat legem scriptam; in *Minore & conclusione* omittit vocabulum; *scriptam.* quid ageret Prædicans? quia Moyses non dixit; *& docuerint te iuxta legem scriptam*; sed præcisè, *iuxta legem*; Sed his dissimulatis Respondeo ad Maiorem per distinctionem: nam si sensus sit, illis prohibitum esse in caussis religionis quidquam statuere aut definire præter vel extra scriptam legem, quod esset contra scriptam legem; conceditur Maior. Si sensus sit, iis prohibitum fuisse quidquam statuere extra vel præter legem scriptam, quod tamen scriptæ legi non esset contrarium, sed conforme ac consentaneum; negatur Maior. Iam concessa Minore; adhibenda est eadem distinctio ad conclusionem; & ex illa vel concedi vel negari debet. Nam si occlamet Prædicans: *Omne quod est extra vel præter legem scriptam; est contra:* veterem cantilenam audiemus; verùm nullam cum illa probationem; ac ne probationis quidem vmbram: Adeo hic exarmati sunt Prædicantes.

Sed en probationem Maioris; Hunnianam tamen: *Quia si aliquod dubium iuxta legem aliquam deciditur, necesse est rationes decidendi in ipsis visceribus legis contineri, & proinde non pronunciari debere præter vel extra legem. & è contra, quod norunt, & contestabuntur omnes Theologi, & Iurisconsulti.* Eneruis futura erat hæc probatio, nisi gemino thrasonismo fuisset roborata: altero de testimonio omnium Theologorum & Iureconsultorum. Altero his verbis comprehenso: *Immota igitur stat conclusio, nihil debuisse statui aut pronunciari à Sacerdotibus in rebus cultum & fidem attinentibus, quod non ex ipsamet lege potuerit decidi.* Logos nobis & fumos vendit præco. Nam vt controuersia aliqua dicatur iuxta legem decidi ac definiri; non oportet, vt in lege vel ipse casus, vel decisio & solutio eius expressè contineatur; satis est, si legi non aduersetur: hoc ipso enim iuxta legem erit, quòd legi conformis est; & cum illa consentit. Sicut decisio in politicis controuersiis, hoc ipso censetur facta iuxta legem ciuilem, quòd legi ciuili consentanea est; neque vlla in re aduersatur. Sed Prædicans vult decisionem iuxta legem esse, quando *in ipsis*, vt loquitur, *visceribus legis continetur*; vt stabiliat illud suum paradoxum; nihil in cultu agendum vel sanciendum, nisi quod ex scriptura per euidentem consequentiam deducitur. Omne autem illud hoc modo inde deducitur, quod Prædicantibus placet; & omne illud non deducitur, quod Prædicantibus displicet.

Totum tandem argumentum claudit Hunnius hoc nouo mẽdacio: *Ad hoc argumentum expedabatur Ratisbonæ responsum, sed cauillum audiebatur, casus ipsos non contineri in lege. Nos verò non vrgebamus, quod ipsimet casus & quæstiones explicitè in ea contineantur, sed quod ratio decisionis in ea debeat esse fundata, atq; inde depromenda, si modò (quod textus requirit) iuxta legem pronunciari debuerit.* Iterum ad Protocollum prouoco. Si lector in eo repererit quæ hic Hunnius commemorat; tum eum à mendacij crimine per me absoluat licet.

Danæus ad argumentum Bellarmini ex Deuteronomio sumptum, nihil aliud respondet, quàm esse *fallaciam à non caussa.* Credamus igitur & cedamus, quandoquidem hoc affirmat Danæus ab omni mentiendi temeritate & vanitate tam alienus; quàm ille, qui ab initio *in veritate non stetit.*

Quæ Iunius de præpositione disiunctiua & copulatiua garrit; iam satis euẽtilata sunt. Quod controuersias *de cædibus, & similes ex lege nasci inficiatur,* imperitus est; quia quotiescunque, summus sacerdos adibatur, vt diiudicaret *inter sanguinem & sanguinem: caussam & caussam*; id non alio fine fiebat, quàm vt partibus exponeret, quid ex sententia legis diuinæ tali casu agendum esset.

Tertium testimonium à Bellarmino prolatum est illud. Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His amplius, fili mi, ne requiras.* Hoc loco Salomon docet, non esse vlterius inquirendum, sed acquiescendum penitus quando sententia data est à pastore, adiuncto præsertim consilio sapientum. Iunius, VVitackerus & Savibrandus dicunt per vnum pastorem intelligi *Deum*, vel *Christum*. Quid tum? An ideo excluditur summus sacerdos veteris, & nũc noster noui testamenti? Hũnius dicit, per vnum pastorem intelligi *Salomonem*; quam assertionem solitis thrasonismis & conuiciis munit ac vallat; vt, *hanc suam sententiam vndiquaque cum textu concordare; Salomonem de Pontifice Romano nunquam somniasse*; vt id genus alia vani somniatoris somnia tacitus prætergrediar; cum tamen hæc de Salomone explicatio tribus supradictis Caluinistis in mentem non venerit; & à textu magis, quàm vlla alia abscedat: nam verba Salomonis generalia sunt; *Verba sapientum esse sicut stimulos, & quasi clauos in altum defixos, &c.* Num omnium sapientum verba talia? Nequaquam. Sed quæ *per magistrorum consilium ab vno pastore data sunt:* hoc est, ab vno summo verborum diuinorum interprete, cuius functio est doctrinâ cælesti vniuersos pascere.

Quid Hunnius? Ride ineptiam thrasonismis consuetis iugatam: *Horum verborum indubitatus est his sensus; licet hæ sententiæ sapientissimæ, hoc libro commemoratæ, sint collectæ per viros prudentes, Ecclesiæ Israëliticæ præfectos, tamen omnes eas ab vno profectas auctore, Rege Salomone, qui nõ immeritò pastor dicitur, cum quia*

Digitized by Google

Reges in scriptura nominantur pastores, tum quia singulari modo populum insuper pauit doctrina & scientia. Habes Hunnianum somnium; in quo supponitur, Ecclesiasten, non à Salomone scriptum; sed ab aliis ex ore Salomonis collectum. Deinde sententia generalis inscitè & insulsè restringitur ad sapientes illos sententiarum Salomonis collectores: cum verba, quæ in Ecclesiaste comprehenduntur, non sint verba *collectorum*; sed ipsius Salomonis; & sententia prorsus sit generalis respectu omnium sapientum, ab vno pastore pendentium, & quasi ex vnius pastoris ore loquentium: qui vnus pastor, vt Deus sit, vel Christus, nihil tamen impedit, quo minus hoc vnius pastoris nomine includatur etiam Vicarius Christi in terris, adumbratus olim per veteris testamenti summum Pontificem. A B

Ait VVitackerus: *Doctrinam & sapientiam cælestem quam Prophetæ tradiderunt, & quam ministri Dei docent & exponunt, esse similem stimulis, quia pungit, excitat, & vrget, atq; ita ignauiam nostram excutit, clauis verò quia fixos nos firmosq; tenet in pietate.* Nemo hoc negat. Verum, vt ista doctrina & sapientia cælestis suo quasi munere fungatur, oportet, vt ad nos veniat à pastore vno per magistrorum consilium seu concilium; hoc est; vt à summo illo Iudice & approbetur, nobisque proponatur & explicetur: Neque enim absolutè dixit Salomon, *verba sapientum esse sicut stimulos, & quasi clauos in altum defixos*; sed tunc, si dentur *à pastore vno per magistrorum concilium seu consilium.* C

Oggerit Iunius. Verba illa; *quæ per magistrorum consilium data sunt; nusquam exstare in Hebræo textu.* At exstant apud 70. Interpretes, quos Hebræam linguam paulò melius sciuisse, quàm Iunium non parum est credibile; qui, quod alij ex Hebræo vertunt; *Auctores* seu *Domini collectionum* siue *congregationum*; sic reddiderunt, sensu Hebraici textus clarius expresso; *οἱ παρὰ τῶν συνθημάτων ἐδόθησαν ἐκ ποιμένος ἑνός. Qui* (sermones) *à conciliis dati sunt à pastore vno.* Nam *σύνθημα* est *σύνταγμα, συνάντημα*, vt exponitur in scholiis Græcis; *conuentus, concursus.* Nostra tamen vulgata, etiam quæ nuper à Pontifice recognita; habet; *consilium*; non, *concilium*: D. Hieronymus ex Hebræo vertit: *Habentibus cœtus data sunt, à pastore vno.* Rectè; nam illud Hebræum, quod alij interpretantur in Recto; commodè per dandi casum exprimere licet; vt sensus sint; *verba sapientum sunt sicut stimuli, &c. Auctoribus seu Dominis collectionum*; hoc est; *congregatis, seu consiliis seu conciliis συνθήμασι, συντάγμασι data sunt à pastore vno.* Nam quod Iunius & Tremelius in sua versione Hebraicas illas voces: *Auctores seu Domini collectionum*: vertunt: *lectißima*: vt hoc epithetum referatur ad verbum; idque Iunius vocat; *Hebraismum elegantißimum*; nihil aliud dico; quàm illud Comici: *Hic non est locus, proin tu alium quæras, cui centones sarcias.* D

Iam considera extremam syllogistæ Savvbrãdici vanitatem & impudentiam: qui ex loco Ecclesiastæ, vel potius ex fatuo suo cerebro hunc procudit informem syllogismum, eumque lectori, quasi ex mente Bellarmini deductum, proponit: *Quod fecit Deus in veteri Testamento, hoc facit Papa Romanus in nouo Testamento. Sed Deus in veteri Testamento verbum suum Prophetis reuelauit, Ergo Papa Romanus in scriptura interpretanda errare non potest.* Quis istum hominem non credat frontem penitus amisisse, imò & abrasisse; qui syllogismum hunc in medium adferre audet; quasi ex catholicorum officina; mente ac sensu profectum? cũ & maior sit falsissima & forma ineptissima. Neque vult Sibrandus, vt ad hanc eius mendacissimam vanitatem Bellarminus muciat. Ait enim: *ne conqueratur Bellarminus, nos eius sententiam peruertere.* (Atqui non tantum peruertis, sed & peruersissimè peruertis; quod non faceres nisi peruersissimus esses) *Licet enim nunc Papistæ ita loqui non audeant, tamen ita eos in corde suo sentire, testantur eorum scripta. Decreta enim docent, Papam non debere à quoquam iudicari, etiamsi multos populos perderet.* Et mox textus quosdam ex Iure Canonico producit; qui istis in ore perpetim: *vt, Papam non debere à quoquam iudicari, etiamsi multos populos perderet. Papam habere omnia iura in scrinio pectoris sui: Papam contra Dei verbum dispensare posse,* citatque capitulum *Proposuit.* Ext. *de concessione Præbend.* Et ibid. *Glossam.* Quò plura Sibrandus effutit, eò minus sese à mendacio atrocissimo purgat. Nihil enim horum, quæ citat, fidem facit Maiori illi, quam Bellarmino & orthodoxis affingit, nempe; *Quod fecit Deus in veteri testamento, hoc facere Papam Romanum in nouo.* Nostra non est hæc propositio; Nemo catholicorum ita sentit; & quoties hoc asseris, *toties mentiris.* Nam quod Canones aiunt, Pontificem non posse *iudicari,* id verum est; à quo enim supremus iudex iudicaretur? sed num propterea facere potest in nouo testamento; quæcunque Deus fecit in veteri? *Omnia iura habere in scrinio sui pectoris*; hoc est; sit ipse summus inter humanos legislatores legislator; sit omnium legum, velut præses & moderator; sit etiam diuinarum legum certus & infallibilis interpres; *num idcirco catholici tribuunt Papæ,* quod prædicta Maior impudenter eis imponit?

In capitulo *proposuit*, non asseritur, prout iste mentitur, *Papam contra Dei verbum dispensare posse*: sed tantum affirmat Pontifex, se de *plenitudine potestatis de iure posse supra ius dispensare*: vbi non nisi de iure humano sermo; vt patet ex casu & omnibus capituli circũstantiis. Quod Glossa ibidem ait; *Papam dispensare contra Apostolum 34. d. Lector,* dispensationis vocabulum latius vsurpat; nimirũ, pro declaratione. Quis orthodoxorum abnuat, Pontificem posse diuinas leges interpretari, &

num

rum hic vel ille casus in illis contineatur, declarare? Quod ait Caluinista: *argumentum ex loco Ecclesiastæ à Bellarmino prolatum, esse simile huic: Deus creauit res omnes; ergo & Papa creauit res omnes:* iterum eximium sycophantam agit: Nam Bellarmini argumentatio est ista. Quando sententia data est ab vno pastore; hoc est, à summo sacerdote veteris testamenti; præsertim sapientum adiuncto consilio; tum nihil amplius est requirendum, sed in sententia lata obedienter acquiescendum: Ergo multò magis, iam in nouo testamento, quãdo sententia datur à summo pastore, acquiescẽdum, & nihil vltra requirendum est, cum noster summus pastor longè habeat maiores & excellentiores diuinitus de certitudine in sententia ferenda promissiones, quàm summus pastor veteris testamenti. Hoc Bellarmini argumentum est; non illud, quod mendax Caluinista de pectore suo comminiscitur. qui subiungit: *Ecclesiastes eo loco non loquitur de interpretatione scripturarum, sed de earum origine.* Imò, velis nolis, etiam de interpretatione; quia generatim absque vlla restrictione dicit; *Verba sapientum esse sicut stimulos, & quasi clauos seu palos in altum defixos.* An Interpretatio Scripturæ non est *sermo sapientum?* An nõ pungit, excitat, confirmat, munit; quando ab vno pastore per sapientum, hoc est, doctorum Ecclesiæ consilium & concilium mortalibus communicatur? *Nemo, inquit Caluinista, dicturus est omnium sapientum verba à Papa Romano profecta esse.* Nemo hoc dicet, loquendo simpliciter de omnium sapientum verbis & tractationibus; at quiuis intelligens dicet, à Papa Romano profecta esse omnia illa sapientum verba, quæ ad fidem moresq; Christanos pertinent: omnia enim ista habemus per declarationem Papæ, tanquam supremi iudicis, & infallibilis sacrarum litterarum interpretis.

Quartum testimonium est Aggæi 2. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum; interroga Sacerdotes legem.* Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Ex quibus verbis intelligimus non esse priuatorum hominum iudicare de sententia legis Domini, sed Sacerdotis, qui cum sit Angelus, id est, nuncius Dei, ad eum pertinet ex officio explicare sententiam Dei. Respondet VVitackerus: *Hoc nos fatemur; Ministros, nempe Episcopos & Doctores, de lege interrogandos esse, & interrogatos etiam respondere debere, alioquin non facerent officium suum. Sed num inde sequitur, eos habere authoritatem quiduis definiendi pro arbitratu suo?* Neque Bellarminus dicit, illos habere potestatem arbitratu suo quiduis respondendi: quia de lege non debent aliter nisi iuxta legem respondere. Mirum est; si, vt Lutherum supra insanientem audiuimus; omnium est iudicare de lege & quæstionibus fidei; non tantum ex officio, sed & ex præcepto diuino; cur Deus Israëlitas distinctè ad sacerdotes, non ad quemuis alium Laicum ablegarit. Quod VVita-

A ckerus dicit; *auctoritatem esse penes legem; sacerdotum verò nullam esse auctoritatem, sed tantum ministerium:* falsum est; si enim sacerdotes ex officio legem interpretantur; vtique id faciunt ex auctoritate. Quid aliud est officium, quam auctoritas? An non qui ex officio in Academia Theologiam profitetur; ex auctoritate profitetur? Nonne qui officium profitendi habet, simul etiam habet auctoritatem profitendi?

Secundò obiicit VVitackerus: *Ex hoc loco sequi non vnum scripturæ summum iudicem, sed multos esse debere, quia in plurali numero inquit Deus per Prophetam: Interroga Sacerdotes, non autem in singulari interroga Sacerdotem.* Respondeo, multos esse scripturæ in-
B terpretes inferiores, sed vni summo subordinatos ac subiectos; Vt enim laici egent sacerdotibus, à quibus verum sensum sacræ scripturæ discant; sic tam hi, quàm illi, indigent vno summo & infallibili interprete; ita, vt si quando quæstio vel controuersia expediri nequeat ab inferioribus, perfugium pateat ad eum, cuius vox sit oraculum; Qualem Ecclesiasticorum iudicum & interpretum subordinationem vsq; ad vnum summum in Republica Hebræorum fuisse, iam suprà vidimus. Deinde etiam sacerdotes fuêre, hodieque sunt pastores Ecclesiæ nostræ summi iudices, sed in synodo cum summo sacerdote legitimè congregati. Et huc fortè respexit Deus; cum numero multitudinis dixit: *Interroga sacer-*
C *dotes.*

Ad testimonium ex Malachia respondet VVitackerus: *Illis verbis ostendi non quales futuri essent Sacerdotes perpetuò, sed quales esse deberent. Ergo est fallacia à figura dictionis. Est enim præceptum in his verbis (sint Sacerdotes semper eiusmodi) non promissum (erunt semper eiusmodi) nam statim sequitur. At vos deflexistis de via, & fecistis multos impingere.* Accipio; quod dat VVitackerus: sed quæro; cur sacerdotes ex mandato Dei debuerint scientia præditi esse? An non, quia legis interpretes, & dubiorum, quæ inde enascebantur, explanatores erant? Nusquam in tota scriptura legimus: *Labia Laicorum custodiant sapientiam, & ex ore eorum requirent legem.* Signum igitur euidens est; Sacerdotibus ex officio competere,
D vt de lege Dei respondeant; & hæsitantibus lumen præferant. Quo munere, vt legitimè fungantur (de inferioribus loquor) opus est studio & labore, & assidua in lege Dei meditatione. Quæ scientiæ & sapientiæ cælestis instrumenta, quando sacerdotes vel olim negligebant, vel hodie etiam negligunt; meritò à Prophetis, iussu diuino, acriter castigãtur; & hodie etiam ab illis, quorum id muneris est; obiurgari debent: De his est increpatio illa Osee cap. 6. *Quia tu spreuisti scientiam, ego etiam spernã te, ne sacerdotio fungaris mibi.* Cur adeo vrget, vt sacerdotes scientia legis diuinæ instructi sint; nisi quia sacerdotum est legem diuinam interpretari, & de ea consulentibus responsa dare; sed ita, vt si quid ipsi expedire ne-

queant, id ad supremum tribunal deferatur; cui de infallibili certitudine respõsi annexa est promissio; qualiscunque ille sit, qui ex cathedra illa responsa edit, siue doctus, siue indoctus, siue probus, siue improbus; de cuius infallibili in definiendo auctoritate, nil caussæ est, cur prædictus Malachiæ locus non posit etiam intelligi.

Circa locum Aggæi calumniatur Hunnius, *eum improbè à Iesuita truncari; integrè citatum sponte docturum fuisse, illic de vno tantum genere quæstionis agi, quod genus Sacerdotibus notum esse poterat, num videlicet ex contactu carnis sanctificata sanctificentur etiam alia, nempe panis, pulmentum, vinum, oleum, aut quilibet alius cibus? & vice versa, si pollutus tangat quidpiam horum, an non polluatur?* Sed more suo, qui non est nisi morionis, paratragœdiat Prædicans. Etsi enim Aggæus de vna duntaxat quæstione, vel potius quæstionis materia, loquitur; eo ipso tamen perspicuè ostenditur, quæstiones de lege, & ad easdem responsa, pertinuisse ad sacerdotes. Cur enim, quæso, iussit Deus, vt Aggæus sacerdotes interrogaret; super illa quæstione: *Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, &c. nunquid sanctificabitur?* nisi quia erat quæstio de lege legisque sensu? Si ego, quæstione iuridica proposita, mitterem eum, qui proponit, ad Iureconsultos, nonne hoc ipso indicarem, horum esse respondere non tantùm ad hanc; sed & ad omnes, quæ ex iure nasci possunt, quæstiones? Cur Deus geminam illam apud Aggæum quæstionem non ablegauit ad Laicos; si laicorum erat legem explanare? Cur *signatè & designatè* sacerdotes nominat; nisi quia de quæstionibus legis respõdere, horum functio erat. Itaque licet Aggæus duarum tantummodo quæstionum meminerit, hoc ipso tamẽ planum fecit; omnes de lege quæstiones ad Sacerdotes spectare, cum hæ duæ non aliam ob caussam ad eos ablegatæ fuerint; quàm quia erant ordinarij legis interpretes.

Ad locum Malachiæ eodem ferè modo respondet Hunnius, quo VVitackerus: nempe *declarari, quid sit officij Sacerdotum, & quid facere debeant, non quòd semper actu id sint facturi.* Neque Bellarminus aliud vult, quàm ex loco Malachiæ colligi, sacerdotes esse diuinæ legis interpretes; eosque scientia & eruditione pollere debere; vt officio suo legitimè ac fructuosè fungantur. Nusquam dixit aut scripsit: *Quoslibet sacerdotes Hebraici populi semper fuisse doctos & in lege Dei admodum versatos:* non enim ignorabat socordiam & inscitiam quorũdam crebrò à Prophetis accusari. Quocirca mera calumnia est quod Prædicans dicit; argumentum Bellarmini esse huic simile: *Spiritus sanctus Roman. 13. pronunciat de magistratu, quod benefacientes laudem ab eo ferant, è contra quòd Dei minister sit in vindictam malè agenti. Ergo Magistratus semper laude debita afficit benè agentes, & semper pro merito plectit facinorosos.* A *Sicut autem hanc argumentationem non valere perspexit Iesuita, sic & suam plenam esse futilitatis agnoscat.* Agnosco sanè futilitatem & mendacitatem *Prædicanticam.* Nunquam enim Bellarmino in mentem venit tale delirium: *Sacerdotes legis antiquæ erant ordinarij legis interpretes, & ex officij sui ratione scientia pollere debebant: ergo omnes sacerdotes semper erant futuri docti & legis diuinæ periti.* Mendacium hoc est Prædicanticum, non argumentum Bellarminianum.

Nam ex mente Bellarmini tale formandum erit: Mandat Deus, vt sacerdotes sint legis diuinæ periti ac bene gnari; vtque populus ex ore sacerdotum legis expositionem ac declarationem exquirat: ergo sacerdotes sunt ordinarij legis diuinæ interpretes, & quæstionum, quæ ex lege B nascuntur, explanatores: & vt hoc suo officio rectè fungantur, eniti debent; quò scientiam legis sibi comparent: Quod si facere negligant, non ideo officio suo excidunt, & laicis illud transcribunt; sed legitimè & vtiliter illud obire nequeunt; & fructu debito populum priuant, quem perciperent; si sacerdotes doctè & peritè legem Dei auditoribus explanarent: sicut & professor Academicus, cui interpretatio sacrarum litterarum ex officio incumbit, legitimè suo munere fungi nequit, nisi eruditione instructus sit; & vt instruatur, sedulam nauet operã. Vbi semper in promptu habendum est discrimen inter inferiores & supremum interpretem: quia licet in omnibus *doctrina* requiratur; in summo tamen *iudice*, C si absit, non ideo datam sententiam irritam, inualidam, aut falsam reddit: quia certitudo & veritas sententiæ non eruditioni Iudicis, sed Cathedræ, in qua sedet, & ex qua docet, promissa est. Hinc qualiscunque sit ille seu Iudex, seu Interpres, veritas sententiæ semper constat: absque illo errandi periculo.

Savvbrandus iterum cudit syllogismos, de quibus Catholicorum nemo vnquam cogitauit: *Quale fuit officium Sacerdotum in veteri Testamento, tale est officium Papæ Romani in nouo Testamento: sed Sacerdotum veteris Testamenti officium erat de lege respondere, ergo & Papæ Romani officium est de lege respondere.* Respondeo, totum argumentum concedi posse, D si inter sacerdotes veteris testamenti numeretur etiam summus eorum Pontifex; & minor intelligatur de sacerdotibus tam priuatim, quàm ex cathedra respondentibus. Verè enim etiam Papæ Romani est respondere de lege, vt illi faciebãt; tam priuatim, more priuati doctoris, quàm etiam ex Cathedra instar Summi iudicis, interpretis, & definitoris: vt faciebat itidem summus veteris testamenti Pontifex vel solus vel cum sacerdotum concilio.

Ait Savvbrandus: *Omnes ministros, qui sunt legitimè vocati, debere legem explicare, & de ea respondere, vltro concedimus, addimus etiam; si quis in Ecclesiam irrepserit, qui hoc facere non potest, eum non esse idoneum Episcopum.* Ita est: non omnium tamen est respondere

dere de lege ex cathedra infallibiliter & cum auctoritate obligandi subditos, etiam sub anathemate, vt sentétiæ latæ acquiescant; nam hoc tantummodo competit summo sacerdoti vel soli; vel cũ aliis sacerdotibus in concilio simul congregatis: prout neque in veteri testamento hoc omnium sacerdotum diuisim commune fuit; sed tantum supremi, & aliorum cum supremo in concilio congregatorum.

Accipe alium syllogismum: *Quicunque habet potestatem interpretandi scripturam, illius interpretatio est vera; sed omnes Sacerdotes veteris & noui Testamenti habent potestatem interpretãdi scripturam, Ergo omnium ministrorum veteris & noui Testamenti interpretatio est vera. Maiorem hanc vides falsissimam esse*, inquit Savvbrandus. Quis neget? Dic, cuius est ista Maior? B Num Bellarmini? Etsi impudens es, vix tamen affirmabis. Num alterius cuiuspiam ex Catholicorum numero? Perfrica reliquum frontis, si quid reliquum est, & affirma; si audes. Nam è vestigio postulabimus à te, vt nomines, huius maioris auctorem, qui alius non est, quàm vanissimus Sibrãdus; qui talia monstra sibi fingit; cum quibus postea congrediatur, quibusque conficiendis vim lacertorum suorum demõstret: quam & hic insigniter ostentat; Nam nugacissimo syllogismo confecto, mox hæc subiicit: *Hæc argumenta* (Savvbrandica) *licet per se corruant, & indigna sint quæ à nobis refutentur, tamen aliquid commodi & vtilitatis ex iis percipimus.* Omnino multum commodi inde percipimus; qui vera veri, non falsa falsi sacra colimus. C Videmus enim, quàm infirma sit Caluinistica secta; quæ non nisi mentiendo & vanissima commenta comminiscendo se & suos sustentare debet: inter quæ hoc à primo proximum locum iure postulat; cum mendax Caluinista scribit: Bellarmini ex Aggæo argumentum esse simile huic: *Cæsaris Romani officium est Rempub. administrare, & hostes Imperij armis coërcere. Ergo Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda.* O ferream Sectariorum frontem; quos tam manifestæ impudentiæ & mendaciloquentiæ nec pudet, nec piget.

Pari improbitate versatur circa locum Malachiæ, quasi Bellarminus hoc inde argumẽtum duxerit: *Qui debent custodire legem Dei, illi eam semper rectè explicant, sed Sacerdotes debent legem Dei custodire, Ergo Sacerdotes eam semper rectè explicant. Maior est* D *falsa*, inquit Caluinista. Cuius est hæc Maior? Nũ Bellarmini? Dic, Caluinista, cuius est hæc Maior? Vt rumparis, neminem, præter te, nominare poteris. Quæ igitur nequitia tua est; qui figmenta deliri capitis tui Bellarmino vbique attribuas? inter quæ & istud eminet.

Quidquid fecerunt sacerdotes in veteri Testamento, hoc facere debet Papa in nouo Testamento: sed Sacerdotes in veteri Testamento custodierunt legem, Ergo quæcunque interpretatio à Papa affertur, ea est vera. Impudens caput; an si homines non reuerebare, quando hæc talia in chartam effudisti; cogitabas nullum A superesse in cælis vindicem, qui à te aliquando ob tam immanes Pseudologias pœnã debitam repeteret? Aliter profectò statuere non possum, quàm te omnes Caluinistas pro fungis & stipitibus ducere, si credebas, te vlli fidem facturum; quod deformis & informis syllogismus abs te confictus & propositus, sit Bellarmini, vel vllius alterius orthodoxi. Et tamẽ improbissimè subdis: *Hanc esse mentem Papistarum manifestum est ex C. sic omnes dist. 19. ibi enim docent, omnes Paparum constitutiones esse accipiendas, ac si Petri ore prolatæ essent.* Inferamus nos: *Ergo syllogismus propositus est Papistarum, siue externũ habitum; siue internum sensum spectes: quia hoc ipso, quod Papistæ accipiunt Paparum constitutiones ac si Petri ore prolatæ essent: syllogismum illum malè tornatum cudunt, cusumq; probãt.* Cur verò Pontificum scita & monita non acciperemus tanquam Petri ore pronunciata; cum ex Cathedra Petri proficiscantur, & Pontificis ore non modò Petrus; sed & ipse Christus loquatur. Neque vlla nos dubitatio tenet, omnem illam Interpretationem, quam Pontifex dat ex Cathedra Petri; cum veritate examussim concinere.

Malè formatum & ex malè dolato cerebro profectum argumentum, sic Caluinista reformandum monet: *Quemadmodum Sacerdotum in veteri Testamento officium erat verbum interpretari, ita & ministrorum noui Testamenti officium est verbum interpretari, Et ob eam causam, qui legem Dei ritè interpretari nequit, ille neq; Sacerdotio neq; ministerio dignus est. Hæc est vera consequentia.* Imò hoc tam reformatum Caluinistæ argumentum maiore reformatione eget. Sic enim instituendum est. In veteri testamento præter interpretationem, quæ à singulis sacerdotibus ex officio dari poterat, & debebat; alia erat auctoritas publica ex Moysis cathedra scripturas certò & infallibiliter explanandi, & quasuis controuersias certã & fallere nescia sententia terminandi; ergo iam quoque in nouo testamento præter interpretationem, quæ singulis sacerdotibus ex officio competit, erit alia publica & ex potestate cathedræ Petri; quæ scripturarum sententiam certò & infallibiliter adeuntibus patefaciat: omnesque religionis controuersias per sententiam iudiciariam finiat.

Oggannit Sibrandus: *Sacerdotes veteris testamenti crebrò errasse.* Num definiendo ex cathedra? Ait: *Se & suos scripturam priuato spiritu non explicare.* Hoc forsan Caluinianis aniculis persuadebit: de nobis desperet licet. Ait: *Papas priuato spiritu scripturas explanare.* Hoc etiam millies iam audiuimus decantatum ab istis, qui ne guttam quidem de Spiritu sancto habent; adeo calumniando & mentiendo omnes limites transcendunt.

In manuscriptis dictatis, quæ VVitackerus vidit & expilauit; attulerat Bellarminus, teste VVitackero, hunc etiam locum Ezech. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.* Ex quo apparet, priuatos spiritus in interpretatione scripturarum non esse sequendos. Respondet

VVitackerus, *nos quoq; negamus suum cuique spiritum sequendum esse, sed sequi scripturam ipsam, & spiritum Dei publicè in scripturis loquentem (quod nos monemus omnes vt faciant) non est sequi priuatum spiritum.* Ita est; At semper recurrit quæstio, vtrum verum sit, quod ipsi de vobis iactatis; vos in scripturarum interpretatione, sequi scripturam ipsam & Spiritum sanctum. Hoc si perspicuo aliquo argumento planum apertumque faceres; multum auctoritatis Caluinismo apud omnes conciliares.

Vltimum testimonium est ex 2. Paralip. 19. *Vbi Iosaphat Rex litibus seu controuersiis politicis Zabadiam præfecit, Amariam verò Pontificem & Sacerdotem iis rebus quæ ad Deum pertinent, & distinguit officium Pontificis ab officio Regis, & soli Pontifici tribuit iudicium de dubiis legis.* Respondet VVitackerus: *Fatemur distincta esse munera regis & Sacerdotis, nec debere hæc inter se munera confundi. Neq; opus est, vt hic plura respondeamus, quia eadem responsio huic loco sufficiet, qua in secũdo loco vsi sumus, nempe debere quidem esse iudices quosdam, nõ quidem scripturæ, sed litium ac controuersiarum, earumq; tum politicarum, tum Ecclesiasticarum.* Fateris ergo constituendum esse Ecclesiasticarũ litium iudicem; si inferiorem; cur non & supremum, à quo nulla concedatur appellatio? An non Amarias supremus iudex ac cognitor erat? Nã quod Caluinista tricatur *de Iudice scripturæ*, inane diuerticulum est. Vocet iudicem quæstionum & controuersiarum de fide & scriptura; si religio ei est, vocare *iudicem fidei vel scripturæ.* Si item metuit, ne piaculum committat; si scripturam & fidem nominet materiam huius iudicis; abstineat ab hoc loquendi modo; & controuersias de fide, & scriptura huic iudici pro materia substernat. Quanquam necessariò, saltem indirectè ipsam quoque fidem & scripturam Iudex iste iudicio suo attingit. Quomodo enim per sentẽtiam definitiuam lites de fide, religione, & scriptura componet ac terminabit, si ipsam scripturam, eiusque sensum indirectè saltem, iudicio suo non attingit? Veniunt partes; quorum altera hanc legis diuinæ mentem esse asserit; altera negat; & longè diuersum sensum tribuit. Quid hic faciet iudex, si non habet iudicium in scripturam; hoc est, si declarare non potest; hanc esse mentem scripturæ; illam verò à scriptura abhorrere?

Quàm etiam scitum illud: aliud est, finire controuersias, aliud scripturas interpretari. Quasi verò controuersiæ fidei & religionis aliter finiri ac componi queant, nisi iudex pronũciet, quæ sit mens verbi Dei siue scripti, siue non scripti. Certè quotquot in Concilio Tridentino definitiones fidei exstant, tot exstant verbi Dei interpretationes. Cum autem VVitackerus hic palam fateatur, distincta esse munera Regis & Sacerdotis; illiusque esse politicas; huius, Ecclesiasticas lites componere: quærere lubet, cur Angli Regi suo tanquam supremo Ecclesiæ suæ capiti vtramq; potestatem & iurisdictionem tribuant, Laico nimirum; neque enim Rex Britanniæ Episcopus aut Sacerdos salutari cupit.

Savvbrandus rursus cum syllogismis aduolat & falsiloquo suo ore & calamo Bellarminum sic argumentari mentitur: *Cui tributum est officium respondendi de dubiis legis, ille errare non potest, sed summo Sacerdoti in veteri Testamento tributum est officium respondendi de dubiis legis. Ergo Papa Romanus non potest errare in dubiis explicandis. Nos negamus Maiorem*, inquit Caluinista. Tuam negas, non nostram: nostram negasses, si Maior atque adeo totus syllogismus hoc schemate à nobis in medium processisset. *Cui tributum est officium, de dubiis legis respondendi ex cathedra Moysis; ille errare non potest; quatenus ex cathedra Moysis respondet. Summo sacerdoti in veteri testamento tributum est officium de dubiis legis respondendi ex Moysis cathedra.* Ergo summus sacerdos veteris testamenti errare non potuit. Nam quod tu, *Papam Romanum* in conclusionem intrudis; id sceleratæ & proiectæ audaciæ & nequitiæ tuæ facinus est.

Posito hoc syllogismo de sacerdote veteris testamenti; progredi licet ad summum sacerdotem noui testamenti hac vel simili ratione: *In veteri testamento sacerdos summus ex cathedra Moysis respondens errare non poterat; ergo multo magis credendum est, summum sacerdotem noui testamenti ab omni errore immunem esse quando de dubiis fidei ex cathedra Petri respondet.* Item: *Si Deus synagogæ ita prospexit, vt supremum controuersiarum iudicem, & scripturæ interpretem falli & fallere nescium eidem tribueret, incredibile prorsus est Deum non simili, vel etiam meliore modo voluisse prospicere Ecclesiæ Christianæ.* Hæc & id genus alia sunt Bellarmini & orthodoxorum argumenta; non illa, quæ nequam Caluinistæ huius spiritus, de cerebro suo comminiscitur, & impudentissimè Catholicis affingit: qua in petulãtia & effræni mentiendi licentia exercitatiorem non vidi (verum fateor) isthoc Savvbrãdo, perditæ prorsus ac depositæ mentis Caluiniano.

Hunnius hic multa nugatur. Tandem si omnia inspicias, hæc exit sententia: *Pontificem veteris testamenti debuisse ferre sententiam, iuxta legem.* Quis hoc inficiatur? Etiam noster ferre debet sententiam iuxta diuinam legem. Quid vult amplius Prædicans? Num ideo à lege diuina discedit, quia dicit sententiam; quæ, Prædicantium iudicio, à diuina lege discordare existimatur. Alterum quod Prædicans affirmat, est; *Regi Iosaphat & aliis fuisse inspectionem & ius in summum sacerdotem, ita, vt si officio suo deesset; ipsi regia auctoritate quod deerat, supplerent.* Vtinam hoc ius tam seriò in Prædicantes vsurparent Lutherani & Caluiniani Principes; quàm seriò Prædicantes eo indigent. At experientia constat; quamprimum seu Rex seu Princeps seu Magistratus quispiam Prædicantes paulò restrictius habet, neque liberas habenas permittit; eos mox cælum terrasque clamoribus implere, quasi verbo Dei summa iniuria irrogetur. Et exstant huius clamoris non pauca exem-

pla.

Digitized by Google

pla. Loquor de Germanis nostris; nam Anglos. qui & corpora & animas suas capiti suo sæculari prostituerunt, nihil moror. Quàm verò summi Sacerdotes subiecti fuerint Regibus, satis docet exemplum Oziæ Regis 2. Paralip. 26. qui cum illicito ausu incensum adolere voluisset in templo super altare thymiamatis, *statim ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt Regi, atq; dixerunt, non est tui officij Ozia vt adoleas incensum Domino. sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium.* Qui cum monitionem Sacerdotum contemneret, eisque minaretur; *statim orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini super altare Thymiamatis, cumq; respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum.* Sed quàm falsum sit, Sacerdotes & Pontifices veteris testamenti Regibus fuisse subiectos. copiosè nuper ostendimus in libris *Considerationum* ad Theologos Venetos.

Ad hoc postremum & duo antecedentia Bellarmini argumenta, nihil aliud respondet Danæus, quàm esse *Paralogismos à non caussa*. Si hoc est refutare, quid tandem erit delirare? Imò quo quis magis delirabit, eo propius ad Danæanam refutandi rationem accedet.

CAPVT V.

Idem probatur ex testamento nouo.

PRIMVM argumentum sumitur ex illis verbis Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum,* &c. Respondet VVitackerus. *Claues hic non significant, vt vult Iesuita, authoritatem interpretandi scripturas, & aperiendi ea omnia, quæ sunt in scripturis obscura, sed significant authoritatē prædicandi Euangelium. Quando enim Euangelium prædicatur iis qui credunt, aperitur regnum cælorum, iis verò, qui nolunt credere, clauditur.* Etsi non diffitemur, *claues* hic etiam significare auctoritatem & potestatem Prædicandi Euangelium; luce tamen clarius est significare etiam auctoritatem interpretandi scripturas, & aperiendi ea omnia, quæ in scripturis sunt obscura: tum quia sine hac interpretandi scripturas auctoritate Euangelium rectè prædicari & annunciari nequit; tum quia Christus promisit Petro *claues* regni cælorum, hoc est, talem potestatem, quæ regnum cælorum patefaceret. Quis tam detritæ frontis sit, qui inficias eat; auctoritatem scripturas rectè ac infallibiliter interpretandi vel maximè regnū cęlorum reserare; atque adeo hanc auctoritatem interpretandi, quàm aptissimas regni cælestis aperiendi claues esse. Hinc ita argumentari licet. Quidquid regno cælesti aperiendo & referando necessarium erat; hoc Christus Petro

A promisit, nomine clauium, & postea etiam præstitit; auctoritas infallibiliter scripturas interpretandi, & omnes de fide exortas controuersias terminandi necessaria est regno cælorum aperiendo ac reserando. Igitur Petro hæc potestas à Christo promissa est, & postea præstita.

Secundo respondent VVitackerus, Sibrandus, Hunnius, *auctoritatem istam Clauium. nō Petro tantū. sed reliquis etiam Apostolis commissam esse, hoc enim in loco claues nō dedisse, sed promisisse tantum se daturum. Postea verò vbi dat (Matth. 18. 18. 19. Ioan. 20. 21. 22. 23.) omnes Apostolos æqualiter alloqui. Ergo si Papa habet authoritatem interpretandi scripturas, quia claues Petro datæ sunt, tum & alij etiam Episcopi ac ministri, qui reliquo-*
B *rum Apostolorum successores fuerunt, eandem authoritatē acceperunt, quia reliquis Apostolis perinde atq; Petro datæ claues sunt.* In hoc responso multa insunt peccata; primum non leue illud; quòd pro certo sumit Matth. 18. datam esse Apostolis, & non tantum promissam potestatem clauium; cuius contrarium perspicuè ostendit Bellarminus lib. 1. de Pontif. cap. 12. Secundum; quòd pro certo affirmat, nec tamen probat, claues regni cælorum æqualiter datas Petro & omnibus Apostolis. Licet enim Christus Ioan. 20. vbi promissum Matth. 18. Apostolis omnibus factum soluit; omnes æqualiter alloquatur; postea tamen Ioan. 21. vbi exsoluit promissionē Matth. 16. Petro factam; solum Petrum alloquitur; nec semel, sed ter. *Pasce oues meas.*
C Vnde manifestè apparet, Petrum aliquid supra reliquos Apostolos accepisse; quandoquidem ei peculiaris cura Dominici gregis commissa est; & non tantum quidam clauium vsus; sed ipsæ regni cælestis claues; hoc est, ipsa plenitudo potestatis data est, independenter ab vllo homine; & cum iure transmittendi easdē claues seu plenitudinem potestatis, etiam ad successores. Quo pacto potestatem ligandi & soluendi Apostoli minimè acceperunt; quia dependenter à Petro acceperunt: nam & ipsi oues Christi erant: ergo sub cura Petri, quandoquidē Petro omnes Christi oues absque vlla exceptione concreditę sunt; verbis illis: *Pasce oues meas*: neque aliorum Apostolorum potestas ordinaria erat ratione succes-
D sionis, vt fusè dictum cap. 4.

Tertiò obiicit VVitackerus Augustinum tract. 124. in Ioan. dicentem: *Petrum significasse vniuersalē Ecclesiam; quando illi claues datæ sunt, ergo non Papæ tantum, sed toti Ecclesiæ potestas hæc clauium data fuit.* Respondeo, Petrum vt caput & principem primumque Antistitem repræsentasse Ecclesiam; & consequenter, vt caput & principem Ecclesiæ; non vt priuatam personam claues regni cælorū accepisse; neq; aliter Ecclesię datas esse nisi in suo capite. Nihil autē aptius repræsentat totū, quàm caput; & quod caput accipit; hoc totum corpus accipere dicitur; quia fructus accepti muneris in totum corpus à capite manat.

Digitized by Google

Hunnius hic subtilitatis nec modum nec finem facit, vt seipso meritò existimari queat melior ac præstantior. I. *Quod Petro Matth. 16. dicitur, id pertinet ad omnes Apostolos, eorumq; successores; ergo falsum est; quòd claues regni cælorum Matth. 16. pertineant ad solum Petrum.* Antecedens supponit Hunnius tanquam per se notum in schola Lutherana. Sed num ideo per se notum est in nostra? Ne tamen præconi faciam iniuriam; probat. *Matth. 18. inquit Christus ad Apostolos. Amen dico vobis quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Ergo hic dat omnibus, quod Petro Matth. 16. promisit. Licet hoc loco nunquam dixerit; sicut dixit Petro: Vos estis Petræ; & super has Petras ædificabo Ecclesiam meam; Et vobis dabo vel do claues regni cælorum. Pascite oues meas*, &c. quæ omnia specialiter ad Petrum dicta sunt; ad alios Apostolos nunquam. Vnde ostendet Prædicans, Matth. 18. solui omnibus Apostolis, quod Matth. 16. Petro promissum est?

III. *Nunquam venit sancto Petro in mentem, vt sibi Prætoriam potestatem iudicandi vendicaret, aut se iactaret vniuersalem Iudicem, & quidem solum & vnicum. Ergo falsum est, quod Papistæ de S. Petro eiusq; successoribus asserunt.*

IV. *Nolite vocari Rabbi. Vnus enim est Magister vester, nempe Christus: Omnes autem vos fratres estis. Ergo S. Petrus & successores eius non sunt supremi controuersiarum iudices.*

V. *Nec vocemini Magistri; Vnus est enim Magister vester Christus; Ergo S. Petrus non fuit Magister fidei; neq; etiam Papa iam hoc nomine affici poterit.* Mirum, si vnus tantum est Magister, & vsurpatio huius nominis illicita est, quomodo Hunnius *Magistrum* sese appellari permiserit.

VI. *Petrus nihil docuit aut fecit extra vel præter scripturam. Ergo Petrus non fuit supremus controuersiarum iudex.*

VII. *Petrus patiebatur inquiri in suam doctrinam; Papa hoc non patitur; ergo Papa non est successor Petri.*

VIII. *Cathedra Moysis non fuit alligata ad vnum hominem, vel etiam ad successionem loci; ergo multo minus cathedra Petri est vlli vel homini vel loco alligata.* Antecedens potuisset Hunnius multis modis probare, ex Deut. 17. vbi iubentur dubij legis ascendere ad summum Sacerdotem, & quidem ad locum, quem Dominus Deus elegerit; certum est ergo Moysis cathedram certo homini non fuisse alligatam; quia alligata erat ad personam summi apud Hebræos Sacerdotis; vel ad concilium Sacerdotum; *Et certum est successione caruisse*; quia continua serie transiit ad posteros vsque ad tempus sepultæ Synagogæ. Quomodo autem cathedra Moysis certo loco fuerit alligata, & quo sensu id verum sit, explicatum est in Responso Hunniano capite decimo septimo.

A IX. *Cathedram Petri tenent, quicunque Petri doctrinam sonant: ergo Papa non tenet cathedram Petri.*

X. *Etiam Prædicantes Pagani & villici Euangelium sincerè docentes* (vbi tales?) *sedent in Cathedra Petri, & meliore iure, quàm Romanus Pontifex*, ergo, &c. *Hoc pronunciatum*, inquit Hunnius, *admirabile est in auribus & cordibus eorum, qui de poculo Babylonicæ meretricis sunt ebrij.* Planè & hoc, & id genus alia omnibus illis accidunt prorsus admirabilia; quibus *ceruisia Saxonica* fumis suis cerebrum non obtenebrauit.

Adesto nunc tu Savvbrande cum syllogismis & ineptiis tuis. *Quicunq; habet ligandi & soluendi potestatem, eius interpretatio est omnis interpretationis* B *regula. Sed Petrus habet ligandi & soluendi potestatem, ergo Petri interpretatio est omnis interpretationis regula.*

Nos negamus Maiorem, inquit Caluinista. Et nos quoque. At cuius est ista Maior, nisi tua? Medebimur tamen ei vnico vocabulo adiuncto. Quicque habet supremam seu vniuersalem ligandi & soluendi potestatem, eius interpretatio est omnis interpretationis regula: Sic conformata rectè habet Maior, totusque syllogismus. Quarè quod verbosè hic garris, *ministros ligando, soluendo, docendo, & scripturas interpretando errare posse.* tecum non nobiscum litigas; nemo enim aduersatur. Quæstio est, vtrum supremus Minister in Cathedra Petri sedens, & inde ligans, soluens, do- C cens, errare queat: non autem quæstio est de inferioribus Ministris, vt hic mentitur Sibrandus, qui talia commenta sibi fabricat, vt habeat postea refutandi vel potius calumniandi materiam.

Ait, *locum illum Matth. 16. tantum pertinere ad solutionem vel ligationem peccatorum*: probat; *quia ille Matth. 18. & alter Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata*, &c. tantum pertinent ad remissionem vel retentionem peccatorum. Quidquid sit de his duobus locis, illum Matth. 16. continere omnem auctoritatem & potestatem, quæ regno cælesti aperiendo necessaria est, iam contra VVitackerum demonstrauimus; & patet ex verbis illis: *Tibi dabo claues regni cælorum*: & ex illis: *super hanc Petram* D *ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Quid magis dici potest clauis regni cælestis, quàm recta scripturarum interpretatio & intelligentia? Petro item dictum est: *Pasce oues meas*: Quo pabulo magis pascuntur, quàm recta doctrina? Recta porrò doctrina, quomodo absque vera & infallibili scripturas interpretandi magisterio subsistet?

Mentitur Caluinista, *Papam vendicare sibi potestatem pro libitu interpretandi scripturas.* Quam trita est hæc ore Hæreticorum calumnia, tam falsa est: quia Papa scripturam aliter non interpretatur; quàm ex traditionis Ecclesiasticæ præscripto & regula. Quid aliud denuo hic facit Savvbrandus, quàm quod aërem verberat, cum, vt loquaciter ita & futiliter probat; *scripturas non esse ad libitum*

Digitized by Google

bitum interpretandas: cui ex Catholicis non est hoc sensibus intimis insculptum? Vtinam Sectarij istud in intima præcordia demitterent, tanque serio interpretationes *ad libitum & libidinem* vitarent; quàm serio nos easdem vitandas sentimus, clamque palamque docemus.

Quæ de æqualitate Apostolorum Sibrandus subiicit, nugæ sunt iam sæpius protritæ. Æquales fuerunt, vt Apostoli & in Apostolica potestate præcisè: Inæquales, quatenus vnus ex illis constitutus est Pastor; cæteri oues: vnus princeps: cæteri subditi; vnus caput Ecclesiæ, reliqui membra subiecta.

Secundus Savvbrandi syllogismus. *Quidquid dici potest de Petro, hoc etiam de Papa Romano dici potest. Sed de Petro dici potest, quod ipsius interpretatio sit omnis interpretationis regula. Ergo & de Papa dici potest, quod ipsius interpretatio sit omnis interpretationis regula. Negamus Maiorem*, inquit Caluinista. Etiam nos negamus eandem; quia non prodiit ex officina nostra; sed ex Caluinistica. Eius falsitatem operosè conatur Sibrandus demóstrare. Quid opus hac opera? Quis Catholicorum aut dixit aut scripsit, quidquid de Petro affirmari potest; id etiam affirmari posse de Papa Romano? Hoc dicimus; quidquid de Petro, vt supremo fidei Christianæ principe, & omnium controuersiarum iudice, ratione huius sui officij & functionis verè affirmatur, id itidem verè affirmari de Papa Romano. At *esse Apostolum*, non affirmatur de S. Petro præcisè ex hoc, quòd fuit supremus controuersiarum iudex; aliâs nemo Apostolorum fuisset Apostolus, præter sanctum Petrum: quia nemo ex illis fuit omnium supremus & independens Iudex, præter S. Petrum. Quocirca necesse non est, vt, qui est summus controuersiarum Iudex & scripturæ supremus Interpres, sit etiam Apostolus; satis est, quòd Principis Apostolorum sit successor. Quod si propterea Papa Romanus non potest esse successor sancti Petri, quia non est Apostolus, neque Episcopi aut ministri Ecclesiæ erunt successores Apostolorum; quia ipsi non sunt Apostoli, eo sensu, quo id vocabuli per excellentiam quibusdam Christi discipulis tribui consueuit. At Hæretici passim clamant: *Ministros Ecclesiæ esse successores Apostolorum*: Si igitur non omnia, quæ affirmantur de Apostolis, affirmari verè possunt de Ecclesiæ Ministris; cur Sibrandus à successione S. Petri excludit Romanum Pontificem, quod quædam de Petro affirmentur, quæ de Romano Pontifice affirmari nequeant? Etsi, vt dicebam, nihil de S. Petro affirmatur, quod verè non affirmetur de Pontifice Romano ratione officij & functionis, in qua S. Petro Papa succedit: Nam quòd Tabitham excitauit; quòd alia mira S. Petrus fecit, ea personali priuilegio adscribi debent, in quo ei non est successum, neque ad Ecclesiasticæ gubernationis administrationem necessarium est, vt in his & similibus D. Petro succedatur. Hinc Maior huius Savvbrandici syllogismi sic exasciari debet; vt incipiat esse vera, & desinat esse Savvbrandica. *Quicquid dici potest de Petro, quatenus erat Ecclesiæ caput, & summus omnium controuersiarum Iudex, id etiam dici potest de Papa Romano*. Maior in hunc modum reformata, verissima est; quidquid inferorum portæ contra latrent. Alia, quæ hic blaterat Savvbrandus, *vetera sunt repotia centies apposita, centies confutata à nostris*.

Danæus totum hoc caput tribus verbis expedit; nimirum, omnia argumenta Bellarmini esse *paralogismum à non caussa*: & *paralogismum à dicto secundum quid*: & *suis iniuriam fieri, cum accusantur, quòd scripturas priuato spiritu exponant*. Qua refutádi ratione nulla est facilior ac promptior; si tamen, vt supra monebam, hoc refutare est, non delirare.

Secundus locus ex nouo testamento habetur Matth. 18. 17. *Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. Loquitur Dominus de iniuriis priuatis, sed à maiori intelligendus est de publicis iniuriis qualis est hæresis. Per Ecclesiam verò non totum corpus fidelium intelligit, sed pastores tantum, & Episcopos. Respondet VVitackerus. *Loquitur illic Christus non de interpretatione scripturæ, sed de fraterna correctione & admonitione, quam qui contemnunt & nihil faciunt, de iis ad Ecclesiam ipsam referendum est*. Imò, velis nolis, etiam de interpretatione scripturæ illic Christus loquitur. Si enim Ecclesia audiri debet; quando discordantes inter se reconciliat; plus quàm mirum foret; si audienda non esset, quando erranti, & à Catholicæ veritatis regula discordanti verum scripturæ sensum monstrat; vt in viam redeat. Vtrum grauius & perniciosius est, discordare à proximo voluntate & affectu; an discordare ab Ecclesia, falso scripturæ intellectu?

Fatetur VVitackerus *Ecclesiam esse audiendam*; sed *veram*: Idem & nos fatemur. Quis falsam Ecclesiam vnquam audiendam dixit? Item, *esse audiendam, quando scripturæ consona præcipit*. Idem nobis sensus est: Tantum in hoc dissidemus, quòd sectarij contendunt, fieri posse, vt Ecclesia *falsum doceat*, aliisue obtundat, nos verò id constanter inficiamur: quia Ecclesia est columna & firmamentum veritatis: quomodo à veritate excideret? Magna Hæreticorum vel impudentia vel inscitia, vel vtrúmque est, dum eius scita, & decreta etiam ad priuati cuiusque examen deuocanda clamitant, vt disquirat, an non fortè Ecclesia *carbones pro auro* apposuerit. Quid sceleratius & flagitiosius, quàm quòd priuatum quemque iudicem Ecclesiæ constituunt; virgulamq; censoriam in eius dicta stringendam cuilibet tradunt?

Hunnius hoc loco solitis subtilitatibus nos pascit. I. *Locum illum intelligi de offensis priuatis*. An non hoc ipsum docet Bellarminus? Num ideo perti-

pertinere nequit ad illa, quæ peccantur in Deum & proximum circa religionis dogmata?

II. *Non est certum, quæ nam sit illa Ecclesia, cui indicandus sit Hæreticus.* Forsan apud vos, non est certum. Apud nos nihil est certius. Nam Catholicæ Ecclesiæ dicimus hæreticum esse indicandum.

III. *Quæstio est num Christus hæc proponens intellexerit de prælato Romano?* Omnino; quia credibile non est à Christo supremum omnium disceptationum & controuersiarum iudicem exclusum esse.

IV. *Quæstio est; num Apostoli vel per febrim eò pertinere dictum Christi somniauerint.* Difficile est respondere, quia non constat, vtrum Apostoli febri laborarint, quando Christus supradicta verba protulit. Si tamen vera coniectura vti licet; plane etiam sine febri, intellexisse videntur hæc verba, cum ad alios Ecclesiæ præsules, tum definitiuè ad omnium supremum pertinere.

V. Ex sententia Bellarmini, hic esset loci illius sensus: *Si frater tuus in te peccauerit, & nullis priuatis admonitionibus in viam se reuocari sinit; tum curre ad Caipham Sacerdotem, & Hannam, & reliquos Iudaicæ Synagogæ proceres, Pharisæos & scribas. Sic enim ex statu Ecclesiæ eorum temporum esset explicandus sermo Christi.* Etiam cum Synagoga adhuc viueret; ad Ecclesiam, hoc est, ad Synagogæ proceres, itum est: indicatumque, si quid proximi emendandi caussa indicandum videretur: nam quòd Prædicans dicit, Hebræo populo fuisse inusitatum; *vt priuatæ offensiones deferrentur ad Pontificem; conciliumq. Sacerdotum,* non modò falsum, sed & imperitum esse; patet vel ex solo illo Deuteron. 17. testimonio, de quo supra satis multa. Si enim tales caussæ, etiam inter priuatos, existerent, quibus terminandis iudices inferiores non sufficerent; iussu Dei ad supremum tribunal ibatur; & definitiua sententia exquirebatur. Consequenter cum Synagoga adhuc steterit, quando Christus hæc verba protulit: Omnino credendum est; Christum, etiam ad illius Ecclesiæ antistites respexisse; siue eis nomen esset *Caiphas*, siue *Annas*; præsertim cum alibi iusserit; vt sedentibus in cathedra Moysis omnes diligenter morem gererent; tametsi dubitandum non existimo, Redemptorem nostrum præcipuè pastores & præsides Ecclesiæ Christianæ paulò post inchoandæ denotasse.

VI. *Nomine Ecclesiæ intelliguntur ordinarij verbi Ministri*, hoc est, Prædicantes, *vel etiam alij pij homines: ergo non intelliguntur Episcopi aut Papa Romanus.* Antecedens probatur. *Quia Christus mox subindicat definiens quæ sit illa Ecclesia, dico vobis quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Si ergo duo, qualescunque tandem illi, alicubi congregati sunt; poterit ad eos contumax deferri ab illo, qui offensus fuit; & ab altero & tertio, quos ille, tanquam testes assumpsit. Ita tres ibunt ad duos; non rarò sutores & sartores *in nomine Domini congregatos*; quos si audire nolit, tunc, *vt Ethnicus & Publicanus* habebitur. Pulchrè profectò, quasi quiuis de triuio opifices *excommunicandi*, & à cœtu fidelium segregandi ius ac potestatem habeant. Quid non comministitur falsitas; ne veritatis lucem cogatur aspicere? Quasi verò duo vel tres priuati, & fortè laici, ita repræsentent Ecclesiam, vt vel in speciem probabiliter dici queat; Christum nomine Ecclesiæ istos designasse; cum ex communi Christianorum sentiendi & loquendi consuetudine capita (cuiusmodi antistites) Ecclesiam duntaxat repræsentent.

VII. *Praxis Ecclesiæ Pontificiæ reclamat interpretationi Iesuiticæ; quia nunquam sub Papatu fuit frequentatum, vt omnes priuatæ offensiones, quando pars lædens omnes admonitiones repudiat, deferrentur ad Pontificem, vel etiam ad prælatorum congregationem.* Quis verò vnquam dixit, omnes priuatas offensiones ad Pontificem deferendas esse? An non sæpe leuissimis ex caussis offensiones exsistunt? Num ideo quoties vel de *lana caprina* quæstio est, ad summum Pontificem recurretur? Nemo hoc affirmat. Graues offensiones sint oportet; & grauia crimina, quibus proximus irretitus est; neque Christi verba tantùm de Pontifice; sed & de aliis pastoribus inferioris sortis & conditionis accipienda sunt: vt malo vel medicinam vel pœnam adhibeant; quanquam, si poste gradatim ascendendum sit, tandem perueniatur ad vnum summum pastorem; siue agatur de offensionibus natis ex caussa ciuili; siue de illis, quæ ob peccata in religionis & veræ fidei doctrinam commissa, exsistunt.

Ait Hunnius; *Si Bellarminus nomine prælati intelligeret cuiuslibet Ecclesiæ pastorem cum adiunctis collegis, non refragarer.* Omnino Ecclesiæ nomine intelligit Bellarminus cuiuslibet Ecclesiæ legitimum & ordinarium pastorem; ne parochis quidem exclusis; quorum est, si nihil efficiant, caussam ad Episcopum deferre.

Sed hoc sensu, inquit Prædicans, *non potest accommodari ad probationem Bellarminiani thematis, videlicet quod Papa sit controuersiarum in religione supremus iudex.* Imò accommodari potest: Si enim ad pastores deferendæ sunt, *etiam illæ* offensiones, quæ oriuntur ex peccatis contra fidem & Orthodoxam religionem; & non tantum illæ, quæ ex aliis peccatis aduersus alias virtutes patratis progignuntur; tum sequitur, pastores non tantum esse, vt sic loquar, pacificatores & reconciliatores, fratrumque delinquentium correctores ac emendatores in iis, quæ contra alias virtutes committunt; sed & in iis, quæ contra fidem sanamque doctrinā peccant. At qui hoc ex officio agit, ille est controuersiarum fidei iudex; quia fratrem non tantum erudit & instituit, tan-

quam

Digitized by Google

quam doctor; sed & tanquam superior mandat ei, vt hoc sentiat; non aliud; hoc enim legi diuinæ consentaneum esse, non aliud. Et quia fieri potest, vt sententiæ ab inferiore iudice pronunciatæ non acquiescatur; vel quia malè lata est; vel quia malè lata creditur, quanquam immeritò; ea propter necessarium est; vt sit supremus; cuius vox simpliciter sit infallibilis, & omnis erroris expers.

Arguit Hunnius Bellarminum *contradictionis*. Quid ita? Quia capite quarto dixerat, vltimum iudicium esse vnius pastoris; hic scribit, *vltimum iudicium esse pastorum*. En antilogiam; quæ citius dissipabitur, quàm à vento pluma; si dicas, vltimum iudicium esse pastorum vnà cum illo vno summo pastore congregatorum: & vltimum iudicium esse illius vnius pastoris etiam seorsim & sigillatim accepti. Ita vltimum iudicium ad pastores pertinet per illum vnum supremum; & ad hunc etiam spectat quia per se, & non interuentu alterius ad illum spectat.

Adde; *vltimum iudicium* dupliciter dici; primò, in certo genere. Secundò, simpliciter & absolutè. Vltimum iudicium primi generis pertinet ad pastores inferiores, etiam sigillatim consideratos; vltimum iudicium posterioris generis pertinet ad pastorem summum, vel seorsim, vel cum Synodo. Ex quibus consit, non Bellarminum propria vineta cædere, vt calumniatur Prædicans; sed Prædicantem criminationibus nimis intentum, non aduertere, quid in chartam effundat & effutiat.

Savvbrandus à mendacio auspicatur; vt reliqua, quæ subiecturus est, eò felicius pertexat. Ait, *ex dicto Christi à Bellarmino tale argumentum eduti. Quando Ecclesia fratrem peccantem admonet tum est audienda; Ergo Papæ iudicium est omnis interpretationis regula. Acutum & prorsus Iesuiticum argumentum*, inquit improbus Caluinista; qui si vel micam pudoris reliquam haberet, tam impudenter non mentiretur & calumniaretur. Vbi Bellarminus vel implicitè insinuauit, vel explicitè hoc delirium posuit? Tua hæc sunt flagitiosa commenta & mendacia; quæ quoties nobis reponis, reponis autem singulis pagellis; toties planum testatumque facis, te verecundiam & ex mente & ex fronte penitus expunxisse; & veritati vale in perpetuum dixisse. *Agitur*, inquis, *eo loco de disciplina Ecclesiastica*. An non hoc ipsum confitetur Bellarminus? sed num ad disciplinam Ecclesiasticam non pertinet Orthodoxæ fidei sartæ tectæ custodiendæ cura ac studium? In quam si peccetur, silebit scilicet proximus; nec admonebit fratrem; neque, si aures occludat; vnum & alterum adhuc secum assumet: neque tandem, si pertinax permaneat, rem ad Ecclesiam deferet; vt corrigatur frater, qui auius à veræ fidei semita incedit. Scilicet plus momenti inest in exstirpatione aliorum vitiorum, quàm in euellendis

A erroribus doctrinæ Catholicæ & Apostolicæ aduersis.

Sequitur syllogismus Sibrandicus. *Qui moribus formandis præsunt, illi sunt audiendi, sed Ecclesia vel eius presbyteri moribus formandis præ sunt; Ergo Ecclesia & eius presbyteri in vitiis corrigendis sunt audiendi*. Dicamus nos. Qui veræ fidei conseruandæ præsunt, illi sunt audiendi. Ecclesia vel eius presbyteri & inprimis summus presbyter veræ fidei conseruandæ præsunt; ergo Ecclesia & eius presbyteri, & inprimis summus presbyter audiendi sunt.

Excutiamus syllogismum Sibrandicum. *Qui moribus formandis præsunt illi sunt audiendi*. Inferamus nos: ergo illi etiam sunt audiendi, qui fidei
B Orthodoxæ & sanæ doctrinæ conseruandæ præsunt. Probatur consequentia. Quia mores formari nequeunt; nisi doctrina sana seruetur integra & illibata; Impossibile enim est; vt mores constent; si vera fides sublata sit. Si igitur Christus eo loci agit de formandis moribus; & his, quibus horum cura incumbit; euidens est, illum etiam agere de sana & Orthodoxa doctrina; quæ honestatis morum basis est ac fundamentum: deque illis, quorum munus est sanam & Orthodoxam doctrinam sedulò custodire; eliminatis omnibus illis; quæ huius integritatem quoquo modo violant.

Sed en nouum mendacium; Affingit Sibrandus Bellarmino hoc somnium. *Presbyteri debent
C hæreticos arguere; ergo Papa non potest errare in doctrina*. Mentiris Savvbrande. Nunquam sic argumentatus est Bellarminus. Fatuæ istæ stultitię ex capite tuo, vel potius ex immensa criminandi & mentiendi libine proficiscuntur. Si quis ex sensu loci illius Matth. 18. argumentari velit, sic ratiocinatio informanda erit. Presbyteri debent hęreticos arguere; & in viam veritatis reducere; ergo inter hos presbyteros vnum supremum esse decet; qui hæreticos infallibiliter arguat & instituat. Quis autem iste vnus Sibrande? qui mox somnium tuum alio somnio corrigis. *Quicunq. debent hæreticos admonere, illi non possunt in scriptura explicanda errare. Sed omnes Episcopi debent hæreticos admonere. Ergo nulli Episcopi possunt errare in scriptura explicanda. Hæc
D Maior falsa est*, inquis. At tua est, non nostra. Quapropter tua postea commenta refellis, non nostra dogmata. Lactantium vocas *Episcopum*. Quæso cuius vrbis fuit Episcopus? Cætera, vt & alia omnia, λῆροι sunt, & cerebri tui malè affecti phantasmata, & malæ mentis turpissima figmenta; vt cum ais; *Bellarminum ita argumentari. Episcopus in iudicando errare non potest; ergo Papa interpretatio est authentica*. Os hominis, quem nullius turpitudinis aut piget aut pudet. Dignus est hic Sycophāta; qui improbissimam hanc calumniandi & mentiendi impotentiam luat & expiet omnibus illis pœnis, quæ iam olim à variis gentibus in calumniatores & mendaces decretæ sunt.

Iuni-

Iunius paucula hic libat. Primum; *prælatum & prælatorum congregationem vnum & idem esse.* Perinde ac si dicat: Imperatorem & principum comitia seu conuentum vnum & idem esse. Carpit, quod Bellarminus dicit: *iudicium esse pastorum.* Occlamat: *Imò sequitur, Dei esse iudicium. Pastorum verò denunciationem iudicij ex verbo Dei, velut præconum & nunciorum vel interpretum illius.* Similiter ac si dicas. In caussis ciuilibus cum fur laqueo; latro rotæ adiudicatur; iudicium Imperatoris est. Iudicum verò denunciatio iudicij ex iure ciuili seu Imperatorio, velut præconum & nunciorum vel interpretum illius. Quàm scitum verò hoc? An ideo iudicium non est iudicis, quia ius dicit & iudicium fert iuxta leges ciuiles? Ex quo sequitur, iudices non esse iudices; sed tantùm præcones; quia non iudicant, sed tantum iudicium annunciant. Si hoc absurdum in politicis, cur rationi & æquitati consonum censeretur in Ecclesiasticis?

Tertius locus à Bellarmino prolatus habetur Matth. 23. vbi Dominus: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere. dicunt enim & non faciunt*: ergo si illi audiendi sunt, inquit Bellarminus, qui sedent in cathedra Moysis, tum multo magis audiendi erunt, qui sedent in cathedra Petri. Respondet VVitackerus. *In cathedra Mosi sedere est Mosi in docendo succedere, per cathedram enim Mosis, doctrina à Mose tradita, & docendi functio intelligitur.* (sed infallibilis) *In hac cathedra scribæ & Pharisæi sedebant, & rectè quædam* (imo omnia recte) *ac legitimè docebant* ex cathedra. (Neque enim dixit Saluator. *Quædam*, quæ dixerint vobis, *seruate & facite*: sed, *Quæcunq; dixerint vobis*, hoc est, omnia.) *Audiendi ergo illi erant, non tamen per omnia*: (at Christus nullam penitus exceptionem attulit) *sed tunc duntaxat, quando docebant secundum legem, & quando in docendo Mosen sequebantur.* (At ex cathedra docentes, semper docebant secundum legem, semperq; docendo ex cathedra, Mosem sequebantur.

Nam tunc Christus secum pugnasset, inquit VVitackerus. *Matthæi enim quinto, sexto, & septimo cap. illorum falsam legis interpretationẽ refellit, & dogmata quædam contra veram legis sententiam ab illis in Ecclesiam inuecta, prorsus remouet.* At his locis non agit Dominus de publica Pharisæorum & scribarum doctrina; ex cathedra Moysis & ex publica docendi auctoritate tradita; sed de priuata; quam isti extra Moysis cathedram inuehebant & inferebant; vt latius scripsi digressione quarta contra Hunnium, & cap. 17. Responsi ad Theses Hunnianas.

Quid iam Hunnius? *Attendenda initiò est vera sententia verborum Domini; super cathedra Moysis, &c. Ea per collationem scripturæ* (Hunnianam scilicet) *eruitur. Conferatur ergo cum hoc dicto id, quod legitur Matth. 15. Omittite illos nam cæci sunt, & cæcorum duces. Sed & alterum. Matth. 16. Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorũ, id est à doctrina illorum, sicut Euangelista mox addit: intellexisse discipulos, quod non de fermento panis dixisset Dominus, sed de doctrina. Hæc non ita conciliantur, vt imitati Gretzerum in Colloquio Ratisbonensi, dicamus prohibuisse Dominum doctrinam Pharisæorum, priuatam quidem non publicam. nam certum est publicam doctrinam Pharisæorum, quam sonabant in omnibus Synagogis & Templo, de lege Dei, de Messia, quod Dauidis esset futurus filius, non Dei filius, quodq; regnum habiturus esset mundanum, fuisse horribiliter corruptam.* Nihil audio præter horribilem Prædicantis huius inscitiam, & mendacium ex homonymia petitum, quo Gretserum onerat: Non enim, rumpatur licet, vllum proferet exemplum, quo planum faciat, quidquam falsi ex cathedra Moysis à scribis & Pharisæis traditum esse: Et Prædicans in homonymia *doctrinæ publicæ*, publicè quidem, sed valde insipienter ludit. Audi Prædicans (repetam enim, quæ iam olim in Digressione quarta scripsi) non est sermo de illa doctrina publica quam quis etiam priuatus, publicè in multorum præsentia tradere & spargere potest, quę publica tantum est ratione auditorum; priuata ratione auctorum, sed sermo est de doctrina publica; quæ publica auctoritate à Scribis & Pharisæis tradebatur; quæ ex cathedra Moysis sonabat, ex qua ipsi etiam mali cogebantur dicere bona, de hac inquam publica doctrina sermo est; doce tale quid ex cathedra Moysis à scribis & Pharisæis traditum esse? nam quod Christo resistebant; quod regnum eius & maiestatem negabant, etiam publicè, id non ex auctoritate Mosaicæ cathedræ sed ex priuata impietate, & vesania faciebant; alioquin Christus nunquam subditos misisset ad scribas & Pharisæos super cathedram Moysis sedentes Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi, &c.* Hinc nulla est in dictis Christi, vt obiiciebat VVitackerus, *repugnantia*. Omnia enim, quæ scribæ & Pharisæi ex cathedra Moysis docent; audienda & reuerenter acceptanda sunt; ea autem; quæ suo ex capite, tanquam priuati doctores, contra Moysis cathedram docebant; ex monito Christi repudiari debent: Et de hac priuata doctrina intelligenda sunt loca à Prædicantibus allegata. Quapropter futilis prorsus & Prædicantica est hæc Hunniana explicatio loci illius Matth. 23. *Collatio dictorum non aliam fert sententiam quàm vt dicamus, quando & quatenus Pharisæi textum Mosis prælegebant populo, & iuxta doctrinam Mosis aliqua consentanea docebant, eatenus illis fuisse adhibendam fidem: Quamprimum verò admiscerent suas corruptelas & errores Pharisaicos, fuisse fugiendos, vt cæcos cæcorum duces, imò vt fures & Latrones.* Mirũ, si hic est genuinus loci illius sensus; Christũ adeo nullius exceptionis meminisse; sed absque vlla restrictione præcepisse; auditoribus; vt faciant ea omnia, quæ scribæ & Pharisęi in cathedra Moysis sedentes, dicerẽt ac docerent. Cur nõ hoc

vel

vel simile documentum dedit? Attendite diligenter, ne vos illi, qui in cathedra Moysis sedent, & inde docent, decipiant: quia periculum est, ne errores suos doctrinæ Mosaicæ interserant. Eam ob caussam Moysis doctrinam studiosè & sollicitè cum eorum doctrina comparate; & accuratam collationem instituite, & iudicum iudices; interpretum interpretes, & Magistrorum magistri estote. Nihil horum Dominus, sed docentibus ex cathedra simpliciter obtemperandũ esse docuit. Ex quo manifestum euadit has Prædicanticas glossas non posse subsistere: & mendacium esse, quod VVitackerus dicit; *Scribas & Pharisæos ex cathedra Moysis quotidie pertinacissimè clamitasse; Christum non esse audiendum.* Nunquam proferet quidquam quo huic falsiloquio suo fidem conciliet.

Notat Bellarminus ex S. Cypriano lib. 4. epist. 9. Nunquam à Domino vel Apostolis, reprehensos Pontifices & Sacerdotes Iudæorum, nominando eos *Pontifices* vel *Sacerdotes*, sed solum sub nomine Scribarum & Pharisæorum, ne videretur reprehendere cathedrã & sacerdotium. Obiicit Hunnius; *se in Cypriano dictum hoc reperire non potuisse, neque in exemplari, quo vsus sit, epistolas Cypriani diuidi in diuersos libros.* Si editionem Erasmi inspexisset; diuisionem epistolarum D. Cypriani in libros inuenisset; & loco à Bellarmino notato illud ipsum, de quo quæritur, reperisset, & VVitackerus manifesti mendacij tenetur, cum scribere audet, *Iesuitam ementiri Cyprianum.* Vt & Iunius cum dicit: *ista Cypriano adscribi falsò.* Lector epistolam D. Cypriani consulat; & postea, num VVitackerus, & Iunius mentiantur, constituat.

Ait Hunnius, non esse credibile Cyprianum credidisse Scribas & Pharisæos non errasse: *contra manifestam & in sole expositam veritatem.* Vbi scripsit Bellarminus Cypriano persuasum fuisse Pharisæos nunquam errasse? Errarunt; sed non docentes ex cathedra. Ait Prædicans. *Christus non tantùm reprehendit vitia, sed & doctrinam Pharisæorum.* Num illam, quæ ex cathedra? Hic tandem Prædicans locum aliquem clarum ac illustrem proferat; alioqui plurima dicendo, nihil dicet: Nos Christi verbis tenaciter insistimus ac inhæremus. *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Nihil excepit; quod ex cathedra sonaret. Cur istis aures præberemus, qui exceptiones statuunt; vbi non nisi insulsissimè, & quidem contra mentem Christi statui possunt?

Citat Bellarminus D. Augustinum in epist. 165. dicentem; etiamsi malus quispiam in Petri cathedra sedisset; eum nihil præiudicij adferre orthodoxis aut orthodoxæ doctrinæ; cum Dominus prouidens dixerit de præpositis malis. *Quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite.* Respondet VVitackerus, *hoc Augustini testimonium nihil ad rem facere:* Hunnius illud ex compitis oggerit. μηδὲν πρὸς ἔπος. Quæ parata est illis defensio, quoties quod cum ratione dicant, non inueniunt, & ta-

A men tacere nequeunt: Si D. Augustini dictum adeo ad rem non faceret; isti haud vociferarentur, *ad rem nihil facere:* quia adeo ad rem facit, vt vel hoc vnico testimonio omnia, quæ Sectarij contra sedem Apostolicam boant; iugulemus. Qualescunq; enim sint aut fuerint, qui in cathedra Petri aut sedent aut sederunt; certi sumus de doctrina; quia etiam de malis præpositis cautum nobis est illa Seruatoris monitione; *Quæ dicunt, facite*; quia ex cathedra Petri non nisi bona & salutaria dicunt; vt fusius ex ipso D. Augustino probauimus in Responso ad Theses Hunnianas cap. 17. & alibi sæpe.

Quod Hunnius dicit; D. Augustinum, si nostros Pontifices vidisset, illos, *vt nocentissimos lu-*
B *pos & latrones animarum fuisse detestaturum*; mentiri Prædicantem certus sum; quia Pontifices nostri, quod ad officium & cathedram attinet, alij non sunt, quàm quos D. Augustinus laudauit, & vt D. Petri successores veneratus est. Illud etiam exploratum habeo, si D. Augustinus hodiernos sectarios vidisset; vitari eos iussisset, *vt progeniem viperarum, & generationem prauam & adulteram, vt cæcos & cæcorum duces, denique vt fures & latrones:* Iubet enim Elogia ab Hunnio in Antistites nostros iacta, remittere ad Hunnium, & Hunnianum gregem.

Savvbrandus iterum refutationem orditur à mendacio impudentissimo. Mentitur hoc argumentum esse Bellarmini *Scribæ & Pharisæi docentes*
C *doctrinam Mosis sunt audiendi. ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Effrons caput, quando tandem vel exiguum ingenuitatis & candoris specimen nobis exhibebis? Sed spes omnis periit.

Pergis. *Si illi sunt audiendi qui sedent in cathedra Mosis, tum illi multo magis sunt audiendi, qui sedent in cathedra Petri. At Papa sedet in cathedra Petri, ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Iterum *Diabolum*, hoc est, calumniatorem te præstantem præbes. Vbi Bellarminus hunc syllogismum tam male tornatum cudit? An putas te persuasurum lectori tuo Bellarminum non esse mentis compotem? Conaris quidem hoc; sed nunquam efficies, ne apud tuos quidem, apud quos magna
D & de Bellarmino & de Bellarminianis operibus existimatio. Quod si quis ex tuis illis præmissis veram conclusionem colligere vellet; hanc vtiq; ex præscripto artis Dialecticæ colligeret: *ergo Papa multo magis est audiendus, quàm illi, qui sederunt in cathedra Moysis.*

Alius syllogismus. *Quicunque sedent in cathedra Moysis, illi non possunt errare in scriptura interpretanda. At Pharisæi & Scribæ sedent in cathedra Mosis. Ergo Pharisæi & Scribæ non possunt errare in scriptura explicanda. Respondeo ad Maiorem,* inquit Caluinista. *Si sedere in cathedra Mosis est idem, quod Mosis doctrinam docere, tum illa est vera.* Audi Caluinista. Sedere in cathedra Moysis, & ex cathedra Moysis docere, sententiamq; pronunciare, non est simpliciter Moy-

ſeu docere; aliâs tu quoque ſederes in cathedra Moyſis; ſi quãdo tuis auditoribus aliquem pentateuchi librum explanas; ſed eſt legem Dei explicare, & quæſtiones de illa exortas definire, ex officio & auctoritate illa infallibili; quam Deus olim ſummo Pontifici Iudaicæ ſynagogæ, vel ſoli, vel cum Concilio ſacerdotum, hoc eſt, Scribarum & Phariſæorum contulerat, vt tanquam ſupremi iudices & interpretes de omnibus dubiis circa religionẽ enatis reſponſa certa & explorata darent; & omnes controuerſias componerent. Sicuti ergo iam, quæcunque ſummus Pontifex aut per ſe, aut ſimul cum Epiſcoporum concilio definit; omnibusq́; fidelibus tenenda & ſequenda proponit: reuerenter & abſque vlla diſquiſitione vlteriore amplectimur; qualeſcunque ſint Pontifex & Epiſcopi moribus & vita, quoad ſuas priuatas perſonas; certi ex cathedra Petri, hoc eſt, ex illa publica definiendi auctoritate nullum errorem nullamque falſitatem proficiſci poſſe: ita & in Hebræa Eccleſia, quidquid ſummus Põtifex, vel ſolus per ſe, vel cum ſacerdotum ſynodo definiebat; & omnibus ſequendum ex publico illo ſuo officio proponebat; id nefas erat reiicere: quia Deus non permittebat; vt ex cathedra illa aliquid falſi fidelibus proponeretur; etiamſi non deeſſent in illo concilio; qui vel moribus, vel opinionibus, vel vtriſque deprauati eſſent. Hinc quilibet Scriba, & quilibet Phariſæus, errare poterat, licet publicè legem & Prophetas interpretaretur; nam hæc infallibilis docendi & definiendi auctoritas, non reſidebat, niſi in ſummo Sacerdote; vel in Concilio ex ſummo Sacerdote aliiſq́; ſacerdotibus conflato: quemadmoque iam quoque in Eccleſia Chriſtiana quilibet inferior Epiſcopus errare poteſt in doctrina: quia infallibilis illa docendi & definiendi auctoritas reſidet in ſummo Pontifice vel ſolo; vel, vt cum aliis Epiſcopis Concilium conſtituit. Itaq; ſicuti iam, ſi quis dicat: ſuper cathedram Petri ſederunt Paſtores docti & indocti, probi & improbi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis, facite: is minimè ſignificare vult; iſtos extra Concilium, & à ſummo Paſtore ſeiunctim ſpectatos, falſum dicere aut docere non poſſe: licet publicè doceant, ſacraſque ſcripturas interpretentur; ſed intellectum hoc vult vel de ſolo Pontifice ex pontificia poteſtate & auctoritate aliquid definiente; vel de Pontifice cum legitimè congregato Concilio; ita & Chriſtus cum illa protulit: *ſuper cathedram Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c.* minimè indicare voluit, ſingulos in errorẽ incidere non poſſe, quando Moyſen & ſcripturas, etiam publicè interpretabantur: ſed intellexit dictum illud ſuum vel de ſolo ſummo ſacerdote Moyſis cathedram tenente, & inde doctrinam veram tradente & definiente; vel de Pontifice ſimul cum legitimè congregato ſacerdotum Concilio: Et quemadmodum iam nobis noſtræ ſunt notæ, & indicia, quibus cognoſcere poſſumus, quando

A vel Pontifex vel ſynodus aliquid ex cathedra definiat; ita & Hebręi ſuas habebant notas & γνωρίσματα.

Alius ſyllogiſmus Savvbrandicus. *Quicunque ſedent in cathedra Petri, ij non poſſunt errare in ſcriptura explicanda, ſed Papa ſedet in cathedra petri, Ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Reſpondeo*, inquit Caluiniſta, *ſi in Maiore cathedram intelligis de doctrina. V. G. Qui docent doctrinam Petri, ij non poſſunt errare in ſcriptura explicanda, tum illa vera eſt. Qui enim docet doctrinam Petri, & ab ea non diſcedit, ille non errat in ſcriptura explicanda.* Iterum opus habes inſtructore. Per cathedram Petri intelligimus inter cętera officium & auctoritatem decidendi controuerſias & interpretandi ſcripturas infallibiliter.
B Quam auctoritatem tribuit Dominus D. Petro & ſucceſſoribus eius, ampliſsimis illis verbis *Tu es Petrus. &c portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* Et, *ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sic explicata notione cathedræ Petri apparet veram eſſe maiorem, ſimul & minorem, & concluſionem, licet hæc veritas Nouatoribus ſit crux acerbiſsima.

Ait Caluiniſta, *Papam non docere doctrinam Petri*. Quid ita? *Quia Petrus 1. epiſt. 5. vetat, ne presbyteri dominentur clero. At Papa vendicat ſibi principatum, in totam Eccleſiam*; ergo, &c. Vetat D. Petrus, ne quis ſuperbè, arroganter & faſtuosè clero imperet; non vetat, ne ordo ſit in Eccleſia; aliique aliis ſubſint, omneſquę tandem ſubiiciantur vni capiti. Imò
C hoc vt fieret, ipſa neceſsitas ſuadebat. Quomodo Eccleſia corpus eſſet; ſi capite careret; aut ſi omnes presbyteri capita eſſent?

Multa nugatur Caluiniſta de poteſtate pontificia, ſinamus nugari nugatorem; quia nugones ſuos non niſi nugamentis oblectari nouit: *Sed* en validiſsimum argumentum. *Etiam alij Epiſcopi ſedent in cathedra Petri; ergo alij Epiſcopi æquè ſunt audiendi ac Petrus.* Si neges antecedens, mox illud hunc in modum probat. *Alij Epiſcopi etiam docent doctrinam Petri; ergo ſedent in cathedra Petri; quia ſedere in cathedra Petri, nihil eſt aliud, quàm docere doctrinam Petri.* Si neges conſequentiam ſimul cum probatione; non habebit, quod hiſcat inſulſus [illegible]; nam ſedere in cathedrą Petri eſt habere auctori-
D tatem infallibilem explicandi & *interpretandi* tam Petri, quàm totius ſcripti, & *non ſcripti* verbi doctrinam, vim, & germanam ſententiam. Num hoc aliis Epiſcopis competit?

Si Papa, inquit Caluiniſta, *propterea audiri debet, quod ſedet in cathedra Petri, ſequitur non ipſum iudicium Papæ, ſed cathedram Petri, id eſt, doctrinam Petri, eſſe omnis interpretationis regulam.* Negatur ſequela; quia ipſa cathedra eſt ius & infallibilis poteſtas interpretandi ſcripturam; non autem, vt tu hallucinaris, ipſa ſcriptura ſeu doctrina Petri: Quia ius & poteſtas explanandi Theologiam, verbi gratia, non eſt ipſa Theologia; ſed aliquid diuerſum; & iudicium de aliqua quęſtione; nõ eſt ipſa quæſtio; ſed aliquid aliud; vt vel cæcis perſpicuum:

neque

Digitized by Google

neque Papæ iudicium aliter est omnis interpretationis regula; quàm quatenus omne iudicium de Scripturę sacrę quæstionibus & controuersiis fidei cum hoc iudicio conformari debet.

Ait Caluinista. Quando Papæ interpretatio cum Petri doctrina congruit, *est vera; quando ab ea discrepat, est falsa. Si discrepat, falsa est*; sed negamus discrepare posse, quatenus ex cathedra Petri ꝓficiscitur. Itaque interpretatio Papæ data ex cathedra, necessariò cum doctrina Petri concinit; ex promisso infallibili Redemptoris nostri; qui promisit fore; vt portę inferi nunquam aduersus Ecclesiam supra Petrum ædificatam præualeant. Non abnuimus scripturam omnis interpretationis dici posse regulam; quatenus omnis interpretatio cum scriptura concordare; eidemq́;, vt sic dicam, commensurari debet; sed alia quadam ratione vox Pōtificis omnis interpretationis regula est; quia cum hac congruere debet omnis bona & proba interpretatio; quia nisi cum voce ex cathedra Petri missa conueniat, nec cum scriptura conueniet.

Instat Hæreticus. *Si vis à Mosis cathedra ad Petri cathedram argumentari, potes eodem modo ad Pauli, Ioannis, Andreæ, Thomæ, & reliquorum Apostolorum cathedrā argumentari, nam vt non errant qui in Petri cathedra sedent, id est, qui Petri doctrinam docent, ita etiam non errant, qui in Ioannis, Pauli, Iacobi, & reliquorū Apostolorū cathedra sedent, id est, qui Pauli, Ioannis & reliquorum Apostolorum doctrinam docent, atq; hoc verum est.* Tota hæc deliratio procedit ex ignoratione, quid cathedrę nomine significetur. Dicam igitur. Significat ius & potestatem infallibilem & perpetuam controuersias fidei dirimēdi & scripturas explicandi. Talis vnica est in Ecclesia Catholica cathedra Petri. Nulla Pauli; nulla Iacobi; nulla Ioannis. Quia soli Petro dictum est. *Pasce oues meas.* Soli Petro dictum est. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Tibi dabo claues regni cælorum;* Apostoli neq; erexerunt, neq; posteris reliquerunt cathedras contra Petri cathedram; quam vnam esse oportuit, vt vnitas vbiq; conseruaretur; & omnia tandem ad vnum caput reuocarentur. Itaq; sedere in cathedra Petri, non est præcisè docere doctrinam Petri; sed est tam Petri, quàm vniuersam cælestem doctrinam ex officio & auctoritate infallibili explicare; qualis auctoritas extra Petri cathedram nulla est. Quoties dicendum? Caluinista, Aperi tandem aures, & verum admitte; si tamen vllius veri adhuc capax es, qui strenuè nugari insistis, dum sedere, in cathedra Petri, asseris esse, *docere in loco, vbi Petrus docuit:* & mox natum ex cerebro tuo deliramentum fortiter refellis, monstrumq́; à te editum generosè conficis; & somnia somnias, vt habeas, quibus dispellēdis tempus & otium perdas. Quis Catholicorum vnquam aut scripsit aut dixit; sedere in cathedra Petri, vel docere ex hac cathedra, nihil esse aliud, quàm docere in loco, vbi Petrus docuit? Scilicet si Pontifex esset Bononiæ, aut Ferrariæ, aut in Gallia, aut in Germa-

A nia; non sederet in cathedra Petri; quod Petrus fortasse nunquam in his locis docuerit.

Alius syllogismus Savvbrandinus: *Qui sedent in cathedra Petri, id est, qui administrant cum Petro vnum idemq́; officium, illi errare non possunt. Sed Papa sedet in cathedra Petri, id est, administrat cum Petro vnum idemq́; officium, Ergo Papa nō potest errare. Respondeo, Minorem esse falsam,* inquit Caluinista. At verā esse euidenter conuincit Bellarminus in disputationibus de Pontifice; quò cum peruentum erit; luce veritatis omnes Savvbrandicas nebulas disiiciemus. *Petrus est Apostolus,* inquit Savvbrandus: *Papa non est Apostolus: ergo Papa non est successor D. Petri in officio supremi scripturarum, & controuersiarum interpretis ac iudicis.* O Savvbrandinam consequentiam. Quasi

B verò D. Petrus præcisè vt Apostolus, fuerit summus fidei iudex & arbiter; & non ex alio, quod Apostolatui superadditū est, priuilegio, in quo ei succedit Papa; licet non sit Apostolus, prout hoc nomen paucis quibusdam Christi discipulis ex communi vsu tribui consueuit.

En alias subtilitates Savvbrandicas. *Petrus est immediatè à Deo vocatus, Papa non est immediatè à Deo vocatus, Petri officium est extraordinarium, Papæ non est extraordinarium.* ergo Papa non est successor Petri: quia nullus potest esse successor Petri, nisi immediatè vocetur à Deo; & quidem dum piscatur, vt Petrus piscabatur, quando à Christo vocatus est. Pulchrè.

Accipe adhuc concinnius delirium. *Petri offi-*

C *cium est extraordinarium; Papæ nō est extraordinarium; ergo non habent idem officium.* Si petas, vt probet Petri officiū fuisse extraordinarium', obmutescit; & loco probationis hunc formosissimum syllogismum nobis opponit. *Qui nō habet idem officium cum Petro, ille potest errare in doctrina: Papa non habet idem officium quod Petrus, Ergo Papa potest errare in doctrina, & per consequens, eius iudicium non est omnis Interpretationis regula. Minorem,* inquit Caluinista, *antea probaui.* Quid probasti? Vbi? Quando? Non si omnes digitos tuos præroseris & abroseris, vnquam prædictam Minorem probabis.

Iunius admodum præclarè versatur in hoc, de quo disputamus, loco explanando, Matth. 23. *Super cathedram Moysi, &c. Caussam,* inquit, *cum man-*

D *dato coniunxit Christus in hanc sententiam. Quia in cathedra Mosis sedent, id est, quia vocati sunt in successionem doctrinæ & functionis imperatæ lege, quæcunque dixerint vobis secundum illam vocationem suam, vt seruetis, seruate & facite, quæcunq; secus; nolite facere, secundum opera eorum nolite facere: nam hæc sunt eorum opera, non autem Mosis, siue ad doctrinam, in qua tradenda operarij sunt à Domino instituti, siue ad institutum vitæ respexeris.* En egregium scripturæ interpretem. Vbi illa in præcepto Christi extant? *Quæcunque secus*; hoc est, quæcunque in cathedra sedentes, & ex cathedra docētes, vobis contra legem dixerint, nolite facere. Quasi verò Christus eos in cathedra sedentes, quidquam contra doctrinam cathedræ docere posse significauerit. Vnde hoc Caluinista

Digitized by Google

concludit? Audi mira. Ex his verbis: *secundum opera eorum nolite facere: nam hae sunt eorum opera, non autem Mosis, siue ad doctrinam, in qua tradenda operarij sunt à Domino instituti, siue ad institutum vitae respexeris.* Vbi cernis Caluinistam summa & inscientia & improbitate illud *secundum opera*, non tantum referre ad vitam moresque Scribarum & Pharisaeorum, sed etiam ad doctrinam, quod inprimis omnibus sacrę Scripturę interpretibus & sanctis Patribus aduersatur; qui illud, *secundum opera*, ad solos mores Pharisaeorum pertinere concorditer tradunt. Quis vnquam audiuit, cum quis discipulum, vel auditorem quemcunq; alium monet; vt doctrinam magistri sui sequatur; non autem agat *secundum opera* eius, nomine *operum* intelligi doctrinam, cum certo certius sit, tali loquendi formula, doctrinam & mores seu opera opponi; sicut etiam in eodem homine opponi possunt; quando doctrina eius est optima; vita & opera; pęssima. Quàm ridiculum est, si quis verbis Christi hunc sensum cum Iunio tribuat: *secundum opera doctrinae*, id est, *secundum falsam doctrinam; quam vobis ex cathedra Moysis tradunt, nolite facere*: quia vanissimum hunc sensum refellunt verba; quae proximè Christus subiecit. *Dicunt enim, & non faciunt*: nam si Iunij explicatio vera est, tum *dicere* hoc loco erit falsam doctrinam docere; & *non facere*, erit secundum falsam doctrinam non agere, ex quo conficitur, laude potius quàm vituperatione Scribas & Pharisaeos dignos fuisse, quia licet falsa docuissent; vitam tamen ad falsum illud nō composuissent; quod minimè culpari debet. Minus enim malus est; qui mala tantùm docet; quàm is, qui & mala docet, & malè viuit. At Christus verbis illis: *dicunt & non faciunt*; quae continent caussam illius: *secundum opera eorum nolite facere*: reprehendit Pharisaeos; tanquam à doctrina, quam ex cathedra Moysis tradebant, vita & moribus discordantes, quod fieri non potuisset; si illud: *secundum opera*, etiam ad malam doctrinam pertineret. Non enim verum fuisset dicere: *Dicunt enim & non faciunt*: sed verum fuisset dicere: dicunt nimirum falsa, falsamque doctrinam tradunt; & faciunt quoque: id est, vitam & mores suos ad falsam doctrinam, quam tradunt, egregiè componunt & conformant: at Dominus non sic dixit; sed hoc modo: *Secundum opera eorum nolite facere*: Sed secundum dicta: Quare? *Dicunt enim*, id est, bona docent & tradunt; ideo quaecunque dixerint vobis, *seruate & facite: Et non faciunt*; hoc est, vitam bonae doctrinae cōformem non ducunt: ideo *secundum opera eorum nolite facere*. Quodque per illud *secundum opera*, Christus tantum intellexerit mores & vitam, patet ex sequentibus: mox enim toto fermè capite illo explicat Christus, quae nam fuerint Scribarum & Pharisaeorum opera; secundum quae monuit; vt subditi non facerent: Nàm postquam dixerat: *Dicunt enim*, bona videlicet; *& non faciunt*; bona, quae dicunt; sed potius mala, quae in cathedra non di-

A cunt: statim subiungit. *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt vt videantur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in coenis, &c.* Et id genus alia, quorum longum catalogum Christus eo loco percenset. Quod Caluinista dicit per *opera* accipi doctrinam Matth. 5. vers. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &c.* & *operarij* pro doctoribus Matth. 7. vers. 23. *discędite à me, qui operamini iniquitatem*, id caeteris Caluinisticis commentis accenseatur: nam primo loco manifestum est, per *opera bona*, intelligi externas virtutum actiones, quae in sensus hominum incurrunt, B vitamque ex honestatis legibus compositam, qua quis proximis quasi facem pręfert cùm ad consimilem vitam instituendam, tum ad diuinas laudes concelebrandas. Aequè clarum est illud; *qui operamini iniquitatem*: pertinere ad studia & mores; non ad doctrinam, quae sana & proba esse potest, etiam in flagitiosissimo.

Dices. Malè & mala docere est etiam malum opus; & qui malè & mala docet; non immeritò *operarius iniquitatis* audit: ergo absurdum non est, vt per illud; *secundum opera*: Matth. 23. intelligatur etiam mala doctrina; siue actus malae doctrinae ex cathedra Moysis tradendae. Respondeo, neminem inficiari; actus, quo quis malè docet; esse malum opus: & doctorem mala docentem; C *operarium iniquitatis*: sed negamus dicto loco Matthaei 23. sic vocabulum operis accipi posse: perspicuè enim opponitur doctrinae; & actui seu functioni docendi ex cathedra: vt antea ostensum: & inde etiam patet; quia si illud: *Secundum opera*; pertineret ad aliquem actum malae doctrinae, ex cathedra Moysis à Scribis & Pharisaeis doceri solitae; sequeretur, Christum turbas & *discipulos* suos monuisse; ne & ipsi similiter *ex cathedra* Moysis malè & mala docerent, hoc ipso, quod monuit, ne secundum opera Pharisaeorum facerent, sed consequens est falsum. Probatur sequela Maioris. Quia Christus sermonem illum Matthaei 23. ad turbas & discipulos suos instituit. Et ex hypothesi aduersariorum *illud se-* D *cundum opera*, non tantum ad mores & *vitam; sed* & ad doctrinam publicam ex *cathedra Mosis* doceri solitam, spectat. Iam probatur Minor. Quia planè superuacaneum *erat* monere turbas & discipulos, ne ex cathedra Moysis falsa docerent; quandoquidem nunquā in cathedra Moysis vel sederant, vel sessuri erant: & perinde fuisset; ac si quis doctor iam turbas & vulgares auditores suos moneret; ne vnquam iniustam sententiam in conuentu & senatu Imperij dicerent; in quo tamen neque sedissent vnquam, neque etiam sessuri essent. An non talis commonitio penitus superflua foret?

Deinde, si ex cathedra Moysis Scribae & Pharisaei malè & mala docebant, quî, quaeso, fa-

ctum;

Digitized by Google

ctum; vt tale, tamque enorme scelus, Redemptor noster postea non redargueret, quando in specie crimina & malefacta istorum enumerat; & grauissimis verbis increpat? Nunquam dicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui falsam doctrinam ex cathedra Moysis docetis; & quæ in salutem instituta fuerat, in perniciem auditorum conuertitis.* Nam quod dicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.* Item: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis; quicunque iurauerit per templum, &c.* id & alia eiusdem generis, intelliguntur vel de malo vitæ exemplo, quo aliis offensioni & ruinæ erant, vt similia perpetrarent; & ab ingressu in regnum cælorum præpedirentur; vel de doctrina Pharisæorum priuata, quam alibi Christus vocat *fermentum*; quod etiam patet ex exemplis, quæ ibi Christus de doctrina adfert: neque enim ex cathedra Moysis vnquã docuerunt Scribæ & Pharisæi illud: *Quicunque iurauerit per templum nihil est; qui autem iurauerit in auro templi: debet, &c. & quicunque iurauerit in altari, nihil est; quicunque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet.* Nam si hæc & similia Pharisæi ex cathedra docuissent; nunquam ea exagitasset Christus; quippe non ignarus eius, quod initio monuerat; vt scilicet omnia facerent, & seruarent; quæ Scribæ & Pharisæi ex cathedra Moysis dicerent: Ex quo hoc argumentum conficere licet.

Christus absolutè & sine vlla restrictione voluit dictis Scribarum & Pharisæorum ex cathedra Mosaica profectis morem geri; quia dixit; *quæcunque*, id est, omnia, *quæ vobis dixerint, seruate & facite*; nihil excepit; ergo omnia Scribarum & Pharisæorum dicta ex cathedra fuêre bona & salutaria, & legi diuinæ consona.

Iunius stultitiam, quam hactenus oppugnauimus, probat, primò *ex analogia caussæ, quam Christus enunciat; in cathedra Mosis sedent.* Quæ hæc Analogia, insipientiæ Iunianæ parens? Certè caussa, quam Christus eo loco turbis explicandam, immò & instillandam susceperat, alia non fuit; quàm vt eis, qui cathedram Moysis tenebant, diligentissimè morem gererent, quod attinet ad doctrinam. Huius caussæ analogia quid caussam Iunianam iuuet, equidem non video.

Idem demonstratur, inquit Iunius, *ex mandati verbis: seruate & facite: quorum alterum doctrinam, alterum vitam propriè respicit.* Nostram caussam promouent hæc mandati verba, quorum sensus: *omnia quæ vobis ex cathedra Moysis dixerint, siue credenda, siue agenda; seruate & facite*; quia non nisi verum, credendum; & non nisi bonum, agendum, ex cathedra illa præscribent.

Tertiò idem probat Iunius ex Interpretatione. *Ligant enim onera grauia, &c. nam quis vsque adeo desipit, vt eadem onera imperari à Christo putet, eo quod imperauissent illa Pharisæi?* Et quis vsque adeo desipit, vt ea, quæ in Pharisæis Christus reprehendit, à Christo imperata vel approbata existimet? Nam illud: *alligant enim onera, &c.* & quæ sequuntur, non adfert Christus, tanquam exempla operum imitandorum, sed potius fugiendorum; & sunt nimirum illa ipsa; quæ Christus indicauit illo monito: *secundum opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt*: nam in cathedra dicebant; hominibus non esse imponenda onera portatu vel difficilia vel impossibilia; & si quid à superiore mandetur; debere eundem exemplo præire, humerosque oneri supponere: at extra cathedram contrarium prorsus factitabant; & grauissimum iugum, quo alios onerabant, fermeque deprimebant, vix extremo digito tangebant.

Quartò, idem patere, dicit Iunius *ex exemplis quæ Christus adducit, non tantum morum, sed & doctrinæ.* Iam responsum est, esse exempla doctrinæ priuatæ, non publicæ ex cathedra.

Quartum testimonium à Bellarmino productum, est Ioannis vltimo. *Simon Petre pasce oues meas, &c.* Vbi tria obseruanda Bellarminus monet. I. quod dicitur Petro, dici etiam successoribus. Respondet VVitackerus, *hæc ad vnum Petrum peculiariter pertinere. His enim verbis* Petrus pristinæ Apostolici muneris dignitati restituitur, *à qua tum exciderat, & sic Patres ipsi hunc locum interpretati sunt.* Sed vel mentitur, vel hallucinatur VVitackerus: non enim per negationem Apostolatum seu Apostolicum officium diuus Petrus amiserat: quem mox Dominus, vt charissimum discipulum benigno vultu respexit, pioque aspectu ad amarissimas lacrymas profundendas inflexit: & Iudæ peccatum proculdubio grauius fuit; & tamen discipulus & Apostolus vsque ad laqueum, vel saltem proditionis momentum mansit; licet iam pridem fur fuisset; & iam quoque Dominum Iudæis vendidisset; & proditionem animo informasset ac destinasset. Quod patres dicunt; *Petrum ter fuisse interrogatum; quia ter negauerat*: id minimè significat; Petro tunc restitutum Apostolatum; antea negando amissum & deperditum; sed trinam hanc amoris confessionem, fuisse aliquam negationis trinæ compensationem. Potuit autem hanc triplicem dilectionis suæ in Christum professionem Christo compensationis loco offerre; licet Apostolicum officium nunquam amiserit. Quod verba illa, *pasce oues meas*: non modò ad D. Petrum, sed & ad successores D. Petri pertineant, hac ratione ostendit Bellarminus; quia Christus non voluit prouidere Ecclesiæ ad viginti quinque tantùm annos, sed quousque mundus duraret; signum est ergo verba illa non ad solum Petrum, sed & ad successores Petri spectare; quia non tantum illa Ecclesia, quæ erat viuente in his terris D. Petro, tali pastore egebat, qualis erat D. Petrus; sed & Ecclesia omnium aliarum subsequentium ætatum. Quod ipse tan-

dem VVitackerus agnoscit. *Fateor*, inquit, *hæc verba vi applicationis aut collectionis, ad Petri etiam successores accommodari posse, si enim Petrum oportebat Christi agnos ouesque pascere, ergo & successores hac in re Petro similes esse debent.* Rectè sentis VVitackere; persiste in hac sententia, laudemque merebe ris. Sed mox, vt video, rectam viam deseris. Ais enim. *Hoc æquè ad omnes Episcopos & ministros atque ad ipsum Pontificem Romanum pertinere, quia omnes hac in re, id est, in prædicatione verbi, Petro succedunt, eiusque diligentiam in pascendis Christi ouibus imitari debent.* Vnum his deesse video, nempe, quòd VVitackerus non probat, alios Episcopos succedere etiam diuo Petro in vniuersali cura ouilis Dominici curandi, & in vniuersali prædicatione verbi, eaque independente, & ab omni cuiuscunque superioris imperio libera: hoc si VVitackerus demonstraret, forsan aliquid efficeret. Interea inanes logos serit; & talium inaniarum peripsematis chartas suas complet; vt & tunc, cum clamitat; *omnes Episcopos D. Petri successores esse.*

Secundo notat Bellarminus illud *Pasce* intelligi præcipuè de doctrina, sic enim pascuntur oues rationales Hieremiæ 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Respondet VVitackerus. *Hoc rectè quidem ab eo notatum esse, atque ideo dico hæc verba minimè omnium ad Pontificem Romanum pertinere, quia is minimè omnium docet.* Meram calumniam audio: nam Pontifex Romanus ore omnium orthodoxorum doctorum & concionatorum docet; tanquam supremus doctor; omniumque moderator ac gubernator, & per se etiam docet, quoties necessitas id exigit, tum definiendo, & controuersias exortas componendo, tum aliis rationibus veritatem vel obscuram vel obscuratam patefaciendo.

Tertiò notat Bellarminus, illud, *oues* significare omnes Christianos: qui enim non vult pasci à Petro, non est ouis Christi. Respondet VVitackerus: *Christus non dicit Petro; Pasce omnes oues meas, nam id nec Petrus vnus præstare potuit, nec aliquis quiuis Apostolus; sed loquutur indefinitè, ac dicit, Pasce oues meas.* Si Christus non omnes simpliciter oues suas Petro pascendas commisit; dicat, oro, VVitackerus, quasnam, & quot, & quales oues Christus Petro commiserit. Certè Christus non distinxit inter has & illas oues; sed absolutè, *pasce*, inquit, *oues meas.* Ex quibus sic ratiocinari licet cum Gregorio nostro de Valentia libro septimo Analyseos capite quarto. *Dubium nullum est quin Christus ita diligenter commendans Petro oues suas, voluerit ab eo satis intelligi, de quibus ouibus loqueretur. At nisi de omnibus quæcunque essent suæ, sit loquutus, non satis potuit Petrus, de quibusnam diceret, intelligere. Confitendum est igitur, illum de ouibus suis omnibus in eo loco loquutum esse. Non enim de iis aut illis determinate, nec verò de multis; nec si indeterminatè, & confusè de aliquibus loquutus esset, satis illæ Petro potuissent distinctè cognosci.*

A Mendacium VVitackerianum est; *Christum nihil peculiare hic Petro commisisse; sed eadem mandata de ouibus pascendis dedisse; quæ aliis Apostolis dederit, vt quisque pro sua rata portione gregem Christi pasceret.* Vbi commisit Christus aliis Apostolis, & quidem singulis singillatim; curam ouium his verbis: *Pasce, oues meas?* Nam licet omnibus dederit auctoritatem vbique docendi Matth. 28. & Marci 16. & pascere sit docere; tamen istud ipsum *pascere* reliquis Apostolis non est datum, sicut Petro; independenter scilicet à superiore potestate; & cum perpetuitate, seu priuilegio transmittendi hanc ipsam generalem pascendi potesta-

B tem ad posteros: quemadmodum Petro hæc potestas concessa est. Falsum insuper reputa, quod Caluinista dicit; *fieri non posse, vt vnus homo vniuersas Christi oues regat.* Quasi verò ad hoc, vt omnes oues regat & pascat, necesse sit omnes regiones obire; & totius orbis prouincias percurrere. nam non magis hoc necessarium est; quàm vt Rex Hispanorum amplissima, quæ in Indiis habet, regna, peragret, quò ea quietè ac pacificè gubernet. Nam pastor ouium Christi per suos ministros oues Christi pascit ac regit; Ipse generalem omnium curam gerens; & quid credendum sit; si quando dubitationes exsistant præscribens.

Hunnius hic totus est Dialecticus. Vociferatur. *Quæ (per Deum immortalem) est consequentia? Chri-*

C *stus dixit ad Petrum, Pasce oues meas. Ergo Papa est vnus & solus iudex Generalis omnium controuersiarum. Excutiantur omnes loci Dialectici, & respondeatur, è quo depromptum sit argumentum.* Quæ est hæc calumniandi libido ac impotentia, & ex quibus Topicis desumpta? nam consequentia optima est; si non tam nudè, quàm Prædicans facit, proponatur, sed hunc in modum formetur. Christus *illis verbis*, *Pasce oues meas*; commisit soli Petro & solis successoribus eius generalem ouium suarum curam; ergo Papa, successor Petri, est vnus & solus Iudex generalis & supremus omnium controuersiarum.

Quod Petro hic dicitur, inquit Prædicans, *num cæteris Apostolis denegatur?* Non denegatur, sed non

D datur; quia soli Petro datur. Non *denegatur*, quia Apostoli nunquam postularunt *id sibi dari*, quod Petro his verbis datum est. *Id autem* propriè denegatur, quod petenti non datur. Pergit Prædicans. *Si dixisset Dominus: Tu solus pasce oues meas, reliqui Apostoli pascant vaccas & capras, plausibilior forsan esset argumentatio. Vaccas & capras* Prædicantibus pascendas relinquimus. Apostoli oues Christi, pascendas & regendas à Christo acceperunt, dependenter tamen ab vno summo & generali pastore Petro; nec cum iure eiusdem plenariæ suæ potestatis ad successores transmittendæ.

Quærit Prædicans. *In qua Grammatica, pascere oues, idē significet; ac se gerere pro vniuersali Iudice omnium*

contro-

Digitized by Google

controuersiarum. In omni Grammatica & Theologia, exceptâ hæreticâ; pascere oues, cum illis circumstantiis; cum quibus à Christo dictum est Petro, idem significat; quod esse vniuersalem omnium controuersiarum iudicem: quia generalis pastor ouium Christi, debet oues Christi omnibus modis ad salutem accommodatis pascere; inter quos modos etiam ille haud postremus est, vt cõtrouersiæ circa fidem exortæ componantur; & orthodoxa doctrina sanciatur.

Iterum clamat Prædicans. *Quæ, obsecro, est consequentia? Petro dictum est, pasce oues meas, id est, (vt Pontificij interpretantur) esto solus & vnus Generalis iudex omnium controuersiarum fidei, Ergo idem etiam dictum est Papæ.* Optima est hæc consequentia; quia illud; *pasce oues meas*: non soli Petro, sed & successoribus Petri dictum est. *Quid Petro cum Papa?* quærit Prædicans. Id quod antecessori, cum successore: & Papæ cum Petro, id est; quod successori cum antecessore.

Fatetur Prædicans, *dictum Christi; etiam ad successores Petri pertinere*; sed insinuat; *omnes Episcopos esse Petri successores*; vel *Romanos pontifices esse quidem Petri successores; sed pij impios, probi improbos; quo pacto Caiphas successor fuit Aaronis, Eleazari, Phineæ.* Quæro ex Prædicante; an Caiphas quia impius erat; ideo non fuerit verus & legitimus successor Aaronis & aliorum veteris testamenti pontificum? Certè diuo Ioanni Euangelistæ in faciem contradicet Prædicans, si Caipham, verum pontificem fuisse inficietur. Licet igitur, pontifices Romani pietate & sanctimonia vitæ à Petro priscisque pontificibus recessissent, vt impius Nouator mentitur; nihilominus veri pontifices & successores D. Petri essent; quandoquidem veritas pontificatus & successionis non pendet à vitæ sanctimonia. Deinde, quæ Prædicans iste de pontificum sceleribus comminiscitur, copiosè in Responso Hunniano confutauimus cap. 17. vt & in Apologiis contra Misenum; & alibi passim.

Ait Prædicans; *Ad hoc vt Deus Ecclesiæ satis prouidisse censeatur, nil opus esse monarchico pontificis dominatu.* At opus esse, vel vnica hæreticorum anarchia satis superque declarat; vnde in Nouatorum castris tantæ turbæ & turbationes; & tot placita, quot capita; nisi quia vnum caput non agnoscitur? Testimonio illo Hier. 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*; non solùm Petrũ designari dicit Prædicans, sed & alios Episcopos. Vbi dixit Bellarminus hoc testimonio solum Petrũ designari? Num huius probandi gratia oraculum illud Hieremiæ adduxit? An nõ ea solùm de caussa citauit; vt ostenderet, verbum *pascere* in scriptura, potissimùm ad pabulum doctrinæ & scientiæ pertinere?

Ait Hunnius, *oues Christi non minus pasci doctrina Pauli, Ioannis, & aliorum Apostolorum ac Petri.* Sit ita; sed tamen à Paulo, Ioanne, & aliis Apostolis pabulum non habent, nisi per Petrum, & dependenter à Petro; qui adhuc quotidie opera suorum successorum pabulum propheticum & Apostolicum ouibus Christi apponit, &, vt purum integrumq; subministretur; sollicito studio procurat. Tritum est. *Qui non vult pasci à Petro, non est ouis Christi. Eodem modo, quin & gradu, nos asserimus,* inquit Hunnius, *Qui non vult pasci à Paulo; non est ouis Christi.* Non diffiteor; Est tamẽ ingens nihilominus discrimen. Nam qui à Paulo pascitur; is à Petro quoque pascitur. Quia Paulus nullum pascit; nisi depẽdenter à summo pastore; qui est Petrus, & successores eius. Et qui se à Paulo absque Petro pasci existimat; is somniat; Et spe inani se lactat, vel potius ludificat. *Paulus nulla in re inferior est summis Apostolis,* inquit prædicans, *Petro, Iacobo, Ioanne. 2. Cor. 11. & 12.* Respondeo, nulla in re esse inferiorẽ petro spectando præcisè Apostolicum officium; inferior Petro est; quatenus & ipse Petri ouicula est; quia ouicula Christi est; Nemo autem Christi ouicula est, nisi pariter sit & Petri.

Subiicit Prædicans: *Paulus plures oues pauit, plures fundauit Ecclesias; siquidem plus laborauit quam cæteri Apostoli 1. Corinth. 15. ne Petro quidem excepto. Ergo Petrus non fuit supremus pastor.* Arguta consequẽtia: quia est ex pharetra Hunniana. Obierit D. Paulus plures terras, quam diuus Petrus, plures concionando & epistolas mittendo instruxerit; quid tum? An ideo Petrus non est supremus pastor? Sæpe fit, vt gregarius miles plures ex hostibus interficiat, quàm ipse supremus belli Dux. An ideo non est supremus, quia subditus plus laboris exantlauit? vt taceam, quidquid à diuo paulo aliisúe Apostolis actum est; id auspiciis summi pastoris Petri actum esse; sub hoc enim pastore pauerunt Christi ouiculas alij omnes Apostoli & pastores.

Conuentio inter Petrum & Paulum, vt ille Iudæis; hic gentilibus verbum Dei annunciaret; nihil de primatu diui petri detrahit; vt copiosè ostendit Bellarminus lib. 1. de pontif. cap. 16. cuius doctrina suo loco à Prædicantium calumniis vindicabitur. Reliqua, quæ Hunnius profert, sunt mera nugamenta, & sycophantiæ, huic Prędicanti solennes: vt cum exagitat Bellarminum ob citatum illud D. Hieronymi dictum ad Damasum pontificem, *A pastore præsidium ouis flagito. Quisque Minister Ecclesiæ inferior à superiore, puta Pastore vel superintendente suo, idem petere potest, & dicere; à pastore præsidium ouis flagito. Ergo quisque minister Ecclesiæ erit vniuersalis pastor & iudex omnium controuersiarum*: Calumniatur prædicans. Non enim diuus Hieronymus opem petiit à Damaso, vt à qualicunque pastore; sed vt à supremo: quod testantur omnes propemodum vtriusque epistolæ ad Damasum apices. De duobus enim certior reddi cupit; primum est; an tres hypostases in diuina natura dicere liceat: secundum; cum quo Antiochiæ communicare debeat; an cum Meletio, an cum Vitali, an cum Paulino. In his ideo à Damaso institui volebat; quia, *quicunq; ex-*

pertinere nequit ad illa, quæ peccantur in Deum & proximum circa religionis dogmata?

II. ***Non est certum, quæ nam sit illa Ecclesia, cui indicandus sit Hæreticus.*** Forsan apud vos, non est certum. Apud nos nihil est certius. Nam Catholicæ Ecclesiæ dicimus hæreticum esse indicandum.

III. ***Quæstio est num Christus hæc proponens intellexerit de prælato Romano?*** Omnino; quia credibile non est à Christo supremum omnium disceptationum & controuersiarum iudicem exclusum esse.

IV. ***Quæstio est; num Apostoli vel per febrim eò pertinere dictum Christi somniauerint.*** Difficile est respondere, quia non constat, vtrum Apostoli febri laborarint, quando Christus supradicta verba protulit. Si tamen vera coniectura vti licet; plane etiam sine febri, intellexisse videntur hæc verba, cum ad alios Ecclesiæ præsules, tum definitiuè ad omnium supremum pertinere.

V. Ex sententia Bellarmini, hic esset loci illius sensus: ***Si frater tuus in te peccauerit, & nullis priuatis admonitionibus in viam se reuocari sinit; tum curre ad Caipham Sacerdotem, & Hannam, & reliquos Iudaicæ Synagogæ proceres, Pharisæos & scribas. Sic enim ex statu Ecclesiæ eorum temporum esset explicandus sermo Christi.*** Etiam cum Synagoga adhuc viueret; ad Ecclesiam, hoc est, ad Synagogæ proceres, itum est: indicatumque, si quid proximi emendandi caussa indicandum videretur: nam quòd Prædicans dicit, Hebræo populo fuisse inusitatum; ***vt priuatæ offensiones deferrentur ad Pontificem; conciliumq. Sacerdotum,*** non modò falsum, sed & imperitum esse; patet vel ex solo illo Deuteron. 17. testimonio, de quo supra satis multa. Si enim tales caussæ, etiam inter priuatos, existerent, quibus terminandis iudices inferiores non sufficerent; iussu Dei ad supremum tribunal ibatur; & definitiua sententia exquirebatur. Consequenter cum Synagoga adhuc steterit, quando Christus hæc verba protulit: Omnino credendum est; Christum, etiam ad illius Ecclesiæ antistites respexisse; siue eis nomen esset *Caiphas*, siue *Annas*; præsertim cum alibi iusserit; vt sedentibus in cathedra Moysis omnes diligenter morem gererent; tametsi dubitandum non existimo, Redemptorem nostrum præcipuè pastores & præsides Ecclesiæ Christianæ paulò post inchoandæ denotasse.

VI. ***Nomine Ecclesiæ intelliguntur ordinarij verbi Ministri,*** hoc est, Prædicantes, vel ***etiam alij pij homines: ergo non intelliguntur Episcopi aut Papa Romanus.*** Antecedens probatur. ***Quia Christus mox subindicat definiens quæ sit illa Ecclesia, dico vobis quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.*** Si ergo duo, qualescunque tandem illi, alicubi congregati sunt; poterit ad eos contumax deferri ab illo, qui offensus fuit; & ab altero & tertio, quos ille, tanquam testes assumpsit. Ita tres ibunt ad duos; non rarò sutores & sartores ***in nomine Domini congregatos;*** quos si audire nolit, tunc, ***vt Ethnicus & Publicanus*** habebitur. Pulchrè profectò, quasi quiuis de triuio opifices ***excommunicandi,*** & à cœtu fidelium segregandi ius ac potestatem habeant. Quid non comminiscitur falsitas; ne veritatis lucem cogatur aspicere? Quasi verò duo vel tres priuati, & fortè laici, ita repræsentent Ecclesiam, vt vel in speciem probabiliter dici queat; Christum nomine Ecclesiæ istos designasse; cum ex communi Christianorum sentiendi & loquendi consuetudine capita (cuiusmodi antistites) Ecclesiam duntaxat repræsentent.

VII. ***Praxis Ecclesiæ Pontificiæ reclamat interpretationi Iesuiticæ; quia nunquam sub Papatu fuit frequentatum, vt omnes priuatæ offensiones, quando pars lædens omnes admonitiones repudiat, deferrentur ad Pontificem, vel etiam ad prælatorum congregationem.*** Quis verò vnquam dixit, omnes priuatas offensiones ad Pontificem deferendas esse? An non sæpe leuissimis ex caussis offensiones exsistunt? Num ideo quoties vel de *lana caprina* quæstio est, ad summum Pontificem recurretur? Nemo hoc affirmat. Graues offensiones sint oportet; & grauia crimina, quibus proximus irretitus est; neque Christi verba tantùm de Pontifice; sed & de aliis pastoribus inferioris sortis & conditionis accipienda sunt: vt malo vel medicinam vel pœnam adhibeant; quanquam, si postea gradatim ascendendum sit, tandem perueniatur ad vnum summum pastorem; siue agatur de offensionibus natis ex caussa ciuili; siue de illis, quæ ob peccata in religionis & veræ fidei doctrinam commissa, exsistunt.

Ait Hunnius; ***Si Bellarminus nomine prælati intelligeret cuiuslibet Ecclesiæ pastorem cum adiunctis collegis, non refragarer.*** Omnino Ecclesiæ nomine intelligit Bellarminus cuiuslibet Ecclesiæ legitimum & ordinarium pastorem; ne parochis quidem exclusis; quorum est, si nihil efficiant, caussam ad Episcopum deferre.

Sed hoc sensu, inquit Prædicans, ***non potest accommodari ad probationem Bellarminiani thematis, videlicet quod Papa sit controuersiarum in religione supremus iudex.*** Imò accommodari potest: Si enim ad pastores deferendæ sunt, etiam illæ offensiones, quæ oriuntur ex peccatis contra fidem & Orthodoxam religionem; & non tantum illæ, quæ ex aliis peccatis aduersus alias virtutes patratis progignuntur; tum sequitur, pastores non tantum esse, vt sic loquar, pacificatores & reconciliatores, fratrumque delinquentium correctores ac emendatores in iis, quæ contra alias virtutes committunt; sed & in iis, quæ contra fidem sanamque doctrinā peccant. At qui hoc ex officio agit, ille est controuersiarum fidei iudex; quia fratrem non tantum erudit & instituit, tan-

quam

Digitized by Google

quam doctor; sed & tanquam superior mandat ei, vt hoc sentiat; non aliud; hoc enim legi diuinæ consentaneum esse, non aliud. Et quia fieri potest, vt sententiæ ab inferiore iudice pronunciatæ non acquiescatur; vel quia malè lata est; vel quia malè lata creditur, quanquam immeritò; ea propter necessarium est; vt sit supremus; cuius vox simpliciter sit infallibilis, & omnis erroris expers.

Arguit Hunnius Bellarminum *contradictionis*. Quid ita? Quia capite quarto dixerat, vltimum iudicium esse vnius pastoris; hic scribit, *vltimum iudicium esse pastorum*. En antilogiam; quæ citius dissipabitur, quàm à vento plumâ; si dicas, vltimum iudicium esse pastorum vnà cum illo vno summo pastore congregatorum: & vltimum iudicium esse illius vnius pastoris etiam seorsim & sigillatim accepti. Ita vltimum iudicium ad pastores pertinet per illum vnum supremum; & ad hunc etiam spectat quia per se, & non interuentu alterius ad illum spectat:

Adde; *vltimum iudicium* dupliciter dici; primò, in certo genere. Secundò, simpliciter & absolutè. Vltimum iudicium primi generis pertinet ad pastores inferiores, etiam sigillatim consideratos; vltimum iudicium posterioris generis pertinet ad pastorem summum, vel seorsim, vel cum Synodo. Ex quibus consit, non Bellarminum propria vineta cædere, vt calumniatur Prædicans; sed Prædicantem criminationibus nimis intentum, non aduertere, quid in chartam effundat & effutiat.

Savvbrandus à mendacio auspicatur; vt reliqua, quæ subiecturus est, eò felicius pertexat. Ait, *ex dicto Christi à Bellarmino tale argumentum educi. Quando Ecclesia fratrem peccantem admonet tum est audienda; Ergo Papæ iudicium est omnis interpretationis regula. Acutum & prorsus Iesuiticum argumentum*, inquit improbus Caluinista; qui si vel micam pudoris reliquam haberet, tam impudenter non mentiretur & calumniaretur. Vbi Bellarminus vel implicitè insinuauit, vel explicitè hoc delirium posuit? Tua hæc sunt flagitiosa commenta & mendacia; quæ quoties nobis reponis, reponis autem singulis pagellis; toties planum testatumque facis, te verecundiam & ex mente & ex fronte penitus expunxisse; & veritati vale in perpetuum dixisse. *Agitur*, inquis, *eo loco de disciplina Ecclesiastica*. An non hoc ipsum confitetur Bellarminus? sed num ad disciplinam Ecclesiasticam non pertinet Orthodoxæ fidei sartæ tectæ custodiendæ cura ac studium? In quam si peccetur, silebit scilicet proximus; nec admonebit fratrem; neque, si aures occludat; vnum & alterum adhuc secum assumet: neque tandem, si pertinax permaneat, rem ad Ecclesiam deferet; vt corrigatur frater, qui auius à veræ fidei semita incedit. Scilicet plus momenti inest in exstirpatione aliorum vitiorum, quàm in euellendis

A erroribus doctrinæ Catholicæ & Apostolicæ aduersis.

Sequitur syllogismus Sibrandicus. *Qui moribus formandis præsunt, illi sunt audiendi, sed Ecclesia vel eius presbyteri moribus formandis præsunt; Ergo Ecclesia & eius presbyteri in vitiis corrigendis sunt audiendi.* Dicamus nos. Qui veræ fidei conseruandæ præsunt, illi sunt audiendi. Ecclesia vel eius presbyteri & inprimis summus presbyter veræ fidei conseruandæ præsunt; ergo Ecclesia & eius presbyteri, & inprimis summus presbyter audiendi sunt.

Excutiamus syllogismum Sibrandicum. *Qui moribus formandis præsunt illi sunt audiendi.* Inferamus nos: ergo illi etiam sunt audiendi, qui fidei
B Orthodoxæ & sanæ doctrinæ conseruandæ præsunt. Probatur consequentia. Quia mores formari nequeunt; nisi doctrina sana seruetur integra & illibata; Impossibile enim est; vt mores constent; si vera fides sublata sit. Si igitur Christus eo loci agit de formandis moribus; & his, quibus horum cura incumbit; euidens est, illum etiam agere de sana & Orthodoxa doctrina; quæ honestatis morum basis est ac fundamentum: deque illis, quorum munus est sanam & Orthodoxam doctrinam sedulò custodire; eliminatis omnibus illis; quæ huius integritatem quoquo modo violant.

Sed en nouum mendacium; Affingit Sibrandus Bellarmino hoc somnium. *Presbyteri debent*
C *hæreticos arguere; ergo Papa non potest errare in doctrina.* Mentiris Savvbrande. Nunquam sic argumentatus est Bellarminus. Fatuæ istæ stultitię ex capite tuo, vel potius ex incensa criminandi & mentiendi libine proficiscuntur. Si quis ex sensu loci illius Matth. 18. argumentari velit, sic ratiocinatio informanda erit. Presbyteri debent hęreticos arguere; & in viam veritatis reducere; ergo inter hos presbyteros vnum supremum esse decet; qui hæreticos infallibiliter arguat & instituat. Quis autem iste vnus Sibrande? qui mox somnium tuum alio somnio corrigis. *Quicunq. debent hæreticos admonere, illi non possunt in scriptura explicanda errare. Sed omnes Episcopi debent hæreticos admonere. Ergo nulli Episcopi possunt errare in scriptura explicanda. Hæc*
D *Maior falsa est*, inquis. At tua est, non nostra. Quapropter tua postea commenta refellis, non nostra dogmata. Lactantium vocas *Episcopum*. Quæso cuius vrbis fuit Episcopus? Cætera, vt & alia omnia, λῆροι sunt, & cerebri tui malè affecti phantasmata, & malæ mentis turpissima figmenta; vt cum ais; *Bellarminum ita argumentari. Episcopus in iudicando errare non potest; ergo Papæ interpretatio est authentica*. Os hominis, quem nullius turpitudinis aut piget aut pudet. Dignus est hic Sycophāta; qui improbissimam hanc calumniandi & mentiendi impotentiam luat & expiet omnibus illis pœnis, quæ iam olim à variis gentibus in calumniatores & mendaces decretæ sunt.

Iuni-

Digitized by Google

Iunius paucula hic libat. Primum; *prælatum & prælatorum congregationem vnum & idem esse.* Perinde ac si dicat: Imperatorem & principum comitia seu conuentum vnum & idem esse. Carpit, quod Bellarminus dicit: *iudicium esse pastorum.* Occlamat: *Imò sequitur, Dei esse iudicium. Pastorum verò denunciationem iudicij ex verbo Dei, velut præconum & nunciorum vel interpretum illius.* Similiter ac si dicas. In caussis ciuilibus cum fur laqueo; latro rotæ adiudicatur; iudicium Imperatoris est. Iudicum verò denunciatio iudicij ex iure ciuili seu Imperatorio, velut præconum & nunciorum vel interpretum illius. Quàm scitum verò hoc? An ideo iudicium non est iudicis, quia ius dicit & iudicium fert iuxta leges ciuiles? Ex quo sequitur, iudices non esse iudices; sed tantùm præcones; quia non iudicant, sed tantum iudicium annunciant. Si hoc absurdum in politicis, cur rationi & æquitati consonum censeretur in Ecclesiasticis?

Tertius locus à Bellarmino prolatus habetur Matth. 23. vbi Dominus: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt*: ergo si illi audiendi sunt, inquit Bellarminus, qui sedent in cathedra Moysis, tum multo magis audiendi erunt, qui sedent in cathedra Petri. Respondet VVitackerus. *In cathedra Mosi sedere est Mosi in docendo succedere, per cathedram enim Mosis, doctrina à Mose tradita, & docendi functio intelligitur.* (sed infallibilis) *In hac cathedra scribæ & Pharisæi sedebant, & rectè quædam* (imo omnia rectè) *ac legitimè docebant* ex cathedra. (Neque enim dixit Saluator. *Quædam*, quæ dixerint vobis, *seruate & facite*: sed, *Quæcunq; dixerint vobis*, hoc est, omnia.) *Audiendi ergo illi erant. non tamen per omnia*: (at Christus nullam penitus exceptionem attulit) *sed tunc duntaxat, quando docebant secundum legem, & quando in docendo Mosen sequebantur.* (At ex cathedra docentes, semper docebant secundum legem, semperq; docendo ex cathedra, Mosem sequebantur.

Nam tunc Christus secum pugnasset, inquit VVitackerus. *Matthæi enim quinto, sexto, & septimo cap. illorum falsam legis interpretationẽ refellit, & dogmata quædam contra veram legis sententiam ab illis in Ecclesiam inuecta, prorsus remouet.* At his locis non agit Dominus de publica Pharisæorum & scribarum doctrina; ex cathedra Moysis & ex publica docendi auctoritate tradita; sed de priuata; quam isti extra Moysis cathedram inuehebant & inferebant; vt latius scripsi digressione quarta contra Hunnium, & cap. 17. Responsi ad Theses Hunnianas.

Quid iam Hunnius? *Attendenda initiò est vera sententia verborum Domini; super cathedra Moysis, &c. Ea per collationem scripturæ* (Hunnianam scilicet) *eruitur. Conferatur ergo cum hoc dicto id, quod legitur Matth. 15. Omittite illos nam cæci sunt, & cæcorum duces. Sed & alterum. Matth. 16. Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorũ, id est à doctrina illorum, sicut Euangelista mox addit: intellexisse discipulos, quod non de fermento panis dixisset Dominus, sed de doctrina. Hæc non ita conciliantur, vt imitati Gretzerum in Colloquio Ratisbonensi, dicamus prohibuisse Dominum doctrinam Pharisæorum, priuatam quidem non publicam, nam certum est publicam doctrinam Pharisæorum, quam sonabant in omnibus Synagogis & Templo, de lege Dei, de Messia, quod Dauidis esset futurus filius, non Dei filius, quodq; regnum habiturus esset mundanum, fuisse horribiliter corruptam.* Nihil audio præter horribilem Prædicantis huius inscitiam, & mendacium ex homonymia petitum, quo Gretserum onerat: Non enim, rumpatur licet, vllum proferet exemplum, quo planum faciat, quidquam falsi ex cathedra Moysis à scribis & Pharisæis traditum esse: Et Prædicans in homonymia *doctrinæ publicæ*, publicè quidem, sed valde insipienter ludit. Audi Prædicans (repetam enim, quæ iam olim in Digressione quarta scripsi) non est sermo de illa doctrina publica, quam quis etiam priuatus, publicè in multorum præsentia tradere & spargere potest, quę publica tantum est ratione auditorum; priuata ratione auctorum, sed sermo est de doctrina publica; quæ publica auctoritate à Scribis & Pharisæis tradebatur; quæ ex cathedra Moysis sonabat, ex qua ipsi etiam mali cogebantur dicere bona, de hac inquam publica doctrina sermo est; doce tale quid ex cathedra Moysis à scribis & Pharisæis traditum esse? nam quod Christo resistebant; quod regnum eius & maiestatem negabant, etiam publicè, id non ex auctoritate Mosaicæ cathedræ sed ex priuata impietate, & vesania faciebant; alioquin Christus nunquam subditos misisset ad scribas & Pharisæos super cathedram Moysis sedentes Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi*, &c. Hinc nulla est in dictis Christi, vt obiiciebat VVitackerus, *repugnantia.* Omnia enim, quæ scribæ & Pharisæi ex cathedra Moysis docent; audienda & reuerenter acceptanda sunt; ea autem; quæ suo ex capite, tanquam priuati doctores, contra Moysis cathedram docebant; ex monito Christi repudiari debent: Et de hac priuata doctrina intelligenda sunt loca à Prædicantibus allegata. Quapropter futilis prorsus & Prædicantica est hæc Hunniana explicatio loci illius Matth. 23. *Collatio dictorum non aliam fert sententiam quàm vt dicamus, quando & quatenus Pharisæi textum Mosis prælegebant populo, & iuxta doctrinam Mosis aliqua consentanea docebant, eatenus illis fuisse adhibendam fidem: Quamprimum verò admiscerent suas corruptelas & errores Pharisaicos, fuisse fugiendos, vt cæcos cæcorum duces, imò vt fures & Latrones.* Mirũ, si hic est genuinus loci illius sensus; Christũ adeo nullius exceptionis meminisse; sed absque vlla restrictione præcepisse; auditoribus; vt faciant ea omnia, quæ scribæ & Pharisęi in cathedra Moysis sedentes, dicerẽt ac docerent. Cur nõ hoc

vel

Digitized by Google

vel simile documentum dedit? Attendite diligenter, ne vos illi, qui in cathedra Moysis sedent, & inde docent, decipiant: quia periculum est, ne errores suos doctrinæ Mosaicæ interserant. Eam ob caussam Moysis doctrinam studiosè & sollicitè cum eorum doctrina comparate; & accuratam collationem instituite, & iudicum iudices; interpretum interpretes, & Magistrorum magistri estote. Nihil horum Dominus, sed docentibus ex cathedra simpliciter obtemperandũ esse docuit. Ex quo manifestum euadit has Prædicanticas glossas non posse subsistere: & mendacium esse, quod VVitackerus dicit; *Scribas & Pharisæos ex cathedra Moysis quotidie pertinacissimè clamitasse; Christum non esse audiendum.* Nunquam proferet quidquam quo huic falsiloquio suo fidem conciliet.

Notat Bellarminus ex S. Cypriano lib. 4. epist. 9. Nunquam à Domino vel Apostolis, reprehensos Pontifices & Sacerdotes Iudæorum, nominando eos *Pontifices* vel *Sacerdotes*, sed solum sub nomine Scribarum & Pharisæorum, ne videretur reprehendere cathedrã & sacerdotium. Obiicit Hunnius; *se in Cypriano dictum hoc reperire non potuisse, neque in exemplari, quo vsus sit, epistolas Cypriani diuidi in diuersos libros.* Si editionem Erasmi inspexisset; diuisionem epistolarum D. Cypriani in libros inuenisset; & loco à Bellarmino notato illud ipsum, de quo quæritur, reperisset, & VVitackerus manifesti mendacij tenetur, cum scribere audet, *Iesuitam ementiri Cyprianum.* Vt & Iunius cum dicit: *ista Cypriano adscribi falsò.* Lector epistolam D. Cypriani consulat; & postea, num VVitackerus, & Iunius mentiantur, constituat.

Ait Hunnius, non esse credibile Cyprianum credidisse Scribas & Pharisæos non errasse: *contra manifestam & in sole expositam veritatem.* Vbi scripsit Bellarminus Cypriano persuasum fuisse Pharisæos nunquam errasse? Errarunt; sed non docentes ex cathedra. Ait Prædicans. *Christus non tantùm reprehendit vitia, sed & doctrinam Pharisæorum.* Num illam, quæ ex cathedra? Hic tandem Prædicans locum aliquem clarum ac illustrem proferat; alioqui plurima dicendo, nihil dicet: Nos Christi verbis tenaciter insistimus ac inhæremus. *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Nihil excepit; quod ex cathedra sonaret. Cur istis aures præberemus, qui exceptiones statuunt; vbi non nisi insulsissimè, & quidem contra mentem Christi statui possunt?

Citat Bellarminus D. Augustinum in epist. 165. dicentem; etiamsi malus quispiam in Petri cathedra sedisset; eum nihil præiudicij adferre orthodoxis aut orthodoxæ doctrinæ; cum Dominus prouidens dixerit de præpositis malis. *Quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite.* Respondet VVitackerus, *hoc Augustini testimonium nihil ad rem facere:* Hunnius illud ex compitis oggerit. *μηδὲν πρὸς ἔπος.* Quæ parata est illis defensio, quoties quod cum ratione dicant, non inueniunt, & tamen tacere nequeunt: Si D. Augustini dictum adeo ad rem non faceret; isti haud vociferarentur, *ad rem nihil facere:* quia adeo ad rem facit, vt vel hoc vnico testimonio omnia, quæ Sectarij contra sedem Apostolicam boant; iugulemus. Qualescunq; enim sint aut fuerint, qui in cathedra Petri aut sedent aut sederunt; certi sumus de doctrina; quia etiam de malis præpositis cautum nobis est illa Seruatoris monitione; *Quæ dicunt, facite;* quia ex cathedra Petri non nisi bona & salutaria dicunt; vt fusius ex ipso D. Augustino probauimus in Responso ad Theses Hunnianas cap. 17. & alibi sæpe.

Quod Hunnius dicit; D. Augustinum, si nostros Pontifices vidisset; illos, *vt nocentissimos lupos & latrones animarum fuisse detestaturum;* mentiri Prædicantem certus sum; quia Pontifices nostri, quod ad officium & cathedram attinet, alij non sunt, quàm quos D. Augustinus laudauit, & vt D. Petri successores veneratus est. Illud etiam exploratum habeo, si D. Augustinus hodiernos sectarios vidisset; vitari eos iussisset, *vt progeniem viperarum, & generationem prauam & adulteram, vt cæcos & cæcorum duces, denique vt fures & latrones:* lubet enim Elogia ab Hunnio in Antistites nostros iacta, remittere ad Hunnium, & Hunnianum gregem.

Savvbrandus iterum refutationem orditur à mendacio impudentissimo. Mentitur hoc argumentum esse Bellarmini. *Scribæ & Pharisæi docentes doctrinam Mosis sunt audiendi. ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Effrons caput, quando tandem vel exiguum ingenuitatis & candoris specimen nobis exhibebis? Sed spes omnis periit.

Pergis. *Si illi sunt audiendi qui sedent in cathedra Mosis, tum illi multo magis sunt audiendi, qui sedent in cathedra Petri. At Papa sedet in cathedra Petri, ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Iterum *Diabolum*, hoc est, calumniatorem te præstantem præbes. Vbi Bellarminus hunc syllogismum tam male tornatum cudit? An putas te persuasurum lectori tuo Bellarminum non esse mentis compotem? Conaris quidem hoc; sed nunquam efficies, ne apud tuos quidem, apud quos magna & de Bellarmino & de Bellarminianis operibus existimatio. Quod si quis ex tuis illis præmissis veram conclusionem colligere vellet; hanc vtiq; ex præscripto artis Dialecticæ colligeret: *ergo Papa multo magis est audiendus, quàm illi, qui sederunt in cathedra Moysis.*

Alius syllogismus. *Quicunque sedent in cathedra Moysis, illi non possunt errare in scriptura interpretanda. At Pharisæi & Scribæ sedent in cathedra Mosis. Ergo Pharisæi & Scribæ non possunt errare in scriptura explicanda. Respondeo ad Maiorem,* inquit Caluinista. *Si sedere in cathedra Mosis est idem, quod Mosis doctrinam docere, tum illa est vera.* Audi Caluinista. Sedere in cathedra Moysis, & ex cathedra Moysis docere, sententiamq; pronunciare, non est simpliciter Moy-

ſen docere; aliâs tu quoque ſederes in cathedra Moyſis; ſi quãdo tuis auditoribus aliquem pentateuchi librum explanas; ſed eſt legem Dei explicare, & quæſtiones de illa exortas definire, ex officio & auctoritate illa infallibili; quam Deus olim ſummo Pontifici Iudaicæ ſynagogæ, vel ſoli, vel cum Concilio ſacerdotum, hoc eſt, Scribarum & Phariſæorum contulerat, vt tanquam ſupremi iudices & interpretes de omnibus dubiis circa religionẽ enatis reſponſa certa & explorata darent; & omnes controuerſias componerent. Sicuti ergo iam, quæcunque ſummus Pontifex aut per ſe, aut ſimul cum Epiſcoporum concilio definit; omnibusq; fidelibus tenenda & ſequenda proponit: reuerenter & abſque vlla diſquiſitione vlteriore amplectimur; qualeſcunque ſint Pontifex & Epiſcopi moribus & vita, quoad ſuas priuatas perſonas; certi ex cathedra Petri, hoc eſt, ex illa publica definiendi auctoritate nullum errorem nullamque falſitatem proficiſci poſſe: ita & in Hebræa Eccleſia, quidquid ſummus Põtifex, vel ſolus per ſe, vel cum ſacerdotum ſynodo definiebat; & omnibus ſequendum ex publico illo ſuo officio proponebat; id nefas erat reiicere: quia Deus non permittebat; vt ex cathedra illa aliquid falſi fidelibus proponeretur; etiamſi non deeſſent in illo concilio; qui vel moribus, vel opinionibus, vel vtriſque deprauati eſſent. Hinc quilibet Scriba, & quilibet Phariſæus, errare poterat, licet publicè legem & Prophetas interpretaretur; nam hæc infallibilis docendi & definiendi auctoritas, non reſidebat, niſi in ſummo Sacerdote; vel in Concilio ex ſummo Sacerdote aliiſq; ſacerdotibus conflato: quemadmoque iam quoque in Eccleſia Chriſtiana quilibet inferior Epiſcopus errare poteſt in doctrina; quia infallibilis illa docendi & definiendi auctoritas reſidet in ſummo Pontifice vel ſolo; vel, vt cum aliis Epiſcopis Concilium conſtituit. Itaq; ſicuti iam, ſi quis dicat: ſuper cathedram Petri ſederunt Paſtores docti & indocti, probi & improbi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis, facite: is minimè ſignificare vult; iſtos extra Concilium, & à ſummo Paſtore ſeiunctim ſpectatos, falſum dicere aut docere non poſſe: licet publicè doceant, ſacraſque ſcripturas interpretentur; ſed intellectum hoc vult vel de ſolo Pontifice ex pontificia poteſtate & auctoritate aliquid definiente; vel de Pontifice cum legitimè congregato Concilio; ita & Chriſtus cum illa protulit: *ſuper cathedram Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c.* minimè indicare voluit, ſingulos in errorẽ incidere non poſſe, quando Moyſen & ſcripturas, etiam publicè interpretabantur: ſed intellexit dictum illud ſuum vel de ſolo ſummo ſacerdote Moyſis cathedram tenente, & inde doctrinam veram tradente & definiente; vel de Pontifice ſimul cum legitimè congregato ſacerdotum Concilio: Et quemadmodum iam nobis noſtræ ſunt notæ, & indicia, quibus cognoſcere poſſumus, quando

A vel Pontifex vel ſynodus aliquid ex cathedra definiat; ita & Hebrei ſuas habebant notas & *γνωρίσματα*.

Alius ſyllogiſmus Savvbrandicus. *Quicunque ſedent in cathedra Petri, iſ non poſſunt errare in ſcriptura explicanda, ſed Papa ſedet in cathedra petri, Ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Reſpondeo,* inquit Caluiniſta, *ſi in Maiore cathedram intelligis de doctrina, V. G. Qui docent doctrinam Petri, iſ non poſſunt errare in ſcriptura explicanda, tum illa vera eſt. Qui enim docet doctrinam Petri, & ab ea non diſcedit, ille non errat in ſcriptura explicanda.* Iterum opus habes inſtructore. Per cathedram Petri intelligimus inter cætera officium & auctoritatem decidendi controuerſias & interpretandi ſcripturas infallibiliter;
B Quam auctoritatem tribuit Dominus D. Petro & ſucceſſoribus eius, ampliſsimis illis verbis *Tu es Petrus, &c portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Et, *ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sic explicata notione cathedræ Petri apparet veram eſſe maiorem, ſimul & minorem, & concluſionem, licet hæc veritas Nouatoribus ſit crux acerbiſsima.

Ait Caluiniſta, *Papam non docere doctrinam Petri. Quid ita? Quia Petrus 1. epiſt. 5. vetat, ne presbyteri dominentur clero. At Papa vendicat ſibi principatum, in totam Eccleſiam;* ergo, &c. Vetat D. Petrus, ne quis ſuperbè, arroganter & faſtuosè clero imperet; non vetat, ne ordo ſit in Eccleſia; aliique aliis ſubſint; omneſquę tandem ſubiiciantur vni capiti. Imò
C hoc vt fieret, ipſa neceſsitas ſuadebat. Quomodo Eccleſia corpus eſſet; ſi capite careret; aut ſi omnes presbyteri capita eſſent?

Multa nugatur Caluiniſta de poteſtate pontificia, ſinamus nugari nugatorem; quia nugones ſuos non niſi nugamentis oblectari nouit: Sed en validiſsimum argumentum. *Etiam alij Epiſcopi ſedent in cathedra Petri; ergo alij Epiſcopi æquè ſunt audiendi ac Petrus.* Si neges antecedens, mox illud hunc in modum probat. *Alij Epiſcopi etiam docent doctrinam Petri; ergo ſedent in cathedra Petri; quia ſedere in cathedra Petri, nihil eſt aliud, quàm docere doctrinam Petri.* Si neges conſequentiam ſimul cum probatione; non habebit, quod hiſcat inſulſus *ſyllogiſta*: nam ſedere in cathedra Petri eſt habere aucto-
D ritatem infallibilem explicandi & interpretandi tam Petri, quàm totius ſcripti, & non ſcripti verbi doctrinam, vim, & germanam ſententiam. Num hoc aliis Epiſcopis competit?

Si Papa, inquit Caluiniſta, *propterea audiri debet, quod ſedet in cathedra Petri, ſequitur non ipſum iudicium Papæ, ſed cathedram Petri, id eſt, doctrinam Petri, eſſe omnis interpretationis regulam.* Negatur ſequela; quia ipſa cathedra eſt ius & infallibilis poteſtas interpretandi ſcripturam; non autem, vt tu hallucinaris, ipſa ſcriptura ſeu doctrina Petri: Quia ius & poteſtas explanandi Theologiam, verbi gratia, non eſt ipſa Theologia; ſed aliquid diuerſum; & iudicium de aliqua queſtione; nõ eſt ipſa quæſtio; ſed aliquid aliud; vt vel cæcis perſpicuum:

neque

Digitized by Google

neque Papæ iudicium aliter est omnis interpretationis regula; quàm quatenus omne iudicium de Scripturę sacrę quæstionibus & controuersiis fidei cum hoc iudicio conformari debet.

Ait Caluinista. Quando Papæ interpretatio cum Petri doctrina congruit, *est vera; quando ab ea discrepat, est falsa. Si discrepat, falsa est*; sed negamus discrepare posse, quatenus ex cathedra Petri proficiscitur. Itaque interpretatio Papæ data ex cathedra, necessariò cum doctrina Petri concinit ex promisso infallibili Redemptoris nostri; qui promisit fore; vt portę inferi nunquam aduersus Ecclesiam supra Petrum ædificatam præualeant. Non abnuimus scripturam omnis interpretationis dici posse regulam; quatenus omnis interpretatio cum scriptura concordare; eidemq́;, vt sic dicam, commensurari debet; sed alia quadam ratione vox Pôtificis omnis interpretationis regula est; quia cum hac congruere debet omnis bona & proba interpretatio; quia nisi cum voce ex cathedra Petri missa conueniat, nec cum scriptura conueniet.

Instat Hæreticus. *Si vis à Mosis cathedra ad Petri cathedram argumentari, potes eodem modo ad Pauli, Ioannis, Andreæ, Thomæ, & reliquorum Apostolorum cathedrā argumentari, nam vt non errant qui in Petri cathedra sedent, id est, qui Petri doctrinam docent, ita etiam non errant, qui in Ioannis, Pauli, Iacobi, & reliquorū Apostolorū cathedra sedent, id est, qui Pauli, Ioannis & reliquorum Apostolorum doctrinam docent, atq; hoc verum est.* Tota hæc deliratio procedit ex ignoratione, quid cathedrę nomine significetur. Dicam igitur. Significat ius & potestatem infallibilem & perpetuam controuersias fidei dirimēdi & scripturas explicandi. Talis vnica est in Ecclesia Catholica cathedra Petri. Nulla Pauli; nulla Iacobi; nulla Ioannis. Quia soli Petro dictum est. *Pasce oues meas.* Soli Petro dictum est. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Tibi dabo claues regni cælorum*; Apostoli neq; erexerunt, neq; posteris reliquerunt cathedras contra Petri cathedram; quam vnam esse oportuit, vt vnitas vbiq; conseruaretur; & omnia tandem ad vnum caput reuocarentur. Itaq; sedere in cathedra Petri, non est præcisè docere doctrinam Petri; sed est tam Petri, quàm vniuersam cælestem doctrinam ex officio & auctoritate infallibili explicare; qualis auctoritas extra Petri cathedram nulla est. Quoties dicendum? Caluinista, Aperi tandem aures, & verum admitte; si tamen vllius veri adhuc capax es, qui strenuè nugari insistis, dum sedere, in cathedra Petri, asseris esse, *docere in loco, vbi Petrus docuit*: & mox natum ex cerebro tuo deliramentum fortiter refellis, monstrumq́; à te editum generosè conficis; & somnia somnias, vt habeas, quibus dispellēdis tempus & otium perdas. Quis Catholicorum vnquam aut scripsit aut dixit; sedere in cathedra Petri, vel docere ex hac cathedra, nihil esse aliud, quàm docere in loco, vbi Petrus docuit? Scilicet si Pontifex esset Bononiæ, aut Ferrariæ, aut in Gallia, aut in Germa-

A nia; non sederet in cathedra Petri; quod Petrus fortasse nunquam in his locis docuerit.

Alius syllogismus Savvbrandinus: *Qui sedent in cathedra Petri, id est, qui administrant cum Petro vnum idemq́ officium, illi errare non possunt. Sed Papa sedet in cathedra Petri, id est, administrat cum Petro vnum idemq́; officium, Ergo Papa nō potest errare. Respondeo, Minorem esse falsam,* inquit Caluinista. At verā esse euidenter conuincit Bellarminus in disputationibus de Pontifice; quò cum peruentum erit; luce veritatis omnes Savvbrandicas nebulas disiiciemus. *Petrus est Apostolus,* inquit Savvbrandus: *Papa non est Apostolus: ergo Papa non est successor D. Petri in officio supremi scripturarum, & controuersiarum interpretis ac iudicis.* O Savvbrandinam consequentiam. Quasi

B verò D. Petrus præcisè vt Apostolus, fuerit summus fidei iudex & arbiter; & non ex alio, quod Apostolatui superadditū est, priuilegio, in quo ei succedit Papa; licet non sit Apostolus, prout hoc nomen paucis quibusdam Christi discipulis ex communi vsu tribui consueuit.

En alias subtilitates Savvbrandicas. *Petrus est immediatè à Deo vocatus, Papa non est immediatè à Deo vocatus, Petri officium est extraordinarium, Papa non est extraordinarium.* ergo Papa non est successor Petri: quia nullus potest esse successor Petri, nisi immediatè vocetur à Deo; & quidem dum piscatur, vt Petrus piscabatur, quando à Christo vocatus est. Pulchrè.

Accipe adhuc concinnius delirium. *Petri offi-*

C *cium est extraordinarium; Papæ nō est extraordinarium; ergo non habent idem officium.* Si petas, vt probet Petri officiū fuisse extraordinarium, obmutescit; & loco probationis hunc formosissimum syllogismum nobis opponit. *Qui nō habet idem officium cum Petro, ille potest errare in doctrina: Papa non habet idem officium quod Petrus, Ergo Papa potest errare in doctrina, & per consequens, eius iudicium non est omnis Interpretationis regula. Minorem,* inquit Caluinista, *antea probaui.* Quid probasti? Vbi? Quando? Non si omnes digitos tuos præroseris & abroseris, vnquam prædictam Minorem probabis.

Iunius admodum præclarè versatur in hoc, de quo disputamus, loco explanando, Matth. 23. *Super cathedram Moysi, &c. Caussam,* inquit, *cum man-*

D *dato coniunxit Christus in hanc sententiam. Quia in cathedra Mosis sedent, id est, quia vocati sunt in successionem doctrinæ & functionis imperatæ lege, quæcunque dixerint vobis secundum illam vocationem suam, vt seruetis, seruate & facite, quæcunq; secus; nolite facere, secundum opera eorum nolite facere: nam hæc sunt eorum opera, non autem Mosis, siue ad doctrinam, in qua tradenda operarij sunt à Domino instituti, siue ad institutum vitæ respexeris.* En egregium scripturæ interpretem. Vbi illa in præcepto Christi extant? *Quæcunque secus*; hoc est, quæcunque in cathedra sedentes, & ex cathedra docētes, vobis contra legem dixerint, nolite facere. Quasi verò Christus eos in cathedra sedentes, quidquam contra doctrinam cathedræ docere posse significauerit. Vnde hoc Caluinista

Digitized by Google

concludit? Audi mira. Ex his verbis: *secundum opera eorum nolite facere: nam hæc sunt eorum opera, non autem Mosis, siue ad doctrinam, in qua tradenda operarij sunt à Domino instituti, siue ad institutum vitæ respexeris.* Vbi cernis Caluinistam summa & inscientia & improbitate illud *secundum opera*, non tantum referre ad vitam moresque Scribarum & Pharisæorum, sed etiam ad doctrinam, quod inprimis omnibus sacræ Scripturæ interpretibus & sanctis Patribus aduersatur; qui illud, *secundum opera*, ad solos mores Pharisæorum pertinere concorditer tradunt. Quis vnquam audiuit, cum quis discipulum, vel auditorem quemcunq; alium monet; vt doctrinam magistri sui sequatur; non autem agat *secundum opera* eius, nomine *operum* intelligi doctrinam, cum certo certius sit, tali loquendi formula, doctrinam & mores seu opera opponi; sicut etiam in eodem homine opponi possunt; quando doctrina eius est optima; vita & opera; pęssima. Quàm ridiculum est, si quis verbis Christi hunc sensum cum Iunio tribuat: *secundum opera doctrinæ*, id est, *secundum falsam doctrinam; quam vobis ex cathedra Moysis tradunt, nolite facere*: quia vanissimum hunc sensum refellunt verba; quæ proximè Christus subiecit. *Dicunt enim, & non faciunt*: nam si Iunij explicatio vera est, tum *dicere* hoc loco erit falsam doctrinam docere; & *non facere*, erit secundum falsam doctrinam non agere, ex quo conficitur, laude potius quàm vituperatione Scribas & Pharisæos dignos fuisse, quia licet falsa docuissent; vitam tamen ad falsum illud nō composuissent; quod minimè culpari debet. Minus enim malus est; qui mala tantùm docet; quàm is, qui & mala docet, & malè viuit. At Christus verbis illis: *dicunt & non faciunt*; quæ continent caussam illius: *secundum opera eorum nolite facere*: reprehendit Pharisæos; tanquam à doctrina, quam ex cathedra Moysis tradebant, vita & moribus discordantes, quod fieri non potuisset; si illud: *secundum opera*, etiam ad malam doctrinam pertineret. Non enim verum fuisset dicere: *Dicunt enim & non faciunt*: sed verum fuisset dicere: dicunt nimirum falsa, falsamque doctrinam tradunt; & faciunt quoque: id est, vitam & mores suos ad falsam doctrinam, quam tradunt, egregiè componunt & conformant: at Dominus non sic dixit; sed hoc modo: *Secundum opera eorum nolite facere*: Sed secundum dicta: Quare? *Dicunt enim*, id est, bona docent & tradunt; ideo quæcunque dixerint vobis, *seruate & facite: Et non faciunt*; hoc est, vitam bonæ doctrinæ cōformem non ducunt: ideo *secundum opera eorum nolite facere*. Quodque per illud *secundum opera*, Christus tantum intellexerit mores & vitam, patet ex sequentibus: mox enim toto fermè capite illo explicat Christus, quæ nam fuerint Scribarum & Pharisæorum opera; secundum quæ monuit; vt subditi non facerent: Nàm postquam dixerat: *Dicunt enim*, bona videlicet; *& non faciunt*; bona, quæ dicunt; sed potius mala, quæ in cathedra non dicunt: statim subiungit. *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt vt videantur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, &c.* Et id genus alia, quorum longum catalogum Christus eo loco percenset. Quod Caluinista dicit per *opera* accipi doctrinam Matth. 5. vers. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &c.* & *operarij* pro doctoribus Matth. 7. vers. 23. *discedite à me, qui operamini iniquitatem*, id cæteris Caluinisticis commentis accenseatur: nam primo loco manifestum est, per *opera bona*, intelligi externas virtutum actiones, quæ in sensus hominum incurrunt, vitamque ex honestatis legibus compositam, qua quis proximis quasi facem pręfert cùm ad consimilem vitam instituendam, tum ad diuinas laudes concelebrandas. Aequè clarum est illud; *qui operamini iniquitatem*: pertinere ad studia & mores; non ad doctrinam, quæ sana & proba esse potest, etiam in flagitiosissimo.

Dices. Malè & mala docere est etiam malum opus; & qui malè & mala docet; non immeritò *operarius iniquitatis* audit: ergo absurdum non est, vt per illud; *secundum opera*: Matth. 23. intelligatur etiam mala doctrina; siue actus malæ doctrinæ ex cathedra Moysis tradendæ. Respondeo, neminem inficiari; actus, quo quis malè docet; esse malum opus: & doctorem mala docentem; *operarium iniquitatis*: sed negamus dicto loco Matthæi 23. sic vocabulum operis accipi posse: perspicuè enim opponitur doctrinæ; & actui seu functioni docendi ex cathedra: vt antea ostensum: & inde etiam pàtet; quia si illud: *Secundum opera*; pertineret ad aliquem actum malæ doctrinæ, ex cathedra Moysis à Scribis & Pharisæis doceri solitæ; sequeretur, Christum turbas & *discipulos* suos monuisse; ne & ipsi similiter ex cathedra Moysis malè & mala docerent, hoc ipso, quod monuit, ne secundum opera Pharisæorum facerent, sed consequens est falsum. Probatur sequela Maioris. Quia Christus sermonem illum Matthæi 23. ad turbas & discipulos suos instituit. Et ex hypothesi aduersariorum illud *secundum opera*, non tantum ad mores & vitam; sed & ad doctrinam publicam ex cathedra Mosis doceri solitam, spectat. Iam probatur Minor. Quia planè superuacaneum erat monere turbas & discipulos, ne ex cathedra Moysis falsa docerent; quandoquidem nunquā in cathedra Moysis vel sederant, vel sessuri erant: & perinde fuisset; ac si quis doctor iam turbas & vulgares auditores suos moneret; ne vnquam iniustam sententiam in conuentu & senatu Imperij dicerent; in quo tamen neque sedissent vnquam, neque etiam sessuri essent. An non talis commonitio penitus superflua foret?

Deinde, si ex cathedra Moysis Scribæ & Pharisæi malè & mala docebant, quî, quæso, factum;

Digitized by Google

ctum; vt tale, tamque enorme scelus, Redemptor noster postea non redargueret, quando in specie crimina & malefacta istorum enumerat; & grauissimis verbis increpat? Nunquam dicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui falsam doctrinam ex cathedra Moysis docetis; & quæ in salutem instituta fuerat, in perniciem auditorum conuertitis.* Nam quod dicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introëuntes sinitis intrare.* Item: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis; quicunque iurauerit per templum, &c.* id & alia eiusdem generis, intelliguntur vel de malo vitæ exemplo, quo aliis offensioni & ruinæ erant, vt similia perpetrarent; & ab ingressu in regnum cælorum præpedirentur; vel de doctrina Pharisæorum priuata, quam alibi Christus vocat *fermentum*; quod etiam patet ex exemplis, quæ ibi Christus de doctrina adfert: neque enim ex cathedra Moysis vnquã docuerunt Scribæ & Pharisæi illud: *Quicunque iurauerit per templum nihil est; qui autem iurauerit in auro templi: debet, &c. & quicunque iurauerit in altari, nihil est; quicunque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet.* Nam si hæc & similia Pharisæi ex cathedra docuissent; nunquam ea exagitasset Christus; quippe non ignarus eius, quod initio monuerat; vt scilicet omnia facerent, & seruarent; quæ Scribæ & Pharisæi ex cathedra Moysis dicerent: Ex quo hoc argumentum conficere licet.

Christus absolutè & sine vlla restrictione voluit dictis Scribarum & Pharisæorum ex cathedra Mosaica profectis morem geri; quia dixit; *quæcunque*, id est, omnia, *quæ vobis dixerint, seruate & facite*; nihil excepit; ergo omnia Scribarum & Pharisæorum dicta ex cathedra fuere bona & salutaria, & legi diuinæ consona.

Iunius stultitiam, quam hactenus oppugnauimus, probat, primò *ex analogia caussæ, quam Christus enunciat; in cathedra Mosis sedent.* Quæ hæc Analogia, insipientiæ Iunianæ parens? Certè caussa, quam Christus eo loco turbis explicandam, immò & instillandam susceperat, alia non fuit; quàm vt eis, qui cathedram Moysis tenebant, diligentissimè morem gererent, quod attinet ad doctrinam. Huius caussæ analogia quid caussam Iunianam iuuet, equidem non video.

Idem demonstratur, inquit Iunius, *ex mandati verbis: seruate & facite: quorum alterum doctrinam, alterum vitam propriè respicit.* Nostram caussam promouent hæc mandati verba, quorum sensus: *omnia quæ vobis ex cathedra Moysis dixerint, siue credenda, siue agenda; seruate & facite*; quia non nisi verum, credendum; & non nisi bonum, agendum, ex cathedra illa præscribent.

Tertiò idem probat Iunius ex Interpretatione. *Ligant enim onera grauia, &c. nam quis vsque adeo desipit, vt eadem onera imperari à Christo putet, eo quod imperauissent illa Pharisæi?* Et quis vsque adeo desipit, vt ea, quæ in Pharisæis Christus reprehendit, à Christo imperata vel approbata existimet? Nam illud: *alligant enim onera, &c.* & quæ sequuntur, non adfert Christus, tanquam exempla operum imitandorum, sed potius fugiendorum; & sunt nimirum illa ipsa; quæ Christus indicauit illo monito: *secundum opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt*: nam in cathedra dicebant; hominibus non esse imponenda onera portatu vel difficilia vel impossibilia; & si quid à superiore mandetur; debere eundem exemplo præire, humerosque oneri supponere: at extra cathedram contrarium prorsus factitabant; & grauissimum iugum, quo alios onerabant, fermeque deprimebant, vix extremo digito tangebant.

Quartò, idem patere, dicit Iunius *ex exemplis quæ Christus adducit, non tantum morum, sed & doctrinæ.* Iam responsum est, esse exempla doctrinæ priuatæ, non publicæ ex cathedra.

Quartum testimonium à Bellarmino productum, est Ioannis vltimo. *Simon Petre pasce oues meas, &c.* Vbi tria obseruanda Bellarminus monet. I. quod dicitur Petro, dici etiam successoribus. Respondet VVitackerus, *hæc ad vnum Petrum peculiariter pertinere. His enim verbis* Petrus pristinæ Apostolici muneris dignitati restituitur, *à qua tum exciderat, & sic Patres ipsi hunc locum interpretati sunt.* Sed vel mentitur, vel hallucinatur VVitackerus: non enim per negationem Apostolatum seu Apostolicum officium diuus Petrus amiserat: quem mox Dominus, vt charissimum discipulum benigno vultu respexit, pioque aspectu ad amarissimas lacrymas profundendas inflexit: & Iudæ peccatum proculdubio grauius fuit; & tamen discipulus & Apostolus vsque ad laqueum, vel saltem proditionis momentum mansit; licet iam pridem fur fuisset; & iam quoque Dominum Iudæis vendidisset; & proditionem animo informasset ac destinasset. Quod patres dicunt; *Petrum ter fuisse interrogatum; quia ter negauerat*: id minimè significat; Petro tunc restitutum Apostolatum; antea negando amissum & deperditum; sed trinam hanc amoris confessionem, fuisse aliquam negationis trinæ compensationem. Potuit autem hanc triplicem dilectionis suæ in Christum professionem Christo compensationis loco offerre; licet Apostolicum officium nunquam amiserit. Quod verba illa, *pasce oues meas*: non modò ad D. Petrum, sed & ad successores D. Petri pertineant, hac ratione ostendit Bellarminus; quia Christus non voluit prouidere Ecclesiæ ad viginti quinque tantùm annos, sed quousque mundus duraret; signum est ergo verba illa non ad solum Petrum, sed & ad successores Petri spectare; quia non tantum illa Ecclesia, quæ erat viuente in his terris D. Petro, tali pastore egebat, qualis erat D. Petrus; sed & Ecclesia omnium aliarum subsequentium ætatum. Quod ipse tan-

dem VVitackerus agnoscit. *Fateor*, inquit, *hac verba vi applicationis aut collectionis, ad Petri etiam successores accommodari posse, si enim Petrum oportebat Christi agnos ouesque pascere, ergo & successores hac in re Petro similes esse debent.* Rectè sentis VVitackere; persiste in hac sententia, laudemque merebe-ris. Sed mox, vt video, rectam viam deseris. Ais enim. *Hoc aquè ad omnes Episcopos & ministros atque ad ipsum Pontificem Romanum pertinere, quia omnes hac in re, id est, in prædicatione verbi, Petro succedunt, eiusque diligentiam in pascendis Christi ouibus imitari debent.* Vnum his deesse video, nempe, quòd VVitackerus non probat, alios Episcopos succedere etiam diuo Petro in vniuersali cura ouilis Dominici curandi, & in vniuersali prædicatione verbi, eaque independente, & ab omni cuiuscunque superioris imperio libera: hoc si VVitackerus demonstraret, forsan aliquid efficeret. Interea inanes logos ferit; & talium inaniarum peripsematis chartas suas complet; vt & tunc, cum clamitat; *omnes Episcopos D. Petri successores esse.*

Secundo notat Bellarminus illud *Pasce* intelligi præcipuè de doctrina, sic enim pascuntur oues rationales Hieremiæ 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Respondet VVitackerus. *Hoc rectè quidem ab eo notatum esse, atque ideo dico hac verba minimè omnium ad Pontificem Romanum pertinere, quia is minimè omnium docet.* Meram calumniam audio: nam Pontifex Romanus ore omnium orthodoxorum doctorum & concionatorum docet; tanquam supremus doctor; omniumque moderator ac gubernator, & per se etiam docet, quoties necessitas id exigit, tum definiendo, & controuersias exortas componendo, tum aliis rationibus veritatem vel obscuram vel obscuratam patefaciendo.

Tertiò notat Bellarminus, illud, *oues* significare omnes Christianos: qui enim non vult pasci à Petro, non est ouis Christi. Respondet VVitackerus: *Christus non dicit Petro; Pasce omnes oues meas, nam id nec Petrus vnus præstare potuit, nec aliquis quiuis Apostolus; sed loquutur indefinitè, ac dicit, Pasce oues meas.* Si Christus non omnes simpliciter oues suas Petro pascendas commisit; dicat, oro, VVitackerus, quasnam, & quot, & quales oues Christus Petro commiserit. Certè Christus non distinxit inter has & illas oues; sed absolutè, *pasce*, inquit, *oues meas.* Ex quibus sic ratiocinari licet cum Gregorio nostro de Valentia libro septimo Analyseos capite quarto. *Dubium nullum est quin Christus ita diligenter commendans Petro oues suas, voluerit ab eo satis intelligi, de quibus ouibus loqueretur. At nisi de omnibus quæcunque essent suæ, sit loquutus, non satis potuit Petrus, de quibusnam diceret, intelligere. Confitendum est igitur, illum de ouibus suis omnibus in eo loco loquutum esse. Non enim de iis aut illis determinate, nec verò de multis; nec si indeterminatè, & confusè de aliquibus loquutus esset, satis illæ à Petro potuissent distinctè cognosci.*

Mendacium VVitackerianum est; *Christum nihil peculiare hic Petro commisisse; sed eadem mandata de ouibus pascendis dedisse; quæ aliis Apostolis dederit, vt quisque pro sua rata portione gregem Christi pasceret.* Vbi commisit Christus aliis Apostolis, & quidem singulis singillatim; curam ouium his verbis: *Pasce, oues meas?* Nam licet omnibus dederit auctoritatem vbique docendi Matth. 28. & Marci 16. & pascere sit docere; tamen istud ipsum *pascere* reliquis Apostolis non est datum, sicut Petro; independenter scilicet à superiore potestate; & cum perpetuitate, seu priuilegio transmittendi hanc ipsam generalem pascendi potestatem ad posteros: quemadmodum Petro hæc potestas concessa est. Falsum insuper reputa, quod Caluinista dicit; *fieri non posse, vt vnus homo vniuersas Christi oues regat.* Quasi verò ad hoc, vt omnes oues regat & pascat, necesse sit omnes regiones obire; & totius orbis prouincias percurrere. nam non magis hoc necessarium est; quàm vt Rex Hispanorum amplissima, quæ in Indiis habet, regna, peragret, quò ea quietè ac pacificè gubernet. Nam pastor ouium Christi per suos ministros oues Christi pascit ac regit; Ipse generalem omnium curam gerens; & quid credendum sit; si quando dubitationes exsistant præscribens.

Hunnius hic totus est Dialecticus. Vociferatur. *Quæ (per Deum immortalem) est consequentia? Christus dixit ad Petrum, Pasce oues meas. Ergo Papa est vnus & solus iudex Generalis omnium controuersiarum.* *Excutiantur omnes loci Dialectici, & respondeatur, è quo depromptum sit argumentum.* Quæ est hæc calumniandi libido ac impotentia, & ex quibus Topicis desumpta? nam consequentia optima est; si non tam nudè, quàm Prædicans facit, proponatur, sed hunc in modum formetur. Christus illis verbis, *Pasce oues meas*; commisit soli Petro & solis successoribus eius generalem ouium suarum curam; ergo Papa, successor Petri, est vnus & solus Iudex generalis & supremus omnium controuersiarum.

Quod Petro hic dicitur, inquit Prædicans, *num cæteris Apostolis denegatur?* Non denegatur, sed non datur; quia soli Petro datur. Non denegatur, quia Apostoli nunquam postularunt id sibi dari, quod Petro his verbis datum est. Id autem propriè denegatur, quod petenti non datur. Pergit Prædicans. *Si dixisset Dominus: Tu solus pasce oues meas, reliqui Apostoli pascant vaccas & capras, plausibilior forsan esset argumentatio.* *Vaccas & capras* Prædicantibus pascendas relinquimus. Apostoli oues Christi, pascendas & regendas à Christo acceperunt, dependenter tamen ab vno summo & generali pastore Petro; nec cum iure eiusdem plenariæ suæ potestatis ad successores transmittendæ.

Quærit Prædicans. *In qua Grammatica, pascere oues, idē significet: ac se gerere pro vniuersali Iudice omnium*

contro-

controuersiarum. In omni Grammatica & Theologia, exceptâ hæreticâ; pascere oues, cum illis circumstantiis; cum quibus à Christo dictum est Petro, idem significat; quod esse vniuersalem omnium controuersiarum iudicem: quia generalis pastor ouium Christi debet oues Christi omnibus modis ad salutem accommodatis pascere; inter quos modos etiam ille haud postremus est, vt cõtrouersiæ circa fidem exortæ componantur; & orthodoxa doctrina sanciatur.

Iterum clamat Prædicans. *Quæ, obsecro, est consequentia? Petro dictum est, pasce oues meas, id est, (vt Pontificij interpretantur) esto solus & vnus Generalis iudex omnium controuersiarum fidei. Ergo idem etiam dictum est Papæ.* Optima est hæc consequentia; quia illud; *pasce oues meas*: non soli Petro, sed & successoribus Petri dictum est. *Quid Petro cum Papa?* quærit Prædicans. Id quod antecessori, cum successore: & Papæ cum Petro, id est; quod successori cum antecessore.

Fatetur Prædicans, *dictum Christi; etiam ad successores Petri pertinere*; sed insinuat; *omnes Episcopos esse Petri successores*; vel *Romanos pontifices esse quidem Petri successores; sed pij impios, probi improbos; quo pacto Caiphas successor fuit Aaronis, Eleazari, Phineæ.* Quæro ex Prædicante; an Caiphas quia impius erat; ideo non fuerit verus & legitimus successor Aaronis & aliorum veteris testamenti pontificum? Certè diuo Ioanni Euangelistæ in faciem contradicet Prædicans, si Caipham, verum pontificem fuisse inficietur. Licet igitur, pontifices Romani pietate & sanctimonia vitæ à Petro priscisque pontificibus recessissent, vt impius Nouator mentitur; nihilominus veri pontifices & successores D. Petri essent; quandoquidem veritas pontificatus & successionis non pendet à vitæ sanctimonia. Deinde, quæ Prædicans iste de pontificum sceleribus comminiscitur, copiosè in Responso Hunniano confutauimus cap. 17. vt & in Apologiis contra Misenum; & alibi passim.

Ait Prædicans; *Ad hoc vt Deus Ecclesiæ satis prouidisse censeatur, nil opus esse monarchico pontificis dominatu.* At opus esse, vel vnica hæreticorum anarchia satis superque declarat; vnde in Nouatorum castris tantæ turbæ & turbationes; & tot placita, quot capita; nisi quia vnum caput non agnoscitur? Testimonio illo Hier. 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*; non solùm Petrũ designari dicit Prædicans, sed & alios Episcopos. Vbi dixit Bellarminus hoc testimonio solum Petrũ designari? Num huius probandi gratia oraculum illud Hieremiæ adduxit? An nõ ea solùm de caussa citauit; vt ostenderet, verbum *pascere* in scriptura, potissimùm ad pabulum doctrinæ & scientiæ pertinere?

Ait Hunnius, *oues Christi non minus pasci doctrina Pauli, Ioannis, & aliorum Apostolorum ac Petri.* Sit ita; sed tamen à Paulo, Ioanne, & aliis Apostolis pabulum non habent, nisi per Petrum, & dependenter à Petro; qui adhuc quotidie opera suorum successorum pabulum propheticum & Apostolicum ouibus Christi apponit, &, vt purum integrumq; subministretur; sollicito studio procurat. Tritum est. *Qui non vult pasci à Petro, non est ouis Christi. Eodem modo, quin & gradu, nos asserimus*, inquit Hunnius, *Qui non vult pasci à Paulo, non est ouis Christi.* Non diffiteor; Est tamẽ ingens nihilominus discrimen. Nam qui à Paulo pascitur; is à Petro quoque pascitur. Quia Paulus nullum pascit; nisi depẽdenter à summo pastore; qui est Petrus, & successores eius. Et qui se à Paulo absque Petro pasci existimat; is somniat; Et spe inani se lactat, vel potius ludificat. *Paulus nulla in re inferior est summis Apostolis*, inquit prædicans, *Petro, Iacobo, Ioanne. 2. Cor. 11. & 12.* Respondeo, nulla in re esse inferiorẽ Petro spectando præcisè Apostolicum officium; inferior Petro est; quatenus & ipse Petri ouicula est; quia ouicula Christi est; Nemo autem Christi ouicula est, nisi pariter sit & Petri.

Subiicit Prædicans: *Paulus plures oues pauit, plures fundauit Ecclesias; siquidem plus laborauit quam cæteri Apostoli 1. Corinth. 15. ne Petro quidem excepto. Ergo Petrus non fuit supremus pastor.* Arguta consequẽtia: quia est ex pharetra Hunniana. Obierit D. Paulus plures terras, quam diuus Petrus, plures concionando & epistolas mittendo instruxerit; quid tum? An ideo Petrus non est supremus pastor? Sæpe fit, vt gregarius miles plures ex hostibus interficiat, quàm ipse supremus belli Dux. An ideo non est supremus, quia subditus plus laboris exantlauit? vt taceam, quidquid à diuo Paulo aliisúe Apostolis actum est; id auspiciis summi pastoris Petri actum esse; sub hoc enim pastore pauerunt Christi ouiculas alij omnes Apostoli & pastores.

Conuentio inter Petrum & Paulum, vt ille Iudæis; hic gentilibus verbum Dei annunciaret; nihil de primatu diui Petri detrahit; vt copiosè ostendit Bellarminus lib. 1. de pontif. cap. 16. cuius doctrina suo loco à Prædicantium calumniis vindicabitur. Reliqua, quæ Hunnius profert, sunt mera nugamenta, & sycophantiæ, huic Prędicanti solennes: vt cum exagitat Bellarminum ob citatum illud D. Hieronymi dictum ad Damasum pontificem, *A pastore præsidium ouis flagito. Quisque Minister Ecclesiæ inferior à superiore, puta Pastore vel superintendente suo, idem petere potest, & dicere; à pastore præsidium ouis flagito. Ergo quisque minister Ecclesiæ erit vniuersalis pastor & iudex omnium controuersiarum*: Calumniatur prædicans. Non enim diuus Hieronymus opem petiit à Damaso, vt à qualicunque pastore; sed vt à supremo: quod testantur omnes propemodum vtriusque epistolæ ad Damasum apices. De duobus enim certior reddi cupit; primum est; an tres hypostases in diuina natura dicere liceat: secundum; cum quo Antiochiæ communicare debeat; an cum Meletio, an cum Vitali, an cum Paulino. In his ideo à Damaso institui volebat; quia, *quicunq. ex-*

tra hanc domum (Romanam Ecclesiam) *agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnãte diluuio. Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Ego clamito, si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.* Quæso, an nullus neque in Oriente, neque in Occidente supererat orthodoxus Episcopus, à quo Hieronymus opem flagitaret? Cur ad Damasum accurrit; nisi quia optimè perspectum habebat; huius pastoris dicta esse oracula; quodque, quamdiu quis cum Romana Ecclesia communicat, ab erroris periculo immunem vitã ducat: Alloquens enim Damasum ait: *Quicunq; tecũ non colligit; spargit.* Ne igitur D. Hieronymus spargeret; cum Damaso colligere voluit; tanquam cum pastore summo; quem sub finem epistolæ rogat; *vt sibi detur auctoritas siue dicendarum, siue tacendarum hypostaseon.* Adeo Damasi iudicio stare promptus erat Hieronymus. Qua de caussa, nisi quia probè norat; se veritatem sequi, si Damasum sequeretur. Et ex his accipiat quoque responsum Iunius ad nugas, quas circa dictum D. Hieronymi effutiuit.

Audiamus iam Sibrandicos, hoc est, malè dolatos & pessimè tornatos syllogismos. *Qui homines Christianos docere debent, illi non possunt errare in scriptura explicanda, Sed Papa debet homines Christianos docere. Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Respondeo, inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam.* Vtique falsa est: sed ex quo capite prodiit; nisi ex tuo, eoque insano, vt fermè vniuersi syllogismi, quos formas, & Catholicis mendacissimè affingis, palam faciunt? Nam syllogismus iste in Bellarmino non comparet; neque ex sententia & discursu eius elicitur; Quare cum postea verbosè demonstras singulos, qui populum docere debent, errare posse; non nostra dogmata, sed tua phantasmata oppugnas: concedimus enim singulos doctores sigillatim spectatos in errorem incidere posse; etiam papam, vt est doctor quidam priuatus: sed negamus, papam docentem ex Petri cathedra errori obnoxium esse.

Itaque si quis ægrum tuum febrilemque syllogismum curare velit; licebit hoc hunc in modum præstare. Qui homines Christianos docere debet ex cathedra Petri, tanquam supremus pastor, is non potest errare in scripturis ex cathedra interpretandis: Papa debet homines Christianos docere ex cathedra Petri, tanquam supremus pastor: Ergo papa non potest errare in scripturis ex cathedra interpretandis Sic syllogismus formandus & instituendus erit, ex ratiocinatione Bellarmini; si quis ingenuè agere; non improbè & flagitiosè sycophantari velit, vt hic & vbique facit Caluinianus iste impostor, ex fraudibus & technis totus consutus; cuius sycophantiæ en aliud paradigma.

Qui habet officium docendi, ille non potest errare in doctrina, sed omnes ministri legitimè vocati habent officium docendi. Ergo nulli ministri possunt errare in doctrina. A *Vides Bellarmine*, inquit Caluinista, *quorsum te adigant tua argumenta.* Vides, opinor, lector, quorsum incensa mentiendi libido sectarium istum adigat; eò videlicet, vt clausis oculis profligata mente & fronte; quiduis comminiscatur, nullâ neque Dei neque hominum reuerentiâ absterritus. Quàm prior syllogismus ex doctrina Bellarmini non exstruitur nisi sycophanticè, tam non exstruitur hic secundus nisi consimili arte & fraude; quem si hac forma induas, tum demum à nobis agnoscetur.

Qui habet supremum docendi ex cathedra Petri officium; ille non potest errare in doctrina ex cathedra Petri tradenda; sed omnes ministri legitimè vocati habent supremum officium docendi ex cathedra Petri; ergo nulli B *ministri possunt errare in doctrina.* Maior verissima est. Minor falsissima. in cuius locum si hæc vera substituatur; *Papa Romanus habet supremum officium docendi ex cathedra Petri*; tum vera etiam sequetur conclusio. *Ergo Papa Romanus non potest errare in doctrina ex cathedra Petri tradenda.* Obiicit Hæreticus. *Si Petri successores ideo omnium Ecclesiarum curam gerere debent, quod Petrus omnium Ecclesiarum curam gessit, tum etiam Pauli, Matthæi, Ioannis, Iudæ, & reliquorum Apostolorum successores omnium Ecclesiarum curam gerere debent, nam & illi omnium Ecclesiarum curam gerere debebãt.* Negatur sequela. Ratio diuersitatis iam sæpius reddita est; quia reliqui Apostoli non habuerunt curam vniuersalem omnium Ecclesiarum cum iure C eandem vniuersalem potestatem transmittendi ad posteros & successores suos; plenitudo enim illa potestatis erat personalis. At in Petro personalis non fuit; sed deriuanda in successores, id quod in controuersia de pontifice immotis ex verbo Dei argumentis à Bellarmino demonstratur. Itaque non ideo præcisè habet Papa curam omnium Ecclesiarum; *quia* Petrus habuit curam omnium Ecclesiarum; *sed* quia illam habuit cum iure & conditione transfundendi ad successores suos, & quidem supremam atque independentem ab vllo alio in hac militante Ecclesia; qualis non fuit potestas aliorum Apostolorum, quia à supremo pastore pendebat.

D Quocirca quisquiliæ sunt, quæ Caluinista subiicit. *Si sequitur; qui omnium Ecclesiarum curam gerunt, illorum etiam & successores omnium Ecclesiarum curam gerunt. Sed Petrus omnium Ecclesiarum curam gessit, Ergo eius successores omnium Ecclesiarum curam gerere debent. Tum eodem modo sequitur. Qui omnium Ecclesiarum curam gerunt, eorum etiam successores vniuersarum Ecclesiarum curam gerere debent; sed omnes & singuli Apostoli omnium Ecclesiarum curam gesserunt, ergo omnium & singulorum Apostolorum successores omnium Ecclesiarum curam gerere debent.* Quis primam illam sequelam concessit? Negamus sequi; qui omnium Ecclesiarum curam gerunt, illorum etiam successores omnium Ecclesiarum curam gerere; nisi in antecessoribus cura illa fuerit ordinaria.

Digitized by Google

dinaria, etiam ratione successionis. Negamus autem curam illam & potestatem vniuersalem fuisse in Apostolis ordinariam ratione successionis, excepto solo Petro; vnde minimè conficitur, si alij Apostoli vniuersalem curam omnium Ecclesiarum gesserunt; id etiam competere eorum successoribus Episcopis; quia, vt suprà dictum, plenitudo illa potestatis Apostolicæ, personalis erat; Quamobrem ad posteros non peruenit: sicut peruenit ad successores Petri; in Petro enim plenaria illa & vniuersalis potestas ordinaria erat, & ad successores transmittenda.

Sed en nouum arietem. *Qui non est Petri successor, iste potest in doctrina explicanda errare: sed Papa non est Petri successor: potest igitur in scriptura explicanda errare.*

Minorē non probat Savvbrandus, nisi mendaciis, *vt Papa neminem docet: Papa oues Christi lacerat & dissipat: Inter Papam & Petrum nulla est similitudo. Papa similis est Commodo, Diocletiano, Neroni, Caligulæ*: & inscitiis; vt, *Papa non est immediatè vocatus à Deo. Papa non est Apostolus. Papa neminem pascit; Papa non potest ostendere tabulas successionis*; & id genus aliis gerris plusquam anilibus. Quanquam quod ad successionē attinet, redarguitur Savvbrandicum figmentum euidenter tum à libris, in quibus omnium pontificum Rom. vsque ad Paulum V. vitæ & res gestæ describuntur; tum à tabulis papyraceis & marmoreis; quæ omnium pontificum Rom. à Petro vsque ad hodiernos nomina & effigies repræsentant, spectandasque exhibent.

Ait Bellarminus. Illud; *pasce oues meas*; potissimum intelligi de singulari officio docendi totam Ecclesiam, constituendo ac decernendo, quid ab omnibus sit credendum. Contrà obiicit Savvbrandus. *Quicunq; debet pascere oues Christi, illius est omnibus ministris præscribere quomodo debeāt pascere, sed omnium ministrorum est pascere oues Christi, Ergo omnium & singulorum ministrorum officium est, reliquis omnibus Episcopis præscribere, quomodo debeant pascere.* Quanta Caluinistæ huius vanitas; quanta ruditas; quàm proiecta, quàm impudens. Nam Maior à Bellarmini mente alienissima est: neque enim vnquam vel dixit; omnium eorum, qui oues Christi pascere debent, munus esse aliis præscribere; quid fide tenendum; quidque tanquam fide tenendum fidelibus proponi debeat; sed hæc eius est mens ac sententia: Quicunque, vt supremus pastor & vicarius Christi oues pascere debet; is debet etiam constituere, præscribere ac decernere, quid ab omnibus sit credendum; Subdat iam Savvbrandus Minorem suam. *Sed omnium Ministrorum est pascere oues Christi*: Quæro, num hoc sit omnium Ministrorum, tanquam summorum, & qui nullum alium celsiore loco locatum agnoscere ac venerari debeant?

Instat Caluinista. *Omnibus Episcopis præscribere, quid docere debeant, est solius Christi; ergo non Papæ.*

A Respondeo. Antecedens esse Savvbrandicum: quia eo sensu, quo ab Hæretico adducitur, excludit omnem *ministerialem* caussam: Falsum autem est, Christum in constituendo & decernendo, quid ab omnibus sit credendum, non vti ministro & vicario. Solus quidem præscribit ac constituit dogmata fidei in suo genere, vt supremus sacerdos & pontifex noui testamenti; sed nō solus in omni genere caussæ. sicut solus Deus producit *fœnum & herbam*, in suo genere, nempe, vt est prima caussa omnium caussarum; sed non solus in quocunq; genere caussæ, quia adhibet alias aliorum ordinum tam vniuersales, quàm particulares caussas.

Ex quibus etiam facilis efficitur confutatio eorum; quæ hic fabulatur Iunius. *Decernere*
B *quid ab omnibus fide sit tenendum, singulare est officium Christi, secundum vim auctoritatemq; ipsius; commune Apostolorum secundum ministerium ipsis commissum.* (Imò nulli Apostolo commune fuit; eo modo, quo propriū Petri erat; independenter scilicet ab omni alia in hac militante Ecclesia potestate.) *Post ipsos vero nulli Episcopo, quamuis cælestibus donis instructissimo, in eum modum competens.* Tu quidem affirmas. Vbi probatio?

Quintum testimonium prolatum à Bellarmino est Luc. 22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ex hoc loco, Romanum Pontificem ex cathedra docentem non posse errare deducit B. Bernar-
C dus epist. 190. ad Innocentium, & ante eum Lucius I. in epist. 1. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ. Et multi alij Pontifices à Bellarmino citati. Respondet VVitackerus: *De auctoritate Bernardi & Decretalium epistolarum nihil hic statuo.* Et tamen nihil statuendo non dubito te idem statuere, quod statuit Iunius, *qui epistolas decretales pontificum suppositítiis annumerat*; quodque statuit Lutheranus Hunnius; qui impudenter pro ingenio suo; *Nihil moramur Bernardi auctoritatem: scripturas requirimus*; Lutheranè tamen intellectas. Ex testimoniis veterum pontificum eiusmodi deliramentum conficit; luculentum profectò Hunnianæ frontis, & scurrilitatis testimonium. *Quidquid hi pontifices testificantur de semetipsis, verum*
D *est. Sed testificantur de semetipsis, suisq; cum antecessoribus, tum successoribus, Pontificem ex cathedra docentem non posse errare. Ergo id certissimè verum est, & dicat omnis grex & fex Monachorum & Iesuitarum, Amen.* Hæc leuissimus sannio & morio. Et tamen Maior longè credibilior est; quàm ista: *Quidquid Prædicantes contra veterum pontificum epistolas & Apostolicā auctoritatem testificantur, id verum est.* Hanc enunciationē obtrudunt nobis hæretici, & cupiūt, vt obuiis vlnis eā excipiamus & amplectamur. Fungino genere prognatus sit oportet, qui Prædicātibus in his, & id genus aliis obtemperādum censeat. Nec verbū addo de his epistolis; quia earundem contra Magdeb. defensio à Turriano nostro vulgata per tot iam annos inconcussa persistit.

Subiun-

Subiungit VVitackerus. *Ad rem breuiter respondeo.* I. *Hoc, qualecunque tandem fuit, ad Petrum tantùm, non ad eius successores pertinere; ait enim Christus: Rogaui pro te Petre, non pro successoribus tuis.* Vt iam Hæretici semper tergiuersandi occasionem inueniunt; licet omnes circumstantiæ clament; preces illas Christi etiam ad successores Petri spectare: ita illis difficile non foret elabendi rimam reperire; licet expressè additum fuisset; *Rogaui* pro te, Petre, & pro successoribus tuis: Occinerent nimirum, quod iam occinunt; *Pontifices Romanos non esse successores Petri.* Verum vt propius ad rem accedamus, falsum est, quod VVitackerus sine probatione assumit; virtutem orationis Christi non pertinere ad successores Petri: nam vt rectè docet Bellarminus libr. 4. de Pontif. cap. 3. Christus orauit pro Petro in vtilitatem Ecclesiæ: Ecclesia autem semper indiget aliquo, à quo confirmetur, cuius fides deficere non possit. Nec enim Diabolus petiit cribrare tantùm eos, qui tunc erant fideles, sed omnes omnino: Necesse igitur fuit, vt semper in Ecclesia inueniretur, cuius indeficiens fides cęteris esset munimento ac firmamento.

Ait VVitackerus: *Christum proculdubio etiam pro cæteris Apostolis orasse sed præcipuè pro Petro quod ille præ reliquis periculosissima fuit tentatione oppugnandus, ideoq́ peculiari quodam auxilio precum adiuuandus.* Orauit vtique etiam pro cæteris Apostolis, imò & pro omnibus electis. Ioan. 17. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Sed peculiariter rogauit pro solo Petro; vt fides, quę ex cathedra Petri traditur; nunquam deficiat: hoc est, vt nihil falsi vnquam ex cathedra Petri doceatur. Hoc pacto pro aliis Apostolis non rogauit: quia nullos habituri erant successores qui in plenitudine vniuersalis potestatis Apostolicæ succederent, vt iam sæpius dictum est.

Secundò respondet VVitackerus; *Christum hoc loco, veram fidem intellexisse: Papistas autem per fidem non intelligere fidem veram*; quod mendaciis annumeretur oportet; Vocabulo enim fidei eo loco non intelligimus nisi eam fidem, qua salutem & beatitudinem consequimur. Nam quod *phantasticam* illam Hæreticorum fidem, quam *specialem & iustificantẽ* appellant, non admittimus, in eo & sacris litteris, & totius antiquitatis legibus conuenienter agimus.

Nominat VVitackerus pontifices quosdam qui in errores atque adeò hæresin inciderint; quod & Savvbrandus facit; vt inde euincant precationem illam Christi, nihil ad pontifices Romanos pertinere. Verum Nouatores hactenus nullum pontificem producere potuerunt, cuius fides defecerit in definiendo, hoc est, in dogmatibus fidei ex cathedra tradendis & proponendis; Vtrum enim Pontifex, tanquam priuata persona, à vero abire, & in hæresin delabi queat; atque adeò num preces

A Christi successoribus D. Petri tantum hoc impetrarint, vt nihil contra fidem, ex cathedra, tanquam pontifices, docere possint, non autem, vt tanquam priuati quoque doctores ab omni errore fidei aduersante immunes viuant; alia quæstio est, alio tempore & loco discutienda.

Savvbrandus in huius loci tractatione ne vno quidem pilo melior est seipso. Ad calumnias & pseudologias tenacissimè adhæreſcit; quas plenis faucibus effundit. Testimonio erunt deliri isti syllogismi, quos Caluinista per summam impudentiam & petulantiam Catholicis, & Bellarmino tanquam Auctoribus adscribit.

B I. *Pro quibus Christus orat, vt illorum fides non deficiat, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Petrus est ille pro quo orauit Christus, ne eius fides deficeret. Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Subdit Caluinista. *Respondeo, esse aliud in conclusione quam in præmissis. Tantum enim sequitur, Petrum non posse errare in scriptura interpretanda.* Quare aliud est in conclusione, aliud in præmissis, nisi quia tu nequiter & flagitiosè aliud in conclusione, & aliud in præmissis posuisti; vt tuis persuaderes, huiusmodi deliramenta, esse non tua; sed Bellarmini & orthodoxorum; cum tu solus has ineptias ex cerebro tuo exsculpas; idque quod tuum phantasma est, aliis assignes. *Maior*, inquis, *etiam est falsa: nam si omnes isti non*

C *possunt errare in scriptura explicanda, pro quibus Christus orat, ne eorum fides deficiat, tum nulli fideles possunt errare in scriptura explicanda, Christus enim orat pro omnibus fidelibus, ne illorum fides deficiat. Ioan. 17.* Iterum cum tuis laruis luctam inis, non cum Bellarmino; qui *Maiorem* illam tuam nunquam aut protulit, aut posuit, aut probauit: Nam si doctrinam suam in syllogismi formam coniicere voluisset, hunc vel similem syllogismum formasset. Pro quibus Christus *speciatim* orat; vt illorum in docendo fides non deficiat, illi non possunt errare in scriptura explicanda; ex cathedra scilicet ac ex pastorali, quod gerunt, officio. Sed pro Petro & succes-

D soribus tali modo orauit Christus, ergo Petrus & successores eius non possunt errare *in scriptura* explicanda, ex cathedra scilicet, & ex pastorali, quod gerunt, officio. Hunc vel non absimilem syllogismum cudisset Bellarminus, si cogitata sua syllogismi schemate vestire voluisset.

II. Savvbrandicus syllogismus. *Pro quibus orat Christus, illi non possunt errare in scriptura explicanda, Sed omnes fideles sunt isti pro quibus Christus orat, Ergo nulli fideles possunt errare in scriptura explicanda. At hæc conclusio falsa est*, inquit Caluinista: *ergo aliqua ex præmissis est falsa, falsum enim ex vero colligi non potest. Non autem Minor, extructa est enim ex manifestis Scripturæ testimoniis. Ergo Maior, &c.* Quàm

subti-

subtiliter, si non futiliter, omnia; Quis non videt *Maiorem* esse falsam, si, vt sonat, accipiatur. Dic Caluinista; Estne hoc argumentum Bellarmini? Quæso vbi dixit, vel scripsit? *Pro quibus Christus orat, illi non possunt errare in scriptura explicanda.* Monstra mihi hanc assertionem in Tomis Bellarmini; aut necesse erit, vt ad cumulum innumerabiliũ tuorum mendaciorum hoc quoque apponas. Nos cum Bellarmino Maiorem hũc in modum formamus, pro quibus Christus specialiter orat, vt eorum ex cathedra docendo fides non deficiat, illi errare non possunt in scriptura explicanda. Si iam subdatur Sibrandica Minor. *Sed omnes fideles sunt isti, pro quibus Christus orat*: falsitas eius vel cœco statim aperta erit.

III. Syllogismus. *Pro quibus Christus orat vt non errent in doctrina, illi non possunt errare in scriptura explicanda. At Petrus est ille, pro quo Christus orat, vt non erret in doctrina. Ergo Petrus non potest errare in scriptura explicanda. Sed iam Minor non est vera,* inquit Caluinista. *Petrus enim post hanc orationem in doctrina errauit.* Ex quo nascitur hic quartus syllogismus. *Si Christus orauit pro Petro ne in doctrina erraret, tum Christus non impetrauit, quod petiuit. sed hoc est absurdũ, ergo & illud.* Negatur sequela Maioris. Probat Caluinista. *Quia Petrus post orationem hanc à Christo factam, abnegauit & abiurauit Christum, Matth. 26. & voluit Christi passionem armis impedire. Matth. 26. Putauit etiã regnum Christi esse mundanum Act. 1. Sed abiurare Christum, & existimare regnum Christi esse mundanum; est errare in doctrina, Ergo fides pro doctrina accipi hoc loco non potest.* Quanta inscitia & ruditas in capite huius Caluinistæ? Nam cum Christum negauit, nondum supremam potestatem in Ecclesiam Dei acceperat; sed primùm post resurrectionem Domini; quando illud à Christo audiit: *Pasce oues meas.* Vnde si Christus orauit pro Petro, tanquam pro fundamento Ecclesiæ, & summo pastore & controuersiarum omnium iudice; dicendum erit, efficacitatem harum precum non nisi ad tempus illud pertinere; quo iam summum pontificatum reipsa gerebat.

Secundò, negamus, D. Petrum, quando Christum negauit, fidem in corde amisisse. In ore amisit, non in mente; quia quem intima mente repositum habebat, tunc minimè confessus est, quando confessione maximè opus erat; Et ita etiam sentiunt sancti Patres & scripturæ Interpretes, vt suo loco fusius explicabitur. Deinde, vt maximè fides eius tunc defecisset; nihil contra preces Christi actum fuisset; tum quia pertinent ad tempus, quo pontificatum de facto habuit; tunc autem, cum Christum negauit, necdum supremus pastor reipsa fuit; tum quia per negationem, Petrus nihil docuit, aut definiuit, & tanquam fide tenendum cæteris proposuit; sed quidquid erat, id Petro proprium & personale erat. At Christus rogauit, vt Petri fides nunquam deficiat in docendo, hoc est, vt nihil vnquam falsum & fidei aduersum, tanquam pontifex, docere posset: tametsi vt Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 3. rectè docet; Petro Apostolo, non tantum hoc Christus per preces suas impetrauit; sed & hoc, vt ipse etiam, quoad suam personam, nunquam posset veram fidem perdere; sicut reuera nunquã perdidit, ne in grauissimo quidem illo lapsu. Et quales sunt istæ Savvbrandicæ consequentiæ? *Petrus abnegauit Christum ante passionem: ergo errauit in fide & doctrina fidei definiendo ex cathedra.*

Petrus ex abundantia quadam amoris erga Christum, non ex vlla infidelitate, voluit Christũ ab inuasoribus gladio tutari; ergo Petrus defecit in fide & in doctrina fidei; definiendo & ex cathedra docendo.

Petrus & alij, qui conuenerant spectatum ascensionem Saluatoris in cælum: interrogarunt Christum Act. 1. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? ergo Petrus defecit tunc in fide quoad suam personam; & praeterea tanquam Pontifex, falsum contra fidem definiendo, & ex cathedra publicè docendo. O nec verbis, nec herbis sanabiles consecutiones; quibus tamen iste sectarius, & primatum Petri, & efficaciam precum Christi se funditus euertisse existimat: Nam quod ad persuasionem illam de regno temporali Israëlitico reparando attinet, error fuit planè inculpabilis, & nullo modo rectæ fidei formaliter contrarius; quia nondum spiritum paracletum acceperant, qui omnem veritatem panderet, & has qualescunque tenebras ex discipulorum animis luce sua fugaret.

Quærit Caluinista; quid intelligatur per fidem illis verbis; *vt non deficiat fides tua.* Quid opus est multa quæstione? Fides Orthodoxa & Catholica nomine fidei eo loco accipitur. Pro hac in cathedra Petri perpetim conseruanda rogauit Dominus. Vt autem perpetim integra & illibata conseruetur, necesse est, vt vera & cælestis doctrina in hac cathedra perpetim sana & intacta conseruetur; quia sine huius conseruatione non potest subsistere veræ fidei conseruatio; cum vera fides per veram & integram doctrinam seratur, plantetur, foueatur, & custodiatur. Hinc cum Christus rogauit pro fide Petri conseruanda; rogauit etiam pro doctrina cõseruanda; sic fidei nomine directè intelligitur id, quod hoc vocabulo ex Christianorum communi vsu, significari solet; præterea, etiam vera doctrina eiusque perennis conseruatio.

Quintus syllogismus Savvbrandicus. *Qui non potest errare in doctrina, eius etiam successores non possunt errare in doctrina. Sed Petrus non potest errare in doctrina, Ergo Petri successor non potest errare in doctrina. Deinde. Petri successor non potest errare in doctrina, Papa est Petri successor, Ergo Papa non potest errare in doctrina. Si Maior est vera, tum omnes reliquorum Apostolorum successores non possunt errare in doctrina, æquè*

enim de reliquis Apostolis ac de Petro dicitur, quod non possint errare in doctrina. At illa Maior non est Bellarmini; sed Sibrandi. Nec est vera; si immunitas ab errore personale priuilegium fuit vt quidem fuit in reliquis Apostolis; non autem donum cælitus toti successionis lineæ concessum; vt accidit in Petro, & in illa, qua ei successum est, serie: Et hoc de Petro si adiiciatur ad Maiorem, tum vera erit; nec tamen sequitur, aliorum itidem Apostolorum successores in doctrina infallibiles esse; quia priuilegium illud in aliis Apostolis personale exstitit; hinc ad posteros non transiit: vt taceam, reliquos Apostolos non habuisse illam in docendo supremam infallibilitatem, &, vt sic appellem, fidei *indeficientiam*; quia docuerunt & pauerunt oues Christi sub Petro, eiusque supremo magisterio; neque vnquam eiusmodi peculiares de independente infallibilitate promissiones acceperunt, quales accepit Petrus.

Quæ deinceps Caluinista garrit de variis Pontificum erroribus; ea Nouatorum commenta sunt, vt *quod Zepherinus fuerit Montanista, Liberius, Felix, Leo, Ariani, Honorius Monothelita*; & huius classis alia; quę Bellarminus in disputatione de Pontifice iam pridem protriuit ac profligauit.

Sibrandus hunc sextum syllogismum nobis occinit. *Pro quibus Christus orat, illorum fides non potest deficere, sed multorum Paparum fides defecit, ergo multi Papæ non sunt illi, pro quibus Christus orauit.* Respondeo, Minorem esse *Savvbrandicam*: futilem, inanem, vanam. Nullum hucusque protulerunt isti Pontificem, cuius vel vnum errorem contra fidem in definiendo, & ex cathedra traditum demonstrare queant. Et reliqua etiam, quæ de nonnullis Pontificibus canunt; maxima ex parte, nil nisi Hæreticorum mendacia complectuntur.

Septimus syllogismus Caluinisticus. *Pro quibus Christus non orat, illi possunt errare in scriptura explicanda. sed multi Papæ sunt illi, pro quibus Christus non orat. Ergo multi Papæ possunt errare in scriptura explicanda.* Minor est Sibrandica. Nullus enim Papa adhunc vsque diem in cathedra Petri sedit, pro cuius in fide perenni & immobili constantia Christus preces non fuderit. Quærit Caluinista. *Quid, intelligatur per cathedram.* Ipse sibi, vt supra, ita & hic varia figmenta architectatur, quæ postea magno nisu oppugnat & demolitur. Cathedra Petri nihil aliud est; quam infallibilis auctoritas pronunciandi de quæstionibus fidei, & vero sacrarum litterarum sensu; & sedere in hac cathedra, nihil est aliud, quàm hac infallibili auctoritate præditum esse. Qua explicatione posita, diffugiunt omnes nebulæ Savvbrandicæ.

Sextus locus à Bellarmino prolatus est ille Actor. 15. vbi orta controuersia itum est non ad priuatum vniuscuiusque spiritum & iudicium, sed ad concilium, cui Petrus præerat; quodque his verbis terminatum fuit. *Visum est Spiritui sancto & nobis*, &c. Conqueritur primo VVitackerus, *sibi & suis iniuriam fieri, quando accusantur, quasi homines ad priuatum spiritum & iudicium ablegent.* Vtinam tam vera esset hæc querela, quàm istis est vsitata; qui quidquid tandem turpitudini facti sui prætexant, quidquid de Spiritu sancto & scriptura magnificè iactent; tamē si ad intima vsque cubilia penetrare velis, animaduertes omnem Nouatoris assensum aut suo proprio spiritu & iudicio; aut alterius, qui proprio spiritu & iudicio nititur ac ducitur; sustentari & fulciri; vt sæpe iam ostensum.

Quod Bellarminus scribit, Petrum huic concilio præfuisse; falsum esse contendit VVitackerus. *Iacobum enim potius præfuisse.* Probat I. *Quia in Iacobi verba decretum faciunt*, vt patet v. 13. & 22. II. *Quia nusquam in concilio πρωτεῖα tribuuntur, aut ἐξουσία Petro.* Petrum huic concilio præfuisse docet primùm D. Hieronymus epist. ad D. Augustinum, quæ est vndecima inter epistolas Augustinianas. II. Quia Petrus primus surgit in concilio, primusque loquitur. Obiicit VVitackerus, *multos ante Petrum locutos; liquere hoc, ex versu 7. vbi dicitur, longam disceptationem*, & disquisitionem prius habitam, quàm Petrus loqueretur. Sed hoc friuolum est; nam primus locutus est, vt Iudex & definitor; & disquisitio antecedens solummodo disputatio & veritatis per mutuum conflictum indagatio erat; aliis hoc, aliis illud sentiendum & faciendum affirmantibus, vt fieri solet in conciliis priusquam definitiua sententia pronuncietur. Idem inde patet; quia secundum Petri sententiam decretum conceptum, & conscriptum, & ad Ecclesias missum est. Et in sententiam eius Iacobus Apostolus & omnes simul presbyteri transierunt, vt ait D. Hieronymus loc. cit. Et satis ex ipso sacro contextu Actor. 15. manifestum relinquitur. Ex quibus elucescit, quàm verè dicat VVitackerus nulla πρωτεῖα nullamque ἐξουσίαν Petri in hoc concilio apparere.

Fatetur tandem Caluinista, Spiritum sanctum interfuisse illi concilio Act. 15. *Sed quid hoc, inquit, ad Papistica concilia, quibus nec Petrus præest, nec Spiritus sanctus interest?* Quo vno conuicio etiam Hunnius se totum Bellarmini argumentum eneruasse credit. Ait enim; *non esse quæstionem num concilium, cui præest Petrus, ex Spiritu sancto sententiam dicat: sed quæstionem esse de Romano Pontifice, inter quem & Petrum ingens hiatus interiaceat, ita vt nec à Petro ad Papam, neq. ab hoc ad Petrum argumētari liceat.* Quærit insuper, *num Paulus egerit legatum à latere Pontificis Petri, quando quocunq. ibat, decretum Concilij Hierosolymitani custodiendum monebat.* His & id genus aliis sannis, dicteriis, & lœdoriis cum isti chartas referciunt; tum de Bellarmino deuicto triumphum sibi decerni cupiunt. Quasi verò, quod ipsi agunt; non egerint etiam Ariani, Nestoriani; Eutychiani; quibus nihil erat procliuius, quàm dicere: Petrum quidem præsedisse & Spiritum sanctum interfuisse Concilio

Apostolico;

Digitized by Google

Apostolico; Sed quid hoc ad Concilium Nicænum? Quid ad Ephesinum? Quid ad Chalcedonense; in quibus nec Petrus *præfuit*; *nec Spiritus sanctus interfuit?* Dicent Prædicantes nostri; istos veteres Nouatores his maledictis neque hilum de auctoritate conciliorum illorum detrahere potuisse; nihilque aliud obtinuisse; quàm vt à posteris pro calumniatoribus haberentur. Ita est. Sed interim cogitent, non aliam mercedem sibi quoque ob similia in recentiores synodos conuicia repositam esse: & tam à vero abire, qui posteriores; quàm qui antiquiores illas à synodo Apostolica discrepare contendit.

Iunius eadem quæ VVitackerus, nugatur; & præterea hoc quoque. *Iacobum potius fuisse concilij præsidem: cùm vltimus sententiam dixerit, & hoc solenne esse sapientum præsidum in consiliis bene constitutis.* Quidquid sit de conciliis & consessibus politicis; in sacris aliter vsus habet; Nam qui primas tenet in sedendo, is & primas tenet in loquendo & definiendo; sicut & in subscribendo: vnde cum disquisitione factâ primus sentētiam definitiuam protulerit diuus Petrus, meritò colligimus, illum quoque primas in ea synodo tenuisse.

Mentitur Iunius cum dicit; *Hieronymum in epist. 89. solitæ libertati audaciaq; Petri adscribere; quod primus sententiam dixit.* Nam diuus Hieronymus non vtitur *audaciæ* vocabulo. Secundò non dicit; quòd sententiam non ex iure & ordine; sed ex libertate solita contra ius & ordinem dixerit, sed quòd *in sententiis dicenda consueta sibi libertate vsus fuerit*, & nihil dissimularit, aut cuiusquam gratiæ tribuerit. Et hoc longè aliud est, quàm quod Iunius comminiscitur.

Savvbrandus hic supra solitum mentitur & calumniatur; ac inprimis hunc syllogismum ἀνώνυμον Bellarmino per summum scelus attribuit. *Quidquid videtur Spiritui sancto, hoc verum est, sed quidquid videtur Spiritui sancto hoc videtur Papæ Romano, Ergo Papæ iudicium est omnis interpretationis regula.* Hunc syllogismum veteri instituto suo examinat & exagitat; & Minorem falsam esse pronunciat. Et multa mendacissimè commemorat; quæ visa sint Papæ, non Spiritui sancto: vel Spiritui sancto; non Papæ; quorum pleraque ex triuiis & Caluinisticis Popinis hausta sunt; quorum vanitas in disputatione de pontifice redargui solet. Quæ de præsidentia Petri in Concilio Hierosolymitano fabulatur, ex VVitackero sublegit. Quare cum huic iam responsum sit; simul etiam Savvbrando responsum fuit.

Ait Sibrandus. *Si Petri suffragium ideo verum erat quia à Petro dicebatur, tum reliqui Apostoli malè fecerunt, quod non simul atque dixerat, iuerint in eius sententiam.* Vnde probat Hæreticus, alios Apostolos non statim iuisse in sententiam diui Petri? Certè simul atque vt Iudex sentētiam suam protulit; Iacobus assensus est, eamque longa oratione comprobauit. Qui vt primum finem dicendi fecit. Confestim *placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis & mittere Antiochiam, &c.*

A

Addit Hæreticus: *Spiritum sanctum ita esse alligatum Petro, vt quidquid visum erat Petro, id etiam visum esset Spiritui sancto, ignotum fuit Apostolis.* Minimè ignotum fuit Apostolis, omne illud verum esse, quod Petrus, vt supremus iudex, protulisset; sciebant enim pro Petro preces fusas, ne vnquam fides illius deficeret; hoc est, ne vnquam à veritate in sententia definitiua dicenda aberraret.

Obiicit Hæreticus. *Non quia Petrus hoc aut illud dixit, ideo verum est, alioqui verum esset quod dixit: Matth. 26. non noui hominem, & tunc cœpit seipsum deuouere & iurare dicens, non noui hominem. Sed quia Spiritus sanctus per Petrum dixit, ideo verum est.* Omnino non præcisè aliquid verum est, quia Petrus id dixit; sed quia id dixit, vt supremus pastor & iudex; infallibili Spiritus sancti adsistentia suffultus. Sic libenter damus, non ideo aliquid debere censeri verum, quia à Papa dicitur; sed quia dicitur à Papa ex cathedra, & ex infallibili sententiæ iudiciariæ proferendæ auctoritate.

B

Cæterùm si quis ex mente Bellarmini locum Actor. 15. ad aliquam argumentationis speciem reuocare vellet; id hunc in modum facere oporteret. Exorta controuersia de cultu diuino & dogmatibus fidei non itum est aut ad priuatum cuiusque spiritum; neque ad scripturam, tanquam ad iudicem; sed Hierosolymam ad Petrum, & ad alios Apostolos, vno verbo, ad Ecclesiæ commune concilium, quod litigantibus euidenter ac perspicuè patefaceret, quid sentiendum, quidue tenendum esset: Ergo iam quoque, exorta de dogmatibus fidei contentione, non eundum est ad priuatum cuiuspiam spiritum, neque ad sacram scripturam tanquam ad iudicem, sed ad Petrum, seu, eum qui Petri vices in terris gerit; siue ad concilium; cuius operâ veritas perspicuè nobis innotescat. Præterea; Ecclesiæ orthodoxæ decretum illud Petri & synodi reuerenter & piè absque vlla tergiuersatione, & noua examinatione receperunt, tanquam ab ipso Spiritu sancto profectum, ergo iam quoque decreta Petri & synodi reuerenter & piè recipienda, neque de integro discutienda sunt, an rectè sese habeant.

C

D

Septimum testimonium sumitur ex epistola ad Galatas cap. 2. *Ascendi*, inquit Paulus, *Hierosolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vanum currerem aut cucurrissem.* Quinam autem essent illi, quibuscum contulerat, inferius explicat, dicens fuisse Petrum, Iacobum & Ioannem. Ex hoc loco concludunt patres à Bellarmino citati, Ecclesiam nō fuisse Paulo crediturā, nisi eius Euangelium à Petro con-

Digitized by Google

firmatum fuisset: Ergo Petri erat tunc, & proinde successoris eius nunc de doctrina fidei iudicare.

Respondet VVitackerus: *Paulum Hierosolymam profectum, non vt Petrum vnum conueniret, & cum eo solo Euangelium conferret, atque ab illo auctoritatem mutuaretur, sed vt cum tota Ecclesia publicè de doctrina illa ageret, quam ipse prædicabat.* At nec Bellarminus dicit Paulum cum solo Petro Euangelium contulisse: neque id etiam ad vim argumenti necessarium est: quia contulit Euangelium cum Ecclesia, in qua & Petrus erat, tanquam caput & supremus Iudex; deinde cum Petro seorsim contulit; idque eo fine, ne *in vacuum curreret*. Ergo iam quoque si quis Euangelium annunciat, conferendum est cum Petro & Ecclesia vel simul iunctis; vel cum Petro seorsim; ne in vacuum curramus; aut dum Euangelium cum Petro & Ecclesia non collatum acceptamus; non Euangelium Dei; sed *Diaboli* recipiamus.

Cur, obsecro, Lutherus similem Euangelij sui promulgandi rationem non tenuit? Cur non ad Ecclesiam, in qua Petrus in suo successore præsidet, ascendit; & cum illo Euangelium contulit? An D. Paulo maior & suorum dogmatum certior erat? Si diuus Paulus ideo collationem hanc instituit, vt prædicationi suæ fidem conciliaret, mirum sanè foret, si Luthero, nullis miraculis illustri, talis collatio necessaria non fuisset. Poterat D. quoque Paulus clamare; *Prædicatio mea & Euangelium meum consonat sacris literis & doctrinæ Christi*, prout Lutherus ad rauim vsque vociferatus est; Verùm his clamoribus abstinuit, non ignarus, opus esse ad fidem faciendam, vt quis id, quod docet, cum Ecclesia eiusque capite conferat.

At contulit etiam Paulus seorsim cum aliis ex præcipuis Apostolis. Non abnuo. Num ideo non contulit cum Petro? Num ideò contulit cum aliis Apostolis, tanquam cum æqualibus Petri in sententia iudiciaria ferenda? Nihil minus. Nam prærogatiuam Petri supra cæteros minimè ignorauit D. Paulus. Nemo Luthero vnquam vitio vertisset; si Romam profectus Euangelium suum cum Petri successore, & cum aliis Ecclesiæ proceribus Romæ degentibus, hoc est, cum Cardinalibus contulisset: neque ideo papa, successor D. Petri, & supremus iudex non fuisset; nulli enim vnquā vetitum fuit, quò minus Euangelium suum etiam cum inferioribus pastoribus seorsim conferret.

Addit VVitackerus. *Quod ait Iesuita, Ecclesiam non fuisse Pauli Euangelio credituram, nisi à Petro confirmatum fuisset, id duplicem sensum habere potest; si intelligat Ecclesiam non debuisse credere nisi Petrus approbasset, falsum est, debuit enim semper veritatem prædicanti Apostolo fidem adhibere. Sin vero intelligat non tam facilè fuisse credituram, assentior.* Audi Caluinista. Non solus Bellarminus dicit Ecclesiam non fuisse Paulo credituram; nisi eius Euangelium à Petro fuisset confirmatum; sed hoc ipsum asserunt anti-

A qui Patres, Tertullianus, D. Hieronymus, D. Augustinus citati à Bellarmino; neque tenetur Ecclesia fidem habere alicui Ecclesiastæ, quamuis vera prædicanti; nisi legitimo etiam modo vera prædicet. Legitimus autem modus est; vt non prædicet, nisi missus & approbatus à summo pastore; & vt non prædicet, nisi quod à supremo pastore approbatum est.

Quod Ecclesia non fuisset Paulo creditura, nisi Euangelium cum Petro & Ecclesia contulisset; satis indicant verba illa: *Ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Iunius impudenter negat, hoc à Patribus citatis asseri. *Hoc illi non affirmant vsquam*, inquit Iunius, *ac ne obscurè quidem indicant: consulantur loci.* Audiamus ergo D. Hieronymū in
B cap. 2. ad Galat. qui dicit duplicem ob caussam à D. Paulo cum Apostolis Euangelium collatum esse; *quò & humilitas ostenderetur Pauli, qui Doctor in toto orbe iam gentiū, ad præcessores Apostolos cucurrisset, & Galatæ discerent non reprobasse Euangelium eius, eos quoq; qui in Iudæa Ecclesiis præsidebant.* Ibidem ex sententia eorum, qui hunc ascensum D. Pauli eundem esse volunt cum illo Act. 15. quando missus est ab Antiochena Ecclesia cū Barnaba Hierosolymam, sic scribit idem D. Hieronymus. *Propterea Paulus & Barnabas de re manifesta quasi dubia se mitti passi sunt Hierosolymam, vt maiorum quoque iudicio Euangelij gratia confirmata, credentibus probaretur, & nulli resideret vltra dubitatio, circumcisionis omisse, vt Apostolorum esse literis imperatum, iugum legis, ab
C his qui in Christum crediderant ex gentibus, auferendum, &c.*

Audiamus nunc D. Augustinum lib. 28. contra Faustum cap. 4. *Cum ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo vocatus, si nō inueniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem Societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet. Sed cum cognouisset eum hoc annunciantem, quod etiam illi annunciabant, & in eorum communione atq; vnitate viuentem, accedentibus etiam per eum talibus signis, qualia & illi operabantur: ita eum Domino commendante meruit auctoritatem: vt verba illius sic hodie audiantur in Ecclesia, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissimè dixit, locutus audiatur.* Hæc S. Augustinus. Vbi frōs tua, Iuni, qui huius, quod
D tam disertè S. Augustinus affirmat, & à Bellarmino citatur, *ne vmbram* quidem in Augustino reperiri per summam temeritatem asseris?

Videamus nunc an non in Tertulliano etiam lib. 4. contra Marcionem cap. 2. vmbra aliqua huius rei exstet. *Lucam videtur Marcion elegisse, quem cæderet. Porrò Lucas non Apostolus, sed Apostolicus, non magister sed discipulus, vtiq; Magistro minor, certè tanto posterior, quanto posterioris Apostoli sectator, Pauli sine dubio, vt & si sub ipsius Pauli nomine Euangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti, destituta patrocinio antecessorum. Exigeretur enim id quoq; Euangelium quod Paulus inuenit, cui fidem dedidit, cui mox suum congruere gestiit. Siquidem propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos &*

consul-

consultandos, ne fortè in vacuum cucurrisset. id est, ne non secundum illos credidisset, & non secundum illos Euangelizaret. Denique vt cum auctoribus contulit, & conuenit de regula fidei, dexteras miscuere, & exinde officia prædicandi distinxerunt, vt illi in Iudæos, Paulus in Iudæos & in Nationes. Igitur si ipse illuminator Lucæ, auctoritatem antecessorum, & fidei, & prædicationi suæ optauit, quanto magis eam Euangelio Lucæ expostulem, quæ Euangelio Magistri eius fuit necessaria? An non disertè dicit Tertullianus, fuisse Paulo necessarium; vt Euangelium, quod prædicabat, ab antecessoribus approbaretur? An non palam scribit, Apostolum Paulum hanc approbationem optasse; ne aut in vacuum curreret, aut in vacuum cucurrisset?

Hunnius hic grandiloquis verbis nil nisi grandiloquas nugas agit. *Consequentiam Iesuiticam*, inquit, *Paulus ipse iugulat.* (Quam sonora & grandia omnia?) *ostendens doctrinam suam per se ne tantillum quidem opus habuisse testimonio reliquorum Apostolorum.* Vbi ostendit hoc Apostolus? Quibus verbis? An illis? *Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* Verùm his verbis nihil aliud significat Apostolus, quàm seipsum antea etiam de Euangelio, quod prædicabat, fuisse certissimum, neque tum primùm, collatione cum Apostolis facta, certitudinem accepisse; id quod verissimum est: interim tamen contulerunt reliqui Apostoli diuo Paulo publicam approbationem Euangelij quod annunciabat, quę ei necessaria erat tum vt præsentes, tum vt posteri ei fidem haberent; scientes non aliud Euangeliũ ab ipso prædicari, quàm à primariis Apostolis, qui cum Christo familiariter vixerant. Itaque hæc approbatio non fecit ipsi Paulo Euangelium certum; sed aliis: simulque obtrectatoribus os obturauit, calumniantibus, Paulum in docendo ab aliis Apostolis dissidere.

Ne igitur hoc astu Satanæ, labor Apostoli redderetur irritus apud Gentes; inquit Hunnius; *ideo vtile fuit iudicatum, vt ad confirmandos simplices & infirmos, publicè coram synodo tractaretur ista quæstio, & facta collatione patefieret manifestè, nihil hactenus à Paulo traditum in Ecclesiis gentium, quod non & reliqui Apostoli vno spiritu approbarent.* Hæc Prædicans; qui seipsum pulchrè confutat; nam si collatio ista cum aliis Apostolis hoc effecit, vt oblocutoribus os obstrueret; & præterea Paulo & Euangelio eius auctoritatem apud gentes conciliaret; contulit ergo aliquid Paulo & Euangelio eius; contulit inquam, aliquid, quia non quidem respectu ipsius Pauli; sed respectu auditorum Euangelium certius & fide dignius, ipsumq́; adeo Paulum fide digniorem reddidit.

Pergit Prædicans. *Si propterea Petrus cum concilio, vel etiam solus absq; concilio maior est, quàm Paulus; quia Pauli Euangelium approbauit; eiq́; testimonium veritatis perhibuit; sequeretur Ioannem Baptistam esse maiorem & superiorem Christo, quia testimonium perhibuit doctrinæ Christi, & multi ex Iudæis non credidissent in Christum, nisi testimonio Ioannis fuissent commoti:* Sed hæc Hunniana sunt, hoc est, inepta & futilia. Nam Ioannes Baptista non confirmauit doctrinam Christi, vt summus Iudex; sed ei testimonium perhibuit, tanquam propheta & præcursor; & vt minister mox adfuturi Domini. At Petrus approbauit & confirmauit Euangelium Pauli, vt supremus Ecclesiæ pastor & Iudex; iure igitur tanquam Paulo maior suspicitur ac honoratur.

Savvbrandus rursum & se & lectores suos ineptissimis syllogismis fatigat. *Quod fuit officium Petri, hoc etiam fuit officium Papæ Romani. Sed Petri officium fuit de doctrina fidei iudicare. Ergo Papa Romanus non potest errare in scriptura interpretanda. Respondeo*, inquit, *maiorem esse falsam. Petrus enim fuit Apostolus, Papa non est Apostolus.* Mirum, nì dicat: Petrus fuit piscator. Papa non est piscator. Petrus fuit filius Barionæ; Papa non est filius Barionæ. Petrus fuit Galilæus; Papa non est Galilæus. Petrus amputauit Malcho auriculam; Papa hoc non fecit; *ergo Papa non est successor Petri*; vel adhuc subtilius: *ergo Papa non gerit idem iudicandi & definiendi officium, quod gessit Petrus.* Vanissime Caluinista, separa tandem illa; quæ Petro propria seu personalia fuêre ab illo, quod ei cum successoribus commune fuit; cuiusmodi non est officium Apostoli; aut hæc vel illa peculiaris actio, quam exercuit; sed officium supremi pastoris ac iudicis: quodque in pascendo & iudicando Petri fuit officium, hoc etiam est officium Papæ Romani; velis nolis, hæretice.

Ad Minorem dico, inquit Caluinista, *posse eam dupliciter intelligi, nempe vel Pauli doctrinam propter Petri approbationem esse veram, neque futuram fuisse veram, nisi Petrus eam approbasset, vel Petrum dedisse Paulo testimonium consensus, vt falsi fratres confutarentur, & gentes facilius crederent. Si igitur minorem accipis in primo sensu, tum est falsa.* Quis dicit Pauli doctrinam non fuisse futuram veram sine approbatione Petri? Bellarminus hoc nunquam asseruit. Etiam libri Canonici absque approbatione Ecclesiæ veri sunt in se; sed vt à nobis, tanquam veri recipiantur, approbatione Ecclesiæ egent. Idem & hic cogita. Iam antea concessimus, D. Paulum non fuisse suæ doctrinæ dubium; sed totam hanc collationem instituisse, vt aliis, eius, de quo certus erat, fidem faceret.

Nunc Sibrandus impetum facit, in Augustinum & Hieronymum; *si quod sentit Bellarminus, intelligerent Augustinus & Hieronymus, Ecclesiam Paulo simpliciter non fuisse credituram, nisi eius Euangelium fuisset à Petro confirmatum, apertè ab ipso Paulo & Luca confutarentur, qui hanc, de qua quæstio est, confirmationem interiecto 14. annorum interuallo Hierosolymæ demum contigisse scribunt. Atqui constat Paulum ante illud tempus lucrifecisse Domino infinitas Ecclesias.* Non negamus, etiam ante hanc confirmationem

A plurimos prædicationi Pauli credidisse; neque id aut negauit, aut ignorauit S. Augustinus, aut D. Hieronymus: nam qui prædicationi eius ante confirmationem fidem habuerunt; illi ideo fidem habuerunt, quia bona fide; si non explicitè, saltem implicitè, sibi persuaserunt, Euangelium à Paulo prædicatum non discordare à doctrina, quam primarij & antiquiores tradebant Apostoli. At cum postea res in dubium verti cœpit; ad Apostolos ventum est; & explicita confirmatio petita; & impetrata quoque, non tantum propter illius temporis homines, sed & propter posteros; qui ob istam confirmationem *verba* Pauli *sic audiunt, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissimè dixit, locutus audiatur; qui post ascensionem Domini de cælo vocatus, si non inueniret in*

B *carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.* Nota Hæretice, hæc postrema D. Augustini verba. Non dicit, *Ecclesia Paulo facile vel citò non crederet*; sed, *omnino non crederet*; nisi Euangelium quod prædicabat, à Petro probatum & confirmatum fuisset.

Constabat, inquit Caluinista, *Pauli Euangelium non ab homine, neque per hominem, sed à Iesu Christo patefactum esse. Constabat item Paulum ab ipso Deo áuiows non minus, quàm ipsum Petrum vocatum esse.* Constabat vtique Pauli Euangelium non esse ab homine, nec per hominem. Cui constabat? Paulo nimirum, non illis, quibus prædicabat; etsi

C ingentibus signis & prodigiis fidem huic veritati faceret; sed tamen tandem necesse fuit venire ad summum & primarium pastorem confirmationis gratia: Etiam scriptori Canonico constat, id quod scribit; verum esse; sed nobis hoc non constat, nisi per confirmationem & approbationem Ecclesiæ. Et quamuis initio Euangelium non contulerit cum Apostolis, tandem tamen contulit, quia euidenter videbat, hoc esse necessarium; Itaq; adscendit Hierosolymam; & quidem *secundum reuelationem*; hoc est, iussu & imperio Dei; & multis annis antea venerat Hierosolymam videre Petrũ, & manserat cum illo *dies quindecim*; quibus proculdubio tunc etiam varia de suo Euangelio cum Petro, tanquam summo

D pastore, contulit.

Falsum est, clamat Hæreticus; *quod Bellarminus hinc infert, Petri & eius successorum munus esse de doctrinis iudicium ferre, & propter illud iudicium doctrinã esse veram, Hoc Pauli & omnium Apostolorum, qui Petri confirmationem ignorarunt, exemplis liquet.* At Caluinista impudenter mentitur, quoties scribit, Bellarminum asserere; *doctrinam esse veram propter iudicium & confirmationem datam à Petro & successoribus eius:* Mendacium istud est Savvbrandicum, non assertum Bellarminianum; quia cõfirmatio non dat dogmati veritatem; sed diuinitus datam notificat & patefacit hominibus, & quidem infallibiliter.

Si Minor, inquit Caluinista, *in hunc modum for-*

A *metur; sed Petrus præbuit Pauli doctrinæ, quæ per se vera erat, testimonium consensus, tum illa quidem est vera, sed nihil aliud sequitur, quàm Papam debere doctrinæ per se veræ testimonium consensus præbere.* Non tantùm fecit hoc Petrus, sed testimonio & approbatione sua planum testatumque euidenter omnibus fecit, doctrinam Pauli, quæ ab aduersariis in dubium vocabatur, esse veram; Et hoc itidem à Papa prestari debet, quoties controuersia de doctrina fidei exoritur: quod longè aliud est, quàm veræ doctrinæ præbere consensum; nam & hoc, quiuis priuatus facere potest; at veram doctrinam authenticè & infallibiliter confirmare; aliisque, vt vero consonam publica cum auctoritate proponere, id verò solius Petri & successo-

B rum eius est.

Subdit Caluinista. *Dum colligis Bellarmine Papæ iudicium esse omnis interpretationis regulam, scias te aliud concludere, quàm fuit in præmissis.* Hinc iterum fidem & frontem Caluinistæ desidero. Quãquam quid desidero, cum illa sit amissa; hæc, perfricta? Construxit ne Bellarminus informem illum, & deformem syllogismum, quem paulò ante ex Savvbrando recitaui? Dic, Nouator. Estne Bellarminus enormis illius syllogismi architectus? Quanta, bone Deus, impudentia, quanta mentiendi & calumniandi impotentia; pessimos syllogismos fabricare; & postea Bellarminum exagitare; quasi ipse syllogismos illos rudes & indigestos pepererit; cum parente Savvbrando

C prognati sint; qui vt imperitissimus, sic etiam mendacissimus sycophanta est.

Eiusdem farinæ est hic syllogismus: *Cuius est de doctrina iudicare, ille non potest errare in scriptura explicanda, Sed Papæ est de doctrina iudicare, Ergo Papa non potest errare in doctrina explicanda. Hæc maior falsa est*; inquit Caluinista. Cuius est hæc falsa Maior? An non tua? Nam si Bellarminus eam formasset; hac forma induisset. *Cuius est de doctrina iudicare, tanquã supremi pastoris & iudicis, Petriq; successoris, ille non potest errare in scriptura explicanda.* Sic, inquam, formasset Bellarminus *Maiorem*, non more Sibrandi; qui mox loquacissimè ostendere ingreditur; errasse quosdam, quorum erat de doctri-

D na iudicare. Sed num quispiam errauit, cuius est de doctrina iudicare ex cathedra, vt summi pastoris ac iudicis?

Dicere, inquit Caluinista, *Petrus non potuit errare in interpretando, Ergo & Papa non potuit errare in interpretando, perinde est, ac si dicas; Moses non potuit errare in iudicando, Ergo & Caiphas non potest errare in iudicando. Non enim maior necessitas est inter Petrum & Papam, quam inter Moysen & Caipham.* Nego consequentiam simul cum probatione. Quia Christo iam præsente & publicè concionante recessit à cathedra Moysis infallibilitas, vt supra dictum; sed à cathedra Petri neque recessit, neque vnquam recedet promissa & data à Christo infallibilitas; quia Christus pollicitus

est daturum se Spiritum sanctum; qui in æternum maneat: pollicitus etiam est, fore, vt fides Petri nunquam deficiat. Maior igitur longè est *necessitas* inter Petrum & Papam, quàm inter Moysen & Caipham. Si quis ita colligeret. *Moyses non potuit errare in iudicando; ergo neq; Eleazarus, neq; alius summus Pontifex ante prædicationem Christi potuit in iudicando errare*; tum vera & legitima esset consequentia.

Vt hunc locum tandem finiamus; si quis vim & efficaciam eius, argumentationis formâ includere velit, id hoc vel consimili modo licebit. Cum Euangelium Pauli in dubium reuocaretur, non itum est ad priuatum spiritum, vel ad scripturam, tanquam ad iudicem, sed ad Apostolorum principem Petrum; & ad alios Ecclesiæ proceres, vt sententia sua veritatem definirent, & omnem dubitationem tollerent: ergo iam quoque, quando quæstio & lis de fide existit; eundum est non ad spiritum priuatum, neque ad scripturam, tanquam ad iudicem; sed ad Petrum in successore suo adhuc viuentem; aliosque Ecclesiæ principes; eorumque sententia exquirenda; & quod decernent, reuerenter amplecti oportet.

Octauum testimonium sumitur à Bellarmino ex 1. Cor. 12. *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, &c.* Hinc apertè colligitur, non dari omnibus fidelibus spiritum interpretandi scripturas, nullumque hominem priuatum esse iudicem veri sensus scripturæ. Respondet VVitackerus. *Hoc nos vltrò concedimus.* Verbis quidem iam hoc conceditis, nescio num re. certè olim nec verbis, nec re concedebatis, vt supra visum. Sed siue concedatis, siue negetis, luce clarius est, vos scripturam non nisi priuato spiritu interpretari, & huius interpretationis cuiuis potestatem facere. VVitackerus hîc, duplicem interpretationem statuit, *publicam & priuatam; hancq; omnibus concedit; illam tantùm quibusdam*, hoc est, *Prædicantibus*; Verùm Apostolus negat, cuiuis fideli donum scripturas interpretandi diuinitus cōcedi: non dicit, non concedi omnibus donum hoc *publicè* interpretandi scripturas; sed absolute dicit, non omnibus concedi siue vt priuatim, siue vt publicè scripturas interpretentur. Nonne qui habet donum priuatim interpretādi Aristotelem aut Galenum; habet etiam donum publicè id faciendi, & de vero sensu horum auctorum publicè iudicandi? Donum dico, non potestatem. Aliud enim est donum; aliud, potestas. Bellarmini argumentum nō est de potestate; sed de dono; si ergo omnes habent donum scripturam interpretandi; omnes eandem interpretari non tantùm priuatim, sed & publicè poterunt: nam qui intelligentia alicuius rei præditus est, is æquè publicè ac intra priuatos parietes de ea re disputare potest.

Hunnius vociferatur, locum hunc D. Pauli potius contrà, quàm pro Bellarmino pugnare: quia Apostolus dicit; *Spiritum sanctum hæc dona (inter quæ & donum interpretationis clarè recensetur) distribuere, sicuti vult: At Pontificij Doctores compedes iniiciunt Spiritui sancto, vt, nolit velit, cogatur donum hoc suum conferre Pontifici, quantumuis ob vitam extremè sceleratam pactus ipsius non Spiritus sancti templum sit, sed cloaca Satanæ, &c.* Prædicans, more suo, mentitur & calumniatur indefessè. Nam quod Spiritus sanctus sedi Apostolicæ, in qua Petrus sedit, infallibile scripturas interpretandi donum concesit; id volens fecit; nō inuitus: sicut quod Christus Matth. vlt. Ecclesiæ promisit, *se vsq; ad finem seculi cum illa mansurum*; id volens fecit, non inuitus. Num propterea Christus sibi compedes iniecit; aut nos eidem pedicas iniecimus? Idem de Spiritu sancto cogito; qui cum liberrimè infallibilem suam præsentiam & assistentiam sedi Apostolicæ promiserit; nihil quod liberrimæ suæ voluntati aduersetur, commisit; aut ab illo commissum esse asserimus. Neque personæ Pontificis, qualiscunque ea sit, hæc gratia facta est; sed sedi & officio.

Cæterùm si Spiritus sanctus diuidit sua dona, & in his etiam donum interpretandi, *prout vult*; id est, ita, vt nulli prorsus interpreti infallibiliter adsistat; vnde, quæso, certus ero, hunc vel illum *Prædicantem* scripturas mihi interpretantem nec falli, nec fallere; cum nesciam, vtrum Spiritus sanctus ei voluerit donum scripturas interpretandi largiri: & num reipsa etiam largitus sit? Ipsi quidem dicunt, *se eo dono instructos esse.* Crederem, si perspicuum ac euidens foret, *Prædicantes* non posse mentiri. Quamdiu autem video Stentores istos non tantùm posse mentiri, sed & reipsa non semel, sed perpetuo supra omnem modum mentiri; semper vereor, ne & hic mentiantur, cum donum scripturæ sibi concessum iactitant, etiamsi millies cum Hunnio testentur; *se iudicium Spiritus sancti (beneficio doni Interpretationis) ex scripturis eruere, non ex propria ἐπιλύσει atque libitu, sed vnicè ex Scriptura sacra prophetica & Apostolica.* Ego verò hisce nebulis nihil penitus moueor; quia semper manet quæstio valdè anceps & dubia; vtrum res ita sese habeat, prout ferunt & gloriantur Prædicantes.

At dicunt, se cuiusq; *loci genuinam sententiam eruere ex fontibus, ex ipsa phrasi, ex scripturarum collatione, perpetuoq; concentu & tenore, ex dictorum occasione, & caussis, & scopo, qui intenditur, ex cohærentia textus, & antecedentium & præcedentium iunctura, adhibita simul analogia fidei, &c.* Ampullas Hunnianas audio. Quis me certum faciet Lutheranos, quod de se prædicant, præstare; & ita præstare, vt in nullum penitus errorem impingant? Nihilo minores ampullas proiiciunt Caluiniani; qui tamen, testibus ipsis Lutheranis, mentiuntur. Quæso, quæ caussa tandem suppetit, cur Lutheranos veritati amiciores & vi-

ciniores hac in re credere debeamus, quàm Caluinianos?

Quàm Hunnius veri ſit amans, luculentum hoc ipſo loco ſpecimen exhibet, cùm ait; *nullum hic vel ſyllogiſmum vel argumentum à Bellarmino confici pro ſtabiliendo eo, quod in lite eſt*: Mentitur Prædicans. Argumentum Bellarmini eiuſmodi eſt. De nullo homine priuato conſtat, num ſit certus & infallibilis ſcripturæ interpres; quandoquidem de nullo certò & euidenter conſtat; cum donum interpretationis accepiſſe; aut tam cumulatè accepiſſe, vt à vero deſciſcere nequeat. Debet ergo eſſe in Eccleſia aliqua auctoritas publica, cuius beneficio vera ſcripturæ ſententia infallibiliter nobis innoteſcat, cum Eccleſia abſque vera ſacrarum litterarum ſententia nequeat ſubſiſtere. At hæc alia non eſt, quàm auctoritas ſedis & cathedræ Petri; quam tenet Pontifex Romanus: cuius eſt de vero ſenſu ex illa cathedra infallibiliter pronunciare.

Iunius pro more fruſtilla hinc inde colligit, quæ carpat. Ait, *ne vniuerſos quidem homines eſſe iudices veri ſenſus ſcripturæ; ſed tantum indices.* Atqui alij Prædicantes intrepidè non tantum indices & internuncios, ſed & iudices ſe conſtituunt. Deinde, an non ipſemet Iunius ſupra ad cap. 3. *duplex iudicium in Eccleſia ſtatuit; alterum publicum; alterum priuatum; illudque Eccleſiæ Miniſtris; hoc etiam ſingulis competere affirmauit?* Si Miniſtri iudicant; ſunt ergo Iudices; non tantum indices, vt hic ſui oblitus Iunius contendit. At *eius eſt interpretari leges, qui eas condidit*; inquit Caluiniſta. Non abnuo; ſi ſermo ſit de publica interpretatione, qua data ſubditi ſimpliciter teneantur adſtricti; ſi ſubiungas: *Quando Eccleſia vel Pontifex ex cathedra ſcripturas interpretantur; non is interpretatur, qui eas condidit.* Negatur.: nam Spiritus ſanctus, Auctor ſcripturarum, eas tunc interpretatur; tametſi, voce, interuentu, & miniſterio Eccleſiæ vel ſummi paſtoris. Quod ſi Iunius dictum illud abſque vlla limitatione accipiat eo ſenſu, quem verba, primo aſpectu offerre videntur, tum omnes è medio omnium librorum tollentur inferiores Interpretes. Nullus erit Interpres ſcripturæ; nullus Iuris ciuilis; nullus etiam in foro externo iudex. Quia eius eſt Interpretari ſcripturam, qui eam condidit. At nec diuus Auguſtinus nec diuus Hieronymus condidit ſcripturas, ergo eorum non eſt interpretari ſcripturas; non ſunt ergo interpretes ſcripturæ. Quod igitur erit officium Doctorum in Eccleſia? An non doctoris eſt docere? Docere nonne eſt interpretari? Quid Iuris doctores in ſcholis agunt; quid tot commentatores, ſi ſolius legiſlatoris, qui iura condidit, munus eſt interpretari leges? Si ſolus ille eſt Iudex doctrinæ, qui eam condidit; nullus igitur etiam in foro politico iam iudex erit; quia nullus iudex, qui hoc tempore viuit; condidit illas leges Codicis, Pandectarum, Nouellarum, de quibus, & ſecundum quas iudicat. Quod igitur vulgò dicitur, eius eſſe interpretari legem, qui eam condidit; id intelligitur; *aut per ſe*; aut *per alios*; aut *immediatè*; aut *mediatè* per ad hoc interpretandi officium conductos ac deſtinatos, quales in Eccleſia ſunt doctores, & præſertim doctorum doctor, ſummus Pontifex; in ſcholis, legum Profeſſores; in foro; controuerſiarum ciuilium iudices.

Cum vrgentur hæretici hac obiectione; nobis certò non conſtare, quis, præter Eccleſiam, habeat donum interpretandi ſcripturas; ac proinde ſemper dubium manere, vtrum hic vel ille priuatus Prædicans ſcripturam rectè interpretetur, reſpondet Iunius: *credentem eſſe certum, ſe donum interpretationis adeptum eſſe, ſi id à Deo poſtulauerit; cum ſciamus dari omnibus in fide petentibus Matth. 7. Luc. 11.* Quanta vanitas & falſitas; Quæ vt magis eluceſcat; argumenti forma veſtienda eſt. *Petentibus in fide certum eſt poſtulata concedi; ſed Iunius petens donum interpretationis, certus eſt ſe petere in fide; ergo certus eſt ſibi poſtulatum illud concedi.* Quidquid ſit de Maiore; quam non diſcutio; Minor falſa eſt: non enim certò & infallibiliter ſcit homo, num vera fide petat id, quod petit. Iunius dicit, *ſe eſſe certum*; At Iunium falli certus ſum; non magis certus eſt; quàm certus eſt ille, qui, palato infecto, dulcia iudicat amara.

Si argumentum ſic inſtituas. *Scimus certò quiduis, etiam non neceſſarium ad ſalutem, dari omnibus in fide petentibus; ergo & donum interpretationis, tametſi ſingulis ad ſalutem non neceſſarium, omnibus in fide petentibus conceditur*; tum palam & rotundè negari debet antecedens; non enim, etiam legitimè, & in fide petentibus, talia, quæ ad ſalutem neceſſaria non ſunt, certò & infallibiliter conceduntur. Nec aduertit Iunius quantam ſibi ſuiſque ſymmyſtis hac ſua deliratione ſecurim impingat; Si enim omnibus in fide poſtulantibus certò donum interpretationis conceditur, deque eo omnis credens certus eſt; maxima profectò Caluiniſticis opificibus aperitur feneſtra, Miniſtros vel de cathedra doctorali deturbandi; vel ſe iuxta illos, pari gradu & loco collocandi. Quid enim? dicet Caluinianus ſutor aut cerdo. *Ego æquè credo, ac tu. Æquè certus ſum me verè credere ac tu. Æquè in fide ac tu donum interpretationis poſtulaui à Deo; æquè igitur ac tu, certus ſum me hoc dono pollere. Æquè igitur audiendus ſum ac tu: æquè certa eſt mea interpretatio ac tua.* Cur ergo mea relicta tuam ſententiam complectar? Quis Caluinianæ ſcholæ Miniſter talem ſutorem aut cerdonem non in nouam *Zemblam* ablegaret, ſi ex doctrina, principiis & fundamentis ipſorum hunc in modum cum ipſis agere inſtitueret?

Hunnius timidius hunc locum tangit. Ait: *Manere verum, quod Deus piis verè ipsum inuocantibus det Spiritum sanctum Luc.11. & sapientiam. Iacobi 1.* Esto hoc; quamuis non intelligatur, nisi de iis, quæ singulis ad salutem necessaria sunt; si Hunnius subsumat. *Certus sum quod sim pius; quodque inuocem Deum verè ac legitimè*; tum aliquid dicet; de quo num verum sit, non tantum nos omnes Catholici hæremus, sed & vniuersi Caluinistæ; Anabaptistæ & Svvenckfeldiani dubitant; vel potius non dubitant; quia certum illis est, Hunnium non esse *pium*; *neque rectè ac legitimè Deum inuocare*; quando illum inuocat pro dono scripturas interpretandi.

Ne Hunnius eodem incommodo vrgeretur, quo paulò ante vrgebamus Iunium, salutari distinctione id anteuertendum existimauit; *Licet enim omnes donum interpretandi à Deo piè postulent, non tamen omnibus æqualiter, sed diuersis gradibus id concedi ait, priuatis quidem ad intelligendum pro modulo fidei doctrinam necessariam: Ministris autem Ecclesiarum (mediante salutari institutione in scholis) dona ea, quæ ad munus Ecclesiasticum ritè obeundum requiruntur.* En vulpem ne capiatur ad scholas astutè deflectit. Nec tamen euadit; licet enim quis multos annos in schola sessitet; semper adhuc queri potest; vtrum donum verè interpretandi scripturas adeptus sit; & vtrum non fallatur tunc; quando se minimè omnium falli, contenta voce, asseuerat. Debuisset etiam Prædicans aduertisse, vel si displicebat, refellisse id, quod Bellarminus ex D. Augustino docet; loca illa scripturæ non intelligi de spiritu Interpretationis, qui est gratia quædam gratis data, sed de spiritu fidei, spei, charitatis & sapientię necessarię ad salutem. Mitto, Prædicantem prorsus ineptè & inscienter scribere, *illam qualemcunque rerum diuinarum intelligentiam, qua fideles etiam ex infima vulgi plebe præditi sunt, esse donum interpretationis, de quo Apostolus disputat*; cum ex ipsa orationis Paulinæ serie & forma luce dilucidius sit, donum hoc interpretationis non omnibus diuinitus tribui: nam Apostolus expresse dicit; hoc concedi huic, & aliud alij.

Ait Iunius, *illum solum sine errore posse docere, qui spiritum sine mensura habet*, hoc est, Christum; & tamen paulò pòst asserit, *corpus Ecclesiæ in commune docere absque errore, idq; certum esse ex promissione Dei.* Quomodo hæc duo cohęrent? Nemo absque errore docet præter Christum. Et, *Congregatio Ecclesiæ docet absque errore*: vbi rursus delirat, Ecclesiam non esse *iudicem*, sed *indicem & internunciam verborum Dei*: cum ipsemet antea iudicium & iudicandi potestatem tribuerit Ecclesiæ. Reliqua, quæ Iunius blaterat funiculi sunt ex arena nexi.

Audiamus Syllogistam Savvbrandum hîc impudentissimè calumnias fundentem. Bellarmino affingit impostor hunc ineptissimum syllogismum. *Quod non datur omnibus, hoc datur Papæ Romano: sed donum interpretandi non datur omnibus: ergo Papa Romanus non potest errare in scriptura interpretanda.* Hoc incultissimo syllogismo proposito, subiicit sycophanta. *Rogandus esset Bellarminus, vt nouum organum conscriberet. Nam Aristotelis Logica apud eum iam pridem euiluit.* Savvbrandus rogandus esset, si quid rogando obtineri posset, vt vel paululum à mendaciis & loedoriis abscederet, honestique viri personam vel ad modicum tempus susciperet: Nam & veritas & honestas iam pridem apud ipsum euiluit: qui hunc thrasonismũ plusquam thrasonicum hisce suis fabulamentis apponit. *Equidem Aristotelis organum, & eius expositores Arabas, Græcos, & Latinos legi, & relegi: at hæc Iesuitica mysteria in argumentis formandis, apud illos nondum reperi.* Suspicor te mentiri. Nam si Aristotelis logicam, totque commentatores legisses ac relegisses, non modò doctus, sed & pudens & prudens effectus esses: quia pudentia & prudentia sunt doctrinæ comites. At nihil in te elucet, præter insignem inscitiam; & quæ hinc nascuntur, impudentiam & imprudentiam: Quid enim alios suam in sententiam pertrahere volenti imprudentius excidere posset; quàm quando talia syllogismorum portenta fabricat; eaq; Bellarmino, aliisq; Iesuitis attribuit; primo namq; intuitu, qui non planè cæcus, aut excæcatus est, manifestè videt, istum vel cauillari; vel calumniari, vel mẽtiri; vel omnia ista pariter factitare; quia apud ipsos etiam Caluinistas longè maior est de Bellarmini eruditione existimatio, quàm vt credant, huiusmodi ineptias ex eius officina proficisci posse.

Quàm verò strenuè conficit Caluinista syllogismi monstrum ex suo cerebro progeneratum. *Maior*, inquit, *est falsa. Neq; existimo, Bellarmine, te adeo perdidisse omnem pudorem, vt audeas eam defendere.* Nisi tu omnem funditus pudorem ex fronte & mente tua abrasisses; adeo impotenter calumniose animo & calamo tuo non indulsisses. Dic effrons nugator. Estne Maior illa Bellarmini? Vbi, quando, eam nõ dico protulit, sed vel tenuissime insinuauit? Quando tandem te huius tuę petulantię pudebit, ô Caluinista? Frustra quæro. In promptu est responsio. Nunquã. Argumento est, quod statim subnectis mendacium: ex nostra sentẽtia, *omnium & singulorum Christianorum dona in vno Papa esse coaceruata.* Os Caluinisticum. Quis hoc vnquã vel acutissima febri correptus somniauit? Num omniũ fideliũ dona vel gratiæ, vel naturę; omnia charismata scientiæ & doctrinæ in vno Papa residere docemus? ô linguam Savvbrandicã. Nimis longa es. Hinc in pseudologias nimium effusa.

Aliud, inquis, *concluditur, quàm fuit in antecedente.* Hoc tuâ fit nequitiâ & improbitate, non Bellarmini vitio vel inscitia; qui syllogismi huius non est parens. Tu formasti; vel potius informe hoc spectrum, malitiosè & fraudulenter confinxisti. Quid Bellarmino cum flagitiosis tuis commentis & mendacissimis phantasmatis; ex quibus vnum est & hoc. *Qui habet donum interpretandi, ille non potest errare in doctrina; vel, eius voluntas est regula*

omnis interpretationis. Sed Papa Romanus habet donum interpretandi. Ergò Papa Romanus non potest errare in doctrina. vel; Papa Romani voluntas est regula omnis interpretationis. Hoc modo argumentum formari debebat; clamat Caluinista: Quare non formasti hoc modo, quandoquidem id in manu tua erat; qui, tanquam figulus, quiduis fingis & refingis, prout malesuada nefarię mētis tuę libido suadet ac impellit. *Maior*, inquis, *est falsa.* Quid ad nos, seu vera sit seu falsa? quia non est nostra, sed tua: neque nostram Maiorem demoliris, sed tuam; neque nobiscum manus conseris, sed tecum & cum tuis vmbris, quas in helleboroso tuo capite efformas. Quale argumentum ex hoc loco & discursu Bellarmini confici queat, & debeat, ostendi supra cum Hunnianas nugas discuterem. Neque vnquam Bellarminus hanc vel similem consequentiam texuit. *Pontifex habet donum interpretandi scripturas, ergo non potest errare;* sed si argumentum conficiendum esset, hoc modo institui deberet. Pontifex, vt supremus pastor & iudex, habet infallibile scripturas ex cathedra interpretādi donum; ergo non potest errare in interpretatione scripturæ; cuiusmodi donū nulli priuato, etiam doctori, obtigit; omnis enim talis vel errauit aliquando; vel si non errauit, saltem errare potuit. At Pontifex cum scripturæ sensum, vt summus pastor & iudex, ex cathedra Petri aperit; neque vnquam errat aut errauit, neque etiam errare potest; quidquid inferorum portæ contrà strideant.

Nonus locus à Bellarmino prolatus est 1. Ioan. 4. *Charißimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Multi enim pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Spiritus hominum priuatorum probandus est, an ex Deo sit: multi enim iactant Spiritum sanctum, qui agitantur spiritu vertiginis, & mendacij, vt dicitur 3. Reg. vlt. 2. Paral. 18. Isaiæ 19. & 29. Igitur non potest priuatus spiritus esse iudex. Quomodo enim erit iudex, cum de ipso adhuc iudicandum est? Respondet VVitackerus. *Nescit Iesuita statum quæstionis.* Optimè nouit Bellarminus statum quæstionis; ne dubita. nam olim cuiuis priuato iudicium de doctrina permittebatis, vt iam sæpius ex Luthero ostensum est; & maximè apparet ex libello de *Instituendis Ecclesiæ Ministris*, vbi etiam mulieres vesanus Apostata iudicandi potestate & facultate donat. Nunc postquam absurditas delirij huius nimis est in propatulo; hoc velum tegendæ turpitudini inducit VVitackerus cum suis gregalibus.

Nos non dicimus debere quemq; in illa interpretatione acquiescere, quam suus cuique priuatus spiritus format, & dictat; hoc enim esset fenestram fanaticis ingeniis, ac spiritibus aperire: sed dicimus spiritum illum iudicem esse debere, qui palàm, & disertè in scripturis loquitur; quemq; omnes audire possunt: per illum volumus omnes alios spiritus, id est, omnes doctrinas (sic enim verbum hoc loco sumitur) examinandas esse. Pulchra audio verba: sed veritatis inania. Nam quis spiritus in scriptura loqua-
A tur; quisq; huic vel illi loco sit subiectus sensus: aliter non iudicatis, nisi priuato spiritu; quod enim Caluinus dicit: sensum huius orationis esse istum. *Hoc est corpus meum:* id est, *figura corporis mei:* Et Lutherus: *Hoc est corpus meum*, sed simul cum pane: quo alio spiritu hunc sensum inde extundunt, nisi suo priuato? Et qui in altera harum sententiarum acquiescit, in quo spiritu, nisi in priuato acquiescit? Nam Lutherum in illa sua explicatione non duci Spiritu sancto, vltro fatentur Caluinistæ. Contrà, Caluinistas non duci in eorundem verborum interpretatione Spiritu sancto, libentissimè concedunt Lutherani. Sequitur ergo vt tam hi, quàm illi priuato spiritu hæc agnat; in quo eis vltrò assentior.

B *Nos publicum iudicem nullum agnoscimus*, inquit VVitackerus, *nisi scripturam* (prout tamen Lutheri vel Caluini phantasiæ & priuato spiritui substat) *& spiritum nos in scriptura docentem* (hac tamen lege, vt quod Lutherus vel Caluinus docent, id Spiritus sanctus per scripturam docere censeatur. Quo fit, vt semper ad priuatum spiritum reuoluamur.) *Bellarminus loquitur, quasi nos internum spiritum, aliorum iudicem faceremus, quod nunquam fieri debet.* (Et tamen fit; quia quidquid tergiuerseris; iudex apud te alius non est, quàm Caluini spiritus: ideo enim Spiritus sancti mentem credis esse; quia Caluinus hanc Spiritus sancti mentem esse dicit. Si contrarium dixisset, tu quoque contrarium iam tibi persuaderes. *Non sic insani, aut* C *fatui sumus, vt hoc modo agamus. Tu debes acquiescere huic doctrinæ, quia meus spiritus hanc esse veram iudicat.* (Verbis quidem hoc non dicitis; re ipsa tamen dicitis:) *Sed hanc doctrinam suscipias oportet, quia Spiritus sanctus in scripturis nos sic sentire, & credere docuit.* Quare credis, quòd Spiritus sanctus in scripturis nos sic sentire & credere docuerit, nisi quia Caluinus Spiritum sanctum in scripturis sic sentire & docere dixit? Si Caluinus aliud dixisset; tu iam in alia opinione esses. Si Caluinus explicasset verba illa: *hoc est corpus meum:* cum Luthero; aliud hodie sentires, quàm modò sentis, quia Caluinus aliter sensisset, quàm modò sensit. Et si Lutherus cum Caluino seu Zvvinglio verba cœnæ interpretatus fuisset; iam Lutherani aliud sibi D persuaderent, tanquam ex mente Spiritus sancti depromptum, quàm modò sibi persuadeant: quia Lutherus aliter sensisset; quam modò sensit. Si vterque hæresiarcha cum Catholica Ecclesia hæc verba orthodoxè exposuisset; tam Lutherani, quàm Caluiniani in eadem sententia nobiscum versarentur; illi quidem ob Lutheri & Caluini; nos propter vniuersalis Ecclesiæ sensum, consensum, & auctoritatem.

Hunnius mirificè hic tumultuatur. *Ait S. Ioannem non tantum loqui de probandis spiritibus eorum, quos nos priuatos appellamus, sed etiam de probando spiritu Papæ.* Probatur manifestè. *Quia Ioannes nec in margine, nec in contextu excepit Romanum Pontificem, vel ipsius creaturas, prælatos Ecclesiæ Romanæ.* Quis

ergo dubitet, S. Ioannem velle, vt quando summus Ecclesiæ pastor aliquid credendum proponit, id à quouis fideli ad trutinam sacræ Scripturæ reuocetur; & ex illius æquitate æstimetur? Quod adhuc firmiore argumento demonstratur. *Antichristi spiritus est probandus: spiritus Papæ est spiritus Antichristi: ergo spiritus Papæ est probandus.* Minor est valdè clara VVitebergæ in Saxonia; & Geneuæ in Sabaudia. Quare caussæ nihil est, cur quis vllam eius probationem postulet. Nisi hæc Hunniana verba probationis loco accipere velis. *Nobis constat certò ex scripturæ iudicio, quod illi prælati Pontificij non habeant Spiritum sanctum, quodque Conciliis illorum præsideat non Dei spiritus, sed spiritus erroris. Siquidem, contra conscientiam damnant doctrinam eam, quam vident auctoritate niti scripturarum.* Si monstrare iubeas locum scripturæ, ex quo certo constet; Pontificios Doctores non habere Spiritum sanctum, talemque locum Prædicans exhibere nequeat, non est quod mireris: quia Hunnio etiam id, quod nusquam est, affirmandi libera potestas concessa est. A quo? Ab illo, opinor, qui sera sub nocte cum Luthero *de Missa* disceptauit.

Sed en horribilem syllogismum, quem Hunnius in nos vibrat: *Si Papistarum spiritus esset bonus, esset idem cum spiritu primorum fidelium. Sed hi in negotio religionis recurrebant ad Apostolum Petrum, Paulum, Iacobum, Ioannem, &c. & acquiescebant in sententia horum, quos constabat, vt indubios Doctores, cœlitus Ecclesiæ commendatos: igitur spiritus Papæ, qui seipsum iudicem constituit generalem, spretis sanctissimis scriptis Apostolorum, non est bonus spiritus.* Si quæras ex Hunnio, in qua figura sit iste syllogismus; respondebit, nisi me animus fallit, in *quinta* vel *sexta*: nam in tribus hactenus vsitatis locum non habet; vt nec in *Galenica*, cui nonnulli quartam stationem assignant. Audi præco, etiam hodie, cum quæstiones & controuersiæ de fide exsistunt; ad Petrum recurrimus; quia ad successorem Petri recurrimus; qui nobis & Petri, & Iacobi, & Ioannis & omnium scriptorum Canonicorum sententiam certò & infallibiliter pandit. Vester autem ad scripturam recursus, simpliciorum & artem vestram ignorantium ludificatio & circumuentio est; non enim ad scripturam publico Ecclesiæ, sed priuato phantasiæ vestræ spiritu explanandam acceditis, idque quod somnia vestra vobis dictant; pro sancti Spiritus sensu venditatis, rudique plebeculæ obtruditis.

Quod Stentorea voce vociferatur Prædicans, *subditos debere pastorum suorum spiritus*, hoc est, *doctrinam probare*; neq; absq; accurato examine amplecti; nil nisi nebulæ, & inani loquētiæ Hunnianæ præstigiæ sunt. Examinet aliquis spiritum sui Prædicantis; si lubet; & absoluto examine; improbet illum spiritum, si audet. E vestigio pœnas dabit, & ita exagitabitur, vt secundò ad simile examen redeundi omnem penitus animum abiiciat. Cœpit Carlstadius examinare & A in libram imponere spiritum Lutheri. Quod ille examen tam iniquè tulit; vt prius non conquieuerit, quàm Carlstadium vertere solum coëgerit. Nil arrogantius est spiritu Lutherano & Caluiniano: Hinc omnis probationis impatiens est: quidquid Prædicantes ore crepent. Facta in contrarium, contrarium euidenter docent.

Vix diuersa ab Hunnio adducit Iunius. Ex Bellarmini dictis format hoc argumentum. *Qui spiritus probandus est, is non potest esse iudex: spiritus priuatorum probandus est: ergò non potest esse iudex. Concedo argumentationem totam.* Quàm liberaliter, Iuni? Addis: *Sed si exclusiuè dicatur, spiritus priuatorum solùm probandus est, assumptio falsa. Omnis enim spiritus* B *humanus probandus, solus Dei spiritus est, quem homo probare non potest.* Quid inde, Iuni, exsculpis? Num hoc? *Spiritus Papæ, prout est supremus iudex, est spiritus humanus.* Atqui huius ipsius probatio tibi incumbit, nam vt auctoritas summi Pontificis non est merè humana; sed humana diuinitus inspirata; seu diuina per participationem; ita etiam spiritus Papæ, quo in definiendo nititur, non est spiritus merè humanus, sed humanus diuinitus inspiratus; hoc est, ipse Spiritus sanctus, sed per hominis ministerium suam sententiam ac voluntatem certo & infallibiliter nobis patefaciens.

Multis modis Bellarminus errat, inquit Caluinista. C Transfer hoc ad te, & assentiar: *Primùm, dicit Ioannes de omni spiritu, ac non de spiritu priuatorum solùm: ergò, & de ipso Pontificum spiritu probando monet.* Vbi dicit S. Ioannes? *Omnes spiritus probate, si ex Deo sunt.* Vbi dicit? *Nulli spiritui credite*; vel, *nolite vlli spiritui credere; sed probate vniuersos spiritus:* An non dicit? *Nolite omni spiritui credere.* Quid hoc aliud est, quàm; *nolite cuiuis spiritui credere.* An hoc idem est; quod *Nolite vlli spiritui credere?* An tu existimas diuum Ioannem fuisse Prædicantem Lutheranum vel Caluinianum; qui nullum infallibilem spiritum in Ecclesia Dei agnouerit? Nonne ipsemet Iunius supra concessit *corpus Ecclesiæ*, sic enim loquitur, *in docendo errare non posse?* Si errare nequit communis iste spiritus Ecclesiæ; quid opus est, vt ad probationem reuo- D cetur? Num aurum probatur, quando certum & exploratum est esse purum ac sincerum aurum? Num sanctus Ioannes vnquam voluit aut iussit, vt vox pastoris ab ouibus probaretur, & ad libellam proprij cerebri trutinaretur?

Ait Iunius. *Probationem hanc religiosam mandat Ioannes non Pontifici aut Concilio solùm, sed piis omnibus.* Quid si tantum peritiæ aut prudentiæ non habeant, vt priuatum spiritum obsibilantem probare queant? Num seu queant, seu nequeant, probare debebunt? Num qualicunq; lance, etiam proprij ingenioli & modici iudicij? Nihil horum D. Ioanni in mentem venit. Probari voluit spiritus; sed

cos,

eos, qui probatione egerent; quales soli priuati spiritus. Probari voluit non à quouis; sed ab illo, qui hoc ritè præstare posset. Probari voluit; vel per se vel per alium. Probari voluit, sed pondus sanctuarij, ad publicam stateram; ad Ecclesiasticæ traditionis auctoritatem; seu ad verbum Dei tam scriptum, quàm traditum; & ex maiorum traditione explicatum & explanatum, non nouis Nouatorum nebulis obfuscatum.

Lepidum est quod subiicit Iunius. *Non mandat Ioannes hominibus, vt iudicent, sed vt probent ad canonem iudicis & legislatoris nostri; nam iudicium Dei solius est.* Quæso quid aliud est probare, examinare, librare, ponderare, trutinare, quam iudicare? Quando aurum probatur & examinatur, an non id fit eo fine, vt iudicetur, num probum sit an adulterinum? Stultus fuerit, qui aliquid probat, examinat, & ponderat, alio consilio, quàm vt de eius bonitate vel malitia iudicium faciat. Et cum Iunius denuo soli Deo iudicium tribuit; an non denuo iis, quæ supra de duplici in Ecclesia iudicio scripserat, directè contradicit?

Savvbrandus vt alibi, ita & hic sibi similis sycophanta est. En specimen. *Quos spiritus debemus probare, illi possunt errare in interpretando: sed quemuis spiritum debemus probare: ergo Papa Romanus non potest errare in interpretando. Sed quis est harum nugarum finis?* clamitat Hæreticus. Opto & ego finem; quem sperare non possum, nisi tu mendacissimis hisce nugamentis tandem finem imponas. Quando impones? Tunc, si rectè coniicio, cum vitæ finem impones. Prius finem mihi polliceri non ausim; adeo improbus & flagitiosus nugator & cauillator es. Oppugna quantum voles, & quandiu voles, prædictum malè tornatum syllogismum; tua mendacia, non Bellarmini asserta oppugna. Commenta tua feris; non Bellarmini argumenta. Nam si quis Bellarmini sententiam in argumentationis formam coniicere velit, id hac vel consimili ratione faciendum erit. Nullus spiritus, qui probatione eget; potest esse certus & infallibilis controuersiarum iudex. Omnis spiritus priuatus probatione eget, ergo nullus spiritus priuatus potest esse controuersiarum Iudex. Hoc Bellarmini argumentum est; si syllogisticè formetur. Ex quo postea concluditur; debere in Ecclesia esse alium spiritum, qui probatione nō egeat; quique sit infallibilis: quandoquidem tali spiritu Ecclesia carere non potest; vt omnibus illis rationibus planum fit, quibus ostenditur, debere in Ecclesia esse aliquem iudicem visibilem, ordinarium, immediatum, supremum, qui facilè adiri & audiri queat; cuius vox sit certa & infallibilis: Vide autem Caluinistæ huius cum suo Concaluinista consensum. Iunius acriter contēdit, *iudicium esse solius Dei: hominibus nihil aliud competere, quàm vt probent, non vt iudicent: Ioannem non dixisse. Iudicate, sed, probate spiritus, si ex Deo sunt.* Nunc audi Savvbrandum: *Quibus Christus dat potestatem probandi spiritus, illis dat iudicandi potestatem. Doctrinam enim probare, est eam iudicare. At Christus non solis Episcopis, sed omnibus Christianis dedit probandi potestatem. Ioannes enim alloquitur omnes fideles. Ergò, non soli Episcopi, sed omnes Christiani habent iudicandi potestatem.* Ecce Caluinianus iste, *omnes Christianos iudices facit:* Iunius, *omnes quidem probatores*; sed non *iudices*; quasi probare aliud sit, quàm iudicare, aut quasi saltem iudicium ex probatione, tanquam effectus ex caussa, nō sequatur. Quàm bellè concinunt isti in Caluini schola condiscipuli.

Sed accipe subtilissimam consequentiam. *Papa est spiritus, ergo doctrina eius debet probari.* Quid nì dicamus nos simili forma? *Spiritus sanctus est spiritus, ergo doctrina eius probanda est & priuati cuiusq; iudicij bilance pensitanda.*

Accipe & hanc. *Paulus & Barnabas patiebantur doctrinam suam probari & iudicari à Beroeensibus, ergo etiam Papa ferre debet doctrinam suam iudicari à protestantibus.* Mirum, quàm sibi Sectarij nostri hoc Beroeensium exemplo blandiantur. Mirum, quàm illud vbique occinant & ingeminent pro stultitiæ suæ excusatione & patrocinio: sed planè immeritò. Nam aut Beroeenses illi nondū crediderant; aut iam crediderant. Si nondum crediderant; iure scrutabantur, num quæ Paulus dicebat; ita sese haberent; scrutari enim proprium est eorum; qui nondum inuenerunt, sed quærendo occupati sunt; vt docet Tertullianus lib. de præscript. Si iam crediderant; vtiq; non dubij aut fidei suæ incerti scripturas scrutabantur; alioqui fidem antea susceptam rursus perdidissent; neque enim cum deliberata dubitatione subsistere valet: sed id faciebant, vt fidem suam magis atq; magis sacra lectione corroborarent; sacrisque litteris euoluendis piè, religiosè, ac reuerenter vacabant; non vt solent Thrasonici isti lectores, qui se magistros magistrorum, & doctores doctorum constituunt. Qua pietate & reuerentia & animi demissione, nemo apud nos ad scripturæ lectionem accedere vetatur; tunc namque non accedit vt iudex; sed vt discipulus: Neque legit independenter ab Ecclesiæ magisterio & instructione; cuius isti prorsus sunt impatientes, vt cerebri sui phantasmatibus eo laxiores habenas permittere queant. Quanquam dici itidem potest; istos scripturam scrutatos, non quod de fidei dogmatibus dubitarent; sed num Paulina prædicatio cum fide, de qua non dubitabant, congrueret: sicut & hodie interdum; audito concionatore quopiam; quærimus; apertis & inspectis libris; num quæ citauit, aut affirmauit; ita sese habeant.

CAPVT VI.

Idem probatur ex consuetudine Ecclesiæ.

TERTIVM generale argumentum Bellarmini est ex praxi Ecclesiæ; Nā omnibus sæculis in Ecclesia exorta sunt noua dubia, & semper eodem modo terminata sunt, nimirum iudicio Pontificis Romani, & Episcoporum, qui tunc erant. Respondet VVitackerus: *Hac omnia, quorsum spectent, non intelligo.* Tenetur Hæreticus ignorantia quam vocant *affectatam*: Quis tam rudis est, qui non videat, quorsum capitis huius argumenta tendant, & quid petant? Huc tendunt; vt planum faciant, controuersias nunquam fuisse in Ecclesiā Dei diremptas & sopitas eo modo, quo hæretici iam litibus finem imponere volunt, & dum volunt, lites nouas serūt; per scripturam nimirum, tanquam per iudicem; sed per summum Pontificem, aliosque Ecclesiæ præsules in Concilium legitimè coactos.

Ait VVitackerus: *nos concedimus hanc esse viam valdè commodam inueniendi verum scripturæ sensum, vt pij nimirum, & docti homines conueniant, & diligenter caussam examinent, veritatemq́; exquirant; sed ita tamen, vt non nisi ex scripturis quidquā pronunciare audeant.* Hoc est ita; vt nihil definiant, nisi quod sectariis arridet: Quam primum enim aliquid contra eorum gustum decreuerint, mille opprobriis lacerabuntur, & non Christi, sed Antichristi caussam agere proclamabuntur.

Cætera, quæ VVitackerus hic effutit, imperita sunt mendacia, vt I. *Controuersias fuisse in Conciliis definitas, ac constitutas, non absoluta auctoritate ipsius Concilij, sed iudicio, & auctoritate scripturæ in Concilio.* II. *Episcopos nunquam conuenisse, vt rem ipsi definirent auctoritate sua, sed scripturarum.* Imò, & sua, tanquam iudicum; & quidem ab alio in hac vita iudicio independentium; scripturæ autem, vt normæ & regulæ, ad quam iudicium conformandum fuit. III. *Omnia pia Concilia summum iudicium detulisse scripturis.* Nullum penitus; tantum abest, vt omnia. Nam scriptura nōn est iudex propriè loquendo de iudice; sed norma iudicis (licet aliquando impropriè vocetur Iudex) quemadmodum in foro externo lex ciuilis non est Iudex, sed iudicis regula. IV. *In Concilio Apostolorum Act. 15. scripturam summi iudicis locum obtinuisse.* Nihil minus. Summi iudices fuēre, quorum hæc vox: *Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.* V. *Nouatianos refutatos esse scripturæ auctoritate, tanquam Iudicis.* VI. *Item Anabaptistas*: (Donatistas intelligere videtur) VII. *Et hoc patere ex Augustino.* Quo loco? VIII. *Præterea Arianos in Concilio Nicæno.* Fabulæ. Patres Nicæni, iudices fuēre. Scriptura; norma.

Iunius suum illud *negatur* hic strenuè exerit. Negat, *controuersias finitas esse iudicio Romani Pontificis.*

A Num satis est negasse, contra tot exempla, quæ hic protulit Bellarminus; vt & in disputatione de Pontifice? II. Negat, *Papam Romanum olim Pontificem dictum*; sed Episcopum Romanum. Quid hoc ad rem? Si de sola nomenclatura agitur, voca, vt libet; dummodo rem ipsam confitearis: quanquam falsum dicit Iunius; nam ex Tertulliano lib. de pudicitia cōstat, eo iam tempore Episcopum Romanum dictum esse Pontificem Maximum, vt fusius ostendi in Animaduersionibus ad Notas Tertullianeas huius ipsius Iunij. III. Negat, *Episcopos & Synodos recentiores esse similes priscis.* Sed negat tantum. Quid nobis cum Iunianis negationibus? IV. Negat, *Conc. Tridentinū fuisse legitimum.* Nimis sero cum sua negatione

B prodit. Idem dictitabat Arius de Concilio Nicæno. Ait Iunius. *Quod hoc Arius dixerit; nō memini legere.* At dixi, quia non minus cum suis Concilium Nicænum repudiauit, & probris insectatus est, quàm tu cum tuis Concilium Tridentinum. Cur hoc? nisi quia illud pro legitimo non agnoscebat.

Danæus circa hoc totum caput nil nisi paralogismos crepat. *Paralogismus à dicto simpliciter. Paralogismus à non consequente. Paralogismus ab ignoratione elenchi, à non caussa vt caussa.* Paralogismus à stultitia & vecordia Danæi. Paralogismus à mendaciis eiusdem; inter quæ & hoc; Bellarminum sic argumentari. *Episcopi Romani assensus, vti & cæterorum Episcoporum, apparet in istis iudiciis, ergo præcipua*

C *fuit illius auctoritas.* Legatur & relegatur totum hoc caput, nusquam inuenietur, quod Danæus inuerecundè comminiscitur; qui ait, *suos non negare, quin Concilia legitimè congregata possint de vero scripturæ sensu iudicare.* Atqui Iunius Caluinista capite superiore palam omne iudicium præsulibus Ecclesiæ abrogauit, & solum indicium reliquit; iudicio soli Deo reseruato. Quomodò hæc consonant?

Hunnius ex doctrina Bellarmini hunc syllogismum struit: *Praxis Ecclesiæ non est reiicienda; Praxis vniuersalis Ecclesiæ est, quod cunctis seculis exortæ controuersiæ sunt iudicatæ per Pontificem Romanum, & Episcopos: ergò hæc praxis non reiicienda; sed retinenda est.* Respondet Prędicans, *consuetudinem esse seruandam*

D *si sit vniuersalis, & verbo Dei superstructa.* Non negamus; sed duo addimus; primum; Prædicantem hunc esse impium, quando contendit, in Ecclesiam, quæ est firmamentum & columna veritatis, posse irrepere vniuersalem consuetudinem verbo Dei aduersantem: quod est dicere; Ecclesiam totam posse deficere & à vero aberrare; contra illud: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*; & contra promissionem de Spiritu sancto perpetim in Ecclesia perseueraturo, omnemq́ue veritatem edocturo. Secundum; praxin, qua controuersiæ à Pontifice Romano & aliis Ecclesiæ præsulibus dirimuntur ac definiuntur esse vniuersalem & verbo Dei quam maximè cōgruam: seruandam igitur.

Digitized by Google

Obiicit Prædicans: *Innumerabilia dubia esse exorta, quæ determinata sunt, non consulto Romano Pontifice.* Illud; *Innumerabilia*: annumeretur *hyperbolis* hyperbolici Prædicantis. Ad rem quod attinet, nego vllam vnquam in Ecclesia controuersiam decisam ac definitam esse, non interposita Romani Pontificis auctoritate: Nam quiuis Catholici præsules, iudices, & definitores, non aliter iudicant & definiunt, quàm dependenter à summo iudice & pastore. Itaque sicut in regno quopiam latissimè diffuso, nulla iudiciaria & definitiua sententia pronunciatur, nisi auctoritate regis; ita & in nostro proposito contingit. Neque tamen opus est, vt Rex semper explicitè consulatur; satis est, à Rege constitutos esse, qui loco eius ius dicant, litesque dirimant; & hoc ipso, quidquid agunt, Regis auctoritate agere censentur. Idem quadantenus & hic vsuuenit.

Obiicit Prædicans: *Paulus multas quæstiones determinauit in epistola priore ad Corinthios cap. 7. & alibi: quas ille nunquam vel ad Petrum, vel alios Episcopos detulerat. Sic damnauit Hymenæum, Philetum, non exspectato Petri assensu, vel iudicio, &c.* Quærendum est ex Prædicante; vnde sciat Paulum & Ioannem, inconsulto Petro, quæstiones determinasse & hæreticos condemnasse. Vbi, quæso, hoc in sacris litteris proditum? Num ad hoc argumentum confugiet Prædicans. *Non est scriptum: Petrum à Paulo vel Ioanne fuisse consultum; ergo non fuit consultus.* Vel: *non est scriptum Petro conscio Sectarios illos fuisse damnatos, ergo non fuerunt Petro conscio damnati*: ipsemet, opinor, pro sua hebetudine statim aduertet; quanto risui & ludibrio sese expositurus sit; quasi verò quidquid ab Apostolis factum dictúmue fuit, in litteras relatum sit. Deinde ipsi Apostoli, tanquam Petri oues; non aliter quenquam damnarunt, aut quidquam controuersiæ deciderunt, quàm dependenter à summo Pastore Petro; cui *claues regni cælorum* & plenitudinem supremã Ecclesiasticæ potestatis concessam nouerant. Sic & controuersiæ, de quibus D. Augustinus libro 4. contra duas epistolas Pelagianorum, non sunt definitæ ac sopitæ, nisi auctoritate summi pastoris, saltem mediata.

Quod Hunnius Episcopos nostros nominat *laruatos*, id prolixissimè barbato Prædicanti condonandum censeo, quæ conuicia à patre suo Luthero accepit, ea reddit. Quid agat? Aliter nequit, si velit esse bonus magistri sui discipulus. Multis ostendere nititur, Lutheranis nihil esse commune cum Arianis. At vt in omnibus dissociarentur, in his tamen arctissimo nexu consociantur; quòd vt Ariani Nicænum, ita isti Tridentinum Concilium arrogantissimè & fastuosissimè aspernantur; & vt illi olim iudicum suorum se constituebant iudices; ita & isti. Nihil similius. Gemelli sunt hac in re Lutherani & Ariani.

Quid Savvbrandus? Orditur à mendacio, boin ominis caussa. Ait, *Primum Bellarmini argumen-* A *tum esse istud. Papa semper præfuit Conciliis, & in iis controuersias Ecclesiasticas diremit.* Mentiris Caluinista. Non dicit hoc Bellarminus: Sed hoc: *Noua dubia exorta semper terminata sunt iudicio Romani Pontificis & Episcoporum, qui tunc erant: ergo & iam idem debet fieri.* Hoc Bellarmini argumentum est: quod profanus Nouator isto etiam commento suo obscurare conatur. *Quicquid fit ab vniuersa Ecclesia, hoc est legitimum: sed in vniuersa Ecclesia semper obseruatum est, vt Papa Conciliis præsideret, & in iis controuersias dirimeret. Ergo, Papa non potest errare in scriptura interpretanda.* En diabolicam Nouatoris huius malitiam. Estne hic syllogismus Bellarmini? colligitur ne talis syllogismus ex doctrina Bellarmini? O nefariam & quouis supplicio dignam improbitatem. B *Respondemus*, inquit Sycophanta, *aliud concludi, quàm fuit in præmissis.* A quo concluditur? A Bellarmino? O impudens caput, ô frontem profligatam. Non à Bellarmino, sed à te concluditur, quidquid inscitè tam hic, quàm alibi concluditur. Tua sunt hæc ψεύσματα, tuæ sutelæ, tui doli.

Mendaciis addantur & hæc. *Totam primitiuam Ecclesiam laicis dedisse calicem. Totam primitiuam Ecclesiam libros Maccabæorum, Iudith, Tobiam, Ecclesiasticum & Baruch habuisse pro non canonicis*; Mendacia isthæc sunt, de quibus suo loco.

Vide autem impotentem Caluinistæ huius cauillandi & mentiendi libidinem. Vt Bellarminus ostendat, omnibus à Christo sæculis, controuersias C fuisse decisas & compositas à summo Ecclesiæ Pastore, & Episcoporum, qui tunc erant, calculo; adducit pro primi sæculi exemplo Concilium Hierosolymitanum Act. 15. Savvbrandus dicit, *Bellarminum hæc & similia aliarũ ætatum exempla adducere, vt probet Minorem fanatici illius syllogismi, quem antea ex Savvbrando recitauimus*, hanc videlicet: *In vniuersa Ecclesia semper obseruatum est, vt Papa Conciliis præsideret, & in iis controuersias dirimeret.* Mendacissime bipedum: huic ne Minori probandæ attulit Bellarminus exemplum Concilij Apostolici? Dic, sycophanta, vbinam Bellarminus hanc Minorem protulit? Vbi in chartam retulit? ô frontem stigmate, eoque prægrandi, & valde conspicuo notandam. Quindecim sæculo- D rum exempla, non alio fine produxit Bellarminus, quàm vt palam faceret, quod initio capitis affirmarat; quæstiones in Ecclesia exortas, semper fuisse terminatas iudicio Pontificis Romani & Episcoporum, qui tunc erant: quod commodius & euidentius oculis subiicere non potuit, quàm percurrendo sexdecim, quæ à Christo nato fluxerunt, sæcula. Nihil hic disputat Bellarminus de præsidentia Pontificis in Conciliis; vt mentitur Caluinista: id tantum, quod modo exposui, agit.

Quocirca rursus mentitur & calumniatur Hæreticus, cum hanc consequentiam quasi ex Bellarmini mente cudit. *Petrus præsedit in primo Concilio, ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.*

Non dubito, quin & animum, & manum, & calamum rexerit & direxerit ipsemet calumniatorum omnium princeps Diabolus; quando hæc & millena huius generis Caluinianus iste papyro illeuit, & tanquam ex Bellarmini sensu procusa venditauit.

Pro exemplo secundi sæculi adfert Bellarminus Victorem Romanũ Pontificem, qui controuersiæ de Paschate celebrando finem imposuit & Ecclesias Asiæ excommunicauit. Quid Prædicantes? Quid? calumniantur, conuiciantur, mentiuntur. Iunius vocat Victoris *factum illegitimum & schismaticum.* Tu censuram Iunij voca conuicium *nefarium & hæreticum.* Ait Iunius: *Ecclesiam reclamasse & improbasse audaciam.* Hunnius appellat Victorem *ambitiosum; & potestatem in Ecclesias sibi non commissas vsurpantem: Irenæum Victoris tyrannidem taxasse.* Savvbrandus vociferatur, *Victorem inutiliter Ecclesiæ consuluisse, & fraternam vnitatem dissoluisse, non autem hæreses diremisse.* Verùm hæc & similia linguæ petulantis in Victorem sanctissimum Pontificem & Martyrem iacta tela, non sauciant Victorem; qui ante tot annorum centurias victor ad cælum euasit; sed palam faciunt, quàm isti Nouatores sint perditi ac desperati Sycophãtæ; cũ procacissima sua ora ne ab antiquissimis quidem & sanctissimis viris insectandis cohibent. Verum est; displicuit seueritas Victoris nõ paucis, vt narrat Eusebius lib. 5. cap. 24. 25. & in his sanctimonia & eruditione decantatissimo Irenæo; qui mitius agendum censebat cum tot Asiæ Ecclesiis. At num quisquam Victorem Tyrannidis propterea accusauit? Num quisquam eum falcem in alienam messem immisisse vociferatus est, vt nunc vociferantur Prædicantes; & potestatem non suam vsurpasse? Nihil minus. Potestatem in Victore agnoscebant & venerabantur; Tantummodo moderationem in potestatis vsu efflagitabant.

Iustissimas tamẽ causas seueritatis huius exerendæ & exercẽdę Victor habuit; propter Mõtanistas in Asia admodũ frequẽtes, qui Pascha luna decima quarta cum Iudæis celebrandum esse pertinaciter contendebant; vt & alij in Asia Hæretici, & Romæ Blastus quidam, de quo Tertullianus lib. de præscript. qui Romæ magnas turbas dederat; neque vllis monitis ad saniorem mentem reduci poterat: Cum enim Victor videret, hæreticos istos ipsis etiã Orthodoxis in Asia & Italia virus suum inspirare; & opinionem animis eorum instillare, quasi necessariò & ex præscripto legis diuinæ Pascha cum Iudæis luna decima quarta celebrandum foret: diutius cunctandum minimè existimauit; sed austerius remedium inueterato morbo adhibendũ; quandoquidem leniora nihil effecerant. Fulmen igitur excommunicationis in omnes illos, qui cum Iudæis Pascha peragerent, vibrauit: Et ense Apostolico immedicabile vulnus recidit. Itaque Ecclesiam non turbauit, vt mentiuntur hæretici

A nostri; sed ne magis atq; magis turbaretur; obstitit; cuius decretum, ipsum postea sacrosanctum Nicænum concilium ratum gratumq; habuit. De quo qui plura nosse cupit Baronium consulat Anno Christi C X C V I I I.

Porro argumentum hoc ex Savvbrandico cerebro exsculptum: *Victor dissoluit Ecclesiæ vnitatem, & fraternitatem: ergò Papa Romanus non potest errare in scriptura interpretanda.* prodiisse à manu & stylo Bellarmini; stygia Nouatoris calumnia est: qui imperitissime hic mentitur, Romano concilio non solum Victorem præfuisse; sed cum eo *Palmeam*; suique insciti mendacij testem laudat Eusebium ex translatione Ruffini. lib. 5. cap. 23.
B Consulamus ergo Eusebium; qui enumerans varia concilia ob controuersiam de Paschate celebrata; ait; huius rei gratia, concilium coactum esse in Palæstina, præsidente Theophilo, Cæsareæ Palæstinæ Episcopo; aliud, Romæ; præsidente Victore; & aliud *τῶν κατὰ Πόντον ἐπισκόπων, ὧν Πάλμας, ὡς ἀρχαιότατος, προὐτέτακτο: Episcoporum Ponti, quibus, tanquam antiquissimus, præerat Palmas.* Hic verus & legitimus Eusebij sensus est: quem & recentior Interpres Christophorsonus expressit. Sed iste Ruffini versionem non intellectam secutus hallucinatur, quasi *Palmas* seu *Palmeas* ipsi Romano concilio interfuerit; cum hoc non dicat Eusebius; quia *Palmeas* cum Episcopis Ponti in sua prouincia Synodum celebrarat; eique præsederat; tanquam prouinciæ illius primas. Quod
C non obscurè etiam ex ipsa Ruffini interpretatione colligitur, cuius hæc sunt verba: *Habetur & in Vrbis Romæ concilio simile aliud decretum, cui præfuisse Victor Episcopus indicatur*; postea subditur. Et Ponti prouinciæ Palmeas. Repete *ἐπὶ τούτῳ*, *& in concilio Ponti prouinciæ, cui Palmeas præsedit*: Et fortè hæc ex Ruffini versione exciderunt. Quod vt suspicer, facit textus Græcus, cuius præcipua hic auctoritas.

Obiicit Savvbrandus, *ne ex ipso quidem Eusebio probari posse*, Victorem Romano concilio præsedisse, cum tantum dicat, *ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα.* Hic velim, vt sicut alibi, ita & hic fidem habeat versioni Ruffinianæ, quæ disertè testatur Victo-
D rem Romano concilio præsedisse. Deinde, licet Græcus contextus hæc tantum verba habeat; *ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα. Victorem Episcopum manifestans*, inde tamen manifestè colligitur, Victorem Synodo illi præsedisse. Cur enim dicit Eusebius, aliam Synodum Romæ fuisse celebratam, quæ indicet Victorem fuisse Romanum Episcopum, nisi quia in Synodo illa perscriptum erat; sub quo Pontifice, & sub cuius præsidio Synodus illa super quæstione Paschatis esset habita? Quid opus erat Victoris mentionem facere, si Victor non tenuit primas? Quis compos mentis primas tenuisse inficietur; cum in sententia tam huius, quam aliarum Synodorum non acquiescentes ipse à fidelium communione secluserit?

Digitized by Google

Si alij Episcopi suis quiq; in locis primarij conciliis hac de caussa congregatis præsederunt; mirum prorsus foret, si Victor Romæ non præsedisset, quandoquidem Hæretici non negant Romanum Episcopum inter Italicos primas tenuisse.

Oggrunnit Savvbrandus. *Cæsareensi concilio præfuisse Theophilum. Gallico Irenæum; Achaico Bacchylum.* Respondeo, præfuerunt, vt primates vel Archiepiscopi, conciliis Prouincialibus vel nationalibus; quod fieri posse, quis abnuat, absque vllo Pontificis Romani præiudicio, quandoquidem & hoc æuo id fieri assolet? Et præfuerunt non sine Pontificis Romani nutu & assensu: nam Theophilum in Palæstina, iussu Victoris, Synodum collegisse, testatur ex Actis Synodalibus, Beda in libro de Æquinoctio verno. Quin & Polycratem in Asia non nisi Victoris Romani auctoritate Synodum conuocasse, verisimile fit ex illis, quæ memorat Eusebius lib. 5. cap. 23. maximè ex illis de Episcopis verbis: *οὓς ἠξιώσατε μετακληθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, καὶ μετεκαλεσάμην; quos dignati estis à me conuocari; & conuocaui.*

Subiungit Sibrandus. *Vnde apparet, Victorem non plus iuris habuisse in Cæsariensem, Gallicam, & Achaicam Ecclesiam, quàm vel Bacchylus, vel Irenæus, vel Theophilus habuit in Ecclesiam Romanam.* Vnde, quæso, hoc apparet? An quia Theophilus, iussu Victoris, Synodum coëgit? An quia Theophilus & alij Synodis abs se collectis præsederunt? An quia Victor Asianos excommunicauit?

Constantinum in concilio Nicæno præsedisse; tam verum est, quàm verum est Savvbrandum esse veracem, verique amantem disputatorem. De quo alibi.

Miratur Hunnius. Bellarminum *vnicum duntaxat exemplum protulisse potestatis à Victore in refractarios exercitæ.* Quid si plura produxisset? An non simili fraude eludere conatus fuisses? Ab vno disce omnia. Quod Victor in hac controuersia fecit; fecit vel facere potuit, si necessitas exigeret, in aliis omnibus; quia ipse summus pastor & Iudex erat.

Nota illa axiomata Hunniana. *I. Festa per se noui testamenti sunt libera.* Possunt ergo omnia omitti; etiam dies Dominicus; quia festus dies est; debet ergo esse liber. Cur succensent igitur Lutherani Caluinistis, cum omnes dies festos, præter Dominicos, exterminant? Cur culpantur, si hac Lutherana libertate vti velint? Cum ipsum etiam Dominicum ex fastis expungere possint; si ita Libertati Lutheranæ allubescat. Inde etiam sequitur, Lutheranos, *diem Dominicum in diem Veneris* mutare & transferre; aut omissa die Dominica, Sabbato vna cum Iudæis feriari posse. Quidni, quo magis à Papistis recedant, cum Iudæis Paschæ solennitatem luna decima quarta obeunt? *Siquidem vnitas Ecclesiæ,* inquit Prædicans, *non consistit in ritibus Ecclesiasticis, qui liberi cum sint, variare vtiq; possunt, sed in eiusdem de DEO doctrinæ professione, & charitatis vinculo. Et diuersitas illa, quæ fuisset interualli paucorum dierum, non soluisset consonantiam fidei.* Ex his paradoxis quanta absurditatum immensitas consequatur, aduertit quasi per transennam Prædicans; Quapropter subiicit. *Hodie post vsum tot sæculis inueteratum sine grandi offendiculo mutari vix, ac ne vix quidem posset.* Sentit ergo absolutè Pascha, & omnes dies festos mutari vel omitti posse: vetustati tamen aliquid tribui debere. Hoc autem *aliquid*, tantulum est, vt propè à nihilo nihil differat. Si quando exsurrexerit Prædicans, qui vetustatis nulla reuerentia ducatur; tunc omnia festa aut sublata aut translata videbimus, & forsan diem Dominicum die Veneris aut Martis celebrari conspicabimur. Proximè ad hanc insaniam accesserunt Caluinistæ, quibus præter Dominicum vix vllus alius dies festus est reliquus. Si Lutherani Missam & alia Catholica instituta tollere ausi sunt, non obstante tanto temporis interuallo, facilè abs se impetrari sinent, vt festa aut penitus exturbent, aut mutent quadrata rotundis. Negat Hunnius, *festorum celebrationem esse partem cultus diuini.* In cuius ergo honorem, obsecro, celebrant Lutherani diem Dominicum; diem Ascensionis & Natalis Christi, si non in honorem & cultum Dei? Ait. *non esse dogma fidei, num Pascha celebrandum sit; die Dominico, an alio.* Sed ait tantum; nihil demonstrat: Illud autem Hunnianum *ait* tanti pendimus, quanti rabularum clamores merentur pendi.

Exemplum tertij sæculi est concilium Romanum sub Cornelio Pontifice, in quo damnata est Nouatiana hæresis de lapsis ad pœnitentiam non recipiendis. Obstrepit Prædicans. *Circa narrationem de tertio sæculo splendidè mentitur Iesuita.* At tu splendidissimè mentiris & calumniaris. Qua, oro, in re mentitur Bellarminus? An non, vt Ruffinianus Eusebius habet, quem citat Bellarminus, lib. 6. cap. 24. edit. meæ, celeberrimum in Vrbe Roma congregatum est concilium; & alia per singulas quasque prouincias, communique omnium decreto condemnatus Nouatus? An non hoc scribit Eusebius? An aliud refert Bellarminus, vt iure abs te *splendidi mendacij* argui queat? Nam præfuisse Romanæ Synodo Cornelium, quis tam stupidus est, vt inficietur; cum in quauis prouincia præcipuus Episcopus concilio prouinciali præsidere veteri more soleat. Sed de præsidentia jam non disputamus: Etsi certum, præsedisse. Hoc solummodo cum Bellarmino contendimus, Nouatum, iudicio Pontificis Romani, & aliorum Episcoporum fuisse damnatum, atque adeo non eo, quem Hæretici introducunt, sed eo, quem nos vsurpandum docemus, modo, Nouatianam illam controuersiam

fuisse

Digitized by Google

fuisse terminatam. Neque, vt mentitur Prædicans, introducit Bellarminus *Cornelium, haud aliter, ac si Papali supercilio dictarit sententiam, tanquam ex tripode*; sed introducit eum, tanquam supremum pastorem & iudicem ex cathedra Petri sententiam condemnationis in Nouati nouum dogma pronunciantem.

Pulchrum est, quod dicit Prædicans; *Romæ Nouatum damnationis sententiam subiisse, quòd mores eius Romæ potissimum essent cogniti.* Num alibi vbi vel omnino non fuerat versatus, vel obiter tantum, nullæ contra Nouatum cogendæ erant Synodi? Et tamen coactæ sunt per singulas quasque prouincias, vt inquit Eusebius. Contra hæreses igitur ab ipso introductas & longe lateque serpentes concilia instituta sunt; & opera data, vt nascenti pesti coniunctis viribus obuiam iretur. Sed quid prædictum Prædicantis effugium ad rem? Siue enim Romæ, siue alibi, siue & Romæ & alibi, Nouati profligandi causâ, cócilia conuenerint, semper verum manet, quod Bellarminus tradit, controuersias de religione, iudicio Pontificis Romani, & Episcoporum, qui tunc erant, terminatas fuisse. Quis enim vt supremus iudex, lites illas à Nouato excitatas sopiuit, nisi Romanus Pontifex & alij cum illo Episcopi? Sic idem Cornelius, vt & postea Stephanus, dogma de rebaptizatione hæreticorum refutarunt & repudiarunt.

Num ergo Pontificiam sibi auctoritatem vsurparunt? quærit Prædicans. Non vsurparunt, hoc est, non temerè sibi arrogarunt; sed legitimè adeptam in hac etiam quæstione legitimè exercuerunt. Audi Eusebium lib. 7. cap. 2. Ruffino interprete: *In vrbe Roma, Cornelio Episcopatum regente, & apud Carthaginem Cypriano, ambobus fide, virtute, pietate præstantibus, quæstio exorta est in Aphrica magis partibus, si oporteret hæreticos rebaptizari. Cumq; id à Cypriano, & cæteris penè omnibus per Aphricam sacerdotibus, oportere fieri decerneretur, Cornelius, & cæteri omnes per Italiam Sacerdotes, huiusmodi decretum, manente Sacerdotali concordia, refutarunt, statuentes antiquitus à Patribus super hoc traditam regulam debere seruari.*

Ex quibus euidenter liquet, quàm verè, imò quàm inuerecundè, scripserit Iunius, *de Cornelio, in hac caussa apud Eusebium ne μῦ quidem extare.* Sternutiisse Iunium oportuit, cum hæc in chartas effudit; aut cum Eusebium inspexit, si tamen inspexit.

Dicit Bellarminus, Cornelium concilio habito, reiecisse sententiam de rebaptizatione. *De concilio,* inquit Iunius, *nihil apud vllum idoneum auctorē.* At si verba Eusebij, prout repræsentantur à Ruffino, penitius inspiciantur, quàm à Iunio inspecta fuêre, forsan reperiemus concilium. Nam Cornelius & cæteri per Italiam Episcopi, ita statuerunt, hæreticos non esse rebaptizandos; sicut Cyprianus & alij per Africam decreuere hæreticos debere rebaptizari: sed hoc isti decreuerunt non vno concilio: ergo & Cornelius contrarium in concilio sanciuit. Quod satis etiam verbum illud, *statuentes* insinuat: Decretum enim Synodale insinuat. Scimus etiam, quàm diligens in conuocandis Episcopis fuerit Cornelius, vt Nouatianorum secta opprimeretur. Et quisquã hic cunctatum credat, cum à tantis viris, tanta verisimilitudine, videret Ecclesiasticam traditionem conuelli?

Ex quibus etiam patet responsum ad fraudulentas calumnias Sibrandi; qui hoc Bellarmini argumentum ita commemorat, quasi totam vim in eo constituat; quòd duplici concilio, alteri contra Nouatianos, alteri contra rebaptizationem præfuerit Cornelius: Vis argumenti non in isto consistit; sed in hoc; quòd controuersiæ illæ iudicio Romani Pontificis, & aliorum Episcoporū, qui tunc erant, decisæ ac definitæ fuerint; & quidem irrefragabiliter; non iudicio illius Iudicis, quem nunc hæretici desperatione rerum suarum adacti introducunt.

Quarto sæculo, inquit Bellarminus, post annum CCC. orta est hæresis Arianorum, quæ quidem per Concilium Nicænum sublata est. Hic rursus Prædicantes extra oleas feruntur. Savvbrandus hoc argumentum, fronte consueta, hoc est, detrita, Bellarmino affingit. *Papa præsedit in concilio Niceno, ergo Papa non potest errare in scriptura interpretanda.* Os ferreum, & si quid ferro durius? Vbi vnquam scripsit Bellarminus Papam per se concilio Nicæno præsedisse? Vbi vnquã ineptissimam hanc & planè Savvbrandicam consecutionem texuit? An non dicit, Vitum & Vincentium presbyteros vna cum Hosio Cordubensi Episcopo Synodo præfuisse, loco Papæ? Sibrandus cum Magdeburgensibus contendit, *Eustathium Antiochenum præsedisse.* Hanc opinionem rectè refellit Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 19. Addit: vel, *Hosium*; ita est; sed non ratione sui Episcopatus, quo multis proculdubio inferior erat; sed ratione legationis, qua cū Vito & Vincentio presbyteris fungebatur; vt idem Bellarminus exactè docet; *Subscripsit Hosius primo loco; sed non vt legatus Papæ.* Inquit Savvbrandus. Imò, velis nolis, vt legatus Papæ; quia primas in subscriptionibus nunquam tenuisset, nisi primi, hoc est, Romani Pontificis personam sustinuisset, & in illa Synodo repræsentasset. Quis enim nescit, Alexandrinum, Antiochenum, & alios multos Episcopos dignitate longè præstitisse Hosio ex Hispaniis? Itaque si minus in *actu signato*, vt loquuntur Dialectici; certè in *actu exercito* subscripsit, vt legatus Papæ.

Obiicit Savvbrandus. *Theodoretum lib. 1. cap. 7. scriptum reliquisse, Romanum Episcopum misisse presbyteros non tres, sed duos.* Ita; quia Vitum & Vincentium presbyteros misit. Sed præter hos presbyteros, partes suas mandauit quoque Episcopo Hosio; ordine & gradu presbyteris celsiori.

Mendacium est, quod Sibrandus scribit, Sozomenum in Tripertita Historia lib. 2. cap. 5. *lega-*

tis Papæ dare quartum locum. Nam inprimis caput illud non est ex Sozomeno, sed ex Theodoreto desumptum. Deinde nullum penitus in eo fit verbum de legatis Papæ.

Negat Iunius, *à Syluestro Papa Synodi confirmationem petitam.* Sed mutuæ Epistolæ Synodi ad Syluestrum, & Syluestri ad Synodum vanitatē Iunij redarguunt. *At sunt supposititiæ.* Scilicet quidquid hȩretico naso nō arridet, id spurium est. Lege Baronium anno Christi 325. Num. 171. qui etiam testimonio Felicis Romani Pōtificis ostendit Acta Nicæna fuisse à Syluestro confirmata. De hoc aliâs.

Sibrandus non diffitetur. Sed addit: *non tantū Romanos, sed & alios Synodum illam probasse.* Ita est. probarunt alij quoq; At solus Romanus Pontifex probauit, vt supremus pastor ac iudex. Quis nescit vel ex Socrate lib. 2. cap. 13. vetitum fuisse, ne decreta, absque sententia Episcopi Romani, Ecclesiis sancirentur? Mentitur Hunnius, cum hic audacter scribit; *Decreta concilij Nicæni statim rata habebantur à patribus, & Constantino ipso, sine vllo respectu, essetne Episcopus Romanus ea habiturus rata nec ne.* Impudens commentum: vt & hoc. *Neq; agnouerunt Syluestrum pro totius Ecclesiæ capite vel generali iudice controuersiarum.* Si non agnouerunt; cur legatis Syluestri primum locum in subscriptionibus concesserunt? Cur duo presbyteri Romani Vitus & Vincentius tot celeberrimarum sedium Episcopos in subscriptione antecesserunt?

De calumnia in Zosimum Papam, Canonem Sardicensis concilij pro Nicæno citantem, suo loco cum Bellarmino agetur; vt & de hoc, quod mentitur Hunnius, *Concilium non fuisse institutum auspiciis vel auctoritate Papæ Syluestri, sed Imperatoris; & tum temporis potestatem conuocandi concilia, etiam generalia, fuisse penes Imperatorem, non penes Papam.* Vide Bellarminum lib. 1. de conciliis cap. 12. & 13.

Verum, quid hæc omnia, quæ Prædicantes de conciliis blaterant, faciunt aduersus id, quod Bellarminus instituit? Idem & de sequentibus Prædicantium nugamentis intellectū volo. Cuiuscunq; enim sit concilia cōuocare, cuiuscunq; conciliis præesse, & suffragio suo robur & auctoritatem impertiri, semper manet immota veritas, quam Bellarminus demonstrandā suscepit, nempe controuersias de religione exortas Romani Pontificis & Episcoporum, qui tunc erant, iudicio fuisse diremptas & decisas; non eo modo, quem nunc miseri Prȩdicantes ex desperatione excogitarunt.

Quarto item sæculo damnata est Macedoniana hæresis à Synodo Constantinopolitana, à Damaso Pontifice confirmata. Hic nota insignē vel peruersitatē vel cæcitatem Savvbrandi. Clamat. *Quinta probatio. quia Papa Romanus præsedit in Concilio Constantinopolitano, in eoq; hæresin Macedonij diremit, hoc probat ex Theodoreto lib. 5. cap. 8. At falsum allegat. nihil enim tale docet Theodoretus.* Quot verba tot

A mendacia: Quia exemplum de concilio Cōstantinopolitano, nō ponit Bellarminus quintę probationis loco; sed quartæ; coniungit enim cum Nicæno concilio, quarto sęculo celebrato, quintam probationē conficit ex concilio Ephesino, quod ad quintū sæculum spectat. *II. Papā huic concilio præsedisse.* Nusquam dicit hoc Bellarminus. *III. Bellarminum hoc probare ex Theodoreto.* Ne verbo quidem Theodoreti Bellarminus meminit. Ex Photio ostendit Constantinopolitanā Synodū à Damaso confirmatam. *Nectarius præsedit*, inquit hæreticus, sed nomine & loco Damasi. Mentitur & Iunius, cum ait; *Bellarmino animum fuisse probandi Papā præsedisse concilio Constantinopolitano. sed dissimulasse.* Quomodo hic potuit esse Bellarmini animus,
B cum euidenter sciuerit; Damasum nō præsedisse illi concilio; neq; etiā Pontificis præsidentia quidquā faciat ad id euincendū, quod Bellarminus intendit; vt iam sæpe dictū est? Nō negat Iunius hoc concilium fuisse confirmatum à Damaso; *sed vt à fratre; & collega, non vt à principe & supremo iudice, hanc enim auctoritatem Photium non agnouisse.* Mentitur Iunius. Agnouit Photius in antiquis illis Pontificibus; & agnoscunt etiā hodierni Græci; sed negauit in posterioribus, quod putaret eos primatu & dignitate sua excidisse; vt solent facere schismatici & hæretici, quorum nō infimus Photius, qui simul ac res nouas moliri instituunt, Papā de solio suo præcipitare contendunt. Igitur Damasus confirmauit quidē Syno-
C dum illā vt frater & collega aliorū Episcoporum; sed tamen simul vt primus frater & primus collega. Etiam D. Petrus aliorum Apostolorum frater & collega erat; sed simul primus. Etiam hodie Romanus Papa appellat Episcopos fratres; sine primatus præiudicio.

Clamant Iunius & Hunnius, *hanc Synodum à Theodosio Imp conuocatam.* Addendum. Auctoritate & consensu Damasi. Vide Bellarm. lib. 1. de concil. cap. 13. Reliquas probationes Bellarmini remittit Savvbrandus ad disputationem de conciliis. Videbimus ergo ibi, quantis lacertis in Bellarminū insurgat. Nunc persequamur Hunnianas & Iunianas stultitias.

Quinto sæculo, inquit Bellarminus, hæresis
D Nestorij condemnata est in Concilio Ephesino primo, præside Cyrillo, nomine Cœlestini Papæ, vt Euagrius testatur lib. 1. cap. 4. paulò pòst: hæresis Eutychetis in Concilio Chalcedonensi, præsidentibus legatis Papæ Leonis, vt Euagrius testatur lib. 2. cap. 4. Eodem sæculo hæresis Pelagiana à Pontificibus damnata est. Vociferatur Hunnius: *hanc Synodum conuocatam auctoritate Imp. Theodosij Iunioris.* Adde; sed auctoritate & nutu Cœlestini Papæ & Cyrilli. Vide Bellarm. cap. 13. lib. 1. de concil. Obiiciunt Iunius & Hunnius, *Cyrillum obiisse quidem locum Cœlestini; sed non ideo præsedisse concilio.* At præsedisse scribunt plurimi auctores, de quibus loc. cit. Bellarminus. Et per se liquet: Si enim Cœlestini

locum tenuit; primum locum tenuit. Quia primus locus debebatur Cælestino; si primum locum tenuit, ergo præsedit: quia primi est præsidere. Neque dicunt veteres, Cęlestinum tantummodo mandasse Cyrillo, vt *suum votum Synodo aperiret*; prout mentitur Hunnius; sed dicunt; tenuisse locum Cœlestini; & sic ipse Euagrius citatus à Iunio, loquitur. Nam quid est *διέπειν τὸν τόπον τινὸς, alicuius locum tenere & occupare*; quàm eius vicem gerere ac subire?

Imperitè carpitur à Iunio Latinus Euagrij interpres, quasi Græca perperam reddiderit. *Cyrillo locum Cœlestini, Episcopatum antiquæ Romæ gerentis, obtinente*. &c. Mendacium eiusdem Iunij est, *in Actis Synodi nihil exstare, ex quo colligi possit, Cyrillum loco Cœlestini præsedisse*: nam id perspicuè colligitur ex Epistola Cœlestini ad Cyrillum, quæ inserta est Actis Tom. 1. cap. 16. vt alia prætercam, quę Bellarm. loc. iam sæpius nominato adducit. Et vt tam dura Pręedicantium frons validiorem ictum accipiat, adscribere placet verba Cœlestini ad Cyrillum ex ipsis Actis. *Quam ob rem nostræ sedis auctoritate adscita, nostraq; vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absq; exquisita seueritate sententiam exequeris; nempe, vt nisi decem dierum internallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamq; de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tua sanctitatis Ecclesia, & vniuersa deniq; religio Christiana prædicat, illicò sanctitas tua, illi Ecclesiæ prospiciat*. Hinc patres Ephesini sententiam aduersus Nestorium pronunciaturi, palam testati sunt, se id facere compulsos iussu & auctoritate Cœlestini; vt est apud Euagrium, & in ipsis Actis Tom. 2. cap. 10. Num hoc vnquam dixissent illi patres, nisi Cœlestinus inter illos tenuisset primas?

Impudenter negat Iunius, *confirmationem Synodi Chalcedonensis fuisse à Leone Pontifice Romano petitam*; cum adhuc exstet Epist. in concilio Chaced. in fin. Act. tertiæ, qua patres illius Concilij confirmationem à Leone expetunt. Mendacium itidem est Liberatum in Breuiario cap. 13 in fine *ipsis Actis Synodalibus in gratiam Romani Pontificis contradicere*. Iunius probare debebat ea; quæ absentibus legatis Apostolicæ sedis; & nondum Alexandrino electo præsule, per ambitionem Anatolij, Constantinopolitani Episcopi, pro throno suo supra alios euehendo fraudulenter gesta sunt, Synodicè & legitimè gesta esse. De quo fusè Baronius ad annum Christi CCCCLI. Num. 131. & seqq.

Fatetur Hunnius, *Hæresin Pelagianam damnatam à Romanis Pontificibus*: sed mentitur, *oportere, vt hodierni Pontifices damnent scholasticā Theologiam, Pelagianismi propugnatricem*: quod asserit Hunnius ideo, quia de scholastica Theologia tantum gustabit, quantum *asinus de Modalibus*. Quærit, *num à solis Pontificibus Romanis Hæresis Pelagiana sit damnata*. Hoc nihil ad rem, de qua agimus. Quia licet cum aliis damnassent, vt reuera damnarunt, verum tamen manet, quod Bellarminus docet, controuersias fidei, iudicio Pōtificis Romani & Episcoporum, qui tunc erant, terminatas fuisse.

Quærit, *num prætoria potestate Pelagianismum damnarint*. Non, sed Pontificia. Alius & aliud prætor; alius & aliud Pontifex. Quærit Iunius: *Quid ad πρωτεῖα ἀρχιερατικά Romani Pontificis faciat; quod Pelagij doctrina ab illo proscripta & condemnationis notâ inusta sit?* Quæstio hæc nō est ad propositum; quia Bellarminus hic non differit de primatu Pontificis; sed de hoc; quod semper, veteri Ecclesiæ vsu, lites de fide, iudicio Romani Pontificis, & Episcoporum tunc viuentium, terminatę & diremptæ sint. Deinde, Pontifices Romani damnarunt Pelagium, vt primi & supremi Ecclesiæ pastores ac duces; quod inde liquet; quia quidquid alibi alij egerant, id tum demum ratum fore credebant, si Apostolicæ sedis suffragium accederet; vt patet ex his, quæ hic adducit Bellarminus, & ex variis Augustini testimoniis. At, vt iam sæpe dixi, hac tanta inanium verborum profluentia nil nisi nugas Prædicantes agunt; id quod Bellarminus probat, ne extremo quidē digito attingunt.

Cætera quæ Hunnius aduersus alias Bellarmini probationes elatrat; mendaciis & cōuiciis ex medio triuio arreptis annumeres licet. vt *I. Tyrannicum dominatum Papæ Romani post tempora Concilij Chalcedonēsis semper magis ac magis inualuisse. II. Hussum iniustè damnatum Constantiæ. III. Lutherum & Lutheranos iniustè Tridenti. IV. Papam esse Antichristū. V. Anathemata eius esse bruta fulmina. VI. Fulgura ex pelui. VII. Inania crepitacula & terriculamenta. VIII. Ructus & crepitus ex stercoraria sede*: Ita pro modestia & ciuilitate Lutherana loquitur *stercorarius Prædicans. IX. In conciliis posterioribus plus esse fimi, quàm in stabulo Augiæ. X. Et quidem tantum, quantum vel mille annis boues vnus, vel vno anno mille boues reddere queant*. Aduerte, obsecro, lector, aures & animum ad hæc subtilissima Prædicantis huius verba & sensa; ex medio bouili & ex sterquilinio petita. *XI. Ecclesiam Romanam esse Antichristi Synagogam. XII. Meretricem Babylonicam. XIII. Scortum Babylonicum. XIV. Cuius pudenda iam publicè conspiciantur. XV. Papam Romanum, eiusq; curiam, ne guttam quidem aut micam de Apostolorum spiritu gustasse*. Respira tandem Prædicans; suffocaberis, ni animam recipias; postquam tot mendacia & conuicia vno halitu efflasti. An non iam stomachus leuior est post hunc tantum *fimi, stercoris, meretricum, scortorum*, & nescio quarum aliarum sordium vomitum? Præclarè vndecim Bellarmini argumenta, quæ in hoc capite supererant, prostrauisti. Macte Præco. Nunquam Lutherani præcones libentius acquiescunt; quàm quando *meretrices, scorta, stercora, fimum, pudenda*, & id genus alia audiunt; quia omnia ista olent phrasin, stylum, & genium tertij Heliæ Lutheri.

Iunius iterū contra se & veritatem fatuè contendit, *Episcopos in conciliis non esse Iudices; sed tantum*

Indices; non iudicare, sed tantum indicare. Cur ergo dixerunt Apostoli: *Visum est Spiritui sancto & nobis?* An non illud *visum est*; iudicium designat? vt & verbum, *placuit*, quo iidem Apostoli in eodem concilio vsi.

Stultè contendit, *in sexta Synodo plures præfuisse, quàm sedis Apostolicæ legatos*: tot enim facit præsides, quot Archiepiscopi vel Metropolitani erant, memorabili commento. Stultè affirmat, *Synodum illam sextam constitutam fuisse ex nationalibus Synodis.* Stultius addit: *Romanum Episcopum in sexta Synodo synodali suo conuentui præfuisse: & Antiochenum suo: Alexandrinum, Hierosolymitanum, itemq; Cæsariensem suo.* Qualia monstra: quæ hoc maiore monstro coronat. *Toti actioni huic communiter in ista Synodo Georgius Constantinopolitanus præfuit*, vt narrat Photius. Cur ergo legati Agathonis Papæ primo loco sedent, cur primi loquuntur? cur primi sententiã dicunt? Cur primi subscribunt, si Georgius præfuit, non ipsi, nomine Romani Põtificis?

Quod ad Photium attinet, mentitur Iunius. Accipe verba Photij. *ἧς ἡγοῦντο ἀγάθων ῥώμης, γεώργιος κωνσταντινουπόλεως*, &c. *Cui Synodo præfuerunt, Agatho Romanus, Georgius Constantinopolitanus Episcopus*, &c. Vbi vides, primas à Photio tribui Agathoni, qui præsedit per legatos suos. In Latino item Photio, prout exstat init. Tom. 1. Conciliorum nihil huius, quod Iunius fingit, apparet; Tantũ dicit, *Temporibus Constantini, Agathonis Romani, & Georgij Constantinopolitani Episcopi hanc Synodum fuisse celebratam.* Quod ait Caluinista, *Synodo primæ Nicænæ præfuisse Hosium*; id ita est; sed loco Syluestri cum Vito & Vincentio presbyteris Romanis eandem legationem obeuntibus. Quod etiam ex Photio discere poterat. *ἡγοῦντο τῆς συνόδου σίλβεστρος ῥώμης*, &c. *Præerant concilio Syluester Romanus, Alexander Constantinopolitanus Episcopus*, &c. Plures enim solet Photius nominare præsides; præcipuos scilicet Patriarchas & Episcopos, sed semper primo loco præsidem præsidum, Romanum Pontificẽ, nominat & collocat. Hinc de secunda Synodo Oecumenica loquens, ait. *ἡγοῦντο δὲ ταύτης τῆς συνόδου δάμασος ῥώμης*, &c. *Præerant huic Synodo Damasus Romanus*, &c. Nam quod in tertia Synodo primo loco nominatur Cyrillus, & secundo Cœlestinus, id nõ dubito oscitantia librarij euenisse, præsertim cum in Latino Photio vt & apud Gratianum dist. 16. primo loco ponatur *Cœlestinus*, nõ Cyrillus. Quid est, quod Iunius iubet, vt verba Photij cum *sacra* Constantini Imp. ad Georgiũ Episcopum Constantinopolitanũ *diligenter conferantur?* Confer quantũ lubet, nihil aliud vel ex Photio, vel ex *sacra* illa extundes, quã Pontificem Romanũ in hac Synodo primas tenuisse; & Imperatorẽ de Synodo hac cogenda nõ cogitasse, nisi, cõsulto & annuente Romano Pontifice; quem ait, misisse legatos *suã personam indutos*. Impetrato Romani Papæ cõsensu, mandauit Imperator per illas litteras Georgio Episcopo Constantinopolitano, vt absque mora alios etiam ad Synodum conuocet. Quæ est ista Iunij impudentia, ex solo, eoq; non tacito, sed perspicuo in sedem Apostolicam odio ipsi etiam dilucidæ veritati tenebras offundere velle. Cum etiã auctor illius Synodici, quod Græcè & Latinè edidit Pappus Argentoratensis Prędicans, disertè scribat; *Romani Papæ legatos Synodo præfuisse: ἧς ἐξῆρχον ἀντιπροσωπίζομενοι τοποτηρηταὶ τοῦ πάπα ῥώμης ἀγάθωνος, θεόδωρος καὶ γεώργιος πρεσβύτεροι, καὶ ἰωάννης διάκονος*, &c.

Circa septimam Synodum eodẽ fermè modo delirat Iunius: nimirum, *singulos præfuisse suorũ ordini, loco suo*; Et *omnibus iura dedisse Tharasiũ*; Et probat hoc ex Photio; quæ tamẽ in Græco Photij libello de Synodis Augustæ Vindelicorũ euulgato non comparent; imò Photius expresse primas in præsidendo partes tribuit Adriano Papæ Romano, *ἧς ἡγοῦντο ἀδριανὸς πάπας ῥώμης, ταράσιος κωνσταντινουπόλεως*, *cui præfuit Adrianus Papa Romanus. Tarasius Constantinopoleos*, &c. Et in antiqua editione Conciliorum, Tom. 1. quæ ex Photio recitantur, non perueniunt nisi ad sextam Synodum. De septima, nullum verbum, vt & apud Gratianũ dist. 16. Et illa ipsa, quæ ex Photio Latino Iunius adducit; expresſè docent: *duos Petros sedis Apostolicæ locum tenuisse.* Si Apostolicę sedis locum tenuêre, primi ergo fuêre; quia extra omnem tunc dubitationem erat, Papæ Romano primas deberi. Hinc etiam primi subscripserunt. Cum Iunius *Synodum generalem ex pluribus prouincialibus seu nationalibus cõstitui affirmat*, quid aliud factitat, quàm quod fortiter delirat? Quanquam, vt sæpe monuimus; his omnibus missilibus Bellarmini argumenta non tanguntur tantum abest vt frangantur, quia quisquis præsederit; semper verum manet controuersias in Ecclesia non esse aliter diremptas, quàm iudicio Pontificis Romani & Episcoporum tunc viuentium.

CAPVT VII.

Idem probatur testimoniis Pontificum, & Imperatorum.

PROFERT Bellarminus I. multos Pontifices Romanos, qui docent, causas fidei ad iudicium sedis Apostolicæ pertinere. Prædicantes non nisi conuiciis & mendaciis totum hoc caput oppugnant. Ac I. Damasus fuit *homo arrogans, seditiosus & superbus*; ait Savvbrandus.

II. *Eandẽ arrogantiã & impudentiã in Sede Romana cõtra veteres Canones euehenda etiã in Gelasio & Gregorio inuenies*, vt mentitur ille idem Savvbrandus, cui

III. VVitackerus succinens, vociferatur; *Gelasius vbiq; sine modestia suæ sedis dignitatem & priuilegia amplificat.*

IV. Ait illud idẽ os impurũ: *Leo ac Gregorius humilitatis Christianæ cancellos lõgè multũq; prætereuehuntur.*

V. *Iulius præter supradictam arrogantiam se falsarium probat*; ait impudens Savvbrandus.

VI. VVi-

VI. VVitackero sunt Epistolæ decretales Pontificum Damasi, Iulij, & aliorum *planè suppositia, nullius cerebri, aut genij, ex inscitia, arrogantia, & antichristianismo conflata.*

VII. Savvbrando Leo *fuit homo arrogans, qui temerè & arroganter Eutychetis à Constantinopolitana synodo legitimè damnati caussam susceperit.* Suscepit ne Leo caussam Eutychetis? Dic, ô Caluinisticum caput; ita, opinor, suscepit, sicut Cicero Verris, aut Clodij, aut Antonij, & similium pestium.

VIII. *Quæ in Epistola Damasi leguntur, ea aut non scripsit Damasus, aut impius & sacrilegus fuit;* ait calumniator Iunius.

IX. *Quid Epistolis Innocentij primi insantius?* Iudicio eiusdem Iunij & magni Momi Erasmi.

X. *Quid* (Epistolis) *Leonis arrogantius?* Clamat idem Caluinianus.

XI. *Epistolarum sequentium aliæ falsò his auctoribus adscribuntur.*

XII. *Aliæ falsum dicunt, quamuis auctore certo.*

XIII. *Hæc testimonia & substantiâ suâ falsa sunt, & modo illegitima.* His & id genus aliis linguæ venenatæ spiculis rem agunt aduersarij cōtra probationem ab auctoritate Pontificum.

Ego ita comparatus sum, vt quo petulantius sectarij in priscos Pontifices incurrunt, eosque atrocius lancinant & insectantur; eò ego (& mecum quiuis, cui cor sapit) magis sycophantas istos auerser ac detester; inque amorem, cultum & obseruantiam tantorum Pontificum magis inardescam: neque aliud reponam, quàm illud diui Hieronymi epistola vndecima ad diuum Augustinum: *Si me reprehendis errantem, patere me, quæso, errare cum talibus, & cum me erroris mei multos socios habere perspexeris; tu* (Iuni, tu Savvbrande, tu VVitackero) *veritatis tuæ saltem vnum adstipulatorem proferre debebis.* Cum diuus Bernardus in quæstione quadam de Baptismo epistola septuagesima septima, sententiam suam probasset auctoritate diui Augustini & diui Ambrosij, subdidit: *Ab his duabus columnis, credite mihi, difficile auellor: Cum his, inquam, me errare, aut sapere fateor.* Et nos tam leues erimus, vt propter atrocissima ista conuicia & maledicta abstrahi nos sinamus à celeberrimis & sanctissimis illis Pontificibus? Quid sanctius & modestius Gregorio Magno? Quid laudatius Leone; Innocentio, Damaso, Iulio, Gelasio & id genus aliis?

Ne Prædicantes solis conuiciis agere videantur hanc annectunt ratiunculam. *Neminem in sua caussa esse idoneum testem:* quod probat Hunnius ex illo Christi Ioan. 5. *Si ego testimonium perhiberem de meipso, testimonium meum non esset verum. Si Christus, ipsa veritas, hoc de se profitetur: quanto minus admittendum fuerit testimonium Episcoporum Romanorum de seipsis testificantium?* Probat idem Danæus ex Deut. 17. versu 8. & 9. & ex cap. 19. versu 17. Vocat ergo hoc argumentum duplicem *paralogismum*; nimirum *à petitione principij, & à non caussa.* Savvbran-

A dus idem ex multis legibus ostendit, vt optimū *Legistam* agnoscere possis; vt *Institut. de testament. ordinandis, §. Sed neque. L. Nullus. 10. ff. de Testibus. L. omnibus. 9. Codic. eodem. L. 1. §. in propria. ff. quando appellandum sit.* Huic Prædicanticæ futilitati oppono Schlüsselburgium, Lutheranum Superintēdentem, qui ad istum syllogismum Sturmianum: *Pars non debet esse iudex:* (& eadem ratio est testis) *Lutherani in caussa sacramentaria sunt pars; ergo non possunt esse iudices;* hoc dat responsum libro tertio de Theolog. Caluinist. fol. 18. b. *In controuersiis dogmatum hæc Maior non admittitur; quia in dogmatibus Ecclesiæ quodlibet membrum habet ius, potestatem, imò & mandatum iudicandi quamuis doctrinam, quæ de re multorum Theologorum scripta exstant. Testimonia quoque*
B *inueniuntur in sacris literis. Cauete à falsis Prophetis. Alienum non audiunt. Omnia probate. Contradicentes conuincite. Præterea iudex constituitur Verbum Dei. Item, omnis iudex debet discernere verum à falso, profanum à sacro, nec debet cum falsis dogmatis sentire, sed ea palàm, atque expressè damnare, & veris doctrinis adstipulari. Item; non est fas cuiquam iudici, ἰσχίειν in dogmatibus fidei, esse nec calidum, nec frigidum. Necesse est igitur iudicem esse addictum veræ sententiæ, & pro ea pronuntiare, & damnare priuatim, & publicè pro ipsius rei veritate, falsa dogmata, idque iuxta normam verbi diuini, &c. Non igitur subsistit argumentum Sturmianum.* Hæc Prædicans iste Lutheranus contra alios Prædicantes Lutheranos & Caluinianos.

C Docent etiam Iurisconsulti, *exceptionem incompetentiæ,* coram eo iudice, qui declinatur, debere opponi & probari; illumque ipsum desuper cognoscere; & si existimet suam iurisdictionem esse fundatam, sese, exceptione tali non obstante, competentem pronunciare: Cuius rei perspicua est ratio; non enim in dubium vocatur caussa priuata vel propria talis iudicis; sed publica communitatis, cuius vice iudex fungitur. Vnde in L. *Generali. C. Ne quis in sua caussa iudicet, vel ius sibi dicat;* expresè dicitur: *In re propria iniquum admodum esse, alicui licentiam tribuere sententiæ.* Quod si tali casu iudex inferior sententiam pro se pronunciare potest, libentibus & iubentibus legibus, cur hoc non posset iudex supremus, à quo nulla
D datur prouocatio, quando auctoritas eius à malè feriatis oppugnatur, vel penitus etiam contemnitur?

Deinde si hoc argumentum: *Nemo potest esse simul pars & testis vel iudex; ergo fieri non potest, vt papa simul sit pars & testis, & demum etiam Iudex:* aliquid ponderis haberet; tunc neque scriptura posset esse testis & iudex contrà ac Prædicantes volunt; nam & ipsa aliquando est pars, si scilicet negetur vel tota, vel quoad partem. quis ergo tunc testabitur, & iudicabit, si non potest idem esse pars; testis, & iudex? Etiam ipse Spiritus sanctus non posset esse testis & iudex, si quis neget Spiritum sanctum omnino, aut saltem quo ad hoc, quòd sit iudex controuersiarum. Illud ergo: *Nemo potest*

test simul esse testis, iudex & pars; intelligitur de non supremo principe: Nam si sit supremus, fieri potest, vt accusetur, atque adeo sit pars & tamen rectè contra accusatores suos testetur, eosdemque iudicet, ac damnet: vt patet in foro itidem externo imperij. nam, si qui rebelles negarent Imperatorem esse supremum iudicem, an ideo supremus iudex non esset? An non posset meritissimò iuridicè declarare, se esse verum & supremum iudicem, non obstante, quòd sit pars, non tam sponte sua, quàm importunitate rebellium, qui eum fecerunt partem. Quàm bellè Prædicantes agerent; si, dum quis contra hostes Romani Imperatoris, eiusdem supremam maiestatem & auctoritatem ex constitutionibus veterũ Imperatorũ, nominatim Iustiniani, assereret; ipsi clamitarent; *testimonia hæc non esse admittenda*; proferri *de domo, de sinu*, antiquos imperatores *non esse in sua re audiendos, quos satis constet, nimium fuisse suarum partium studiosos, & sibi addictos: cuius res in aliquo negotio agitur, illum in eo non esse idoneum testem. Neminem posse simul esse testem & partem.* Quid Prædicantes his clamoribus aliud efficerent, quàm vt inscitiam simul cũ perduellionis crimine manifestè proderent? Vbi vnquam auditum est, vlli vel Imperatori; vel alteri, loco Imperatoris, vitio versum, si Imperatoris auctoritatem & maiestatem ex veterum Imperatorum testimoniis contra hostes Imperij probarit testatamque fecerit? Faciamus esse, qui negent Imperatorem nostrum esse supremum in Imperio principem ac iudicem; ipsiusque iudicio simpliciter subditos stare debere. Num inscitè & indoctè aget; si vel ipse Imperator, vel alius pro Imperatore ex sanctionibus priscorum Imperatorum demonstret, Imperatorem Romanum verè esse supremũ principem & summum omnium controuersiarum ciuilium iudicem? Si hic non nisi insulsissimè occlamaretur; *Nemo potest esse pars simul & testis*: cur in nostro casu, vbi supremi Ecclesiastici Iudicis auctoritas conuellitur; dictum illud pro axiomate reciperetur? tametsi, quando posterioris Imperatoris vel Pontificis auctoritas per antecessorum testimonia asseritur; non sit propriè idem pars & testis; sed alius & alius; nam pro hodierni alicuius Pontificis auctoritate adstruenda, proferimus testimonia Damasi, Innocentij, Leonis, Gelasij, Iulij, Gregorij, & aliorum; qui vtique diuersi & alij sunt ab hodiernis Pontificibus, cum quibus hæretici litigant. Itaque Prædicantes, si quid blaterant, attenderent; non ad illud dictum: *Nemo potest esse simul pars & iudex*: sed potius ad illud: *testem domesticum non esse audiendum*, confugere debebant: Quod si hæc regula absque vlla exceptione accipienda est; tum neque testimonia veterum Imperatorum audienda erunt, quãdo proferuntur pro auctoritate hodierni Imperatoris asserenda, quia sunt testes *de domo & sinu*. Si ista audiuntur, cur non & nostra? Si isti propter maiestatem ordinis & sublimitatẽ officij, quo functi sunt, reuerenter & religiosè, & tanquam testes omni exceptione maiores, acceptantur, cur nostri repudiarentur? Si isti caussæ & functioni suæ absque cuiusquam reprehensione testimonium perhibuerunt, mirum foret, si id non potuissent Ecclesiasticæ Hierarchiæ Principes, Iulius, Damasus, Innocentius, Leo, Gregorius, alij. Quorum testimonia si fortè sectarij ad ipsos priscos Pontifices referant, quasi de suo officio testimonium dare non potuerint, neque de priuilegiis Apostolicæ sedis differentes auscultandi sint; tum eodem Iure priscos Imperatores arcebunt à testimonij dictione in gratiam dignitatis & functionis Imperatoriæ; quia nullus in sua caussa, tanquam testis, audiendus est; vt delirant Hæretici. Caussa porro cur leges ciuiles quosdam à testimonio dicendo excluserint; & inprimis ipsos, quorum caussa agitur; alia non est, quàm quod procliue est in propria caussa, vel in caussa eius, qui nobis intima necessitudine & familiaritate copulatur, mendacium, atque adeo falsum testimonium dicere. A qua suspicione summos Principes, ipsa, qua insigniti sunt, dignitas vindicat.

Quod Danæus dictum illud: *Nemo potest esse pars & testis vel iudex*; probat ex capite decimo septimo & 19. Deut. more suo agit, hoc est, nequiter ac mendaciter. Nihil enim simile in illis locis continetur, vt patebit inspicienti. Locus ille Ioan. 5. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*; varias habet expositiones, vt constat ex Interpretibus, nominatim ex Toleto in illud caput quintum. Optima est ista: *Si ego de me ipso testimonium perhibeo, nec alio argumento, aut testimonio; quæ affirmaui, probo, quàm his verbis exterioribus, quæ protuli, aut rationibus solis humanis, solaq; auctoritate mea exteriori; quæ apparet; testimonium meum non est legitimum, nec dignum fide, nec verum reputandum; quamuis reuera verum sit; at non sic est. quia, non solus ego de me testor, sed diuinis argumentis vtor, operibus nempe, & signis diuinitatis. Hic est sensus. Nec est contrarium illud Ioan. 8. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est. Nam, loquebatur vt Deus, qui non humanis verbis, sed diuinis factis de se testabatur.* Sic in nostro Proposito, si solus Damasus dixisset, Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, & Petri successorem, & generalem omnium controuersiarũ iudicem, testimonium eius, quippe singulare, fidem non faceret: Sed quia huic veritati alij etiam plurimi tam Pontifices quam non Pontifices testimonium reddũt, & quia ipsæ sacræ litteræ, & ipsa nũsquam interrupta successio à Petro vsque ad Damasum deducta; & inde vsque ad nostram ætatem pertexta, omnisque orthodoxa antiquitas, & opera ipsa eandem veritatem confirmant; ideo & testimonium Damasi, & cuiusuis alterius Pontificis cum aliis coniunctum, verum est; hoc est, fidem facit & facere potest apud illos; quibus cor non est penitus infatuatum.

Intuere

Digitized by Google

Intuere hîc extremam Savvbrâdi nequitiam, qui probationem hâc à testimoniis Pontificum sumptam in hanc informem formam malitiosissimè redigit, idque quasi ex mente & discursu Bellarmini: *Quorundam Paparum dicta sunt vera; sed aliqui Papæ dixerunt caussas grauiores ad iudicium Apostolicæ sedis pertinere. Ergò, Papa non potest errare in scriptura interpretanda.* Postea monstrum huius syllogismi sursum & deorsum versat. Et nûc formam examinat; nunc Maiorem exagitat; nunc Minorem, pilæ instar, iactitat; non sine mendaciis & insciitiis plusquā asininis; vt cū Achatium Constantinopolitanum Episcopum, numerat inter Romanos Pontifices: cumque Anastasium, Liberium, Felicem & alios Pontifices in hæreses incidisse audacter mentitur. Quod si quis argumētum ex hac quarta generali probatione candidè ac sincerè conficere velit; id hunc vel similem in modum faciendum erit. Antiqui Pontifices testantur controuersias de fide exortas iudicio Romani Papæ & aliorum Episcoporum terminandum esse: ergo & nunc idem fieri debet.

Fatetur VVitackerus olim caussas grauiores ad Ecclesiam Romanam delatas fuisse; sed mentitur, *id tantummodo ex condicto & instituto Episcoporum factum*; (cum iure diuino factum fuerit, quod suo loco planum fiet) *vt hoc modo paci Ecclesiasticæ melius consuleretur, & heretici ac schismatici facilius reprimerentur.* Quòd Prædicantes oggerunt, *plerasque Pontificum epistolas esse spurias*, spuria exceptio est & digna spuriis; prout iam pridem contra Magdeburgenses demonstrauit Turrianus; & in Annalibus suis de non paucis Baronius.

A Pontificibus transit Bellarminus ad Imperatores: quorum primus Aurelianus, qui licet Gentilis, ortā inter Catholicos, & Paulum Samosatenum controuersiā de domo Ecclesiæ, eam illi dari iussit, cui Christiani Italiæ & Vrbis Romæ Episcopus tribuendam iudicarêt: nimirum edoctus à suis, inquit Bellarminus, Episcopum Romanum esse iudicem supremū caussarum Christianarum. Ita Eusebius lib. 7. hist. cap. 24. in fine.

Danæus generatim ad omnia Imperatorum testimonia respondet; *esse paralogismum à dicto secundum quid.* Quid aliud à Caluiniano isto Paralogista exspectes, quàm *paralogismum!* Deme illi hunc gladium; & vix suppetet, quo aduersus Bellarminum pugnet. Omnium argumentorum Bellarminianorum Danæana solutio fermè in his verbis consistit: *Est Paralogismus.* At vide quàm doctè ostēdat Paralogismum in testimoniis Imperatorum delitescentem: *Hoc ius Episcopis de controuersiis Ecclesiasticis decernendi catenus tribuerunt imperatores, quatenus Episcopi ex Dei verbo scripto, non ex suo, aut Romani Pontificis arbitratu aliquid decidūt.* Etiam nos, non aliter Romano Pontifici aliisque Episcopis ius decidēdi controuersias concedimus nisi vt id verbo Dei conuenienter ac consentanee faciant. Neq; Pontifex Romanus arbitratu suo lites dirimit, sed ex præscripto sacrarum litterarum & ecclesiasticæ traditionis canone; neque tamen hinc sequitur, non ipsum Pontificem, supremum esse iudicem; sed scripturam; sed tantum hoc; scripturam esse Iudicis supremi normam: quemadmodum in foro quoque externo non ideo lex ciuilis est iudex; quia homo secundum legem ciuilem iudicat; sed homo manet iudex; lex autem regula Iudicis: quod Imperatoribus istis ignotum non fuit; vt patet ex testimoniis, quæ Bellarminus adducit. Quis præter sectarios nostros tam stupidus est; qui discrimen inter iudicem & normam iudicis non agnoscat; neque ideo confundi sciat; quod Iudex secundum legem iudicet?

Ad factum Aureliani triplex dat Hunnius responsum. I. *Fuisse gentilem, ac proinde testimonium eius non esse magnopere attendendum.* Hac ratione eludere licebit testimonia Arati & Epimenidis producta à D. Paulo. Dicemus enim cum Prædicante. *Aratus fuit Gentilis. Epimenides fuit gentilis: ergo de testimoniis eorum nō est magnopere laborandū.* Quasi verò Ethnicus nequeat interdum peruidere id, in quo cæcutiunt; qui se illuminatissimos & oculatissimos reputant. Quod Aureliano vsu venit; qui illam quoque de vsu domus Ecclesiasticæ controuersiam non nisi Pontificis Romani auctoritate terminari voluit: quanto magis quæstionem de aliquo dogmate Christiano enatam, ad Romani Pontificis, & Episcoporum tunc viuentium tribunal remisisset.

Secundò respondet Hunnius: *Aurelianum nō tantum meminisse Episcopi Romani, sed etiam aliorum sacerdotum Italiæ.* Quid tum? Neque Bellarminus hoc loco probare instituit, solius Romani Pontificis iudicio lites Ecclesiasticas terminatas fuisse; aut etiamnum terminari debere; sed iudicio Romani Pontificis & Episcoporum tunc viuentium. Nam vtrū solus Pontifex possit etiam, inconsultis aliis pastoribus, controuersias dirimere, alterius loci & temporis disputatio est.

Tertiò respondet Prædicans; *Episcopum Romanum non ideo nominari, quod ei talem adscriberet dominatum, qualem hodie sibi vendicat Papa; sed quia propter maiestatem Vrbis, in qua docebat, erat ceteris Episcopis celebrior.* En tortuosum anguem; vt in omnes partes sese torquet, ne veritatem fateri cogatur. Non propter vrbis celebritatem Pontifex Romanus cæteris celebrior erat: sed propter illud: *Pasce oues meas.* Et illud: *Tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Hæc promissa & dona diuinitus profecta Romano Pontifici celebritatem & primatum peperêre; nō vrbis Romanæ maiestas & amplitudo.

Monet Iunius; illa verba: *edoctus à suis, &c.* non esse verba Eusebij; sed glossema Bellarmini. Valde scilicet hac monitione opus erat; quandoquidem non modo luscus, sed & cæcus videt ea verba Bellarmini, non autem Eusebij esse.

Addit

Addit Iunius: hoc ideo ab Aureliano factũ; *Quod omnes Orientis Episcopos iudicio in Samosatenum lato, implicatos esse hac contentione cognosceret; propterea politicè alium delegari censuit oportere, qui à contentionibus illis abfuisset.* Mentitur Iunius: quia licet non omnes totius christianitatis Episcopi concilio priori Antiocheno interfuissent; omnes tamen sententiam eius contra Paulum Samosatenum probarunt; teste Eusebio libro septimo capite vigesimo tertio, qui ait; *Paulum ab vniuersa Catholica Ecclesia, quæ sub cælo est, penitus exturbatum fuisse:* ergo etiam à Romana & Italicis Ecclesiis: ergo & istæ implicatæ erãt hac controuersia cum Paulo Samosateno; ergo Aurelianus non detulit ad Romanum Episcopum & Italos contentionem de domo, ex qua damnatus Paulus emigrare nolebat, tanquam ad neutros, & controuersiæ huius expertes; sed tanquam ad summos iudices propter Episcopum Romanum summum iudicem. Deinde, absoluto secundo concilio Antiocheno, contra Paulum, statim synodica Epistola ad Romanum Pontificem Dionysium, & alias Ecclesias missa est; quibus vniuersa contra Paulum decreta accuratè exposita sunt. Quis dubitet; fuisse omnia, tam à Romano, quàm ab aliis Episcopis approbata; vt proinde caussæ huius minimè expertes censeri queant. Quod si ideo Romanus & Itali erant neutri; & ad illis, tanquam ad neutros hæc controuersia de domo amandata est; poterat longe facilius & citius res componi per Episcopum Alexandrinum & AEgyptios; qui & ipsi Concilio non interfuerunt; & sic apud Iunium neutri sunt; Et tamen Aurelianus non Alexandriam, sed Romam decisionem caussæ detulit.

Pergit Iunius: *Quid, quod exemplum synodi contra Paulum Samosatenum habitæ euertit hanc Bellarmini affirmationem? Fuit enim Synodus Episcoporum Orientis solùm, prout ex Eusebio constat; & grauis causa, causa fidei, sine iudicio sedis Apostolicæ istius, quam Bellarminus vocat, definita.* Iterum mentitur Iunius. Quia Paulus non nisi dependenter à iudicio & consensu Romani Episcopi dãnatus fuit per synodũ particularem Antiochenam. Id inde liquet; quia statim, finita synodo, Romanum Pontificem de toto damnationis ordine certiorem fecerunt. Qua de caussa, nisi vt ipse suum quoque calculum adiiceret,

Savvbrãdus circa Imperatorum testimonia, non versatur vt candidus & eruditus disputator; sed vt tenebrio; ficum enim nominabo ficum. Principiò affingit Bellarmino istum syllogismũ: *Quod aliqui Imperatores faciunt, hoc est legitimum & rectum: sed aliqui Imperatores statuunt ecclesiasticas causas ab ecclesiasticis personis tractari debere; ergò Papæ iudicium est omnis interpretationis regula. Respondeo,* inquit Caluinista; *aliud concludi, quàm fuit in præmissis.* Cuius culpa? Tua, an Bellarmini? Quis syllogismi istius parens est? Tu an Bellarminus? Responde os plumbeum. Ais: *Argumentum ad nullam formam posse redigi.* Quid ad me, vel Bellarminum? Tu videris, quomodo tua deliramenta formare velis. Nos argumentum nostrum ita instituimus. Testimoniis Imperatorum constat lites Ecclesiasticas iudicio Romani Pontificis, & Episcoporum tunc viuentium fuisse terminatas, ergo etiam hoc tempore, iudicio eorundem terminari debent. Hoc nostrum argumentum est. Tu tibi retine tuum somnium: *Maior*, inquit, *vniuersaliter sumpta est falsa.* Quare falsa est, nisi quia tu insignis mendaciorum faber falsam fecisti.

Ais: *Quod Imperatores Episcopis concesserunt iudicium ecclesiasticum causarum, istinc non sequitur, Episcopos non posse errare; neque sequitur, eos quidlibet debere contra Dei verbum statuere: neque sequitur, debere esse ratum, quidquid ab Episcopis statuitur, &c.* Nullam harum consequentiarum format hic Bellarminus, quandoquidem ex testimoniis Imperatorum, nihil aliud efficere intendit; quàm controuersias Ecclesiasticas, iudicio Romani Episcopi, & aliorum tunc viuentium, dirimendas esse; idemque maximis Imperatoribus persuasum fuisse. Vtrum autem istorum iudicium sit infallibile; alia quæstio est; & esse omnis erroris expers, etiam ex Imperatorum sententia; patet ex facto Constantini Magni, & Marciani; quorum ille decreta Nicæni Concilij, tanquam ab omni errore libera; statim ab omnibus Imperij Romani incolis, obseruari voluit: Marcianus synodo iniuriam fieri pronunciauit, si quis semel rectè statuta rursus in disceptationem & dubitationem vocare velit. Et quis est; qui Episcoporum Concilio aliquid contra Dei verbum statuendi potestatem concedat? Scilicet contra Dei verbum decernunt, quando aliquid contra Lutheri aut Caluini verbum decernunt.

Sed en alium pessimè fabrefactum syllogismum: *Quidam, quibus Imperatores aliqui iudicium rerum ecclesiasticarum commiserunt, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Episcopi sunt isti, quibus Imperatores aliqui iudicium rerum ecclesiasticarum commiserunt. Ergò, Episcopi non possunt errare in scriptura interpretanda. Nihil sequitur,* inquit Caluinista, *sunt enim pura particulares.* Nihil ad nos, quidquid sequatur, aut non sequatur ex hoc monstro; quia tuum est, non nostrum; non Bellarmini, non cuiusquam eruditi; Nisi tu in reprobum sensum datus esses; nunquam adeò proiectè, & mentiendi, & calumniandi libidini indulgeres: Nullius catholici, vt iam dicebam, delira isthæc collectio est. Ex solo Savvbrandico cerebro procusa venit: mendaciis & insciis vndique intertexta. Quis catholicorum vnquam dixit; Imperatores Romano Pontifici, & aliis Episcopis in Concilio congregatis *concessisse* vel *commisisse potestatem* diiudicandi & dirimendi controuersias Ecclesiasticas? Non ab Imperatoribus, vt tu nos dicere mentiris, sed à Deo hanc potestatem habent:

Impe-

Digitized by Google

Imperatores huius potestatis Episcopis diuinitus collatæ tantummodo testes sunt & assertores;& vt tales à Bellarmino & aliis contra Hæreticos producuntur.

Addis: *Si Maiorem vniuersaliter formas, tum est falsa.* Forma,vt lubet, Bellarminus Maiorem nec vniuersaliter nec particulariter formauit; quia tua est. Mox stultissimam rationem reddit,cur stulta illa Maior vniuersim sumpta,falsa sit. Maior erat ista: *Omnes, quibus Imperatores aliqui iudicium rerum Ecclesiasticarum commiserunt, illi non possunt errare in scriptura explicanda.* Quid Caluinista? *Maior hæc est falsa.* Quare? *Aliqui enim Imperatores, vt Nero, Domitianus, Caligula, Commodus, & alij, non hominibus Ecclesiasticis, sed gentilibus hoc iudicium permiserunt: atque illi in Christianis persequendis grauissimè errarunt.* Quis non apertissimè intelligit, Caluinistam istum delirare;& insipientissimas propositiones, quas ex deliro suo capite extundit & effundit, insipientissimis itidem stultitiis oppugnare. Vbi vnquam auditum est; Neronem vel Domitianum, vel alium quempiam Tyrannorum asseruisse; gentilium esse controuersias de Christiana fide cognoscere, diiudicare, & sententia definitiua decidere; quemadmodũ Christiani Imperatores affirmant id competere Romano Antistiti, aliisque Christianæ religionis præsulibus? *At Tyranni illi permiserunt Gentilibus hanc potestatem.* Qui? Quibus? Vbi? In qua caussa? Mandarunt, vt Christianos persequerentur; & exquisitis suppliciis excruciatos, neci darent. Hoc scilicet est controuersias Ecclesiasticas dirimere; & componere; habere potestatem (si tamen iniquitas & Tyrãnis nomen potestatis merentur) Christianos exagitandi, excarnificandi, & tandem contrucidandi. Etiamsi vel Nero vel alius Tyrannus Ethnicos Christianarum controuersiarum de fide existentium iudices constituisset; num ideo iudices essent? Hæc iudicandi potestas non est ab hominibus, sed à Deo. Ne Christiani quidem Imperatores hanc iudicandi potestatem Episcopis tribuunt; vt antea dictum; sed tributam à Deo asserunt & tuentur.

Ais: *Non cuicunque iudici iudicium legitimè commissum est; ille hoc legitimè administrat.* Quorsum hæc? Bellarminus nihil aliud dicit; quàm ex testimoniis Imperatorum constare, controuersias Ecclesiasticas, Iudicio Romani Pontificis & aliorum determinandas esse. Plus non dicit hoc loco. Quid tu nugamenta tua vndequaque infercis? Quanquam Romanum Pontificem, & alios Episcopos, quando in OEcumenico Concilio aliquid statuunt, munere suo legitimè accepto legitimè etiam vti, nulla est dubitatio, nisi vbi regnat Hæretica ignoratio: quia sicut Deus hisce iudicibus infallibilitatem iudicandi concessit; ita iisdem concessit, vt iudicandi & definiendi potestate non nisi legitime vtantur. Quocirca non moramur Caluinisticas illas sannas; cum ait Savvbrandus. Argumentum Bellarmini esse huic simile: *Omnes Monachi debent esse casti; ergo sunt casti.* Longè aptius exemplum foret; si quis diceret: omnes Ministri Caluiniani debent esse nebulones & impostores; ergo omnes sunt nebulones & impostores, quorum signifer Savvbrandus iste, qui palmam non iniuria sibi deposcit.

A

Obiicit: *Imperatores non soli Pontifici Romano, sed & aliis Episcopis iuditium rerum Ecclesiasticarum concesserunt.* Non concesserunt; sed diuinitus concesso testimonium reddiderunt: Quorum au-

B ctoritate contra impietatem vestram nunc nos vtimur. Vtrum autem Imperatores Romano Pontifici aliquid tribuendum censuerint, quod aliis esset negatum; non hic, sed alibi disquiretur. Nam hoc loco nihil aliud vult Bellarminus, quàm iudicio Romani Pontificis & aliorum Episcoporum controuersias finiendas esse; & hoc etiam Imperatorum testimoniis planum facit.

Mentitur Savvbrandus, cum ait; Bellarminum octo Imperatoribus, tanquam testibus, probare Minorem superioris syllogismi. Octo quidem Imperatorum testimonia profert: sed num probandæ illi Minori; de qua Bellarmi-

C nus nunquam somniauit; quæ tantò pòst, ex febricitantis Savvbrandi anili phantasia exstitit?

Ad factum Aureliani respondet Caluinista: *Nam tantum nominari Episcopum Romanum; sed & alios sacerdotes Italiæ.* Quid tum? Etiam Bellarminus hoc loco nil aliud probare instituit, quàm controuersias Ecclesiasticas iudicio Romani Pontificis & aliorum Episcoporum decidi debere; nam nòmine *sacerdotum* apud Eusebium intelligi debent, non quiuis sacerdotes, sed Episcopi; vt patet ex Græco contextu; *οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν ἰταλίαν καὶ τὴν ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι*, &c.

D

Subdit Cauillator: *Si ex hac concessione Aureliani Papa non potest errare in scriptura interpretanda, sequitur nullum sacerdotem Italiæ posse errare in scriptura interpretanda.* Quanta huius hominis petulantia & procacitas. Quid Aurelianus concessit Papæ? Quid Episcopis Italiæ? Nihil: sed iussit, vt aliunde acceptam potestatem terminandi caussas Ecclesiasticas in hoc etiam casu vsurparent: & iussit hoc edoctus à Christianis; tale iudicium ad Romanum Pontificem, & alios Episcopos pertinere. Neque Bellarminus ita argumentatur; vt tu mentiris: *Aurelianus iussit, vt Pontifex Romanus & Episcopi Italiæ iudicarent de controuersia exorta inter Catholicos & Paulum Samosatenum ob domum Ecclesiæ,*

ex qua Paulus emigrare nolebat; ergo Papa non potest errare in scriptura interpretanda. Sed hanc inferret Bellarminus consequentiam; si argumentationem texere voluisset: *Ergo Pontifex Romanus & Episcopi cum illo sunt controuersiarum Ecclesiasticarum iudices.*

Ad cauillum de sacerdotibus Italiæ respondeo; nullum sacerdotem, hoc est, Episcopum Italiæ, vel cuiuscunque alterius nationis cum Papa Romano in Concilio legitimè congregato, aliquid circa fidem vel mores definientem, errare posse. Quid vis amplius? Video quid velis; Mentiri, vis, calumniari, sycophantari; quæ tria insigniter præstas, cum Bellarminum sic affaris; *Multò efficacius colligeres, si concluderes in hunc modum; Baculus stat in angulo; ergò Papa Romanus non potest in scriptura interpretanda errare.* Efficacissimè, opinor, colligerem; si hunc syllogismum formarem. Omnis qui mentitur, & ex professo calumniatur; ille est impostor & tenebrio: Savvbrandus mentitur, & ex professo calumniatur; ergo Savvbrandus est impostor & tenebrio. Optimè & efficacissimè conclusum.

Ais: *Cui persuadebit Bellarminus, Imperatorem Gentilem, contemptorem, irrisorem, & persequutorem Christianæ religionis, voluisse summum iudicium rerum ecclesiasticarum concedere Episcopo Romano?* Nemini hoc persuadebit Bellarminus; quia nemini hoc persuadere cogitat; non enim Aurelianus summam iudicandi potestatem Romano Pontifici aut concessit, aut concedere potuit: sed hoc facilè cuiuis persuadebit Bellarminus; Aurelianum summam in Romano Pontifice iudicandi potestatem ex narratione & sermonibus Christianorum agnouisse; quandoquidem controuersiam de domo Ecclesiæ ex Oriente Romam ad tribunal Romani Pontificis deferri voluit.

Ait Caluinista: *Si sibi Papa eo tempore iudicium rerum ecclesiasticarum sumpsisset, derisa, & explosa fuisset eius stoliditas, & fatuitas etiam ab Episcopis Christianis.* Quidquid stoliditas, & fatuitas Caluinistica contrà garriat; primus & supremus fuit is; cui dictum fuerat: *Tibi dabo claues regni cælorum;* &, *pasce oues meas;* quod Petrus & in Petro omnes eius successores longè ante Aureliani tempora audierant. Reliqua, quæ Savvbrandus blaterat, pseudologiæ aut alogiæ sunt: Quanta alogia huius asyllogisti syllogistæ cum dicit: *In Nicæna synodo statutum est; Clericos inferioris ordinis & episcopos suis metropolitanis commissos esse; ergo Romanus Papa non est summus, cui reliqui omnes subiiciantur.* Perinde ac si dicas: Nobiles multi in Imperio Romano subsunt Baronibus & comitibus; & isti principibus; ergo Imperator non est summus, cui cæteri omnes subdantur. Item: Patres Africani suas quasdam ob caussas vetuerunt, ne quis Romam ad Pontificem appellaret; ergo Pontifex non est omnium supremus: similiter, ac si dicas. Non-

A nulli vetant, ne quis appellet ad Romanum Imperatorem: ergo Imperator non est supremus in Imperio.

Mendacium est *Zosimum in Concilio Carthaginensi fuisse falsi conuictum.* Sed hæc omnia pertinent ad Controuersiam de Pontifice. Vide Bellarminum libro secundo de Pontifice capite vigesimo quinto, vbi istas hæreticorum nebulas dissipat, & dilucidè explicat, quo fine Patres Africani appellationes ad Romanam sedem molestius tulerint atque adeo prohibuerint. Vide iam immensam subtilitatem: *Iulius Pontifex epistola secunda affirmat caussas Ecclesiasticas, præsertim grauiores pertinere ad iudicium sedis Apostolicæ, & ad hoc adducit decretum synodi Nicenæ: & Bellarminus initio huius capitis*

B *citat Iulium & ex illo decretum Nicænum. Et tamen docet iam tempore Aureliani summum iudicium ad Papam Romanum pertinuisse; Aut igitur erras,* clamat Savvbrandus; *dum dicis illud per Nicænum Concilium ad Papam pertinere; aut erras, dum dicis illud tempore Aureliani ad Papam pertinuisse. Nam, quod tempore Aureliani ad Papam pertinuit, hoc per Nicænum Concilium Papæ acquisitum non est, & contra.* Quam acutum dilemma: ex cuius cornibus quomodo euadet Bellarminus? Dic, Caluinista, vbi scripsit Bellarminus, summam iudicandi potestatem tantummodo per Nicænum Concilium, hoc est, per sanctionem & constitutionem Nicæni Concilij ad Pontificem Romanum pertinere? Ostende, sodes; locum; aut te cum tuo dilemmate non pro

C disputatore, sed pro improbo calumniatore habebimus. Aliud est potestatem dare; aliud, potestati ab alio datæ testimonium perhibere. Summam iudicandi potestatem non dedit Concilium Nicænum Romano Pontifici; sed is, qui dixit: *Pasce oues meas.* Nicæna synodus testimonio suo hanc potestatem Papæ Romano datam esse comprobauit; & constitutione sua notam; planamque, & omnibus testatam fecit, non prærogatiuam quampiam recentem, sed illam, qua omnibus anteactis à Christo sæculis Papa Romanus præditus fuerat. Quapropter meras nugas Caluinista agit: cum ita blatit: *Quod per Concilium Nicænum Papæ primùm attributum est, hoc tempore Aureliani ad Papam non pertinuit. Nisi concedas, se-*

D *quitur eandem rem simul esse, & non esse, id est, duo contrà dictoria esse simul vera.* Quanta vbique fatuitas? Quanta ruditas insignis cuiusdam nequitiæ notis vbique interspersa? Quis vnquam dixit, per Concilium Nicænũ Romano Papæ summam iudicandi potestatem primùm fuisse concessam? Effrons est, qui hæc mendacia Catholicis affingit.

Iunius & Savvbrandus acriter insurgunt in Iulium Papam propter eam in rem citatum Nicænum Concilium, cum nil simile in eo exstet. Forsan homines, sui alioqui impotentes, hic à criminationibus sibi temperassent; si in mentem reuocassent, plures olim exstitisse Canones Nicænos, quàm hodie; & plurium, qui iam non

exstant,

exstant, fieri à veteribus mentionem, imò & à Nouatoribus; vt allatis exemplis docet Bellarminus libro secundo de Pontifice capite vigesimo quinto.

Vt Savvbrandus præbeat nobis gustum aliquem suæ in Historia eruditionis, studiosè monet inter Aurelianum & Nicænam synodum fuisse sex Imperatores; *Tacitum, Florianum, Probum, Carum, Diocletianum, Constantium.* Quis Savvbrando summam Historicæ peritię laudem non concedat; qui, insigni inscitia, hos omnes Imperatores ab Aureliano vsque ad Concilium Nicænum præterit: Numerianum; Carinum, Maximianum, Galerium Maximianum; Maxentium & Maximinum, vt taceam Licinium & Constantinum, qui & ipse iam ante Nicænam synodum Imperator erat.

Redit asellus ad suam lyram *syllogisticam*: & hunc in modum delirat: *Qui tempore primitiuæ Ecclesiæ summum in Ecclesia iudicium non habuit, ei nunc non competit. Sed Papa, tempore primitiuæ Ecclesiæ summum iudicium in Ecclesia non habuit, ergò ei nunc non competit.* Nihil deesse video, præter Maioris probationem, quam ne tentat quidem adducere: perinde quasi iam sit probata, quia est à Savvbrandico ore asserta. Mentitur, *in Africano Concilio vniuersali & in Nicæno decretum; Papam Romanum non esse supremum iudicem.* Exhibe nobis, obsecro, hæc decreta; vt tibi fidem habeamus. Nisi enim hoc feceris, semper inter mendaces à nobis collocaberis, neque enim frons tam detrita aliam meretur sedem.

Secundus Imperator à Bellarmino citatus, est Constantinus Magnus, *qui*, teste Eusebio libro tertio de vita Constantini, *non prius assedit in Nicæno Concilio, quàm Episcopi, vt sederet, annuissent, & hoc signo indicauit, se non esse præsidentem Concilij, & ibidem in epistola ad omnes Ecclesias ait; Quicquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati attribui debet. Et de eodem sic Ambrosius loquitur epistola trigesima secunda. Constantinus liberum dedit iudicium Sacerdotibus. Et Augustinus epistola centesima sexagesima secunda scribit, Donatistas ab illo esse remissos ad suum iudicem proprium Melchiadem Romanum Episcopum. Respondeo,* inquit VVitackerus, *hæc nihil ad caussam pertinere, quam in manibus habemus, nos non dicimus Constantinum Concilij Nicæni præsidem fuisse, cui non nisi semel forsan interfuit.* At olim Brentius palam docebat, Constantinum Nicæno Concilio præsedisse. In eodem errore versantur quoque alij nonnulli sectarij. Si Caluiniani rectius sentiunt, est, quod illis gratulemur; tametsi, cum VVitackerus negat, præsedisse Romanum Pontificem, per suos scilicet legatos, satis ostendit; quantum adhuc à veritate absit. Audiat, oro, Synodicum à Lutherano Pappo vulgatum & Latinè versum. σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ, οἰκουμενικὴ πρώτη, τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ θεοφόρων πατέρων, συναθροισθεῖσα ἐν τῇ Νικαέων μητροπόλει, τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. ἧς ἐξῆρχον

A προκαθεζόμενοι, Βίτων καὶ Βικέντιος πρεσβύτεροι, τὸν τόπον ἐπέχοντες Σιλβέστρου τοῦ πάπα Ῥώμης. *Synodus diuina & sacra OEcumenica prima trecentorum & octodecim diuinorum Patrum; collecta Nicææ metropoli Bithyniæ prouinciæ: cui præfuerunt & præsederunt Vitus & Vincentius presbyteri, locum tenentes Syluestri Papæ Romani.*

Ait Hæreticus: *Quod non assederit, nisi rogatus ab Episcopis; hoc singularem eius humanitatem & pietatem erga Christi Episcopos arguebat; nihil aliud.* Imò & hoc; Constantinum non fuisse iudicem; multò minus supremum iudicem, controuersiarum, quæ in Nicæno Concilio discutiebantur; & definiebantur; quia si se pro iudice, aut supremo iudice gessisset; equidem vel primo loco consedisset,
B quippe primus Iudex; vel etiam iniussus consedisset; saltem par aliis episcopis fuisset; sed cum nihil horum fecerit; signum est, ipsum agnouisse, quòd illo in consessu, nullum locum, tāquam iudex & definitor, teneret: tantum abest, vt quod nunc fit in Anglia apud Caluinistas, Constantinus pro supremo capite Ecclesiæ sese aut ipse venditarit, aut ab aliis venditatus fuerit: sicut nuper in Pseudosynodo Londinensi *Pseudoepiscoporum* decreto Rex Britanniæ pro summo post Deum Anglicanæ Ecclesiæ capite declaratus & promulgatus est.

Quod scripsit in Epistola ad Ecclesias, inquit VVitackerus, *diuinæ voluntati tribui debere, quod sancta Episcoporum Concilia statuunt, agnoscimus.* (Verbis,
C vtinam reipsa. Orc;num corde?) *Nam sancti Episcopi nil statuunt, nisi quod diuinæ scripturæ loquantur, quas illi in suis decretis sequuntur: aliàs, sancti non sunt. Neque omnia omnium Conciliorum decreta pro diuinis habenda sunt, &c.* (imò omnia, quæ definitiones fidei continent) *sed quæ auctoritate scripturarum comprobantur.* (Iudicis non est probare; sed iudicare; definitoris, definire. Itaque necesse non est, vt quæ per modum definitionis in Conciliis sanciuntur, scripturæ testimoniis à Patribus comprobētur. Satis est; comprobari posse; & diuinis litteris consentanea esse; sicuti reuerā sunt; non obstante quod hæretici secus iudicant; quibus nihil cum scripturis cōuenire videtur, nisi quod cum Phantasiis eórum conuenit.

D Iunius adfert Græca verba ex libro tertio Eusebij capite vigesimo, τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφοράν. *Hoc ad diuinam voluntatem refertur, seu, relationem habet. Quid ex hac propositione, amabo, confeceris?* quærit Iunius. Hoc conficitur, Conciliorum decreta, tanquam dogmata & placita diuina, reuerenter ac religiosè amplectenda esse: neq; in examen vocanda; vt faciunt Sectarij; quia quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id ad diuinam voluntatem refertur; nimirum tanquam ad fontem & principium illarum sanctionum.

Ambrosius de Constantino quid loquitur? inquit VVitackerus. *Quid si enim Constantinus Sacerdotibus*

permiserit liberum iudicium, & ei nihil ipse praescripserit? Num ergo non illi deberent secundum scripturas iudicare? Quis dicit, Patres in Concilio non debere iudicare secundum scripturas? Omnino, quod sanciunt ac decernunt, id totum secundum scripturas sanciunt & decernunt.

Obiicit VVitackerus: *Augustinus non scribit Constantinum remisisse Donatistas ad Episcopum Romanum, tanquam iudicem proprium. Non enim Donatistarum proprius iudex Episcopus Romanus fuit: tũ enim eos Constantinus coëgisset in eius sententia acquiescere: sed alios postea iudices dedit, & tandem ipse causam iudicauit; quod Bellarminus praetermisit, quia cum eius instituta defensione apertè pugnat.* Tametsi Augustinus non vtitur vocabulo *Iudicis proprij*; satis tamen significat, Donatistas à Constantino haud aliter ad Melchiadem, quàm ad proprium iudicem ablegatos fuisse: quia, ex sententia D. Augustini, caussarum Ecclesiasticarum proprij iudices non sunt saeculares & Laici; sed Episcopi. Quod probè intelligens Constantinus, controuersiam illam à suo solio ad tribunal Melchiadis amandauit.

Deinde, proprius Iudex est ille Episcopus; qui primatum inter omnes tenet; sed Melchiades inter omnes primatum tenebat; teste D. Augustino, in eadem epistola, vbi dicit: *Semper in Ecclesia Romana Apostolicae cathedrae viguisse principatum.* Si principatus semper in Ecclesia Romana viguit; semper igitur Romanus Pontifex Princeps fuit; ergo & Melchiades. Fuit ergo proprius Iudex; Absurdum enim est dicere; principem ac praecipuum inter omnes, non esse proprium iudicem. Accedit, quòd D. Augustinus apertè scribit; Constantinum, inuitum & non nisi Donatistarum improbae peruicaciae & peruersitati cedentem; iudicandi partes sumpsisse; intelligebat ergo hoc non esse Imperatoris; sed Episcoporum munus proprium.

Sed vide VVitackerianum acumen: *Donatistae damnati à Melchiade, & collegis Episcopis, non acquieuerunt sententiae; ergo Melchiades & Collegae eius, non fuerunt proprij iudices in illa caussa.* Perinde ac si dicas: Multi non acquiescunt sẽtẽtiae latae ab Imperiali senatu Spirensi, vel etiam ab ipso Imperatore; ergo senatus ille, vel Imperator non est proprius Iudex: *At coëgisset Constantinus Donatistas, si à Melchiade, vt à proprio Iudice damnati fuissent.* Vtinam illos coëgisset. Potuisset sanè & expediuisset; quia experientia compertum est; Haereticorum contumaciam lenitate & mansuetudine non mitigari; sed foueri & corroborari. Ne secundis quidem iudicibus acquieuerunt: neque ipsius Constantini sententiam ratam habuerunt; quam Bellarminus absq; vlla fraude silentio praeteriit: Quis enim nescit, perditos Donatistas, tandem ad Ipsum Constantinum appellasse; sed sententiae eius non magis acquieuisse, quàm sẽtẽtiae priorum iudicum? Quis item nescit Constantinum inuitum, & non nisi peruersitate Donatistarum coa-

A ctum, munus hoc iudicandi obiisse? Audiamus D. Augustinum: *Iudices Ecclesiasticos, tantae autoritatis Episcopos, quorum iudicio, & Caeciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè iudicarint. Dedit ille aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neq; enim ausus est Christianus Imperator sic eorũ tumultuosas & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romae sederant, ipse iudicaret, sed alios, vt dixi, Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis, atq; vtinam saltem ipsius iudicio insanissimis animositatibus suis finẽ posuissent, atq; vt eis ipse cessit, vt de illa caussa post Episcopos*

B *iudicaret, à sanctis antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi quod vlterius dicerent, non haberẽt, si eius sententiae non obtemperarent, ad quem ipsi prouocauerũt, sic & illi aliquando cederent veritati.* En tantum abest, vt Constantinus, caussam illam ad se pertinere arbitraretur; vt etiam huius sui facti veniam ab Episcopis petiturus esset; quòd necessitate compulsus id fecisset.

Quod ait VVitackerus, se non videre; quid haec de Constantino ad praesentem caussam faciant; oculis eum caruisse oportuit: Huc namq; omnia ista tendunt; vt demonstretur; non Laicos, non Imperatores; non ipsam scripturam, vel Spiritum sanctum, prout per scripturam loqui-

C tur; sed Romanum Pontificem, & Episcopos, sua quosque aetate; esse controuersiarum Ecclesiasticarum de fide & moribus iudices. Sed quod isti grauatè vident, hoc se non videre simulant.

Iunius dicit, *Melchiadem fuisse iudicem delegatum, non igitur proprium; quia datus est à Constantino, reorum postulatione.* Mentitur Iunius; si de iudice delegato propriè loqui velit: hoc est, vt significat eum, cui à proprio suae partes demandatae sunt: Nam cum huius caussae Ecclesiasticae Constantinus planè non fuerit competens iudex; vt ipsemet agnouit, & tandem iudicare coactus id aliter non fecerit, quàm petiturus facti sui ab Episcopis veniam; non potuit alteri suas partes delegare: *At Constantinus dedit Donatistis Melchiadem &*

D *collegas iudices: & postea etiam alios Episcopos in Concilio Arelatensi.* Dedit, sed non eo modo, quo proprius Iudex dare solet delegatos, quando aliis suas partes committit; sed prout dare dicitur is, qui legitimos iudices ostendit & nominat; & vt adeantur & audiantur, mandat: vt si nunc Protestantes cum Catholicis litigantes de dogmatibus, ad Imperatorem controuersiam deferrẽt, ille verò eos ad Concilium Episcoporum ablegaret; non ideo Imperator suas partes Concilio delegaret; sed competentem iudicem litigantibus nominando & declarando daret: Verè igitur percensuit Bellarminus historiam, *non falsò*, vt fingit Iunius; *neque veritatem facti oppugnauit*, vt idem Iunius comminiscitur.

Hun-

Digitized by Google

Hunnius Encomium Constantino texit; pro quo tamen si viueret; non magnas Prædicanti gratias ageret. Ait: *Constantinum nouisse, sibi, vt politico magistratui, non easdem planè competere partes, quæ essent Episcoporum.* Imò plus sciuit. Nempe sibi in illo consessu nullas penitus esse iudicandi & definiendi partes; sed totum iudicium *in solidum* solis Episcopis conuenire. Ait: *Sciuisse Constantinum sibi quoque licere in sententias & decreta synodi inquirere*; scilicet admodum anxiè in decreta synodi inquisiuit; qui in epistola ad omnes Ecclesias palam professus est; *Decretum Concilij tanquam Dei donum & mandatum reuera cælitus demissum, esse amplectendum. Nam quicquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debere attribui.*

Hoc Encomium, inquit Hunnius, *non indeterminatè vult intellectum de cunctis simpliciter Conciliorum decretis, sed de his, quæ sanciuntur iuxta Euangelicos libros & Apostolicos, antiquorumque Prophetarum sanctiones, quæ nos erudiunt, quid de sacra lege sapiamus. Hæc enim ipsius sunt verba ad Patres synodi.* Insignem omnino Interpretem Constantini agis. Scilicet Constantinus Lutheranus & Caluinianus erat; hac persuasione imbutus; fieri posse, vt alicuius legitimi Concilij decretum, non sit sacris litteris consentaneum. Minimè in hac mendaci & fallaci sententia fuit; sed omne decretum Concilij, hoc ipso, quòd à Concilio legitimè congregato profectum esset, pro infallibili habuit; & quamprimum recipiendum absque vlteriore vel inquisitione vel tergiuersatione censuit. Neque Euangelicos & Apostolicos libros adesse & sedulò inspici voluit, vt decreta iam à Concilio facta ad libellam illam componerentur; sed vt initiò, dum inquisitio fit, omnia ad sacræ scripturæ & verbi etiam nō scripti normam expenderētur, quod hoc etiam æuo in omnibus Conciliis obseruari solet.

Multa garrit Hunnius de libertate sententiæ in Concilio dicendæ. Sed, nisi fallor, nulla Prædicantibus satis libera est, nisi illa, quæ scripturæ prauo sensu colorata profertur & obtruditur; licet omnibus retrò sæculis aduersa fronte repugnet. Hæc nimirum est illa libertas, quam isti in sententiis dicendis sibi concedi postulant.

Obiicit Prædicans: *Hanc consequentiam non esse bonam: Melchiades datus est à Constantino Iudex Donatistis; ergo Pontifex Romanus est supremus omnium controuersiarum Iudex.* Neque Bellarminus hanc consecutionem formauit; quia hoc Constantini facto, nihil aliud probare instituit; quàm controuersiarum Ecclesiasticarum iudices esse Romanum Pontificem & alios Episcopos. Quanquam consequentia illa non est mala, si rectè intelligatur & explicetur. Nam Constantinus non aliter dedit Melchiadem Donatistis iudicem; A quàm vt Episcopum eius Ecclesiæ, in qua semper sedis Apostolicæ *principatus viguit.* At talis Episcopus est primus iudex: ergo supremus: ergo omnium; quia ad primum & supremū, omnium controuersiarum decisio pertinet.

Sibrandus hic ab ingenio suo ne latum quidem vnguem discedit. Tenebrionem agit, non disputatorem. Mentitur hoc argumentum esse Bellarmini: *Constantinus Imperator non prius assedit, quam Episcopi annuissent. Ergò Papa Romanus non potest errare in scriptura interpretanda.* Subdit Caluinista: *Mirum si Iesuitam, qui Logicus videri cupit, huius argumenti non pudeat.* Non mirum, quòd te non pudeat tanti mendacij; quia iam pridem depuduisti: & mox B immensæ impudentiæ hoc etiam specimen præbes: *Constantinus non fuit præses in Nicæno Concilio. Ergò Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda. Argumentum simile priori.* Melius vocaueris: *Mendacium simile priori.* Delirus fit, qui hæc deliramenta cudat; delirus item; qui cudenti Savvbrando fidem commodet. Ait: *Constantinum præsedisse Concilio Nicæno.* At hoc negat VVitackerus. En consensum duorum Caluinistarum.

Aliud calumniæ & impudentiæ speculum: *Quod Imperator rescripsit, hoc est legitimum, & obseruandum. Sed Imperator rescripsit, vt quidquid in sanctis Episcoporum synodis constitutum est, id diuinæ voluntati tribuatur. Ergò, Papa Romanus non potest errare in scri-* C *ptura explicanda. Respondeo*, inquit Savvbrandus, *Maiorem non esse simpliciter veram.* Tua culpa fit, si vera non sit. Nam vt tota malè tornati syllogismi structura tua est; sic & Maior tua est. Ad Minorem suam hoc dat responsum: *Non negamus ea obseruanda esse, quæ in sanctis Episcoporum synodis constituuntur. Sed quid hoc ad Papam Romanum? Ille enim neque sanctus est*, (mentiris Caluinista; sanctus est officio & dignitate; sæpe etiam vita & morum innocentia) *neque synodus est* (sed caput & princeps synodi) *neque sanctæ synodi sancta pars est* (mendacium, vt & quod sequitur) *si obseruanda sunt, quæ in sanctis Episcoporum synodis constituuntur, tum Papa non est summus sacerdos: ita enim statutum est in synodo* D *Carthaginensi Tertia, capite vigesimo sexto.* (nil video, nisi mendacium) *neque libri Apocryphi sunt canonici: ita enim statutum est in synodo Laodicensi capite vigesimo nono.* (Rursus mendacium audio: quia nulli apocryphi libri sunt canonici. Neque statuit Laodicena synodus, vt Tobias & similes, quos sectarij pro apocryphis habent; non recipiantur in censum librorum Canonicorum.) *Neque appellandum est ad Papam Romanum. ita enim statutum est in Concilio Africano capite nonagesimo secundo.* (Sed Concilium hoc particulare fuit. Neque statutum est, vt aliunde non appellaretur ad Papam; sed tantum, ne ex Africa. Neque definitum est *Ius hoc appellationum* non competere Romanæ sedi; sed vsum huius iuris arbitrabantur Patres illi

Digitized by Google

minus esse Africanis Ecclesiis commodum; & ad pacis conseruationem accommodatum.

Conclusionem monstrosi tui argumenti exagita vt voles; non argumenta Bellarmini, sed tua commenta exagitas; ex quibus & istud: *Quibus Imperator liberum iudicium dedit, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Episcopi sunt isti, quibus Imperator dedit liberum iudicium. Ergò solus Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Subiicit: *Pudet me horum argumentorum, Bellarmine.* Mentiris. Nam si te puderet; non conficeres: Tua enim sunt, vt millies iam dictum; non Bellarmini. Si vel guttula pudoris tibi restaret; sycophantæ partes paulò pudentius obires; nec impudentiæ libera frena permitteres. Oppugna Maiorem & Minorem, & mendacia mendaciis, fraudes fraudibus destrue; nihil nostra refert. Nullũ Bellarmini lectorem tam obesæ naris futurum arbitror; qui tibi talia argumentationum, vel potius delirationum portenta, viro doctissimo affingenti, fidem habiturus sit.

Quod sanctus Ambrosius dicit; Constantinum, liberum dedisse iudicium sacerdotibus; id iste ita accipit, quasi liberè iudicandi potestatem Episcopi à Constantino acceperint. Et hoc suum somnium variè postea versat & reuersat; sed tam stolidè; vt vix quidquam stolidius excogitari queat. Neque enim voluit diuus Ambrosius illo suo loquendi modo significare potestatem liberè iudicandi datam Episcopis à Constantino; sed datam à Deo, non fuisse per Constantinum impeditam; quia permisit, vt omnia liberè ex officio suo agerent ac decernerent. Ex quibus apparet Savvbrandicæ huius subtilitatis futilitas: *Quibus Constantinus liberum iudicium dedit in Ecclesiasticis controuersiis, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Episcopi sunt isti, quibus Imperator hoc concessit; Ergò, Episcopi non possunt errare in scriptura explicanda.* Fides & candor, vbi estis? An vnquam talis & tam nefarius Calumniator exstitit? Quis vel per febrile somnium ita deliraret; vt hæc argumenta conderet; quæ iste Bellarmino; viro omni eruditionis genere cumulatissimo adscribere nõ veretur in conspectu huius solis; & quod pluris, Dei.

Ride & hoc monstrum: *Cui Imperator Iudicium de Donatistis commisit, ille non potest errare in scriptura explicanda. Sed imperator hoc commisit Miltiadæ Episcopo Romano. Ergò, Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda.* Hunc suum ineptiarum & inscitiæ plenissimum syllogismum aliis mox ineptiis demoliri aggreditur; quibus omissis, quia easdem sexcenties ingerit; considera, quàm acutè probet Papam neque supremum, neque competentem iudicem esse: *Qui ab Imperatore in caussa*

A *particulari iudex datur, ille non est ipso iure competens iudex. Sed Episcopus Romanus est ab Imperatore in hac caussa iudex datus. Ergò Episcopus Romanus ipso iure in hac controuersia competens iudex non erat.* Respondeo, Maiorem posse negari; quia æquo & iuri conuenientissimum est, vt is, pro competente, hoc est, legitimo iudice agnoscatur; cui Imperator, legitimus & supremus iudex, caussæ cognoscendæ prouinciam demandârit. Sed distinguamus Maiorem: quæ vera erit; si sensus sit; qui ab Imperatore in caussa particulari Ecclesiastica Iudex datur quasi per institutionem; quo pacto in controuersiis politicis ab Imperatore iudex dari; hoc est, institui solet; Huiusmodi enim Iudex ab Imperatore constitutus, reuera
B non est iure competens in caussa Ecclesiastica Iudex; quia non est Imperatoris vt ipse Iudices Ecclesiasticarum litium instituat. Sed hoc sensu Maioris falsa est Minor. Si autem sensus Maioris sit, qui ab Imperatore in caussa Ecclesiastica Iudex datur tantummodo per declarationem & nominationem, & quasi ostensionem; ille non est ipso iure competens Iudex; tum falsa est Maior: Hoc autem & non alio modo dedit Constantinus Donatistis Iudicem Melchiadem; non per institutionem vel delegationem vel commissionem; neque enim Pontifex ab Imperatore accepit potestatem cognoscendi caussas Ecclesiasticas; sed per nominationem & declarationem; quia enim ad suum tribunal Donatistæ
C confugerant; ostendit nominauitque eis iudicem competentem, ordinarium, & proprium; eosque ad competens forum remisit.

En aliud missile in Papam: *A quo prouocare licet, ille non est summus iudex. Sed ab Episcopo Romano prouocare licet. Ergò Episcopus Romanus non est summus iudex.* Respondeo, Minorem esse falsam. *At Donatistæ prouocarunt à Melchiade.* Num licitè? Non alio iure, quàm quo hodie Nouatores nostri à sede Apostolica prouocant, & quo rebelles Imperij, ab Imperatoris tribunali.

Necdum finis acuminum: *Si Papa esset sum-*
D *mus iudex, potuisset Donatistas cogere, vt in sua sententia acquiescerent. Sed hoc non; ergò neque illud.* Concessa Maiore negamus Minorem. Nam quibus rationibus hodiernus Pontifex Hæreticos ad officium compellere potest; gladio nimirum spiritali; excommunicatione, & aliis censuris Ecclesiasticis, iisdem poterat Melchiades Donatistarum furorem compescere.

Addit Savvbrandus: *Si Imperator existimasset Romanum Pontificem esse supremum iudicem, ipse coëgisset Donatistas, vt in Romani Episcopi sententia acquiescerent. Sed hoc non. Ergò Imperator non habuit illum pro supremo iudice, neque ille se gessit pro supremo iudice.*

Perinde

Digitized by Google

Perinde ac si diceret: *Si Imperator hodiernus Rudolphus existimaret Romanum Pontificem esse supremum Iudicem, cogeret Lutheranos & Caluinianos, vt decretis Concilij Tridentini acquiescerent. Sed hoc non; ergo Imperator non habet Papam pro supremo iudice.* Vt palato tuo arridet hoc argumentum Savvbrande? Multa tolerant Imperatores & Reges; non quia probent; sed quia temporum circumstantiæ conniuere & dissimulare iubeant. Quod & Constantino euenit cui satius visum; humanitate & beneuolentia Donatistas ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem reuocare; quàm suppliciis; tametsi postea, cum videret, se mansuetudine apud pertinacissimos sectarios, nihil proficere; gladium strinxit; & capitali supplicio affici mandauit, vt testatur diuus Augustinus libro primo contra Parmenianum capite septimo quiritãtem, quod eos Constantinus *ad campos, id est, ad supplicium duci iussisset.* vt omittam seuerissimam illam legem à Constantino in Donatistas latam, de qua idem diuus Augustinus epist. 146.

Iam Savvbrandus Constãtinum vel reluctantem ad supremum iudicij solium euchit: *Qui in controuersia Ecclesiastica iudices dare, appellationes suscipere, post priores iudices, alios iudices dare potest, & post eos omnes supremam sententiam ferendi potestatem habet, ille est supra Papam Romanum. Sed Imperator potuit Episcopo Romano mandare, vt eam causam cognosceret, idem potuit post latam sententiam appellationem suscipere, potuit tandem post iudicium Episcopi Romani mandare Episcopo Arelatensi, vt eandem rem cognosceret, & post vtriusque iudicium supremam sententiam ferre. Ergò Imperator est supra Papam Romanum.* Respondeo ad Maiorem; qui ea omnia facere potest de iure & per se; non autem tantum de facto & per accidens propter importunitatem & improbitatem litigantium, is supremam sententiæ ferendæ potestatem habet: sed hoc sensu falsa est Minor, nam quæcunque in hoc negotio Constantinus fecit; ea per accidens & importunissima Donatistarum peruicacia adactus fecit; vt clarè testatur diuus Augustinus supra citatus. Quapropter minimè sequitur, quod Savvbrandus sequi tanto verborum strepitu iactitabat: qui ex professo & destinato consilio argumenta Bellarmini à præfixo scopo detorquet in alienos prorsus fines: Nam per testimonia Constantini Magni; vt & aliorum Imperatorum, nihil aliud ostendere voluit; quàm controuersias in Ecclesia exortas semper iudicio Romani Pontificis & aliorum Episcoporum tunc viuentium fuisse terminatas, ac proinde nunc etiam non aliter terminari debere.

Tertius Imperator à Bellarmino productus est Gratianus, qui in Epistola ad Aquileensem Episcopum iudicium de controuersiis Ecclesiasticis permisit Episcopis. Respondet VVitackerus; *Quis negat, Episcopos posse huiusmodi lites iudicare? aut quid hoc ad causam, de interpretatione scripturarum?*

A Vos negatis; quia huiusmodi controuersiarum iudices etiam Laicos constituitis. Et vos Angli non ita pridem fæminam supremam omnium controuersiarũ iudicem & disceptatricem constituistis; & hodie etiam summum hoc ius vestro Regi defertis. Quid verò exemplum Gratiani ad rem faciat, audi. declarat id, quod Bellarminus probandum suscepit; nempe, semper in Ecclesia Catholica moris fuisse; vt controuersiæ Ecclesiasticæ ab Episcopis cognoscerentur & diiudicarentur, non à Laicis, quamuis magna dignitate conspicuis, siue essent controuersiæ de vero scripturæ sensu; siue de facto quopiam personas Ecclesiasticas attingente.

B Hunnius dicit: *Gratianum partibus altercantibus constituisse iudices; & hinc sequi, non ad solum Papam, sed ipsum quoque Imperatorem, Reges, & Principes pertinere, vt constituant controuersiarum iudices.* Sed meminisse debebat Prædicãs eius, quod iam supra dictum: nullum Imperatorem aut Principem dare aliter iudicem, quàm nominando, & litigantes in causa Ecclesiastica ad illos remittendo, quorum hæc functio propria est; nam si daret Imperator Iudices caussarum Ecclesiasticarum, eo modo, quo dat iudices caussarum ciuilium; iam Imperator in Ecclesiasticis controuersiis supremus Iudex esset; sicut est in politicis, quod vt Anglicani Prædicantes concedant, Germanici tamen, Belgici & Gallici hactenus tam liberales non
C fuêre.

Quartus Imperator à Bellarmino citatus, est Theodosius Iunior, qui in epistola ad Concilium Ephesinum ait: eos, qui non sunt ex ordine Episcoporum non debere Ecclesiasticis immisceri tractatibus. De hoc dicto dicit VVitackerus *alibi agendum esse, num vero consonet.* Interim quærit, *quid ad rem faciat?* Facilis responsio. Ad rem ideo facit; quia ostendit vos Anglos, qui Regibus vestris, ex Laicorum ordine, ius supremum controuersias Ecclesiasticas decidendi attribuitis, contra praxin & consuetudinem veteris Ecclesiæ, & contra tanti Imperatoris mentem agere. Ostendit insuper, Episcopis, non autem Laicis, notionem litium Ecclesiasticarum competere:
D Ostendit denique non Biblia; sed Episcoporum cœtum in Ecclesiasticis controuersiis decidendis officio iudicis fungi.

Hunnius ait: *Theodosium non prohibere, quo minus etiam Christiani politici in sententias Theologorum inquirant, sintne verbo Dei conformes vel non.* Vnde hoc colligit Hunnius? Ex dicto Theodosij; quia dicit; *Laicos non debere se immiscere ecclesiasticis tractatibus; ergo liberam habent potestatem inquirendi in sententias Conciliorum, num scripturis sint difformes an conformes.* Qui huius collectionis necessitatem non videt; is tam perspicaces oculos nõ habet, quàm Hunnius. Scilicet Theodosius volebat, vt decreta synodi ad examen reuocarentur; & cum scri-

ptura, more Lutherano & Caluiniano, conferentur. Qua collatione efficiunt isti; vt scripturis nihil videatur conforme; nisi quod præconceptæ eorum imaginationi conforme est.

Quintus Imperator à Bellarmino adductus, est Marcianus, qui in *L. Nemo. C. de Sum. Trinitat.* negat semel iudicata reuolui & disputari debere. Respõdent Prædicantes VVitackerus & Hunnius, *hoc intelligi debere de iis, quæ iudicata in synodo sũt secũdũ scripturas.* Idẽ & nos dicimus; sed addimus: Nullum penitus decretum fidei vlla in synodo OEcumenica exstare; quod non sit secundum scriptum, vel non scriptum Dei verbum legitimè conditum. Negamus præterea vllo modo licere; vt quisquam in eiusmodi decreta inquirat dubitando, num scripturis consentiant; certum enim est consentire, quæ & Imperatoris Marciani mens fuit. Volebat enim hac sua lege contentiones Eutychianorum comprimere: qui semper excipere poterant, se nec iudicare, neque discutere ea; quæ in synodo Chalcedonensi rectè constituta sint; sed tantùm illa, quæ malè: quod non fuisset contentionibus finem imponere; sed ansam dare. Simpliciter ergo vetuit Marcianus, ne quis amplius Concilij Chalcedonensis sanctiones in quæstionem vocaret.

Iunius clamat: *De Chalcedonensi agit Imperator; non de quouis Concilio promiscuè. Fallacia indigna est, à singulari ad totum vniuersale.* Sed calumniatur Iunius. Nam Imperator generatim hoc de omni legitimè celebrata synodo pronunciat; iniuriam scilicet fieri illi synodo, cuius decreta denuo altercantium disputationibus ventilentur; & tum demum descendit ad synodum Chalcedonensem; vt intelliget, qui ipsam legem legerit.

Sextus Imperator est Valentinianus senior; qui dicebat sibi laico fas nõ esse, quæ ad eas quæstiones pertinent curiosius perscrutari. Itaque totum iudicium Episcopis commisit. Vbi VVitackerus: *Valentinianus negat fas esse sibi μετὰ λαῶ τετυγμένῳ τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν. ergò quid? Romanus* D *Pontifex est index omnium interpretationum scripturæ, & omnium controuersiarum? pulcrè conclusum.* At tu pulchrè calumniaris. Neque enim hanc conclusionem aut tacitè aut expresſè formauit Bellarminus; sed istam; *ergo iudicio & teste Valentiniano, tanto Imperatore, Ecclesiastica controuersia, iudicio Episcoporum, & in his Romani; terminandæ sunt:* non iudicio Laicorum; vel eius iudicis, quem iam mundo Nouatores ex desperatione quadam obtrudunt. Quid diceret Valentinianus; si iam ad nos reuerteretur, videretque in Anglia non modo Regem, sed & ante paucos annos fœminam pro supremo Ecclesiæ Anglicanæ capite, omniumque litium Ecclesiasticarum generali iudice venditari?

A Hunnius paucis se à Valentiniano expedit. Ait: *Factum eius minus prudens non debere præiudicare reliquis Imperatoribus.* Minus prudens iudicatur, quia minus fuit Lutheranum, vel potius planè non fuit Lutheranum; ex nullius enim Lutheraniore simile verbum vnquam excidit. Mirum tamen interim est, neminem ex veterum numero per tot iam annorum Centurias dictum & factum hoc Valentiniani imprudentiæ accusasse, vsque ad nostram ætatem, qua non tantum imprudentia, sed & impudentia liberè sæuit, & in obuios quosque petulanter grassatur.

Neq; honorificentius tractat Hunnius Basilij Imperatoris & Theodorici Regis voces: *Minus* B *consideratæ* videntur inconsideratissimo Prædicanti. VVitackerus ait; hos duos nihil aliud dicere; *quàm Laicos non debere sibi sumere, vt controuersias Ecclesiasticas decidant; sed eas Episcopis relinquant. Atqui, non hinc sequitur, aut Episcopum Romanum esse summum interpretem scripturæ, aut Episcopos posse aliter, quàm ex scripturis controuersias de fide, & religione desinire.* Nihil horum infert hinc Bellarminus: sed tantum hoc; testimonio Imperatorum caussas Ecclesiasticas semper iudicio Romani præsulis & aliorum Episcoporum tunc viuentium diremptas esse. Huc tuas solutiones conuerte, si quas habes; non ad illas, quas tu ipse comminisceris, nugas.

Iunius ad testimonium Basilij à Bellarmino C prolatum clamitat: *Nonne Bellarminus videt nullam his mentionem esse Romani Pontificis?* Duo videt Bellarminus, primum, te nihili & nauci vitilitigatorem esse, qui nodum in scirpo quæras. Secundum, Pontificis Romani tacitè sub nomine Patriarcharum mentionem fieri; nam & ipse inter Patriarchas est, & quidem primas & primus. Quomodo Basilius Imperator non æquè ac aliorum Patriarcharum, Romani Pontificis meminit, cum verba à Bellarmino citata protulerit in eo Concilio, cui Adriani; Romani Pontificis legati præsederunt; vt patet ex Actione prima, & aliis octauæ synodi, quæ nuper Græcè & Latinè prodiit, studio Raderi nostri: cui etiam ante omnes alios Patriarchas subscripserunt?

Savvbrandus antiquum obtinet, calumniatur & mentitur alacriter. Ex Gratiani Imp. testimonio hoc somnium fabrefacit, illudq; Bellarmino affingit: *Imperator constituit Episcopos interpretes; ita enim hoc Imperatoris edictum interpretatur Ambrosius. Ergò Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda.* Mentiris, non est istud Bellarmini argumentum: sed hoc; Gratianus Imperator censuit iudicio Episcoporum caussas Ecclesiasticas esse terminandas; ergo etiam hodie, non nisi iudicio Episcoporum terminari debẽt; Hoc Bellarmini argumentum est; non illud, quod tu, summo scelere, comminisceris. Equidem Savvbrande, ad te enim apostrophem tuam conuertam,

tam,

tam, dici non potest, quantopere huiusmodi A mendaciis & criminationibus tam crassis nostrã caussam iuues; videmus omnes, sectam vestram esse deploratam; Videmus Caluinistarum Antesignanos, inter quos tu quoque tibi locum deberi existimas; *magnis etiam vigiliis nihil posse excogitare, quod saltem speciem aliquam veri habeat. Vnde euidenter colligimus vobis aut à DEO mentem excaecatam esse, vt lumen veritatis non videatis; vel, vos caussam perditam non audere deserere, ne totum vestrum regnum corruat.* Nam Savvbrandus ita comparatus est; vt circa idem quoque semel mentiri & calumniari satis non habeat. Repetit subinde mendacia & calumnias, in iisque suauiter ludit, & animo suo benignè facit.

Nam post superius Enthymema hunc integrum syllogismum quasi ex Bellarmini penu depromit: *Quos Gratianus dicit discordiae eruditionis in religione interpretes esse, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Episcopi sunt illi, quos Gratianus interpretes constituit. Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda. Maiorem esse falsam*, iam ante ostensum est; inquit Caluinista. Quis fecit falsam? Nonne tu? *Aliud concluditur, quàm fuit in praemissis.* Cuius scelere, non enim dicam, ineptia; nisi tuo? Qui & in praemissis, & in conclusione, arbitratu tuo, collocas; quidquid mentiendi & calumniandi libido dictat; vt vtriusque praestandi vberem materiam inuenias.

Nec aliter tractat Savvbrandus Theodosij Imp. dictum, cum dicit; Ecclesiasticis tractatibus eos se non debere immiscere, qui non sunt ex ordine Episcoporum. *Ergo inquit Bellarminus Papa non potest errare in scriptura explicanda. Iesuiticum prorsus argumentum, vt priora.* Caluinisticum prorsus & Savvbrandicum mendacium, vt priora. Nunquam & nusquam consequentiam illam Bellarminus texuit, ex testimonio Theodosij. Sed hanc texuisset, si semper consequentias formare voluisset. *Ergo caussa Ecclesiastica terminanda sunt non iudicio Laicorum, aut eo etiam modo, quem Haeretici fingunt, sed iudicio Episcoporum.*

Pergit mentiri & calumniari. *Qui non sunt sancti Episcopi, illi non debent tractatibus Ecclesiasticis immisceri; sed Laici non sunt sancti Episcopi; ergò Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Impostor, nec Maior nec Minor, multò minus ineptissima cõclusio ex dicto Theodosij, vel ex sensu Bellarmini formata est. Omnia ex tuo cerebro proueniunt. Nam Theodosius non dixit, *sanctorum* duntaxat Episcoporum esse; vt controuersias Ecclesiasticas definiant; sed absolutè; *Episcoporum*; siue *sancti* sint, siue non; loquendo de sanctitate vitae & morum; nam sanctitate officij omnes sancti sunt, hoc ipso, quod Episcopatum, sanctum munus, gerunt.

Iterum mentiris, cum subdis: *Laici non debent Ecclesiasticis tractatibus immisceri; ergò Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Sycophanta es, non disputator: nam qui sciens, prudensque mentitur, & calumniatur, & veritatem distorquet ac inuertit; Is meritò Sycophanta audit, non disputator; Savvbrandus hoc facit ergo, &c.

Aliud deliramentum. *Qui debent Ecclesiastica tractare, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed soli Episcopi sancti debent Ecclesiastica tractare. Ergò Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Informis iste syllogismus prodiit ex eadem Savvbrandica officina, ex qua & alij. Itaque eiusdem prorsus est farinae; nec syllogismi; sed mendacij & calumniae nomine dignus: vt & Enthymema quod subiicitur. *Papa non est sanctus. Ergo Papa non debet Ecclesiastica tractare.* Verissimè tu dixeris B *: Savvbrandus nihil est aliud, quàm calumniosissimus & mendacissimus impostor; ergo indignus est cui legendo vel vnum temporis momentum impendatur.* Qui mox iterum mentitur; Bellarminum ex dicto Marciani Imperat. de quo supra; colligere: *Papã non posse errare in scriptura explicanda.* Cum immediatè nihil aliud colligat; quàm controuersias Ecclesiasticas, iudicio Episcoporum, definiri debere.

Accusat Savvbrandus Bellarminum, quasi fraudulenter praeterierit illa verba. *Rectè disposita*: Ex quibus colligit; *tantum esse illicitum, rectè disposita in quaestionem vocare; non autem illa, quae non sint rectè disposita.* Quam cauillationem, ex Kemnicio desumptam, supra retudimus. Numquam C Marciano in mentem venit, cogitare; fieri posse, vt in Synodo generali legitimè congregata quaedam non *rectè disponantur*; vt proinde liberum sit inquirere in ea, quae *rectè non sint disposita*: Sed non alia mente ita locutus est; quàm qua ego loquerer, si dicerem: *Iniuriam facit Tridentinae Synodo, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere & publicè disputare contenderit*: minimè profectò significarem; nonnulla fidei decreta in Concilio Tridentino contineri, quae non sint *rectè disposita*; & quae in examen licitè vocentur; neque Praedicantes, qui bene me norunt, hanc mentem ex verbis meis colligerent: Sed potius hanc: omnia in Concilio Tridentino esse rectè disposita; ac proinde nullius vlterioris inquisitionis indiga. D Neque vlla fraude hic Bellarminus vsus est; quippe cui legem compendio recitare; non singula verba appendere propositum fuerit. Caluinistam fraudis non iniuriã arguas; qui verba legis ipsissima dare professus, haec nobis reddit. *Neq; semel iudicata & rectè disposita iudicando reuoluat, tumultus & perfidiae occasionem inde quaerens.* Consulatur lex; & ex inspectione iudicium fiat, num Caluinista verba legis fideliter adducat.

Cape aliud monstrum; quod iste ex lege Marciani formandum esse scribit: *Sanctorum Conciliorum decreta rectè disposita non sunt reuoluenda, Papa est sanctum Concilium, ergò Papa decreta non sunt reuoluenda.* Dixi iam aliquoties,

& sæpius dicendum erit. Impudentiorem Sycophantam vix hoc sęculo exstitisse arbitror, quàm sit iste Nouator; qui tam impudenter & impotenter calumniari non veretur; quem rideri à suis quoque, quos honestas & veritas penitus non deseruit; nullus dubito. Quis adeo fungus est; qui sibi seriò persuadere queat huiusmodi syllogismos vel à Bellarmino, vel ab vllo alio Orthodoxo cudi? Cuiusmodi portenta sunt & hæc sequentia ex dictis Valentiniani, Basilij Imp. & Theodorici Regis: *Laici non debent Ecclesiastica tractare. Ergò Papa non debet errare in scriptura explicanda.* Item; *Episcopi tantum debent res Ecclesiasticas tractare, ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.*

Laici debent à rebus Ecclesiasticis abstinere. ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.

Item; *soli Episcopi debent res Ecclesiasticas tractare; ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda. Qui sequenda præscribit, ille non potest errare. Concilium sequenda præscribit; ergò, Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda.* Omnia ista nihil aliud sunt, quàm putida Caluinistici Savvbrandi mendacia; qui vbique oggerit, hanc suam cantilenam: *Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda*: cum Bellarmini conclusio immediata; quam probandam omnibus his testimoniis, vt & sequentibus, suscepit; non sit alia, quàm ista: *ergo Iudicio Episcoporum & in his etiam Romani, caussæ & lites Ecclesiasticæ definiri debent; non iudicio Laicorum; non iudicio scripturæ, prout ab Hæreticis iudex constituitur.* Hæc est Bellarmini conclusio, quam testimoniis Imperatorum, & mox quoq; sanctorum patrum auctoritate probat; non autem illa, quam omnibus testimoniis annectit Savvbrandus. Nam vtrum solus Papa absque concilio aliquid infallibiliter definire queat; alibi discutiet Bellarminus: vt & hoc; vtrum conciliorum decreta sint infallibilia; quanquam & hic de iudicio infallibili agimus: Sed Bellarminus primò semper Pontificem Romanum cum aliis Episcopis, hoc est, cum Episcoporum concilio, coniungit. Deinde, non omnibus testimoniis infallibilitatem huius iudicij immediatè euincere instituit; sed hoc tantum: omnibus sæculis in Ecclesia vsitatum fuisse, vt nouæ lites terminarentur & componerentur iudicio Romani Pontificis & Episcoporum tunc viuentium: quod hoc & superiore capite, decursis omnibus à Christo sæculis, euidenter monstrauit. Vtrum autem hoc iudicium sit infallibile, alio discursu vel testimonio colligendum est; si non immediatè ex ipso testimonio colligatur, prout etiam à Bellarmino factum cap. 4. & 5. vbi ex veteri & nouo testamento plurima attulit; quæ hanc iudicandi potestatem esse infallibilem immediatè ostendunt, vt & aliqua dicta Pontificum, Imperatorum, & patrum. Hanc methodum & hunc veritatis à se mutuo nexum & pulcherrimam colligationem dissoluit iste sannio Caluinisticus; Et perpetuò cum Papa occupatus est; & in omnes conclusiones *Papam*, volentem nolentem, intrudit; turpissimè mentiens hæc talia argumenta à Bellarmino & Catholicis scriptoribus institui ac proponi. Nec est, quod meliorem frugem nobis de hoc informi Savvbrando polliceamur. Ire pergit, quo semel cœpit pede. Pergamus igitur & nos; hocque os durum vel plumbeis cestibus probè contundamus: Etsi non est, quod vel sanguinem vel ruborem elicere tentes. Vterque funditus periit.

CAPVT VIII.

Idem probatur testimoniis Patrum.

DANAEVS in hoc caput duo consueta tela iacit: nimirum, committi à Bellarmino *paralogismum ab ignoratione elenchi: Et paralogismum à dicto secundum quid*: Additque, *ea quæ patres dicunt, conuenire in scripturam; non in alium vllum iudicem*; proinde *scripturam controuersiarum Ecclesiasticarum iudicem esse.* Citat etiam Panormitani dictum sermone omnium Prædicantium decantatum, *vel vnico vel soli laico consentienter Dei verbo sentienti potius credendum esse, quàm toti alicui vniuersali concilio à verbo Dei scripto recedenti & dissentienti.* Et nos idem profitemur; sed addimus: casum esse impossibilem; nunquam enim fieri potest; vt concilium à scripto Dei verbo in aliquo fidei decreto deflectat. His ita peractis, finem imponit Danæus huic capiti; & tanquam gloriosus *paralogista* cum suis *paralogismis* tam validis ac potentibus magnificè triumphat.

Primus Pater, quem Bellarminus producit, est D. Irenæus. qui lib. 3. cap. 2. docet controuersias non posse finiri ex solis scripturis; quia variè ab hæreticis exponuntur; & cap. 3. dicit finiri debere controuersias ex doctrina Ecclesiæ Romanæ; ad quam, propter principalitatem, necesse sit omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt vndique fideles, in qua semper conseruata sit ea, quæ est ab Apostolis, traditio.

Fallacia multiplex vociferatur Iunius. Quotuplex vero? I. *Quia agitur illis secundum quid, nempe de hæreticis principia noua comminiscentibus, non accipientibus diuina.* Quid ni de omnibus hæreticis cum omnes simpliciter noua principia cōminiscantur, & vetera demoliantur, alioqui Nouatores non essent, si vetera, quàm noua sequi mallent: Et quamuis nonnulla principia retinere videantur; retinent tamen solis verbis; non sensu & intelligentiâ.

II. *Vt demus agi de Ecclesia Romana, tamen de ea agit Irenæus, vt tunc fuit, non autem vt nunc est.* Quàm tenax Iunius, qui per concessionem tantùm nobis largitur; quod Irenæus apertissimè & manifestissimè cap. 3. profitetur. Ait; *hodiernam Romanam Ecclesiam esse longè diuersam ab illa veteri, cui Irenæus testimonium perhibet.* Quærere lubet, ecquando mutatio hæc facta sit? Quo anno? Quo Pontifice? Idem quærendum ex VVitackero, qui hic eandem næniolam occinit.

III. *Non agitur de Ecclesia Romana propriè & solum illis Irenæi verbis, sed de Ecclesia qualibet, in qua doctrina Apostolorum semper fuit conseruata.* Initiò quidem generatim de quauis Ecclesia, in qua successio & traditio Apostolica conseruata fuerit, Irenæus loquitur; postea tam apertè de Romana, & quidem propriè de hac, & sola, loquitur, vt neque Diabolus tam impudens videatur futurus, vt id neget, quod hic ex abundanti odio in Ecclesiam Romanam perfricta & perstricta fronte inficiatur Iunius.

Nam cum dixisset Irenæus, nimis longum fore; si omnium Ecclesiarum successiones enumerare ingrederetur; vnam ex omnibus; *maximam; & antiquissimam* & omnibus cognitam, & à duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatam & constitutam Ecclesiam seligit, cuius traditionem & successionem percensens, omnes confundat Hæreticos: Et caussam reddit, cur hoc faciat. *Ad hanc enim Ecclesiam*; Ad quam? quæso. Quid refert illud *relatiuum Hanc?* Nonne illam Ecclesiam, quam proximè antecedentibus verbis vocauerat, *maximam, antiquissimam, omnibus cognitam, Romæ à duobus gloriosissimis Apostolis fundatam & constitutam?* Nonne, inquam, relatiua illa dictio hanc Ecclesiã refert? Quod tam euidens, quàm solem lucere meridie. Et tamen impudentia Iuniana luci huic caliginem interspergere nititur hac sua ineptissima & insulsissima interpretatione. *Ad hanc enim Ecclesiam*, nempe Catholicam quidem propriè, Romanam verò (vt scholastici loquuntur) exemplariter, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnẽ conuenire Ecclesiam, id est, omnes qui sunt vndiq; fideles, &c.* Quid non molitur improbitas? Quid inausum relinquit Hæretica audacia? Ipsemet Irenæus disertè testatur; se aliarum Ecclesiarum Catholicarum traditiones & successiones omittere velle breuitatis caussa; & solas Romanæ Ecclesiæ, *Romanæ*, inquam, quæ Romæ fundata & constituta est; adferre sibi consilium esse. Ad hanc enim, Romanam videlicet; Romæ fundatam & constitutam; omnes, qui vndique sunt fideles, conuenire debere propter *potentiorem principalitatem* eius. Deinde vocula illa: *ad hanc*: illam refert & significat Ecclesiam; cuius mox successionem Episcoporum vsque ad sua tempora Irenæus enumerat; sed enumerat successionem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, siue eius, quæ Romæ fundata & constituta est; ergo vocula illa relatiua *Hanc*; Romanam Ecclesiam propriè significat; non tantum: *exemplariter*, vt delirat Iunius: qui etiam ferre nequit illud: *propter potentiorem principalitatem*.

Ait, *esse alienam vocem atq; sententiam, ab interprete profectam, pro eo, quod est; propter illud principium dignius.* Græcè enim esse διὰ τὴν ἱκανωτέραν ἀρχήν. Inprimis quærendum est ex Iunio, vnde compertum habeat illa: διὰ τὴν ἱκανωτέραν ἀρχὴν, esse primigenia & originalia Irenæi verba. Viditne Græcum exemplar libri tertij Irenæi? aut reperit hæc verba à Græco aliquo auctore recitata? Nam quod ex libro quinto Histor. Ecclesiast. adfert locum huius ipsius capitis, ἱκανωτάτην γραφὴν, quod in Latino Irenæo est; *potentissimas litteras*: id non euincit Græca, respondentia Latinis illis: Propter *potentiorem principalitatem*, non fuisse alia, quàm quæ Iunius nobis apponit. Deinde, nondum planè liquet, num Irenæus Græcè scripserit. Nam quod Eusebius & alij Græci, quædam ex Irenæo citant: id nihil interest; nam ex Latinis quoque scriptoribus citant interdum Græci nonnulla; translata nimirum à se, vel ab aliis in Græcum. Quid si etiam capita illa octodecim libri primi, quæ post Caluinianum Galasium Latinè vertit doctissimus, Billius non ab Irenæo sint, sed ab Interprete ex Latino in Græcum?

Accedit, quod licet extra omnem dubitationem esset, Irenæum Græcè scripsisse, quis tamen interpreti vetustissimo non potius fidem haberet, quàm hodierno Iunio, cum ἀρχὴ æquè *principatum* seu *principalitatem*, ac *principium* significet; cumque ipse sermonis contextus apertè clamet, rectè à prisco Interprete verba Græca expressa; nam propter primatum ait, omnes, qui vndique sunt fideles, ad hanc Ecclesiam conuenire debere: quod locum non habet, si cum Iunio dicas: *Ipsius principium esse potentius seu ἱκανώτερον multarum Ecclesiarum principio, quòd ab ipsis Apostolis fuerit constituta: potentius autem esse principium, quod Apostoli ipsi in Ecclesiis, quàm quod alij posuerunt.* Diabolicum prorsus commentum, ad eleuandam Ecclesiæ Romanæ maiestatem, quam tantus Martyr agnouit & prædicauit, excogitatum: Nam si necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, ad Romanam Ecclesiam, quia fundata est ab Apostolis: etiam ad Hierosolymitanam, vel Antiochenam, vel Corinthiam, vel Ephesinam & ad similes necesse erit omnem cõuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles; quia & ipsæ principium ab Apostolis ducunt. At Irenæus nihil horum affirmat de aliis Ecclesiis etiam ab Apostolis, & quidem ab ipso Petro & Paulo, fundatis, sed soli Romanæ Ecclesiæ hoc elogium tribuit: euidens

igitur signum est illum per *ἱκανωτέραν ἀρχὴν* (si sic Græcè scripsit) non intellexisse id quod Iunius somniat, sed quod vetustissimus Interpres expressit.

VVitackerus accusat Bellarminum fraudis & calumniæ in citatione Irenæi. Quamobrem? Dic Caluinista. *Ibi Irenæus, hoc in Hæreticis illis, quibus cum rem habebat, reprehendit, quòd non reciperent scripturas, sed magis traditiones vrgerent, iisq; adhærescerent. Ratio verò illorum fuit, quòd scriptura varios sensus, variamq; interpretationem admitteret. Hoc Iesuita tribuit Irenæo, ac si eius sententia esset; cum Irenæus eo in loco, non ex animo suo loquatur, sed Hæreticorum sententiam, ac opinionem proponat, eamq; reprehendat.*

Calumniatur VVitackerus, nil præter solitum: nam licet verba illa fuerint Hæreticorum; *scripturas esse variè dictas*; hoc est, varios habere sensus; id tamen non improbat Irenæus; sed probat; vt & illud; *ex traditione verum scripturæ sensum indagandum esse*; at non ex traditione Gnosticorum, & aliorum hæreticorum; sed ex illa, quæ apud Ecclesias Apostolicas, nominatim apud Romanam, semper conseruata fuerit; propterea capite tertio Romanæ Ecclesiæ successionem, & in illa successione doctrinæ puritatem integrè & illibatè durantem dinumerat; & capite quarto vel propter solam illam successionem Episcoporum in Ecclesia Romana, concludit; *non oportere adhuc quærere veritatem; quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis, quicunq; velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures sunt, & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? & si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & re liquidum est?* Ex quibus manifestissimè elucescit, Irenæum existimasse, scripturas non aliter, quàm ex traditione Ecclesiastica interpretandas esse, ne quis propter varietatem & multiplicitatem sensuum à vero sensu aberret. Nihil igitur Bellarminus Irenæo per fraudem affinxit, vt garrit VVitackerus.

Hunnius oggannit, *Irenæum agere de Hæreticis, qui scripturas in dubium vocabant.* Quis hoc nescit? Num ideo Bellarmini argumentum subneruatum est? An non & vos Lutherani Hæreticis istis similes estis? Cum enim Catholici vos ex scripturis, ex Tobia, inquam, ex Iudith, ex Ecclesiastico, ex Sapientia, & ex aliis non paucis antiqui & noui testamenti libris arguunt, *in accusationem conuertimini ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex aucto-* A *ritate canonica.* An non hic vester mos est atque genius? Etsi autem disertis verbis non dicit Irenæus, *ex solis scripturis non posse finiri controuersias*; ipso tamen facto suo hoc clarissimè profitetur. Cur enim capite tertio & quartò ita vrget traditionem & successionem Ecclesiarum Apostolicarum, præsertim Romanæ; nisi quia Hæreticos per traditionem in Ecclesiis Apostolicis sincerè conseruatam, cumque scripturis iugatam, reuincere & ad victas manus dandas cogere voluit, probe animaduertens id per solas scripturas fieri non posse; quia aliquas non recipiebant, vt faciunt nunc nostri sectarij: Aliquas quidem recipiebant, sed praua interpretatione ex commentitiis traditionibus petita B peruertebant & eludebant, vt faciunt hodie Nouatores nostri in iis sacrarum litterarum libris, quos, vt canonicos, se recipere dicunt.

Obserua. Prædicantem hic concedere *temporibus Irenæi, traditionem*, hoc est, verbum Dei non scriptum, *adhuc potuisse aliquem locum habere propter vicinitatem sæculi Apostolici.* Quando postea hæc traditio excidit? Quo sæculo? Quo anno? Quo Pontifice? Quo Imperatore? Viderit Hunnius, quomodo excusaturus sit, vel cum hoc asserto conciliaturus id, quod passim alibi contendit; *post corporis Biblici constitutionem, solam & vnicam scripturam fuisse normam & regulam omnium controuersiarum*; cum ætate Irenæi, post absolu- C tum iam scripturarum *systema*, traditio adhuc locum habuerit, & regula controuersiarum fuerit; qua Irenæus Gnosticos refellit.

Mentitur Prædicans, cum disputationem Irenæi *traditionibus nostris, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ officere scribit*: Nam Irenæum non nisi ficititias Gnosticorum traditiones, quæ per nullam Apostolicam Ecclesiam probari poterant, improbasse; alias autem in Ecclesiis Catholicis sanctè custoditas, & ad posteros integrè transmissas agnouisse; tam est perspicuum ex cap. 3. & 4. vt ne ipse quidem Hunnius id inficiari ausus fuerit; quantumuis alioqui ad audendum proiectissimus. Nam quod traditiones nostras D *Gnosticorum* traditionibus similes esse blaterat; parum moramur, certi, non esse alias; quàm quæ temporibus Irenæi in Ecclesiis Apostolicis, præsertim in Romana, tanquam *in opulento depositorio*, asseruabantur. Cum enim testimonio Irenæi exploratum sit, traditiones repositas fuisse in Ecclesia Romana; quæro, quænam illæ fuerint; si non sunt illæ ipsæ, quas hodie asserit ac tuetur Romana Ecclesia? Præterea, si nostræ non sunt illæ veteres; doceat Prædicans, quando nostræ inceperint; veteresque euanuerint? Quando? inquam. Quo Pontifice? Quo Imperatore? Hic semper Prædicantes, quantumuis alioqui vocales, Mutij sunt & Silij.

Nota

Digitized by Google

A Nota hic vertiginem Prædicanticam. Concessit suprà, Irenæum ex traditione refutasse Gnosticos; Nunc ait; *Irenaum, scripturas pro vnica omnium controuersiarum norma habuisse.* Si scripturas habuit pro vnica omnium controuersiarum normas cur in disputatione aduersus Gnosticos hac norma relicta; vsus est traditione & successione Apostolicarum Ecclesiarum, præsertim Romanæ? Quærit Prædicans, *quid locus Irenai faciat ad Bellarmini institutum.* Scilicet Cœcilius non vidit, quid faceret. Aperi oculos, & vide. Bellarminus probare vult; controuersias Ecclesiasticas semper iudicio Romani Pontificis & aliorum Episcoporum tunc vitam agitantium, finitas & terminatas esse. Testem, præter alios, dat Irenæum; quia idem dicit; quando expresse dicit; necesse esse, *vt ad Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem omnes alia Ecclesia*, hoc est, *omnes, qui sunt vndique fideles, conueniant*; tunc scilicet, quando aliqua controuersia exoritur. Vides, quid locus Irenæi ad institutum Bellarmini faciat? Num Irenæus misit controuersantes ad Biblia? Num ad Laicos? Num VVitebergam? Num Geneuam?

B Nunc ad ἄνευ syllogizantem; qui ita rudit. *Quidquid dicit Irenaus, hoc est verum. Sed Irenaus dicit ex scripturis controuersias finiri posse. Ergò Papa non potest errare in scriptura interpretanda.* Ab ingenio suo non discedit. Mentitur & calumniatur effrenatè & immoderatè. Nunquam Maior Bellarmino in mentem venit. Multò minus collectio quæ stultè ex præmissis istis colligitur. Si ita Sycophantari liceat; cuiusuis Auctoris testimonium facili opera eludi poterat. Nam si obiiciatur tibi Augustini, quantumuis luculentissimum testimonium; mox Savvbrandico more canere licebit. *Quidquid dicit Augustinus, illud est verum: Sed Augustinus dicit hoc vel illud: Ergo Lutherani vel Caluiniani non possunt errare in scriptura interpretanda*: statimque, vt iste facit; vociferari: *Aliud concludi, quàm fuerit in præmissis; Maiorem non esse simpliciter veram: Augustinum multa protulisse, qua ipsemet in libris Retractationum, tanquam falsa, repudiarit*: quæso, quis tam stupidum deliratorem fustuario non iudicaret dignum? Atqui talis delirator est iste Savvbrandus; qui mox fraudulenter Irenæum deprauat; cum fingit, illum lib. 2. cap. 46. & 47. dicere; *sanum sensum scriptura, & qui sine periculo est, ipsum esse, qui apertè & sine ambiguo, ipsis dictionibus in scriptura ponitur.* Accipe verba Irenæi; & de fide Caluiniani huius iudica. *Sensus autem sanus, & qui sine periculo est, & religiosus, & amans verum, &c. Hac promptè meditabitur, & in ipsis proficiet diuturno studio, facilem sententiam eorum efficiens.* Vbi Irenæus sensum accipit pro *animo* seu *mente* bona, sana, religiosa, reuerente, & veritatis amante, &c. quam dicit; studio & labore facilem effecturam eorum, quæ in scriptura continentur, sententiam. At Savvbrandus per sensum intelligit *sententiam & significatum* scripturæ; planè contra sensum Irenæi; & insulsè connectit cum illis; *Et quacunq, apertè, &c.* quæ perfecta & completa periodus ab antegressis separat. Et loco illius: *Quacunq,*; ponit, *Qui.* Omnia fraudibus apposite. Porrò Irenæum honorificè de scripturis sacris sensisse, quis abnuit? Sed num propterea traditionem, ex cuius præscripto scriptura explicari debet, abiecit? Nam quod lib. 3. cap. 12. dixit. *Ostensiones, qua sunt in scripturis, non posse ostendi, nisi ex ipsis scripturis:* quid tandem Savvbrandicam caussam iuuat? Nam Irenæus per *ostensiones* intelligit probationes, & argumenta; & ea quidem argumenta, quæ in scripturis continentur, quæ ait, aliunde non posse sumi, nisi ex scripturis; quia scriptura non sumitur aliunde, quàm ex scriptura. Quis insuper negat, veram sententiam ex scripturis colligi posse, præsertim adhibitâ Ecclesiasticæ traditionis regulâ; vt Savvbrando opus sit, multa ad hoc probandum verba prodigere: cuius vide, obsecro, subtilitatem in hoc consecutionum pari. Irenæus dicit lib. 3. cap. 5. *Reuertamur ad eam, qua est ex scripturis ostensionem, ergo est tantùm vnus sanus sensus scripturarum, & controuersia ex ipsis scripturis definiri possunt.* Pulcherrimè, quia *Savvbrandicè.* *II. Irenaus repudiat Gnosticorum traditiones, ergo repudiat etiam illas traditiones, quas Bellarminus cum Ecclesia Catholica defendit.* Argutissimè, quia

C *Lubbertice.*

Vbi nota, Caluinistam denuò verba Irenæi ex cap. 2. lib. 3. non intelligere; Irenæus dicit, interprete Savvbrando, *hareticos iactare varias expositiones, eásq, dicere se ab Apostolica traditione accepisse.* Atqui hoc non dicit Irenæus, sed hoc: Hæreticos cum arguuntur ex scripturis, dicere inter cætera consueuisse, *eas esse variè dictas*; hoc est, multiplices sensus habere; *& quia non possit ex his* (scripturis) *inueniri veritas* (propter sensuum varietatem) *ab his, qui nesciant traditionem* (Gnosticam videlicet.) Hic Irenæi sensus est, non ille, quem imperitia Caluinistica adducit.

D Alius Savvbrandinus syllogismus. *Quod variè exponitur, eius vera sententia est illa, quam habet Papa Romanus. Sed sacra scriptura variè exponitur. Ergò, ille est verus sensus sacrarum scripturarum, quam affert Papa Romanus. Respondeo, Maiorem esse falsam*; inquit Caluinista. At licet collectio hæc ex officina Bellarminiana non prodierit; sed ex Savvbrandica; vt proinde æquè ac aliæ sperni queat; Maior tamen, velis nolis, vera est; etiam ex Irenæi sententia. Nam vbi sententiæ de dogmate variant, illa sola vera est; quam Romanus Papa, tanquam supremus Ecclesiæ Pastor & Iudex, tenet, tenendamque præscribit. Et hanc etiam ob caussam dixit Irenæus, *omnes alias Ecclesias*, hoc est, *omnes, qui sunt vndique*

fide-

Digitized by Google

fideles, ad Romanā Ecclesiam conuenire debere, quia hæc illa est Ecclesia, ad quam vt sanctissimus Martyr Cyprianus scripsit, *perfidia non habet accessum*: vnde, qui hinc responsa petunt, dubiis exortis, vera & infallibilia referunt; quia ad Petri cathedram, *perfidia*, hoc est, error in fide, non habet accessum.

Alius syllogismus ex cerebro fanatico prosęminatus: *Ad quos Hæretici ab Irenæo remittuntur, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Romana Ecclesia est illa, ad quam Hæretici ab Irenæo remittuntur. Ergò Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda. Respondeo, Maiorem esse falsam*, inquit Caluinista. At ego Respondeo mentiri inprimis Caluinistam, quando ita suam Maiorem proponit, quasi Irenæus solos Hæreticos ad Ecclesiam Romanam remittat; imò omnes omnino Ecclesias, etiam Orthodoxas; hoc est, omnes, qui sunt vndique fideles; ait, ad hanc Ecclesiam conuenire debere. Non dicit, omnes, qui sunt vndique *Hæretici*; sed omnes, qui sunt vndique *fideles*.

Deinde Maior tua, licet ringaris, vera est; cuius veritas magis elucescet, si quis argumenta candidius, quàm tu furuus Nouator, formet: hunc nimirum vel similem in modum. Irenæus mittit Christianos, quando controuersiæ Ecclesiasticæ de fide existunt; ad Ecclesiam Romanam; ergo Ecclesia Romana in huiusmodi controuersiarum decisione non potest à vero aberrare, iudicio Irenæi. Antecedens est clarum ex cap. 2. & 3. lib. 3. Consequentia probatur. Illa Ecclesia, in quam, quasi in depositorium diues, Apostoli plenissimè contulerunt omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ, illa, inquam, Ecclesia, quæ talis est, non potest errare in decisione controuersiarum. Sed Ecclesia Romana est huiusmodi, teste S. Irenæo lib. 3. cap. 4. ergo Ecclesia Romana non potest errare in decisione controuersiarum.

Mentitur Caluinista, Ecclesiam Romanam errasse, cum tempore Irenæi damnauit Ecclesias Asiaticas propter Pascha: non enim errauit Victor, vt supra ostensum: Mentitur iterum, cum mendacium hoc suum attribuit D. Hieronymo in Catalogo script. Ecclesiast. & Eusebio lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 24. & 25. quia neuter dicit Victorem in hoc facto errasse, sed factum Victoris quasi asperius esset, aliquibus displicuisse: potest autem fieri vt & illud factum multis displiceat, in quo nullus error inest.

Obiicit Savvbrandus, Irenæum; non solum Ecclesiam Romanam producere testem veritatis, sed & Asiaticas Ecclesias. Non eo inficias: at de nulla Asiatica Ecclesia dicit; necesse esse ad eam omnes alias Ecclesias conuenire propter *potentiorem principalitatem*; ad quam ipse etiam Polycarpus propter *potentiorem principalitatem* aliquando venit; vt refert ibidem Irenæus.

Ait Savvbrandus, desciuisse postea Romanam Ecclesiam à veritate. Sed nos derepente quærimus; Quando? Quo Pontifice? Quo Imperatore? Adest Episcoporum successio perpetuo tenore continuata; ex qua cum Irenæo colligimus ταυτότητα seu *identitatem* doctrinæ antecessorum & successorum; & cum eodem elata voce clamamus. *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis traditio & veritatis præconiatio peruenit vsq; ad nos.* Poterant & Gnostici dicere: Aliam fuisse olim faciem Ecclesiæ Romanæ; aliamque doctrinam sub Petro & Paulo, primisque illis Pontificibus, quàm sub Sotere & Eleutherio, qui tempore Irenæi duodecimus Romanus Episcopus erat: Sed non obstante hac Gnosticorum obiectione, Irenæus ob seriem Episcoporum ab Apostolis vsque ad sua tempora deductam, intrepidè ait; *Et est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsq; nunc sit conseruata, & tradita in veritate.* Quanto magis iam nos hoc dicere possumus; quando non duodecim; sed ducentorum, & amplius Romanorum Pontificum successionem hæreticis obiectare possumus: Et quando ęquè parum ostendere possunt, qui ex his Pontificibus primus à veritate cælestis doctrinæ aberrarit, secumque Ecclesiam Romanam in errorem abstraxerit; ac hoc ostendere potuissent Gnostici; si dixissent, vt reuera dixerunt, posteriores Episcopos Romanos, vt Soterem, & Eleutherium à vera doctrina recessisse. Itaque vt Gnostici tunc euidentiâ successionis conuicti, confugiebant ad ætatem Apostolicam, in eoque errores suos abdere conabantur; ita & hodie Nouatores ad tempora Apostolica ascendunt; & inde doctrinam suam accersunt; sed eadem, qua Gnostici, fide.

Mentitur Savvbrandus; cum dicit argumentum hoc: *Tempore Irenæi erat in Romana Ecclesia veritas doctrina, ergo & nunc est*: esse simile istis: *Cum Petrus Antiochiæ doceret, erat isthic sana doctrina. Ergò & nunc illic sana doctrina est. Item; cum Paulus Corinthi doceret, erat isthic sana doctrina. Ergò & nunc isthic sana doctrina est.* Quia signatè constat, quando, & sub quibus antistitibus Ecclesiæ istæ à veritate cœlestis doctrinæ desciuerint. Quod de Romana sectarij nunquam in omnem sempiternitatem ostendent.

Sed en acumen Sibrandicum. *Irenæus dicit lib. 4. cap. 63. legitimam explicationem esse eam, quæ est secundum scripturam: ergo traditiones, quas Papistæ defendunt, non sunt recipienda.* Pulchre & subtiliter.

Secundus Pater à Bellarmino productus est D. Athanasius; qui in Epistola ad vitam solitariam agentes, dicit, inauditum esse, vt Imperator vel Princeps det Episcopis potestatem iudicandi de rebus Ecclesiasticis; aut vt ipse huius-

huiusmodi iudiciis præsideat. Respondet VVitackerus; *Iudicia Ecclesiæ legitima, de rebus ad fidem spectantibus, vim suam, atque auctoritatem à nullo homine mutuari, sed ab ipso Deo. Ergò, quisquis sibi sumit, vt de fide statuat, quemadmodum ipsi visum fuerit, quod impius Constantius apertè fecit; is sibi diuinam auctoritatem arripit.* Vides & agnoscis, opinor, tortuosum & lubricum anguem, his sinuosis inuolucris euadere conantem: sed retrahendus est; & ex latebris in apertum educendus. Dicit D. Athanasius, à condito mundo non esse auditum, quòd iudicium Ecclesiæ, hoc est, synodi & conuentus Episcoporum, auctoritatem suam (illam nimirum iudicandi de caussis Ecclesiasticis) acceperit ab Imperatore: quia Ecclesiastica potestas non est à sæculari & politica; sed à Deo. VVitackerus fraudulenter dicit: *Iudicia Ecclesiæ de rebus ad fidem pertinentibus vim suam non mutuari ab vllo homine; sed ab ipso Deo*; vt hac fallaci oratione ipsos etiam iudices Ecclesiasticos, hoc est, ipsos Episcopos excludat: quasi ab ipsis, tanquam à iudicibus, iudicia Ecclesiastica in iis, quæ ad fidem spectant, nullam vim vel auctoritatem habeant: cum tamen eam vim & auctoritatem habeant, quam solent habere decreta & sententiæ iudiciariæ à suis iudicibus; neque hoc negauit D. Athanasius; quia neq; de hoc hic vllam mentionem fecit; sed tantùm dixit; *inauditum esse; vt Episcopi iudicandi potestatem accipiant ab Imperatore.* Neque dicimus, quenquam de rebus diuinis statuere debere arbitratũ suo; quia aut hoc faceret princeps politicus; aut Episcopi. Sed ille hoc nequit; quia de quæstionibus fidei omnino, tanquam iudex, iudicare non potest; cum hoc iudicium non ad ipsius, sed ad tribunal Episcoporum spectet. Neque isti hoc possunt; quia Episcopi nõ iudicant in Concilio, prout ipsis solis visum; sed prout Spiritui sancto, & ipsis visum est; iuxta illud Concilij Apostolici Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Neque Romanus Pontifex iudicat, vt sibi visum: sed *vt Spiritui sancto & sibi.* Neq; potestatem iudicandi de rebus diuinis arripuit; sed diuinitus concessam vsurpat; vt & alij Episcopi in Concilio legitimè cum Pontifice congregati. Et hanc potestatem, vt Episcopi ab Imperatore accipiant; ait diuus Athanasius, à condito mundo prorsus inauditum esse. Aegrè hunc locum, nil dubito, attigit VVitackerus; quia nimis tangit vel potius perstringit id, quod nunc in Anglia vsu receptum: vt omnis iudicandi de rebus Ecclesiasticis potestas, sit à Rege; & inde ad Caluinianos Angliç Episcopos perueniat: item vt Rex sit Episcoporum princeps, & caput totius Ecclesiç Britanniçç; præsideatque iudiciis Ecclesiasticis. Et quia Athanasius hoc vocat abominationem desolationis, prædictam à Daniele; ideo hæc tanta huius sententiæ claritas VVitackerianæ loquacitatis caligine obnubilanda fuit; & mens lectoris alio abducenda.

Hunnius mentitur, *locum Athanasij nihil ad præ-* A *sentem caussam pertinere.* Quomodo nihil? Scis quę sit præsens caussa? Num oblitus es? Repetam ergo: vt curtæ memoriæ tuæ opem feram. caussa præsens est; Controuersias Ecclesiasticas semper in Ecclesia Catholica, iudicio Episcopi Romani & aliorum terminatas esse; non laicorum, etiam Principum & Imperatorum. An nihil ad hanc caussam sententia D. Athanasij dicentis, *ab ortu mundi nunquam auditum esse, vt princeps sæcularis det potestatem Episcopis iudicandi de caussis Ecclesiasticis; vtq; ipse huiusmodi iudiciis præsideat, & leges præscribat; quod ipse abominationem desolationis appellat?*

Quærit Prædicans. *Quo syllogismo conficiet Iesuita, Papam esse generalem omnium controuersiarum iudicem, & quidem infallibilem, & absolutum, cuius sententiam ne* B *quidem ad scripturæ canonem examinare fas sit?* En aliò digreditur Prædicans. Audi: Bellarminus hìc non agit de solo Papa (nam suo loco pluribus syllogismis, quàm velis, conficiet, Papam Romanum, etiam solum, esse supremum & infallibilem omnium controuersiarum iudicem) sed agit de Papa, & aliis Episcopis, & ad hos iudicium de omnibus rebus Ecclesiasticis pertinere probat etiam testimonio D. Athanasij: & quidem ad hos solos; sunt ergo Episcopi iudices generales & supremi; quia nulli post illos alterius generis & ordinis supersunt, qui iudicent.

Iunius clamat; *Athanasij locus est iuris ordinarij, quod agnoscimus: de Pontifice nullum verbum.* Atqui generatim affirmat D. Athanasius ad Episcopum C pertinere iudicium de rebus Ecclesiasticis; ergo etiam ad Episcopum Romanum, quia & ipse est Episcopus. Vt igitur Athanasius aliorum Episcoporum in sententia à Bellarmino citata meminit; sic meminit Episcopi Romani; generatim videlicet & in communi. Cum *ordinarij Iuris* ait esse id, quod S. Athanasius scribit; laudo; quia inde luculenter apparet, quàm extraordinariè & heteroclitè agant Caluiniani Angli, Belgicorum & Germanicorum & Gallicanorum fratres; qui sæcularem Regem faciunt Episcoporum principem, & caput suç Ecclesię, omniumq; iudiciorum Ecclesiasticorum supremum præsidem.

Savvbrandus institutum suum persequitur; sic D enim stultescit. *Quod non accipit auctoritatem ab Imperatore, hoc accipit auctoritatem à Papa: sed Ecclesia iudicium non accepit auctoritatem ab Imperatore. Ergò sententia Papa est omnis interpretationis regula.* Hanc suam stultitiam mox multis telis; sed æquè stultis stultus confodit; & fatuitati suæ nec modum, nec metam ponit; & quia insipientissimè delirat; alios, non se, delirare existimat. Quid enim aliud sunt, quàm anilia deliramenta; quæ subnectit. *Non fuit Athanasij sententia, authenticam interpretationem ab Ecclesia suscipere auctoritatem.* (Quo tendis fatue? Ista fuit sententia D. Athanasij, Episcopos non accipere ab Imperatore potestatem cognoscendi, iudicandi & determinandi caussas Ecclesiasticas) *Multò minus voluit Athanasius, vt authentica*

Digitized by Google

interpretatio suam auctoritatem à Papa acciperet. Et, vt hoc commodius intelligatur, quæstio est, an Papa sententia sit interpretationis regula? Tu ais, nos negamus. Tu pro confirmatione tuæ sententiæ adducis ex Athanasio, quod Ecclesiæ iudicium non capiat auctoritatem ab Imperatore. Hoc vtique medium est negatiuum. quomodo igitur ex eo affirmatiuam conclusionem nectes? Sanè, quoniam negatiuum est, sequitur extraneum esse: at debebat maximè domesticum esse. Quantus insipientiæ & stoliditatis cumulus. Quanta febriculosi delirij congeries? quam digna coronide coronat. *Nulla Begitta habet donum continentiæ: ergo omnes Monachi sunt casti.* Dic tu: *Nullus Prædicans habet donum veritatis; ergo omnes Prædicantes, & in his Savrbrandus, sunt mendaces, & veritatis capitales hostes*; quod in isto calumniatore euidentissimè apparet; qui clarissimum locum Athanasij obfuscare offuciis suis molitur, & ea nugatur; quę nec somnians quidem nugaretur; & tam confidenter, quasi meras demonstrationes adduceret, cum puras putas stoliditates promat.

Axiomata D. Athanasij sunt ista. I. *Episcopos iudicandi potestatem non habere ab Imperatore.* Ex quo sequitur, Imperatorem non esse iudicem caussarum Ecclesiasticarum; multoque minus alium politicum principem Imperatore minorem: & adhuc minus quosuis etiam ex vulgi sorte laicos.

II. *Nunquam agnitum fuisse pro iudicio. quod Imperator aut alius princeps in caussis Ecclesiasticis iudicasset.*

III. *Abominationem desolationis esse; si princeps politicus se faciat principem Episcoporum, iudicijsq; Ecclesiasticis præsideat*; ex quibus dilucidè infertur ex sententia Athanasij caussarum Ecclesiasticarum cognitionem & iudicium non pertinere ad Laicos magnæ vel nullius dignitatis; sed ad Episcopos, & quia inter Episcopos est etiam Pontifex Romanus, suffragante ipso D. Athanasio, qui omnes Romanæ sedis Antistites maximopere coluit ac suspexit; ideo rectè dicitur, lites Ecclesiasticas ex D. Athanasij sententia terminari debere iudicio Romani Pontificis & aliorum Episcoporum. Quod solum his testimoniis contra hæreticorum petulantiam & peruersitatem Bellarminus euincere voluit: & tamen impudens hoc caput nescio quid de sententia Papę omnis interpretationis regula, deque argumentis affirmatiuis & negatiuis *insitis & extraneis* tam aptè & cohærēter garrit, vt ebrium Pseudolum in scena Plautina *talipedantem* & vacillantem audire mihi videar.

Tertio loco producit Bellarminus D. Basilium epist. 52. ad Athanasium, vbi dicit; videri sibi bonum, vt quando synodus tunc fieri non poterat, scriberent ad Romanum Episcopum, vt ipse auctoritate sua, mitteret aliquos in orientem, qui acta Concilij Ariminensis dissoluerent. Quærit, VVitackerus; *quid ad rem?* Non dubito, te vidisse. Sed ne alij de tuo grege id ipsum videant, quæritur, quid ad rem; vt hoc orationis schemate nebulas luci offundas. Inprimis hoc ad rem facit;

A quia palam ostendit, Romani Pontificis, & aliorum Episcoporum auctoritate, controuersias Ecclesiasticas compositas, & malè statutas leges rescissas ac refixas fuisse. Quod Bellarmino hic probandum incumbebat.

Deinde hoc ad rem facit; quia prærogatiuam summi Pontificis perspicuè nobis ob oculos ponit: Cur enim à Romano præsule hoc postulatum est, vel saltem D. Basilio postulari debere visum est, nisi quia potestas Romani Pontificis ad alias Ecclesias extendebatur; alioqui orientales legatis Romani Antistitis dicere poterant: *Quid nobis commercij vobiscum? Vos vestra curate. Nobis nostra curanda relinquite. Nihil iuris Romanæ sedi in nos competit.* At nihil periculi erat, vt orientales hisce B modis Romani Papæ legatos exciperent; neque hoc verebatur, D. Basilius, quia notum erat, Pontificis Romani potestatem non occidentis finibus circumscribi, sed quà religio Christiana patet, diffundi: ac proindè malè condita Ariminensis Synodi placita à nemine, quàm à Romano Antistite citius & melius dissolui & disturbari posse.

Calumniatorē ergo ait hic Iunius, cum mentitur; *Basilium nō satis bona fide à Bellarmino adductum esse.* Mendacium item est; *hoc à Romano Pontifice non fuisse aut petitum aut petendum, vt à summo omnium pastore; sed tantū vt à Metropolitano Italiæ.* Mendacium insuper est; *à Nicæno Concilio non aliter agnitum, quàm vt Patriarcham cismare.* Mendacium præterea est; C *hoc. quod D. Basilio faciendum videbatur, agendum fuisse à Romano Pontifice de sententia Ecclesiarum cismarinarum.* Nil simile D. Basilius; sed expressè dicit; *vt Episcopus Romæ sua auctoritate in ista caussa vsus, aliquos in orientem ableget.*

Mentitur & Hunnius, *cùm pari audacia Bellarminum malæ fidei in citatione Basiliana accusat.* Consulatur Basilius, & in rem præsentem eatur; quod postulat Iunius. Non subterfugimus. Nam quòd D. Basilius optat, vt ad legationem istam destinentur idonei, & ad tantum negotium ritè perficiendum apti, vt mansuetudine & facilitate ingenij, *eos, qui obliqui sunt corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes*; id prorsus non est argumento, à D. Basilio, & aliis orientalibus Roma- D num Episcopum non habitum pro supremo pastore; quemadmodum & iam nullum penitus esset huiusmodi rei indicium; si quis Germanus Episcopus peteret, aut petendum censeret ab Episcopo Romano; vt in Germaniam mitteret viros idoneos, qui distortos Lutheranis & Caluinianis persuasionibus cum mansuetudine & paterna solicitudine in viam veritatis reducerent.

Quod si Prædicantium stultitiam luculentius lectorum oculis subiicere luberet: huiusmodi consequentiam texere liceret: S. Basilius vult, vt in orientem mittantur ab Episcopo Romano legati idonei, qui errantes mansuetè & prudenter corrigant; & malis per Arianismum illatis medeantur;

deantur; ergo S. Basilius non habuit Episcopum Romanum pro summo pastore, & communi omnium controuersiarum Iudice.

Adhuc validius. Basilius non appellat Papam Pontificem, quemadmodum Bellarminus citat, sed Episcopum: ergo Episcopus Romanus non est summus controuersiarum iudex. Antecedens est Hunnij conceptis verbis. Neque ex alia officina venit consequentia. Quid ergo dicemus?

Transeo ad syllogistam Savvbrandum, qui venientem hoc syllogismo excipit. *Quidquid Basilius dicit, hoc est verum; sed Basilius voluit, vt Episcopus Romanus dissolueret Acta Concilij Ariminensis. Ergò, Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Syllogismo syllogismum reponam. Quidquid Savvbrandus dicit, illud est mendacium. Sed Savvbrandus dicit, syllogismum asyllogistum, quem modò cudit, esse Bellarmini; Mēdacium igitur dicit Savvbrandus. Melior certè est iste; quàm ille tuus; in quo nihil boni aut veri, aut sani, omnia peruersa, falsa; insana.

Magis arridet iste. *Qui tentat Acta Concilij Ariminensis destruere, ille non potest errare in scriptura explicanda. Sed Papa tentat Acta Concilij Ariminensis destruere. Ergò, Papa non potest errare in scriptura explicanda. Maior non est vera,* inquit Caluinista. Siue vera sit, siue falsa, nihil ad me, quia nihil ad Bellarminū. Tua est hæc tota collectio. Ne tamen omnia tua repudiem; si Maior sic formetur. *Qui legitimè ex officio summi pastoris & iudicis, tentat Acta Concilij Ariminensis destruere, ille non potest errare in scriptura explicanda*: Tum vera erit, velit nolit, Hæreticus: qui rursus nugis & tautologiis millies ingestis sese hic oblectat; & quidquid in buccam venit, planè morionis & mori more & modo effutit, & quæcunque phantasmata ipse sibi fingit.

Quartus testis est D. Gregorius Nazianzenus in oratione qua se excusat, quòd diu ab Ecclesiastica functione abstinuerit, & in alia ad ciues suos timore perculsos. *Vbi nihil habetur,* inquit VVitackerus, *quod aduersariorum caussæ faueat.* Sed mentitur: An enim nihil caussam nostram iuuat, quod Nazianzenus tam seriò vetat, ne oues velint ipsos pascere pastores, & iudicare iudices, legemq; ferre legislatoribus? An nihil caussam nostram iuuat, quod Nazianzenus ait; *ipsos Imperatores suo & Episcoporum tribunali subiectos esse?* An nihil caussam nostram iuuat, vox illa liberrima Nazianzeni Imperatorem alloquentis: *Scio te ouem esse gregis mei.* An non ex his omnibus dilucidè liquet, caussarum Ecclesiasticarum iudicium ad Episcopos pertinere; non ad laicos, non ad ipsos etiam Imperatores & Reges? An non ex his manifestissimè elucescit stoliditas Anglicanorum Caluinistarum, qui nuper Reginam, nunc Regem omnium Episcoporum & vniuersæ suæ Ecclesiæ caput constituunt? Dicat Caluinianus Pseudoepiscopus Regi; *Scio te ouem gregis mei esse.* Dicant vniuersi simul: *Lex Christi te nostræ potestati,*

A *nostroq; subiecit tribunali:* An non statim pœnas persoluent; & ex legibus, quas sibi lupi isti, non pastores, fixerunt, *rei maiestatis læsæ* proclamabuntur, vt planum fit ex conciliabulo Londinensi, quod Londini celebrarunt, anno Christi M. DC. III. VVitackerus hoc vlcus non libenter tangit, & quia nimis apertè tangitur à Nazianzeno, hinc cito pede transilit: & à Nazianzeno *tantummodo iudicium temerarium vetari scribit.* Quasi verò vnquam fieri queat, vt ouis prudēter & cautè agat, quando pastorum suorum doctrinam in examen vocat; & modici ingenij sui trutina, num proba sit, trutinat. Quasi verò vnquam absque temeritate fieri queat, vt oues suos pastores pascere studeant.

B Iunius per *legislatores* apud Nazianzenum intelligit *præcones & interpretes legum iudiciorumq; Dei.* Quis vnquam audiuit, præcones legum vocari *legislatores?* Mētitur, esse *catachresi rhetoricam à Nazianzenò frequentatam cothurno poëtico.* Sed Iunio nulla est religio, etiam absq; catachresi rhetorica, & absq; cothurno rhetorico, vel luce clarioribus rebus tenebras inducere vel inducere velle; admodum imperitè & inscitè vel potius impiè. Quis enim non animaduertit præter istos bliteos Nouatores, Nazianzenum legislatoris nomen propria significatione vsurpasse; non abusiuè, non Rhetoricè, non Poëticè, vt iste audacter comminiscitur.

C Hunnius inuerecundè in dubium reuocat, num locus à Bellarmino citatus exstet apud Nazianzenum. Liber in promptu est, aperiatur & inspiciatur, & vanitas Prædicantica mox euanescet. Ait, *se non existimare Nazianzenū eius fuisse fastus, vt sibi simpliciter & absolutè fidem haberi voluerit.* Fastus non est; sed pastorale munus, si quis pastor ab omnibus debitum obsequium postulet: vt postulauit Nazianzenus; quando his verbis oues affatus est: *Vos oues nolite pascere pastores, &c. Nolite iudicare iudices, nec legem feratis legislatoribus, &c.* Ait, *Paulum æquissimo animo tulisse in suas conciones inquiri à Beroeensibus.* Iterum adest cum suis Beroeensibus, qui vel nondum crediderant; & sic non mirum, si in sermones D. Pauli inquirebant, vel si crediderant, non inquirebant, vt dubij; sed vt profe-

D ctus & confirmationis in cælesti doctrina cupidi; quod nemini prohibitum; qui id, vt decet, præstare potest. At vt in decreta & dicta pastorum inquirant subditi tanquā dubij in dubia, ipsumque pastorem pascere & doctorem docere tentent; id præposterum quiddam est; dignumque Lutherana & Caluiniana secta; quæ nihil aliud est, quàm quoddam ὕστερον πρότερον.

Ait Prædicans: *Si Nazianzenus quidquam ab Apostoli instituto alienum docuisset, audiendus non esset.* Vtique audiendus non esset: sed ne metuas Prædicans, nihil abhorrens à sensu Apostoli docuit Apostolus, cui nunquam in mentem venit ouibus hanc dandam esse potestatem; vt pastores ascere & doctores docere velint. Post Concilium

Digitized by Google

Hierosolymitanum Act.15.cum Barnabas & Paulus, Iudas item & Silas Antiochiam venissent; & fratribus collectis in vnum Concilij decretum exposuissent, nemo exstitit, qui diceret: *Examinabo prius hoc decretum, & dispiciam nũ sacris litteris sit consonum: si consonet, amplectar; si dissonet; repudiabo.* Neque Apostoli Barnabas & Paulus clamarunt; cum nostris Prædicantibus: *Apportamus vobis decretum noui Concilij: omnia probate; quod bonum est tenete. Operam date, ne decipiamini. Exigite omnia diligenter ad scripturæ normam.* Quamuis autem Prędicantes videri velint summam facere potestatem hædis suis iudicandi de doctrina, & pascendi ipsos pastores, docendique doctores, id tamen verbis potius quàm re pręstant; vt sępius iam dictum, & cum aliàs manifestũ euasit, tum eo potissimum tempore, quo *Formula Lutheranæ Concordiæ* euulgata: Multi conabantur librum ad trutinam sacrarum litterarum reuocare, & reuocatum, pronunciabant à sacra Scriptura alienum & abhorrentem esse. Sed carò stetit multis hęc trutinatio. Solum vertendum, vel probandũ fuit, quòd pauculi Prædicantes inter cyathos architectati fuerant.

Ait Prædicans; *Si verba illa exstant apud Nazianzenum, iis reprehendi iudicium temerarium, non ex scriptura factum, sed de proprio arbitratu profectum, idq́; non super doctrina, sed persona sua.* At Hunnius mendax est Nazianzeni Interpres; planũ enim fit, vel primo verborum intuitu, Nazianzenũ agere de iudicio super doctrina; vult namque, vt oues non tentent suos pastores pascere; pastio autem præcipuè fit doctrina; Interdixit ergo ouibus; ne doctrinâ suos pastores pascere; hoc est, ne doctores suos docere niterẽtur. Quod si iudicium de persona pastoris ouibus prohibitum est; quãto magis iudicium de doctrina; in quo longè procliuius est ouibus labi, & hallucinari, quàm in illo de moribus & vita. Quod dicit: prohiberi temerarium iudicium; nõ renuo; Tantum addo, nunquam esse iudicium maturum & laude dignum, sed semper leue ac temerarium, quando oues se suasque phantasias, quantumuis scripturarum pigmentis coloratas pastori suo anteponunt.

Lepidissimum est, quod Hunnius sciscitatur; *quorsum Bellarminus adserat exemplum Gregorij Naz. cum nunquam fuerit Romanus Pontifex; neq; hinc etiam euincere queat potestatẽ illam indiciariam planè Monarchicam, nulli, nisi Romano Pontifici, competentẽ.* Iterum ex fragili & labili Prædicantis memoria excidit scopus, ad quem Bellarminus omnia tam Patrũ, quàm aliorũ testimonia destinat. Et est iste: Controuersias Ecclesiasticas in Ecclesia Dei semper Romani Papæ & aliorum Episcoporum iudicio terminatas fuisse; non laicorum; nõ principum, non ipsorum etiam Imperatorum: & hoc probat luculentissimo D. Gregorij Naz. testimonio; qui docet, omnes simpliciter laicos, ne Imperatorib. quidem exceptis, esse Episcopis subiectos. An nil ad Bellarmini institutũ facit hoc tam pręclarum testimonium? Vt enim quis testetur, caussas Ec-

A clesiasticas ad Episcopos, tanquam iudices pertinere; minimè opus est, vt sit Romanus Põtifex; quia in hac re testimonij dictio nemini interdicta est; quia est testimonium veritatis veritati datum, quòd ab omnibus perhiberi potest. Ridiculum est; quod accusat Prędicans *Bellarminum malæ fidei,* quia dixerit; *Imperatores à Naz. compellari, quia tunc vnus duntaxat erat imperator;* inquit Prædicans. Imperitissimè; quia toto tempore, quo Greg. Naz. Episcopatum gessit (in Episcopatu autẽ orationẽ ad ciues timore perculsos dixit) semper fuère duo vel etiam plures Imperatores: quos proinde sua in oratione affari potuit. Nonne initio apostrophes, qua vtitur Naz. generatim omnes principes alloquitur? *Quid verò vos principes & præfecti?* B nisi fortè inter principes nõ erant illi Imperatores, qui tunc Imperium tenebãt; sed vnus tantũ. Quod postea ad vnum Imperatorem orationem dirigit, id nihil est; quia prius generatim de principibus dixerat, atq; adeo de Imperatoribus, eos suę potestati esse subiectos. Deinde, quod de vno affirmat; eum gregis sui esse ouiculã; id etiam de alio & aliis affirmare licuit; quia omnes Imperatores Episcoporum ouiculæ sunt; quod attinet ad doctrinam fidei, causasq́; & controuersias Ecclesiasticas: nec erat maior ratio cur vnum Imperatorem D. Gregorius sibi subiectum diceret; quam cur quemcunque alium; quia omnes Ecclesiasticæ potestati subiecti sunt.

Ait Prædicans: *Imperatorem putaui esse solius Petri* C *ouiculam; Vnde ergo Nazianzenus ad hãc peruenit dignitatem, quem nunquã Romanum Pontificem fuisse constat?* Petri ouicula est, & quidem solius, quatenus solus Petrus supremus pastor est. Nazianzeni, & cuiuscunque alterius Episcopi Imperator ouicula erat; quatenus & ipse, tanquam ab inferioribus Pastoribus, & summi illius quasi vicariis pasci & salutari doctrina instrui debebat, subque illis viuebat, non supra illos, in negotio quidem religionis caussarumque Ecclesiasticarum.

Addit Prædicans: *Qua in re ministerium Ecclesiasticũ politico muneri anteferat Nazianzenus, ipsemet clarius verbis explicat, nimirum ratione obiecti, quatenus illud circa spiritualia, & æterna; politicũ verò munus circa temporalia occupatum est: tum quoq; ratione finis, qui est, sa-* D *lus animarum. Hanc explicationem, præsertim, quoad obiectum, in contextu Gregorij clarè positam omisit Bellarminus suo quodam compendio.* At tu mentiris ô Prædicans; quia Bellarminus satis explicauit recitatis Nazianzeni verbis, qua in re Nazianzeni potestas sublimior fuerit & pręcelsior, quàm Imperatoris vel vllius alterius præfecti aut principis: nimirum quia potestas Nazianzeni, vtpote Episcopi, circa spiritalia & salutẽ animarum erat: potestas principum politicorum, circa temporalia & ciuilia. Quid Bellarminus omnibus hisce probationibus & auctoritatibus aliud efficere contendit, quàm rerum spiritualium & Ecclesiasticarum curam & notionẽ iudiciariam, ad Episcopos, nõ ad Imperatores & principes sęculares

pertine-

Digitized by Google

pertinere? Nam ſi vt Prædicans dicit, ratione obiecti differunt duo iſta munia; quia alterum temporalia; alterum ſpiritalia tractat; notio igitur & iudicium ſpiritualium non ad Imperatoris, ſed ad Epiſcoporum functionem ſpectabit. Si hoc fateris; quid ergo cauillaris; quidque calumniaris? Aſſentire veritati, & quieſc;e& mendacio illi tuo toties inculcato: à Nazianzeno non Imperatorem; ſed præſidem ſeu præfectum ſuo Imperio ſubiici; tandem finem impone. An non enim ſuo ſubdit Imperatorem imperio; quem his verbis affatur: *Scio te ouem eſſe gregis mei, &c.*

Nunc ad Savvbrandicas glandes. Mentitur initio Bellarminum ex dicto Nazianzeni hanc conſequentiam inferre: *ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda.* Mentitur ſecundò, à Bellarmino hanc inertem conſecutionem confici, aut inſinuari. *Oues non debent paſtores paſcere, id eſt, oues debent ab omni polypragmoſyne abſtinere. Ergo Papa Romanus non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Mirabilis & prorſus Ieſuitica logica. Nihil enim eſt in conſequente, quod fuit in antecedente. Et tamen, ſi diis placet, eſt firmum argumentum.* Mirabilis prorſus & *Caluiniſticodiabolica* calumnia: nulli enim Ieſuitæ talis conſequentia vnquam in mentem venit. Et tamen calumnia hæc auctori ſuo valde arridet: quaſi pulchrè & artificioſè ſtructa. Similē calumniam huic etiam collectionis monſtro intexuit Caluinianus tenebrio: *Qui non debent ab ouibus paſci, illi non poſſunt errare in ſcriptura explicanda. Sed paſtores non debent ab ouibus paſci. Ergo Papa Romanus non poteſt errare in ſcriptura explicanda.* In hoc monſtro iugulando mirificè poſtea vires ſuas experitur & exerit Savvbrandus; & modò *Maiorem*, modò *Minorem*, nunc *concluſionem* euentilat; & ſtrenuè demolitur; ſtruat & deſtruat, quid & quantum portentorum volet; nihil huius generis ex capite aut ſenſu Bellarmini, ſed ex cerebro ſuo per ſummam nequitiam exſtruit. Hinc & iſtam conſequentiam Diabolicis criminationibus accēſeas licet; *Imperator, & populus ſunt Nazianzeni imperio ſubiecti. Ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Pudet me horum argumentorum*, inquit Caluiniſta. Mentitur; quia ſi eum puderet; ab huiuſmodi nugamentis fabricandis abſtineret: Quomodo te, ô impudens caput; tuæ impudentiæ puderet; cum pudentia à te penitus exulet: nam ſi vel modicum ſupereſſet; nunquam ex pectore mendaciſsimo, hunc ſyllogiſmum eructaſſet, & more tuo calumnioſè Bellarmino adſcripſiſſes: *Cuius Imperio princeps, & populus ſubiectus eſt, ille non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Sed Nazianzenus eſt ille, cui Imperator, & populus ſubiectus eſt. Ergo, Papa Romanus non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Aliud eſt,* inquit Caluiniſta, *in concluſione; aliud in præmiſſis.* Siue aliud ſit in prę̨miſsis, quàm in concluſione; ſiue idem; ſi tenebrio non eſſes; hunc diſputandi modum nō teneres; quia quot verba profers; tot fundis mēdacia: nam ex teſtimonio Nazianzeni nihil aliud colligit Bellarminus; quàm iudicium cauſſarum Eccleſiaſticarum, non ad Imperatorem; non ad vllos laicos; ſed ad Papam Romanū, aliosq; Epiſcopos pertinere. At impoſtor iſte; vbique ſenſum & mentem Bellarmini diſtorquet ac peruertit; & deliria, talia fingit; qualia nulla finxit quantumuis validè delirans, anicula.

Quinto loco ſequitur Chryſoſtomus, qui Homil. vlt. in Ioan. dicit, Petrum toti orbi magiſtrū à Chriſto præpoſitum. Reſpondent Prędicantes, Iunius, Hunnius, VVitackerus, *non ſolum Petrum toti orbi fuiſſe præpoſitum, ſed & alios Apoſtolos: Neq; inde ſequi, Papam quoq; toti mundo eſſe præpoſitū.* Futilis eſt reſpōſio: ſolus Petrus toti mundo indepēdenter ab vllo alio in his terris ſuperiore & cū priuilegio hanc ſuā, vt ſic loquar, *præpoſituram* tranſmittendi ad poſteros & ſucceſſores ſuos; prępoſitus fuit; vt ſupra ſuis locis vidimus: & in controuerſia de Pontifice ex inſtituto oſtendetur. Cum igitur Papa ſit ſucceſſor D. Petri, & quaſi hæres ex aſſe paſtoralis & iudiciariæ poteſtatis, qua Petrus præditus fuit; rectè concluditur, ipſum quoque toti mundo præfectum eſſe.

Savvbrandus agit quod agit. Calumniatur & mētitur; Quæ duo negotia ſibi à Caluiniſtico populo data credit; ideoque enixè dat operam, vt partibus ſibi commiſsis probè fungatur. Mentitur Bellarminum ex Chryſoſtomo tale argumētum conficere: *Petrus eſt toti orbi magiſter præpoſitus. Ergo, Papa nō poteſt errare in ſcriptura explicanda.* Subdit. *Equidē Bellarmine, hæ ſtrophæ, bellebore potiùs, quàm logicis rationibus purgandæ ſunt.* Equidē Savvbrande hę lœdorię, & pſeudologię fuſtibus potius coërcendæ, q̃ multis verbis operoſè refellendæ ſunt.

Petrus eſt totius orbis magiſter. Papa non eſt Petrus, neq; cum Petro quidquā habet commune. Ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Egregium Caluiniſtici cerebri figmentum. Non vidi huiuſmodi commentorum magis effrōtem & effrenem fabrum. *Sed ad rem:* inquit Savvbrandus, hoc eſt, ad ſolita conſueta ψεύσματα & aut ad malitiæ improbitatisq;, aut ad ſummæ inſcitiæ luculentiſsima ſpecimina. *Qui eſt totius orbis magiſter, ille non poteſt in ſcriptura explicanda errare. Sed Petrus eſt totius orbis magiſter; ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda.* Hunc ſyllogiſmū de induſtria, inepta & ridicula forma veſtiuit tenebrio; Quamuis. n. ſyllogiſmi, quos iſte fingit, nihil ad Bellarminū pertineant; tamē ſi iſte voluiſſet; potuiſſet huic ſuę collectioni ſaltem bonam formam induere hac vel ſimili ratione: Qui eſt ſummus totius orbis magiſter, ille nō poteſt in ſcriptura ex cathedra explicāda errare: Petrus & ſucceſſor eius Papa eſt ſumm' totius orbis Magiſter; ergo Petrus & ſucceſſor eius Papa non poteſt errare in ſcriptura ex cathedra explicāda. Hic ſyllogiſmus verus & legitim' fuiſſet; etſi hoc loco, *ἀπροσδιόνυσον*, vt *Prædicātico* verbo vtar; & veracē, quamuis extra oleas ſaltitantē, diſputatorem decuiſſet; ille alter magis decet ſycophantam; quē, vt ſibi conformē, ſycophāta Savvbrandus elegit: Qui mox aliū ſyllogiſmū edolat.

Qui sunt totius orbis magistri, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed omnes Apostoli sunt totius orbis magistri Ergo omnes Apostoli nō possunt errare in scriptura explicanda. Hoc argumentum, inquit Caluinista, *verissimum est, sed nihil ad caussam Bellarmini*. At hoc argumentum non est, saltem hoc loco, Bellarmini. Tuum est: Tu, quæ tua sunt, tibi serua; nil opus, vt Bellarmino argumēta cudas, cui hic nihil aliud est propositum, quàm causas Ecclesiasticas iudicio Romani Pontificis & aliorum Episcoporum terminandas esse; Quod etiā colligit ex D. Chrysostomo dicēte; *Petrum à Christo toti mundo esse præpositum magistrum* Nō certè in temporalibus, more Imperatorum & Principum politicorum, ergo in spiritualibus: Illius ergo erat iudicare & sententiam ferre de huiusmodi rebus, quarum magister & iudex à Deo in vniuerso mundo constitutus fuerat. Idem ergo magisterium durat adhuc in successoribus Petri.

Post multiplicem battologiam, qua fatuus iste battus sese oblectauit; hunc tandē syllogismum, meliore cæteris luto formatū, depromit, ex sua; vt alios, non Bellarmini pharetra. *Qui non potest errare, eius successores etiam nō possunt errare: sed Apostoli non possunt errare. Ergo eorum successores non possunt errare Ex hoc ait sequi, nullum Episcopum posse errare*; eo quod quiuis Episcopus sit successor Apostolorum, qui ab omni errore in docendo immunes fuêre. Nugas agit Savvbrandus; & nugas suas oppugnat non nostras assertiones. Maior enim, etsi huc non pertinet; non est simpliciter vera; nisi successor succedat in tota officij antecessoris sui plenitudine; quo pacto negamus singulos Episcopos succedere Apostolis: vt enim non succedunt in amplitudine potestatis, ita nec in infallibilitate doctrinæ; si singuli sigillatim, vel etiam iunctim extra Concilium œcumenicum spectētur. At Pontifex Romanus succedit Petro plenè & perfectè in tota potestatis amplitudine.

Citat Bellarminus ex libro D. Thomæ contra errores Græcorum magnificum & clarissimum D. Cyrilli pro primatu Romani Pontificis testimonium; quod quia oculos Prædicātium fulgore suo nimis perstringit, ideo Prædicantes clamant, *id à Thoma fuisse confictum*. Quod crederem, si D. Thomas Prædicantibus similis fuisset. Nunc quia dissimillimus & doctrina, & moribus fuit, non cadit in tantum virum vel modica fraudis suspicio: nam quod hodie in *Thesauro* Cyrilli fortassis non reperitur, id D. Thomæ factum non grauat; quia constat Græcos valdè fuisse liberales in eradendis, & expungendis illis sanctorum Patrum dictis, quæ quoquo modo schismaticis, eorumque nouitatibus aduersabantur.

Mittit etiam Bellarminus lectorem ad Damascenum orat. 1. & 2. pro imaginibus. Quid Iunius? *De Damasceno, naribus trahatur oportet, qui credet hominem Syrum, & Patriarchæ Antiocheno, ac Constantinopolitano obstrictum, auctoritatē Romani Pontificis ita prædicare fuisse ausum, aut etiam voluisse*. Primùm Bellarminus hic non disputat de primatu summi Pontificis: nam hęc controuersia ꝓprium locum habet. Tu cur omnia misces & confundis? Sed tantum probat caussas & lites Ecclesiasticas, nō Laicorum, non Principum, non Imperatorum; sed Episcoporum iudicio esse definiendas ac terminandas, Hoc tam euidenter & planè asserit locis à Bellarmino citatis, & verbis à Iunio etiam recitatis, vt fungus non homo censeri queat; qui Damasceno aliam mentem affingere tentet. *Paremus tibi*, ô imperator, inquit Damascenus orat 2. *in iis, quæ ad vitæ ciuilis negotia pertinent, vt in tributis, vectigalibus, cōgiariisq́; soluendis, quorum tibi, quantum ad nos spectat, munus est creditum, ac demādatum. At, in Ecclesiasticis rebus statuendis, ac decernendis habemus Pastores, qui nobis locuti sunt Verbum, & leges, atque instituta Ecclesiastica tradidêrunt. Nō transferimus terminos sempiternos, quos nobis patres nostri constituerunt, sed q̄ nobis præscripta sunt, vt ea accepimus, tuemur, atq; defendimus. Si enim cœperimus ædificium Ecclesiæ, vel paruis in rebus diruere, totum paulatim dissoluetur.* Idem mox ibidē: *Non suscipio regem sibi per tyrānidem sacerdotium vindicantē. Noui Valentem regem; qui cum Christianus nominaretur, orthodoxam fidem persequebatur. Zenonem itē, & Anastasium, & Heraclium, & Constantinum illum, qui in Sicilia fuit, & Bardaniscen, qui & Philippicus appellatus est, non regiis regulis, sed patriis institutis tam scriptis, quàm non scriptis Ecclesiam censeo constitui, & gubernari oportere.*

Ex Latinis Patribus primus profertur Tertull. in libello de præscript. hær. Vbi tantum abest; vt scripturam pro iudice controuersiarū agnoscat; queādmodum faciunt hæretici; vt ne ex scripturis quidem cum hęreticis disputandū existimet; sed ex præscriptione, hoc est, ex traditione Ecclesiarum Apostolicarum, reuincēdos, & coarguendos esse dicat. Respondent Prædicantes Iunius, Hunnius, VVitackerus, *Tertullianum tantummodo loqui de hæreticis, qui scripturas vel negant vel in dubium vocant & hæc nostra responsio*, inquit Hunnius, *tam est clara in ipso libro, quem sibi testem vocat Bellarminus, vt mirari satis non possim, ausum fuisse Iesuitam contra manifestam literam aliò torquere locum Tertulliani.* Mendacium hoc Prædicātium tam manifestum fit ex ipso Tertulliano, vt vehemētissimè mirarer, istos hæc publicè litteris mandare ausos; nisi frons Prædicantium mihi iam pridem notissima esset. Tertullianus de præscript. cap. 15.

Audiamus Tertullianū. *Hæretici*, inquit, *scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdā mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendo eos ad vllam de scripturis disputationem: si hæ sunt vires eorum, anne eas habere possint, dispici debet; cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.*

Post nonnulla in eandem sententiam subiungit. *Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi planè, vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri.*

terebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & , si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit: &, si recipit, non recipit integras; &, si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessariò volunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: hi nituntur, quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promouebis exercitatißime scripturarum? cum, si quid defenderis, negetur ex diuerso; si quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. Ecce apertissimè dicit Tertullianus, illos etiam hæreticos ad scripturam nō esse admittendos; qui integras scripturas recipiunt; & addit caussam, cur non sint admittendi; quia licet integras scripturas recipiant, varios tamen & absonos, & à veritate alienos sensus comminiscuntur; quod perinde est, ac si ipsas scripturas inficiarentur, cum *veritati tantum obstrepat adulter sensus, quantum & corruptor stylus*, vt ait Tertullianus.

Savvbrandus hic iterum agit, quod agit, cauillatur, mentitur, calumniatur; quæ tria negotia sibi à Caluinistis credita putat: *Primo loco adducit Bellarminus Tertullianum*, inquit Caluinista, *dicentem in libro de præscript. Ergo non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus nulla, aut incerta victoria est Hinc infert, Papam non posse errare in scriptura interpretãda.* Impudenter, vetustissimo suo more, mentitur sycophanta. Nihil aliud ex Tertulliani disputatione infert Bellarminus; quàm scripturæ interpretationem ab Ecclesia esse petendam; quod Tertullianus toto illo libello contendit; neque audiendos Hæreticos, cum ad scripturam prouocant; vt hodie nostris etiam facere mos est: sed reuincendos ex traditione & successione Ecclesiastica.

Iterum ergo mentitur Caluinista, cùm Bellarmino hoc argumentum affingit. *Nulla est certa victoria ex Dei verbo. Ergo Papa non potest errare in scriptura interpretanda. Mirabile argumentũ*, clamat Caluinista. Mirabilis calumniandi libido in Savvbrando; cuius libidinis accipe & istud specimen: *Quod ex Dei verbo consequi non possumus. hoc assequemur ex Papa Romano. Sed certam intelligentiam ex Dei verbo assequi non possumus. ergò, eam assequemur ex Papa Romano.* Mox hunc malè cusum syllogismum demolitur non sine atrocibus in summum Pontificem conuiciis; & modò *Maiorem*, modò *Minorem* exagitat; sed exagitet quantum & quàmdiu lubet; syllogismus nō est Bellarminianus; sed Savvbrandicus: quanquam. vt rumpatur Caluinista; nũquam efficiet, quo minus aliquid à Pontifice Romano obtineamus; quod à scriptura nunquã obtinebimus, nempe claram, perspicuam; & partibus litigãtibus euidenter notam de fidei controuersiis sententiam ac definitionem.

Ait Hæreticus: *Tertullianum tantummodo agere de hæreticis, qui scripturas penitus negent.* Mentiri Nouatorem dilucidè docent Tertulliani verba paulò antè recitata. Ait; *Tertullianum sua etiam ex scripturis probare.* At non nisi secundum Ecclesiasticam traditionem intellectis (loquor de illis operibus quæ adhuc Catholicus elucubrauit) & *salua præscriptione* vt ipsemet expressè testatur lib. contra Praxean cap. 2.

Nunc denuo syllogismis suis & consequentiis lectorem suum Savvbrandus reficit: *Hæretici, qui scripturas negant, ac absurdos scripturarum sensus excogitant, & tamen volunt pro Christianis censeri, non possunt melius refelli, quàm ea doctrina, quã Apostolicæ Ecclesiæ profitentur. Ergò Papa non potest errare in scriptura explicanda. Nulla pars consequentis est*, inquit Hæreticus, *quæ cum antecedente congruit.* Cur hoc? Nisi quia tu per summam improbitatem argumenta, arbitratu tuo, fingis; & ficta Bellarmino affingis absque vllo pudore, absq; Dei metu hominumúe respectu; cuius impudentiæ fœtus est etiam hic fœdus syllogismus; *Quod Apostolicæ Ecclesiæ faciunt, hoc facit Papa Romanus: Sed Apostolicæ Ecclesiæ verum scripturarum sensum explicant. Ergo Papa Romanus nō potest errare in scriptura explicanda.* Similiter & hæc consecutio; *Apostolica Ecclesia verum scripturarum sensum affert. Romana Ecclesia est Apostolica. Ergò Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Nullum horum commentorum Bellarmino in mentem venit. quia Caluinistica sunt mendacia; neque enim ex Tertulliani verbis aliud vult Bellarminus conficere; quàm verum scripturarum sensum ex Ecclesiastica traditione peti debere; cuius interpres est ipsa Ecclesia; vel qui toti Ecclesiæ præsidet, Romanus Pontifex; cuius interpretatio num infallibilis sit, non colligit Bellarminus immediatè ex dictis Tertulliani; sed per aliam aliasúe ratiocinationes dictis Tertulliani, sicuti & aliorum Patrum, superstructas. Sycophanta iste semper in ore habet: *Papa non potest errare in scriptura interpretanda*; illudque omnibus suis syllogismis & consequentiis improbissimè & flagitiosissimè conclusionis loco annectit, ex mera, nil dubito, nequitia.

Subiungit Sectarius. *Hunc esse verum sensum, quem Deus Christo, Christus Apostolis, Apostoli Ecclesiis tradiderunt. Hoc fatemur. At quis est ille? Respondet Tertullianus. Apostolos eum primum viua voce tradidisse: deinde, literis consignasse. Ille igitur est verus sensus, qui literis consignatus est.* Hic, vt alibi perpetim: eximij impostoris partes agit Savvbrandus. Neq; enim Tertullianus cap. 21. de præscript. agit de sensu scripturæ, sed generatim de doctrina ab Apostolis prædicata & annunciata; & hanc dicit esse veram & amplectendam, quam Apostoli à Christo acceptam prædicarint, & mundo annunciarint. Quam autem mundo annunciarint, cognoscendũ esse ait ab Ecclesiis Apostolicis. *Quid*, inquit, *prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias,*

clesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, quod aiunt, voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, cons. at proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Vbi vides iudicium agnoscendæ doctrinæ Apostolicæ statui à Tertulliano traditionem, in Apostolicis Ecclesiis conseruatam. Quæ quia parum ad Savvbrandicum stomachum faciunt; vafrè dissimulantur; & nescio quid de vero scripturæ sensu ingeritur fuci caussa.

Quod Bellarminus dicit; ex Tertulliani mente inter Apostolicas Ecclesias Romanã esse præcipuã, id falsitatis arguit Iunius. Falsò: quod vel ex hoc elogio Romanæ Ecclesiæ à Tertull. cap. 36. tributo planum euadit. *Si Italiæ adiaces, habes Romã; vnde nobis quoq; auctoritas præstò est. Status felix Ecclesia, cui totã doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioãnis exitu coronatur, &c.* Non ignoro, quomodo Iunius hoc encomium suis in Notis Tertullianicis tractet ac distorqueat, sed mendacitatem eius iam pridem castigauimus in animaduersionibus ad notas Iunianas cap. 9.

Secundus ex Latinis Patribus est S. Cyprianus; qui ait lib. 1. epist. 3. *non aliunde hæreses obortas, &c. quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex, vice Christi, cogitatur.* Respondent Prædicantes, *Cyprianum non loqui de solo Pontifice Romano; sed de vnoquoq; vniuscuiusq; Ecclesiæ Episcopo;* Vt id ita esset, nihil tamen caussæ Bellarmini officeret; qui hoc loco nihil aliud probare instituit; quàm Episcoporũ iudicio lites Ecclesiasticas terminari debere: eorumque sententię ab omnibus religiosè obtemperandum esse; Quod ex Cypriani dicto euidenter euincitur. Vult enim, vt Episcopo, tanquam vicario Dei, mos geratur. In quibus caussis? Vtique non in aliis, quàm quæ ad Episcopi tribunal pertinent, hoc est, in Ecclesiasticis; Et nisi hoc fiat; schismata & hæreses oriri testatur, idq; verissimè. Nam si quis ad sectarum originem regredi velit, semper ex inobedientia, & negato Episcopis debito obsequio exortas inueniet.

Deinde, si S. Cyprianus loquitur de vnoquoque vniuscuiusque Ecclesiæ Episcopo, loquitur ergo etiam de Romano Pontifice; quia & ipse saltem vnius, nempe Romanæ Ecclesiæ, Episcopus est: Ergo etiam inde oriuntur hæreses, quod sacerdoti Dei, hoc est, Romano Pontifici, non obeditur: quodque vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, hoc est, Episcopus Romanus, & ad tẽpus iudex vice Christi non cogitatur. Vnde, oro, schisma & secta olim Nouatiana, & hodie Lutherana orta est, nisi quia Romano Episcopo nõ est obsecundatum? Adhæc, loqui Cyprianũ hoc loco de solo Romano Pontifice, aliquot non infirmis argumentis verisimile facit Pamelius in scholiis ad hunc locum. Nam primò id ostendunt paulò ante adducta exẽpla Pontificum veteris testamenti & Samuelis ex cap. 17. Deuter. ex 1. Reg. 18. Ex Ioan. 18. & Actor. 23. II. Quia loquitur de tali vno sacerdote, qui vice Christi fungatur. Etsi autem generatim omnes Episcopi dici queant vice Christi fungi, hoc tamen peculiariter de Romano Pontifice affirmatur; vnde & per antonomasiã *Vicarius Christi* nominari solet. Reliqua Pamelius. Sed siue hic locus de solo Romano Põtifice à Cypriano prolatus sit, siue de aliis itidem Episcopis, parum interest: Nam inprimis constat, Romanum Pontificem, ex sententia D. Cypriani, vniuersalem Ecclesiæ Catholicæ Episcopum esse; Quod suo loco testimoniis D. Cypriani Bellarminus planum facit; si igitur hæreses & schismata exsistunt; quod vni, etiam particularis Ecclesiæ, Antistiti cornua à refractariis obuertuntur, quanto magis sectæ & dissensiones enascentur, si vniuersalis Ecclesiæ Pastor non audiatur; sed contemnatur, cumque auctoritate sua susque deque habeatur.

Hunnius & Sibrandus ex hac ipsa Cypriani epistola monstrare conantur, Romanum Pontificem nil supra cæteros præcellentiæ habere; idque nec paucis, nec inualidis, scilicet, argumẽtis.

I. *Quia Cyprianus vocat Cornelium Romanum Pontificem, fratrem; at fratres sunt æquales.* Perinde ac si dicas: Qui eisdem parentibus cũ Imperatore progeniti sunt, ij Imperatorem verè vocant *fratrem*, ergo Imperator & illi sunt paris auctoritatis & potestatis. Iam quoque Papa Romanus appellat Episcopos fratres: pares ergo censendi sunt.

II. Docet Cyprianus, *singulis pastoribus portionem gregis esse adscriptam, quam regat vnusquisq; & gubernet; sequitur ergo quod antea; Romanum Papam & reliquos Episcopos æqualis conditionis esse.* Quis neget hoc satis *Prædicanticè* à Prædicantibus conclusum?

III. Cyprianus dicit, *vniuscuiusque caussam illic esse audiendam, vbi crimen est admissum; ergo Papa Romanus non est supremus omnium caussarum iudex.* Vt vim argumenti *Prædicantici* melius percipias, aduerte diligenter, Cyprianum loqui duntaxat de *prima*, vt vocant, *instantia*, deque primo iudicio, seclusa omni appellatione; quæ cuiuis ab inferiore ad superiorem concessa est, si per sententiam iudicis inferioris sese iniquè grauatum existimat, alluditque ad illud ipsum, quod sanctus Fabianus Romanus Pontifex epistola tertia his verbis scripserat: *Peregrina iudicia, salua in omnibus Apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus; quia indignum est ab externis vt iudicetur, qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices; nisi fuerit appellatum. Vnde oportet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, vt ab omnibus audiatur, qui sunt in prouincia, Episcopis. quia non oportet accusatum alicubi, quàm in suo foro audiri.* Paulò pòst: *Reuera semper ibi caussa agatur, vbi crimen admittitur.*

IV. Præ-

Digitized by

IV. Prædicantium argumentum; Et quidem fortissimum. *Episcoporum in Africa non minor est auctoritas, quàm eorum, qui alibi degunt, vt disertè Cyprianus testatur*: ergo *Romanus Episcopus non est maior cæteris*. Si respondeas, omnium Episcoporum parem esse potestatem præcisè, quà Episcopi sunt; sicut par etiam potestas est Apostolorum, præcisè, quà Apostoli sunt; cùm hac tamen paritate consistere posse imparitatem; cum ex Episcopis alij sint Archiepiscopi & Metropolitani; alij primates; alij particulares; alius vniuersalis, cuius potestas & auctoritas nullius certè diœceseos limitibus circumscripta sit; quemadmodum cum paritate officij Apostolici coniunctã videre licet in D.Petro imparitatem quãdam, quatenus ipsi soli & successoribus dictum est: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Et. *tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Si inquam hæc & similia recinas; ea sectarij difficulter admittent ad aures, & longè adhuc difficiliùs ad mentem. Admitterent tamen, si vel hanc, de qua agimus, ad Cornelium epistolam candidis oculis legerent. Cur enim vocat D.Cyprianus Ecclesiam Romanam; *Ecclesiam principalem; vnde vnitas sacerdotalis exorta sit; ad quam perfidia non habeat accessum*; quam & epist. 45. Catholicæ Ecclesiæ *radicem & matricem* nuncupat? Cur *super Petrum Ecclesiam ædificatam* scribit? Cur id genus alia passim tradit; si Ecclesia Romana, ejusque Episcopus cæteris potestatis plenitudine non præstiterunt? Imò cur ipsi pacis in Africa turbatores, schismatici, adeò enixè semper elaborarunt, vt Romanum Pontificẽ suas in partes traherent; si non persuasum habebant; se victoriam obtinuisse; si hunc ad suam factionem traducerent?

Carpit Hunnius, quod Bellarm. dicit, ante definitionem Pontificum, licere de dubiis rebus sine vitio hæresis vtramuis partem tenere; at post definitionem, eos, qui non obtemperãt, fieri hæreticos. *Elegans profectò pronunciatum*, clamat Prædicans; *sic Ariana blasphemia, antequam accederet definitio Põtificis, ita fuit comparata, vt sine vitio hæresis licuerit* VTRAMVIS PARTEM TENERE: *atq; sic etiam Arianũ esse: at pòst, mutata, & fortè transsubstantiata, fuit in hæresin. Idem erit de quibusuis profligatissimis blasphemiis iudicandum.* Calumniaris, ô Prædicans. Bellarminus loquitur de rebus dubiis, quę verè, & à parte rei dubiæ sunt; non de illis, quæ scelere & importunitate factiosorum in dubitationem vocantur, satis alioqui in se claræ, dilucidæ, & totius Christiani orbis consensu & sacrarum litterarum testimoniis luculenter testatæ; ex quarum numero erat dogma de diuinitate Christi; quam Arius impiè & nefariè oppugnatum ibat. Quapropter minimè vult Bellarminus, ante definitionem Concilij Nicæni potuisse absque sacrilegi criminis macula sententiam Arij recipi; quia falsitas eius non erat vel obscura vel ambigua Ecclesiæ orthodoxæ, sed perspicua & euidens; quæ tamen denuo patefacta simul &

A profligata est per Nicænam Synodum, ne vllus amplius dubitandi locus relinqueretur. At olim verè dubium & incertum erat in Ecclesia; vtrum hæretici ad Catholicam Ecclesiam regressi, denuò baptismate tingi deberent; quia hoc neque scriptura; neq; definitione plenarij alicuius concilij, neq; etiam expresè & euidenter nota aliqua traditione exploratũ habebatur. Quare vtramuis controuersiæ partem absque hæreseos labe amplecti fas erat; donec tandem veritas in apertam lucem venit.

Tertius ex Latinis Patribus est S.Ambrosius, qui epist. 32. Valentinianum Iuniorem grauiter reprehendit, quod iudicia de rebus fidei sibi arrogaret. *Quis dubitat*, inquit VVitackerus, B *pastorũ & Episcoporũ esse de caussis fidei iudicare?* Si nemo dubitat; cur ergo vos Angli supremum de caussis fidei iudicium; detulistis nuper fœminæ Reginæ; & hodie etiam Regi politico; nec Pontifici, nec Sacerdoti? Si nemo dubitat; cur ex Nouatoribus non pauci iudicium hoc deferunt imperitæ multitudini, nominatim Lutherus; cum alibi, tum in libello Germanico, quẽ inscripsit; Grund vnd Vrsachen auß der Schrifft / das ein Christliche Gemein recht vnnd macht hab / alle Lehr zu vrtheilen. *Fundamenta & rationes quibus probatur, Christianam communitatem ius & potestatem habere, de omni doctrina iudicandi.* Si nemo dubitat; rectè igitur asserit Bellarminus, caussas Ecclesiasticas iudicio Episcoporum terminandas esse; semperq; in C Ecclesia Catholica terminatas fuisse.

Hunnius dicit; *Valentinianum meritò ab Ambrosio reprehensum; quòd iudicium eius fuerit Tyrannicum.* Rectè; At nosse debet Prædicans, nunquam absque Tyrannide fieri; vt Princeps politicus potestatem de caussis fidei iudicandi, quasi ex officio sibi vendicet ac vsurpet. Et si princeps hoc ius sibi arrogans, tyrannum agit; quãto magis tyrannus censeri debet rudis & inconditus & effrænis popellus, si hoc ius vsurpet?

Mentitur Hunnius cùm ait, *Bellarminum hic oblitum sui scopi.* Nam scopus Bellarmini est demonstrare controuersias fidei iudicio Episcoporum cognosci ac definiri debere. An non testimonium D.Ambrosij assertionẽ istam diluci- D dè comprobat? Quocirca iterum mẽtitur Hunnius, quando hæc effutiuit. *Dicere cœperat* Bellarminus *de Monarchica potestate iudicandi, & definiendi controuersias; quæ vni soli competeret Romano Episcopo: ad quam demonstrandam, num quidquam faciat locus ille, quo agit non de Episcopo Romano peculiariter, sed de Episcopis generatim, cuiuis cogitandum relinquo.* Turpiter mentitur prædicans; quod vel ex ipsis Bellarmini verbis supra cap. 3. planum & perspicuum euadit. Cum enim Bellarminus quæstionis statũ constituit; sic inter cætera loquitur. Tota quæstio in eo posita est, vbi sit iste spiritus (scripturæ interpres certus & infallibilis) Nos enim existimamus hunc spiritum, etsi multis priuatis hominibus sæpè conceditur, tamen certò inue-

niri

Digitized by Google

A niri in Ecclesia, id est, in Concilio Episcoporum confirmato à summo Ecclesiæ totius pastore, siue in summo pastore cum Concilio aliorum pastorum. Non enim disputare volumus hoc loco de summo Pontifice, & Conciliis, an solus Pontifex possit rem definire, & an solùm Conciliũ. de hoc enim suo loco agemus. Sed hîc in genere dicimus, iudicem veri sensus scripturæ, & omniũ controuersiarum, esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio. in quo omnes Catholici cõueniunt; & habetur expressè in Concilio Tridentino sess. 4. Hæc Bellarminus; vbi expressè dicit; se nolle hic disputare, vtrum solus Pontifex sit ille infallibilis interpres. Et tamen impudens præco, non veretur scribere. *Bellarminum hic disputare instituisse de Monarchica potestate iudicãdi & definiendi controuersias, eamq; soli Romano Pontifici asserere.*

B Mentitur etiam Savvbrandus, more sibi innato: *Bellarminum ex dicto D. Ambrosij colligere; Papam non posse errare in interpretanda scriptura.* Nihil minus, ô Caluinista. Hoc vnum concludit inde Bellarminus; Episcoporum esse de rebus & litibus Ecclesiasticis cognoscere; & cognitas definire.

Quartus ex Latinis Patribus est D. Hieronymus, qui in epist. ad Damasum instrui cupit ab eodem, nũ tres hypostases in diuinis dicere debeat; totumq; huius rei Damaso defert iudiciũ; vt si iubeat, tres hypostases dicere; tres dicere velit; si vetet; tres dicere nolit. Respõdet Hunnius, *Hieronymum non detulisse Damaso absolutum iudicium, sed quòd statueret; Damasum, pro pietate sua, facturum id esse iudicium ex scriptura.* Quorsum hæc? Etiam

C nos, quando aliquid ad Pontificem definiendum deferimus, ideo deferimus, quia speramus, Pontificem facturum iudicium ex scriptura, vel conuenienter scripturæ. An ideo Pontifex non est iudex? An ideo Pontifici non competit, vt ipse caussas & dubitationes Ecclesiasticas cognoscat & diiudicet? Si D. Hieronymus non credidisset Damasum ad quæstionem propositam Scripturis sacris consonam responsionem daturum, vtique nunquam ad illius tribunal dubitationem illam detulisset. Interim hæc persuasio non arguit, Damaso non conuenisse absolutum iudicium; sicut neque hæc mea persuasio arguit; Imperatori non conuenire abso-

D lutum iudicium; quando, lite aliqua ad ipsius prætorium delatâ, existimo, eum æquitati legibusque diuinis & humanis conformem sententiam pronunciaturum.

Iunius ait, *Hieronymũ à Damaso petiisse, vt se certiorem faceret, de iis formulis & vocibus, quæ in occidente obtinebant, ne quando ex verbis ipsius ansam excitandis rixis captarent hæretici.* Mentitur Caluinista. Cuius vanitatem redarguũt omnes propemodum apices vtriusq; epistolæ, quam super hoc argumento ad Damasum dedit; Ab illo enim petit; tanquam à pastore summo, & cathedram Petri obtinente; vt suum sensum & iudicium explicet; nõ vt quid in occidente fiat, explanet: Neq; enim ignorabat D. Hieronymus ab ineunte ætate in occidente versatus, occidentis morem; cui hypostases in diuinis tunc temporis vsitatæ non erant; quippe in oriente primitùs vsurpatæ; Ac proinde ob nouitatem Hieronymo suspectæ.

Addit Iunius; *Consultũ Damasum ab Hieronymo, vt pastorem ab oue*: seu, *vt fratrem*. De oue & pastore concedo; id enim palam testatur ipse D. Hieronymus; De *fratre* nego: nusquam in epistolis illis Damasum *fratrem* nominat; & inauditum est; à Presbytero publicis in litteris Episcopum, præsertim primæ sedis, *fratrem* nominari.

Cæterùm si D. Hieronymus confugit ad Damasum, vt ouis ad pastorem; pastorum igitur est, non ouium, de dubiis Ecclesiasticis & Theologicis sententiam dicere: Nam si id ouium erat, cur D. Hieronymus non ab oue opem postulauit? Respondet VVitackerus; *Hieronymum fuisse tunc in solitudine constitutum; neq; eo in loco vllum virum doctũ habuisse, quem consuleret.* At neq; Damasum eo in loco præsentem habuit; sicut ergo Damasum absentem absens per litteras adiit, ita etiam alios viros doctos tam in oriente, quam in occidente; absens absentes per litteras conuenire potuisset. Et tamen omnibus neglectis, solum Damasum consulit. Qua de caussa, nisi quia sciebat, respõsa eius esse oracula; eumque, qui cum Damaso non colligeret, spargere; & profanum esse; quisquis extra Petri domum, hoc est, Ecclesiam Romanam, Agnum manducaret.

Ait VVitackerus, *fuisse tantum litem de nomine; nam Hieronymũ rem tenuisse.* Quid tu? Si dubitationem de vocabulo tam sollicitè S. Hieronymus ad supremum iudicem detulit, quanto magis quæstionẽ de re ipsa, si quę exstitisset, ad eiusdem iudicis tribunal detulisset? Neq; cõtẽtiones de nominibus in postremis ducendæ sunt; quãdoquidem ex nominibus inordinatè prolatis, sæpè existunt hæreses; illudque inprimis conandum, vt Christianus sanã & in Ecclesia vsitatam verborum formam habeat.

Sibrandus antiquam mentiendi lineam hic quoq; pede firmo insistit; cum absq; fronte scribit; Bellarminum ex dicto & facto Hieronymi concludere; *Pontificem non posse errare in scriptura interpretanda*: Nihil minus, ô effrons Nouator; quia hoc tantum Bellarminus; omnibus his testimoniis efficere vult; iudiciũ de controuersiis Ecclesiasticis ad Episcopos pertinere. Quamobrẽ immaniter mentiris, cùm has duas propositiones Bellarmino tribuis. *Ille non potest errare, à quo quis petit consilium.* Et, *A quo Hieronymus petit consilium, an liceat tres hypostases dicere, is non potest errare in scriptura explicanda.* Nunquam somniauit de his propositionum portentis Bellarminus.

Quintus ex Latinis Patribus est Sulpicius, qui lib. 2. sacræ historiæ refert. S. Martinum Maximo Imperatori aliquando dixisse; nouum esse, & inauditum nefas, quod caussam Ecclesiæ iudex sæculi iudicaret. Respondet Hunnius, *testimonium*

hoc

Digitized by Google

hoc de S. Martino per se exigui valoris esse. Fortasis ea de caussa; quia aduersatur Martino Islebico: neque aliam caussam video, cur testimonio sanctissimi & vetustissimi Pôtificis à fido & synchrono scriptore litteris proditū, tā parū ponderis insit.

Secūdò dicit Hunnius; vt & VVitackerus, *hinc non confici Romanum Pontificem esse supremū controuersiarum iudicem.* Neq; istud Bellarminus hoc loco conficere instituit; sed hoc duntaxat, caussas Ecclesiasticas ad Episcopos pertinere.

Tertiò dicit Hunnius, *Imperatori tantum denegari iudiciū de rebus Theologicis sine certa ratione, & sine scriptura.* Glossam hanc neq; habet, neq; admittit dictum S. Martini absolutè pronunciantis; *Nouū & inauditum esse nefas, vt caussam Ecclesiæ iudex sæculi iudicet*; quia hoc nunquam fieri potest cum ratione; Etiamsi mille scripturarum citationibus, quasi pigmentis, coloretur. Ait VVitackerus, *neminē negare iudicium de caussis Ecclesiæ ad Episcopos pertinere.* Si nemo negat; cur ergo Angli Iudicium hoc suo Regi tribuunt? Si nemo negat; rectè igitur Bellarminus hoc testimonio D. Martini ostendit, Ecclesiasticarum caussarum cognitionem notionis Episcopalis esse.

Sextus ex Latinis Patribus est D. Augustinus; qui lib. 1. contra Cresconium ca. 33. suadet, vt qui falli metuit, Ecclesiam cōsulat. *Fatemur id quidem,* inquit VVitackerus, *sed cum ea conditione, quam Augustinus subiungit: eam nempe Ecclesiam consulendam esse, quam scriptura demonstrat.* Omninò ista consulenda est; non alia. Num scriptura demonstrat Ecclesiā Caluini aut Lutheri? Non magis quàm Donatistarum aut Arianorum. Verùm de hoc aliàs. Nunc istud tantum. Si Ecclesia consulenda est; rectè igitur asserit & probat Bellarminus, caussas Ecclesiasticas ab Ecclesia definiendas & sopiendas esse. *At Ecclesia debet consulere scripturas,* inquit VVitackerus. Non abnuimus. Etiam Iudex in foro ciuili debet consulere leges, antequam ferat sententiam. Num ideo non est absolutus iudex? Num ideo non competit ei controuersiarum decisio?

Hunnius dicit, *dicto illo Augustini non tangi Lutheranos, sed Donatistas tantùm*; idq; probat I. *quia Donatistæ proferebant doctrinam nouam; & antea mundo incognitam.* An non & vos, ô Lutherani & Caluiniani? Si nouam nō produxistis, ostendite vel vnam ciuitatellam; vnicum oppidulum, vnicam villulam vel tuguriolū; in quo fuerit ea doctrina per omnia; quam nunc traditis & imperito vulgo venditatis? Non minus validis clamoribus ac vos, contendebant olim Donatistæ; suam doctrinam nō esse nouam, sed veterem. Audi S. Augustinum, qui Cresconium ita affatur lib. 4. contra Cresc. cap. 6. *Quod interrogas, quare vestros Donatistas appellem, adiungens, quòd Donatus nō auctor, & institutor Ecclesiæ, quæ antè non fuerat, sed à Christo deductæ & antiquæ vnus ex Episcopis fuerit: nonne attendis hoc de se ipso & Maximinianum dicere, ex cuius tamen nomine vniuersam eius communionem appellatis?*

A Secundò dicit Hunnius; *temporibus S. Augustini statū Ecclesiæ fuisse adhuc tolerabilem, & cum tantùm quatuor à nato Christo elapsa essent sæcula, liquidius sciri potuisse, num in Ecclesia eò vsq; propagata vllum inueniretur vestigium dogmatis Donatistarum.* Obseruetur hic primùm inuerecundia Prædicantiū; qui religioni non ducunt, affirmare, iam D. Augustini ætate, *statum Ecclesiæ fuisse corruptum*; sic tamen, vt adhuc tolerabilis esset. Mirum, D. Augustinum æuo illi præsentem, nō animaduertisse hanc corruptionem; quam nunc post duodecim propemodum sæcula tā acutè talpæ istæ ex scrobibus Lutheri & Caluini, peruident. Deinde; vt Catholici tempore D. Augustini ex traditione Ecclesiastica & successione Episcoporum euidenter de-
B monstrabant, doctrinā Donatisticam esse nouā, perniciosam, hæreticam; ita æquè promptè ac expeditè demonstramus hodie; Lutherana & Caluiniana placita, esse impia, & à veritate aliena; vel hoc solo nomine; quod traditione Ecclesiastica, & successione Præsulum in Ecclesiis ad hæc nostra tempora vsque præsidentium, nō fulciuntur.

Quæ præterea Hunnius effundit de Ecclesia Romana, *eam non commendari à scripturis; non sequi Christum; sed Antichristum; potestatem iudiciariam pontificis esse tyrannicam*; & id genus alia; ea Prædicantici pectoris eiectamentis & sputamentis annumerentur licet. Cum D. Augustinus dicat, Ecclesiam esse consulendam; iudicio autem Luthera-
C norum, Lutherana Ecclesia ab omni pure *ad purum* vsque sit depurata, & ab omni fæce, defæcata; non iniustè miretur quis, Lutheranum præconem, suos ad Ecclesiam Lutheranam, dubiis in rebus, consulendam non ablegari; cum, vt Caluinianus Iunius loquitur, *sit index voluntatis diuinæ ex Canone.* Cur perpetuò clamitant, etiam in obscurissimis quæstionibus: *consulatur scriptura; scrutamini scripturas.* Cur non cum S. Augustino publicè adhortantur suos? *Quisquis falli metuit, huius* (vel illius) *obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura sacra demonstrat.*

Savvbrandus vt se impostorem omnibus modis toti mundo ostendat, inficiatur, *verba prædicta apud D. Aug. reperiri; & citat c. 23. lib. 2. contra Cresc.* At
D Bellarm. neq; hunc librum, neq; hoc caput; sed lib. 1. & cap. 33. adducit: In quo nega, si audes; quāquam cur nō auderes? supradicta verba reperiri.

Postea condit informem syllogismum; qui Bellarmino in mentem nunquam venit; infertq; insulsè & inconditè, *Papam non posse errare in scriptura interpretanda*; idque totum facit, non ex Bellarmini sensu; sed ex vesani sui cerebri immensa stoliditate; cum insigni improbitati & impudētissimo mentiendi cacoethe iugatā: nam Bellarminus, vt iam sexcenties dictum, plus hoc loco nō colligit, quàm caussarum fidei cognitionem & definitionem, ad Ecclesiam pertinere. Quod D. Augustinus verbis adductis palam affirmat.

Secun-

Secundus locus D. Augustini est epist. 106. ad Paulinum, vbi agens de epistolis Innocentij Pontificis, in quibus disertè positum erat, ad sedem Apostolicam pertinere iudicium de rebus fidei, sic ait; *Ad omnia ille nobis respondit, sicut fas erat, atq; oportebat Apostolicæ sedis Antistitem respondere.* Respondet Iunius, *Epistolas Innocentij quæ apud Augustinum exstant, esse supposititias.* Scilicet hic nodus, qui solui non poterat, secari debebat; Et quidem plumbeo Erasmi gladio; cuius naso epistolæ Innocentij non satis grauem stylum halant; quia potestatem summi Pontificis supremam nimis apertè lectorum oculis repræsentant. Qui etiam ad epist. 96. hoc conuicium in laudatissimum illum Pontificem alleuit. *Innocentius respondet suo more, sæuus potius quàm eruditus, & ad damnandum, quàm docendum instructior.* Nimirum, quia Pelagium potentissimo anathemate perculit, hac contumelia ab Erasmo, Pelagij amico, & non occulto patrono afficiendus fuit.

Secundò respondet Iunius: *Vt detur iudicium de rebus fidei ad sedem Apostolicam pertinere, non dixit Innocentius; summum iudicium, non ad sedem istam solam, nec sequi ex eo potest.* Innocentium de summo iudicio locutum esse, inde patet; quia a sede Apostolica Romana quęstio de controuersia Pelagiana alio non est delata; sed Romæ per sententiam vltimò terminata. Si enim vltimò non est Romæ decisa & definita, dicat nobis Iunius, quò Innocentius caussam illam vlterius & accuratius ventilandam & discutiendam ablegarit. Nominet tribunal. Vt oculos in omnes partes coniiciat, nullum profectò reperiet. Signum igitur est, supremum & summum iudicium penes Apostolicam sedem fuisse; præsertim cum ipsi Africani præsules decreta sua contra Pelagium tum demum rata & firma fore existimarint, si per sententiam Romani Pontificis corroborarentur. Nam quod postea Zosimus Romanus Antistes Pelagianam hæresin denuo damnationis nota inussit, id etiam, vt summus iudex fecit; quia hydræ illius, tametsi iam antea fortiter confectæ capita, denuo renascebantur & repullulabant. Quare iterum Apostolico ense recidenda fuere.

Hunnius dicit; *Pelagium ab Innocentio ex sacris litteris damnatum; eamq; ob caussam Augustino damnationem probatam fuisse.* Neque nos hoc inficiamur: quia omne iudicium aduersus sectarios institui debet ex sacris litteris, & conuenienter sacris litteris. Quis hoc ignorat? Quemadmodum omne iudicium forense politicum institui debet ex legibus seu conformiter legibus eo loco, vbi iudicium exercetur, receptis. At non sequitur. *Iste iudicium instituit secundum leges; & sententiam pronunciat secundum leges; ergo non est Iudex,* Hoc videlicet delirare est, non argumentari. Taceo, Prædicantes hic rursus *extra oleas* saltare, cum Bellarminus isto testimonio, hoc loco nihil aliud probare velit, quàm

A assertionem illam suam, imò Catholicam; *Definire fidei controuersias, muneris Episcopalis esse:* nam si laicorum est; si ipsius etiam scripturæ, vt supremi & ordinarij iudicis; cur Pelagium damnarunt Episcopi?

Sibrandus solenne suum tenet. Mentitur, Bellarminum ex Innocentij & Augustini dictis concludere; *nullum Papam posse errare in interpretāda scriptura.* Quod impudentissimum mendacium toties effudit Caluinista, vt mirer, si fauces eius necdum delassatæ sint. Simili fraude versatur circa alia duo loca, quæ Bellarminus ex D. Augustino producit, & profligatissimis suis pseudologiis nefariisque cauillationibus hanc coronidem imponit. *Equidem Bellarmine, in his ar-*
B *gumentis tantundem est necessitatis, ac si dicas; baculus stat in angulo, ergò Papa non potest errare in scriptura explicanda.* Equidem, mi lector, multos vidi legique Nouatorum vanissimos, inscitissimos, & mendaciloquentissimos libros; sed vix vllum reperi, qui in his cum Savvbrandico commentario comparari queat; adeò his notis vbique & vndiquaque insignitus est. Quot toto suo libro syllogismos aut cōsecutiones exstruit; tot mendacia fundit; quæ rursus non nisi aliis mendaciis destruit: Nihil eorum, quæ iste audacissimè & flagitiosissimè Bellarmino affingit; Bellarminus vel expresse posuit; vel tacitè innuit. Omnia perfidi Caluinistæ figmenta sunt; *Et tamen hæc est ista Iesuitica Theologia,* inquit Sectarius, (non no-
C stra hæc Theologia est; sed tua nequitia.) *quæ non tantùm omnia didicit; sed sola didicit omnia, reliqui omnes scilicet ab ea dissentientes sunt fungi, indocti, stupidi, asini.* Certè nisi hæc omnia pariter esses; tam largiter calumniis, lædoriis, & inanilogiis nunquam aut indulgeres, aut hactenus indulsisses.

Addit frontis, & oris expers Caluinista. *Mi Bellarmine, considera, quibus conuiciis, & contumeliis Papistæ nos essent excepturi, si ita argumentaremur; quod, si feceris, laudabis patientiam nostram, quâ hæc tua legimus, & refellimus.* Meritò, risu, & sibilis exciperetur, qui argumentaretur, sicut tu Catholicos, & inprimis Bellarminum argumenta formare per summam petulantiam, & impotentissimam calumniandi libidinem comminisceris. Neque a-
D liud mihi persuadere possum, quàm *fungum & stipitem & asinum* esse; quisquis tibi talia mendacia de Bellarmino spargenti fidem habet.

Hoc possum, ais, cum bona conscientia affirmare, me tuis laboribus valdè esse confirmatum. Quid tu homo vel nullius vel depositę conscientię; ad conscientiæ tuæ tribunal appellas, quæ, quantum ex sectæ tuæ professione & scriptis tuis coniicere licet, nullius boni; multorum verò atrocium scelerum facinorumque sibi conscia est? Ego verè & sanctè testari queo, me tuis aliorumque Nouatorum putidissimis sycophantiis, criminationibus, mentiendique procacitate, mirificè in Catholica Romanaque fide confirmari; quia manifestè intelligo, dum vestras chartas euoluo; quam

Digitized by Google

quam nihili ac nauci sint perfidiæ vestræ fundamenta & fulcra; quàm vanus & ventosus, quamquam profanus spiritus, orcum non cælum halans; Tartaream, non cælestem auram spirans.

Addis & preces, sed Savvbrando caluinianas. *Aperiat tibi Deus oculos, vt has meas responsiones possis absq; praiudicio legere. ita sperarim, te, relicta falsitate, veritatẽ agniturum esse.* Veritatemne quis ex tuis lucubrationibus agnoscat? nisi fortè indirectè; quo pacto ex falso agnoscimus verum; ex bono malum; ex tenebris, lumen. Ego pectoris mei arcana simpliciter & candidè pandam. Si antea erga Caluini scholam aliquid animi & affectionis in corde meo hæsisset; totum id funditus tua isthæc scriptio expunxisset; adeò vana, cõtumeliosa, mendax, indocta, & ineptißimis ineptiis vndiq; farcta est. Nec dubito, eũdem esse Illustrißimi Cardinalis Bellarmini sensum; si hos tuos *de principiis Christianorum dogmatum libros* legit. Itaque vota tua aliò transfer. Hic in fumum abeunt, & tenues in auras disperguntur.

Tertium testimonium D. Augustini sumptum est ex lib. contra epist. Fundamenti cap. 5. vbi dicit: *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas.* Iunius, & Savvbrandus à Grammatica suppetias petunt; aiuntque: *crederem & commoueret*, positum per enallagen, pro *credidissem, & commouisset*: adiungitque Iunius, *huiusmodi enallagen Afris admodum esse vsitatam.*

Principio demus veram esse (quæ tamen vera non est) hanc istorum opinationem: Si D. Augustinus inductus & permotus fuit auctoritate Ecclesiæ ad hoc vt Euangelio fidem haberet: omnino dicendum est, cùm etiam tunc, quando verba prædicta scribebat, Ecclesiæ auctoritate impulsum esse, vt Euangelio crederet. nam ratio, quæ aliquem ad ea, quæ euidentia non sunt, credenda inducit; durare ac perseuerare debet, alioqui tolletur assensus; & si ego alicui aliquid narrãti fidem habui; quia veritatis amantem censui; oportet, vt hæc existimatio in animo meo persistat; alioqui nõ potero credere verum esse; quod ille retulit; quia non amplius dignum fide reputo. Eadem est hic ratio. Nam si D. Augustinus postquam Euangelio credidit, Ecclesiæ auctoritatem seposuisset; non potuisset amplius Euangelio credere; quia nullam aliam rationem Euãgelio, hoc est, rei obscuræ & diuinitus ineuidenter, traditæ credendi habuisset. Credere autem aliquid vel alicui absque vlla ratione, quæ me ad assentiendum inuitet ac incitet, non est prudentiæ; sed leuitatis & imprudentiæ. Neque vlla vel in speciem verisimilis ratio fingi potest, cur D. Augustinus Ecclesię auctoritate motus fuerit; ad habendam primitus fidem Euangelicæ historiæ; & non motus fuerit eiusdem Ecclesiæ auctoritate ad hunc fidei assensum constãter continuandum & perpetuandum.

Deinde inane est Caluinistarum de *enallage* effugium: nam S. Augustinus loquitur de præ-

A senti & in præsenti. Cur cum *Tropistis* istis ad præteritum confugiamus; cum ex certa & peruulgata regula, voces propriè sint vsurpandæ; quoties ex proprio sensu nulla vel impietas vel absurditas sequitur.

Præterea illud: *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas*: est quasi synonymum huius, quod paulò superius D. Augustinus affirmat. *Multa sunt alia, quæ in eius* (Catholicæ Ecclesiæ) *gremio me iustißimè teneant. Tenet consensio populorum, atq; gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum. Tenet po-*
B *stremo ipsum Catholicum nomen, &c.* Vbi, vt vides, D. Augustinus perpetuò in præsenti loquitur; *Tenet, tenet.* Quid aliud est teneri in Ecclesia consensione populorum atque gentium, teneri auctoritate miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; quàm credere Christianis dogmatis, atq; adeò ipsi Euangelio, propter Ecclesiæ auctoritatem, & id genus alia motiua?

Obiicit Iunius, *Augustinum non intelligere per auctoritatem Ecclesiæ caussam principalem, & essentialem; sed tantum accidentariã, & adiuuantem.* Haud negamus: nam caussa principalis assentiendi Euangelio, est diuina reuelatio; interim Ecclesiæ auctoritas & propositio eiusmodi caussa est; vt nisi
C accedat, vel potius assẽsum fidei præcedat & comitetur, nemo propter diuinam reuelationem Euangelio fidem commodare poßit, nam hæc auctoritas est quasi ianua ad assensum fidei, cum aliunde quid reuelatũ sit, constare nobis nequeat nisi ex auctoritate & declaratione Ecclesiæ.

Obiicit Hunnius. *Augustinum loqui de Ecclesia primitiua, huiusq; auctoritate commotum fuisse Augustinum, vt Euangelio crederet;* Intolerabile prorsus mẽdacium. Nam D. Augustinus apertißimè loquitur de auctoritate eius Ecclesiæ, in qua viuebat; & in qua se teneri profitebatur consensione populorum atque gentium, & successione Episcoporũ, ab ipsa sede Petri Apostoli vsq; ad sui temporis Romanum Pontificem, non interrupto te-
D nore continuata; & à qua sibi dictum & imperatum dicit, ne Manichæis fidem adhibeat. Hæc non fuit primitiua Ecclesia; sed illa, quæ D. Augustini æuo per totum orbem diffusa erat.

Ait Prædicans: *Augustinum circa primordium suæ fidei credidisse Euangelio, permotum testimonio Ecclesiæ; postea verò sensisse, scripturam esse αὐτόπιστον, cui per se credendum sit; eo modo, quo Samaritani primitus fidei scintillam conceperunt ex narratione mulieris; deinde verò cum Christum ipsum audiuissent; palam dixerunt mulieri: non iam amplius propter tuos sermones credimus. ipsi enim audiuimus & scimus, hunc esse verè seruatorẽ illum mundi, Christum: sic quoq; B. Augustinus circa primordium suæ fidei credebat Euangelio, motus testimonio Ecclesiæ: postea verò sensit, scripturam esse αὐτόπιστον.* Nu-

gas agit Prædicans: Nam vt suprà ostensum; auctoritas Ecclesię non est tantum ratio motiua assentiendi Euangelio initiò; sed est etiam ratio assensum illum retinendi & continuandi; sicut lux non est tantũ ratio afficiens & mouens sensum, vt videam colorem parietis; sed est etiam ratio cur visio illa duret, si quis eam continuare velit. Cum enim quæ in Euangelio litteris consignata sunt clara, perspicua & euidentia non sint, ita vt perspicuitate sua intellectum conuincant; oportet, vt semper ratio motiui illius in animo vigeat, quo quis inductus, credidit vera esse, quæ Euangelium tradit; Quocirca dispar est ratio exempli illius de Samaritanis. Nam viso auditoque ipso Christo, longè efficaciorem & potentiorem rationem sermonibus Saluatoris assentiendi adepti sunt, quàm fuerat testificatio mulieris. Hinc nil mirum, si illâ relictâ, validiori illi adhæserunt. At in nostro casu, rationi primitus Euangelio assentiendi nulla clarior postea succedit, quæ prioris vicem suppleat & expleat: quia omnia, quæ in Euangeliorum libris comprehenduntur, obscura sunt; neque num veritati consonent aliunde liquere potest, quàm ex infallibili Ecclesiæ testificatione.

Septimus ex Latinis Patribus à Bellarmino prolatis est S. Prosper, qui lib. contra Collatorē. in fine non aliter probat Pelagianos verè esse hæreticos, quàm quia damnati fuerant à Romanis Pontificibus Innocētio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino. Respondet Hunnius, *Prosperum non inde præcipuum probationis argumentum ducere, quia à Romanis Pontificibus damnati sint, sed quia ab illis ex Scripturis sint refutati.* Mentiri Prædicantem, planum faciet lectio Prosperi; apud quem illud, *Ex Scripturis* nusquā comparet; tametsi non inficiamur, Pelagianos ex scripturis & conuenienter scripturis damnatos esse; sicut & hoc nostro tempore sectarij ex scripturis & conuenienter scripturis à Pontificibus Romanis damnati sunt. Tam cæcus est præco iste; vt non videat caussam suam non iuuari; licet illud *ex scripturis* in Prospero exstaret: quia nihilominus testimonio Prosperi probaretur, diiudicationem & definitionem controuersiarum Ecclesiasticarũ ad Romanum Pontificem; & ad Episcopos pertinere: quod solum & vnicum hoc loco demonstrare oportet.

Iunius clamat. *Pelagium & asseclas non modò à Pontificibus Romanis, sed & ab aliis Episcopis in variis conciliis fuisse damnatos.* Nemo it inficias. An ideo neruos huius probationis Caluinista incidit? An ideo falsum est, quod Bellarminus asserit; controuersias fidei iudicio Romani Pontificis, & Episcoporum componi debere? Quid, quod sedes Apostolica prima in Pelagij hæresin exsurrexit; Teste Prospero his versibus lib. *de Ingratis. Pestem subeuntem prima recidit, Sedes Roma Petri, &c. Inde orientis Rectorum cura emicuit, &c. Tu caussam fidei flagrantius Africa nostræ Exequeris, tecum que suum iungente vigorem Iuris Apostolici solio, fera viscera belli Conficis. &c. geminoque senum celeberrima cætu Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.*

A

Nota hic VVitackeri mendacium; qui scribit Bellarminum ex Prospero affirmare; Pelagianos *non aliter esse hæreticos; quàm quia damnati fuerant ab Episcopis Romanis.* Non dicit hoc Bellarminus; sed Prosperum non aliter probare Pelagianos fuisse hæreticos; quàm quod ab Episcopis Romanis damnati fuerant. Quod verum esse fatebitur, quisquis Prosperum legerit; qui sub finem libri subdit: *Huiusmodi hominum prauitati non tam disputationum studio, quàm auctoritatum priuilegio est resistendum: vt de prostrati dudum dogmatis corpore, nullum membrum sinatur assurgere.*

B

Octauus ex Latinis Patribus est Vincentius Lirinensis, qui in *Commonitorio* præter scripturarum Canonem, ait Ecclesiasticæ intelligentiæ auctoritatem requiri; intelligit autem hoc nomine decreta conciliorum; consensionem Patrum, & similia. Respondet VVitackerus: *hac etiam à se suisq; magnifieri.* Tantisper, dum dicunt, quod allubescit. Nam si quid tradant, quod ad horum stomachum non faciat, mox totum stomachum in Synodos, Patres, totamque vetustatem effundunt.

Secundò respondet VVitackerus, *neminem abnuere, quin scripturæ secundum Apostolicæ & Propheticæ interpretationis analogiam explicandæ sint.* Vincentius non nominat *Apostolicæ & Propheticæ interpretationis analogiam,* sub qua, velut fido tegmine, tegunt isti suam nequitiam; sed ait; *ad Propheticæ & Apostolicæ Interpretationis lineam,* hoc est, ad scripturarum Canonem, adiungi debere *Ecclesiasticæ intelligentiæ auctoritatem;* quod est dicere, scripturas non esse aliter explanandas, quàm eo sensu, quem tenet semperque tenuit Catholica Ecclesia; quemque à maioribus acceptum ad posteros fideliter transmisit.

C

Tertiò dicit VVitackerus, *Vincentium non meminisse Romani Pontificis, cum de recta scripturæ interpretatione disputaret: Et hinc colligi præclarum hunc scripturæ Interpretem Vincentio fuisse ignotum.* Vel hinc intelligas, quàm præceps sit hæreticorum temeritas, qui tam audacter, quicquid in buccam venit, effundunt. An non disertis verbis Vincentius cap. vlt. sui *Commonitorij* Pontificum Romanorum Xysti & Cælestini meminit? An non eorum contra Hæreticos, pacisq; turbatores, præsertim Pelagianos, dicta & edicta recitat & probat? An non palam scribit, *per Apostolica decreta, hoc est, per Romanorum Pontificum sanctiones, & per Ecclesiastica decreta secundum sacrosanctam vniuersitatis & antiquitatis consensionem cunctos semper hæreticos, & ad extremum Pelagium, Cælestium, Nestorium iure meritoq; damnatos esse?*

D

Hunnius dicit, *Vincentium nil aliud velle, quàm explicationem scripturæ ex ipsismet scripturis Prophetarũ & Apostolorũ esse petendam;* Eo scilicet modo, quem

hære-

Digitized by Google

hæretici obseruãdum clamitant. Quo nil vanius (A) dici poterat; Nam Vincentius per *auctoritatem Ecclesiasticæ intelligentiæ*, quã cum scripturarum Canone copulandam dicit, expresse intelligit sensum & consensum conciliorũ, Patrum, vno verbo, traditionis Ecclesiasticæ; & ex huius præscripto, scripturarum Canonem explicari debere docet. quem *perfectum* vocat: quod Hunnius animaduertendum monet. Quis inficiatur, scripturarum Canonem perfectum esse? Num quia *perfectus*, ideo Ecclesiasticæ intelligentiæ & traditionis adminiculo non eget?

Nonus ex Latinis Patribus est S. Gregorius Magnus, qui lib. 5. epist. 25. ait, principum esse se sacerdotalibus negotiis non miscere. Respondet VVitackerus: *Pij principes non solent tractare negotia* (B) *sacerdotalia, neq; hoc illis licere dicitur.* Cur ergo Angli caput Ecclesiæ, hoc est, supremum omnium controuersiarum Iudicem constituerunt nuper fæminam Reginam; & nunc Regem?

Hunnius oggannit: *Si extenditur dictum Gregorij, ac si Magistratus, vel etiam plebeij Christiani planè nõ debeant iudicare de doctrina docentium in Ecclesia: meritò repudiatur ipsius sententia.* Omnino huc extenditur dictum D. Gregorij, vt magistratus Laici, vel etiam plebeij: planè non iudicent de quæstionibus fidei tanquam iudices publici, ordinarij & ex officio; si hoc tibi ægrè est; ægrè sit, per me licet, non impedio. Maior & eminentior est D. Gregorij auctoritas, quã huius diobolaris præconis nugacitas. Quamobrem meritò potius (C) auditur, quàm iste Stentor: qui quod ait; *Singulis cauendos esse Pseudoprophetas, & dignoscẽdam vocem pastoris à voce alienorum; probandosq́; spiritus, num ex Deo sint*; veterem & millies decantatam cantilenam canit: Iudicare debent laici; priuatim & generatim sibi persuadendo, doctrinam, quam tenent, à Christo profectam, & ab Apostolis continua successione ad nos vsque transmissam esse; plus ab illis nõ exigitur; quippe quos non *intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit*, vt D. Augustinus contra epist. Fundamenti loquitur.

Decimus & vndecimus ex Latinis Patribus sunt Anselmus & Bernard. Ab istis breuiter se expediunt Prædicantes VVitackerus, Iunius, Hun- (D) nius. Aiũt. *Eorum ætate iam inualuisse Romani Pontificis Principatum; Itaq; venia dignandos, si quid errore illius sæculi honorificentius de sede Romana scripserint. tales patrum næuos potius tegendos, quàm retegendos esse. Dij vos tonsore Deæque* ô Præcones, *donent, Verum ob consilium.* Scilicet næui sunt, quidquid *Næuij* isti næuum esse iudicant. Et duo illi patres, non quod à maioribus acceperant, sed quod de corde suo exsculpserant; scriptis mandarunt; nullusque antegressis sæculis doctor in Ecclesia extiterat, qui similia de Pontificis Romani potestate literis ad posteritatis memoriam consignarit. Hactenus de Patribus.

CAPVT NONVM.

Idem probatur ex ratione.

HVNNIVS examen huius capitis auspicatur à conuiciis. *Blasphemiam vocat.* I. *Quod negamus scripturam posse esse iudicem controuersiarum religionis.*

II. *Blasphemiam nominat, quòd à Catholicis in colloquio VVormaciensi dictum; scripturam non esse vocem iudicis, sed materiam litis.* De quo dicto omnium Prędicantiũ clamoribus celebrato, dixi in Responso ad theses Hunnianas cap. 8.

III. *Maiorem adhuc blasphemiam esse vociferatur, quòd* in Colloquio Ratisbonensi dixi, *nec sacram Scripturam, vt est verbum Dei, nec Spiritum sanctum, vt per scripturam loquitur, posse esse iudicem omnium cõtrouersiarum religionis, proximum* nimirum, *ordinarium, & immediatum pro huius vitæ statu*; sic enim intelligebam. At hoc non esse blasphemiam, sed ipsissimam veritatem copiosè cõtra Prædicantium insaniam ostendi in Responso, & in Digressionibus; itemq́; in gemino Antimonio Bauiano.

Ait; se supra demonstrasse, *scripturam esse controuersiarum iudicem.* Vbi? Dicit, *se scripturam non considerare, vt est in membrana seu charta, sed vt per Spiritum sanctum cælitus inspirata est.* Et vt Prædicantis constantiam videas mox adiungit. *Ipsam doctrinã biblico volumine conscriptam intelligimus.* Intelligis ergo scripturam, vt est in membrana seu charta; quia in biblico volumine aliter iam non est, nisi in membrana seu charta; nisi fortè Prædicans habeat scripturam exaratam in cera; aut celte sculptam in silice.

Ait: *Verbum Dei scriptum, non esse rem mutam.* Quid inde? Num ideo omnium controuersiarũ iudex est? Loquitur, sed ita, vt de sensu locutionis quæri & disceptari queat. Quis quæstionem & disceptationem euidenter dirimet, si alius dicat hanc esse scriptæ illius locutionis sententiã; alius, aliam; tertius, tertiam, quartusq́; quartam, & sic deinceps? Neq; sui & suorum obliuiscitur Hunnius; nam se & suos, scripturæ Iudicis, quasi *linguas & interpretes* constituit; vt proinde ea sit mens & vox huius iudicis, quæ nobis *ministerio* Prædicantium, *dono interpretationis pollentium*, proponitur, si credere dignum.

Danæus caput hoc duobus paralogismis constare dicit, *A non consequente: &, A non caussa.* Addit & argumenta, pro cõtrouersiarum iudicio scripturæ asserendo. I. *Præceptũ Domini lucidũ Psal. 19. Ergo scriptura est is iudex controuersiarum quẽ quærimus.*

II. *Ad legem & testimonium. Isaiæ 8. Sequitur ergo quod antea.*

III. *Lex tua lucerna pedibus meis. Psal. 119. Ergo scriptura est iudex.*

IV. *Scrutamini scripturas Ioan. 5. Et scriptura est vtilis ad docendum. 2. Tim. 6. Et 2. Pet. 1. Habetis sermonẽ propheticum firmissimum, ergo scriptura est quæstionum fidei iudex*, & Danæus disputator acutissimus.

Primum Bellarmini argumentum est istud; Nō ignorabat Deus in Ecclesia multas difficultates circa fidem exorituras, debuit igitur iudicem aliquem Ecclesiæ prouidere. VVitackerus & Savvbrandus concedunt hoc argumentum; vt & illud; hunc Iudicem non esse *spiritum priuatum*, neque *principem sæcularem*. Idem concedit Iunius & Hunnius, qui tamen addit; *non prorsus omne iudicium principibus in rebus fidei adimendum*. Neque nos omne illis iudicium abrogamus; nam illud, quod ouibus competit, libenter permittimus; omne tamen iudicium publicum, ordinarium ex officio institutum, iisdem non inuitis abiudicamus.

Acriter insurgit Hunnius in Bellarminum, & tantū non læsæ maiestatis arcessit, quod scripsit, *caussas sæcularis principatus esse humanas & naturales*. (Prædicans mentitur, Bellarminum dixisse, *merè* humanas & naturales; cum tamen istud *merè*, nō sit à Bellarmino, sed ab Hunniano cerebro) loquitur autem Bellarminus de caussis proximis & immediatis politicæ potestatis; quas humanas & naturales esse non inficiaretur Hunnius, si vel exigua humanæ & naturalis rationis scintilla adhuc in illo superesset: cum caussa efficiens huius principatus sit Electio populi, vt inquit Bellarminus, finis, pax & temporalis tranquillitas Reipublicæ. Neque obstat illud Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*: nō enim vult dicere Apostolus, regiam potestatem esse immediatè à Deo, sed mediatè, vt rectè explicat Bellarminus, cuius explicationem silentio inuoluit Prædicans; vt lectori persuadeat ex Bellarmini sententia, Magistratū politicum, ne mediatè quidem à Deo esse. Quo nil falsius ab impostore lectoribus imponi poterat.

Scripturam non posse esse controuersiarum iudicem probat Bellarminus. I. quia varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere, quis sit verus. Respondent Iunius & VVitackerus, *etiā ipsam scripturam dicere & explicare quis sit verus sensus*. Num facit id euidenter & in omni controuersia? Quæso, cur non acquiescunt Lutherani, si euidenter dicit scriptura, hunc esse verum sensum horū verborum: *Hoc est corpus meum*: quem vos Caluinistæ traditis ac venditatis? Nemo vel tam improbus, vel tam plumbeus est, qui nō victas mox manus daret; si sibi sensus verborum illorum, quem vos fingitis, euidēter liqueret. Pari modo, si scriptura euidenter explicat, eum esse verum & germanum sensum horum verborum: *Hoc est corpus meū*: quem Lutherani his verbis Christi substernunt: cur Caluinistæ non cōcedunt manibus pedibusque in sententiā Lutheranorum, relicta propria opinatione; cum ea sit infallibilis euidēntis testificationis natura; vt intellectum conuincat, & ad assensum necessariò adigat; quando certum est, eū à quo proficiscitur, nec falli, nec fallere posse: Si euidenter scriptura mentem suam explanat; A vnde tot difficultates? vnde tot tricæ & rixæ; vnde tot dissidia & dissensiones de legitimo scripturæ sensu?

Ait VVitackerus. *Qui amici litteras legit, is mentem eius intelligit. Ergo & qui scripturas legit, is mentem scripturæ intelligit; neq; opus est alio interprete*. Respondeo ad antecedens; intelligi aliquando mētem amici; aliquando non intelligi; quia quædam adeo obscurè & ambiguè scribi possunt; vt eorum vera intelligentia non attingatur. Quid igitur factu necessarium tali casu? An non adeundus & consulendus amicus, vt mentem suam dilucidè patefaciat? Quod ergo accidere potest, & quotidiè in amicorum mutuis litteris accidit; an non multò magis euenire potest in B sacris litteris, quorum materies tam sublimis, & à communi sensu remota; quando alius clamat hunc esse sincerum, alius alium diuinorum oraculorum sensum?

An nescimus, inquit VVitackerus, *quis sit sensus horum verborum: In principio creauit Deus cælum & terram, nisi Papam consulamus?* Omnino nescies, quis sit legitimus horum verborum sensus, nisi Ecclesiæ Catholicæ magisterio erudiaris. Quò te vertes, si quis aduersarius acriter contendat hunc sensum verbis illis subiici? *In principio creauit*, hoc est, *fecit Deus cælum & terram, non ex nihilo; sed ex præsuppofita materia*. Quid si alium sensum iisdem verbis affingat, vt copiosa esse solet hæretica obstinatio? Velis nolis, ad iudi- C cem viuum, spirantemque adire debebis, cuius sententiam euidenter percipere & intelligere valeas; si litibus illis finem modumque fieri desideres.

Secundò scripturam non posse esse iudicem ostendit Bellarminus inde: Quia in omni republica bene instituta & ordinata lex & iudex distinctæ res sunt. Cum ergo scriptura sit lex, iudex esse non potest. VVitackerus quiduis aliud facit; quàm quod faciendum erat; Relicta argumenti solutione, dicit, *in nulla Republica iudicem constitui debere, qui ex arbitrio & voluntate sua legem interpretetur*. Quid hoc ad rem? Quis dicit Iudicem, quem nos constituimus, ex arbitrio & voluntate sua leges interpretari; solu- D tum omnibus legibus; quis inquam hoc dicit, præter mendaces hæreticos? Palam fatemur definitiones fidei ad verbi Dei scripti, & non scripti normam, & ad Ecclesiasticæ traditionis Canonem instituendas ac conformandas esse. Quid ergo tandem VVitackerus ad argumentum Bellarmini? Nihil; nisi coccysmum illum suum: *Legem diuinam esse & iudicium & iudicem, & interpretem & regulam*. At hoc ipsum euertitur ab argumento Bellarminiano. Cedo vel vnā Rempublicam, in qua lex simul sit & iudex, & norma iudicis; regula item & interpres regulæ. Hæc euidentiora & dilucidiora sunt, quàm vt vel à Prædicantibus seriò & *animitus* negari queant. Ne tamen obmutuisse videantur; euidentiam

Digitized by Google

dentiam huiusmodi rationum, conuiciorum nebulis obscurare nituntur, præsertim Hunnius, qui vocat *ratiunculas*, & quidem futilissimas: Et *nullius teruncij argumentula*. Nimirum quando non habent quod dicant, artem suam factitant, hoc est, sycophantantur, ne sileant.

Aliud argumentum Bellarmini, quo probat, priuatum spiritum non posse esse iudicem; est tale. Iudex debet habere auctoritatem coactiuam. At priuati homines nullam talem habent potestatem. Ergo, &c. VVitackerus mentitur, Bellarminum *hoc argumento probare, scripturam non posse esse iudicem*; cum ipse non iudicium scripturæ, sed priuatum spiritum ista ratione oppugnet. Valet tamen etiam contra id, quod scripturam iudicem statuunt. Quid VVitackerus? *Scriptura non cogit externè; sed internè cogit assentiri mentem.* Si cogit *internè*; cur non cogit Lutheranos, vt assentiantur explicationi vestræ super illa verba? *Hoc est corpus meum.* Si cogit *internè*, cur non cogit vos Caluinistas ad assentiendum illis, quæ Lutherani de *Eucharistia*, *Vbiquitate*, & *Prædestinatione* tradunt. Si scriptura Iudex est, oportet, vt vim illam suam coactiuam exserat & expromat in omnes, cum quibus vobis lites contractæ sunt. Deinde stultum est dicere, iudicem habere vim cogendi *internè*; quia agimus de foro externo, in quo lites personant; deque iudice externo; oportet igitur, vt externa vi coactiua præditus sit; quò rebelles vel debitis pœnis, vel suppliciorum in hac vita infligendorum metu ad officium compellere valeat.

Obiicit VVitackerus. *Si quis esset externus huiusmodi index, qui omnes cogeret, tum nulla forent controuersiæ, quæ tamen semper & fuerunt, & erunt, & iam etiam sunt prope infinitæ.* Respondeo, hoc non sequi: quia pœnæ, quibus ab Ecclesiastico iudice turbatores fidei ad officium adiguntur, spiritales sunt; quas multi ex seditiosis paruipendunt; iisque non obstantibus, in sua perfidia contumaciter persistunt; neque dolent, quantumuis anathemate perculsi. Hinc neque à peruersis opinionibus recedunt. At non propterea iudex vi coactiua non est præditus; quod de facto ad saniorem mentem non recedunt; nam & politicus Iudex nihilominus verè vi coactiua pollet, respectu eius, quem proscribit; & cui aqua & igne interdicit; licet iam non sit in eius potestate; sed euaserit; seque etiam aduersus huiusmodi sententiæ executionem munierit.

Ait VVitackerus: *Pontifex quidem Romanus cogere potest, hoc est, terrere, & metu coërcere, & morte mulctare; sed cogere vt credamus, hanc esse Dei voluntatem, & scripturam, tanquam Dei vocem, recipiamus, non potest.* Imò potest; non quidem ita, vt ipsam voluntatem directè, & immediatè ad veritatem flectat & vertat, & à falsitate auertat; hoc enim solius Dei est; sed ita; vt ipse

A homo metu incurrendæ pœnæ prauam voluntatem cum gratiæ auxilio, quod omnibus præsto est; mutet; & ad meliora & saniora consilia transferat.

Hunnius dicit: *Nil opus tyrannicam vim cogendi in iudice constituere.* Idem & nos fatemur. Tyrannica vis abesse debet; sed non illa, quæ iudici necessaria est ad hoc, vt munus suum ritè obeat. Bacchatur Prædicans in Papam & orthodoxos, quòd *vi homines ad suam religionem compellant.* O prædicans, flecte oculos ad tuorum morem & genium: Et nihil erit, quod de nobis quiriteris. Quas machinas non admouetis, vt si qui in vestra sede, non autem sensu, sunt; vestram in sectam pertrahantur, nisi for-
B tè machinæ non sunt, carcer aut diuturni carceris metus, exilium, fortunarum omnium amissio, & centena talia manifesta mansuetudinis & in credendo libertatis, quam hæretici iactant, argumenta. Quod nec Prædicans hic penitus dissimilare potuit; cum hæc chartis suis illeuit; *Magistratus etiam suo loco facit officium, non quidem ad recipiendam doctrinam homines armata vi* (verum plusquam armata vi) *compellens, ad audiendas tamen conciones adigens illos.* (carcere, mulctis pecuniariis, exilio proposito) & *salutaribus mandatis procurans, ne quid contra sanam doctrinam publicè doceatur, aut innouetur; néue doctrina falsa legitimo iudicio Ecclesiæ damnata, intra suæ ditionis fines locum inueniat.* Hoc nimirum
C faciunt sectarij. Et orthodoxis nefas erit, vt similia in *heterodoxos* statuant?

Ait Bellarminus, plurimos ex vulgo adeò rudes & imperitos esse, vt ipsimet fateantur, se nullo modo posse iudicare de quæstionibus fidei. Ex quo infert Prædicans; *multos ex Pontificibus non potuisse esse quæstionum fidei iudices, cum multi adeò rudes fuerint; vt vix etiam nomen suum tenuerint.* Hæc calumnia nimis rudis est & impolita. Ostendat sycophanta Papam, cuius ruditas tanta fuerit, vt vix nomen proprium cognitum habuerit. Deinde, vt maximè Pontifex in Theologicis quæstionibus & difficultatibus exercitatus non esset; non sequeretur tamen iudicis of-
D ficio non posse fungi: quia recta & gemina & veritati consona definitio in controuersiis fidei diiudicandis & dirimendis non est promissa à Deo eruditioni & doctrinæ, sed cathedræ & sedi Apostolicæ. Quam qui tenet; & ex qua qui pronunciat, is certò & infallibiliter pronunciat, siue alioqui sit eruditus, siue ineruditus; quia à Spiritu sancto mens eius ducitur ac regitur, vt à vero abire non queat. At in plebeiis & priuatis res secus habet. Cum enim hac promissione destituantur, oportet, vt defectus promissi cælestis per doctrinam & eruditionem suppleatur ac resarciatur. Quod cum non fiat, neque adeo etiam fieri possit; fieri itidem non potest; vt huiusmodi rudes & indocti in Eccle-

Digitized by Google

siasticis controuersiis dirimendis fungantur vice & loco iudicum. Cum igitur iudex controuersiarum neque sit scriptura; neque princeps politicus, neque priuatus vniuscuiusque spiritus, conficitur, iudicem hunc esse principem Ecclesiasticum, hoc est, Romanum Pontificem, vel solum, vel certè cum concilio & consensu coëpiscoporum.

Pontificem Romanum non esse hunc iudicem; En ex ipsis Bellarmini argumentis demonstrare aggreditur Savvbrandus lib. 6. de principiis Christianorum dogmatum cap. 9. *Pontifex non habet potestatem coactiuam, ergo non est iudex controuersiarum; quandoquidem potestas coactiua est conditio, teste Bellarmino, ad iudicii officium necessaria.* Nos negamus antecedens. Quod vt Caluinista firmet ac muniat, obseruandum monet, *duplicem esse potestatem coactiuam; alteram; internam; alteram; externam.* Hoc posito sic progreditur. *Pôtifex neutram harum potestatum habet.* Negatur. Probat. *Non habet externam*; Nego. Probat. *Quia si externam cogendi potestatem haberet, accepisset eam à Christo sed non accepit eam à Christo.* Ergo, &c. Negatur Minor. Cuius subtilissimas probationes Savvbrandus in medium adfert. *Reges gentium dominâtur eorum, vos autem non sic.* Luc. 22. & Marc. 10. & 1. Pet. 5. *Neque dominantes cleris, ergo Pontifex non habet potestatem externam cogendi rebelles ad id, quod rectum & honestum est, per excommunicationem, & alias censuras pœnasq; Ecclesiasticas.* Quod etiã liquido apparet ex illo 2. Cor. 1. *Nõ quod dominemur fidei, sed quod administri simus. Ergo Pontifex nullum potest tradere Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat.* Quid conclusum acutius? Quis vnquam audiuit vllam coactionẽ externam à Præsulibus Ecclesiæ per pœnas spirituales & Ecclesiasticas adhibitam esse; caussa aberrantium in viam veritatis reducendorum?

En aliud argumentum, & quidem solidissimum, & quasi ex adamante fabrefactum. *Externa vis coactiua non constituit controuersiarum fidei iudicem: Ergo licet Papa hac vi polleret, non ideo controuersiarum fidei iudex esset.* Probatur consequentia; *si quicunque habet externam cogendi potestatem, esset controuersiarum iudex, tum quilibet Princeps in sua ditione, esset controuersiarum iudex, sed hoc non esse verum, etiam ipsi Papistæ fatentur. Ergò externa cogendi potestas non facit controuersiarum iudicem.* En acumina Caluinistica. Ad quæ sigillatim respondeo. Primum antecedens concedimus totum; neque enim quisquam nostrum ita argumentatur. *Papa habet vim externam coactiuam. ergo est iudex controuersiarum fidei*; perinde enim esset, ac si quis talem collectionem formaret; *Canis est sensitiuus; ergo est homo*: Sed dicimus; vim coactiuam ex iure & officio, esse generalem quandam conditionem iudicis; ac proinde, eum, in quo reperitur; iudicem esse rectè existimamus & pronunciamus: non tamen hinc præcisè inferre licet, eum esse talem vel talem iudicem; quia hoc non li-

A cet colligere ex generali conditione; sed ex materia, circa quam versatur. Sicut ex hoc, quòd facultatem sentiendi animaduerto in cane, rectè infero, esse animal; non autem esse hominem vel equum; vel etiam canem; quia sensitiuum quid esse posset, licet canis non esset.

Ex quibus euanescunt stoliditates Sibrandicæ. Minimè enim sequitur, omnem illum esse controuersiarum fidei iudicem, qui cogendi publica auctoritate præditus est; sed tantum; omnẽ talem esse iudicem; Qualis autem in specie iudex sit, Ecclesiasticus an Politicus, id ex subiectis litibus æstimari debet; Cumque potestas cogendi in Pontifice Romano insit; iure & ipse iudex habetur: & cum, vt Pontifex, non in

B ciuilibus quæstionibus, sed Ecclesiasticis caussis definiendis versetur; iure Ecclesiasticus iudex & controuersiarum fidei cognitor habetur. Cogit autem, vt antea dictum, pœnis externis spiritualibus, vt excõmunicatione; Item pœnis externis temporalibus & corporalibus, quà & ipse est princeps politicus; & quà principum politicorum opem implorare potest, vt hæreticorum petulantiam & licentiam pœnis temporalibus compescant.

Ait Savvbrandus. *Peruolue totum vetus Testamentum, & disce Mosen, Dauidem, Iosiam, & alios pios reges neminem ad hanc, vel illam religionem coëgisse, neque Prophetas docuisse, vt reges quenquam cogerent. Prophetæ adhortantur populum, dicendo; reuertimini.* C *Ezech. 18. 32. Ierem. 3. 22. Thren. 3. 40. Ierem. 3. 1. Neminem verò externa vi cogunt, &c.* Quanta quiduis affirmandi temeritas? An non Moyses statuit, vt qui sacerdotis imperio non pareret, morte mulctaretur? An non mandauit, Deut. 13. vt Propheta vanus, & fictor somniorum volens populum à pio & legitimo Dei cultu ad alienos Deos traducere interficeretur; *quia locutus est*, inquit legislator, *vt vos auerteret à Domino Deo vestro*: An non ibidem præcipit, vt frater, filius, filia, vxor & charissimi quique neci dedantur, si ad idololatriã inducere quenquam tentent? An non hoc erat metu mortis perterrefacere, vt in semel suscepto veri Dei cultu perseuerarent? An non Helias

D Propheta *Baaliticos sacrificos* peremit, vt & Iehu? Quo fine; nisi vt cæteros formidine pœnarum vel in veteri religione retinerent, vel inde auulsos, eò reducerent? Omitto alia huius generis exempla, alibi latius tractanda & explananda.

Prophetæ, inquit Caluinista, *adhortantur populum dicendo; reuertimini Ezech. 18. & alibi.* Adhortantur quidem: sed interim acriora quoque adhibent media & remedia, vt dictum de Moyse, & Helia; ne alios commemorem. Non sunt omittendæ adhortationes & preces, sed vbi his nihil proficitur, vlterius procedendum est; & asperiora medicamina ægris porrigenda.

Aposto-

Digitized by Google

Apostoli, inquit Savvbrandus, *monent, petunt, & obsecrant nos, vt ad Christum conuertamur, Matth.3. & alibi.* An non & Catholici monent, petunt, & obsecrant Sectarios, vt ad Catholicam vnitatem reuertātur? Si auribus surdis canant, an nō licebit illis alia tentare iustè & verè; quæ scelerate falsitas aduersus veritatem tentat? Num Lutherani & Caluinistę tantummodo orant & obsecrant diuersa sentientes, vt ad sua castra transmigrent: An non occinunt illud? *Aut mecum senti, aut abi.* Si tamen tam clementes sint, vt non longè duriora & diriora acroamata dissentientibus occentent.

Adhæc, si vult hæreticus Apostolos nullis penitus pœnis externis delinquentes coërcuisse; manifestè aut fallit, aut fallitur, aut tam hoc patitur, quàm illud facit. Refractarios enim & pacis inimicos excommunicatione plectebant. *Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant*, vouet Apostolus. Galat.5. Et D. Ioannes epistola secunda iubet; vt qui sanam doctrinam non adfert, *in domum non recipiatur*, neque vlla salutatione afficiatur: *Nec Aue ei dixeritis.* An non est hæc externa pœna, & quidem admodum grauis? Quod Apostoli Magistratum politicum non adiêre, vt Nouatores suppliciis corporalibus compesceret, eius rei caussam reddit D. Augustinus epistola 48. ad Vincentium. *Non inuenitur exemplum in Euangelicis, & Apostolicis literis, aliquid petitum à regibus pro Ecclesia, & contra inimicos Ecclesiæ. Quis negat non inueniri? Sed nondum implebatur illa prophetia; (Psal.2.) Et nunc reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore. Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Psalmo paulò superius dicitur; quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Veruntamen, si facta præterita in Propheticis libris figuræ fuerunt futurorum: in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, vtrumque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum, & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus (Daniel 3.) pios, & iustos cogebat adorare simulacra; & recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulò pòst in eódem rege figuratum est; cùm conuersus ad honorandum Deum verum, decreuit in regno suo, vt quicunque blasphemaret Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, pœnis debitis subiaceret. Prius ergo tempus illius regis significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis. Posterius verò tempus illius regis, significauit tempora posteriorum regum iam fidelium, quos patiuntur impij pro Christianis.* Similia alibi idem sanctus Augustinus.

Obiicit Caluinista. *Etiam Christus nullam externam vim adhibuit.* Quàm verè hoc asseratur, facilè statuet ille., qui conuersionem D. Pauli in Actis Apostolorum legerit. An non Saulo vis externa adhibita est, vt ad saniorem mentem rediret? *At Christus in his terris degens, nemini vim externam adhi-*

A *buit: sed Iudæos, quemadmodum gallina pullos sub alas congregare voluit.* Quid tum? Quia hoc fecit Christus, *quod quamuis haberet magnam potestatem, prius tamen elegit commendare humilitatem*, vt pulchrè docet D. Augustinus epist.204. ad Donatum presbyterum: *Hoc & in illa conuiuij similitudine satis euidenter ostendit, vbi misit ad inuitatos, (Luc.14.) & venire noluerunt; & ait seruo: Exi in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus Domino: Factum est, vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo; Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Vide nunc quemadmodum de his, qui prius venerunt, dictum est; Introduc eos, non dictum est, compelle. Ita significata sunt Ecclesiæ primordia adhuc crescentis, vt essent vires etiam*
B *compellendi. Proinde, quia oportebat, eius iam viribus, & magnitudine roborata, etiam compelli homines ad conuiuium salutis æternæ; postea quam dictum est, factum est, quod iussisti, & adhuc locus est. Exi, inquit, in vias, & sepes, & compelle intrare.*

Necdum finis subtilitatum Sibrandicarum. *Fides est donum Dei, ergo nulla humana vi imperari potest.* Respondet sanctus Augustinus lib.2. contra Petilianum cap.83. *Ad fidem quidem nullus cogendus est inuitus; sed per seueritatem, imò & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Numquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur; ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen malè viuendi vltrix disciplina præpostera est; nisi cùm præcedens benè viuendi doctrina contemnitur. Si*
C *quæ igitur aduersus vos leges constitutæ sunt, non vis benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate.* Eligat igitur & veram fidem amplecti; nàm hoc cum gratia Dei, quæ cuiuis præsto est, in manu omnium est, & vt eligere velit; pœnis hisce externis inducitur; non quòd quisquam bonus posset esse inuitus, inquit S. Augustinus epist.48. *Sed quia timendo, quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, vt timens vel respuat falsum, de quo contendebat, vel quærat verum, quod nesciebat, & volens teneat iam, quod nolebat.*

Papam non habere vim internam coactiuam inde probat Sibrandus, *quia solius Dei est animos in-*
D *tus mouere.* Respondimus iam supra, id intelligendum, de motione immediata. Nam mediatè etiam is, qui loquitur, animos mouere & variis affectibus concitare potest: Cur non & is, qui externis pœnis seu spiritualibus seu corporalibus compellit; cum vix quidquam sit, quod efficacius in animos influat, quàm pœnarum metus vel sensus?

Mentitur Sibrandus, *Bellarminum inde colligere Papam esse omnium controuersiarum de fide iudicem; quòd potestas Papæ immediatè sit à Deo:* Asserit quidem Bellarminus principatum Ecclesiasticum immediatè à Deo esse; sed nusquam hanc consequentiam format: *Potestas Papæ immediatè est à Deo, ergo Papa est omnium controuersiarum fidei index:*

quia quod sit aliqua potestas immediatè à Deo, id præcisè sumptum, nequaquam arguit supremam iudicandi potestatem; quæ longè aliunde fluit, quàm ex hac acceptæ potestatis *immediatione*, vt sic loquar. Quapropter nugas agit Caluinista, cum Bellarminum hac consequentiâ petit. *Papa non est immediatè à Deo, ergo Papa non est iudex omnium controuersiarum fidei.* Nam licet antecedens vero concineret; consequentia tamen falsa esset; vt iam dictum. Deinde ipsum etiam antecedens est *Savvbrandicum*, hoc est, vanum & commentitium; Nam Papa, hoc est, potestas & auctoritas, quam Papa habet, immediatè à Deo est. *At Cardinales eligunt Papam.* Eligunt, hoc est, personâ designant & Deo quasi sistunt; potestatem non conferunt; sed Deus immediatè personæ electæ & designatæ confert.

Dicere, *Syluestrum secundum adiuuante Diabolo summum Pontificatum obtinuisse*, vt dicit hic Savvbrandus, id nihil aliud est, quàm Diaboli partes, eiusdem instinctu, studiosè agere; & mendacia iam olim, ope illius sparsa, porrò etiam ad plures diffundere, ne intereant.

Ait Bellarminus ex Nazianzeno, Chrysostomo, Ambrosio, Episcopum tanto esse maiorem Rege, quanto spiritus carni; cælum terræ, aurum plumbo præstat. Hic Savvbrandus calumniandi occasionem adeptus, more suo, hos duos syllogismos struit: *Qui sæculari principi præstat, ad eum pertinet interpretatio scripturæ: sed Episcopus principi seculari præstat: ergo ad solum Papam pertinet interpretatio scripturarum.* Item: *Qui sæculari principi præstat, ille est summus controuersiarum iudex. Sed Episcopus seculari principi præstat; Ergò solus Papa est summus controuersiarum iudex.* Caluinisticus sycophanta ne latũ quidem vnguem à genio suo discedit. Calumniatur & mentitur audacter & impudenter: absq; fronte & ore. Neuter enim syllogismus Bellarmini est; vterque ex Savvbrandico cerebro proseminatus est. Nam Bellarminus nihil aliud probare vult; quàm ad Ecclesiasticam potestatem pertinere controuersiarum Ecclesiasticarum definitionem & diiudicationem; non ad politicam & sæcularem; eò quòd illa sit præstãtior, quàm ista: Quid vitij in hac consecutione? Ecclesiastica & spiritalis potestas longè antecellit sæculari & ciuili; ergo ad illam; non ad istam, spectat spiritualium & Ecclesiasticarum litium notio & determinatio; siue postea hæc potestas in solo Pontifice resideat; siue in Pontifice simul cum aliis Episcopis in Concilio legitimè congregatis: nam istud præsenti in loco ad viuum non resecatur; quia proprius super hac re disquirendi locus erit.

Reliqua quæ Caluinista adiungit; anicularum delirametis gemella sunt; ac proinde risu, quam responso digniora; vt & illa, quæ cap. 10. nugatur; quorum summam in hunc syllogismum coniecit. *Qui potest à Christo deuiare, & fieri hæreticus, ille potest errare in scriptura explicanda. Sed Papa Romanus potest à Christo deuiare, & fieri hæreticus. Ergo Papa potest errare in scriptura explicanda.* Respondeo, Minorem esse falsam, si intelligatur, de Papa Romano, qua Papa. Quam probat Caluinista, primùm, *exemplo Anastasij II.* quem cum alij pridem defenderunt, & à nota hæreseos vindicarunt, tum Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 10. Vbi defensionem Bellarmini Sibrandus refellerit, tum quid amplius facto sit opus, dispiciemus. Interea vide etiam annotationem Gregorianam ad cap. *Anastasius* apud Gratianum dist. 19.

Rursus imperitissime facit Sibrandus *Acatium Constãtinopolitanum Episcopum*; Papam Romanum: Liberium & Felicem hæreticos Arianos, absque vlla ratione, ex sola criminandi libidine. De quibus multa Bellarminus lib. 4. de Pont. cap. 9.

Sed ecce tibi alium eumque potentissimum syllogismum. *Quid docet contradictoria, ille potest errare in scriptura explicanda. Sed Papa docet contradictoria. Potest igitur Papa errare in scriptura explicanda.* Minorem probat. *In Concilio enim Carthaginensi 3. can. 47. Machabæorum, Iudith, Tobiæ, Ecclesiasticus, & sapientiæ libri sunt in canonem relati. Iidem libri in Concilio Laodiceno can. 59. sunt extra Canonem relicti. At vtrumque Concilium est à Concilio sexto generali, & à Papa approbatum.* Tuo videlicet malè tornato dolatoque iudicio. Nam tunc contradictoria statuisset vel approbasset Pontifex, si Concilium Laodicenum, Tobiam & reliquos libros expressè à canone reiecisset; Carthaginensis autem Synodus expressè, vt quidem fecit, in Canonem recepisset: & vtrumque Pontifex seu Ius Pontificium approbasset, etiam quoad hunc Canonem. At Synodus Laodicena non exclusit libros illos à Canone; sed tantummodo non nominauit: eò quòd veritas Patribus illis necdum liquidò perspecta esset. Aliud autẽ est aliquid à Canone, tanquam prophanum & apocryphum segregare; & segregationis huius decretum edere; aliud, silentio præterire; & nec pro eius auctoritate, neque contrà aliquid decernere. Vbi manet igitur fictitia tua antilogia?

Cui similis & ista: *In Concilio Sardicensi constitutum est, vt omnes Episcopi depositi appellent Papam Romanum Sed in Concilio Nicano contrarium constitutum est. Epist. Conc. Afric. ad Papam Cœlestinum, quæ est cap 105. Vtrumque autem Concilium à Papa approbatum est. Ergo Papa statuit contradictoria.* Mendacium est, in Concilio Nicæno statutũ esse, ne quis ad Romanum Põtificem appellet; vt patet ex Canonibus, quos Ruffinus recitat; & ex aliis, qui ab aliis memoriæ sunt proditi. Mendacium itidem est, Concilium Africanum in epist. ad Cœlestinum Papam, hoc affirmare. Sed hæc pertinent ad disputationem de Pontifice; vt & illud, quod de tit. *Vniuersalis* ex Pelagio & S. Gregorio garrit Sibrandus. Legatur Bellarminus lib. 2. de Pontifice Romano c. 31, & è vestigio omnes Sibrandicæ nebulæ euanescent.

Necdum ineptiendi & *extra oleas* saltãdi finem facit Hæreticus. Probat iterũ Pontificem errare posse;

Digitized by Google

posse; quasi id hoc loco agatur. *Qui multas falsas, & ineptas interpretationes adducit, ille potest errare in scriptura explicanda. Sed Papa Romanus adducit multas falsas, & ineptas interpretationes: ergo Papa potest errare in scriptura explicanda.* Negatur Minor intellecta, vt debet, de Pontifice, qua Pontifex est, & vt definit ex cathedra.

Vt Savvbrandus Minori fidem, vel potius fucum, conciliet; plurimas corradit scripturæ explicatiunculas ex Iuris Canonici glossographis; admixtis passim mēdaciis, sycophantiis & conuiciis, easq; ita proponit, quasi omnes illi spirituales & mystici, & interdum accommodatitij sensus; quos Glossatores antiqui, homines prisci moris, & candidæ simplicitatis, quibusdam scripturæ locis attribuerunt, sint ipsius Papæ ex cathedra pronunciantis & definientis. Quod tam verum, quàm verum est, omnes explanationes Glossarum Iuris ciuilis, esse Imperatoris; aut vim authenticam ab Imperatore habere.

Dicet Savvbrandus. *Explicationes illas contineri in iure Canonico, in Decreto, Decretalibus, Sexto, Clementinis, Extrauagantibus; si non in horum contextu, at in adiunctis glossis.* Quid tum? An ideo sunt ex cathedra Pontificis? Vbi, oro, definiuit vllus Pontifex Romanus, omne illud, quod in voluminibus Iuris Pontificij eiusque glossographis comprehenditur, verum esse? Ostendat, oro, Caluinista huiusmodi definitionē. Ostendat insuper, Papam Romanum approbasse omnes & singulas interpretatiunculas, quas subinde *Glossatores* adducunt. Profectò tot fermè mendacia fundit hoc loco Caluinista, quot profert verba: vt cū tertio quoq; verbo ait: *Secundum Papam, hanc vel illam esse veram scripturæ sententiam*; cum pleræque explicationes non sint Papæ, sed Glossatorum; neque sint litterales, sed mysticæ. Et tamen perpetim clamitat. *Secundum Papam Romanum hæc est vera expositio*; Et nomine veræ expositionis intelligit *litteralem*; cū in plerisque testimoniis neque textus Iuris, neq; Interpretes agant de sensu litterali, sed de mystico & spirituali: Exempli causa, in capitulo *Solitæ*, extr. de Maior. & obed. accommodatur locus ille Geneseos. *Fecit Deus duo luminaria magna, etc.* mysticè ad potestatem supremam Ecclesiasticā & politicā; vt luminare maius sit Pontificia auctoritas; luminare minus, regalis potestas. Hic calumniatur impostor, *hanc ex mente Papæ esse veram, hoc est, litteralem, & quidem vnicam, sententiam.* Quod Pontifici nunquam in mentem venit; quippe optimè ignaro, quis loco illi sensus *litteraliter* proximè & immediatè subiiceretur. Mentitur etiam, hanc esse dicti illius veram expositionem secundum Papam: *Pontificalem dignitatem esse quadragesies septies maiorem Imperatoria dignitate*: cum hæc explicatio non sit in ipso capitulo *Solitæ*: sed in Glossa; A qua tamen non adducitur, vt explicatio loci Geneseos; sed vt dilucidatio quædam verborum illorum Pontificis: *Vt quanta est inter solem & lu-*

A *nam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.*

Mentitur etiam loci illius Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*; secundum Papam, hanc esse veram, hoc est, litteralem interpretationem. *Papam esse Dominum omnium hominum.* & citat *Clement. lib. 5. de Maiorit. cap. vnam sanctam.* Et tamen in toto lib. 5. Clementinarum, nihil huius generis continetur. Mentitur iterum, *dicti huius Genes. 19. Ingressus es, vt aduena, & iudicas? secundum Papam Romanum hanc esse veram expositionem: nullum Clericum subiectum esse ciuili imperio.* & citat cap. *Nullus.* 11. q. 1. Sunt in illa Quæstione caussæ vndecimæ quatuor capitula; quorum initium: *Nullus.* In
B nullo penitus, neque in eorum glossis apparent, quæ Sibrandus adducit. Mentitur insuper, *secundum Papam, huius loci: Ego dixi Dij estis, hanc esse veram explanationem, non debere Concilium conuocari sine Papæ auctoritate*: citatque cap. *Synodum* dist. 17. sed qui capitulum illud inspicit, is mox imposturam deprehendit: non enim hoc dictum adfertur; vt probetur; Concilium sine auctoritate Pontificis non esse conuocandum; sed vt ostendatur, ius appellandi concessum Laicis, non esse denegandum sacerdotibus; vtpote longè maiore dignitate, quàm Laici, conspicuis, cum de sacerdotibus pronunciatum sit: *Ego dixi Dij estis.*

Mentitur iterum: *huius Psalm. 99. Moyses & Aaron inter Sacerdotes; secundum Papam Romanum veram ex-*
C *positionem esse: omnes Ecclesiasticos regi auctoritate Episcopi Romani. citatque cap. Sacrosancta, dist. 22.* Hoc neque in capitulo illo, neque in glossa habetur. In capitulo tantùm asseritur: Etiam in veteri Testamento fuisse sacerdotes *primos inter cæteros*, Moysen nimirum & Aaronem. Non igitur esse mirum, si in nouo itidem Testamento sit aliquis sacerdotum primus. Et quid opus est reliquas imposturas, fraudes, falsas citationes, corruptelasque criminatoris huius persequi? Infiniti id tædij fuerit. Ex paucis discere potes vniuersas.

Et tamen postquam nil nisi mendacissimum Sycophantam in scena Caluinistica egerat; subiungit: *Quoniam Bellarminus docet, Papam ex cathedra docentem non posse errare; viderit ipse, quomodo illud*
D *dogma, & has interpretationes defendere possit.* Quæ in Glossis vel textu iuris exstant, defendi possunt; sed à bona mente; non à flagitiosa & perfida; qualis tua. Pleræque, vt à te proferuntur, defendi non possunt, quia neque à Iure, neque à glossis, sed ex stolido tuo cerebro sunt. Esse eas ineptas & falsas, vt à te proferuntur, adeo manifestum est, vt non existimem quempiam, licet Caluino mancipatum, adeo pudoris oblitum esse, & posteritatis iudicia contemnere, vt Sibrandum à mendaciloquentiæ & loedorologiæ infamia absoluere ausit.

His feliciter confectis assignat Savvbrandus conditiones, quibus iudicem omnium controuersiarum fidei oportet esse præditum. Prima est;

Digitized by Google

vt non possit errare. Non displicet. Secunda, *vt ab eo non possit prouocari.* Neque istam improbo. Tertia, *vt non sit partialis.* Hic siste gradum; propter ea, quæ superiore capite disputauimus. Nego supremum controuersiarum iudicem non posse iudicis officio fungi, si auctoritas eius à sceleratis in dubium reuocetur, vel etiam penitus repudietur. Rationem supra reddidimus, & quidem non vnã. Quarta est; *vt possit partes ad obedientiam cogere:* Accipio & hanc: Battus noster rursus regerit & recinit: *Voluntatem non posse ab homine cogi.* Imò ne à Deo quidem cogi potest: potest tamen Deus immediate flectere voluntatem, vt iam velit, quod antea nolebat. Potest idem homo mediatè, per pœnas & supplicia; metumque pœnarum & suppliciorum incussum: vt supra latius diximus, & hæc cogendi potestas iudici sufficit, vt patet tam in ciuilibus, quàm in Ecclesiasticis iudiciis. Prima, secunda, & hæc quarta conditio Romano Pontifici examussim competunt. Tertiam non moramur, quia ab Hæreticis conficta est; quæ si vera esset, tum neque scriptura, neque Spiritus sanctus loquens per scripturam iudex esse posset, vt placet hæreticis, quia de scriptura, deque sensu scripturæ ingentes sunt controuersiæ, atq; adeo ipsa scriptura fit etiam pars litigans, seu pars, de qua litigatur.

Clamat Hæreticus, *Pontificem errare posse, & reipsa errasse, hinc non posse esse iudicem.* Sed clamat tantum; nil probat. Mentitur, *non omnes posse ad Pontificem prouocare;* & hoc mendacium suum stabilire nititur ex Concilio Africano cap. 95. & 105. At tu vide Bellarminum lib. 2. de Pontif. cap 24. & 25. mox vanitas Caluinistica tenues dilabetur in auras. Clamat, *Donatistas appellasse à Melchiade Papa.* Num iure? Clamat, *esse duplicem scripturarum interpretem, internum & externũ; internum, esse solum Deum. Externos esse duplices; quosdam immediatè vocatos, & testimonium diuinitus habentes, quòd nequeant errare; vt Apostolos & Prophetas. Quosdam non immediatè vocatos, nec tali testimonio præditos, & in horum censu reliquos Christianos censeri.* Quorsum hæc omnia? Quem tangunt? Quem feriunt? Quò tendunt? Num eò, vt euincant, definitionem caussarum Ecclesiasticarum non esse Romani Pontificis vel solius; vel cum Episcopis in Concilio congregatis; cuius quæstionis partem affirmantem tuetur Bellarminus? Plumbeus sit, qui non videat, hæc nihil momenti habere ad euertendam assertionem Bellarminianam: Nam & Pontifex vel solus vel cum Episcopis inter illos Interpretes & Iudices collocari debet; quibus dum ex cathedra docent ac definiunt, immunitas ab omni errore concessa est. Nec verum est, *hoc priuilegium solis Prophetis & Apostolis diuinitus tributum;* vt absque probatione Savvbrandus affirmat. Nam & de infallibili Pontificis & Conciliorum auctoritate testimonia luculenta sacrarum literarum nobis suppetunt; vt alibi copiosè Bellarminus ostendit. Hæc eadem de *internis & externis doctoribus* mox

A capite sequenti, quod est duodecimum, verbosissimè Caluinisticus Battus repetit; quasi semel nugas egisse, non sit plusquam satis. Iterandæ sunt, vt non tantum sint nugæ simplices; sed & Battologicæ.

Clamitat, *singulos doctores & interpretes & singulos Episcopos errare posse.* Quid infers? Num hoc? *Ergo etiam omnes simul in synodo legitimè cum capite supremo congregati in quæstionibus fidei decidendis à vero excidere possunt.* Vel; *ergo etiam Papa, qua talis & quatenus ex cathedra, vt publicus Christianæ religionis iudex definit, in errorem labi potest?* Sed statim, pleno ore; tam hæc, quàm illa consecutio negabitur. Quibus tu fulcris vtramque fulcies?

Clamat, *Christum esse supremum omnium contro-*

B *uersiarum iudicem.* Num in hac vita? Num immediatus, ab omnibus adiri & euidenter audiri facilis? Num partibus litigantibus ita sententiam pronunciat, vt altera pars euidenter sciat; se caussam obtinuisse; altera se caussam amisisse? Mirum, istos, quoties de iudice agitur, perpetim extra limites huius vitę euagari; & ad alteram vitam transilire.

Agnoscit tamen Sibrandus in hoc etiam sæculo *iudices;* eosque duplices; *alteros, publicos, alteros, priuatos. Publici sunt omnes ministri,* vt inquit, *legitimè vocati; priuati, singuli fideles.* Stolida est ista diuisio: quia priuati propriè non sunt iudices. Vocabulum & notio iudicis, officium & munus publicum denotant. Quis præter Nouatores; ita in-

C saniat; vt singulos ex infimæ plebis fæce, quantumuis rudissimos & imperitissimos, ex officio de quæstionibus & litibus grauissimis & obscurissimis iudicare aut posse, aut debere dicat? Si vlla vnquam persuasio stultitiæ nomen promeruit, hæc certè ante alias omnes promeruit. Deinde fatemur, singulos Ecclesiæ ministros legitimè vocatos, iudices esse; neque opus erat, vt id Savvbrandus loquacitate sua nobis persuadere tentaret: sed negamus esse *supremos:* Negamus, singulos sigillatim spectatos esse infallibiles, & ab omni erroris periculo immunes. Supremum quærimus. Infallibilem necessarium esse in Ecclesia, publicè & priuatim docemus; infallibilem, inquam, ordinarium, immediatum, qui a-

D diri & euidenter in omni controuersia ab omnibus audiri queat. Huiusmodi iudicis in Ecclesia Christiana necessitatem demonstrauit Bellarminus hoc libro omnis generis argumentis: quę allatrantur quidem à Prædicantibus, sed allatrando minimè expugnantur. Satis iam de his. Transeamus ad caput vltimum huius libri.

CAPVT X.

Soluuntur obiectiones.

SOLVIT hoc capite Bellarminus septendecim argumenta Hæreticorum; quibus probant vel omnes & singulos fideles esse controuersiarum iudices; vel Pontificem Romanum non esse controuersiarum iudicem. Primum argumentum Isaiæ 54. *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino, ergo omnes possunt de quæstionibus fidei iudicare.* Respondet Bellarminus, non loqui Isaiam de spiritu priuato reuelante, sed vel de doctrina Euangelij, quam Deus ipse, id est, Christus, prædicauit & docuit, vt exponit Cyrillus; vel de gratia Spiritus sancti, qua homo interius à Deo mouetur & suauiter impellitur ad credendum & amãdum.

Occurrit Hunnius, *hoc testimonium non eò à suis proferri, vt probent, priuatum spiritum reuelantem, sed vt demonstrent Christianos nõ debere esse contentos fide Pontificiorũ carbonaria & implicita illa, vt satis esse ducant, pendere à nutu sacrificulorum, nec ausint in illorum dicta inquirere.* Nimirum eo consilio à Prædicantibus locus iste Isaiæ profertur, vt oues supra pastores & subditos supra superiores; & iudicandos supra iudices, & discipulos supra magistros euehant. Hinc vociferatur Lutherus in furiosissimo contra Regem Angliæ libro. *De doctrina cognoscere, & iudicare pertinet ad omnes, & singulos Christianos, & ita pertinet, vt anathema sit, qui hoc ius vno pilo læserit. Christus enim ipse hoc ius statuit inuictis, & variis sententiis. Matt. 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Hoc verbum certè dicit ad populum aduersus Doctores; & mandat eis, vt falsa dogmata eorum vitent. At, quomodo vitare possunt, nisi cognoscant? quomodo cognoscere, nisi ius habeant iudicandi? Nunc autem non solùm ius, sed præceptum iudicandi statuit, vt hæc sola auctoritas satis esse queat aduersus omnium Pontificũ, omnium Patrum, omnium Conciliorum, omnium Scholarum sententias; quæ ius iudicandi, & decernendi solis Episcopis, & ministris tribuerunt, & impiè, & sacrilegè populo, id est, Ecclesiæ reginæ rapuerunt. Stat enim Christus dicens; Attendite à falsis Prophetis. Huic subscribunt fermè omnes omnium Prophetarum syllabæ.* Hęc stultissimè, vt omnia, Lutherus. Quasi verò ouis lupum vitare nequeat, nisi ouis pastor fiat; & ius in pastorem sibi sumat. Quasi verò necesse sit, vt subtilissimas de fide quæstiones plebeius intelligat, deque illis iudicium ferre queat; ne in Pseudoprophetarum retia & nassas incurrat. An non sufficit illi generale iudicium, quo iudicat omnia, quę proponit Catholica Ecclesia, veritati conformia esse? An non satis est; cum doctrinam audit, de qua vera an falsa sit, iudicium ferre nequit; (sicut profectò vulgus imperitum plurimis in controuersiis iudicare nequit, quæ pars vero concinat) vt assensum suspẽdat; remq; totam ad pastores, quorum est de his accuratius dispicere, & sententiam ferre

A re referat; neq; quidquam sibi vel amplectẽdum vel reiiciendum existimet; nisi quod ab Ecclesia Catholica tradi vel reiici intelligit? Nec refert, quod Pręd icans conuiciatur, hanc fidem esse *carbonariam*; quia constat *Prædicantes* nihil calumniis incessere, nisi quod salutare est ac sanctũ: & hanc multitudinis Christianę credulitatẽ sectarij ideo traducere & oppugnare ingressi sunt, quo suam credendi rationem introducerent; quæ à Prædicantibus longè magis reipsa dependet, quàm Catholicæ plebis fides ab auctoritate doctorum orthodoxorum; licet verbis iactitent; se nolle, vt vulgus aliunde, quàm à sacris litteris in credendo dependeat. Logi isthæc sunt, & vanæ *inaniæ.* Repugnet vulgus Prædicantibus; & vtatur iure
B iudicandi à Luthero sibi concesso; vtatur, inquã, in ipsum Lutherum, vel Pręd icantes. Bone Deus, quas pœnas dabit? Quantis insectationibus lacerabitur? Quam properè in carcerem rapietur, vel in exilium relegabitur?

Vt ergo verbis compendium faciam, iudicare debent vulgares, sed non ex officio publico; non necessariò & in specie de articulis fidei; sed vel generatim credẽdo omnia esse vera, quæ Catholica Ecclesia tradit; vel etiam speciatim iudicãdo & statuendo hos vel illos articulos, quos explicitè & *formaliter* credit, esse veros; omnemq; doctrinam his aduersam à vero abhorrere. Nam, vt in specie & explicitè de omnibus controuersiis etiam hoc modo iudicet, id impossibile est; cum
C multę iam quoq; inter nos & hæreticos quæstiones agitentur, quarum ne *terminos* quidem, nedum rem subiectam, rudes & vulgares assequuntur. Certè si Deus omnibus de quacunq; doctrina speciale & exactum iudicium præcepisset; vt delirat Lutherus, & cum illo Prædicantes, rem prorsus *impossibilem* præcepisset. Laicis igitur ouibus gregis Christi, sufficit naturale illud iudicium, quod quemuis assensum vel dissensum animi necessariò antecedit: & fieri potest de re, licet non intellecta; quam tamen credibilem & fide dignam vel etiam indignam existimes, propter auctoritatem Ecclesiæ; & doctorum, qui in Ecclesia docent. Neque qui ab his pendet, salutem suam discrimini exponit; quan-
D doquidem eo fine dati sunt Ecclesiæ doctores, vt nos fulciant, ne omni vento doctrinæ circumagitemur.

Mentitur Prædicans, cum ait; Bellarminum capite antecedente dixisse; *priuatos nullo modo posse iudicare de quæstionibus fidei:* Nõ dixit hoc Bellarminus; quod patet ex his eius verbis: *Plurimi sunt adeo rudes & imperiti, vt ipsimet fateantur, se nullo modo posse iudicare de quæstionibus fidei, &c.* Vbi non dicit, *omnes*; sed *plurimos*; Nec quid ipse de ipsis, sed quid ipsimet de se ipsis sentiant, exponit. Neque agit de iudicio generali; quo quis iudicat, aliquid vel amplectendum vel repudiandum propter alienam auctoritatem, licet id, de quo amplectendo vel repudiando agitur, captum eius penitus exsuperet:

superet: hoc enim iudicium quiuis etiam rudissimus habet, quando aliquid vel amplectitur, vel reiicit; sed agit de iudicio, quod non fit nisi re accuratè expensa; discussa, & propius introspecta. Hoc iudicium plurimis, immo infinitis mortalibus, esse impossibile, patet testimonio ipsorum hominum, quos crebrò ingenuè confiteri audimus, se hanc vel illam controuersiam non intelligere, ac proinde iudicare non posse. Ex quibus etiam euanescit contradictio, quam mendax Hunnius Bellarmino hoc loco affricare tentat *Non rectè D. Cyrillum à Bellarmino citari, aut certè Bellarminum aliud Cyrilli exemplar habuisse*, criminatur Iunius. Lector consulat commẽtarium Cyrilli in cap. 54. Isaiæ; & mox, fumi instar, Iuniana criminatio dissipabitur.

Secundum argumentum Hier. 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, &c. Et non docebit vltra vir proximum suum, &c.* De præcedente & hoc, & aliquot seqq. argumentis, ait Iunius, *ea non esse suorum, sed Svvenckfeldij & Anabaptistarum ἐνθουσιαζομένων.* At Bellarminus non contra solos Caluinistas & Lutheristas, sed & contra *Enthusiastas* disputat. Quare nil mirum, si eorum etiam argumenta refutet. Deinde, vt Lutherani & Caluiniani his testimoniis non vtantur ad expressè stabiliendum illum Svvenckfeldianum vel Anabaptisticum enthusiasmum; fanaticumque in vniuscuiusque priuati cerebro tumultuantem spiritum; attamen his aliisque similibus scripturæ locis vtuntur, vt omnibus, etiam priuatis, de quęstionibus fidei iudicandi licentiam arrogent; atque adeo eundem, quem Svvenckfeldiani & Anabaptistæ, priuatum spiritum fulciant; sed tectiùs, & ad fallaciam longè aptius. *Si enim*, inquiunt, *lex Dei scripta est in omnium fidelium cordibus; si omnes à minimo vsq; ad maximum Deum cognoscunt; omnes igitur de controuersiis fidei iudicare & arbitrari debent: iniustè ergo hanc potestatem Papa & Ecclesiastici sibi vendicant.* Pulcherrima collectio. Quæ tamen plus fermè pugnat in Prædicantes, quàm in nos. Nam Prædicantes faciunt se publicos, ordinarios & ex officio controuersiarũ interpretes. Quo iure? si hoc Hieremiæ loco omnibus æqualis iudicandi potestas; & par scientia promittitur: per alios ad priuata subsellia ablegant; neq; publicis in consessibus secum iudicare sinunt? Quasi vero locus iste de auctoritate & potestate publica iudicandi agat; & non potius de gratia noui Testamenti accipi debeat; quoad priorem partem, vt ex diuo Augustino docet Bellarminus. Si posterioris partis sensus est, in statu gratiæ, nullos fore, qui alios doceant; cur ipsi Prædicantes alios docent? An non exemplo & facto suo sensum illum falsitatis coarguunt? Et certè prorsus à vero abscedit; cum Deus non aliam ob caussam Ecclesiæ doctores perpetuò submittat, quàm, vt populum doceant & indefessè instruant. Rectè ergo hoc de statu cælestis patriæ explicat S. Augustinus. Rectè etiam ad statum gratiæ accommoda-

A tur; quia quod Deus præcipuè & vberius iam facit in instituendis & erudiendis hominibus, id meritò homini nõn adscribitur, sed Deo, licet reuera etiam humanum ministerium interueniat; vt & in illo Christi ad Apostolos: *neque enim vos estis, qui loquimini; sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10. Quis ambigat, ipsos etiam Apostolos locutos esse? sed quia à Spiritu sancto potissimum ad loquẽdum impellebantur, ideo locutio ei soli assignatur.

Murmurat Hunnius contra Bellarminum, quòd scripserit, *Augustinum libro de spiritu & littera dicere per legem scriptam in cordibus, significari fidem per charitatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus nostris, vt non solum sciamus, sed & impleamus diuina*
B *mandata.* Quiritatur Prædicans; *hæc longè aliter legi in Augustino; nihilque ab eo, de impletione mandatorum, quæ fiat in hac vita, differi.* Si Prædicans totius Augustinianæ disputationis super loco Hieremiæ discursum & decursum legisset, forsitan ab hac mendaci calumnia sibi temperasset. Manifestissimè enim non semel affirmat, gratiam noui Testamenti, id est, fidem & charitatem dari, vt lex Dei à nobis impleatur, ca. 19. *Ex hac promissione, hoc est, ex Dei beneficio, ipsa lex impletur, sine qua promissione præuaricatores facit, &c. Gratia data est, vt lex impleretur: neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis.* cap. 20. *Vnde igitur illud* (testamentum) *vetus erat, hoc nouum, cum lex eadem impleatur per Testamentum nouum, quæ dixit in veteri: Non concu-*
C *pisces?* & cap. 21. ait, *Vetus Testamentum comprehendisse præcepta iustitiæ, qualia nunc quoque obseruare præcipimur, sicut est, non adulterabis; non homicidium facies, non concupisces, &c.* quæ vt impleamus, lex iustitiæ & gratiæ scripta in cordibus nostris, præstat & efficit. Hæc & id genus alia de legis impletione diuus Augustinus. Et tamen Hunnius mentiri audet, D. Augustinum *nihil de legis impletione agere, in explicatione illustris illius oraculi prophetici de gratia noui Testamenti.* Quid verò illud, quod Prædicans ait; *præcepta Decalogi pertinere ad pactum illud vetus, non ad pactum nouum.* An vult Decalogum à Christianis non esse obseruandum? D. Augustinus loco iam nominato palam affirmat; eadem nobis præcipi, quæ antiquis: *Non adulterabis, non occides,*
D *non concupisces.* Nescio quid odij Prædicantes in Decalogum gerant; quod si non tam apertè promunt & produnt, quàm ille Antinomus apud Lutherum Tom. 1. Lat. VViteberg. fol. 4006. edit. 1582. *Decalogus* gehört auff das Rathhauß/ nicht auff den Predigstul. *Decalogus pertinet ad curiam seu prætorium, non ad Ecclesiasticam cathedram. Ad crucem & patibulum cum Mose*; attamen nec obscuras neq; dubias huius' sui capitalis odij crebrò significationes edunt; vt hic quoque fecit Hunnius: qui & illud carpit; quod Bellarminus dicit; verba illa; *Non docebit vltra vir proximum suum, &c.* si ad pręsentis vitæ statum referantur, accipi posse, de cognitione vnius Dei; quam tantam fore Propheta prædixerit, abolita falsorum Deorum multitu-

dine

dine, vt minimè necessarium sit futurum in ea hominibus persuadenda multum temporis & laboris insumere, quippe apud omnes & per omnes vulgatâ.

Oggannit Præco, *hanc interpretationem esse nimis angustam, imò & impiam.* Quid ita vero? *Quia Propheta loquitur de illustri cognitione mysterij salutis nostræ,* hoc est, *de incarnatione Christi, & redemptione nostra.* Quis hoc dicit? Prædicans. Quo modo probat? Hac nuda assertione. *Indubitatum est.* Apud quos? Non sanè apud illos, qui alteram cum Bellarmino sententiam amplectantur. Quid amplius? *Bellarminus sibi contradicit.* Quis hoc dicit? Prædicans. Quid si mentiretur? Videamus. Bellarminus ait, verba illa, *non intelligi de absconditis scripturarum mysteriis; & tamen dicit; intelligi de cognitione vnius Dei. Ergo sibi contradicit; quia cognitio vnius Dei est absconditum scripturæ mysterium;* quod inde apparet; quia etiam per naturale lumen intellectus nostri cognosci potest; & quidem euidenter & demonstratiuè. Quis igitur amplius ambigat, vnitatem Dei esse absconditum scripturæ mysterium? An non fortissimè & validissimè prostrauit & protriuit Prædicans Bellarminum?

Tertium argumentum. Matth. 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi. vnus est enim magister vester Christus. Igitur solo interno Doctore debemus esse contenti. De hoc argumento,* inquit Iunius, *viderint Anabaptistæ.* Videant igitur, quando ita iubes. Nos videbimus quomodo Lutherani circa hoc argumentū sese gerant. Ac inprimis miror acumen collectionis. *Nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester Christus; ergo non est vllus in Ecclesia controuersiarum iudex; & quæstionum dubiarum interpres.* Vel adhuc subtilius: *ergo Pontifex Romanus non est in hac vita supremus controuersiarum iudex.*

Hunnius hic solito robustiores lacertos & pugnos ponderat. Ait I. *Hoc testimonio Romani Papæ immensam potestatem euidenter conuelli.* Num probat hoc Hunnius? Non; sed tantum affirmat. Affirmanti tantum, credant Prædicantica mancipia, non ego, non alius, Prædicantibus non obnoxius.

Ait II. *Papam sibi eiusmodi potestatem arrogare, vt quidquid ex cathedra stercoraria dictet ac eructet, id pro indubitato oraculo recipiatur; sine viteriore disquisitione.* Vanissima conuicia, & futilissima Hunnianæ linguæ crepitacula audio; quæ Hunnianis pullis & illis, qui in *stercoreis* Lutheri & Prędicantium libris libenter volutantur; admiranda relinquimus.

III. Ait Hunnius, *Christum præcisè omnibus Apostolis, etiam Petro, talem definiendi potestatem negasse.* Probat. *Quia Christus dixit: omnes vos estis fratres; ergo Petrus nihil peculiare præ aliis accepit; ergo nec Papa.* Probatur. Quia istud, saluo fraternitatis iure, fieri non potuit. Ex quo sequitur, Prædicantes non esse supra suos sutores, sartores, cerdones, laniones, coriarios. Patet; quia sunt horum fratres. *Omnes enim vos fratres estis*, ex Christi monito. Ergo Prædicantes nihil dignitatis & præcellentiæ supra prædictos fratres habent.

Sed en ineluctabile argumentum: *Si Christus id magisterium vult ab Apostolis omnibus, atq, sic à Petro quoq, esse alienum, quod Pharisæi sibi vsurpabant, de quibus illic ex professo disserit; certè incomparabiliter magis id magisterium Apostolis suis, & sic etiam Petro negat, quod sibi vsurpat Romanus Pontifex. At prius est verum ex assignato cap. 23. Matthæi. Ergò & posterius.* Respondeo, Maiorem esse Hunnianam, hoc est, ventosam, verique inanem & exsortem: quam Prædicans paribus fulcris, hoc est, mendaciis & conuiciis firmare nititur. Laxatis enim effrenatæ & infrunitæ linguæ habenis impotentissimè & furiosissimè in Pontificem Romanum bacchatur; & quidquid vesania & amentia furibundo Stentori suggerit, id plenis faucibus in Papam eiusq; potestatem eructat & euomit, prorsus scurrarum in modum & morem; quorum scrinia Prædicantes expilant, & inde maledicentiæ suæ materiā mutuantur, quoties virulenta sua spicula in Papam vibrare instituunt. Neq; operæ est in his immorari; illud monere satius: Christum nequaquam in Pharisæis ipsum Magisterium, vel docendi officium, quo publicè fungebantur, reprehendisse; sed ambitiosum vsum illius functionis; vel etiam ambitiosam affectationem illius dignitatis; vt hic etiam monet Bellarminus. Hinc nullum docendi officium à Pharisæis remouit; aut ab Apostolis remouendum censuit; sed solam ambitionem procul haberi voluit; arroganter enim & fastuosè munus illud obibant; & Doctoris seu *Rabbini* speciosum titulum, superbè affectabant. Quod humilitatis optimus Doctor Christus ferre non valens, suos ad humilitatis studium informauit; illudque cogitare iussit; humanum magistrum respectu diuini esse quasi nullum; neque enim qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.

Quartum argumentum. Ioan. 5. *Ego testimonium ab homine non accipio; ergo nec verbum Dei accipit testimonium ab homine, vt à Pontifice, vel Concilio.* Respondet Bellarminus, verbum Dei in se non egere testimonio hominum; egere tamen testimonio respectu nostri, vt ei fidem habeamus. Hunnius hoc argumentum, tanquam à suis vsurpatum, vix vult agnoscere. Et tamen isto vtuntur sectarij, quoties clamitant; quod quidem indesinenter faciunt; *fidem nostram & verbum Dei à nullo hominum pendere.* Non pendet in se ab vllo mortali, sed à solo immortali Deo; quoad nos pendet ex testimonio & interpretatione Ecclesiæ; quia hac seposita, nescimus quodnam sit verbū Dei; neque etiam, quis sit genuinus illius sensus, compertum habemus.

Quintum argumentum Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui misit me, agnoscet de doctrina mea: vtrum ex Deo sit. Non ergò præter spiritum dilectionis Dei requiritur aliud magisterium ad scripturas intelligendas.* Neq; hoc argumentū vult Hunnius agno-

A scere. Iunius ait, *esse Anabaptistarum*. Quorumcunque sit; friuolum est, neque vel obolo dignũ; nam vt rectè monet Bellarminus, non dicit hoc Dominus, vt ostendat, omnes viros bonos per se intelligere posse omnia loca scripturarum: sed, vt doceat viros probos carere impedimẽtis quibusdam, propter quæ alij quidam nec per se, nec per alios fidei veritatem intelligere possint, &c.

Hunnius *accusat Bellarminum falsi; quòd dicat, omnes viros bonos posse intelligere omnia loca scripturarum. Non dicimus hoc*, vociferatur Hunnius. An non dicitis vos, & inprimis Lutherus, omnem Christianum de omni doctrina & officio iudicare debere? An non hoc in libro contra Regem Angliæ, verbis supra recitatis affirmatissimè asseuerat Lutherus, vt & alibi passim? Si iudicare debent de omni doctrina non tantum generatim, sed & speciatim, (sic enim suum deliramentum intelligit Lutherus) oportet, vt omnem doctrinam, atque adeo omnia scripturarum loca intelligant, etiam imæ sortis & conditionis homunciones. Itaque Bellarminus nec συκοφαντεῖ, neque συκοφαντεῖ; vt calumniatur Prædicans, sed ipse λοιδορεῖ, καὶ ψευδολογεῖ, vno verbo facit, quod ex officio Prædicantis facere oportet.

Sextum argumentum. Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me*. Igitur non egemus alio præceptore. Etiam hoc argumentum ait Iunius *esse Anabaptistarum*. Lutherum igitur Anabaptistam esse oportet, quia vtitur hoc testimonio cum alibi, tum in libro contra Regem Angliæ; vt inde euincat, non esse peculiarem aliquem controuersiarum iudicem & interpretem, sed omnibus Christianis hoc munus promiscuè cõpetere. Anabaptistam quoque esse oportet Savvbrandum, qui eodẽ Euangelistæ testimonio vtitur, & hunc inde syllogismum architectatur: *Qui audiunt vocem Domini, & eam norunt, alienorum autem vocem neq; audiunt, neq; norunt: item, qui sequuntur Domini vocem, alienorum verò vocem non sequuntur, sed fugiunt, illi possunt iudicare de doctrina, imò iudicant de doctrina. Sed singuli fideles*, &c. Ergò, &c. Respondeo ad Maiorem; tales iudicare, & iudicare posse de doctrina & voce pastorum saltem generatim; quatenus certò apud se statuunt, omne illud, quod à Catholica Ecclesia credendum proponitur, veritati consonum esse; & quidquid huic aduersatur, id pariter veritati repugnare. Ex quo iudicio fit, vt postea vocem Christi per legitimi pastoris os sonantem sanctè ac reuerenter audiant; lupis verò aures diligenter occludant. Neque ad hoc, vt pastoris vocem audiant; & alienum repudient, necessarium est, aliud iudicium; quam illud generale, quo quis iudicat, nihil esse amplectendum, quod Catholicæ Ecclesiæ decretis contrarium sit; Hoc ipso enim quod quis hac persuasione imbutus est, nunquam assensum præcipitabit; sed si quæ exsistat quæstio supra intelligentiam suam, ad pastores Ecclesiæ confugiet; & quid facto sit opus, sedulò exqui-ret. Neque nos vnquam aut negauimus, aut negamus priuatos, vt fidẽ vel acceptent vel retineant, iudicio egere; imò egent, sed nõ alio, quàm illo generali; quod quis in omni re, quam vel amplectitur vel repudiat, elicit: Quis enim Christianæ fidei nomen daret, si eam veram esse non iudicaret? Quis in ea perseueraret; nisi eam vero conformem esse, simili iudicio decerneret? Sed aliud est hoc generale & in omni negotio vsitatum & vsurpatum iudicium; aliud, iudicium illud publicum ex officio & cum auctoritate iudicandi & definiendi de doctrina, eiusque veritate, & sententiam suam iudiciariam inter controuersantes & litigantes interponendi. Quod solum iudicium priuatis abiudi-

B camus: Et Nouatores hoc & prius illud imperitè confundunt, neque, vt deberent, discriminant. Hinc in tota hac materia tenebræ illæ densissimæ; non nisi distinctionis luce dispellendæ. Ex quibus habet etiam Hunnius responsum ad nugas & calumnias, quas circa hoc testimonium vbertim effutiuit.

Neq; aliter dissoluendus est alius syllogismus Savvbrandi, quem fabricauit ex præcedente testimonio Ioan. 7. *Qui debent cognoscere de doctrina, an ex Deo sit, illi habent auctoritatem iudicandi de doctrina. Sed omnes fideles debent cognoscere de doctrina, an ex Deo sit: ergò omnes fideles habent auctoritatem, &c. Maior est vera, extra controuersiam*, inquit Caluinista. Qua tamen temeraria eius affirmatione non ab-

C sterritus, nego Maiorem; si intelligatur de auctoritate necessariò iudicandi de doctrina speciatim & explicitè cognita & intellecta, per modum potestatis iudiciariç, talis enim iudicandi auctoritas nullo modo conuenit omnibus Christianis. Si autem maior intelligatur de iure iudicandi generatim saltem, & per iudicium illud, quod omnem actionem humanam antegreditur, conceditur Maior; & iuxta illam, concessa Minore, de generali saltem cognitione accepta; distinguenda est etiam conclusio.

Considera autem extremam Savvbrandi vanitatem & impudentiam. Dixerat Bellarminus, viros Dei & probitatis amantes carere quibusdam impedimentis; quæ improbis obstaculo sint, ne

D veritatem per se vel per alios intelligere valeant. Et ex his obstaculis esse gloriæ, & pecuniæ cupiditatem; & id genus alia, quæ oculos excæcant; huiusmodi obicibus & remoris sceleratos à cognitione veritatis retardari, ostendit Bellarminus ex illo Ioan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Et Lucæ 16. *Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum.* Ad quæ Savvbrandus. *Bellarminus probat ex prædictis locis Ioan. 5. & Luca 16. Et putat hæc duo habere eundem sensum cum hoc loco; cognoscet de doctrina, an ex Deo sit.* Vbi Sycophanticus Caluinista prorsus Diabolicè mentitur: quia nunquam & nusquam hoc BELLARMINVS aut dixit, aut scripsit, aut cogitauit; sed duo

Digitized by Google

A illa testimonia eo solo fine attulit; vt ostenderet improbis esse quasdam ad fidem remoras, quibus probi viri careāt: Et istud duo ex Euangelistis adducta testimonia euidentissimè comprobant.

Atrocissimo mendacio suo subnectit hunc syllogismum. *Qui potest ex doctrina cognoscere, an aliquis suam, an verò mittentis gloriam quærat, ille potest iudicare de doctrina. Sed singuli fideles possunt ex doctrina cognoscere, an aliquis suam, an verò mittentis gloriam quærat. Ergò singuli fideles possunt de doctrina iudicare.* Respondeo, negando Minorem. *At Minor est in textu*, vociferatur Caluinista. In quo? Num in Biblico? Non credo, quia nusquam reperio. Fortè in Savvbrandico. Ita, opinor, sed textus iste minoris apud me auctoritatis est, quam alicuius B Caluiniani textoris textus, qui in textrino conficitur. Non dicit Christus, *singuli fideles; sed si quis voluntatem eius facere volet, qui misit me; agnoscet de doctrina mea.* Itaque de probis legumq; diuinarum amatoribus tantummodo loquitur. Neque dicit Christus eos, qui voluntati cælestis patris obsequuntur, posse ex doctrina cognoscere, an aliquis suam, an mittentis gloriam quærat. Sed dicit eum, qui patris voluntatem exsequitur, agniturum, num doctrina quam tradebat, sit ex Deo, an aliunde; quod longè aliud est, quàm quod Caluinista in sua Minore somniat.

Septimum argumentum Act. 17. *Berœenses scrutabantur scripturas, an ita se haberent, quæ Paulus prædicabat. Si ergò licuit hominibus illis, haud dubiè Laicis,* C *examinare verba Pauli; cur non liceat nobis examinare verba Papæ, & Conciliorum?* Hoc loco Prædicantes mirificè triumphant & exultant, elatisque clamoribus factum hoc Berœensium extollunt & prædicant: Hunnius quatuor obseruanda monet contra Pontificios: *Primò, quòd isti Berœenses, licet essent priuati, nihilominus legunt in sacra scriptura Prophetarum. Hoc*, ait Prædicans, *cum interdicto Antichristiano sub Papatu pugnare è diametro, vbi sacrorum Bibliorum volumen, cunctis, qui non sunt ex ordine rasorum, & vnctorum verticum, ex manibus nequiter excutitur.* At Prædicans nequiter mentitur, & calumniatur. Quis laicorum Latinè, Græcè vel Hebraicè gnarus arcetur à lectione D Bibliorum Latinorum, Græcorum vel Hebraicorum, dummodo Hæreticorum sordibus non sint contaminata? Quis in Germania etiam à vernaculis Bibliis abstinere cogitur, dummodo à probato & Catholico Interprete prodierint? An non pudere debebat Hunnium tam manifesti & aperti mendacij? Debebat certè, nisi depuduisset, & mentiendi artem ex professo factitaret; eiusque quæstu se & suos sustentaret.

Deinde notandum, inquit Prædicans, *quod Berœenses non modò legunt scripturas, sed in iis etiam scrutantur, adhibito iudicio, num hæc ita se habeant, quæ ab Apostolis prædicabantur.* Adhibuerunt iudicium; sed num vt iudices ex officio, & cum auctoritate publica decernendi & sententiam ex cathedra pronunciandi? Iudicarunt eo modo, quo quiuis iudicare consueuit, quando de re vel amplectenda vel repudianda deliberatio instituitur.

Tertiò obseruandum est, inquit Prædicans, *quod iudicium illud faciunt, & instituunt ad normam scripturæ.* Quis negat, iudicium etiam priuatum, in rebus ad fidem spectantibus, fieri debere ad normam scripturæ, seu cōuenienter scripturæ? Quid hinc extundis? Num scripturam esse vnicam omnis iudicij normam?

Quartò notandum monet Prædicans; *quòd Apostoli æquissimo animo passi sunt suas in conciones inquiri: contra ac Pontifici mos est; qui simpliciter omnes ab se eructatas sententias citra vllam prorsus examinationem simpliciter vult recipi.* Dicat Prædicans, vbi nam Papa prohibuerit, ne quis, qui Christianā fidem profiteri cogitat, decreta & statuta Pontificum cum timore & reuerentia, sinceroque veritatis inueniendæ desiderio examinet; & cum scriptura conferat? Imò ostendat, vbi hoc vlli, etiam Hæretico, interdictum sit. Ne Orthodoxo quidem id nefas est, dummodo huiusmodi examen non instituatur ex dubitatione. Qui enim de Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus deliberatè dubitat, is eo ipso in orthodoxorum numero esse desinit.

Bellarminus dicit, Berœenses necdum, quando scrutabantur scripturas, num hæc ita se haberent, Christo per baptismum nomen dedisse; & sic in doctrinam Pauli inquirere potuisse; Etsi enim Paulus esset Apostolus, neque falsam doctrinam tradere posset, tamen hoc initiò non constitisse Berœensibus, neque ad credendum obligatos fuisse, nisi prius viderent miracula, aut alias probabiles rationes credendi. Quid Prædicans? *Pugnat hoc cauillum cum historia quæ perhibet, fuisse Berœenses summo genere natos inter eos, qui erant Thessalonicæ; qui receperant sermonem cum omni animi promptitudine, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent.* Iam ergo crediderant. Bellarminus negabit consequentiam. Nam illud; *susceperunt verbum cum omni auiditate*; haud quaquam significat eos tum perfecto & pleno assensu credidisse; sed auidis auribus & mentibus prædicationi Pauli operam dedisse; & sedulo postea scripturas euoluendo inuestigasse, num dicta Pauli cum vero concinerent. Hoc examine absoluto multi ex illis Christianam fidem amplexi sunt; subdit enim D. Lucas. *Et multi quidem crediderunt ex eis.* Ex illis nimirum, qui cum omni auiditate Paulum de Christianæ religionis capitibus disserentem audierant, & postea quotidie, num hæc ita se haberent, scrutati fuerant.

Bellarminum dicere, *Hæreticos in auctoritatem Ecclesiæ baptizatos esse*; purum putum Prædicantis mendacium est; Verba Bellarmini sunt ista: Etsi Hæreticus peccat dubitando de auctoritate Ec-

clesiæ, in qua per baptismum regeneratus est, &c. tamen posito hoc dubio, &c. Conuicia, quæ Prædicans in Pontificem & Pontificios hic spuit; tacitus præteruolo; quia sæpe iam repercussa, & ad auctorem suum remissa sunt. Maledicunt, quando benedicere non norunt. Vellicant & morsicant, quia canes rabidi sunt. Quid aliud ab illis exspectes?

Syllogista Savvbrãdicus ex Berœensium scrutatione hunc syllogismum nobis procudit. *Ad quos in primitiua Ecclesia pertinebat iudicium doctrinarum, ad eos illud adhuc pertinet. Sed in primitiua Ecclesia illud iudicium pertinebat ad singulos fideles. Ergò singuli fideles adhuc de doctrinis iudicare debent.* Respondeo, Minorem esse Savvbrandicam, vanam, friuolam, falsam. Si, vt debet, intelligatur de iudicio ex officio, & cum auctoritate statuendi & definiendi. Si autem intelligatur de iudicio illo generali, quod omnem electionem antecedit, tum Minor, quin & totus syllogismus, nihil penitus ad rem facit; quandoquidem huiusmodi iudicium nemini, qui sano sit capite, & ex intentione agat, negari potest. Mentitur Sibrandus, *Bellarminum concedere Minorem prædicti syllogismi.* Quomodo concederet Minorem, cum syllogismum istum ipse nec formarit, neque ab alio formatum proposuerit? An Bellarminus ad propositiones eorum syllogismorum respondit, qui necdum nati erant, quando suos commentarios euulgabat?

Quæ mox Savvbrandus subiicit, nil aliud sunt, nisi insulsæ Battologiæ: *vt Papam posse errare. Errasse in multis. Doctrinam eius examinari debere. Concilium Tridentinum scatere erroribus: se & alios de grege Caluini bis triginta annis tot cædes, flammas, incendia, vastationes, proditiones, latrocinia, direptiones & exilia sustinuisse:* Et quid non? Vbi vides Caluinistam miro artificio tribuere Catholicis artes Caluinisticas, quibus Ecclesiam Orthodoxam exagitant & exercent: Ex quo genere, cædes, flammæ, & omnia, quæ Caluinianus nominat.

VVitackerus talem lectoribus suis syllogismũ propinat: *Si Apostoli doctrina ex scriptura examinata fuit, tum & Ecclesia etiam doctrina ex scriptura examinanda est. At primum, verum. ergò & secundum.* Respondeo, conuenienter iis, quæ Bellarminus docet. *Si Apostoli doctrina examinata fuit ab illis, qui nondum crediderant, tum etiam Ecclesia doctrina examinanda est, vel saltem examinari potest ab illis, qui nondum crediderunt; sed credendi quasi viam ineunt.* Esto Maior. *At primum verum.* Esto & Minor. *Ergo & secundum.* Esto etiam conclusio. At si Maior intelligatur de iis, qui iam crediderunt; concessa Maiore; negatur Minor. Falsum enim est, ex Bellarmini sententia, eos, qui scrutabantur, num dicta à Paulo veritati congruerent; iam Christo nomen dedisse, quando examen illud instituebant. Quanquam ne fideli quidem vetitum est; vt fidem, quam profitetur, ad sacræ scripturæ normam exigat & examinet; non ex dubitatione; sed mentis in reperta veritate confirmandæ desiderio. vt taceam, iudicium illud, quod omnem electionem antecedit, nemini penitus neque in primitiua, neque in posteriore Ecclesia negari; vt iam sæpius dictum. Si quis arbitretur Berœenses illos iam Christianis sacris nomina sua dedisse, quando scripturas scrutabantur, prout non improbabilis fert opinio, is ad VVitackerianum argumentum dicat: Fidelibus concedi, vt scrutentur Ecclesiæ doctrinam & scripturam, sed sine dubitatione de doctrina Ecclesiæ & scripturæ: Solius fidei confirmandæ, & rei melius intelligendæ desiderio.

Octauum argumentum Rom. 12. *Habentes autem donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, siue Prophetiam secundum rationem fidei, &c. Hic Apostolus docet, donum Prophetiæ, hoc est, interpretationis scripturarum, haberi secundum rationem fidei, id est secundum mensuram & proportionem fidei, non debet igitur peti scripturæ interpretatio à Papa vel Concilio, sed ab eo, qui magis fide abundat, quicunq; ille sit.* Respondet Bellarminus I. Consequentiam posse negari. Papam enim & Concilium magis abundare fide, quàm vllum hominem priuatum, cum nec Papa, vt docet ex cathedra, nec Concilium in fide errare possit. Omnis autem homo priuatus in fide errare possit.

Vociferatur Hunnius, *Papam non docere ex cathedra Petri, sed ex cathedra Pestilentiæ contra Petrum, contra Paulum, contra Apostolos. Donum interpretationis ad nullum locum vel personam esse alligatum: spiritum spirare, vbi vult; & dona sua largiri, cui vult;* Hæc nihil aliud sunt, quàm antiquæ Prædicantium næniæ, sexcenties decantatæ; & vsque ad nauseam lectorum in singulis propemodum Prædicantium chartis iteratæ. Quod si anicula aut cerdo quispiam Prædicantem vrgeret illis verbis: *Spiritus, vbi vult, spirat; &, Deus dona sua distribuit prout vult; cur ergo tu à me postulas, vt potius tuam interpretationem sequar; postpositâ meâ: Et non ego à te flagitem, vt tu potius sequaris meam, postbabitâ tuâ?* Si, inquam, anicula aut cerdo quispiam hoc modo Prædicantem compellaret, eiusque sententiam respueret; fretus suæ interpretationis bonitate; nil dubito; eum derepente spiritum ex Prædicantis pectore spirare sentiret; quem non spirare magno redemptum vellet.

Addit Bellarminus; illud: *Secundum rationem fidei*: non coniungi cum verbo; *habentes*; sed cum verbo subintellecto, *administremus.* Hunnius contrà. I. *Tam clarum est construi cum verbo habentes; vt sine enormi impudentia negari non possit.* Quomodo assertionem suam probat Hunnius? Non aliter, quàm *impudenter affirmando.*

Digitized by Google

II. *Audet Bellarminus perfricta fronte asserere construi cum verbo, quod non exstat in textu.* At subintelligitur. An nulla vsquam *elliptica* oratio in tota scriptura occurrit? Si hoc inficiaris, tum pudorem ex fronte non abstersisti, sed funditus abrasisti.

III. *Insolens est phrasis; administrare interpretationem, administrare prophetiam*; Insolens est, sed in insolentis Prædicantis schola: non apud illos, quibus notæ illæ sacrarum litterarum phrases. 2. Corinth. 9. *Qui autem administrat semen seminanti.* 1. Petri 4. *Administrare gratiam. Vnusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Mentitur Hunnius & Tragicè tumultuatur; *Explicationem istam aduersari vulgatæ Latinæ editioni in Concilio Tridentino canonizatæ.* Quî vero repugnat? An quidquam de textu vulgatæ translationis mutat Bellarminus? Vbi definitum est in Tridentino Concilio, nullum penitus verbum in vulgata editione per ellipsin subaudiri?

Savvbrandus nos hoc syllogismo aggreditur: *Ad quod qualibet interpretatio congruere debet, illud est norma, & regula authentica interpretationis. Sed analogia fidei, id est, doctrina sacris litteris comprehensa, est illud, ad quod qualibet interpretatio congruere debet. Ergò analogia fidei, id est, doctrina sacris litteris comprehensa, est norma, & regula omnis interpretationis. Bellarminus videtur hoc totum argumentum concedere*, inquit Caluinista. Mentitur; quia Bellarminus Savvbrandicum istum syllogismum ante non vidit, quàm disputationes suas publicaret. Quomodo igitur totum argumentum concedit? Mendacium itidem est, Bellarminum postea, *Maiore concessa, negare Minorem.* Nihil minus; quia Bellarminus de his Savvbrandicis phantasmatis nihil vnquam cogitauit.

Vt directè ad argumentum respondeamus, si Caluinista per verbum *congruere*, intelligat; *non aduersari*; conceditur Minor, atque adeo totus syllogismus. Omnis enim de rebus diuinis interpretatio, ita debet esse comparata, vt sacris litteris congruat; hoc est, non aduersetur. Ex quo minimè sequitur, scripturam esse omnium controuersiarum normam; vel solam scripturam esse omnium controuersiarum normam, exclusis omnibus aliis; vt Nouatores contendunt.

Dices. *Omnis interpretatio congruere debet cum scriptura: ergo scriptura est vnica omnis interpretationis & controuersia norma.* Negatur consequentia. Pari forma probare possem, solum verbum Dei non scriptum esse omnis interpretationis & controuersiæ vnicam normam; quia omnis de fidei quæstionibus interpretatio, & omnis controuersiæ decisio cum verbo Dei non scripto congruere debet. Num ideo solum Dei verbum non scriptum est omnium interpretationum regula, & vnica controuersiarum norma? Ait Bellarminus, nomine *Prophetiæ* citato Apostoli loco posse etiam intelligi donum prædicendi futura. Ex qua notione nihil pro se colligere possunt Hæretici.

A Negat Sibrandus. *Et Prophetiæ vocabulum accipi contendit eo sensu, quò 1. Cor. 14. pro gratia scilicet interpretandi scripturam.* Sed garrit tantum Sibrandus, neque vlla vel in speciem verisimili ratione asserto suo fidem conciliare conatur; cùm sententia Bellarmini grauissimorum Patrum auctoritate muniatur.

Nonum argumentum. 1. Cor. 2. *Spiritualis autem indicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Igitur ad *spirituales homines pertinet interpretatio scripturarum, non ad Papam, aut Concilia.* Respondeo, non agi hic de iudicio publico & ex officio cum auctoritate decidendi & definiendi religionis controuersias; sed de iudicio, priuato, quo homo spiritu Dei præditus ea, quæ ad salutem vel necessaria vel

B conducibilia sunt, eligit; & ea, quæ à salute remorantur, respuit. Quomodo quiuis homo spiritualis potest esse publicus controuersiarum iudex, auctoritate sententiã definitiuam pronunciandi pollens, cùm, vt rectè Bellarminus ait, nobis certitudine fidei non constet, quis sit spiritualis homo; imò cùm hoc ipsum aliquando ne morali quidem certitudine compertum habeamus, quandoquidem homo nescit, *quid sit in homine*; & multi externa specie apparent spirituales; qui carni ad ambas vsque aures immersi viuunt.

Neq; hic animaduertunt Prædicantes, quàm malè suis rebus consulant; si enim spiritualis homo est controuersiarum iudex & arbiter; ita, vt

C à nemine iudicetur; Lutheranus autem quispiam opifex, vel Lutherana muliercula cõtendant se *spirituales esse*; profectò nihil habebunt Prædicantes, quod cùm ratione opponant. Cur enim potius credere debent, clamosos Prędicantes esse *spirituales*, quàm seipsos, cùm seipsos longè melius norint, quàm Prædicantes? Dicent fortassis, *quando spirituales omnia iudicare affirmant, se non loqui de iudicio publico, & ex officio, ad cuius obsequium, alij etiam obstringantur; sed de priuato; quod omnem actionem antegreditur; & quod eò est sincerius, quò iudicans maiores in spiritu progressus habet.* At hæc dicendo, rursùs planum testatumque faciunt, se vel non intelligere, quid blaterent, vel de industria lites & contentiones serere. Quis Catholicorum ne-

D gat iudicium priuatũ generale vel speciale cuiuis competere; cum de fide suscipienda vel retinenda, deque hac vel illa secta reiicienda agitur? Hæc certè sine iudicio aliquo peragi nequeunt. Quod tamen cautè & circumspectè, & non nisi dependenter à maiorum iudicio instituendum est; ne in errorem inducamur; licet quis sibi vel etiam aliis admodum spiritalis videatur; quia constat plurimos, qui ad summam spiritalis vitæ arcem euasisse videbantur, temerè & præcipitanter iudicando grauissimè aliquando corruisse.

Quocirca si Savvbrandus, vt præse fert, in hoc suo syllogismo; *Qui omnia iudicat, iudicat de doctrina: sed spiritualis iudicat omnia; ergo iudicat de doctrina*; loquatur tantùm de priuato iudicio, nõ illo

forensi & definitiuo; quo & alij obligantur; nõ grauatè damus, quod concludit: Quilibet enim homo, qui doctrinam Christianam amplectitur; semelque susceptam constanter retinet, id ideo facit, quia iudicat doctrinam Christianam esse veram. Quod iudicium etiam à rudissimo & imperitissimo formari potest; qui motiuis quibusdam ad credendum inductus est; licet vniuersos doctrinæ articulos distinctè & explicitè non intelligat; neque negat Bellarminus, spiritualibus hoc iudicium competere; nemo enim nescit, id in fidei negotio simpliciter esse necessarium.

Obiicit Savvbrandus: *Si ille non potest iudicare, de quo alij non sunt certi, an sit spiritualis; tum neq; Papa, neq; Concilium potest iudicare. Nemo enim certus est, an Papa sit spiritualis: imò non esse Papam spiritualem, testatur vita ipsius, docet doctrina, nouit totus mundus. Sed neque Conciliis (loquor de Papalibus Conciliis) vrgeri possumus. Ea enim Papæ esse similia, ita notum est, vt negari nõ posit.* Hæc cauillatio facilè dispellitur. Nam nec Pontifex, neq; Synodus cum Pontifice iudicant certò & infallibiliter ideo præcisè, quòd spiritales sunt; sed quia supremi iudicis munere in Ecclesia funguntur: neque Deus promisit spiritui, hoc est, sanctimoniæ & innocentiæ morum iudicandi infallibilitatem; sed cathedræ Petri; quam siue sanctitate præstans, siue à sanctitate alienus teneat; nihil ad infallibilitatem definitionis refert. At cum D. Paulus affirmat; *spiritualem omnia iudicare*; loquitur de quodam iudicio; quod à spirituali, quatenus spiritu informatus est, procedit. Quamobrem nõ potest institui, vt sic formaliter, nisi à spirituali. At iudicium illud publicum Papæ vel Synodi, non ita sese habet, vt iam dictum.

Mentitur Hunnius, Bellarminum docere, *spirituales dici ab Apostolo homines perfectos, qui rectè interpretentur scripturas, imò etiam futura perspiciant.* Bellarmini verba manifestæ vanitatis Prædicantem redarguunt, quæ sunt ista: Nõ negamus, fuisse in Ecclesia, & esse homines spirituales, & perfectos, qui rectè interpretentur scripturas, imò etiã futura prospiciant, & cordium secreta scrutentur. Negamus tamen ad eos pertinere iudiciũ definitiuum controuersiarũ fidei, &c. Quæ longè aliter sonant, quã prout à Prędicante recitantur, neque ignorauit Bellarminus spirituales homines non restringi ad solos illos, qui scripturas rectè & peritè interpretari; & futura prouidere ac prædicere norint; cum multi iam olim fuerint, hodieq; reperiantur; qui spiritu plurimũ polleant, neq; tamen hac vel illa facultate instructi sint. Quid verò est quod Prædicans *soli Deo cognitionẽ futurorũ in solidum* transcribit? An inficias it, Prophetas futura præuidisse & pręnunciasse? Ex natura quidem soli Deo hęc prænotio cõuenit; cur ex dono aliis competere nequeat? An non & Lutherani Prophetias quasdam sui Coproprophetæ Lutheri euulgarunt?

Spirituales non posse esse publicos cõtrouer-

A siarũ iudices, inde euidenter ostendit Bellarminus, quia certò & infallibiliter nõ constat nobis, qui sint spiritales. Quomodo igitur sententiæ ab ipsis prolatæ morẽ gerere possemus? *Egregia ratio*, clamat Hunnius, *sic quia ego non sum certus certitudine fidei, quis sit Consul, aut Iudex, aut Politicus præfectus Antuerpiæ, idcirco is non erit Consul, aut Iudex, aut Præfectus.* Prædicans antiquum tenet. Cauillatur & Sycophantatur. Non dicit Bellarminus, spirituales ideo non esse spiritales, quod nobis certitudine fidei non constet, vtrum sint spiritales; sed dicit, idcirco nos, eorum sententiâ tanquam iudiciariâ & definitiuâ obligari non posse; quia certò & infallibiliter non scimus; num verè sint spirituales: sicut certò & infallibiliter scimus, Pa-
B pam & Synodum duci & regi à Spiritu sancto, quando aliquid ex cathedra pronunciant.

Dicent fortè Hæretici; *se etiam certò & infallibiliter non scire, vtrum Papa regatur à Spiritu sancto; ac proinde se non obligari, vt iudiciariæ eius sententiæ acquiescant.* Respondeo, ignorantiam istam esse *affectatam* vel *crassam & supinam*; quæ minimè excuset: nam si vellent; certò & infallibiliter ex diuinis litteris, & Ecclesiastica traditione id scire possent. Sed nolunt, & dedita opera nolunt; oculosque sponte claudunt, ne veritatis lucem aspiciant. At nos ordinariè & absq; peculiari reuelatione Dei non possumus certo & infallibiliter scire, num hic vel ille verè sit spiritualis. Hinc morem gerere non tenemur: sicut neque in foro externo ob-
C temperare cogerer illi; cuius iudiciaria potestas mihi certò & infallibiliter non constaret, neque etiam, quamuis summa adhibitá diligentiâ, constare posset.

Maledicta in Pontifices, quæ scurra denuo hic eructat, non tango: quia in Responso ad Theses Hunnianas copiosissimè profligaui. Excutiamus hunc Prædicanticum syllogismum: *Si Papa quædam interdum ignorat; non potest esse iudex controuersiarum fidei: At Papa ignorat multa, & interdum (attestantibus ipsis Pontificiis) parum scit. Ergò non potest esse iudex controuersiarum fidei.* Respondeo, Maiorẽ esse *Prædicanticam*, quia, vt Pontifex posit esse iudex omnium controuersiarum fidei; necesse non est, vt omnia fidei Mysteria, omnesque difficultates
D prius norit; sufficit, si id dogma norit, quod definiendũ venit; & quando definiendum est; Tunc enim à Spiritu sancto, iuxta promissum Christi, inducitur *in omnem veritatem*; quia cælestis ille Doctor *omnia suggerit*, & nota facit.

Mentitur Prædicans cum dicit; *Maiorem esse Bellarmini*: non enim asseruit Bellarminus ideo cunctos spiritales non posse esse iudices, quia quædam aliquando ignorent; sed quia ita quędã ignorent, vt Deus illis ea nõ patefaciat. Quod de Papa locũ non habet: nam posito, quod aliquas difficultates, de quibus quæstio definienda exoritur; ignoret; attamen si ad definiendũ procedat, partem veram intelliget; eamq; solam definiet, aliisq; credendam ex cathedra proponet.

Digitized by Google

Mentitur iterum Prædicans cum ait, Gregorium de Valentia & Collocutores Ratisbonenses concedere, *Papam multa ignorare, & interdum parum scire*; mentitur, inquam, si dicat, vt quidem dicere videtur, auctores istos asseruisse Papam multa, quæ definiat, ignorare; nunquam hoc vel Gregorio nostro, vel Collocutoribus Ratisbonensibus in mentem venit. Neque tamen necesse est, vt Pontifex tam distinctam & explicitam cognitioné habeat de omnibus difficultatibus, quæ circa quæstiones fidei occurrunt; quàm distinctam habet aliquis eximius & longo tempore in hoc studio versatus Theologus; satis est; quod dogma ipsum, quod definit, intelligat; cætera Spiritus sanctus supplet; qui definitoris & supremi iudicis animum à veritatis semita exerrare non sinit.

Quapropter futilis est hic Savvbrandi syllogismus: *Qui quædam ignorat, ille non potest iudicare de doctrina. Sed maximè spirituales quædam ignorant, ergò maximè spirituales non possunt iudicare de doctrina.* Respondeo ex dictis; Maiorem esse veram, si ita ignoret; vt ne tū quidem, cum iudicium faciendum est, ea vel diuinitus, vel aliúde discat: Quomodo enim quis de penitus ignotis sententiam iudiciariam ferre posset? Falsa autem est, si ita ignoret, vt tamen, dum definit, ignorantia iam cessarit. Ad Minorem dico; spiritales de quibus Paulus, multa sic ignorare, vt ea nunquam discant; etiamsi per sententiam iudiciariam definienda forent: ac propterea non posse esse iudices; vt antea dictum est.

Vt probet Bellarminus spiritales quædam ignorare, adducit exemplum Helisæi Prophetæ, cui Deus 4. Reg. 4. non reuelauit mortem filij Sunamitidis, & tamen Helisæus Spiritu Dei largiter donatus & instructus erat. Mentitur Hunnius, Bellarminum *ideo exemplum Helisæi adduxisse, vt ostenderet, Prophetam illum non potuisse esse iudicem controuersiarum fidei, eò quòd ignorarit mortem filij Sunamitidis. An non infinita talia ignorat Pontifex?* vociferatur Prædicans. Impostoris personam & hic & passim alibi agit & egregiè sustinet Hunnius; & de industria Bellarmini dicta peruertit, cum luce clarius sit, Bellarminum alio consilio exemplum Helisæi non adduxisse, quàm vt demonstraret, hominibus, quantumuis diuino spiritu abundantibus non omnia diuinitus patefieri. Ad quod demonstrandum, nihil aptius hoc Helisæi exemplo adferri potuit.

Ait Bellarminus, spiritualem iudicare omnia; & vocem hanc, *omnia*; significare tam spiritualia, quàm temporalia: tam cælestia, quàm terrena. Hunnius frontem corrugat, quòd Bellarminus sub vocabulo, *omnia*, comprehendat etiam terrena; *quasi terrena nihil ad spiritualis hominis iudicium pertineant.* Sed consueto ritu stultescit Hunnius. An non terrena iudicare ad spiritalem pertinet, vt ea fugiat & reprobet? An non scire debet reprobare malum, & eligere bonum? An nō

A rectū, hoc est, spirituale, est iudex tam sui, quàm obliqui? Num qui dicit, *omnia*, aliquod rerum genus excludit?

Addit Bellarminus. Spiritalem omnia iudicare, id est, terrena & diuina; non tamen sequi, quòd possit omnia diuina: *Hic quis sit sensus, fateor equidem me ignorare*, ait Prædicans. Si vbicunque aliquid ignoras ignorantiæ tuæ apertam & ingenuam confessionem ederes; vix vlla pagella libri tui foret; quæ talem confessionem non complecteretur, cum vbique non modò sis ignorans, sed & ipsa ignorantia. Adhibeamus Prædicanticæ inscitiæ medicinam. Cum Bellarminus dicit; spiritualem iudicare omnia, terrena & diuina; loquitur de omnibus secundum speciem sumptis: quando rursus ait, spiritalem non posse o-

B mnia diuina iudicare; intelligendus est de omnibus in indiuiduo; quemadmodum qui dicit; omnia animalia fuisse in arca Noë, is loquitur de omnibus secūdum speciem; & qui dicit; Non omnia animalia fuisse in Arca Noë, is intelligi non debet, nisi de animalibus in indiuiduo spectatis. Vtrunque verum est; vt norunt omnes, qui oculos attentiores ad veritatem, quàm ad calumnias habent.

Decimum argumentum, 1. Corinth. 12. *Loquēs Apostolus de dono interpretandi, & similibus gratiis; Hæc omnia*, inquit, *operatur vnus, & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Non est igitur alligatum hoc donum Concilio, vel Papæ, sed datur liberè à Deo, cui ipse voluerit.*

C Negatur consequentia. Nam, vt rectè docet Bellarminus, Apostolus loquitur de particularibus personis; ac dicere vult, non dari omnibus hominibus passim donum interpretandi. Neque hinc sequitur, non esse in Concilio, vel Pontifice docente ex cathedra, donum interpretationis. alia enim ratio est Concilij, & Pontificis, alia priuatorum hominum.

Quid Hunnius? *Iesuita hoc dicit quidem, sed non probat.* Quomodo non probat; cum in tota disputatione de Pontifice & de Conciliis vix quidquam aliud faciat, quàm vt demonstret; Pontifici & Conciliis donum scripturas interpretandi, & controuersias fidei dirimendi & componendi, certò, infallibiliter, & ordinariè diuinitus da-

D tum esse & dari; eo modo, quo nulli particulari homini vnquam, de lege Dei ordinaria, conceditur. Vt taceam, omnia argumenta, quæ toto hoc libro, in huius sententiæ confirmationem attulit: *Nos*, inquit Lutheranus thraso, *contrarium euincemus ex ipso textu.* Euinceres, si sese iactare, & probare vnum idemque essent: Nunc cum thrasonismus & demonstratio maximo discrimine inter se distent; fit, vt multum Prædicans multoties iactet; & parum semper probet.

Audiamus tamen probationem: *Dona, de quibus Apostolus loquitur, conueniunt doctoribus, imò Apostolis & Prophetis; ergo Paulus eo loco non excipit Papam vel Episcoporum synodum; ita, vt his necessariò donum scripturas interpretādi tribuat, aliis autem liberè, prout vult.*

Bellarminus negabit consequentiam; quia nihil in toto argumento apparet; quo planum manifestumque fiat; ipsum etiam caput Ecclesiæ, Christi Vicarium, & Petri successorem; pastoresque cũ summo præsule in synodo legitimè congregatos sub illis D. Pauli verbis; quatenus tales sunt, hoc est, quatenus publicæ personæ sunt, totamque Ecclesiam repræsentant, comprehendi; tametsi nihil vetat eos his verbis includi, vt sigillatim, & tanquam particulares homines considerantur. Ex quibus nullo negotio euanescent reliqua, quæ hic nugatur Prædicans.

Vndecimum argumentum, 1. Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Et 1. Ioan. 4 *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sint. Igitur etiam Concilij, & Papæ sententia probanda, & examinanda est: nihil enim Paulus, & Ioannes excipiunt.* Respondeo, negando consequentiam: Quia vt Bellarminus rectè respondet, cum Paulus & Ioannes iubent; *omnia probate*; vel *probate spiritus*; minimè volunt, vt omnes in Ecclesia id faciant, sed vt ij id faciant, ad quos pertinet. Sicut si scribatur ad aliquam Academiam, vt examinent aliquem librum, non significatur, vt detur examinandus liber omnibus hominibus illius Academiæ, sed tantum doctoribus eius facultatis, de qua liber ille tractat. Mentitur Hunnius, *Bellarminum contra conscientiam agere, quando ita respondet.* Non iniuria quæras ex Prædicante, num ipse sit inspector & scrutator cordium, qui, quid in illis agatur, accuratè norit, cum de corde & conscientia Bellarmini tam audacter pronunciet, idque leuissima hac ratiuncula impulsus; *quia si hinc arcerentur Laici*, hoc est, rudes, plebeii, indocti, *dubium nõ est, quin Paulus & Ioannes id in textu suo distinctè subindicassent.* Nil opus expresso & explicito indicio; sufficit tacitum; quod tamen aliis scripturæ locis est manifestum; illis nimirum, quæ mandant, vt oues pastoribus morem gerant; vt pastores pascant, oues, pascantur: Doctores doceant; discipuli doceantur; non contrà, ratione peruersa & præpostera.

Obiicit Prædicans: *Ad omnes pertinet illud; cauete vobis à Pseudoprophetis; & illud; Oues meæ vocem meam audiunt; ergo & illa; omnia probate: Et probate spiritus, ad omnes pertinebunt.* Negatur consequentia; quia, *omnia probare*; &, *spiritus probare*; significat exactam, distinctam & accuratam cognitionem dogmatum necessariam iis, qui talem probationem instituunt; qualis cognitio minimè in omnes homines, etiam priuatos, cadit, vt per se notum est. At vt quis Pseudoprophetas vitet; vtque pastoris sui, non autem alieni vocem audiat; nil aliud necessariò requiritur; quâm firmum tenaxque propositum constanter insistendi illis, quæ Catholica docet Ecclesia; & si quis exsistat, qui aliquid annunciet, de quo hæream, num sanæ ac integræ doctrinæ consentiat, id fideliter ad Ecclesiæ antistites referam, & absque illorum consilio assensionem non præbeam. Quanquam nil absurdi asserueris, si dicas; ad quosuis pertinere *probationem spirituum*: sicut ad quosuis aliquo modo pertinet iudicium de doctrina; priuatim scilicet, generatim & dependenter à doctoribus & pastoribus Ecclesiæ. Savvbrandus hoc syllogismo ineptit: *Quod Deus mandauit; hoc omnibus fidelibus licitum est. Sed Deus mandat, vt singuli, & omnes fideles de doctrinis iudicent. Ergò omnibus, & singulis fidelibus licet de doctrinis iudicare. Maior*, inquit, *est citra omnẽ controuersiam vera*, inquit Caluinista. Ego verò Maiorem conceptam, vt à Nouatore concipitur, citra omnem controuersiam dico esse falsam. Nam Deus mandauit matrimonium; num omnibus fidelibus est licitum? Deus mandauit, vt pastores pascant oues, & doctores in Ecclesia doceant. Num hoc omnibus fidelibus licet? Deus dedit mandatum Eucharistiæ conficiendæ & administrandæ verbis illis: *Hoc facite*; Num hoc mandatum omnes fideles tangit? Est præterea Minor falsa: ob caussam antea ex Bellarmino dictam. Si Maior ita concinnetur: *Quod Deus mandauit omnibus fidelibus, hoc omnibus fidelibus licitum est*; tum vera quidem erit; sed Minoris falsitati non propterea hæc veritas medebitur.

Probat Savvbrandus, mandatum hoc, *omnia probandi* pertinere ad omnes fideles: *Quia non est dubium, quin ad eos iudicium hoc pertineat, quos Paulus fratres vocat, vers. 14. vbi hanc admonitionem orditur; precamur vos fratres, &c. Ergò & ad omnes fideles pertinet hoc iudicium.* Respondeo, licet apud Savvbrandum dubium non sit; quin ad omnes illos, quos D. Paulus vocat *fratres*, mãdatum hoc pertineat, apud alios tamen hoc dubitatione nequaquam caret; cum omnes simpliciter minimè sint idonei, vt spiritus & omnia alia per seipsos probent: loquendo de probatione accurata, speciali; ex officio & auctoritate. Itaq; Sophistam agit Caluinisticus syllogistes, cum sic concludit: *Apostolus non nisi fratres iubet spiritus & omnia alia probare; ergo omnibus fratribus hoc mandatum dedit*; quantumuis rudibus & imperitis. Nec refert, quod initiò vniuersos fideles, hoc est, *omnes fratres*, ad quos scribebat, alloquitur: quia postea ex subiectis præceptis iudicium faciendum est, quæ nam ad omnes *fratres* spectent, quæ ad quosdam duntaxat: cum Apostolus neutiquam existimandus sit, omnibus mandatum dedisse, quod non ab omnibus, sed à nonnullis duntaxat impleri posset.

Iam Savvbrandus telũ penetrabilius ex pharetra sua depromit: *Versu 12. alloquitur eos, quibus alij in Domino præsunt, sed illi non sunt pastores, nam hi, aliis præsunt; sed, sunt singuli fideles. Illis enim alij præsunt.* Quem ferit hoc telum? Nam si illos tantùm concernit mandatum omnia probandi, quos Apostolus versu duodecimo affatur; tum non spectabit ad eos, qui in Ecclesia primas tenent, hoc est, ad Episcopos, qui aliis præsident, quandoquidem eo loco solos subditos Apostolus compellat.

Tertium Savvbrandi argumentum: ***De quibus dicit Apostolus, quod debent agnoscere eos, qui præsunt: item, qui debent indesinenter orare, & spiritus non exstinguere; de iis etiam dicitur, quod debeant omnia probare.*** Respondeo, si Savvbrandus Maiorem perspicua aliqua ratione probaret, haudquaquam inanem operam caperet. Loco probationis apponit nobis asseuerationem: *Hoc*, inquit, *adeo euidens est, vt alia probatione non sit opus.* Si tibi non est opus; at iis, qui cum Bellarmino sentiunt, opus est. quorum tu vel inprimis rationem habere debebas, cum hæc non tibi duntaxat, sed & nobis commentatus fueris. Ais: *Spiritum sanctum formare fidem in omnibus fidelibus, ipsis etiam Papistis testibus; sed hoc fieri non posse sine iudicio de fidei doctrina; iudicium igitur* B *istud vniuersis fidelibus necessarium esse.* Supra non semel dictum est, hoc iudicium priuatum & generale à nobis concedi, neque ab vllo integri capitis negari posse. Verùm sententiæ illæ Apostolicæ *omnia probate: probate spiritus*; plus reposcunt; nempe, accuratam dogmatum probationem & examinationem; quæ vulgarium captum longè profectò superat, vt ipsi Prædicantes satis intelligunt; quamuis, vt à vulgo gratiam ineant, id se non intelligere egregiè simulant; contēti si Caluinianum & Lutheranū vulgus, Pontificia, quæ vocant, dogmata ponderet ac trutinet, & ad libram quinti Euangelij expendat. Si pari studio in ipsorum Prædicantium doctrinam plebeij inquirere tentent; quid aliud agant, quàm quòd crabrones in se concitent; quorum aculeis dirissimè C configantur & discrucientur?

VVitackerus eodem ferè modo, quo Sibrādus probare conatur præceptum illud: *omnia probate*; ad omnes simpliciter fideles pertinere. Nec eget peculiari refutatione, quandoquidem iam in Sibrando refutatus est; qui ex disputationibus VVitackeri multa in suos centones transtulit, nulla VVitackeri facta mentione. Nam quod præterea VVitackerus ostendere nititur ex epistola sancti Ioannis, præceptum *probandi spiritus* omnibus iniunctum esse; perquam vano argumento id nobis persuasum tendit: *Ioannes alloquitur ἀγαπητοὺς, dilectos, charissimos, & παιδία, puerulos, id est, omnes pios & fideles Christianos, ergo omnibus piis mandatur ab Apostolo, vt quamuis doctrinam diligenter* D *examinent, ne falsa forsan pro veris suscipiant.* Respondeo negando consequentiam: licet enim compellatio, *charissimi*, ad omnes fideles pertineat; id tamen non ideo fit, quod præceptum mox subiunctum ad omnes pertineat; sed quia alia, quæ in eodem capite traduntur, ad omnes pertinent: Compellatio enim communis est; præcepta partim communia, partim particularia; quod ex subiecta materia diiudicari debet.

Cum igitur peritia probandi & ad examen accuratum vniuersos spiritus vocandi captum hominum vulgarium longissimè exsuperet; nemo intelligens existimare potest, præceptum illud etiam rudibus & plebeis datum esse; quibus A ad securitatem & salutem satis est, vt spiritus nuperos probent & expendant illi, qui spirituum probandorum & discernendorum gnari sunt. Nec mirum videri debet, si sanctus Ioannes & Apostolatus dignitate, & venerandæ senectæ priuilegio fretus; ipsos etiam Ecclesiæ pastores & doctores *charissimos, & filiolos* appellitet.

Exemplum Bellarmini de libro ad Academiam probandi gratia misso, ait Hunnius *non per omnia congruere ad institutum. Num enim doctrina salutis pertinet ad solum Pontificem, aut Concilium eius?* Doctrina salutis examinanda, certaque prorsus & infallibili librâ pensitanda ad solum Pontificem, eiusque Concilium pertinet; ad Laicos aliter non pertinet, quàm vt acceptetur; si à Pontifi- B ce & Concilio eius approbetur: vel respuatur; si ab iisdem, vt adulterina, reiiciatur: sicut doctrina libri Theologici ad Academiam examinis caussa missi, pertinet ad Theologiæ studiosos, quoad acceptationem tantum; si à Professoribus Theologiæ approbetur; vel quoad reiectionem; si ab iisdem repudietur; ad solos autem Professores spectat quoad examen & probationem.

Huic primo responso subdit Bellarminus alterum: nempe D. Paulum & D. Ioannem loqui de doctrina dubia; deque spiritibus dubiis. Doctrinam autem Papæ & Conciliorū non esse dubiam, nec spiritus dubios. Respondet VVitackerus; *Et nos non aliam intelligimus. Nam, quæ aut palàm falsa, aut sine dubio vera est, non solet in quæstionem,* C *atq; examinationem vocari ab iis, qui iam antè, quid sentiendum sit, edocti fuerint.* Hactenus non malè Caluinista. *Sed vnde nobis constabit, aliquod dogma non esse dubium?* Certè non ex nostra priuata examinatione, sed ex Catholicæ Ecclesiæ auctoritate & traditione: quæ velut anchora, nos stabilissimè firmat, ne fluctuemus, omnique doctrinæ vento circumferamur. Itaque falsum est; quod Caluinista subiicit: *Sine examinatione nunquam assequemur, vt de dogmate aliquo, tanquam certo minimeq; dubio, statuamus. Ista δοκιμασία facit, vt vera dogmata à falsis distinguamus, vera constanter retineamus, falsa repudiemus.* Imò ista δοκιμασία, vel potius probandi effrænis licentia facit; vt modò hoc modò illud asseratur & credendum imperitæ plebeculæ ob- D trudatur. Nunquam enim maior leuitas & inconstantia in fidei negotio apparuit; quàm post horum examinatorum & approbatorū aduentum.

Num sic insanus quisquam est, inquit VVitackerus, *vt dicat, dogmata Christiana non aliter esse certa, ac sine dubio vera, quàm quia Papa Romanus sic affirmauit, atq; è sua cathedra respondit?* In se non sunt ideo certa, quia Papa sic affirmauit, atque è cathedra Petri respondit: sed respectu nostri ideo certa sunt, quia Papa sic affirmauit, & ex cathedra Petri respondit.

Subdit Caluinista: *At primùm examinandum saltem est ipsum priuilegium, quo sibi cautum esse dicit, ne fallatur iudicando. An & hoc etiam nostræ examinationi*

subtra-

Digitized by Google

subtrahet? Omnino subtrahet; quia certum & indubitatum est. Certa & indubitata non egent examinatione, ipso VVitackero teste. Dicet: *Esse incertum & dubium apud se & suos.* Quid si apud te & tuos incertum ac dubium esset; tria esse imparia; & duo paria? Num ob malè sani capitis stultitiam rei euidentis & perspicuæ examen instituendum esset? Et si institueretur, non institueretur, quia res verè dubia esset; sed propter importunitatem eorũ, qui etiam dubitare solent, num sol meridie luceat, & nix candeat. Quo pacto, hac etiam ætate, de certissimis & fundatissimis fidei articulis examen à Catholicæ Ecclesiæ præsulibus institutum est; eò quod improbitate Nouatorum in dubium deuocati essent.

A *Num & priuilegij sui Papa interpres erit?* Sciscitatur VVitackerus; Omnino erit. Neque in hac vita maior est; qui huius priuilegij sit interpres infallibilis: Oportet igitur vt ipsemet sit Interpres. *Papa habet priuilegium non errandi*, ait Caluinista: *Vnde hoc constat?* Ex illo: *Tibi dabo claues regni cælorum*; Et, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et, *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. At vnde constat hac loca intelligi debere de infallibili auctoritate Pontificis?* Cum aliunde id constat; tum etiam ex declaratione Ecclesiæ, & ipsius velis, nolis, Papæ.

Qui assentiuntur, inquit Caluinista, *tam leui persuasioni, digni certè sunt, qui nihil vnquam rectè sentiant.* Transferantur hæc ad Caluinistas, & vera erunt. Quæ enim maior leuitas, quam fidere vertiginoso aut suo aut Prædicantium examini; quo se dogmata Ecclesiæ nostræ ad scripturam expendere & explorare ferunt; & ita quidem, vt modò hoc, modò illud affirment; Neque vsquam in ipsa etiam perfidia locũ inueniant, in quo gressus suos constanter firment.

Dicit Bellarminus sectarios ex his D. Pauli & D. Ioannis locis probare, *iniustè prohiberi libros hæreticorum*, cum Paulus dicat: *omnia probate, &c.* Respondet, agi hic de doctrina dubia; doctrinam autem librorum prohibitorũ non esse dubiam, sed apertè malam. Fulminat Hunnius: *Quo teste? Num Christo? Mose? Esaia? Paulo? Petro? Ioanne?* Omnibus hisce testibus; & præterea vniuerso mundo Christiano; exceptis duntaxat vobis, de quorum existimatione agitur. Mirum foret, si ipsi etiam vestro calculo doctrinam vestram damnaretis; aut nobis prius eam damnationis nota insignire non liceret; quàm vestris quoque suffragiis reprobaretur.

Sibrandus inde probat librorum hæreticorum doctrinam esse bonam; *quia Ecclesiæ, quæ sunt in Anglia, Dania, Scotia, Suetia, maxima parte Germaniæ, Heluetiæ, Galliæ, Belgicæ, Poloniæ, Vngariæ, Transsyluaniæ dicunt eam doctrinam esse bonam.* Si ob hanc præcisè caussam bona est doctrina vestra, quia satis latè diffunditur; longè melior erit doctrina Alcorani, quia longè plures orbis partes peruasit. Mitto dicere in omnibus, quæ nominas locis, esse aliquos Catholicos, qui vestram doctrinam asserant esse perniciosam; imò & hæreticos, quibus eadem sententia animo sedeat. Notum est enim; quid Lutherani de Caluinisticis libris sentiant.

Ait Bellarminus: doctrinam conciliorum non esse dubiam, sed apertè bonam: *Quo teste & indice?* clamat Hunnius. *Num Christo? Prophetis? Apostolis?* Omnibus hisce testibus; & insuper teste tota antiquitatis orthodoxæ memoria, & vniuerso Catholico orbe; à quo vos nefario schismate abscidistis.

Addit Bellarminus: *Paulus Apostolus Actor. 15. cùm deferret ad Ecclesias decretum Concilij Hierosolymitani, non dicebat; probate. sed præcipiebat custodire decretum illud.* Respondet Hunnius: *Concilia nostra nihil cum Hierosolymitano Concilio habere commune.* Non

B inquiram, vtrum verum sit; quanquam reuera ab omni veritate abhorret; tantum dico; hoc in præsenti non quæri; sed hoc; vtrum D. Paulus, Lutheranam illam regulam de omni doctrina ad examen à quouis, etiam priuato, vocanda secutus; dixerit: *Adfero vobis decreta noui Concilij; sed vos omnia probate; quod bonum est, tenete. Probate prius spiritus, si ex Deo sunt.* Quæso, cur Apostolus fidelibus non examen, sed obsequium imperauit; si omnis doctrina, etiam ab ipso Spiritu sancto profecta, à quouis priuato, ad Lydium, vel potius Luthericum & Caluinisticum Lapidem exigenda est? Sibrandus impostor hàc impostoriam con-

C sequentiam quasi ex Bellarmini sensu & discursu format: *Doctrina Concilij Hierosolymitani est manifestè bona. ergò omnis omnium Conciliorum, & Paparum doctrina est manifestè bona.* Subdit: *Si ego cum in schola Dialecticam puer discerem, ita disputassem, vapulassem equidem.* Certè iam multò magis vapulare dignus esses; quando tam impudenter mentiris, & enormiter calumniaris. Nunquam hanc consecutionem, quam tu comminiscеris, Bellarminus texuit, neq; etiam ex mente eius texi potest: sed hæc: Apostolus Paulus Actor. 15. cum deferret ad Ecclesias decretum Concilij Hierosolymitani, non dicebat, *probate*; sed præcipiebat custodire decretum illud: ergo iam quoque cum decreta Conciliorum fidelibus proponuntur; non examinanda, sed religiosè obseruanda sunt. Hæc

D consequentia ex Bellarmino exstrui potest, non illa Sibrandica: Circa quam, si aliquid difficultatis Prædicantibus occurrisset; id promere debebant candidè & sincerè, sine falsaria mẽte & corruptela. Sed cur ab insanis sanum quid exspectem?

Duodecimum argumentum; 1. Ioan. 2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed vnctio docet vos de omnibus. Hoc argumentum*, inquit Iunius, *lymphaticorum est, nihil ad nos.* Subsistit igitur solutio, quam Bellarminus reddit: quæ neque ab Hunnio impugnatur: nisi quod verbosissimè simul & mendacissimè declamitat; *Fideles apud nos, non discere veritatem ex institutione Apostolorum; sed ex instructione Pontificis; & Sacerdotum aut Monachorum*; quos iste impuros

Digitized by Google

impuros Missificulos & effrenes, ore impuro, & flagitioso nominitat. Item, *fideles apud nos non scire veritatem; cum tamen diuus Ioannes Christianos illos laudet, tanquam veritatis gnaros.* Hæc omnia conuicia sunt & mendacia clara, testata; lucida. quæ non refutatione, sed indicatione egent. Indicata ruunt: quibus Hunnij liber non leuiter aspersus, sed quantus, quantus, vbique affatim delibutus est.

Decimum tertium argumentum. Apostolus Ephes. 2. scribit: *Estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. At, si scripturæ intelligentia penderet à Papa, vel à Conciliis, fundamentum nostrum esset super Papa, & Conciliis magis, quàm super Apostolorum, & Prophetarum scriptis.* Respondet Bellarminus; verbum Dei per Apostolos & Prophetas ministratum esse primum fundamentum nostræ fidei. Sed præter hoc esse aliud fundamentum, nempe Ecclesiæ testificationem; & huic inniti fidem nostram, tanquam fundamento secundario. Idem sensus erit si dicas: fidem nostram niti Deo seu Christo, vt est prima veritas reuelans cælestia mysteria; & niti Petro, hoc est, Pontifice; vt proponit & explicat illa mysteria. Prius fundamentum est primarium; posterius, secundarium.

Multa hic garrit Hunnius: *Hinc nos inferimus*, inquit, *non esse opus traditionibus ad Christianismum.* Hinc scilicet hoc infertis; quia quodlibet ex quolibet infertis. Ex regulis veræ dialecticæ nunquam ex hoc loco tale quid colliges. An dixit Apostolus: Vos superædificati estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum; hoc est; supra scriptum verbum à Prophetis & Apostolis traditū? Et quidem supra solum hoc scriptum verbum? Nihil minus. Cum ergo indiscriminatim & generatim loquatur Apostolus, tam oratio illius ad non scriptum Dei verbum, quàm ad scriptum accommodari potest.

Paulus in sua assertione meminit duorum, ait Prædicans. *Primò eius, quod ædificatur, seu superstruitur: secundò meminit & fundamenti, cui superstruitur. Prius testatur, esse Ephesios conciues sanctorum, quæ Ecclesiæ est periphrasis: posterius indicat esse verbum Propheticum, & Apostolicum.* At tam scriptum, quàm non scriptū. Perge: *Si ergò per fundamentum intelligas hoc loco Ecclesiam, sequitur Ecclesiam esse exstructam super semetipsam, adeoq; sui ipsius fundamentum, quod absurdum est.* Verè hæc cauillatio absurda est. Nam Ecclesia dupliciter accipitur, primò pro toto corpore omniū fidelium. Secundò, pro fidelibus relatis ad caput Ecclesiæ, vel eos, qui in Ecclesia capitis locum obtinent. Priori modo non accipitur Ecclesia, quando dicimus Ecclesiam niti testificatione Ecclesiæ, tanquam secundario fundamento; sic enim idem niteretur seipso; sed posteriori modo; quo pacto singula Ecclesiæ membra nituntur testificatione Ecclesiæ, hoc est, capitis, & eorum, qui capitis locum in Ecclesia obtinent; vt est generale Concilium cum Papa. Imò secundum hanc considerationem Papa etiam, vt est priuata persona, & ouicula de grege Christi nititur Ecclesiâ; hoc est; testificatione sua & aliorum Pontificum, de orthodoxæ fidei articulis & mysteriis. Sic Episcopi vt priuatæ personæ & portio ouilis Dominici; nituntur eadem testificatione & auctoritate; neque tamen sequitur, idem niti seipso secundum eundem respectum; quod absurditate non vacat; quanquam sequitur idem niti seipso, vel adæquatè vel inadæquatè diuersa consideratione; quod qui absurdum reputat; is iure ex absurdorum numero eximi non potest.

Ex quorum declaratione diffugiunt fumi illi Hunniani: *Cum Apostolus non dicat; Ecclesiam esse id, cui conciues sanctorum superstruuntur; sed id, quod superstruitur: necessariò falsa est glossa Iesuitica: & sequitur Ecclesiæ superstruendæ fundamentum non esse Ecclesiam ipsam, sed Apostolorum, & Prophetarum doctrinam.* At licet scriptura isto Apostoli loco non dicat; conciues sanctorum ædificatos esse, supra Ecclesiam, hoc est, *supra Petrum seu Pontificem; & Pastores in Concilio cum Pontifice legitimè congregatos*; attamen alibi hoc dicit: Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vbi videmus, Ecclesiam, id est, fideles, qui sunt mystici huius corporis membra, inædificatos esse Ecclesiæ; hoc est, capiti Ecclesiæ, Petro; & successoribus eius. non obstante, quod principaliter, tanquam fundamento primario, ædificati sunt supra Christum. seu super verbum Dei scriptum & absq; scripto traditum. Quis nescit, non tantum attendendum, quid vno in loco scriptura dicat; sed & quid in alio; vt ex collatione omnium plenus perfectusque sensus tandem exsistat?

Ait Prædicans: *Si statuatur Ecclesia secundarium fundamentum, id de primitiua non de hodierna Ecclesia debere intelligi.* Cur de primitiua tantum? cur non de hodierna quoque? An non eiusdem speciei est? An non eiusdem spiritus & veritatis? An non & hodierna columna & firmamentum veritatis est? An olim sciri non poterat, nisi ex Ecclesiæ testificatione, qui essent libri Canonici; hodie autem post tot sæcula id sciri potest absque testimonio Ecclesiæ? An hodie Ecclesia mendax est, olim verax erat?

Absonum est, clamat Prædicans, *Ecclesiam propter hoc testimonium, quod perhibet libris Biblicis, nominare fundamentum Sanctorum & Domesticorum Dei.* Absonum est, sed in absoni Prædicantis cerebro. Cur rectè non vocetur fundamentum id, cuius quis testimonio nititur, & ita nititur, vt eo subtracto, assensus ruat? Obiicit Prædicans: *Hac ratione etiam synagogam Iudaicam dicendam esse fundamentum Ecclesiæ, cum libros Propheticos veteris testamenti, quasi per manuum traditionem acceperimus ab Ecclesia Iudaica.* Hæc obiectio *Prædicantissimum*, hoc est, futilita-

tilitatem & vanitaté olet. Nihil enim aliud hinc conficitur, quàm synagogam ratione testificationis & declarationis mysteriorum fuisse *fundamentum secundarium* Ecclesiæ; non autem hodie esse; quandoquidem exinanita, imò & ad fundamentum vsque destructa est; exstructa in eius locum Ecclesia, quæ quod olim testabatur synagoga, id hodie nobis fidelissimè & sincerissimè testatum facit.

Quid? inquit Prædicans: *Si hoc valet argumenti genus: erit fugitiuus seruus, Onesimus, pars quædam illius fundamenti Ecclesiæ Colossensium, quo nihil absurdius. Acceperat Onesimus seruus Philemonis fugitiuus, postea verò ab Apostolo conuersus Epistolam Colossensibus inscriptam ex Pauli Apostoli manibus: Eam offerens Ecclesiæ Colossensi, testificatur à Paulo scriptam: Ergone Onesimi testificatio illa est fundamentum Ecclesiæ? En quo recidunt aduersarij.* En quo futilitatis & inaniloquentiæ recidunt Prædicantes. Minimè sequitur: Onesimum aut hodiernæ aut Colossensis, quæ tum erat Ecclesiæ, fundamentum fuisse: quia Onesimo nunquam dictũ fuerat; *super te ædificabo Ecclesiam meam*; quemadmodum hoc D. Petro & successoribus eius dictum est. Quocirca licet de Epistola illa scripta testimonium Ecclesiæ, quæ tunc erat Colossis, perhibere potuerit; testimonium tamen hoc priuatũ erat, quippe à persona priuata profectum. Et hodie vndénam scimus Onesimum cum Tychico epistolam illã ad Colossenses pertulisse, nisi ex testificatione hodiernæ Ecclesiæ? Faciamus aliquem negare id, quod capite quarto ad Colossenses scriptum est: vnde neganti fidem faciet Prædicans; si testimonium hodiernæ Ecclesiæ repudiet? Nam si ad testimonium primitiuæ Ecclesiæ confugiat; è vestigio quæretur, vnde compertũ habeat, primitiuam Ecclesiam testatam ea, quæ in illo capite scribuntur, verè à mente & manu D. Pauli prodiisse, & ita, vt percensentur, euenisse?

Quod Bellarminus dicit, nos non certò scire, quid Deus reuelarit, nisi ex testimonio Ecclesiæ: hoc nominat Prædicans *impium iuxtà & absurdum pronunciatum*. Quidquid impius & absurdus Prædicans contrà blateret, verissimum est, quod Bellarminus asseuerat, seposita enim auctoritate & testificatione Ecclesiæ, nũquam, in omnem *sempiternitatem*, vt ipse loqui solet, verè ostendet; Epistolam ad Philemonem v. g. esse Canonicam & diuinam. Vertat se in omnes partes; superos simul, medios & inferos inuocet; criteria omnia interna & externa consulat; quid his omnibus efficiet? Nihil; nisi fortè apud illos, quibus ipsum *Nihil*, omnium argumentorum loco est.

Decimum quartum argumentum: *Si Pontifex iudicat de scripturis, sequitur Pontificem seu Cõcilium esse supra Scripturam, & si scripturæ sensus sine Pontifice seu Concilio non est authenticus, sequitur verbum Dei accipere robur & firmitatem à verbo hominum.* Respondet Bellarminus, Pontificem non iudicare, verumne sit an falsum, quod scriptura docet; sed supposita scripturæ veritate, iudicare & indicare, quæ nam sit vera verborum scripturæ interpretatio. ac proinde, Pontificem non esse supra scripturam; quemadmodum neque Professor iuris ciuilis, supra Ius est, qui supposita veritate legum, ostendit; quæ nam legum interpretatio vera sit, quæ falsa. Hunnius hic præter consueta in Pontificem cõuicia nihil penitus adfert, quod vllo modo virũ vel eruditum vel ingenuum redoleat. omnia sycophantam & criminatorem; & quidem ex triuio & compitis, ex tonstrinis & textrinis arreptum referunt. Itaque ad alia gradum facio.

Decimum quintum argumentum: *Si à Iudicio Ecclesiæ pendet fides nostra, igitur à verbo hominum, ergo debilissimo nititur fundamento. Præterea scriptura facta est Spiritu Dei, ergo Spiritu Dei, non Ecclesiæ, intelligenda est.* Respondet Bellarminus, *verbum Ecclesiæ,* id est, *Concilij vel Pontificis docentis ex cathedra, non esse omnino verbum hominis, id est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modo verbum Dei, id est, prolatum assistente & gubernante Spiritu sancto.* Neque hic habet Hunnius, quæ oggerar, præter maledicta, & maledicentiam; vt; *verbum à Pontifice pronunciatum, non esse merè verbum hominis. sed vocem Draconis occultatam sub similitudine Agni. Pontificem vel Concilium errare non posse, id monialibus dicendum esse, non Lutheranis. In Conciliis Pontificum doctrinam sanctorum Apostolorum pedibus conculcari & ad inferos damnari. Bellarminum esse blateronem; eius dicta nihil esse nisi calumnias, refutatione indignas; eos, qui placitis Pontificum & Conciliorum nituntur, niti baculo arundineo, & ædificare domum suam supra arenam:* Hæc scurrarum sunt, non Theologorum: criminatorum, non disputatorum. Itaque silentio transmittantur.

Huc pertinet quintum Savvbrandi argumentum: *Quod non pendet ab homine, hoc non pendet à Papa Romano. Sed veritas authenticæ interpretationis sacrarũ literarum non pendet ab homine, Ergo non pendet à Papa Romano. Maior*, inquit Caluinianus, *est manifesta*. Omnia apud istum manifesta sunt; etiam quæ obscura. Sed sit maior manifesta quãdoquidem Sibrandus ita iubet. Ad minorem respondeo, veritatem authenticæ interpretationis, quoad se & quasi in actu primo non pendere ab homine; quia scriptura veritatem, & aptitudinem, vt authenticè explicetur, habet non ab homine, sed ab ipso Deo: Veritatem autem authenticæ interpretationis pendere ab homine, diuinitus tamẽ inspirato, & à sancto Spiritu infallibiliter gubernato, quoad nos & in actu secundo, quia nos infallibiliter non scimus, hanc vel illam esse authenticam scripturæ interpretationem, nisi per hominem, hoc est, nisi per Vicarium Christi, Petrique successorem.

Instat Savvbrandus: *Nostra fides nititur Dei verbo & recta eius interpretatione*; planè; Deo, vt primario fundamẽto; Recta interpretatione, vt secundario. At vnde recta & vndequaque infallibilis interpretatio, nisi ab Ecclesia, hoc est, ex cathe-

dra

Digitized by Google

dra Petri? *Sequeretur*, inquit Caluinista, *fidem ab homine pendere, si veritas authentica interpretationis ab homine penderet*. (Omnino pendet ab homine, sed tali, qualem antea descripsi, & dependet tanquã à secundario, & minus principali fundamento.) *Sed hoc fieri non potest* (te scilicet iudice) *fides enim nostra est immota* (orthodoxa certè immota est: de vestra hæreo; quia Vertumni proles est.) *Ac proinde mobili fundamento inniti non potest*. (sit ita) *Omnis autem homo mobilis est & mẽdax*. (omnis homo præcisè, quia homo. Esto. Omnis homo, qua diuinitus inspiratur, & vices Christi gerit, & supremi iudicis munus obit; nego.

Mentitur Caluinista Bellarminum *Minorem prædicti syllogismi concedere.* Quomodo concederet *Minorem* huius syllogismi, quem nudiustertius Savvbrandus in officina sua nouiter procudit? Quod ad rem attinet, Bellarminus nil aliud dicit; quàm fidem nostram non pendere à Pontifice præcisè vt homo est; hoc est, vt erroribus est obnoxius: sed vt homo est à Spiritu sancto infallibiliter gubernatus, & ad omnem veritatem in definiendo directus.

Mentitur iterum Savvbrãdus, Bellarminum *per cathedram Petri intelligere doctrinam Petri*; inde hunc ridiculum syllogismum Pantomimus noster exsculpsit. *Qui non errat quando docet doctrinam Petri, ille nunquam errat, ne tum quidem, cùm docet contra doctrinam Petri. At Papa non errat cum docet doctrinam Petri. Ergò Papa nunquam errat, ne tum quidem, cum docet contra doctrinam Petri.* Balatronem, blateronem, fermè dixeram, nebulonem & hic & alibi passim agit Savvbrandus: nihil enim horum, quæ nequissimè Caluinista comminiscitur, tradidit aut docuit Bellarminus, nam per cathedrã Petri non intelligit *doctrinam Petri*; sed ius, auctoritatem & officium certò & infallibiliter docendi. Quam cathedram, quodque ius & officium tenet Romanus Pontifex vt successor Petri, hocque iure præditus, & hoc munere fungens tam Petri, quàm aliorum Prophetarum & Apostolorum doctrinam absq; omni erroris periculo fidelibus explanat.

Obserua & hanc Sibrandi seu inscitiam, seu nequitiam. *Qui docet ex cathedra Petri, non errat, ergo qui non docet ex cathedra Petri, errat.* Negatur consequentia: hoc enim tantùm sequitur; eum, qui non docet ex cathedra Petri, errare posse; quandoquidem non habet promissam ab omni errore immunitatem: non autem, eum reipsa errare, quando aliquid docet; nam veritas alligata est quidem ad Petri cathedram; ita tamen; vt & alibi reperiatur; quia illi certo & infallibiliter præsto est; aliis ita; vt & aduersaria eius falsitas, nonnunquam subire queat; loquendo de lege Dei ordinaria, & secluso extraordinario priuilegio.

Decimum sextum argumentum: *Augustinus, & alij Patres cùm scripturas exponunt, non vsurpant prætoriam iudicandi potestatem, sed permittunt explanationes suas ab aliis iudicari.* Respondet Bellarminus,

A aliud esse interpretari legẽ more doctoris, aliud more iudicis: ad explanationem more doctoris, requiri eruditionem: ad explanationem more iudicis, requiri auctoritatem. Doctorem, non proponere sententiam suam, vt necessariò sequendam; sed solum quatenus ratio suadet; at iudicem proponere, vt sequendam necessariò.

Occlamat Hunnius: *Audio quidem hæc dici à Bellarmino, sed vbi sunt argumenta probationis? vbi testimonia Scripturæ? Num & ipse ex cathedra dictat sententias, quas proni adorare teneamur, quamtumuis nullis rationibus subnixas? Quis dedit Pontifici hanc auctoritatem, vt tanquam iudex, aut prætor sententias dictet sequendas necessariò; etiam sine vlteriore inquisitione ex scripturas quis? nisi diabolus, qui hanc ei cathedram pestilentiæ fa-*
B *bricauit, cathedræ, & doctrinæ Petri è diametro contrariam.* En solidissimam & acutissimam solutionem; in qua, nil dubito, ipse Diabolus, libentissimè conquiescit; & vt omnes conquiescant, exoptat. Frustra, quod ad nos quidem attinet. Iudiciariam enim potestatem concessit Christus Petro & successoribus verbis illis: *Tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Et qui discrimen inter iudicem & doctorem nescit; ille dignus non est, qui doctor audiat & salutetur.

Decimum septimum argumentum: *Augustinus contendit Ecclesiam non debere se Christo præponere; quòd ille semper veraciter iudicet: Ecclesiastici autem iudices, sicut homines plerunq; fallantur.* Respondet Bellarminus, loqui de quæstionibus non iuris; sed
C facti; & in his iudices Ecclesiasticos falli posse. Fatetur Hunnius, id ita esse; sed addit; *non obscurè liquere, Augustinum nemini tribuere simplicem & absolutam infallibilitatem, ne quidem Episcopo Romano, aut ipsius decretis.* Vnde hoc liquet? Ex tenebricoso, opinor, cerebro Hunnij, non ex scriptis Augustini. Et hic Hunnius conticuit; & facto fine; garrulitati, & impudentiæ simul & vitæ finem fecit; cũ ingenti & vastissimo hiatu omnium operũ Bellarminianorum refutationem thrasonicè pollicitus fuisset. Aliter Deo visum; iustissimo iudicio. Vix cœperat; & mors improuisa improbo conatui opportunè interuenit; opportunè dico; quia effecit, ne aliquot Chiliades, imò myriades mendaciorum, conuiciorum & calumniarum
D in lucem ederentur; quas talium ferax Prædicãs peperisset, nisi fatum intercessisset. Cum Nesenus, Lutheri congerro, VVitebergæ in flumine Albi submersus esset; his ei Lutherus parentauit exequiis in Epistola quadam ad Spalatinum Tomo secundo Latin. Epist. *Nesenum Diabolus abstulit, tribus sociis miraculosè seruatis.* Valde metuo, ne quod de Neseno pronunciauit Lutherus, de Hunnio quoque verè dici posit: nam obstinatio contumacissimi & maledicentissimi Prædicantis, nihil melius quenquam sperare sinit.

Misso iam in perpetuum Hunnio, reliquias Savvbrandicarum quisquiliarum persequamur. Adfert Savvbrandus illud: *Nolite spiritus exstinguere, sed probate spiritus an ex Deo sint*; citatque primam

Digitized by Google

Ioannis epistolam cap. 4. vers. 1. perinde quasi illa verba: *spiritum nolite exstinguere*: à D. Ioanne illo loco prolata sint; cum nō ibi, sed in epistola prima ad Thessalonicenses capite quinto exstent; & omnes omnino fideles concernant. Ex quibus conficit Caluinista hunc syllogismum: *Qui debēt inter spiritus distinguere, & discernere, qui nam ex Deo sint; illi habent potestatem iudicandi de spiritibus, id est, de doctoribus. & de doctrina. Nam per doctrinam distinguuntur: sed singuli fideles debent distinguere inter spiritus, & discernere, qui nam spiritus ex Deo sint: Ergò singuli fideles habent istam iudicandi potestatem.* Respondeo, Minorem esse falsam; caussæ supra allatæ sunt; & ratio negationis assignata; neque quidquam hic adducit Savvbrandus, quo ruentem illam Assumptionem fulciat.

II. *Si qualibet scripturæ interpretatio est vera propter Papæ iudicium: tum Papa est ante, & supra scripturæ interpretationem. Sed hoc non. Ergò, neque illud.* Concedo totum syllogismum; qui erit iste; si nonnihil ex tricis Savvbrandicis extricetur. *Si qualibet scripturæ interpretatio est vera propter Papæ iudicium; tum Papa est ante & supra scripturæ interpretationem: sed Papa non est ante & supra scripturæ interpretationem; ergo scripturæ interpretatio non est vera propter iudicium Papæ:* Si autem Minor sit ista prout esse debebat, si Savvbrandus omnia non inuerteret. *Sed qualibet scripturæ interpretatio est vera propter Papæ iudicium:* tum neganda est Minor pleno ore: Nam vt scriptura veritatem in se, & quasi in actu primo, habet à solo Deo; licet veritatem, ratione nostri, hoc est, certò & infallibiliter à nobis cognitam habeat à iudicio & declaratione Papæ seu Ecclesię; ita interpretatio scripturę in se & quasi in actu primo, non habet veritatem à iudicio seu declaratione Papæ; sed inde; quòd sensum scripturæ attingat; cumque eo consonet ac congruat: licet respectu nostri; hoc est, veritatem certo & infallibiliter à nobis cognitam interpretatio scripturæ à iudicio, declaratione, & testificatione habeat: tum enim certò nobis de interpretationis veritate liquet; quando ab Ecclesia proficiscitur.

Obseruet autem lector, Savvbrandum circa hunc suum syllogismum triginta minimū mendacia effutire, quæ ordine percensebo; vt vel manibus impudentiam hominis tangas, si oculis videre non vales.

I. Mendacium: *Papistas vrgere Minorem supradicti syllogismi.* Impudens commentum; si hoc intelligat de illa Minore, quam secundo loco paulo ante commemorauimus: Nullus enim Catholicorum dicit; scripturæ interpretationem esse in se, & quasi in actu primo veram propter Papæ iudicium & approbationem: sed quando in se vera est; tum vera est; quia cum sensu scripturæ, & mente sancti Spiritus concordat. Respexisse autem Savvbrandum ad hanc alteram Minorem; inde liquet; quòd ipse perpetuò, etsi mendacissimè, vociferatur; Papistas affirmare; *quamlibet scripturæ interpretationem esse veram, propter Papæ iudicium.* Nec obstat; quòd verba syllogismi aliud prę se ferre videntur: quia Caluinistæ huic insuetum non est, à verbis propriis dissidere; aliudque velle; & aliud loqui; imò & contraria loqui, vt hic facit. Si dicat; se alteram Minorem intellexisse; tum nihilominus mentitur; quia syllogismus iste non exstitit priusquam in officina Savvbrādica fabrefieret; Qua ratione igitur possunt Papistæ Minorem eius vrgere?

II. mendacium: *Papæ iudicium esse vnicam & solam caussam, propter quam omnis interpretatio vel vera vel falsa fit.*

III. Idque *ex sententia Papistarum.* Monstrosissimum mendacium, vt & istud.

IV. *Mundum à Deo esse conditum, ideo verum esse, quia Papa ita censuit.*

V. *Christum esse Dei filium ideo verum esse, quia Papa ita censuit.*

VI. *Posita Papæ interpretatione, hoc verum esse.*

VII. *Eadem interpretatione ablata, illud falsum esse.*

VIII. *Nos Papam transformare in Deum.*

IX. *Veram esse omnem illam interpretationē, quam Papa vult*; neque loquitur de Papa, vt ex cathedra definiente; sed absolutę, vt volente, quidquid in mentem venit.

X. *Papam esse Deum; Et hoc se ex principiis nostris concludere.*

XI. *Canonistas idem tradere.*

XII. *In Canonistarum libris contineri, voluntatem Papæ habere se instar voluntatis diuinæ.*

XIII. *Nos ea tradere, ex quibus necessariò colligatur Papam esse Deum.*

XIV. *Cum praxi hodiernæ Ecclesiæ pugnare praxin Ecclesiæ primitiuæ.*

XV. *Tempore Apostolorum iudicium Papæ*, hoc est, *Petri & synodi cum Petro non fuisse regulam veræ interpretationis*; hoc est; *ad illos non fuisse recursum, si quæ dubitationes circa fidem exstitissent*: falsissimum hoc esse, docet synodus Hierosolymitana Actor. 15. Nota hic Caluinistæ versutiam & dolosam improbitatem. Vbique vtitur vocabulis inusitatis, addo & ineptis, vt rem tenebris magis inuoluat: vt; *Papam esse omnis interpretationis regulam.* Qui se ab aliis intelligi cupit, is non ita loquitur, sed potius dicit; *Papam esse omnis interpretationis iudicem, arbitrum & æstimatorem*; item Papam *esse omnis interpretationis certæ & infallibilis auctorem*, ratione videlicet nostri. Aliud est Interpres & iudex, aliud regula Interpretationis & iudicij.

XVI. mendacium: *In primitiua Ecclesia solam scripturam vel anologiam eius fuisse caussam & regulam veræ interpretationis.* Nihil minus; quia in interpretatione scripturæ semper ad maiorum traditionem

Digitized by Google

nem respectum est: omnesque scripturæ interpretationes ad eam, quasi ad Lydium lapidem, probatæ.

XVII. *Papæ iudicium esse falsum.*

XVIII. *Esse impium.*

XIX. *Se & suos scire* (euidenter scilicet) *hoc iudicium esse impium.*

XX. *Si quis iudicium Papæ pro regula statuat, perinde esse, ac si quis contendat, tenebras esse lucis regulam.*

XXI. *Bellarminum respondere: Papam iudicare de scripturis esse æquiuocum.* Vbi hoc Bellarminus?

XXII. *Posse hoc de scriptura & eius interpretatione intelligi.* Vbi hoc Bellarminus?

XXIII. *Bellarminum dicere: interpretationem scripturæ esse veram propter Papæ iudicium.* Iterum quæro, ô sycophanta, vbi hoc Bellarminus? An non te pudet? Sed depuduisti: neque enim vera est interpretatio, quia Papa dicit; sed quia res vera est in se; ideo id quod Papa dicit, verum est. Sicut si dicam; solem lucere meridie; verum id est; non quia ego id pronuncio; sed quia à parte rei sol lucet.

XXIV. mendacium: *Bellarminum libro primo docuisse, libros esse Canonicos, quòd Papa ita censuisset.* Nusquam hoc Bellarminus, loquendo de Canonica auctoritate librorum diuinorum in se; non respectu nostri. Et hoc mendacium mox ter quateruè repetit; imò sæpius. Sit ergo XXV. mendacium. neque enim tot Pseudologiarum iterationes intactas præterire possum: *Si verum sit Pontificem non esse supra scripturam, sed supra priuatorum intelligentiam, & supra vertiginem eorum, qui quiduis ex scriptura extundunt; tunc vna litura inducendum esse, quidquid Bellarminus quatuor libris de verbo Dei scripto, & non scripto scripserit.*

XXVI. Bellarminum libro primo *contendisse, libros apocryphos propter Papæ iudicium esse Canonicos.*

XXVII. *Bellarminum libro secundo affirmasse, vulgarem versionem propter Papæ iudicium esse authenticam.* Loquitur hæreticus de authentica ratione non ratione cognitionis nostræ; sed prout in se, & quasi in actu primo spectatur. Quam à Papa esse, idque Bellarminum docere; Caluinisticum figmentum est.

XXVIII. *Bellarminum libro tertio somniare illam interpretationem esse veram, quæ Papæ probetur.* Non absolutè ita loquitur; sed eam dicit esse, certò & infallibiliter veram, quæ probatur Papæ docenti ex cathedra.

XXIX. mendacium: *Bellarminum libro quarto tradere, omnes consuetudines Romanas propter Papæ approbationem esse Apostolicas & regulas fidei.* Pingue profectò mendacium. Euoluatur totus quartus liber, nunquam & nusquam hæc assertio repe-rietur.

XXX. mendacium; *Se & suos cum summa reuerentia suscipere; si quas explicationes sacris litteris con-*A*gruentes afferamus.* Sic tamen, vt iudicio vestro cum sacris litteris congruere non existimentur, nisi prius cum vestris Phantasiis & præconceptis prauis opinionibus consentiant. An non stomachum tot eructatis mendaciis egregiè leuauit Savvbrandus? qui instat.

Qui aliud Euangelium affert, quàm id, quod Paulus euangelizauit, id est, quod sacris literis comprehensum est, ille est anathema: sed qui Euangelium aliter interpretatur, atque verus, & genuinus eius sensus requirit, ille affert aliud Euangelium. ergò est anathema. Concedo totum. Nos enim telo hoc minimè sauciamur. Si Minori attexas *Papam*; tum negabitur. Cui quando tu fidem facies? Alius syllogismus.

B *Quo spiritu scriptura scripta est, eodem spiritu debet intelligi. Sed scriptura est scripta Spiritu Dei. ergò & Spiritu Dei intelligi debet.* Concedimus totum. An non liberaliter tecum agimus? Neque enim Papa humano, sed diuino spiritu scripturas explicat; cum ex cathedra quidpiam definit. Neque quidquam contrà profert Savvbrandus præter mendacia; vt, *multos Papas fuisse hæreticos. Papas contradictoria statuisse & definiuisse ex cathedra circa quæstiones fidei:* Sic enim assertum suum intelligere debet Hæreticus, si aliquid ad rem dicere, non vacuis ictibus aërem verberare velit: nunquam autem, licet ringantur, vllum fidei articulum producet; cuius contrarium ex cathedra ab vllo Pontifice definitum sit.

C Alius syllogismus Savvbrandicus, falsò catholicis adscriptus.

Cuius interpretatio est regula authentica veritatis, ille est in eadem cum canonicis scripturis auctoritate. Sed Papæ interpretatio est regula authentica veritatis. ergò Papæ interpretatio est eiusdem cum canonicis scripturis auctoritatis. Imitatur Caluinista, cum Comico dicam, *nequam bestiam & damnificam; inuolulum; quæ in pampini folio intorta, implicat se: Itidem hic exorditur sibi intortam orationem.* Quis ita vnquam candidè loqui volens: aut loquitur, aut locutus est? *Papæ interpretationem, esse regulam authenticæ veritatis. Regulam authenticæ veritatis, esse in eadem cum scripturis auctoritate.* Quæ hæc verborum monstra? Quæ portenta? Quis Catholicorum ita loquitur? Nos D interpretationem, vt iste vocat; Papæ, vsitato more; appellamus definitionem, hanc esse regulam *authenticæ veritatis*, nūquam dicimus. Quid enim per *authenticam veritatem* intelligit? Num diuinam & canonicam? Atqui hæc potius regula est definitionis ex cathedra traditæ; quàm vice versa. Num ideo veritatis Canonicæ regulam statuit Pontificis definitionem; seu, Ecclesiæ sensum & consensum, quia scriptura non aliter, nisi ad hanc & iuxta hanc normam explanari debet? Sic quidem rectè sentit; sed cur quod rectè sentit, non rectè eloquitur? Hanc definitionem seu Papæ seu Ecclesiæ concedimus parem cum scriptura habere auctoritatem; quod ad infallibilitatem attinet: Etsi in modo, quo scriptura suis

Digitized by Google

ab auctoribus conscripta est; & quo ab Ecclesia seu Pontifice definitiones fidei tradûtur, & proponuntur;sit aliqua diuersitas; vt præter cæteros docet Gregorius de Valentia libro octauo Analyseos capite quinto. Quàm perspicuum syllogismum formasset, si argumentum ita instituisset: *Illa definitio, quæ est regula secundum quam canonica veritas, hoc est, sacra scriptura explicari debet; eandem auctoritatem cum scriptura obtinet, quod ad infallibilitatem attinet: sed Papæ seu Ecclesiæ definitio est regula secundum quam canonica veritas, hoc est, sacra scriptura, explicari debet. ergo Papæ seu Ecclesiæ definitio eandem auctoritatem cum scriptura obtinet, quod ad infallibilitatem attinet.* Sed tenebrio iste dedita opera omnia tenebris inuoluit, & syllogismos cum tenebricosos; tum pessimè cohærentes nobis sceleratè affingit: qualis est etiam supradictus: cuius Maior affirmat, *Papam esse in eadem cum Canonicis scripturis auctoritate.* Postea conclusio, relicto Papa, infert; *Interpretationem Papæ esse eiusdem cum Canonicis scripturis auctoritatis.* Quis ita loquitur; *Parem esse Papæ cum Canonicis scripturis auctoritatem?* Tolerabilius loqueretur, imò verè, qui diceret: *Parem esse Papæ auctoritatem cum scriptoribus Canonicis*, quod ad infallibilitatem attinet; tametsi in modo huius infallibilitatis promendę sit aliqua diuersitas; cum scriptor Canonicus potius agi; quàm agere soleat.

Aliud argumentum Savvbrandicum: *In primitiua Ecclesia fuit scriptura sola iudex controuersiarum; ergo & iam.* Negatur Antecedens. Contrarium patet euidenter Actor. 15. vbi non scriptura, sed synodus Hierosolymitana secundum scripturas controuersiam exortam diremit. Si argumentum his cum Sibrando inuolucris inuoluas: *Primitiua Ecclesia statuit vnanimiter verā regulam & normam authenticæ interpretationis esse scripturæ interpretationem; ergo iam quoq; scriptura est vera regula & norma authenticæ interpretationis.* Conceditur totum; si velit eum, qui doctrinam fidei authenticè interpretatur debere ad sacram scripturam, tanquam ad interpretationis normam & regulam respicere; vt interpretatio cum illa consentiat, nulloque modo ab illa dissentiat. Si suo illi arguméto Caluinista hunc duntaxat sensum substernat, caussæ nihil est, cur illud respuamus. Sed quid inde it conclusum? Num scripturā esse *vnicam & solam omnis interpretationis ac definitionis regulam?* An scripturam esse omnium controuersiarum iudicem; & ab hac sola omnes lites religionis dirimi debere? Peritum sanè construendarum consecutionum artificem eum esse oporret; qui ex prædictis has consequentias scitè & legitimè exsculpere posit. Patres, quos Savvbrandus allegat, nihil aliud volunt, quam interpretationes & definitiones concorditer scripturis instituendas esse. Et omne illud, quod est extra scripturam, hoc est, quod scripturæ aduersatur. & nec explicitè neque implicitè; neque mediatè neque immediatè in sacris litteris includitur, repudiari debere: Hactenus de Savvbrando.

Nunc pauca de Danæo: qui ad caput hoc decimum nihil affert, nisi luculenta mendacia.

I. *Bellarminum ignorare quomodo vnus Christus dicatur doctor.*

II. *Bellarminum nescire, cur Christus dicat se alieno testimonio non egere.*

III. *Bellarminum in solutione octaui argumenti non intelligere, quid significet illud apud Apostolum Rom. 12. secundum rationem fidei.*

IV. *Bellarminum non capere vocem, omnia, in illo 1. Corinth 2 spiritualis omnia iudicat, &c.*

V. *Bellarminum nescire, quid significet vox, omnia,* in illo: *omnia probate, &c.*

VI. *Bellarminum, vocem, omnia, ad solos Episcopos restringere.*

VII *Mentitur Caluinista, Augustinum ideo in Concilio sedisse & iudicis officio functū esse; quia fuerit doctor:* imò verò, quia fuit Episcopus & Pastor. Vbi enim vnquam auditum est in Catholica Ecclesia, ideo præcisè alicui ius esse suffragij *definitiui* in Conciliis, quia doctor sit? Hæc & similia Danæi mendacia non egent multa refutatione. Lector tantummodo Bellarminum ipsum inspiciat; statimque meridiana luce clarius Caluiniana vanitas ei illucescet.

Refutatio argumentorum Witackerianorum contra legitimum controuersiarum iudicem.

SCripturam solam esse omnium controuersiarum fidei iudicem, & Papam vel solum, vel cum Concilio non esse controuersiarum fidei iudicem, quindecim arguméntis conatur planum facere VVitackerus; quæ ordine dissoluemus. I. *Si scriptura non potest aliter certò cognosci nisi per scripturam, & Spiritum sanctum loquentem per scripturam, tum certè nec aliunde quærendus est scripturæ sensus, quàm ex scriptura, & Spiritu sancto in scripturis loquente. Sed verum prius; ergo & posterius.* Concessa Maiore, nego Minorem. Quam hic VVitackerus non probat; *Suprà abs se probatam* ait. Rectius diceret: *se probare voluisse.* Qua laude contentus esse potest. quia, si desint vires, tamen est laudanda voluntas; Nos enim toto hoc libro cū Bellarmino ostēdimus iudiciariam potestatem non posse competere scripturis.

II. Argumentum: *Quod solum habet vim ad fidem generandam, illud solum habet summam autoritatem interpretandi scripturas; & omnes de fide, & religione controuersias definiendi, ac diiudicandi. At scriptura sola, & Spiritus sanctus hanc vim habent. Ergò illis solis hæc autoritas tribuenda est.* Respondeo, Maiorem esse ve-

Digitized by Google

ram, si vocula, *solum*, accipiatur *adiectiuè*, vt quidem ab Hæretico accipi videtur; vt sensus sit: *Illud solum est Iudex, quod solum habet vim faciendi seu procreandi fidem*: quia sine dubio ad Iudicem pertinet, vt possit facere fidem. Sed Minor est falsa: quia præter scripturam & Spiritum sanctũ, quatenus loquitur per scripturam; multa sunt alia, quæ ad fidem generandam concurrunt; atque adeo vi faciendæ fidei pollent. Primùm Deus seu Spiritus sanctus absolutè, abstrahendo à scriptura, quæ Dei seu Spiritus sancti vox est: Ipse enim solus est caussa fidei effectiua. Ipse cor immediatè tangit, & ad fidem suscipiendam inclinat. Deinde ad fidei effectionem conducunt *motiua fidei*; doctores, & concionatores, qui fidem proponunt, eiusque mysteria explanant; ipse itidem homo, dum gratia Dei adiutus & excitatus ad susceptionem fidei sese disponit ac præparat; vt taceam alia huius generis adiuméta ad fidem generandam conducentia.

Cæterum, quid sibi volunt illa VVitackeriana? Fides *quam ab Ecclesia habemus, non infusa, sed acquisita dicitur: & eam ipsi Papistæ fatentur non sufficere ad πληροφορίαν*. An non ipsam fidem infusam ab Ecclesia habemus, non vt à caussa effectrice; verùm vt à proponente cælestia mysteria diuinitus reuelata? An ab Ecclesia, vt à proponente & inducente, fidem infusam non habebat; quem publicè profiteri non puduit: *Ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Quis ex Orthodoxis docet, nos fidem acquisitam ab Ecclesia habere? Et quamuis fides acquisita de rebus supernaturalibus in eodem subiecto, copulari posset cum fide diuina & supernaturali de iisdem obiectis; quemadmodum nonnullis Philosophis videtur, scientiam & opinionem de eadem re in eodem subiecto, diuersis tamen mediis, & rationibus simul inesse posse; non rectè tamen diceretur, nos acquisitam; nõ autem fidem infusam ab Ecclesia accepisse: adeo enim ab Ecclesia fides infusa & est, & pendet; vt remota Ecclesiæ auctoritate nullo modo subsistere valeat. Hoc secundum argumentum redigit VVitackerus in hanc Epitomen: *Fides ex sola scriptura nascitur; ergo verus scripturæ sensus ex sola scriptura ipsa eruendus est.* Nego antecedens. Caussa negationis liquet ex dictis.

III. Argumentum: *Summus iudex controuersiarum, & legitimus scripturæ interpres, hæc tria habere debet. Primum est, vt nos certò sciamus veram esse senẽtiam illam, quam ipse proponit, atque in ea nos acquiescere posse. Secundum est, vt ab illa sententia non liceat prouocare.* (Nil displicet in his duabus conditionibus, de quibus supra cum Savvbrando actum.) *Tertium, vt nullo partium studio ducatur.* Hæc conditio insidiosè posita est: Nam si velit, vt quidem velle videtur, supremum iudicem non debere esse *partem cõtrouersiæ*; hoc est, auctoritatem eius iudiciariam debere esse liquidam & perspicuam, & à nullo in dubium vocatam; & si in dubium, quamuis iniustissimè vocetur; supremus iudex super illa cõtrouersia iudicare nec possit nec debeat; tum negatur hæc tertia conditio ob caussas suo loco copiosè explicatas: At si tantum velit Caluinista, iudicem in vnicam veritatem intendere, neque quidquam gratiæ huius vel illius partis dare debere; liberum & expeditum ab amore & odio, tunc non grauatè hãc tertiam conditionem admittimus.

Iam perge: *Nihil verò horum Ecclesia aut Pontifex habet: hæc verò omnia scriptura habet & Spiritus sanctus in scripturis loquens; ergò illis summum iudicium, non Ecclesiæ, vel Pontifici, deferendum est.* Respondeo, Minorem esse falsam. Probat Caluinista Minorem: *Per Ecclesiam intelligunt Papistæ primò Patres, & consentientes Patrum sententias: nam nisi consentiant omnes, non tribuunt illis tantam autoritatem.* Mentitur Caluinista; suisque fumos, & nebulas vendit. Per Ecclesiam enim; quando *Ecclesiam* dicimus esse omniũ controuersiarũ fidei iudicem, intelligimus Pontificem Romanum; qui pro tempore præsens nauiculam militantis Ecclesiæ moderatur, ac gubernat: quique viua voce sententiam suam clarè, disertè, & euidenter adeuntibus & consulentibus explicat. Intelligimus etiam nomine *Ecclesiæ* Pontificem pro tempore viuentem, cum Concilio quod ipse conuocare & congregare potest; & hunc summi pastoris & aliorum præsulum cœtum, dicimus esse immediatum, ordinarium, & visibilem omnium controuersiarum, quæ de religione exsistunt, iudicem.

Secundò, inquit Caluinista, *per Ecclesiam intelligunt Concilia.* Ita est; sed præsentia, non præterita: Quia vt Pontifex, qui viuere desiit, non est controuersiarum iudex; sed fuit; ita & Concilium, quod olim celebratum est; non est præsens controuersiarum iudex; sed fuit: Per Concilium igitur intelligimus illud, quod præsens cum præsente; hoc est, cum iam cathedram Petri tenente Pontifice controuersiam dirimit; & sententiam iudiciariam pronunciat; ita vt vox eius & sentẽtia ab omnibus, præsertim à litigantibus, perspicuè & euidenter audiri ac intelligi queat.

Occinit Caluinista: *Quomodo certò sciemus Concilia legitimè esse congregata?* Certa nota est conuocatio & postea approbatio summi Pontificis. Ad hoc indicium respice, & certus eris. Ais: *Non ob eam caussam Concilia coacta, habitaq; sunt, vt omnes de religione controuersias definiant, & omnes obscuras scripturæ sententias interpretentur.* Neque necesse est, vt omnes controuersias definiant: satis est, vt illas, quæ Ecclesiam magis turbant; & præsentem perniciem fidelibus generant. Num ideo iudex non est iudex, si non omnes, sed aliquas tantùm controuersias dirimat? Sufficit, quod possit, si velit. Videmus etiam semper esse datam operam; vt quando Concilium coactum est; omnes, quoad fieri posset, lites & contentiones de religione sopirentur, quod in Nicæna, in Ephesina; in Chalcedo-

cedonensi, inque aliis, & in nouissima generali A Tridentina diligenter est factitatum.

Ais: *Tertiò interpretantur Ecclesiam Papam.* (Non abnuo. Quid tū?) *De eius sententia etiam est q dubitemus?* (Num iure?) *Quomodo certi esse possumus, ipsum non errare?* (Ex illis; *Tibi dabo claues regni cælorum, &c. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quodcunq; solueris, &c. Quodcunque ligaueris, &c. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Lucæ vigesimo secundo.*) *De sensu huius loci quis iudicabit? Quomodo sciam ista de Papa dici?* (Ex traditione Ecclesiastica; ex consensu maiorum, totiusque antiquitatis suffragio, ex textu ipso; si ad eius lectionem nulla adferatur peruicacia, & antecepta persuasio: Denique, velis nolis, ex ipsius Papæ sententia ac definitione. Et ex B hoc solutionem sume ad hanc tuam interrogatiunculam.) *Quis huius controuersiæ iudex erit? Papa, inquiunt.* (Plane Papa.) *At iniquum est, vt is, de quo est controuersia, controuersiam iudicet.* (Nego iniquum esse, cum de summo iudice agitur; imò iniquum non est; cum & inferior iudex incompetentiæ accusatus; litis illius iudex est; & se competentem esse pronunciat; Hic enim non tam suam priuatam, quàm publicam caussam agit, de quo satis supra.

Mentitur Caluinista, *Papistas fateri, Papam non modò errare; sed & hæreticum esse posse.* Mentitur, inquam, si loquatur de Papa quà Papa, & vt definit ex Cathedra. Et quamuis sint, qui arbitrentur, C Papam, vt priuatam personam, in hæresin labi posse: alij tamen contrarium non improbabiliter vero propius existimant. Et illi ipsi; qui Pontificem, vt priuatam personam hæreseos crimine obstringi posse defendunt, palam confitentur; ab omni periculo hæreseos immunem esse; si spectetur vt Pontifex, & vniuersalis omnium controuersiarum iudex.

Accipe iam subtilissimum simul & argutissimum argumentum. *Concilia, Patres, Papæ homines sunt: & scriptura testatur, omnem hominem mendacem esse. quomodo ergò in illorum sententia acquiescam? quomodo certò potest conscientia mea statuere, adeò, vt fides mea non vacillet, quidquid illi dixerint, id verum esse, id que, quia illi dicunt?* D *tum certè, nullum discrimen inter Deum, & illos statuetur. Nam credo id verum esse, quod Deus dicit, quia ille dicit, nec aliam vllam quæro rationē: sed, cùm scripturam audiam dicentem, omnes homines mendaces esse, non audeo homini alicui tantum tribuere, ne ipsum Deo æqualem faciam.* Pulcherrimè. Quia hoc argumentum in caput sui auctoris hunc in modum retorquere licebit: *Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, vt Papa, homines sunt: & scriptura testatur omnem hominem mendacem esse. quomodo ergò in illorum sententia acquiescam? quomodo certò potest conscientia mea statuere, adeò vt fides mea non vacillet, quidquid illi dixerint, id verum esse, idq; quia illi dicunt? &c.* Si dicat VVitackerus: homines istos, Prophetas, Euangelistas, Apostolos, ductu & instinctu Spiritus sancti fuisse locutos; idem & ego dicam de Papa & Concilio, quorum definitiones veræ sunt, non præcisè quatenus à Papa & Concilio proficiscūtur; sed vt proficiscuntur à Papa & Concilio per Spiritum sanctum infallibiliter ab omnibus errandi periculis custodito; quemadmodum id, q à D. Matthæo, vel D. Luca scribitur, non ideo præcisè infallibiliter verum est; quia ab illis scribitur; sed quia in scribendo, Spiritus sancti munere, à vero excidere nequierunt. Conuenit ergo prima iudicis conditio à VVitackero assignata, Pontifici & Concilio: non autem scripturæ; quia licet eius sententia in se certissima sit; non est tamen nobis euidenter certum, hūc vel illum sensum huic vel illi scripturæ loco subiici certò & infallibiliter; nisi adsit interpres certus & infallibilis, qui hoc nobis euidenter patefaciat.

Nam quod Caluinistæ dicunt; *Sibi esse certum & euidens ex scriptura, tanquam ex iudicis voce & sententia definitiua; hunc esse certum, verum & legitimum horum verborum: Hoc est corpus meum; sensum: hoc est figura corporis mei;* vel, *hoc significat corpus meum;* id euidenter falsum & commentitium est; quia si illis vox hæc iudiciaria esset euidens; etiam nobis & Lutheranis esset euidens; quia vox & sententia iudicis, quando aditur, ita pronunciatur, vt ea omnibus litigantibus euidenter constet: At sanctè testamur; etiam iurati; neque nobis, neque Lutheranis hanc, quam fingunt Caluinistæ, definitiuam iudicis sententiam esse euidēter notam; eo modo, quo & Caluinistis & Lutheristis euidenter nota est, sententia Concilij Tridentini super illis ipsis verbis. Et si nobis tam nota esset, mox, nulla interposita mora, ad Caluini scholam transiremus.

Pergit VVitackerus: *Licet prouocare à Concilio ad Papam; item à Papa ad Concilium: ergo neque secunda conditio Papæ vel Concilio conuenit.* Negatur antecedens loquendo de Concilio OEcumenico, quod summi Pontificis suffragium meruit. Nulla datur talis appellatio de iure; Nam quid iniuriā fiat, id nobis non est curæ. Obiicit: *Licet à Papa prouocare ad Deum vel Spiritum sanctum.* Nego; Quia Deus non est ille iudex ordinarius, & immediatus in hac vita; quem omnes adire & audire tenentur. Itaque, qui à Papa appellat ad Deum; is à Deo appellat ad capitis sui phantasmata. Dices: *Ius fasque est à Propratore ad Prætorem, à Prorege ad Regem appellare: ergo & à Papa ad Deum.* Negatur consequentia: Quia nusquam in scripturis legimus, Deum voluisse à summo suo Vicario huiusmodi appellationes ad se fieri; Neque vsquam proditum est, Deum promisisse; se huiusmodi appellatoribus ius euidenter dicturum, ita vt parti vtrique perspicuè constet, quæ nam sit mens & voluntas Dei, ad cuius tribunal prouocatum est.

Multa verba profundit Hæreticus, vt probet A scripturam *loqui*; *non esse mutam*; *scripturam esse audiendam*; *perscrutandam*; & similia; quæ non in aduersarios, sed in ventum sparguntur. Quis abnuit scripturam *loqui*; eo modo quo scriptura est locutio? Loquitur, quia rem significatam signis externis, hoc est, verbis, manifestat. Non loquitur; quando partes scripturam adeunt; alterâ hanc scripturæ sententiam esse affirmante: alterâ, id pernegante; aliamque longè mentem & sensum scripturæ attribuente. Hic iam scriptura, si ipsa iudex est; loqui deberet; ita, vt partes iurgantes & controuersantes euidenter intelligerent; cui nam parti veritas suffragetur; cui refragetur. Hic scriptura non loquitur. Hic B scriptura est *muta*: quantumuis hoc iniquis auribus accipitis. Sed tanti non est; aures vestras offendere. Quando coram scriptura talis contentio de sensu scripturæ instituitur, interponat scriptura euidenter suam sententiam; vt decet Iudicem; officiumque iudicis necessariò exposcit; tum derepente finis omnibus controuersiis imponetur. magna sanè omnium gratulatione, & Reipublicæ Christianæ vtilitate.

IV. Argumentum VVitackeri. *Si scripturæ sint interpretandæ, atq. intelligendæ eodem spiritu, quo scriptæ fuerunt, tum omnibus necesse est Spiritum sanctum consulere, qui eas vel interpretari, vel intelligere volunt. At verum primum. Verum ergò & secundum.* Concedo totum argumentum; sicut & suprà Savv- C brando similem argumentationem concessi. *Sed vbi iste spiritus certò, infallibiliter, & absq. omni erroris periculo?* Vel in solo Papa; Vel in Papa cum Concilio. VVitackerus ait, *residere in quolibet pio homine rectè scripturas interpretante.* Et hoc probat testimoniis de quibus supra abundè: *Spiritualis homo omnia iudicat*, &c. *Non opus habetis, vt quis doceat vos*, &c. *Nolite vobis dicere magistrum in terra*, &c. *Cognoscent me omnes à minimo vsque ad maximum*: quæ omnia alibi expedita sunt, cumque VVitackerus nihil noui adducat, non est quod nouam defensionem paremus.

V. Argumentum. *Quando nos ab aduersariis nostris quærimus, quomodo scripturas interpretari oporteat, hoc semper primò respondent, secundum consenti-* D *entes expositiones Patrum.* Hoc responsum damus, quando ostendere volumus normam, secundum quam scriptura explicanda est: normarum enim optima & expeditissima est sanctorum patrum consensio, & Ecclesiasticæ Canonis traditio. Nam cum de ratione cognoscendi verum scripturæ sensum per sentẽtiam iudicis agimus, haud ad Patres quenquam ablegamus. Scimus enim alium iudicem, præter Patres in Ecclesia quærendum & adeundum esse. Itaque si verum fateri volumus, argumentum hoc VVitackeri nihil ad rem facit; quia assertionem nostram de iudice non tangit, sed potius id, quod nos de auctoritate sanctorum Patrum docere solemus. Quanquam & huic nostro placito parum damni infert; Nam quod ait; *Patres sæpe dissentire*: num in illis, quæ ad fidei dogmata spectant? Num ex illis omnes, vel plerique?

Vt dissensionem hanc VVitackerus oculis nostris subiiciat, vnum atque alterum exemplum profert. *Origenes, Hieronymus, Athanasius, Ambrosius, illa verba, quæ habentur Rom. 7. (Ego carnalis sum, venundatus sub peccato, &c.) ita interpretantur, vt dicant Paulum illic non de se ipso, sed in persona hominis nondum renati loqui. Sed Aug. 2. lib. contra Iulian. Pelagian. cap. 2. de homine renato intelligi vult, atq. adeò de ipso Paulo.* Quanta hæc dissensio: Quanta discrepantia? Quis pacificator tanta dicendi vi pollebit, qui hoc dissidium componat? Vanissime Caluinista. An hoc ad fidei articulum pertinet; siue hoc siue illud adstruas? An non vtraque expositio in eundem locũ bellissimè & appositissimè quadrare potest? Quanta item dissensio in capitibus fidei, quòd D. Hieronymus censuit, matrimoniũ ante baptismum cum alio post baptismum non efficere bigamiam; D. Augustino refragante, & contrariũ apertè propugnante, vt habetur d. 26. C. *Vnius* & C. *Acutius.* Eiusdem farinæ sunt alia dissensionis paradigmata; quæ vel veram discrepantiam nõ continent; quia ita comparata sunt, vt diuerso respectu vtrumque possit esse verum: vel si veræ sunt dissensiones; non concernunt capita fidei, sed ex eorum censentur numero, quæ eruditorum disputationibus liberè in vtramque partem ventilantur.

Iam audiamus argumentum prorsus insolubile contra sanctorum Patrum auctoritatem; tametsi; vt antea monebam, ad rem nil faciat, cum hic nõ de auctoritate sanctorum Patrum; sed de generali omnium cõtrouersiarum iudice disputemus. *Quod eiusmodi est, vt non semper fuerit regula scripturæ interpretandæ, quodq. non semper habuit autoritatem iudicandi, illud ipsum, ne nunc quidem regulæ, aut iudicij vim habere debet. Nam regula semper vna esse debet, eaq. certa, firma, ac perpetua: sed consentiens Patrum expositio non fuit semper regula interpretandæ scripturæ; ergò ne nunc quidem est. Non fuisse verò regulam semper, facilè constat. Aliquando enim nulla Patrum scripta exstiterunt.* Respondeo, Maiorem esse *VVitackerianam*, hoc est, falsam & friuolam. Perinde est ac si dicas: *D. Petrus non semper habuit iudicandi supremam potestatem; quia non semper fuit; ergo neque postea habuit. Scriptura noui testamenti non fuit semper norma & regula iudicij; quia non semper fuit; ergo neque iam est norma & regula iudicij de rebus fidei faciendũ. Concilia Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, alia, non semper fuere norma dirimendarum controuersiarum; ergo neque hodie hoc vel nomen vel laudem merentur; quia regula debet esse perpetua. Concilia hæc non fuére perpetua; quia fuit, cum non essent.* VVitackerus non semper fuit Professor Regius in Academia Cantabrigiensi; ergo nec postea fuit Professor. Pulchrè & ingeniosè; quasi verò, vt aliquid sit regula & norma iudicij rectè instituendi formandique,

Digitized by Google

necesse sit. vt perpetim fuerit; nunquam non fuerit. Ne ipsa quidem scriptura sic norma quæstionum de religione foret. Si igitur hoc scripturæ non obstat, cur obstaret Patribus? Ius ciuile non erat norma politicorum iudicum antequam existeret; An ideo iam non est eorum norma?

Quærit Caluinista, *quanam ante Patrum* commentarios fuerit scripturæ interpretandę regula. Facilis responsio. Traditio Ecclesiæ eo tempore adhuc recens & in origine quasi sua spirans; & vnanimis Doctorum, qui tunc in Ecclesia florebant. populumque instruebant; regula scripturæ interpretandæ erant, quę duo etiam hodie in sacris litteris explanandis normæ & regulæ vicem subeunt.

VI. Argumentum. *Scriptura maior est auctoritas in iudicando, quam Ecclesiæ præsentis: ergò scriptura potius iudex esse debet, quam Ecclesia*; Respondeo. antecedens esse falsum, loquendo de auctoritate iudiciaria pronunciandi sententiam vltimam & definitiuam. Probat Caluinista. *Iudicium hoc* (vltimum & definitiuum) *debet cum summa auctoritate coniungi* (non imus inficias) *Ecclesiam non tantam habere auctoritatem, quantam scriptura habet, ex cap. 1. ad Gal. patet.* (at Ecclesiam habere potestatem interpretandi scripturas, omnesque quæstiones & lites de scripturæ sensu excitatas, componendi & diiudicandi; & eatenus maioris esse auctoritatis quasi *extensiuè*; tam clarum est, vt hæreticos. qui iudiciariam hanc auctoritatem scripturis vel inuitis arrogant; planè infatuatos & excæcatos existimem, cum rem tam lucidam neque animo neque oculis cernant. Neque quidquam contra hoc nostrum assertum ex cap. 1. Epistolæ ad Galatas colligitur.

Ait Caluinista: *Non tribuent Papistæ, opinor, plus huic Ecclesiæ, quam veteri illi, quæ Apostolorum tempore viguit. At illa, non habuit talem autoritatem; non potuit aliter scripturam interpretari, quàm secundum scripturam. Ergò, nec vlla Ecclesia iam aliter facere potest.* Respondeo, Minorem esse falsam. Falsitas cum aliunde, tum ex cap. 15. Act. elucescit. etsi vt vetus illa Ecclesia nō aliter scripturas explicauit, quam secundum scripturas, hoc est, consentaneè scripturis; sic & hodierna Ecclesia scripturas aliter non explicat.

VII. Argumentum de Berœensibus ex Act. cap. 17. supra solutum est. Vt & octauum ex illis: *Omnia probate*, &c. *Probate spiritus, si ex Deo sunt.*

VIII. Argumentum: *Si Patres, Concilia. & Papa, habent summam autoritatem interpretandi scripturas; tum fides nostra in illorum iudicium postremò resoluitur. At secundum falsum. ergò & primum.* Respondeo, negando Maiorem: quam probat Hæreticus: *Quod summam auctoritatem habet reddendi verum scripturæ sensum, in id fides nostra postremò resoluitur, atq; incumbit, & ei innititur. Nam in eo fides acquiescit, quòd dat certissimum sensum scripturæ, & de omni doctrina iudicat.* Tota hæc probatio vnica negatione dispungitur. Nam fides nostra vltimo resoluitur in reuelationem diuinam, seu in Deum reuelantem; seu, quod idem, *in primam veritatem*, qua & nititur fides nostra, tanquam fundamento primario. Tametsi non inficior, fidem quoque resolui in Ecclesiam, seu Ecclesiæ propositionem; sed hæc resolutio non est omnium vltima; & in principium planè *substantiale & essentiale*; sed tantum, vt in fundamentum secundarium; seu, vt in conditionem sine qua fides neque recipitur, neque retinetur.

IX. Argumentum. *Qui legem condidit, ille solus summam interpretandæ legis autoritatem habet. At Deus solus scripturas condidit. Ergò Deus solus interpretandi scripturas autoritatem summam habet.* Respondeo, Maiorem esse falsam; nam qui legem condit, ille potest alteri summam in huius vitæ statu interpretandi potestatem concedere; & hoc à Deo factum dicimus; qui suo loco summum in hoc sæculo Iudicem constituit Papam seu Ecclesiam, cum priuilegio certo & infallibili, leges illas diuinas nunquam aliter nisi ex Spiritus sancti mente explanandi. VVitackerus anxiè probat Minorem; deposita omni Maioris cura: in qua tamen tota difficultas; quod facilè vidisset Caluinianus, nisi Cæcilius ipse Cæcilio librum suum dedicasset.

X. Argumentum: *Si summum iudicium de scriptura sit penes Ecclesiam, tum id sequetur,* (*quod tamen aduersarij nostri sibi displicere significant*) *maiorem esse Ecclesiæ quam scripturæ autoritatem.* Respondeo, esse Maiorem auctoritatem, quasi *extensiuè*; quia Ecclesia habet auctoritatem infallibilem, & asseuerandi directò ipsam veritatem fidei (in quo cum scriptura quoad infallibilitatem quidem conuenit, & si non quoad modum asseuerandi) & prętereà proponendi fidelibus ad credendum tum ipsam scripturam, tum etiam clarè, & expresè quamcunque fidei veritatem in omnibus omninò controuersiis, quæ oriri possunt, id quod non perinde scriptura præstare potest; vt rectè explicat Gregorius noster de Valentia libro octauo Analyseos cap. 5. Quamuis secundum alios respectus maior dici potest scripturæ, quam Ecclesiæ auctoritas, vt idem Gregorius eodem loco docet. Quàm verò doctum illud? *Scripturæ sensus est ipsa scriptura.* Hactenus existimabam scripturæ sensum esse scripturæ significatum; at significatum non est scriptura; nisi quis dicere inscitè velit. *Signatum esse ipsum signum.* Vnde VVitackerus didicit; *Orthodoxos, propter nullam aliam caussam aliquem scripturæ sensum amplecti & retinere; nisi quia sic Ecclesia statuit atq; docuit?* Mendacium hoc est; quia quisquis fide Catholica alicui scripturæ sensui assentitur, is primò & principaliter, tanquam ob præcipuam caussam, assentitur propter diuinam

Digitized by Google

reuelationem: Propter Ecclesiam non aliter, nisi vt propter conditionem *sine qua non*; vt in scholis appellatur; quæ ita est comparata, vt si abesset; nunquam quoq; alicui sacrarum litterarum sensui propter diuinam reuelationem assensum quis præberet.

XI. Argumentum; *Si Papa sit summus index controuersiarum, & interpres scripturarum, tum quæuis definitio Papæ, est tam authentica, quàm scriptura.* (Concedimus Maiorem: loquendo de definitionibus fidei, quantum ad infallibilitatem. quia nihil definit Pontifex, nisi quod vel Verbo Dei scripto. vel tradito comprehenditur; neque enim nouos fidei articulos cudit Papa: sed, vel veteres, vetustate sepultos denuo in lucem, ac notitiam educit; vel eos, qui implicitè, & virtualiter in Verbo Dei includebantur, eruit, & explicitè credendos proponit.) *Sed consequens est falsum*, inquit VVitackerus: (Nego Minorem:) Probat *quia absurdum, & indignum est dicere; omnes Pontificum definitiones habere æqualem auctoritatem, cum scriptura sacra.* Absurdum est, sed in schola Caluini, non Christi: loquendo de definitionibus fidei, quantum ad infallibilitatem attinet; cum, vt iam dictum, Pontifex nihil definiat, nisi quod Verbum Dei scriptum, vel traditum tradit.

XII. Argumentum. *Nullus homo est sufficiens index controuersiarum, aut scripturæ interpres; Ergo non Papa. Nam nullus homo debet authoritate sua controuersias dirimere, sed aliena, scilicet Dei ac scripturarum.* Respondeo, antecedens esse verum de homine spectato præcisè vt homo est; & vt spiritu humano regitur: falsum, de homine; prout ab infallibili Spiritus sancti assistentia regitur, & in omnem veritatem deducitur. Ad consequentiam respondeo; Papam non priore, sed hoc posteriore modo controuersiarum iudicem esse. Quapropter inanem operam capit Caluinista, cum nobis fusè probat, hominem sua auctoritate, hoc est, humana præcisè, non posse esse idoneum controuersiarum iudicem. Quis hoc ignorat?

XIII. Argumentum; *Si scripturæ non se interpretantur, nec iudicant controuersias, hoc ideo fit quod aut sint obscuræ, aut non sint perfectæ: At horum neutrum impedit.* Respondeo, negando Minorem; nam obscuritas impedit; & præter hanc, etiam hoc, quia quando à partibus litigantibus scriptura aditur, non ita pronunciat sententiam, vt pars vtraque euidenter sciat, num sententia pro se an contra se pronunciata sit; sed omnia æquè ac prius manent incerta, litigiosa, & controuersa. Quod prorsus rationi notionique iudicis & iudicij aduersatur: Mitto dicere, scripturas non quidem esse imperfectas, attamen immediatè & explicitè non continere omnia ad religionis doctrinam pertinentia; ac proinde ex hoc etiam capite non posse officio generalis iudicis fungi; quid enim si controuersia oriatur de re, quæ non comprehenditur in scriptura; quomodo de hac iudiciariam suam sententiam proferet?

XIV. Argumentum. *Quisq; debet niti sua fide, suoq; iudicio, non ex cuiusquam hominis nutu atque arbitrio pendere. Ergo non est vnus index controuersiarum in Ecclesia Pontifex Romanus.* Respondeo, antecedens esse falsum; quia à Pastoribus & Doctoribus & nos & fides nostra iudiciumque nostrum pendere debet; tanquam ab Ecclesiæ *nutritoribus, plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus*, vt à S. Augustino alicubi appellantur: Præsertim verò à summo pastore & iudice pendere debet; non quidem vt à caussa vel fundamento principali; sed vt à caussa & fundamento secundario; prout supra copiosius explicauimus. Et quicunque ab hoc Ecclesiæ & summi iudicis iudicio Christianos ad suum cuiusque iudicium auocat, ille ad perniciem & exitium vocat.

Ad extremum producit VVitackerus testimonia quorundam Patrum; Primus est D. Irenæus, qui lib. 4. aduersus hæreses cap. 63. ait. *Legitimam & minus periculosam scripturæ expositionem, esse secundum scripturas ipsas.* Quis negat hoc? An non & Ecclesiæ seu Pontificis expositio, quam dat ex cathedra, est secundum ipsas scripturas? Tu quidem vociferaberis, *non esse secundum scripturas*: sed vociferaberis tantum, nunquam autem hoc demonstrabis. Mirum prorsus erit, si Savvbrandus risum contineat, audita hac VVitackeriana consequentia. *Legitima & minimè periculosa scripturæ expositio est illa, quæ fit secundum scripturas ipsas. ergo scriptura est iudex omnium controuersiarum fidei.* Vel negatiuè, subtilius. *Ergo Papa Romanus non est iudex omnium controuersiarum, quæ de fide exsistunt.*

Secundus est D. Hilarius, qui lib. 1. de Trinitate docet, *optimum esse scripturæ lectorem, qui sensum ex ipsa scriptura petat; non foris accersat & afferat*: Quid hinc infert VVitackerus? Idem quod antea. *Ergo scriptura est iudex omnium controuersiarum; non Papa, non Ecclesia.* An non hoc acutè conclusum est?

Tertius est S. Augustinus, *cuius multa sunt pro nobis testimonia*, inquit VVitackerus, *Lib. 2. de nuptiis & concupiscentia, cap. 33. sic scribit, Ista controuersia iudicem requirit. At quis iudex erit? Respondet. Iudicet Christus. Et paulò post: Iudicet cum illo & Apostolus, quia in Apostolo ipse loquitur Christus. Quare non dixit: Iudicet Pontifex Romanus, vel saltem Christus in Pontifice loquens? quia ille procul dubio nullum talem iudicem agnouit.* Respondeo, proculdubio mentiri VVitackerum; nam Augustinum talem iudicem in Ecclesia agnouisse, planum facit BELLARMINVS in disputat. de Pontifice. Quod hic non appellauit ad istum iudicem; eò factum est, quia non erat necessarium; ex scri-

ex scriptura enim immediatè, controuersiam illam dirimi posse videbat: quam scripturam, vel Christum loquentem per scripturam impropriè vocat *iudicem*; & impropriè etiam *iudicare* dicit; eo modo, quo Iureconsulti interdum dicere cõsueuerunt, Iustinianum loquentem per leges ciuiles, item ipsas leges ciuiles, esse *iudicem* & *iudicare*. Qua loquendi formula perspicuum est, vocabula *iudicii* & *iudicandi* impropriè vsurpari; neque eos, qui ita loquuntur, proprias notiones illorum vocabulorum inficiari velle. Idem dicendum de illo testimonio ex lib. de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Sedeat inter nos iudex Apostolus Ioannes*; nam *iudicii* vocem impropriè accipit: Sicut si quis Iurisperitus, lite quapiam exorta, diceret: *Sedeat inter nos Iudex Iustinianus.* An talis propterea nullum supremum iudicem viuentem & spirantem in Republica agnosceret? Quæ tandem est ista consecutio? *Augustinus vult, vt in controuersia quapiam audiatur testimonium quoddam D. Ioannis, & ex illo iudicium de veritate fiat; ergo non est alius controuersiarum iudex in Ecclesia præter scripturam.* Quid si audito illo Ioannis testimonio aduersarius non adquieuisset? An non alius iudex quærendus fuisset?

Eodem modo accipiendum est testimonium D. Basilij Epist. 80. quod Nouatoribus semper in ore versatur: *Iudicet diuinitus inspirata scriptura.* Vult nimirum D. Basilius, vt iudicet scriptura, eo sensu, quo lex iudicare dicitur; impropriè videlicet, vt antea dictum.

Profert Hæreticus etiam hunc ex Epist. 19. D. Augustini locum, omnium similiter hæreticorum ore tritum. *Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt.* Respondeo, S. Augustinum loqui de Doctoribus, & quidem singulis sigillatim spectatis, non de controuersiarum iudice; Quilibet Doctor seorsim consideratus labi & errare potest: Iudex summus errare non potest. Quocirca illorum dicta meritò ab illis, qui hoc præstare valent, modestè ac reuerenter expenduntur, & ad scripturæ Canonem secundum Ecclesiasticæ traditionis normam expenduntur.

Locus ex lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 21. vbi D. Augustinus docet, quomodo scripturæ sensus optimè inueniatur; non tangit nos, tantum abest, vt feriat. Iubet vt inter cæteros scripturæ sensus, eum amplectamur, *qui cum sana fide concordet.* Ergo & illum sensum à nobis recipi postulat; qui ex definitione & explicatione Ecclesiæ proficiscitur; cum non possit non esse nisi sanæ fidei congruus, quandoquidem Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.

Pari modo, quod D. Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei cap. 33. dicit, *regulam fidei per scriptura libros fidelibus satis esse notam*; quid tandem VVitackerianæ caussæ emolumenti; quid detrimenti nostræ sententiæ adfert? An ideo D. Augustinus censuit scripturam esse *vnicam fidei nostræ normam*; aut *scripturam esse omnium controuersiarum iudicem?*

Prodit nunc Optatus Mileuitanus lib. 5. Contra Parmenianum, vbi de controuersia, an baptizatus sit rebaptizandus sic scribit. *Quærendi sunt aliqui huius controuersiæ Iudices. Si Christiani de vtraq; parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur, deforis quærendus est iudex. Si Paganus, non potest nosse Christiana secreta; si Iudæus, inimicus est Christiani Baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium. De cœlo quærendus est Iudex. Sed vt quid pulsamus ad cælum, cum habemus hic in Euangelio? Testamentum (inquam) quia hoc loco rectè possunt terrena cælestibus comparari. Ex quo loco tria nobis obseruanda sunt*, inquit Caluinista. Primum. *In omni controuersia religiosa iudicem aliquem æquum & idoneum quærendum esse, qui non sit alteri parti addictus. Lis illo tempore erat Catholicis cum Donatistis: Christianus iudex nullus inueniri potuit idoneus disceptandæ controuersiæ*, inquit Optatus; *quia qui Christiani sunt, alteri parti fauent, & inquiores ad iudicandum veniunt.*

Respondeo, VVitackerus, animaduertere debebat; Optatum hoc non absolutè dixisse ex sua; sed ex sententia Donatistarum, & non nisi cum respectu ad illos: Quia enim Donatistæ iam olim à Melchiade Romano Põtifice, quamuis iniustissimè; ad alios iudices appellarant; & ab his denuo ad Imperatorem; quod dicerent, Episcopos Catholicos odio in Donatum, & amore in partem suam excæcatos, rectum iudicium non tulisse; cumque ne ipsius quidem Imperatoris Constantini iudiciariæ sententiæ acquieuissent; prudenter aduertit Optatus, se inanem operam capturum, si ad vllius in his terris iudicis tribunal cum Donatistis accedere vellet, quæstionis de rebaptizatione decidendæ gratia. Videbat enim illos è vestigio occlamaturos: *Iudices illos studiis partium teneri; studiis autem veritatem impediri.* Itaque sepositis omnibus iudicibus, contra quos Donatistæ, tametsi immeritò, excipere poterant; ad solam scripturam, eiusque in controuersia illa testimonia luce lucidiora intrepidè prouocat: iisque litem de rebaptizatione dirimi ac componi postulat. Itaque totum hoc non ex natura & veritate rei; sed ex conditione, affectione & natura aduersariorum asseruit Optatus. Nam quod alioqui Optatus Ecclesiam Romanam, eiusque Pontificem pro capite & communi controuersiarum fidei iudice agnouerit, manifestè patet ex libro eius secundo aduersus Donatistas.

Ex his nullo negotio hanc VVitackerianam collectionem vanitatis redargues. *Si Romanus Pontifex non fuit Iudex idoneus illarum controuersiarum,*

Digitized by Google

rum, quæ tum inter Donatistas & Catholicos intercesserunt, quod partium studiosus esse videretur; quanto minus de his controuersiis quæ nunc agitantur, iudicium illi summum permittatur, in quibus multò magis partibus addictus est, cum ipsius nunc res agatur? Sed verum prius; ergo & posterius. Respondeo, Minorem esse falsam. Romanus enim Pontifex verus & legitimus iudex erat controuersiarum, quæ Orthodoxis cum Donatistis intercedebant, sed Optatus auctoritate huius iudicis vti noluit, quòd probè nosset, Donatistas iam olim à Pontifice Romano damnatos, non adituros denuo eius tribunal, maximè cum calumniarentur, *eum partibus addictum esse*; hoc est, odio in Donatum flagrare; in Catholicos propenso affectu ferri; & his animi morbis præpeditum, sinceram & æquitati consentaneam sententiam pronunciare non posse.

Alterum, quod in verbis Optati obseruandū monet Caluinianus, est istud. *Religionis nullum esse in terris Iudicem quærendum, quod Papistæ volunt, sed in cælo. Si existimasset Optatus aliquem in terris à Christo constitutum iudicem esse, nunquam certè in cælo quærendum iudicem esse dixisset, sed ad hunc legitimum Ecclesiæ iudicem prouocâsset.* Si Caluinista aduertisset, Optatum hæc non nisi quadam liberali concessione ob morem, genium & conditionem aduersariorum scripsisse; clarè etiam vidisset, caussæ nihil esse, cur lectorem ad hanc obseruationem tam sollicitè inuitaret: quin & hac tertia admonitiuncula abstinuisset. Ex mente Optati; *non opus esse, diuinam aliquam vocem aut responsum è cælis ipsis elicere, sed scripturas consulendas esse, atq; in Euangelio quærendam & ex Euangelio petendam esse certam controuersiæ definitionem. Tum enim habere nos ait cælestem iudicem, cum scriptura iudicat.* Nam & hoc non simpliciter pronunciauit, sed cum respectu ad Donatistarum animos ac mores; qui, vt hodierni Nouatores omnium huius vitæ iudicum sententias aspernabantur; nam nullos reperire poterant, qui secundum factionem Donatisticam definire, litemque decidere vellent.

Lubet adscribere ea, quæ verbis à VVitackero citatis subiungit Optatus. *Quia hoc loco rectè possunt terrena cælestibus comparari: tale est, quod quiuis hominum habens numerosos filios. His quamdiu Pater præsens est, ipse imperat singulis: non est adhuc necessarium testamentum: Sic & Christus quamdiu præsens in terris fuit (quamuis nec modò desit) pro tempore, quicquid necessarium erat, Apostolis imperauit. Sed quomodo terrenus Pater, cum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas: Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum: Et qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur viuus. Cuius est testamentum, in cælo est, ergo voluntas eius, velut in testamento, sic in Euangelio inquiratur,* &c. Præclarè hæc Optatus.

A At si controuersia vel de ipso testamento, vel de sensu testamenti exsistat; vnde controuersiæ definitio & decisio petenda erit? Num ex ipso testamento? At si ne accuratissimè quidem inspecto & expenso testamento, contentio sedari queat? An non ad alium iudicem eundum erit?

Obiicit VVitackerus D. Ambrosium, qui in orat. contra Auxentium, *auditores suos iudices facit controuersiæ & disceptationis inter se & Arianum illum Auxentium.* Quam hinc exscalpit VVitackerus consecutionem? Num istam? *Ergo populus est ordinarius & ex officio, omnium controuersiarum fidei iudex.* Quæso; num arbiter est iudex Ordinarius?

B Adest etiam Theophylactus, qui in cap. 10. Ioan. ait, *Scripturas nobis non nisi à Spiritu sancto aperiri; ideoq; scripturarum ianitorem esse Spiritum sanctum.* Neque hoc nos latet. Sed addimus: Spiritum sanctum id munus obire non *immediatè* per se; sed per doctores Ecclesiæ; præsertim per supremum controuersiarum iudicem, qui est Papa vel solus, vel cum Concilio.

Quod Caietanus præfatione in Pentateuchum asseruit, *scripturæ expositionem non esse alligatam à Deo ad sensum Patrum*; id nihil ad rem facit: quia nos hic disputamus de iudice, qui semper in Ecclesia præsens est; cuius auctoritatem nunquam vel exiguo verbulo Caietanus in dubium vocauit; vt patet cum aliunde, tum ex libro eius de
C auctoritate Papæ & Concilij: Nam quod de Patribus scripsit; iam non immerito in plurium reprehensionem incurrit; & exemplo suo docuit, quam procliuè sit in grauissimos errores incidere; si quis semitam sanctorum Patrum vestigiis tritam derelinquat. Hactenus contra VVitackerum.

Breuis animaduersio in censuram generalem, quam libro tertio Bellarmini Danæus subiunxit.

D QVATVOR generatim vitia obiicit Danæus libro tertio. I. *Malam mentem & veteratoriam, seu astutiam.* II. *Methodi neglectum.* III. *Falsitatem, seu ψεῦδος.* IV. *Absurditatem seu contradictionem.* Vbi iure Danæo recinas: Vitia, quæ de tertio libro prædicas, ea tibi sunt: nisi fortè astutia excipi debet; qua si Danæus valeret; tam splendida & luculenta mendacia nunquam, opinor, effutiisset. Cuius enim stuporis est, eas pseudologias effundere, quæ vel cæco apertæ sint ac manifestæ? vt facit Danæus in notis ad singula capita. Vix tria verba profari nouit, quæ non contineant quatuor vel quinque mendacia.

Digitized by Google

Quale commentum, quod hic blaterat. *Bellarminum, libro huius operis primo, docuisse, incertum planè esse, qui nam sint sacræ scripturæ veri & germani libri*: cum Bellarminus toto primò nil aliud agat, quàm vt perspicuè numerum librorum verè Canonicorum demonstret ac stabiliat.

Quale mendacium, quod rursus hic garrit, Bellarminum cap. tertio huius libri tradere, *totam sanctæ scripturæ certitudinem, veritatem & auctoritatem ex Romani Pontificis vel solius, vel cum suis Episcopis asseclis iudicantis decreto prorsus pendere.*

Quale mendacium; *Bellarmino docente etiam diuinæ doctrinæ auctoritatem ex hominum voluntate & arbitratu pendere.*

Quale mendacium, Bellarmini asseueratione, *Dei Optimi Maximi maiestatem hominum imperio cadere, stare & subiici.*

Qualia mendacia eructat, cum Bellarminum, etsi immerentissimum, mendaciorum & contradictionum accusat. Ausim dicere, non pauciora numero esse; quam sint periodi orationis Danæanæ; inter quæ merito suo palmam obtinet illud; *negari à Bellarmino; Samuelem sacrificasse.* Cui nisi Diabolo tantum sit præfidentiæ & impudentiæ vt tam perfrictè pseudologias publicis scriptis per vniuersum orbem spargat? Itaque, vt initio dicebam, astutiam Danæo

A tribuere nequeo; nimis incogitans & incircumspectus fuit, cum hæc talia chartis illeuit.

Malam mentem & veteratoriam vel essentialiter ei competere aio. Nullum vsquam vllius candoris & ingenuitatis apparet vestigium: nullum verecundæ frontis indicium. Omnia mali corui pessimum ouum, & ex ouo exclusum nefarium pullum referunt. Quidquid in buccam venit, id euomit, absque ordine & methodo. Quam enim methodum Sycophanta teneret? Cuius Sycophantiæ en vnum ex multis millibus, luculentissimum specimen: *Bellarminum ne per insomnium quidem vnquam vidisse, quæ sit vera, propria, & immutabilis nota & regula, ex qua sacra*
B *scriptura verè agnosci possit, & illius verus sensus diiudicari.* O non mendacium, sed mendacij immane & informe monstrum. Sed iam Danæum missum faciamus, & defensioni tertij libri finem imponamus. More tamen nostro appendices contra minutiores & *patellarios* Prædicantes attexamus, auctarij loco.

APPENDIX PRIMA
AD TERTIVM LIBRVM ILLVSTRISSIMI CARDINALIS BELLARMINI, CONTRA RVLLVM BASILEENSEM ET PAREVM HEIDELBERGENSEM
CALVINI SECTATORES.

EDIDIT Rullus copiosam & verbosam disputationem *de iudice veri sensus Scripturæ & controuersiarum religionis*, acie argumẽtorum aduersus Bellarminum præcipuè directa. Disputauit nuper quoque Heidelbergensis Pareus, *de sacrarum Scripturarum vsu iudiciali definitiuo*; siue *de supremo Controuersiarum Theologicarum iudice*. Vtramque disputationem breuiter sub examen vocare lubet: id enim ratio instituti nostri à nobis exposcit; quando semel Bellarmini libros tueri ingresi sumus.

Placet inprimis Iudicis notatio, quam Pareus Thesi 1. adfert. *Iudex quasi Iuris index, seu Ius dicens*; vt vel à Caluinista Alchymisticus Bauius *Iudicis* Etymologiam discat, quam à Iuris ciuilis & Pontificij interpretibus discere noluit; de cuius circa hanc rem fatuitate & insulsitate satis superque in iterato Antimonio dixi.

Rullus, omissa notatione, notionem & conceptum Iudicis Thesi 1. assignat his verbis. *Iudicem intelligimus, non qui iudicet de scriptura, sed qui de vero sensu scripturæ & controuersiis Ecclesiasticis iudicet secundum scripturam.* Si iudex non iudicat de ipsa scriptura, quęso, quis iudex erit; quando epistola S. Iacobi, verbi gratia, vel illa ad Hebræos in dubium vocatur? An non vos inter & Lutheranos de his & aliis noui Testamenti libris controuertitur? Controuersia hæc est de ipsa scriptura: & per consequens, est controuersia Ecclesiastica. Desiderat ergo iudicem; omnis enim controuersia eget iudice. Quis ille, si hoc controuersiarum Ecclesiasticarum communi iudici nõ competit? Aequè profectò de ipsa scriptura, ac de sensu veroque intellectu controuerti potest, vt omnium ætatum experientiâ constat. Cur ergo lis de ipsa scriptura non æquè ad Iudicis Ecclesiastici tribunal pertineret? Neque est, quod Rullus Patrocinium quærat à Bellamino, qui capite vlt. huius tertij libri in solutione decimi quarti argumenti dicit, Ecclesiam, seu, quod idem est, iudicem controuersiarum Ecclesiasticarum, nõ

A iudicare, verum ne sit an falsum, quod scripturæ docent, sed posito, vt fundamento certissimo, scripturæ verba esse verissima, iudicare, quæ sit vera eorum interpretatio; non est, inquam, quod quidquam opis ab hoc Bellarminiano responso exspectet; quia conuenienter huic responsioni dicendum est; Iudicem Ecclesiasticum non iudicare; vtrum liber iste vel iste sit Canonicus; hoc enim, tanquam fundamentum certissimum ab illo supponi; sed iudicare, penes quam litigantium partem veritas resideat; & penes quam falsitas: verbi gratia, vtrum vos rectè sentiatis, qui epistolam S. Iacobi *Canonicam* esse vultis; An Lutherani; qui olim appellabant *stramineam*, & *spiritus Apostolici exsortem*; nunc, mitigata nonnihil

B conuicij asperitate, vel potius immanitate, dubiam pronunciant. Et quidem si hæc solummodo mens tua esset, quando dicis, iudicem Ecclesiasticũ non iudicare de ipsa scriptura; litem tibi nemo moueret. Sed aliò tendere videris; vt solẽt bilingues; qui ore aliud proferunt; & mente aliò collineant; Et certè absq; iniuria suspicetur quispiam te litem de ipsa Canonica libri alicuius auctoritate Iudicis Ecclesiastici notioni subtrahere; ita vt neque directè, neque indirectè ad hoc forum spectet. Quo nihil est insipientius. Parum autem refert; siue quis Bellarminianum loquendi modum amplectatur; siue simpliciter dicat,

C Iudicem Ecclesiasticum etiam de ipsa scriptura, & quoad Canonicam auctoritatẽ, & quoad sensum iudicare; quia res tandem in eundem sensum recidit; nam ex priore loquendi formula scriptura ipsa, eiusque sensus saltem indirectè & mediatè; ratione litis exortæ; ad istum iudicem spectat. Ex posteriore autem, directè & immediatè.

Neque caret insidiis illa vocula; *secundum scripturam*; quia innuit, iudici nullam aliam in iudicio ferendo regulam debere esse propositam, quàm sacram Scripturam; vt vnicam omnium controuersiarum normam. Quod nobis non tantum hactenus Rullus suarum Thesium *syllogis*, vel, si mauis, *rhapsodiis*, non persuasit, sed neque

vllus alius Prædicans, quantumuis prolixissimis commentariis instructus, vnquam persuadebit. Non negamus ex scripturæ præscripto iudicium instituendum esse; ita vt cum scriptura concordet, & ne minimo quidem punctulo discordet: Sed ex huius solius legibus iudicium peragi debere, id verò inficiamur. Videtur autem mihi plusquam mirum, Nouatores, quando de iudice disputant, aut nunquam aut non nisi obiter & leuiter monere lectores suos; cuius fori iudicem quærant. Non enim quærimus iudicem in foro alterius vitæ; sed in foro huius vitæ. Non in triumphantis; sed in hoc militantis Ecclesiæ statu. Quod sedulò obseruandum & imo corde reponendum est, propter Prędicantium strophas; qui quando se suumque, quem statuunt iudicem, argumentis nimium premi animaduertunt, ad futurum sæculum transfugiunt, hicque iudicium inchoari; in altera vita consummari pleneque perfici fabulantur: vt fecerunt etiam in Colloquio Ratisbonensi: Quæritur enim & indagatur iudex, qui vltimam & supremam sententiam in hac vita pronunciet; vltimam, inquam, & supremam in hac vita; & huius vitæ foro: quique ita sententiã dicat; vt ea partibus litigantibus euidẽter in hac vita patefiat: quia in hac vita lites terminari, decidi, ac definiri debent: Debet ergo in hac vita iudicis sententia partibus perspicuè innotescere; quia nisi euidenter innotescat; nemo tenetur à lite desistere. Et plane iudicis notioni, officio & functioni ex diametro aduersatur; vt sententiam, quando aditur, non ita tandem pronunciet, vt partes euidenter sciant, quid ex sententia huius iudicis vel obtinuerint vel amiserint. Hæc & alia huius generis, quæ iudicis officium intimè quasi constituunt, vel saltem inseparabiliter comitantur, Prædicantes de iudice controuersiarum disputare ingressi, strenuè dissimulant; altoque silentio premunt.

Progrediamur. Vterque Caluinista diuidit Iudicem in *summum & inferiorem*: Et hic Rullus gradum sistit; neq; huius diuisionis membra in alia porrò diuidit. Secus Pareus, *cuius summus Iudex, vel est diuinus vel humanus. Humanus, vel ordinarius, vel extraordinarius Inferior, vel delegatus vel subdelegatus, utq; vel Ecclesiasticus vel ciuilis. Rursus, vel publicus vel priuatus. Quæ diuisio, vt nona est,* inquit Clarissimus vir Godefridus à Driell in Antipericope disputationis tertiæ Pareanæ; *ita prorsus vitiosa. Sub summo, ordinarium, & extraordinarium, vt illius species collocas: sub Inferiore verò, Delegatum duntaxat, & subdelegatum quasi hi tantùm Inferiorum: Ordinarij verò, & Extraordinarij omnes, sint summorum numero: quod falsissimum; vt patet in suo Principe Electore Palatino, qui ordinarius est, nec tamen summus. De Extraordinario, quòd nunquam, quà talis, sit summus, conuincunt hæc tua verba. Inferior est omnis delegatus. Vnde talem formo syllogismum in Barbara;*

Omnis Delegatus est Inferior.
Omnis Extraordinarius est Delegatus:

A *Igitur omnis Extraordinarius est Inferior, &c. Maior, vt dixi, est tua. Minor nostri Iuris, quo Extraordinarius, & Delegatus æquiparantur, nec immeritò. Vterque enim extra ordinem alienam iurisdictionem, alieno iure, & beneficio, intra certos mandati limites exercent.*

Finis tandem tuam diuisionem in Priuato iudice, qui simul sit supremi iudicis (vt explicas thesi 19) Delegatus, qualem dari, implicat, cùm talis Delegatus, sit omni alio iudice maior.

Summum iudicem vocamus, inquit Rullus Thesi 3. *cuius suprema sufficiens, ac proinde irrefragabilis est auctoritas; à quo solo sit pendendum, & à quo appellare non liceat, vtpote, qui in sententia dicenda non fallat.* Si verba spectes; nihil est, quod in iis magnopere vel culpes, vel desideres. Bona videntur, & sana, & ex
B sano pectore profecta: & in nostrum iudicem examussim quadrantia.

Audi tamen quartæ Theseos verba, & ex quo corde manarint statim intelliges: *Hunc nullum alium agnoscimus, nisi Spiritum sanctum in scripturis Canonicis nobis loquentem.* Ego tecum, mi Rulle, nullum alium agnoscerem, si Spiritum sanctum loquentem per scripturas iudicis munere fungi conspicerẽ. Si enim est, ordinarius & immediatus ille iudex, quem in hac visibili Ecclesia quærimus & expetimus; agedum adeatis vos Caluinistæ cum Lutheristis hunc iudicem in controuersia de sensu horum verborum. *Hoc est corpus meum*: Adeamus & nos vobiscum, & pro nobis itidem contra vtrosq; sententiam iudiciariam,
C certam, definitiuam, perspicuam, euidentem, postulẽmus. Num ita dabitur, vt quælibet pars euidenter, perspicuè, & absque vlla hæsitatione sciat, quid apud illum iudicem obtinuerit, & quid amiserit? si hoc facit Spiritus sanctus loquens per scripturas, idq; in omni omnino controuersia Ecclesiastica; è vestigio, Iudici meo multam salutem dicam; & hunc, quem vos, licet nolentem, in solium, quod ipsemet respuit, subuehitis, toto pectore amplectar, sequar, & venerabor. Pareus, vt subtilitatem suam nobis probet, valde abstrusa & recondita & à vulgari hominum intelligẽtia abducta mysteria nobis patefacit.

Thesis 6. *In omnibus caussis, vniuersalibus, & parti-*
D *cularibus, diuinis & humanis, absolutè datur index summus diuinus, solus Deus, quia, in Deo solo, omne ius diuinum, & humanum sistitur.* Quis hæc hactenus nesciuit? Quanquam video, ne de his quidem rectè sentire Pareum; nam neque diuinas neque humanas controuersias iudicat Deus in hac vita per se immediatè & ordinariè, sed per suos administros. Neque quisquam in politicis quoque negotiis Deum adit, sed magistratum, qui à Deo; neque quisquam, amissâ caussâ, iudicio Regis sui, vel Iudicis; ad Deum appellat: vt ab illo caussa in hac vita recognoscatur, & accuratius diiudicetur. Et si quis ab Imperatore, vel ab alio quopiam, qui summus sit Iudex, ad Deum appellaret, quid nisi risum referret? Quam fatuum est

quòd

Digitized by Google

quòd Pareus non tantùm ciuiles & forenses lites ad Deum, tanquam ad summum & ordinarium iudicem in hac vita defert; sed & contentiones de Philosophicis dogmatibus & quæstionibus ad tribunal eius ablegat. Nescio profectò, num Philosophi nomen mereretur; qui decisionem controuersiæ alicuius philosophicæ à Deo immediatè, tanquam à summo & ordinario iudice faciendam aut expeteret, aut exspectaret?

In philosophicis dogmatibus aut dissidiis, inquit Thesis 8. Pareana, *nullus datur supremus Iudex humanus ordinarius, ac ne extraordinarius quidem.* Sit ita: quia talis iudex non est necessarius; quod attinet ad quæstiones merè philosophicas, & quæ fidem nullo modo tangunt. *Quanto minus dabitur in diuinis?* Imò, non *quanto minus*, sed quanto magis dabitur in diuinis? Cum enim in controuersiis Theologicis de fide & religione salus nostra vertatur, neque sint de re exigui momenti; nihil per se ad salutem animarum faciente; planè oportet, vt his dirimendis præsit iudex ordinarius, immediatus, visibilis, quique ab omnibus in omni controuersia adiri, & euidenter ac dilucidè audiri & intelligi queat. Quanquam Thesis hæc octaua duplici contradictione Pareana euertitur; vt obseruauit Godefridus à Driell. Nam Thesi 3. dicit Pareus, *legem magis propriè iudicare, quàm iudicem.* Quod si verum; tunc & in philosophicis contentionibus habebimus iudicem: habent enim suas quoque leges philosophi, & summam quidem legem, omnium aliarum legum animã; rectam rationem. Igitur & iudicem ex sententia Parei. Deinde eandem octauam Thesin euertit per contradictionem Thesis 17. vbi demonstrationi officium philosophici iudicis defertur.

Thesis 10. & sequentes prorsus sunt mirificæ: Audi decimam. *Ante legem latam in diuinis summus iudex humanus ordinarius nullus fuit: neque extraordinarius: nisi fortè iudicium tale aliquibus patribus Prophetis extra ordinem videatur tribuendum.* Quæso, vnde hoc compertum Caluinistæ? Ex qua scriptura? quam meritò reposcimus ab istis, qui videri volunt, quasi nihil vnquam sine scriptura asserant. Profectò ne apicem quidem ex vniuersis sacrarum litterarum libris proferre poterit, quo hanc suam thesin firmet ac muniat, & aliquo modo verisimilem efficiat: præsertim si sermo sit de extraordinario iudice; quem contra morem vtriusque Iuris *summum* appellitat; quasi summus Iudex esse posit, qui non sua, sed delegata auctoritate & iurisdictione iudicat. Addit tamen Thesis. *Ante legem latam iudicium tale forsan aliquibus patribus Prophetis extra ordinem tribui debere.* Omnino hoc rationi magis consentaneum est, quàm id, quod prior Theseos pars ponit. At esto, nullus fuerit Iudex summus ante legem latam in *statu naturæ*, vt vocant; neque ordinarius, neque extraordinarius: an ideo postea populo fideli in Ecclesiam, & religiosæ cuiusdam Reipublicæ formam redacto, nullus summus Iudex humanus

A constitui debuit? *Debuit*, ait Thesis 11. *sed extraordinarius, non ordinarius*: nam Moyses, Prophetæ, Apostoli extraordinarij fuêre. Ita doctor iste extraordinarius ex Caluini extraordinaria Theologia somniat & delirat; qui hoc figmentũ commentus est odio ordinariæ successionis; ne si Apostolos summos Iudices humanos profiteretur; mox illa quæstione vrgeretur; vbi nam sint Apostolorum in hoc summo iudicandi munere successores. Prudenter itaque huius quæstionis filum præcidit.

Dic, Caluinista, cur non ordinarij iudices censendi illi, qui semper, tota vita, in omni casu & controuersia, nulla penitus excepta lite Ecclesiastica, iudicarunt? Quæso, qui tandem ordina-
B rij iudices erunt; si isti qui hac potestate pollebant, ordinarij iudices non erant? Nam quod Moyses à Bellarmino vocatur extraordinarius Pontifex, id intelligit ratione successionis, non respectu functionis & ipsius officij iudiciarij; nõ enim Moysi in pontificatu, & summi iudicis munere successum est: vt Aaroni; quare hoc intuitu extraordinarius iudex erat; vt & cæteri Apostoli, prçter Petrum; quia ipsis in plenitudine potestatis à nullo succeditur. Quanquam Apostoli, præter Petrum, non fuêre quidem simpliciter summi Iudices, quia & ipsi, vt oues de grege Christi sub manu & potestate, &, vt sic dicam, solio & tribunali Petri erant.

Cur Pareus tam sollicitè Apostolos in extra-
C ordinariorum iudicum classem coniiciat; clarum planumque facit hæc Thesis 12. *Post tempora Apostolorum hodie summus fidei iudex humanus nullus datur; neque ordinarius, neque extraordinarius.* Huc nimirum tota Caluinistæ stropha prioribus Thesibus texta destinabatur; vt scilicet Ecclesiam post Apostolica tempora, omni prorsus humano iudice & iudicio supremo spoliaret. Absit, clamat Caluinista Thesi 13. *vt summum fidei tribunal Prælatis Ecclesiæ, soliis, vel congregatis, vel Pontifici, aut curiæ Romanæ concedamus.* Huius suæ volũtatis graues proculdubio caussas habet Pareus; ex quibus omnium grauissimam & efficacissimam enumerat Thesis 14. *quia Pontifex & Episcopi in Cõcilio congregati, ne possunt quidem in omni controuersia supremi iudicis*
D *officio fungi: nominatim namq; de hac iudicium ferre nequeunt; num ipsis supremum iudicium competat; quia sunt pars; pars autem non potest esse iudex.* Sed hoc friuolum prorsus & puerile argumentum supra ad caput septimum Bellarmini copiosè profligauimus, ex ipso etiam Iure, & praxi forensi. Nec aduertit Pareus suum quoque iudicem hac Thesi euerti: Nam quomodo scriptura erit iudex, cum sit pars? cum de ea eiusque sensu contendatur: cum hoc ipsum vocetur in dubium, an ei supremum iudicium competat?

Neque tamen, inquit Caluinista, *Ecclesia hodie est ἄκριτος; nec datur fidei ἀκαταληψία; aut litium Theologicarum ἀπορία, vt illi quiritantur. Habet enim Ecclesia iudicem supremum diuinum: habet & inferiores huma-*

A *nos, qui lites componant.* Verba rerum inania audio. Nam Deum, seu Spiritum sanctum loquentem per scripturas, seu ipsas scripturas non esse controuersiarum fidei iudicem, quem in hac vita quærimus, antea & alibi non rarò ex ipsa functione, & munere Iudicis ordinarij demonstratum est.

Videamus tamen, quibus argumentis Rullus Caluinisticam sententiam nobis persuadere instituàt; Nam Pareus nihil probat, sed tantùm asserit. Pugnat Rullus duplicibus argumentis; alteris ex scriptura, alteris ex ratione. Nos in formam redigemus; vt eorum robur manifestius euadat.

Act. 15. scriptum est; post decisionem controuersiæ de obseruatione legis: *Visum est Spiritui sancto & nobis ergo Spiritus sanctus loquens per scripturas est supremus controuersiarum iudex.* B Probatur consequẽtia. *Quia sententiam illam iudiciariam de legalibus scriptam cap. 15 Actuum protulit sanctus Spiritus euidenter & perspicuè per scripturas tanquam per vocem suam, & loquendi organum. Et quamuis sententia illa tunc, cum prolata est, nusquam in scriptura reperiretur; sed ore, calamo, & stylo Apostolorum & Ecclesiæ in illo Concilio congregatæ pronunciata sit; pronunciata tamen est per scripturam: licet in tota scriptura non reperiretur; sed Apostolorum & sanctæ illius synodi ore dictata esset.*

Ex quo rursus ineluctabile argumentum conficitur. *Quam sententiam Spiritus sanctus, euidenter & clarè, ita vt omnibus perspicuè liqueret, tantummodo protulit, per os Apostolorum & Apostolicæ illius synodi, illam* C *sententiam protulit per scripturam, licet nusquam in scriptura esset; At Spiritus sanctus euidenter protulit sententiam iudiciariam de legalibus tantùm per os Apostolorum & Apostolicæ illius synodi; ergo Spiritus sanctus protulit sententiam illam per scripturam; & per consequens Spiritus sanctus loquens per scripturas est controuersiarum Iudex.* An non egregiè & validè conclusum est?

Adiicit Rullus hoc argumentum, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. *Quem ipsimet Apostoli summum iudicem controuersiarum religionis agnouerunt, eundem & nos agnoscere debemus: Atqui Spiritum sanctum in scripturis loquentem ipsimet sancti Apostoli summum iudicem controuersiarum religionis agnouerunt: ergo eundem & nos agnoscere debemus.* Respondeo, Minorem esse falsam, vbi enim vel in isto ca- D pite 15. vel alibi docent Apostoli, Spiritum sanctum loquentem per scripturas esse controuersiarum iudicem? *At, inquiunt, visum est Spiritui sancto & nobis.* Num Spiritui sancto loquenti per scripturas? An non Spiritui sancto loquenti per illam synodum? Nam Spiritus sanctus iudex fuit in illo Concilio, vt loquebatur per illos, qui definitiuam sententiam clarè, perspicuè & euidenter protulerunt, & decretum ediderunt, editumque Ecclesiæ obseruandum proposuerunt: ergo non fuit Spiritus sanctus in illo Concilio Iudex, vt loquebatur per scripturam: vbi enim per scripturam decretum illud locutus est sanctus Spiritus, antequam à S. Luca in literas referretur?

Nemo negat Spiritum sanctum esse supremum controuersiarum Iudicem; sed loquentem per Pontificem; seu per generalia Concilia à Pontifice approbata: non loquentem per scripturas: Et hoc ipsum significamus, quando Pontificem aut Synodum Oecumenicam supremum iudicem controuersiarum esse affirmamus: Neque enim Pontificem præcisè vt homo est, neq; Synodum præcisè, vt est congregatio hominum, nominamus controuersiarum iudicem; sed vt tam ille, quàm hæc certò & infallibiliter à Spiritu sancto regitur, gubernatur, inque omnem veritatem deducitur. *At Apostoli consuluerunt in isto Concilio scripturam.* Num vt iudicem? An non vt normam?

Non displicet tamen, quod notat Rullus, Patres illius Concilij, cum dicunt, *visum est Spiritui sancto & nobis; non statuere duplicem auctoritatem vel potestatem iudicandi, sed vnam:* Verè enim vna est diuinitus inspirata; à Spiritu sancto, vt à primo fonte; & ab homine, tanquam à Ministro & instrumento profecta. Neque vnquam Pontifex aut Synodus arrogat sibi vel vsurpat iudicandi potestatem aliam, nisi quam à Spiritu sancto habet, qui simul cum illis & per illos iudicat, definit, decernit.

Secundum Rulli argumentum Thesi 7. *Qui in omnem veritatem introducit, is etiam summus iudex est controuersiarum Ecclesiasticarum: At Spiritus sanctus in omnem veritatem introducit: ergo, &c.* Respondeo, totum argumentum concedi posse. Neque enim nos simpliciter negamus, Spiritum sanctum esse supremum omnium controuersiarum iudicem: sed quid post primam inclusionem infers? *ergo Spiritus sanctus loquens per scripturam, & vt loquitur per scripturam, est iudex omnium controuersiarum:* Hanc postremam illationem abnuimus; neq; vllo modo ex antegressis *præmissis* rectè ac legitimè colligitur: Nam Spiritus sanctus in omnem veritatem inducens non est iudex omnium controuersiarum, vt per scripturam loquitur; sed vt per Ecclesiam eiusque caput loquitur.

Si quis argumentum ita instituat: *Qui in omnem veritatem introducit; is est iudex controuersiarum omni illo modo, quo in omnem veritatem introducit:* tum propositio falsa est. Quanquam & hæc Assumptio falsa erit; *sed per scripturam inducit in omnem veritatem:* si intelligatur de immediata introductione, cum non omnia fidei dogmata & capita immediatè & explicitè in scriptura comprehendantur.

Tertium argumentum 1. Cor. 2. *Ea quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Ibid. *Quæ etiam loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus. Ergo, Spiritus sanctus loquens per scripturas est controuersiarum Iudex.* Negatur consequentia; in cuius locum substitue hanc probam & probatam. *Ergo Spiritus sanctus loquens per Ecclesiam & caput Ecclesiæ, est iudex omnium controuersiarum:*

Digitized by Google

rum: Sed hoc nihil est aliud, quàm ipsam Ecclesiam caputque Ecclesię esse controuersiarum iudicem.

Quartum argumentum. *Qui est auctor sacræ Scripturæ, & religionis, is etiam summus est iudex controuersiarum de sensu scripturæ, & religione. Atqui Spiritus sanctus auctor est scripturæ, & religionis. Ergo ipse etiam summus est iudex controuersiarum de sensu scripturæ, & religione.* Concedo totum. Sed non probatur, quod probandum erat; nempe Spiritum sanctum loquentem per scripturas esse controuersiarum iudicem. Quod solum inficiamur: non enim abnuimus, Spiritum sanctum supremum controuersiarum iudicem esse; vt per Ecclesiam eiusq; caput loquitur.

Clamat Prædicans. *Vnusquisq; est optimus interpres suorum verborum. Hoc natura requirit, hoc æquitas suadet. &c.* Libenter fatemur Spiritum sanctum per Ecclesiam eiusque caput certò & infallibiliter, clarè, perspicuè & euidenter sua verba interpretari. Quod præcipuè necessarium est in controuersiis de vero & genuino sacræ Scripturæ sensu.

Ait Prædicans: *Sicut de legis sensu. & controuersiis superior, atq; melior iudex esse non potest, quàm ipse legislator: ita pari ratione sensus scripturæ, & religionis iudex sublimior, competentiorq; esse nequit, quam ipsemet scripturæ, & religionis auctor.* Loquens nimirum per Ecclesiam, eiusq; supremum pastorem. Non inuitus totum hoc tibi largior; quem miror, tam incircumspectum esse, vt vix videas, quid probandum susceperis: hoc videlicet, Spiritum sanctum loquentem per scripturas esse omnium controuersiarum iudicem: Huic tuæ assertioni si vulgare illud dictum huc in modum accommodes: *Vnusquisque est optimus verborum suorum interpres; ergo etiam Spiritus sanctus, loquens per scripturas est optimus, hoc est, clarissimus & ab omnibus euidenter audiri & intelligi solitus interpres:* Negatur consequentia, quia experientia cõtrarium testatur. Et absurdum est, illa ipsa verba, vel similia, de quorum sensu litigatur & contenditur, pro face quasi & lampade sui ipsius vel similium adducere. Neq; legislator per ipsam suam legẽ dubiam optimus Interpres est suæ legis, sed per explicationem viua voce superadditam, si adhuc superstit; alias nascentur infinitæ lites; alio hunc; alio alium ex verbis legis sensum eliciente; suumq; cæteris omnibus anteponente. In quo præstat noster legislator legislatoribus humanis. Quia noster semper durat, semper viuit, & quamuis per se immediatè non explanet sensum legis; explanat tamen interuentu ministerij humani, explanatque certò & infallibiliter.

Quintum argumentum: *Ille solus est summus iudex de sensu scripturæ, & religione, à quo minimè falli posse, certò nobis constat. At à Spiritu sancto minimè falli nos posse, certò nobis constat. ergo.* Respondeo, Maiorem esse falsam. Quia ista non est specialis defi-

A nitio & conditio summi iudicis, sed ratio quædam generalis: etiam iis competens, quibus supremum de controuersiis iudicium non competit. Itaque conditionem istam restringere oportet, vt ex generali specialis euadat, hunc in modum: *Ille solus est summus Iudex, de sensu scripturæ & religione, à quo minimè falli nos posse certò nobis constat; cuiusq; sententia, vbi prolata est, vtriq; parti litigantium euidenter innotescit.* Esto Maior. Ad Minorem. *At à Spiritu sancto loquente per Ecclesiam eiusque caput, minimè falli nos posse certò nobis constat; eiusq; sententia per Ecclesiam & summum eius præsulem pronunciata litigantibus euidenter vtrinque innotescit* Concedo Minorem: Quid inde concluditur? *Ergo Spiritus sanctus loquens per Ecclesiam eiusq; caput est summus controuersiarum Iudex.* In qua conclusione nihil est, quod non recipiendum existimemus. Quod si quis Maiorem ita generatim, prout à Rullo ponitur, vsurpare vellet; quiduis propemodum probare posset: vt oculum, verbi gratia, esse controuersiarum fidei iudicem; vel alium quencunque, qui mihi affirmat duo, verbi gratia, esse paria & tria imparia. *Nam ille est controuersiarum iudex de sensu scripturæ & religione, à quo minimè falli me posse certò scio.* Sed oculus est à quo certò scio me minimè falli; quando debitis circumstantiis positis murum candidum intuens, candorem animo repræsentat; Item, *Ille, qui affirmat duo esse paria, & tria imparia, talis est, à quo, in hac assertione minimè falli me certò scio, ergo oculus vel qui tale quid affirmat,* C *est iudex controuersiarum de sensu scripturæ & religione.* Argumentum Rulli ne pilo quidem melius est, quàm hoc quod iam pro absurditatis ostendendæ exemplo proposui.

Declarat Thesi vndecima Rullus, quid per iudicium intelligat; *publicum* videlicet. Non improbo. Quod mox adiungit, *hoc publicum iudicium non esse nisi in scripturis*, probare nequeo; perinde est, ac si diceret; publicum iudicium ciuile seu in politicis negotiis, non esse nisi in legibus politicis. Iudicium, quod à Iudice pronunciatur, subiectiuè est in iudice. In voce seu scripto, quando sententia scripto profertur, vt in signo.

D Sed en nouum argumentum. *Tota scriptura est diuinitus inspirata: ergo scriptura iudicat quod sit diuini spiritus de religione iudicium. Ergo, quid verum iudicet in tota religione Spiritus sanctus, id in scriptura docet.* Respondeo negando posteriorem consequentiam: quanquam prior quoque falsa foret, si adderetur: *de tota religione:* quia nõ omnia dogmata fidei sunt in scriptura expresse, scriptura ergo non iudicat, quod nam sit de tota religione spiritus diuini iudicium. Sed his omissis, dico argumentum Rulli esse simile huic. *Ius ciuile indicat, quod nam sit Imperatoris iudicium de iure & æquitate; ergo quid verum iudicet in toto iure totáque iustitiæ latitudine, id in iure ciuili Imperator docet; ergo solum ius ciuile, seu Imperator solus, loquens per ius ciuile, est omnium*

controuersiarum ciuilium supremus iudex: ergo non datur alius iudex supremus, omni tempore præsens, qui semper adiri, & ab omnibus audiri possit. Vt ergo Imperator per leges ciuiles, non tanquam per vocem iudiciariam; sed tanquam per iudicis normam & regulam, suam nobis sententiam de iure manifestat; ita & Spiritus sanctus per scripturam, tanquam per iudicis normam, non vt per vocem & sententiam iudiciariam, quid de religione iudicet nobis patefacit. Nam vox Spiritus sancti, vt propriè dictus iudex est, non est *vox scripturæ*; sed *vox Ecclesiæ*; qua vtrique parti Spiritus sancti mens & voluntas certò & infallibiliter aperitur.

Sacræ litteræ, inquit Rullus, *possunt hominem sapientem reddere ad salutem:* Quid inde? *Ergo sacræ litteræ sunt omnium controuersiarum Iudex.* Egregiè. Dicamus nos. Ius ciuile potest hominem sapientem reddere ad controuersias politicas diiudicandas: ergo ius ciuile est omnium controuersiarum ciuilium iudex.

Audi & aliud argumentum. *Iubemur audire Prophetas & Apostolos: Beroeenses scrutabantur scripturas; & inde Spiritus sancti iudicium exquirebant: ergo scriptura est omnium controuersiarum iudex.* Similiter ac si Rullus ita deliret: Iurisconsultus iubetur audire Iustinianum, & alios legislatores; & studiosi Iuris exquirunt sententiam Imperatorum & legislatorum ex ipsis legibus; ergo leges, non Imperator, qui iam sceptra tenet, est supremus controuersiarum iudex. Acutè; quia *iudicium*, pro sensu & sententia legis, quam scrutatur & inuestigat, qui legi intelligendæ incumbit; & *iudicium*, prout sententiam iudiciariam à iudice ex officio & cum auctoritate pronunciatam significat, synonyma sunt in schola Rulli: qui necdum didicit, *iudicium*, hoc est, sensum & mentem de cælestibus exquiri ex scriptura, tanquam ex norma & regula; non vt ex iudice; quia iudex ita sententiam proferre debet, vt pars vtraque euidenter eam intelligat; quod hic non fit, vt iam sexcenties dictum.

Adiungit Rullus, *Errant, qui extra scripturam de religione statuunt* Respondeo, si ita extra statuant, vt simul etiam statuant *contrà*: non grauatè assentior. Sed si ita extrà statuant, vt simul scripturæ sit consentaneum, licet in ea non comprehendatur immediatè & explicitè; sic nego in errorem labi illum, qui aliquid extra scripturam statuit.

Illud Marci 12. vers. 24. *Nonne ideo erratis, nescientes scripturas, &c.* seu, vt Rullus citat; *quod non sciatis scripturas, &c.* nihil ad rem facit: Graui enim & scripturis prorsus aduerso errore tenebantur Sadducæi circa corporum resurrectionem, vt patet ex prædicto diui Marci loco. Quis abnuit ignorantiam scripturæ esse caussam errorum? An ideo scriptura est controuersiarum iudex? Ait Rullus: *non aliunde, nisi ex scripturis quisquam ad-*

A *duci potest, vt rectè credat & viuat.* Quid infers? *Ergo scriptura est omnium controuersiarum iudex.* Doctissima consequentia, præsertim quando antecedens etiam falsum est; cum quo tam strictè & aptè cohæret, quàm funiculus ex arena nexus, cum suis iuncturis. Negamus scripturam esse vnicam & adæquatam rectè credendi & viuendi regulam. Nam & non scriptum Dei verbum rectè credendi & viuendi norma est; vt & alia nonnulla; de quibus alibi. Neque conficitur hoc ex illo Lucæ decimosexto. *Si Mosen & Prophetas non audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat, assentientur:* quia nihil aliud indicat; quàm Mosen & Prophetam esse rectè viuendi normam: quod nemo nescit. Vnicam & adæquatam esse; hoc neque dictum illud affirmat; neque insinuat; neque in illo comprælienditur; neque etiam vlla vi argumentatrice inde exsculpitur.

B

Aequè eruditas consequentias annectit Rullus illi diuino testimonio. Ioan. 5. v. 46. 47. *Si crederetis Mosi, crederetis mihi: nam ille de me scripsit. Quod si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* ergo scriptura est omnium controuersiarum iudex. Minus ineptè diceres: *ergo Moses est omnium controuersiarum iudex:* cum Christus eo loco de solo Moyse agat. Neque hæc consequentia subsistit. *Ergo scriptura est vnica credendi & viuendi norma.* Aptiùs, tametsi non sine ineptia, subtexeretur hæc consecutio. *Ergo Moysis scriptura est vnica*
C *rectè viuendi & credendi regula.*

Ad extremum; *iubemur audire quid spiritus in epistolis iussu Christi à Ioanne ad angelos, seu Episcopos Ecclesiarum scriptis dicat: qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis, Apocal. 2. & 3.* Quid hinc elicis? Num hoc? *Ergo scriptura est omnium controuersiarum iudex?* Num istud? *Ergo scriptura est vnica rectè viuendi & credendi norma?* Vtrumque facies non per vllam veræ dialecticæ regulam, sed per illam, qua quodlibet ex quolibet concluditur.

Quid amplius? Vasa colligit Rullus & de summo iudice dicendi finem facit. Ait enim: *Nullum aliud publicum Spiritus sancti iudicium agnoscimus, nisi quod est in scripturis.* Quo fructu nullum aliud
D agnoscitis? Exiguo sanè; vel potius nullo penitus: quod testatur irreconciliabile illud Eucharisticum bellum inter vos & Lutheranos; vtrique non aliud summum iudicium agnoscitis, quàm quod est in scripturis; sed quia verè in scripturis non est, sed in phantasiis vestris, ideo tantum vobis ad caussæ obtentionem momenti iudex iste adfert; quantum nullus; nam qui scripturam pro Iudice propriè dicto omnium controuersiarum habet; is verè nullum propriè dictum iudicem habet. Quanta, bone Deus, stultitia est, *legem & iudicem* confundere, vbi hoc in vlla vnquam Republica vel Schola auditum, nisi in hæretica, in qua eò insipientiæ processum est; vt Pareum hanc thesin effundere non

pudue-

Digitized by Google

puduerit. *Lex magis propriè iudicat, quàm iudex, quia virtus legis est imperare, vetare, permittere, punire: iudex verò est minister legis. L. virtus legis. ff. de legibus.* Eodem iure, parique peritia dicere poterat Pareus: Grammaticæ, Rhetoricæ, Poëticæ & similium Artium leges & præceptiones magis explicare, explanare & interpretari; quam ipsum Professorē his legibus & præceptionibus explicandis, explanandis & interpretandis præfectum. Ad quid ergo opus Magistri & Interpretis opera; si præceptiones seipsas magis explanant? vbi hoc paradoxum vnquam auditum est? Aequè paradoxum est; quod de lege Pareus blaterat; qui non ad scholas, sed ad forum ablegandus videtur, vt discat quis magis iudicet, lex an iudex? quisque magis sententiam pronunciet, lex an iudex? Vel rustici hanc Pareanam fatuitatem redarguant; qui omnes illum magis iudicare censent; à quo sententiam definitiuam exspectant; exspectant autem à iudice, non à lege: Iudex enim clarè & euidenter pronunciat non lex, quis caussam obtinuerit; quisue amiserit. Imperat lex, vetat, punit, permittit. quia vt gnomon & index indicat, quid à iudice imperandum, quid vetandum, quid puniendum, quid permittendum sit.

Aequè Pareanam doctrinam olet, quod Thesi 2. tradit: *Iudicem & verbum iudicii prolatum vel scriptum in iudicio idem valere:* perinde ac si diceret: caussam principalem & instrumentalem idem valere. In qua philosophia? Nam iudex caussa principalis est; sententia; *instrumentalis. Idem est*, inquit Pareus, *à iudice absolui, & sententia seu verbo iudicis absolui:* Similiter ac si dicat, idem est domum ab architecto exstrui; & securi seu ascia & dolabra exstrui. Idem ergo valet architectus, securis & dolabra.

Post summum Iudicem transferunt se Prædicantes ad Iudicem inferiorem: quem duplicem statuunt, *priuatum & publicum.* De priuato sic edicunt. *Iudices inferiores priuati possunt esse singuli fideles, quibus scrutari scripturas, explorare, & iudicare doctrinas, probare spiritus, in scripturis non modò conceditur, sed & præcipitur.* Probant variis scripturæ testimoniis malè intellectis, de quibus suprà fusè ad caput postremum Bellarmini. Neque immorari operæpretium est; Tantum quærere libet ex Pareo, quod nuper in clarissimi viri Godefridi à Driell disputatione de iudiciis Moguntiæ ex te quæsitum est: *Quis hic Actor, quis Reus, si omnes, & singuli iudices? quis hic ordo, vbi omnes sedent, & iudicant? quæ confensio, vbi quot capita, tot iudices, & iudicia? Iterum Paree, si singuli priuati, vt ais, sunt iudices, quales igitur sunt, an ciuiles, an Ecclesiastici? Non ciuiles; quia, te teste, iudicant in diuinis, & in Ecclesia. Ergone Ecclesiastici? Ergon' tua vxor, quam iubet Apostolus tacere in Ecclesia, iudicat in Ecclesia? Ergone sutor tuus iudex Ecclesiasticus? Profectò illi ipsi iudicant, quod malè iudices.*

A De publico iudice sic statuunt. *Publici in Ecclesia iudices esse possunt Doctores, Pastores, Episcopi, Presbyteria, Synodi, seu Concilia, minora, maiora; particularia, vniuersalia: præterita, futura.* Hac doctrinâ suam caussam agunt Prædicantes: quia nisi ipsi seipsos pro iudicibus haberent; quis tandem ex orthodoxis hoc honore illos dignaretur; & ad iudicum subsellia admitteret? Placet tamen, quod ingenuè fatentur; vt vnum vel duos seorsim; ita etiam plurimos in conciliabulo quopiam coniunctim hallucinari, & à verò aberrare posse. Libentissimè huic assertioni assentior; firmiterque mihi persuadeo, omnes siue *collectiuè*, siue *distributiuè*, non nisi errones esse; etiamsi millies clamitent, iudicium à se pronunciatum sacris litteris conformiter pronunciatum fuisse. B Catholica Ecclesia iudices inferiores publicos recipit & veneratur; non opifices, non laicos, non profanos, nullisque ordinibus initiatos; sed Ecclesiasticos, Episcopos, aliosque, qui omnes supremo, eique soli infallibili Iudici subordinantur; & non nisi dependenter ab illo iudicium ferunt.

Hactenus Rullus suam sententiam de Iudice controuersiarum argumentis nullius momenti probare contendit. Nunc euertere nititur illas probationes, quas pro vero controuersiarum iudice Bellarminus adfert. Quamuis autem pleraque iam supra in VVitackero, Savvbrando, Hunnio profligata & protrita sint; C iuuat tamen audire, quid Rullus quoque canat; quandoquidem sua quoque aliquo in pretio habenda existimat; qui pro fundamento suæ disputationis aduersus Bellarminum adducit tam sua, quàm aliorum quorundam in summum Pontificem conuicia & maledicta; quæ Pontificem de sede & solio iudiciali non deiiciunt: Nos paucorum vel recentium, vel antiquiorum calumniis & criminationibus in sedem Apostolicam opponere possumus infinities plura eiusdem sedis encomia & elogia; non à diobolaribus vitilitigatoribus; ne vno quidem teruncio dignis homuncionibus, sed à clarissimis, spectatissimis, probatissimisque, atque D adeo ab vniuersa orthodoxa vetustate profectis; quorum grauitas infinitis modis aliorum leuitati præponderat. Iam ad rem.

Contra primam Bellarmini probationem à Moysis exemplo petitam obiectat Rullus solitas VVitackeri, Savvbrandi, & similium nugas: *Moysen fuisse Prophetam: Papam non esse Prophetam. Deum cum Moyse facie ad faciem, hoc est, familiarissimè locutum. Deum cum Papa non ita loqui. Moysen de omnibus rebus à Deo instrui solitum; Papam nō instrui de omnibus rebus à Deo. Moysen etiam ciuiles caussas iudicasse; Papam non iudicare caussas ciuiles.* Quid hæc omnia ad propositum? Non magis, quam

si quis diceret; *Moyses fuit Iudaus; Papa non est Iudaus. Moyses fuit circumcisus; Papa non est circumcisus. Moyses pauit oues soceri sui in deserto. Papa non pauit oues soceri sui in deserto. Moyses prodigia & signa ingentia patrauit in Ægypto, & coram Pharaone, Papa non fecit talia signa in Ægypto: ergo inepte producitur exemplum Moysis pro confirmanda summa potestate iudiciaria Pontificis.* Quantum valet hoc argumentum; tantum valet & illud alterum Prædicantium. Omnia enim, quæ in eo commemorantur, ab instituto aliena; & vt Prædicantes loqui amant, ἀπροσδιόνυσα sunt; Nullo namque alio fine producitur exemplum Moysis, quàm vt ostendatur, planè fuisse diuinæ prouidentiæ consentaneum, & humano generi necessarium, vt in Ecclesia Christiana supremus Iudex institueretur; quandoquidem Deus in veteri testamento, postquam populus electus in formam Reipublicæ coaluerat; huiusmodi iudicem constituit; ad quem omnes minimæ, maximæ, de religione controuersiæ decidendæ deferrentur. Hæc vis argumenti est. Cætera omnia Prædicantica *parerga*, vel potius effugia & latibula cenosas, eo consilio excogitata, ne tenebricosis Nouatoribus lux veritatis illucescat: quia tenebras magis amant, quàm lucem.

Nænias illas: *Aaronem fuisse summum sacerdotem, non Moysen; aut si hunc, non ergo illum: non enim duos simul fuisse summos sacerdotes* Item, *Moysen fuisse extraordinarium; Papam esse ordinarium; Papam igitur non posse exemplo Moysis defendi; Papam eligi à Cardinalibus, Moysem à Deo constitutum esse*; & huius generis alias iam suprà expediuimus.

Carpit quod Bellarminus dicit, Apostolos non quidem maiores, nec omnino pares, sed tamen aliquo modo æquales Petro fuisse in Ecclesiastica potestate, Cypriano teste in Tractatu de simplicitate Prælatorum: Istud vocat Rullus *ineptum simul & ridiculum; & simile huic: verba Cœnæ; hoc est corpus meum; non esse quidem tropica; neque omnino expertia tropi, sed tamen aliquo modo tropica.* Libenter *Tropista* mutuatur paradigma à tropis: quod tamen Bellarminiano admodum est dissimile; quia verè insulsum & ridiculum est; cum simile Bellarmini vndique sibi concinat. Quid risu dignum in his tribus enunciationibus? I. *Cæteri Apostoli non fuerunt Petro maiores in potestate Ecclesiastica.* II. *Nec tamen fuerunt planè pares Petro.* III. *Nihilominus fuére aliquo modo æquales*: An non sunt similes hisce, quas maioris lucis gratia commemorabo. I. *Reliqui Principes in Imperio non sunt maiores Principibus Electoribus.* II. *Nec tamen sunt planè pares Principibus Electoribus.* III. *Nihilominus aliquo modo æquales sunt.* Quid hic insulsitatis ô Rulle? An non fieri potest, vt quis non sit altero maior; nec sit ei prorsus par; & tamen aliquo respectu & intuitu æqualis? At vt ea-

A dem verba non sint *tropica*; nec omnino *expertia tropi*; *sed aliquo tamen modo Tropica*; id absurdum prorsus & inscitum est; quia ab inscito Rullo prouenit.

Postea verbosissimè & futilissimè probare ingreditur omnes Apostolos fuisse æquales. I. *Quia Christus omnibus simul primatum abrogauit Matth. 18. & 20. & Luc. 22.* Hoc mendacium est, non argumentum.

II. *Nullum Archiapostolum constituit.* Iterum mendacium audio, non probationem. Contrarium euincunt illa: *Tibi dabo claues regni cælorum, &c. Pasce oues meas, &c. Confirma fratres tuos, &c.*

B III. *Omnibus Apostolis claues regni cælorum dedit.* Iterum mendacium profert, non argumentum. Nulli dictum est, quod Petro. *Tibi dabo claues regni cælorum*: hoc est, plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ, & quidem independenter ab vllo alio pastore in hac militante Ecclesia.

IV. *In omnes ex æquo Spiritus sanctus effusus est die Pentecostes. Ergo Petrus non fuit Maior cæteris.* Pulcherrimè; quia hoc argumento Rullus efficiet ne Apostolos quidem fuisse maiores aliis discipulis, super quos Spiritus sanctus die Pentecostes similiter descendit, neque enim supra solos Apostolos descendit.

C *Nec prætereundum* illud: *Christus Dominus ex æquo omnes Apostolos afflauit Ioan. 20. Ergo Petrus non fuit maior: quia plus afflasset Petrum quàm alios, si Petrus cæteris maior fuisset.* Quisquam ne erit, qui Rullo nostro subtilitatis laudem in disputando denegandam esse censeat?

V. *Murus cælestis Ierusalem duodecim fundamenta habere dicitur, in quibus non solum Petri, sed duodecim nomina Apostolorum Agni scripta sunt: ergo Petrus non fuit maior: quia in Apocalypsi scribitur, duodecim illa fundamenta per omnia & in omnibus simpliciter fuisse æqualia; nullum altero fortius & præcellentius.* Si quæras vbi hoc in Apocalypsi scriptum sit; responD debitur; *loco iam allegato.* Si dicas; Te nihil huius reperire; occurrent; *id eo fieri, quod vel oculis vel ocularibus Caluinisticis careas*, à quibus si imparatus non esses, æquè dilucidè ac Rullus hoc eo loci lectitares.

VI. *Paulus nulli tribuit Principatum Ephes 4. v. 11. Ergo Petrus non fuit cæteris maior.*

VII. *Cæteri Apostoli non habuerunt potestatem à Petro, sed immediatè à Christo.* Sit ita. Quid tum? *Ergo Petrus non fuit illis maior.* Acutè & argutè. Pergamus.

VIII. *Paulus in nulla re fuit Petro inferior: Ergo, &c.*

Vnde-

Digitized by Google

Vndenam antecedentis probationem arcesset Rullus? Nam quod addit; *Paulum sinceritate in via Euangelij fuisse superiorem Petro, Galat. 2.* id si de doctrina intelligat, blasphemia est; si de conuersatione; esto, in illo particulari, quin & vnico casu, de quo Galat. 2. Sed conuersatio minus rectè instituta non euertit potestatis principatum.

IX. *Petrus suam potestatem in alios nunquam sibi arrogauit; ergo non fuit præditus summa potestate.* Nego consequentiam: Perinde ac si dicas; Imperator nunquam arrogat sibi summam potestatem in alios Principes, ergo non est præditus summa potestate.

X. *Alij Apostoli non agnouerunt hunc primatum Petri. Ergo, &c.* Respondeo, Antecedens esse Rullanum figmentum. *At Paulus restitit Apostolo Petro Galat. 2.* Quid tum? An ideo maior non fuit? *At Apostolus non restitisset, si Petrus fuisset Maior.* Quasi verò Minor Maiori; præsertim singulari Spiritus sancti impulsu, vt factum in Paulo, resistere non possit? *At Pontifici non licet resistere.* Cur non, si malè ageret? seruatâ tamen in admonitione debita modestia, & obseruantia. *Iacobum Concilio Hierosolymitano & ipsi Petro præsedisse*; figmentum est ex Prædicantium officina, de quo suprà.

XI. *Concilia & Patres nunquam hanc prærogatiuam in Petro agnouerunt: Ergo, &c.* Antecedens ex mendacio & quidem crassi admodum fili contextum est; vt patet ex disput. de Pontifice. Ait: *illud: Non omnino pares*: item illud: *Aliquo modo æquales*, non haberi in Cypriano. Neque dixit Bellarminus hæc esse ipsa D. Cypriani verba; sed sensum D. Cypriani retulit. Nam reliquos Apostolos non fuisse maiores diuo Petro, ex sententia diui Cypriani, per se liquet. Fuisse aliquo modo æquales, nimirum in ratione Apostolatus præcisè, patet ex his sancti Cypriani verbis. *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, &c.* Non fuisse omnino pares testantur hæc verba. *Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur*: At Rullus ferre non valens hunc tantum veritatis splendorem, textum corrigit, & prædicta verba furcillis inde extrudit, tanquam *foris aduentitia & assuta*: cuius sui facti aliam non reddit rationem, nisi quod quidam Codices verbis illis carent, vt & Gratianus 24. quæst. 1. cap. 18. Futilis est hæc ratio, cum in aliis, & quidem antiquissimis & fidissimis calamo exaratis exemplaribus reperiantur, vt notat Pamelius in Scholiis ad librum diui Cypriani *de vnitate Ecclesiæ*; seu vt alij inscribunt, *de Simplicitate Prælatorum*: cuius generis Codicem vidi & ego in Bauarica Bibliotheca, vt monui contra Angli cuiusdam clamores lib. 2. de Iure prohibendi libros malos cap. 7. Nec refert, quod

A non compareant apud Gratianum; quia notum est Gratianum aliquando citationibus quædam addere; aliquando detrahere, iure & libertate collectoris & rhapsodi.

Obiicit Rullus, *ipsummet Bellarminum lib. 1. de Pontifice cap. 9. fateri summam potestatem Ecclesiasticam non solùm Petro; sed & aliis Apostolis datam.* Ita quidem Bellarminus: Cur dissimulat cætera, quæ addit? nempe soli Petro datam cum priuilegio perpetuæ successionis in plenitudine potestatis, in quo primatus potissimùm consistit. Cur dissimulat & illud, quod alij Theologi disertè notant; neque Bellarminus abnuit; datam reliquis Apostolis summam potestatem; & vniuersalem toto terrarum orbe prædicandi facultatem; sed dependenter à Petro? Hæc omnia

B tacitus præterit Nouator; quia ad fraudem concinnandam minus apta erant. Apostolis simpliciter non succedi, nunquam dixit Bellarminus; vtpote non ignarus, Episcopos, quatenus sunt Ecclesiæ Principes & Antistites, interdum *Apostolorum successores* nominari; sed negauit, & rectè, succedi illis in plena illa & vniuersali, qua præditi erant, potestate. Neque vllus veterum Patrum huiusmodi successionem, nisi respectu Petri agnouit.

Considera autem Rulli stuporem. Negat Petrum fuisse ordinarium pastorem. Quæso, scisne quid sit esse *ordinarium*? Verum ex Academiarum

C consuetudine hoc didicisse debebas; vbi Professores in *ordinarios & extraordinarios* diuiduntur, Dic, oro, quis *ordinarius appellatur?* Nonne ille, qui ab Academia delectus & destinatus, stabilem, ratam, firmamque docendi auctoritatem ab eadem accepit; & cathedræ pleno iure gaudet; & tempore, locoque, quibus ordinariè Professores iuuentutem instituunt, donatus est? An non iste *ordinarij* titulum obtinet? An non & sanctus Petrus talis pastor & doctor erat; cui ius pascendi & docendi perpetim, constanter, & absq; vlla temporis, lociue restrictione competeret?

Ait Rullus: *Si Petrus fuisset ordinarius, maior esset cæterorum Apostolorum auctoritas, quàm Petri: quia*

D *omnium extraordinariorum Dei seruorum maior est auctoritas, quàm ordinariorum. Ita enim maior est auctoritas Mosis, quàm Aaronis: maior Samuelis, Natanis, Gadis, Dauidis, Salomonis, Isaiæ, Ezechielis, Danielis, & cæterorum Prophetarum est auctoritas, quàm ordinariorum Pontificum maximorum.* Quàm magnus inscitiæ cumulus sub hac non ita prolixa oratione latitat. Perinde facit, ac si diceret; In Academiis Maiorem esse auctoritatem Professorum extraordinariorum, quàm ordinariorum: Vbi vnquam hoc auditum est? Deinde, quis asseruit Moysem fuisse extraordinarium sacerdotem & iudicem respectu ipsius officij & functionis, etsi respectu successionis talis dici queat?

Digitized by Google

Samuelem, Dauidem, Salomonem, extraordinarios iudices Iſraëlitici populi in ſpiritualibus fuiſſe,ſi Dauid & Salomon huiuſmodi iudicium aliquando exercuerunt; fatemur;ſed negamus Dauidem aut Salomonem auctoritate ordinariis rerum ſpiritualium iudicibus præſtitiſſe.

Quod ad Prophetas illos Nathan, Gad, Iſaiam, Hieremiam,& alios attinet, probandum eſt Rullo, eorum, quoad iudicandi auctoritatem, maiorem fuiſſe poteſtatem, quàm ordinariorũ Pontificum Maximorũ; illud item demonſtrandum erit; fuiſſe, & rectè appellari prophetas iſtos, *extraordinarios Dei ſeruos*: quibus quidquam vnquam in ordinario ſacerdotio immutãdi diuinitus conceſſum fuerit. Neque per Prophetas ſiue ordinariè, ſiue extraordinariè miſſos vnquam reuocauit aut antiquauit Deus ius & prærogatiuas, quibus primitus cathedram Moyſis exornauerat & ſtabiliuerat.

Fusè diſputat Rullus de Hebraico vocabulo *Cohen*, quid ſignificet, vt eludat illud Pſalmi teſtimonium de ſacerdotio Moyſis à Bellarmino adductum; *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius.* Ait, *ſignificare quemuis primarium & honorabili officio fungentem virum*: Num hoc abnuit Bellarminus? An non hoc palam monuit? De ſignificato hoc generali nulla eſt controuerſia. Tota difficultas in eo verſatur, num in prædicto loco ei generalis illa notio ſubiiciatur; an ſpecialis,qua pro ſacerdote accipitur. Nobis hoc poſterius placet; Hæreticis illud prius; de quo contra aduerſarios alibi copiosè diſputauimus.

Notetur mendacium Rulli, cùm ait, teſtimonium Pſalmi *impertinenter* à Bellarmino *allegari. Probandum namque ipſi fuiſſe, Moſen fuiſſe ſummum ſacerdotem, Aarone maiorem & extraordinarium; at in Pſalmo hoc non exſtare.* Rullus mendacem impoſtorem agit, quia de induſtria filum probationis Bellarminianæ peruertit; aliud enim per hoc teſtimonium nec voluit, nec debuit probare,quàm Moyſem fuiſſe propriè dictum ſacerdotem: Reliqua, quæ Rullus attingit, aliunde probanda erant, ſicut etiam aliunde *à Bellarmino probata ſunt*. Et quidem Moyſen, vt Aaronem, fuiſſe ſacerdotem; inde etiam planum euadit, quod beatus Dauid Samuelem à Moyſe & Aarone ſeiungit; *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius; & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius*; haud id facturus; ſi vocabulum Hebræum eo loco pro *viro primario* vſurpaſſet; cum & Samuel *vir primarius* fuerit; ſed quia non erat ſacerdos, ideo ab illis ſegregatus eſt. Rullus ait; Dauidem *ſeiunxiſſe metri cauſſa, cuius elegantia id requirebat*: Scilicet Rullus in metris Dauidicis, quorum ratio, ne doctiſsimis quidem Rabbinis ſatis liquet;perfectè & ad vnguem verſatus eſt; eaque de cauſſa tam confidenter pronunciat, hoc Dauidem feciſſe metri neceſsitate coactum.

A Obiicit Rullus. *Si ideo Samuel non eſſet Cohen; quia Dauid non coniungit eum cum Moſe & Aarone, ſed recenſet inter eos, qui nomen Domini inuocabant, tum ſequitur Moyſen & Aaronem fuiſſe ſeiunctos à Samuele, vt inter inuocatores Dei non ſint cum Samuele cenſendi; ſed conſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens.* Reſpondeo, ſequelam Maioris eſſe falſam. Nihil minus ſequitur; quia beatus Dauid apertiſsimè coniungit Moyſen & Aaronem cum Samuele, quatenus inuocator Dei erat; nam prior verſus: *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius; Et Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius*: copulatur ſenſu cum ſequenti: *Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos*; Quinam inuocabant Dominum? Paulò antè nominati. *Moyſes, Aa-* B *ron, Samuel.* Quomodo ergo excluduntur Moyſes & Aaron ab inuocatoribus diuini nominis, licet Samuel excludatur à ſacerdotio? Certè non magis excluduntur; quàm excluderem hac mea oratione Gregorium XIII. & Clementem VIII. ſi dicerem: *Gregorius & Clemens in ſacerdotibus eius; Et Philippus II. Rex Hiſpaniæ inter eos, qui inuocant nomen eius; Inuocabant Dominum, &c.* Regem excluderẽ à ſacerdotio; non autem Pontifices à diuini nominis inuocatoribus: nam illud: *inter eos, qui inuocant nomen eius*; non prædicatur ſeu affirmatur de ſolo Samuele, ſed etiam de duobus antecedentibus Moyſe & Aarone: quemadmodum in hac enunciatione: *Homo inter animalia ratione prædita; & canis ſeu Elephas in-* C *ter animalia rationis expertia, maximè ſagax eſt*: hominem à prædicato, quod eſt: *maximè ſagax*, minimè excludo, licet canis ſeu Elephas excludatur ab animalibus ratione præditis. Quod ſi *Cohen* eo loco propriè pro ſacerdote non acciperetur; facillimum fuiſſet dicere; Moyſes, Aaron, Samuel *Cohenim*, hoc eſt, viri primarij *inter eos, qui inuocant nomen Domini: Inuocabant eum*, &c. Nunc cum *Cohen* ponatur ibi pro ſacerdote propriè dicto; ſeiungendus fuit Samuel; qui ſacerdos propriè dictus non fuit; ſicut ſi de tribus, quorum duo ſacerdotes eſſent; tertius laicus, hanc orationem formarem: *Petrus & Paulus in ſacerdotibus ſeu ſacerdotes Dei; & Ioannes inter eos; qui inuocant nomen eius.* Ioannem à ſacer- D dotio palam excluderem; non autem Petrum & Paulum à diuini nominis inuocatoribus ſepararem.

Probat Bellarminus Moyſen fuiſſe ſacerdotem, quia ſacerdotalia munia obiit; Exod. 28. & 29. Reſpondet Rullus, *id Moyſen, iuſſu Dei, extraordinariè feciſſe.* Hæc reſponſio eſt extraordinaria; nam omnes ſyllabæ cap. 29. 30. & 40. clamant Moyſen, iuſſu quidem Dei, munera ſacerdotalia ante conſecrationem, & in ipſa fratris ſui Aaronis, & filiorum inaugurationе obiiſſe; attamen ex *officio*; neque enim Deus, tanquam *extraordinarium*, ſed vt ordinarium populi illius principem & rectorem, ad actiones il-

las

las exercendas misit. Quis sibi persuadeat, in tota illa & tanta populi Israëlitici multitudine nullum fuisse sacerdotem propriè dictum? Quis fuit, si Moyses non fuit? Vanissima est autem hęc, quam hic Rullus insinuat, consequentia. *Moyses fecit hoc iussu Dei; ergo extraordinariè, non ex officio.* Ex hoc sequeretur, ne Aaronem quidem fuisse ordinarium sacerdotem, quia sacerdotalia munera, quæ obiuit, non nisi mandato Dei obiuit.

Quàm futile & inane illud, quod Rullus annectit. *Si Moyses dicendus est summus sacerdos quia sacrificauit, ipsumq́; Aaronem, & filios eius sacerdotio inaugurauit, sequitur illum etiam dicendum esse summum fabrum, summum artificem, aut summum Phrygionem: quia Beseleedum, & Ooliabum summos fabros, artifices, & phrygiones docuit, quomodo tabernaculum Dei, omnisq́; illius supellex, & apparatus erat conficiendus, & construendus ex forma, & ad exemplar, quod ipse Moses in monte Sinai viderat, à Deo sibi monstratum.* Respondeo sequelam Maioris esse *Rusticam*; hoc est, friuolam, & ne cassa quidem nuce dignam; quia ipse suis manibus fabrilia illa opera non exercuit; sed artificibus, quomodo exercenda essent, monstrauit; & quidem ad formæ illius præscriptionem, quam ipse non excogitarat; sed Deus efformarat & præformarat. At consecrationem Aaronis ipse per se, opera & studio suo, perfecit; neque tantùm quomodo perficienda esset, aliis ostendit. Ipse sacrificia suis manibus obtulit; neque tantùm aliis, quomodo sacrificia illa peragenda essent, demonstrauit. Euidens igitur discrimen est inter exemplum de initiatione Aaronis & filiorum, & illud alterum de ingeniosis & diuinitus magis, quàm humano studio edoctis artificibus; qui omnia ad diuinum cultum, & tabernaculi vsum necessaria, admirabili arte fabrefecerunt.

Ait Bellarminus; Moysen sacrificasse, docuisse, consecrasse vestes, &, quod maius est, Pontificem & Sacerdotes inunxisse & initiasse. Obiicit Rullus. *Si maius est, Pontificem & Sacerdotes oleo inungere, quàm sacrificare, docere, & precari, sequitur Moysen maiorem esse Christo, quia Christus nullum Pontificem nullumq́; Sacerdotem corporali oleo inunxit & initiauit.* Respondeo negando sequelam; etiamsi verum esset; quod pro vero sumit, nec tamen probat Rullus; *Christum nullum Sacerdotem oleo corporali inunxisse*: Ratio negationis est; quia licet quis actionem exercere queat; quæ ex genere suo præstantior sit; quam alia; etiam generatim spectata; non tamen sequitur; illum, qui talem actionem exercet maiorem & excellentiorem esse altero; qui talem actionem non exercuit; alioqui Suffraganeus quispiam maior & excellentior foret suo Episcopo vel Archiepiscopo; cum sæpe non modò Sacerdotes inungat, sed & alios Episcopos initiet ac consecret; multique sint Episcopi & Ar-

A chiepiscopi, qui has functiones per se non obeant. Et actio, quæ generatim spectata, alteri etiã generatim spectatæ præstat; non præstat eidem, si secundum specialem suam rationem consideretur; hinc minima Christi actio, secundum vltimam suam rationem dignior & excellentior fuit omnibus actionibus Moysis; quia ex diuina persona, à qua procedebat, infinitam dignitatem & æstimationem contraxit, neque ipsa etiam inunctio & initiatio sacerdotum generatim spectata dignior est & diuinior simpliciter actio; quàm sacrificium; sed tantum secundum quid; quatenus nimirum actio inungendi sacerdotes est quasi exordium actionis sacrificandi; cum præparet & ordinet Ministros, à quibus sa-
B crificium immoletur: alioqui sacrificium longè præstat inunctioni & initiationi sacerdotali cum sit actus latriæ; & ad supremum Dei cultum pertineat.

Patres à Bellarmino citatos parum moratur Rullus. *Præferimus*, inquit, *scripturas Patribus*: Etiam nos. Sed tamen, cum de scripturæ sensu quæritur, Patres meritò omnibus Prædicantibus anteferimus. Patres opponit Patribus, Auctores auctoribus. Adfert Iustinum, Clementem Alexandrinum, Irenæum; & Iosephum lib. 2. contra Apionem. Quid isti? *Non dicunt Moysen fuisse sacerdotem; ergo negant: ergo Moyses ex istorum sententia non fuit sacerdos.* O Rullanam argumentationem.

C Secunda probatio Bellarmini ex capit. 17. Deut. *Si difficile & ambiguum iudicium apud te esse perspexeris*, &c. Mentitur Rullus; Bellarminum hic facere Papam Romanum parem Moysi: Nihil hic de paritate Bellarminus: quia hoc loco nihil aliud vult efficere; quàm isthuc: si in veteri testamento erat ordinarius controuersiarum Ecclesiasticarum iudex, qui lites perspicuè & euidenter dirimeret; multò magis huiusmodi iudex Ecclesiæ Christianæ necessarius erit. Mentitur iterum; *Bellarminum dixisse; Pontificem habere talem potestatem; qualem habuit Moyses*: Non dixit hoc Bellarminus hoc loco: quia Pontificis & Moysis potestatem inter se hic non comparat; sed à Moysis officio & potestate argumentatur
D ad officium & potestatem Pontificis; siue post ea maior sit siue minor. Mentitur, *Bellarminum sibi contradicere; asserendo potestatem Moysis esse extraordinariam; Pontificis ordinariam*; cum simũl asserat, *Papam habere talem potestatem, qualem Moyses. Si ita est*; inquit Rullus, *tum non habet ordinarij sacerdotis potestatem; atq; ita probatio hæc secunda euertit primam.* Hæc figmenta sunt, quia Bellarminus, nusquam dixit; Pontificem, talem habere potestatem; qualem Moyses; talem, inquam, per omnia, vt intelligit Rullus. Secundò, Bellarminus potestatem Moysis vocauit *extraordinariam*, tantum ratione successionis; non respectu ipsius functionis; sic enim verè *ordinaria* fuit: vt iam sæpè dictum.

Locum Deuteronomij, *mentitur esse malè versum à nostro interprete.* Sed iam supra copiosè versionem nostram defendimus. Hic tantum nota mendacium; in vulgata editione omissa esse verba: *inter sanguinem & sanguinem.* Clausis oculis Rullum versionem nostram legisse oportuit; si hæc verba non vidit. Mentitur iterum; non rectè versum: *inter lepram & lepram*; Et Rungius Lutheranus in Tractatu suo de norma & iudice cõtrouersiarum, calumniatur, Hieronymum hîc, *sua somnia somniasse.* Vertendum fuisse. *Inter plagam & plagam, ictu nimirum teli vel manus factã*, inquit Rullus. scilicet Prædicantes istos exspectabat liberanda versionis veritas; & quidem per mille ducentos annos, qui iam à D. Hieronymi ætate effluxerunt. Interea ab omnibus antiquis Patrib' perperam lectus, acceptus & explicatus est ille Deuteronomij locus. Quod credat, qui sibi persuadere potest, recẽtissimos istos Rullos & Rungios, & horum similes Hebraicę linguę fuisse peritiores D. Hieronymo; qui haud ignarus fuit vocabulum Hebræum *Nega* נגע, significare *plagam*, vel quamlibet *læsionem & percussurã* siue corporis, siue animi, cum Exodi 11. & Leuit. 13. ipsemet vocabulum hoc Hebræum per vocem *plagæ* expresserit; sed cum lepra etiam plaga sit (quis enim abnuat?) deque lepra potissimæ quæstiones & dubitationes exsisterent; quæ summi iudicis sententiam desiderarent; rectè fecit diuus Hieronymus, cum nomen alioqui generale, per speciale vocabulum *lepræ* interpretatus est; Nam corporis vulnera telo vel manu facta, de quibus nugatur Rullus, potius ad primum caput, quod est de sanguine, spectant. Nec obstat; quod Rullus ait; *hic agi etiam de politicis iudicibus; diiudicationem verò lepræ fuisse penes solos sacerdotes;* nam vel falsum est, quod dicit; vel ad politicum iudicem tantummodo executio sententiæ ab Ecclesiastico iudice latæ pertinebat; de quo suprà fusè, vbi & reliquos Rulli fumos dissipauimus. Tantum hic nota subtilitatem Rulli. Docet Bellarminus verba illa: *Et docuerint te*, &c. non sonare conditionem, sed assertionem siue promissionem. Contrà Rullus. *Est mandatum, ergo non est promissio.* Negatur consequentia; quia mandatum & promissio non sunt ita comparata; vt simul subsistere & consistere nequeant. Probat Rullus consequentiam. *Quia repugnat contextus, qui ostendit esse mandatum.* Non solùm mandatum, sed mandatum cum promissione certitudinis & infallibilitatis in pronuncianda sententia. *At experientia testatur sacerdotes interdum aberrasse.* Num docentes & pronunciantes ex cathedra? Hic perpetuò à Prædicantibus exemplum flagitamus.

Sequitur acutissimum dilemma: *Si fuit promissio, vel vniuersalis fuit, vel particularis. Si vniuersalis, tum nulli sacerdotes deflexerunt à lege, quod falsum est: nam contrarium testantur Prophetæ: sin par-*
A *ticularis, iam non securus reddebatur populus, sed dubius, vt cui semper ambigendum esset, an sacerdos ille, quem consuleret, esset ex numero eorum, quibus promissio esset facta.* Respondeo, fuisse vniuersalem de iudice & sacerdote ex cathedra pronunciante. Neque vspiam scriptura tradit, sacerdotes ex cathedra pronunciantes à veritatis linea & semita excidisse; Et quidquid testimoniorum profertur, id tãtum sacerdotes extra cathedram docentes attingit.

Ait Bellarminus, homines ad summi iudicis tribunal profectos magis dubios & perplexos abituros fuisse; si verba illa: *& docuerint te*, &c. fuissent hypothetica, non absoluta. Negat Rullus hoc sequi: quia dubitatione & perple-
B xitate liberati fuissent, audita lege Domini, eiusque sententia. Quid si de ipsa sententia legis adhuc dubitassent? Quid si apertè occlamassent; non esse illum legis sensum; quem sacerdos afferebat? An non & hodie contingit; vt si quis Caluinista Lutheranum Prædicantem adeat expediri volens ex perplexitatibus de pręsentia Christi in Eucharistia; is magis dubius & implicatus discedat, quàm aduenerat? Audiet quidem ex ore Prædicantis verba scripturæ: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, & id genus alia: sed quando ad sensum verbis subiectum procedetur, tum hæsitabit, & fluctuabit, assensumque cohibebit. Quid ita verò? Quia non habet infallibilem certitudinem & se-
C curitatem, quod in tali sensu adstruendo Lutheranus Prædicans non fallatur. Si certus esset, talem neque falli, neque fallere; manus absq; vlla mora daret. Vociferabitur Prędicans; *se iuxta legem & scripturam explicare illa verba; Hoc est corpus meum:* at alter non credet; quia ignorat, num fallaris an mentiaris; imò non credet; quia probè nouit, te reipsa falli & mentiri posse: sicque æquè dubius & perplexus à te abscedet, ac fuerat, priusquam sententiam tuam exquireret.

Mentitur Rullus pariterque calumniatur, cùm dicit; *Bellarminum asserere, magis dubios & perplexos reddi homines, si à sacerdotibus doceantur se-*
D *cundum legem Dei:* non enim absolutè ita loquitur Bellarminus; sed ait; si summus ille iudex, ad quem, iussu Dei, quæstionibus exortis, eundum erat: non pronunciasset semper certò & infallibiliter secundum legis & veritatis regulas; tunc homines magis dubios & perplexos abituros fuisse, quàm aduenerant; Vnde enim scire potuissent; iudicem in sententia ferenda à lege non deuiasse? Certè non ideo solùm, quòd verba legis protulisset; Nam & Caluinista & Lutherista proferunt verba Euangelij in controuersia Eucharistica; neque eam ob caussam adeuntibus dubitationem & scrupulum eximunt, cum semper restet quæstio de sensu, num verus ac germanus sit; an verò falsus &

suppo-

Digitized by Google

ſuppoſititius. Cum verò hoc tribunal in Iſraële ſupremum fuerit, à quo nulla appellatio concedebatur; planè oportebat, vt ſimpliciter infallibile eſſet; omnibuſque exploratè conſtaret, iudicem ex tribunali illo ſententiam falſam pronunciare non poſſe.

Rullo non videtur abſurdum, vt *iudicandus*, aut iam *iudicatus* ſit ſui *iudicis Iudex*; inque ſententiam eius, iuſtáne ſit, an iniuſta, inquirat. At Spiritui ſancto loquenti per ſcripturas hoc perquam abſurdum videtur. Quapropter hoc ipſo Deuteronomij loco minimè iuſsit; vt iudicatus ſententiam à ſacerdote prolatam examinet; ſed obſequium irrefragabile imperauit; etiam mortis ſupplicio in rebelles, hoc eſt, in *iudicum ſuorum iudices* decreto. Neque exemplum illud Prædicantibus tritum de Berœenſibus ad rem facit; vt ſæpe dictum alibi. *At iudicatus debet ſententiam iudicis approbare; ergo debet de illa iudicare*; omnino iudicium illud, quod omnem electionem antegreditur, adhibere debet; ſed hoc aliud non eſt, quàm vt certò ſtatuat; veram eſſe & amplectendam ſententiam, quam Iudex protulit. Iudicium cum diſquiſitione & dubia examinatione, præſertim publica, nullo modo ei conceditur, niſi apud præpoſteros, vbi omnia præpoſtera legibus eunt.

De coniunctione Hebræa verſu 12. ſuprà abunde egimus; Mirificè exultat Rullus; quod Bellarminus fatetur; In Hebræo eſſe, *aſcende ad ſacerdotes, & ad iudicem*; vbi vulgata in ſingulari; *ad ſacerdotem*. Clamitat. *Cauſſam Papiſtarum vehementer lædit Bellarminus*. Qua de cauſſa? *Quia relicta vulgata verſione, prouocat ad textum Hebræum. Fatetur itaque verſionem vulgatam eſſe corruptam. Deinde, facto ſuo confirmat, nos rectè facere, cùm textum Hebræum potius ſequimur, quàm vulgatam verſionem. Non debebunt igitur Papiſtæ deinceps ægrè ferre, ſi relicta verſione vulgata, textum Hebræum ſequemur: ſiquidem exemplum habemus Bellarmini idem facientis*. En quam triumphat Rullus ob vnicum Bellarmini verbulum. Quis orthodoxorum vnquam negauit, licere ex Hebræis & Græcis fontibus veritati lucem accendere? Num ideo vulgata editio reprehenditur, contemnitur aut reiicitur; ſi quis dicat: in Hebræo, textum hoc vel illo modo conſtitutum eſſe, aut ex Hebræo hunc vel illum ſenſum elici? Num Bellarminus textum Hebræum verſioni vulgatæ prætulit? Num lectionem illam ſinceriorem pronunciauit? Num veterem Interpretem, more veſtro, conuiciis & maledictis inſectatus eſt, & inſcitiæ inſimulauit? Si apud Rullum quidquam ponderis habet hæc argumentatio: *Bellarminus quid in Hebræo contextu contineatur, indicauit; ergo vulgatam editionem, tanquam vitioſam, reiecit*: tum habebit & iſta: *Prædicantes ſæpe citant vulgatam editionem, & aſſertiones ſuas ex illa*

A *declarant, omiſſo textu Hebræo, quem ſolum pro authentico habent, ergo textum Hebræum, tanquam corruptum; repudiant*. Hanc conſecutionem, nunquam, ſatis ſcio, approbabunt Prædicantes; Et tamen ſimilis eſt priori illi, qua Rullus Bellarminum vrget.

Accuſat Rullus Bellarminum *impudentiæ*, quòd *ſcripſerit, ſimpliciter, eſſe falſum in hac lege agi de negotiis politicis*. At, ô Rulle, vitium, quod de Bellarmino Prædicas, id tibi eſt. Non enim ſcripſit Bellarminus ſimpliciter falſum eſſe agi hic de politicis cauſſis; ſed dixit, *ſimpliciter falſum eſſe non agi hic de dubiis religionis, tantumque de controuerſiis politicis*: Hoc longè aliud eſt, quàm B quod Rullus Bellarmino affingit. Hactenus de ſecundo Bellarmini argumento.

Tertium ſumitur ex Eccleſiaſt. cap. 12. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli*, &c. Hic Rullus poſt triuiales in Papam criminationes, accuſat verſionem vulgatam vitij. At locum hunc ab interprete rectè eſſe expreſſum, oſtendimus ſuprà contra Iunium qui Interpreti noſtro eandem culpam obiectabat. Tantum hic addo: Rullum carpere etiam illa: *His amplius, fili mi, ne requiras Perperam*, inquit Caluiniſta, *habet hæc vulgata editio. Nam particula prohibitiua ne non eſt in Hebræo*, & הזהר, non ſignificat, *requiras*, ſed; *admonitus eſto, edoctus eſto, &c.* Hic iterum à ſe im- C petrari ſinet Rullus, vt 70. Interpretes & noſter vulgatus, tam priſci & celebrati, ſibi tam nouitio & obſcuro anteponantur; qui & ipſi Hebræa intellexerunt; & ſenſum optimè expreſſerunt. Ita ergo illi. καὶ περισσὸν ἐξ αὐτῶν υἱέ μου, φύλαξαι. *Et amplius ab ipſis, fili mi, caue*; hoc eſt, vt noſter Interpres ſenſum ſecutus reddidit. *His amplius, fili mi, ne requiras*; quaſi diceret; contentus eſto verbis ſapientum ab vno paſtore tibi datis; neque amplius quid expetas. Nec repugnant Hebræa: quæ ad verbum ſic vertit Arias Montanus in Bibliis Regiis: *Et amplius ab illis, fili mi, monitus ſis*; ne ſcilicet aliud requiras. Verſio Tigurina. *Poſtremò fili mi, caue admonitus*. Quid admonitus cauere debet? Ne quid am- D plius verbis ſapientum deſideret. Vides ergo, quàm grauem iuſtamq; cauſſam habuerit Rullus hoc loco inceſſendi & lacerandi noſtri Interpretis. Quæ ſequútur circa hoc teſtimonium Eccleſiaſtæ iam ſuprà expedita ſunt. Conuicia nil moror; vt cum Papam, *Iouem Capitolinum*; Papiſtas; *inſulſos* appellitat, homo ſcilicet valde ſalſus; & qui fortè ſalem pro anima habet.

Quartum teſtimonium Aggæi 2. Hæc dicit Dominus, &c. Et Malach. 2. Labia ſacerdotis, &c. Mentitur Rullus, *teſtimonium Aggæi impertinenter à Bellarmino adduci. Et officere Papiſtarum cauſſæ*. Quamobrem? *Quia in eo non docetur ſolius ſummi ſacerdotis fuiſſe de legis ſententia pronuncia-*

re. Neque hoc asserit Bellarminus; sed tantùm hoc, quæstiones de lege, non laicorum; sed sacerdotum iudicio in veteri testamento tractatas & disceptatas fuisse; inter hos autem sacerdotes erat vtique etiam sacerdos summus. Neque disquirit Bellarminus; vtrum Propheta sciuerit, an non solutionem illarum quæstionum, quas sacerdotibus proposuit; sed tantum hoc considerat & vrget, quòd Deus Prophetam in quæstionibus legis, non nisi ad sacerdotes misit; aliam enim ob caussam non accidit, nisi quia de quæstionibus legis respondere, proprium sacerdotum munus erat. *At debebat respondere ex lege*, inquit Rullus. Respondeo, falsum esse si velit necessarium fuisse, vt ipsa explicatio & sententia, quam ad quæstiones propositas dabant, exstaret explicitè & formaliter in ipsa lege; satis est, quod legi conformis esset; neque enim requiritur; vt explanatio Aristotelis, verbi gratia, vel alicuius legis ciuilis, exstet disertè & explicitè in ipso Aristotele vel Iure ciuili, satis est si Aristoteli vel Iuri ciuili sit consentanea.

Mendacium est; quòd absolutè scribit; *Papam contra ius, & supra ius, & extra ius omnia posse*. Nec refert quod simile quid reperitur vel apud Glossographos vel alios Interpretes Iuris; quia duo cum dicunt idem; non est idem. Quod & hic contingit; nam non nisi bona mente à quibusdam Iureconsultis talia quædam pronunciata sunt; at Hæretici eadem non nisi mala mente & fide recitant; quasi Papa omnia iura diuina, naturalia, & humana tollere, & suo arbitratu abrogare queat. Quod nulli vnquam orthodoxo in mentem venit.

Mentitur, *in testimonio Aggæi non contineri quod Bellarminus asseuerat*. Asseuerat enim quæstiones de lege pertinere ad sacerdotes, non ad laicos. An hoc non continetur in testimonio Aggæi?

Mentitur, *à Bellarmino concedi debere, solutionem illarum quæstionum, quas ad sacerdotes Aggæus attulit, fuisse ipsi ignotam*. Quis coget Bellarminum, vt hoc concedat?

Mentitur, Bellarminum, *hoc loco determinatè pugnare pro auctoritate summi Pontificis*. At contrà Bellarminus expressè testatus est; se in hoc libro tantum disputaturum de supremo Iudice controuersiarum; siue is sit solus Pontifex; siue Pontifex cum concilio.

Mentitur, similiter, *Malachiæ testimonium alienum esse à proposito, & ipsis Papanis* (sic loquitur Scurra) *aduersari*. Vtrumque est mendacium. Quia Bellarmino probandum est, cognitionem & diiudicationem de lege, pertinere ad sacerdotes; non ad laicos: si ad sacerdotes; ergo etiam ad summum. Diiudicatio duplex est; simpliciter vltima; & non vltima, vtraque pertinet ad sacerdotes, prima ad summum vel solum, vel

A cum consilio sacerdotum. Posterior ad singulos sacerdotes etiam sigillatim spectatos. Hæc omnia optimè ex Malachiæ oraculo educuntur & deducuntur; contrà ac mendax Rullus blaterat; qui pro genio & ingenio omnium Prædicantium, deditâ operâ, statum & filum disputationis Bellarminianæ inuertit & intercidit; ne veritas patescat.

Detonat deinceps Rullus in Romanos Pontifices, *eorumque*, vt vocat, *imperitiam*. His & similibus acroamatis, vt se suosque oblectet, apud cordatiores tamen & prudentiores sycophantæ potius, quam acuti disputatoris existimationem sibi comparat, præsertim cum Christus non scientiæ; sed cathedræ Spiritum san-
B ctum promiserit; & pleraque, si non omnia, quæ de Pontificibus isti garriunt, mera sint malè feriatorum & turbulentorum capitum conuicia, & vanissima commenta, eorum, inquam, hominum, qui, vt Rullus hic loquitur, *Elati fastu superos Acherontaque rident*, hoc est, *nec Deum, nec diabolum curant*.

Ex lib. 2. Paralip. cap. 19. tale format Rullus argumentum; idque Bellarmino per insignem impudentiam affingit. *Si Rex Iosaphatus clarè distinguit officium Pontificis ab officio regis, & soli Pontifici tribuit iudicium de dubiis legis: tum solus Papa Romanus est summus iudex veri sensus scripturæ, & omnium*
C *controuersiarum Ecclesiasticarum. Verum est antecedens, vt patet ex 2. Paralip. seu Chronic. 19. vers. 10. & 11. Ergò & consequens.* At tu euolue sursum & deorsum, prout libuerit, totum caput quartum libri tertij Bellarmini, neque tamen vsquam hoc argumentum inuenies. Quod cum Rullus refellit; non Bellarminum; sed sua somnia & mendacia refellit. Quamobrem non Bellarminum, sed seipsum hac censura ferit. *Nulla est propositionis connexio. Ex qua logica Bellarminus*, (dic tu, Rullus) *didicit ita consequentias nectere? Num enim quia Iosaphatus apertè discriminat munus sacerdotale, à regio, & soli Pontifici summo tribuit iudicium de dubiis legis; inde sequitur; Papam Romanum esse summum iudicem omnium controuersiarum Ecclesiasticarum? quæ*
D *nam est consequentia ratio?* Nunquam ita argumentatus est Bellarminus, vt tu calumniosè mentiris; sed hunc in modum argumentum instituit. In veteri testamento notio & diiudicatio quæstionum de lege commissa est non laicis, sed sacerdotibus seu summo Pontifici: ergo etiam in nouo testamento huiusmodi controuersiarum cognitio & definitio non laicis, sed sacerdotibus seu summo Pontifici demandanda est.

Mentitur Rullus, cùm dicit; *Pontificem, officium sacerdotis & Regis sibi arrogare*. Audistine vllum Pontificem, qui aliquo in Diplomate se *Regem* appellaret? Mentitur, non posse ex textu ci-

tu citato probari, soli Pontifici tributum esse iudicium de dubiis legis, vltimum scilicet & definitiuum: quia licet verbis antegressis sacerdotibus quoque cognitio quarundam caussarum concedatur; suprema tamen sententia soli Pontifici conceditur, hoc ipso, quod in his, quæ ad Deum pertinent; solus ipse præses constituitur.

Ex primo testimonio, quod Bellarminus ex cap. 16. Matthæi adfert; hunc cudit Rullus syllogismum: *Cui datæ sunt claues regni cælorum, & auctoritas ligandi, soluendique; is est summus iudex controuersiarum religionis: Pontifici Romano datæ sunt claues regni cælorum, & auctoritas ligandi: soluendique: Ergò Pontifex Romanus est summus iudex controuersiarum, &c.* Negat inprimis Rullus Maiorem; & multa inscitè ac insulsè nugatur de clauibus: quid significent: restringitque ad solam peccatorum vel remissionem, vel retentionem. Imperitè nimis; cum vel in primis *clauis*, qua verus scripturæ sensus aperitur, Ecclesiæ sit necessaria; ipseque Christus absque vlla restrictione dixerit: *Et tibi dabo claues regni cælorum.* An auctoritas infallibiliter controuersias decidendi ac definiendi, & veritatem certò & absque erroris periculo patefaciendi potestas, non est clauis, qua regni cælestis fores reserantur? Si clauis est; vt reuera est; ergo Petro & successoribus data est. Nec obstat, quod vel diuus Augustinus citatus à Rullo, vel alius quispiam *claues* has explicat de remissione vel retentione peccatorum; Nam quibus locis hoc dicunt, iis claues inadæquatè non secundum totam suam vim & potentiam considerant. Neque opus vno in loco omnia dici; præsertim, quando constat, quæ absolutè fuerit sanctorum Patrum de his clauibus mens & existimatio. Quod exactius pertractare non est huius argumenti.

Triuialia illa: *Quemlibet Episcopum; imò quemlibet, qui Petri doctrinam tradat, esse Petri successorem: Papam non esse Petri successorem; Papam non pascere oues Christi: Papam non sequi Petrum in doctrina prædicatione, aut in sacramentorum administratione, nec in cultu Dei sinceritate, nec in vita & morum sanctitate*, & huius farinæ alia, ad triuium, vnde petita sunt, ablegamus; & pædagogis triuialibus, vt iis animum exhilarent, in solidum transcribimus.

Secundum testimonium Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, &* Mentitur Rullus, *nihil alienius à proposito adduci potuisse, quàm hoc testimonium.* Quid ita? *Quia hic agitur de disciplina Ecclesiastica.* Esto. An ideo non agitur de controuersiis Ecclesiasticis à legitimo iudice cognoscendis, dirimendis & componendis, deque veritate certò, euidenter & infallibiliter vniuersis Ecclesiæ mẽbris proponenda? Quæso te, quid magis ad

A conseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ pertinet, quàm vt lites, de quæstionibus fidei, sopiantur, & veritas ipsa omnibus amplectenda planè & perspicuè in lucem proferatur? Si peccauerit in me frater, ad Ecclesiæ tribunal peccantem deferre licebit; deque peccato cognoscet & iudicabit Ecclesia; num si peccato hæreseos in me, in Ecclesiam, inque Deum frater delinquat; non deferendus erit ad Ecclesiam; vt pereunti manum porrigat; erroremque pestiferum ex animo eximat, & quidem cum auctoritate obligationem obtemperandi inducente, ita vt si dictis morem gerere nolit; Ethnici aut publicani instar habeatur?

B Quamuis autem ex hoc loco Bellarminus nullum syllogismum format, Rullus tamen hunc nobis cudit, vt intelligamus, quam sit insignis syllogista: *Ecclesia est summus iudex controuersiarum Ecclesiasticarum: Pontifex cum suo Concilio est Ecclesia; Ergò. At quis piorum dabit has præmissas!* clamat Prædicans. Imò quis piorum non dabit? Quis, nisi impius, inficiabitur, præsertim, si in *Minore* vocabulum Ecclesiæ accipiatur *synecdochicè*, nomine totius ad præcipuam & principalem partem translata. An Iudex Ecclesiasticarum controuersiarum non erit illa; cuius sententia adeò valida est & efficax, vt rebelles & refractarios ethnicis & publicanis pares efficiat; & ab omni prorsus proborum cõsortio & com-

C munione arceat? His tamen non obstantibus, negat Rullus *propositionem*, seu *Maiorem*; quam sic à Bellarmino probari dicit; *Si qui Ecclesiam non audit, debet esse vt ethnicus, & publicanus; sequitur, Ecclesiæ esse vltimum, seu summum iudicium controuersiarum. Illud est; ergò & hoc.* Quid ad Maiorem Rullus? Audite mirificentissimam responsionem. *Nulla est connexio.* Quare? *Quia sunt quatuor termini.* O stuporem: perinde ac si negaret istam propositionem: *Si qui est animal risibile, simul etiam est animal rationale; sequitur Petrum esse animal rationale; quia est animal risibile*; caussamque negationis redderet; quod quatuor *terminis* constaret: an non extremè & deploratè ineptiret? Atqui non leuius ineptit, qui alteram propositionem

D negat; & negationis caussam adducit, quod constet quatuor terminis.

Vbi sunt isti in *Maiore* quatuor termini? *Primus: Qui Ecclesiam non audit. Secundus, debet esse vt ethnicus, & publicanus: Tertius, Ecclesiæ: Quartus, est vltimum, seu summum iudicium controuersiarum.* Similiter ac si per febrile delirium dicas, in altera, quam attuli propositione, esse quatuor terminos; & ideo negandam. Primus sit: *Animal risibile.* Secundus: *Simul etiam est.* Tertius: *animal rationale.* Quartus: *Petrum esse.* Quis vnquam talia deliramenta audiuit? Syllogismi reiiciuntur & repudiantur; quando quatuor constant terminis. Quis vnquam vllam propositio-

nem ideo præcisè dixit falsam; quòd quatuor *terminis* constet? syllogismi hoc vitium est; non vnius propositionis; vt taceam, stultissimum esse, quod hic de quatuor *terminis* insulsè nugatur: nam quæstio est, vtrum Ecclesiæ competat vltimum seu summum iudicium controuersiarum: vbi non nisi duos terminos, seu duo extrema habes. Iam ergo vt affirmatiua pars huius quæstionis probetur; assumitur terminus medius: *Qui Ecclesiam non audit, debet esse sicut ethnicus & publicanus.* Hoc medio cum altero quæstionis extremo iuncto; hęc Maior hypothetica conficitur: *Si qui Ecclesiam non audit, debet esse vt ethnicus, & publicanus: sequitur Ecclesiæ esse vltimũ, seu summum iudicium controuersiarum.*

Syllogismum categoricum sic instituere licebit. Cuius vox & sententia non audita facit, vt quis ethnici & publicani loco haberi debeat; ei competit supremum de controuersiis iudicium: Vox & sententia Ecclesiæ non audita facit, vt quis ethnici & publicani loco haberi debeat: Ergo Ecclesiæ competit supremum de controuersiis iudicium. Num & in hoc syllogismo quatuor terminos nobis ostendes? Admodum dubito; vtrum noueris, quis, & quid dicatur syllogismi *terminus*? Atqui hic posterior syllogismus aliis terminis non constat quàm prior ille; Et tantum hoc discrimine dissident; quòd prior ex Maiore hypothetica; hic ex categorica formatus sit.

Sed en alium syllogismum: *Ad quem vltimo iubetur deferri hæreticus, is est summus index controuersiarum Ecclesiasticarum; Ad Ecclesiam vltimò iubetur deferri hæreticus: ergò Ecclesia est summus iudex controuersiarum Ecclesiasticarum. Falsa iterum Maior:* clamat Rullus. Neque tamen vllam caussam reddit, cur falsitatis Maiorem insimulet. An non enim ille summus controuersiarum iudex censetur, etiam in foro ciuili; supra quem nullus alius reperitur; & à cuius tribunali non datur ad vllum aliud sublimius in illo foro prouocatio & appellatio?

Falsa est & assumptio; inquit Rullus. Cur? Tacet. Si non vltimò iubetur Hæreticus, vel alius noxius deferri ad Ecclesiam, cedo, quo nam in hac vita post delationem ad Ecclesiam, aliò deferendus est? Nomina illud tribunal: ad quod eundum post Ecclesiæ Iudicium. Deinde; si Ecclesiæ *vox* non est vltima; cur post Ecclesiæ vocem contemptam tam seuerè punitur reus; vt quasi igne & aqua interdicatur? Certè nullus; quando ad vlteriorem iudicem legitimè ab inferiore, seu à non vltimo prouocat; pœna aliqua affici solet; sed exspectandum est supremi iudicis arbitrium; At hic non exspectatur vllius alterius iudicium; sed statim obsequium detrectanti pœna præsto est; & quidem grauissima pœna.

A Tertium testimonium Matth. 23. *Super cathedram Mosi, &c. Quali consequentia inde conficietur,* inquit Rullus, *Pontificem Romanum cum suo Concilio esse summum controuersiarum iudicem? Operæpretium fuisset à Bellarmino ipso syllogismum formatũ esse.* Quid si formasset; num calumniæ & lœdoriæ te defecissent? An non iterum nobis tuam illam de *quatuor terminis* cantilenam occinuisses? Nisi vel natura cæcus esses, vel de industria Bellarminum lectitans oculos clausisses; hanc consequẽtiam ab eo insinuari non obscurè animaduertisses. *Sedentes in cathedra Moysis, indeq́; docentes in omnibus reuerenter, & religiosè audiendi fuerunt; ergo nunc etiam, qui in cathedra Petri sedent, & inde docent, in omnibus reuerenter, & religiosè audiendi*

B *sunt*: Huic consequentiæ subnecti potest iste syllogismus. *Qui in cathedra Petri sedent & inde docent, in omnibus religiosè ac reuerenter audiendi sunt; Pontifex Romanus vel solus, vel cum concilio, sedet in cathedra Petri, ergo Pontifex Romanus vel solus, vel cum concilio in omnibus religiosè ac reuerenter audiendus est.* Vereor, ne quatuor *terminos* intones; Consule tuam Logicam, ad quam lectorem subinde remittis. Præclara proculdubio est, quia *Rullica.*

Quartum testimonium Ioan. 21. *Pasce oues meas, &c. Hic talis syllogismus erit exstruendus*; exstructore Rullo: *Quicunque est successor Petri, is est summus iudex controuersiarum: Pontifex Romanus est successor Petri: ergo Pontifex Romanus est summus iudex controuersiarum. Vtraque præmissa est falsa*, in-

C quit Rullus; Probat tamen Maiorem in nostram gratiam: *Quicunque iussus est pascere oues Christi, is est summus iudex controuersiarum: Quicunque est successor Petri, iussus est pascere oues Christi. Ergò. Maior iterum falsa est*, inquit Rullus. Malè sit tibi Rulle, qui nullam præmissam, quæ tibi arrideat, exstruere potes. Caussam falsitatis assignas. *Si is, qui iussus est pascere oues Christi, est summus iudex controuersiarum; tum omnes pastores Ecclesiæ, erunt summi controuersiarum iudices.* Respondeo, negando sequelam. Ad probationem dico, nullos pastores iussos esse pascere gregem Christi, sicut Petrus iussus est; omnes videlicet absque vlla exceptione vel restrictione; & independenter à quouis alio visibili pastore in hac hu-

D ius caducæ vitæ Ecclesia. Hinc 1. Petr. 5. monet diuus Petrus Episcopos non absolutè & indefinitè, vt gregem Christi pascant; sed ait; *pascite gregem, qui in vobis est*; seu, vt citat Rullus, quĩ *penes vos* est; non omnem, sed vestrum, vobis commissum; certis finibus ac spatiis circumscriptũ. Sic Act. 20. citante Rullo. *Attendite vobis ipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos,* &c. Illi nimirum gregi singuli aduigilare iubentur; cui custodiendo à Spiritu sancto præpositi sunt; certæ videlicet gregis portioni, non toti gregi.

Clamat Rullus. *Pontificem non pascere; quia pascere sit docere: at Papam non docere.* Si tu tuique Symmystæ doceri velletis; quàm promptè, addo & alacri-

alacriter, pasceret & doceret vos Papa. Aperi Concilium Tridentinum. Vide, an non te doceat Papa, quid in omnibus fermè huius tempestatis litibus Ecclesiasticis sentire, & quam partem amplecti debeas. Illud argutum est. Christum non dixisse: *Pasce omnes oues meas, non ergo omnes oues Petro fuisse commissas.* Explicitè quidem vox vniuersalis non est adiecta; Est tamen adiecta, virtute. Nam si Petrus non debuit pascere omnes: dic, oro, quasnam pascere debuit, quas non. Designa, oro, portiunculas, ad quas hæc pastio se extendat; & illas, ad quas se non extendat. Cæteras circa hunc locum Rulli quisquilias, euertimus iam supra, quando nobis cum aliis Prædicantibus negotium erat.

Quintum testimonium Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, &c.* Vbi Caluinisticus syllogista. *Qui non potest errare ex cathedra docens, is est summus iudex controuersiarum religionis. Pontifex Romanus non potest errare ex cathedra docens. Ergò.* Respondet Rullus: *Falsa est Maior.* Addit caussam. *Quia alioqui post missionem sancti Spiritus minimùm tot fuissent summi iudices, quot Apostoli, cum nullus eorum potuerit amplius errare in doctrina, ipsi enim non erant, qui loquebantur, sed Christus; sed Spiritus sanctus per ipsos.* Nihil caussæ erat, cur Rullus falsitatem Maioris persuadere nobis tam prolixè conaretur; quia neque totus syllogismus; nec Maior illa, pars syllogismi, Bellarmini est; Et verè, vt falsa, reiicitur. Posito enim, quod Rullus in docendo errare non posset; an ideo supremus omnium controuersiarum iudex foret? Nam non posse errare docendo, est quidem conditio supremi iudicis; sed latius patet; quàm supremus iudex, nec cum ipso reciprocatur: sicut sensitiuum esse, competit quidem homini; at non sequitur: *est sensitiuum; ergo homo;* quia facultas illa latius diffunditur, quàm homo. Itaque si quis ex testimonio illo Lucæ 22. & ex Bellarmini doctrina syllogismum aptum condere velit; id hoc modo effectum dabit: Is, pro quo Christus specialiter rogauit, ne fides eius deficeret; hoc est, vt docendo & definiendo ex cathedra nunquam vllum in errorem incurreret, is, inquam, est supremus controuersiarum fidei iudex: sed solus Petrus & successores sunt illi, pro quibus Christus specialiter rogauit, ne vnquam eorum fides deficiat; hoc est, vt docendo & definiendo nunquam vllum in errorem incurrant; ergo solus Petrus, & successores Petri sunt supremus controuersiarum Iudex. Hic legitimus, & ex Bellarmini penu depromptus syllogismus est; non ille, quem Rullus rudi sua ascia edolauit.

Nugamenta illa; *Christum orasse pro omnibus Apostolis; orationem Christi tantummodo pertinere ad eam, quæ mox secutura erat, Petri negationem; Christum pro omnibus fidelibus preces fudisse: hinc ergo con-*

A *fici, si vera sit nostra explicatio, neminem ex fidelium numero in docendo errare posse; Multos Pontifices in grauissimos errores incidisse*: iam suo loco dispulsa & funditus disiecta sunt; pleraque enim, si non omnia exscripsit Rullus ex VVitackero; Savvbrando, & aliis. Neque necessaria est longior in his mora.

Sextum testimonium est ex Act. 15. de Concilio Hierosolymitano. Hic Rullus totus in fermento iacet, vociferatur. *Spiritu vertiginis laborat Bellarminus: & hic ipsi est proprius, adeo perturbat omnia.* Tu verò grauissimè spiritu mentiendi & sycophantandi laboras; qui tibi cum reliquis quinti Verbi præconibus communis est: adeò
B vbiq; scopum Bellarminianæ disputationis suo ex loco dimoues; vt eo dimoto, facilius nebulas oculis tuorum offundas. Mentiris; Bellarmino probandum fuisse: *Pontificem Romanum esse iudicem controuersiarum*: non hoc ei probandum fuit; sed; *controuersiarum Ecclesiasticarum cognitionem & decisionem pertinere non ad laicos, non ad alios, quibus heretici hanc prouinciam delegant; sed ad Ecclesiam, hoc est; ad caput Ecclesiæ, idq; solum, vel cum reliquis Pastoribus in Concilio legitimè congregatum.* An non hoc euidenter ostendit exemplum Concilij Hierosolymitani? In quo Petrus primus Papa præsedit; quidque successores agere debeant, exemplo docuit. Nam quod explicitè Pontificis Romani non fit mentio; non refert; quia Petri
C fit mentio; Petrus autem Pontifex Romanus tunc erat; quia iam Pontifex vniuersalis à Christo constitutus fuerat. *At tempore Synodi Hierosolymitanæ necdum viderat Petrus Romam.* Quid tum? An ideo non poterat esse Romanus Pontifex? Rex Hispaniæ nunquam vidit Indiam Orientalem vel Occidentalem, neque etiam Brasileam, neque regionem Peruanam; An ideo non est harum prouinciarum Rex & Dominus? Deinde insignem historiæ imperitiam prodit Rullus. Nam diuus Petrus Romam venit anno Redemptoris XLIV. Claudij Imperatoris anno secundo: Synodus autem Hierosolymitana inita & peracta est anno Christi LI. Claudij Imperatoris anno nono; vt ex probatissimis Auctoribus
D demonstrat Annali primo Baronius: Qua igitur ratione Petrus tempore Hierosolymitani Concilij nondum viderat Romam, vt ineptit Rullus: quem puto non abhorrere ab illorum insania, qui inficiantur Petrum vnquam venisse Romam. De quibus alibi.

Reliqua mendacia & inscitiæ argumenta quid persequi attinet? *vt Petrum non præsedisse illi concilio, sed Iacobum. Primas in dicendo non fuisse Petri. Papæ aliud videri, quàm Spiritui sancto. Necessariò solum id nobis videri debere, quod videtur Spiritui sancto loquenti per Scripturas*: Hæc iam antea abundè refutata sunt: Nec declamatiuncula de legendis, & interpretandis scripturis, quidquam huc facit, nisi

Digitized by Google

Quid opus refellere? Ruunt nullo impellente. Nam posteriores Papæ aliud non docent, quàm priores. Quod tenuêre, tenent. Quod tradidêre tradunt. Quomodo non docent & explicant scripturas; quorum auctoritate & testificatione, nisi commoueremur, ipsis scripturis fidem non haberemus?

De illo Apostolico dicto: *Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis*; valdè, scilicet, subtiliter Rullus disserit. Ait, non vocari columnam, *quod filios suos sine errore doceat: sed quia, Christo, qui solus fundamentum est, subnixa amplectitur, retinet, suffulcit, sustentat, & conseruat ab interitu veritatem, ne prorsus inter homines intercidat.* Quomodo hoc præstabit, Ecclesia, si certò & infallibiliter, & absque vllo errore filios suos non doceat? An amplectitur, retinet, suffulcit, sustentat, & ab interitu conseruat veritatem tunc, cum pro veritate falsitatem; proque auro carbones filiis suis tradit? Itaque quocunque se vertat Rullus; nusquam firmam columnam, solidumque fundamentum, cui innitatur, inueniet; quamdiu Ecclesiam errores amplecti & ferere posse existimat. Si dicat; *esse firmamentum & columnam veritatis quando & quamdiu veritatem retinet*; risum lectori mouebit: Nam quiuis, etiam priuatus, columna & firmamentum veritatis est, quando & quamdiu veritatem retinet. At Paulus hoc loco aliquod peculiare Elogium Ecclesiæ tribuit; à cuius communione omnes priuati excludantur. Nam quod Apocalypsis cap.3. vnusquisque sanctorum dicitur futurus *columna in templo Dei*; nihil ad rem facit; Non enim significatur vnumquemque Sanctorum in hac militante Ecclesia infallibilem docendi, dicendi, decernendi & definiendi auctoritatem habiturum; sed vnumquemque, qui tentationes constanter in hac vita vicerit, fore postea, columnæ instar, in altera vita prorsus immobilem, & ad omne peccatum inflexibilem.

Spiritum priuatum, quoties Rullus tangit, toties eius misereor: quem à se & suis amoliri conatur, sed tam miserè & frigidè, vt satis appareat; ipsos Caluinistas non ignorare, se sua in doctrina, non publico & authentico, sed priuato, & quidem admodum vertiginoso, spiritu duci.

Nonum testimonium 1. Ioan.4. *Nolite omni spiritui credere, &c.* Rullus hunc syllogismum architectatur: *Cuius spiritus ex Deo est, is est summus iudex controuersiarum religionis. Pontificis Romani, Conciliiq; ipsius spiritus ex Deo est: ergo.* Multa nugatur Rullus de vocabulo spiritus; quę sit eius hic notio. Quid opus his nugamentis? Maior falsa est; neque vnquam à Bellarmino vel posita vel asserta, vel tanquam vero conformis insinuata. Qua fronte tua figmenta Bellarmino adscribis? Qua, nisi Savvbrandica? cuius calumniosus & sycophanticus spiritus te quoque mirum in modum agitat.

A Mentiris, *Bellarminum ferri extra oleas, cum ex hoc Ioannis dicto concludit, spiritum priuatum non posse esse controuersiarum iudicem*: Nam Bellarmini disputationes contra vniuersos hæreticos huius ætatis directæ & institutæ sunt. At esse Nouatores, qui palam priuatum vniuscuiusq; spiritum statuant controuersiarum supremum iudicem, nō ignorant Caluinistæ & Lutheristæ. Hos igitur petit, quoties Bellarminus priuatum spiritum oppugnat. Quanquam & vos petit, feritque hæc disputatio Bellarminiana; quia, vt sæpe dictum, non nisi spiritu priuato ducimini, licet Spiritus sancti magisterium ad insaniam vsque iactitetis. Si ex mente Bellarmini syllogismum conficere volebas; hunc conficere debebas. Nullus spiritus, qui probandus est, potest esse controuersiarum

B iudex, omnis spiritus priuatus est probandus; ergo nullus spiritus priuatus potest esse controuersiarum iudex.

En alium à Rullo syllogismum: *Cuius spiritus omnium aliorum probationi, & iudicio exemptus est, is summus est iudex controuersiarum religionis: At Pontificis Romani, & Episcoporum in Concilio congregatorū spiritus omnium aliorum probationi, & iudicio exemptus est: ergo Pontifex Romanus cum Episcoporum Concilio controuersiarum religionis summus iudex est.* Nos totum syllogismum concedimus. Rullus Minorem negat. Quam mentitur hoc syllogismo à Bellarmino probari. *Tantùm priuatorum hominum spiritus probandus est, an ex Deo sit: At Pontifex Romanus, & Episcopi in*

C *Concilio congregati non sunt priuati homines. Ergo Pontificis Romani, & Episcoporum in Concilio congregatorum spiritus non est probandus, an ex Deo sit.* Licet, vt dixi, syllogismus iste non sit Bellarmini; non est tamen, quod à nobis repudietur. Rullus negat Maiorem: & è vestigio verbosam declamationem exorditur, *quòd Christus quoque & Apostoli suum spiritum aliorum examini subiecerint: Multò igitur magis spiritum Paparum & Conciliorum ad examen vocari posse.* Vt hoc ita sit, de quo tamen num ita sit, quæri posse video; attendere debebat Rullus; quibus dixerit Christus illud Ioan.5. *Scrutamini scripturas*: Iudæis nimirum incredulis, & in sua perfidia obduratis. Item, quales fuerint *scrutatores* illi scripturarum Beroeenses, quando scrutabantur,

D num quæ Apostoli prædicarant, ita se haberent; & quo animo, ad scrutandum accesserint: Neque verò in hac sua declamatiuncula obliuiscitur sui Zvvinglij Rullus: Denarrat enim nobis, quasi nescientibus, quo pacto, & quo monitore Zvvinglius didicerit illam expositionem verborum cœnæ: *Hoc est*, id est, *significat: corpus meum.* Quid hæc apponis Rulle? Vt omnibus cognitissima, ita vobis parum honorifica sunt, quia auctorem vestræ sectæ produnt; de quo ipse Zvvinglius testatur sibi non liquere, *ater an albus* fuerit. Sed de hoc Zvvingliano pædagogo pluribus actum est in disceptatione de somnio Zvvinglij.

Mentitur Rullus: *Bellarminum vniuersim negare, quòd spiritus ex scriptura probari possint*: Non hoc vni-

uersim inficiatur, sed tunc tantum, quando de ipsius scripturæ probandæ sententia dubitatur. Vt, verbi gratia, Zvvingliani dictitant: Sensum horum verborum esse hunc. *Hoc est corpus meum*, id est, *hoc significat corpus meum*; *& spiritum has verba hoc modo interpretantem esse spiritum Dei.* Hunc spiritum quomodo ad illa ipsa verba probabunt Zvvingliani; cum de sensu horum verborum tota sit quæstio & controuersia? Ait Rullus: *Esse alios clariores & dilucidiores locos, qui hunc obscuriorem illustrent, quibus bonitas & diuinitas spiritus huius liquidò probari & explorari queat.* Quid si de illis ipsis locis ambigatur, quem nam habeant subiectum sensum, vt semper fit, quoties Nouatores ab vno loco, tanquam tenebricosiore, ad alium, tanquam lucidiorem nos ductitant? An non tandem alibi spiritus huius probatio quærenda erit; vt asserit Bellarminus? Vbinam rectius quæretur; quàm illius in schola, quę veritatis firmamentum & columna est?

Rursus aduolat Rullus cum syllogismo. *Quos constat verum spiritum habere, ex conformitate cum illorum spiritu, aliorum spiritus sunt probandi. Prælatos in Concilio legitimo congregatos constat verum spiritum habere: ergo ex conformitate cum eorum spiritu, aliorum spiritus sunt probandi.* Maior extra omnem dubitationem est, apud quemlibet sani capitis, si addatur vocula, *infallibiliter*. nam quos constat infallibiliter verum spiritum habere, vtique ad illorum spiritus; aliorum spiritus probandi sunt. Rullus

A tamen nodum in scirpo quærit, nec inuentum, soluit. Ait, *Maiorem intelligi posse de spiritu vel in scripturis loquente, vel extra. Veram esse de spiritu in scripturis loquente, falsam de spiritu extra scripturas loquente.* Quomodo hæc cohærent? An non verus & verax spiritus, vbicunque est, qua talis, vera & veracia loquitur; siue loquatur per scripturam; siue extra? An spiritus verus quando per scripturam loquitur, vera loquitur; Maioremque illam verificat; & quando extra scripturam loquitur, falsa loquitur, Maioremque illam falsificat? An spiritus verus non est vnus idemque siue in scripturis siue extra?

Minorem concedit *de Concilio Apostolico, non Papistico.* At Rullus nunquam nobis demonstrabit,

B etiamsi Acheronta ipsum cieat, quando *Papisticum*, hoc est, Catholicum Concilium, cuius caput Papa; spiritus verus deseruerit, & ad *Caluinistica synedria* auolarit? Hactenus Rullus argumenta Bellarmini ex sacris litteris desumpta, refutare infeliciter tentauit. Argumenta capitis sexti, septimi, octaui & noni non attigit; metuens, opinor, digitis suis, ne adurerentur. Loco eorum nugatur nonnulla; num & quomodo Ecclesia super Petrum ædificata sit, sed quia hæc ad disputationem de Pontifice spectant; hic silentio prætereunda existimo.

APPEN-

Locum Deuteronomij, *mentitur esse malè versum à nostro interprete.* Sed iam supra copiosè versionem nostram defendimus. Hic tantum nota mendacium; in vulgata editione omissa esse verba: *inter sanguinem & sanguinem.* Clausis oculis Rullum versionem nostram legisse oportuit; si hæc verba non vidit. Mentitur iterum; non rectè versum: *inter lepram & lepram*; Et Rungius Lutheranus in Tractatu suo de norma & iudice cõtrouersiarum, calumniatur, Hieronymum hîc, *sua somnia somniasse.* Vertendum fuisse. *Inter plagam & plagam, ictu nimirum teli vel manu factã*, inquit Rullus; scilicet Prædicantes istos exspectabat liberanda versionis veritas; & quidem per mille ducentos annos, qui iam à D. Hieronymi ætate effluxerunt. Interea ab omnibus antiquis Patrib' perperam lectus, acceptus & explicatus est ille Deuteronomij locus. Quod credat, qui sibi persuadere potest, recẽtissimos istos Rullos & Rungios, & horum similes Hebraicę linguę fuisse peritiores D. Hieronymo; qui haud ignarus fuit vocabulum Hebræum *Nega* נגע, significare *plagam*, vel quamlibet *læsionem & percussurã* siue corporis, siue animi, cum Exodi 11. & Leuit. 13. ipsemet vocabulum hoc Hebræum per vocem *plagæ* expresserit; sed cum lepra etiam plaga sit (quis enim abnuat?) deque lepra potissimæ quæstiones & dubitationes exsisterent; quæ summi iudicis sententiam desiderarent; rectè fecit diuus Hieronymus, cum nomen alioqui generale, per speciale vocabulum *lepræ* interpretatus est; Nam corporis vulnera telo vel manu facta, de quibus nugatur Rullus, potius ad primum caput, quod est de sanguine, spectant. Nec obstat; quod Rullus ait; *hic agi etiam de politicis iudicibus; diiudicationem verò lepræ fuisse penes solos sacerdotes;* nam vel falsum est, quod dicit; vel ad politicum iudicem tantummodo executio sententiæ ab Ecclesiastico iudice latæ pertinebat; de quo suprà fusè, vbi & reliquos Rulli fumos dissipauimus. Tantum hic nota subtilitatem Rulli. Docet Bellarminus verba illa: *Et docuerint te*, &c. non sonare conditionem, sed assertionem siue promissionem. Contrà Rullus. *Est mandatum, ergo non est promissio.* Negatur consequentia; quia mandatum & promissio non sunt ita comparata; vt simul subsistere & consistere nequeant. Probat Rullus consequentiam. *Quia repugnat contextus, qui ostendit esse mandatum.* Non solùm mandatum, sed mandatum cum promissione certitudinis & infallibilitatis in pronuncianda sententia. *At experientia testatur sacerdotes interdum aberrasse.* Num docentes & pronunciantes ex cathedra? Hic perpetuò à Prædicantibus exemplum flagitamus.

Sequitur acutissimum dilemma: *Si fuit promissio, vel vniuersalis fuit, vel particularis. Si vniuersalis, tum nulli sacerdotes deflexerunt à lege, quod falsum est: nam contrarium testantur Prophetæ: sin par-*

A *ticularis, iam non securus reddebatur populus, sed dubius, vt cui semper ambigendum esset, an sacerdos ille, quem consuleret, esset ex numero eorum, quibus promissio esset facta.* Respondeo, fuisse vniuersalem de iudice & sacerdote ex cathedra pronunciante. Neque vspiam scriptura tradit, sacerdotes ex cathedra pronunciantes à veritatis linea & semita excidisse; Et quidquid testimoniorum profertur, id tãtum sacerdotes extra cathedram docentes attingit.

Ait Bellarminus, homines ad summi iudicis tribunal profectos magis dubios & perplexos abituros fuisse; si verba illa: *& docuerint te*, &c. fuissent hypothetica, non absoluta. Negat

B Rullus hoc sequi: quia dubitatione & perplexitate liberati fuissent, audita lege Domini, eiusque sententia. Quid si de ipsa sententia legis adhuc dubitassent? Quid si apertè occlamassent; non esse illum legis sensum; quem sacerdos afferebat? An non & hodie contingit; vt si quis Caluinista Lutheranum Prædicantem adeat expediri volens ex perplexitatibus de pręsentia Christi in Eucharistia; is magis dubius & implicatus discedat, quàm aduenerat? Audiet quidem ex ore Prædicantis verba scripturæ: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, & id genus alia: sed quando ad sensum verbis subiectum procedetur, tum hæsitabit, & fluctuabit, assensumque cohibebit. Quid ita verò? Quia non habet infallibilem certitudinem & se-

C curitatem, quod in tali sensu adstruendo Lutheranus Prædicans non fallatur. Si certus esset, talem neque falli, neque fallere; manus absq; vlla mora daret. Vociferabitur Prędicans; *se iuxta legem & scripturam explicare illa verba; Hoc est corpus meum:* at alter non credet; quia ignorat, num fallaris an mentiaris; imò non credet; quia probè nouit, te reipsa falli & mentiri posse: sicque æquè dubius & perplexus à te abscedet, ac fuerat, priusquam sententiam tuam exquireret.

Mentitur Rullus pariterque calumniatur, cùm dicit; *Bellarminum asserere, magis dubios & perplexos reddi homines, si à sacerdotibus doceantur se-*

D *cundum legem Dei:* non enim absolutè ita loquitur Bellarminus; sed ait; si summus ille iudex, ad quem, iussu Dei, quæstionibus exortis, eundum erat: non pronunciasset semper certò & infallibiliter secundum legis & veritatis regulas; tunc homines magis dubios & perplexos abituros fuisse, quàm aduenerant; Vnde enim scire potuissent; iudicem in sententia ferenda à lege non deuiasse? Certè non ideo solùm, quòd verba legis protulisset; Nam & Caluinista & Lutherista proferunt verba Euangelij in controuersia Eucharistica; neque eam ob caussam adeuntibus dubitationem & scrupulum eximunt, cum semper restet quæstio de sensu, num verus ac germanus sit; an verò falsus &

suppo-

suppositititius. Cum verò hoc tribunal in Israële supremum fuerit, à quo nulla appellatio concedebatur; planè oportebat, vt simpliciter infallibile esset; omnibusque exploratè constaret, iudicem ex tribunali illo sententiam falsam pronunciare non posse.

Rullo non videtur absurdum, vt *iudicandus*, aut iam *iudicatus* sit sui *iudicis Iudex*; inque sententiam eius, iustáne sit, an iniusta, inquirat. At Spiritui sancto loquenti per scripturas hoc perquam absurdum videtur. Quapropter hoc ipso Deuteronomij loco minimè iussit; vt iudicatus sententiam à sacerdote prolatam examinet; sed obsequium irrefragabile imperauit; etiam mortis supplicio in rebelles, hoc est, in *iudicum suorum iudices* decreto. Neque exemplum illud Prædicantibus tritum de Berœensibus ad rem facit; vt sæpe dictum alibi. *At iudicatus debet sententiam iudicis approbare; ergo debet de illa iudicare*; omnino iudicium illud, quod omnem electionem antegreditur, adhibere debet; sed hoc aliud non est, quàm vt certò statuat; veram esse & amplectendam sententiam, quam Iudex protulit. Iudicium cum disquisitione & dubia examinatione, præsertim publica, nullo modo ei conceditur, nisi apud præposteros, vbi omnia præpostera legibus eunt.

De coniunctione Hebræa versu 12. suprà abunde egimus; Mirificè exultat Rullus; quod Bellarminus fatetur; In Hebræo esse, *ascende ad sacerdotes, & ad iudicem*; vbi vulgata in singulari; *ad sacerdotem*. Clamitat. *Caussam Papistarum vehementer lædit Bellarminus*. Qua de caussa? *Quia relicta vulgata versione, prouocat ad textum Hebræum. Fatetur itaque versionem vulgatam esse corruptam. Deinde, facto suo confirmat, nos rectè facere, cùm textum Hebræum potius sequimur, quàm vulgatam versionem. Non debebunt igitur Papistæ deinceps ægrè ferre, si relicta versione vulgata, textum Hebræum sequemur: siquidem exemplum habemus Bellarmini idem facientis*. En quam triumphat Rullus ob vnicum Bellarmini verbulum. Quis orthodoxorum vnquam negauit, licere ex Hebræis & Græcis fontibus veritati lucem accendere? Num ideo vulgata editio reprehenditur, contemnitur aut reiicitur; si quis dicat: in Hebræo, textum hoc vel illo modo constitutum esse, aut ex Hebræo hunc vel illum sensum elici? Num Bellarminus textum Hebræum versioni vulgatæ prætulit? Num lectionem illam sinceriorem pronunciauit? Num veterem Interpretem, more vestro, conuiciis & maledictis insectatus est, & inscitiæ insimulauit? Si apud Rullum quidquam ponderis habet hæc argumentatio: *Bellarminus quid in Hebræo contextu contineatur, indicauit; ergo vulgatam editionem, tanquam vitiosam, reiecit*: tum habebit & ista: *Prædicantes sæpe citant vulgatam editionem, & assertiones suas ex illa*

A *declarant, omisso textu Hebræo, quem solum pro authentico habent, ergo textum Hebræum, tanquam corruptum; repudiant*. Hanc consecutionem, nunquam, satis scio, approbabunt Prædicantes; Et tamen similis est priori illi, qua Rullus Bellarminum vrget.

Accusat Rullus Bellarminum *impudentiæ*, quòd *scripserit, simpliciter, esse falsum in hac lege agi de negotiis politicis*. At, ô Rulle, vitium, quod de Bellarmino Prædicas, id tibi est. Non enim scripsit Bellarminus simpliciter falsum esse agi hic de politicis caussis; sed dixit, *simpliciter falsum esse non agi hic de dubiis religionis, tantumque de controuersiis politicis*: Hoc longè aliud est, quàm
B quod Rullus Bellarmino affingit. Hactenus de secundo Bellarmini argumento.

Tertium sumitur ex Ecclesiast. cap. 12. *Verba sapientum sicut stimuli*, &c. Hic Rullus post triuiales in Papam criminationes, accusat versionem vulgatam vitij. At locum hunc ab interprete rectè esse expressum, ostendimus suprà contra Iunium qui Interpreti nostro eandem culpam obiectabat. Tantum hic addo: Rullum carpere etiam illa: *His amplius, fili mi, ne requiras Perperam*, inquit Caluinista, *habet hæc vulgata editio. Nam particula prohibitiua ne non est in Hebræo*, & נזהר, non significat, *requiras*, sed; *admonitus esto, edoctus esto, &c.* Hic iterum à se im-
C petrari sinet Rullus, vt 70. Interpretes & noster vulgatus, tam prisci & celebrati, sibi tam nouitio & obscuro anteponantur; qui & ipsi Hebræa intellexerunt; & sensum optimè expresserunt. Ita ergo illi. *καὶ περισσὸν ἐξ αὐτῶν υἱέ μου, φύλαξαι. Et amplius ab ipsis, fili mi, caue*; hoc est, vt noster Interpres sensum secutus reddidit. *His amplius, fili mi, ne requiras*; quasi diceret; contentus esto verbis sapientum ab vno pastore tibi datis; neque amplius quid expetas. Nec repugnant Hebræa: quæ ad verbum sic vertit Arias Montanus in Bibliis Regiis: *Et amplius ab illis, fili mi, monitus sis*; ne scilicet aliud requiras. Versio Tigurina. *Postremò fili mi, caue admonitus*. Quid admonitus cauere debet? Ne quid am-
D plius verbis sapientum desideret. Vides ergo, quàm grauem iustamq; caussam habuerit Rullus hoc loco incessendi & lacerandi nostri Interpretis. Quæ sequûtur circa hoc testimonium Ecclesiastæ iam suprà expedita sunt. Conuicia nil moror; vt cum Papam, *Iouem Capitolinum*; Papistas; *insulsos* appellitat, homo scilicet valde salsus; & qui fortè salem pro anima habet.

Quartum testimonium Aggæi 2. Hæc dicit Dominus, &c. Et Malach. 2. Labia sacerdotis, &c. Mentitur Rullus, *testimonium Aggæi impertinenter à Bellarmino adduci. Et officere Papistarum caussæ*. Quamobrem? *Quia in eo non docetur solius summi sacerdotis fuisse de legis sententia pronuncia-*

re. Neque hoc asserit Bellarminus; sed tantùm hoc, quæstiones de lege, non laicorum; sed sacerdotum iudicio in veteri testamento tractatas & disceptatas fuisse; inter hos autem sacerdotes erat vtique etiam sacerdos summus. Neque disquirit Bellarminus; vtrum Propheta sciuerit, an non solutionem illarum quæstionum, quas sacerdotibus proposuit; sed tantum hoc considerat & vrget, quòd Deus Prophetam in quæstionibus legis, non nisi ad sacerdotes misit; aliam enim ob caussam non accidit, nisi quia de quæstionibus legis respondere, proprium sacerdotum mnus erat. *At debebat respondere ex lege,* inquit Rullus. Respondeo, falsum esse si velit necessarium fuisse, vt ipsa explicatio & sententia, quam ad quæstiones propositas dabant, exstaret explicitè & formaliter in ipsa lege; satis est, quod legi conformis esset; neque enim requiritur; vt explanatio Aristotelis, verbi gratia, vel alicuius legis ciuilis, exstet disertè & explicitè in ipso Aristotele vel Iure ciuili, satis est si Aristoteli vel Iuri ciuili sit consentanea.

Mendacium est; quòd absolutè scribit; *Papam contra ius, & supra ius, & extra ius omnia posse.* Nec refert quod simile quid reperitur vel apud Glossographos vel alios Interpretes Iuris; quia duo cum dicunt idem; non est idem. Quod & hic contingit; nam non nisi bona mente à quibusdam Iureconsultis talia quædam pronunciata sunt; at Hæretici eadem non nisi mala mente & fide recitant; quasi Papa omnia iura diuina, naturalia, & humana tollere, & suo arbitratu abrogare queat. Quod nulli vnquam orthodoxo in mentem venit.

Mentitur, *in testimonio Aggæi non contineri quod Bellarminus asseuerat.* Asseuerat enim quæstiones de lege pertinere ad sacerdotes, non ad laicos. An hoc non continetur in testimonio Aggæi?

Mentitur, *à Bellarmino concedi debere, solutionem illarum quæstionum, quas ad sacerdotes Aggæus attulit, fuisse ipsi ignotam.* Quis coget Bellarminum, vt hoc concedat?

Mentitur, Bellarminum, *hoc loco determinatè pugnare pro auctoritate summi Pontificis.* At contrà Bellarminus expresè testatus est; se in hoc libro tantum disputaturum de supremo Iudice controuersiarum; siue is sit solus Pontifex; siue Pontifex cum concilio.

Mentitur, similiter, *Malachiæ testimonium alienum esse à proposito, & ipsis Papanis* (sic loquitur Scurra) *aduersari.* Vtrumque est mendacium. Quia Bellarmino probandum est, cognitionem & diiudicationem de lege, pertinere ad sacerdotes; non ad laicos: si ad sacerdotes; ergo etiam ad summum. Diiudicatio duplex est; simpliciter vltima; & non vltima, vtraque pertinet ad sacerdotes, prima ad summum vel solum, vel

A cum consilio sacerdotum. Posterior ad singulos sacerdotes etiam sigillatim spectatos. Hæc omnia optimè ex Malachiæ oraculo educuntur & deducuntur; contrà ac mendax Rullus blaterat; qui pro genio & ingenio omnium Prædicantium, deditâ operâ. statum & filum disputationis Bellarminianæ inuertit & intercidit; ne veritas patescat.

Detonat deinceps Rullus in Romanos Pontifices, *eorumque*, vt vocat, *imperitiam.* His & similibus acroamatis, vt se suosque oblectet, apud cordatiores tamen & prudentiores sycophantæ potius, quam acuti disputatoris existimationem sibi comparat, præsertim cum Chri-
B stus non scientiæ; sed cathedræ Spiritum sanctum promiserit; & pleraque, si non omnia, quæ de Pontificibus isti garriunt, mera sint malè feriatorum & turbulentorum capitum conuicia, & vanissima commenta. eorum, inquam, hominum, qui, vt Rullus hic loquitur, *Elati fastu superos Acherontaque rident*, hoc est, *nec Deum, nec diabolum curant.*

Ex lib. 2. Paralip. cap. 19. tale format Rullus argumentum; idque Bellarmino per insignem impudentiam affingit. *Si Rex Iosaphatus clarè distinguit officium Pontificis ab officio regis, & soli Pontifici tribuit iudicium de dubiis legis: tum solus Papa Romanus est summus index veri sensus scripturæ, & omnium*
C *controuersiarum Ecclesiasticarum. Verum est antecedens, vt patet ex 2. Paralip. seu Chronic. 19. vers. 10. & 11. Ergò & consequens.* At tu euolue sursum & deorsum, prout libuerit, totum caput quartum libri tertij Bellarmini, neque tamen vsquam hoc argumentum inuenies. Quod cum Rullus refellit; non Bellarminum; sed sua somnia & mendacia refellit. Quamobrem non Bellarminum, sed seipsum hac censura ferit. *Nulla est propositionis connexio. Ex qua logica Bellarminus,* (dic tu, Rullus) *didicit ita consequentias nectere? Nam enim quia Iosaphatus apertè discriminat munus sacerdotale, à regio, & soli Pontifici summo tribuit iudicium de dubiis legis; inde sequitur; Papam Romanum esse summum iudicem omnium controuersiarum Ecclesiasticarum? quæ*
D *nam est consequentiæ ratio?* Nunquam ita argumentatus est Bellarminus, vt tu calumniosè mentiris; sed hunc in modum argumentum instituit. In veteri testamento notio & diiudicatio quæstionum de lege commissa est non laicis, sed sacerdotibus seu summo Pontifici: ergo etiam in nouo testamento huiusmodi controuersiarum cognitio & definitio non laicis, sed sacerdotibus seu summo Pontifici demandanda est.

Mentitur Rullus, cùm dicit; *Pontificem, officium sacerdotis & Regis sibi arrogare.* Audistine vllum Pontificem, qui aliquo in Diplomate se *Regem* appellaret? Mentitur, non posse ex tex-

tu ci-

tu citato probari, soli Pontifici tributum esse iudicium de dubiis legis, vltimum scilicet & definitiuum: quia licet verbis antegresis sacerdotibus quoque cognitio quarundam caussarum concedatur; suprema tamen sententia soli Pontifici conceditur, hoc ipso, quod in his, quæ ad Deum pertinent; solus ipse præses constituitur.

Ex primo testimonio, quod Bellarminus ex cap. 16. Matthæi adfert; hunc cudit Rullus syllogismum: *Cui datæ sunt claues regni cælorum, & auctoritas ligandi, soluendique; is est summus iudex controuersiarum religionis: Pontifici Romano datæ sunt claues regni cælorum, & auctoritas ligandi: soluendique: Ergò Pontifex Romanus est summus iudex controuersiarum, &c.* Negat inprimis Rullus Maiorem; & multa inscitè ac insulsè nugatur de clauibus: quid significent: restringitque ad solam peccatorum vel remisionem, vel retentionem. Imperitè nimis; cum vel in primis *clauis*, qua verus scripturæ sensus aperitur, Ecclesiæ sit necessaria; ipseque Christus absque vlla restrictione dixerit: *Et tibi dabo claues regni cælorum.* An auctoritas infallibiliter controuersias decidendi ac definiendi, & veritatem certò & absque erroris periculo patefaciendi potestas, non est clauis, qua regni cælestis fores reserantur? Si clauis est; vt reuera est; ergo Petro & successoribus data est. Nec obstat, quod vel diuus Augustinus citatus à Rullo, vel alius quispiam *claues* has explicat de remisione vel retentione peccatorum; Nam quibus locis hoc dicunt, iis claues inadæquatè non secundum totam suam vim & potentiam considerant. Neque opus vno in loco omnia dici; præsertim, quando constat, quæ absolutè fuerit sanctorum Patrum de his clauibus mens & existimatio. Quod exactius pertractare non est huius argumenti.

Triuialia illa: *Quemlibet Episcopum; imò quemlibet, qui Petri doctrinam tradat, esse Petri successorem: Papam non esse Petri successorem; Papam non pascere oues Christi: Papam non sequi Petrum in doctrinæ prædicatione, aut in sacramentorum administratione, nec in cultu Dei sinceritate, nec in vita & morum sanctitate*, & huius farinæ alia, ad triuium, vnde petita sunt, ablegamus; & pædagogis triuialibus, vt iis animum exhilarent, in solidum transcribimus.

Secundum testimonium Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, &* Mentitur Rullus, *nihil alienius à proposito adduci potuisse, quàm hoc testimonium.* Quid ita? *Quia hic agitur de disciplina Ecclesiastica.* Esto. An ideo non agitur de controuersiis Ecclesiasticis à legitimo iudice cognoscendis, dirimendis & componendis, deque veritate certò, euidenter & infallibiliter vniuersis Ecclesiæ membris proponenda? Quæso te, quid magis ad

A conseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ pertinet, quàm vt lites, de quæstionibus fidei, sopiantur, & veritas ipsa omnibus amplectenda planè & perspicuè in lucem proferatur? Si peccauerit in me frater, ad Ecclesiæ tribunal peccantem deferre licebit; deque peccato cognoscet & iudicabit Ecclesia; num si peccato hæreseos in me, in Ecclesiam, inque Deum frater delinquat; non deferendus erit ad Ecclesiam; vt pereunti manum porrigat; erroremque pestiferum ex animo eximat, & quidem cum auctoritate obligationem obtemperandi inducente, ita vt si dictis morem gerere nolit; Ethnici aut publicani instar habeatur?

B Quamuis autem ex hoc loco Bellarminus nullum syllogismum format, Rullus tamen hunc nobis cudit, vt intelligamus, quam sit insignis syllogista: *Ecclesia est summus iudex controuersiarum Ecclesiasticarum: Pontifex cum suo Concilio est Ecclesia; Ergò. At quis piorum dabit has præmissas?* clamat Prædicans. Imò quis piorum non dabit? Quis, nisi impius, inficiabitur, præsertim, si in *Minore* vocabulum Ecclesiæ accipiatur *synecdochicè*, nomine totius ad præcipuam & principalem partem translata. An Iudex Ecclesiasticarum controuersiarum non erit illa; cuius sententia adeò valida est & efficax, vt rebelles & refractarios ethnicis & publicanis pares efficiat; & ab omni prorsus proborum cõsortio & com-
C munione arceat? His tamen non obstantibus, negat Rullus *propositionem*, seu *Maiorem*; quam sic à Bellarmino probari dicit; *Si qui Ecclesiam non audit, debet esse vt ethnicus, & publicanus; sequitur, Ecclesiæ esse vltimum, seu summum iudicium controuersiarum. Illud est; ergò & hoc.* Quid ad Maiorem Rullus? Audite mirificentissimam responsionem. *Nulla est connexio.* Quare? *Quia sunt quatuor termini.* O stuporem: perinde ac si negaret istam propositionem: *Si qui est animal risibile, simul etiam est animal rationale; sequitur Petrum esse animal rationale; quia est animal risibile*; caussamque negationis redderet; quod quatuor *terminis* constaret: an non extremè & deploratè ineptiret? Atqui non leuius ineptit, qui alteram propositionem
D negat; & negationis caussam adducit, quod constet quatuor terminis.

Vbi sunt isti in *Maiore* quatuor termini? *Primus: Qui Ecclesiam non audit. Secundus, debet esse vt ethnicus, & publicanus: Tertius, Ecclesiæ: Quartus, est vltimum, seu summum iudicium controuersiarum.* Similiter ac si per febrile delirium dicas, in altera, quam attuli propositione, esse quatuor terminos; & ideo negandam. Primus sit: *Animal risibile.* Secundus: *Simul etiam est.* Tertius: *animal rationale.* Quartus: *Petrum esse.* Quis vnquam talia deliramenta audiuit? Syllogismi reiiciuntur & repudiantur; quando quatuor constant terminis. Quis vnquam vllam propositio-

Digitized by Google

nem ideo præcisè dixit falsam; quòd quatuor *terminis* constet? syllogismi hoc vitium est; non vnius propositionis; vt taceam, stultissimum esse, quod hic de quatuor *terminis* insulsè nugatur: nam quæstio est, vtrum Ecclesiæ competat vltimum seu summum iudicium controuersiarum: vbi non nisi duos terminos, seu duo extrema habes. Iam ergo vt affirmatiua pars huius quæstionis probetur; assumitur terminus medius: *Qui Ecclesiam non audit, debet esse sicut ethnicus & publicanus.* Hoc medio cum altero quæstionis extremo iuncto; hęc Maior hypothetica conficitur: *Si qui Ecclesiam non audit, debet esse vt ethnicus, & publicanus: sequitur Ecclesiæ esse vltimũ, seu summum iudicium controuersiarum.*

Syllogismum categoricum sic instituere licebit. Cuius vox & sententia non audita facit, vt quis ethnici & publicani loco haberi debeat; ei competit supremum de controuersiis iudicium: Vox & sententia Ecclesiæ non audita facit, vt quis ethnici & publicani loco haberi debeat: Ergo Ecclesiæ competit supremum de controuersiis iudicium. Num & in hoc syllogismo quatuor terminos nobis ostendes? Admodum dubito; vtrum noueris, quis, & quid dicatur syllogismi *terminus*? Atqui hic posterior syllogismus aliis terminis non constat quàm prior ille; Et tantum hoc discrimine dissident; quòd prior ex Maiore hypothetica; hic ex categorica formatus sit.

Sed en alium syllogismum: *Ad quem vltimo iubetur deferri hæreticus, is est summus iudex controuersiarum Ecclesiasticarum; Ad Ecclesiam vltimò iubetur deferri hæreticus: ergò Ecclesia est summus iudex controuersiarum Ecclesiasticarum. Falsa iterum Maior:* clamat Rullus. Neque tamen vllam caussam reddit, cur falsitatis Maiorem insimulet. An non enim ille summus controuersiarum iudex censetur, etiam in foro ciuili; supra quem nullus alius reperitur; & à cuius tribunali non datur ad vllum aliud sublimius in illo foro prouocatio & appellatio?

Falsa est & assumptio; inquit Rullus. Cur? Tacet. Si non vltimò iubetur Hæreticus, vel alius noxius deferri ad Ecclesiam, cedo, quo nam in hac vita post delationem ad Ecclesiam, aliò deferendus est? Nomina illud tribunal: ad quod eundum post Ecclesiæ Iudicium. Deinde; si Ecclesiæ *vox* non est vltima; cur post Ecclesiæ vocem contemptam tam seuerè punitur reus; vt quasi igne & aqua interdicatur? Certè nullus; quando ad vlteriorem iudicem legitimè ab inferiore, seu à non vltimo prouocat; pœna aliqua affici solet; sed exspectandum est supremi iudicis arbitrium; At hic non exspectatur vllius alterius iudicium; sed statim obsequium detrectanti pœna præsto est; & quidem grauissima pœna.

A Tertium testimonium Matth. 23. *Super cathedram Mosi, &c. Quali consequentia inde conficietur,* inquit Rullus, *Pontificem Romanum cum suo Concilio esse summum controuersiarum iudicem? Operæpretium fuisset à Bellarmino ipso syllogismum formatũ esse.* Quid si formasset; num calumniæ & lœdoriæ te defecissent? An non iterum nobis tuam illam de *quatuor terminis* cantilenam occinuisses? Nisi vel natura cæcus esses, vel de industria Bellarminum lectitans oculos clausisses; hanc consequẽtiam ab eo insinuari non obscurè animaduertisses. *Sedentes in cathedra Moysis, indeq́; docentes in omnibus reuerenter, & religiosè audiendi fuerunt; ergo nunc etiam, qui in cathedra Petri sedent, & inde docent, in omnibus reuerenter, & religiosè audiendi*

B *sunt*: Huic consequentiæ subnecti potest iste syllogismus. *Qui in cathedra Petri sedent & inde docent, in omnibus religiosè ac reuerenter audiendi sunt; Pontifex Romanus vel solus, vel cum concilio, sedet in cathedra Petri, ergo Pontifex Romanus vel solus, vel cum concilio in omnibus religiosè ac reuerenter audiendus est.* Vereor, ne quatuor *terminos* intones; Consule tuam Logicam, ad quam lectorem subinde remittis. Præclara proculdubio est, quia *Rullica.*

Quartum testimonium Ioan. 21. *Pasce oues meas, &c. Hic talis syllogismus erit exstruendus*; exstructore Rullo: *Quicunque est successor Petri, is est summus iudex controuersiarum: Pontifex Romanus est successor Petri: ergo Pontifex Romanus est summus iudex controuersiarum. Vtraque præmissa est falsa*, in-

C quit Rullus; Probat tamen Maiorem in nostram gratiam: *Quicunque iussus est pascere oues Christi, is est summus iudex controuersiarum: Quicunque est successor Petri, iussus est pascere oues Christi. Ergò. Maior iterum falsa est*, inquit Rullus. Malè sit tibi Rulle, qui nullam præmissam, quæ tibi arrideat, exstruere potes. Caussam falsitatis assignas. *Si is, qui iussus est pascere oues Christi, est summus iudex controuersiarum; tum omnes pastores Ecclesiæ, erunt summi controuersiarum iudices.* Respondeo, negando sequelam. Ad probationem dico, nullos pastores iussos esse pascere gregem Christi, sicut Petrus iussus est; omnes videlicet absque vlla exceptione vel restrictione; & independenter à quouis alio visibili pastore in hac hu-

D ius caducæ vitæ Ecclesia. Hinc 1. Petr. 5. monet diuus Petrus Episcopos non absolutè & indefinitè, vt gregem Christi pascant; sed ait; *pascite gregem, qui in vobis est*; seu, vt citat Rullus, qui *penes vos* est; non omnem, sed vestrum, vobis commissum; certis finibus ac spatiis circumscriptũ. Sic Act. 20. citante Rullo. *Attendite vobis ipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos,* &c. Illi nimirum gregi singuli aduigilare iubentur; cui custodiendo à Spiritu sancto præpositi sunt; certæ videlicet gregis portioni, non toti gregi.

Clamat Rullus. *Pontificem non pascere; quia pascere sit docere: at Papam non docere.* Si tu tuique Symmystæ doceri velletis; quàm promptè, addo &

alacri-

alacriter, paſceret & doceret vos Papa. Aperi Concilium Tridentinum. Vide, an non te doceat Papa, quid in omnibus fermè huius tempeſtatis litibus Eccleſiaſticis ſentire, & quam partem amplecti debeas. Illud argutum eſt. Chriſtum non dixiſſe: *Paſce omnes oues meas, non ergo omnes oues Petro fuiſſe commiſſas.* Explicitè quidem vox vniuerſalis non eſt adiecta; Eſt tamen adiecta, virtute. Nam ſi Petrus non debuit paſcere omnes: dic, oro, quaſnam paſcere debuit, quas non. Deſigna, oro, portiunculas, ad quas hæc paſtio ſe extendat; & illas, ad quas ſe non extendat. Cæteras circa hunc locum Rulli quiſquilias, euerrimus iam ſupra, quando nobis cum aliis Prædicantibus negotium erat.

Quintum teſtimonium Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, &c.* Vbi Caluiniſticus ſyllogiſta. *Qui non poteſt errare ex cathedra docens, is eſt ſummus iudex controuerſiarum religionis. Pontifex Romanus non poteſt errare ex cathedra docens. Ergò.* Reſpondet Rullus: *Falſa eſt Maior.* Addit cauſſam. *Quia alioqui poſt miſſionem ſancti Spiritus minimùm tot fuiſſent ſummi iudices, quot Apoſtoli, cum nullus eorum potuerit amplius errare in doctrina, ipſi enim non erant, qui loquebantur, ſed Chriſtus; ſed Spiritus ſanctus per ipſos.* Nihil cauſſæ erat, cur Rullus falſitatem Maioris perſuadere nobis tam prolixè conaretur; quia neque totus ſyllogiſmus; nec Maior illa, pars ſyllogiſmi, Bellarmini eſt; Et verè, vt falſa, reiicitur. Poſito enim, quod Rullus in docendo errare non poſſet; an ideo ſupremus omnium controuerſiarum iudex foret? Nam non poſſe errare docendo, eſt quidem conditio ſupremi iudicis; ſed latius patet; quàm ſupremus iudex, nec cum ipſo reciprocatur: ſicut ſenſitiuum eſſe, competit quidem homini; at non ſequitur: *eſt ſenſitiuum; ergo homo*; quia facultas illa latius diffunditur, quàm homo. Itaque ſi quis ex teſtimonio illo Lucæ 22. & ex Bellarmini doctrina ſyllogiſmum aptum condere velit; id hoc modo effectum dabit: Is, pro quo Chriſtus ſpecialiter rogauit, ne fides eius deficeret; hoc eſt, vt docendo & definiendo ex cathedra nunquam vllum in errorem incurreret, is, inquam, eſt ſupremus controuerſiarum fidei iudex: ſed ſolus Petrus & ſucceſſores ſunt illi, pro quibus Chriſtus ſpecialiter rogauit, ne vnquam eorum fides deficiat; hoc eſt, vt docendo & definiendo nunquam vllum in errorem incurrant; ergo ſolus Petrus, & ſucceſſores Petri ſunt ſupremus controuerſiarum Iudex. Hic legitimus, & ex Bellarmini penu depromptus ſyllogiſmus eſt; non ille, quem Rullus rudi ſua aſcia edolauit.

Nugamenta illa; *Chriſtum oraſſe pro omnibus Apoſtolis; orationem Chriſti tantummodo pertinere ad eam, quæ mox ſecutura erat, Petri negationem; Chriſtum pro omnibus fidelibus preces fudiſſe: hinc ergo con-*

A *fici, ſi vera ſit noſtra explicatio, neminem ex fidelium numero in docendo errare poſſe; Multos Pontifices in grauiſſimos errores incidiſſe*: iam ſuo loco diſpulſa & funditus diſiecta ſunt; pleraque enim, ſi non omnia exſcripſit Rullus ex VVitackero; Savvbrando, & aliis. Neque neceſſaria eſt longior in his mora.

Sextum teſtimonium eſt ex Act. 15. de Concilio Hieroſolymitano. Hic Rullus totus in fermento iacet, vociferatur. *Spiritu vertiginis laborat Bellarminus: & hic ipſi eſt proprius, adeo perturbat omnia.* Tu verò grauiſsimè ſpiritu mentiendi & ſycophantandi laboras; qui tibi cum reliquis quinti Verbi præconibus communis eſt: adeò
B vbiq; ſcopum Bellarminianæ diſputationis ſuo ex loco dimoues; vt eo dimoto, facilius nebulas oculis tuorum offundas. Mentiris; Bellarmino probandum fuiſſe: *Pontificem Romanum eſſe iudicem controuerſiarum*: non hoc ei probandum fuit; ſed; *controuerſiarum Eccleſiaſticarum cognitionem & deciſionem pertinere non ad laicos, non ad alios, quibus hæretici hanc prouinciam delegant; ſed ad Eccleſiam, hoc eſt; ad caput Eccleſiæ, idq; ſolum, vel cum reliquis Paſtoribus in Concilio legitimè congregatum.* An non hoc euidenter oſtendit exemplum Concilij Hieroſolymitani? In quo Petrus primus Papa; præſedit; quidque ſucceſſores agere debeant, exemplo docuit. Nam quod explicitè Pontificis Romani non fit mentio; non refert; quia Petri
C fit mentio; Petrus autem Pontifex Romanus tunc erat; quia iam Pontifex vniuerſalis à Chriſto conſtitutus fuerat. *At tempore Synodi Hieroſolymitanæ necdum viderat Petrus Romam.* Quid tum? An ideo non poterat eſſe Romanus Pontifex? Rex Hiſpaniæ nunquam vidit Indiam Orientalem vel Occidentalem, neque etiam Braſileam, neque regionem Peruanam; An ideo non eſt harum prouinciarum Rex & Dominus? Deinde inſignem hiſtoriæ imperitiam prodit Rullus. Nam diuus Petrus Romam venit anno Redemptoris XLIV. Claudij Imperatoris anno ſecundo: Synodus autem Hieroſolymitana inita & peracta eſt anno Chriſti LI. Claudij Imperatoris anno nono; vt ex probatiſsimis Auctoribus
D demonſtrat Annali primo Baronius: Qua igitur ratione Petrus tempore Hieroſolymitani Concilij nondum viderat Romam, vt ineptit Rullus: quem puto non abhorrere ab illorum inſania, qui inficiantur Petrum vnquam veniſſe Romam. De quibus alibi.

Reliqua mendacia & inſcitiæ argumenta quid perſequi attinet? *vt Petrum non præſediſſe illi concilio, ſed Iacobum. Primas in dicendo non fuiſſe Petri. Papæ aliud videri, quàm Spiritui ſancto. Neceſſariò ſolum id nobis videri debere, quod videtur Spiritui ſancto loquenti per Scripturas*: Hæc iam antea abundè refutata ſunt: Nec declamatiuncula de legendis, & interpretandis ſcripturis, quidquam huc facit,

nisi vt Rullus multas chartas impleat, longamque aduersus Bellarminum disputationem texuisse videatur.

Illud perquā festiuum existimo: quod probat; Ecclesiam nostram defecisse ab Apostolica & primogenia illa, huiusmodi argumento. *Qui non seruant decreta synodi Hierosolymitanæ, illi defecerunt ab Ecclesia Apostolica; sed Papistæ non seruant. Papistæ ergo defecerunt ab Ecclesia Apostolica.* Maior supponitur vt certa. Probatur Minor. *Quia Papistæ non abstinent à sanguine & suffocato, nec ab idolothytis, nec à fornicatione.* At si hæc ratio probandi quidquā contra nos efficit, efficiet tantundē contra ipsos Lutheranos & Caluinistas; quos à sanguine & suffocatis non abstinere luce lucidius liquet; omniumque lanionum, venatorum & aucupum testimoniis planum fieri poterit, sectarios nostros vesci farciminibus & botulis suillo sanguine distentis; item ficedulis, alaudis, perdicibus, & id genus aliis volucribus suffocatis, imò & leporibus, aliisque id genus quadrupedibus, quibus laqueo absque sanguinis emissione vita adempta est. Defecerunt ergo ab Ecclesia Apostolica: aut si ipsis his esus licitus est ac permissus, sine vllo defectionis crimine; cur nobis inconcessus esset?

Occurrit Rullus: *Nos neutiquam abrogandam censemus, sed sanctè obseruandam, quotiescunque animaduertimus, Iudæos, sanguine nos vesci videntes, offendi, & à religione Christiana alieniores reddi.* Quàm verè hoc scribat Rullus, nouit Deus, nouit & ipse; Norūt & alij; quibus notum, sanguinis & suffocatorum esum vsurpari ab ipsis etiam Nouatoribus absque vllo ad Iudæos respectu, etiam iis in locis, vbi Iudæi cum Christianis degunt. Non enim tantum talia publicè venduntur, quidquid Apellæ contrà murmurillent; sed & publicè mād ucantur: libenterque scirem, vtrum vnquam Rullus se continuerit ab esu carnis porcinæ vel leporinæ, vel alterius Iudæis interdictæ, ne quem verpum offenderet. Mira certè hæc religio foret in Iudæos, cum diebus ab orthodoxa Ecclesia vetitis carne sese vsque ad summum ingurgitet; sine vllo *Papistarum* respectu. Quibus si scandalo sit, susque deque habet. His omissis, ad rem respondeo, decreta illa de sanguine & suffocato fuisse temporaria, diutius non duratura, quàm Gentes cum Hebræis in vnum corpus firmiter constanterque coalescerent. Quapropter vis, qua obligabant, iam pridem euanuit. Et iam suo æuo hæc scribebat D. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. *Vbi Ecclesia gentium talis effecta est, vt in ea nullus Israëlita carnalis appareat; quis iam hoc Christianus obseruat: vt turdos, vel minutiores auiculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu à ceruice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui fortè pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur.* Itaque licet hæc hodie non obseruentur, mini-

A mè culpabilem aliquam à decretis Apostolicis defectionem arguunt; cum licitè non obseruentur leges, postquam earum obligatio vigere desiit. Idem de idolothytis intellectum volo.

De fornicatione mentitur Rullus. Nouimus fornicationem non tantùm hoc Apostolico, sed & naturali ac diuino decreto grauissimè prohibitam, nulloque casu licitam. Nam quod ab hoc flagitio quidam ex orthodoxis sibi non temperant, quid hoc ad fidem Catholicam? Num nullus inter Nouatores scortator? Nulla scortatrix?

Septimum testimonium Galat. 2. *Ascendi*, inquit Paulus, *Hierosolymam cum Barnaba, &c.* Hinc B Rullus talem syllogismum procudit: *Si tempore Apostolorum, Petri fuit tanquam summi iudicis de doctrina fidei iudicare: tunc hodie Pontificis Romani est idem priuilegium: Verum est antecedens: Et consequens igitur.* Si sequelæ Maioris hæc paucula verba adiungas: *Tunc hodie Pontificis Romani, tanquam successoris Petri, &c.* Conceditur sequela; itemque Minor cum conclusione. Nam quod tu *connexum*, vt loqueris, vocas *falsum, propter sophisma falsorum parium*; multum falleris: quod magis par in officio, quàm antecessor & successor in eodem officio? Assumptionem etiam falsitatis accusas. Assumptio, opinor, est ista. *Verum est antecedens.* Antecedens autem erat; *Petri tanquam summi iudicis temporibus Apostolorum fuisse de doctrina fidei iudicare.* At hoc euidenter osten- C dit testimonium Apostoli Pauli, qui se Hierosolymam ascendisse palam fatetur, vt cum Petro & aliis conferret. Cur, nisi vt Petri iudicium exquireret; ne in vanum curreret, aut cucurrisset? Neque obstat, quod & cum Ioanne & cum Iacobo contulit, vt suprà satis dictum est.

Connexum, inquit Rullus, *non probat Bellarminus.* Quomodo probaret, cum ipse syllogismū illum non confecerit? Et tamen facilis probatio, quam Bellarminus passim insinuat: Quia successor eodem priuilegio potitur, quo antecessor, si in solidum succedat; vt quidem succedit Romanus Pontifex sancto Petro. Si igitur o- D lim D. Petri munus erat, tanquam supremi iudicis, iudicium de scriptura ferre, idem hodie erit Romani Pontificis, vtpote in iudicandi potestate successoris.

Assumptionem ait Rullus hoc syllogismo ostendi posse. *Si Paulus ascendit Hierosolyma, & Euangelium suum exposuit, illudque à Petro confirmatum est; tum Petri fuit, tanquam summi iudicis de doctrina fidei iudicare. Prius est; ergo & posterius.* Concedo totum; Caluinista tergiuersatur & caussatur. *Antecedens esse ambiguum dupliciter. Nam primò vel excludūtur alij Apostoli & fideles, vel non.* Respondeo, etiam illos includi: nam meminit quoque aliorum; non solius Petri. Instat Rullus: Ex hoc sequi; non solum Petrum fuisse supremum iudicem. Fuerit

d by Google

tunc non solus Petrus; sed Petrus vt caput cum reliquo Ecclesiæ corpore supremus Iudex, nil inde aduersus Bellarmini thesin rectè & validè concludetur; quia libenter concedit Bellarminus, Concilium cum Pontifice; vel Pontificem cum Concilio summum iudicem esse: & vt Petrus cum Ecclesia tunc summus iudex fuit; ita & hodie Pontificem Romanum cum Ecclesia in Concilio congregata supremum iudicem esse. Neque tamen sequitur quemlibet ex illo corpore, præter caput, hoc est, præter Pontificem Romanum, seorsim spectatum, esse supremum iudicem; quia hoc prædicatum de toto corpore, collectiuè sumpto, duntaxat verè affirmatur; non autem de singulis partibus sigillatim consideratis. Deinde Apostolus dicit se *seorsim* etiam contulisse cum illis, *qui videbantur esse aliquid*; in quibus & Petrus: ergo priuatim quoque contulit cum Petro, vt cum primo & summo iudice. Nec valet consequentia. *Contulit etiam seorsim cum aliis; ergo vt cum summis Iudicibus, vel certè vt paribus Petro.* Futilis est hæc consecutio, vt iam supra dictum est: quia cum imparibus æquè quis seorsim conferre potest ac cum paribus.

Octauum testimonium 1. Corinth. 12. *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, &c.* Ex hoc dicto simul & Bellarmini discursu hoc format Rullus enthymema. *Ecclesia habet spiritum interpretandi scripturas, & filios suos sine errore docet: non autem omnes priuati fideles spiritum interpretandi habent: Ergo Ecclesia sola est iudex: non autem vllus homo priuatus.* Respondet Caluinista, *enthymema istud multis scatere vitiis: In consequente duo sunt vitia: Primum est sophisma ἑτεροζητήσεως: mutatur enim status controuersiæ. Nam concludendum erat; Pontificem Romanum esse summum iudicem controuersiarum religionis.* Hoc responsum Rulli scatet aliquot mendaciis; primum est, cum *per sophisma ἑτεροζητήσεως ait mutari statum controuersiæ.* Nam status est, quis sit controuersiarum iudex. Bellarminus dicit; Pontificem aut solum, aut cum Episcopis in Concilio legitimè congregatis. An non hoc in isto enthymemate infertur, sub nomine Ecclesiæ? Nam prælatum vocabulo Ecclesiæ significari, testatur illud Matthæi 18. *Dic Ecclesiæ*; nomenque totius tribui posse capiti & aliis primariis partibus si nescit Rullus, discat saltem à Grammaticis: & cum hoc absurditatis accusat, facit, quod assolet, hoc est, mentitur.

Aliud mendacium est; *in prædicto enthymemate concludendum fuisse determinatè, Pontificem Romanum esse summum iudicem controuersiarum.* At supra cap. 3. expressè testatus est Bellarminus, se hic nolle disputare de summo Pontifice & Conciliis, an solus Pontifex possit rem definire; & an solum Concilium; sed se generatim demonstrare velle iudicem veri sensus scripturæ & omnium controuersiarum, esse Ecclesiam; id est, Pontificem cum Concilio. Nihil ergò in illo enthymemate contra Bellarmini institutum infertur.

A Mentitur deinde Rullus, in consequentia huius enthymematis; *esse fallaciam secundum plures interrogationes, nam Bellarminum plures quæstiones confundere.* Quæ sunt istæ quæstiones? *Vna est, an Ecclesia sit iudex? altera, an Ecclesia sit summus iudex? tertia, an vllus priuatus homo sit iudex? quarta, an vllus priuatus homo sit summus iudex?* Nullam hic confusionem vllarum quæstionum video, etsi magnum pseudologiarum & lœdoriarum tuarum chaos video. Nam in toto hoc libro nihil aliud molitur Bellarminus, quàm planum apertumque facere, Ecclesiam esse supremum iudicem. Hoc demonstrato, (quod & euidentissimè demonstrauit) suapte sponte sequitur, Ecclesiam esse iudicem; quia supremus iudex, est vtique iudex.

B Sponte etiam sequitur, nullum priuatum esse iudicem, & quod hinc necessariò consit, neque supremum iudicem; quomodo igitur Bellarminus varias quæstiones commiscet ac confundit, vt tu inuerecundè lallas?

Mox in enthymematis antecedens impressionem facit: nam veram Ecclesiam dono interpretandi pollere fatetur, non autem falsam, *qualis est Papistica.* Vbi, oro, & quando demonstrasti, Ecclesiam nostram esse *falsam?* Heri hoc non demonstrasti. Neque nudiustertius; neque vllo alio die. Nec idem hodie; Quando igitur? Neque vllam in thesium tuarum syllogis apodixin reperio, quamuis studiosè quæsitam.

Mentitur; *Ecclesiam errores tradere posse.* Confir-

C mat mendacium suum exemplò Cypriani, qui cum suis docuerit, *baptizatos ab Hæreticis denuo tingendos esse.* Num Cyprianus cum sua synodo, Ecclesia fuit? An non millies dictum, Ecclesiæ nomine intelligi *Concilium Oecumenicum*, à Pontifice summo approbatum. An tale illud Cyprianeum?

Mentitur neminem affirmare, *omnes priuatos fideles habere spiritum interpretandi scripturas.* Nam hoc affirmāt Enthusiastæ Svvenckfeldiani & Anabaptistici. Idem affirmant Enthusiastæ Caluinistici & Lutheristici, hoc ipso, quòd contendunt omnium fidelium partes esse; vt de omni doctrina iudicent. Quomodo iudicabunt, si dono interpretandi careant? Mentitur hanc pro-

D positionem ita nudè ac præcisè positam: *Qui habet spiritum interpretandi scripturas & filios suos sine errore docet, is est summus controuersiarum index:* esse Bellarmini: nam vt vera atque adeo Bellarmini sit, oportet, vt ita concipiatur, *Qui habet spiritum interpretandi scripturas, & filios suos sine errore docet ex cathedra peculiariter ad munus hoc à Christo instituta; is est summus controuersiarum Iudex.*

Prætereo mēdacia illa vulgaria. *Nullum Apostolorum fuisse supremum iudicem: neque vllum etiam Apostoli vllius successorem: Neque vllum Romanum Papam. Papam innumeros docere errores. Plurimos Papas ne vnicū quidem in Bibliis caput interpretatos esse, vt Gregorium XIII. Sixtum V. Innocentium IX. Leonem X.* Hæc ventosæ & Prædicanticæ linguæ maledicta sunt.

Digitized by Google

Quid opus refellere? Ruunt nullo impellente. A Nam posteriores Papæ aliud non docent, quàm priores. Quod tenuêre, tenent. Quod tradidêre tradunt. Quomodo non docent & explicant scripturas; quorum auctoritate & testificatione, nisi commoueremur, ipsis scripturis fidem non haberemus?

De illo Apostolico dicto: *Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis*; valdè, scilicet, subtiliter Rullus differit. Ait, non vocari columnam, *quod filios suos sine errore doceat: sed quia, Christo, qui solus fundamentum est, subnixa amplectitur, retinet, suffulcit, sustentat, & conseruat ab interitu veritatem, ne prorsus inter homines intercidat.* Quomodo hoc præstabit, Ecclesia, si certò & infallibiliter, & absque vllo errore filios suos non doceat? B An amplectitur, retinet, suffulcit, sustentat, & ab interitu conseruat veritatem tunc, cum pro veritate falsitatem; proque auro carbones filiis suis tradit? Itaque quocunque se vertat Rullus; nusquam firmam columnam, solidumque fundamentum, cui innitatur, inueniet; quamdiu Ecclesiam errores amplecti & serere posse existimat. Si dicat; *esse firmamentum & columnam veritatis quando & quamdiu veritatem retinet*; risum lectori mouebit: Nam quiuis, etiam priuatus, columna & firmamentum veritatis est, quando & quamdiu veritatem retinet. At Paulus hoc loco aliquod peculiare Elogium Ecclesiæ tribuit; à cuius communione omnes priuati excludantur. C Nam quod Apocalypsis cap. 3. vnusquisque sanctorum dicitur futurus *columna in templo Dei*; nihil ad rem facit; Non enim significatur vnumquemque Sanctorum in hac militante Ecclesia infallibilem docendi, dicendi, decernendi & definiendi auctoritatem habiturum; sed vnumquemque, qui tentationes constanter in hac vita vicerit, fore postea, columnæ instar, in altera vita prorsus immobilem, & ad omne peccatum inflexibilem.

Spiritum priuatum, quoties Rullus tangit, toties eius misereor: quem à se & suis amoliri conatur, sed tam miserè & frigidè, vt satis appareat; ipsos Caluinistas non ignorare, se sua in doctrina, non publico & authentico, sed priuato, & quidem admodum vertiginoso, spiritu D duci.

Nonum testimonium 1. Ioan. 4. *Nolite omni spiritui credere, &c.* Rullus hunc syllogismum architectatur: *Cuius spiritus ex Deo est, is est summus index controuersiarum religionis. Pontificis Romani, Conciliiq; ipsius spiritus ex Deo est: ergo.* Multa nugatur Rullus de vocabulo spiritus; quę sit eius hic notio. Quid opus his nugamentis? Maior falsa est; neque vnquam à Bellarmino vel posita vel asserta, vel tanquam vero conformis insinuata. Qua fronte tua figmenta Bellarmino adscribis? Qua, nisi Savvbrandica? cuius calumniosus & sycophanticus spiritus te quoque mirum in modum agitat.

Mentiris, *Bellarminum ferri extra oleas, cum ex hoc Ioannis dicto concludit, spiritum priuatum non posse esse controuersiarum iudicem*: Nam Bellarmini disputationes contra vniuersos hæreticos huius ætatis directæ & institutæ sunt. At esse Nouatores, qui palam priuatum vniuscuiusq; spiritum statuant controuersiarum supremum iudicem, nō ignorant Caluinistæ & Lutheristæ. Hos igitur petit, quoties Bellarminus priuatum spiritum oppugnat. Quanquam & vos petit, feritque hæc disputatio Bellarminiana; quia, vt sæpe dictum, non nisi spiritu priuato ducimini, licet Spiritus sancti magisterium ad insaniam vsque iactitetis. Si ex mente Bellarmini syllogismum conficere volebas; hunc conficere debebas. Nullus spiritus, qui probandus est, potest esse controuersiarum iudex, omnis spiritus priuatus est probandus; ergo nullus spiritus priuatus potest esse controuersiarum iudex.

En alium à Rullo syllogismum: *Cuius spiritus omnium aliorum probationi, & iudicio exemptus est, is summus est iudex controuersiarum religionis: At Pontificis Romani, & Episcoporum in Concilio congregatorū spiritus omnium aliorum probationi, & iudicio exemptus est: ergo Pontifex Romanus cum Episcoporum Concilio controuersiarum religionis summus iudex est.* Nos totum syllogismum concedimus. Rullus Minorem negat. Quam mentitur hoc syllogismo à Bellarmino probari. *Tantùm priuatorum hominum spiritus probandus est, an ex Deo sit: At Pontifex Romanus, & Episcopi in Concilio congregati non sunt priuati homines. Ergo Pontificis Romani, & Episcoporum in Concilio congregatorum spiritus non est probandus, an ex Deo sit.* Licet, vt dixi, syllogismus iste non sit Bellarmini; non est tamen, quod à nobis repudietur. Rullus negat Maiorem: & è vestigio verbosam declamationem exorditur, *quòd Christus quoque & Apostoli suum spiritum aliorum examini subiecerint: Multò igitur magis spiritum Paparum & Conciliorum ad examen vocari posse.* Vt hoc ita sit, de quo tamen num ita sit, quæri posse video; attendere debebat Rullus; quibus dixerit Christus illud Ioan. 5. *Scrutamini scripturas*: Iudæis nimirum incredulis, & in sua perfidia obduratis. Item, quales fuerint *scrutatores* illi scripturarum Beroeenses, quando scrutabantur, num quæ Apostoli prædicarant, ita se haberent; & quo animo, ad scrutandum accesserint: Neque verò in hac sua declamatiuncula obliuiscitur sui Zvvinglij Rullus: Denarrat enim nobis, quasi nescientibus, quo pacto, & quo monitore Zvvinglius didicerit illam expositionem verborum cœnæ: *Hoc est*, id est, *significat: corpus meum.* Quid hæc apponis Rulle? Vt omnibus cognitissima, ita vobis parum honorifica sunt, quia auctorem vestræ sectæ produnt; de quo ipse Zvvinglius testatur sibi non liquere, *ater an albus* fuerit. Sed de hoc Zvvingliano pædagogo pluribus actum est in disceptatione de somnio Zvvinglij.

Mentitur Rullus: *Bellarminum vniuersim negare, quòd spiritus ex scriptura probari possint*: Non hoc vni-

uersim

uerſim inficiatur, ſed tunc tantum, quando de ipſius ſcripturæ probandæ ſententia dubitatur. Vt, verbi gratia, Zvvingliani dictitant: Senſum horum verborum eſſe hunc. *Hoc eſt corpus meum, id eſt, hoc ſignificat corpus meum; & ſpiritum hæc verba hoc modo interpretantem eſſe ſpiritum Dei.* Hunc ſpiritum quomodo ad illa ipſa verba probabunt Zvvingliani; cum de ſenſu horum verborum tota ſit quæſtio & controuerſia? Ait Rullus: *Eſſe alios clariores & dilucidiores locos, qui hunc obſcuriorem illuſtrent, quibus bonitas & diuinitas ſpiritus huius liquidò probari & explorari queat.* Quid ſi de illis ipſis locis ambigatur, quem nam habeant ſubiectum ſenſum, vt ſemper fit, quoties Nouatores ab vno loco, tanquam tenebricoſiore, ad alium, tanquam lucidiorem nos ductitant? An non tandem alibi ſpiritus huius probatio quærenda erit; vt aſſerit Bellarminus? Vbinam rectius quæretur; quàm illius in ſchola, quę veritatis firmamentum & columna eſt?

Rurſus aduolat Rullus cum ſyllogiſmo. *Quos conſtat verum ſpiritum habere, ex conformitate cum illorum ſpiritu, aliorum ſpiritus ſunt probandi. Prælatos in Concilio legitimo congregatos conſtat verum ſpiritum habere: ergo ex conformitate cum eorum ſpiritu, aliorum ſpiritus ſunt probandi.* Maior extra omnem dubitationem eſt, apud quemlibet ſani capitis, ſi addatur vocula, *infallibiliter.* nam quos conſtat infallibiliter verum ſpiritum habere, vtique ad illorum ſpiritus; aliorum ſpiritus probandi ſunt. Rullus

A tamen nodum in ſcirpo quærit, nec inuentum, ſoluit. Ait, *Maiorem intelligi poſſe de ſpiritu vel in ſcripturis loquente, vel extra. Veram eſſe de ſpiritu in ſcripturis loquente, falſam de ſpiritu extra ſcripturas loquente.* Quomodo hæc cohærent? An non verus & verax ſpiritus, vbicunque eſt, qua talis, vera & veracia loquitur; ſiue loquatur per ſcripturam; ſiue extra? An ſpiritus verus quando per ſcripturam loquitur, vera loquitur; Maioremque illam verificat; & quando extra ſcripturam loquitur, falſa loquitur, Maioremque illam falſificat? An ſpiritus verus non eſt vnus idemque ſiue in ſcripturis ſiue extra?

Minorem concedit *de Concilio Apoſtolico, non Papiſtico.* At Rullus nunquam nobis demonſtrabit,
B etiamſi Acheronta ipſum cieat, quando *Papiſticum*, hoc eſt, Catholicum Concilium, cuius caput Papa; ſpiritus verus deſeruerit, & ad *Caluiniſtica ſynedria* auolarit? Hactenus Rullus argumenta Bellarmini ex ſacris litteris deſumpta, refutare infeliciter tentauit. Argumenta capitis ſexti, ſeptimi, octaui & noni non attigit; metuens, opinor, digitis ſuis, ne adurerentur. Loco eorum nugatur nonnulla; num & quomodo Eccleſia ſuper Petrum ædificata ſit, ſed quia hæc ad diſputationem de Pontifice ſpectant; hic ſilentio prætereunda exiſtimo.

APPENDIX SECVNDA

AD TERTIVM LIBRVM ILLVSTRISSIMI CARDINALIS BELLARMINI, CONTRA GRIPVM LAVVINGANVM; LABRACEM WITEBERGENSEM; MORTONVM ANGLICANVM.

NVPER Gripus Lauinganus Magister erat. Iam dignitate creuit. Doctor est: &, vt Doctoratum suum honestaret, hoc ipso anno Redemptoris M. DC. VI. disputationem *de sacra Scripturæ interpretatione, & controuersiarum religionis norma, ac iudice publicauit*: & quinis Prædicantibus, socero, patri, fratri, duobusque affinibus honoris caussa dedicauit: qui, si disputationem inter se diuiderent; pauculæ profectò pagellę vnicuique obtingerent. Tam est lauta hęreditas. Licet autem mole non sit grandis: furtis tamen, thrasonismis, conuiciis, & mendaciis grandissima est. Vis scire, quot sint furta in illa disputatione? Ferè plura, quàm theses. Quidquid contra Catholicos garrit, hoc totum fermè ex Kemnitio, & Magistro suo Hunnio, similibusque balatronibus, & blateronibus in chartas suas transcripsit: & elegantissimas illas Prædicantium in Colloquio Ratisponensi consequentias repetiuit. *Scrutamini scripturas Ioan. 5. ergo scriptura est omnium controuersiarum iudex. Ad legem, & ad testimonium Esaiæ 8; ergo scriptura est vnica omnium controuersiarum norma. Habent Moysen, & Prophetas; ergo, &c. Habemus firmiorem propheticum sermonem* 2. Petri 1. *Sequitur ergo, quod antea.* Quid verbis opus? Magistri sui Hunnij ineptias & futilitates ad viuum, & propè ad verbum, repræsentat; non sine mendaciorum admixtione; ne à Doctore suo degenerasse videretur; si linguæ habenas ad mentiendum non laxaret: Ex quo genere est illud Thesi 31. Rationes, quibus Pontificij probant, scripturam non posse censeri controuersiarum iudicem: *partim esse meras blasphemias; partim ineptias.* Thesi quadragesima octaua sic mentitur. *Notetur hic Papistarum vertigo;* (imò tua mentiendi & calumniandi prurigo) *& inconstantia: nam alij simpliciter Ecclesiam, alij sanctos Patres, alij Concilia Ecclesiastica iudicem illum supremum esse statuunt.* Quis, oro, Catholicorum sanctis Patribus supremum in controuersiis decidendis iudicium detulit? Quis Eccle-

A siæ; hoc est, toti fidelium communitati? sic enim Ecclesiæ nomen Prædicanticus Gripus accipit.

Simile mendacium effudit Labrax in sua disputatione de Iudice controuersiarum Thesi 6. *Papistæ in discrepantes abeuntes sententias modò Patrum orthodoxorum consensum, modò Ecclesiam, modò Concilia, modò Papam, pro tali iudice venditant.* De Patribus, manifestum est mendacium. Qui *Ecclesiam* nominat; is aut Concilium cum Papa; aut solum Papam absque Concilio intelligit. Itaque mendacium est; *Ecclesiam* ab vllo orthodoxo pro iudice constitui, prout Ecclesia in partitione Prædicantica à Papa, vel Conciliis distin-

B guitur. Suum ergo commentum, non nostrum dogma confutat postea Labrax Thesi septima & seqq. cum verbosè probat; Patres; seu Patrum commentarios non posse esse supremum controuersiarum iudicem. Immane mendacium est Thesi 8. Hieronymum & Augustinum in hæreses incidisse.

Mentitur & Gripus, cum dicit: *Modernos Papistas, cum primis Iesuitas, quando infallibilem scripturas interpretandi auctoritatem Ecclesiæ tribuunt, huius titulo non multitudinem credentium, nec Pastores, nec Cardinales, nec Concilium; sed solum Papam intelligere*: Effrons figmentum: Nam vel solum Papam; vel Papam cum Concilio intelligimus. Vide Bel-

C larminum supra capite tertio. Num qui Papam cum Concilio nominat, solum Papam nominat?

Mentitur iterum, Bellarminum loco citato *timidè admodum & perplexè hac de re loqui.* Legatur Bellarminus. Mentitur, hæc verba Bellarminum ex sua sententia protulisse: libro quarto de Pontifice capite secundo. *Ipsa infallibilitas non est in cœtu consiliariorum, vel in Concilio Episcoporum; sed in solo Pontifice.* Nam hoc eo loco asserit Bellarminus ex aliorum mente; quorum sententiam ibi explicat: nam etsi docet Bellarminus & rectè; infallibilitatem esse in solo etiam Pontifice, quando aliquid solus definit; non tamen negat, esse e-

tiam

tiam in Concilio, seu in toto illo; quod ex Papa & Pastoribus Ecclesię legitimè congregatis constituitur. Quæ præterea ad finem vsque insulsæ & putidæ disputationis suæ blatit, ea vel conuicia sunt in Romanos Pontifices ex Hunnij scriptis corrasa; vel ruditatis & inscitiæ luculentissima themata & symbola: quæ refutaui; dum Hunneum refutaui; ex cuius fimeto hæc fercula quinque Prædicantium faucibus Gripus apparauit & adornauit.

Nec sanior est Labrax, vtpote eiusdem corui pullus: qui Thesi decimatertia probat Ecclesiam non posse esse iudicem: *quia est pars*; ergo nec scriptura vel Spiritus sanctus loquens per scripturas, poterit esse iudex, quia est pars, scripturæ enim lis intenditur, vtrum sit controuersiarum iudex; nobis negantibus: heterodoxis & heteroclitis affirmantibus. Quàm autem iste de Ecclesia honorificè sentiat; ex his, quæ ei tribuit, elogiis, intelliges. *Ecclesia errare potest, excindi ex oleapotest*; summoque mendacio citat cap. 11. vers. 21. 22. epistolæ ad Romanos; quasi ibi sit sermo de Ecclesia Christiana. *Errauit cum in veteri, tum in nouo Testamento. Ecclesia errans*, inquit Caluinianus Drusius, in quadam epistola libello de nomine Tetragammato subiuncta, *non magis est Ecclesia, quàm homo mortuus est homo: Nam Ecclesia, vel Apostolo teste, columna est veritatis.*

Conditiones iudicis statuit sibi suoque foro accommodas: prima est, *vt sit absolutus; nec ad iudicem alium alligatus.* Hinc infert: *Papam non esse omnium controuersiarum iudicem; non est enim absolutus: quia pendet à Deo: & habet supra se iudicem in cælo.* Qua sua stultitia probare etiam poterit Labrax, nec Imperatorem in Imperio; nec Regem Christianisimũ in Galliis, nec Regem Catholicum in Hispaniis esse supremos controuersiarum ciuilium iudices; *non enim sunt absoluti*; quia pendent à Deo; & supra se iudicem habent in cælo. Si hæc dependentia à Deo, in caussis & litibus politicis non obstat: quo minus Imperator aut Rex, verè dicatur summus, absolutus & independens Iudex, absolutus nimirum, supremus & independens in huius vitæ foro; & à cuiuscunque alterius hominis coactiuo iudicio; cur obstaret in caussis Ecclesiasticis; nam esse absolutum, summum & independentem, in proposito non significat, exemptionem à iudicio Dei; sed libertatem & immunitatem à iudicio & foro cuiuscunque alterius hominis.

Obiicit Labrax. *Papæ iudicium pendet à scriptura: ergo non est absolutum.* Respondeo, perinde esse ac si diceret: *Imperatoris iudicium pendet à legibus ciuilibus; item à iure naturali & diuino; ergo non est absolutum; nec Imperator iudex absolutus.* Vt non valet hæc consequentia; ita nec prior: quia pendere à lege, vt à norma, non tollit rationem absoluti iudicis: Nullus enim iudex est, cuius iudicium non debeat cum aliqua norma congruere; etiam ipsum iudicium Dei consonare debet cum ratione Dei omnis bonitatis suprema regula.

Secunda iudicis conditio, quam Prædicans statuit, est; *vt sit summus*; quæ in hoc consistit; *vt ab eius iudicio ad alium iudicem prouocari non possit.* Hinc colligit Thesi vigesima tertia. *Papam non esse Ecclesiasticarum caussarum iudicem; quia non est summus: Habet enim superiorem se Spiritum sanctum.* Si hoc impedit; tum neque Imperator erit summus Iudex caussarum & litium, quæ nascuntur in Imperio. Probatur. *Quia habet se superiorem Iudicem, Deum; seu Spiritum sanctum.* Si hæc Imperatoris subiectio respectu Dei non obstat, quo minus verè & sit & dicatur summus iudex contentionum politicarum in Imperio; quandoquidem ipse est supremus inter homines; immediatus, ordinarius, visibilis, qui adiri, & cuius sententia à quouis euidenter audiri & percipi potest; cur obstaret in nostro proposito; cum Pontifex in iudicio Ecclesiastici fori æquè à nullo homine, se superiore, dependeat, ac Imperator in foro ciuili Imperij?

Tertia iudicis conditio à Prædicante allata, est; *vt sit legitimus & ordinarius.* Hanc Papæ non competere nullis probat argumentis, nisi fortè mendacia pro argumentis nobis obtrudi sinamus. *A nemine*, inquit, *ad hoc officium est destinatus, vbi enim?* Matthæi 16. *Tu es Petrus, &c.* Nunquam legisti hunc locum? Item Ioannis vltimo. *Pasce oues meas) & à quo?* (A Christo, nam verba modo indicata, verba Christi sunt, si nescis) Addis mendacium. *In scripturis de talis alicuius summi iudicis ordinatione, silentium est longè profundissimum.* (Apud Prædicantes nimirum, qui auribus ad veritatem audiendam carent; ad falsitatem auritissimi.) Pergis mentiri. *Nec ibidem de indubitato Papæ iudicio citra vllam tergiuersationem suscipiendo & sequendo vllus exstat vel apex.* (Desine; satis mentitus es. Non obsequeris) *vllum iota* (cessa, oro, sufficit. Surdo fabulam) *vlla littera.* Validus es, vt video, in pseudologiis, vno spiritu, multipliciter fundendis & effutiendis. Necdum tamen delassatus est. Adiungis. *Christi verba Matthæi decimosexto, Ioannis vigesimoprimo, dignitatem hanc non exstruunt; sed destruunt.* Quod verum erit; si non mentiaris. *Qui legitimus esset, cum sit pars litigans?* De hac fatuitate iam non semel dictum & actum est.

Quarta conditio à Prædicante fabricata, est; *vt iudex sit iustus.* Sub qua multas imposturas celat impostor: inprimis hanc; *nullum posse esse caussarum Ecclesiasticarum iudicem; nisi probitate vitæ sit præditus.* Quod à veritate prorsus abhorret; & Donatisticum fermentum olet: *nam super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*: hoc est, improbi & multis vitiorum maculis inquinati; & tamen veri erant iudices; (tametsi, quoad se minimè essent iusti) teste ipsa veritate; *omnia ergo*

quæ-

quæcunque dixerint vobis seruate, & facite; secundum opera verò eorum nolite facere.

Prædicans hanc conditionem excogitauit, vt haberet occasionem bacchandi in Pontifices: quod mox furiosè Dæmonis afflatu instinctus facit. *Papa non est iustus iudex.* I. *Nam iustus iudex is est, qui quærit voluntatem non suam, sed eius; qui misit eum: Ioannis 5. vers. 30. Atqui Papa, præterquam, quod ipse currit, nemine mittente, non Dei, à quo se missum, cuiusque se gloriatur vicarium, sed suam quærit voluntatem. Sic namque cum Christi voluntas esset, vt etiam vinum non minus, quàm panis in sacra Eucharistia totius Ecclesiæ esset bonum; Ecce Papa contra eiusdem heri sui testamentum, calicem Laicis nefando sacrilegio subtrahit.* II. *Suum cuique non tribuit. Etenim supra Christum, & Deum se efferens, gloriam eidem diuinam adimit, eo ipso non dans Deo, quod Dei est. Similiter Cæsari non dat, quod Cæsaris est, spolians eundem & maiestate, & regionibus, & subditis. Clericis, Monachis, ac monialibus non dat, quod diuino iure ipsis competebat (libertas scilicet nubendi) Laicis non dat, quod Laicorum est: (calicem enim furatur in Eucharistia, ac libertatem quouis ciborum genere fruendi.) Pluribus in Christi nomen baptizatis hæreditatem cælestem illis debitam aufert.* III. *Est* προσωποληπτης, *&c.*

An non Baccha quapiam hunc Prædicantem prognatum iure arbitremur: & quidem Baccha non modò insanissima; sed & mendacissima? Quanquam hęc leuia sunt, comparata cum illis, quæ postea ex Hunniana disputatione de Colloquio cum Pontificiis ineundo spuit & vomit in Pontifices: quorum vesaniam copiosissimè in Responso Hunniano retudimus & redarguimus. Nec opus repetere apologias; quoties isti iterant suas alogias, pseudologias & loedorias; quia in omnibus chartis suis iterant; & sæpe elingues essent; nisi in maledicta & conuicia rabidas linguas soluerent.

Vt iudex nomen & officium veri & legitimi iudicis tueatur; sufficit; si iustam, & à recti tramite non exerrantem det sententiam: hoc ipso enim iustus rectè appellabitur; qualiscunque sit, quod ad priuatam personam suam attinet: Iustus enim est iustitia & rectitudine officij, quod rectè administrat. Iustus est, quia iustè sententiam pronunciat, & alias ob caussas: quæ etiam in Ecclesiastico supremo Iudice conspiciuntur; nam ita iustus est; quatenus summus iudex est; vt ne possit quidem ex cathedra pronunciando, iniustam sententiam dicere; sed iustam, veriique regulis conformem necessario proferre cogatur: Nam vt olim ex cathedra Mosis etiam mali *cogebantur bona dicere*; vt non semel testatur S. Augustinus; ita multò magis ex Petri cathedra, etiam iniusti, quoad priuatas suas personas, à Spiritu sancto adiguntur; vt proferant sententiam iustam.

Quinta conditio Iudicis nostri, est; *vt sit Iudex omnium controuersiarum.* Ita Prædicans Thesi

A vigesima sexta. Hanc negat competere Papæ; quod hunc in modum argutissimè demonstratum tendit. *Cum controuertitur, possitne Papa ex cathedra decidens errare aut fallere; Papistæ negant, affirmat Ecclesia Lutheri.* Ita est. Quid amplius? *Sin iam Papa ex cathedra pronunciet, se vt Pontificem decidentem simpliciter esse infallibilem; equidem latam sententiam latam audio, sed vnde Papam adhuc Papam esse cognosco?* Inde, quia à tota Catholica Ecclesia pro legitimo Pastore agnoscitur. Inde, quia tota Ecclesia vocem eius audit: fieri autem nequit; vt tota Ecclesia audiat vocem eius, qui non sit verus Pastor, sed vel mercenarius vel lupus. Addit Prædicans. *Dubium enim est, desieritne ea ipsa decisione esse Papa, cum mihi sit ad minimum de hæresi*

B *suspectus.* Apud quos verum dubium est; *num Papa desierit esse Papa si definiat ex cathedra; se, vt Pontificem ex cathedra definientem simpliciter esse infallibilem:* nisi apud tui similes fungos? *Quibus minimum de hæresi suspectus est*; nisi iis, quorum animos hæresis non tantùm occupauit; sed & dementauit? Quæris. *Quis quæstionis huius erit iudex? Papáne? Minimè.* (Imò, maximè) *Quidquid enim decidat eadem in infinitum vsque redibit controuersia*; sed in Hæreticorum Officina; non in Catholicorum Schola: nam Pontifice tale quid definiente, cessat omnis apud orthodoxos quæstio & inquisitio. Cessaret & apud vos, nisi in reprobum sensum dati essetis; luposq; quàm pastorem sequi & audire malletis.

C Sexta conditio Iudicis, est; *vt sit infallibilis.* Hanc in Papa reperiri negat Prædicans Thesi vigesima septima. Probat non argumentis, sed mendaciis: ex quibus vide ista. *Non habet denotando testimonium, aut vllam promissionem.* Quid ergo illa sibi volunt? *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quid illa? *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

Secundum mendacium. *Non minus erroribus* (in definiendo) *quàm quiuis homo alius est subiectus.*

Tertium mendacium. *Facilius in definiendo falli potest; ac Pontifices veteris Testamenti.*

D Quartum mendacium. *Isti diuinitus indicandis controuersiis præficiebantur; Papa, minimè.* Vt prætercam alia commenta, quæ plenis faucibus in eadem Thesi eructat; vt & in Thesi vigesima octaua, vbi per summam impudentiam mentitur, collocutores Ratisbonenses pagina sexagesima prima, concessisse nostrum iudicem *posse esse hominem rudem; asinum indoctum, stolidum & stupidum, nullum in pensitatione controuersiæ studium adhibentem; & ita incogitantem & obliuiosum, qui etiam sui ipsius sit immemor.* Vbi hæc Catholici collocutores? An non summa vos Prædicantes iniuria affecissent, si hæc tanta vestra decora & encomia vobis erepta; iudici suo transcripsissent?

Tandem

Digitized by Google

Tandem concludit Prædicans, *solum Deum esse controuersiarum omnium in hac militante Ecclesia supremum iudicem*: quod aliter non ostendit, nisi solitis Prædicantium quisquiliis & stipulis; & accumulata citatione scripturarũ; quæ ad rem prorsus nihil faciunt; sed tantùm imperitorum oculos implent; quasi quod Prædicantes de iudice blaterant; id ex scripturarum adytis depromptum sit; cum totum ex malè sanis Prædicantium phantasiis processerit.

Notanda est fraus Prædicantis Thesi quinta: vbi contra morem suorum symmystarum hanc suo quoque controuersiarum iudici conditionẽ attribuit; *vt ad obedientiã cogere possit partes; quo stent sententiæ & iudicio. Quæ conditio de summo iudice intellecta, bona est*, inquit Prædicans: *si nimirum ille consideretur ratione tum iudicij inchoati, tum consummati: coactio ad obediendũ iudicio itidẽ spectetur vel inchoata, vel consummata. Sic Spiritus sanctus controuersias decidens ac diiudicans iudicio inchoato, inchoatè quoq; ad obediendum litigantes adigit: sin verò iudicio perfecto, ad plenariam quoq; obedientiam & cognitionem iustitiæ iudicij adigit & cogit.*

Vides, opinor, in his verbis strophas & technas Prædicanticas; vt deuitent vim & robur argumẽtorum; quibus Catholici probant; scripturam, seu Spiritum sanctum loquentem per scripturas non posse esse controuersiarum iudicem, confugiunt ad alterius sæculi vitam & statum, in quo iudiciũ hîc cœptum finiatur & compleatur: quia manifestè cernunt; non comparere in scriptura eas proprietates, quibus iudicem ordinarium & immediatum huius vitę prędituum esse oporteat. Et dum scripturas, seu Deum seu Spiritum sanctum loquentem per scripturas summo honore honestare videri volunt; summa cõtumelia eum afficiunt. Nam *imperfectum* duntaxat, & *inchoatum* iudicem in hac vita constituunt. Cuius enim iudicium in hac vita est *imperfectum & inchoatum*; is etiam *imperfectus & inchoatus* tantummodo iudex est in hac vita; nam quale iudicium; talis iudex; hæc enim duo inter se reciprocantur. Sed iudicium Dei siue Spiritus sancti loquẽtis per scripturas, est in hac vita tantummodo *imperfectum & inchoatum*; vt tradit Prædicans. Ergo ipse etiã Deus seu Spiritus sanctus loquens per scripturas est tantummodo *imperfectus & inchoatus* iudex. En reuerentiam, quã Prædicantes iudicem à se electum colunt.

Rursus. Cuius in hac vita *coactio* non est *perfecta*, sed *inchoata* duntaxat; ille non est *perfectus* sed *inchoatus* tantummodo iudex in hac vita: sed Spiritus sancti *coactio* in hac vita non est *perfecta*, sed duntaxat *inchoata*; vt docet Prædicans, ergo Spiritus sanctus non est *perfectus*, sed tantummodo *inchoatus* in hac vita Iudex. Maior clara est. Quia *imperfectio & inchoatio* effectus; arguit *imperfectionem & inchoationem* caussæ. Cum igitur *coactio* sit effectus iudicis; hæc autem sit in hac vita *imperfecta* & solummodo *inchoata*; oportet vt & iudex *imperfectus* sit, & tantum *inchoatus*; nam si perfectus & absolutus esset; etiam perfectam & absolutam coactionem adhiberet; prout perfecti & absoluti iudices facere consueuerunt.

Quàm verò ridiculum est; dicere; Spiritum sanctum loquentem per scripturam rebelles & iudicio aduersantes cogere inchoatè. Quis rebellium hanc coactionem inchoatã sentit? Sciscitare ex Caluinista; num se à tuo iudice sentiat iam cogi *inchoatè*; vt Lutheranæ expositioni verborũ Christi: *Hoc est corpus meum*; adquiescat. Negabit elata voce se vel tenuissimè ad hanc interpretationem amplectendam cogi. Similiter, si Caluinista delirare vellet; vt delirat Labrax; diceretque: Lutheranos *inchoatè* cogi à Spiritu sancto, tanquam à iudice loquente per scripturas; vt omissa suã explanatione; in Caluinianam sententiam concedant; an nõ Prædicans iste, vel iureiurando interposito, contenderet; talem Caluinistam mentiri; nulliusq; penitus coactionis diuinitus illatæ se sibi conscium esse? Et tamẽ iste suauissimè de *inchoata coactione* hoc loco nugatur. Cur, quæso, coactio hæc in hac vita inchoata duntaxat esset; si Spiritus sanctus is, de quo disceptamus, iudex esset? An quia perfectam *coactionem* adhibere vel non potuisset; vel nõ voluisset? Non potuisse, nemo dicet; vt & nõ voluisse: nam qui iudicis officium assumit, is & potestatem cogendi assumere debet; alioqui munere suo legitimè fungi nequibit. Quàm fatuum est; affirmare; Spiritum sanctum loquentem per scripturas esse summum in hac militante Ecclesia omnium controuersiarum iudicem; & tamen iudicium eius esse tantummodo in hac vitã *inchoatum*, hoc est, *imperfectum*; & similiter *coactionem* eius; *imperfectam & inchoatam* tantummodo esse. Ex quo necessariò conficitur; etiam ipsam iudiciariæ sententiæ pronunciationem, solummodo esse inchoatam & imperfectam; & sic omnia ad futuri sæculi iudicium referuabuntur; & in huius vitæ statu, solo nomine; reipsa nullum iudicem habebimus; prout de facto contingit Hæreticis, qui ore iudicem profitentur; reipsa negant & exterminant: Vel si quem habent, is non est alius, quã Prædicantiũ ministerium seu consistorium: nam vbi Prædicantium potentia nimis inualuit, coguntur subditi credere, quod Prædicantes præcipiunt. Væ illis, si dissentiant; nam si dissentiant, mox pœnas dabunt.

Præter disputationem de iudice controuersiarum, edidit Labrax aliam *de sacræ scripturæ auctoritate*; aliam; *de perfectione scripturæ*: aliam, *de perspicuitate scripturæ*. Primę Disputationis Theses priores septenædenæ nil aliud sunt, quàm mendacium, quia consona voce asserunt; *Pontificios, sacris scripturis penitus non habere fidem, nisi propter vnicam & solam Ecclesiæ auctoritatem, & testificationem*; quod falsum est, nam Catholici principaliter scripturis fidem habent; easque, vt diuinas, venerantur ac suspiciunt; propter diuinã reuelationem; at

ob Ecclesiæ auctoritatem non aliter; quàm vt ob conditionem; sine qua non; vt in scholis appellamus. Nisi enim hæc testificatio accederet; ipsa diuina reuelatio de libris canonicis; atque adeo ipsa etiam maiestas & auctoritas, qua Canonici libri in se sunt præditi; nunquam nobis innotesceret: At posita Ecclesiæ auctoritate & cõditione statim in abditę rei cognitionẽ deuenimus; Et mox sacris litteris assensum præbemus primariò ob diuinam reuelationem; secundariò propter Ecclesiæ testimonium; quod est prima quasi ad cælestem cognitionẽ ianua. Quapropter mendacium est; quod ait; *Bellarminum lib. 4. de verbo Dei cap. 4. Omnẽ scriptura auctoritatem, propter quam illi, quod talis sit, credimus, non scripturæ; sed Ecclesia traditionibus acceptam referre.* Nam Bellarminus non ignorat nos principaliter scripturis credere propter diuinam reuelationem: Sed in huius cognitionem rectè negat nos sine Ecclesiæ testimonio deduci posse; nullo enim modo absque Ecclesiæ testificatione de lege Dei ordinaria diuina Canonicorum librorum auctoritas, nobis patefieri potest.

Thesis XIIX. XIX. & XX. Prioribus sunt similes; nimirũ mendaces & impostoriæ. Dicunt. *Ecclesia testificationem magni pendendam esse.* Num seriò id dicunt? Nihil minus: quia iam supra audiuimus; quantis conuiciis Prædicans iste in Ecclesiam eiusque auctoritatem grassetur in Disput. de controuersiarum iudice.

Auctoritatẽ scripturæ in actu primo diuinitus inditã & insitam agnoscunt & prædicant omnes orthodoxi; quos Labrax mendacio onerat; cum ait; *Si ex istis quæratur; quæ nam illa sit scriptura [illegible], in seipsa considerata; ad litteras illas atramento in papyro vel membrana delineatas, & ad Papyraceum codicem ex sua natura [illegible] te abducunt.* Audi Prædicans; scriptura, qua scriptura, vtiq; in litteris & characteribus cõsistit; sed in litteris & characteribus significantibus; nec quæcunq; & quomodocunque; sed diuina & diuinitus reuelata; & diuino modo significantibus. Ad has litteras lectorẽ abducimus; & ad Codicẽ tales significatrices literas & characteras complectentẽ; eum, qui nos cõsulit, ablegamus: quem qui *[illegible]* nominat, ille [illegible] *[illegible]* filius iure optimo habetur.

Mendacia sunt & ista, quæ ibid. vomit Præco. *Scripturam tantis aliàs conuiciis proscindunt, vt ne politico cuipiam scripto, tantum abest; vt verbo Dei æquiparari possit.* Agnosco maledicæ linguæ mendaciloquos & maledicos fœtus: ex quibus & iste vnus; Thes. 23. *Nos nullam aliam auctoritatem & excellentiam scripturis tribuere; præter illam, quam ab Ecclesiæ testimonio adipiscatur.* Pingue profectò mendacium; & obeso Prædicante perquam dignum; qui ait, *se & suos ex Spiritus sancti interna inspiratione & testificatione impelli, vt scripturis credant.* Idem dicunt Caluinistæ. Et tamen isti fidem habent Epistolæ Iacobi, vt Canonicæ; illi; nõ habent. Num vnus & idem

A spiritus, dicit eandem Epistolam esse *Canonicam & stramentitiam?*

Ait Thes. 25. *Etiam Papistas aliquid tribuere huic interno spiritus testimonio.* Plane: sed supposita Ecclesiæ testificatione; nam si quis hanc spernat; sæpius sua somnia; quàm interna Spiritus sancti testimonia sectabitur, & vana consolatione delusus amplectetur.

Fundamentum primarium fidei nostræ debere esse *diuinum*; nesciuissemus; nisi Labrax id nos docuisset Thes. 27. Secundarium; quod est; Ecclesiæ auctoritas; non est merè *humanum*, vt iste imperitè sibi imaginatur; sed *humanum diuinitus inspiratum*; seu *diuinum participatum*, vt alij loquuntur. Quod cum ipsum etiam sit infallibile, nulla prorsus ab illo ruina fidei nostræ impendet.

B Conuicium & mendacium est, nos scripturæ à Deo prolatæ *precariam tantum quoad nos auctoritatem relinquere.* Conuicium insuper & mendacium est. *nos auctoritatem scripturæ ab Ecclesiæ testimonio suspendere.* Vulgares & protritæ calumniæ; nunquam & nusquam non à Prædicantibus decantatæ.

Postea expilatis scriniis Rulli Basileensis in Thesium Theologicarum syllogis; de effectibus scripturæ, eiusque grauitate, maiestate, antiquitate & id genus aliis, hunc nobis adamantinum syllogismum obiectat. Thes. 44. *Id quod non aliquam tantùm, sed summam & Ecclesia autoritate maiorem obtinet, & ad ingenerandam fidem medium est accommodatissimum, suaq; diuinitatis [illegible] ex se prodit longè manifestissima, eius autoritas, quo ad nos, ab Ecclesiæ calculo. & approbatione non est suspendenda. Atqui sacra scriptura est talis: Ergò. Maiorem, nisi quis lucem tenebras, & niuem nigram dicere velit, nemo negabit.*

C Demus ergo tibi Maiorem; quandoquidem ita cupis, & Maior de auctoritate scripturarũ quoad nos loquitur. Minorem nego. Ais. *Minorem nos hactenus declarasse & comprobasse confidimus.* Quid restat, nisi vt coronam capiti tuo imponas? Quod mox facis. *Salua itaq, est & immota conclusionis aduersus omnes Iesuitarum strophas & quisquilias veritas.* Macte Labrax. Victoriam adeptus es. Triumphes licet, si libet. Vbi probasti Minorem? *Thesibus antegressis.* Scilicet; quia seposita Ecclesiæ auctoritate & testificatione, ne nosti quidem libros hos vel illos esse Canonicos; tantum abest; vt ex antiquitate eorum, vel id genus aliis motiuis ad assentiendum impelli queas. Tot millia annorũ durasse & perennasse libros Moysis; vnde compertum habes; nisi ex Ecclesiæ traditione? Hanc prius thesibus tuis, tanquam fundamentum, substerne; & tum superstrue, nec super arenam; sed super solidam Petram ædificabis.

D Disputationem de perfectione scripturę orditur à mendaciis & criminationibus, solenni suo instituto. Paratragœdiat, quod scripturam *insufficientem* nominamus: & aliquando *imperfectam.*

Sed

Sed calumniatores isti nunquam animaduertere volunt, quod à nostris millies inculcatur; scripturam non dici *insufficientem* vel *imperfectam* in suo genere; sed tantum absolutè in genere omnium earum caussarum, quæ ad salutem nostram concurrere & aliquid opis cōferre debent; quod nō magis in scripturæ iniuriam redundat, quàm iniuriosum sit in hominem; si dicas; Hominem esse caussam *insufficientem & imperfectam* ad generandum hominem; quo significandi modo nihil aliud innuis; quàm hominem esse caussam *insufficientem & imperfectam*, spectando totam latitudinem caussarum, quæ ad procreationem hominis requiruntur: minimè autem negas ipsum non esse sufficientem & perfectam causam in genere suo; hoc est; in genere caussæ secundæ & particularis.

Mentitur; I. *Ex hac Orthodoxorum sententia tolli omnem certitudinem Christianæ fidei.* II. Mend. *Veram spiritus probandi rationem prorsus euerti.* III. Mend. *Omnis generis hæresibus latißimam fenestram aperiri.* IV. Mend. *Pontificios, ad imitationem Iudæorum, qui Thalmudicas traditiones confinxerunt, excogitaſſe & introduxiſſe traditiones suas.* V. Mend. *Et hoc vt præcauerent Antichristiani regni ruinam.* VI. Mend. *Et quod mallent Iudaizare, quàm gloriam Deo, Deiq; verbo dare.* VII. Mend. *Et hoc à Pontificiis factum sub primum Ecclesiasticæ reformationis initium*; hoc est, quando Lutherus omnia demoliri & inuertere ingressus est, quasi Catholici ante Lutheri Apostasiam verbū Dei non scriptum seu traditiones, non agnouerint; aut suis in disputationibus non vsurparint.

Sed en nouum, & quidem validissimum aduersus traditiones arietem. 1. Cor. 4. sic legimus. *Hæc autem fratres transfiguraui in me & Apollo propter vos: vt in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. ergo non exstant vllæ traditiones*; quia Apostolus dixit: *supra quàm scriptum est*; non, *supra quàm traditum est.* Vereor, ne, si isti maturè non desinant delirare; tandem & hoc argumentū nobis oggerant. *Paulus dicit 1. Cor. 15. Christum resurrexiſſe tertia die secundum scripturas; & idem decantatur in symbolo: ergo non sunt vllæ traditiones admittendæ.* Probatur consequentia. Quia nec Apostolus, nec Symbolum dicit; *secundum traditiones*; sed, *secundum scripturas.* Nil superest, quàm vt huiusmodi deliramentum ab istis exspectemus; nisi è vestigio largiter sumptâ cicutâ cerebrum expurgent. Quanquam, quod ad priorem Apostoli locum attinet, Labrax insignem imposturem agat; cum verba illa: quæ sunt in Græco: *μὴ φρονεῖν, non sapere*; refert ad scientiam seu cognitionem; cum tota orationis complexio clamet; ea accipi debere; de humilitate & submissione animi; & modesta de seipso existimatione; Hinc & Erasmus vertit: *Hæc autem fratres transtuli per figuram in meipsum, & in Apollo propter vos, ne quis supra id quod scriptum est, de se sentiat; vt ne, hic illius; ille, huius nomine inflemini alius aduersus alium.* Theodoretus in hunc locum. *Vt in nobis discatis, non supra quàm scriptum est, de vobis sentire: scriptum est autem* (Mar. 10.) *Qui vult in vobis esse primus, sit omnium vltimus.* Cum ergo luce clarius sit totum hunc locum ad humilitatis studium sectandum pertinere; & voculam illam: *Supra quam scriptum est*; respicere ad ea Euangelij loca, vbi modestia & submissio commendatur; non nisi ineptissimè ad scientiam seu cognitionem scripturarum trahitur; quasi Apostolus voluerit, vt Corinthij diuinis in rebus, nihil discerent, aut scirent, nisi quod scriptum est.

Similibus inscitiæ, calumniarum & mendaciloquentiæ notis exornat Labrax suam de scripturarum perspicuitate Disputationem; in qua nihil reperi; quod non abunde profligatum sit supra cap. 1. & 2.

Mortonus Anglus parte 2. Apologiæ suæ lib. 5. per multa capita de iudice controuersiarum nō tam differens, quàm delirans; mendaciis, criminationibus, & ineptiis propemodum immoritur; qui scribendo nil aliud quæsiſſe videtur; quàm vt nullos lectores reperiret. Arbitror voti compotem factum; cui enim tantum patientiæ suppetat, qui dissolutissimos illos centones ex fraudibus & imposturis imperitissimè contextos & connexos euoluat; & in tam malè natis & consarcinatis chartis primùm pecuniam, deinde operam & bonas horas consumat? Nec refutatione eget; tum quia helleboro; vel, quod capiti depurando efficacius est; Antimonio puro puto eget: tum quia quidquid aduersus Bellarminum de iudice controuersiarum mentitur; id iam in aliorum Prædicantium refutatione; refutatum dedimus.

Finis secundæ Appendicis.

Digitized by Google

DEFENSIO LIBRI QVARTI DE VERBO DEI, REVENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT SECVNDVM.

Quid sit & quotuplex traditio.

OMittvnt Praedicantes caput primum, in quo texit Bellarminus catalogũ eorum, qui traditiones nõ scriptas potissimum vel defenderunt, vel oppugnauerunt. Refutationẽ capitis secundi auspicantur à mendaciis. Sibrandus dicit; *traditiones fuisse ignotas Eckio, Emsero, & aliis.* Sed hoc commentum refellitur ab omnibus propè Eckij & Emseri aliorumq; contra Lutherum libris. Quis enim Catholicorum rerum omnium adeo imperitus fuit; cui Verbum Dei non scriptum non fuerit perspectum?

Mentitur iterum, scripturam à nobis vocari *imperfectam; hinc vt perficiatur, traditiones statui.* At hoc falsum est; quia *imperfectum* non est; quidquid omnia illa continet; quæ continere debet; at scriptura omnia continet, quæ continere de-
B bet, non est igitur *imperfecta.* Nec traditionibus vtimur, vt scripturæ corpus perficiatur; sed quia certi sumus, verbum Dei vltra scripturæ limites diffundi. Quod si quando scriptura ab Orthodoxis vocatur *imperfecta,* id nõ fit alio fine, quàm vt remoueant fictitiam illam perfectionem, qua à sectariis vel inuita donatur; nõ autem vt ei abrogent eam perfectionem, quam habet in genere suo, qua scriptura est.

Tertiò mentitur; *affirmare nos, omnes omnino ritus & ceremonias in nostra Ecclesia vsitatas, esse traditiones.* Mendacium hoc ex Bellarmini verbis euanescit; qui in Ecclesiasticis traditionibus non numerat, nisi antiquas Ecclesiæ consuetudines; quædam enim nouæ sunt; quas traditionibus nemo accenset.

A Quartò mentitur, docere nos, *omnes traditiones esse eiusdem cum verbo Dei scripto auctoritatis.* Bellarminus contrarium palam scribit; cum ait; traditiones Ecclesiasticas, vt à diuinis & Apostolicis distinguuntur; eandem vim habere, quam habent decreta & scriptæ constitutiones Ecclesiæ. Quis vnquam docuit scriptas Ecclesiæ constitutiones eadem cum verbo Dei auctoritate præditas esse?

Quàm verò argutum hoc. *Hæretici cum Orthodoxis contendunt de traditionibus*; vel, *Hæretici negant traditiones, quas Catholici suscipiunt & venerantur; ergo traditiones non possunt esse principia disputandi de rebus fidei & religionis.* Probatur consequentia. *Quia principia debent esse extra controuersiam.* Perinde ac si quis diceret; *Multi Philosophi negarunt, & adhuc negant materiam, formam & priuationem esse principia Physica; ergo tria illa non possunt esse fundamenta & principia di-*
B *sputationis de rebus naturalibus: principia enim debent extra omnem dubitationem esse collocata.* Quàm solers & ingeniosum est hoc argumentum, tam acutum & subtile est & illud alterum. An non hoc omnibus scholis solenne est; vt principia probentur, si vel ex imperitia; vel ex contumacia & malitia in quæstionem vocentur, vel penitus repudientur? Quia ergo sectarij traditiones contemnunt & aspernantur; ideo Bellarminus iure optimo auctoritatem earum omni argumentorum genere hoc loco adstruere ingreditur.

Danæus mentitur. I. *Bellarminum vim vocis huius Traditio & notionem vocabuli prorsus ignorare.* Num hoc ita sit; perspicuè intelliget lector ex primis huius capitis verbis.

Men-

Digitized by Google

Mentitur secundò; *diuisionem traditionum in diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas esse paralogismum*; Quomodo paralogismus est; cum non sit vllus syllogismus, aut alia argumentationis species? An *paralogismi* etiam in diuisione committuntur?

Tertiò mentitur; *esse petitionem principij.* Quomodo petit *principium*; qui id quod assumit & ponit; firmissimis argumentis demonstraturus est? An *principium peterem*; si disputaturus cum illo, qui principia Physica reiiceret; ego initio disputationis principia hæc in materiam, formam & priuationem distinguerem; & posita hac distinctione, totidem, nec plura, nec pauciora naturalium rerum exordia constituenda solidè & Philosophicè demonstrarem?

Vt Bellarminus ostendat, vocem *traditionis* accipi etiam pro doctrina non scripta, adducit illum locum: 2. Thess. 2. *Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam.* Calumniatur Iunius hunc locum malè cum aliis, ex quibus Bellarminus idem probarat, copulari. Quid ita verò? *Quia hic Apostoli locus agit etiam de doctrina scripta: Traditionem enim generatim sumptam, diuidit in species; nimirum in traditionem non scriptam & scriptam.* Quid tum postea? An hoc nesciuit Bellarminus? An hoc negauit? An ideo perperam locum illum Paulinum adduxit, vt inde probaret; vocem *traditionis* vsurpari etiam pro doctrina non scripta? Si ego ex hac diuisione: *Animalium aliud est lepus, aliud canis*; probare instituerem; vocem *animalis* etiam de *lepore* dici; an ineptè agerem; eò quod in eadem diuisione nomen *canis* ponatur?

Reprehendit Bellarminus Kemnicium; quod de traditione scripta hunc Cypriani locum explicarit. lib. 2. Epist. 3. *Admonitos autem nos scias, vt in calice Domini offerendo Dominica traditio seruetur, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur*: quia nusquam in tota scriptura præceptum est, vt calix vini mixtus aqua offeratur. Respondet VVitackerus, *Kemnicium ex hac ipsa Epistola ostendere Cyprianum loqui de traditione scripta; non autem de non scripta.* Atqui hoc ipsum est quod Bellarminus in Kemnitio reprehendit. Quomodo enim Cyprianus ex scriptura probare potuit hanc de aqua vino affundenda traditionem; cum in scriptura nusquam exstet eius mentio? Nam quod VVitackerus ait; *Probari hanc consuetudinem à Cypriano ex hoc, quod sanguis & aqua ex latere Christi in cruce pendentis fluxit*; id inprimis falsum est; nam hanc probationem non adhibet Cyprianus in illa ad Cæcilium Epistola. Et vt maximè adhiberet; non tamen alio fine id faceret, quàm vt consuetudini ex traditione non scripta ad nos delatæ, fidem & probabilitatem aliquam per mysticum & allegoricum argumentum conciliaret; non autem vt ipsam consuetudinem per se inde adstrueret. Qualis enim hæc esset argumentatio? *Ex transfixo Christi latere fluxerunt sanguis & aqua, ergo Christus in vltima cœna vinum aqua miscuit: ergo idem à nobis fieri oportet*: potest ergo hæc consuetudo fluxu sanguinis & aquæ ex latere Saluatoris aliquatenus illustrari, non directè & immediatè demonstrari; sed aliunde de ea constare oportet; ex traditione videlicet non scripta.

Sic nihil obstat; quod VVitackerus obiicit; *morem fuisse in illis calidis regionibus, vt vinum semper modica aqua temperatum biberent*: Nam vt id ita esset: nihil tamen de hoc scriptura tradit: Neque docet Christum hunc morem in vltima cœna obseruasse; neque, vt ab aliis obseruaretur, præcepisse: quod tamen fieri deberet; si hæc consuetudo ex traditione scripta; non ex non scripta descenderet. Quis credat, neminem vnquam quidquam vini in illis regionibus hausisse; nisi id prius aqua diluisset?

Iunius calumniatur, *Bellarminum neq; Cypriani, neque Kemnicij mentem assecutum esse. Nam miscere Latinis & Græcis idem etiam esse; quod infundere; Hinc Cyprianum priore Epistolæ parte, quando calicem vino mixtum offerendum docet; nil aliud velle, quàm vinum calici infundi debere*: tametsi non abnuit; *Cyprianum postea*, de aqua vino addenda disputare; prius illud, *ait esse traditionis Dominicæ*: hoc est, *scriptæ*; hoc; *traditionis Ecclesiasticæ*, hoc est, *non scriptæ.* Sed hæc Iuniana sunt, hoc est, vana & friuola. Quamuis enim fortasse traditionis scriptæ sit; vinum esse offerendum; non solam aquam, vt faciebant *Aquarij*; attamen traditionis scriptæ non est; hoc vinum esse diluendum aqua; aut ostendant Hæretici locum quempiam clarum & perspicuum in sacris litteris; & non grauatè sententiam mutabimus. Dixi autem; *Fortè traditionis scriptæ esse*, quod de offerendo vino Ecclesia obseruat: quia si quis hoc pertinaciter inficiari statueret; vix ex scripturis, absque traditione non scripta, efficaciter conuinci posset. Nam licet Euangelistæ cum Apostolo commemorent, Christum accepisse calicem, discipulisque dedisse: non tamen, quid in illo calice fuerit, disertè exponunt. Et, verba illa Domini apud Matth. cap. 16. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*, non pertinent ad calicem Eucharistiæ, vt ex D. Lucæ cap. 22. perspicuum relinquitur; sed, ad calicem, qui datus fuit post Paschalis agni esum. Viderint ergo illi, qui præter clara, & euidentia scripturæ testimonia, nullum aliud probationis genus admittunt; ex qua nam scriptura, hanc Eucharisticæ materiæ partem nobis probare velint: apud nos enim, quibus traditionum, & Ecclesiæ auctoritas sacrosancta est, res æquè certa est de vino, atque de *pane*. Ita disertè Bellarminus libro quarto de Eucharist. cap. 10. Et

lib.1.de Eucharist. cap.1. & lib.1.de Missa cap.24. Sed non contendo de hoc; sit traditionis scriptæ: Demus ex scripturis abundè ostendi posse; negamus tamen D. Cyprianum, etiam in priore Epistolæ illius parte, agere de solo vino; aut verbum *miscendi* accipere, prout idem est, quod *infundere*: Disputat enim contra *Aquarios*, qui solam aquam offerebant: aduersus istos, ait se admonitum, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, nempe, vt mixtus vino offeratur; hoc est, vt non sola aqua; sed aqua cum vino; vtitur autem Diuus Cyprianus hoc loquendi modo, *mixtus vino*; quia cum Aquariis agebat; qui aquam solam in calice offerendo adhibebant; Ait ergo, hunc calicem, in quo est aqua, miscendum vino: eo sensu, quo nos vsitatius dicere solemus: calicem mixtum aqua vel vinum mixtum aqua offerri debere. Sicut ergo nos nostro loquendi modo vini & aquæ veram mistionem; & non solam vini infusionem significamus; ita D. Cyprianus; quando dixit: calicem vino mixtum offerendum esse; id de vera vini & aquæ (hanc enim in calice esse præsupponebat propter Aquarios) mixtione intellexit: Et hoc traditionis Dominicæ esse asseruit. Hæc autem traditio non est scripta: aut si scripta est, monstrent Hæretici locum.

Mentitur Iunius cum scribit; *Kemnicium nihil aliud voluisse, quàm traditionis scripta esse vinum in calice offerri debere.* Non hoc voluit Kemnicius, sed traditionis scriptæ esse vt vinum aqua mixtum offeratur; idque ex sententia D. Cypriani. Sed cum nihil de hac mixtione in sacris litteris reperiatur, fatuum fuerit existimare, S. Cyprianum ad traditionem scriptam hunc miscendi morem retulisse: quem adeo euidens est in scripturis non contineri; vt ne ipse quidem Iunius id potuerit inficiari; Hinc ait, *esse traditionis Ecclesiasticæ.* At S. Cyprianus expresè hunc morem refert ad traditionem diuinam. Quare sub finem Epistolæ totam suam disputationem concludens, inquit; *Christum sequi, & præcepta eius seruare debemus*: inter quæ & hoc; vt calix vino mixtus: seu, vinum aqua mixtum offeratur: Paulò post subdit; *vt in Dominico calice miscendo & offerendo custodiamus traditionis Dominicæ veritatem.* Vbi manifestum est, loqui illum de calice vini aqua temperati ac mixti: Et hoc ait esse traditionem Dominicam; hoc est, ab ipso Christo Domino perfectam.

Diuidit Bellarminus traditiones ab auctoribus in Diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas. Diuinas vocat, quæ à Christo sunt vt ab auctore. Apostolicas; quæ ab Apostolis; Ecclesiasticas, quæ ab Ecclesia. *Differentiæ hæ*, clamat Savvbrandus, *neque accidentaliter, neque essentialiter rem distinguunt: simul enim coincidunt.* Quo pacto? *Quidquid enim Apostoli ex diuinà inspiratione fecerunt; hoc est diuinum. Apostolicum igitur & diuinum non differunt, tanquam oppositæ species; sed, tanquam genus, & species. Omne enim Apostolicum, est diuinum; sed, non omne diuinum, est Apostolicum.* Imperitè. Quæ imperitia ex sola vocis *diuini* homonymia, & ambiguitate pronascitur. Nam Bellarminus diuinum accipit pro illo, quod immediatè ab ipso Christo dictum, doctum & traditum est; vt per Apostolos porrò transmitteretur ad alios. Quo sensu certum est; non omne Apostolicum esse diuinum. Potuerunt enim Apostoli aliqua ordinare, constituere; & præscribere, tanquam Ecclesiæ antistites; instinctu quidem Spiritus sancti; sed tamen absque peculiari & expressa iussione Dei vel Christi; quemadmodum iam quoque tam Politici, quàm Ecclesiastici legislatores multa; Deo adiuuante, decernunt & sanciunt; neque tamen diuina dici solent; sed humana; eaque vel ciuilia vel politica. Et tamen *per me Reges regnant*, inquit deus, *& legum conditores iusta decernunt.* Idem dicendum & sentiendum de Apostolis. Non ergo duo ista diuisionis membra concurrunt, & in idem recidunt; vt nugatur Caluinista: neque enim omne Apostolicum est diuinum; neque omne diuinum, Apostolicum; vt iam vidimus: alioqui si ideo omne Apostolicum est diuinum; quia remotè & mediate saltem à Deo descendit; etiam omne decretum humanum (de iusto loquor) erit diuinum; quia mediatè & remotè à Deo proficiscitur.

Huiusmodi discrimen admittendum esse inter diuinum & Apostolicum, optimè probat Bellarminus ex illis 1. Cor. 7. vbi S. Paulus: *Præcipio non ego; sed Dominus: Dico ego, non Dominus*: Si enim aliquod præceptum potuit esse Apostolicum, & non diuinum tunc, quando Paulus immediatè, vt scriptor Canonicus, agebatur & ducebatur à Spiritu sanctô, ad eum fermè modum, quo calamus à scriba agitur & ducitur; poterit etiam esse aliquid Apostolicum, & non diuinum tunc, quando aliquid ab Apostolis præscriptum & constitutum fuit; non ex immediato impulsu Spiritus sancti, quali scriptores Canonici agitantur, sed à mediato; qualis adesse solet omnibus illis, qui iustas leges ad Christianæ Ecclesiæ vtilitatem ferunt; Sed verum est prius; vt planum faciunt citata ex Epist. ad Corinthios loca. Verum ergo & posterius. Verum igitur & hoc erit, Sibrandum ineptire, cum hæc duo membra diuisionis Bellarminianæ coincidere scribit. Cuius ineptiæ aliud dat specimen, cum dicit; *Omne Apostolicum esse etiam Ecclesiasticum.* Iterum ambiguitate vocis futelas Caluinista nectit: nam in diuisione Bellarmini accipitur *Ecclesiasticum* pro illo; quod non ab Apostolis; sed ab Ecclesia institutum est, prout Ecclesia

ab Apo-

Digitized by Google

ab Apoſtolis differt; durauit enim & etiamnum durat Eccleſia, quãtumuis licet Apoſtolis ex hac vita ad aliam euocatis: quo pacto clarum eſt; *Apoſtolicum* non eſſe *Eccleſiaſticum*; neque vice verſa; neque vllo modo hæc duo membra in idem relabi; quod in diuiſione vitioſum eſſe, nemo Dialecticus ignorat.

Mentitur ergo Sectarius, cùm ait: *traditiones diuidere ab auctoribus in diuinas, Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas, ſimiliter eſſe ac ſi diuideres animal in ſentiens, brutum, & hinniens*: à quo mendacio tum liberabitur, cum oſtenderint tres traditionũ auctores; Deum, Apoſtolos, & Eccleſiam, à quibus traditiones in prædicta diuiſione appellationem ſortiuntur, ita in ſe mutuò includi, ſicut *ſentiens, brutum, & hinniens.*

Ex his poterit etiam Iunius petere ſolutionẽ ad notatiunculam ſuam in hunc Bellarmini locum, vbi vlterius adiungit; Paulum 1. Corinth. 7. *non opponere præcepta ſua diuinis, reſpectu Auctorum, id eſt, efficientis cauſſa, ſed reſpectu modi & conditionis ipſorum: alia enim eſſe ſimplicia, & abſolutè neceſſaria: alia verò hypothetica, & neceſſaria ex ſuppoſitione: ſimplicia, dici à Domino: hypothetica ab Apoſtolo. Simplices determinationes eſſe Domini; connexas ex ſuppoſito, eſſe Apoſtoli.* Hæc vanitas dilucidè ipſis Apoſtoli verbis refellitur. Ait enim: *Præcipio non ego, ſed Dominus.* Et infrà: *Ego dico, non Dominus.* Opponit ergo ſe & Dominum. Opponit & præceptum præcepto ratione ſui tanquam auctoris; & ratione Domini; tanquam auctoris. Duo enim adfert præcepta; alterum dicit eſſe ſuum; alterum, Domini: opponit igitur illa inter ſe ratione auctorum. Neque vnquam vel in ſomno cogitauit Apoſtolus de futili & ementito diſcrimine, quod hic comminiſcitur Iunius; quaſi ipſe tantum *hypothetica* Chriſtus *categorica* ediderit præcepta. Nam & præceptum, quod eo loco à ſe, non à Domino tradi affirmat; non eſt *hypotheticum*; vt delirat Iunius; ſed *categoricum*; etſi hypotheſi nixum. Ait enim: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo: non dimittat illam. Et, ſi qua mulier habet virum infidelem; & hic conſentit habitare cum illa; non dimittat virum, &c.* Præceptum conſiſtit in illis verbis: *Non dimittat illam. Non dimittat virũ*: quæ *categorica* ſunt, non *hypothetica*. licet hypotheſis antecedat. Nam quod ait, talia præcepta non dari à Deo; id à vero tam eſt alienum, quàm quod longiſsimè: & vel decimum tertium caput Leuitici inane hoc figmentum euidentiſsimè refellit.

Exempla traditionum diuinarum ait Bellarminus eſſe ea; quæ ad materiam & formam ſacramentorum pertinent: pauca enim de his haberi in diuinis litteris, & tamen certum eſſe, ſacramẽtorum eſſentiam non potuiſſe, niſi à Chriſto inſtitui. Hinc Apoſtolum 1. Cor. 11. de Euchariſtiæ ſacramento loquentem dicere: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Vbi VVitackerus: *Obſeruatione dignum eſt argumentum Bellarmini, quo probat, ea omnia, quibus ipſi in Baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentia, Matrimonio, ac reliquis illorum ſacramentis vtuntur, à Chriſto inſtituta eſſe: quod quidem eſt huiuſmodi: Paulus ait 1. Cor. 11. 23. Hoc accepi à Domino, quod & tradidi vobis; ergò, credendum eſt; iſta omnia à Domino præſcripta eſſe. Sed quomodo hoc ſequitur? Paulus à Domino accepit, quæ ille Corinthiis tradidit obſeruanda. Ergò, omnia etiam, quæ illi tradunt, à Domino acceperunt.* Sed VVitackerus calumniatorem agit. Non enim dicit Bellarminus, *omnia, quæ in adminiſtratione baptiſmi, confirmationis, extremæ vnctionis vel matrimonij geruntur, à Chriſto inſtituta eſſe*; ſed materiam & formam horum ſacramentorum à Chriſto inſtitutam eſſe; cum ſacramentorum eſſentiam nemo, præter Chriſtum, poſsit conſtituere vel efficere. Ritus & cæremoniæ horum adminiſtrationi adiungi ſolitæ; ſunt aut ex traditione Apoſtolica; aut Eccleſiaſtica. Quod Bellarminum minimè fugit. Quomodo autem Bellarmini propoſitum ex illo D. Pauli loco conficiatur, facilè aduertiſſet VVitackerus; ſi ad diſcẽdum, quàm cauillandum paratior eſſet. Nam ſi ea, quæ ad Euchariſtiæ eſſentiam pertinent, nõ niſi à Domino proficiſci & accipi potuerunt; Sequitur etiam ea, quæ aliorum ſacramentorum eſſentialem conſtitutionem attingunt, non niſi à Chriſto Domino tradi potuiſſe; cum omnium ſacramentorum eadem ſit ratio; neque ſub humanam; ſed tantummodo ſub diuinam inſtitutionem cadant.

Savvbrandus multa hic Caluiniſticè, hoc eſt, impiè & inſulsè de ſacramentorum natura deblaterat. Ait: *Euchariſtiæ ſacramentum eſſe manducationem panis & vini cum annunciatione mortis Domini.* Perinde ac ſi diceret: manducationem panis & hauſtum vini eſſe panem & vinum: quaſi res & vſus rei non diſtinguatur: & quaſi Euchariſtiæ ſacramentum in vſu poſitum ſit; non in re quapiam etiam ante & extra omnem vſum durabili. Ait: *Eſſentialia baptiſmi & Euchariſtiæ in ſacris litteris exprimi: falsò igitur affirmare Bellarminum eſſentialia & formalia ſacramentorum ex traditione non ſcripta liquere.* Atqui, ô Caluiniſta, Bellarminus hoc non aſſerit de omnibus ſacramentis; ſed de aliquibus duntaxat. Non enim neſcius fuit, materiam & formam baptiſmi; & ſimiliter materiam remotam Euchariſtiæ ſaltem quod ad panem attinet; in ſcriptura expreſsè tradi. Quanquam ſi quis inficiaretur verba illa: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus*; eſſe Euchariſtiæ formam; item ſi quis contumaciter abnueret; Chriſtum in Calice vinum poſuiſſe: qua tu ratione eum abſque traditionis adminiculo reuinceres? neque enim hæc adeo ſunt in ſcripturis dilucida, vt à traditionis contemptore in dubium vocari non queant.

Pro exemplo Apoſtolicæ traditionis adducit Bellarminus ieiuniũ Quadrageſimæ & Quatuor temporũ. Contrà Sibrandus: *Nihil exſtat in ſcriptis Apoſtolicis de ieiunio Quadrageſimæ, ergo non eſt*

ex institutione & traditione Apostolica. An non hoc efficacissimum argumentum est? Bellarminus asserit; ieiunium hoc esse ex traditione non scripta: iste obiicit: *Non est ex traditione scripta Apostolica; ergo non est ex traditione Apostolica non scripta.* An non Caluinianus iste subtilis argumentator salutari meretur? Quæ ex Eusebio, & Socrate contra Apostolicam Quadragesimæ institutionem producit; ea omnia accuratè dissoluuntur à Bellarmino lib. 2. de bonis operibus in particulari cap. 14. Neque iam tempus est disputandi de Quadragesima.

VVitackerus dicit, *multos ex Papistis dicere, Quadragesimam à Christo fuisse institutam; atq; adeo diuinæ traditionis esse.* Non diffiteor. Nec caret probabilitate hæc sententia. Etsi Bellarmino alia placet: Neque ex hoc argumento colligitur. *Christus quadraginta dies ieiunauit; ergo Quadragesimam instituit;* Vel; *ergo præcepit, vt & Christiani quadraginta dies ieiunio darent:* non valent huiusmodi consecutiones; quia necesse non est, vt quidquid Christus gessit, hoc etiam nobis faciendum præceperit; sed aliunde ipsam traditionem ij, qui prædictam sententiam amplectuntur, colligunt, eamque postea exemplo Christi, tanquam probabili ratione illustrant; vt & eorum, qui in hoc ieiunio typum Christi gesserunt; Mosis & Heliæ.

Ait Bellarminus, ieiunium quatuor temporum esse ex Apostolica traditione. Oggannit VVitackerus: *Bellarminum infra sui esse oblitum; vbi dicit, quartum ieiunium à Calisto Põtifice adiectum, Non ergo ab Apostolis fuisse institutum.* Idem oggrunnit Savvbrandus. Vt isti vbique calumniarum struendarum memores sunt; ita Bellarminus assertionis suæ non tantum proximo sequenti capite; sed & lib. 2. de bonis operibus in particulari probe memor fuit; Quo loco ait: Quatuor temporum ieiunia ab Apostolis dici instituta per figuram intellectionis; id est, maxima parte; quia tria instituerunt; quarto per Callistum Pontificem adiecto.

Diuidit deinde Bellarminus traditiones ex materia subiecta in eas, quæ ad fidem: & in eas, quæ ad mores spectant. Savvbrandus clamat: *Nullam esse traditionem nõ scriptam creditu necessariam.* Sed patienter exspecta; paulò post Bellarminus planum faciet, traditiones quasdam ad dogmata fidei pertinentes, necessariò admittendas esse: Nunc tantummodo ad futuram disputationem viam munit.

Ait Bellarminus: traditiones diuinas & Apostolicas paris esse auctoritatis cum scripto Dei verbo. Nec displicet hoc VVitackero; ex hypothesi saltem; *posito, quod traditiones non scriptæ recipiantur;* Ecclesiasticas autem esse eiusdem auctoritatis, cuius sunt Ecclesiæ scripta decreta. Obiicit VVitackerus: *Patres Concilij Tridentini sess. 4. præcipere, vt pari pietatis affectu traditiones non scriptas suscipiamus ac veneremur, atque ipsos libros sacræ scripturæ:*

A *hinc sequi, omnes traditiones cum scripto Dei verbo æquiparari debere.* Non sequitur: quia Patres Concilij Tridentini tantummodo de diuinis & Apostolicis traditionibus id affirmarunt: non de Ecclesiasticis. Nam quod ipsimet Patres huic dubitationi VVitackerianæ non occurrerunt; vt conqueritur VVitackerus; id non est mirandum. Quis enim finis foret; si Patres alicuius Concilij omnium fatuorum dubitationibus occurrere vellent? Quia verò probabile est Apostolos quædam tradidisse non ex immediato impulsu Spiritus sancti eo pacto, quo impellebantur, quando vt Scriptores Canonici, aliquid vel in litteras mittebant; vel voce proferebant; sed vt antistites Ecclesiæ; eo modo, quo iam quoque summus

B Ecclesiæ Pontifex ex Spiritus sancti instinctu quædam præscribit ac ordinat: hinc quod de pari auctoritate Apostolicarum traditionum cum scripto Dei verbo dicitur; tantummodo ad Apostolicas traditiones prioris generis referendum censeo: Nam illæ posterioris generis potius ad Ecclesiasticas spectant.

Inter traditiones Apostolicas de fide numerat Bellarminus istas: B. Mariam semper fuisse Virginem, & quatuor tantùm esse Euangelia. Respondet VVitackerus, traditionem priorem probari ex scriptura ab Epiphanio, Ambrosio, Hieronymo: esse igitur traditionem scriptam. At exhibeat VVitackerus scripturæ locum, qui expressè testetur; Deiparam *ante, in, & post partum*

C semper mansisse intemeratam Virginem. Et si hoc est scripta traditio; cur reiicitur à Caluinistis; qui sanctissimæ Virginis Virginitatē in partu magnis clamoribus negatum & oppugnatum eunt? Cur paulò post dicit; *Perpetuam Virginitatem Deiparæ fidem non attingere?* Quomodo fidem non attingit id, quod sacris litteris traditum est? Cur in symbolo fidei ponitur hic articulus; si nihil ad fidem facit?

Mendacium est, *D. Basilium Homilia de Natiuitate Domini id ipsum affirmare;* nempe, dogma de perpetua Deiparæ Virginitate fidem non tangere: Nihil minus dicit: sed tantum hoc; nihil ad Incarnationis & Natiuitatis mysterium pertinere; vtrum postea beata Virgo cum Iosepho con-

D iugalem consuetudinem habuerit; ad mysterij ipsius maiestatem sufficere Virginitatem eò vsque integrè & illibatè custoditam fuisse. τὸ δ' ἀφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν. *Quod postea consecutum est; indiscussum relinquamus; vtpote ad ipsam internam mysterij rationem nil faciens:* quia nihilominus verum esset Christum, Deum & hominem; ex Virgine conceptum & natum, quamuis postea à Iosepho, vxoris instar, cognita fuisset. Subiungit D. Basilius: ὅμως διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοήν, ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ θεοτόκος, ἐκείνας ἡγούμεθα τὰς μαρτυρίας αὐτάρκεις. *Nihilominus, ne quis vnquam Christi amantium ad aures admittat illud; Deiparam non semper mansisse Virginē; allata testimonia satis superq; euincere existimo.*

Et hæc longè aliter sonant, quàm quæ VVitackerus D. Basilio affingit.

Notandum est autem, longè discriminari hæc duo: Aliquid, quoad quæstionem *An est*: ex scriptura probari posse: & illud ipsum supposità, vel aliunde cognitâ eius existétia ex scripturis illustrari & verisimile reddi posse. Priori modo non ex scriptura; sed ex traditione habetur perpetua Deiparæ Virginitas. Posteriore modo ex scriptura ostendi, muniri, & declarari idem dogma potest. Eadem est ratio Quadragesimæ, cuius existentia habetur ex traditione non scripta; conuenientia eius & rectitudo ex scriptura demõstrari potest; ab exemplo videlicet Christi, Heliæ, Moysis & aliorum.

B

Traditionem, *non esse plura, quàm quatuor Euangelia*; VVitackerus scriptis annumerat. Vbi, obsecro, in scriptura scriptum est, tantum esse quatuor Euangelia; nec plura nec pauciora? Monstrate tandem locum, ô Prædicantes.

Dicit Bellarminus traditionem temporalem; certo videlicet duntaxat tempore duraturam, fuisse obseruationem legalium quarundam ceremoniarum; quæ seruandæ erant vsque ad plenam Euangelij promulgationem, vt facilius Ecclesia ex Iudæis & gentibus coalesceret: *At hæ non sunt non scriptæ*. Cæremoniæ obseruandæ, fateor, non sunt non scriptæ. At traditio vt obseruarentur, concordiæ & mutuæ coniunctionis caussâ,

C

fuit non scripta; nam primi Christiani non ex præcepto aliquo scripto; sed ex traditione à primis fidei propagatoribus accepta, ritus quosdam Mosaicos obseruabant, donec tandem Ecclesia Iudæorum & gentium satis firmo nexu copulata esset. Tunc enim hæc etiam traditio desiit.

Savvbrandus cap. 3. libri sui septimi de Principiis stultisimè de traditionibus fatuatur: nimirum, esse duplices; *diuinas & humanas; omnesq́, si ad fidem vel mores pertineant, litteris consignatas esse.* Vbi, quæso, scriptum est? die Dominico ab operibus seruilibus vacandum esse? An non hoc ad mores saltem spectat? *Alias traditiones dicit pertinere ad decorum*: quasi verò decorum sit aliquid ab honestate morum diuersum. Vbi magis cedo, decorum elucescit, sedemue fixam habet, quàm in moribus? Ait: *Essentialia decori omnia, litteris commendata: non item omnia accidentalia. Vt ieiunandum esse, ad decorum pertinere, & scriptis expressum haberi*: at hoc vel illo tempore, *in his vel illis cibis ieiunium peragi debere, à scriptura non tradi*. Vbi vides, quã insipienter & stolidè Caluinianus iste applicationẽ generalium præceptionum ad actionem in particulari vocet *traditionem decori accidentariam*; quasi verò hoc, quod à prudentiæ virtute pendet, si nõ sit lex, quæ praxin etiam in indiuiduo *signatè &*

D

A *definitè* præscribat; ad traditionem pertineat, vel traditionis nomine affici queat.

Rullus Basileensis in disputatione de Traditionibus Tomo primo sylloges Thesium Theologicarum, non multò peritius de Traditionum diuisione disserit, ac symmysta eius Savvbrandus: Nam primò diuidit *in traditionem dogmatum & rituum*. Quid traditio dogmatum? *Est*, inquit, *institutio de fide, vel de bonis operibus*. Cum, vt ait, *traditio sit quæuis institutio, quæ in Ecclesia traditur*: quærere lubet, an nihil in Ecclesia tradatur, quod pertineat ad spem & charitatem? Num omnia, quæ traduntur in Ecclesia solam fidem concernunt? Num fortè spem & charitatem sub bonis operibus complecteris?

Quòd dicis, hac notione vsurpari vocem *traditionis* 2. Thessal. 2. *nempe igitur fratres, perstate & retinete traditiones* (sic enim sacrum textum citas) falsum est; quia traditio eo loci accipitur pro quacunque scripta & non scripta traditione, siue ad dogmata pertineat; siue ad ritus: neque enim restringitur à sancto Paulo vox *traditionis* ad sola dogmata: vt patet inspicienti textum. Sic neque in eiusdem epistolæ capite tertio versu sexto: *Et non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis*; vox *traditio* ad sola dogmata refertur, vt existimat Rullus, adducens hunc pro primo partitionis suæ membro locum: Monet enim vt subtrahant se & segregent ab omni fratre *inordinatè*, non ex acceptæ traditionis præscripto ambulãte: at hæc ataxia & inordinatio non tantùm committitur violatione traditionum, quæ dogmata tangant; sed & illarum; quæ mores & ritus. Nisi Rullus Nouator esset; si à materia traditiones distinguere voluisset; vetere diuisione retenta; diuisisset in traditiones de fide; & in traditiones de moribus, nisi fortè nomine *ritus* intelligat ipse *mores*; Quod si ita est; cur *traditiones* de bonis operibus refert ad traditiones dogmatum; cum *traditiones* dogmatũ seu de fide sint speculatiuæ; traditiones de moribus directè practicæ; quia directè sunt de agendo; tametsi & de credendo, sed indirectè?

Traditio rituum, inquit Rullus, *est institutio de obseruandis certis in Ecclesia ritibus*. Est hæc traditio particula solummodo traditionũ de moribus, sub quibus & ritus, vt & omnia agenda comprehenduntur: neque enim Christiani duntaxat per traditionem habent, quibus ritibus in Ecclesia, hoc est, in conuentu & cœtu Ecclesiæ (sic enim vsurpat Caluinista *Ecclesiæ* nomen) vtendum sit; sed & quæ alibi extra Ecclesiasticos conuentus agere oporteat. Ex quo fit, vt Rullana diuisio duplici nomine vitiosa & inscita censeri debeat; primo, quia sub traditionibus dogmatum, seu de fide; quæ speculatiuæ sunt; includit practicas; quæ ad secundum diuisionis membrũ spectant: Deinde sub altero diuisionis mẽbro, quod pra-

Digitized by Google

ecticas traditiones continet; vnam solummodo particulam actionum comprehendit; nempe solos ritus Ecclesiasticos, qui tamen etiam inscitè in primo diuisionis membro includuntur: quia continentur sub bonis operibus; quæ Rullus in primo membro collocauit: Quomodocunque enim *bona opera* accipiat, negare non poterit, ritus in Ecclesia obseruandos, esse bona opera: Quia ritus isti sunt actiones: ergo vel bonæ vel malæ. Malas non asseret Rullus: ergo bonas: si sunt bonæ actiones, ergo & bona opera: bona enim actio & bonum opus synonyma sunt.

Traditionem rituum diuidit *in perpetuam & temporariam.* Rectè, si *ritus* in mores commutaret; & traditiones nō scriptas à scriptis initio distinxisset; ne semper homonymiæ latibulo imperitis nebulas offunderet.

Obserua, Rullum pro exemplo *temporariæ* traditionis adferre *abstinentiam à sanguine & suffocato Actor. 15.* aitque; *pro circumstantiarum ratione mutari posse, ac propterea liberam esse eius obseruationem.* Vbi non immeritò mireris, & ex admiratione perconteris: Cur si hæc traditio *temporaria* est; ipse Rullus in disputatione sua de Iudice controuersiarum in Papistas inuehatur; *quòd hāc traditionem amplius non obseruent,* & inde probare conetur; *eos à doctrina Apostolica defecisse?* si *temporaria* est; vt dicis; ergo ad certum duntaxat tempus instituta est; quod post tot sæcula effluxisse; quis inficias ire audeat? Si *libera est eius obseruatio*; vt ais, cur nos culpas, qui liberè non obseruamus? Sed de hoc satis in Appendice prima ad tertium librum.

Altera diuisione diuidit Rullus *traditionem in diuinam & humanam.* Subdolè. Cur non potius in *Apostolicam & Ecclesiasticam* diuisisti? In promptu est responsio; quia voces istæ minus sunt idoneæ ad fraudes; quàm vocabulum illud: *Humana.* Quo significāt isti, esse aliquas traditiones merè humanas, solo humano spiritu institutas, quæ simul ac istis ad aures accidunt; statim occinunt: *Frustra me colunt mandatis & doctrinis hominum.*

Ait Rullus: *Traditio diuina est, quæ à Deo Ecclesiæ est commendata per Prophetas & Apostolos. Eaq; scripta est, vel non scripta. Scripta est ipsa sacra scriptura Prophetica & Apostolica.* Bonum factum fecisses, si ingressurus disputationem de traditionibus, initiò statim traditionem scriptam, hoc est, sacram scripturam, hinc ablegasses; vt fecit Bellarminus; quandoquidem videbas tibi cum Bellarmino de solis non scriptis traditionibus luctam fore. Sed si hoc præstitisses, tua disputatio minimùm decem Thesibus amputatis, breuior euasisset; ingenti damno eorum, qui malunt operam dare magistris verbosis; quàm erudite breuiloquis.

Decipitur autem & decipit Rullus, cum ait, *tradendi* vocem accipi pro *traditione diuina scripta* in illo loco 1. Corinth. 15. *Tradidi enim vobis inprimis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, &c.* Nam Apostolus manifestè loquitur, de institutione & doctrina viua voce tradita: ne-A que enim, quæ ibi commemorat, antea tradiderat Corinthiis scripto; sed per prædicationem viua voce peractam; sicut & quæ ad Eucharistiam spectant, iisdem prius absque scripto; viua voce tradiderat; vnde & 1. Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis;* dictio *tradendi* doctrinam viua voce prius expositam significat, vt rectè monet Bellarminus.

Sed missis nunc traditionibus diuinis scriptis, accedamus tandem ad non scriptas; quia de his solis disputatio in præsenti suscipitur: Hasce num agnoscit Rullus? Attende. *Traditio diuina non scripta est, quæ viua voce tradita, sed in sacrum Canonem deinceps non relata fuit.* Agnoscis ergo traditiones non scriptas; At nihil plenè; nihil perfectè, omnia B truncatè & mutilatè. Cur non eadem ratione statuis traditiones Apostolicas, qua diuinas? Cur Ecclesiasticas nullas? An Ecclesia nihil saltem quod ritus præscribat, sancire ac præcipere potest?

Nihilo meliora, aut saniora, aut integriora sunt, quæ subdis: *Quales Apostolicæ traditiones fuerūt de ordine in Ecclesia Corinthiaca seruando, ab Apostolo Paulo datæ, de quibus 1. Corinth. 10. Reliqua verò, cum venero, ordinabo.* Nullas traditiones non scriptas ad fidem & dogmata; sed ad solos ritus pertinentes exstare, Lutheranum est & Caluinianum; quia loca scripturæ de traditionibus generalia sunt, & tam ritus, quàm dogmata complectūtur, præsertim nobilis ille 2. Thessal. 2.

C *Ais: Huiusmodi traditiones pro temporum, locorum, & personarum ratione commutabiles fuerunt.* Falsum, de omnibus; quia Apostolicæ traditiones ad fidem & dogmata spectantes, nunquam mutantur; & illæ itidem, quæ in ritibus consistunt; non omnes mutabiles, liberæ, & temporariæ sunt; sed necessariò obseruandæ; quòd sint vel perpetuæ vel vniuersales: neq; enim rationi & veritati consonat; quod isti dictitant, rituum traditiones in vniuscuiusque libera obseruatione positas esse; qua de re postea.

Pergit Caluinista: *Nec fuerunt his, quæ scripta sunt contraria.* Nec nostræ, siue dogmata siue mores & ritus forment; his, quæ scriptæ sunt, aduersantur: *Nec fuerunt immodicæ.* Nec nostræ sunt immodicæ; D nisi immodico & immoderato hæreticorum iudicio: *Nec inutiles.* Nec nostræ sunt inutiles: nisi inutilium Sectariorum sententiā & censurā: *Nec coniunctæ cum opinione necessitatis ad salutem.* Falsum. vt postea fusè ostendetur. Apostolus æque traditiones non scriptas ac scriptas obseruandas præcipit; cum monet, vt seruentur traditiones siue *per sermonem,* hoc est, absque scripto, viua voce; siue *per epistolam* acceptæ: *De illis,* inquit Rullus, *in genere scitur, quod ad εὐταξίαν politiæ Ecclesiasticæ pertinuerint: quales autem in specie fuerint, ignoratur.* En extremam vanitatem & impudentiam. Fatetur exstitisse diuinas traditiones (tametsi non sine Caluinistici veneni admixtione) si interroges; Quæ nam sint illæ traditiones? Respondet, *non*

Digitized by Google

constare amplius quales in specie fuerint; quasi ea fuerit vel negligentia vel imbecillitas Spiritus sancti, vt eas fartas tectas in Ecclesia præstare vel noluerit; vel non potuerit. Eodem iure diceret quis: fuisse quidem olim traditionem diuinam & Euangelicam scriptam; hodie tamen nesciri quænam illa in specie fuerit: nam intercidisse. Neque hodiernam, quæ exstat, legitimam & sinceram esse, sed supposititiam. Quæso, quid talia deliranti responderet? An non traditionem scriptam, quæ hodie exstat, & pro tali agnoscitur, ex ipsa traditione & perpetuo omnium ætatum sibi mutuò succedentium consensu defenderet? An eadem defensionis ratio nullum in nostris traditionibus locum habet?

Concludit Rullus nugas de diuisione traditionis hac nugacissima Thesi: *Apostolica traditiones non scripta, de quibus certò cognitum sit, quod ab Apostolis sint tradita, nunc nulla sunt.* Mentiri Caluinistam, planum faciet sequens disputatio.

CAPVT III.

Explicatur status quæstionis, & mendacia quædam aduersariorum deteguntur.

AIT Bellarminus; statum controuersiæ in hoc consistere; quod nos asserimus, in scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam siue de fide, siue de moribus, & sic præter verbum Dei scriptum, requiri etiam verbũ Dei non scriptum, id est, diuinas & Apostolicas traditiones. Hæretici verò docent, in scriptura omnia contineri ad fidẽ & mores necessaria; & proinde nõ esse opus verbo nõ scripto. Quiritantur Caluinistæ VVitackerus & Savvbrandus; *Statum controuersiæ fideliter à Bellarmino non proponi; se enim nõ dicere: omnia ad salutẽ necessaria expressè in scriptura contineri; sed omnia vel expressè in ea contineri; vel necessariò ex ea deduci posse.* At Bellarminus cũ hæreticorum sententiam proponit, nõ vtitur vocabulo *expressè*; sed tantùm dicit, ex illorum sententia, omnia ad fidem & mores necessaria contineri in scriptura. Deinde, vt maximè vocabulũ *expressè* adhibuisset; sicut illud adhibuit, quãdo Catholicorũ sententiam proposuit; nil contra veritatem asseruisset: Lutherus enim & alij, apertè olim docuerunt, omnia ad fidem & mores necessaria, expressè in scriptura inesse: vt patet etiam ex testimoniis hic à Bellarmino adductis; & quidem *expressè* nõ tantùm quoad sensum; sed & quoad verba: initio quidem furoris sui Euangelici; qui vbi nonnihil resedit; dicere cœperunt, omnia in scripturis contineri *expressè* saltem quoad sensum, licet totidem verba vel syllabæ in iis non reperiantur. Cũ posteriores Prædicantes animaduerterent, etiam hoc absurdius esse, quàm vt constanter defendi possit; tertium commẽtum excogitarunt: videlicet, omnia ad salutem necessaria in scripturis vel *expressè* contineri; vel *necessariò*, vel sicuti Hunnius in Colloquio Ratisbonensi loqui solebat; *per bonam & euidentem consequentiam* inde deduci; sic tamen, vt nulla sit *bona & euidens consequentia*; nisi quam aut ipsi Prædicantes formauerint; aut ab alio formatam approbauerint; neq; enim aliqua consequentia in istorum schola bona est, aut euidens; nisi bonitatem & euidentiam à Prædicantibus accipiat.

Mentitur ergo Savvbrandus, cum scribit; *Bellarminum statum controuersiæ huius ita constituisse; vt appareat eum, repugnante conscientia, de toto hoc traditionum argumento scripsisse:* nam statum controuersiæ ex Lutheri, Brentij, Kemnicij, aliorumque sententia informauit; quibus quid hæretici, hoc est, ipsimet, tũc sentirent; notius fuit, quàm Savvbrando, & aliis; qui quod pro sua vertigine; postmodum aliquid adiecerunt; quod aliis in mentem non venerat; quid hoc ad Bellarminum? Quanquam & ipse VVitackerus hic hanc suo & suorum nomine confessionẽ edit: *Omnia, quæ necessaria sunt, siue ad fidem, siue ad vitam spectent, apertè & abundè in scripturis explicari.* Quid est illud *apertè*, nisi expressè?

Obseruandum est autem; Prædicantes; quando dicũt, *omnia ad salutem necessaria in scripturis contineri, vel ex illis per bonam consequentiam deduci posse*; loqui de deductione immediata & proxima: nã si de mediata & remota ãgatur; manifestum est, etiam verbum Dei non scriptum seu traditiones necessariò ex scriptura deduci; quia scriptura traditiones nobis commendat; & ad eas nos ablegat. Sed hæc deductio non placet Prædicantibus; ideo tantùm, quia non est *Prædicantica*, sed orthodoxa.

Impudenter mentitur Savvbrandus, *Bellarminum aliam insuper controuersiam statuere; nempe Apostolicas traditiones esse omnibus hominibus semper & omni tempore seruandas.* Impudẽtius adhuc subdit Hæreticus: *Miror homini litterato hoc excidisse. Nam, prohibitio sanguinis, & suffocati Actor. 15. 29. est traditio Apostolica, & iam ante multa secula desijt: q ipse Bellarminus negare non potest.* Quid opus istis? Non Bellarmini assertũ; sed tuum figmentũ destruis. Nũquã dixit Bellarminus, oẽs Apostolicas traditiones semper & omni tempore seruandas esse. An non capite superiore expressè docuit; quasdam traditiones fuisse temporales & in his illas; quæ erant de obseruatione quorundam legalium rituum vsq; ad plenã Euãgelij promulgationem?

Ait Bellarminus non deesse certas vias & rationes, quibus Apostolicæ traditiones inuestigentur. Occlamat Savvbrandus: *Hoc prorsus nihil facit ad rem. Bellarminus hic pugnat sine aduersario.* Hic iterum quid dicat intelligere non videtur Sectarius. Affirmauerat enim Kemnicius, nullis certis & firmis documentis probari posse, qui sint ritus certò ab Apostolis traditi, qui ex scriptura ostendi non possint. Contra huius imperitiam

asserit Bellarminus, exstare huiusmodi vias & rationes; de quibus postea cap. 9. fusè disputat. Quomodo ergo *nihil ad rem facit*; quod Bellarminus scribit? Quomodo Bellarminus *sine aduersario pugnat*; cum hoc telum in Kemnicium dirigat? Nam quod Savvbrandus ait; *Cœnam Dominicam esse traditionem*; eamque ex scripturis monstrari posse; quis non videt Nouatorem delirare; cum Bellarminus de via & ratione inuestigandi traditiones non scriptas id affirmet; iste autem traditiones scriptas oggerat? qui rursus luculentū fundit mendacium, quando scribit; *si quis rem accuratius perpendere velit, hūc esse controuersiæ cardinem: sintne omnes ritus, cæremoniæ, doctrinæ, & omnes doctrinæ partes, quæcunq; in Papistica synagoga vsurpātur, æquè obseruandæ, atq; scriptum Dei verbum*. Effrons seu sycophātia seu pseudologia; Nemini enim orthodoxorum vnquam in mentem venit; omnes omnino ritus & cæremonias in Catholica Ecclesia vsitatas cum scripto Dei verbo æquare vel æquiparare. Figmenta isthæc sunt fanaticorū Nouatorū; qui huiusmodi criminationibus à Catholica Ecclesia simpliciorū animos auertere student.

Accusat Bellarminus Brētium & Kemnicium contradictionis; *quòd dixerint, insignis impudētiæ esse, non scripta cum scriptis conferre, eaq; affirmare parem cum scriptis auctoritatem habere: cùm tamen ipsi fateantur, Christum, & Apostolos multa docuisse, quæ non scribātur. Cauillatur egregiè*; inquit VVitacker⁹. (Tu recinas. *Mentitur egregiè VVitackerus*) *nam etsi non dicta factaq; singula scribūtur (nulli enim libri sufficerent) nihil tamen prætermissum, quod necessarium: &, cùm capita summa, ac dogmata scribātur tam luculentè; verissimè dici potuit, scripta esse omnia. Hæc, qui non scripta scriptis comparat, nil aliud facit, quam doctrinam scriptam laudat*. Nihil adhuc video, quid agas; nisi quod fumos venditas. Non quæritur iam vtrū litteris comprehensum sit, quidquid ad salutem necessarium est; sed vtrum sit *insignis impudentia* nō scripta cum sacra scriptura æquare; vt affirmant Brentius & Kemnicius. Huc dirige, si quid defensionis suppetit. Et quamuis verum esset, omnia ad salutem necessaria litteris consignata esse; quod secus est; an ideo verum esset dicere; omnia, quæcunq; Christus & Apostoli vnquam dixerunt aut fecerunt, litteris consignata esse? An non disertè reclamātes audis tuos ipsos clientes, quibus suppetiatū accurristi; asserentesq; palam aduersus tuum patrocinium non omnia, quæ Christus & Apostoli aut gesserunt, aut dixerunt, aut instituerunt, in litteras venisse? Quæritur ergo vtrum illa dicta, facta & instituta Christi & Apostolorum, quæ nō sunt scripta, pari sint auctoritate prædita cum illis; quæ scripta sunt; & vtrum illa cum his; vel hæc cum illis æquare sit *insignis impudentia*. Num excitatio Lazari, vt hoc factum Christi ex multis nominem, maioris nunc est auctoritatis quia scripta est; quàm esset, si scripta non fuisset? An non æquè factum Christi Dei & hominis fuisset, licet litteris nunquam mandata fuisset? An non nisi *impudenter* comparari vel æquari potuisset cum historia exsuscitati filij viduæ illius in Naim si hæc scripta; resuscitatio autem Lazari non fuisset in litteras relata?

Hæc qui non scripta scriptis comparat, nihil aliud facit, quàm doctrinam scriptam laudat: inquit VVitackerus. Malè igitur egerunt Kemnicius & Brentius, cum scripserūt, *insignis esse audaciæ*, seu vt VVitackerus ait; *insignis impudentiæ*, non scripta cum scriptis æquare; quia qui nō scripta cum scriptis æquat, hic, teste VVitackero; doctrinam scriptam laudat. Quis verò dicat *insignis* seu *audaciæ* seu *impudentiæ* esse doctrinam scriptā laudare? At quomodo quæso, doctrina non scripta, scripta est; si est nō scripta? Dicet fortè VVitackerus esse scriptam, *secundum generalem quandam rationem, quatenus consentit cum illa, quæ scripta est*. Hoc nil aliud est, quàm fumus. Quæritur enim, vtrū nefas sit doctrinam non scriptam secundum se, suamq; particularem & specialem rationem, quatenus non scripta est, æquare sacris litteris? Hoc negant hæretici prædicti, aiuntque, *id insignis esse audaciæ*. At manifesta ratio suadet contrarium: nam ea, quæ Christus & Apostoli fecerunt, dixerunt, instituerunt, absq; scripto, æqualis sunt auctoritatis cum iis; quæ scriptis mandarunt: nō est igitur insignis audaciæ ea cū scriptis æquare: aut negate, si frons vestra hoc finit; dicta, facta & instituta Christi Apostolorumq; non scripta non esse eiusdem auctoritatis cum scriptis.

Pergit VVitackerus tueri Lutheranos, quamuis exiguam ab illis ineat gratiam: *Brētium & Kemnicium, qui aliquam doctrinam minimè scriptam scripturis autoritate æquaret, eum esse impium, atq; audacem affirmant: in quo nihil non consentaneum, & sibi, & rationi optimæ dicunt*. Dum VVitackerus istos à contradictione & inconstantia liberare nititur; ipse mentiri non veretur: nam Brentius & Kemnicius loquuntur de illis dictis, factis, & institutis, quæ secundum se; & rationes suas speciales non sunt scripta; cuiusmodi plura Christum & Apostolos, fecisse, dixisse, instituisse libenter annuunt: quāta enim vanitas est dicere, hæc ideo posse dici scripta; quia alia, quæ Christus & Apostoli fecerunt, dixerunt, & instituerunt, scripta sunt? Possetne Lazari resuscitatio dici scripta, ideo præcisè, quia excitatio adolescentis in Naim in litteras relata fuisset: etiamsi ipsam Lazari in vitam restitutionem nullus penitus Euangelistarū secundū se & speciatim in litteras misisset? Deinde si Lutherani isti hac VVitackeriana Apologia vti vellent; mox occurreremus etiam nostras traditiones, esse scriptas, quatenus quædā alia à Christo & Apostolis profecta, scripta sunt: nam traditionum nomine, nihil aliud intelligimus; quàm dicta facta & instituta potissimum Christi, & Apostolorum; tametsi neque veteris Ecclesiæ scita hinc excludimus.

Nec tantùm VVitackerus, sed & Caluinianus Iunius agit caussam Lutheranorū Brētij & Kemnicij

A nicij contra Bellarminum. Approbat illorũ dictum, insignem scilicet esse audaciam, aliquid æquare verbo scripto: *Huiusq; multiplicem rationem esse dicit. Primam, quod rei scriptæ duplex sit auctoritas ab auctore & modo.* Sed Iunius animaduertere debebat, hic non esse sermonem de auctoritate quasi extrinseca & accidentaria; sed de intrinseca & essentiali; quæ ab auctore potissimum manat. In hac dicta, facta, & instituta Christi & Apostolorum tam scripta, quàm non scripta æqualia esse; tam est euidens; vt de eo, qui id inficiatur, iure dubitare queas, num mente satis constet: multoque iustius de illo, qui affirmare audet, *insignis audatiæ esse hæc inter se æquare.* Nec obstat; quod Iunius obiicit; *auctorem, tanquam caussam liberam & voluntariam, posse plus vel minus auctoritatis indere rei pro modo voluntatis suæ, prout magis vel minus vult, sic etiam magis vel minus auctorare:* nam licet hoc respectu hominum ita contingat; respectu tamen Dei præcisè, vt verbi sui auctor est & caussa; id non contingit; quia omne verbum Dei, quantumuis nobis videatur minimum; æquè diuinum est & infallibile, ac id, quod nobis videtur maximum: nam veritas & infallibilitas diuina neque intenditur, neque remittitur, vnde, quod hac summa veritate nititur, paris est auctoritatis, quoad hoc cum omni alio, quod ab eadem veritate vim & auctoritatem suam habet; quomodocunq; tandem aliis ex capitibus discriminentur.

B

Secundam caussam ait Iunius esse; *quia rem scriptam sanctificauit Deus & fecit authenticam singulari modo.* Etiam rem non scriptam sanctificauit Deus & authenticam fecit singulari modo; tametsi nõ illo accidentario, qui in scriptura consistit; nam & viua voce absque scripto traditum esse, singularis quidam modus est.

C

Tertia Iunij caussa: *Quia traditionem hanc, illam à Christo aut Apostolis non constat esse traditam.* Falsum affirmat Iunius; vt patebit postea, cum de regulis agnoscendi traditiones agemus. Vnde scit Iunius doctrinam, quæ in Euangelio Matthæi continetur, verè à Christo & Apostolis traditam esse? Profectò vnde hoc nobis compertum fit, inde etiam compertum fieri potest, quæ traditiones sint à Christo & Apostolis.

D

Quarta caussa Iunij: *Quia, multa constat traditionis nomine velari, quæ aliena sunt à canone, vel, aduersantur: &, innumera porrò confingi possunt, si ianua pateat traditionibus eiusmodi.* Hoc quidem Caluinistæ docent; sed aliter se habet veritas: Nullam à Catholica Ecclesia approbatam traditionem proferēt, quæ cum scriptura, & Ecclesiastici Canonis norma ad vnguem non conueniat: neque ideo non conueniunt, quia Caluinistæ nõ conuenire imaginantur; nam iuxta Iasonis I.C. prouerbium, vel rectius veriuerbium; *Campana sonat, phantasticus quod somniat.*

Negat Iunius, *aliquas traditiones vocari à Patribus Apostolicas.* Atqui hanc vanitatem satis superque vel vnus Augustinus redarguit, qui lib. 4. contra Donatistas cap. 24. pro certa regula teneri iubet; *id quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum esse.* Et addit; *hoc rectissimè credi.* Si talia non nisi auctoritate Apostolica tradita sunt; verè igitur sunt Apostolicæ traditiones. Obiicit Iunius; *Patres vocabulum, Apostolicas, vsurpasse æquiuocè, quas aut Apostoli, aut viri Apostolici credebantur tradidisse.* Obiectio satis *æquiuoca.* Nam Apostolicas traditiones eas vocant, quæ rectissimè creduntur Apostolica auctoritate institutæ; vt iam D. Augustinum dicentem audiuimus. sed quæ rectissimè creduntur Apostolica auctoritate institutæ; illæ verè sunt traditiones Apostolicæ; aliàs rectissimè non crederentur auctoritate Apostolica institutæ; cum nihil, quod falsum sit, hoc est; quod ab Apostolis non processerit, rectissimè credatur, non nisi Apostolica auctoritate institutum.

Fatetur Iunius, dictum illud Tertulliani lib. de præscript. cap. 28. *Quod apud multos vnum inuenitur, non esse erratum; sed traditum: potentissimum argumentum esse.* Et tamen mox adiungit; *Se infirmitatem huius argumenti & iniquam ad hæc nostra tempora accommodationem suo loco demonstraturum.* Si potentissimum est; quomodo infirmum? Et vbi hoc Tertulliani verissimum affirmatum infirmabit & eneruabit Iunius?

Refellit Bellarminus mendacia quædam Lutherani Kemnicij, quorum defensionem suscipit Caluinianus Iunius: quod mireris, cum alioqui discordes isti fratres ad rauim vsq; sese mutuo mendaciloquentiæ arguere & condemnare soleant. Ait Kemnicius; *Nos asserere, à Deo constitutum esse. vt doctrina Christi & Apostolorum non scriberetur in libris, sed tantum viua voce traderetur.* Cupit Bellarminus nominari auctorem, qui hoc scripserit; alioqui Kemnicium in manifesto mendacio teneri. Respondet Iunius; *Ita sensisse Andradium, ex quo Kemnicius acceperit sequentia: Noui testamenti proprietatem ita esse constitutam ab ipso Deo, vt nec in tabulis, nec in chartis, nec calamo, nec atramento, vel quouis alio modo literis consignetur; sed viua tantùm voce animis auditorum commendetur. Hæc verè ab Andradio sunt,* inquit Iunius. Sed hæc verè & Kemnicij & Iunij mendacia esse, fatebitur, qui librum secundum *Orthodoxarum Explicationum* Andradij legerit; in quo adducta verba non comparent; sed tantùm hoc, Apostolos magis initiò laborasse; vt Euangelium fidelium cordibus, quàm vt litteris mandarent. Quod verissimum est; sicut & illud, quod Prædicantes isti Andradio & Catholicis affingunt; falsissimum.

Ait Bellarminus, Apostolos ad scribendum accessisse, Deo volente & inspirante, non tamen expresè mandante vt scriberent: neque illam internam suggestionem & inspirationē imperium proprie dictum esse: *Cauillatur disputator,* inquit Iunius. Qua de caussa? *Quia Christus iussit prædicari Euangelium: Matth. vlt. ergo etiam scribi.* Negatur con-

ſequentia. Quam probas. *Quia qui rem præcipit; ille etiam præcipit modũ; Christus præcipit rem; nimirũ Euãgelij prædicationẽ: ergo & modũ; nempe Euangelij ſcriptionem.* Reſpondeo, Maiorem eſſe veram, ſi modus ille ſit rei eſſentialis, ita vt abſq; eo res peragi nequeat. Falſam, ſi modus ſit rei tãtùmodo accidẽtarius. At ſcriptio Euangelij eſt modo prædicationi Euangelij non eſſentialis; ſed tantũ accidẽtarius; nã per aliquot annos Euãgelium ab Apoſtolis abſq; vllo ſcripto prædicatũ eſt, & potuiſſet etiam porrò prædicari, ſi voluiſſent; non igitur hoc ipſo, quòd Chriſtus expreſsè præcepit Euangelij prædicationem, ſimul etiam expreſsè præcepit eiuſdem ſcriptionẽ; niſi fortè ante paſſionẽ quoq; ſuam Euãgelium ſcribi præceperit, quia præcepit illud annunciari, quãuis in Iudæa ſolùm, miſsis eo fine ad varia loca Apoſtolis.

Contendit Iunius, *etiam internã inſpirationem & ſuggeſtionẽ eſſe imperium*; ſit ita, vt vis; ſi ſuggeſtio illa veniat à Deo ſimpliciter ad id, quod ſuggeritur, obligare volente. Sed Bellarminus loquitur de ſuggeſtione interna, quæ tantũ eſt impulſus & incitamentũ ad aliquid abſq; obligatione: Vel quãuis obligatio adſit; certum tamẽ eſt; illud præcipuè imperium & præceptũ appellari, quod exterius & apertè præſcribitur. Verùm hæc lis de nomine non eſt adeo magni momenti.

Adfert Kemnicius vndecim exẽpla earũ traditionũ, quas à nobis pro Apoſtolicis *vendi* ait; *cũ palam conſtet ab aliis, quã Apoſtolis inſtitutas eſſe.* Ait Bellarminus: nullũ ex his exemplis carere mendacio. Primũ eſt, vbi dicit ſcripſiſſe Innocentium III. cap. *Cùm Marthæ, extra, de celebrat. Miſſarũ*; plura quidẽ eſſe verba in cõſecratione calicis, quàm Dominus in Euangelio dixerit; ſed, tamẽ illa haberi ex Apoſtolica traditione: *At*, inqt Kẽnitius, *Scriptores Pontificij annotarũt, à quibus Romanis Pontificibus illa verba adiecta ſint.* Mendacium eſt. Nã ſcriptores Catholici annotarunt qdẽ, in reliquo canone, qs Pontifex qd addiderit: at in verbis conſecrationis nemo inuenitur aliqd addidiſſe: nec eſt, q in hac re contradixerit Innocentio. Quid Iunius? prorſus inuerecundè: *Falſa argumentatio ex authoritate adducta falsò. Nã ibi Kemnicius de toto Canone Miſſæ apertè loquitur: quæ verba fide non bella reſtringit Bellarminus ad ſolam calicis conſecrationẽ. Itaq; penes Kemnitium eſt dicti veritas; penes hunc, falſitas argumenti.* Et penes Iuniũ calũniandi, & mẽtiendi impotẽtia.

Audiamus integra Kemnitij verba: *Extra de celebrat. Miſſar. cap. Cũ Marthæ. Archiepiſcopus quidã Lugdunenſis, miratur quod aliquis in Canone Miſſæ tẽtauerit aſſeuerare, Chriſtũ plus dixiſſe, quàm aliquis Euangeliſtarũ aſſeueret: nempe, Hic eſt calix noui, & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, &c. Huic reſpondet Innocentius: Multa ab Euãgeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli poſtea vel verbo ſupplenerunt, vel facto expreſſerunt. Sed ſcriptores Pontificij annotarũt, à quibus Romanis Põtificibus verba illa ſint adiecta. Gloſſa igitur nihil diſsimulans, apertè fatetur. Multa ſeruat Eccleſia, quæ ab Apoſtolis non ſunt tradita: tamen cùm ſint longa conſuetudine approbata, nõ ſunt minoris auto-*

A *ritatis.* An nõ apertiſsimè loquitur Kemnitius de verbis ad conſecrationẽ calicis adhiberi ſolitis? An nõ palã ſcribit: Pontificios annotare, à qbus Romanis Põtificibus verba illa ſint adiecta. Quæ verba? Quorũ paulo antea Kemnitius mentionẽ fecerat; & de qbus etiã Epiſcopus ille Pontificis ſententiã ſpeciatim exqſierat: *Hic eſt calix noui, & æterni teſtamenti, myſteriũ fidei, &c.* Ex quorũ numero vocabula illa: *Æterni, & myſterium fidei*: ex nulla ſcriptura, ſed ex ſola traditione habentur. Quis verò vnquam Catholicorũ dixit aut ſcripſit hæc ad formam conſecrationis per aliquem Romanum Pontificem adiecta eſſe?

Secundũ Kẽnitij mendaciũ: *Totũ Canonẽ Miſſæ, eſſe ex Apoſtolica traditione, ſi quis vel dubitare ſe oſtenderit, anathemate percellitur.* Mẽdaciũ eſt, inqt Bellarminus; non.n. totũ Canonẽ, ſed ſummã & præcipuã partẽ aſſerimus eſſe ex Apoſtolica traditione, cui poſtea ſummi Põtifices aliqd addiderint. Hic Iunius: *Neq; verba iſta à Kemnitio ſunt.* Quæ verba? An illa, quæ Bellarminus citat? Atqui ſi hoc affirmas, tũc pudor omnis ex fronte tua penitus abraſus eſt. Videat Lector editionem Examinis Kemnitiani, qua Bellarminus vſus; anni 1566. in oct. fol. 421. & ſi totidem verba non repererit in Kemnitio, tum Iunianam Pſeudologiam in Bellarminum & in me transferat.

Vt fucum faciat Iunius hæc Kemnicij verba citat: *Vt maior eſſet apud omnes Canonis iſtius auctoritas, ſparſa fuit per Pontificios perſuaſio, eſſe traditionẽ Chriſti, & Apoſtolorum: licet ex ſcriptura hoc oſtendi non poſſit.* At de his non eſt locutus Bellarminus; ſed illa citauit, quæ habẽtur fol. 421. modò nominatæ editionis. Et iſta ipſa, quæ Iunius adducit, ſatis indicant, Kemnitium de toto canone loqui, quaſi doceamus, Canonem, quoad omnes ſuas partes, ex traditione diuina manaſſe.

Vereor autem, ne tirones Dialecticæ iubeant Iunium vapulare, vel plorare, vel vtrunque, ob illam inſcitiam: *Ex falſo non ſequitur verum*: cum in Dialectica quæ hucuſq; in vſu, nil certius ſit hac regula: *Ex vero non niſi verum, verum autem tum ex vero, tum ex falſo colligitur.* Sed iſti nõ tantùm ſcripturas, ſed & liberales diſciplinas inuertunt & peruertunt; ex qua peruerſione prodiit quoque illa Lutheri ſtultitia in diſput. ſuper illud: *Verbum Caro factum eſt.* Tom. 1. Lat. VViteb. *Ex vero ſequi falſum*; quod inſipientiſsimis ratiunculis euincere conatur. De quo plura in Appendice quarta ad librum primum; & in Oratione de Scholaſtica Theologia Lutheri.

Tertium Mendacium Kemnicij, cum dicit: *Alexandrum Pontificem ſtatuiſſe aquam vino eſſe admiſcendam in celebratione Eucharistiæ.* Cur mendacium? quærit Iunius. Ideo, quia non conſonat vero. Ideo, quia Kemnicius contra mentem & conſcientiam ſuam ſcripſerat, *Alexandrum ritus huius primum auctorem eſſe*: ſic enim aſſertionem ſuam intelligit Kemnicius: nam ſi primus fuit; non eſt ergo ritus ille ex traditione diuina. At eſſe ex traditione

Digitized by Google

ditione diuina; ex Cypriano supra vidimus; & infrà denuo repetendum erit.

Ait Iunius: *Epistolam Alexandri ex stylo & argumento suppostitiam argui.* Hoc iam non agitur; sed illud, vtrum Kemnicius fuerit mentitus; & si epistola illa est suppositia; eò magis mẽtitur Kemnitius, cum ex commentitia epistola aduersus diuinam illam traditionem argumentum petit. At legitima est orthodoxis, spuria solis nasutis & nasatis hæreticis; quibus nihil legitimum, nisi sit in Caluini synagoga circumcisum.

Ait Iunius: *Si Kemnicius sit mentitus, eiusdem mendacij multos alios participes esse, Platinam, Bergomatem, Sigebertum, Auctorem Fasciculi temporum.* At isti non dicunt primum auctorem huius ritus fuisse Alexandrum; sed aiunt voluisse, vt admisceretur aqua vino in Eucharistia. Quod non repugnat traditioni diuinæ; nam ideo voluit, quia sciebat traditionem diuinam esse: voluit, quia exploratum habebat, diuinas traditiones obseruari debere. Et quamuis aliqui ex Catholicis auctoribus dicerent, Alexandrum hoc statuisse; longè tamen à Kemnicio discreparẽt; quia & is statuit; qui iam antea statuta reparat, renouat, & denuo omnibus custodienda proponit: quod factum ab Alexandro. Longè aliud voluit Kemnicius.

Dicit Kemnicius, *eundem Alexandrum aquam & salem benedictum instituisse*, ita videlicet, vt ipse primus auctor fuerit. Respondet Bellarminus, Alexandrum non dicere, se primum aquam iussisse benedici; sed indicare, se facere, quod antiquæ est consuetudinis, his verbis: *Aquam sale conspersam populis benedicimus.* Quæ verba optimus Glossator Iunius ita glossat: *Instituimus benedictione.* At istud; *instituimus* neque in textu apparet; neque textui concinit; Nam quod subditur: *Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus*; an ideo Alexandrum instituisse argumento est? Etiam hodie omnibus sacerdotibus mandatur, vt aquam sale conspersam benedicant: num idcirco huius æui est hæc benedictio?

Ait Iunius: *Potiorem apud se esse Damasi & Martyrologij auctoritatem, quàm Bellarmini.* De quo Martyrologio loquitur? Nam Romanũ de hoc silet, vt & Vsuardi. Damasus seu Anastasius hac phrasi vtitur: *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum.* Ex quo quid extundit Iunius? Num primum fuisse huius benedictionis auctorem Alexandrum? Minimè vero; nam & qui renouat & instaurat rem; & denuo præcipit; & constituta iterum constituit, vel restituit; is etiam *constituere* dicitur.

Citat Bellarminus pro aqua lustrali Clementem Romanum lib. 8. Constitut. Apost. cap. 35. & S. Basilium libro de Spiritu sancto cap. 27. Dubitat Iunius, *num citatus Clemens, verè sit Clemẽs.* Scrupulum si velis, eximet tibi Turrianus, qui multa

A pro illis libris. Nam vt næui sint adspersi; num ideo libri illi ab alio parente sunt, quàm à Clemente; etiamsi næui illi non sint à Clemente, sed ab alia manu? Aliqua in Institutionibus Lactantij leguntur; quæ non nisi temerè Lactantio adscribantur. An eam ob caussam vniuersum Institutionum opus Lactantio abiudicabimus?

Ait Iunius: *Clementem reiici à Gelasio Papa & Romana synodo.* At animaduertisse debebat Iunius, repudiari *Itinerarium* seu *Recognitiones Clemẽtis* nomine prænotatas, non Constitutionum libros, à Bellarmino citatos. Vt vt sit, Iunius aliud paratum habet effugium: *Dicit, tam Clementem, quàm Basilium de aqua baptismi agere, non de aqua salsa, aut* B *lustrali, populo exposita.* Quàm Iunius audax sit & effrons in affirmando, manifestè intelliget, quisquis ipsum Clementem cap. 29. ex Turriani editione legerit. Apertissimè enim loquitur de aqua ad priuatos vsus benedici consueta; non, vt iste somniat, de aqua solummodo baptismatis. Basilius de aqua baptismali loquitur. Sed si ad baptismum consecrari potest; cur non & ad alios vsus? Et si consecratio illa ad baptismum est ex traditione Apostolica, vt Basilium sentire Iunius agnoscit; cur non & illa ad alios vsus? cuius licet Basilius explicatè non meminerit, meminerunt tamen Clemens & Alexander. Iam si aqua verbo Dei consecratur, cur non & sal? Si singula pellendis Dæmonibus, aliisque effecti- C bus supra naturæ vires producendis valent; cur non & commista? cur non & *aqua salsa*, quam *saliri* Alexander iussit; vt falsè iocatur salsus an insulsus? Iunius. Adhæc, si teste D. Basilio, aquam baptismatis consecrare Apostolica traditio est; cur isti Caluinum potius, quàm Basilium auscultant, & à consecrata baptismatis aqua, tanquam à præstigiis & incantamentis abhorrent?

Quartum Kemnitij mendacium: Telesphorum Quadragesimale ieiunium instituisse: *Negatur esse mendacium*; clamat Iunius. Quibus machinis Kemnicium tuum à mẽdacij culpa expedis? *I. Affirmant Historici.* Qui? Fortè Magdeburgenses, quorum sanè ingẽs apud vos auctoritas. Si quis D Catholicorum id asserit; vel venia danda est lapsui: vel interpretatio adhibenda vt intelligatur non de prima institutione, sed de institutionis restitutione. *II. Clericis instituit Quadragesimam; ergo instituit Quadragesimam, si non illam; ergo hanc.* Quis Iunio concedet, Telesphorum Clericis instituisse Quadragesimã? Non Quadragesimam instituit; sed pro Clericis tres dies ad iam institutam ab Apostolis Quadragesimam adiecit; vt septem integras hebdomadas ieiunarent, ieiunio statim postridie Quinquagesimæ inchoato: *Illudit Bellarminus æquiuocatione*; ait Iunius. Caluinista non *æquiuocatione*; quod Bellarmino imponit; sed mendaciis, fumis & fucis lectori illudit; cum dicit; *aliud esse, quadragesima obseruationẽ quam*

Teleſphorus Laicis imperarit: & aliud, ſeptem hebdomadas, quas Clericis imperaſſe dicatur. Fallit Caluiniſta; quia eadem prorſus eſt & Clericorum & Laicorum Quadrageſima; eadem vtriuſque obſeruatio; niſi quod ieiunium Clericorum tribus diebus productius eſt ex ſanctione Teleſphori. Malè ergo Iunius Kemnicium à mendacio expurgauit; quia dum expurgare tentauit, ſeipſum non vno contaminauit.

Citat Bellarminus hæc D. Hieronymi ad Marcellam: *Nos vnam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum. &c, ieiunamus, &c.* Vbi Iunius: *Fallacia eſt figuræ dictionis. vt loquũtur. Non enim vult Hieronymus de obſeruatione dicere: quòd ſit ab Apoſtolis tradita, & impetrata Eccleſiæ: ſed. de hiſtoria, quod Apoſtoli in Euangelio tradiderint, ſemel à Chriſto X L. dies ieiunatum eſſe. hanc interpretationem probat antitheſis ſequens.* Quid eſt cauillari, & planiſsima quæque & luciſsima peruertere & tenebris implicare, ſi hoc non eſt? Quid clarius, quàm D. Hieronymum dicere; Chriſtianos ex traditione Apoſtolica vnam Quadrageſimam ieiunare: & tamen iſte nobis quaſi oculos eruere, & mentem penitus obruere contendit; vt credamus: illius orationis; *Nos vnam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum ieiunamus, &c.* eſſe hanc ſententiam: *Apoſtoli in Euangelio tradiderunt ſemel à Chriſto quadraginta dies ieiunatum eſſe.* O impudentem peruerſitatem; cui non diſsimilem ſubiungit Caluiniſta: *Licet aliud ſenſiſſet Hieronymus* (aliud ſenſit, quàm tu ei flagitioſè affingas) *ſuperſtitioſa eſſet obſeruatio, prout multæ iam eo tempore inualuerant, vt Auguſtinus queritur.* Hæc ſcilicet iſtis nunquam non eſt prompta reſponſio; quoties auctoritate veterum premuntur. Nimirum religio per mille & ducentos propemodum annos Lutherum & Caluinũ exſpectabat, vt à ſuperſtitionibus emundaretur. Vbi conqueritur Auguſtinus de vniuerſalibus Eccleſiæ inſtitutis & conſuetudinibus, tanquam ſuperſtitioſis? Neſcio certè, niſi fortè hoc epiſt. 118. loco: *Hoc,* quod *tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſsimæ inſania eſt.*

Quintũ Kemnicij mendacium: *Hyginum Chriſma inſtituiſſe.* Reſpondet Bellarminus in epiſtolis Hygini de Chriſmate nihil inueniri. Quid Iunius? *Diuidit Bellarminus res coniunctas, vnde fallacia. Chemnicius ait; Hyginus chriſma inſtituit, & dedicationem templorum, id eſt, vt templa vngantur, dedicenturque. Ecce autem loci Hygini de his rebus exſtãs apud Gratianum de conſecr. diſt. 1. c. Omnes baſilicæ, &c. ſi motum.* Vt verum fatear, Iunij vel delirationem vel effrenẽ audaciam ſatis mirari nequeo; qui dum Kemnicio ſuppetiatum accurrit; id non niſi apertiſſimis fraudibus, impoſturis & mendaciis agit. Quæſtio eſt; Vtrum Hyginus Pontifex *chriſma* inſtituerit. Affirmat Kemnicius: arguit mendacij Kemnicium Bellarminus. quia nihil de hoc vel in epiſtolis Hygini, vel apud alios exſtat. Iſte abſque rubore citat duos Canones ex Gratiano,

A quaſi in iis ſit chriſmatis inſtituti mentio: cum ne ſyllaba, imo neque litterula de chriſmate ibi inueniatur: & prætereà neſcio quid de dedicatione templorũ tricatur; cum Bellarminus Kemnicio de hac nullam litem mouerit: neque in Epiſtolis & Decretis Hygini vllum ineſt verbum de chriſmate ad dedicationes templorum adhibendo.

Sextum Kemnicij mendacium: *Calixtus ieiunia quatuor temporum inſtituit: ergò falſum eſt, quod ſint ex Apoſtolica traditione.* Mendacium eſt, inquit Bellarminus, quod Calixtus omnia inſtituerit quatuor temporum ieiunia. Ipſe enim in epiſt. 1. dicit; ſe tantùm addidiſſe vnum ieiunium ad tria, quæ antea erant.

B Obiicit Iunius: *Mendacium ergò dicis Damaſus his verbis; Hic conſtituit ieiunium quater in anno fieri, frumenti, vini, & olei gratia, ſecũdum prophetiam. Tria quidem primùm inſtituerat, trium illorum cauſa: ſed poſt inſtituit & quartum.* Minimè neceſſe eſt, vt Damaſum, ſeu, quiſquis ille Auctor fuit, in ſocietatem mendacij Kemniciani pertrahamus; Nam optimus Damaſi interpres eſt ipſe Calixtus, qui non niſi vnum ad tria iam ante inſtituta ſe adieciſſe ſcribit. Igitur Damaſus verbo *conſtituendi* vſus nil aliud voluit ſignificare, quam Calixtum piis reſcriptis mandaſſe, vt hæc ieiunia à maioribus accepta religioſè obſeruarentur: & ſupra iam reſpondimus; illum etiam dici conſtituere; qui *conſtituta* conſtituit & denuo ſancit.

C

S. Leo Pontifex citatus à Bellarmino, teſtatur ieiunia iſta eſſe ex Apoſtolica traditione. Oggannit Iunius: *Leo æquiuocè dixit. Nam Apoſtolicum id vocant, non ſolùm quod eſt ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis, verum etiam κατάχρηστικῶς quidquid à Romano Epiſcopo eſt profectum, velut à ſede Apoſtolica: & ita. Leo: nam cum veritate alioqui pugnat illud dictum, ſi priore ſignificato Apoſtolicam traditionem intelligas.* Iunius hic antiquum obtinet. Nam S. Leo vocabulum *Apoſtolica* ita vſurpauit; ſicut vſurpatur ab Hæreticis, quando dicunt; ieiunium Quadrageſimæ, vel Quatuor temporum, non eſſe Apoſtolicæ traditionis; ſed hæretici tunc ſumunt vocem *Apoſtolica* propriè, prout denotat aliquid ab Apoſtolis in-
D ſtitutũ; ergo & S. Leo accepit illud propriè; quia vocabula in affirmatione & negatione eodem ſenſu accipiuntur; tantùm hoc eſt diſcriminis quòd idem ſenſus in vna enunciatione affirmatur; in altera negatur. Nec vllum proferet Iunius exemplum ex veteribus vbi Apoſtolica traditio, aliter quàm prædicto ſenſu accipiatur.

Septimum Kemnicij mendacium; *Sylueſtrum confirmationem puerorum inueniſſe.* Mendacium impudentiſsimum, inquit Bellarminus. At Iunius: *Hem audaciam. Atqui tum in Pontificali Damaſi, tum apud Platinam aliiſq; legitur ſtatuiſſe, vt Epiſcopi baptizatum conſignarent, hoc eſt, confirmarẽt.* Vt hoc ita ſit; longè tamen aliud eſt, quàm quod Kemnicius

fingit.

Digitized by Google

fingit. Nam Siluester statuit & præcepit, vt id ab Episcopis præstaretur, quod iam olim Christus instituerat; & Apostoli prædicarant; & hoc Auctores citati testantur; At Kemnicius vult *Confirmationis sacramentum* esse Siluestri inuentum & institutum: quod à Bellarmino haud iniuria *impudentissimum mendacium* appellatur.

Octauũ Kemnicij mendacium: *Felicem* (loquitur de quarto) *altarium consecrationem instituisse.* Et hoc mẽdacium est, inquit Bellarminus; Constat enim Siluestrũ auctorẽ huius ritus fuisse. Respõdet Iunius, somnians, opinor, certè nõ vigilans: *Kemnicium agere de anniuersaria cõsecratione altarium, non de illa initiali cuius fertur Siluester Auctor.* Quæso te, quid est *anniuersaria altarium consecratio?* Num quotãnis consecrari solẽt? Fortè dicere volebas: *Anniuersaria consecrationis memoria*: sed siue hoc, siue illud dicas: Kẽnicium à mendacio nõ expedies: hæc enim sunt eius verba: *Felix altarium consecrationẽ instituit.* quibus significare vult, Felicẽ fuisse primũ, qui ritũ consecrãdi altaria introduxerit, consecrãdi inquã, altaria; non agẽdi consecrationis olim peractę anniuersariam memoriam. Nec in cap. *solennitates* de consecr. d. 1. mentio fit dedicationis altarium in singulos annos celebrandæ; sed Ecclesiarum; Ait Iunius: *hoc synecdochicè comprehendi imperata per Felicẽ templorũ & rerũ consecratione.* Sed si Iunius sua dicta intelligeret, potius dicere debebat; anniuersariã memoriam altarium consecratorũ comprehendi in anniuersaria memoria dedicationis templorum, de qua capitulum, *solennitates*, agit: etsi ita agit, vt minimè indicet, Felicẽ fuisse primũ huius moris auctorẽ; sed tantùm, eum præcepisse, vt studiosè & religiosè id, quod iam à maioribus institutũ erat, obseruaretur.

Nonũ Kemnicij mendacium: Felicẽ IV. instituisse, vt infirmi ante obitũ inungantur. Mendacium solenne, inquit Bellarminus. Vbi Iunius: *Non est mentitus Kemnicius.* Imò & te mentiri & mẽtitum esse Kemnicium argumẽto sunt plurimæ, quæ pro hac sacramentali vnctione Bellarminus suo loco & ordine disputat. Et quid te iuuat Auctor Fasciculi temporũ; qui scribit, *Felicem iussisse infirmos inungi ante transitũ.* Etiam Concilium Tridẽtinum iussit infirmos inungi ante transitum. Num propterea hanc vnctionem instituit? Nec Kemnicius dicit, Felicem iussisse; sed *instituisse* infirmorum vnctionem; quod meritò Bellarminus *mendacium solenne* nominat. Quàm verò doctè distinguit nobis Iunius *vnctionem* in tres species, *quarum vna sit vnctio ægrotorum ad curationem, de quo* Marci 6. & Iacobi 5. *Altera ad imitationem, de qua Innocentius Primus. Tertia ad viaticum; de qua Felix IV.* Nihil deest; quam vt ostendat Iunius tria; I. Eandem fuisse vnctionem Marci 6, & Iacobi 5. II. Si eadem fuit, non fuisse sacramentalem, nec sacramentum. III. Diuersas vnctiones esse illas apud S. Iacobum; Innocentium & Felicem IV. Hæc vbi dilucidè ostenderit, tum demũ subiicere licebit: *Primum institutum sanctum, & religiosum fuit: secũdum imprudens: tertium istud deniq; profanum, ex inscita superstitione quadam necessitatem operis operati imaginãs.*

Decimum Kemnicij mendacium: *Syricium memoriam & inuocationem sanctorum Missæ addidisse.* Et hoc mendacium est; inquit Bellarminus: quod probat ex Cyrillo Hierosolymitano & Basilio, Syricio antiquioribus. Obiicit Iunius: *hoc scribere Durandum in suo Rationali lib. 4. Rubr. de tertia parte Canonis.* At Iunius vel fallit vel fallitur. Non enim dicit Durãdus, Syricium inuocationem sanctorum Canoni adiecisse: sed illa verba: *communicantes & memoriam venerantes, &c.* addidisse: hoc est; partem illam Canonis, in qua commemoratio & inuocatio sanctorum continetur, ad illam formã, qua hodie legitur, redegisse. Miratur Iunius, quomodo Bellarminus, *Cyrillum Hierosolymitanum & Basilium antiquiores faciat Syricio.* Nulla mirandi caussa erat. Nam D. Basilius septem fermè annis ante Syricij Pontificatum è viuis excessit. Et tamen facit mentionem memoriæ & inuocationis sanctorum in Missa. Non est igitur inuenta & instituta à Syricio, vt vult Kemnicius. Pari modo Cyrillus iam sub Constantino Imp. Filio Constantini Magni, sedem Hierosolymitanam tenebat; & iuuenis Catecheses conscripserat, hoc est, longè ante Syricij Pontificatum, cuius Pontificis anno secundo obiit, nimirum anno Christi 386. Theodosij Magni Imp. anno VIII. Fuit igitur antiquior Pontificatu Syricij. Et tamen meminit inuocationis sanctorum in Missa. Tandem addit Iunius *Liturgiam S. Basilij* (ipse ineptè Litaniam appellat) *spuriam esse*: testemque dat Kemnicium, fide scilicet dignissimum. Hic nimirum istorum solennis mos est, vt nodum quem soluere nequeunt, rumpant vel scindant.

Vndecimum mendacium Kemnicij: *Pelagium memorias anniuersarias Missæ adiecisse.* Iunius: *Huius verò mendacij en auctorem tibi Gratianum dist. 1. c. visum præterea, de consecrat. Platinam in vita Sixti I. & alios.* Hic rursus cum mendaci Kemnicio mendax efficitur Iunius. Nam cap. *Visum præterea,* citatum à Iunio; non est Pelagij Pontificis; sed Concilij Cabilonensis secundi; vt habet ipsa Capituli inscriptio. Secundò, synodus non dicit se hãc consuetudinem tum primum instituere aut instituisse; sed olim institutam ab omnibus sanctè obseruãdam esse. En verba Concilij & Capituli: *Antiquitus igitur hunc morem sancta tenet Ecclesia, vt & in Missarum solennibus, & in aliis precibus Domino spiritus quiescentium commendet; dicente B. Augustino; non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus defunctorũ, quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate laudamus. Defunctorum etiam tacitis nominibus eorum, quos sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt, quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi.* Platina imberbior est, quàm vt eius auctoritas nos magnopere commoueat.

Ait Bellarminus, suffragia pro defunctis ex Apostolica traditione descendere; testemque ci-

Digitized by Google

tat Tertullianum libro de Monogamia & libro de corona militis. Iunius duo respondet; primũ; *Tertullianum loqui de priuatis cuiusque obseruatione; non de publica.* Alterum: *Tertullianum non agere de expiatoriis oblationibus pro defunctis, sed de Eucharisticis mnemosynis & legatis ipsorum in vsum Ecclesiæ pauperumque erogandis* Idem docuit Iunius in Annotationibus suis ad Tertulliani opera: quæ deliramenta ante aliquot annos copiosè refutaui in Animaduersionibus super Notas Iunij cap. 3. Quò breuitatis gratia lectorem ire iubeo.

Duo obserues velim: alterũ est; fateri Iunium, oblationes & preces pro defunctis fuisse temporibus Tertulliani priuatæ obseruationis. Discrepant ergo Caluinistæ à vetustissimæ Ecclesiæ antiquissimo, quamuis priuato, more: etsi non priuatim tantùm, vt iste nugatur; sed & publicè id agebant; quia oblatio, hoc est, sacrificium pro defunctis & in Natalitiis Martyrum offerri solitum, non erat priuatus cultus, sed publicus, & in plurium quoque conuentu peragi solitus, si id occasio sineret. Alterum obseruatu dignũ consistit in his Iunij verbis: *Si quis pertinaciter de expiatoriis dici contenderit, id tamen priuatæ, & particularis superstitionis fuerit, quam nõ oportet in exemplum trahi.* Hæc nimirum optima, & solidissima solutio est; quo cuneo omnes nodos isti disiiciunt: *Errarunt omnes: soli errones hodierni rectam viam insistunt & terunt plani* toti ἀπλανεῖς, quamuis πλανῶντες & πλανώμενοι ad ambas vsque aures.

Dicit Bellarminus cum Coloniensibus; in verbis illis Apostoli 1. Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis:* vocabulum *tradidi* vobis; non esse idem; quod *præcepi vobis*, historiam enim hic narrari, non præceptum præscribi: absurdumque prorsus sensum fore; *ego præcepi vobis, quod Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, &c. Sophisma merum*, clamat Iunius. Vnde probas? *Paulus ibidem historiam, præceptum & dogma coniungit simul, quæ acceperat à Domino.* At historicè tantùm coniungit: quia historicè omnia illa solummodo refert; ipse nihil penitus noui præcepti adiicit. *Fallaciam duplicem occupat Bellarminus*; inquit Iunius, (qui meo iudicio, perbelle duplicem Pseudologiam occupat) *æquiuocationis vnam; & diuisionis alteram, cum & æquiuocè tradendi verbo abutitur, & falsò discerpit membra propositionis à Paulo instituta.* Vbi, obsecro, hæc *æquiuocatio* in vocula, *tradendi*? An non Bellarminus eodem prorsus sensu accipit *tradendi* vocabulum, quo id hac Apostoli oratione accipitur? *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Si Apostolus nomen hoc *æquiuocè* accepit, accepit & Bellarminus illud *æquiuocè*. Si ille non; ergò neque iste. Vbi est, quam Iunius incessit, diuisio & contextus discerptio? An volebas vt Bellarminus totum illud capitulum Epistolæ ad Corinthios describeret? Sed non erat operæ: & multo minus operæ pretium. Caluinistæ perpetuo confugiunt ad hoc suum *panchrestum*: *Est fallacia æquiuocationis; à dicto secundum quid; figura dictionis*, & quidnon? Hac panacea si destituerentur, quoties loquacissimi mortalium elingues forent?

CAPVT IV.

Ostenditur necessitas traditionum.

TRIA probare ingreditur Bellarminus: primùm, Scripturas sine traditionibus nec fuisse simpliciter necessarias, nec sufficientes. Secundò; traditiones Apostolicas, non solum de ritibus, sed etiam de fide reperiri. Postremò, qua via certi esse possimus de veris traditionibus. Quo res deducta sit videmus; inquit VVitackerus: *Ita enim necessarias statuit Traditiones, vt non necessarias Scripturas esse constituat, atque ita præponit Traditiones scripturis, vt necessarium non necessario.* Sed VVitackerus debebat animum aduertisse ad illam particulam *simpliciter*; quam Bellarminus adhibet; nõ enim negat scripturas esse necessarias; sed negat simpliciter esse necessarias. Aliud est absolutè & simpliciter esse necessarium: aliud ex hypothesi; & *ad bene esse*, vt vocant. Hanc posteriorem necessitatem non inficiatur Bellarminus: De sola priore loquitur. Ad quæ si VVitackerus attendisset, forsan ab hac sua declamatiuncula abstinuisset: *Iesuita quid agis? & quam rem aggrederis? Scripturas negas esse necessarias? nec negas tantùm, sed argumentis etiam probare, ac confirmare conaris? sic à blasphemia istã disputationem ordiri voluisti?* Non negat Bellarminus scripturas esse necessarias; sed negat esse necessarias necessitate absoluta, & præcisè: Sic à nulla *blasphemia* hanc disputationem exorsus est; sed tu tuas nænias à calumnia auspicari voluisti; nescio quàm auspicato.

Neque aliud quam criminationes sunt, quæ subnectis: *Hic intelligimus, quàm præclarè, ac honorificè de sacris scripturis sentiant Aduersarij nostri, cùm dicant, eas posse desiderari, posse remoueri, necessarias non esse.* Vtinam vos tam honorificè de scriptura sentiretis, ac nos. Non ita cum illa, vt pueri cum pupis & crepundiis, luderetis. Iam dixi, quo sensu Bellarminus affirmet, scripturas non esse necessarias; neque affirmet tantùm, sed & probet: cuius primum argumentum.

Quia ab Adamo vsque ad Moysen fuit aliqua Ecclesia Dei in mundo, & tamen carebat scripturis; ergò scripturæ non fuīt simpliciter necessariæ. Tergiuersatur hîc VVitackerus, & eò propendet, vt antecedens abnuat; & mox de *libro Enochi, & Bellorum Domini; & duabus columnis ab Adami posteritate erectis* tricatur, & nugatur quædam; Tandem vbi omnia frustra tentari videt; concedit antecedens, & pleno ore confitetur, *Moysen fuisse primum scriptorem Canonicum*: & derepente calumnioso mendacio in Bellarminum insurgit; cum eum hoc argumento pugnare fingit: *Scri-*

ptura

ptura non est simpliciter necessaria: ergò non est necessaria. Nunquam de hoc argumento vel per somnium cogitauit Bellarminus. Vbi frons tua VVitackere, qui Bellarmino imponere audeas, quæ vel puerulus legere & paululum ratiocinari doctus, ab ipso statim amoliatur, tanquam per summam iniuriam ei imposita?

Argumentum Bellarminianum est hoc. Caruit aliquando plurimis annis Ecclesia omni scriptura: Ergo scriptura non est simpliciter necessaria. Quapropter abi, quò dignus, cum tuo commento: & discipulis tuis de necessitate absoluta, & altera ex hypothesi, concionare; nihil horum nesciuit Bellarminus; imò vtriusque necessitatis disertè meminit: Et res suopte lumine lucida est & omnibus nota.

At quia fortè VVitackerum puduit prioris argumenti abs se fraudulenter formati; recoctum illud nobis apponit, quasi ex Bellarmini sensu. *Fuerunt scripturæ aliquando non necessariæ.* (Longè planius dixisses: Scripturæ aliquando non fuerunt simpliciter necessariæ;) *ergo & iam non sunt simpliciter necessariæ*; simpliciter scilicet; agnoscimus & amplectimur argumentum. Quid habes contra? *Hæc ratio non sequitur. Docuit enim Devs olim Ecclesiam suam viua voce; at nunc aliter illi visum est suos docere. Alia ergo illorum, alia horum temporum ratio est. Visum enim iam est Deo omnem illam doctrinam, quam Patribus olim viua voce tradidit, litteris ac libris consignari.*

Pulcherrima & digna regio Professore solutio; cuius venustas magis elucescet si hac veste Dialectica amiciatur: *Postquam scriptura nata est, visum est Deo aliter docere suos quàm olim docuerat: ergo scriptura est iam simpliciter necessaria.* Probatur consequentia. *Quia Deus iam statuit homines docere per scripturas; sicq; ei visum & decretum est; ergo est simpliciter, & vt* Logici vocant, *in sensu diuiso necessaria.* Probatur hæc consequentia. Quia quod ex hypothesi & in sensu composito est necessarium, illud est simpliciter, & in sensu diuiso *necessarium.* Quis hoc dicit? Delirans VVitackerus. Quis abnuit, scripturas esse necessarias ex suppositione; & *ad bene esse*, posito scilicet, quòd Deus Ecclesiæ scripturas tradiderit? De hac necessitate non disputat Bellarminus; sed de illa absoluta & præcisa, in *sensu diuiso* sumpta; quam vrgent hæretici; & vrgere etiam debebat ille Caluinianus, si sciret, ad quem scopum suis in disputationibus tenderet.

Savvbrandus sic Bellarmini argumentũ proponit: *Sine quo Ecclesia aliquo tempore esse potuit, illud Ecclesiæ necessarium non est. Sed, sine scriptura Ecclesia aliquo tempore esse potuit. Ergò scriptura non est Ecclesiæ necessaria.* Bene fecisset Nouator; si ad Maiorem & conclusionem, voculam, *simpliciter*, adiecisset. Quid ad propositiones? Non tangit, nisi post multas ambages; metuens, si rectè coniicio, ne digitos adureret. Dicit, *falsum esse, quod Bellarminus scribit, Ecclesiã Christianorum longo tempore fuisse absque*

A *scriptura. Habuisse enim vetus testamentum.* At Savvbrãdus cauillatur vel potius mentitur; nam Bellarminus nõ loquitur de Ecclesia Christiana, sed generatim de Ecclesia; & hanc multos annos sine scripturis exstitisse, verè scribit: quanquam & de Christiana Ecclesia rectè asseritur, eam aliquot annis absque libris scripturam Euangelicã & Apostolicã complectentibus durasse: & particulares quædam Ecclesiæ scripturis penitus carebant; multæ enim fuêre gentes Christianæ, quæ neq; vetus testamentum habebant, sed solis traditionibus nixæ fidem & religionẽ Christianam sanctè sequebantur; quod de quibusdã suæ ætatis nationibus, testatur D. Irenęus lib. 3. cap. 4. At quorsum hæc? Tu Savvbrande ad syllogismũ

B à te cusum redito, & quam ex præmissis neges, nobis patefacito. *Dicimus*, inquis, *in Maiore esse fallaciam à secundum quid, ad simpliciter. Est perinde, ac si dicam: Bellarmino infanti præter vbera materna nullus alius cibus erat necessarius. Ergò, & nunc ei nullus alius cibus est necessarius.* Acuta *ironia*. Cui hoc tantùm deêst; quòd nõ ostendit, Ecclesiam sese penitus instar hominis habere; cui pro vario ætatis statu varius cibus necessarius fit. Hoc si Savvbrandus planum faceret; non modicam Bellarminiano argumento plagam imponeret. Virum ergo se præbeat; demonstretque, hodiernam Ecclesiam neque illo cibo; neq; illo cibi modo pasci posse, quo pasta est Ecclesia ab Adamo vsque ad Moysen; sed simpliciter iam & alio cibo; & alio ci-

C bandi modo opus habere.

Vt videamus, quanta subtilitatum copia Savvbrandus instructus sit, pluribus exemplis argumentum Bellarmini elidere pergit. Ait ergo II. *Perinde esse, ac si diceret: Deus potest nos alere absq; cibo & potu; ergo cibus & potus ad vitã sustentandam non est necessarius.* Nego similitudinem. Est enim disparitas; quia cibus & potus ex rei natura, nisi miraculum fiat, ad vitam necessarius est: at non ita scriptura ad salutem: Alioqui Deus, perpetuo miraculo, per duo millia annorum, homines ad salutem perduxisset: Et Christianæ illæ nationes, de quibus Irenæus, omni simpliciter scriptura carentes, nõ via ordinaria, vt alij Christiani; sed lege extraordinaria, & plane miraculosa salutem

D & necessaria ad salutem adeptæ fuissent.

Tertio dicit Savvbrandus, perinde esse ac si Bellarminus diceret: *Deus potest nos absq; institutione & industria doctos reddere: ergo neq; industria, neque institutio ad eruditionem assequendam sunt necessaria.* Iterum nego similitudinem: quia est dispar ratio. Nam institutio ex natura rei, spectando legem Dei ordinariam; necessaria est; at non ita scriptura necessaria est ad salutem; alioqui sequeretur, quod ante homines per duo millia annorum non nisi perpetuo miraculo salutem obtinuisse.

Quarto dicit Savvbrandus argumentum Bellarmini esse simile huic. *Moses & Elias potuerunt vitam 40. dies absq; cibo retinere; ergo illis cibus & potus*

non fuit neceſſarium. Iterum nego ſimilitudinem. Eſt enim diſpar ratio: nam Moyſes & Helias miraculosè & extraordinaria lege Dei ſine cibo & potu 40. dies tranſegerunt: minimè id facturi, niſi diuina virtute ſuſtentati fuiſſent; At Eccleſia ab Adamo ad Moyſen ſine miraculo ſcripturis caruit; vnde & nunc conſtare ſine miraculo abſq; ſcripturis poſſet. *Neq; tamen affirmamus ſcripturã eſſe abſolutè neceſſariam. Et ſi hoc Bellarminus vult*, inquit Savvbrandus, *nulla eſt inter nos controuerſia.* An non expreſsè indicat Bellarminus, de qua neceſsitate loquatur, quando aſſerit, ſcripturas non eſſe neceſſarias? An non apertè dixit; non eſſe *ſimpliciter*, hoc eſt, *abſolutè* neceſſarias? Si idem vobis ſenſus eſt; cur verbis vel potius cauillationibus non facitis compendium? Quid opus tot tricis, ſi vobis eadem ſtat ſententia?

Quid opus; vt exclamet hîc Iunius: *Negatur hac tota argumentatio ab exemplis ducta: tum, quia ex particulari conficitur, præter diſciplinam Logicam; tum, quia diſpar eſt exemplorum ratio.* En nouam Logicam, ex Batauia. Ex particulari negat aliquid concludi poſſe. Vbi ergò erunt poſthac ſyllogiſmi expoſitorij; qui non tantum particularibus; ſed & ſingularibus præmiſsis conſtant? Vbi erit Inductio, à ſingularibus ad vniuerſale? Vbi tandem Exemplum; quarta argumentationis ſpecies, cui ſolenne ex particularibus, & ſingularibus factis, ſeu verè factis, ſeu fictis aliquid colligere? Deinde Bellarminus non fecit ſyllogiſmum ex duabus particularibus præmiſsis; ſed argumentum abſque ſyllogiſmi forma propoſuit. Qua tamen, ſi veſtiretur; Maior propoſitio vniuerſalis foret; hoc vel ſimili modo. *Omne illud, ſine quo Eccleſia multis annis exſtitit; non eſt Eccleſiæ ſimpliciter neceſſarium.* Quam egregiè verò oſtendit Iunius exemplorum diſparitatem. *Alia nunc eſt ætas; alij mores hominum; alia eorundem conditio: ergo ſcriptura iam eſt ſimpliciter neceſſaria, licet olim non fuerit ſimpliciter neceſſaria.* Pulchrè & ingeniosè. Quanto rectius colligeret hunc in modum. Priſcis illis non fuit ſcriptura ſimpliciter neceſſaria; ergo multo minus Chriſtianis; quia iam longè maior eſt rerum diuinarum cognitio; nec maior tantum, ſed & amplior & diffuſior; ita vt multò facilius abſque ſcripturæ præſidio, quàm olim, conſeruari & vlterius etiam propagari poſsit.

Comminiſcitur Iunius, *neceſſarium duplex; alterum, vt cauſſam; alterum; vt concauſſam. Simpliciter neceſſarium vt cauſſam*, ait, *eſſe verbum Dei reuelatum; Neceſſarium, vt concauſſam ſeu vt inſtrumentum*, ait, *eſſe verbum Dei ſcriptum.* Sit ita, vt vis; Quid tum? *Non ſequitur; illi cauſſa neceſſaria vſi ſunt ſine hac concauſſa: ergò & nos ſine hac vti poſſumus. Nam contra ita ſtatuere oportet Chriſtianam mentem: illi cauſſa neceſſaria vſi ſunt cum multis concauſis, & adminiculis vmbratilibus: nobis verò melius proſpectum, qui & cauſſa eâdem neceſſaria vtimur, & concauſſam vnicam habemus, quæ non modò nobis eſt inſtar omnium, ſed etiam cunctas perfectione exſuperat alias per communicationem gratiæ, & veritatis*
A *in Chriſto Ieſu.* Nugæ, fumi; & logi meriſsimi. Non quæritur, quid ſit melius, commodius, vtilius; ſed quid ſimpliciter neceſſarium ſit. Fatetur Iunius, *ſcripturam*; quam ineptè vocat *ſalutis concauſſam*, non fuiſſe ſimpliciter antiquis neceſſariam; Ex hoc directè nos concludimus; *ergo neq; iam ſcriptura ſimpliciter eſt ad ſalutem neceſſaria*; vt fatetur etiam Caluinianus Savvbrandus; Et Iunius tergiuerſando idipſum ſatis approbat; quia quocunque ſeſe vertat; clarè intuetur, Eccleſiæ, ſcripturas abſolutè non eſſe neceſſarias, loquendo, vt par eſt, de neceſsitate abſoluta; nam de illa, quæ eſt ex *hypotheſi*, & *ad melius eſſe*; nullam litem ſectariis Bellarminus mouit.

Ait Bellarminus bis mille annis religionem
B conſeruatam eſſe ſola traditione. Vbi Iunius. *Negandum eſt. Falſum enim.* Si falſum eſt; Oſtendat Iunius, quibus ſacris ſcripturis vſa ſit Eccleſia ab Adamo vſque ad Moyſen. Nam Bellarminus ſolam ſcripturam excludit; quando dicit; Religionem per bis mille annos ſola traditione conſeruatam fuiſſe. *Aut diſtinguendum hoc modo*, inquit Iunius. *Sola quidem ſecundum quid, ſcilicet abſq; ſcriptura: at, non ſola ſimpliciter, cum loco ſcripturæ (quam habemus fermè ſolam) innumerabilia rudimenta, & elementa mundi ſemper habuerit, donec corpus fuit in Chriſto exhibitum.* Vaniſsime nugator. Quid aliud contendit Bellarminus, quàm per bis mille annos religionem ſola traditione abſque vlla ſcriptura conſeruatam eſſe? Quod tu non abnuis;
C ſed vltrò das; nam ſcripturam & traditionem mutuò opponit; vt oſtendat, ſcripturam nõ eſſe ſimpliciter neceſſariam. Tu extra lineam ſaltitans, ais, etiam alia fuiſſe adminicula, quibus religio tunc conſeruata & propagata fuerit. Quid hoc ad rem? Non quæritur, vtrum aliis quoque; ſed vtrum per ſcripturam vera religio fuerit tunc conſeruata & propagata. Negatiuè reſpondendũ eſſe tam eſt euidens; vt neque Nouatores id inficiari queant. Quanquam proximè & immediatè tunc etiam, ſola traditione diuinitus reuelatâ & acceptâ, fides conſeruata, ſuſtentata, & propagata fuerit; nam rudimentis illis & elementis mundi, hoc eſt, contemplatione rerum naturalium; non niſi ſecundariò & acceſſoriè & olim
D conſeruabatur, & etiamnum conſeruatur religio.

Dicit Bellarminus. Etiam doctrinam Chriſti ad mille quingentos annos ſine ſcriptura conſeruari potuiſſe; quemadmodum olim doctrina cæleſtis abſque ſcriptura ad duo millia annorum conſeruata eſt. Oggerit Iunius. *A poſſe ad eſſe, non valet argumentatio.* Dic Caluiniſta, num ita argumentatur Bellarminus? *Doctrina Chriſti potuit abſq; ſcriptura per mille quingentos annos conſeruari; ergo de facto ita conſeruata eſt?* Num Bellarminus hoc argumentum vel vnico verbulo inſinuauit? Commentum tuum hoc eſt, nõ Bellarmini argumentum. Tu tibi talia fabricas, ne penitus obmuteſcere neceſſe habeas.

Ait Bellarminus, à Moyse vsque ad Christum per alia duo annorum millia exstitisse quidem scripturas, sed eas Iudæorum duntaxat fuisse; reliquas autem gentes, in quibus etiam erat apud aliquos vera religio & fides, sola traditione non scripta vsas fuisse. Ex his Bellarmini dictis procudit Sibrandus hunc syllogismum. *Sine quo gentes tempore veteris testamenti seruari potuerunt*, illud non est *necessarium; sed scriptura non sunt vsæ gentes, & proinde sine ea saluatæ sunt. Ergò, scriptura non est necessaria.* Quanto planius, & sincerius hunc in modum syllogismus confici potuisset. Sine quo gentes tempore veteris testamenti seruari potuerunt; illud non est simpliciter ad salutem necessarium; sine scriptura potuerunt gentes tempore veteris testamenti saluari; ergo scriptura non est simpliciter ad salutem necessaria. Quantò expeditior fuisset syllogismus, si ad hunc modum fuisset constructus. Sibrandus negat Minorem sui syllogismi: Et rationem reddit; *quia Æthiops legebat Isaiam. Act. 8. Et Ptolemæus Philadelphus curauit scripturam in Græcam linguam conuerti.* Hinc nascitur tale argumentum. *Æthiops legit Isaiam; & Ptolemæus sacram scripturam in Græcum sermonem transtulit; ergò nullæ gentes absq; sacra scriptura saluatæ sunt*: Probatur consequentia planè Sibrandicè. *Quia Æthiops, & Ptolemæus erant omnes gentes, quæ vnquam à Moyse vsq; ad Christum exstiterunt. Et quamuis Ptolemæo multis post Moysen seculis; & paucis ante Christum ætatibus facta fuerit potestas, non vulgandi passim Biblia in Græcam linguam conuersa; sed tantum possidendi & in instructissima Bibliotheca sua collocandi; nihilominus nulla dubitatio Sibrandum tenet; quin omnes promiscuè ea translatione vsi fuerint, omnesq;, qui vnquam extra Synagogam cælestis doctrinæ dogmata complexi sunt; id ex lectione Græcorum Bibliorum fecerint.* Si vrgeas Sibrandum cum illis, qui ante Græcam versionem vixerunt; item cum illis, quibus nec Græca, neque Hebraica lingua nota erat; facilè scilicet inueniet elabendi rimulam; si non integram & bipatentem ianuam.

Eodem ferè modo fatuatur circa hæc VVitackerus. Post aliquot anfractus; *Vtcunq;*, inquit, *se res habeat; qui ad Ecclesiam pertinebant, non ignorabant scripturas.* Sed quas? Num Hebraicas? At illæ apud solos Iudæos erant; neque gentibus vllo modo cognitæ. An Græcas? At istæ & serò exortæ sunt; & limites AEgyptiacæ Bibliothecæ non egressæ.

Negat & Iunius, *veram religionem & fidem vnquam apud gentes sine scriptura fuisse.* Iterum quæro, de qua scriptura loquatur? Num Hebraica? At hæc gentibus erat ignota. Nam quod de AEthiope ingerunt; meminerint, vnam hirundinem non facere ver: item illud; AEthiopem illum iam tum transiisse ad sacra Iudaica, atque adeo verè Iudæum fuisse. At nos de illis loquimur; qui ex gentibus verè erant fideles, nec tamen Iudæi; neque enim cogebantur ad circumcisionem, & aliorum legalium obseruationem illi, qui extra Synagogam veræ religionis doctrinam sequebantur.

Probat figmentum suum Iunius. *Fides ex auditu est: auditu autem verbi; quod scriptum Iudæi habuerunt.* Omnino fides ordinariè ex auditu est; & quidem ex auditu verbi Dei. Num tantummodo scripti? *At scriptum erat apud Iudæos eo tempore, quod inter Moysen & Christum intercessit.* Non imus inficias. At non erat necesse; vt qui ex gentibus conuertebantur ex auditu huius scripti apud Iudæos verbi conuerterentur; imò fieri poterat, vt illis penitus ignotum esset, num tale verbum scriptum exstaret: Sicque ex sola traditione, de manu quasi in manum tradita, rectam fidem colerent, Deoque, vt decebat, cultum & venerationem adhiberent; vt acciderat ea ætate, quæ ab Adamo ad Moysen protenditur. Itaque licet verbum, quod ipsi ex traditione sequebantur, apud Iudæos scriptum esset; ipsi tamen non sequebantur *formaliter* vt scriptum; quandoquidem id ignorabant; neque ad Synagogam pertinebant; sed tantum *materialiter* quatenus illud sequebantur; quod in Synagoga asseruabatur scriptum; licet ipsi id sequerentur formaliter vt traditum.

Iam vide Savvbrandi nequitiam. Affingit Bellarmino hunc syllogismum; quem in hoc capite & in hac de necessitate scripturarum disputatione neque expressè vnquam attulit; neque etiam vel tacitè innuit. *Quod Christus non præcepit, hoc non est necessarium. Sed, vt Verbum DEI scriberetur, non præcepit Christus. Ergò, scriptura non est necessaria.* Dixerat quidem Bellarminus, superiore capite, Deum non præcepisse Apostolis, vt Euangelicam doctrinam scriberent: sed neque ibi, neque hîc inde collegerat; scripturam ideo non esse simpliciter necessariam. Quare cum cerebri sui malè dolato phantasmate luctatur postea Savvbrandus, non cum Bellarmini argumentatione.

Dicit Bellarminus Iudæos magis vsos esse traditione, quam scriptura, tametsi scripturæ exstarent. Inde hoc Enthymema architectatur Savvbrandus. *Iudæi vsi sunt traditionibus; ergo scriptura non est necessaria*; adde, *simpliciter & absolutè*; prout mens Bellarmini postulat: Et ad Antecedens adiice illa Bellarmini verba. *Magis*; Item: *Etsi scripturæ exstarent.* Cur omnia truncas, & mutilas? Antecedens probat Bellarminus aliquot scripturæ testimoniis. Exodi 13. *Narrabis filio tuo in illo die dicens; hoc est, quod fecit Dominus. At hoc loco,* inquit Savvbrandus, *loquitur Moses de Pascha, quod est memoriale liberationis ex Ægypto. Hoc verò totum scriptum est.* Nec BELLARMINVS nescit, aut diffitetur scriptum esse. Interim scriptura non dicit: *Leges ea filio tuo ex libro, in illo die dicens, quod fecit Dominus, &c.* Sed dicit:

dicit: *Narrabis filio tuo*,&c. Quæ vox *traditionem* significat; nam quæ per narrationis continuam successionem accipimus, ea traditione accipimus.

Deut.32. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Respondet Savvbrandus sermonē esse de diuisione regionū, & *patriarum, hanc verò scriptam esse Gen.11. Item. de hæreditate Israël; & hanc quoq; scriptam esse*; & vt fidē faciat, Vatablum testē laudat. Num seu Vatablus seu Savvbrandus scopum tangant, non disquiram; nam ex textu liquidò claret, mandatum esse, vt de mirabilibus, quæ Deus in AEgypto, & egressu ex Ægypto patrarat, minores inquirerent; vt à maioribus natu erudirentur, & instruerentur. Mittamus hæc: Non fugiebat Bellarminum, scriptis consignata esse miranda illa, de quibus iuniores percontari; & quæ maiores explicare iubentur. Interim tamen sanctus Spiritus per scripturam loquens non dixit; *Interroga scripturam; & annunciabit tibi; libros Moysis & dicent tibi*: Sed dixit: *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi*: (nec dixit; annunciabit ex lectione scripturæ) *maiores tuos, & dicent tibi.* (non dixit; & dicent tibi ex scripturis; sed absolutè; *dicent tibi.*) Quæ omnia indicant, Iudæos magis traditione, quàm scripturis fuisse ductos & nixos.

Iob. 8. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam.* Ad quæ Savvbrandus. *Hoc loco Bildad nihil aliud docet, quàm ipsam experientiam testari vitam nostram esse breuem & tanquam vmbram.* Caluinista peruersum agit scripturæ interpretem: nam præcedentes versiculi manifestè arguunt Baldad iussisse; vt Iob inquireret de iudiciis Dei, quæ præteritis annis exercuerat. *Nunquid Deus supplantat iudicium? aut omnipotens subuertit, quod iustum est?* &c. *Etiamsi filij tui peccauerunt ei*, &c. *Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum*, &c. *Statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ*, &c. *In tantum vt prima tua fuerint praua, & nouissima tua multiplicentur nimis.*

Vtrum autem hæc ita sese habeant, si exploratè cognoscere cupis; *Interroga generationem pristinam, &c.* Vbi rursus non dicitur; *Scrutare scripturam; & diligenter lege Biblia*: sed, *interroga generationem pristinam: Et diligenter inuestiga Patrum memoriam*; quæ omnia traditionem potius, quam scripturam significant.

Quartum testimonium ex Iudicum VI. *Vbi sunt mirabilia, quæ narrauerunt nobis Patres nostri*: transilit Savvbrandus. Quintum Psal. 43. *Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es*, &c. *At hoc loco loquitur de exstirpatione Chananæorum*, inquit Savvbrandus; *illa verò tota scripta est.* Nec hoc negauit Bellarminus. Interim verum manet; scripturam ipsam innuere, Hebræos magis traditionem, quàm scripturam secutos; quia omnes voculæ ex Psalmo allatæ, traditionem sonant. Non dicunt; *Deus oculis nostris in Bibliis legimus*; sed, *auribus nostris audiuimus.* Nec dicunt. *Auribus nostris audiuimus legi ex Bibliis. Patres nostri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus*, &c. Non dicunt; *Patres nostri legerunt nobis ex Bibliis opus, quod patrasti.*

Psal. 77. *Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera. Filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt ea filiis suis. At hoc loco*, Savvbrandi verba sunt, *loquitur de promulgatione legis, de fœdere inito cum Iacob, de liberatione ex Ægypto, de donatione terræ Chanaan, & similibus. Ea verò omnia scripta sunt.* Nota canis Caluinista: nec Bellarminum feris. Nouit hæc scriptis mandata. Interim, quod mirandum, scriptura iis verborum formulis vtitur, quæ multo magis Iudæos traditione, quàm scriptura ductos, rectosque esse insinuent; quod solum hoc loco Bellarminus probare instituit.

Dicere inquit Savvbrandus; *Iudæi vsi sunt traditionibus scriptis. Ergò, scriptura non est necessaria, est insanire. Scriptura enim nihil aliud est, quam traditio scripta.* Quis ita delirat, vt hoc dicat; præter Savvbrandum; qui talia impudentissimè comminiscitur; & impudentius adhuc Bellarmino imponit. Ex his petat etiam VVitackerus responsum ad nænias suas; quas hic effudit, & Savvbrandus in suas chartas transtulit.

Cur Iudæi magis traditione, quàm scriptura vsi sint, duas reddit caussas Bellarminus: Quia vsque ad tempora Esdræ, scripturæ non erant redactæ ad formam librorum, vt facilè & commodè haberi possent; sed erant dispersæ in variis Annalibus, & chartis; & interdum ex Sacerdotum negligentia longo tempore non inueniebantur, vt patet 4. Reg.22. Vbi VVitackerus: *Vt concedamus negligentes fuisse Sacerdotes, ac Leuitas; num ideo aut totas periisse scripturas, aut non esse necessarias sequitur? Negligentia Sacerdotum, ac Leuitarum non arguit scripturas non esse necessarias, sed illos fuisse horrendi cuiusdam sacrilegij reos.* Neutrum concludere vult hoc loco Bellarminus; sed tantum rationē reddit; cur dixerit, Iudæos magis traditione, quàm scriptura vsos esse. Cur tu Bellarminianum scopum transuertis & peruertis, nisi vt imperitorum oculis glaucoma offundas?

Iunius hanc in Bellarminum impressionem facit. *Negatur hunc fuisse piorum Iudæorum morem.* Procliue est negare, nec arduum clamare: *Probationes adducuntur falsò*, (imò verissimè; quia singula verba; quæ Bellarminus ex scripturis recitat; id, quod Bellarminus intendit, adstruunt; vt antea visum.) *Nam falsa hac disiunctiua nituntur: aut ex narratione, & traditione; aut ex scriptura habuerunt: atqui ex narratione habuerunt, non igitur ex scriptura. Hac disiunctiua non est immediata. nam & potuerunt habere ex vtriq; simul, quæ opponuntur hic, tanquam ἀσύστατα; & certè habuerunt.* Hæc non est Bellarmini collectio; sed Iunij hallucinatio; non enim inficias it Bellarminus, maiores etiam ex

scri-

scriptura *magnalia & mirabilia* Dei narrare potuisse minoribus; sed tantum affirmat; Iudæos magis traditione, quàm scriptura vsos; quod perspicuè euincunt omnia loca, quæ iam antea Bellarminus produxit; & patet quoque ex incredibili paucitate voluminum sacrorũ, de qua cum aliunde, tum ex 4. Reg. cap. 22. constat. vbi tanquam nouum quid & prorsus inopinatum refertur, quod in diebus Iosiæ Regis fuerit inuentum vnum volumen legis Domini in templo.

Ait Iunius, & in idem inclinat VVitackerus; *hoc intelligendum de authentico libro legis & originali, siue autographo; quem Moses Eleazaro dederat in templo asseruandum. Deut. 31 & 33.* Siue primigenius & autographus liber fuerit, siue secus; manifestè ex tanta non modò Regis, sed & totius Israëlis admiratione; & lecto libro trepidatione & consternatione elucescit; pauca vel nulla Hierosolymis tunc superfuisse legis exemplaria. An non enim in aliis codicibus legere potuissent, qualia supplicia Deus in transgressores legis constituisset; & salutarem horrorem inde concipere, & de vita in melius commutanda, seriò cogitare; vt accidit, postquam codex repertus & publicè recitatus fuit?

Ait Bellarminus, à Christi aduentu per multos annos fuisse Ecclesiam sine scripturis. Vociferatur VVitackerus, hoc *falsissimè à Bellarmino dici: semper enim Ecclesiam habuisse libros veteris testamenti.* Iam supra respondimus Bellarminum loqui de libris noui testamenti; quibus aliquot annis Ecclesiam caruisse certum est; quandocunq; tandem S. Matthæus Euangelio conscribendo manus admouerit, de quo hic varias sententias VVitackerus memorat.

Ex Irenæo ostendit Bellarminus aliquas gentes barbaras sola traditione, absque vllis sacris scriptis religionem Christianam coluisse: adhuc Irenæi æuo; ergo scriptura non est Ecclesiæ simpliciter necessaria. Vbi Iunius. *Negatur de Ecclesia vniuersè: quod si de aliqua Ecclesia dicit, non obtinet quidquam ex particulari.* Cur, quæso, non valet hæc consequentia? Istæ vel istæ integræ nationes sola traditione absque vlla scriptura coluerunt Deum, & Christianam fidem; ergo aliæ nationes idem potuissent: ergo scriptura non est simpliciter necessaria. Quæ enim caussa, cur magis sine scriptura Christianam religionem suscipere, & in semel suscepta constanter perseuerare potuerint illæ gentes, de quibus Irenæus; quàm cur aliæ omnes? quia Christianam vitam ducere sine scriptura, sola traditione. non fuit quid nationibus illis penitus peregrinum, extraordinarium, & ex peculiari dono diuinitus concessum; ita vt in alias nationes non itidem conuenire potuerit. Quocirca à tali parte ad totum; seu ab huiusmodi particulari ad vniuersale argumentari, non est vitiosum, vt Iunius delirat, sed probum & dialecticum.

A VVitackerus occinit; *Traditiones, quibus viuebant & gubernabantur gentes illæ apud Irenæum, non fuisse Pontificias.* En fallacem impostorem. Vt lectorem alio traducat, statum disputationis permutat. Non quæritur, Caluinista; *vtrum illæ traditiones fuerint Pontificiæ*; sed num scriptura ita sit necessaria, vt Ecclesia simpliciter ea carere non posit. Huius quæstionis negatiuam partem tuetur Bellarminus cum aliis argumentis, tum testificatione Irenæi, scribentis, barbaras quasdam nationes, etiam suo tempore, absque vllis scripturis, ex sola traditione, Christianam religionem suscepisse & coluisse.

Non sequitur hinc, inquit VVitackerus, *scripturas omnino non esse necessarias.* Certè euidenter hinc se- B quitur, scripturas nõ esse simpliciter Ecclesiæ necessarias. Nam si his, de quibus Irenæus, simpliciter non fuêre necessariæ, nullam vnquam probabilem caussam adducent Prædicantes, cur nobis vel aliis sint simpliciter necessariæ, ita vt sola traditione, neque Christianam doctrinam complecti; neque religiosè colere posimus.

Multi, inquit VVitackerus, *nesciunt litteras, & tamen sanam fidem retinent ex prædicatione Pastorum, ac Doctorum: ergóne scripturæ non necessariæ?* Simpliciter profecto non sunt necessariæ. Addit Caluinista. *Vnde illi Pastores, ac Doctores suam illam, quam habent, religionis scientiam hauserunt? certè, ex scripturis: sunt ergò scripturæ valdè necessariæ.* (at possent etiam ex traditione haurire; sicut Doctores & Pa- C stores ante libros Canonicos conscriptos hauriebant cælestem doctrinam ex traditione; subditisque suis tradebant; & Doctores barbarorum, de quibus Irenæus, ex traditione sumebant doctrinam, qua barbarorum animos informabant; quandoquidem, teste Irenæo, omni prorsus scriptura carebant; quod intelligendum, non tantum de plebe, sed & de plebis doctoribus ac magistris.) *Sunt ergo scripturæ valdè necessariæ.*

Hic iterum obserua VVitackerianam fraudẽ. Non est quæstio vtrum valdè sint necessariæ; sed vtrum simpliciter sint necessariæ; hanc consequentiam inferre debebat VVitackerus, si quid ad propositum adferre cogitabat. Lepidum il- D lud est; quod ait; *Scripturam sacram paulò post in barbarorum illorum, de quibus Irenæus, idioma conuersam esse*: sine dubio VVitackerus vidit alicubi translationis illius exemplar; alioqui tam intrepidè id non affirmaret; homo alioqui in affirmando valde religiosus & circumspectus.

Hic deserto aliquamdiu Bellarmino exspatiantur nonnihil Caluinistę VVitackerus & Savvbrandus; demonstrantque scripturas esse necessarias; vix tamen vnquam adiiciunt particulam illam, *simpliciter*, ex quo propemodum tota vis huius disputationis pendet.

Primum argumentum VVitackeri; *Scriptura continent doctrinam necessariam, sine qua nos seruari nõ possumus, legis nempe, & Euangelij; ergò sunt necessaria.*

Si ad-

Si addas *simpliciter*; negatur consequentia. quia hæc ipsa ad salutem necessaria doctrina posset etiam, & potest ex traditione haberi & cognosci. Si adiungas; *ad bene esse*, hoc est, maioris vtilitatis, & commoditatis caussa; conceditur consequentia; sed nihil contra nos; quia scripturas exstare non inficiamur vtile & commodum esse. Nec tamen verum est; quod dicit Hæreticus; *Deum nos iam per solas scripturas docere.* Nam & per non scriptum verbum nos docet; velint nolint sectarij.

Secundum argumentum. Scripturæ conseruant Dei doctrinam, ac religionem, ne aut corrumpatur, aut intereat, aut obliuioni tradatur. Ergò, sunt necessariæ. Respondeo, antecedens esse falsum, si sensus sit, doctrinam cælestem ita à corruptione, obliuione, & interitu per scripturam conseruari; vt per traditionem conseruari nequeat; Verum autem; si sensus sit, *respectu nostri* commodius & vtilius per scripturam conseruari, quàm absque scriptura: quia magnum & vtile memoriæ subsidium est scriptura. Consequentia distinguitur, vt antea; *Ergo scripturæ sunt necessariæ*; *simpliciter*, negatur. Maioris & amplioris fructus gratia; conceditur.

Probat VVitackerus antecedens negatum, vel potius distinctum. Oseæ cap. 8. ait Deus; *Scripsi iis authentica legis meæ, sed illi tanquam aliena repudiarunt: ergo scriptura est simpliciter necessaria.* Argutè. Accipe aliquid argutius. Lucas ait cap. 1. *Visum est mihi ordine ad te omnia scribere, vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Ergo scripturæ sunt simpliciter necessariæ; quia Theophilus non potuisset in Christiana doctrina, quam ex traditione acceperat, perstare; nisi Lucas cum Euangelij sui scriptione accurrisset & succurrisset. Est ergo scriptura necessaria περὶ ἀσφάλειαν*, inquit VVitackerus. Num *simpliciter*? Mirum, quàm hoc vocabulum semper fugiat & horreat. Addit; *Quæ viua voce docentur, ea non sunt tam firma & ἀσφαλῆ, quam quæ scribuntur & litteris mandantur.* Falsum est, si loquatur de firmitate & ἀσφαλείᾳ rebus interna; nam traditiones in se æquè sunt firmæ, certæ & ἀσφαλεῖς ac scriptura: Et res diuinitus reuelatæ non euaserunt in se per scripturam firmiores, certiores & ἀσφαλέστεραι, quam fuerant, antequam litteris consignarentur; tametsi non inficior, scripta dici posse firmiora & ἀσφαλέστερα ratione nostri; quatenus promptius & facilius est, generatim loquendo, cuiuis veritatem ex scriptis petere, & inde sese communire, quàm ex traditione.

Tertium argumentum. *Matth. 22. Christus Sadducæis ait; Erratis, nescientes scripturas. πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφάς. Ex quibus verbis colligimus; scripturas esse nobis necessarias, ne erremus.* (Sed num simpliciter, ita vt illis Ecclesia absolutè carere nequeat? Hic semper mutus est VVitackerus; & quidquid præter hoc dicat; nihil dicit.) *In alio Euangelista, sic se habent verba: Ideo erratis, quia nescitis scripturas? οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς; & sic locus apertius pro nobis facit.* (Valde profectò pro vobis iste locus facit; & vt id liquidius appareat; hac argumentationis forma proponatur. *Ideo erratis, quia nescitis scripturas; ergo scripturæ sunt simpliciter necessariæ*: quasi verò error ille, quem errabant, quemque errantibus exprobrat Christus, simpliciter per solam scripturarum cognitionem ab illis auferri potuerit; non autem per traditionis notitiam, si id, de quo ibi disceptabatur, non scriptum, sed viua solummodo voce traditum fuisset.

Necdum finis. Subtiliora canamus. 2. Petri 1. legimus: *Habemus firmiorem, & certiorem sermonem Propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis: vbi docet nos Petrus, nihil esse certius scripturis; ergo scripturæ sunt simpliciter necessariæ.* Probatur. *Nihil est certius scripturis; sequitur ergò quod antea.* Et quamuis antecedens falsum sit; nam traditiones diuinæ, & Apostolicæ æqualem cum scriptura certitudinem habent; id tamen non moratur VVitackerus; cui perinde, seu vera seu falsa ad Theseos suæ probationem assumat. Hinc & illud perquam opportune huc accersitur. *Habent Mosen & Prophetas, illos audiant Lucæ 16. ergo scripturæ sunt simpliciter necessariæ.* Item Ioan. 20. *Hæc scripta sunt vt credatis Iesum Christum esse filium Dei.* Habemus ergo iterum eandē quam prius consequentiam. Vocatur insuper scriptura *lex: ergo est simpliciter necessaria*; quia lex scripta est simpliciter necessaria; etiam in foro ciuili. Indies maiores progressus facit VVitackerus in subtilitatis gymnasio.

Quartum VVitackeri argumentum. *Scripturis nullo modo carere possumus; sunt ergo necessariæ, simpliciter nimirum.* Negatur antecedens. Quod præuidens Caluinista quærit; si scripturis carere possumus; quare eas Deus nobis tradidit? Facilis responsio. *Ad bene esse*; hoc est, ad maiorem vtilitatem & commoditatem; vsumque faciliorem. Num tu tam stultus es, vt cogites, nil à Deo hominibus tribui, præter illa, quæ simpliciter sunt necessaria?

Quintum argumentum. *Iubentur Ministri scripturas legere, & in legendis scripturis assidui, ac diligentes esse; ergò scripturæ sunt necessariæ.* (Num simpliciter?) *Si enim vlli homines liberi essent, ac immunes à lectione scripturarum, qui magis, quàm ministri?* Quidquid Ministri nunc ex scripturarū lectione hauriunt & addiscunt; vt & se & alios erudiant, id etiam ex traditione haurire & addiscere possent, sui & aliorum informandorum caussa. Nec scriptura tantum dicit; *Attende lectioni*; *Scrutamini scripturas*; Et alia huius generis; sed etiam: *Interroga Patrem tuum*, &c. *Interroga generationem pristinam*, &c. *Non te prætereat narratio seniorum*, &c.

Sextum

Sextum argumentum: *Chrysostomus homil. 1. in Matth. disertè scribit; necessarias esse scripturas, & tollit obiectionem Iesuitæ: non fuerunt Patriarcharum tempore necessariæ; ergo, nec nunc. Ait enim, Patriarchas, & Apostolos mente puriores fuisse; ac proinde, Deum illos allocutum esse, & sine scriptis docuisse. nos verò rudiores, atque hebetiores esse, ac proinde voluisse Deum nos per scripturas erudire. Bellarminus hunc locum vidit, & conatur huius argumenti vim infringere. Ait, dici necessarias, quia vtiles. præclare, sed ita sunt vtiles, vt etiam necessariæ sint.* Num simpliciter? Mirum te hanc vocem tam studiosè fermè dixerim, superstitiosè, vitare. Neq; aliam vnquam ex dictis Chrysostomi necessitatem euinces, quàm illam, quæ est maioris commoditatis & facilitatis caussa.

Nunc ad Savvbrandum; cuius primum argumentum: *Sine quo religionis puritas conseruari non potest, illud est necessarium. Sed, sine scriptura puritas religionis conseruari non potest. Ergo, scriptura est necessaria.* Respondeo, Maiorem esse veram; si velit, illud simpliciter esse necessarium; sine quo puritas religionis simpliciter conseruari nequit: hoc sensu negatur Minor. Si Maior velit; illud esse simpliciter necessarium sine quo, tanquam commodo & vtili adiumento, religionis puritas conseruari non potest; tum negatur Maior: non enim ideo aliquid simpliciter necessarium est; quia nonnihil momenti ac ponderis ad puritatem religionis conseruandam adfert.

Multa nugatur Savvbrandus de sæpius collapsa olim vera fide; eaque per viros sanctos sæpius restitutâ; *& hanc lapsus & restitutionis reciprocationem, dicit Deo occasionem dedisse; vt legem & normam religionis scribi iuberet; ne toties mortales laberentur & relaberentur, semperq́; nouos præcones exsuscitare necesse foret, qui hominibus rectam viam monstrarent; & doctrinam cælestem traderent*: hinc colligi; *scripturas esse necessarias.* Sed hæc nugamenta sunt. Scilicet, nulla amplius fuit Idololatria in mũdo post scriptam legem. Nulla amplius inter ipsos Iudæos. Nullus amplius ad vetitas religiones lapsus aut relapsus. Nulli amplius concionatores missi, qui errantes in semitam iustitiæ reducerent. Iam quoque post scriptam Euangelicam doctrinam nullæ sunt hæreses; Nullæ sectæ; Nullæ peruersæ & sceleratæ opiniones? An non his omnia scatent? Forsan pauciores essent; si scripturæ non essent; in quas isti illotis manibus pedibusq́ue irruunt; & quid inde nisi paradoxa & nefaria dogmata eruunt; non scripturæ; sed phantastici sui cerebri culpa & vitio?

Secundum argumentum. *Quod Deus præcepit,* hoc est *necessarium.* At num simpliciter, & in sensu diuiso? Sed Deus præcepit verbum suum scribi. Vbi hoc præceptum de tota & adæquata scriptura? Nam de quibusdam particulis, vt de decalogo, & nonnullis visionibus Apocalypticis id non grauatè damus. Cum autem supra Nouator iste fassus sit, scripturas non esse absolutè & simpliciter necessarias; mirari subit, cur hic multum

A cum Bellarmino digladietur; cum necessitatem ex hypothesi, & illam, quam *ad bene esse* vocant; Bellarminus non neget; sed hac necessitate scripturas necessarias esse palam scribat: sed non est insuetũ Savvbrando *batuere*, & aërem verberare.

Tertium argumentum. *Quod necessariò seruare debemus hoc est necessarium.* Num simpliciter & absolutè? *sed scriptura nobis necessariò* (ex hypothesi scilicet) *seruanda est: ergo scriptura est necessaria.* Adderes; *simpliciter*, si sincerus & candidus disputator esses.

Quartum argumentum. *Sine quo verum Dei cultum à falso distinguere non possumus; illud est necessarium.* Esto Maior; si sensus sit; sine quo nullo modo verum Dei cultum à falso distinguere possumus, B &c. Subiice Minorem. *Sed sine scriptura verum Dei cultum à falso distinguere non possumus.* Nego Minorem: falsitas inde liquet: quia fideles ab Adamo vsq; ad Moysen absq; vllis scripturis verum Dei cultum à falso distinxerũt; similiter illi qui tempore legis scriptæ; extra synagogã verum Deum colebant; vt & barbari, de quibus Irenæus.

Danæus circa primum Bellarmini argumentum nihil penitus adducit præter mendacia & calumnias. Mentitur, Bellarminum hoc modo argumentari. *Ecclesia diu Deum coluit absq; scriptura: ergo postquam sacra Scriptura iussu Dei edita est, ex traditione quoque non ex sacra Scriptura colendus est Deus.* Os & frontem Prædicantis.

Secundò mentitur, ex Bellarmini sententia, C *illud solum esse & semper fuisse verbum Dei, quod scriptis mandatum est.* Omnes paginæ huius quarti libri impudentiam istam Danæanam coarguunt. Ait Danæus, *falsum esse; quod scribit Bellarminus; ante Mosen nullam diuinam scripturam exstitisse: exstitisse enim saltem librum Enochi; se etiam vidisse & legisse librum editum Abrahami Patriarchæ.* At Caluinistæ alij Iunius, VVitackerus, Savvbrandus non inuiti largiuntur, quod Bellarminus affirmat. Nam de Enochi libro lis adhuc est sub iudice; quis, qualis, & à quo scriptus fuerit; vt propter hanc incertitudinem minimè id quod certius constat, deserendum sit. Fortunatum Danæum; cui datum est frui lectione libri ab Abrahamo scripti. Mihi hæc felicitas nondum obtigit. Cur non re- D cipitur à Caluinistis in Canonem? Fortè hoc honore eum dignabuntur vnà cum libris de rebus *Magicis*; olim hodieq́ue Salomonis nomine prænotatis.

His hunc in modum expeditis, probare aggreditur Bellarminus scripturas non omnia ita continere, ita sufficiant ipsæ sine alia traditione. Primum argumentum. *Si scriptura sit sufficiens: tum, vel totus Canõ sufficit, vel singuli libri in hoc Canone comprehensi: at neutrum; ergo, scriptura non est sufficiens. Fateor,* inquit VVitackerus, *nos non de singulis libris loqui, cum dicimus, scripturas sufficientem doctrinam continere; sed intelligimus totum scripturæ Canonem, vnde omnia necessaria peti posse dicimus. Neque hoc intelligendum tantùm de Canone, qui nunc est copiosior, & locupletior,*

Digitized by Google

quam olim fuit; sed dicimus illum Canonem, qui Iudaeorum tempore exstabat, tum fuisse, & eum, qui nostro tamen tempore exstat, nunc esse sufficientem sine traditionibus. Est ergo quoad hoc primum caput inter Bellarminum & VVitackerum consensio. Sed addit iste: *Canonem pro quauis aetate, quamuis exiguum, fuisse sufficientem.* Itaque quando tantùm Pentateuchus exstabat, Canon erat sufficiens, iudicio istius: Et quando adiecti sunt libri Iosue, Iudicum, Regum, &c. etiam erat sufficiens; & sic deinceps; & in nouo Testamento, solo Euangelio S. Matthaei exstante, canon erat sufficiens; similiter antè sufficiens erat, quàm Apocalypsis & aliquot epistolae D. Pauli ad Canonem adderentur. Ex quibus nihil aliud sequi video; quàm sufficientem quoque fore Canonem, licet inde Euangelium S. Ionis, Marci, aut Lucae, aut Actus Apostolorum, aut Epistolae S. Pauli, aut Catholicae, aut Apocalypsis detraherentur: Si enim Canon sufficiens fuit prius quàm libri isti ad Canonem aggregarentur; non apparet vlla ratio, cur idem Canon non sit sufficiens, si aliqui libri inde segregentur.

Iunius mirificam & forsan inauditam Philosophiam nobis hic adfert. *Totum*, inquit, *dicitur tripliciter. Secundum quantitatem, secundum perfectionem rationis, & essentiae suae, & secundum virtutem. duos priores modos hic Bellarminus confundit, quae ad totum essentiale pertinēt, ea cogens in leges angustas totius, quod totum quantitatis dicitur.* Vt maximè Iuniana haec distinctio hic locum haberet; falsum tamen est, quòd Bellarminus duos illos *sufficientiae* modos *secundum quantitatem, & secundum essentiam* confundat; quia neque huius, neque illius meminit; sed absolutè argumentatur hunc in modum: *Vel totus Canon est sufficiens, vel singuli libri per se sunt sufficientes* Viderint Praedicantes, de qua *sufficientia* Bellarmini propositionem concedere vel negare velint; quanquam VVitackerus nullum in hoc scirpo nodum vidit; ea propter non inuitus concessit Canonem tunc quoque fuisse *sufficientem*, quando, praeter Pentateuchum, nullus alius Canonicus liber exstabat; & proculdubio tam subtiles cogitationes nō habuit; vt inter *sufficientiam integralem & essentialem* cum Iunio discrimen statueret: qui subiungit. *Sufficientia cum praedicatur de toto, secundum essentiales partes ipsius, non secundum integrales singulas praedicari solet.* Acutissimè: licebit ergo dicere: *hominem esse sufficientem ad operationes humanas exercendas secundum essentiales partes; non secundum integrales*; licet reuera omnibus integralibus partibus constet; neque vlla earum desit. Quod si contendat de qualibet essentiali parte hominis, verbi gratia, sufficientiam praedicari posse, non autem de qualibet parte integrali, tunc sequitur sufficientiam praedicari posse de anima; ita vt verum sit dicere; animam ad constituendum illud totum, quod homo appellatur, sufficere; & ita Iunius nobis homines absq; corpore procudet; aut absque anima; nam vt de hac,

A ita & de corpore, quod totius hominis pars essentialis est; *sufficientia Iuniana* praedicari poterit. Illud etiam sequetur, Canonem scripturae, cum in solo Pentateucho cōsisteret, essentialiter fuisse perfectum & sufficientem. Caeteri ergo, quotquot adiuncti sunt libri, non pertinebunt ad essentialem sufficientiam. Aut si & isti; tot ergo sunt essentiales sufficientiae, quot libri; imò tot Canonis essentiae, quot libri. Et quidem essentiae sufficientes.

Pergit nugari Iunius. *Quod si in partibus integralibus sufficientiam placeat contemplari, non iam sufficientiam totius, sed sufficientiam suam in toto habere dicendae sunt* Quàm profundè omnia. Scilicet, *anima* pars essentialis, habet *sufficientiam totius*; hoc est, aequi-
B ualet toti; & pars integralis tantum habet sufficientiam in toto; quasi verò, quoad hoc, non sit par ratio partium vtriusque generis; nam vt caput non est totus homo, etiam secundum quantitatem spectatus; sic nec anima est totus homo secundum essentiam spectatus.

Quid amplius? *Singuli libri sunt sufficientes sufficientia partium, ad quam ordinatae sunt: tota verò scriptura est sufficiens essentiali sufficientia per libros singulos fusa.* Quales gerrae? Dic planius & rudius? Estne quilibet scripturae liber essentialiter sufficiens? Hic totus tenebricosus & anfractuosus es; at paulò pòst lucidior progrederis, cum ita infis: *singuli libri sufficientes dicendi sunt perfectione sua essentiali, quamuis secundùm rationem integralem, & quanti-*
C *tatem suam non habeant sui totius sufficientiam, sed suam.* Essentia ergo, vt audio, in singulis libris cōsistit; tametsi non integritas. Poterunt igitur absque vlla essentiae iactura abesse à Canone, omnes omnino libri vsque ad vnum aliquem certum & determinatum, qualiscunque ille sit. Quis ferat talia phasmata & plasmata?

Probat deinde Bellarminus, ne totum quidem Canonem, prout iam exstat, absque traditionibus sufficientem esse: quia multi libri, verè sacri & Canonici interierunt: probaturque, testimonio D. Chrysostomi hom. 9. in Matth. in illud: *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Vbi VVitackerus: *Sententiam hanc exstare in Hebraeis codicibus, licet in Graecis non compareat.* Hoc nihil ad rem de qua a-
D gitur; nam quidquid sit de hoc; illud tamen integrum manet; *Chrysostomum existimasse, plures sacros libros penitus interiisse.* Quod vnum hic probādum Bellarminus suscepit; nec diffitetur hoc VVitackerus: Subiicit enim: *Concedimus nonnulla iam desiderari, quae olim in Canone scriptura fuerunt, sed tamen affirmamus illum Canonem, qui remanet, esse sufficientem, & omnia necessaria continere. Salomonis libri nonnulli perierunt, sed tamen sine iactura fidei, & sine salutis nostrae discrimine, &c.* Haec VVitackerus; cum quo belle concinit ex eadem Caluini schola Iunius; qui simpliciter hic, & in commentariis super epistolam Iudae negat vllos Canonicos libros periisse, cuius sententiam citat Savvbrandus, non sine Iunij encomio; scilicet mulus mulum. Sed

expres-

Digitized by Google

expreßiora sunt hac de re producta à Bellarmino ex 1. Paral. cap. vlt. & 2. Paral. 9. & 3. Reg. 4. testimonia, quàm vt Caluinisticis nebulis obnubilari poßint: Et ridiculum est, quod Iunius somniat, librum Addo Videntis, Ahiæ Silonitæ, & Nathan Prophetæ; esse illos libros, quos nos vulgò libros Regum appellamus. Quod febrile somnium somniat etiam VVitackerus; equidem tam malè cohæret, vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ. Scio, neque ex Catholicis deesse, qui licet libros deperditos distinguant ab illis, qui hodie exstant, negent tamen fuisse sacros & Canonicos: sed nos hic Bellarmini vestigia incedimus. Caluinianus Drusius libro de Quæsitis per Epistolam, contẽdit libros, quos scriptura commemorat, nec tamen exstant, fuisse sacros, sed negat ad Canonem pertinuisse. Accipe eius verba ex epist. 101. *Quæris, an libri vlli sacri perierint? Respondebo, si prius ex te intellexero, quos libros sacros appelles. Nam si eos intelligis, qui nunc in Canone sunt Ebræorum, nego vllos interiisse. Si alios, hoc est, vel à Prophetis, vel à sanctis hominibus conscriptos; aio, ex iis periisse cum alios multos, tum omnes eos, qui citantur in libris ritualibus Ebræorum. Quod mecum affirmant pleriq; omnes Patres. Vide Origenem præfatione in homilias in Cantica cantic. Augustinum de ciuitate Dei lib. 18. cap. 38. Chrysostomum homil. 2. in Matth. Eucherium in lib. Regum pag. 45. 148. Nec dissentiunt Theologi recentiores. Paucos excipio: quos errare, tam certum mihi, quam bis duo quatuor esse. Non hoc quæro, inquies; sed, an aliqui olim in Canone fuerint, qui nunc interciderint. Quidam putant*, inquit Drusius. Quid tu? *In Canone alios libros fuisse quàm nunc sunt; nemo mihi facilè persuadebit.*

Addit præterea Iunius, *non omnia, quæ Salomon scripsit, Canonica esse; alioqui τὰ φυσικὰ καὶ ἰατρικὰ Salomonis in Canonem quoque Ecclesiasticum referri oportuisset.* At cum hi libri non exstent, neque etiam Ecclesia vnquam quid de illis sentiendum esset, definierit; exploratum Iunio esse nequit, num libri illi verè Canonici, & Spiritu sancto immediatè dictante conscripti fuerint. Quare si prudentior, quàm præcipitantior esset, sententiam suam super hac re potius premeret vel suspẽderet, quàm adeo audacter proferret.

Clamat VVitackerus, *non interiisse tam multos, quàm Papistis videatur.* Plures periisse non dicimus, quàm ex scripturis monstrare liceat.

Ex Testamento nouo ait Bellarminus, excidisse Epistolam ad Laodicenses, de qua Coloss. vlt. & fortè tertiam ad Corinthios, de qua mentio fieri videtur 1. Cor. 5. illis verbis: *scripsi vobis in Epistola*: & fortè alia. Hic Prædicantes Iunius & VVitackerus impotenter insultant & inequitant Bellarmino, qui Græcum textum non consuluerit; in quo habetur: ἐκ Λαοδικείας, *ex Laodicea*; non, *ad Laodicenses.* At nõ est cur intempestiuos triumphos Caluinistæ celebrent. Nam primùm peruetus est multorum opinio, hic innui Epistolam à S. Paulo ad Laodicenses scriptam; cum qua si se Bellarminus conformauit; quid tandem piaculi

A admisit, cum faueat vulgata translatio, cui, vt etiam textum Græcum anteponamus, nunquam à nobis Caluinistæ obtinebunt. Deinde Græcus textus non est adeo planus, vt inueteratæ persuasioni nihil prorsus loci relinquat: nã licet dicat; illam *ex Laodicea vos etiam legite*, id non obstat; quia ex Laodicea accepturi erant, quam antea iam ad Laodicenses Paulus scripserat. Nec apparet, quid causę tantopere mouerit Apostolum, vt eam, quę ad Colossenses erat, voluerit à Laodicensibus legi; & à Colossensibus illam, quæ ex Laodicea ad Colossenses ventura erat, si non vtraque à diuina Pauli manu venit. Itaq; VVitackerus hanc suam, si sapit criminationem resorbebit: *Miror Bellarminum, hominem politum, & Græcis litteris eruditum, non*
B *vidisse turpem multorum errorem, & maluisse inertiæ crimen incurrere, quàm putidißimũ argumentum omittere.* Sed hæc nõ nisi à putidi iudicij Caluiniano profecta esse, etiam absque meo admonitu, facilè lector intelliget. Illud de tertia ad Corinthios vocat Iunius *somnium.* quia Apostolus dicit. ἔγραψα ἐν τῇ ἐπιστολῇ. *scripsi in hac Epistola.* Res expedita foret, si quidquid Iunius *somnium* esse pronunciat, id *somnium* esset: & pro confesso omnes statim absq; vlla hæsitatione acciperent illud demonstratiuum τῇ, nihil aliud demonstrare, præter illam ipsam, quam tunc exarabat ad Corinthios epistolam; sed quia hoc non adeo liquet, vt id, quod Bellarminus scribit, omni prorsus verisimilitudine careat; non est quod dictatorem istum sua
C nobis deliria sæpiùs quàm oracula dictantem, multum moremur.

Quod Bellarminus dicit fieri potuisse, vt etiam alia noui Testamenti ab Apostolis scripta exciderint; id vocat Iunius *dictum in sanctos illos viros, & in priscam Ecclesiam totam contumeliosum.* Vt aliàs paßim, ita & hic Caluinianus furor iraque mentem Iunij præcipitant. Qua contumelia aspergitur Ecclesia; si quis dicat, aliquam fortaßis Apostolicam epistolam, aut Canonicum monumentum penitus interiisse: quod facillimum fuit, non multiplicatis varia exscriptione, exemplaribus; quod priuatorum incuria, non totius Ecclesiæ culpa; vel etiam sine cuiusquam negligentia, fortuito casu, contingere potuit: Vnde
D enim probabit nobis Iunius; Deum pollicitum esse, non permissurum se; vt vllum sacrum & Canonicum monumentum noui Testamenti funditus obliteraretur & aboleretur? Vnde etiam probabit, reliquos Apostolos, quorum nulli extãt libri aut Epistolæ, nihil penitus scripsisse? An si Epistolæ Iudæ Apostoli & Iacobi excidissent; ideo verum fuisset dicere; duos istos Apostolos nihil penitus cœlestis doctrinæ literis commendasse?

Savvbrandus, vt denuo de Bellarmino bene mereatur; dicta eius in syllogisticam formam coniicit. Itaque ex hoc, quod Bellarminus ait; multos verè sacros & Canonicos libros periisse; hunc syllogismum architectatur. *Ille Canon, ex quo*

aliqui libri perierunt, non continet integram, & sufficientem salutis doctrinam. Sed, ex isto canone, quem nos nunc habemus perierunt multi libri. Ergo, ille Canon non continet sufficientem salutis doctrinam. Caluinista negat Maiorem: quam dicit veram non fore, nisi sic concipiatur: *Ille Canon, ex quo aliqui libri perierunt, non continet integram, & perfectam salutis doctrinam, scilicet, si doctrina salutis, quæ in libris perditis comprehensa erant, non exstat in aliis libris, vel iisdem verbis, vel diuersis verbis, vel denique si ista doctrina non est in aliis libris repetita.* Formetur hunc in modum Maior; quando ita lubet: & ad formationem istam conforma etiam Minorem: quam tamen statim inficiaberis. Sed fatuè. Vnde enim tibi exploratum est, nihil penitus ad doctrinam vel mores spectans in libris deperditis exstitisse; quod hodie non inueniatur in reliquis Canonicis scriptis; neque traditione ad nos peruenerit? Quæso proferat talem ex sacris litteris locum. Nam quod etiam atque etiam repetit, *Canonem Hebræum tempore Christi fuisse sufficientem*; intellige, absque vlla traditione; sic enim Nouator intelligit, id coccysmis & inanilogiis eius per me licet annumeres. Est quidem scripturę Canon sufficiens in suo genere; at non simpliciter & absolutè sufficiens est absque traditionis adminiculo: quæ nobis, quod scriptura reticet; patefacit; & fidelissimè à maioribus ad minores transmittit.

Eodem fermè modo stultescit hic Danæus: *Nihil in libris amissis fuisse, quod non insit in superstitibus.* Perinde est ac si quis, casu posito, quo Euangelium D. Lucæ intercidisset; contenderet; nihil in illo libro traditum explicatumue fuisse, quod non in Euangelio S. Marci, vel in Actis Apostolorum, vel in Apocalypsi, vel in Epistola ad Romanos comprehensum fuerit. Vbi vero in prædictis libris est conceptio Ioannis Baptistæ; historia Natiuitatis eius; Missio Angeli ad D. Virginem: conceptio & historia Natiuitatis Christi; aduentus Pastorum ad præsepe, circumcisio Redemptoris, oblatio in templo; & centena talia? An non hæc traditione ad nos descendere poterant; sicuti iam scriptis D Lucæ ad nos vsq; deriuata sunt? An non falsum esset dicere; nihil in illo Euangelio perscriptum fuisse; quod non explanatè in aliis Canonicis libris contineatur aut commemoretur?

Secundum Bellarmini argumentum. Si Deus totum verbum diuinũ adæquatè in scripturam coniicere voluisset; rem tanti momenti Apostolis apertè præcepisset: & Apostoli id etiam alicubi apertè testatum reliquissent. At hoc nusquam factum legimus. VVitackerus ait, *Assumptionem seu Minorem esse falsissimã. Num enim existimabimus Apostolos & Euangelistas, sine mandato atq; auctoritate aggressos esse, vt hæc scriberent?* Non est quæstio, Nouator, quid tu & tui existimetis: sed num Christus apertè Apostolis præceperit, vt totam & adæquatam doctrinam ad salutem necessariam literis consignarent, ita vt nihil penitus ad fidem vel mores

A spectans, extra remaneret: Et nũ Apostoli alicubi apertè & dilucidè testati sint, hoc sibi à Christo præceptum, & à se perfectè præstitum fuisse. Huiusmodi mandatum dum non ostendit VVitackerus; frustra hic garrit, de interno Spiritus sancti impulsu, quo Apostoli ad scribendum accesserint; deque aliis multis ad oculos imperitorum perstringẽdos valdè opportunis, sed ad rem de qua agitur nihil penitus facientibus; vt fatebitur, quisquis vaniloquẽtiam VVitackerianam hic legere voluerit.

Non melius, licet breuius se gerit hoc loco Iunius repetens Apostolis datum scribendi mandatum. Vbi? Vbi illud mandatum scribendi omnia; & nihil extra scripturam relinquẽdi? Obiicit

B Iunius: *Iudas Apostolus dicit necessitatem sibi fuisse scribendi* Num dicit sibi imperatũ à Domino vt scriberet? An ideo necesse habuit scribere; quia necesse habuit fideles monere & præmunire, ne in falsi nominis doctorum nassas & pedicas inciderẽt? ita vt necessitas ista nõ ex peculiari & aperto mandato Christi; sed ex dilectione fraterna processerit; qua ratione nos quoq; dicere consueuimus; si ad amicum quempiam periclitaturum, nisi præmoneatur, scribamus; nos necessitate compulsos ad scribendum accessisse.

Ait Bellarminus; Apostolos, si doctrinã suam ex professo literis mandare voluissent, catechismum aut similem librum confecturos aut singulos quoq; historiam Euangelicam scripturos

C fuisse; quod tamen non factum. Respondet VVitackerus; *nihil horum necessarium. non enim illos latuisse. Deum velle sic illorum voluntates, manusq; regere, vt ea scriberent, quos oporteret, & tantum scriberent, quantum sufficeret, & in tempore omnia facerent.* Est isthuc quidem verum. Interim tamen, si voluissent ex professo totam & adęquatam doctrinam Euangelicã litteris consignare; probabilissimum est, Deum ita corda, voluntates, manus & calamos excitaturum, moderaturum & impulsurum fuisse; vt librum, capita doctrinæ continentem; qualis catechismus vel similis, conscriberent.

Tertium Bellarmini argumentum sumitur ex multis, quæ ignorari non possunt, & tamen in scriptura non continentur: nam primò non est

D dubium, quin fœminæ in veteri Testamento habuerint aliquod remedium contra peccatum originale æquè ac viri, quod suppleret vicem circũcisionis: at de hoc nihil inuenitur in scriptura. Respondet VVitackerus: *Circumcisionẽ non tantum ad viros sed etiam ad feminas aliquo modo spectauisse. Etsi enim non erant in carne circumcisæ, tamen vis circumcisionis ad illas pertingebat, & illæ in circumcisione virorum consecrabantur Deo. Nam femina tanquam pars quædam viri habita est, bonorumq; omnium particeps, ac socia fuit. Innuptæ feminæ ad parentes suos; nuptæ verò, ad maritos pertinebant. Peculiare certè nullum sacramentum habebant.* Perinde est, ac si quis diceret; hodie fęminas non esse baptizandas. Nam baptisma virorum pertingere etiam efficacitate sua ad fæminas,

fæminas

Digitized by Google

fœminas enim esse quasi partem viri; nuptas quidem maritorum; innuptas patrum. An non hæc egregia deliratio foret? Atqui VVitackeriana illa huic prorsus est gemella; nã vt baptismus est particulare & personale beneficium eius, qui baptismum suscipit; neq; hos, vt sic dicã, fines excedit; ita & circumcisio personale beneficium erat eius personæ, quæ circũcidebatur, neq; vis eius & efficacitas vltra hos terminos sese efferebat. Quid stultius, quam cogitare; sororem ideo remissionẽ originalis peccati obtinuisse; quia frater circumcisus fuisset; aut quia parens, à quo progenita; aut quia vir, cui nupta? At non valde insolens nobis accidere debet; quòd Caluinistæ sentiunt; cum simile quid de infantibus non baptizatis, ex baptizatis tamen parentibus in lucem editis; doceant.

At licet verum esset, quod VVitackerus somniat, semper tamen verum maneret, hoc non ex scriptura; sed ex traditione notũ fuisse. Vbi enim tradit scriptura fœminas eo modo ab originali labe expiatas fuisse; quem VVitackerus hic amplectitur? Pari ratione semper ad traditionẽ veniendum erit, licet quis cum Magistro 4. d. 1. quẽ VVitackerus allegat, existimet; *mulieres per fidem & operationem bonam, vel suam, si adultæ erant; vel parentum, si paruulæ,* à primæua lue expurgatas fuisse: vbi enim hoc scriptum in sacris litteris? Vbi illud; quod aliis arrisit; *mundatas per sacrificia & oblationes?* Certè quidquid adferas, nunquam ex scriptura probatum dabis. Nec video, quorsum pertineat illud VVitackeri maledictum: *Potuit Bellarminus ex Magistro suo discere, quàm friuolum hoc eius commentum sit.* Hoc Bellarminus ex Magistro discere potuit, & reipsa etiam didicit, fuisse aliquod remedium; quale autem illud fuerit; ex traditione, non ex scriptura aut Magistro discere potuit.

Ait VVitackerus: *Circumcisionem, non fuisse tantummodo remedium contra originale peccatum, verum etiam signum traductionis peccati; peccatum autem potius per viros quàm per feminas traduci.* Quid hoc ad rem? Interim non euertitur; etiam fœminis remedio opus fuisse, vt ab originali macula liberarentur; neque tamen cuiusmodi hoc remedium fuerit, in sacris litteris explicatum est.

Subiungit Bellarminus. Non esse dubium paruulos, qui ante octauum diem moriebantur, habuisse aliquod remedium contra peccatum originale. Et tamen hoc nusquam in scriptura prodi. Respondet VVitackerus. *Futile hoc est; salus enim paruulorum non pendet ex Sacramentis.* Hic tandem apertè vngues exerit Caluinianus spiritus: qui ex hoc suo axiomate colligit quoq;: *Salutem paruulorum non pendere à baptismo.* Itaque infantes etiam salutifera baptismatis aqua nõ tinctos æternam beatitudinem consequi; si hinc excedant. Quod si salus paruulorum non pendebat olim à circumcisione, neque hodie à baptismo; multò minus salus adultorum inde iam pendet, vel olim inde pependit.

A Enumerat postea VVitackerus, quid alij sentiãt de infantibus ante octauum diem mortuis. Quidquid demum adferat; id, quod siue ex suã, siue ex aliorum sententia adducet, nunquam in scriptura monstrabit. Hinc semper verum erit, remedium illud, sola traditione notum fuisse.

Eodem ferè modo circa hanc Bellarmini probationem versantur, vel potius fatuantur, Iunius & Savvbrandus: Dicunt enim, *fœminas in viris circumcisas;* quod perinde est; ac si dicerent, fœminas, quantumuis esurientes & sitientes, viris cibum potumque sumentibus in viris cibatas potatasque esse.

Probat Savvbrandus suum assertum. *Genes. 34.* B *dicebant filij Iacob: Non possumus sororem nostram dare homini incircumciso: Ergo feminæ circumcidebantur in viris.* An non acutissima hæc probatio? Cum qua de acumine contendit ista Iuniana. *Fœdus Gen 17. de circumcisione cum Abrahamo initum pertinet quoq; ad feminas; ergo etiam feminæ circumcidebantur.* Si petas à Iunio, vt ex scriptura demonstret fœdere illo circũcisionis etiam fœminas comprehensas fuisse, eo modo, quem isti comminiscuntur; tum nimirum sudabit & æstuabit: & necesse habebit; vt tabulas fœderis quorundam adiectione locupletet, hoc aut nõ dissimili pacto. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum & femininum, &c.* Vel, *circumcidetur ex vobis omne masculinum; & in hoc itidem circumcisum reputabitur omne femininum: quia femina est* C *pars viri circumcisi; sic ergo vir circumcisus est; quomodo non censeretur itidem femina pars eius circumcisa?* Si quid huius generis in capite 17. Geneseos nobis exhibuerit, tum non grauatè sententiam nostram ad illius persuasionem adiungemus.

Ait Savvbrandus: Vtrasque, id est, adultas & infantes fœminas iustificatas fuisse per sanctificationem futuri Messiæ. Non negamus; sed quærimus, quo medio & remedio hæc futuri Messiæ sanctificatio eis applicata fuerit. Nam absque vllo vel interno, vel externo, vel vtroque medio fructum venturi redemptoris eis obuenisse; quæ, obsecro, scriptura tradit, & vbi? Citant Savvbrandus & Iunius S. Thomam 3 part. q 70 art. 4. dicentem infantes ante institutionem circum- D cisionis; & post hanc institutam ante octauum diem defunctos, remissionem peccati originalis obtinuisse per fidem Christi futuri non suam propriam, sed parentum vel Ecclesiæ ipsis applicatam. At vt D. Thomas existimauerit solo interno fidei actu, absque vllo externo signo; fidei internæ indicio, originale peccatum remissum esse; (quanquam addit, *Probabile videri, quod parentes fideles pro paruulis natis maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo fuderint, vel aliquam benedictionem eis adhibuerint; sicut adulti pro seipsis preces & sacrificia.*) Vtque idem etiam Caluiniani isti sentiant, semper tamen queri potest, vnde hoc compertum sit; Licet enim ex scriptura constet peccata beneficio Christi, & fide in Christum abo-

Digitized by Google

leri; attamen scriptura nusquam dicit, paruulos absq; circumcisione mortuos, sola fide in Christum à primæua macula expurgatos esse; & quidem sola fide aliena; non propria; absque vllo externo ritu vel cæremonia. Vel si alicubi scriptura hoc explicat; monstrent, oro, locum; & neruos Bellarminiani argumenti fatebimur esse incisos.

Illud mihi probatur; quòd Sibrandus ingenuè contra Lutheri & Lutheranorum Prædicantium stultitiam confitetur, *infantes propria fide*, hoc est, actu fidei *carere*; atq; adeo per hanc iustificari non posse. Rectè dictum; Nam illud Lutheranorum delirium tam anile est; vt vix quidquam videatur anilius vel per somniũ excogitari posse. At nullo modo probare possum; quod mentitur, Bellarminum dicere: *Non exstare in veteri Testamento, quomodo proselyti iustificati fuerint*: Vbi, obsecro, hoc Bellarminus? An non scriptura tradit proselytos circumcidi debuisse æquè ac illos, qui parẽtibus Iudæis prognati fuerant? An hoc ignorauit Bellarminus? At Bellarminus dicit multos gentiles saluari potuisse, & saluatos esse tempore veteris Testamenti, & verè ad Ecclesiam pertinuisse; & tamen nihil prorsus de eorum iustificatione à labe originali, aliisq; peccatis in scriptura exstare. Dicit quidem hoc Bellarminus. Sed num de proselytis; vt stolidè arbitratur Savvbrandus? Proselyti illi dicebantur, qui ad Iudæorum synagogam, mores, ritus, & cærimonias transibant; Deumque, ex præscripto legis colebant. De talibus non est hîc Bellarmino sermo; sed de illis, qui extra Synagogam ad veri Dei cultum & religionem conuertebantur; neque Mosaicis legibus & præceptis tenebantur; cuiusmodi multi inter gentes veritatem agnouêre; & ex eius agnitione vitam moresque instituêre. Et tamen ex scriptura non constat, quo medio isti à peccato originali, aliisque expiati fuerint: nam quod VVitackerus dicit, fide in *Mediatorem iustificatos esse*; hoc est, sola fide, *sine sacramentis*, absque vllo externo ritu & fidei internæ argumento; id credemus; cum hoc ipsum quod asserit; in scriptura manifestè reperiri demonstrarit. Interea constanter feremus, hoc non ex scriptura; sed ex traditione notum fuisse.

Simili propemodũ modo versatur circa hunc Bellarmini de traditionibus locũ Rullus: cuius hæc verba; *omnes credentes sanguis Iesu purgat ab omni peccato. ergo etiam fœminas veteris Testamenti ab originali peccato*. At duplex hic oritur quæstio: prima; vtrum fæmellæ infantes, sint *actu credentes*; vt per sanguinem Iesu Christi à labe primigenia expurgari queant. Hoc si Rullus affirmat; tum nec fide Lutherana, nec perfidia Caluiniana; sed solum modò larga & dapsili *bellebori dosi* à stultitia expurgari poterit. Secunda, quo medio sanguis Christi fæminas infantes expurgarit; neque enim cuiquam immediatè applicatur; nisi & iam dicere velimus; sanguinem vel fructum sanguinis Ie-

A su Christi infantibus nullius medij interuentu communicari. Si dicat, *Medium hoc, fuisse fidem propriam*; insipientiam suam nobis prodet. Et mox scripturæ testimonium postulabimus. Si dicat; hoc expiationis beneficium ad illos deriuatum, fide parentum vel Ecclesiæ; non refragabimur; sed scripturę oracula; quæ hanc assertionem muniant; petemus.

Testimonia de sanguine Christi, quæ Caluinista accumulat; hoc tantùm euincunt, omnes à contractis maculis emundari vi & efficacitate sanguinis Christi. Sed semper quæstio remanet, quo medio & instrumẽto sanguis Christi paruulis tam qui olim; quàm qui hodie; itemq; adultis fructuosus euadat: neque enim sine vllius in-

B strumenti medio cuiquam pretiosissimi illius thesauri fructus obtingit.

Ait Rullus. *Etiam fœminas baptizat in nube & mari. Ipsas etiam edisse manna; ipsas etiam bibisse aquã è petra profluentem.* Hic meritò quęrat quis de fæminis in statu legis naturæ, ante transitũ per mare rubrũ: ante inumbrationem nubis: ante esum mannæ. Etsi enim dubium non sit de re, quæ his parabolicis & figuratis locutionibus significatur; quin pertinere potuerit ad fæminas, statum legis Mosaicæ antegressas; meritò tamen dubitatur; num rectè dicantur *in nube & mari baptizatæ*; & *manna pastæ*; cum hæc, à quibus ista figurata locutio petita est; multis pòst demũ annis euenerint: & isti vtriusq; sexus infantes nec per se, nec per maio-

C res suos aut per mare transierint; nec sub nube illa iter fecerint; neque manna manducauerint; neque hæc eius fuerint efficacitatis; vt etiam ad antecedentes virtutem suam transmitterent.

Quidquid sit de hoc, num Prædicans adeo delirat, vt arbitretur, transitum per mare rubrum, & inumbrationem nubis, esumq; Mannæ ad salutem suffecisse Iudęis, quibus hęc obtigêre, eorumque posteris? Si ita sentit; superflua ergo erat circumcisio; superflua tot sacrificia; tot preces; tot cæremoniæ. Qua de caussa? Quia omnes mare transierant; omnes in nube baptizati fuerant; omnes manna manducarant: Si hæc ipsis non satis fuêre, sicut reuera non fuêre satis; qua ratione affirmat Rullus; fæmellis infantibus, etiam ante

D statum legis Mosaicæ; ad expiationem originalis peccati, suffecisse transitum maris, inumbrationem nubis & esum Mannę; cum hęc talia, ne ipsis quidem, quibus obuenêre, saluti per se loquendo fuerint; sed alia ex legis pręscripto adhiberi & vsurpari debuerint: neq; aliam sanctitatem vsurpantibus contulerint; quàm liceat ita vocare; *figuralem*, quatenus rebus illis Christiana baptismi & Eucharistiæ Sacramenta adumbrabantur & præsignificabantur.

Ait Rullus. *Fœminas vi fœderis cum patribus ipsorum initi fuisse à natiua peccati lue emaculatas*: perinde ac si diceret: filios Christianorum; vi fœderis cum patribus icti, salutem consequi: Fœdus autem hoc esse: *Qui crediderit & baptizatus fuerit; saluus erit*;

suffi-

sufficere; si parens credat, & baptizetur, licet liberi baptismatis expertes maneant. Quis vero talia vnquam extra Caluini & Lutheri scholam delíramenta audiuit? Nec iuuat istum illud: *Ero Deus tuus & seminis tui*; nimirum, si seruentur seruanda; & agenda agantur; masculi circumcidantur; fæmellæ præstituto remedio, qualecunque illud fuerit, expientur. Quàm verò aptè adducuntur illa Genes. 34. *Non possumus facere rem istam, dare sororem nostram viro, cui est præputium.* Et illud Luc. 13. *Hanc autem filiam Abrahami, quam vinxerat Satanas ecce decem & octo annos, non oportuit à vinculo isto solui die Sabbathi?* Ergo fæminæ vi fœderis absq; vllo externo medio & remedio expurgabantur in veteri testamento à peccato originali? Arguta sanè collectio & *amanda*; quippe à Rullo *amando*: qui tandem dicit; *ipsis fuisse sacramenta, sacrificia & oblationes, quibus ad Christum ducebantur.* Idem & nos fatemur: sed quærimus: quibus sacramentis, quibus sacrificiis, quibusq; oblationibus fœminas à macula primæua emundatas fuisse scriptura doceat. Hic istis semper aqua hæret.

Eadem quæstio mouetur à Bellarmino de masculis post institutã circumcisionem ante octauum diem morientibus. Vbi Rullus denuo ad sanguinem Christi confugit; quia scilicet iste omnes à peccatis emundet; etiam infantes. Si omnes; cur non & infantes ethnicorum, quandoquidem Christus seu Christi sanguis *factus est propitiatio pro peccatis totius mundi*; præsertim cum ex doctrina Rulli sanguis Christi effusus immediatè, absque vllius instrumenti interpositione infantibus applicetur. Addit Rullus: *Nullum Sacramentum commemorari, quo infantes ante octauum diem sine vsi; sed ineptum esse, negato solo instrumento negare rem, quæ citra sacramentum effici potest. Qualis enim est ista ratiocinatio? Sacramento caruerunt, ergo remedio, quo à peccatis mundarentur, caruerunt. Salus quippe non pendet à sacramẽtis, sed à solo Christo, sanguine & spiritu suo nos ab omni peccato purgante.* Hæc *sacramentarius* prorsus *sacramentariè*, hoc est, impiè & sacrilegè: Totam enim sacramentorum; præcipuè baptismi, necessitatem suffodit & subruit; baptismumque, vt & alia sacramenta; inter inanes cæremonias coniicit; quo siue potiaris, siue careas, nullum damnum feras. Quæ tam tetra & abominabilis persuasio si mortalium pectoribus insideat; incredibile dictu est, quãtam animarum stragem efficiat; & quot millia infantium ad orcum ableget.

Potest quidem Deus absq; mediis infantes ab ingenito peccato expiare; sed quæritur, nũ velit. Non velle, argumento est, præter cetera, illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, &c. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei.* Nec in veteri testamento voluisse; indicat illud Gen. 17. *Masculus cuius præputij caro circumcisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Cum autem circumcidi nõ possent ante octauum diem; necessariò dicere oportet; aliud quoddam medium, seu remedium adhibitum fuisse; quo masculus incircumcisus à peccato originali liberaretur; quod circumcisionis defectum suppleret; & de hoc, cuiusmodi fuerit, rectè negat Bellarminus, quidquam ex scripturis liquere.

Quarto dicit Bellarminus, necesse est nosse exstare libros aliquos verè diuinos; & tamẽ hoc nullo modo ex scripturis haberi posse. Respõdet VVitackerus, *hoc ex scripturis satis sciri posse: nam ipsam doctrinam seipsam confirmare, & certissimum sibi ipsi testimonium perhibere.* Si hoc ex ipsa scriptura satis sciri potest; ostendat ergo mihi ex scriptura locũ; qui dilucidè dicat; epist. ad Philemon. esse sacram & canonicam; si certissimum sibi ipsi perhibet testimoniũ, qui fit, quod hoc certissimo testimonio non viso Lutherus epist. S. Iacobi, & Iudæ Apostoli à canone amandauit; vt & sectatores Lutheri etiamnum faciunt? Deinde licet scriptura diceret; libros Prophetarũ & Apostolorum esse diuinos, quomodo id infallibiliter verũ esse credam, nisi prius credidero, scripturam, quæ hoc dicit, esse diuinam? nam etiã in Alcorano Mahumeti passim legimus, ipsum Alcoranum de cælo à Deo missum, & tamen ei non credimus.

Ad quæ VVitackerus: *Nonne vides Iesuita à te impiè & absurdè libros scripturæ Alcorano comparari?* Nonne vides lector, VVitackerum mentiri? Non comparat Bellarminus. Scripturæ libros cum Alcorano; sed ait; respectu nostri ad eliciendum assensum non satis esse; si scriptura diceret; epistolam ad Philemonem, verbi gratia, esse diuinam & canonicam; sed aliquid aliud præterea requiri; quia quiuis liber, quantumuis ab errore & impostore scriptus, affirmare potest, se diuinum esse; vt patet exemplo Alcorani; cui tamen fidem non habemus, tametsi valdè asseueranter diuinam auctoritatem sibi arroganti & vendicanti. Quid, quæso, in tota hac oratione criminis, quid piaculi; vt necesse fuerit VVitackerum adeo exardescere; & Iunium in hæc itidem verba prorumpere? *Impia obiectio.*

In Alcorano, inquit VVitackerus; *multa absurda & manifestè falsa sunt*, (nemo sanæ mentis negat) *at omnia diuina in scripturis, & tota scriptura se esse diuinitus inspiratam apertè indicat.* Hoc negant, qui fide Christi carent, æquè ac nos negamus Alcoranum esse diuinum & Salomonium. Certè nunquam quisquam credet omnia in scripturis esse diuina, omnia itẽ in scripturis esse vero consona, & ab omni mendacio remotissima; nisi prius verè & constanter credat, scripturam à Deo, omnis veritatis fonte & auctore, processisse. Hunc assensum vt eliciam, & in animo efficiam, quis me inducet? Quis permouebit primitus? Quidquid ex scriptura protuleris, parum roboris habebit; alia testificatio accedat oportet; externa quidem illa; sed

nec falli, nec fallere gnara. Et hæc est traditio, seu testificatio Ecclesiæ, qua impulsus & scripturam diuinam credo; & cum se diuinitus inspiratam affirmat; prono assensu annuo.

Occlamat Iunius, *Principium principij haberi non posse: Nam oraculum principium diuinum est, huius, qui principium petit, ἀσύμφορον. Quid his hominibus facias aduersus principia disputantibus?* Non disputamus aduersus principia; sed vos Caluinistæ & Lutherani, in hac culpa hæretis; qui tot libros Canonicos à Canone, hoc est, principia à principiis amputatis. Principia apud nos immota manent: solummodo quærimus, vnde nobis, quòd verè diuina sint, innotescant; & vnde fiat, vt de sua diuinitate sibimetipsis testimonium perhibentibus, reuerenter & piè credamus, absque vllo timore vel suspicione mendacij. Quid his hominibus facias, qui apertis oculis nihil vident, & in meridiana luce cæcutiunt? Caussa autem cur principia fidei, hoc est, scriptura sæpius in disceptationem vocetur, quam principia aliarum scientiarum, est ista; quia hæc clara sunt, & euidentia: illa obscura & ineuidentia.

Principium istud, inquit Iunius, *petendum est ex lumine superioris illius scientiæ, & sapientiæ, quæ in Deo est, & beatis omnibus. Per lumen illud, hoc principium credimus, agnoscimusque, & persuasi sumus scripturam diuinam esse: hoc, non reuelat caro, sed Pater, qui in cælis est.* Hæc omnia fumis & logis annumera. Etiam nobis compertum est, lumen, quo illustrati, scripturis, vt diuinis assensum præbemus, è cælo descendere, & mentibus nostris illabi; at de isto non est quæstio vel controuersia, sed de hoc, cuius testificatione & auctoritate lumen istud primitus in animis nostris accendatur; & cuius voce, tanquam infallibili testimonio inducti, epistolam ad Philemonē suscipiamus & veneremur, vt Canonicam; illam verò, quæ Laodicensibus inscripta circumfertur, repudiemus, vt spuriam & supposititiam.

Addit Iunius. *Hoc ipsum caput, nempe scripturas diuinas esse, in eis legitur: non itaque traditio. Sed traditionem hic Bellarminus accipit æquiuocè, vt commodius fallat.* Vbi scriptum est epistolam ad Philemonem, vel Titum esse diuinam? Exhibe, sodes, locum. Et vt maximè scriptum esset, recurrit Bellarmini argumentum; vnde tibi constat, hoc ipsum, quod sibimet scriptura testimonium reddit, esse verum, infallibile, diuinum? Certè nisi prius credas, scripturam esse diuinam, & in nullius penitus assertione rei falli, aut fallere, fidem non habebis, quantumuis admodum seriò & asseueranter de sua diuinitate testificanti.

De Alcorano, inquit Iunius, *simile est dissimillimum. Quid tu mihi Mahometanum agis, vt principium Christianum non Christianè labefactes?* Bona verba, Iuni. Non agit Bellarminus Mahometanum: neque vllum principium Christianum

A labefactare contendit. Id vnicum studio habet, vt stultitiam vestram patefaciat; qui dicitis, *vos scripturæ fidem habere; quia pronunciet se diuinam esse.* Hoc non sufficere; sed aliud quiddam requiri, ostendit exemplo Alcorani; nam & hic suam diuinitatem prædicat. Num prædicanti aures damus? Qua de caussa? Quia non credimus librum illum à Deo profectum. Prius ergo est credere librum diuinum esse; quàm eidem de sua diuinitate & infallibilitate testanti fidem habere. Vnde hæc prior assensio? Vnde? inquam. Hic isti semper titubant. Hinc se minus expedire possunt, quàm ex pice musculus.

Hanc Bellarmini argumentationem insectatur etiam Rullus; qui negat ex scripturis non posse haberi; quod exstent aliqui libri verè diuini. *Nam disertè dicitur 2. Timoth. 3. Omnis scriptura diuinitus est inspirata.* Et 2. Petri 1. *Non enim libitu hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines. Ita Apostoli testantur libros propheticos esse verè diuinos.* Non expedis te Rulle. Statim quæro: Vnde scis, testimonia hæc esse vera, canonica, diuina; omnis mendacij & imposturæ expertia? Nisi antecedat assensus alius de diuinitate horum testimoniorum; nunquā quidquam his testimoniis effectum dabis. Ostende ea Turcæ; ostende ethnico. Num mouebitur? Num è vestigio assentietur? Nullo modo. Qua de caussa? Quia prius credere debet; hæc ipsa testimonia esse diuina. Quo medio ad hunc assensum inducentur? Num ipso testimonio? Nequaquam; sed aliquid aliud antecedere oportet; nimirum infallibilem Ecclesiæ testificationem.

B

C

Deinde, vt quis maximè his testimoniis, tanquam diuinis fidem haberet; semper tamen adhuc euadendi viam reperiret, quando ad hos vel illos libros determinatè descenditur. Nam si dicas; *Omnis scriptura est diuinitus inspirata, vetus testamentum est scriptura; ergo etiam vetus testamentum est diuinitus inspiratum*: Manichæus quispiam vel Marcionista: negabit absque mora Minorem; Etiamsi Maiorem ex liberalitate concedat. Quid tu postea inceptabis? Item si dicas: *Omnis scriptura est diuinitus inspirata. Euangelium Matthæi est scriptura. Ergo diuinitus inspiratum*: hic iterum Marcionista inficiabitur Minorem; & te in eas angustias rediget, vt tandem obmutescere cogaris.

D

Tantundem efficit Rullus ex illo 2. Pet. 3. *Sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis.* (sic textū recitat Nouator) nam primùm credere oportet, hoc ipsum testimonium esse diuinum: Vnde hæc notitia venit? Secundò, vt maximè ei fides habeatur; non tamen alicui, infideli vel hæretico persuadebis hanc tuam cōsequentiam: *Ergo epistola ad Romanos, quæ hodie exstat, est S. Pauli; diuina & canonica.* Nam si quis neget, D. Paulum ad Romanos scripsisse; vel si scri-

psisse

psisse concedat; neget autem eam scriptionem hoc tempore superesse; quid ages, ô Ecclesiasticæ traditionis contemptor; & scripturarum vanissime iactator?

Valde excandescit Rullus; quod Bellarminus dixit; prius credendum esse scripturam esse diuinam; quàm credam testimonium scripturę de libris Propheticis & Apostolicis esse certū & infallibile: nā & in Alcorano passim legi, ipsum è cælo missum. Et tamen ei nō credimus. *Impia est hac exceptio*, clamat Rullus; *quia Petro testanti Prophet. & Apost. libros esse diuinos, fidem improbè derogat.* Tu mētiendo fidē tibi derogas; non Bellarminus S. Petro: Non enim negat, verissimū esse; quod S Petrus asserit; sed ait; hâc ipsam fidem de Petri testimonio hauriri & haberi non posse; nisi prius credam, testimonium Petri esse diuinum. Quis autem me inducet; vt credam hoc Petri testimonium esse diuinum? Num ipsum præcisè testimonium? Neutiquam. Num aliud? Sed eadem statim de illo ipso exsistet quæstio. Ergo ad Ecclesiæ testificationem venire opòrtebit.

Mirandum est, inquit Rullus, *Iesuitam, qui auctoritatem sedis Apostolicæ defendendam suscepit, Petri Apostoli auctoritatem eneruare, à qua reliquorum Pontificum Romanorum auctoritatem pendere gloriantur.* Mirandum profectò est; Rullum adeò frontem detriuisse, vt tam propudiosè palam mētiri audeat: nam Bellarm. nullo modo testimonium D. Petri labefactat vel infringit; sed ei sanctissimè, tanquā infallibili, fidem habet. Tantum dicit; vt hæc fides in animo meo generetur; oportere; vt antecedat, fides; quod testimonium illud sit diuinum. Hæc fides, & hæc de diuinitate assensio, nō comparatur ex ipso præcisè testimonio; sed ex Ecclesię infallibili testificatione. Estne hoc testimonium D. Petri eneruare, vt iste calumniatur?

Quæ hæc est improbitas, vociferatur Rullus, *Papa Romano hodie aliquid pro diuino proferenti certò credere; Petro Apostolo non certò credere?* Quæ hæc improbitas, tam turpiter mentiendi prurigini in omniū conspectu indulgere? Quis D. Petro credere renuit? Quis fidem habere detrectat? Certò ei credimus; quia prius certò credimus testimonium eius esse diuinum; sicuti & Papæ ex cathedra definienti certò credimus; quia credimus definitionem eius ab infallibili Spiritus sancti assistentia proficisci.

Impium est, clamat Rullus, *scripturæ, & nominatim Apostolorum Petri & Pauli asseuerationem comparare asseuerationi Alcorani; & vtramque æqualem facere; nec magis Petro & Paulo credere; quàm Alcorano.* Impium & sceleratum est, adeò portentosè mentiri; vt fermè tot fundas mendacia, quot verba. Portentosum mendacium est; *asseuerationem Petri & Pauli à Bellarmino comparari asseuerationi Alcorani.* Monstrosissimum mendacium est, *Bellarminum vtranq; facere æqualem.* Prodigiosissimum mendacium est, *Bellarminū non magis Petro & Paulo credere, quàm Alcorano.* Quò, bone Deus, nō procedit Prædicantium mens perdita, & frons profligata? Alcorani aliam ob caussam non meminit Bellarm. quàm vt illustraret, quod dixerat: ad credēdum scripturæ testificanti exstare aliquos libros diuinos, requiri; vt prius credam, scripturā, quæ hoc dicit, esse diuinā: nam & in Alcorano asseri, eum de cælo venisse; cui tamen nō credimus; quia diuinum esse non credimus. Et hoc, quod Bellarm. docet, adeò est perspicuum & euidens; vt qui id abnuat, stipes potius quàm homo ratione præditus censeri debeat. Nihilominus in hac tanta luce caligant Prædicantium oculi; quia nil aliud quærunt, quàm criminandi & sycophantandi occasionem & materiam.

Ex dictis infert Bellarm. verbum Dei non scriptum, adeò esse necessarium; vt fides sine illo haberi nequeat. Cum enim fides nitatur verbo Dei, etiam scripto, scriptum aūt verbum Dei à nobis cognosci nequeat; nisi interueniente verbo non scripto; cui' testis & custos Ecclesia; fit; vt fides haberi nequeat, sublato verbo Dei nō scripto. Oggannit Rullus. *Falsum est hoc cōnexum; quia repugnat scripturæ asseuerāti fidem ex scripturis hauriri.* Et mox, Prædicantico more, testimoniorū turmas in medium producit: quæ consuetudinem Prædicantium nesciētibus formidinem incutere possent; non item scientibus: Nam & responsum Rulli & testimonia producta nihil ad rem faciūt; non .n. disputat Bellarminus, vnde fides hauriatur; sed quo, tanquam basi nitatur; & cuius medij interuentu. Quanquam testimonia producta ne id quidem, quod vult Rullus, efficiunt; nam & nos fatemur fidem hauriri ex scriptura, sed num sine verbo Dei nō scripto, & testimonio Ecclesiæ; Ex cuius auctoritate nobis cōstat; quod nam sit verum, legitimum & genuinum Dei verbum?

His ritè scilicet peractis, digreditur Rullus ad maledicta, vt animum nonnihil curis grauiorib. fatigatum relaxet. Ait. *Ex his liquere potest, an vllam fidem habeant Iesuitæ, qui scripturæ aliquid affirmanti nō credunt.* Ex his liquidò liquere existimo, an vllam conscientiam reliquam habeat Rullus, qui tam proiectè mentiatur. Quis Iesuitarum non credit scripturæ aliquid affirmanti? Num quia ei fidem habemus inducti ad hoc & verbo Dei nō scripto, & testificatione Ecclesiæ; ideo ei non credimus?

Notanda sunt verba Bellarmini, inquit Rullus. Nota, annota, enota: non moramur. Quæ illa verba? Etiamsi scriptura dicat, libros Prophetarum & Apostolorum esse diuinos, tamen non certò id credam, nisi prius credidero, scripturam, quæ hoc dicit, esse diuinam. Subiicit Rullus. *Adeòne parum fidei merentur Paulus & Petrus apud Iesuitas, asseuerantes scripta Prophetica & Apostolica esse diuina; nisi ex traditionibus non scriptis persuadeantur, boni isti scilicet Catholici, scripturam Pauli & Petri esse diuinam?* Calumniaris, vt tuus est mos. Caussa cur assensum de asseueratione debeat antegredi assensus de diuinitate; non est; quod ipsa asseueratio Petri & Pauli parum

igitized by Google

fidei apud nos mereatur; sed quia ex natura rei ita comparata est; vt ei, tanquam vndequaque certæ & infallibili, nequeam fidem habere; nisi prius cognoscam, eam esse diuinam: sicuti testimonio alicuius viri errare, & in errorem conijcere nescij, fidem certam & infallibilem habere non possum, nisi prius intelligam, ei id diuinitus concessum esse; vt nec fallere, nec falli queat. Num propterea talis parum fidei apud me mereretur?

Quis non videt, inquit Rullus, *Iesuitas plus auctoritatis traditionibus non scriptis attribuere, quàm scriptis Petri & Pauli Apostolorum?* Quis tam cæcus est, qui non animaduertat te mentiri? Verbum Dei scriptum & non scriptum, pari nobis sunt in honore, & pretio: Nec ideo dignius est non scriptum; quia Ecclesiæ ministerio scriptum verbum Dei monstrat: neque enim necesse est, vt index, eo, quod indicat, maiore auctoritate polleat. Tantum verò abest vt absque traditione, & testimonio Ecclesiæ Apostolorum Petri & Pauli scriptis assentiri posis; vt gemino illo præsidio destitutus; ne cognoscere quidem valeas; quæ nam sint Petri & Pauli scripta.

Docet Bellarminus: non sufficere, vt sciamus esse scripturam sacram; sed oportere etiam scire, quæ sit illa; quia scire oportet epistolam ad Romanos esse Canonicam; illam verò, quæ legitur ad Laodicenses, non esse Canonicam. Item Euangelium D. Marci & Lucæ ad diuinum Canonem pertinere; non Thomæ aut Bartholomæi: at hoc nullo modo potest ex scripturis haberi. Vbi ineptè prorsus VVitackerus. *Quasi verò ex ipsa inscriptione epistolæ ad Romanos non constet eam esse Pauli.* Si inscriptio satis est, vt statuamus epistolam illam esse D. Pauli; etiam satis erit inscriptio Euangeliorum secundum Thomã aut Bartholomæũ, vt statuamus & credamus ea esse eorum Apostolorum, quorum nomina præferunt; quia ipsa etiam Apostolorũ nomina sunt. Quasi verò, vt integer liber ab impostore fingi potest, ita quoque per imposturam nomen alicuius Apostoli nequeat præscribi.

Dic VVitackere. Vnde nosti, inscriptionem epistolæ ad Romanos esse legitimam, & à mente & manu D. Pauli? *Ex inscriptione*, dices. Igitur ex inscriptione colliges itidem Euangelium Thomæ Apostolo inscriptum; esse Thomæ Apostoli; quia nomen eius prænotatum gerit. Hæc & id genus talia, quid aliud sunt, quam Caluinistica deliria?

Addit VVitackerus; *non esse necessarium, vt omnes, etiam rudes, determinatè norint*, quinam sint libri Canonici. Neque dixit Bellarminus; necessarium esse, vt omnes explicitè, & formaliter id norint; sed dixit, necessarium esse id scire; nonnullis quidem, vt populi doctoribus & institutoribus; explicitè: aliis ita; vt si circa librum Canonicum aliquod iudicium formare oporteat; illud sit assensus, non dissensus: affirmatio, non negatio. Etsi enim quondam de Canonica auctoritate quorundam librorum dubitare licuit, hodie tamen re ad liquidum discussa, plenéque constituta; id minimè licet; tantum abest, vt absque piaculo libri alicuius iam in Canonem relati auctoritatem penitus inficiari, & repudiare fas sit. Itaque, quocunque isti se vertant, & quidcunque moliantur, nunquam ingens rationis huius pondus à se amolientur; quo tantum non opprimuntur, licet id strenuè dissimulent: nam sola traditio, & huius traditionis testis Ecclesia, hunc vel illum librum determinatè Canonicum esse nos certos efficit.

Deinde respondet VVitackerus, *ex ipsis scripturis disci posse Euangelium Marci verum esse; item Lucæ; & similia. Nam ipsi libri suo testimonio se comprobant*, inquit VVitackerus; *Omnia tam purè, tam verè, tam mirificè scripta, testantur se θεοπνεύστως, ac diuinitus prodijsse, iis profectò omnibus, qui Spiritum sanctum habent. Illi enim soli, qui Spiritum sanctum acceperunt, eius vocem audire, agnoscere, atq; intelligere possunt.* Non abnuimus, veritatem Euangelij à sancto Marco, v.g. scripti, haberi posse ex ipso libro; sed num proximè & immediatè, absque vllo alio antegresso assensu, quem de scripturis, tanquam diuinitus traditis & inspiratis conceperim? Nisi enim aliunde mihi persuadeam, Euangelium S. Matthæi ab omni prorsus errore, & mendacio vacare, vtpote à Spiritu sancto profectum; nunquam sanè suo testimonio vel sua præcisè narratione me inducet, vt credam, omnia vera esse; quæ commemorat; cum ea commemoret; quæ longissimè ab vniuscuiusque lectoris memoria & ætate patrata sunt; de quibus quod ita gesta sint, euidentiam nullus habet. Sunt quidem omnia purè, verè, mirificè & θεοπνεύστως scripta. Sed hæc puritas, hæc veritas; hæc, vt ita loquar, mirificentia, & hæc diuina inspiratio, in nostrã cognitionem non veniunt immediatè ex ipsa scriptura; sed ex traditione nobis per Ecclesiam proposita; qua inducti firmiter credimus, omnia in Euangelio S. Marci purè, verè, mirificè, & θεοπνεύστως conscripta esse.

Mirum Caluinistas tam oculatos esse, vt primo statim intuitu abque vllo alio antecedente assensu, dilucidè videant illam scripturæ puritatem, veritatem & diuinitatem; Nimirum spiritu præditi sunt, sed Caluiniano; qui etiam inuisibilia videt, tam est perspicax. Ex quo sequitur, Lutherum & Lutheranos spiritu carere; quia nec mediatè, neque immediatè cernere queunt epistolas S. Iacobi, & S. Iudæ *purè, verè, mirificè, &* θεοπνεύστως conscriptas esse. Multum etiam lippiunt circa epistolam secundam, & tertiam Ioannis, & circa secundam Petri; vt de aliis nihil dicam.

Ait VVitackerus: *Libros Canonicos etiam Ecclesiæ auctoritate comprobari; sed secundariò.* Tandem isti post multa diuerticula aliquid Ecclesiæ concedunt:

dunt: Et ne nimis multum tribuant, libertatem suam restringũt per vocabulum *secundariò*: quod tamen non displicet, si hac voce significare duntaxat velint, Ecclesiæ auctoritatem seu testificationem esse secundariam rationem assentiendi libris Canonicis: Diuina enim reuelatio, primas hic iure suo obtinet. At si per illud *secundariò* ordinem temporis designent; velintque, prius nos propter ipsam scripturæ maiestatem & diuinitatem scripturis assensum præbere; & postea primùm propter Ecclesiæ testificationem ad idem nos impelli; præposterè agunt; & quod primum est; postremo loco collocant. Nam testificatio Ecclesiæ prima est ianua; qua ad fidem, & ad articulos fidei, atque adeò etiam ad Canonicos libros credendos itur; quæ duo nobis testatur; ipsum scilicet librum esse diuinum & sacrum: deinde hoc ipsum ab Apostolis Ecclesiæ testatum & traditum esse. Vtrumque postea fide diuina & infusa credimus, nunquam credituri, nisi ad hæc adyta testimonium Ecclesiæ nos manuduceret.

Ait VVitackerus: *Ecclesiam libros apocryphos nõ tantùm sua auctoritate reiecisse.* Quod libenter do; si illud; *non tantum*, significet; ex parte obiecti seu librorum ipsorum fuisse itidem caussam, cur repudiarentur; At si velit per illud; *non tantum*; Ecclesiæ aliam itidem auctoritatem adiungere; quę & ipsa, vt caussa efficiens, ad horum librorum condemnationem in huius vitæ foro concurrerit; tum negamus, Ecclesiam *non tantum* sua auctoritate libros apocryphos reiecisse; sola enim Ecclesia per auctoritatem à Christo acceptam, hos libros proscripsit, & nigro Theta notauit: nosque instruxit, multa, quæ in iis continentur, fabulosa, & à fidei regula exerrantia esse: eorumque auctores, non diuino, sed humano instinctu, studio & calamo in iis libris exarandis ductos & vsos fuisse.

Quod Bellarminus fingat, *nihil interesse inter Euangelia S. Marci & S. Lucæ; & illa; quæ nomina Thomæ & Bartholomæi præferunt: item inter epistolam ad Romanos. & illam ad Laodicenses, nisi quòd Ecclesia illa Euangelia susceperit; hæc reiecerit; epistolã ad Romanos in Canonem admiserit; epistolam ad Laodicenses exploserit*; id purum putũ est VVitackeri mendacium: quia Bellarminus non ignorauit hæc tanto discrimine seiungi, quanto vera à falsis, & diuina à profanis separantur. Quid ergo voluit Bellarminus? Hoc; discrimen istud inter hos libros per solam Ecclesiæ auctoritatem & testificationem nobis patefactum esse: quod qui impietatis & absurditatis cum VVitackero accusat, is non intelligit quid dicat; licet ob existimationem doctrinæ de se conceptâ mirificè sibi blandiatur & palpum obtrudat.

Eâdem propemodum, qua VVitackerus, dexteritate, versatur Rullus circa hoc Bellarmini argumentum. Respondet, ex scriptura ha-

A beri; quæ nam sit scriptura. Dic, agedum, ex qua scriptura habes: epistolam ad Philemonem verè esse scripturam diuinam? Sed probat Rullus, ex scripturâ sciri, quæ nam sit scriptura. *Scriptura prophetica, seu veteris testamenti, est diuinitus inspirata, teste S. Paulo: ergò ex scriptura habetur, quæ nam sit scriptura*: Semper recurrit illa quæstio; vnde scis testimonium illud esse D. Pauli? Vnde scis, esse certum, infallibile, diuinum? Et, vt hoc ex scriptura scires; necdum tamen res confecta esset: quia si quis Pentateuchi auctoritatem negaret, is, dicere posset; Verum quidem esse Apostoli testimonium, at non intelligi de Pentateucho; sed, de aliis solummodò prisci testamenti libris; sicut tu, tuique symmistæ dicitis; testimonium Apostoli non pertinere ad libros Tobiæ,

B Iudith, Sapientiæ, Machabæorum: sed, ad alios duntaxat. Quid hoc casu faceres? An non de aliis armis arripiendis circumspicere cogereris? Vt & tum, si quis admisso Apostoli testimonio, contenderet, non eam, quæ hodie exstet: esse illam veteris testamenti scripturam, de qua Apostolus locutus fuerit; sed, aliam quandam, quæ interciderit. An non ad traditionem confugiendum esset?

Ais; *Scriptura noui testamenti est etiam fundamentum Ecclesiæ; quæ, vt supra Prophetas, ita & supra Apostolos ædificata est.* Annuimus. Quid infers? *Ergò ex scripturâ habetur, quæ nam sit scriptura.* An

C non vides, te cum his illationibus nil aliud obtinere; quàm vt omnibus eruditis sis pro deridiculo: vt &, cùm ais: *Ipsa Euangelia S. Matthæi, & S Lucæ suam veritatem comprobare.* Quæso, ostende Iudæo; num assentietur? num veritatem tam dilucidè comprobatam agnoscet?

Quàm insuper ridiculum est, dicere: *Epistolam ad Romanos esse verè diui Pauli, constare ex exordio: Paulus seruus Iesu Christi.* Ex qua scriptura scis, hoc exordium non esse assutum, & suppositititium? Ait Bellarminus: Apostolum nusquam dicere; se ad Romanos scripsisse. Vbi, tumido ore Rullus; *In hoc, tum impudentiam, tum supinam suam negligentiam declarat Bellarminus.* Pa-

D catè, Rulle. Demitte cærula, iamque multo veneno turgentia colla. Nihil hîc impudentiæ, nisi tuæ: nihil supinæ negligentiæ, nisi tuæ, animaduerto. Monstra locum, vbi dixerit sanctus Paulus, se ad Romanos scripsisse. Ais; An *non dicit se scripsisse epistolam, qui se eius auctorem ὑπογραφῇ sua, profitetur, vt Paulus mox initio epistolæ ad Romanos facit? An non dicit Roman. 15. Audaculè scripsi vobis, fratres, aliquatenus.* Aliquid noui hîc disco. Scilicet hypographen, seu subscriptionem ad exordium epistolarum pertinere. Hactenus arbitrabar, subscriptionem ad calcem appingi, & apponi. Sed nouator est: cui nouandi, æqua potestas, vt & criminandi: qua potestate hic strenuè vtitur.

Cum

Cùm enim luce clarius sit; quando Bellarminus dicit; Apostolum nusquam scribere, se ad Romanos scripsisse; id intelligendum esse, de aliis aliarum epistolarum locis, non de epistola ad Romanos: iste tamen, & impudentiæ, & negligentiæ crimen Bellarmino stolidissimè intẽtat; quòd hoc ausus fuerit asserere: cùm, quo est stupore, non intellexerit Rullus, Bellarminum sine inscitia Epistolam ad Romanos nominare, & pro exemplo adducere non potuisse; cùm ponat, de illa esse controuersiam, deque illa quæri, vnde probetur, quod verè sit diui Pauli. Hac controuersia posita; an non stultè faceret, qui quærenti, vbi S. Paulus dixerit, se ad Romanos scripsisse; ostenderet, principium epistolæ ad Romanos; diceretque; En hîc testatur se ad Romanos scripsisse. An non aduersarius risum tolleret, teque exsibilaret; quod controuersiam per ipsam controuersam epistolam, & obscurũ, per obscurum, dubiumque per dubium, componere, illustrare, & patefacere tentares? Nihil ergò impudentiæ, vel negligentiæ admisit Bellarminus; sed multum effrontis stultitiæ commisit Rullus: qui dicit; *Epistolam ad Laodicenses esse indignam Paulo.* Si quis neget: qua ratione id probabit? Vociferabitur, *ex ipso textu patere.* Obsistet pro virili aduersarius. Quis erit contentionis modus? Clamat Rullus; *Falsum esse, quod dicit Bellarminus, Apostolum ad Laodicenses scripsisse.* Sed, quid falsum non esset; si quidquid falsitatis à Rullo arguitur, falsum esset? Non caret verisimilitudine, quod Bellarminus asserit, vt supra visum. Si certitudo desit; num ideo manifestæ falsitatis sententia Bellarmini tenetur?

Ait Bellarminus: oportere non solùm scire, qui sint libri sacri, sed etiam in particulari, ipsos, qui sunt in manibus, esse illos: non enim satis est, inquit, credere, Euangelium Marci esse verum, Euangelium Thomæ non esse verum: sed, oportet etiam credere, hoc Euangelium, quod nunc legitur nomine Marci, esse illud verum, & incorruptum, quod scripsit Marcus. quod certè ex scripturis haberi nõ potest. Quomodo enim ex scriptura colligam, hoc Euangelium non esse suppositium, vt dicunt Mahumetani, &c.

Respondet VVitackerus; *Hoc ipsum Euangelium, quod Marci nomine scriptum legimus, illius fuisse credere, non est ad salutem simpliciter necessarium. Neque hoc temerè dico, sed cum ratione ac iudicio. Est necessarium quidem, vt credam, esse diuinum, ac verum: sed, qui dubitat, num sit à Marco scriptum, non statim excidit à salute, nec pro hæretico habendus est.* En quàm aptè ad Bellarmini dicta Caluinianus respondeat. Non dicit Bellarminus, necessarium esse, vt Euãgelium, quod nomine D. Marci circumfertur, & legitur, credam esse S. Marci; sed vt hoc ipsum Euangelium, quod nunc nomine D. Marci circumfertur; credam esse sacrum & diuinum; hoc, inquam, ipsum, quod nunc in manibus Christianorum versatur; non aliquod; quod quis comminisci posset olim exstitisse; iam autem intercidisse; aut olim integrum, & ab omnibus assumentis liberum exstitisse; nunc autem variis additamentis corruptum esse: Et hoc ex scripturis haberi non posse; petendum igitur ex traditione. Hæc Bellarmini doctrina est, hæc ratiocinatio; claris & perspicuis verbis proposita & exposita. Et tamen fraudulentissimus Caluinista ita sententiam Bellarmini proponit, quasi dixerit, necessarium esse ad salutem credere, Euangelium, quod sancti Marci nomine prænotatum est; verè sancti Marci esse: cum non hoc, sed longè aliud Bellarminus dilucidè doceat. Sed hæc commentus est VVitackerus, vt præualidum ictum declinaret; & occasionem varia de variis & incertis quibusdam librorum Canonicorum auctoribus nugandi occasionem reperiret. Quo consilio disputat etiam hic de symbolo Apostolorum; vtrum hæreticus dicendus sit, qui pertinaciter abnuat, id ab Apostolis compositum esse: cum Bellarminus in hoc suo sexto pro traditionibus allato exemplo, nullum prorsus de Apostolorum symbolo verbum faciat. Quanquã, quod attinet ad Euangelium D. Marci; (& idem dicendum de cuiusque alterius Canonici libri auctore, qui quis fuerit; absque vlla dubitatione liquet) illud esse S. Marci; cuius nomen præfert; & non vllius alterius; certa fide credi debet; quia ita tota sentit Ecclesia. Ita definiuerunt Concilia. Ita docuerunt omnes Patres. Quorum concordi sententiæ pertinaciter aduersari; hæreseos crimen non immeritò habetur: non enim tantum, quæ in Euangelio insunt; sed & ipse titulus seu inscriptio Canonicam auctoritatem habet: non licet igitur illam inficiari, nisi quis hæretica labe contaminari velit. Quomodo autem Canonica auctoritate titulus Euangelij cõstaret; si Marci in eo nomen extrinsecus aduenisset?

Rullus stultè respondet, *ex titulo liquere, Euangelium Marci esse D. Marci.* Vnde scis titulum illum esse genuinum & legitimum? Obiicit. *Libros Platonis & similium scimus ex titulo verè Platonis esse.* Nũ omnes libri, qui Platonis, Aristotelis vel similium nomina præferunt, verè sunt Platonis, Aristotelis, & eorum, quorum nomina præferunt? An non & hic traditio & omnium ætatum consensio primas tenet?

Dicit Bellarminus, necessarium esse, non solùm scripturam legere; sed & intelligere. At scripturam sæpè adeò esse ambiguam & perplexam, vt nisi ab aliquo, qui errare non possit, explicetur; non possit intelligi; solam igitur non sufficere; sed insuper traditione opus esse: & adfert exempla de æqualitate diuinarum personarum; de processione Spiritus sancti à Patre & Filio, vt ab vno principio; de peccato originali; deque descensu Christi ad inferos. Hoc loco VVitackerus exspatiandi & inaniloquentiæ suæ habenas laxandi ansam adeptus, copiosissimè disputat

ὁμοούσιον,

ed by Google

ὁμοούσιον, seu diuinarum personarum æqualitatem & consubstantialitatem, aliaq; prædicta ex scripturis probari posse; quanquam in *descensu Christi ad inferos titubat; & cum Beza, eò inclinat, vt ex sepulchro inferos condat; vel articulum illum penitus ex Apostolico symbolo expungat. Quorsum hæ tam fusæ & operosæ disputationes? Num hæc ex scripturis probari absolutè negat Bellarminus? An non palam scribit, posse quidem ex scripturis ostēdi; sed non adeò facilè; vt si solis scripturis, absque traditionum adminiculo, pugnandum sit, nūquam lites cum proteruis finiri possint. Itaque Bellarminus vult hæc. & alia huius generis, non posse sufficienter ex solis scripturis probari, seposita traditione; cuius fidelissima custos est Ecclesia; Et hoc verissimum est; neque in eo Bellarminus, vel à recentioribus scriptoribus; vel ab antiquis Patribus dissentit; vt calumniatur VVitackerus. Quicunque enim pro sacrosanctæ Trinitatis mysterio, vel pro Spiritus sancti ex Patre & Filio processione aduersus Arianos & Græcos schismaticos disputarunt; ij traditionem cum verbo Dei scripto coniunxerunt: & hoc duplici gladio, vnius tamen in morem conflato & coagmentato, armati, cum hostibus cōflixerunt. Eadem est ratio disputationum ex scriptura de peccato originali, & si quæ sunt aliæ huius classis. Itaque sine aduersario vero; tametsi non sine vmbratili & fictitio, dimicat hoc loco VVitackerus; generosissimè scilicet. fortissimè, & scitissimè. vt vel ex hoc exemplo disces; vbi refellere volens quod Catechismus Romanus ait; Christum apud inferos mansisse, quandiu corpus eius mansit in sepulchro; hoc missile iacit; *Quod si verum sit, quomodo præstitit promissum latroni, cui dixit; hodie mecum eris in Paradiso? nisi fortè Paradisum aliquem statuant apud inferos. In terris quidem Papistæ Paradisum constituunt. At verò, vt patet 2. Corinth. 12. Paradisus ille, quem nos beatarum mentium sedem indicamus, neque in infernis, neque in terris, sed in summis cælis est. Præterea, cum latro petiit à Christo, vt ipsius memor esset in regno suo, proculdubio hoc infernum regnum minimè cogitauit.* Quis neget hæc esse subtilissima & profundissima? Scilicet, Christus promisit Latroni illo ipso die ingressum in paradisum terrestrem; vel euectionem supra cælos vsque in supremum illud; & non visionem claram & intuitiuam Dei, summi & æterni boni, in qua verus paradisus, hoc est, vera beatitudo nostra consistit. Scilicet hanc visionem beatificam Christus illo die nusquam præstare potuit; nisi vel in paradiso terrestri; vel in cælo Empyreo. Scilicet in limbo, non potuit efficere, vt anima latronis illius facie ad faciem Deum cerneret, vsq; dum tertio die à mortuis resurgeret; & quadragesima pòst luce oēs secum super æthera sanctos & iustos duceret; æternū immortalibus illis in oris victuros & permansuros. Quàm vanis nugis seducunt isti corda simplicium.

A Savvbrandus, quo cœpit pede progrediens, Bellarmini pro traditionibus exempla ad syllogismos reuocat; aptè prorsus & concinne. Ita enim solet. Primus: *Ex quo non constat, qui nam libri sint sacra Scriptura, illud non continet perfectam doctrinam salutis. Sed ex verbo scripto non constat, qui nam libri sint sacra Scriptura. Ergò, verbum scriptum non continet perfectam salutis doctrinam. Nos negamus Minorem*, inquit Caluinista. Quare? *Quia scriptura est per se nota; vt reliqua omnia principia.* Si per se nota est; vt hæc principia: *Totum est maius sua parte; pars est minor suo toto; si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia*; erit igitur scriptura euidens; sicut prædicta axiomata; & pleraque alia scientiarum principia euidentia sunt.

B At si hoc ita est; cur tot olim fanatici vel cunctos, vel multos veteris testamenti libros negarunt? Cur idem factum in libris noui testamenti? Cur Luthero epistola sancti Iacobi est *straminea*: Caluino; canonica & diuina? Cur historia adulteræ apud sanctum Ioannem Bezæ subolet vt apocrypha; cum ab aliis vt canonica decantetur? Num hoc in rebus & principiis per se notis & sua luce fulgentibus euenire potest? Nam dicere; quod qui secus sentiunt, spiritualibus oculis careant; rectius fortè diceretur; eos Caluinistica imaginatione destitutos esse.

Sed audi argumentum mirificissimum. *Scriptura est lucerna lucens in obscuro loco 2. Petri 1. Sed quidquid in obscuro loco lucet, hoc per se notum est; ergo scriptura per se nota est.*

C Respondeo ad Maiorem, quidquid in obscuro loco lucet, absque vllius opera & explicatione, illud per se notum est; Esto Maior. Quidquid in obscuro loco lucet non sine opera, subsidio, & explanatione aliena; illud per se notum est; nego Maiorem. Ad Minorem. *Sed scriptura lucet in obscuro loco*; absque aliena opera & ope; hoc est, absque traditionis & Ecclesiasticæ testificationis adminiculo, nego Minorem. *Ergo scriptura est per se nota*; Negatur consequentia. Si quis admittere velit propositiones per se notas secundum se; non autem nobis seu secundum nos; & alias per se secundum se; simulque nobis, seu secundum nos notas; is eandem doctrinam huc applicare poterit.

D Nam quidquid lucet in obscuro loco, illud est notum per se secundum se, & secundum nos; negatur Maior. At Minor conceditur; Conclusio; *Ergo scriptura est nota per se*; distinguitur. nota est per se secundum se: Esto. Nota per se secundum nos: negatur.

Secundus syllogismus: *Ex qua sola, & vnica re cognoscimus, quinam libri sint Canonici, absque illa scriptura non est sufficiens. Sed traditio est sola, & vnica illa res, ex qua cognoscimus. qui nam libri sint Canonici. Ergò scriptura absque traditione non est sufficiens. Negamus Minorem*; inquit Caluinista; cui adstruendæ producit Bellarminus aliquot Patres, qui testantur, non aliunde nos habere, scripturam

eſſe diuinam,& qui ſint libri ſacri, quàm ex traditione nõ ſcripta.Primus eſt Serapion apud Euſeb.lib.6.hiſt.Eccl.ca.10.de quo en ſyllogiſmum Savvbrandicum ad vnguem vſq; exaſciatum.

Quidquid dicit Serapion, hoc verum eſt. Sed Serapion dicit; ex nulla alia re poſſe cognoſci, qui nam libri ſint Canonici, quàm ex traditione. Ergò ex ſola & vnica traditione cognoſcitur, qui nam libri ſint Canonici. Vides mirificum ſyllogiſmorum architectum. Maior Bellarmino in mentem nunquam venit. Non enim ideo quis omnia alicuius auctoris dicta approbat; quia quædam approbat & citat. Neque ideo, quia quis Ariſtotelem, v.g. vera dicentem allegat; hanc Maiorem architectari fas eſt. *Quidquid dicit Ariſtoteles, hoc verum eſt.* Talia commenta non ſunt ingenui diſputatoris, ſed inuerecundi criminatoris, qualis Savvbrãdus, qui multa circa Maiorẽ nugatus;tandem Minorem negat;aitque;*Serapionẽ, ne quidem traditionis meminiſſe*; Et tamen e veſtigio hæc eius verba recitat γινώσκοντες, ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ παρελάβομεν. Quæ Ruffinus vertit, recitante ipſo Savvbrando. *Scientes, quod talia nobis non ſunt tradita.* Quomodo ergo traditionis non meminit; ſi expreſsè monet. Euangelium illud non fuiſſe traditum; hoc eſt, ex traditione nõ acceptum. Sed Savvbrandus tacitè videtur carpere Ruffinum, quòd verterit, Græca illa; οὐ παρελάβομεν, *non ſunt tradita*: cum potius verti debuerint, *non accepimus*: quaſi verò ſenſus non eodem recidat; quare enim non acceperant Euangelium illud Petri, niſi quia traditum non fuerat? *At Serapion dicit in illo Euãgelio fuiſſe, per quod reprobari potuerit: non ergo ex traditione, ſed ex falſitate ipſius libri librum repudiauit.* At vnde compertum habuit, ea, quæ falſa erant, falſa eſſe; niſi quia ex traditione acceperat; libris contrarium aſſerentibus fidem habendam; huic autem fidem abrogandam eſſe?

En ſyllogiſmum alium: *Per quæ Serapion Euangelium Petri à reliquis Canonicis diſtinxit, per ea ipſa & nos malos libros à Canonicis diſtinguere debemus. Sed Serapion diſtinxit Euangelium Petri à Canonicis libris, per falſa quædam & mendacia, quæ in eo poſita erant. Ergò, & nos ex ipſis libris petere debemus, per quod illos ab Apoſtolicis diſtinguere debemus.* Vt ad Minorẽ reſpondeam; quæro, vndénam cognouerit, illa falſa, quæ in Euangelio Petri inerant, eſſe falſa; vera autem illa; quæ in Euangelio Lucę percenſentur? Vnde, inquam, hoc cognouit? Non immediatè ex ipſis libris; quia res, quas commemorant, nõ ſunt naturaliter notæ & euidentes; nec per argumentationes perſpicuæ effici queunt; ſed ſunt res obſcuræ, & à noſtra & omnium poſterorum æuo, & memoria remotæ; Quapropter has eſſe veras; illas; falſas, cognoſci non poteſt; niſi ex traditione.

Citat Bellarminus Clementem Alexandrinum, qui apud Euſebium lib.6.ca.11. ſecundum traditionem à ſenioribus ſibi cõmendatam docet, quæ ſint vera Euangelia. Ex quo iſte ſyllogiſmus in Sibrandica officina formatus eſt. *Secundum quod Clemens docet, quæ nam ſint vera Euangelia, per illud ſolùm cognoſci poſſunt. Sed traditio eſt illud, ſecundum quod Clemens docet, quæ nam ſint vera Euangelia. Ergò, per ſolam, & vnicam traditionem cognoſcimus, quæ nam ſint vera Euangelia.* Obſeruet Lector; Bellarminum hîc non vti hoc loquendi modo; Traditionem ſolam eſſe medium cognoſcendi Canonicam ſcripturam; vel, eſſe vnicum medium; vel Serapionem, vel Clementem; vel alium Patrem ſcripturas ſacras, & diuinas ex ſola traditione, tanquam vnico medio, cognouiſſe: ſed ait, harum cognitionem ex ſcripturis nullo modo haberi poſſe; ſed neceſſariò ad traditionem recurrẽdum eſſe. Vtrum autem ſola, & vnica traditio nos certos faciat; nil Bellarmin⁹ dicit; quia conſtat, præter traditionem, multum quoq; momenti ad hanc notitiam conferre teſtimonium Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum, quod eſt quiddã à traditione diſtinctũ; Etſi propter ſummam cognationem hæc ſæpè ſoleant miſceri: ſed voculas illas: *ſola, vnica*; Savvbrandus admiſcet, vt eò vberiorem cauillandi materiam inueniat; faciliusq; omnia nebulis inumbret. Nunc ad rem.

Sibrandus negat Maiorem ſui ſyllogiſmi; cui particulam illam, *ſolùm*; ex ſuo, nõ ex Bellarmini ſenſu inſerſit. Qua omiſſa, veriſsima eſt Maior: nã ſi Clemens per traditionem cognouit, quæ ſint vera Euãgelia; cur ab aliis per eandem traditionem eadem veritas cognoſci non poſſet? Maior etiam concedi poteſt adiectâ vocula illa *ſolùm*; ſi in Minore nomẽ traditionis latius accipiatur, ita vt etiam teſtificationem Eccleſiæ cõprehendat; deq; prima cognitione ſermo ſit; Hæc enim ſolum ex teſtificatione Eccleſiæ & traditione hauriri poteſt; nullo modo aliunde. Quidquid enim agas, nunquam in veram librorum Canonicorum cognitionem peruenies, niſi ab Eccleſiæ teſtimonio & traditione inſtruaris.

Ait Savvbrandus, Etiam Minorem eſſe falſam. Quam ob rem? *Quia, non dicit Clemens ſe per traditionem accepiſſe, quæ nam ſint vera Euangelia. ſed, quo ordine ſint ponenda.* At Clemens apud Euſebium minimè dicit, ſe ex traditione cognouiſſe, quo ordine Euangelia ſint collocanda; ſed quo ordine ſint conſcripta; quod prius, quod poſterius. Quo ipſo per traditionem quoque cognouit, quæ ſint vera Euangelia: Nam qui per traditionem cognoſcit, quo ordine vera Euangelia fuerint conſcripta; vtiq; etiam vera Euangelia per traditionem cognoſcit: non eſt ergo quod ſibi Savvbrandus perſuadeat, ſe hic eludendi Clementis occaſiunculam reperiſſe.

Poſt Clementem producit Bellarminus Origenem, qui apud Euſebium lib.6.cap.19. ait ſe ex traditione de quatuor Euangeliis certiorem factum eſſe. Hinc iſte ſyllogiſmus natus eſt. *Illud, ex quo Origenes didicit, qui nam libri ſint Canonici, eſt ſolùm & vnicum, ex quo, hoc diſcere poſsimus. Sed, traditio eſt illud, ex quo Origenes hoc didicit. Ergò, ex ſola, & vnica*

nica traditione discere debemus, qui nam libri sint Canonici. *Respondeo, Maiorem non esse veram*, inquit Caluinista. *Possunt enim plura argumẽta esse, ex quibus hoc discere possimus, quàm illa sint, ex quibus hoc Origenes didicerit.* At plura non esse, loquendo de primariis & principalibus, quàm traditionẽ, sumpto hoc vocabulo ampliore notione, de qua paulò superius; euidentissimum esse; testatur ipsa hæreticorum circa hoc caput leuitas & inconstantia; addo & necessitas, qua in angustias coacti ad testimonium, & per consequens etiam ad traditionẽ confugiunt. Aliqui etiam, vt Brentius & Kemnitius, expressè ad traditionem confugiunt; vt refert hic Bellarminus. Et Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi huius argumenti grauitate pressi; aliquoties clamitabant; *se huiusmodi traditiones cum scriptura congruentes non reiicere; sed illas duntaxat; quæ scripto Dei verbo aduersentur.*

Quod ad Minorem attinet; inquit Caluinista, *fatemur, Origenem dicere, se ex traditione accepisse, qui nam libri sint Canonici. At hæc traditio, nihil aliud est, quàm Ecclesiæ testimonium. Hoc verò nos non improbamus.* Nota fucum. Ecclesiæ testimonium negat à se suisq́; improbari. Cuius Ecclesiæ? Num eius, quæ anteactis sæculis floruit? Vnde constat Caluinistis Ecclesiam veterem de hoc vel illo libro, tanquam de Canonico, testimonium perhibuisse? Certè id ipsis liquere nequit, nisi ex hodiernę Ecclesiæ testificatione. Nam vt maximè in historiarum sanctorumque Patrum monumentis legamus veterem Ecclesiam de huius vel illius libri Canonica auctoritate testatam esse; at non scimus hoc quod legimus cum vero concinere; nisi id præsentis Ecclesiæ testimonio nobis planum fiat. Itaque non tantùm antiquæ, sed & Ecclesiæ præsentis testimonium reuerẽter audiendum & amplectẽdum est; si à vero abire nolis.

Hallucinatur autem Caluinista, cum traditionem nihil aliud esse dicit, quàm Ecclesię testimonium; imò propriè loquẽdo distinguuntur; sicut testimonium & obiectũ testimonij, siue id cui testimonium perhibetur: traditio enim est verbum diuinum seu Apostolicum; at testimoniũ Ecclesiæ est asseueratio de hoc verbo diuino seu Apostolico. Nam vt rem exemplo illustrem; Apostoli dixerunt; Euangelium S. Matth. esse sacrum, diuinum, canonicum; hoc illorum verbũ nusquam in diuinis litteris scriptum est; sed viua voce traditum; & traditũ esse; docet nos Ecclesiæ testificatio, asseuerantis hoc ab Apostolis pronunciatum, & in Ecclesia promulgatum diuulgatumque fuisse.

Traditio in hac disputatione, inquit Caluinista, *sonat dogma, seu ritum, seu doctrinam ab aliquo traditam. Et nos, non improbamus omnem traditionem, sed tantùm eam, quæ pugnat cum Dei verbo.* Si non improbas omnem traditionem nõ scriptam; sed illam duntaxat, quæ cũ verbo Dei pugnat; cur tanto conatu vitilitigas de hac & similibus traditionibus: *Euang. S. Matth. esse Canonicum. Libros Regũ esse Cano-*

A *nicos. Epist. ad Rom. esse Canonicam.* Num traditiones istæ cũ verbo Dei pugnant? Quid Euang. S. Matthæi magis est consentaneum; quã dicere; illud esse diuinum & canonicũ? Sed quidquid Nouatores de se hoc in genere vel profitentur, vel pollicentur, id non in cordibus eorũ; sed in summis tãtummodo labris nascitur; vbi & illa nata sunt; quæ hic Savvbrandus de sua & suorum in veteris Ecclesiæ testimonio exquirendo, expẽdendo & amplectendo garrit. Iurares, si verba tibi dari sineres, non esse antiquitatis obseruantiorem nationem hac Caluinistica.

Ait Savvbrandus; *Nos hanc traditionem, de qua loquitur Origenes, recipimus. Agnoscimus enim eos libros pro Canonicis, quos ipse ponit.* Vnde agnoscitis? Num ex
B traditione, vt agnoscebat Origenes? ô fallacia ô pectoris & oris dissidium. Ait; *Libros canonicos non propterea esse tales, quòd Origenes tales esse testatus sit.* Quis hoc nescit? Quis adeo rudis est, qui dicat, canonicam librorum diuinorum auctoritatem esse à testimonio Origenis?

Ait, *Origenem docere ex traditione; tantum esse viginti duos veteris testamenti libros canonicos.* Cur dissimulat Hæreticus id, quod Eusebius adiungit? nimirum; Origenẽ id asserere de traditione *secundũ Hebræos*; cur omittis illud: *secundum Hebræos*; in quo tota vis posita? Nunquam dixit Origenes; traditionem secundum Christianos tantùm viginti duos libros antiquæ legis Canonicos statuere.

Mentitur Savvbrandus cùm ait; *Origenem epist.*
C *Iacobi & Iudæ extra canonẽ relinquere; idq́; ex traditione; deq́; nonnullis dubitatum cum ab ipso, tum ab aliis, idq́; ex traditione*: quia si qui aut repudiarunt, aut in dubium vocarunt aliquos libros Canonicos; minimè ex traditione Apostolica, sed vel ex ignorãtia id fecerunt, antequam veritas liquidò constaret; vel ex malitia, postquam canon plenè per Ecclesiam diuulgatus & promulgatus fuit.

Origeni subiungitur D. Basil. qui lib. de Spiritu S. dicit; *Si traditiones non scriptæ negligãtur, fore, vt Euangelium etiam magnum detrimẽtum patiatur.* Ex quo hunc syllogismum architectatur Savvbrandus. *Quidquid dicit Basilius, hoc est verum. Sed Basilius dicit scripturam magnum detrimentũ pati, si traditiones negligãtur. Ergò scriptura sine traditionibus non est suffi-*
D *ciens. Nos negamus Maiorem*; ait Caluinista. Atqui Maiorẽ istam non formauit Bellarminus; cui satis est, vt verum sit; quod ex lib. de Spiritu S. protulit; licet non omnia simpliciter, quæ S. Basilius scribit, vera essent. Sed iam pridẽ vidimus, Savvbrãdum sibi somnia fingere; quæ postea paribus somniis dispellat, qui nasutissimo naso suo odoratur etiam cum Erasmo nescio quid peregrini styli à Basiliano in illo cap. 27. Sed hoc leuius & tenuius est, quàm vt emunctæ naris homini persuaderi queat. De quo infrà denuo dicendum erit.

Iunius frustillatim quædam vellicat. Dixerat Bellarminus, mirum esse; quomodo Caluinus epist. S. Iacobi vocet Apostolicam; Lutherus; *stra-*

mineam; si, Caluino auctore, Scripturæ sacræ discernuntur à non sacris per se, vt lux à tenebris, dulce ab amaro; Respondet Iunius: *Lutherus post aliter sensit*. Quid tum postea? An ideo prius non sensit lucẽ esse tenebras; & dulce, amarum, cum Iacobi epistolam, lucem veram, & meram dulcedinem non tantùm tenebris & amariciei; sed & ipsi vilissimo *stramini* deputauit? Quomodo hoc fieri potuit, si per se Scripturæ sacræ à non sacris distinguuntur, vt lux à tenebris; dulce ab amarore? An tunc oculis, & gustatu caruit Lutherus? *Prius vitium fuit in Lutheri αἰσθητηρίῳ*, (sentiendi organo) *nondum expurgato, quòd post correctum est superioris luminis aduentu*. Immani vitio Lutherum laborasse oportuit, cum tam blasphemum iudiciũ de epistola D. Iacobi tulit. Obbrutuisse *sensorium* eius oportuit, qui adeò nihil diuini & Canonici spirit⁹ in illa epistola sentire potuit. Sed vbi hoc vitium correctum est, superioris luminis illapsu? Nec Lutherus, neque Lutherani epistolam S. Iacobi pro Canonica habẽt; vt maximè ex quibusdam editionibus non *stramineam*, sed *diabolicam illam* de epistola D. Iacobi blasphemiam expunxerint. Insignis certè correctio, si quis grandissimam blasphemiam in minus grandem permutet. Et quod nam superius lumen docet; epistolam D. Iacobi non esse canonicam; vt docet Lutherus; postquam iudicio Iunij iam *expurgatus; & superno lumine penitus collustratus fuit?*

Negat Iunius, *nos non aliunde habere scripturam esse diuinam & qui sint libri sacri, quàm ex traditione nõ scripta. Nam & ex testimonio Spiritus sancti hoc cognosci, qui spiritus sit Ecclesiæ vniuersalis, & singulorum membrorum ipsius operans omnia in omnibus*. Nimirum, quod alij interna Criteria vocant, hoc iste paulò venustius appellat *testimonium spiritus*: quàm sit certũ scripturę cognoscendę medium abundè satis ostendunt Caluinus & Lutherus, quorum ille ex interno spiritus Criterio, & testimonio nominat epistolam D. Iacobi *Canonicam*: Iste, prius *stramineam*; nunc; non *Canonicam*. Caluiniani ex interno Criterio epistolam Iudæ amplectuntur, vt Canonicam; Lutherani ex eodem critico spiritu à Canone expellunt. Quid verbis opus? Nihil diuersius hoc spiritu & his criteriis excogitari potest, de quibus infrà copiosè agemus in Tractatu de quæstione; *vnde scis*.

Addit Iunius: *Idem nobis innotescere ex testimonio Apostolorum & ipsius scripturæ*. Obsecro, vnde tibi innotescit Apostolos testimonium perhibuisse? Aut si scriptum est; vnde tibi constat, illud Apostolorum, & ipsius etiam scripturæ de se testimonium, verum & authenticum esse?

Negat Iunius hanc consequentiam esse probam. *Traditione Patrum nouimus Euangelium Nicodemi falsum esse; ergo & traditione nouimus verum esse Euangelium sancti Marci*. At bonam esse hanc consecutionem, eò manifestius est; quo minus vnquam hæretici rationem reddere ex ipsa scriptura queunt; cur, quæ narrat D. Marcus; vera

A sint; illa autem quæ Euangelium Nicodemo adscriptum tradit falsa. Neq; propterea *per nouam logicam ex negatione quauis contrariam affirmationem necessariò concludemus, etiam in disparatis rebus*: vt calumniatur iste; satis est, quòd hoc liceat, vbi quoad rationem cognoscendæ veritatis eadem est negationis & affirmationis ratio. Quanquam quid somniat Iunius de negatione & affirmatione? Estne hæc enunciatio negatiua? *Traditione Patrum nouimus Euangelium Nicodemi esse falsum*.

Ait Bellarminus, D. Paulum Ephes. 2. non dicere; scripta Apostolorum & Prophetarum esse fundamenta; sed Apostolos & Prophetas. *Falsum*, clamat Iunius, *non enim dicit; super Prophetas & Apo-*

B *stolos; sed super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Aliud ergo Paulus statuit esse fundamentum; aliud Prophetas & Apostolos*. Perinde facit Iunius, ac si inficiaretur: sensum huius locutionis: superædificati estis supra fundamentum lapidum & saxorum; esse istum; superædificati estis supra lapides & saxa. Quid est fundamẽtum lapidum & saxorum, nisi lapides & saxa; tametsi certo ordine disposita? Et quamuis dixisset: *Vos estis ædificati supra doctrinam Apostolorum*; nihil nobis incommodasset; quia Apostolorum & Prophetarum doctrina duplex est; scripta & tradita: neque nos negamus; fideles supra scriptam & non scriptam Apostolicam & Propheticam doctrinam ædificatos esse.

C At iam vide hanc argutissimam Iunij ratiocinationem. *Apostoli scripserunt & tradiderunt, & docuerũt se scripsisse. Ergo ex verbo Dei & Apostolorum scripto & non scripto, & per Ecclesiam tradito, hanc scripturã Canonicam esse cognoscimus: ergo non ex sola traditione cum testimonio Ecclesiæ coniuncta*. Negatur vtraque consequentia: quia testimonio scripturæ nemo credit; tanquam diuino & infallibili, nisi prius credat scripturam verè esse diuinam & infallibilem. Hunc autẽ assensum nunquam ex scriptura primitus hauriet; sed tantũ ex traditione de qua Ecclesia certò & infallibiliter testificetur. Ergo sola traditio & Ecclesiæ testificatio instrumentum est; quo canonicam scripturæ auctoritatem agnosco; non autem ipsa scriptura, seu scripti

D verbi testimonium.

Quod Brentius & Kemnitius fatentur, hanc vnam & solam de Canonicis scripturis agnoscẽdis, & internoscendis traditionem nõ scriptam recipiendam esse; Obiicit Iunius; *istos traditionem non accepisse pro doctrina non scripta, sed pro facto Ecclesiæ per manus tradentis scripturas*; Savvbrandus *pudorem desiderat*. (Bene, si pro se: intempestiuè; si pro Bellarmino) *traditionem enim, qua cognoscimus, qui nam libri sint Canonici, nil aliud esse, quàm Ecclesiæ testimonium de libris Canonicis*. De hoc iam supra nonnihil dictum est: Propriè enim & strictè loquendo Ecclesiæ testificatio non est ipsa traditio; sed versatur circa traditionem; eamque nobis patefacit: traditio enim est verbum Dei non scriptum: at

Ecclesiæ

Ecclesiæ propositio est verbi huius, tanquam obiecti sui, testificatio & assertio. Itaque hoc ipso quod Kemnitius & alij testimonium Ecclesiæ, tanquam traditionem non scriptam, admittunt; simul etiam admittunt id, quod huius testimonij obiectum est; nempe hanc veritatem: *Euangelium S. Matthæi; aut S. Marci ab Apostolis in Canonem diuinarum scripturarum relatum esse*: Et quidem hoc ipsum numero Euangelium, quod hodie passim legitur. Hæc autem veritas, & doctrina ad dogmata fidei pertinet; neque vspiam in diuinis litteris scripta reperitur: Eo ipso igitur, quod isti testificationem Ecclesiæ, tanquam traditionem non scriptam amplectuntur; simul etiam amplectuntur id, circa quod hæc testificatio versatur; Hoc autē est dogma non scriptum, vt iam vidimus.

Multa denuò blaterat hic tautologicus Savvbrandus de veteris Ecclesiæ testimonio, & quanta cum reuerentia à Caluinistis audiatur & suscipiatur; *ab his non omnem traditionem respui: admitti traditionem scriptam; & eam, quæ necessariò inde deducitur; & quæ cum verbo Dei scripto consentiat; licet non colligatur necessariò ex verbo Dei scripto, vt procumbere in genua inter orādum, neq; expresse in scriptura traditum est*, inquit Caluinista, *neq; necessariò ex ea colligi potest, tamen recipimus, quia non pugnat cum scriptura: Fieri ipsis iniuriam, cum accusantur, quasi omnem traditionem reiiciant*. Hæc & omnia alia huius generis, tantùm ad explendas, vel potius, vt Danæus loquitur, *ad maculandas chartas* à Savvbrando commemorantur; meriq; ue fumi sunt ac fuci; & inanes logi; iis de rebus; de quibus Caluinistæ in ius à nemine vocantur; scimus enim, quod traditionem scriptā admittant; & ea, quæ inde, ipsorum tamen iudicio & decreto; necessariò deducuntur; scimus insuper ipsos amplecti quosdam ritus Ecclesiasticos, sed ita, vt illos liberè vel obseruent, vel non obseruent; Sed num Bellarmino, aliisque orthodoxis de his potissimū disputatio est? An non de illis traditionibus præcipuè disceptāt, quæ dogmata ad fidem vel mores pertinentia continent, deque illis, quę ab Ecclesia quidem proueniunt, non tamen in cuiusuis arbitrio, quod ad obseruationem attinet, posita sunt?

Vrget Bellarminus Kemnitium hoc dilemmate. Vel hæc traditio; hunc vel illum librū esse canonicum: seu hanc esse Scripturā sacram: est verbum Dei, vel non. Si non; igitur nō habemus fidem; fides enim verbo Dei nititur. Si sic; cur ergo clamant, nullum esse Dei verbum, nisi scriptum? Respondet Savvbrandus; *aliud esse verbum Dei, & aliud testimoniū de verbo Dei*. Neq; nos ignoramus, aliud esse testimonium Ecclesiæ de verbo Dei, & aliud, ipsum Dei verbum. At Bellarmini dilemma non agit de testimonio Ecclesiæ scripturis reddito; sed de obiecto huius testimonij; quod est Euangelium sancti Marci verè esse diuinum & canonicum. Vel; hoc Euangelium verè ab Apostolis canoni diuinorum voluminum adscriptum fuisse; vel. Euangelium hoc verè ab Apostolis testimoniū habere & habuisse; quòd sit sacrum, diuinum, canonicum: quibus omnibus loquendi modis idem prorsus significatur; & potest etiam nominari testimonium; sed Apostolicum; & est verè verbum Dei; quia ab Apostolis instinctu Spiritus sancti æquè ac illud, quod in scripta venit; prolatum; & tamen nusquam scriptum est. Est igitur verbum Dei non scriptum; quo fides nititur; quia maximè nititur hoc testimonio Apostolico & diuino sacris Scripturis perhibito; cuius diuini testimonij testificatio & comprobatio est vox Ecclesię scripturas proponentis; & quæ diuinæ sint; & de canonica sua auctoritate ab Apostolis testimonium habeant, nobis aperientis & explicantis. Hęc diligenter distingui debent, ne quis cum hallucinantibus Caluinistis & Lutheranis hallucinetur, & à vero auius abripiatur.

Nec iuuant Savvbrandum; quæ de *fide historica & iustificante* hic garrit: tum quia discrimen hoc per se cōmentitium est; tum quia Prædicantes argumentis conuicti confiteri incipiunt, *fide salusica & iustificāte* credendum esse; libros, qui in Bibliorum codice comprehenduntur; verè esse diuinos & canonicos; atq; adeò in specie; Euangelium S. Matthęi verè esse diuinum & canonicum. Quo fit, vt pariter fateantur; fidem *saluificam* hoc dogmate niti, & per consequens fatentur, fidem niti aliquo non scripto dogmate; vbi enim scriptum est; libros, qui in Bibliorum codice continentur, esse canonicos; vel Euangelium S. Matthæi ab Apostolis approbatum, & Ecclesiæ propositum; vt canonicum?

Quod Bellarminus dicit; scripturam absque traditionibus non posse intelligi; non esse igitur absque traditionibus sufficientem, nimirum ad salutem, per modum regulę. Ex eo hunc syllogismum Savvbrandus exstruit. *Sine quo scripturam nō possumus intelligere, absq; eo scriptura nō est sufficiens. Sed sine traditione scripturam non possumus intelligere. Ergò, sine traditione scriptura non est sufficiens. Maior non est vera*; inquit Hæreticus. Qua de caussa? *Nam sine Grammatica non possumus Rhetoricam intelligere; neq; sine eadem possumus Dialecticam intelligere. Et tamē Rhetorica est ars sufficiens, & Dialectica est ars sufficiens Non igitur sequitur, verbum Dei non esse sufficiens, etiamsi concederetur, illud absq; traditione intelligi non posse.*

Quàm stolidè, vel potius, quàm *impostoriè*: omittit enim id; ex quo tota Bellarmini sententia pendet; illud nimirum: *ad salutem per modū regulæ*. Quo ad Maiorem adiecto, verissima efficitur; statimque apparet vanitas negationis & probationis Savvbrandicæ; nihil enim penitus ad rem faciunt exempla de Grammatica, Rhetorica & Dialectica; cum Bellarminus non dicat absolutè scripturam non esse sufficientem; quòd sine traditione nequeat intelligi; sed non esse sufficientem ad salutem per modum regulæ absq; traditionibus, & inter illas etiam hac, quæ est de legitima

gitima scripturarum intelligentia. Quanquam ipsa quoque exempla à Nouatore adducta satis luculenta sunt inscitiæ Savvbrandicæ argumenta. Nam Rhetorica est quidem ars in se sufficiens; similiter & Dialectica; sed non est per se sufficiens ad intelligendum absque Grammatica. Et quicunque asseuerat, Rhetoricam esse sufficientem ad intelligentiam sui per se absque Grammatica; is neque scit, quid sit Rhetorica, neque quid Grammatica.

Hic multa iterum insulsè prorsus & battologicè nugatur Savvbrandus de vocabulo *traditionū*; de testimonio Ecclesiæ; de sensu & claritate scripturæ; deque aliis huius notæ, & modi iam millies auditis, & à Batto nostro decantatis; qui exemplum illud de æqualitate diuinarum personarum à Bellarmino allatum; hoc syllogismo oppugnat. *Æqualitas diuinarum personarum aut est sacris literis expressa, vel ex eis deduci potest: aut non est sacris literis expressa, neq; ex eis deduci potest: Si est; tum nihil facit ad rem. Iam antè enim ostendi non tantùm verbum Dei esse, quod in scriptura expressum est: sed illud etiam verbum Dei esse, quod necessariò ex ea colligi potest. Si non est; tum, contradicis tibi ipsi. Dicis enim hoc quidem deduci ex sacris literis, sed non ita facilè.* Qua tandem ratione effugiet Bellarminus acumen subtilissimi huius syllogismi? Forsan expeditissima euadendi via erit; dicere I. æqualitatem diuinarum personarum contineri in scripturis; at non ita; vt sine traditionis adminiculo facilè intelligi, aut capitoni cuipiam facilè persuaderi queat. II. Deduci posse ex scripturis; at non ita; vt absque traditionis præsidio facilè inde deduci; aut contraria persuasione imbuto, persuaderi queat: Et hoc solum voluit Bellarminus, tam isto, quam aliis, quæ produxit; exemplis. Sunt dogmata scripta; non diffitemur; sed sic scripta; vt absque non scriptis sufficienter, & facilè non valeant intelligi.

Descensum Christi ad inferos contendit Savvbrandus, *neq; in scripturis expressè contineri; neq; ex iis necessariò deduci*: Et satis apertè indicat; hunc descensum non esse creditu necessarium. Aut mentitur ergo Savvbrandus cum in symbolo Apostolico dicit; *Descendit ad inferos*; hoc est; credo Christum descendisse ad inferos; quia credendi verbum initio symboli positum ad omnes sequentes articulos se exporrigit: aut credit aliquid quod neque scriptum est, neque ex scriptura necessariò colligitur, nisi fortè cum Beza per *inferos* intelligit *sepulchrum*: aut cum Catechismo Palatino *dolores & cruciatus, quos Christus in cruce pertulit*. At quomodo hac etiam Caluinistica notione articulus iste non est creditu necessarius ad salutem? An non necessarium est credere Christum fuisse sepulchro mandatum; & grauissimos cruciatus passum?

Ex dicto sancti Augustini: *Ego non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas*; quod

A Bellarminus citauit; huiusmodi syllogismum Caluinisticus faber fabricat. *Quod Augustinum permouit ad Euangelio credendum, sine illo Euangelium est imperfectum. Sed Ecclesiæ auctoritas commouit Augustinum ad Euangelio credendum. Ergò Euangelium est sine Ecclesiæ auctoritate imperfectum. Respondeo*, inquit Nouator, *Maiorem esse falsam*. Quare non fecisti Maiorem veram? Si falsa est; tuâ culpâ à vero exerrat; non Bellarmini; qui de hac Maiore fortasis nunquam cogitauit. Nam per illud diui Augustini peruulgatum dictum, non voluit ostendere; *scripturas esse imperfectas*; sed sine Ecclesiæ testimonio à nobis non cognosci, quæ sint scripturæ canonicæ; & quod hinc consit; absque Ecclesiæ testimonio fidem scripturis à

B nobis non haberi. Quo nihil verius dici potest; nam seposito hoc infallibili testimonio, omnia nutant, & vacillant; quin & corruunt, vt sectariorum nos leuitas & inconstantia docet: cumque testimoniū Ecclesiæ patefaciat nobis hunc vel illum librum esse Canonicum; & ab Apostolis pro diuino habitum & agnitum, simul patefacit aliquid, quod scriptum non est; & tamen creditu necessarium est; ex quo rursus sequitur scripturam absque traditionibus non esse sufficientem ad salutem: cum omnia ad salutem creditu necessaria nec contineat, nec exhibeat.

De imperfectione nihil dicit Bellarminus: sed de sufficientia; non enim ideo imperfecta

C est, quia non continet omnia; alioqui nihil, præter Deum, perfectum esset, cum nil contineat omnia. Vt aliquid perfectum & sit & nominetur, sufficit, vt ea contineat; quæ continere debet. At scriptura non debet continere traditiones; quia debet esse verbum Dei scriptum & nō scriptum; perfecta igitur & est, & talis in suo genere nominari potest, non obstante, quòd extra illam traditiones exstent.

Neque sequitur: Sola scriptura absque traditionibus non est sufficiens ad salutem, ergo scriptura est imperfecta. Aliud est sufficientia: aliud perfectio: aliud insufficientia, aliud imperfectio. Non est homo sufficiens, vt lapidem molarem ferat: An ideo homo imperfe-

D ctus est?

Iunius hinc vsque ad finem huius capitis in rancidis suis animaduersiunculis vix quidquā aliud conuiuis suis apponit; præter ista fercula. *Falsum. Falsò dictum. Æquiuocè dictum. Credendum æquiuocè. Credere hoc in loco & sequentibus dicitur æquiuocè. Illuditur hic æquiuocatione. Eadem omnium æquiuocatio.* Quid multis opus? Quidquid conatur dicere aut soluere, aut refellere; *æquiuocatio* erat. Nescio quibus speciebus *æquiuocis* sensus externi & interni huius Caluinistæ infecti fuerint; quandoquidem menti nil nisi æquiuocationes obiecerunt & repræsentarunt.

Circa hoc Bellarmini argumentum pro traditionibus sermocinatur etiam nonnihil Rul-

lus.

lus. Summa in his consistit. *Scripturam seipsam interpretari:* Quod quàm verum sit, videbimus in proprio tractatu de hac scripturę ab hęreticis toties decantata interpretatione. Dicit Bellarminus: Scripturas sæpissimè esse ambiguas & perplexas ac proinde egere interprete, qui ab omni erroris periculo, sit liber. Occursat Rullus; hanc propositionem non esse vniuersaliter veram. Atqui nec Bellarminus dixit scripturam semper & vbiq; esse ambiguam & perplexam; sed addidit: *sæpissimè:* cuius enunciationi minimè ęquiualet ista, quam hic fingit, & Bellarmino attribuit Rullus. *Ex scriptura ambigua & perplexa non potest haberi eiusdem intellectus.* Cur præteris vocabulum Bellarmini? *Sæpissimè.* Nonne ideo, vt fraudis struendæ occasionem habeas? quam & in hac Minore tua captasti: *Sacra scriptura est ambigua & perplexa.* Quã, nisi addito illo vocabulo: *Sæpissimè*: Bellarminus nunquam agnoscet. At vide & ride nouum Eleuchum in schola Rulli pronuper edolatum. *Assumptio*; inquit, seu Minor, *laborat Elencho* παρὰ τὸ μὴ ἁπλῶς λέγεσθαι. O Græcam sapientiam, laborantem παρὰ τὸ μὴ σοφίαν καὶ παιδείαν, ὡς σοφίαν καὶ παιδείαν. Audi Rulle; siue tua illa assumptio laboret podagra vel chiragra; siue febri, siue peste; parum solliciti sumus; quia non est Bellarmini, sed tua. Bellarminus apposuit voculam, *Sæpissimè.* Cur tu detraxisti, nisi quia Rullus es? Cur adeo tibi frons dura, vt scribere non erubueris ista? *Hunc elenchum ipsemet Iesuita prodit, cum fatetur, sæpissimè scripturam esse ambiguam & perplexam; non igitur tota est ambigua & perplexa.* Quem Rulle feris? Quem ferire gestis? Scripsitne Bellarminus totam scripturam esse ambiguam & perplexam? Num postea insipiente tuo elencho animaduerso; vniuersalem hanc suam propositionem temperauit, & restrinxit per particulam: *Sæpissimè?* Quale os Rulli? Qualis calamus? Et tamen subiungit: *Hæc confessio satis est ad ipsum refutandum.* Quam confessionem somnias? Quid confessus est Bellarminus; quod tibi tantam lætitiæ caussam præbeat? *Sæpissimè scriptura est ambigua & perplexa.* Cur ergo mentitus es; Bellarminum dixisse: *Scripturam vbique & semper esse ambiguam & perplexam?* Cæterum quia Bellarminus dixit; *sæpissimè* scripturam esse ambiguam & perplexam; hinc colligit Rullus; non opus esse vllo alio præter scripturam interprete; sed loca ambigua & obscura per clara & perspicua explanari & expediri posse. Pulchrum commentum: quasi cuiuis ambiguo & perplexo loco respondeat dilucidus & perspicuus: neque contingere possit; vt quem tu clariorem arbitraris; reuera sit ambiguus & perplexus: vt taceam, quod alibi non semel dictum, nullum scripturæ locum adeo esse euidentem & lucentem, vt à male feriatis nequeat in alienum sensum torqueri. Quapropter omnibus necessaria est traditio, vel interpretatio, qua tenebræ dispellantur. Cum autem Bellarminus hic mentionem fecisset interpretis, qui nec fallere, nec falli posset: Rullus su-

A spicatus insinuari Romanum Pontificem, ad pharetram suam præproperè accurrit; & inde hæc gemina conuiciorum iacula deprompsit. *Sceleratissimus filius perditionis. Libidinosissimus scortator:* à quibus vtiq; abstinuisset, nisi ipsemet Rullus & hic ille & foret.

Exempla de æqualitate diuinarum personarum; de processione sancti Spiritus ex Patre & Filio, & alia, mentitur Rullus esse extra propositum. Quod mendacium redarguunt plurimæ hæreses, quæ hac de re olim exstiterunt; & adhuc hodie partim supersunt: quæ nunquam natæ fuissent, nisi quæ his de rebus scriptura tradit; traditionum luce egerent.

B Octauum exemplum, quo Bellarminus probat necessitatem traditionum, est perpetua Deiparæ Virginitas. Vbi VVitackerus. *Quod ad perpetuam Mariæ Virginitatem attinet, meum non est disputare.* Quare non est tuum de hac disputare; nisi quia Caluini & Bezæ discipulus es; qui blasphemè scribunt, D. Virginem Virginitatem in partu amisisse; rupto virginei pudoris signaculo. Hinc & Savvbrandus: *Satis est,* inquit, *ad salutem, si credimus Mariam Virginem fuisse donec peperisset.* Atqui Beza tuus negauit eam Virginem mansisse donec peperisset; sed in ipso partu ei per summum sacrilegium Virginitatem adimere studuit. Huic blasphemiæ, quod Savvbrandus valedixit, laudo. Valedixisse indicant hæc eius verba. *Mariam fuisse Virginem, cum pareret, disertè testatur sacræ litteræ,* C *& hoc credere est ad salutem necessarium.* Salute igitur excidit Beza; quia hoc, quod credere necessarium est ad salutem, teste Sibrando, nempe diuam Virginem in partu mansisse Virginem: ille non credidit.

Ait VVitackerus, *patres Virginitatem Deiparæ testimoniis scripturarum comprobare*: Sed num sufficienter absq; traditionis auxilio? præsertim si sermo sit de perpetua Virginitate; etiam post partum. Non imus inficias, proferri posse; & à sanctis Patribus varia quoque argumenta allata esse; eius tamen generis, quibus robur & efficacitatem à traditione accedere oporteret.

Clamat Savvbrandus: *Scripturam expressè tradere; Deiparam fuisse Virginem ante partum. Isaiæ 7. Ecce* D *Virgo concipiet, &c.* Num hoc testimonium adeo est liquidum, vt seclusa traditione, aliquem, qui alioqui nomine Christiano censeri cupit; euidenter conuincat? Mentiuntur VVitackerus & Savvbrandus cum dicunt; *D. Basilium homilia de Natiuitate Christi, scribere; ad fidem non pertinere, vtrum D. Virgo post partum semper Virgo permanserit*; mendacium hoc est; vt supra monstratum ex ipso D. Basilio. Itaque nihil hic addo.

Rullus ait. *D. Virginem semper fuisse Virginem.* Quis à Caluinista apertiorem confessionem desideret? Sed cum ventum ad rem; duo duntaxat nominat tempora; quo Maria fuerit Virgo: *ante partum; & post partum.* Cur retices illud tempus, de quo maximè quæritur; *tempus in partu?* Cur, or,

de hoc siles? Si dicas: *eum, qui fatetur mansisse Virginem ante partum, & post partum; simul etiam fateri mansisse Virginem in partu*; id crederem; si is, qui hæc scripsit, orthodoxus non Caluinianus esset: nunc cum sit ex Bezæ schola, in qua Virginitas Deiparæ in partu non modò expressè oppugnata; sed & penitus abnegata est; valde vereor, ne Rullus sub hac herba virulentum aspidem occultet; Diuamque Virginem ideo solùm Virginem ante & post partum nominet; quòd virum non cognouerit; seu consortij virilis semper expertem vitam egerit: licet in partu sigillum virginitatis ruptum apertumque fuerit: quæ manifesta est blasphemia à Iouiniano olim cocta, & à Caluinistis Beza; Pseudomartyre, & aliis hoc æuo recocta: contra quam copiosè disputat noster Gregorius de Valentia Tomo IV. Commentariorum Theologicorum disputat. 11. quæst. 11. puncto primo. Nec dubium videtur; quin sacrilega hac persuasione Rullus imbutus sit. Puduit; tametsi nihil pudentiæ habet; palam proferre.

Ait: *Virginitatem ante & post partum ex scripturis ostendi posse.* Num sufficienter absque traditione? Num ita, vt seclusa traditione, aduersario possis facere fidem? Illud certè tuum argumentum Heluidij sectator quispiam potius delirium reputabit. *Scriptura nusquam affirmat Mariam fuisse cognitam à Iosepho, aut alios liberos peperisse: ergo semper mansit virgo post partum.* An nihil fit, aut factum est; aut fieri potuit, nisi quod scriptura memorat? Si Heluidianus tuum argumentum sic inuertat: *Scriptura nusquam affirmat, non fuisse à Iosepho cognitam: ergo cognita fuit*; fortè aptius nonnihil, quàm tu delirabit. Et, quid traditionis ope destitutus contrà muties?

Nec efficacius est istud, secluso traditionis adminiculo: *Dominus in cruce pendens, matrem Ioanni commendauit; & Ioannes eam recepit in domum suam. Ioan. 19. Ergo Maria non habuit tum maritum, & liberos. De marito, esto, regeret Heluidianus: quia mortuus fuerat: de liberis, non sequitur. Suas enim caussas habuit Christus, cur Ioanni potius, quàm liberis matrem commendaret. Deinde, an fieri non potuit, vt ante passionem Domini morerentur liberi? Et quamuis liberos tunc vel antea non habuisset; num ideo sequeretur, à viro non fuisse cognitam? An hoc, intra triginta trium annorum interuallum euenire non potuit; licet hoc elapso tempore maritus, vel liberi non amplius superessent?* Si aliquis Heluidij discipulus ita tecum ageret; quid cum tuis scripturariis citationibus, Rulle, ageres?

Nos Catholici firmissimè & constantissimè Virginitatem Deiparæ post partum credimus; sed traditione potissimum nixi; Qua, velut fundamento, supposita; ex scripturis idem dogma illustramus, more antiquorum Patrum, præsertim D. Hieronymi.

Illud cuius non iniuriâ mirum accidat; quòd Rullus hic ex Ezechiele de *porta clausa* pro Deiparæ Virginitate post partum argumentatur, alle-
A gorico argumento vsus; cum ipse passim in suis disputationibus de Interpretatione scripturæ clamet; *ex mystico sensu*, quo & Allegoricus continetur; aut nullum aut non firmum argumẽtum duci posse. Sed non est Prædicantibus insuetum, aliud dicere vel scribere: & aliud agere.

Nonum exemplum Bellarmini. Credendum est in nouo Testamento Pascha esse celebrandum die Dominico: quod tamẽ ex scripturis demonstrari nequit. Hic ante omnia detonãt VVitackerus & Savvbrandus in Victorem Pontificem; *quòd Asiaticas Ecclesias ob Pascha, alio, quàm Dominico die celebrare solitas à communione excluserit.* Sed aduersus minutulos istos calumniatores habet Victor pro se quatuordecim sæculorum consensionem;
B & præterea sanctissimam illam Nicænam Synodum; quæ Pascha Dominico die agendum esse perenni & inuiolabili decreto sanxit.

Addunt deinde VVitackerus & Savvbrandus: *nullam esse necessitatem siue die Dominico, siue alio, siue nullo Pascha celebretur; esse quidem antiquissimam consuetudinem peragendi Paschæ die Dominico; sed esse liberam.* Ex quo sequitur, Caluinistas, Pascha in diem Veneris traducere, vel etiam penitus intermittere; & ex fastis funditus expũgere posse. En quò Christianos Caluinismus & Lutheranismus ducat: neque enim hic hac in parte vel vno filo melior est.

Ait VVitackerus; *Quartadecimanos, qui cũ Iudæis Pascha celebrabant, ex scripturis fuisse oppugnatos, quia*
C *scilicet Christus die Dominico resurrexit; & diuersum esse debet Christianorum & Iudæorum Pascha.* Num sufficienter ex scripturis absq; traditione oppugnati sunt? Num per se sufficiens est hæc argumentatio? *Aliud debet esse Christianorum, quàm Iudæorum Pascha; ergo Pascha celebrari debet die Dominico.* Certè consequentia inefficax est, nisi fulciatur à traditione. Antecedens etiam fluctuat; si intelligatur, Pascha nostrum debere esse aliud seu diuersum die, à Paschali festo Iudæorum; fluctuat, inquam, nisi traditione firmetur & consolidetur. Neque hæc consecutio absque eiusdem suppetiis magno robore pollet: *Christus resurrexit die Dominico; ergo Pascha nostrum celebrandum est die Dominico.* Apparet itaque Quartadecimanos absque tradi-
D tione ex solis scripturis validè, solidè, & sufficienter non potuisse oppugnari; multò minus expugnari.

Mentitur Sibrandus, cum scribit, *etiam post Victoris decretum liberum cuiuis relictum, vt Pascha, quo vellet die, perageret*; falsum hoc est; quia Victor præcepto suo ad Dominicum diem omnes adstrinxit; si qui non gesserunt morem; id non libertatis; sed inobedientiæ & contumaciæ fuit. Multò minus hęc libertas remansit post Concilium Nicænum, quod simpliciter statuit, Pascha die Dominico celebrandum esse. Nam quòd Prædicantes clamitant, *id quod semel liberum fuit; semper liberum relinqui debere*; friuolum est; quorsum enim Conciliorum saluberrima auctoritas; nisi vt iis

in re-

ed by Googl

in rebus, quæ antea in Ecclesia minus exploratæ erant; veritatem eruat, erutamque vniuersis sequendam interposito etiam præcepto, proponat?

Porro perquam ridiculum est, quod Hunnius in Colloquio Ratisbonensi sess. 10. respondit, *Quartadecimanos ideo Hæreticos esse declaratos, quod celebrationi Paschatis necessitatem seu affinxerunt, seu attexuerint; & sic in articulum fidei de libertate Christiana impegerint.* Falsissimum hoc est; quia nō ideo pro hæreticis habiti sunt, quod contenderint Pascha necessario quotannis celebrandū esse. Sed quod contenderint, necessario cum Iudæis celebrandum esse; hoc est, luna decima quarta: eam ob caussam Hæreticis annumerantur à Tertulliano lib. de præscript. & à S. Augustino lib. de Hæresibus: & ab aliis. Nam & Victor Pontifex censuit Pascha anniuersarium necessariò celebrari debere; & quidem die Dominico; & cum Victore, successu temporis omnes orthodoxi se conformarunt. Num propter hanc necessitatis opinionem Victor cum suis pro Quartadecimano seu alterius nominis hæretico habitus est; quasi opinione & edicto suo in articulum fidei de libertate Christiana impegerit? Num Patres Concilij Nicæni; in Hæreticorum classem coniecti sunt; quòd lege lata decreuerunt; Pascha Dominica die in singulos annos necessariò obeundum esse?

Rullus circa exemplum de celebratione Paschæ dicit. I. *Obseruationem Paschæ non esse necessariam ad salutem.* Crederem; si hoc à Victore Pontifice, vel Synodo Nicæna pronunciatum esset.

Dicit II. *Pascha fuisse typum & cæremoniam: cessasse igitur rigidam eius obseruationem, exhibito Christo.* Pascha Iudæorum typus fuit; non nostrum: ideo illud cessauit: nostrum succesit. Et quam iste *rigidam obseruationem* appellat? Ni fallor, illam à Victore & Concilio Nicæno sancitam & decretam. Rigida est, quia contraria est laxissimæ obseruationi Lutheranæ & Caluinianæ.

Dicit III. *Quartadecimanos non fuisse habitos pro hæreticis à tota Ecclesia, sed tantùm à Romana, eique adhærentibus.* Sed hoc nil nisi mendacium esse, pro testimonio est Concilium Nicænum, ex quo liquet; totum Catholicum orbem tandem in Victoris decretum concessisse.

Dicit IV. *Quartadecimanos illegitimè pro hæreticis habitos.* At hoc negant scriptores prisci, qui indices hæreticorum contexuerunt; & Quartadecimanos absque vlla exceptione in iis collocarunt: cum approbatione totius orbis Catholici. Conuicia Rulli in sanctissimum & vetustissimum Pontificem Victorem, tacitus prætereuolo; quia ex Prędicanticis pharetris, non depromuntur alia missilia.

Decimum exemplum Bellarmini pro traditionibus, est baptismus panulorum. Respōdent VVitackerus, Savvbrandus & Rullus, *pædobaptismum posse ex scripturis probari.* Num efficaciter ex

A solis, seclusa omni traditionum ope? Non negat Bellarminus ex scripturis probari posse; sed negat, quòd efficaciter ex solis. Aliud est probabiliter ex scripturis ostendi & suaderi posse; aliud apertè, & euidēter. Quare aërem ferit Savvbrandus, cum hic aliquot testimonia scripturæ accumulat, quibus pædobaptismum necessarium euincat. Nullum enim testimonium; seiunctum à traditione, necessitatem arguit, omnia solummodo probabilitatem pariunt.

Vndecimum exemplum est Purgatorium; *quod se credere* scripsit Lutherus in Assertione artic 37. & tamen in illo ipso articulo dicit, *Purgatorium non posse ex scriptura probari.* Respondet VVitackerus; *Lutherum mutasse sententiam.* Scimus fuisse Vertumnum: interim verum manet Lutherum iam

B Lutherum *Lutherizātem*, aliquid credidisse; quod ipsius iudicio, ex scriptura demonstrari non potest. Mentitur Savvbrandus cum ait; Bellarminum dicere, *Purgatorium ex sacris litteris probari non posse:* nam quæcunque hic dixit; ea non ex sua; sed ex Lutheri sententia dixit. quanquam verum est; ex solis; absque traditionis ministerio, perspicuè & sufficienter Purgatorium demonstrari non posse pertinaci & proteruo aduersario.

Postquam Rullus, Savvbrandi instar, mentitus fuerat; Purgatorium ex Bellarmini sententia ex scripturis non posse demōstrari; & postquam totum argumentum Bellarmini peruerterat; & contra Auctoris mentem sycophanticè aliò detorserat; tandem subiicit: *Vel assentitur, vel non assentitur Lutheri testimonio.* Respondeo, partim assentiri, partim non assentiri. Assentitur quatenus Lutherus dicit; *Purgatorium esse*; non assentitur, quatenus Lutherus dicit, purgatorium non posse pbari ex scripturis; nullo scilicet modo; sic enim Lutherus intelligit. Qua distinctione adhibita; per se decidunt cornuti syllogismi à Rullo exstructi cornua. *Si assentitur,* inquit, *tum concedit, Purgatorium non posse ex sacris litteris probari, atq; ita se & alios Iesuitas mendacij arguit: qui alibi ex sacris literis Purgatorium defendere conantur.* Non sequitur hoc; vt planum ex dictis, quia Bellarminus Luthero quoad vnam duntaxat partem, nempe Purgatorium esse; assentitur: quoad alterā; Purgatorium

C

D ex scripturis nullo modo probari posse; non assentitur: & sic neque se, neq; alios Iesuitas mendacij arguit; vt calumniatur Rullus.

Quanquam si Lutherus dixisset; Purgatorium non posse ex scriptura probari efficaciter & perspicuè; seclusa traditione; & Ecclesiastici Canonis regula; nil à vero alienum protulisset; & Bellarminus non illibenter assensum præbuisset; neque vel se vel alios mendacij arguisset; quisquis enim ex scripturis Purgatorium probat; is id facit coniuncta traditione & Ecclesiasticæ intelligentiæ regula.

Si Bellarminus non assentitur, inquit Rullus, *cur igitur ne verbulo quidem vnico indicauit, sibi Lutheri sententiā falsam videri.* Bellarminus satis superq; in libris

de

Digitized by Google

de Purgatorio indicauit,sibi non probari posteriorem patrem sententiæ Lutheri hoc loco recitatæ; nimirũ nullo modo ex scripturis purgatorium probari posse.Hic non erat opus,id indicare; quia nihil aliud ostendere voluit; quàm non tantum ex Catholicorũ placitis;sed & ex Lutheri decreto,aliquid credendum esse;quod in scriptura nõ contineatur;nempe *purgatorium esse*;siue postea Lutherus verè dixerit Purgatorium extra scripturas esse; siue falsò: nihil enim ad præsens institutum refert; quia semper sequitur; Lutherum nobiscum existimasse;non tantùm illa;quæ in scripturis continẽtur;sed & aliquid extra scripturas credi debere. Nec necesse est; vt aduersariorum media; quibus in nostram aliquam sententiam deducuntur, nos itidem approbemus: sufficit, quòd in sentẽtiam nostram descendant; quacunque tandem via & ratione descendant.

Duodecimum exemplum pro traditionibus. Omnes hæretici huius temporis credunt,nõ esse vllum verbum Dei,nisi scriptum:quod tamen in scriptura nusquã reperitur. VVitackerus negat;*à suis tradi nullum esse verbum Dei,nisi scriptũ. Multa enim Christum & Apostolos locutos esse; quæ in scriptura non comprehendantur.* At quid Nouatoribus frequentius in ore; quàm nullum esse Verbum Dei, nisi scriptum? Quod si excipiant, vt excipit VVitackerus; *id intelligendum, de verbo Dei ad salutem necessario; nam illud non scriptum, non esse ad salutem necessarium*; nihil proficiet: Nam è vestigio sciscitari licebit;vbi scriptum sit:*Nullum verbum Dei præter scriptum, esse ad salutem necessarium.*

Illud Deut.4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor,nec auferetis ex eo*;ait Bellarminus non ad scriptum; sed ad voce prolatum verbum pertinere; cum Moses non dixerit;*ex verbo scripto*;sed,*ex verbo, quod loquor.* Recinit VVitackerus: *Hoc apertè refelli posse* ex vers.8.& 9.*vbi Moses dicit;hoc verbum esse totam legem.*Num ait;*totam legem scriptam? At Moses iubet, vt parentes doceant filios.* Num iubet, vt parentes doceant filios legem scriptã? Audi verba legislatoris. *Ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo, etc. Docebis ea filios ac nepotes tuos, &c.* Vbi ne verbum quidem de verbo scripto.

Savvbrãdus hic more suo syllogizat & calumniatur. Dicit, *Bellarminum negare scripturam esse perfectam*; cum Bellarminus hic neque perfectionis, neq; imperfectionis scripturę, vel vnico verbulo meminerit. Mentitur, *Bellarminum negare hanc Minorem syllogismi cuiusdam Savvbrandici: Ad verbum Dei scriptum nihil addi, neque de eo quidquam detrahi debet.* Mentitur iterum, Bellarminum dicere: *Verbum Dei non scriptum esse perfectum; scriptum; imperfectum.* Hæc omnia nihil aliud sunt, quàm Savvbrandica figmenta.

Rullus hunc cudit syllogismũ ex dictis, vt ait, Bellarmini: *Si in scripturis nusquam inuenitur nullum esse verbum Dei, nisi scriptum; tum scriptura non continet omnia: Antecedens est verum ergo & consequens.* Si Rullus tam sincerus disputator esset;quàm est Caluinista fuscus;Maiori hæc adiecisset; *tum ea non continet omnia; quæ hæretici huius temporis necessariò credi debere dicunt:* Nunc his omissis;non ad Bellarmini sententiam; sed ad sua somnia respõsat; *Connexionem Maioris non esse necessariam.* Imò maximè *necessaria* est. Si enim necessariò credendum est;nullum esse nõ scriptum Dei verbum;vt sectarij tradunt; & hoc non continetur in scriptura; sicut reuera non continetur in scriptura, vbi enim dicit scriptura,nullum esse Dei verbum nõ scriptum) necessariò sequitur;scripturam non continere omnia creditu necessaria. Qui necessitatem huius sequelæ seu connexionis non videt; hunc securè Rullis annumera. Ex quorũ numero iste noster nihil prorsus adfert,quod Bellarmini argumentum feriat. Tantùm vociferatur *nullum esse nõ scriptum Dei verbum.* Quid hoc ad rem in præsenti,vbi Bellarminus nihil aliud efficere molitur; quam ex sententia ipsorum Nouatorum aliquid necessariò credendum esse; quod non sit in scriptura: nempe *nullum esse non scriptum Dei verbum*. Hoc à se & à suis debebat iste amoliri; vel ingenuè confiteri: Quorum neutrum facit; sed versâ linguâ ad naniloquentiam cum omnia dixit; nihil dixit.

CAPVT V.

Esse aliquas veras traditiones demonstratur ex scripturis.

PRIMVM argumentum sumitur ex illis,quæ iam dicta & disputata sunt. Nam si scriptura non continet omnia,& necessarium est verbum traditum, sequitur esse aliquod verbum traditum; alioqui Deus non bene prouidisset Ecclesiæ. Respondet VVitackerus; *Deum optimè, & sapientissimè Ecclesiæ suæ prouidisse, ac præcauisse, quia, tradidit illi scripturas, quæ plenam, ac perfectam in se doctrinam continent; quanta sit cuiquam homini ad salutem necessaria.* Hæc sæpius iam audiuimus; at nunquã à VVitackero, aut alio eius symmysta probata vidimus. Itaque ad alia gradum promoueamus.

Secundum argumentũ sumitur ex variis scripturæ testimoniis. Primum est Ioan.16. vbi Christus ad suos discipulos: Multa habeo vobis dicere;sed non potestis portare modo. *Respondeo quatuor,* inquit VVitackerus. *Primùm; Hæc multa, de quibus loquitur Christus, non alia erant, quàm quæ prius docuerat Apostolos:* (credas, VVitackerum nõ tantum supra pectus Christi cũ Ioanne recubuisse;sed in ipso Christi pectore habitasse;vt mentem Christi liquidissimè intueretur;adeo asseuerãter asserit, per illud, *multa*; non intelligi alia;quàm quæ Redemptor noster antea discipulis dixerat & tradiderat) *quæ repetenda erant postea & explicanda, quia tum ea Apostoli minus intelligebant;quod essent paulò hebetiores.* (At Christus non dixit: Multa habeo vobis repetere, & explicare; sed; *multa habeo vobis dicere*: quod verbum non significat iam antea dictorum repetitionem;sed nouorum relationem,

& tra-

& traditionem.) *Ob eam caussam Christus Ioan.14. promisit illis Spiritum sanctum, qui illis, in mentem, memoriamque reuocaret omnia. Sed quae? num alia, quàm, quae ipse docuerat? Nequaquam: sed eadem planè, quae ipse prius dixerat illis. Faceret enim eos illa recordari, quae audierant: suggereret illis, atq; in memoriam reuocaret, quae obliti fuerant: quae verò non intellexerant, ea explicaret.*

Non negamus inter cætera etiam hoc fine Spiritum sanctum Apostolis datum; vt suggereret, & quasi in memoriam reuocaret; quæ à Christo ante passionem acceperat; sed negamus hoc tantummodo eius fuisse officium: Nam statim post illa verba: *Adhuc multa habeo vobis dicere, etc.* subiecit Christus: *Cum autem venerit spiritus veritatis; docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso, etc.* Quæ verba non tantum doctrinæ iam antea traditæ suggestionem, & in memoriam reuocationem; sed nouam doctrinam nouaq; dogmata indicant; quandoquidem expressè Christus dicit: *Docebit vos omnē veritatem, &c.* Deinde latinus textus Ioan.14. non habet; *quaecunq; dixi*; sed, *quaecunque dixero vobis*; ergo Christus etiam ea Spiritum sanctum Apostolis suggesturum promisit; quæ ipse post resurrectionem suam cum discipulis suis tractaturus erat; quando per dies quadraginta apparuit eis, deq; regno Dei collocutus est. Nam quòd iam Græca exemplaria habent ἃ εἶπον; *quae dixi*: non refert; quia facilis fuit ex ἃ εἴπω, in ἃ εἶπον transitio & mutatio.

Et quamuis textus Ioan.16. videatur innuere, illa *multa* quę Christus adhuc habebat discipulis dicere; fuisse postea à paracleto Apostolis dicta & annunciata; attamen cum ex cap.1. Actor. manifestè constet, Christum per quadraginta dies cum Apostolis varia de regno Dei; hoc est, de Ecclesia quoq; Christiana instituenda & gubernanda tractasse: omnino verisimile fit; Redemptorē nostrum, illa *multa* in tempus illud quadraginta dierum post resurrectionem suam reiecisse, vt ea tunc Apostolis iam quietioribus & securioribus explanaret. Hæc vbi scripta sunt? Vbi scripti sermones illi cum discipulis; qui insinuantur his verbis? *Loquens de regno Dei*: quia, vt rectè dicit Bellarminus, Euangelistę paucissima scripserunt de gestis & verbis Domini post resurrectionem. Dicere autē cum VVitackero; illud; *Adhuc multa, &c.* & illud: *Loquens de regno Dei*; nihil aliud *significare, quàm doctrinae à Christo discipulis ante passionē suam traditae, repetitionem; non vllius noui dogmatis adiectionem*; id nihil aliud est, quàm nugaces nugas agere.

Alterum, quod respondet VVitackerus est illud: *Quale hoc tandem est Papistarum argumentum, quod hinc efficiunt; Multa habeo vobis dicenda, quae nunc non dicam; quia vos non estis idonei, qui haec intelligatis; Ergo omnia non sunt scripta. Quis non videt, quàm nihil conclusum sit? quod enim medium est argumenti? quod vinculum? &c.* Nos vicissim ex VVitackero percōtamur: Qualis sic hæc criminando libido; argumentum Catholicorum de industria inuertere & peruertere? non enim argumentantur; vt ipse

A somniat; sed hunc in modum. Christus in vltima cœna ipsemet testatur, se multa adhuc habere; quę Apostolis dicat; quibus tamen capiendis minus tum idonei fuerint, ob iam iam appetentem Christi passionem & mortē: constat itidem Saluatorem nostrum post resurrectionem per quadraginta dies varia de regno Dei cum discipulis locutum; probabilissimum igitur est inter illa fuisse etiam hæc dogmata; quæ absq; scripto Ecclesia Catholica accepit; & continua successione ad posteros transmisit. Qualia sunt, de quibus Bellarminus capite superiore; item ea, quæ ad sacramentorum numerum, essentiam, administrādi præcipuos ritus & consuetudines primarias spectant; & de eodem genere cætera; cum de ser-

B monibus Christi post resurrectionem Apostoli paucissima literis consignarint. Hoc argumentū nostrum est: non illud quod VVitackerus nobis affingit: multoq; minus illud; quod impudentissim⁹ cauillator Savvbrādus hoc loco comminiscitur.

[*Quos Christus non omnia docuit ad salutem necessaria, illi nō potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere. Sed Apostoli sunt illi, quos Christus non docuit omnia ad salutem necessaria. Ergo, Apostoli non potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere.* Quid cum hoc sycophanta incipias? qui ruborē adeo ex vultu abrasit; vt hæc tam manifestè falsa audeat Bellarmino & Catholicis scriptoribus attribuere. Quis vnquam Catholicorum dixit: *Christum non tradidisse Apostolis omnia ad salutem necessaria?* Itaq; cum Savvbrandus

C hunc syllogismum insectatur & destruit, vanissimi cerebri sui simulacrum insectatur & destruit; non argumentum Bellarmini.

Obiicit VVitackerus. *Christus non dixit: Vos non scribetis omnia; aut, vos non cognoscetis omnia; sed, nunc non dicam, quae dicenda habui; quia, nunc nō potestis tam multa sustinere. Num ergo sequitur, eos postea aut non cognouisse omnia, aut nō scripsisse? nequaquam.* De cognitione non litigamus. De scriptione quæstio est. Nam consideratis & accuratius inspectis omnibus, planè sequitur, Apostolos non omnia scripsisse: quia Christus dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere;* Vbi ista *multa*, quæ post resurrectionem discipulis iam ad audiendū aptioribus dixit; conscripta sunt? Vbi scripta sunt illa, quę per quadra-

D ginta dies cum Apostolis de regno Dei locutus est? Quæ *multa* fuisse apparet ex ipsa temporis diuturnitate; De quibus enim rebus per quadraginta dierum interuallum non potest institui & absolui sermocinatio & collocutio?

Tertium VVitackeri responsum. *Vnde colligunt Papistae haec esse sua, quae Christus tacuit? Multa tacuit Christus: ergo sua ista tacuit. Fallacia est consequētis.* Ex testificatione Ecclesiæ, quæ veritatis columna & firmamentū est; scimus hęc nostra esse illa; non quę Christus tacuit; sed quæ Apostolis suis tradidit, ipsi autem in scripta nō retulerunt, sed viua voce ad posteritatem transmiserunt: quę VVitackerus hic subsannat, tanquā *nugas & naenias*; At insitatum existimari nō debet, si sannio sannas exerat.

Quartum

Digitized by Google

Quartum VVitackeri responsum. *Papistas imitari hæreticos; qui & ipsi ex hoc loco: Adhuc habeo vobis multa dicere, traditiones suas stabilire tentauerint;* eamque in rem citat D. Augustinum tract. 97. in Ioan. Eadem oggerit Savvbrandus; & maximè vrgent illa Augustini verba: *Quis est tam vanus, aut temerarius, qui, cum dixerit etiam vera, quibus voluerit, quæ voluerit, sine vllo testimonio diuino, affirmet ea esse, quæ tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc nostrum faciet, & non maximam culpam temeritatis incurret, in quo, nec Prophetica, nec Apostolica excellit auctoritas?* At expedita est responsio. Maximo discrimine traditiones Catholicæ Ecclesiæ; & hæreticorum dissidere. Quas enim Catholica Ecclesia commendat, eas esse sanctas, pias, laudabiles hoc ipso scimus; quod ab Ecclesia Catholica nobis proponuntur: illas hæreticorum, hoc ipso, quod ab hęresi proficiscuntur, scimus esse vanas, impias, & tam à Christo, quàm ab Apostolis alienas: vt taceam, plerasque, ita fuisse comparatas, vt scripto Dei verbo aduersa fronte repugnarent. Quod quidem isti de nostris itidē affirmant: sed si hoc tantis argumentis ostenderent; quantis clamoribus asseuerant; iam omnes traditiones debellatæ forent: verùm clamores non sunt probationes. D. Augustinus non loquitur de Catholicæ Ecclesiæ solidissimis & sanctissimis traditionibus; sed de hæreticis. Et quamuis suæ impietati robur ex dicto illo Domini: *Adhuc habeo vobis multa dicere*; tentarint petere; vnde & nos pro nostris argumentum ducimus; quid tum? Duo cum faciunt idem; non est idem. An non & Lutherani argumentātur pro suo errore ex verbis illis Domini? *Hoc est corpus meum.* An ideo absterrentur Caluiniani, quò minus ea pro sua quoque opinatione proferant?

Rullus obiicit: Ex illo Christi loco: *Multa adhuc habeo vobis dicere, &c.* potius colligi non esse, quàm esse traditiones, *quia Christus illa multa, quæ discipuli portare non potuerunt, tum non tradidit, quia tum illa non poterant portare.* At tradidit postea. Proba, non tradidisse; si potes. Ait, *alios aliter hunc locum explicare*: Citatque Liranum, & Glossam Interlinearem. Stolidè prorsus: nam Lirani expositio, sententiam Bellarmini expresse confirmat: & Glossa tantùm dicit: *multa illa, quæ Christus tum reticuit neminem habere determinare*: ita scilicet, vt in indiuiduo dicat; hoc vel illud determinatè & signatè esse vnum ex illis, quæ Christus tum reticuit.

Prædicto loco Ioan. 16. *Adhuc habeo vobis multa dicere*; annectit Bellarminus illum Ioan. vlt. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus. quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Ex quo constat multa Dominum fecisse & dixisse, quæ non sunt scripta; cur igitur in his non numeremus traditiones, quas Catholica Ecclesia veneratur & recipit? Respondet VVitackerus, *Ioannem ibi non loqui de doctrina Christi, sed de eius factis, id est, signis & miraculis* Quod

A prorsus futile est effugium: nam capite præcedēte disertè concessit VVitackerus, Christum & Apostolos non modò plura fecisse, sed & plura locutos esse, quàm scripta sint. Quid ergo nunc tergiuersatur & tricatur de dictis? quasi verò facta illa Christi non scripta, non inferant pariter dicta non scripta; quia Christus non perpetrabat miracula mutus; sed orationem adhibebat, nisi quis tam sit hebes, vt sibi persuadeat, Christum in omnibus illis miraculis patrandis, quorum conscriptio libros toti mundo implendo suppeditaret; nihil penitus vnquam locutum esse.

Secundò respondet VVitackerus: *non valere hanc consequentiam. Non omnia sunt scripta; ergo non omnia necessaria scripta sunt.* Hæc non est Bellarmini
B consequentia; sed VVitackeri lœdoria. Nostrum argumentum in hunc vel similem modum formari debet. Liquet Christum plura fecisse & dixisse, quàm scripta sint; ergo Nouatores mirari non debent, si dicamus, quędam non scripta, esse creditu ad salutem necessaria; cum id ratio manifesta euincat, vt capite superiore visum. Nam quod Nouatores ingeminant; *omnia ad salutem necessaria, esse litteris consignata*; id hactenus non demonstrarunt; neq; etiam in posterum aduersus apertissimam in contrarium rationem demonstrabunt. *At patres dicunt; ea, quæ scripta sunt, sufficere fidelibus ad salutem.* Vtique sufficiunt; quia monstrant, vnde reliqua non scripta peti debeant; monstrant, inquam, traditiones; & *depositorium*
C *illud diues* (vocabulo D. Irenæi vtor) in quod Apostoli dogmata à Christo sibi tradita manu plena & larga congesserunt.

Tertium VVitackeri responsum insignem & Caluinista dignā cauillationem continet; quam audi. *Ait Euangelista ea esse infinita: quæ nō scripta sunt: ergo, si Papistarum Traditiones intelligat, tum illæ infinita sunt: vt ne totus quidem mundus eas capere possit. Aut fateantur igitur suas Traditiones esse infinitas, nec posse ab ipsis enumerari, aut hunc locum de illis non intelligi concedant.* Quàm futilis nugator. Suprà dixeras, *doctos in his verbis hyperbolen quādam familiarem agnoscere; cuiusmodi sæpe in scripturis occurrat; vt, cum legimus, tantam fuisse copiam auri, & nummi, quantam lapidum, & luti: ciuitatis muros altitudine sua cælū attigisse: Israë-*
D *litas similes fuisse cicadis in conspectu Cananæorum.* Cur ergo hanc tuam de hyperbole confessionem nō accommodas quoq; ad materiam traditionum, nisi quia cauillandi & criminandi vndique occasionem cupidissimè arripis? Deinde; vt nulla illa in oratione hyperbole inesset, non tamen sequeretur, traditiones Catholicæ Ecclesiæ esse infinitas & innumerabiles: quia ex infinitis factis, dictis & præceptis Christi, nulla penitꝰ traditionis nomen haberent; prout nec habent; nisi quæ à Catholica Ecclesia nobis propositæ essent: Illæ autem certo numero concluderentur; sicut iam quoq; reipsa certo numero concluduntur. Quocirca in fumum abit VVitackeriana de infinitate traditionum sycophantia; nam Ecclesia non

omnia

A omnia dicta & facta Christi, sed quædam ex illis nobis credenda & obseruanda tradidit. Nil hic notat Iunius, quod peculiari refutatione egeat; Ex dictis omnia ruunt.

Savvbrandus consuetam insaniam insanit. Ex testimonio S. Ioannis hunc syllogismum cudit; & fronte perditissima Bellarmino affingit. *Quod non continet omnia ista, quæ Christus fecit, illud non continet doctrinam ad salutem necessariam. Sed scriptura non continet omnia ista, quæ Christus fecit. Ergò scriptura non continet omnia ad salutem necessaria. Quæ poterunt caput hoc satis expurgare cicutæ?* Seriò mihi persuadeo; hunc Caluinistam validissimè delitare. Quis sani capitis tam [illegible] foret; vt hæc tanta mendacia chartis illinere auderet? & vt delirium congeminet; neque bonam syllogismi for- B mam retinet; cum in conclusione *terminum*, OMNIA, admisceat, qui in Maiore cum Maiore extremo non iungitur, prout iungi debebat; si iste sycophantari nolebat. Neque in his immorandum arbitror; quia vanitate sua propria sese destruunt ac euertunt.

Ad locum Act. 1. Respondet VVitackerus; nō esse probam hanc consecutionem. *Christus post resurrectionem sæpe versatus est cum discipulis, & multa dixit iis de regno Dei, ergo tradidit eis ea, quæ non sunt scripta.* Iam supra ostendimus ex prædicto Actuum Apostolicorum loco, consequentiam admodum probabilē formari posse; si id faciat Candor, non liuor. Nam multa egit post resurrectionem cum discipulis de regno Dei; & tamen pau- C cissima ex his, quæ cum discipulis post resurrectionem locutus est, in litteras relata sunt; ergo non iniuria suspicamur, imò & credimus, partem eorum esse traditiones, quas Catholica Ecclesia amplectitur. Neque absterremur criminationibus illis VVitackerianis. *Fateor de regno Dei locutum esse Christum multa; de traditionibus Papisticis ne verbum quidem.* Scilicet VVitackerus sermonibus Christi aderat; & quid quouis congressu in colloquium venerit; auidis auribus hauriebat; alioqui tam affirmatè hoc non assereret; At vt VVitackerū VVitackerianis verbis repellamus; *nos eius affirmationem pro argumento non recipimus. Opus est argumentis, non assenerationibus.*

Savvbrandus hic iterum profligatissimè men- D titur. Accipe non syllogismum, sed impurissimi oris & calami mendacissimum figmentum. *Quod non continet ea, quæ pertinent ad regnum cælorum, hoc non continet perfectam doctrinam salutis. Sed, scriptura non continet ea, quæ ad regnum Dei spectant. Ergò, scriptura non continet perfectam doctrinam salutis.* Dic, os impurum; vbi formauit Bellarminus hunc syllogismum? Vbi vel obscurissimè tale syllogismi portentum ex loco Actuum procudi posse insinuauit? Vbi prædictam Minorem protulit? Et tamen sceleratā audaciā subdis. *Bellarminus probat Minorem: quia scriptura non continet ea, quæ Christus per quadraginta dies apud discipulos suos dixit.* Hūccine locum produxit Bellarminus probandæ illi

A Minori, quā ex amentissimo tuo capite texuisti? huic, inquam. *Sed scriptura non continet ea, quæ ad regnum Dei spectant.* O frontem non minus ac Caluini scapulas liliis inurendā. O genium Caluinisticum omnes moderationis & modestiæ fines transgressum! Ex qua impudentiæ infinitate; hunc etiam syllogismum ad Bellarminum, vt ad auctorem, refert: *Scriptura non continet ea, quæ Christus per XL. dies apud discipulos suos dixit: sed ea pertinebant ad regnum cælorum. Act. 1. Ergò scriptura non continet perfectam doctrinam salutis.* Ferte citi pedicas, & compedes; vt amentem istum alligemus; ne si liber maneat; non modò aliis, sed & sibi exitium afferat.

Ad locum ex cap. 21. Ioannis respondet Rul- B lus, *nihil posse proferri quod probabiliter saltem iudicari posit à Domino certò dictum vel factum esse: ac proinde Ioannis testimonium nil traditionibus suffragari.* Sed Rullus solitum mentiendi artificium factitat: nam, vt ex plurimis vnum duntaxat nominem; Sacramentorum formas, quæ in sacris litteris non exstant; à Christo esse; certò exploratum habemus; quia certò nobis compertum est, neminem, excepto Christo, ea, quæ ad Sacramentorum essentiam pertinent, definire, constituere ac instituere posse. Valde autem necessarium erat, scilicet, vt Rullus hic ex Lirano & Glossa ordinaria Bellarminum doceret; verba illa D. Ioannis: *Nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros,* &c. tropicè intelligi debere de ca- C pacitate legentium tantis & tam excellentibus rebus capiendis non suffectura; quia, præter Rullum, nemo aut Glossam aut Liranum legerat; adeo abstrusi sunt & reconditi duo isti auctores.

Ad locum ex Actis Respondet Rullus: *neminem scire; quid Christus cum discipulis post resurrectionem per illos quadraginta dies locutus fuerit.* An non S. Lucas dixit; Eum locutum esse *de regno Dei?* Quæso, quid hoc nomine, præter cætera, intellexit; quā militantis Ecclesiæ statum, dispositionem & *σύνταξιν*? Quapropter licet S. Lucas non dicat; hæc vel illa Christum in specie cum Apostolis locutum; tamen cum certum sit, non locutum cum Apostolis de fabulis Milesiis, aut Mercurij Bel- D gogallici narratiunculis, non immeritò nobis persuademus, pleraque ex iis, quæ Ecclesia absq; scripto obseruat, eorum numero comprehendi, quæ tunc Christus cum Apostolis tractauit.

Calumniatur Rullus, Bellarminum *audaciorem esse Glossa Ordinaria & Lirano; quippe qui contenti narratione Lucæ dicant, Christum, de Euangelio, Ecclesia, regno & beatitudine cælesti locutum.* Scilicet, qui de mysteriis, quæ traditionibus continentur; agit: is non agit de Euangelio; & Ecclesia, hoc est, de rebus ad Euangelium & Ecclesiam pertinentibus. Quis hoc affirmat? Nec Liranus, nec Glossa; sed glossa Rulli, eaque mendaciorum loquacissima & feracissima.

Digitized by Google

Secundum principale scripturæ testimonium à Bellarmino citatum sumitur ex 1. Cor. 11. vbi Paulus duas quæstiones tractat; vnam, de modo orandi in Ecclesia: alteram, de modo sumendæ Eucharistiæ. Primam exorditur à traditione. *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* At hæc non sunt scripta, inquit Bellarminus: *Et vt hoc probet, profert Chrysostomum, Theophylactum, Epiphanium, & dicit, alios Patres proferri posse: ergò sunt reuera traditiones aliquæ Apostolicæ non scriptæ.* Respondet VVitackerus: *Concedi potest, hæc nusquam esse in sacris scripturis conscripta, de quibus Paulus hic loquitur: & tamen nihil inde contra caussæ nostræ defensionem colligi potest. Nam si de liberis institutis, & cæremoniis indifferentibus, ac non necessariis loquatur Apostolus, istam rem non attingit, nec improbat, quod nos defendimus. Non enim dicimus, omnes liberas cæremonias esse nominatim in scripturis traditas, vt, quemadmodum se gerere debeant homines in sacris cœtibus, & huiusmodi, quas esse varias; & commutabiles, pro temporum, & personarum ratione, minimè ignoramus: de cærimoniis, inquam, liberis, quæ ad externam tantum politiam & decorum pertinent, non contendimus, sed de necessaria doctrina.*

Hisce tam multis verbis nil aliud agit VVitackerus, quam vt nebulas spargat; quibus veritatem obnubat, & obnubilet. Nam Apostolus ea, quæ tradiderat, vocat *præcepta*. At præcepta non significant liberos ritus & cæremonias; quas vel obseruare vel negligere liceat; sed ea; quæ obseruandi necessitatem pariunt. Et quamuis Græcus textus habeat *παραδόσεις*, id non refert; quia etiam præcepta sunt *παραδόσεις*. Hinc noster interpres *præcepta* reddidit. Cum ergo Apostolus laudet Corinthios, quod præcepta à se data sollicitè custodiant; omnino indicat; se non loqui de huiusmodi ritibus, quales VVitackerus comminiscitur. Qui inanitatem sui responsi animaduertens, hoc alterum adhibet.

Demus, doctrinam necessariam hoc loco παραδόσεων nomine significari; & sanè existimo intelligi omnem doctrinam ab Apostolo traditam. quia ait, ὅτι πάντα μου μέμνησθε: &, post traditionis vocabulo Eucharistiam complectitur: sic de summa totius doctrinæ loquitur; in qua, alia erant necessaria, ac perpetua, alia libera, quæ inflecti, mutarique possent, pro ratione circumstantiarum in specie, non in genere. Nam omnia erant ad εὐσχημοσύνην, & οἰκοδομὴν referẽda. Quid tandẽ hinc infers? *Fatemur, totam doctrinam Apostoli non tum fuisse scriptam, cum illa Epistola ad Corinthios scripta est. Num, ex eo sequetur, ne nunc quidem totam esse conscriptam? nulla certè vi loci huius, aut argumenti. Nos quidem fatemur, non omnia statim esse scripta; sed postea, cum omnes sacri libri editi sunt, omnia copiosè scripta esse dicimus.* At si ea; quæ his verbis D. Paulus præcepta sua appellat; postmodum scriptis consignata sunt; monstret, obsecro, nobis VVitackerus; vbi nam, in quo libro; in qua Epistola; in qua parte libri; & in qua parte Epistolæ consignata sint: quod VVitackero arduum non erit; si certò compertum habet; traditiones illas, postero tempore in chartam esse missas. Nam si librum, librique locum monstrare nescit; qua ergò mente tam incunctanter ait? *Præcepta hæc fuisse deinceps litteris consignata.*

Neque hic destituit Savvbrandum mentiendi, & sycophantandi alastor. Vbique peruertit disputationis Bellarminianæ scopum, qui hoc loco alius nõ est; quàm ex sacra scriptura ostendere, esse aliquas veras traditiones. Quid Caluinisticus alastor? *Bellarminus dicit: Si traditiones tenendæ sunt, tum scriptura non continet perfectam doctrinam salutis. Nam; præter quod aliud tenendum est, illud non continet perfectam doctrinam salutis. Sed, præter verbum scriptum, aliud, nempe traditiones tenendæ sunt. Ergò, verbum scriptum non continet perfectam doctrinam salutis.* Hæccine Bellarminus hoc loco? Hæccine Bellarminus de hoc Apostoli testimonio disserens? Ne ipsa quidem pseudologia, & *ἀναισχυντία* hoc affirmare ausit. Et tamen hoc audet Savvbrandus; vt proinde mentiendo; mendacium; & pudorem proculcando; ipsam impudentiam longissimè exsuperet.

Ex qua vanitatis immensitate sic etiam affatur Bellarminũ: *Disputas in hunc modũ: Apostolus nõ scripsit perfectam salutis doctrinam ad Corinthios; ergò ad alios non scripsit. Vel; Paulus tum non scripsit perfectam salutis doctrinam, ergò nunquam scripsit. Vel; Paulus non scripsit perfectam salutis doctrinam; ergò reliqui Apostoli non scripserunt. Expende ipse hos paralogismos, & animaduertes fraudem.* Expende, lector Christiane, putidissimas hasce Caluiniani huius criminationes; & animaduertes plusquam diabolicam mentiendi impotentiam, pruriginem, & libidinem. Nulla harum consecutionum est à Bellarmino. Omnes in istius pessimè sana phantasia procusæ sunt. Miror vllum mortalium reperiri, qui tantã Savvbrandi mendaciloquentiam tolerare queat. Etiamsi Lutheranus, aut Caluinista forem; *indoctissimam* istius mendacitatem toto pectore detestarer.

Quod Apostolus per illud, *omnia*; non simpliciter totam suam doctrinam intelligat, sic Savvbrandus demonstrat. *Non dicit Paulus, quod meministis omnia mea; sed, quod memores estis, siue meministis mei per omnia, vt rectè reddit vetus interpres. Est enim ellipsis κατὰ.* At Savvbrandus inprimis contradicit suo symmystæ VVitackero; qui, vt vidimus, secus statuit. Deinde nec versio vulgata nobis officit: nam laudat eos; quod *per omnia*, hoc est, *in omnibus*, quæ ipsis tradiderat & præceperat; sui memores essent: Is enim vel maximè legislatoris *per omnia* memor est, qui *omnia* eius mandata diligenter custodit.

Obiicit Savvbrandus: *Si hic sensus esset, potius dicendum fuisset: ὅτι πάντα τά μου μέμνησθε.* At nil necesse, vt iste doceat Apostolum Græcè loqui vel scribere; quia indignum facinus est, vt imperitus peritum, sus Mineruam docere instituat. Scilicet

Apo-

Apostolus *atticissabat*, vt nullam vnquam particulam à politioribus adiici solitam prateriret. Mirum Erasmum & Bezam, qui vertunt; *Omnia mea meministis*: non vidisse locutionis defectum, quem tam acutè Savvbrandus aduertit.

Rullus dicit ex hoc Apostoli loco probari quidem præscriptas fuisse à Paulo Corinthijs *de decore & honestate leges ad Ecclesiasticam politiam spectantes; sed illas traditiones iam non exstare.* Vnde hoc compertum Prædicanti? Vbi hoc scriptum in sacris Bibliis? Mitto dicere; falsum esse, hunc locum de ritibus tantum, capi debere.

Huic secundo principali testimonio adiungit Bellarminus etiam hoc. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Vbi iterū traditionis mentio est. Respondet VVitackerus. *Ergóne sequitur aliquid non scriptum, esse necessarium? Nequaquam. Docet enim Apostolus statim, quid illud sit, quod ipse acceperat à Domino, & quod tradiderat Corinthiis. Dominum Iesum eadem nocte, &c. quod non ipse tantùm hoc loco scribit, sed & tres etiam Euangelistæ scripserunt Matthæus, Marcus, & Lucas.* At non erat, cur tam operosè probaret VVitackerus Apostolum scripsisse ea; quæ de Eucharistia prius se Corinthiis tradidisse memorat; Non enim id inficiatur Bellarminus; tametsi profectò nunquam nobis ostender, Apostolum, aut vllum alium omnia simpliciter scriptis mandasse, quæ prius viua voce Corinthiis tradiderat. Etsi enim, postquam dixerat; se id, quod tradiderat, à Domino accepisse; statim institutæ Eucharistiæ historiam subtexuit; nusquam tamen indicat, se tunc omnia, quæ prius tradiderat, in litteras retulisse; nullo penitus omisso capite. Sed Bellarminus in his Apostoli verbis non collocat totum argumenti sui præsidium; sed potius in his, quibus tractationem de Eucharistia concludit. *Cætera, cum venero disponam.* Quid autem disposuerit, nusquam scriptum est. Respondet VVitackerus: *Apostolum loqui de rebus leuioribus, nempe de externis quibusdam ritibus ac cæremoniis ad ordinem & decorum pertinentibus*; Et hoc indicare verbum διατάξομαι citatque pro sua sententia Chrysostomum. Longè iustius censent Catholici Apostolum nō modò disposuisse, quæ ad ritus & cæremonias pertinebant; sed etiam tradidisse alia grauiora, vt de ordinatione Ministrorum, de sacrificio altaris, de aliorum Sacramentorum forma & materia; nec hæretici possunt vllo modo contrarium ostendere; vt rectè monet Bellarminus. Nam illud τὰ λοιπὰ, *cætera*; æquè significat res magni momenti ac eas, quæ sunt parui ponderis. Et falsum est; verbum διατάξομαι, indicare tantummodo *dispositionem & constitutionem de rebus leuioribus*; nam & illæ sanctiones, quæ de grauissimis rebus decernunt & ordinant; verè dicuntur διατάξεις & διαταγαί: subitò mirari, ex quo tandem Vocabulario VVitackerus notionem illam suam expiscatus fuerit. Quā tamen amplectitur & tantum non exosculatur Iunius quoque. Hinc fronte indurata in hæc verba erumpit. *Verbum ipsum διατάξομαι confirmat euidenter Paulum de ordine ac ritu Ecclesiastico, non de rerum substantia agere.* Nimirum Caluinistis non tantum res, sed & verba ad arbitrium seruire coguntur. Scilicet, quando Christus Eucharistiam vel baptismum instituit; tunc non διέταξε vel διάταξε, *non disposuit; non ordinauit*; non διέταξε, nō, *constitutionem* fecit. Qua de caussa? Quia *verbum διατάξομαι, quo vsus Apostolus; tantummodo significat ordinem & ritum Ecclesiasticum; non ipsam substantiam rerum; at instituere baptismum, & Eucharistiam, pertinet ad rerum substantiam.* Pulchra sanè ratiocinatio; si nomenclaturam tam honestam deliratio meretur.

Nec felicius alia Bellarmini vellicat Iunius. Dicit Bellarminus, præcepta de modo orandi & sumendi Eucharistiam; quæ Apostolus se Corinthiis tradidisse scribit; nusquam reperiri scripta. *Falsum*; clamat Iunius. Quî falsum? *Nam & quæ antè tradiderat sermone Paulus de illis rebus, ibidem perscribit, vt ipse nominatim dicit.* (Somnias Iuni. Vbi dicit Apostolus, se omnia iam scribere, quæ prius tradiderat viua voce?) *Et, quæcunq; præcepta sunt essentialia, & per se Ecclesiæ necessaria, ea quàm fidelissimè perscripta sunt*; (Num omnia? vbi? A quo? Quando? quid nobis cum tuis affirmationibus? Proba tandem aliquid.) *De ritualibus verò agit deinceps Apostolus in eo loco.* (Num de omnibus? Num duntaxat de liberis; quas cuiuis integrum sit seruare, vel non seruare?) *Quòd si ne ritualia quidem nonnulla putauit reticenda, quis homo sanus affirmare audeat non haberi de scripto ea, quæ sunt essentialia?* (Pulchra consequentia. *Apostolus ritualia quædam litteris consignauit; ergo omnia essentialia litteris commendauit.* Arguté.)

Demonstratur hoc I. ex ipsius Apostoli verbis in toto capite. (Ait Iunius, *Demonstratur hoc*; Et tamen nō demonstrat. Si demonstratur, à quo demonstratur? Tuum hoc erat demonstrare. Num tua asseueratio est demōstratio? Fortè discipulis tuis: Nobis nequaquam.) *II. Bellarmini ipsius confessione. Nam Paulum non ait tractare de substantia rei, sed de modo orandi in Ecclesia, & sumenda Eucharistia, id est, de ritibus eò pertinentibus.* (Vbi dicit Bellarminus; Apostolum non tractare de substantia rei, verbis illis: *& sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis,* &c.) vbi dicit; his verbis tantum *cæremonias quasdam liberas innui*; nihil verò obseruatu necessarium? Nam quòd modum orandi & sumendæ Eucharistiæ tantummodo nominat; an ideo censuit, Apostolum nihil tradidisse, quod vel substantiam rei alicuius complecteretur: cuiusmodi est ordinatio ministrorum Ecclesiasticorum; sacrificium altaris, & alia, quæ supra ex Bellarmino recitata sunt? Et has ipsas orandi & sumendę Eucharistiæ traditiones; num Bellarminus pro liberis habuit? Neque enim bona est hæc consequentia. *Est tantum ritus, ergo obseruatu liber. Est tantum cæremonia; ergo libera.* Nam & ritus & cæremoniæ, & mo-

x modi substantiæ rei ab Apostolis præcipi potuerunt: Et de facto etiam præcepti sunt.

Addit Iunius. *Patres testari omnia essentialia; hoc est, creditu & obseruatu necessaria ab Apostolo perscripta:* citatque Chrysostomum; Theophylactum; Basilium, quorum nullus hoc, pro quo adducitur, dicit. Verba Chrysostomi sunt hæc ex Hom. 26. in 1. Cor. 11. *Quoniam ergo de his omnibus, eos, cum adesset, admonuit; & fortè alij quidem audierunt, alij verò non paruerunt, propterea etiam per Epistolam eis rursus, tanquam bonus, & sapiens medicus, verba infundens peccatum corrigit.* Num hic indicat D. Chrysostomus *omnia essentialia*, vt loquitur Iunius, à D. Paulo esse conscripta? Imò ne hoc quidem indicat; à D. Paulo omnia esse in litteras relata, quæ prius Corinthiis tradiderat; & à quorum obseruatione Corinthios commendat; Tantum dicit Chrysostomus, Apostolum iam per Epistolam iterum instare & vrgere; vt quæ tradiderat, sedulò custodiantur: Et quia præceptis prius traditis aliquid deesse videbatur; adiecit; vt viri in Ecclesia orent capite aperto, mulieres velato.

Exerit Iunius dentes in Damascenum, tanquam in nimium traditionum propugnatorem, *vergente iam sæculo, iniustè in iniusta caussa*, nimirum in defensione imaginum; quæ huic Copronymiano pullo iniusta videtur. Sed nil insolens; si filius genium parentis ingeneratum habeat; eoque calefactus agitetur.

Redeo ad VVitackerum; qui falsat falsatumque abs se Chrysostomum allegat. Verba Caluinistæ hæc sunt: *Chrysostomus non malè interpretari hæc verba videtur. Existimat vel significari hoc verbo clariorem explicationem eorum, quæ scripta sunt; vel, res quasdam leuiores, atque exigui momenti, quæ minimè vrgenda sunt.* Non est hic Chrysostomi commentarius; sed VVitackeri commentum. Ita enim D. Chrysostomus: *Vel alia quædam, vel hoc idem significat.* paulò post: *Vel de hac re loquitur, vt dixi, vel de aliis non multum vrgentibus.* Quæ longè aliter sonant, ac illa VVitackeriana. Nam per res non *multum vrgentes* non intelligit *res quasdam leuiores atque exigui momenti, quæ minimè vrgendæ; quæque non magno momento prædita sint*: vt iste paraphrastes & metaphrastes Chrysostomi interpretatur; sed eiusmodi res; quarum dispositio & explicatio absque vllo incommodo in aduentum Apostoli differri poterat; vt proinde nulla esset necessitas, cur eas litteris, quas tunc exarabat, commendaret: licet in se graues, magnique ponderis essent. Hic verus & legitimus est Apostoli sensus.

Subdit VVitackerus. *Demus, hæc esse necessaria, quæ Apostolus cum venerit, se διατάξειν pollicetur, num ea nusquam scripta sunt? Et, si in hac Epistola non sunt scripta, num in aliis proinde scripturæ locis nusquam scripta inueniri possunt?* Si scripta sunt, monstra locum, vbi scripta sint? Nisi hoc feceris; nunquam
A nobis fidem facies, scripta esse; quidquid demum garrias. Neque enim vllo modo credibile est te scire scripta esse; si nescias, vbi scripta sint; & quæ nam speciatim illa sint. Aut si tu hæc nescis, nec monstrare potes, da succedaneum, qui id tuo loco præstet.

Tertiò respondet VVitackerus; *Si neque hic, neque alibi sint scripta, num sequitur ea fuisse, quæ illi in suis traditionibus numerant?* Omnino: quia cum Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis; has autem traditiones, quas tuemur, tanquam diuinas & Apostolicas nobis tradiderit; dubitare nequimus, quin verè sint diuinæ & Apostolicæ; hoc est; tam à sancto Paulo, quàm ab aliis Apo-
B stolis profectæ.

Ait Bellarminus, Hæreticos non posse ostendere, inter illa, quæ Apostolus se præsentem dispositurum dixerat; non fuisse ordinationem Ministrorum Ecclesiæ; sacrificium altaris, materiam & formam aliorum Sacramentorum. Ad quæ VVitackerus satis thrasonicè. *Ego profiteor, me posse ostendere non ex incerta suspicione, sed ex illustri scripturæ auctoritate.* Quam gloriosè. Fac ergo quod tanto supercilio te posse iactas. Promissum exsolue.

Ais. *Si illa hic intelligantur, quæ Papistæ tanti faciunt, sacrificium altaris, ordinatio ministrorum, institutio, & huiusmodi; tum quædam necessaria nondum fuerunt Corinthiis tradita, cum Apostolus hanc Epistolam*
C *scriberet. Dicunt enim Papistæ, sua hæc esse in primis necessaria: sed omnia necessaria Corinthiis ab Apostolo abundè tradita fuerant, antequam hanc Epistolam ad illos mitteret, vt patet ex 1. Cor. 1. vbi ait, illos ἐν παντὶ fuisse ditatos, & locupletatos: ἐν παντὶ λόγῳ, καὶ πάσῃ γνώσει. Et ex cap. 15. vbi ait; Notum vobis facio fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod etiam seruabimini, si in eo maneatis, &c. Vnde manifestum est, Apostolum integram, & perfectam doctrinam illis antea tradidisse. Aut ergò Papistis negandum est sua esse necessaria, aut contra apertissimam hanc Pauli orationem dicendum, non omnia necessaria tum fuisse Corinthiis tradita.*

Quàm egregiè præstitit, quod tanto hiatu pollicitus fuerat: cuius nebulæ & hallucinatio-
D nes hac vnicæ distinctionis luce penitus dissicientur. Dogma aliquod creditu necessarium est; postquam traditum, explicatum, & sufficienter propositum est. Itaque licet iam dogmata de ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, de sacrificio altaris, de materia & forma aliorum Sacramentorum & similia, creditu sint ad salutem necessaria; quia abunde explicata & sufficienter Ecclesiæ filiis proposita sunt; antequam tamen Apostolus hæc Corinthiis plenè & perfectè traderet, explanaret, exponeret, non erant Corinthiis creditu necessaria ad salutem; Nemo enim tenetur id credere; quod neque Ecclesiæ adhuc traditum; neque etiam ab Ecclesia sufficienter propositum est. Et tamen

hoc non obstante, Corinthij instituti & informati erant in omnibus ad salutem necessariis; quia tunc non erant illis plura necessaria; quàm Apostolus illis tradiderat. Ditati etiam fuerant & locupletati in omni sermone & cognitione; quam scilicet eousque acceperant.

Dices. *Absurdum videri, dicere. Corinthios nihil sciuisse de sacrificio Altaris, & ordinatione Ministrorum cum Apostolus ad eos primam Epistolam misit; quandoquidem Eucharistiam conficiebant, administrabant; sumebant; quod sine legitimis Ministris fieri non potuit; nec, vt apparet, sine aliqua cognitione Sacrificij: quidquid sit de aliorum Sacramentorum materia & forma: Videtur ergo falsum. quod Bellarminus tradit; inter ea quæ Apostolus disposuit; non fuisse tantum ritus & cæremonias; sed & alia grauiora, vt de ordinatione Ministrorum, de sacrificio altaris*, &c. Respondeo, vt aliqui cognitionem harum rerum habuerint; omnes tamen habuisse explicitam non sit credibile; neque enim Apostoli vna vice omnia omnibus pandebant, ne ob intellectus imbecillitatem & tenuitatem obruerentur; sed paulatim procedebant, donec in auditorum animis Christus perfectè formaretur. Nec à vero abhorret; illos ipsos, qui de his mysteriis aliqua cognitione imbuti erant; habuisse duntaxat generalem quandam & indistinctam notitiam; per aduentum & super additum Apostoli magisterium, specialem & distinctam cum cæteris adepturos.

His ita expositis, vbi nunc manet VVitackeriana iactantia; vbi magnidica illa & basilica dicta? *Ego profiteor me posse ostendere.* Vbi thrasonissimus ille? *Licet præposterum sit, & iniquum, quòd nos Bellarminus aliquid hoc loco probare iubet, cum ipse nihil possit. & legem disputandi immutat; tamen illius desiderio satis fecimus, & contrarium apertè ostendimus.* Apertè ostendisti? Imò ne tenebricosè quidem. Nihil hac tua ostensione insulsius, nihil inscitius; quod etiam Savvbrando dictum sit; qui imperitiam hanc à VVitackero mutuatus est, & syllogismo perquam festiuo vestiuit: qui & in cæteris hic antiquum obtinet. Cauillatur, calumniatur, mentitur immoderatissimè & intemperantissimè.

Dictum est supra, & propter capitis huius duritiem sæpius dicendum erit, Bellarmini scopum hîc alium non esse; quàm ex scripturis ostendere; aliquas veras traditiones exstare. Eo fine adducit & hunc locum: *Cætera cum venero, disponam.* Savvbrandus iterum extra orbitam saltans; criminatur, Bellarminum hoc testimonio probare; Apostolum non scripsisse omnia ad salutem necessaria. Itaque hunc syllogismum fabricat: *Qui adhuc quædam disponet, ille non scripsit omnia ad salutem necessaria. Sed Apostolus adhuc quædam disponet. Ergò, Apostolus non scripsit omnia ad salutem necessaria. Nos negamus Minorem*, inquit Caluinista. Stolidè prorsus, quia si quam fanatici tui syllogismi præmissam negare cogitabas; *Maiorem* potius, quam *Minorem* negare debebas; quia hæc apertè est ipsius Apostoli; dicentis: *cætera cum venero, disponam*. Format deinde multas consequentias; quarum nulla Bellarmini est; aut vllius sobrij capitis. Omnes furore ebrius Savvbrandus euomuit: Vt, *Apostolus tum quædam dispositurus erat: ergo non scripsit omnia ad salutem necessaria.* vel; *ergo Paulus & reliqui Apostoli non scripserunt omnia ad salutem necessaria*, &c. Istæ consecutiones sunt Savvbrandicæ delirationes. Nam si Bellarminus vel alius ex hoc loco aliquam consequentiam formare vellet; sic eam institueret. Ait Apostolus; *se quædam cum venerit dispositurum; & tamen quæ nam illa sint; neq; ipse scripsit; neq; alij Apostoli; neq; Hæretici ostendere possunt, vbi nam illa, quæ Apostolus præsens constituit & disposuit, scripta sint; licet ingenti clamore vociferentur ea esse scripta: ergo non omnia scripta sunt, & per consequens, traditiones non scriptæ admitti debent.*

Mentitur Rullus istud argumentum esse Bellarmini hoc loco. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, ergo sunt traditiones*: non ita argumentatur Bellarminus, sed horum verborum: *Ego enim accepi*, &c. meminit; vt veniret ad illa: *Cætera autem cum venero, disponam.* Ex his enim quæ sunt disputationis de Eucharistia clausula; directè colligit; traditiones exstare. Quanquam, vt maximè ita argumentatus fuisset Bellarminus; nihil reprehensione dignum commisisset; Vocabulũ enim *tradendi* eo loco accipi pro institutione viua voce facta; rectè docuit cap. 2. Et quamuis quæ prius tradiderat viua voce, postmodum Epistola ad Corinthios data complexus est; omnia tamen quæ prius sermone duntaxat tradiderat; complexum esse; vnde compertum Rullo?

Ad illud: *Cætera autem, cum venero, disponam*; respondes Rullus; *non sequi, iam quoq; exstare illas dispositiones non scriptas, de quibus eo loco Apostolus.* Si non supersunt amplius; quando interierunt? Cedo, sodes.

Secundò dicit; *Pauli testimonium esse impertinens; cum non dicat hac nostra ætate fore traditiones non scriptas; sed polliceatur duntaxat dispositionem eorum; quæ ad bonum ordinem in Ecclesia Corinthiaca seruandum pertinebant.* Si quis verba Apostoli attentius inspiciat; intelliget Rullum sycophantari: non enim dicit S. Paulus: *Cætera, quæ ad bonum ordinem pertinent; disponam, cum venero*; sed generatim: *Cætera*; quo vocabulo includuntur omnia, siue ad dogmata; siue ad bonum ordinem, siue ad ritus pertineant. Nec refert; quod Corinthios ea in Epistola alloquatur: Nam vt tota Epistola non ad solos Corinthios, sed ad totam Christianam Ecclesiam pertinet; licet solis Corinthiis sit inscripta: sic & dispositiones, quas se præsentem dispositurum promisit, promisso postea fideliter persoluto; non tantùm ad Corinthios, sed ad vniuersam pertinent Ecclesiam; quia in Corinthiis instituit Apostolus vniuersos, tanquam vniuersalis omnium Doctor & institutor. Neque vel vnico verbulo insinuauit Apostolus; se nolle; vt hæ dispositiones transmittantur ad posteros;

fteros; sed vt paulatim cum tempore interci-dant. Cui enim fini aut bono hoc voluisset Apostolus? Num forsan, qui *omnibus omnia factus est: vt omnes lucrifaceret*, inuidia laborauit; vt posteritati saluberrimas illas διατάξεων constitutiones, & decreta inuideret? Itaque si D. Paulus dixisset: *Cætera autem, cum venero, disponam; sed in vsum duntaxat vestrum, non posterorum*; aliquid Rullus contra Bellarminum ageret. Nunc quid agit? λήρει.

Mox mendacia agglomerat. I. *Bellarminum scribere ἀσύστατα, repugnantia.* Quare? *Quia paulo ante fassus est, quid Apostolus disposuerit, nusquam scriptum inueniri: hic verò quid nam illud sit, quasi certò cognitum esset, commemorat.* Qualis repugnantia? Nusquam exstat scriptum; videlicet, in scripturis sanctis. Et tamen scitur, nimirum ex traditione. An sola scriptura est hæc talia sciendi modus & medium? Nec vtitur Bellarminus illis vocibus: *Certo cognitum est*; sed: *meritò censent Catholici.*

II. Mend. *Verbum διατάξομαι tantùm significare dispositionem circa ritus*: de quo supra contra Iunium & VVitackerum.

III. Mend. *Idem docere Thomam Aquinatem, his verbis: Cætera, scilicet, quæ non sunt tanti periculi, cum venero, præsentialiter disponam, qualiter scilicet ea conseruare debeatis.* Hæc S. Thomas, quæ Rullanam stultitiam minimè confirmant; nam & aliis quibusdam, licet ad dogmata pertinerent, absque iactura Corinthij carere potuerunt vsq; ad Apostoli aduentum; & non tantum nonnullis ritualibus.

IV. Mend. *Bellarminum manifestam antilogiam committere.* Quamobrem? *Quia dicit Apostolum, non solum disposuisse, quæ ad ritus & cæremonias pertinebant; sed etiam alia grauiora; & tamen ea grauiora, quæ enumerat, sunt ritus & cæremoniæ.* Num tantùm ritus & cæremoniæ? An non & dogmata, ad fidem directè spectantia? Estne Missæ sacrificium solummodo ritus & cæremonia? An non & dogma? Materia & forma Sacramentorum suntne ritus an dogmata? Estne ordinatio Ministrorum Ecclesiæ tantummodo ritus?

V. Mendac. *Bellarminum contradicere scripturæ: quia sacrificium altaris admittit; quod scriptura repudiat.* (Vbi?) Accipe probationem; sed contine risum. *Dominus non super altari, sed super mensa Epulum illud sacrum instituit; ergo non est vllum Sacrificium altaris.* Adamantinè conclusum.

VI. Mendac. *Bellarminum dicere; à Paulo alia Corinthiis tradita Sacramenta, quàm quæ Dominus instituit.*

VII. Mend. *Bellarminum Sophisticè mutare personam; & contra leges disputandi probationis onus in aduersarios transferre; cum dicit: Hæreticos non posse vllo modo contrarium ostendere*; nempe D. Paulum de solis ritibus disposuisse: nullaque dogmata tradidisse. Cæterum Bellarminus non postulat hic ab Hæreticis probationem; sed tantum dicit; eos, quod asserunt; probare non posse. Et quamuis probationem ab illis postulasset; an ideo in leges disputandi deliquisset? An non affirmanti incumbit probatio? An non, si eam detrectet, vel reluctanti potest imponi?

VIII. Mend. *Bellarminum petere principium.* Quare? *Quia asseuerat tantum; non probat.* Si asseuerare aliquid, omissa probatione, est petere principium, tum iudices, quando sententiam pronunciant; ordinariè petunt principium; quia ordinariè omittunt sententiæ suę probationes; neque enim iudicis est probare; sed definire. Omnes item illi, qui theses seu assertiones absque probationibus conficiunt; *principium petunt*; si vt noua; sic & vera est hæc doctrina Rulli; cuius tres Thesium Tomi vix aliud dicendi erunt; quam *perpetua petitio principij*: quia plerunque nudas Theses, sine probationibus, complectuntur.

IX. Mendacium iure numeres; quod ait; *Bellarminum nil probare.* Quid hoc toto libro quarto aliud totis viribus agit, quàm vt contra Hæreticos traditiones non scriptas probet & omni argumentorum genere adstruat?

Tertium principale testimonium est 2. Thessal. 2. *Itaq; fratres tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Varia hic respondet VVitackerus ex suorum sensu; in quibus tamen non acquiescit; aperteque Kemnicij & aliorum effugia à Bellarmino reiecta & propulsata; ipse itidem reiicit ac repudiat; & post multiplices anfractus; *Respondeo*, inquit, *noui testamenti Canonem non fuisse tum editum atque constitutum cum Paulus hanc Epistolam ad Thessalonicenses scriberet*, &c. *Non sequitur ergo; quando Apostolus scripsit ad Thessalonicenses, tum omnia necessaria non fuisse scripta, ergò nec postea: vel, Thessalonicenses illo tempore non acceperant plenam doctrinam (quippe qui reliquis libris carerent) scripturarum noui testamenti: ergò, nos non habemus integram doctrinam, qui omnes libros habemus: Aut, Paulus non scripsit omnia necessaria in hac Epistola; ergò alij omnes non omnia scripserunt.*

Respondeo, Bellarminus non ita argumentatur, vt eum VVitackerus argumentari fingit; sed hunc in modum: *Apostolus mandat, vt traditiones, etiam non scriptæ, obseruentur: ergo reuera obseruandæ sunt*: Nam quod Prædicantes oggerunt; exstitisse traditiones non scriptas, quando Apostolus hanc Epistolam ad Thessalonicenses misit; postea autem omnes, constituto scripturarum Canone, litteris consignatas fuisse; id vt millies affirment; nunquam tamen vel semel probare poterunt. Etsi enim hæc & similes consequentiæ præcisè spectatę non sint magni roboris vel momenti: *Quædam non erant scripta, sed viua duntaxat voce tradita, quando Apostolus hanc Epistolam*

stolam ad Thessalonicenses misit; si tamen formentur, vt debent; & conuenientibus circumstantiis amiciantur; non parum efficaciæ acquirunt. Vt si dicas: *Apostolus absolutè iubet tenere traditiones; neque vnquam dixit; aut se aut alium Apostolum aliquando omnes traditiones litteris mandaturum: scriptisque complexurum omnia illa, quæ viua voce docuerat; ergo meritò credimus traditiones in Ecclesia exstare; præsertim cum totius antiquitatis consensus & vniuersalis Ecclesiæ auctoritas idipsum luculenter comprobet.*

Quid, quod fieri non potuit, vt omnes traditiones scriberentur; quod euidentissimè patet exemplo librorum Canonicorum. Faciamus enim Euangelio D. Matthæi diuinitus præscriptũ esse, & quidem grandiusculis characteribus: *Hoc Euangelium est sacrum, diuinum, Canonicum; & à Spiritu sancto dictatum*: attamen absque traditionis ope; nemo posterorum potuisset scire; num hæc libri præscriptio & inscriptio vera esset, an mendax. Nullus enim ex posteritate huius diuinæ adiectionis absque alio certo, euidenti & perspicuo testimonio certitudinem habuisset; nullus namq; esset; qui dicere posset, se interfuisse, cum adiiceretur; sibiq; præsenti certam fidem factam, testimonium illud non nisi à diuina & infallibili auctoritate procedere.

Contra Prædicantes, qui dicebant; *Apostolum nihil penitus docuisse, quod non sit alicubi scriptum in nouo testamento*; Obiicit Bellarminus, Apostolum hoc ipso cap. 2. Thess. 2. scribere, se illis prædicasse de Antichristo, & præter alia docuisse, quando esset venturus: hoc autem, quando scilicet venturus sit Antichristus, nusquam scriptum esse: citatque Augustinum luculentè affirmantem, lib. 20. de ciuit. Dei cap. 19. aliquid ab Apostolo dictum & doctum, quod nõ sit in litteras relatum. Ad hæc futilissimè VVitackerus: *Respõdeo*, inquit, *Bellarminum abuti tum scripturæ, tum Augustini verbis. Nam, si Apostolus docuisset Thessalonicenses, quo die, aut quo anno, venturus esset Antichristus, quod ille vult; tum illi secundum Christi aduentum ad iudicium non statim, & subitò exspectassent; quod apparet ex illo cap. eos fecisse.* Quam hæc responsio friuola est, quàm inanis. Quasi verò Thessalonicenses nõ potuerint à falsis doctoribus à vera, & ab Apostolo tradita sententia dimoueri, req; ipsa etiam dimoti fuerint. Quæso, quid sibi vult, quod initiò epistolæ tam seriò & grauiter illos adhortatur, ne præbeant illis aures, qui diem Domini iam iam instare dictitabant; sed in eo constanter persisterent, quod ex sua institutione didicissent; non enim venturum diem supremum, nisi iis omnibus antegressis & perfectis, de quibus eos coram, viua voce, instruxisset: *Nunc quid detinet, scitis*, inquit. Sciebãt ergo Thessalonicenses aliquid ex instructione D. Pauli, quod nos latet. Et tamen vbi hoc scriptum? Non igitur omnia, quæ Paulus dixit aut docuit scripta sunt: Mentitur ergo VVitackerus, quãdo blaterat, Bellarminum hic scripturæ verbis abuti.

Subiicit Caluinista: *Quanquam de aduentu Antichristi aliquid iis dixerit Paulus, non tamen sequitur, eum de certo tempore quidquam præscripsisse, aut prædixisse, quo venturus esset.* Si dicere, esset probare; iam rem confectam dedisset VVitackerus. Sed, quia hæc duo ingenti discrimine secernũtur; hinc fit, vt tam facilè fidem non adhibeamus, quàm facilè, hæc ipse asserit. Negamus verba illa: *Et nunc quid detineat, scitis*; pertinere ad ea, quæ proximè, & immediatè antecedunt. Pertinent enim ad occultum quiddam, de tempore Antichristi, quod Apostolus viua voce iis patefecerat: quo nondum posito, de extremi diei aduẽtu nihil sit formidandum; quidquid falsi doctores, turbandi causa, contrà ingerant. Hoc quidnam fuerit, vbi scriptum est? Aut vbi in scriptura certum tempus venturi Antichristi exprimitur?

Addit VVitakerus: *Esto; sit hoc verum, tradidisse Paulum Thessalonicensibus certum diem, mensem, aut annum, quo venturus esset Antichristus. Tum sequetur, hanc Traditionem esse. Quod si Traditio sit, tum Papistæ possunt ostendere, quo tempore venturus sit Antichristus: quia, dicunt se habere omnes Traditiones Apostolicas. At hoc non possunt.* Mirabilis planè cauillatio: Quam & Savvbrãdus ex VVitackero transcripsit. Quasi necessarium sit; vt quidquid antiquis traditio; quamuis particularis erat; id & posteris omnibus sit traditio. Nõ oportet, VVitackere, vt omne illud, quod vel Paulus, vel alij Apostoli quibusdam fidelibus certas ob caussas, & ad peculiare solatium tradiderunt, & exposuerunt; id omnes omnino Christianos concernat, & ad totam Ecclesiam deriuetur. Neque attulit Bellarminus hoc de tempore aduentus Antichristi exemplum, vt inde traditiones nostras stabiliat; sed vt eorum prædicantium vanitatem redarguat, qui scribere non verentur, Apostolũ Paulum nihil docuisse, quod non vel ab ipso, vel ab alio Apostolo litteris consignatum fuerit. Cuius dicti falsitas, apertè hoc de tempore aduentus Antichristi exemplo detegitur & refellitur. Itaque in auras euanescit VVitackeri cauillatio; qua mirum in modum, tanquam egregio subtilitatis specimine, sibi placuisse videtur.

Quod ad D. Augustinum attinet, inquit Caluinista, *illius verbis etiam turpissimè abutitur. Non enim ait Augustinus, Thessalonicenses cognouisse tempus, quo venturus esset Antichristus: sed, dicit eos sciuisse, quid sit, quod eius aduentum remoretur, quod nos nescimus, de quo certè non contẽdimus.* Audiamus ergo D. Augustini verba; vt intelligamus num Bellarminus *turpissimè* verbis tanti præsulis abutatur; an verò VVitackerus flagitiosè mentiatur. *Quod autem ait*: (Apostolus) *& nunc, quid detineat, scitis, id est, quid sit in mora, quæ causa sit dilationis eius, vt reueletur in suo tempore, scitis: quoniam scire illos dixit, apertè hoc dicere noluit. Et ideo nos, qui nescimus, quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id, quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus.* Hæc S. Augustinus. Ex quibus patescit VVi-

 tackeri

tackero mendacitas: Si enim sciuerunt, quid sit in mora; quo minus Antichristus veniat; sciuerunt ergo etiam tempus, quo Antichristus esset venturus: Exploratè enim sciuerunt, quid detineat; hoc est, quæ sit caussa moræ, cur Antichristus nondum adueniat: & exploratè sciuerunt, sublata illa moræ caussa, venturum Antichristũ; ergo etiam tempus exploratè sciuerunt. Si quis dicat; hoc non sufficere, vt dici possint Thessalonicenses tempus nosse, nam & nos in communi scire ex scriptura & sanctorum Patrum testimoniis, quando Antichristus sit venturus; nec tamẽ determinatè nobis compertũ esse tempus, quo venturus sit; Respondeo, probabile esse, Thessalonicensibus, non tantũ caussam moræ euidẽter ab Apostolo esse patefactam; sed etiam quamdiu caussa illa moræ duratura fuerit; ex quo necessariò cõcluditur, illos etiam definitè nouisse tempus, quo venturus esset Antichristus. Quidquid sit de hoc, tam stupidus est VVitackerus, vt non animaduertat, se hoc suo effugio nihil planè Prædicantibus opis ac subsidij adferre; illis, inquam, Prædicantibus, qui dicunt, Paulum nihil dixisse, quod non ab ipso, vel alio Apostolo postea in litteras sit missum. Nam si, vt VVitackerus ait, Apostolus Thessalonicensibus caussam moræ; quæ Antichristi aduentum præpediebat, patefecit; sequitur ergo eum aliquid docuisse, ꝙ non sit scriptum. Aut doceat VVitackerus, vbi in sacris litteris hæc caussa moræ scripta sit.

His non contentus Caluinista; *tria*, inquit, *adiungemus. Primò, iubemus vt probent hoc argumentum: Nonnulla non sunt scripta: ergò hæc illa sunt, quæ illi venditant, & nobis obtrudunt.* Possumus probare; prout Bellarminus, aliique sæpius probarunt; at non *Capitonibus & rupicibus*; non illis, qui, dummodo negent; quid negent, pensi nihil habent. Non illis, qui omnem Ecclesiæ & antiquitatis auctoritatem elidunt & eludunt. Non illis, qui arbitratu suo scripturam versant, reuersant; fingunt, refingunt: eiusque sensum, non nisi priuato suo sensu metiuntur & æstimant. Quanquam hic nõ agitur vt hoc probetur, sed solummodo, vt constet esse aliquod Dei verbum non scriptum, quo iam olim quoque, editis scripturis, Ecclesia gubernabatur.

Ait secundò VVitackerus: *Si ex hoc modo loquẽdi, (retinete traditiones, quas edocti estis, siue per sermonem, siue per epistolam) sequatur, quædam necessaria non esse scripta; tum ex eadem formula loquẽdi sequetur, quædam necessaria, non esse viua voce tradita.* Hic coniectet, quisquis coniecturâ valet; quid sibi VVitackerus velit. Quantum tamen capio, pueriliter verborum inuolucris & ambiguitate ludit. Nam initio Euangelicæ prædicationis omnia ad salutem necessaria, viua voce fuêre tradita; quandoquidem non nisi post aliquot ab Euãgelica prædicatione annos, cœpta est Euangelica doctrinâ litteris consignari. Respectu subsequẽtium ætatum; quædam ad salutem necessaria; voce viua tradita sunt; quædam non viua voce, sed scriptis: vel si primitus etiam viua voce; postmodum tamen chartæ mandata sunt. Quis orthodoxorum vnquam dixit, omnia viua voce esse tradita; respectu nostri; hoc est; viua voce ad nos absque scriptura peruenisse? An non nugatorem vel impostorem agit Caluinista, cum his technis & inuolutis sutelis chartas complet?

Tertiò, quæro, inquit VVitackerus, *quibus hæc tradidit Apostolus, quæ illi non scripta esse contendunt?* Respondeo, Ecclesiæ; hæc autem filiis & membris. Quasdam omnibus, quippe omnium communes: Quasdam aliquibus; vtpote ad certos duntaxat homines ratione status vel officij pertinẽtes: nam quod Patres aliique orthodoxi scriptores aliquando dicunt, traditiones non omnibus fuisse traditas, sed perfectis tantùm & sapientibus, id intelligi debet vel de certis quibusdam traditionibus, propter status vel officij rationẽ non nisi ad certos pertinentibus; vel de omnibus quidem; sed ratione magisterij; quatenus scilicet perfectorum & sapientum erat, ea, quæ acceperant, rudiorum multitudini pro cuiusque captu tradere.

Iunius ostendit, ea, quæ Apostolus Thessalonicẽsibus tradiderat per sermonem seu viua voce; & ea, quæ tradiderat per Epistolam; *non fuisse diuersa substantia, sed tantùm modo*; sed contendit tantum & asserit; neque vel minimum argumentulum adducit, quo dictis suis fidem faciat; nisi quod opportunè scilicet subiicit: *A modo ad substantiam rei argumentari, vel contrà, id planè est ἀσυλλόγιστον.* Talia nimirum axiomata fundere soles, cũ desunt probamenta. Vbi argumentatur Bellarminus à modo ad rei substantiam? An non expressè ostendit diuersa fuisse dogmata & capita; quæ Apostolus Thessalonicensibus per sermonem & per Epistolam tradiderat?

Aiunt Prædicantes; *Apostolum eadem tradidisse prius sermone, deinde epistola, & idcirco non loqui de traditione non scripta.* Obiicit Bellarminus; *Si ita esset, deberet epistola vna ad Thessalonicenses continere omnem doctrinam, quam Apostolus illis prædicauerat.* Oggerit Iunius: *Ex illa indefinita nostra; Paulum eadem tradidisse, & scripsisse; concluditur vniuersè; ergò scripsisse omnia ad Thessalonicenses; quod postremum nulla consequentia venire in conclusionem debet: nam singulis quidem Ecclesiis tradidit omnia, sed non omnia perscripsit ad singulas: satis est, scriptum esse, licet non scriptum ad singulas.* Nota primùm Iunij cum VVitackero harmoniam. Hic respõsionem istam Kemnicianam repudiat & refellit; *quòd minus valeat, nec satis luculenta sit*: Iunius defendit; vocatque, honoris gratia, *Nostram*; hoc est, *Caluinisticam*. Deinde Bellarminus rectissimè argumentatur aduersus Prædicantes; qui, vt Apostoli testimonium eludant; dicunt, Paulum eadem prius sermone; postea per epistolam, non aliis, sed Thessalonicẽsibus tradidisse; & tradidisse in ea epistola, quam ad illos scripsit; quãdo ad traditionum obseruationem eosdem co-

hortatus est. Hic enim est Prædicantium sensus. Ex quo optimè infert Bellarminus, in perbreui illa ad Thessalonicenses epistola, totam & perfectam Euangelicam doctrinam inesse; quandoquidem viua voce totam & perfectam Euangelicam doctrinam ipsis tradiderat; illam autem ipsam Euangelicam doctrinam, quam prius per sermonem tradiderat; postea epistolâ consignatam iisdem transmiserit; si vera Prædicantes ferunt: quandoquidem iussit, non vt aliquid non scriptum, sed tantum illa; quæ iam scripserat; obseruarent; traditionis nomine non pro non scripta traditione, sed pro scripta accepto.

Quod Iunius addit; Bellarminum *ex disiunctiua, qua Paulus vtitur, inferre conclusionem copulatè*; id mera est & putida lœdoria simul & pseudologia: nam ex disiunctiua particula *siue*, colligit Bellarminus diuersa esse, quæ per sermonem tradiderat ab illis, quæ tradiderat per epistolam. Prædicantes potius id vitij admittunt, quod Iunius Bellarmino iniustè obiicit; qui nulla *disiunctiuæ particulæ* ratione habita: stultè asserunt; eadem prorsus Apostolum Thessalonicensibus *per sermonem & per epistolam tradidisse.*

Calumniatur Iunius, *Augustini locum falsò adduci.* Huic querelæ Iunio cum VVitackero communi iam satisfecimus; nisi fortè illud monendum est; Iunium ideo hanc citationem criminari; quod Bellarminus dicat; *Augustinum scribere, nos non posse scire; quid nam illud sit; quod verbis illis innuitur: Et nunc quid detineat, scitis*; cum tamen Augustinus non dicat; non posse sciri; sed sic loquatur: *Et ideo nos, qui nescimus, quod illi sciebant. Aliud est nescire*; ait Iunius; *aliud, non posse scire.* Quanta in hac animaduersione inest sapientia: quanta ingenij sagacitas? Nisi animi fallor; si velit Iunius, id, quod Thessalonicenses sciebant; & nos modò nescimus, sciri posse per absolutam Dei potentiam, non aduersabitur Bellarminus; nam, vt olim Apostolus Thessalonicensibus; ita & hodie nobis, permissu Dei, arcanum illud reuelare posset. At si velit, id sciri posse de lege & potentia ordinaria; resistet Bellarminus, volente ipso & lubente Augustino; cuius oratio perspicuè indicat, eum existimasse; id humanis viribus & facultate sciri non posse: nam si vllum ingenij acumen ad arcanum illud penetrare potuisset; certè Augustini ingenium; quo vix felicius & perspicacius exstitit, eò penetrasset. Et tamen quia nescimus, quæ sit caussa illius moræ seu dilationis aduẽtus Antichristi; *peruenire cum labore ad id, quod sensit Apostolus cupimus; nec valemus.* Quare non valemus? Quia nec illud, *quod detinet*, hoc est, nec *caussam moræ* scimus; neque scire valemus: quia si hanc scire valeremus; etiam sensum Apostoli scire valeremus.

Ait Iunius: *Hoc, quod Thessalonicensibus tradiderat de tempore Antichristi, fuisse tantùm quiddam historicum.* Num ideo non poterat haberi pro dogmate? An quod est historicum, nequit pariter esse dogmaticum? Nec alio fine produxit hoc de

A Antichristo Bellarminus, quàm vt contunderet os Prædicantibus, qui dicère audent, D. Paulum nihil esse locutum; quod non vel ab ipso, vel ab aliis scriptum sit. Vbi enim hoc scriptum est, quod de aduentu Antichristi Thessalonicensibus dixerat?

Citat hic Bellarminus quinque Patres; qui locũ Apostoli: *Tenete traditiones, quas accepistis, &c.* de traditionibus non scriptis palam exponunt. Iunius impudenter mentitur, *Patres illos loqui non de traditionibus dogmatum; sed de illis, quæ ad liberos ritus; ad decorum & ordinem spectent.* Lector inspiciat verba Patrum apud Bellarminum; neque Iuniano huic commento fidem commodabit. Quid clarius illis D. Basilij, cùm libro de Spiritu sancto B capite vigesimo septimo dicit; *vtraque*, hoc est, tam scripta; tam tradita, *parem vim ad pietatem habere; & eum, qui non scriptis contradicit, imprudentem & ea damnare, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur.* Quid clarius illis D. Chrysostomi verbis in sæpe iam nominatum ad Thessalonicenses locum; cum dicit; *eâdem fide digna esse tam scripta, quam non scripta.* Loquitur ergo de traditione dogmatũ. Quanquam & vbi de ritibus agitur; semper dogma admiscetur. Firma enim fide credendum est, ritus illos esse vtiles, pios, & salutares; & ab omnibus religiosè obseruandos. Sectarij simul atque de ritibus aliquid audiunt; statim libertatem somniant, quasi nullus ritus necessariò obseruari debeat. Sed somniatoribus nulla C lex sapiendi posita est.

Ait Bellarminus cõmentaria in epistolam ad Romanos & alias, nomine Hieronymi inscripta, non esse Hieronymi, sed Pelagij Hæretici; citatque D. Augustinum libro tertio de peccatorũ meritis & remissione, capite pri[illegible]o, quinto & duodecimo.

Iunius: *Pelagij negamus esse, neq; hoc Augustinus dicit.* Audiamus ergo D. Augustinum: *Post pauculissimos dies legi Pelagij quædam scripta, &c. quæ in Apostoli Pauli epistolas expositiones breuissimas continerent.* Quibus verbis apertè describit sanctus Augustinus Commentariolos illos in Epistolas sancti Pauli; qui D. Hieronymi nomine circumferũtur, quia D & breuissimi sunt; & Pelagianis erroribus infecti, præsertim in caput quintum Epistolæ ad Romanos. Et quamuis verba illa, quæ sanctus Augustinus ex Commẽtario ad caput quintum citat; iam non inueniantur, potuit tamen fieri, vt exciderint; & quæ capite duodecimo S. Augustinus citat ex Commentario ad caput septimum epistolæ primæ ad Corinthios, ea exstãt in Commentariis D. Hieronymo adscriptis. Et capite quinto dicit sanctus Augustinus, Pelagium non vno modo explicasse illud Apostoli, cum vocat *Adam formam futuri.* Nam diuersæ expositiones huius dicti in Cõmentariolo illo ad caput quintum epistolæ ad Romanos etiamnum visuntur & leguntur.

Nunc

Nunc Critici partes sibi Iunius sumit. Pelagij verba ex commentario super 2. cap. 2. Epist. ad Thess. sic recitat Bellarminus. *Apostolica autem traditio est, quæ in toto mundo prædicantur baptismi Sacramenta.* Vbi Iunius cum virgula Critica. *Meum exemplar habet, & verius; Apostolica autem traditio est, quæ in toto mundo prædicatur, vt baptismi Sacramenta.* Addo ego. Sic etiam habere editionem Plantinianam à Victorio adornatam. At siue hoc, siue illo modo legas, idem sensus constat quem ait Iunius esse hunc: *Apostolicam traditionem nihil esse aliud, quam doctrinam Apostolorum toti Ecclesiæ traditam, & res sacras exponentem, quibus per baptismum initiati sumus. Hæc autem vt Bellarminus: corrumpit!* Multa & grandia de lectoris obsequio sibi Iunium promisisse oportuit; cum adeò securè quiduis affirmat; & funditus nihil probat. Nam Bellarmini expositio ex ipso Pelagij textu nascitur: Iuniana; ex Iuniano cerebro. Ait Pelagius. *Apostolicam traditionem esse, quæ toto terrarum orbe prædicatur;* Et exempli loco nominat; *baptismi Sacramenta.* Quo vocabulo includit ritualia, quæ ipsi substantiæ baptismi vel præponi, vel coniungi, vel subiungi solent; vocatque *Apostolicam traditionem*; nam nisi has cæremonias illo suo loquendi modo comprehendisset; nunquam dixisset; *baptismi Sacramenta*: quia vnum est baptismi Sacramentum quoad substantiam seu essentiam; non plura.

Celebrationem Paschæ, Pentecostes, Natalis Christi, Ascensionis, similes, concedit Iunius *esse traditiones, sed rituales.* Nec nos abnuimus ritus esse; at non cuiuis liberos, vt isti arbitrantur; sed obseruatu necessarios; imò & creditu; nam credere necesse est, hos ritus esse salutiferos, sanctéque custodiendos; vt depositum Apostolicum, non nisi dono Spiritus sancti Ecclesiæ commissum.

Savvbrandus sic *syllogizat* vel potius λυρωδεῖ. *Quod debemus seruare, hoc est. Traditiones debemus seruare; ergo traditiones sunt. Concedimus totum argumentum*; clamat Savvbrandus. Quàm liberaliter ô Caluinista, præter modum & genium tuum. Sed non vtimur benignitate tua; quia si propius inspicias, fucata est; &, proprio nomine, improbitas: cum per *traditionem* intelligas doctrinam scriptam; & ritus; sed liberos; de quibus supra multa nugatus, hic ampliores nugas de iisdem congeris. Quas percensere superfluum fuerit; & refellere, planè otiosum, quia iam omnes eneruatæ & lumbifragium passæ sunt.

Post multa ex VVitackero descripta; & supra in VVitackerianis næniis refutata, sic mentitur Savvbrandus: *Adducit Bellarminus aliam rationem, qua probat, non omnem doctrinam salutis scriptam esse. Inquit enim, Apostolum tradidisse viua voce, quo tempore esset venturus Antichristus. Sed hoc scriptum non est. Ergò omnia ad salutem necessaria non sunt scripta.* Impudens mendacium. Nam vt iam aliquoties dictum: Bellarminus exemplum illud de tempore aduentus Antichristi non attulit, alio consi- A lio, quàm vt demonstraret, Prædicantes mentiri, quando vociferantur, Paulum nihil penitus tradidisse, quod non vel ipse vel alij litteris commendauerint. Reliqua, vt tenebrionis, nil sunt nisi nebulæ; ex VVitackero.

Nec Rullus hic mutus est. Experitur & ipse suas mentiendi & calumniandi vires. Mentitur I. Iesuitas *nomine traditionis* apud Apost. 2. Thess. 2. *intelligere fœtidissimas superstitiones; quas imperitis obtrudant.*

II. Mend. *Iesuitas non posse probare traditiones sermone à Paulo propositas, alias & diuersas fuisse ab iis, quæ in Epistolis continentur.* Mendacium hoc redarguit vel illa traditio Pauli de tempore Antichristi, seu de caussa moræ. Nam vbi hæc traditio in vlla D. B Pauli Epistola scripta est?

III. Mend. *Papistas non posse demonstrare suas traditiones esse illas, de quibus S. Paulus.* Possumus; idque per regulam S. Augustini; quæ tradit; eius institutionem rectè ad Apostolos referri; cuius origo ignoretur.

IV. Mend. *Ex Apostoli loco tantùm colligi; traditiones exstitisse cum illam Epistolam Paulus scriberet.*

V. Mend. *Non autem iam aliquas non scriptas traditiones exstare.* A mendacio Rullum absoluerem; si Apostolus dixisset: *Tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram; sed solum eò vsque, donec omnes traditiones per sermonem vobis traditas; litteris consignauero; hoc enim faciam, vbi otium nactus ero.*

C VI. Mend. Hanc propositionem esse Bellarmini. *Quandocunque oratio constat particula disiunctiua* SIVE, *tum alia atque alia res indicantur*: Bellarminus non facit generalem propositionem; sed ita loquitur. Particula disiunctiua *siue*, apertè indicat, diuersa esse, quæ tradiderat, & quæ scripserat. Nec ignorauit, quod hic Rullus verbosè docere contendit; aliquando non res diuersas; sed diuersum rei modum per particulam illam significari; vt cum dicimus (est hoc exemplum Rulli.) *Idem est Christus siue olim patribus per sacrificia & figuras varias significatus, siue nobis hodie in Euangelio clarè demonstratus.*

VII. Mend. Prædicto Apostoli loco particulam disiunctiuam, SIVE, *non significare diuersas traditiones,* D *sed tantum diuersos modos accipiendi easdem traditiones: qui modi fuerint; viua vox, & Epistola.* Hanc vanitatem reuincit vel sola illa traditio de tempore Antichristi; seu de caussa moræ. Hæc enim Thessalonicensibus viua voce à S. Paulo tradita est: nec tamen vspiam scripta.

VIII. Mend. *non valere hoc argumentum Bellarmini.* Si Apostolus omnia, quæ Thessalonicensibus per sermonem tradiderat; postea scriptis comprehendisset; sequeretur vnam Epistolam ad Thessalonicenses continere omnem doctrinam; quam Apostolus illis prædicauerat; quia Euangelium plenè illis prædicauerat: vt etiam colligitur ex cap. 1. & 2. Epistolæ prioris ad Thessalonicenses: sed cōsequens est falsum. Rullus negat

seque-

Digitized by Google

A sequelam Maioris, seu, vt ipse loquitur, *propositionis connexa consequentiam.* Atqui euidens est sequela. Nam non nisi imperitè, ne dicam impiè, negari potest, Thessalonicenses illos fuisse verè & perfectè Christianos; Semichristianus enim non est Christianus: acceperant igitur ab Apostolo perfectam Euangelij doctrinam. Cum ergo in secunda epistola iubeat; vt teneant traditiones, siue per sermonem, hoc est, viua voce; siue per epistolam suam; hoc est, scripto acceptas; nihil aliud vult; quàm vt teneant perfectam abs se traditam Euangelij doctrinam. Iam si, quidquid illis per sermonem, hoc est, viua voce tradidit; in litteras postea retulit; oportet, vt duæ ad Thessalonicenses Epistolæ perfectam Euangelij doctrinam à Paulo prædicatam complectantur: quia illis verbis *per Epistolam nostram*: non significat alias suas Epistolas; sed illam vel illas, quas ipsi Thessalonicenses à Paulo acceperant. Quis autem non videt, absurdum esse dicere: omnem doctrinam; quam Apostolus illis prædicarat; in altera, vel vtraque ad Thessalonicenses Epistola inesse?

IX. Mend. *Neq; in primo neq; in secundo capite prioris Epistola ad Thessalonicenses id dici, quod Iesuita prætendit:* videlicet, Apostolum Thessalonicensibus totum Euangelium plenè prædicasse. Legantur duo illa capita; quorum singulæ fermè periodi hanc Rullanam vanitatem redarguunt. Et si nihil aliud in primo capite contineretur; quàm istud: *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm; sed in virtute & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa, &c.* an non absterreri debebat Rullus; ne pseudologiam illam effutiret?

X. Mend. *Falsum esse Apostolum docuisse Thessalonicenses, quando Antichristus esset venturus.* Mentiri Rullum; quando hoc falsitatis arguit; ostensum est antea contra VVitackerum, & alios Nouatores.

Quartum principale testimonium pro traditionibus 1. Timoth. vlt. *O Timothee, depositum custodi, &c. Depositi* nomine, inquit Bellarminus, non scriptura, sed doctrinæ non scriptæ thesaurus intelligitur. Respondet VVitackerus: *Si vellem persequi varias huius loci expositiones, facilè possem aduersario os occludere.* Multa te posse passim iactas; sed cum inibi est, vt potentiæ tuæ specimen edas; primo conatu deficis. Nec Bellarminus, nec alij ignorant, eiusdem loci plures reddi posse explicationes, omnesque probi & recipiendi sensus: Diuus Augustinus de illo Apostoli Roman. 5. vbi vocat *Adamum formam futuri;* sic scribit libro tertio de peccatorum meritis & remissione capite quinto: *Hoc enim vtrum non solum huic sententiæ conuenit, qua intelligitur futuros eius posteros, & eâdem forma cum peccato esse generatos, sed etiam in alios, & alios intellectus possunt hæc verba deduci. Nam & nos aliud inde aliquando diximus, & aliud fortasse dicemus, quod tamen huic intellectui non sit aduersum, & ipse Pelagius non vno modo id exposuit.* Hæc sanctus Augustinus: Ex quibus liquet; eundem locum variis modis, & quidem rectè, exponi posse. Quid mirum ergo; si & huic, de quo disceptamus; diuersi sensus subiiciantur, inter quos & ille, quem Bellarminus adfert.

Ait VVitackerus: *Esto significet* (depositum) *thesaurum doctrinæ sanæ, ac catholicæ, quemadmodum ille vult; quid inde sequetur? num ideo omnis necessaria doctrina non scripta est? Quomodo ista tam longè remota poterit Bellarminus copulare?* Non sunt longè remota; sed valde confinia; quæ Bellarminus copulat: hinc exiguo labore copulat. Quid copulatu procliuius, quàm hæc consequentia? Apostolus monens Timotheum, vt *depositum* custodiat; iubet, vt doctrinam custodiat; & tamen hoc non intelligitur de doctrina scripta; ergo de non scripta; ergo traditiones recipiendæ sunt. Antecedens copiosè probat Bellarminus; cuius probationes iste vix tangit; etsi discerpit; & alia potius sibi refellenda obiicit: cuiusmodi hoc delirium: *Non sequitur; Timotheum Paulus monet, vt sanam doctrinam teneat; ergo illa ex scripturis non potest tota hauriri.* Non ita Bellarminus argumentum instituit; sed hoc modo: *Depositum;* hoc est, non scriptam doctrinam commendat Apostolus Timotheo; ergo doctrina non scripta est admittenda; tam illa; quæ est circa legitimum scripturarum sensum; quàm quæ circa alia dogmata; Antecedens non supponit Bellarminus, sed probat; vt antea monui.

Dicit Bellarminus, *depositi* nomine non posse scripturam significari, quia hæc multò melius in bibliothecis & chartis conseruatur. Hoc dictum mouit VVitackero bilem. Itaque totus in fermento iacens, sic tumido delitigat ore: *Ex hac responsione profanum huius Iesuitæ pectus intelligi potest. An conseruatur Scriptura in chartis & bibliothecis melius, quàm in cordibus hominum? Sic isti nimirum scripturas conseruare solent, nō mentibus, sed arculis.* Atqui loquendo de scriptura formaliter vt talis est, non de effectu vel cognitione eius, quæ non est scriptura, nisi tropicè; euidentissimum est, eam melius seruari in librariis officinis & thecis; quidquid iste contrà garriat: neque hoc vllam vel impietatem erga Deum, vel iniuriam in sacras litteras continet; neque profani pectoris, sed sani & intelligentis indicium est.

Instat VVitackerus: *Paulus non loquitur de externa librorum custodia; sed de interna, quando scriptura in cordibus fidelium reposita seruatur.* At cum in secūda ad Timotheum epistola cap. 2. velit D. Paulus, vt ea, tanquam depositum, custodiat; *qua,* vt inquit, *audisti à me per multos testes;* cumque velit, vt ea, quæ audiuit, *commendet fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere;* omnino aliud quiddam apud Timotheum deposuit; quàm hoc, vt scriptura in corde fideliter custodiatur; hoc est; vt ea, quæ mandat, sedulo memoriæ mandentur, & ex recenti memoria ad effectū conferantur. Quis Christianorum hoc faciendū esse; ignorat? Quid ad hoc pluribus testibus opus erat? Nec, si hoc

tantùm

Digitized by Google

tantùm voluisset Apostolus, adiecisset: *deuitans profanas vocũ nouitates,* quo indicat aliquid Timotheo traditum; quo ab emergentibus, & postea magis emersuris persuasionibus peruersis, se & alios tutos immunesque præstaret: id autem ad traditiones, partim in vero & legitimo scripturæ sensu, partim in aliis dogmatibus sitas spectare, probauit Bellarminus, etiam sanctorum Patrum auctoritate; quibus VVitackerus opponit Tertullianum, qui in lib. de præscript. aduersus Hæret. vult *depositi* nomine non remotiorem aliquam aut occultiorem doctrinam significari, *sed quod supra & infra ab Apostolo scriptum est.* At si quis Tertullianũ attentius inspiciat; quàm fecit VVitackerus, videbit, Tertullianum nil aliud velle, quàm Hæreticos doctrinam suam ex hoc Apostoli loco nõ posse tueri, eò quòd scriptæ doctrinæ Apostolicæ aduersaretur, prorsusq; incredibile sit, Apostolos aliud publicè in scriptis; & planè contrarium priuatim, & in occulto docuisse; depositique vocabulum pertinere ad illam denunciationem 1. Timoth. 1. *Hanc denunciationem commendo apud te filiole Timothee:* (Sic Tertullianus, vbi nos. *Hoc præceptum commendo tibi Timothee.*) Et ad illud præceptum 1. Timoth. 6. *Denuncio tibi ante Deum, qui viuificat omnia, &c.* (Ita Tertullianus pro his nostris: *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, &c.*) Quę autem sit hæc denunciatio; quod hoc præceptum *ex supra & infra scriptũ intelligi; non nescio quid subostendi hoc dicto* (depositum custodi) *de remotiore doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia, præter eam, quàm audierat ab ipso, & puto, coram multis, inquit, testibus.* Hæc Tertullianus; quæ tantum abest, vt traditionibus officiant, vt eas manifestè adstruant: nam per illud; *Depositum custodi;* perque illam *testificationem & præceptum;* arbitratur Tertullianus monitum Timotheum, vt à doctrina; quam ab Apostolo acceperat, nullo modo deflecteret; & hãc fuisse Apostoli mentem ex *supra & infra scriptũ* intelligi: non autẽ vult Tertullianus; ex *supra & infra scriptũ* intelligi, nil aliud Timotheo à S. Paulo fuisse mandatum & in custodiam, depositi instar, traditũ, præter illa; quæ in epistola ad Timotheum continentur: quia de tota doctrina Timotheo tradita verbis illis præceperat: *Depositum custodi;* quæ non tam ad verba scripturæ, quàm ad sensum, & alia dogmata non scripta, sed viua voce tradita spectant. Vt rectè Bellarminus dixit. Itaque nomine depositi intellexit Apostolus legitimum scripturarum sensum; & alia dogmata, quorum vtrunque Timotheo tradiderat.

Et hæc in traditionem genuini sensus & aliorum dogmatum distinctio, adeo arrisit Iunio, vt se continere nequiuerit, quo minus exclamaret: *Arguta sanè distinctio, quasi dicat; non scripturã, sed res scripturæ, & alia insuper dogmata, præter scripturã.* Bellarminus non ita loquitur: *Non scripturã;* sed hunc in modum. Non verba solùm, sed etiam sensum, & multò magis hunc, quàm illa Timotheo Apostolus commendat, &c. Distingui autem verba scripturæ, & res scripturæ; & dogmata extra scripturam tradita; quis non videat, si oculis penitus non careat? Quis item non animaduertat, quàm sit necessaria traditio, etiam quoad verum & legitimum scripturæ sensum; cum sensus propriè non scribatur; nisi in suo signo, hoc est, in characteribus; signum verò ita comparatum esse possit; vt varios sensus offerat: nihil enim vllo signo tam claro & euidenti exprimitur; quod à male feriato capite non possit vel à proprio sensu ad tropicum; vel ab hoc ad proprium; vel à genuino & Spiritus sancti menti consentaneo, ad alienum & peregrinum abripi. Necessaria est ergo traditio; quæ nobis certum & infallibilem sensum certò & infallibiliter demonstret; hæsitantesque erudiat; & aberrantes ad veritatem reducat. Quid clarius illis verbis: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Et tamen, vt verum & legitimum eorum sensum assequamur & teneamus, opus est traditione; quæ tradit; verbum, *creandi* significare eo loco productionem simpliciter ex nihilo; non ex vllo præsupposito subiecto: Quod si quis contrà tendat; mundumque ex veterum chao & materia illa rudi & indigesta conditum pertendat; hic certè ex ipsa scriptura solidè reuinci non potest; sed necessario à traditione; per quam legitimus verborum illorũ sensus ad nos peruenit; opem petere oportebit. Itaque licet omnia dogmata ad salutem necessaria scripturis sacris consignata & comprehensa essent; nihilominus propter varietatem sensus scripturæ; opus haberemus diuinis & Apostolicis traditionibus, quæ nos de legitimo sensu certos efficerẽt. Nam, vt antea dictum, sensus non scribitur; sed signa; hæc autem nõ ita constituta sunt, vt primo aspectu cuicunque, certo & infallibiliter genuinum sensum ostendant. Itaque caussæ nihil est, cur distinctionem Bellrmini tãtopere miretur Iunius; cum ipsemet VVitackerus vltrò fateatur; *depositi* nomine non significari scripturam; sed sanam doctrinam: sana autẽ doctrina cùm in vero scripturæ sensu; tum in dogmatibus extra scripturam consistat.

Quærit Iunius: *Quæ nam sunt, mi homo, dogmata sacra, extra scripturam sacram?* Occurrit illud Christi Domini ad Iudæos. Lucæ 22. *Si vobis dixero, non credetis mihi.* Eodem prorsus animo & consilio sciscitatur Iunius de his dogmatibus, quo illi dicebant: *Si tu es Christus, dic nobis.* Scilicet, nunquam legerat Bellarminum, vt inde speciatim intelligeret; quæ nã sint ista extra scripturam dogmata. Quàm eruditum est illud: cum *formam sanorum verborum* ait esse *res scripturæ.* Ergóne signa à rebus significatis non distinguuntur? Suntne verba res significatæ? Suntne verba proba, approbata; & ab Apostolis vsurpata ipsæmet res, quas denotãt? Quis tam stupidus & tardus est; qui non perspicuè intelligat, Apostolum, cum Timotheo præcepit; 2. Timoth. 1. vt *formam sanorum verborum* ha-

Digitized by Google

beret; hoc voluisse; ne loquendi formulas inauditas & insitatas vsurparet; & vt 1.Timoth. vlt. loquitur, *profanas vocum nouitates deuitaret*.

Savvbrandus sic fatuatur: *Iubemur depositum seruare. At depositum, non est ipsa scriptura, sed doctrina non scripta. Ergò doctrinam nõ scriptam seruare debemus. Minor habet duo membra*, inquit Caluinista. *Vnum; Depositum non est scriptura: alterum; Depositum, est verbum non scriptum. Si in primo membro scripturam accipit pro ipsis literis, quibus verbum Dei scriptum est, assentior. Si autem scripturam pro eo, quod scriptis literis continetur, accipit, tum Minor est falsa.* At Savvbrandus animaduertere debebat, Bellarminum non negare, quin etiam res, seu sensus scripturæ, significentur nomine *depositi*: hoc enim expresse docet: & quidem cum caussæ suæ, vel potius publicæ, emolumẽto: Nam si res, seu sensus scripturæ, sunt hoc depositum; sequitur, traditiones de vero & legitimo scripturæ sensu esse necessarias; quia hunc plerisq; in locis non aliunde, quàm ex perenni & nusquam interrupta traditione habere possumus. Nam propterea nihil aliud *depositi* nomine significatur? Itaq; si Savvbrandus *Minorem* nõ ex suo cerebro; sed ex Bellarmini mente formare volebat; sic formanda erat: *Depositum non sunt tantum ipsa res seu sensus scripturæ; sed & doctrina non scripta.* Hæc Minor ex Bellarmini sensu est: (licet non faciat ad Savvbrandi palatum) quã pluribus argumentis probauit Bellarminus. De Tertulliano supra responsum est Savvbrando in symmysta VVitackero.

Loco illi: *Depositum custodi*; adiungit & hunc Bellarminus 2.Timoth.1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Quærit VVitackerus: *Num ex hoc loco pro traditionibus quidquam colligi potest?* Omnino, quia Patres à Bellarmino citati ex hoc loco nõ aliquid; sed multum pro traditionibus collegerunt. Secundo idem indicat vox *depositi*. Nam depositum est, quod apud aliquem deponitur; ipsa scriptura seu characteres scripturæ, & signa rerum significatarum nõ sunt deposita apud Timotheum; vt expresse concedunt VVitackerus, Savvbrandus, Iunius; sed *sana doctrina*; vt loquitur VVitackerus; at sana doctrina, latius patet; quàm verbum scriptum; quia Euangelium sancti Matthæi esse Canonicum, & Euangelium Nicodemi non esse Canonicum; & hoc Euangelium, quod hodie Matthæi nomine circumfertur, esse Canonicum; est sana doctrina; & tamen nusquam scripta est hæc sana doctrina; vt alia huius generis, de quibus cap.4. hic prætercam: vel *depositum* hoc sunt res & significata, hoc est, sensus scripturæ; vt vult Iunius & Savvbrandus; & rursus traditionum necessitatem non effugiemus; quia, vt sæpius dictum; verus & germanus scripturæ sensus potissimùm ex traditione cognoscitur.

Savvbrandus sic stultescit: *Iubemur expressam sermonum formam tenere. At illa forma non est scriptura, sed Papistica quædam traditiones. Ergò debemus Papisticas traditiones tenere.* Non est opus, vt multum circa huius syllogismi stultitiam nos defatigemus; cum à Savvbrando sit; non à Bellarmino; Viderit Caluinista, quomodo ineptias, cauillationes, & criminationes suas dissoluere velit: Nos scimus *formam verborum sanorum* in verbis positam esse; & interim hanc ipsam traditione magna ex parte haberi; quia Apostolus non dicit; *quæ à me per epistolam, siue in scriptis audisti*; sed absolute; *quæ à me audisti.* nimirum siue per sermonem; siue per epistolam, vt ad Thessalonicenses loquitur. Hoc cũ apud nos exploratum sit, non multum moramur, siue Savvbrandus stultitiam suæ Minoris faciat *bimembrem*; siue *trimembrem*; siue *vnimembrem*.

Adiungit Bellarminus & hoc testimonium 2.Timoth.2. *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ad quæ VVitackerus: *Ostendat Bellarminus, quomodo sequatur hoc argumentum: Quæ audiuisti à me, ea cõmenda fidelibus hominibus: ergò hæc nusquã in sacris scripturæ libris possunt inueniri.* Nos iure longè meliore petimus à VVitackero; vt ostendat, omnia, quæ audiuit Timotheus ab Apostolo, & quidem coram multis testibus, litteris mãdata esse. Nam aut litteris mandata sunt in vtraque epistola ad Timotheum; & hoc non; quia certum est, non omnia fidei dogmata in illa epistola comprehẽdi: aut litteris mandata sunt in aliis libris Canonicis; & hic iure nostro petimus ab aduersariis, vt in specie nobis designent, non tantum libros, in quibus hæc designata sint, sed etiam ipsa capita; quæ Timotheus ex Apostolo coram multis testibus audiuit. Quid opus erat multos testes adhibere; si illa doctrinæ capita, de quibus Apostolus, Timotheo tradita fuere in scriptis? nam scriptura Canonica sat testium habebat, neque necesse erat; vt Timotheo eius obseruationem & custodiam in præsentia peculiarium testium cõmendaret.

Savvbrandus sic moratur: *Audita sunt custodienda. Verùm traditones Papisticæ sunt audita illa. Ergò, quædam nõ scripta, nempe traditiones Papisticæ, sunt seruanda.* Si de Minore contumeliam verborum detrahas; nil in ea apparebit; quod veritati nõ consonet. Verè enim traditiones, quas catholica Ecclesia veneratur, erant, quarum obseruationem & custodiam tam sedulò & sollicitè Apostolus Timotheo commendarat. Nam quod producit Tertullianum lib. de præscript. cap.25. dicentem: pronomen illud, *Hæc*, significare, quæ tunc scribebat Apostolus, id vt ita sit; tamen non dicit; tantùm *hæc* significari; quia excludit tantùm fanaticas illas traditiones, quibus hæretici & se, & suos, & ipsos adeo Apostolos traducebant; deinde per illud, *Hæc*, potissimum intelligit res & sensum scripturæ; cum Apostolus hunc præcipuè per *depositi* vocabulum intelligat, testibus ipsis

hæreticis; at res & sensus scripturæ nequeunt intelligi absque traditione, vt iam sæpius dictum. Tertullianum verò non reiecisse Ecclesiæ traditiones ostendit, vel illa vna nobilis & omnium ore celebrata sententia, in libello de præscript. *Quod apud multos est vnum, id non est erratum; sed traditum.*

Quid Rullus? Quod solet. Mentitur & calumniatur I. hunc syllogismum esse Bellarmini: *Si Timotheus debet custodire depositum: ergo iam exstant traditiones non scriptæ. Antecedens est; ergo & consequẽs,* Lege Bellarminum; & si hunc in eo syllogismum repereris, aut ex doctorina eius rectè adeo nudè crudè, & præcisè formari deprehenderis; tum expungam mendacij dicam Rullo scriptam.

II. Mend. *Iesuitam per depositum traditiones non scriptas intelligentem; ab Apostoli sensu & ab aliorum catholicorum interpretatione dissentire.* Quis catholicus negat hunc locum posse de traditionibus non scriptis accipi? Num negant hoc, quos tu citas S.Thomas & Liranus? *At aliter hunc locum explicãt.* An propterea hanc de traditionibus expositionem repudiant?

III. Mend. *Bellarminum committere calumniam, dum hæreticis impingit, ac si depositum de libris scriptis, seu membranis aut chartis, quibus verbum Dei inscriptum est; interpretarentur.* Quomodo calumniam committit; cum huius tam inepti sensus vos non insimulet aut arguat? Ergo quod Bellarminum facere dicis, hoc ipsus facis, calumniaris nimirum, non sine mendacij auctario.

IV. Mend. *Esse vanum ac puerilem lusum: cum Bellarminus dicit:* Si loqueretur Apostolus de verbis scriptis, non tam anxiè commẽdaret depositum; scripturæ enim facilè conseruantur in thecis & à librariis: *Quasi verò putaremus,* inquit Rullus, *Apostolum sollicitum fuisse, ne Timotheus membranas aut librum incuria quapiam amitteret; vt negligentes scholastici solent.* Num dixit Bellarminus vobis Caluinistis & Lutheristis hanc sententiam mente sedere? An non absolutè, nullius mentione facta, verba prædicta protulit? Cur tu in te tuosque prolata arbitraris, nisi quia verè in te tuosque competere animaduertis?

V. Mend. Illud: *Formam habe sanorum verborum: non pertinere ad traditiones non scriptas.* Contrarium probauit Bellarminus, & nos cum illo.

VI. Mend. *Bellarminum admittere calumniam.* Qua de caussa? *Quia testimonium Apostoli truncat, dissimulatis iis, quæ tegi nequaquam debebant.* Quæ illa? *In fide & charitate, quæ est in Christo Iesu.* Iterũ, quod Bellarminum facere dicit, ipsus facit, hoc est, calumniatur non sine mendacij additamẽto. Quid obstant prædicta Apostoli verba Bellarmino?

VII. Mend. *Bellarminum verba illa omisisse, quòd videret, suam sententiam per ea euerti.* Scilicet. Si quis Apostoli verba ita explicet: *Formam habe sanorum verborũ, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu;* hoc est, quæ tibi ex fide & dilectione erga Christum Iesum tradidi; quid Bellarmino offi-
A cient? vt & tum; si quis verba illa tecum interpretetur de iis rebus, quæ ad fidem & charitatem pertinent. An nihil eorum, quæ fidem & charitatem concernunt; in traditionibus non scriptis consistit? Ais; *Omnia quæ ad fidem & charitatem spectent, scripta esse.* Dicis quidem hoc; sed nihil probas. Nam quòd adfers illum locum Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt, &c.* frustra es; vt patet ex illis, quę supra de hoc loco cum Bellarmino disseruimus. Multò magis frustra es; cum ais, omnia ad charitatem pertinentia, scripta esse; quod tota charitatis summa consistat in illis duobus præceptis: *Diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximum tuum sicut teipsum, &c.* perinde facis, ac si diceres: Totam syllogisticam doctrinam esse ibi scriptã; vbi hæc
B duo generalia omnium syllogismorum principia scripta sunt: *Dici de omni: &, dici de nullo.*

VIII. Mend. Hãc esse Bellarmini consequentiam: *Audita sunt, ergo scripta non sunt.* Non ita nudè & crudè Bellarminus suum argumẽtum proponeret; si doctrinam suam argumẽtationis aliqua forma vestire vellet; sed diceret; Timotheus audiit quædam à S. Paulo coram multis testibus; eaq; iussus est commendare & tradere fidelibus hominibus, qui aliis eadem porrò docendo tradere & commendare idonei essent. Ergo hæc nõ sunt scripta: probatur consequentia. Quia si de scriptis Apostolus loqueretur; non diceret; *hæc commenda fidelibus, &c.* Sed; hæc commenda libra-
C riis. Nec diceret: *Quæ audisti à me per multos testes;* sed, quæ scripsi *tibi.* Iste est Bellarmini discursus: ista argumentatio; si à recto rectè, non à Rullo Rullicè instituatur.

IX. Mend. Bellarminum, *in explicatione loci illius; quæ audisti à me per multos testes; dissentire à Thoma Aquinate.* Nam nec S. Thomas inficiatur expositionem Bellarmini; nec Bellarminus eam, quæ à D. Thoma in hunc Apostoli locum profertur. Quæ præterea Rullus adiicit, partim criminationibus; partim cauillationibus deputari debent.

Quintum principale prò traditionibus testimonium sumitur ex secunda epistola Ioannis, v-
D bi hæc leguntur: *Multa habens scribere vobis, nolui per chartam, & atramentum, &c.* Ex his enim intelligimus, multa ab Apostolo Ioanne dicta esse discipulis, & per discipulos Ecclesiæ vniuersæ, quæ tamen scripta non sunt. Fatetur VVitackerus, *non omnia scripta in breuissimo illo epistolio. Num ideo,* inquit, *neque alibi conscripta sunt?* Similia Iunius & Savvbrandus. Sed nugantur more suo, & ad diuerticula diuertunt. Si enim sciunt, ea, quæ coram & *ore ad os* cum Electa illa Domina & natis eius locutus est Ioannes, scripta esse; dicant nobis definitè, quæ nam sint illa, & vbi reperiantur scripta: nisi hoc præstent, nunquam nobis persuadebunt, omnia, quæ coram D. Ioannes disseruit, in chartas seu membranas venisse.

Rullus

Rullus mentitur Bellarminum ex testimonio D. Ioannis hunc in modum argumentari: *In duabus epistolis Ioannis non sunt omnia scripta: ergo in sacra scriptura nõ sunt omnia scripta.* Admiscet & alia mendacia, & more Sibrandi argumẽta vel potius deliramenta fingit; quæ postmodum magna voluptate demolitur; sursumque ac deorsum versat; ritu modoque prorsus Savvbrandico. Quos tam aptè in anilibus somniis, & in deprauandi, & omnia rectè dicta distorquendi libidine concinere; non est mirandum; quia ex iisdẽ Caluini lumbis vel potius liliis vterq; exstitit. Et tamen post tantam nugacitatis & stultiloquẽtiæ cumulum; terminat Rullus primam suæ disputationis partem hoc gloriosissimo thrasonismo: *Manet firma & inconcussa Thesis supra posita: Apostolicas traditiones non scriptas, de quibus certò cognitum sit, quod ab Apostolis sint tradita, nunc nullas esse.* ὅπερ ἔδει ὑπερεγκωμίσαι. Aptissimè. ὅπερ ἔδει ὑπερληρῳδῆσαι vel ὑπερλοιδορῆσαι. Notum est, quàm facilè isti sibi triumphos decernant; sed imaginarios; quippe ob non veras; sed imaginarias duntaxat victorias, quas eo frequentiores reportant; quò suauius somniant, & profundius delirant.

Cætera, quæ Bellarminus reliquis capitibus de traditionibus disputat, præteriit Rullus intacta; quia properabat ad secundum diuisionis suę membrum; nam in ipso confestim vestibulo distinxerat traditiones in diuinas & humanas. Vt igitur stomachum effundendis largissimè pseudologiis egregiè releuaret, missis omnibus aliis absq; mora ad humanas & *Papisticas* quas vocat, *Traditiones*, sibi accelerandum existimauit: quas repetitis ex Brentio, Hamelmanno, & id genus aliis fabulatoribus, calumniis & conuiciis ita tractat; vt omnibus absolutis plura propè mendacia, quàm *positiones* inuenias.

I. Mend. *Papisticas traditiones non esse Apostolicas.* Loquitur vniuersim de omnibus.

II. Mend. *Non esse Propheticis & Apostolicis traditionibus æquandas.*

III. Mend. *Nec esse spiritales.*

IV. Mend. *Nec ad animam pertinentes.*

V. Mend. *Nec esse ad vitam æternam necessarias.*

VI. Mend. *Nec debere, nec posse ferè vllas bona conscientia obseruari.*

VII. Mend. *Esse laqueos ad strangulandas miseras animas.*

VIII. Mend. *Esse crudelem animarum carnificinam.*

IX. Mend. *Esse tantum earum aceruum, & tantam difficultatem, vt fieri non possit, quin extrema anxietate & terrore perplexi vrantur, quibus moles earum, & stricta obseruatio incumbit.*

X. Mend. *Propter nostras traditiones irritum fieri præceptum Dei.*

XI. Mend. *Deum per has traditiones suo iure spoliari.*

XII. Mend. *Eas regnum Christi destruere.*

XIII. Mend. *Libertatem Christianam penitus opprimere.*

XIV. Mend. *Et quidem à Christo fidelium conscientiis concessam.*

XV. Mend. *Traditiones docere, vt homines ex ipsis peccatorũ remissionem quærant: cum summa meriti Christi iniuria.*

XVI. Mend. *Traditiones pro vero Dei cultu sacrilegè haberi & obtrudi.* Dic religiosè; & mendacium in veritatem transformabitur.

XVII. Mend. *Impiè sancitas esse mortis æternæ denunciatione.*

XVIII. Mend. *Falsò eas exigi, tanquam ad salutem necessarias.*

XIX. Mend. *Esse inutiles.*

XX. Mend. *Inuehere Iudaismum.*

XXI. Mend. Item *Gentilismum.*

XXII. Mend. Item *Samaritanismum, hoc est, variarum religionum mixturam.*

XXIII. Mend. *Esse ad fœdum quæstum prostitutas.*

XXIV. Mend. *Ad earum obseruationem sequi horrenda Dei iudicia.*

XXV. Mend. *Et hoc scriptum esse Ies. 29. 19.*

XXVI. Mend. *Esse peruersa hominum inuenta.*

XXVII. Mend. *Et ideo in religionis caussa Deo displicere.*

XXVIII. Mend. *Et hoc scriptũ esse Matth. 15. 9.*

XXIX. Mend. *Traditiones istas esse partim impias.*

XXX. Mend. *Partim nugatorias.*

XXXI. Mend. *Adorationem imaginum esse traditionem impiam.*

XXXII. Mend. *Adorationem idolorum numerari à nobis inter traditiones.*

XXXIII. Mend. impudentissimum: *nos ceræ consecratæ, quæ vulgo Agnus Dei appellatur, eandem vim diuinam tribuere, quæ tribuitur ipsi filio Dei.*

XXXIV. Mend. *Hoc testari illos versiculos: Balsamus & munda cera, &c.*

XXXV. Mend. *Hos versiculos esse impietatis plenissimos.*

XXXVI. Mend. *Circumuectationem asini palmis coronati esse apud nos traditionem Apostolicam.*

XXXVII. Mend. *Item balneas animarum, quæ animarum in purgatorio recreandarum caussa pauperibus calefiunt.*

XXXVIII. Mend. *Item cunarum Christi agitationem.*

XXXIX. Mend. *Item dies festos infinitos.* Accipe Calendarium & numera; si pernumerare poteris; non erunt infiniti; quia nullum infinitum est numerabile.

XL. Mend. Item *campanellas.*

XLI. Mend. *Nolas.*

XLII. Mend. *Crepitacula.*

XLIII. Mend. Item *Indulgentiarum nundinationes.* Nullas in Ecclesia nouimus; nemo, præter mendaciorum nundinatores, has *nũdinas & nundinationes* Ecclesiæ obiectat. Et quid verbis opus;

Digitized by Google

A omnes consuetudines Ecclesiæ siue vniuersales, siue particulares & locales; vocat iste *traditiones*, & ita rem proponit; quasi omnes traditiones istæ ab Apostolis, nostro iudicio, descenderint. Cum pleræque sint Ecclesiasticæ; vel potius mores & instituta Ecclesiæ; seu vniuersalia seu particularia; neq; enim omnes ritus absolutè & propriè dicuntur traditiones; sed tantùm antiquiores; vt monet quoque Bellarminus supra cap. 2. Vt autem Rullus immensitatem harum consuetudinum Ecclesiasticarum in altum exaggeret: eadem aliquando diuersis vocabulis bis vel sæpius nominat. Quid, oro, differt; *Carnisprinium*; & *initium Quadragesimale?* Quid *Agnus Dei*, & *imago Crucis, quæ Agnus Dei dicitur?* Quanquam ineptè vocat cælestis Agni imaginem, *crucem*; cum non formetur specie Crucis. Quid *societates variæ, vt Iesu & beatæ Virginis, &c.* & *Fraternitates?* *Benedictiones placentarum*, bis iisdem verbis nominat; Fortè, quia placentæ Rullo valde placent. Bis item *Rosaria*. Nisi fortè *sphærulæ precatoriæ, quibus Deo preces enumerantur*, & *Rosaria*, non sint synonyma. Bis etiam percenset processiones Rogationū, semel his verbis: *Dies Crucis, seu processiones religiosæ.* Postea istis: *Processiones & peregrinationes religionis ergo, quæ fiunt in die S. Marci, & in septimana Rogationum.* Bis etiam Battus hæc iterat: *Chrisma seu vnctio infātium in baptismo, & adultorum in confirmatione.* Non longè post: *Vnctio infantum in baptismo; & adultorum in confirmatione.*

Reuertamur ad mendaciorum Rullicorum calculos.

XLIV. Mend. *Nuptiarum legitimarum prohibitionem esse apud nos traditionem.*

XLV. Mend. Item *Xenia sacrificulis & Monachis quotannis distribuenda.*

XLVI. Mend. *Sibi & suis non esse certamen contra sanctas & vtiles Ecclesiæ constitutiones; quæ vel ad disciplinam, vel honestatem, vel pacem conseruandam faciunt.*

XLVII. Mend. *Decretum Concilij Tridentini de traditionibus, quod exstat sess. 4. esse impium.*

XLVIII. Mend. *Decretum illud Tridentinum intelligi de omnibus traditionibus, quas Rullus enumerauit*, hoc est, etiam de consuetudinibus quibusdam & ritibus quibuscunque Ecclesiasticis; cum luce lucidius sit, Concilium non loqui, nisi de diuinis & Apostolicis traditionibus.

XLIX. Mend. *Decreto Tridentino obstare illud ad Galat. 3. Sed licet nos, aut Angelus de cælo, &c.* Pro omnium coronide addatur illud blasphemū prorsus, & terq; quaterq; execrandum mendacium; *Die corporis Christi circumgestari idolum panaceum in pompa theatrica.* Sed valeat iam Rullus, vt meretur, cum suo Caluinistico, hoc est non Panaceo, sed stramentitio verbo, non ex supernis, sed infernis sedibus emisso. Ex his quæ contra Rullum & alios diximus, & sequentibus itidem capitulis dicemus, habet Labrax Respōsum ad suam de traditionibus Disputationem; nihil enim adfert, quod peculiari refutatione egeat. Vt nec Mortonus in lacero suo Centone Apolog. insulsæ p. 2. lib. 1. cap. 32. & seqq.

Cæterum ne Danæi circa hoc quintum caput obliuiscamur, totus est, veteri suo instituto, in paralogismis suis, hisque machinis omnia Bellarminiana argumenta euersum tendit tātā confidentia; vt quamprimum exclamat: *Paralogismus ab Ignoratione Elenchi; Paralogismus à petitione principij. Paralogismus ab æquiuocatione*; existimet, aliosque itidem exstimare velit, iam totum negotium feliciter confectum, egregiamque victoriam; & spolia ampla de hoste reportata esse; præsertim si mendacia intermisceantur, vt cum hic dicit; *Bellarminum agnoscere, Timotheo à Paulo nihil, instar depo-* B *siti, commissum; nisi quod ad eundem Timotheum scripserat. Similiter Thessalonicensibus nihil à Paulo traditum, quod non in epistola illa expresserit.* Item, *Bellarminum esse dubium, num quæ sine scripto à Paulo, aliisq; Apostolis sint tradita.* Hæc & alia mendacia Danæanos *paralogismos* non aliter ornant ac gemma annulum. *Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo argentum, Pariusue lapis circumdatur auro.*

CAPVT VI.

Idem ostenditur testimoniis Pontificum & Conciliorum.

C PRAEDICANTES paucis se ab hoc capite expediunt. Danæo est *caput hoc prorsus inutile*: quod verum, si pronomen *hoc* demōstret caput Danæi; non si hoc libri Bellarminiani: *Complectitur duplicem Paralogismum.* Et vbi non obuij Paralogismi Danæo? Paralogisticos oculos Danæum habuisse oportuit, cum vbique nihil nisi *Paralogismos* viderint.

VVitackerus non moratur Epistolas Decretales Fabiani, Innocentij I. Leonis I. quas adducit Bellarminus. Nos multò minus moramur VVitackerum.

Iunius vociferatur: *Fabiani epistolam notham esse, & intolerandam eorum fuisse impudentiam, qui illas* D *epistolas veritati doctrinæ, & historiæ aduersantes priscis illis Patribus adscripserunt.*

Savvbrandus etiam multa tonat contra has Fabiani epistolas, primam esse spuriam colligit ex nota consulum, quibus scripta fertur. At Bellarminus non protulit testimonium ex prima; sed ex secunda. Et vt mendum in nomina consulum, & quædam alia, irrepserit; num ideo tota illa prima epistola supposititia erit? An nunquam euenit, vt veterum monumenta adiectione falsarentur? Illud lepidum: *In scriptura nihil legitur de confectione Chrismatis, de qua epistola secunda ad Orientales; ergo epistola illa secunda est spuria.* Nec minus subtilis est hæc cōsecutio: *Historiæ vix 12. annos Fabiano in Pontificatu concedunt: at Pontificale Damasi 14.*

(imò

(imò Baronius rectè ad quindecim annos Pontificatum Fabiani extendit) *ergo epistolæ Fabiani sunt suppositititiæ.*

Stultius reiicit tertiam epistolam, quod sit ad Hilarium; quem ducentis annis posteriorem Fabiano facit: & hæc stultitia non esset contemnenda, si vnicus tantum in mundo Hilarius exstitisset; ille nimirum celeberrimus Pictauiensis Episcopus; At cum nihil obstet, plures hoc nomine, diuersis ætatibus vixisse; fungum esse oportet; qui ob hanc *funginam* Sibrandi rationem tertiam illam epistolam reiiciat.

Illud autem de Fabiano insigne est mendacium; cum dicit, *sæcularibus à Fabiano interdici; ne accusent sacerdotes;* cum tantum vetet, *vt hi, qui non sunt bonæ conuersationis, aut quorum vita est accusabilis, aut quorum fides, vita & libertas nescitur, aut quorū nimium vilis conditio, possint Domini sacerdotes accusare.*

Quod præterea ait Iunius, *hæc Pontificum testimonia non attingere traditiones dogmatum, sed traditiones rituum & cæremoniarum,* id vt ita esset; an ideo omnis obseruandi necessitas abesset? sæpe iam diximus; Nauci & nihili esse hanc consequentiam: *Est ritus; ergo non necessariò obseruandus;* non enim omnis ritus liber est: & in ipsis ritibus dogmata fidei includuntur; minimum hoc; eiusmodi ritus esse Christiano populo salutares & conducibiles, Deoque gratos. Neque Fabianus ritum Chrismatis in singulos annos renouandi, vt liberum, Ecclesiæ proposuit; sed ait: *Ista à sanctis Apostolis & eorum successoribus accepimus, vobisq́; tenenda mandamus.*

Ex Conciliis adducit primo loco Bellarminus Nicænum; quod, teste Theodoreto, ex doctrina non scripta damnauit Arium. Etsi enim, inquit Bellarminus, quædam scripturæ poterant adferri contra Arium, támen quia Arius etiam proferebat scripturas, ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrū sibi in Ecclesia succedentium, eum damnauerunt. Respondet VVitackerus: *Quale hoc argumentum est? Ariani ex scripturis multa protulerunt: ergo non potuerunt ex scripturis refelli. Si hæc consequentia firma sit, tum certè nulli hæretici possunt ex scripturis refelli. Proferunt enim omnes hæretici scripturas.* Certè, seclusa traditione & doctrina non scripta, de vero & legitimo sensu scripturæ; nulli hæretici ex scriptura sufficienter & efficaciter refelluntur: cū ipsi vicissim alias scripturas malè detortas, & perperam intellectas, longè maiore, quàm vllus orthodoxus, contentione proferant & vrgeant; & eas ipsas; quas tu profers, peruersis glossis & interpretationibus eludant. Animaduertit hoc Tertullianus lib. de præscript. ea de caussa censuit, hæreticos potissimùm traditione & præscriptione confutandos esse. Exempla quotidiana docent; quàm parum, vbi impudenter à traditionibus discessum est; apud hæreticos scripturarū testimonia efficiant: quia nihil adferri potest, quod ab audacia & pertinacia, qua sectarij mirificè valent, in sequiorem sensum vel abduci vel abripi non queat. Itaque meritò Patres Nicæni Concilij ad doctrinam nō scriptam; seu ad traditionem in refellendo Ario confugerunt: neque tamen hoc, quod VVitackerus proponit, Bellarmini argumentum est; sed istud vel assimile; si quis Bellarminiana dicta in formam argumentationis redigere velit. Ariani æquè densa scripturæ testimonia, pro suo errore proferebant; ac orthodoxi pro veritate asserenda; & hæc ipsa, quæ veritatis tuendæ gratia producebant, Ariani prauis, & ex proprio cerebro confictis expositionibus eludebant; & aliò deflectebant: rectè ergo existimarunt Patres illi, hæresiarcham istum ex doctrina non scripta seu ex traditione refellendum & condemnandum esse: nō quòd nullis scripturæ auctoritatibus aduersus impietatem Arij dimicarint; sed quia has auctoritates cum traditione; & hanc cum illis semper copularint. Quod nota propter Iunium; qui hic clamitat, *Arium ex scriptura conuictum, & damnationi subiectum. Prouocat ad Athanasium, & Gelasium Cyzicenum.* Mentitur *à Bellarmino orthodoxos Patres hoc sermone onerari, Arium iuuari.* Sed nunc non erat his opus. Neque ignorat, neque diffitetur Bellarminus, adhibitas scripturas, sed ex traditionis norma intellectas. Quod etiam VVitackero dictum esto: qui verbosè hic monstrare nititur; *ex scripturis cum Ario certatum.* Quis abnuit? At non sine Ecclesiastici canonis traditione. Inter alia spicula in eum missa, est vox ὁμοούσιος ἄγραφος; tradita, non scripta; & quamuis sensus eius in scripturæ quasi visceribus contineatur; ipsa tamen vox nō est à scriptura, sed à traditione. Nec S. Augustinus ex scriptura cum Maximino Ariano simpliciter & absolutè disputare voluit; sed ex scripturis cum traditione iugatis. Concilia Nicænum & Ariminense relinquenda censuit; breuitatis & celerioris expeditionis caussa; quia Maximinus fidem nullam habebat Nicæno; & Augustinus nullam Ariminensi; Itaque ne Augustino tempus insumendum esset in astruendo Nicæno; & destruendo Ariminensi Concilio, consultum existimauit, his omissis, rectà ad scripturam procedere.

Prauè citat VVitackerus Theodoreti Græca verba; ἐξ ἐγγράφων μετ᾽ εὐσεβείας ἐννοουμένων λέξεων κατηκείσθησαν. Legendum enim, ἐξ ἀγράφων, vt ostendi in Responso Hunniano cap. 16. & sententia loci, mensque Theodoreti id ipsum manifestè comprobat: Dicit enim, *ex vocabulis non scriptis,* quale ὁμοούσιος, quod nusquā in scriptura exstat; Arium cum suis damnatum esse.

Savvbrandus hoc syllogismi monstrum hic peperit: *Quod facit Concilium Nicænum, hoc & nos facere debemus. Sed Concilium Nicænum condemnauit hæresin ex doctrina non scripta, hoc est, ex traditionibus; Ergò & nos ex doctrina non scripta, hoc est, ex Traditionibus, hæreses damnare debemus. Nos respondemus,* inquit insulsissimus syllogista, *Maiorem non esse simpliciter veram; Nam & Concilium Nicænum se mutuis conui-*

ciis penè conscidit. Cuius est ista non simpliciter vera Maior? Num Bellarmini? Quisquis hoc dicit; is falsum dicit: Quis enim affirmet; cuiuis faciendum esse; quod Nicæna synodus fecit, cũ hoc, etiam si quis velit, fieri nõ posiit? Nam synodus Nicæna damnauit Arium cum auctoritate & potestate plenaria, instar supremi iudicis. Num hoc quiuis potest; quantumuis Arij iuratus hostis? Nec prætereundum mendacium *de mutuis conuiciis* Nicæni Concilij. Ita appello; quia verè mendacium est; non enim quorundam priuatæ altercationes & accusationes Concilio œcumenico & sanctissimo adscribendæ sunt; & tamen his ipsis prudentia Constantini statim finem imposuit.

Arguit Savvbrandus Bellarminum *contradictionis*, quia infra cap. 11. dicit, *exstare clarissima in scripturis testimonia in illis quæstionibus, quæ orthodoxis erant cum Arianis: & tamen hic dicit, ex doctrina nõ scripta Arium fuisse refutatum:* Abstinuisset, opinor, hæreticus ab hac obiectione, si legisset, vel perpendisset, quæ in eodem cap. 11. Bellarminus scribit; nempe; eorum omnium dogmatum, quæ ad naturam Dei pertinent, exstare in scripturis testimonia, & posse nos circa ea dogmata plenè & planè instrui ex scripturis; si eas rectè intelligamus, verum tamen sensum pendere ex traditione Ecclesiæ non scripta. Sunt ergo clarissima testimonia, quibus Christi diuinitas adstruitur; sed rectè intelligentibus, non præconceptarum opinionum fascino dementatis; non noctuis perpetim à sole ad caliginem oculos conuertentibus.

Concilia secundum Nicænum, & octauum generale citata à Bellarmino, vix aspectu, nedum responso dignatur VVitackerus; Iunius; & Savvbrandus, (qui imperitè vocat; *Concilium Constantinopolitanum octauum*, cum quartum locum inter OEcumenica Constantinopoli celebrata obtineat) Vt olim audito quodam sermone Redemptoris nostri Iudæi concordi voce exclamarunt: *Blasphemauit*; ita & isti auditis horum Conciliorũ sanctionibus vociferati sunt: *Blasphemarunt.* Sed quàm verè illud dictum à Iudæis, tam verè hoc asseritur à Nouatoribus, Iudæorum surculis.

CAPVT VII.

Idem probatur ex Patribus.

PRAEDICAT VVitackerus suam suorumque in sanctos Patres obseruantiam. Quæ tamen, qualis & quanta sit; ostendit his verbis: *Cauendum semper est, ne nimiùm Patribus tribuamus cum Papistis, sed in illis legendis ius nostrum, libertatemq́ tueamur; & omnia illorum dicta, ad scripturæ normam examinemus: cum qua, si consentiant, recipiamus; sin verò dissentiant, bona cum illorum venia, libereq́ respuamus.* Admodum diligenter cauent sectarij, non tantùm ne nimium; sed ne id quidem, quod satis est & decens, sanctis

A Patribus tribuant; in illisque legendis non ius & libertatem; sed impudentiam consuetam studiosissimè obseruant.

Habuit VVitackerus Controuersias Bellarmini calamo exaratas, prout ab auditoribus in schola fuerant exceptæ: Tanti enim nominis & famæ erant, vt certatim, ingenti impensa, describerentur & distraherentur; imò & maioris faciliorisq; vsus gratia, in compendium redigerentur, teste ipso VVitackero. In his ergo manu scriptis dictatis citauerat Bellarminus, si tamẽ VVitackerus vera refert; Clemẽtem Romanum, hoc est, constitutiones, Canones Apostolorum & Epistolas eius; quę ferè nihil aliud, quàm traditiones continent. Respondet VVitackerus, *nos hunc*
B *Clementem non agnoscimus, neque Turriani, laudes, quas illi tribuit, moramur.* Postea multa ex Canonibus Apostolorum, & ex Clemẽtis Constitutionibus profert; quæ in speciem apparẽt falsa & absurda. Cæterum si tam difficilis ac morosus est VVitackerus, vt ne Turriani quidem summam in his defendendis & propugnandis diligentiam, sibi satisfacere patiatur, non est, quod nos satisfacere studeamus homini; cui præter proprij cerebri somnia, nihil penitus placet. De Canonibus Apostolorum post Turrianum multa diximus in Responso ad Hunnianas Theses cap. 14. Et Turrianus fusissimè explanat loca in Constitutionibus dubitationi vel difficultati peculiari obnoxia. Nostri tamen consilij non est omnia præsta-
C re velle, cum constet, præstantium Auctorum lucubrationibus ab aliena & male fida manu nonnulla aliquando superaddita: quæ tamen non efficiunt, quò minus argumentum probabile ex huiusmodi libro, etiamsi planè pseudepigraphus esset, desumeretur, vt fatetur etiam Iunius supra ad caput quintum. Nec est, quod magnopere de hoc Clementis testimonio laboremus, cum in editione publica, quam solam Bellarminus pro sua agnoscit, non compareat.

Primus ergo Pater apud Bellarminũ in Controuersiis excusis est S. Ignatius, qui teste Eusebio lib. 3. hist. Ecclesiast. cap. 36. hortabatur omnes, *Apostolorum traditionibus tenaciùs inhærere: Quas traditiones*, inquit Eusebius, *cautelæ gratia etiam scri-*
D *ptas se asserit reliquisse.* Respondet VVitackerus: *Eusebij locus aut vitiosus, aut ambiguus est, vt ex Græco codice apparet. Intelligit Eusebius per Traditionem eo in loco, Apostolicæ prædicationis doctrinam sinceram, vt ex ipso loco patet.* Omnino sinceram Apostolicæ prædicationis doctrinã eo loco Eusebius intelligit. Sed an non in hac etiam traditiones comprehendũtur? Negat VVitackerus, idque non sine admodum subtili argumento: *Si enim Ignatius traditiones tam multas intelligeret, quas Papistæ somniant, non diceret παραδόσεων, sed παραδόσεως.* Egregia ratio: & similis huic. Si qui dicit; hunc vel illum esse studiosum & obseruantem Euãgelij, intelligeret eum esse studiosum & obseruantem quatuor Euangeliorum; is non diceret; *Euangelij*; sed *Euangeliorũ.*

Quasi

Quasi verò traditio absolutè posita, non soleat accipi *collectiuè*, non pro vna duntaxat re, sed implicitè & confusè pro pluribus; sicut *mos*, *consuetudo*, & similia. Quod si numerum singularem adeo grammaticè vrget VVitackerus, tunc fateri cogetur de vna solummodo traditione locutum Ignatium. At quæ nam illa sola & vnica? Nec caussæ quidquam erat, cur S. Ignatius traditionem seu traditiones illas tantopere litteris commendare festinaret; si nihil aliud erant, quam doctrina Apostolica & Euangelica scripta; quia hęc iam tota erant in literas relata, canonque noui testamenti completus & perfectus; quando beatus Ignatius Romam ad Martyrium abductus est.

Ait VVitackerus: *Ignatium non loqui de traditionibus Pontificiis, ex eo potest intelligi; quod in his Epistolis Ignatius disputat contra Simonem, Cerinthum, Menandrum, & alios hæreticos, qui de Christi persona impiè sentiebant.* Num tantum in suis Epistolis contra hos Hæreticos disputat? Et si omnis aduersus istos doctrina litteris iam consignata erat in libris Canonicis, cur tanta sollicitudine properauit B. Ignatius hæc litteris mandare; cum iam litteris mandata essent? Manifestè ergo apparet, Ignatium de alia traditione locutum esse. Nec erat, cur adeo in Ruffinum VVitackerus excandesceret, eo quod nomē singulare *παράδοσιν* reddiderit per plurale *παραδόσεις*, quia etiam singulare illud virtute est plurale vt antea dictū. Quod idem Ruffinus scribit, Ignatium voluisse Apostolorum traditionem scribere, vt posteritati cōsuleretur, ne quid apud posteros maneret incerti; id negat VVitackerus *ad Papisticas traditiones pertinere: has enim incertissimas esse.* VVitackerum mentiri certissimò intelligit, quisquis Catholicę Ecclesię traditiones intelligit. Misso hoc figmento, ex Ruffini verbis apertissimè claret, Ruffinum existimasse; ab Ignatio, aliam, quam Apostolicam doctrinam scriptam nomine traditionis intellectam esse; nam hæc iam erat in litteras relata, vt proinde nequaquam necesse fuerit, Ignatium de hac doctrina chartis seu membranis ad securitatem posterorum mandanda multum curæ laborisque suscipere.

Iunius ait. *Traditionem ab Ignatio accipi æquiuocè;* neque enim quod responderet, succurrisset; nisi *æquiuocatio*, præsens Iunio in angustiis opitulatrix, opē tulisset: Et huius sui responsi dat nobis testem, *Polycarpum ibid. apud Eusebium cap. sequente apertis verbis dicentem; plurimum ex iis Epistolis iuuari poteritis: continent enim fidem, & patientiam, & totam ædificationem, quæ ad Christum pertinet.* Nescio, vbi Iunius tantam cerebri iacturam fecerit; vt hunc locum, quasi traditionibus contrarium, producere ausus fuerit. Quæ enim hæc consequentia? *Epistolæ D. Ignatij continent fidem & patientiam, & totam ædificationem, quæ ad Christum pertinet; ergo nihil dicunt de non scriptis traditionibus.* Egregia consecutio; quasi non & istæ complectantur fidem, patientiam, & ædificationem Christianam: hocq; ipso, quod S. Ignatius de fide, patientia, & Christiana ædificatione multum disseruit; traditiones excluserit.

Oggannit VVitackerus; *non omnes traditiones Papisticas in his Ignatij Epistolis reperiri.* Neq; hoc necesse est; sufficit aliquas reperiri, & in his *Quadragesimam, Ordines minores*; & *diem Dominicum*, quas Bellarminus nominat; & alias; nam quod & *Cantorum* meminit; id fit; quia quædam functio erat in Ecclesia; non Ordo; ad quem peculiari initiatione & consecratione aliquis deputatur. Vide verò stuporem sic ratiocinantem. *In scriptura fit mentio diei Dominici Apocal. 1. & Act. 20 legitur; vna Sabbathorum; hæc autem est Dominica. ergò diem Dominicum festiuum habendum & ab omni opere seruili immunē transigendū esse; nō est nō scripta traditio; sed doctrina scripta:* Similiter ac si diceret: In nouo testamēto sępissimè fit mentio Sabbathi; ergo est doctrina noui testamenti scripta Sabbathum feriandum esse. Quæso, te; num quia Dominicæ diei mentio fit in scriptura; hoc ipso etiam præcisè mandatur, vt hic dies, tanquā festus à Christianis celebretur? Estne idem alicuius diei meminisse; & vt festus sit, præcipere? Prius facit scriptura, non posterius.

Quod Eusebius & interpres eius Ruffinus dicunt; Ignatium iam Martyrio propinquum, traditionem litteris consignare voluisse; vt posteri eo tutiores & securiores essent; *hinc contra Papistas colligimus*, inquit VVitackerus, *Ignatio visum esse minimè tutum, vt doctrina aliqua ἄγραφον relinqueretur. At isti fingunt, Apostolos multa sine litteris tradidisse, quasi non prauiderint, esse necessarium, quod Ignatius tam breui post tempore Apostolorum vel maximè necessarium esse animaduertit.* Respondeo, S. Ignatius neque sensit, neque dixit simpliciter necessarium esse, vt traditiones literis, etiam suis, consignarentur, quia non ignorabat illas ab Apostolis in Ecclesia, hoc est, in columna & firmamento veritatis, depositas & repositas esse absque omni futuri interitus periculo; sed tamen, quia immenso amore Christianos, ad quos scribebat complectebatur, ipsasque traditiones in eorum pectore infixas, & memoriæ indesinenter impressas optabat; eam ob rem litteris mandare voluit; præsertim cum hæc ratio traditionis cognoscendæ & obseruandæ cuiuis promptior sit & facilior; & ad memoriam accommodatior; quod Apostolos non fugit; neque tamen simpliciter necessarium duxerunt hæc scribere; non ignari, semper in Ecclesia doctores futuros; qui quæ fideliter acceperant; fideliter etiam populo traderent, & cum opus videretur, scriberent.

Iunius vocat Epistolas, quæ hodie D. Ignatij nomen præferunt, *pseudepigraphas*. VVitackerus ait, *dubitari posse, num reuera Ignatij sint necne!* Et quid isti non possunt vocare in dubium; postquam omnia sibi licere volunt? Ne Canonici quidem

libri ab his *Dubitantiis* tuti fuerunt. Quam vero grauibus argumentis inductus est VVitackerus in hanc dubitationē. *Quia quædam citantur à Theodoreto & S. Hieronymo ex Epistolis Ignatianis, quæ in eis hodie non comparent: potest ergo nō immeritò dubitari, nū sint genuinæ.* Et est hoc argumentum tam acutum, quàm istud. Quædam, vt illud; *regnauit à ligno Deus*; citantur à Tertulliano, Iustino, & aliis ex Psalterio, quæ non exstant in Psalterio, quod hodie in vsu: ergo dubitari potest, num hodiernum Psalterium sit genuinum & legitimum. Hoc argumentū VVitackeriano simillimum est.

Sed en fortius. *Eusebius testatur Ignatium scripsisse Epistolas septem ad certas Ecclesias; at exstant hodie duodecim, ergo minimum quinq; sunt spuriæ & adulterinæ. Hieronymus item in Catalogo non nisi septem numerat: sequitur ergo, quod antea.* Si scire velis, quæ nam sint istæ spuriæ Epistolæ; audi VVitackerum ordine percensentem. *Ad Mariam, ad Tarsenses, ad Heronem, ad Antiochenos, ad Philippenses, ex qua ferè omnia sunt, quæ pro traditionum defensione ex Ignatio Aduersarij arripiunt.* Nunc cape argumentum insolubile. *Harum Epistolarum nec Eusebius, nec Hieronymus meminit; ergo certum est eas esse suppositias.* Quis amplius hæsitet id certum esse, quandoquidem VVitackerus hoc ex regia cathedra pronunciat? Quāta hominis huius leuitas, qui tam minutis ratiunculis Ignatianas Epistolas oppugnatum eat? Quot libri ad Eusebij & B. Hieronymi manus non peruenerunt; quos genuinos esse, nullus, cui frons supersit, inficiari audeat. Caussa cur non nisi septem Epistolas Ignatij commemorent, est ista, quia non viderant, nisi illam Epistolarum collectionem, quæ facta fuerat à sancto Polycarpo, qui illas duntaxat, quas B. Ignatius Smyrnæ primum, & postea Troade scripserat, vnum in volumen comportauit, vt patet ex his eius verbis apud Eusebium lib. 3. cap. 36. *Mittam vobis & Ignatij Epistolas, & alias, si quæ sunt, quæ ad nos transmissæ sunt, ex quibus vtilitatem maximam capiatis. Continent enim de fide, & patientia instructionem perfectam secundum Domini præceptum.* Hæc S. Polycarpus in Epistola ad Philippenses. Præter has alias dedit litteras Philippis in Macedonia, ad Antiochenos, ad Heronem, ad Tarsenses, & demum ad ipsos Philippenses; quarum sinceritati & integritati fidem conciliant vetustissimi manuscripti codices, qui passim in Bibliothecis, præsertim Romanis, asseruantur, vt taceam styli cōuenientiam, & totius faciei similitudinem cum septem aliis eiusdem Ignatij Epistolis, adeo, vt nulla manifestior vel vehementior de earum integritate possit adferri probatio, quam ex reliquis Epistolis eiusdem Ignatij contesseratione & connexione quadam sibi inuicem omnibus cohærentibus, vt rectè dixit illustrissimus Annalium scriptor Baronius ad Annum Redemptoris CIX. qui etiam Anno Christi XCIII. asserit eius Epistolæ auctoritatem, quæ Mariæ Cassobolitæ, fœminæ sanctissimæ inscripta est.

Regerit nobis VVitackerus illud suum: *Quædam à veteribus citata non reperiuntur etiam in illis septem Epistolis; quarum Eusebius & Hieronymus meminerunt; ergo dubium est num sint illa ipsa, quæ hodie exstant.* At nos longe rectius sic argumentamur. Multa ab antiquis citata, vt verè Ignatiana, visuntur in hodiernis D. Ignatij Epistolis; nominatim celeberrimum illud: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, &c.* ergo epistolæ, quæ hodie B. Ignatij nomen præferunt, verè sunt ab illo profectæ. Ait, *multa inde proferri posse, quæ nō oleant virum & spiritum Apostolicum*: vt illud: *Si quis ieiunat die Dominico, vel Sabbatho, excepto vno, Paschali nimirum, hic occisor Christi est. At Augustinus in vlt. epist. ad Hieronymum affirmat, Romæ sabbatho ieiunari solitum esse. & in 86. epist. ait; licere etiam die Dominica ieiunare.* Hunc nodum dissoluit Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in particulari cap. 18. explicās simul Canonem 65. Apostolorum, vbi idem de Sabbatho non ieiunando præcipitur. Sic autem scribit Bellarminus: Clemens in Apostolico illo Canone, & Ignatius in epist. ad Philippenses, nō sine magna ratione prohibent ieiunium Sabbathi. Exorti sunt enim illo tempore Hæretici varij, qui negabant DEVM verum esse illum, qui mundum condidit sex diebus, & in septimo requieuit. Vt de Simonianis refert Epiphanius hæresi 21. & de Marcionistis, hæresi 42. *vbi etiam expressè addit, Marcionistas propterea die Sabbathi ieiunare solitos fuisse, ne viderentur gaudere de quiete, & operibus creatoris. Itaq; in odium, & detestationem horum Hæreticorum, placuit veteribus per Orientem prohibere ieiunium die Sabbathi.*

Ieiunium diei Dominici absolutè prohibitum est. Licitum tamen in nonnullis casibus; vt v.g. ad tentationem carnis superandam; vel caussa morbi corporalis curandi; vel quia quis vouit ieiunium totius anni vel integri mensis, &c. Priori modo intelligendus est D. Ignatius; posteriore D. Augustinus. Vide Bellarminum lib. cit. cap. 23.

Quid amplius VVitackerus? *In eadem Epistola ad Philippenses dicit Ignatius: Si quis cum Iudæis Pascha celebrauerit, eum esse socium eorum, & cum iis communicare, qui ipsum Christum trucidarunt: κοινωνός ἐστι τῶν ἀποκτεινάντων τὸν κύριον. At constat, Polycarpum, & Polycratem cum Iudæis Pascha celebrasse.* Respondeo, in hoc D. Ignatij dicto nihil est, quod vllam reprehensionem mereatur; quia Apostolica traditio est; vt Pascha die Dominico celebretur: à qua Ioannem Euangelistam discessisse; supra fidem est: si qui hoc inferiores; id illis condonandum est: quòd res nondum plenè liqueret; vt postea, cum veritas perfectè discussa & definita in lucem venit.

Quàm futile illud, ex Epistola ad Mariā Cassobolitem, *Clementē successisse Anacleto; at illum Papistæ volunt Petro successisse; & Petrus adhuc viuus*, ait Caluinista, *illum vocat Episcopum & ciuem Romanum lib. 6. cap. 8. constit. Apost.* At Ignatius Anacleti no-

mine

mine intelligit Cletum; vt & Græci sæpius. Huic immediatè successit Clemens; & nihilominus verè dicitur Petro successisse, nam & hodiernus Pontifex verè est successor Petri, licet tot aliis interiectis Pontificibus. Fuit etiam, vt multis placet, viuente Petro, designatus Episcopus Romanus, licet cathedram, nisi post Linum & Cletum non conscensurus.

In Epistola ad Philadelphienses & Antiochenos, inquit VVitackerus, *non sumit ipse sibi autoritatem Apostolicam, quod tamen deberet, si traditiones Apostolicas Ecclesiis præscriberet. Dogmata enim Apostolica sunt pari cum scriptis Apostolicis autoritate recipienda.* Quid inanius istis aduersus Ignatianas Epistolas obiectiunculis? Quid abiectius? Ignatius non edidit ipse, vt primus auctor, Apostolicas traditiones; neque aliis præscripsit; quia Apostolus non fuit; sed traditiones ab Apostolis Apostolico spiritu & potestate traditas; ipse, vt Apostolorum successor; vt Episcopus, vt doctor, non vt institutor, aliis porro tradidit, & quo diligentius obseruarentur; & firmius memoriæ inhærescerent; aliquas ex illis in Epistolas suas retulit.

Mentitur VVitackerus, multa in Epistolis Ignatij reperiri; quæ nos nõ probemus; vt quod scribit ad Philadelphienses; *Episcopum oportere ab ipsa Ecclesia eligi.* Cui hoc S. Ignatij dictum displicet? An non & apud nos Episcopus ab Ecclesia eligitur? nam & illi, qui vices Ecclesiæ gerunt; Ecclesia rectè appellantur; cum à quantacunque multitudine, etiam plebis; Episcopus eligatur; non eligatur, nisi ab Ecclesia repræsentatiuè, neque enim infantes vel mulieres ad electionem admittuntur; aut admitti possunt; & tamẽ quis neget ad Ecclesiam pertinere? Itaque quemadmodum viri harum personarum vicem supplerent; si quis Episcopus à promiscua virorum turba Episcopus eligeretur; ita & iam pauciores Episcoporum Electores, gerunt vicem locumque tenent totius Ecclesiæ illius, cui Episcopus præficiendus est.

Adiungit VVitackerus. *In Epistola ad Trallianos scribit Ignatius, sine Episcopo, Diaconis, & presbyteris, non esse ἐκκλησίαν ἐκλεκτὴν: &, in eâdem epist. profitetur, se posse τὰ ἐπουράνια intelligere, totam cælestem Rempublicã, & omnes Angelorum ordines, & tamen inferiorem se Petro, ac Paulo esse dicit, quorum neuter ista explorata habuit.* Prius S. Ignatij dictum, est verissimum; quia vt rectè dicit S. Hieronymus contra Luciferianos, *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes.* Alterum, quod de cognitione rerum cælestium additur; non adeo insolens videretur VVitackero, si diuinum & illuminatissimum sanctissimi Martyris ingenium, angusti & tenebrosi pectoris sui finibus non metiretur. Vbi nam dicunt Apostoli Petrus & Paulus, hæc sibi ignota fuisse; quæ se Ignatius nouisse perhibet?

Nec placet VVitackeriano naso, quod S. Ignatius in Epistola ad Magnesianos monet; *non presbyterum, non diaconum, non laicum, sine Episcopo debere aliquid facere, sicut Christus absq; patre nihil facit: vitatq; illud: non possum à me quidquam facere.* Vocat hoc VVitackerus *vehementer ἄτοπον.* Quod iudicium nunquam tulisset; nisi omnis omnino obedientia Caluinistis ἄτοπον esset. Quid incommodi vel duritiei, vel impropriæ locutionis in hoc; si presbyteri, Diaconi, Laici Episcoporum suorum iussa capessere & imperata facere iubeantur; ad imitationem, qualem qualem, redemptoris nostri; cuius cibus erat; vt faceret voluntatem patris sui; quique non venerat; vt suam; sed vt cælestis patris voluntatem exequeretur? Grandi certè piaculo sese obstrinxit B. Ignatius, cum fidelibus & ministris Ecclesiæ absolutam illam Saluatoris nostri obedientiam pro viribus sectandam proposuit.

In Epistola ad Philadelphienses scribit S. Ignatius, *Episcopum nulli subesse, nec alicui rationem reddere, debere, nisi ipsi Christo. Quod Papistæ, sat scio*, inquit VVitackerus, *non ferent, qui volunt omnes Episcopos Pontifici Romano rationem reddere.* Scilicet VVitackerus omnes Papistarum sensus ad vnguem exploratos habet; quocirca tam audacter pronunciat, nos non toleraturos illam D. Ignatij sententiam. Atqui non tantum toleramus; sed &, qua par est, reuerentia, suscipimus: cum nil aliud velit, quàm Episcopum subditis non debere reddere rationem, sed ipsi Christo; qua loquendi formula non excludit, qui Christi locum tenent; vt sunt Metropolitani; & præsertim summus Ecclesiæ pastor; sicut cum de Quæstore regio dicitur; eum, non nisi ipsi Regi rationes reddere debere; non excluduntur; quos Rex loco suo constituerit.

Savvbrandus iterum iucundissimis & venustissimis syllogismis suis nos pascit: *Quod Ignatius scripsit, hoc ab Apostolis scriptum non est. Sed Ignatius inquit adhærendum esse Apostolorum traditionibus. Ergò Apostolorum traditiones ab Apostolis scriptæ non sunt. Respondeo*, inquit Caluinista; *esse aliud in conclusione, quàm in præmissis.* Quis, amentissime Caluinista, tibi imperauit, vt hunc syllogismum tam informẽ cuderes, & aliud in conclusione, quam sit in præmissis. poneres, præter malum genium; cuius flammis inflammatus mentiendi & criminandi nullum finem facis? Neque Bellarmini est hic syllogismus; neque ex dictis aut mente Bellarmini colligitur; neq; etiam ex D. Ignatij sententia; sed ex sola *Savvbrandina* malitia progeneratus est, vt & tricubitalis ille, quem statim subiungit, quo probare vult, omnia simpliciter ab Ignatio in Epistolis scripta fuisse; tam quæ scriptura complectitur, quam quæ nos traditionibus non scriptis comprehendi docemus; si vera sint quæ Eusebius, Ruffino Interprete, de Ignatio scribit: quam fatuitatem refutauimus supra in VVitackero; vt & alia; quæ ex eodem hîc expilator VVitackeri Savvbrandus de Ignatij Epistolis blaterat.

Quia verò Caluinianus iste propemodū singulis pagellis hoc argumentum inculcat: *Ista* doctrina, quam tradidit iste vel iste; *vt Ignatius in suis Epistolis, aut est eadem cum doctrina scripta, aut alia, quàm doctrina scripta; si alia, tum anathema est, ad Gal. 1. Si eadem: tum, non contradicimus; sed, hoc tantùm dicimus, Verbum Dei scriptum, esse eius normam, & regulam*: ideo semel dilucidè hoc argumentum profligandum est. Respondeo igitur, esse aliam numero, non specie: aliam, vt in scholis loquimur, distinctione numerica; non specifica: nam alia doctrina est; quæ dicit formam Sacramenti cōfirmationis esse talem v.g. & alia; quæ tradit formam Sacramenti Ordinis esse talem. Alia, inquam, est; distinctione indiuiduali; non speciei; quia vtraque vera est, diuina, cælitus reuelata; & neutra alteri aduersatur. Cætera, quæ adiungit, ex VVitackero sublegit; cum eodem igitur communia habeat & illa; quæ iam antè respondimus.

Secundus Pater à Bellarmino citatus. est Dionysius Areopagita; qui multa de traditionibus, in iis, quas nobis reliquit lucubrationibus. VVitackerus natales Dionysij in dubium vocat, imò disertè *spurium & suppositititium affirmat*. Idem facit Savvbrandus, Iunius & alij passim Prædicantes; Et ne sine testibus videantur loqui, testes, dant nobis vetustissimos. & multorum annorum caniciе vehementer venerandos, Gazam, Vallam, Erasmum; Caietanum; & nescio quas ratiunculas de stylo, & id genus aliis quisquiliis nectunt; quibus iam abundè satisfactum cum ab aliis, tum ab illustrissimo Baronio ad Annum Christi CIX. vbi fusè & accuratè omnes istas nebulas dispellit. Sed quia VVitackerus in Dionysij operibus reiiciendis admodum se diffundit; nō sine inani, vt apparet, gloriola, quasi tantus & tam disertus disputator sit, vt quiduis euertere queat; ea de caussa breuiter hic vanitas eius castigari debet.

I. VVitackeri contra Dionysium obiectiuncula, omnium sectariorum sermonibus trita: *Eusebius, & Hieronymus non faciunt mentionem aliquam horum librorum: quod maximo argumento esse debet, hos libros non esse Dionysij: Illi enim veterum libros diligentissimè colligebant, ac conquirebant: adeò, si vel Epistola aliqua ab vllo eximio viro scripta fuerit non omittebant: & posse fieri credemus, vt hos libros, de rebus tantis, & tam præclaris scriptos, aut non viderint, aut mentione indignos iudicauerint.* Adamantina profectò obiectio & indissolubilis. Quasi verò in tanta exemplariorum raritate; nondum reperto typographico artificio, multiplicandis & dispergendis latissimè libris aptissimo, tantopere mirandum sit; non omnes auctores, quantumuis antiquos & celebres ad manus Eusebij & Hieronymi peruenisse. Quod ad Eusebium attinet, (vtar Baronij verbis) suspectum, nec testimonio dignum eius videtur esse silentium. quippe qui Arianorum patronus, ac sectæ illius vexillarius (sic enim ap-

A pellat eum S. Hieronymus) haud edere sibi, suisque opportunum putauit, quæ ipso solo aspectu Arianorum dogmata potuissent infringere. nam ex nobilissima illa Cæsariensi libris omnibus refertissima bibliotheca Pamphili Martyris, quæ fuerat Origenis, haud eā omnino prodidit maiorum monumenta, quæ Arianam hæresin labefactare, ac confutare penitus potuissent: ac proinde, agens in historia, quam scripsit de scriptoribus Ecclesiasticis, nequaquam fecit omnium mentionem. Et, vt omittamus de aliis dicere, nonne dolo malo Theognosti Theologorum celeberrimi nomen, atque scripta silentio inuoluta reliquit, quòd *consubstantialis*, nominis esset assertor? At is, non præteriit S. Athanasium, qui

B eum sæpius citat, vt cum ait; de syn. Nicen. contra Arian. hær. *Discite nunc Christi rebelles Ariani, Theognostum, virum disertum, non abhorruisse à vocabulo substantiæ: scribens enim de Filio DEI in secundo hypotyposeon, ita locutus est*, &c. Recitat ibidem grauissimam disertissimi viri sententiam de vnâ, eâdemque Filij Dei cum Patre substantia. Itemq; Epist. de pec. in Spiritum sanctum ad Serapionem) *Prisci igitur homines, inter quos & Origenes vir omnium disciplinarum & multum industrius; & Theognostus ille admirandus, & per quàm studiosus (horum enim opera legebam, cum tuam Epistolam acciperem) tradunt nobis*. Haud sanè putandum Theologorum celeberrimum, Athanasio probè notum, Eusebium prætериisse: quin potius dolo malo eum prætermi-

C sisse, ac penitus suppressisse.

At non ego primus, sed iam olim S. Maximus monachus, strenuus pro veritate Catholica aduersus Monothelitas propugnator, Eusebij silentium de Dionysio impietatis nota sugillauit, &c. Quod verò ad S. Hieronymum spectat: cum eius fides syncerissima, nulla prorsus suspicionis labe conspersa habeatur, & nullus omninò in eo dolus subesse possit; aliunde eius silentij ratio petenda est, nimirum ab eius scribendi operis instituto: quo videlicet in Præfatione ad Dextrum, eos se colligere profitetur scriptores Ecclesiasticos, quos inuenisset ab Eusebio recensitos: quod & præstitisse certum est, illis tantum superadditis, qui post Eusebij obitum vsque ad

D sua tempora in Ecclesia floruêre; reliquos verò Sophronium addidisse, omnes intelligunt: nec fuit eius ratio instituti, si quæ ab Eusebio fuissent prætermissa, perquirere, ipsumque propterea vel oscitantiæ, vel doli mali arguere. Hactenus Cardinalis Baronius.

Nec recens est hæc obiectio. Refellit eandem Theodorus Presbyter (quem arbitror esse illum Raithu, cuius aduersus Seuerum Syntagma Grecè & Latinè exstat; S. Maximo synchronum; inter opera enim S. Maximi manuscripta Bibliothecæ Vaticanæ; reperitur, teste Baronio, Annali octauo, Epistola S. Maximi ad Theodorum Presbyterum Raithu,) in Apologia pro libris

S.Dio-

Digitized by Google

S.Dionysij Areopagitæ; cuius meminit Photius in ipso Bibliothecæ suæ vestibulo; quæ defensio vtinam superesset; non dubito multum momenti Nouatorum nugis refutandis adferret.

Secunda obiectio: *Nullus admodum antiquus auctor horum librorum mentionem facit: quod satis arguit, libros istos non eius antiquitatis fuisse, ac sæculi, cuius Dionysius Areopagita fuit.* Hanc obiectionem refutauit in sua Apologia Theodorus: quæ falsum assumit. Nam Dionysij Areopagitæ, eiusque lucubrationum meminit ante mille annos S. Gregorius Magnus Hom. 34. in Euang. & Gregorij familiaris S. Anastasius Patriarcha Antiochenus, in suo *Hodego* seu Duce viæ, præsertim sub finem. Et ante hos Cyrillus Alexandrinus, vt docet Baronius ex Liberato Diacono. Post hos S. Maximus, Damascenus, Andreas Cretensis, innumeri alij. Sed VVitackero nimis est recens S. Gregorius, quippe, qui sexcentis ferè post Christum decursis sæculis floruerit. Quæ hæc impudentia? Ad defendendum Dionysium non sufficiunt VVitackero auctores, qui ante octingentos, nongentos, mille & amplius, annos vixerunt; & ad oppugnandum eundem sufficiunt VVitackero recentissimi illi Erasmus, Caietanus, Gaza, Valla.

Obsecundemus VVitackero, & antiquiores producamus. Prodeat igitur in medium Origenes Hom. 2. de diuersis. Hic derepente occinet, *Homiliam hanc non esse Origenis.* Cedamus ergo, quandoquidem ita etiam sentit præstantissimus Annalium scriptor. Prodeat igitur S. Athanasius, lib. Quæst. ad Antioch. Q. 8. edit. nuperæ Græco Latinæ Commelinianæ. Et hic fortassis clamabit VVitackerus, librum hunc non esse Magni illius Athanasij. Vt demus quædam recentiora inspersa & superaddita; nunquam tamen euidenter euincet Caluinista primitus ex Magni Athanasij officina non processisse; & inter assumenta quoque reponendam quæstionem octauam, vbi citatur Dionysius Areopagita; cum hoc elogio. ὁ πολὺς ἐν θεολογίᾳ *Excellens Theologus.* Vt Magni Athanasij fœtus non esset; at certum est, esse eius, qui plus quàm mille annos ferat. Nec desunt, qui referant ad Athanasium quendam sub Theodosio Iuniore magna nominis existimatione clarentem; cuius Imperatoris ἄρχων, hoc est, præfectus fuisse dicitur Antiochus, ad quem Quæstiones istæ sunt missę.

Testatur in Bibliotheca sua Photius Volum. 231. se legisse Synodicam Epistolam Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani ad Honorium Romanum Pontificem. Et subdit; *in eodem Codice fuisse sententias variorum Patrum, in quibus & Διονύσιος ὁ πολὺς μὲν τὴν γλῶσσαν, πλείων δὲ τὴν θεωρίαν, ὁ μαθητὴς Παύλου, καὶ τοῦ χριστοῦ μάρτυς, καὶ τῶν ἀθηναίων ἐπίσκοπος. Dionysius eloquio quidem præstans, sed præstantior contemplatione; Discipulus Pauli, Martyr Christi, & Atheniensium Episcopus.* Sed & huius collectionis Auctor forsan infra mille annos consistere, hoc est, nimis recens esse VVitackero videbitur; quem tamen hesterna *nouellitas*, vt cum Tertulliano loquar, Erasmi non absterret; quo minus hoc teste sibi vtendum impugnando Dionysio censeat.

Miratur VVitackerus Concilium Nicænum non fecisse mentionem Dionysij, si in rerum natura exstitit. Quid si fecit; num acquiesces? Audi ergo Canonem trigesimum primum ex illis, qui ex Arabico versi, & à Turriano publicati sunt. *Accipiat eum* (hoc est, conuersum ad fidem Orthodoxam ex hæresi Arij) *Episcopus,* &c. *& vngat eum vnctione chrismatis, & signet ter vngendo, & orando super eum orationem Dionysij Areopagitæ, &c.*

Sed & hic inueniet VVitackerus quod caussetur & excipiat, Accipiat igitur D. Gregorium Nazianzenum qui in Natalem Christi isthæc: οὕτω μὲν ἐν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς σεραφὶμ συγκαλύπτεται, καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα, καὶ θεότητα. ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε, καὶ ὑψηλότατα. *Et ita quidem sancta sanctorum: quæ à Seraphim conteguntur, & glorificantur tribus sanctificationibus, quæ in vnam dominationem, atque deitatem coëunt: quemadmodum alius quispiam maiorum, & pulcherrimè philosophatus est, & sublimissimè.* Hæc de operibus Dionysij Areopagitæ Nazianzenum intellexisse, non immeritò censuit Budæus; teste Guilelmo Morellio, in collectione testimoniorum de Dionysio, quam Græcæ Dionysianę editioni præposuit Anno M. D. LXII.

Si dicas; S. Ignatium in Epistola ad Trallianos, vbi se cognitionem Angelicorum ordinum, & similium rerum sublimium assecutum scribit; respicere ad diuinos Dionysij libros, qui de his accuratissimè disserunt; eisque scientiam illā in acceptis referre; vt idem Morellius bene monet; è vestigio aduolabit VVitackerus, & se neque Epistolis Ignatij fidem habere palam profitebitur; prout iam supra fecit. Quid tandem agemus? Prodeat igitur antiquissimus Auctor Dionysius Alexandrinus: qui in opera Dionysij Areopagitæ scholia scripsit. Testatur hoc Anastasius Sinaita in suo Hodego. cap. 22. Et S. Maximus in scholiis ad S. Dionysium, Pachymeres, & alij. Num VVitackero sat vetustus Dionysius Alexandrinus? Num sat graues testes Anastasius & Maximus? qui etiam Prologo in Dionysium sic refellit obiectionem illam de Eusebio Pamphili. Respondendum est; *multa Eusebium prætermisisse, quæ ad manus eius non venerunt. Siquidem, nec ipse ait se vniuersa congregasse: quin potius fatetur, innumerabiles libros esse, qui nunquam ad eum peruenissent. Ac possem ego multos libros commemorare, quos ille*

non

non est nactus: & eorum quidem, qui suæ regionis fuerunt, vt Hymenai, & Narcißi Episcoporum Hierosolymitanorum. Atqui nactus sum ego quadam Hymenai. Item, neq, Panteni opera retulit Eusebius, neq, Clementis Romani, præter duas epistolas, imò nec aliorum plurimorum. Origenes verò, nescio an omnium, vix autem quatuor librorum eius meminit. Diaconus verò quidam Romanus, Petrus nomine, narrauit mihi, omnia Dionysij opera in Romana bibliotheca inter libros sacros seruari. Cum igitur tot tantique viri, præsertim ex eorum numero, qui post sexcentesimum à Christo annum floruerunt; lucubrationibus Dionysij testimonium præbeant; leuem esse eum oporteret; qui propter leuissimam Erasmi, Vallæ, & aliorum huius classis auctoritatem, & nescio quam de styli granditate & magniloquentia opinionem à recepta sententia discederet: & quamuis auctor hic mille duntaxat annorum foret; an non sat idoneus firmandis Apostolicis traditionibus testis esset, quem ipse etiam ante mille annos in Ecclesia Dei florentissimus D. Gregorius, *antiquum Patrem* appellat?

Posthæc cauillari, fumos vendere, & inscitiam suam & malitiam pariter egregiè prodere VVitackerus ingreditur. I. *Apostolus testatur* 2. Cor. 12. *cælestem Hierarchiam, & huiusmodi reliqua, omninò esse ἄρρητα, ineffabilia; & nefas esse homini ea loqui. Vnde ergò aut ausus est Dionysius ista enuntiare, si sciret: aut scire potuit? Vnde tam mirificam scientiam adeptus est? Num ex reuelatione? Vnde constat? cur non Apostolis ista potius reuelata sunt, si modò nostra interesset ea scire? Si non interfuit, cur hac mysteria Dionysius euulgauit?* Verborum magnam profluentiam audio; sed nihil sapientiæ & eruditionis video. Etiam mysterium Incarnationis; Natiuitatis; Eucharistiæ; & omnium maximè SS. Trinitatis, & similia sunt ineffabilia; & tamen de illis scripserunt & locuti sunt Apostoli & Prophetæ; nosque etiam scribimus & loquimur de iisdem; & quantumcunque quis vel scribat vel loquatur, nihilominus mysteria illa semper manent ineffabilia; quia ad eorum plenam & perfectam cognitionem in hac mortali vita nunquam pertingimus. Nec licet ea eloqui; hoc est, nemo illis plenè & perfectè explicandis sufficit; nemo tantum facultatis & virium habet, vt ea, prout in se sunt, patefaciat. Neque enim illud *non licet* apud Apostolum idem est; quod *illicitum*; quasi nefas, & piaculum sit, de sublimibus illis rebus loqui vel scribere; (an nõ ipsemet Apostolus de rebus cælestibus palam locutus est, & scripsit?) Sed significat, supra vires & facultatem hominis esse; vt quis perfectè ea pandat; & loquendo, prout in se sunt patefaciat.

Quod quærit; *vnde mysteria illa Dionysius didicerit*; Respondemus; ex magisterio eius, cuius discipulus fuit; nempe D. Pauli; vt & veteres, qui de Dionysio scripserunt; existimant. Mentitur Caluinista, quando dicit; illa Irenæi verba lib. 2. cap. 54. pertinere ad Hierarchiarum scriptores; qualis Dionysius; *Nihil sanum dicunt, delirant, non oportet iis credere, & Mosen, & Prophetas relinquere. Dicant nobis, quæ sit inuisibilium natura; enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum Sacramenta, & doceant Dominationum, Principatuum, Potestatum, atq. Virtutum: sed non habent dicere.* Impudens mendacium; quia tota hæc Irenæi oratio dirigitur in Gnosticos; qui Angelos & spiritales creaturas, non à summo illo rerum conditore; sed abs se productas fuisse stultissimè fabulabantur; In hos stylum acuens & exerens Irenæus, ait illos nil sanum loqui, & delirare; iubetque, vt nobis perfectè explanent, quæ nam sit Angelorum, & Archangelorum natura, conditio, & dispositio, quandoquidem hęc nemini magis perspecta esse possunt, quã conditoribus & effectoribus. Quid hæc ad Dionysium?

Quid item ad illum hæc rudis consequentia? *Augustinus in Enchirid. cap. 58. affirmat se nescire ordines Angelorum, & eorum differentias, qui Throni, quæ Dominationes, qui principatus; quæ virtutes: ergo libri de his rebus scripti non sunt Dionysij Areopagitæ.* Vel *ergo nec Dionysius ista sciuit.* Arguta est hæc VVitackeriana argutia. Scilicet Augustinus nil de his rebus compertum habuit, quippe hospes & peregrinus in diuinis libris. Nugator. Etiam lectis D. Dionysij libris, verè quis testari potest, se aut nihil, aut parum de his arcanis nosse; quandoquidem quidquid de his cælestibus rebus in huius vitæ caligine cognoscendo assequimur, id tantummodo est ænigmaticum, & respectu eius notitiæ, quæ in patria acquiritur, aut nihil aut parum.

Ait VVitackerus. *Gregorium Magnum aliter Angelorum ordines describere; quàm Dionysium: Similiter Bernardum, lib. 5. de consid. cap. 4. idq. fateri Eckium Hom. IV. de festo Michaelis. At si tanta huius Dionysij fuisset auctoritas, illos nunquam aliter de hac re scripturos fuisse.* Quanta dissensio inter hos patres? D. Gregorius & cum illo D. Bernardus, virtutes ponunt in infima Hierarchia, quas S. Dionysius collocat in secunda; Et principatus, quos Dionysius ponit in infima; ipsi ponunt in media. S. Bernardus sic enumerat Ordines auspicatus ab infimo. Angeli, Archangeli, virtutes; potestates, principatus, Dominationes: throni, Cherubim, Seraphim. At ex sententia Dionysij sic percensentur lib. Quæst. ad Antiochum. Quæst. VIII. Angeli, Archangeli, principatus; potestates, virtutes, Dominationes, Seraphim, Cherubim, Throni. Quamuis vt patet ex septimo capite cælestis Hierarch: tertiæ Hierachiæ ordines ita potius disponendi sint; *Throni, Cherubim, Seraphim.* Quidquid sit de his, anile prorsus est, auctoritatem Dionysij his tam infirmis argumentulis labefactatum ire; præsertim, cum S. Gregorius satis indicet, se ipsum Dionysium

non

non legisse; vtitur enim verbo, *Fertur*: ex quo sequitur, si legisset, forsan in serie duorum Ordinum non fuisse discrepaturum: & quod ad Ordines ipsos attinet; probè inter se conueniunt. Mirari quis posset VVitackerũ huiusmodi muscas sectari, nisi constaret, eum ita esse comparatum, vt nullam veteribus detrahendi occasionem præterlabi sinat.

Mentitur postea, *tempore Dionysij Areopagitæ Christianos nulla habuisse templa*; hoc est, domos orationi, & Sacramentorum administrationi deputatas; nulla altaria; nullum chorum; nullos Monachos, de quibus plurima Dionysius in Hierarchia Ecclesiastica. Quæ omnia nil aliud sunt, quàm vana figmenta omni probatione destituta: licet enim tempore persecutionum; vt sors ferebat, sacra peragerent; etiam in abditis terrę recessibus; pacis tamen tempore: habebant stata loca; ad quæ precatum confluebant: & in ipsis etiam cryptis ecclesiolas, hoc est, domos Sacramentis administrandis destinatas excitabant, & altaria erigebant; & omnem disciplinam Ecclesiasticam, etiam cum catechumenis quantum fieri poterat, ritè obseruabant: Nec Pontificij Paulum & Antonium simpliciter primos Monachos statuunt; sed primi dicuntur ob celebritatem nominis; & quia eorum opera & pietate, professio Monastica maximè illustrata & propagata fuit.

In libro de diuinis nominibus citatur illa sententia S. Ignatij ex epistola ad Romanos; scripta cum in itinere esset Romam profecturus ad certam mortem: sub Traiano: *Amor meus crucifixus est.* Quod fieri non potuisse contendit VVitackerus; *cum Dionysius prius sub Domitiano Martyrium consummarit; quàm Ignatius epistolam illam sub Traiano scriberet.* Iam debellatum esset, si omnes VVitackeri hypotheses reciperentur. Quod cum, salua veritatis lege, facere nequeamus; demonstrare debebit, Dionysium, sub Domitiano, Martyrio affectum; non extremo tempore Traiani; vel sub Hadriano; quod firmissimis rationibus demonstrat Baronius ad annum Christi CIX. Illud item perspicuè ostendat, Timotheum, quem vocat *filium*; fuisse illum Timotheum, ad quem geminæ D. Pauli leguntur epistolæ.

Septimam Dionysij epistolam, quæ est ad Polycarpum, inde oppugnat; quòd dicat, *se in Ægypto vidisse horrificam illam eclipsin; quæ tempore passionis Christi contigit.* Obiicit VVitackerus; *non fuisse eclipsin; quia tunc erat plenilunium, in quo nullus eclipsi locus.* Nimirum, nulli quæ à naturali caussa efficeretur, locus erat; sed num nulli, quæ à Deo efficeretur, locus erat? Et quia prorsus erat eclipsis ista contra naturæ ordinem; ea de caussa, tanta admiratione affecit Dionysium, vt ipse fusè commemorat. An non sol obscuratus est? Quid est eclipsis; nisi obscuratio solis; quæ certè Christo patiente maxima fuit? *At Origenes ait hanc obscurationem tantum in Iudæa visam.* Ita ille. Alij aliter: in-

A primis Dionysius, quibus potius aures præbemus. Etiam ex Deiparæ Virginis obitu infringere conatur VVitackerus Dionysij auctoritatem. Vbi rursus arbitratu suo ponit hypotheses; quas probatas oportuit, non suppositas. Nam si quis cum spectatissimis auctoribus dicat, B. Virginem septuagesimo secundo ætatis suæ anno in cælum translatam fuisse, hoc est, anno Redemptoris LVIII. quo D. Paulus vltimò Hierosolymam venit; tum omnia, quæ hic ex intima quasi arte sua depromit VVitackerus, concidunt. Et hoc dicendum esse, cum propter aliorum, tum præsertim D. Dionysij in libro de diuinis nominibus testimonium; ratio ipsa suadet; quidquid hic nugetur VVitackerus de epist. n. Dionysij ad

B Timotheum: nam Dionysij criminandi cupidine abreptus, librum *de diuinis nominibus* in epistolam transformauit, vt haberet occasionem vociferandi; *decem tantum exstare Dionysij epistolas; & in his nullam ad Timotheum.* Quæ de obitu D. Virginis Catholici ex Dionysio citant; ea sunt ex libro de diuinis nominibus: cuius inscriptio; *ad Timotheũ Episcopum Ephesinum*; iure notha reputatur, adiecta videlicet ab illis, qui nullum alium Timotheum, præter illum S. Pauli discipulum, vnquam in rerum natura exstitisse credebant. Mendacium VVitackeri est, Dionysium scribere, *se & duodecim Apostolos Mariæ morienti adfuisse.* Refutat hoc inde; *quod Iacobus iam antea gladio Herodis cæsus Martyrium consummarit.* Vanitas hæc statim dispellitur in-

C specto Dionysio; quia nil aliud dicit, quàm se, & plerosque ex sanctis fratribus, & fratrem Domini Iacobum & Petrum, *supremum decus & antiquissimum Theologorum columen*, ad Deiparæ Virginis felicissimum decessum & funus conuenisse, cap. 3. de diuin. Nom. p. 2. Nulla hic duodenarij Apostolorum numeri mentio est, vt iste fingit, quo vberiorem criminandi materiam habeat.

Obiicit VVitackerus. *Ne Papistas quidem omnes à Dionysio commemoratas traditiones obseruare. Solitos enim Christianos ea ætate quotidie Eucharistiam sumere.* At pietas hęc non traditio singulos obligans; sed priuatus Christianorum feruor & ardor erat; quem magnum fuisse in tanta Christianorum paucitate, & religionis nostræ primordiis, nunc

D in tanta multitudine refrixisse; quid mirũ? quia ne fieri quidem posset; vt omnes Christiani quotidie communicarent; licet maximè vellẽt; propter occupationes; quæ in dies singulos singulis necessariò occurrunt. Itaq; fucum facit, cum ex quouis priuato; quantumuis laudabili, more, Caluinista Apostolicam traditionem facit. Sic communio sub vtraque non est Apostolica traditio; sed communio vel sub vna, vel vtraq; pro Ecclesiæ dispositione & mandato, diuinum præceptum est. Multò minus sacrorum administratio vernaculo idiomate, traditio Apostolica est.

Nisi quis VVitackerum nosset, mirari posset hanc eius subtilitatem. *Scripturæ lectio in Græcia facta est vernaculè*, hoc est, *Græcè*; *& eâdem lingua sunt*

Digitized by Google

etiam preces publicæ conceptæ: ergo Apostolica traditio est; vt sacra peragantur vernaculè: in Germania, Germanicè, in Gallia Gallicè. In Anglia Anglicè. Acutè. Nec Apostolica traditio; sed priuata & particularis consuetudo fuit fidelium piè defunctorum cadauera ἀσπάζεσθαι, hoc est, complecti & osculari, & oleo perungere; de quo more Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia; cap.7. p.2. quem à Papistis hodie non obseruari vociferatur VVitackerus: quasi verò necesse sit; vt omnes priuatos primorum fidelium ritus hoc etiam æuo retineamus & obseruemus. Hactenus B. Dionysio suppetiatum venimus aduersus VVitackeri sycophantias & Iunij cauillatiunculas.

Quid Savvbrandus? *Quidquid dicit Dionysius, hoc verum est. Sed ille dicit, Apostolos illa supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis constitutionibus tradidisse. Ergo, quædam ad salutem necessaria non sunt scripta.* Agnoscis tenebrionem vbique sui similem; qui anilia sua deliria & mendacia portentosissima sub Bellarmini velo & pallio venditat, quasi eorum auctor sit, non ipse, sed Bellarminus. Agnoscis & diabolicum illud singula auctorum testimonia eludendi artificium, de quo iam sæpius monui. Cuiuscunque enim patris aut doctoris quocunque in argumento testimonium proferatur, id simili cauillatione elidi poterit. Obiiciat aliquis Iureconsultus aduersario suo Vlpianum, Paulum, Papinianum, & ex recentioribus Bartholum, Baldum, Iasonem, similes: mox sycophanta prosiliet. *Quidquid dicit Vlpianus, Paulus, Papinianus, &c. id verum est:* nego Maiorem. *Quidquid dicit Bartholus, Baldus, Iason, similes, id verum est:* nego Maiorem. Quid hæc negatio, vel huiusmodi Maioris formatio aliud est, quam diuerticulum & fuga testimonij? Nō enim profertur ideo alicuius auctoris testimonium, vt quis indicet, omnia simpliciter, quæ talis auctor aut dixit aut scripsit, esse vera; satis est ei, qui aliquid probare instituit, hoc, quod producit testimonium verum esse; & abs se verum existimari.

Nunc aduersarius qui æquè est impudens ac Savvbrandus, vt declinet vim testimonij, *maiorem* comminiscitur; illamque comminiscendo, argumentanti eam prouinciam imponit, vt ostendat, omnia simpliciter, quæ aliquis auctor scripsit, vera esse. Quod vel est impossibile, vel nimis longum. Interim tamē ille securus ab ictu sub hoc malitiæ & nequitiæ suæ tegumento latitat, Deumque & homines irrisui, & despicatui habet. Ad propositum Bellarmini satis est, hoc, quod ex Dionysio produxit, testimonium vero concinere. Vtrum omnia & singula, quæ scripsit, vero consonent; alia quæstio est; neque posito, quod alibi aliquid minus vero consentaneum scripsisset; ideo efficaciter conficeretur, testimonium à Bellarmino allatum à vero abhorrere. Cætera quæ de Dionysio & eius operibus garrit; ex VVitackero furatus est; & iam abunde refutata sunt.

A Tertius pater à Bellarmino prolatus est Hegesippus apud Eusebium lib.4. Histor. cap.8. qui Apostolicas traditiones quinque libris comprehendit. Respondet VVitackerus. *Agnosco luculentum Eusebij testimonium. Sed respondeo, traditionum nomine doctrinam Apostolicam significari, non ἀγράφους traditiones. Sic enim Eusebius ait; cum sinceram, & minimè fictam Apostolicæ prædicationis explicationem illis libris complexum esse, τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος. Vnde patet, cum nihil aliud scripsisse, quàm ea, quæ nunc in scripturis traduntur.* VVitackerum acumen consuetum hic non destituit: Dicere enim vult Hegesippum *egisse actum*; hoc est, doctrinam Apostolicam antea iam scriptam, litteris mandasse. Quid erat opus hunc laborem suscipere?

B An non Apostolica scripta doctrina, iam scripta fuerat? Velis ergo nolis, Hegesippus doctrinam non scriptam; sed viua voce ab Apostolis traditam literis consignauit. Nam quòd Eusebius dicit; eum sinceram & minimè fictam Apostolicæ prędicationis explicationem illis libris complexum esse, τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, quid, quæso, te iuuat? An ideo nihil scripsit, nisi quod iam ab Apostolis scriptum fuerat? An non & traditiones, quas Catholica defendit Ecclesia, sunt ἀπλανεῖς παράδοσεις τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος? Tu quidem negas; sed quid nobis negotij cum tuis negationibus, probationum neruo carentibus? Aut si vis Hegesippum libris illis verum scripturę sensum complexum esse; neque sic

C vim huius testimonij effugies: Nam & scripturæ legitimus sensus potissimum ex traditione habetur; vt suo loco fusè disputauimus. Etsi certū & compertum, Hegesippum non modò verum scripturæ sensum; sed & traditiones extra scripturam opere illo suo comprehendisse; quia Eusebius absolutè dicit ab eo in litteras relatam τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν erroris expertem traditionem; quæ æquè consistit in iis, quæ Apostoli tradiderunt per sermonem; ac in iis, quæ tradiderunt per libros & epistolas.

Ostendit deinde VVitackerus, quinque illos libros, de excidio Hierosolymitano; qui sub Hegesippi nomine circumferuntur; non esse prisci illius, & ab æuo Apostolico parum distantis Hegesippi.

D Scilicet valde necessaria erat hæc disputatio. Quis ex eruditiorum numero abnuit?

Accipe nunc syllogismum Savvbrandicum. *Quod scripsit Hegesippus, hoc non scripserunt Apostoli. Sed Hegesippus scripsit quinque libris integerrimam Apostolicæ prædicationis traditionem. Eusebius lib.4.8. Ergo, quædam traditiones non scriptæ sunt ad salutem necessariæ.* Eodem mentiendi & sycophantandi iure, quod hic Caluinista vsurpat; diceret. *Quod scripsit Aristoteles, hoc non scripserunt Apostoli, sed Aristoteles scripsit octo libros Physicorum; & quatuor libros de cælo; tresq; de anima: ergo quædam traditiones non scriptæ sunt ad salutē necessariæ.* Quàm cōcinnus est hic syllogismus, tam formosus est etiam prior ille: & quàm verum posteriorem hunc ex Bellarmini mente forma-

tum esse; tam verum est priorem filium sensui Bellarmini consentaneum esse: qui toto hoc capite nihil aliud contra Sectariorum proteruiam & petulantiam euincere gestit, quàm exstare extra scripturam veras traditiones; idq; vt planum faciat; Patres testimonium dicturos profert.

Quartus pater est Polycarpus, qui apud Eusebium lib. 5. cap. 20. referebat verba, quæ dicta à Domino ab Apostolis ipse audierat, & de virtutibus eius ac doctrina. *Quorsum hac?* quærit VVitackerus. Horsum; vt Polycarpi testimonio demonstret, esse aliquas verè diuinas & Apostolicas traditiones non scriptas. *Num sequitur*, inquit VVitackerus, *multa Polycarpus dixit, quæ παρὰ τῶν αὐτοπτῶν acceperat, eaq; Irenæus in corde inscripserat: ergo ea non scribuntur; aut, non scriptæ traditiones requiruntur ad salutem?* Hoc quidem non sequitur; quia tu ineptè & fraudulenter argumentationem concinnas. Insulsè Irenæum interis, cui postea suus erit locus; de solo Polycarpo sermo est. Ex cuius facto, tale argumentum exstruere licet. Polycarpus multa Christi & Apostolorum dicta & facta ex Apostolorum, eorumque, qui Dominum viderant, colloquiis sibi cognita aliis referre solebat: ergo verè exstant traditiones diuinæ & Apostolicæ. Nam Polycarpus non loquebatur de dictis & factis Christi, Apostolorumque scripto consignatis; sed sermone traditis; & in congressu familiari abs se ex Apostolorum relatione auditis: Nam scripta Christi & Apostolorum dicta discere, & aliis etiã exponere poterat ex scriptura; quæ tota iam confecta erat; quando Polycarpus auditoribus suis, quos inter etiam Irenæus, tunc adhuc adolescentulus; talia dicta & facta Christi narrabat. Nec apparet vlla caussa, cur tam auidè narrantis ab ore penderent; si ea tantum memorasset, quæ scripturis continebantur. An non & ipsi scripturas Euangelicas & Apostolicas suopte studio lectitare valebant?

Nunc ad Irenæum, si placet; qui apud Eusebium loc. cit. dicit; se Polycarpi sermones non chartæ & litteris; sed interiori mentis cogitationi mandasse. Ex quo colligimus, ea, quę Polycarpus referre consueuerat, non fuisse scripta. Nam si scripta fuissent; quid opus erat, vt tam sollicitè Irenæus narrationes illas cordi suo inscriberet, & ne exciderent, elaboraret? An non earum memoriam, quoties luberet, legendis scripturis renouare potuisset?

Obiicit VVitackerus, *omnia, quæ Polycarpus referre solebat fuisse consona scripturis, teste ipso Irenæo; at traditiones Papisticas non esse consonas scripturæ.* Quis præter hæreticos hoc affirmat? Obiicit & Kemnitius, *Eusebium loqui de traditionibus, quæ probari possint ex scriptura:* Respondet Bellarminus, errare Kemnitium: nam aliud est esse consonum scripturæ; aliud, posse probari ex scriptura. Omnis enim vera traditio, imò omnis veritas, est consona scripturæ, cùm verum à vero dissonare non possit: nec tamen omnis veritas probari potest ex scri-

A ptura. VVitackerus indoctam Kemnitij responsionem tueri volens; ait, *Irenæum in illo loco satis apertè indicare, quid intelligat, quando illa consona scripturis fuisse dicat. Rem enim habuit cum Florino hæretico; qui asseruit naturas malas à Deo creari. Illam hæresin voluit refellere. at illa ex scripturis manifestissimè refelli potest.* Notetur inprimis mendacium VVitackeri; dicentis, Deum, ex sententia Florini hæretici, malas naturas creasse. Hoc nec Eusebius nec Irenæus dicit; sed aiunt, Florinum sensisse, Deum esse ποιητὴν τῶν κακῶν, effectorem malorum; peccati videlicet, seu mali culpæ; eo modo, quo noui nostri *Floriniste*, Lutherus, & Philippus olim docuerunt, & nunc Caluinus, Beza, Zvvinglius contendunt, Deum esse auctorem & caussam peccati.

B VVitackerus, *malum*, cuius Florinus auctorem statuebat Deum, versutè transfert ad *malas naturas*: quasi, vt postea Manichæi, duplices naturas, bonas scilicet & malas statuisset, quod non est ita; quia fecit Deum auctorem peccati; quod nulla est natura; sed potius alicuius naturæ, hoc est, debitæ perfectionis priuatio. At nisi VVitackerus turpitudini Florini aliud mantellum iniecisset; magistrorum suorum idem prorsus cum Florino sentientium turpitudinem reuelasset: & cuius vestigia premant, omnibus planum testatumque fecisset.

Deinde, vt maximè dogma illud, *Deum non esse auctorem peccati*; ex sacris litteris probari possit; tamen, secluso traditionis adminiculo, non ita

C inde probari potest, vt cerebrosum quempiam opinatorem suâ de sententia probationes inde prolatæ decedere cogant. Quod manifestum, exemplo Caluini, Zvvinglij, Bezæ; quos nulla ex scripturis argumentationum vis & multitudo ab impia ad piam persuasionem traducere potuit; vario stropharum & technarum genere omnibus scripturæ testimoniis elisis & elusis.

Tertiò Bellarminus non agit præcipuè de hæresi Florini, quibusnam argumentis confutari potuerit; sed potissimum vrget narrationes illas Polycarpi de dictis & factis Domini & Apostolorum, & ex illis probat exstare traditiones non scriptas. Vbi enim scripta sunt dicta & facta illa Christi & Apostolorum, de quibus Polycarpus?

D Ait VVitackerus: *Ex scripturis probari posse, quidquid scripturis consonum est. Multa tamen non inconsona scripturis non posse probari ex scripturis; aliud enim est*, inquit, *esse consonum scripturis: aliud non esse asymphonum. Esse aurum in nouis Indiis, non est consonum scripturis, sed non est inconsonum.* Quàm subtiliter omnia & reconditè. Missis hisce argutiis breuiter dico; *omne illud, quod scripturis est σύμφωνον seu consonum probari potest ex scripturis*; probet igitur VVitackerus ex scripturis, epistolam ad Philemonem esse Canonicam; quia sine dubio, non inficiabitur, hoc esse consonum scripturis. Probet ex scripturis hanc ipsam numero epistolam, quę hodie ad Philemonem legitur, esse veram illam, quam Paulus ad Philemonem dedit. Nam hoc

Digitized by Google

scripturæ consonum esse, quis inficias ierit? Ad extremum rectè dicit Bellarminus omnem veritatem esse consonam scripturæ; & non tantum non ἀσύμφωνον, seu inconsonam; quia verum cum vero semper positiuè consonat; non tantum negatiuè ad illud se habet; hoc est, ita vt nec sit consonum, nec inconsonum; sed neutrum quid.

Savvbrandus sibi suæq; caussæ non deest. Iterum *syllogizat. Quæ Irenæus à Polycarpo audita, non in charta, sed in animo scribebat, illa non sunt ab Apostolis in charta scripta. Sed Irenæus quædam dicta de Domini doctrina, & virtutibus à Polycarpo audita, non in charta, sed in corde scribebat. Ergo, quæ de Domini doctrina, & virtutibus ad salutem necessaria sunt, non sunt ab Apostolis scripta.* Nihil dicam, de forma informi; nihil de fide, qua syllogismus iste conditus est; Maiorem, quam Caluinista *falsam* pronunciat; ego contrà, verissimam pronuncio. quia, vt ex dictis patet, quæ Polycarpus de Christo & Apostolis percensebat; quæque Irenæus audiens non in charta, sed in pectore scribebat; ea minimè in Apostolicis & Euangelicis scriptis continebantur; quippe ex colloquiis & congressibus cum Ioanne & aliis, non ex libris, petita & hausta. De quo satis antea. nec quidquam noui adducit Savvbrandus; sed tantum VVitackeri responsa, veste alia, induta; repetit: nisi fortè illud nouum censeri debet; *aliquid esse veritati consonum, quod scripturæ non sit consonum; eò quòd veritas latius pateat, quàm scriptura*; Meritò quæras ex Savvbrando, nũ scriptura sit consona veritati; cui illud *aliquid*, consonum est: neque tamen scripturæ consonum est. Certè si adhuc vel modicum sapit, non abnuet, scripturam veritati generatim sumptæ esse consonam. Ex quo euidenter conficitur illud alterum etiam scripturæ esse consonum: Nam quæ sunt consona vni tertio, etiam sunt cõsona inter se; sed scriptura, & illud alterum à Savvbrando sine nomine positum; consonant vni Tertio, nimirum veritati; ergo & inter se consonant. Quid hæc consonantia aliud est, quàm conuenientia & similitudo; quam respectu alterius veri necesse est in omni vero reperiri, hoc ipso quod verum est?

Iunius hic rursus *æquiuocationes & inconsequens à non distributo crepat*: & more suo, dictatoris instar; sententias dictat: quibus nuda asseueratione nixis fidem habeant Iuniani discipuli; non illi, qui in schola Christi sunt instituti.

Quintus pater est Iustinus Martyr, ex cuius Apologia secunda pro Christianis multas Ecclesiæ consuetudines non scriptas Bellarminus profert: vt quod singulis diebus Dominicis fideles conueniant; & post lectionem scripturarum offeratur & consecretur panis & vinũ aqua temperatum, &c. Respondet VVitackerus: *Quod ad primam traditionem* (de die Dominico) *attinet; dico eam posse probari ex scripturis, ac proinde non esse traditionem non scriptam.* At supra iam vidimus, quàm egregiè ex scriptura id VVitackerus demonstret. Nimirum; in Apocalypsi *fit mentio diei Dominicæ,*

A *ergo scriptura iubet, vt diem Dominicum festiuè celebremus.* Quam stultitiam dilucidius in hoc eius speculo intueberis. *Scriptura noui Testamenti sæpe facit mentionem Sabbati; ergo Sabbato cum Iudæis feriari debemus.* Ad illud; de vino aqua temperato, respondet VVitackerus, esse consuetudinem *non magni momenti, non enim multum interesse, si vino forti, quale fuit vinum in illis regionibus, paululum aquæ misceatur.* Probare deberet VVitackerus, Christum moris, non mysterij caussa, vino aliquid aquæ immiscuisse: quasi verò, qui corpus & sanguinem Christi sumunt; non etiam de fortissimo & generosissimo vino tantillum haurire possint; sine affusione aquæ, quantulum in communione sumere Ecclesiæ fert mos & consuetudo; non enim

B integri exhauriuntur calices; neq; bibitur dum anima vires subministrat.

Quòd si Christus in Eucharistiæ institutione tantummodo ex regionis more aquam infudisset; minimè hoc faciendum præcepisset; quia non ignorabat, multis in regionibus, eiusmodi vinum crescere; & ad Eucharistiæ confectionem adhibitum iri; cui nulla aquæ affusio esset necessaria, vtpote per se sat tenui & imbecillo. Et tamen morem hunc miscendi præcepit, teste diuo Cypriano, de quo supra satis: & teste totius Ecclesiæ orthodoxæ praxi; cui semper hoc in vsu; tanquam quid ex præcepto Christi necessarium.

Meminit Iustinus huius quoque traditionis;

C Eucharistiam non nisi baptizatis dandam. *At hoc ex scripturis colligi confirmo*, occinit VVitackerus. Ex quibus? Quare non profers? At si proferre otium non fuit; cur non saltem indicas? Citat Bellarminus hæc Iustini verba. *Postridie Saturni, qui dies solis est, cum Apostolis, discipulisq; suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus, &c.* Ex quibus verbis apparet, Iustini testimonio, ritus & cæremonias Ecclesiæ, quas ibidem commemorat, à Christo ad Apostolos; ab his, ad posteros Christianos venisse. Ogganit VVitackerus. *Hæc nihil pro Papisticis traditionibus faciunt.* Hoc iam non quæritur, sed istud: vtrum sint aliquæ traditiones diuinę & Apostolicæ non scriptæ. Affirmat Iustinus: Ait enim, Christum

D post resurrectionem Apostolis apparuisse, & quę à Christianis in sacris obeundis obseruantur, docuisse: & se quoque ea omnium oculis contemplanda proponere voluisse. At certum est, ea, quæ ibi enumerat Iustinus, non esse sacris literis comprehensa. Restitat hic VVitackerus & tergiuersatur, & tandem monet *Papistas, ne nimium Iustini traditionibus confidant: ab illo defendi, quasi ex traditione, errorem chiliastarum. In Quæstionibus ab orthodoxis propositis multas percenseri traditiones, sed libellum illum non esse Iustini*; & quid non? Quæ aliò non tendunt, quàm vt lectoris animum aliò abducat; ne in illustrissimum illum de traditionibus locum, qui ad calcem secundæ Apologiæ exstat, intendant. Non quæritur, quid alibi sen-

tiat

Digitized by Google

tiat vel scribat Irenæus, sed quid eo loco, quem Bellarminus nominauit. Error Chiliastarum exploratus est omnibus, & iam pridem ab Ecclesia explosus. Nil periculi imminet. Notum malum res optima. Libellus ille Quæstionum non eleuat fidem testimonij ex Apologia producti; quia siue sit Iustini, siue secus; secundam Apologiam pro Christianis esse Iustini, in confesso est.

Iunius ridiculè scribit 1. Corinth. 16. & Apocalyps. 1. 10. *contineri illa duo; vt diebus Dominicis agantur conuentus; vtque post lectionem scripturarum & exhortationem offeratur panis & vinum aqua mixtum.* Inspice quantacunq; voles diligētia locos citatos; nec tamen in Apocalypsi plus inuenies, quàm hæc verba: *Fui in spiritu in Dominica die.* Et in epistola ad Corinthios. *Per vnam Sabbati vnusquisque apud se seponat, &c.* Etiamsi demus, per vnam Sabbati intelligi *diem Dominicam*; vt exponit S. Chrysostomus, & S. Ambrosio adscriptus commentarius in hunc locum: tamen nihil agit Apostolus hic de conuentibus hoc die agi solitis, eo modo & ritu, qui à Iustino describitur: quia nil aliud dicit Apostolus, quàm vt vnusquisque *die Dominico* apud se reponat, quantumcunque conferre placuerit, subleuandis & recreandis egenis; & si quis *per vnam Sabbati* contenderet, quemlibet diem septimanæ significari; hunc quomodo refelleret Iunius? Tertium, videlicet, *necdum baptizatis Eucharistiam non esse impertiendam:* dicit Iunius *& mandatum Christi & analogiam flagitare: nam quis nisi baptizatus annunciet in Ecclesia mortem Domini.* 1. Cor. 11? *Hinc tale exsurgit argumentum. Omnis qui communicat, debet annunciare mortem Domini: sed nullus non baptizatus potest annunciare mortem Domini; ergo nullus non baptizatus potest communicare.* Ostendat Iunius Minorem ex scriptura; vel in scriptura contineri; & mox adquiescemus. Quantum animaduerto, non tantum hanc propositionem in scriptura nunquam inueniet; sed neque vlla solida ratione eam confirmare poterit, seclusa traditione; quidquid demum moliatur. Cur catechumenus sumendo Eucharistiam non posset id facere in memoriam Christi crucifixi & passi? Cur hanc passionem sua communione æquè ac baptizatus annunciare & repræsentare non posset; cum sit eadem externa actio? Certè nisi ad traditionem confugiamus, nunquam caussam solidam huius moris assignare licebit.

Savvbrandus iterum hoc suo stulto syllogismo stoliditatem & improbitatem suam nobis aperit. *Quæ Iustinus Imperatori, & aliis considerandæ permittit, illa non sunt ab Apostolis scripta. Sed Iesum Christum resurrexisse die solis, & crucifixum esse die Veneris, & similia, sunt illa, quæ Iustinus illis considerandæ permittit. Ergo quædam ab Apostolis scripta non sunt, quæ ad salutem requirantur.* Vides hominis amentiam, & cæcam criminandi libidinem. Neque enim vrget Bellarminus ex Iustino, quòd Christus

A stus feria sexta passus sit; & die Dominica resurrexerit; sed alios ritus & mores à Christo Apostolis traditos, sacrisque litteris non comprehensos ex Iustino Hæreticis obiicit; vt tandem oculos aperiant, & non scriptas traditiones agnoscant.

Sextus pater est Irenæus, qui multa & præclara de traditionibus scribit lib. 3. cap. 2. 3. & 4. Respondet VVitackerus: *Fateor Irenæum prouocare à scripturis ad Ecclesias, ac traditiones Apostolicas. Quinetiam scribit, hæreticos non ex scripturis, sed ex traditionibus refellendos esse. Nec tamen interim defensio nostra ab Irenæo violatur.* Quomodo non violatur, vel potius, quomodo non funditus euertitur; si Irenæus traditiones non scriptas extra scripturam agnouit; quas vos pertinaciter reiicitis, hisque hæreticos refutandos censuit; non autem
B scripturis?

Videndum est, inquit VVitackerus, *quamobrem hæc dixerit Irenæus; quod. vbi constiterit, facilè intelligemus, ista Papistas parum, vel nihil adiuuare.* Vide quantum, & quamdiu voles. Quò diutius videris, eò magis Irenæum pro nobis contra vos stare, nostræque caussæ non parum, sed plurimùm patrocinari videbis.

Addit VVitackerus; *Ratio, cur à scripturis ad traditiones Apostolicas prouocaret, & hæreticos non esse ex scripturis refellendos diceret, hæc fuit; quia contra illos hæreticos disputauit, qui scripturas non esse perfectas contendebant, & calumniabantur: imò, qui scripturas lacerabant, &c. vt iam Papistæ.* Si nos similes sumus illis
C Hæreticis, de quibus Irenæus; cur non eo modo disputatis nobiscum, quo Irenæus cum illis, omissis nimirum scripturis, ex solis Apostolicis traditionibus? Cur clamitatis nullas penitus Apostolicas traditiones dogmata fidei complectentes extra scripturam exstare; cum contrarium Irenæus senserit, dixerit, docuerit, te etiam teste, exque traditionibus, omissa scriptura, antiquos Nouatores confutârit. satis autem est hoc Bellarmino, quantum ad præsens institutum attinet. Probandum enim ex patribus suscepit, esse traditiones, etiam dogmaticas extra scripturam. Inter Patres adducit Irenæum id expressè asserentem: te non diffitente. An non satis hoc?
D Quidquid ergo mendaciorum & calumniarum in Papistas hic eructes; id probationis neruum non incidit; sed maledicum duntaxat pectus tuum prodit: nam quidquid affinitatis nos cum priscis illis sectariis habere comminisceris; hoc vobis esse, luce clarius liquet; quia & scripturas laceratis, tot membris inde impia manu resectis, & contemnitis; nisi enim vobis despicatui essent; nunquam profectò illam adeò ludicrè & leuiter tractaretis; & corrumpitis; in alienissimos sensus eam nefariè detorquendo; & negatis; quoties liber aliquis ad stomachum vestrum minus facit. Et traditionibus; non Apostolicis & Ecclesiasticis; sed Lutheranis & Caluinisticis adhærescitis, præsertim in sensu

Digitized by Google

scripturæ asserendo & afferendo. Qua de causa explicant Caluinistæ illa verba: *Hoc est corpus meum*; in hunc modum. *Hoc significat corpus meum*. Vel, *hoc est figura corporis mei*; vel, *hoc est corpus meum, tropicè*. nisi quia sic tradiderunt Zvvinglius & Caluinus: si aliter tradidissent; aliter Caluinistæ hodie explicarent. Quare Lutherani eadem verba; sic interpretantur; *Hoc est corpus meum*; sed *cum, in & sub pane*; nisi quia Lutherus hanc ipsis expositionem tradidit; si illam Caluinianam, vel aliam tradidisset; aliam quoque sequerentur & tenaciter amplecterentur.

Quid vetusti illi hæretici de scripturis ferebant & sentiebant? Primò, quod *essent obscuræ*. Hoc non malè; vt libro tertio visum; obscuritatem testantur tot & tantæ commentariorum moles; quot & quantæ in dies propè singulos ex sectariorum officinis prodeunt. Secundò; *quòd varios haberent sensus, & variè intelligi possent*. Neque hoc malè; vt eodem libro tertio visum, probatque id ipsum quotidiana experientia. Tertiò, *quod traditio prior fuerit scripturâ*. Hoc etiam verissimum est, loquendo de traditionibus diuinis & Apostolicis; non Gnosticis & fanaticis; quas isti, contra quos Irenæus agit, ex cerebro suo effinxerant. Quartò, *quòd scripturæ non possent sine traditionibus intelligi*. Et hoc verum est; si intelligatur de traditionibus Apostolicis; non de illis, quas Gnostica officina procudit.

Atque hæc quidem similiter omnia Papistæ hodie tenent, inquit VVitackerus, verbis quidem; at non sensu; in quo immane quantum dissidemus & discriminamur: Quis enim ex Catholicorum numero, sua phantasmata pro traditionibus obtrudit aut venditat; vt faciebant Gnostici & alij; improbitatem suam sententia illa Apostolica fucantes: *Sapientiam* loquimur inter perfectos: *sapientiam autem non huius mundi. Et hanc sapientiam*, inquit Irenæus libro tertio, capite secundo, *vnusquisq; eorum esse dicit, quam à semetipso adinuenit, fictionem videlicet, vt dignè secundùm eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Basilide: fuit autem & in illo, qui contra disputat, qui nihil salutare loqui potuit. Vnusquisque enim ipsorum omni modo peruersus, semetipsum regulam veritatis deprauans, prædicare non confunditur*. Num hæc in Papistas competunt? Num traditionum loco, ea quæ ipsi excogitarunt, in mundum important, & non magis ea, quæ à maioribus acceperunt; vlterius etiam propagare student? An non hæc examussim in Nouatores quadrant; quorum vnusquisque *semetipsum regulam veritatis prædicare non erubescit*? Etsi huic suæ impudentiæ prætexunt verbum Dei & Euangelium; vt & Gnostici traditiones priuatim ab Apostolis traditas; & sententia illa Paulina indicatas; *sapientiam loquimur inter perfectos*; scripturisque contrarias. An non & hodie, vnusquisque Nouatorum sapientiam cælestem eorum esse dicit; *quam à semetipso adinue-*

A *nit, fictionem* videlicet; vt dignè secundum eos sit veritas, aliquando quidem in Luthero, aliquando in Zvvinglio; aliquando in Caluino, deinde in Beza? An non & isti nostri, reiectis Apostolicis traditionibus, Gnosticorum instar, sequuntur suas; hoc est, à Luthero, Zvvinglio, Caluino acceptas? An non & hodie contingit, quod ibidem Irenæus subnectit? *Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos: aduersantur traditioni, dicentes, se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, synceram inuenisse veritatem*.

Fatetur VVitackerus Irenæum prouocare ad Apostolicas traditiones, sunt ergo Apostolicæ
B traditiones non scriptæ: quia Irenæus non prouocauit ad id, quod non erat; sed ad id, quod erat. Rectè ergo probat Bellarminus, traditiones non scriptas, ex Irenæi sententia, admitti debere.

Capite quarto scribit Irenæus; *Apostolos in Ecclesiam, quasi in depositorium diues, plenissimè contulisse omnia, quæ sint veritatis, vti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Et nos hoc concedimus*; inquit VVitackerus. *Sed non sequitur; omnia in Ecclesiam contulerunt, ergo, non omnia scripserunt*. Imò iuxta mentem Irenæi euidentissimè sequitur; quia Irenæus loquitur de Apostolicis traditionibus nō scriptis; ex quibus, sepositâ scripturâ, Hæreticos refutandos susceperat; vt disertè capite tertio scribit: &
C has ab Apostolis in Ecclesia, tanquam in opulento *depositorio* depositas, & inde petendas esse dicit. Nonne ipsemet paulò ante concesseras, Irenæum à scripturis ad Apostolicas traditiones prouocare; ad traditiones, inquam, non scriptas? Has ergo ad quas à scriptura prouocarat; affirmat capite quarto, in Ecclesia ab Apostolis esse repositas & depositas: Apertè ergo sequitur; Apostolos non scripsisse omnia; quia non scripserunt illas traditiones, ad quas Irenæus à scriptura prouocauit. Nam si istæ in scriptura scriptæ fuissent; vtique non à scriptura prouocasse dici posset; sed prouocauit à scriptura; vt fatetur Caluinista; prouocauit igitur ad aliquid non scriptum.

D Eodem capite quarto sic scribit Irenæus. *Si Apostoli scripturas non reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* Respondet VVitackerus: *Sanè oportebat; sed quomodo conclusum est argumentum? Etiamsi nihil Apostoli scripsissent, tamen ordinem traditionis sequi oporteret: Ergo, Apostoli non scripserunt, quæcunq; nobis ad fidem, salutemq; sufficerent*. Hoc non est Bellarmini argumētum; sed Caluiniani figmentum: quia dictum hoc Irenæi non alio fine attulit Bellarminus; quàm eo, quo ab Irenæo prolatum est; nempe, vt ostendat; traditiones non esse aspernandas, cum fieri potuerit; vt sola traditione tota religio Christiana niteretur; absque vllis scripturis.

Digitized by Google

In illo etiam capite, inquit VVitackerus, *nominat Irenæus barbaras quasdam gentes, quæ sine scriptura Deo seruiebant; & religionem colebant. Num ergò, aut nullæ Ecclesiæ scripturas habebant, aut scripturæ non integram doctrinam continent? nequaquam.* Hoc neque dicit; neque colligit Bellarminus; sed hæc Irenæi verba tantummodo recitat; vt eorum recitatione stultitiam quandam Brentij refellat: Ex illis tamen hoc sequitur, & à quouis rectè infertur; Ecclesiam, iudicio Irenæi; atq; adeò fidem Christianam, scripturis absolutè carere, & sola traditione niti, vigere & florere posse.

Affert Bellarminus, quod libr. 4. capit. 45. Irenæus ait; charisma veritatis traditum fuisse Ecclesiæ vnà cum successione Episcoporum ab Apostolis. Respondet VVitackerus; *Num ex eo probabiliter potest concludi, omnia necessaria non esse scripta?* Omnino hoc concludi potest: quia charisma veritatis, quod cum successione ad successores Apostolorum transit; nil aliud est; quàm veritas; in Ecclesia, tanquam in *diuite depositorio*, ab Apostolis deposita; hæc autem veritas, præter cætera, traditiones Apostolicas non scriptas continet; ad quas à scriptura Irenæus prouocarat; & ex quibus Hæreticos refutandos susceperat. Itaque Irenæus hæc tria; *traditionem Apostolicam, non scriptam: veritatem in Ecclesiam vberrimè & plenissimè Apostolorum liberalitate & munificentia, collatam*; & *charisma veritatis*; pro synonymis habet. Hoc ipso igitur; quòd dicit; *charisma veritatis* transire cum successione ad Apostolorum successores Episcopos; dicit etiam, Episcopos esse quasi *promos condos* seu *dispensatores* veritatis, seu traditionis Apostolicæ non scriptæ; & per consequens, fatetur non omnia necessaria in scripturis comprehensa.

Monet postea VVitackerus, *ne in hac caussa nimium vrgeamus Irenæum, quem fuisse traditionibus illusum constet, incidisse enim in errorem Chiliastarum, teste Eusebio lib. 3. cap. vlt. Christoq; quadraginta ætatis annos tribuisse; idq; ex traditione non modò Ioannis Euangelistæ, sed & aliorum Apostolorum, vt patet lib. 2. cap. 39.* Hæc & si quæ sunt his similia humanæ imbecillitatis & incircumspectionis errata non reddunt irrita ea; quæ libro tertio, & alibi de traditionibus Apostolicis non scriptis rectè Irenæus disputauit. Nam traditiones illas de mille post resurrectionem annis; deq; grandiore illa ætate Christi non fuisse Apostolicas, exitus probauit; Ab Ecclesia enim, fidelissima Apostolicarum traditionum custode, statim, vt spuriæ & adulterinæ, explosæ sunt; Quod verò idem Irenæus lib. 2. cap. 47. fidem & spem etiam in futura vita manere asserit; id tam grande piaculum non est; vt peculiari nota à VVitackero inuri mereatur: loquitur enim de fide & spe secundum communem quandam rationem, quatenus fides cognitio quædam est; & quidem certa: secundum hanc rationem generalem manebit fides in & cum visione beatifica; vt & spes in charitate; cum qua generali eiusdem subiecti &

A obiecti communione & ratione copulatur. Eodemque modo intelligendus est Tertullianus lib. de patientia; cuius sunt hæc. *Exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ; permanent fides, spes, dilectio.*

Septimus pater est Clemens Alexandrinus; qui apud Euseb. lib. 6. cap. 11. dicit, *extorqueri sibi à fratribus, vt ea, quæ à Presbyteris, Apostolorum successoribus, voce sibi sola tradita essent, describeret in libris, ac posteris traderet.* Respondet VVitackerus, *librum hunc non exstare; ac proinde incertum esse; quas traditiones commemorauerit.* At ex Eusebij testimonio facilè est intelligere; quas traditiones eo libro complexus fuerit; Apostolicas nimirum; & quas à Presbyteris, Apostolorum successoribus, accepisset.

B Secundò respondet VVitackerus: *Credibile est, traditiones de Paschatis celebratione in illo libro perscriptas, aut alias consimiles, fuisse non magni momenti, quæ nullo modo fuerūt necessariæ ad salutem.* Si non fuissent magni momenti, non ita vrsissent & institissent Clementis familiares; vt eas litteris consignaret; Neque Clementi; communi Christianorum Doctori, tantum temporis vacui suppetebat; vt rebus superfluis, & non magni momēti scribendis vacare posset. Et posito Clementem eo in loco tantùm egisse de traditionibus ad Pascha, eiusq; legitimam celebrationem pertinētibus; vt contendit etiā Iunius; an ideo exigui momenti censendæ essent? An *Pascha*, eiusq; celebratio res est exigui momenti? Nequaquā, nisi apud homines exigui momenti, quales Caluinistæ.

C Tertiò respondet VVitackerus. *Affirmo, Clementem illum nō fuisse omni ex parte orthodoxum, quippe, qui libris apocryphis nimium delectatus fuerit, vt testatur Eusebius.* Eusebius non dicit; Clementem nimium libris Apocryphis delectatum; *Sed, vti testimoniis scripturarum, quibus à multis solet contradici*, nimirum, *Sapientiæ, & Ecclesiastici, &c.*

Secundò, vt quis & sit, & nominetur non orthodoxus; non satis est, vt erret; sed requiritur, vt erret pertinaciter, in re plenè iam discussa & liquidò explorata; clareque per Ecclesiam tradita. Vbi ergo & Clementem, & errores eius ita comparatos fuisse VVitackerus demonstrarit; tunc & nos fatebimur, Clementem non fuisse omni ex parte orthodoxum.

D Tertiò, illud postulabimus, vt demonstret VVitackerus, errores, si qui sunt; esse ab ipso Clemente; non ab alia, eaq; falsaria manu. Quis nescit in tanta æui longinquitate quædam interdū à malè fidis patrum lucubrationibus inspersa; quorum Patribus nunquam in mētem venit? de quo vide Apparatum Posseuini in Clemente.

Quartò, hoc insuper Iuris axioma VVitackerum perpendere volumus; *Vtile per inutile non vitiari*; licet igitur alicubi ipse Clemens à scopo aberrasset; non tamen propterea fides eorum, quæ verè ac orthodoxè scripsit, eleuanda esset: nec adeò displicere debet VVitackero; quod Clemens lib. 1. Strom. dicit; *operarium, qui mittitur in messem Domini habere duplicem agriculturam*, ἄγραφον

& ἄγραφον, scriptā & non scriptam; quia verissimum est;licet ad saliuam Caluinisticam nihil penitus faciat; eamque ob caussam falsitati deputetur.

Nec etiam quidquam probabilis caussæ habet Kemnitius, cur nasum ita contrahat ad id, quod lib.7.Strom. Clementē scribere dicit; *perfectum non debere iurare, & Christianos non posse contendere iudicio,nec coram gentibus,nec coram sanctis.* Cur festucam hanc vides in oculo Clementis; & trabem hanc nō aduertis in oculis Philippi,præceptoris tui? qui idem docuit in prima editione commentarij sui in Matthæum, & in locis Argentorati excusis M. D. XXIII. Imò deteriora docuit, quia simpliciter negauit, iurandum esse Christianis siue perfectis, siue imperfectis. Et meritò errorem hunc post tot sæcula *trabem* dixeris, qui tempore Clementis in festucis numerari poterat.

Savvbrandus duos syllogismos ex hoc Clementis testimonio conficit. Prior est *Quæ Apostoli sola voce tradiderunt, ea non scripserunt. sed quasdam traditiones sola voce tradiderunt. Ergò aliquæ traditiones non sunt ab Apostolis scriptæ. Respondeo*, inquit Caluinista,*nos posse totum argumentum concedere. Quosdam enim ritus,& cæremonias ab Apostolis institutas, non esse scripturas,non negamus.* Testimonia Patrum non agunt tantùm de ritibus & cæremoniis; sed & de dogmatibus; itemque de ritibus obseruatu necessariis,neq; enim proba est hæc consequentia. *Est ritus,ergo non necessariò obseruādus.* Quid enim vetat,& ritum sub præcepti necessitatem cadere?

Alter syllogismus. *Quidquid Clemens dicit, hoc verum est. Sed Clemens dicit, Apostolos quasdam traditiones sola voce tradidisse. Ergo præter scripturam sunt aliquæ traditiones non scriptæ ad salutem necessariæ. Respondeo*,inquit Caluinista, *aliud concludi, quàm fuit in præmissis.* At ego faciam syllogismum, in quo non aliud concludatur,quàm fuerit in præmissis. Et sit iste. *Quidquid Savvbrandus dicit,hoc stultum est,& fatuum. Savvbrandus dicit:suum illum syllogismum esse formatum ex sensu, & mente Bellarmini: ergo hoc stultum est & fatuum.* Num hic aliud concluditur,quàm fuit in præmissis?

Postea ex VVitackero enumerat errores Clementis; & fatuè prorsus Canonem quintum & sextum Apostolorum tribuit Clementi huic Alexādrino; cum Canones Apostolorum collecti & conscripti fuerint à Clemente Romano.

Octauus pater est Origenes, qui in cap.6. epist.ad Romanos ait, *infantium baptismum esse traditionem.* Respondet VVitackerus & Savvbrandus, *esse traditionem, sed scriptam*; Vbi scripta est? Hactenus locum non monstrarunt Sectarij;nec in posterum, vt opinor, monstrabunt; & quidquid consequentiarum forment; id nisi à traditione firmetur & fulciatur; infirmum prorsus ac inualidum erit.

Homiliā quintā in Numeros dicit Origenes, *multa necessariò seruari debere; quorum tamen ratio non omnibus patet,vt genua flectenda esse inter orandum.* Re-

A spondet VVitackerus. *Laudabilis hæc quidem traditio est, sed non necessaria, quia sanctos nonnullos etiam stantes orasse legimus.* Si genua inter precādum flectere,tam laudabilis est cōsuetudo, qui fit,quòd Nouatores nostri tam rarò & difficulter, etiam publicis in cōuentibus,genua flectunt;cum preculas suas vel decātant,vel demurmurillant? Neque hunc duntaxat morem commemorat Origenes,sed plures alios; vt ritum & morem conficiendæ, administrandæ & percipiendæ Eucharistiæ; item ritus baptismi; interrogationes,& respōsiones,& id genus alia in eo mysterio peragi consueta. Quæ omnia à Christianis necessariò seruanda dicit; Et tamen scripta non sunt.

Savvbrandus dicit; *se totum hoc Origenis testimo-*
B *nium recipere:Non.n.esse inter nos quæstionem;nū omnes, qui pertinent ad Ecclesiam,intelligāt omnes Ecclesiasticas obseruationes, sed quæstionem esse,num sint aliquæ traditiones ad salutem necessariæ, quæ vel non sunt scriptæ, vel non necessariò ex scriptura deduci possunt.* Non ignorat hoc Bellarminus; imò parti affirmatiuæ huius quæstionis probandæ produxit supradicta Origenis verba; nam Origenes multos ritus & multas cæremonias necessariò ab omnibus obseruandas dicit, quarum nō modò ratio reddi nequeat; sed quæ neque in scripturis comprehendantur: aut ostendat Caluinista, vbi scripti sint ritus illi & mores,quos loco citato Origenes enumerat; quē non eo fine adduxit Bellarminus; vt ostenderet,quædam gerenda esse; quorum ra-
C tionem non omnes intelligant vel capiant; sed vt demonstraret; ex Origenis sententia, exstare traditiones nō scriptas, necessariò omnibus obseruandas; nam quòd hom.25. in Matth. citante Savvbrando,dicit; *sensus extra scripturam nō esse sanctos*; loquitur de sensibus,qui ita sunt *extra*; vt simul sint contra scripturam.Sic non obstat;quòd hom.1.in Hierem. ait; *sensus nostros & enarrationes sine testimonio scripturæ non habere fidem*; nam qui traditionem testem adhibet; is etiam scripturā testem adhibet; quia scriptura traditionibus testimonium præbet.

VVitackerus tandem hanc dat solutionem; expeditissimam videlicet; & omnium difficultatum propulsatricem. *Non necesse est, vt Origenis*
D *auctoritatem moremur; quia plenus est errorum,ac næuorum. Scripserunt contra eum multi antiqui Patres, nempe,Epiphanius,Theophilus Alexandrinus & Hieronymus.* Num vllus veterum Orthodoxorum Patrum in Origene vituperauit aut confutauit ea, quæ hodie à Catholicis pro traditionum vsu ex Origene proferuntur?

Nonus testis est Eusebius, qui lib.1. de Demonst.Euang.ca 8.expressè scribit, *Apostolos quædam scriptis, quædam absq; scriptis obseruanda tradidisse & commendasse.* Respondent VVitackerus & Savvbrandus; *testimonium hoc Eusebij nullo modo recipiendum esse; pugnare enim ex diametro cum scripturis.* Non ægrè ferent, vt spero, isti;si Eusebio tam antiquo scriptori potius adhæreamus, quàm ipsis tā nu-

peris

Digitized by Google

peris & nouitiis. Nec repudiant Patres, & in his Tertullianus & Irenæus, omnem doctrinam priuatim ab Apostolis Ecclesiæ, seu, quod idem est, præsulibus eius traditam; sed illam, quam commenti fuerant Gnostici & alij, scripturæ prorsus aduersam; & orthodoxæ Ecclesiæ penitus cõtrariam; neque ex illo *diuite depositorio*, in quod Apostoli omnia contulerunt; desumptam; sed ex insano delirantium somniatorũ cerebro petitam.

Neque aliter quàm Eusebius docet Irenæus lib. 3. cap. 15. Vbi illa leguntur. *Igitur testificatio eius* (S. Lucæ de D. Paulo) *vera est, & doctrina Apostolorũ manifesta, & firma, & nihil subtrahẽs, neq, alia quidem in absconditis alia verò in manifesto docentium. Hoc enim fictorum, & praue seducentium, & hypocritarum molimẽ est.* Hoc loco apertè vides, non reiici, nisi Gnosticorum & similium deliratorum perniciosas traditiones; quas per summam imposturam, Apostolis adscribebant: quæ nõ ex publico, vt sic dicam; Ecclesiæ thesauro depromebantur; de quo ipse Irenæus lib. 3. cap. 2. 3. 4. sed ex priuatorum nugacissimis ineptiis & commentis originem trahebant. Neq; doctrina ab Apostolis sola voce tradita; & Ecclesiæ in custodiam commissa; dici debet *occulta, abscondita*, vel *priuata*, quia *depositoriũ* illud, in quod Apostoli hæc largiter contulerunt; non est *priuatum*; sed *publicum*; quemadmodum & ipsa Ecclesia non est quid *priuatum*; sed *publicũ*. Et si quando traditiones vocantur à Patribus *occulta*, vel *occulta doctrina*; id non fit, nisi per respectum ad singula Ecclesiæ membra; quorũ nil interest *formaliter & explicitè* omnia illa nosse; quæ Apostoli in Ecclesiæ thesauro, tanquam in vbere penu, deposuerunt. Vrunt quoq; VVitackerũ illa; quæ eodem loco scribit Eusebius de duobus generibus viuendi inter Christianos; altero, cælibe; & monastico quoq; : altero coniugali; & rebus huius vitæ addicto. Cur nõ vrerent, cum manifestè arguant Caluinianos non esse Christianos, quippe inter quos duplex illud viuendi genus minimè inueniatur.

Iunius non reiicit Eusebij testimonium; sed detorta expositione conatur illud ad suas partes adiungere. Interpres vsus est verbo *commendarũt*. Iunius. In Græco est *παρίδωκαν, tradiderunt*. Quid tum? *Eadem traditio*, inquit Iunius, *est ἐγγράφως καὶ ἀγράφως διδαχῶν, scripturã & prædicatione; & traditio est rituum pro vsu Ecclesiæ varians.* Vides hic incredibilem hæretici huius audaciam, qui clara & meridiana luce fulgẽte, soli tenebras obducere nititur. Nam Eusebius, tã distinctè duo hæc membra, *scripto*, & *non scripto*, seu, *sola voce viua aliquid relinquere*, distinxit, & sibi mutuò opposuit, vt VVitackerus & Savvbrandus, quãtumuis fronte ferrea præditi, victas manus dare coacti fuerint; neque ad testimonij huius claritatem obscurandã vllas nebulas reperire potuerint. Quid expressi' dici potest; quàm quod dixit Eusebius? *Apostolos quædam tradidisse scripto: quædam absq, scripto; & tradidisse absq, scripto obseruanda.* Nec quidquam hic de

A ritibus distinguit; multoq; minus de ritibus liberis vllum verbum facit: multo adhuc minus dicit, Apostolos primùm prædicasse, hoc est, *viua voce docuisse*, postea, quæ docuerant, in litteras retulisse: sed absolutè profitetur, Apostolos, quædam scripto; quædam absq; scripto seruanda tradidisse, *φυλάττειν παρέδοσαν*. Quo verbo *Caluinisticam* libertatem, & *Caluinisticè* liberos ritus exclusit. Idem significat vox *θεσμὸς*, qua vtitur Eusebius, pertinet enim ad ea, quæ necessariò obseruanda sunt; quia significat legem & præceptum. Lex autem & præceptum necessitatem adducit, vt omnibus notum est.

Decimus pater est S. Athanasius; is in tractatu de Synodi Nicænæ decretis; *Ecce*, inquit, *nos* B *quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus.* Respondet VVitackerus; *Athanasium loqui de ὁμοουσίῳ, quod vocabulum non esse nouum, & à Patribus Nic[æ]nis tum primò excogitatum, sed ab antiquioribus Patribus agnitum, atq, vsitatum fuisse probat. Sed num ex eo sequitur; non posse idem vocabulum scripturis comprobari?* Hoc sequitur, vt in vocabulis, ita & in sensu vocabulorum traditionem locum habere. Repudiabant Ariani vocem *ὁμοούσιος*, Patres eandem ex traditione probabant. Fatebantur ergo traditionem locum habere. *At hæc vox probari potest ex scriptura.* Sed hoc Ariani inficiabantur; Quapropter ad traditionem confugiebant prisci Patres; & inde Arianam proteruiam reuincebant. Et quamuis non negemus, C rem hoc vocabulo significatam ex scriptura ostendi posse; nihilominus addimus; non efficaciter, seclusa traditione, ostendi posse, ita, vt animus pertinax conuincatur: quemadmodum supra dictum ad cap 4. quod probè experti sunt illi, quibus olim cum Arianis certamen erat.

Vndecimus pater est S. Basilius, qui lib. de Spiritu sancto c. 27. sic scribit. *Quæ à nobis seruantur, & prædicantur, partim ex doctrina scripta, partim ex traditione Apostolorum, in mysterio ad nos delata accepimus.* Auctoritas hæc D. Basilij Prædicãtibus molestissima & odiosissima est: cũ quibus hic VVitackerus & Savvbrandus eò confugiunt, vt dicant, ea quæ de traditionibus liber ille continet, esse *adsititia*, & ab aliena manu assuta; testemque laudant Erasmum; cui vt maior concilietur fides, D hoc accedit à VVitackero elogium: *Sagacissimus Patrum æstimator.* Hoc responsum pluma leuius est: Et pluma leuior sit oportet, quem moueat. Cui vnquam visus Codex Græcus calamo exaratus, in quo illa disputatio de traditionibus desit? Quis veterum vnquã aut scripsit, aut sensit, aut odoratus est, verba illa de traditionibus esse spuria? Quis lecto Basilij libro non animaduertit prorsus esse genuina & legitima; & ad id, quod S. Basilius tum agebat non modò accommodata, sed & prorsus necessaria? Probare enim volens in doxologia diuini Numinis non tantum rectè vsurpari voculam *In*, vt diceretur: *Gloria Patri, & Filio, in Spiritu sancto*;

sed

sed &; *cum Spiritu sancto*; ad traditionem se recipit; & inde euidenter ostendit; vtramque particulam in doxologia illa rectißimè vsurpari. Nec quisquam vnquam poterit ex libro Basilij hanc partem abscindere, quin primo statim intuitu appareat, librum mutilatum, & truncatum esse. Quàm autem Erasmus fuerit *sagax Patrum æstimator*, à multis per quam sagaciter indicatum est. Quis Damascenum, omnia illa Basilij agnoscentem & probantem non præferat Erasmo, non obstantibus conuiciis VVitackeri; quæ hic in Damascenum euomit? *Damascenum non valdè moramur* (Et nos te tuumque Erasmum nihil penitus) *quia & parum antiquus fuit* (Quis antiquior? Recentißimus Erasmus; an Damascenus, qui ante nongentos annos floruit?) *& nimium traditionibus deditus* (Nunc rem attigisti. Si Damascenus tam parum reuerēs fuisset traditionum, quàm parum Erasmus; tunc VVitackero æquè placuisset, ac Erasmus) *& hic liber nullam auctoritatem habet.* (Adde; in schola Caluini; nam in schola Christi & Ecclesiæ Catholicæ auctoritatis summæ sunt orationes illæ de Imaginibus, quas Damascenus contra Iconoclastas, Caluinistarum progenitores, publicauit.

Savvbrandus non vult definire, *quis fuerit doctior, Damascenus an Erasmus.* Nil opus vlla definitione. Infans sit, & si quid infante infantius; qui Damascenum Erasmo non anteponat. Negat, *Basilium attentè à Damasceno lectum.* Scilicet tum *attentè* legisset; si cum Erasmo disputationem de traditionibus obelo confodisset. Hoc scilicet est *attentè legere*; quod ad palatum tuum non facit, eximere, exscindere; & falce critica resecare: illosque vultu duro imitari, de quibus diuus Hieronymus contra Luciferianos: *Solent oculis clausis denegare, qui non credunt factum esse, quod nolunt.*

Secundò respondet VVitackerus. *Si germana hæc sint Basilij verba, tum secum ipse pugnat. Nam idem alibi docet, omnia in scripturis reperiri, quæ ad salutem sunt necessaria, & scripturas habere plenam & perfectam doctrinam.* Idem ogganit Savvbrandus, dictitās, *se Basilium non controuersum Basilio controuerso opponere.* Scilicet propter temerarium Erasmi iudicium, & præcipitem inscitiam controuersum erit, vtrum diuina illa de traditionibus in libro de Spiritu sancto verè sint à D. Basilio. Ad rem, omnia ad salutem necessaria in scriptura repetiuntur; non proximè & immediatè, sed remotè & mediatè; quia ostendit traditiones; & Ecclesiam, à qua, tanquam ex opulento depositorio, omnis veritas, etiam traditionum, peti debet. Habent scripturæ perfectam & plenam doctrinam, quia perfectam & plenam doctrinam partim exhibent; partim, vnde sumēda sit, monstrant. Sic nihil vult superinduci ex non scriptis; ita vt scriptis aduersentur omnia vult consonare scripturis; & nos cum illo. Nihil vult acceptari, præter id, quod accepimus: Et nobis eadem sen-

A tentia sedet. Fatemur, omne illud, quod in rebus ad religionem pertinentibus; sic extra scripturā est, vt simul etiam sit cōtra illam; peccatum esse. Quid vis amplius Savvbrande? Num vt hunc syllogismum tuum cōsideremus? *Quidquid dicit Basilius, hoc est verum, sed Basilius dicit dogmata Ecclesiastica partim scripta esse, partim non scripta, & vtraq; ad pietatem habere eandem vim. Ergò, quædam dogmata Ecclesiastica sunt scripta, quædam nō sunt scripta, & vtraq; ad pietatem habent eādem vim.* Quem cum penitius introspicio hoc antisyllogismo remunerandum censeo. *Quidquid dicit Savvbrādus illud est pseudologia, lœdoria, & sycophantia. Savvbrandus dicit superiorē syllogismū à Bellarmino innui, quasi ex dictis Basilij exstrui posset; ergo hoc est pseudologia, lœdoria, & sycophantia.* Vt

B vera sint, quæ de traditionibus disputat S. Basil. lib. de Spiritu sancto, minimè opus est; vt verū sit, quidquid S. Basilius vnquā aut dixit, aut scripsit: talesq; technæ, & futelæ, nihil aliud sunt, quàm diuerticula, stultitiæq; simul, & nequitiæ Caluinianæ euidentißima argumēta: quodq; tam iste, quàm VVitackerus obiicit fabulosum esse, quod de Zacharia, Ioannis Baptistæ genitore, à Iudæis occiso; S. Basilius hom. de Natiuitate Christi scribit; id tam exploratū non est; quàm Nouatores sibi persuadent; non desunt enim grauißimi, & antiquißimi scriptores, qui hoc scriptū reliquerunt; vt videre licet apud Baronium ad Annum Christi Redemptoris nostri primum. Et vt hoc, quod S. Basilius se ex traditione de Zacharia ac-

C cepisse testatur, à vero alienum foret; an ideo traditiones dogmaticæ, & rituales ab Ecclesia receptæ & approbatæ euerterentur? Nam totum illud de Zacharia ad historicam traditionem pertinet; quæ licet à vero abhorreret; traditionum veritati nil detrimenti adferret.

Venio ad ipsa Basilij verba, inquit VVitackerus; Venias licet; sed animo candido & tanti Patris reuerenti; non Caluinistico. *Ait; Euangelium sine traditione non scripta, nullam vim habere, sed esse ψιλὸν ὄνομα. Si intelligeret, sine prædicatione & interpretatione non valere, aliquid diceret; sed ille loquitur de ritibus quibusdam, & cæremoniis non scriptis;* (imò & de dogmatibus non scriptis) *quas ibi commemorat, sine quibus scripturas nihil valere ait. Si iam reuiuisceret Ba-*

D *silius istam procul dubio sententiam non agnosceret, quam meritò ab omnibus piis explodi, damnarique conuenit.* Hæc nimirum est palmaris solutio; & verè Achilles. Quid verba amplius perdit VVitackerus? Cur hic dicendi nō facit finem; quandoquidem vnico ictu omnia illa Basiliana succisa sunt? Quē auguratur mutaturum sententiam, si reuiuisceret. Vanus augur est; quia Basilius tā præceps & incognitas in scribendo non erat; vt de rebus grauißimis sententiam retractatione & recantatione dignam chartis illineret. Nulla me tenet dubitatio, Basilium, si reuerteretur in hanc vitam, vehementißima oratione VVitackerianam inuerecundiam & petulantiam compressurum & coërciturum esse.

Nunc

Nunc in specie expendit, & examinat VVitackerus exempla traditionũ à S. Basilio allata. *Prima traditio est crucis signaculum. Ait enim eos, qui in Christum crediderunt, crucis signo consignari oportere. Agnosco*, inquit VVitackerus, *veterem ceremoniam ab ipsis penè religionis, Ecclesiæque Christianæ incunabulis vsurpatam, cuius quiden ratio ea fuit, vt Christiani, qui tum inter Ethn.. os viuebãt, eosq; homines, qui à fide Christi alienissimi essent, sese omni ratione Christianos esse declararent, atq; testarentur publicè.* Ita cum Symmystis suis VVitackerus. Vanissimè. Nam hæc non fuit primis illis & antiquissimis Christianis adæquata & vnica huius signi vsurpandi caussa: quod in libris de Cruce fusè ostensum; vt & in Animaduersionibus ad Notas Tertullianeas Iunij; Nam vt ex Tertulliano liquet; ad omnem simpliciter actionem hoc signaculo frontem signabant & terebant; hoc enim ipso vocabulo Tertullianus vtitur; Et non tantùm tunc, cum professio fidei Christianæ publicè edenda erat; quò palam testarentur, se omni ratione Christianos esse; & ab omni superstitione Ethnicorum abhorrere.

Postea, inquit VVitackerus, *ad alias res hoc signum adhibitum est; sed ea in re plus superstitionis, quàm religionis fuit.* Geminum mendacium. Nam & primi Christiani hoc signum ad omnem actionem tam sacram, quàm profanam adhibebant; vt ex Tertulliano notũ; totusq; hic *crucesignationis* mos, quantus quantus, non à superstitione; sed à religione fluxit; Et infinitis miraculis nobilitatus est, de quibus copiosissimè lib. 4. de S. Cruce, tomo 1. disseruimus.

Quid enim? Num putabimus pietatem, ac religionem in externis rebus positã esse? nullo modo. Imò; quidquid incassum contrà tentas. An tu nullum externum opus pietati & religioni deputabis? Baptismum & Eucharistiam dare & accipere; sunt externa opera. An nõ itidem pietatis & religionis? Genua flectere inter precandum externum opus est. An inficiaberis esse pietatis & religionis?

At caro signatur, vt anima muniatur, inquit Tertull. *At anima fide, contra Satanã munienda est, non cruce*, inquit VVitackerus: imò & cruce, velis, nolis; quamuis ex pectore fideli, imò crux tam potens armatura est; vt etiam fidei exsortes muniat, & tueatur; Testimonio est Iudæus ille apud sanctũ Gregorium in Dialogis, & alij de quibus alibi dictum.

Ais. *Veteres quidem se hoc signo aduersus dæmonas munitos esse putarunt, sed hoc ex hæresi Montani fluxit.* Impudens mendacium: quia mos crucis adhibendæ aduersus Dæmonum impressiones longè vetustior est Montano, & Montanica hæresi; vt ex lib. 4. de S. Cruce liquet: An nõ ipse dixisti supra signaculum Crucis ab ipsis fermè Christianæ religionis incunabulis vsurpatum? Et si ab hæretico manasset, num tu pùtas futurum fuisse; vt tot mirandis rebus, supra naturæ vires patratis, illustraretur? de quibus amplissimè liber quartus iã aliquoties nominatus; vbi etiã multis modis refutata calumnia illa, hic à VVitackero repetita; Dæmones fictè & simulatè crucem fugere.

A

Altera traditio est, conuersio ad orientem, cum precamur. *Respondeo*, inquit VVitackerus, *ceremonia hæc nullius planè est momenti. Num putabimus Apostolos hac de re solicitos fuisse, in quã cæli plagam homines ora conuerterent, cùm precarentur?* At aliter antiquissimi, doctissimi, & sanctissimi scriptores iudicarunt; quorum grauissimum iudicium leuissimæ hæreticorum leuitati meritissimò anteponimus. Vide tom. 1. lib. 1. de S. Cruce cap. 26. & lib. 1. primæ Apologiæ contra Misenum ca. 2. vbi de hoc more diffusè ex Patribus disputauimus.

Cur ad orientem conuersi precemur; hanc rationem reddit D. Basilius. *Quia antiquam patriam quærimus*, Paradisum nempe, *quem in horto Eden ad ortũ solis posuisse Deus dicitur.* Exclamat VVitackerus;

B

Num nos expetimus, & desideramus Paradisum illum terrestrem, in quo Adamus positus fuit? imò aliam patriam in cælis quærimus, vbi neq; ortus est, neq; occasus. Ergò, hæc planè ridicula, & indigna Basilio ratio fuit. Hæc conuicia digna sunt VVitackero; indigna Basilio. Non conuertebant se Christiani ad orientem, vt Paradisum terrestrẽ quærerent aut appeterent; sed vt in illo, tanquã in typo; & per illum, tanquã per imaginẽ, paradisum cælestem inquirerẽt; & quà fas licitumq;, animi oculis contẽplarẽtur. Neq; hæc vnica moris huius caussa est; sed & aliæ plures, quas recẽsui ex Patribus li. 1. de S. Cruce c. 26.

Tertia traditio est de verbis inuocationis seu

C

potius conuocationis, quando Euchar. populo ostenditur. Respondet VVitack. *Papistæ ipsi hãc inuocandi formam non tenent, neq; eius quidem rationem omnino intelligunt.* Non est quęstio, quid nos teneamus, aut intelligamus, sed quid S. Basil. de traditionibus non scriptis senserit. Et mos conuocãdi populum ad cõmunionem, ostenso ipso sacramento; cum his verbis; *sancta, sanctis*, adhuc durat apud Gręcos; quibus Basil. Chrysost. & similium Liturgiæ in vsu; acclamatq; populus, viso sacramẽto. *Vnus sanctus, vnus Dominus, vnus Iesus Christus in gloria Dei Patris cũ Spiritu sancto. Amen.* De his ergo seu *inuocationis* seu *aduocationis* verbis, quærit D. Basilius, in qua scriptura contineantur.

Quarta traditio. *Basilius ait. Benedicimus aquam*

D

baptismi. Respondet VVitackerus. *Quid hoc rei? Nonne Christus sua auctoritate, & mandato, suoq; etiam verbo sanctificauit omnem aquam ad baptismum?* Sanctificauit per destinationem ad hunc salutiferum vsum; itemq; per contactum; quando ipsemet in Iordane Ioannis baptismo tingi voluit. At præter hanc sanctificationem, alia restat, quæ fit per verbum Dei, diuiniq; nominis inuocationem. Hac vt aqua baptismalis consecretur, Apostolos tradidisse & imperasse; testatur S. Basilius. *At etiam non consecrata aqua sufficit ad baptismum:* Vtiq; sufficit, quia valet baptismus in non consecrata quoque aqua. sed non sufficit; vt effugias peccatum, si non benedictam aquam extra necessitatis casum adhibeas. Aliud est, validè ba-

Digitized by Google

ptizare; aliud, licitè. Prius fit in quacunque naturali aqua; posterius, non nisi in consecrata; nisi necessitas aliud effiagitet; cui lex de consecrata aqua adhibenda non est posita.

Quinta *Basilij traditio, est similis priori*, inquit VVitackerus, *nempe ter immergẽdos esse baptismi candidatos*. Respondet VVitackerus. *Num sine hac traditione Euangelium minus valebit?* Ad hanc quæst. respondet S.Basilius his verbis; quæ tibi in os ingeram. *Si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reiicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Nam qui traditiones spernit, is cum aliis nominibus, tum hanc ob caussam Euangelium & totã scripturam spernit; quia traditiones commendanti fidem non habet; & ad traditiones ableganti morem non gerit; nec sine traditione scripturã, aut esse nouit; aut intelligit. Ait VVitackerus, *Apost. Act.2. ter mille homines baptizasse, neq; tamẽ trina mersione vsos, nam non potuisse tot homines baptizari vno die, si singuli ter immersi fuissent.* Antea responsum est; necessitatem non esse subiectam legi. Probet Apostolos trina immersione nõ vsos; quando eius adhibendæ commoditas erat.

Obiicit, *alios magis probasse aspersionem, quàm immersionem: & in Concilio Toletano quarto, Can. 5. prohiberi trinam immersionem: & Papistas iam non vti trina immersione, sed aspersione trina.* Hæc omnia nil aliud sunt, quã VVitackeriana *parerga*. Non quæritur, quid alij vel faciant, vel faciendum existiment; sed quæ D. Basilij de trina immersione mens ac sententia fuerit.

Ait VVitackerus. *Si est traditio Apostolica, ter immergendos esse eos, qui baptizantur, mutari nõ debuit.* Mutata non fuisset, si vniuersalis & omnes pari necessitatis vinculo adstringens traditio fuisset. An non initio huius libri audisti ex Bellarmino, esse quasdam traditiones vniuersales, quasdam particulares: Quasdam liberas; quasdam necessarias? Græci certè hanc trinæ immersionis consuetudinem mordicus adhuc retinent.

Sexta Basilij traditio est abrenunciatio Satanæ in Baptismo. Respondet VVitackerus. *Rectè omnino. Nonne verò Satanæ renunciamus, cùm profitemur nos credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum?* Est quidem hæc abrenunciatio. Sed præter hanc ex Apostolica traditione requiritur alia *formalis* & expressa; qua ipse baptizãdus, ore suo, vel alius eius vice, disertis verbis, & palam, Satanæ vniuersæque illius pompæ valedicat; cuius moris non tantùm D.Basilius, sed & vetustissimi quique testes sunt. Vrget nos Caluinista. *Si sint Apostolicæ traditiones, cur nõ à nobis quoq; omnes illæ obseruentur.* Respondeo eam ob caussam; quod nõnullæ contraria consuetudine mutatæ sunt; vnde colligimus, vel non omnes fuisse vniuersales; vel non omnes omnibus & pro omni tempore, præcepto iniunctas fuisse, omnes tamen rectè & legitimè fuisse institutas, firmiter nobis persuademus.

Ridet VVitackerus caussas à D. Basilio redditas moris illius non flectendi genua diebus Dominicis, & à Paschate ad Pentecosten: quia scilicet Christus die Dominica resurrexit: & quia quæ sursum sunt, quærimus. Occinit VVitackerus. *Hoc semper faciendum est: ergo hac ratione semper erecti precari debemus.* Non sequitur: quia licet semper, quæ sursum sunt, quærere debeamus; non est tamen necessarium, vt id semper externo standi, seu stationis ritu testificemur; quia etiam genuflexione id testatum facere licebit; & diebus Dominicis, iisque, qui inter Pascha & Pentecosten interponuntur, peculiaris memoria Christi resurgentis, & in cælum ascendentis agitur. Quocirca peculiariter etiam externo stationis ritu significatur.

Ante VVitackerum hunc Basilij locum eludere, & effugere tentauit Kemnitius in Examine; Respondit igitur, *hæc quæ Basilius refert, non esse dogmata fidei, aut morum, sed tantùm ritus quosdam liberos, vt signare se signo crucis. &c.*

Iunius dicit, *Kemnitij responsionem esse bonam & sequentibus à Basilio planè confirmari.* Quomodo bona est; cum ipsi Kemnitio repugnet; dixit enim non posse ostendi vllum ritum certò ab Apostolis institutum; at hic Basilius non vnum; sed plures huius generis intrepide enumerat. Iunius. *Vbi autem hoc Kemnitius? nusquam certè adeò exclusit vniuersaliter. nam propterea multas distinxit traditionum species.* Magna Iunij impudentia in defendendo Kemnitio. Sed talis cliens non merebatur pudentioris frontis patronum. An non sunt hæc ipsissima Kemnitij verba fol.394. edit. Francofort. in 8. anno Christi M.D.LXVI. *Nullis certis & firmis documentis probari potest, qui sint ritus certò ab Apostolis traditi, qui ex scriptura ostendi non possunt.*

Ait Bellarminus; Etiamsi ad salutem non sit necessarium obseruare omnes ritus à S.Basilio enumeratos; necessariò tamen ad salutem obtinendam requiri, vt credamus, bene institutos esse; neque vllo modo contemnamus. Occurrit Iunius. *Credere dicit æquiuocè, nempe, vt ab aliis traditi fuerunt, quorum fides non peræquè, vt Apostolorum, certa est, nec ita ad obligandum doctrina potens.* Aequiuocus iste Caluinista, cũ quid dicat, ambigit, ad æquiuocationes & similia malæ suæ caussæ malagmata confugit. Verbum *credere* accepit tam Basilius, quàm Bellarminus, prout significat assensum illum, quo ipsi Euangelio assentimur, certum videlicet & infallibilem, circa obiectum diuinitus per Apostolos traditum, nobisque reuelatum; neque ab vllo alio sanctus Basilius traditionum, quas percensuerat, originem repetiit, cuius fides minus certa & infallibilis esset; quàm ab Apostolis, quorum fides in his tradendis ab omni falso remotissima fuit.

Carpit Iunius Bellarminum, quòd voculam

διαδόντα,

ed by Googl

διαδοθέντα, qua D. Basilius vsus est; verterit latinè: *delata*. Sed Caluinista libidine reprehédendi cœcus, non intelligit, quid blateret. An non quæ à maioribus tradũtur; seu, quæ à maioribus accipere, quasi per manus, dicimur, rectissimè ad nos *deferri* dicũtur? Quid magis propriè ad nos defertur; quàm quæ quasi perpetuo tenore ab anteactis sæculis ad nos descendunt? Si deferuntur; rectè ergo dicuntur *delata*; quemadmodum rectè etiam dicuntur tradita, quia traduntur.

Ait Bellarminus, multa esse in scripturis, quæ non sint necessaria ad salutem, vt quod vir aperto capite oret; & mulier velato. 1. Cor. 11. Et tamẽ necesse esse ad salutem, ista credere, & non contemnere. Quid animaduersor Iunius? Vt insulsè, ita & obscurè. *Ambiguo fallit Bellarminus. Nam aliud est creditu necessarium ad salutem per se. & auctoritatem scripturæ: aliud, non per se, sed per auctoritatem scripturæ: aliud, nec per se, nec per auctoritatem scripturæ necessariũ est.* Vanissima distinctio: nihil enim est creditu ad salutem necessarium; nisi quod diuinitus reuelatum, & per Ecclesiam sufficiẽter propositum est; quia vnica credendi necessitas est diuina reuelatio; siue postea per scripturam nobis innotescat; siue per traditioné non scriptam. Et quidquid ita reuelatum est; id per se creditu necessarium appellatur; vel *formaliter & explicitè*; vel saltem *virtualiter & implicitè*; ita vt nefas sit contra sentire; si quis explicito actu circa illa versari velit. Quid, quod Iunius non satis concinit cum suis gregalibus, quando quædam facit per se ad salutem creditu necessaria; etsi etiam talia sint propter auctoritatem scripturæ: quia alij Prædicantes totam necessitatem credendi ex scriptura, tanquam ex adæquata caussa, nasci dicũt; hoc ipso quòd scripturam pro vnica credédi norma habent; Eaque remota simpliciter, nihil, ne inadæquatè quidem, ad salutem creditu necessariũ esse tradunt; tantum abest; vt aliquid per se; seclusâ scripturâ, ad salutem necessarium concedant; vt facit iste; qui præ nimia subtilitatũ consectandarum cupiditate non rarò in deliria incurrit, quia, vt dictum, nihil per se, hoc est, ex natura sua est creditu ad salutem necessarium; sed omnia propter diuinam reuelationem fiunt per se creditu necessaria ad salutem; non per scripturam præcisè; nisi quatenus est diuinæ reuelationis signum & testimonium; nam & pleriq; Christianæ religionis articuli creditu ad salutem necessarij fuerunt, antequam in litteras referrentur. Pari modo ad salutem per se creditu necessarium est, implicitè saltẽ; & cum actus quispiam circa hoc caput, exercendus; explicitè etiam; sanctum Paulum rectè, legitimè & decenter mandasse; vt *vir oret capite aperto; mulier, operto*: Et quicunque hoc contumaciter inficiaretur, is Hæreticorum numero non iniuria adscriberetur.

Ait Iunius, *Symbolum Apostolorum esse ex traditione secundum formam rationemq́; verborum; at secun-* A *dum substantiam esse ipsissimam scripturam.* Hic non immeritò primùm quæras; vbi sit in scriptura ille symboli articulus? *Descendit ad inferos.* Certè Savvbrandus supra ingenuè fassus est hunc à scriptura abesse. Deinde si symbolum nihil aliud est, quàm ipsissima scriptura; est igitur pars scripturæ. Cedo, cuius libri? Forsan peculiare membrum diuini illius corporis constituit. At in Bibliis, etiam Lutheranis, non comparet. Nec ideo aliquid est ipsissima scriptura, quia cum scriptura examussim consonat: alioqui etiam Athanasianum Symbolum esset ipsissima scriptura & Canonicæ auctoritatis, quia cum scriptura exactè congruit: Similiter multa sanctorum Patrum scripta essent eandem ob caussam B ipsissima scriptura; quod tamen nullus asserit.

Præterea non quæritur; vtrum res ipsæ, quæ in Symbolo continentur; comprehensę sint in scriptura; sed vtrum S. Basilius ipsum Symbolum pro traditione non scripta coluerit. Coluisse, liquet ex his eius verbis: *Ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ex quibus habemus scriptis?* Accedit, quod seclusa traditione, omnia testimonia, quæ ex scriptura producuntur, confirmandis Symboli articulis, aliò rapi, & à legitimo sensu in alienum detorqueri possunt. Ad extremum, vt Symbolum verè dicatur ex traditione haberi, satis est; quod secundum formam & modum ex tradi- C tione habetur, hoc ipso enim res articulis illis significatæ habentur etiam ex traditione; quatenus per Symbolum tali forma conceptum & conformatum significantur; nobisq; repræsentantur.

Ait Bellarminus, inter traditiones non scriptas poni à S. Basilio vnctionem olei in Sacramento Confirmationis. *Falsò*, occlamat Iunius, *Nam si hæc vnctio, ex traditione est, non ergò ex scripturis: at ex scripturis esse cõtendunt omnes Pontificij, & ipse Bellarminus tom. 2. controu. 2. li. 2. c. 8. hæc ergo sunt ἀντίλογα.* Essent contradictoria; si tu non mentireris. Neq; enim probat Bellarminus ex scriptura; oleũ admixto balsamo esse materiam cõfirmationis; sed vnctionem; & duo loca profert; quorum tamen D neuter, si à traditione & sanctorum Patrũ expositione discedas, aliquid efficaciter efficit. Aliud est autem vnctio, aliud vnctio per chrisma seu oleum balsamo mixtum: illa generalior est; hæc minus communis; eamq́; ex sola traditione Patrumq́ue testimoniis Bellarminus adstruit. Itaque nihil hic in Bellarmino contradictionis inest: quidquid id est, hoc in malesana Iunij phãtasia residet qui addit; *Annon vidit Bellarminus, ibi agere Basilium de chrismate olei in baptismo? de quo agitur de consec. distinct. 4. c. Nullus ministrorum.* Tu quidem hoc asseris; sed non probas. Cur enim vnctionem olei apud Basilium non liceret accipere de vnctione confirmationis per chrisma; cum certum sit baptizatis olim vnà cum

Digitized by Google

Baptiſmo Sacramentum Confirmationis collatum eſſe?

Ait Bellarminus; nõnulla à Baſilio commemorari, quæ etſi ex ſe non ſint neceſſaria, tamen poſtquam præcepta ſunt, ita ſunt neceſſaria, vt, ſi de induſtria omittantur, grauiter peccetur: vt, ſignum Crucis in conſecratione aquæ, &c. Dicit enim Auguſtinus tract. 118. in Ioan. *ſine ſigno Crucis nulla Sacramenta ritè peragi:* & idem docet Chryſoſt. hom. 55. in Matth. Occurrit Iunius; *Auguſtinum hoc aſſerere ſecundum Eccleſiaſticum ſui temporis ritum; non autem Chriſti & Apoſtolorum eius.* Fatetur ergo Iunius, Eccleſiam tempore D. Auguſtini exiſtimaſſe; ſignaculum Crucis, & id genus alia, adminiſtrationi Sacramentorum neceſſariò adhibẽda eſſe; niſi quis graui crimine ſe obſtringere vellet. At Caluiniſtica ſynagoga hodie ſecus iudicat. Cui par auſcultare? Cæcus fuerit, qui dubitet. Deinde, D. Auguſtinum hunc morem pro Apoſtolica traditione, & inſtitutione habuiſſe; patet ex regula ab ipſo præſcripta li. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 24. quæ dicit; *id quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè credi.* Vbi vel vnico verbulo in omnibus ſuis Tomis inſinuat S. Auguſtinus à Concilio aliquo inſtitutum eſſe; vt nulla Sacramenta abſque ſigno Crucis legitimè peracta cenſerentur?

Vitio vertit Iunius Bellarmino, quod citans Chryſoſtomum homil. 55. in Matth. non exſcripſerit iſta verba; *Pretio empti eſtis, ne ſitis ſerui hominum. Precium hic Paulus crucem appellauit, quam non ſimpliciter digito in corpore, ſed magna profectò fide in mente formare oportet. Hoc diſputator, fortiter diſſimulat*, inquit Iunius, *vt iſtam digitorum decuſſationem ſtatuminet.* Bellarminus nihil verborum ex Chryſoſtomo citauit, contentus indicaſſe locum, in quo an non hæc leguntur? *Omnia, quæ ad ſalutem noſtram conducunt; per ipſam* (Crucem) *conſummantur.* An non hæc cum Auguſtini ſententia à Bellarmino citata concordant? Nam quod addit; *Crucem magna fide prius in mente formari debere*; quis negat, & quid inſtituto Bellarmini obſtat? Libentiſsimè confitemur Crucem non tantùm in fronte; ſed & in corde pingendam eſſe. Certè, quæ de Crucis præſtantia & efficacia eo in ſermone diuus Chryſoſtomus ſcribit, tam præclara ſunt; vt ad Crucis amorem, cultum & venerationem, quemuis, qui non capitali Crucis odio flagret, incitare queant. Sed de his omnibus abundè actum eſt libro quarto de ſancta Cruce à capit. 10. per aliquot ſubſequentia. Quæ præterea circa diui Baſilij teſtimonium Iunius garrit; inanes nugæ ſunt; & tautologiæ nudæ; omnibus probationum momentis deſtitutæ.

Duodecimus pater eſt ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, qui poſtquam dixerat propter dogmata teſtamenti veteris, & noui doctrinã Eccleſiæ viſam fuiſſe Iuliano mi-
A rabilem, addit continuò: *Cæterum, maiorem, atq; inſigniorem ob eas Eccleſiæ figuras, quas traditione acceptas in hunc vſq; diem ſeruamus, &c.* Explicat autem poſtea, ſe *figuras Eccleſiæ* vocaſſe diſciplinam, politiam, ordinem Eccleſiæ, rationem pſallendi, modum pœnitentiæ imponendæ, &c. Reſpondet VVitackerus; Nazianzenum *per typos intelligere aut Sacramenta, aut cæremonias, & ritus, quibus in Sacramentorum adminiſtratione Chriſtiani tum vtebãtur: hos autem ritus fuiſſe liberos, non neceſſarios.* Reſpondeo, probabile eſſe Nazianzenum melius ſciuiſſe, quid per *typos*, ſeu figuras intellexerit, quàm VVitackerum: intellexit autẽ ea, quæ Bellarminus nominauit; quia & ab ipſo Nazianzeno nominata ſunt: admirandam nimirum Eccleſiæ
B orthodoxæ œconomiam & formam; traditione, vt ait, acceptam, & ad poſteros deriuatam: in qua & cæremoniæ, non tamen omnes, vt iſti ſomniãt liberæ; ſed neceſſariò obſeruandæ; ſi forma & œconomia Eccleſiaſtica conſeruari neceſſariò debeat, vt ſanè debet: & vt omnia illa ritualia fuiſsẽt libera, deq; ſolis ritualibus locutus eſſet Nazian. tamen adhuc aliquid ad ſalutem neceſſariũ credere oporteret extra ſcripturam; nempe ritus illos ſalutariter & vtiliter fuiſſe inſtitutos.

Iunius dicit, *res à Nazianzeno commemoratas eſſe à ſcriptura; à traditione, ritus & cæremoniales circumſtãtias. Diſciplina*, inquit, *politia, & ordo Eccleſiæ, ψαλμῳδία, pœnitentiæ modus, ædium ſacrarum cultus, caſtitas, & εὐνουχισμὸς ille propter regnum cælorum, à Deo ſunt,*
C *Bellarmine, & à ſcriptura eius, in ſubſtãtia, vt loquuntur.* Libẽter accipimus, quod liberaliter dat Iunius; inde tamen concludimus, monaſteria, & virginũ cœnobia; itemq; vitam Monaſticam & cælibem profeſsionẽ, *ſecundum ſubſtantiam à Deo* eſſe, quia hæc nominat Nazianz. inter *typos* Eccleſiæ. Cur igitur hęc omnia à Caluiniſtis exterminãtur? Cur explodũtur, & vt Diabolica inſtituta, omnib. diris deuouẽtur? Cur nulla apud Caluiniſtas virorum & mulierũ monaſteria? Cur nulli Monachi, nullæ Moniales; cũ hoc genus vitæ *ſecundũ ſubſtãtiã ſit à Deo*; vt dicit Iunius? ſed & ſecundum formam modumq; à Deo eſt; quia à traditione eſt; hoc eſt, ab Apoſtolis Dei Miniſtris.

Hinc & Euſebius poſtquam lib. 1. de Euange-
D lica demonſtratione c. 8. dixerat, Apoſtolos quędam litteris, quædam ſine litteris obſeruanda mandaſſe; inter illa, quæ ſine ſcripto obſeruari iuſſa ſunt; numerat vitam religioſam, & monaſticam. Ait enim. *Propterea* (quia ſcilicet Apoſtoli quædam abſq; ſcriptis obſeruari pręceperunt) *in Eccleſia Dei duo etiam viuendi modi inſtituti ſunt; alter quidem naturam noſtram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorſus à communi, & conſueta cunctorum hominũ vita abhorrens, & ſoli diuino cultui ex immenſo rerum cæleſtium amore addictus, qui hũc modum amplexi ſunt, quaſi ab hac mortali vita ſeiuncti, ipſumq; duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò, atq; ani-*

mo, in

mo, in ipso cælo degentes, quasi quidam cælites reliquorum hominum vitam despiciunt, &c. Alter verò remissior, atq; humanior, hic & modesto coniugio, & sobolis procuratione implicatur, & rei familiaris curam assumit, &c.

Nota autem VVitackeri & Savvbrandi hallucinationem; qui Nazianz. ita citant; quasi ipsi *propter typos* seu speciem & œconomiam Ecclesia Christiana visa fuerit admiranda; cũ non loquatur de se; sed de Iuliano, in cuius animo hæc Ecclesiæ forma tantam admirationem cõcitarat; vt eam sua in perfidia imitari, & quà posset, exprimere conaretur; vt taceam Savvbrandum denuo vel ex inscitia, vel ex nequitia scopum & statum probationis Bellarminianæ mutare; *Non inter nos quæstio est*, inquit, *propter quas res doctrina Ecclesiæ sit Nazianzeno mirabilis visa. Sed, an Scriptura sacra contineat omnia ad salutem necessaria; an verò, non contineat omnia ad salutem necessaria?* Hæc hoc loco non est proxima & immediata quæstio; sed vtrũ S. Gregorius Nazianzenus existimarit, exstare veras aliquas extra sacram Scripturam traditiones: Existimasse, planum facit allatum à Bellarmino testimonium.

Decimus tertius pater est S. Chrysost. qui multa passim de traditionibus scribit; præsertim in 2. Thess. 2. vbi expressè dicit, Apostolos multa sine literis tradidisse. Respondet VVitackerus. *Nisi illa multa, de quibus Chrysost. loquitur, scripturæ auctoritate nitãtur, secum ipse pugnat.* Hoc non est responsum, sed mendacium: Nusquam enim Chrysost. contrarium scripsit; neq; vllum vnquam locum ex Chrysost. Caluinista proferet, qui huic aduersetur. Ait Chrysost. *Scripturas & traditiones pari fide recipiendas; seu eadem fide dignas esse*; cuius est & hoc monitum: *Traditio est, nihil amplius desidera.* Quid VVitackerus? *Dictum inconsideratum, & tanto patre indignum.* Verè inconsideratum est hoc VVitackeri dictum, & Caluini discipulo dignissimum. Nec aliud dicere opus: ipsum Chrysostomi nomen satis superque hanc calumniam amolitur.

Theophylactus & Oecumenius cum illo consentiunt, inquit VVitack. *Sed non est opus illis respondere*: Bene fecisti; cum responsione supersedisti; quia, vt antea, sic & nunc, præter calumniã, nihil attulisses. *Idem D. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Philip. & hom. 69. ad populum Antiochenum, sancitum ab Apostolis fuisse ait, vt mortuorum recordatio fieret in mysteriorum celebratione, & hoc esse iis salutare asserit.* Respondet VVitack. *Ego istam traditionem non agnosco.* Mirum, si Caluinista eã agnosceres. Qua de caussa non agnoscis? *Quia non dubito, quin si viuorũ preces mortuis ita essent vtiles, ac salutares, scriptura illarum mentionem fecisset, atq; etiã præcepisset.* Non est necesse; sufficit, quod precũ pro mortuis fundendarum in Missa; seu in oblatione corporis, & sanguinis Christi, meminerit traditio æquè certa, ac scriptura; easq; Christianis iniunxerit.

Ait VVitack. *Sibi ipse hoc loco vix constat Chrysost.* Constantissimè sibi constat, quidquid tu calumnieris: nam quod dicit, *eos, qui moriuntur in peccatis,*

A *non posse precibus iuuari, sed esse perpetuò lugẽdos*; id non est inconstantiæ argumentum; quia intelligitur de illis, qui sceleribus mortiferis obstricti hinc excedunt. At Chrysost. adiungit; *istis multum prodesse preces.* Non istis, mi homo, qui capitalibus vitiis irretiti vitã finiunt; sed qui in fide moriũtur, vt statim dicit S. Chrysost. & quidem in fide viua; nam fieri potest, vt isti adhuc leuioribus culpis inquinati sint; & obligati satisfacere pro peccatis quoad culpam, non autem quoad omnem pœnam remissis. Adhuc ergo expiatione egent, & per consequens, viuentium ope & precibus.

Savvbrandus Chrysostomum Chysostomo opponit. Mendaciter; quia Chrysostomus sibi nõ est contrarius; & is, quem opponit; non est Chry-
B sostomus; sed *Auctor operis Imperfecti*; homo Arianus; ex cuius hom. 49. in Matth. duas profert iste sententias Prædicãtium sermonibus admodum tritas; de quibus abunde in Responso Hunniano ca. 13. Nec opus est plura hic dicere; cum iam vanitas Savvbrãdi patescat; qui vt Chrysostomum contraria docere ostendat; testimonium non Chrysostomi; sed Ariani scriptoris producit.

Quod S. Chrysostomus in Psal. 95. dicit; *Auditorũ cogitationem claudicare; si quid absq; scriptura dicatur*; non obstat; quia intelligi debet; tum contingere; cum quid vel absq; scriptura, vel absque eo, quod pari fide cum scriptura dignum est; asseritur: At ex Chrysostomi sententia traditiones pari fide cum scriptura dignę sunt: Ergo, vt scriptu-
C rarum, sic & traditionũ testimonia auditorum animos firmare possunt, ne titubent.

Iunius, more suo, clarissima D. Chrysostomi testimonia tenebris inuoluit; & cum omnia dixit; nil penitus, quod ad rem faceret, dixit. Et impudentissimè ex hom. 3. in epist. ad Philipp. de commemoratione eorum, qui hinc discesserunt; in celebratione venerandorum mysteriorum, refert *ad Excommunicatos*; quasi Chrysostomus tantum significare velit, pro *Excommunicatis in Liturgia preces fundi.* Quæ summa profectò quiduis deprauandi & peruertendi temeritas est; quandoquidem luce clarius est; S. Chrysostomum in morali illa digressione quam homil. 3. citatæ subnectit; loqui de defunctis; viuosque
D exhortari; ne ob suorum mortem nimium doleant; sed potius dispiciant; quomodo illis opem ferre queant. Inter cætera autem auxilia & subsidia τῶν ἀπελθόντων, *mortuis conducibilia*; numerat quoque sacrificium corporis & sanguinis Christi. Meo iudicio lõgè maior & intolerabilior hęc est audacia & improbitas Iunij; quam VVitackeri, & aliorum; qui talia D. Chrysostomi dicta palam, & simpliciter reiiciunt.

Decimus quartus pater est Theophilus Alexandrinus, qui lib. 1. & 3. Paschali disertè docet, *legem ieiuniorum esse Apostolicam traditionem.* Respõdet VVitackerus; *Theophilum fuisse acerrimum Chrysostomi aduersarium.* Quid hoc ad rem? Num quæritur, an fuerit amicus Chrysostomi; Secundò re-

Digitized by Google

ſpondet, *Montanum leges ieiuniorum præſcripſiſſe, non Apoſtolos: citatq́; Euſebium lib. 5. cap. 18.* At Theophilus dicit, Apoſtolos legis ieiunandi fuiſſe auctores. Quis fide dignior? Theophilus an VVitackerus? nam quod teſtem dat Euſebium; impoſturæ deputa; non dicit Euſebius, Montanũ fuiſſe auctorem eius ieiunij, quod vſurpabat & frequẽtabat Catholica Eccleſia; ſed eius, quod obibat Montani ſecta; mori communi Eccleſiaſtico prorſus contrarij, vt patet quoque ex Tertulliani libris, præſertim illo, quem ſcripſit de ieiunio.

At Theophilus iubet etiam abſtinere à vino; non tantùm à carnibus; quod Papiſtæ non faciunt: inquit VVitackerus. Iubet conſulendo; non præcipiendo; iubet ob maiorem ieiunij perfectionem; non ob neceſsitatem; nam quo quis gratiora palato ſuo ſubtrahit, eo perfectius ieiunium euadit.

Savvbrandus ſtultitiã ſuã ſic in Theophilum incurſat. *Quod cum Apoſtolorum ſcriptis manifeſtè ex diametro pugnat, illud non eſt ex traditione Apoſtolica; ſed, certis diebus ieiunare, & à certis cibis abſtinere manifeſtè pugnat cum doctrina Apoſtolorum. Ergò, non eſt traditio Apoſtolica.* Huic ſyllogiſmo nihil deeſt; niſi probatio Minoris: cui non patrocinantur, quæ de libertate Chriſtiana in cibis & feſtis ſacræ litteræ tradunt; nam hæc libertas conſiſtit in exemptione ab obſeruatione ciborũ & feſtorum Legalium; non in illa immunitate, quam Nouatores noſtri ex cerebro ſuo fingunt.

Decimus quintus pater eſt Cyrillus Hieroſolymitanus: quem dicit Bellarminus, nihil ferè aliud explicare in Catecheſibus myſtagogicis, quàm traditiones non ſcriptas de Baptiſmo & aliis Sacramentis. Reſpondet VVitackerus. *Nullas traditiones ex eo profert Bellarminus: nec poteſt multas proferre. Habet quidem aliquas, ſed eas non magni momenti.* Igitur, vt video, *Renunciatio Satanæ in Baptiſmo*, non eſt res magni momenti apud VVitackerum; vt & alij ritus, quos in Catecheſibus myſtagogicis Cyrillus commemorat; planè conuenientes cum illis, quos S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto enumerat: Et quid opus erat, ſpeciatim aliquas traditiones ex illis Catecheſibus excerpere; cùm quantæ quantæ ſunt, propemodum nil aliud ſint; quàm traditionum explicationes, vt rectè dixit Bellarminus. Arbitratur VVitackerus, & cum illo Savvbrandus; ſe à Cyrilli auctoritate perbellè expediri per illum locum ex Catecheſi quarta *Illuminatorum*: vbi dicit, *de diuinis & ſacris fidei myſteriis, nihil, ne minutum quidem, ſine ſacra Scriptura ſtatuendum eſſe*: quod nobis non officit; nam qui aliquid ſtatuit traditione & per traditionem; is non ſtatuit aliquid ſine ſcriptura; ſed cum ſcriptura, quandoquidem hæc traditiones commendat, & ad illas nos ablegat.

Decimus ſextus pater eſt S. Epiphanius, qui multa de traditionibus Hær. 55. 61. 75. Ad quæ nihil reſpondent Hæretici, niſi blaſphemando & criminando, *Epiphanium nimiis delectatum eſſe tra-*
A *ditionibus & apocryphis fabulis.* Reſpondet VVitackerus: *Quæ hæc blaſphemia eſt, dicere, Epiphanium plus, quàm oportuit, delectatum fuiſſe traditionibus, atq́; etiam genealogiis, quas Apoſtolus damnat? Certè, nulla iniuria Epiphanium afficit, qui hoc dicit.* Ita nimirum comparati ſunt Caluiniani, vt quidquid criminationum in patres iaciant, id arbitrentur non maledictis, ſed benedictis accenſendum eſſe, velintque, ſibi gratias haberi ob reuerentiam erga ſanctos Patres. Putant, opinor, vniuerſis mortalibus è memoria excidiſſe; quid ſit contumelia; quid calumnia; quid maledictum; quid benedictum; ideo nobis perſuadere conantur; ſe dum maledicunt, benedicere; dum inſectantur; venerari.

B Vt Caluiniſta fidem Epiphanio detrahat; nihil non molitur. Itaq; vitio ei vertit; *quod Hær. 51. ſcribit; ſe ex traditione ſcire, quis fuerit pater Danielis, & quis pater Eliæ Prophetæ & quot annos Lazarus natus eſſet, cùm illum Chriſtus è ſepulchro excitaret.* De Lazaro hoc non exſtat Hær. 51. vt citat Nouator, ſed Hær. 66. De aliis in eadem Hær. 51. nihil inuenio. Credo ſanè; Epiphanium veri tam ſtudioſum, & religioſum fuiſſe, vt hæc nũquam litteris proditurus fuiſſet; niſi re vera ſciuiſſet; aut bona ſaltem fide ſe ſcire exiſtimaſſet. Quãquam hæc traditio, cum merè ſit hiſtorica; nec vllum dogma vel ritũ contineat; neq; etiam ab Eccleſia vnquam fidelibus ſit propoſita; nihil ad rem facit; ac proinde robur aliarum, de quibus Epiphanius, non im-
C minuit, vti nec illa, Hær. 80. *vt viri barbas nutriant*, pro qua citat S. Epiphanius Cõſtitutiones Apoſtolorum Clementis; & exſtat primo libro, ne quis barbam tondeat: quod intelligendum, ad turpitudinem & laſciuiam, vt olim ethniciſmo regnante, fieri conſueuerat. Vide Turriani ſcholia Apologetica in primum librum Conſtitutionum Clementis Romani.

Ad locum ex Hæreſi 61. productum reſpondet VVitackerus; *Ex hoc loco intelligi quidem poteſt. Epiphanium probare quaſdam Apoſtolicas traditiones, ſed non tamen adeò pertinacem eſſe earum defenſorem, ac ſunt Papiſtæ. Ait enim Apoſtolicam traditionem eſſe. Ne quis poſt votum cælibatus matrimonium contrahat. & impium eſſe, ſi quis aliter faciat.* Non tantũ
D hoc dicit Epiphanius; ſed præterea iſtud: *Oportet autẽ & traditione vti. Non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt. Quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione S. Apoſtoli tradiderunt.*

Subiungit VVitackerus. *At eodem loco affirmat Epiphanius, melius eſſe: ſi quis in curſu ceciderit, vt ducat vxorem, etiam poſt votum, & tandem licet claudus, in Eccleſiam veniat, quàm occultis iaculis quotidie ſaucietur.* Quis ſit huius loci apud Epiphanium ſenſus, explicat Bellarminus lib. de Monachis cap. 34. Quem vide. Summa eſt, ſanctum Epiphanium non loqui de obſtrictis voto; ſed de illis, qui abſque voto ſtatuerant ſeruãre caſtitatem; & tamen propoſiti immemores ſcortabantur; De his per exaggerationem dicit,

melius

Digitized by Google

melius esse, vt vnum peccatum admittant; quàm vt in perpetua scortatione viuant; vocatq; *peccatũ* deflexionem illam & declinationem à meliore proposito; impropriè scilicet, & vsu sentiendi loquendiq; populari; nam si de hominibus votiuis sermo esset; nõ diceret illos, vnum peccatum committere; sed longè plura, quam antea, quando secretè fornicabãtur; cum quidquid prætextu coniugij agunt, id nil fit aliud, quàm semper iterum iterumq; repetita scortatio. Et quidquid hæretici ex obscuris, & tenebricosis Epiphanij verbis nugẽtur, & tricentur; nos adhęremus perspicuis illis suprà recitatis; *Oportet & traditione vti. Non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt, &c.*

Savvbrandus dicit, *hæc S. Epiphanij dicta intelligi debere de traditionibus, quæ cum scriptura congruant, vel ex ea deduci possint.* Non abnuimus. Congruit ergo cum scriptura, & ex ea deduci potest, quod S. Epiphanius dicit; *Sanctos Dei Apostolos tradidisse peccatum esse, si quis post virginitatis seu castitatis votum ad nuptias conuertatur.* Peccauit igitur Lutherus, ex sentẽtia D. Epiphanij, cum post solennem castitatis professionem Monialem, eodem religionis iureiurando obligatam, sacrilego nexu sibi copulauit.

Vltimus ex Græcis patribus est Damascenus; à quo Prædicantes VVitackerus & Savvbrandus paucis se expediunt. Ille clamat; *nos minimè moramur Damascenum in hac caussa, vtpote auctorem recentem, superstitiosum, εἰκονολάτρην,* q. d. *imaginicolam,* seu quod gratius erit Nouatoribus nouatum vocabulum; *Simulacricolam.* Quis antiquior, Damascenus ante nongentos propemodum annos sanctimonia & eruditione clarus; an VVitackerus & Savvbrandus exorti nudius tertius?

A Gręcis patribus transit Bellarminus ad Latinos; inter quos prima in acie collocat Tertull. qui de traditionibus multa in lib. de corona Militis, & alibi. Respondet VVitackerus; *Tertull. fuisse Mõtanistam.* Quid tum? An ideo veritati de traditionibus testimonium perhibere nõ potuit? Eusebius Cæsariensis Ario sese addixit. Num idcirco nil fidei merebitur; quidquid rectè ab eo scriptum profertur? Nec Montanista fuit, cum libellum de præscriptionibus aduersus hæreticos scripsit; cui aliud fundamentum non substernit, quàm traditiones, ex quibus omnes hæreticos reuinci & redargui postulat.

Respondet secundò VVitackerus, *traditiones à Tertulliano recensitas à Papistis non obseruari, præter illam de cruce.* Mẽtitur; quas enim de legitimo scripturæ sensu, deq; Paschæ celebratione, aliisq; in libello de præscriptionibus enumerat & vrget, obseruamus omnes religiosè; & quas memorat in libro de corona milit. multi adhuc obseruant; vt die Dominico, & à Paschate ad Pentecosten genua non flectere; Baptismi candidatos ter immergere; Et quid vsitatius in Ecclesia quam oblationes annuas pro defunctis facere; itemque pro Natalitiis, hoc est, die sanctis Martyribus di-

A cato; qui vsitato more, *natalis* dici solet; præterea die Dominico non ieiunare; & Eucharistiam, non nisi de manu *præsidentis*, hoc est, sacerdotis sumere?

Mentitur iterum VVitackerus, cùm dicit, Tertullianum in libello de præscript. *ideo ad traditiones prouocasse, quod certamen habuerit cum hæreticis, qui dicerẽt scripturas esse imperfectas, &c.* Nam Tertullianus in eo libello prorsus aureo generalem regulam & rationem omnes simpliciter hæreticos refellendi præscribit; qualescunque illi sint, siue partem tantummodò scripturarum, siue totas scripturas recipiant; quod ipse palam testatur cap. 17. his verbis. *Ista hæresis nõ recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, & detractio-*
B *nibus, ad dispositionem instituti sui interuertit: &, si recipit, non recipit integras: &, si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantũ & corruptor stylus.* Contra omnes ergo hæreticos traditionẽ adhibendam existimauit; etiam contra illos, qui integras scripturas recipiebãt; quia licet integras reciperent; distortis tamen & peruersis interpretationibus deprauabant, & adhuc deprauant: Itaq; aliter nisi ex traditione efficaciter conuinci non poterant; nec adhuc possunt. Si autem Tertull. disputãs aduersus Hæreticos scripturam lacerantes, corrumpentes, & aliquos etiam ex Prophetis, Apostolis & Euangelistis negãtes, *confugit ad præscriptionem & traditionẽ,* vt ait VVi-
C tackerus; obsecro, cur Caluinistæ nobiscum cõgressi, idem non factitant; cum, iudicio eorum, Scripturas sacras laceremus & corrumpamus? Cur non, omissis scripturis, traditione nos vrgent, vt fecit Tertullianus? Cur non ex illo principio Tertullianeo aduersus Praxeã, quod VVitakerus hic laudat, nos impugnãt; *Id verum, quodcunq; prius: id adulterinũ, quodcunq; posterius.* Quæ nã professio, dic, oro, prior, nostra, an Caluinistica?

Illud ænigmatis speciẽ habet; *Tertull. prouocare à scripturis ad Ecclesiã, & ad Ecclesiarum disciplinam, non quidem ad doctrinam aliquam non scriptã, sed ad eius doctrinæ defensionem, propagationem, ac promulgationem, quam Apostoli viua voce in Ecclesiis ab illis fundatis traditam reliquerunt.* Si prouocat Tertullianus à Scri-
D ptura sacra eaq; tota, quomodo nõ prouocat ad doctrinam aliquam nõ scriptam; in Scriptura sacra? An nõ Scriptura sacra adęquatè spectata, est; vt cum Philosophis loquar, *terminus à quo* huius prouocationis? Si est; vt reuera est, fieri nequit, vt *terminus ad quẽ*; huius prouocationis sit Scriptura sacra; quia terminus *à quo*, necessariò distinguitur à termino *ad Quem*; & hic, ab illo. Sed ait VVitackerus: *terminum ad Quem non esse aliquam doctrinam non scriptam; sed defensionem, propagationẽ, & explicationem doctrinæ scriptæ.* At nescit, quid dicat; nã doctrina scripta nec defenditur nec propagatur, nec explicatur nisi per non scriptã, si igitur Apostoli in Ecclesia reliquerunt viua voce defensionem, propagationẽ, promulgationem, seu expli-

cationem doctrinæ scriptæ; necesse est, vt in Ecclesia reliquerint doctrinam viua voce, id est, nõ scriptam, qua scripturæ arcana & abdita explanarentur, defenderentur, & explicarentur: nam defensio doctrinæ scriptæ, & propagatio & promulgatio, quam Apostoli viua voce in Ecclesiis abs se fundatis reliquerũt, vt VVitackerus dicit, non potest esse ipse actus defensionis; seu actualis defensio, propagatio, & promulgatio, quia isti actus non possunt reponi & relinqui; cum statim finiantur, & esse desinant: debet igitur hæc defensio, hæc propagatio, & hæc promulgatio esse aliqua doctrina, seu scientia apud Ecclesiam deposita, qua ipsa instructa oẽs errores depellere & profligare, & fidelibus diuinam mentem ac voluntatem certò & infallibiliter pãdere queat. Hanc autem absq; scripto in Ecclesia depositam doctrinam nominamus communi nomine *traditionem*; & nobiscũ ipse etiam Tertullianus; cuius auctoritatem hoc insipiẽtissimo syllogismo effugere nititur Savvbrandus. *Quidquid dicit Tertullianus, id est verũ. Sed Tertullianus dicit, quasdam disciplinas nõ scriptas, sed traditas esse. Ergò quædam traditiones non scriptæ sunt ad salutem necessariæ; vel, omnia ad salutem necessaria non sunt scripta.* Stultitia hæc nõ meretur aliud ἀντίδοτον, quàm hunc syllogismũ. *Quidquid dicit Savvbrandus, id est, nauci ac nihili. Savvbrandus dicit, superiorem syllogismum aut formatum aut formari à Bellarm. tanquam ex Tertull. mente ac sententia: ergo hoc est nauci ac nihili*; hoc est, Savvbrandicũ: sunt enim isthæc synonyma. Cætera quæ de Tertulliano blaterat, desumpta sunt ex VVitackero nouis quibusdam fatuitatibus adaucta.

Secundus pater est S. Cyprianus: hic lib. 1. epist. 12. ait, *necesse esse baptizatos vngi*; at hoc traditionis est. Idem lib. 2. epist. 3. dicit, *Dominum vino in calice offerendo admiscuisse aquam*. Et hoc vt traditionẽ Dominicam, obseruari iubet. Respondet VVitackerus, *Cyprianum non fuisse Apostolum, ac proinde examinanda esse eius verba, nec omnia statim recipienda*: idque exemplo Augustini, qui idem fecerit. At vt non fuerit *Apostolus*, dignior tamẽ fuit hoc titulo, quàm Lutherus, quem *Apostolum Christi* nominat Brunfelsius in præfatione, qua ei opuscula quædam Hussij dedicat. Deinde Cyprianus est Martyr beatissimus; quo elogio non semel à D. Aug. cohonestatur. Quocirca meritò omnibus hisce nouis censoribus & examinatoribus illum anteponimus; quidquid demũ criminationis, & vaniloquentiæ in ipsum effundant. Nec D. August. *censorem Cypriani* egit; nisi in quęstione de rebaptizandis Hæreticis, in qua Cypriano totã Catholicæ Ecclesiæ consuetudinẽ aduersari vidit; cui adhærere longè satius duxit, quàm Cypriano; cuius auctoritate Donatistæ scelerate abutebãtur. Adde, non sequi; VVitackero idem licere, si quid olim hac in re Augustino licuisset; quia immenso interuallo ab Augustini diuina eruditione & modestia distat.

Secundò respondet VVitackerus; *eundem ipsum Cyprianum nobis auctorem esse, consuetudines omnes esse reiiciendas, quæ non habeant auctoritatem ex scripturis.* Sit ita; sed negamus, consuetudines, de quibus Cyprianus loc. cit. non habere auctoritatem ex scripturis; quæ cum traditiones generatim commendant; auctoritatem iisdem præbent.

A

Pergit VVitackerus; *In eadem epistola ait Cyprianus, illud faciendum esse, quod fecerit Christus, & faciendum præceperit, & non esse attẽdendum, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.* Fatemur, non esse attendẽdum, quid aliquis vnus & priuatus ante nos fecerit; valde tamen attendendum asserimus, quid Ecclesia, quidque Ecclesiasticorum Antistitum & Doctorum chorus ante nos fecerit; hoc ipso enim simul attendimus, quid Christus, qui ante omnes est, fecerit: quia Ecclesia vices Christi gerit; & sicut, qui Ecclesiam audit; Christum audit: iuxta illud; *qui vos audit, me audit*; sic qui quid Ecclesia fecerit, attendit; hic attendit, quid Christus fecerit.

B

Nos, inquit VVitack. *non attendamus, quid Cyprianus dixerit: sed ex hac sua ipsius lege illũ examinemus.* Tu nõ attendes, quid fecerit aut senserit Cyprianus, sanctitate & Martyrij gloria decantatissimus; & nos attendemus, quid garriãt VVitackerus, Savvbrãdus, & similes de grege Caluini lurcones? Audiamus tamẽ, quomodo discipulus magistrum, & nudiusquartus proseminatus Nouator vetustissimum Ecclesiæ Doctorẽ examinet. Ait S. Cyprianus: *Necesse esse baptizatos vngi.* Quęrit VVitack. *Quamobrem hoc tandem necesse est?* Respondet S. Cyprian. *Vt incipiamus esse vncti Domini.* Oggerit VVitack. *Num sine hoc vnguẽto non possumus esse vncti Domini?* Possumus absolutè quidem sine hoc vnguẽto esse *vncti Domini*; per vnctionẽ gratiæ baptismatis; sed tamẽ voluit Christus, vt & vncti eius aliis modis, & mediis efficeremur, speciatim externa hac vnctione, tanquã internæ, & quidẽ multiplicis, symbolo & tessera. *Egressi de lauacro* (Baptismi) inquit Tertull. lib. de Baptismo, *perungimur de benedicta vnctione, de pristina disciplina, qua vngi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex quo Aaron à Moyse vnctus est: vnde Christus dicitur à chrismate, quod est vnctio, quæ Domino nomen accommodauit facta spiritualis, quia spiritu vnctus est à Deo Patre, sicut in Actis: Collecti sunt enim verè in ista ciuitate aduersus sanctum filium tuum, quem vnxisti. Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur.*

C

D

Obserua ter vngi Christianum. Primò ante baptismum in pectore, & inter scapulas oleo cõsecrato; quod catechumenorum dici solet. Deinde statim post baptismũ chrismate in vertice. Tandem iterum chrismate; sed in fronte; & à solo Episcopo. De secunda & tertia vnctione testimoniũ Tertulliani; vt & Cypriani, accipi potest; De prima varia exstant veterum testimonia nominatim S. Cyrilli Catech. 2. mystag. Vide Bellarm.

Digitized by Google

A larminum libro de Baptismo cap.25. Vt ergo aliquis verè, & perfectè sit *vnctus Domini*; oportet, vt & his externis vnctionibus, tanquam regiam & sacerdotalem dignitatem adepturus;inungatur; & qui hanc externam spernit;is neque internam per gratiam, si quam fortè acquisiuit, cum sine vlla vnctione baptizatus est; retinet; sed amittit; & penitus vnctus Domini esse desinit.

Quare nō præcepit Dominus de vngendo, inquit VVitackerus, *cum de baptizando præciperet?* Vnde nosti Dominum vel illo, vel alio tempore nil præcepisse de vngendo? An quia scriptum non est? Huc enim VVitackeriana interrogatiuncula tendit; vt & ista. *Quando tam multi leguntur in Actis baptizati; quare non leguntur etiam vncti?* Ideo, opinor; quia

B scriptum non est; si scriptum esset, legeretur: At tu è vestigio cum tua perbella consequentia aduolabis: *Non est scriptum; ergo nec factum.* Egregiè. Quanquam, quod ad vnctionem attinet in Confirmationis Sacramento adhiberi solitam;ea insinuatur satis;quoties Apostoli iam credentibus manus imposuisse, & Spiritum sanctum impartiisse leguntur. Nam hæc & similia loca de Confirmationis Sacramento accipienda esse, ostendunt orthodoxi Doctores, & cum his suo loco Bellarminus. Cur autem Deus has vnctiones, vt & alias cæremonias,traditione potius ad nos venire voluerit, quàm scripturâ; caussam aliam euidentem reddere nequeo, quàm quia illi, vt Domino supremo; sic lubuit; quia sic iussit; sic

C lubuisse; sic iussisse certus efficior testimonio Ecclesiæ; quæ mihi has vnctiones, vt & alias traditiones, tanquam à Christo & Apostolis profectas, proponit.

Obiicit VVitackerus: *Si sine externo oleo non sumus vncti Domini, tum Christus non erit vnctus Domini, propterea quod illum externam hanc vnctionem habuisse, non legimus.* Hoc non sequitur; quia Christo secundum naturam humanā vnctio illa per vnionem hypostaticam loco & vice omnium,quibus nos vtimur, fuit.

Dicit Caluinista, *Cyprianum fortè hanc vnctionem accepisse à Tertulliano;hunc à Montano.* Calumniatur. Nam Cyprianus ex traditione habuit, æquè ac Tertullianus; neuter à Montano; etsi in Tertul-

D liano eam; vt & alias complures, scripto consignatas inuenit;qui librū de Baptismo, in quo de hoc ritu; prius edidit, quàm ad Montanū descisceret: vt docet Pamelius in summario eius libri; & patet inde; quia Quintillam ex Montani schola procacem feminam, ex instituto, illo in opere, confutat. Et vt Tertullianus iam tum ad Montani castra trāsiisset; non sequeretur, Tertullianum vngendi morem à Montano accepisse; & *Montanicum* esse; quemadmodum non sequitur, articulum de Trinitate esse à Luthero vel Lutheranum; eò quòd Melāchthon Lutheranus; mentionem eius faciat; eumq; propugnet; quia constat hunc articulum ante Lutherum in Catholica Ecclesia fuisse creditum; sic etiam non rectè

concluditur; hunc vel illum ritum esse à Montano & Mōtanicum;quod Tertullianus iam Montanista factus; eius meminerit; præsertim quando constat tales ritus ante Montanum in Ecclesia Catholica viguisse, & vt alij hæretici, sic & Montanistæ multa ex Catholicorum cœtu orthodoxa ad suas synagogas transtulerint.

Savvbrandus dicit; *nos testimonio Cypriani non iuuari.* Quid ita vero? *Quia in eadem epistola docet Cyprianus hæreticos denuò baptizandos esse: Hoc falsum est; ergo & illud.* Negatur consequentia; quia non est necesse; vt cum quis duo dicit; vtrunque falsum sit; si alterum sit falsum. Verum dicis, quando Deum trinum & vnum dicis. Falsum dicis; cum Pontificem *Romanum Antichristum* dicis. An propter huius dicti falsitatem etiam prioris veritas euanescit?

Obiicit Savvbrandus. *Cyprianus ad Pompeium dicit ea facienda esse, quæ scripta sunt.* Num adiicit particulam *exclusiuam, tantùm?* Num dixit sanctus Cyprianus, tantùm illa facienda esse;quæ scripta sunt?

De mistione vini Eucharistici cum aqua diximus ad caput secundum. Tautologi nostri hic eadem iterant: cuditq; hunc syllogismum Savvbrandus. *Quidquid dicit Cyprianus, hoc est verum. Sed Cyprianus dicit, vinum aqua misceri in Eucharistia, esse traditionem Domini. Ergo, quædam ad salutem necessaria, non sunt scripta. Vel; quædam traditiones non scriptæ, sunt ad salutem necessariæ.* Tu lector accipe istum in vicem prioris. *Quidquid syllogismorum Savvbrandus cudit; id plerunque curuum, obstipum, fatuum, amens & excors est. Savvbrandus prædictum syllogismum cudit; ergo curuus, obstipus, fatuus, amens, & excors est.*

Obiicit Savvbrandus: *Thomam 3. par. quæst. 74. artic. 6. dicere; probabiliter credi Christum instituisse hoc Sacramentum in vino aqua permixto: non est ergo id tam certum, quàm certum id facit Cyprianus.* Respondeo, ipsam rationē suadere, vt hac in parte potius assentiamur S. Cypriano, quam alicui ex recentioribus; cum ille expresè dicat hoc à Domino factum; sibique hoc diuinitus reuelatum, Christique exemplo & præcepto idem à nobis fieri debere. Quod verò tā VVitackerus, quàm Savvbrandus dicunt; *se etiam vinum aqua diluturos esse, si tam generosum sua in cœna vinum haberent; quàm habuit Christus*: id vt credam vix adducor; quia Caluinistæ meraciores sunt; quàm vt vinum dilutum ferre possint; si Prædicans poculum lymphis temperatum offerret; ipsi oggererent. *Minister vetuli meri Falerni Inger mi calices meraciores.* Nam quod præterea dicunt, Christum id fecisse non mysterij gratia, sed pro regionis more; id iam capite secundo redarguimus. Scilicet nullus absque mistura aquæ tantum vini, quamuis generosissimi bibere potest, quantum in Eucharistiæ sumptione bibi solet: vixque mihi persuadeo, Caluinistas istos tam esse temperantes; vt cum vino Cretico, aut alio potentiore, largiu-

sculè etiam se inuitant, semper aquam affundant. Nec dixit S. Cyprianus mistionem hanc esse simpliciter ad Sacramentum necessariam; sed intelligi debet de necessitate, vt vitetur peccatum; & vt populi cum Christo vnio expressè significetur. Nec est hęc mistio *traditio scripta*; vt nugatur Savvbrandus; aut si scripta est, quare non obseruatur à Caluinistis, qui scripturarum traditionum tam seueri & rigidi censores videri volunt? *At Alexander Papa & quidam alij, probant ex hoc, quòd ex latere Christi aqua & sanguis effluxit.* Verum hæc nō est tam traditionis probatio; quàm illustratio & conuenientia; cuiusmodi ex scripturis propemodum de omni traditione, licet in sacris litteris non comprehensa, proferre licet.

Quàm verò scholastica & subtilis est hæc Savvbrandi collectio. *Thomas 3. par. quæst. 74. art. 6. dicit, vino aquam miscendam esse, quia hoc conuenit repræsentationi Dominicæ passionis: ergo ritus iste est traditio scripta, ex Thomæ sententia.* Ausim dicere diuum Thomam in omnibus Tomis suis nullam formasse consequentiam, quæ cum ista comparari queat.

Tertius pater est S. Hilarius, qui libro contra Constantium probat vocabulum ὁμοούσιον retineri debere, licet in scriptura non contineatur. Respondent VVitackerus & Savvbrandus, *rem contineri in scriptura; idq; sufficere; se non exigere, vt nullum vsurpetur vocabulum nisi quod in scriptura exprimitur.* Ita quidem iam isti. Olim aliter; & quidem tam morosè; vt Philippus in locis Argentorati anno Redemptoris M. D. XXIII. excusis *rationis* voculam penitus abiiciendam censuerit; tanquam nimis Platonicam. Nunc vela dederunt retrorsum. Non malè. Interim ex testimonio Hilarij apparet, posse huius patris iudicio aliquid recipi & vsurpari, licet in scriptura non contineatur. Nam Ariani simpliciter repudiabant τὸ ὁμοούσιον verbum. Hilarius non eò confugit, vt dicat; rem significatam in scriptura comprehendi, sed absolutè docet; verbum hoc recipi debere; licet sit extra scripturam. Quo ipso indicauit aliquid extra scripturam in rebus ad religionem pertinentibus vsurpari posse.

Quartus pater est S. Ambrosius libro de his, qui initiantur mysteriis, vbi varia explicat ritualia, in baptismo seruari solita, quæ alij constanter ad Apostolos auctores referunt. Talia reperies serm. 25. 34. 36. Item epist. 81. & 38. Respondet VVitackerus, *non omnia Ambrosij recipi debere: nam illum à multis veteribus & recentioribus perstrictum esse.* Breuis & expedita responsio; & Caluini discipulo conuenientissima. Qui sunt veteres illi, qui Ambrosium, perstrinxerunt ob hosce consimiles ue ritus? Nullus profectò orthodoxus. Recentiores, quos intelligas facilè intelligo; Lutherum, Caluinum, Melanchthonem, Bezam, & huius classis alios contribules.

Secundò respondet VVitackerus; *Ambrosium scripturarum in rebus necessariis perfectionem comproba-*

A *re*; hoc est; *docere, omnia ad salutem necessaria in scriptura contineri; nihil extra*; & id quidem proximè & immediatè. Vbi hoc docet Ambrosius? Pollicetur VVitackerus se hoc postea palam facturum. Fortasse non proferet alia loca; quàm quæ hic Savvbrandus: primus est libro 3. Hexaëmer. cap. 3. *Quod apertè scripturarum testimonio non didici, quasi secretum prætereo.* Hic locus manifestè indicat, quàm sycophanticè Nouatores testimonia Patrum adducere soleant. Non enim agit eo loco D. Ambrosius de traditionibus; sed de obscura quadam quæstione; quo scilicet illa aquarum multitudo, quæ initio totam terram contegebat, postea deriuata sit. Et quia aliqui, vt hunc nodum soluerent, dixerant: *Potuisse Deum ipsarum etiam terrarum spatia diffundere*; Subiicit

B sanctus Ambrosius: *Ego, quid facere potuerit, nunc prætermitto: quid fecerit, quod apertè scripturarum auctoritate non didici, quasi secretum prætereo, ne fortè etiam hinc alias sibi quæstiones requirant.* Quid hoc, obsecro, ad traditiones? quarum auctoritatem generatim ipsa quoq; scriptura commendat; vt proinde id, quòd quis ex traditione discit, etiam scripturarum auctoritate fundatum censeri possit. Si quod auctores illi dicebant, ipsam quoque terræ molem amplificatam fuisse tantæ aquarum copiæ capiendæ, ex Ecclesiastica traditione descendisset; nunquam id S. Ambrosius repudiasset pro singulari sua in Ecclesiasticas traditiones obseruantia.

C Alter locus est lib. 1. Hexaëm. cap. 6. *Satis est ad scientiam, quod scripturarum diuinarum series comprehendit.* Hic rursus assertionem de re particulari fraudulenter facit *vniuersalem.* Non dixit absolutè; satis esse ad salutem scire ea, quæ in scriptura continentur, sed satis esse de terra scire ea, quæ scriptura tradit; *Quid nobis*, inquit, *discutere, vtrum in aëre pendeat, an super aquam, &c.* Quid amplius?

Hoc nunc taceri non debet, inquit Savvbrandus, *Ambrosium hic allegatum pugnare cum Bellarmino. Bellarminus enim supra dixit quadragesimam esse ab Apostolis institutam. At Ambrosius hic dicit, eam à Christo præceptam esse.* Savvbrandus nugas agit. Nam beatus Ambrosius minimè negauit Quadragesimam esse etiam ab Apostolis; quippe, qui opti-

D mè sciuerit scita, & præcepta Magistri à discipulis postmodum denuo fuisse sancita, atque promulgata. Nec quæstio hîc est, quid Bellarminus sentiat; sed quid de traditionibus sentiat diuus Ambrosius; qui expressè docet; Quadragesimam à Christo fuisse præceptam. Obiicit VVitackerus. *Ambrosium non aliud velle, quam Christum præcepisse Quadragesimale ieiunium exemplo.* Si Christus, iudicio S. Ambrosij, præcepit Quadragesimam exemplo; cur huic, vt sic loquar, præcepto exemplari non obtemperant sectarij? Et si est traditio scripta: ex tanti præsulis sententia; cur eam non amplectuntur Nouatores; cum videri velint, quasi, quidquid scriptum est; obuiis

vlnis

vnis amplectantur. Deinde falsum est; Ambrosium velle, Dominum solo exemplo atque adeo metaphoricè duntaxat Quadragesimam præcepisse: loquitur enim apertè de expresso & explicito præcepto; quale non est illud, quod in solo exemplo consistit: vt patet ex homiliis Ambrosij, à Bellarmino citatis. Vbi autem hoc expressum præceptum in scriptura scriptum?

Vt ostendat VVitackerus suam, & in D. Ambrosium, & in Quadragesimale ieiunium affectionem, calumniatur S. Ambrosium ad ieiunium Quadragesimale stabiliendum vti scripturæ testimoniis *inscitè admodum accommodatis*; quam lœdoriam ipsa D. Ambrosij eruditio & sanctitas satis superque refellit.

Scurratur deinceps VVitackerus, occasione accepta ex prandio; quia nonnullis exprobrat S. Ambrosius, *quòd in Quadragesima pranderent:* Ait, *hoc Papistas quotidie facere; sed prandium ab illis cœnam vocari.* Omnino *cœna* est; quia non sequitur alia *cœna*. Ieiunium vnam refectionem exposcit; qua siue sub vesperam; siue sub meridiem vtaris, perinde est; nam varia Ecclesiæ in hoc consuetudo fuit. Ait VVitackerus; *Quadragesimam ex sententia diui Ambrosij esse traditionem scriptam.* At licet in scriptura habeatur Christum quadragintà dies ieiunasse; non tamen docet scriptura Christum Quadragesimam instituisse, & obseruandam præcepisse, præcepto expresso & explicito, proprieque dicto; nam metaphoricum, quod in solo exemplo situm est, nihil ad rem facit. Itaque institutio & præceptum expressum ex sola traditione est; licet exemplum sit à scriptura.

Quintus Pater est S. Hieronymus qui in epistola ad Marcellam dicit, *Quadragesimam esse traditionem Apostolicam.* Respondet VVitackerus. *De Quadragesima iam satisfactum est.* Cui satisfecisti? Tibi, sine dubio, non nobis. Hic aliud non quæritur, quàm vtrum diuus Hieronymus habuerit Quadragesimã pro Apostolica traditione. Verba eius perspicua sunt, neque vllas VVitackerianas nebulas admittunt.

Aduersus Luciferianos asserit idem sanctus Hieronymus: *Multa consuetudinis in auctoritatem scriptæ legis transire.* Respondet Savvbrandus, *hoc intelligi de ritibus;* Addit VVitackerus, *de liberis, quos arbitratu tuo vel obserues vel non obserues.* Contrà est diuus Hieronymus, qui dicit, talia in *naturam legis scripta transisse:* Non sunt igitur libera, sed obseruatu necessaria: quia lex necessitatem imponit; ergo & consuetudo, quæ vim legis induit. Mirum, istos Quadragesimam, & similes Ecclesiæ consuetudines, facere liberas; & tamen hac sua libertate nunquam vti ad obseruationem, sed tantùm ad omissionem. Vbi vnquam auditum est, vllum Caluinistam obseruasse Quadragesimam? Imò, si obseruaret, periclitaretur; ne Caluiniano anathemati subiiceretur.

A Dicit Iunius, *vnctionem in baptismo, de qua suprà, esse ritum; & quidem liberum:* Vbi vnquam vel fando accepimus, hunc ritum à Caluinista quopiam obseruatum fuisse?

Quàm D. Hieronymus grauis sit traditionum aduersarius, his eius dictis demonstrat Savvbrandus. Ad Tit. I. *Sine auctoritate scripturarum garrulitas non habet fidem: ergo non exstant traditiones non scriptæ.* Solerter & ingeniosè. Perge. Idem ad Galatas: *Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis libris prodita est: contra quam, si quid statuunt Concilia, nefas duco. Sequitur ergo quod antea.* Rectissimè. Accedat & tertium argumentum: quia omne trinum perfectum. *Quod de scripturis non habet auctoritatem eadem facilitate contemnitur, qua probatur: traditiones* B *non scriptæ, non habent de scripturis auctoritatem, ergo eadem facilitate reiiciuntur, qua afferuntur & asseruntur.* Minorem si euidenter Savvbrandus probasset; rem suo ingenio dignam præstitisset. Sed abstinuit, fortè quia supra suum ingenium id laboris vidit.

Sextus Pater est S. Augustinus, ex quo multa testimonia profert Bellarminus. Primum ex epistola 118. ad Ianuarium: *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri: sicut, quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & Aduentus de cælo Spiritus sancti anniuersaria solennitate ce-* C *lebratur.* Prædicantes hic omnes neruos intendunt, vt Augustinum nobis eripiant, & quia id apertè nequeunt; fraudibus, technis, mendaciis & criminationibus hoc transactum dare conantur. Itaque VVitackerus primam suam responsionem pluribus responsiunculis infercit. Ait I. *Augustinum fuisse hominem.* Quis nescit? II. *Potuisse errare.* Num ideo errauit? *A posse ad esse*, quæ consequentia? III. *Videri illum his fauere traditionibus.* Et quidem euidenter à non cæcis fauere videtur. IV. *Eum in aliis locis scripturæ perfectionem acerrimè defendere;* hoc est, traditiones non scriptas inficiari; ita enim *defensionem* intelligit VVitackerus. Quod grandissimum Caluinistæ huius figmentum est. Vt & hoc. V. *Augustinum apertissimè sentire,* D *nullum dogma recipiendum esse, quod non nitatur scripturis.* Vbi hic tam apertus Augustini sensus? tametsi verum est, nil recipi debere, quod non nitatur scripturis, saltem remotè & mediatè, sed hic non est VVitackeri sensus. VI. *Aut igitur Augustinum loqui de traditionibus nõ necessariis, aut sibi ipsum non consentire.* Vtraque pars diiunctionis ex mendacio constat; vt iam patebit.

Subiicit VVitackerus. *Loquitur Augustinus de his traditionibus, quæ per totum orbem seruantur. Illæ verò cuiusmodi sunt? Nempe Passionis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Aduentus Spiritus sancti è cælo solennis, & anniuersaria celebratio. Sed hæ traditiones non sunt magni momenti.* (apud homines nullius momenti; non apud illos quibus religio in pretio) *nam sine his*

traditio-

Digitized by Google

traditionibus omnia possunt esse in religione nostra salua. Tu quidē hoc asseris; sed sine probatione. Quocirca parum tuis assertis mouemur.

Ne tamen tibi iniuriam faciam, en probationem. *Possumus hæc omnia de Christi morte, & resurrectione, & ascensione confiteri, & meminisse, sine vlla certorum, statorumq; dierum solennitate.* Possumus quidem absolutè loquendo mortem, resurrectionē, & alia mysteria religionis nostræ venerari, & in recēti memoria perpetim conseruare absq; prædictis festis; at posita voluntate & institutione, omnino oportet; vt hac etiam certa & præfinita ratione, nimirum, festorum dierum celebratione mysteria illa veneremur & colamus; vtq; certò & firmiter credamus institutionem hanc, Ecclesiæ Christianæ esse vtilem ac salutarem; legitimeque factam; & ab vniuersa Ecclesia necessariò obseruari debere: & non minus ad Hęreticorum classem pertinere illos, qui pertinaciter negant hæc festa à Christianis esse obseruanda; atq; olim pertinuerunt *Quartadecimani*; qui pascha cum Iudæis decima quarta luna necessariò peragēdum contendebant.

Non damno, inquit Caluinista, *morem veterum Ecclesiarum, quæ dies hosce festos libera consuetudine obseruarunt.* Falsum est, Ecclesias hos festos dies liberè obseruasse; aut Augustinum hoc sentire; quia expressè dicit; illa, quæ per loca variantur, esse libera; at quæ per totum orbem seruantur, esse necessaria. Hic multa commentatur VVitackerus, vt euadat. Ait, *Augustinum non velle talia obseruatu esse necessaria ad salutem; sed tantummodo ad vitandam à .... confusionē. & scandala remouenda.* Mentitur Caluinista. Quia S. Augustinus dicit hæc festa obseruata & obseruanda esse; tanquam legem. nam *mos populi Dei & instituta maiorum pro lege tenenda sunt*, vt ait epist. 86. ad Casulanum. At lex non obseruatur liberè, sed necessariò, quia necessitatem imponit. Deinde epist. 118. ad Ianuarium, æquat harum & similium vniuersalium consuetudinum obseruationem cum obseruatione eorum, quæ sacræ litteræ obseruanda præcipiunt. At horum obseruatio est necessaria, non libera: ergo & illorum. Accipe D. Augustini verba. *Ad hæc itaque respondeo, vt, quid horum sit faciendum, si diuinæ scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus, vt iam, non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam, hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est. Sed neque hoc, neq; illud inest in eo, quod tu quæris.* Est igitur necessariò ad salutem obseruandum; quod tota per orbem frequentat Ecclesia: quia ita obseruandum est, sicut id, quod præcipit scriptura; sed hoc est necessarium ad salutem, ergo & illud: ergo & obseruatio dierum festorum, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes & aliorum; quia per totam celebrantur & frequentantur Ecclesiam: & hoc in dubium reuocare; *insolentissima est insania.*

A Ad extremum: illius obseruatio est necessaria ad salutem; ex sententia D. Augustini, cuius pertinax negatio & reiectio efficit hæreticū: sed pertinax negatio & reiectio Paschatis die Dominico celebrandi efficit Quartadecimanos qui à S. Augustino in Catalogo Hæreticorum collocantur; vt & ab aliis Patribus: est ergo celebratio Paschę, & quidem die Dominico, necessaria ad salutem, ex D. Augustini sententia. Si verò *Quartadecimani* hæreseos notati & damnati fuēre, quòd dicerēt, Pascha non esse celebrandum die Dominico; sed luna decimaquarta cum Iudæis; quanto magis Hæreticis annumerati fuissent; si cū nostris Nouatoribus docuissent; Paschæ obseruationem esse rem leuis momenti; posse omitti; esse cæremo-

B niam liberam. Qua libertate nixi Caluinistæ & Lutheristæ; forsan aliquādo eò progredientur; vt ipsum etiam Dominicū diem extermineut: cum non obscurè, sed expressè profiteantur obseruationem eius esse liberam; neque vllo modo saluti adipiscendæ necessariam.

Obiicit VVitackerus. *Augustinum nec probare, nec euincere traditiones illas ab Ecclesiis omnibus fuisse seruatas. Dicit ille quidem, sed interim non probat, neq; omninò probare potuit. Neq; enim norat, quid ab Ecclesiis alibi factitatum esset. Vicina fortasse Ecclesia hāc consuetudinem seruarunt. & non dubium est, Hipponenses, & totam Ecclesiam Africanam seruasse.* Qualis impudētia. Perinde ac si quis diceret; Augustinum, asserentem die festo Paschatis solem toti nostro hemisphærio

C illuxisse: id probare non posse; neque enim scire; quid alibi terrarum accideret. Quis vnquā Christiani orbis angulus orthodoxus fuit; in quo Domini Passio, Resurrectio & similia festa non fuerint, vt sic loquar, *festiuissimè* à fidelibus celebrata? Vide disputationem Bellarmini de festis lib. 3. de cultu Sanctorum.

Obiicit VVitackerus: *Augustinum nescire, & incertum esse, num istorum dierum obseruatio ab Apostolis, an à plenariis Conciliis instituta fuerit: quod satis arguit, ignotam esse huius traditionis originē. At Papistæ, se certos esse aiunt, ab Apostolis fuisse institutam. Sic illi Augustino hac in re sapientiores sunt.* Quis nō videt has nihil aliud nisi inanes calūnias esse: neq; enim incertus fuit D. Augustinus, num hæc festa fuerint ab Aposto-

D lis instituta: quia lib. 4. de Baptismo c. 24. disertè scripsit: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Nam cur à Concilio aliquo plenario instituta crederet; causę nihil suppetebat: quandoquidem nullum huiusmodi Concilium exstare vel exstitisse probè norat; & si exstare nouisset, nominare id potuisset; & de facto etiā nominasset. Igitur quòd epist. 118. dicit; quę ab vniuersa obseruātur Ecclesia, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Conciliis instituta esse; statimque exempla de Passionis die, de Paschate & similibus subiungit, id nil aliud arguit, quàm D. Augustinum existimasse; nonnulla, quæ tota Ecclesia obseruat, à Conciliis plenariis etiam

profecta

profecta esse: quod verissimum est. Neq; tamen sequitur, exempla, quæ subtexuit, pertinere ad hoc posterius disiunctionis membrum: quia nemo vnquam vllum Concilium nominare potuit, à quo horum festorum celebratio sancita fuerit. Attulit ergo exempla primi duntaxat mẽbri disiunctionis.

Ait Bellarminus; Apostolũ Gal. 4. reprehendẽtem Galatas, quod dies obseruarent & tempora; loqui de festis Iudæorum non Christianorum. Respondet VVitackerus. *Scopus Apostoli non minus Papistas impugnat. Disputat enim Paulus contra eos, qui aliquam externam ceremoniam, putant ad salutem necessariam esse, & cum fide coniungendã.* VVitackerus more suo multa dicit; & nihil probat. Negamus Apostolum disputare contra eos; qui aliquam externam non Iudaicam, sed Christianam ceremoniam putant ad salutem esse necessariam; & cum fide coniungendam: quia Christus dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Est ergo mandatorum obseruatio cum fide copulanda; inter quæ mandata non postremum est; illud de obseruatione Christianorum festorum ab Apostolis & veteri Ecclesia descendentium.

Savvbrandus, vt imposturis & fraudibus suis planiorem & expeditiorem viam sternat; totum quæstionis & controuersiæ statum immutat & peruertit. *Quæstio est*, inquit, *an quædam traditiones non scriptæ sint ad salutem necessariæ.* Mentiris, impostor; non est hæc proxima & immediata quæstio hoc loco: sed ista; vtrũ S. Augustinus traditiones non scriptas agnouerit; admiserit & approbarit. Hæc quæstio est. Itaq; quid aliud facis, quã quod turpissimè mentiris, cum hos duos syllogismos Bellarmino affingis, quasi ab ipso vel explicatè, vel tacitè conditos: *Quæcunq; à Cõciliis, vel ab Apostolis prodita sunt, illa sunt necessaria, ad salutem. Sed, quæ vniuersa Ecclesia tenet, illa vel ab Apostolis, vel à Conciliis tradita sunt. Ergo, quæcunque vniuersa Ecclesia tenet, illa sunt necessaria ad salutem. Quæcunq; ab vniuersa Ecclesia seruantur, illa sunt necessaria, ad salutẽ. Sed quædam traditiones non scriptæ ab vniuersa Ecclesia seruantur. Ergo quædam traditiones non scriptæ sunt ad salutẽ necessariæ. Et, per consequens, scriptura nõ continet integram doctrinam salutis.* Figmenta hæc tua sunt; non argumenta Bellarmini: qui si hoc loco argumentum formare vellet; aliud non formaret quàm hoc, vel non dissimile. S. Augustinus agnouit & probauit traditiones non scriptas; ergo & nos easdem agnoscere & probare debemus.

Multa deinde garrit Savvbrandus de scopo epist. Augustinianæ 118. quæ prætereo; quia extra rem. Nisi fortè contẽplari lubet hanc Savvbrandicam consequentiam. *Augustinus in ea epistola meminit solius Baptismi & Eucharistiæ: ergo duo tantùm sunt Sacramenta.* Consimili forma concludam ego. S. Augustinus multis locis meminit solius baptismi; vt videre licet passim in libris contra Donatistas; ergo Christiana religio vnicum duntaxat baptismi Sacramentum habet. Postea demolitur

A Caluinista malè tornatos syllogismos quos architectatus fuerat. Sed demoliatur prout lubet, nihil ad Bellarminum; quia non sunt Bellarmini; sed Savvbrandi; qui dicit; *Augustinum non loqui de doctrina, sed de ritibus.* At isti ritus includunt credẽda dogmata; hæc nimirum; ritus illos salubriter & vtiliter fuisse institutos; & necessariò obseruari debere; nec posse sine sacrilegio vel omitti vel aboleri.

Augustinus dicit, inquit Savvbrandus, *quod vniuersa tenet Ecclesia, hoc vel ab Apostolis, vel à Conciliis accepit. Ergo seruandum. Ergo, inquit Bellarminus, quod Ecclesia Romana tenet, hoc ab Apostolis, & Conciliis accepit, & ob eam caussam seruandum.* Mentiris. Nihil simile hic dixit Bellarminus: Multo minus vel formauit vel insinuauit informe hoc monstrũ. *Quod*
B *tenet vniuersa Ecclesia, hoc ab Apostolis, vel Conciliis profectum est. Sed, Romana Ecclesia, est vniuersa Ecclesia. Ergo, &c. Hanc esse mentem tuam, Bellarmine, non negabis.* Qualis stoliditas in hoc tam mendaci & deliro capite? Hæccine Bellarmini mens? Hiccine sensus? Pudorem ex frõte funditus hunc hominem abrasisse oportet; qui tam impotẽter & flagitiosè palam mentiatur; cum luce clarius sit, Bellarminum nil aliud probare; quàm S. Augustinum traditiones non scriptas agnouisse; neque vnicum verbulum hic de Romana Ecclesia facit.

Postea verbosè deblaterat, *obseruationem festorum, vt Paschæ, & similium rituum in vniuersa Ecclesia receptorũ esse tantum necessariam ad ordinem conseruandum, vitandumq; scandalum.* Hoc iam antea in VVi-
C tackero refutatum est; ostensumq; ex ipso S. Augustino, tales ritus ad salutem esse necessarios. Ait Savvbrandus: *Particulares ritus & cæremonias obseruari debere tantum ordinis seruandi & scandali vitandi gratia; si quis versetur iis in locis, vbi tales particulares ritus vigent: ergo & vniuersales ritus tantum esse necessarios propter bonum ordinis & pacis.* Negatur consequentia; quia est dispar horũ rituum ratio; vt supra ex ipso D. Augustino dilucidè probauimus: tametsi, dum in eo loco degis, vbi talis particularis ritus constanter viget; necessarium sit, vt cum illo te conformes, ne ex difformitate turbatio & offensio progeneretur.

D Celebrationem Paschæ, & quidem die Dominico, Apostolicam traditionem & pręceptionem esse dicimus: neque vllus vnquam Christianus orthodoxus exstitit; qui Pascha celebritate anniuersaria obeundũ & peragendum inficias iret. Tantùm de die fuit olim controuersia; etiam inter viros sanctissimos; & præclaros Christi Martyres. Hinc tale argumentũ cudit Savvbrandus. *Olim non eodem die celebrabant, etiam sanctitate præstantes viri, solennitatem paschalem: alij enim die Dominico celebrabant; alij luna decima quarta cum Iudæis; ergo non est ad salutem necessarium, Pascha die Dominico celebrare*; vel, *credere, non nisi die Dominico obeundum esse.* Respondeo, consequentiam esse futilem: Multa enim licent; quæ, re ad liquidum discussa & explorata non amplius licent; ex quorum numero

&

Digitized by Google

& hæc de paschatis die quęstio. Nam obeundum esse Pascha quotannis nemo vnquam orthodoxorum abnuit. Tota lis de die erat, quæ postea, vero in lucem educto, stabilitoque, desiit; neque amplius à sciente & prudente excitari, & contraria pars pertinaciter absq; hæreseos infamia, propugnari potest. Mentitur Savvbrandus, *tempore Polycarpi & Aniceti non exstitisse Apostolicam traditionem de celebrando Paschate, die Dominico.* Exstitit; sed minus & paucioribus cognita fuit; donec progressu annorum plenius & pluribus, atque adeo toti Ecclesiæ innotuit.

Profert Bellarminus multa alia S. Augustini testimonia pręsertim ex libris de Baptismo contra Donatistas. Respondet Kemnitius; *Augustini quæstionem in istis locis esse, an posset proferri exemplum ex scriptura, quo hæreticus aliquis rebaptizatus, vel sine nouo baptismo susceptus fuisse, doceretur: non autem, an essent rebaptizandi, vel non rebaptizandi hæretici? Et quidem, Augustinum putasse, non posse proferri tale exemplum, & hoc docere in locis allegatis.* Kemnitius sui non est dissimilis, vt ostendit Bellarminus. Nam licet lib. 1. contra Cresconium cap. 33. de exemplis agat; alibi tamen disertè de consuetudine non rebaptizandi Hæreticos loquitur; eamq; potissimum ex traditione confirmat. Et eo ipso loco cõtra Cresconium, vbi dicit; *ex scriptura nõ posse proferri exempla eorum, qui ab hæreticis regressi vel baptizati sint, vel non baptizati;* Subiungit vniuersalis Ecclesiæ iudicio in hac re standum esse. Verba eius sunt ista. *Proinde quamuis huius rei certum de scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamẽ scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas, vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.*

In qua ergo controuersia vult Ecclesiam esse consulendam? In hac, *vtrum aliqui ab hæresi ad Catholicam communionem regressi, fuerint denuò baptismate tincti;* & num tales iterum necesse sit baptizari. Huius dubitationis solutionem, dicit ex vsu & traditione Ecclesiæ peti debere; qui etiam lib. 5. de Baptismo cap. 23. expressè scribit; *credendum esse consuetudinem hanc non rebaptizandi reduces ad Ecclesiam ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse; sicut sunt multa,* inquit, *quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

Occlamant Prædicantes, olim Kemnitius, postmodum VVitackerus, Savvbrandus, alij, *Augustinum morem nõ rebaptizandi hæreticos probare etiam testimoniis scripturæ.* Non inficiamur. Sed num traditionem excludit? Num illa scripturæ testimonia adeo sunt perspicua & plana, vt absq; traditionis adminiculo rem conficiant? Aliquoties iam diximus; etiam ea, quę ex traditione habẽtur, posse non rarò verisimiliter ostendi, suaderi & illustrari ex scripturis, sed supposita traditione; à qua, si

A scripturæ testimonia seiungas, è vestigio eorum imbecillitatem agnosces; vt præteream id, quod opportunè monet Bellarminus, S. Augustini testimonia non eo potissimùm fine produci, vt mos non baptizandi reuersos ad Ecclesiam conuincatur esse ex traditione; quàm vt planum apertumq; fiat; S. Augustinum censuisse Apostolos quædam viua voce, absq; scripto, Ecclesiæ reliquisse atq; commendasse; & ad hoc genus pertinere id, quod per vniuersum orbem frequentat Ecclesia, nec plenariis Conciliis institutum legitur. Certè testimonia à Bellarmino ex D. Augustino deprompta, illustrissima sunt; neque vllis vel Kemnitianis, vel VVitackerianis, vel Savvbrandicis nebulis inobscurari queunt. Neque

B opus est his diutius immorari.

Cætera, quæ nugantur Iunius & Savvbrandus, sint rapidis ludibria ventis. Vt & deliramenta Danæi, qui caput hoc vocat *inutile, & captiosum totum, tribus paralogismis constans; ab ignoratione elenchi, à non caussa; ab æquiuocatione;* Mirum, omissum validissimum illud Danæi telum: *A dicto secundum quid; ad dictum simpliciter.* His tergeminis in caput hoc, tot Patrum testimoniis circumuallatum, coniectis spiculis; magnificè triumphat; & tantum non victrici laurea *inutile* suum caput cingi postulat.

CAPVT VIII.

C Idem probatur quatuor aliis rationibus.

PRIMVM argumentum. Omnium ætatum hæretici repudiarunt traditiones; signum igitur est eas ab orthodoxis, vt sanctas recipiendas esse; Antecedens probat Bellarminus inductione. Consequentia inde patet; quia credibile est, illud bonum ac salutare esse; quod tanto consensu & conatu pestiferi hæretici contempserunt & abiecerunt.

Savvbrandus impudenter argumentum Bellarmini hunc in modum format. *Quod aliqui hæretici reiiciunt, hoc est fundamentum fidei: sed aliqui hæretici reiecerunt traditiones: ergo traditiones sunt funda-*

D *mentum fidei.* Postea inuolat in formam & materiam huius asyllogisti syllogismi. Os hominis. Hoccine Bellarmini argumentum est? Num hic vult Bellarminus probare traditiones non scriptas esse fundamentum fidei? Quid mendaciloquentius vanissimo hoc Caluinista vnq̃ exstitit?

VVitackerus respondet; *non omnes hæreticos traditiones reiecisse.* Nominet, oro, aliquam sectam; quæ in nullo capite à traditione discesserit. Arbitror perquam difficile, vel potius omnino impossibile; sectam exsistere; & non etiam simul cum primo suo ortu à traditione penitus vel ex parte desciscere. *At aliqui hæretici amplexi sunt traditiones;* vt constat ex Irenæo & Tertulliano. Num traditiones Ecclesiæ Catholicæ? An non

ab

ab his ad suas quasdam fanaticas & fictitias deflexerunt; à quibus postmodum ad veras & Apostolicas traditiones per Irenæum, Tertullianum, aliosque scriptores reuocati & prouocati sunt.

Obiicit Savvbrandus, *non omne illud, quod reiicitur ab hæreticis, ideo præcisè bonum esse.* Neque hoc asserit Bellarminus: Sed vult, verisimilitudine non carere, illud esse bonum & amplectendum, quod communi hæreticorum more & ingenio reiicitur, vt reiiciuntur traditiones.

Clamat Iunius: *Consequentiam Bellarmini non esse necessariam.* Atqui nec Bellarminus, vt necessariam attulit; sed vt verisimilem. Ait; *non omnes hæreticos traditiones refugere.* Proferat; qui Apostolicas integrè & adæquatè aut recipiant aut receperint. Nominat *Quartadecimanos.* Negamus hos non reiecisse. Reiecerunt enim Apostolicam illam traditionem de Paschate non celebrando cum Iudæis. *At ipsi obtendebant aliam traditionem; etiam Apostolicam.* Sed malè: vt docuit Ecclesiæ definitio istos damnans, & Pascha Dominico duntaxat die peragendum sanciens.

Danæus ita proponit Bellarmini argumentum. *Hæretici plerique sacras scripturas solas vrgebant: Traditiones reiiciebant non scriptas: ergò, quicunque solam S. scripturam vrgent, sunt hæretici.* Hoc non Bellarmini argumentum est, sed Danæi mendacium, in quo tamen geminum reperit *paralogismum*; vnum, *à non consequente*; alterum, *à figura dictionis.* Mirum non inuenisse etiam tertium *ab ignoratione Elenchi*; & quartum, *à diuisione coniunctorum.* Toto suo libro nil aliud agit Danæus, quam crepare paralogismos. His omnes nodos aut soluit aut scindit. Quidquid intuetur, id primo statim intuitu in *paralogismum* mutatur; licet nullus omnino adsit; aut si quis sit non à Bellarmino, sed à Danæo fit; qui Bellarmini argumenta vbique lancinat & lacerat; & longe aliter format, quam formanda forent; si quis candidè & sincerè dissereret.

Non propterea erant Hæretici, inquit Danæus, *quoniam S. scripturam ab aduersariis exigebant: sed quia, quamuis verè aduersus eos allegaretur, illam tamen obstinatè negabant.* Neque dicit Bellarminus ideo fuisse hæreticos, quia scripturã ab aduersariis exigebant; sed quia scripturam iactabant & vrgebant, contemptis traditionibus; qui contemptus efficit; vt ipsæ etiam scripturæ postmodum præposterè & peruersè tractentur & explicentur, vt summâ arrogantiâ; ita etiam summâ contumaciâ, nemini cedere consuetâ.

Obiicit Danæus: *non esse certum argumentum hæretici; si quis pius faciat quid cum hæretico commune. Nam edimus,* inquit, *bibimus, loquimur eadem lingua, qua hæretici, nos pij & fideles.* Respondeo hæc rem non tangere: Non enim ita argumentatur Bellarminus. *Hic vel ille facit opus, quod & hæreticus facit; ergo est hæreticus:* Sed hæc est eius collectio: *Hæretici plerique omnes reiiciunt & aspernantur Ecclesiæ tra-*A *tiones; probabile ergo fit ex hoc signo hæreticis tam communi; traditiones esse bonas, laudabiles, & seruandas.* Quanquã & hoc argumentum minimè est elumbe. Caluinistæ & Lutheristæ pertinaciter repudiant traditiones Apostolicas more veterum Hæreticorum; ergo sunt Hæretici. Caluinistæ & Lutheristæ, contemptis traditionibus, insolentissimè scripturas iactant & venditant, more veterum Hæreticorum; ergo & ipsi sunt hæretici; quia indicium vtcunque perspicuum est, eum esse hæreticum; qui facit id, quod propriè est hæreticorum; sicut signum satis euidens est, illud animal esse canem, cui mos id facere, quod propriè canis facit.

Quantò verius dixerim, inquit Danæus, B BELLARMINVS, *& omnes Papæ asseclæ miserrimi, Christianam fidem ex solis traditionibus maiorum oppugnant, quemadmodum fecerunt homines profani, & Ethnici; ergo Bellarminus, & omnes isti asseclæ Papæ sunt prophani, & ethnici.* Si quis postulet à Danæo, vt probet antecedens, si tamen isto & non potius nomine mendacij & criminationis affici debet; vnde probationem accerset? Ex quibus Topicis? *Ex arte,* opinor, *Sycophantandi & maledicendi.*

Ait Danæus: *Hæreticos priscos efflagitasse & exegisse ab orthodoxis tot syllabas in scriptura, & ea ipsa vocabula, quibus pij vtebantur in his refutandis; se & suos contentos esse, siue id, quod proponitur, expressis, & præscriptis verbis extet in S. scriptura: siue, per analogiam fidei ex regulis bonæ consequentiæ ex sacra scriptura colligatur.* Respondeo, C non omnes veterum hæreticorum tam superstitiosi erant, vt ipsum etiam vocabulum repudiarent; si in scriptura non inesset; licet sensus inesset; sed aliqui duntaxat huc vesaniæ processerunt; nominatim calidiores, & feruentiores Ariani: illud omnibus commune & solenne erat; scripturas citare, allegare; vrgere, inculcare, eo prorsus modo, quem hodierni sectarij tenent.

Ait Bellarminus, ipsum D. Cyprianum, cum errorem de Anabaptismo defendere vellet, non aliter id facere potuisse, quàm à traditione ad scripturam prouocando. Respondet VVitackerus: *illum non in hoc errasse, quod consuetudinem respueret, sed quòd opinionem suam scripturis confirmari posse existimaret.* Splendidè mentitur. Si enim Cypria-D nus non errauit reiiciendo vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem, cur D. Augustinus semper vrget in quæstione de *rebaptizatione* consuetudinẽ vniuersalis Ecclesiæ? Cur semper huc tandem deuoluitur; & omnia scripturæ testimonia hac consuetudine munit & firmat? Si D. Augustinus rectè cõtrariam vniuersalis Ecclesiæ consuetudinẽ vrsit, & *rebaptizatoribus* opposuit, malè S. Cyprianus eam respuit. Nonne symmistes tuus Savvbrandus cap. superiore scripsit; *Ecclesiæ consuetudinẽ cum scriptura congruentẽ magni faciendã aliisque probationũ generibus adhibendã esse?* Malè ergo reiicitur. Perperam igitur & D. Cyprianus egit, cum hanc consuetudinẽ repudiauit, quandoquidẽ, iudicio etiam Caluinistarũ, cum sacris literis concordat.

Secundum Bellarmini argumentum. Respublicas politicas magna ex parte traditionibus regi, & in omni disciplinarum genere traditionibus plurimum tribui. Quapropter non debere adeo insuetum videri, licet Ecclesiam quoque aliqua ex parte traditionibus regi ducique doceamus.

Savvbrandus iterum personam Diaboli, hoc est, calumniatoris induit, & præclarè sustinet. Ait argumentum Bellarmini esse tale. *Quod omnes gentes habent, hoc est principium fidei. Sed, omnes gentes habent aliquas consuetudines non scriptas. Ergò aliquæ consuetudines non scriptæ sunt principium fidei.* Calumniatur; *Bellarminum, prætermissa Maiore; in qua totũ momentum consistat; probare Minorem, de qua nulla sit controuersia.* Quid cum hoc balathrone incipias, qui quid pudere sit, nescit; aliâs nunquã mendaciis fundendis tam intolerabiliter habenas laxaret. Nunquam cogitauit Bellarminus de hoc fanatico syllogismo; tantum abest, vt Maioris probationem de industria præteriret.

Pergit impostor. *Si Bellarminus ita format argumentum; Quemadmodum fit in omni republica, ita etiam est in Ecclesia Christiana. Sed, in omni republica sunt quædam leges non scriptæ. Ergò, & in Ecclesia est aliqua doctrina fidei non scripta: tum est æquè ridiculum.* Hoc ridiculũ esse; æquè est mendacium, ac illud; priorem syllogismum esse ex Bellarmini sententia, exstructum. Non enim ridiculus est hic alter syllogismus; sed probabiliter verus: ductus nimirum ex analogia Ecclesiæ ad alias Rerumpublicarum formas: nam quod Savvbrandus obiicit; *Legem Dei esse perfectam; cæterarum gentium leges, imperfectas; hinc has indigere traditionibus; illas, nequaquam*: Respondeo, legem Dei scriptam esse perfectam, non quòd omnia contineat; sed quia monstrat, vnde quæ desunt, petenda sint: sicut & ius ciuile dicitur perfectum; quia ad ius non scriptum ablegat.

Inter exempla eorum, qui traditionibus vsi, attulit Bellarminus etiam Philosophos. Mentitur Savvbrandus, *hoc esse tertium Bellarmini argumentum, cum nõ sit tertium; sed probatio secundi*; Et ex hoc suo mendacio hoc phantasma anile procudit. *Quemadmodum faciunt Philosophi, eodem modo & Prophetæ, & Apostoli fecerunt. Sed Philosophi non scripserunt omnia sua mysteria. Ergò & Apostoli, ac Prophetæ non scripserunt omnia sua mysteria.* Mendacissimo syllogismo subnectit alia mendacia, vt; *Bellarminus præterit Maiorem; quæ est controuersa; & probat Minorem, quæ non est controuersa.* Bellarminus de Maiore nec per somnium cogitauit, tantum abest, vt de ea probanda vel non probanda cogitationẽ susceperit. Quæ furiæ hunc hominem agitant, vt tam effrenatè calumnietur; quasi nemo amplius mortalium supersit; qui adeo manifestas calumnias animaduertat & detestetur? Philosophorum non alio fine meminit Bellarminus, quàm vt ostenderet, doctrinam absque scripto tradi, disci & conseruari posse; ideo nil supra fidẽ dici; A licet asseramus, in Ecclesia etiam doctrinam non scriptam inueniri.

Mentitur iterum Savvbrandus; cum scribit quartum Bellarmini argumentum esse; *Quod consuetudo habeat vim legis.* Nõ enim est argumentum quartum; sed probatio secundi.

Danæus sic argumentũ Bellarmini proponit. *Politica administratio nititur & fundatur sæpe solis traditionibus, & non scripto iure; ergò & fides & doctrina Christiana non scriptis traditionibus inniti debet.* Bellarminus non dicit, Rempublicam ciuilem niti & fundari sæpe solis traditionibus, & non scripto iure; sed ait; omnes profanas Respublicas magna ex parte legibus nõ scriptis regi. Quod longè aliter olet, quam id, quod Danæus nobis apponit: B qui si fideliter argumentum Bellarmini proponere statuisset; hac potius forma vestiendum erat. Ciuilis Respublica rectè regitur & administratur non tantum scripto iure; sed & consuetudine non scripta; ergo etiam Ecclesia rectè regi & administrari potest, non tantum iure scripto, sed & traditione non scripta. Nec obstat, quòd VVitackerus & alij obiiciunt, *longe aliam esse rationem republicæ Politicæ & Ecclesiæ*; nam vt secundum speciales & particulares suas rationes plurimum distent; vt profectò distant, in hac tamen conueniunt, quòd vtraque iure non scripto gubernari potest; & quod possit, manifestè liquet; quia olim Ecclesia solo iure non scripto administrata fuit; & aliquot annis Eccle- C sia Christiana scriptis noui testamenti carens, sola traditione ducebatur & regebatur. Non ergo repugnat Ecclesiæ, vt iure non scripto regatur.

Ait VVitackerus: *Humanum legislatorem non posse præuidere omnes casus, nec singulis cauere: hinc opus esse traditione: Deum autem omnia necessaria ad salutem in litteras referre potuisse, quippe futurorum omnium præscium.* Non est quæstio, quid potuerit Deus facere; sed quid reipsa fecerit. Non omnia in litteras retulisse; euidenter à Bellarmino probatum est. Et supra diximus; ne posse quidem fieri, vt, licet omnia conscripta essent; traditione omni penitus careremus: secluso nouo Dei miraculo; quo cuiusuis hominis scripturam legentis intel- D lectus ita illustraretur, vt ipsam veritatem statim euidenter & absque vlla controuersia assequeretur. Ponamus enim omnia simpliciter ad salutem necessaria expressè in nouo testamento perscripta esse. Quid si quis auctoritatem totius testamenti noui inficietur? Quo te vertes? At ponamus, disertè scriptum esse; nouum testamentum esse diuinum, Canonicum & à Spiritu sancto dictatum; num propterea non egebis traditione? Quid si quis neget huius ipsius testimonij auctoritatem? Quo confugies? Item, si quis id quod expressè scriptum est, alio detorqueat, & in peregrinum sensum rapiat? Quid absque traditione efficies? Imò, tantum abest, vt traditione carere queas; vt ne signi-

significationem quidem, quam vocabula ex humana impositione habent; absque traditione intelligas, aut intellecturus sis. Vnde enim scis: Hæc vocabula: *In principio creauit Deus cælum & terram*: significare ex impositione id, quod communiter significare censentur?

Illud sanè præclarum est discrimen, quod inter Ecclesiam & externam politiam his verbis VVitackerus statuit. *In rebus politicis, quæ ad istam vitam pertinent, homines lumen quoddam rationis habent; &, quid facto opus sit, intelligunt: at, in religione, rebusq; spectantibus ad fidem, cæci sunt naturâ, nec possunt sine legibus, verbisq; diuinis* D E V M *rite colere, aut ad vitam peruenire.* At nosse debes etiam traditiones esse leges diuinas & diuina verba; quibus humanus intellectus, tanquam cælesti lumine collustratus, cognoscit, quid in rebus salutem concernentibus agendum sit; & inde etiam leges alias componendis moribus; & seruandæ disciplinæ deducit ac præscribit; quæ licet minoris sint auctoritatis & dignitatis, quàm leges à Christo & Apostolis profectæ; diligenter tamen custodiendæ sunt; ne dum spernuntur; Christus spernatur; Christus, inquam, ex cuius ore hoc oraculum, Apostoli, & in his omnes prælati Ecclesiæ, acceperunt: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 10.

Ait Bellarminus; Etiam Iudæos habuisse traditiones; idq; probat testimoniis antiquorum. Respondet VVitackerus, *hoc esse Thalmudicum, & merè Cabalisticum.* Hæc responsio verè est VVitackeriana, id est, futilis & nauci; quia potior debet apud nos esse ratio veterum scriptorum, quàm nouelli alicuius Caluinistæ. Quid improbabilitatis complectitur illa quorundã priscorum relatio & existimatio, de qua etiam Galatinus lib. 1. cap. 1. de arcanis Catholicæ veritatis; Moysen tradidisse duplicem doctrinam; alteram scriptam; alteram non scriptam illustrandæ & supplendæ scriptæ; eamque maioribus & antistitibus populi, cõmendasse, vt ad posteros transmitterent, & quasi per manus traderent; nam quod VVitackerus ait; *hinc natas esse Iudaicas illas δευτερώσεις & impias fabulas, quibus posteriores Iudæi infecti sunt*; id tam est verum, quàm traditiones Gnosticorum ex traditionibus Apostolicis exstitisse: Scilicet ex auro oriuntur carbones; ex vero, falsitas. Quod si traditiones Iudæorum ideo reiicit; quia saltem *per accidens*, vitio & improbitate hominum, fabulamenta illa inde exorta sunt; abiiciat & sacras literas, ex quibus per accidens, nefariorum hominum scelere; non vna hæresis, hoc est, non vna fabula prodiit. Sileo hic exempla traditionum supra cap. 4. allatarum à Bellarmino. Hoc palam affirmo, Iudæos posteriores non nisi ex traditione scire potuisse libros Moysis, & alios, successu temporis adiectos, esse Canonicos: Item eosdem verum & infallibilem scripturæ sensum non assecutos esse, nisi ex traditione: Quid vult amplius VVitackerus? Iudæis suas fuisse traditiones, docet D. Ioannes Chrysostomus in 2. Epist. ad Timotheum, cap. 3. vbi, qui sint *Iannes & Mambres*, explicatur.

Tertium Bellarmini argumentum sumitur ab Ecclesiæ dignitate, quia par est, vt ipsa tanquam Christi sponsa; sibi commissa & concredita quędam habeat, quorum cognitio non sit apud omnes peruulgata. Inde Savvbrando hoc argumentum nascitur: *Si omnia ad salutem necessaria, essent scripta, tum Ecclesiæ non esset maior dignitas, quàm aliarum sectarum. Sed Ecclesiæ est maior dignitas. Ergò, omnia ad salutem necessaria, non sunt scripta.* Maior non est Bellarmini enunciatio; sed Savvbrandi cauillatio: non enim dicit, non fore maiorem Ecclesiæ dignitatem, si careat doctrina non scripta; sed decuisse, vt etiam, quoad hoc, omnibus aliis sectis antecelleret. Nihilominus maior eius dignitas fuisset; licet quoad doctrinam non scriptam cæteris sectis non antecelluisset.

Multa hic nugatur tam Savvbrandus, quàm VVitackerus; *prærogatiuam Ecclesiæ non consistere præcisè in cognitione doctrinæ diuinitus traditæ; hac enim etiam Dæmones præditos esse; sed in cognitione, quæ cum plerophoria coniuncta sit.* Sed de hac Caluiniana plerophoria dictum est satis alibi: commentitia est & fanatica; & vt fictitia non esset, nihil ad rem faceret. Nam priuilegium Ecclesiæ in hoc situm asserimus, quòd ipsa, etiam non scripta dogmata, diuinitus tradita & patefacta accuratè & exactè nouit; eaque subditis absque erroris periculo tradit & explicat; quantum necessitas exigit; siue postea hæc cognitio cum pio quodam affectu & cælestium rerum gustu, atque adeo cum sanctitate connexa sit; siue secus. Quamquam vt ipsa Ecclesia generatim rectè appellatur *sancta*; & maculæ expers, licet singula membra sanctitate & morum integritate non præstent; ita hæc eius tam scriptæ tam non scriptæ cælestis doctrinæ traditio, conuenienter *sancta* nominatur.

Quid Danæus? Mentitur hoc esse Bellarmini argumentum. *Ecclesia sola est columna veritatis, nouitq; omnia mysteria Dei: ergò, non ex scripto* D E I *verbo, sed ex traditione non scripta, illa nouit.* Quàm nulla frons apud istos Prædicantes? Quàm omnis pudor ex vultibus eorum extritus est? Hæccine est Bellarmini argumentatio? Et tamen mox effrons Caluinista subiicit. *Est paralogismus à nõ consequente.* Rectius vocaueris *paraphronismum* seu *aphronismum* proiecti ad omnem mentiendi libidinem Danæi.

Quartum Bellarmini argumentum petitur à dignitate multorum mysteriorum, quæ silentium requirunt; nec passim euulganda sunt. Prædicantes suauiter hic rident Missam, & alia; quæ à Bellarmino *mysteriorum* nomine comprehendi suspicantur. Danæus tres *paralogismos* commi-

niscitur; *vnum, à petitione principij: alterum, à non cõsequente. Tertium, ab æquiuocatione.* Et hæc quidem sunt *furfuraceæ monstra,* (vtor verbis Danæi) *& laruæ vanæ, quas nobis obiectat* Danæus, *vt nos terreat; sed non potest.*

A Savvbrandus rursus inconditissimum syllogismum condit. VVitackerus acriter & atrociter inuolat in Bellarminum; quod dicat, Apostolos quædam non omnibus promiscuè aperienda & enarranda tradidisse; citetque illud ex 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos: Iam,* inquit VVitackerus, *apertè indicat Iesuita, se cum hæreticis antiquis consentire, iisq; non infimæ sortis, sed summis illis ac celeberrimis, Valentino scilicet & Marcione; qui hunc itidem locum pro fictitiis suis traditionibus proferebant.* Perinde ac si dicas: VVitackerus citat illa verba: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus;* quæ itidem B Pôtificij & Lutherani citant; ergo apertè indicat se cõsentire cum Pontificiis & Lutheranis. VVitackerus sæpius citat illa scripturæ loca ex quibus Vbiquistæ phantasma suum de Vbiquitate stabilire nituntur, ergo VVitackerus sentit cum Vbiquistis. Vt arrident hæ consecutiones VVitackero? Atqui simillimæ sunt illi, quam Bellarmino obiicit: Quid enim, si Gnostici locum illum D. Pauli pro suis placitis perperam vsurparunt? An ideo nos pro veritate asserenda eundem non audebimus proferre?

Ait VVitackerus. *Locum illum D. Pauli intelligendum de doctrina scripta.* Crederem; si dixisset Apostolus: *Sapientiam scribimus;* aut *Sapientiam scriptam loquimur inter perfectos.* Crederem; si doctrinam C scriptam tantum inter sapientes locutus fuisset; non autem & inter insipientes, quibus æquè ac sapientibus se debitorem professus est.

Iunius toto hoc capite vix vlla alia arma expedit & expromit; quàm hæc plusquã plumbea. *Negatur. Non sequitur ex dispari. Non sequitur. Dispar ratio. Æquiuoca & inconsequens argumentatio. Dissimile. Negamus.* Quid saluum erit, si hæc refutandi ratio satis erit? Paucis diebus integras Caluini Institutiones cuiuis refellere procliue fiet; si Iunianus iste, & Danæanus redarguendi modus sufficiat. Quid facilius; quam inter legendum ad omnia allinere; *Est æquiuocatio; paralogismus à non consequente. Fallacia figuræ dictionis; petitio princi-* D *pij; paralogismus à non caussa,* & millena talia; vbique in Iunio & Danæo obuia; eaque postea ex margine in separatam chartam transcribere, & inde commentarium totum *paralogisticum & alogisticum* conficere, vt factum à Iunio & Danæo.

CAPVT IX.

Explicantur regulæ quinq; quibus in cognitionem verarum traditionum deuenimus.

PRIMA regula est. Quidquid tenet vniuersa Ecclesia tanquam dogma fidei, nec inuenitur in sacris litteris, id procul dubio est Apostolicum. Huius regulæ ratio est. quia Ecclesia non potest errare. Ecclesiam verò, non posse errare, duplici argumento probatur. I. Quia est firmamentum veritatis. II. Quia portæ inferorum non præualebunt, inquit Christus, aduersus illam petram, in qua Ecclesia ædificata est.

VVitackerus. *Quæro, quid nomine totius Ecclesiæ intelligat.* Facilis responsio: *Omnes fideles;* nomine Ecclesiæ intelligit hoc loco Bellarminus; aitque; quando aliquid omnes fideles credunt; id signũ Apostolicæ traditionis esse. Obiicit VVitackerus: *Posse etiam prauos ritus, & peruersas opiniones in Ecclesia inualescere; & altas radices agere; proq; diuinis venditari;* quod probat exemplo traditionum Pharisaicarum, quæ à Domino reprehenduntur Matth. 15. Marc. 7. VVitackerus nugas agit; vel certè aërem verberat; & dicendo plurima, nihil ad propositum dicit. Non enim quæstio est; num aliquis prauus ritus in Ecclesia inualescere queat; sed num quod omnes fideles credunt, sit traditio Apostolica; etiamsi nusquam inueniatur scriptum. Ex quo rectè infertur, fieri non posse, vt omnes fideles ritum aliquem peruersum acceptent. multoq; minus opinionẽ falsam & dogmatibus fidei contrariam amplectantur. Neq; vnquam ostendet Caluinista, traditiones Pharisaicas ab omnibus Iudaicæ Synagogæ fidelibus fuisse receptas.

Ait Caluinista. *Non posse à Bellarmino vllam traditionem ostendi; quæ in omnibus Ecclesiis,* hoc est, *ab vniuersis fidelibus credita & obseruata fuerit.* Hæc temeritas facillimè redarguitur. Nam Virginitas D. Virginis *ante, in, post partum* semper ab omnibus fidelibus credita est; semperque ab omnibus fidelibus creditum est; Euangelium S. Matthæi esse Canonicum; & hodie idipsum creditur; nec fidelis esset, qui alterutrum horum sciens volensque pertinaciter negaret; re iam satis discussa & patefacta. Sic omnes fideles, hoc est, vniuersa Ecclesia, obseruat ritum abrenunciandi Satanæ in baptismo; creditque hunc ritum salutarem & legitimum esse; idem dico, de signaculo sanctæ Crucis. & id genus aliis tam practicis, quàm speculatiuis traditionibus.

Inter exempla eorum, quæ ab vniuersis fidelibus creduntur, attulit Bellarminus numerum librorum

brorum Canonicorum. Contra VVitackerus. *De numero Canonicorum librorum multa Ecclesia*, hoc est, *multi fideles olim dubitarunt: Sequitur ergo eam non fuisse traditionem Apostolicam; quia non fuit recepta ab vniuersa Ecclesia; iuxta hanc regulam Bellarminianam.* Respondeo, VVitackerus aduertere debuisset: regulam non dicere; id esse traditionem Apostolicã, quod tota Ecclesia, semper & omni tempore credidit; Sed; id esse traditionem Apostolicam quod vniuersa Ecclesia amplectitur, & credit in præsenti scilicet; nam fieri potest; vt anteactis sæculis res non fuerit plenè patefacta & perfectè discussa, & per consequens, contingere potuit, vt aliqui fideles de numero Canonicorum librorum dubitarent; vel etiam disertè huius vel illius libri Canonicam auctoritatem negarent, absque vllo Catholicæ fidei præiudicio; re nondum satis explorata; neque ad liquidum per Ecclesiæ doctores discussa; aut si olim ad liquidum explorata fuerat; postea temporis progressione, iterum obscurata; & dubitationum tenebris inuoluta. Hodie tamen re manifestè de numero Canonicorum librorum comperta & statuta; dissentire nequaquam licet; & si quis pertinaciter vel vnum capitulum ex libro aliquo Canonico resecandum contenderet, eo ipso ad fidelium numerum non pertineret. Itaque cum hodie omnes fideles constanter credant & amplectantur numerum librorum Canonicorum esse illum, qui à Concilio Tridentino definitus est; iure nobis persuademus hunc numerum ex traditione Apostolica descendere. Neque vnquã superioribus sæculis tota Ecclesia; de hoc numero Canonicorum librorum dubitauit, multoq; minus eum negauit; sed semper fuêre; quibus, vt diuinus in pretio ac honore esset: Multoque minus *Ecclesia* repræsentatiuè, hoc est, summus Pastor Ecclesiæ quatenus summus Pastor, & publica persona est; vel solus; vel cum concilio, de hoc numero dubitauit, vel dubitandum esse sanxit; licet non deessent ex fidelium cœtu; quibus scrupulus iniectus esset; qui tamen iam vt in pluribus aliis; ita & hic exemptus est. Et cum omnes fideles nomino, nullum excipio; quia omnes vel explicitè vel implicitè hunc Canonicorum librorum numerum amplectuntur, diuinumque esse firmiter credunt; & si quis fidelis, re satis intellecta; contumaciter obniteretur; iam eo ipso per hæreticam pertinaciam à fidelium grege sese segregaret.

Obiicit VVitackerus; *Bellarminum docere, quæ Ecclesia tenet, vt fidei dogmata, tradita fuisse ab Apostolis vel Prophetis, aut scripto, aut verbo, nec regi iam Ecclesiam reuelationibus, sed permanere in illis, quæ ab Apostolis accepit. Quod, si verum sit, tum Ecclesia non potest iam tradere aliquid, vt dogma fidei, nisi quod antea semper ab ipsis Apostolorum temporibus, vt fidei dogma, susceptum, seruatumq; fuerit.* Non sequitur hoc Caluinista. Satis est, quod ab Apostolis vel scripto vel sine scripto expressè vel tacitè traditum fuerit; & postea per Ecclesiam tandem fidelibus propositum & expositum; dum enim talia dogmata Ecclesia fidelibus proponit, minimè nouos fidei articulos cudit; sed vetera dogmata, & olim ab Apostolis tradita in publicum eruit; & quasi supra candelabrum ponit, vt luceant omnibus, qui in domo Dei degunt.

Dices. *An non ipsi Apostoli Ecclesiæ primitiuæ hæc dogmata proposuerunt & tradiderunt?* Vtique, sed vt in aliis, ita & hic accidere potuit, vt temporis diuturnitate apud multos in obliuionem vel dubitationem venirent; & tamen in Ecclesiæ, vt Irenæus appellat, *depositorio*, integra & illæsa permanerent; vnde deinceps, cum necessitas id postulare visa, educerentur, & in claram lucem proferrentur.

Papistæ, inquit Caluinista, *affirmant, Ecclesiam iam posse nouum aliquod fidei dogma præscribere, quod superioribus sæculis, pro necessario fidei dogmate habitum non fuisset. Mariam enim Virginem sine peccato originali conceptam fuisse, olim fuit in quadam opinionis libertate positum, non fidei necessitate.* At VVitackerus apertè hic mentitur; nam Ecclesia vtranque opinionem relinquit liberam; Etsi iam maior pars in sententiam tantæ Matris dignitati conformiorem inclinat: quam si aliquando Ecclesia definiet, fidelibusque credendam proponet, non nouum fidei dogma cudet; sed id, quod ab Apostolis traditum est; in apertum proferet: Et si futuris temporibus sententiam magis piam & cõmunem Ecclesia definitura sit; à posteriore colligemus, hoc ipsum in primitiua Ecclesia creditum fuisse. Planè autem mendax est VVitackerus, cum immaculatam D. Virginis conceptionem *iam, vt fidei dogma, à nobis teneri dicit*; cumque insuper addit; *hoc nouum dogma esse; nunquam in Ecclesia creditum aut cognitum*: Vanitas hæc ex dictis conspicua manet.

Incurrit VVitackerus cornibus suis in Stapletonum, quòd scripserit, lib. 3. de princip. fid. Ecclesiam præsentem posse librum addere ad Canonem scripturæ. Quis dubitat? si quis exstet liber à parte rei verè Canonicus; necdum tamen in Canonem publico decreto relatus. *Est hoc fidei dogma*, inquit VVitackerus. Quid nam est fidei dogma? Hunc numerum Canonicorum librorum esse traditionem Apostolicam; ita, vt nullus alius liber ab Ecclesia adiici queat; etiam posito eiusmodi librum exstare; qui verè sit diuinus & Canonicus; necdum tamen ad Canonem publicum vnà cum cæteris aggregatus. Hoc nunquam Bellarminus in dogmatibus fidei vel traditionibus numerauit; sed tantum hoc, Canonem, prout iam constitutus est: siue omnes libros; qui pro Canonicis nunc habentur; ex Apostolica traditione descendere. Vtrum autem hic præcisè numerus ita sit ab Apostolis, vt nullus alius liber addi queat; de eo Bellarminus nihil dixit. Quamquam si nullus amplius liber à

Digitized by Google

parte rei Canonicus superfit; vt quidem non superesse verisimile est; omnino dicendum erit; numerum illum librorum Canonicorum definitè, vt nunc habet, ab Apostolis esse; neque vllum alium librum addi posse; eò quod nullus extra remanserit: Verùm de his non loquitur Stapletonus; sed tantum disputat, & quidem rectè; Ecclesiam, etiam hodiernam, ea potestate esse præditam; vt ad Canonem adiicere queat librum superioribus sæculis controuersum; & de quo non satis conuenerit; num ab Apostolis in Canone collocatus fuerit: quæ doctrina verissima est, & rectè defenditur & explicatur à Stapletono contra quosdam, qui præsentis Ecclesiæ ius & potestatem hac in re imminutum improuidè iuerunt. Itaque mirari subit; qua nam ratione VVitackerus antilogiam inter Bellarminum & Stapletonum commentus fuerit; si tamen ratione fiunt; quæ ferè semper ex amentia procedunt.

Quæro à Bellarmino, inquit VVitackerus, *vtrum ab Apostolis traditum fuit. Epistolam ad Hebræos à Paulo scriptam esse? fatentur Papistæ omnes. Lindan. 4. lib. Panopliæ suæ; Cap. 100. affirmat non minus credendum à Paulo esse scriptam, quàm esse scripturam Canonicam. Quod, si verum est, tum Apostolica est hæc traditio: si Apostolica, tum ab vniuersa semper Ecclesia recepta fuit.* Nego hoc postremum: nam vt aliquid censeatur Apostolica traditio, non est necesse, vt semper, hoc est, omni simpliciter tempore ab vniuersis fidelibus creditum sit; satis est, quod creditum sit ab vniuersis fidelibus, postquam Ecclesia id sufficienter proposuit; & vt dogma fidei subditis tradidit: quod initio factum non dubito: Etsi res postea apud nonnullos iterum in dubium vocata est; donec Ecclesia veritatem denuo patefecit, & clara in luce omnibus spectandam proposuit. Itaque hoc traditioni Apostolicæ nihil officit, quod de ea quandoque hæsitatum fuerit; quia semper immotum manet; id, quod iam in præsenti omnes fideles credunt explicitè vel implicitè; à traditione Apostolica manare; si non sit scriptum.

Savvbrandus nihil diuersum à VVitackero adfert; nisi fortè hæc eius deliratio diuersa censeri debet: *Si Ecclesia non potest errare, & ille errat, qui traditiones Apostolicas, quæ sunt fidei dogmata, vel negligit, vel corrumpit, necesse est, vel Romanenses non esse veram Ecclesiam, vel primitiuam Ecclesiam, in qua Melito, Origenes, Cyprianus, Athanasius, Nazianzenus, Hieronymus, & Patres Laodiceni vixerunt, non esse veram Ecclesiam. Eligat Bellarminus, quod volet.* Neutrum eliget; quia neutrum est necessarium: Licet enim errauerint: qui de aliquibus libris dubitarunt, num Canonici essent; Et licet etiam multo magis errarint, qui quorundam librorum Canonicam auctoritatem inficiati sunt; non sequitur tamen vel no-

A stram, vel antiquam Ecclesiam errasse; veramque Ecclesiã non esse; nam illi, qui hac in re errarunt; non fuerunt tota Ecclesia; sed partes duntaxat totius Ecclesiæ. Nunquam enim tota Ecclesia de libro Tobiæ aut Iudith, aut de Epistola D. Iacobi aut Apocalypsi Ioannis dubitauit; multoque minus tota Ecclesia horum voluminũ Canonicam auctoritatem reiecit, sed totum hoc à quibusdã Ecclesiæ membris factum est; non ab vniuersis fidelibus: quia Deus nunquam patitur, vt in rebus fidei, quamuis nondum addiquidum discussis, vniuersi fideles in errorem inducantur.

B Iunius iterum *æquiuocas* hastas vibrat: & professionem fidei suæ, hoc est, Caluinianæ de Virginitate Deiparæ solenniter edit in hæc verba: *Et nos hanc quidem credimus, vt dogma fidei, ad tempus vsque salutaris partus, ex scriptura sacra testamenti veteris, & noui: perpetuam verò virginitatem eius post partum, & quidem ad mortem vsque credimus vt assensu dignam, non autem vt dogma fidei.* Hæc professio non tantum impia est; sed & mendax: Vt enim Caluinistæ non cogantur penetrationem corporum statuere; scelerate inficiantur Deiparam clauso & inuiolato virginitatis signaculo peperisse. Vide Greg. de Valentia Tom. IV. Comment. Theolog. disp. 2. q. 2. p. 1. Quomodo igitur Caluinistæ perpetuam virginitatem Deiparæ vsque ad mortem credunt, vt assensu di-
C gnam; si, vt sacrilegè tradunt, virginitatis honorem deperdidit in partu; in quo Caluinistæ *Iouinianizant*; & in eo, quod non vt dogma fidei; sed vt quid assensu dignum amplectuntur, beatam virginem post partum omnis virilis consuetudinis exsortem vixisse; non parum Heluidiano spiritu sese calescere demonstrant.

Danæus dicit, *Leuis opera & planè superuacanea esse confutare quinq; regulas à Bellarmino præscriptas.* Assentior. imò addo, hoc non tantum leuis, sed & *leuissima* operæ esse; Quid leuius opera & labore Danęi; cum non tantum hoc; sed & alia disputationis Bellarminianæ capita vellicat & rodit? Interim iudicio Danæi, Savvbrandus,
D VVitackerus, Iunius *leuem* & planè superuacaneam operam ceperunt; cum regulas istas labefactare conati sunt. Qua in re non possum non Danæo adstipulari, qui, nequidquam sine *paralogismorum* ope & interuentu transigat; in his etiam regulis *paralogismum* geminum ponit: alterum, *à non caussa*: alterum; *à petitione principij*. Nec est; quod quis, hisce duobus arietibus admotis, amplius ambigat; vtrum hoc caput penitus prostratum; & ad solum vsque à Danæo deiectum sit.

Secunda Bellarmini regula. Quando vniuersa Ecclesia aliquid seruat, quod nemo constituere potuit, nisi DEVS; quod tamen nusquam inuenitur scriptũ, necesse est dicere ab ipso Christo,

& Apo-

& Apostolis eius traditum. Ratio est, quia vt Ecclesia in credendo; ita nec in operãdo errare potest, præsertim in ritu & cultu diuino; hinc D. Augustinus epist. 118. dicit, insolentissimæ insaniæ esse, disputare num id faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia. Respondet VVitackerus: *Ex hac Augustini sententia nihil detrimenti capere potest causa nostra. Nam ille loquitur de huiusmodi Traditionibus, quæ ab vniuersa Ecclesia receptæ, & frequentata sunt. Ait enim: Quod vniuersa Ecclesia obseruat, id, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est. At nulla talis est Traditio non scripta Papistarum, quam scilicet ab vniuersa semper Ecclesia seruatam fuisse constet.* Hic iterum admiscet VVitackerus fraudulenter & impostoriè illud suum *semper*, vt rimam elabendi habeat, & ex angustiis in liberum declamandi campum euadat. Regula non dicit, id quod tota Ecclesia semper egit; sed id quod facit tota Christi Ecclesia: Nam posito aliquem ritum reperiri; quem non *semper* tota obseruarit Ecclesia, hodie tamen obseruet; nec tamen constet ab Ecclesia seu Concilio aliquo institutum esse: rectissimè hac regula colligemus; eum non aliunde, quàm à Christo vel Apostolis proficisci; quia etiam tota hodierna Ecclesia in operando ab errore immunis est.

Deinde falsum est, nullum posse ritum adferri; qui semper à tota Ecclesia orthodoxa obseruatus fuerit; nam huiusmodi ritus est *signaculum sanctæ Crucis. Abrenunciatio satanæ in baptismo; vnctio per oleum & chrisma formæ aliquot sacramentales*, & id genus aliæ cæremoniæ in praxi positæ.

Adducit Bellarminus exempli loco baptismum paruulorum, & morem non rebaptizandi eos, quos hæretici baptizarunt. Respondet VVitackerus; & cum illo Savvbrandus, & Iunius; *has esse traditiones scriptas*. At vbi? Certè seclusa traditione, non scripta, sacrarum litterarum fidissima explanatrice; neutrũ vnquam ex sacra scriptura sectarij euincent; vt nihil intẽtatum relinquant. Sed quia de hoc iam sæpius diximus, nihil addendum est.

Tertia regula. Id quod in Ecclesia vniuersa, & omnibus retro temporibus seruatum est, meritò ab Apostolis *creditur institutum, etiamsi illud tale sit, vt potuerit ab Ecclesia institui*. Exemplo sit Quadragesimæ ieiunium. Vt VVitackerus hanc regulam eludat; duplicem cautionem, vel potius fraudem adhibet: *Prima est; si ita retentũ fuerit, vt similis semper ratio fuerit obseruãdi, hoc est, si similiter semper fuerit obseruatum. Secunda; si, vt necessarium seruatum fuerit, non, vt liberum, & ἀδιάφορον.* Hac duplici impostura eludit exemplum de Quadragesima, quam diuersissimè diuersis mundi partibus & temporibus celebratam fuisse dicit; & quidem liberè, ex cuiusque arbitrio, absque vlla obligatione. Sed vt diuersitas in modo fuerit, num vlla vnquam apud vllos orthodoxos diuersitas fuit, quoad *Quadragesimæ* substantiam? Exstititne vllus vnquam orthodoxus; qui diceret; anniuer-

A sariam Quadragesimam non esse piè & religiosè obeundam, & quidem ex necessitate? Neque etiam in modo tanta diuersitas fuit; quantam isti somniant, vt ostendit Bellarminus lib. 2. de bonis operibus cap. 15.

Vt testimonia à Bellarmino producta deuitet, reiicit Epistolas S. Ignatij; & Constitutiones Clementis; quasi has solas protulerit Bellarminus; mentiturq; Telesphorum Quadragesimam instituisse. Verum de his omnibus abundè supra actum.

Savvbrandus acutissimè Bellarminum hunc in modum aggreditur: *Dico, vel Quadragesimam Papisticam non esse Traditionem Apostolorum, & Ecclesiam Papisticam non esse veram Ecclesiam; vel, primitiuam Ecclesiam, non esse veram Ecclesiam; &* B *Quadragesimam Ecclesiæ Primitiuæ non esse Traditionem Apostolorũ.* Omnia hæc vnica negationis litura dispunguntur. Probat Savvbrandus: *Primitiua Ecclesia non habuit talem Quadragesimam; qualem habet synagoga Papistica.* Negamus, si de substantia rei agatur, vt par est; quanquam nec in modo magna diuersitas. Hoc demonstrauimus antè; inquit Savvbrãdus. Vbi? *Si igitur non est vera traditio Apostolica, quæ non tenet vniuersa Ecclesia, tum Quadragesima Papistica non est Traditio Apostolica. Nam eam non tenuit tota primitiua Ecclesia. Aut, si illa non est vera Ecclesia quæ non habet Traditiones Apostolicas: tum, vel primitiua Ecclesia non est vera Ecclesia; vel, synagoga Romana non est vera Ecclesia. Nam, quam Quadragesimam Papistæ habent, eam non* C *habent omnes veteres: &, quam veteres habuerunt, ea non est ipsa, quam habent Papistæ.* Quis credat Savvbrandum fuisse sobrium, aut mẽtis compotem, cum hæc tam insulsa & malè cohærẽtia in chartas exspuit; vt cum hæc lego, Plautinum illum Pseudolum Ebrium mihi audire videar. Audi Caluinista. Eandem Quadragesimam, quam tenet hodie orthodoxa Ecclesia; tenuit quoque Ecclesia primitiua ex Apostolica institutione. Neque tu vnquam contrarium ostendes, licet mille verborum & imposturarum strophas texas.

Alterum Apostolicæ traditionis exemplum ait Bellarminus esse, *sacros Ordines*. Obiicit VVitackerus: *In Canonibus Apostolicis tantum nominari quinque Ordines, Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Lectorem & Cantorem. Prætermissis Exorcista, Ostiario, &* D *Acolutho. Similiter Ambrosium commentar. in cap. 4. ad Ephes. nominare tantùm quinque, nulla mentione facta Acoluthi & Ostiarij.* Respondeo satis esse; nominari omnes ab aliis. Non enim necesse est, vt omnes Ordines quouis loco à quolibet nominatim designentur. Deinde in Canone 34. nominatur etiam hypodiaconus, seu subdiaconus: de quo nec verbulum VVitackerus. De Exorcista agit Clemens collector Canonum, qui Apostolis tribuuntur, lib. 8. Constitut.

Iunius hic nihil peculiare adfert; nisi fortasse nouum & peculiare censeri debet; quod ait; *ex propositione seu Maiore particulari nihil necessariò sequi.* Oportebit igitur ex Dialectica exturbare & in

Digitized by Google

exilium ablegare veteres illos syllogismorū modos, qui vsitatè appellantur *Frisesom, Disamis, Becardo*; quia ex particulari Maiore necessariò suas conclusiones inferunt; cum sint veræ probæque notæ syllogistici modi; in quibus *ex necessitate* aliud sequitur, *eò quod hæc sint.*

Arguit Bellarminus Caluinum; quòd Ordines Minores dicat esse inuentum nouitium. Occlamat Iunius *Caluino fieri iniuriam.* Non enim hoc eum scribere. Quid ergo volunt sibi illa verba Caluini ab ipso Iunio recitata? *Nobis hic propositum est duntaxat pugnare contra nouitium illud inuentum de septemplici sacramento in Ordinibus Ecclesiasticis.* Si septeni Ordines sunt inuentum nouitium; nō iniustè ergo à Bellarmino reprehenditur Caluinus: nam quod etiam in ratione sacramentali ordines illi non sint nouitium inuentum; inductione veterum probat Bellarminus; neque enim antiqui aliter de his ordinibus senserunt; quàm hodie orthodoxi sentiant; neque pro nudis & inefficacibus cæremoniis habuerunt, vt habet Caluinus, qui his Ordinibus antiquitatem tribuit; at non veram; sed supposititiam, & in Lemannica schola progenitam.

Quarta regula est. Cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent, aliquid ex Apostolica traditione descendere, siue in Concilio generali congregati, siue scribentes seorsim in libris, illud credendum est, Apostolicam esse traditionem. Ratio est; quia doctores Ecclesiæ collectiuè spectati errare non possunt; alioqui ipsa etiam Ecclesia in errorem induceretur; cum obligetur ad hoc, vt Doctores pastoresque suos audiat. Exemplum prioris est veneratio imaginum; quam Doctores & Patres Ecclesiæ in Concilio II. Nicæno docuerunt ex Apostolica traditione descendere. VVitackerus, Savvbrandus, Iunius, vno agmine, aures ad Concilij Nicæni mentionem occludunt; sublatisque cachinnis, tanquam sacrilegum, exsibilant. Sed sanniones & sannas istas nil moratur, quisquis Copronymiano spiritu, spiritus Caluiniani fratre, non est grauidus.

Exemplum secundi generis vix potest afferri, inquit Bellarminus, si debeant omnes penitus Patres, qui scripserunt, expressè aliquid dicere: tamen videtur sufficere, si aliquot Patres magni nominis expressè id asserant, & cæteri non contradicant. *Præclara certè regula,* oggerit VVitackerus. Imò præclara est regula; quidquid tu contrà irrisoriè blateres. *Quomodo sciemus reliquos non dissentire?* Inde; quod nec contradicunt, neque contradixerunt. Non contradixisse; liquebit ex eorum monumentis; item ex hodierno Doctorum Ecclesiasticorum vsu & sensu; Nulla enim ætate sibi contradicunt omnes Ecclesiæ Doctores. Itaque hoc ipso, quod videmus, ab hodiernis doctoribus dogma vel ritum aliquem constanter defendi; intelligimus anteactis quoque sæculis defensum fuisse: quia nec loco, nec tem-

A porum interuallo fides Doctorum imminuitur, aut variatur; quia cum, vt rectè Cassianus dicit lib. 7. de Incanat. cap. 28. *religio omnes vniat; & hi, qui in fide vna sunt, in corpore quoq; vnò esse noscantur.*

Quinta regula. Id sine dubio credendum esse ex Apostolica traditione descēdere, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, vbi est integra, & continuata successio ab Apostolis. qualis est in Romana Ecclesia. Respondet VVitackerus: *Quid ergo opus fuit superioribus istis ambagibus?* Nullas ego ambages vidi, sed regulas. Tibi videntur ambages; quia nimis apertæ sunt, perspicuæ & planæ.

Subiungit tam ipse, quàm Savvbrandus: *Hanc regulam nil aliud velle, quàm omne illud verum esse, quod Romana docet Ecclesia.* Non præcisè, quatenus Ro-
B mana; sed quatenus in ea Apostolica successio cum veritate doctrinæ conseruata ostenditur. Nam quod iste dicit; etiam in aliis, nominatim in Constantinopolitana, ostendi posse successionem ab Apostolis, id difficilius est, quàm vt tribus verbis nobis persuaderi sinamus: nam quæ de S. Andrea Apostolo, quasi primo Byzantino Episcopo nonnulli tradunt; iure in dubitationem & suspicionem, quasi sequioris Græciæ commēta, veniunt: & vt maximè cum vero congruerent, nouimus tamen annum & mensem; quibus veritas doctrinæ, in illa & aliis cathedris, quas olim tenuerunt Apostoli, defecit; sine qua successio pastorum exigui est ponderis.

Ostendant nobis Caluinistæ illum Roma-
C num Pontificem, qui primus ab orthodoxa doctrina desciuit, & alios ab eadem deflexit; ita vt nunq̄ ad saniorem mentem reditum sit; quemadmodum nos ostendere possumus, & quasi digito monstrare illos, qui in aliis Apostolicis sedibus sessitantes à pia suorum maiorū & antecessorum semita deflexerunt; nouasque vias inierunt. Itaque scommata, quæ hic VVitackerus & Savvbrandus scurriliter euomunt: parum nos mouent.

CAPVT X.

Soluuntur obiectiones aduersariorum, quæ ex scripturis petuntur.

D PRimum argumentum sumitur ex illo Deut. 4. & 12. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* Respondet Bellarminus non agi hic de verbo scripto; sed tradito viua voce; non enim dici: Ad verbū, quod scripsi, sed, quod ego præcipio. Respondet VVitackerus: *Quod dicitur; præcipio, non scribo, non sequitur propterea hoc non intelligi de lege scripta; nam in libro Iosue cap. 1. vers. 7 iubetur Iosue ea facere, quæ Dominus præceperat. Quid? ergò ne ista non sunt scripta? Imò, scripta fuisse, ex eo patet, quod proximè subiicitur; Non discedat liber iste ab ore tuo, sed*

medita-

meditaberis in eo die ac nocte. Non quæritur, quid alibi scriptura dicat; sed num Moyses locis citatis Deuteronomij ad scripta duntaxat præcepta respexerit; vt Prædicantes contendunt: non enim ignorauit Bellarminus; quædam præcepta vel tum fuisse scripta; vel postea scribi debuisse; tota quæstio est; num illa Moysis dicta necessariò tantùm de præceptis scriptis intelligantur. Quod rectè negatur; Hinc sensus est; Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, siue per scripturam; siue viua voce.

Nec obstat, quod Iosue ad librum legis remittitur; nihili enim est hæc consequentia. Iosue ablegatur ad Deuteronomium; ergo omnia quæ Deus præcepit; scripto consignata sunt; nam & nos ad scripturam ire iubemur; nec tamen concedimus; omnia in scripturis immediatè comprehendi, sed eo mittimur; quia ostendunt, vnde reliqua peti debeant. Eo etiam consilio missus est Iosue ad legem scriptam; vt ex ea cognosceret; vnde etiam non scripta peti deberent; nimirum à sacerdotibus, & præcipuè summo Ecclesiæ illius Pontifice. Quapropter Deus alloquens Iosue primùm vtitur verbis generalibus, quæ tam in præcepta non scripta, quàm in scripta conueniunt: *Confortare igitur, &c. vt custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses. Omnem,* inquit, *legem* seu scriptam seu non scriptam; sed nec scribendam. *Quam præcepit:* non dixit; Quam scripsit; sed generalius; *quam præcepit.* Dein subditur: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus; vt custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.* At in eo etiam scriptum est, cap. 17. Si quid dubitationis circa legem Dei exsistat; adscendendum esse ad sacerdotes Leuitici generis; eorumq; consilium exquirendum; & sententiam audiendam, religioseque amplectendam & sequendam. Cur hoc, nisi quia Deus per Moysen, famulum & Interpretem fidisimũ; in Ecclesia illa tanquam in opulenta penu, deposuerat veram legis intelligentiam & traditiones; quarum quasi promi condi sacerdotes erant?

Obiicit VVitackerus: *Si Moyses quadã voce commendauit certis hominibus, quæ scribẽda non putauit, cui ea potius, quàm Iosue commisit, quem omnium consiliorũ socium habuit, quiq; illi in munere successit?* Non sequitur: quia Iosue nõ erat summus Pontifex, vel Sacerdos, sed Dux belli, & Princeps politicus. Quamquam vnde scit VVitackerus, ipsi etiam Iosue nõ fuisse commissa & tradita præcepta non scripta? nam id non arguit missio ad legem scriptam; vt iam dictum; imò potius cõtrarium indicat; cum alias ob caussas, tũ quia lectio scriptæ legis quasi memoriam eorum, quæ viua tantùm voce acceperat; refricabat.

Iunius dicit, verbis illis Deuteronomij: *Nõ addetis ad verbum, &c. agi de substantia verbi, non de modo formaue eius externa: scripti autẽ & non scripti verbi substantiam vnã esse: siue ad materiam; verbũ Dei, siue ad essentialem formã, veritatẽ diuinã & Sabrecentis ressectum.*

A Quorsum ista, quę non magis Bellarminũ; quàm VVitackerũ, Savvbrãdũ, aliosq; sectarios feriũt? qui contentiosissimè contendunt; agi illo loco definitè de verbo Dei scripto. Si igitur verũ est; quod dicit Iunius, *agi de verbo Dei secundũ substantiam; secluso modo, qui in scriptura, vel viuæ vocis* traditione consistit; perperam symmystæ eius de verbo Dei scripto præcisè & præfractè interpretantur; & in illos competit; quod hic dicit Iunius: *Tergiuersatur, qui à substantia ad modũ transilit, inconsequente argumentationis genere.* Quanquã cum inter verbum Dei (loquor de expresso) scriptũ & non scriptum; seu sola voce traditum, non exstet medium; necessariò Moyses; quando dixit: *non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, &c.* id intellexit; aut de scripto tan-

B tùm; aut de viua voce tradito tãtùm; aut de vtroque simul; nec potuit Moyses mentem & cogitationem ab his modis abstrahere; quandoquidem locutus est de illo verbo; quod Israëlitis vel tradebat; vel tradiderat: quod aliud esse non potuit, quàm vel scriptum; vel viua voce traditum; vel vtrumque.

Ait Iunius: *Falsum esse, quod Bellarminus scribit: agi illis verbis de pronũciato seu viua voce dũtaxat tradito verbo.* At licet verba illa tam de scripto, quàm tradito verbo possint accipi; si quis tamen de solo tradito cum Bellarmino accipienda existimet; ex textu certè falsitatis redargui non poterit; cum verba textus æquè in nõ scriptum ac in scriptum congruant: præceptumque æquè viua voce dari & imponi

C possit, ac per scripturam.

Quod adiungit Iunius; *Moysen totã substantiam pronunciati verbi iussu Dei perscripsisse;* falsum est; si intelligatur de omnibus simpliciter præceptis sibi à Deo traditis: neque hoc vnquam euincet Prædicans ex cap. 31. & 32. Deuteronomij.

Savvbrandus mentitur, Bellarminum hic dicere: *Verbum Dei sola voce traditum, esse perfectum; scriptum verò verbum esse imperfectum.* Inspiciatur Bellarminus, moxque mendacium euanescet.

Secundò Respondet Bellarminus, veram expositionem eius loci esse, quòd Deus velit integrè, & perfectè seruari mandata, vt ipse præcepit; & nullo modo ea deprauari falsa interpretatione. Itaque, non vult dicere, non seruabitis aliud,

D quàm id, quod nunc præcipio, sed in hoc, quod præcipio, nihil mutabitis addendo, aut minuendo, sed integrè facietis, vt iubeo, & non aliter. VVitackerus: *Damnantur quidem his verbis (fateor) falsæ scripturarum interpretationes: sed, hoc nõ est totum, quod his verbis prohibetur.* Neque Bellarminus asseruit hoc esse totum; sed vnam expositionem attulit; quam verè veram vocat. At cum hac vera expositione possunt aliæ similiter veræ consistere: quia verum vbiq; cum vero consistit, hoc est, consentit. Esto igitur locum hunc etiam intelligi de additione alicuius ad verbum, vel detractione de verbo: Quid inde lucrifaciet VVitackerus, si dicamus; locum intelligi de verbo scripto & tradito? Huic verbo prorsus nihil addimus;

nullum

nullum enim diuinum verbum præter ſcriptum & traditum agnoſcimus aut recipimus; neque vllus vnquam demõſtrabit nos ad verbum ſcriptum & traditum aliquid adieciſſe; quod tantummodo ſit humanum, non diuinum. Idem dico de detractione. Hęretici in hanc culpam incidunt; qui de corpore Canonicorum librorum tot volumina; parteſque voluminum ſuſtulerũt; & præterea totum nõ ſcriptum Dei verbum ſcelerate repudiarunt.

Deinde, ſi vt hæreticis lubet, locus de ſolo ſcripto Dei verbo intelligatur; ſenſus erit; nihil adiiciendum, tanquam Dei verbum, quod ſcripto verbo nõ ſit ſimilare, conſentaneum, & eiuſdem cum illo, vt ſic loquar, *naturæ*; nihilque huius generis ex verbo Dei eximendum. Vtrunque accurate obſeruamus. Nam verbum Dei non ſcriptum, quod adiungimus ad ſcriptum, eiuſdem eſt naturæ & ſubſtantiæ cum ſcripto. Neque vllas aut ſanctiones aut leges mere Eccleſiaſticas adiungimus ad verbum diuinum ſcriptum & traditum, tanquam verbum diuinum; ſed cum verbo diuino illas vſurpamus; vt ſalutares ad id, quod pium, rectum & honeſtum eſt; directiones & informationes. Neque vlla etiam hoc adiunctionis modo adiungitur, quæ ſit contra ſcripturam. cuiuſmodi adiunctiones nemo inficias iuerit, ſeuere interdictas eſſe. Cæteras non interdici oſtendunt exemplo ſuo ſectarij, qui & ipſi ritus & cæremonias *ad decorum & ornatum*, vt loquuntur, ſpectantes, non paucas habent.

Ex quibus nullo negotio refelles, quæ VVitackerus hîc in hanc ſententiam ſubiungit: *Quãdo Deus prohibet addere, ſignificat doctrinã eſſe adeò perfectam, vt nihil addi debeat, aut neceſſe ſit: oportere ergo nos in ea acquieſcere, ea contentos eſſe, & ad eam ſolùm adhæreſcere.* Non repugno, ſi de vtroque verbo, hoc eſt, de ſcripto & tradito loquaris. Si de ſcripto tantùm; negamus, eum interdicti finem vel mentem eſſe. Qua, quæſo, ratione hic prohibitioni huic ſenſus ſubiici poteſt, cum certum ſit verba illa tãtum intelligi vel de Deuteronomio; vel ſummum de Pentateucho. An iſti quinque libri Moſaici integram prorſus, & plenam, omnique ex parte abſolutam doctrinam continent; qua ſola nos oporteat eſſe contentos, & ad quam ſolam adhæreſcere debeamus, omnibus aliis valere iuſsis? Neque hæc vnquam fuit Hebræorum ſentẽtia; vt hic fingit VVitackerus. cui quid præſidij adfert Ioſephus apud Euſebium lib. 3. cap. 9. dicens; *tot annorum curriculis nihil voluminibus ſacris ſuperadditum; nihil detractũ?* Nil videlicet ſpurium & ſuppoſititium, ſcripturâ comprehẽſum, adiectũ eſt: quod hoc etiam æuo veriſsimè profiteri licet; non enim minus integra, ſincera, & ab alienis impermixta perſeuerat ſcriptura; atque temporibus Ioſephi.

Obiicit Chryſoſtomum Homil. 52. in Matthæum; vbi dicit: *Sacerdotes multa addidiſſe ad legem; etſi comminatus eſt Moſes, ne id facerent. Et ne quis fortè*

A *putet, fuiſſe illa ſcripturæ contraria, quæ ſacerdotes addiderũt: loquitur Chryſoſtomus de illis crebrarum lotionum ritibus, quibus Iudæi vtebantur. Hæ quidem lotiones non erant ſimpliciter ſcripturis repugnantes, niſi quod in eis Phariſæi ſanctitatem ponebant. Et tamen fatetur Chryſoſtomus, hoc modo additum eſſe aliquid ad legem, contra Dei præceptum. Vnde apparet, illud Deuteronomij de verbo ſcripto intelligendũ eſſe.* Hic aliquot fraudes committit VVitackerus. Nam I. licet crebra illa lotio non aduerſaretur per ſe ſcripturis, aduerſabatur tamen per accidens, vitio ſcilicet & improbitate Phariſæorum, qui huiuſmodi maiorum ſuorum traditiunculas pluris æſtimabant, quàm præcepta Dei ſacris litteris diſertè expreſſa; vt ipſe etiam S. Chryſoſtomus apertè teſtatur: *Quæres*, in-
B quit, *ad tantam peruenit nequitiam, vt præcepta ipſorum magis, quã Dei mandata cuſtodirentur, &c.* Paulò pòſt: *Nullam de mandatis Dei curam facientes, obſeruationum contemptores vlciſcebantur.* Secundò, manifeſtè patet ex oratione Chriſti Matth. 15. Phariſæos habuiſſe nonnullas traditiones aduerſa frõte præceptis diuinis repugnantes: *Quare & vos*, inquit Saluator, *tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit, &c.* At Chryſoſtomus dicit; *ipſam innouationem fuiſſe non paruum crimen.* Ita; quia contraria erat communi mori & conſuetudini ſynagogæ; Quis autem neget, innouationem illam, quæ communi Eccleſiæ vſui aduerſatur, reprehenſionem mereri? pleræque etiam Phariſæorum traditiones conſiſtebant in
C rebus propemodum ridiculis; quas ipſi tamen ad ſuperſtitionem vſque præfractè & pertinaciter vrgebant; & tranſgreſſoribus ſempiterna ſupplicia denunciabãt. Quid verò VVitackeri cauſſam iuuat S. Thomas, qui, vt citatur à Caluiniſta 3. p. quæſt. 60. art. 8. ſcribit, *verbis ſacræ ſcripturæ nihil addendum, aut minuendum eſſe*; quis hoc abnuit eo quidem ſenſu, quem hactenus explicauimus? Quid ſubſidij adfert Caietanus, qui in illũ Deuteronomij locum commentans, ait; *hinc colligi legem Dei eſſe perfectam?* perfecta eſt in genere ſcripturæ; non in genere regulæ fidei.

Ait Bellarminus: ſi omnis additio vetita eſſet, ſequeretur, Prophetas & Apoſtolos peccaſſe,
D qui tam multa ad legem Moyſis addiderunt. Reſpondet VVitackerus: *Prophetas, & Apoſtolos fuiſſe extra communem hominum ſortem; & tantam habuiſſe autoritatem, quantam habuit Moyſes ipſe, ac proinde non minus illis, quàm Moyſi credendum eſſe: Non poſſunt Papiſtæ ſuas Traditiones tanta autoritate confirmare.* Atqui Chriſtus; Prophetæ & Apoſtoli tantam habuerunt poteſtatem verbum Dei tradendi viua voce, quantam ſcripto. Si ergo, non obſtante illo interdicto, ſcriptum Dei verbum meritò adiecerunt ad libros Moyſis; eodem iure potuerunt etiam adiicere verbum Dei non ſcriptum ſeu traditiones; quas num auctoritate Chriſti & Apoſtolorum tueri poſsimus, ſatis ſuperque ex ſupra diſputatis liquet.

Digitized by Google

Secundò respondet VVitackerus; *Prophetas & Apostolos quando nouos libros conscripserunt, nihil ad verbum Dei scriptum addidisse. Nam summam doctrinæ in libris Moysis contineri: quæ consistat in præcepto de diligendo Deo & proximo.* Non dissimiliter ante VVitackerum delirarunt Brentius, Kemnicius, Caluinus;& alij passim: *Qui volunt posteriorum libros nil aliud esse, quàm explicationes legis.* Isti perinde mihi facere videtur,ac si dicerent; præter alphabetum nullum penitus librum nouum vel nouam doctrinam ab vllo conscriptũ esse; Omnium enim libros in alphabeti elementis virtute includi & inde educi;& libros nihil esse aliud,quàm alphabeti quasdam explanationes. Item in rebus naturalibus nihil noui nasci;omnia namq; in principiis contineri, & inde in lucem extrahi. Item, in scientiis, cognitis principiis, nihil noui cognosci; quæcunque ex principiis conclusiones colligantur; quia omnes comprehenduntur *virtute* in principiis. Ex quo consit,habitum principiorum & conclusionum vnum eundemq; esse. Sic in artificialibus, nulla vnquam domus noua nominari poterit. Qua de caussa? Quia in suis causis virtute continebatur, antequam conderetur. si hæc absurditatis plenissima sunt;cur non similis absurditatis condemnaretur responsum illud Prædicanticum?

Quàm absonum est;*nihil nouum*, hoc est;distinctum, scriptum esse à S. Ioanne in suo Euangelio vel Apocalypsi; & à S. Luca in Actis Apostolorũ, nihil,inquam, distinctum ab his, quæ Moyses in Pentateucho litteris consignauit?Nam illa,vt sic vocem,*virtualis* in alio inclusio & comprehensio, non impedit, quo minus aliquid postea nouum censeatur;alioqui nulla etiam esset noua illustratio & explanatio scripturæ; quia qualiscunq; assignetur;si proba sit, & consona vero; eam in gemino illo præcepto, ex quo vniuersa Lex & Prophetæ pendent,includi oportet. Accedit & illud; quòd cæteri libri non erũt propriè scripturæ; sed tantum explicationes scripturæ; sicut libri, quibus Aristoteles explanatur,non sunt ipse Aristoteles;seu scripta Aristotelis; & solus Pẽtateuchus *scripturæ* nomen habebit: imò ne iste quidem totus:sed solus Geneseos liber;in quo etiam geminum illud præceptum *de diligendo Deo & proximo* comprehẽditur: imo nec iste totus; sed primum duntaxat Capitulum. Reliqua omnia primi capitis commentaria dici debebunt.

Quod Prædicantes aiunt,*reliquos libros esse legis explicationes*;respondet Bellarminus,etiam traditiones esse verbi scripti explicationes: Oggerit VVitackerus;*traditionẽs plerasq; Papisticas nullo modo posse esse scripturarum expositiones, quia scripturis apertissimè aduersantur, & repugnant.* Obserua, VVitackerum tantummodo negare, *plerasq; nostras traditiones esse scripturæ expositiones.* Concedit ergo quasdam esse scripturæ expositiones: & per consequens, non inficiatur quasdam *traditiones* eo loco & numero haberi posse; quo habentur libri

A Canonici post legem scripti; quia vt isti sunt explicationes legis, ita & quædam traditiones nostræ. Magnas gratias VVitackerò pro hac tam insigni liberalitate & munificentia, qua dignatus est non omnes, sed plerasque duntaxat traditiones nostras proscribere. Remanent ergo nonnullæ incolumes ac saluæ. Arbitror autem & cæteras suo in gradu persistere; neque enim VVitackeri affirmatio tam efficax est, vt ex re sacra & diuina profanam efficere; eamque de solio gloriæ in promiscui vulgi ordinem detrudere possit.

Ait Bellarminus: in Lege Moysis non contineri Prophetarum scripta, neque in Lege & Prophetis,contineri testamentum,nisi in vniuersali,
B & quodammodo in virtute;sicut tota arbor continetur in semine. Oggannit VVitackerus;*dico falsum esse, nouum testamentum non in particulari;sed in vniuersali tãtùm in veteri contineri.* Et ego hoc ipsum falsum asseram; si mihi VVitackerus ostenderit in particulari Epistolam ad Philemonem in Psalterio; & Acta Apostolorum in Amos Propheta; Psalteriumq; & Amos Prophetam in Genesi seu toto Pentateucho contineri: *Similitudo*, inquit VVitackerus, *qua vtitur Bellarminus & impia & blasphema est* (bona verba, VVitackere; εὐφήμει. malè ominatis parcito dictis) *Omnia enim dogmata, & capita Euãgelij; non in vniuersali tantũ,sed & in particulari;nõ implicitè tantũ. sed explicitè in vetere Testamento reperiuntur licet fortasse non tam perspicuè, & manifestè.*
C En fraudulentum impostorem. Quæstio est, vtrũ omnia posteriora Prophetarum & Apostolorum scripta contineantur in Lege Moysis; ita vt per additionem horum librorũ nihil noui ad legem accesserit;sed tantum explicatio veterum. Affirmant Prædicantes. Iam VVitackerus confugit ad capita doctrinæ omnibus scitu explicitè & formaliter necessaria;eaque in particulari, & explicitè in veteri testamento includi scribit, licet fortasse non tã perspicuè & manifestè. Sed diuerticula quærit Caluinista. Quæstio est;vtrum nouum testamentum sit in vetere,in particulari,nõ quoad quædam capita; sed quoad omnia. Si est; ostendat obsecro mihi aduentum Magorum ad præsepe & incunabula Christi in particulari in
D Prouerbiis Salomonis, vel in Ecclesiaste. Ostendat Pastorum ad recens natum infantulum accursum in Prophetia Ionæ, aut Sophoniæ. Aut si dicat: non singula noui testamenti comprehendi in singulis testamenti antiqui; sed omnia in omnibus; ostendat mihi saltem alicubi in particulari ea, quæ antea nominaui. Nam quomodocunq; tandem insint, si insunt in particulari, alicubi monstrari poterunt.

Considera autem stuporem Caluinistæ: *Mare & Petra figurabãt baptismum; & Manna Eucharistiam; ergo sacramentum Baptismi & Eucharistiæ in particulari continentur in vetere testamento.* Probatur consequentia. Quia quod continetur in aliquo, vt in sua imagine & figura; id in particulari, hoc est, se-

cundum

Digitized by Google

cundum specialem & determinatam rationem suam, in illo continetur. Ex quo sequitur, principem in imagine & statua sua secundum particularem suam rationem, hoc est, secundum se, contineri. Quo nihil est absurdius; quam stoliditatem, vt magis intuearis, en tibi hanc ex mente VVitackeriana delirationem. Totum vetus testamentum fuit typus & figura totius noui; ergo totum testamentum nouum continetur in veteri; non vt figuratum in figura; ænigmaticè scilicet; & secundum obscuram quandam repræsentationem; sed in particulari. Quod nec cum illis quidem, quæ paulo antecesserunt, cohæret; Dixerat enim Caluinista, *nihil à Prophetis & Apostolis additum esse, quod ad summam doctrinæ attinet*: at id quod in altero continetur tantùm vt in summa; non continetur in illo in particulari, seu secundum specialem suam rationem. Ex quo insuper elucescit, quàm verum sit, quod VVitackerus dicit: *Totum Euangelium non minus perfectè est in vetere testamento, quàm in nouo, licet non tam perspicuè*: perinde ac si diceret: tota arbor non minus perfectè est in semine; quàm in seipsa, cum iam producta est; licet non tam perspicuè appareat. Neq; stultitiæ huic VVitackerianæ patrocinantur Patres, quos adducit; nam nil aliud volunt, quàm res noui testamenti fuisse repræsentatas in veteri per *typos* & varia ænigmata, perque vatum oracula prædictas; quod verum. At hoc longè est aliud, quàm quod VVitackerus somniat.

Non est silentio transmittendum, Iunium æquè ac VVitackerum in nos liberalem sese exhibere; Tantum enim negat *omnes traditiones nostras esse legis expositiones*. Concedit ergo aliquas esse legis explicationes. Cur igitur vniuersim alibi omnes nostras traditiones exsibilat? qui valdè subtiliter Bellarmini assertionem refutat; cum ait: *Prophetas nihil aliud fuisse, quàm legis diuinæ interpretes: ergo Prophetarum scripta in particulari continentur in Pentateucho*. Nescio num isti vocabula intelligant, quando tam stultè de rebus ipsis disserũt. Quid euidentius, quàm libros Regum vel Paralipomenon in particulari non contineri in Genesi, nisi secundum communem quandam dogmatum diuinorum & cælestis doctrinæ rationẽ? Delirat, ipsa etiam miracula à Christo & Apostolis patrata in particulari cõtineri in veteri testamento. Credam, si mihi in particulari in veteri testamento demonstrarit, excitationem Lazari, aut illuminationem cœci illius ab ortu. Nisi hoc fecerit; fidem nunquam faciet; quidquid tandem garriat, *de principiis & substantia tota rerum*, deque id genus aliis verborum præstigiis, quibus veritatem obfuscare nititur.

Ait Bellarminus; nullum vnquam Prophetam prædixisse; temporibus Messiæ prohibenda esse suffocata & sanguinem. Quod factũ, Act. 15. Respondet Iunius: *Interdictum seruandi legalia haberi Deut. 30. Psal. 110. Hierem. 32.* Hoc non quæritur; vt nec alia, de quibus fabulatur Iunius. Notum

A est in veteri testamento prædictum; fore, vt legalia omnia cessarent. Hoc in quæstione versatur; vbi in veteri testamento prædictum fuerit, temporibus Messiæ; *suffocata & sanguinem* prohibitum iri. Ad hoc responsio aliqua danda erat; & quidem plana & expedita; si Iunius lucem plus quã tenebras amabat: nunc nescio quid de offendiculo infirmis non præbendo nugatur, & omnibus consideratis hoc argumentum insinuare videtur: *In vetere testamẽto mãdatum est, ne infirmis præberetur scandalum: ergo in veteri testamento distinctè & speciatim præsignificatum est, fore, vt temporibus Messiæ suffocata & sanguis prohiberentur*. An non est hæc egregia, hoc est, Iuniana argumentatio?

Danæus animum nonnihil mentiendo rela-B xat. I. *Traditiones non scriptas ex diametro cum scripturis pugnare.* II. *Ipso Bellarmino teste nullo modo in scriptura contineri.* III. *Nec esse scripturæ expositiones.* IV. *Esse manifestas scripturæ euersiones & corruptelas*; & si quæ sunt aliæ his assimiles ex triuio arreptæ pseudologiæ.

Savvbrandus sic syllogizat: *Ad quod nihil debemus addere, & de quo nihil debemus detrahere, hoc est perfectum, & omnibus numeris absolutum. Sed ad verbum Dei scriptum nihil debemus addere, nec ab eo quidquam detrahere. Ergò verbum Dei scriptum est perfectum, & omnibus suis numeris absolutum.* Respondeo, Maiorem esse veram; si intelligatur, talem rem perfectam esse in suo genere; & in eo, quod ratione suę constitutionis habere debet: Falsam autem si in-C telligatur, talem rem perfectam esse in alio quocunque perfectionis genere. Sic distincta Maiore; Minorem ex gratia Savvbrando largiemur: & conclusionem similiter, vt Maiorem distinguemus, & pro distinctionis partibus vel danda, vel abnuenda erit: Nam verbum Dei scriptum perfectum est; in genere verbi scripti; non in genere regulæ fidei.

Nescio autem num Savvbrãdus animaduertat, se hoc suo syllogismo vniuersos sacræ scripturæ libros ex Canone & consortio Ecclesiæ expellere; excepto Pentateucho. Cum enim scripturæ perfectionem & omnibus numeris absolutionem Savvbrandus in hoc constituat; quòd complectatur integram & adæquatam doctrinã D salutis; promptum erit cuiuis hunc vel similem syllogismum ad Savvbrãdici imitationem conficere: *Ad quod nihil debemus addere, & de quo nihil debemus detrahere, hoc est perfectum, & omnibus numeris absolutum; & quod hinc consit, integram & adæquatam salutis doctrinam continet. Sed ad Pentateuchum nihil debemus addere, nec ab eo quidquam detrahere; imò præceptum de non addendo, deque non detrahendo concernit ad litteram solos libros Mosaicos; ergo Pentateuchus est perfectus, & omnibus suis numeris absolutus; & per consequens, integrã & adæquatam doctrinam salutis continet.* Quid ergo opus est cæteris libris? Quid opus est scriptis Euangelicis & Apostolicis? Si tota arbor perfectè est in semine; quid opus est ipsa arbore in se?

Secun-

Secundus locus ab Hæreticis proferri solitus est ille Apocal. vlt. *Si quis apposuerit ad hac, &c.* Respondet Bellarminus, Ioannem ibi prohibere corruptionem illius libri, non autem, ne alij libri scribantur, aut alia dogmata tradantur, consentanea illis, quæ ipsa Apocalypsis complectitur. Respondet VVitackerus, *ex hoc loco colligi posse etiam ad alios libros Canonicos nihil addi debere*: quod hoc argumento demonstrat: *par est auctoritas, & ratio aliorum librorum. Ergo si non licet ad hunc librum addere; ex pari non licebit ad alium aliquem librum addere quidquam, aut detrahere.* Quis negat illicitum esse ad alios itidem libros addere, quæ librũ corrumpant; vel detrahere; quæ eundem mutilent? Hæc per se manifesta sunt; nec probationis egẽt. Addere autem, etiam non scripta; Christo, Prophetis & Apostolis semper integrum fuit; quia hæc doctrinam scriptam non corrumpunt, eum sint eiusdem naturæ & ordinis, vtpote à Spiritu sancto dictata, & per certos administros fidelibus fideliter tradita & commissa.

Innuit & hoc argumentum VVitackerus: *Nihil licet addere ad libros Canonicos; ergo libri Canonici plenam perfectamq; salutis doctrinam continent*; hoc est, *totam & adæquatam*. Pari modo nos cõcludemus: *Nihil licet addere Epistola ad Philemonem; ergo hac Epistola plenam, perfectam, & adæquatam doctrinam salutis complectitur.* Quæ est ista colligendi ratio? Ne ad vnicam quidem scripturæ sententiolam aliquid addere vel detrahere licet; quo deprauetur, & à genuino sensu in alium transferatur; ergo quælibet scripturæ sententiola continet integram, totam, & adæquatam salutis doctrinam.

Monitum illud Salomonis Prouerb. 30. *Ne adiicias quidquam verbis illius, ne arguaris, & inueniaris mendax*: non magis loquitur de verbo Dei scripto, quàm de non scripto; quia non scriptum æquè est Dei verbum ac scriptum; & æquè nulla accessione corruptrice & deprauatice adaugeri debet, ac scriptum.

Quæ in Scripturæ falsatores VVitackerus subnectit; nos non tangunt; sed hæreticos, qui verbum Dei, etiam scriptum, truncant, lancinãt, & lacerant. Iunius cum Kemnitio asserit: *Euangelium post Apocalypsin à S. Ioanne compositum*; sed audacissimè addit; *S. Ioannem postea Canonem noui testamenti ordinasse & disposuisse; & Apocalypsin vltimo loco posuisse; & clausulam illam de non addendo communem totius Canonis esse voluisse.* Quæso, ex qua scriptura huic suo commento fidem conciliat Iunius? Ex cuius Ecclesiasticæ historiæ monumentis? Quis non ex ipsis demonstratiuis vocabulis, quibus S. Ioannes vtitur; *Verba Prophetiæ libri huius; Ad hæc scriptas in libro isto: de verbis libri prophetiæ huius, &c.* intelligit, propriè & ad litteram prohibitionem illam tantummodo ad Apocalypsin spectare? tametsi negari non debet; quin etiam ad alios diuini Canonis libros extendi possit.

Savvbrandus desperatissimè impudens; hũc syllogismum Bellarmino affingit: *Quod Propheta,*
A *& Apostoli ex officio sibi mandato fecerunt, hoc est & Papæ licitum. Sed Propheta, & Apostoli ex officio sibi mandato addiderunt aliquid ad scripta Mosis. Ergo addere aliquid ad verbum scriptum est Papæ licitum.* Mendacissime impostor; vbi vnquam Bellarminus dixit; *Papæ licitum esse, ad verbum Dei scriptum adiicere verbum Dei non scriptum?* Quis vnquam somniauit verbũ Dei non scriptum à Papa esse? An non ipsum vocabulum satis originem eius indicat? Multos legi sycophantas teterrimos; at nondum apud animum meum constitui; vtrum deterior & mendacior vnquam exstiterit? qui vanissima verbositate hunc perfrictissimæ frontis testem, syllogismum postea examinat; & sursum deorsumque versat; & imperitissimè modò hoc, modò il-
B lud deblaterat; somniaque inanissima, & deliramenta plusquàm febrilia sibi architectatur; quæ qua peritia conficta sunt, eadem ab isto dissoluuntur & dissipantur.

Tertium testimonium ab Hæreticis obiici solitum Galat. 1. *Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, &c.* Respondet Bellarminus, hunc locum intelligi de omni verbo Dei seu scripto seu sola voce tradito: non enim dicit Apostolus: *Præterquam quod scripsimus vobis, &c.* Sed, *præterquam quod Euangelizauimus*, seu annunciauimus vobis, Quod æquè ad prædicationem sola voce peractam, ac ad illam, quę fit scriptis, pertinere potest. Respondet VVitackerus, *posse quidem hunc locum de omni verbo Dei*
C *intelligi; sed hoc omne Dei verbum in scripturis haberi.* Et ita coccysmos suos nobis reponit Caluinianus: qui acutissimè duobus vel tribus argumentis probat omne verbum Dei in scripturis haberi.

1. Apostolus confirmauit Euangelium suum ex scripturis veteris testamenti. quod patet exemplo Beroeensium; Actor. 17. *qui doctrinam Pauli ad scripturam examinabant: ergo omne verbum Dei continetur in scripturis; quomodo enim Beroeenses ad scripturam dicta D. Pauli exigere potuissent; nisi omne verbum Dei in scriptura contineretur?*

Secundum argumentum: *Actor. 26. Sic loquitur Apostolus: Auxilio autem Dei adiutus vsque in hodiernum diem sto, &c. nihil extra dicens; quàm ea, quæ Prophetæ*
D *locuti sunt futura esse, & Moyses: ergo omne verbum Dei continetur in scriptura veteris & noui testamenti.* Et quamuis Paulus non dicat: *quæ Prophetæ & Moyses scripserunt*; sed: *quæ locuti sunt*; id tamen non refert; quia *loqui & scribere* sunt VVitackero synonyma. Item quamuis id, quod S. Paulus asserit de solo testamento veteri accipiendum sit; ius tamen & fas est VVitackero ampliare, & ad nouum testamentum transferre, perinde ac si necessario conficeretur; omnia itidem in nouo testamento esse scripta; si omnia in veteri scripta fuerint: tametsi non fuerunt; vt iam sæpe dictum. Et simpliciter de lege Dei ordinaria fieri non potest, vt vlla in lege absque traditione viuatur; vt suo itidem loco diximus.

Deinde quod S. Paulus dicit; se nihil docuisse nisi quod Prophetæ & Moyses futurum prædixerint; intelligendum est secundum generalem quandam prædictionis rationem; neque enim omnia, quæ Apostolus de Christo & Christiana doctrina tradidit, speciatim & distinctè prædixerunt. Item secundum summam doctrinæ, quatenus omnia tandem doctrinæ capita reuocantur ad id, vnde Lex & Prophetæ pendent, nempe ad charitatem Dei & proximi. Alioqui si quid distinctius exigatur, sudabit, opinor, VVitackerus, donec ostendat, vbinam in veteri testamento prædictum sit D. Paulum scripturum epistolam ad Philemonem, & in ea intercessurũ pro Onesimo, vt in heri gratiam recipiatur.

Ait Bellarminus, huic primo responso non obstare D. Basilium & D. Augustinum; quorum hic lib. 3. contra Petilian. cap. 6. dicit, nihil acceptandum, præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis acceptum est: quorum similia habet S. Basilius in summ. Mor. summ. 72. cap. 1. nam hos Patres nil aliud velle, quàm illud, quod scripturis repugnat, non esse amplectendum. Responderi etiam potest, nihil esse approbandum præterquam quod in scripturis legalibus & Apostolicis continetur siue *implicitè*, siue *explicitè*; vt respondimus in Responso ad Theses Hunnianas cap. 12. VVitackerus ingentes hic triumphos agit; & ex verbis Augustini accuratè consideratis & expensis, hæc annotanda monet.

I. Quæcunq; Paulus docuit, ea in scripturis posse reperiri, id enim Augustinus disertè asserit, & scripturas distribuit in legales ac Euangelicas. Disertè quidem hoc asserit VVitackerus; at in Augustino disertam hanc assertionem necdum reperire potui. Nam vt *præter*, pro *contra* accipi posse euidenter Bellarminus demonstrat; ita etiam *præterquam* pro *contraquam* à S. Augustino vsurpari in confesso esse debet, præsertim cum aliis ex locis suo loco iam allatis clarissimè appareat, D. Augustinum traditiones Apostolicas extra scripturam agnouisse & recepisse: vtrum autem rectæ rationi conformius est; vt loca clarissima & euidentissima per obscuriorem obscurentur; an vt obscurior per loca manifestissima illustretur? Et tamẽ hæc peruersitas Nouatoribus communis est, vt lucem potius per tenebras obnubilare; quam nubila per lumen illuminare studeant.

Sed vt ad D. Augustini locum reuertar, si illud, *præterquam*, accipiatur pro *contra quam*; è vestigio elucescit, quàm apposita sit hæc prima VVitackeri obseruatio; cum Augustini mens hæc sit, nihil accipiendum esse *contra quam*, quod in legalibus & Euangelicis scriptis accepimus. Nec minus iuxta alterum respõsum facile eliditur VVitackeriana annotatio: nam fatemur quæcunque docuit S. Paulus ea in scripturis posse reperiri explicitè vel implicitè; immediatè vel mediatè. Licet autem traditiones non contineantur explicitè in scripturis legalibus & Euãgelicis, continentur tamen implicitè; si non immediatè; at mediatè; quia monstrant traditiones; & ipse Apostolus iubet, 2. Thess. 2. vt obseruemus traditiones, quas accepimus siue per sermonem, siue per epistolam: & sicut D. Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 33. ait: *Scripturarum veritatem à nobis teneri, cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas*; sic verissimè affirmare possumus, scripturarum veritatem à nobis teneri, cum traditiones amplectimur, quas ipsarum scripturarum commendat auctoritas.

Secundum, quod obseruandum monet VVitackerus circa D. Augustini testimonium: *Quæcunq; sunt necessaria, ea etiam in scripturis Legalibus, & Euangelicis, posse reperiri. Nam, ait Augustinus; siue de Christo, siue de Ecclesia, siue de quacunq; alia re, quæ ad fidem vitamq; nostram pertinet.* At non dicit S. Augustinus in scripturis contineri omnia, quęcunque fides seu de Christo, seu de Ecclesia tradit; sed nihil recipiendum *præterquam*, hoc est, *contra quam* quod libri vtriusque testamenti tradunt. Ne tamen restrictius, quàm par est, cum VVitackero agamus, fatemur, quæcunq; necessaria sunt, contineri in scriptura partim explicitè, partim implicitè: partim proximè; partim remotè: partim speciatim; partim generatim. Quid vult amplius Caluinista? Vrget VVitackerus vocabulum *præterquam*: & inde infert; *ergo non solum quod contrà, sed etiam, quod præter scripturas est, respui debet.* At à Bellarmino & aliis ostensum est; voculam *præter*, accipi etiam pro præpositione *contra*, tam apud Astolum, quàm alios Ecclesiasticos scriptores: & tota vis huius obiectionis statim eneruatur; si quis omnia in scripturis comprehendi dicat vel explicitè vel implicitè; Hinc enim fit; vt ne traditiones quidem sint præter scripturam; cum implicitè in scriptura contineantur.

Tertium VVitackeri notabile: *Quidquid prædicatur aut annunciatur, præter id, quod est in his scripturis, illud omnino esse repudiandum.* Non diffiteor, si ita sit *præter*, vt simul sit *contra*. Vel si ita *præter*; vt nec explicitè, nec implicitè in scriptura contineatur. Nam si in ea *implicitè* saltem insit; minimè repudiandum est: quod & Hæreticorum exemplo monstrari potest, qui varios ritus & cæremonias ad decorum & ornatum Ecclesiæ pertinentes, vt aiunt, habent. Hos ritus minimè repudiant; & tamen repudiandi essent; si nihil acceptare liceret, præterquam quod in Legalibus & Euangelicis libris explicitè continetur; Quia tamen has suas cæremonias sacris litteris non existimant aduersari; nec contra illas, neque etiam præter illas ita esse; vt cum illis non consentiant; hinc minimè eas repudiant; cuius generis est obseruatio dici Dominicæ, Paschatis, Pentecostes; Natiuitatis Christi; & eorum festorum, qui Apostolis dicati sunt; saltem apud Lutheranos. Quod ergo sibi licere volunt in suis; hoc illis non inuitis liceat & nobis in nostris.

Quartò ait VVitackerus obseruatu dignum esse, quòd Augustinus cum Paulo omnes traditionum non scriptarum patronos & præcones *anathematizat*. Quo loco? Quibus verbis? Vbi exstat hoc anathema? Certè nec Paulus nec Augustinus in nos anathema iacere queunt; nisi seipsos eodem fulmine tangi velint.

Quam verò valde & validè fauet VVitackero S. Basilius loco cit. qui docet, scripturis consona esse complectenda; dissona, reiicienda: adducitq; prædictum Apostoli locum Galat. 1. Ex quo sic argumentatur VVitackerus: *Si liceret doctori alia adferre præter scripturas, frustra citaret hunc locum Basilius; at nō frustra citat. ergo. etc.* Negatur sequela. Probat: *Quia tunc Basilius proponere debuisset aliquid aliud præter scripturas, iuxta quod periti scripturarū magistrorum suorum dicta, & dogmata examinarent.* Respondeo, hoc non esse necessarium. Proposuit vnā regulam, omniumq; notissimam & tritissimam; ad quam dicta examinarētur; quod satis erat: quidquid enim cum scriptura concordat, id etiam concordat cum aliis regulis: quidquid ab ea discordat, id etiam ab aliis examinandi trutinis discordat. Quapropter hanc nominasse contentus fuit D. Basilius; cæteras non negauit, sed tacuit.

Oggerit VVitackerus: *Qui tantum scripturarum periti sunt, quomodo possunt ea examinare, quæ traduntur à Magistris, præter scripturam?* Non ita loquitur D. Basilius, *qui tantum scripturarum periti sunt:* nulla exstat in textu particula exclusiua. Nam fieri nō potest; vt quis tantùm sit peritus scripturarum; nullamq; traditionū cognitionem habeat, quas scripturæ tantopere commendant; & si quis peritiam scripti verbi Dei, sine peritia non scripti sibi arrogaret; is ad imperitorum classem, quò verè pertinet, ablegandus esset. Itaque qui dicta Magistrorum ad scripturam expendere potest; is etiam potest expendere ad traditionem; pariterque dispicere ac disquirere; num id quod talis vel talis docet; traditioni seu non scripto Dei verbo consentaneum sit.

Si dicat VVitackerus: *Paulus, ex sententia Basilij, vult vt verba concionatorum expendantur & trutinentur ad sacræ scripturæ normam; ergo nulla est cælestis doctrina præter scriptam:* absq; mora negabitur consequentia; cuius vanitatem, qui non videt, hic tantundem videt, quantum VVitackerus.

Ait Bellarmimus Patres hoc loco ad Galat. 1. vsos ad confirmandas traditiones. Respondet VVitackerus, *illos locutos de traditionibus scripturæ consonis.* Idem & nos fatemur. Interim verum manet, locum illum D. Pauli adeo traditionibus nō aduersari; vt Patres à Bellarmino citati traditiones ex hoc loco confirmandas, adstruendasque censuerint: quis dubitet, quin traditiones diuinis litteris consentaneas; nam dissentaneas nemo bonus tuetur. Nec nostræ ideo dissentaneæ sunt, quia sic videtur VVitackero, neque enim phantasia hæretica tam potens est & efficax; vt

A rerum naturas transformet, & ex consentaneo dissentaneum faciat.

Secundum Bellarmini responsum est; illud *præter* apud Apostolum significare *contra*; vt proinde Apostolus non prohibeat noua dogmata & præcepta; sed aliena & peregrina; idq; probat: quia ipse Apostolus multa alia postea docuit; & post Epistolam D. Pauli ad Galatas scripsit Ioannes Apocalypsin & Euangelium. Respōdet VVitackerus: *Affirmo Paulum postea non docuisse alia, id est, noua, ac diuersa dogmata (vt Bellarminus vult), sed alio, eadem docuisse.* Tu hoc affirmas; sed tantæ auctoritatis non est tua affirmatio; vt probationis expers fidem apud nos inueniat. Sed en probationem: *Aliud nec docere debuisse, nec docuisse vnquam, sed*

B *vnum, & idem; ex eo patet, quod Euangelium Christi vnum est, & ille semper Euangelium Christi docuit.* Euangelium Christi vnū est vnitate aggregationis; non, vt sic loquar, *indiuisibilitatis*; non enim consistit in vno duntaxat præcepto, vel dogmate; sed in pluribus. Sicut & scientia physica pluribus diuersis & distinctis conclusionibus constat; & tamen multas ob caussas rectissimè vna dicitur. Potuit ergò Apostolus Euangelium, & quidem vnum idemque Euangelium docere; licet post scriptā ad Galatas Epistolam noua præcepta & dogmata tradiderit; sicut & professor physices vnam eandemque physicam scientiam explicat in primo, secūdo, tertio & demum octauo physicorū licet semper nouas conclusiones proferat & au-

C ditoribus proponat. Sunt quidem conclusiones illæ ab aliis diuersæ, sed non aduersæ; sunt distinctæ; at non propterea dissonæ. Idem & hic cogita. Certè antequam S. Ioannes scriberet Apocalypsin suam, non habuimus hoc præceptum; vt crederemus ea, quæ illo in libro referuntur, esse diuina & diuinitus dictata: neque etiam habuimus præceptum nihil addendi aut detrahendi de illa Prophetia. At postquam liber ille conscriptus est; nouo præcepto obligamur credere singula non tantum capita; sed & minutiora libri mēbra à Spiritu sancto esse profecta. Et quisquis hoc inficiaretur, is ex fidelium numero excideret.

Itaque merum sophisma est cum hunc quasi

D in modum colligit Caluinista: *Doctrina Christi est vna; ergo vbicunq; Apostolus scripsit de doctrina Christi; de tota scripsit; ita vt postea nil noui vel scriberet vel diceret.* Stulta collectio. In Epistola ad Philemonē, itemque ad Titum scripto tradidit doctrinam Christi. Num totam? Num omnia dogmata & præcepta huius vnius doctrinæ? Num alibi non tradidit alia, distincta, numero diuersa; non tamen aduersa; non contraria?

Secunda Bellarmini ratio sumitur ex scopo Apostoli. Disputat enim contra illos, qui contendebant legalia esse obseruanda: at hoc fuit contra Pauli Euangelium, non tantum præter ipsum: *Respondeo*, inquit VVitackerus, *Paulus non tantùm probat legalia non esse seruāda, neq; illud vnicum*

est eius propositum: sed affirmat praterea, se totum, integrum, & perfectum Euangelium Galatis tradidisse, adeò, vt quidquid illi addatur, id falsum, & impium sit. Num affirmat hoc integrum & perfectum Euãgelium à se Galatis tantummodo in scripto traditum? Vbi sunt illa in Apostolo verba? *Falsum & impium esse; quidquid illi addatur.* Vniuersalis hæc vocula *Quidquid*, nusquam comparet in Apostolo; nec mirum; quia venit à VVitackeriano calamo. Et licet vocula *Quidquid*, esset ab Apostolo; intelligenda tamen esset accommodatè ad subiectam materiam; Agebat enim contra Pseudoapostolos; qui Euangelio Christi, quod Paulus prædicarat, zizania sua de obseruatione legalium *superseminabant:* Falsum igitur & impium existimãdum erat, quidquid huius generis erat; hoc est, quidquid à falsis doctoribus manarat; quia contra verum Euangelium erat; ergo Apostolus per illud *præter*, intellexit *contra*.

Obiicit VVitackerus: *quod falsi illi doctores Galatis tradebant, id non tantum fuit contra, sed & prater Euangelium à Paulo prædicatum: ergo nõ tantum id, quod est contra, sed & id, quod est, prater, reprehenditur; & per consequens repudiari debet.* Respondeo, negando consequentiam. Ratio est; quia rectè dicimus; *Est contra; ergo prater*: at non rectè concludimus: *Est prater, ergo contra.* Quia motus grauium ad partes superas; qui fit vacui vitandi caussa, est præter naturam; non contra. Et cum dicimus; *prater physicam scientiam, discenda est metaphysica*: minimè significamus, scientiam Metaphysicam esse contrariam Physicæ; sed esse aliam, numero distinctam; diuersamque, tametsi non aduersam. Itaque Apostolus reprehendit Galatas non præcisè, quia aliquid præter Euangelium accepissent; sed quia id, quod *præter* acceperant; erat contrà: obseruandumque, ipsum Caluinistam confiteri id, quod falsi illi doctores tradiderant, fuisse *contra*; & Apostolum per *prater*, intellexisse *contra*; at non solum; sed & id, quod præcisè esset *prater*; non contra. Quod iste de suo assuit; nec probare potest.

Addit VVitackerus: *Apostolus non dicit contra; quia Pseudoapostoli negassent hoc esse contra Euangelium, quod Paulus ipse tradidit. Quare, vt huic calumnia Apostolus occurreret, ait, prater quod annunciaui, & vos accepistis: quasi dicat; Ego nihil tale docui.* Futilis calumnia; quia tam euidens erat, id esse contra Euangelium à Paulo prædicatum; quàm id esse *præter*. Vbique enim clara & sonora voce docebat sanctus Paulus; legalia finem accepisse; nec cum fide in Christum copulari debere: Itaque Pseudoapostoli illi tam sciebant suam doctrinã esse contra Euangelium à Paulo prædicatũ; quàm illam esse *præter*; & vtrunque istis æquè erat promptum cognoscere, ac Luthero suam doctrinã esse contra & præter Euãgelium à Pontifice Maximo ante Lutheri ætatem prædicatum; vt proinde hæc non fuerit caussa cur Apostolus noluerit disertè vti voce *contra*; sed illa, *præter*; seu potius Græca

A dictione *παρὰ*, quæ & *contra* & *præter* significat; tametsi Interpres noster hoc in loco eam expresserit per Latinam *præter*.

Ad extremum, qua quæso fronte persuasissent Pseudoapostoli Galatis doctrinam suam nõ esse contra Euangelium Apostoli; cum Galatæ ex prædicatione Eugãelij facta à Paulo euidenter sciuerint; legalia non esse cum Euangelio Christi iungenda? Nam illa tradiderat Apostolus Galatis; quæ postea ad eos scripsit: Inter cætera autem etiam hoc scripsit: *Dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersa legis facienda.* Perspicuè igitur perspectum habebant Galatæ, quod alij tradebant, aduersari

B Euangelio Pauli opera prædicato. Igitur à Pseudoapostolis falli non poterant; dicentibus, ea non esse contra Euãgelium à Paulo prædicatum; quia Galatis contrarium euidenter constabat; vt & ipsis falsis Apostolis.

Tertio probat Bellarminus suam expositionem ex alio loco, vbi, *præter* idem est ac *contra*. Rom. vlt. *Obseruate eos, qui dissensiones & offendicula, prater doctrinam, quam accepistis, faciunt.* Hoc loco tam manifestum est *præter*, Græcè *παρὰ*, accipi pro *contra*; vt Erasmus & Beza verterint *contra*. Respondet VVitackerus, se non negare quin dicto loco *præter*, accipiatur pro *contra*, sed hinc non sequi, eodem modo accipi debere ad Galat. 1. Cur hoc dicat, caussam iustam Caluinista nul-

C lam habet; nisi fortè caussa iusta sit, odium traditionum, quas, licet immerito, per hunc Apostoli locum labefactari arbitratur. Adiuncta profectò omnia, omnesque circumstantiæ suadent etiam ad Galat. *παρὰ* seu *præter* pro *contrà* positum.

Quartò idem probat Bellarminus ex Patribus. Occurrit VVitackerus: *Ad Patres non opus est, vt respondeamus.* Cur ita vero? An quia testimonia à Bellarmino producta, apertiora sunt; quàm vt fumis tuis inobscurari queant? *Chrysostomus apertissimè pro nobis facit*; inquit VVitackerus. Non iniuria hoc tanto patrono gloriaris; si verè tibi patrocinatur. Quid ergo S. Chrysostomus in illum ad Galat. locum? *Non dixit Apostolus, si contraria annunciauerint, aut totum Euangelium subuerterint, ve-*

D *rùm, si vel paulùm (hoc est, si minutum, exiguum, vel minutissimum aliquod) euangelizauerint, prater illud Euangelium, quod accepistis, etiamsi quiduis labefactauerint, anathema sit.* VVitackerus antequam triumphum sibi decerni postularet; refutare debuisset responsum Bellarmini, quod hic dat: nam Chrysostomus, & cum eo OEcumenius & Theophylactus, nil aliud volunt, quàm non modò res maioris momenti apertè Euangelio contrarias; sed & minutissimas diligentissimè cauendas esse; si scilicet sint etiam *præter*, hoc est, *contra* illud Euãgelium, quod primitus traditum & acceptũ est. Hinc dicit Chrysostomus: *Etiamsi quiduis labefactauerint*, hoc est, licet ea, quæ videntur minima, tollant & subruant.

A Quod ibidem dicit idem S. Chrysostomus, scripturarum fidem etiam Angelis & excitatis à mortuis, si qui excitarentur, anteponi debere, id haud euincit, particulam *præter*, non accipi pro *contra*, ad Galat. 1. Sed tantùm ostendit, scripturæ habendam potius fidem, quàm aut Angelis, aut à morte resuscitatis, si isti scripturis dissona annunciarent. Et tamen VVitackerus hoc thrasonicum Epinicium sibi concinit: *Certum est Chrysostomum defendere perfectionem scripturarum, & contra Papistas pro nobis facere.* Adeò certè pro vobis facit in materia traditionum, vt supra cap. 7. ob testimonium quoddam Chrysostomi de traditionibus nimis clarum & perspicuum in hanc vocem eruperis: *Dictum inconsideratum, & tanto Patre indignum.*

Profert Bellarminus duo loca D. Augustini, vbi præter interpretatur, contrà. Primus est lib. 17. contra Faustum cap. 3. Alter tract. 98. in Ioannem, vbi sic scribit S. Augustinus: *Non ait plus, quā accepistis, sed præterquam, quod accepistis. Nam, si illud diceret, sibi ipsi praiudicaret; qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed, qui supplet, quod minus erat, addit; non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit à via, &c.*

Respondet VVitackerus, *hunc locum, non facere contra se & suos. Nam fidei Thessalonicensium defuisse aliquid, quod ad subiectum; non quod ad obiectum fidei attinet; nam totam doctrinam illis tradiderat Apostolus, sed illi, totam non didicerant: itaque ad eos iterum venire cupiebat, vt illi traditam doctrinam melius perciperent, atq; vt illorum fides melius stabiliretur.*

Scilicet nihil contra vos est; quod S. Augustinus *præter* vel *præterquam* apud Apostolum accipi docet pro *contra*. An non hoc abnuitis? An non abnuendo contradicitis S. Augustino? An non testimonia eius clara sunt & perspicua? Cur ad alia, propter quæ D. Augustini locus non est allatus, digrederis, & ad id, quod præcipuum est, obmutescis? Quanquam & id, quod de defectu quoad subiectum; & de defectu quoad obiectū, garris, prorsus inscitum & insulsum censeri debet. Nam si alicui cognitio deest, quoad subiectum; hoc est, si in se & in intellectu suo cognitionem non possidet; an non eadem cognitio eidem, etiam quoad obiectū deest? Potestne fieri vt scientia Logices v.g. desit alicui; hoc est, non insit in illo, tanquam in subiecto; & tamen non desit illi, quoad obiectum; seu cognitionem obiecti? Si cognitionem obiecti habet; ergo in subiecto, quia scientia non est, nisi in subiecto. Signū est igitur aliquid fidei, etiam quoad obiectum, defuisse Thessalonicensibus; quod postea ab Apostolo suppletum sit. Distinctio certè illa ex *subiecto & obiecto* à VVitackero petita, tam subtilis est hoc loco, vt non multum differat à stultitia. An nō stultum est affirmare; aliquem totam doctrinam non didicisse; & tamen ei, quoad obiectum doctrinæ illius, nihil deesse; eumque, qui docet, quod quis prius non didicit; nihil noui docere; sed tantùm vetera confirmare? An qui in Physicis primum duntaxat, secundum & tertium librum Physicorum didicisset; cæteris ignoratis; nihil noui quoad obiectum disceret; si quis doctor postea accedēs, reliquos item libros explanaret, discendosque proponeret?

Neq; hæc repugnant illis, quæ cap. 5. cum Bellarmino diximus: *Apostolum Thessalonicensibus totum Euangelium plenè prædicasse:* prædicauerat enim totum plenè, sed ipsi totū *plenè* non perceperant; exorta statim cōtra Thessalonicensem Ecclesiam sæuissima tempestate; quæ Act. 17. describitur; & ab ipso Apostolo in priore Epistola satis depingitur. Quanquam præterea dici potest, prædi-
B casse totum plenè, quo ad ea, quæ vnicuique explicitè credenda sunt: & quibus credendis plenè quis & perfectè Christianus constituitur.

Danæus more suo hic strenuè mentitur, vt cum dicit: *Bellarminum circa locum Apostoli ad Galatas explicandum, ancipitem prorsus ac dubium esse.* Solenne mendacium. Duas dat solutiones, de quibus hactenus, & vtramque vocat *solidam*. Quomodo ergo anceps & dubius est, qui solidæ responsioni innititur? Cætera quæ garrit, nugamenta sunt cassa nuce magis cassa; vt & Iunianæ notatiunculæ; qui acutus sibi videtur in examine illius Bellarminiani vel potius Logici dicti: *Ex vniuersalis negatione rectè ducitur argumentum ad negationem particularis; non tamen è contrario; nam rectè di-*
C *citur. Non est animal; ergo nec homo, nec canis, &c. Non tamen rectum est. Non est homo, ergo nec animal.* Clamat Iunius; *Euangelicam prædicationem generatim spectatam non esse vniuersale totum; sed commune vel totum in modo: Nam secundum substantiam spectatur totum vniuersale; substantia autem vtrobiq; vna est. in sermone, & scripto Apostolorum tota: commune verò spectatur secundùm rei modum, quod propterea totum in modo scholæ appellarunt.* Vult dicere Iunius, prædicationem Euangelicam non esse genus; quòd prædicatio scripta, & sola voce tradita, non differant specie, sed solo scriptionis vel non scriptionis modo; cum alioqui sit idem prorsus verbū scriptum & traditum. Nugatur, vetere instituto, verborum inuolucris Iunius; & cum subtilissima
D dicere videri velit; nil nisi gerras dicit: probè enim nouit Bellarminus prædicationem Euangelicam respectu verbi scripti & traditi propriè nō esse *vniuersale*, quod *genus* appellatur; cum verbum scriptum & non scriptum sint eiusdem speciei, soloque accidentali modo differant; sed *vniuersale* accepit prout quodcunq; *superius* seu *communius* significat, siue partes subiectę minus communes sint propriè species; siue tantùm impropriè & per quandam similitudinem. Et in his æquè valet illa logicorum regula, cuius Bellarminus meminit, ac in aliis, quæ propriè sunt species. Nam si quis dicat: *Hoc vel illud non est prædicatio Euangelica;* rectè infertur; *ergo nec est scripta, nec tradita:* sicut si quis dicat: *lignum non est animal;* re-

Digitized by Google

atè tu concludes; *ergo nec est homo, nec bos, nec canis, nec aliud ex animalium numero.* Contrà, hic etiam ex negatione particularis non tolles *totum*: vt si dicas; *Hoc vel illud non est scriptum; ergo non est prædicatio Euangelica;* mala est consecutio; perinde ac si dicas: *Non est homo, ergo non est animal.* Eandem ob caussam nullius ponderis est hæc collectio: *Non est sola voce traditum; ergo non est prædicatio Euangelica;* quia hæc latius diffunditur, scriptamque itidem Euangelij prædicationem comprehendit.

De toto communi, inquit Iunius, *lex ista Logicorum est. A communi, vel toto in modo, ad particulare, duci argumenta quæuis negatiua, tam communia, quam particularia hoc modo: omni prædicatione interdicitur præter quod euangelizatum est; ergò, & traditionibus nam euangelizatum & scriptum sunt ἀντίστροφα, siue adæquati termini.* Vbi nota primùm, ineptiam loquendi. Totum commune distinguit à toto vniuersali; quasi non & hoc sit totum commune. An non genus totum commune est? Et ipsum, quod totum commune vocat; an nō & *vniuersale* dici potest? Vniuersale & commune quanto, oro, discrimine dissident? Quis porro vnquam logicorum stultam illam regulam & colligendi rationē præscripsit, qua hic vtitur Iunius? Si prædicatio Euāgelica est commune respectu prædicationis scriptæ, & sola voce traditæ; tum sicut affirmatur de scripta, ita & de non scripta affirmari debet: Et sicut falsò negatur de scripta; ita falsò negatur de non scripta. aut si verè negatur, tum non est commune respectu non scriptæ. Si ergo negatiuè aliquid concludere velis, sic collectio instituenda erit. Omni prædicatione interdicitur præter quod euangelizatum est; ergo omni illa interdicitur; quæ nec est tradita neque scripta. At Iunius fatuè sumit, quod nullus Prædicantium vnquam probare potuit: *Euangelizatum & scriptum, esse antistropha*; seu *reciproca, & adæquatos terminos*; quod si verum esset, tum prædicatio Euangelica non esset quid *commune* respectu traditionis.

Mentitur deinde Iunius nihil eorum, quæ S. Athanasio & S. Cyrillo Bellarminus attribuit, reperiri locis citatis. Hoc mendacium euidentiùs non deprehendetur, quàm inspectione locorum, quæ Bellarminus notauit.

Mox solennia illa sua intonat: *Negatur. Falsa probatio.* Erasmus Rom. vlt. *malè vertit* παρὰ, *contra. Imprudens fecit. Homo fuit.* Ergo & Beza malè vertit; quia eodem modo vertit; teste VVitackero; qui hanc versionem probat; tametsi duæ editiones Bezanæ, quas ego inspexi, non habeant *cōtrà*; sed, *præter.* Mētitur, Ambrosio falsum impingi à Bellarmino. Mentitur iterum, Patres, quos Bellarminus profert, pro se & suis facere. Consulantur & euanescet pseudologia.

Savvbrandus hic denuo impudentię & mendaciloquentiæ suæ omnes habenas laxat. Ait ex Bellarmini sententia; locum D. Pauli ad Galatas,

A *non intelligi de scripto; sed tantum de tradito verbo.* Quo mendacio nil vanius, cum Bellarminus ex instituto probet, locum Paulinum de vtroque verbo explicari posse.

Huic suo vesano mendacio superstruit Caluinista hanc dementissimam insaniam: *Quod Euangelizatum est, hoc habet perfectam doctrinam salutis. Sed, quod scriptum est, non habet perfectam doctrinam salutis. Ergò, quod scriptum est, hoc non est illud, quod euangelizatum est. Horresco referens hoc argumentum;* inquit perfidus Caluinista. Vbi denuo mentitur; nam si referens hoc argumentum horruisset; nunquam illud procudisset; nunquam animo procusum chartæ illeuisset; sed intra amentem suam mentem, ne in publicum prodiret, oppressisset.
B Non horruit facere, & nunc horret commemorare. Vix capio, quomodo tanta & tam Diabolica mentiendi & sycophātandi petulantia in hominem cadere queat. Ergóne assertio seu conclusio illa Bellarmini est? *Quod scriptum est, hoc non est illud, quod euangelizatum est.* Nescio num vllus diabolorum, lectis, quæ hic scribit Bellarminus, id affirmare auderet. Et tamen hoc audet nefarius iste Caluini assecla.

Ex argumentis, quibus Hæretici conantur ostendere, scripturas esse sufficientes, & omnia necessaria continere, primum est illud Ioan. 20. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, &c.* Vbi Ioannes indicat, se scripsisse, non quidem omnia, sed ea, quæ sufficiebant. Respondet Bellarminus,
C Ioannem loqui de miraculis à Christo patratis; & dicere, se aliqua tantùm miracula Christi in litteras retulisse; quæ scilicet fidei amplectendæ sufficerent. Recinit VVitackerus: *Etsi Euangelista faciat mentionem miraculorum in versu penultimo, tamen illud* (ταῦτα) *quod subiungit in vltimo versu, magis de doctrina, quàm de miraculis intelligendum est.* VVitackerus iterum morem suum obseruat, qui est tantùm dicere; nil probare. Cum enim proximè antè de miraculis à Christo patratis locutus fuisset, quis non videt illud pronomen relatiuum seu demonstratiuum ταῦτα, nil aliud referre & demonstrare, quàm quod proximè antecesserat; nempe vocabulum σημεῖα. Nam quod VVitackerus dicit, *miracula propriè in nobis non gignere fidem, sed*
D *genitam potius confirmare & suffulcire*; falsum est; si per caussam generantem intelligamus, vt debemus, caussam, quæ inducit & impellit ad fidem; (nam caussa propriè fidem generans, hoc est, effectiuè producens, solus Deus est) Quid enim potentius & efficacius mētem impellit ad fidem amplectendam quàm tot & tanta miracula; quæ in Euangelica historia passim commemorātur? Ex infinitis ergo miraculis ea se scriptis complexum profitetur D. Ioannes; quæ sufficerent ad impellendum quempiam, quò nomen suum in disciplinam Christi daret. Et quamuis miracula fidem quoque roborent & confirment; id tamen non obstat, quo minus & ad fidem inducāt; quia vtrunque munus obire possunt.

Secun-

Digitized by Google

Secundò, respondet Bellarminus Ioannem non loqui, nisi de rebus à se scriptis; si ergo illæ sufficiunt, superfluæ erunt omnes aliæ scripturæ. Respondet VVitackerus; *Si, quæ scripta à Ioanne sunt, eiusmodi sint, vt ex iis fidem, & salutem consequi possimus, tum multò magis possumus ex omnibus libris, & ex toto scripturarum Canone fidem, & salutem consequi.* Hoc non eneruat Bellarmini solutionem. Licet enim ex aliis itidem libris fides hauriri posit, si tamen ex solo Euangelio Ioannis fides sufficienter hauritur, necesse est reliquos scripturæ libros, esse superfluos; hoc est, fidei percipiendæ & alendæ non necessarios. At quis ferat affirmantem, omnes Biblicos libros, præter Euangelium S. Ioannis, esse superfluos, hoc est, non necessarios?

Addit VVitackerus, *multò rectius hunc locum Ioannis explicari, si dicamus, Ioannem hic loqui non de suo tantum libro, sed de omnibus libris noui testamenti; nam viderat ille omnes; & hoc Euangelium postremò scriptum est.* Iunius & alij VVitackeriani symmystæ passim clamitant. *Apocalypsin postremò scriptam*; & ea scriptione Ioannem diuinorum librorum Canonem, tanquam clausula, conclusisse & obsignasse; idque liquere ex Apocalypseos fine; vbi tam seuera præceptio exstat, ne quid vel addatur, vel detrahatur.

Deinde VVitackero directè repugnant verba illa S. Ioannis, cap. 20. *Multa quidem & alia signa fecit* IESVS *in conspectu discipulorum suorum; quæ non sunt scripta in libro hoc.* Quæso quid demonstrat Pronomen *Demonstratiuum* hoc? Num omnes Bibliorum libros, an illum tantummodo, quem præ manibus tunc Ioannes habebat; & ad cuius calcem illa ipsa scribens, properabat? Quis prius illud asserat; nisi qui vim pronominis demonstratiui ignorat? Idem indicant illa: *Hæc autem scripta sunt*: vbi rursus pronomen demonstratiuum rem præsentem demonstrat.

Pergit VVitackerus. *Quanquam forsitan aliqui libri postea prodierunt, tamen non sequitur, omnia necessaria non tum fuisse scripta. Sed quia ait*; hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum filium Dei; *hoc, non ita intelligendum est, quasi sine his scripturis nullo modo fides perciperetur, aut salus. Nam, ex vetere testamento potest fides, & vita percipi; &, qui vetus tantum testamentum habebant, fideles erant, & seruabantur: sed hoc modo multo clarius, & apertius, multò melius, & certius ad fidem, & salutem perueniemus. Sunt ergò hæc scripta Ioannis necessaria, ex hypothesi, vt & reliqui libri noui testamenti, quia scilicet Deus nos hoc tempore clarius sub Euangelio docere voluit, & extare multò apertissima peractæ redemptionis testimonia.* Summa disputationis VVitackerianæ huc tandem redit: nouum testamentum non esse ad fidem & salutem necessarium; sed sufficere vetus: Ex eo enim fidem quoque percipi posse: Et ita nescio num mendacij an falsi redarguat S. Ioannem; qui dicit: *Hæc autem scripta sunt; vt credatis*; &c. Nisi opem ferat VVitackerianus commentarius, quasi Ioannes duntaxat voluerit; hæc scripta esse; *vt multò clarius & apertius, multoq́ melius & certius ad salutem & fidem perueniamus. Nam scripta Ioannis & reliquos noui testamenti libros tantùm esse necessarios ex hypothesi, quia scilicet Deus nos hoc tempore clarius sub Euangelio docere voluit; & exstare multò apertissima peractæ redemptionis testimonia.* At si libri nouæ legis tantummodo ex hypothesi necessarij sunt; multò magis id de veteris testamenti libris asserere licebit; & inde conficit id, quod Catholici tradunt scripturas non esse simpliciter Ecclesiæ necessarias, sed omnia traditionibus seu verbo non scripto effici & obtineri posse; de quo supra suo loco. Mirum autem est; hunc Caluinistam libris antiqui testamenti maiorem in Ecclesia Christiana tribuere necessitatem, quàm libris Euangelicis. Nec aduertit talibus diuerticulis argumentum Bellarmini non eludi, multoq́; minus elidi: siue enim Euangelium S. Ioannis sit ex hypothesi necessarium ad fidem & salutem; siue simpliciter & categoricè; semper sequitur; si hoc Euangelium ad salutem & fidem sufficit; vt Prædicantes ex verbis D. Ioannis euincere conantur; reliquos scripturæ libros esse superfluos, hoc est, non necessarios (saltem ex hypothesi) vt vult argumentum Bellarmini: Sicut si iste equus vel currus sufficit, vt eo, quo institui, commodè perueniam; rectè colligimus, alterum equum vel currũ esse superfluum, hoc est, non necessarium; etiam ex hypothesi, id est, posito quod adsit; quia etiam ex hypothesi eo carere possum. Magnificè, scilicet, de aliis scripturæ libris sentit; quisquis ita sentit; etiamsi addat; sufficere quidem Euangelium Ioannis; reliquos tamen libros esse necessarios *ad commodius & melius percipiendam fidem*; Facilis igitur iactura erit aliorum librorum quamuis intereant, dummodo Euangelium S. Ioannis superet; quemadmodum facilis iactura est; si quis vno equo vel curru egregiè instructus altero careat.

Ait Bellarminus. Illa Euangelistæ verba: *Hæc autẽ scripta sunt*, &c. nõ significare signa seu miracula sufficere nobis ad salutẽ; sed illa ad hoc referri & ordinari, & esse vnũ ex mediis requisitis ad nostram salutem, etiamsi solum non sufficiat. Respondet VVitackerus: *Scriptura non est tantum vnũ ex illis mediis, quæ referuntur ad salutem, sed est totũ, & solum medium, est perfectum, & integrum mediũ: quia fidem perfectam generat. Ea enim fides, quæ affert salutẽ, est perfecta. Perfectum igitur est illud medium, quo hæc fides generatur.* Iterũ respondet VVitackerus extra propositũ. Nam Bellarminus nõ loquitur de scriptura; sed de signis & miraculis à Christo patratis, & à D. Ioanne in literas relatis: & hæc dicit referri & ordinari ad nostrã salutem tanquã vnum quoddã mediũ, licet per se solũ nõ sufficiat. Quid ergo iste hic de scriptura oggannit? Deinde falsũ est scripturã esse totũ & solũ mediũ salutis adipiscendæ. Falsa item ratio, quæ additur; *quod ipsa sola perfectam fidem generet*; generat quidẽ perfectam

Digitized by Google

fidem; sed adiuta ab aliis caussis, inter quas verbum Dei traditum; seu non scriptum: absque quo fides nunquam perfecta est; quidquid isti contra tonent. Quanquam certo quodam sensu dici potest scriptura perfectam fidem generare, mediatè scilicet; quia ostendit reliquas caussas, quibus fides generatur, & omnibus suis numeris absoluitur.

Fides est perfecta, inquit VVitackerus; *perfectum est igitur illud medium, quo generatur.* Omnino perfectum est; sed in suo genere: nam perfectum dicitur, quod habet, quidquid habere debet. *Sed sola scriptura est medium*: negamus; præsertim, si de immediato medio sermo sit. At erit imperfecta; si ipsa sola non sit medium. Certè non magis, quàm homo imperfectus sit; quod ipse solus nō sit medium generandi hominis; cum ad huius generationem non tantum homo, sed & caussæ vniuersales concurrant. Et quamuis scriptura respectu fidei generandę sit caussa tantummodo partialis; non sequitur tamen esse imperfectam, quia & caussa partialis in genere suo perfecta est; quando habet; quidquid ex suæ naturæ præscripto habere debet.

Sed en syllogismum VVitackerianum. *Quæcunque sunt ad salutem necessaria, ea posita sunt in hoc, vt Iesum esse Christum Dei filium credamus: sed, quæcunque necessaria sunt, vt Iesum esse Christum credamus, ea scripta sunt. Ergò, quæcunque sunt ad salutem necessaria, in scripturis habentur.* Respondeo, I. Maiorem absolutè negari posse; quia plures sunt articuli fidei creditu necessarij; quàm iste; *Christum esse Dei filium*; vt vel ex Symbolo Apostolorum patet. Deinde dato; quòd omnia ordinentur ad hoc, vt fide vera, Catholica; & supernaturali credamus Christum esse Dei filiū; negatur tamē Minor; nam vt hoc verè credamus oportet; & plane ad salutē necessarium est, vt alia itidē omnia diuinitus patefacta & reuelata verè credamus: quorum multa in sacris litteris minimè continentur.

Producunt Hæretici testimonia quædā D. Augustini, & D. Cyrilli, quorum ille Tract. 49. in Ioan. *Sanctus Euangelista testatur*, inquit, *multa Dominum Christum & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt. Electa sunt autem, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Idem Aug. lib. 1. de consensu Euangel. cap. vlt. *Quidquid*, inquit, *Christus de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribendum Apostolis tanquam suis manibus imperauit.* Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. vlt. *Non omnia*, inquit, *quæ Dominus fecit, conscripta sunt; sed, quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere, vt recta fide, & operibus, ac virtute rutilantes ad regnum cælorum perueniamus.*

Respondet Bellarminus, istos Patres loqui nō simpliciter de omnibus ad salutem necessariis; sed de omnibus dictis & factis Christi, ex his enim Apostolos selegisse; quæ fidelibus sufficere credebant. Obiicit VVitackerus. *Hoc sufficit; si enim omnia dicta Christi Ioannes sufficienter scripsit, tum & totam etiam eius doctrinam scriptis mandauit, quanta nobis sufficeret.*

At VVitackerus nihil respondet ad obiectionem Bellarmini; quæ est; si Ioannes absolutè omnia doctrinæ Christianæ capita sufficienter in litteras retulit; fore; vt totum vetus testamentum, & omnia alia Apostolica & Euangelica scripta non sint necessaria? Quis piæ mentis hoc asserat? Scripta igitur sunt à S. Ioanne & aliis Euangelistis, de dictis & factis Christi, quæ satis erant; quia per illa ipsa; quæ scripta sunt; ducuntur fideles ad alia; quæ non sunt scripta: nam scripta doctrina Christi ostendit quoque non scriptā; & vbi quærenda sit, demonstrat. Ergo sicut si quis, confecto Physices aut Dialectices compendio, diceret; se elegisse ex Physicis & Dialecticis quæstionibus, quæ tironibus ad institutionem sufficerent; minimè indicaret; nihil aliud de Physicis aut Dialecticis difficultatibus discendum superesse; sed iam sufficientia fundamenta esse iacta; vt & reliqua, quæ desunt, aliunde peti & inquiri posint; ita cum D. Augustinus vel alij Patres dicunt; electa ad scriptionem ab Euangelistis, quæ fidelibus ad salutem sufficere existimarent; tantum indicant; ex scriptis ita sufficienter instrui posse fideles; quia illis intellectis, iam viam paratam & expeditam ad cætera indaganda & inuenienda habent.

Secundò Respondet Bellarminus, patres illos non velle, ex dictis & factis Christi sufficienter esse scripta omnia ad salutem absolutè necessaria; sed esse scripta sufficienter ea; quæ Apostoli scribēda esse putauerint. Occurrit VVitackerus *Ridiculum commentum; quia Augustinus dicit; tract 49 in Ioan.* Electa esse, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur: *non ait sufficienter scripta esse, quæ scribuntur. Ergò, omnia scripta sunt, quæ sufficiunt nostræ saluti, quæque necessaria sunt.* Respondeo, negando consequentiam; si velit, vt vult; omnia ad salutem necessaria, scripta esse in particulari; explicitè & immediatè; quanquam omnia sufficienter scripta sunt in generali; implicitè; & mediatè; hoc ipso, quod scripta doctrina non scriptam monstrat & commendat, & vnde haurienda sit, docet. Nec repugnat D. Augustino hæc secunda Bellarmini responsio: quia si scripserunt Apostoli, ex sententia D. Augustini, quæ saluti credentium sufficere videbantur; scripserunt ergo ea; quæ scribenda indicabant; sufficienter scilicet saluti fidelium: quemadmodū is, qui compendium Physices aut Dialectices cōponit, scribit ea, quæ scribenda existimat, sufficienter institutioni & explicationi eorum; quę ad fundamenta vtriusque facultatis spectant; non quod absolutè non restent plura discenda, & scienda; sed quia hæc pro tali statu sufficiunt; cum ad alia viam muniant & aperiant.

In altero testimonio dicit S. Augustinus, scripta esse de dictis & factis Christi, quæ nos legere Christus voluerit: *Forsan arripient*, inquit VVi-

tackerus

ckerus, quod Augustinus ait, *legere voluit*. Omnino hoc arripiemus; bene coniectasti. Obiicis. *Hoc contra illos inprimis facit: Nam leguntur illorum traditiones alicubi, etsi non scripta dicantur. At Augustinus ait, Christum ea omnia Apostolis suis scribenda imperasse, quæ nos legere voluit: ergò de his traditionibus nullum mandatum dedit, aut scribendis, aut legendis.* Quàm futilis nugator. Legantur traditiones; non in scriptura; sed in patrum libris, aliisque Ecclesiasticis monumentis. *At Christus scribi in scriptura Canonica imperauit; quæ nos in scriptura legi voluit.* Respondeo, traditiones non voluit nos in scriptura legere; explicitè nimirum & in particulari; ergo nec imperauit, vt in scriptura scriberentur. Nam quod traditiones alibi leguntur; per accidens est; rectèque nihilominus non scriptum Dei verbum appellantur; eò quòd nõ in ipsa Canonica scriptura immediatè comprehendantur. Nec loquitur D. Augustinus de quacunq; lectione; sed de lectione sacrarum litterarum; quibus inclusum dicit; quidquid Christus nos de dictis & factis suis legere voluit, in Canonicis nimirum libris.

Instat VVitackerus: *Si Christus traditiones aut scribi aut legi voluisset, qui nam potius illas scripsissent, quàm Apostoli, qui reliqua scripserunt, aut vbi potius legi debuissent, quàm in scriptis librisq; Canonicis?* Non debebant Apostoli traditiones non scriptas scribere; sed posteritati tradere; quia si scripsissent; iam hoc ipso non fuissent verbum Dei non scriptum seu traditum; sed scriptum; atque adeo naturam huius verbi, quatenus formaliter non scriptum est in Canonicis libris, sustulissent. Sic Christus non potuit velle, vt verbum Dei non scriptum; qua tale, formaliter, legeretur in libris Canonicis, quia si in his legeretur; iam desineret esse verbum non scriptum: quod non contingit, licet legatur in patrum lucubrationibus, aliisque Ecclesiasticis monumentis; quia patres & alij Ecclesiæ scriptores, qui Apostolorum tempora subsecuti sunt; non sunt scriptores Canonici; hinc licet traditiones commentariis suis inserant; non idcirco Canonicam scripturam conficiunt; cum non ducantur & agantur in sua scriptione eo impulsu & instinctu; quo olim Apostoli; & reliqui scriptores sacri. Si dicat VVitackerus: *non esse credibile Christum tradidisse aliquid ad salutem necessarium; quod extra scripturam remaneret;* nemo adeo hebes erit, qui millies iam iteratum coccysmum non agnoscat.

Dicit Bellarminus: omnia tam quoad dogmata, tam quoad mores, atque adeo ad salutem necessaria scripta esse sufficienter in vniuersali, non in particulari; vt supra dictum. Occinit VVitackerus. *Si tantum in vniuersali hoc modo omnia scripta sunt, quare obsecro tam multa sunt scripta? Nam pauca sufficere potuissent, ex quibus reliqua sumerentur: etiam hæc vnica sententia instar omnium fuisset;* Credite, quæ Ecclesia docet. *quemadmodum dixit primus;*

A *Traditiones suas vniuersaliter præcipi à Paulo in his verbis:* Tenete traditiones, *vt præterea nihil desiderandum esset.* Imò plus VVitackero liberaliter largimur. Etiam absque omni scriptura; cum solo verbo Dei non scripto, subsistere potuisset Ecclesia. Posita autem diuina ordinatione & voluntate; quòd Deus verbum suum non tantummodo traditum; sed & partim scriptum exstare voluit; quærere; cur hæc vel illa sint scripta; hæc vel illa non sint scripta; cur tam multa; cur non pauciora; vanum & inane est; quia huic quæstioni nullus vnquam satisfaciet; *nisi qui consiliarius Dei fuit.* Quis ille? Sed non est sectariis insuetum, non modo sciscitari; sed & aliquando cum sacris scriptoribus, cumque ipso spiritu

B sancto, expostulare; cur hæc vel illa, hoc vel illo modo scripserint; alia silentio præterierint. Hinc illa plena impudentiæ Lutheri in Operatione Psalmi 21. vel, vt ipse citat; 22. Tom. 3. Lat. VViteb. ad illa Psalmi verba: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Mirum, cur Euangelistæ hunc præ cæteris versum adducant: cum videatur minimum, & vltimum passionis genus indicare, nempe spolium vestimentorum; præsertim Ioannes, qui, omisso primo versu, quem Matthæus, & Marcus inserunt, hunc minoris ponderis, verbosè, & integra historia quadam recitat: cur, non cor, ossa, linguam, aut alia, quæ hic narrantur, allegant? Sed & Euangelistæ fortè moti sunt, cur nam Propheta hanc iniuriam Christi cecinerit, cum multa alia maioris momenti tacuerit, vt spineam coro-*

C *nam flagella.*

Savvbrandus hic antiquum tenet. Bellarmino syllogismũ tribuit; quem Bellarminus nunquam vidit; tantum abest, vt fecerit: *Per quod possumus vitam æternam habere, illud continet perfectam doctrinam salutis. Sed per verbum scriptum possumus vitam æternam habere. Ergò continet perfectam doctrinam salutis.*

Subdit Caluinista. *Bellarminus concessa Maiore, negat Minorem.* Vbi? Quo loco? Quis vnquam ex Catholici ore audiuit; nos non posse per verbum scriptum acquirere vitam æternam? Possumus; sed tanquam per caussam partialem; quia tam scriptum; quàm non scriptum Dei verbum; vitam æternam monstrat; & ad illam viâ regiâ

D ducit. Possumus vitam æternam acquirere per scriptum verbum; quia præit nobis viam etiam ad non scriptum Dei verbum.

Mentitur Savvbrandus, *miracula à S. Ioanne aliisque Euangelistis scripta, non sufficere ad fidem salutiferam gignendam;* hoc est, *ad hoc, vt quis ad fidem & doctrinam Christi amplectendam inducatur.* Contrarium docet experientia; euidenter testificans multos & olim, & hodiè itidem, lectis à Christo patratis miraculis, & visis auditisue aliis, quæ in Ecclesia Catholica contigerunt, & indies contingunt, ad fidem & religionem Christianam amplectendam inductos, imò & impulsos fuisse; & his quoq; temporibus induci & impelli; tanquam efficacissimâ caussâ motrice, & ad

cæle-

Digitized by Google

cæleste fidei donum acceptandum vehementissima exstimulatrice.

Deinde manifestè cõtradicit Caluinista D. Ioanni, qui postquam dixerat: *Multa quidem & alia signa fecit* IESVS, &c. Subiecit: *Hæc autem scripta sunt*, &c. Hæc scilicet signa; hæc miracula scripta sunt; *vt credatis, quòd* IESVS *est filius Dei*, &c. hoc est, vt habeatis sufficientem caussam, qua ad assensum Christianæ doctrinæ præbendum inducamini; & assentiendo vitam æternam tandem consequamini.

Pergit Savvbrandus. *Illa scripta à se esse dicit Ioannes, quorum finis, est vita æterna. Sed vita æterna non est finis solorum miraculorum. Ergò, non dicit sola miracula à se scripta esse.* Respondeo, Maiorem esse falsam; si vniuersè sumatur hoc sensu; illa omnia scripta à se esse dicit Ioannes; quorum finis est vita æterna; negatur Maior hoc sensu; quia etiam Prophetiæ Danielis, Hieremiæ, Isaiæ; imò omnium librorum Canonicorum finis est vita æterna; neque tamen S. Ioannes omnia illa volumina à se scripta dicit. Si autem Maior sit particularis; hoc sensu; aliqua dicit Ioannes à se scripta quorum finis est vita æterna: conceditur Maior; *Sed vita æterna non est finis solorum miraculorum.* Esto Minor. *Ergo non dicit sola miracula à se scripta esse.* Negatur consequentia; tum quia syllogismus informis est; & inuestis; in qua enim figura; in quo modo? tum quia si formetur; sic formandus erit; Aliqua quorum finis est vita æterna, à se scripta dicit Ioannes; sed non solorum miraculorum finis est vita æterna: ergo non sola miracula à se scripta dicit Ioannes; sed sic negabitur conclusio; quia in prima figura in modis directè concludentibus nihil colligitur ex Maiore particulari; vt notum Dialecticis. Si Maior formetur vniuersaliter; falsa erit; vt antea dictum. Et perinde facit Savvbrandus ac si quis hunc in modum deliraret. *Illa scripta à se dicit Porphyrius in sua Isagoge, quorum finis est cognitio Logica: sed cognitio Logica non est finis solorum vniuersalium Porphyrianorum: ergo Porphyrius non dicit sola vniuersalia in sua Isagoge à se scripta esse.* Egregius syllogismus; viua Savvbrandici effigies.

Considera & hanc delirationem. *Aut habemus vitam æternam per ea, quæ scripta sunt; aut errauit Ioannes; dum dicit, hæc esse scripta, vt vitam æternam habeamus.* Non errauit Ioannes; Vitam æternam habemus per ea, quæ scripta sunt; sed non per sola; vt sæpe dictum; neque hoc affirmat S. Ioannes. Si ita deliramentum concipias. *Aut per sola scripta vitam æternam habemus; aut errauit Ioannes:* nulli non procliue erit, eadem facilitate hunc *coccysmum* repudiare; qua à Savvbrando adducitur. Cætera, quæ adiungit Caluinianus vanissima fanatici hominis commenta sunt: ex VVitackero efficta; & nouis quibusdam phantasiis adaucta & exornata.

Danæus hic nullum aliud negotium sibi datum existimauit; quàm vt mentiretur: Mentitur igitur primò; *Bellarminum nihil respondere ad suorum*, hoc est, Caluinistarum & Lutheristarum, *argumenta; quibus ex loco D. Ioannis euincere contendunt omnia ad salutem necessaria scripta esse.*

Mentitur secundò, *hoc à suis luce meridiana clarius demonstrari.*

Mentitur tertiò, *Bellarminum tantummodo in sectariorum argumentis dissoluendis nugari.*

Mentitur quartò, *locum Ioannis: Hæc autem scripta sunt, &c. non nisi imperitè ad miracula Christi referri.*

Mentitur quinto, *Ineptam esse hanc consecutionem ex mente hæreticorum fabricatam: Solum Ioannis Euangelium sufficit ad vitam æternam obtinendam: ergo reliqua Canonica scripta sunt superflua*, hoc est, non necessaria.

Iunius nil nisi subtilitates hic tradit: *Per signa apud Ioannem intelligi etiam verba & doctrinam Christi, non tantum miracula; quia Christus potens fuit in verbo & in opere.* Ex Iuniano igitur commentario sic erit explicandus S. Ioannis locus. *Multa quidem & alia signa*, hoc est, *miracula & verba fecit* IESVS. Audi & hanc subtilitatem. *Ioannes omnia dicta & facta Christi scripsit; quia scripsit quædam; quæ cum aliis communi & generali ratione conueniunt.* Ex qua Philosophia dicere liceret, S. Ioannem omnia Christi miracula litteris mandasse; tametsi vnum duntaxat scripsisset; quia hoc vnum conuenit cum reliquis in generali miraculi notione, & ratione. Sic Liuius licet vnum tantummodo Romanorum militare facinus conscripsisset; omnia conscripsisset; quia illud vnum cum reliquis omnibus generalem quandam conuenientiam habet.

Postea ingeminat suum illud: *Negatur. Negatur prius & posterius dictum. Hoc negamus planè. Negatur. Negatur primo antecedens. Negatur restrictio. Negatur & consequens. Bellarminus in sequentibus ollam exornat suam; negantur.* Quid cum isto negatore agas? Si hæc refutandi ratio est legitima, tum tam facile totum Bellarminum refutabit Iunius; *quàm vulpes pyrum comest*; vt dictum Plautinum ad Iunium redire iubeam.

Secundus locus ab Hæreticis obiectari solitus est ille 2. Tim. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ex quo inferunt sectarij. *Ergo sola scriptura ad salutem sufficit; cum sufficiat, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus.* VVitackerus dicit; *se nolle hic disputare, vtrum Apostolus tantùm loquatur de libris antiqui testamenti; an & noui; an de vtroq;; Tandem existimare se profitetur hanc generalem de tota scriptura sententiam.* Quid opus longa tergiuersatione? An non verba Apostoli sunt vniuersalia? An non eadem encomia in scripturam veterem competunt?

Digitized by Google

An non & ipsa vtilis est *ad docendum*, ad *arguendum*, &c. An non & ipsa *diuinitus inspirata* est? Ad Hæreticorum, ex hoc loco obiectionem, respondet Bellarminus; scripturam sufficienter instruere, & perficere hominem Dei; quia omnia continet vel explicitè, vel implicitè, immediatè vel mediatè; hoc ipso; quòd monstrat, vnde petenda sint; quæ expresè & immediatè non complectitur; vt sunt traditiones non scriptæ.

Occurrit VVitackerus: hoc dici non posse; quia tunc *sufficerent Decalogus, Symbolum, & oratio Dominica; nec opus esset tot libris*. Omnino sufficerent si Deus ita voluisset: quia etiam absq; omni scriptura; cum solo verbo non scripto, homines doceri, argui, corripi, erudiri in iustitia & perfici possent. Cur autem Deus plures libros exstare voluerit; cum pauciores sufficere potuissent; ipsum Deum examinet VVitackerus: Nullus vnquam certius & verius caussam reddet. Dico tamen; maioris commoditatis, perspicuitatis, & facilitatis gratia voluisse plures conscribi libros; licet absolutè nulli fuissent necessarij, aut pauciores sufficere potuissent; qui in genere nobis indicassent; vnde cætera ad salutem necessaria peti debeant.

Nec mirum videri debet Caluinistæ huic cum dico, pauciores libros ad salutem sufficere potuisse; cum illud ipsum apertè asserat hîc Danæus his verbis: *Etsi vnus duntaxat Canonicus liber exstaret, sufficeret ille, quoad substantiam doctrinæ salutaris*. Ergo vel sola Epistola ad Philemonem sufficeret; quia & ista inter Canonicos libros sedem obtinet.

Secundò respondet Bellarminus; Apostolum non dicere; omnis scriptura est sufficiens; sed omnis scriptura est vtilis ad docendum, &c. Et voculam, *Omnis* non tantum ad totam scripturam; sed & ad singulos scripturæ libros, imò & partes referri; Omnis enim scripturæ pars licet pars sit partis, hoc est, libri; vtilis est ad docendum, &c. vt perfectus sit homo Dei. Mentitur ergo VVitackerus, *Bellarminum sic argumentari: Ab Apostolo non est dictum: Tota*; Sed; *omnis scriptura, ergo non toti modò, sed omni, id est, singulis libris Apostolus hanc laudem tribuit*. Vbi Bellarminus hanc consequentiam format?

Verbosè deinceps ostendere conatur, vocem *Omnis*; etiam accipi; pro vocabulo; *Tota*, nec tamen vel hilum proficit. Dato etiam, quanquam nō concesso, vocabulum, omnis, idem esse, quod *Tota*, num ideo negabit VVitackerus hanc consecutionem: *Tota scriptura est vtilis ad docendum*, &c. *ergo & qualibet eius pars*. Certè hanc consequentiam repudiare non poterit, nisi & suis symmystis contradicere; & se impietatis scelere obstringere velit: quid enim clarius, quàm totam scripturā & quamlibet eius partem: ad docendum vtilem esse; cum quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint, vt testatur alibi Apostolus. Prædicantes non de vocula *Omnis*; vel illa; *vtilis*, hic digladiari deberent; sed num *vtile* hoc loco idem sit, quod sufficiens; & quidem adæquatè sufficiens; item num *vtilitas* hoc loco idem sit, quod sufficientia. Vel num hinc extundi posit illa Prædicantica consequentia: ergo sola scriptura in se & per se immediate sufficiens est, vt hominem perficiat, & ad omne bonum opus instruat: nam Prædicantium collectio ex hoc Apostoli testimonio planè similis est huic. *Omnis debita dispositio ad generandum ignem vel aërem vtilis est ad generationem ignis vel aëris: ergo debita dispositio sola per se sufficit ad generationem ignis vel aëris*. Item. *Concursus cæli & superiorum caussarum vtilis est ad procreandum hominem, ergo solus sufficiens est ad procreationem hominis*. Repetam. Aliud est; esse *vtile*: aliud se solo *sufficiens*: aliud etiam, *sufficiens in suo genere*; aliud; *sufficiens simpliciter & absolutè*. Homo sufficiens est, in suo genere; nimirum in genere caussæ particularis; ad procreandum hominem; sed non sequitur; *ergo solus homo potest procreare hominem*; vel, *solus homo sufficit procreando homini*; quia requiritur præterea subsidium & adminiculum caussarum superiorum & vniuersalium; sine quibus inferiores effectum producere nequeunt. Sic scriptura sufficiens est sed in suo genere; non absolutè & simpliciter, omnibus aliis seclusis; vt hominem perfectum reddat; & ad omne bonum instruat.

Dices. *Scriptura reddit hominem perfectum; ergo ipsa sola sufficit*. Simile est hoc argumentum huic. *Caussa efficiens particularis, homo v. g. generat perfectum hominem; ergo ipsa sola ad generationem hominis sufficit, absq; aliarum caussarum auxilio*. Scilicet, vt caussa particularis efficit hominem perfectum; sic & scriptura, reddit hominem perfectum. Vtraque nimirum in suo genere, non exclusis aliis; & ad hoc præstandum, sufficiens est scriptura; quælibet enim causa sufficiens est ad id efficiendum, cuius gratia instituta est; sed non ideo simpliciter est sufficiens.

Quod agnouisse videtur Caluinianus Iunius; cum hic ista scripsit. *Vt in corpore bene constituto singula membra sufficiunt ad id demum ad quod fuerunt instituta; non vt totum; sed vt in toto; sic etiam integrales scripturæ partes, sufficiunt vt partes ad id, ad quod data sunt in toto* [illegible]. Non malè hæc Iunius: dummodo, quod de singulis scripturæ partibus asserit; id etiam ad ipsam totam scripturam sacram referat; nam & ipsa pars quædam est respectu eorum, quæ ad perfectionem & salutem nostram spectant, & sufficiens, non absolutè, sed in suo genere; nam adeo simpliciter sufficiens non est ad perfectionem & salutem, vt si quis totam scripturam sacram in dubium reuocet, vel penitus repudiet, Canonica scripturæ auctoritas ex scripturis ostendi nequeat.

Vbi

Vbi enim scriptum, omnes libros, quos pro Canonicis veneramur, vere Canonica auctoritate præditos esse; & vt maximè scriptum esset; vnde tamen id Canonicum esse constaret?

Mentitur VVitackerus, cum dicit, *ridiculum esse, quod Bellarminus asserit; in singulis libris has omnes vtilitates ab Apostolo commemoratas inueniri.* Quomodo, quæso, *ridiculum?* An non dicit Apostolus? *Omnis scriptura diuinitus inspirata, est vtilis ad docendum,* &c. At quælibet scripturæ pars est scriptura diuinitus inspirata; ergo, &c. Si dicerem: Omnis homo est risibilis, an non rectè sequeretur: ergo quilibet homo est risibilis? Omne animal est sensitiuum. Ergo quodlibet animal est sensitiuum. An non quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt? teste Apostolo. At quælibet scripturæ pars scripta est; diuinitus nimirum; ergo ad nostram doctrinam; ergo ad docendum: ergo ad arguendum & corripiendum: quia arguere & corripere sunt effectus doctrinæ. Hinc illud eiusdem Apostoli. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina*: ergo & ad erudiendum in iustitia; quia quod valet ad docendum, valet & ad erudiendum; & ad quid erudit; nisi ad iustitiam; cum à sole iustitiæ diuinitus inspiratum sit. Quo fine hæc omnia quælibet scripturæ pars præstat; nisi vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus? Quàm profanus est VVitackerus, cum hanc suam impietatem semel atque iterum euomuisse non contentus; sæpius eandem reponit, repetitque; & disertè negat; *in singulis libris sacræ scripturæ quædam inueniri, vt Dei hominem perficiant.* Si omnia quæ scripta sunt, valent ad docendum & erudiendum: valent igitur & ad perficiendum; quia docere est perficere; doctrina; perfectio. Quàm ad contradicendum cæco impetu feruntur Prædicantes; cum quæ disputant, nihil penitus ad eorum institutum faciant: siue enim tota scriptura, siue quælibet scripturæ particula valeat ad docendum, &c. siue non; nunquam ex hoc D. Pauli loco illam suam consequentiam exsculpent: *ergo sola scriptura sufficit ad perficiendum hominem*; omnibus aliis caussis adiutricibus exclusis.

Mentitur iterum VVitackerus, cum ait; Bellarminum ita disputare. *Non fuit tum scriptum Euangelium, non Apocalypsis, non alij etiam libri, cum hæc scripsit Paulus, ergo non potest hoc de toto Canonis corpore intelligi.* Duplex mendacium: Primum, quia non dicit Bellarminus alios Canonis libros non fuisse scriptos tum, quando Apostolus hæc scribebat; sed ait; *forte aliquid aliud de corpore scripturarum defuisse,* præter Euangelium S. Ioannis & Apocalypsin. Et hoc longè aliter tinnit, quàm quod VVitackerus adducit. Secundum mendacium; quia Bellarminus non dicit Apostolum non loqui de toto

A scripturarum Canone; sed ait; *eum non loqui de toto & solo corpore scripturarum.* Et hoc iterum longè aliter tinnit, quàm illud VVitackerianum. Loquatur igitur de toto Canone scripturarum, qui exstabat tunc, quando Apostolus hæc ad Timotheum exarabat; imò referatur & extendatur sententia Apostolica ad totum Canonis corpus, prout nunc in Ecclesia habetur; nunquam legitimè educetur inde illa conclusio: *ergo sola scriptura in se & per se, absq; aliarum caussarum ope sufficit perficiendo & ad omne bonum instruendo homini.*

Dicit Bellarminus: Apostolum, ex hoc principio vniuersali: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est,* &c. concludere voluisse hoc particulare; B etiam veteris testamenti scripturam esse vtilem ad docendum, &c. Occurrit VVitackerus; *Apostolus non disputat ab vniuersali ad particulare, sed à caussa efficiente, & finali. Ab efficiente sic: Tota scriptura θεόπνευστος est, hoc est, à Deo inspirata, & instituta est: ergò, tu lege scripturas, ex quibus veram sapientiam disces. A fine, hoc modo: scriptura ὠφέλιμος, vtilis est ad multa: ergò, tu lege scripturas, vt ex hac lectione, tam multa magnaq; commoda capias.* Quasi verò hoc obstet, quò minus verum sit, quod Bellarminus asserit. Vt maximè Apostolus à caussa efficiente & finali argumentaretur, an ideo argumentum non posset esse ab vniuersali ad particulare? Si dicam: Omnis caussa efficiens est id vnde principium motus; ergo & hæc? Aut omnis C caussa finalis est id, cuius gratia aliquid fit; ergo & hæc; an non ab efficiente & fine argumentum duco; & tamen ducitur ab vniuersali ad particulare? Licet igitur à caussa efficiente & fine argumentaretur Apostolus, non tamen ob id infirmaretur assertio Bellarmini.

Quanquam quid est; quod hic de caussa finali & efficiente VVitackerus nugatur; cum luce liquidius sit, Apostolum argumentari ita vt Bellarminus dicit? Laudauerat Timotheum à cognitione sacrarum litterarum ab ineunte ætate hausta; monuerat, vt in his, quæ didicerat, constanter persisteret. Dixerat; *quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad* D *salutem, per fidem quæ est in Christo IESV.* Quod rectè monet Bellarminus accipiendum de libris veteris testamenti, cum in Timothei infantia libri nouæ legis necdum essent conscripti. His omnibus præmissis; subiecit illam vniuersalem enunciationem; *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum,* &c. Et inde virtute & implicitè intulit, vel potius aliis inferendam reliquit hanc consequentiam. Ergo etiam scriptura veteris testamenti est vtilis ad docendum, ad arguendum, &c. & per cõsequens, rectè prius assertum est; Timotheum ab infantia sacras litteras didicisse; quæ possunt hominem instruere ad salutem.

Digitized by Google

Emendat VVitackerus vulgatæ versionis textum; quia in Græco est: *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, omnis scriptura diuinitus inspirata & vtilis, &c.* Vnde constat VVitackero, Græcam lectionem esse integriorem, quàm Latinam? Secundò, nodum in scirpo quæritat: quia eòdem sensus recidit; siue nostri Interpretis lectionem amplectaris; siue cum Beza vertas: *Tota scriptura diuinitus est inspirata & vtilis ad doctrinam, etc.* siue cum Erasmo: *Omnis scriptura diuinitus inspirata & vtilis ad doctrinam, &c.* vbi necessario vocula *est*; subintelligi debet; vt constet oratio.

Negat VVitackerus suos ita argumentari: *Scriptura est vtilis; ergo sufficiens: non enim omne vtile, esse sufficiens.* Respondeo, Prædicantium scripta & commentarij contrarium loquuntur, qui adeo ex hoc loco scripturæ *sufficientiam* concludere gestiunt; vt inde etiam solam scripturam sufficere contendant. Si Sectarij non ita argumentantur; exponat nobis VVitackerus, quomodo argumentum instituant. *Ex magnitudine,* inquit, *& multitudine vtilitatis colligimus sufficientiam; quia potest fieri, vt quid tam sit vtile, vt sufficiat; solumq́ absque alio sufficiat.* Non ignota refers. Quid inde? *Ergo hîc idem contingit?* Negamus. Tu qua ratione probas? Tam parum ex dicto Apostoli, solius scripturæ sufficientia ad perfectionem & salutem hominis, ex magnitudine vtilitatis ab Apostolo commemoratæ, colligitur; quàm parum aptè ex hac assertione: *Tota & omnes partes logicæ sunt vtiles ad docendum, ad arguendũ, ad increpandum; ad erudiendum; vt homo in cognitione philosophica sit instructus;* colliges hãc consecrationẽ: *ergo sola Logica sufficit ad perfectionem illam intellectus, quæ in cognitione philosophica consistit.*

Sed en insolubile argumentum, *nec à Bellarmino, nec à Rhemensibus, nec à Censore Charci, nec à Defensore Censuræ tactum;* si vera canit VVitackerus. Scripturæ docent perfectam sapientiam, vt caussa adæquata & totalis: Nego antecedens: vt caussa partialis, concedo: ergo scripturæ nobis ad salutem sufficiunt: Nego consequentiam, quæ similis est huic: *Homo generat perfectum hominem; ergo ipse solus sufficit ad generationem perfecti hominis, seclusis aliis caussis superioribus. Cibus & potus perfectam reddunt valetudinem; ergo solus cibus & potus sufficit ad perfectam valetudinem.*

Obiicit VVitackerus. *Scriptura vtilis est ad omne opus bonum;* ait enim Apostolus: *vt ad omne opus bonum instructus sit, ergo sola scriptura sufficiens est:* perinde ac si dicas; cibus & potus vtilis est ad omnem bonam valetudinem & producendam & conseruandam; ergo solus cibus & potus sufficit ad bonam valetudinem producendam & conseruandam. Item bonæ dispositiones sunt vtiles ad actiones vitales exercendas; ergo solæ bonæ dispositiones sufficiunt ad actiones vitales exercendas. Istis collectionibus planè similis est supra dicta VVitackeriana: Quare vt illæ nullius sunt momenti; ita & isthæc ne cassa quidem nuce digna est.

A Vrget VVitackerus vocabulum *ἄρτιος*, Quo fine? An aliud significat, quàm quod à nostro Interprete expressum? Certè *ἄρτιος* hoc loco *perfectus* est; nihil aliud. Vrget & illud; *ad omne opus bonum ἐξηρτισμένος.* Noster; *instructus.* VVitackerus cum suo Beza: *perfectè instructus.* Dato hanc versionem esse legitimam, inde tamen nunquam conficietur illa, quam isti cupiunt, consequentia: *Ergo sola scriptura ad hanc adæquatam & omnimodam perfectionem sufficit:* non magis, quàm si dicas: *cibus & potus est vtilis, vt homo sit perfectus; & ad omne opus vitale exercendum perfectè instructus; ergo solus cibus & potus ad hanc perfectionem sufficit.* Item: *Dispositiones ad formam in materiem introducendam sunt vtiles, vt perfectus homo producatur; qui ad omne opus hominis perfectè sit*

B *instructus; ergo solæ dispositiones sufficiunt ad hanc perfectionem.* Quis non miretur stolidissima istorum nugamenta; quæ tamen ita venditant; quasi sint insolubilia & irrefutabilia; cùm nil sint nisi luculentissima grandis inscitię documenta; Quis nescit, quando caussæ partiali, vel etiam particulari effectus adscribitur; non excludi alias *concaussas,* siue sint partiales, siue vniuersales. Nam cum de architecto affirmo: *Vtilis est ad hoc, vt domus perfecta & ad habitandum perfectè instructa ædificetur:* quis adeo obtusi pectoris est, qui hinc concludat, solum architectum ad perfectam domum condẽdam sufficere, absque vllis aliis adiutoribus? Item cum de viro forti & strenuo affirmatur, eum esse vtilem, vt perfecta & perfectè instructa

C victoria obtineatur, quis adeo infans est; qui hinc inferat? *ergo talis vir fortis & strenuus, ad perfectam & perfectè instructam victoriam, solus sufficit,* exclusis *aliis commilitonibus.*

Necdum finis VVitackerianæ subtilitatis: *Ille ἄρτιος dicitur, cui nihil deest: Scripturæ faciunt pastorem ἄρτιον, ergo eiusmodi faciunt; cui nihil deest: quod si pastori nihil deest, tum nec scripturæ aliquid deest, quæ ipsum ita perficit.* Accipe similem delirationem; non enim dicere possum argumentationem. *Illa domus dicitur perfecta, cui nihil deest: architectus facit domum perfectam; ergo eiusmodi, cui nihil deest. Quod si domui nihil deest; tum nec architecto quidquam deest, qui ipsam ita perficit: & consequenter, solus sufficit ad perfectam domum condendam.*

D Aliud VVitackerianæ sapientiæ exemplum. *Ille ignis dicitur ἄρτιος perfectus, cui nihil deest. Ignis generans generat ignem perfectum; ergo talem, cui nihil deest. Quod si igni generato nihil deest; tum nec igni generanti quidquam deest; & per consequens solus ignis ille, absque vllo vniuersalium caussarum adiumento, sufficit ad perfectum ignem generandum.* Quis hæc tam stolida non exsibilet, pedibusq; ac manibus explodat? Itaque scriptura generat perfectam sapientiam, & perfectum reddit. Num igitur sola? Homo perfectum hominem producit. Num solus?

Et tamen fatuitas prædicta VVitackero tantopere arrisit; vt thrasonicè diceret: *Nullus Papista aptè & plenè huic argumento vnquam respondit, aut respondebit.* O incredibilem vanitatem. Quid facilius,

Digitized by Google

lius, quàm anilem hanc fatuitatem elidere, & funditus protererere; prout à Bellarmino, aliisque plurimis non semel factum.

Sed en nouum missile. Hieronymus in illa verba: *Quæ te possunt instruere ad salutem*: dicit; *Scripturas non sufficere sine fide.* Ex quo colligit VVitackerus hanc consequentiam. *Ergo cum fide sufficiunt.* Respondeo, sufficere; sed in suo genere: sicut architectus sufficit ad domum construendam; non absolutè, sed in genere architecti. Homo sufficit ad generandum hominem; non absolutè, sed in genere caussæ cuiusdam particularis. Hactenus de VVitackero.

Iunius hic solitis passibus incedit. *Negatur consequens. Vtrumque inconsequens. Verba dederit Paulus, quod absit; aut locutus fuerit imprudentissimè. Nam quid aliud sibi verba illius volunt? Hac probatio à nobis facit. Bellarminus fallit æquiuocatione. Hanc rimam æquiuocationis reperit Bellarminus libens, vt à quæstione paulisper deflecteret. Hæc fallaciá diuisionis eluduntur male. Fallit Bellarminus elenchi ignoratione. Hoc nulla sophisticè potest euertere.* Quid illud? Audi. *Quod diuinitus vtile est ad institutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus, id solum est sufficiens; tota autem scriptura, est eiusmodi; sola igitur sufficiens.* Si valet hæc Iuniana collectio, valebit & ista. *Quod diuinitus vtile est ad institutionem, quæ est in iustitia vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus, id solum est sufficiens; sed ministerium externum, ipso Iunio non diffitente, diuinitus vtile est ad institutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus: ergo externum ministerium solum est sufficiens. Ergo non requiritur scriptura.* Si Iunius aut Iunianus quispiam hunc syllogismum reiicit; reiiciat & priorem; quia pares sunt.

Scriptura, ait Iunius, *est instrumentum perfectum; ergo sola sufficit.* Dicam ego. *Homo est caussa perfecta; ergo solus homo sufficit ad generationem hominis absque vniuersalium caussarum suppetiis.* Quidquid respondebitur verè ad hāc posteriorem collectionem; id applicetur ad priorem; nec alia solutio desiderabitur. Notetur autem cōsensio Iunij & VVitackeri. Ille sententiam Paulinam non modò ad totam scripturam; sed & ad singulas partes pertinere dicit. Hic vt insipienter; ita & pertinaciter id abnuit.

Savvbrandus nos denuo syllogismis suis beat; & quidem vt longissimis, ita inanissimis. *Quod est ita vtile ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, vt perficiat hominem Dei, & ad omne opus bonum sufficienter instituat, hoc continet sufficientem doctrinam salutis. Sed tota scriptura est ita vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, vt perficiat hominem Dei, & ad omne opus bonum sufficienter instituat. Ergo tota scriptura continet perfectam doctrinam salutis.* Subiungit Caluinista mendacium. *Bellarminus primùm concedit totum argumentum.* Mentitur hęreticus. Nam Bellarminus nihil de vllo syllogismo meminit; tantum abest;

A vt hunc Savvbrandicum totum concesserit. *At fatetur Scripturam dici posse sufficientem ad docendum & perficiendum hominem; quia multa continet expreßè, & quæ non continet; ostendit, vnde petenda sint.* Ita est; hoc fatetur Bellarminus. An ideo totum Savvbrandicum syllogismum concessit; quem nunquam vidit; quippe nondum ex Savvbrandico cerebro progenitū, cum Bellarminus hæc euulgaret? Sed esto; cōcedamus totum syllogismū ad sensum & modum iam explicatū. Sit scriptura sufficiens; sit sola sufficiens; quatenus quædā continet, *immediatè*, quędam; *mediatè*; Quid inde colligit Caluinista? *Implicat contradictionem.* Itáne? Vbi? Forsan in male feriato tuo capite. Videamus tamen. *Hæ duæ propositiones; scriptura perficit hominem Dei, & sufficienter* B *instruit ad quoduis opus bonum; Et; scriptura non perficit hominem Dei, neque sufficienter instruit hominem Dei ad quodlibet opus bonum; sed, ablegat eum ad Papam Romanum, & eius synagogam, vt ab iis perfectè instituatur, sunt contradictoria, & simul veræ esse nō possunt.* Respondeo, vt prior propositio sit Bellarmini in prima responsione; & iuxta distinctionem *sufficientiæ*, quam in primo responso attulit; posterior certè non est Bellarmini, quamdiu in prima responsione persistitur. Nam qui dicit: scriptura hominem sufficienter instruit ad omne opus bonum, mediatè nimirum, quatenus quædam explicitè complectitur, alia implicitè: alia tradit formaliter; alia, vnde sumenda sint, monstrat; is profecto dicere non potest; scriptura nō instruit C sufficienter hominem ad omne opus bonum; vsurpando vocabulum *sufficienter* eo modo, quo in affirmatiua enunciatione acceptum est. Neque vnquam ostendet Savvbrandus, à Bellarmino hanc negatiuam propositionem prodiisse; persistendo in prima solutione. Sic qui ait: *Scripturam continere sufficientem doctrinam salutis*; mediatè scilicet, quo sensu vocabulum: *sufficiens* in prima solutione sumitur; is nunquam affirmabit contradictoriam eius: scripturam non continere *sufficientem* doctrinam salutis; sumendo vocabulum; *sufficientem*, prout in affirmatiua propositione sumebatur.

Mentitur Savvbrandus cum dicit; *per ea; quæ scriptura ostendit; vnde petenda sint; intelligere nos Pa-* D *pam; eiusq; synagogam*: Intelligimus enim verbum Dei non scriptum; seu traditiones diuinas & Apostolicas. Nec Papa, nec Ecclesia est verbum Dei non scriptum; sed custos & Interpres verbi Dei non scripti.

Nec hanc solam solutionem ad hæreticorum obiectionem dat Bellarminus; sed & aliam meliorem & expeditiorē; quam paulò ante defendimus contra VVitackerum: cum quo Savvbrādus stultescit; *non omnes scripturæ partes seu libros vtiles esse ad docendum, &c. Sed tantummodo totam scripturam.* Quod vt iam vidimus, fatua quædam blasphemia est.

Nunc audiamus syllogistam. *Quod potest aliquem sapientem reddere ad salutem, hoc continet perfe-*

ctam

ctam doctrinam salutis. Sed scripturæ possunt aliquem sapientem reddere ad salutem: Ergo, scripturæ continent perfectam doctrinam salutis. Reponamus syllogismo syllogismum. Quod potest aliquem sapientem reddere ad Philosophicam & Theologicam doctrinam, hoc continet perfectam doctrinam Philosophiæ & Theologiæ. Sed Summula Petri Hispani cum Nominalium commentariis possunt aliquem sapientem reddere ad Philosophicam & Theologicam doctrinam; ergo Summula Petri Hispani cum Nominalium commentariis continent perfectam doctrinā Philosophiæ & Theologię. Vt placet hic syllogismus palato Savvbrandico? Atqui prior huius frater est; & quidem gemellus; os habitumque simillimus. Negatur ergo Maior; vniuersim sumpta: Fieri enim potest; vt quis aliquem sapientem reddat; sed vt caussa partialis: Hinc non impertiet perfectam sapientiam; sed certam; & perfectioni caussæ attemperatam. Logica reddit sapientem philosophicè. Num perfectè? Quid ergo agit Physica? Quid Metaphysica?

Posset etiam Maior distingui, vt vera sit; si intelligatur; cum particula exclusiua: Quod *solum* potest aliquem sapientem reddere ad salutem; hoc continet perfectam doctrinam salutis: falsa; si intelligatur de omni illo; quod *inadæquatè* potest aliquem sapientem reddere. Ad Minorem: *Scripturæ solæ possunt aliquem sapientem reddere ad salutem:* negatur. *Scripturæ inadæquatè, & secundum perfectionis suæ proportionem possunt hominem reddere sapientem:* Conceditur Minor: *Ergo scripturæ continent perfectam doctrinam salutis.* Negatur consequentia. Potest etiam totus syllogismus concedi; si intelligatur Maior de perfecta doctrina salutis; non absolutè; & simpliciter; sed in suo genere; nam & Logica continet perfectam doctrinam Philosophicam in suo genere; Physica itidem perfectam; non simpliciter; sed in suo genere: sic & de scriptura statue.

Savvbrandus non vult vt Maior distinguatur; multo minus vt negetur: hoc enim vetuit tali edicto. *Maiorem nemo negabit, qui mentem habet.* Atqui nemo mente præditus eam vel adstruet; vel absque distinctione recipiet.

Dixerat Kemnitius, *quatuor illas scripturæ vtilitates, à S. Paulo enumeratas non inueniri in quolibet scripturæ libro.* Refellit hoc Bellarminus; quia nulla scripturæ pars breuior est, quàm epistola secunda Ioannis; & tamen in ea omnes illæ vtilitates reperiuntur; vt demonstrat Bellarminus. Contrà insurgit Savvbrandus: *Aut qualibet scriptura est ita vtilis ad ista quatuor, vt hominem Dei perficiat, aut non est. Si non est, tū iniustè mordes Chemnitium. Si est, tum contra conscientiam oppugnas doctrinam nostram. Elige, quod voles.* Bellarminus iam elegit prius membrū in Maiore abs te positum. Dicit enim, quemlibet librum ad quatuor illa esse vtilem, contra Kemnitianam ignorantiam & impudentiam. Quomodo hinc infers; *Bellarminum contra conscientiam oppugnare doctrinam vestram;* nisi quia quodlibet ex quolibet infers?

Obiicit Savvbrandus; *non tantùm integros libros; sed & quodlibet dictum scripturæ esse scripturam; nec tamen de quolibet scripturæ dicto intelligi posse illud: omnis scriptura diuinitus inspirata est vtilis ad docendum, &c.* Si quis hoc neget; quo medio id persuadere nitetur Savvbrandus? Certè ne vnus quidem scripturę apex absque caussa à Spiritu sancto exaratus est. An non omnis scripturæ sententia, quantumuis minima & breuissima, docet? *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinā scripta sunt*, teste Apostolo. At singulæ scripturarum sentētiæ sunt scriptæ; ergo ad nostram doctrinam; ergo docēt. Si docent; sunt ergo omnes scripturæ sententiæ B vtiles ad arguendum & corripiendum; & erudiendum; quia doctrina vtilis est ad arguendum, corripiendum, & erudiendum. Docent autem singulæ sacrarum litterarum sententiæ.

Dices. *Non in omnibus scripturæ dictis contineri expressè & formaliter redargutiones & correptiones.* Respondeo, hoc non requiri ad veritatem dicti Apostolici; quia Apostolus non dicit; *omnis scriptura atque adeo qualibet etiam scripturæ sententia, docet, arguit, corripit, erudit;* sed, *vtilis est ad docendum, arguendum, &c.* quia docet lectorem & instruit; quomodo arguere, corripere; & erudire debeat; & ad hæc munia obeunda habilem idoneumq; efficit.

Pergit Savvbrandus syllogizare. *Quod ita vtile* C *est, vt simul perficiat, & perfectè instruat, hoc est sufficiens. Sed scriptura ita vtilis est, vt simul perficiat, & perfectè instruat. Ergo, scriptura est sufficiens.* Vanissimum syllogismum exornat Caluinista mendacio. *Hoc cum Bellarminus soluere non posset, ridet; & dicit; cibus ad nutriendum vtilis est, & tamen solus ad nutriendum non sufficit. Eodem modo scriptura ad hæc vtilis est. Et tamen sola ad hæc non sufficit.* Scilicet Bellarminus hoc vestrum commētum soluere nequiit: cuius Maior conceditur; si illud perfectè accipiatur de perfectione adæquata & omnimoda, sed statim negabitur Minor; iuxta ea; quæ ad priorem syllogismum diximus. Vt taceam, alia ibidem allata; quæ & huic figmento accommodari queunt.

Neque vel vno filo melior est iste syllogismus. D *Quod omne illud, quod homo Dei docere debet, suggerit, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed scriptura suggerit omnia illa, quæ homo Dei docere debet. Ergo scriptura continet perfectam doctrinam salutis.* Concessa Maiore negatur Minor; si sermo sit de suggestione immediata; vt vult Caluinista, cum enim non contineat omnia *immediatè*; quomodo omnia immediatè suggerit?

Tertium Hæreticorum contra traditiones argumentum sumitur ex scripturæ locis, in quibus damnantur traditiones. Isaiæ 29. *In vanum colunt me docentes doctrinas & mandata hominum, &c.* Respondet Bellarminus, in scriptura non reprehendi veteres & veras traditiones à Mose, & aliis antiquis acceptas; sed recentiores quasdam cum

ipsis sacris litteris pugnantes. Nihil horum placet VVitackero. Itaque nasum corrugat: & verbosè contra Bellarminum declamitat. *Falsum est Iudaeos à Mose aut à Prophetis traditiones aliquas accepisse.* Nec hoc aliter probat VVitackerus, nisi asseueratione & auctoritate sua. Nã Iudæis suas fuisse traditiones, ostendit Bellarminus supra cap. 4. Itaque mendacium est, quod VVitackerus dicit; *hoc à Bellarmino non probari.* Nam si nullas alias habuissent; hanc certè habuissent; libros Moysis esse Moysis & Canonicos, quia hoc illis aliunde constare non potuit; nisi ex traditione. Et eadem est aliorum veteris Testamenti librorum ratio. Item verum & legitimum & indubitatum scripturæ sensum, non nisi ex traditione hauserunt. Non igitur traditionibus caruerunt.

Sed en VVitackerianum arietem at caue, cornu ferit. *Christus dixit; scrutamini scripturas; non traditiones: ergo Iudaeis nõ fuerunt traditiones.* Respondeo, si antecedens integrum esset Christi, prout est VVitackeri; non paruo robore argumẽtum hoc constaret: Nunc cum Christi tantummodò sint illa verba: *Scrutamini scripturas*; non iniuria negabimus hanc consequentiam; si quis eam appendat: *ergo Iudaeis non fuerunt traditiones.*

Dices: si Iudæi habuissent traditiones; Christus dixisset; *Scrutamini scripturas & traditiones; ergo, &c.* Respondeo, Antecedens esse vanum; satis fuit Christo prouocare ad scripturas; quas isti, cum quibus disputabat, insolẽter iactabant; & in quibus omnem salutis spem collocatam habebant; more prorsus Lutherano & Caluiniano. Itaq; sicuti, si quis orthodoxus iam iactabundum Hæreticum ad scripturas scrutãdas ablegeṫ; minimè idcirco inficiatur; traditiones exstare; ita neque eas Christus ablegatione illa ad scripturas aut negauit, aut negandas esse insinuauit.

Audi argumentum acutius. *Abrahamus dicit ad Epulonem: Habent Mosen & Prophetas, eos audiant. ergo Iudaei non habebant traditiones.* Argutè prorsus. Si quis dicat: *Tu amandas me ad Mosen & Prophetas; vnde cognoscam; quis nam sit Moses; & qui Prophetæ*, quod, obsecro, γνώρισμα, *& quod agnitionis symbolum dabis, præter traditionẽ?* Nã seposita traditione, non magis sciet quis, libros Mosis esse Mosis; quã Iosue; aut esse potius Canonicos, quàm quartũ Esdræ.

Pergit argutari. *Nulla est mentio harum traditionum in scriptura; ergo nulla sunt.* Respondeo, antecedens esse falsum; si sermo sit de mentione generali. Nam toties scriptura traditionum meminit quoties nos ad maiores, & ad sacerdotes, atq; interpretes diuinæ legis, dubiis exortis, abire iubet

Quærit VVitackerus. *Qui fuerunt harum traditionum custodes?* Ecclesia illius tẽporis; & qui Ecclesiæ præerat, summus sacerdos. *At isti*, inquit Caluinista, *scripturam corruperãt; ergo multo magis traditiones.* Mentitur VVitackerus; si loquatur de Hebræorũ Ecclesia & antistitib⁹ eius ex cathedra Mosis docentibus. Corruperint aliqui scripturam. Quid hoc ad Ecclesiam? Sunt & hodie, qui scripturam

A deprauent. Num igitur scelus hoc adscribẽdum Ecclesiæ? Stulta est autẽ quæstio VVitackeri; cum quærit, *ad quam partem legis pertinuerint*; stultè insuper se fatigat, cum operosè ostendere tentat, *nec ad moralem, nec ad caeremonialem, nec ad iudicialem pertinere potuisse.* Audi Caluinista; verbum Dei non scriptum non pertinet ad vllam partẽ verbi scripti; quia scriptum, & non scriptum, qua talia, sibi mutuò opponuntur. Deinde quædã traditiones erant morales; quædam cæremoniales; quædam iudiciales; quædam omnia hæc complectebãtur; vt illa; libros Moysis esse Moysis & Canonicos, & moralis, & cæremonialis, & iudicialis appellari poterat; quia omnia hæc tria attingebat.

Cupit vt aliqua ex huiusmodi traditionibus

B proferatur. Iam ꝓtulimus hic, & supra cum Bellarmino cap. 4. An cares oculis; vt prolatas non videas? Ait. *Si Christus damnauit vanas & impias traditiones; ergo damnauit etiam Papisticas; quia quaedam earum sunt vana & impia.* Quis præter VVitackerũ; & gregales eius, id affirmat? Ait; *non tantum impias traditiones à Christo damnari; sed & omnes illas, quae scripturae auctoritate non nituntur.* Esto. Subsume. *At nostrae non nituntur scripturarum auctoritate.* Non credemus; proba. Siles. Etsi nõ siles; quia verba das; at sine mente & sensu. Argumentaris igitur.

Christus opponit scripturas traditionibus: ergo palam est eum damnare omnes non scriptas traditiones. Rectissimè inferes. *Ergo palam est VVitackerum nugas agere.* Non opponit Christus veras & legitimas tradi-

C tiones Scripturis; sed *Pharisaicas*, hoc est, ineptas, friuolas, impias.

Dicit Bellarminus, Christum & Apostolos nõ reprehendere antiquas traditiones; sed alias à recentioribus traditas & acceptas. Oggrunnit VVitackerus. *Si fuissent à recentioribus, non appellasset eas Christus τῶν πρεσβυτέρων, seniorum.* Futilissimè. An non *seniores* dicebantur quouis tempore; qui ætate & dignitate cæteris in populo præeminebant? An non seniores erant illo ipso tẽpore; quo Christus Hierosolymis & alibi concionabatur, & miracula patrabat? Itaq;, si seniores dicebantur, qui cum Christo ipso viuebant; quisq; ipsum variis insidiis appetebant, & qui Christum Pilato tradiderunt: Nam *mane facto consilium inierũt omnes*

D *principes sacerdotum & seniores, &c.* Matt. 27. cur non posset seniores dici illi primarij, qui aliquot annis Saluatorem nostrum antegressi, talium traditionum, vel potius nugamentorum, auctores exstiterunt?

Ad patres à Bellarmino citatos nil dignatur VVitackerus respondere. De Chrysostomo, quẽ opponit, suo loco diximus. Reliqua verba sunt, fumi, fuci.

Iunius solitis armis dimicat. *Haec vitiosa est & inconsequens collectio. Non sequitur. Negatur distinctio. Frequens homonymia.* Quid facilius, quàm talis refutandi ratio?

Savvbrandus argutissimè syllogizat. *Omnis doctrina hominum abiicienda. Sed omnis traditio praeter*

scriptu-

scripturam excogitata, est doctrina hominum. Ergo omnis traditio praeter scripturam excogitata, abiicienda. Mirabilis Maior. Si omnis doctrina hominũ abiicienda; omnes ergo liberales disciplinę abiiciendę erunt; exturbanda Logica, Physica, Metaphysica, Mathematica; quia sunt doctrinæ hominũ. Itaq; negatũ Maior. Falsa est & Minor. Nec sanior est iste syllogismus; vel potius φλυαριομὸς. *Apostoli praedicarunt perfectam doctrinam salutis. Sed quae praedicarunt, eadem & scripserunt. Ergo Apostoli scripserunt perfectam doctrinam salutis.* Respódeo ad Minorem. Scripserunt omnia: Falsum. Quædam; Verum. Sic intercisa iacet conclusio. Ast audi apodicticã prorsus Minoris probationem. 1. Ioan. 1. *Quod vidimus hoc annunciamus vobis; ergo Apostoli, omnia scripserunt, quae praedicarunt.* Pulchrè. At pulchrius. Lucæ 1. *Visum est mihi omnia ad te scribere.* Hic primò agnosco falsarium: quia S. Lucas non refert illud vocabulum *omnia*; ad verbum *scribere*; sed ad vocem, *assecuto. Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere.* Deinde S. Lucas non dicit; *se omnia simpliciter velle scribere.* Sed omnia, quę ipse assecutus sit. Vbi enim scripsit aduentum Magorum in Bethlehem? Vbi sermones illos pulcherrimos & diuinos sub extrema cœna & pôst ad discipulos habitos? Vbi lotionem pedum?

Fauete linguis. Prodit alius in scenam syllogismis. *Quod docet, quomodo possimus aeternam damnationem effugere, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed scriptura docet quomodo possimus aeternam damnationem effugere. Ergo scriptura continet perfectam doctrinam salutis. Maior est extra controuersiam*, inquit Caluinista. Respondeo, adeo apud me controuersa est; vt eam negem: alioqui hæc paucula verba: *Declina à malo, & fac bonum*: perfectam vndequaque salutis doctrinam comprehenderent, quia docent; quomodo æterna damnatio euitetur; nempe declinando à malo, & faciendo bonum.

Curate, ne quis obsistat in via, progreditur alius syllogismus. *In quo habemus vitam aeternam, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed in scriptura habemus vitam aeternam. Ergo, scriptura continet perfectam doctrinam salutis.* Respondeo; si adiiciatur ad Maiorẽ vox *solo*; vt sit; In quo solo; conceditur Maior; sed negatur Minor. Si nõ adiiciatur ad Maiorem illud; *in quo solo*; ita vt sensus sit; in quo, quomodocunque etiam; vt *in*, vel *ex caussa* partiali vitam æternam habemus, &c. negatur Maior.

Spectemus & istum Savvbrandicum fœtum. *Quae Christus fecit, & docuit, illa continent perfectam doctrinã salutis. Sed illa omnia scripta sunt. Ergo, quae scripta sunt, illa continent perfectam doctrinam salutis.* Negatur Minor. D. Ioannes disertè & palã contrarium testatur. Probat Caluinista Minorem. Act. 1. *Primum librum confeci de omnibus, quae cœpit Iesus facere & docere: ergo omnia scripta sunt.* Si hoc ita se habet; cum certũ sit S. Lucam loqui de se, non de aliis Euangelistis: peto, vt ostendat mihi Savvbrandus in Euangelio S. Lucæ sermones illos ad discipulos, quos scripsit S. Ioannes c. 14. & seqq. item excita-

A tionem Lazari; & illuminationem cæci ab ortu; & nuptias in Cana Galileæ; & alias multas disputationes passim à Christo cum Iudæis habitas, & à nullo, nisi à Ioanne, literis mandatas: nam Lucas verbis citatis dicit; *se omnia, quae cœpit Iesus facere & docere, libro primo*, hoc est, in Euangelio suo complexum esse. ergo illud, *omnia*, accipitur pro *generibus singulorum*; non pro *singulis* generum, hoc est, omnia scripsit S. Lucas quoad speciem; non omnia, quoad indiuiduum: nã ex omnibus dictis & factis Christi aliqua conscripsit, tametsi istud *omnia*; aliter quoque explicari queat; vt patet apud Lorinum in c. 1. Act. Eodem modo accipi potest vocabulum *omnia* apud S. Lucam in prooemio Euangelij: de quo paulò antea.

B Postremus Savvbrandi syllogismus longè teterrimus. *Dicta Apostolorum continẽt perfectam doctrinam salutis. Sed dicta Apostolorũ sunt in Mose, & Prophetis. Ergo, in Mose, & Prophetis est perfecta doctrina salutis.* Respondeo, si dicta Apostolorum, etiam omnia, tam scripta, quàm non scripta, continent perfectam doctrinã salutis; quid ergo continent dicta & facta Christi? Quid de his agemus? An superfluunt? Mittamus ista. Negatur Minor; vbi enim epist. ad Rom. v. g. in Mose? Vbi Apocalypsis in libello Ruth? Vbi Acta Apostolorũ in lib. Esdræ, vel Ester, secundum particularem seu specialem rationem? Nam si de ratione generali sermo sit; tum probare posset Caluinista, in symbolo Apostolico omnia dicta & facta tam Christi, quàm

C Apostolorũ; imò etiam totius antiqui testamenti inesse. Quid enim facilius; quàm similem Savvbrandico syllogismum condere. *Dicta Apostolorum continent perfectam doctrinam salutis. Sed dicta Apostolorum sunt secundum generalem rationem in symbolo Apostolico. Ergo in symbolo Apostolico est perfecta doctrina salutis.* Hæc de Savvbrando.

Præter argumenta Hęreticorum ex scripturis, quæ Bellarminus dissoluit, profert VVitackerus septendecim alia loca ex sacris litteris aduersus traditiones. Primus est Ps. 19. (ita citat Hęreticus) nobis Psal. 18. *lex Domini immaculata*: ipse vertit: *lex Iehouae integra, sapientiam pstans paruulis. ergo non sunt traditiones.* Nihili consequẽtia ex optimo antecedẽte: siue legas *integra*; siue, *immaculata*. Integra est

D scriptura: ergo ipsa sola omnimodè & adæquatè perfectam sapientiam præstat: Quæ hæc consequentia? Nimirum similis huic. *Logica est integra, sapientiam praestans Philosophiae paruulis, hoc est; tironibus; ergo ipsa sola sufficit, vt philosophicã sapientiã perfecte homines imbuat.* Item. *Logica est perfecta: ergo absolutè perfectam sapientiam tribuit.* Hoc nequaquam sequitur; sed illud tantùm: *ergo perfectam in suo genere sapientiam tribuit.*

Secũdus locus est Luc. 1. *Visum est & mihi assecuto omnia, &c. vt cognoscas eorum verborũ, de quibus eruditus es, veritatẽ.* Vbi VVitackerus: *Putauit Lucas sibi necessarium esse, vt scriberet ad illum eadem, quae didicerat, vt illarum rerum* τὴν ἀσφάλειαν, *exploratam certamq́; veritatem agnosceret.* Hinc tale argumentum conficit: *Si neces-*

A fidem; sed adiuta ab aliis caussis, inter quas verbum Dei traditum; seu non scriptum: absque quo fides nunquam perfecta est; quidquid isti contra tonent. Quanquam certo quodam sensu dici potest scriptura perfectam fidem generare, mediatè scilicet; quia ostendit reliquas caussas, quibus fides generatur, & omnibus suis numeris absoluitur.

Fides est perfecta, inquit VVitackerus; *perfectum est igitur illud medium, quo generatur.* Omnino perfectum est; sed in suo genere: nam perfectum dicitur, quod habet, quidquid habere debet. *Sed sola scriptura est medium*: negamus; præsertim, si de immediato medio sermo sit. At erit imperfecta; si ipsa sola non sit medium. Certè non magis, quàm homo imperfectus sit; quod ipse solus nō
B sit medium generandi hominis; cum ad huius generationem non tantum homo, sed & caussæ vniuersales concurrant. Et quamuis scriptura respectu fidei generandę sit caussa tantummodo partialis; non sequitur tamen esse imperfectam, quia & caussa partialis in genere suo perfecta est; quando habet; quidquid ex suæ naturæ præscripto habere debet.

Sed en syllogismum VVitackerianum. *Quacunq; sunt ad salutem necessaria, ea posita sunt in hoc, vt Iesum esse Christum Dei filium credamus: sed, quacunque necessaria sunt, vt Iesum esse Christum credamus, ea scripta sunt. Ergò, quacunq; sunt ad salutem necessaria, in scripturis habentur.* Respondeo, I. Maiorem absolutè negari posse; quia plures sunt articuli fidei
C creditu necessarij; quàm iste; *Christum esse Dei filium*; vt vel ex Symbolo Apostolorum patet. Deinde dato; quòd omnia ordinentur ad hoc, vt fide vera, Catholica; & supernaturali credamus Christum esse Dei filiū; negatur tamē Minor; nam vt hoc verè credamus oportet; & plane ad salutē necessarium est, vt alia itidē omnia diuinitus patefacta & reuelata verè credamus: quorum multa in sacris litteris minimè continentur.

Producunt Hæretici testimonia quædā D. Augustini, & D. Cyrilli, quorum ille Tract. 49. in Ioan. *Sanctus Euangelista testatur*, inquit, *multa Dominum Christum & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt. Electa sunt autem, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Idem Aug. lib. 1. de consen-
D su Euangel. cap. vlt. *Quidquid*, inquit, *Christus de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribendum Apostolis tanquam suis manibus imperauit.* Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. vlt. *Non omnia*, inquit, *quæ Dominus fecit, conscripta sunt; sed, quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere, vt recta fide, & operibus, ac virtute rutilantes ad regnum cælorum perueniamus.*

Respondet Bellarminus, istos Patres loqui nō simpliciter de omnibus ad salutem necessariis; sed de omnibus dictis & factis Christi, ex his enim Apostolos selegisse; quæ fidelibus sufficere credebant. Obiicit VVitackerus. *Hoc sufficiens si enim omnia dicta Christi Ioannes sufficienter scripsit, tum*
A *& totam etiam eius doctrinam scriptis mandauit, quanta nobis sufficeret.*

At VVitackerus nihil respondet ad obiectionem Bellarmini; quæ est; si Ioannes absolutè omnia doctrinæ Christianæ capita sufficienter in litteras retulit; fore; vt totum vetus testamentum, & omnia alia Apostolica & Euangelica scripta non sint necessaria? Quis piæ mentis hoc asserat? Scripta igitur sunt à S. Ioanne & aliis Euangelistis, de dictis & factis Christi, quæ satis erant; quia per illa ipsa; quæ scripta sunt; ducuntur fideles ad alia; quæ non sunt scripta: nam scripta doctrina Christi ostendit quoque non scriptā; & vbi quærenda sit, demonstrat. Ergo sicut si quis, confecto Physices aut Dialectices
B compendio, diceret; se elegisse ex Physicis & Dialecticis quæstionibus, quæ tironibus ad institutionem sufficerent; minimè indicaret; nihil aliud de Physicis aut Dialecticis difficultatibus discendum superesse; sed iam sufficientia fundamenta esse iacta; vt & reliqua, quæ desunt, aliunde peti & inquiri possint; ita cum D. Augustinus vel alij Patres dicunt; electa ad scriptionem ab Euangelistis, quæ fidelibus ad salutem sufficere existimarent; tantum indicant; ex scriptis ita sufficienter instrui posse fideles; quia illis intellectis, iam viam paratam & expeditam ad cætera indaganda & inuenienda habent.

Secundò Respondet Bellarminus, patres illos non velle, ex dictis & factis Christi sufficienter
C esse scripta omnia ad salutem absolutè necessaria; sed esse scripta sufficienter ea; quæ Apostoli scribēda esse putauerint. Occurrit VVitackerus *Ridiculum commentum; quia Augustinus dicit; tract 49 in Ioan.* Electa esse, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur: *non ait sufficienter scripta esse, quæ scribuntur. Ergò, omnia scripta sunt, quæ sufficiunt nostræ saluti, quæq; necessaria sunt.* Respondeo, negando consequentiam; si velit, vt vult; omnia ad salutem necessaria, scripta esse in particulari; explicitè & immediatè: quanquam omnia sufficienter scripta sunt in generali; implicitè; & mediatè; hoc ipso, quod scripta doctrina non scriptam monstrat & commendat, & vnde haurienda sit, docet. Nec repugnat D. Au-
D gustino hæc secunda Bellarmini responsio: quia si scripserunt Apostoli, ex sententia D. Augustini, quæ saluti credentium sufficere videbantur; scripserunt ergo ea; quæ scribenda indicabant; sufficienter scilicet saluti fidelium: quemadmodū is, qui compendium Physices aut Dialectices cōponit, scribit ea, quæ scribenda existimat, sufficienter institutioni & explicationi eorum; quę ad fundamenta vtriusque facultatis spectant; non quod absolutè non restent plura discenda, & scienda; sed quia hæc pro tali statu sufficiunt; cùm ad alia viam muniant & aperiant.

In altero testimonio dicit S. Augustinus, scripta esse de dictis & factis Christi, quæ nos legere Christus voluerit: *Forsan arripient*, inquit VVitackerus

tackerus

Digitized by Google

tackerus, quod Augustinus ait, *legere voluit*. Omnino hoc arripiemus; bene coniectasti. Obiicis. *Hoc contra illos inprimis facit: Nam leguntur illorum traditiones alicubi, etsi non scriptae dicantur. At Augustinus ait, Christum ea omnia Apostolis suis scribenda imperasse, quae nos legere voluit: ergò de his traditionibus nullum mandatum dedit, aut scribendis, aut legendis.* Quàm futilis nugator. Legantur traditiones; non in scriptura; sed in patrum libris, aliisque Ecclesiasticis monumentis. *At Christus scribi in scriptura Canonica imperauit; quae nos in scriptura legi voluit.* Respondeo, traditiones non voluit nos in scriptura legere; explicitè nimirum & in particulari; ergo nec imperauit, vt in scriptura scriberentur. Nam quod traditiones alibi leguntur; per accidens est; recteque nihilominus non scriptum Dei verbum appellantur; eò quòd nō in ipsa Canonica scriptura immediatè comprehendantur. Nec loquitur D. Augustinus de quacunq; lectione; sed de lectione sacrarum litterarum; quibus inclusum dicit; quidquid Christus nos de dictis & factis suis legere voluit, in Canonicis nimirum libris.

Instat VVitackerus: *Si Christus traditiones aut scribi aut legi voluisset, qui nam potius illas scripsissent, quàm Apostoli, qui reliqua scripserunt, aut vbi potius legi debuissent, quàm in scriptis libris, Canonicis?* Non debebant Apostoli traditiones non scriptas scribere; sed posteritati tradere; quia si scripsissent; iam hoc ipso non fuissent verbum Dei non scriptum seu traditum; sed scriptum; atque adeo naturam huius verbi, quatenus formaliter non scriptum est in Canonicis libris, sustulissent. Sic Christus non potuit velle, vt verbum Dei non scriptum; qua tale, formaliter, legeretur in libris Canonicis, quia si in his legeretur; iam desineret esse verbum non scriptum: quod non contingit, licet legatur in patrum lucubrationibus, aliisque Ecclesiasticis monumentis; quia patres & alij Ecclesiae scriptores, qui Apostolorum tempora subsecuti sunt; non sunt scriptores Canonici; hinc licet traditiones commentariis suis inserant; non idcirco Canonicam scripturam conficiunt; cum non ducantur & agantur in sua scriptione eo impulsu & instinctu; quo olim Apostoli; & reliqui scriptores sacri. Si dicat VVitackerus: *non esse credibile Christum tradidisse aliquid ad salutem necessarium; quod extra scripturam remaneret*; nemo adeo hebes erit, qui millies iam iteratum coccysmum non agnoscat.

Dicit Bellarminus: omnia tam quoad dogmata, tam quoad mores, atque adeo ad salutem necessaria scripta esse sufficienter in vniuersali, non in particulari; vt supra dictum. Occinit VVitackerus. *Si tantum in vniuersali hoc modo omnia scripta sunt, quare obsecro tam multa sunt scripta? Nam pauca sufficere potuissent, ex quibus reliqua sumerentur: etiam haec vnica sententia instar omnium fuisset; Credite, quae Ecclesia docet. quemadmodum dixit prim;*

A *Traditiones suas vniuersaliter praecipi à Paulo in his verbis*: Tenete traditiones, *vt praeterea nihil desiderandum esset.* Imò plus VVitackero liberaliter largimur. Etiam absque omni scriptura; cum solo verbo Dei non scripto, subsistere potuisset Ecclesia. Posita autem diuina ordinatione & voluntate; quòd Deus verbum suum non tantummodo traditum; sed & partim scriptum exstare voluit; quaerere; cur haec vel illa sint scripta; haec vel illa non sint scripta; cur tam multa; cur non pauciora; vanum & inane est; quia huic quaestioni nullus vnquam satisfaciet; *nisi qui consiliarius Dei fuit.* Quis ille? Sed non est sectariis insuetum, non modo sciscitari; sed & aliquando cum sacris scriptoribus, cumque ipso spiritu
B sancto, expostulare; cur haec vel illa, hoc vel illo modo scripserint; alia silentio praeterierint. Hinc illa plena impudentiae Lutheri in Operatione Psalmi 21. vel, vt ipse citat; 22. Tom. 3. Lat. VViteb. ad illa Psalmi verba: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Mirum, cur Euangelistae hunc prae caeteris versum adducant: cum videatur minimum, & vltimum passionis genus indicare, nempe spolium vestimentorum; praesertim Ioannes, qui, omisso primo versu, quem Matthaeus, & Marcus inserunt, hunc minoris ponderis, verbosè, & integra historia quadam recitat: cur, non cor, ossa, linguam, aut alia, quae hic narrantur, allegant? Sed & Euangelistae fortè moti sunt, cur nam Propheta hanc iniuriam Christi cecinerit, cum multa alia maioris momenti tacuerit, vt spineam coro-*
C *nam flagella.*

Savvbrandus hic antiquum tenet. Bellarmino syllogismū tribuit; quem Bellarminus nunquam vidit; tantum abest, vt fecerit: *Per quod possumus vitam aeternam habere, illud continet perfectam doctrinam salutis. Sed per verbum scriptum possumus vitam aeternam habere. Ergò continet perfectam doctrinam salutis.*

Subdit Caluinista. *Bellarminus concessa Maiore, negat Minorem.* Vbi? Quo loco? Quis vnquam ex Catholici ore audiuit; nos non posse per verbum scriptum acquirere vitam aeternam? Possumus; sed tanquam per caussam partialem; quia tam scriptum; quàm non scriptum Dei verbum; vitam aeternam monstrat; & ad illam viâ regiâ
D ducit. Possumus vitam aeternam acquirere per scriptum verbum; quia praeit nobis viam etiam ad non scriptum Dei verbum.

Mentitur Savvbrandus, *miracula à S. Ioanne aliisque Euangelistis scripta, non sufficere ad fidem salutiferam gignendam*; hoc est, *ad hoc, vt quis ad fidem & doctrinam Christi amplectendam inducatur.* Contrarium docet experientia; euidenter testificans multos & olim, & hodiè itidem, lectis à Christo patratis miraculis, & visis auditisue aliis, quae in Ecclesia Catholica contigerunt, & indies contingunt, ad fidem & religionem Christianam amplectendam inductos, imò & impulsos fuisse; & his quoq; temporibus induci & impelli; tanquam efficacissimâ caussâ motrice, & ad

cae-

Digitized by Google

cæleste fidei donum acceptandum vehementissima exstimulatrice. A

Deinde manifestè cōtradicit Caluinista D. Ioanni, qui postquam dixerat: *Multa quidem & alia signa fecit* IESVS, &c. Subiecit: *Hæc autem scripta sunt*, &c. Hæc scilicet signa; hæc miracula scripta sunt; *vt credatis, quòd* IESVS *est filius Dei*, &c. hoc est, vt habeatis sufficientem caussam, qua ad assensum Christianæ doctrinæ præbendum inducamini; & assentiendo vitam æternam tandem consequamini.

Pergit Savvbrandus. *Illa scripta à se esse dicit Ioannes, quorum finis, est vita æterna. Sed vita æterna non est finis solorum miraculorum. Ergò, non dicit sola miracula à se scripta esse.* Respondeo, Maiorem esse falsam; B si vniuersè sumatur hoc sensu; illa omnia scripta à se esse dicit Ioannes; quorum finis est vita æterna; negatur Maior hoc sensu; quia etiam Prophetiæ Danielis, Hieremiæ; Isaiæ; imò omnium librorum Canonicorum finis est vita æterna; neque tamen S. Ioannes omnia illa volumina à se scripta dicit. Si autem Maior sit particularis; hoc sensu; aliqua dicit Ioannes à se scripta quorum finis est vita æterna: conceditur Maior; *Sed vita æterna non est finis solorum miraculorum.* Esto Minor. *Ergo non dicit sola miracula à se scripta esse.* Negatur consequentia; tum quia syllogismus informis est; & inuestis; in qua enim figura; in quo modo? tum quia si formetur; sic formandus erit; C Aliqua quorum finis est vita æterna, à se scripta dicit Ioannes; sed non solorum miraculorum finis est vita æterna: ergo non sola miracula à se scripta dicit Ioannes; sed sic negabitur conclusio; quia in prima figura in modis directè concludentibus nihil colligitur ex Maiore particulari; vt notum Dialecticis. Si Maior formetur vniuersaliter; falsa erit; vt antea dictum. Et perinde facit Savvbrandus ac si quis hunc in modum deliraret. *Illa scripta à se dicit Porphyrius in sua Isagoge, quorum finis est cognitio Logica: sed cognitio Logica non est finis solorum vniuersalium Porphyrianorum: ergo Porphyrius non dicit sola vniuersalia in sua Isagoge à se scripta esse.* Egregius syllogismus; viua Savvbrandici effigies.

D Considera & hanc delirationem. *Aut habemus vitam æternam per ea, quæ scripta sunt; aut errauit Ioannes; dum dicit, hæc esse scripta, vt vitam æternam habeamus.* Non errauit Ioannes; Vitam æternam habemus per ea, quæ scripta sunt; sed non per sola; vt sæpe dictum; neque hoc affirmat S. Ioannes. Si ita deliramentum concipias. *Aut per sola scripta vitam æternam habemus; aut errauit Ioannes:* nulli non procliue erit, eadem facilitate hunc *coccysmum* repudiare; qua à Savvbrando adducitur. Cætera, quæ adiungit Caluinianus vanissima fanatici hominis commenta sunt: ex VVitackero efficta; & nouis quibusdam phantasiis adaucta & exornata.

Danæus hic nullum aliud negotium sibi datum existimauit; quàm vt mentiretur: Mentitur igitur primò; *Bellarminum nihil respondere ad suorum*, hoc est, Caluinistarum & Lutheristarum, *argumenta; quibus ex loco D. Ioannis euincere contendunt omnia ad salutem necessaria scripta esse.*

Mentitur secundò, *hoc à suis luce meridiana clarius demonstrari.*

Mentitur tertiò, *Bellarminum tantummodo in sectariorum argumentis dissoluendis nugari.*

Mentitur quartò, *locum Ioannis: Hæc autem scripta sunt, &c. non nisi imperitè ad miracula Christi referri.*

Mentitur quinto, *Ineptam esse hanc consecutionem ex mente hæreticorum fabricatam: Solum Ioannis Euangelium sufficit ad vitam æternam obtinendam: ergo reliqua Canonica scripta sunt superflua*, hoc est, non necessaria.

Iunius nil nisi subtilitates hic tradit: *Per signa apud Ioannem intelligi etiam verba & doctrinam Christi, non tantum miracula; quia Christus potens fuit in verbo & in opere.* Ex Iuniano igitur commentario sic erit explicandus S. Ioannis locus. *Multa quidem & alia signa*, hoc est, *miracula & verba fecit* IESVS. Audi & hanc subtilitatem. *Ioannes omnia dicta & facta Christi scripsit; quia scripsit quædam; quæ cum aliis communi & generali ratione conueniunt.* Ex qua Philosophia dicere liceret, S. Ioannem omnia Christi miracula litteris mandasse; tametsi vnum duntaxat scripsisset; quia hoc vnum conuenit cum reliquis in generali miraculi notione, & ratione. Sic Liuius licet vnum tantummodo Romanorum militare facinus conscripsisset; omnia conscripsisset; quia illud vnum cum reliquis omnibus generalem quandam conuenientiam habet.

Postea ingeminat suum illud: *Negatur. Negatur prius & posterius dictum. Hoc negamus planè. Negatur. Negatur primo antecedens. Negatur restrictio. Negatur & consequens. Bellarminus in sequentibus illam exornat suam; negantur.* Quid cum isto *negatore* agas? Si hæc refutandi ratio est legitima, tum tam facile totum Bellarminum refutabit Iunius; *quàm vulpes pyrum comest*; vt dictum Plautinum ad Iunium redire iubeam.

Secundus locus ab Hæreticis obiectari solitus est ille 2. Tim. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ex quo inferunt sectarij. *Ergo sola scriptura ad salutem sufficit; cum sufficiat, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus.* VVitackerus dicit; *se nolle hic disputare, vtrum Apostolus tantùm loquatur de libris antiqui testamenti; an & noui; an de vtroq; Tandem existimare se profitetur hanc generalem de tota scriptura sententiam.* Quid opus longa tergiuersatione? An non verba Apostoli sunt vniuersalia? An non eadem encomia in scripturam veterem competunt?

An non & ipsa vtilis est *ad docendum*, ad *arguendum*, &c. An non & ipsa *diuinitus inspirata* est? Ad Hæreticorum, ex hoc loco obiectionem, respondet Bellarminus; scripturam sufficienter instruere, & perficere hominem Dei; quia omnia continet vel explicitè, vel implicitè, immediatè vel mediatè; hoc ipso; quòd monstrat, vnde petenda sint; quæ expresè & immediatè non complectitur; vt sunt traditiones non scriptæ.

Occurrit VVitackerus: hoc dici non posse; quia tunc *sufficerent Decalogus, Symbolum, & oratio Dominica; nec opus esset tot libris.* Omnino sufficerent; si Deus ita voluisset: quia etiam absq; omni scriptura; cum solo verbo non scripto, homines doceri, argui, corripi, erudiri in iustitia & perfici possent. Cur autem Deus plures libros exstare voluerit; cum pauciores sufficere potuissent; ipsum Deum examinet VVitackerus: Nullus vnquam certius & verius caussam reddet. Dico tamen; maioris commoditatis, perspicuitatis, & facilitatis gratia voluisse plures conscribi libros; licet absolutè nulli fuissent necessarij, aut pauciores sufficere potuissent; qui in genere nobis indicassent; vnde cætera ad salutem necessaria peti debeant.

Nec mirum videri debet Caluinistæ huic cum dico, pauciores libros ad salutem sufficere potuisse; cum illud ipsum apertè asserat hîc Danæus his verbis: *Etsi vnus duntaxat Canonicus liber exstaret, sufficeret ille, quoad substantiam doctrinæ salutaris.* Ergo vel sola Epistola ad Philemonem sufficeret; quia & ista inter Canonicos libros sedem obtinet.

Secundò respondet Bellarminus; Apostolum non dicere; omnis scriptura est sufficiens; sed omnis scriptura est vtilis ad docendum, &c. Et voculam, *Omnis* non tantum ad totam scripturam; sed & ad singulos scripturæ libros, imò & partes referri; Omnis enim scripturæ pars licet pars sit partis, hoc est, libri; vtilis est ad docendum, &c. vt perfectus sit homo Dei. Mentitur ergo VVitackerus. *Bellarminum sic argumentari: Ab Apostolo non est dictum: Tota; Sed; omnis scriptura, ergo non toti modò, sed omni, id est, singulis libris Apostolus hanc laudem tribuit.* Vbi Bellarminus hanc consequentiam format?

Verbosè deinceps ostendere conatur, vocem *Omnis*; etiam accipi; pro vocabulo; *Tota*, nec tamen vel hilum proficit. Dato etiam, quanquam nō concesso, vocabulum, omnis, idem esse, quod *Tota*, num ideo negabit VVitackerus hanc consecutionem: *Tota scriptura est vtilis ad docendum, &c. ergo & qualibet eius pars.* Certè hanc consequentiam repudiare non poterit, nisi & suis symmystis contradicere; & se impietatis scelere obstringere velit: quid enim clarius, quàm totam scripturā & quamlibet eius partem: ad docendum vtilem esse; cum quæcunque scripta sunt, ad no-

A stram doctrinam scripta sint, vt testatur alibi Apostolus. Prædicantes non de vocula *Omnis*; vel illa; *vtilis*, hic digladiari deberent; sed num *vtile* hoc loco idem sit, quod sufficiens; & quidem adæquatè sufficiens; item num *vtilitas* hoc loco idem sit, quod sufficientia. Vel num hinc extundi posit illa Prædicantica consequentia: ergo sola scriptura in se & per se immediatè sufficiens est, vt hominem perficiat, & ad omne bonum opus instruat: nam Prædicantium collectio ex hoc Apostoli testimonio planè similis est huic. *Omnis debita dispositio ad generandum ignem vel aërem vtilis est ad generationem ignis vel aëris: ergo debita dispositio sola per se sufficit ad generationem ignis vel aëris.* Item. *Concursus cali & superiorum caussa-*

B *rum vtilis est ad procreandum hominem, ergo solus sufficiens est ad procreationem hominis.* Repetam. Aliud est; esse *vtile*: aliud se solo *sufficiens*: aliud etiam, *sufficiens in suo genere*; aliud, *sufficiens simpliciter & absolutè.* Homo sufficiens est, in suo genere; nimirum in genere caussæ particularis, ad procreandum hominem; sed non sequitur; *ergo solus homo potest procreare hominem*; vel, *solus homo sufficit procreando homini*; quia requiritur præterea subsidium & adminiculum caussarum superiorum & vniuersalium; sine quibus inferiores effectum producere nequeunt. Sic scriptura sufficiens est sed in suo genere; non absolutè & simpliciter, omnibus aliis seclusis; vt hominem perfectum reddat; & ad omne bonum in-

C struat.

Dices. *Scriptura reddit hominem perfectum; ergò ipsa sola sufficit.* Simile est hoc argumentum huic. *Caussa efficiens particularis, homo v. g. generat perfectum hominem; ergo ipsa sola ad generationem hominis sufficit, absq; aliarum caussarum auxilio.* Scilicet, vt caussa particularis efficit hominem perfectum; sic & scriptura, reddit hominem perfectum. Vtraque nimirum in suo genere, non exclusis aliis; & ad hoc præstandum, sufficiens est scriptura; quælibet enim causa sufficiens est ad id efficiendum, cuius gratia instituta est: sed non ideo simpliciter est sufficiens.

Quod agnouisse videtur Caluinianus Iunius;

D cum hic ista scripsit. *Vt in corpore bene constituto singula membra sufficiunt ad id demum ad quod fuerunt instituta; non vt totum; sed vt in toto; sic etiam integrales scripturæ partes, sufficiunt vt partes ad id, ad quod data sunt in toto* [illegible]. Non malè hæc Iunius: dummodo, quod de singulis scripturæ partibus asserit; id etiam ad ipsam totam scripturam sacram referat; nam & ipsa pars quædam est respectu eorum, quæ ad perfectionem & salutem nostram spectant, & sufficiens, non absolutè, sed in suo genere; nam adeo simpliciter sufficiens non est ad perfectionem & salutem, vt si quis totam scripturam sacram in dubium reuocet, vel penitus repudiet, Canonica scripturæ auctoritas ex scripturis ostendi nequeat.

Vbi enim scriptum, omnes libros, quos pro Canonicis veneramur, vere Canonica auctoritate præditos esse; & vt maximè scriptum esset; vnde tamen id Canonicum esse constaret?

Mentitur VVitackerus, cum dicit, *ridiculum esse, quod Bellarminus asserit; in singulis libris has omnes vtilitates ab Apostolo commemoratas inueniri.* Quomodo, quæso, *ridiculum?* An non dicit Apostolus? *Omnis scriptura diuinitus inspirata, est vtilis ad docendum,* &c. At quælibet scripturæ pars est scriptura diuinitus inspirata; ergo, &c. Si dicerem: Omnis homo est risibilis, an non rectè sequeretur: ergo quilibet homo est risibilis? Omne animal est sensitiuum. Ergo quodlibet animal est sensitiuum. An non quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt? teste Apostolo. At quælibet scripturæ pars scripta est; diuinitus nimirum; ergo ad nostram doctrinam; ergo ad docendum: ergo ad arguendum & corripiendum: quia arguere & corripere sunt effectus doctrinæ. Hinc illud eiusdem Apostoli. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina*: ergo & ad erudiendum in iustitia; quia quod valet ad docendum, valet & ad erudiendum; & ad quid erudit; nisi ad iustitiam; cum à sole iustitiæ diuinitus inspiratum sit. Quo fine hæc omnia quælibet scripturæ pars præstat; nisi vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus? Quàm profanus est VVitackerus, cum hanc suam impietatem semel atque iterum euomuisse non contentus; sæpius eandem reponit, repetitque; & disertè negat; *in singulis libris sacra scriptura quadam inueniri, vt Dei hominem perficiant.* Si omnia quæ scripta sunt, valent ad docendum & erudiendum: valent igitur & ad perficiendum; quia docere est perficere; doctrina; perfectio. Quàm ad contradicendum cæco impetu feruntur Prædicantes; cum quæ disputant, nihil penitus ad eorum institutum faciant: siue enim tota scriptura, siue quælibet scripturæ particula valeat ad docendum, &c. siue non; nunquam ex hoc D. Pauli loco illam suam consequentiam exsculpent: *ergo sola scriptura sufficit ad perficiendum hominem*; omnibus aliis caussis adiutricibus exclusis.

Mentitur iterum VVitackerus, cum ait; Bellarminum ita disputare. *Non fuit tum scriptum Euangelium, non Apocalypsis, non alij etiam libri, cum hæc scripsit Paulus, ergo non potest hoc de toto Canonis corpore intelligi.* Duplex mendacium: Primum, quia non dicit Bellarminus alios Canonis libros non fuisse scriptos tum, quando Apostolus hæc scribebat; sed ait; *forte aliquid aliud de corpore scripturarum defuisse*, præter Euangelium S. Ioannis & Apocalypsin. Et hoc longè aliter tinnit, quàm quod VVitackerus adducit. Secundum mendacium; quia Bellarminus non dicit Apostolum non loqui de toto

A scripturarum Canone; sed ait; *eum non loqui de toto & solo corpore scripturarum.* Et hoc iterum longè aliter tinnit, quàm illud VVitackerianum. Loquatur igitur de toto Canone scripturarum, qui exstabat tunc, quando Apostolus hæc ad Timotheum exarabat; imò referatur & extendatur sententia Apostolica ad totum Canonis corpus, prout nunc in Ecclesia habetur; nunquam legitimè educetur inde illa conclusio: *ergo sola scriptura in se & per se, absq; aliarum caussarum ope sufficit perficiendo & ad omne bonum instruendo homini.*

Dicit Bellarminus: Apostolum, ex hoc principio vniuersali: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est*, &c. concludere voluisse hoc particu-
B lare; etiam veteris testamenti scripturam esse vtilem ad docendum, &c. Occurrit VVitackerus; *Apostolus non disputat ab vniuersali ad particulare, sed à caussa efficiente, & finali. Ab efficiente sic: Tota scriptura θεόπνευστος est, hoc est, à Deo inspirata, & instituta est: ergò, tu lege scripturas, ex quibus veram sapientiam disces. A fine, hoc modo: scriptura ὠφέλιμος, vtilis est ad multa: ergò, tu lege scripturas, vt ex hac lectione, tam multa magnaq; commoda capias.* Quasi verò hoc obstet, quò minus verum sit, quod Bellarminus asserit. Vt maximè Apostolus à caussa efficiente & finali argumentaretur, an ideo argumentum non posset esse ab vniuersali ad particulare? Si dicam: Omnis caussa efficiens est id vnde principium motus; ergo & hæc? Aut om-
C nis caussa finalis est id, cuius gratia aliquid fit; ergo & hæc; an non ab efficiente & fine argumentum duco; & tamen ducitur ab vniuersali ad particulare? Licet igitur à caussa efficiente & fine argumentaretur Apostolus, non tamen ob id infirmaretur assertio Bellarmini.

Quanquam quid est; quod hic de caussa finali & efficiente VVitackerus nugatur, cum luce liquidius sit, Apostolum argumentari ita vt Bellarminus dicit? Laudauerat Timotheum à cognitione sacrarum litterarum ab ineunte ætate hausta; monuerat, vt in his, quæ didicerat, constanter persisteret. Dixerat; *quia ab in-*
D *fantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo IESV.* Quod rectè monet Bellarminus accipiendum de libris veteris testamenti, cum in Timothei infantia libri nouæ legis necdum essent conscripti. His omnibus præmissis; subiecit illam vniuersalem enunciationem; *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum*, &c. Et inde virtute & implicitè intulit, vel potius aliis inferendam reliquit hanc consequentiam. Ergo etiam scriptura veteris testamenti est vtilis ad docendum, ad arguendum, &c. & per cõsequens, rectè prius assertum est; Timotheum ab infantia sacras litteras didicisse; quæ possunt hominem instruere ad salutem.

Emen-

Emendat VVitackerus vulgatæ versionis textum; quia in Græco est: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, *omnis scriptura diuinitus inspirata & vtilis, &c.* Vnde constat VVitackero, Græcam lectionem esse integriorem, quàm Latinam? Secundò, nodum in scirpo quæritat: quia eôdem sensus recidit; siue nostri Interpretis lectionem amplectaris; siue cum Beza vertas: *Tota scriptura diuinitus est inspirata & vtilis ad doctrinam, etc.* siue cum Erasmo: *Omnis scriptura diuinitus inspirata & vtilis ad doctrinam, &c.* vbi necessario vocula *est*, subintelligi debet; vt constet oratio.

Negat VVitackerus suos ita argumentari: *Scriptura est vtilis; ergo sufficiens: non enim omne vtile, esse sufficiens.* Respondeo, Prædicantium scripta & commentarij contrarium loquuntur, qui adeo ex hoc loco scripturæ *sufficientiam* concludere gestiunt; vt inde etiam solam scripturam sufficere contendant. Si Sectarij non ita argumentantur; exponat nobis VVitackerus, quomodo argumentum instituant. *Ex magnitudine, inquit, & multitudine vtilitatis colligimus sufficientiam; quia potest fieri, vt quid tam sit vtile; vt sufficiat; solumq; absque alio sufficiat.* Non ignota refers. Quid inde? *Ergo hic idem contingit?* Negamus. Tu qua ratione probas? Tam parum ex dicto Apostoli, solius scripturæ sufficientia ad perfectionem & salutem hominis, ex magnitudine vtilitatis ab Apostolo commemoratæ, colligitur; quàm parum aptè ex hac assertione: *Tota & omnes partes logicæ sunt vtiles ad docendum, ad argendū, ad increpandum; ad erudiendum; vt homo in cognitione philosophica sit instructus*; colliges hâc consecratione: *ergo sola Logica sufficit ad perfectionem illam intellectus, quæ in cognitione philosophica consistit.*

Sed en insolubile argumentum, *nec à Bellarmino, nec à Rhemensibus, nec à Censore Charci, nec à Defensore Censuræ tactum*; si vera canit VVitackerus. Scripturæ docent perfectam sapientiam, vt caussa adæquata & totalis: Nego antecedens: vt caussa partialis, concedo: ergo scripturæ nobis ad salutem sufficiunt: Nego consequentiam, quæ similis est huic: *Homo generat perfectum hominem; ergo ipse solus sufficit ad generationem perfecti hominis, seclusis aliis caussis superioribus. Cibus & potus perfectam reddunt valetudinem; ergo solus cibus & potus sufficit ad perfectam valetudinem.*

Obiicit VVitackerus. *Scriptura vtilis est ad omne opus bonum*; ait enim Apostolus: *vt ad omne opus bonum instructus sit, ergo sola scriptura sufficiens est*: perinde ac si dicas; cibus & potus vtilis est ad omnem bonam valetudinem & producendam & conseruandam; ergo solus cibus & potus sufficit ad bonam valetudinem producendam & conseruandam. Item bonæ dispositiones sunt vtiles ad actiones vitales exercendas; ergo solæ bonæ dispositiones sufficiunt ad actiones vitales exercendas. Istis collectionibus planè similis est supra dicta VVitackeriana: Quare vt illæ nullius sunt momenti; ita & isthæc ne cassa quidem nuce digna est.

A Vrget VVitackerus vocabulum ἄρτιος. Quo fine? An aliud significat, quàm quod à nostro Interprete expressum? Certè ἄρτιος hoc loco *perfectus* est; nihil aliud. Vrget & illud; *ad omne opus bonum* ἐξηρτισμένος. Noster; *instructus.* VVitackerus cum suo Beza: *perfectè instructus.* Dato hanc versionem esse legitimam, inde tamen nunquam conficietur illa, quam isti cupiunt, consequentia: *Ergo sola scriptura ad hanc adæquatam & omnimodam perfectionem sufficit*: non magis, quàm si dicas: *cibus & potus est vtilis, vt homo sit perfectus; & ad omne opus vitale exercendum perfectè instructus; ergo solus cibus & potus ad hanc perfectionem sufficit.* Item: *Dispositiones ad formam in materiem introducendam sunt vtiles, vt perfectus homo producatur; qui ad omne opus hominis perfectè sit*

B *instructus; ergo solæ dispositiones sufficiunt ad hanc perfectionem.* Quis non miretur stolidissima istorum nugamenta; quæ tamen ita venditant; quasi sint insolubilia & irrefutabilia; cum nil sint nisi luculentissima grandis inscitiæ documenta; Quis nescit, quando caussæ partiali, vel etiam particulari effectus adscribitur; non excludi alias *concaussas*, siue sint partiales, siue vniuersales. Nam cum de architecto affirmo: *Vtilis est ad hoc, vt domus perfecta & ad habitandum perfectè instructa ædificetur*: quis adeo obtusi pectoris est, qui hinc concludat, solum architectum ad perfectam domum condēdam sufficere, absque vllis aliis adiutoribus? Item cum de viro forti & strenuo affirmatur, eum esse vtilem, vt perfecta & perfectè instructa

C victoria obtineatur, quis adeo infans est; qui hinc inferat? *ergo talis vir fortis & strenuus, ad perfectam & perfectè instructam victoriam, solus sufficit*, exclusis *aliis commilitonibus.*

Necdum finis VVitackerianæ subtilitatis: *Ille ἄρτιος dicitur, cui nihil deest: Scripturæ faciunt pastorem ἄρτιον, ergo eiusmodi faciunt; cui nihil deest: quod si pastori nihil deest, tum nec scripturæ aliquid deest, quæ ipsum ita perficit.* Accipe similem delirationem; non enim dicere possum argumentationem. *Illa domus dicitur perfecta, cui nihil deest: architectus facit domum perfectam; ergo eiusmodi, cui nihil deest. Quod si domui nihil deest; tum nec architecto quidquam deest, qui ipsam ita perficit: & consequenter, solus sufficit ad perfectam domum condendam.*

D Aliud VVitackerianæ sapientiæ exemplum. *Ille ignis dicitur ἄρτιος perfectus, cui nihil deest. Ignis generans generat ignem perfectum; ergo talem, cui nihil deest. Quod si igni generato nihil deest; tum nec igni generanti quidquam deest; & per consequens solus ignis ille, absque vllo vniuersalium caussarum adiumento, sufficit ad perfectum ignem generandum.* Quis hæc tam stolida non exsibilet, pedibusq; ac manibus explodat? Itaque scriptura generat perfectam sapientiam, & perfectum reddit. Num igitur sola? Homo perfectum hominem producit. Num solus?

Et tamen fatuitas prædicta VVitackero tantopere arrisit; vt thrasonicè diceret: *Nullus Papista aptè & plenè huic argumento vnquam respondit, aut respondebit.* O incredibilem vanitatem. Quid facilius,

lius, quàm aulem hanc fatuitatem elidere, & funditus protere re; prout à Bellarmino, aliisque plurimis non semel factum.

Sed en nouum missile. Hieronymus in illa verba: *Quæ te possunt instruere ad salutem:* dicit; *Scripturas non sufficere sine fide.* Ex quo colligit VVitackerus hanc consequentiam. *Ergo cum fide sufficiunt.* Respondeo, sufficere; sed in suo genere: sicut architectus sufficit ad domum construendam; non absolutè, sed in genere architecti. Homo sufficit ad generandum hominem; non absolutè, sed in genere caussæ cuiusdam particularis. Hactenus de VVitackero.

Iunius hic solitis passibus incedit. *Negatur consequens. Vtrumque inconsequens. Verba dederit Paulus, quod absit; aut locutus fuerit imprudentissimè. Nam quid aliud sibi verba illius volunt? Hac probatio à nobis facit. Bellarminus fallit æquiuocatione. Hanc rimam æquiuocationis reperit Bellarminus libens, vt à quæstione paulisper deflecteret. Hac fallaciâ diuisionis eluduntur male. Fallit Bellarminus elenchi ignoratione. Hoc nulla sophistice potest euertere.* Quid illud? Audi. *Quod diuinitus vtile est ad institutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus, id solum est sufficiens; tota autem scriptura, est eiusmodi; sola igitur sufficiens.* Si valet hæc Iuniana collectio, valebit & ista. *Quod diuinitus vtile est ad institutionem, quæ est in iustitia vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus, id solum est sufficiens; sed ministerium externum, ipso Iunio non diffitente, diuinitus vtile est ad institutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus: ergo externum ministerium solum est sufficiens. Ergo non requiritur scriptura.* Si Iunius aut Iunianus quispiam hunc syllogismum reiicit; reiiciat & priorem; quia pares sunt.

Scriptura, ait Iunius, *est instrumentum perfectum; ergo sola sufficit.* Dicam ego. *Homo est caussa perfecta; ergo solus homo sufficit ad generationem hominis absque vniuersalium caussarum suppetiis.* Quidquid respondebitur verè ad hãc posteriorem collectionem; id applicetur ad priorem; nec alia solutio desiderabitur. Notetur autem cõsensio Iunij & VVitackeri. Ille sententiam Paulinam non modò ad totam scripturam; sed & ad singulas partes pertinere dicit. Hic vt insipienter; ita & pertinaciter id abnuit.

Savvbrandus nos denuo syllogismis suis beat; & quidem vt longissimis, ita inanissimis. *Quod est ita vtile ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, vt perficiat hominem Dei, & ad omne opus bonum sufficienter instituat, hoc continet sufficientem doctrinam salutis. Sed tota scriptura est ita vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, vt perficiat hominem Dei, & ad omne opus bonum sufficienter instituat. Ergo tota scriptura continet perfectam doctrinam salutis.* Subiungit Caluinista mendacium. *Bellarminus primùm concedit totum argumentum.* Mentitur hęreticus. Nam Bellarminus nihil de vllo syllogismo meminit; tantum abest; A vt hunc Savvbrandicum totum concesserit. *At fatetur Scripturam dici posse sufficientem ad docendum & perficiendum hominem; quia multa continet expressè, & quæ non continet; ostendit, vnde petenda sint.* Ita est; hoc fatetur Bellarminus. An ideo totum Savvbrandicum syllogismum concessit; quem nunquam vidit; quippe nondum ex Savvbrandico cerebro progenitũ, cum Bellarminus hæc euulgaret? Sed esto; cõcedamus totum syllogismũ ad sensum & modum iam explicatũ. Sit scriptura sufficiens; sit sola sufficiens; quatenus quædã continet, *immediatè*, quędam; *mediatè*; Quid inde colligit Caluinista? *Implicat contradictionem.* Itáne? Vbi? Forsan in male feriato tuo capite. Videamus tamen. *Hæ duæ propositiones; scriptura perficit hominem Dei, & sufficienter instruit ad quoduis opus bonum; Et; scriptura non* B *perficit hominem Dei, neque sufficienter instruit hominem Dei ad quodlibet opus bonum; sed, ablegat eum ad Papam Romanum, & eius synagogam, vt ab iis perfectè instituatur, sunt contradictoria, & simul vera esse nõ possunt.* Respondeo, vt prior propositio sit Bellarmini in prima responsione; & iuxta distinctionem *sufficientiæ*, quam in primo responso attulit; posterior certè non est Bellarmini, quamdiu in prima responsione persistitur. Nam qui dicit: scriptura hominem sufficienter instruit ad omne opus bonum, mediatè nimirum, quatenus quædam explicitè complectitur, alia implicitè: alia tradit formaliter; alia, vnde sumenda sint, monstrat; is profecto dicere non potest; scriptura nõ instruit C sufficienter hominem ad omne opus bonum; vsurpando vocabulum *sufficienter* eo modo, quo in affirmatiua enunciatione acceptum est. Neque vnquam ostendet Savvbrandus, à Bellarmino hanc negatiuam propositionem prodiisse; persistendo in prima solutione. Sic qui ait: *Scripturam continere sufficientem doctrinam salutis;* mediatè scilicet, quo sensu vocabulum: *sufficiens* in prima solutione sumitur; is nunquam affirmabit contradictoriam eius: scripturam non continere *sufficientem* doctrinam salutis; sumendo vocabulum; *sufficientem*, prout in affirmatiua propositione sumebatur.

Mentitur Savvbrandus cum dicit; *per ea; quæ scriptura ostendit; vnde petenda sint; intelligere nos Pa-* D *pam; eiusq; synagogam:* Intelligimus enim verbum Dei non scriptum; seu traditiones diuinas & Apostolicas. Nec Papa, nec Ecclesia est verbum Dei non scriptum; sed custos & Interpres verbi Dei non scripti.

Nec hanc solam solutionem ad hæreticorum obiectionem dat Bellarminus; sed & aliam meliorem & expeditiorẽ; quam paulò ante defendimus contra VVitackerum: cum quo Savvbrãdus stultescit; *non omnes scripturæ partes seu libros vtiles esse ad docendum, &c. Sed tantummodo totam scripturam.* Quod vt iam vidimus, fatua quædam blasphemia est.

Nunc audiamus syllogistam. *Quod potest aliquem sapientem reddere ad salutem, hoc continet perfe-*

ctam doctrinam salutis. Sed scripturæ possunt aliquem sapientem reddere ad salutem: Ergo, scripturæ continent perfectam doctrinam salutis. Reponamus syllogismo syllogismum. Quod potest aliquem sapientem reddere ad Philosophicam & Theologicam doctrinam, hoc continet perfectam doctrinam Philosophiæ & Theologiæ. Sed Summula Petri Hispani cum Nominalium commentariis possunt aliquem sapientem reddere ad Philosophicam & Theologicam doctrinam; ergo Summula Petri Hispani cum Nominalium commentariis continent perfectam doctrinã Philosophiæ & Theologię. Vt placet hic syllogismus palato Savvbrandico? Atqui prior huius frater est; & quidem gemellus; os habitumque simillimus. Negatur ergo Maior; vniuersim sumpta: Fieri enim potest; vt quis aliquem sapientem reddat; sed vt caussa partialis: Hinc non impertiet perfectam sapientiam; sed certam; & perfectioni caussæ attemperatam. Logica reddit sapientem philosophicè. Num perfectè? Quid ergo agit Physica? Quid Metaphysica?

Posset etiam Maior distingui, vt vera sit; si intelligatur; cum particula exclusiua: Quod *solum* potest aliquem sapientem reddere ad salutem; hoc continet perfectam doctrinam salutis: falsa; si intelligatur de omni illo; quod *inadæquatè* potest aliquem sapientem reddere. Ad Minorem: *Scripturæ solæ possunt aliquem sapientem reddere ad salutem:* negatur. *Scripturæ inadæquatè, & secundum perfectionis suæ proportionem possunt hominem reddere sapientem:* Conceditur Minor: *Ergo scripturæ continent perfectam doctrinam salutis.* Negatur consequentia. Potest etiam totus syllogismus concedi; si intelligatur Maior de perfecta doctrina salutis; non absolutè; & simpliciter; sed in suo genere; nam & Logica continet perfectam doctrinam Philosophicam in suo genere; Physica itidem perfectam; non simpliciter; sed in suo genere: sic & de scriptura statue.

Savvbrandus non vult vt Maior distinguatur; multo minus vt negetur: hoc enim vetuit tali edicto. *Maiorem nemo negabit, qui mentem habet.* Atqui nemo mente præditus eam vel adstruet; vel absque distinctione recipiet.

Dixerat Kemnitius, *quatuor illas scripturæ vtilitates, à S. Paulo enumeratas non inueniri in quolibet scripturæ libro.* Refellit hoc Bellarminus; quia nulla scripturæ pars breuior est, quàm epistola secunda Ioannis; & tamen in ea omnes illæ vtilitates reperiuntur; vt demonstrat Bellarminus. Contrà insurgit Savvbrandus: *Aut qualibet scriptura est ita vtilis ad ista quatuor, vt hominem Dei perficiat, aut non est. Si non est, tũ iniustè mordes Chemnitium. Si est, tum contra conscientiam oppugnas doctrinam nostram. Elige, quod voles.* Bellarminus iam elegit prius membrũ in Maiore abs te positum. Dicit enim, quemlibet librum ad quatuor illa esse vtilem, contra Kemnitianam ignorantiam & impudentiam. Quomodo hinc infers; *Bellarminum contra consci-*

A *entiam oppugnare doctrinam vestram*; nisi quia quodlibet ex quolibet infers?

Obiicit Savvbrandus; *non tantùm integros libros; sed & quodlibet dictum scripturæ esse scripturam; nec tamen de quolibet scripturæ dicto intelligi posse illud: omnis scriptura diuinitus inspirata est vtilis ad docendum, &c.* Si quis hoc neget; quo medio id persuadere nitetur Savvbrandus? Certè ne vnus quidem scripturę apex absque caussa à Spiritu sancto exaratus est. An non omnis scripturæ sententia, quantumuis minima & breuissima, docet? *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt*, teste Apostolo. At singulæ scripturarum sentẽtiæ sunt scriptæ; ergo ad nostram doctrinam; ergo docẽt. Si docent; sunt ergo omnes scripturæ sententiæ
B vtiles ad arguendum & corripiendum; & erudiendum; quia doctrina vtilis est ad arguendum, corripiendum, & erudiendum. Docent autem singulæ sacrarum litterarum sententiæ.

Dices. *Non in omnibus scripturæ dictis contineri expressè & formaliter redargutiones & correptiones.* Respondeo, hoc non requiri ad veritatem dicti Apostolici; quia Apostolus non dicit; *omnis scriptura atque adeo qualibet etiam scripturæ sententia, docet, arguit, corripit, erudit*; sed, *vtilis est ad docendum, arguendum, &c.* quia docet lectorem & instruit; quomodo arguere, corripere; & erudire debeat; & ad hæc munia obeunda habilem idoneumq; efficit.

Pergit Savvbrandus syllogizare. *Quod ita vtile*
C *est, vt simul perficiat, & perfectè instruat, hoc est sufficiens. Sed scriptura ita vtilis est, vt simul perficiat, & perfectè instruat. Ergo, scriptura est sufficiens.* Vanissimum syllogismum exornat Caluinista mendacio. *Hoc cum Bellarminus soluere non posset, ridet; & dicit; cibus ad nutriendum vtilis est, & tamen solus ad nutriendum non sufficit. Eodem modo scriptura ad hæc vtilis est. Et tamen sola ad hæc non sufficit.* Scilicet Bellarminus hoc vestrum commẽtum soluere nequiit: cuius Maior conceditur; si illud perfectè accipiatur de perfectione adæquata & omnimoda, sed statim negabitur Minor; iuxta ea; quæ ad priorem syllogismum diximus. Vt taceam, alia ibidem allata; quæ & huic figmento accommodari queunt.

Neque vel vno filo melior est iste syllogismus.
D *Quod omne illud, quod homo Dei docere debet, suggerit, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed scriptura suggerit omnia illa, quæ homo Dei docere debet. Ergo scriptura continet perfectam doctrinam salutis.* Concessa Maiore negatur Minor; si sermo sit de suggestione immediata; vt vult Caluinista, cum enim non contineat omnia *immediatè*; quomodo omnia immediatè suggerit?

Tertium Hæreticorum contra traditiones argumentum sumitur ex scripturæ locis, in quibus damnantur traditiones. Isaiæ 29. *In vanum colunt me docentes doctrinas & mandata hominum, &c.* Respondet Bellarminus, in scriptura non reprehendi veteres & veras traditiones à Mose, & aliis antiquis acceptas; sed recentiores quasdam cum

EE 2 ipsis

scripturam excogitata, est doctrina hominum. Ergo omnis traditio præter scripturam excogitata, abiicienda. Mirabilis Maior. Si omnis doctrina hominũ abiicienda; omnes ergo liberales disciplinę abiiciendę erunt; exturbanda Logica, Physica, Metaphysica, Mathematica; quia sunt doctrinæ hominũ. Itaq; negatᷓ Maior. Falsa est & Minor. Nec sanior est iste syllogismus; vel potius φλυαρισμός. *Apostoli prædicarunt perfectam doctrinam salutis. Sed quæ prædicarunt, eadem & scripserunt. Ergo Apostoli scripserunt perfectam doctrinam salutis.* Respõdeo ad Minorem. Scripserunt omnia: Falsum. Quædam; Verum. Sic intercisa iacet conclusio. Ast audi apodicticã prorsus Minoris probationem. 1. Ioan. 1. *Quod vidimus hoc annunciamus vobis; ergo Apostoli, omnia scripserunt, quæ prædicarunt.* Pulchrè. At pulchrius. Lucæ 1. *Visum est mihi omnia ad te scribere.* Hic primò agnosco falsarium: quia S. Lucas non refert illud vocabulum *omnia*; ad verbum *scribere*; sed ad vocem, *assecuto. Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere.* Deinde S. Lucas non dicit; *se omnia simpliciter velle scribere.* Sed omnia, quę ipse assecutus sit. Vbi enim scripsit aduentum Magorum in Bethlehem? Vbi sermones illos pulcherrimos & diuinos sub extrema cœna & pôst ad discipulos habitos? Vbi lotionem pedum?

Fauete linguis. Prodit alius in scenam syllogismis. *Quod docet, quomodo possimus æternam damnationem effugere, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed scriptura docet quomodo possimus æternam damnationem effugere. Ergo scriptura continet perfectam doctrinam salutis. Maior est extra controuersiam,* inquit Caluinista. Respondeo, adeo apud me controuersa est; vt eam negem: alioqui hæc paucula verba: *Declina à malo, & fac bonum:* perfectam vndequaque salutis doctrinam comprehenderent, quia docent; quomodo æterna damnatio euitetur; nempe declinando à malo, & faciendo bonum.

Curate, ne quis obsistat in via, progreditur alius syllogismus. *In quo habemus vitam æternam, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed in scriptura habemus vitam æternam. Ergo, scriptura continet perfectam doctrinam salutis.* Respondeo; si adiiciatur ad Maiorẽ vox *solo*; vt sit; In quo solo; conceditur Maior; sed negatur Minor. Si nõ adiiciatur ad Maiorem illud; *in quo solo*; ita vt sensus sit; in quo, quomodocunque etiam; vt *in*, vel *ex caussa* partiali vitam æternam habemus, &c. negatur Maior.

Spectemus & istum Savvbrandicum fœtum. *Quæ Christus fecit, & docuit, illa continent perfectam doctrinã salutis. Sed illa omnia scripta sunt. Ergo, quæ scripta sunt, illa continent perfectam doctrinam salutis.* Negatur Minor. D. Ioannes disertè & palã contrarium testatur. Probat Caluinista Minorem. Act. 1. *Primum librum confeci de omnibus, quæ cœpit Iesus facere & docere. ergo omnia scripta sunt.* Si hoc ita se habet; cum certũ sit S. Lucam loqui de se, non de aliis Euangelistis: peto, vt ostendat mihi Savvbrandus in Euangelio S. Lucæ sermones illos ad discipulos, quos scripsit S. Ioannes c. 14. & seqq. item excita-

A tionem Lazari; & illuminationem cæci ab ortu; & nuptias in Cana Galileæ; & alias multas disputationes passim à Christo cum Iudæis habitas, & à nullo, nisi à Ioanne, literis mandatas: nam Lucas verbis citatis dicit; *se omnia, quæ cœpit Iesus facere & docere, libro primo*, hoc est, in Euangelio suo complexum esse. ergo illud, *omnia*, accipitur pro *generibus singulorum*; non pro *singulis* generum, hoc est, omnia scripsit S. Lucas quoad speciem; non omnia, quoad indiuiduum: nã ex omnibus dictis & factis Christi aliqua conscripsit, tametsi istud *omnia*; aliter quoque explicari queat; vt patet apud Lorinum in c. 1. Act. Eodem modo accipi potest vocabulum *omnia* apud S. Lucam in prooemio Euangelij: de quo paulò antea.

B Postremus Savvbrandi syllogismus longè teterrimus. *Dicta Apostolorum continẽt perfectam doctrinam salutis. Sed dicta Apostolorũ sunt in Mose, & Prophetis. Ergo, in Mose, & Prophetis est perfecta doctrina salutis.* Respondeo, si dicta Apostolorum, etiam omnia, tam scripta, quàm non scripta, continent perfectam doctrinã salutis; quid ergo continent dicta & facta Christi? Quid de his agemus? An superfluunt? Mittamus ista. Negatur Minor; vbi enim epist. ad Rom. v. g. in Mose? Vbi Apocalypsis in libello Ruth? Vbi Acta Apostolorũ in lib. Esdræ, vel Ester, secundum particularem seu specialem rationem? Nam si de ratione generali sermo sit; tum probare posset Caluinista, in symbolo Apostolico omnia dicta & facta tam Christi, quàm C Apostolorũ; imò etiam totius antiqui testamenti inesse. Quid enim facilius; quàm similem Savvbrandico syllogismum condere. *Dicta Apostolorum continent perfectam doctrinam salutis. Sed dicta Apostolorum sunt secundum generalem rationem in symbolo Apostolico. Ergo in symbolo Apostolico est perfecta doctrina salutis.* Hæc de Savvbrando.

Præter argumenta Hęreticorum ex scripturis, quæ Bellarminus dissoluit, profert VVitackerus septendecim alia loca ex sacris litteris aduersus traditiones. Primus est Ps. 19. (ita citat Hęreticus) nobis Psal. 18. *lex Domini immaculata*: ipse vertit: *lex Iehouæ integra, sapientiam p̃stans paruulis. ergo non sunt traditiones.* Nihili consequẽtia ex optimo antecedẽte: siue legas *integra*; siue, *immaculata*. Integra est D scriptura: ergo ipsa sola omnimodè & adæquatè perfectam sapientiam præstat: Quæ hæc consequentia? Nimirum similis huic. *Logica est integra, sapientiam præstans Philosophiæ paruulis. hoc est; tironibus; ergo ipsa sola sufficit, vt philosophicã sapientiã perfectè homines imbuat.* Item. *Logica est perfecta: ergo absolutè perfectam sapientiam tribuit.* Hoc nequaquam sequitur; sed illud tantũm: *ergo perfectam in suo genere sapientiam tribuit.*

Secũdus locus est Luc. 1. *Visum est & mihi assecuto omnia, &c. vt cognoscas eorum verborũ, de quibus eruditus es, veritatẽ.* Vbi VVitackerus: *Putauit Lucas sibi necessarium esse, vt scriberet ad illum eadem, quæ didicerat, vt illarum rerum τὴν ἀσφάλειαν, exploratam certamq́; veritatẽ agnosceret.* Hinc tale argumentum conficit: *Si necessarium*

sarium fuit Theophilo, vt ea scriberetur, quæ ipse antea audierat, & didicerat, περὶ τὴν ἀσφάλειαν; tum omnia omninò, quæ Apostoli docuerunt, scripta sunt. Nam debemus ἀσφάλειαν, id est, certam scientiam habere eorũ omnium, quæ necessaria sunt. At necessarium id Theophilo fuit. Ergo omnes necessarij λόγοι scripti sunt. Et si hoc fuit Theophilo necessarium, qui Apostolos ipsos audierat, vt ea, nempe quæ ab Apostolis didicerat, scripta haberet, quò eorum verissimam, & certissimam doctrinam cognosceret: tum multò magis nobis, & Ecclesiis sequentium seculorum hoc necessarium iudicari debet. At verum primum: ergo & secundum.
Quanta vanitas, quãta inanitas, quanta mendacitas in toto hoc argumẽto. Nam & Maior & Minor falsa est. Minor quidem; quia S. Lucas nõ dicit; *Theophilo necessarium fuisse, vt ipse Euangelium conscriberet:* ostẽdat VVitackerus, aut VVitackerianus quispiam S. Lucam in illo suo perbreui prologo vocem illam; *necessarium*; vsurpasse. Ne in versione quidem Bezana, qua vtitur VVitackerus, hoc vocabulum exstat. Cur ergo à VVitackero, tanquã certũ & exploratum, sumitur? Nõne ipsimet hæretici fatentur, simpliciter necessarium nõ fuisse, vt aliqua scriptura exstaret; sed omnia ad salutẽ necessaria potuisse doceri & disci sola traditione absq; vllis scripturę monumẽtis? Itaq; falsum est D. Lucam existimasse Theophilo fore *necessarium* ad fidei obseruationem; vt Euangelium conscriberet; sicut enim Theophilus sine scripto D. Lucę Euangelio fidẽ amplexus fuerat; sic eandẽ absq; illo retinere poterat. Quapropter verba D. Lucæ nullam necessitatem absolutam significant; sed hoc tantũmodo, Euangelium à se scriptum esse; vt lectione libri comperiret Theophilus; veritati congruere ea, quibus antea fidẽ assensumq; præbuerat: *ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν*; hoc est, ipso Beza interprete; *vt cognoscas earũ rerum veritatem; quas auditione accepisti:* vt videas legendis hisce nostris scriptis, omnia de quibus antea institutus es; cum vero exactissimè consentire; & à falso quã longissimè distare: hoc enim significat illa λόγων ἀσφάλεια; quæ eo maior, quò res ab omni mendacij & falsitatis suspicione longius distant.

Dices: *ergo Theophilus antea non habebat ἀσφάλειαν earum rerum, de quibus institutus fuerat.* Respondeo, hoc non sequi; quia iam fidelis erat; Habebat ergo illam ἀσφάλειαν, certissimamq; cognitionem; fides enim certa est; non dubia; non fluctuans; non hæsitans. Quid ergo sibi vult S. Lucas? Hoc, vt Theophilus antea certus & ἀσφαλὴς, legendis historiis Euangelicis tantâ diligentiâ & ab omnia assecuto conscriptis certior & ἀσφαλέστερος fiat; hauriendo certitudinem cognoscẽdo τὴν τῶν λόγων ἀσφάλειαν ex ipsa commentarij scripti lectione: nemo enim abnuit lectionem multum momenti conferre ad incrementum & confirmationem certitudinis.

Itaq;, si VVitackerus velit extra scripturã non posse esse certitudinẽ, καὶ τῶν λόγων ἀσφάλειαν siue ex parte obiecti; siue ex parte subiecti; sequitur primos homines vsq; ad Moysen per duo millia annorum nullam de rebus diuinis certitudinem & ἀσφάλειαν habuisse, quia nulli Canonici libri ante Moysen exstabant, vt suo loco dictum; sed omnia sola auditione & traditione transigebantur. Sequitur item, primitiuam Ecclesiam non habuisse in credendo certitudinem & ἀσφάλειαν, quod attinet ad res Euangelicas; quę nõ nisi post aliquot annos in litteras relatæ sunt. Quocirca non video, qua ratione, nisi Caluiniana; Caluinianus iste hunc D. Lucæ locum aduersus traditiones producat: Nam si quis argumentum ita instituat: *Non potest haberi certitudo fidei & ἀσφάλεια sine scripturis; ergo nihil est credendum extra scripturas cum non possit credi certò καὶ ἀσφαλῶς:* Respondeo, antecedens esse falsum; vt patet ex dictis. Probas. *D. Lucas testatur se Euangelium conscripsisse & ad Theophilum misisse; vt cognosceret earum rerum, de quibus eruditus fuerat, veritatem, certitudinem & ἀσφάλειαν; ergo prius illam non habebat:* vel; *ergo sine scripturis haberi non potest:* Nego & hanc & illam consequentiam; quia S. Lucas non loquitur de certitudine vel ἀσφαλείᾳ primùm acquirẽda, sed de iam acquisita augenda & corroboranda; nisi quis tam sit absonus; vt ipsum etiam D. Lucam arbitretur caruisse certitudine & ἀσφαλείᾳ, antequam Euangelium à se conscriptum lectitaret. Si enim Theophilus fidei certitudinem & ἀσφάλειαν habere non potuit, nisi ex scriptura, vt delirat Nouator; profectò nec Lucas habere aliunde potuit. Si quis discipulum suum Logicis pręceptionibus vel Physicis documentis instituisset absq; vlla scriptura; sola viua voce & narratione; isq; postea, ea quæ discipulus auditione acceperat, literis consignaret; vt auditor earum rerum, de quibus institutus fuerat; veritatem, certitudinem & ἀσφάλειαν cognosceret; an tu rectè inferres, auditorem illum antea non habuisse rerum Logicarum vel Physicarum certitudinem & ἀσφάλειαν? Nihil minus. Antea vtique disputationes illas nouerat; sed cognitionem & certitudinem prius habitam; nunc legendo confirmat; & vt confirmet; liber à Magistro scriptus & auditori traditus est. Eadem ratio in proposito.

Tertium testimonium Luc. 16. *Habent Moysen & Prophetas; illos audiant: ergo non sunt vlla traditiones extra Moysen & Prophetas*; hoc est; *extra scripta Moysis & Prophetarum.* Mirifica consequentia; quæ vt penitius introspici possit, notandum est, per *Moysen* & *Prophetas* intelligi doctrinam Moysis & Prophetarum: sensus enim est; Habent doctrinam Moysis & Prophetarũ; illam audiant. Num verò nulla alia Moysis & Prophetarum doctrina, quàm scripta, vt hæretici tam securè nobis hanc collectionem apponãt? *Abrahamus mittit epulonem ad doctrinam Moysis & Prophetarum; ergo tantùm ad scripturam.* Probatur. *Quia nulla est alia doctrina Moysis & Prophetarum, quàm scripta.* Nonne vides, quàm rectè passim Prædicantes *principium petant*; idque quod in quęstione est, pro concesso & comperto sumant; sed velata & fucata semper aliquib' scripturæ testimo-

stimoniis, vt tunc, cum maximè *petunt principium* & pueriliter nugantur, solidissimas probationes attulisse videri velint.

Instat VVitackerus. *Abraham iubet Moysem & Prophetas audire; ergo illos solos.* Esto; non contendā. Agam liberaliter. *Ergo illos solos scriptos?* seu, *solam eorum doctrinam scriptam?* Iterum quæro; qualis hæc consequentia? An non potest quis audiri in scriptis & extra scripta, viua voce ad posteros per traditionem transmissa? licet ergo Abraham particulam exclusiuam *solos* adiecisset; traditionibus locus iste fraudi non foret.

Perinde est, inquit VVitackerus: *ac si diceret Abraham, si illos audierint, poterunt ex illis omnia discere & cognoscere, quibus hanc mortem & hos cruciatus vitare possint.* Rectè dicis; sed obseruare debet, Moysen & Prophetas tam in scriptis, quàm extra scripta audiri posse. Qui igitur vtroque modo eos audit; vtique inferorum tormenta effugiet. Nam Moysen & Prophetas fratres isti, etiam quoad hoc caput, audire debuerunt; & audire iussi sunt; libros Moysis & Prophetarum esse Moysis & Prophetarum: esse item diuinitus inspiratos & Canonicos; sed quoad hoc caput, non potuerunt Moysen & Prophetas in scriptis audire; sed tantùm extra scripta. Nam vt in ipsis libris Moysis scriptum esset; libros Moysis esse diuinos & ab ipso Spiritu sancto dictatos; vndénam scire posses hoc ipsum testimonium esse diuinum & Canonicum, nisi ex traditione non scripta Moysis & Prophetarum?

Perinde est, ac si diceret, inquit VVitackerus; *horum librorum doctrina perfecta est, quos Moses, & Prophetæ scripserunt; nihil opus est alios Magistros, aut monitores requirere. Aliàs enim non respondisset Abrahamus ad mentem sententiamq; epulonis.* Tu hoc dicis ex tua mente; non ex sensu Abrahami; qui nihil de libris; sed de Mose & Prophetis; hoc est, de doctrina Moysis & Prophetarum; quæ non tantùm in litteris sita; sed & extra. Quanquam non negamus doctrinam, etiam scriptam, Moysis & Prophetarum, perfectam esse; non simpliciter, sed in suo genere; nam & quælibet caussa partialis perfecta est; sed in suo genere; non absolutè præsertim in ordine ad effectum; quem sola producere nequit. Falsum & illud: *Abrahamum significasse eos, qui scripturæ doctrina contenti esse nolunt, nulla omnino doctrina persuaderi posse.* Falsum hoc assero; quia Abraham non loquitur determinatè de doctrina scripta; sed generatim de doctrina Moysis & Prophetarum siue scripta sit, siue tradita. Secundò, multi, priusquam fidem amplectuntur, contenti esse nolunt scripturæ testimoniis; Et tamen aliis argumentis inducuntur; vt fidei Christianæ dogmatis assentiantur: Itaque quod Abraham dicit; *Si Moysen & Prophetas non audiant, ne si quidem quispiam ex mortuis excitetur, assentirentur* (sic enim hunc locum recitat VVitackerus) significat, fratres illos, si doctrinæ cæ-

A lesti siue scripta sit, siue non sit scripta; aures præbere nolint; ita etiam comparatos censeri posse, vt licet ex mortuorum numero aliquis resuscitatus ad illos ablegaretur; minimè credituri essent: quia ex Iudæorum stirpe erant, vel si parabola est, non historia; ex Iudæa gente oriundi finguntur; aliàs non mitterentur ad Moysen & Prophetas; si quis autem Iudaicam religionem professus ita animo constitutus sit, vt Moysi & Prophetis de inferorum statu & miseria docentibus fidem habere detrectet; de eo non iniuria præsumitur, illum ne excitato quidem à mortuis fidem adhibiturum.

Ait VVitackerus: *Quando dicit Abrahamus, ἀκουσάτωσαν, audiant illos, solos intelligit. Vt, cùm*
B *Deus è cælo Christum suum filium audiri iubet. Matth. 17. 5.* Illum audite, *solum illum audiendum esse indicat.* Vt hoc ita esset; num ideo sequeretur; solos & solùm in scriptis audiendos; non extra? Num sequitur ex illo cælestis Patris monito de Christo. *Illum audite*; Christum solummodo in scripturis audiendum? Deinde, vt ex mente Abrahami tunc, cum noui testamenti doctrina necdum annunciata esset; verba illa: *Habent Mosen & Prophetas, &c.* ad solos Mosen & Prophetas, hoc est, ad solam doctrinā Mosaicam & Propheticā pertineant; attamen iam proculdubio etiā Euāgelistæ & Apostoli in Apostolicis & Euangelicis scriptis audiendi sunt; & si isti illud: *Habent Moysen & Prophetas, solos audiant*;
C etiam ad nos, sicuti ad Epulonis fratres spectare pertendant; sequitur nec sanctum Matthæum; nec sanctum Lucam; nec vllum alium Apostolum vel Euangelistam, imò neque Christum per horum ora loquentem, audiendum esse; quia solos Mosen & Prophetas audire debemus: aut si hoc tantum concernit illos fratres; neque quidquam contra traditiones facit; etiam adiectâ vocula *solos* vel *solum*; quam tamen Abraham non adiecit; non est cur Prædicantes locum istum semper inter triaria, quasi argumenta aduersus traditiones collocent: quia ne tangit quidem traditiones, tantùm abest, vt feriat vel sternat.

D Ait VVitackerus. *Cyprianum epistola 63. ex illo: Hunc audite: colligere; solum Christum esse audiendum*: Non dissentimus: sed Christus auditur non tantùm in scripto; sed & in tradito verbo. Nec auditur tantùm in se; sed & in Apostolis & per Apostolos; inque Ecclesiæ præsulibus & doctoribus, & per Ecclesiæ præsules ac doctores; sicut & olim Moyses & Prophetæ audiebantur, non in scriptura duntaxat; sed & extra: Non in se duntaxat, sed & in illis, qui ex cathedra Moysis docebant.

Argutum est, quod VVitackerus adiungit: *Deuteron. 10. 20. iubemur colere Deum, & illi seruire: Christus illum locum interpretans, Matth. 4. appositè adiecit* (soli) *sic hoc loco*, audiant, *id est*, *solos*

audiant. Certa esset hæc VVitackeri sententia; si vt Christus illi dicto ex Deuter. adiecit, *soli;* ita etiam dicto Abrahami adiecisset: *solos:* sed cum hoc non sit factum, vitio nobis non vertet VVitackerus, si in contrariam partem abeamus: quanquam etiam addita hac particula, nihil contra traditiones efficitur; vt iam sæpius monui.

Tandem perorat VVitackerus: *Si qui volunt aliquid scire necessarium ad salutem, remittuntur ad scripturas, tùm scripturæ omnem salutiferam doctrinam complectuntur. Antecedens est verum; ergò consequens.* Respondeo, Maiorem esse veram, si addatur particula *semper:* si enim semper ad scripturas remittuntur, qui aliquid ad salutem necessarium scire cupiunt; tum concedo scripturas omnem salutiferam doctrinam complecti. *Sed verum antecedens:* Nego Minorem. Quia in scriptura mittuntur dubij sæpissimè ad Pontificem, ad sacerdotes; ad Maiores; vt patet Deut. 17. 32. & alibi passim; sic in noua lege ablegantur homines ad doctores & pastores, quos Deús Ecclesiæ dedit ad cosummationem Sanctorum; ne quolibet doctrinæ vento circumagitentur. Neque Abrahamus misit fratres Epulonis determinatè ad scripturam: sed ad doctrinam Moysis & Prophetarum: quæ latius funditur, quàm doctrina scripta. Nec Pater cælestis dixit: *Hunc audite, &c.* in scriptura tantum; sed absolutè: *Hunc audite;* quocunque tandem modo vobiscum loquentem.

Quartus locus sumitur ex Luc. cap. 24. ver. 25. & 27. Obiurgat discipulos Christus v. 25. quod essent tardi ad credendum omnibus, quæ Prophetæ loquuti essent. *Sed, vbi illa inueniri possunt? Hoc patet ex v. 27. sequitur enim:* exortus à Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso scripta erant. Ergo nullæ sunt traditiones. Respondeo, consequentiam esse friuolam. Sed probatur. *Quia si fuissent traditiones; tũ Christus etiam Apostolis interpretatus fuisset traditiones; sed non est interpretatus; ergo non sunt traditiones.* Si quis neget Minorem; quo argumento stabilietur à VVitackero? Vnde scit VVitackerus, nihil traditionum in illo sermone Apostolis à Christo explicatum? An quia hoc scriptura non dicit? At vulgatum & iam pridem omnium pedibus protritum est deliramentum illud: *Non est scriptum; ergo nec factum.* An quia dicit Euangelista: *in omnibus scripturis?* At non dicit; *in omnibus, iisq́; solis scripturis.* Et vt particula exclusiua adiecta esset; traditionem tamen non labefactaret; quia posset quis dicere, explicatis & intellectis scripturis de Christo, procliuè fuisse, etiã traditiones de Christo intelligere; eamque ob caussam Christum solius scripturæ explanatione contentum esse voluisse. Quid, quod ipsa scripturæ explicatio fieri non potest; absq; traditionis explicatione; nam hunc vel illum esse scripturæ legitimum sensum; & hunc illumue locum prophetiæ alicuius pro-

A priè pertinere ad Christum; nõ ad alium quempiam; id certò & infallibiliter non nisi ex Ecclesiastica traditione habetur; hoc ipso igitur, quod Christus oracula scripturarum discipulis exposuit, simul etiam traditiones exposuit.

Sed en tibi VVitackerianum verbosiorem, quàm neruosiorem syllogismum. *Si quæ Prophetæ dixerunt, ea omnia in scripturis inueniri possunt, tum & ea, quæ Apostoli locuti sunt, in scripturis possunt inueniri. At primum verum: ergò & secundum.* Negatur Minor; de qua probãda nihil sollicitus est VVitackerus, in sola Maioris consecutione occupatus, qui & hoc stultitiæ specimen præbet. *Quæ Prophetæ locuti omnia sunt* (nos vulgus claritatis caussa diceremus; omnia, quæ Prophetæ locuti sunt) *Lucas ad*

B *scripturas reuocat; ergo nullæ erant nõ scriptæ traditiones Prophetarum: ergo nullæ sunt non scriptæ traditiones Apostolorum.* Bullas video, præterea nihil. Negatur Antecedens: Quod aliter non probat, nisi dicẽdo: *Antecedens patet.* Vbi? Apud quos? Patet videlicet Antecedens, vt falsum; non vt verum.

Quintus locus est ille Ioannis 5. Scrutamini scripturas, ergo non sunt traditiones. Iners & inepta consequentia; vt paucis dicam. Si quis orthodoxus, iisdem verbis cohortetur sectarios: *Scrutamini scripturas:* num ideo traditiones non scriptas extare negat? Sed de hoc loco non semel actum est.

Sextus locus Act. 1. Primum quidem sermonem feci, ô Theophile, de omnibus, quæ cœpit IESVS *fa-*

C *cere & docere.* At iam supra contra Savvbrandum explicauimus, quomodo hic locus intelligi debeat; & quàm nihil nocumenti traditionibus adferat: nam ipse VVitackerus fateri cogitur vocabulum, *omnia*, non vniuersim sumi. Ait enim. *Non scripsit Lucas absolutè omnia, quæ dixit fecitq́; Christus; sed præcipuè & maximè necessaria; quæque sufficere possent:* Scilicet non simpliciter, sed in suo genere: neque enim iam sufficiunt ad salutem simpliciter, quæ S. Lucas scribit; sed illa insuper ad salutem creditu necessaria sunt, quæ cæteri Euangelistæ & Apostoli scribunt; saltem ita; vt si circa ea actum exercere velimus, is sit assensus; non dissensus. Quocirca futile est hoc

D argumentulum: *Si omnia præcipua, & necessaria reperiuntur vel in vno, vel in pluribus Euangelistis, tum multo magis in tota scriptura. At primum: ergò & secundum.* Nego Minorem. Quam nullo vnquam tubicine fulciet Nouator, qui firmior sit, quàm ipsa Minor.

Septimus locus sumitur ex Act. 17. vbi Lucas scribit, per tria Sabbatha disseruisse Paulum ἀπὸ τῶν γραφῶν, *& apertè comprobasse, Christum esse passum, quem ipse iis annuntiabat. Ergo Paulus non agnouit vllas traditiones.* Similiter ac si dicas: *Bellarminus in omnibus tomis argumenta petit ex scriptura; & in secunda controuersia ex scripturis probat contra nouos, & veteres Arianos Christum verè esse Deum; ergò Bellarminus non agnoscit vllas traditiones non scriptas.*

Cedo

Cedo Caluinista. Num Paulus ex solis scripturis argumentatus est? Vbi hoc scriptura affirmat? Testimonium postulo.

Loco testimonij adfert VVitackerus hunc malè sanum syllogismum: *Si Paulus in docendo, tradendoq́; Euangelio, & in Iudæis refellendis, nullis aliis testimoniis, aut argumentis vsus est, quàm scripturarum: tum ex scripturis possunt omnia testimonia sumi, quæ vel ad veram Euangelij doctrinam confirmandam, vel ad hæreses refutandas requiruntur.* Principiò, concessa Maiore, negari potest Minor. Vnde enim constat VVitackero, Paulum ex solis scripturis argumenta pro Christi diuinitate hausisse? Num hoc dicit scriptura? Nequaquam. Ait quidem Paulum ex scripturis argumentatum: sed non adiicit; *ex solis.* vt taceam, quod supra ad quartum locum dixi; fieri non posse, vt quis absque traditionis ope rectè & verè ex scripturis argumenta ducat.

Deinde negatur Maior. Quia conditio aduersariorum, loci, temporis, materiæ & similium circumstantiarum eiusmodi esse potest, vt quis nolit aliunde, quàm ex scripturis sua munire, & adstruere; minimè interim non scripti verbi seu traditionum necessitatem & maiestatem inficians. Sic hoc tempore exstiterunt Catholici quidam scriptores, qui palam professi sunt, se cum sectariis in hac vel illa disputatione non nisi ex scripturæ testimoniis disceptaturos: num ideo negarunt non scriptum Dei verbum? Exemplum de Beroeensibus vt in omnibus tabernis à Prædicantibus decantatum est; ita pariter in omnibus triuiis refutatum apparet.

Octauus locus sumitur ex Act. 18. vbi Apollo erat δυνατὸς in scripturis. & εὐτόνως ex scripturis Iudæos refellebat: ergo non exstant traditiones non scriptæ. Probatur consequentia. *Quia alioqui diceretur Apollo etiam fuisse potens in traditionibus seu verbo non scripto; & cum hoc à D. Luca non sit expressum, euidenter sequitur VVitackeriana illa consequentia.* Perinde ac si dicerē. *Bellarminus potens est in scripturis, & ex scripturis vehementer & publicè reuincit hæreticos; ostendens per scripturas* nominatim contra Arianos, *esse Christum Iesum: ergo Bellarminus non agnoscit vllas traditiones non scriptas;* Pulcherrimè profectò, pariterq́; argutissimè.

Nonus locus sumitur ex Act. 24. vbi Paulus testatur coram præside, se credere omnibus, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis. Quibus verbis, suam fidem, religionem, & pietatem testatam esse voluit Paulus. Ea enim de causa dixit, se illis credere, vt Iudæis persuaderet, se esse fidelem, & Christianum. Ergo non sunt traditiones non scriptæ. Perinde ac si dicerem: *Bellarminus palam testatur coram vniuerso mundo; se credere omnibus, quæ sunt in lege & Prophetis. Quibus verbis suam fidem, religionem, & pietatem testatam esse vult Bellarminus; ergo Bellarminus nec recipit nec agnoscit vllas traditiones non scriptas.* Audi VVitackerianum argumentum: *si quæcunq; homini fideli, & pio credenda sunt, in libris Mosis & Prophetarum tradita sint, tum omnia necessaria in scripturis inueniuntur. At primum: ergò, & secundum.* Nego Minorem; de qua probanda ne minimam quidem cogitationem suscipit Hæreticus; cum tamen syllogismus subsistere nequeat; nisi vires & robur à probatione Minoris accipiat. Caussa autem cur satis sit professionem fidei facere dicendo; se credere omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt; hæc est; quod qui scripturis fidem habet; is libenter etiam verbo nō scripto à scripturis ostenso, laudato, & commendato fidem habeat.

Decimus locus Act. 26. vbi Paulus ait; se diuino auxilio adiutum in illum vsq; diem perstitisse, testificantem tum paruis, tum magnis, nec quicquam dicentem, ἐκτὸς ὧν, extra ea, quæ Prophetæ, ac Moses futura prædixerunt. Ergò Paulus in Euangelio prædicando, nullum verbum protulit extra scripturas legales, & propheticas. Respondeo I. scriptum Dei verbum non esse extra scriptum: quia à scripto ostenditur & commendatur; & in eo saltem generatim continetur. Hinc Apostolus etiam traditiones vsurpando, nihil extra ea dixit, quæ Prophetæ & Moyses locuti sunt futura esse.

Deinde Apostolus, non dicit; *se nihil dixisse extra ea, quæ scripserunt Prophetæ & Moyses;* sed, *quæ locuti sunt;* latius autem patet loqui quàm scribere, atque adeò ipsum etiam non scriptum Dei verbum complectitur. Omitto dicere; illud *extra;* accipi posse pro *contra.* Traditiones autem non esse cōtra scripturam, licet sint aliquo modo *extra.* Hinc nihili est iste syllogismus Caluinisticus. *Si Paulus, quando Euangelium prædicauit, nullum verbum ex ore emisit* extra *scripturas Mosaicas, & Propheticas, tum omnia necessaria ad Euangelij prædicationem in scripturis continentur. At verum primum. Ergò, & secundum.* Nego Minorem. neque hoc dicit Paulus: sed se nihil dixisse extra ea; quæ Moses & Prophetæ locuti sunt: quod longè aliter tinnit. Quis tam hebes est, qui sibi sinat persuaderi, S. Paulum nunquam vllum ex ore suo verbum emisisse; quàm quod in Moyse & Prophetis scriptum esset? Si *extra* in Maiore accipiatur pro *contra;* sicuti potest; falsa erit Maior.

Vndecimus locus Rom. 1. vbi Paulus ait; Euangelium, quod ipse prædicauit, antea promissum fuisse in Prophetis. *At fortè non scripserunt Prophetæ. Semper enim hic hallucinantur Papistæ. Sed, ne fortè quis suspicetur, promisisse tantum viua voce Prophetas; non scripsisse, sequitur; ἐν γραφαῖς ἁγίαις, in sacris Scripturis, hoc Euāgelium per Prophetas promissum fuisse.* Num in solis scripturis? Quæ hæc consequentia? *Euangelium Christi in scripturis sanctis promissum est per Prophetas; ergo in solis scripturis; ergo nullum est verbum Dei non scriptum.* Item: *In scripturis promissum est Euangelium Christi; ergo tantummodo verbum scriptum: non traditio; non illud, quod in scripta non venit.* Euangelium prædicto diui Pauli loco significat doctrinam Christi; siue scriptam, siue non scriptam. Hæc ergo doctrina, siue scripta, siue non scripta, promissa est per Prophetas anti-

qui

qui testamenti in scripturis sanctis: Ex quo promisso, qui verbum non scriptum seu traditiones euertere tentat; is quid dicat nõ intelligit. Quæres. *An non & per traditiones seu verbum non scriptum veteris testamenti Euangeliũ Christi promissum sit.* Quis dubitet? At Apostolus dicit: *Promissum in scripturis.* antiqui scilicet testamenti. Num in solis? Ostende hanc exclusiuam dictionem in Apostolo. Et quamuis dixisset *in solis*; non sequeretur tamen in veteri testamento nullas fuisse traditiones: sed tantùm hoc; traditiones illas non fuisse promissorias futuri Euangelij. At nil necesse huc deuenire; Quia omnia veteris testamenti id, quod in nouo euenturum erat; tanquam typi quidam, præsignificabant; & præsignificando promittebant.

Ex his facile dissipabitur huius syllogismi nugacitas. *Si illud Euangelium, quod Paulus prædicauit, promissum in scripturis fuit, & Paulus totum Euangelium prædicauit; tum totum Euangelium in scripturis promissum fuit, & in scripturis reperiri potest. At verum primum: ergò, & secundum.* Respondeo, negando Maiorem, propter vltimam partem, quæ annectitur. Neque enim rectè infert: *Totum Euangelium est promissum in scripturis sanctis antiquæ legis; ergo totum Euangelium; hoc est, tota doctrina Christi, & Apostolorum reperitur in scripturis noui testamenti:* quia promissio nõ est determinatè de doctrina Christi scripta; sed generatim de Christi doctrina; siue scripta, siue non scripta. *Quid hic negabunt?* inquit VVitackerus. Non audisti? Maiorem negaui. Instas. *Aut totum Euangelium prædicauit Paulus, aut partem.* Respondeo; totum. Quid inde? Num hoc? *Ergo totum est scriptum?* Pulchrè. Nam quod verbosè declamitas non prædicasse tantummodò partem; aërem verberas; & cum phantasiis tuis depugnas.

Duodecimus locus Rom. 10. fides ex auditu, auditus verò per verbum Dei. *Ex quo loco patet, fidem auditu concipi. Sed multa audiuntur: quænam ergò illa sunt, quorum auditio fidem gignit? ῥῆμα, inquit, τοῦ θεοῦ.* Ergo non sunt traditiones. Prorsus crassè & absonè. Nec subtilior est hic syllogismus: *Si audiendo verbum Dei fides concipitur, tum omnia, quæ ad fidem necessaria sunt, in verbo Dei continentur: At verum primum: ergò & secundum.* Nego Maiorem; quia verbum Dei latius diffunditur, quàm verbum Dei scriptum. Vrget VVitackerus. *Verbum Dei scripturam significat.* Non abnuo. Sed num solam? At probat per *verbum Dei* solam scripturam significari. I. *Quia verbum Domini manet in æternum; ergo verbum Domini solam scripturam significat.* II. *Quia 1. Pet. 1. dicitur: Hoc autem est verbum illud: quod euangelizatum est vobis: ergo verbum Dei significat solam scripturam.* III. Et fortius. *Matth. 24. Cælum & terra præteribunt; sermones autem mei non præteribunt: sequitur ergo quod antea.* IV. *Roman. 10. Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus. ergo, &c.* Piget tædetque cætera friuola prorsus, inepta, & ab omni ratione alienissima deliramenta perse-

A qui. Quis non videt quanta sit falsitatis vis, quæ mentes ita obnubilet; vt manifestissimas absurditates non tantum non deprehendant; sed & tanquam summas subtilitates & argutias venditent; quasi verò nõ vel pueris notum sit, verbum Dei latius patere; quàm scripturam.

Decimus tertius locus Rom. 15. Quæcunque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. *Ergo non dantur traditiones.* Insipienter prorsus. Quid enim locus hic Apostoli contra traditiones facit? Nam si dicas; *Illa tantum, quæ scripta sunt; ad nostram doctrinam conducunt:* quid aliud ages, quàm quòd ineptias? id hic itidem sibi VVitackerus faciendum

B existimauit, cum hunc syllogismum contexuit: *Si Dominus voluit tam multa scribi ad nostram doctrinã, vt nos inde doctiores essemus, tum omnia necessaria scribi voluit. At primum; ergò & secundum.* Nego Maiorem, nec quidquam pro eius confirmatione adfert; nisi nænias non modò centies, sed & sexcenties auditas.

Decimus quartus locus Ephes. 2. Non amplius estis hospites, &c. Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, &c. *Ergo non sunt vllæ traditiones non scriptæ.* Probatur consequẽtia. *Quia per fundamentum Prophetarum & Apostolorum intelligit S. Paulus scripturam Propheticam & Apostolicam.* Num solam? Hic semper hallucinatur VVitackerus vt ipse supra de *Papistis* calumnio-

C sè dicebat. Per fundamentum Apostolorum & Prophetarum intelligitur doctrina Apostolica & Prophetica siue scripta, siue non scripta. Quid ergo ex hoc loco cauillatur iste in verbum non scriptum? *Hinc sic concludo,* inquit VVitackerus. Erit scilicet conclusio nihilo melior antegressis. *Prophetæ omnia necessaria ad salutem prædixerunt: ergò Apostoli omnia necessaria prædicarunt. Sed fatentur Papistæ, Apostolos prædicasse; ergò hoc nihil videtur contra illos facere.* Concedo liberaliter totum. Perge VVitackere. *Quæcunq; Prophetæ prædicarunt, ea scripserunt, inquit Chrysostomus, ἅπερ εἶπον, καὶ ἔγραψαν: omnia ergò necessaria scripserunt.* Respondeo, negando Antecedens. Nec est Chrysostomi; vt fingit Caluinista; quia non dicit; *πάντα, ἅπερ omnia,*

D *quæ dicebant; scribebant:* sed *quæ:* Quod verum, licet non omnia; sed quædam duntaxat scripserint: sicut cum dico. *Quæ VVitackerus in scholis dictabat; postea typis euulgauit;* verum dico; & tamẽ non significo eum omnia, quæ in scholis dictauit, typis euulgasse.

Adiungit. *Quidquid Prophetæ futurum prædixerunt & scripserunt; hoc Apostoli factum esse prædicarunt & scripserunt. ergò omnia necessaria habentur in Propheticis & Apostolicis scripturis.* Mirabile antecedens. Vbi prædictiones & vaticinia omnia Hieremiæ, aut Isaiæ, aut Ezechielis, aut similium in Apostolicis & Euangelicis scriptis scripta visuntur? Dico, *omnia*, nam singulorum partes, seu particulas non nego in noui testamenti libris inesse. Sed

mitta-

mittamus antecedens; negatur consequentia. Non enim sequitur: *quædam, quæ prædixerunt & scripserunt Prophetæ; prædicarunt itidem & scripserunt Apostoli & Euangelistæ; ergo omnia ad salutem necessaria continentur in scriptura.*

Claudit hunc locum VVitackerus, digna clausula: *Si Ecclesia nitatur scripta tantùm doctrina Prophetarũ, tum et Apostolorum etiam scripta tantùm doctrina nititur. At verum primum. Nullam enim possunt non scriptam doctrinam Prophetarũ proferre: ergò, & secundum.* Respondeo, Minorem esse falsam. Doctrinam propheticam non scriptam non semel protulimus. Et vel hanc in præsenti accipe. *Isaiæ librum esse Isaiæ filij Amos, vereq; diuinum & Canonicum.*

Decimus quintus locus 2. Pet. 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, &c. *Vbi S. Petrus hortatur, vt in huius vitæ caliginoso statu oculos perpetuò ad verbum* DEI, *tanquam ad splendidam lucernam, conuertamus. ergo non sunt vllæ traditiones non scriptæ:* Probatur. *Quia S. Petrus intelligit per propheticum sermonem tantummodo verbum Dei scriptum.* Respondeo, consequentiam simul cum sua probatione ne vnius quidem assis æstimandam esse: Propheticus sermo latius patet; quàm propheticus sermo scriptus. Sed & hic malè dolatus syllogismus nobis oggeritur. *Si in hac caliginosa vita nullum nobis ostenditur, & proponitur aliud lumen, nisi scripturarum, tum in solis scripturis versari, & acquiescere debemus, & nos totos ad solas scripturas conuertere: At antecedens verum est: ergò consequens.* Respondeo, Minorem esse falsam. Quam probat. Quia λύχνον *nostrum vocat* λόγον προφητικὸν, id est, *sacram Scripturam, vt Caietanus interpretatur, & omnes fatentur.* At num solam scripturam λύχνον, seu lucernam appellat?

Decimus sextus locus 1. Ioan. 1. Hæc scribimus vobis, vt gaudium vestrum sit plenum. *In primo versu facit mentionem sermonis vitæ & ait:* Quod vidimus, quod audiuimus, hoc annunciamus. *Sed, num tantùm annuntiamus? imò etiam* γράφομεν, scribimus. *Loquitur autem non de se tantùm, sed & de reliquis sacris Scriptoribus. Quæcunque ergo viderunt & audierunt Apostoli, ea annunciauerunt; quæcunque annunciauerunt, ea scripserunt.* Respondeo, quod ad antecedens attinet, in eo aliqua falsa cõtineri, inter quæ & hoc: *Ioannem loqui etiam de cæteris Apostolis:* cum luce clarius sit eum loqui tantùm de se & sua, quam tunc exarabat, epistola; & demonstratiuam particulam: *Hæc;* referri ad ea, quæ Ioannes in illa epistola disserit. Consequentiam nego propter illam additionem: *Quæcunq; annunciarunt ea scripserunt.* Falsum. *At omnia necessaria annunciarunt.* Esto. *Ergo etiam omnia necessaria scripserunt.* Nego consequentiam. Dices. Ioannes ait: *Hæc,* nempe, *quæ audiuimus; quæ vidimus; non tantùm annunciamus, sed & scribimus vobis; ergo omnia scripserunt.* Negatur iterum consequentia. Quia vocula illa *Quæ* verificatur, licet non omnia visa, audita & annunciata, sed aliqua tantummodò

A referat. vt cum dico; quæ in scholis vidi, didici, legi; annunciaui; hæc & scribo vobis; verum dixero; licet non omnia, sed aliqua tantùm, scribam.

Sic disputo; inquit insignis disputator VVitackerus. *Ex scripturis plenum gaudium percipitur; ergo scriptura est perfecta.* Iam iste desultor desilit ad perfectionem; de qua hic non est sermo; Fatemur perfectam; sed in suo genere; Nec ideo imperfectionis argui debet; quia non continet omnia; non debet enim omnia immediatè continere. Ad rem. Antecedens verum est de scripturis; vt de caussa partiali & inadæquata; non vt de totali & adæquata. nam gaudium Christiani vndequaque cumulatum & solidum oritur ex
B eloquiis Dei tam scriptis quàm non scriptis, tanquam ex caussa adæquata & integra. Ad consequentiam. *Ergo scriptura est perfecta, in genere suo;* concedo: *simpliciter in genere caussæ adæquatæ;* nego.

Postremum testimonium sumitur ex appellatione *veteris & noui testamenti;* quorũ illud constituunt libri Prophetici; hoc, libri Euangelici. *Hinc sic concludo,* inquit VVitackerus; *Si libri sacrarum Scripturarum, rectè appellentur vetus, & nouum testamentum, tum continēt plenam, perfectamq; voluntatem Dei, & Christi. Nam hæc ratio testamenti est, vt perfectam voluntatem testatoris declaret: hoc est, eius, qui testamentum condidit. hominis enim testamentum, nemo audet* ἀθετεῖν, *aut* ἐπιδιατάσσεσθαι, *vt est apud Paulum, Galat. 3. Si ergò hoc reuera sit testamentum Dei, tum*
C *continet plenam Dei voluntatem, & per consequens nemo debet ei addere, aut detrahere aliquid, aut Dei voluntatem alibi quærere. At est Dei testamentum (nemo enim hactenus istum titulum reprehendit.) Ergò continet plenam Dei voluntatem.* Respondeo, ad perfectionem testamenti satis esse, vt contineat testatoris plenam & perfectam voluntatem partim explicitè & immediatè; partim implicitè & mediatè, ostendendo scilicet, vnde cætera petenda sint; id quod & hic fit. Hinc ad Maiorem dicimus: eam esse veram, si intelligatur tam de explicita, quã implicita declaratione voluntatis; falsam; si tantum de explicita declaratione accipiatur. Hac distinctione præmissa; conceditur Minor; & conclusio iuxta Maioris distinctionem in vno sensu
D admittitur; in altero reiicitur; simulque gerris & φλυαρίαις VVitackerianis circa septendecim supra dicta scripturæ testimonia finis imponitur.

CAPVT

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

VVitackerus auspicatur hoc caput à thrasonico mendacio. *Si Patres*, inquit, *consectari vellem vniuersos, qui pro nobis in hac causa faciunt, infinitus essem, nullus enim penè Pater est, vix vllus auctor, qui non nostram caussam in hac controuersia tueatur.* Splendidum mendacium. Ausim namque palam asseuerare, nullum penitus ex orthodoxis Patribus reperiri; qui sectariis volens libensq; arma subministret. Quod enim isti in eorum lucubrationes inuolant, & inde rapiunt; quidquid pro se facere vana persuasione illusi arbitrantur; id non est argumēto, Patres pro istis stare; sed istos impudenter in aciem suam Patres, obtorto collo; manibusque & pedibus obluctantes pertrahere. Quam contemptim VVitackerus de Patribus sentiat; satis arguit hæc eius oratio. *Affero Patres, non vt res dubia, & incerta confirmetur, sed vt certa veritas illustretur, & aduersariis os obstruatur, qui in omni causa Patres esse suos vociferantur.* Scilicet valde validè productis Patrum testimoniis os aduersariis tuis obturas; quibus certò compertum, Patres non pro te contra traditiones; sed pro nobis, traditionibus defendendis testimonium dicere. Itaque vehementer scilicet, Patrum dicta hoc in argumento metuimus.

Ego, inquit VVitackerus, *illa potissimum tractabo, quæ Bellarminus recitat, lib. 4. c. 11. quæq; nobis eripere conatur. Probabo ea testimonia, quæ ille sibi diluenda sumpsit, esse apta, atq; idonea ad nostram sententiam confirmandam.* Gratas gratias debes Bellarmino; absque quo si fuisset; forsan vix tertiam horum testimoniorum partē producere potuisses. Primo producitur à Kemnitio & aliis Irenæus; qui lib. 3. ca. 1. dicit, *Apostolos, illud Euangelium, quod primus præconiauerunt*, hoc est, prædicarunt; *postea nobis in scripturis tradidisse.* Respondet Bellarminus, I. Irenæum nō dicere Apostolos totum Euangelium, seu omnia, quæ prædicarent; scripsisse; sed indefinitè; *Euangelium, quod prædicarūt*, scripsisse. Quod verum est; licet non omnia scripserint. Quemadmodum verum est, si dicam; VVitackerum id, quod in scholis docuit, postea typis descriptū publicasse; licet non omnia, quæ docuit, publicauerit. Hic VVitackerus Mutius est.

Iunius oggrunnit; *In rebus necessariis propositiones carentes signo vniuersali, æquiualere vniuersalibus.* Hoc neq; Dialecticæ tirones ignorant. At monstra nobis hic huiusmodi enunciationem. Audiamus. *Propositio necessaria est ista. Quod ætati suæ prædicarunt, idem posterius de scripto tradiderunt Apostoli; & contra.* Quid audio? Hæccine propositio ita vera est; vt simpliciter falsa esse nequeat; sicuti ista: *Homo est animal. Homo est corpus: substan-*

A *tia?* Quis vnquam tale delirium vel fando accepit? nam hæc, quam Iunius adducit, propositio; non magis est necessaria, quàm ista: *Plato & Aristoteles Athenis Philosophiam docuerunt, & id quod docuerunt, postea in litteras retulerunt*: Quàm enim contingēs fuit Platonem Athenis docere & scribere; tam contingens fuit, absolutè loquendo, Apostolos Euangelium prædicare, & postea litteris consignare; neque vlla hic necessitas interuenit, nisi quæ *sensu compositi, & ex hypothesi* nominari consueuit; quæ rerum contingentiam non tollit.

Vide autem & obstupesce stultitiam Iunij. Vt probet propositionem illam esse necessariam, subiungit. *Alioqui, quæ præconum fides, si* B *non annunciauerunt omnia, quæ scripta sunt? Quæ scribarum & tabellionum, si non omnia perscripserunt, quæ annunciauerunt?* Et quid hæc faciunt ad ostendendum, propositionem illam Iunianam esse necessariam? Quæ hæc deliratio? *Annunciarunt omnia, quæ scripta sunt; ergo propositio paulò antè à Iunio proposita est necessaria, instar istius: Homo est animal.* Quis dicit; *Apostolos non annunciasse omnia, quæ scripta sunt?* Omnia annunciarunt, quæ scripserunt; sed non omnia scripserunt, quæ annunciarunt. Quando tandem pecudes istæ rationis capaces erunt?

Ait Bellarminus; Irenæum non dicere, nihil aliud Apostolos prædicauisse, quàm quod C scripserunt: sed solùm, scripsisse Euangelium, quod antea prædicauerunt. quod est verum, & non contra nos. Vbi Iunius. *Contingens*, inquit, *propositio est, non necessaria.* Non vtitur quidem his verbis Bellarminus: sed tamen ex rectissima eius sententia sequitur; *contingens fuisse*; vt Apostoli Euangelium prædicarent, & postea litteris cōmendarent: quia contingens est, quod & esse & non esse potest. Subdit Caluinianus Censor suam censuram. *Falsum.* Quare? *Quia necessaria est ex doctrina, & mandato Dei: qui, vnicam dispositionem salutis voluit Ecclesiæ toti per Apostolos exhiberi, tum præsenti per præconium ipsorum, tum absenti, futuræq; per instrumentum scriptum præconij, vt sit diplomatis, edictiq; publicis.* Quid stultius, quàm id, quod ex decreto, D & mandato quopiam fit, *vocare simpliciter necessarium*, & negare esse *contingens*? Quid stultius, quàm propositionem tali de materia formatā, vocare simpliciter *necessariam, & contingentem* esse inficiari? Reliqua inania Iunij verba sunt; nec vel verbulo digna.

Savvbrandus iterum syllogizat. *Quod Apostoli prædicarunt, hoc continet perfectam salutis doctrinam. sed quod prædicarunt, hoc scripserunt. Ergò, quod scripserunt, hoc continet perfectam salutis doctrinam.* Mentitur Caluinista, *Bellarminum negare Minorem huius syllogismi* Savvbrandici, qui necdum natus erat, quando Bellarminus hæc scribebat & edebat. Nam Minor particulariter sumpta, vera est: falsa; vniuersaliter. Non negatur ergo; sed distin-

guitur

Digitized by Google

guitur non à Bellarmino, sed à me, loco Bellarmini.

At vide argutiam Savvbrandicam. *Irenæus dicit, Apostolos scripsisse, quod præconiauerunt; ergo Irenæus dicit, Apostolos scripsisse omnia, quæ præconiauerunt.* Perinde ac si ego dicerē *VVitackeriani discipuli dicunt VVitackerum edidisse, quæ in scholis docuit; ergo omnia quæ in scholis docuit, edidit.* Num hæc consequentia arridet stomacho Savvbrandino?

Alteram ad locum Irenæi responsionem dat Bellarminus: Apostolos omnia ad salutem explicitè creditu omnibus necessaria scripsisse: vt sunt articuli symboli Apostolici, decem præcepta; notitia quorundam Sacramentorum: Reliqua explicitè scitu non omnibus necessaria, non omnia scripsisse; sed multa ex his tantum viua voce tradidisse. Contra quam distinctionem nihil adfert Savvbrandus, præter mendacia & inscitiam; *Hæc distinctio,* inquit, *simpliciter falsa est.* Probat. *Quia est vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Ephes. 4. ergo distinctio falsa.* Acutè: nisi magis oblectèris hac forma. *Est vna tantum fides; ergo omnibus eadem credenda sunt.* Respondeo, consequentiam esse veram hoc sensu: omnibus eadem credenda sunt explicitè vel implicitè: omne enim obiectū fidei à quouis fideli credi debet; si non explicitè; saltem implicitè. At si velis, omnibus eadem esse credenda expressè seu explicitè; falsa est consequentia; nam homini ex vulgo satis est ad salutem, si formaliter & explicitè credat Articulos symboli, & paucula alia; quod ratione status seu officij satis non est Episcopo, pastori, doctori; quibus alios instruendi fidemq; tuendi prouincia cōmissa est; Nam vt isti ex munere plura scire debent; ita plura explicitè credere; vt verò rudes & plebeij ratione sui status plura scire non debent; quàm articulos symboli, decem præcepta, & paucula alia; ita nec plura explicitè credere, tametsi virtualiter & implicitè omnia illa credunt, quæ alij credunt; quia parati sunt, omnia, etiam explicitè, credere; si de illis ab Ecclesia seu Ecclesiæ doctoribus instituti fuerint; Qua ipsa animi habitudine & affectione porrigitur ipsorum fides, ad omnia obiecta; quæ intra fidei ambitum comprehenduntur.

Savvbrandus insulsè hæc duo miscet: *Credere; & explicitè credere:* qui subiungit. *Quod Bellarminus dicit, ea, quæ omnibus ad salutem necessaria sunt, scripta esse, hoc nobis sufficit, neq; plus desideramus. Verùm igitur est, etiam Bellarmino concedente, ea, quæ omnibus hominibus ad salutem necessaria sunt, scripta esse, hoc est, ea omnia esse scripta, per quæ omnes homines salui fieri possunt.* At Caluinista Caluinisticè, hoc est, fraudulenter & impostoriè agit; quia Bellarminus non dicit; ea omnia, quæ omnibus ad salutem necessaria sunt; scripta esse; sed ea omnia; quæ vniuersim omnibus explicitè creditu necessaria sunt; ea, inquam, omnia dicit Bellarminus scripta esse; quod vt verum, ita longè diuersum est ab illo, quod Caluinista comminiscitur. Quare

A mentitur, cum dicit; *Bellarminum fateri, ea, quæ omnibus hominibus ad salutem necessaria sunt scripta esse;* non dicit hoc Bellarminus; sed, *omnia, quæ omnibus explicitè creditu necessaria sunt; scripta esse;* Attēde Nouator ad verba Bellarmini, alioqui non cum Bellarmino, sed cum tuis figmentis luctaberis.

Subiicis: *Deinde dicit*, esse alia quædam ad salutem necessaria, quæ non sunt scripta. *Sed hoc implicat contradictionem.* Persistit Savvbrandus in semel cœpta fallacia & mendaciloquentia, cum hæc subiicit. *Deinde dicit Bellarminus, esse alia quædam ad salutem necessaria, quæ non sunt scripta.* Bellarminus non ita loquitur, vt Caluinista fingit; quia omnia, quæ diuinitus reuelata sunt; creditu necessaria sunt ad salutem; sed diuerso modo; quæ-

B dam omnibus simpliciter explicita notitia; quædam tantùm virtuali & implicita. Et ex his quoque nonnulla, scripta sunt: nonnulla, tradita; neque enim obligatur quiuis ex vulgo fidelis, omnia, quæ in sacris litteris scripta sunt, explicitè credere; cum non obligetur, omnia explicitè scire; Itaque præter ea; quæ omnibus necessaria sunt ad salutem, vt distinctè, formaliter & explicitè credantur; rectè statuit Bellarminus alia; quæ ad salutem sunt necessaria creditu implicitè, & quidem omnibus; siue ea sint scripta, siue non sint scripta: neque vlla in hac re implicatio inest; vt somniat Hæreticus. qui mox ineptissimos hosce syllogismos in Bellarminum vibrat. *Per quod omnes homines salui fieri*

C *possunt, hoc tantum est ad salutem necessarium: sed, per illud, quod scriptum est, omnes homines salui fieri possunt. Ergo illud, quod scriptum est, hoc tantùm est ad salutem necessarium.* Respondeo, si syllogismus planè, apertè & candidè formaretur; sic concipiendus esset. *Per quod tantùm omnes homines salui fieri possunt, hoc tantum est ad salutem necessarium; sed tantum per id, quod scriptum est; omnes homines salui fieri possunt; ergo tantum id quod scriptum, est ad salutem necessarium.* Syllogismo hunc in modum formato, quis non confestim videt; Minorem esse falsam; quia etiam per fidem eorum; quæ non sunt scripta, homines salui fieri possunt; nec possunt tantum; sed & debent; nullus enim saluatur, qui non omnia credenda, di-

D uinitus reuelata credat; sin minus explicitè, at implicitè.

Vt ad Savvbrandicum syllogismum respondeam; nego Maiorem, nisi vel addatur vel subintelligatur particula exclusiua *Tantum,* qua addita vera est Maior; sed falsa, Minor. Non additâ; claudicat syllogismus in forma. Et est similis huic paralogismo: *Per quod omnes homines salui fieri possunt, hoc tantum est ad salutem necessarium: per baptismum omnes homines salui fieri possunt; ergo baptismus tantum est ad salutem necessarius;* Exclusa fide; exclusis meritis Christi; exclusis adultorum hominum operibus, &c. Item. *Per quod omnes homines saluari possunt; illud tantū est ad salutem necessarium; sed per fidem omnes homines saluari possunt; ergo*

fides tantùm est ad salutem necessaria; Excluso baptismo & reliquis omnibus. Item: *Per quod qualibet domus construi potest; hoc tantum necessarium est ad domum construendam. Sed per architectum qualibet domus construi potest; ergo architectus tantum est necessarius ad domum construendam.* Qualia deliria huius Savvbrandi. Quàm anilia, & febrilia. Quibus simile istud.

Absq; quo, omnes homines salui fieri possunt, illud non est ad salutem necessarium: sed, absq; eo, quod scriptum non est, omnes homines salui fieri possunt. Ergo illud, quod scriptum non est, non est ad salutem necessarium. Respondeo, Minorem esse falsam, neque vnquam à Bellarmino assertam; quidquid mentiatur Savvbrandus. Nunquam enim dixit Bellarminus, omnes homines posse saluos fieri absque fide non scripti verbi; sed dixit; non esse necessarium omnibus ad salutem, explicitè credere, nisi symbolum Apostolicum, decem præcepta; & nonnulla Sacramenta; & hæc omnibus explicitè creditu necessaria, scripta esse docet. At hoc longè aliud est; quàm omnia ad salutem omnibus necessaria, scripta esse: quia licet alia non sint omnibus explicitè creditu ad saluté necessaria; sunt tamen omnibus implicitè, & virtualiter ad salutem creditu necessaria: & sine hac implicita fide, nemo salutem obtinet; siue illa; ad quæ implicita hæc fides extenditur; sint scripta; siue tantummodò tradita. Quocirca inanissima cauillatio est; *omnia ad salutem omnibus explicitè creditu necessaria scripta sunt;* vt affirmat Bellarminus; *ergo omnia simpliciter ad salutem necessaria scripta sunt.* Non valet consequentia; quia præter illa, omnibus ad salutem explicitè creditu necessaria; exstát alia; omnibus saltem implicitè & virtualiter ad saluté creditu necessaria; quorum nonnulla scriptis comprehensa; alia extra scripturam sunt tradita.

Quis autem non execretur summam huius Caluinistæ nequitiam & improbitatem Diabolicæ non imparem. Ait, *Bellarminum sic argumentari. Illi, qui Act 2. baptizabantur. dicuntur perseuerasse in Apostolorum doctrina. sed, perseuerare in Apostolorum doctrina est alia ista discere, quæ non simpliciter ad salutem necessaria sunt. Ergo sunt quædam non scripta ad salutem necessaria.* Impudens caput. Tune in conspectu totius mundi. tam atrociter mentiri audes; vt vel pueri, inspecto Bellarmino; quin & non inspecto; mendacij te redarguere queant? Quis credat vllum sanæ mentis talem syllogismũ conficere; & chartis mandare, nedum virum doctissimum & accuratissimũ, qualis est Bellarminus? nec locum ex Actibus, nec alia scripturæ testimonia adduxit Bellarminus, vt probaret; quædam non scripta ad salutem esse necessaria; sed vt ostenderet, Scripturis sanctis cõgruere distinctionem illam fidei in explicitam & implicitam; seu in *credere explicitè*; & in *credere implicitè*: nam tria illa millia hominum qui vna Petri concione ad Christianam religionem per baptisma transierant; sine dubio nil aliud nouerant, nisi necessaria, & ab omnibus explicitè credenda. Quos tamen postea ampliorem & exactiorem fidei Christianæ cognitionem adeptos esse; D. Lucas satis innuit; cum è vestigio subdit: *quòd* post Baptismum *erant perseuerantes in doctrina Apostolorum,* id est, discebant, quæ nondum audierant de mysteriis Christianis; ergo cum baptismum susciperent; illa tantùm omnibus necessaria; explicitè credebant: cætera duntaxat implicitè. Hic est Bellarmini discursus. Hic scopus: non quem lymphaticus iste architectatur. Vbi vnquam dixit Bellarminus: *in Apostolorum doctrina perseuerare, nil aliud esse; quàm non scripta discere!* Non sic à ratione desertus est Bellarminus; vt tale monstrum pariat: Tantum dicit; per modum illum loquendi, indicasse D. Lucam, eos postea in cognitione Christianorum dogmatum profecisse; hoc ipso, quod in doctrina Apostolorum perseuerare dicuntur. Sic ex illo 1. Thess. 3. *Orantes vt videamus faciem vestram, & compleamus quæ desunt fidei vestræ*: nil aliud colligit Bellarminus, quam supradictam credendi distinctionem cum sacris litteris consonare; nam Thessalonicenses iam crediderant; ergo explicitè nonnulla omnibus scitu necessaria credebant. Et tamen Apostolus ait, se velle *supplere; quæ fidei eorum desint*: plura se docere velle, quàm antea didicerint: quæ certum est; non ita defuisse: quasi ea non crediderint implicitè & virtualiter; hoc ipso enim; quod fides in quædam obiecta sua tendit explicitè; tendit & in alia implicitè. omnibus enim diuinitus reuelatis assentitur fides; quibusdam actu; aliis virtute & potentia; & quidem eo ipso tempore, quo nonnullis explicitè assentitur, quia semper gerit promptam voluntatem omnibus actu & explicitè assentiendi; quæ diuinitus patefacta esse cognouerit. Bona est ergo illa credendi, seu fidei distinctio.

Quid Savvbrandus? *Aut fides hic significat fidem iustificantem; aut doctrinam.* Significat fidem, quæ est fundamentum salutis nostræ, & qua instructi diuinitus reuelatis dogmatibus certò & firmiter assentimur. *Si fidem iustificantem; tum nihil ad rem.* Quare nihil ad rem? *Quia Bellarminus probare vult fide supernaturali;* (quam isti insidiosa appellatione appellant *iustificantem) credi posse quædam explicitè, quædam implicitè.* Quomodo hoc nihil ad rem? Quomodo nihil facit ad dispellendas nebulas, quas testimonio Irenæi offunditis; & nobis quoque offundere tentatis? *Non dicimus hominis fidem esse perfectam; sed verbum Dei scriptum esse perfectum.* Quàm meritò hic quæras: Quid hoc ad rem? Non disputat hic Bellarminus de perfectione verbi Dei; sed de sæpius iam nominata fidei distinctione.

Non sequitur, clamat Savvbrandus. *Thessalonicenses non omnia didicerunt; ergo Apostoli non omnia docuerunt.* Formauitne hanc consequentiam Bel-

larmi-

larminus? Vbi, dic Cynicè; neque enim tua tam perfricta & abrasa frons, aliud meretur nomen. Si consequentiam cupis; hanc cape. Thessalonicenses verè credebant; & tamen non credebant omnia actu explicitè; quia nondum omnia didicerant; cum Apostolus promittat, se per accuratiorem institutionem ea, quæ fidei eorum deerant, supplere velle; ergo rectè dicimus: alia credi explicitè; alia implicitè; nam quod Thessalonicenses ea etiam quæ nondum didicerant implicitè crederent; inde liquet; quia credentes quædam explicitè, parati erant omnia alia itidem credere, quæ ipsis ab Apostolis, aliisque Ecclesiæ Doctoribus proponerentur. Sed hoc nihil est aliud; quàm alia necdum cognita implicitè credere.

Dicit Bellarminus: ea quæ sunt simpliciter necessaria, Apostolos consueuisse omnibus prædicare; aliorum autem non omnia omnibus, sed quædam omnibus, quæ nimirum omnibus vtilia erant; quædam, solis Prælatis, Episcopis, & Presbyteris, vt de ratione gubernandæ Ecclesiæ, &c. Hæc omnia fraudulentissimè peruertit Savvbrandus, & hunc in modum recitat. *Respondet Bellarminus; Apostolum alia ad salutem necessaria docuisse omnes, alia ad salutem necessaria docuisse Episcopos, eaq; quæ omnibus ad salutem necessaria sunt, scripta esse; quæ verò Episcopis ad salutem necessaria sunt, non esse scripta.* Quis tam lippiens, qui non videat, istum pessima fide orationem Bellarmini tractare; præsertim cùm dicit: à Bellarmino asseri; ea, quæ Episcopis necessaria sunt; non esse scripta. An non articuli symboli; decalogus & similia; Episcopis creditu necessaria sunt, æquè, ac infimis Laicis? An non hæc scripta? An non alia ex ipsis scripturis explicitè scire & credere debent Episcopi & Doctores; quorum cognitio & fides explicita laicis non est necessaria?

Vociferatur Savvbrandus. *Implicat contradictionem.* Quid implicat contradictionem? Num hoc? Episcopos, Pastores & Doctores plura explicitè scire & credere debere, quàm idiotas? At hoc *implicare*, nemo nisi insanus affirmauerit. Obiicit Savvbrandus. *Illud; Tenete traditiones; & laudo vos, quod traditiones tenetis, ad omnes pertinere; Aut igitur errat Bellarminus, dum dicit traditionū cognitionem ad solos Episcopos pertinere; aut, errauit Paulus, qui has traditiones ab omnibus hominibus seruari vult. Eligat Bellarminus, quod volet.* Non errat Bellarminus; sed mentitur Savvbrandus: Vbi dixit Bellarminus? Traditionum cognitionem ad solos Episcopos pertinere. Ne explicita quidem cognitio traditionum ad solos Episcopos pertinet; sed & ad doctores & pastores Ecclesiæ; pro cuiusque statu & functione; imò & ad ipsos inferioris gradus fideles; non tamen ita, vt si harum traditionum explicitam notitiam non habeant; salutem amittant; quia simpliciter loquendo ad salutem sufficit explicitè credere ea;

A quæ iam sæpius nominata sunt. Pertinent quidem traditiones ad vniuersos, at satis est; vulgo; si eas *implicitè* credat; donec quod fidei deest; more Apostoli apud Thessalonicenses; *suppleatur* à doctoribus & pastoribus Ecclesiæ; hoc est; donec idiotæ de traditionibus, quarum obseruantia ad ipsos spectat instituantur, & erudiantur; quod semper fit in Ecclesia Dei.

Igitur elumbe est; quod Savvbrandus ait; *Traditiones ad omnes Christianos pertinent; ergo omnes ab omnibus explicitè sciendæ & credendæ sunt*: Negatur consequentia: quia perinde est ac si diceret: *Ius ciuile pertinet ad omnes, qui sunt in Romano Imperio; ergo omnes, etiam rustici & agricolæ, Ius Ciuile scire debent. Ius Canonicum pertinet ad omnes Christianos,*

B *ergo ius Canonicum sciri debet ab omnibus Christianis*; non sequitur hoc; sed tantùm; quemlibet pro loco & tempore, & pro occasione scire debere ea; quæ ad se pertinent. Idem de traditionibus dico; nam simpliciter & absolutè loquendo, potest quis salutem consequi; si post baptismum statim moreretur; tametsi nil aliud explicitè crederet, quàm articulos Symboli; Decem præcepta; & ipsum baptismi suscepti mysterium.

Argumentabantur olim Gnostici ex illo 1. Corinth. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*; pro suis commentitiis & plenis absurditatum traditionibus; *quasi à Paulo manassent; depositæ initiò apud perfectos, & inde ad se*; (qui & ipsi *perfectorum* titulo sibi applaudebant) *transmissæ*. Et

C quia Bellarminus hic eundem locum pro Ecclesiasticis traditionibus allegat; calumniatur Savvbrandus, *eum Hæreticos imitari.* At meminisse debebat Hæreticus illius; *Duo cum faciunt idem, non est idem*, vt alibi dixi: tum ob alias caussas; tum ob diuersum finem. Gnostici locum illum Apostoli proferebant, vt stultas suas & scripturis è diametro repugnantes traditiones stabilirent; Bellarminus; vt Ecclesiasticas, toto cælo à Gnosticis discrepantes. An non metuit Savvbrandus, ne & ipse audiat; quod hæreticos imitetur? Quid enim? An non olim Hæretici turmatim scripturas citabant &

D recitabant? An non idem facit Savvbrandus cum suis? Imitatur ergo hæreticos. Quidquid pro se rectè responderit; si quid tamen rectè respondere poterit; idem & sibi à me pro Bellarmino responsum arbitretur.

Clamat etiam VVitackerus, *distinctionem de fide explicita & implicita nullo scripturæ testimonio niti: imò scripturis planè contradicere.* Vbi duo notabis mendacia; ex his, quæ contra Savvbrandum diximus, iam per se liquentia.

Nota & hanc subtilitatem VVitackerianam. *Est vna fides Episcopi & rustici; Doctoris & sutoris; ergo quidquid Episcopus explicitè scire & credere debet; hoc etiam explicitè scire & credere debet rusticus aut sutor.* Argutè. Sicut & hoc. *Non est alius baptismus Episcopi;*

Digitized by Google

scopi; alius idiota; ergo ille non tenetur explicitè aliquid credere; ad quod non & iste obligatus sit. An non sunt isthæc regio professore digna deliria? vt sit omnium vna fides; satis est; si quædam credantur explicitè; alia, implicitè: neque enim ideò aliam fidē habet doctus; quia plura explicitè cognoscit de rebus diuinis, quàm rusticus; qui explicitè tantùm articulos symboli,& paucula alia nouit.

Quærit VVitackerus; num, *qui rectè intelligit articulos symboli, id est, qui sensum omnium articulorum intelligit, illorumq́ veritati totus assentitur; quiquè decem præcepta, eodem modo intelligit, num ille perire vllo modo posit, siue sit Episcopus, siue Laicus?* Respondet. *Minimè certè, quia omnia, quæ ad salutem pertinent, intelligentia, fideq́ complectitur.* Imò verò; quia quotidiè pereunt; qui non modò istos articulos, sed & multa alia exactè nôrunt; & præterea etiam fide diuina & supernaturali credunt; si sint Catholici; quia absque charitate hinc excedunt. Sed omittamus hæc. Dico; Episcopum;& quemcunque alium; cui ex officio incumbit, alios fideles instruere,& in fide confirmare; & religionis hostes redarguere; aberrantesque in viam salutis reducere; salutem non consecuturum; si nihil aliud rerum ad fidem attinentium explicitè nouerit; quàm articulos symboli; & quamuis hæc notitia sufficiens sit homini plebeio; pastori tamen & doctori non est sufficiens. Hinc à salute excidet; non obstante cognitione illa articulorum symboli, nisi procuret, vt statui suo consentaneam cognitionem acquirat.

Alia scientia, inquit VVitackerus, *non est ad salutem necessaria Episcopo, alia Laico, sed eadem: licet maior quidem in Episcopo, quia ille debet alios docere. Si enim alia esset, tum specie differret: at scientia istorum non differt specie, sed tantùm in eo, quod est secundum maius, & minus.* Nec Bellarminus dicit; *aliam scientiam*; hoc est, aliam fidem; de fide enim seu cognitione fidei sermo est; Episcopo esse necessariam; aliam Laicō: sed dicit, aliorum explicitam fidem Episcopo esse necessariam; quorum fides explicita non sit necessaria Laico. Aliud est; *alia fides*, aliud, fides explicita aliorum obiectorum; seu, de aliis obiectis.

Monet VVitackerus lectorem, vt obseruet contradictionem Bellarmini. Qualem? *Primò concedit baptizatos Act.2. necessaria omnia sciuisse, antequam baptizati sunt; postea ait, eos perseuerasse, id est, mysteria Christiana didicisse. at hæc quoque necessaria sunt. Quorsum verò necessaria aliqua postea discerent, præsertim homines Laici, si antea omnia sibi necessaria didicissent?* Quis hominum cælitumue ab hac antilogia Bellarminum expediet? Quam tu Caluinista contradictionem somnias? Num Bellarminus dicit; *illos, de quibus Act.2. sciuisse ante baptismum omnia explicitè creditu ad salutem necessaria;* Et; *illos non sciuisse omnia explicitè creditu ad salutem necessaria?* Istæ enim duæ propositiones sunt contradictoriæ. Priorem affirmauit Bellarminus.

A Vbi posteriorem asseruit? Monstra locum. Nam quod tu istam ingeris; *post baptismum alia didicerunt, teste Bellarmino*; fatuus es; si priori contradicere censes. Didicerunt alia; at non simpliciter ad salutem explicitè creditu necessaria; sed tantùm *per accidens* ratione functionis, muneris, status. Nam si qui ex tribus illis millibus, qui Act.2. baptizati sunt, statim à baptismate mortui fuissent, an tu illos vitam æternam consecuturos fuisse non crederes, licet explicitè nihil aliud credidissent, quàm articulos symboli; & ipsum, quod percipiebant, baptismatis mysterium? Nego itaque, quæ postea didicerunt, fuisse ex eorum numero, quæ simpliciter omnibus ad salutem explicitè creditu sunt

B necessaria.

Ex loco Apostoli ad Thessalonicenses; vbi dicit, se supplere velle, quæ eorum fidei desint; hoc argumentum ducit VVitackerus. *Quæro, vtrum hæc necessaria fuerunt, quæ Paulus docere voluit, necne? Si necessaria, tum non debebant baptizari, priusquam hæc didicissent. Hoc Bellarminus ipse fatetur de adultis. non debere illos baptizari sine explicita cognitione, ac fide eorum, quæ sunt necessaria. At si non erant necessaria, tum Apostolus non tantoperè ad eos venire studuisset.* Respondeo, non fuisse simpliciter omnibus explicitè ad credendum necessaria; id inde patet; quia Thessalonicenses verè iam fideles & Christiani erant; veram ergo & Christianam fidem habebant; & quis dicere audeat eos, qui

C ex Thessalonicensium Ecclesia decedebant, antequam ad eos Paulus accederet, & ea, quæ fidei eorum deerant, suppleret; ab æterna beatitudine excidisse? Cætera igitur, quæ suppleturus erat Apostolus non erant simpliciter omnibus ad salutem explicitè creditu necessaria. Nec valet; *Si hoc ita sit, non fuisse caussam, cur tantoperè ad illos venire desideraret Apostolus;* An non satis vrgens veniendi caussa, vt ædificio pulcherrimè cœpto extrema imponatur manus; debitaque ornamenta addantur? Nec sequitur ex nostra sententia, Apostolum aliam fidem Thessalonicensibus traditurum fuisse; Minimè verò; sed eiusdem fidei alia obiecta; prius implicitè credita; pôst explicitè credenda. Cætera, quæ VVitackerus nuga-

D tur, iam refutata sunt in Savvbrando; qui pleraque ex VVitackero harpagauit; additis subinde nouis somniis, calumniis & pseudologiis.

Secundò obiiciunt Hæretici Origenem in cap.3. epist. ad Rom. & hom.1. in Hieremiam & alibi, vbi dicit, *oportere nos de rebus diuinis non loqui ex proprio sensu, sed omnia confirmare scripturæ testimoniis.* Respondet Bellarminus, eum loqui de obscurissimis quæstionibus, quales, vt plurimū, non sunt illæ, quæ testimonium habent traditionis in tota Ecclesia receptæ. Occurrit VVitackerus. *Absurdum est ea, quæ in traditionibus posita sunt, non esse tam abstrusa & obscura, quàm quæ in scripturis tradita fuerunt: Quæ enim ad Præsules tantùm &*

Digitized by Google

Episcopos pertinent; suntne illis faciliora, quæ ipsis populis apertè proposita sunt? Quis non videt pugnantia loqui Bellarminum? Quis non videt sycophantari VVitackerum? Nam Bellarminus non comparat inter se scripturas & traditiones, quoad obscuritatem: sed, quæstiones ex scripturis obscurissimas, cum quæstionibus aliis; quæ testimonium habent traditionis in tota Ecclesia receptæ. Nec absolutè dicit; has esse illis dilucidiores; sed addit; *vt plurimum.* Nec dicit; Traditiones ad Præsules tantùm, & Episcopos pertinere; vt ipse fingit. Quomodo igitur loquitur Bellarminus pugnantia?

Tuum erat probare, si quid ad rem dicere cogitabas; Origenem, non tantùm loqui de obscurissimis quæstionibus; sed de omnibus, iubereq; , vt omnia nostra scripturæ testimoniis muniamus, eò quod sensus & enarrationes nostræ sine his testibus fidem non habeant. At quid effecisses hoc probando? Libenter fatemur, scripturæ testimonia adferri debere stabiliendis & confirmandis nostris assertionibus; quotiescunque adferri possunt. Deinde hoc etiam adiecissemus; scripturæ testimonia adduci, saltem remotè & mediatè, quoties à traditionibus testimoniũ petimus; quia ab ipsa scriptura testimonium luculentum, idque non vnum, diuinæ suæ auctoritatis habet. Itaq; qui enarrationi suæ traditionis testimonium adhibet; is ipsam scripturam adhibet; cum testimonio adhibito scriptura, tanquam diuino, testimonium reddat.

Profert VVitackerus alia ex Origene prolata itidem à Prædicantibus in Colloquio Ratisbonensi sess. 8. vt quod Origenes in cap. 3. epist. ad Rom. dicit; *Doctores debere ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumpta sententiis sed diuinis munita testimoniis proferre.* Quid hoc contra traditiones? An non & istæ sunt diuina testimonia? An non & istæ sunt verbũ Dei? An non diuinis testimoniis sua dicta munit; qui ea traditionibus munit?

Sic cum ibidem monet Origenes, *vt Spiritus sancti sententias proferamus*; nil nobis officit; quia etiam traditiones sunt Spiritus sancti sententiæ. Pari modo cum Origenes dicit hom. 25. in Matt. *Nos debere ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus sensum*; minimè vultũ contrahimus, quasi monitum hoc nos feriat; quia & is, qui traditiones profert; sensum scripturę profert; atq; adeò Origeni obsequitur, monenti, vt in dogmatibus sensum scripturæ proferamus. Nec obstat illud: *sensum extra diuinam scripturam nõ esse sanctum*: Sanctus non est; si ita sit extra; vt simul sit contrà. Sanctus est ergo sensus traditionibus nixus; quia ita extra est; vt non sit contrà. Sanctus est; quia ne extra quidem omnino est: cũ traditiones ipsæ à scriptura commendentur; omnesque ad illas ablegentur.

Ex decima Origenis homil. in Genes. haurit VVitackerus subtilissimum hoc argumentum. A *Origenes vult, vt quotidie veniamus ad puteos scripturarũ, ad aquas Spiritus sancti; & hauriamus semper, & plenum vas domum referamus, sicut faciebat S. Rebecca: ergo non sunt traditiones*: vel: *ergo Origenes non agnouit traditiones*; Probatur consequentia. *Quia si agnouisset traditiones, non misisset Christianos ad scripturam.* Elegãs collectio, & digna acumine VVitackeriano. Quasi verò non hodie etiam doctissimi quiq; in scholis Magistri & Doctores discipulos suos moneant, vt diligenter scripturas euoluant, vt quotidiè ad hunc inexhaustum fontẽ aquas haurire veniant. Num ideo traditiones inficiantur? Imò si quis ex hoc fonte nõ fanaticè & *phantasticè*, sed verè & solidè hauriat; simul inde hauriet traditiones; quia in hoc diuinarũ scripturarũ puteo, B vt in Origenis metaphora persistam, insunt. Itaq; qui ad scripturarũ puteum ablegat; is etiam ablegat ad puteum traditionum; quia vel vnus in altero continetur; vel alter alterum monstrat.

Aliud ex Origenis pharetra spiculum; *Hom. 3. in Genesin: Circumcisus, & mundus est, qui semper verbum Dei loquitur, & sanam doctrinam Euangelicis, & Apostolicis munitam regulis, profert. Ergo non sunt vllæ traditiones non scriptæ; nam qui has loquitur, non loquitur verbum Dei, nec sanam doctrinam Euangelicis & Apostolicis munitam regulis profert.* Quis hoc affirmat? Non Origenes; sed VVitackerus. Quasi vero, traditiones non sint verbum Dei. Quasi vero, qui Ecclesiasticas doctrinas profert, non proferat sanam doctrinam Euangelicis & C Apostolicis munitam regulis.

Origenis dicta finit Caluinianus hac clausula. *Hæc quidem ex Origene, de quibus testimoniis tam enucleatis, tam luculentis, tam accommodatis ad caussam, nullum Bellarminus verbum respõdet.* Quantis elogiis suas merces extollit? Quantis laudibus deprædicat? Ast ita agere oportet illos, qui fumos & fucos vendunt. Pigmentum illinendum est; vt speciosius intuentium oculis obiiciantur. Vidimus hactenus, hæc omnia nil nisi præstigias esse; Cur in his refellendis Bellarminus otium insumeret? Nonne omnia, præter duo postrema ex Genesi testimonia citauit?

Savvbrandus ex Origene nobis hunc syllogismum apponit: *Sine quo sensus nostri, & rationes* D *nostræ non habẽt fidem, hoc est regula fidei. Sed, sine scriptura sensus nostri, & rationes nostræ non habent fidem. Ergo, scriptura, est regula fidei.* Quid si concedam totum syllogismum? Quid lucri inde reportabis? Quis negat scripturam esse regulam fidei? Regula est; sed non vnica & adæquata. Hac in rebus ad religionem pertinentibus omnes sensus, cogitationes & interpretationes nostræ niti debẽt; sed eã tum quoq; nituntur; saltem mediatè; cum nitũtur traditionibus, auctoritate Ecclesiæ & doctorum; quæ omnia scriptura nobis commẽdat; & vt iis nostra superstruam*, exhortatur.

Tertium testimonium est Constantini Magni, qui in Concilio Niceno, teste Theodoreto lib. 1. c. 7. sic ait; *Euangelici, & Apostolici libri, & anti-*

quorum Prophetarum oracula planè instruunt nos, quid de rebus diuinis sentiendum sit. Proinde, hostili posita discordia, ex verbis diuinitùs inspiratis sumamus quæstionum explicationes.

In his verbis duo consideranda sunt, inquit VVitackerus. *Primum: Scripturas veteris, & noui testamenti docere nos, & quidem σαφῶς,* planè, *quid nos oporteat de diuinis rebus sentire. Secundùm; Ergò oportere nos omnem controuersiam ex verbis diuinitus inspiratis definire.* Respondet Bellarminus I. hoc testimonium non tanti esse faciendum, quanti fit à Caluino & Kemnitio; nam Constãtinum fuisse magnum Imperatorem; non magnum Doctorem; præsertim cum, vt hæretici contendunt, eo tempore Constantinus nõ fuerit baptizatus, ac proinde religionis Christianæ arcana non nouerit.

Occinit VVitackerus. *Fateor, non fuisse Episcopum vel Doctorem Ecclesiæ; sed pium tamen & doctum hominem fuisse affirmo.* Neq; id negat Bellarminus: attamen necesse nõ est, vt omnia dicta, etiam pij & docti hominis, conditione militis non præsulis aut doctoris, tanquam oracula suscipiantur & suspiciantur; præsertim si necdum salutari baptismatis fonte ablutus sit; vt quidem Constantinus non erat; non ex mea; sed ex sectariorum recentium & veterum mente. Quis ambigat, tali aliquid excidere posse; quod minus cum vero consonet?

Secundò respondet VVitackerus, *hanc vocem Constãtini apud Nicænum Synodum editam, à nullo Episcopo fuisse improbatam.* Non improbarunt; quia rectè intellexerunt: neq; nos improbamus; quia rectè intelligimus. Improbassent vtiq; Patres Nicæni hanc Constantini vocem, si credidissent, ei illam subiici sententiam; quã Caluinus, Kemnitius, VVitackerus aliique Nouatores subiiciunt: nempe scripturam solam esse vnicã & adæquatam omnium cõtrouersiarum de fide normam. Omnes controuersas quęstiones ex sola scriptura definiri posse; & quidem *σαφῶς, perspicuè & planè.* Nihil nõ scriptum in rebus fidei & religionis amplectendum & approbandum esse: si Patres Concilij illius hæc & similia à Constantino oratione illa sua significari existimassent; vtique nec tacitè, nec expresè eam cõprobassent, sed apertè repudiassent. Legitima ergo fuit illa Constantini vox; & nequaquam respuenda, at nõ hæreticorũ, qui foris aduenit, & aliunde affingitur; sed Constantini & Synodi Nicænæ sensu.

Ait VVitackerus, *à Ioanne Antiocheno similem vocem editam fuisse in Concilio Ephesino, teste Euagrio lib. 2. eamq́; à Cyrillo Alexandrino laudatam.* Si similem vocem simili sensu edidit; non reiicimus; sed simul cum S. Cyrillo laudamus, & calculo etiam nostro comprobamus. Gratum tamen fuisset; si VVitackerus, non modò Euagrij librum; sed & caput notasset, si pigebat sententiam Ioannis exscribere, sic enim lectores cum Constãtiniana conferre potuissent; cuiusmodi collatio non tantùm fructuosa; sed & iucunda esse solet.

A At fortè non potuit notare locum vel exscribere, quod fortè in secũdo Euagrij libro nõ exstet.

Quidquid sit; alterum Bellarmini responsum est; eorum omnium dogmatum, quæ ad naturam Dei pertinent, exstare in scripturis testimonia, & posse nos circa ea dogmata plenè, & planè instrui ex scripturis, si eas rectè intelligamus: verum tamen sensum scripturarum pendere ex traditione Ecclesiæ non scripta. VVitackerus vocat hoc responsum *hallucinationem; quã fortassis natam dicit, ex his verbis, περὶ τοῦ θείου, cum tamen non significent tantùm; de iis, quæ ad diuinam naturam pertinent, sed, vt Cassiodorus transtulit, de diuina voluntate, vel de diuina lege,* hoc est, *de omnibus caussis ad religionem & fidem pertinentibus.* Sed nugatur simul

B & cauillatur VVitackerus. Nam nemo, nisi imperitus, negauerit, verba illa περὶ τοῦ θείου, rectè verti posse, *de diuino numine;* vel simpliciter, *de numine;* & eum, qui ita vertit; nõ errasse; sed VVitackerum, qui hanc versionem carpit, calumniari. Quid notius, quàm græcis τὸ θεῖον esse numen; seu Deum? Itaq; Bellarminus spectans & vim Gręci vocabuli; & occasionem, qua Constãtinus inductus sentẽtiam illam pronunciauit, quæ erat, quæstio de diuinitate Christi; non abs re prędictum responsum dedit: licet interim nõ neget, illud περὶ τοῦ θείου vniuersim ad omnes religionis quæstiones extẽdi posse; omnes enim huiusmodi cõtrouersiæ ex Propheticis & Apostolic. libris definiri & cõponi queũt; vel proximè & immediatè; vel remotè

C & mediatè; quatenus nimirum libri Apostolici & Prophetici monstrant nobis verbum Dei non scriptum; auctoritatẽ Ecclesiæ; eiusdemq́; pastores & doctores, à quibus in omni disceptatione de veritate certò instrui possumus. Neque facit hoc scriptura quomodocũque, sed *planè & perspicuè;* vt benè dixit Constantinus: si tamen supra Ecclesiæ candelabrum collocetur, & non subter modium priuati cuiusq; iudicij abdatur; hoc est, si cum Ecclesiasticæ traditionis canone, vt par est, copuletur; quo pacto sine vlla dubitatione magnus ille Imperator dictum suum de scripturis intelligi voluit.

Quod Bellarminus ait; verum scripturæ sensum pendere ex traditione non scripta; id sic re-

D fellit VVitackerus, *si verus scripturæ sensus pendet ex Ecclesia, tum esse maiorẽ Ecclesiæ quàm scripturæ fidem & auctoritatem; cum Ecclesia traditionem non scriptam sensus scripturæ verus sequatur.* Quàm ineptè, ne dicam, malitiosè omnia. Verus scripturę sensus non pẽdet aliter ab Ecclesiæ traditione, nisi quoad nos: seu respectu nostri; quatenus per Ecclesiæ interpretationem certò & infallibiliter nobis patefit; quis sit verus & genuinus scripturæ sensus: vnde ex hoc velle concludere, *maiorem esse Ecclesiæ fidẽ & auctoritatem,* absonum est; nec ad rem facit; quia hic non disputat Bellarminus de illa quæstione, cuius maior sit auctoritas; scripturæ an Ecclesiæ: nec quia Ecclesia infallibilis sacrarum litterarum interpres est, ideo præ-

cisè

cisè maior est eius auctoritas, quàm scripturæ; quemadmodum nec ideo maior est auctoritas doctissimi etiam Doctoris, leges Imperatorias interpretantis, quàm ipsius Imperatoris.

Refert Bellarminus ex Theodoreto lib. 1. cap. 8. in Concilio Nicæno prolatas fuisse vtrinque scripturas, & cùm ex iis non conuincerentur Arriani, eo quod easdem scripturas aliter exponerent, quam Catholici, damnatos eos fuisse ex sermonibus non scriptis, piè tamen intellectis: cui damnationi Constantinum assensum esse, nemo vnquam dubitauit. Oggerit VVitackerus: *hoc falsum esse, patet ex Theodoreti octauo capite eiusdem libri*, ἐξ ἐγγράφων μετ' εὐσεβείας εἰρημένων λέξεων κατεκρίθησαν. Repetam hic, quæ ante aliquot annos de hoc ipso Theodoreti loco respondi in Responso Hunniano cap. 16. Illi ipsi Nicæni Patres, quibus scripturam Constantinus proposuerat; *ex non scriptis*, seu *ex traditione*, & ex orthodoxorum doctrina damnarunt Arrianos, vocabulo τοῦ ὁμοουσίου in scripturis expresè non posito; aduersus eos, tanquam validissimo telo; ex sanctorum Patrũ hoplotheca, emisso; &, cum conquererentur Arriani; se condemnari *ex non scriptis*; responsum est, etiam ipsos ex non scriptis impietatem introduxisse: ἐξ ἀγράφων γὰρ ἀσεβήσαντες, inquit Theodoretus, ἄγραφα δὲ τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, διὰ τοῦτο ἐξ ἐγγράφων (scribe ἐξ ἀγράφων, vt legit interpres Theodoreti in operibus eius, & Christophorson'; quia scriptura in editione Roberti, vel fraus hæretici editoris est, vel incuria librarij) μετ' εὐσεβείας εἰρημένων λέξεων κατεκρίθησαν. *Ipsi enim Arriani, quasi ex cœno sumpto vocabulo, locuti sunt de terra*: οἱ δὲ ἐπίσκοποι οὐχ ἑαυτοῖς εὑρόντες τὰς λέξεις, ἀλλὰ ἐκ πατέρων ἔχοντες τὴν μαρτυρίαν, οὕτως ἔγραψαν. ergo non scripta non fuerunt à Constantino, aut à Patribus Nicænæ Synodi reiecta. Accipe ipsa, eaque integra S. Athanasij apud Theodoretum verba, vt VVitackeriana impudentia magis contundatur. *Quod obstrepunt* (Arriani) *has voces in scripturis non reperiri, frustra sanè, ac temerè obstrepunt. Nam illi ipsi ex vocibus non scriptis in impietatem delapsi, voces quoque non scriptas: nimirum Filium ex nihilo creatum; & tempus fuisse, quando non erat; ad suum errorem confirmandum afferunt. Quapropter ex non scriptis vocibus, piè tamen excogitatis, condemnati sunt. Ipsi enim voces sui erroris ex stercore eruentes, vti verè terrenos decebat, locuti sunt: Episcopi autem non suopte ingenio verba excogitantes, sed à Patribus petentes testimonia, sic scripserunt.*

Illud apud Socratem libro primo capite sexto, de Concilij Alexandrini Patribus, ἀναπτύξαντες τὰς θείας γραφὰς πολλάκις ἀνετρέψαμεν αὐτούς, *euoluentes vel explicantes scripturas, sæpe illos euertimus*: quid tandem contra traditiones efficit? Num Patres illi scripturas debellandis hæreticis euoluerunt, seiunctas à traditione Ecclesiastica? Neutiquam verò. Etiam nos scripturas scrutamur & excutimus, vt sectariorum peruersas opi-

A nationes confutemus; num ideo traditiones reiicimus? Num ideo solas scripturas pro fidei regula reputamus?

Nunc gusta hunc syllogismum Savvbrandicum. *Quod nos planè instruit de rebus diuinis, & ex quo quæstionum solutiones petere debemus, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed sacra Scriptura nos planè instruit de rebus diuinis, & ex ea omnium quæstionum decisiones petere debemus. Ergo, sacra Scriptura continet perfectam doctrinam salutis.* Parum abest, quin Savvbrando liberaliter totum syllogismum largiar. Nam scriptura in suo genere perfectam doctrinam continet. Ipsa in suo genere perfecta est: Ipsa in suo genere planè & perfectè de rebus diuinis instruit.

B Si hæc nimia in Savvbrandum videtur largitas; distinguamus syllogismi præmissas per voculas illas *immediatè & mediatè*; *proximè & remotè*. Nam quod nos planè instruit de rebus diuinis partim immediatè, partim mediatè; & ex quo partim immediatè, partim mediatè omnium quæstionum solutiones petere debemus; hoc continet partim immediatè, partim mediatè perfectam doctrinam salutis: sed sacra Scriptura est eiusmodi, ergo, &c. Hoc sensu iterum totus syllogismus conceditur. At si Maioris sensus sit; illud omnimodè perfectam doctrinam continere, quod immediatè nos planè instruit de omnibus rebus diuinis, & ex quo immediatè omnium quæstionum ad fidem pertinentium solutionem

C petere possumus & debemus; conceditur Maior; sed statim negabitur Minor. Reliqua quæ Savvbrandus annectit; nugamenta sunt ex VVitackero concinnata.

Illud ænigmatis speciem præfert. *Etsi Constantinus loquitur tantùm de iis quæstionibus, quæ ad naturam Dei pertinent; asserit tamen omnes in vniuersum quæstiones Theologicas posse ex scriptura solui.* Si prius est verum; quomodo verum erit hoc posterius? An qui tantum dicit, ex scriptura definiri & decidi posse quæstiones de diuinitate; is hoc ipso asserit omnes quæstiones Theologicas ex scriptura planè & perspicuè dissolui posse?

Quartum testimonium sumitur ex S. Athanasio, qui in libro contra idola, in ipso initio: *Sufficiunt*, inquit, *sanctæ, ac diuinitus inspiratæ scripturæ ad*

D *omnem instructionem veritatis.* Respondet Bellarminus: illud, (omnem) de suo adiecisse Kemnitium. Occurrit VVitackerus: *Addidit quidem, sed non commutauit sensum. Id enim Athanasium velle, ex ipso loco manifestum est, qui habetur in principio libri.* At scripturam valere ad instructionem; & valere ad omnem instructionem; eo præsertim sensu, quem vrgent Hæretici, & in his Kemnitius, plurimum inter se dissident; neque vnquam ostendet VVitackerus, eo sensu Athanasium docuisse, scripturam valere ad omnem veritatem; quem vt obtineret, & Athanasio affingeret Kemnitius: vniuersale illud signum, *omnem*, falsario calamo verbis S. Athanasij assuerat.

Digitized by Google

Deinde dicit Bellarminus, S. Athanasium ibi non loqui de omnibus dogmatibus; sed de duobus tantum, quorum vnum, de idolis non colendis; alterum de duplici Christi natura. Oggannit VVitackerus. *Duo quidem hac tractari in illis ad Macarium libris. At hoc non impedit, quò minus hac sententia ad omnia alia dogmata valeat, & accommodetur, & verba ipsa generaliter intelligantur.* Imò impedit; quia verba non nisi ex mente auctoris accipienda & interpretanda sunt; si quis sincerè velit agere; cum ergo occasione horum duorum dogmatum dixerit S. Athanasius, scripturam valere ad veritatis indicationem; non possumus ei Kemnitianam mentem affingere; quasi senserit & dixerit; valere ad omnem veritatis indicationem & instructionem: & quidem immediatè, formaliter & explicitè; sic enim omnem istam veritatis instructionem intelligit Kemnitius cum suis.

Subdit VVitackerus. *Tertiò concedit Bellarminus, sufficere scripturas, sed non sine explicatione Patrum.* Cæterũ hoc non est Bellarmini responsum; sed VVitackeri mendacium; nam Bellarminus dicit, quid sentiat diuus Athanasius; non quid ipse; nec dicit, Athanasium velle, scripturas sufficere, sed sufficere in supradictis duobus dogmatibus; nec sine explicatione Patrum; quorum libri, cùm non facilè ab omnibus haberi possint, dicit se velle scribere de his rebus, quid à maioribus ipse didicerit. Hæc longè aliter sonant; quàm VVitackeri commenta: qui aliud adiungit; nempe *Bellarminum, per explicationes Patrum intelligere traditiones non scriptas.* Audi Caluinista: Non est quæstio, quid Bellarminus per explicationes Patrum intelligat, sed quid diuus Athanasius; de cuius sententia agitur. Nec sunt explicationes Patrum traditiones seu verbum Dei non scriptum; præcisè qua tales; quia explicatio non est textus. At explanationes sanctorum Patrum sunt explicationes verbi scripti & non scripti; quanquam non negandum, aliquando explicationis loco adhiberi traditiones, si quando aut clariores aut notiores sunt, quàm verbum scriptum; quemadmodum & ipsum verbum scriptum vno ex loco aduocari solet ad explicationem eiusdem verbi scripti in alio loco: quod in omni scientiarum genere contingit. Interim semper verum manet, explicationem verbi diuini, qua talis est, non esse ipsum verbum; sicut explanatio textus Aristotelici, qua talis, non est ipse textus Aristotelicus.

Obiicit VVitackerus illud Athanasij oratione tertia contra Arrianos; *audiendo scripturas inducimur in fidem.* Quid infers? *Ergo non sunt traditiones.* Prorsus insipienter. Vt & hoc. *Fides est ex auditu; auditus per verbum Dei; ergo traditiones sunt exterminandæ. At scriptura est anchora & sustentaculum fidei nostræ*, teste Athanasio in synopsi; *sequitur ergo quod*

A *antea.* Num scriptura vnica est & adæquata anchora? Num vnicum & adæquatum sustentaculum?

Savvbrandus dictum Athanasij in hunc syllogismum redigit. *Quod sufficit ad veritatis instructionem, hoc continet perfectam doctrinam salutis; sed scriptura est talis, &c. ergo.* Responsum patet ex supra dictis. sufficit, vt regula partialis & inadæquata: non vt totalis & adæquata: sufficit, non immediatè ad omnem veritatis instructionem, sed mediatè, modo sæpius iam explicato.

Quintum testimonium est Basilij Magni in sermone de Confessione fidei, vbi sic loquitur: *Infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit*
B *reiicere, aut eorum, quæ non scripta, introducere.* Quem locum hoc appenso elogio commendat VVitackerus. *Locus inprimis egregius.* Respondet Bellarminus; Basilium loqui de iis, qui addunt, ad scripturæ dogmata, aliqua alia contraria, & aliena scripturisque repugnantia. Ad quam responsionem nihil VVitackerus, nisi istud: *Hæ scripturæ perfectionem luculentissimè confirmant.* Quæ? Num illa; quæ Bellarminus recitat? Minimè verò. Num antecedentia; cum ait diuus Basilius? *quæ ex diuina scriptura didici, hæc vobis proponere debeo.* Num ideo negauit D. Basilius traditiones? Etiam quilibet Catholicus doctor hoc tempore idem profiteri potest; nimirum, se suis auditori-
C bus proponere debere ea, quæ ex scriptura diuina didicit. Num hac professione significat, se verbum non scriptum repudiare? Multa percenset VVitackerus ex eodem loco diui Basilij; quæ nihil aliud probant; quàm piaculum committi, si quid de scripturis detrahatur; quod nemo abnuit: vel iisdem aliquid adiiciatur; contrarium videlicet & repugnans; at verbum non scriptum non est scripto contrarium.

Post aliquot, easque longas, periodos ex Basilio exscriptas, subiicit VVitackerus: *Testatur ergo Basilius, omnia, quæcunque illa sint, fidei dogmata, in scripturis reperiri: illos ergo violare testamentum Dei, qui alia quærunt dogmata extra scripturas. Damnat ergo alia omnia, tanquam peregrina, ξένα, & ἀλλότρια.* Vbi;
D quibus verbis testatur hoc? Vbi, & quibus verbis damnat omnia illa, quæ non sunt scripta; tanquam peregrina & aliena? Mirum dictu, vbicunque Nouatores nostri vel encomium scripturæ, vel cohortationem legendi scripturas in Patribus legunt; statim hanc consequentiam somniant: *traditiones fabulis annumerari debent*; licet iidem Patres, quos contra verbum non scriptum inuitos adducunt, alibi clarissimè traditiones statuant & afferant: vt fecère singuli Patres, quos isti aduersus traditiones producunt, vt supra visum; & diuus Basilius in illa ipsa confessione fidei, dicit, *se crebrò vocibus non scriptis contra hæreticos vsum; scripturæ tamen consonis.* Obiicit VVitackerus: *aliud esse, voces non scriptas; aliud, do-*

Digitized by Google

gmata non scripta: illas, licet non scriptas, cum scripturis consonare posse; hac, semper dissonare. Vetus est hæc istorum cantilena, millies decantata; nunquam vllo verisimili argumento comprobata. Nec diuus Basilius tantum voces non scriptas vsurpauit;sed & dogmata non scripta agnouit;vt cap.7. huius libri fusè ostendimus.

Alium locum obiiciunt ex epistola octogesima, vbi sanctus Basilius ait: *Non putamus æquum esse, vt, quæ apud illos obtinuit consuetudo, pro lege, & canone habeatur recta doctrina. Stemus itaque arbitratu à Deo inspiratæ scripturæ.* Accusat Bellarminus Kemnitium, quòd verba quæ in medio erant, & contra ipsum faciebant, omiserit. VVitackerus, alioqui Kemnitij defendendi cupidus, hic Lutheranum Prædicantem sub cultro linquit; nec quidquam, eius tuendi caussâ, tentat.

Subdit Bellarminus. Erat tunc quæstio, an dicendum esset, esse in Deo tres hypostases, & vnam naturam. Aliqui dicebant, non esse sic dicendum,&proferebant pro argumento consuetudinem suæ regionis, vbi talibus verbis nemo vteretur. Quibus respondet Basilius, qui contrariam sentiebat in aliis regionibus esse consuetudinem, vt dicerentur in Deo tres hypostases, & vnam naturam. Et ideo, si nollent ipsi acquiescere huic consuetudini, non esse etiam æquum, vt ipsi suam aliam consuetudinem vellent esse regulam, sed starent vtique iudicio scripturæ, quam nemo reiicere potest. Hîc igitur vides, non agi de traditione in tota Ecclesia recepta, sed, de particularibus consuetudinibus. Ex quibus, vtpote diuersis & aduersis, cum lis decidi nõ posset; ad scripturam prouocauit sanctus Basilius; sed ad scripturam rectè & secundum Ecclesiasticæ traditionis Canonem intelligendam. Num igitur traditiones respuit? Quæ hæc consequentia? *A particularibus diuersis & aduersis loquendi consuetudinibus prouocauit S. Basilius ad scripturam: ergo non agnouit traditiones.* Vel; *ergo scripturam pro vnica omnium controuersiarum norma habuit.* Neque quidquam, præter inanem verborum strepitum, contra hæc VVitackerus adfert; qui in Oratione diui Basilij duo obseruanda monet.

Primum, sermones diuinos & ipsam scripturam esse idem. Quis neget? Num ideo reciprocantur & adæquantur; ita vt verum sit dicere: *omnis sermo diuinus est scriptura*; sicut verum est dicere; *omnis scriptura est sermo diuinus?* certè non magis; quàm verum sit affirmare: *omne animal est homo*; quia verum est; *omnis homo est animal.*

Secundum: *Dogmata, quæ consentiunt cum scripturis esse recipienda, alia verò reiicienda.* Magnum operæ pretium erat de hoc, quod neminem fugit, monere. Maius fuisset; si hæreticus tandem ostendisset, traditiones nostras cum scripturis non congruere.

Savvbrandus more suo syllogizat: *Ad quod nihil debemus addere, & de quo nihil debemus detrahere, hoc continet perfectam salutis doctrinam. Ad scripturam, &c. Ergo.* Hoc syllogismo probaret Savvbrandus quidlibet & quodlibet. Vt symbolum, Decalogum, & quamlibet scripturæ particulam continere formaliter & explicitè (sic enim Caluinista intelligit) perfectam salutis doctrinam. Nam *ad quod nihil debemus addere, & de quo nihil debemus detrahere, hoc continet perfectã salutis doctrinam. Ad symbolum Apostolicum, vel ad Decalogum, vel etiam ad minimam scripturæ particulam nihil debemus addere; & de illis nihil detrahere, ergo symbolum Apostolicum, vel decalogus, vel minima scripturæ particula continet perfectam salutis doctrinam.* Hic syllogismus manifestè ostendit valorem syllogismi Savvbrandici. Vt ergo ad hunc syllogismum respondetur, perfectam simpliciter doctrinam salutis non nisi implicitè, & quasi in radice contineri in symbolo vel decalogo; ita quoque dicendum est; perfectam simpliciter salutis doctrinam in scriptura non nisi implicitè contineri; quatenus scilicet nobis doctrinam non scriptam commendat; & ad eam nos fida manuductrix deducit.

Potest etiam Maior syllogismi Savvbrandici distingui: vt vera sit de perfecta salutis doctrina in suo genere: falsa; de simpliciter & absolutè perfecta salutis doctrina. Ex qua distinctione elucescit; quid ad conclusionem dici debeat. Nam scriptura continet perfectam salutis doctrinam; sed in suo genere; non simpliciter in quocunq;, quemadmodum & Physica complectitur perfectam Philosophiæ doctrinam. Num in quocunq; perfectionis genere? Nequaquam: Sed in suo. Ita & hic de scriptura cogita & statue. Quæ Savvbrandus subiungit; fermè nil aliud sunt, quàm pseudologiæ: Vt I. *sanctum Basilium nihil omnino doceri velle; nisi quod est in scriptura.* II. Mendaciter quasi ex mente Basilij pro eodem sumit; *non esse in scriptura; &; alienum esse à scriptura;* III. *Quidquid secundum Basilium non tantùm contra scripturam est, sed & extra scripturam; id peccatum esse.* Mendacium grande; quod euidenter refellitur ex capite 27.& 28. libri de sancto Spiritu; de quo fusè suprà cap.7. IV. *Basilium loqui de omni eo, quod est extra Dei verbum scriptum scilicet*; hoc est; *quod in scriptura non continetur; à quocunque prodierit.* V. *Basilium in epistola ad Eustathium Medicum agere de consuetudinibus vniuersalibus, in tota Ecclesia receptis; & ab his prouocare ad scripturam.* Inspiciatur locus, & euanescet vanitas.

Dicunt Catholici, omnes traditiones, quas defendunt; esse scripturis consonas. Hinc probare conatur Savvbrandus, scripturam esse vnicam omnium controuersiarum normam hunc in modum. *Si omnia dogmata debent scripturæ consona esse, manifestum est, scripturam esse omnium dogmatum regulam. Illud enim, cui aliquid consonum est, est*

consoni

Digitized by Google

consoni regula: & ob eam caussam, omnia debent ad scripturam examinari: si congruunt cum scriptura, sunt suscipienda, si non congruunt, sunt reiicienda. Eodem argumento probari poterit, verbum non scriptum, seu traditiones esse omnium dogmatum regulam. Quia omnia scripturæ dogmata, & omnia eiusdem volumina, debent cum traditione Apostolica & Ecclesiastica consonare. Si omnia scripturæ dogmata & volumina debent scripturæ consona esse; manifestum est, traditionem esse omnium scripturæ dogmatum & librorum regulam; illud enim, cui aliquid consonum est; est consoni regula; & ob eam caussam omnia debent ad traditionem examinari. Si congruunt cum traditione, suscipienda sunt; si non congruunt, reiicienda sunt. Sicut igitur propter hanc ratiocinationem non sequitur, traditionem esse vnicam & adæquatam omnium controuersiarum & dogmatum regulam; ita nec ex priori conficitur; hoc scripturæ tribuendum esse. Quia quando sunt earundem rerum plures regulæ inadæquatæ & partiales; tum inprimis necessarium est; vt ipsæ regulæ inter se consonent; hoc est; vt nulla sit inter illas dissensio: ex quo fit, vt quod cum vna regula concordat; id concordet etiam cum alia vel aliis; nam quod vni simili; qua tale; simile est; id etiam alteri, qua tale, simile est. At non sequitur; ergo id, cum quo consonat, est vnica & adæquata omnium dogmatum diiudicandorum & internoscendorum norma; omniumque controuersiarum componendarum regula: quia quamuis consonet; fieri tamen potest, vt ex hac vel illa regula; ex scriptura, verbi gratia, hoc vel illud dogma; hæc vel illa controuersia non possit agnosci, vel componi; quòd in scriptura explicitè non contineatur. Alia igitur consulenda, & ex præscripto eius lis exorta diiudicanda erit. Quod vbi fit; tum demum perspicuè talis dogmatis consonantiam & harmoniam cum omnibus fidei & religionis regulis intuemur.

Sextò obiiciuntur ab Hæreticis varia Chrysostomi loca: vt quod dicit; *Scripturam esse claram in rebus necessariis.* Meritò quærit Bellarminus. *Quorsum hac? Respondeo,* inquit VVitackerus, *& ostendo quorsum. Si in scripturis omnia necessaria sunt manifesta, tum nihil necessarium est extra scripturas.* Audi Caluinista. Omnia omnibus explicitè creditu ad salutem simpliciter necessaria; sunt in scripturis clara & perspicua; vt supra ad primum testimonium Irenæi fusè ex Bellarmini sententia ostensum est: non omnia simpliciter; quæ ratione status & officij; quod gerunt, aliquibus sunt necesseria. Hæc enim eiusmodi sunt, vt ne quidem omnia in scriptura comprehendantur, tantum abest, vt in scriptura clarè & perspicuè insint.

Homilia prima in Matthæum dicit Chrysostomus, *scripturis opus esse; quia multi doctrinam cor-* A *rumpunt. Quorsum hac? Horsum,* inquit VVitackerus, *quia si ideo scriptum est Euangelium, ne corrumperetur, tum omnia sunt scripta, quia nihil debet corrumpi.* Scilicet Euangelium, etiam in libris scriptum non solet ab audacibus & sacrilegis corrumpi. Si nullum alium corruptorem nosti; vel Lutherum inspice. Scilicet Euangelium; quoad doctrinam & explicationem falsis & prauis expositionibus deprauari nequit. Vnde ergo tot commentorum plaustra? Vnde tot fallacissimarum & falsissimarum interpretationum portenta? Opus est scripturis, non simpliciter; ne doctrina corrumpatur; quia etiam absque scripturis sana doctrina consistere posset; prout olim constitit, vt suo loco visum; sed opus est, vt maioris com-

B moditatis, claritatis & vberioris emolumenti gratia, cœlestis doctrinæ capita quædam extent: Cui non aduersatur; alia nonnulla in litteras non esse relata: nam hæc maior commoditas, claritas, vtilitas satis superque præstatur & exhibetur per ea, quæ scripta sunt. *At non scripta corrumpuntur.* Nego: Conseruantur enim per scripta, quæ non scriptis testimonium præbent. Conseruantur etiam per fidissimam Ecclesiæ custodiam; quæ vt scripturam; sic & traditiones ab omni corruptione & deprauatione vindicat.

Ait Chrysostomus Homil.13. in Genesin: *Scriptura nō sinit hominem errare.* Quorsum hæc? Etiam traditiones non sinunt hominem errare; quia si

C erret; suo vitio errabit; non impulsu traditionis.

Rogat ibidem Chrysostomus; *vt ad amussim Canonem sacræ Scripturæ sequamur.* Idem & nos etiam atque etiam & desideramus & obsecramus. Si Nouatores nostri ad amussim sacræ Scripturæ Canonem sequerentur; vtique verbum Dei non scriptum non aspernarentur.

Testimonium ex Hom. 49. Operis imperfecti non moramur; quia non est Chrysostomi; sed auctoris Arriani; nomine Maximini; vt quosdam sentire refert hic VVitackerus. De quo testimonio multa dixi in Responso ad Theses Hunnianas cap.13.

D Ait Chrysostomus in Psalm. 95. *Si quid dicatur absque scriptura, auditorum cogitationem claudicare, &c. vbi è scriptura diuinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmari.* Iterum quæro cum Bellarmino: *Quorsum hac?* An ideo nullæ sunt traditiones? Num adiicit Chrysostomus particulam exclusiuam, *sola?* Num illud, quod conuenienter traditioni seu ex traditione asseueratur, sine scriptura asseueratur, saltem mediatè; si non immediatè? An non ipsæ traditiones scriptura nituntur & commendantur? Et quod de traditionibus assero, idem de assertionibus Conciliorum & Patrum intellectum volo; quorum omnium auctoritatē nobis sacra Scriptura commendat: Quo fit, vt qui testimonium

huius-

Digitized by Google

huiusmodi profert, minimè censeatur absq; scripturæ testimonio loqui: & solis suis inuentionibus niti.

At Chrysostomus homilia decimatertia in secundam epistolam ad Corinthios vocat, *diuinarum legum assertionem*, hoc est, sacram Scripturam, *omnium exactissimam trutinam, gnomonem & regulam.* Iterum. Quorsum hæc? Sit scriptura omnium regularum exactissima. Num igitur sola? Num idcirco exterminandum verbum non scriptum? Exactissima est; sed coniuncta cum Ecclesiastici Canonis intelligentia. Quod si illud *omnium*: referas non ad regulas; sed ad obiecta; omnium videlicet, scriptura exactissima regula erit; partim immediatè; partim mediatè: quatenus reliquas dogmatum & controuersiarum regulas ostendit. Mitto dicere, quod respondet Bellarminus, Chrysostomum non loqui de obscuris dogmatibus fidei aut morum; sed de opinione carnalium, qui anteponunt opes paupertati, cum scripturæ apertissimè doceant, paupertatem esse longè vtiliorem ad salutem. Itaque Chrysostomus nihil hîc aliud dicit, quàm magis credendum esse scripturis in hac parte, quàm hominum opinioni. Hanc responsionem vocat miser & ineptus VVitackerus *miseram & ineptam.* Cur ita vero? An non sub finem Homiliæ, de eo, quod Bellarminus asserit, argumento disputat Chrysostomus? An non occasione huius suæ dissertationis profert sententiam illam de amussi seu gnomone? Quæ, esto generalis sit; & non tantum ad hanc de diuitiis & paupertate materiam referatur; nil penitus traditionibus officit, vt antea dictum: quia scriptura omnium gnomon est & canon vel mediatè; vel immediatè.

Quidquid hic delirat Savvbrandus; id ex VVitackero transcripsit. Itaque nouo responso non eget. Nam si quas nouas ineptias, aut noua mendacia adiecit; ea tam non conuenit refutare; quàm conuenit non mirari.

Septimò profertur Epiphanius Hæres. 61. vbi dicit: *Nos vniuscuiusque quæstionis inuentionem, non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex scripturarum consequentia.* Respondet Bellarminus: Epiphanium non dicere; *ex scripturarum consequentia solùm*: ac proinde locum hunc nil contra traditiones facere. Testimonium hoc præteriit Savvbrandus. VVitackerus attigit: sed ad responsum Bellarmini nihil respondit: Nisi quod illustrius, vt putat, testimonium profert ex Hæres. 69. & est tale: *Epiphanius inscripsit librum suum ἀγκυρωτόν, quia ex scriptura vniuersa congregauit doctrinam Dei, velut ancoram: ergo scriptura est anchora fidei nostræ* (Num sola?) *ergo non sunt vllæ traditiones non scriptæ.* Qua arte educitur hæc consequentia ex præmisso antecedente?

Audi adhuc mirabilius argumentum. Epiphanius ibidem *dicit, Christum dici lapidem angularem, quia construxit nobis vetus & nouum Testamentum: ergo nullæ traditiones non scriptæ approbari debent.* Quis non miretur subtilissimam hanc, & ex intima VVitackeriana arte depromptam consecutionem?

Octauò proferunt Cyrillum, qui libro de recta fide ad Reginas sic ait; *Necessarium nobis est, diuinas sequi literas, & in nullo ab earum præscripto discedere.* Respondet Bellarminus: non dicit, non licere aliquid dicere, quod in scripturis non habeatur, sed, non licere contra scripturas dicere. Hoc enim est, non discedere à præscripto scripturarum. quod quidem & nos libenter amplectimur. Nec enim traditiones cum scriptura pugnantes vnquam defendimus. VVitackerus vult aliquid respondisse videri; & tamen si omnia propius intuearis, clarè intelliges, eum nil nisi nugas agere. Ait: *Cyrillus nos ad scripturæ præscripta, tanquam perfecta, reuocat.* Hic meritò quæras: Quorsum hæc? An ad prædictam sententiam Cyrilli; an ad Bellarmini responsionem? Ad neutram, opinor. Nulla enim perfectionis scripturarum in ea mentio. Tantùm hoc; necessarium esse, diuinas litteras sequi, & in nullo ab earum præscripto discedere. Quod fit, quamuis ipsas etiam traditiones reuerenter & religiosè sequamur & amplectamur; quia in hoc ipso scripturarum à nobis tenetur auctoritas; quæ traditiones vniuersis commendat.

At libro duodecimo in Ioannem capite sexagesimo octauo affirmat Cyrillus scripta esse; quæ sufficiant tam ad mores, quàm ad dogmata. Omninò; quia quæ scripta sunt, ostendunt etiam illa; quæ non sunt scripta. Testimonium ex homilia quinta in Leuiticum rectè monet Bellarminus non esse Cyrilli; sed Origenis vel alterius. Respondet VVitackerus: *Parum id referre.* Parum igitur referat: quando ita vis. Quid ergo ille? *Ex nouo & veteri Testamento, omnia, quæ ad Deum pertinent, posse peti & discuti: tertiam scripturam non debere statui.* Quem hæc percutiunt? omnia inde sumi possunt mediatè vel immediatè; ad sæpius iam explicatum modum. Quis traditiones approbans tertiam scripturam introducit; cum traditiones palam nominemus verbum Dei non scriptum? Si non scriptum; quomodo est scriptura?

Mentitur Savvbrandus, *Matth. 15. vers. 2. reprehendi lotionem manuum, quamuis ex traditione acceptam; neque etiam scripturis contrariam.* Non reprehenditur præcisè ipsa lotio; sed quod Pharisæi hæc minutiora tam auidè consectarentur, & seria legis præcepta negligerent.

Nonum testimonium est Theophili Alexandrini; qui libro secundo Paschali sic scribit. *Diabolici spiritus est, aliquid extra Scripturarum sacrarum auctoritatem putare diuinum.* Respondet Bellarminus, eum loqui de libris apocryphis, qui pro diuinis à quibusdam supponebantur. Recinit VVitackerus: *Verba sunt aperta; nihil diuinum*

esse

esse extra scripturas. At traditiones sunt extra scripturas. Non ergo diuina sunt. Aduertisse debebat VVitackerus; traditiones esse quidem extra scripturas quatenus in illis non continentur explicitè: esse autem in scripturis, quatenus in illis continentur implicitè & virtute, illa autem Apocrypha, de quibus Theophilus; non modò explicitè & implicitè fuisse extra; sed & insuper contra scripturas: propterea ingenti discrimine distant illa, de quibus Theophilus, à nostris traditionibus.

Savvbrandus clamat: *ex mente Theophili hanc vniuersalem propositionem formandam esse. Quidquid est extra scripturam hoc non est diuinum: Omnes traditiones non scriptæ sunt extra scripturam. Ergo omnes traditiones non scriptæ nō sunt diuinæ.* Respondeo; vt ante; quidquid & explicitè & implicitè est extra scripturam; id non est diuinum; esto Maior. Quidquid tantum explicitè est extra scripturam; implicitè & generatim in eadem inclusum; id non est diuinum. Nego Maiorem. Traditiones non sunt in scriptura: explicitè & speciatim; esto; implicitè & generatim; nego.

Decimum testimonium est Apollinaris apud Eusebium lib. 5. cap. 15. vbi dicit; *Se longo tempore distulisse scribere contra Montani hæresin, ne videretur quibusdam aliquid addere Euangelico Dei verbo.* Respōdet Bellarminus: hæc non legi in omnibus codicibus. Oggerit VVitackerus: *Legi in Græco textu. Et hoc sufficere.* Quæso, num ipse omnes Græcos codices vidit?

Secundò respondet Bellarminus; istum non dicere: *Verbo scripto Euangelico*; sed, *verbo Euangelico*; quod longè aliter tinnit. Occlamant Savvbrandus & VVitackerus: *illud æquiualere huic.* Hoc fortè persuadebunt cæcis; non autem oculatis.

Tertiò respondet Bellarminus, Apollinarem metuisse, ne quid contrarium addere aliquibus videretur Euangelicæ doctrinæ. occinit VVitackerus & succentor eius Savvbrandus; *Non metuit, vt verbo Dei contrarium scriberet; sed metuit, vt aliquis eius librum pro Canonico acciperet; quemadmodum multi Montani libros pro Canonicis recipiebant.* Respondeo, ipse non metuit; ne contraria scriberet; sed metuit, ne aliquibus parum rem expendentibus contraria Euangelico verbo scribere videretur. Quo metu velut retinaculo quodam à scribendo retardatus fuit.

Vndecimò profertur Tertullianus; qui libro contra Hermogenem: *Adoro, inquit, scripturæ plenitudinem. Scriptum esse, doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud, adiicientibus, vel detrahentibus destinatum.* Respondet Bellarminus Tertullianum loqui de vno dogmate tantùm, quod scilicet Deus creauerit omnia ex nihilo, non ex præiacente materia, vt Hermogenes somniabat. Et, quoniam hoc dogma apertissimè continetur in scripturis, dicit Tertullianus, se adorare scripturæ plenitudinem, quantum ad hoc dogma. VVitackerus duo in Tertulliani verbis obseruanda monet. *Primum est; scripturam esse plenam, ac perfectam, quod patet ex his verbis:* adoro plenitudinem scripturæ. *Alterum est; quicunque aliquid afferunt, aut tradunt, quod non sit scriptum, iis timendum est illud, væ, quod habetur Apocal. 22. 18. Non illos tantum timere vult, qui afferunt aliquid contra scripturas, sed & eos etiam, qui aliquid afferunt, quod non sit scriptum.* Ad solutionem Bellarmini respondet VVitackerus. *Tractat quidem Tertullianus in eo libro hanc caussam, sed verba ista generalia sunt, de omni caussa religionis; neque ad hanc tantùm caussam, sed ad alias omnes pertinent.* Hoc VVitackero probandum; non incassum affirmandum erat.

Probat. *Nisi hoc oporteret valere in omnibus caussis, nihil dixisset. Potuisset enim Hermogenes illi obiicere, non esse in omni caussa ad scripturas recurrendum.* Non potuisset hoc iure & scitè obiicere Hermogenes; quia statim occurrisset Tertullianus; quidquid sit de aliis causis & controuersiis, in hac certè de creatione mundi ex nihilo ad scripturam confugiendum esse; cum clarissimè & euidentissimè in sacris litteris definita sit.

Obiicit VVitackerus. *Quorsum moneret Tertullianus, metuendum esse væ illud, destinatum adiicientibus, aut detrahentibus, nisi scriptum esse ostenderet, si non sumeret pro concesso, scripta esse omnia?* Ideo monuit, vt timeret illud *væ*; quia opinio Hermogenis non tantùm erat, extra scripturas, sed & manifestè contrà. In illos autem *væ* illud etiam directum est; qui suas scripturis prorsus contrarias persuasiones ipsis scripturis affingunt; & affingendo addunt. Nec verum est; Tertullianum *pro concesso sumere; omnia scripta esse.*

Quod VVitackerus hoc delirio nobis probatum dare nititur. *Disputat Tertullianus* negatiuè *ab auctoritate scripturarum. Hermogenes non potest docere hoc esse scriptum: ergo timeat væ illud.* Si nos tam faciles in concedendo essemus; quàm facilis VVitackerus in asserendo; victoriam qualibet hora non vnam reportaret. Negamus argumentationis Tertullianeæ eum esse sensum: quem fingit. Sed quia Tertullianus certissimò sciebat, dogma illud Hermogenis non modò in scripturis explicitè aut implicitè non contineri; sed & scripturis expressè aduersari; ideo ad scripturam prouocat; & postulat; vt sibi hoc monstretur scriptum: & non nisi hac hypothesi posita, sic quasi argumentum instituit: *Non est scriptum; ergo repudiandum:* subintelligitur enim & hoc alterum membrum; *sed scripturis contrarium:* sicut si ego de Lutheranorum *Vbiquistico* dogmate dicerem: *Non est scriptum; ergo reiiciendum:* Antecedens vtique ex mea sententia sic explicandum esset. *Non est scriptum; imò scripturis apertè est contrarium; ergo improbandum.* Vel dic: sensum Tertulliani esse hunc: Non est scriptum explicitè vel implicitè, ergo reiiciendum.

Obiicit

Obiicit VVitackerus: *Argumentum Tertulliani nullarum esset virium, nisi scripturas esse plenissimas, & perfectissimas, & nullum dogma suscipi debere, quod non sit in scripturis traditum, constaret.* Negamus hoc sequi. Caussa ex dictis patet; quia licet non omnia contineantur in scriptura; Deum tamen mundum ex nihilo; non ex materia præsupposita, sibi coæua, condidisse; sacræ litteræ euidenter docent. Et aliunde, præsertim ex libello de præscriptionibus, constat, quàm alienum sit à Tertulliano, traditionibus omnem penitus fidem abrogare & abiudicare. Nam quod vrget VVitackerus *plenitudinem,* quàm à se *adorari* Tertullianus scribit; friuolum est. Plena est scriptura; quo ad hoc caput creationis, de quo Tertullianus cum Hermogene disceptabat. Ad hoc enim solum refertur *adorata* à Tertulliano scripturæ *plenitudo.* Plena est scriptura; si ad vniuersam porrigatur Tertulliani dictum; sed in suo genere; plena est; quia quæ non continet explicitè; continet implicitè. [illegible]

Quid emolumenti VVitackerianæ caussæ adfert; quòd Tertullianus lib. de præscript. dicit; Apostolos *acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignasse: itaq; ne Angelum quidem è cælis aliud & aliter Euangelizantem audiendum esse.* Insigni penuria armorum contra traditiones hunc Caluinistam laborare oportet; cum tam nihil nos lædentia tela mittit. Quid procliuius, quàm dicere; Apostolos non modò scriptam; sed & non scriptam doctrinã fideliter nationibus assignasse: Et propterea iam aduersus doctrinam non scriptam debacchantes Prædicantes minimè audiendos esse: Si enim aures nulli Angelo aperiendæ; quanto magis obserandæ sunt his *nouorum dæmoniorum* præconibus?

Sic nos nec ferit, nec tangit; quod Tertullianus ait; *Omnia Domini dicta omnibus posita esse:* quia ea saltem ratione ad omnes pertinent, quòd nulli fas est quidquam contra sentire, aut agere. *Lucifuga scripturarum,* qui magis sint, quàm nostri sectarij, ego non video, cum scripturas nec acceptent, nec proferant, nisi hæreticis nubilis obnubilatas, & Ecclesiastici Canonis luce viduatas. Itaque quæ sequuntur, Pseudologiæ VVitackerianæ accenseantur: *Lucifugæ scripturarum elogium Papistis aptissimè conuenire. Papistas odisse scripturarum lucem; & siue scribentes, siue disputantes, conari; vt suos aduersarios à scripturis ad patres, vel traditiones, vel alia testimonia traducant.*

Quid amplius? *In libro de Resurrectione carnis ait Tertullianus:* Aufer hæreticis, quæ cum hæreticis sapiunt, vt de solis scripturis quæstiones suas sistant, & stare non possunt. *Idem, de Papistis dici potest. Nam, si illi cogantur omnia dogmata sua de scripturis sistere, actum erit de traditionibus, totoq; papismo.* Quàm gloriosè VVitackerus. Sed vt Martem, ita & victoriam in sola lingua & ventoso calamo habet. Ad testimonium Tertulliani Respondeo; illud non de quauis controuersa quæstione; sed de

A vnica solum intelligi; nempe, de Resurrectione carnis, in qua propugnanda totus ille liber insumitur. Hæc adeo clarè & perspicuè in sacris litteris traditur; vt qui solis scripturis niti velit, rectè tamen & Ecclesiasticè intellectis (id enim præsupponit Tertullianus) is minimè quidquã contra Resurrectionis dogma proferre queat; aut si quid proferat; illud è vestigio tanta scripturarum luce dissipetur. Propterea illi, contra quos disputat; dimissis scripturis, argumenta ex ratione exigua cum ratione ducebant; qualia Ethnici producere consueuerant; vt ostenderent, reparationem & restitutionem corporum penitus esse impossibilem; plerisque ex medio triuio & ex vulgari sensuum iudicio desumptis; B cuiusmodi ratiunculas hodie etiam obiiciunt Caluinistæ contra Mysterium Eucharistię; & Lutheristæ contra transubstantiationem.

In libro de Carne Christi ait Tertullianus: *Non recipio, quod extra scripturam de tuo infers.* Quid hoc ad nos? Neque nos recipimus, quod VVitackerus, aut alius Nouator extra scripturam *de suo* infert. Num ideo traditiones repudiamus? Qui infert verbum non scriptum, nil de suo infert; sed de thesauris verbi nobis diuinitus patefacti.

Savvbrandus duos syllogismos, planè scilicet Tertullianicos, nobis apponit. *Omni non scripto metuendum væ illud adiicientibus, & detrahentibus destinatum. Sed traditiones Papisticæ sunt non scriptæ. Ergò* C *traditionibus Papisticis metuendum* væ illud. Respondeo, negando Maiorem. Caussa negationis ex supradictis liquet.

Alter syllogismus. *Quod non scriptum, hoc est reiiciendum. Sed, mundum esse ex præexistente materia conditum, non est scriptum. Ergò reiiciendum.* Iterum nego Maiorem vniuersim, & eo sensu acceptam, quo eam sumit hæreticus. Vide & hunc supernumerarium. *Quod non est scriptum, est reiiciendum: traditiones non sunt scriptæ; ergo reiicienda.* Iterum negatur Maior elumbis huius syllogismi, quem hac hedera thrasonicus Nouator coronat. *Hoc argumentum neq; Bellarminus, neq; vllus Papista refutabit, nisi palam omnium Patrum, & ipsius scripturæ autoritatem velit reiicere.*

D Duodecimo proferunt hęretici varia ex S. Cypriano loca; vt quod in Epist. 74. ad Pompeium scribit: *Vnde est ista traditio?* (de hæreticis non rebaptizandis) quodque dicit, *scripturas legendas; & si huiusmodi traditio in illis reperiatur; sanctè custodiendam esse.* Respondet Bellarminus, S. Cyprianum hæc scripsisse; cum errorem illum suum de Hæreticis rebaptizandis mordicus tueretur. Quocirca mirum non esse; si more errantium argumentatus fuerit. Respondet VVitackerus. *Errauit quidem Cyprianus; sed argumentum fuit bonum ad caussam non bonam confirmandam.* Imò malum fuit argumentum; nec assumptio tantum, sed & propositio falsa; prout à VVitackero formatur. *Non scripta non sunt recipienda; baptizatos ab hæreticis non*

Digitized by Google

esse rebaptizandos non est scriptum; ergo nō recipiendum. A
Maior simpliciter falsa est; si vniuersim sumatur; neque vllo modo ex mente D. Cypriani; qui, vt hanc traditionem reiecerit; reliquas tamen religiosè & reuerenter acceptauit; vt vidimus supra cap. 7. Si autem Maior sumatur particulariter; tùm syllogismus vacillat; quia in modis primæ figuræ directè concludentibus nihil ex Maiore particulari vi formæ colligitur.

Ait Bellarminus; Hanc Epistolam refelli à S. Augustino lib. 5. contra Donatistas cap. 23. & seqq. Vbi VVitackerus: *Refellit quidem, & damnat, non propter hanc sententiam, sed, propter ipsum Epistolæ scopum. quia, in illa Epistola contendit, rebaptizandos esse eos, qui ab hæreticis baptizati sunt. Imò Augustinus approbat, & laudat hanc sententiam.* Quàm tortuosè B incedit VVitackerus; vt & se & alios eo vafrius circumueniat? Non tantum D. Augustinus ipsam assertionem; nimirum, baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos; sed & argumenta, quibus sententiæ suæ fidem conciliare tentabat S. Cyprianus; accuratè dissoluit; & vbique vniuersalis Ecclesiæ traditionem non scriptam aduersus S. Cyprianum & collegas vrget. Audi sequentia ex cap. 22. *Ideoq; etiam illa quæ ad Quintum scribit Cyprianus, & illa, quæ cum collegis suis Liberali, Caldonio, Iunio, & cæteris ad Saturninum, & Maximum, & alios benè considerata, nullo modo præferenda sunt, aduersus totius Ecclesiæ Catholicæ consensionem, cuius se illi membra esse gaudebant, & vnde se neq; ipsi præciderunt, neq; diuersa sentientes præcidi passi sunt, donec aliquando* C *in Domini voluntate, per plenarium concilium, licet post multos annos, quid esset rectius, elucæret, non aliqua nouitate instituta, sed antiquitate roborata.*

Mentitur VVitackerus cum dicit; *à D. Augustino approbari & laudari hanc Cypriani sententiam: Id quod scriptum non est; non debet recipi.* vbi frons tua Nouator? An non perpetuò vrget S. Augustinus perennem Ecclesiæ aduersus opinionem de rebaptizatione, traditionem? At laudat D. Augustinus, quod Cyprianus monet, *vt ad fontem recurramus.* Ita est; sed ideo laudat; quia ex ipso recursu ad fontem sacrarum litterarum, videbat S. Augustinus ad cognitionem veritatis, atque adeo traditionis Ecclesiasticæ perueniri D posse; illamque hæreticorum ministerio baptizatos non rebaptizandi consuetudinem ab ipsis Apostolis manasse. *Apostoli,* inquit S. Augustinus cap. 23. *nihil exinde præceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse, credenda est: sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

Addit postea VVitackerus mendacium: *Cyprianum omnes traditiones repudiasse; quæ ex scripturis confirmari nequeant,* in specie videlicet; & secundum proprias & particulares suas rationes: Hoc luculentis mendaciis accensendum esse; planũ fit ex supradictis cap. 7. & 2. Probat VVitackerus: *Quia Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium dicit; Christum solum esse audiendum: & nullum præterea.* (etsi, illud; *nullum præterea*: VVitackerianum assumentum est.) An Christum non audit; qui verbum Dei traditum audit? An Christum non audit, qui Vicarios Christi audit? Quorsum ergo illud? *Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit; me spernit?* Itaque solus Christus audiri debet; siue per scriptum, siue per traditum verbum; siue per Ecclesiæ præsules nobiscum loquatur.

Sic quod in eadem Epistola ait Cyprianus; *dandam nobis operam esse, vt cum Christus venerit, inueniat nos tenere, quod monuit, obseruare quod docuit, facere quod fecit.* Et paulò ante ait, Dominicam traditionem nobis sequendam esse, & plura talia in eandem sententiam. Et hæc talia plura; traditiones ne attingunt quidem, tantum abest, vt labefactent. nam nemo magis tenet, quod Christus monuit, nemo magis obseruat, quod docuit; nemo magis facit, quod fecit; & nemo magis Dominicam traditionem sequitur, quàm qui vtrumque verbum, scriptum & traditum religiosè & reuerenter colit & amplectitur.

Savvbrãdus nunc Cyprianeis syllogismis rem gerit; vt antea Tertullianeis. *Quod non est in Verbo scripto, hoc non est obseruandum. Sed Papisticæ traditiones non sunt in verbo scripto. Ergò Papisticæ traditiones non sunt obseruandæ.* Nego Maiorem, vniuersim sumptam: Neque est Cyprianis sed Savvbrandi. *Quod in scriptura non præcipitur; hoc non est faciendum: sed venientes ab hæreticis non baptizari, non præcipitur in scriptura. Ergò venientes ab hæreticis non sunt baptizandi.* Respondeo, Maiorem vniuersaliter sumptam esse Savvbrandicam; non Cyprianicam.

Sequitur decimotertio loco D. Hieronymus; cuius sunt vulgata illa: *Sine auctoritate scripturarũ garrulitas non habet fidem. Quod de scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur, &c.* Accusat Bellarminus fidem Kemnitij in dicti primi citatione: sic enim habet Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum. *Sine auctoritate scripturarum garrulitas non habet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam, etiam diuinis testimoniis roborare.* Non ergò vocat garrulitatem, quod profertur extra scripturam; sed, dicit, homines garrulos nõ inuenire fidem apud vllos, nisi suos errores ex scripturis confirmare nitantur: quod maximè quadrat in hæreticos. Ad ista obmutuit VVitackerus: Et dimisso Kemnicio; in manifestaria fraude deprehenso; battologus & tautologus esse incipit; dum illud ipsum, quod Bellarminus refutauit; totidem fermè verbis; quot Kemnicius, iterum asserit. *His verbis traditiones palàm remouentur, & garruli esse pronunciantur, qui sine scripturarum autoritate aliquid defendunt.* Pituita aut heluco potius, VVitackerum laborasse oportuit; quando aduertere non potuit, longè aliud

esse

esse *garrulos* (quales Hæretici) vel *garrulitatem hæreticam*; non inuenire fidem, nisi sua scripturis colorent; & *garrulos* esse omnes illos, qui sine scripturis aliquid affirment. Prius asseritur à S. Hieronymo; non posterius; vt impudenter mentitur Kemnicius, & cum illo alij Nouatores: quod commentum nouo augetur à VVitackero; cum dicit; id ipsum ex Bellarminiana horum verborum expositione confirmari. *Num enim Hæretici viderentur garruli, quando aliquid sine scripturis docent; nec fidem apud vllos inuenirent; nisi quæuis doctrina esset auctoritate scripturarum confirmata?* Non dicit Bellarminus, ideo præcisè aliquem vocandum *garrulum*; quòd aliquid sine scripturis doceat; quis enim nescit hoc summâ breuiloquentiâ peragi posse? Sed garrulos, quales plerumque & plerique sectarij, præsertim hæreseos doctores & præcones; ita constitutos esse; vt apud alios fidem non inueniant, nisi sua praua dogmata scripturis pingant: quæ est D. Hieronymi mens planè expressa. *At garruli etiam absq; scripturis fidem inuenire queunt.* Num in rebus diuinis, & ad religionem attinentibus? Cur ergo omnium garrulorum, hoc est, omnium Magistrorum hæreticorum prima cura est; vt scripturas turmatim citent & recitent; semper in ore ferant; & non nisi verbum Domini crepent? Cur, obsecro, garruli isti scripturis adeo se circumuallant, nisi quia vident, nouis figmentis nullam habitum iri fidem; nisi fucum ex scripturis illinant?

In secundo D. Hieronymi dicto notat etiam Bellarminus Kemnicij imposturam: non enim vniuersim dixit D. Hieronymus; omne illud, quod de scripturis non habet auctoritatem, &c. Sed loquens de particulari quadam sententia; qua quidā nitebantur ex libro apocrypho probare Zachariam, quem Iudæi occiderunt inter templum & altare, fuisse Zachariam patrem Ioannis Baptistæ, ait; *Hoc, quia de scripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et sensus est; quia hæc sententia probatur ex libro apocrypho, non ex Canonico, facilè contemnitur. Occurrit VVitackerus. *Loquitur generaliter; ea omnia facilè reiici posse, quæ scripturis non nituntur.* At D. Hieronymum loqui de facto illo particulari, demonstrat pronomen demonstratiuum *Hoc*. Dices: assertionem istam, etiam de hoc particulari facto, præsupponere generalem illam: *Quidquid de scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur: adhuc igitur subsistere, quod Nouatores ex hoc D. Hieronymi loco euincere cupiunt:* Vt ergo VVitackero & sodalibus axioma hoc vniuersale largiar; intellectum de rebus ad religionem cultumque diuinum spectantibus; nego hanc Minorem; quæ subiungitur; *Sed traditiones de scripturis diuinis non habent auctoritatem.* Quomodo hinc non habent auctoritatem, cum scripturæ traditiones commendent; nosque ad illos ablegent?

In cap. 1. Aggæi hæc leguntur apud D. Hieronymum. *Quæ absq; auctoritate & testimoniis scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Hinc istum syllogismum cudit Savvbrandus. *Quidquid absq; auctoritate, & testimoniis scripturarum confingitur, illud gladio Dei percutiendum est. Sed traditiones Papisticæ absque auctoritate, & testimoniis scripturarum confictæ sunt. Ergò, gladio Dei percutiendæ.* Nego Minorem. Caussa negationis patet ex supradictis.

Bellarminus dicit dictum Hieronymi ferire illos, qui confingunt aliquid, & tamen videri volunt suum figmentum esse traditionem Apostolicam. *Hoc testimonium*, inquit VVitackerus, *Papistas maximè attingit: & contra ipsos facit. Nam illi multa confinxére, quæ auctoritate scripturarum non possunt confirmare, & tamen volunt Apostolica haberi, vt ieiunia, obseruationes varias, Chameunias*, id est, *humi cubationes.* Ista sumpsit VVitackerus ex triuio, & tabernis; adeo enim nota sunt conuicia, vt ne lippos quidem & tonsores lateant; Et S. Hieronymus non loquitur de Orthodoxis, huiusmodi pœnitentiarum genere corpora sua affligentibus; sed de Hæreticis Montanistis; præsertim Tatiani sectatoribus; qui extra Ecclesiā vagantes mirè ieiuniis & humi dormitionibus corpora sua castigabant; quos meritò ait audire illud: *Tanta passi estis sine caussa?* Nulla enim huiusmodi afflictationum extra Ecclesiam est vtilitas; nullusque fructus.

Savvbrandus syllogismo nos constringere gestit. *Quidquid de scriptura auctoritate, & testimoniis non est, illud gladio Dei percutiendum: sed, ieiuniorum certa tempora, ξηροφαγία, humi dormitiones, & alia, non sunt ex scripturæ auctoritate. Ergò, gladio Dei percutienda.* Respondeo, Minorem esse Savvbrandicam; loquendo de ieiuniis, xerophagiis, humi dormitionibus & id genus aliis in Ecclesia Catholica à Catholicis suscipi & obiri consuetis.

In Psal. 86. Sic scribit D. Hieronymus; (si tamen commentarius ille non est ab alio auctore.) *Videte quid dicat, qui fuerunt; non, qui sunt; vt, exceptis Apostolis, quidquid postea aliud dicetur, abscindatur, non habeat auctoritatem.* Savvbrandus hunc syllogismum inde extundit. *Quidquid aliud est, quàm illud, quod dixerunt Apostoli, abscindendum. Sed traditiones Papisticæ sunt aliud, quàm illud, quod dixerunt Apostoli. Ergò abscindendæ.* Respondeo, quidquid sit de Maiore, negatur Minor: de qua probanda nihil sollicitus Savvbrandus, mentitur Bellarminum *nil potuisse respondere ad locum Hieronymi.* An non respondit, Hieronymum reiicere eo loco ea tantummodo, quæ sunt aliena à doctrina Apostolica, id est, contraria & repugnantia scripturis?

Digitized by Google

Oggrunnit Savvbrandus: *Hieronymum non tantum hæc reiicere; sed omnia extra scripturam.* Si quod dicit, probaret; fidem mereretur. Nunc garrulitas rationis expers nullam fidem reperit.

VVitackerus accusat Bellarminum, quasi mala mente præterierit illa commentarij Hieronymiani verba: *Quomodo narrabit? Non verbo, sed scriptura, in cuius scriptura? In populorum,* &c. Mirum, adeo morosum esse VVitackerum; vt vitio vertat; quod Prædicantes sibi vitio verti ægrè ferrent. Nam locum hunc non aliter ac Bellarminus citarunt Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi, vt patet Sess. VIII. pag. 251. Edit. Lauing. Si Prædicantium phantasiæ tantopere fauent illa verba; cur præterierunt? Cur si non ex Commentario Hieronymiano, saltem ex Kemnicio non exscripserunt? Quod ergo auctor ille dicit; *Dominum narraturum dogmata sua non verbo; sed scriptura*; non obstat; quia dicere vult; *narraturum*; non solo verbo; sed & scriptura; nec sola scriptura; sed & verbo.

Decimo quarto profertur S. Augustinus, lib. 2. de doctrina Christiana cap. 9. vbi sic scribit. *In his, quæ apertè posita sunt in scriptura, inueniuntur illa omnia, quæ cõtinent fidem, moresq; viuendi.* Respondet Bellarminus, Augustinum loqui de dogmatibus; quæ omnibus explicitè sunt creditu necessaria. Calumniatur VVitackerus, *hoc esse merum miserumq; subterfugium. Loqui enim Augustinum de iis dogmatibus, quæ non tantum omnibus; sed cuiuis necessaria sint.* Num hoc negat Bellarminus? Si articuli Symboli Apostolici & Decalogus omnibus explicitè scitu & creditu sunt necessarij; ergo etiam cuiuis. *Non est tamen contemnendum*, inquit VVitackerus, *quod haberi in scripturis Bellarminus omnia dogmata omnibus simpliciter* (creditu explicitè) *necessaria fateatur, ex quo colligi potest, nullas traditiones esse omnibus simpliciter necessarias*; Explicitè scilicet creditu. Quid si Bellarminus hoc tibi concedat? Faciamus enim hominem baptizari sola explicita cognitione & fide Symboli Apostolici & Decalogi instructum; traditionesq; omnes implicitè solummodo tenentem ac credentem; statimque à baptismo morientem, an talis salutem non obtinebit? Ergo sine *explicita* traditionum *cognitione*. Ergo, cognitio & fides explicita, per quam saluatus fuit; simpliciter sufficiens est, ad salutem consequendam. Si quis tamen vitam proroget ac proferat, vix fieri potest; vt aliquarum saltem traditionum cognitionem & fidem explicitam non acquirat; propter ea, quæ Christiano homini ex officio agenda & obseruanda sunt.

Quàm impium atq; ἀθεόλογον est, clamat VVitackerus, *quædam esse simpliciter omnibus necessaria ad salutem; quædam non omnibus*: Bellarminus non ita loquitur, aut si interdum ita loquitur, non is sensus; quem VVitackerus innuit, subiicitur; Sed dicit: *quædam explicitè creditu esse omnibus necessaria;*

A *Quædam aliquibus duntaxat explicitè creditu & scitu esse necessaria*, ratione scilicet muneris, quo in Ecclesia funguntur; & hoc quisquis impium & à Theologia alienum appellat; is neque *pÿ*, neque *Theologi* nomen promeretur, nec propterea *alia est fides populi; alia, præsulum*; vt criminatur VVitackerus; sed omnium est eadem fides; ad eadem obiecta partim explicitè, partim implicitè sese porrigens.

Nec contra Bellarminum est; quod D. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. dicit; se existimare, si cognitio de origine animæ necessaria foret, clarissimè illam in scripturis sanctum Spiritum traditurum fuisse: hoc enim non diffitebitur Bellarminus; qui disertè docet;
B ea, quæ explicitè scitu & creditu simpliciter omnibus sunt necessaria; clarè & perspicuè in scripturis contineri.

Habet eodem loco hæc verba D. Augustinus. *Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis, clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. Etsi enim quodlibet horum, quemadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem, illud tamen credo, quòd etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima autoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset. Ex hoc loco duo colligo*, inquit VVitackerus, *Vnum in obscura aliqua quæstione inter nos, & Papistas vel alios aliquos aduersarios, qui de reli-*
C *gione dissentiunt, oportere nos assensionem cohibere, nisi res certis, & claris scripturæ testimoniis confirmetur.* Adde; vel nisi generalis Ecclesiæ consensio, vel plenarij concilij auctoritas de veritate nos certos faciat. Nam D. Augustinum hæc duo veritatis cognoscendæ media non repudiasse, patet ex omnibus libris, quos contra Donatistas S. Augustinus scripsit; potissimum verò ex illis, quæ contra *Rebaptizationem* Hæreticorum disserit.

Alterum hinc colligo; inquit VVitackerus, *eorum omnium, quæ nesciri nequeunt sine dispendio salutis, clara testimonia in scripturis haberi.* Semper eandem cantilenam recinit Caluinista. Quoties tibi concessit Bellarminus; eorum quæ nesciri nequeunt
D sine dispendio salutis; hoc est, quæ omnibus explicitè scitu & creditu simpliciter sunt necessaria; clara & perspicua in scripturis testimonia haberi? *Valeant ergo traditiones*, vociferatur VVitackerus; *vtpote nullo modo necessariæ ad salutem.* Quæ hæc VVitackeri deliratio? *Traditiones non sunt omnibus simpliciter ad salutem explicitè creditu necessariæ; ergo nemini vllo pacto sunt explicitè creditu ad salutem necessariæ.* Perinde ac si dicas: *Matrimonium non est omnibus ad conseruationem speciei necessarium; ergo nullo modo est necessarium.* Quæ item hæc amentia? *Traditiones non sunt omnibus explicitè creditu ad salutem simpliciter necessariæ; ergo neque necessarium est ad salutem vt saltem implicitè credantur.*

Savv-

Digitized by Google

Savvbrandus hic iterum ineptisimos syllogismos nectit. *Quæ fidem, & mores viuendi continent, illa continent perfectam doctrinam salutis. Sed, scriptura fidem, & mores viuendi continet. Ergò scriptura continet perfectam salutis doctrinam.* Hic syllogismus est similis huic. *Quæ fidem & mores continent, illa continent perfectam doctrinam salutis; Symbolum Apostolicum continet fidem, & mores viuendi, ergo Symbolum Apostolicum continet perfectam salutis doctrinam*: Vel subsume: *Decalogus fidem & mores viuendi continet; ergo Decalogus continet perfectam salutis doctrinã.* Quid ni, re tam bene gesta, & confecta, clamemus cum VVitackero: *Valeant igitur reliqui scripturæ libri; quandoquidem Symbolum Apostolicum vel Decalogus omnibus ad salutem sufficit.* Quidquid Prædicantes verè ad hunc posteriorem syllogismum responderint; hoc sibi itidem à me ad suum syllogismum responsum arbitrentur. Nam illa scriptura perfectam absolutè doctrinam continet; quæ in specie formaliter & expresè omnia siue explicitè siue implicitè creditu ad salutem necessaria, complectitur. Sed talis non est scriptura sacra; vt iam sæpe dictum.

Secundus locus, quem ex D. Augustino obiiciunt; est lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 6. vbi anathema ei dicit, qui aliud annunciat, *præterquam, quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepimus.* Respondet Bellarminus; *præterquam* accipi pro, *contra quam*; idque supra ostendit ex Tract. 98. D. Augustini in Ioannem. Occinit VVitackerus; *se etiam antea ostendisse, omnia dogmata extra scripturam esse repudianda.* Vbi hoc ostendit?

Savvbrandus sic syllogizat. *Quidquid præter scripturam est, est anathema. Sed traditiones Papisticæ sunt præterquam illud, quod scriptum est. Sunt igitur anathema.* Respondeo, Maiorem esse veram sumendo *præter* pro *contra*. sed falsam Minorem. Si *præter* accipiatur pro *extra*: statim negatur Maior.

Proferunt sectarij alia itidem ex locis D. Augustini notatis à Bellarmino testimonia; quæ nihil aliud volunt, quàm scripturas esse legendas, colendas, & citandas, quoties citari possunt, nihilque penitus contra scripturas docendum vel dicendum. *Præclara verò responsio*, oggerit VVitackerus, sannas extrens: *tum scripturæ proferendæ sunt, quando possunt proferri. Sic certè Papistæ faciunt in suis caussis defendendis: quando habent scripturas, quod rarum est, proferunt.* Fatemur non inuiti, nos tam industrios & solertes haud esse, quàm sunt Nouatores; vt tum scripturas proferre posimus, cum nullæ suppetunt. Hæc ars non est nostri ingenij; sed hæretici, cui solenne quiduis ad quoduis probandum ex scriptura arripere; licet non magis ad institutum cõficiendum valeat; quàm hoc principium: *Esse motum vel naturam*; ad demonstrandum; *duo esse paria; tria, imparia.*

Quærit VVitackerus. *Quid tum demum faciendum est, quando non possunt proferri scripturæ testimonia?* Faciendum est, quod monet ipsa scriptura; con-

A fugiendum ad verbum non scriptum; ad traditionem; ad consensionem & consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ; ad decreta conciliorum; ad scita & placita doctorum; hæc enim sequendo & tenendo, ipsam scripturæ auctoritatem sequimur & tenemus, quę nobis omnia ista commendat.

Addit VVitackerus. *Augustinus in omni re testimonia vult proferri ex scripturis.* Si scilicet fieri posit; & subiecta materia sinat. Nam si id non posit fieri; quo pacto velle potuit, vt scriptura proferatur? Num tu tam insipientem tantum doctorem arbitraris, vt velit, quod fieri non posit? At dicet sectarius: *id in omni quæstione & controuersia præstari posse*, iudicio S. Augustini. Qua, quæ- B so, ratione id præstabitur, si lis existat de Epistola ad Philemonem, num sit Canonica?

At probat VVitackerus, adscriptis singulis D. Augustini locis, à Bellarmino duntaxat indicatis. Lib. 19. de ciuit. Dei sic scribit S. Augustinus de sacris litteris: *Ex quibus fides concipitur, qua iustus viuit; ergo, ex sententia D. Augustini, potest in quauis controuersia testimonium scripturæ proferri: aut certè dicendum erit, eos quærere nouam fidem, qui præter scripturas aliquid quærunt.* An nõ hę sunt cõsequentię insigniter *VVitackerianæ*; hoc est, inanes & futiles? Fides Catholica est fides scripturæ; quia tendit in omnia, & tradit omnia, quæ scriptura tradit: sed non est tantum scripturæ; sed & aliorum extra scripturam obiectorum: quia amplitudo obiecti fidei non circumscribitur solis scripturæ li- C mitibus; vt iam millies dictum. Et vt friuola est hæc collectio; *Tactus est calidi; ergo non frigidi; aut, & frigidi; alius erit tactus calidi, alius, frigidi*: ita eneruis est & ista. *Fides est scripturæ; ergo non traditionis aut si & traditionis, alia fides erit scripturæ; alia traditionis.* Vanum & illud. *Fides ex scripturis concipitur ergo ex solis.* Gerræ Caluinisticæ.

Tract. 2. in Epist. S. Ioannis dicit D. Augustinus, *Deum contra insidiosos errores voluisse ponere firmamentum in scripturis, contra quas nullus audet loqui qui quoquo modo se vult videri Christianum.* Quid hinc colligis? Num illud tuum delirium? *ergo, teste Augustino; in quauis controuersia possunt scripturæ testimonia produci.* Eadem facilitate ex hoc dicto D *numerum quaternarium esse parem*; concludes, opinor; *non esse quatuor; sed tres tantum sanctissimæ Trinitatis personas.* Si hanc consequentiam velis *Scriptura est firmamentum Christianorum contra occultos & manifestos errores; ergo non sunt traditiones* quid aliud quàm ineptiam prorsus ineptam voles?

Testimonium ex Epist. 163. appositisimum est ad VVitackeri propositum: Dicit S. Augustinus, *Canonicos Codices præsto esse debere, ex quibus, cæteris postpositis, si quæ proferri potuerint ex vtraq; parte documenta, res ad inquisitionis terminum perducatur.* Et ipse D. Augustinus, non nisi hypotheticè loquitur, nempe, sacrarum litterarum testimonia proferri debere; si quæ proferri posint: Et tamen

VVitackerus contendit; Augustinum simpliciter velle, vt in omni quæstione testimonia scripturæ proferantur; imo & proferri posse; cum Augustinus expresse dicat: *Si quæ proferri potuerint*, &c.

Libro de Pastoribus cap.14. hæc leguntur. *Lege hoc mihi de Propheta, lege de Psalmo*, &c. Tandem. *Auferantur chartæ humanæ, sonent voces diuinæ. Sequitur ergo, quod antea; in omni controuersia posse testimonia ex scripturis proferri*: Vel: si mauis hanc consequentiā, quæ æquè facili lapsu ex prædicto antecedente fluit: *ergo non exstant vllæ traditiones diuinæ*. Pulchrè & robustè conclusum.

AEquè robusta est illa argumentatio. *D. Augustinus vult voces humanas de medio tolli; & diuinas audiri; ergo non sunt vllæ traditiones*. Probatur consequentia. *Quia traditiones sunt tantum voces humanæ; vt infinities Prædicantes affirmarunt; nunquam demonstrarunt*. Vt taceam D. Augustinum prædicto Pastoris loco tantum disputare contra Donatistas; quorum error de Ecclesiæ occasu, excepta sola Africa, perspicuè ex scripturis redargui poterat; quæ vbique Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusionē prædicant; & cum nescio quæ Acta contra certos quosdam Episcopos proferrent; respondit S. Augustinus. *Acta proferes; acta profero. Credamus tuis. Crede & tu meis. Non credo tuis, noli credere meis. Auferantur chartæ humanæ*, &c. Quid hæc aduersus traditiones? Quid ad propositum VVitackeri thema ostendendum?

Alius locus profertur ab hæreticis ex lib. de bono viduitatis cap.1. vbi viduam alloquens dicit: *Quid amplius te doceam, quàm id, quod apud Apostolum legimus? Sancta enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus, quam oportet. Non sit ergò mihi, aliud docere, nisi verba tibi Doctoris exponere*. Respondet Bellarminus, Augustinum non loqui de omni dogmate, sed solum de professione viduitatis, quod, quale bonum esset, satis exposuerat Apostolus 1. Cor. 7. Et, ideo dicit Augustinus, satis sibi esse, si exponat verba Apostoli. Occinit VVitackerus. *Augustini verba sunt generalia, sacram scripturam doctrinæ nostræ regulam in omni sano dogmate figere. Non enim ait, huius tantum dogmatis, sed doctrinæ nostræ regulam figit. Ne audeamus sapere plus, quàm oportet*. At VVitackerus cauillatur: neque enim Bellarminus dixit; illa verba, quæ VVitackerus adfert; esse de vno tantum dogmate; sed illa: *Quid amplius te doceam, quam id, quod apud Apostolum legimus*. Item illa; *non sit ergo mihi aliud te docere; nisi verba tibi doctoris exponere*. Quæ de sola viduitatis professione intelligi liquidum est non cæcis aut cœcutientibus. Nam illa: *Sancta enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit*; latius patere, nō diffitetur Bellarminus. At num dicit Augustinus: *Solam & vnicā scripturam vniuersæ nostræ doctrinæ adæquatam regulam figere*, vt inde colligere cum ratione possis desideratam illam tuam cōsequentiam: *Ergo scriptura est vnica omnium controuersiarum regula?* Quàm argutè. *Scriptura figit nostræ doctrinæ regulam. Ergò sola vnicam & adæquatam*. Etiam Logica figit doctrinæ Philosophicæ regulam: Num ergo sola vnicam & adæquatam?

A Profertur etiam decantatus ille locus ex lib.3. contra Maximinum cap.14. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre concilium*, &c. Respondet Bellarminus videri quidem in his locis aliquid dici contra Concilia; sed non contra traditiones. Accurrit VVitackerus. *Quando prouocat Augustinus à Conciliis ad scripturas, certè traditiones multò magis reiicit. quia, Conciliorum autoritas proximè ad scripturæ autoritatem accedit. Atq, si traditiones quidem parem cum scripturis autoritatem haberent, (quod Papistæ dicunt) tum earum Augustinus mentionem fecisset, & dixisset, scripturarum, & traditionum autoritatibus*. Si VVitackerus vir

B candidus erat, non debebat Bellarmini verba abrumpere; nam statim subiungit. *At nec contra Concilia ab Augustino aliquid doceri; facilè possumus ostendere*; idque quod facilè se posse facere dicit; absque mora facit. Nam D. Augustinus sepofuit Concilium Nicænum, non quòd non maximè faueret; sed quia à Maximino nihili fiebat. Itaque ne prolixam disputationem de legitima auctoritate Concilij Nicæni, & de vanitate Concilij Ariminensis, quod venerabatur Maximinus, ingredi cogeretur, omnia hæc missa fieri voluit; rectoque gradu ad scripturas procedi.

C Hæc sunt, inquit Bellarminus, testimonia veterum ab Hæreticis citata, in quibus tria notanda; vnum, duplo esse plura ea, quæ nos citauimus in contrarium. Respondet VVitackerus: *Victoriam non consistere in multitudine & numero testimoniorum, sed in veritate*. Ita est; sed tamen si illa duplo plura non modò sint plura; sed & vera; illa autem pauciora, quæ ab Hæreticis obiectantur; perperam intellecta; & eo sensu, quo ab hæreticis adducuntur; falsa; nemo inficias ierit, talem multitudinem plurimum ad victoriam cōferre; imò certissimam victoriam parere.

D Secundò respondet VVitackerus: se & suos itidem posse plura testimonia producere, quàm Bellarminus protulerit. Eiusdem scilicet pretij & roboris cuius sunt alia iam prolata: Et vt VVitackerus reipsa ostendat, se id posse, paulò pòst plura testimonia adducit; de quibus mox.

Secundò notat Bellarminus, nostra testimonia expressè docere de traditionibus nō scriptis recipiendis, adeò, vt hæretici, cum id negare non possent, passim verterentur ad blasphemias: Testimonia autem, ab eis adducta, non propriè ad traditiones pertinere: sed per malas consequentias eò tandem ab aduersariis detorqueri.

Respondet VVitackerus. *Fateor patres multa de traditionibus commemorare, sed in illorum testimoniis hæc quatuor obseruanda sunt. Primo, traditionis nomen aliquando doctrinam scriptam significare, & dogma aliquod, quod firmo testimonio scripturæ nititur*. Nū traditionis

nomen

nomen hac notione accipitur iis in locis Patrú, quæ Bellarminus, & alij pro traditionibus non scriptis allegant? *Secundò*, obseruare iubet VVitackerus, *illas traditiones, quas Patres commemorant, esse ferè omnes liberas consuetudines, non necessaria dogmata.* Sed hoc nihil aliud est, quàm liberum VVitackeri mendacium.

Tertiò, *aliquando deceptos fuisse ipsos Patres.* Optima obseruatio: quia planè VVitackeriana; præsertim cum aspersa sic hoc mendacio; *Patres in traditionibus inter se dissentire.*

Quartò, *abrogatas esse iam ab ipsis Papistis multas ex his Traditionibus, quas Patres commemorant.* Ostendat Nouator vel vnam vniuersalem; non temporariam traditionem, ad fidem vel mores pertinentem; à Papistis antiquatam esse.

Postremò dicit Bellarminus, Hæreticos, euidentiâ testimoniorum conuictos aliquando fateri, à quibusdam Patribus traditiones esse defensas: nos autem adigi non posse, vt admittamus, ab vllo Patrum oppugnatas fuisse traditiones. Respondet VVitackerus: *Nos concedimus defensas esse traditiones à Patribus; sed eo modo, quo dictum.* Imò non tuo, sed nostro; & eo, de quo Bellarminus. Dicit insuper Nouator; *falsum esse, quod Patres non oppugnarint traditiones.* Quid ita? quia vocant scripturas *perfectas & sufficientes.* Verùm non eo sensu, quem hæretici vrgent & auent; sed bono & sano, de quo hactenus satis.

Pupugit VVitackerum, quod Bellarminus obiecit aduersariis paucitatem testimoniorum aduersus traditiones. Hinc ita infit: *Quia testimoniorum paucitatem nobis exprobrat, placet nonnihil adhuc progredi, & plura testimonia cumulare. Origenes in cap. 16. ad Rom. lib. 10. sic scribit: Vide quàm proximi periculis fiant hi, qui exerceri in diuinis literis negligunt: ex quibus (sic enim subiungit) huiusmodi examinationis agnoscenda discretio est.* Respondeo, ex solis scripturis disci rationem distinguendi veros doctores à falsis (de his enim agit Origenes) non immediatè tantùm, sed partim immediatè, partim mediatè; quia scriptura ostendit; quo confugiendum sit, & qui consulendi; quando Pseudoprophetæ ad suas partes nos sollicitant. Iam quod Homil. 58. in Euangel. S. Ioannis vocat scripturas *ostium*, per quod ad Deum intrandum; id non euertit traditiones. Est *ostium* scriptura. Num vnicum; solum, *adequatum; totale? Fur est; qui sacra scriptura non vtitur.* Non negamus: At fur non est; qui & sacra scriptura; & traditionibus non scriptis vtitur. Quicunque per traditiones in ouile ascendit; ille etiam per scripturam in ouile ascẽdit, quia scripturæ commendant traditiones.

Mentitur VVitackerus, cum dicit; *iudicio Chrysostomi furem esse; qui aliis testimoniis, quàm scriptura vtitur.* Aut ergo VVitackerus vtens Patrum, Conciliorum & historicorum testimoniis, fur est; nõ per *ostium*, sed aliunde in ouile ascendens; aut mentitur; cum dicit; *sententia Chrysostomi furem esse; qui alia quàm sacrarum litterarum testimonia vsurpat.*

A Illud Homil. 9. in epist. ad Colossenses: *Noli exspectare alium Magistrum, habes verba Dei; nemo potest te sic docere:* multum scilicet nobis incommodat; quia traditiones non sunt verba Dei; sed apud Prædicantes seminiuerbios. Idem dicit; *Malorum omnium caussam esse, quod scriptura ignoratur.* Non abnuo; quia si ab Hæreticis non ignorarentur; nunquam traditiones reiicerent.

Vbi sunt illi; clamat VVitackerus; *qui scripturis contenti esse nolunt; cum iubeat nos Chrysostomus nullum alium Magistrum exspectare.* Chrysostomus vocat *Magistrum nostrum* verba Dei; quæ latius funduntur, quàm scriptura. Deinde, si nullus alius audiendus Magister; cur producis Chrysostomum à

B nobis & tuis audiendum? An non producis vt Magistrum? Mirer, si producas, vt discipulum tuum. Quare tibi tui discipuli, tanquam magistro, operam dederunt, si nullus alius, præter verba Dei, magister audiendus?

In epistola ad Ctesiphontem ait S. Hieronymus; *Veritatem ex sanctarum scripturarum testimoniis asserendam esse; & in his quotidie Deum credẽtibus loqui.* Ex quibus duo colligit VVitackerus. Primum; *Omnia quæ vllus doctor Ecclesiæ asserit, ex scripturis examinanda esse.* Secundum; *Deum nunc etiam in scriptũris loqui.* Quàm verò rarum & commemorabile est hoc secundum, vt vocant; *notabile.* Quis nostrum sciuisset; Christum his etiam temporibus

C nobiscum in scriptura loqui, nisi id VVitackerus ex dicto D. Hieronymi collegisset? Prius suum notabile; quomodo ex verbis D. Hieronymi extundat, ego non video; multoque minus; quã ratione has consequentias inde educat: *S. Hieronymus dicit; veritatem aduersus Pelagianos scripturarum testimoniis asserendam esse; ergo non exstant vlla traditiones non scriptæ.* Probatur consequentia: *Quia alioqui dixisset Hieronymus veritatem etiam traditionibus ab imposturis Pelagianis vindicari debere; at hoc non dixit, ergo, &c.* Quis non hanc subtilitatem veneretur ac suspiciat? Vt & istam: *Deus loquitur hodie nobiscum per scripturas; ergo non per traditiones.* Quid amplius?

Hieronymus in caput primum Michææ, ait; Ecclesiam

D *habere vrbes legis, Prophetarum, Euangelij, & Apostolorum, & non egressam esse de finibus suis, id est, de scripturis sanctis. Vbi disertè scribit, Ecclesiam esse scripturæ finibus circumscriptam, extra quos ei egredi non liceat.* At iste tandem animaduertere debebat, Ecclesiam, ne tum quidem extra fines scripturæ egredi, quando traditionum testimoniis vtitur; cum generatim & mediatè ipsæ etiam traditiones in scriptura contineantur; vt iam sæpius dictum.

Ambrosius in commentar. in cap. 16. Lucæ, explicans verba mulieris Chananeæ ad Christum; Vtiq; Domine nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, *sic scribit; Micæ istæ de illo pane sunt; &, quia panis verbum est, & fides verbi est,*

micæ velut quædam dogmata fidei sunt. Quid hæc contra traditiones? An non & ipsæ dogmata quædam sunt partim ad fidem, partim ad mores pertinentia, & per consequens, *micæ* cadentes de mensa Domini? Occurrit VVitackerus: *Ne verbum aliquis de non scriptò verbo interpretetur. Aquinas in catena aurea, in hæc verba, eâdem planè allegoria vsus, ait, mensam parabolicè significare sacram scripturam; micas esse minima præcepta, vel interna mysteria scripturarum, quibus sancta Ecclesia pascitur, catulos verò esse fideles. Sensus ergò est, fideles præceptis fidei pasci, sed illis tantùm, quæ cadunt è mensa Domini, id est, è sacra scriptura sumuntur. Itaque fideles illis tantùm dogmatibus pascuntur, quæ in verbo Dei, id est scripturis, traduntur.* En acutissimam verborum Ambrosianorum interpretationem: *S. Thomas per mensam illam intelligit scripturas; per micas minima præcepta, vel interna scripturarum mysteria; quibus Ecclesia pascitur, ergo reiicit traditiones. Consequenter etiam S. Ambrosius quando dixit; verbum esse panem; & micas, quædam dogmata fidei; repudiauit traditiones, & scripturas solas pro vnica & adæquata omnium controuersiarum regula habuit.* Quis credat vel somniantem vsque adeo absonè & delirè stultescere posse?

Idem Ambrosius ad Gratianum de Fide lib. 1. cap. 4. *Iubet interrogari scripturas, Apostolos, Prophetas, Christum; ergo non agnouit traditiones.* Probatur consequentia: *Nam qui traditiones interrogat, hic non interrogat Apostolos, non Prophetas, non Christum.* Si petas à VVitackero probationem; respondebit, iam probatum esse. Vbi?

S. Augustinus epist. 112. *Si aliquid diuinarum scripturarum auctoritate firmetur; sine vlla dubitatione credendum esse. Aliis, credendum vel non credendum; quantum momenti ad faciendam fidem vel afferre, vel non afferre animaduertitur: Quibus verbis docet Augustinus;* (verba VVitackeri recito) *singularem quandam esse scripturæ autoritatem, vt, quidquid ex ea confirmetur, sit continuò recipiendum: at, ceteros testes, & cætera testimonia non habere tantam autoritatem, sed oportere illa examinare, & tantum iis tribuere, quantum ex ipsa examinatione tribuendum esse intelligemus. Ergò falsissimum est, quod aduersarij dicunt, parem esse Scripturarum, ac Traditionum autoritatem; quia scripturis, sine vlla dubitatione credendum est; reliqua verò testimonia, qualiacunque tandem fuerint, diligenter perpendenda, & examinanda sunt.* Nihil hic apparet nisi linguæ & oris volubilitas. Quis abnuit, continuò credendum, id, quod scriptura affirmat? Quis negat absque mora amplectendum, quod scripturæ testimoniis rectè ac legitimè comprobatum videmus? Num ideo nullæ sunt traditiones, quibus par debeatur reuerentia; par obsequium? Nec excluduntur istæ illis D. Augustini verbis: *Aliis vero testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, &c.* quia hæc tantummodo intelliguntur de testimoniis merè humanis; quibus tantum fidei commodatur, quantum ponderis habent rationes; quas fidei faciendæ caussa adducunt. Dices: *D. Augustinus*

A *non nominauit traditiones.* Quid tum? An ideò eas pari cum scriptura dignitate præditas abnuit? Satis nominauit, cum scripturas nominauit; quæ traditiones, vt diuinas, & merito suo obsequium ab omnibus postulantes, commendant.

Libro de natura & gratia capite decimo sexto scribit sanctus Augustinus: *Ego solis scripturis Canonicis debeo sine recusatione consensum.* Subdit VVitackerus: *Quanti hic, quæso, traditiones æstimauit, quando dixit; se solis scripturis Canonicis debere consensum sine recusatione?* Et tamen alibi disertè affirmat, *insolentissimæ esse insaniæ, disputare,* num faciendum sit nec ne; si quid per vniuersum orbem frequentat Ecclesia. Ergò & aliis in consuetudine positis absque recusatione consensum præbêdum censuit.

B Quid ergo locus citatus sibi vult? Istud, opinor, ex scriptis, solas sacras scripturas ita esse comparatas, vt illis absque recusatione assensus & obsequium debeatur. Quod verum; quia omnia aliorum scripta sigillatim spectata tali priuilegio minimè gaudent; vt per se notum. At hæc traditiones non tangunt; tantum abest, vt euertant; quia non annumerantur scriptis; sed non scriptis; cum sint non scriptum Dei verbum. Addo & hoc: per illam particulam exclusiuam *solis* non excludi ea, quæ sunt eiusdem naturæ, auctoritatis & excellentiæ cum scripturis; cuiusmodi sunt traditiones diuinæ & Apostolicæ; sed extranea tantum & diuersæ à scriptura auctoritatis; Hæc enim *exclusiuarum* particularum vis,

C &, vt sic loquar, indoles; vt patet etiam ex illo Christi Domini Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum;* Vbi vocula, *solum*, minimè excludit filium & Spiritum sanctū eiusdem cum patre naturæ; vt per se liquet; sed *solum* illos, qui non sunt eiusdem essentiæ cum patre.

Mirum illud; Vincentium Lirinensem; luculentissimū traditionum assertorem, cogi à VVitackero; vt ipse contra nos, atque adeo contra se testimonium non testimonium dicat. Quid ergo Vincentius? Cap. 41. *Solus scripturæ Canon sibi ad vniuersa sufficit.* Apertius cap. 2. *Solus Canon scripturæ ad omnia satis superq; sufficit. Non video, quid apertius dici possit,* inquit VVitackerus. Ego non video, quis

D impudêtius mentiri possit, quàm hoc loco VVitackerus; qui præter mendacium, fraudulentissimam fallaciam committit; nam illis ipsis, quæ citat VVitackerus, manifestissimè traditionum necessitatem Vincentius asserit. Verba cap. 2. sunt ista: *Hic forsitan requirat aliquis; cùm sit perfectus scripturarum Canon, sibiq; ad omnia satis, superque sufficiens, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur autoritas? quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non vno, eodemq; sensu, vniuersi accipiunt: sed, eiusdem eloquia, aliter, atq; aliter, alius, atq; alius interpretatur; vt penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namq; illam Nouatianus, aliter Photinus, &c. exponit, &c. Atq; idcirco, multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Pro-*

phetica

phetica, & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur. Ecce Ecclesiasticam traditionem necessariò cum scripturis copulandam propalam docet; caussamque reddit optimam; cur id necessariò faciendum sit.

Cap. 41. ita scribit: *Diximus in superioribus hanc fuisse semper, & esse, hodieque Catholicorum consuetudinem, vt fidem veram duobus his modis approbet. Primùm, diuini Canonis auctoritate: deinde, Ecclesiæ catholicæ traditione: non quia Canon solus nō sibi ad vniuersa sufficiat, sed, quia verba diuina, pro suo pleriq; arbitratu interpretantes, varias opiniones, erroresq; concipiant. Atq; ideo necesse sit, vt ad vnā Ecclesiastici sensus regulam scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur.* Quid apertius pro Ecclesiastica traditione scribi diciue potuit? Et tamen huic tantæ claritati tenebras suas tenebriones isti offundere moliuntur.

Itaque quando Vincentius dicit Canonem esse *perfectum, sibique ad omnia satis superq; sufficientem*; nihil aliud indicat; quàm Canonem, in se & in substantia sua à Deo constitutum, non indigere vllius ope ad sui constitutionem; sed sibi ad hoc satis superque sufficere; tametsi non sufficiat sibi ad suiipsius declarationem & explicationem; sed necessariò Ecclesiasticæ traditionis adminiculo egeat; quòd in diuersos sensus quà trahi, quà rapi queat.

Cogitur & Theodoretus in VVitackerianam scenam ascendere; qui de se Dialogo secundo; *Non audeo dicere aliquid, quod tacuit diuina scriptura. Audaces ergo sunt*, inquit VVitackerus, *qui aliquid extra scripturam dicunt.* Sed VVitackerus animaduertisse debebat; qua occasione Theodoretus hæc verba protulerit; cum enim Eranistes, qui personam hæretici in illo Dialogo sustinet, dixisset; se existimare; orthodoxum seu Theodoretum, non negaturum humanam Christi naturam fuisse conuersam in diuinam naturam, postquam Christus in cælum assumptus est; subiecit Theodoretus; *Ego quidem non dixerim humanis rationibus persuasus, nec sum vsque adeo audax & temerarius; vt dicam aliquid, quod sacra scriptura silentio præteriit.* Num hoc tantum? Imò & cuius contrarium expresè tradidit. Hanc enim esse Theodoreti mentem; perspicuè liquet ex iis, quæ mox subiungit; cum demonstrat; sacras litteras non modò silentio præteriisse conuersionem naturæ humanæ in naturam diuinam post ascensionem in cælum; sed contrarium manifestè tradidisse; nempe, Christū in cælis naturam humanam integram & incolumem retinere; eademque indutum ad supremum omnium hominū iudicium adueturum. Igitur nemo dicere debet, quæ scriptura tacuit; & quorum contraria euidenter docuit.

Nunc Damascenus prodit iussus à VVitackero, cuius orationes de imaginibus tot ferè testimonia pro traditionibus non scriptis suppeditant; quot periodis constant; de qua itidem

A materia multa passim scribit in libris de fide orthodoxa; adeò; vt supra cap. 7. VVitackerus Damascenum palam repudiarit. Et tamen nunc quamuis inuitissimus, VVitackeri patronus esse cogitur. Qua de caussa? Quia lib. 1. de orthod. fide sic scribit: *Nos ea omnia, quæ tradita sunt & per legem, & per Prophetas, & per Apostolos, & per Euāgelistas recipimus, agnoscimus, colimus, approbamus*: tum subiungit; *Nihil præter hæc aliud quærentes: ὐδὲν περαιτέρω τούτων ἐπιζητοῦντες.* En quam validum in traditiones missile, & quidem à manu Damasceni; cum quo idem totidem verbis profitemur publicè. Num ideo traditiones negamus? Non dicit Damascenus: Nos nihil aliud recipimus, quàm quod Prophetæ & Apostoli scripto nobis tradi-

B derunt; sed quæ per Legem, per Prophetas & Apostolos nobis tradita sunt. An his excludit traditiones non scriptas? An non & istæ per Prophetas & Apostolos sunt traditæ?

Idem Damascenus lib. 4. fidei orthod. cap. 18. dicit; *Animam lectione scripturarum impinguari; & nos ex diuinis scripturis ad studiosam actionem aptos euadere.* Quæ omnia traditiones nō scriptas ex imis fundamentis subruunt; & qui hoc non videt; hic oculos vel ocularia à VVitackero petat, vt videat.

Tandem aduocantur Hugo de S. Victore, S. Thomas & D. Antoninus & Driedo; qui VVitackeri instituto tantum fauent, quantum Bellarminus & Stapletonus. Hactenus de VVitackero.

C Savvbrandus disputationem ex Patribus lepido terminat syllogismo: *Quod controuersum, alterius partis proprium, & non vtriq; parti commune est, illud non potest principium esse. Sed, Traditiones Papisticæ sunt controuersæ, alterius partis propriæ, & non vtriq; parti communes. Ergò, Traditiones nō possunt esse principium alicuius dogmatis.* Respondeo, Maiorem esse *Savvbrandicam*; falsiloquam & inaniloquam, vt fusius contra blateronem istum ostendi in Appendice quarta ad librum primum Bellarmini.

Iunius circa hæc Patrum testimonia, eorumque explicationes à Bellarmino allatas; nil memoratu vel refutatu dignum affert; nisi frigidissimas *notatiunculas & animaduersiunculas*; quas hac sibi vsitatissima calida subinde perfundit: *Ex fal-*

D *sis antecedentibus falsa conclusio. Negatur distinctio. Falsum. Negamus. Probatio falsa. Et hoc falsum. Negatur restrictio. Hoc quid facit ad caussam? Nugas agit Bellarminus. Absurdum solutionis genus. Argutiæ. Futilis responsio. Sic profectò facilè in plano, quod aiunt, cespitabitur. Inconsequens:* & si quid huiusmodi quisquiliarum aliud superest. Si hæc refutandi ratio esset legitima; procliue mihi foret; vel intra mēsis spatium, integras Caluini Institutiones refellere.

Danæus prouinciam mentiendi sibi concreditam hic etiam indefessè administrat. Mentitur I. *Bellarminum fateri, omnia, quæ omnes pios scire oportet, in sacris scripturis inesse.* Non ita loquitur Bellarminus; sed omnia in scripturis contineri; quæ omnibus simpliciter explicitè creditu ad salutem

A lutem sint necessaria: Quorum tanta paucitas, vt vix symboli Apostolici & Decalogi fines egrediantur.

Mentitur II. *Reliqua, quæ non est necesse pios omnes scire, contineri in traditionibus non scriptis.* Non dicit hoc Bellarminus vniuersim; quia non ignorabat; plurima, imò pleraque in scripturis comprehendi, quorum explicita fides & cognitio fidelibus non sit ad salutem simpliciter necessaria.

Tertiò mentitur: *Traditiones nihil habere, in quibus fides nostra versetur*; quia traditiones æquè sunt obiectum fidei; ac verbum scriptum, & quamuis singulorum fides non debeat explicitè ad traditiones terminari; necessariò tamen implicitè ad illas terminatur.

B Mentitur IV. *Traditiones, Bellarmino teste, nil continere, quod piis sit ad salutem necessarium.* Nunquam & nusquã hoc Bellarminus asseruit; quia optimè perspectum habuit; omnibus & singulis ad salutem necessarium esse; vt traditiones saltem implicitè credant: ex quo elucescit; quid traditiones omnibus piis ad salutẽ necessarium contineant.

Mentitur V. *Bellarminum se suo gladio confodere & iugulare.*

Mentitur VI. *Bellarminum Caluinistarum vulnus non repellere; sed recipere.*

Mentitur VII. *Bellarminum fateri & concedere Traditiones inutiles esse.*

C Mentitur VIII. *A Bellarmino irrideri Constantinum Magnum.* Vbi illa irrisio?

Mentitur IX. *Bellarminum manifestissima Patrũ testimonia negare, & in peregrinum prorsus sensum mutare ac detorquere.*

Mentitur X. Bellarminum in solutione argumentorum Caluinisticorum κακοηθείας & malignitatis animi vitio laborare. Prætereo alia mendacia, quia totum illud Danæi caput, quantum quantum, nil est, nisi vnum quoddam iuge mendacium; his gemmis interstinctum: *Est paralogismus ab ignoratione Elenchi, Paralogismus à non consequente:* Tandem iterum *Bellarminus victus iacet; qui tamen sibi, tanquam solus in arena relictus, triumphum, velut nostrorum victor, impudentissimè canit. Hic* D *pro se vindicias homo fugitiuus pronunciat.* Et quid non nugacissimus & ventosissimus Caluinista deblaterat?

CAPVT XII.

Soluuntur rationes aduersariorum.

PRIMVM argumentum: *Traditiones non possunt conseruari sine scriptura; ergo, &c.* Respondet Bellarminus, id esse falsum; & falsitatem variis rationibus demonstrat. Savvbrandus hunc syllogismum ingerit: *Quod non est scriptum, id tam longo tempore conseruari non potest. Sed, Traditiones non sunt scriptæ. Ergò tam longo tempore conseruari non potuerunt.* Negatur Maior; quia vt Ecclesia, & scriptura ipsa; sic & traditiones peculiari Dei custodia; & tutela conseruantur. Abnuit Savvbrandus: *Quia,* inquit, *Ecclesiæ conseruationem promisit Deus. Traditionum verò conseruationem promisit nusquam. Deinde, Ecclesiam Deo curæ esse, certum est: Traditiones verò, ei curæ esse, inter nos controuersum est. Dicere igitur; Traditiones conseruari, quia Deo curæ sunt, est illud petere, quod est in principio.* Hæc omnia sunt Savvbrandica; hoc est; *inanissima.* Nam si Deus promisit Ecclesiæ perpetuam doctrinæ veritatem; vt quidem promisit cum alibi; tum quando Paracletum se missurum recepit; qui cum Apostolis & Apostolorum successoribus, hoc est; cum & in Ecclesia maneat in æternum; & in omnem veritatem inducat; & omnia suggerat & doceat; certè etiam traditionum perẽnem conseruationem promisit; neque enim sine harum conseruatione in omnem veritatem induci; aut Spiritum sanctum, cælestem illum doctorem, perpetim secum manentem possidere dici posset: multoque minus elogium illud: *Columna & firmamentum veritatis:* ei verè tribueretur. Nec illud in eam quadraret: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Mentitur Savvbrãdus; cùm ita Bellarminum argumentari fingit: *Deus potest traditiones conseruare; ergo reipsa conseruat.* Serua tu Savvbrande commentum tuum. Relinque Bellarmino hoc, quod confecit argumentum: *Deus promisit se traditiones conseruaturum; ergo reuera conseruauit, & adhuc conseruat; quia fidelis est, & seipsum negare non potest.*

Similia ferè nugatur hic VVitackerus; à quo, pleraque sua nugamenta Savvbrandus mutuatus est. Obserua tamen insignem hunc VVitackeri thrasonismum: *Ego infinita testimonia & promissa proferre possum, quibus Deus se Ecclesiæ deuinxit, vt eam conseruaret, proferant illi tales aliquas promissiones de seruandis traditionibus. At non possunt.* Nimis præcipitas sententiam. Omnia illa loca, quæ Ecclesiæ perpetuam conseruationem pollicẽtur; pollicentur itidem traditionum non interruptam conseruationem; quia Ecclesia subsistere non potest sine veritate doctrinæ; ad veritatem verò doctrinæ, spectant quoque traditiones; quas necesse est incorruptas conseruari; si Ecclesia incorrupta conseruanda est; & si implendum illud: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Fateor, inquit VVitackerus, *Deum ab Adamo ad Mosen doctrinam viua voce traditam, hoc est, Traditiones non scriptas seruasse. Negari non potest. At in paucissimis. Nam hanc doctrinam plurimi corruperant.* Si potuit Deus tunc traditiones non scriptas seruare in paucis, siue etiam paucissimis; poterit & nunc in plurimis, latissimè diffusa Ecclesia; quia vtrunque Deo æquè promptum est ac facile. Et quod de *corruptione* addit; an nõ & doctrinam scriptam plurimi corrumpere solent? An non sunt tot do-

ctrinæ scriptæ corruptores, quot hæresiarchæ & hæretici? Vt ergo doctrina scripta ex libris instaurari, & à corruptelis asseri potest; ita potest etiam doctrina nō scripta cum aliis rationibus, tum præsertim Ecclesiæ auctoritate sarta tecta conseruari;& à deprauationibus asseri.

Addit VVitackerus: *Deus identidem seipsum familiariter ostendit sanctissimis illis Patribus, qui tum vixerunt: cum illis loquutus est, & illam doctrinam viua voce traditam instaurauit sæpius, & renouauit, eamque non tam incorruptè à piis etiam seruatam ad puritatem suam, atq; integritatem reuocauit. Ita familiariter versatus est Deus cum illis antiquis Patriarchis. Quod si hæc ratio aduersarij iam valeret, tum Deus etiam simili modo nobiscum nunc ageret.* Non est necesse; quia alium modum iam elegit Deus nobiscum agendi, & veritatem doctrinæ ab omni erroris periculo integram conseruandi. Quis ille? Infallibilis assistentia, qua vsque ad *consummationem sæculi*, Ecclesiæ, seu summo Ecclesiæ pastori ita adstat; vt in nullum errorem integritati religionis, morumque sanctimoniæ contrarium incidere sinat; semperque per Ecclesiæ, seu eius, qui Ecclesiæ caput est, os & ministerium ipsissimam doctrinæ cælestis veritatem nobis pandat; vi & beneficio illius paracleti; quem in omnibus doctorem & instructorem Ecclesiæ futurum spopondit. Qui modus æquè certus est ac ille, quo interdum Deus vsus est cum paucis; quibus se & suam voluntatem *ore quasi ad os* aperire solebat.

Considera verò hanc VVitackeri *stupiditatem*: Nam *subtilitatem* appellare; religio est: *Moses scripsit doctrinam cælestem; ergo hoc ipso traditiones damnauit; & sententiam hæreticorum stabiliuit.* Probatur consequentia: *Quia vidit Moses puritatem doctrinæ cælestis non posse integram consistere, sine librorum ope.* Vbi verò hoc vidit Moyses? Vbi hoc scripsit? Vbi hoc vel obscurè insinuauit? An nesciuit Moyses, doctrinam cælestem vsque ad sua tempora ab Adamo incorruptè transmissam fuisse? An non poterat Deus; vt antea; sic & posteris ætatibus, absque vllis litterarum monumentis posteritati saluam & omnis corruptelæ expertem tradere? Videtur id inficiari VVitackerus; aut saltem indicare, Deum id sine *noua* quadam *molestia* facere nequiuisse. Quid enim volunt sibi hæc VVitackeriana phantasmata? *Si vidisset Deus, religionem posse integram, atque incorruptam seruari sine scripturis, non præcepisset Mosi, eandem perpetuis literarum monimentis consignare. Sed quia vidit religionem in dies magis, magisque corrumpi, &, se coactum esse eadem sæpius repetere, scriptionis remedium inuenit. En Deus coactus fuit eadem sæpius repetere.* Quis coëgit, oro? Num tu tam hebes es; vt tibi persuadeas, Deum vidisse doctrinam cælestem conseruari non posse, nisi litteris consignaretur? Sunt igitur scripturæ simpliciter & absolutè necessariæ in *sensu diuiso & disiuncto*; non tantum *in composito*, & ex diuinæ voluntatis hypothesi. At ipse VVitackerus & alij Prædicantes id abnuere videntur, vt alibi visum. Quæso te; putasne plures hæreses & sectas exorituras fuisse, si nulla penitus scriptura exstitisset; quàm nunc, cum scriptura mortalibus è cælo data est? Ego certè propior sum existimanti, pauciores fuisse futuras; cum enim nunc temerarij; præcipites & indocti scripturas habeant, easque perspicuas & intellectu faciles, nec Magistri indigas esse sibi persuadeant, neque vllum iudicem, nisi nomine tenus, præter ipsam scripturam agnoscant; illotis manibus pedibusque in illam irruunt, & id, quod stultè apud animum suum decernunt, genuinum scripturæ sensum esse firmiter, quin & pertinaciter statuunt. Hinc hæreses, hinc sectæ. At traditiones viua voce ab Ecclesiâ accepissent; & simul cum viua voce germanum & sincerum intellectum: à quo forsan minus deflexissent; quàm modò, dum ipsi scripturas ab Ecclesia quidem accipiunt (neque enim inficias ire potuit Lutherus; se Biblia ex *Papatu* accepisse:) noua sensa inde sibi procudunt; vtpote quibus intimis in pectoribus insitum sit; non Ecclesiam; sed ipsam scripturam esse suiipsius iudicem, Magistram, & interpretem; vel, quod in idem recidit; Spiritum sanctum, vt per scripturas loquitur.

Voluit Deus sacram scripturam scribi auctâ Ecclesiâ & varias per orbis partes diffusâ, inquit VVitackerus. Non diffitemur. At num ideo scribi voluit, quod videret, vt tu deliras; *doctrinam sine scriptis non posse durare integram*, vel, *quia Deus coactus fuerit eadem subinde repetere?* Si tum coactus fuit; cogitur ergo & hodie. Quia quoties doctrina cælestis hæreticorum improbitate corrumpitur, semper Deus per Ecclesiæ ministerium, vindex & assertor exsurgit; & quid sentiendum sit, palam ac disertè fidelibus proponit.

Ait VVitackerus: *Deum non esse sollicitum de custodiendis traditionibus.* Hoc fortè nobis persuaderet; si nudiustertius de cælo, à concilio & consilio Dei adhuc calens recensque, ad nos descendisset. Interea forsan apud suos fidem inueniet; non in nostris scholis & templis; qui & à Satana suppetias aduersus traditiones petit: *Satanas maximo conatu studuit scripturas abolere per varios tyrannos, non traditiones; ergo signum est non exstare vllas traditiones extra scripturam.* Quanto verius dicam ego. Diabolus vehementissimo nisu olim conatus est, & hodie etiam totis hæreticorum castris, conatur traditiones euertere; signum igitur est, quod ei penitus aduersentur. Quærit VVitackerus; *quis tandem harum traditionum fuerit custos?* Bre-

uis

uis & faciiis responsio. Ecclesia; vel, si mauult VVitackerus, vt quidem malle videtur; *Papa.* Necdum acquiescit VVitackerus. Quærit. *Quomodo Papa custodiuit? Vtrum in libro, an in mente? Non in libro; quia nullus vnquam Papa talem vllum habuit librum: nec id quisquam dixerit. In mente igitur. At nec in mente. Nam tum, Papa mortuo, traditiones interirent, & Ecclesia magnam doctrinæ necessariæ partem amitteret.* Quàm futiliter & inaniter omnia. Audi Caluinista. Papa conseruat traditiones, vt & verum scripturæ sensum, & alia ad fidem attinentia, in officio suo; vel, si magis placet; in sede, quam tenet; vel in *Petra; super quam ædificata est Ecclesia;* quod est dicere; infallibilem traditionum conseruationem Cathedræ Petri infallibiliter annexam esse; sicut eidem infallibiliter annexa est legitimi scripturæ sensus perpetua, & nunquam desitura conseruatio. Nec sequitur, *mortuo Papa, perire traditiones.* Sicut non sequitur; mortuo Papa, interire ipsam cathedram seu potestatem Pontificiam; quia cathedra vacat, non interit: Et vt scripturarum; ita & traditionum vera notitia in cordibus fidelium non ideo exstinguitur, quòd ad exiguum tempus nullus infallibilis iudex cathedram Petri teneat.

Quis porrò satis admiretur hanc VVitackeri futilitatem & inaniloquentiam? *Quando aliquis eligitur Papa, nullam aliam mentem secum affert ad Papatum, quàm qualem antè habuit, cum esset Cardinalis, vel Monachus. At oportuit mentem illico harum traditionum notionibus illuminari.* Quid vanius? Quasi verò non cum ipso munere Pastorali & Pontificio accipiat hanc gratiam; vt quidquid diuinitus reuelatum est, seu scripto, seu verbo, id & conseruet & ab obliuione vel corruptione vindicet; quoties periculum est, ne intercidat; aut impostorum technis deprauetur; neque vllum huius omnimodi occasus impendet periculum; quia firma stat illa Saluatoris promissio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Instat VVitackerus. Quæ non scribuntur, facilè intereunt. Probat hoc inductione variorum exemplorum: *Vbi enim nunc sunt Lycurgi leges? perierunt. Vbi Pythagoræ non scripta placita, & tacita instituta? nusquam extant. Vbi Druidarum disciplina? exstincta prorsus iacent: nec vlla nunc harum rerum vestigia remanent; aut, si quid fortè adhuc vspiam remanet, litteris, & libris debetur.* Respondeo, quidquid sit de legibus Lycurgi; quidquid de Philosophia Pythagoræ; quidquid de Druidarum disciplinis, non est eadem ratio nostrarum traditionum; quia istæ nituntur promissionibus diuinis; quæ cum prædictis institutis defuerint; non est mirum periisse; nostras verò traditiones immotas permanere.

Vbi sunt, inquit VVitackerus, *illa Iudæorum traditiones, quas Bellarminus tot à Mose, & Prophetis acce-*
A *pisse scribit? Certè, aut hæ in veteris, nouique Testamenti libris scriptæ conseruantur, aut omnes funditus perierunt; quia nullis litteris mandatæ fuerunt.* Nego omnes periisse; vel in libris Canonicis conseruari: Nam quæ ad Christianos pariter spectant, seruantur in Ecclesia, & ab Ecclesia; vt libros Moysis esse eius, cuius titulum præ se ferunt; verè Canonicos & diuinos censeri debere: Hunc vel illum esse verum & legitimum librorum veteris testamenti sensum: Hunc vel illum esse spuriũ & repudiandũ; & si quæ sunt alia huius generis in traditione posita, & ab antiquissimis illis temporibus ad nos vsq; deriuata. Et quid nisi mendacium censeam, quod ait; *Bellarminum non audere affirmare, Ecclesiam harum traditionum custodem*
B *esse.* Imò, vt aliarum; sic & harum custos & est; & fuit; semperque erit. Friuolus est ad propositum tritus ille versiculus: *Vox audita perit, littera scripta manet.* Perit Physicè vox; quia sonus est. Quoad significatum; necesse non est statim perire; vt patet experientia quotidiana; cum quid à nobis auditum est, cuius recordatio mentibus altè imprimitur. Quod multò magis locum habet in traditionibus, quarum conseruatio cælesti promisso atque auxilio munitur; quæ hoc ipso, quòd à Deo & Apostolis viua voce traditæ, & in Ecclesiæ diuite depositorio depositæ sunt, satis ab interitu & deprauationibus vindicatæ sunt; inde enim semper integræ & incorruptæ depromi possunt.

C Nec quidquam præter nugas agit VVitackerus; cum multis scripturæ testimoniis probare ingreditur, *obliuioni & morti propinqua esse, quæ non scribuntur*; quia vt maximè ad propositum facerent; attamen de illis tantummodo non scriptis accipi deberent; quæ singulari Dei prouidentia & custodia non muniuntur.

Mirabilis est autem ille VVitackeri in S. Lucæ exordium commentarius: *Quia multi conati sunt scribere*, hoc est, *corrumpere Euangelium*: Est ne *scribere*, corrumpere? Ergo & S. Lucas corrupit; quia & ipse Euangelium scripsit. Gerræ Siculæ, & affaniæ Apinæ; quas tamen iste his
D thrasonicis elogiis condecorat. *Nostra ratio certissima & illustrissima est. Patet nostram rationem positam esse in clarissimis communis experientiæ documentis.* Ex quibus & hoc vnum. *Pacta, conuenta, conditiones pacis, & quæcunque diu salua cupimus aut diuturna, ea scribimus & litteris mandamus, ne excidant, nostrisq; memoriis diffidimus, ergo multo magis in rebus cælestibus opus habemus omnibus sustentandæ memoriæ remediis atq; adiumentis.* Fumum video. Dispar est ratio; quia illa humana sunt, nullo peculiari Dei promisso suffulta; traditiones ad diuina pertinent; quas in Ecclesia semper integras perseueraturas, singulari Dei tutela, ex sacris litteris compertum habemus.

Per-

Digitized by Google

Præter peculiarem Dei prouidentiam, qua traditiones saluæ consistunt; adducit Bellarminus quatuor alias caussas, quarum prima est scriptura; licet enim traditiones non sint scriptæ in diuinis litteris, sunt tamen scriptæ in monumẽtis veterum & in libris Ecclesiasticis. Respondet VVitackerus: *Si Deus voluisset traditiones scribi, potius ab Apostolis & Euangelistis, quàm à Dionysio Areopagita, Clemente Romano, & similibus scribi voluisset.* Friuola responsio. Quia quædam traditiones ita constitutæ sunt; vt ne scribi quidem à Canonicis scriptoribus potuerint; nisi accedẽte alia nõ scripta traditione; Faciamus enim D. Lucam suo in Euangelio; vel S. Paulum in aliqua epistola, disertè scripsisse; Euangelium, quod Lucæ nomen præfert, verè esse diuinum, & à Spiritu sancto dictatum; hoc ipsum tamen testimonium, num Canonicum ac diuinum esset, sine traditione non scripta nunquam nobis innotuisset.

Deinde cur illas traditiones; quæ scribi potuissent, Deus noluerit scribi ab Euangelistis & Apostolis in libris Canonicis qui omnium fidelium communes sunt; miror ignorare VVitackerum; cum alioqui de voluntate diuina, tanquam intimus consiliarius, audacissimè pronunciare soleat. Deum examinet VVitackerus cur verbũ abs se reuelatum partim scriptum; partim extra scripturam exstare voluerit. Nos huius rei non demonstrationes; sed topicas & probabiles rationes reddere possumus; prout iam reddidit Bellarminus cap. 8. huius libri. Quò VVitackerum regredi volo.

Fatuum est; cum VVitackerus obiicit, *Dionysium, Clementem, Augustinum, aliosque Patres æquari Canonicis scriptoribus; si ipsi traditiones diuinas litteris consignarint.* Non magis æquantur Canonicis scriptoribus; quàm iisdem æquetur VVitackerus; quando ex sacris litteris sententias exscribit; & in suas disputationes transcribit: Quia ad rationem scriptoris Canonici nõ satis est, vt quod scribit; Canonicum sit ac diuinum; sed oportet, vt peculiari etiam modo & impulsu à Spiritu sancto immediatè regatur, & impellatur; ita vt nullo pacto auius à vero desciscere queat. Nec habemus traditiones pro diuinis, quia à Dionysio, Clemente; Tertulliano, & aliis Patribus litterarum monumentis proditæ sunt, sed quia diuinitus nobis reuelatæ sunt; cuius reuelationis testis est Ecclesia; testes itidem antiqui Patres; qui suis in operibus earum mentionem fecerunt.

Mendaciis annumera; quod Caluinista dicit: *Patrum monumenta de traditionibus differre, & nos magis incertos reddere; alios enim affirmare, hoc esse Apostolicam traditionem; alios, negare.* Non abs re fecisset, si exemplum protulisset: & vel illud, si non aliud, de obseruatione Paschæ; quod Asiatici Luna decima quarta celebrandum contendebant, idque ex traditione Apostoli Ioannis; aliis refragantibus, & reclamantibus; & hanc traditionem inficiantibus. Si hoc vel huius generis aliud exemplum produxisset, in promptu fuisset dicere; vnam, vel etiam alteram hirundinem non facere ver; nam vt in vna vel altera traditione olim non conuenerint; at postea conuenerunt posteri; veritate liquidius discussa & patefacta. vt liquet ex hac ipsa de Paschate celebrando traditione. Et si quid dubitationis existat; semper præsto est Ecclesia, quæ definitione sua omnem scrupulum eximat.

Quod si quid hæc VVitackeriana obiectio valeret; probaret quoque nos à lectione Patrum de libris etiam Canonicis incertos redire; Nam veterum quidam in dubium vocarunt, epistolas Iacobi; Iudæ; secundam Petri; alteram & tertiam Ioannis, illam ad Hebræos; & Apocalypsin, num essent Canonicæ; alij affirmarũt esse Canonicas; hisque subscribunt Caluinistæ, & rectè quidem; nec incerti redeunt à lectione veterum. Quod ergo hic contingit in libris Canonicis, idem euenire existiment in Traditionibus, si quando de hac vel illa inter priscos scriptores dissensus exsistat.

Ait Bellarminus; Traditiones etiam propter continuum vsum conseruari: sicut linguarum cognitio, etiam absque Grammaticis regulis assiduo vsu conseruatur. Calumniatur VVitackerus, *hac responsione nullam futiliorem esse posse.* Quid ita? *Quia, quadam traditiones sunt occultæ, & minimè in vsu communi positæ, sed ab vsu quotidiano longè remotæ, & certis quibusdam temporibus, non à multis, sed à paucis tantum vsurpatæ.* Quænam illæ, tam ab omni vsu remotæ? Nam aut ad sæculares, aut ad Ecclesiasticos pertinent: nec vllę reperiuntur, quarum exercendarum, si practicæ sint; intra certum tempus non occurrat occasio vel necessitas; licet ad paucos pertineant; ad solos v.g. Episcopos.

Secundo respondet VVitackerus, *linguas vulgares singulis fermè sæculis mutari, non obstante quotidiano & frequentissimo vsu; hoc igitur multò magis euenire posse in Traditionibus.* Negatur consequentia: ob caussam supra ex peculiari Dei prouidentia & custodia assignatam. Quæres: *Cur igitur adfert Bellarminus exemplum de conseruatione linguarum absque scripto?* Ideo, non quod per omnia sit similitudo; sed quòd aliqua & aliqualis: vt enim linguæ vulgares, in continuo vsu, etiam per plura sæcula; versari possunt; absque vllis Grammaticæ regulis; ita & traditiones sine scriptis durare queunt; cum hoc quidem discrimine; quòd istæ non varientur; sed eædem permaneant; linguæ autem post longa temporum interualla, mutationes varias subeant; & tandem penitus quoque aliquando euanescant.

Tertio dicit Bellarminus, traditiones conseruari etiam externis monumentis; vt traditionem de erectione altarium; templorum; imaginum; ipsis externis altaribus, templis, & imagi-

nibus; quæ in omnium oculos incurrunt; oggerit VVitackerus: *Hoc non competere omnibus traditionibus.* Quid tum? Satis est; si aliquibus conueniat.

Secundò occlamat: *Si in monumentis mutis conseruantur traditiones; cur non scripturis potius insculpta sunt?* Respondeo VVitackero verbis VVitackerianis: *Sanè inepta ratio; nam hoc de omnibus traditionibus affirmari non potest:* quia omnes scribi non possunt; vt supra diximus. Deinde monumentis externis ideo inscripta sunt; vt qui traditiones intelligere nolunt; eas vel inuiti, ipso oculorum sensu, percipere cogantur; nec sanè muta sunt hæc monumenta; sed adeo vocalia; vt Caluinisticis auribus intolerabilem sonum edant. Quæ caussa; cur tanto impetu ad templorum, altarium & imaginum demolitionem Caluinistæ proruant; neque sectam suam saluam fore credant, nisi altaribus & imaginibus funditus euersis prostratisque? Ait Bellarminus: *Hæreticos itidem ad Traditionum* conseruationem aliquid momenti conferre: Eorũ enim improbitate & importunitate excitari catholicos ad diligẽtiorem & accuratiorem traditionum Apostolicarum indagationem. Respondet VVitackerus I. *Si hæc vera est responsio, tum nihil scribendum erat; quia hæretici sunt semper in Ecclesia, & semper litigant.* Iure quæras, quò nam hoc suo responso VVitackerus collinearit: Quacunque enim ratione spectetur; nil nisi ineptam consequentiam parit: Nam nil nisi ineptia est; siue dicas: *Hæretici semper sunt in Ecclesia; & semper litigant: ergo ex Bellarmini sententia, nihil scribendum erat;* siue dicas: *Hæretici excitant Catholicos ad accuratiorem Traditionum Apostolicarum inuestigationem & intelligentiam; ergo nihil scribendum erat; sed omnia absq; scripto tradenda, vt eo magis ad veritatis studium Catholici à Sectariis incitarentur:* non sequitur hoc; quia vt ad eorum, quæ tantùm sunt tradita, exactiorem inquisitionem Hæreticorum perfidia exstimulari queunt; ita etiam eorundem petulantia & nequitia ad subtiliorem & enucleatiorem scripturæ perscrutationem inflammari solent; Ita vtrinque Sectarij orthodoxis incitamento sunt, & ad maiores profectus irritamẽto.

Secundum hæreticorum argumentum contra traditiones est huiusmodi: *Scriptura nobis tradita fuerunt, vt regulam fidei haberemus. Itaq; scriptura sufficit, & per consequens, non est opus non scriptis Traditionibus.* Respondet Bellarminus I. Finem proprium & præcipuum scripturæ non esse, vt sit regula fidei; sed vt sit commonitorium quoddam vtile ad conseruandam & fouendam doctrinam ex prædicatione acceptam: & hoc fusè probat Bellarminus. Calumniatur VVitackerus, *Bellarminum satis improbè, & audacter ad suorum argumentum respondere.* Et vt mox ostendat; se non nisi improbè & audacter hoc de Bellarmino asserere; improbè & audacter verba eius mutilat; & voculam illam; *præcipuum*; in qua tota vis; omittit; quasi Bellarminus neget, proprium finem scripturæ esse hunc, vt sit regula fidei; & non dixerit: *Proprium & præcipuum*; aliud est enim negare, esse *proprium finem*: aliud; esse *proprium & præcipuum*: Quia potest quid esse proprius finis; licet non sit præcipuus.

Ait VVitackerus, *responsionem Bellarmini refutari communi appellatione scripturæ; vocari enim Canonicam, quia continet Canonem, id est, regulam fidei & vitæ;* & mox ex scriptura, patribus & rationibus verbosè ostendit; *scripturam esse regulam*; semperque supponit, vel potius mentitur, *hoc à Bellarmino negari*; cum tamen Bellarminus expresse scribat: *scripturam; etsi non est facta præcipuè, vt sit regula fidei; esse tamen regulam fidei; non totalem, sed partialem.* An non legisti hæc verba in Bellarmino VVitackere? An præ cæcitate non vidisti? At Bellarminus dicit; *non esse præcipuè regulam; vel non esse præcipuè factam, vt sit regula fidei.* Fateor. An ideo dicit; non esse regulam fidei?

Secundum Bellarminum, inquit Caluinista, *potius dici debuisset scriptura commonitoria, quàm Canonica.* Minimè verò; quia non est necesse, vt res semper appellationem ex præcipuo fine sortiatur. In tota hac Caluiniani disputatione & mentẽ & frontem desidero; præsertim in illo pleno impudentiæ mendacio: *Absurdissimum est, & à blasphemia non alienum hoc aduersarij dictum: quando ait, scripturam nõ regulam esse; sed quoddam commonitorium.* Vbi docuit Bellarminus; *scripturam non esse regulam?* Quæ te intemperiæ agitant Caluinista? Quæ te necdum deserunt, quando rationes Bellarmini, cur scripturæ præcipuus finis non sit; vt sit regula fidei; demoliri aggrederis; Necdum enim exorsus proiectè mentiris, Bellarminũ, scripturam *commonitorium; non regulam dici velle.* Nunquam hoc Bellarminus scripsit: Tantùm dixit, præcipuum scripturæ finem non esse, vt sit regula fidei; sed vt commonefaciat, &c. Et probat. Nam si præcipuus scripturæ finis esset; vt sit regula fidei, tunc *continere deberet omnia, & sola illa, quæ ex se ad fidem pertinent, sicut videmus factum esse in symbolo, quod verè dicitur, & est compositum, vt sit breuis quædam regula fidei. At in scripturis plurima sunt, quæ ex se non pertinent ad fidem, id est, quæ non ideo scripta sunt, quia necessariò credenda erant, sed necessariò creduntur, quia scripta sunt, vt patet de omnibus historiis testamenti veteris, de multis etiam historiis Euangelij, & Actuum Apostolorum, de salutationibus Pauli in epistolis, aliisq; id genus rebus.*

VVitackerus, vt egregius seu *summator*, seu *abbreuiator*, seu *epitomator*, seu, quod mihi præ cæteris placet, *deprauator*; rationẽ Bellarmini sic proponit: *Quia tum oportebat ea tantùm scribi, quæ necessaria. At, multa non necessaria scripta sunt (inquit ille) vt historia omnes veteris Testamenti, Euangelij multa, Actorum Apostolicorum non nulla, & salutationes omnes in Epistolis Apostolorum. At regula omnis, necessaria tantùm continet.* Non disquiram fusius; num VVitackerus Bellarmini rationem candidè proposuerit. Conferat lector vtriusq; verba, quæ hic recitaui, & mox, quàm VVitackerus candeat, intelliget.

Videa-

Videamus, quid ad Bellarmini rationes respondeat. I. *Quod nullas historias veteris Testamenti necessarias esse dicit, id quàm impium, & prophanum sit, nemo non videt.* Tu verò admodum mendax es; qui Bellarmino attribuis; de quibus ipse nunquam cogitauit. Non dixit, *historias veteris testamenti non esse necessarias*, sed ex se ad fidem non pertinere; hoc est; vt ipsemet Bellarminus explicat; non ideo scripta esse, quia necessariò credenda erant; sed necessariò credi; quia scripta sunt. Si ergo Bellarminus fatetur, hæc talia necessariò credi, quia scripta sunt; qua conscientia, nisi Geneuensi, mentitur iste, Bellarminum dicere, *nullas historias veteris testamenti esse necessarias?* Audi Caluinista. Non necessariæ sunt, quasi ab omnibus explicitè credi debeant; hoc est; vt Bellarminus loquitur, *quasi ex se ad fidem pertineant*; necessariæ autem sunt, vt ab omnibus saltem implicitè credantur; & vt nullus assensum, qui illis aduersetur, eliciat; si actu positiuo circa illas sit versandum.

Ait VVitackerus: *Omnes historias veteris testamenti esse necessarias, saltem ad melius esse.* Num hoc Bellarminus abnuit? imo plus dicit, vt vidimus.

Tertium VVitackeri responsum supponit, *scripturam non esse regulam.* Nititur ergo mendacio. Itaque non iniuria nullius pretij censetur.

Probat secundò Bellarminus, scripturæ præcipuum finem non esse, vt sit regula; quia non continet omnia, quæ sunt credenda, vt toto hoc libro copiosè est ostensum. Respondet VVitackerus: *Se etiam antea ostendisse, omnia in scripturis contineri.* Si quæras, vbi hoc VVitackerus ostenderit; nullam in libro VVitackeriano demonstrationem, sed manifestissimam pseudologiam reperies.

Præcipuum finem scripturæ esse, non vt sit regula fidei, sed vt variis documentis, exemplis, adhortationibus, &c. adiuuet nos in hac peregrinatione, ostẽdit Bellarminus, præter cætera, inde; quod scriptura non est vnum opus continuum, quale esse deberet regula fidei, sed continet varia opera, historias, conciones, &c. Respondet VVitackerus, *esse vnum opus propter vnum illum spiritum, qui omnium Auctorum mentem, manum & calamum gubernauit.* At Bellarminus minimè ignorauit; scripturam dici posse, hoc respectu vnum opus & vnum corpus: Sed considerando diuersitatem rerum, quæ in scriptura tractantur; rectè dixit; non esse vnum opus, prout esse debet id, quod ex præcipuo fine est regula fidei; debet enim esse quiddam vniforme; continens id, quod ex se ad fidem pertinet; hoc est; quod explicitè creditu ad salutem necessarium est; vt videre licet in symbolo Apostolico.

Quæ subdit VVitackerus, nil sunt, nisi mendacia; nam quoties dicit; *Bellarminum vel ex scriptura, vel aliunde probare velle; scripturam non esse regulam; sed commonitorium;* toties mentitur: vt & tunc,

A cum dicit; *Bellarminum inuitum concedere, scripturam esse regulam.* Si concedit, etsi vt fingis, *inuitus*, scripturam esse regulam: quomodo igitur tu palam mentiri audes, *Bellarminum contendere, scripturam non esse regulam; sed commonitorium?*

Vocatur à Bellarmino scriptura partialis regula. Contrà VVitackerus: *Nisi scriptura sit totalis & perfecta regula, non erit omnino regula.* Negamus sequelam. Probat: *Quia debet esse aptissima conuenientia inter regulam, & id cuius regula est.* Omnino. Progredere: *Si ergo fides nostra vel longior vel latior sit, quàm scriptura, tum scriptura non est regula.* Negamus. Probas: *Quia regula debet adæquari rei, cui accommodatur.* Distinguo. Regula totalis; concedo. Regula partialis, nego. Perinde facit, VVitackerus; ac si negaret, regulas bene definiendi esse

B regulas dialecticas; quia non adæquantur rei, hoc est, rectæ dissertationi; nam præter has requiruntur etiam regulæ benè diuidendi & argumentandi. Quis negat regulam Grammaticæ esse? *Fœmineum A primæ est, veluti pãthera, sagitta*; vel; *omne verbum personale antecedit nominatiuus expressè vel tacitè*; licet non sit totalis congruæ orationis regula; sed tantùm partialis.

Ait VVitackerus: *Regulam esse, quæ nec additionem, nec detractionem ferat.* Sed aduertere debebat, hoc de totali; nõ de partiali regula accipiendum esse. Nam partialis non nisi ex aliorum *compartialium*, vt sic loquar, accessione perfectionem & complementum suum accipit. Vt taceam, illud

C ipsum; quod dicitur; *regulam nec additionem, nec subtractionem ferre*; non nisi certa adhibita explicatione verum esse; vt norunt; qui veram regulæ rationem compertam habent.

Subiungit VVitackerus: *Quæro à Bellarmino, cur scripturas affirmet esse partialem regulam, vel, esse regulam ex parte, & non esse omninò, ac penitus regulam? si propterea, quia quædam tantùm continet, quæ sunt necessaria, toto cælo errat. Nam, si voluit Deus in scripturis regulam dare, voluit certè perfectam dare.* Petis principium: sumisque id, tanquam probatum & concessum; quod neque à te, neque ab vllo Prædicante vnquam verè & solidè probatum est. Probas tamen ex finibus, propter quos scriptura est scripta, *scripturam esse perfectam & adæquatam regu-*

D *lam.*

Primus finis cur scripturæ doctrina scripto tradita sit est, *vt memoriæ nostræ melius inhæreret: hinc sequitur, omnia necessaria scribi oportuisse; quia omnia necessaria quàm fieri potest firmissimè memoria teneri debent: ergo scriptura est regula vnica & adæquata.* Hæc vltima consequentia negatur; ad alteram dicimus, Bellarminum iam superiore capite, disertè concessisse, omnia omnibus simpliciter ad salutem explicitè creditu necessaria, scripta esse; & in scripturis perspicuè contineri: quæ quia ab omnibus explicitè sciri & credi debebant; meritò litteris mandata sunt; non quod absque litteris non potuerint etiam disci; sed quia scriptura expeditior quædam discendi ratio est; & ad plures

Digitized by Google

facilius funditur. Vt ergo, quæ omnibus ad salutem explicitè creditu sunt necessaria, firmius memoriæ inhærescant, satis superque est, scripta esse, quæ scripta sunt; quia præter simpliciter omnibus explicitè creditu necessaria, plurima alia scripta sunt, quæ explicitè creditu omnibus & singulis nō sunt necessaria; licet implicitè creditu sint necessaria. Hinc necesse non est; vt omnia scripta sint; cum ne hæc quidem scribi simpliciter fuerit necessarium, *ad esse fidei*; sed tantùm ad *melius esse*, vt ipsemet VVitackerus loquitur, Itaque nunquam ex hoc fine extundet scripturam esse *regulam adæquatam*; vel, *omnia scripta esse*. Nam si dicat; *omnia ad salutem vel omnibus, vel aliquibus ratione status vel muneris necessaria; debent firmiter in memoria hærere; sed hoc fieri non potest; nisi omnia libris Canonicis comprehendantur, ergo, &c.* Statim respondebitur, Minorem esse falsam: quia etiam non scripta firmiter memoriæ imprimi possunt; tametsi ex genere suo non tam expeditè, quàm scripta; sed hoc non arguit simpliciter necessarium fuisse; vt omnia scriberentur; quia maior illa discendi vel retinendi commoditas & facilitas aliis commodis compensari potest; vt quidem compensatur, quod ad traditiones attinet.

Secundus finis doctrinæ cælestis scribendæ fuit; ne corrumperetur, inquit VVitackerus: *At nihil necessarium corrumpi debet.* Neque hic finis necessitatem absolutam indicat; sed tantum eam; quæ vocatur, ad *melius esse*; nam & absque scripturis doctrina incorrupta conseruari potest; & olim etiam conseruata est: præsertim, quando, vt hic vsuuenit, peculiari cura Dei protegitur & custoditur. Itaque vana est hæc consequentia: *Doctrina cælestis litteris consignata est, vt facilius à corruptione præseruaretur; ergo omnia simpliciter scripta sunt;* & consequenter; *scripta doctrina est adæquata fidei morumque regula.*

Dices: *Totam doctrinam cælestem eadem facilitate & commoditate conseruari debere à corruptione; totam ergo scriptam esse; quādoquidem scriptio est medium commodum & facile ad integritatem scripturæ conseruādam.* Respondeo, antecedēs esse falsum; quia satis est; vt tota doctrina à corruptione secura sit & immunis, etiamsi pars quædam eius careat hoc peculiari securitatis & immunitatis modo, qui ex scriptione exsistit, & in scriptione consistit; præsertim si aliunde hic modus compēsetur, vt quidem in præsenti compensatur, nempe promisso cælesti de æterna veritatis in Ecclesia conseruatione.

Tertius finis doctrinæ cælestis scribendæ est, *vt nos melius & certius sacram & cælestem doctrinam cognosceremus. At omnia necessaria rectè & certò cognoscere debemus; ergo omnia sunt in scripturis scripta.* Respondeo, sæpe iam dictum est; non omnia cælestis doctrinæ capita, omnibus & singulis explicitè cre-

A ditu ad salutem simpliciter esse necessaria: sed sufficere; si plurima eorum credantur implicitè; Quocirca nulla est ex hoc capite necessitas; vt omnia scripta fuisse arbitremur. Deinde æquè bene ac certò etiam illa, quæ omnibus explicitè creditu sunt necessaria, disci possunt absque scriptura, ac per scripturam: Etsi ex genere suo non tam facilè. Sed hæc maior facilitas non est argumento omnia scripta fuisse; quandoquidem ex alia parte suppetunt aliæ caussæ, cur non omnia scripturis Canonicis consignari debuerint.

Tandem arguit VVitackerus Bellarminum contradictionis; *Dixit enim suprà, scripturam non posse esse regulam, quia non est corpus continuum. At, verbum*

B *scriptum, & non scriptum est minus continuum opus, quod tamen ille regulam statuit.* At tu, vt suprà, ita & hîc mentiris, ac criminaris. Nam Bellarminus nunquam dixit; scripturam non esse, aut non posse esse fidei regulam; sed scripturam non eo præcipuè fine factam; vt sit fidei regula; vel, scripturæ præcipuum finem nō esse; vt sit fidei regula; Hoc asseruit Bellarminus: cum quo consistit; scripturam, & traditiones, & posse esse, & de facto esse fidei, morumque regulam, etsi non ex præcipuo suo fine; non obstante; quod non sint vnum corpus continuum, eo pacto, quo Bellarminus suprà negauit, scripturam esse vnū quoddam corpus continuum.

C Savvbrandus ex VVitackerianis ineptiis hos syllogismos nectit: *Omnis regula, est regulatio adæquata. Sed verbum scriptum est regula fidei: regulatum. Ergò verbum scriptum est fidei adæquatum. At quod est fidei adæquatum, hoc sufficit ad fidem gignendam, & conseruandam. Sed verbum scriptum. Ergò.* Respondeo, Maiorem esse VVitackerianam & Savvbrandicam. Quia quælibet partialis Dialecticæ vel Grammaticæ regula; vtique est regula; & tamen non est regulato, vniuersim & secundum totam latitudinem suam sumpto, hoc est, rectæ dissertationi vel congruæ orationi adæquata.

Secundus syllogismus: *Quod continet aliquid non pertinens ad fidem, hoc non est fidei adæquatum. Sed*

D *scriptura continet aliquid non pertinens ad fidem. Ergò, scriptura, non est fidei adæquata.* Hunc syllogismum tribuit impostor Bellarmino; cum nec à Bellarmino factus sit; nec ex doctrina eius tam fœdum monstrum effici posit. Vbi, oro, posuit Bellarminus Maiorem? Vbi Minorem? Vbi dixit? *Scripturam continere aliquid non pertinens ad fidem.* At dixit Bellarminus; *plurima esse in scripturis, quæ ex se non pertineant ad fidem;* hoc est; quæ explicitè creditu non sint omnibus ad salutem necessaria. Ita est: affirmauit hoc Bellarminus: sed num istud idem cum eo, quod nugator iste blaterat? *Scripturam continere aliquid non pertinens ad fidem?* Itaque & Maior & Minor est Savvbrandica; hoc est, vana, friuola, mendax.

Digitized by Google

Tertius syllogismus. *Quod non continet omnia illa, quæ sunt ad fidem necessaria, hoc non est fidei regula. Sed scriptura, non continet omnia illa, quæ sunt ad fidem necessaria. Ergò scriptura non est fidei regula.* Maior vera est, de regula adæquata. Falsa, de partiali. Priore sensu negat Bellarminus scripturam esse regulam; posteriore, concedit.

Quartus syllogismus: *Omnis regula est continua. Scriptura, non est continua. Ergò, scriptura non est regula.* Maior non est Bellarmini; sed Savvbrandi. Minor similiter futilis est; non enim dixit Bellarminus. *Scripturam non esse continuam.* Sed, non esse *vnum quoddam continuum*, hoc est, vniforme opus; sed varia opera continere, historias, conciones, vaticinia, carmina, epistolas, & hinc colligi; scripturam ex præcipuo suo fine non esse fidei regulam. Ex quo concludit Lyrodus iste, *scripturam non esse fidei regulam*: quasi vnum idemque sit; *non esse ex præcipuo fine regulam fidei*; &, *omnino non esse regulam fidei.*

Tertium argumentum sumunt Hæretici ex incommodis, quod secum ferunt traditiones: *Aperiunt enim fenestram multa fingendi & sub Apostolicarum traditionum prætextu fabulas in mundum introducendi.* Vbi VVitackerus volubili suæ linguæ frena laxans; verbosissimè de Papia, & aliis antiquis per traditiones deceptis, itemque de Mōtano & Montanistis, eorumque traditionibus, declamitat, non sine variorum figmentorum admixtione. Illud etiam inculcat; *non omnes traditiones; quarum veteres meminerunt, hodie à Papistis obseruari; Non enim stant inter orandum diebus Dominicis*; vt alia huius generis VVitackeriana nugamenta silentio prætercam. Ad quæ breuiter & verè Bellarminus; si propter incommoda nonnulla, quæ per accidens nascuntur ex traditionibus; per se autem vel ex ignorantia & imbecillitate humani ingenij, vel ex improborum nequitia oriuntur; traditiones exterminandæ sunt; etiam scripturas exturbari debere; quippe quibus plurimi tam ad suam, quàm ad aliorum perniciem nefariè abutantur. Si hic distinguitur vsus ab abusu; cur non & in traditionibus? Neque quidquam ad hoc mutit VVitackerus.

Monet & hoc Bellarminus; Papiam, & alios nonnullos persuasionem suam *Chiliasticam* potissimum suxisse ex Apocalypsi malè intellectâ: vnde si propterea non culpantur scripturæ; caussæ nihil est cur traditionibus dicatur dies.

Addit denique Bellarminus; hoc incommodum satis vitari per infallibilem Ecclesiæ semper præsentem auctoritatem; cuius beneficio de veritate, quoties quæstio vel dubitatio exsistit; fideles abundè & fideliter erudiri possunt.

Argumentum quartum contra traditiones. *Quia hæretici etiam habent suas traditiones; easq; abscondunt; nec in publicam lucem venire sinunt; planè ad Papistarum morem*; Respondet Bellarminus; Hæreticos esse Catholicorum simias; suasque traditiones occulere ob infamiam & turpitudinem; nostras tegi, non quòd metuant lucem, sed vel quia non est opus, vt sciantur ab omnibus; vel quia non sunt omnes capaces; alioqui tales esse, vt possint publicè prædicari, cum nil, nisi purum & castum, in Ecclesia agatur.

Respondet VVitackerus. *Fateor quidem hæreticos cupere Catholicis similes videri, sed hac in re eos non imitantur. Non enim est Catholicorum, hoc est, eorum, qui sanam, solidam, ac sinceram doctrinam profitentur, mysteria Christi occultare, & abscondere. Imò, nullam quidem sanæ doctrinæ partem occultant, sed omnibus integram proponunt.* Etiam Catholici nullam doctrinæ suæ partem occultant; sed publicè omnibus proponunt; si opus sit; & auditores videantur capaces. Si non sit opus; quòd talia scire nihil ad plebeios pertineat; aut captum eorum excedant; caussæ nihil est; cur eis explicentur; cum sine eorum explicita cognitione salutem obtinere queant: quid enim ad idiotam illa, quorum cognitio propriè ad Episcopos spectat? Nec idcirco Catholici Hæreticis similes sunt. Est enim ingens disparitas: quia isti sua celant & velant, ob dogmatum turpitudinem & obscænitatem: Orthodoxi vel propter maiorem reuerentiam; ne arcana apud leue vulgus vilescant; vel quia nulla necessitas exigit, vt ea vulgo explicentur.

Ridet VVitackerus Bellarminum; cum verba illa Matth. 10. *Quod in aure audistis, prædicate super tecta*; hac glossula exponit: *nimirum, si opus fuerit. Qualis ista expositio est?* vociferatur VVitackerus. Optima & verissima. *Quasi de hac re dubitandum sit; fueritne hoc opus.* Imo quæri iure potuit, & dubitari; num omnia, quæ priuatim Apostoli à Christo accepissent; indiscriminatim omnibus propalanda & promulganda essent; neque enim voluit Dominus, vt *margaritas ante porcos proiicerent*. Itaque quis, nisi stolidus, sententiam illam Christi cum VVitackero sic interpretetur; vt *promiscuè omnibus palam doctrina cælestis annuncietur*; nulla circumstantiarum habita ratione; cum ipsæ sacræ litteræ moneant; ibi *non esse effundendum sermonem, vbi auditus non pateat.* Quidquid ergo VVitackerus criminetur; expositio Bellarmini proba est.

Obiicit Caluinista. *Ergò similiter ista verba*, (Pasce oues meas) *interpretemur, id est, si opus fuerit: &*; docete omnes gentes, *id est, si opus fuerit.* Ita, si lubet, interpreteris. Non intercedo. Ego subsumam. *At semper opus est; vt satisfiat illi præcepto; Pasce oues meas*: quia perpetuo sunt oues; quæ pastione & pabulo egeant; semper itidem opus est, vt doceantur omnes gentes; quia semper Ecclesia nouo fœtu adau-

geri & amplificari debet;at non semper opus est; A vt omnia,quæcunque Apostoli priuatim à Christo acceperunt;promiscuè *super tecta*; hoc est, publicè enuncientur & promulgentur;Magno igitur discrimine hæc inter se distant; quæ vt simillima VVitackerus copulauit.

Illud dictum Christi Ioan.18. *Ego palam locutus sum mundo.& in synagoga,quò omnes Iudæi conueniunt; & in occulto locutus sum nihil.* Sic explicat Bellarminus:nihil dixi,quod nô possit vbique dici,quod attinet ad veritatem &puritatem dictorum:cum quo tamen non pugnat, vt aliqua seorsim discipulis exposuerit.

Occinit VVitackerus: *Christus nô id ait;* Quid? An ne omnia simpliciter in synagogis & templo B publicè dixit Christus? Quæso,quando,& in qua synagoga publicè pronunciauit sermones illos pulcherrimos & planè diuinos;quos in suprema cœna, illaq; peracta ad discipulos suos instituit? Quando & in qua synagoga palam edisseruit parabolam Zizaniorum, quam postulantibus Apostolis intra priuatos parietes edisseruerat. Matth. 13. Et audet tamen Caluinista clamare: *Christum indicare velle,quòd omnia simpliciter,apertè,in media synagoga, circumstantibus Iudæis locutus fuerit.* Et vt hoc verum esset de sermonibus Christi ante passionem; non tamen sequeretur, nihil priuatim Apostolis traditum: cum post resurrectionem suam per quadraginta dies cum discipulis versatus fuerit; *conuescens iis & loquens de regno* C *Dei.* Vbi sermones isti scripti sunt?

Iunius & Danæus hoc postremum Bellarminianæ disputationis caput solitis spiculis oppugnatum eunt. Ex pharetra sua promit ille ista; quibus nunquam nô abundat: *Negatur. Negamus. Inconsequens; hoc garrire est; non argumentari. Falsum. Non sequitur. Negatur hæc propositio. Negatur hoc dictū. Falsum,falsum. Negatur, quia exemplum dissimile. Negatur ista hypothesis.* His & id genus aliis amentatis, vel si mauis, dementatis hastis vbique dimicat Iunius.

Danæus rem agit mendaciis; quorum hoc I. *Totum hoc caput duodecimum Bellarmini nihil aliud esse,quàm inanē eorum, quæ supra cap.10.scripsit, repetitionem,verùm alio verborum sonitu.* Lector conferat,& D Danæi mendacium mox deprehendet.

II. Mendacium. *Bellarminum argumentari à posse ad esse.* Cum expressè dicat; non solum non esse impossibile traditiones conseruari;sed etiam esse impossibile non conseruari propter peculiarem curam & prouidentiam Dei, traditionibus conseruandis promissam.

III. Mendacium, Bellarminum in solutione primi argumenti Hæretici,*committere paralogismū, quo plures interrogationes in vnam confunduntur.*

IV. Mendacium. *Committere Paralogismum à nō consequente.*

V. Mendacium. *Bellarminū fugere præter casam; cum nullam aliam rimam haberet,qua elaberetur.*

VI. Mendacium. *Bellarminum negare finem sacræ scripturæ esse,vt sit fidei nostræ regula.*

VII. Mendacium. *Bellarminum hîc peccare paralogismo, qui petitio principij appellatur.*

VIII. Mendacium. *Bellarminum scribere; scripturam doctrinæ nobis scitu & cognitu necessariæ particulam duntaxat continere.*

IX. Mendacium. *Bellarminum in solutione tertiæ rationis hæreticæ committere paralogismum à non consequente.*

X. Mendacium. *Committere Paralogismum ab ignoratione elenchi.*

XI. Mendacium. *Traditiones non scriptas neque modum,neq; numerum, neq; metam vllam habere.*

XII. Mendacium. *Crescere traditiones indies in infinitum.*

XIII. Mendacium. *Bellarminum vbique negare scripturam esse regulam fidei.*

XIV. Mendacium. *Non suppetere vllam regulam & normam falsas traditiones à veris distinguendi, si traditionibus non scriptis tantum tribuatur, quantum ipsi diuinæ scripturæ.*

XV. Mendacium. *Bellarminū in solutione quartæ rationis hæreticæ,induere se in laqueos,& se suumq; hoc totum scriptum refutare.*

XVI. Mendacium. *Bellarminum affirmare ex Irenæo & Tertulliano, esse hæreticorum; vt negent,omnia, quæ sunt piis ad salutem necessaria,contineri in sacris scripturis.* Inspiciatur Bellarminus,deque impudentia huius Caluinistæ æquum & debitum feratur iudicium.

In censura & examine generali huius libri quarti verba propemodum à mendaciis numero superantur. I. Mendacium. *Librum hūc laborare ignorantia.* II. Mendacium. *Nugacitate.* III. *Falsis suppositionibus.* IV. *Antilogiis.* V. *Principium refutari à fine;*& mox repetit mendacium illud suum XVI. paulò antè positum. VI. Mendacium. *Bellarminum dicere traditionis nomen semper à Patribus accipi tantum pro traditione non scripta.* Vide caput secundum huius libri,& mox diffugiet mendacium.

VII. Mendacium. *Bellarminum dicere; fuisse inter gentes,aliquos veram religionem profitentes extra Dei verbum scriptum*, id est, cum doctrinam verbi Dei scriptam ignorarent. Impudens mendacium; si velit, vt quidem vult, Bellarminum docere istos in numero gentium credentes, non credidisse eam doctrinam; quæ scripta erat in Hebræorum libris; explicitè quidem quoad capita nonnulla omnibus explicitè scitu necessaria;implicitè autem; quo ad cætera: neque enim ignorat Bellarminus omnium fidelium eandem fuisse semper fidem; tametsi, quoad capita nonnulla, magis vel minus,distinctam & explicatam.

Digitized by Google

VIII. Mendacium. *Iudam Apostolum in sua Epistola v. 14. dicere Enochi librum passim omnium manibus fuisse tritum.* Quære in illa Epistola. & si hoc inueneris, tum mendacij culpam à Danæo in me transfer.

IX. Mendacium. *Necessarium esse ad salutem. credere quod vir aperto capite orare debeat.* Non dicit hoc Bellarminus; sed, necessarium esse ad salutẽ, credere, nimirum, implicitè saltem, vel etiam explicitè, si circa hoc caput aliquis actus exercendus sit; ritum illum, vt vir aperto capite oret, salutariter à Spiritu sancto per S. Paulum fuisse institutum.

X. Mendacium. *Bellarminum, statim in principio libri petere principium.*

XI. Mendacium. *Bellarminum scribere, omnes Catholicos fateri Christum iussisse, vt Apostoli suam doctrinam scriberent; Bellarminum autem vbique hoc pernegare.*

XII. Mendacium. *Bellarminum negare locos Patrum, qui à sectariis proferuntur; esse sanctorum Patrum; sed dicere esse hæreticorum.* Legatur cap. 11. Bellarmini, & inde statuatur, quid de hoc mendacio statuendum sit.

XIII. Mendacium. *Bellarminum, cum ex iisdem libris testimonia citat; tum dicere, non esse Hæreticorum, sed Patrum libros.*

XIV. Mendacium. *Bellarminum traditiones & Concilia præferre ipsi scripturæ.*

XV. Mendacium. *Traditiones non scriptas contrarias consuetudines inuehere.*

XVI. Mendacium. *Totum caput nonum, & quinque illas, quæ in eo sunt, regulas, esse meras, sed ineptissimas præsuppositiones.* Qui plures Danæanas & Danaicas pseudologias cupit; ipsum Danæum adeat. Quanquam cui istæ non sint plusquam nimiæ? Ego nihil amplius addo; quam ad lectorem illud D. Augustini: lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. vlt. *Habes elaboratum, vtinam tam commodum, quàm prolixum pro meis viribus opus: cuius prolixitatem fortasse defenderem, nisi illud vererer facere defendendo prolixius.*

Finis libri Quarti de verbo Dei.

TRACTATVS

DE QVAESTIONE, VNDE SCIS, SCRIPTVRAM CVM GENERATIM; TVM SPECIATIM HANC VEL ILLAM EIVS PARTEM, CANONICA AVCTORITATE CONSTARE.

Aduersus

PAREVM, RVLLVM, PAPPVM ALIOSQVE CALVINIANOS ET LVTHERANOS PRÆDICANTES, ILLVSTRISSIMI Cardinalis *Bellarmini* calumniatores.

INDEX CAPITVM HVIVS TRACTATVS.

Cap. I. *Quid Pareus, & Pappus de quæstione* vnde ſcis? *ſentiant.*

Cap. II. *Quid ſit* κριτήριον, *& quotuplicia Canonicæ ſcripturæ agnoſcendæ ſectarij Criteria ſtatuant.*

Cap. III. *Refutantur Criteria, quæ Prædicantes vocant diuina.*

Cap. IV. *Refutantur alia Criteria, quæ Pareus, Rullus, & Pappus adducunt.*

Cap. V. *Refutatur internum Criterium, in priuato vniuſcuiusq; inſtinctu poſitum.*

Cap. VI. *De humanis teſtimoniis, vt à Prædicantibus appellantur.*

Cap. VII. *De teſtimonio, & propoſitione Eccleſiæ.*

Cap. VIII. *D. Auguſtinum Canonicas ſcripturas agnouiſſe, & recepiſſe, propter Eccleſiæ auctoritatem, & teſtificationem.*

Digitized by Google

TRACTATUS VNDE CERTO ET INFALLIBILITER CONSTET SCRIPTVRAM ESSE CANONICAM; VEL HVNC ILLVMVE SCRIPTVRÆ LIBRVM ESSE CANONICVM.

Præfatio.

ETSI EX TERTIO, ET quarto Bellarmini libro; itemque ex illis, quæ iam in defensione vtriusque diximus; dilucidè liqueat; quid ad hanc quęstionem respondendum sit; nimirum, hunc vel illum scripturæ librum, atque adeo totam scripturam Canonica auctoritate pollere; nobis innotescere per Ecclesiæ infallibilem & certissimam traditionem & testificationem: attamen, quia Prædicantes Caluiniani & Lutherani; Pareus Heidelbergensis; Rullus Basileensis; Caluinistæ; Pappus Argentoratensis Lutherista; & alij passim; de hac sibi molestissima Quæstione multa & mentiti & calumniati sunt in suis de sacræ scripturæ auctoritate disputationibus; operæpretium me facturum existimaui; si in separatum librum hoc argumentum coniicerem; speciatimque eorum nænias & delirationes examinarem. A

Primùm igitur videbimus, quid de ipsa Quæstione: *Vnde scis?* Prædicantes sentiant. Secundò; excutiemus media, quibus ipsi arbitrantur, Canonicam totius scripturæ vel particularis alicuius libri auctoritatem certò & infallibiliter cognosci posse. Tertiò, veram rationem indicabimus, & ab aduersariorum telis vindicabimus. Et quia in hoc argumento non ita pridem præclarè versatus est *P. Ioannes Mülhusinus*, Societatis nostræ Theologus, & Academiæ Moguntinæ Professor, aliquot libellis aduersus Pareum euulgatis, fruar erudito eius labore; & fruendo, laborem, qui mihi subeundus fuisset; minuam. B

CAPVT PRIMVM.

Quid Pareus & Pappus de Quæstione, vnde scis? *sentiant.*

TRITA *est hodie Iesuitarum cantilena*, inquit Pareus Thesi 21. VNDE *scis, scripturas esse diuinas? Euangelium Matthæi, esse Matthæi? quæ huc spectat, vt scripturarum autoritatem, & sensum omnem Ecclesiæ suæ, hoc est, Papæ, & prælatis subiiciant.* Nihil sine mendaciis sectarij vel scribere vel dicere possunt. Finis huius quæstionis minimè est, quem iste comminiscitur; sed vt Canonica scripturæ auctoritas & legitimus sensus nobis certò, & absque erroris periculo pateat: quo non magis subiicimus scripturarum auctoritatem & sensum omnem Pontifici; quam discipuli & auditores Iuris ciuilis subiiciant iuris auctoritatem & verum sensum Interpretibus Iuris; à quibus discunt, quæ nam sint vera & legitima Iuris volumina; & quis genuinus singularum legum sensus: Vt enim Iuris Interpres non dat auctoritatem, veramque intelligentiam legibus; sed latentem in legibus extrahit, & quasi in apertum educit: Ita Ecclesia vel Papa non dat scripturis auctoritatem & verum sensum; sed tam illam, quàm hunc scripturis inclusum in notitiam fidelium profert; & quidem ita, vt ea in re nec falli, nec fallere queat; in quo aliis quarumcunque artium & facultatum Interpretibus longè præstat.

Google

Quid Paræus ad Quæstionem; *vnde scis*? Thesi 23. *Nos primò quæstionem* VNDE SCIS? *vt curiosam, & impiam explodendam ex Ecclesia iudicamus cum Augustino sic confitente*: Persuasisti mihi, (ô Deus) non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus autoritate fundastis, sed, qui non crederent, esse culpandos: nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent; VNDE SCIS, illos libros vnius veri, & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos?

Memorabilis est hac Augustini sententia, inquit Pappus Thes. 56. disput. de scripturæ auctoritate; *& contra aduersarios apprimè notanda*; qui Thesi præced. isthæc: *Quæstionem hanc*, VNDE SCIS? *trifariam formarunt in Ecclesia. Quæsierunt olim Manichæi, & hodie Fanatici, vnde constet? qui scripturam penitus negant. Quærunt deinde Pontificij, qui scripturam negant secundum quid. Quærunt tertiò, non negandi, sed discendi studio Orthodoxi, vnde constet, quæ docilitatis est quæstio & licita, sobriè intellecta.* Vide August. contra Faust. Manichæum lib. 11. c. 2. *Priores duas cum Augustino curiosas, & impias esse pronunciamus, hominum mente peruersorum, & circa fidem reproborum.* Hic plura sunt mendacia, quàm verba. Primum mendacium: *Pontificios negare scripturam non penitus, sed secundum Quid.* Quem librum, quemue sincerum & genuinum scripturæ sensum negant Pontificij? Dic, obsecro, Prædicans.

Alterum mendacium: *Pontificios eodem sensu proponere illam Quæstionem; Vnde scis? quo proposita olim fuit à Manichæis, & hodie ab Anabaptistis, Schvvenckfeldianis; Libertinis.* Nam isti nostri Enthusiastæ scripturam penitus inficiantur; hinc si eius auctoritate premantur & vrgeantur; quæstione illa, *vnde scis*? se expedire nituntur; nec petunt scientiam vel cognitionem certam quidem; sed obscuram; verùm euidentem & luce clariorem: vt & olim Manichæi; qui, vt constat ex S. Augustino lib. de vtilitate credendi ad Honoratum; nihil credere volebant, nisi ratione demonstratum; hinc non paucos veritatis studiosos & cupidos, veritatis euidenter & apertè demonstrandæ pollicitationibus ad sua castra pelliciebant; Et quia vetus testamentũ prorsus repudiabant, nouum autem pro arbitrio & acceptarent, & reiicerent; orthodoxos contra disputantes; hac quæstione pulsabant: *Vnde scis*, hos & illos libros esse diuinitus dictatos? *Vnde scis*, inquam, euidenter & perspicuè? Huiusmodi enim cognitionem suis sectatoribus promittebant; neque quidquam credi volebant; nisi prius certò & euidenter cognitum, vt cum aliunde, tum ex his D. Augustini verbis, quibus Honoratum alloquitur, intelligere licet. *Est igitur mihi propositum vt probem tibi, si possim, quod Manichæi sacrilegè, & temerè, inuehantur in eos, qui Catholicæ fidei autoritatem sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur; & illuminaturo, præparantur Deo. Nosti enim Honorate, non aliam ob caussam, nos in tales homines incidisse, nisi quod*

A *se dicebant*, TERRIBILI AVTORITATE (Ecclesiæ Catholicæ) *separata; mira, & simplici ratione eos, qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos.* Et paulò post: *Tu*, Honorate, *nondum Christianus, qui hortatu meo, cum eos*, (Manichæos) *vehementer execrareris, vix adductus es, vt audiendi tibi, atque explorandi viderentur; qua, quæso, alia re delectatus es, recordare, obsecro te, nisi magna quadam præsumptione, ac pollicitatione rationum, &c.*

Hos igitur oggannientes sibi tergiuersatores, inquit Mülhusinus noster, in Censura Disputationis Pareanæ; *vnde scis, illos libros vnius veri, & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos?* S. Augustinus audire nolebat, sciens vtique, nulla humana, & naturali ratione id demonstrari B posse, quod ex solius Ecclesiæ Catholicæ autoritate sibi discendum nouerat.

De hac ipsa euidenti & perspicua cognitione agit etiam S. Augustinus lib. 6. Confess. cap. 5. à Prædicantibus citato; & quæstionem illam, *Vnde scis?* tantum in hoc impio Manichæorum sensu culpat, nulloque modo admittendam censet; cum stultissimum sit asserere, nihil esse credendum; nisi quod videas, hoc est, dilucidè & euidenter intelligas; à qua insipientia absterritus & abductus fuit S. Augustinus, considerans, *quàm innumerabilia crederem*, inquit, *quæ non viderem; neque cum gererentur, adfuissem, sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis, atque vrbibus, quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam mul-* C *ta hominibus aliis, atque aliis, quæ, nisi crederentur omninò, in hac vita nihil ageremus. Postremò quàm inconcussè fixum fide retinerẽ, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem.*

Itaque mendacium est reprehendi ab Augustino quæstionem; *Vnde scis?* eo sensu, quo ab orthodoxis, importunitati hæreticorum opponi solet; qui cum nobiscum aliquos saltem sacrarum litterarum libros approbent, veramque scripturæ internoscendæ rationem aut negent, aut in postremis ducant; & nihilominus scripturam insolentissimè iactent; meritò ex illis quærimus; *vnde scis*, hunc vel illum scripturæ librum esse diuinum & Canonicum? Qua quæstione nequaquam ab illis postulamus, euidentem hu- D ius rei seu solutionem seu cognitionem; sed illam, quæ & certò haberi, certoque assignari potest; licet non sit ex demonstratione naturali desumpta: Et cum Nouatores fateantur caussam seu caussas ad huiusmodi quæstionem reddi posse; non est, quod nobis vitio vertunt, si has ab illis exigamus. Nam vt rectè dixit noster Mülhusinus in sua Censura; si Quæstio illa VNDE SCIS? *curiosa, & impia est*, cur Pareus omnes scripturæ angulos tam anxiè, & solicitè perscrutatur, & excutit, à Thesi 41. vt eius solutionem, (quæ nusquam in illis est) inueniat? Nunquid Apostoli, & Prophetæ, in curiosis, & impiis quæstionibus dissoluendis occupati fuère, vt apud ipsos olim Pareus impostor earundẽ dissolutiones quæritaret?

Respon-

Digitized by Google

Reſpondet Pareus in ſua Exegeſi p.30. *Quæſtionẽ vnde ſcis? pro diuerſo quærentis affectu diuerſam eſſe. Eſt quæſtio diuinitatem ſcripturarum negantis ſimpliciter. Eſt etiam quæſtio, eandem negantis ſecundum quid, hoc eſt, ſuſpendentis ab Eccleſiæ arbitrio. Prior, Manichæorum fuit, & hodie eſt Fanaticorũ. Poſterior, Papiſtarum eſt, & Ieſuitarum. Vtraque curioſa, & impia, damnatur ab Auguſtino, & theſi noſtra, &c.* Sed iam antea oſtendimus, impudens commentum eſſe, quoties Prædicantes dicunt; quæſtionem, *vnde ſcis?* eodem conſilio & fine proponi à Pótificiis, quo à Manichęis olim propoſita, & hac ętate à fanaticis proponitur: Nos enim ſcripturam totam & integram veneramur & amplectimur; & hanc quæſtionem alia mente non proponimus, quàm vt ruborem incutiamus ſectariis; qui ſcripturas ſe amplecti iactitant; nec tamen rationem reddere poſſunt, cur hic vel ille liber in ſcriptura Canonica numerandus ſit.

Notet autem Lector ſimilitudinem phraſium & verborum inter Pareum & Pappum; inde enim intelliget, Pappum non modò eſſe criminatorem, ſed & furẽ: nam ex Theſibus Parei ſuas conſarcinauit, non tantùm quoad ſenſum; ſed & fermè quoad verba: quod & ex his Parei à Pappo tranſcriptis perſpicies. *Eſt quæſtio docilitatis, quando inueſtigantur argumenta certitudinis ſcripturæ, & fidei noſtræ à Deo ſcripturæ impreſſa, quibus & nos certiores ſimus, & fanaticorũ ora obturemus fortius. Hoc ſenſu quæſtio non damnatur.* An non hæc eadem agnoſcis in Pappi verbis ſupra recitatis; vt & in his Theſi 57. *Ad tertiam docilitatis quæſtionem ſic reſpondebimus, vt etiam Pontificiis & fanaticis os obturetur.* Vbi non immeritò in mẽdaciis numeres: quod iſti aiunt, *diſcendi ſeu docilitatis gratiam* quæſtionem illam, *vnde ſcis?* abs ſe proponi & vſurpari: nam licet millies illis ad hanc quæſtionem reſponſum ſit, tam duro tamen ſunt cerebro; vt ſolutionem nunquam capiant; ſed pertinaciſsimè ad phantaſticas ſuas phantaſias adhæreſcant. Et hoc mendacium comit hoc fuco Pareus. *Sicut eſt,* QVOMODO *Iudæorum, quod nefas eſt quærere in rebus diuinis: quia eſt manifeſtum incredulitatis indicium. Eſt &* QVOMODO *ſanctorum, Abraham, Gedeonis, Mariæ, &c. quod in diuinis non damnatur: quia eſt docilitatis affectus. Ita quæſtio* VNDE SCIS? *eſt Fanaticorum, & Ieſuitarum curioſa, & impia, quæ damnatur. Eſt & quæſtio docilium, atque fidelium pia, & vtilis, quæ non improbatur, & ex ſcripturis habetur.* Nihil reſtat; quam vt omnes huic affirmatori & dictatori annuant & ſubſcribãt; & tum dilucidum planumq́; erit, Ieſuitas; & Manichæos eodem conſilio quæſtionem *vnde ſcis?* vſurpare: Caluiniſtas autem & Lutheriſtas, non alio animo; quàm quo beata Virgo vſurpauit illud: *Quomodo?* At dum hoc non fit, cauſſæ nihil erit; cur ægrè ferant Sectarij, ſi eos mentiri dicamus, quoties illud: *vnde ſcis?* diſcendi gratia à ſe proponi ferunt. Nam aut ſuis proponunt aut noſtris: ſi ſuis; quid ab inſcientibus diſcerent? Si noſtris; diſcere quidem poſſent, ſi vellent; ſed diſcendi

A animum deeſſe, arguit tanta in falſo perſiſtendi obſtinatio & contumacia. Hoc inſuper iure mẽdacium appellaueris, quòd Pappus citat Auguſtinum libro 11. contra Fauſtum, cap. 2. quaſi ad quæſtionem: *Vnde ſcis?* reſpondeat eo modo, quo Nouatores reſpondent, & reſpondendum docent: cum eo ipſo in loco apertiſsimè tradat; quando de Canonica auctoritate alicuius libri; vel particulæ de libro; vel de veritate lectionis agitur, confugiendum eſſe ad auctoritatem Eccleſię; addatq́; per hanc omnes tergiuerſantium, Scripturamq́; hoc vel illo loco deprauatam cauſantium & cauillantium ſtrophas elidi. *Vides,* inquit, *in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſsimis ſedibus Apoſtolorum, vſque ad*

B *hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Ita, ſi de fide exemplarium quæſtio verteretur, ſicut in nonnullis, quæ & paucæ ſunt, & ſacrarum litterarum ſtudioſis notiſſimæ ſententiarum varietates, vel ex aliarum regionum codicibus, vnde ipſa doctrina commeauit, noſtra dubitatio diiudicaretur: Vel, ſi ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetuſtiores recentioribus præferrentur: &, ſi adhuc eſſet incerta varietas, præcedens lingua, vnde illud interpretatum eſt, conſuleretur. Hoc modo quærunt, qui, quod eos mouet in ſcripturis ſanctis, tanta auctoritate firmatis, inuenire volunt, vt habeant, vnde inſtruantur, non vnde rixentur.*

CAPVT II.

C *Quid ſit κριτήριον, & quotuplicia Canonicæ ſcripturæ agnoſcendæ ſectarij Criteria ſtatuant.*

ALCINOVS in Iſagoge ad Platonica dogmata cap. 4. πρώτιστα περὶ κριτηρίου, ἐπεὶ οὖν ἐστί τι τὸ κρῖνον, ἔστι δὲ καὶ τὸ κρινόμενον, εἴη ἂν καὶ τὸ ἐκ τούτων ἀποτελούμενον, ὅπερ εἴποι ἄν τις κυρίως κρίσιν. κυρίως μὲν δὴ τὴν κρίσιν ὀνομάσαι ἄν τις κριτήριον, κοινότερον δὲ τὸ κρῖνον. τοῦτο δὲ διττόν. τὸ μὲν, ὑφ' οὗ κρίνεται τὸ κρινόμενον, τὸ δὲ, δι' οὗ. ὧν τὸ μὲν εἴη ἂν ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς. τὸ δὲ, δι' οὗ ὄργανον φυσικὸν κριτικὸν, προηγουμένως μὲν τῶν ἀληθῶν, ἑπομένως δὲ, καὶ τῶν ψευδῶν. *Ante omnia dicamus*

D *de Criterio. Quoniam eſt quiddã quod iudicat; quiddam, quod iudicatur; neceſſe eſt, aliquid etiam ex vtriſque fieri, quod quidem iudicium vocare poſſumus propriè. Itaque ipſum iudicium iudiciarium nominatur: communius autem ipſum quoque, quod iudicat. Iudicans præterea duplex eſſe videtur. Vnum, à quo; alterum, per quod iudicatur. Illud, intellectus noſter; hoc, organum naturale. idq́; primò vera, ſecundo loco falſa diiudicat.* Ex quibus conſtat, criterium duplici notione apud Alcinoum ſumi; primò & propriè pro ipſo iudicio. communius & tritius pro ipſo iudicante: quod geminum ſtatuit; alterum *quod*; alterum *quo*; vt ſcholæ formula vtar: quorum illud eſt *principale*, alterum inſtrumentale: vt, verbi gratia, cum aurum diiudicatur ab aurifabro, num probum ſit an adulterinum;

terinum; ipse artifex iudicans est criterium à *quo*; seu *quod*; at Lydius lapis, seu libella, seu aliud instrumentum, ad quod aurum explorat; est criterium δι' οὗ *quo, seu per quod.*

Sextus Philosophus lib. 1. Pyrrhoniarum Hypotyposeωn cap. 11. κριτήριον, hoc est, instrumentum ad iudicãdum, duplex constituit: primum, id quo fides fit rem aliquam esse vel non esse. Deinde id, quo actiones diiudicantur, cui adhærentes in communi vita, quædam agimus; quædam nequaquam. Illud ad cognitionem; hoc ad actionem spectare ait: Quocirca illud rectè *theoreticum*; hoc *practicum* appellari potest; cuius etiam sub finem capitis quarti meminit Alcinous.

Eandem criterij diuisionem adfert Sextus lib. 2. cap. 3. *Principio dicendum est*, inquit, *criterium dici & illud, quo diiudicari aiunt, existat aliquid nec ne; & illud, cui acquiescentes viuimus.* Prius criterium, quod & criterium veritatis nominat; tribus modis dici scribit: *communiter, peculiariter, peculiarissimè.* Singula deinceps definit, & hoc postremum ad ea tantùm, quæ *rationalia* sunt, restringit; & trifariam dispertitur, in *criterium à quo, per quod, secundum quod. Exempli gratia, à quo, homo. Per quod, aut sensus, aut intellectus. Secundum quod autem, applicatio phantasiæ, secundum quam homo aggreditur diiudicare per vnum aliquod ex ante dictis.* De quibus postea Sextus sigillatim sceptico more disserit.

Verum his omissis, Criterium (quod Carpentarius apud Alcinoum, & alij *iudicatorium* appellant) accipimus in proposito duntaxat pro illo δι' οὗ, *quo*, tanquam medio, siue instrumento veritatem rei indagamus; siue illa veritas ad solam theoriam seu speculationem; siue etiam ad actionem pertineat. Itaq; criteria hic nobis sunt illa; quibus certò & infallibiliter, tanquam normis, mensuris & regulis, cognoscimus; qui nam libri sint verè intra sacrosanctum Scripturarum diuinarum Canonem, qui extra. Huiusmodi criteria nusquam & nunquam non iactant & intonant nostri Prædicantes, eaq; multiplicia statuunt; & dum vnicum negligunt; in multiplicem vanitatem, quidquid tandem moliantur, incurrunt.

Pappus thesi 57. & seq. ita scribit. *Sunt complura, eaque luculenta κριτήρια, & testimonia, quæ Deus ad auctoritatem scripturæ stabiliendam orbi Christiano suppeditauit, quæq; animum de scriptura solicitum, cùm stabiliunt, tum etiam cogunt. Desumuntur autem, vt in certas ea classes redigamus; alia, à scriptoribus Bibliographis; alia, ex ipsa scriptura; alia, ab hominibus; primò, in vniuersum à toto mundo, secundò à piis; iisq; singulis, vniuersis: tertiò, ab impiis; accedit his diuina prouidentia.*

Parei sententiam hoc compendio recitat noster Mülhusinus in sua Censura. *Vnde scis, Scripturas sacras esse diuinas? iisdem prorsus argumentis, nobis hodie constare dicimus, scripturas esse diuinas*, inquit Pareus, *quibus olim Ecclesiæ Israëliticæ, atque Apostolicæ constabat.* (thesi 41.) *Ea argumenta erant, partim in personis docentium, atque scribentium, partim in doctrina, partim*

A *in doctrinæ effectis* (thesi 42.) *In personis erat diuina vocatio, missio, & inspiratio, &c. de his (iam etiam) scriptura ipsa testatur, in singulis prope librorum vestibulis, nomina, & vocationem diuinam, Prophetarum, & Apostolorum exprimens, vt visio Isaiæ, &c. Verbum Iehouæ, quod fuit ad Hoseam, &c. Paulus seruus Iesu Christi, vocatus non ab hominibus, &c.* At, mi Paree, nisi prius veteris, & noui Testamenti libros istos Canonicos, & diuinos credideris, quî credes Catholica fide, verum esse, quod in istorum librorum vestibulis inscribitur, nempe; *Hoseæ verbum, esse Iehouæ verbum*; &, *Paulum non vocatum ab hominibus?* An tu non credis ista, quia credis scripturas Canonicas, & diuinas esse, quæ asserunt ista? Prius ergo scripturas illas diuinas credis, quàm ex illa inscriptione; *Hoseæ verbum Iehouæ verbum* credas, &

B Pauli *vocationem non ab hominibus* factam.

Eiusdem est sapientiæ, quod à thesi 45. de criteriis dicitur, quibus ἀνεπίγραφα (id est, quæ certi alicuius Prophetę, vel Apostoli nomine non sunt insignita) cognosci debeant pro Canonicis. Sunt enim ea criteria in ipsa doctrina. 1. *genus diuinum.* 2. *styli maiestas.* 3. *doctrinæ diuinus consensus* (thesi 45.) 4. *doctrinæ effectus* (thesi 54. 55. 56. 57.) Verborum imposturæ sunt illa tantum, quibus ne mica quidem solidæ, constantisque doctrinæ substernitur. Vtrum scripturæ diuinæ sint, expendendum vult Pareus ex illarum doctrina, hæc, si diuina fuerit, erunt & scripturæ. O, circulos. Nunquid hoc tale est, ac si quis dicat, vt noris, num candi-

C da nix sit, expendendum est diligenter, an ipsius substantia, sit alba? sacræ literæ, & diuinum doctrinæ genus aduersario synonyma sunt. neque enim vllam admittit diuinam doctrinam, quæ sacrarum literarum non sit doctrina, & tamen ex diuina doctrina vult sacras argui literas, id est, τὸ ξίφος ensem esse demonstrare, quia gladius est. Hæc ex Pareo, & contra Pareum Mülhusinus. Sed singulos modos postea sigillatim excutiemus.

Nunc tantùm notet lector Pappi fidem; quem, quæ his de rebus scripsit, ex Pareo furatum esse; ipsa & rerum & verborum, & inscitiæ similitudo, manifestè declarat; & nisi fallor, quod Pappus in Pareo; hoc Pareus fecit in Rullo Basileensi; hoc est, thesibus eius furtificas manus intulit;

D & alienis plumis se vestiuit. Id enim vt credam, cogit idem ordo, eadem dispositio; idem calumniandi & mentiendi genus & genius: Iidem vbique circuli & circuitus in se recidentes ac recurrentes.

Audi, quid in Didascalia de verbo Dei Rullus. Thesi 29. & seqq. *Verbum hoc verè esse diuinum, hoc est, à Deo ipso profectum, & dictante Spiritu sancto per Prophetas, & Apostolos exaratum, cognoscit certò apud se vnusquisque fidelium ex locupletissimis testimoniis, tum ex aliis argumentis. Testimonia tum diuina sunt, tum humana. Testimonia diuina sunt duo: vnum externum; alterum, internum. Externum est ipsius Dei loquentis in scriptura. Sic enim ait Deus:* Iesa. 55. 11. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, &c. *Alterum testimo-*

stimonium diuinum, est internum, nimirum testimonium Spiritus sancti in cordibus credentium, &c.

Idem in Disputatione de auctoritate sacræ Scripturæ. Thesi 5. *Scripturam vere esse diuinam, confirmant tum testimonia, tum alia argumenta. Testimonia sunt duplicia, interna, & externa. Internum testimonium vnicum est, & solidissimum, &c. Externa testimonia duplicia sunt, videlicet consensus, seu testimonium Ecclesiæ, & confessio hostium extra Ecclesiam.*

Similia multa super hoc argumento disputat Rullus in disputatione de vnico Theologię principio defensa Basileæ à Parei filio; præside Rullo; quam in sua Exegesi miris laudibus extollit Pareus, iuxta illud: *Mulus mulum.* Hæc generatim de his Criteriis tres isti Prædicantes; quorum nugas nunc speciatim refutare aggrediemur.

CAPVT III.

Refutantur Criteria, quæ Prædicantes vocant diuina.

TESTIMONIA, quæ ex ipsa scriptura à Prædicantibus desumuntur, vocat Rullus in Didascalia *de verbo Dei*, & in Disputatione *de vnico Theologiæ principio*; diuina externa: illa verò, quæ petuntur ex interno priuati vniuscuiusq; instinctu ac dictamine, appellat iste *diuinum internum*; & huius generis vnicum duntaxat statuit in disputatione de scripturæ auctoritate. Alij Prædicantes videntur etiam ea, quæ ex ipsis scripturis sese eruere arbitrantur; nominare *interna*, respectu scilicet scripturæ, in qua inhærent; & cui quodammodo insita sunt; si non reipsa; attamen ex Prædicãtium sententia & phantasia.

Quidquid sit de loquendi formula; nos iam examinabimus ea; quæ isti ex scripturis petunt: *Externum diuinum testimonium*, inquit Rullus in Didascalia, *est ipsius Dei loquentis in scriptura. Sic enim ait Deus.* Ies. 55.11. Verbum meum, quod egredietur de ore meo. *Itē*; Ego Iehouah loquutus sum. *Ezech. 21.32 et 22.14.* Et in thesibus de vnico principio: Thes. 7. *Externum testimonium diuinum est ipsiusmet scripturæ, quæ prima veritas est, quam Deus reuelauit, in qua Deus ipse loquitur. nam, quidquid scriptura dicit, Deus dicit. Bonauentura de luminaribus Ecclesiæ, sermone 12. ait: scriptura est os Dei: vnde Iesa. 31.* Væ, qui descenditis in Aegyptū, *scilicet ad seculares scientias.* & os Domini non interrogastis, *scilicet sacram Scripturam. Deus ergo suo ore in scriptura testatur, totam scripturam esse diuinitus inspiratam.* 2. Tim. 3. 16. *Hoc testimonium, publicum est. Et fortissimum, atque efficacissimum, atque etiam vnicum nunc sufficiens medium ad credendum.* Similia Pareus & Pappus.

Argumentum eiusmodi erit, si forma Dialectica vestiatur. *Deus in scriptura testatur se loqui; & ipsi scripturæ testimonium perhibet; ergo certum est ac euidens ex hoc testimonio scripturam esse sacrosanctam & à Deo profectam.* Est hoc argumētum non absimile huic.

A *In Alcorano aliquoties Deus & Gabriel Angelus introducuntur loquentes, & testificantes, ea quæ in illo libro traduntur; esse vera, diuina & à Deo prodita & patefacta: Ergo quilibet, qui hæc talia legit; è vestigio certus est & euidens; Alcoranum esse librum calestem, Angelicum, diuinum.* Non comparo, ne calumniam Prædicantes struant; Biblia nostra cum Alcorano; absit hæc impietas ab omni pio pectore; tantùm dico, aliquem, qui aut neget, aut dubitet, num hic vel ille liber sit Canonicus; hoc argumento præcisè non magis ad assentiendum vel moueri, vel impelli, vel cogi posse; quàm si quis in Alcorano vel aliquo libro apocrypho huiusmodi locum exhiberet, diceretque: *en Deus testatur se in hoc libro loqui; ergo reuera est diuinus.* An nullus vnquam impostor, Dei vel Angeli, vel alicuius alterius viri

B sancti personam subiit & induit? Ne in Philosophicis quidem & humanis libris & literis hoc argumentum aliquid virium & ponderis habet, quanto minus in diuinis; nam si quis ideò præcisè intenderet hunc vel illum librum esse Platonis vel Aristotelis; quia in libro legimus: *Hæc Plato scripsit: Hæc Aristoteles literis consignauit*; citius risum, quàm assensum ab auditore auferret.

Quapropter vanissimum est, quod Rullus dicit; *hoc argumentum esse fortissimum & efficacissimum, atque adeo etiam nunc vnicum, sufficiens medium ad credendum.* Tantum enim abest; vt *vnicum & sufficiens* sit; vt nisi prius per Ecclesiæ ostium; hoc est, per infallibilem eius testificationem de veritate hu-

C iusmodi testimoniorum certus reddar; nihil penitus apud me efficere posit. Et semper Prædicantibus istis occinere licet atq; adeo libet, quæstionem illam ipsis tantopere inuisam.

Vnde scis illa ipsa testimonia esse diuina? *Vnde scis*, Rulle; verba illa Isaiæ 55. *Verbum meum, quod egreditur de ore meo, etc.* esse diuina, Canonica, à Deo prolata; non intrusa; non suppositia? Dic tu Pappe, *vnde scis* Canonica esse, quæ thesi 61. citas ex cap. 22. v. 32. Matthæi. Ex cap. 18. 21. 22. Deuteronomij. Ex cap. 41. 52. & 42. 9. Isaiæ. Quæso, dic, planè, & absque anfractibus, *vnde scis*, hæc testimonia esse Canonica? Imò absque traditione & aliena testificatione, ne illam quidem D. Augustini, quam ex lib. 33. contra Faustum adducis:

D *Infelices inimici animæ vestræ, quæ vnquam literæ vllum habebunt pondus auctoritatis, si Euangelicæ; si Apostolicæ non habebunt?* scires S. Augustini esse; nisi tibi hoc omnium seculorum consensio planū testatumque faceret; qui meritò asserit, nullas fore literas; quæ pondus aliquod auctoritatis habeant, si id non haberent sacræ literę. At semper manet quæstio, vndenam tantæ auctoritatis pondus nobis certò & infallibiliter innotescat. Hic perpetuò muti sunt Prædicantes. Fortè fortiora & firmiora argumēta pariet & parabit Pareus, quàm Pappus vel Rullus. Videamus.

Vult ille, hoc dogma (*scripturæ, quæ à Christianis pro Canonicis, & diuinis agnoscuntur, verè tales sunt:*) in scripturis contineri, partim, *expressè*, par-

tim *consequenter*, quatenus ex scripturis euidenter deducit. Ac primò quidē expressè dogma illud in scripturis contineri, ꝓbat hoc modo, thesi 101. & 102. primæ editionis. I. *De scripturis Mosis, & Prophetarū expressè dicitur 2. Tim. 3. v. 16. quod sint θεόπνευστοι; dicitur enim: scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, & arguendum, &c. Præterea,* Ioan. 5. v. 39. *dicitur de scripturis Mosis, & Prophetarum, quod monstrent Christum, & vitam æternam. Ad hæc* 2. Pet. 1. v. 19. 20. & 21. *de scripturis dicitur, quod sint βεβαιότερος λόγος (firmior sermo) resplendens instar lucernæ, in caliginoso loco: quodq; non sint priuatæ inuentionis, aut libidine hominū scriptæ; sed à Spiritu sancto, sanctis Dei hominibus inspiratæ: omnis autem doctrina, diuinitus inspirata, ad nostram salutem, & perfectionem, eo ipso, quod talis est, diuina est, atq; Canonica.* Ex quibus concludit Pareus, ex scripturis ipsis constare de Mose, & Prophetis, quod sint Canonici. Argumentationis hæc erit efficacia: *Quidquid in diuinis litteris expressis testimonijs asseritur, id expressè etiam in illis continetur: Mosis & Prophetarum scripta esse diuina, expressis testimonijs in diuinis litteris asseritur, vt probatum est; ergo Mosis, & Prophetarum scripta esse diuina, expressè in sacris literis continetur.*

At hic rursus recurrit illa quæstio: *Vnde scis,* locos illos noui Testamenti esse Canonicos, & diuinos; non adscititios; non insititios, vt proinde librorum Moysis & veterū Prophetarum auctoritatē certò inde adstruere queas? Si quis locos illos noui Testamenti repudiet, quò te conuertes? Adhæc *vnde scis* loca illa loqui de hodiernis Moysis & Prophetarum voluminibus? Quid si quis contenderet, non eos libros, qui hac ætate exstant; sed alios commendari, quorsum te reciperes? Sed vt ad argumentum directè respondeamus, dico cum Mülhusino nostro in *Auctario primo speculi miseriarum Parei,* hic manifestam esse petitionem principij: concessa enim Maiore, Minor non admittitur, nisi ab iis, qui iam ob Ecclesiæ auctoritatem, nouum Testamentum, ex quo illa testimonia promūtur, Canonicas, & diuinas literas credunt: vnde verò illis id probabitur, qui nouum Testamentum nondum agnoscunt? Restat igitur adhuc integra quæstio, vndenam Catholica fide constet, & omnibus quorū interest, probari sufficienter possit; *nouum Testamentum esse diuinam scripturam.* quod ipsum, cum ex scripturis solis euidenter absque simili petitione principij demonstrari nequeat, sequitur necessariò, non omnium dogmatum Normam solam scripturā esse posse. Ad hoc nihil habuit, quod responderet Pareus, (in Prolegom. pag. 60.) nisi *falsum esse, restare quæstionem, vnde Apostolorum noui Testamenti scripturas esse diuinas possit ostendi.* Subiungitque; *scriptura, inquit Bellarminus* (cap. 2. lib. 1. de Verbo) *est sibi testis ipsa, quod sit diuina; si, quod diuina, etiam quod Canonica. Omnis enim diuina scriptura suo genere, & fine proprio, hominibus, quibus data est, esse debet Canonica: neque hoc in æternum eneruabit vllus sophista.*

Sed parumper ausculta Parce. Postquam semel ex Ecclesię Christi traditione, Apostolorum scripturæ indubitatò, pro diuinis receptę sunt; nulla restat quæstio, apud eos, qui receperunt, vnde illas diuinas esse, possit ostendi; ex Ecclesiæ enim Christi, quam in symbolo credunt, auctoritate cum D. Augustino sufficienter id sibi ostensum sciunt: antequam verò pro diuinis admittantur, quæstio apud eos, qui recipere debēt, quàm maxima restat; vnde nimirū probari possit, illas esse tales, quales asseruntur. Apud hos verò admodū tu fueris ridiculus; si Mosis, & Prophetarū auctoritatem diuinam illis probaturus, Testamentum nouum, quod ipsi nondum, vt diuinum, & infallibilem scripturā agnouerunt, proferas; &, huius auctoritatem diuinam probare iussus, exhibeas illis Veteris de Nouo illo Prophetias, cùm neq; Prophetijs adhuc fidem adhibeant; neq; nouum Testamentum, vt Dei verbum complectantur. Et dic obsecro, Parce, quid tibi videatur: Num, maiores nostri, quando ex gentilitate Christo fuēre primò adiuncti, nouum Iesu Christi tanquā veri Dei, & hominis Testamentum, ex testificatione veteris acceperint, quod ęquè atq; nouum ignorabant diuinum, & vetus illud, quod itidem æquè, atq; nouum ignorabant diuinum, ex testificatione noui, antequam nouum vt diuinum admisissent? Si tibi luberet nonnihil in Indias, & nouum orbem exspatiari, fortassis vsu ipso videres, quomodo Pagani, & Gentiles, antequam sacras literas credant diuinas, Christo credant, vt vnico seruatori suo per fidem; quâ fide deinde, & sacras literas, & quidquid illis sub diuina auctoritate credēdum sufficienter proponitur, complectuntur; tam firmiter, vt non minus constanter, si necessitas exigat, vitam, & sanguinem fundant, q̄ Martyres olim, Romaniq; Pontifices, & Patres, quos iam ita traducitis degeneres filij.

Ad Bellarmini verba quod spectat, illa in meo codice non reperiuntur, inquit Mülhusinus: Dicit quidem is inter cetera, scripturam testem esse suæ certitudinis, & veritatis. *Si enim veræ fuerunt ipsius prædictiones rerum futurarum, vt euētus postea comprobauit, cur vera non sunt rerum præsentium testimonia?* Sed, amabo te, quorum hominum respectu, Bellarminus asseuerat scripturam posse suiipsius certitudinis testem existere? An omnium, quibus scripturarum auctoritas sufficienter probanda est, etiam aduersariorum? At scripturarum testimonia eos non conuincere, qui pro diuinis illas non agnoscunt, idem Bellarminus ibidem, & alibi constanter affirmat. Solùm igitur fidelibus, suæ certitudinis, vel etiam, si vis, diuinitatis, scriptura testis esse potest, non infidelibus. Cæteroqui nosti, Bellarminum lib. 4. cap. 4. expressè dicere; neminem scripturæ aliquid assenti credere Catholica fide, posse; quam prius ipsam scripturam, vt diuinam credat. At, inquis tu; Bellarminus turpiter sibi duobus illis in locis contradixit: at, inquam ego, Pareus, admodum oscitanter Bellarminum legens, nunquam illum intellexit. Nam, vt euidenter ostenderet, se

cum

cum iis tantum ex scripturis agere, qui illarum diuinitatem,&c.admitterent,expresse dicit;*quorum,*(Mosis,Prophetarum,Christi ipsius,Ioannis Baptistæ, Apostolorum) *testimonia, non eò à nobis afferentur, quod ab aduersariis magni fieri existimemus; sed,ne scripturæ,quarum auctoritate aduersus nos,qui eas meritò* veneramur,*aduersarij*(Fanatici)*interdum abutuntur. pro eorum sententia facere videantur.* (libro 1. cap.2.) Quibus igitur illo in loco scripturarum diuinitatem,ex scripturis ipsisBellarminus contra Fanaticos asseruit? Itaque, vt omnem diuinam scripturam suo genere, & modo Canonicam esse, nullus vnquam eneruet sophista; ex ipsis tamē expresśis etiam scripturæ testimoniis, scripturas esse diuinas, iis probari posse sufficienter, qui scripturarum earundem diuinitatem non agnoscunt vllo modo,nullus vnquam absq; petitione principij,& paralogismo demōstrabit Caluinista.*Vetus enim Testamentum ex nouo,& nouum ex veteri probare illi,qui nec nouum,nec vetus agnoscit,inepta, & ridicula esset probatio.* Atque hæc prima Parei demonstratio est, qua generatim conuinci putat;hoc dogma,(*scripturas, quas Christiani pro diuinis agnoscunt, verè tales esse*) in scripturis expresse contineri, & omnibus sufficienter probari posse.

Ex his etiam & iis,quæ ad cap.2.lib.1.diximus: solutionem petat Rullus ad ea,quę ex Bellarmino nugatur secunda parte Didascaliæ de verbo Dei, nam tota disputatio Bellarmini lib.1.cap.2. contra *Enthusiastas*,scripturarum contemptores, tendit: quos à certitudine,maiestate;& id genus aliis ex scriptura petitis argumentis redarguere nititur, non quòd ipsi hæc argumenta magnifaciant; sed ne scripturæ pro eorum enthusiasmis facere videantur, neq;procedunt illa argumenta, nisi ex eorum sensu, qui iam scripturas, vt canonicas & à Deo dictatas amplexi sunt; inducti ad hoc ex certo &infallibili Ecclesiæ id asseuerantis testimonio.

Secunda Parei demonstratio Thesi 103. quæ priore nihilo vrget vehemētius: Vt verò penitus intelligatur(iterum vtar doctisMülhusini nostri aduersus Pareum lucubrationibus)aduertēdum ex Pareo, duplices esse libros sacros: quidam enim ἐπίγραφοι sunt, & nomē auctoris adscriptum habent. quidam, ἀνεπίγραφοι, qui non habent adscriptum. De primis, quod θεόπνευστοι sint, eóque Canonici; expresse vult in scripturis contineri; & hoc ipsum demonstrari contendit ex titulis, qui Prophetarum,& Apostolorum nomina continent;*vel certè*,quia in ipso contextu,vel alibi disertè scriptum habetur,quis illorum auctor fuerit. Erit igitur huiusmodi ratiocinatio: *Quicunq; libri,vel Prophetæ,vel Apostoli nomen in titulo continent, vel illud in contextu,vel alibi disertè scriptū habent,diuini sunt, & Canonici: sed, omnes libri, qui sunt epigraphi; vel habent auctoris nomen in titulo,vel in contextu,vel alibi, disertè scriptum;Omnes igitur epigraphi libri sunt diuini& Canonici: Et,quia nomina illa expresse in scripturis*

A *ponuntur: expresse etiam patebit ex scripturis, libros illos esse diuinos.*

Hic rursus ex Pareo quęrendum est;vnde scis, nomina Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis ab ipsis Apostolis addita, non ab aliquibus impostoribus superaddita? Interfuistine,quando quatuor Euangelistæ sua nomina adscripserūt? Vidistine? Aut si nō vidisti,dic, *vnde scias?* Nam ridiculus es, si dicas te id ex sola inscriptione scire. An nullus vnquam liber falsa inscriptione prænotatus est? An ideo liber erit Aristotelis, Platonis, Hippocratis, Galeni, quia horum nomina præfixa gerit?

Sed vt ad ipsum argumentum cum Mülhusino nostro accedamus: Minorem, quæ nulla indigeB bat probatione,longisśima inductione demonstrat Pareus, *ex singulorum librorum propè* (vt loquitur)*vestibulis*.QuareCanonicorum librorum epigraphorum,quadraginta & vnum describit titulos(pag.60.& 61.)quos,vt diuinos,omnes libenter veneramur; sed, quid opus erat? Maiorem,in qua tota difficultas hæret, ne verbulo quidem attingit;& tamen generatim assumpta,falsisśima est. Quis enim ignorat, sub Apostolorum verorum nominibus, vt Petri, Pauli, Thomæ,Barnabę,&c.multa pseudographa aliquando obtrusa? Prius igitur necesse est, te nosse librum aliquem esse diuinum, & Canonicum, quàm *verè* ipsius vestibulum Prophetæ, vel Apostoli nomine inscribi Catholicā fide credas. Vnde verò hoc inC notescit,nisi ex Ecclesiæ solius auctoritate? Neq; ad hoc sibi obiectum argumentū(pag.69.& 124. Animaduersion.) quidquam respondere potuit Pareus,quàm vt ex me frigidè,& timidè(pag.59. & 62.Proleg.)rogaret;*an scripturis istis,& textui non crederem?* Et; *An mihi principium peteret, qui scripturæ textum mihi opponeret?* idq; non solùm mihi, sed & Bellarmino,aliisque obiectum cupit. Sed facilis est nobis,mi Paree,ex D. Augustino contra epist. Fundamenti c.5.responsio; qui in vestibulo quidem epistolæ Fundamenti legebat: *Manichæus Apostolus Iesu Christi,prouidentia Dei patris,&c.* credere tamen id nolebat: quia Ecclesia Catholica, Manichæum,vt hæreticum,vituperabat. Et licet dicat; *se neq; Euangelio crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ* D *commoueretur auctoritate;*subiungit tamen pòst:*sed, absit, vt ego Euangelio non credam*. Et paulò pòst: *Cui libro* (Actuum Apostolorum)*necesse est me credere,si credo Euangelio;quoniam vtramque scripturam,similiter mihi Catholica commendat auctoritas.* Noli igitur dubitare,Paree,quin Iesuitę cum D.Augustino(per Dei misericordiam)credant Euangelio.Si tu iam quęras,cur potius huic credant vestibulo? *Paulus Apostolus Iesu Christi,per voluntatē Dei,etc.*(ad Ephes.) quàm huic;*Manichæus Apostolus Iesu Christi prouidentia Dei patris.* Vel huic; *Thomas Apostolus Iesu Christi, omnibus sanctis,& electis.* Vel huic;*Reuelatio Petri Apostoli Iesu Christi, quam fecit ei Deus, &c.* Iam habes ex Augustino, & indissolubili demonstratione respōsum; quia inscriptionem illam verè Apostolicam

licam eſſe, & diuinam, ex Eccleſiæ teſtificatione percepimus: illas alias, impoſtorum.

Si quis argumentum ita inſtituat & formet. *Illi libri ſunt diuini & Canonici;qui in ipſo Bibliorum codice Apoſtolorum & Prophetarum nomina præſcripta habent; At iſti & iſti ſunt huiuſmodi, ergo,&c.* Quis tam obeſi cerebri fuerit,qui non animaduertat, *principium peti* apud illum ; qui necdum ſcripturis vt diuinitus dictatis aſſenſum præbet? Maiorem enim directè inficiabitur; niſi aliunde monſtretur,eam fide & aſſenſu dignam eſſe.

Quis verò non rideat Rullum, quando in diſputatione de traditionibus ita delirat. *Ex ſcriptura in particulari habetur, libros illos, qui nunc ſunt in manibus, verè eſſe illorum, quibus adſcribuntur: vt Euangelium Marci, quod nunc legimus, verè eſt Marci; quia id teſtatur titulus libri.* Ergóne omnis liber erit Canonicus;qui titulum Apoſtoli vel Prophetę pręfert? Quid ſi quis dicat;titulum Euangelij ſancti Marci eſſe pſeudoepigraphum? Quid ſi quis à falſaria manu adiectum affirmet? Quid ſi,etiam dato, titulum ab ipſo Euangeliſta Marco proceſsiſſe; aliquis diceret; Euangelium illud non eſſe ſcriptum à S.Marco, vt à Canonico, ſed vt à vulgari ſcriptore; quorſum te vertes cum tua epigraphe?

Pergit Rullus: *Si cui hoc non ſatisfacit, pari ratione omnes omnium antiquorum, Eccleſiaſticorum, Philoſophorum,& Hiſtoricorum libros in dubium voces: an verè ſint illorum, quibus ſunt adſcripti: atque ita Pyrrhonicam de omnibus dubitationem introducas.* Non ſequitur hoc, mi homo; quia libros Platonis, Ariſtotelis,Ciceronis,Demoſthenis,Hippocratis,Galeni, nouimus eorum eſſe, quorum nominibus inſigniti ſunt; non tam ex titulo; quàm ex conſtanti ſuperiorum ætatum ad nos vſque delata conſenſione,& teſtificatione, atque adeò ex maiorum traditione. Qua reiecta, omnia fluctuabunt, & omnium operum parentes & effectores incerti reddentur. Fallacißimum enim eſt hoc criterium: *Hic liber prænotatur nomine Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, ergo eſt Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis.* Ergo, velis nolis, ad traditionem & teſtificationem ſuperiorum ſeculorum ad nos perpetua ſerie delatam te recipere cogeris, ſi falli nolis: Imo S. Auguſtinus lib.32.contra Fauſtum cap.21. euidenter oſtendit;neque Manichæos fidem habuiſſe libris Manichæi, niſi ex traditione & teſtimonio Maiorum. Ait: *Hic iam ſi quæratis à nobis, nos vnde ſciamus Apoſtolorum eſſe iſtas litteras: Breuiter vobis reſpondemus, inde nos ſcire, vnde & vos ſcitis illas litteras eſſe Manichæi, quas miſerabiliter huic auctoritati præponitis. Si enim & hinc vobis aliquis moueat quæſtionem, & ſcrupulum contradictionis impingat, dicens; Libros, quos profertis Manichæi, non eſſe Manichæi,quid facturi eſtis? Nonne potius eiuſdem deliramenta ridebitis, qui contra rem tantæ connexionis, & ſucceſſionis ſerie confirmatam, impudentiam huius vocis emittat? ſicut ergo certum eſt illos libros eſſe Manichæi,& omnino ridendus eſt, qui ex tranſuerſo veniens tanto poſt natus, litem vobis huius contradictionis intenderit: ita certum eſt Manichæum, vel Manichæos eſſe ridendos, aut etiam dolendos, qui tam fundatæ auctoritati, à temporibus Apoſtolorum vſque ad hæc tempora certis ſucceßionibus cuſtoditæ, atque perductæ audeant tale aliquid dicere.* Hæc S. Auguſtinus. Quem mirum;Manichęos non amandaſſe ad titulos & inſcriptiones librorum veteris & noui Teſtamenti ; ſi titulus tam certum Canonicæ auctoritatis indicium eſt, quàm certum id videri volunt, par Prædicãtium Rullus & Pareus.

Cur ad traditionem & ad ſua vſque tempora deductam Eccleſiæ teſtificationem eos prouocat; vt & cap. 19. vbi his verbis eorum ſtultitiam, quod Manichæi libris fidem haberent; diuinis habere abnuerent,redarguit: *Vnde ſcis, octo eſſe terras, & decem cælos, quod Atlas mundum ferat, ſplenditenensq; ſuſpendat, & innumerabilia talia, vnde ſcis hæc? Planè, inquis, Manichæus me docuit. Sed infelix, credidiſti; neque enim vidiſti. Si ergo ad millia fabuloſorum phantaſmatum, quibus turpiter grauidata es, te auctoritati ignotißimæ, & furioſißimæ ſubdidiſti, vt ideo hæc omnia crederes, quia in illis conſcripta ſunt libris, quibus miſerabili errore credendum eſſe cenſuiſti, cùm tibi nulla demonſtrentur: cur non potius Euangelicæ auctoritati tam fundatæ, tam ſtabilitæ, tanta gloria diffamatæ, atque ab Apoſtolorum temporibus vſque ad noſtra tempora per ſucceßiones certißimas commendatæ, non te ſubdis, &c.*

Quæ eſt hæc peruerſitas, inquit Rullus, *credere libros Platoni adſcriptos, verè eſſe illos, quos ſcripſit Plato, quia Platonis nomen præ ſe ferunt: Marci verò Euangelium non credere, eſſe verum illud Marci Euangelium, licet nomen Marci tot iam ordine labentibus ſeculis ab Apoſtolorum vſque tempore habuerit præfixum, nullis verè fidelibus contra diſputantibus, præter iſtos improbos Ieſuitas cum impuris Manichæis, Cerdonianis, Marcionitis, & Ebionitis?* Primò omnium vides Rullum duo hic negotia ſimul agere; Calumniari ſcilicet; & mentiri. Quis Catholicorum vel Ieſuitarum diſputat, aut diſputauit contra fundatißimam & receptißimam ſententiam; Euangelium, quod ſancti Marci nomen præfert; verè eſſe ſancti Marci;veroque titulo conſtare,non falſo & ſuppoſititio? Nemo Ieſuitarum hoc vnquam negauit; aut in dubium vocauit. Sed hoc quæritur; *vnde ſcias*; Euangelium ſancti Marci eſſe S.Marci. *Vnde ſcis* hoc,Rulle? Si dicas ex titulo; Statim dicam: Euangelia Thomæ,Matthiæ,Barnabæ, Bartholomæi, Iacobi nominibus indigitata; eſſe horum Apoſtolorum, quia id ex titulo liquet. Quæ collectio improbari nequit ſi illa Rullana probetur.

Notet autem Lector, quàm vafrè Rullus ad conſenſionem & teſtificationem ſuperioris memoriæ delabatur; ſi tamen hæc potius eſt vafrities, quàm neceſsitas. Ita argumentatur: *tot ſeculorum conſenſio ad nos vſque prouecta teſtatur titulum Euangelij ſancti Marci eſſe genuinum, legitimum & germanum; ergo pro tali habendum eſt.* Equidem in

hoc

Digitized by Google

hoc argumento, nil habeo quod castigem: quia traditione nititur, & immenso interuallo dissidet à rudi illo & crudo Rullano. *Titulus præfert nomen S. Marci; ergo Euangelium verè est S. Marci, & per consequens Canonicum.*

Falsum insuper est; quod dicit; propter Platonis nomen præscriptum, credere nos opera illa verè ex Platonis officina processisse. Tolle testificationem & traditionem superioris memoriæ; statimque tuus vacillabit assensus; cum absque huius adminiculo neque noueris, neq; nosse possis Platonem aliquando natum fuisse; tantum abest, vt noueris aliquid scripsisse; cum nô interfueris, nec videris; sed asserentibus duntaxat credendum existimaueris.

Accedit; si Apostoli præscriptum nomen tam certum est Canonicæ auctoritatis symbolum, tamque certa nota, epistolam vel librum Apostoli illius esse; Cur Lutherani reiiciunt à Canone epistolas Iacobi, Iudæ, secundam Petri; secundam & tertiam Ioannis, & Apocalypsin; saltem plerique? An non Apostolorum nomine hi libri prænotati sunt? Procedat Caluinista Rullus, si lubet, in Lutheranam orchestram, cum hoc argumento. Epistola Iacobi habet nomen Iacobi præfixum; ergo verè est Iacobi Apostoli; quos plausus feret? Quanto totius caueæ admurmuratione excipietur?

Porrò vt argumentum à titulo efficax foret; quid dicendum de libris *anepigraphis*, hoc est, qui inscriptione carent? Verum hic opem nobis fert Pareus euidentissima scilicet demonstratione, qua anepigraphorum diuinitas, vel ex ipsis libris, vel ex aliis id testificantibus perspicuè deducitur; nam, vt ait thesi 105. *vel alibi in scripturis allegantur tanquam diuini libri, vel ipsa in se euidenter habent κριτήρια diuinæ scripturæ prius exposita. Sic verbi causa epistolam ad Hebræos esse Pauli, eoq; diuinam & canonicam, euidenter deducitur ex scriptura 2. Thessalon. 3. 17. vbi Apostolus Paulus, & quidem solus, hoc signaculo in omnibus suis epistolis vsus esse legitur, quo epistola ad Hebræos clauditur: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis, Amen. Thesi 106.*

Argumentum est eiusmodi: *Libri, qui in scripturis allegantur tanquam diuini, vel ipsi in se euidenter habent criteria diuinæ scripturæ; illi euidenter vt diuini, & Canonici, ex scripturis deducuntur. Anepigraphi sunt eiusmodi: anepigraphi igitur vt diuini, & Canonici euidenter ex scripturis deducuntur.* Minor probatur exemplo epistolæ beati Pauli ad Hebræos, ex thesi 106. antea descripta. Criteria verò aliâs fuerunt fusius exposita à thesi 45. *Doctrinæ genus diuinum: styli diuina maiestas: doctrinæ diuinus consensus. ergò.* Sed iam responsum est ad Maiorem, inquit Mülhusinus noster in primo Auctario speculi Miseriarum Parei cap. 7. non posse illam euidentem deductionem fieri, nisi apud eos, qui Libros illos, in quibus allegantur alij, pro diuinis habent. Addoque, neces-

A sarium esse; constare, illos, qui iam in Christianorum manibus versantur, vt diuini, esse determinatè eos, qui in aliis Libris diuinis allegantur; hoc verò, vnde docere poterit is, qui eius fidem nondum habet? An ex aliis Libris? & horum auctoritas, & diuinitas vnde constabit? Quod iam ad diuinæ scripturæ κριτήρια, seu indicia spectat, illa ex ipsius scripturæ diuinæ notitia pendent. Nec magis, qui diuinas scripturas non nouit prius, iudicare poterit, quæ nam sint diuinæ scripturæ criteria, seu indicia, quàm qui nesciat, quid aurum sit, vel argentum, & tamen de auri, vel argenti criteriis, vel indiciis iudicare se posse somniat. De toto hoc allegationis & citationis genere supra ad librum primum, capite quarto, contra Hunnium

B copiosè actum est; vt & in prima appendice contra Pappum.

Quod ad Minoris probationem attinet, inquit Mülhusinus, qui epistolam ad Hebræos, Pauli esse docere conabitur, ex epistola ad Thessalonicenses illum, qui hanc non agnoscit pro diuina, nihil inprimis proficiet. Deinde apud eos, qui vtramque pro diuina agnoscunt, ad probandum, illam ad Hebræos esse omninò Pauli, & non alterius; subscriptionis illud κριτήριον leuiculum est. Nam Caluinus ipse ex aliis criteriis, & inprimis ex toto stylo nunquam Paulum eam epistolam vidisse contendet, vt, quæ post Apostolorum tempora scripta sit. Sic

C Aristarchorum priuata (quibus publicum Ecclesiæ iudicium subterfugere conantur) criteria, in rixas abeunt, & altercationes; nec maiorem pariunt de scripturis, illarumque auctoribus certitudinem, quàm criticorum, de Ciceronis, Aristotelis, Senecæ, similiumque auctorum fragmentis, & opusculis coniecturæ, & disquisitiones humanæ. Sed de Criteriis postea.

Quod Pareus dicit Apostolum Paulum in omnibus suis epistolis hac vsum esse subscriptione; *Gratia Domini nostri Iesu Christi, sit cum omnibus vobis, Amen.* falsum est, vt ostendit Mülhusinus in primo Auctario speculi capite septimo, & nos alibi.

D Mirum est, Prædicantes cum Caluino suo lib. 1. Institut. cap. 7. §. 1. & 2. non confugere ad illud κριτήριον, *Scripturas sacras discerni à non sacris per se, vt lucem à tenebris, dulce ab amaro.* An ideo abstinent; quia nimis est absurdum, nimisq; euidenter falsum? Nam si epistola D. Iacobi apud Caluinistas Canonica ita differt ab alia non Canonica scriptura, sicut lux à tenebris; iudicio ergo Caluinistarum, Lutherani omnes sunt cæci; quia hoc discrimen intueri non valent; quis. n. nisi cęcus differentiā lucis à tenebris ignorat? cæcissimus ipse Lutherus; quia initiò appellauit hanc epist. *stramineam*; & cum illo plerique eius asseclæ. Certè nullos vnquā vidimus; qui lucē hāc naturalē dicerent esse naturalem illā, quæ ex absentiā

& priuatione lucis nascitur, caliginem: quia nimis claro ac euidente discrimine seiunguntur à se mutuo lux & tenebræ: & tamen plurimi singulis ætatibus exstiterunt; qui diuinas scripturas negarent esse lucem; tenebrisque, hoc est, falsis & commentitiis libris accenserent: vt patet de Manichæis; qui totum testamentum vetus repudiabant, & ex nouo tantum, quantum lubebat, admittebant; & tamen nullum ex Manetis schola extitisse arbitror; qui quanto interuallo lux à tenebris; & hæ ab illa dissiderent, non intelligeret.

Præterea si inter scripturas Canonicas & non Canonicas tam perspicuum esset discrimen, quam inter mel & fel, certè paucissimi essent, qui libros Canonicos vel in dubium vocarent, vel penitus inficiarentur; sicut paucissimi sunt, quibus ex praua & peruersa gustus affectione & dispositione mel videatur esse fel; hoc est, duce, amarum: at infiniti sunt, quibus in vniuersum libri Canonici non sunt Canonici; & ingens est Lutheranorum multitudo; quibus epistolæ diui Iacobi, & sancti Iudæ in Canonico non sunt pretio; Num hic affectus tantam multitudinem inuadere & occupare posset; si scriptura canonica tam perspicuo & omnibus exposito discrimine à non canonica disiungeretur; quàm claro & perspicuo mel à felle disparatur?

CAPVT IV.

Refutantur alia Criteria, quæ Pareus, Rullus, & Pappus adducunt.

PAreus thesi 42. & ex eo Pappus thesi 59. & ante istos Rullus passim in suis de scripturæ auctoritate disputationibus triplicia arguměta proferunt; quibus persuadeant, scripturas esse Canonicas, & à Deo ipso profectas; quorum nonnulla petunt à personis docentium atque scribentium, seu, vt Pappus loquitur, *à scriptoribus Bibliographis; alia ab ipsa doctrina, alia à doctrinæ effectis.* Pareus thesi 43. *In personis erat diuina vocatio, missio, & inspiratio: de qua olim Ecclesiæ certò constabat, præter scripturam, ex miraculis visis, vel auditis, aliisq; testimoniis diuinis, quod hæ personæ scriberent diuino afflatu. Nobis verò de eadem diuina earum vocatione, missione, & afflatu, certò constare potest etiam ex scriptura, quæ in singulorum propè librorum vestibulis de vocatione Prophetarum, & Apostolorum testatur: vt,* Visio Iesaiæ, &c. Pappus Parei simius, thesi 59. *Prophetis, & Apostolis indidit Deus auctoritatem, vt ipsorum verbis, & scriptis, tanquam Dei ipsius verbis Ecclesia olim crederet, extra ordinaria vocatione, missione, & afflatu. Nobis de eorum diuina vocatione constat ex ipsa scriptura, quæ in singulorum librorum frontispiciis de* A *scribentis vocatione, & diuino afflatu testatur. Eorum miracula meruerunt diuinitate sua fidem, & scriptis fecerunt. Exod.4. Moses meruit fidem miraculis. Matth. 10. ver 7. Marc.16. ver. 15. Apostoli miraculorum dono instructi ablegantur: obtinuerunt fidem. Heb.2. ver.3. Quæ scilicet salus cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus. Roman.15.ver 18. In obedientiam Gentium verbo, & factis: in virtute signorum, & prodigiorum. Vide August. in quæst ex vtr. testam. mixt. quæst. 114. non verbis suasum est, sed rebus, vidimus enim mortuos suscitatos. Idem 22. de ciuitate Dei cap. 8. Pertinet huc insigne miraculum de 70. versionibus. Ioseph. 12. Antiquit. Iudaic. Euseb. lib. 8. de* B *præp. Euang.*

Hæc ex vtroque Prædicante adscribere placuit; vt lector intelligat, Lutheranum Pappum, non adeò esse à Caluinistis auersum, vt eorum lucubrationibus vti detrectet. Quæro ex Prædicantibus; *vnde sciant*; Isaiam, verbi gratia, diuinitus esse vocatum; & auctoritate diuinitus exornatum; missumque à Deo, vt populo diuina placita annunciaret? Eadem quæstio de aliis scriptoribus Bibliographis, quorum nomina operi præscripta sunt; proponi potest; Respondent, *hoc patere ex libri exordio: Visio Isaiæ, &c.* At hic mox recurrit quæstio; *vnde scis*, exordium illud esse verum, non falsum, non suppositítium? Et vt maximè scires, verum esse; vnde scis, esse C Canonicum, diuinum, immediatè à Spiritu sancto profectum? Nam aliud est esse verum, aliud esse Canonicum. Multa in Liuio, & aliis, etiam quæ de seipsis scribunt, vera sunt; num ideo Canonica? Item si quis pertinaciter inficietur, aut illum librũ, aut illud libri exordium ab Isaia esse; quomodo fidem facies? An inde, quia id ibi scriptum est? At hoc prorsus est ridiculum. An quia alibi scriptum est? At si & hoc negetur, vel in dubium vocetur, quid ages? Eadē quæstio redit de miraculis. Vnde scis miracula illa esse vera? An inde prǽcisè, quia scripta sunt? At hoc prorsus est futile. Quid si quis neget scripturã illam? Quid consilij capies? Vnde scit Pappus miraculum illud de septuaginta Interpretibus, nisi ex testifi- D catione Iosephi? Et vnde sciuit Iosephus nisi ex testificatione maiorum suorum? Et vnde scit Prædicans, hoc ipsum testimonium esse Iosephi, nisi ex superioris ætatis traditione; non enim interfuit, quando Iosephus testimonium illud dedit, vel in litteras retulit. Quidquid Prædicantes vel de miraculis, vel de scribentium vocatione, missione, inspiratione, garriant, nugas agunt; nunquã testimonio Ecclesiæ secluso ex his syrtibus sese expedient.

Alterum genus criteriorum sumitur à Pareo, eiusque exscriptore Pappo, ex diuino doctrinæ genere *Dei in scriptura de se loquẽtis maiestate roboratum.* Vnde scis, hoc esse diuinũ doctrinæ genus? In epist. Iacobi est diuinum doctrinæ genus; iu-

dicio

Digitized by Google

dicio Parei & Rulli: at iudicio Lutheri, stramineum, genio & spiritu Apostolico destitutum. Vnde scis, hoc doctrinæ genus *testimonio Dei roboratum esse?* Quid tu mihi, Paree, styli diuini maiestatem prædicas? inquiet Lutheranus; In epistola Iacobi non est stylus diuinus, sed *stramentitius*. Nec in epistola Iudæ est diuinus; nec in altera Petri; nec in secunda & tertia Ioannis. At Caluinista ait esse diuinum. Rectè quidem. Sed *vnde hoc fit?* Ex ipso videlicet stylo. Si ex ipso stylo; quî fit, quod hoc ipsum non sciunt Lutherani? An naso carent; quo stylos diiudicent? Quis nescit, quàm in omni litterarum genere criteriũ à stylo, fallax, fragile & infirmum esse soleat: quãto magis in diuinis, vbi Spiritus sanctus spirat, hoc est, scribit & loquitur, prout vult; nunc hoc, nunc illo modo. Quid cladis nõ intulit styli iudicium libris tam sacris quàm profanis? Non nego moderatè vsurpatum conferre ad inuentionem veri. At verò scripturas necdum acceptanti proponi posse, tanquam certum criterium, quo ad assensum inducatur, seclusa Ecclesiæ testificatione; id omnino abnuimus. quia fieri potest, & vero quotidie fit; vt quem tu stylum ducas pro diuino, alter reputet pro spurio & apocrypho, friuolo, inani. Itaque vt stylum diuinum, & à Deo immediatè profectum credam; oportet, vt aliud motiuum ad hanc assensionem me inducat: nam ipse solus nudusque stylus id nunquam efficiet. Vt nec doctrinæ diuinæ consensus. Quid si quis neget, huiusmodi consensum in scriptura inesse: quid facies? Si quis, vt olim Manichæi, & alij Hæretici, contendat omnia scatere contradictionibus, quid consilij capies? Neque valet absolutè hoc argumentum: *Doctrina huius vel illius libri vbique sibi consonat & constat; ergo liber est diuinus & Canonicus*; quia etiam in profano libro mirificus doctrinæ concentus inesse potest.

Addit Pappus thesi sexagesima secunda, *vaticiniorum manifesto euentu comprobatam veritatem*. Vnde infallibiliter scit; vaticinia illa fuisse vera? vnde scit, manifesto fuisse euentu comprobata? vnde scit, scripturam; quæ oracula Prophetarum impleta testatur, esse diuinam & Canonicam? Vnde neganti hoc suadebit? Vnde fidem conciliare tentabit? Num ex ipso nouo testamento? Quid si illud reiiciat?

Tantundem potest *mysteriorum diuinorumque dogmatum in scriptura tractatorum veritas*, de qua Pappus thesi sexagesima prima. vnde infallibiliter scis dogmata illa esse vera? Et *admirandam figurationem & varietatem sublimissimarum visionum*, de quibus scriptura, verè contigisse, vnde tibi compertum est? Quid si quis hoc inficietur? Idem dico, de *veneranda antiquitate Bibliorum*. Homerus & Hesiodus etiam antiquissimi sunt. Herodotus vetustior omnibus noui testamenti scriptoribus. Nec conuincit *doctrinæ sacris litteris conceptæ illibata sanctitas, & venerabilis honestas,*

A *eaq́; constans & perpetua, sibi nunquam contraria*: de qua Pappus thesi sexagesima quinta. Vnde scis huiusmodi illibatam sanctitatem & perpetuam constantiam Canonicis libris inesse? Aliquid aliud antecedat oportet; quo ad infallibilem assensum inducaris.

Fidem deniq. facit, inquit Pappus, *scripturæ autoritati exquisitissima in ciendis & tractandis animis eiusdem verbi vis & efficacitas; penetrantior omni gladio ancipite.* Si hoc criterium certum est ac indubitatum; quî, obsecro, fit, vt Caluinistarum animos epistola sancti Iacobi mirificè cieat; & canonica prorsus aura afflet; vestris autem, hoc est, Lutheranis mentibus, nil nisi apocrypham; & olim etiam stramineam auram halet?

B Adfert Pareus thesi 47. *etiam magnitudinem rerum, de quibus Prophetæ & Apostoli concionantur.* Si quis hanc magnitudinem inficietur; quid occipies? Si quis, vt olim Ethnici & Hæretici blasphemant, dicat, scripturæ res esse inanes, friuolas, ridiculas; aliam quercum extundere debebis, vt talem à sua opinione abducas; & ad tuã traducas. Cur Caluinistis res in epistola sancti Iacobi tractata videtur grauissima; Luthero, *straminea*; & ex diametro cum doctrina Paulina pugnans?

Idem colligit Pareus thesi 49. *Ex concione Euangelij, de admirabili iustitia, & misericordia Dei temperamento in seruandis electis, gratuita remissione peccatorum, & regeneratione, propter λύτρον Mediatoris:* C *cùm omnes aliæ religiones, & aliorum sapientum scripta fingant Deum misericordem, vt faciant iniustum, nec irascentem peccatis.* Respondet Mülhusinus noster in Animaduersionibus ad theses Parei: *Omnes religiones, & aliorum sapientum scripta, sic Deum fingere misericordem, vt peccatis non irascatur, summa tua est ignorantia. Nam, vt nihil dicam de Alcorano, in cuius azoara 2. sic legitur: Omnis peccator, culpæ culpas accumulans, igne perenniter comburetur: velut omnis Deum timens, bonorum perfecutor operum, paradisi gaudiis æternè fruetur: Vel ex solo Plauto hæc discere poteras:* Est profectò Deus, qui, quæ nos gerimus auditque, & videt: Benè merenti, bene profuerit: malè merenti, par erit. Et, *quid aliud* D *Virgilius, vt cæteros omnes, quorum plurimi sunt, omittam, toto libro sexto Æneidos agit, quàm vt Deum sceleratos in inferno pro meritis perpetuò punire persuadeat? Huc enim spectãt illa;* Hîc, quibus inuisi fratres dum vita manebat, Pulsatusue parens, & fraus innexa clienti, &c. *De misericordia verò Dei, in seruandis electis, de gratuita remissione peccatorum, & regeneratione propter λύτρον Mediatoris, concionatur quidem nobis Euangelium; sed, illæ conciones, nisi fides habeatur prius ipsis scripturis, non pluris fient, quàm olim D. Pauli conciones, qui scripturarum fide nondum instructis, neq; aliunde per Ecclesiæ doctrinam, sat informatis, noua dæmonia denuntiare videbatur, ipsum Christum prædicans. Act 17. Ne igitur tu Paree, nouus architectus domus ædificationem à tecto ordiaris.*

Pergit

Digitized by Google

Pergit Pareus thesi 50. & 51. *Ex scopo doctrinæ, ad quem nulla doctrina, nisi diuina exactè collimare, & perducere potest. Is verò est I. Gloria solius Dei illustratio, vt, qui gloriatur, in Domino glorietur, Ierem. 17.1. 1.Corinth.1.30. II. Solida, & æterna animarum nostrarum consolatio, & salus, vt per consolationem scripturarum spem habentes, & credentes in filium Dei, vitam æternam obtineamus. Roman. 15.4. Ioan. 20.31.* Semper pulsat mẽtem meam solennis illa Quæstio: Vnde scis solam scripturam hoc exactè præstare? Quid si quis hoc inficietur? Quomodo inficianti falsam persuasionem eximes, veramque inseres? Igitur, vt hæc & similia aliquid apud auditorem efficiant; necesse est, vt prius sacras litteras diuinas esse credat; nisi enim hic assensus præcedat, frustra sunt Prędicantes cum suis Criteriis. Si quid, verbi gratia, ex Caluini, Bezæ, Vrsini scriptis probandum sibi sumat Minister quispiam, nunquid fidem adstruet apud auditores, qui num libri illi Caluini, Bezæ, Vrsini sint; vel ignorant, vel dubitant? Prius igitur auctorem libri doceam necesse est, quàm alios ex libro de auctoris mente certos faciam; vt rectè dixit Mülhusinus noster in Animaduersionibus. Sic etiam necesse est vt veteris & noui testamenti libros prius diuinos esse credam, quàm Catholica fide credam, infallibiliter verum esse id, quod in illis scribitur; nisi enim prior ille assensus antecedat, posterior nunquam enascetur. At vnde nascetur prior ille assensus, quòd scilicet hæc verba: *Euangelium secundum Matthæum; Liber generationis* IESV *Christi, &c.* sint diuina; non autem diuina sint illa: *Euangelium secundum Thomam; Matthiam, &c. Reuelatio Petri Apostoli* IESV *Christi, &c.* Ex quo, inquam, Criterio hic assensus infallibilis existet? Hic semper aqua hæret Pareo. Qui insulsè prorsus & indoctè affirmat, posse fide Catholica infallibili & supernaturali priꝰ credi scripturas esse veras, quàm credatur eas esse diuinas seu diuinitus reuelatas; quod perinde est; ac si diceret; posse aliquid videri, antequam ratio sub qua res videtur; nempe lux, adsit; cum enim diuina reuelatio sit formale obiectum fidei Catholicæ & supernaturalis; impossibile est; vt in suum obiectum fides Catholica tendat; si ratio formalis sub qua, hoc est, diuina reuelatio absit; sicut impossibile est; vt visus in obiectum suum feratur, deficiente formali obiecto.

Quam ignorantiam Parei egregiè castigauit Mülhusinus noster in Animaduersionibus, & in primo Auctario speculi Miseriarum Parei capite octauo, vbi inter cætera, *quamprimum,* inquit, *mihi persuaseris, Paree, posse videndi, audiendi, odorandi, gustandi, tangendi, intelligendi, appetendi functiones subsistere; licet in sua obiecta, sub visibilis, sonori, odorabilis, tactilis, &c. formali ratione non ferantur; persuaseris etiam, fidem Catholicam versari circa verum posse, quod tamen non credit, vt*

A *diuinum; amoremque supernaturalem, & Christianam spem, circa bonum, in quo nihil adbuc cernatur diuini, &c.*

Nec nisi immeritò pro suæ hallucinationis patrocinio adducit Pareus Bellarminum; quasi lib.1. de verbo Dei, palam supponat: *fidem Catholicam scripturæ, à veritate prædictionum & testimoniorum ad diuinitatem procedere*, hoc est, fidem Catholicam de veritate scripturarum priorem esse, quam fidem Catholicam de diuinitate scrĩpturarum; *Nam quod ad Bellarminum attinet, ipsius mentem assecutus non es*; inquit Mülhusinus. Sacras litteras certissimas esse, atque verissimas, nec humana inuenta, sed oracula diuina contineri, rectè docet Bellarminus, testem esse ipsam scri-B pturam; *cuius*, inquit, *si veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, vt euentus postea comprobauit, cur vera non sint rerum præsentium testimonia?* Ex quibus ipse rectè concludit, non esse regulam fidei Fanaticorum priuatam reuelationem, quæ nobis ignota est, & incerta: cùm fidei regulam notam esse, necesse sit.

Verùm, vt ad caput secundum libri primi dictum; ex scripturæ testimoniis neque probat Bellarminus, neque probare potest, scripturas esse certissimas, atque verissimas, nisi illorum respectu, qui iam eas, vt diuinas, & Canonicas admittunt. *Nam, ab aduersariis*, inquit ipse Bellarminus, *illorum testimonia non magni fiunt.* Itaque Bellarminum illo loco, palàm supponere, *fi-C dem Catholicam veritatis scripturarum, præcedere fidem Catholicam diuinitatis scripturarum*: in hoc sensu, in quo nunc tecum disputo, *quasi prius Catholica fide, & supernaturali credere possimus scripturas esse veras, quàm nouerimus illas esse à Deo reuelatas*, manifestè falsum est, nec à te probari poterit vnquam, nec ad Christianas aures admittendum. Neque igitur Bellarmino, nec vlli Catholicorum alteri in mentem venire potest, prius posse quidpiam à nobis Catholica fide credi verum, quàm credatur diuinum, vel à prima veritate profectum, seu reuelatum.

Dices: Nihilne ergo Criteria illa, quæ Prædicantes adferunt, in animo auditoris efficiẽt? Omnino; sed in animo eius auditoris, qui iam scri-D pturis, vt diuinis, assentitur. Illum enim vel maximè ad assensum continuandum, & intendendum incitabit, & inflammabit diuinarum litterarum antiquitas, castitas, sanctitas, integritas; simplicitas, omnis fuci expers; & si quæ sunt huius generis alia.

Dices: Hæc & similia criteria etiã in animis nondum credentium posse & solere excitare opinionem, qua sibi persuadeãt, prudenter facere eos; qui huiusmodi libris, vt diuinitus traditis ac dictatis assentiuntur; hinc inter motiua fidei etiam sacrarum litterarum sanctimoniam, puritatem, vetustatem; aliasq; huius generis elogia, atq; adeò effecta commemorari. Respondeo, id ita esse; neq; à nobis negari; Tantùm hoc aduer-

sus

sus Prædicantes contendimus; hæc & similia ad ingenerandam supernaturalem in auditorum animis fidem non sufficere, nisi accedat infallibilis testificatio Ecclesiæ; quæ & criteria illa vera esse confirmet; & hos illosq; libros à Spiritu sancto immediatè dictatos esse, infallibiliter pronunciet. Absq; hoc medio, quidquid tentaueris; quidquid tibi persuaseris, quidquid iudicaueris; quidquid criteriorum iactitaueris; nunquã in animo tuo fides supernaturalis gignetur; quia ianua ad hanc, liceat sic loqui; & *conditio sine qua non*: est propositio & testificatio Ecclesiæ; sine cuius adminiculo, ne de aliis quidem criteriis aliquid certò & infallibiliter nouimus; tantum abest; vt absq; eius ope & opera, ipsam scripturarum diuinitatem cognitione supernaturali notam perspectamque habeamus.

Hic mirabilem circulum comminiscitur Pareus in sua Exegesi capite decimotertio. Quæritur vnde probetur extra scripturam, hanc scripturam esse Spiritus sancti scripturam? Huic quæstioni, Catholicorum nomine, responsionem quæ sequitur, suis verbis Pareus subiicit, ex qua circulum illum fabricetur. *Ex solius*, inquis, *Ecclesiæ testimonio, quæ hanc scripturam iudicat diuinam, atque Canonicam. Et quare*, inquam, *quod iudicat, est verum? quia*, inquis, *Ecclesia est infallibilis. Et quare infallibilis? quia ducitur à spiritu Dei. Et vnde hoc habes? Ex scriptura*, &c. *Vides, Domine censor, in quem circulum te abducat tua argutia? in quo proinde, te, tuosq; sodales Manichæos in infinitum post hac defatigabimus.*

Sed quem ipse in hoc circulo defatigaret? inquit Mülhusinus noster: ne claudum quidem, & anhelum canem. Videat potius, quomodo ex hoc circulo, se, suosque sodales eripiat, in quo illos ad internecionem vsque agitantes flagellabimus, nisi resipiscant: *Si enim ex te quæram, vndenam solùm efficaciter, & indubitanter noris, has scripturas esse diuinas, illas apocryphas, quid referes? Ex interna*, inquies, *testificatione spiritus, qui hanc scripturam in corde meo iudicat diuinam, atque Canonicam. Et quare*, inquam, id, quod iste spiritus iudicat, est verum? *quia*, inquis, *sanctus est Spiritus. Fortassis cacodæmon est*, inquam ego. Attu, *in scriptura credentibus promissus est*, dices. In qua verò scriptura? Ioan. 16. *cùm venerit ille spiritus veritatis*, &c. *Sed, vnde iam scis illam scripturam Ioannis in particulari esse Canonicam? Non audis tu?* respondebis, *ex interna spiritus mei testificatione. Ergò, Paree, tu internam tuam spiritus testificationem, esse à Spiritu sancto credis, per aliquam scripturam, quam tamen, tu non aliunde efficaciter & indubitanter nosti esse diuinam, quàm ex illa eâdem interna tua testificatione?* Cætera enim criteria foris adiuncta sunt scripturis, & sola interna testificatio efficax est, vt credamus scripturis. *Vt ergò concludam, non credis tu vltimò propter scripturam, sed propter internam tuam testificationem, ex qua sola indicas, etiam de ipsa scriptura indubitanter. Et (vt circulus absoluatur) tu-*

A *am testificationem, credis fide Catholica, propter tuam testificationem. Et tamen passim contendis, vltimum, in quod terminatur fides tua, esse scripturam.* Potestne aliquid fingi stolidius? Ex hoc tu labyrintho, si potes, exeas.

Vt ad circulum Pareanum veniamus; rogatur Catholicus, vnde nouerit; Ecclesiam Spiritu sancto infallibiliter regi; non tantùm respondebit, se id nosse ex scriptura; sed ex verbo Dei siue scripto, siue non scripto; vtrumque enim verbum testatur Ecclesiam Spiritu sancto regi, & in omnem veritatem, absque erroris periculo, duci. Quia verò Ecclesia non tantùm scripto, sed & non scripto Dei verbo testimonium perhibet; atque adeò infal-

B libilitas verbi non scripti æquè nobis innotescit per infallibilem Ecclesiæ testificationem, atque infallibilitas verbi scripti; dicere quis posset, non cessare circulum; licet respondeatur, infallibilem Ecclesiæ auctoritatem compertam & exploratam nobis esse ex verbo Dei tam scripto quàm tradito; quia in promptu est quærere; vnde tibi infallibilitas verbi Dei tam scripti, quàm non scripti constat? Respondebitur vtique; Ex Ecclesiæ testimonio; & vnde tibi huius testimonij infallibilitas patescit? vtique ex verbo Dei seu scripto, seu non scripto. Quocirca idem adhuc manebit circulus: ideo dicendum arbitror, non omnem circulum esse vitiosum & improbandum.

C Nam apud Aristotelem & alios Philosophos admittitur circulus seu regressus syllogisticus, & demonstratiuus; sed tunc repudiari debet, quando ab eodem prorsus ad idem, nulla interim vtriusque variatione, quoad notitiæ rationem, interueniente, fit regressus; vt rectè nuper explicauit Tannerus noster in disputatione de fide, spe, & charitate; thesi 80. Quod tum demum accidit, quando consequens, ex antecedente illatum, nulla alia, præterquam antecedentis notitia fultum, & probatum, mox iterum ad sui antecedentis probationem assumitur. Sic enim planè idem, eiusdem respectu, foret prius, & posterius, aut certè notius, &

D ignotius: sic idem ex se ipso probaretur, vt optimè Aristot. contra veterum quorundam errorẽ argumẽtatur. Secus est, quando consequens alio quodam diuerso medio innotescit, atque sic demum ad sui antecedentis probationem assumitur. Tunc enim, nec Aristoteles, nec vllus Philosophorum negat, fas esse regressu in argumentando vti. Neque verò sic absurdis superius adductis, aut aliis quibuscunque vllus aperitur locus, neque ipsi etiam Aristoteli insuetum esse noscitur, tali regressu in ratiocinando vti. quandoquidem ex diuisibilitate motus probat diuisibilitatem temporis; & è contra: & rursum, æternitatem motoris ex æternitate motus; & è contra.

Digitized by Google

Hoc verò in proposito accidere ita manifestum fit. Quando enim ex infallibili Ecclesiæ propositione persuadetur alicui fides, siue totius scripturæ diuinæ, siue certæ tantum alicuius partis, de qua dubitat: iam certè illa Ecclesiæ propositio, quâ talis, infallibilis non creditur (etiam loquendo de motiuis credendi) ex ipsius scripturæ, quæ suadenda est, infallibili auctoritate: sed, vel ex communibus Ecclesiæ motiuis, in priore casu, vel ex alterius cuiuspiam libri Canonici iam antea explorata auctoritate, in posteriore.

E conuerso, quando ex aliquo scripturæ loco, verbi gratia Matth. 16. 1. Tim. 3. suadetur infallibilis Ecclesię in proponendo auctoritas: iam pro argumento fidem suadente, non adhibetur scriptura, prout præcisè, ex Ecclesiæ infallibili auctoritate, & propositione discitur; sed vt vel ex aliis scripturæ locis, vel ex communibus motiuis fidei, quibus, vt diximus, ipsa Ecclesiæ auctoritas quidem, sed non, vt infallibilis, & infallibili fide credita continetur, rectissimè creditur.

Et sanè, quoties alicuius veritatis assensus externo medio nititur, nil penitus obstat, quo minus ille, ex vno medio conceptus, vicissim ad eiusdem medij assensum concipiendum assumatur, modò seorsim vtraque eiusmodi veritas aliunde sufficienter credibilis reddatur, atque sic demum in probando mutuas sibi inuicem operas præstent. Exemplum esset, vt de humana politia taceam, si Deus duobus Prophetis reuelaret quæpiam, & in his ipsis etiam vtrique, vtrumque verum esse Prophetam, addita vi sufficiente, qua singuli sua eiusmodi vaticinia sufficienter credibilia redderent, &c. Tunc enim vicissim vnus alteri testimonium meritò perhiberet.

Imò hoc re ipsa quodammodò iam accidit in Christo Domino, & Ioanne Baptista, quorum vterque cum suis dictis iam antea sufficientem fidem, tum ex vita, tū ex miraculis adstruxisset, rectissimè alter alteri veritatis testimonium perhibuit, ita vt Christo fides haberetur ob testimonium Ioannis, tanquam ob motiuum fidei, iuxta illud Ioan. 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* qua de caussa, etiam Christus testimonium Ioannis pro se allegauit. Ioan. 7. Et vicissim Ioanni ob auctoritatē Christi, quæ à parte rei erat ipsissima credendi ratio, iuxta illud Luc. 7. *Et omnis populus audiens* (testimonium Christi de Ioanne) *& publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.* Nunquid per circulum, ô circulatores? Hæc ex Tannero nostro. Ex quibus omnia euanescunt, quæ Pareus & alij sectarij circulatores de circulo nostro in credendo, circulantur, vt sic dicam, hoc est, nugantur.

De criteriis ex effectis scripturæ agit Pareus cap. 15. Exegeseos thesi 54. & seqq. De quibus iam

A antea, cùm de Pappo sermo esset: nam veritatem Propheticorum oraculorum; & euentum; & prædictionem futurorum; & vim afficiendi & solandi animos, numerat Pareus in effectis scripturæ; vt & internam testificationem spiritus; de qua postea. At hæc non esse sufficientia criteria; vt scripturam à Deo profectam credamus; ostensum est antea. Nec opus repetere.

Ex his facilè erit statuere de quæstione illa; num dogma de scripturis Canonicis, seu, quod hi vel illi libri sint Canonici, contineatur in scripturis. Affirmat Pareus, Pappus, Rullus, alij; Quàm meritò, iam vidimus, & postea magis videbimus. Nos negamus; & nobiscum

B etiam Hunnius & collegæ eius in Colloquio Ratisbonensi: Nam huius syllogismi nostri: *Dogma de scripturis Canonicis non continetur in scripturis. Dogma illud, est Catholica fide credendum: & est articulus fidei: ergò, quædam Catholica fide credenda, & quidam articuli fidei, non continentur in scripturis; & per consequens, scriptura non sunt vnica Norma.* Concesserunt Prædicantes Ratisbonæ Maiorem; negaruntque Minorem: quod Pareo displicuit thesi 117. 118. 119. Hinc Lutheranos Prædicantes ad ferulam suam vocans, *non Minor,* inquit, *neganda fuerat,* (quod Antagonistæ Iesuitarum, Hunnius & alij fecerunt) *sed Maior propositio* (Dogma videlicet de scripturis Canonicis non contineri in scripturis.)

C Subdit Mülhusinus noster in sua Censura. Rectè nobiscum rudes illos Prædicantes Pareus reprehendit; quod istius syllogismi Minorem propositionem negarint; quæ vnum vel ex præcipuis fidei Christianæ fundamentis, continet: quo conuulso totam nostram religionem nutare necesse est. quo verò iure negat ipse Maiorem? *Ostensum est,* inquit, *illud in scripturis contineri, partim disertè, partim consequenter.* Vbi verò hoc ostensum est? Neque enim tu, ait idem Mülhusinus in Primo Auctario speculi Miseriarum Parei, cap. 7. dogma de scripturis Canonicis, in scripturis ipsis contineri, vel expressè, vel euidenti deductione, illis, qui pro Canoni-

D cis, & diuinis easdem scripturas nondum agnoscunt: probabis magis, ex ipsis scripturis, quàm ex optimi tui, Illustrissimique Principis litteris, probare poterit ignotus quispiam tabellio eas esse authenticas Illustrissimi sui Principis litteras, illi, qui ignorat, vel dubitat; num hæ ipsæ litteræ, ex quibus fidem illis adstruere conatur, qui obtulit, verè sint Principis, an quod euenire solet sæpiusculè, alicuius potius impostoris? Vel quam tu ex testamenti alicuius (quod an legitimum verè sit, vel subreptitium, ignoretur) recitatis verbis, illud esse legitimum, & authenticum probare cuiquam possis: qui, num testamentum verè sit talis testatoris, an verò potius alicuius impostoris,

prius

A prius sibi demonstrari iustè postulat. Quodnam enim probationis genus est hoc; verbi gratia; *Epistola Pauli ad Romanos citatur in epistola diui Petri; vt diuina, & Canonica: est ergò vt diuina, & Canonica, fide Catholica recipienda*: apud eum, qui num illa ipsa diui Petri epistola diuina, & Canonica sit, fideque Catholica digna, prius non agnoscit, & certus non est, illam, quæ iam pro diui Pauli epistola ad Romanos omnium manibus teritur, determinatè, & certò eam esse, cuius diuus Petrus mentionem facit? Idem est, de similibus probationibus ex scripturis iudicium, vt si dicas scripturam hanc asserere, se certò à Deo profectam: vel hanc eandem asserere, illam, vel illam à Deo manasse, &c. apud B eum, qui neutri fidem adhibet. *Ex quibus luce clarius conspicitur, dogma hoc, de scripturis Canonicis*, (seu quod Biblia sint verbum Dei, & hi, vel illi libri sint diuini) *ex scripturis ipsis probari nullo modo posse*; ac proinde, in illis etiam nullo modo, siue expresse, siue implicitè per euidentem deductionem contineri, *illorum respectu, qui fidem scripturis nondum adhibuerunt*; verissimamque syllogismi propositi maiorem esse; minoremque de fide Catholica certam, ac proinde hæreticis omnibus indissolubilem, quidquid contra moliantur.

Illud non est silendum: Pareum reprehensionem Lutheranorum Prædicantium in Colloquio Ratisbonensi postea mutasse, vel certè C mitigasse, ne sempiternum, omnique prorsus modo implacabile apud Lutheranos odium incurreret. Quamobrem ex censore Moguntino sciscitatur: *Quomodo reprehenderit Iesuitarum Antagonistas.* Expedita responsio est, inquit Mülhusinus, in Animaduersionibus ad thesin 108. Nam thesi 119. *non Minorem negandam fuisse, quod ipsi fecerunt, sed Maiorem*, disertè affirmas. An hoc ad antagonistarú laudem, an potius vituperium pertineat, ipsi iudicent: &, si reprehensi non fuerant, quam tu igitur mutandæ (vt eos tibi reconciliares) tam turpiter theseos illius, in secunda editione necessitatem habuisti? vt Caluiniana metamorphosi (FVERIT in SIT) verbis illis (*quod antagonistæ eorum fece*D*runt*) prorsus omissis transformares? excusas tamen illos dicens, *eos rectè hoc fecisse, in quantum dogma hoc Canonis fidei principium est.* Vide, in quas te formas, nouus videlicet Proteus, conuertas: & elabi tamen non potes. Nonne expresse dixeras thesi 117. primæ editionis. Lutheranos *incautè negasse dogma illud esse articulum fidei, siue generaliter*, (prout etiam de principiis fidei dicitur) *siue specialiter?* Quod tu verò in secunda editione, thesin istam etiam vt ignominiæ notam ignorantiæ fratribus istis inustam tegeres, mutaueris, & mitigaris, hoc quidem hypocrysin tuam, & veteratorias artes ostendit: culpam censoris prorsus nullam. Vtrum verò ex verbis, sententiisque mutatis, apud ignaros, aliis insultare, honesti, integrique viri sit, & constantis Theologi, an impostoris potius, & sycophantæ, æqui lectoris esto iudicium. Sed, vt fraudes tuæ manifestiores sint omnibus, vtriusque editionis theses illas hîc libet describere.

Thesis 117. primæ editionis.

QVINTO: *quòd non satis cautè negatum fuerit ab eorum antagonistis, id esse articulum fidei, siue generaliter, siue specialiter: magis verò incautè concessum, id haberi ex traditione, siue testificatione Ecclesiæ.*

Eadem secundæ editionis.

B Quintò: *Etsi sanum sensum etiam habere possit, Antagonistarum negatio, quod hoc dogma non sit articulus fidei; quatenus nempe est principium fidei, tamen non satis cautè id fuit negatum absolutè, minus etiam cautè concessum Iesuitis, id tantùm, vel præcipuè ex testificatione Ecclesiæ haberi.*

Thesis 119. primæ editionis.

Denique, *quod in Iesuitarum argumento tunc agitato*: Dogma de scripturis Canonicis non continetur in scripturis: dogma illud est Catholica fide credendum, & est articulus fidei: Ergò quædam Catholica fide credenda, & quidam articuli fidei non continentur in scripturis; & per consequens, scripturæ non sunt vni- C ca norma. *Non minor neganda fuerit (quod antagonistæ eorum fecerunt) sed maior Propositio, dogma videlicet de scripturis Canonicis non contineri in scripturis. Nam contineri partim disertè, partim consequenter, ostensum est. Atq; hæc de scripturarum sacrarum diuina, & Canonica auctoritate hactenus.*

Eadem secundæ editionis.

Denique quod in Iesuitarum argumento tunc agitato: Dogma de scripturis diuinis, & Canonicis non continetur in scripturis: Dogma illud est Catholica fide credendum, & est articulus fidei: ergò, quædam Catholica fide credenda, & quidem articuli fidei non continentur in scri- D pturis, & per consequens: scripturæ, non sunt vnica Norma. *Ibidem pag. 128. non minor neganda sit, sed maior propositio: dogma videlicet de scripturis Canonicis non contineri in scripturis. Nam contineri partim disertè, partim consequenter, ostensum est.*

Digitized by Google

CAPVT V.

Refutatur internum Criterium, in priuato vniuscuiusq; instinctu positum.

ALTERVM *diuinum testimonium est internum*, inquit Rullus in Didascalia de verbo Dei thesi 33. *Nimirum testimonium Spiritus sancti in cordibus credentium; quod est interna illa inspiratio vis, & efficacia Spiritus sancti, quâ nostra corda mouet, & flectit, ad credendum verbo Dei. Idem enim Spiritus sanctus, cuius inspiratione verbum Dei conscriptum est, nobis in cordibus nostris testificatur, sancit, confirmat, persuadet, obsignat, & largitur, vt credamus, hoc verbum esse verè verbum Dei.*

De eodem interno criterio multa idem Rullus in disputatione de vno Theologiæ principio, thesi 17. & sequentibus. *Internum testimonium diuinum est Spiritus sancti, qui vnicuique fidelium in corde testatur, & confirmat, scripturam hanc Propheticam, & Apostolicam esse verè diuinam. Idem enim spiritus Dei, qui nos docet de omnibus 1. Ioan. 2. 27. & testatur nobis in cordibus nostris, nos esse filios Dei. Roman. 8. 16. testatur etiam scripturam (quæ hoc ipsum de adoptione nostri loquitur) esse diuinam. Hoc internum testimonium Spiritus sancti, priuatum est, atque arcanum. Non est idem cum externo Ecclesiæ iudicio. Nec pendet ab Ecclesiæ externo testimonio. Et illis duntaxat notum est, in quibus spiritus Dei habitat. Et ipsos solos, in quorum cordibus à Spiritu sancto perhibetur, non alios spectat, hoc est, seruit solùm ad excitandum in illis fidem, ad confirmandum in ipsis scripturam esse diuinam; non autem, ad persuadendum aliis. Nec enim licet eo sic vti; Tu debes credere, scripturam Propheticam, & Apostolicam esse diuinam: quia, Spiritus sanctus id mihi testatur in corde meo. Qui eo sic vtitur, ad alios, Enthusiasta est. Internum*, inquam, *hoc Spiritus sancti testimonium non aliis, sed nobis persuadet. Et hoc testimonium maximè pertinet ad hanc caussam, vt agnoscamus scripturam à Deo manasse. Sine eo, scripturæ non agnoscuntur solidè, nec creduntur citra hæsitationem: quia sine dono Spiritus sancti fides minimè generatur. Per illud autem agnoscuntur scripturæ sine testimonio Ecclesiæ. Ideo singulis sufficit, etiamsi non accedat Ecclesiæ testimonium.*

Pareus thesi quinquagesima septima. *Tertiò (criterium est) testificatio interna Spiritus sancti in cordibus electorum de huius doctrinæ veritate, & certitudine: Filij siquidem Dei legentes, vel audientes hos libros, audiunt, & agnoscunt loquelam Patris sui, & discernunt eam ab aliis, vt testatur Christus, Ioannis 10. 17.* Oues meæ vocem meam audiunt, *Et cap. 8. 42.* Si Deus Pater vester est, quare loquelam meam non agnoscitis? *Hanc testificationem Augustinus vocat* PERSVASIONEM *diuinam; &, ad* A *hanc potissimùm prouocat contra quæstionem* VNDE SCIS?

Verumenimuerò, quomodocunque Prædicantes hoc suum criterium comant, colorent, & picturent; non seruit inprimis omnibus; quod palam fatetur, monetque Rullus: nos autem hic communia omnibus criteria indagamus. Deinde fallacissima sunt hæc priuati pectoris criteria; instinctusque sæpè mendacissimi, & ab ipso Diabolo inditi; iis tamen pigmentis fucati; vt non nisi à Deo profecti censeantur; pernicioso sanè errore. Quando Lutherus epistolam sancti Iacobi vocauit *stramineam; & Apostolici spiritus exsortem; Paulinæque doctrinæ in e-* B *pistola ad Romanos aduersa fronte aduersantem*; id nimirum fecit, ex interno spiritus impulsu; & testificatione illa diuinitus in corde suo obsignata: Ita ipse quidem censebat. At ne Caluinistæ quidem diffitentur hoc iudicium aliunde, quàm à Spiritu sancto processisse; vt & alia eiusdem de epistolis Petri, Ioannis, Iudæ; & *ipsa* Apocalypsi.

Quanta, bone Deus, vanitas est committere vniuscuiusque interno & priuato afflatui diuinorum librorum Canonem; & quidem independenter à testimonio Ecclesiæ; nam vt Rullus dicit; *per hoc internum criterium agnoscuntur scripturæ, sine testimonio Ecclesiæ.* Quantus hic li- C centiæ aperitur campus? Quanta somniis, & somniorum Præsidibus Morpheo, Icelo, Phantaso patet quiduis effigiandi & efformandi materia? Nec defuerunt occasioni datæ; vt notum; Alius hunc, alius alium librum ex Canone extrusit; & hoc quilibet ex interno sancti Spiritus testimonio, si non mentiuntur isti sancti Spiritus iactatores inclyti: qui sibi suauissimè blandiuntur solamine illo, quod filij Dei legentes vel audientes hos libros audiunt & agnoscunt loquelam Patris sui, & discernunt eam ab aliis. Hinc Lutherus audiens vocem loquentis per epistolam Iacobi, dixit eam esse *stramineam; & spiritus Apostolici exsortem.* Quare? Quia *oues meæ vocem meam audiunt.* Hæc igitur D ouicula Lutherus vocem in epistola Iacobi audiuit, & *stramineam* pronunciauit. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Vnde Lutherus legens epistolam Iudæ, & alteram Petri; secundam & tertiam Ioannis, Apocryphas censuit: *Quia oues meæ vocem meam audiunt.* Et vbi audiunt? Intus; in penetrali cordis. In cubili pectoris. Caluinus & alij, in eodem cubili aliam audierunt vocem; nempe hæc omnia in his epistolis tradita verè esse Spiritus sancti scripta. Quid agemus? Cui assentiemur? Vterque & vtrique hoc & illud asseuerant sibi ex interno instinctu tradi. Quis hunc tandem instinctum vel vnius æstimabit assis?

Vtar verbis Ioannis Mülhusini nostri in Animad-

Digitized by Google

nimaduersionibus: Cuius filij fratres Euangelici sunt; Lutherani, Caluiniani, Schvvenckfeldiani, & tota illa sentina nouorum Prædicantium, vel Ministrorum, qui nunc hos, nunc illos, pro sua interna persuasione, libros, in Canonem adscribunt, nunc ex eodem secernunt? Dei, an cacodæmonis filius fuit Lutherus, quando epistolam ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, Apocalypsin, &c. reiecit à Canone? Ouis, an hircus Caluinus, qui epistolam ad Hebræos è numero epistolarum diui Pauli ex interna Spiritus sancti persuasione proscribit? quam tamen ex eâdem persuasione, vt diui Pauli legitimam recognoscunt Pareus, & Beza, ipso vtique Caluino illuminatiores. Si Deus, Pater vester, quare similiter loquelam eius non agnoscitis? Et, si spiritum Pauli habent Caluinus, Beza, & Pareus, quare vnus audit loquelam Pauli, ad quam obsurdescit alter? Aut Parei, & Bezæ, aut Caluini spiritus Cacodæmonis est. Sanctus enim spiritus non docet contraria. *Iustissimo certè Dei iudicio* propter electos fit, vt cùm internam spiritus persuasionem iactetis singuli, vestris tamen dissensionibus Dei perduelles vos ostendatis vniuersi. Neque enim dissensionis Deus est, sed pacis. Nulla in vobis, nulla prorsus Spiritus sancti suasio est, sed tantùm cacodæmonis susurrum.

QuodRullus & Pareus dicunt hanc internam testificationem, hoc est, istum afflatum priuatum & enthusiasmum, vocari ab Augustino *persuasionem diuinam*, & ad hanc potissimùm prouocare in Quæstione, *vnde scis?* lib. 6. Confess. cap. 5. nugantur simul & imponunt; nunquam enim sancto Augustino in mentem venit priuato suo credere spiritui; sed, *Euangelio*, inquiebat ipse, *& Actibus Apostolorum credo, quia vtramque scripturam eadem mihi commendat Catholica auctoritas.*

Quapropter thesis 31. Rulli *de vnico Theologiæ principio* nil aliud est, quàm luculẽtum quoddam mendacium. *Qui quærunt, vnde norimus, scripturas esse diuinas, quod Papistæ semper faciunt, hos nullo modo audiendos esse, sed quemlibet fidelium intus spiritu Dei suasum, scripturis simpliciter, & promptè credere debere Augustinus docuit.* Nunquam hoc phantasma de priuato enthusiasmo diuo Augustino probatum est; & quomodo viro eruditissimo, & acutissimo probatum fuisset hoc omnis ignorantiæ, & audaciæ latibulum ac seminarium? Quod Rullus in Didascalia verbi Dei multis scripturarum testimoniis fucare nititur 1. Ioan. 2. *Vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia; vnctio docet vos de omnibus.* Mirabili vnctione delibutus fuit Lutherus, quando Epistolam diui Iacobi appellauit *stramineam*, & *Apostolici spiritus expertem.* Mirabilis vnctio, qua edoctus tot alias epistolas Apostolicas ex Canone exturbauit. Mirabilis vnctio, qua Caluinus inunctus epistolam ad Hebr. & ex Paulinarum, & ex Apostolicarum epistolarum syllabo expunxit. A- A liter eum vnctum oportuit, quàm aut Bezam, aut Pareum, aut alios, qui hanc epistolam non tantùm vt Apostolicam, sed & vt Paulinam venerantur ac suspiciunt.

Alterum à Rullo prolatum testimonium. 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Spiritualis omnia diiudicat.* Oportet igitur Caluinistarum iudicio Lutherum fuisse prorsus animalem; quando epistolam diui Iacobi appellauit *stramineam.* Oportet itidem Lutheranos animales esse, quando eandem aliasq; epistolas ex Canone extrudunt. Animalis insuper Caluinus fuit, cum epistolam ad Hebræos inde eliminauit. At hoc ipsi nunquam fatebuntur, quidquid testimoniorum Rullus accumulet.

B Si syllogismum aliquem inde exstruere conetur, non deerit Luthero vel Caluino ratio negandi aliquam præmissam, siue ea sit Maior, siue Minor. Nam si dicas. *Qui non percipit epistolam sancti Iacobi esse Canonicam, is est homo animalis: Lutherus non percipit epistolam sancti Iacobi esse Canonicam; ergo Lutherus est homo animalis.* Quid promptius erit Luthero & Lutheranis, quàm negare Maiorem? Item, si hoc syllogismo aggrediaris Caluinum. *Qui non percipit epistolam ad Hebræos esse diui Pauli & Canonicam, is est homo animalis: At Caluinus non percipit epistolam ad Hebræos esse sancti Pauli & Canonicam, ergo Caluinus est homo animalis:* Mox Caluinus Maiorem non tantùm inficiabitur, sed & detestabitur. C Si Rullus suam suorumque in gratiam hunc syllogismum condat. *Quicunque fatetur epistolam ad Hebræos esse diuinam & Canonicam, ille est spiritualis. Rullus, Pareus, similes Caluinistæ fatentur epistolam ad Hebræos esse Canonicam: ergo sunt spirituales;* Hic non modò Lutherus, sed Caluinus quoque contenta voce Maiorem falsitatis arguet; idque ex internæ testificationis criterio.

Ex eodem criterio dicit Lutherus id, quod Rullus citat ex 1. Corinth. 2. *Nobis Deus ea* (epistolam S. Iacobi esse *stramineam*, Iudæ, alteram Petri, duas Ioannis esse Apocryphas) *reuelauit per spiritum suum; spiritus enim omnia scrutatur, &c.* D Idem dicit Caluinus de epistola ad Hebræos. At Caluinistæ, & Pappus Lutheranus clamant nobis Deus reuelauit per spiritum suum epistolas ad Hebræos, Iudæ, Petri, duas Ioannis esse diuinas & Canonicas. Quis iste spiritus in reuelando tam inconstans & varius? Pappo nondum reuelauit epistolam Iacobi esse Canonicã. Quando tandem reuelabit? Fors cum ad Caluini castra transibit?

Quid verò pro Enthusiasmo isto vesano efficit illud Isaiæ capite quinquagesimo primo testimonium. *Spiritus meus, qui in te est, & verba, quæ posui in ore tuo, & seminis tui, in perpetuum non deficient.* Num spiritus Dei posuit in ore Lutheri, vt epistolam Iacobi vocaret *stramineam*

Num posuit in ore Lutheri, & feminis Lutherani, vt hanc & alias quasdam epistolas vocarent Apocryphas? Num posuit in ore Caluini, vt epistolam ad Hebræos ex Canone eliminandam dictitaret? Profectò si hæc in ore istorum posuit Spiritus sanctus; tum in ore Rulli, Parei, & aliorum non posuit contrarium.

Tantundem iuuat istos illud 2. Corinth. 1. *Qui confirmat nos vobiscum in Christum; & qui vnxit nos, Deus est. Qui etiam obsignauit nos, deditq; arrhabonem spiritus in cordibus nostris.* Si Deus vnxit Lutherum & Lutheranos, quando epistolam sancti Iacobi nuncupant *stramineam*, apocryphisq; annumerant; non ergo vnxit Caluinum & Caluinistas; quando hac in re Luthero & Lutheranis contradicunt; quia Deus non solet suos vnctionibus, vt sic loquar, *contradictoriis* inungere. Item si in corde Lutheri illud iudicium de epistola Iacobi fuit arrhabo Spiritus sancti; non est igitur arrhabo illud, quod de hac epistola format Caluinus: quia Spiritus sanctus non immittit fidelium cordibus arrhabones *contradictorios.* Item si iudicium Caluini de epistola ad Hebræos fuit arrhabo sancti Spiritus; iudicium ergo Bezæ, Parei, & aliorum Caluinistarum non est arrhabo Spiritus sancti; quia priori directè contradicit.

Præterea si, vt ad Ephes. 1. dicitur, Caluinus, tanquam fidelis, Spiritu sancto obsignatus fuit, quando iudicium illud de epistola ad Hebræos protulit; nimirum eam neque diui Pauli, neque Canonicam reputari debere; non igitur Spiritu sancto obsignati sunt Beza, Pareus, Rullus, & alij Caluinistæ, quando contraria decreuerunt, quia Spiritus sanctus non obsignat corda suorum contradictoriis obsignationibus.

Adhæc, cui non incredibile accidat, Lutherum Spiritus sancti obsignatione pronunciasse de epistola Iacobi, quòd sit *straminea*; cum postea non tantùm ipse huius tanti conuicij impatiens fuerit; sed & Lutheri plerique asseclæ illud intolerandum, æternisque tenebris dignum censuerint.

1. Ioannis 5. dicitur. *Qui credit in filium Dei, testimonium habet in seipso.* Quid infers Rulle? *Ergo quando Lutherus dixit, epistolam sancti Iacobi esse stramineam; fecit id ex testimonio Dei.* Probatur consequentia. *Quia Lutherus credidit in filium Dei. Ergo habuit testimonium Dei in seipso, quòd epistola Iacobi esset straminea.* Lutherani itidem ex testimonio Dei in seipsis repudiant epistolam Iudæ; alteram Petri; secundam & tertiam Ioannis, & illam ad Hebræos; quia credunt in filium Dei; habent ergo testimonium Dei in seipsis. At Caluinistæ easdem epistolas admittunt; idque ex testimonio DEI in seipsis; idem ergo testimonium DEI contradictoria in Lutheranorum & Caluinianorum cordibus testatur. Quis vnquam talia deliria, vel per febrile som-

A nium vidit? Et tamen Rullus audet hæc dicta scripturæ perperam prorsus ad priuatum hunc afflatum detorta appellare *euidentia*; quasi euidenter stultitiam de interno hoc Caluiniano, & Lutherano criterio confirment; cum singulorum longè sit alius sensus; quàm Caluinistæ somnient. Nam Deus obsignat quidem dogmata & promissa cælestia in cordibus fidelium; sed non independenter ab Ecclesiæ testificatione & propositione.

Itaque licet certissimus sim, instinctum hunc, quo libros à Tridentina Synodo pro Canonicis declaratos; credo & firmiter mihi persuadeo, verè diuinis & à Spiritu sancto dictatis annumerari debere, esse sanctum & rectum, &
B ex cælesti illuminatione ortum, hic tamen tam certus assensus non oritur ex priuato quodam & enthusiastico afflatu, & nescio qua hæretica obsignatione; sed ex propositione & testificatione Ecclesiæ, tanquam ex conditione, sine qua ego infallibiliter non assentirer; ex reuelatione autem diuina, tanquam ex caussa formali per se; quemadmodum certa exustio domus oritur ex applicatione & admotione ignis ad domum; tanquam ex conditione *sine qua non*, ex ipsa verò vrendi actione, tanquam ex caussa per se. Qua testificatione Ecclesiæ cum Sectarij in hoc criterio vti nolint, mirum non est, eos perpetuò fluctuare, & modò hunc librum in Canone reponere; modò à Canone re-
C pellere; & toto cælo dissidentes sententias parere; nam quod cuique iste internus afflatus dictat; hoc in chartam eructat; & quia Luthero dictabat epistolam Iacobi esse *stramineam*; liberè id papyro commisit. Quid ni? Quia, vt inquit Rullus in Didascalia de verbo Dei, thesi quadragesima prima, hoc criterium, *est post Dei in scripturis testimonium longissimè ponendum ante reliqua omnia testimonia & argumenta, quæ auctoritatem Scripturæ sacræ confirmant; nam est omni ratione præstantius.* Et thesi quinquagesima, *longè certius, verius, illustrius, augustius testimonium, quàm Ecclesiæ; vtpote sine quo Ecclesiæ testimonium nullius apud nos ponderis, aut momenti futurum esset.* Ex hac ergo tanta huius criterij certitudine affirmauit Lu-
D therus epistolam Iacobi esse *stramineam.* Ex eadem asseruit Caluinus, epistolam ad Hebræos nec esse Pauli, nec alicuius Apostoli, nec Canonicam. Ex eadem asserunt Caluinistæ, epistolam ad Hebræos, & omnes alias Catholicas vulgò dictas; esse Canonicas: Ex eodem interni huius criterij testimonio idem docet Lutheranus Pappus contra Lutherum & Lutheranos plerosque, de omnibus epistolis; Excepta illa Iacobi, de qua adhuc hæsitat; quia internum hoc criterium, nondum omnes suos radios in pectore Pappi expandit. Itaque cum in hoc suo interno instinctu sequendo nihili faciant sensum & testimonium Ecclesiæ, isque sine freno liberè, quo ferunt pedes & aura, feratur;

Digitized by Google

ratur; non mirum, si alius dicat, epistolam Iacobi esse *stramineam*: alius, Canonicam: alius epistolam ad Hebræos nominet Canonicam: alius, *prope Canonicam*: alius, *Apocrypham*; & extra Canonem procul amandandam.

Ex suo Criterio nominauit Lutherus epistolam diui Iacobi *stramineam*; *& spiritu Apostolici exsortem.* At huic Lutherano criterio opposuit Zvvinglianus Bullingerus istud præfat. comment. in epistolam diui Iacobi. *Nimis quidem procaciter epistolam hanc diui Iacobi quidam* (qui sunt isti quidam, nisi Lutherus, & primi Lutherani?) *contempserunt, tractaruntquè scurriliter, cui pepercissent meritò, vel propter antiquitatem, vel propter salubria, quæ in ipsa continentur vitæ præcepta. Fateor sanè, de hac nonnihil dubitatum esse, etiam apud veteres quosdam; sed hi, absque petulantia, & reuerenter admodum, summaquè cum modestia addubitarunt, &c. Tametsi igitur de ipsa nonnihil apud quosdam sit addubitatum, nemo tamen legitur illam explosisse, exsibilasseq; penitus. Sua illi reuerentia perpetuo habita est: suum locum in Ecclesia nunquam non tenuit.*

Contra idem Lutheri, & Lutheranum criterium statuit idem Bullingerus istud, in quadam præfatione Bibliis Tigurinis præfixa: *Nec magnoperè curandum existimo, quod à quibusdam traditur, quosdam veterum dubitasse de epistola ad Hebræos, de epistola posteriore Petri, & Iudæ, de epistola Iacobi, & Apocalypsi. Quid enim ad nos, quod pauci aliquot suis affectibus corrupti, de rebus certis, & authenticis auctoribus dubitarunt? Credendum est planè, hos, quos recensuimus, libros testamenti vtriusque, à spiritu Dei profectos, & à Prophetis, Apostolisq; Domini Ecclesiæ Dei esse traditos; atque in his doceri omnem veritatem certam, nihil iis vel erroris misceri, vel mendacij.*

Non malè Zvvinglianus iste: qui quod Lutheranis de epistola ad Hebræos, & aliis occinit; idem à nobis accipiat de libris antiqui testamenti; de Tobia, inquam, Iudith, Sapientia, Baruch, Ecclesiastico; partibus Estheris, Danielis, & Machabæis. Quid enim ad nos, quod pauci aliquot olim, quacunque demùm ex caussa, de rebus certis & authenticis dubitarunt?

Criterium Hunnianum insolubile argumentum eruere sibi videtur ex capit. 2. epist. ad Hebræos, epistolam illam nec Pauli; nec alterius Apostoli; sed alicuius Apostolici viri esse: vt vidimus lib. 1. cap. 17. Huic criterio palam reclamat Bullingerum Criterium, nec sine morsu. Audi. *Illi nulla prorsus videntur venia digni, qui sic colligunt; Auctorem huius epistolæ testari se ab Apostolis didicisse Euangelium. Sed Paulum Apostolum id in Galatis negare. Vnde consequatur, hanc epistolam non esse vllius Apostoli, nedum Pauli, sed alicuius Apostolici. Sed nos scire cupimus vbi nam istud testetur epistolæ auctor? Respondent; in 2. capite, cùm dicit*; quæ cum primum enarrari cœperint per ipsum Dominum, ab iis, qui audierant, in nos confirmata sunt. *Audis, in-* A *quiunt*, ab iis, qui audierant? *Sed non vident miseri, particulam*, ab iis, *cui stolidissimè innituntur, non esse consequentiæ ex alio notam, sed ordinis potius. Vt sit sensus; Initio quidem Euangelij negotium ab ipso Domino prædicatum est; deinde, ab iis, qui cum eo conuersati erant, Apostolis: postremò autem & post istos Euangelij functio ad me quoque delata est, &c. Quid quod etiam hæc particula, in nos, non tam ad Pauli quam totius Ecclesiæ referri poterat personam?* En Bullingerus Prædicantes Lutheranos *nulla venia dignos* existimat. *Miseros* vocat: *stolidissimo fundamento niti affirmat.* Quid vultis amplius, cum vestris criteriis, ô Lutherani *ψυχικοί*? Quod Rullus huius sui interni criterij adeò magnificè laudes deprædicat; vt illud, quoad certitudinem, veritatem, claritatem, B & maiestatem testimonio Ecclesiæ longissimè anteponat, mirari non debes; quia Rullus in Morauia aliquandiu degit; vt ipse scribit commentar. in Danielem, vbi Iudaicis Rabbinis operam dedit in Hebraicis litteris. cum autem illis in locis omnia Anabaptistis, Libertinis, & Schvvenckfeldianis redundent; haud nouum vel insolens erit, si Rullo aliquid afflatum sit de spiritu illo Anabaptistico & Schvvenckfeldico, contra quem Bellarminus libro primo de verbo Dei, capite primo, secundo, & tertio disputat. Nam hoc internum Criterium Caluinianum & Lutheranum ab Ecclesiæ testimonio prorsus independens, ex officina & pharmacopolio Anabaptistico, & Enthusiastico petitum C esse; facilè quiuis intelliget; qui perpenderit, quæ tribus prædictis capitibus Bellarminus disserit. Tantum hoc discriminis intercedit; quod Rullus & alij fœditatem huius monstri adhuc vtcumque tectam circumferunt, aliisque velamentis operiunt; Anabaptistæ autem in propatulo habent; absque fuco vel anfractibus; Etsi neque Rullus suum sensum penitus celare potest: quod patet ex thesi quadragesima quarta, *Didascaliæ de verbo Dei. Atque hoc testimonium* (internus instinctus, afflatus, & Enthusiasmus) *solum efficit, vt in verbo Dei adquiescamus: solum nobis persuadere potest, vt verbum Dei libentissimè amplectamur; solum nobis satisfacit.* Si hoc solum in pectore tuo obsignatum testimonium D tibi sufficit, quid opus est tanta aliorum internorum, & externorum copia; quanta à te, & à Pareo assignatur? Memineris illius: *Quod potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura*: nisi tu fortè hoc axioma inuertendum censes; dicendumque: *Quod potest fieri per plura, non debet fieri per pauciora.*

Criterium hoc *est sufficiens*, inquit thesis 47. si sufficiens; quid opus aliis? Illud ridiculum thesi 48. *Est ad scripturæ normam examinandum.* Et tamen thes. 49. *Consentit cum scriptura: nec vspiam dissentit ab ea.* Si nunquam dissentit à scriptura, quid opus examine? Si certa & explorata est eius bonitas & sinceritas; quid opus trutina vel libra, ad quam expendatur? Ea quæ

 incerta

incerta & inexplorata sunt, trutinamus & libramus; non certa & explorata. Si hoc criterium à scriptura nunquam dissentit; non ergo dissensit Lutherus à scriptura, cum epistolam Iacobi nominauit *stramineam*; quia ex hoc interno criterio id fecit; nec dissensit Caluinus; cum epistolam ad Hebræos à Canone reiecit; quia ab eodem criterio ad id faciendum impulsus fuit. Si hoc ita est, ergo Caluinistæ, qui hodie secus quàm Lutherus & Caluinus statuunt; idque ex interno hoc criterio, à scriptura dissentiunt; neque enim fieri potest, vt duo dogmata prorsus antiloga cum scriptura consentiant: erunt ergo & criteria contradictoria. Quomodo igitur sancta & à Spiritu recto profecta?

Ait Rullus, thesi quadragesima quinta, *hoc criterium solis ad Christum conuersis notum esse.* Ex quo alterutrum sequi necesse est; aut Lutheranos, aut Caluinianos nondum ad Christum conuersos esse. Nam Lutherani negant epistolam Iacobi esse Canonicam; Caluiniani affirmant; vtrique ex interno criterio. Si rectè sentiunt Lutherani; non ergo ad fidem conuersi sunt Caluiniani; quia illis non est notum, legitimum & genuinum scripturæ dignoscendæ criterium. Si rectè sentiunt Caluiniani; non ergo ad fidem conuersi sunt Lutherani; quia errant in hoc criterio, *quod solis ad Christum conuersis notum est*; vt inquit Rullus.

Videamus iam qualia Rullus producat argumenta, pro confirmando hoc suo interno criterio, thesi 35.

I. *Cuius inspiratione verbum Dei est traditum, eiusdem testificatione in cordibus nostris nobis præcipuè ac certissimè constat, illud esse à Deo*; (At non sine Ecclesiæ propositione & declaratione) *Atqui Spiritus sancti inspiratione verbum Dei est traditum: ergo eiusdem Spiritus sancti testificatione in cordibus nostris præcipuè ac certissimè constat, illud esse à Deo.* At non sine Ecclesiæ propositione & declaratione: per hanc enim efficit Spiritus sanctus testificationem suam in cordibus fidelium de scripturarum veritate & certitudine. Hac seposita, vt quidem à Rullo, & aliis seponitur, non est ille internus instinctus diuinus; sed humanus; si non planè Diabolicus; vt erat ille Lutheri, cum epistolam S. Iacobi appellauit *stramineam*; & ille, quo Lutherani tam hanc, quàm alias epistolas ex Canone eliminant; & ille, quo omnes sectarij librum Tobiæ, Iudith, alios ex albo sacrarum litterarum dispungunt.

II. *Omnia fidei dogmata à Spiritu sancto in cordibus nostris obsignantur*; At non nisi interueniente Ecclesiæ propositione & declaratione. *Verbum Dei reuera esse à Deo profectum, est fidei dogma: ergo illud à Spiritu sancto in cordibus nostris obsignatur*; at non nisi interueniente Ecclesiæ testimonio; hoc enim

A posito, efficit Spiritus sanctus per fidem in animis nostris certitudinem de dogmatibus fidei; vt certò illis assentiamur, absque vlla hæsitatione; Hoc non posito, fieri quidem potest; vt persuasio, quam quis habet de hoc vel illo dogmate, sit humana; at fieri nequit, vt sit diuina; citius eueniet, vt sit prorsus fallax & falsa; à malo Dæmone proseminata.

III. *Nullum salutare dogma cognosci potest sine Spiritu sancto: verbum Dei reuera esse à Deo traditum, est salutare dogma; ergo illud non potest cognosci sine Spiritu sancto.* Quem ferit hoc argumentum? Quid ad fanaticum illud sectariorum criterium facit? Fatemur nullum salutare dogma cognosci

B posse sine Spiritu sancto; at loquente nobis prius publicè per Ecclesiam; postea, hac locutione præmissa; loquente nobis ad cor, seu in corde; tum enim certi sumus hunc cordis nostri instinctum Spiritui sancto non aduersari; quandoquidem conuenit cum eo; quod nobis publicè per Ecclesiam propositum est. Iterum dico. Nisi priuatum hoc dictamen nitatur publico Ecclesiæ testimonio; posse quidem fieri; vt sit humanum, si sit verum; cuiusmodi est dictamen Caluinistarum, quod epistola D. Iacobi sit Canonica; at sæpius contingere, vt sit Diabolicum; quo ex genere sunt illi interni instinctus Caluinistarum & Lutheristarum, quibus perciti, tot libros ex vtriusq; testamenti canone desecuerunt.

C

IV. *Fides est donum Spiritus sancti, ergo quod credimus verbum Dei esse verbum Dei, id à Spiritu sancto proficiscitur*; at non nisi interposito Ecclesiæ testimonio. *At prius est; ergo & posterius*; addita nimirum supradicta limitatione. Et quid hoc ad Enthusiasticum, de quo disceptamus, criterium? quod omnis pertinaciæ & improbitatis asylum non iniuriâ nominaueris. Si quis enim cerebrosus sibi persuadeat, hunc vel illum librum non esse Canonicum; quomodo à Caluinistis conuincetur, & ex latibulo illo extrahetur? Quia ipse fortiter & audacter se tuebitur interno illo criterio, & testificatione Spi-

D ritus sancti in suo corde; *quæ sola efficit, vt in verbo Dei acquiescamus*, teste Rullo; *quæ sufficiens est*, eodem teste, & *cum scriptura consentit*; *nec vspiam dissentit ab ea*; vt idem Rullus palam prædicat. Qua ergo machina depelletur à Caluiniano sua de sententia talis enthusiasta; interno suo criterio; hoc est, phantasmati vanissimo adeò contumaciter, & præfractè inhærens; & quidem cõuenienter doctrinæ Caluinisticæ?

Non abnuimus, in mentibus piorum mirabiles affectus excitari erga sacras literas; & quiddam ab illis sentiri; quod non omnibus, nisi mundo corde præditis, obueniat; & de hoc interno piorum affectu loquitur S. Augustinus

lib. 6.

Digitized by Google

lib. 6. Confess. cap. 5. citatus à Rullo, Pappo, Pareo; itemque S. Bonauentura in Breuiloquio p. 5. cap. 7. adductus à Rullo; non autem de fictitio Nouatorum criterio; quod totum est imaginarium & vmbratile; inter simulacra modis volitantia miris annumerandum. Postquam enim quis Ecclesiæ testimonio inductus fidem sacris litteris adhibet; & in iis euoluendis rimandisq; assiduè, piè & religiosè occupatur; tum quiddam in pectore enascitur; quod omnium optimè; qui eo fruitur, intelligit. Hactenus de criterio isto Enthusiastico & Phantastico dictū esto.

CAPVT VI.

De humanis testimoniis, vt à Prædicantibus appellantur. B

TESTIMONIA *humana duo sunt*, inquit Rullus, in Disputatione de vnico Theologiæ principio thesi 52. *Primum est vera Dei Ecclesia, quæ agnoscit & profitetur sacram Scripturam esse diuinam*; sed de hoc capite sequenti. *Secundum testimonium*. inquit Rullus thesi 51. *est confessio ipsorummet hostium, qui sunt extra Ecclesiam, tum Iudæorum, tum Gentilium. Nam Iudæi libros veteris Testamenti diuinos esse profitentur. Gentiles, idem fateri necesse habuerunt, veluti Demetrius Phalereus Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti Bibliothecarius. Aristeus eiusdem Regis amicus. Theopompus Historiographus. Theodectes tragœdiarum Poëta, de quibus Flauius Iosephus lib. 1. Antiquitatum Iudaicarum cap. 2.* Similia Rullus in disput. de auctoritate sacræ Scripturæ thesi 12. & seqq. & in Didascalia de verbo Dei thesi 60. Pappus thesi 68. & seqq. Pareus passim in Exegesi; & alij alibi.

Imò Rullus hæc sexdecim testimonia in disputatione de auctoritate scripturæ vnum in locum conglobat. 1. *Quod cælestis maiestas, & dignitas in ipsa vbiq; elucet.* 2. *Efficacia in animis legentium, vel audientium.* 3. *Admiranda partium omnium harmonia, & inter se consensio.* 4. *Sermonis simplicitas, quæ tamen in admirationem nos rapit.* 5. *Tot, ac tam insignia miracula, quibus est comprobata.* 6. *Veritas, seu mirabile complementum Prophetiarum.* 7. *Ordinata, & disposita illic diuinæ sapientiæ dispensatio.* 8. *Quod sanguine Martyrum est obsignata.* 9. *Perfecta lex Dei in ea sola proposita.* 10. *Perfecta doctrina de liberatione nostri à peccato, & morte æterna, in ea explicata.* 11. *Antiquitas.* 12. *Præstantia eius præ philosophia, & aliis doctrinis.* 13. *Odium satanæ, & malorum, cui est subiecta.* 14. *Conseruatio illius, & inuictum robur, inter ruinas regnorum, & horrendas persecutiones, & dissipationes, conantibus eam abolere Tyrannis, Philosophis, & Hæreticis.* 15. *Pœnæ hostium, & contemptorum eius.* 16. *Sanctitas eorum, per quos est tradita.*

Hæc omnia nihil aliud sunt, quàm technæ, strophæ & futelę Prædicantium. Nam si quis hæc criteria seu indicia neget; quid agent? Si quis illa quidem concedat; sed inficietur, iis diuinitatem
A & Canonicam auctoritatem scripturæ demonstrari; quid consilij capient? Et hæc ipsa indicia *vnde sciũ*, scripturæ testimonium perhibere, nisi ex traditione & testificatione Ecclesię? Quid si quis abnuat Euangelium S. Matthæi quod hodie extat, sanguine Martyrum obsignatum esse? Quò te vertes? Itaque quidquid isti commententur; quidquid comminiscantur; nunquam quæstioni, *vnde sciūt* satisfacient; nisi ad Ecclesiæ infallibile testimonium confugiant. Hoc posito, firmissimè credimus, hos vel illos libros, Canonicos & à Spiritu sancto dictatos esse. Hoc non posito; nihil efficis, quidquid criteriorum adducas, fieri quidem poterit, vt fidem humanam in mente
B auditoris per talia argumenta generes; at vt infallibilis certitudo per ea acquiratur, nisi in infallibili Ecclesiæ testimonio conquiescatur; id fieri nullo modo potest.

Non negamus, hæc & similia argumenta, (quæ vulgo motiua fidei appellamus) etiam apud adhuc infideles valere; vt eis fides persuadeatur, præsertim, si non vnum duntaxat, sed plura coniunctim proponantur & ingerantur: at vt rem conficiant, hoc est, vt infallibilem certitudinem mentibus indant, id nec fit; nec ordinaria Dei lege fieri potest; nisi per Ecclesiæ infallibilem vocem; quia quæcunque tandem motiua adferantur; ea non sunt euidentia, nec adeo perspicua; vt intellectum assentiri cogant; semper igitur dissentire poterit; donec audiat & acceptet vel ex-
C plicitè vel implicitè vocem Ecclesiæ, tanquam infallibilem assertricem; hunc vel illum librum verè esse Canonicum & diuinum. Tunc enim fides in animo exoritur; cuius beneficio mens ad partem veram certissimò dirigitur, & immobiliter determinatur. Absque hac Ecclesię assertione & testificatione, fumus est; quidquid à Prædicantibus adducitur; etsi reuera fumus non est; si Ecclesiæ sua fiet integra auctoritas & potestas; & omnia motiua eò destinentur, vt tandem, qui adhuc infidelitate laborat; motiuis illis inductus; per Ecclesiæ testimonium ad vitam, quæ est vera fides; intrare velit. Qui secus agunt, ij non adducunt ad salutem, sed abducunt & seducunt. *Fides ex auditu est*; inquit Apostolus Rom. 10. cum
D ergo fides infallibilis sit; oportet, vt & ex auditu infallibili profluat. Vbi autem hic auditus; nisi cùm auditur Ecclesia, columna & firmamentum veritatis?

Duo hic obseruentur, finemque huic capiti imponam: primum; argumenta, quæ Nouatores pro diuinitate & Canonica scripturarum auctoritate adducunt; potissimum valere apud fideles; qui iam scripturis tanquam diuinis, assentiuntur; isti enim antiquitate; maiestate; efficacia; consensione & harmonia, præstantia & excellentia, & occulta quadam scripturę vi & energia mirificè capiuntur, & in fide corroborantur. Talia sunt, quæ Rullus disputatione *de vnico Theologiæ principio* profert ex Iunilio de partibus legis

diuinæ lib. 2. cap. 29. ad Primasium; & ex Augustino Steucho in Cosmopœia in principio. Neque vel Iunilio vel Steucho vnquam in mentem venit, per huiusmodi criteria, alicui necdum credenti; infallibiliter fidem scripturarum persuaderi posse; secluso infallibili Ecclesiæ testimonio: Et tamen Steuchus & Iunilius coguntur vel inuiti non tantùm Rullo; sed & Pareo patrocinari. Quid efficiat patronus inuitus?

Alterum, quod notari volo, est mendacium Parei; cum thesi 41. dicit; *iisdem prorsus argumentis in diiudicandis Canonicis libris vsam esse Israëliticam & Apostolicam Ecclesiam; quibus ipse hodie*, cum symmystis suis Rullo & Pappo vtatur. Nihil minus; quia primitiua Ecclesia non aliter Canonem certò & indubitatò cognouit; quàm hodierna Ecclesia cognoscat; nempe ex infallibili testimonio Ecclesiæ; hoc est; capitis Ecclesiæ; Christi nimirum, cum adhuc in his terris versaretur; & Apostolorum; tanquam Ecclesiæ principum; & aliorum; qui postea nunquam interrupta serie Apostolis successerunt.

Quocirca vana est hæc Parei argumentatio in Exegesi theseos 43. *Vnde prima Ecclesia in agnitionem, & fidem diuinitatis scripturarum peruenit: inde & nos. Illa scripturam Mosis, Iesaiæ, Pauli, &c. agnouit diuinam, ex immediata scribentium vocatione, missione, aspiratione, miraculis, aliisque testimoniis diuinis, vel coram visis, vel ex scriptura eorum cognitis. Ex iisdem ergo & nos: licet non coram visis (vt nec Colossenses Paulum viderunt) tamen in eorum scriptura lectione cognitis. Præmissæ patent ex dictis; consequentia constat.* Negatur Minor. Quotus enimquisque ex primitiua Ecclesia vidit miraculosam vocationem Matthæi; aut Pauli; quotusquisque vidit, cum Euangelium & Epistolas scriberent? & vt maximè vniuersi fideles vidissent S. Matthæum scribentem Euangelium; aut S. Paulum ad Romanos epist. exarantem: non tamen certo, multoque minus euidenter sciuissent; Epistolam illam esse Canonicam; aut Paulum, vt Canonicum scriptorem, scripsisse; quia hæc non cadunt sub visum. Opus ergo fuit aliqua testificatione infallibili; quæ membris Ecclesiæ testaretur; Epistolam sancti Pauli ad Romanos esse diuinam & Canonicam; & similiter Euangelium S. Matthæi. Vnde autem hæc infallibilis testificatio processit; nisi ab Ecclesiæ antistitibus & principibus; hoc est, ab Apostolorum cœtu; præsertim Petro; vt omnium supremo; & ab his, qui cathedram Petri tenuerunt; quorum & hodie id muneris est; quoties aliqua dubitatio de Canone exoritur.

Sic Israëlitæ olim non nisi ex testificatione Ecclesiæ; hoc est; antistitum synagogæ; præsertim summi Pontificis; scire potuerunt libros Moysis esse diuinos & Canonicos; & posito; quòd omnes Israëlitæ, qui cum Moyse viuebant; vidissent Moysen volumina Pentateuchi exarantem; non tamen sciuissent esse Canonica & à Spiritu sancto immediatè profecta, nisi hoc illis ali-

A qua infallibilis auctoritas patefecisset. Plus dico: licet Pareus, Rullus, Pappus, cæteri præcones Moysi Pentateuchum scribenti non tantum assedissent, sed & amanuenses eius fuissent; non tamen infallibiliter nossent, Pentateuchum esse diuinum & Canonicum; nisi hoc aliunde didiscerent; Tantum abest, vt signum & criterium infallibile libri alicuius Canonici sit; vidisse libri auctorem; vidisse eius immediatam à Deo vocationem; vidisse miracula. Etiamsi cum sancto Paulo Damascum proficiscente simul fulmine prostratus fuisses, audissesque illam vocem: *Saule, Saule, quid me persequeris:* non tamen hinc præcisè cognosceres epistolas Paulinas esse Canonicas; nihilominus Ecclesiæ testimonio opus haberes; quod tibi Canonicam epistolarum
B Paulinarum auctoritatem infallibiliter panderet. Neque primitiua Ecclesia, hoc est, ipse cœtus fidelium mox varias per Iudææ partes, imo & per gentes vndequaq; dispersus; aliter cognouit Canonem Ecclesiæ antiquæ; quàm ex testimonio principum Ecclesiæ; hoc est; Christi & Apostolorum; quidquid Pareus de aliis Criteriis deblateret.

Felicius explicatū dedit Pareus thesi 38. quomodo vetus Ecclesia pseudepigrapha & spuria scripta reiecerit. I. *Si in scriptis veterum, qui Apostolis successerunt, nulla eorum reperta esse mentio.* Dic, Paree, cum Mülhusino nostro loquar in Animaduers. librorum Machabæorum, Iudith, Sapientiæ, Tobiæ, Ecclesiastici, Ecclesiastæ, epistolæ
C Iacobi, Iudæ, ad Hebræos, Apocalypsis D. Ioannis, &c. nulla ne apud veteres mentio? quare igitur è Canone per Euangelica vestra criteria exploduntur?

II. *Si stylus deprehenderetur à stylo & dicendi consuetudine Apostolorum diuersus.*

Eodem spiritu, scripsere omnes auctores sacri, *non eodem stylo*; quod nemo ignorat, nisi qui tibi similis est, in sacrarum literarū cognitione. *imò, neque iidem* auctores sacri, semper eodem scripsere stylo. Testatur id D. Pauli ad Hebræos epistola, quæ stylum tam habet ab aliis eiusdem Pauli diuersum, vt, qui ex stylo iudicare voluerunt, eam diui Pauli negarint. idem est de D. Ioannis
D Euangelio, Epistolis, & Apocalypsi iudicium. Audi hac de re Dionysium apud Eusebium lib. 7. c. 20. *Preterea ipsa dictionis formula differentiam Euangelij, & Epistolæ, ab Apocalypsi, facile licet internoscere. Nam illa nō modò absq; vllo orationis vitio, sed etiam summa cum verborum elegantia, maximo sententiarum pondere, & continua elocutionis dispositione perscripta sunt: tantum abest, vt vox aliqua barbara, aut impolitus, aut rudis sermo in eis reperiatur. Habebat enim Euangelista, vt videtur, hac vtraq; & disertum sermonem, & scientiam diuinam: propterea quod Dominus ista duo, nimirum donum sapientiæ, & donum cognitionis largitus fuisset. Et quanquam hunc, qui scripsit Apoclaypsin, scientiam, & prophetiam animo cepisse non equidem inficior; eius tamen sermonis proprietatem, & linguam, non adeò limatè, &*

polite

politè Græcè loquentem animaduerto; sed modis loquendi planè barbaris vtentē, & interdum etiam solœcismo: quæ quidem in præsenti annotare non est necesse.

Igitur non ex stylo libri Canonici apocryphis vniuscuiusque superciliosi critici censurâ, sed multò magis, spiritu, & sententia, per legitimum Ecclesiæ, cuius est probare spiritus, num ex Deo sint, iudicium distinguuntur: alioquin Apocalypsis, & D. Pauli ad Hebræos epistola ab aliorum Apostolorum libris secludentur.

III. *Si doctrina à fide Apostolica esset dissentanea: vnde Euangelium Matthiæ, Thomæ, & Andreæ, πράξεις Petri, Thomæ, Matthiæ, & ceterorum Apostolorum, plurimáque id genus apocrypha nihil, nisi hæreticorum figmenta esse conuincebantur.*

Rectè habet. Sed nusquam Caluino, Luthero, Bezæ, similibusque Nouatoribus hoc muneris demandatum narrat Eusebius; vt, si quæ scripturæ illorum palatum non afficerent, eas tanquam à fide Apostolica dissentaneas repudiarent. Successit hoc Luthero infelicissimè in epistola ad Hebræos, in epistola Iacobi, & Iudæ, in Ecclesiaste Salomonis, in Apocalypsi: Caluino, Bezæ, & sibi similibus.

Actus Pauli, libellus, qui dicitur Pastor, reuelatio Petri, Barnabæ epistola, & doctrina, quæ dicitur Apostolorum, Euangelium quod dicitur secundum Hebræos reiiciuntur, ex Eusebio. quare? quia priuatus aliquis spiritus, id Pareo reuelauit? minimè. Sed, quia, vt Eusebius loquitur, IN ECCLESIA EIS CONTRADICITVR. vt, alia admittebãtur, quæ erant, vt idem ait Eusebius, IN VETERI AVCTORITATE. Facessat igitur tanta petulantissimorum hominum in sacris literis à Canone reuellendis, audacia.

CAPVT VII.

De testimonio, & propositione Ecclesiæ.

EX omnibus indiciis agnoscendi Canonicas diuinasque scripturas; hoc principatum tenet; Quod si absit; cætera nil prosunt; si adsit; vel solum sine aliis sufficit. Hæretici tamen hoc si non in postremissimis; attamen in postremis ducunt; licet interdum si verba solummodo obiter inspicias de hoc testimonio admodum magnificè sentire & scribere videantur. *Ecclesiæ testimonium,* inquit Rullus in Didascalia de verbo Dei, thesi 58. *de sacra Scriptura reuerenter amplectimur, & nequaquam reiicimus, vt de nobis mentiuntur Papistæ.* Et in disputatione de vnico Theologiæ principio thes. 35. *Testimonium Ecclesiæ magni facimus, & hominem Christianum nunquam esse arbitrabimur, qui testimonium ac iudicium Ecclesiæ nihili fecerit.* Quid honorificentius? Ne præcipita sententiam. Audi cætera, & iudica, num cum Rulli oratione mens eius, Parei & Pappi concordet.

A *Testimonium Ecclesiæ non est solum,* ait Rullus; *nec certissimum;* imò & solum & certissimum; quia solum infallibile; Quæcunque enim à Prędicantibus afferuntur, ne hilum quidem proficiunt, nisi huius firmamento corroborentur. Neq; vllum, pręter hoc; aptè ad quæstionem; *vnde scis?* redditur. *Certius est,* inquit Rullus, *testimonium scripturæ:* Etiamsi esset certius, attamen non esset certius criterium; quia non est criterium; nisi in schola ineptientiū Prædicantium: Quàm enim insulsum; si rogatus; vnde scis; principium Isaiæ esse Canonicum; respondeas; *quia hoc principium ipsum affirmat: Visio Isaiæ Prophetæ.* Quis ergo dubitet ob hoc tam manifestum criterium?

B Mendacium Rulli est thesi 37. *Petrum Apostolum mittere Ecclesiam à suo testimonio ad scripturam propheticam; & plus tribui velle scripturæ propheticæ, quàm suo proprio sermoni.* nam quod S. Petrus sermonē propheticum *firmiorem* vocat Apostolico; 2. Petri 1. id aut fecit *comparatiuo* pro *positiuo* posito; quæ enallage sacris litteris non est infrequens; aut *firmiorem* dixit; non absolutè; sed respectu auditorum, qui ob antiquitatis & sanctimoniæ opinionem antiquis Prophetis libentius fidem habebant; quàm Apostolis eo tempore viuētibus. Ita S. Augustinus serm. 29. de verbis Apostoli, vbi, inter cætera, hæc leguntur. *Quis enim nostrum non miretur delata voce de cælo certiorem propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse? Certiorem sanè esse dixit: certiorem*

C *non meliorem, non veriorem. Tam verus enim ille sermo de cælo, quàm sermo Propheticus: tam bonus, tam vtilis. Quid est ergo, certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor? quare hoc? quoniam sunt homines infideles, qui sic detrahunt Christo, vt dicant, eum magicis artibus fecisse, quæ fecit. Possent ergo infideles, etiam istam vocem delatam de cælo, per coniecturas humanas, & illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico antea, ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas.* Hæc S. Augustinus. Ex quibus patet impostura Rulli; qui liuore excæcatus non vidit; si quod ipse asseuerat, vero congrueret; necessariò dicendum esse; scripta Prophetica esse firmiora & certiora, quàm Euangelica & Apostolica. Hoc autem quis

D ferat? Producit etiam Rullus Caietanum in opusculis tom. 2. tract. 1. cap. 1. Quid ergo ille? Duo. Alterum, *Petrum suo testimonio, tanquam humano, firmius & certius addere voluisse Propheticum, tanquam diuinum:* Alterum; *diuino testimonio, non humano certitudinem haberi debere in decernendo iudicialiter res fidei.* Hoc posterius nemo negat; nam fides nostra nō nititur testimonio humano, sed diuina reuelatione; & testificatio Ecclesiæ, quæ est conditio, sine qua fides non acceptaretur; non est humana solummodo; sed, vt aliqui appellant; *humana diuinitus inspirata;* seu, *diuina per participationem;* & in se prorsus infallibilis; vt proinde licet suo quodam modo fides hoc Ecclesiæ testimonio nitatur; videlicet, tanquam conditione sine *qua*

non;

Digitized by Google

non; minimè tamen nitatur, vt humano, quod ex suo genere est fallibile; sed vt humano diuinitus inspirato; vel vt diuino per participationem.

Quod attinet ad prius Caietani dictum; minime voluit, testimonium D. Petri fuisse in se & absolutè merè humanum; sed ab illis, ad quos scribebat, pro tali haberi potuisse; & propterea ad propheticum sermonem, tanquam ad firmiorem; respectu scilicet huiusmodi auditorum, ablegatos esse.

Thesi 38. asserit Rullus; *testimonium Ecclesiæ, quamuis publicum sit; ad solidam cordis persuasionem, sine interno testimonio Spiritus sancti nunquam sufficere.* Non imus inficias; internam quandã Spiritus sancti motionem requiri ad hoc, vt testimonio Ecclesiæ permotus; credam hunc vel illum librum verè esse Canonicum & diuinum: at Lutherano illo & Caluiniano Enthusiasmo non magis egemus, quàm quouis alio fanatico afflatu. Neque verum est; quod thesi 39. subditur: *Internum Spiritus sancti testimonium longè esse certius testimonio Ecclesiæ*: Nam si de putatitio illo Caluinistico & Lutherano agatur; mendacium planum est & apertum. Si verò sermo sit de illo interno; quod verè est à Spiritu sancto, nego esse certius; sufficit quòd ratione auctoris & effectoris sit æquè certum; Ratione autem subiecti longè certius est Ecclesiæ testimonium; quia de fide constat Ecclesiæ testimonium esse à Spiritu sancto; ac proinde per se infallibile; at de fide mihi non est certum, vtrum testimonium, quod sentio in pectore meo; sit à Spiritu sancto, etiamsi sit conforme testimonio Ecclesię; quia fieri potest; vt tantùm ab humano procedat spiritu, atque adeo ex suo genere sit fallibile; neque enim ex fide mihi certo constat, num fide sim præditus.

Ait Rullus. *Testimonium Ecclesiæ non esse primariam caussam aut formalem rationem fidei.* Quis hoc nescit? Quid hoc de dignitate testimonij Ecclesiæ detrahit? Satis est, quod sit *conditio sine qua non fidei*. Hoc nobis assentire; nec plus abs te postulabimus.

Non est sufficiens, inquit Caluinista thesi 42. *aut omnino sufficiens ad faciendam fidem; nam etiamsi Ecclesia millies testaretur, has scripturas esse diuinas, tamen nunquam crederemus, nisi Spiritus sanctus idem mentibus nostris testificans fidem ad id credendum in nobis generaret; siquidem fides donum Dei est, non Ecclesiæ.* Neque hoc dignitati, & excellentiæ huius testimonij quidquam derogat: sufficit; quòd in suo genere sufficiens sit ad procreandam in animo fidem: quodq; ea posita & acceptata, fides in animo necessariò oritur; sicut posita applicatione ignis ad *passum*, necessariò sequitur combustio.

Thesis 43. nil præter mendacia complectitur. Vt, *argumentum à nudo Ecclesiæ testimonio ductum ad confirmandas scripturas; aut aliquam scripturæ particu-*A*lam, aut dogma aliquod fidei nostræ, esse inualidum, inefficax, ineptum ad persuadendum.* Hæc nimirum est eximia illa existimatio, quam Rullus de Ecclesiæ testimonio habet; quamque suprà magnificis verbis deprædicatam dedit. Ad cuius calumniam respondeo, tametsi Ecclesiæ testimonium necdum credenti per se loquendo, nudè & præcisè propositum necessario fidem non faciat; potest tamen fidem facere; si per solita fidei nostræ motiua declaretur, & prudenter credibile efficiatur. Deinde dico, nullum vnquam fidem amplexurum; nisi testimonium Ecclesiæ vel explicitè vel implicitè antecedat: quia fides ex auditu est; infallibiliter autem non auditur, nisi ab Ecclesia & illis, qui Ecclesiæ vice fidem doceant. B

Thesis etiam 44. plane falsa est; *sine testimonio Ecclesiæ cognosci posse scripturas; & receptas fuisse ante vllum publicum Ecclesiæ iudicium & testimonium.* Proferat exemplum vnius Canonici libri ante vllum publicũ Ecclesiæ iudicium & testimonium recepti.

Mox incurrit in Papistas, quos *turpissimè errare* clamitat, cum dicunt, *scripturam non esse authenticam, nisi Ecclesiæ auctoritate, vt habet Eckius in Enchiridio cap. 1.* At velis nolis, authentica non est respectu nostri, & in actu quasi secundo; nisi per Ecclesiæ testificationem. *Item cum dicunt Papistæ: nobis non constare scripturas à Deo prodiisse, nisi ex Ecclesiæ testimonio, vt loquitur Canus in locis lib. 2. cap. 8.* At C & hoc verissimum est; nam quidquid præterea testimonij de diuina & Canonica scripturæ auctoritate nobis suppetit; id à testimonio Ecclesiæ respectu nostri dependet. *Item cum dicunt*; Ecclesiæ auctoritatem solam orthodoxis satisfacere & posse & debere; vt scribit Stapletonus lib. 9. princip. doctrin. cap. 14. Et quare sola non posset & debere satisfacere ad hoc, vt scripturis, tanquam à Deo dictatis, firmiter assentiar, cum nec falli nec fallere queat, tam procul ab omni errore seiuncta; quàm procul veritas à falsitate disterminatur.

Turpissimè item errant Papistæ, iudice Rullo, cum dicunt, *non constare nobis, publicè videlicet, vt de fide sit, hanc esse Scripturam sacram, nisi propter Ecclesiam,* D *eiusq; externum, & ordinarium testimonium*; vt idem Stapletonus scribit in defensione Ecclesiasticæ auctoritatis lib. 1. cap. 1. sect. 3. Et hoc verissimum est; vt enim in omni effectu producendo necesse est adesse conditiones illas, quas vocant, *sine quibus non*: eo quod absq; illarum ope effectus produci nequeat; ita, vt constet nobis, hunc vel illum librum esse Canonicum; adesse oportet conditionẽ sine qua non; quæ non est alia, quàm Ecclesiæ testificatio.

Errant insuper, *cum dicunt; nouos libros in Canonem referri posse, si visum Ecclesiæ fuerit, vt idem Stapletonus tradit*: omnino nouos, olim tamen ab Apostolis Apostolicisque viris, vel à Prophetis scriptos; si qui præterea exstent; & si velit Ecclesia:

quia

quia eadem potestate proponendi & declarandi libros Canonicos iam prædita est, qua olim: Vt ergo olim potuit libros Canonicos, de quibus dubitabatur, tanquam verè Canonicos, fidelibus proponere; sic & hodie idem posset; si qui à parte rei verè Canonici libri; necdum tamen pro Canonicis agniti, superessent.

Errant item cum docent; *Ecclesiam habere auctoritatem taxandi scripturas, vt idem Stapletonus docet princip. doctrinal. lib. 9. cap. vlt. Taxare autem, est rei valorem, & precium æstimare.* Quantus error; isque totus in vocabulo *taxandi* positus, quod forense: non ergo huc transferendum. Nugæ. An non rectè dici potest Ecclesia *taxare* libros cum his vel illis Canonicum valorem inesse pronunciat; aliis, nequaquam? Sed en incrementum huius erroris Papistici.

B *Nomine Ecclesiæ* (cum de testimonio Ecclesiæ agunt) *non totam fidelium multitudinem, sed duntaxat Pastores, & Episcopos, aut etiam solùm Pontificem Romanum intelligunt: vt ita fidelium multitudo debeat eas solummodò scripturas pro diuinis, & authenticis acceptare, quas Episcopi & Pastores, vel etiam solus Pontifex Romanus suo testimonio approbarit, & commendarit.* Omnino ita sentimus, ac statuimus: & Ecclesiæ vocabulum vsurpamus, prout vsurpatur in illo Christi monito: *Dic Ecclesiæ*; neque enim hic vniuersitatem fidelium significat; sed antistites; quibus Ecclesię nomen per *synecdochen* tribuitur; quia capitis locum obtinent.

C Pergit Rullus thesi 48. *Longè aliter censuit Ambrosius in Lucam, in prooemio, vbi ait: Erat populi gratia, discernere spiritus, vt cognosceret, quos referre deberet in numerum Prophetarum; quos autē, quasi bonus nummularius, improbare: sic & nunc in nouo Testamento, multi Euangelia scribere conati sunt, quæ boni nummularij non probauerūt. Vnum autem tantummodo in quatuor libros digestum ex omnibus arbitrati sunt eligendum.* Quid hæc vel pro Rullo, vel contra nos? Vt olim populus Pseudoprophetas discernere debebat à veris Prophetis; sed iudicio priuato; ita & hodie discernere debet Prędicantes Lutheranos & Caluinianos à veris Ministris Christi. Et vt olim populus hoc faciebat, non nisi ductu auspiciisque eorum, qui Ecclesiæ præerant; ita idem hodie faciendum; idque non tantùm in personis, sed & in libris internoscendis; semper tamen dependenter ab Ecclesiæ iudicio; quod solùm per se est infallibile. Nummularij sunt, etiam priuati; sed priuati; non publici, non ex publico munere, iudicant, probant, sed cum respectu ad eorum iudicium & probationem; quibus hæc iudicandi & probandi prouincia ex publico officio competit. Semper isti imperitæ plebis adulatores conantur vulgus ad iudiciarium tribunal subuehere.

D Ex qua assertatione populari fluxit & hæc thesis 49. *Non pastorum modò, sed & populi Christiani est, scripturas sinceras ab adulterinis discernere: atque vt ab aurifice nummi, sic à nobis Christianis scripturarum libri internoscuntur.* Hinc etiam Rullus in Didascal. de verbo Dei thesi 55. & seqq. *duplex Ecclesiæ testimonium statuit: totius Ecclesiæ, & singulorum piorum in Ecclesia.* At iam satis superque explicatum est quo pacto singuli quique priuati de Canonicorum librorum diuina auctoritate testificari queant; & quomodo idem testetur Ecclesia. Et quanto discrimine à se mutuo hæc testimonia dissideant.

Nec silendum, Prædicantes, id, quod suis promittunt, & vel reluctantibus offerunt iudicandi & testificandi officium; postea, vbi ad rem ventum est; reuocare: Iudicet & testetur priuatus quispiam aliquid de libro aliquo contra Prædicantium iudicium & testimonium; Iudicet, verbi gratia, & testetur librum Iudith esse Canonicum; videamus, quodnam præmium iste iudex & testis reportaturus sit.

Mentitur Rullus thesi 50. *hodiernos Papistas dissentire à veteribus Romanæ Ecclesiæ Doctoribus*, citatque Petrum de Aliaco Cardinalem lib. 1. sentent. quæst. 1. art. 3. vbi dicit; S. Augustinum credidisse Euangelio ex testimonio Ecclesiæ, tanquam ex caussa mouente ipsum ad fidem Euangelij. Quis ex Catholicorum numero aliter sentit? Quis dicit; *formalem* fidei rationem esse propositionem Ecclesię? Quis interrogatus de *formali* caussa, cur credat; non respondet, se credere propter diuinam reuelationem? Quis non pleno ore fatetur propositionem seu testificationem Ecclesiæ tantummodo esse *conditionem sine qua non fides*; quam Cardinalis Cameracensis appellat *caussam mouentem ad fidem Euangelij*.

Ambigo autem, num Rullus ex animo thesin 56. scripserit: *Perpetuus totius Ecclesiæ consensus, in recipiendo, & conseruando verbo Dei, est magni faciendus: quia, pondere suo non caret. neque enim pro minimo ducendum est, ex quo verbum Dei publicatum fuit, tot seculorum voluntates constanter in eius obedientiam consensisse. Ecclesiæ igitur testimonium de sacra Scriptura reuerenter amplectimur, & nequaquam reiicimus, vt de nobis mentiuntur Papistæ.* Occurrit illud Poëtę: *Laudamus veteres, sed nostris vtimur annis.* Si perpetuus Ecclesiæ consensus tanti fit à Caluinistis, cur, eo deserto, quiduis potius sentiunt, quàm quod consensus ille docet? Cur quouis potius tendunt, quàm quò consensus iste ducit?

De consensu fidelium vulgarium hæc Rullus thesi 57. *Singulorum etiam piorum conuenientiâ plurimum nos moueri decet. Nam cum tanta sit animorum, & iudiciorum diuersitas, tanta in rebus omnibus alioqui disparitas, tamen singuli, quàm longè, latéque patet terrarum orbis, variarum gentium pij ad id amplexandum conspirant; quod fieri non posset, nisi cælesti numine auctoritas ei conciliata esset.* Vel hæc vnica thesis, si ex pectore, non ex solis labris processisset; Lutheranos & Caluinianos absterrere debuisset; ne cum alia Catholica instituta, tum Missam exterminarent; cum hæc ante Lutherum & Zvvinglium, omnium fidelium opinione & vnanimi consensione,

sione, pro ritu diuinitus instituto, habita fuerit; quod in tanta animorum & iudiciorum diuersitate, & tanta in rebus omnibus alioqui disparitate fieri non potuisset, *nisi calesti numine auctoritas ei conciliata fuisset*; vt verbis Rulli vtar.

Quid Pappus? Vt nobis planum faciat suum in testificationem Ecclesię affectum; vltimam illi assignat sedem inter criteria; quæ primam omnium rectè sentientium iudicio possidet. *Accedit postremò*, inquit Pappus thes. 78. *ad testium nubem. Ecclesia communis testificatio. auctoritatem scripturæ non dantis, sed præditam publicè contestantis, & foventis in membris suis*: Imò & dantis; sed respectu nostri; seu nostrę notitię; in qua scriptura antea nobis ignota, per Ecclesię testificationem auctoritatem Canonicam accepit. Hanc Ecclesiæ testificationem multis gradibus esse inferiorem Apostolorum testificatione, affirmat Pappus. *Nam Apostolorum testificatio* I. *immediatè est à Christo*. Etiam testificatio Ecclesiæ est immediatè à Christo; quia vt Christus per Apostolos infallibiliter testatus est Euangelium S. Matthæi esse Canonicum; ita hodie idem nobis testatur per Ecclesiam: Et si testari per Apostolos, est Pappo Christum ipsum *immediatè* testari; etiam testari per Ecclesiam; erit Christum ipsum immediatè testari.

II. Testificatio *Apostolorum est inculpata*. Etiam Ecclesię testificatio est inculpata, à nemine enim culpatur, nisi ab Hæreticis.

III. *Est extraordinaria*. Falsum. Nam Apostoli & primitiuę Ecclesię proceres, de Canonicis libris, ex officio, quo fungebantur, testati sunt; at officium illud non erat extraordinarium; nisi quis dicere velit, Apostolos extraordinariè fuisse Apostolos, sed ordinarium.

IV. *Data ad principium generationemq́; aut restitutionem*. Etiam hodiernę Ecclesię testificatio est ad restitutionem & reparationem Canonis: nam quòd illa Apostolorum fuit *ad principium & generationem*, vt Pappus loquitur, noui Canonis; quid refert? Non est per se loquendo maior dignitas testari de Canonis ortu, quàm de illius continuo progressu.

Ecclesia testificatio excitata est, inquit Pappus. I. *mediatè per Apostolos & Prophetas*. Diuinet, qui valet, quid hoc loquendi modo sibi velit Pappus: nam hæc testandi de scripturis Canonicis auctoritas; nec à Prophetis est in Ecclesia; nec ab Apostolis; sed ab illo, qui dixit; *Tibi dabo claues regni cælorum*. Et quidem immediatè; neque enim vllius medij interuentu supremus Ecclesiæ pastor hanc testificandi potestatem à Deo accepit: quam *infirmitati & ignorantiæ subiectam esse*; nemo affirmauerit, præter ignorantes Prædicantes; ex quorum numero Pappus. Quomodo infirmitati & ignorantiæ subiecta est columna & firmamentum veritatis?

Ait Pappus thes. 83. *Sequentem Ecclesiam esse custodem testificationis primitiua Ecclesia de scriptura*. Non hoc tantum; sed & ipsa testis & est & esse potest; si

A aliquis Canonicus liber ab improbis in controuersiam vocetur; prædita ad hoc eadem potestate, qua primitiua Ecclesia prædita fuit. Libenter autem ex Pappo intelligerem; *vnde sciat*; primitiuam Ecclesiam testatam esse de Pentateucho, quòd sit Canonicus; non de libro Iudith, aut Tobiæ. Item de Euangelio Lucæ; non de epistola Iacobi. Obsecro, vbi hoc scriptum? Nec periculum est, fore, vt Ecclesia posterior aliquid in rebus sacris decernat, cuius non possit certa documenta ex testificatione primitiuæ Ecclesiæ proferre.

Non valere Ecclesiæ testificationem ad certitudinem de scripturis animo ingenerandam, mendacium est; quod Pappus thes. 84. mutuari

B voluit à Pareo thes. 59. Ait Pappus: *Per Ecclesiam credi posse; propter Ecclesiam, nec posse, nec debere credi*. At quare non & *propter Ecclesiam* testificantem; tanquam propter conditionem *sine qua non*? An non hoc etiam loquẽdi modo vti consueuimus? Domum esse exustam propter applicationem ignis ad illam? Nam *quod Ecclesia auctoritatem scripturæ ab extra non ingenerat*, vt obiicit Pappus, non obstat; satis est, quòd suo testimonio scripturis auctoritatem & debitam existimationem apud homines conciliat; atque adeo ratione nostri scripturis auctoritatem indat.

Falsum thes. 85. *Ecclesiæ auctoritatem, quoad nos pendere ex scriptura necessariò*. Barbarum; *caussatur proinde scriptura Ecclesiæ auctoritatem, non contra*. Ele-

C ganter; *caussatur* pro, *parit*; *adfert*; & vt in scholis Philosophicis dici consueuit, *caussat*. Nimirum Pappus Virgilium imitari voluit; qui *bellantur* pro *bellant*; noster iste; *caussatur*; pro *caussat*. Perinde est, cum dicit, scripturas adferre Ecclesiæ auctoritatem apud eos, qui scripturis necdum habent fidem, ac si diceret Pappus, Regiam maiestatem adferre alicui auctoritatem apud illum; qui eam penitus ignorat; imò & inficiatur. An non huic fides de auctoritate regia aliis mediis, quàm ipsa auctoritate regia facienda est; ne ignotum per æquè ignotum insipienter quis declarare conetur?

Pergit. *Scriptura, quoad nos versatur in ostensione spiritus & virtutis. 1. Corinth. 2.* nimirum, postquam

D per fidem acceptata est, non ante. Adde, quod S. Paulus non loquitur ibi de scriptura, sed de sua prædicatione, quam abs se virtutibus, & miraculorum patratione confirmatam, non humanæ eloquentiæ pigmentis fucatam ait.

Quid amplius? Hebr. 4. 12. dicitur: *sermo Dei viuus & efficax*; quod *diiudicat cogitationes cordis & conceptiones*; & 1. Corinth. 14. *Occulta cordis per illud manifesta fiunt*; *ergo iudicium auctoritatiuum est penes verbum Dei*; per consequens, penes Ecclesiam non est iudicare; quæ nam sint scripturæ Canonicæ. Respondeo, scriptura est sermo viuus & efficax; sed credenti. Diiudicat cogitationes; sed apud credentem; & diiudicat; non vt iudex propriè; sed vt lex & norma; secũdum quam de cogitationibus

iudicium

iudicium instituitur. Locus ex Epistola ad Corinthios nil penitus ad rem facit; quia non agit de scriptura, vt ex inspectione loci euidenter patet. *At Christus ab homine non accipit testimonium, Ioan. 5. Ergo nec verbum eius. Par ratio.*

Respondeo, I. Si valet hæc ratio, tum omnia omnino testimonia humana, quibus scripturam confirmamus & illustramus, superflua erunt; quid enim tu mihi scripturam vllo humano testimonio confirmas; cum scriptura non accipiat testimonium ab homine? Et tamen Rullus, Pappus, & alij in suis de scriptura dissertationibus producunt testimonia, vt vocant, externa; inter quæ & humana. Quid opus his testimoniis; si scriptura non recipit humana testimonia?

Deinde, Christus ab homine se testimonium non recipere dicebat; quia ipse & concionando, & miracula per se & discipulos suos faciendo, doctrinam suam cumulatissimè confirmabat; eamque fide & approbatione dignam esse, demonstrabat. Num hoc facit scriptura?

Tertiò, sicut certo sensu verum est; Christum nec accipere, nec accepisse ab homine testimonium; ita certo sensu verum est; scripturam non accipere testimonium ab homine; videlicet, hunc in modum; quasi absque hominis testimonio in se non sit authentica & diuina. Sic non accipit testimonium ab homine; vt nec Christus accipiebat ratione suæ diuinitatis, neque enim per testimonium hominum Deus, & filius Dei efficiebatur; quia absque vllo vllius hominis testimonio talis erat: accipiebat tamen testimonium hominum propter ipsos homines, & respectu ipsorum hominum; vt quod ipse in se erat, id etiam hominibus, conuenienter, hoc est, humano testimonio, patefieret. Pari ratione respectu nostri accipit scriptura ab homine testimonium, nimirum, vt eius authentica, Canonica & diuina auctoritas nobis innotescat. Quam distinctionem ipse Pappus agnouit quidem, sed tenebris inuoluit ita scribens. *Accepit quidem aliàs Christus testimonium à Ioanne, sed non auctoritatis momentum, quod hic intelligitur per testimonium.* (Imo & hoc, sed respectu nostri, & *in esse*, vt vocant, *cognito*.) *Sic scriptura ab Ecclesia testimonium recipit; sed non auctoritatem*; (imò & auctoritatem, ratione notitiæ nostræ, hoc est, auctoritatem cognitam) *Ecclesia testatur, non vt scriptura maiorem auctoritatem recipiat; sed vt magis agnoscatur.* Sed hoc ipso, quod magis agnoscitur; maiorem auctoritatem ratione nostri accipit; quia insita scripturis auctoritas per hoc, quod à pluribus agnoscitur; fit per extensionem maior & amplior; licet quoad intensionem eadem perseueret.

Addo denique, Ecclesiæ testimonium non esse purè humanum; sed *humanum diuinitus inspiratum*; seu vt alij vocant, *diuinum per participationem*. Hinc & penitus infallibile est.

Necdum finis. *Christus de se dicit Ioan. 5. vers. 36. Ego habeo testimonium maius, quam fuit Ioannis. Quale ergo? opera nimirum, testimonium Dei Patris, scripturas. Scriptura de Christo testimonium est maius Ioannis, & Ioannis maius Ecclesiæ. Ergò scripturæ testimonium maius est Ecclesiæ testimonio.* Arguta profectò argumentatio; ex ipsis scripturis acutissimè cõfecta. Ait Christus; testimonium quod habet, esse maius Ioanne; hoc est, testimonio, quod Ioannes Christo perhibuit. Et quodnam hoc maius testimonium? Audi Christum: *Opera enim, quæ dedit Pater, vt perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Vbi Pappus solertissimè *per opera à Christo perficienda*; intelligit *scripturas*: vt sensus sit: *Scripturæ enim, quas dedit mihi Pater vt perficiam eas; ipsæ scripturæ, quas ego facio, testimonium prohibent de me*, &c. An non hæc insignis est dicti illius apud Ioannem expositio? cum ergo *operum*, hoc est, *scripturarum*, quas Christus faciebat, testimonium maius sit testimonio Ioannis; vtique maius etiam erit testimonio Ecclesiæ; quia si est maius maiore; est etiam maius minore. At minus est testimonium Ecclesiæ; maius Ioannis. Ingeniosissimè igitur concluditur, quod à Pappo iam conclusum vidimus. Fumi & nebulæ vndique & vndique. Quasi hic disquiratur, quodnam testimonium maius sit; scripturæ, Ioannis, an Ecclesiæ. Satis est, quòd omnia sunt supra & extra omnem errorem & falsitatem. Sufficit, quod Ecclesiæ testimonium ita est necessarium, vt nec testimonium scripturæ, neque testimonium Ioannis pro infallibili verè haberi posit; nisi postquam Ecclesia nobis asseuerauit, declarauit & proposuit; hoc vel illud verè esse Canonicæ scripturæ, atque adeo ipsius Ioannis de Christo testimonium. Seclusa hac Ecclesiæ affirmatione; cætera omnia vacillant & titubant; nec vllis Criteriorum tubicinibus & fulmentis ita fulciri queunt; quo minus facilè corruant.

Quale monstrum, quod sequitur? *Scriptura est certior, quàm diuina reuelatio & cælestiũ vox.* Quid audio? Certior ne scriptura; quam prima veritas Deus? Certior ne scriptura; quàm vox cælestis? An non ipsa est vox cælestis? Certior ne scriptura, quàm auctoritas diuinã? Qualia portenta eructat Pappus? An non vox Dei æquè certa & infallibilis est ac ipse Deus? Quàm monstrosum hoc deliramentum. *Scriptura est diuina reuelatione & cælesti voce certior: Ecclesia non est certior diuina reuelatione*: ergo, &c. Et tamen absurdissimo huic commento patronus aduocatur S. PETRVS: vbi dicit; *Propheticum sermonem esse certiorem & firmiorem cælesti illa voce; quam in Monte Thabor calo delapsam audiuit.*

Digitized by Google

Quanta Prædicantium audacia & inscitia, cum insulsissima sua commenta adeo inuerecundè & ineptè scripturarum dictis fucare tentant: nullo enim modo D. Petrus voluit scripturas Propheticas esse in se certiores & infallibiliores, quàm fuerit illa vox cælestis Patris: *Hic est filius meus dilectus, &c.* Sed vel comparatiuum, more sacris litteris non infrequenti, posuit pro *positiuo*; vel locutus est de maiore firmitate & certitudine per accidens, hoc est, ratione auditorum; vt supra explicatum.

Mendacium est, *Christianos tempore Apostolorum agnouisse diuinam scripturam sine auctoritate Ecclesiæ.* Ride & hanc fatuitatem. *Legis auctoritas non pendet ab Ecclesiæ auctoritate; ergo nec Euangelij;* Negatur antecedens loquendo de dependentia quoad infallibilem cognitionem. Probat Pappus antecedens. *Qui scripturæ non credunt; nec Christo credunt; ergo multò minus Ecclesiæ.* Similiter, ac si diceret; Qui conclusioni nondum fidem habet; multò minus fidem habebit *præmissis*; per quas, tanquam per notiores, probatur obscurior conclusio. Nam vt *præmissæ* respectu conclusionis notiores esse solent; ita & auctoritas Ecclesiæ respectu Canonicæ scripturæ agnoscendę notior est & clarior; cui insuper per communia fidei motiua fides adstruitur; ita, vt quis tandem eius auctoritate impulsus; credat, scripturam esse à Deo profectam; & vbique etiam ad minutissimum vsque Iota diuinam & verissimam: quia hæc Ecclesiæ auctoritas coram adiri & audiri potest, loquens per Ecclesiæ pastores, & doctores; præsertim per summum Pontificem; quorum id muneris est; vt omnes dubitationes dissoluant, & scrupulos vniuersos ex hæsitantium animis eximant; planoque & regio itinere ad veritatem inducant.

At quanta ruditas latet in his Pappi verbis: *Ecclesia non ingenerat fidem infusam de auctoritate scripturæ, sed acquisitam tantum, testantibus quoque Pontificiis. Iam vero maxima scripturæ auctoritas dependet ab infusa fide. Ergò non à fide Ecclesiæ.* Audi Prædicans. Solus Deus est caussa efficiens fidei infusæ & supernaturalis. Hanc neque scriptura; neque Ecclesia; neque vlla alia creatura effectiuè producit. At vt hoc ita fit; à Deo tamen effectiuè in hominis animo non producitur; nisi posita conditione *sine qua non*; hoc est, testificatione Ecclesiæ; positoque assensu, quo huic testificationi homo fidem præbet. Sicut licet in generatione hominis anima rationalis à solo Deo producatur; non tamen producitur independenter à dispositionibus & conditionibus, *sine quibus non*; quas in materia inesse oportet.

Quòd dicit. *Per testificationem Ecclesiæ fidem tantummodo acquisitam in animo nasci*; testesque citat Pontificios; candidi disputatoris erat, explicare, quomodo id Pontificij intelligant; minimè

A enim negant ex propositione & testificatione Ecclesiæ nasci fidem diuinitus infusam, tanquam ex conditione *sine qua non*; sed dicunt, prius in animo auditoris ex motiuis; quæ audiuit, & ex Ecclesiæ testimonio nasci, vel nasci posse fidem acquisitam de veritate reuelationis diuinę ipsaque reuelatione & propositione Ecclesiæ. Sed hoc asserendo, minimè inficiantur id, quod inde postea consequitur.

At quid sibi volunt illa? *Maxima scripturæ auctoritas dependet ab infusa fide.* Si in cognoscendo; rectè. Acquirit ergo scriptura aliquam auctoritatem respectu notitiæ nostræ per hoc, quod nobis manifestatur; quod tamen Pappus supra negare visus. Num autem Pappus seriò admittit *fidem infusam*, hoc est, *habitum infusum*? Nec caret

B argutia illud: *Dependet scriptura in cognoscendo à fide infusa, & supernaturali; ergo non à fide Ecclesiæ.* Quid per *Ecclesiæ fidem* intelligit? Etiam Ecclesiæ fides infusa est & supernaturalis. Si autem per *Ecclesiæ fidem* intelligit illam *acquisitam*; quæ ex motiuis fidei & propositione Ecclesiæ in animo auditoris prius enasci potest; quam mens habitu supernaturali fidei imbuatur & exornetur, negamus auctoritatem scripturæ quoad nos ab hac fide non dependere; dependet enim inde, tanquam à dispositione quadam remota; ipsam fidei supernaturalis productionem & generationem antegredi consueta.

C Progrediamur ad reliqua Pappi somnia. *Scriptura per se est authentica, ergo per seipsam pro verbo Dei à nobis agnosci debet*; Probatur consequentia: *Quia nihil est authenticum, quod non alicui sit authenticum.* Respondeo, I. Si scriptura per se ipsam pro authentica agnosci debet; cur vos Prædicantes, tot interna & externa criteria congeritis & accumulatis? Quid opus tot agnoscendi notis, si per seipsam agnoscitur? Secundò Respondeo, per se, quasi in actu primo scripturam esse authenticam. At ratione nostri & in actu secundo non est nobis authentica; nisi per infallibile Ecclesiæ testimonium; vt iam sæpius dictum.

D Vis plures Pappicos λήρους? *Scriptura est notior ἁπλῶς & quoad nos.* Probat quod ἁπλῶς. *Quia dogmata scripturæ sunt à sensibus remotiora, ergo viciniora mentibus; præconij ministerio: ergo simpliciter notiora.* At licet totum hoc concederemus, eo sensu, quo à nonnullis abstractiora à sensibus dicuntur notiora natura; id tamen nihil Pappicam caussam iuuaret; quia tota hæc disputatio non procedit de eo, quod notius est per se vel secundum se; vel natura; sed tantum de eo, quod nobis notius, quia hic tota quæstio est, per quidnam, velut per instrumentum, deducamur in scripturæ Canonicæ infallibilem cognitionem; ad quod profectò nil confert id, quod notius est natura; nisi etiam simul sit notius quoad nos. Proba

igitur

igitur scripturam esse notiorem quoad nos. Obsequeris.

Quia ab Apostolis & Prophetis præcognita est; & postea demum prædicata Ecclesiæ; ergo est notior quoad nos, quam Ecclesiæ auctoritas? Qualis consequentia? Prædicata est doctrina Euangelica aliquot annis priusquam vllus noui testamenti liber conscriberetur. Et olim in veteri testamento vsque ad Moysen tradita sunt cælestia dogmata absque vlla scriptura; quomodo ergo scriptura; quoad cognitionem nostram, notior est; quàm Ecclesiæ auctoritas; cum per tot annos ipsi doctrinæ diuinæ præcones absque vlla scriptura; vel intuitu ad Canonicam scripturam; diuina dogmata mortalibus annunciarint? Deinde licet dogmata scripturæ non possint annunciari & explicari, nisi quis prius ea ex scriptura agnouerit; non tamen sequitur, ea esse notiora quoad nos: alioqui nullo labore inde conficeres; etiam conclusiones notiores esse præmissis; quia conclusiones Physicæ v. g. non possunt auditoribus explanari; nisi quis prius eas cognoscat & intelligat. At cognoscuntur & intelliguntur per præmissas; tanquam per notiores; sic in proposito; scripturæ explanantur à Doctoribus, vtique præcognitæ; at non præcognitæ, nisi ex traditione & testificatione Ecclesiæ. Quo fit, vt non sint priores & notiores secundum nos, quam Ecclesiæ traditio & testificatio; sed vt sint priores *in esse cognito*, quàm prędicatio seu explicatio scripturæ. Quod verum; sed nil ad rem. Hæc de Pappi deliriis. Similia delirarunt Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi, vt docebit te sessio decima & vndecima.

Non possum committere, quò minus hic proponam stultissimam & stolidissimam notam discernendi veram doctrinam à falsa, atque adeo Canonicos libros à non Canonicis, quam Caluinista Danæus adducit sub finem Responsionis ad librum tertium Bellarmini, quam à Bellarmino *ignoratam fuisse* clamitat; Et tantum non Minerual à Bellarmino flagitat, ob hanc notam tam dextrè & feliciter explicatam. Ea hæc est. *Quæ doctrina nos vnius Dei gloriam, in solidum quærere docet, ea verè, certò, asseueranter diuina, & cælestis doctrina statuatur. Quæ verò doctrina nos, nostram, aut creaturarum cælestium vel terrenarum gloriam quærit, stabilit, aut præfert Dei gloriæ, ea doctrina neq; diuina, neq; cælestis censeatur.* Hæc est Maior. Subsumam iam. *Sed doctrina Epistolarum Iacobi & Iudæ nos vnius Dei gloriam in solidum quærere docet; ergo verè, certò, asseueranter, diuina, cælestis & Canonica statuenda est.* Negabit Lutheranus Minorem. Quorsum se conuertet Caluinianus Danæus?

Quid aget, si in Manichæum incidat; qui totum testamentum vetus tollit? Num illam suam Maiorem occinet? Occinat sanè. Sed Manichæo procliue erit negare Minorem, ad vetus testa- A mentum applicatam; prout olim à Fausto, & toto Manetis grege negata fuit.

Quanquam etiam Maior falsa est. Nam & libelli piorum hominum; vt est ille de Imitatione Christi; Item meditationes D. Augustini: Homiliæ D. Bernardi in Cantica; nos vnius Dei gloriam in solidum, quærere docent; num propterea doctrinam cælestem & diuinam, hoc est, Canonicam continent? Num propterea tales libelli censendi sunt Canonici?

Ne tamen Maiorem, seu, vt ipse Danæus vocat; regulam illam suam temerè statuisse videatur, en tibi quatuor eius probationes. *Prima sumitur à necessario consequenti, quod ex Dei notitia omnino* B *deriuatur & consequitur: Est enim prorsus necesse, vt quem esse Deum quispiam verè agnoscit & fatetur, ad eiusdem gloriam omnia referat. Sic arguit in Epistola ad Romanos Paulus cap. 1. Gentes esse coram Deo prorsus inexcusabiles; quod, cum verum Deum cognouissent, tamen eum, vt Deum, non glorificarunt. Est enim illud omnium hominum non prorsus amentium, mentibus insculptum, & Deum aliquem esse; & eum, qui sit Deus, vbiq; colendum, & ad eius gloriam omnia referenda.* Quid tandem infers? Num hoc? *Ergo doctrina, quæ nos vnius Dei gloriam in solidum quærere docet; verè est cælestis & diuina;* hoc est, *Canonica.* Hoc tibi quidem, concludendum est; si intelligas, quid agere debeas. Verùm hæc collectio non meretur nomen *consequentiæ*; sed stultitiæ.

C Secunda probatio Maioris seu Regulæ Danæanæ *ducitur itidem à necessario consequente; quod ex ipsa rerum factarum & à Deo productarũ natura colligitur. Est enim illud verissimum consequens & omnino notum, videlicet opificium ad opificis sui laudem spectare & referri oportere; ergo qui aliquem verè Deum esse agnoscit, idem hæc reliqua, quæ sunt opificium, illius esse fateatur necesse est, ac proinde ad Dei ipsorum opificis gloriam referenda omnino esse.* Quid hinc colligis? Eandem videlicet quam prius stultitiam. *Ergo doctrina quæ nos vnius Dei gloriam in solidum quærere iubet, verè est cælestis & diuina, hoc est, Canonica.* Argutè conclusum.

Tertia Maioris seu Regulæ Danæanæ confirmatio est à genere sic. D *Omnis, quæ de Deo, eoq; colendo vera loquitur, & docet doctrina, est diuina: quæ in eodem colendo falsa docet, illa falsa est. Non est enim Deus falsitatis autor, sed veritatis. Ergò, quæ doctrina veritatem de Deo, Deiue cultu docet, à Deo proculdubio est, ac proinde diuina est. Illa verò doctrina verum de Deo, Deiue cultu tradit, quæ omnia ad ipsius gloriam, velut opificis laudem reuocat, & referenda iubet, ergo diuina illa est,* hoc est, *Canonica.* Pulchrè, benè, rectè.

Quarta confirmatio Maioris seu regulæ Danæanæ *à necessaria caussa sumitur, quod hac ipsa nempe nota, & regula, & Christus, & Paulus vtuntur, vt suam doctrinam, diuinam, id est, à Deo esse confirment, & cælestem. Nam Christus cap. 5. vers. 43. 7. v. 18. 8.*

A *verſ. 50. ſic argumentatur apud Ioannem : Qui quærit gloriam Dei, non ſuam, is verax eſt, & vera, ſeu diuina ipſius doctrina. Atqui, ego quæro gloriam Dei Patris, non meam. Ergò, & verax ſum, & doctrina mea diuina. Contrà verò, Ioan. 12. verſ. 43. Qui quærit ſuam gloriam, neq; verax eſt, neq; vera eius doctrina. At, qui mihi contradicunt, quærunt ſuam gloriam. Ergò, neq; veraces ſunt, neq; eorum doctrina vera eſt, aut diuina. Paulus autem Gal. 1. verſ. 10. Philipp. 3. verſ. 9. ſic arguit : Quicunque homines, id eſt hominum gloriam, non Dei, prædicant, aut ſuam, id eſt ſuorum operum gloriam, & iuſtitiam quærunt, falſam doctrinam, & diuinæ contrariam annuntiant. Ergò, diuina doctrina eſt ea, quæ ſolius Dei, & quidem in ſolidum gloriam quærit. Alibi conqueritur, ab iis Dei doctrinam corrumpi, qui ſe, ſuamq; gloriam quærunt. Ex quo ſequitur, veram eſſe, certamq; noſtram notam, & regulam, per quam verè doctrinam eam, quæ Dei eſt, ab ea, quæ non eſt Dei, tutò diſcernimus : & verum quoq; illius ſenſum, & interpretationem à falſo diiudicamus.*

Hæc futilis Prædicans; qui has ſuas nugas ita iactat & venditat; quaſi nullum ab vllo mortalium certius & euidentius ſcripturas Canonicas agnoſcendi iudicium vnquam allatum fuerit; cum tamen & ipſa regula; & probationes regulæ, nil aliud ſint, quàm ſtultitiæ Danæanæ; quibus quiduis potius efficitur, quam id, quod Danæus inſtituit. Nam ſequeretur primò, omnes libellos, qui pietatem & cultum Dei docent, C eſſe Canonicos; & doctrinam eorum Canonicam; vt ſupra dictum. Secundò ſequeretur, etiam Tomos Lutheri, Caluini; Bezæ & ſimilium eſſe Canonicos, eorumque doctrinam Canonicam. Accepta enim Danæana regula hunc in modum argumentabor. *Illi libri, qui nos in ſolidum vnius Dei gloriam quærere docent; ſunt Canonici; Tomi Lutheri, Caluini, Bezæ docent nos in ſolidum vnius Dei gloriam quærere; ergo Tomi Lutheri, Caluini, Bezæ ſunt Canonici.* Item. *Omnis doctrina, quæ nos in ſolidum docet quærere gloriam Dei; illa eſt Canonica: Doctrina Lutheri; Caluini, Bezæ in ſolidum docet nos quærere gloriam Dei; ergo doctrina Lutheri, Caluini, Bezæ, eſt Canonica.* In vtroque ſyllogiſmo Maior eſt Danæi; & iudicio illius, certiſsima & indubitata. D Minorem quod ad Caluinum & Bezam attinet, libentiſsime dabit Danæus; Quid reſtat igitur; niſi vt & concluſionem nobis largiatur; cum, iudice Danæo, præmiſſæ ſint veræ; neque vllum vitium in forma ſyllogiſmi appareat. Nec Lutheranus inficiabitur Minorem; quatenus Lutherum concernit.

Videt, opinor, Danæus; quàm egregiam regulam diſcernendi Canonicas ſcripturas tradiderit. Nam inprimis planè falſa eſt : & vt admitteretur; nihil tamen efficit, apud illos, quia quamcunque Minorem tu ſubſumas, ſemper in promptu erit negatio : vt ſi Danæus cum Lutherano contendens ſic argumentetur: *Omnis doctrina, quæ in ſolidum docet quærere gloriam Dei, diuina eſt & Canonica. Doctrina Epiſtolæ Iacobi in ſolidum docet quærere gloriam Dei; ergo doctrina Epiſtolæ Iacobi eſt diuina & Canonica*: an non Lutheranus è veſtigio negabit Minorem; vt maximè Maiorem ex liberalitate concedat?

Si item Catholicus hoc Danæano indicio vti volens, ſic argumentum inſtituat : *Omnis illa doctrina, quæ docet gloriam Dei in ſolidum quærere; eſt diuina & Canonica; Doctrina libri Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici*, &c. *eſt talis, ergo*, &c. An non DANÆVS confeſtim Minorem reiiciet?

B Itaque ſi quis totam Danæi verboſitatem vel potius ventoſitatem ſua in principia reſoluere velit; deprehendet eam niti hac triplici baſi. I. *Omnis doctrina, quæ omnia ad gloriam Dei refert; eſt Canonica & diuina.* II. *Omnis liber, qui omnia in ſolidum ad gloriam Dei refert; eſt diuinus & Canonicus.* III. *Omnis ſcriptor, qui in ſolidum docet quærere gloriam Dei; eſt diuinus & Canonicus.* Quibus vix quidquam vanius excogitari poteſt.

Quàm inſuper ſubtiles & argutas conſequentias texere liceret; ex quarta Danæi ratione; ſi cui id agere liberet. *Chriſtus dicit : Qui quærit gloriam Dei, non ſuam, is verax eſt, & vera ſeu diuina*, hoc eſt, *Canonica ipſius doctrina.* Subſumet Lutheranus. *Sed Lutherus quæſiuit gloriam Dei, non ſuam; Ergo Lutherus verax eſt, & vera ſeu diuina*, hoc eſt, *Canonica ipſius doctrina*; Etiam tunc cum Epiſtolam Iacobi vocat *ſtramentitiam*. *Qui quærit gloriam Dei, non ſuam, is verax eſt, & vera ſeu diuina*, hoc eſt, *Canonica ipſius doctrina.* Subiunget Caluiniſta. *Caluinus quærit gloriam Dei, non ſuam; ergo Caluinus verax eſt, & vera ſeu diuina, hoc eſt, Canonica ipſius doctrina*, etiam tunc, cum Epiſtolam ad Hebræos ex cenſu Canonicorum voluminum eximit. Et quid tandem ex Danæanis fundamentis non conficietur & concludetur? Quæſo te, num hoc ipſo, quòd quis non ſuam; ſed Dei gloriam quærit; donatur auctoritate Canonica? Num omnis veritas vel veracitas eſt Canonica? Num omnis ille, qui vera de Deo, cultoque diuino, ſcribit; diuinam, hoc eſt, Canonicam doctrinam tradit? Qualia portenta? quæ tamen venditantur, tanquam oracula.

Porro cum Danæus metueret; ne hæc ſua tam formoſa Niſa, quam efflictim deperit, paucos amatores inueniret; quod Caluino aduerſari videatur, maturè occurrendum ſtatuit; Ait ergo, non obſtare, quòd Caluinus libro primo Inſtitut. cap. 7. & 8. alias notas ac regulas proponit diuinæ doctrinæ agnoſcendæ : *Caluinum enim, planè ſecum facere, & ſentire; eum ſecundarias notas aſsignaſſe, dependentes ex* hac Danæana; *quæ etiam veræ non eſſent; niſi*

hac

hæc vera esset; inquit Danæus: de quo non laboro, habeat Danæus stultitiæ primas; Teneat Caluinus secundas; nam & in secundis consistere honorificum est.

Addit Danæus: *Hæc quidem nos breuiter tradimus: quoniam piis, & intelligentibus hominibus hæc scribimus, vt erudiantur melius; non autem Monachis, qui pro hoc nostro in se beneficio, non δίκαιον honestum, quod oportuit, persoluent; sed sputa sua fœtida, & conuitia in me deblaterabunt, & conicient.* Ego non video, quodnam præmium siue nostri, siue tui tibi ob hanc fatuitatem debeant; nisi fortè risum & irrisum quæsisti; quem & reportasti. Quid enim stultius, quam dicere: *Illa doctrina est cælestis, & ille liber Canonicus, qui nos vnius Dei gloriam in solidum quærere docet: Libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, vnius Dei gloriam in solidum quærere nos non docent; ergo libri illi nec continent doctrinam cælestem, nec Canonicam?* Quis Minorem concedet præter fanaticos; vt maxime Maior detur; quæ tamen & ipsa falsa est; tantum abest, vt possit certa & infallibilis scripturæ Canonicæ agnoscendæ nota appellari. Satis de Danæi ineptiis.

CAPVT VIII.

D. Augustinum Canonicas scripturas agnouisse, & recepisse, propter Ecclesiæ auctoritatem, & testificationem.

PROTVLIMVS supra capite tertio illustre pro hac re testimonium ex libro 32. cap. 21. quod hic non repeto; quia æquè luculenta supersunt: Ex quibus primas tenet celebratissimus ille locus ex libro contra Epistolam Manichæi; *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Et; *cui libro* (Actuum Apostolorum) *necesse est me credere, si credo Euangelio, quoniam vtramque scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas.* Quid clarius, quid dilucidius? Et tamen Prædicantes huic tantæ luci caliginem offundere per summam impudentiam moliuntur.

Pareus in Exegesi sua cap. 16. *vulgus*, inquit, *Doctorum Pontificiorum hinc conficit auctoritatem Ecclesiæ dare auctoritatem libris Canonicis apud nos.* Meritò hinc istud Doctores nostri colligunt; quia disertissimè affirmatur à D. Augustino, tali ac tanto doctore. *Inepti sunt, qui sic colligunt*: inquit Pareus. (Rectè dixeris; calumniatores sunt; qui solem ipsum obfuscare & obnubilare student) *Augustinus ait, se commotum Ecclesiæ auctoritate credidisse Euangelio; ergo credendum est Euangelio tantùm propter Ecclesiam.* At Pareus neque

A tam candidus, neque tam eruditus est; vt Catholicorum argumenta vel sincerè proponere; vel legitimè formare queat. Itaque ab vtroque abstineat, suadeo; ne & liuidi sycophantæ, & indocti impostoris nomen ferat. Nam nostrum argumentum est huiusmodi. D. Augustinus expressè dicit; Ego Euangelio non crederem; nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas; videlicet non modò, vt motiuum quoddam, sed & vt conditio sine qua non: ergo D. Augustinus credidit Euangelio, commotus auctoritate Ecclesiæ, nempe tanquam conditione sine qua non.

Ex altero D. Augustini dicto hanc argumentationem texere licebit. *Libro Actuum Apostolorum*
B *credidit Augustinus permotus eadem ratione; qua permotus Euangelio credidit. nimirum auctoritate Ecclesiæ, librum Actuum Apostolicorum, tanquam Canonicum, commendantis; ergo propter auctoritatem Ecclesiæ*, tanquam propter conditionem *sine qua non, libro Actuum Apostolorum credidit.*

Obiicit Pareus: *Vt maximè verum esset antecedens; nihil tamen sequeretur à particulari ad vniuersale: ab eo, quod fecit Augustinus, ad id, quod faciunt, aut facere debent vniuersi. Si enim vel Augustinus, vel quiuis alius de certitudine scripturarum nondum in corde suo satis persuasus, humanis potius, quam diuinis testimoniis, ad illarum fidem alliciatur; nequaquam inde colligi potest, non aliis firmioribus testimoniis autoritatem scripturarum niti, aut nos de ea confirmari posse.* Sed
C quidquid iste tergiuersator tergiuersetur; si antecedens verum est; vt quidem verissimum est; etiam vt à Pareo proponitur; quia nil nisi verba & mentem Augustini continet: consequentia erit profectò firma & valida; etiam respectu vniuersorum. Si enim Augustinus, vir tantus; aliter ad fidem Euangelio atque adeo omnibus scripturæ libris habendam peruenire non potuit; nisi per Ecclesiæ auctoritatem & testificationem; quis cum ratione dubitet; num eadem via reliquis itidem, nemine excepto, ineunda & tenenda sit: cum fides sit ex auditu; & quidem infallibili; quandoquidem ipsa fides est infallibilis: hic autem infallibilis auditus aliunde non
D veniat; quàm ab Ecclesia; vel iis, quibus ab Ecclesia munus docendi commissum est? Nec merè humano testimonio nititur, qui testimonio Ecclesiæ nititur; vt Prædicantes opinantur; sed humano diuinitus inspirato; seu diuino per participationem.

Addit deinde Pareus. Antecedens esse falsum. Quomodo falsum; cum ipsa Augustini verba complectatur? Certè pro falso haberi non potest; nisi Pareus impudenter dicere velit; falsum scribere Augustinum; quando Ecclesiæ auctoritate ad credendum Euangelio se commotum scribit.

At vide strophas & technas, quibus Caluinista antecedens illud falsitatis damnare contendit:

Digitized by Google

tendit: *Faciunt Augustino manifestam iniuriam, qui verba eius sic torquent, quasi dicat, se solius Ecclesiæ autoritate commotum credere Euangelio: cum de se, non vt Catholico, sed vt adhuc infideli loquatur,* &c. (Quis particulam illam exclusiuam, *solius* vsurpat?) *Erat Catholicus tunc Augustinus, cum diceret;* Non crederem Euangelio, &c. *Sed loquitur non vt Catholicus, sed quasi adhuc infidelis, ex hypothesi, de quo ad totum disputationis contextum appello. Disputat enim contra Epistolam Fundamenti Manichæi, cuius exordium erat;* Manichæus Apostolus Iesu Christi, prouidentia Dei Patris, &c. *Non credo,* inquit Augustinus. *Iam quid dicas, aut facias, non habebis,* &c.

Quis tam stupidus, quin videat Augustinum loqui ex hypothesi? Si inuenires, *inquit*, aliquem, qui Euangelio non credit, quid faceres dicenti tibi; non credo? Ego verò Euangelio non crederem, &c. *Ponit se pro exemplo: quasi diceret; si ego, exempli caussa, essem ille nondum credens Euangelio, vtique ei non crederem, hoc est, ad ei credendum me abs te adduci non paterer, nisi me Ecclesiæ commoueret autoritas: & meritò. quia nullum aliud haberes testimonium de apostolatu Manichæi. De hoc enim ibi est quæstio, an Manichæus possit probare suum apostolatum. Augustinus negat tali argumento: Aut ex Euangelio, aut ex testimonio Ecclesiæ Catholicæ probandus est Manichæi Apostolatus, vt credam. At, ex neutro mihi probare potes. Non ex Euangelio. 1. quia ego, (si inquam ego infidelis essem) non crederem Euangelio; siue id aliquid diceret de tuo Apostolatu, siue non: nisi me commoueret Catholicæ Ecclesiæ autoritas. hoc est. nisi me Catholica Ecclesia credere iuberet. quandoquidem huic semel credidi. dicenti, crede Euangelio. 2. quia, in Euangelio de Manichæi Apostolatu nihil inuenitur. Nec ex testimonio Catholicæ Ecclesiæ. quia, Catholici, quibus ego obtemperaui dicentibus;* Crede Euangelio, *dicunt;* noli credere Manichæo. *Omnino igitur probari non potest. Hæc, si disputationis series non est, quoduis iudicium non recuso; si verò est, manifestâ calumniâ tenetur Censura.*

In eandem sententiam Pappus Thes. 87. *Augustinus non loquitur in persona, quam tum sustinebat: sed ex hypothesi.* Ergò si inuenires aliquem, &c. *Et quæstio ibi est, an Manichæus possit probare suum Apostolatum? Augustinus negat id tali argumento. Probabis aut ex Euangelio, aut Ecclesiæ Catholicæ testimonio. Non ex priore. quia, si ego infidelis essem, non crederem Euangelio. Non ex altero. quia Ecclesia, cui fidem habeo, quæque dicit; crede Euangelio; dicit simul; Noli credere Manichæo,* & cætera, quæ Pappus ex Pareo exscripsit.

Quæ adeo absona, & à sensu D. Augustini aliena sunt; vt vix quidquam alienius fingi potuerit. Neque enim dicit vel innuit D. Augustinus; se ex hypothesi; vel ex infidelis cuiuspiam persona loqui; quin potius omnes syllabæ & apices clamant; eum loqui categoricè, peregrina persona minimè indutum.

A Quæro, quis sit ille Manichæus? Quis quærit? Ipse Augustinus. Respondebitis: Apostolus Christi. Non credo; Quis non credit? Ipse Augustinus non credit. *Nunc quod nescio, cogis, vt credam.* Quis cogitur, vt credat? Augustinus. Mox subdit: *Euangelium mihi fortè lecturus es; & inde Manichæi personam tentabis asserere;* Respondet S. Augustinus; *Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondum credit; quid faceres dicenti tibi, non credo?* Quibus verbis minimè indicat S. Augustinus; se in illa disputatione personam infidelis sustinere vel suscepisse; sed, vt Manichæorum effugium & confugium ad Euangelium amoliatur; obiicit; quid si is, cui tu auctoritatem Manichæi ex Euan-
B gelio vis adstruere; Euangelio nullam fidem haberet? Quid ageres? Quo te verteres? Certè, aliam quercum excutere deberes. Nec dicit: *Quid si ego Euangelio non crederem;* vt alienam quasi personam subiisse existimari queat; sed; *Si ergo inuenires aliquem,* &c. Et vt maximè dixisset: *Quid si ego Euangelio non crederem,* &c. tamen sequentia verba simpliciter & extra omnem hypothesin accipienda forent: *Ego verò, Euangelio non crederem; nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Quis ille *Ego*? Augustinus non sub peregrino schemate, quasi in theatro; sed in sua persona, tanquam in Ecclesia loquens. Nec dixit: *commouisset*; sed *commoueret*: vt insinuet, Ecclesiæ auctoritatem
C non tantum ad fidem amplectendam, sed & ad conseruandam requiri.

Hinc in eodem libro capite quarto dixerat. *Multa sunt alia, quæ in eius* (Ecclesiæ) *gremio me iustissimè teneant: Tenet consensio populorum, atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen,* &c. En auctoritatem Ecclesiæ; qua impulsus non tantùm initiò, Euangelio credidit; sed & postea eidem credere, hoc est, Catholicus esse perrexit.

D Cætera omnia, quæ præterea capite quinto D. Augustinus scribit; apertè testantur, S. Augustinum ex propria persona loqui; non ex persona infidelis; neque enim Manichæi infideles duntaxat ad suam sectam; sed & fideles pertrahere laborabant; & quidem præcipuè; quia vt iam olim in præscriptionibus Tertullianus scripsit; cura potissima hæreticorum est, vt nostros euertant. Et quomodo ex persona alicuius infidelis loquitur; cum dicat; *Ipsi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi.* Num infidelis vel is, qui infidelis personam suscipit, hoc de se profiteri potest? Si credidit; ergo iam non est infidelis. Idem euincunt

illa: *Quoniam semel credidi, ad te non transeo.* Quomodo hoc infidelis cuiuspiam personæ competit? Item; *quibus præcipientibus Euangelio credidi, &c.* Crediderat ergo is, qui loquitur, ergo non induerat personam infidelis; alioqui personæ suæ oblitus nescisset, quid diceret. Deinde etiamsi D. Augustinus in persona infidelis, iam primum fidem acceptantis loqueretur, nil tamen inde roboris, argumento ex autoritate Augustini desumpto, decederet. Nam, si Augustinus adhuc infidelis ad fidem Enangelij non moueretur, nisi per Ecclesiæ auctoritatem; ergò verum est, Ecclesiæ autoritatem esse conditionem *sine qua non* ad fidem Euangelij, acceptandam. Nam hoc ipsum præcipuè inquiritur, qua nota, seu quo criterio scriptura sacra, à non sacra diiudicari posit ab eo, qui scripturæ fidem nondum habuerit: siue, vnde quis nondum credens, hanc esse scripturam sacram, scire certò, & persuaderi posit, esse sacram.

Vt ad Pareanas nebulas reuertar; non est status controuersię; quem Pareus confinxit: sed hic: *Vtrum ipsi Manichæi probare poßint suum Antesignanum Manichæum fuisse Apostolum? D. Augustinus, posito illorum (quod perpetuò iactabant) principio*; Nihil scilicet esse temerè credendum, & sine scientia veritatis, *illos hoc non posse probare euidenter demonstrans sic argumentatur*, (retexam enim cum Ioanne Mülhusino nostro in Animaduersionibus totam loci Augustiniani seriem, quem tanta impudētia tenebris inuoluere nituntur Prædicantes.) Si hoc potestis probare, vel potestis ex solida aliqua ratione, quæ scientiam apud me efficiat, quam promittitis; vel ex Euangelio, ex quo conabimini personam Manichæi astruere: neutro istorum modorum potestis; Ergò. *Minorem probat. Primùm.* Non ex aliqua ratione. *quia.* si ex vobis quæram, quisnam sit ille Manichæus? Vosque respondeatis esse Apostolum Christi; negem verò ego, non habetis, quod dicatis, vel faciatis amplius. *Promittebatis* enim scientiam huius vestræ veritatis, & nūc nullam adfertis, solumque cogitis me, vt vobis credam. Non potestis igitur rem probare ratione.

Quod si iam dicatis secundum. posse videlicet vos, Manichæi Apostolatum ex Euāgelio Christi demonstrare. *Contrà est. Primò.* quia vt MIHI (qui fidelis sum) lecturi sitis Euāgelium, ad personam Manichæi asserendam, quomodo conuinceretis aliquem infidelem, qui nondum credit Euangelio? Deinde *secundò.* neque MIHI quidem lecturi Euangelium, quicquam obtinebitis. Nisi enim me, Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas, non crederem Euangelio. Sed *eadem omninò* Catholica Ecclesia, quæ iubet, vt credam Euangelio, iubet etiam vt non credam Manichæo. *Vel* ergò vultis me credere Catholicæ Ecclesiæ; *vel,* non vultis. *Si primum*, cùm ipsa me moneat, ne credam vobis, non possum illi credere, nisi vos deseram. *Si verò dicatis*, me non debere Catholicæ Ecclesiæ credere, nūquam potestis apud me Manichæi vestri Apostolatum ex Euangelio adstruere. *quia*, ipsi Euangelio non credidi, nisi prædicantibus Catholicis.

Sed dicetis fortaßis (Manichæi) me rectè credidisse Catholicis, laudantibus Euangelium, sed non rectè credere, vituperantibus Manichæum. *Sed contrà.* quia nullam adfertis rationem, cur bene fecerim in vno, & non etiam bene faciam in altero; & multò iustius, & cautius facio, si vos deseram; quandoquidem semel cœpi Catholicis credere; *nisi fortè velitis*, vt Catholicorum autoritate non mouear, sed vestris demonstrationibus Manichæismum amplectar. *Sed tūc* non est, quod amplius mecum ex Euangelio disputetis. *Quod si* tamen omninò vrgere velitis Euangelium; ego vrgebo illorum autoritatem, quibus præcipientibus ipsi Euangelio credidi, & his iubentibus vobis omnino non credam.

Sed quid si fortè apertißimum aliquem textum ad Manichæi Apostolatum adferendum, ex Euangelio poteritis proferre? *Respondeo*; Tunc quidem mihi infirmabitis Catholicorum autoritatem qui iubent, vt vobis non credam. sed, hac infirmata, nec iam Euangelio credere deinceps potero: *quia, per Catholicos*, ego credideram Euangelio; quorum autoritatem tum intelligam, nullam esse, ac proinde, nullius etiam apud me momenti erit, quidquid ex Euangelio pro Manichæi Apostolatu protuleritis. *Absit tamen, vt Euangelio non credam. Illi enim credendo, non inuenio, quo modo etiam simul vobis credere poßim*, (asserentibus Manichæum esse Apostolū.) *Ratio est.* quia, nusquam in Euangelio, inter Apostolorum nomina, Manichæi nomen reperitur. *Neq; dicatis* illum post defectionem Iudæ in eius locum fuisse substitutum. Nam Matthiam fuisse in eius locum substitutum, constat ex Actibus Apostolorum huic autem libro, NECESSE est ME CREDERE si, (quod iam professus sum) CREDO Euangelio: *quia vtramque Scripturam, & Euangelij, & Actuum Apostolorum* SIMILITER MIHI CATHOLICA COMMENDAT AVTORITAS.

Hactenus analysis loci illius Augustiniani qui omnibus Prædicantibus crucem figit. Ex dictis liquidò apparet; quid de hæreticorum offuciis sentiendum sit. Vt & de his Parei: *Augustinus paulò ante capite quarto, præter autoritatem Ecclesiæ, alia exposuit argumenta fidei Catholicæ, quæ tum spiritales, tum plebeios in Ecclesiæ gremio iustißimè tunc teneri poterant.* Quis negat esse plures caussas motiuas quibus quis ad fidem & amplectendam & retinendam impelli queat? Id iam non inuiti concessimus; & per se patet. At Ecclesiæ auctoritas non est tantum caussa motiua; sed & insuper est conditio sine qua fides, de lege Dei ordinaria non acceptatur.

Et quid sibi vult Pareus; quod ait; *Tunc potuisse fideles quatuor illis rationibus in Ecclesia teneri*; qual

dicat; id hodie amplius non poſſe fieri, quæſo, cur non & hodie? *Quia,* inquit, *non durat amplius ſinceriſſima illa Sapientia, quã ſe in Eccleſia retineri Auguſtinus affirmat.* Quis hoc aſſerit, præter Caluiniſtas? Placet tamen, quod Pareus agnoſcit non eſſe apud ſuos: quia ſi eſſet, poſſet adhuc aliquos permouere; vt ad Caluini ſynagogam tranſirent, & in ea permanerent; ſicut olim permouit Auguſtinum; vt & ad Catholicos tranſiret; & apud eoſdem conſtanter perſiſteret.

Quod Pareus conſenſionem populorum & gentium; ſucceſsionem Epiſcoporum; & ipſum Catholicæ nomen; ab Auguſtino maximi æſtimata, vix æſtimat vnius aſsis; & calumniis inceſsit; nobiſque eripere geſtit; id non mirum: Videt manifeſtè, niſi fallor, ſi hæc fidei motiua ſtabiliantur, & populo commendentur; neminem fore; qui Caluiniſmum amplectatur; cum his omnibus deſtituatur, quibus Auguſtinus ad catholicam Eccleſiam & incitatus fuit; & in ea ad ſupremum vſque ſpiritum permanſit. Hæc de primo D. Auguſtini loco.

Alius, & quidem perquam notabilis & commemorabilis extat libro vigeſimo octauo contra Fauſtum capite ſecundo, vbi Euangelium Matthæi eſſe Matthæi, atque adeo Canonicum (eademque eſt ratio aliorum ſacræ ſcripturæ librorum) probat ex perpetuo Eccleſiæ teſtimonio: his prorſus aureis verbis: *Cum cœpero Matthæi Euangelium recitare Apoſtoli eius, vbi narratio natiuitatis ei..s tota contexitur, continuò dices, illam narrationem non eſſe Matthæi, quam Matthæi eſſe dicit vniuerſa Eccleſia, ab Apoſtolicis ſedibus vſque ad præſentes Epiſcopos, certa ſucceſſione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem fortè librum Manichæi, vbi Ieſus negatur eſſe natus ex Virgine. Sicut ergò, ego credo illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per diſcipulos eius certa ſucceſſione præpoſitorum veſtrorum ad veſtra vſq; tempora cuſtoditus, atq; perductus eſt: ſic, & iſtum librum crede eſſe Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interrupta ſerie temporum, Eccleſia certa connexionis ſucceſſione vſq; ad tempora iſta perduxit. Et dic mihi, cui libro potius credere debeamus, eiúſne Apoſtoli, qui Chriſto, cùm adhuc in terra eſſet, adhæſerat: an neſcio cui Perſæ, qui tanto poſt natus eſt? Sed alium fortè profers librum, qui nomen habeat alicuius Apoſtoli, quem à Chriſto conſtat electum, & ibi Chriſtũ natum ex Maria non eſſe, lecturus es. Cùm ergò neceſſe ſit, alterum horum librorum eſſe mendacem, cui nos potius cenſes fidem accommodare habere? Ei ne, quem illa Eccleſia ab ipſo Chriſto inchoata, & per Apoſtolos prouecta certa ſucceſſionum ſerie, vſque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum, & conſeruatum agnoſcit, atque approbat; an ei, quem eadem Eccleſia incognitum reprobat: cùm etiam proferatur ab hominibus, ita veracibus, vt Chriſtum laudent eſſe mentitum.*

Hæc pulcherrimè ſanctus Auguſtinus. Vbi vides ſanctum Auguſtinum ſemper ad Eccleſiæ teſtimonium recurrere, cum de libri alicuius Canonica auctoritate quæritur. Qui ibidem laudans, quod Fauſtus dixerat; *Præcipuè inquirendum eſſe; quid ipſe Chriſtus de ſe, & quid Apoſtoli eius de ipſo prædicarint;* cui, inquit, *non videatur iuſtum? Sed nunquid hoc ſciri poteſt, niſi diſcipulis eius narrantibus? quibus, ſi non creditur annuntiantibus, quod de Virgine natus ſit, quomodo eis fides habebitur, annuntiantibus, quod de ſe ipſe prædicauerit? Si enim prolatæ fuerint aliquæ literæ, quæ nullo alio narrante, ipſius propriè Chriſti eſſe dicantur;* (quales litteras proferebant Manichæi) *vnde fieri poterat, vt ſi verè ipſius eſſent, non legerentur, non acciperentur, non præcipuo culmine autoritatis eminerent in eius Eccleſia, quæ ab ipſo per Apoſtolos ſuccedentibus ſibi Epiſcopis, vſq; ad hæc tempora propagata dilatatur: multis in ea iam completis, quæ ante prædicta ſunt, & vſque in finem, quæ reſtant, ſine dubio futuris, & venturis. quia & illæ literæ, ſi proferrentur, vtique conſiderandum erat, à quibus proferrentur. Si ab ipſo, illis primitus ſine dubio proferri potuerunt, qui tunc eidem cohærebant, & per illos etiam ad alios peruenire. Quod, ſi factum eſſet, per illas, quas commemoraui, præpoſitorum, & populorum ſucceſſiones, confirmatiua autoritate clareſcerent. Quis eſt ergò tam demens, qui hodie credat eſſe Epiſtolam Chriſti, quam protulerit Manichæus, & non credat, facta, vel dicta eſſe Chriſti, quæ ſcripſit Matthæus? Aut, ſi etiam de Matthæo, vtrum ipſe iſta ſcripſerit, dubitat, de ipſo quoque Matthæo non potius id credat, quod inuenit in Eccleſia, quæ ab ipſius Matthæi temporibus vſque ad hoc tempus certa ſucceſſionum ſerie declaratur: & credat neſcio cui, ex tranſuerſo de Perſide, poſt ducentos, vel amplius annos venienti, & ſuadenti, vt illi potius, quid Chriſtus dixerit, feceritque; credatur; cum ipſe Apoſtolus Paulus poſt Aſcenſionem Domini de cælo vocatus, ſi non inueniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omnino non crederet?* En quomodo beatiſsimus & eruditiſsimus iſte Præſul & doctor per Eccleſiæ teſtimonium ipſa etiam ſpuria & ſuppoſititia ſcripta elidat & redarguat.

Idem ſanctus Pater libro trigeſimo tertio contra Fauſtum capite ſexto, confutans Manichæorum impudentiam; qui libros Euangelicos reiiciebant, & alios ſubſtituebant & proferebãt; id tranſactum dat per auctoritatem & teſtificationem Eccleſiæ; noſtros enim hoc præſidio fultos & munitos eſſe; alios eo penitus deſtitui; ſtultum proinde eſſe, illis nõ aſſentiri; his verò fidem commodare: *Vſque adeò à Chriſtiana doctrina apertè aliena eſt, quam prædicatis, doctrina dæmoniorum, vt eam ſub Chriſtianæ doctrinæ nomine defendere nulla parte poſſitis, niſi dicatis falſas eſſe ſcripturas Apoſtolorum. Infelices inimici animæ veſtræ, quæ vnquam literæ vllum habebunt pondus autoritatis, ſi Euangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo libro certum erit cuius ſit, ſi literæ, quas Apoſtolorum dicit & tenet Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, vtrum Apoſtolorum ſint, incertum eſt: & hoc erit certum, ſcripſiſſe Apoſtolos, quos huic Eccleſiæ contrarij hæretici proferũt autorum ſuorum nominibus appellati, longè poſt Apoſtolos exiſtentium?*

Quaſi

Quasi verò & in literis secularibus non fuerint certissimi autores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt, & ideo repudiata; quia vel his, quæ ipsorum esse constaret, minimè congruerunt: vel eo tempore, quo illi scripserint, nequaquam innotescere, & per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi, commendarique meruerunt. Nonne, vt alios omittam, sub Hippocratis medici nobilissimi nomine, quidam libri prolati, in autoritatem à medicis non recepti sunt? Nec eos adiuuit, nonnulla similitudo rerum, atque verborum, quando comparati eis, quos verè Hippocratis esse constaret, impares iudicati sunt, & quod ab eo tempore, quo & cetera scripta eius, non innotuerunt, quod verè eius essent. Hos autem libros, quibus illi, qui de transuerso proferuntur, comparati respuuntur, vnde constat esse Hippocratis? Vnde, si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur: nisi, quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore, vsque ad hoc tempus, & deinceps, successionis series commendauit, vt hinc dubitare dementis sit.

Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque eiusmodi autorum libros, vnde nouerunt homines, quod ipsorum sint, nisi eâdem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem autoritate canonica, sed aliquo adiuuandi studio, siue discendi. Vnde constat, quid cuius sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisq; scripsit, quibus potuit, insinuauit, atque edidit; & inde, in alios, atque alios continuata notitia, latiusque firmata, ad posteros, etiam vsque ad nostra tempora peruenerunt, ita vt interrogati, cuius quisque liber sit, non hæsitemus, quid respondere debeamus? Sed, quid pergam, in longè præterita? Ecce istas litteras, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ huius nostræ, vel illas cuiusquam Fausti esse, vel has neget esse meas, vnde conuincitur; nisi quia illi, qui nunc ista nouerunt, notitiam suam, ad longè etiam post futuros continuatis posterorum successionibus traiiciunt? Quæ cùm ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia consentiendo submersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, vt eorum scripta fideliter ad posteros traiicerent, cum eorum cathedras vsq; ad præsentes Episcopos certissima successione seruaret, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, siue extra Ecclesiam, siue in ipsa Ecclesia tanta felicitate proueniat. Hæc pulcherrimè D. Augustinus.

Ex quibus euidenter elucescit; D. Augustinum existimasse, librorum sacræ scripturæ Canonicam auctoritatem non aliter nobis nunc in Ecclesia innotescere; nisi per Ecclesiæ traditionem; & tot annis continuatam testificationem; nam ita nobis quadantenus innotescit; sicut innotescit, libros Hippocratis, Platonis, & ipsius Augustini, esse Hippocratis, Platonis, & Augustini; sed hoc non aliter innotescit nobis, nisi per continuatam traditionem & superiorũ ætatum testificationem; ex sententia sancti Augustini; ergo & hoc eodem iudice, non aliter nobis innotescit. Et hæc de sententia D. Augustini dicta sunto. Quæ liquidò demonstrant, quàm verè & considerate Pareus, sententiam Iesuita-

A rum; imò omnium orthodoxorum, scripturas Canonicas non nisi ex Ecclesiæ traditione & testificatione cognosci asserentium, appellauerit Thesi 25 *falsam, impiam, perniciosam, absurdam & ἀσύστατον*, quæ deinceps probare nititur; sed probationum loco nil adfert, præter Pseudologias & Lœdorias, ministro Caluiniano dignas; viro bono & docto indignas. Non lubet immorari; si Iesuitarum & omnium orthodoxorum sententia talis est, qualis ab isto mendaci stylo describitur; sequitur iisdem insignibus decorandam esse D. Augustini sententiam, quia idem prorsus sensit; nam Iesuitæ solam Ecclesiam cum D. Augustino, vt alios Patres omittam; huius rei magistram, non Lutherum, non Caluinum, non horum catulos agnoscunt, vt rectè dicit Mülhusinus in Animaduersionibus. B

Legunt, inquit sanctus Augustinus libro vigesimo secundo contra Faustum, capite septuagesimo nono: *scripturas apocryphas Manichæi, nescio à quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas, quæ suorum scriptorum temporibus, in autoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti, & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent.*

Idem libro decimo tertio contra Faustum, capite quarto: *Si alios, quos dicat Apostolorum nostrorum codices, protulerit, quomodo eis ipse* (Manichæus) *autoritatem dabit, quàm per Ecclesias Christi, ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, vt inde ad posteros firmata commendatione transcurrerent?* C Vt præteream alia, quæ iam ex sancto Augustino adducta sunt.

Pro clausula notetur impudentia Parei, qui in Exegesi sua capite sexto in dubium reuocare audet; vtrum incorruptus sit locus apud sanctũ Augustinum libro secundo de doctrina Christiana capite octauo, vbi omnes Canonici libri recensentur, prout in Concilio Tridentino recensentur; excepto Baruch, quem sanctus Augustinus sub Hieremia comprehendit, Tridentina synodus expressè ponit. Et quis mortalium vnquã ante Pareum de sinceritate huius loci quæstionem mouit? Quis non simul in suspicionem corruptionis vocare deberet Canonem 47. Concilij Carthaginensis, vbi iidẽ prorsus libri commemorantur? D

Non possum autem hic tacitus præterire extremam Savvbrandi Lubberti stultitiam; qui libro primo de principiis Christanorum dogmatum capite quarto, recitato loco de libris Canonicis ex libro de doctrina Christiana vt verbosissimè, ita stolidissimè disputat; vnde nam sanctus Augustinus sciuerit *omnes illos, quos enumerat libros, Canonicos esse.* Et cum probasset, Augustinum hoc non nouisse ex spiritu Prophetico, vtpote qui non fuerit Propheta; probare itidem instituit; eum hoc non potuisse scire ex testimonio eorum; qui vixêre, quando libri illi conscripti fuerunt; *Ex iis enim omnibus nemo Augustini ætatem attigit*; inquit Savvbrandus. Respondeo, eum

hoc

hoc sciuisse ex continuata consensione & testificatione Ecclesiæ vsque ad sua tempora; prout ipsum supra ex libris contra Faustum non semel affirmantem audiuimus. Sicut & nos scimus libros contra Faustum esse D. Augustini ex perpetuato quodam testimonio à tempore D. Augustini vsque ad hanc nostram ætatem; traditionis nusquam interrupta serie. & quod ad veteris testamenti libros attinet; satis est, ab æuo Apostolico ad tempora diui Augustini traditionem deductam fuisse. Apostoli enim & primitiua Ecclesia Christianum Canonem, etiam quoad libros testamenti veteris; Ecclesiæ Christianæ tradiderunt; & vt ad alia quæ legis illius præcisè erant, noluerunt Christianos adstrictos; nisi quatenus in lege noua denuo sancita sunt; ita neque ad Canonem. Quanquam vt aliàs dictum; nullo euidenti testimonio probare possunt, libros, de quibus nobiscum digladiantur, non fuisse in Hebræo Canone; Quidquid enim testimoniorum adducunt; id Christo, Redemptore nostro posterius est.

At quidquid sit de hoc; traditione, ab æuo Apostolico descendente, dicimus peruenisse ad D. Augustinum, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Macchabæos, similes, Canonicos libros esse. Et à quibus hoc immediatè accepit; non fuère Iudæi (quid enim Iudæi ad Christianos constituta iam, & per omnes orbis terrarum partes propagata Ecclesia; vt erat tempore diui Augustini?) sed Christiani; hoc est, Ecclesia, quæ ea ætate in terris militabat; Deoque seruiebat.

Obiicit Savvbrandus post multas insulsissimas affanias; *Augustinum hoc non potuisse intelligere ex Christianis, qui suo tempore vixerint; neminem enim tum exstitisse; qui se hoc ab Apostolis audiuisse testari potuerit.* Respondeo, hoc non esse necessarium. Satis est, quod Ecclesia, quæ erat tempore sancti Augustini, affirmarit se hoc accepisse ab illa; quæ proximè antecesserat; & hæc ab anteriore, & ita deinceps vsque ad ætatem Apostolicam; Nam hæc testificatio Ecclesiæ, perspicuum veritatis argumentum est; vt ipse sanctus Augustinus non semel affirmat illis locis, quæ iam ex eodem in hoc capite & alibi adduximus. Quod si hæc Savvbrandica deliratio alicuius momenti foret; tum omnes penitus Canonicos libros è medio tolleret.

Quid enim promptius, quàm dicere; *Augustinus non fuit Propheta; ergo non potuit scire ex spiritu Prophetico Euangelium sancti Matthæi esse Canonicũ.* Item, *non potuit hoc scire à Iudæis*; vt per se notum: *Neque hoc scire potuit ex Christianis, qui vixerunt, quando sanctus Matthæus Euangelium conscripsit; quia nullus eorum peruenit ad ætatem D. Augustini. Neque potuit hoc scire ex Christianis sui temporis, quia nullus affirmare potuit se ex Apostolis audiuisse; Euangelium Matthæi esse Canonicum.* Huic delirationi simillima prorsus est, prædicta illa Savvbrandica; qua itidem omnes libri Aristotelis, Platonis, Galeni, Ciceronis, &c. negari possent esse Aristotelis, Platonis, Galeni, Ciceronis, &c. si cui cum Lubberto stultescere luberet; qui mox insipientissimè varios doctores commemorat; quibus alia sententia de Canone, quàm Augustino fuerit; ac proinde Augustinum non potuisse ab illis discere; librum Tobiæ, Iudith, similes, Canonicos esse. Breuis & facilis est responsio. Augustinus non didicit istud ab hoc vel illo patre seu doctore; sed à consensu & non interrupta Ecclesiæ testificatione. Senserit seu Melito, seu Origenes, seu quis alius, hoc vel illud: Ecclesiæ sensus fuit is; quem Augustinus secutus est, & litteris consignauit. Nam si ideo Augustinus scire non potuit libros Tobiæ, Iudith & alios, Canonicos esse; quia eorum auctoritas à nonnullis vel negata, vel in dubium reuocata fuit; sequitur eum itidem scire non potuisse epistolam Iacobi; Iudæ; alteram Petri, secundam & tertiam Ioannis: illam ad Hebræos; & Apocalypsin esse Canonicas; & tamen sciuit; & verè; teste ipso Savvbrando. Vnde hoc sciuit? Percurrat qui volet, Savvbrandicæ fatuitatis membra: Ad traditionem tandem & testificationem Ecclesiæ veniendum est; quæ cursum suum tenet; licet hi vel illi de aliquo vel aliquibus Canonicis libris dubitauerint. Et hæc disputata sint de quæstione, *vnde scis?* hos vel illos libros esse Canonicos.

Posset hic etiam tractari quæstio, num fide Catholica &, vt Prædicantes loquuntur, *saluifica*, credamus dogma de scripturis Canonicis; seu scripturas alias esse diuinas & Canonicas; alias non, de qua quæstione disputat Pareus Thesi 68. & seqq. Sed de hac abundè iam disputatum est in Appendice prima ad primum librum, contra Pappum; qui, vt solet, pleraque ex Pareo propemodum verbatim descripsit: & placet; vt ibidem testatus sum, quod non tantùm Caluinianus Pareus, sed & Lutheranus Pappus ad veritatẽ propius accedit; & contra Lutheranos Collocutores in Colloquio Ratisbonensi sess. 10. & 11. defendit, fide *saluifica* credendum esse, non tantum aliquos esse libros canonicos, sed etiam hos vel illos in specie & determinatè esse Canonicos.

Illud insuper quæri potest, num sit articulus fidei credere, libros aliquos esse canonicos, & speciatim, Euangelium sancti Matthæi, aut Lucæ esse Canonicum. Palam affirmauit Pareus Iesuitas Ratisbonensis Colloquij Collocutores secutus; nam Thesi 117. hanc Lutheranis Prædicantibus, qui Colloquio interfuerunt, plagam imposuit. *Quintò*, (deducitur hoc *vbicunque*) quod non satis cautè *negatum fuerit ab eorum* (Iesuitarũ) *Antagonistis* (Hunnio & aliis) *id esse articulum fidei, siue generaliter, siue specialiter: magis verò incautè concessum,*

cessum, id haberi ex traditione siue testificatione Ecclesiæ. En quàm honorificè Caluinianus frater de Lutheranis fratribus sentiat & scribat, idque in gratiam Iesuitarum; à quibus si stipēdio conductus fuisset, num Lutheranos vehementius pungere potuisset? Qui vt planè à Iesuitarum partibus se stare declararet, plus Thesi 108. quàm ipsi Iesuitæ asseruit, his verbis: *Etiam hoc sensu* (quo aliquid propriè dicitur articulus fidei in symbolo Apostolico comprehensus) *dogma de Canone articulum fidei non diffitemur.* Cuius nimium magnæ liberalitatis in secunda Thesium suarum editione pœnitentia ductus Pareus, sic rescripsit: *Etiam hoc sensu dogma de Canone ad fidei articulos reduci posse non diffitemur.* Nec tantum in secunda editione hanc Thesin mitigauit, vt iratos sibi Lutheranos nonnihil placaret; sed & in prima editione per Thesin 89. & 95. palam Thesi 108. contradicit. Contradictoria enim sunt: *Dogma de Canone est propriè articulus fidei*, vt sunt illi, qui in Apostolico symbolo continentur Thesi 108. *Dogma de Canone non est propriè articulus fidei.* Thesi 89. & 95. Quid ergo est? *Principium fidei.* Quàm fatuè omnia. Quasi verò principium fidei, non sit articulus fidei; & vice versa, latius accipiendo vocem *articuli*, prout in Colloquio accipiebatur; nimirum, vt quodlibet *obiectum* fidei significat; & quidem fidei *salui-ficæ*, vt Prædicantes vocant: Nam vt Ioannes Mülhusinus noster in Animaduersionibus ad Thesin 117. rectè argumentatur: Quidquid sub diuina auctoritate creditur, articulus quidam est fidei: cùm illa auctoritas formale obiectum sit fidei, vt omnes fatentur. Dogma verò illud, siue *vt principium, siue vt conclusio consideretur,* sub diuina autoritate, per Ecclesiam infallibiliter proposita creditur. Est ergò quidam articulus fidei.

Cur verò Pareus ferre nequiuerit, quod Lutherani Prædicantes concesserũt dogma de scripturis haberi ex traditione seu testificatione Ecclesiæ, hanc rationem reddit Thes. 118. *Si enim tantùm vel præcipuè ex traditione, seu testificatione Ecclesiæ id crederemus; vtique principium fidei, imò tota fides nostra niteretur testimonio Ecclesiæ; scriptura verò non esset vnica norma fidei. & dogmatum; & sic haberent aduersarij, quod volebant. At posterius falsum. Ergo & prius.*

Quomodo probat Pareus falsum, *id posterius?* inquit Mülhusinus. Non video aliam probationem, nisi quod obtinuerint Catholici Ratisbonæ QVOD VOLEBANT. Benè factum est. propterea enim illuc conuenerant. At instat Pareus: *Sic verò scriptura non esset vnica* NORMA *fidei, & dogmatum.* Acutè tandem hoc aduertit Pareus. imò, tandem illa disputatione eruditior factus, id cōcedit, & acriter cum Iesuitis defendit. Nam: *Dogma de scripturis diuinis, & Canonicis non continetur in scripturis ex sententia Parei, quantũ ad τὸ διότι, seu πληροφορίαν attinet; licet, quantũ ad τὸ ὅτι ex scripturis etiam aliqua ex parte poßit addisci* (thesi 92. 93. & 114. & 115. secundæ editionis.) *Dogma tamen illud: de scripturis diuinis, & Canonicis etiam quantum ad τὸ διότι, seu πληροφορίαν attinet. est Catholica fide credendum, & est articulus fidei; propriè etiam acceptus.* (thesi C. VIII) *Ergo quædam Catholica fide credenda, & quidam articuli fidei, non continentur in scripturis, & per consequens, scripturæ non sunt vnica* NORMA. Et hic huius tractatus finis esto.

Testimonium de doctrina Dauidis Parei Caluinistæ Heidelbergẽsis, ex Iosepho Burdone itidem Caluinista.

SAEPE in hoc tractatu, & alibi, fecimus mentionem Parei. Eum, vt penitius noscas, adscribere placet encomia, quibus nuper à Caluiniano Iosepho Burdone publicè exornatus fuit; magna nominis sui gloria & existimatione; in *Elencho vtriusque orationis Chronologicæ Pareanæ.* Sic enim Burdonicus liber inscribitur. Ita igitur Burdo in Epilogo ad Franciscum Gomarum, Prædicantem Caluinianum, Confessarium suum & Eleemosynarium, (nam Burdo Princeps est, si nescis; vnus ex duobus Burdonibus Naamanis Principis.)

I. *Accipe tuum Chronologum* (Pareum) *si modo hoc nomine dignus est.* En, Burdo, ne *Chronologi* quidem nomen Pareo concedit. Num nos dabimus nomen Theologi? Vter difficilior χρόνος an θεός?

II. *Opus fuit patientia & bono stomacho in tam breui libello* (Parei) *tantum nugarum deuorare potuisse.* Fortè Burdo Helleboro vel Antimonio stomachum expurgarat, vt tantis nugis legendis sat roboris haberet.

III. *Ne semel quidem verum dixit;* inquit Burdo. Libenter tibi assentirer. Est enim mendacissimus Pareus, sicut & tuus *Confessarius* Gomarus. Sed tamen, quominus tibi fidem habeam, tu ipse obstas; quia pag. 57. tui Elenchi, cum Pareus dixisset; *Ioseph Patri superuixit annos LIII.* tu hæc verba subiecisti: *Hoc sanè verum est.* Si verum est, mentiris ergo, ô Burdo, quando dicis, Chronologum istum *ne semel quidem verum dixisse.*

IV. *Ne semel quidem verum dixit*, ait Burdo. Et tamen idem Burdo pag. 66. cum dixisset Pareus: *Sextus eius annus cohæret cum Belli Peloponesiaci anno XIII.* Subdidit: *Hoc certè verum est.* Mentiris ergò cum Pareum *ne semel quidem verum* dixisse dicis; quia tuo testimonio hic verum dicit.

V. *Ne semel quidem verum dixit* Pareus. Graue testimonium & iudicium Caluinistæ de Calui-

nista;

nista; Burdonis de Silesio. Videamus tamen an Burdo hoc suum testimonium non euertat. Pag. 97. ait Pareus: *Nullus cum Scaligero dubito.* An hic verum dixit Pareus? Quis dubitat? Quia probauit sententiam Burdonis. Quapropter Thrasonicè subiunxit Pareus: *Certè iste Scaliger* (corrige ex Schioppiano, optimæ notæ Codice, Burdo) *primus, solus, & vnus hoc indicauit.* Ergo & hic verum dixit Pareus. Ergo mentitus est Burdo, cum dixit; istum *ne semel quidem verum dixisse*; cum testimonio ipsius Burdonis iam ter verum dixerit. Mittamus ista; pertexamus Parei Elogia, vt intelligamus, quantus sit in Theologia; qui Burdoni tantum ludibrium in his minutioribus debet. Pergit ergo Burdo in exornando hoc homine, quem potius pro *Onologo* quàm pro *Chronologo* habet.

V I. *Imperitiam hominis magis mirer, an confidentiam, nescio.* Tace, Burdo, tace, alioqui Gomarus te non absoluet, sed suspendet. quia in præfatione dicit; hunc Chronologum sibi non tantùm *esse notum*, sed *& obseruandum.*

V I I. *Multum arrogantiæ, nihil eruditionis in illo deprehendere potui.* Hoc de Pareo iustissimè Antagonista eius Mülhusinus dicere potuit. Tu, Burdo, quàm iustè? Non interpono meas partes. Litigate, quantum lubet, vos Caluinistæ, nihil mea interest. Tanti te facio, quanti Pareum: & hunc, quanti te. Tantum refero, quomodo tu Burdo tuos in cœna Caluiniana commensales, imo & hospites, & Horatianos Parochos pectas.

V I I I. *Idiotam* (Pareum) *esse oportet.* Et tamen vocat se Doctorem Theologiæ. Et *viuidus Vrsini spiritus ora mouet.* Ora, inquam, mystace plusquam Turcico vtrinque circumdata.

I X. *Risi cum legi.* Tamne ridicula scribit Pareus, vt Burdo rideat? Olim cum asinus comederet carduos, risisse dicitur Crassus ἀγέλαστος. Nunc rident asinorum fratres Burdones, cum Caluinisticum Onocrotalum hisce Chronologicis tribulis vescentem intuentur.

X. *Stercora* (Pareus) *magno studio colligit, vt illis Epulum suum instruat, quo stultam iuuentutem excipiat.*

X I. *Secundum calculum verum Rhenus erit in Germania, secundum sacrum calculum* (Parei) *in India.*

X I I. Quid est Pareus? *Profanitatum buccinator.*

X I I I. Laborat summa *veteris historiæ inscitia.*

X I V. *Insaniam cum eo,* inquit Burdo, *si pluribus te morer.*

X V. *Si pergit* (Brudoni se opponere) *exspectandum* (ei est) *vt editione Chronologiæ suæ omnibus nasutis sese deridendum propinet.*

X V I. *Iustiores pœnas Chronologia profanata ei imprecari non possum.*

X V I I. Quid est Chronologia Parei? *Prophetia.* Per contemptum.

X V I I I. Quid anni huius Chronologiæ? *Prophetici.*

X I X. Quid iste Chronologus Pareus? *Propheta.* Omnia per ironiam, & antiphrasin.

X X. Pareus *errat dupliciter.* fol. 17.

X X I. *Hodierni Prophetæ* (inter quos Pareus) *tumidis buccis stentorea voce ex suggestis suis clamant, ex sola scriptura, nullis externis adiumentis erui posse, quantum ab Adam, ad tempus Dominicæ passionis intersit.* fol. 21.

X X I I. *Nostri Chronologi Prophetæ* (inter quos Pareus) *nihil nesciunt.* fol. 33.

X X I I I. Prophetæ Beroaldini & Viterbienses (ex quorum numero Pareus) strenuè delirant. *qui præter inscitiam & pertinaciam, quod veræ doctrinæ opponant, non habent.* fol. 39.

X X I V. *Confidentius, quàm verius dictum* (à Pareo.) ibid.

X X V. Ibid. Rursus se arguit Burdo mendacij, cum vt verum probat dictum quoddam Parei; quia dixerat; Pareum, ne semel quidem verum dixisse. Quomodo igitur hic verum dixit?

X X V I. fol. 42. *Hoc* (quod dicit Pareus) *Marrucini credent, non homines liberalis ingenij.*

X X V I I. fol. 43. *Quia isti* (Pareus & similes) *nihil in Chronologia probant, nisi quod ἐν τῷ ῥητῷ τῆς γραφῆς reperitur, quid superest, nisi vt Adamitæ sint, & nudi incedant, ficulneis foliis, aut scorteis subligaribus succincti.* Væ Pareo, si hoc Burdonico ornatu & apparatu Heidelbergæ cœnam administret.

X X V I I I. fol. 44. *Multum sibi placet* (Pareus) *de nugatorio* quodam *commento.*

X X I X. Dupliciter errat Chronologus (Pareus) fol. 45.

X X X. *Alter* (Parei) *error est ridiculus.* fol. 46.

X X X I. *Vtraq; ratio* (Parei) *est futilissima.*

X X X I I. *Vana est* (Parei) *καύχησις, gloriatio.* fol. 47.

X X X I I I. *Quàm puerilia sunt hæc* (Parei scilicet asserta.) fol. 56.

X X X I V. *Iam huius nugatorij somnij* (à Pareo allati) *vanitatem elusimus.* fol. 57.

X X X V. *Vanissima igitur, vanissima, inquam, de decennio hæc confidentia* (Parei.) ibid.

X X X V I. *Nemo præter hunc* (Pareum) *aduersus fidem historiæ Regum Iuda annos mutilauit.* fol. 58.

X X X V I I. *Factum eius est temerarium.* ibid.

X X X V I I I. *Sententia eius asinina.* fol. 59.

X X X I X. *Isti* (inter quos Pareus) *exoticos scriptores nunquam verum dixisse magna nugarum pompa & strepitu vociferantur.* fol. 60.

X L. *Calculus* (Parei) *est diuinus, sacer, Propheticus:* sed per ironiam. fol. 62.

X L I. *Delirat* (Pareus) ibid.

XLII. *Quæ tota hac pagina & sequentibus exponuntur, adeo fines sobrietatis, modestiæ, humanioris literaturæ migrant, vt otio abundare oporteat, qui hæc legere velit, patientissimum esse, qui sine stomacho hoc possit.* fol. 63.

XLIII. *Quàm sunt idiotica?* (quæ Pareus scribit) ibid.

XLIV. *Quàm puerilia. Quàm vana.* ibid.

XLV. *Nihil, quod magis merum rus oleat.* ibid.

XLVI. *Nugarum* (Pareanarum) *tædet pigetque.* ibid.

XLVII. *Tantum abest, vt iste Chronologus* (Pareus) *libros illos* (Burdonis de emendatione temporum) *intelligat, vt nunquam intellecturus sit.* fol. 64.

XLVIII. *Hoc* (quod Pareus dicit) *nihil habet hominis, qui aliquo litterarum gustu, aut sensu communi præditus sit.* ibid.

XLIX. *In tanta luce litterarum audebunt* (Pareus & socij) *tenebras suas splendori veritatis opponere, qui præ summa bonarum litterarum imperitia eum stuporem sibi consciuerunt, vt non videant, non sentiant, non intelligant, quanto ludibrio se traducant; quid flagitij faciant, quàm periculoso exemplo peccent.* ibid.

L. *Par imperitia superiori.* 67.

LI. Vide *quid non audet imperitia* (Parei.) fol. 68.

LII. *Ex verbis Iosephi conatur* (Pareus) *ostendere rem prophetico paracleto dignam, & quæ omnibus, qui aliquo litterarum vsu præditi sunt, risum exprimere possit.* fol. 72.

LIII. *Hanc insaniam vlli homini, qui aliquos progressus in litteris fecit, incessisse vix crederem, nisi hic scriptum viderem.* ibid.

LIV. *Quis tantam insaniam satis mirari possit.* fol. 73.

LV. *O confidentissimam arrogantiam* (Parei.) fol. 74.

LVI. *Si asini loquerentur, nonne probarent se magis participes rationis esse, quàm hæc monstra hominum* (Pareus & Symmystæ, *Beroaldini Prophetæ, Hierophantæ, & Paracleti prophetici.* Sic enim passim indigitantur à Burdone.) fol. 75.

LVII. *Beroaldini Hierophantæ* (quos inter familiam ducit Pareus) *sunt homines χθὲς καὶ πρώην,* (nudiustertius) *nati.* ibid.

LVIII. *Omnium bonarum litterarum imperiti.* ibid.

LIX. *Non est æquum, vt* (Parei & gregalium) *somnia, inscitiam, ὀψιμαθίαν præferamus motibus cælestibus.* ibid.

LX. *Quæ hæc barbaries, quæ confidentia, non solùm historias ipsas, sed etiam motus cælestes in dubium vocare?* (vt facit Pareus) fol. 77.

LXI. *Dicat* (Pareus) *tumidis buccis, elato supercilio, atrocem iniuriam Spiritui sancto fieri, si historia sacra ab exotica subsidium petit.* Iratus es, Burdo, nisi fallor. *Non possum continere stomachum.* fol. 78.

LXII. *Hunc Chronologum* (Pareum) *oportet in historia & in bonarum litterarum studiis, admodum peregrinum esse.* ibid.

LXIII. *Hæc omnia sunt hominis neque sobrij, neque modesti.* fol. 79. Ergo Pareus nec sobrius est, nec modestus. Consequentiam libenter concedimus.

LXIV. *Nescit* (Pareus) *quid sit character.* ibid.

LXV. *Nescit, quid dicit.* ibid.

LXVI. *Quàm idiotica sunt hæc, quàm ridicula?* fol. 83.

LXVII. *Hæc & sequentia* (Parei) *adeo inepta sunt, vt otiosum valde oporteat esse, qui his confutandis vel momentum temporis perdat.* fol. 85.

LXVIII. *Homo inconstans* (Pareus) ibid.

LXIX. *Tria summæ imperitiæ* (Pareanæ) *argumenta.* fol. 87.

LXX. *Mirificè hallucinatus est Chronologus* (Pareus.) fol. 88.

LXXI. *Quàm portentosa imperitia* (Parei.) fol. 89.

LXXII. *Hæc* (quæ Pareus scribit) *stercora sunt ex Annij Viterbiensis & Prophetarum latrinis eruta.* fol. 90. Quis dicit hoc? Caluinista. Cui? Caluinistæ.

LXXIII. *Stulti Chronologi* (Pareus & socij) *Beroaldistæ, Viterbienses, Prophetæ, ψευδεῖς, ridiculè, præposterè sua exponunt.* fol. 92.

LXXIV. *Quis hæc* (Pareana) *laudauerit præter Arcadicos,* hoc est, asinos. fol. 93.

LXXV. *Strenuè mentitur Paracletus.* (Pareus) ibid.

LXXVI. *An feremus hanc impudentiam?* (Parei.) ibid.

LXXVII. *Quæ maior sycophantia esse potest?* fol. 94.

LXXVIII. *Et patiemur à Prophetis* (Pareo & Symmystis) *nobis illudi? Non si sapimus.* ibid.

LXXIX. *Insignis imperitia.* (Parei) fol. 97.

LXXX. *Paracleti* (hoc est, Parei) *insania.* fol. 98.

LXXXI. *Paracletus.* (Pareus) *oblitus est sui.*

LXXXII. *Insania* (Parei) *superiori similis; quæ omnem κορυβαντιασμὸν superat.* ibid.

LXXXIII. *Helleborismo eget* (Pareus) fol. 101.

LXXXIV. *Vbi amisit memoriam suam sacer calculus* (Pareus) *cum hæc scriberet?* fol. 102.

LXXXV. *Hic quoque memoria constantiam in sacro calculo* (in Pareo) *requiro.* ibid.

LXXXVI. Pareus *semper characterem vsurpat pro Epocha, quod est absurdissimum.* 103.

LXXXVII. *Ignorat* (Pareus) *quid sit character.* ibid.

LXXXVIII. *Tune* (Paree) *cum tanta inscitia hominibus doctis legem facies?* ibid.

LXXXIX. *In vtraque* (oratione Pareana) *argumenta ea, quibus arrogantia ſe prodere ſolet, inſcitia bonarum litterarum, earumque odium, ita emicant; vt qui alterutram viderit, vtranque norit.*

XC. *Incredibili confidentia aduerſus fidem hiſtoriæ & receptorum veterum ſcriptorum auctoritatem Auctor* (Pareus) *ſatis ſe munitum putat, cum ex Spiritus ſancti oraculis, & limpidiſſimis, quos vocat, ſcripturæ fontibus, ſe omnia hauſiſſe gloriatur.*

XCI. Hinc conſit, *reliquos doctos viros ex ſterquilinio, ſuas Chronologias eruiſſe: illum* (Pareum) *ſua deliria ex Spiritu ſancto.*

XCII. *Iuratus vociferatur tantùm quinque Reges Perſidos fuiſſe.*

XCIII. *Quo quidem nihil portentoſius dici potuiſſe, nemo tam proiectæ impudentiæ eſt, qui negare audeat.*

XCIV. Beroaldus *inuenit, quibus perſuaderet: ſed fatuos, ſed agreſtes & arrogantes.* Fatuus ergo Pareus, agreſtis, arrogans, quia & huic perſuaſit.

XCV. *Beroaldinorum ſectariorum* (Parei ſimilium) *maior impudentia eſt, qui nihil aliud crepant, quàm limpidos fontes, Spiritum ſanctum, atrocem iniuriam fieri ſacræ ſcripturæ, ſi ei ancillantes litteras exoticas demus.*

XCVI. *Si non eſt alius Spiritus ſanctus, præter fanaticorum hominum* (Parei & gregalium) deliria, *iam actum eſt de fide hiſtoriæ ſacræ, de verbo diuino, de ſincero Dei cultu.* Atqui, mi Burdo, Pareus & id genus alij Aretalogi in omni controuerſa Quæſtione ſua deliria & ſomnia pro Spiritu ſancto venditant.

XCVII. *Illis* (Pareo & ſociis) *nihil ſacri eſt, niſi quod ex Beroaldi Eleuſiniis depromptum eſt.*

XCVIII. *Illis* (Pareo & ſynergis) *nihil purum, ſi non ex illa lutulenta cloaca hauſtum ſit.*

XCIX. *Quàm bono ſtomacho me eſſe oportet; qui hanc orationem* (Parei) *tam patienter legi.* Quam patiens eſt noſter Burdo? A quo tempore?

C. Alia *hic iteranda non putaui, ne miſeri ſcriptoris* (Parei) *vulnera refricarem: & gladiatori confecto ſecutorem mitterem.*

CI. *Miſera oracula* (Parei) *ex limpidiſſimis ſcripturæ fontibus hauſta* (*ſi credere fas eſt.*)

CII. *Magnum ludibrium debent.*

CIII. *Quis continebit aut riſum, ſi ſtuporem* (Parei) *conſideremus, aut ſtomachum, ſi confidentiam?*

CIV. *Quid magis portentoſum?* (Pareano delirio.)

CV. *Poteſt ne aliquis aut ſenſu communi præditus, aut mentis compos hæc* (quæ Pareus ſcribit) *probare?*

CVI. Pareus, *qui Theologiam profitetur, adeo ſupinè ſcripturam legit, vt neſcierit Ieruſalem, vſq; ad Nehemiæ aduentum, deſertam iacuiſſe.*

CVII. Pareus *Antiſtes Beroaldinorum initiorum.*

CVIII. *Hîc non ſolum litterarum peritiam* (in Pareo) *requiro, ſed etiam ſenſum communem.* Communi ergo ſenſu deſtitutus Pareus.

A CIX. *Quanta ſtultitia eſt, quanta idiωτεία ignorare loca, vbi vrbes fuerunt, vrbium ipſarum appellationes remanere?* Quis hoc ignorauit? *Spiritus ſanctus Beroaldini ſani,* inquit Burdo, hoc eſt; Pareus.

CX. *Quis non miretur Theologi* (Parei) *acumen, qui tam ſubtili ſophiſmate cornicum oculos configere voluit.*

CXI. Quò confugiet Propheta Chronologus (Pareus) *quandoquidem de omnibus præſidiis deiectus eſt?*

CXII. *Miſeret me hominis.*

CXIII. *Vel potius pudet, qui tantâ confidentia fuit, vt aliud initium, aliumque finem hebdomadum conſtitueret, quàm Daniel, quod impium eſt.*

B CXIV. *Ne ipſa quidem Salus eum ſeruare poſſit.*

CXV. *Qui cum Theologiam profiteatur, tam oſcitanter ſcripturam legerit; vt aliorum interpretationibus contentus ex illis malè intellectis verbum Dei ignominia exponat.*

CXVI. *Obſtruximus os inſcitiæ & furori hominum agreſtium* (Parei & ſociorum) *quos nulla bona ratio ad ſanam mentem reuocare poteſt.*

CXVII. *Beroaldus primus truncauit tempora* (in Hebdomadibus Danielis) *inſigni ſcelere ac dementia, & Marrucinis* (Pareo & ſodalibus) *vt idem atque adeo multò peiora auderent, exemplum dedit.* Marrucinus ergo Pareus, Burdonis iudicio.

C CXVIII. Quid ſunt Pareus & ſocij? Dic Burdo: *Homines omnis humanitatis litterarum imperitiſsimi.*

CXIX. Nil aliud? Imò: *Nihil præter Beroaldi ſterquilinium ruſpari ſoliti.*

CXX. Nil amplius? Audi: *Et quod caput eſt, ne latinè quidem intelligentes.*

CXXI. Quales ſunt duæ Parei orationes? *Febriculoſæ.*

CXXII. Quid illis effectum? Nihil, *niſi vt ſtultitia in lucem exiret, quæ tutò in tenebris ignorari potuit.*

CXXIII. Hic Spiritus ſanctus (quem Pareus iactat) compulſus eſt *ſumma cum ignominia ad fon-*
D *tes illos limpidiſſimos, latrinæ Beroaldinæ ſtercoribus oletatos.*

CXXIV. *Quæ qui reiicit,* (vt reiicit Pareus) *aſinum non hominem eſſe oportet.*

CXXV. Qualis frons Parei? *Ferrea.*

CXXVI. *Mirabuntur poſteri, tantam infelicitatem huius ſæculi fuiſſe, vt non ſolum tantæ abſurditatis auctores* (ex quibus vnus Pareus) *tulerit, ſed etiam ne vnum tandem habuerit, qui huic tam flagitioſo furori ſeſe opponeret.*

CXXVII. Iſte Hierophanta (Pareus) *non veritus eſt dicere, falſos eſſe charactères illos.* Eſt ergo omnis vetuſtatis imperitus. *Quis enim aduerſus hæc hiſcere audebit, niſi omnis vetuſtatis imperitus?* inquit Burdo.

Digitized by Google

Burdo. Imò, quis, *niſi impius?* Et tamen Pareus non A modò hiſcit; ſed & abnuit.

CXXVIII. *Characteres vocat* (Pareus) *characteriſmos. Adeo imperitus eſt, vt neſciat, quid interſit inter characterem & characteriſmum.*

CXXIX *Plus poſſunt Hierophantæ Beroaldini* (inter quos Pareus) *quàm Antichriſtus apud Danielem: is mutat duntaxat tempora; iſti mutilant ea.*

CXXX. *Rideam magis an ſtomacher, neſcio.*

CXXXI. *Stomacho res dignior eſt; quàm riſu.*

CXXXII. Quare? *Quia iuuentutem neceſſe eſt ex huius veneni* (à Pareo propinati) *letifero hauſtu diriſsimam peſtem oppetere.*

CXXXIII. *Quod certè fiet, niſi tam barbaræ licentiæ* (Parei & ſodalium) *frenum imponatur.*

B CXXXIV. Pareus *Ariſtarchus Beroaldinus.*

CXXXV. Quid tibi vis *Theologochronologe* Paree? *Quis tuam veſaniam ferat?*

CXXXVI. *Tanto conſenſu hiſtoriæ reiecto, ad nænias abortiuorum ingeniorum confugiemus, & tempora ſtercore Beroaldino oblíniri patiemur?* Multum ſtercoris paſsim vomis Burdo. Neceſſarium erat, vt te Pareus, myſta Beroaldinus, gemina ſua oratione expurgaret.

CXXXVII. *O infelix ſeculum, quod iſta portenta* (Pareum & ſimiles) *peperit.*

CXXXVIII. *O ignauos nos, ſi ita illudi litteris patiemur.*

CXXXIX. *Quæ hæc impudentia, vt etiam audeat* (Pareus) *iurare, ab Euſebio proditum, cuius nunquam Euſebio in mentem venit?*

C CXL. Quid eſt Pareus? *Beroaldini ſacri Pontifex.*

CXLI. *De fide huius Hierophantæ* (Parei) *quid ſentiendum ſit, haud obſcurè animaduerti poteſt.*

CXLII. *Beroaldini,* (quorum vnus Pareus) *ſunt fanatici & imperitiſsimi homines.*

CXLIII. Pareus *magnam inſcitiam bonarum litterarum, maius etiam odium earum rerum vbiq; prodit.*

CXLIV. Pareus eſt bonus Logicus. Specimen *audite. Diſſentitur ſuper annis Regum Perſidos, ergo pauci Reges Perſidos fuerunt. Iam rem factam habet.*

CXLV. Pareus *lepidum caput.*

D CXLVI. *Confidentiſsimè auſus eſt fingere* (quiduis.)

CXLVII. Pareus *miſellus Chronologus.*

CXLVIII. *Tanquam mus intra parietem verſatur.*

CXLIX. *Neque vſpiam effugium habet, quin ſtatim ab aliqua vigilaci fele correptus pœnas temeritatis ſuæ det.*

CL. *Hæc mira videntur hominibus* (Pareo, & aliis Prædicantibus) *qui nihil niſi πολεμικὰ & σκιαμαχίας tractant.* Nota, Libri Pareani ſunt *σκιαμαχίαι.*

CLI. *Neque vllum bonum Auctorem legerunt.* Magna laus Parei. *Quem certè ſi in manus ſumerent, non intelligerent.* Hinc nil aliud, quàm *ſtramentitias orationes* componunt & extrudunt; potiuſque *Onologias,* quàm Chronologias condunt.

Habes, Chriſtiane Lector, Pareum Caluiniſtam à Burdone Caluiniano deſcriptum & depictum. Ex qua eius effigie facilè æſtimabis; quàm recondita erúditione plenæ ſint diſputationes eius de auctoritate ſcripturæ *aduerſus* Ieſuitarum ſtrophas. Itemque Exegeſis eius & Prolegomena in Oſee Prophetam, & id genus alia, quæ contra Mülhuſinum noſtrum alioſque euulgauit. Si enim, vt Burdo teſtatur, potius *aſinus* eſt, quàm homo (quis autem *aſinos* melius noſcat quàm *Burdo.*) ſi communi ſenſu deſtitutus eſt: ſi inſanit: ſi Phreneticus eſt; ſi *Corybantiaſmo* agitatur; ſi portentum eſt; ſi confidentiſsimus; ſi idiota, ſi Marrucinus, ſi nullum bonum auctorem legit: ſi nec in manus ſumpſit: ſi non intelligeret; licet in manus ſumeret; ſi nec latinè nouit; ſi tantùm Beroaldina ruſpatur ſtercora: ſi eſt hoſtis & oſor humanitatis & litterarum, ſi helleboriſmo eget; denique, *ſi nec ſemel verum dixit:* nullo negotio cognoſces, à tali & tanto viro nil niſi præclarum & ad vnguem vſque expolitum proficiſci aut poſſe aut potuiſſe: qui, vt non tantum omnes fidei controuerſias; ſed & omnes contentiones Chronologicas ad ſolam ſcripturam reuocet; & ex ea omnes definiat & componat; vniuerſos repudiauit Scriptores exoticos, ratus, vt fidei, ſic & Chronologiæ omnia à ſcripturis ſacris abundè ſubminiſtrari; abſque hiſtoricorum profanorum adminiculo. Non tulit hanc inſaniam Burdo. Itaque properè accurrit; inque os & faciem Caluiniſtæ huius Caluiniſticas ſuas calces ita illiſit; vt ſi ſapit, ſtultiloquentiam ſuam poſthac occluſiorem habiturus ſit; ne denuo Burdonis ad faſtidium vapulet. ſuumque illud elogium ex Euſebianis Animaduerſionibus repetitum crebrò audiat & hauriat: *Peſsimè de hiſtoria, de veritate, de Chriſtianiſmo meriti ſunt, qui vetuſtiſsimos hiſtoriæ exoticæ Auctores auerſantur, tanquam ſacris Bibliis contrarios; cuius temerarij iudicij hunc fructum percipiunt, vt qui priſcos auctores mendacij poſtulent, ipſi omnium mendaciſsimi, vaniſsimi, & imperitiſsimi deprehendantur.*

TRACTATVS

DE QVAESTIONE, VNDE SCIS, HVNC VEL ILLVM ESSE SINCERVM ET LEGITIMVM SCRIPTVRÆ SENSVM.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

Præfatio.

Cap. I. *Quid collatio, eiusque impugnatio, & refutatio.*

II. *De interpretatione scripturæ per scripturam.*

III. *Examen mediorum, quæ supra tertio, quarto, & quinto loco sunt proposita.*

IV. *Examinantur media, sextum, septimum, octauum, & nonum.*

V. *Ecclesiæ auctoritatem, traditionem, vocem, & definitionem esse certum, & infallibile genuini, & legitimi scripturarum sensus inuestigandi medium.*

Digitized by Google

TRACTATVS

DE QVAESTIONE VNDE SCIS, HVNC VEL ILLVM ESSE SINCERVM ET LEGITIMVM SCRIPTVRÆ SENSVM.

Præfatio.

SVPERIORE Tractatu vidimus, vnde nobis constet hos vel illos libros Canonica auctoritate verè præditos esse; refutatis indiciis, quæ pro huius rei agnitione nouatores statuere solent. Nunc examinandæ sunt rationes, quas iidem sectarij adferunt pro vero, legitimo, & genuino sacrarum litterarum sensu eruendo & agnoscendo.

VVitackerus Controuerſ.1.q.5. Sect. 9. appellat *media inueniendi scripturæ sensum; nam quando scriptura non habet viuam vocem, quam audiamus, vtendum est quibusdam mediis, quibus inuestigemus, quis sit sensus, quæ mens scripturarum. Si enim Christus ipse nobiscum ageret; si Apostoli, & Prophetæ inter nos viuerent, eos adire possemus, atq; obsecrare, vt sensum illorum, quæ ab iis scripta sunt, nobis indicarent. Sed, cum illi abierint, & libros tantum suos reliquerint, videndum est, quibus mediis vtendum sit, vt verum scripturæ, verborumq; diuinorum sensum inueniamus.* En VVitackerus disertè scribit, *scripturam viua voce carere*: Cum simile quid Caluinistæ & Lutheristæ in Catholicorũ libris legunt; tantum non insaniunt: At cum Caluinianus VVitackerus id publicis litterarum monumentis affirmat; nemo contra vel exiliter mussat. Quanquam absit, vt culpem, quod VVitackerus tradit. Rectè sentit, superesse media aliqua veri scripturæ sensus indagandi & assequendi. Rectè dicit; Christum & Apostolos à nobis adiri & consuli debere; si nobiscum in terris degerent. Animaduertit necessariam esse viuam quandã, spirantem & semper in Ecclesia præsentem auctoritatem; quæ nos in omnem veritatem deducat; quæ controuersias sopiat, decidat, defi-

A niat, verumq; sacrarum litterarum sensum absque vllo erroris periculo fidelibus patefaciat: sed quod ratio dictat; quod cor suadet; id aut assensu comprobare, aut ore proferre non audet; quia quamprimum talem auctoritatem reciperet & susciperet, omnis Caluinismus ex animo eius euanesceret.

Si Christus & Apostoli, inquit Caluinista, *in hac vita nobiscum viuerent; ipsi, tanquam magistri & doctores nostri, super vera scripturarum intelligentia adiri & audiri deberent.* Rectissimè. Sed quis nisi Lutherana vel Caluiniana aura afflatus, sibi persuadebit, Christum, neminem sua in Ecclesia reliquisse; qui vice sua perpetuis temporibus dubitationes & quæstiones de vero sacrarum litterarum sensu certò, infallibiliter & euidenter dissolueret; & pulsa falsitatis caligine; lucem veritatis accẽderet. An non promisit Ecclesiæ suæ spiritum veritatis; B qui omnia docturus, omnia suggesturus; & in omnem veritatem, tanquam mystagogus quidam, fideles introducturus esset? Num hic spiritus solis illis mediis, quæ VVitackerus, & alij Nouatores assignant, circumscribitur? quorum dena numerare licet.

Primum est, collatio & comparatio vnius, vel plurium locorum obscuriorum cum locis apertioribus, & minus obscuris.

II. Quod eôdem propemodum recidit; scriptura per scripturam explicata.

III. Cognitio linguarum & inspectio fontium.

IV. Styli & phraseos accurata obseruatio.

V. Antecedentium & consequentium pensiculata consideratio.

Digitized by Google

VI. Ardentes & incensæ preces.

VII. Lectio assidua, meditatio & contemplatio.

VIII. Analogia fidei, ad quam, veluti ad normam, omnes expositiones exigi debent.

IX. Interna criteria; seu internum Spiritus sancti testimonium.

X. Cum aliis doctoribus collatio. Sed hoc medium indoctis duntaxat à VVitackero præscribitur cum ait: *Quoniam imperiti supradictis mediis nesciunt rectè vti, debent illi alios se peritiores adire, aliorum libros legere, doctorum interpretum commentarios & expositiones consulere, cum aliis etiam disputare. Sic Hieronymus, sic Augustinus, sic alij Patres fecerunt.* Ne tamen quis ex lectione veterum commentatorũ & commentariorum, dispulsis Caluinianis vel Lutheranis nebulis, lucem hauriat; néue iudiciũ proprium iudicio doctorum Ecclesiæ submittat; hanc cautionem adhibendam monet VVitackerus. *Videndum est, ne nimium commentariis doctorum tribuamus, néue putemus illorũ interpretationes recipiendas esse, quia sunt ab illis perfectæ: sed quia autoritate scripturarum, aut ratione nituntur: ita nihil illis cõtra scripturas cedamus. Opera quidem, consilio, prudentia, ac scientia illorum vtamur, sed cautè semper, modestè, ac sapienter, atq; ita, vt nostram interim libertatem retineamus.* Hæc omnia eò spectant; vt qui legit; se magistrum magistrorum, doctoremque doctorum constituat: hoc enim est *Caluinianam libertatem* in legendo retinere.

Verumenimuero licet Catholici non diffiteantur, hæc & id genus alia ad rectam scripturarũ intelligentiam multum momenti adferre; negamus tamen, & quidem meritissimò, vel singula; vel etiam omnia collectiuè sumpta sufficere; ac proinde alio vel aliis mediis opus esse dicimus, quæ germanum scripturæ sensum certò & infallibiliter nobis semper pandant. Et quidem singula non sufficere ad scripturas vbique certo & infallibiliter intelligendas; haud diffitetur VVitackerus: *Non dicimus,* inquit VVitackerus cap. 11 *hæc media singula, si per se sumantur, & adhibeantur seorsim, semper sufficere ad scripturæ verum sensum inuestigandum; sed ea coniunctim vniuersa, si legitimè tractentur, satis valere.*

Gripus in disput. de Interpretatione scripturæ Thesi 28. *Etsi media isthæc ἰδίως καὶ ἀνὰ μέρος, sigillatim adhibita, non semper sufficiunt; vniuersa tamen coniunctim, si legitimè tractentur, maximè verò, si quolibet loco, ἄνευ προκρίματος, ἀντιδικίας, καὶ φιλονεικίας, apta, ac necessaria adhibeãtur, satis valent.* Vbi vides testimonio sectariorum ne collectiuè quidem hæc media semper ad verum scripturæ sensum eruendum valere; nam VVitackerus dicit; valere, *si legitimè tractentur.* At vnde sciam num legitimè sint tractata; quandoquidem talia sunt, vt etiam non legitimè tractari queant.

Gripus dicit; valere quolibet loco, *si adhibeantur sine præiudicio seu præconcepta persuasione; item sine arrogantia; & contendendi studio.* Quis me certum reddet hæc media hoc modo fuisse adhibita ab illo; qui eorum ministerio & interuentu, verum & sincerum scripturæ sensum sese reperisse iactat? Quidquid dicat; semper dubitare licebit; num media hæc vniuersim sumpta legitimè adhibuerit; quandoquidem non legitimè adhiberi queunt: & is insuper, qui se ea legitimè adhibuisse gloriatur; naturâ suâ mendax est; atque adeo falli & fallere potest.

Etsi autem vanitas sententiæ hæreticæ satis superque in defensione libri tertij & quarti Bellarminiani refutata est; non oberit tamen si hæc quæstio; *Vnde scis hunc esse verum & genuinum scripturæ sensum*: Proprio tractatu discutiatur; sicut & illam: *Vnde scis hos vel illos libros verè Canonicos esse*; peculiari disputatione enucleauimus: Expedit enim vt distinctè dispiciatur, num claues, quas sectarij referandæ scripturæ, & aperiendo sensui nostro adhibent, sint veræ & ad vtramque apertionem seu reserationem idoneæ; nam & scripturam & mentem nostram respectu scripturæ clausam esse; patet ex 24. capite B. Lucæ; vbi duo illi discipuli. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Sunt igitur clausæ scripturæ; quia si clausæ non essent; nulla apertione egerent. Ibid. de Christo. *τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* Est ergo sensus noster clausus, nec sensum scripturarum recipit, nisi prius aperiatur; vt aditus pateat. Clauibus igitur, quibus reseretur, opus habet. quales autem claues Hæretici fabri nobis fabricent; iam expendere ingrediamur.

CAPVT PRIMVM.

Quid collatio, eiusque impugnatio, & refutatio.

QVID sit collatio intelliges ex hac VVitackeriana descriptione: *Vnus locus cum alio comparandus, & conferendus est; obscuriora nempe loca cum apertioribus, & minus obscuris. Si enim verba vno in loco fuerint obscura, alio loco planiora erunt. Exempli gratia, Iacobus 2. cap. v. 21. asserit Abrahamum operibus iustificatum fuisse. Locus obscurus est, & Papistis fauere videtur. Vnde ergò verum horum verborum sensum sciemus? Comparandus scilicet hic locus cum 2. vers. 4 capitis Epistolæ ad Rom. atq; ita facilè, quomodo hic locus intelligendus sit, apparebit. Paulus enim Rom. 4. 2. disertè ait, Abrahamum ex operibus iustificatum non fuisse: quia tum haberet, quod gloriaretur.* Hæc Caluinianus VVitackerus.

Etsi autem nemo inficiatur, vt in procemio dixi, collationem locorum sacræ scripturę legitimè institutam non parum ponderis ad veram

intelligentiam conferre; vana tamen est, prout à sectariis adhibetur & vsurpatur; & prout ab iisdem adhibenda & vsurpanda proponitur, cuius vanitatis luculentum specimen cernere licet in illo ipso, quod paulo ante ex VVitackero adductum est, collationis exemplo. Nam I. non sufficit ad verum scripturæ sensum semper & vbique eruendum; neque enim quiuis locus obscurior cum alio clariore comparari potest; cum non semper alius clarior obscuriori respondeat.

II. Quia hæc collatio, seclusa Ecclesiæ auctoritate; & seposita Ecclesiastici Canonis regula; (quemadmodum & illa & hæc à sectariis sua in collatione secluditur & seponitur) ne ad vnum quidem scripturæ locum rectè intelligendum valet: quia enim tam Lutherani, quàm Caluiniani locos illos: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: ita cum aliis comparant; vt Ecclesiæ sensum & consensum in postremis ducant; fit, vt à vero hac in collatione longissimè auij abeant; neque vllum inde emolumentum capiant. Item, si quis ex collatione huius loci: *In principio creauit Deus cælum & terram*: cum aliis scripturæ locis, statuat & concludat; Deum verè visibilia & inuisibilia ex nihilo procreasse; rectam quidem locorum intelligentiam assequetur; at si primam originem indagare libeat, videbimus, hoc non aliam ob caussam accidere; quàm quia Ecclesiæ auctoritate vel explicitè vel implicitè inductus, certò sibi persuasit, loci illius: *In principio creauit Deus cælum & terram*; hunc esse genuinum & germanum sensum, quod Deus omnia ex nihilo condiderit: Vnde enim hunc verum legitimumque intellectum hausit? An ex ipsis præcisè verbis? Certè non: neque enim tam clara & dilucida sunt; vt si quis solo capitis sui ductu duci regique velit; ea alio torquere nequeat; quod à multis olim sacrilegè factum; procreationem rerum ex nihilo non modo inficiantibus; sed & peruicaciter tanquam impossibilem repudiantibus.

III. Hæc collatio omnibus hæreticis vsitata est; sicuti & alia scripturæ patefaciendæ media, initio commemorata. Nam æquè Caluinistæ conferunt ac Lutheristæ. AEquè Vbiquistæ, ac Seruetiani: AEquè Carlstadiani; ac Hussitæ. AEquè Hussitæ ac VViclephistæ. AEquè hi, ac illi. Quomodo igitur collatio me certum faciet de certo scripturæ sensu; cum omnes Nouatores sint *collatores*; & conferendo diuersissimos, & aduersa fronte sibi mutuo repugnantes sensus producant?

Cum vir clarissimus D. Ioannes Pistorius in suo *Hodego* seu *Duce viæ*; simili argumento sectarios hunc in modum pressisset: *Istbæc media omnibus Hæreticis esse communia: Non enim Lutheranos solummodò, sed Caluinianos, etiam Arianos, & Samosatenos cum Anabaptistis linguarum habere notitiam, scripturas cum scripturis conferre: quin omnes videri velle, ac si Deo sæpius sua vota mente deuotá nuncupent, & preces pura mente litent; & reliquis etiam vtantur mediis, quos tamen interim turpissimè hallucinari constet*: Ridiculè prorsus respondit Labrax VVitebergicus in Disputat. de Interpretatione scripturæ Thesi 30. *duobus modis istbæc media dici posse communia: vel, quoad* κτῆσιν *solummodò, & tum* ἔλεγχον παρὰ τὸ ἑπόμενον *committi asserimus; vel, quoad* χρῆσιν, *eamq; legitimam, tumq; laborat antecedens. Fieri enim non potest, vt hisce mediis legitimè vtentes, à veritatis tramite aberrent.* Hæc Labrax.

Responsi summa huc recidit; alios illegitimè hac collatione cæterisque mediis vti; solos Lutheranos, legitimè; ac proinde solum sensum, quem Lutherani his mediis ex scriptura eruunt, legitimum ac germanum esse; *cæteros omnes spuriis & suppositiis annumerari debere.* At quis, præter Lutheranos, hoc affirmat? Quis, præter Lutheranos, id ex hac sola & nuda asseueratione sibi persuaderi sinet? Vbi ære & libra κτῆσιν & χρῆσιν, *possessionem* & *vsionem* legitimam horum mediorum Lutherani mercati sunt; exclusis omnibus aliis, qui æquè ac Lutherani horum mediorum legitimam possessionem, vsumque verum iactant?

Negant Caluinistæ se his veri sensus organis illegitimè vti. Negant id Anabaptistæ: Negant Ariani. Negant alij. Lutherani affirmant & illos iis vti illegitimè; & se, legitimè. Vbi huius rei luculenta probatio? Vbi necessaria demonstratio? Neque enim hic disputamus de instrumentis, quæ quomodocunque scripturæ sententiam pandant; sed quæ ita pandant; vt homo certus sit; hanc vel illam esse Spiritus sancti mentem ac sententiam.

Ait Labrax, in supradicta obiectione *committ etiam fallaciam accidentis. Vitiosi enim accidentis est quòd multi iisdem mediis forinsecus vtentes, nihilominus circa veritatem interpretationis aberrant. Vnde, si quis velit inde ipsorum mediorum nullitatem (vti loquuntur) colligere; haud minus ineptus, aut absurdu fuerit disputator, ac qui ipsarum precum robur infringere velit; eò quòd hæreticorum plurimi, in studio precum vel maximè videntur fuisse assidui, & intenti.* Nor licèt quidem ex abusu rei simpliciter oppugnare vsum; si res tamen ita comparata sit vt ea omnes absolutè abutantur; & ea insuper indole constet; vt efficiendi eius, ad quoc adhibetur; nulla vi polleat; absque vlla *fallacia* concludere licet; rem huiusmodi esse tollendam, & procul amandandam. quoc in nostro casu contingit. Nullus enim sectarius legitimè instrumentis veri sensus inuestigandi vtitur; Quod Labrax & alij Lutherani de omnibus libenter concedunt, se tamen exceptis. At quo iure se hinc excipiunt? Eo scilicet; quo ex Hæreticorun

tribu sese eximere tentant; quod perinde est, ac si fur vel latro ex furum vel latronum classe, sese liberare vellet.

Adde, media hæc, quæ isti vsurpant, non esse idonea ad efficiendum id; quod quærimus; nempe ad patefaciendum semper & vbique certò & infallibiliter verum legitimumque sacrarum litterarum sensum; falsumque à vero dilucidè secernendum. Aliis hanc ad rem mediis, aliisque instrumentis opus est; vt infra dicemus; cum ergo hæretici ea instrumenta, quæ & nobis animum; & scripturæ sensum certò & infallibiliter pandunt, reiiciant; & ea deligant, quorum nec singula; neque vniuersa, eò quò peruenire cupimus, nos deducant; meritò omnes sectarios his mediis illegitimè vti affirmamus; quemadmodum illegitimè eos clauibus vti non immeritò assereremus, qui patefaciendis foribus eas claues admouerent; quarum nec singulæ, nec vniuersæ ianuam aperirent: contemptis & repudiatis clauibus ad aperiendum natis & factis.

Non absimilia de his mediis disputat VVitackerus; nam cum Stapletonus obiecisset, ea esse omnibus hæreticis, Iudæis & Paganis communia; Respondet. *Si hic sit sensus, omnes his mediis posse vti; agnosco, quod positum est in argumento; nam media interpretandæ scripturæ debent esse eiusmodi, vt non sint propria certorum hominum; sed aperta atq; publica.* Atqui non satis est, vt sint aperta & publica, sed oportet esse vera; non falsa; genuina, non supposititia; ad veritatem deducere apta; non à veritate abducere consueta. Quo ipso non possunt omnibus prædictis esse communia: neque enim Iudæi, Pagani, aut hæretici iis vtuntur ad veritatem; sed ad falsitatem: neque ita hæc instrumenta comparata sunt, vt veritatem patefacere queant; eo modo, quo ab Hæreticis vsurpantur: sed veritatē potius in caligine demersam detinent; detinent inquam, si ea ratione vsurpentur; qua ab Hæreticis vsurpantur, contempta Ecclesiastica traditione & auctoritate. Imò si VVitackerus non esset cæcus, facilè vidisset; eo ipso media hęc sola, absque aliis, iisque legitimis, adhibita, scripturæ aperiendæ non esse sufficientia; quòd omnium Hæreticorum ore circumferuntur & deprædicantur: Nam hic mos est Hæreticis & hoc institutum; vt perpetuò eligant & amplectantur; quæ veritatem magnificè quidē spondent; nunquam verò exhibent; (Hinc iure audiunt; *Semper discentes: nunquam ad scientiam peruenientes.*) Ea autem repudient; quæ sunt certissima veritatis inueniendæ media. Quis enim ex sectariorum numero, Ecclesiæ auctoritatem & traditionem in scripturarum legitimo sensu sibi sequendam proponit? Quis Nouatorum viuam, spirantem, semperque in Ecclesia præsentem potestatem veneratur, cuius auspiciis in indagatione legitimi scripturarum sensus nitendum censeat? Et tamen, seposita Ecclesiæ auctoritate & traditione;

A neglectaque illa semper præsente in Ecclesia potestate; quæ in omni difficultate & dubitatione adiri & euidenter audiri potest, nunquam ad veritatem scripturarum peruenies; quidquid moliaris, & de vero sacrarum litterarum sensu eruto glorieris.

Si sensus sit, inquit VVitackerus, *Hæreticos his mediis vtentes posse suas hæreses ex scripturis confirmare, falsissimum est*: imò verissimum est; quia omnes hæretici ad hæc media, tanquam ad sacram anchoram, confugiunt; contempta & proculcata Ecclesiastica traditione & auctoritate: Qua abiecta & obtrita; liberum & expeditum spargendi errores inueniunt campum; licet preces, meditationes, contemplationes assiduas; & lectionem, collationemque diurnam nocturnamque

B vel solo ore iactitent; vel etiam reipsa adhibeant. Vana sunt omnia hæc conamina, & irrita.

Ait Caluinista; *Hæretici, si vellent his mediis vti legitimè, suas hæreses in scripturis damnari perspicerent; & Iudæi, ac Pagani similiter nostris scripturis suas impias, ac profanas opiniones refutari intelligerent.* Vel hinc colligas; VVitackerum illegitimè his mediis vti, cum eorum beneficio non eo processerit; vt dilucidè intueatur, impias & profanas suas opiniones in scripturis damnari: nam hæreticus, qui legitimè his mediis vtitur, suas hæreses in scripturis reprobari perspicuè perspicit; teste VVitackero: at VVitackerus hoc nec perspexit,

C nec perspicit; Illegitimè igitur his mediis & vtitur & vsus est. Deinde dico; nullum penitus sectariū legitimè his mediis vti; quia fieri nequit, vt vllus sit eorum legitimus vsus; si ab Ecclesiastici Canonis norma & regula seiungantur, prout seiunguntur ab Hæreticis.

Subiungit Caluinista: *Si sensit Stapletonus, hæc media fauere hæreticis, aut, eis aliquid afferre subsidij ad suas partes tuendas, magna, indignaq; contumelia scripturas afficit, quasi essent in vlla caussa hæreticis, quam Catholicis æquiores, quasi essent in vlla caussa hæreticis, quàm Catholicis æquiores.* Scilicet in iniuriam scripturarum redundat hæreticorum improbitas & importunitas; qui media alioqui bona & laudabilia suum ad forum scopumque adaptant & ac-

D commodant; dum ea ab Ecclesiæ auctoritate & traditione separant, & insolenter venditant, & scripturas per scripturas, hoc est, phantasias suas per alias phantasias festiuè & iucundè explanant. Nec scripturæ, vlla in caussa, nostro iudicio, æquiores sunt hæreticis, quàm Catholicis; quia ne æquæ quidem sunt hæreticis; quos damnant & reprobant; Admodum tamen æquâ est Hæreticis ea scriptura, quam ipsi ad arbitrium suum fingunt & refingunt, vertunt & inuertunt; flectunt & reflectunt: & id inprimis elaborant, vt eam quàm longissimè ab Ecclesiastica traditione auellant & abripiant; In hac scriptura, hunc in modum conformata, omnia præsidia ac propugnacula ponunt; tantum abest, vt sectariis

Digitized by Google

crux sit atq; exitium; vt sit vnicum omnium Nouatorum asylum & perfugium. neque vllo pacto subsistere, aut sua tueri possunt, si ab hac abs se transformata scriptura ad scripturam Dei, eiusque veram, solidam & constantem interpretandi rationem traducantur. Reuertamur iam ad euersionem collationis Hæreticæ.

V. Quis nescit (vtar enim verbis Ioannis Mülhusini nostri Disputat. de sacrarum litterarum Interprete authentico Thesi XI.) ex conferentium scripturas affectu, præiudicataque sententia, frequenter videri, scripturas, quod non dicunt, dicere; negare, quod affirmant ? Sapientissimè enim dixit Hilarius libro 10. de Trinitat. *contra veritatem aut non intellectam, aut offendentem, vel stulta, vel vitiosæ voluntatis errorem obniti.* Nunquid collato illo, Matth. 26. scripturæ loco; *Hoc est corpus meum*; cum illo Ioan. 1. *Verbum caro factum est*; contra Christi mentem, scripturæ contextum, totiusque antiquitatis vnanimem consensum, collegerunt Lutherani, panem, & vinum, in Eucharistiæ Sacramento vna cum Christi corpore, & sanguine remanere, sicut verbum diuinum integrum, & substantialiter, cum humana Christi natura ? An non eadem verba, cum illis Gen. 17. (quibus de circumcisione loquitur Dominus) *hoc est pactum meum*, collata, Caluinianis, Zvvinglianisque signum tantum veri, & realis Christi corporis in Eucharistia significant : sicut, circumcisionem, signum esse tantum fœderis, & pacti, inter Deum, & Abraham, eiusque semen initi, contendunt?

VI. Vt maximè vnus locus conferatur cum altero ; vnde certò, & infallibiliter constare poterit, loci illius, per quem alium explicare vis, illum esse sensum, quem tu contendis?

VII. Difficillimum est; ait rectè noster Gregorius de Valentia libro 5. Analyseos cap. 2. huiusmodi locorum collationem ita instituere, vt quem locum tu putas clariorem esse, ideoque ex eo alium locum interpretandum, is re vera sit clarior, & non contra potius, obscurior : ex quo idcirco, non alterum interpretari, sed eum ex altero sit necesse. Vt enim quis in scriptura ipsa, & in cognitione locorum Theologicorum, magis, aut minus versatus est, atque etiam vt magis, aut minus perspicax, & in indagando diligens; sic magis, aut minus rationes videt, cur hic sensus potius, quàm alius huic loco subiici debeat. Ita fit, vt, qui locus in vno sensu alteri clarus videtur, alteri videatur obscurus: eaque varietas facit, vt facillimum sit, quemadmodum diximus, in huiusmodi collatione locorum scripturæ falli, atque errare: dum non obscurus re vera locus ex claro, sed clarus (si rationes omnes latentes, & circumstantes considerantur) ex obscuro peruersè exponitur.

A Cuius rei cùm multa, & vetera & recentia etiam exempla ex nostrorum hominum controuersiis proferri possint, ego, breuitatis causâ, vnum ponam, vt lector contempletur Labyrinthum errorum, in quo, propter hanc suam scripturæ collationem, versantur sectarij, & versabuntur perpetuò, nisi redeant ad saniorem mentem. Quæstio est, vtrum concupiscentia in iis, qui gratiam sunt adepti in Baptismo, sit peccatum veri nominis, damnatione etiam dignum. Affirmant omnes sectarij. Quia quod in persona iustificati hominis Paulus ait, Rom. 7. *habitare in se peccatum*; putant habere illum sensum clarum, quem illicò verba superficie tenus exhibent, nempe cõcupiscendi facultatem, seu appetitum

B esse peccatum. Itaque, ex hoc loco, interpretantur alios eiusdem Apostoli, vbi contra, negat vllum remanere peccatum, in iis, quos affirmat *ablutos*, 1. Cor. 6. & *sanctificatos*, ibidem; & Roman. 6. esse in Baptismo. Dicunt enim, sensum esse, non quòd ij mundi prorsus facti sint, & immunes à peccato, sed quòd peccatum, quo aliôquin inquinati sunt, non imputetur ipsis ad pœnam.

Falluntur autem in hac scripturarum collatione. Quoniam locos clariores malè interpretantur ex obscuro. Demonstrant enim certissimè Catholici, sensum eius, quod Apostolus inquit, *habitare in se peccatum*, non esse illum prima facie clarũ, quem falso putant Aduersarij, nem-

C pe re vera *concupiscentiam* peccatum esse : Hoc enim & naturæ ipsi diuinæ gratiæ repugnat, quæ cum peccato mortali stare nullo modo potest, & aliis etiam innumeris scripturæ locis, ex quibus constat, per gratiam ita penitus aboleri peccata, vt nihil in ipso homine insit *damnationis*, Rom. 8. id est, damnatione dignum. Docent igitur iidem Catholici, alium quendam illi loco Apostoli subiici sensum, videlicet, concupiscentiam & ex peccato prouenisse, & ad peccatum inclinare, ideoque appellari ibi ab Apostolo peccatum: sicut etiam ipsum Christum, *peccatum* 2. Corinth. 5. impropriè appellat; quia, fuit hostia pro peccato: &, Adamus Euam, Gen. 2. similiter *os* appellauit, quia ex osse exstitisset. Proinde, non

D ex eo Apostoli loco, tanquam ex claro, illi alij loci, qui gratia emundari penitus hominem à peccatis manifestissimè docent, exponendi perperam erant : sed, ex iis potius locis, tanquam claris, illius alterius loci sensus obscurior (quem indicauimus) colligi ab Aduersariis debuit.

VIII. Huc accedit, quod non modò facillimè contingit error in iudicando, an hic locus per illum exponi debeat; cum vtrumque constat de eadem re loqui : sed etiam in discernendo an id ipsum, quod in collatione sumitur, verum sit, scilicet, vtrumque locum de vna, eademque re loqui. Quandoque enim idem in

Digitized by Google

ſcriptura verbum, & eadem ferè phraſis ad ſignificandas res diuerſas accommodatur, vt admonuit etiam D. Auguſtinus; lib. 2. de doctr. Chriſtiana c. 24. 25. 26. Quod, quia nuper Lutheri diſcipulus Heerbrandus, tractatu contra Miſſæ ſacrificium, non animaduertit; ineptè voluit per ſcripturæ ſcilicet collationem oſtendere, ***oblationem mundam***, de qua vaticinatus eſt Malachias cap. 1. non aliud ſacrificij genus in Eccleſia eſſe, niſi Euangelij prædicationem, quam etiam Apoſtolus, Rom. 15. per ſimilitudinem ***oblationem*** vocat. Rectè autem D. Auguſtinus; lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 24. ***Non putemus***, inquit, ***eſſe præſcriptum, vt, quod in aliquo loco res aliqua per ſimilitudinem ſignificauerit, hoc eam ſemper ſignificare credamus.*** Et, omnes B diſputationes, quæ nobis intercedunt cum iſtis, pleniſsimæ ſunt exemplis ſimilibus, in quibus appareat, variis vbique erroribus Aduerſarios eſſe implicatos, propter ſcripturæ collationes a ſe ſiniſtrè inſtitutas.

IX. Exſtant in ſcripturis plurima & obſcuriſsima loca, quibus ſimilis non exſtet, ex cuius collatione illuſtrari queant: aut, ſi exſtet, difficultatem, & obſcuritatem potius augeat, quàm minuat, aut funditus tollat. Eiuſmodi ſunt plerique loci, qui adduci ſolent ex iis, quæ circa vtrãque Chriſti genealogiam ab vtroque Euangeliſta, Matthæo, & Luca ſcribuntur. Item locus ille S. Stephani Act. 7. ***deſcendit Iacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & Patres noſtri; & tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham precio*** C ***argenti à filiis Hemor filij Sichem***. Comparet, oro, Prædicans locum iſtum, cum locis cap. 23. Geneſ. & cap 33. tenebriſque, quibus inuolutus eſt, lumen inde, ſi poteſt, accendat. Cum his inquam locis; ***Loquutus eſt*** (Abraham) ***ad Ephron***, &c. ***dabo pecuniam pro agro***, &c. ***appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat***, &c. ***quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.*** Et; ***emit*** (Iacob) ***partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor, patris Sichem, centum agnis.***

X. Si collatio tam certa via eſt, & ratio, perueniendi ad verum & germanum ſcripturę ſenſum. cur Act. 8. ***vir ille Æthiops, Eunuchus potens Candaces reginæ Æthiopum***, legens Iſaiam, nec intelligens, non confugit ad hoc collationis myſterium? D Cur, quærenti Philippo; ***putasne intelligis quæ legis?*** reſpondit; ***Et quomodo poſſum intelligere ſi non aliquis oſtenderit mihi?*** Cur, ***rogauit Philippum, vt aſcenderet*** currum, ***& ſederet ſecum?*** Quare Lutheranam ***collationem*** nõ inſtituit? Cur loco obſcuro, in quem inciderat, ex clariore lucem non petiuit? Quid opus illis precibus? ***Obſecro te, de quo, Propheta dicit hoc? de ſe, an de alio aliquo?*** Cur ***Philippus aperiens os ſuum, & incipiens à ſcriptura iſta, euangelizauit illi IESUM?*** Cur ad collationem non remittit, ſi collatio hæc fax eſt omnibus tenebricoſis ſacrarum litterarum ſententiis illuſtrandis? Nec hoc tantummodo mirum, quomodo AEthiops ille tam pius, & religioſus, & veritatis indagandæ tam

A ſtudioſus, collationem iſtam neglexerit, ſed & illud in primis, quomodo vir Bibliorum tam amans, vt in curru quoque iis euoluendis operam daret; non intellexerit abſque magiſtro, & interprete locum Iſaiæ, qui nec ex difficillimis, nec ex reconditiſsimis vnus eſt? Et tamen Prædicantibus, qui, vt domi Biblia lectitent, in curru certè iter facientes ab eorum lectione abſtinent; omnia clara ſunt, & quaſi ſolaribus radiis ſcripta: nec vllo ***Philippo*** egent. Et, ſi quis ſiue in curru, ſiue in Muſeo Hunnium ſacras litteras lectitantem deprehenderet, ex eoque percontaretur; ***putasne intelligis, quæ legis?*** Vtique reſponſum Eunuchi non daret; ſed è veſtigio non ſine indignatione reſponderet. *Quis dubitat?* An neſcis B me eſſe, vt ille ait, *ᾠδικὸν μέγ' ὑπέροχον*, ***cantorem, & fiſtulatorem optimum?***

XI. Temeraria hæc, & effrons collatio ipſi adeò Luthero ſtomachum mouit non quidem aduerſus ſeipſum; quomodo enim Lutherus Luthero ſuccenſuiſſet? ſed aduerſus Carlſtadium. Cum enim Carlſtadius dixiſſet, ſe ſententiam ſuam de cœna hauſiſſe, ex horum verborum; ***Hoc eſt corpus meum***; cum aliis ſcripturæ locis collatione, mox occurrit Lutherus: Tom. 2. Epiſt. Lat. in Epiſt. ad Carolſtad. fol. 197. b. ***Quod doces me, eſſe locos ſcripturæ per collationem aliorum locorum exponendos: & hac regula fretus, incipis, & Ioannis cap. ſextum, velut lucem, in verba Cœnæ Domini adfers; hic, quæſo, me patienter audi. Si omnis locus ſcripturæ per*** C ***alium locum eſt exponendus, quis erit finis conferendi locos ſcripturæ? Quia hac ratione fiet, vt nullus locus ſit in ſcriptura certus, & clarus: & erit quædam mutua collatio loci ad locum in infinitum. Sic alius præſumet exponere ſextum caput Ioannis per Cœnam, ſicut tu contra per ſextum caput Ioannis præſumis Cœnam exponere: & vitatur tua regula, ſcilicet, locum per locum exponendum.***

Sentis ne hic, te ſatis infidele fundamentum ieciſſe? & ex particulari, ad vniuerſale procedere? Nam iſta regula, locus per locum exponi debet, abſque dubio particularis eſt, ſcilicet; locus ambiguus, & obſcurus debet per locum clarum, & certum exponi. Nam claros, & certos locos velle per collationem aliorum exponere, eſt nequiter veritatem illudere, & nebulam in lucem vehere. Similiter, omnes locos velle per collationem aliorum exponere; eſſet totam D ***ſcripturam in infinitum, & incertum chaos confundere. Sunt ne hæc ſatis clara? Abſque dubio intelligis pulchrè hæc ita habere.*** Hæc Lutherus.

Qui vafrè elabi nititur, ne ipſe ſibi plagam imponat. Ait; ***Eſſe quidem ſcripturæ locos explanandos, & illuſtrandos per collationem cum aliis; ſed dubios, & obſcuros, non certos, & claros.*** At quis iudex erit, num locus ſit ambiguus, atque adeò collationis cum clariore indigus? Ad Lutheri videlicet tribunal arbitrium hoc deferendum erit. Sed, quid ſi alij non adquieſcant, ex quorum numero primus Carlſtadius? Quid ſi locum illum; ***hoc eſt corpus meum***; pertendant, eſſe obſcurum, non obſtante, quod Lutherus ſecus iudicat? Deinde, an non ipſi Lutherani hunc locum; ***hoc eſt corpus meum***;

cum

Digitized by Google

cum aliis conferunt, & ex collatione suum illud A de *consubstantiatione*, seu *impanatione* figmentum extundunt?

Aptissimè profectò in vniuersos hos collatores, scripturæque interpretes commentitios D. Augustinus; contra Faustum Manich.lib.32. cap.19. *Videtis id vos agere, vt omnis de medio scripturarum tollatur auctoritas, & suus vnicuique animus auctor sit, quod in quaque scriptura probet, quid improbet id est, vt non auctoritati scripturarum homo subiiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subiiciat, non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideo rectè scriptum videatur, quia hoc illi placet. Quò te committis misera anima, carnalibus tenebris inuoluta?*

Vt collatio ritè instituatur, & peragatur, hoc documentum præscribit VVitackerus. *In locorum* B *collatione, hoc obseruandum est, nempe non modò similes locos, cum similibus, sed dissimiles etiam, cum dissimilibus conferendos esse.* Posteriorem huius præceptionis partem diligentissimè obseruant sectarij. Nam non modò dissimiles cum dissimilibus; sed & nihil prorsus conuenientiæ mutuæ habentes, etiam quà tales, inter se artificiosè componunt & comparant; & obscuris ex dilucidioribus ignem accendunt; at *fatuum*, non ex scriptura; sed ex fatuo cerebro excussum. Vis exemplum? En proximum à VVitackero: qui locum illum Ioan.6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem; non habebitis vitam in vobis*: confert, tanquam obscuriorem, cum sexto præcepto Decalogi; *Non occides*; tanquam cum clariore; & C hanc inde lucem alteri infert; *si crimen, imò si flagitium sit hominē occidere; certè multo grauius est hominem comedere & deuorare.* Quàm immensa lux? Quis irretorto oculo huius luminis intueatur splendorem, quo locus Ioannis ex sexto præcepto (sic numerat VVitackerus; nam in Catholico Decalogo; non occides; quintum locum obtinet) perfusus est? Scilicet, cum Christus ad manducationem corporis sui nos inuitauit, id fieri voluit, per corporis sui interfectionem & dilacerationem; & nisi quintum decalogi præceptum obstitisset; periculum erat; ne Christiani cum Capharnaitis hunc carnalem edendi modum à Christo præscriptum fuisse crederent.

Videre mihi videor aliam insuper lucem; qua D ex quinto præcepto VVitackerus dictum illud Redemptoris nostri apud Ioannē illustrat; nempe, Christi carnem in Eucharistia nullo modo *verè substantialiter* & *realiter* manducari. *Probatur. Non licet hominem occidere: ergo multo minus licet humanam carnem manducare; & sanguinem humanum bibere: Errant ergo Papistæ; cum locum Ioannis de vera, reali, & substantiali corporis & sanguinis Christi sumptione* accipiunt. An non cernis, quam fulgidam lucem cælum Geneuense mortalibus in huius vitæ caliginoso loco desidentibus clementer impertiat? Satis de Collatione.

CAPVT II.

De interpretatione scripturæ per scripturam.

MONVI initio. Hoc medium vix differre à primo. Differt tamē aliquantulum. Ideo separatim discuti debet. Quærit Rullus Basileensis in disputatione de Interpretatione sacræ Scripturæ (exstat Tom.3. sylloges thesium Theologicarum fol.557.) *vnde petenda sit sacræ Scripturæ interpretatio:* Respondet. *Ex ipsamet sacra Scriptura, quæ seipsam interpretatur.* At I. omnes Hæretici hoc interpretandi medium iactant, & magnificè dilaudant, & vsurpant. Quomodo igitur fieri potest, vt hæc sit adęquata & legitima interpretandi ratio; cum tot pariat diuersos imò & aduersos sensus, quot sunt diuersæ, imò & aduersæ sectæ?

Dicet Caluinista: *Hæreticos non legitimè scripturas per scripturas interpretari.* Non abnuo. Sed quod Caluinista pronunciat de aliis sectariis; hoc eodem iure alij de Caluinistis itidem pronunciant: nam Caluinistas scripturam per scripturam legitimè interpretari; nemo præter Caluinistas, asserit. Ipsi in hac quęstione sunt & partes, & testes; & iudices seu definitores.

II. Qui dicunt, scripturas seipsas interpretari; perinde faciunt ac si dicerent: Aristotelem interpretari seipsum. Ciceronē interpretari seipsum: Platonem interpretari seipsum. Virgilium interpretari seipsum. Quàm stolidum autem hoc: tam stolidum & illud; quin tantò stolidius, quò materia sacrarum literarum sublimior & ab intelligentia nostra est remotior.

III. Si scriptura interpretatur seipsam, quid opus est Doctoribus & Pastoribus? Doctoris est docere; implicata explicare; innodata enodare; si hæc scriptura per seipsam præstat; non opus erit Doctore, ei; qui linguam, qua scriptura loquitur, intelligit; Ipse enim explicationem scripturę per scripturam proprio Marte leget & intelliget. Si Aristoteles & Plato, aut Euclides interpretarentur seipsos; nil opus esset interpretibus.

Dicent fortassis. Munus interpretis esse; vt lectoribus vel auditoribus scripturæ per scripturas explanationem intento quasi digito demonstret. Quid opus hac demonstratione? Legant ipsi scripturam ea lingua, cuius notitiam habent, & mox explicationem inuenient. Interpretis nō tantum est monstrare interpretationem; sed interpretari; quod aliud quiddam sonat, quàm monstrare; est enim enodare, explanare, elucidare; enodantur autem; quæ difficultatum nodis inuoluta; explanantur; quæ salebrosa; elucidantur, quæ tenebris immersa sunt.

IV. Si Scriptura sacra interpretatur seipsam, quid opus tot commentariorum struicibus vel potius aggeribus: Brentij, Caluini, Musculi, Buceri, Oecolampadij, & aliorum?

V. Quid ſi in ſcriptura locus quiſpiam abſtruſus & abditus tantummodo ſemel exſtet: cuiuſmodi multa occurrunt in Prophetis & in Apocalypſi. Vnde huius interpretatio petenda erit? Num ex ſcriptura? At nihil reperitur in ſcriptura; quo illuſtrari queat.

VI. Si ſcriptura ſeipſam interpretaretur, & quidem verè ac ſolidè; tum exorta de ſcripturæ legitimo ſenſu controuerſia, è veſtigio componi ac ſedari poſſet; nemo enim tam bardus eſt; qui oſtenſa ſibi in ipſis ſcripturis vera & genuina explicatione non ſtatim adquieſcat: nam quis tam ſit amens aut furioſus; vt euidenter ſibi demonſtratæ in ſcripturis explanationi, aduerſari velit? At nihil minus fit; quàm vt lites hoc modo ſopiantur & componantur; vt docet quotidiana experientia: imò non raro eam ob cauſſam contentiones inualeſcunt & ingraueſcunt, dum, quod pro explanatione loci obſcurioris producitur; ab altero explanatio eſſe negatur.

Probat Rullus ſcripturam ſeipſum interpretari: I. *Si ſcriptura non eſt ſcripta humano ingenio, ſed ex inſpiratione Spiritus ſancti, tum ſequitur, eam non debere exponi ex proprio ingenio, ſed ſecundum dictamen Spiritus ſancti, non certè extra ſcripturam, ne Enthuſiaſtarum error confirmetur; ſed, ex ſcriptura, in qua Spiritus ſanctus loquitur. Verum eſt antecedens ex 2. Timoth. 3. ver. 15. & 2. Pet. 1. ver. 20. 21. Verùm ergo & conſequens.* Si quis clarè & planè agere velit; intelliget Rulli argumentum æquipollere huic: *Scriptura non eſt ſcripta humano ſpiritu, ſed diuino; ergo ſcriptura non habet alium interpretem, niſi ſeipſam.* Argutè. Sed reſpondeamus ad Rulli argumentum in forma: Nego Maiorem; quoad illam partem; quæ dicit, ſpiritum diuinum, quo ſcripturæ explicantur, non eſſe extra ſcripturam, ſed intra: nam donum ſeu ſpiritus diuinus certò & infallibiliter ſcripturas interpretandi; non eſt in ſcriptura; ſed in Eccleſia; ſeu in capite Eccleſiæ; ſiue in Eccleſiæ Doctoribus ſimul & collectiuè ſumptis. Aliud eſt ſcriptura, aliud ſcripturæ interpretatio. Aliud ſcriptura, aliud ſcripturæ interpres; aliud ſpiritus; qui ex ſcripturis ſpirat & loquitur: aliud ſpiritus, qui Eccleſiæ certò & infallibiliter aſsiſtit; vt in ſcripturarum ſenſu à veritatis linea nunquam exorbitet; aliud dico; non alius; aliud ſubiecto; non naturâ & eſſentia; vnus enim idemque Spiritus ſanctus; cuius afflatu ſacræ litteræ conſcriptæ fuerunt; Eccleſiam itidem gubernat; regit ac inſtruit; vt verum ſcripturæ ſenſum certò & infallibiliter perpetim pandat: Itaque non humano ingenio; ſed diuino afflatu & inſtinctu interpretatio ſcripturarum perficitur; licet non perficiatur per ipſam ſcripturam ſeu per Spiritum ſanctum; quatenus formaliter per ſcripturam loquitur; ſed per Eccleſiam; ſeu per Spiritum ſanctum, quatenus per Eccleſiam nos in omnem veritatem inducit.

II. Argumentum: *Si ſacra Scriptura poteſt præſtare homini ſapientiam ad ſalutem, tum quoque ſeipſam interpretatur. Antecedens eſt verum, teſte Apoſtolo Paulo, qui 2. Tim. 3. 15. ait; quod ſacræ literæ poſſint σοφίσαι, hoc eſt ſapientiam præſtare, vt habet gloſſarium vetus, &c. Ergo, & conſequens verum eſt.* Reſpondeo negando ſequelam Maioris; ſeu, vt iſte vocat, *Antecedens*: nam vt ſapientiam ad ſalutem præſtet; non oportet, vt ipſa ſeipſam interpretetur; ſatis eſt ab interpretibus Interpretationem afferri. Nam & Ariſtoteles & Plato; & alij ſapientiam auditoribus præſtant; ſed explanati, non per ſeipſos; verùm per Doctores & Magiſtros. Citationes ſcripturarum, quas adducit Rullus, nil aliud ſunt, quàm fumi; obfuſcandis imperitorum oculis: nō enim affirmant ſacræ litteræ ſcripturā ſuiipſius eſſe interpretem: ſed ſcripturam progenerare in animis auditorum vel lectorum ſapientiam. Quod vt veriſsimum eſt; ita viciſsim vaniſsimum eſt hoc Rullanum argumentum: *Scriptura præbet ſapientiam, ergo interpretatur ſeipſam.*

III. Arg. *Si interpretatio ſcripturæ eſt explicatio ſapientiæ illius ſaluificæ, quæ in ſcriptura patefacta eſt: tum certè ſequitur, ſi ſacra Scriptura poteſt ſapientiam præſtare homini ad ſalutem, eam quoq; ſe ipſam interpretari; ex eaq; interpretationem ſumendam.* Reſpondeo breuiter, ſequelam eſſe falſam; & præterea battologicam & tautologicam: quod enim in ſecundo argumēto iam Rullus dixerat; hoc inaniter hic nobis, cuculi inſtar, recinit. Inſcitiam olet, vel potius inſcitia eſt, quod ait: *Senſum ſcripturæ eſſe ipſam ſcripturam.* Siccine vero? Num res ſignificata ſeu *ſignatum* eſt ipſum ſignum? Arbitrabar hactenus ſenſum ſcripturæ eſſe rem ſignificatam: ſcripturam; huius rei ſignificatæ ſignū: Nunc aliud doceor; ſed nimis ſum indocilis. Talia nec credo; nec capio. Eſtne ſenſus verborum, quæ nunc ſcribo & formo; ipſa ſcriptura, quam chartæ illino? Eſtne ſenſ⁹ vocalis orationis ipſa vocalis oratio?

IV. Arg. *Si ſcriptura diuinitus inſpirata eſt vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructus: tum eadem docet omnium, quæ in ipſa traduntur, verum ſenſum. Verum eſt, quod antecedit, teſte Apoſtolo. Verum eſt ergo & quod conſequitur.* Reſpondeo ſequelam Maioris nulla re alia; quàm veritate deſtitui: Quam Rullus hoc fulmento fulſit. *Quia perfectio hominis Dei non poteſt eſſe ſine ſcripturarum intelligētia: ergo ſcriptura interpretatur ſeipſam.* Non inquiram in antecedens. Conſequentia ne caſſa quidem nuce digna eſt.

V. *Si Scriptura ſacra lux eſt: ipſa igitur illuſtrat, ſi quæ obſcura in illa occurrunt; ipſa, mentem illuminat ad intelligenda arcana cæleſtia. Prius verum eſt, vt ſequentia loca euincunt: Pſal. 19. Præceptum Iehouæ purum, illuſtrans oculos; & Pſal. 119. v. 105. Lucerna pedi meo Verbum tuum eſt, & lux itineri meo, &c.* Reſpondeo Rullani argumenti robur clarius emicat ex hac conſequētia. *Scriptura eſt lux; ergo illuſtrat,* hoc eſt, *interpretatur ſeipſam.* Antecedens patet ex variis ſcripturæ teſtimoniis. Conſequentia probatur. Quia lux illuſtratur ſeipſa, non aliunde; ergo & ſcripturæ lux

Digitized by Google

extrinseco.

Vtrumq; argumentum dissoluamus: Ad primum nego sequelam: quia scriptura dicitur lux non propriè, sed metaphoricè; quatenus nobis viam Dei & semitas iustitię demonstrat; vnde necesse non est; vt sicut lux hæc corporalis & visibilis claritatem & perspicuitatem ex sua natura profluentem, non foris accersitam possidet; ita & scriptura per seipsam sit clara, illustris & dilucida: satis est; quod hanc claritatem interpretationis beneficio nanciscitur.

Deinde sacra Scriptura nobis lux est; non pręcisè, vt in se consistit; sed vt supra Ecclesiæ candelabrum constituta; hoc est; vt à Doctoribus & Magistris fidei explicata; sic enim lucet omnibus, qui in domo Dei sunt: Quapropter satis est, si lucem suam ex declaratione & elucidatione Interpretum accipiat.

Alterius argumenti negatur consequentia. Ad probationem iterum negatur consequentia: Ratio diuersitatis iam reddita est; quia scriptura nominatur lux non propriè per naturam; sed per metaphoram; vnde necesse non est; vt assimiletur naturali luci in omnibus: Sufficit, quòd vt lux naturalis per seipsam lucet; ita scriptura, lux metaphorica; luceat per foris adhibitam & adscitam interpretationem.

VI. Argum. *Si Prophetæ, & Apostoli, aliiq; Doctores Ecclesiastici orthodoxi, scripturam per scripturam sunt interpretati: tum sequitur, interpretationem ex ipsamet sumendam esse. Antecedens verum est: Ergo & consequens.* Respondeo, concessa sequela negatur Minor. Quam probat Rullus inductione exemplorum: *Nehe. 8. v. 9. dicitur de Ezra. & sacerdotibus aliis: legebant librum illum, legem Dei explanatè; & exponendo sensum, dabant intelligentiam per scripturam ipsam. Vaticinium ex Psal. 132. v. 11. Iurauit Iehoua Dauidi veritatem, à qua non auertet se, dicens; De fructu ventris sui ponam in solio tuo: interpretatur Petrus Act. 2. v. 13. ex collatione cum Psal. 110. v. 34.* Ad primum locum respondeo, eum non adduci bona fide; neque enim illud: *per scripturam ipsam:* in editione vulgata; vel etiam Tigurina exstat; nec ex Hebraico textu peti potest: nec ab Aria vel Sante agnoscitur. Deinde licet Esdras, Nehemias, & alij aliquos scripturæ locos per scripturam interpretati essent; num ideo sequeretur; totam scripturam non nisi per scripturam explicari vel posse vel debere? Non abnuimus nonnullos scripturæ locos per alios explanari posse; negamus, totam scripturam per scripturam explicari posse; aut hanc interpretandi rationem, illam esse; quæ nobis certò & infallibiliter verum scripturarum sensum semper & vbique aperiat. Etiam loca quædam Aristotelis vel Platonis per alia eorundem Philosophorum enodari & illustrari queunt. An idcirco integri Aristotelis aut Platonis alia non est interpretandi ratio, quàm per ipsum Aristotelem vel Platonem locus à Rullo prolatus.

Sancti Patres Athanasius serm. in passionem & crucem Domini, & Ambrosius lib. 1. de Fide, ad Gratianum non dicunt, scripturam, & quidem integram, non nisi per scripturam esse interpretandam; & hanc esse vnam solam, legitimam, certam, & infallibilem interpretandi rationem; sed exemplo suo docent, quosdam scripturæ locos per alios illustrari & explicari posse: quod nemo negat: neque tamen vel in hoc ipso, quantumcunque & qualecunque est; cum hæreticis conueniunt; quia locos scripturę non explanant vnquam per alios scripturę locos; ab Ecclesiastici Canonis regula segregatos & abstra-
B ctos; quod tamen hęretici ante omnia & prę omnibus curæ studioque habent; quo fundamento iacto; ea felicitate & dexteritate scripturam per scripturas interpretantur; cuius specimina quotidie oculis nostris intuemur.

VII. Argumentum. *Si vnusquisque est optimus interpres suorum verborum, tum etiam Spiritus sanctus in scriptura loquens, erit optimus sui ipsius interpres in eadem scriptura. Antecedens certum est. Ergo & consequens.* Respondeo, negando sequelam: quamuis enim vnusquisque, atque adeo etiam Spiritus sanctus, sit optimus verborum suorum Interpres; non sequitur tamen, eum esse optimum verborum suorum Interpretem per illa ipsa verba; de quorum interpretatione & declaratione
C agitur; sed optimi interpretis munere fungi potest vel per declarationem à se datam, quando aditur & consulitur; vel per declarationem datam aliorum ministerio, quibus hanc interpretandi prouinciam commendauit: & hoc in proposito accidere affirmam⁹; nam Spiritus sanctus optimus est verborum suorum Interpres; non vt per scripturam; sed vt per Ecclesiam; Ecclesięque summum pastorem & iudicem loquitur.

Si candidè, absq; hęreticis inuolucris disputare velis, argumentum sic breuiter instituendum erit. *Quilibet est optimus verborum suorum interpres, ergo & Spiritus sanctus est optimus verborum suorum Interpres.* Conceditur totum. Quid amplius infers? *Ergo & Spiritus sanctus prout & quatenus per scripturam lo-*
D *quitur, est optimus verborum suorum Interpres;* negatur hæc consequentia: quia per scripturam noluit Spiritus sanctus scripturæ interpres esse; sed per Ecclesiam; idque quia ita expediebat, & ad finem litibus imponendum, necessarium erat: cum enim scriptura, etiam iis locis, vbi apparet clarissima; à pertinacibus in dubium vocari, vel penitus repudiari valeat & soleat; quidquid tandem explanationis vel elucidationis gratia adducatur; omnino oportet; vt alius sit scripturæ Interpres; qui certum scripturæ sensum certò & infallibiliter, lite dirempta, statuat & stabiliat: vel si alium vocare non libet; vocet sanè eundem; sed alio modo nobiscum loquentem, nempe per Ecclesiam; & quidem ita; vt quid te-

iendum fugiendumúe sit; euidenter intelligamus.

VIII. Argumentum. *Si Prophetæ sunt Interpretes legis Mosaicæ, & nouum Testamentum est interpretatio veteris; &, si historia Euangelica explicatur in epistolis Apostolorum; &, omnia in scriptura se mutuò confirmant: tum sequitur, interpretationem scripturæ ex ipsa scriptura hauriendã. Quæ antecedunt, omnia vera sunt: Ergo quod sequitur.* Respondeo, Maiorem esse veram; si sensus sit, à Prophetis non modo certò & infallibiliter, sed etiam distinctè & particulatim quoad singula loca explicari legem Mosaicam; & à nouo Testamento vetus; sed hoc sensu falsa est Minor. Si autem sensus sit, generatim tantùm & indistincta quadam ratione legem Mosaicam explicari per Prophetas & vetus Testamentum per nouum: quatenus figuratum aliquid lucis figuræ seu typo adfert; idque quod antea obscurius erat; euentu ipso aliquatenus clarescit: tum negatur sequela Maioris: nam hac quali quali elucidatione generali non obstante, innumera tenebris obsita remanent; quæ interpretationem desiderent; quam in ipsis scripturis frustrà quæras. Quod verò Athanasium disputatione contra Arium in Concilio Nicæno, citas; dicentem: *Scripturam veteris Testamenti, noui Testamenti scripturam: & hanc vicissim, illam confirmare*; quid tandem emolumenti, caussæ tuæ adfert? Etiam Codex Iustinianeus confirmat Pandectas; & Nouellæ Codicem; an ideo codex non nisi per codicem vel pandectas, vel per nouellas interpretandus erit?

IX. Argumentum. *Patres orthodoxi ipsimet statuunt, non aliunde scripturæ interpretationem sumendam, quàm ex ipsa scriptura.* Citatque I. Clementem Romanum epist. 5. ad suos discipulos habeturq; d. 37. cap. *Relatum*. Quid ergo Clemens? Plurima quę contra Rullum; nihil quod pro Rullo faciat. I. Reprehendit eos, *qui aduersantur sacris doctrinis, & prout eis videtur, non secundum traditionem patris, sed iuxta sensum suum, docere videntur.* Quos, quæso, hoc penicillo depingit; nisi Lutheranos & Caluinianos?

II. *Diligenter obseruandum est, vt lex Dei cum legitur, non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur vel doceatur.* Num obseruant hanc admonitionem sectarij?

III. *Sunt multa verba in diuinis scripturis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit.* Et tamen isti, *qui scripturas trahunt ad eum sensum, quem sibi vnusquisque præsumpsit*; gloriantur, dum hoc faciunt, se scripturas per scripturas interpretari.

IV. *Non sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo ipsum scripturarum auctoritate confirmare; sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis.* Quos nam hæc Clementis verba verberant? Qui nam extraneos & alienos sensus scripturis important? Qui non ex scriptura, sed ex suo cerebro sensus exsculpunt;

A eosq; postea scripturæ testimoniis munire contendunt? An non quod de Carlstadio libro *de cælestibus Prophetis* Lutherus scripsit, verissimè de ipso etiam Luthero, Caluino, omnibusque Nouatoribus affirmari potest? *Sententiam suam non accepit ex scripturis; sed intulit in scripturas, & hac opinione præoccupatus aduolauit ad scripturas, vt eas ad suam persuasionem flecteret, raperet, torqueret; non vt cerebrum suum ad scripturas conformaret & accommodaret.*

Valde arridet Rullo; quòd Clemens scribit, *sensum veritatis ex ipsis scripturis capiendum esse*: Sequitur ergo scripturas per scripturas explanari debere: & per consequens, hanc esse vnicam rationem probè & legitimè scripturas interpretandi.

B Portò hunc sensum non esse ex Clemente sumptum; sed in Clementem ex capite Rulli importatum, docent hæc, quæ proximè subiiciuntur, Clementis verba. *Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruauit, vt ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere.* Vides Clementem velle; vt legitimus & genuinus scripturæ sensus petatur ex maiorum traditione; & ex Doctorum Ecclesiæ institutione ac informatione, qui nobis verum scripturæ sensum ex scripturis ipsis tradent & eruent, interpretationis beneficio & magisterio; neque extraneis & peregrinis & extra adscitis sensibus fucum facient. Itaque germanus scripturæ sensus ex scripturis ipsis capien-

C dus est, tanquam ex materia *ex qua*: vt dialectici appellant; Nam verus scripturæ sensus inest scripturæ, sicut signatum signo; sed media, certa, explorata, infallibilia; quibus sensus iste eruitur, non est ipsa scriptura; sed traditio Ecclesiastica; vox & definitio Ecclesiæ; seu eius, qui Ecclesiæ, vice Christi, præsidet. Neque hic disputamus de eo, *ex quo*, tanquam ex materia, sumendus est verus sensus; sed quo, tanquam instrumento, verus sensus inuestigari debet.

Sic quod Clemens subdit: *Ex diuinis scripturis integram & firmam veritatis regulam suscipiendam esse*; nihil patrocinij caussæ Rullanæ parit: nam ex diuinis scripturis, tanquam ex subiecto veri sen-

D sus, erui debet verus sensus; sed non tanquam instrumento, præsertim certo, explorato, infallibili; & adæquato: tale enim instrumentum legitimi sensus inuestigandi non est ipsa scriptura; sed aliquid alind.

Obiicit Rullus illud Irenæi libro tertio capite duodecimo: *Ostensiones, quæ sunt in scripturis, non possunt ostendi, nisi ex ipsis scripturis.* Respondeo Irenæum nil aliud velle, quàm testimonia scripturæ ex scripturis, non aliunde sumi posse; neque sibi disputationem illam suam ex sacris litteris, tanquam *longiloquium*, vitio verti debere; se enim ea argumenta adducere; quæ scriptura subministret. Quid hoc ad propositum Rulli?

Idem

gens & sine periculo; ergo scriptura per solam scripturam explicanda est: Bella consecutio; cuius tamen Irenæo nunquam in mentem venit: nil enim aliud docet, quàm eam interpretationem censendam legitimam & securam; quæ scripturis consonet. Quod verissimum fatemur. Num nulla Interpretatio cum scriptura consonat, præter eam, quæ ex ipsis scripturis sumitur ad eum modum, quem Nouatores præscribunt?

Nihilo plus pro Rullo efficit illud libro secundo capite quadragesimo septimo. *Omnis scriptura à Deo nobis data, consonans nobis inuenietur; & parabolæ his, quæ manifestè dicta sunt, consonabunt; & manifestè dicta, absoluent parabolas.* Quid aliud hoc Irenæi dictum vult; quam omnium partium scripturæ sacræ; siue sint metaphoricæ & parabolicæ; siue planæ, claræ, perspicuæ, propriæ, summam esse concordiam & harmoniam, absque vlla antilogia vel enantiologia? Neque etiam inficias imus obscuriora scripturæ posse aliquando per quædam dilucidiora explanari & illustrari: sed hinc nunquam euincent sectarij suam illam consequentiam: *ergo scriptura tantummodo per scripturam interpretanda est*: Vel; *ergo certa, infallibilis & adæquata scripturas explanandi ratio est illa, quæ fit per scripturas.*

Ex dicto diui Basilij libro de Baptismo capite quarto, huiusmodi consecutionem construi posse, innuit Rullus. *Christus dicit: Scrutamini scripturas: & Apostoli dicta & instituta Domini non satis assecuti; petebant ab illo obscurè dictorum clariorem explicationem; ergo scripturæ per scripturas explanari debent.* Quasi verò is, qui aliis, & quidem certis & infallibilibus instrumentis, vt est Ecclesiæ traditio & definitio, ad legitimum scripturarum sensum peruenire studet, non obsequatur illi præcepto (si præceptum est) *scrutamini scripturas*. Ex facto autem Apostolorum potius indicatur nobis, dubitatione quapiam exorta, ad viuam præsentemque in Ecclesia auctoritatem adeundum esse; cuius instructione omnis ex animis scrupulus eximatur: Cur enim Apostoli Dominum consuluerunt? Cur quæstionum solutiones ab ipso expetierunt? Cur non ad Biblia confugerunt; illudq;: *Scrutamini scripturas*; ad se etiam pertinere censuerunt?

Citat Rullus etiam Ascetica cap. 267. vbi asseritur; *Quæ ambiguè & quæ obscurè videntur dici in quibusdam locis sacra Scriptura; ab iis, quæ in aliis locis aperta & perspicua sunt explicari.* Num omnia? Num semper? Num vbique? Num tam dilucidè, vt nullus dubitandi vel contradicendi locus relinquatur? Num adeò luculentè; vt alius non sit quærendus Interpres?

Aduocatur & Chrysostomus homilia decima tertia in Genesin. *Sacra scriptura seipsam exponit; & neminem errare sinit.* Si hoc verum, eo sen-

rum in Biblia moles Lutheri, Caluini, Musculi; Rudolphi Gualtheri, & aliorum. Quid opus his Interpretibus; si scriptura seipsam interpretatur? Imò, quid opus Rullo Interprete scripturario in Academia Basileensi? Mirum ab auditoribus non acclamari: *Scriptura seipsam exponit; non egemus tuis expositionibus. Descende igitur de cathedra, aliamque artem, qua victum pares, sectita.*

Deinde Rullus, Caluinianè, hoc est, fraudulenter & sycophanticè Chrysostomum citat: non enim significat sacram Scripturam seipsam semper & vbique interpretari; sed interpretari

B ipsam in illo Geneseos capite secundo, loco. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; contra illos, qui docebant, animam humanam esse ex Dei essentia: & contra illos, qui dicebant, animas in vilissimam brutorum substantiam transire: contra horum deliramenta dicit Chrysostomus. *Scripturam seipsam interpretari.* Sed num & hoc ipso loco tam clarè se interpretatur, vt dogmatistis illis nulla fuerit tergiuersandi & aduersandi relicta occasio? Neque illa verba: *Et neminem errare sinit*: in meo exemplari reperio. Viderit Rullus, qua manu vel fide ea adiecerit. Quanquam verum est; eum, qui errat, non scripturæ permissu, sed sua ipsius vel cæcitate, vel improbitate errare: *nam quoniam obtenebrata est ratio eo-*

C *rum*, inquit S. Chrysostomus, *etiam veram scripturæ mentem ignorant.*

Ad primum diui Augustini testimonium ex libro secundo de doctrina Christiana capite nono, Respondeo, sanctum Augustinum loqui de iis capitibus, quæ singulis ex fidelium numero ad salutem explicitè scitu necessaria sunt: hæc enim satis perspicuè, in scriptura continentur. Sed num ideo omnia alia scripturę obscura loca, per hæc clariora explanari possunt? Quid si quis illa ipsa clara in alienum sensum detorqueat & perperam interpretetur?

Ad secundum testimonium D. Augustini ex libro tertio de doctrina Christiana capite vige-

D simo octauo, Respondeo; diuum Augustinum non dicere, si dubitatio de scriptura oriatur, eam ex solis scripturis decidi debere: sed, *terminandam esse ex eadem scriptura vbicunque inuentis, aut adhibitis eius testibus.* Testes autem scripturæ seu legitimi sensus scripturæ sunt Doctores Ecclesiæ; quos Deus ad consummationem sanctorum misit; ne circumferamur omni vento doctrinæ; & Ecclesiastica traditio, & ipsa inprimis semper præsens Ecclesia, eiusq; supremum caput, Christi Vicarius, Petri successor. Omnes hi testificantur de vero & genuino scripturæ sensu: ipsa scriptura teste; quæ nos, dubiis in rebus, ad Ecclesiam; ad traditionem; & ad doctores instructionis capiendæ caussà ablegat.

Digitized by Google

Ad tertium ex libro de Vnitate Ecclesiæ capite quinto. Respondeo sensum hunc esse; si omnia in scripturis æqualiter essent obscura, tum nullum scripturæ locum per alium, tanquam per instrumentum QVO, declarare & elucidare liceret: cum obscurum per æquè obscurum nequeat illustrari. Quod rectissimè dicitur: Interim non abnuit D. Augustinus, alia suppetere media; quibus ad verum & legitimum scripturarum sensum pertingere possemus; licet omnia in scripturis æquali obscuritate implicata tenerentur; de quibus nonnihil infra. Hactenus Rullus in disputatione de Interpretatione sacrarum litterarum, quæ tertio tomo sylloges thesium Theologicarum illigata est.

Nam tomo primo exstant eiusdem argumenti aliæ disputationes geminæ quinto & sexto numero signatæ; nescio an non ei, quam hucusque excussimus, aduersæ: nam in sexta disputatione rerum & verborum duplicem interpretationem statuit; alteram diuinam: alteram Ecclesiasticam: *Diuina, est quæ in ipsa scriptura traditur expressis verbis. Vt cum multa loca veteris Testamenti Christus & Apostoli interpretantur in nouo Testamento. Matth. 22. 31 32. 41. & sequent. Luc. 24. 27. Rom. 9 7. 8. Galat. 4 22. & seq. & in tota ferè epistola ad Hebræos. Sic Christus interpretatur decalogum, Matth 5. Et parabolas quasdam, Matthæi 13 &c. Ecclesiastica interpretatio est quæ non ab ipso Christo, Prophetis, & Apostolis; sed, ab aliis, nempe à Doctoribus Ecclesiæ, seu Patribus, & Conciliis tradita est. Eáque constat vel verbis scripturæ, vel nostris. Interpretatio, quæ constat scripturæ verbis, est omnium tutissima, & semper vsurpanda: quando sermo scripturæ cum vulgari conuenit, & à populo intelligi potest.* Hæc Rullus ibi. At postea sapientior factus, eam tantum scripturæ interpretandi rationem adducit & commendat; quæ per scripturam transigitur. Cur tam altum de Ecclesiastica interpretatione tertio tomo sylloges silentium?

Quàm doctè verò dicitur; Ecclesiasticam interpretationem non esse ab ipso Christo vel Apostolis. Dic, si quis verba Christi per alia verba Christi; & verba Apostoli Pauli per alia verba eiusdem Apostoli interpretetur; an non interpretatio illa est Christi vel Pauli? Item cum Doctores Ecclesiæ etiam suis verbis scripturas verè & legitimè explanant; an non illa explanatio est Christi; ipsiusque Spiritus sancti? Quid sibi vult illud? *Qui vos audit, me audit:* Item illud: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris, qui loquitur in vobis.* Scio iis, quæ Rullus dicit, bonum sensum subiici posse, si à bono procederent; sed quia à Caluiniano proferuntur, qui interpretationem Doctorum & Ecclesiæ labefactatam & suffossam cupit; absque piaculo suspicari licet; sub verbis illis non vnam fraudem delitescere.

Ecclesiasticam interpretationem de qua alibi mutus est, dispertitur Rullus thesi 391. *in publicam & priuatam:* item *in scholasticam & popularem.* De qua diuisione non laboro. Magis considerandum arbitror quod dicit thesi 404. *Ecclesiasticam interpretationem, non habere parem cum scripturæ auctoritatem, quòd semper in dubium vocari possit.* Falsum est hoc, si per Ecclesiasticam interpretationem intelligat illam; quæ vel ex vnanimi Doctorum consensu; vel ex Ecclesiæ definitione & determinatione promanat, de qua re alibi.

Disputatione quinta thesi 284. sic probat ex sola scriptura verum & legitimum sensum eruendum esse. *Vniuscuiusque auctoris mentem non aliunde, nisi ex ipso cognosci, & demonstrari oportet. absurdum enim esset, auctoris alicuius mentem aliunde cognoscere velle, quàm ex ipso auctore. Vt igitur sensus cuiusque auctoris ex ipso auctore est eruendus, non autem ipsi sensus alienus pro libitu affingendus: ita quoque non est sensus in scripturam inserendus, sed ex ea afferendus.* Fumos vendit Rullus. Non disceptamus de subiecto ex quo: sed de instrumento quo verus sensus erui & in lucem educi debet. Qui Euangelium sancti Ioannis interpretatur, is vtique non eruet verum sacri contextus sensum ex libro primo Physicorum aut Metaphysicorum Aristotelis; sed ex ipso contextu Euangelico veritatem in apertum protrahet; idque per instrumenta eum ad finem idonea.

Multa nugatur etiam VVitackerus Controuersia prima, quæstione quinta, capite decimo tertio, de interpretatione scripturæ per scripturam; præter cætera hæc accipe: *Sequitur ex iis, quæ iam demonstrata sunt, scripturam esse sui ipsius interpretem. Nam, si se scriptura interpretatur, tum nos, vt scripturæ interpretationem assequamur, hæc media adhibere debemus. Nam, qui aliis vti volunt, ij non concedunt scripturis, vt se interpretentur. At, se scriptura clarissimè, & luculentissimè interpretatur, si nos scripturam sese interpretantem attendere volumus, etsi non in omnibus vbique locis, sic vt dubitationis nihil relinquatur, tamen in plurimis, maximéque necessariis, & in summis fidei nostræ capitibus.*

Quæ verba nescio num ipse Caluinista satis intellexerit: adeo sunt inconstantia & malè cohærentia. Pleraque à nobis initio recensita veri sensus inueniendi media; statuit & admisit ipsemet VVitackerus capite nono. Nunc vnicum admittere videtur; videlicet ipsam scripturæ interpretationem; quandoquidem ait; *Scripturam esse sui ipsius interpretem; & scripturam esse ex scriptura interpretandam.* Si sui ipsius interpres est; tum non erit opus aliis mediis siue instrumentis; quia interpretatio scripturæ per ipsam scripturam facta; sufficiens est instrumentum ad genuinum scripturæ sensum indagandum & inueniendum. Et tamen VVitackerus iubet alia itidem media adhibere. Ad quid, si per interpretationem scripturæ ex ipsa scriptura factam verus sensus sufficienter eruitur?

Fortasse

Digitized by Google

scripturæ per scripturam facta, quæri & inquiri debebit. At quæ hinc ambages exsistent? Qui anfractus? Et quis me certum securumq; faciet, hunc vel illum locum esse interpretationem huius vel illius: Et non potius è contrario hunc vel illum: huius vel illius?

Illud etiam non iniuria mirandum cuiuis accidat, quòd isti generatim asserunt scripturam esse suiipsius interpretem; & postea, cum ad rem ventum est; resiliunt; scripturamque suiipsius interpretem non in omnibus; sed in plurimis locis agere affirmant, vt paulò antè ex VVitackeri ore audiuimus. Nimirum posteaquam isti semel à legitimis scripturas interpretandi mediis discesserunt, quiduis comminisci, suasque absurditates non nisi aliis absurditatibus tueri coguntur.

CAPVT III.

Examen mediorum, quæ supra tertio, quarto, & quinto loco sunt proposita.

TERTIVM medium veri sensus scripturarum inuestigandi statuitur ab Hæreticis linguarum cognitio, & accurata fontium inspectio: equidem, vt minimè negauerim; inquit Ioannes Mülhusinus noster in disputatione *de sacrarum litterarum Interprete Authentico*: Hebraici, Græcique textus cum Latina, vel quauis alia versione, diligentem collationem, persæpè magnam adferre lucem, iis, quæ ab interpretibus obscurius alicubi translata sunt; vel, quod aliter nonnunquam legerint in exemplaribus, quibus vtebantur in versionibus, quàm ea nunc habeant: vel quod etiam genuinam Græcæ, Hebraicæque linguæ phrasin, & idioma, non satis feliciter suo sermone semper expresserint: prorsus tamen nego, omnem scripturarum intelligentiam, & Spiritus sancti mentem, absque vllo alio authentico interprete, ex Græcorum, Hebraicorumque vocabulorum notitia percipi sic, vt, quemadmodum Lutherus ait; quæ in scripturis obscura, & abstrusa sunt, non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam duntaxat vocabulorum, & Grammatices sint eiusmodi: cùm nemo ignoret, in hac, verbi gratia, sententia; *Hoc est corpus meum*; tota vocabulorum, & Grammatices ratione ex Græca (*τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου*) & Hebraica, זה הוא גופי, & Syriaca הנו פגרי, Latinaque lingua percepta, ambiguam posse manere sententiam, certi, & infallibilis alicuius interpretis auctoritate definiendam.

tor sibi sumpserit, eos non solùm omnia Græca themata, eorumque vniuersos, quocunque loco, significatus, ad vnguem nosse; sed etiam Hebraicas radices, & totum Grammatices, cuiusuis linguæ artificium, vnà cum ramento deuorasse; qui tibi probare poterunt, id quod in clarissima illa, quam proposui sententia, contingit; in alia, quæ non æquè est clara, similiter contingere non posse?

Sed prorsus linguarum cognitio vnicum sit, absolutissimumque ad sacras Scripturas intelligendas medium. quomodo persuadebunt
B aduersarij; exactiorem se, Græcæ saltem linguæ, (qua nouum testamentum descriptum tenemus) cognitionem adeptos, quàm Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Nazianzenum, &c. qui linguæ huius notitiam à nutrice cum lacte suxerunt? Itaque si linguarum peritis in scripturarum interpretatione credendum est, cur non potius illustrissimorum Patrum istorum, cæterorumque Græcorum, in Græcum testamentum nouum, luculentissimis commentariis, fidem adhibebimus, quam Germanorum, Gallorum, Anglorum, &c. obscurissimorum Prædicantium, & ministrorum tenebricosis glossematibus?

C Verùm, quò manifestius conspiciatur, quàm exiguum, ad Spiritus sancti mentem ex scripturis infallibiliter percipiendam, sola linguarum peritia, locorumque collatio subsidium sit, vno ex innumeris adhuc, exemplo rem patefaciam. 2. Reg. 5. cap. Iebusæus Dauidem, oppugnationem ciuitatis adornantem, recusat admittere, *nisi cæcos auferat, & claudos.* Vnde, & Dauid præmio proposito iis, qui *cæcos, & claudos* osores ipsius abstulissent, tandem Sionis arce potitus est. Quæritur, quid scriptura, per *cæcos, & claudos* hîc significet? Nunquid illos, quos communis loquentium mos cæcos appellat, & claudos? quid ergò illi commeriti præter cæteros? quid peccarant in Dauidem cæci, qui
D nunquam illum viderant? quid claudi, qui nunquam arma corripuerant? quare hos potius, quàm alios Iebusæus sublatos volebat? quare præ cæteris Dauidem oderant?

Accedant igitur nunc aduersarij ad fontes, genuinumq; Spiritus sancti sensum ex illis hauriant. Hebræus textus sic habet: העורים והפסחים: Græcus; *οἱ χωλοὶ, καὶ οἱ τυφλοί.* Vel rudes certè Hebraicarum, Græcarumque litterarum sint admodum, necesse est; si pauculorum istorum vocabulorum notiones exactè non nôrint: vel si nôrint, Iebusæorum cæcis cæciores, qui vocabulorum omni obscuritate sublata, *clarissimè in scripturis relucentem Spiritus sancti mentem*, vt dicunt, videre non possunt: vel fateântur, scri-

pturas, sine alio interprete, quacunque etiam fontium inspectione adhibita, percipi non posse.

A

Porrò, cùm cæcorum, claudorumque sub iisdem illis Hebraicis, Græcisque vocabulis, sæpisimè fit, in veteri, nouoque testamento, mentio; neque desint, qui locum hunc cum aliis contulerint, quique adhuc conferant diligentissimè: repertúsne vnus est hactenus, vel ex ipsis sectariis, tam arrogans, vt, quem Spiritus sancti sensum sub istis vocabulis latere censuisset ipse; hunc, Catholica tanquam fide tenendum conaretur aliis obtrudere? Fallissimum est igitur aduersariorum pronuntiatum illud, *ex sola fontium inspectione, locorumq; collatione*, certam, ac legitimam scripturarum interpretationem, non ab alio infallibili interprete, petendam esse.

B

Quod ad phraseos & styli obseruationem attinet; idem hic contingit; quod obseruatoribus istis vsuuenire solet, cum ex phrasi & stylo iudicant; vtrum hic vel ille liber sit Canonicus. Nimirum toto cælo dissentiunt, idque ex eodem stylo; quem Caluinianus in epistola diui Iacobi iudicat esse *Apostolicum*. Lutherus *stramineum*. Vnde hoc tam dispar iudicium? Ex stylo & phrasi. Idem in indagatione sensuum scripturæ accidit. Zvvinglius dicit: Verbum *Est*, in hac oratione: *Hoc est corpus meum*; idem esse, quod *significat*: Oecolampadius, *corpus*, idem, quod figuram corporis. Vnde hoc illis compertum? Ex stylo & phrasi scripturæ. Lutherus ex eodem stylo eademque loquendi formula, longè alium sensum eruit. Quo auctore? Stylo. plurima scripturæ loca Caluiniani & Lutherani diuersissimis expositionibus dilacerant, quolibet suam interpretationem, ceu sancti Spiritus menti consentaneam, venditante. An non huius diuersitatis & dissensionis etiam aliquam culpam sustinet Lutherana & Caluiniana styli obseruatio? Nemo it inficias; styli & locutionum annotationem sedulam, ad scripturæ intelligentiam sat multum momenti conferre; id enim Catholici iam dudum ex libris sancti Augustini *de doctrina Christiana* didicerunt; Sed hæc obseruatio non debet esse effrænis; non soluta; non absque *capistro*, vt ita loquar; sed vt famula in obsequium fidei; sub fide & Ecclesiastica traditione continenda est; alioqui tantum abest, vt prosit; vt potius plurimum detrimenti pariat; vt quotidiana nos docet experientia.

C

D

Idem sentiendum de antecedentium & consequentium, finis item seu scopi; thematis & argumenti accurata consideratione. Nullus est Nouator, qui non glorietur hæc abs se quàm diligentissimè præstari: considerauit Carlstadius verba hæc: *Hoc est corpus meum*: ante, retro; infrà, suprà; dextrorsum & sinistrorsum. Simili accuratione considerauit ea Zvvinglius; simili Caluinus; simili Lutherus; simili Nouatores cæteri. Quid ex tam intenta, profunda & subtili omnium adiunctorum meditatione extitit? Non vnum, sed plurima monstra; informia, tetra, abominanda. Nimirum eò omnem suam considerationem intendunt; vt vetera euertant; noua reperiant & stabiliant; quò *Nouatorum* nomen iure mereantur; meritumque iure possideant.

CAPVT IV.

Examinantur media, sextum, septimum, octauum, & nonum.

SEXTVM medium statuunt sectarij *ardentes & incensas preces*: Septimum; *lectionem, meditationem, & contemplationem assiduam*. Octauum; *Analogiam fidei*. Nonum; *interna criteria*; & priuatos vniuscuiusque instinctus. Hæc media haud esse sufficientia, certa & infallibilia, non diffitetur VVitackerus. Et res clara est; quia omnes Hæretici ea iactant; & abs se vsurpari clamitant; & tamen grauissimè impingunt & hallucinantur. At de Hæreticis id minus mirum: qui vanè & mendaciter hæc media sibi arrogant; quis enim locus ardentibus & incensis precibus apud sectarios, spiritu illo destitutos; cuius solius igne pectora & vota nostra incalescunt? Quæ meditatio, quæ subtilior contemplatio locum haberet in tanta hebetudine intellectusq; crassitie?

Illud euidens argumentum est; preces, quãtumuis verè pias & diuino spiritu calentes; meditationesq;, quanquam puras, acres, & à rebus caducis abductas; & ad cælestia euectas; non sufficere sensibus scripturæ semper & vbique certò, & absque fallacia inuestigandis, quòd sancti Patres his mediis verissimè, instantissimè, & cupidissimè vsi sunt; nec tamen verum semper scripturæ sensum assecuti sunt. Quis neget D. Cyprianum vna hebdomade plus & feruentius precibus vacasse; quàm omnes Prædicantes totius vitæ suæ decursu vacent? Et tamen in grauem illum de rebaptizatione hæreticorum errorem incurrit. Quis hoc sanctissimo Martyre in lectione & meditatione scripturarum magis assiduus fuit? Quis Prædicantium pudenter se cum illo comparare audeat? Pudenter, inquam; quia impudenter omnia audent. Nihilominus non euasit omnem errorem. Si hoc tanto viro ob humanã imbecillitatem accidit; quãto magis his, qui nil supra carnem & sanguinem gustant, idem eueniet?

Hoc argumento pressus in Colloquio Ratisbonensi, sessione decima quarta, Hunnius

mirabi-

Digitized by Google

mirabiliter æſtuauit, cumque concederet, preces, lectionem & meditationem aſsiduam ſufficiens eſſe medium ad verum ſcripturæ ſenſum inueſtigandum; ſimulque videret; ſanctiſsimos viros, nominatim diuum Cyprianum; in graues errores incidiſſe; licet his mediis ſtudioſiſſimè vſi fuiſſent; hæc verba effutire non erubuit. *Quod multi non illuminantur ad veritatem, obſtant alia quædam, non quòd medium illud non ſit ſufficiens; ſed quod animus ipſorum præiudiciis dementatus ſit.* Vbi vides Prædicantem negare; preces, verbi gratia, non eſſe *medium ſufficiens* ad veritatis indagationem: Et tamen poſt paucula verba oblitus ſui; dicit, ſibique ſimul contradicit: *Se non conſtituere ſolas noſtras preces ſufficiens medium; ſed coniungere illa adminicula de quibus ſupra; nempe lectionem, auditionem; piam meditationem, &c.* Coniungas prout lubet. Semper ſequitur; iſta non eſſe ſufficientia veritatis indagandæ media. Quia his omnibus & aliis prætereà vſus eſt ſanctus Cyprianus; & tamen in grauiſsimi ponderis quæſtione verum ſcripturæ ſenſum non reperit; ergo hæc media nec diuiſim, nec copulatim ſunt *ſufficientia.* Quàm citò & expeditè veritatem inueniſſet diuus Cyprianus; ſi ad aliud medium ſe recepiſſet; ad aliud inquam; cui traditionis Eccleſiaſticæ nomen eſt inditum. Sed quia hoc inſtrumento relicto alia ſectabatur, ideo ad veritatem non peruenit.

Quid ſit analogia fidei his verbis nobis denarrat Rullus. Diſputatione quinta, theſ. 264. *Analogia fidei nihil aliud eſt, quàm conſtans, & perpetua ſententia ſcripturæ, in apertis, & minimè obſcuris ſcripturæ locis: cuiuſmodi ſunt articuli fidei in Symbolo Apoſtolico, ex ſcriptura totidem verbis collecti; cuiuſmodi continentur in Decalogo, in oratione Dominica, in aliis denique manifeſtis ſcripturæ textibus. Hác regulá examinanda eſt qualibet interpretatio, vera ne ſit, an falſa: ſicut regula ſeruit ad explorandum, rectúmne aliquid ſit, an curuum?* Hæc verba mutuatus eſt Rullus propemodum verbatim ex VVitackero quæſtione quinta, capite nono, niſi quod VVitackerus, præter fidei Symbolum, orationem Dominicam, & Decalogum, nominat etiam *Catechiſmum: ſingulæ enim partes totius Catechiſmi,* inquit, *apertis ſcripturæ locis confirmari poſſunt.* Non iniuria quæras; de quo Catechiſmo loquatur VVitackerus. Num de Geneuenſi? Num de Heidelbergenſi? Num de Baſileenſi? Num de Lutheri Catechiſmo Maiore: Num de Minore?

Vanitas huius medij vel hinc eluceſcit, quòd eo omnes ſectarij vtantur, vel ſaltem, quaſi vterentur, videri velint; & cum omnia ad analogiam fidei ſeſe exigere & conformare dictitent; omnia reuera ad imaginationem ſuam prauis opinationibus mirabiliter deprauatam, referunt; eamque, ceu vnicam omnis ſenſus normam, ſequuntur & tenaciſsimè amplectuntur.

A Non negant Catholici in omni ſcripturarum ſenſu, ſeu litterali, ſeu myſtico, oculos ad analogiam fidei reflectendos, & accuratè expendendum eſſe; an cùm fidei morumq; integritate congruat: ſed illud inficiantur; medium hoc certum & omnis periculi expers eſſe: fieri enim poteſt; & verò non ſemel factum eſt; vt etiam ſanctiſsimi & eruditiſsimi viri in ſenſus ad fidei analogiam relatione fallantur: quod ſuo exemplo beatiſsimus Martyr Cyprianus, clarum teſtatumque reddidit.

Priuati verò cuiuſuis (id eſt, proprio iudicio nixi, quique nullam legitimam diuinitùs auctoritatem ordinariam, vel extraordinariam
B euidenti aliquo ſigno confirmatam acceperit,) interpretationem, vt authenticam, infallibilemque ad controuerſum aliquod fidei dogma definiendum, quo minus admittam, inquit Mülhuſinus noſter; hoc ipſum inprimis obſtat, quòd cùm priuata ſit, eoque nomine à communi fidelium ſpiritu, ſenſuque diſcedat, Catholica cenſeri non poſsit. Id enim demum Catholicum eſt, (vt rectè dicit Vincentius Lyrinenſis) *quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* Deinde, cuius priuati interpretationi ſalutem meam committam; quando, qui legitimam ſcripturarum interpretationem ſibi pollicentur, ſunt tam multi, vt, quemadmodum diuus Nazianzenus Apolog. 1. ait; *peſte hac pro-*
C *greſſu temporis inualeſcente, iam ne habituri quidem mihi videntur, quibus præſint.* (& Verbum interpretentur) *omnibus videlicet munus Doctorum arripientibus, omnibusq; vaticinantibus, adeò, vt Saul quoque inter Prophetas exiſtat, vt veteris hiſtoriæ prouerbio vtar.*

Prætereà, eiuſmodi interpretationem incertam eſſe neceſſe eſt, hoc ipſo, quod eſt ſingularis, priuatique hominis, de quo nulla diuinitus facta ſit reuelatio, quòd decipi fallique non poſſit. Quomodo igitur infallibilis fidei certitudinem efficiet? Certè diuus Petrus (2. Pet. 1.) negat vllam *Prophetiam ſcripturæ, propria interpretatione fieri.* Et diuus Paulus 1. Corinth. 12. *inter-*
D *pretationem ſermonum*, non omnibus conceſſam putat; ſuumque Euangelium, quod prædicabat in gentibus, non cum priuatis quibuslibet, ſed cum iis Gal. 2. *qui videbantur eſſe aliquid, conferebat*, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet.

Vt verò, quæ dixi ſingula, ad authenticam ſcripturarum interpretationem non ſufficiunt; ita neque omnia, in vno, eodemque coniuncta. Norit enim exactiſsimè linguas vniuerſas; conferat loca cum locis diligenter; polleat naturali iudicio; nondum tamen authenticus interpres habebitur. Cùm enim ſcripturarum authenticam interpretationem, non minus certam, & infallibilem eſſe, neceſſe ſit, quàm eſt ipſa ſcriptu-

Digitized by Google

i: neque ſit vlla naturalis iudicij præſtantia;neue literarum quarumlibet humana cognitio im præcellens;nulla ſcripturarum inter ſe conferendarum peritia tanta; quæ diuinam prorſus uctoritatem,& in dicendo fidem alicui priuato oncilient; vt,nec ſingula,ſic neq; omnia, quanumuis in vnum confluxiſſent, talem, qualem quærimus, ſacrarum literarum interpretem nobis exhibebunt.

At, inquiunt, *interpretationis donum, priuatis etiam, ſi pij ſint, & electi, conceditur: quamuis & hi, in errorem ducantur aliquando, vt declaretur virtus Dei in nobis, ſine qua nihil poſſumus*. Sit ita ſanè: qui nam verò ſint electi illi, & pij, vnde mihi conſtabit, vt illorum, & nō alienorum interpretationes amplectar, cùm ſolus Dominus nouerit, qui ſint eius, id eſt pij, & electi? Deinde, vt vel maximè norim, qui nam priuatorum inter pios, & electos connumerandi ſint; qui certus eſſe, de ſana ipſorum, & authentica interpretatione potero? *quando etiam illi pij, non ſemper ex certo, & infallibili iudicio ſcripturas interpretantur, ſed in errorem ducuntur aliquando, vt declaretur virtus Dei in nobis*, vt Lutherus cum ſuis fatetur.

B

Neque verò ſectarij Caluiniani & Lutherani hoc priuati ſpiritus medium ſollicitè admodum vrgent; non enim in *Enthuſiaſtarum* tribu ſeſe collocari ſinunt; imò non rarò atrocem iniuriam ſibi irrogari queruntur, quòd noſtri Doctores ſcribant; eos in ſcripturarum interpretatione priuato ſpiritu duci. Sed iniuſta eſt querimonia; vt ſuo loco viſum, & abundè demonſtratum eſt. Non videntur tamen Nouatores negare; quin vnicuique hoc ſuum internum criterium priuatim ſit pro vero ſcripturarum ſenſu agnoſcendo & cōſeruando vtile ac fructuoſum, ſi non omnino neceſſarium: nam quod Rullus diſputat. I. de verbo Dei theſi 42. & ſeqq. huic interno criterio tribuit, reſpectu agnoſcendorum Canonicorum voluminum, hoc non inuitus quoque eidem interno inſtinctui largietur reſpectu ſenſus in ſcriptura deliteſcentis indagandi, inueniendi, & retinendi. Quid ergo Rullus? *Seruit propriè* (hic internus afflatus) *ad noſtrùm ipſorum confirmationem, vt nempe vnuſquiſq; noſtrùm pro ſe, ex hoc teſtimonio certus ſit in corde ſuo, ſacram ſcripturam eſſe à Deo. Non autem ad confirmanda aliis dogmata, vel ad refutationem aduerſariorum. Atq; hoc teſtimonium ſolum efficit, vt in verbo Dei acquieſcamus: ſolum nobis perſuadere poteſt, vt verbum Dei libentiſſimè amplectamur: ſolum nobis ſatiſfacit*. En quantis laudibus Rullus inanem hanc perſuaſionem, & entheum enthuſiaſmum extollat, de quo cum mera ſit ſtultitia, ſuauiſsimè iſti ſibi aliiſque blandiuntur; & tam ſe, quàm alios mellitiſsimis in ſpeciem ſolatiis circumueniunt, & in exitium detrudunt.

CAPVT V.

Eccleſiæ auctoritatem, traditionem, vocem, & definitionem eſſe certum, & infallibile genuini, & legitimi ſcripturarum ſenſus inueſtigandi medium.

SI faceſſant importunæ tergiuerſationes, inquit Mulhuſinus noſter, ſolùm penes Eccleſiam erit certa, infallibiliſque ſcripturas interpretãdi facultas, & auctoritas. Quid enim ipſi Deus ſcripturas tradidiſſet, ſi certam, & infallibilem eaſdem ad fidelium ædificationem, & ſalutem explicãdi facultatem negaſſet? Certè, niſi fidem omnem diuinis monumentis abrogemus; diffiteri non poſſumus, & Prophetas, & legem authenticè interpretandi facultatem veteris teſtamenti ſynagogæ fuiſſe conceſſam à Deo, tanquã ſingulare quoddam diuinæ benignitatis erga cœtum illum munus: cur verò illud idem, nunc, Eccleſiæ Chriſti, quæ vberiori longè gratia, à ſuo ſponſo cumulata fuit, detrahamus; ego non video.

At, inquiunt, *abrogauit Chriſtus ſynagogam*. Quaſi verò electus illius ſynagogæ populus, quique nunc ſunt Chriſtiani, ad eandem Dei Eccleſiam non pertineat. Quid igitur Chriſtus abrogauit? nunquid Eccleſiam? minimè gentium. Quid igitur? Imperfectum eius gubernandi modum. Habere verò nunc etiam Eccleſiam Chriſti, infallibilem illam diuinas litteras interpretandi facultatem, nunquid imperfectionis eſt? &, ſi nulla certa, infallibilique auctoritate ſcripturas interpretatur Eccleſia, quid inter illam, hæreticorumque cœtus, qui ſcripturas habent, perpetuoque iactant, diſcriminis? Quis porrò Chriſtianæ fidei Magiſter à Deo conſtitutus eſt, ſi Eccleſia non eſt? Noluit verò, vel non potuit Deus, ad ſuorum electorum ſalutem, infallibilem veritatis Magiſtrum, & Doctorē conſtituere? Mirum eſt certè, quenquam poſſe, Eccleſiæ, genuinas ſcripturas à ſuppoſititiis, diſcernendi infallibilem auctoritatē concedere; quod Nouatores etiam ipſi faciunt; qui eidem Eccleſiæ eaſdem ſcripturas interpretandi, ſimilem auctoritatem neget: cùm, non minorem Spiritus ſancti aſsiſtentiam, in vno horum, atque in altero neceſſariam eſſe, vel bardus iudicarit.

C

D

Præterea, cùm viam ad æternam ſalutem, ex ſolo Dei verbo petendam eſſe contendant aduerſarij, fateanturque, vt quippiam ex eo, tanquam fidei dogma ſtatuatur, debere illud, eo ſpiritu, à quo profectum eſt, explicari: neceſſe

cesse est quoque, vt concedant, explicationem illam, vel interpretationem, ab illo solùm fieri debere, ac posse, de quo, certò, & infallibiliter ex scripturis constat, eum à Deo spiritum, à quo verbum illud profectum est, accepisse, & retinere. Atqui vero, ex sacris litteris de sola Christi sponsa, Ecclesia, nunc certò, & infallibiliter nouimus, eam spiritu veritatis donatam, esse columnam, & firmamentum veritatis. Sola igitur ipsa scripturarum interpres est.

Quærit Rullus in postrema disputatione de Interpretatione scripturæ: *An non Scriptura sacra debeat intelligi secundum interpretationem & sensum Ecclesiæ*: Respondet; *debere*; *sed Ecclesia, quam Christus immediatè docuit; quam Spiritus sanctus certò in omnem veritatem duxit. Qui sunt Ecclesia illa? Moses, Iosua, Samuel, Dauid, Salomon, Iesaias, Ieremias, & cæteri Prophetæ: & cum illis, Petrus, Paulus, Matthæus, Ioannes, Iacobus, & alij Apostoli, & Euangelistæ, quorum plerorumque scripta ideo posteris tradita.* En latebras vel potius fraudes & imposturas Caluinisticas. Quæritur, vtrum etiam auctoritas Ecclesiæ conducat ad scripturæ Interpretationem: Affirmat Caluinista: sed ita, vt per Ecclesiam nihil aliud intelligat, quàm scripturas; nam si, quis rem penitus introspicere velit; per Mosen, Iosue, Samuelem, Dauidem, & alios; denotat libros Moysis, Iosue, Samuelis, Dauidis, & aliorum; qua ratione nil aliud dicit; quàm scripturam per scripturam explicari posse; quandoquidē Ecclesiæ nomine nil aliud denotat; quàm Mosen, Iosue, Samuelem, Dauidem, alios: horum autem vocabulis nil aliud præter scripta Mosis, Iosue, Samuelis, Dauidis, & aliorum designat: quod, meo iudicio, non est disputare; sed delirare; non docere; sed auditores & lectores ludibrio habere. Quis nomine *Ecclesiæ* accepit aliquando Mosen, Iosue, Samuelem, &c. hoc est, libros Moysis, Iosue, Samuelis, & similium? Quis tam tardus sit & hebes, qui non animaduertat, has strophas ideo duntaxat ab istis excogitari; vt cum nihil dicant, aliquid tamen dicere videri velint; quia ea est omnium animis de Ecclesiæ auctoritate in scripturis exponendis indita persuasio; vt si nulla eius, cum de Interpretatione scripturarum agitur; ratio à Prædicantibus habeatur; haud æquis mentibus talem omisionem seu præteritionem accepturi sint Christiani: Quare coguntur Prædicantes mentionem Ecclesiæ facere; velint, nolint: & cum nomen exterminare nequeant; rem significatam tollunt; & veteri voci nouam & inauditam notionem indunt; quis enim vnquam ante istos vel fando accepit; Ecclesiam significare *Mosen*, hoc est, *libros Mosis*: Iosue; Samuelem; hoc est, *libros Iosue, Samuelis &c.*

Quis non obstupescat ad incredibilem

A Rulli impudentiam; cum scribit; Ecclesiæ nomen eodem sensu accipi à sancto Augustino; & ex hoc suo febrili & anili delirio *aperiri modum intelligendi illud eiusdem Augustini? Euangelio non crederem, nisi me moueret Ecclesiæ auctoritas*: hoc est; Interprete Rullo, nisi me moueret Moses, Iosue, Samuel, Dauid; Isaias, Hieremias, Paulus, Iacobus; hoc est, libri Mosis, Iosue, Samuelis, Dauidis, Isaiæ, Hieremiæ, Pauli, Iacobi, &c. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret auctoritas*; hoc est, nisi me moueret Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes; siue liber Euangeliorum Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; seu clarius: Euangelio non crederem, nisi me *Ecclesiæ*; id est, *Euangelij* moueret auctoritas; ad hanc enim tautologiam redit tan-

B dem Rullana fatuitas. Quis crederet vel febricitanti Rullo tam stulta somnia occurrere potuisse; cum luce clarius sit; sanctum Augustinum, vocabulum Ecclesiæ accipere pro cœtu fidelium per totum terrarum orbem diffuso; qui vnanimi consensu quatuor Euangelia recipiebat; nemine dissentiente; nemine contradicente.

Non est porrò abstrusa caussa, cur isti Ecclesiam adeò oderint & auersentur: Quia stante Ecclesiæ auctoritate, ipsi stare non possunt: Ruunt & corruunt è vestigio, nisi hanc è medio quantocyus tollant, si non apertè, at per

C insidias & cuniculos: vt cum ad primitiuam Ecclesiam confugiunt; eamque in scripturis interpretandis diligenter auscultandam dicunt: non item posteriorem, multoque minus hodiernam; nisi quatenus, vt aiunt, cum verbo Dei consentit; perinde ac si sua in interpretatione à verbo Dei dissentire posit.

Vicissim quæritur, inquit Rullus, *an non Interpretatio scripturæ sit quærenda in SS. Patribus.* Respondet; *est: sed non in quibusuis; verùm in illis, qui in scripturæ interpretatione non errarunt, & errare non potuerunt: hoc est, in Prophetis, & Apostolis, in quibus alij posteriores illis Patres scripturæ sensum indagarunt.* En iterum vulpinam Rulli indolem. Non

D ausus fuit mentionem Patrum silentio prorsus interire. Ne tamen dicat, quod dicendum erat; *Patrum* nomine, Prophetas & Apostolos, siue libros Prophetarum & Apostolorum intelligit; & tandem omnibus ad viuum resectis; scripturas ex scripturis interpretandas decernit; quandoquidem Patrum commentaria ei nil sunt aliud; quàm Prophetæ & Apostoli, hoc est, libri Prophetarum & Apostolorum. Quis audito Patrum vel commentariorum à Patribus elaboratorum nomine, concipit id, quod Rullus hic comminiscitur? Quis non simul ac huiusmodi appellationes ad aures accidūt; Doctores Ecclesiæ, eorumque lucubrationes animo & cogitatione apprehendit?

Menti-

Mentitur Rullus, cùm dicit D. Athanasium Hom. in crucem & passionem Domini idem de Patribus, patrumque commentariis sentire. Impudens commentum; non D. Athanasium Patrũ nomine intellexisse id; quod hodie; communi loquentium consuetudine per hoc vocabulum significamus, patet cum aliunde; tum ex Oratione prima contra Arianos, de qua re dixi copiosius in Responso Hunniano cap. 15. Nam quod in sermone de passione & cruce Euãgelicam historiam illustrat ex epistola ad Hebræos; num ideo Patribus, eorumque commentariis, nihil tribuit? Num ideo Apostolica & Euangelica scripta, nõ nisi ex scripturis declaranda censuit? *At vocat Apostolum Paulum Magistrum.* Quid tum? An eam ob caussam nullos alios magistros & doctores in Ecclesia agnouit?

Quæritur adhuc, inquit Rullus: *An non sit illa vera scripturæ interpretatio, & sententia, quam vniuersitas, antiquitas, & consensio commendat.* Respondet, *Est: sed vera vniuersitas, antiquitas, & consensio Illa enim scripturæ interpretatio, & sententia est vera, quam commendat vniuersitas, hoc est, quam vniuersi Prophetæ, & Apostoli tradiderunt; & quam vniuersa Ecclesia. Prophetarum, & Apostolorum libris fideliter inhærens, firmiter tenet: antiquitas, hoc est, quæ inde à principio viguit, ante inuectas hæreses: consensio, hoc est, in qua omnium Prophetarum, & Apostolorũ harmonia pulcherrima, suauissimaq; cernitur. Præstantiorem vniuersitatem, antiquitatem & consensionem quis dabit? Ecclesia siquidem Prophetarum & Apostolorum est absq; omni dubio vniuersalis, & antiquissima, & secum maximè consentiens.*

Multò breuius, & cõpendiosius rem transegisset Rullus, si dixisset; eius vniuersitatis, antiquitatis & consensionis veras esse scripturarum expositiones, quam in VVitebergensibus fornacibus coxit Lutherus; in Tigurinis clibanis recoxit Zvvinglius; & in Geneuensibus caminis decoxit Caluinus. Hæc sola vniuersitas, antiquitas & consensio ad Rulli palatum facit. Hæc sola stomacho eius sapit. Ex hac si quid profera-

A tur; admittitur: si autem ex vera, germana & sincera vniuersitate, antiquitate, & consensione aliquid depromatur; fastidiosè mox respuitur, nõ modò vt insulsum; sed & vt impium. Iactant isti, quam nunquam præstare vel exhibere possunt, vniuersitatem; (Quæ enim vniuersitas Caluinismi. qui ante Caluinum nusquam exstitit; vt nec Lutheranismus ante Lutherum?) & antiquitatem; (quæ enim recentissimæ sectæ antiquitas?) & consensionem. Quæ enim nouellæ huius doctrinæ consensio cum ætate superiore; quando antegressis sæculis, à Caluino vel Luthero vsque ad Apostolos, penitus incognita fuit? Satis de his.

Ex quibus apparere etiam puto; qiud sen-
B tiendum sit de medio decimo, hoc est, de lectione Patrum, sub initium huius tractatus enumerato. Vtilissima est ad verum & genuinum scripturæ sensum eruendum frequens, & assidua Patrum lectio: à quorum vestigiis cum vnam in rem concorditer conspirant; ne latum quidem vnguem recedere licet; vtpote, quorum consensio diuinæ veritatis infallibile sit argumentum. Verum de hoc aliâs. Medium istud etiam VVitackerus recipit; vt suprà vidimus. sed ita dentibus Caluinisticis arrosum & circumcisum; vt inutile prorsus reddatur; si quis eo vti cogitet, prout à VVitackero præcipitur & præscribitur. Rullus adeò ab hoc medio abhorret; vt illud ne nominare quidem ausus fuerit Disputat. quinta,
C thesi 286. vbi media veri sensus inueniendi percenset; nisi fortasse id comprehenderit sub illo suo postremo; quod est; *collatio cum aliorum Interpretum sententia. quia, vt inquit, spiritus Prophetarum subiiciuntur Prophetis.*

FINIS.

Digitized by Google

EXAMEN SECVNDAE DISPVTATIONIS PAPPICAE, DE SACRÆ SCRIPTVRÆ LINGVIS ET VERSIONIBVS: ET DE EIVSDEM necessitate.

CVM DEFENSIONEM HVIVS primæ controuersiæ de verbo Dei absoluissem, iamque typographo tradidissem: offeruntur mihi disputationes secunda & tertia Pappi Argentoratensis; Illius est inscriptio, quam paulò antè commemoraui: Huius ista. *De sacra Scriptura sufficientia, Interpretatione, Norma & Iudicio.*

Adiunctus erat liber hoc titulo; *Trophæum Augustinianum; De sacra Scriptura, fidei principio, oppositum Confessioni Augustinianæ Hieronymi Torrensis, Societatis IESV, & quondam Professoris Dilingensis, sigillatim in hoc articulo; & in genere omnium nostri temporis Pontificiorum Doctorum erroneæ de sacra Scriptura doctrinæ*: Auctore non Auctore; quondam *Augustano*, cuius nomini amicus, qui Trophæo isto me donarat; subscripsit hoc elogium:

Spurcus homo, Patria ista indignus' locoq.

Miraberis forsan, cur ita loquar: *Auctore non Auctore.* Desines mirari, vbi caussam intellexeris: Arbitror enim sub huius nominis tegmine latere Pappum; qui iam olim in & cum Augustino multum occupatus *Parallela* quædam ex operibus eius confecerat; quibus planum facere tentabat, diui Augustini cum Augustana Confessione in articulis controuersis consensum. Sed cum misera illa Parallela à Reuerendiss. & clarissimis viris D. IOANNE PISTORIO, ET D. GEORGIO HAENLIN, SS. Theologiæ eximiis Doctoribus, pro merito accepta & excussa vidisset, noluit, prudenti sanè consilio, fortunæ aleam denuo subire, & corpore proprio tela hostium, quos non quieturos prospiciebat; excipere. Substituit igitur pædagogum quendam, hominem gymnasiorum puluere adhuc sordescentem; eique fœtum suum supposuit (neque enim partus tam librorum, quàm nothorum liberorum pædotribis & magistellis supponere, Prædicantibus omnino inusitatum est) vt vel A hac ratione vlcisceretur impositas sibi ex Augustino plagas in Colloquio Ementingensi, cum [illegible]am incredibili vanitate, & impudentia affirmasset, Augustinum *in omnibus & per omnia cum Lutheranis sentire & consentire.*

Verùm quæcunque caussæ Pappum impulerint; vt sua discipulo venditanda committeret; mei officij esse duxi; vt & hunc librum; & duas supradictas Disputationes breuiter refellerem. I. Quia in iis passim traducitur, mendaciisque & calumniis incessitur illustrissimus Cardinalis Bellarminus; eiusque de scripturis Orthodoxa & Catholica doctrina. II. Quia primam disputationem Pappi de numero librorum Canonicorum iam in Appendice prima ad B librum primum non oscitanter, vt spero, examinauimus, & ad calculos reuocauimus. Ne igitur duæ istæ posteriores mihi succenserent, si non eodem à me afficerentur honore, quo sororem suam affectam norunt; non potui intactas relinquere. Vocaui igitur ad examen; sed breuiter, quia quidquid Pappus garrit; hoc ferè iam in defensione secundi, tertij & quarti libri discussum & euentilatum est. Nam pleraque, si non omnia, sublegit ex illis ipsis præconibus Caluinianis & Lutheranis, quos ex instituto refutandos suscepimus. Nunc rem ipsam aggrediamur.

Thesi sexta mentitur, totum Canonicum veteris testamenti textum sola Hebræa lingua C fuisse conscriptum, *idque diuino mandato & auctoritate.* Hoc mendacium non semel libro primo profligauimus. Illud placet, quod ibidem contra impudentiam Iunij asserit: Prophetiam Danielis à capite secundo, versu quarto, vsque ad initium capitis octaui; *Scriptum esse Chaldaicè. Et Esdram refertum esse vocibus Chaldaicis. Et in libro Iobi nonnulla reperiri Arabica, quia collocutores Arabes fuerunt.* Quod nota à Lutherano contra Caluinianum Burdonem; qui initio Animaduersionum Eusebianarum impu-

denter diuo Hieronymo insultat; quòd præfatione in Iob scripserit; *Librum Iob Hebraeo Arabicoque, & interdum sermone Syro resonare.* Hoc nimirum verè est, *Sus Mineruam*; quando Burdo diuum Hieronymum docere conatur. Vide lib. 2. cap. 1.

Communis est opinio, Esdram nouos characteres Hebræos, quibus hodie vtimur, reperisse, & in vsum induxisse. Ita non modò plerique scriptores Christiani, diuum Hieronymum secuti; sed & ex Iudæis non pauci. Quid Pappus? Thesi 12. *Nobis hæc sententia non placet, vt hoc bona Hieronymi pace dicamus: Reliquos enim non moramur.* Et ipsi te multò minus. Nec quidquam affers, quod non sit iam refutatum libro 2. capit. 1. vbi ineptias Iunij, quas tu fecisti tuas, refellimus.

Illud tamen argumentum tuum ob singulare acumen valde admiror. *Christus Matthæi 5. versu 18. solenni iuramento testatur: Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege:* ergo incredibile est, *Esdram ausum fuisse characteres Hebræos mutare, cum Christus tantâ prouidentiâ, vel minimo iota Hebraico cauerit.* Profunditas & sublimitas huius argumenti propemodum me cogit, vt in Iunij & Pappi sententiam transeam, quia Christus loquebatur scilicet de Hebraicis characteribus; eorumque formis, figuris, punctis, apicibus: non de certitudine legis; & infallibilitate omnium eorum; quæ Deus in lege iusserat, dixerat, promiserat.

Præterea si iste est verborum Christi sensus, quem Pappus fingit; sequitur, nullum Latinum, Græcum, Germanicum, aut alia lingua conscriptum codicem, legem seu sacram Scripturam continere; Quia de lege & sacra Scriptura, ne vnum quidem Iota Hebraicum; aut vnus apex excidet; at ex Latina editione non tantum vnum Hebraicum, sed omnia Iota; nec tantùm vnus Hebraicus apex, sed omnes simpliciter exciderunt. nō erit igitur talis versio lex, seu sacra Scriptura; aut si est; falsi arguetur dictum Christi: aut certè Pappi stupet acumen; cum verba illa de Hebraicis characteribus accipit.

Mirum & illud; Christum dixisse Iota; cur non *Iod*, si de characteribus Hebræis locutus est? Fortè dicet Pappus; Christum locutum Syriacè. Syris autem antiquis vnà cum Græcis *Iota* dictum; quod posterioribus Syris *Iud*, vt docet Burdo in Animaduersionibus Eusebianis folio 103. Non repugno; sit ita. Audiat tamen Pappus; quid Burdo de Iunio: atque adeò ipso Pappo ibid. sentiat; qui depicto & descripto Alphabeto Phœnicio, Græcoque vetere & recenti, subdit. *Habes exemplum litterarum Phœniciarum vnà cum figuris diuersis Græcarum; ex quarum comparatione, per te ipse colligere potes id, quod secundo loco proposuimus, Græcas litteras è Phœniciis natas, quum idem ordo sit, eademq́; forma earum, quæ Phœniciarum; quibus omnes olim & Chananæi, & Hebræi vsi sunt, ad hucq́; Samaritani vtuntur; neque alia in vsu fuerunt à temporibus Mosis, ad excidium templi. Nam ea, quibus hodie Iudæi sacros libros, & omnia acta sua conscribunt, nuperæ, ac nouitiæ sunt, ex Syriacis deprauatæ; illæ autem ex Samaritanis.*

En Caluinianus Burdo stat à parte nostra, & D. Hieronymi contra Pappum & Iunium. Pergit Burdo. *Quod cum luce clarius sit; quidam tamen Semidocti* (Iunius, Pappus) *Semitheologi* (Iunius, Pappus) *& vt signantius loquar, semihomines,* (Iunius, Pappus; sunt igitur *Caci*, quia & Cacus *semihomo* fuit) *non solùm Iudaicas litteras verè Hebraicas esse priscas audent deierare, sed etiam impios putant, atque adeò palàm vocant, qui aliter sentiunt. Miseram verò doctorum, & piorum hominum conditionem, si doctrinæ, & pietatis suæ non alios testes haberent, quàm asinos.* Habes Lutherane Pappe cum tuo Caluiniano Iunio dignum te ob hanc opinationem à Caluiniano Burdone encomium.

Vt Pappus vbique Nouatorem se demonstret; statuit thes. decima septima, puncta vocalia Hebræorum hodie vsitata, vna cum lege Mosis exstitisse. In quo non modò communi orthodoxorum, & Iudæorum; sed & sectariorum sententiæ aduersatur. Fidem tamen nonnullam paradoxo conciliaret; si vel vnum ante Christi Redemptoris nostri ortum; vel ante Hieronymi tempora, vel ipsum Hieronymum nominare posset; qui horum punctorum mentionem fecerit. Res confecta foret; si Christus dixisset; vnum *sceua, patach, kibuts, segol, chiric* non præteribit à lege. Incredibile prorsus est; diuum Hieronymum *vocalium punctorum* ne tenuissimam quidem mentionem facturum fuisse; si tum in vsu fuissent; cum Biblia primus ex Hebræo verterit; totiesque variantes lectiones annotarit, expenderit, & examinarit. An vllus in animum inducet credere, diuum Hieronymum de re ad verum scripturæ sensum inuestigandum tam conducibili & oportuna; perpetuò taciturum fuisse?

Rationes, quibus commentum suum Pappus fulcire nititur, friuolæ sunt & inanes. Quas subruere, nil necesse. Ipsæmet stare nequeunt; tam sunt imbecillæ, vt quod *sine punctis scriptura difficillima lectu & intellectu fuisset.* Quis abnuit maiorem difficultatem esse sine punctis, quàm cum punctis? Attamen tanta non est; vt superari nequeat. Nam & hodie reperias nonnullos; qui Hebræa absque subiectis vocalium notulis perfectè noscant & legant. Sed de inuentione vocalium & accentuum Hebraicorum lege Serarium nostrum in Rabbino priore capite duodecimo, vbi & hæc Caluiniani Burdonis verba citat. *Apices vocales est inuentum nouitium*

Maso-

Digitized by Google

Masoritarum. Et in Animaduers. Euseb. vocat *abortiua ingenia*, eos, qui hos *apices cum lingua* ipsa statim *natos bariolantur.*

Thesi vigesima tertia, & sequent. verbosè contendit, libros Canonicos nunquam penitus interiisse; atque adeò ab Esdra de integro reparatos non fuisse. In quo & Bellarminum & me adstipulatorem habet. Vide librum secundum, capite primo.

Thesi vigesima nona & sequent. disputare ingreditur de illa quæstione; *vtrum Hebraica editio sit corrupta* : vbi si candidum disputatorem agere statuerat, ante omnia diuersas Catholicorum sententias à se mutuo segregare & distinguere debebat, vt fecit Bellarminus libro secundo, capite secundo, non miscere & confundere; vt fecit Pappus; qui thesi trigesima sexta veteratoriè citat Bellarminum; quasi secum, hoc est, cum Lutheranis & Caluinianis sentiat. Quod impudens est mendacium. Vide cap. 2. lib. 2.

Videtur autem Caluinianus Iunius. in magno esse pretio apud Lutheranum Pappum, quando non tantum sententias eius libenter amplectitur; sed & non raró fermè verbatim transcribit; cui etiam Nabuchodonosor est Nebucadnezar, thesi vigesima tertia. Huic nomenclaturæ hunc in modum applaudit Caluinianus Burdo in Canonibus Isagogicis: *Nabuchodonosorum malè Nebuchadnezer Masoritæ vocant; & multi hodie* ἑβραΐζοντες *multum se in Hebraismo profecisse putant, si ita potius, quam, quomodo omnis vetustas eum vocauit, appellent.*

Thesi trigesima nona, ait Pappus, *ex omnibus Pontificiis Doctoribus vix vnum repertum, qui assereret Hebræum codicem esse normam & iudicem controuersiarum diiudicandarum* : Excipit tamen Caietanum & Steuchum; vel potius, quia antiquiores sunt, de illis silendum existimat. Sed nimis effrons fuerit, qui vel Caietano vel Steucho affingere audeat sententiam hæreticam; quasi pro iudice controuersiarum Hebræum textum cum Nouatoribus agnouerint. Nihil minus. Nemo orthodoxorum adeò insanit, vt tam insanam assertionem tueatur.

De norma mendacium est, cum Bellarminum citat. Nam Bellarminus nihil dicit apertè, vtrum textus Hebraicus sit norma, vel non sit: imò vel hæc Bellarmini verba: *Non tanti momenti sunt eiusmodi errores* (in Hebræo textu) *vt in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur* : absterrere Pappum debebant, ne de Bellarmino exclamaret: *Adeò obstinati sunt Pontificij contra veritatis* φέγγος *&* φάος, *vt decreta Ecclesiæ suæ quomodolibet stabiliant.*

Theses 42. & 43. agunt de versione Chaldæa veteris testamenti: Et quia Bellarminus dixerat lib. 2. cap. 3. has paraphrasticas translationes non vsque adeò magni ab Ecclesia fieri; calumniatur Pappus, *auctoritatem earum in Ecclesia Romana non esse*, iudicio Bellarmini, *magnam*, quasi hæc sint Bellarmini verba, cum quæ Bellarminus dixit, longè aliter tinniant, quàm quæ nobis Prædicans apponit. Sed de translationibus & translatoribus Chaldæis consule Serarium in priore Rabbino, capite 16.

Editiones Græcas veteris testamenti enumerat Bellarminus nouem. Pappus vndecim, thesi 44. *contrà ac Bellarminus statuit*, lib. 2. de verbo Dei, cap. 5. Sed secunda, quam Pappus cum suo Iunio adfert, quasi facta sit Ptolemæi Lagi temporibus; prorsus est commentitia, vt ostendi ad caput quintum libri secundi. Nec Bellarminus silentio præteriit illam, quæ Alexandrum Magnum antecessit, de qua Clemens lib. 1. Stromat. sed expressam eius mentionem fecit; licet Prædicans videri velit aliquid vidisse, quod Bellarminus non viderit. Illa sub Herode & Cleopatra, quam ex Iustino, vel potius ex Iunio adducit; nulla est; vt docui ad caput quintum. Consentit Caluinianus Burdo in Animaduersionibus Eusebianis; vbi isthæc. *Iustinus Ecclesiasticoum scriptorum vetustissimus refert Ptolemæum Philadelphum per epistolam rogasse Herodem Regem Iudæorum, vt sibi Biblia Hebraica mitteret.* Post recitata Iustini verba, subdit consueta modestia Burdo. *Est insignis locus* ἀνιστορησίας καὶ ἀναχρονισμοῦ, *in vetustissimo Ecclesiæ scriptore, eoq́; Christi Martyre.*

Approbat Pappus inscitiam Iunij: qui fictitiam hanc translationem arbitratur illam, quæ Græcè κοινὴ, & à Luciano restitutore & emendatore Λουκιανὸς dicta fuerit. Quæ omnia nil aliud sunt, quàm anilia & febrilia somnia. Orosium libro sexto, capite decimo quarto reddere caussam huius translationis, mẽdacium Pappicum est. Meminit quidem Alexandrinæ Bibliothecæ incensæ; sed de hac translatione ne γρῦ quidem.

Propendet Pappus, thesi 47. in stultitiam Iunij; 70. Interpretes sub Philadelpho Pentateuchum duntaxat vertisse. Postea sub Herode alios interpretes, de quibus Iustinus; reliquos libros adiecisse. De quo somnio Iuniano vide, quæ dicta, ad cap. 6.

De Græco prototypo seu originali textu noui testamenti impigre mentitur Pappus.

I. Mendacium, thesi quinquagesima prima, *Catholicos velle Manichæorum tragœdiam in Ecclesiam introducere prorsus maniacè, illos enim, instar Manichæorum textus esse corruptos clamitare.* Mendacium Buccinatore quinti Euangelij dignum. vt & hoc II. Iesuitas mentiri, quando simpliciter negant in Græco Ioannis historiam de adultera reperiri. Dic, oro, Prædicans; quis Iesuitarum simpliciter negauit hanc historiam in Græcis exemplaribus exstare? Aut nominatim Iesui-

Digitized by Google

tam exprime; aut mendaciloquentiam tuam resorbe. Dic, quis Iesuitarum hoc argumentum contexuerit: *Historia de adultera in Græco textu deest, ergo Græcus textus non est authenticus.*

III. Mend. Catholicos dicere absolutè in Græcis exemplaribus deesse illa, 1. Ioan.5. *Tres sunt, qui testimonium dant, &c.* Non enim ita loquitur Bellarminus; aut aliorum orthodoxorũ quispiam: sed aiunt: *Hæc & alia; in plurimis Græcis codicibus deesse.*

IV. Mend. Bellarminum dicere absolutè, *vltimum caput S. Marci deesse in Græcis codicibus.* Quæ te mendaciorum Mænades agitant, ô Prędicans, vt tam proiectè & sceleratè mentiaris? An dicit Bellarminus *in omnibus Græcis codicibus hoc caput deesse?*

V. Mend. Stapletonum in Relect. p. 526. dissentire à Bellarmino, circa historiam adulteræ. Legatur vterq; auctor, nec dissensus inuenietur; sed Pappicum mendacium.

VI. Mend. non vno loco effusum. *Textum Græcum à Bellarmino pro prorsus corrupto haberi*; cum disertè scribat; Græcos codices non esse corruptos generaliter, nec tamen esse fontes purissimos, vt necessariò corrigendum sit; quidquid ab eis dissentit.

VII. Mend. Gretserum quem Pappus thesi 58. honoris caussa *Morionem* nominat, in Theologicis Exercitationibus, & in Responso ad theses Hunnianas, in illud orationis Dominicæ additamentum: *Quia tuum est regnum,* &c. sic iocatum esse; *Quia tuum est regnum,* scilicet *Cappadociæ, Asiæ, Ponti,* &c. Gratum fuisset Gretsero si Prædicans locum *Exercitationum*, seu *Responsi* notasset: tum enim fidem suam in suspicionem mendacij non adduxisset. Gretserus non meminit tale quid abs se in Exercitationibus aut Responso prolatum. Legit quidem simile quid in Notationibus Anonymi super nescio quas Hunnij in epistola Anonymi notas. Sed vnde scit, Gretserum esse Notationum illarum auctorem? Et vt Auctor esset, num ideo *morio* esset; quod iustissimè Prædicantes cum suo: *Quia tuum est regnum,* &c. mirificè in publico consessu sese circumspectantes irrisisset?

VIII. Mend. *Canum mentiri hanc appendicem non haberi in codicibus Græcis.* Neq; Canus, neq; vllus alius Catholicus hoc absolutè de vniuersis Græcis codicibus affirmat.

IX. Mend. Stapletonum & Bellarminum mendacissimè asseuerare, locum illum 1. Corinth. 15. v. 47. *Primus homo de terra terrenus,* &c. esse corruptum.

X. Mend. ex Iunio repetitum. *Nullum verbum de hac corruptione exstare apud Tertullianum.* Vide quę diximus lib. 2. cap. 7.

XI. Mend. *Pontificios hæc de Tertulliano alios ab aliis descripsisse; neq; quenquam eorum Tertullianum euoluisse.* Atqui si tu Tertullianum inspexisses; nec

A Iunio fidem habuisses; nunquam fortassis hæc mendacia peperisses; quamuis alioqui mendaciorum valdè ferax.

XII. Mend. Catholicos dicere, *in nullo Græco codice reperiri lectionem Latinam illius loci 1. Cor. 7. Qui cum vxore est, &c.* nam Lucas Brugēsis Catholicus vtique Auctor cum Parisiensibus duos notat codices Græcos, cum nostra vulgata versione concordes.

XIII. Mend. Pappo cum Iunio & Hunnio commune: *Hieronymum ex odio coniugij pronunciasse, Græcam lectionem vt modò habet, non esse Apostolicæ veritatis.*

XIV. Med. Catholicos ita argumentari: *Varietas est lectionum 1. Corinth 7. versu 33. ergo Græcus* B *textus turbidè fluit, & corruptus est, nec potest esse controuersiarum norma.* Ostendat Pappus hanc argumētationem in Bellarmino, vel alio scriptore Catholico; & à mendaciloquentia hoc quidem loco absoluetur.

XV. Mend. *Catholicos arripere lectionem vulgatæ versionis in odium coniugij.* Hic quidem Pappi est sensus. Tu construe, si potes ista verba. *Pontificij alteram arripiunt lectionem, vt coniugio, quod è diametro est contra intentionem scribentis, & mentem ac sedem loci, & contra ipsam cælestem institutionem, id quod planè est intolerabile.*

XVI. Mend. Hanc consequentiam esse Bellarmini. *Est diuersa lectio; ergo codex* (Græcus scilicet) *est corruptus,* Quoties hanc consequentiam C repetis, toties mendaciũ tuum non argumentũ Bellarminianũ, repetis. Nā vis collectionis Bellarminianæ in hoc consistit; Græci codices aliquibus in locis hodie aliter habent, quàm habere deberent; ergo non sunt penitus incorrupti, nec vbique limpidissimè fons Græcus fluit, vt fabulantur sectarij. Antecedens probat Bellarminus nonnullis exemplis; & ipsa exempla Patrum auctoritate confirmat.

Thesi 70. nugatur & mentitur quædam Pappus de editione Syriaca noui testamenti; de qua Bellar. lib. 2. ca. 4. Inter cætera extremæ vanitatis & impudentiæ argumēta; accusat fraudis & imposturæ virum optimum, clarissimũ, & celeberrimum Albertum VVidmanstadium; primum D in Germania Syriacæ linguæ assertorem & restitutorem Cæsaris Ferdinādi cancellarium, quasi in editionem Syriacam noua nonnulla intruserit; & postea pro antiquissimis venditauerit; tanquam non multo post tempora Apostolorum conscriptis. Quæ hæc noua? Annotationes, quæ quibus festis, Ieiuniis, & solennitatibus Euangelia legantur: quæ, vt videre est, in Syriaca noui testamenti editione variis Euangeliorum capitulis præfiguntur; de quibus etiam Bellarminus meminit lib. 2. cap. 4. & nos ibid. quæ hæreticis crucem figunt; inde enim elucescit; quid Syri de ieiuniis; de festis, de cultu Sanctorum; de suffragiis pro defunctis, & id genus aliis dogmatibus sentiant.

Vt

Digitized by Google

Vt autem accuſatio maioris ſit ponderis, teſtem nobis dat Pappus Paulum Vergerium, Apoſtatam, quo vix terra mendaciorem & impudentiorem tulit; qui Dialogo tertio contra Hoſium ſcribit, *ſe hoc intellexiſſe ex Moſe Meradinæo Syro*, cuius opera in editione Syriaca noui teſtamenti VVidmanſtadius fuerat vſus. Sed tam Vergerium, quàm Pappum ſycophantari, & per ſummum ſcelus famam, & exiſtimationem viri de vtraque Republica, Eccleſiaſtica ſcilicet & politica, præclarè meritum; obſcuratum & euerſum tendere; ſatis arguunt ipſi inter ſe collati & comparati accuſatores & reus. Quis enim VVidmanſtadius? Summi Imperatoris conſiliarius, & cancellarius fidiſsimus; æquiſsimus; iuſtiſsimus. Quinam Vergerius & Pappus? *Prædicantes*; quo verbo omnia, quæ fidei derogandæ & detrahendæ faciunt; comprehenduntur; quibus quid credas, cum ne nomen quidem VVidmanſtadij nouerint; quem Vergerius, & cum illo Pappus, nominant Ioannem Lucretium VVidmanſtadium; qui fuit *Ioannes Albertus*; niſi fortè apud iſtos *Lucretius* & *Albertus* exiguo diſcrimine diſtare videntur.

Deinde Guido Fabricius Boderianus Interpres noui teſtamenti ex Syriaco, antiquiſsimum codicem habuit, in quo illa ipſa, quæ ſectariis adeò bilem mouent, reperit; neque quidquam ex ſeparato quopiam feſtorum, ieiuniorum, & aliarum conſuetudinum Eccleſiaſticarum ſyllabo, ſeu Catalogo in teſtamentum à VVidmanſtadio intruſum deprehendit; Hinc & ipſe quidquid. & in editione VVidmanſtadiana; & in vetuſtiſsimo ſuo exemplari inuenit; bona fide diligenter repræſentauit; longè in hoc Tremelio diſsimilis; qui hæc omnia Caluiniana manu reſecuit; & ſua à verſione procul amandauit.

Vt autem Pappico huic vel potius *Lappico* ſtomacho ægrius ſit; adſcribam, quæ hac ipſa de re ſua in præfatione præfatur doctiſsimus Guido Fabricius; qui poſtquam expoſuiſſet communem Syrorum perſuaſionem ab ipſo videlicet Euangeliſta Marco nouum teſtamentum in Syriacum ſermonem fuiſſe conuerſum: in quam opinionem & ipſe inclinat, licet eam Bellarminus non amplectatur: Subiunxit: *Nonnullis interiectis ſæculis, Alexandrini Patriarchæ beati Marci ſucceſſores, capita ſectionibus quibuſdam diſtinxerunt, eoſq; titulos, qui nunc in ipſis leguntur, addiderunt: in quibus Eccleſiarum Orientis cum Romana Principis Apoſtolorum ſede conſenſus apertè conſpicitur. Nec poſſunt ij dicere, qui titulum ſibi emendatorum Eccleſiæ vendicant, ſacros ritus, & cæremonias, quibus Romana vtitur Eccleſia, nouas eſſe Pontificum Romanorum traditiones: cùm tam apertè in iis titulis mentio fiat commemorationis Sanctorum, precum pro mortuis, certorum, & ſtatorum dierum, qui ſacri haberi debent: nec non ieiuniorum, venerationis ſanctæ Crucis, &* A *aliarum multarum generis eiuſdem obſeruationum, quas ab Apoſtolis acceptas, etiamnum Aſiæ Eccleſiæ retinent. Nec verò in Aſia tantùm apud Syros, ſed etiam in Africa, apud Abyſſinos, & Æthiopas, tales cæremoniæ vigent, quas ab Apoſtolis ipſis præſcriptas fuiſſe, ac penes ſe eſſe Synodos Apoſtolorum octo voluminibus comprehenſas (quas patrio idiomate Mandéa vocant, hoc eſt, ſcientiam κατ᾽ ἐξοχὴν) iidem affirmant; vt ex eo libello facilè poteſt intelligi, quem Damianus à Goes, Luſitanus eques, de fide, religione, & moribus Æthiopum ſcripſit. Quod quidem idcircò hic obiter indicare volui, vt omnes intelligerent, quàm pulchrè conueniant in ritibus Eccleſiaſticis obſeruandis Aſiani, & Aphricani Chriſtiani cum Europæis, quorum triplex vinculum haud facilè abrumpetur.* Hæc doctiſsimus Guido.

B Ex quibus Vergerij & Pappi deſperata vanitas apertè redarguitur; & fides VVidmanſtadij ſincera & inuiolata oſtenditur; cum ex communi Syrorum more, notitia illa ſeu Index rituum Eccleſiaſticorum Syriaco teſtamento inſeri ſoleat; & quidem ab antiquis temporibus; idque iuſſu & ductu ſucceſſorum ſancti Marci, quem Syri Interpretem ſtatuunt, neque enim quiſquam dicet, etiam ex illis, qui Syrorum opinionem ſequuntur; omnes illas indicaturas eſſe ab ipſo D. Marco; cum multarum conſuetudinum meminerint; quas poſteriore æuo inſtitutas eſſe; nemo dubitauerit.

Quod ſi Pappus adeò hæc, quæ in teſtamen-
C to Syriaco leguntur, à Syrorum Eccleſiis & ritibus aliena exiſtimat; conſulat Calendarium Syrorum apud Genebrardum initio Pſalterij; vel computum Surianum apud Burdonem lib. 7. de Emendat. temporum; in quo etiam *Feſtum Crucis* reperiet; (quod Pappus ſine cruce aſpicere nequit) & hanc inſuper Burdonis notam. *In Calendario Elcupti dicitur Inuentio Crucis XIV. Septembris. Aut, me fugit memoria, aut ea eſt Exaltatio aliis Eccleſiis.* (Eſt Exaltatio; ſed Græcanicæ Eccleſiæ; neque enim celebrant Orientales XIV. Septembris Exaltationem ſanctæ Crucis factam ſub Heraclio; ſed illam ſub Conſtantino Magno) *at in Calendario Surianorum ita legitur ad XIIII. Ilul.* εὕρεσις τοῦ ἁγίου σταυροῦ (Inuen-
D tio ſanctæ Crucis) *quemadmodum in Koptitarum quoque Kalendario.* Rectè; nam Orientalibus, præpuè Græcis; Exaltatio & inuentio Crucis vnam eandemque rem ſignificat, nimirum eductionem Crucis in lucem miniſterio Helenæ Auguſtæ factam. Satis de his.

Subdit Pappus. *Quàm pulchrè ſibi conueniunt hæc. Bellarminus probare nititur auctoritate verſionis Syriacæ, ritus Eccleſiarum Papiſticarum eſſe non à Pontificibus inſtitutos, ſed Apoſtolicæ traditionis, & tamen eandem verſionem contra VVidmanſtadium recentiorem eſſe contendit, adeò quidem, vt cum Latina, quoad auctoritatem, conferri non poſſit.* Optimè hæc ſibi conſtant; quamuis Bellarminus non arbitretur

verſionem Syriacam à S.Marco profectam, ſed temporibus Apoſtolorum poſteriorem eſſe. Nam ritus illos ab Apoſtolis acceptos tranſtulerunt & tranſcripſerunt Syri in translationem ſuã Syriacam, etſi Apoſtolico æuo recentiorem: Quemadmodum & hodie, ſi inuocatio Sanctorum; mos precandi pro defunctis; Quadrageſima; Liturgia ſeu Miſſa, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & ſimilium dierum celebratio, & id genus alia inſtituta annotarentur in Bibliis Germanicis, Gallicanis, Anglicanis, vel aliis de eodem genere nuper euulgatis; an rectè quis hinc concluderet, ritus illos, non eſſe hiſce verſionibus vetuſtiores?

Mentitur autem Pappus; cùm dicit, Bellarminum, *auctoritate Syriacæ verſionis probare velle ritus illos eſſe Apoſtolicæ traditionis*: non enim ex Syriaca verſione hoc monſtrare conatur; ſed ex Syrorum more & conſuetudine, apud quos ritus illi ex antiqua traditione ita inoleuerunt; vt eos etiam ſuo in teſtamento indicandos & annotandos cenſuerint. Et tamen effrons Prædicantis caput exclamare audet: *Helleborũ, helleborum*. Iure pro te poſtulas: nam ceritus es & maniacus. Nec vna tibi Anticyra ſufficiet. Tot depoſce, quot exſtare feruntur; nec tamen perfectæ ſanitati cerebrum tuum reſtituetur.

Theſi ſeptuageſima tertia, & ſequentibus, incipit Pappus de vulgata Bibliorum verſione mentiri; & quidem illiberaliſsimè. Iudicium de reliquis ex hoc vno facito. Theſi ſeptuageſima octaua. *Quid ſupereſt, niſi vt dicamus & Bellarminum & Stapletonum more ſuo, ſplendidè mentitos eſſe.* Qua de cauſſa? quia Bellarminus dixit libro ſecundo capite nono, diuum Hieronymum bis ex Hebræo vertiſſe. Num hoc adeo falſum, vt *ſplendidi mendacij* inſimulari debeat? *Omnino*, inquit Prædicans. Quamobrem? *Quia aliunde conſtat ſanctum Hieronymum vertiſſe Eccleſiaſten ex Græca editione LXX. Interpretum; ergo bis quidem vertit; ſed ſemel duntaxat ex Hebræo; ſemel ex Græco.* Probat hoc ex Prologo Galeato. In quo nihil prorſus de verſione ex Græco habetur. Nec ex aliis locis, quæ Prædicans citat; quidquam contra Bellarminum erui poteſt; nam vt Eccleſiaſten ex Græco verterit; an ideo non vertit bis ex Hebræo; vt vult Bellarminus? An non præfatio in Commentarios ſuper Eccleſiaſten ad Paulum & Euſtochium; & alia in libros Salomonis, hoc eſt, in Prouerbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum ad Chromatium & Heliodorum Epiſcopum hoc dilucidè conteſtantur? An non in hac præfatione ad ſanctos iſtos Epiſcopos ſe Eccleſiaſten de Hebræo transferre; translatumque ipſorum nomini dedicare ſcribit? An non in epiſtola itidem ad Paulam & Euſtochium palam ait; ſe ſcribendo commentarios in Eccleſiaſten ſimul de Hebræo Eccleſiaſten tranſtuliſſe? An vna & eadem translatio eſt, de qua in epiſtola ad Chromatium & Heliodorum: & illa; de qua in Proœmio ad Paulam & Euſtochium? An non vtraque eſt ex Hebræo? Pudeat te, Prædicans, huius tuæ vaniſsimæ & amentiſsimæ mendaciloquentiæ.

II. Mendacium, Theſi ſeptuageſima nona, *vulgatam verſionem, ſi auctorem ſpectes, planè ἀ-γνωλό-γητον eſſe.*

III. Mend. *Eſſe fortaſsis centonem ex Itala & Hieronymiana conſarcinatum.*

IV. Mend. *Poſtea inſcitia ſacrificulorum ſubinde magis magiſq; laceratum & deprauatum.*

V. Mend. *In eam degeneraſſe vitioſitatem, vt amplius penè ſit immedicabilis.* Addit ſcurra leuiſsimus. *Non poſſum nominare, eſt expoſititius* (fœtus) *cuius parens, vtrum Ruſſus an Boruſſus fuerit, incertum eſt.* Dalmata fuit; ne angaris; quia diuus Hieronymus Dalmata fuit. Si tu parentem nominare nequis; audi tuum Lutherum in colloq. Menſalibus Tit. *de verbo Dei. Tranſtulit Hieronymus Biblia ex Hebræo, cuius adhuc hodie translatione vtimur in Eccleſia.*

Theſes 82. & 83. nil continent, niſi ſcommata, conuicia, & maledicta digna circulatoribus iſtis & ſpermologis; quia enim Canus dixerat; æquum fuiſſe, vt exſtaret Latina editio authentica; quòd pauci noſſent linguam Hebraicam: Intonat Stentor Pappicus *Fiãt iſti aqualiculi denuo Saccophori Beani; & diſcant Alpha, Beta, Gamma.* Vomit quoque *Truphones & Ribaldos*; & neſcio quæ alia iratæ & inflatæ mentis ſymbola. Mox de Monachis ſcurriles recitat hiſtoriolas; etymologias, ſeu variorum vocabulorum originationes; & quidem ex ſcriniis Ludouici Viuis; qui his pabulis libenter ſe, & alios oblectare conſueuerat: quæ ſannionibus & aretalogis iſtis minimè inuidemus: qui quod Catholicos doctores, potiſsimum ſuperioris memoriæ, nominat; *inſulſiſsimos caudices & ſtipites*; facit, quod Prædicantẽ decet; vt & tunc, cum hanc theſin ponit: *Quia itaq; iſti truphones, & Ribaldi, ne Latinæ quidem linguæ minimum habuerunt guſtum, fuiſſet à Concilio Tridentino etiam Latina lingua proſcribenda, vel ſuum grunnitus, vel aſinorum ruditus, vel vrſorum ſubſtituendus barritus, quibus loquendi inſtrumentis impuriſsimi, & ſtolidiſsimi animi ſui ſenſa inter ſe contuliſſent; indigni hominum nomine, lectione, commercio, & memoria; at digni, quibus terra dehiſcat.* Hæc prorſus Euangelicè Euangelicus Prædicans; ſed ex Euangelio Saxonico; cuius Pater fuit *Pedo*, & *Cacus*: cuius ſcripta nil aliud ſunt, quàm quæ iſta theſis commemorat: *ſuum grunnitus; & aſinorum ruditus.*

Ex quibus etiam hausit Pappus hoc VI. Spermologicum prorsus mendacium. *In violatione Psal 67.* ait Bellarminus lib.2.cap.13 *facilè Hebræum textum posse ad suam versionem accommodari: postea apprehendens textum, mirum, quàm miserè dilaniet, vt sui nusquam similis amplius appareat, scilicet, ex voce Bos, si mutem s.in o.& o.in m.& b.in a.habeo amo. quid pro quo, fimus pro balsamo.* Vnde,Prædicans;fimum,hoc est, balsamum Lutheranum promis? Ex Pedonis & Caci Islebici officina; ex qua & ista deprompsit. Thesi 85. *Nos spreto Tridentini conciliabuli crepitu, &c.* En vt crepat Pappus: Et crepando hæc pariter eructat.(Versio vulgata) *corrupta est pudendâ inscitiâ Scholasticorum, Monachorum, Scotistarum, aliorumque humani generis excrementorum.* Hæc & talia plura retrimentitius Pappus cum suo saccophoro respondente.

Mox gloriosissimè spondet se omnia loca veteris Testamenti à Bellarmini defensionibus vindicaturum, quæ sectarij obiectant, tanquam in Latina editione perperam ex Hebræo versa. Et vt specimen det, quantus sit vindex, vnicum illum locum tangit ex Genesi: *Ipsa conteret caput tuum:* quem iis vindiciis à Bellarmini responsis vindicat; vt nisi Iunij, VVitackeri, & similium scrinia expilasset; nihil, quod diceret, habiturus fuisset. Si cæteros locos in ipso disputationis conflictu felicius à Bellarmino non vindicasti; operam & impensam perdidisti. Adi cap.13.lib.2.

VII. Mendacium. *Messem Siculam solœcismorum barbarismorum in vulgata editione inesse.*

VIII. Mendacium.*Idq, asinorum vitio:* ita enim loquitur noster Asinius. Mendacia hæc satis castigauimus ad cap.14. lib.2. Aegrè fert Alberici Gentilis I.C. Anglicani in defendenda vulgatæ versionis latinitate studium: Vocatque, *præposterum:* & hoc sit IX. Pappicum mendacium. Fuit enim studium rectissimum: & inter omnia, quæ Caluinista ille vnquam egit;hoc præcipuè meretur laudem, quod Hunnianam leuitatem & petulantiam tam probè depexuit: cui non satisfacit Pappus dum ait;*absurdum fore; si quis aliquid vertere vellet stylo Enniano, Plautino, Pacuuiano, Turpiliano.* Quid hoc ad rem? Neque enim vult Caluinista ille versionem vulgatam esse Ennianam, vel Pacuuianam; sed dictiones nonnullas; & quasdam loquendi formulas, quas Hunnius & similes sycophantæ insectantur, vt barbaras; ab optimis & antiquissimis auctoribus fuisse vsurpatas. Quis nescit, quantum gratiæ & venustatis orationi concilient prisca seu vocabula seu loquẽdi genera, si suo loco aptè, accommodatè, & temperatè orationi inspergantur?

Thesi 93. ingreditur Pappus disputationem de vulgaribus editionibus: & solita mendaciorum & conuiciorum fundamenta iacit; vt postea eiusdem generis ædificium superstruat. *Diligentissimè,* inquit thesi 101. *notandum venit, Pontificios sacræ Scripturæ nuncium planè remittere, & abs se longè spernere, quando sole clarius elucet, hac opinione*(quæ negat Lai- A cis scripturæ lectionem vernaculam esse ad salutem necessariam) *non solùm Laicos, sed etiam omnes in vniversum Clericos à sacræ Scripturæ lectione abduci, arceri & abigi.* Impudens mendacium. Quia alia est Laicorum ratio, alia Clericorum, si sint Pastores & Doctores: cum enim hi pascere debeant, oportet, vt scripturas legãt, alioqui suo munere conuenienter nec fungentur, nec fungi poterunt: at cum Laici, vtpote oues solummodo, pasci duntaxat debeant; non opus habent lectione; sufficit, si pabulum à pastoribus ritè præparatum illis offeratur & apponatur.

II. Mendacium. *Per hanc Ecclesiæ nostræ consuetudinem ingentia damna fidelibus inferri.* Mendacium hoc desinet esse id quod est, si transferatur ad morẽ B Sectariorum; qui Biblia vernacula omnibus indiscriminatim concedunt. Postquã enim hæc concessio per Lutherum & Prædicantes inualuit, & in mundum irrupit; tum fanaticorum hominum, nec finis, nec modus, nec numerus fuit; neque vnquam erit, donec tantæ & tam sacrilegę licentiæ fibula imponatur. Cur Lutherus & alij tot libros contra *Schvvermeros*, vt ipse vocat; hoc est, contra Phantastas, Enthusiastas, Entheos & Lymphaticos edere coacti sunt; nisi quia omnibus scripturas versandi potestatem non certè æquam, sed iniquissimam fecerant? Hinc & in Colloquiis proprius titulus exstat de *Svvermeris & Sectis*, & in eo titulo aliquot historiolæ auditu lectuque non iniucundæ, quia perspicuè C docent; quantos huiusmodi Lutherani Bibliorum lectores Bibliis euoluendis progressus faciant. Es kam einer mit namen Marcus Storck von Zwickaw zu mir / spricht Luther / der war mit Worten sehr freundlich / aber mit Geberden / vnd im Leben leichtfertig / wolt sich seiner Lehr halben / mit mir vnderreden / weil er sich aber ohn Schrifft zuthun vnderstunde / vnd vermaß / wolte ich ausser der Schrifft nit mit jhm zuschaffen haben / er thete dann Zeichen / Dann Gott lasts bey seinem Wort / daß er vns offenbart / vnd gegeben hat / bleiben / wil ausser / vnd ohn das nichts mit vns handlen. Darumb / sprach ich / must du Zeichen thun. Da / sagte er / in siben Jaren wirst du Zeichen sehen / welches der Teuffel auß jhm redete. Dann nit lang darnach im 25. Jar / folget darauff D der Bauren Auffruhr. Vnd saget weiter mit grosser Vermessenheit. Auch Gott selber soll mirs nit nemen. Sagte auch: Ich kans eim ansehen / ob er erwehlet sey oder nit.

Also kan sich der Satan nicht verbergen / verriete sich bald vnd brauchte selzame / vngewönliche Wort / als Pfund / Entgröbung / Langweilligkeit / Willigkeit / rc. Da fragte ich jhn. Wer solche Sprach verstünde? Antwort er / er predigte nicht / er hette dann geschickte vnd verstendige Discipul. Woher weist du dann / das sie geschickt sein? Sprach er / Ich wils jhnen bald ansehen / wann ich einen ansehe / so wil ich mercken / was er für ein Pfund hat. Lieber Marce / sagt ich / was hab ich für ein Pfund? Antwort er / jhr seyt im ersten Grad der Bewegligkeit / jhr werdet noch komen in den ersten

Grad der Vnbeweglikeit/in welchem ich bin. Da lase ich jhm ein guten Text / vnd ließ jhn darnach fahren. Es verdroß jhn aber sehr vbel / wie seine Geberde anzeigten. Darnach schrib er mir von Kemberg einen sehr freundlichen Brieff / vnd Vermanunge. Ich aber sagte / Ade lieber Marce.

Darnach kam zu mir vnser Drechßler/vnd da ich auß meinem Hauß gieng / redet er mich mit frechen Worten künlich an/ Herr Doctor/ ich habe ein Bottschafft an euch/von meines Vatters wegen: Da fragt ich jhn/ Wer ist dein Vatter? Sagte er / Jesus Christus. Der ist mein Vatter auch/ sprach ich. Was hat er dir befolhen / daß du mir sagen solt? Ich solle euch sagen / von meines Vatters wegen / daß Gott zornig auff die Welt. Wo hat er dirs dann gesaget? Antwort er: Gestern gieng ich zum Koßwicker Thor hinauß/da sahe ich ein kleines fewriges Wölcklin in der Lufft/ die war ein Zeichen/ daß Gott zörnet.

Darnach saget er von einem andern Zeichen/vnd sprach: Ich lag in einem tieffen Schlaff/vnd sahe die Seuffer sitzen/ die sagten: Es gilt / es gilt dir/ vnd die Hand Gottes vber sie. Darnach goß mir einer ein Kandel Bier auff den Kopff / daruon erwachte ich. Da sprach ich: Hat er dir nit mehr befolhen? Hörest du Gesell/ schertz mir nit mit Gottes Befelch / noch Name / vnd schalt jhn vbel. Er aber gieng mit zornigen/ vnd hoffertigen Mut daruon/ vnd sprach: Wer nicht helt/ was der Luther lehret/ der muß ein Narr sein.

Ein ander auß dem Niderland kam auch zu mir/ vnd wolt mit mir disputiern biß ins Fewr / da er doch gar vngelert war / zu dem sagte ich: Laß vns vmb ein Kandel Biers oder zwo disputiern. Da gieng er wider daruon / Dann der Teuffel / als ein stoltzer Geist/ kan nit leiden/ daß man jhn verachtet.

Hæc Germanica Lutheri verba elegantissimus & sympoliacorum Colloquiorum libro dignissimus Interpres hunc in modum latinè reddidit: *Anno 21. Marcus Storch me aggressus est suauissimis verbis, moribusquè leuissimis suam doctrinam mecum collaturus. Sed, quia sine scriptura docere præsumpsit, dixi; Non tecum conueni extra scripturam docentem audire, nisi signa feceris. Deus enim procedit in verbo: ideo tuum est, signa proferre. At ille dixit; In septennio videbitis signa (quæ verba Satanæ fuerunt) nam mox sequebatur tumultus rusticorum; ideo præsumptuosè dixit: Deus ipse auferre à me non debet, impudenter asserens; ego in facie hominis videre possum, an sit electus, nec ne. Ita Satan non potuit se occultare; & verbis suis prodidit se ipsum. nam miram habuit phrasin, vt crassities, &c. Interrogaui illum, quisnam illius phrasin intelligeret; respondit; se non prædicare, nisi aptos haberet auditores, vel discipulos. Vnde nosti illos aptos? Respondit; ex facie illorum facile cognoscere, & sentire possum, quale habeant donum. Mi Marce, quale ego habeo donum? Respondit; tu es in primo gradu mobilitatis; venies autem ad gradum primum immobilitatis, in quo ego sum. Postea reliqui eum satis increpatum, sed is leuissimis moribus ferebat. Et deinde ex Kemberga suauissimas literas, & adhortationes ad me misit: ego dixi; vale mi Marce.*

A *Deinde ad me venit ciuis quidam tornator, me domo exeuntem satis audacter appellauit, dicens: Domine Doctor, tibi nomine patris mei aliquid annuntiare debeo. Quis est pater tuus? Iesus Christus. Et ille quoque pater meus est. quid mandauit tibi, vt mihi renuntiares? Tibi, nomine patris mei, Deum mundi irasci, indicare debeo. Vbi tibi dixit? Respondit; hesterna die ciuitatem exiui per portam Kosvvizensem, videns paruam, & igneam nubeculam in aëre, quæ erat signum irati Dei. Deinde, aliud signum narrauit: Eram in alto somno, & videbam potatores bibulos dicentes; propino; & manum Dei super illos. Postea vnus ex illorum numero; cantharum cereuisiæ plenam effundebat super collum meum, & experrectus sum. Ego dixi; nihil amplius mandauit tibi? Audi me. tu nebulo, & noli Deum nostrum. ac verbum eius contemnere, vel* B *ludibrio habere. acerbè illum increpabam. at superbè abiit dicens: Omnis, qui verba Lutheri non obseruat, ac audit, pro stulto habetur.*

Ita alius ex inferiori Germania ad me venit, mecum ad ignem disputaturus, homo ineruditissimus, cui dixi: disputare volumus propter cantharum cereuisiæ; & sic illusus abiit. Hæc venustissimus Colloquiorum mensalium versor, dignissimum prorsus talibus patellis & matulis operculum.

Ne verò existimes solam Germaniam ex vernacula & promiscua Lutherana Bibliorum lectione tales fructus proferre; certus esto, alibi, vbi hic vernaculus & vulgaris abusus viget; idem contingere. De Anglia res clara est, multorumq; testimoniis publicis comprobata & confirmata; C & vt non esset; perspicuam tamen eam nobis testatamque redderet Hadrianus Sarauia Minister Caluinianus; origine quidem Belga; sed incolatu Anglus: qui in libro de diuersis gradibus Ministrorũ Euangelij aduersus Patriarcham suum Bezam euulgato mira refert de lymphaticis quibusdam Caluinianis Geneuensi musto vsque adeo ebriis; vt quouis *Mercurio sublimato* sublimius efferrentur & eueherentur. *Hi externam pacem cum Ecclesia Anglicana se retinere simulãt*, inquit Sarauia, *nec ordinationem ab Episcopis, & præsentationem à patronis reiiciunt: sed, eatenus admittunt, quatenus politicum quiddam esse censent: acerrimi interea sunt suorum Episcoporum hostes: quorum functionem & nomen, tanquam Antichristianum, detestantur: & tanquam non ritè ordi-* D *nati ab Episcopis fuerint, aliam ordinationem in suis conuentibus classicis, vel synodalibus accipiunt. Nam hi, nullam Ecclesiam omnibus suis numeris absolutam agnoscunt; nisi quæ Pastorem, Doctorem, Seniores, Diaconos, & Diaconissas habeat: & hos in quauis parœcia ordinandos censent ministrorum gradus.*

Ex his nati sunt & alij, quibus hæc tam accurata, tam diuina reformatio non placet: & omnia, quæ illi ad consistorium pastorum, doctorum, & seniorum deferri volunt; isti, ad populi referri iudicium oportere contendunt, illudq; esse pastorum, & seniorum officium, mandata populi exequi. Sed nec isti inter se consentiunt; sunt, qui publicè conceptas preces ex libro recitatas, aut antè meditatas contemnunt: imò etiam ipsam orationem dominicam: cœtus qui fiunt in templis, quæ nomina Apostolorum, aut alio-

rum

rum Sanctorum gerunt, detestantur: diem Martis, aut Lunæ dici, mensem Ianuarij, Augusti; vel Iunij idolo latriam censent. Isti, nullam in Anglia, nec alibi, præter suos cœtus, veram Christi Ecclesiam agnoscunt. Alij, qui paulò moderatiores sunt, Ecclesias suas seorsim in syluis congregant, aut aliis secretis locis: & Ecclesiam Anglicanam non alio loco habent, quàm Romanam, vtpote Antichristianam. Horum primipili fuere Edmundus Coppinger, Henricus Arthington, & VVilhelmus Hacket, &c. Coppinger ex doctrina de extra ordinaria vocatione has theses, siue quæstiones hauserat: persuasus, se moueri, & incitari Spiritu sancto ad res magnas: sicut olim Prophetæ, & iudices à Deo leguntur excitati, qui rempublicam componerent, & errantem populum in viam reuocarent. Quamuis multi hominem ab incepto tum priuatim, tum publicè deterrerent ab his furoribus: perrexit tamen confirmatus ab aliis quibusdam; nec destitit, donec nactus est socios, cum quibus plenius insaniret, &c.

Fertur Hacketus in concipiendis ex tempore precibus adeo excelluisse, vt Dei spiritu eum totum ardere, & ab eo ipsius regi linguam, isti duo (Coppinger & Arthington) crederent; quos adeo in sui rapuit admirationem; vt nihil eum precibus non posse crederent à Deo obtinere: proinde quiduis ab eo posse perfici, &c.

Tandem primas partes huic hypocritæ in hac fabula dederunt: & ipse duos comites suos Prophetas creauit, cuique propriam designans prouinciam, vt Edmundus Coppinger gratiam, & misericordiã Dei offerret populo; Henricus Arthington verò æternam damnationem, iramque Dei, nolentibus ipsis credere, denuntiaret. His ita constitutis, & consilio suo communicato cum VViggintono captiuo, quodam die mane hora octaua, Hacketum in lecto suo adhuc decumbentem, venére consalutatum regem: Coppinger vncturus eum in regem, ter pronus in terram procidit: adsurgens, ad lectum Hacketi propiùs accessit; qui exerta manu è lecto manum Coppingeri apprehendit; nihil, inquiens, vnctione tua mihi opus est. Iam enim è cælo ab ipso Spiritu sancto vnctus sum. Cùm Coppinger eum interrogaret, quid fieri vellet; ite, inquit, & ciuibus Londini nunciate; Christum Dominum è cælis descendisse, cum ventilabro in manu sua, vt iudicet orbem. Quod si quis vos roget, vbi sit; dicite, eum esse in ædibus VValckeri in fracto angiportu: si credere nolunt, veniant huc, & me, si possint, occidant: Mora, respondit Coppinger, in nobis nulla erit: Fiet, quod iubes: & confestim Coppinger abiit: quem subsecutus est Arthington.

Vix dum egressus illam domum, cœpit clamare Coppinger, de cælo noua immensæ commiserationis diuinæ, se afferre; Iesum Christum de cælo descendisse. Qui sequebatur Arthington, idem repetebat, & confirmabat: atque ita per vicos, & vrbis plateas progrediebantur: ad quos concursus populi magnus factus est: & publicam, & maximè frequentem vrbis plateam: vocatam cheapside deuenére: & iuxta pyramidem illi erectam, tanta populi multitudo conuenerat, vt progredi nusquam possent: carrum ibi vacuum conscenderunt; & inde ad populum cœpére concionari, vociferantes; Anglia resipisce, resipisce Anglia: & qui nam ipsi essent, exposuére populo: nempe, se Prophetas esse extra ordinem vocatos: vt alter, Dei misericordiam; alter, iudicium, & vindictam prædicaret. Hacketum magnis laudibus efferunt; &, quod ipsius esset officium, exponunt; videlicet, qui Christum repræsentet, sitque corporis ipsius gloriosi particeps, & præcipuo ipsius spiritu donatus, vt eius fungatur officio, & ventilabro secernat bonos, à malis; Euangelium per vniuersam Europam, & disciplinam Christianam introducat: iam aduenisse tempus, quo hæc omnia perficiantur.

Præterea populo narrabant vbi Hacketum vidissent, & vbi esset, & moraretur: se verò, esse Prophetas immediatè extra ordinem à Deo missos, vt ei in tanto opere adiutores essent: & hæc omnia adfirmabant cum suiipsorum diris imprecationibus, & execrationibus; exoptantes confundi, & in æternum damnari, ni res ita esset, vt fuerant locuti. Alter horum, Dei misericordiam, & ingentem consolationem, atque ineffabile gaudium pollicebatur omnibus, qui extemplo pœniterent: & hoc Euangelium; & oblatam opportunitatem reformationis amplecterentur. Alter autem horrenda Dei iudicia detonabat impœnitentibus, & in primis ciuitati Londinensi: quotquot non credebant, contestabatur corpore, & animo esse damnatos: futurum, vt homines in mutuas cædes ruerent, & lanienam hominum, tanquam porcorum, facerent: Hacketum esse Europæ regem, & ab omnibus ei esse parendum, qui hæc Dei iudicia vellent euadere: reginam iure regni sui excidisse, & dignam, quæ regno suo priuetur: consiliarios verò eius nonnullos esse perfidos regni proditores. Hæc facta sunt decima sexta die Iulij, anno Domini M. D. XCI. Hactenus Sarauia Caluinista.

Hi nimirum sunt fructus, quos parit promiscua vernaculæ scripturæ lectio; imperitæ plebi indiscriminatim oblata vel potius obtrusa; quæ & fœminas trudit in prælia, vt suo loco ostensum. Nec itero; Tantum quæro; an Pappus Argentoratorensis Thalthybius nihil vnquam audiuerit, de Argentinensi Catharina Zellina seu Cellia, vxore Matthiæ Cellij Prædicantis Argentinæ in summo templo; quæ non modò concionari, sed & titulum *concionatricis* sibi arrogare; & in Lutheranum Prædicantem Vlmensem Ludouicum Rabum Apologiam, tanquam in maledicum criminatorem, euulgare ausa fuit; quam Rabus haud vlla suo in Martyrologio sessione aut statione; vt Argulam illam à Stauffen, dignatus est, quod sciam; licet non sedulam operam quinto Euangelio nauasset, etiam aliis opusculis editis, de quibus Bibliothecæ Gesnerianæ Epitome. Vnde hæc tanta gratia huic Zvvinglianæ sagæ, nisi ex concessa à Luthero; Zvvinglio, & aliis vernacula Bibliorum lectione eo modo & ritu instituta; quo à Sectariis institui & peragi solet?

Sunt nonnulli ex Catholicis, qui arbitrentur, satius esse in vniuersum vernaculis scripturis imperitæ multitudini interdicere; si religionem sal-

Digitized by Google

uam velimus. Alij, vt Bellarminus: putant permitti posse; adhibito certo delectu. Hos vocat Pappus admodum lepidè & festiuè, *Mitiones & Dulcitios*, simulque mentitur thesi 103. Et fit tertium Pappicum mendacium; *Papistas inter se non conuenire; nec animaduertere, quàm turpiter in dogmatibus sibi inuicem contradicant*: nam nullus ex Catholicis est; qui non existimet, absolutè & simpliciter longè magis è re Christiana fore, si abstineretur à versionibus vernaculis: interim, quia temporum ratio aliud suadet, ac propemodum cogit; non damnant præcisè vernacularum scripturarum vsum; si delectus adhibeatur: versionesque non Hæreticos, sed Catholicos interpretes habeant. Neq; enim vllus ex auctoribus prioris sententiæ absolutè reprobat consuetudinem Catholicorum in his septentrionalibus locis, qui Hæreticorum importunitate adacti, in linguas vulgares, Germanicam, Gallicam, Anglicam, Polonicam sacra oracula de integro transtulerunt; concessu & nutu supremi magistratus.

IV. Mendacium. Thesi 106. *Non tantùm Laicos, hoc est, idiotas, à vernaculis versionibus, sed & artium linguarumq; peritos à Bibliis legendis arceri*; à Bibliis, inquam, Latinè, Græcè aut Hebraicè scriptis. Quod est inuerecundum commentum: nam nemo, ne in media quidem Hispania, prohibetur à lectione sacræ Scripturæ his tribus linguis comprehensę; siue sit Laicus, siue Ecclesiasticus; dummodo editio vel versio ex alicuius Sectarij officina non processerit.

V. Mendacium. Thesi 107. *Hardingum contra Iuellum hoc affirmare.* Nullo modo. Tantum dicit; scripturas non debere fieri promiscuè omnibus communes & vulgares, quod maximè fit per vulgares translationes: & hoc indicatum: quod Christus Apostolis dixerit. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum; cæteris autem in parabolis, &c.* hac ipsâ enim locutionis formulâ, Christum significasse: Scripturarum studium accuratum non competere vulgo; sed discipulis suis, eorumque Successoribus, Doctoribus & Pastoribus Ecclesiæ: ex quo tamen Hardingi discursu Pappus stultè conatur euincere, ne Latinè quidem, Græcè & Hebraicè doctos laicos scripturam posse hac triplici lingua lectitare; *quòd non sint Apostolorum successores*; cum nihil aliud inde sequatur; quam peculiare scripturarum studium præcipuè conuenire ministris Ecclesiæ; sic tamen, vt etiam non Ecclesiasticis earum linguarum in quibus scripturæ conceduntur, peritis, in iisdem reuerenter & religiosè versari liceat.

VI. Mendacium. Thesi 108. *Hoc sequi ex dicto quodam Henrici Blissemij nostri in defens. Assert. de Ecclesia, Principem in negotio religionis debere esse cæcum, & alienis prælatorum suorum videre oculis.* Quod dictum omnium propè Prędicantium chartis & calamis traducitur & laceratur: cuius non est sensus, quem Pappus & symmystæ comminiscuntur, nempe principi quamuis Latina, Græca vel Hebræa lingua exculto, nefas esse Bibliorum lectioni aliquid temporis impendere; sed principem sensuum scripturæ, atque adeo quæstionum & controuersiarum, quæ inde enascuntur, non debere esse iudicem; quia hoc iudicandi munus cum auctoritate de sacræ Scripturæ sensibus, & controuersiis fidei; tam parũ ei competit; quàm parum competit principis subdito; vt se, absque mandato Principis, constituat iudicem, ac definitorem ciuilium controuersiarum, quæ in foro externo oriuntur.

VII. Mend. Iesuitas in Postcolloquio Ratisbonensi *laudasse & veneratos esse dictum Blissemij et sensu, quo à Pappo adducitur.*

VIII. Mendacium. Laicos, etiam Principes, ab Hardingo, & aliis, haberi *pro porcis & canibus*. Mendacium Doctore Dulcitio dignum. Nec canes sunt, nec porci: nisi quibus mens canina vel porcina, hoc est, qui ita comparati sunt; vt scripturas abs se lectas pedibus suis conculcent; & conuersi omnia vetustatis scita & instituta diripiant & exterminent. Non omnis Laicus, qui ad scripturæ lectionem accedit, iam canis aut porcus est; sed periculum est; ne à Lutherana Circe in talem bestiam transformetur; si sancta non tractet sanctè; nec munda mundè.

IX. Mendacium. Thesi 111. Ex communibus Prædicantium Topicis. *Nihil impurius, nihil fœdius, nihil inquinatius excogitari posse, quam plerorumq; præsertim recentiorum Pontificum vitas.*

X. Mendacium. Thesi 115. 116. *Bellarminum, Stapletonum, Sanderum, Salmeronem non scribere ex animo, quæ de vernaculis versionibus concedendis, certo delectu habito*, scribunt. Sed viros tantos nemo vt bilingues accusat; nisi bilinguis; & qui aliud promptum in ore; aliud clausum in pectore circumferat.

XI. Mendacium. *Doctrina Bellarmini & aliorum reclamare perpetuam inquisitionum praxin.*

XII. Mendacium. *Insuper concionum rigorem.*

XIII. Mendacium. *Præterea deformationum nostri temporis tyrannidem.*

XIV. Mendacium. *Paucos esse hodie apud Pontificios, præsertim, vbi plenariam obtinent tyrannidem, qui non dicã legere, sed vel habere ausint codicem Biblicum in sua Oeconomia.* Mendacium hoc quod ad Latina, Græca, & Hebræa Biblia à Catholicis edita attinet; redarguit tota Italia & Hispania: Et quod ad vernaculas Catholicorum interpretum spectat; ab vniuersis Catholicis prouinciis & ciuitatibus in his septentrionalibus regionibus. Cui enim in hac nostra Bauaria interdicitur, ne domi suæ vernacula Eckij vel Dietẽbergeri Biblia habeat, & lectitet?

XV. Mend. Thesi 118. *A Bellarmino libro 2. cap. 15. Kemnitium mendaciter mendacij argui.* Vide quæ ibi dicta; & in Appendice secunda.

XVI. Men-

Digitized by Google

XVI. Mend. ibid. *Bellarminum & alios videri velle, quasi vsum scripturæ concedant; cum editiones passim inuadant & exurant.* Non Catholicas, sed Hæreticas; de his enim citatus à Pappo Gretserus expresse loquitur in Exercitat. Theol. prima parte supplement. cap. 10.

XVII. Mend. *Gretserum, & alios hac de re thrasonicè, tanquam de heroico actu gloriari.*

XVIII. Mend. *Catholicos scriptores hac in re pantomimos esse, & petulantissima libidine sua ludificari miseros laicos tanquam vappas & lappas.* Hoc conuicium non iniuria *vappæ* & *lappæ* lœdoriam & pseudologiam appellaueris.

XIX. Mend. *Iniustè Kemnitium à Bellarmino mendacij argui, quòd Decretum Clementis VIII. facultatem Episcopis olim circa concessionem vernaculæ scripturæ impertitam, restrinxerit:* nam Kemnitius sanctionem istam Clementis nunquam vidit; & durante adhuc Pij IV. sanctione suum illud mendacium effudit.

XX. Mend. *Ex decreto Clementis elucere, Bellarminum non seriò scripsisse; quæ de vsu vernaculorum Bibliorum nonnullis concedi solito scripsit:* quia Bellarminus hanc de scripturis disputationem prius euulgauit, quàm Clemens constitutionem illam ederet. Quocirca

XXI. Pappi esto mendacium, cum criminatur; *Bellarminum esse impudentissimè mendacem; & iniurium in hanc Draconicam Clementis legem.*

XXII. Mend. *Hanc Clementis legem multorum innocentum per Europam Martyrum & Confessorum cruore & sudore fuisse scriptam.*

XXIII. Mend. *Nil superesse, quàm vt Iesuitæ apertè fateantur, se esse plebis mangones & carnifices.*

XXIV. Mend. *Penitus sublatam esse lectionem vernaculam Bibliorum:* nam Pontifex vsum Bibliorum vulgarium concedere potest; est & Inquisitio generalis Romana. An non in his septentrionalibus prouinciis Biblia vernaculè ab orthodoxis versa leguntur, teruntur & de integro à Catholicis Typographis excuduntur, etiam post Clementinam illam restrictionem?

XXV. Mendacium. Thesi 122. *Leges huiusmodi, quas Pontifices ad fidei conseruationem pro tempore condunt, iudicio nostro, esse eiusdem infallibilitatis cum verbo Dei:* atque adeo immutabiles; *& tamen hanc legem, nempe, Regulam quartam Indicis librorum prohibitorum à Pio IV. editi, à Clemente esse mutatam; ac proinde decretum fidei, seu, quod fidei decreto æquiualeret, rescissum.* Nugæ & pseudologiæ Prædicanticæ. Quis vnquam legislatoribus vitio vertit; si leges antiquiores postea ampliando vel restringendo, addendo vel demendo perfecerunt? Sapienter pro tempore statuit Pius IV. quæ statuit. Temporis tamen progressio docuit, magis è re Christiana fore; si lex illa limitaretur; atque adeo facultas concedendi vernacula Biblia à locorum ordinariis ad summum Pontificem, & Inquisitionem Generalem Romanam transferretur. Quis vnquam dixit huiusmodi Pontificum sta-

A tuta & decreta esse immutabilia, instar definitionum, quæ de fidei dogmatibus sanciuntur & promulgantur?

XXVI. Mendacium. Thesi 125. Laicis sublata Bibliorum lectione, relinqui *Breuiaria, Missalia, Decretalia; hortulum animæ; & dormi securè.* Videtur Pappus diligenter euoluisse auctorem, qui inscribitur: *Calumniare & mentire securè.* Quid Laicis cum *Breuiariis* & *Missalibus*? Mox scurratur de Indulgentiis, & lectionem Thomæ, Scoti, Lombardi, Gratiani, Bonauenturæ, ait esse *saginam sat dignam pro canibus & porcis.* Cane & porco digna calumnia.

XXVII. Mend. Thesi 126. *Pontificios spiritu Mahometano impulsos vetare vernaculam Bibliorum versio-*
B *nem.*

XXVIII. Mend. *Item spiritu Iehoiakimi, Antiochi, Epiphanis, Diocletiani, Iuliani Apostatæ.* Thesis 128. Tricubitalem syllogismum continet, ex omnibus Iunij, Hunnij, VVitackeri & similium stramentis & ramentis contextum & confectum: Quem si euoluas & ex plicis, quibus implicatus est, explices: hæ exibunt Pappicæ, hoc est, stolidissimæ consecutiones.

I. *Deus omnipotenti suo digito scripsit in tabulis lapideis decalogum: ergo vernaculus scripturarum vsus omnibus sutoribus, sartoribus, sutricibus & sartricibus, vno verbo; vniuersæ multitudini libere concedendus est.*

II. *Scriptura scripta est per Prophetas & Apostolos diuina ordinatione & voluntate; ergo scriptura vernacu-*
C *la omnibus plebeiis permitti debet.* Antecedens est clarum in schola Pappi. Et clarior longè consequentia.

III. *Scriptura diligentissimè scripta est à Prophetis & Apostolis; ergo vernacula lectio nemini prohiberi debet.*

IV. *Prophetæ & Apostoli scripserunt scripturam in vsum Ecclesiæ & singulorum eius membrorum communiter & sigillatim;* hoc est, vt quiuis idiota immediatè & per se vernaculè conuersam legeret; *fit ergo iniuria mulionibus, agasonibus, lanionibus, fartoribus, lictoribus, carnificibus, & id genus aliis, quando vernaculis versionibus contra Prophetarum & Apostolorum mentem fraudantur.*

V. *Ad vsum, hoc est, ad lectionem scripturæ vernaculæ*
D *alligata est ex mandato omnis Ecclesia; hoc est, omnes fideles seu collectiuè seu sigillatim sumpti: ergo nefas est, si à vernacula lectione arceantur.*

VI. *Omnes pij voluerunt & volunt ex tali mandato esse alligati ad vernaculam scripturæ lectionem; sequitur ergo, quod antea.* Antecedens est perspicuum; si per omnes pios intelligas tantum Lutheranos & Caluinianos; aliosq; Nouatores. Nam si intelligas Pontificios, qui vel hodie sunt, vel ante Nouatores nostros exstiterunt; antecedens periclitabitur de naufragio; imo si non naufragium, saltem lumbifragium patietur.

VII. *Necessitate obiecti seu cultus omnibus & singulis necessaria est vernacula scripturæ lectio, ergo, &c.* Si neges antecedens; mox aduolabunt efficacissimæ

proba-

Digitized by Google

A probationes; vt ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Ioan.5. *Scilicet sagaciter inquirite in scripturis, metaphora sumpta à venatoribus:* ergo verum est illud Pappicum antecedens; præsertim cum probatio Græcè sit adducta. Quis autem nescit probationem Græcam esse fortiorem & efficaciorem Latina?

VIII. *Scriptura vernaculè versa est omnibus simpliciter necessaria necessitate finis,* hoc est, vt salutem animarum consequantur; *ergo, &c.* Antecedens *patet manifestè ex illo Græco testimonio de Timotheo;* ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως. Ex quo nascitur hæc collectio. *Timotheus ab infantia sacras literas didicit; quæ possunt instruere ad salutem per fidem; ergo sacra scriptura vernaculè versa omnibus Laicis ad salutem est necessaria.*

B IX. *Sine scriptura vernaculè versa non possumus consequi media ad salutem animarum necessaria; impiè ergo faciunt, qui promiscuum scripturæ vernaculæ vsum non ferunt.* Et ex his omnibus *solidissimè stabilitis, sequitur ineuitabili necessitate: Scripturæ sacræ & vernaculæ lectionem laicis nullo modo esse indifferentem, & per consequens, Stapletoni, Iesuitarumque, & denique totius Romanæ Ecclesiæ in hoc dogmate doctrinam, esse longè falsissimam, impiam & perniciosam.* Conclusum est: Nemo contrà hiscat. Nemo mutiat. Stant consequentiæ Pappicæ duro adamante nexæ, quas firmat testimoniis Patrum; mentiturque, & sit XXIX. mendacium Pappicum, *vniuersam Ecclesiam purioris antiquitatis, orientis pariter & occidentis pro se militare, instructa acie.* Consule caput 15.

C & 16. vbi omnia testimonia Patrum explicata inuenies.

Interim nota hoc XXX. Pappi mendacium. *Laicis ne summaria quidem aut compendia Bibliorum historica hodie concedi.* Sanctio Clementis loquitur de *summariis & compendiis* vulgari lingua conscriptis; Pappus de omnibus absolutè; ideo mentitur; quia Latina, Græca, Hebraica à Catholicis condita; nemini negantur. Est & XXXI. in his Pappi verbis mendacium. Nemini talia concedi. Conceduntur enim; & concedi possunt, sed à Pontifice & Inquisitione Romana generali; & ab illis; quibus hoc concedendi facultatem concesserint.

XXXII. Mend. Thesi 135. *Stapletonum ex Chrysostomo facere sycophantam aut sophistam nugiuendum.*

D XXXIII. Mendacium. Thesi 141. *Hodie, si quis idiotarum Psalmos canit apud Pontificios, illico vociferantur Sacrilegi sacrifici: Hæreticum, sine dubio hæreticum.* Mentiris; si canat, Psalmos Dauidis. Canat & recinat; nemo interturbabit. At Psalmos Lutheri, & Psalmos Dauidis esse eosdem, tum nobis persuadebis, cum Lutherum Dauidem esse monstraueris.

XXXIV. Mendacium. *Tales abripi ad carceres & torturas.*

XXXV. Mendacium. *Testari id quotidianam experientiam in Hispania.*

XXXVI. Mendacium. *Item in Stiria.*

XXXVII. Mendacium. *Item in Bauaria.*

A Auctum mendacium. *Item alibi.* Tot annis dego in Bauaria; neque vllum vnquam vidi propter Dauidicorum Psalmorum modulationem ad carceres & torturas abreptum.

XXXVIII. Mendacium. *Bellarminum confidentissima & mendacissima audacia scribere non veritum vniuersam Ecclesiam semper his tantùm linguis Hebræa, Græca & Latina vsam in communi & publico vsu scripturarum.* An non probauit hoc assertum Bellarminus lib. 2. cap. 15. Cur non refutasti si poteras?

XXXIX Mend. *Bellarminum fuisse memorem Ciceroniani illius eum, qui semel verecundiæ fines transierit, oportere esse gnauiter impudentem.*

XL. Mend. Thesi 143. *Syros, Ægyptios, Persas, Indos, Æthiopas, & innumeras alias gẽtes in publico & communi scripturarum vsu linguas vernaculas adhibuisse.*

B XLI. Mend. *Et hoc testari Chrysostomum.*

XLII. Mend. *Item Basilium.*

XLIII. Mend. *Et Theodoretum.*

XLIV. Mend. *Hieronymum præfatione ad Damasum expressè testari scripturam, multarum gentium linguis ante se translatam esse.*

Ait Pappus thesi 146. 147. 148. *Hieronymum esse Illyricarum literarum, inuentorem Chrysostomum Armeniacarum, Vlphilam Gotthicarum: Primum transtulisse Biblia in linguam Dalmaticam: Alterum in Armenicam. Tertium, in Gotthicam.* Esto, non immoror. De singulis suo loco abundè cum Bellarmino diximus. Hoc vice antecedentis posito, audi Pappicum XLV. mendacium; *ergo Dalmatiæ, Armeni,*

C *Gotthi publico in scripturarum vsu, vsi sunt scripturis vernaculè redditis; ergo Bellarmini assertio falsa.* Quasi verò, licet verum esset, quod isti canunt; non posset scriptura vernaculè reddi in priuatum vsum: Perinde ac si dicas: Germani, qui Pontificem Romanum venerantur, habent Biblia Germanica; Poloni, Polonica. ergo Catholici Germani & Poloni in publico scripturarum vsu vtuntur lingua Germanica & Polonica.

XLVI. Mend. Thesi 147. S. Augustinum lib. 1. de doctr. Christ. cap. 5. affirmare, *vernaculas linguas in publico scripturarum vsu esse adhibitas.*

XLVII. Mẽdacium. *Romæ ita inualuisse vsum linguæ Gotthicæ; vt etiam publico in vsu scripturarum lingua latina abolita fuerit.*

D XLVIII. Mend. *Obstare assertioni Bellarmini id, quod Æneas Syluius refert, de Cyrillo & Methodio; qui Romæ à Pontifice impetrarunt; vt gentes abs se ad fidem Christianam traducta lingua Sclauonica in sacris obeundis vti possent.* Quid? An non huius ipsius historiæ & obiectionis meminit Bellarminus? An non caussam reddit; cur acciderit? An ideo verum non est, vniuersam Ecclesiam semper his tantum linguis Hebræa, Græca & Latina in publico & communi scripturarum vsu vsam esse; quia cum quibusdam dispensatum est; vt secus agerent? Num dispensatio communem morem & legem tollit? Dispensatum est autẽ cum his ob inopiam eorum, quibus Latina vel Græca lingua nota esset.

Valde arrident Pappo hæc Ioannis Pontificis verba in Epist. ad Sfentum Comitem apud Baronium Anno 880. *Nec sane fidei, vel doctrinæ aliquid obstat, siue Missas in eadem Sclauonica lingua canere, siue sacrum Euangelium, vel lectiones diuinas noui, & veteris testamenti benè translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere: quoniam, qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam, ipse creauit & alias omnes ad laudem, & gloriam suam. Hic tu arrige aures Bellarmine,* vociferatur Pappus; *quid tibi videtur de hoc Pontifice? Dic, sodes.* Quid videretur? Quid? nisi sapientissimè egisse Pontificem, cum populis illis nuper ad Christianam fidem adductis potestatem fecit lingua Sclauonica vtendi in obeundis sacris; ne propter inopiam ministrorum Latinè peritorum in Ethnicismum reciderent.

XLIX. *Decretum Ioannis Pontificis non posse conciliari cum decreto Clementis VIII.* Cur, quæso? An decreuit Clemens VIII. cum nulla natione dispensari posse, vt in publico scripturarum vsu vsurpet linguã vernaculam? An dixit Clemens, Ioannem male egisse, cum super hac re cum Morauis & Sclauis dispensauit? *Concilia, si vir es,* inquit Pappus, *hoc decretum cum decreto Clementis VIII.* Quis conciliator hanc tantam ἐναντιότητα conciliabit & concordabit? Vbi, oro, hæc discordia, nisi in male constituto Pappi cerebro?

Porrò cum supradicta Ioannis Pontificis verba voluptate tam liquida Pappi animum perfuderint; quærere lubet, quantum delectationis perceperit ex his, quæ statim Pontifex subiicit: *Iubemus tamen, vt in omnibus Ecclesiis terræ vestræ, propter maiorem honorificentiam, Euangelium Latinè legatur; & postmodum Sclauonica lingua translatum in auribus populi, Latina verba non intelligentis annuntietur, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et, si tibi, & iudicibus tuis placet, Missas Latina lingua magis audire, præcipimus, vt Latinè Missarum tibi solemnia celebrentur.* Brutum palatum Pappi oportet esse; si dulcedinis, quæ in hac oratione latet, nullum sensum cepit.

L. Mendacium. Thes. 150. Bedam lib. 1. hist. Angl. dicere *in quinq; linguis Britannicis scripturas fuisse lectas.* Vide quæ dicta sunt ad cap. 15. col. 818.

LI. Mendacium. Thes. 151. *Ex legibus Caroli Magni leg. Francicar. lib. 1. c. 74. apparere, ante Pipinum in Ecclesiis Gallicanis morem fuisse, vt Gallicâ linguâ Liturgia sacra peragaretur: quam postea consuetudinem Pipinus mutauit, effecitq;, vt Latinè deinceps peragerentur sacra, Pontifici gratiam relaturus.* Capitulare octogesimum edit. Pithæanæ ita habet: *Monachi, vt cantũ Romanum pleniter, & ordinabiliter per nocturnale, vel gradale officium peragant, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus rex decertauit, vt fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob vnanimitatem Apostolicæ sedis, & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.* Hæc capitulare, ex quo imperitissimè & mendacissimè extundere conatur Prædicans; ante Pipinum Missas Gallicâ linguâ fuisse celebratas; cum nihil hic agatur de lingua seu idiomate; sed de cantu seu melodia. Antea enim Galli suas quasdam proprias melodias vsurpabant. Pipinus, vt se cum Romana Ecclesia in melodia conformaret; Francicâ valere iussâ; Romanam induxit in vsum & templa. Itaque sicut hodie diuersæ diœceses suas habent melodias cantandique modos; ita & olim: & sicuti nunc, cum Diœcesis aliqua est, quæ Romanam psallendi & collectas, preces publicas, sacramque scripturam concinendi rationem amplectitur, relictâ propriâ; nõ rectè colligimus, illam diœcesin antea in Missarum celebratione non Latinam, sed vulgarem quampiam linguam vsurpasse; ita & ex facto Pipini idem verè non concluditur; cum aliud sit lingua, aliud symphonia.

LII. Mendacium. VValafrid. Strabum de rebus Ecclesiast. cap. 27. scribere *Scytharum gentes, & maximè Tomitanos, in suæ locutionis proprietatem libros diuinos transtulisse.* Malè citatur cap. 27. pro 7. Deinde fraudulenter verba VValafridi deprauantur. Accipe ipsamet; *Ex fidelium fratrum relatione didicimus apud quasdam Scytharum gentes, maximè Tomitanos, eadem locutione diuina hactenus celebrari officia.* Hæc sunt Strabonis verba; quæ si integrè & sincerè adduxisset Pappus; plus effecisset. Ecce enim Tomitani suâ Scythicâ linguâ sacra publica celebrarunt: teste VValafrido; & tamen Bellarminus asserit, nullam, præter tres illas principales linguas, in publico scripturarum vsu fuisse vsurpatam. Sed Bellarminus Respondebit; hos Tomitanos vel fuisse Hæreticos à Gotthis Arianis itidem Ponti Euxini incolis & accolis deprauatos: vel certè eos id fecisse approbantibus iis; quorum id est approbare, propter penuriam ministrorum, Græcè, Latinè vel Hebraicè intelligentium: hoc autem non obstare; quò minus verum sit, quod affirmauit; esse enim dispensationem factam; quæ communi mori & consuetudini non creet fraudem.

Ibidem hæc habet Strabo. *Et, vt historiæ testantur, postmodum studiosi illius gentis diuinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerunt; quorum adhuc momumenta apud nonnullos habentur.* Alludit nimirum VValafridus ad factum Vlphilæ, de quo suo loco. Sed quid hinc extundent sectarij, cum Vlphilam Arianum fuisse ipsimet aduersarij non ignorent.

Cæterum quæcunque Pappus profert Thesi 152. & septem sequentibus, Bellarminum ne tangunt quidem. Vbi enim negauit Bellarminus post primos quadringentos à Christo nato annos sacras litteras, vel aliquas earum partes in vernaculas linguas esse translatas? Asserit deinceps Bellarminus: Scripturas nunquam fuisse lectas in vsu communi & publico linguâ vernaculâ; sed tantum Hebræa, Græca, Latina. Hanc assertionem Bellarmini non intelligens Pappus rudissimè contra rudit: *Euangelium S. Ioannis tran-*

ſtulit Beda in ſermonem Anglicanum; ergo falſum eſt, quod Bellarminus tradit. Vt verum ſit, quod de Beda refertur; num ideo tranſtulit; vt Euangelium S. Ioannis publicis in Eccleſiæ ſacris & conuentibus Anglicè legeretur? Et cur ſolum Euangelium S. Ioannis? Cur non & aliorum Euangeliſtarum & Apoſtolorum, imò & Prophetarum ſcripta?

Interim LIII. Pappicum eſto mendacium; quod citat caput 1. lib. 1. Hiſtor. Angl. quaſi Beda eo loco teſtetur, ſe Euangelium S. Ioannis in Anglicanum ſermonem vertiſſe. Nihil de hoc ibi Beda.

LIV. Mendacium imperitiæ hiſtoricæ luculentiſsimum indicium Theſi 154. *Concilium Viennenſe ſub Clemente V. celebratum eſſe Viennæ Auſtriæ.* O ruditatem & inſcitiam, ne minimo quidem Pappico *Saccophoro*, nedum Pappo dignam. An nullam nouit Pappus Viennam ad Rhodanum? Tabulas Coſmographicas inſpiciat, vt ſuum *Beaniſmum* agnoſcat.

LV. Mendacium. *Clemens V. ſtatuit, vt in præcipuis Academiis doceretur lingua Hebraica, Chaldaica, Arabica & Græca; ergo falſum eſt, quod Bellarminus dicit; in publico & communi Eccleſiæ vſu non fuiſſe aliam linguam vſurpatam, præter Latinam, Græcam, Hebræam.* Concluſum & collectum Pappicè.

LVI. Mendacium. *Sacra ſcriptura eſt ager, & publica res, in aperto cunctis hominibus poſita, & populis cunctis legere vel audire cupientibus propoſita; ergo Bellarminus ſplendide mentitur, quando dicit in publico & communi Eccleſiæ vſu nunquam niſi tres ſæpe iam nominatas linguas fuiſſe vſurpatas.* Argutè omnia, vt Pappum agnoſcere queas.

LVII. Mend. *Melchior Nunnes Ieſuita ſcribit in quadam Epiſtola, Indos quoſdam ſchiſmaticos vti lingua Chaldaica in ſacris ſuis; ergo falſum eſt, quod Bellarminus ſcribere non veretur. Eccleſiam Catholicam tantummodo vti tribus ſæpe dictis linguis; quia ſchiſmatica Eccleſiola vtitur alio idiomate, ergo,* &c.

LVIII. Mendacium. *Idem colligitur inde, quia omnes Eccleſiæ Aſiæ vtuntur lingua Syriaca, vt noſtri Latina. Arabica lingua latiſsimè patet: ergo iterum mentitur Bellarminus in ſua crebrius iam nominata aſſertione. Quia ſchiſmatici vtuntur lingua diuerſa ab illis tribus; ergo non eſt verum, Eccleſiam Catholicam tantummodo tribus illis linguis vti.* Porro ſi qui in Syria, vel alibi, Orthodoxi lingua vulgari vtuntur, faciunt id conſenſu & conceſſu ſedis Apoſtolicæ: Ex quo iterum ſequitur Pappica contra Bellarminum concluſio: cui, poſtquam Prædicans multa deblaterauerat, & nec vel ſemel Bellarmini mentem ac ſententiam attigerat; hanc ſubnectit clauſulam plenam impudentiæ & thraſonicæ inſcitiæ. Theſi 160. *Exiſtimo tandem abunde me effectum dediſſe, quod contra Bellarminum probare intenderam.* (At ego exiſtimo me iure nunc

LIX. Tuum mendacium numerare poſſe) *Scripturas diuinas non modò priuatim, quod largitur Bellarminus Tom. 1. lib. 2. cap. 8.*

(Mendacium LX.) *Sed & publicè, & publica auctoritate omnibus ætatibus diuerſis diuerſarum gentium vernaculis linguis lectas & in ſacris vſurpatas eſſe.*

Mendacium LXI. *quod omnibus ætatibus.* Vbi probaſti hoc de ætate à Chriſto prima? vbi de ætate ſecunda? vbi de tertia? vbi de alia? Imò de nulla probaſti; niſi quod vnum vel alterum exemplum diſpenſationis; & totidem ſchiſmaticorum attuliſtis quæ tanti facimus, quanti ſectariorum Germanicè ſua peragentium profanam conſuetudinem. Pudeat te Prædicans tantæ vanitatis & arrogantiæ, qui cum Bellarminum ne intelligas quidem cum tuo *Saccophoro Beano*; hoc tamen vaniſsimo thraſoniſmo vel potius Corybantiaſmo illuſtriſsimum totoque Chriſtiano orbe celeberrimum Cardinalem inuadis. *Quod Bellarminus ſolenni conteſtatione negare non eſt veritus.* Ego non vereor numerare hoc LXII. tuum mendacium. Vbi hæc ſolennis conteſtatio? vbi negauit Bellarminus, ſcripturas labentibus annis à nonnullis in vernacula idiomata verſas? *Si seriò*, inquis, *admodum, vt apparet, imperitè,* (ſubaudi, mentitur Pappus.) *Sin minus, admodum impudenter & fraudulenter* (ſubintellige, mentitur Pappus.) Quis tanta *διανοίας* laborat *ἀῤῥωστίᾳ* (vtor verbis Pappi) *qui non videat, Pappum eſſe calumniatorem?*

LXIII. Mend. *Idem contra Bellarminum liquere ex Cauſ. 7. q. 7. cap. ſecuti.* Nam Cauſſa ſeptima tantum duas habet Quæſtiones. Et in iis nullum apparet cap. *ſecuti*. In Cauſ. 2. q. 7. exſtat quidem cap. *ſecuti*. Sed in illo nihil huius comparet: Et eſt Bedæ; non Euſebij, quem Pappus allegat: qui nobis has pretioſiſsimas conſequentias *maſticandas*, vt ipſe alicubi loquitur, apponit. *Nicolaus Pontifex d. 96. C. vbi, iubet Laicos Synodalibus conuentibus intereſſe.* (Bona tua venia Pappe, liceat hic numerare LXIV. tuum mendacium, nam Canon non loquitur de Laicis vniuerſim, ſed de Imperatoribus; nec de his, niſi reſtrictè. *Vbinam legiſtis*, inquit Pontifex, *Imperatores, anteceſſores veſtros, Synodalibus conuentibus interfuiſſe, niſi forſitan, in quibus de fide tractatum eſt?*) *ergo ſcripturæ debent verti in linguas vernaculas, vt & Laici eas legere, & in Synodis ſuam ſententiam dicere poſsint.* Præclarè.

II. *Fides eſt vniuerſalis & communis, ergo ſcripturæ transferri debent in linguas vernaculas.* Patet conſequentia. *Quia alioqui fides non erit communis & vniuerſalis omnium.* Argutè.

III. *Gregorius de Valentia fatetur, eas fidei veritates, quæ neceſſariò ab omnibus hominibus cognoſcendæ ſunt; perſpicuè ferè in ſcriptura doceri: Ergo ſcriptura verti debet in linguas vernaculas.*

IV. *Laici debent ſuos paſtores exorbitantes in ordinem redigere; ſed hoc non poſſunt præſtare, niſi habeant Biblia vernacula, ergo,* &c. Subtiliter. Præſertim ſi ſpectes Maiorē: Ex cuius præſcripto ſi populus

cum

cum Prædicantibus agere ingrederetur, mox Prædicantes totis viribus & vocibus Maiorem falsitatis arguerent.

V. Thesi 163. *Non est Iudæus neq, Græcus, sed omnes vnum in Christo; ergo omnes debent legere vernacula Biblia. Cur enim meliore conditione esset Græcus aut Latinus; quàm Anglus vel Germanus?*

LXV. Mend. Thes. 166. *Esdram, cum legit publicè scripturas, tantum interpretatum esse*, hoc est, paraphrasticam exegesin addidisse; *non vertisse*; hoc est, verba scripturæ Hebraicè lecta in linguā auditoribus notam transtulisse. Vide cap. 15. libri secundi.

LXVI. Mendacium. *Hoc sacrum textum habere manifestè.*

LXVII. Mendacium. *Impossibile fuisse sacram scripturam rectè legere absq, punctis vocalibus.* Insigne mendacium. Cum & hodie sint, qui quælibet Hebræa sine punctis perfectè legant. Si mihi non credis, Caluinianum Drusium adeas licet.

LXVIII. Mendacium. *Ad tempora Nehemiæ & Alexandri Macedonis durasse* Hebrææ linguæ in vulgo vsum, nec ante inualuisse corruptionem, quàm Reges Syriæ omnia confudissent. Vide verò, quàm stolidis insaniis suum somnium stabilire conetur Pappus. I. *Christus incipiens à Mose & Prophetis interpretabatur discipulis in omnibus scripturis, quæ de se scripta erant: ergo Hebræa lingua erat tunc Hierosolymis vulgaris, non Syriaca; vt vult Bellarminus.* Probatur consequentia. *Quia Christus non potuit aliter interpretari scripturas discipulis, nisi Hebraicè:* quia non intellexissent alterius linguæ interpretationem. Perinde ac si diceret. Pappus suo saltem iudicio, interpretatur auditoribus suis omnia, quæ Prophetæ de Christo prædixerunt, ergo hoc non facit, nisi lingua Hebræa.

II. *Philippus interpretatus est scripturas Eunucho Candaces Reginæ, & Eunuchus textum intellexit; ergo Hebræa lingua erat vulgaris.* Similiter ac si dicas. *Pappus in Germania Sturmio scripturas Latinè explicauit; Et Sturmius Latinum textum intellexit; ergo Latina lingua est vulgaris in Germania.*

III. *Dicere Hebræam linguam in vulgari vsu cessasse, est contra solennes Prophetias de omnium per vniuersum orbem terrarum cultu; ergo, &c.* Si neges antecedens; è vestigio probatum videbis ex illo Isaiæ 66. v. 18. *Tempus veniet, vt congregem omnes gentes & linguas, venientq, & videbunt gloriam meam.* An non est hæc insignis probatio?

Præterea. *Anno deportationis quadragesimo Propheta Ezechiel adhuc scripsit Iudaicè; ergo falsum est Hebræam linguam non fuisse vulgarem populo ex captiuitate reuerso.* Perinde ac si diceret: *Manutius hoc nostro tempore scripsit in Italia Latinè; ergo falsum est; Latinam linguam in Italia non esse vulgarem & vernaculam.* Nimirum, vt nunc docti duntaxat in Italia linguam Latinam intelligunt, ita & inter Iudæos doctiores solummodo linguam Hebræam tenebant.

V. *Post captiuitatem Hebraicè scripserunt Haggæus, Zacharias, & Malachias: ergo Hebræa lingua tum etiam erat Iudæis vulgaris.* Absurditatem huius tui delirij intuere in hoc speculo. Muretus, Victorius, & Sigonius Latinè scripserunt in Italia diu post Romanorum, Gotthorum & Longobardorū tempora; ergo Latina lingua erat, illorum ætate adhuc in Italia vulgaris & vernacula.

VI. *Paulus perorauit Hebraicè ad populum. Act. 21. & 22. ergo*, &c. Sed, ô bone, Hebraicè, Syriacè, nam & Syriaca nomen Hebrææ habebat; vt visum ad cap. 15.

VII. *Christus accepit Esaiam, Lucæ 4. & legit in Synagoga Hebraicè, intelligentibus auditoribus.* Adde, doctioribus; legebatur nimirum textus lingua verè Hebræa; tum subiungebatur linguâ Syriacâ, tunc vernaculâ; expositio.

VIII. Christus locutus est cum Paulo Hebraicè Act. 26. *& titulus Crucis scriptus fuit Hebraicè, ergo Hebræa lingua erat Iudæis vulgaris.* Perinde ac si dicas. *Pappus loquitur Latinè cum symmysta suo Marbachio; ergo Latina lingua est vulgaris in Germania. Pappus Latinè scripsit ad Sturmium; sequitur ergo quod antea. Titulus Crucis fuit etiam Latinè conscriptus; ergo Latina lingua erat Iudæis vulgaris & vernacula. imo & Græca; quia Græcè itidem conscriptus fuit.*

IX. *Act. 15. dicit Iacobus, Mosen ab antiquis ætatibus habere, qui ipsum prædicent, cum in Synagogis per singula Sabbatha legatur; ergo intelligebatur:* Textus ipse à doctioribus; explicatio textus ab omnibus; quia instituebatur vernaculè.

Quæ Pappus Thes. 167. fabulatur, ea sublegit ex Iunio & VVitackero; vt & illa; quæ Thesis 168. & 169. complectitur; vbi annota LXIX. Pappi mendacium; Ante Carolum Magnum *sacra quoque in lingua populo nota*, hoc est, aliâ, quàm Latina; *celebrata fuisse, probari posse euidenter ex historia quæ tempore Martini, Episcopi Turonensis contigit, referente eam Sulpitio Seuero, in vita Martini. Nam, cum lector, cui eo die officium incumbebat, abesset, turbatis ministris, vnus ex circumstantibus Psalterio sumpto, quem primum versum inuenit, arripuit. Psalmus autem hic erat: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Quo lecto, populi clamor attollitur; & pars aduersa confunditur. Ergo sacra celebrabantur tunc lingua vulgari*, hoc est, non Latina. Mirabilis collectio. vt apud Afros, ita & apud Gallos intelligebat tunc populus linguam Latinam: Quocirca is, qui, Psalterio sumpto, Psalmum legit; non vernaculè; sed Latinè legit; neque quidquam aliud vnquam ex verbis Sulpicij extundes; licet ea in mortario in tenuissimum pollinem contundas.

Thesis 171. Impetum facit in sanctorum historias, quas *Legendas* vocamus; mentemque suam suorumque maledictis & mendaciis pascit.

LXX. Igitur Pappi mendacium sit; *scribi de Ignatio Loiola, quod ad Venerem valdè procliuis fuerit.* Quis hoc fide dignus scribit? Nam te & tuos, & Hasenmüllerianos balatrones, & verberones ne vnius quidem assis æstimamus.

LXXI. Mendacium. *Ignatium stupri commercium habuisse cum Isabella Rosella caci cuiusdam vxore.* Dignum mendacium Diaboli Satellite ac fido ministro.

Verbosè declamitat Pappus contra id, quod Bellarminus dicit, rudes & imperitos offendi posse dictis vel narrationibus quibusdam sacræ scripturæ; si passim vernaculo sermone proponerentur & diuulgarentur. Occlamat Prædicans; *non esse periculum: Eloquia Domini esse casta; lucida; illuminantia oculos; dulciora super mel & fauum;* &c. Quidquid Prædicans contra tendat; experientia huius mali clara est & perspicua; Hinc & Hebræi olim non quosuis ad quoslibet libros admittebant. Notant id cum alij; tum Caluinianus Burdo in Eusebianis animaduersionibus, vbi ista: *Iudæi apocrypha vocant ea, quorum lectione abstinent imbecilliorum animos, vt non ad ea admittantur, nisi & ætate, & iudicio maturi; quale est initium Ezechielis, totus Ecclesiastes Salomonis, & si qua sunt eiusmodi. Imò, quidam Hebræorum scribunt Koheleth, id est Ecclesiasten, apud veteres Hebræos fuisse ἀπόκρυφον, & ad eius lectionem, non nisi doctissimos, & verbi diuini peritissimos admitti solere.*

Thesis 181. nihil aliud est, quam vnum quoddam continuum mendacium & maledictum. Excerpamus tamen singula.

LXXII. Mendacium Pappicum; *Pium V. esse Auctorem Indicis librorum prohibitorum.* Non enim eu Pius V. sed Pius IV.

LXXIII. Mendacium. *Clementem VIII. Linum fumigans non solum posuisse subter modium sed penitus exstinxisse & conculcasse,* hoc est, scripturarum lectione Laicis penitus interdixisse.

LXXIV. Mendacium. *Et hoc eo fine, vt vespertiliones & nycticoraces Romanenses insolentius tumultuari possent in tenebris, & Iesuitastri Andabatarum more luctari cum laruis Purgatorij.*

LXXV. Mendacium. Thesi 183. *Sanctionem Concilij Tridentini Sess. 22. de sacris publicis lingua vulgari non celebrandis, esse Draconicam & cruentam legem.*

LXXVI. Mendac. Thes. 184. *Dolere Pontificiis, Christianos Laicos ex recitatione sanctorum officiorum vernacula in Theologia multum proficere.* Imò nostro iudicio, nihil proficiunt; nisi in peius & deterius, nam quod Catharinus à Prædicante citatus dicit; *Lutherum hoc suo more ex plebeiis fecisse Theologos;* minimè vult factos veri nominis Theologos; sed Theologos Lutheranos; qui à fatuis haud magno discrimine secernuntur. Cum autem Lutherani tantos progressus in Theologia faciant, ex dimidiata duntaxat vernacula recitatione officiorum Lutheranorum; dimidiata, inquam, multa enim canunt adhuc Latinè, vt patet ex eorum libris, quos *Agendas* appellitant; quantos progressus facere oportet Caluinianos, quibus non est dimidiata vernacula recitatio; sed integra & perfecta; nihil enim suis in fanis, nisi vernaculè agunt. Hinc vbi Caluinus, excluso Luthero, introducitur; è vestigio id, quod de Latino vsu adhuc superest, pellitur, tanquam Papisticũ. *Anno Domini 1596. Princeps Anhaltinus, in Ecclesiis suæ ditionis,* inquit Hospinianus, in Sacramentaria Historia, *reliquias Papatus, videlicet Exorcismum in baptismo, cantum in peregrina lingua, Cruces, imagines, picturas in templis, indumenta Papistica in celebratione Cœnæ, altaria lapidea, hostiolas rotundas in Cœna sacra hucusq; vsurpatas, & similia, abrogauit, easq; ad exemplum Apostolicæ, & primitiuæ Ecclesiæ reformauit.* Scilicet.

LXXVII. Mend. *Pontificios in sua ignorantia melius posse sub Ecclesiæ gremio retineri, quàm diuinarum rerum scientia & sapientia;* idque nostro iudicio & testimonio. Mendacium. Tametsi fatemur, eos melius in officio contineri, sine scientia & sapientia Lutherana; quæ nil differt à stultitia, & quidem admodum ventosa.

LXXVIII. Mend. Thesi 185. *Apud Lutheranos omnia officia in vniuersum vernacula & populo nota lingua fieri.* Mendacium hoc redarguunt pleræque Lutheranæ *Agendæ*; nominatim Palatina Neoburgica. Si Pappus sentit, omnia fieri debere nota lingua & vulgari; tum non *Lutherizat*, sed *Caluinizat.*

LXXIX. Mend. *Hoc probari posse euidentibus scripturæ testimoniis.* Mirum, Lutheranos, tam oculatos, qui multa Latinè canunt & peragunt, non videre hæc tam euidentia testimonia.

LXXX. Mend. Item *auctoritate & praxi antiquitatis & Ecclesiæ omnium temporum.*

LXXXI. Mend. *Et suffragio de præcipuis Romanæ Ecclesiæ doctoribus.* Quam verò acutum hoc Pappicum argumentum Thes. 186. *Omnia in Ecclesia debent fieri ad ædificationem.* Concedo Maiorem. *Loqui peregrina lingua in Ecclesia, quam populus non intelligat, non facit ad ædificationem.* Nego Minorem; si sermo sit, vt esse debet, non de concionibus & exhortationibus, sed de diuinis officiis & publicis precibus. Quæ ex Apostolo profert de linguis peregrinis, pertinent tantummodo ad exhortationes, conciones, & cantica spiritalia à priuatis composita; vt fusè explicatum ad caput decimum sextum.

LXXXII. Mend. Thes. 189. *Insanire Bellarminum; cum illa 1. Cor. 14. Etenim si incertam vocem det tuba.* &c. Et, *si orem lingua*, &c. refert ad exhortationes; & ad cantica spiritualia, quæ Christiani cõponebant, &c. Legatur Bellarminus, statim mania Pappica apparebit.

LXXXIII. Mendacium. Thes. 196. *Loqui,* hoc est, celebrare diuina officia, *linguâ incognitâ, perinde esse, ac si Cyclopes inter se vociferarentur.* Hoc tamen verum erit; si ad Lutheranos, quædam Latinè boantes, transferatur.

Consi-

Considera nunc hæc Pappica acumina. Thes. 199. 2. *Paralip. 20. orauit Iosaphat Rex coram vniuerso populo lingua nota*; hoc est, verè Hebræa; *quippe ante captiuitatem Babylonicam. Signum est ergo publicas Ecclesiæ preces lingua nota concipi & peragi debere: alioqui Iosaphat adhibuisset linguā Punicam vel Sclauonicam, vel aliam quampiam exoticam.*

II. Eodem loco *Cantores in decore sanctuarij laudarunt Iehouam linguā notā*, hoc est, Hebræa; ergo *iam quoq. Germani debent publicis in officiis Psalmos Germanicè canere; Galli Gallicè, Angli Anglicè, Itali, Italicè.*

III. Matth. 21. *Turba clamarunt, Hosanna filio Dauid; Benedictus, qui venit in nomine Domini: signum est ergo nota lingua diuina officia peragi debere: alioqui turba ista accinuissent Christo aliquod Ægyptiacum melos, si non Germanicum.* Acutè omnia; quia Pappicè.

LXXXIV. Mend. *Veteris testamenti Hierarchiam, quoad curam Laicorum & infantum, in institutione Catechetica, Hymnorum & Psalmorum, Lutheranis Ecclesiis planè conformem esse*; Tam nimirum conformis est; quàm Michaël Archangelus, principi Dæmoniorum Beelzebub.

LXXXV. Mendacium. *Romanam Synagogam* (tu nomen cœtui tuo debitum tibi retine) *Ægyptiacis tenebris & Sodomitico Scotomati similem esse.* Quod tam verum; quàm verum, cælum esse simile Orco.

Thesis 200. largiter vomit *Theatricos Pontificios, histriones, mimos, agyrtas*; Quæ omnia fiunt in gratiam histrionum, mimorum & agyrtarum Lutheranorum; quorum faucibus hæc talia melle & fauo dulciora accidunt.

Thesis 201. Bacchatur furiosissimè in Bellarminum & Iesuitas; nobisque furendo suppeditat Mendacium LXXXVI. Pappicum: *Bellarminum non esse veritum fidem testimonij ex Iustini Apologia* secunda circa finem putidissimo labefactare commento de collationibus, lib. 2. cap. 16. sub initium.

LXXXVII. Mendacium. Ex sententia Bellarmini, *Iustinum non loqui de Ecclesia, sed de nescio quibus Monachorum conuentibus ac collationibus.* (Ista sunt ipsissima inepti præconis verba) *cuiusmodi apud Cassianum reperire liceat.* Inspiciat, lector, obsecro, Bellarminum, vt impudentissimum vesani Prædicantis mendacium eò euidentius deprehendat. Et tamen hic suæ effronti Pseudologiæ hanc aliam vultu ferreo adiicit.

LXXXVIII. Mendacium. *Mendacissimum esse Bellarminum & euidentia loci conuincit, & cum Cassiani conuentibus collatio.* At Pappum esse mendacissimum sycophantam clarum apertumque facit ipse textus Bellarmini, licet non vtroque, sed altero duntaxat oculo inspectus; etiam sinistro.

Testimonia Patrum & quorundam recentiorum, quæ Pappus adducit Thes. 202. & seqq. futatus est ex VVitackero, Iunio & aliis, ad quæ suo loco responsum est.

LXXXIX. Mendacium. Thes. 205. *Vsum sacra publica vulgari lingua non celebrandi aduersari decretis Imperatorum & Conciliorum.* Et tamen nullum penitus nominare potuit Concilium. Quàm peritè autem distinguit Prædicans *Nouellas & constitutiones authenticas* Iustiniani, quasi diuersa opera.

Thesis 207. nil nisi Mendacissimos thrasonismos complectitur.

Sit ergo XC. Mendacium Pappicum. *Hactenus probauimus infallibiliter decretum Tridentinum esse contra ius diuinum & humanum.*

XCI. Mendacium. *Contra praxin primitiuæ Ecclesiæ.*

XCII. Mendacium. *Et insequentium continua successione.*

XCIII. Mendacium. *Et sanctorum Patrum.*

XCIV. *Et Conciliorum.*

XCV. *Et decreta Imperatorum.*

XCVI. *Et doctrinam sanorum Pontificiorum.* Insanus non sanus Pontificius esset; qui tecum sentiret: Et Epicitharisma istud accineret: *Nos merito brutum illud conciliabuli Tridentini fulmen securè contemnimus.* Num ideo impune; quia securè?

Mox spuit Prædicans *Psychotyrannos, picas moniales: fratres ignorantiæ Monachos, qui boatu suo Deum nequidquam laudare satagant.* Spue, Præco, spue, leuior post tot sputa fies.

Thesi 210. mentiri incipit Pappus de sacræ scripturæ necessitate. Et quidem in ipso vestibulo aduentores pinguissimo quodam mendacio excipit; Et sit XCVII. *Hodie Pontificios tam perfrictæ frontis esse, vt vereantur scribere, nullo modo scripturam in Ecclesia Dei esse necessariam.* Quis, obsecro, dixit, scripturam *nullo modo*, ne ex hypothesi quidem, *& ad bene esse*, in Ecclesia necessariam esse? Nomina auctorem huius assertionis.

XCVIII. Mendacium. *Non simpliciter fuisse necessarium, vt doctrina cælestis scriberetur, atque adeo, vt scriptura conderetur*; Et; *Scripturam nullo modo esse iam Ecclesiæ necessariam; esse vnum & idem*; Et hoc posterius affirmari à Bellarmino, Stapletono, Costero, & aliis, sicuti prius. Impudens mendacium; cui tamen totam suam de scripturæ necessitate structuram inædificauit Pappus. Quare nil nisi mendacia tonat Thesis 216.

XCIX. Mendacium. *Nos statuimus doctrinam hanc esse falsissimam.* Num illam Bellarmini & aliorum; quæ docet, non fuisse simpliciter necessarium; vt doctrina cælestis scripto consignaretur? Atqui quisquis ita sensit, is non nisi per Sycophantiam *falsissimæ* opinionis accusari potest. Num *falsissimam* dicis illam doctrinam, quæ tradit, scripturam nunc nullo modo esse Ecclesiæ necessariam? Si hæc tua mens; non repugno; sed

sed aio, te impudenter mentiri, cum Bellarmino ha... sententiam affingis.

C. Mendacium. *Doctrinam hanc esse Ecclesiæ perniciosissimam.* Si loqueris de priore; mentiris; si de posteriore; iterum mentiris, cum eam Bellarmino tribuis.

CI. Mendacium. *Hanc doctrinam esse ipsissimum meretricis Babylonicæ calicem.* Eadem est ratio huius mendacij, quæ prioris.

Dicit Bellarminus lib. 4. cap. 3. nouum testamentum præcipuè in corde scribi debere; nec necessariò exigere, vt scribatur in libris. Hic Pappus scurrandi & mentiendi occasionem arripiens καρδιακὴν istã χαρὰν, seu *scripturam pectoralem* ad examen & propè sub ferulam vocat. Thesi 224. & seqq. cum tamen ipsimet sectarij de verbo Dei in cordibus suis scripto ad rauim vsque gloriari & vociferari soleant. Pergamus numerare mendacia Pappica.

CII. Mendacium. *Nos docere laicos in fide debere esse cæcos; quamuis sint litteratissimi & illustrissimi.* Implicat, in fide esse cæcum, quia fides lumen est; hoc ipso igitur; quod quis fide præditus est; lumen habet. Ergo videt; ergo nõ est cœcus. Num igitur omnia nosse, scrutari, rimari, & inuestigare debet; & nil credere, nisi quod intelligit? Minimè verò; Hic cœcum, hoc est, obedientem esse oportet. Et qui hunc in modum cœcus est, is omnibus Lutheranis & Caluinianis lyncibus oculatior est.

CIII. Nos docere; *Laicos saluari implicita fide Ecclesiæ.* Vult dicere; ex nostra sententia, Laicos nil explicitè credere debere. Quod est impudentissimum figmentum.

CIV. Mendacium. *Hoc velle Blissemium, quando scripsit, Laicos vel seculares non propriis, sed alienis Episcoporum ac prælatorum suorum oculis videre debere.* Nil aliud voluit Blissemius, quàm Laicos, etiam Principes, non esse controuersiarum iudices ac definitores; ac proinde debere acquiescere iis, quæ iudices ac definitores rerum Ecclesiasticarum decreuerint, neque velle sapere supra eos, quibus his in rebus iudicium commissum est.

CV. Mendacium. *Ex hac doctrina sequi, verbum Dei non posse esse scriptum in cordibus fidelium.* Nam verbum Dei scriptum esse in cordibus, nil aliud est, quàm vt quis toto affectu cupiat omnia illa exequi, quæ verbum Dei præcipit; & vt erga doctrinam diuinitus traditam quàm optimè & religiosissimè sit affectus: quod præstare potest, quiuis Laicus, quamuis illiteratus; credendo ea; quæ ex Christiani hominis officio sibi explicitè credenda nouit; cætera committendo maioribus.

CVI. Mendacium. *Nos dicere, in solo scrinio Clericorum verbum Dei esse scriptum*: Et mox hoc ipsum refutans, scurriliter addit; *vbi ergo tandem illa pectoralis scriptura? Non est reperire alibi, nisi in Pontifice.* Quod iure numeres

CVII. Mendacium; nam verbum Dei in omnium fidelium mentibus, scriptum esse oportet.

CVIII. Mendacium. Thes. 225. iterum scurratur pariter & mentitur vanissimus Lucumo in hunc modum: *Ioannes Euangelista scripsit suũ Euangelium in Patmo tempore Traiani iuxta synopsin Dorothei: Petrus autem iuxta aduersarios primus Pontifex passus est sub Nerone: à Petro vsq; ad obitum Ioannis sederunt Linus, Cletus, Anacletus; qui omnes habuerunt scripturam in cordibus suis scriptam, non atramento, sed Dei digito: cuius scripturæ præstantia multis partibus superat scripturas, quas nobis in membranis Apostoli tradiderunt. Proinde istorum Pontificum oracula longè sunt præstantiora Euangelio Ioannis* Θεολόγου. Nonne vides inanissimam matæologiam huius Lutherani Aretalogi, ne dicam Marrucini? Dicimus, melius esse, & ad salutem conducibilius vt scriptura scribatur in pectore; hoc est; vt toto corde & affectu peragantur ea, quæ scriptura mandat, quàm vt scribatur in papyro vel membrana. Quid hinc iste exsculpit? Audi. *Ergo Pontificum responsa sunt digniora & venerabiliora, quàm Euangelium S. Ioannis*, ô mendacissimam, & *Saccophororum* pœna castigandam seu inscitiam, seu nequitiam. An S. Ioannes, qui Euangelium in charta conscripsit, idem in corde suo exaratum non habuit? Nimirum Pappus occasionem arripere voluit; vt illud tritum; *de scrinio pectoris*, Pontifici tribui solitum: exagitare, & *Prædicanticiis* suis sannis traducere posset.

Ex quo leuitatis fonte manarunt quoque etiam illa Thesi 226. quæ CIX. mendacij locum obtineant. *De Anacleto scribit Platina in vita ipsius: Ecclesiam Romanam confirmaturus constituit, ne Præsul, néue Clerici barbam nutrirent, néue Episcopus à paucioribus, quàm à tribus Episcopis ordinaretur, vtue Clerici publicè, non priuatim ad sacros ordines adsciscerentur. Huius scripturæ præstantia longè superat Euangelium Ioannis, si Pontificiis credas; sicut & Linus, Cletus, Anacletus, multis partibus eminentiores fuerunt Ioanne Euangelista.* Ferream oportet esse Pappi frontem talium portentorum patientem.

CX. Mendacium. Thes. 227. *Scripturæ istius pectoralis partum esse ius Canonicum.*

CXI. Mendacium. *Decretales.*

CXII. *Extrauagantes.*

CXIII. *Earum præstantiam multis partibus superare scripturas.*

CXIV. Mendacium. *Visiones Brigittæ, Loiolæ, Catharinæ Senensis, & aliorum sanctulorum multis partibus superare scripturas, iuxta Pontificios.* Dubito num vllus adhuc sanguis in Pappo supersit; alioqui ad tantam pseudologiam & sycophantiam, modicè saltem erubesceret.

Thesis 229. nihil est aliud, quàm mendacium CXV. iuxta numerum à nobis non exactè, sed valdè obiter initum. Nam si singula mendacia diligentius inuestigare vellem; facili opera lógè

plura

plura ex hac diſputatione excerperem, quàm nuper vir clariſsimus *Gaſpar Schioppius* collegit ex vnica epiſtola Caluiniani Burdonis. Quapropter rogo Pappum, ne hanc meam negligentiam mihi vitio vertat: ex qua itidem accidit, vt ab initio, mendacia Pappica; continuato numero, prout debebam, non percenſuerim. Nam longè plura, iam numeraremus, quàm CXV. & hoc CXV. mendacium recubat in Theſi 229. vbi Pappus Catholicos criminatur, quaſi cum Enthuſiaſtis ſentiant ſufficere, vt ſcriptura ſit ſcripta in cordibus: & facilem, vel nullam eſſe iacturam, ſi ex charta expungatur.

CXVI. Mend. Battologicum Theſ. 231. hanc eſſe Pontificiorum argumentationem: *Euangelium ſcriptum eſt in cordibus fidelium à Chriſto, ergo non debet ſcribi in chartis.* Dic, Prædicans; quis noſtrorum hoc argumentum vſurpauit?

CXVII. Mend. ſit Theſis 232. vbi rurſus mentitur Pappus: *Pontificios ex ſcriptione ſcripturarum in corde demoliri ſcriptionem ſcripturæ in charta.*

CXVIII. Mend. ibid. *Bellarminum & alios ſua ſcriptura pectorali patrocinari Srvenckfeldianis Enthuſiaſtis, & huius generis fanaticis hominibus.* Non poſſum mihi perſuadere Pappum hæc ſcripſiſſe ſobrium. Sine dubio Alſatico Baccho largiſsimè ſumpto, pudorem ex fronte & mente extriuerat: alioqui tam profligatè mentiendi libidini non indulſiſſet. Mirum eſt autem eò proceſsiſſe hunc Prædicantem, vt verbum Dei in cordibus fidelium ſcriptum irrideat; & per ludibrium Catholicis doctoribus obiectet; cū, vt ſuprà dicebam, ipſi ſectarij de hac verbi Dei in cordibus ſuis ſcriptione inſolentiſsimè gloriari ſoleant; imò non deſunt, qui hanc ſpiritalem & metaphoricam ſcriptionem potius pro ſcriptura habeant, quàm illam externam in charta & membrana. An nō ſcriptura disertè huiuſmodi ſcriptionem commemorat? Audi Apoſtolum Hebr. 8. ex Hieremia Propheta: *Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domini Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas, &c.* quod cap. 10. repetitur. Nonne Apoſtolus 2. Cor. 3. ipſos Corinthios *epiſtolam* ſuam vocat, *ſcrlptam in cordibus noſtris*, inquit, *quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus, &c. ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

Quæ deinceps Pappus garrit vſque ad Theſin 249. ea nullum verum & *realem*, ſed aduerſarios fictitios & *imaginarios*, quos Phantaſia Pappica edolauit, feriunt. Nemo enim ex Catholicis dicit; *ſcripturam nullo modo eſſe neceſſariam*: quod cis Pappus per ſummam iniuriam imponit, vt poſtea habeat blaterandi potius, quàm refutandi materiam.

CXIX. Pappi mendacium Theſ. 249. *Salmeronem de neceſsitate ſcripturæ longè aliud ſentire, quàm ſentiat Bellarminus, Coſterus, Stapletonus: Bellum irreconciliabile inter Ieſuitas eſſe: eos manifeſtè ſibi contradicere: apertumq́; facere, ſe non pro veritate, ſed ſui duntaxat Idoli Romani dignitate decertare.* Quæ omnia vana ſunt mendacia; & quidem plura; ſed nos vnius loco habebimus & putabimus. Conferatur doctrina Salmeronis Tom. 1. Prolegom. 25. cum Bellarmino: ſi quam contradictionem inter duos iſtos ſcriptores repererit; nō inuitus patiar Pappum ab hoc & omnibus hucuſque ei obiectis & impactis mendaciis abſolui.

Hactenus de ſecunda Diſputatione Pappica.

EXAMEN TERTIAE DISPVTATIONIS PAPPICAE DE SACRÆ SCRIPTVRÆ SVFFICIENTIA, INTERPRETATIONE, NORMA ET IVDICIO.

VT DISPVTATIO SOLIDIOR fiat, mendacium grande fundamenti loco substernit. I. Mend. *Pontificij scripturam omnibus machinis, omnibus bipalijs & sarculis effodere, diruere, & amoliri satagunt.* Mendacium hoc redarguunt tot Pontificiorum in scripturam elaboratissimi commentarij; tot editiones Græcæ, Hebraicæ, Latinæ, eæque elegantissimæ.

II. Mend. *Reperti sunt hodie ex Iesuitis profani Alastores, qui calumniarentur, scripturam sacram esse mancam, & mutilam, multisque Codicibus ob Iudaeorum incuriam, & perfidiam destitutam; nec absimilem libellis puerorum alphabeticis, è quibus nunc hinc, nunc aliunde sunt excerptæ paginæ; aut mercatorum aduersarijs, diarijs, & macrocollis laceris, dissectis, & proiectis. Tanta sanctimonia, tantaq; reuerentia de sacra scriptura deblaterant hodie Iesuitæ passim in suis conuenticulis, & cauernulis.* Nomina Iesuitas, qui hæc de scripturis verba effuderint. Ni feceris, Pappus, hoc est, impostor mendax manebis.

Thesis 7. præter scurrilitatem mẽdacium habet. Et sit Ordine III. *Nos pro traditionibus diuinis agnoscere & suscipere nugas & gerras ineptissimas Pontificiorum, Monachorum, quæ continẽtur in Stella Clericorum, Rationali diuinorum officiorum, Almario* (sic ineptus criminator Amalarium vocat) *Theoria Germani, Radulpho, & cæteris eiusdem monetæ sauris.*

Mend. IV. Thesi 9. *Bellarminum quinque regulas agnoscendi traditiones diuinas & Apostolicas transcripsisse ex Cano; & pro suis venditasse.* Quomodo quinque regulas ex Cano transcripsit; cum, vt tu ipse dicis Thesi 8. Canus tantùm quatuor regulas statuat? Et vbi venditat has regulas Bellarminus pro suis? Legatur cap. 9. lib. 4. & mox tam prædictum; quàm quod addis V. Mendacium de furto seu plagio euanescet. Vt & VI. *malè secundam regulam à prima seiungi.*

VII. Mend. Thesi X. non sine scõmatis scurrà dignis. Quinque regulas à Bellarmino adductas *esse Romanæ molis tibicines, & proceres* (hoc est; nulla alia argumenta pro adstruendis traditionibus à nostris adduci, quàm quinque illas regulas) *haud multò firmiores pennis suillis* (nota grauitatem Pappicam) *quibus tanta Romana παρανοίας machina incumbat.* Subdit grauissimus scurra & sannio: *Videtur mihi Bellarminus rectius fuisse facturus, si his esset vsus fulcris ad domunculas, quæ ex chartis fieri lusoriis à pueris consueuerunt, quàm quod ad robur Arcis sanctæ Angelicæ tam pueriliter abutitur.*

VIII. Mend. Thes. 11. *De plerarumque traditionum origine & auctoribus constare, quòd Apostolis & Ecclesia Apostolica longè sint recentiores* (sic enim loquitur solœcus præco.)

IX. Mend. *Alexandrum Papam instituisse aquam esse vino miscendam in Eucharistia.*

X. Mend. *Eundem Alexandrum aquam sale conspersam purificandis populis excogitasse.*

XI. Mend. *Adorationem hostiæ consecratæ institutam ab Honorio III.*

XII. *Et hoc haberi in Decretis Gregorij Tit. 41. lib. 3. C. Sanè cum.* Nihil in hoc capitulo de prima institutione. Tantùm dicit Pontifex, vt id, quod moris est, & à Christianis fieri debet; sacerdos populo frequenter inculcet; nempe, *vt cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, idem faciens, cum eam defert presbyter ad infirmum.* Vbi Honorius non introducit nouum morem sed præcipit, vt vetus conseruetur & obseruetur.

XIII. Mend. *Baptismum Papisticum fabricasse Clementem I. Leonem III. Alexandrum II. & alios ex Pontificibus. Ex Conciliis, Carthaginense quartum, quintum; Gerundense, & alia.*

XIV. Mend. *Nos pro diuina & Apostolica traditione reputare festum Assumptionis B. Virginis.*

XV. Mend. *Item festum Natiuitatis Deiparæ.*

XVI. Mend. *Festum corporis Christi.*

XVII. *Festum omnium Sanctorum.*

XVIII. *Purificationis.* Nihil nisi Pappica mendacia audis. Hoc asseueramus; obseruationem festorum & cultum sanctorum esse traditionem diuinam & Apostolicam; non autem in particulari hoc vel illud festum; cuius instituendi ius & potestas est penes Ecclesiam: quæ nixa diuinarum & Apostolicarum traditionum auctoritate speciatim determinat, quæ & quorum cælitum festa publicè & solenniter celebrari debeant.

XIX. Mend. *Bellarminum quinque illas regulas discernendi & internoscendi traditiones, assignasse etiam pro hisce institutis & consuetudinibus Ecclesiasticis, cuiusmodi sunt peculiarium festorum solennitates diu post Apostolos in Ecclesiam introducta.* Sed hanc mendaciloquentiam Pappicam contundunt hæc prima statim Bellarmini verba libri quarti capitis noni: *Sequitur nunc, vt ostendamus, quibus viis ac rationibus indagandum sit, quæ sint vera ac germana Apostolorum traditiones.* Dic, Pappe, quis Catholicorum docuit festũ corporis Christi, vel omnium Sanctorum, in particulari, vt est festum corporis Christi, vel omnium Sanctorum; esse ab Apostolis? Hic iterum moneo, vt grauissimi scurræ Pappi admirandam obserues grauitatem; qui post multas alogias & stultitias Thesi 12. & 13. effusas, tandem Lutherana seueritate & maiestate plenus ita scribit: *Cautior est Bellarminus, quàm vt simiarum more nates suas depilet, vulpina mauult se tegere cauda. Perinde faciens ac seplasiarij, qui santonicum aduersus lumbricos dulcorare solent sacchare, quò libentius & auidius sumant vermiculosi.* Quàm Theologicè. Quàm grauiter, hoc est, quàm Pappicè?

XX. Mendac. Bellarminum ita argumentari. *Quidquid Apostolica Ecclesia tradit: illud est Apostolicum, Romana Ecclesia est Apostolica Ecclesia, ergo, &c.* Lector legat caput nonum libri quarti, & videat, num hoc argumẽtum in eo appareat. Nihil Bellarminus de Apostolica vel Romana Ecclesia; sed de Ecclesia vniuersa seu vniuersali. Ait enim: *Quando vniuersa Ecclesia aliquid, tanquam fidei dogma amplectitur, &c. Quando vniuersa Ecclesia aliquid seruat, &c. Quod in Ecclesia vniuersa, &c.*

XXI. Mendacium: *Regulas, tertiam, quartam & quintam* sensu vnicam esse regulam. Tam verum hoc, quàm verum has duas regulas: *Quæ maribus solùm tribuuntur mascula sunto, Femineum A prima est, veluti Panthera, sagitta*: sensu esse vnicam regulam.

Thesis 15. exaggeratum quoddam est mendacium; & fit XXII. nempe: *Bellarminum ex communi consensu doctorum superiorum ætatum; & ex perenni Ecclesiæ vniuersa praxi & consuetudine non posse probare, aliquas exstare traditiones Apostolicas: cum quæ de fide sunt, non nisi à præsenti Ecclesiæ auctoritate, testificatione & censura dependeant.* Mentitur imperitus Prædicans; nam & hoc, & illud commodissimè fieri potest. A præsenti enim Ecclesia pendent quoad nostram cognitionem traditiones Apostolicæ; quia si vocentur in dubium vel penitus repudientur; Ecclesia, tanquam iudex, definit & decernit has vel illas esse traditiones Apostolicas; & hoc definit ac decernit non sine respectu ad consensum doctorum superiorum seculorum; & ad praxin & consuetudinem antegressæ Ecclesiæ. Postmodum præsentis Ecclesiæ doctores, matris suæ magisterio edocti & instructi, easdem traditiones tuentur cum aliis argumentis; tum doctorum antegressorum consensione; & Ecclesiæ antiquioris perpetua praxi & consuetudine.

Recitat Pappus quædam Bellarmini verba ex libro secundo de Sacramentis in genere capite vigesimo quinto; inter cætera, etiam hæc: Omnium Conciliorum veterum, & omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate præsentis Ecclesiæ. Non enim habemus testimonium infallibile, quod Concilia illa fuerint, & legitima fuerint, & hoc, aut illud definierint, nisi quia Ecclesia, quæ nũc est, & errare non potest, ita sentit, aut docet. Quod enim historici quidam meminerint eorum Conciliorum, non potest parere fidem, nisi humanam, cui potest subesse falsum. Sensus est; nos plus quàm fide humana certò & infallibiliter non scire; quæ Concilia olim sint celebrata: quæ fidei morumue decreta sanxerint; nisi per testificationem præsentis Ecclesiæ.

Quid Prædicans? Thesi 16. Mendac. XXIII. *Hâc Bellarmini doctrinâ, tertia, quarta, & quinta regula, ceu fulmine quodam prosternũtur, & diminuuntur, vt & omnis omninò traditionum neruus inciditur. Vt quid enim opus est traditionibus Maiorum, vbi perpetuum præstò est oraculum, cuius effata Regum Persicorum, & Medorum mandatis strictiora sunt, & obseruatu sanctiora?* Quàm impotenter & impudenter; quanquam simul insulsè & inscitè; ita vt insulsitas & inscitia cum impotentia & impudentia validissimè decertent. An ideo ex superioris ætatis consensu pro traditionibus contra aduersarios argumentari nequeo; quia de hoc consensu non nisi præsentis Ecclesiæ vox & auctoritas me infallibiliter certum & gnarum efficit? An ideo ex Euangelio sancti Matthæi, vel alio libro Canonico argumentum ducere non possum; quia diuinam & Canonicam eius auctoritatem non noui certò & infallibiliter, nisi ex auctoritate præsentis Ecclesiæ; quæ mihi & Canonicam vim huius Euangelij; & anteactæ etiam memoriæ de hoc Euangelio sensum & consensum patefacit? Et tamen Thesi 17. hunc inanissimum thrasonismum nobis decantat gloriosus iste Pyrgopolinices: *Videt disputator, in ipso vestibulo leui velitatione ipsorum aduersariorum armis omnem traditionum globum, & cuneum esse dissipatum, disiectum, & dissectum; non secus, ac olim Goliath suomet ipsius gladio cecidit.*

Thrasonismo subiungit hoc XXIV. Mendacium: *Constat pro primo, nullum nec in nostra, nec in Pontificiorum Ecclesia traditionum vsum aut fructum esse.*

XXV. Mend. Thesi 18. *Traditiones, ex nostra sententia, non esse ad salutem necessarias.*

Digitized by Google

XXVI. *Nos concedere omnia ad ſalutem neceſſaria eſſe ſcriptis comprehenſa.* Ipſe dicit; *complexa:* quo pacto ſi loqueretur noſter vulgatus Interpres ſolœciſmi à Prædicante accuſaretur.

Ibidē mentitur: *Hoc affirmare Coſterum in Enchiridio; capite de ſacra ſcriptura;* vbi nihil allud dicit; quàm præcipua fidei capita,quæ omnibus Chriſtianis cognitu (formaliter ſcilicet & explicitè) ad ſalutem ſunt neceſſaria, perſpicuè ſatis in Apoſtolicis ſcriptis contineri. Hoc longè aliud eſt,quàm quod nobis impoſtor iſte imponit.

XXVII. Mend. Theſi 19. *Ex noſtra doctrina ſequi traditiones tantum eſſe de fide hiſtorica;non ſaluifica.* Ride nunc hoc ſyllogiſmi portentum: *Scriptura ſine traditione non eſt neceſſaria.* Hæc Maior eſt Bellarmini.(Bellarminus ita loquitur libro quarto capite quarto, ſcripturas ſine traditionibus nec fuiſſe ſimpliciter neceſſarias,nec ſufficientes demonſtrare conabimur. Cur omittis illud; *ſimpliciter,* in quo tota vis conſiſtit? Cur illud, *ſine traditionibus;* coniungis cum illis: *non neceſſarias;* cum pertineat ad illa: *nec ſufficientes?* Demōſtrare enim vult Bellarminus ſcripturas ſine traditionibus non eſſe ſufficientes. At Perge. Pone minorem: *Atqui quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria continentur ſcriptura.* (Num omnia?) *ergo, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria,ſine traditione non ſunt neceſſaria.* O monſtrum aſyllogiſticum. Vbi figura;vbi modus?

Pergis inſanire: *Bellarminus ſcribit traditiones diuinas eandem vim habere, ac diuina præcepta. Atqui, traditiones non ſunt de ſalute: aliàs eſſent ſcriptæ. Ergò diuina præcepta ſunt, quæ ſub ſalutis diſcrimine mandata, de ſalute tamen non ſunt.* Nego Minorem. Tu qui probas? Forſan hoc ſequenti delirio: *Scitu neceſſaria ad ſalutem omnia continentur libris ſcriptis. Atqui forma, materiaq́; ſacramentorum non continentur libris ſcriptis. quia eſt traditio diuina. Bellarminus libro quarto de verbo Dei, capite ſecundo,&c. Ergò eſſentia ſacramentorum, vel materia, & forma eorum, vt loquitur Bellarminus, nō eſt ad ſalutem neceſſaria. Abſurdum.* Nego Maiorem; ò delirator: quam quoties vel Bellarmino vel alteri orthodoxo tribuis, toties mentiris.

Theſis 20. præter ſcurrilia conuicia,continet ſequentia mendacia, & ſit XXVIII. Mend. Pappicum: *Fidem Romanam magis cum Verre Siculo curare cælatum argentum quàm cælum.*

XXIX. Mend. *Item magis Apicianam culinam.*

XXX. Mend. Theſ. 25. valde ingenioſum: *Cum Romanenſium traditionibus perinde habet, ac cum meteoris, quorum pauca in nubibus habent ὑπόστασιν, pleraque tantùm ἔμφασιν. Sic traditiones Romanæ in ſcriptura nullam hypoſtaſin habent, ſed ἔμφασιν tantùm.*

XXXI. Mend. Theſ. 26. Bellarminum ita argumentari: *Adhuc multa vobis habeo dicere, ſed non potestis portare omnia; ergo Apoſtolis poſtea nunquam dixit; ſed diſtulit ad Pontifices & Concilia.* Mentiris impoſtor. Tuum nobis figmentum, non Bellarmini argumentum apponis. Quis negat Apoſtolos poſtea cognouiſſe; quæ Chriſtus illo in ſermone paſsionem antegreſſo celauerat propter infirmitatem Apoſtolorum? An non hoc Bellarminus ex inſtituto probat? Vbi denuo admirare grauiſsimi ſcurræ Pappi venerādam grauitatem: *Non veretur Pontifex Romanus pedorem ſuum vendere pro fumo aromatico. Atqui mancipiis ſuis vendat quidlibet pro quolibet.* Quàm verum hoc erit; ſi transferatur ad Lutherum, qui in Arabia non procul à porcili natus videtur; tam eſt vbique aromaticus Pedo & Cacus.

B XXXII. Mend. *Ex Bellarmini ſententia; Pontificibus reuelari ea; quorum Apoſtoli non fuerint capaces.*

XXXIII. Mend. *Ex Bellarmini doctrina, Apoſtolos etiam poſt Spiritum ſanctum in feſto Pentecoſtes acceptum, adhuc fuiſſe ſemidoctos in diuinis & ignaros.*

XXXIV. Mend. *Pontificios fingere Apoſtolos miſerrimos.*

XXXV. *Apoſtolos ab eo demum tempore ſcripſiſſe, quo non potuerunt portare omnia.*

XXXVI. Mend. *Apoſtolum Ioannem non potuiſſe omnia ſcribere;quia non potuit portare.*

XXXVII. Mend. *Pontifices verò Romanos, Clementem, Linum, Cletum, Anacletum omnia ſciuiſſe & portare potuiſſe;* vbi calumniandi æſtu abreptus Pappus dicit; Anacletum conſtituiſſe, *ne clerici barbam raderent.* At in ſecunda diſputatione Theſ. 226. dicit idem Pappus, Anacletum decreuiſſe, *ne Præſul néue clerici barbam nutrirent.* Quomodo conueniunt; *non radere barbam;* &; *non nutrire barbam?* An non nutritur;ſi non radatur?

XXXVIII. Mend. *Petrus, ex doctrina Bellarmini omnia ſciuit, & non omnia ſciuit. Nam vt Apoſtolus non omnia ſciuit, & ſcripſit; quia, non omnis potuit portare. vt Pontifex omnia ſciuit. quia omnia potuit portare, portauitq́ue omnem plenitudinem Spiritus ſancti in ſcrinio pectoris.* Parum abeſt, quin remittam ad Pappum
D Pappica verba paululum mutata ex Theſi 27. Diſcant Lutherani *modeſtiam aliquo modo vigilantius, & non* mentientur *tam imperitè & bacchanticè.*

XXXIX. Mend. Theſ. 28. Hoc argumentum eſſe Bellarmini: *Multa fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſe, opinor, mundus caperet eos, qui ſcriberentur libros. Ergò traditiones Pontificum ſunt neceſſariæ concludit Bellarminus.* Addit grauiſsimus ſcurra Pappus: *Ego verò longè efficacius concludo; ergo traditiones Pontificias mundus non poteſt capere. Si enim traditiones Pontificiæ nihil aliud ſunt, quàm ea, quæ Ioannes omiſit, certè de iis concluſit Ioannes: Mundum eas non poſſe capere. Ablegentur igitur traditiones ex hoc Mundo, in Mundum aliquem Parmenidéum, aut Epicuréum, ex ato-*

mis

A *mis coaceruatum.* Quibus mox iterum subiungit grauissimi sannionis luculenta testimonia: *Quid his habet, quod dicat Pōtifex? nisi velit ad aniles recurrere veneficarum fabulas, & monachorum, Christum in pueritia ex luto fecisse auiculas, quæ auolarint, collegisse parentis segmenta; idola omnia concidisse in Ægypto ad ipsius ingressum, & quæ sunt huius generis sexcenta, peculiari libro comprehensa, & Ingolstadij olim excusa.* Quàm gratum fuisset: si nomen libri huius hic Ingolstadij publicati edidisset. Inspexissem: num mysteria, quæ Pappus denarrat, contineret. Nunc in relationibus Pappicis *fide anili & decrepita editis*, vt Pappi verbis vtar, acquiescere cogor.

Thesi 29. argutissimo & ineluctabili dilemmate aggreditur Bellarminum: B *Ea, quæ Christus 40. illis diebus à Resurrectione ad Ascensionem discipulis tradidit; aut alia fuerunt à scriptis, quæ prædicauit Christus, aut eadem. Si eadem, superfluæ sunt traditiones. Si alia; aut contraria fuerunt scriptis, aut sublimiora iisdem, aut inferiora. Si contraria; anathemate Paulino Christus feritur. Galat. 1. v. 9. Si superiora, & sublimiora, reuelari non debuerunt.* Respondeo, vnum membrum à Pappo omissum; quod est; esse, vel fuisse paria; quia quæ Christus, & Apostoli viua voce tradiderunt; nec scripto comprehensa sunt; paris sunt auctoritatis cum iis, quæ scripta sunt; vtpote diuinæ & infallibilis. Quo fit, vt neque sint contraria; neque sublimiora; neque inferiora. Quare tempus est, vt Pappus hoc suum promissum exsoluat: C quandoquidem cornuti huius syllogismi cornua confracta sunt. *Soluat mihi Bellarminus, aut quicunq; ex Pontificiis doctoribus hoc dilemma, & porrigam ipsi herbulam.*

X L. Mend. Thes. 30. & quidem impudentissimum: Salmeronem docere, locum illum 1. Corinth. 11. *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*: de solis traditionibus scriptis accipiendum esse. Inspiciantur Salmeronis verba, etiam vt ab ipso Pappo recitantur; & nil huius generis apparebit. Et tamen statim Thesi 31. hæc mendacia accumulat.

X L I. Mend. *Ex hoc Salmeronis loco euinco, in loco prædicto Apostolum non agere de traditionibus non scriptis; sed scriptis.* D Quomodo hoc euinces, cum nil aliud dicat Salmeron quàm vocem traditionis extendi etiam ad præcepta Ecclesiastica, siue positiua: Apostolica tamen, de his enim loquitur ibi Salmeron. Num nulla sunt præcepta positiua nisi scripta, ex sententia Salmeronis?

X L I I. Mend. *Apostolum, teste Salmerone, agere de traditionibus rituum, non dogmatum.* Vbi hoc Salmeron?

X L I I I. Mend. *Traditiones non scriptas Apostolorum, si quæ sint, esse merè rituales, non dogmaticas.* Vbi hoc Salmeron?

X L I V. Mend. *Et tales esse, quæ valde sint suspectæ, quibusque semper contradictum sit, num sint Apostolicæ.* Vbi hoc Salmeron?

A X L V. Mend. *Esse tales, quibus scriptura Apostolorum contradicat.* Quomodo hoc ex Salmeronis dictis euinces?

X L V I. Mend. Thesi 32. Sic fingit Pappus Bellarminum argumentantem: *Quidquid Paulus tradidit, hoc obseruandum est: Paulus quædam de dogmatibus seu regula fidei & morum tradidit, quæ non scripsit, ergo illa sunt obseruanda.*

X L V I I. Statim pòst mentitur Pappus, Minorem *ineptissimè* probari ex dicto loco 1. Cor. 11.

X L V I I I. Mend. Battologicum, *Salmeronem hunc locum tantummodò explicare de traditionibus scriptis.*

B X L I X. Mend. *Idem facere Chrysostomum.*

L. *Idem Ambrosium.* Hæc mendacia coronat Pappus hoc gemino thrasonismo: *Hic tacet Bellarminus. Hic iacet Bellarminus.* Quàm fortiter omnia. Sequitur mox hyperbolicus thrasonismus Thes. 33. *Quod solis iubare liquidius euincam.* Quis non metuat adeo liquidas euictiones? Vbi tamen ad rem ventum, omnia mendaciorum tenebris obnubilantur.

Dicit Stapletonus: Ecclesiam nunc non proponere fidei articulos, tanquam per nouam reuelationem immediatè à Deo acceptos; neque enim nunc Ecclesiam nouis reuelationibus vti, sed antiquis inniti. Quæ Pappo dederunt occasionem effutiendi aliquot mendacia.

C L I. Mend. Pappicum: *Ex hac doctrina sequi, Pontificem non habere Theologiam suam ex reuelatione per assistentiam Spiritus, & per consequens, totum Pontificatum corruere.* Habet ex reuelatione, sed veteri; non noua; & vt à veteri reuelatione fidelibus proponenda nunquam aberret; efficit perennis illa Spiritus sancti assistentia.

L I I. Mend. *Solos Apostolos, & Christum per potestatem, & dominium Excellentiæ, Fidei & Morum præcepta præscribere posse: & per consequens ruere omnem Pontificiorum doctrinam de scripturæ insufficientiâ traditionibus consummanda.* Primò *potestatem Excellentiæ* tribuit Apostolis prorsus imperitè; quia soli Chri-
D sto competit; qua instructus, cum alia fecit, tum sacramenta nouæ legis instituit. Deinde solus Deus est articulorum fidei supremus conditor; non Apostoli; non ipse etiam Christus, quà homo: quia articuli fidei procedunt à Deo, & nituntur Deo, vt est prima & infinita veritas: Ab Apostolis & scriptoribus Canonicis manarunt, vt ab administris & instrumentis, quorum interuentu Deus nobis cælestia dogmata patefecit. Tertiò, vt verum esset quod Pappus dicit: hæc tamen consequentia prorsus elumbis ac mendax esset: *Soli Apostoli & Christus possunt præscribere præcepta fidei & morum; ergo ruit doctrina Pontificiorum de traditionibus.* Nam traditiones quoq; à Deo sunt, à Christo & Apostolis.

Digitized by Google

LIII. Mend. *Ecclesiam tantùm circa ritus & ceremonias disponere.* Mendacium; quia & circa dogmata disponit; non noua introducendo; sed vetera declarando & de integro fidelibus proponendo.

LIV. Mend. Pontificios Andabatarum more in hac quæstione cum laruis luctari. Laruæ ergo Pappus, Rullus, Pareus, similes, quia cum his luctantur de traditionibus.

LV. Mend. Bellarminum *dissolutissimè concludere à potestate excellentiæ Apostolorum ad potestatem & definitionem Pontificis circa ritualia.* Vbi hæc conclusio Bellarmini?

LVI. Mendacium prorsus insanum: *Nostra confessione & definitione, omnes traditiones Pontificum & Conciliorum ad cultum spectantes esse de facto hæreticas, falsas & erroneas;* Vbi exstat hæc nostra confessio?

LVII. Mend. *Pontificios in principio religionis suæ pugnantia & dissonantia docere per omnia: & serpentum more, matris suæ radere vterum, ad ipsius interitum, & Pontificis autoritatem circumagitare non secus, ac pilam lusoriam palæstritæ. Affaniæ, apinæ. Ciuitas confusionis, plena erroris, & tenebrarum.* Vix post Savvbrandum vidi, qui tam securè & portentosè mentiatur & calumnietur. Et tamen cum maximè mentiuntur, maximè à suis suspiciuntur.

LVIII. Mendac. *Ambrosium totum locum illum 2. Thessal. 2. Tenete traditiones, quas accepistis, &c.* explicare de traditione Euangelij scripta: Vide Bellarminum lib. 4. cap. 5.

LIX. Mendac. Particulam, *siue,* in dicta Pauli sententia *accipi non disiunctiuè, sed copulatiuè.* Vide cap. 5. & licet copulatiuè acciperetur; quid inde faceret lucri Prædicans?

Thesis 37. est cento quidam mendaciorum & calumniarum.

LX. Mend. *Nostros ex loco illo, ô Timothee depositum custodi; argumentari eo prorsus modo, quo olim Hæretici apud Tertullianum de præscript.* Quam criminationem iam depuli ad cap. 5. Hîc vt plausibilior scurris fieret; quibus tota Pappica fabula seruit; his eam contumeliis farciendam existimauit: *Verisimile est per μετεμψύχωσιν Pythagoricam, animas hæreticorum, quæ Tertulliani tempore vixerant in colluuie hæreticorum eius ætatis, ad morem diabolorum Matth. 8. qui in sues immigrarunt, in hos Romanistas immigrasse.* Mihi non modò verisimile, sed verissimum videtur non vnum, sed plures Diabolos in Prædicātium cordibus ob tam Diabolica mendacia & conuicia, quæ passim effundunt, stabilem sedem fixisse.

Thesin 43. & 44. contexuit Pappus simul cum mendaciis ex VVitackero.

LXI. Mendac. *Dionysij Hierarchiam esse supposititiam.*

A

LXII. *Item Hegesippi historiam apud Eusebium:* ex illo enim citat Bellarminus Egesippum.

LXIII. Mend. *Item epistolas Ignatij.*

LXIV. Mend. *Insuper Constitutiones Clementis.*

LXV. Mend. *Patres locis à Bellarmino citatis per traditionem intelligere doctrinam à Prophetis & Apostolis scriptam.*

LXVI. Mend. *Quosdam ex Patribus ad hæreticos inclinantes traditionibus non scriptis indulsisse.*

LXVII. Mendac. *Patres sæpe de traditionibus pugnantia loqui.*

LXVIII. Mend. *Basilium libro de Spiritu sancto adstruere traditiones, quibus multis aliis in locis hostile bellum indicat.*

B

LXIX. Mend. *Epiphanium tomo tertio, libro secundo, Hær. 80. magis probare iuxta apocryphum Proteuāgelium Iacobi, Christū in spelunca quadam in itinere natum esse, quàm in ciuitate Bethlehem.* Hæresi octogesima, nihil huius exstat. Viderit ergo Pappus, vndenam hoc suum commentum hauserit. Nec hæresis octogesima est libro secundo, sed libro tertio.

LXX. Mend. *Patres multas aliquanto vetustiores consuetudines, cum earum origo non facilè monstrari posset, statim ad Apostolos, quasi ab ipsis traditas, vt maior eorum esset auctoritas, retulisse; easque Apostolos non habere auctores ex aliis veterum scriptis liquidò probari posse.*

C

LXXI. Mendac. *Huius generis esse Quadragesimam.*

LXXII. Mend. *Celebrationem Paschatis.*

LXXIII. Mend. *Memoriam defunctorum in Sacramento.*

LXXIV. Mend. *Ex Montanistarum statutis & obseruatione multa irrepsisse in locum communem de traditionibus.*

LXXV. *Traditiones, quas veteres vocant Apostolicas, Romanam præsentem Ecclesiam non agnoscere.*

LXXVI. Mendac. *Et si agnosceret, certò tamen de iis non constare, an fuerint Apostolicæ.*

LXXVII. *Pontificios tot ac tales habere traditiones, pro quibus dimicant, quorum testimonia ne ex veterum quidem probatis scriptis vlla possint proferre.*

D

LXXVIII. Mend. *Cogi Pontificios vel comminisci vel vsurpare apocrypha, adulterina, & suppositia scripta; vt suas traditiones defendant.*

LXXIX. Mendac. *Huius generis esse Apostolorum Constitutiones.* Scilicet ante editas illas Constitutiones Ecclesia non poterat traditiones suas tueri.

XXC. Mend. *Item Canones Apostolorum.*

XXCI. Mend. *Et Epistolas Decretales Pontificum.* Vbi denuo ingerit Pappus, suas *affanias, apinas.*

XXCII. Mend. *Nullum exstare hodie dogma fidei, quod Patres ex scriptura euidenter non probarint.*

XXCIII. Mend. *Hoc testari eorum monumenta.*

XXCIV.

XXCIV. Mend. *Patres iustiore titulo ad traditiones prouocare potuisse tempore Tertulliani & Lerinensis, quàm hodie Pontificios.*

XXCV. Mend. *Illos ipsos, qui ad traditiones prouocarunt, scripturæ nihilominus sufficientiam agnouisse.* Intelligit autem nomine *sufficientiæ*, illam; quam ex cerebro suo procuderunt sectarij.

XXCVI. Mend. *Traditionibus non scriptis Ecclesiam Dei vitiari, mox in Ecclesia adhuc incunabulis agnouisse Patres.*

Thesis 45. & aliquot sequentes confectæ sunt ex libellis, quos Hunnius edidit contrà Catholicos Collocutores Colloquij Ratisbonensis: præcipuè contra Tannerum nostrum, in quem Theses à 45. vsque 57. directè vibrantur.

XXCVII. Mendac. Loco illo Deut. 4. & 12. *Non addetis ad verbum, &c.* Et id genus aliis passim Prædicantium sermone decantatis, euerti traditiones, quas nos pro diuinis & Apostolicis suscipimus ac veneramur. Vide caput decimum libri quarti.

XXCVIII. Mend. *Eodem loco euerti omnes traditiones Ecclesiasticas ad cultum Dei pertinentes.*

XXCIX. Mend. *Ex eodem interdicto liquere, illicitum esse, quidquid ab Ecclesia cultui diuino superadditur; illud enim tantum probum Deoquè gratum & acceptum accidere, quod sacræ litteræ præcipiunt & præscribunt.*

Obiiciunt Catholici, nominatim Tannerus in Apologetico Moguntiæ excuso capite nono exemplum Dauidis, qui 1. Paralip. 15. absque vllo scripturæ mandato instituit, stata lege, *Cantores, in Organis Musicorum, Nablis videlicet, & Lyris, & Cymbalis, vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ*; & vt capite decimo sexto dicitur: Idem Dauid, *constituit coram arca Domini de Leuitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominum Deum Israel.* Mentitur hic cum suo Hunnio Pappus; institutum istud Dauidis non pertinuisse ad substantiam cultus; sed ad ornatum duntaxat, splendorem, & magnificentiam. At licet non pertinuerit ad substantiam cultus olim à Moyse præscripti; hoc tamen Dauidis institutum per se cultus diuinus fuit; quia pertinuit ad substantiam cultus diuini à Dauide instituti. Nihil enim magis pertinet ad substantiam rei, quàm ipsa res in se. Quod autem per se fuerit cultus, probatur: quia, vt rectè argumentatur Tannerus, omnis actio, qua Deus colitur, est cultus diuinus (sicut omnis actio, qua Rex colitur, est cultus regius) aut saltem pars cultus diuini. Cæremoniis illis ac ritibus, quos Dauid instituit, Deus colebatur; vt manifestum est ex citatis scripturæ capitulis; ergo cæremoniæ illæ ac ritus à Dauide instituti erant cultus diuinus: & cum Pappus hoc abnuit; quid nisi XC. Mendacium effutit?

XCI. Mend. *Si de substantia cultus diuini ritus illi forent*; hoc est, si ipsi, quo ad substantiam suam, cultus diuinus essent, *malè ante Dauidem fuissent omissi.* Non sequitur; quia ante Dauidem neque institutus, neque præscriptus, neque præceptus erat. Quare absque piaculo omitti potuit.

XCII. Mend: *Musicam non esse de substantia cultus diuini*, Ergo, quando Nouatores suis in templis canunt; cantu illo non colunt Deum; & per consequens: non poterunt adiicere illam clausulam: Das sey dir lieber Herre Gott zu Lob vnd zu Ehr gesungen. Num qui instituit; vt certis diebus Psalmi in laudem & honorem Dei decantentur; non instituit cultum? Et quid tandem significare volunt isti, quando dicunt; *Musicam non esse de substantia cultus?* Quidquid dicant; nil verè dicent, quàm non esse cultui diuino essentiale & substantiale, vt Musica peragatur: quandoquidem sunt etiam aliæ rationes, quibus iste cultus potest perfici & obiri. Sed tamen, quando instituitur, vt Deus cantu in hunc vel illum modum celebretur; tum cultus Dei in cantu substantialiter consistens instituitur; & qui hoc negat; is necdum notionem cultus diuini instituit.

Vide verò stuporem Pappicum: *Orare*, inquit, *& gratias agere per se sunt cultus; id verò canendo facere, aut psallendo citharis vel cymbalis, vnà aut pluribus vocibus, neque cultus Dei, neque aliqua pars est, sed accidens.* Ex quo sequitur, flexis genibus orare, formaliter, non esse cultum Dei: Item caput in honorem Dei aperire, non esse, vt sic, formaliter cultum Dei. Item non esse cultum Dei formaliter vt sic, voce Deo grates persoluere. Quare? Quia orare & gratias agere præcisè, abstrahendo à modis determinatis & specialibus, cultus Dei est, ex Prædicantis sententia: cætera quæ accedunt & accidunt; neque cultus Dei sunt, neque pars cultus diuini. Vide, quo erroris semel imbibiti defendendi cupiditas Prædicantes non adigat. Perinde faciunt; ac si dicerent: Flectere genua coram Rege; alloqui illum capite aperto; assurgere reuerenter, ipso prætereunte; formaliter vt sic, non esse cultum ciuilem regi delatum; quæ vesania non tantum rationi, sed communi omnium persuasioni repugnat.

Si quis enim vel ex rudissimo idiota sciscitetur, Cuius in honorem genua flectis, aut pileum de capite detrahis? an non respondebit; se genuflexionem, & capitis apertionem; in honorem sui Regis aut Principis; tanquam actiones ipsius celsitudini debitas, exercuisse? Si quæ Respublica, vt se erga Principem aut Regem gratam & beneficiorum memorem ostendat; ludos, dies festos, solennia conuiuia, & id genus alia instituat;

Digitized by Google

A tuat; an non nouum cultum Regi instituit? An ludi, festi dies, & conuiuia formaliter, quà talia, non sunt cultus regi decretus? Negabit Pappicus Ethicus; dicetque; *gratias agere generatim esse cultum; hoc vel illo modo gratias agere, nec esse cultum; nec cultus partem sed accidens.* Vbi imperitissimi isti nugatores speciales cultus rationes; quibus notio & ratio generalis ad certam formam & speciem contrahitur; arbitrantur tantummodo esse accidentia; ad cultum nullo modo pertinentia; quod perinde propemodum est, ac si dicerent: differentias, quæ genus ad species contrahunt; esse tantum accidentia illius speciei; atque adeo in eo toto, *quod animal rationale* appellatur; solum animal ad substantiam pertinere; rationale autem nec substantiam, nec B partem substantiæ illius; sed tantùm accidens esse.

Deinde, vt determinata illa cultus ratio tantummodo cultus accidens esset; non ideo Prædicantes euaderent: quia ipsi contendunt, nihil penitus, nisi quod scriptum est; licitè cultui diuino superaddi. Si ita est; malè ergo fecit Dauid; qui cultui diuino aliquid in scriptura nec præscriptum, nec præceptum superaddidit; licet istud additamentum solummodo accidens fuerit, vt placet Prædicantibus. Fuerit accidens; an ideo non fuit additamentum? At omne additamentum vetatur, si non mentiuntur Prædi- C cantes; quia scriptura disertè clamat; *Non addetis ad verbum, &c.*

Præterea quamuis Prædicantibus daremus, illud, quod Dauid superaddidit cultui diuino, fuisse tantùm accidens cultus generatim spectati; an ideo cultus non esset? An non totum illud; quod Dauid instituit; peragebatur ad gloriam & honorem Dei? An non ipse formaliter Psalmorum cantus; an non tubarum & buccinarum clangor, an non cymbalorum, nabliorum & similium instrumentorum concentus & symphonia ad honorem Dei, formaliter, vt sic; referebatur?

D Respondet insuper Pappus cum suo Hunnio, Dauidem fuisse Prophetam; fecisse eum id, quod fecit, ex peculiari Dei mandato. Fuisse illum Prophetam non ignoramus. Ex peculiari mandato Dei fecisse Dauidem, quæ fecit; credam; cum Pappus mihi hoc peculiare mandatum Dei in scripturis demonstrauerit. Vbi enim scriptum est; Dauidem singulari iussu Dei ea quæ instituit, instituisse; & *stolam byssinam & Ephod lineum* induisse; & coram arca in honorem triumphi illius *saltasse?* Vbi scriptum; vniuersum Israëlem peculiare mandatum accepisse, vt deducerent *arcam fœderis in iubilo & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis & citharis concrepantes?*

XCIII. Mendac. *Quando Catholici argumentantur ab exemplo Dauidis pro institutis Ecclesiasticis ad cultum diuinum spectantibus, committi fallaciam, παρὰ τὸ μὴ ἑπόμενον.*

XCIV. Mendac. *Nos perinde facere, ac si quis immolare filium suum Deo constitueret, Abrahami factum sibi pro norma seligens.* In scriptura legimus expressum mandatum Abrahamo de filio immolando datum. Hoc quandiu nemo aliorum accipit; minimè potest exemplum Abrahami sibi proponere: obstante illo; *Non occides.* At vbi expressum Dei præceptum Dauid datum est; vt eos ritus institueret; quos instituit; & ea solennitate arcam transferret, qua transtulit? Adde, quod, quidquid Prædicantes de expresso mandato nugentur, id ad rem nihil faciat: quia Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi contendebant, *omnes constitutiones exercitiorum Religionis* ex solo verbo Dei scripto fuisse susceptas: at certum est Dauidem cæremonias illas non instituisse ex verbo Dei scripto; licet concederemus eum illas ex mandato speciali Dei instituisse; quia mandatum illud speciale non erat vspiam in scriptura scriptum.

Alterum exemplum cultus absque scripto Dei verbo instituti est 1. Paralip. 28. vbi Dauid proposuit ædificare templum; vtique colendo & celebrando Deo. Et tamen verbum Dei scriptum nusquam mandabat, vt Dauid templum ædificaret. Respondet Pappus Thesi 27. *Quoad Dauidem, quia ædificandi templi expressum mandatum non habebat; ideo impeditum fuit, & ipsi per Prophetam Nathanem interdictum.* At ego quæro; num malè fecerit Dauid, quod ad cultum Dei aliquid, sine scripto verbo, & sine expresso mandato adiicere voluerit? Sine dubio; si Prædicantes sibi constare velint, dicere debebunt; peccatum à Dauide; quando hoc propositum concepit; cum lex disertè vetet; *Non addetis ad verbum, &c.* Mirum autem tantùm Prophetam non vidisse, quod tam acutè hodie nostri Prædicantes peruident; scilicet, sine scripto verbo, vel mandato peculiari Dei; nil esse cultui diuino superaddendum. Certè vel hinc apparet, Dauidi hanc *Prædicanticam* phantasiam & anilem delirationem nunquam venisse in mentem: nunquam enim constituisset templum Deo ædificare; nisi persuasum habuisset, etiam absque scripto Dei verbo, & sine expresso mandato aliquid in cultu diuino statuere & instituere ius & fas esse: nisi fortè Pappus febrili suo somnio conuenienter respondeat; ædificationem templi ad laudem & gloriam Dei; non *esse cultum diuinum; nec partem cultus diuini; sed tantùm accidens.* Qua insipientia quid stolidius?

Si quis

Si quis in honorem idoli ædificet templum; an non colit idolum? An non committit idololatriam? An illa ædificatio, etiam quà talis, non est idoli veneratio? Deinde licet Dauid expressum mandatum habuisset; sicut Dauid habuit expressam approbationẽ Dei; vt Salomon templum ædificaret;num ideo Prædicantes suum illud dogma stabilitum nobis dare possent; nihil in cultu diuino, absque verbo Dei scripto, in veteri testamento actum esse? An qui mandatum viua voce sibi traditum,& in scriptura non comprehensum, sequitur, & ex eius præscripto aliquid agit;in cultu diuino; scriptum Dei verbum tantummodo sequitur; & ex eius solius instructione in cultu diuino agit? Quo fit, vt ex laqueis; in quos Prædicantes se induerunt, minimè per hoc euadant, quandoquidem ipsi solum scriptum; scriptum, inquam, Dei verbum pro vnica & adæquata omnis cultus diuini regula ad fastidium vsque oggesserunt. Nec Salomon in ædificatione templi scriptum verbum, vt normam, secutus est; sed mandatum seu approbationem diuinam absq; scripto sibi notificatam: nec refert; quod postea in scripturam venerit; quia vt rectè Hunnio respondit Tannerus noster;non quærimus; quid postea scriptum fuerit; sed num Salomon in illo cultus diuini exemplo; in ædificatione, inquam, templi, verbum scriptum, tanquam vnicam omnis cultus diuini normam,secutus fuerit.

Nec obstat, quod Dauid Salomoni totius templi ideam & delineationem, diuinitus acceptam, & manu Domini scriptam tradiderit; quia, vt bene monet Tannerus; Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi, quando clamitabant, nihil vnquam in cultu diuino susceptum esse absque scriptura seu scripto Dei verbo; non loquebantur de qualicunque scriptura,sed de illa, quæ in Biblicorum voluminum corpore inest, à Prophetis & Apostolis scripta; ad nos transmissa;& hodie in Ecclesiis legi consueta. Ad hanc, aiebant Prædicantes, omnia in cultu diuino fuisse conformata,instituta,acta, peracta. Quis autem nescit; ad scripturæ huius complexum non pertinere illam picturam potius quàm scripturam templi,quam Dauid accepit? Dico potius *picturam*: cum fuerit futuri ædificij imago seu iconismus.De hac descriptione ait ipsemet Pappus infra Thes. 117. *Non fuit liber,sed structuræ typus.* Talis etiam Exod.25. *Idea tabernaculi.*

Ait Pappus Thes. 49. *Frustra tumultuatur Tannerus de iis, quæ nihil πρὸς τὸν Διόνυσον. Non negatur de extra ordinaria additione, quæ est libera & absoluta potestatis Dei.* At tu frustra hic X C V. mendacium effutiuisti. Nam Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi, non dixerant; omnia, quæ circa cultum diuinum in veteri testamento acta & instituta sunt; acta & instituta fuisse vel ad verbum Dei scriptum; vel ad mandata extraordinaria diuinitus data; sed ad solum verbum Dei scriptum; ad solum, inquam, tanquam ad vnicam omnis cultus normàm & regulam. Hoc Prædicantium delirium his & aliis exemplis optimè & euidentissimè refellit Tannerus. Et tu pessimè hic X C V I.Mendacium fundis; cum ais, *Hoc esse Tanneri argumentum. Prophetæ diuinitus immediatè illustrati extraordinaria actione addiderunt quædam ad cultum diuinum absque verbo scripto; ergo idem nunc possunt Reges, Principes & Sacerdotes ad legem alligati.* Non est hoc Tanneri argumentum; sed tuum figmentum. Tanneri discursus est iste. In veteri testamento multa à piis in cultu diuino instituta & acta sunt; quæ in scripto Dei verbo nec præcipiebantur, nec præscribebantur; ergo mentiuntur Prædicantes,quando vociferantur, tempore veteris testamenti nihil in cultu diuino esse actum aut institutum, nisi quod in verbo Dei scripto præciperetur vel præscriberetur.

X C V I I. Mendac. Thes.49. *Nostros argumentari in hoc casu à reuelationibus veteris testamenti ad noui testamenti reuelationes: hoc est à baculo ad angulum.* Quæso, regredere ad Relationem Historicam Tanneri, & ad caput nonum Apologetici pro eadem Relatione; & vide, num hoc alicubi argumentum reperturus sis: *Olim in veteri testamento multa diuinitus immediatè reuelata sunt Prophetis circa cultum diuinum instituendum; ergo hodie etiam multa diuinitus immediatè reuelantur Pontificibus circa cultum diuinum.* Si hoc argumentum in Tannerianis libris inueneris, tum mendacium tuum libenter in spongiam incumbere iubebo.

X C V I I I.Mendac. Battologicum. Thes. 49. *Frustra argumentatur Tannerus à mandatis extraordinariè reuelatis veteris testamenti, ad mandata testamenti noui, quæ nulla sunt extra ordinem amplius, sed ordinaria traditio ad fundamenta Prophetarum, & Apostolorum restricta est.* Vbi hæc argumentatio Tanneri?

Tertium exemplum cultus absque scripto verbo mutati est illud Ezechiæ 2. Paralip. 30. cuius ductu, & simul etiam communi multitudinis consensu, factum est;vt *Phase* seu *Pascha* secundo mense celebraretur cõtra legis præscriptum. Respondet Pappus, *istos potuisse se quadantenus excusare indultu illo Num.9.vers.11.vbi iis, qui immundi fuerunt, aut in itinere, diuinitus concessum fuit celebrare mense secundo.* At num omnes tempore Ezechiæ erant immundi? Num omnes erant in itinere? si sacerdotes omnibus sufficere non poterant, quia non erant sanctificati; cur illi saltem, quibus sacerdotes sanctificati poterant sufficere,nõ celebrarunt Pascha tempore à lege præstituto? Quid,ad istos concessio seu exceptio illa in Nu-

meris? Qua auctoritate transtulit Ezechias, cum multitudinis consensu, Pascha in mensem secundum, celebrandũ ab illis, qui illud ex præscripto legis mense primo celebrare non poterãt; Nondum fuerint sacerdotes, qui sufficere poterant, sanctificati. Cur non illi, quibus sacerdotes sufficere poterant, Pascha suo tempore celebrarũt; reliquis altero mense celebraturis, si in cultu diuino nil est agendum, nisi quod verbum Dei scriptum præcipit? Esto, nondum ex vniuerso Israele congregatus fuerit vniuersus Israel; An excipiebatur in lege; vt si totus Israel nondum venisset Hierosolymam, Pascha in secundum mensem transponeretur? Nullo modo. Itaque quidquid Pappus cum suis tergiuersetur & oblatret, luce lucidius est, Ezechiæ & multitudinis ductu & consilio aliquid in cultu diuino actum esse; quod in verbo Dei scripto non esset vel præceptum vel præscriptum.

XCIX. Mendac. *Hoc factum Ezechiæ & Principum eius non caruisse reatu.* Impudens mendacium. Non enim dicit sacra scriptura, ipsam translationem Paschalis solennitatis non caruisse reatu; sed quod magna pars populi, *quæ sanctificata non fuerat, comederat Phase. Pro his,* ait Pappus, *deprecatum maturè Deum Esaiam*; vbi ego satis maturè numero C. Pappi mendacium: nihil enim eo loci scriptura de Isaia Propheta; sed de Rege Ezechia.

CI. Mendac. Thes. 50. Hoc esse argumentum Tanneri: *Tempore Ezechiæ vltra præscriptum tempus addiderunt septem dies ad solennitatem Paschæ; ergo licet Pontifici Romano comminisci traditiones ad cultum necessarias.* Nil aliud hinc colligimus; quàm hoc. Ecclesia Hebræa potuit aliquid in cultu statuere absque scripto Dei verbo; ergò idem potest Ecclesia Christiana. Mirum sanè foret; hodiernam Ecclesiam nullum penitus diem festum indicere & instituere posse; cum isti, illæsa religione, septem dies festos instituere, & ad præscriptam solennitatem adiicere potuerint. Si Prædicantium quispiam adfuisset; elata & sonora voce intonuisset. O Ezechia, vosque cæteri Principes: videte, quid agatis: scriptum est: *non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis.* Cur mense secundo Pascha celebratis? Cur septem dies adiicitis? Nonne primus mensis solennitati huic est præstitutus? Nonne septem diebus ita circumscripta est hæc festiuitas, vt de septenis aliis adiungendis lex nullam facultatem faciat?

CII. Mendac. Thes. 52. Tannerum ex hoc Ezechiæ facto concludere velle; *Pontificiorum traditiones Catholicas non ita à ratione & scripturarum auctoritate & exemplis destitutas esse, vt earum probabiles rationes scripto Dei verbo congruentes reddi non*

A *possint; quin potius ipsosmet Catholicos tractatores de singulis rationes sanè probabiles & scripturæ consentaneas afferre.* Inspiciat Lector caput nonum Apologetici Tanneriani, & de Pappica fronte, num stigmate signanda sit; æquo iudicio constituat. Ex omnibus his exemplis nil aliud concludere cupimus; quàm mentitos esse Prædicantes, quando dicebant, in veteri testamento, *scriptum Dei verbum fuisse omnis diuini cultus vnicam & adæquatam regulam; nihil in eo actum, nisi ex præcepto & præscripto verbi scripti.* Miror autem Pappum non confugere ad illud suum deliramentum; *Pasca secundo mense celebratum, non fuisse cultum diuinum; nec partem cultus diuini, sed tantum accidens:*
B Eandemque esse septem supernumerariorum & adiectitiorum dierum rationem.

CIII. Mendac. *Factum Ezechiæ dignum fuisse reprehensione.* Vbi hoc scriptura vel obscurè insinuat?

CIV. Mendac. Thes. 50. *Tannerum dicere, Iosiam Regem 2. Paralip. 35. vltra præscriptum numerum in Paschate immolasse holocausta.* Intelligit autem Pappus per numerum præscriptum, numerum à lege præscriptum. Propterea subdit; *Atqui lex certum numerum nusquiam definiuit in hac solennitate.* Sed Pappus veteri instituto & ritu mentitur simul & calumniatur: Non enim locutus est Tan-
C nerus de hostiarum numero; sed de splendore, magnificentia & maiestate illius Phase à Iosia celebrati, quod scriptura magnificentissimis verbis dilaudat: *Non fuit Phase simile huic in Israel à diebus Samuelis Prophetæ; sed nec quisquam de cunctis Regibus Israël fecit Phase, sicut Iosias.* Quo in loco scripti verbi mandatum legit Iosias, vt Phase omnibus retro regibus splendidius & magnificentius in cultum & honorem Dei perageret? Cur non contentus fuit iis, quæ lex præscripserat? Cur plura addidit contra illud: *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, &c.* Et contra illud: *Hoc tantùm facito Domino Deo tuo, quod ego præcipio tibi, &c.*

D Mirum insuper est hoc legis Edicto non absterritum fuisse Mardochæum cum sua Esthere, quo minus festum *Phurim* institueret, Esther 9. Nec Macchabæos cum vniuersa Ecclesia 1. Macchab. 4. retractos, quo minus perpetua lege sancirent, *vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, &c.* Quam festiuitatem Christus non modò non reprehendit; sed & sua præsentia cohonestauit Ioannis decimo.

CV. Pappi mendacium, *Christũ festum Encæniorũ nec probasse; nec reprobasse; sed tolerasse.* Incredibilis profectò Prædicãtium impudentia est, qui cũ nil

nisi scripturam crepent, adeo tamen vbique & extra, & præter, & contra scripturam loquuntur; vt qui maximè. Quo vel tenuissimo indicio indicat Ioannes Apostolus Christum hoc festum tantummodo tolerauisse; non probasse? nam non improbasse, libens volensque mihi persuadeo. Profer scripturas, vt fidem facias; nam fungus sit, qui solis tuis asseuerationibus, vel potius Pseudologiis fidem commodandam existimet.

CVI. Mendac. *Festum per se non esse cultum.* Ex quo etiam stultissimè innuit festum *Sortium* & *Encaeniorum* non fuisse cultum diuinum: ac proinde Mardochæum & Macchabæos nihil in cultu diuino innouasse & instituisse. Quæ sententia tam bruta est & stolida, vt brutum potius, quàm hominem deceat: nam si ab Ethnico quopiam dies festus in honorem Iouis vel Neptuni institueretur; nonne dies ille festus rectissimè appellaretur cultus & veneratio Iouis? Etenim plusquam mirum foret; si quod colendo alicui deputatur & destinatur; quodque ad honorem alicuius ex proposito refertur; non posset nominari cultus & veneratio.

At festum, inquit Pappus Thesi 55. *est tempus circumscriptum, in quo Deus colitur.* Inprimis, si hæc obiectio quidquam valet, tum nullum penitus festum, etiam iussu Dei institutum; esset cultus & veneratio Dei; quia omne festum, quantumuis licet ab ipso Deo institutum, est circumscriptio quædam temporis; seu tempus quoddam cultui diuino peculiariter dedicatum. Si igitur Festa *Phurim* & *Encaeniorum* ideo non possunt censeri cultus diuinus, quia sunt quædam temporis circumscriptiones & definitiones; etiam festa peculiari iussu Dei instituta, non erunt cultus & veneratio Dei. Et tamen Prædicantes, inque his ipse Pappus, concedunt festa veteris testamenti à Deo indicta, verè fuisse cultum Dei ac venerationem. Sed cæci sunt & duces cæcorum; nec animaduertunt; se eò delabi, vt affirmare debeant, nullum penitus Christianum festum; ne ipsum quidem diem Dominicum; insuper nec ipsum sacrosanctum Pascha, esse cultum diuinũ, quod vultu æreo Hunnius in Colloquio Ratisbonensi concessit: homines indoctissimi, qui non intelligunt; quando aliquis dies cultui diuino dedicatur; ipsum etiam tempus, & circumscriptionem temporis illius; quam festum diem nominamus, Deo consecrari; quia totũ ilud spatium seu interuallum, & totã illam durationem Deo destinamus; ab operibus seruilibus interea abstinentes: rebus diuinis instantius & vigilantius vacantes; & externo etiam ornatu & gestu nostram in Deum affectionem & reuerentiam testificantes, prout diebus festis in more positum videmus.

Mirum dictu, Prædicantes nostros, odio traditionum, & Ecclesiasticorum institutorum eò processisse; vt etiam communes notiones inficiari & repudiare audeant: nam si ex Christiano quocunque perconteris; in cuius honorem institutus est dies Dominicus? Nonne ipsa natura dictante, è vestigio respondebit; institutum esse in honorem Dei? Si institutus est in honorem Dei, ergo est cultus Dei. Si ex Ethnico quæras, in cuius honorem hic vel ille dies institutus sit; absque mora respondebit; in honorem Iouis, Neptuni, similium. Si in horum honorem; sunt ergo eorum cultus & veneratio, quandoquidem totum illud, quod diem nominamus; & quidquid in eo agitur, colendo numini seu vero seu putatitio deputatur.

Mentitur Thes. 54. *Ieiunia Iudaeorum*, de quibus scripturæ, vt Ieiunium Thamuz. XVII. Mensis Thamuz, de quo Zachariæ 8. v. 19. verbis illis: Ieiunium quarti; est enim Thamuz quartus Hebræis mensis, & Ieiunium Ab, *IX. die Ab*, de quo Zach. 8. v. 19. illis verbis: *& Ieiunium quinti*; est enim *Ab* Hebræis mensis quintus: & ieiunium Godoliæ tertio die Mensis Tisri, de quo loc. cit. Zachariæ: *Ieiunium septimi*; est enim Tisri Hebræis septimus mensis; & Ieiunium Tebeth, IX. die mensis Thebeth, de quo loc. cit. Zachariæ verbis illis: *Ieiunium decimi*; est enim apud Hebræos Tebeth mensis decimus: *fuisse à Deo improbata & reiecta, quod titulo cultus celebrarentur.*

CVII. Mend. *Et hanc improbationem & reiectionem exstare Esaiæ 29. v. 13.* Percurre totum caput; nil huius, quod iste mentitur, de reiectis ieiuniis ob cultus opinionem inuenies: sed tantùm hoc, Deum nolle se coli iis mãdatis & doctrinis, quæ cultum à Deo præscriptum negligant, vel etiam violent: nec ipsum etiam per se ieiunandi morem repudiatum cernes; Isaiæ 58. sed tantùm reprehensos Iudæos; quòd totam religionis summam in ieiunio positam arbitrarentur; & cætera omnia, quæ seu ad pietatem, seu ad Dei & proximi dilectionem spectabant; in postremis ducerent.

CVIII. Mend. *Idem testatum reddi ex Zacharia cap. 7. v. 5. vbi mentio ieiuniorum quinti & septimi mensis.* Sed neque hic ipsum ieiunandi institutum reprehenditur; sed Iudæorum peruersitas notatur & castigatur; qui ieiunium illud ad alium finem; quàm ad diuini nominis gloriam referebant.

CIX. Mend. *Idem Ieiuniorum institutum improbari à Christo Matth. 15. v. 5.* Quia vt Deus per Isaiam tantum repudiat mandata & doctrinas hominũ, quæ diuinæ legi aduersantur; ita & Christus prædicto Matthæi loco.

CX. Mend. *Esther 13. v. 3. institutam esse solennitatem Epularum.* Si caput ipsum consulere velis, neque Epulas, neque solennitatem Epularum inuenies. Non nego, cap. 9. v. 17. constituitur vt quartusdecimus dies Mensis Adar sit solennis; inque eo *omni tempore deinceps vacetur Epulis, gaudio atq; conuiuiis*; sed hæc hilaritas non fuit proprium, sed ipsum festũ *Phurim* seu *Sortium*. quod à nonnullis celebratur die XIV. Mensis Adar; ab illis, qui in Susan habitabant die XV. eiusdem men-

sis; quem *solennem Epularum atque lætitiæ constituerunt*. Festum diei decimi quarti, vocabatur *Festum sortium minus*. Festum diei decimi quinti, *Festum sortium maius*. Fortè Pappus per suam peculiarem Epularum solennitatem intelligit Bacchanalia, iisque ex sacris litteris auctoritatem & venerationem conciliare voluit.

Burdo libro septimo de Emendat. Temporum, & ex eo Pappus, diuidunt festa & ieiunia in *legalia & politica*. *Legalia* vocat Burdo, *quæ speciali legis mandato indicta sunt: Politica, quæ consensu Ecclesiæ inducta & recepta*. De Pappo certus sum, quòd fraudem & imposturam sub nomine Politici festi celet, & velet; hoc enim innuit; festa ab Ecclesia, non à Deo immediatè indicta & instituta; esse quiddam politicum; à cultu religioso & diuino segregatum; extra religionis limites. Si Burdoni eandē animo sententiam sedere affirmem, nulla eum, opinor, iniuria afficiam, quandoquidem Caluinianus est; nec hac in re melioris mētis, quàm sint Lutherani.

Non possum hic tacitus præterire imperitiam & vesaniam Rungij Prædicantis VVitebergensis, qui in Tractatu suo de Norma & Iudice controuersiarum capite quinto ita desipit, & stultescit; vt & præteritis & futuris Prædicantibus stultitiæ palmam præripere voluisse videatur; Negat I. *Festa omnia in veteri testamento fuisse partem cultus diuini.* Hoc iam refutatum est in Pappo; qui accepit ex Rungio & Hunnio.

II. Dicit; *Hoc tantummodo verum de illis, quæ diuina fuerunt auctoritate instituta.* Sed & hoc delirium iam profligauimus.

III. Dicit: *Alia festa, quæ ab euentu aliquo memorabili, hominum auctoritate, fuerunt introducta, potuissent vtique non introduci.* Etiam illa, quæ Deus auctoritate sua indixit & induxit, potuissent non indici & induci; quia liberè à Deo instituta sunt; neque quisquam, vt institueret, cogere potuit.

IV. Dicit, postquam semel introducta fuerunt, extra casum scandali, absque vlla peccati mortalis culpa, potuisse omitti, vel non obseruari. Mendacium hoc perspicuè in Hunnio redarguit Tannerus noster capite nono sui Apologetici, ex capite nono libri Esther, vbi post mandatum Mardochæi recitatum dicitur: *Suscepisse Iudæos in solennem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda* MANDAVERAT. Et paulò inferius post alia legimus; *Suscepisse Iudæos super se, & semen suum, & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari,* VT NVLLI LICEAT *duos hos dies* (Phurim) *absque solennitate transigere; quos scriptura testatur, & certa expetunt tempora, annis sibi iugiter succedentibus. Isti sunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio; & per singulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt; nec est vlla ciuitas, in qua dies Phurim, id est, Sortium, non obseruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his* CEREMONIIS OBLIGATA EST. Et mox dicitur, Reginam, & Mardochæum scripsisse epistolam secundam, *vt omni studio dies ista solennis sanciretur in posterum.* Eandem fuisse rationem solennitatis Encæniorum quis dubitet? Significat hoc scriptura 1. Mach. 4. non tantum referens, *factam esse dedicationem altaris diebus octo, & oblata holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris, & laudis, & ornatam faciem templi coronis aureis, & scutulis, &c.* Sed etiam, *statuisse Iudam* (tanquam summum Pontificem) *& fratres eius, & vniuersam Ecclesiam Israël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno, in annū, per dies octo, &c.*

V. Dicit, *Omnia festa Christiana per se, extra casum scandali, posse omitti.*

VI. Ex eiusdem Prædicantis doctrina sequitur, nullum festum Christianum *esse cultum diuinum, aut partem cultus diuini.* Quo, quid flagitiosius?

VII. Dicit, *Neque Mardochæum, neque Macchabæum habuisse mandatum Dei, vt conscientiis nouum cultum Dei iniungerent.* Ergo peccarunt. (Libenter hoc affirmaret Prædicans; sed non audet quantumuis audacissimus) Nam obligatos fuisse Iudæos iam vidimus ex scriptura. Fuisse hos dies festos cultum eadem scriptura disertè tradit: nā Mardochæus ad omnes Iudæos scripsit, vt quartamdecimam & quintamdecimam mensis Adar pro festis susciperent: hoc est, eodem loco haberent, & eodem ritu celebrarent; quo alia festa; sed alia festa verè celebrabant Iudæi, vt cultum Dei; vel tanquam partem cultus diuini; ergo & hos; quandoquidem iubentur absolutè, vt hos dies *pro festis* recipiant; non adhibita vlla exceptione vel limitatione. Nō legerat scilicet Mardochæus Burdonis opus de Emendatione Temporum; alioqui non simpliciter scripsisset; vt dies illos pro festis susciperent; sed vt pro *festis politicis*. Nec Iudæi absolutè pro festis acceptassent; sed pro festis *politicis*, si hanc *Burdonicam* distinctionem nouissent. Præterea ibidem mandat Mardochæus, vt hos dies semper, reuertente anno, solenni honore celebrent: Quid est solennis honos, nisi solennis cultus? Quæro, cui solennis iste honos seu cultus fuerit delatus? An non Deo propter insigne illud beneficium in Israëlitas collatum? Pari modo festum Encæniorum fuisse cultum patet 1. Macch. 4. Quia totum illud festum consecrarunt ad gloriam & honorem diuini nominis; Hinc *concidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cælum eum, qui prosperauit eis: & ornauerunt faciem templi coronis aureis, &c. Et statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israël,* vt quotannis hic dies agatur; eo ritu & modo, quo ab ipsis peractus fuerat; nempe ad laudem, cultum, & honorem Dei.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Dicit Rungius: *Erat Christus Hierosolymæ in templo in festo Encaniorum, ergo approbauit hoc festum. Concedo.* Nota hic vertiginem Prædicantium. Thesi 55. dicit Pappus, *Christum hoc festum nec probasse, nec improbasse; sed tolerauisse.* Rungius apertè dicit, Christum *approbasse*. Et rectè quidem. Sed non rectè illud, quod statim subditur. *Ergo hoc facto ostendit Christus festum illud esse peculiarem Dei cultum. Nego consequentiam*, inquit Rungius. Quia Christus probauit hoc festum prout à primis institutoribus fuit institutum, & prout illo ipso tempore, ex mente & voluntate primorum institutorum peragebatur: Sed primi institutores instituerunt hoc festum tanquam cultum Dei; vt manifestissimè patet ex cap. 4. lib. 1. Macchab. ergo etiam Christus probauit hoc festum, vt cultum Dei. Deinde hoc ipso, quod quis instituit vel probat festum; instituit vel probat cultum; quia festum propriè loquendo intrinsecè est cultus; & significat cultum; & Prædicantes, qui hoc abnuunt, non tantum rationem cultus; sed ne ipsum quidem vocabulum intelligunt.

Ait Rungius, *Christo probatum fuisse festum Encaniorum, quod Deo solennes agerentur gratiæ pro repurgatione templi, restitutione doctrinæ cælestis & abolitione idololatriæ Ethnicæ*: Ita est. At nonne ad cultum & honorem Dei pertinet, quod proprium & peculiarem diem Iudas & fratres eius selegerunt; & præstituerunt; quo solennes Deo gratiæ ab omnibus publicè persoluerentur? Nonne propter diuini nominis gloriam hunc diem festum & solennem esse voluerunt? Atqui hæc gratiarum actio, inquit Rungius, *quotidiana esse debebat isti populo, cum per se cultus Dei sit.* Debebat esse quotidiana; sed non solenni & in hunc finem proprio destinato die & ritu. Sicut & nobis gratiarum actio pro passione, Resurrectione, Ascensione, & Spiritus sancti missione, debet esse quotidiana; sed non quotidie solenniter, & solenni ritu ac cæremonia, sed selectis ad hoc nonnullis diebus, quos gratiis competentibus Deo persoluendis dicatos sacratosque esse volumus. Quam sunt autem Prædicantes acuti. Si quis Deo dedicet templum; si fortunas suas; si facultates; si seipsum; Deum colit; nam dicatio & dedicatio ista est quædam veneratio; quando Deo dicatur, dedicatur & consecratur dies; hoc est, quando ei festum instituitur; tum non est cultus. Argutè nimirum, quia Prædicanticè. Scilicet alia Deo ad gloriam & honorem dicari & consecrari possunt; dies & tempora non possunt.

Mendacium porrò luculentum est; *festum Encaniorum ordinis tantum & commonefactionis caussa institutum fuisse.* Reclamant singulæ prope syllabæ eius orationis, lib. 1. Macchab. cap. 4. vbi institutio huius festi ritusque & cæremonia describitur.

Obiicit Rungius tritum illum locum D. Hieronymi in cap. 4. ad Galat. *Ne inordinata populi congregatio fidem minueret in Christum*, &c. Eundem obiectat Pappus Thes. 55. Sed solutio exstat apud Bellarminum lib. 3. de cultu sanctorum cap. 10. quam vbi Prędicantes oppugnauerint, non cunctabimur eam defendere. Ait Rungius: *Hanc argumentationem esse stolidã: Mardochæus & Esther mandarunt obseruationem festi Phurim, vt in eo agerentur Deo gratiæ pro liberatione Iudæorum; ergo habuerunt potestatem aliquid addendi in cultu Dei.* Forsan argumentatio ideo stolida est; quòd veniat à Rungio qui ei de sua stoliditate aliquid affricuerit. Nam nos nõ ita argumentamur: sed hunc in modum: *Mardochæus & Esther absq; scripto Dei verbo instituerunt Deo colendo & honorando nouum festum, neque quisquam vnquam rectè sentientium hoc festum, tanquam illegitimum, reprehendit; ergo non est illicitum, neque scripto Dei verbo contrarium aliquid cultui diuino adiicere.* Sic nec stolida, neque inepta est hæc consequentia ex facto Mardochæi & Estheris deducta: *Ergo mandatum hoc potuit obligare conscientias ad cultum Dei humana inuentione*, hoc est, *absque scripti verbi mandato, excogitatum, non minus, quàm si Deus ipse fuisset huius festi Auctor.* Proba est hæc consequentia, non apud improbos, sed probos; quibus compertum, Ecclesiæ vocem non minus, ac Dei vocem audiri debere. Nonnè disertè dicit scriptura, Iudæos ad obseruationem festi huius fuisse obligatos, & nulli licitum fuisse hos dies sine solennitate transigere? *Quis non videt ἀναλγησίαν?* Clamat Rungius. Imò quis, præter cæcutientes istos clamatores, ἀναλγησίαν non videt? *Cedo*, inquit Præco, *num gratiarum actio non est cultus secundo præcepto mandatus?* (Omnino) *Num institutio certæ & nouæ circumstantiæ ex casu nouo emergentis, est noui & hactenus inauditi cultus Dei inuentio?* Non ipsa præcisè circumstantia; vt talis est; sed dies, vt res quædam est; ad cultum Dei ob hoc vel illud beneficium, dedicatus & consecratus; nouus quidam Dei cultus est; nouus, inquam, non genere, sed secundum specialem vel indiuidualem rationem; quia ante festum *sortium*, v. g. festum *sortium* non exstitit; atque adeo neque cultus Dei fuit. *Quæ hæc est amentia?* Vociferatur Rungius. De te, opinor, loqueris: ac proinde meritò quæris; quæ hæc tua sit amentia. Cur non circumspicis de helleboro vel cicuta?

Iterum oggerit Cuculus. *Conscientias ad cultum Dei non posse obligari vllius magistratus Ecclesiastici mandato.* At hoc palam negat sacra scriptura. Esther 9. vbi Iudæi, hoc est, Ecclesia Hebræorum, *super se & semen suum, & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari*; susceperunt mandatum Mardochæi, de Festo *Sortium*.

Digitized by Google

Quod addis, *Seruatorem nostrum festo Encæniorum non interfuisse, ne sua præsentia stabiliret licentiam fingendi nouos cultus contra Dei mandatum*; id vt mihi persuadeas, nullis verborum machinis eges. Fateor enim, *impios cultus* non esse vlla ratione stabiliendos; sed vnum adhuc tibi superest demonstrandum, omnes cultus extra scriptum verbum susceptos, fuisse vel esse illicitos & sacrilegos. Nam, quocunque te vertas, nunquam euades, quin eadem nota festum *Sortium* & Encæniorum adspergas; vel insipientissimè cultum diuinum vel partem cultus diuini esse abnuas.

Notetur autem Prædicantis mendacium; cum ait; *nos concedere principibus*, politicis videlicet, *potestatem instituendi nouos cultus*, hoc est, *dies festos, & huius generis alios*. Sed nulli hoc Catholico in mentem venit: Ecclesiasticorum enim id muneris est; non Politicorum; & si Politicorum, non tamen, nisi dependenter à magistratu Ecclesiastico.

Circa Phase Regis Ezechiæ mendaciloquentia & imperitia crudeliter grassatur Rungius: Nam I. vbi scriptum est, *Ezechiam septem alios dies ad solennitatem Paschalem adiecisse non sine auctoritate diuina*; (hoc est, non sine immediata reuelatione Dei.) *per Esaiam Prophetam reuelata*. Vbi hoc sacra scriptura; vt tam audacter id Prædicans affirmare audeat? Vbi & illud, quod mox subiungit. *Esaiam nonnihil à verbo scripto deflexisse, vt qui nuper ad veri Dei agnitionem ex reliquis tribubus accesserant, facilius in ea retineri & firmius confirmari possent.* Scilicet Isaias talis erat; qui faceret mala; vt euenirent bona; hoc est, qui legem Dei violaret; vt Israëlitæ melius in vera religione instituerentur. Quanquam, vt dixi, nulla penitus in eo capite Paralip. Isaiæ fit mentio; neq; quidquam circa hoc Phase egisse refertur. Quidquid horum Prædicantes dicunt, id ex suo cerebro fingunt. Neq; de Ezechia asseri potest, illum voluisse à lege nonnihil deflectere, vt de Israëlitis bene mereretur; hoc est; quod vulgo dicere solemus; cum *voluisse pecunias furari; vt eleemosynæ largiendæ materia suppeteret*; Optimè namque norat, nihil in legem diuinam additione illa sua committi; non enim vetita fuisse quælibet additamenta; sed legibus diuinis aduersa.

Iterum mentitur Rungius, *Isaiam huius sui facti*, (hoc est, additionis septem dierum Paschalium) *veniam à Deo expetiisse. 2. Paralip. 30 v. 19.* Nam hæc deprecatio non est facta ab Esaia; sed à Rege Ezechia; vt habent Latina Biblia; etiam Castalionis, & Leonis Iudæ. Et Græca 70. Interpretum, & Germanica Lutheri; nisi quod nouatorie Ezechiam Hisckiam nominat. Nec aliter habet textus Hebræus; nec ignosci à Deo sibi postulauit ob septenos dies superadditos, sed quia magna pars populi de Ephraim & aliis tribubus Phase comederat, non sanctificata iuxta præscriptum legis. Hoc ne populo fraudi foret, obtinuit

A precibus suis Ezechias: Eum enim *exaudiuit Dominus, & placatus est populo*; populo dicit textus; non, *Ezechiæ*; quia ille peccarat contra legem Phase manducando non præmissa debita sanctificatione: Et Ezechias septem dies addendo nil deliquerat: nusquam enim edixerat Lex; vt septem duntaxat diebus Phase celebrarent; neque vllum vnquam diem adiicerent.

Cætera quæ subiungit Rungius mera sunt mendacia, & calumniæ; vt, *Esaiam confiteri, se ordinando, & permittendo; populum autem obediendo, necessitate vrgente, peccasse contra legem scriptam: eiusq; rei veniam à Deo petere.* Seriò dubitare cogor, num iste Prædicans, vel etiam Pappus aliquando legerint cap. 30. lib. 2. Paralipomenon, alioqui tam

B prodigiosè nec mentirentur; nec hallucinarentur. Et quidem tam inconstanter. nam prius dixerat Rungius, *Ezechiam adiecisse septem illos dies auctoritate diuina per Isaiam sibi reuelata*: nunc dicit, *Isaiam & populum, atq; adeo ipsum Ezechiam, hoc suo facto peccatum commisisse.* Quæ hæc vesania? Sed valeat iam Rungius, cuius liber inscitiæ; calumniæ, lœdoriæ & pseudologiæ quidam nidus est.

Ad Pappum reuenio, eiusque mendacium CXI. numero Thes. 59. *Hilarium affirmare nos id, quod lex non dicit, ne nosse quidem debere.* Non nominat locum Hilarij; sed eo sensu, quo à Prædi-

C cante adducitur & accipitur, à S. Hilario prolatum esse; mendaciis intrepidè annumero. Epistolam ad Philemonem Canonicam esse, an non nosse debemus? & tamen nusquam in lege vel sacris litteris proditum legimus.

CXII. Mendacium. ibid. *Pontificios magis esse curiosos, quàm religiosos, cum quærunt, quo nam medio infantes tam mares quàm fœminæ expurgati fuerint à peccato originali; &, data lege, mares ante octauum diem; & fœmellæ semper, quandoquidem non erant circumcisionis capaces.*

CXIII. Mendacium. *Singularium non posse quenquam habere scientiam*, hoc est, cognitionem: Sic enim *scientiæ* vocabulum vsurpet necesse est;

D quandoquidem hic pressè & Aristotelicè accipi non potest. Ex quo conficitur, Pappum nil penitus de plerisque veteris & noui testamenti libris scire vel cognoscere; quia plerique de rebus & gestis particularibus & singularibus agunt; maximè libri historici.

CXIV. Mendacium. *Singularia omitti, vt fides reuocetur ad ea, quæ sunt iuris communis.* Ex Pappi ergo doctrina, fides omittere debet Christi conceptionem, natiuitatem, circumcisionem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, & pleraque talia, quia sunt quædam singularia facta & acta.

Digitized by Google

CLV. Mendacium. Et quidem impudentiæ & imperitiæ plenissimum: *Bellarminum dicere; non constare ex sacris litteris, quo nam medio proselyti ab originali peccato emundati fuerint.* Num loquitur Bellarminus de Proselytis, quando dicit, gentiles multos saluari potuisse, & saluatos esse tempore testamenti veteris, & verè ad Ecclesiam pertinuisse; & tamen nihil prorsus de eorum iustificatione à peccato originali aliisq; peccatis in scriptura haberi? Num his, inquam, verbis loquitur Bellarminus de Proselytis? Quis præter istos Burdones, non intelligit Bellarminum loqui de illis, qui inter gentes extra Synagogam, & populum Iudaicum ad veri Dei cognitionem peruenerunt; quales multos fuisse, indubitatum est: hos nemo, nisi Burdo sit, proselytos appellat; quia hæc vox significat eum, qui ad ipsum Iudaismum transibat; suscepto etiam externo circumcisionis signaculo: quales non erant hi, de quibus Bellarminus; neque enim veram fidem amplecti, & ad Iudaismum transire seu proselytum fieri, vnum idemque formaliter significabant; etiam stante Synagoga & Hebræa Republica. Quapropter frustra hic garrit Pappus de communi iure Proselytorum cum natiuis Hebræis. Nemo isthæc vel nescit vel abnuit.

CXVI. Mendacium. Thes. 61. *Bellarminum lib. 4. cap. 4. in prima probatione, quòd scriptura sine traditionibus non sit sufficiens, confundere totum secundum quantitatem, & totum secundum essentiam.* Tu lege Bellarminum; si Pappi mendacium à Iunio sumptum deprehendere cupis. Illud quod addit Pappus, periisse aliquos libros de Canone, licet de Canone nunquam fuerint, gryphi simile est. Si de Canone perierunt; quomodo de Canone non fuerunt? An aliquid de Canone perire potest; quod non fuerit de Canone?

CXVII. Mendacium. Thes. 63. *In argumento Bellarmini pro traditionibus desumpto à variis mundi ætatibus cumulum fallaciarum inesse.* Tu dic (& verum dices) in responso Pappico inesse mendaciorum cumulum.

CXVIII. Mendacium. *Fallaciam inesse in eo, quod Bellarminus dicit; scripturas non esse simpliciter necessarias*: Quæ hîc fallacia? Bellarminus contra Prædicantium inscitiam probat id, quod probandum erat; nempe, scripturas non esse simpliciter necessarias. An non licet vti aduersariorum vocabulis, vt eorum sententia refutetur?

CXIX. Mendacium. *Id quod Deus vult, esse simpliciter necessarium.* Hæc propositio ex Stoicorum porticu est; quasi vero voluntas Dei rebus necessitatem afferat vel imponat.

CXX. Mendacium. *Traditionum corruptelam & incertitudinem fuisse in caussa, vt scriptura subintroduceretur.* Cætera ex quibus Thes. 63 pertexitur, furta sunt ex Iunio.

A

CXXI. Mendacium. Thes. 64. *Bellarminum negare principium, & fundamentum religionis subuertere velle, quando dicit, necesse est nosse, exstare libros aliquos verè diuinos, quod certè nullo modo ex scripturis haberi potest.* Seclusa nimirum traditione & Ecclesiæ testificatione. Ait Pappus; *naturali lumine non haberi vllo modo ex scriptura, eam esse diuinam; Quod si autem lumen superum accesserit & verbum interius Spiritus, falsissimum esse scripturam ex se nō posse pro diuina agnosci.* At lumen hoc superum & hoc verbum internum spiritus, vt Pappus loquitur, nunquam in te orietur & existet; sine traditionis & Ecclesiasticæ testificationis præuio adminiculo.

B

Thesis 71. nil ferè præter mendàcia continet.

CXXII. Pappicum mend. *Mixtionem aquæ de qua Cyprianus, & quæ traditio Apostolica censetur, factam esse olim post consecrationem.*

CXXIII. Mendacium. *Et hoc liquere ex Missa sub nomine Chrysostomi edita.* Impudens mendacium, quia statim initio Liturgię, cum materia pro Eucharistia conficienda præparatur: *Ad infusionem vini* (dicit Sacerdos) *& vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis.* Et addens aquam, dicit: *Et aqua, & qui vidit testimonium perhibuit,* &c.

C

CXXIV. Mendac. Solent Græci, vt patet apud Germanum in Theoria rerum Ecclesiasticarum, & apud Cabasilam in expositione Liturgiæ cap. 37. calici iam consecrato sub ipsum communionis tempus infundere aquam calidissimam, quam à feruore vocant ζέον, & ipsum vasculum, in quo adfertur, ζέον vt, quemadmodum ex latere Christi in cruce pendentis, vtraque (sanguis, & aqua) θερμὰ τῷ πνεύματι πεπληρωμένα, ait Germanus, *plena calore*, profluxerunt; ita tempore communionis communicantes, & sanguinem, & aquam, & quidem vtraque calentia, percipiant fideles; *ὡς αὐτῆς τῆς ζωοπαρόχου πλευρᾶς λαμβάνοντες, quasi ipsum Christi viuificum latus ore apposito contrectarent*, vt inquit Germanus; &, vt simul tres sint, qui, iuxta D. Ioannis dictum, *testimonium dent, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum, seu in vnum sint.*

D

Cabasila putat per hanc aquam in sanguinem Christi immissam, significari sancti Spiritus ad Ecclesiam descensum; *Hæc enim aqua*, inquit, *cum & aqua sit, & ignis sit particeps; significat sanctum Spiritum, qui etiam aqua dicitur, & tanquam ignis apparuit, in Christi discipulos delapsus: hoc autem tempus* (nempe communionis) *illud tempus significat; tunc enim descendit* Spiritus sanctus, *postquam omnia, quæ ad Eucharistiam spectabant, peracta erant: nunc autem perfectis, & consecratis donis,* (id est, consecrato calice) *hæc aqua immittitur.*

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum quæcunque, & qualescunque caussę huius consuetudinis, & ceremoniæ afferantur; &, quamuis grauissimorum virorum auctoritate fulciatur, Latini tamen longè rectius, & reuerentius faciunt, non adhibendo illam aquam, quàm Græci adhibendo. Nam aqua, ex latere Christi egressa, satis significatur per primam aquam, quæ calici necdum consecrato, simul cum vino apponitur, (vt itidem apud Græcos moris est:) &, Spiritus sancti descensus nulla re nobis melius, & clarius significari potest, quàm ipsa filij Dei, qui cum Spiritu sancto in essentia vnus est, reali & corporali ad nos aduentu: & semper periculum est, ne vel tantum aquæ apponatur, vt species corrumpantur; vel, si hoc non fiat, saltem species multum remitti, & debilitari necesse est. Accedit, quod id fit sine exemplo Domini. neque enim is aquam calidam consecrato calici immiscuit: neque vllus veterum id tradidit. Nam mistio vini cum aqua, qua Christum vsum dicunt, ad primam mistionem, quæ fit ante consecrationem, spectat.

Quocirca Pappus per hunc Græcorum morem à suo mendacio non liberatur: non enim hanc Græcorum, aquæ calidæ mixtionem Doctores nostri intelligunt, cum mixtionem vini cum aqua traditionem diuinam esse dicunt; sed illã, quæ consecrationem antecedit; quæque ipsis etiam Græcis in vsu est, vt vidimus.

CXXV. Mendacium. *Christum hanc mixtionem non instituisse.* Contrarium asserit D. Cyprianus.

CXXVI. Mendacium. *Christum hanc mixtionem non instituisse affirmari à Chrysostomo Hom. 83. in Matthaeum:* Chrysostomus nihil aliud dicit, quàm Christum non obtulisse & consecrasse aquam solummodo, vt faciebant *Aquarij.*

CXXVII. Mendacium. *Cyprianum contra Aquarios disputare pro vino, non pro mistione illius cum aqua.* Disputat quidem Cyprianus contra Aquarios pro vino; sed pro vino aqua mixto. Vide quæ dicta ad cap. 2. lib. 4.

CXXVIII. Mendacium. *Ipsi Pontificij doctores fatentur hanc mistionem non esse de necessitate Sacramenti, ergo non est Apostolica traditio non scripta.* Quasi verò id quod ad necessitatem Sacramenti non pertinet; nequeat esse traditio diuina vel Apostolica; ideo præcisè, quia non pertinet ad necessitatem seu essentiam Sacramenti. Exorcismus baptismum antecedens est traditio Apostolica, nec tamen de necessitate baptismi.

CXXIX. Mend. *Mistionem hanc esse παρέμπτωτον adinuentionem humanam.*

CXXX. Mendacium. *Necessitate loci subintroductam.*

CXXXI. Mendacium. *Postea Pontificum superstitione in Canonem diuinæ traditionis relatam.*

CXXXII. Mendacium. *Patres & concilia probasse ὁμοούσιον contra Ariũ & Arianos ex scriptura.* Mendacium, si loquatur de vocabulo; Nusquã enim exstat in scriptura. Mendacium itidem si velit ex sola scriptura τὸ ὁμοούσιον, quoad rem significatam, probatum esse. Vide quæ dicta ad cap. 11. libri quarti.

CXXXIII. Mendac. Thes. 73. *Catholicos, & in his Feuardentium, dicere; Synodum Constantinopolitanam, præter scripturam, Spiritus sancti definiuisse Deitatem.* Quis nescit ex scriptura probari posse; sed addita traditione, vt factum à Patribus contra Macedonium?

CXXXIV. Mendacium. Thes. 74. *Catholicos dicere; In Synodo Ephesina non esse probatum ex scripturis Mariam esse Theotocum.* Verè dicunt, si de vocabulo loquantur. (Vbi enim vox illa in scripturis) at sic Pappus mentitur. Si de re significata sit sermo; mentitur Pappus, si velit, vt vult, nostros existimare, id nullo modo ex scriptura probatum esse, sed ex sola traditione.

CXXXV. Mendacium. *Nostros docere, in Chalcedonensi concilio, non ex scripturis, probatum fuisse; duas esse in Christo impermixtas & inconfusas naturas.* Nemo ita sentit. Hoc dicimus, non ex solis scripturis, id factum; sed & ex traditione & auctoritate Maiorum; vt expressè docent Acta Chalcedonensis Synodi.

CXXXVI. Mendacium. Thes. 77. *Mentiri Feuardentium, quando dixit in cap 3. lib. 3. Irenæi Augustinum Epist. 174. confugere ad traditionem; & docere; Patrem ingenitum, filiumq; eidem consubstantialem, etsi in sanctis paginis non inueniatur, fidei assertione defendendum esse.* Recitat Pappus alia quædam D. Augustini verba; & ea; ex quibus hoc sumpsit Feuardentius, silentio inuoluit, summo scelere, & impostura intolerabili. An non sunt hæc ipsa D. Augustini verba. *Tum ego illud, quod iam iam dixeram, repetiui, id fieri posse, vt etiam homousion neq; scriptum in sanctis Patribus inueniatur, & tamen dictum in assertione fidei defendatur, sicut patrem in illis libris nusquam ingenitum legimus, & tamen dicendum esse defenditur.* An non ex his verbis clarè apparet D. Augustinum de vocabulo loqui; neq; à Feuardentio aliter Augustinum intellectum vel acceptum; quàm debeat intelligi vel accipi? Neq; vnquam dixit, Feuardentius, rem vocabulo *Ingeniti* significatam non exstare in scripturis; *sed assertione fidei esse defendendam*: vt mentitur Pappus. Quanquam si dixisset, etiam rem ipsam, non posse aduersariis, absque traditionis adminiculo, efficaciter ex scripturis ostendi; nihil à veritate alienum dixisset.

CXXXVII. Mendacium. Feuardentium dicere, *non posse ostendi ex scripturis tres Trinitatis personas; & hoc teste & iudice Augustino.* Nihil de hoc Feuardentius; sed de vocabulo *Ingeniti & Consubstantialis.*

CXXXVIII. Mendacium. Thes. 79. *Hæreticorum baptismum non esse iterandum, non est directè de*

fidei

fidei fundamento, hoc est; non est articulus seu dogma fidei. Contrarium clamant omnes libri D. Augustini contra Donatistas; & totius Ecclesiæ vnanimis consensio. Ride autem Pappi stultitiam. *Hæc quæstio de baptismo hæreticorum fuit aliquando in Ecclesia disputabilis; ergo iam non est articulus seu dogma fidei.* Acutè, vt omnia, Pappus.

CXXXIX. Mendacium. *Hæreticos non esse rebaptizandos, non esse traditionem non scriptam; sed posse ex scripturis apertè haberi.* Ex quo loco scripturæ? Monstra, oro.

CXL. Mendacium. *Baptismum paruulorum esse traditionem scriptam.* Vbi? Mittit nos Thesis 80. ad suorum compendia. Quid nobis cum tuorum dispendiosis & exitiosis compendiis?

CXLI. Mendacium. Thes. 81. *Quatuor cardinalia festa, Domini Passionem, Resurrectionem, Ascensionem & Spiritus sancti missionem, esse ritualia, non dogmatica;* hoc est, nullo modo ad dogmata pertinere. De fide enim est; licet ad ritus spectent; sanctè & salubriter hęc festa fuisse instituta; & ab omnibus religiose obseruanda.

CXLII. Mendacium. *Hæc festa non esse Apostolicæ traditionis.* Nomina alium Auctorem, qui instituerit. Probas tuum somnium hac stramentitia consequentia. *Ecclesiæ non obseruarunt semper idem tempus in his festis obeundis; ergo non sunt Apostolicæ traditionis.* Ingeniosè.

CXLIII. Mendacium. Thes. 82. *Esse traditionem scriptam, quod duodecim Apostoli sint baptizati.* Vbi scripta est hæc traditio? Dicebat Pappus Thesi 78 *Natum Deum de virgine credimus; quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus; quia non legimus.* Si huic suo placito conuenienter agere volebat; dicere debebat: *Paulum Apostolum baptizatum esse credimus; quia legimus: Alios Apostolos baptizatos esse non credimus, quia non legimus.* Quanquam si hanc Pappicam regulam sequamur, etiam contrarium dicere licebat. *Mariam non nupsisse post partum non credimus; quia non legimus.* Et ita affectum esse Pappum, docet, quam ex Iunio sumpsit, professio Thes. 78. *Virginitatem Mariæ credimus vsq; ad partum, vt dogma fidei; quod in scriptura expressum est*, hoc est, quia id legimus. *Post partum, & quidem vsque ad mortem, credimus, vt rem assensu dignam, non vt dogma fidei;* hoc est; non credimus; quia non legimus. Interim vide hanc subtilitatem. *In scripturis legitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum: ergo etiam in scripturis legimus duodecim Apostolos esse baptizatos.* Eodem iure inferres: *ergo in scripturis legimus Pappum esse baptizatum.* Eadem peritia dixeris: *In scripturis legimus; Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ; ergo etiam in scripturis legimus: Pappum esse Argentoratensem Prædicantem.*

CXLIV. Mendacium. Thes. 83. *Apostolum* A *illis verbis: cætera cum venero, disponam 1. Cor. 11. tantum indicasse ritum.* Vide cap. 5. lib. 4.

CXLV. Mendacium. Thes. 84. *Exorcismum in baptismo esse tantum quiddam rituale, non dogmaticum.*

CXLVI. Mendacium. *Pontificiorum Exorcismum esse diuersum ab Exorcismo veterum.*

CXLVII. Mend. *Exorcismum Papisticum non esse Apostolicum, sed planè Diabolicum.*

CXLVIII. Mendacium. *Præsertim illum in obsessos.*

CXLIX. Mend. *Et in alias creaturas, vt in salem, campanas.*

CL. Mend. Thes. 85. *Ex Historiis probari à Christo 170. annis nullas Martyrum memorias in Ecclesia celebratas.* B

CLI. Mendacium. *Nullas fuisse in Ecclesia pro defunctis preces.*

CLII. Mendacium. *Nullas oblationes ante annos 220.*

CLIII. Mendacium. *Primum earum meminisse Tertullianum lib. de Corona Militis.* Falsum, meminerunt ante Tertullianum Clemens Romanus & Dionysius Areopagita. Vide Bellarm. lib. 1. de Purgatorio, cap. 10. Omnium prædictarum consuetudinum meminit Tertullianus cum in lib. cit. tum in libr. de Monogamia; vt traditionum non suo tempore in Ecclesia exortarum; sed vt diuturna fidelium praxi vsitatarum & corroboratarum.

C CLIV. Mendacium. *Veteres etiam pro infidelibus obtulisse.* Mentiris; si hoc intelligis, vt videris, pro infidelibus in infidelitate mortuis. Nam pro viuis, etiamnum oramus & offerimus, vt conuertantur.

CLV. Mendacium. *Veteres fuisse incertos, num mortui iuuentur precibus & oblationibus.* Mentiris, si incertitudinem ad ipsas preces & oblationes referas; vt quidem refers; quasi incerti fuerint, num ipsæ preces & oblationes habeant vim, valorem & efficacitatem iuuandi mortuos; nam de hoc certissimi erant, prout & nos hodie super eadem re, fidei certitudine certi sumus.

CLVI. Mendacium. *Preces & oblationes pro defunctis ortas à Montanistis.* D Refellit hoc mendacium libellus de Corona Militis.

CLVII. Mend. *Montanistas esse Purgatorij Auctores.* Refellit hoc mendacium totus liber primus Bellarmini de Purgatorio.

CLVIII. Mend. *Preces pro defunctis improbatas esse à quibusdam.* Num orthodoxis?

CLIX. Mend. *Sacrificia pro defunctis non fuisse expiatoria; sed Eucharistica.* Legatur Bellarm. lib. 1. de Purgatorio.

CLX. Mendacium. Thes. 87. *Veteres non adscripsisse signo Crucis tantam virtutem*, (quantam hodie Pontificij;) *sed efficaciæ Crucis.* Refellit hoc commen-

Digitized by Google

mentum totus quartus liber meus de signo sanctæ Crucis. Tametsi quidquid virtutis signaculo Crucis adscribimus, non aliter quàm instrumento adscribimus.

CLXI. Mendacium. *Veteres non adorasse Crucem latria*, relatiuè scilicet, & per habitudinē ad prototypum; Vide lib. 1. & 2. de S. Cruce.

CLXII. Mendacium. *Thomam Aquinatem per summum nefas & impietatem hoc docere.* Quæ verò hęc consequentia? *Crux non est ab antiquis adorata adoratione latriæ; ergo signum Crucis non est traditio Apostolica.* Num vel vitiosa nuce digna esset consecutio, licet antecedens mendacio careret?

CLXIII. Mend. *Iuxta Stapletonum Crucis signum esse tantum traditionem ritualem & transitoriam*; hoc est; temporalem, & quæ in Ecclesia desinere possit. Vbi hoc Stapletonus? Ipsum signaculum, quoad efformationem suam, *est transitorium*, quia in *transitoria* quadam actione consistit; non in durabili & permanente; sed quoad vsum non est *transitorium*; perpetuo enim vsus illius in Ecclesia perseuerat; & ad finem vsque mundi perseuerabit.

CLXIV. Mendacium. *Veteres signo Crucis muniri animam dixisse ex sententia Montani.* Oppono huic figmento totum librum quartum primi tomi de S. Cruce, qui totus in signaculo sanctæ Crucis illustrando consumitur.

CLXV. Mendacium. Thesi 88. *Symbolum Apostolicum non esse traditionem non scriptam, sed scriptam; esse enim ipsissimam scripturam.* Quæso vbi continetur in scriptura Symbolum totum formaliter, vt tale Symbolum est? Nam illud, qua tale, asserimus ex traditione Apostolica ad nos peruenisse.

Dixerat Salmeron Tom. 13. Disput. 8. in Epist. D. Pauli (sic citat Pappus) *Missam & sacrificandi rationem esse ex traditione*: Obiicit Pappus: *Bellarminum lib. 1. de Missa cap. 6. Probationem instituere ex tredecim locis scripturæ pro Missa. Si itaq; Missa est traditio non scripta, quare eam tot scripturæ dictis operosè probat Bellarminus?* Sit ergo

CLXVI. Mendacium. Salmeronem velle, totam Missam ex sola traditione esse. Sic enim allegat & impugnat Pappus Salmeronem: Quod Salmeron nec sensit, nec verum est: nam licet multa in tota illa actione aliunde non habeantur, nisi ex sola traditione; nonnulla tamen etiam à scriptura traduntur; tametsi non sine traditionum præsidio.

Ait Salmeron, *confectionem Chrismatis esse ex traditione & institutione Christi in vltima cœna.* Obiicit Pappus. Thes. 91. *iuxta Platinam Chrisma veterum seu inunctionem baptismatis institutam fuisse à Syluestro.* Nos numeremus

CLXVII. Pappicum mendacium. nam Platina non dicit *Chrisma veterum fuisse à Syluestro institutum*; sed Syluestrum constituisse, *vt baptizatum Chrismate liniat presbyter.* De quo ritu vide Bellarminum lib. de Baptismo cap. 27. Eodem modo loquitur Damasus, seu Anastasius Bibliothecarius in vita Syluestri.

CLXVIII. Mendacium. *Syluestrum primum posuisse legem de Chrismate.* Mentitur, si velit, vt sanè vult, de quocunque vsu Chrismatis Syluestrum primum posuisse legem. Contrarium constat ex S. Cypriano & Tertulliano, & ex conuiciis, quæ Pappus paulò post ead. Thesi 91. in istos effundit.

CLXIX. Mendacium. *Vsum Chrismatis ante Syluestrum vel liberum fuisse, vel nullum.* Nil opus aliunde refutationem arcessere. Illa ipsa maledicta, & mendacia, quæ iam iam ex Pappo referam; satis hoc mendacium refellunt.

CLXX. Mendacium. *Veterum quosdam, vt Tertullianum & Cyprianum, Montanizasse, quoad Chrismatis vsum.*

CLXXI. Mendacium. *Vel saltem turpiter errasse.* Nota reuerentiam Prædicanticam in vetustissimos scriptores Christianæ Ecclesiæ; & alterum quidem beatissimum & omnium sermonibus decantatissimum Martyrem.

CLXXII. Mendacium. *Istos Patres plus tribuisse Chrismati, quàm aquæ baptismatis.*

CLXXIII. Mend. *Idq; propterea, quia Chrismate, hoc est*, Sacramento confirmationis, *consummetur, quod Deus baptismate incepit.* Num ideo plus tribuerunt? Si dixisses, tantundem; an non fuisset satis? Non minus est rem perficere, & ad perfectionis culmen adducere, quàm inchoare.

Ibidem. Mentitur. *Apud veteres Chrisma cum impositione manuum*, hoc est, Sacramentum confirmationis, *non contulisse gratiam ex opere operato.*

CLXXIV. Mendacium. *Fuisse tantum significatiuum (signum) efficacia spiritus in baptismo collati.*

CLXXV. Mendacium. Thes. 93. *Sabbati in diem Dominicam mutationem non esse traditionem non scriptam.* Monstra, vbi in scriptura legatur. Nam loca, quæ nominas, nihil ad rem; vt alibi visum.

CLXXVI. Mendacium. Thes. 94. *Ieiunium Quadragesimæ nec à Christo, nec ab Apostolis institutum.*

CLXXVII. Mend. *Hoc testari Patres.*

CLXXVIII. Mend. *Item historias.*

CLXXIX. Mendacium. *Chrysostomum Hom. 47. in Matthæum docere, Quadragesimam non esse sancitam à Christo.* Accipe verba Chrysostomi. *Rectam vitam appello, non ieiunandi laborem, nec cilicij ac cineris lectulum, &c. Non enim dicit ieiunium suum esse imitandum; quamuis Quadraginta dies posset proponere: sed; discite à me, quia mitis sum, &c.*

Et cum Apostolos ad ieiunandum mitteret, non dixit: ieiunate; sed, quidquid vobis apponitur, comedite: de pecuniis autem, quàm exactissimè mandauit; non possideatis aurum, neq; argentum, &c. Hæc dixi, non quia ieiunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus, sed doleo, si, cæteris neglectis, satis ad salutem vobis ieiunium existimetis, &c. Ex quibus clarè elucescit Chrysostomum non dicere, Quadragesimam à Christo non esse institutam; sed Christum, locis prædictis, ieiunio alias virtutes prætulisse; *nam præcipuæ virtutes sunt,* inquit S. Chrysostomus, *charitas, humilitas, misericordia, quæ vel virginitatem superant.*

CXXC. Mend. *Pontificios exemplum de ieiunio Christi seu Quadragesimam superstitiosa obtrudere & imperare tyrannide.*

CXXCI. Mend. *Quadragesimam non esse obseruatam ab vniuersa Ecclesia.*

CXXCII. Mend. *Neque semper.* Probat. *Quia Apostoli non seruarunt dum ipsis Christus adfuit. Ergo Quadragesima non est instituta & præcepta à Christo.* Quasi verò non potuerit præcipi post Resurrectionem illis quadraginta diebus, quibus cum Apostolis Redemptor noster versatus est. Vel etiam ante passionem, sed sub obligatione nō nisi suo tempore post Resurrectionem obseruanda; vt & de baptismo aliisque nouæ legis obligationibus dicitur. Vide & hunc stuporem. *Apostoli non leguntur seruasse Quadragesimam post Resurrectionem, constituta iam noua Ecclesia; ergo Quadragesima nō est à Christo vel Apostolis instituta.* Probatur per Regulam illam Pappicam thesi 78. *Apostolos Quadragesimam seruasse post Resurrectionem Christi non credimus, quia non legimus:* & non legimus; hinc non credimus. Accipe tantum acumen breuiore forma. *Apostoli non leguntur seruasse Quadragesimam, ergo non seruarunt.* Quid vis amplius?

CXXCIII. Mend. *Quadragesimam post Apostolos fuisse ritum religiosæ commemorationis, sed voluntariæ & particularis.*

CXXCIV. Mend. *Postea particularem quorundam factionem.*

CXXCV. Mend. *Et æmulatam complurium imitationem κακόζηλον.*

CXXCVI. Mend. *Hanc in superstitionem abiisse.*

CXXCVII. Mend. *A superstitione necessitatem progeneratam.*

CXXCVIII. Mend. *Tempore Augustini nullum adhuc fuisse certum ieiunium & definitum.*

CXXCIX. Mend. *Delectum & abstinentiam certorum dierum esse doctrinam Dæmoniorum.* An non sat mendaciorum in vna thesi? quibus nil aliud oppono, quam librum secundum Bellarmini de bonis operibus in particulari.

CXC. Mend. Thesi 96. *Nullas fuisse ante 200. à Christo annos Moniales;* hoc est, Virgines Deo dicatas. Addit tamen *Prædicans, fuisse Virgines solitariè viuentes innuptas vsque ad Hieronymi seculum.* Cur nullæ tales apud Lutheranos?

CXCI. Mend. *Veteres Monachos differre ipso fundamento religionis à Monachis Papistarum.*

A CXCII. Mend. *Solitariè vixisse ex necessitate, vt tutius laterent in persecutione.*

CXCIII. Mend. *Non fuisse adstrictos certæ regulæ.*

CXCIV. Mend. *Nec voto perpetuo.*

CXCV. Mend. *Mutare genus vitæ potuisse, si commodum videretur.*

CXCVI. Mend. *Hoc affirmare Nicephorum lib. 9. cap. 14.*

CXCVII. Mend. *Et Augustinum de moribus Ecclesiæ c. 33.* His mendaciis opponimus librum Bellarmini de Monachis.

CXCVIII. Mend. Thesi 97. *Cælibatum esse doctrinam Dæmoniorum.*

CXCIX. Mend. *Hoc asseri 2. Thess. 2.*

CC. Mend. *Esse contrariam expresso Dei verbo.*

B CCI. Mend. *Quod exstet 1. Tim. 3. v. 1. & Tit. 1.*

CCII. Mend. *Coniugium clericorū ante 300. à Christo annos fuisse vbique sine interdicto, & sine voto continentiæ perpetuo liberum.*

CCIII. Mend. *Si qui cælibes fuerunt, fuisse consuetudine tantùm & exhortatione, non ex imperio vel præcepto.*

CCIV. Mend. *Nullum esse scriptorem idoneum, ex quo hoc appareat.*

CCV. Mend. *In occidente statutum primò & annexū ordinibus votum continentiæ circa 380. annum à Christo.*

CCVI. Mend. *Decretum de continentia clericorum non vbique obtinuisse; nisi circa tempora Gregorij VII.* His triuialibus Prædicantium mendaciis thesi 97. comprehensis oppono librum Bellarmini de

C Clericis.

CCVII. Mend. Thesi 98. *Nullam esse Pontificiarum traditionum, cui non contradixerint ipsi Pontificij.*

CCVIII. Mend. Battologicum. *Omnia ad salutem necessaria in scriptura esse comprehensa, teste Costero.* At Costerus non ita simpliciter sentit; sed omnia singulis explicitè & formaliter creditu necessaria in scripturis comprehensa dicit. Quod longè aliter tinnit.

CCIX. Mend. *Articulum de Trinitate non contineri in scriptura.*

CCX. Mend. *Nec personam Christi.*

CCXI. Mend. *Nec diuinitatem Spiritus sancti.*

CCXII. Mend. *Et hoc affirmare Fevvardentium & Salmeronem.* Mentiris, vt ex supra dictis mani-

D festum.

CCXIII. Mend. Thesi 99. *Radere Clericis barbam eandem vim habere ad pietatem, quam hæc propositio: Nos iustificamur fide.*

CCXIV. Mend. Thesi 100. *Pontificem Paulum V. esse nobis hodie Scripturam sacram; quia qui aliquo dubio torquetur non ad Scripturam, sed ad Ecclesiam mittitur.*

CCXV. Mend. Thesi 101. *Articulum de Trinitate, ex nostra sententia, esse leuiorem asino palmarum.* Probatur. *Quia asinus palmarum est traditio.*

CCXVI. Mend. *Item leuiorem Missalibus: nam Missalia sunt traditio.*

CCXVII. Mend. *Leuiorem denique campanellis; quia campanellæ sunt traditio.*

Digitized by Google

CCVIII. Mend. Thesi 102. *Legendas Cassiani & Francisci Regulas, esse de perfectione scripturæ.*

CCXIX. Mend. Thesi 103. *Scripturas, ideo probari à nobis, quia consentiunt cum Legendis & Lugendis: alioqui non probarentur.*

CCXX. Mend. *Scripturam ad arbitrium Ecclesiæ valere, vel non valere.*

CCXXI. Mend. *Traditionum normam nullam esse aliam, nisi Pontificis cerebrum. Quis ferat hæc tam insolentia, tam monstrosa* (mendacia) meritò exclamat Pappus.

CCXXII. Mend. Thesi 104. *Dubitans de auctoritate Pontificis, mittitur ad Ecclesiam, scilicet Paulum V. qui de auctoritate Pontificis omnium rectissimè hæsitantem informare poterit. Hic tibi dicet, vt lingas puluerem pedum eius.* Addit grauissimus morologus Pappus. *Quod videns morio quidam facere Dominum suum in pedes se coniecit, metuẽs ne sibi essent lingenda, &c.* Ita Argentinensis iste Diobolaris scurra & morio.

CCXXIII. Mend. Thesi 105. *Pontificios quiritari perpetuò, in æternum non posse fieri, vt libri Canonici sint authentici propter tot & tot libros ex Canone amissos.* Nemo hoc neque per somnium dixit. Quia amissio librorum illorum siue fuerint Canonici, siue secus, nil officit eorum, qui supersunt, authenticæ auctoritati.

Circa præceptum illud Deut. 4. & 12. *Non addetis ad verbum, &c.* & similia, non pauca mentitur Pappus.

CCXXIV. Mend. Thesi 131. *Non esse bonã responsionem Catholicorum, quando dicunt; hoc interdicto tantùm prohiberi additionem contrariorum; additio contrariorum,* inquit Prædicans, *non est additio; sed abrogatio legis. nam qui adderet legi hoc: occides: ille vtique illam legem: Non occides: abrogaret.* Acutè omnino. Quasi verò in lege scripta; seu in verbo scripto; de hoc enim litigant Prædicantes; non possit & hoc relinqui, & illud inferi: hoc, licet relictum, non obseruari; illud, licet superadditũ obseruari. Quasi verò, etiam posito, quod illud, *non occides*, abrogaretur, & penitus ex scripto verbo exscinderetur; insertio illius alterius; *occides*, non possit dici additio contrarij ad legem, quæ adhuc remanet. An Marcion ad Euangelium Lucę nihil addidit, quia multa penitus amputauit, insertis prorsus contrariis, vt patet ex libris Tertulliani contra Marcionem. Deinde an non Prędicantes in Colloquio Ratisbonẽsi clamitabant; & hodie etiam omnibus suis in chartis vociferantur: omnia, quæ legi scriptæ in cultu & fide superadduntur, esse legi scriptæ contraria; atque adeo omnem huiusmodi additionem esse additionem contrariorum? Quid Pappus? Vt nimiam suam subtilitatem nobis probet; symmystis suis publicè cõtradicit; inductus ad hoc hac vel simili cogitatione: *Quando alicui pes naturalis præciditur; & ligneus in locum abscissi substituitur; nihil additur; quia pes ille naturalis & viuus penitus tollitur.* Sic templo nihil additur, quando, exterminatis altaribus, mensa Prędicantica sufficitur; quia altaria penitus abolentur. Acuta sunt hæc & similia de additionis conceptu cogitata.

Si quæras ex Pappo, quid prohibeatur illa lege de non addendo, Respondet thesi 132. *tria prohiberi*, id est, *omnes leges legi Dei è diametro oppositas, quacunque id fiat intentione, & quocunque modo.* Et ne in mendaciorum desuetudinem incidat, addit mendacium CCXXV. *ad hoc additionis genus accommodari posse Concilij Constantiensis decretum session. 13. de vna specie Sacramenti laicis porrigenda. Secundò prohiberi dicit, ne, addantur ea; quæ cultum quidem veri Dei retinent; sed idola introducunt; & superinducunt; vt accidit apud Samaritanos; qui cum Dominum colerent, Diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerunt Samariam,* vt dicitur 4. Reg. 17. Et ne nimis diu à mentiendo quiescat; mendacium CCXXVI. nobis annumerat: *Huc pertinere traditionem de inuocatione sanctorum Pontificiis vsitatam.*

CCXXVII. Mend. *Hunc secundum inhibitionis modum à Pappo assignatum distingui à primo eiusdem Pappi.* Nam cum primus ea contineat, quæ legi Dei è diametro sunt opposita; necesse est, vt secundus modus cum primo coincidat; quandoquidem legi Dei è diametro aduersatur; vt cum vero Deo pariter, communi decreto, colantur idola; vt factum à Samaritanis.

Tertiò dicit Pappus, *lege de non addendo prohiberi ea; quæ legi diuinæ directè nil opponunt, neque Ethnicam idololatriam cultui diuino manifestè admiscent, sed diuinis mandatis bona intentione aliquid addunt, sine Dei mandato; vel cultũ nouum instituunt; vel eum, qui mandatus est, alio, quàm fuit præceptum, modo, exercent.* Admodum clemens est hoc loco Pappus. Solam inuocationẽ Sanctorum manifestæ idololatriæ accusauit. Cætera Catholicæ Ecclesiæ instituta idololatriæ apertæ non postulat. Mentiuntur ergo Prædicantes & ipse etiam Pappus, iudice Pappo, cum vociferantur, *Missam*, verbi gratia, *esse omnium idololatriarũ maximam, apertissimam & perniciosissimam.* Cæterum ne Pappus mentiendi opificio sese abdicasse videatur; mox aliquot mendaciis tertium hunc inhibitionis modum confirmat.

CCXXVIII. Mend. *Huc pertinere ieiunia, de quibus Zacharias cap. 7.* Falsum. Deus non improbauit ipsa per se ieiunia; sed quasdam ieiuniorum illorum circumstantias vt supra dictum.

CCXXIX. Mend. *Huc pertinere factum Nadab & Abiu Leuit. 10. incensum alieno igne adolentium.* Vbi nobis Pappus mendacium adolet. Nam factum hoc expresse & directè fuit contra legem Leuit. 6. iubentem; vt nec holocaustum, nec incensum offerretur, nisi de igne in altari indesinenter ardente.

CCXXX. Mendacium. Thesi 133. *Huc pertinere omnes ἐθελοθρησκείας Pontificias:* hoc est, omnia instituta, quæ vel ex traditione Apostolica; vel ex Ecclesiastica sanctionę habemus. Nota & hic vertiginem Prædicanticam. Alij vocibus elatis clami-

clamitant omnes ritus & consuetudines ad cultum pertinentes, in verbo scripto non comprehensas; esse *profanas, impias, abominabiles; idololatricas, legi diuinæ oppositas, hoc ipso, quod in verbo scripto non continentur.* Mitio Argentoratensis mitius agit; saltem ore, si non corde; sic tamen mitius agit; vt à sua mendacitate ne latum quidem culmum abeat.

Sit ergo CCXXXI. Mendacium. *Deum solum & in solidum reseruare sibi velle hanc potestatem, quæ conscientiis legem præscribat & cultum.* Vnde tibi hęc Dei voluntas comperta? Ex Lutheri, opinor, Islebicis myrotheciis.

CCXXXII. Mendaciũ. *Reges & Sacerdotes addendo aliquid* (publica scilicet auctoritate ad cultum) *præter Dei mandatum,* hoc est, quod in verbo scripto non contineretur, *grauiter esse punitos.* Profer exemplum.

Loco exempli das CCXXXIII. mendacium *id probari exemplo Nadab & Abiu*; at horum factum non tantùm erat *præter*; sed & expresè contra legem.

CCXXXIV. Mendacium. *Idem liquere exemplo Vriæ sacerdotis 4. Reg 16.* Huius etiam factum apertè aduersabatur legi diuinæ.

Post aliquot theses ex Iunio & aliis rabulis malè consarcinatas sequitur thesis 140. quam ego numero pro CCXXXV. Pappico mendacio; & thesis 141. quæ CCXXXVI. mendacij locum obtineat, licet enim longè plura in vtraque thesi contineantur, ne tamen omnia videar nimis rigidè ad calculos exigere; non partiar minutius: Satis est, imò plusquam satis, quod mentitur, *cæremonias Catholicæ Ecclesiæ vocari pueriles à Paulo, 1 Corinth. 13. cum essem puer, vt puer loquebar* (sic citat Pappus) *vt puer sentiebam, vt puer cogitabam; at vbi factus sum vir, aboleui puerilia,* hoc est, interprete Pappo, *ritus & cæremonias Romanæ Ecclesiæ.* Sic plusquam satis est, quod mentitur, *in scriptura & veneranda antiquitate non exstare distinctionem variorum ordinum & graduum Ecclesiasticorum: Hæc omnia esse commenta maleferiatorum hominum à fide aberrantium.* Remittit nos ad Onuphrium in Platinam, quasi hoc asserentem; vel saltem quasi hoc ex ipsius annotationibus cognituri simus. Quod quin CCXXXVII. mendacium numerem à me impetrare nequeo propter singularem enormitatem.

CCXXXVIII. Mendacium. Thesi 142. ex loco illo Galat. 1. *Sed licet nos aut angelus de cælo, &c. Patres vnanimi consensu contra traditiones sufficientiam sacræ Scripturæ probare.* Loca scripturæ, quæ ex suis gregalibus cumulat; vel penitus nihil ad rem faciunt; vel capite decimo libro quarto à Bellarmino, & à nobis responsum acceperunt. Et tamen eorum recitationem terminat hoc thrasonico mendacio.

CCXXXIX. Mendacium. Thesi 144. *Ex his scripturæ dictis irrefragabiliter concluduntur omnia in diuinis sub obsequium Christi; & excluduntur omnes humanæ traditiones, quocunque titulo, aut prætextu postea Ecclesiæ obtrudantur.*

CCXL. Mendacium. Thesi 145. *Caussam hæreticam non esse tam infelicem, vt se patrum non audeat credere iudicio.*

CCXLI. Mendacium. *Stemus age Patrum iudicio.* Dicit Pappus, se Patrum iudicio velle stare; at mentitur: vt indicant mox verba sequentia: *Sic tamen* (stabimus iudicio Patrum) *vt XX. Canones supra formatos in consilium adhibeas*; quorum præcipuus est; vt si alicuius Patris dictum minus ad stomachum tuum faciat; intrepidè repudies; & patrem illum à vero auium esse dictites; aut *Montanizasse*; aut supposititium esse; prout ipse Pappus non semel in hac ipsa disputatione fecit; & passim ab aliis quinti verbi fit præconibus: præsertim ab Hamelmanno in opere de Traditionibus.

Ait Pappus. *Toti mundo palam fiet, temerè magis quàm veraciter aduersarios de Patrum gloriari consensu & calculo.* Ego verò arbitror iam palam factum te CCLII. mendacium commisisse; idque à me iure optimo in aliorum censum referri.

CCXLIII. Mendaciũ. *Noster est Oriens & Occidens.* Quam opulentus es; sed per somnium: imo per mendacium.

CCXLIV. Mendaciũ. Hoc multoties à multis Lutheranis & Caluinianis demonstratum. Forsan Kemnitium & Hamelmannum innuis. Qui præclarè hoc demonstrarunt, mutilando, truncando, peruertendo, inficiando & criminando testimonia tam Occidentis, quàm Orientis. Testimonia, quæ promit Pappus, ea exscripsit ex Kemnitio, & ex Rhapsodia, quam Lutherani Colloquio Ratisbonensi inseruerunt; vbi ad omnia responsum inuenies; vt & apud Bellarminum cap. 11. lib. 4. & in defensione eiusdem capitis.

CCXLV. Mendacium. Thesi 160. *Bellarminum libro tertio, capite primo dicere, hoc in quæstione positum esse; an dogmata religionis in sacris litteris comprehensa sint naturâ nota.* Nihil huius Bellarminus, vbi statum controuersiæ de scripturarum obscuritate format. Testimonia Scripturæ, Patrum; Iuris Canonici, quibus Lutheranam sacrarum literarum claritatem adstruere nititur, sublegit Pappus ex Centone; quo farctores Lutherani Colloquium Ratisbonense inferserunt. Vbi ad singula responsum est; vt & à Bellarmino lib 3. cap. 2. & à nobis ibidem.

Illud CCXLVI. Mendacium. Thesi 164. Pappicum esto; *ex Doctoribus Pontificiis cum Nouatoribus, quod ad perspicuitatem scripturæ attinet,* sentire Costerum.

CCXLVII. Mendacium. *Et Pererium.*

CCXLVIII. Mendacium. *Et Salmeronem.*

CCXLIX. Mend. *Et Gregorium de Valentia.* Ditior est Pappus, quàm Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi; qui in controuersia de perspicuitate scriptu-

Digitized by Google

scripturæ vnicum Gregorium de Valentia produxerunt. Iste tres alios Iesuitas reperit sententiæ suæ suffragatores: quibus cur non & Tannerum adiecit? Tam enim illi tecum sentiunt, quàm iste; & quàm ego. Licet enim Gregorius de Valentia rectè dicat; eas fidei veritates, quæ absolutè & simpliciter ab omnibus hominibus necessariò cognoscendæ & credendæ sunt (explicitè scilicet & formaliter; sic enim intelligit Gregorius) perspicuè *ferè* in scripturis doceri; at quantula est harum veritatum pars respectu aliarum, quæ in scripturis continentur, & multis obscuritatibus obuolutæ sunt, quæque etiam implicitè saltem ab omnibus: & à multis etiam explicitè, ratione status vel officij, credi debent; num scriptura propter tam pauculas particulas, tam perspicua prædicari debet, quàm perspicua prædicatur à Prædicantibus? Vt taceam, illa ipsa, quæ tam perspicua censentur, non esse adeo clara, quin possint in alienos sensus trahi & rapi propter ineuidentiam, quæ ex fidei ratione illis adiungitur, & alias ob caussas, libro tertio, capite primo & secundo sæpius allatas.

Thesi 182. & aliquot sequentibus, disputat Pappus de iure & iudicio laici magistratus in diuinis & Ecclesiasticis, cumprimis in sacræ Scripturæ interpretatione. Ex Stapletono adducit has duas propositiones: I. *Omnis princeps secularis, seu Magistratus est de numero ouium, non Pastorum in Ecclesia. Ergo potestatem, aut iurisdictionem Ecclesiasticam nullam habet.*

II. *Iurisdictionem Ecclesiæ externam, vt Episcopos, & Clericos deponere, caussas clericorum cognoscere, Ecclesias disponere, à Laica potestate toto genere distinctam fuisse, vetus Ecclesia semper testata est: quia, & veteres Patres, etiam arrogantibus hanc sibi interdum Imperatoribus, nunquam eam concedere voluerunt.*

Occlamat Pappus & occlamando C C L. mendacium thesi 191. fundit; duas istas Stapletoni propositiones *esse temerè & impudenter formatas ad diminuendam principum auctoritatem & potestatem.* Quasi verò principes honori sibi ducant; si alienis plumis exornentur, prout exornantur à Prædicantibus, & ea potestate insigniantur, quasi in Prædicantes vti velint; quiduis isti potius agant, quàm obtemperent.

C C L I. Mendacium. Duas istas propositiones pugnare è diametro cum sacra Scriptura: Mox multa exempla conglobat, quibus mendacio fidem faciat; quæ nihil ad rem; quia vel tantùm probant, *Reges & Principes debere esse custodes & defensores religionis; vel posse illos aliquid agere circa religionem ex commissione & auctoritate magistratus Ecclesiastici, vel etiam extraordinaria Dei.* Quæ fieri posse, nemo abnuit. Moyses non vt princeps politicus; sed vt sacerdos religionis formam præscripsit: & vt hoc tanquam princeps politicus fecisset; nil tamen pro suo magistratu Pappus inde euinceret; quia quidquid fecit, pecu-

A liari mandato Dei fecit. Si quis Magistratus politicus huiusmodi præceptum sibi cælitus datum monstrauerit; non obstabimus, quo minus præscribat, vt cum Pappo loquar, *Agendas, ritus, & εὐσχημοσύνην Ecclesiasticam.* Iosue populum circumcidit, ex peculiari mandato Dei, Iosue capite quinto. Alia capite octauo egit; sed non sine sacerdotum annutu; Ex capite vltimo nihil aliud concluditur, quàm Iosuam fecisse id, quod defensorem & custodem Religionis facere par erat. Dauid omnia ministeria templi & officia disposuit primo Paralipomenon vigesimo tertio. Leuitas, cantores, ianitores constituit primo Paralipomenon decimo sexto. Sed non nisi summi sacerdotis & aliorum, quorum intererat; assensu. Omitto breuitatis caussa alia exẽpla; quia

B alio pertinent. Vide Bellarminum libro de Laicis, capite decimo septimo & decimo octauo, & libro secundo de Pontifice capite vigesimo nono.

Quæ ex Onuphrio garrit de potestate, quam Imperatores Constantinopolitani; & postea nonnulli ex Germanis sibi in Pontificem, eiusque electionem & confirmationem vsurparunt; ea nullius sunt momenti ac ponderis; vtpote non nisi per tyrannicam violentiam vsurpata & perpetrata. Et quoties Hæretici politicum magistratum similium exemplis ad similia audenda exstimulant; toties ex legitimo magistratu, ministro Dei & iustitiæ; tyrannum, & omnis

C iniustitiæ satellitem & architectum efficere tentant.

Thesi 197. & sequentibus disputat vel potius delirat Pappus de iudicio Magistratus & Principis in controuersiarum dogmatibus. Narrat duas suorum sententias: quarum altera, *principem habere auctoritatem publicam & supremum suffragium in negotio religionis seu controuersiarum decisione; & vltimam prouocationem esse ad principem, cuius iudicio & definitione simpliciter standum sit.* Non placet hæc sententia Pappo; quia nimis est Anglicana; & Prædicantibus minus tribuit; quàm ipsi sibi tribui postulant. Itaque Pappus memor sui & suorum, sibi vendicat; thesi 217. quod alij magistratui politico concessum dicunt: Ait ergo iu-

D dicium vltimum & definitiuum (ministeriale tamen, quia ad sacras litteras alligatum) competere iis ex officio & primariò, *qui & vocatione & officio, & donis, & obiecto, & fine circumscripti sunt in spiritualibus*, hoc est, Prædicantibus; nam qui politico Magistratui seu Principi hoc ius largiuntur, *ij confundunt naturam cum gratia* (thesi 216.) *confundunt Hierarchicum statum cum politico, deponunt legatos mysteriorum Dei infra creaturam humanam: Princeps habet obiectum externum hominem, propriè internum Minister Dei. Quod si igitur Princeps ex plenitudine Potestatis suæ ius habet, (siue postea interuentu ministerij, siue non) leges ponere, & interpretari in diuinis subditis suis: dimanabit hæc potestas ex iure Gentium contra expressissimam Pauli protestationem: si quis videtur*

Digitized by Google

tur Propheta esse, aut spiritualis, agnoscat, quæ scribo vobis, quod Domini sunt præcepta. 1. Corinth.2. 11. Nemo nouit quæ sunt Dei, nisi spiritus Dei. Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed spiritũ, qui est ex Deo, vt sciamus quæ à Christo donata sunt nobis 12. ver. 1 Corinth.1. quia igitur Princeps per νομοθετικὴν illam nõ habet spiritum Dei, *non habet etiam per eundem iudicium de diuinis rebus, multò minus religionem in peius mutandi licentiam.*

Magistratus, qua talis, thesi 218. *externi hominis curam nobis habere videtur, qua Christianus, ouis sui Pastoris, cuius sit obedire Euangelio.* Nec absterretur Pappus thesi 219. obiectione illa. *Hac ratione magistratui omne iudicium abrogari. Inconsequens est,* inquit Pappus, *non detrahimus discretiuum iudicium Magistratui: non assensiuum, non suffragium in determinatiuo, siue priuatim, siue publicè.* Et quod obiiciuntur ex veteri Testamento quædam exempla; occurrit Pappus; *veteris Testamenti Reges sæpe officium habuisse mixtum; vt quod iuxta regium facere non licuisset, fecerint iuxta sacerdotale seu propheticũ.* Reliquos Christianos Reges putat Pappus multa fecisse *bono & pio zelo non tam iure, quàm sic exigente bono publico: interdum etiam indultu singulari.* In hac Pappica doctrina aliqua insunt; quæ mihi valde placent. I. Quod principi seu magistratui politico supremum iudicium in dogmatibus definiendis & controuersiis fidei decidendis abrogat.

II. Quod secus sentientes, naturam cum gratia; hoc est, supera & infera confundere & cælum terris miscere pronunciat.

III. Quòd *ait principes esse pastorum* oues.

IV. Quod eis iudicium assensiuum tribuit. Verè hoc, & eò verius, si ad omnes omnino laicos extendatur. Omnes enim definitionibus dogmatum à legitimo iudice datis, assentiri debent.

Illud supra omnia mihi arridet, quod Pappus semel atque iterum se & suos gregales in altissimo iudicandi solio collocasse non contentus, idem denuo pro clausula factitat. *Concludimus tandem, nostrâ sententiâ iudicium de religione definitiuum ministeriale & enunciatiuum debere esse penes eos, qui & vocatione, & officio, & donis, & obiecto, & fine sint spirituales.* Qui nam isti iudicio Pappi? Pappus, eiusque sodales. Addit protestationem. *Publicè protestamur nos melius rectiusque sentienti & docenti libenter cessuros; nemini præscripturos.* Quod cur non numerem CCLII. mendacium, caussæ nihil habeo. Nam Bellarminus toto libro tertio melius & sentit & docet; nec tamen Pappus cedit. En quàm subdolè Prædicantes id sibi tandem arrogant; quod omnibus machinis Pontifici summo & Conciliis generalibus ereptum tendunt. Nam quod sibi tantùm tribuunt *ministeriale* iudicium, & *limitatum* ad verbum Dei; id nihil est; nam & Pontificis & Conciliorum iudicium respectu Dei *ministeriale* est; ad *verbum Dei limitatum & restrictum*, quatenus cum verbo

A Dei concordare debet. Dicitur tamen *absolutum*; quia in hac vita non est aliud, ad quod prouocare liceat, & Pappus satis innuit, suum quoque & suorum iudicium, quod mundo nunc obtrudit, summum in huius vitæ statu esse; nec inde ad aliud in hac vita appellationem concedi; licet infra thesi 329. neget esse eiusmodi.

CCLIII. Mendacium. Thesi 234. *A se & suis Patres non aliter legi, atque illi seipsos legi voluerunt.* Scilicet sanctus Cyprianus volebat; vt legeretur à Pappo, tanquam *Montanizans*; nam *Montanismi* à Pappo arguitur. Basilius & alij voluerunt se legi ab Hamelmanno, Centuriatoribus, & aliis; vt multis næuis maculati. B

CCLIV. Mendacium. Thesi 235. *In ipsis fidei articulis aliter docuisse plerosque Patres, quàm hodie Pontificios.*

CCLV. Mendacium. Thesi 236. *Multipliciter errasse Patres.* & mox longum errorum catalogum texit; quorum plerique potius sunt mendacia, quàm errata.

CCLVI. Mendacium. *Iustinum errasse in articulo de libero arbitrio.*

CCLVII. Mendacium. *Cyprianum in doctrina de libero arbitrio sibi contradicere.*

CCLVIII. Mendacium. *Eundem nimis anxiè negare, in cœna aquam vino esse miscendam.* Num hoc C negat S. Cyprianus?

CCLIX. Mendacium. *Eundem docere epistolâ ad Pomp. Christo minorem esse Spiritum sanctum.* Quantus verò error quod arbitratur, *baptismum absolutè & simpliciter ad salutem necessarium.* Imò non Cypriani error est; sed mendacium CCLX. Pappi hoc saluberrimum dogma fidei in erroribus numerare.

CCLXI. Mendacium. *Hieronymum secundas nuptias damnasse.*

CCLXII. Mendacium. Thesi 240. *Sibi & suis iniuriam fieri, quando accusantur, ac si omnem Patrum auctoritatem reiicerent.* Sed hanc accusationem veram esse; testatum facit thesi 236. Pappica; vt alia testimonia deficerent.

D CCLXIII. Mendacium. Thesi 240. *Nostram fidem resolui in Patres.*

CCLXIV. Mendacium. Thesi 245. *iudicium Doctorum Ecclesiæ* (intellige omnium, vel *ferè* omnium, & eorum; qui qualibet ætate in Ecclesia degunt. de his enim agit Gregorius de Valentia libro 8. Analyseos, iis verbis, quæ à Pappo recitantur thesi 242. & 243.) *non esse simpliciter infallibile & irreformabile.* Contrarium perspicuè probat Valentinianus eo loco, quem ipse Pappus adduxit. Probat suum mendacium. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: ergo Doctores, etiam omnes, errare possunt.* Subtiliter & efficaciter. At vide ineuitabile & indissolubile cõtra Pontificiam auctoritatem argumentum. Thesi 251.

Digitized by Google

A Pio III. *Plerique Pontifices fuerunt Iurium Doctores; ergo non habuerunt auctoritatem & certitudinem infallibilem definiendi.* Probatur consequentia. *Quia pro Paulo Bartolum; pro Euangelio Codicem studuerunt.*

CCLXV. Mendacium. Thesi 252. *Pontifices Romanenses, si professionis suæ ductum sequi velint, missâ scripturâ, definituros ex Bartolo, Baldo, Immola, &c.*

CCLXVI. Mendacium. Thesi 253. *Quando Pontifex definit, nemini constare debere de mediis, quibus ad definiendum inductus est.*

CCLXVII. Mendacium. *Et hoc affirmare Stapletonum.* Ne illis quidem verbis, quæ Pappus ex Stapletono thesi 246. exscribit; hoc Stapletonus asserit.

CCLXVIII. Mendacium. Thesi 254. *Ideo expediens esse, ignorari media per quæ Pontifex definit, quod Pontifex plerunque concludat à baculo ad angulum.*

CCLXIX. Mendacium. Ex nostra sententia, *eum definire posse, qui est rationis impos, planéque furiosus, non tantùm Dialecticè, sed etiam in grauissimis de fide controuersiis.* Mox Furippus furiosè sic boat: *Quale putas corpus esse, vbi tale caput? Scilicet, hoc est ex stultis insanos, ex insanis bestias amentes, ex his facere Gehennæ mancipia! Ὦ ἀνόητοι Romanistæ.*

CCLXX. Mendacium. Thesi 256. *Falsissimum & planè impium esse quod Stapletonus scribit Controuers. 4. de potest. Ecclesi. quæst. 3. art. 2. Totam & completam formalem rationem fidei nostræ, ordinariè loquendo, esse Deum per Ecclesiam reuelantem, & vltimum, in quod omnis fides nostra resoluitur, ordinariè loquendo, esse Deum per Ecclesiam reuelantem: quod Ecclesia sit conditio reuelantis Dei, ordinariè loquendo.* Hæc & plura talia cum Pappus ex ipso Stapletono exscripserit; confestim tamen thesi 257. oppugnat Stapletonum; quasi dicat, fidem nostrã vltimo resolui in Ecclesiam. Et hoc esto CCLXXI. mendacium Pappicum.

CCLXXII. Mendacium. Thesi 261. *Bellarminum Stapletono in faciem contradicere.* Quid ita?

CCLXXIII. Mendacium. *Quia Stapletonus mediorum, quibus definitor ad definiendum impellitur, cognitionem planè respuit. Bellarminus autem dicit, Pontificem & Concilia in definiendo vti quibusdam mediis.* Nulla est hic contradictio, sed mendaciloquentia Pappica. Nam Stapletonus non negat definitores cognoscere, atque adeo ad media respicere debere; sed ait; non esse expediens, vt cæteri fideles, hoc est, subditi, præsertim vulgares, intelligant media, quibus Ecclesiæ magistri ad definiendum inducti sunt.

CCLXXIV. Mendacium. *Bellarminum sibi crassissimè obloqui.* Quare? quia lib. 2. de Sacramentis in genere capite 25. dicit: *Omnia Concilia à præsentis Ecclesiæ auctoritate dependere;* nimirum quoad nostram infallibilem cognitionem: aliunde enim certò & infallibiliter non scimus; quæ Concilia legitimè sint habita; & quæ decreta fidei, morumque sanxerint, quàm ex præsentis Ecclesiæ testimonio. Huius contrarium, vbi quæso

A scripsit Bellarminus, vt proinde meritò abs te contradictionis argui possit?

CCLXXV. Mendacium. Thesi 262. *Stapletonum Controuers. 6. quæst. 3. art. 4. in solutione quinti argumenti omnem Conciliorum vsum præcidere planè & tollere; eò quod dicat; orthodoxos Episcopos nil nouum in religione statuisse, sed veterem fidem contra nouos Hæreticos explicasse & confirmasse.*

CCLXXVI. Mendacium. *Campianum* Rat. quarta *Stapletono contradicere;* Quomodo contradicit; cum saluberrimam Conciliorum auctoritatem æquè Stapletonus ac Campianus agnoscat & veneretur: licet enim Concilia non condant nouos articulos fidei; antiquos tamen renouant, & denuo contra impugnatores sanci-

B unt.

CCLXXVII. Mendacium. *Incertum esse apud ipsos Pontificios; num Pontificis definitio ex cathedra, sit planè certa & infallibilis.* Nam hoc ita certum est; vt contrarium vulgo censeatur *erroneum & proximum hæresi.* Vide Bellarminum lib. 4. de Pontif. cap. 2. Præterea à posteriore de eadem infallibilitate penitus certi sumus: cum enim vniuersa Ecclesia talem definitionem acceptat; intelligimus eam infallibilem esse; hoc ipso, quod ab vniuersa Ecclesia acceptatur; quia non potest errare cum sit columna & firmamentum veritatis.

CCLXXVIII. Mendacium. *Nos non esse certos de legitima vocatione Pontificis.*

C CCLXXIX. Mendacium. Thesi 270. *Et hoc affirmare Alphonsum Salmeronem.* Quia ipsemet Salmeron disertè dicit; *eum, qui ab vniuersa Ecclesia recipitur, certò & infallibiliter legitimè vocatum Pontificem credi debere;* & quidem fide diuina. Secus est; cum Ecclesia per schisma scinditur; tunc enim veritas rei aliquando obnubilari potest; vt liquidò non liqueat, quis sit legitimus Pontifex.

CCLXXX. Mendacium. Thesi 280. *Plerosque Pontifices ab aliquot centenis annis fuisse flagitiosos, simoniacos, violentos, illegitimè vocatos, & eam ob caussam nulla infallibilitate præditos.*

CCLXXXI. Mendacium. Thesi 286. *Sequentes Pontifices priorum acta & decreta refixisse & aboleuisse,*

D acta, inquam, & decreta fidei. De his enim mentitur potius, quàm loquitur Pappus.

CCLXXXII. Mendacium. Thesi 324. *Pontificios infallibilitatem Conciliorum non suspendere à Canone verbi Dei, sed à dignitate & auctoritate prælatorum suorum, quando in vnum coëunt, siue cum scriptura conueniant; siue non.*

CCLXXXIII. Mendacium. *Et hoc docere Stapletonum Controuers. 6. quæst. 3. art. 4.*

CCLXXXIV. Mendacium. *Pontificios vltimam credendorum resolutionem terminare in Pontifice.*

CCLXXXV. Mendacium. Thesi 329. *In Ecclesia militante nullum esse certum & infallibile, indicium, ministeriale* videlicet, vt Pappus appellat.

CCLXXXVII.

CCXXCVI. Mend. Thes.330. *Nec id mirũ videri debere; hanc enim esse militantis Ecclesiæ infirmitatem.*

CCXXCVII. Mend. Thes.331. *Nullum fuisse Conciliũ infallibilis auctoritatis simpliciter, extra Apostolicũ.*

CCXXCIIX. Mend. Thes.334. *Et suis & Pontificiis esse visibilem iudicem, Concilium œcumenicum legitimè congregatum.* De nostris, verum est; de vestris, hoc est, sectariis, falsissimum; quia solo nomine concilia pro visibili iudice recipitis; eiusmodi nimirum, qualia à condito Christianismo nulla sunt vnquam celebrata.

CCXXCIX. Mend. *Decretum Gratiani esse Pontificiorum biblia.* citatque cap *si quis*: nec sine mendacio citare potuit; non enim exstat D.37. sed 36. Et hic finis esto florilegij ex tertia disput. Pappensi collecti; quam, vt vidisti, tot mendaciis & furtis farctã, Argentorati *Pappicola* quidam Patria Augustanus in scholis defendit;

Spurcus homo patria ista indignus' locoq́;.

dignus tamen proculdubio tali pręside Respondens; cuius furacitas mendacitatem adæquat: nam quidquid de iudicio in sacræ Scripturæ interpretatione à thesi 291. vsq; ad thes.337. fatuatur, id fermè in solidum ex Iunio & Rullo Basileensi transcripsit.

Fermè exciderat monere Pappum, vt poëtam illum *Laruatum*, Prædicãtem Ratisbonensem, ad Orbilium aliquẽ pœnas vlmeas subiturum abire iubeat; ob inconditissimos, & verè inuersos, & peruersos versus, quibus Pappicas disputationes decorauit. An non meretur scuticam hæc inscitia?

Lucernam redolere theses, quis non videt istas?

Quis modulus primæ syllabæ vocis *Lucerna?* Forsan Orbilius rescribi iubebit. *Laternam redolere theses, &c.* Vel; *Quis redolere theses mendacia non videt istas?* Vel; *Quis redolere theses conuicia non videt istas?* Quàm verò scitus & affabrè factus hic pentameter:

Absona non remur, Io, annuit Argyrope.
Quàm teres & rotundus iste?
Arietat hinc quis te? Hoc ego, fabor, habet.

Nihil concinnius vnquam in bicipiti Parnasso auditum. Et tamen *Caprimulgus* iste Prædicanticus titulo laureati Poëtæ sese circumspicit; quẽ ego nec Gripo, nec Pappico Harmatio inuideo. Tempus nunc est vt Tropæophorum Pappicum conueniamus; & quàm illustre trophæum *contra omnes Pontificios* Doctores erexerit, dispiciamus.

TROPHÆVM PAPPICVM

CONSTAT QVINQVAGINTA AXIOMATIS, QVORVM PLERAQVE SVNT MENDACIA: QVIBVS POST VERBA D. AVGVSTINI SVBIVNGVNTVR SEMPER ALIA MENDACIA, VT PRINCIPIVM respondeat fini.

PRIMVM Axioma. *Sacra Scriptura auctoritatem suam habet à solo Deo.*

Mendacium I. *Contra hanc Augustini doctrinam pleriq; docent Pontificij. Eckius, Asotus, Cochlæus, Costerus, Albertus Pighius lib.1. Ecclesiast. Hierarch.* Mentitur Nouator. Nemo Catholicorum negat, scripturam in se, & *in actu primo*, habere auctoritatem à solo Deo. Cum hoc tamen consistit & illud, scripturam ratione nostræ cognitionis, *& in actu secundo*, habere auctoritatem ab Ecclesia; quandoquidem nobis non innotescit insita à Deo scripturæ auctoritas, nisi per Ecclesiæ testificationem. Neq; vnquam vspiam hanc doctrinam D. Augustinus negauit; tantum abest, vt tria testimonia, quæ Prædicans adducit eam labefactent.

II. Axioma. *Quæstio, VNDE SCIS? Hoc est, vnde constet sacræ Scripturæ auctoritatem esse diuinam & canonicam?*

Mendacium II. Augustini iudicio id constare (primitus nimirum, & vt sic dicam, *originaliter & principaliter)* ex ipsa scriptura, & ex internis Criteriis. Cuius falsitas manifestè patet ex toto propemodum tractatu nostro de hac quęstione: *Vnde scis?* Et illa ipsa testimonia, quæ Nouator profert; apertè ostendunt, D. Augustinum Ecclesiæ auctoritate ad assentiendum scripturis, tanquam diuinis, primitus permotum esse. Sic enim lib.6. Confess. cap.5. dicit: (qui est primus locus à Tropæophoro recitatus) *Ideoq́; cum essemus infirmi ad inueniendum liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum litterarum, iam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributu-*

rum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. En quo medio impulsus fuerit, vt scripturam diuinitus inspiratam esse crederet; *Excellenti* videlicet *auctoritate*, quam per omnes terras, ceu diuina, & Spiritus sancti instinctu conscripta, obtinebat. Quæ est autem ista per omnes terras *excellens scripturæ auctoritas*, quæ Augustinum ad assensionem impulit, nisi omnium fidelium, hoc est, Ecclesiæ, de scripturarum diuinitate existimatio, consensio, & testificatio?

Idem indicant illa verba. *Iam enim absurditatem, quæ me in illis litteris solebat offendere, cum multa ex illis probabiliter exposita audissem, ad Sacramentorum altitudinem referebam, &c.* En iterum D. Augustinus Doctorum Ecclesiæ expositionibus permotus, fidem habere cœpit iis, quorum antea apparente, & *imaginaria* absurditate absterrebatur.

Idem elucescit ex secundo testimonio diui Augustini lib. 6. Confess. cap. 5. & 6. vbi inter cætera rursus hæc. *Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent, esse culpandos.* En rursus fidelium per omnes ferè nationes diffusorum de libris sacris persuasionem & existimationem, tanquam motiuum adfert: neq; enim vnquam D. Augustinus scripturis, tanquam diuinis, assensum præbuisset; nisi hoc medium antecessisset.

Citat etiam Tropæophorus noster locum quendam ex lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 7. vbi iterum adeò cæcutiit, vt minimè videre potuerit; S. Augustinum, inter reliqua media; quæ aliquem in viam Catholicæ veritatis inducunt, & in eadem retinent; vt cùm aliis, tum scripturis, tanquam diuinis, assentiatur; enumerare Martyrum sanguinem, & gentium occupationem; hoc est; communem fidelium de his dogmatibus existimationem & testimoniũ. *Non deserimus, inquit, viam, quam nobis Deus & Patriarcharum segregatione, & legis vinculo, & Prophetarum præsagio, & suscepti hominis Sacramento, & Apostolorum testimonio, & Martyrum sanguine, & gentium occupatione muniuit.* Hic nihil comparet de internis illis criteriis, de quibus Corybantiastæ nostri somniant; sed Martyrum sanguis ob scripturarum sanctarum, & eius, quam complectuntur, doctrinæ defensionem effusus, & peruulgata apud fideles de dogmatum Christianorum veritate persuasio.

Testimonium ex cap. 3. lib. 11. Confess. nihil ad rem facit; quia non agit, quo medio libri Moysis, tanquam canonici & diuini agnoscantur; sed quomodo vera eorum sententia & interpretatio acquiratur. At *axioma* seu *lemma* testimoniis Augustinianis præfixum, quærebat de notis, quibus Canonicorum librorum auctoritas agnosci queat. aliud ergo Nouator quærit; & aliud ex Augustino respondet: qui, supposita Geneseos sacrosancta & canonica auctoritate, dicit, se, si Moysen haberet præsentem, percontaturum ex ipso; quis nam verus & legitimus sit eorum, quæ de creatione mundi scripsit, sensus, postea subdit. *Sed vnde scirem, an verum diceret? Quod si & hoc scirem, num ab illo scirem? Intus vtique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca & Latina, nec barbara veritas sine oris & linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit; & ego statim certus, confidenter illi homini tuo dicerem: verum dicis.* Loquitur sanctus Augustinus, quid posita illa de Mosis præsentia hypothesi euenturum fuisset; quod hodie, audita Ecclesiæ voce, cuiuis accidit; qui discendi, non calumniandi animum adfert. *Intus enim in domicilio veritas dicit; Ecclesia verum dicit.* Quo testimonio, quilibet fretus confidenter Ecclesiæ dicit: *verum dicis.*

At diuus Augustinus confugit ad Deum, vt intelligentiam creationis acquireret: Subdit enim ibid. *Cum ergo illum* (Mosen) *interrogare non possim, te, quo plenus vera dixit, Veritas rogo te, Deus meus, rogo parce peccatis meis: &, qui illi seruo tuo dedisti hæc dicere; da & mihi hæc intelligere.* Quid hoc ad propositum? An quia pro intelligentia hexaëmeri, hoc est, mundi, septem diebus conditi, Deo preces fudit; ideo Ecclesiæ magisterium in scripturarum interpretatione repudiauit; & hæreticorum Corybantiasmis totum hac negotiũ transigendum existimauit? Præsertim cum toties alibi locorum Ecclesiæ hoc in genere omnia deferat? An non preces concipiendæ, Deoque offerendæ sunt; ne nos abduci sinat ab eo sensu; quem tradit Ecclesia? An alio fine diuus Augustinus hoc loco ad Deum confugit?

III. Mendacium Tropæophori *Stapletonum, Bellarminum, & Gregorium de Valentia in hac quæstione, Vnde scis? contra Augustinum sentire.* Vide Tractatum de quæstione, *Vnde scis?* & mox in trophæo Pappico, huic affirmationi, tanquam effronti mendacio, stationem concedendam fateberis.

Ad extremum, iure quis miretur, & ex admiratione sciscitetur, cur Tropæophorus in tractatione Quæstionis, *Vnde scis?* omiserit illustrissimum illud diui Augustini testimonium libro contra epistolam Manichæi; *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas:* quo vel vno tota Quæstio, *Vnde scis?* absolui & expediri potest. An ideo à Nouatore silentio inuolutum est; quia nimio suo splendore omnes Prædicanticas de internis *Criteriis* nebulas disiicit ac dissipat, & oculos noctuarum ita perstringit; vt eos contra attollere non audeant; nisi prius malæ interpretationis vel potius deprauationis collyrio inuncti fuerint.

III. Axio-

Digitized by Google

III. Axioma. *Scripturæ auctoritas non pendet ab Eccleſia; ſed contrà, Eccleſiæ auctoritas pendet à ſcriptura.*

IV. Mendacium. *Contrarium docere omnes Pontificios.* Impudens & mendax calumnia: nam nullus penitus ex Pontificiorum numero ſentit ſcripturæ auctoritatem in ſe, & in *actu primo* pendere ab Eccleſia. Etſi rectè docent, *eam ratione cognitionis noſtræ* pendere ab Eccleſia; vt ad primum Axioma vidimus. *Et hoc eſſe falſum & contra Auguſtinum* ſit V. Tropæophoricum mendacium. Videantur omnia, quæ adducit iſte ex Auguſtino teſtimonia, nihil inuenietur, quo Nouator mendacia ſua fulciat.

VI. Mendacium. *Omnes Pontificios inficiari Eccleſiam pendere à ſcriptura*; quatenus nimirum ſcriptura Eccleſiam monſtrat; commendat, inſtruit, & fideliſsimè informat. Nemo hoc abnuit. Nemo hanc dependentiam reiicit. Num ideo alio in genere ſcriptura ab Eccleſia non poteſt dependere? An quia forma dependet à materia, idcirco materia nullo dependentiæ genere dependet à forma?

VII. Mendacium. *Auguſtinum contra omnes Pontificios in hac quæſtione ſtare.* Scilicet. Auguſtinus in teſtimoniis ab iſto allatis ait; *Eccleſiam à ſcripturis monſtrari & commendari.* Quis Pontificiorum cum Auguſtino in hac aſſertione non concinit?

IV. Axioma. *Sacra Scriptura non eſt falſata.*

VIII. Mendacium. *Contrarium Auguſtino docere Melchiorem Canum, Iacobum Chriſtopolitanum, Gregorium de Valentia, Sanderum, Stapletonum, Tannerum, &c.* Sed impudentiſsimè mentitur. Nam I. Auguſtinus loquitur de editione noui tantummodò teſtamenti; hanc enim Manichæi deprauatam clamitabant; nam vetus teſtamentum penitus repudiabant. at iſti Auctores de Hebræa, prout hodie exſtat, agunt. Deinde aliqui ex illis non abſolutè Hebræum textum corruptúm aſſerunt; ſed tantùm contendunt, Hebræum fontem non tam limpidum vbique fluere, quàm purum & limpidum eum Nouatores pronunciant.

Tertiò Manichæi Euangelia & Apoſtolica ſcripta, iis in locis falſata & corrupta ferebant; quæ totius Catholicæ Eccleſiæ iudicio, integra & ſana erant; alioſq; codices, cõmuni omnium Eccleſiarũ vſu receptis & approbatis cõtrarios, proferebant, & inde deliros errores ſuos ſtabilire volebant. Num hoc faciunt Canus, & alij, qui à Iudæis textum Hebræum plurimis locis miſerabiliter corruptum tradunt; aut illi; qui tantum corruptelæ non agnoſcunt: fatentur tamen, Hebræum fontem alicubi inquinatum & collutulatum eſſe? Num ideo nouam ſcripturam cum Manichæis credunt; nullumque tex- A tum, cui iure fidas, exſtare docent? Num nouos codices proferunt; vt noua dogmata introducant & ſtabiliant? Num ſiue in Hebræo, ſiue in Græco textu aliquid falſatum contendunt; quod ſanum & integrum eſſe, totius Eccleſiæ auctoritate & teſtificatione compertum ſit; id quod Manichæi faciebant, ſine vlla ratione; prorſus ſtultè & amenter; eo duntaxat conſilio, ne deliramentis ſuis omnis penitus fides abrogaretur; ſi ſalua ſtaret ſacræ Scripturæ integritas.

Quos S. Auguſtinus validiſsimè & efficaciſsimè Eccleſiæ vniuerſalis, & omnium ætatum conſenſione vrget, imò & profligat. *Quam libri à te prolati originẽ*, inquit S. Auguſtinus lib. 11. con- B tra Fauſt. cap. 2. *quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſsionis teſtem citabis?* En ad vetuſtatem, & ad ſeriem ſucceſsionis, tanquam ad teſtem, prouocat D. Auguſtinus; qui ſubdit; *Nam ſi hoc facere conaberis, & nihil valebis, & vides in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat auctoritas: quæ ab ipſis fundatiſsimis ſedibus Apoſtolorum, vſque ad hodiernum diem, ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſu firmatur.* Mirum ſanctum Auguſtinum Manichæorum veſaniam non ex internis *criteriis* confutaſſe. Mirum, tantum præſulem ad Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem, *ad fundatiſsimas ſedes Apoſtolorum*, ad ſuccedentium Epiſcoporum ſeriem, & ad tot populorum conſenſionem prouocaſſe. Si ex Nouatorum tribu fuiſſet; rem totam inter- C nis *criteriis* confeciſſet; ſcilicet: neque enim hos occultos pectoris afflatus Manichæi vnius teruntij æſtimaſſent. Num Doctores noſtri, qui Hebræum aut Græcum textum non adeò incorruptum & ſincerum eſſe volunt; vt ad eius normam, ſi quid in latina editione aut reipſa diſcrepet, aut diſcrepare videatur, corrigendum exiſtiment, aliquid agunt contra *Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem, contra fundatiſsimas Apoſtolorum ſedes; contra ſuccedentium Epiſcoporum ſeriem: contra communem fidelium conſenſionem?*

Nec teſtimonium ex libro primo de moribus Catholicę Eccleſiæ ſupradictos Doctores ferit; cum nil contra communem & conſentientem Eccleſiæ auctoritatem agant, imò quidquid D ex D. Auguſtino profertur id in Nouatorum capita recidit & expetit. Iterum enim, vt ſcripturas à Manichæorum impreſsione tueatur; ad traditionem, & vnanimem fidelium conſenſionem ſe recipit. Cur non ad interna *criteria* Caluiniſtica & Lutheriſtica? Si eam rationem inire velimus; vt inficiemur, quæ tot ſæculorum conſenſu & approbatione firmata ſunt; *Conſequetur*, inquit ſanctus Auguſtinus, *omnium litterarum ſumma peruerſio, & omnium, qui memoriæ mandati ſunt, librorum abolitio, ſi quod tãta populorum religione roboratũ eſt, tanta hominum & temporũ conſenſione firmatũ, in hanc dubitationẽ adducitur, vt ne hiſtoriæ quidẽ vulgaris fidem poſsit, grauitatemq; obtinere. Poſtremò,*

quid de

Digitized by Google

quid de scripturis illis proferre poteris, vbi mihi vti hac voce non liceat, si contra meam rationem, intentionemq; proferatur? Illud verò, quis ferre poßit, quod nos notißimis, ac iam in manibus omnium libris constitutis credere vetant, & iis, quæ ipsi proferunt, imperant, vt credamus? Si de scriptura dubitandum est, de qua magis, quàm quæ diffamari non meruit, quæ verè potuit sub nomine alio tota mentiri? At si istam obdis inuito, & auctoritatis exaggeratione cogis in fidem: ergò ne de illa, quam constanter latißimè diuulgatam video, & Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione firmatam, dubitabo miser, & quod est miserius, te auctore dubitabo, cùm, si exemplaria proferres, altera tenere non deberem, nisi ea, quæ plurium consensione commendarentur? Hæc elegantissimè S. Augustinus contra Caluinianos & Lutheranos, qui libros veteris testamenti, & nõ paucos noui, tanta populorum auctoritate & consensione munitos, repudiant. Et hoc ipsum argumẽtum argutissimè & scitissimè persequitur lib. 33. contra Faustum, cap. 6. quem locum Tropæophorus citat. Clausula hæc esto, S. Augustinum, ne vnum quidem verbum de Hebraica editione omnibus illis testimoniis ab Hæretico citatis agere: Auctores autem, quos citat, de Hebræa solummodo editione, prout iam exstat, loqui: ac proinde omnia illa testimonia nihil ad propositum facere.

V. Axioma. *Iudæi Scripturam sacram malitiosè non corruperunt.*

Post recitata aliquot ex D. Augustino testimonia, subiungit Tropæophorus noster. *Contrarium docent supra allegati pleriq;.* Axiomate quarto allegasti Canum, Iacobum Christopolitanum, Gregorium de Valentia; Sanderum, Stapletonum, Tannerum. Si dicerent isti Auctores, se loqui de corruptione, quę post Augustini & Hieronymi ætate acciderit; quid testimonia ex Augustino producta contra illos efficerent? An si à Iudæis ante Augustinum scriptura deprauata non fuit; post tempora Augustini deprauari in odium Christianæ religionis non potuit? Canus certè lib. 2. loc. Theolog. cap. 13. cum sibi obiecisset auctoritatem sancti Hieronymi, qui in caput sextum Isaiæ, dicit; sibi non esse verisimile Iudæos scripturam suam deprauasse. Respondet: *Quid Hieronymi ætate fuerit, ego non dispuro &c. post ea certè tempora, à Iudæis scripturas contaminatas, Hieronymus, si viueret, non negaret.*

Stapletonus quoque controuersia quinta, quæstione tertia, articulo primo potissimum loquitur de corruptione; quę ex adiunctione punctorum ad sacræ Scripturæ verba exstiterit; quæ puncta tempore Augustini & Hieronymi necdum erant nata: cum enim, vt rectè dicit Bellarminus libro secundo de verbo Dei, capite secundo, dictiones Hebraicæ possint variis modis legi, si punctis careant; non est mirum, si aliquando ipsi quoque in notatione punctorum à vero aberrauerint. Potest etiam fieri, vt ex prauo affectu, & odio in Christum ea lectio interdum ipsis magis probata sit, quæ minus Christianis fauebat.

Gregorius de Valẽtia libro octauo Analyseos, capite 5. nil aliud dicit; quàm fieri potuisse; vt fraude Rabbinorum, & aliorum Ecclesiæ hostium, Hebræi libri corrumperentur. Vtrum ante tempora Augustini, an pòst; & an in vniuersum, vel aliquibus duntaxat locis; non explicat.

Tannerus disputation. de verbo Dei, thes. 46. & sequentibus, sententiam Bellarmini amplectitur; quæ est, scripturas Hebraicas non esse in vniuersum deprauatas, opera vel malitia Iudæorum: nec tamen esse omnino integras & puras, sed habere suos quosdam errores, qui partim irrepserint negligentia, vel ignorantia librariorum, cum in Hebræo facillimum sit errare ob tantam quarundam litterarum similitudinem; partim inscitiâ Rabbinorum, qui puncta addiderunt, &c.

Nec Sanderus libro septimo de visibili Monarchia ad annum M. D. XXXXII. plus dicit, Cum ergo ex sex Doctoribus, quos iste citauit, tantum duo Canus & Christopolitanus, videantur velle scripturas Hebræas in vniuersum de industria à Iudæis ex odio Christianæ religionis fuisse deprauatas; (quo sensu duo isti etiam à Bellarmino citantur & refutantur) fit, vt iure numeremus

IX. Mendacium, quòd Tropæophorus dicit: *plerosque* ex allegatis auctoribus contra positum axioma sentire. Quia bini ex senis, non sunt *pleriq;.*

VI. Axioma. *In sacra Scriptura nullum est mendacium ab Apostolis & Prophetis Bibliographis commissum.*

X. Mendacium, *Contrarium docere Albertum Pighium lib. 1. Ecclesiast. Hierarch. cap. 2.* Nihil huius inuenio apud Pighium, nisi fortè Nouator hanc Pseudologiam effutiendi occasionem accepit ex hac ad marginem nota, *Marcum & Lucam non fuisse testes idoneos veritatis scriptorum à se Euangeliorum Ecclesiæ.* Sed hæc verba mendacium hæretici nec tollunt, nec excusant; non enim vult Pighius in ipsa scriptura Marci vel Lucæ, vel alterius scriptoris Canonici inesse mendacium; sed vt fidelibus certò & infallibiliter innotesceret; Historiam Euangelicam ab illis conscriptam esse diuinam, certam & infallibilem; dicit; alio, quàm ipsorum testimonio opus fuisse, nimirum testificatione & auctoritate Ecclesiæ Euangelia illa suo calculo comprobantis, & vt diuina fidelibus proponentis.

XI. Mendacium, *Contrarium quoque docere Cochlæum libro secundo de auct. Ecclesiæ, capite vigesimo tertio.* At liber iste tantum constat duodecim capitulis; primus solummodo capitibus quindecim: vbi est ergo hoc vigesimum tertium caput, in quo Cochlæus asserat; *in scripturis inesse mendacia ab ipsis auctoribus Bibliographis profecta.* Sed

video

video vnde huius sui mendacij Tropæophorus ansam arripuerit. Vrget Cochlæus Lutheranos, ad solam scripturam, reiecta Ecclesiastica traditione & auctoritate, indesinenter prouocantes, multis enantiophaniis, & in speciem apparentibus antilogiis in sacra Scriptura passim occurrentibus, iubetque, vt eas, si possint, ex sola scriptura concilient; quandoquidem perpetuò solam, solam scripturam crepabant. Has contradictiones non veras; sed quæ primo intuitu videantur tales; transmutat sectarius iste in veras; quasi Cochlæus velit; veras contradictiones, & per consequens, falsitates & mendacia in scripturis inesse. Quod commentum Marrucino isto non est indignum. Erasmum, quem allegat, nihil prorsus moramur.

VII. Axioma. *Qui sint libri Canonici.*

Ex capite octauo, libri secundi de doctrina Christiana diui Augustini tot Canonicos libros enumerat, quot Concilium Tridentinum Canonicos esse sancit: quibus mox venenum suum affundit.

VIII. Axioma. *Non sunt eiusdem auctoritatis, sed alij Protocanonici; alij Deuterocanonici.* Axioma hoc meretur, vt XII. locum inter Tropæophorica mendacia obtineat. Vide quæ dicta libro primo, capite septimo. Distinctionem istam librorum Canonicorum admittimus; sed bono sensu, non eo, quem hæretici sibi & nobis proponunt.

XIII. Mendacium. *Augustinum libros Canonicos lib. 2. de doctrin. Christiana cap. 8. fecisse impares, seu dissimilis auctoritatis, quoad certitudinem & infallibilitatem.* Contrarium euidenter ex diuo Augustino ostendimus ad cap. 7. lib. 1. Neque obstant vlla ab isto adducta ex Augustino testimonia; ad quæ omnia variis locis libri primi iam respondimus.

Quia verò hic sermo est de numero Canonicorum librorum, veniam dabit inclytus Tropæophorus, si nonnihil digrediar, & disputationem Rulli Basileensis *de discrimine librorum Canonicorum & Apocryphorum*, ad examen vocem. Fecissem id suo loco, si tertius Tomus thesium Rullicarum citius ad manus meas venisset. *Sacra Scriptura*, inquit thesis prima: *dicitur dupliciter; propriè, & impropriè; Propriè quidem, quæ κατ' ἀλήθειαν, hoc est, secundum veritatem, seu verè est sacra, & ita συνωνύμως, hoc est, vniuocè appellatur. Impropriè verò, quæ κατὰ δόξαν.* id est, *secundum opinionem humanam est sacra, & diuina, secundum veritatem autem non est, ac proinde sacra ὁμωνύμως, id est, æquiuocè nominatur.* Arguté, vt solet, Rullus, & subtiliter. Et perinde ac si disputaturus de homine; diceret: Homo dicitur dupliciter: propriè & impropriè. Propriè homo est, qui est κατ' ἀλήθειαν. Impropriè, qui κατὰ δόξαν. Quam sunt hæc rara & recondita.

A Ait Rullus; *Propriè verè & vniuocè sacra est omnis illa scriptura, quæ θεόπνευστος, id est, diuinitus inspirata, & à Deo per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ est tradita atque commendata.* Recte. Sed quibusnam libris hæc scriptura constat? Hic Hæreticus antiquam cantilenam recinit. Ex veteri enim testamento huic diuinitus inspiratæ scripturæ tantummodo accenset eos, quos annumerant Lutherus, Caluinus, eorumque posteri. Ex nouo testamento omnes, quos Catholici. Hoc rectè, illud pessimè: vt visum toto libro primo. Nec verbum adiicio.

B Thesis nona, de notione Apocryphi confecta est ex Iunio. Vide caput vigesimum libri primi. Burdo in Animaduersionibus Eusebianis aliam τοῦ ἀποκρύφου Etymologiam adducit; nam ad hæc verba Chronici Eusebiani: *Hucusque diuinæ scripturæ Hebræorum, annales temporum continent: ea verò, quæ post hæc apud eos gesta sunt, exhibeo de libro Machabæorum, &c. Longè aliud tinniunt Græca*, clamat Burdo. Quid, obsecro, tinniunt? Num Lutheranum quidpiam aut Caluinianum? Ita videri videtur Caluiniano Burdoni. Audiamus Græcorum tinnitum. ἕως μὲν τῶν Ἔσδρα καὶ Νεεμίου αἱ ἐνδιάθετοι Ἑβραϊκαὶ γραφαί. *Ad Esdram & Nehemiam vsq; hactenus Canonicæ Hebraicæ scripturæ.* Quid tinniunt hæc verba; quod tam suauiter Burdonicas auriculas titillet? Hoc; libros post Neemiam & Esdram scriptos; vt *Sapientiam, Ecclesiasticum; duos Machabæorum non esse Canonicos. Nam*

C *veteres Patres*, inquit Burdo, *& scriptores Ecclesiastici τὰς ἐνδιαθέτους γραφὰς vocant eas, quæ sunt de Canone; quia διαθήκαι est Canonem constituere. ἐνδιάθετοι in Canonem ponere: propterea etiam ἐνδιάθετοι γραφαὶ vocantur Eusebio.* Sed meminisse debebat Burdo, libros posteriores Esdra, & Nehemia esse ἐνδιαθέτους, hoc est, *canonicos & diuinos*, Ecclesiæ Christianæ; quam minoris pendere ac synagogam; nimis est *Burdonicum*. Sed satis de hoc toto libro primo.

Porrò si vltra Esdram & Nehemiam libri Hebræorum ἐνδιάθετοι non porriguntur; quærere lubet, num saltem Burdo pro ἐνδιαθέτοις a-

D gnoscat illos, qui Esdram & Nehemiam antecesserunt. Si annuat; magnas gratias habebimus: Nam libros Tobiæ, Iudith, Baruch, & partes Danielis ἐνδιαθέτους nobiscum faciet; & cur non faceret; cum Græca Eusebij verba id purgatis auribus videantur tinnire; ipseque Eusebius historiæ Iudith, tanquam Hebrææ, ante Esdram & Nehemiam meminerit?

Pergit Burdo: *Contrà, scripta ἀπόκρυφα, sunt occulta, quod eorum vsum in Ecclesia esse nolunt, sed, in conditis reponuntur. Nam contraria sunt, ἐκκλησιάζεσθαι, καὶ ἀποκρύπτεσθαι. ἐκκλησιάζεσθαι dicuntur libri, quorum lectio est in Ecclesia: ἀποκρύφεσθαι autem, quæ non leguntur.* Vereor vt Burdo Lutheranis hanc suam

notionem

A

notionem probet. Nam epistolam Iacobi, Iudæ; ad Hebræos, &c. pro apocryphis habent; quæ tamen apud illos ἐκκλησιάζονται, hoc est, in Ecclesia publicè, certis temporibus, leguntur, & tamen pro verè Canonicis non reputant.

Ait Burdo, *duos ex Apocryphis libros dictos esse Ecclesiasticos, quod in Ecclesia legerentur*; nempe, *sapientiam Salomonis, & alteram Sirachi.* At Burdo abs re non fecisset; si auctorem quempiam nominasset; qui *sapientiam* Salomonis appellauerit *Ecclesiasticum.* Nec defuisset, quem nominaret, Ruffinus in Expositione symboli. Deinde caussam, cur hoc nomen tulerit sapientia Sirach ægrè oculatioribus persuadebit. Nam communis est persuasio hunc librum apud Latinos Ecclesiasticum nominatum ad imitationem simul, & distinctionem libri Salomonis, qui *Ecclesiastes* dicitur; quòd Ecclesiæ ædificandæ plurimùm vtilis sit: hinc & Græcis πανάρετος vocatus est; quia omnium virtutum & morum doctrinam contineat.

B

Adhæc si Ecclesiasticus hoc nomẽ tulit, quod eius esset vsus in Ecclesia; mirum, eandem appellationem non inhæsisse libris Moysis vel Regum, vel Prophetarum; quia longè maior eorum fuit vsus in Ecclesia; & vt sic loquar, magis *Ecclesiab..ntur.*

Præterea si hæc esset vera appellationis ratio, tum etiam quilibet horum librorũ, Iudith; Tobiæ, Machabæorum, quos Burdo pro apocryphis habet, dici debuisset *Ecclesiasticus*; quia legebantur in Ecclesia, teste D. Hieronymo, præfat. in libros Salomonis. *Sicut ergo Iudith, & Tobiæ, & Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eas inter Canonicas scripturas non recipit; sic & hæc duo volumina* (librum Sapientiæ, & Ecclesiastici) *legat ad ædificationem plebis.* Quæ postrema verba apertè indicant, D. Hieronymum loqui de lectione Iudith, Tobiæ, Machabæorum non priuata; sed publica in Ecclesia ad populi ædificationem non ad dogmatum confirmationem institui consueta. Hic obserua: si hæc esset ratio, cur Ecclesiasticus hoc nomen tulerit; multò magis hanc appellationem indendam fuisse libris Iudith, Tobiæ, Machabæorum; quia ante Sapientiam & Ecclesiasticum in Ecclesia legebantur, vt indicant verba S. Hieronymi, optantis vtriusque lectionem ad ædificationem plebis institui, sicuti instituebatur lectio librorum Iudith, Tobiæ, Machabæorum.

C

Idem liquet ex 39. epistola Heortastica Athanasij, vbi ista: *Maioris euidentiæ caussa adiiciam & hoc necessariò, sciens, quòd etiam alij libri sint extra hosce enumeratos, qui non quidem Canonem instituunt, sed propositi sunt à Patribus legendi eis, qui primùm accedunt, & simpliciter edoceri volunt sermonem pietatis: sapientia Salomonis, & sapientia Sirach, & Esther, & Iudith & Tobias, & doctrina, quæ vocatur Apostolorum, & Pastor.*

D

Ruffinus in symbolo; *Eiusdem ordinis* (cum sapientia Salomonis, & Ecclesiastico) *est libellus Tobiæ, & Iudith, & Machabaeorum libri. In nouo verò testamento libellus, qui dicitur Pastoris, siue Hermes, qui appellatur Duæ viæ, vel iudicium secundum Petrum. quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* Ex quo sequitur; si Ecclesiasticus hoc nomen tulit, quòd in Ecclesia legeretur; etiam libellum Tobiæ, dici debere Ecclesiasticum; vt & Iudith, & Machabæorum: imò & *Pastorem*, & *Iudicium secundum Petrum.* Et tandem nulli remanebunt Caluinistis apocryphi; nam ἐκκλησιάζεσθαι, & ἀποκρύπτεσθαι sunt contraria: ergo etiam libri Ecclesiastici, & apocryphi contrarij sunt: ergo quos Burdo vocat *Ecclesiasticos*, eos non potest nominare *apocryphos*; nisi iisdem contraria nomina indere velit. Illis item; quos ipse pro apocryphis habet, vt libros Iudith, Tobiæ, Machabæorum, hoc nomen Ecclesiastici tribuere debebit, si veteres audire, & suæ simul persuasioni insistere velit. Quomodo igitur à Burdone pronunciantur apocryphi? Nonne ipse Burdo lib. 7. de Emend. temporum, Festum Iudith in computo Aethiopico illud esse dicit, quo liber Iudith legitur? Ergo & apud Aethiopas liber Iudith ἐκκλησιάζεται, ergo non est apocryphus; nec dicere potest, morem hunc esse nuperum; neque enim credibile est in vetustissima Aethiopũ Eccclesia hunc morem nudiustertius exstitisse.

Quàm autem Burdo, tantus videlicet Criticus, turpiter tractat locũ Epiphanij de sapientia Salomonis, & Iesu filij Sirach lib. de Ponder. & Mens. cùm ait ex sententia Epiphanij τὰ ἀπόκρυφα *disertè dici, quia reconderentur in Arca veteris testamenti, quasi in sanctis Sanctorum Adytorum.* legitque; διὸ δὴ ἐν τῷ ἀρὼν ἀνετέθησαν, τουτ' ἔστιν, ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. cum legendũ sit: διὸ οὐδὲ ἐν τῷ ἀαρὼν, &c. Negat enim hos duos libros fuisse in *Aran*, hoc est, *Arca testamenti.* De qua re fusius dictum est ad caput decimum libr. 1. Bellarmini contra insciiam Iunij.

Rectè autem Rullus thes. 19. aduertit in vulgata editione Græca Epiphanij mendum hærere; Quapropter legendum monuit; vti nos legimus; tantum hoc à nobis dissidet; quod ipse postmodum legat: ὅτι ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. cum legendum sit; τουτ' ἔστιν, seu τουτέστιν ἐν τῇ, &c. quia hæc posteriora verba sunt priorum explicatio. Burdo igitur, mendo non animaduerso, prorsus peregrinam sententiam S. Epiphanio affingit: Et eundem perstringit, cum ita loqui, quasi in secundo templo *Arca veteris testamenti adhuc exstiterit: sed non solum ex priscis Patribus hac in re errasse.* At qua ratione ab omni errore immunis sit D. Epiphanius cum aliis, intelliges ex iis, quæ ad cap. 10. lib. 1. aduersus Iunium dicta sunt. Burdo tamen, quasi rem acu tetigisset, sic Epiphanij interpreti insultat. *Exemplar Epiphanij adeò vitiosum est; vt interpreti imposuerit, qui putauit hic de Aaron summo Pontifice agi.* Scilicet, ti-

bi non

Digitized by Google

bi non imposuit. Tu ipsam veritatem attigisti. Egregiè. Nescio de quo Interprete loquatur Burdo. Nam Cornarius verba Græca, prout ipse legit, interpretatus est; neque vllum de *Aarone* Pontifice verbum fecit: Hæc enim est eius versio; *Quare neque in Aaron, neque in testamenti arcam repositi sunt.* Vbi nihil vitij, nisi quòd pro, τετέσι, legit, ὅτι. Satis de Burdone. Ad Rullum; qui à thesi decima, vsque ad vigesimam tertiam ex VVitackero varios adducit scriptores antiquos, quasi eiusdem cum sectariis sententiæ; quod attinet ad Canonicorum librorum numerum. Sed iam ad caput septimum, libro primo, & alibi passim contra VVitackerum demonstrauimus, nullum penitus proferri antiquum Auctorem; qui idem per omnia de numero Canonicorum librorum cum Nouatoribus sentiat.

Thesi vigesima quarta, admodum paratragœdiat Rullus ob Canonem quadragesimum septimum, Concilij Carthaginensis Tertij de numero librorum Canonicorum. Sed nullam vociferandi caussam habet; sit Concilij Carthaginensis Sexti; vt fatetur Baronius anno Christi CCCCXIX. & CCCXCVII. An ideo supposititius est & spurius? An ideo pro nobis aduersus Nouatores non dimicat? Tertium celebratum est anno Domini CCCXCVII. Sextum; quod aliqui vocant septimum; anno Redemptoris CCCCXIX. paulò plus quàm duplici annorum post tertium decade; Et tamen iste clamitat, *Canonem hunc nihil probare; esse spurium, supposititium.* Quis vnquam tali nota hunc Canonem insigniuit, præter istos, quibus Biblici Canonis integritas ægrè facit?

Quidquid thesis 25. aduersus septem postrema Estheris capita deblaterat, id ex VVitackero transcriptum est; & iam ad caput septimum, libro primo refutatum. Mirari subit, Rullum non adduxisse difficultatem quæ oritur ex diuturnitate vitæ Mardochæi, de qua contra Iunium & Hunnium ad caput septimum, libri primi, colum. 141. & 142. egimus. Nunc iisdem & omnibus huiusmodi admiratoribus aliquid de macrobiis ex Caluiniano Burdone degustandum apponam. Cum Pareus Caluinista quorundam longæuitatem miraretur, & propemodum inficiaretur; occurrit Burdo in Elencho vtriusque Orationis Chronologicæ Pareanæ his verbis: *Quod iste* (Pareus) *miratur potuisse homines tam longæuos esse; quæro ab eo, vtrùm magis fidem merebit, hominem CXXV. annos potuisse viuere, quot & amplius hodie homines in quibusdam tractibus Africæ, & Arabiæ non pauci viuunt: aut Cyrum septuaginta quinque annis post obitum suum captiuitatem Iudaicam relaxasse? Miratur illos homines tamdiu vixisse, quantum, inquit, vix aliquis vixit post Mosem. Est crassa tam veteris, quàm recentioris historiæ imperitia. Ioiada Pontifex vixit annos CXXX. Phinees Eleaza-*

A *ris filius viuebat adhuc tempore belli propter pellicem excitati Iud. 20. versu 28. Quo tempore non potuit esse minor annorum CCCXL. Nam Phinees ille Eleazaris filius 1. Chronic. 9. versu 20. qui sub Dauide vixit, non est iste summus Pontifex: quia fuit Leuita, non sacerdos, vt falsè ab omnibus fere putari video. Sara, filia Aser, neptis Iacobi, vna cum auo in Ægyptum descendit. Genesis quadragesimo sexto, versu decimo septimo. Eadem vltimis temporibus moræ in deserto viuebat, Numeri vigesimo sexto, versu 46. vt non pauciores annos, quàm Phinees vixerit. Taceo annos Abraham, Isaac, Iacob, Leui, Kahath, Amram.*

In partibus Marroci, Fessæ, & tractibus montis Atlantis, hodie crebrius est, homines CXX. annorum
B *videri, quàm hic mulierem gemellos parere. Ludouicus Vartomannus in Arabia se multos vidisse dicit, qui post CXXV. annum adhuc viuebant. libro secundo, capite octauo. In insula Hispaniola, homines indigenæ CXX. annos vt plurimum excedebant, quando illas regiones Hispani armis subegerunt. Caussa longæuitatis est sobrietas.*

Superioribus annis Hollandi, nostri Argonautæ, regem viderunt annorum CL. in partibus Iauæ. qui pugnando periit. Nos Theobaldum Nitiobrigem CXX. annorum vidimus. cuius pater, me puero, obiit anno CXXX. ætatis. Proauunculus matris nostræ CXX. annos sine vllo morbo transegit. Stultum est de longæuitate quæstionem mouere. Germani sunt βραχύβιοι. Ergo, nulli sunt μακρόβιοι. Scilicet. Est enthymema propheti-
C *cum. Adeatur Plinius libro septimo. & Phlego libertus Hadriani: περὶ μακροβίων. vterque αὐτόπτης fuit aliquot μακροβιωτάτων.*

Idem Burdo in Elencho primæ orationis Chronologicæ Pareanæ. *Quid diceret* (Pareus) *si sciret ante hos sex septem annos Regulum paganum ad Iauam maiorem pugnantem periisse annos natum CL? quem, si belli furor non abstulisset, is videbatur potuisse adhuc ad CLX. annos ætatem extendere; quod alius rex, & ipse quoque paganus, paulò antè fecerat, qui maior CLX. annorum obiit. Quæro; vtrum maiorem fidem meret, hominem posse CXXX. annos viuere, aut vndecimo ætatis suæ anno generare? Nos possumus producere, quos CXX. CXXV. CXXX. annos vitæ explesse sci-*
D *mus, vidimus, meminimus. Vnus etiam senex amicis nostris miraculo fuit Lutetiæ anno Christi M. D. LXXXIV. qui miles pugnæ Montis Leherij interfuerat sub Ludouico XI. Is maior annorum CXL. omnibus membrorum officiis integris Lutetiam se contulerat, liticulæ cuiusdam persequendæ causa. Hoc rarum quidem est, sed non mirum, vt visum est Hierophantæ Beroaldino, tam longæuos homines esse; tametsi in Germania pauci ad LXXX. annos perueniunt. Georgius Buchananus hist. Scot. lib. 1. in fine narrat etiam Laurentium quendam CXL. anno piscatum prodiisse.* Hæc ex Burdone recitare volui, vt nonnihil Caluinianam & Lutheranam admirationem de Longæuitate vitæ Mardochæi imminuerem.

Thesis 26. pugnat in librum Baruch. Sed

SS pugio-

pugionibus iam lib.1.cap.8. in VVitackero, & aliis retusis & confractis. Quod veterum quidam in Catalogo librorum Canonicorum Baruchi expressè non meminerunt; ideo accidit, quia sub Hieremia comprehenderunt.

Thes. 27. *Partes quasdam Danielis oppugnat.* Sed nugamentis VVitackerianis; quæ disiecimus lib.1.cap.9. Liber de mirabilibus sacræ Scripturæ, quem Rullus citat; non prodiit ex D.Augustini officina. dictumque & iudicium capitis trigesimi secundi. manifestè apparet ex Prologo D. Hieronymi in Danielem, transsumptum & consarcinatum esse.

Biliosè stomachatur Burdo Animaduers. Eusebianis in Benedictum Pererium, quod suo in Commentario, iniussu Burdonis, ausus fuerit ab hæreticorum criminationibus asserere Susannæ, Beli, & Draconis historiam, Hoc Burdoni cordolium est. Quapropter spiculis, quibus assolet, armatus. Pererium. *Tironem in Chronologicis; & falsorum scriptorum vindicem, & patronum pronunciat: Etiam eorum; quæ & veteres Patres, & post illos, Hieronymus damnauit.* Quæ quàm sint Burdonica; intelliget Lector, si cap.9. defensionem percurrat.

Habet tamen Rullus acutum telum, quo has partes Danielis impetit. *Septuaginta Interpretes, teste Hieronymo; aiunt, partes illas de liberatione Susannæ. Beli destructione, draconis interfectione, & sex dierum mora in lacu leonum de alio quodam Daniele accipiendas; qui fuerit filius Abda; conscriptas ab Habacuc filio Iesu; ergo non sunt Canonica.* Pulchra consequentia. Quasi nullus quidquam Canonicè, & diuino afflatu de hoc altero Daniele, in litteras referre potuerit; & quasi solus magnus ille Daniel Canonicæ scripturæ, & sacri Scriptoris materia & obiectum fuerit. Quod autem in Appendice quarta ad primum librum fol.463. versu 1. dixi; Bellarminum probabile arbitrari, duos fuisse Danieles; quorum alter auctor sit partium, de quibus controuertitur, &c. id intelligendum est de auctore, qui partim fecit, partim tulit; non de illo, qui scripsit, litterisque consignauit; quem Habacuc filium Iesu fuisse testatur ex Eusebio & Apollinario D. Hieronymus.

Thesis vigesima octaua insilit in Tobiæ librum; vix tamen quidquam noui adducit; nisi fortè nouum censeri debet hoc subtilissimum argumentum. *Paulus vniuersam hominis Christiani Panopliam describens Ephes. 6. versu 11. & sequentibus, nullos tales suffitus fieri iubet, Dæmonis fugandi caussa; quales memorantur cap.6. libri Tobiæ, versu nono: ergo fabulosum est; quidquid in illo capite de suffimento cordis & hepatis ex pisce sumpti pro Dæmone fugando scribitur & præscribitur.* Quis robur huius argumenti non obstupescat, vel potius non perhorrescat?

Aliud haud infirmius. *Cap.12. versu 15. arrogat sibi Raphael, & aliis sex creatis Angelis, quod referunt preces Sanctorum: Sed hoc aut solius Christi est; aut est magicum & Thalmudicum, profectum à Iudæis.* Quis amplius dubitet? Et ne quis dubitet, moneo auctorque sum: vt legat Serarij nostri de his septem Angelis disputationem Commentar. in cap.12. Tobiæ.

Necdum finis. *Etiam quod de Asmodæo septem maritorum homicida, proditum est, ex portentosis Iudæorum fabulis depromptum est.* Probatur. *Quia Aschmadai Syra voce appellatur Princeps Dæmoniorum.* Necessariò igitur consit Rullana conclusio. Similibus argumentis oppugnat thesis 29. librum Iudith. Inter quæ eminet præcipuè istud; *Cap.8. ver.6. refertur ieiunandi studium, cui Iudith cunctis vita suæ diebus deditissima fuit: perspicuè ergo apparet, librum hunc à Iudæo quopiam, superstitionum amatore, concinnatum esse: quia nisi superstitionum cultor & admirator fuisset, haud introduxisset Iuditham cap.8. v.6. cilicio super lumbos suos indutam, & ieiunantem omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbatha, & Neomenias, & festa domus Israël:* Quis Lutherana vel Caluiniana luce collustratus non videt, quantum superstitionis sub hoc cilicio, tamque assiduo ieiunio lateat?

Forsan & D.Lucas cap.2. superstitionum amator fuit, quia de Anna Prophetissa scripsit; *eã non discessisse de templo, ieiuniisq; & obsecrationibus seruiisse nocte ac die.* Forsan ipse Dauid superstitionum amator fuit; quia cilicij abs se gestati meminit.

Illud lepidum est; quod Rullus ait; *Pridie Sabbatorum, & pridie neomeniarum feriari*, hoc est, festum diem agere, *esse Iudaicum*: quasi verò Iudith hoc quod fecit; ex ritu & instituto Iudaico non fecerit? An non erat Hebræa?

Mendaciis deputa, quòd ait; *Iuditham cap.9. v. 12.13. & 18. petere, vt Deus mendaciis benedicat; & ad ea se comparat, tanquam si mendacia officiosa accepta essent Domino.* Nam Iuditham non modò in illa sua precatione nihil mendacij admisisse; sed neq; in aliis actionibus & sermonibus, quæ describuntur capitibus nono, decimo, & seq. aliquid deliquisse, copiosè ostendit Serarius noster ad cap. 13. lib. Iudith. potissimùm quæst.6.9.& 10. Dato etiam, sed non concesso; Iuditham seu agendo, seu loquendo aliquod leue delictum, & officiosum mendaciolum commisisse, an idcirco rectè inferes, *librum Iudith esse apocryphum?* Non desunt, qui arbitrentur Saram, mulierem sanctitate inclytam peccasse ridendo, Gen.18. & postea negãdo se risisse, cum reuera risisset: num ideo Genesin ex Catalogo librorum Canonicorum exterminabimus?

Quod subdit Rullus, id omnem subtilitatis modum & rationem transcendit. *Liber Iudith vtitur vocibus ex fabulis gentilium petitis capite decimo sexto, versu octauo, nempe Titanum & Gigantum, quales non solet Spiritus sanctus in libris authenticis adhibere.* Si liber ille non est canonicus & authen-

ticus, in quo voces ex ethnicorum fabulis desumptæ insunt, tunc Genesis non erit liber Canonicus: quia Genes. 6. exstat vocabulum Gigantum: Nec liber Deuteronomij, quia cap. 2. eadem vox exstat. Nec secundus Regum, quia cap 21. reperimus Gigantes. Multò minus, Iob in Canone remanebit, quia, præter Gigantem, exhibet nobis cap. 9. *Arcturum & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.* Eandem aleam subire debebit Amos Propheta cap. 5. Vbi itidem *Arcturus & Orion* lucent. Quanta horum clamatorum inscitia vel cæcitas, qui non animaduertunt, se, dum oppugnãt libros, quos odêre, simul etiam oppugnare libros; quos in Canone retentos cupiunt.

Burdo in Animaduersionibus Eusebianis ronchos ducit ad illud Eusebij: *Cambysen aiunt ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari: sub quo Iudith Historia conscribitur. Ab Hebræis*, inquit, *nescio an vllus vnquam secundus Nabuchodonosor prædicatus fuerit.* At quod tu nescis; id sciuit Eusebius; quem vt tibi postponamus; hodie vix impetrabis. Quid futurum sit, cras scies. Nec tibi tam insolens videatur, si Hebræi secundum Nabuchodonosorem ex libro Iudith agnouerunt; (Quanquam hoc ex Eusebij verbis non euincitur) quia iam olim exstabat Græcè: Quis autem nescit, quàm Græca Bibliorum versio trita fuerit apud Hebræos, præsertim Hellenistas. Exstabat item Chaldaicè; vt notum ex Prologo diui Hieronymi. Neque verò inter Iudæos Chaldaica lingua prorsus erat vniuersis ignota. Denique ex eodem diui Hieronymi Proœmio in Iudith notum est, Hebræos legisse librum Iudith; quid mirum ergo, si & secundum Nabuchodonosorem inuenerunt? Nam quod, vt Burdo obiicit, *Hodiernis Iudæis liber Iudith, vix est notus*; quid mirum, postquam ignorantia, illa in gente adeò inualuit, vt vix amplius norint etiam illos libros, qui Iudæis extra controuersiam semper fuêre Canonici.

Non placet Burdoni, quod diuus Hieronymus scribit, *librum Iudith apud Hebræos inter Hagiographa legi. Quod fateor me non intelligere,* inquit Burdo. Quis credat, eum, qui vastitate & amplitudine ingenij sui, & cælum & terram, & omnes orientales linguas cepit; ita vt nihil nesciat; non posse capere hoc diui Hieronymi dictum? capi scilicet nequit, Hebræos habuisse duplicia hagiographa: nonnulla ad confirmationem dogmatum valentia; Alia minus ad hoc idonea; sed tamen ad instructionem vitæ morumque valde salutaria. Huius posterioris generis fuit Iudith & Tobias, ex diui Hieronymi sententia; non prioris. Nam quod in Prologo Galeato diuus Hieronymus, Iudith & Tobiam apocryphis accensuit; non obstat; quia cum ætate sanctus Doctor plura didicit; vt cuiuis vsuuenire solet. An non & ipse Burdo plu-

A rima prius à se scripta, postmodum in melius commutauit? An ideo æqua mente & aure accipiet Burdo illud elogium, quo sanctum Hieronymum ornat: *Ita infinitis locis pugnantia scribit doctus ille scripturæ interpres*: Doctus ille Burdo, temporũ reparator, *flagrum imaginarium facti calculi, crux Beroaldistarum, examen paracleti Prophetici.* Hæc enim encomia ipse sibi tribuit in Elencho vtriusque Orationis Chronologicæ Pareaæ.

Quod ait, *Hieronymum latinum librum Iudith (similiter & Latinum Tobiæ) potius contexuisse, quàm vertisse ex Chaldaico, teste id ipso Hieronymo*; nescio vnde Burdo hauserit: nam sanctus Hieronymus tantùm dicit, se magis sensum è

B sensu; quàm ex verbo verbum transtulisse: quod fidei Interpretis nihil derogat; sicut derogat; si potius quis ex libro quopiam versionem connectat & consarcinet, quàm vertat. Nec verum est, quod Burdo dicit, Iudæos omnes libros Canonis Bibliaci Hagiographis annumerasse, præter legem, Prophetas, libros Iosuæ, Iudicum, Samuelis & Regum: nam & Daniel Propheta est; & tamen inter Hagiographa sedem habet; teste Prologo Galeato.

Cruciat Prædicantes testimonium D. Hieronymi dicentis: Librum Iudith à Synodo Nicæna *in numero sanctarum Scripturarum computatum esse*: De quo copiosè suo loco. Nunc tan-

C tum illud addo; Patres Nicænos egisse de libris Canonicis, constare itidem ex Synodico anonymo, quod Pappus Græcè & Latinè edidit; cuius Auctor modum quoque discernendi Canonicos libros ab apocryphis, à Patribus obseruatum prodidit his verbis: Τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, καὶ ἀποκρύφους, τοιῷδε τρόπῳ κατάδήλους ποιήσαν. ἐν γὰρ τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ κάτω παρὰ τῇ θείᾳ τραπέζῃ αὐτὰς παραθεμένη προσηύξατο, ὡς εὑρεθῶσι τὰς θεοπνεύστους ἐπάνω, τὸν κύριον ἐξαιτουμένη, καὶ τὰς κιβδήλους, ὃ καὶ γέγονεν, ὑποκάτωθεν. *Sacros etiam libros, & apocryphos, hoc modo manifestos fecit. In domo enim Dei, inferiore loco iuxta diuinam mensam omnibus collocatis. Dominum inuocans orauit: vt, qui diuinitus inspirati essent, superius: qui autem adulte-*

D *rini, inferius (quod & factum est) inuenirentur.* Pappus in scholiis hanc historiolam fabulis accenset. Non refragabor, si probare potest; se omnibus Concilij Nicæni actionibus interfuisse; neque vnquam tale quid, se aliisque aspectantibus, euenisse. Interea dum hoc probabit; iniquè non feret Pappus, si Synodico potius quàm sibi fidem habeamus.

Thesis 30. & 31. Rulli in librum Sapientiæ, & Ecclesiasticum arietat: sed omnibus hisce arietibus iam cornua confracta & contusa sunt libro primo capite decimo tertio & decimo quarto. Ait Bellarminus, vt dicta quædam Patrum de Auctore libri concilîet; fieri potuisse,

vt Iesus filius Sirach, sententias Salomonis a se diligenter collectas in vnum volumen redegerit; & sic tam Salomonem, quàm Iesum Sirach libri Auctorem dici posse. Recalcitrat Rullus. Hanc opinionem cum Prologo conciliari non posse; sed mentitur. Nam Prologus potius Bellarmino fauet; cùm dicat; *Iesum postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis & Prophetarum, & aliorum librorum, qui à parentibus traditi sunt; voluisse & ipsum aliquid scribere.* Collegit ergo ex parte librum illum etiam ex libris per maiorum manus acceptis: Quid ni igitur & ex sententiis & gnomis Salomonis; quarum apud Hebræos multæ circumferebantur, & huc non immeritò respexisse arbitratur Bellarminus illos Patres; qui librum hunc Salomoni attribuunt.

Thesis 33. libros Machabæorum exagitat: sed armaturâ VVitackerianâ, & Iunianâ: cuius impresio iam cap.15. repressa & reiecta est. Quid opus hic moram trahere? Quidquid adducit; id ex suis symmystis, quos iam profligauimus, transcripsit. Nunc fine huic digresioni imposito ad Tropæophorum nostrum reuisamus: cuius est hoc

IX. Axioma: *Librorum Canonicorum Canonica auctoritas, omnium Patrum, & Doctorum Auctoritatem tantum exuperat, quantum diuina humanis antecedunt.* Hoc axioma multis D. Augustini testimoniis confirmare conatur; quæ quàm aptè conficiant id, quod Nouator propositum habet, non disquiram curiosius. Hoc tantum dico, neminem negare quin librorum & Auctorum Canonicorum auctoritas maior sit, quod ad infallibilitatem attinet, quàm auctoritas singulorum Doctorum; quandoquidem hæc fallibilis est; illa simpliciter infallibilis & diuina: singuli enim Doctores seorsim, & sigillatim spectati erroribus obnoxij sunt; non item Canonici scriptores, licet solitariè absque aliorum consortio spectati. Hoc sensu si hæc propositio accipiatur à sectario, neminem ex orthodoxis aduersarium habet; triumque compendium facere potuisset; nimirum chartæ & operæ in re minimè controuersa perditæ; & impensæ; quæ emptoribus aucta; dum liber rebus non necessariis frustra infercitur.

Si autem axiomatis sensus sit, librorum & scriptorum Canonicorum auctoritatem, esse omnium Patrum & Doctorum simul, & collectiuè sumptorum auctoritate maiorem quoad infallibilitatem; quòd illa ab omni errore, errandique periculo vacet, hæc autem erroribus exposita sit: quippe humana duntaxat, nec certo & infallibili fundamento nixa; falsa est propositio. Et quia hoc sensu sectarius eam accipit; ideo bona cum ipsius venia, licebit mihi hîc annotare

XIV. Mendacium Tropæophoricum. Nam

A Auctoritas Patrum & Doctorum Ecclesiæ; si simul & collectiuè spectentur, infallibilis est; vt fusè probatum in Responso Hunniano; nec est merè humana; sed humana diuinitus inspirata; seu; diuina infallibiliter participata.

Quæ explicatio manifestat & detegit XV. quod hic delitescit, mendacium Pappicum; videlicet diuum Augustinum, suffragio suo propositionem hanc octauam confirmare. Profert ex Augustino viginti duo testimonia. Quæ securè viginti duo mendacia nomines licet: ex nullo enim penitus ille sensus erui potest; quem sua in propositione hæreticus sibi proposuit, vt patebit singula percurrenti & propius inspicienti: Aut enim intelliguntur tantummodo de

B doctoribus sigillatim consideratis; aut extra propositum allegantur; nihilque penitus ad comprobationem axiomatis faciunt. Quantum enim diuus Augustinus vnanimi sanctorum Patrum & Doctorum consensui tribuendum existimauerit; & quàm eorum responsa sanctè & inuiolabiliter amplectenda & obseruanda duxerit; planum apertumque fecimus in Responso Hunniano cap.15. quod etiam copiosè præstat Confesio Augustana R. P. HIERONYMI TORRENSIS libro primo capite vndecimo.

Interim in septimo testimonio, quod Nouator ex capite sexto libri tertij, contra Faustum producit, notetur; cognitionem libro-

C rum Canonicorum, & integritatem sinceritatemque, hauriri ex traditione Ecclesiastica: ad eum aliquatenus modum, quo hunc vel illum librum esse Augustini vel alterius auctoris, ex maiorum testificatione; & omnium ætatum perpetuata consensione cognoscimus. *Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate Canonica, sed aliquo adiuuandi studio, siue discendi: vnde constat, quid cuius sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuauit, atque edidit, & inde in alios, atque alios continuata notitia, latiusque firmata ad posteros, etiam vsque ad nostra tempora peruenerunt, ita vt interrogati cuius quisque liber sit, non hæsitemus, quid respondere*

D *debeamus? Sed quid pergam in longè præterita? Ecce, istas literas, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ huius nostræ, vel illas cuiusquam Fausti esse, vel has neget esse meas, vnde conuincitur, nisi quia illi, qui nunc ista nouerunt, notitiam suam ad longè etiam post futuros continuatis posterorum successionibus traiiciunt? Quæ cùm ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum mendaciloquorum malitiâ, atque fallaciâ consentiendo subuersus sit, qui dicat, hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum Concordiam; vt eorum scripta fideliter ad posteros traiicerent, cùm eorum cathedras vsque ad præsentes Episcopos certissimâ successione seruaret, cum hoc qualiumcunq; hominum scriptis, siue extra Ecclesiam, siue in ipsa Ecclesia tanta fidelitate proueniat.*

Sic

Digitized by Google

Sic libro contra epistolam Fundamenti, capite nono, dicit: credendum esse iis scripturis, *quæ robustissima auctoritate firmatæ sunt: quæ cum ipso Euangelio, vbi promissum Spiritum sanctum pariter credimus, innotescere populis, & commendari posteris, prædicarique meruerunt.* Iterum nil video de internis *criteriis*, in quibus isti perfidiæ & improbitatis suæ præsidium collocant, vt nec in alio testimonio, quod iste itidem citat ex libro vndecimo, capite quinto contra Faustum, vbi ait sanctus Augustinus, *distinctum esse à posteriorum libris excellentiam Canonicæ auctoritatis veteris & noui Testamenti. quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum & propagationes Ecclesiarum, tanquã in sede quadam sublimiter constituta est, &c.* Si diuus Augustinus, Parei, Rulli, Pappi, & similium Popparum spiritu caluisset; non ex successione Episcoporum, & propagatione Ecclesiarũ; hoc est, ex traditione; sed ex internis *Criteriis*, & id genus aliis notis, auctoritatem scripturæ asseruisset & deprædicasset.

X. Axioma. *Non officit auctoritati sacræ Scripturæ noui testamenti, licet Christus ipse per se nihil scripserit, sed per discipulos.*

XVI. Mendacium Tropæophoricum omnes modestiæ leges transcendens. *Contrarium docere Stapletonum, Bellarminum, Costerum, alios.* Nisi iste funditus derubuisset; tam profligatè & sceleratè impurum os in hæc tam grandia mendacia non resolueret.

XI. Axioma. *Quærere, vnde constet, Euangelium Matthæi, vel scripta Euangelica esse Euangelica, esse Matthæi, extra scripturam: quæstio planè est Manichæa.*

Oedipo enucleatore eget hoc axioma. Adeò est intricatum & perplexabile. Videtur tamen ita concipiendum: Quærere, vnde constet, Euangelium Matthæi, esse Matthæi; vel scripta Euangelica, esse Euangelica, extra scripturam: Quæstio planè est Manichæa. At siue propositionem priore, eoque implicato, siue posteriore eoque explicato modo formes: non est axioma, sed mendacium Prædicanticum, frontis & ruboris expers, simul cum insigni imperitia coniunctum; vt fatebitur, qui exordium Actorum sancti Augustini cum Felice Manichæo accuratius inspexerit, & perpenderit, quàm fecerit iste præco. Cùm enim à Felice postulasset beatus Augustinus, vt ex scriptis probaret, *Manichæum esse Apostolum Iesu Christi*; Felix; vt onus sibi impositum vel imponendum declinaret, vicissim ab Augustino petiit; *vt probet*; extra scripturam impletum esse id, *quod in Euangelio scriptum est; Christo dicente; Vado ad Patrem, & mitto vobis Spiritum sanctum paracletum, qui vos inducat in omnem veritatem*; Hoc tu, aiebat Felix, *extra scripturam istam, proba esse scripturam Spiritus sancti, quod Christus promisit, vbi omnis veritas reperiatur.*

Vbi imperitissime hallucinatur spermologus iste; *Felicem postulasse ab Augustino; vt probet extra scripturam*; hoc est; *ex alio, quàm ex scriptura testimonio, promissum illud de Spiritu sancto mittendo, esse scripturam Spiritus sancti.* cum per illud: *Extra scripturam istam*: Felix non intelligat scripturam sacram; sed *epistolam Fundamenti* à Manichæo conscriptam, cuius initium Felix legerat: nam sensus postulati à Felice facti est iste; Proba tu mihi aliunde, quam ex epistola Manichæi, Christum promissionem suam de mittendo paracleto impleuisse; & ego mox Manichæo multam salutem dicam. Quam postulationem simul & sponsionem excipiens sanctus Augustinus, subiecit: Quoniam ergo tu probare *non potuisti, quo modo sit Manichæus Apostolus Christi, & exigis, vt ego probem, quo modo miserit Spiritum sanctum paracletum, quem promisit, vt tunc respuas scripturas Manichæi, si inueneris impletam promissionem Christi præter scripturas Manichæi; quamuis prior ad interrogata mea respondere debueras, tamen ecce prior ipse respondeo, & ostendo tibi, quando missus sit Spiritus sanctus, quem Christus promisit. Et accedit ad Euangelium & ad Actus Apostolorum. Et cum accepisset codicem Euangelij, recitauit. &c.*

Vides hic apertè, quomodo illud dictum Felicis Manichæi: *Extra scripturam istam*: intelligendum sit: Volebat nimirum sibi ostendi, quonam alio argumento, quàm ex epistola Fundamenti, probari posset, paracletum fuisse missum prout se missurum Christus promiserat? Cuius probatio D. Augustino facillima accidit. Nam statim accepto Lucæ Euangelio, & Actibus Apostolorum demonstrauit, quando Christus promissa exsoluerit; hoc est, quando Spiritus sanctus, & quibus; & qua ratione missus fuerit, atque adeò si non Felici, certè postulatis Felicis abundè satisfecit, ostendendo, qua ratione *extra scripturam istam*; hoc est, sine præsidio epistolæ, quam vocant *Fundamenti*, planum testatumque effici queat, Spiritum sanctum esse missum. Quod non intelligens ineptissimus Prædicans, existimauit; Felicem voluisse, vt Augustinus probaret: *ex traditione, seu, ex verbo Dei non scripto, locum illum apud sanctum Ioannem de mittendo Spiritu sancto, esse Spiritus sancti scripturam*: cum hoc minimè petiuerit; sed vt alia ratione; quàm ex epistola Fundamenti id demonstraret, si posset; ratus nullum aliud eius demonstrandi medium superesse, in quo admodum opinione sua falsus est; Augustino aliunde, quàm ex *scriptura ista*; hoc est, quàm ex epistola Fundamenti, Spiritus sancti supra discipulos descensionem comprobante.

Quod si Felix per illud: *Extra scripturam istam*: intellexisset id, quod ab eo intellectum scribit rudis Prædicans; nil procliuius fuisset diuo Augustino, quàm agere; quod toties iam egerat; nimirum ex traditione, & ex populorum omnium consensione; ex Episcoporum serie &

successione robustissimam & fundatissimam loci illius auctoritatem asseruisset, & ab hostium calumniis vindicasset, prout sæpe non vnam vel alteram particulam, sed propemodum totam scripturam à Manichæorum criminationibus, & imposturis vindicarat.

Eat nunc indoctus saccophorus; & quæstionem Manichæam iactet; nobisque obiectet; sed prius & Felicis Manichæi, & ipsius diui Augustini verba intelligere discat; ne dum scribit; tria nobis patefaciat; videlicet, se & calumniatorem & mendacem; & imperitum esse. Esset quidem quæstio Manichæa, si quis eam iam proponeret eo sensu, quo à Felice proposita fuit; quasi Spiritus sancti missio aliunde, quàm ex epistola Manichæi probari non posset; sed nemini Catholicorum hæc animo sedet sententia.

XII. Axioma. *Librorum apocryphorum auctoritas.*

XIII. Axioma. *Scriptura in Ecclesia Dei est depositum necessarium.*

XVII. Mendacium Tropæophoricum: *Scripturam esse simpliciter, & absolutè in Ecclesia necessariam.* Sic enim suum axioma intelligit Nouator. Contrarium euidenter ostensum est ad cap. 4. lib. 4.

XVIII. Mendacium, *D. Augustinum suffragari axiomati eo sensu, quem pseudologiarum institor venalem exponit:* Neque enim vel minimo verbulo ex omnibus D. Augustini operibus euinci potest; cum existimasse, scripturas esse Ecclesię simpliciter & absolutè necessarias.

XIX. Mendacium, *Contrarium D. Augustino docere Pighium, Bellarminum, Petrum Sotum, & Stapletonum.* Nihil aliud docent isti, quàm scripturas non esse simpliciter Ecclesiæ necessarias; esse autem necessarias ex hypothesi; & *ad bene esse*; maioris commoditatis & facilitatis caussa. Idem docet sanctus Augustinus, & nihil aliud.

XIV. Axioma. *Laicis scripturæ Sacræ lectio concessa est & vtilis.* Hoc axioma mendaciis graue est & grauidum. Sit ergo XX. Mendacium Tropæophoricum: *Laicis Scripturæ sacræ lectionem concessam esse & vtilem:* Vernaculam scilicet & promiscuam; sic enim sectarij assertionem suam intelligunt.

XXI. Mendacium. *Hoc asserere diuum Augustinum.* Nullo verbo id indicat, omnibus illis locis, quæ Nouator citat. Non enim de vulgaribus editionibus, sed de illis agit, quæ primariis linguis, Latina, Græca, Hebræa constant. Nec quosuis ex fæce vulgi, more Prædicantium nostrorum, ad lectionem, etiam Latinam, inuitat; sed vel in genere duntaxat affirmat; scripturæ lectionem esse vtilem; quod nemo negat; si, vt par est, instituatur; vel eruditos quosdam sigillatim ad hoc studium instigat, ex quorum numero erat Volusianus; ad quem missa est prima

A inter Augustinianas, epistola, ex qua testimonium transcribit Nouator. Quam citationem si ad Dialecticam expendas; hæc exibit collectio. *Diuus Augustinus suasit Volusiano, Laico quidem, sed viro docto, vt diligenter sacras litteras euolueret; ergo sacra Scriptura, ab omnibus, etiam Laicis, vernaculè & indiscriminatim legi debet.* Pulchra consequentia.

XXII. Mend. *Contrarium Augustino docere omnes Pontificios.*

XXIII. Mend. *Hardingum.*

XXIV. Mend. *Sanderum.*

XXV. Mend. *Bellarminum.*

XXVI. Mend. *Stapletonum.*

XXVII. Mend. *Salmeronem.*

B XXVIII. Mend. *Turrianum.*

XXIX. Mend. *Sotum.*

XXX. Mend. *Hosium.*

XXXI. Mend. *Staphylum.* Desine plures nominare: cuiuslibet enim nominatio, nil aliud est, quàm mendacij prolatio. Quot nomina effers, tot mendacia profers. Nemo Catholicorum D. Augustino in hac quæstione contradicit; nemo aduersatur.

XV. Axioma. *Sacra Scriptura non docet vitia aut turpia, nec est offensioni legentibus, quantumuis Laicis.* Insidiosum est hoc axioma. Latent fraudes & ψεύσματα. Quæ vt euoluantur auspicemur à clausula.

XXXII. Mendacium Tropæophoricum. C *Contrarium docere Hosium.* Quale contrarium? Cui contrarium? Num Hosius docet, Scripturam sacram docere vitia aut turpia? Tu affirmas: sed extremè impudenter. Quis enim post Manichæos, & similes veteris æui tenebriones, vnquam ex Catholici Doctoris ore huiuscemodi vocem audiuit?

XXXIII. Mend. *Cum Hosio sentire Bellarminum in prædicta blasphemia.*

XXXIV. Mend. *Et Cochlæum.*

XXXV. Mend. *Et Staphylum.*

XXXVI. Mend. *Et Regulas Iesuitarum nuper Coloniæ impressas.* Totidem mendacia fundit; si vult; vt quidem vult; ex prædictorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ propugnatorum sententia, D scripturam per se esse offensioni, seu scandalo laicis. Nullus ex orthodoxis hac persuasione tenetur. Per accidens; & vitio legentium contingit; si quis inde ruinæ occasionem accipit.

XVI. Axioma. *Sacra Scriptura non est caussa hæreseon.*

XXXVII. Mendacium Tropæophoricum. *Contrarium docere Costerum & alios.* Nemini sano hic sensus est; quem insanus iste comminiscitur; scripturam per se esse caussam hæreseon. Per accidens, scelere atque improbitate peruicacium hominum accidit; quidquid in hoc genere accidit. Et quid mirum ex scriptura sectis spargendis ansam à sceleratis arripi, cum ipse sanctus Sanctorum CHRISTVS Do-

minus

Dominus multis positus fuerit in ruinam, & in signum cui multi erant contradicturi. Lucæ 2.

XVII. Axioma. *Hebræa lingua antiquissima est; nec est vnquam immutata in characteribus.* Prius propositionis membrum, verum est, & vt ab Augustino asseritur lib. 16. de ciuit. cap. 11. quem locum Nouator citat; ita ab omnibus conceditur. Posterius membrum falsum est; neque eius vel vola vel vestigium apud S. Augustinum loco citato exstat. Quapropter caussari nil poterit Tropæophorus, quo minus hic, subducto calculo, mendacium XXXVIII. Pappicum numerem. Nimirum hoc commẽto verisimilitudinem conciliare volebat paradoxo suo de apicibus seu punctis vocalibus & hodiernis characterum formulis cum ipsa Hebræa lingua natis. De quo iam satis suo loco.

XVIII. Axioma: *Ad fontes linguarum interpretibus scripturæ necessariò recurrendum est, ex quibus viri eruditi in alias linguas, bono hierarchiæ publico, transtulerunt.*

Mendacium XXXIX. Tropæophoricum. *Necessariò ad fontes*, hoc est, ad Græcum & Hebræum textum scripturarum explanatori recurrendum esse. Quot enim exstitêre præstantissimi sacræ Scripturæ interpretes, qui exemplo suo istud Tropæophoricum *Necessariò*, vanitatis redarguerunt & conuicerunt?

XL. Mend. Augustini testimoniis necessarium istum recursum confirmari posse: Nihil enim aliud probant Augustini dicta, quàm posse aliquando recurri ad fontes; idq; cum fructu: quod nemo nostrum abnuit.

XLI. Mend. *Contrarium Augustino docere Synodum Tridentinam sess. 4.*

XLII. Mend. *Et Bellarminum lib. 2. de ciuitate Dei cap. 2.* Quid audio? Etiam Bellarminus libros de ciuitate Dei scripsit? Forsan D. Augustino palmam præripere voluit; *non tam certãdi studio, quàm propter amorem.* Forsan designare volebas librum secundum de verbo Dei. Ita, opinor. At in cap. 2. non disputat Bellarminus, quomodo & quando ad Hebræum textum recurrere liceat; sed in capite demum vndecimo hoc argumentum exsequitur. Vbi expressè docet, quatuor temporibus ius fasque esse ad fontes confugere.

XLIII. Mend. *Contrarium Augustino docere etiam Canum, Stapletonũ, & Senensem.* Nihil minus. Nunquam dixit D. Augustinus veram sententiam, quoad fidei & morum dogmata, ex Latina editione erui nõ posse, inconsulto Hebræo, vel Græco textu: multoque minus hodie id affirmaret, postquam *plenarij Concilij* decreto vetus editio Latina declarata est authentica.

XIX. Axioma. *Auctoritas septuaginta Interpretum superat omnes alias versiones, etiam Latinam vulgatam.* Quod attinet ad alias versiones; res extra controuersiam est; si intelligatur propositio de editione 70. Interpretum integra & sincera; prout ab ipsis auctoribus prodiit. Si eadem comparetur cum Latina editione vulgata; non maior est eius A auctoritas; sed par: quia vt editio 70. Interpre verè erat tunc authentica; ita & vulgata Lati verè erat tunc authẽtica; in se, à parte rei, & qu in actu primo: licet publico Ecclesiæ decreto a thentica eius vis nondum esset palam promu gata: non igitur Græca 70. Seniorum versio m iore auctoritate prædita erat; quàm vulgata L tina, sed æquali: tamesi hæc auctor tatis q a tas non esset in Ecclesia ad liquidum penitus e plorata; sicuti est hodie; si autem versio 70. Inte pretum, quæ hodie, & prout hodie exstat, conf ratur cum editione vulgata, tum auctoritate eius esse vel maiorem, quàm sit Latinæ vulga editionis, vel parem; mendacium est XLIV. Tr pæophoricum.

B XLV. Mendacium. *Concilium Tridentinum, omnes Pontificios aduersari hac in re D. Augustino.* Minmè verò; nam quãdo D. Augustinus versioni 7 seniorum primas inter versiones tribuit; de in tegra & intaminata intelligi voluit: qualis a auctoribus suis prodiit: Vulgatam itidem Lati nam, vt tum constituta erat, considerauit; non dum anthentica eius vi per œcumenici Concili sanctionem publicè declarata. Quanquam Concilium Tridentinum sess. 4. nullam penitus Græ cæ editionis mentionem fecit; neque eam cum Latina comparauit; neque hanc cum illa; sed Latinæ solummodo vulgatæ translationis auctori tatem asseruit.

XX. Axioma. *Preces & cantiones in Ecclesia popu*
C *lari lingua esse peragendas.* Non axioma, sed XLVI mendacium audio.

XLVII. Mendacium. *Axioma hoc esse D. Augustini*, cùm sit Pappi vel Pappici Narthecophori.

XLVIII. Mendacium. *Omnes recentiores Pontificios, Bellarminum, Hardingum, Stapletonum, Sanderum & alios contradicere Augustino.*

XLIX. Mendacium dignum quod proprium in numerum veniat; *eidem Augustino aduersari praxin Ecclesiæ Romanæ, & Synodum Tridentinam.* Quomodo aduersatur Augustino; cum Augustinus agat de cantu Latino in Ecclesia concinendo concinique consueto? Num vlla in omnibus D. Augustini tomis syllaba occurrit, quæ vel obscurè insinuet; alia, quàm Latina lingua preces
D & cantiones in Ecclesia peractas esse?

XXI. Axioma. *Versio sacræ Scripturæ ex fontibus in alias linguas vulgares & licita est & vtilis.* Quod felix faustumque, habemus nunc L. Mendacium Tropæophoricum. Nusquam enim D. Augustinus in vniuersis lucubrationibus suis, quantæ quantæ sunt; vel vnica litterula, scripturam in vulgares & vernaculas linguas transferendam esse insinuauit: aut proferat Nouator locum; & imaginarium trophæum herba non imaginaria coronabimus. Nam testimonia, quæ profert, adeo ad rem nil conducunt; vt saccophorus vberrimam sui exagitandi omnibus materiem præbuerit; si quis ea vti vellet.

LI. Mendacium. *Omnes recentiores Pontificios con*

trarium Augustino docere. Si dixisses: *Luthero & Caluino*; mendacium nouum numerare nil opus fuisset.

XXII. Axioma. *Apostoli non tantùm intelligenter, verum etiam eloquenter scripserunt.*

LII. Mend. *Propositioni huic aduersari Leonem X.* Vbi? Monstra locum.

LIII. Mend. *Angelum Politianum.* Rursus quæro; Vbi?

LIV. Mend. *Lipsium.* Vbi?

LV. Mend. *Et alios huius generis Criticos, & baptizatos Ethnicos.* Tuum encomium audio; non clarissimi & decantatissimi Lipsij; cuius laudē, pietatem, eruditionem, nulla vnquam obliterabit obliuio; nulla infuscabit calumnia & sycophantia.

XXIII. Axioma. *Ad sacræ Scripturæ genuinum sensum eruendum, ex parte legētis requiritur subiecti per pietatem, & piam persuasionem dispositio.* Etsi non negamus ad legitimum scripturę sensum eruendum, pietatem cordisque munditiem plurimum conferre; mendacium tamen est & quidem Tropæophoricum, eam siue Doctori, siue controuersiarum iudici & veri sensus definitori ac arbitro simpliciter & absolutè necessariam esse; vt contendit Prædicans; qui suæ & suorum causæ nō bene hoc suo axiomate consulit. Nam quemcunque scripturæ locum, tanquam probe & legitimè abs se explicatum apud auditores suos venditet; semper excipere poterunt; nihil caussæ suppetere, cur assentiantur, sibi enim non constare, verum talis *dispositione per pietatem & piam persuasionem* ad sacræ Scripturæ genuinum sensum eruendum præditus sit.

LVI. Mend. *Augustini hoc axioma esse.* Tune tam delirum censes acutissimi ingenij hominem Augustinum, vt talia vel per somnium decerneret? Nam quę tu adducis, nihilo plus probant; quàm fieri posse, vt quis cum ratione insaniat, aut cum febri bene valeat.

LVII. *Omnes Pontificios Augustino contrarium docere: nullam enim pietatem requirere in Pontifice ad scripturæ interpretationem.* Requirimus; sed si absit; interpretationem seu definitionem non ideo irritam censemus: quia super cathedram Mosis Scribas & Pharisæos sedisse & sedere meminimus; illudque præceptum datum scimus; vt quæcunque dicunt, faciamus; secundum opera verò eorum non faciamus; quia dicunt & non faciunt.

XXIV. Axioma. *Ad sacræ Scripturæ genuinum sensum eruendum requiritur cognitio scientiarum & linguarum.*

LVIII. Mend. *Cognitionem linguarum, vt Græcæ, Hebrææ, etc. esse simpliciter legitimo scripturæ sensui eruendo necessariam; tam interpreti quàm definitori.* Sic enim intelligit suam propositionem Nouator. Vtilem esse, nemo inficiatur. Necessariam; nemo adstruit; præter illos, qui nimium sapiendo, nihil intelligunt.

LIX. Mend. *Prædictam propositionem esse D. Au-*
A *gustini eo sensu, quo à Nouatore accipitur & adducitur.* Nullo modo; neque aliunde euidentius ostendi potest D. Augustinum in hac opinione non fuisse; quàm exemplo ipsius Augustini; quem præstantissimum scripturarum interpretem esse; nemo, exceptâ impudentiâ, negauerit: & tamen notum est, eum scientia eius linguæ, qua isti tam insolenter gloriantur, nimirum Hebrææ, non fuisse instructum; neque etiam in Græcis tantos processus effecisse; quantos alij quidam ex sanctorum Patrum cœtu: vt taceam non paucos sanctitate & eruditione inclytos scripturarum expositores; qui vel solius Latinæ; vel solius Græcæ linguæ periti fuêre.

LX. Mend. *Contrarium Augustino docere Stapletonum*
B *Controuers. 6. quæst. 6. art. 1.* Nihil penitus hac de re loco annotato Stapletonus.

LXI. Mend. *Contrarium itidem Augustino docere Canum lib. 12.* Sed aut vult Hæreticus Canum negare, cognitionem scientiarum & linguarum esse vtilem & conducibilem ad legitimum scripturarum sensum eruendum; & tum impudenter mentitur; quia hoc Cano in mentem nunquam venit: aut vult Canum D. Augustino aduersari, cum neget cognitionem scientiarum & linguarum esse necessariam eo sensu, quo à Nouatore asseritur; rursusque inuerecundo mendacio sese contaminat.

Porrò iure quæras, quo iure sectarij, omnibus è numero plebis scripturarum legendarum am-
C plissimam potestatem faciant; si, vt canit hoc axioma, ad verum scripturę sensum eruendum requiritur, & quidem simpliciter, cognitio scientiarum & linguarum? Num & idiotæ cognitione scientiarum & linguarum instructi sunt?

XXV. Axioma. *Prius credendum est, quàm ad scripturarum perueniatur intellectum; & proinde opus est prius interno Spiritus sancti testimonio, quàm externo Ecclesiæ.* Habet hoc in more D. Augustinus; vt cum de sublimi aliquo fidei mysterio agit; puta de prædestinatione; de electione diuina; cur ille vocetur; iste non vocetur; de sanctissimæ Trinitatis personis; & id genus aliis, moneat, prius esse credēdum, quàm ea mysteria intelligere conemur. Ex hac Augustiniana doctrina cudit Tropæo-
D phorus noster supra dictum generale axioma. Et quidem quod ad priorem eius partem attinet; non repugno: nam fides proculdubio veram & solidam scripturarum intelligētiam antecedere debet; tametsi alioqui nihil vetat aliquid intelligere, cui fidem non habeas.

Altera axiomatis pars intricatum quoddam mendacium est: Non enim sequitur: *Fides intelligentiam scripturarum antecedere debet; ergo prius opus est interno Spiritus sancti testimonio, quàm externo Ecclesiæ, ad hoc, vt infallibiliter credam hunc vel illum librum verè esse diuinum & Canonicum; seu hunc vel illum scripturæ sensum esse verum & legitimum & Spiritui sancto consentaneum:* nam licet piam cordis motionem necesse sit prǽire, vt testificationi Ecclesię fidem ha-

Digitized by Google

beam: motio tamen illa rem certò & infallibiliter non transigit; quandoquidem infallibiliter non efficior certus, vtrum à Deo processerit.

Est autem L X I I. Tropæophoricum mendacium, *Maldonatum in Matthæum, contrarium docere iis; quæ quatuor allatis testimoniis Augustinus docet*; nempe, operam dandam; vt prius mysteria fidei credamus; & postea, quantum fieri potest; intelligere laboremus.

X X V I. Axioma. *Ad scripturæ genuinum intellectum eruendum, opus est Epistemonico, id est Doctore, & institutore, sacra item crebra lectione.* Nemo Tropæophoro de hac propositione litem mouet. Nam quòd ait, *multos Pontifices posterioribus sæculis nō Theologiæ, sed Iurium Doctores, & quosdam planè idiotas fuisse*; id Tropæophoricis criminationibus deputa; nec Theologiæ, nec Iurisprudentiæ, nec Theologo, nec Iurisperito; nec docto, nec indocto, sed cathedræ, hoc est, officio Petri, promitit Deus infallibilitatem, seu infallibilem Spiritus sancti in legitimo scripturæ sensu determinando & definiendo asiistentiam: vt proinde nullum periculum erroris immineat; siue Pontifex sit Theologus, siue Iureconsultus; siue doctus; siue indoctus: quia magistrum certum habet; qui nec fallere nec falli potest; à quo in omnem veritatem certo & regio tramite deducitur.

X X V I I. Axioma. *Inimici scripturarum nunquam verè exponunt scripturas.* Hæc propositio non euincitur ex S. Augustini dictis. Vix enim quisquam scripturis est tam infestus & infensus; qui non saltem aliquando verum earum sensum tangat. At quod Pontificios *scripturarum hostes* esse dictitat; id L X I I I. Tropæophoricū mendacium esto. Num tuo iudicio Pontificij, ne vnum quidem scripturæ locum rectè explanant; quandoquidē inimici scripturarum nunquam verè scripturas exponunt? Quoties amplectitur Pappus expositiones Salmeronis? An Salmeron non fuit Pontificius?

X X V I I I. Axioma. *Interpretes animi sui sensa scripturæ auctoritati ne æquanto.* Quis Interpretū ęquat; prętcr Lutherum, Caluinū, eorumq́; asseclas; qui sua somnia pro verbo Dei venditant? Nam quod ais: *Pontificem hodie pari cum Apostolis auctoritate definire*; non est, cur calumniæ vel sycophantiæ loco obiicias: cum sit Petri Apostoli in plenitudine potestatis successor. Vbi tu L X I V. mendacium Tropæophoricum nobis apponis. *Pontificis verbū non scriptum longe esse Apostolorum scripto verbo præstantius*: Nam non scriptum verbum; non est Pontificis verbum; sed Dei; Nec supra scriptum Dei verbum; sed iuxta statuitur; quia est eiusdem cum illo auctoritatis & maiestatis.

XXIX. Axioma. *Vnius, eiusdemq́; loci possunt esse plures interpretationes sibi inuicem nō repugnantes.* Quem ferit hoc axioma; nisi plerosq; Tropæophori sodales; qui Catholicos rident, cum eiusdem loci plures, eosq́; nequaquam repugnātes sensus adducunt; vocibus plusquam taurinis vociferātes;

A *vnius loci vnicum duntaxat esse sensum?* Vide autem, quàm aptè huic suo axiomati nō vnum mendacium Nouator subnectat. *Contra Hosius, Stapletonus, Bellarminus, & alij contendunt.* Quid contra contendunt? Vnius eiusdemq́; loci non posse esse plures integpretationes sibi inuicem non repugnantes? Hoc dicere debes; si positum à te axioma intelligas. Sed ego interea non cunctabor, quin reliquę summæ hoc L X V. mendacium Tropæophoricum adiiciam.

L X V I. Mend. *Doctores prædictos dicere, tantùm in sensu Ecclesiæ verbum Dei reuera esse verbum Dei; ergo vnius eiusdemq́; loci non possunt esse plures interpretationes sibi inuicem minimè aduersantes.* Vt antecedens est verum; ita consequentia mendacium.

B X X X. Axioma. *Vt plures sint vnius scripturæ loci interpretationes, oportet tamen in hoc vnicè elaborare interpretem, vt intentioni auctoris conueniat sensus propositus, minimùm vt sit fidei analogus.* Cum hoc, quod ista propositio ponit, omnes Catholici non inuiti concedant; mentiri tamen audet, & fit mendacium L X V I I. Tropæophoricum; *Stapletonum* contrarium docere Controuers. 4. quæst. 1. art. 1.

X X X I. Axioma. *Ad indagandum genuinum scripturæ sensum, requiritur scripturarum inter se collatio, & obscurioris per faciliorem expositio* Requiritur, vt medium conueniens, non vt sufficiens: *de quo frigidissimè censere Stapletonum Controuers. 6. quæst 7.* Mendacium est L X V I I I. Tropæophoricum.

X X X I I. Axioma. *Ea, quæ ad fidem & mores per-* C *tinent, omnia in scriptura continentur planißimè: ideo ex propriis locorum sedibus argumenta sunt depromenda.*

Mendacium hoc est L X I X. & L X X. Mendacium. *Omnes Pontificios contrarium tenere*; hoc est, *Augustino contradicere.*

L X X I. Mendacium. *Augustinum cum Axiomatico Tropæophoro sentire.*

X X X I I I. Axioma. *Scriptura, quò omnibus fiat facilior, nostro captui se accommodans, more humano multa loquitur.*

L X X I I. Mend. *Hosium, Stapletonum, & alios contrarium docere.* Et cur docent contrarium, tuo iudicio? *Quia dicunt, laicos eiusmodi lectionibus offendi, & de Deo cogitare instar Anthropomorphitarum: ergo negant, scripturam, quò omnibus fiat facilior, nostro captui se* D *accommodare, & more humano multa loqui.* Quis hic stupor Bruti, an Crassi, an Asinij; an Porcij, an Suillij? Num ideo scriptura nō multa ad captum & intelligentiam nostram eloquitur; quia rudes & imperiti vitio non scripturæ, sed suo, hallucinandi occasionem inde arripiunt?

X X X I V. Axioma. *In Scripturis sacris multa reperiuntur obscura, sed, quæ fidei simplicitati nihil officiant; modus item, quomodo obscuris subueniatur.* Nihil hic displicet præter modum: quo obscuris subueniri dicit: Insinuat enim scripturam *sui ipsius esse interpretē*; nec alia egere explanatione, præter eam; quam ipsa suppeditet. Quod quàm ab omni veritate abhorreat, ex tertio & quarto libro manifestum relinquitur.

Digitized by Google

XXXV. Axioma. *Scriptura sacra sæpe obscura apparet vitio non suo, sed nostro.* Ita est. Sed num ideo in se nunquam & nusquam obscura est, quia aliquando caliginosa est tenebris non in ipsa, sed in lectoris animo hærentibus?

XXXVI. Axioma. *Figurata & allegorica à propriis diligenti cura discernenda.*

LXXIII. Mendacium. *Contrarium facere Pontificem.* Quare facit contrarium? Audi ridiculam caussam; *quia non docet ex arte, sed credenda simpliciter proponit;* quippe vt iudex definitor. *ergo non distinguit figurata & allegorica à propriis.* Acutissimè.

XXXVII. Axioma. *Omnis interpretatio ad vnum è quatuor generibus interpretandi referatur.*

LXXIV. Mendacium. Plerosque Pontificios in scripturarum interpretatione nunquam ad ætiologiam respicere; hoc est, nunquam considerare, *quid qua de caussa vel dictum, vel factum sit.*

LXXV. Mendacium. *Plerosque Pontificios euagari in absyne* (ita scribit: Fortè, *in abyssum*) *Patrum quorundam allegoricorum.*

LXXVI. Mendacium. *Scholasticos scripturam per Aristotelem interpretari.*

XXXVIII. Axioma. *Sensus scripturarum ex Colloquiis & disputationibus cum hæreticis omnium efficacissimè eruitur.*

S. Augustinus eo loco, quem recitat Nouator, generatim affirmat, Hæreticorum importunitate excitari Catholicos, vt de veritate tuenda studiosius & accuratius cogitent; nec de solis colloquiis & disputationibus; sed & de lucubrationib⁹, quibus veritas ab impugnatoribus vindicatur, agit. Hac in re Pighium lib. 1. Eccles. Hierarch. aduersari Augustino est LXXVII. Mend.

XXXIX. Axioma. *Sacra Scriptura omnia, quæ ad fidem, & mores pertinent, abunde, sufficienterq́; continet.*

Hæc propositio non axiomatis, sed mendacij LXXVIII. nomine insigniri debet eo sensu, quo à Tropæophoro statuitur: neque enim continet scriptura explicitè, immediatè & formaliter omnia; quæ ad fidem & mores pertinẽt: vt fusè probatum lib. 4.

LXXIX. *D. Augustinum suffragari axiomati in eo sensu, quo à Nouatore adducitur.*

XCC. Mendacium. *Omnes Pontificios hac in re Augustino repugnare.*

XL. Axioma. *Solius Scripturæ auctoritate hæreses esse decisas sine necessario Conciliorum, aut Ecclesiæ interuentu.*

Ego hanc propositionem non pro axiomate; sed pro XCCI. Mendacio agnosco, & numero. Nunquā dixit aut scripsit hoc Augustinus; quippe cui compertissimum fuerit, Ecclesiasticæ traditionis canonem cum scripturis coniungendum esse; alioqui operam perdi, si quis hoc reiecto in disputationis palæstram descendat.

XCCII. *Contrarium Augustino docere Catholicos Collocutores Colloquij nuperi Ratisbonensis.*

XLI. Axioma. *Conciliorum & Ecclesiæ auctoritas sacræ Scripturæ nunquam præiudicat.*

A XCCIII. Mendacium. *Contrarium docere Stapletonum Controuers. 6. quæst. 3.*

XLII. Axioma. *Deum esse vnum, & trinum in sacra Scriptura, seposita Ecclesiæ auctoritate, decisum est.* Et hîc non Axioma, sed XCCIV. mendacium Tropæophoricum numero.

XCCV. Mendacium. *Contrarium Augustino docere Tannerum in Examine Relationis Hunnianæ cap. 21.*

XCCVI. Mendacium. *Item Salmeronem in epist. ad Corinth.*

XLIII. *Sacra Scriptura est Iudex, & Norma Conciliorum, quæ in fide debent esse liberrima.*

Tu saccophore numera axiomata; ego tua mendacia. XCCVII. Mendacium. *Scripturam esse iudicem Conciliorum.*

B XCCVIII. Mendacium. *Esse normam*, adæquatam scilicet & vnicam.

XCCIX. Mendacium. *Concilia in fide debere esse liberrima;* tali nimirum libertate, qualem Lutherani desiderant.

XC. Mendacium. *Docere hoc Augustinum.*

XCI. Mendacium. *Contra Augustinum sentire omnes Pontificios.*

XLIV. Axioma. *Veritas fidei in controuersiam vocata inquirenda est in Conciliis. Et prouincialia quidem examinanda ab vniuersalibus: ex vniuersalibus verò prima à posterioribus, si cubi errarunt, ex scriptura liberrimè corrigenda sunt.*

Hic XCII. mendacium, non axioma nobis apponitur, Inauditū enim est œcumenica Concilia priora à posterioribus correcta vel mutata C fuisse; quod attinet ad decreta fidei. Quid ergo, inquies, sibi vult D. Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, quando dicit: *Ipsa plenaria* (Concilia) *sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur; quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.* Si sensum loci huius Augustiniani nosse cupis, Bellarminum adi lib. 2. de Concil. cap. 7. Addo ego; D. Augustinum per *emendationem* non intellexisse eam; quæ in erroribus tollendis & expurgandis consistit; sed eam; quæ suppletionem seu perfectionem significat: liquet hoc ex recitatis D. Augustini verbis; qui emendationem, de qua loquebatur, in hoc positam ait; quòd posterioribus Conciliis aperitur, D quod antea clausū erat; & sæpe agnoscitur; quod prius latebat: non ergo intellexit errorum aliquam abolitionem; sed veritatis patefactæ & illustratæ ad priorum Conciliorum decreta additionem. Itaq; XCIII. mendacium esse aio; quòd Tropæophorus tam audacter asserit; Augustinum suo deliramento, axiomatis nomenclatura vestito, subscribere.

XCIV. Mendacium. *Concilium Tridentinum & omnes Pontificios hac in re Augustino aduersari.*

XLV. Axioma. *A Concilio ad scripturam etiam facta iam decisione prouocare licet.* Non axioma; sed mendacium XCV. audio. Cui mox accedit mendacium XCVI. *Augustinum hoc tradere lib. 1. contra Donatistas cap. 7.* Nihil prorsus in illo capite exstat;

quo

quo huius mendacij deformitas aliquo saltem modo tegi queat.

XCVI. Mendacium. *Collocutores Ratisbonenses contra Augustinum hac in re sentire.*

XLVI. Axioma. *Supremum in Ecclesia iudicium nemo sibi temerè sumere præsumat.* Non abnuimus; neq; tamen idcirco XCVII. mendacio tuo annuimus: *Pontifices Romanos supremum in Ecclesia iudicium temerè sibi sumere*: non enim *temerè* sumunt illud, quod à Christo, non nisi summa cum ratione collatum est.

XCVIII. Mendacium. *Omnes Doctores Pontificios probare temeritatem Pontificum in supremi iudicij vsurpatione.* Nullam probant temeritatem; quia nulla est. Functionem à Christo collatam probant. Nil aliud.

XCIX. Mendacium. Sententiam illam: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, &c.* esse D. Augustini, &c. est enim S. Cypriani; vt patet apud S. Augustinum lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 2.

XLVII. Axioma. *Sacra Scriptura est controuersiarum Iudex.* Non axioma est hoc; sed C. Tropæophoricum mendacium.

CI. Mendacium. *D. Augustinum hoc affirmare.* Vbi? Nam loca à te allata longè aliter tinniunt.

XLVIII. Axioma. *Sacra Scriptura à nemine mortalium debet iudicari.* Verum est; de iudicio reprobationis seu reiectionis. Falsum, atq; adeo CII. Mendacium de iudicio approbationis. De priore loquitur S. Augustinus, quando dicit, neminē debere de tam sublimi auctoritate iudicare.

A CIII. Mendacium. *Omnes Pontificios hac in re Augustino repugnare.*

XLIX. Axioma. *Sacra Scriptura est credendorum faciendorumquè in Ecclesia Dei norma.* Num vnica & adæquata? Quamprimū affirmaueris; ego CIV. Mendacium reliquorum censui ad scribam.

L. Axioma. *Multa ex scriptura per bonam consequētiam, etiamsi ibi αὐτολεξὶ non exstent, deducuntur.* Mirum Tropæophorum nostrum hanc propositionem absq; alicuius mendacij additamento proferre potuisse: cum ne titulum quidem libri absque multiplici mendacio concipere potuerit (adeo mendax est) inter quæ hoc præcipuè eminet: *Trophæum Augustinianum de sacra Scriptura, &c. oppositum Confessioni Augustinianæ Hieronymi Torrensis, &c.* Quæ verba indicant totam illam Confes-
B sionem ab hoc *Trophæo* euerti; cum vnicum capitulum septimum libri primi allatret. Cur si candide disputare institueras, Titulum non hunc in modum formasti? *Trophæum Augustinianum de sacra Scriptura; oppositum capiti septimo libri primi Confessionis Augustinianæ; quod est, de Scripturis sacris.* Et hic mendaciloquum Tropæophorū cum suis thrasonicis alogiis & lœdoriis abire sino: nam si præfationem excutere liberet; facilè duas mendaciorum centurias inde excerperem; adeo mentiendi cacoëthi indulget iste:

SPVRCVS HOMO, PATRIA ISTA INDIGNV' LOCOQVE.

FINIS.

Laus Deo Virginiquè Matri.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE QVAE VEL A BELLARMINO ADDVCTA, DEFENDVNTVR, VEL AB HÆRETICIS OBIECTA REFELLVNTVR, ET EXPLICANTVR.

Ex veteri Testamento.

Genesis.

In principio creauit Deus cælum & terram. 1196.1632
Spiritus Domini ferebatur super aquas. 507.514
Dixitq; Deus; ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram. 620.621
Plantauerat Deus paradisum voluptatis à principio. 621
Hoc nunc os ex ossibus meis. 621.622
In medio ligni paradisi. 622
Aspectuq; delectabile. 622
Ipsa conteret caput tuum. 473.577.578.& seq.
Maledicta terra in opere tuo. 622.623
Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexit. 507
Egrediamur foras. 507
Maior est iniquitas mea: quàm vt veniam merear. 623
Profugus in terra. 623.624
Nequaquam ita fiet. 623
Quoniam occidi virum. 461
Iste cœpit inuocare nomen Domini. 623.624.
Et vixit Enoch. 623.624
Nō permanebit spiritus meus in homine in æternum. 624.625
Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum. 585.586. & seq.
Noë vir iustus ac perfectus fuit in generationibus suis. 587
Omnis caro corruperat viam suam. 587.590
Qui egrediebatur, & non reuertebatur. 625.628
Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius, 591.592.593
Erat autem terra labij vnius. 1108.1109
Diues valde in possessione auri & argenti. 627
Diuisiq; sunt alterutrum à fratre suo. 627
At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, Erat enim sacerdos Dei altissimi. 593.594. & seq.
15. *Credidit Abram, & reputatū est ei ad iustitiam.* 328.329.330
17. *Orientur ex eo Reges.* 627
22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* 461
24. *Destrauit camelos, &c.* 628.629
25. *Paruipendit, quod primogenita vendidisset.* 629.630
27. *Vltra quàm credi potest admirans.* 630
30. *Cunctum gregem vnicolorem.* 508
31. *Deus Abraham & Deus Nachor iudicet inter nos, Deus patris eorum.* 257
36. *Ana inuenit aquas calidas in solitudine.* 631
37. *Ioseph accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* 632
38. *Quo nato, parere vltra cessauit.* 632 633
38. *Certè mendacij arguere nos non potest.* 634
40. *Tria canistra farinæ.* 634.635
41. *Et vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi.* 635
49. *Non auferetur sceptrum ex Iuda, donec veniat qui mittendus.* 473
49. *Dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum eius.* 636

Exodi.

2. *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* 283
12. *Omnis filius alienigena non comedet ex eo.* 462
24. *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, &c. Assumensq; volumen fœderis, legit audiente populo, &c.* 49 1125
34. *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem.* 1125

Leuitici.

8. *Quicquid reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.* 529
10. *Capita vestra non radetis seu nudabitis.* 462

Numeri.

24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël.* 473

29. *Populus solus habitabit.* 463
vlt. *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient.* 603.604.605.606

Deuteronomij.

4. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis.* 447. 1603.1720.& seq. vsq; ad 1728.
4. *En populus sapiens & intelligens, gens magna.* 897. 898
7. *Postquam Rex sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, &c.* 18
17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. facies, quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.* 24. 1233. & seq. vsq; ad 1250. 1487
17. *Accipiens exemplar à Sacerdotib. Leuiticæ tribus.* 889
30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, nec in cælo situm, neq; trans mare.* 1120. & seq. vsq; ad 1133.
31. *Scripsit itaq; Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israël, &c.* 49.50
31. *Leges verba legis huius coram toto Israële illis audientibus, & in vnum omni populo congregato.* 885
31. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, vt sit ibi contra te in testimonium.* 213.417
34. *Mortuusq; est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, &c.* 138

Iosue.

24. *Trans fluuium habitauerunt Patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham & Nachor, seruieruntq; Diis alienis.* 257
24. *Scripsit quoq; omnia verba hæc in volumine legis Domini.* 54

Iudicum.

2. *Seruierunt Domino cunctis diebus eius (Iosuæ) & seniorum qui longo post eum vixerunt tempore.* 239

3. Regum.

8. *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses, &c.* 213
11. *Et auerterunt mulieres cor eius. Cumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* 77.78
16. *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Iericho, &c. iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filij Nun.* 52
22. *Non est hic Propheta Domini quispiam, vt interrogemus per eum? &c.* 989.990

2. Paralipomenon.

33. *Adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo.* 246

2. Esdræ.

7. *Isti filij prouinciæ, qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, & reuersi sunt in Hierusalem, & in Iudæam, vnusquisq; in ciuitatem suam.* 142.143
8. *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, &c.* 888.
8. *Legit apertè ad intelligendum, & intellexerunt, cum legeretur.* 799
8. *Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) & Esdras Sacerdos & scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerso populo.* 797

Tobiæ.

9. *Tunc Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit.* 216

Iudith.

5. *Exterminati sunt prœliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam.* 231
8. *Quoniam non sumus secuti peccata Patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt deos alienos. Pro quo scelere dati sunt in gladium & in rapinam, & in confusionem, inimicis suis.* 245
16. *In omni spatio vitæ eius, non fuit qui perturbaret Israël, & post mortem eius annis multis.* 239

Esther.

2. *Qui translatus fuerat de Hierusalem, eo tempore, quo Iechoniam Regem Iuda, &c.* 141.144
12. *Præcepitq; ei Rex, vt in aula palatij moraretur.* 145

Iob.

5. *Voca si quis est, & ad aliquem sanctorum conuertere.* 607.608

Psalmo.

2. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* 458.474.512.636.637.638.639.640
4. *Filij hominum, vsquequo graui corde?* 641.642.643. 644
7. *Sagittas suas ardentibus effecit.* 676.677.758.759
12. *In circuitu impij ambulant, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* 678
15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* 678.679
16. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ, Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.* 679.680
18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* 416.417.455. 456
18. *Lex Domini immaculata.* 1782
21. *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.* 680.681
21. *Foderunt manus meas & pedes meos.* 453.455
24. *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* 681
24. *Innocentes & recti adhæserunt mihi.* 681.682
28. *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus, quemadmodum filius vnicorniũ.* 682.683.684
29. *Quoniam ira in indignatione eius.* 684
31. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* 644.646.647
31. *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te.* 648.649.650
33. *Immittet angelus Domini in circuitu timentiũ eum.* 684.685
33. *Oculi Domini super iustos.* 1180
33. *Mors peccatorum pessima.* 685
34. *Superuacuè exprobrauerunt animam meam.* 685

Digitized by Google

34. *Oderunt me gratis.* 757.758
37. *Quoniã lumbi mei impleti sunt illusionibus* 651.652
43. *Non recessit retro cor nostrum, & declinasti semitas nostras à via tua.* 685.686
47. *Circũdate Sion, & cõplectimini eã, narrate in turribus eius, ponite corda vestra in virtute eius.* 686.687
51. *Emigrabit te de tabernaculo tuo.* 759
53. *Auerte mala inimicis meis.* 687
54. *Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.* 687
57. *Sicut cera quæ fluit auferentur; supercecidit ignis. & non viderunt solem.* 688
60. *Permanet in æternum in conspectu Dei, misericordiam & veritatem eius quis requiret?* 688.689
61. *Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti.* 689.690
67. *Qui habitare facit vnius moris in domo.* 652.653
67. *Qui habitant in sepulchris.* 654.655
67. *Dominus dabit verbũ euangelizantibus virtute multa, rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus diuidere spolia. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* 655.656.657 & seq.
67. *Vt quid suspicamini montes coagulatos?* 662.663
67. *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* 664.665
67. *Conuertam in profundum maris.* 666.667
67. *Ibi Beniamin in mentis excessu.* 667.668
71. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam.* 690
71. *Honorabile nomen eorum coram illo.* 690
71. *Et erit firmamentũ in terra in summis montium.* 690.691.
72. *Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.* 691
72. *Veruntamen propter dolos posuisti eis.* 692
73. *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* 669.670
75. *Illuminans tu mirabiliter à montib. æternis* 692.693
75. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* 693.694
76. *Manibus meis noctu contra eum, & non sum deceptus.* 694
77. *De post fœtantes.* 760.761
82. *Amalech, cum habitantibus Tyrum.* 126
83. *Quoniam misericordiam & veritatem diligit Deus.* 694.695.
86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* 695
88. *Memorare quæ mea substantia.* 695.696
89. *Ne conuertas hominem in humilitatem: & dixisti, conuertimini filij hominum.* 671.672
89. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* 672
89. *Posuisti seculum nostrum in illuminatione vultus tui.* 672.673
89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* 673
89. *Quoniam superuenit mansuetudo & corripiemur.* 673.674
89 *Et præ timore tuo irã tuam dinumerare. Dexterã tuã sic notã fac, & eruditos corde in sapientia.* 674.675
89. *Respice in seruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum.* 675
90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* 1179.1181.1200
91. *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & bene patientes erunt.* 696
94. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* 1190.1191
98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.* 1229.1230.1483.1484
105. *Citò fecerunt, obliti sunt operum eius.* 696
106. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum.* 696
107. *Moab lebes spei meæ.* 696
107. *Mihi alienigenæ amici facti sunt.* 696.697
108. *Deus laudem meam ne tacueris.* 697
108. *Caro mea immutata est propter oleum.* 697
109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum.* 565.697.698 1013.1014
109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* 601.602
119. *Sagittæ potentis acutæ cũ carbonibus desolatoriis.* 698
121. *Fiat pax in virtute tua.* 698
125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion; facti sumus sicut consolati.* 699
126. *Ita filij excussorum.* 699
128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores; prolongauerunt iniquitatem suam.* 699
131. *Viduam eius benedicens benedicam.* 668.669.670
134. *Quia iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur.* 700
138. *Forsitan tenebræ conculcabunt me.* 700
138. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es.* 700
138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* 700.701
138. *Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate ciuitates suas.* 701.702
145. *Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion, in generatione & generationem.* 150
148. *Hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israël, populo appropinquanti sibi.* 729
150. *Laudate Dominum in sanctis eius.* 702

Ecclesiastæ.

1. *Peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.* 524.525
2. *Cogitaui abstrahere carnem meam à vino.* 527.528 529
2. *Sapientia quoq; perseuerauit mecum.* 77
7. *Cuncta tentaui in Sapientia. Dixi, Sapiens efficiar: ipsa longiùs recessit à me, multò magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?* 78
9. *Nescit homo, vtrum odio vel amore dignus sit.* 609.610. & seq.
12. *Verba sapientum sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His amplius, fili mi, ne requiras.* 1250.1251.1253.1490

Sapientiæ.

14. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, &c.* 197

Ecclesiastici.

5. *De propitiato peccato noli esse sine metu:* 614.615

16. Om-

16. Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum. 615.616.617
24. Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. 117

Isaiæ.

1. Vt ambularetis in atriis meis, &c. facti estis mihi molesti, &c. Cum fueritis velut quercus. 508
7. Ecce virgo in vtero concipiet. 488
9. Et vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. 447.449.450.451. 452.474
11. Flos de radice eius ascendet. 530.531
29. In vanum colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum. 1758.1759
54. Dabo omnes filios tuos doctos à Domino. 1413
64. Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ; non est, qui inuocet nomen tuum, qui consurgat. & teneat te, &c. 307

Hieremiæ.

1. A A A Domine, puer ego sum, quia nescio loqui. 283
3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. 1283.1285
18. Non peribit lex à Sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à Propheta. 1246
23. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster. 453
31. Dabo legem meam in cordibus eorum, &c. & non docebit vltra vir proximum suum. 1415.1416
37. Et regnauit Rex Sedecias filius Iosiæ pro Iechonia filio Ioacim. 175

Baruch.

6. Eritis ibi generationes septem. 149

Ezechiel.

2. Liber scriptus intus & foris. 1176
8. Factum est in anno sexto, in mense sexto, in quinta mensis: & ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me. 175.176
14. Si Noë, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius; viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt. 60.174.175

Oseæ.

1. Voca nomen eius, absq; misericordia; quia non addam vltra misereri domui Israël, &c. 300
11. Ex Ægypto vocaui filium meum. 1201

Ioel.

2. Præstabilis super malitia. 618.619

Ionæ.

4. Et præparauit Dominus Deus hederã. 560.561.1038

Micheæ.

5. Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda; ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israël. 619

Aggæi.

2. Hæc dicit Dominus Deus exercituum, interroga Sacerdotes legem. 1253.1254.1255.1491

Malachiæ.

2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini est. 1253. 1254.1255.1256
4. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum. 262.263

2. Macchabæorum.

12. Qui cum pietate dormitionem acceperunt. 273

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

1. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius. 177
2. Vt impleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. 530.531
5. Vos estis lux mundi. 1142.1143.1144
5. Audistis, quia dictum est antiquis: non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. 42.43
5. Si oculus dexter scandalizat te, erue eum, &c. 1180. 1200
6. Nolite multum loqui. 725
6. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 726
6. Sufficit diei malitia sua. 619
7. Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos. 909.910
9. Non veni vocare iustos, sed peccatores. 703.704.705
10. Gratis accepistis gratis date. 757.758
10. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. 988.1416
10. Quod in aure audistis, prædicate super tecta. 1854. 1855.
13. Scriba doctus profert de thesauro suo noua & vetera. 110
15. Populus hic labiis me honorat. 728 729
16. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. 1438
16. Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. 1261.1262.1263. 1493
18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. 185.1266.1494.1495
19. Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. 730
22. Neq; nubent neq; nubentur. 774.775
23. Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. 1271. & seq. vsq; ad 1282
23. Vos autem nolite vocari Rabbi; vnus est enim magister vester Christus. 1417.1418
27. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem, & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israël. 279

Marci.

3. Imposuit Simoni nomen Petrus, &c. 141
ibid. Et Iudam Iscarioten, qui & tradidit illum, &c. ibid.

Lucæ.

1. Visum est & mihi assecuto omnia, &c. vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. 1781.1782.1783.1784.

1. *Aue gratia plena.* 733 734
1. *Beatam me dicent omnes generationes.* 150
1. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius.* 98
2. *Puer crescebat & confortabatur.* 734
10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* 1709
11. *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dißipat.* 107
11. *Cœperunt os eius opprimere de multis.* 735
14. *Exi in vias & sepes, & compelle intrare.* 1406
16. *Habent Moysen & Prophetas.* 98. 1784. 1785. 1786. 1787
21. *Et omnis populus manicabat ad eum.* 775
22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* 1290. & seq. vsq. ad 1295
24. *Et factum est, dum fabularentur, & secũ quærerent, &c.* 159
24. *Exorsus Iesus à Moyse & Prophetis, interpretabatur eis in omnibus scripturis ea, quæ de ipso scripta erãt.* 98. 101. 1787. 1788
24. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* 1954

Ioannis.

1. *In principio erat verbum.* 565
3. *Si terrena dixi vobis & nõ creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis?* 1115
5. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* 1336
5. *Scrutamini scripturas.* 19. 102. 103. 801. 802. 891. 892. 893. 1759. 1788
5. *Ego testimonium ab homine non accipio.* 1418
7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui misit me, agnoscet de doctrina mea: vtrum ex Deo sit.* 1418. 1419. 1421
7. *Turba hæc, quæ non nouit legem.* 804
8. *Principium qui & loquor vobis.* 1107
10. *Oues meæ vocẽ meam audiunt, & sequuntur me.* 1419
10. *Nonne scriptũ est in lege vestra? Ego dixi, dij estis.* 470
12. *Adhuc modicum lumen in vobis est.* 737
13. *Mandatum nouum do vobis.* 402
14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, &c.* 987. 988
14. *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* 187. 706. 988
16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* 988. 1604. vsq. ad 1607
16. *Spiritus sanctus clarificabit me.* 332
20. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, vt credatis quod Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* 1740. vsq. ad 1748
vlt. *Simon Petre, pasce oues meas, &c.* 1282. & seq. vsq. ad 1289. 1496
vlt. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* 1607. 1610

Actuum Apostolorum.

1. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* 1605. 1610
2. *Vobis enim est repromißio, & filiis vestris, & omnibus qui lõgè sunt, quoscunq; aduocauerit Dominus Deus noster.* 299
8. *Multi eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.* 777
12. *Calcea te caligas tuas.* 739
15. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* 166. 1295. & seq. vsq. ad 1298
17. *Berœenses scrutabantur scripturas.* 1421. 1422
17. *Sicut & quidam vestrorum poëtarũ dixerunt; ipsius enim & genus sumus.* 56
20. *Quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.* 194

ad Romanos.

1. *Qui prædestinatus est filius Dei.* 707. 708. 709
1. *Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt; quoniam qui talia agunt digni sunt morte; non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* 710 711. 712. & seq.
3. *Credita sunt Iudæis eloquia Dei.* 398
4. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, &c.* 330
4. *Quid enim dicit scriptura? Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* 330
7. *Scio, qui non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum, &c.* 370
7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* 742. 743
8. *Existimo, quod non sunt condignæ paßiones, &c.* 743
10. *Sed dico: nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* 456
11. *Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* 715 716
12. *Sapere ad sobrietatem.* 516
12. *Habentes autem donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, siue Prophetiam secundum rationem fidei, &c.* 1424. 1425
12. *Domino seruientes.* 499. 500
12. *Non vosmetipsos defendentes.* 744
13. *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* 1399
14. *Vnusquisq; in suo sensu abundet.* 744
vlt. *Obseruate eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam accepistis, faciunt.* 1736

1. ad Corinthios.

2. *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* 1426. 1427. 1429
4. *Hæc autẽ fratres trãsfiguraui in me & Apollo propter vos, vt in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio.* 1517. 1518
7. *Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt.* 498. 499
9. *Non alligabis os boui trituranti.* 1182
10. *Fugite ab idolorum cultura.* 300

11. Lau-

11. Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 1611.1612.1614
11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. 1547.1613.1618
11. Cætera cum venero disponam. 1613.1617.1618
12. Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, &c. 1305
12. Hæc omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. 1430
13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam. 516
14. Si veniam ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? 897.918.919
14. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum. 846.847
14. Si orem lingua, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est. Quid ergo? orabo spiritu. 847.852. 868.869.870.917.918.921.922.
14. Qui supplet locum Idiotæ. 917
14. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. 901
14. In lege scriptum est; quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic. 470
14. Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. quod si alij reuelatum fuerit, prior taceat. 848. 849
15. Ad reuerentiam vobis loquor. 745
15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. 497.498
15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 746
15. Vbi est mors stimulus tuus. 747
16. Per vnam Sabbati vnusquisq; apud se seponat. 1665

2. ad Corinthios.

3. Littera occidit; spiritus autem viuificat. 39
4. Quod si opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum, &c. 1146.1147.1148

ad Galatas.

1. Sed licet nos aut angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. 1730.vsq; ad 1739
1. Continuò non acquieui carni & sanguini. 509
2. Ascendi Hierosolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vanum currerem aut cucurrissem. 1298. vsque ad 1304.1500.
6. Et quicunq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei. 396. 397

ad Ephesios.

2. Iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei. 299
2. Estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. 1437
4. Non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. 901
4. Qui desperantes semetipsos, &c. 510
5. Sacramentum hoc magnum est. 716.717.718
6. Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. 718.719.720

ad Philippenses.

3. In eadem permaneamus regula. 397

1. ad Thessalonicenses.

3. Orantes vt videamus faciem vestram, & compleamus quæ desunt fidei vestræ. 1800.1801.1804
5. Omnia probate, quod bonum est tenete. 1431.1432. 1433.1434.1435

2. ad Thessalonicenses.

2. Et nunc quid detineat scitis. 1621.1622
2. Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonẽ, siue per epistolam nostram. 1620
3. Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo. 296

1. ad Timotheum.

1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 309
Vlt. O Timothee, depositum custodi. 1629.1630.1631.1632. 1633

2. ad Timotheum.

1. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctũ qui habitat in nobis. 1632.1633
2. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Iesu; & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. 1634.1636
3. Iannes & Mambres restiterunt Moysi. 194
3. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 1748. & seq. vsque ad 1758

ad Titum.

3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita; sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. 13

ad Hebræos.

2. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem; quæ, cum initiò cœpisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, confirmata est in nos, contestante Deo signis & virtutibus, &c. 307. 308.309
5. Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo. 901
6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam. 310
9. Arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna; & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. 213.314
9. Ad multorum exhaurienda peccata. 720.721.722.
13. Talibus hostiis promeretur Deus. 722.723

Iacobi.

1. Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione. 492
2. Fides consummatur ex operibus. 327

Digitized by Google

Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. 328
Similiter autem & Rabab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eiiciens? 328.329
Et alleuiabit eum Dominus. 724

1.Petri.

Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis, &c. 298.301
Vos estis genus electum, &c. 300
Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, &c. 299

2.Petri.

Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem, donata sunt. 751
Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco. 1145.1793.1908
Sicut & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis. 297.301

1.Ioannis.

4. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. Multi enim Pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1311.1431.1432.1433.1434.1435

2.Ioannis.

VN. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert: nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. 13

2.& 3.Ioannis.

vn. Multa habens scribere vobis, nolui per chartam & atramentum. 1636

Iudæ.

vn. Prophetauit autẽ & de his septimus ab Adam Enoch. 194

Apocalypsis.

1. Gratia vobis ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est. 772
2. Habes illic tenentes doctrinam Balaam, &c. 752
5. Liber scriptus intus & foris. 1176
vlt. Si quis apposuerit ad hæc, &c. 1729

Digitized by Google

INDEX

RERVM NOTATV DIGNIORVM, QVAE IN HAC PRIMÆ BELLARMINIANÆ CONTROVERSIÆ DEFENSIONE CONTINENTVR.

A.

ABASSINI, Indi Australes, Æthiopica lingua Missas celebrant, ex permissione. 1052
Abdias, Nouatoribus Hobadia, & Obadia. 1007
Abel Nouatoribus Hebel. 943
Abraham non fuit tunc primùm iustificatus, quando ei facta est promissio de filio & hærede. 328.329
Abrenunciatio Satanæ in Baptismo, traditio Apostolica. 1679.1712.1717
Absalon in arbore quercu pendens, aliquo modo figura Christi in cruce pendentis. 1204
Abusus non debet tollere vsum. 838.912
Adamus Tannerus Societatis Iesu Theologus. 404.447. & sequentib.
Adrianus Papa Romanus præfuit Septimæ Synodo. 1332
Ægyptij Coptæ seu Coptitæ nuper, sedente Clemente VIII. Pontif. Max. cum Ecclesia Romana in gratiam redierunt. 880
vtuntur in sacris publicis lingua Arabica, vel vetere Ægyptiaca. ibid.
Aëtius hæresiarcha. 270
Africanum Concilium particulare. 1350
statuit ne appellaretur ad Papã, ex Africa tantùm. ibid.
Afri Latinè locuti, non tamen omnes. 824.825
peculiarem quandam linguam habuerunt, Punicam scilicet. 913.914
Afræ aures de correptione vocalium vel productione nõ iudicant. 568
Agapæ cœnulæ quas Christiani in vnum coacti & congregati quandoque instituebant, refocillandis iis quibus domi res & facultas tenuior erat. 860
Agatho Papa præfuit Sextæ Synodo per Legatos suos. 1331
Aggæus Nouatoribus Chaggai vel Haggai. 1007
Agobardus Episcopus Lugdunensis reprehensus quasi vulgatum Scripturæ Interpretem maledictis insectatus fuisset, ægerrimè tulit. 779.780
Agrippinus Episcopus Carthaginensis. 363.367
S. Cypriani prædecessor. 365
saluberrimam Ecclesiæ consuetudinem corrumpit. ibid.
baptizatos ab hæreticis denuò baptizãdos esse sanxit. 367
Albericus Gentilis Iurisconsultus Caluinista. 780.1999
supra Caluinianam fidem & indolem, strenuè causam Interpretis vulgati egit. ibid.
Italobritannus. 1032
Iuris Doctor & Professor Caluinianus in Academia Oxoniensi. 1057
Alcoranus Mahometi diuinam auctoritatem sibi arrogat. 1574.1576
docet peccatores igne perenni cõburendos, & Deum timentes beneq; operantes, paradisi gaudiis æternè fruituros. 1884
Alexander Pontifex voluit vt admisceretur aqua vino in Eucharistia ex traditione diuina. 1541
aquam sale conspersam benedixit ex antiqua consuetudine. ibid.
Alius de alliis, alius respondet de cepis. prouerb. 170
Allegoria tropus Rhetorum. 1184
sensus Scripturæ. ibid.
Grammatica siue Rhetorica proximè & immediatè in verbis consistit, Theologica in rebus. 1185.1186. 1187.1188.1189
Alphonsus Salmeron, præstans ex Societate Iesu Theologus. 297
Alcostettinus spiritus, Lutherano musto feruẽtissimus. 1211
Scripturam nihil aliud esse dictitabat, quam Bibel, Bubel, Babel. ibid.
Aman Agagæus, hoc est Amalecites, & Macedo, & Persa. 126
simulator & dissimulator maximus. 128
Amandus Polanus Caluinista Basileensis. 973
in Morauia vsus Rabbinis præceptoribus. ibid.
Vide V. Polanus. & V. Rullus.

Digitized by Google

Amarias princeps Sacerdotum. 1240
S. Ambrosius ait: Scripturam esse mare. 1104
Valentinianũ iuniorem grauiter reprehendit, quod iudicia de rebus fidei sibi arrogaret. 1386
expresse docet, Quadragesimā à Christo fuisse præceptam. 1696
nonnullis exprobrat, quòd in Quadragesima prandeant. 1697
Amen, in templis orthodoxis clara voce à Choro redditum. 858
Amon filius Manasse, tertio & tricesimo regni anno ei natus. 227
Amos, Nouatoribus Hamos, inter pecuarios Tekobani. 1007
Ananias, Azarias, Misael, Nouatoribus Chanania, Hazaria, Mischael. 1006
Anastasius Sinaita existimauit non plures quàm septuaginta duas linguas esse, iisq; omnibus Euangelium fuisse scriptum. 904
Patriarcha Antiochenus. 1653
meminit Dionysij Areopagitæ eiusque lucubrationum. ibid.
Andreas Alciatus, summus Iurisconsultus, Barbarismorum, & Solœcismorum infamiam ab antiquis Iureconsultis depulit. 755
S. Andreas Apostolus, sequioris Græciæ commento, primus Byzantinus Episcopus. 1720
Andreas Cretensis. 1653
Andreas Cydonius Societatis Iesu, pro Bellarmino castigationem Danæi edidit. 292. 342
eodem cum Bellarmino aliquot annis domicilio vsus. 347
Bellarmini autographa, ab eo impetrata, suis ipse manibus in Collegij Romani Bibliotheca collocauit. ibid.
Andreæ Masij in librum Iosue Commentaria. 55
de lingua Syrica sententia. 800
Angeli secundum se sub videndi sensum minimè cadunt; cadunt autem sub aspectum in corpore, quod sibi ex aëre vel aliunde formant. 260. 261
sæpe visi sunt vestiti, & ad similitudinem hominum planè compositi. 261
Angli Apostatæ nouum Lutheri testamentum in Anglicanam linguam traducunt. 1025
suum habent clerum à laicis distinctum. 1049
Caluinisticam Bibliorum versionem antea vsurpatam, nũc cum nouo Rege fastidire inceperunt. 1058
Regi suo tanquam supremo Ecclesiæ suæ capiti politicam & Ecclesiasticam potestatem & iurisdictionem tribuunt. 1259. 1369. 1370
& corpora & animas suas capiti suo seculari prostituerunt. 1261
in pseudosynodo Londinensi regem suum pro summo post Deum Anglicanæ Ecclesiæ capite declararunt. 1346. 1373. 1374
fœminam, supremam omnium controuersiarum iudicem & disceptatricem constituerunt. 1354. 1386. 1397
Anna Prophetissa, filia Phanuel, Nouatoribus Channah, filia Penuel. 943
mater Samuelis, Nouatoribus Hanna, & Channa. 1008
Anticipationes in sacris literis perquàm frequentes. 125. 141
Antiochus Epiphanes, Demetrij maioris filius, & minoris à Parthis capti frater. 280
de mortis eius genere non satis profani scriptores inter se consentiunt. ibid.
dicitur in templo Naneæ cecidisse, quia ibi exercitum eius conciderat. 281
S. Antonius Eremita. 866
Antonius Velserus Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonicus. 938
Aporiandi vox, Græco fonte cadens. 785
Apostoli Romanæ Ecclesiæ totam doctrinam cum sanguine suo profuderunt. 199. 200
ita inter se conuenerunt, vt quiuis ea scriberet, quibus fideles maximè indigere arbitraretur. 331
etiam ipsi saluis inter se amicitiis dissenserunt. 360
in vltima cœna Sacerdotes creati. 602
ad Hebræos scripserunt Græcè. 808
non scripserunt Euangelia aut Epistolas linguis earum gentium quibus prædicabant. 845. 846
scripserunt tantùm Hebraicè, aut Græcè, & vt quidam volunt, Latinè. ibid. & 877. 878
sibi & doctrinæ suæ per vitæ sanctitatem, per que signa & prodigia, fidem apud auditores suos conciliabant. 900
conciones Domini nostri minimè interdum intelligebant. 1081. 1082
suo, & omnium sacerdotum loco ex calice biberunt. 1149
aliquo modo æquales Petro erant in Ecclesiastica potestate. 1221. 1229. 1479. 1481
fuerunt summi sacerdotes. 1223
æquales vt Apostoli: inæquales, quatenus vnus ex illis Pastor, ceteri oues. 1265
sub Petro summo pastore pauerunt Christi ouiculas. 1286. 1295. 1319
refractarios & pacis inimicos excommunicatione plectebant. 1405
quædam non omnibus promiscuè aperienda & enarranda tradiderunt. 1711
Aqua benedicta, ex traditione Apostolica. 1541. 1542
baptismalis. 1678
Aquarij heretici, solam aquam offerebant. 1522. 1523
Aquila Iudaizans hæreticus, multa mysteria Seruatoris subdola interpretatione celauit. 539. 965
initio Gentilis, deinde Christianus, postea Iudæus. 959
eius translationem Iudæi cupidissimè arripuerunt. ibid.
Aran, riscus, arca vel capsa. 122
arca testamenti. ibid.
Aratus Astronomus & Poëta. 59
Arca ab Hieremia Propheta abscondita. 211
denuò reperta, soluta sub Cyro Rege captiuitate. ibi. 212. 275
in nouissimis diebus inuenienda. 276. 279

tradita

tradita Hieremiæ à Rege Ioachin seu Iechonia, vt occuleretur. 277
fuit de lignis Sethim pretiosissimis, auro item & argento nobilissimè & artificiosissimè exornata. 278
eâ nihil prius & antiquius habuerunt Iudæi. ibid.
Aretius Felinus, idem qui Martinus Bucerus. 937. 1012
nomẽ Dei tetragrammaton exprimit per Græcum nomen Antophyes. 1012, 1013
Vide etiam V. Felinus.
Argula nobilis Lutherana. 833
vniuersam Ingolstadiensem Academiam audacissimè ad publicam disputationem prouocauit. 834. 1072
varias literas ad varios Principes dedit, vt Lutheri caussam strenuè agerent. 834
magno apud Lutherum in honore & pretio fuit. 835
à Rabo in Martyrologio suo posita. 2004
Ariani constanter inficiantur, se in numero hæreticorum reponi debere. 1
Synodum Nicænam calumniantur. 88. 134
epistolam D. Pauli ad Hebræos reiiciunt. 314
Filium Patri consubstantialem esse negabant, & asserebant puram creaturam. 547
Scripturas prauis expositionibus eludunt. 1642
in Concilio Nicæno, ex non scriptis damnati. 1809
Arias Montanus nouum testamentum ex Græco verbatim expressit. 939
Ariminense Concilium sexcentorum Episcoporum Græcam linguam ignorantium. 546. 550
Aristeas antiquissimus auctor. 491
Aristoteles in quendam Iudæum incidit, ex quo miranda intellexit. 479
vsus est circulo seu regressu syllogistico & demonstratiuo. 1888
Arius post Concilium Nicænum rectissimè & iustissimè appellabatur hæreticus. 2
Concilium Nicænum repudiauit, & probris insectatus est. 1318
dogma de diuinitate Christi oppugnauit. 1385
à Concilio Nicæno ex traditione non scripta damnatus. 1641. 1642
Arma eadem non omnibus conueniunt. 896
Armeni sibimetipsis Armeniaca linguâ Psalmos & literas & cantiones transtulerunt. 881
promittunt, se nunquam amplius ab Ecclesia Catholica & Apostolica secessionem facturos. ibid.
Arrabo idem quod pignus. 510
Artaxerxes Longimanus. 141
Ochus, idem qui Assuerus. 146
Asphenez præpositus Eunuchorum, Nouatoribus Aschpenaz, & Aspenas. 1006
Assar Addon rex Assyriorum, sub finem regni Ezechiæ. 233
post Sennacherib. ibid.
cœpit regnare post decimum quartum aut decimũ quintum annum regni Ezechiæ. ibid.
Assuerus, Artaxerxes Longimanus. 141
Artaxerxes Ochus. 146
S. Athanasius non videtur esse auctor Synopseos. 112. 1
dicit inauditum esse, vt Imperator vel princeps d
Episcopis potestatem iudicandi de rebus Ecclesiasti
cis. 1368. 1369 1370. 13
omnes Romanæ sedis Antistites maximopere colu
ac suspexit. 13
citat Dionysium Areopagitam cum elogio. 16
Arianos traditione conuincit. 167
S. Augustinus putat Salomonem fuisse à Deo reprobatu
79. 80.
interfuit Concilio Carthaginensi III. 88. 89. 1
Concilio illi Carthaginensi subscripsit. 92. 185. 1
rebaptizatores acerrimis scriptis refellit, & ta
quam hæreticos proscribit. 1
consensione populi Christiani, inter cetera medi
in Ecclesia retentus. 1
non fuit æquè certus de omnibus libris Canonicis
198. 411
Purgatorium credidit & statuit. 2
errorem S. Cypriani de hæreticorum baptismo e
cusat. 3
sua errata reprehendit in libris retractationum. 369. 372
fatetur, se locum quendam Apostoli prius aliter i
tellexisse, & postea, veritate compertâ, sententia
priorem deseruisse. 369. 3
eius dilemma in S. Hieronymum. 449. 9
ait Platonem vidisse & legisse libros sacros. 4
etiam manifestos barbarismos consuetudini indu
sit. 765. 7
Grammaticos monet, ita esse præponendas ver
sententias, vt præponitur animus corpori. 7
modestissimi simul & litteratissimi ingenij. 7
hoc ipso quod aliquid ab vniuersa fit Ecclesia, ita
non aliter fieri debere & debuisse decernit. 8
Hebræam linguam non tenebat. 8
quod in vniuersa Ecclesia seruatur, si non possit
signari eius initium, de Apostolica traditione d
scendere tradit. 821. 910. 1700. 17
ad Pœnos Latinè, non Punicè verba fecit. 8
dicit, vtile esse, de eodem argumento diuersas luc
brationes extare. 9
Græcas & Latinas editiones Hebraico textui a
teponit. 9
putat etiam S. Hieronymum in nonnullis falli p
tuisse. 9
nquam ex Hebræo versionem auersatur, senioresq
septuaginta, & quæ ex illis facta erat Latinam ve
sionem retineri vult. 9
cognitionem Hebraicæ & Græcæ linguæ in sacr
rum litterarum tractatore postulat. 9
clausis oculis plus vidit, quàm omnes Caluinistæ
pertissimi. 9
sæpe verba non Latina dixit, vt intelligeretur. 1028
in Scripturis ait se multò plura nescire, quàm sci
1100.
locum quendam D. Pauli ait sibi esse intellectu d
ficillimum. 11

suade

Digitized by Google

suadet, vt qui falli metuit, Ecclesiam consulat. 1389. 1390
- Euangelio non crederet, nisi illum Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas. 1393. 1394. 1595. 1876. 1923. & seq.
- commendat supplicationes pro spiritibus defunctorum. 1546
- eundem Scripturæ locum variis modis & sensibus exposuit. 1629
- cum Maximino Ariano ex scripturis & traditionibus disputauit. 1642
- nullam fidem habuit Ariminensi Concilio. ibid.
- affirmat se nescire ordines Angelorum & eorum differentias. 1656
- sine signo Crucis nulla Sacramenta ritè peragi dicit. 1683
- morem populi Dei & instituta maiorum pro lege tenenda esse ait. 1699
- necessariò ad salutem obseruandum esse ait, quod tota per orbem frequentat Ecclesia. ibid.
- quæ ab vniuersa obseruantur Ecclesia, vel ab ipsis Apostolis vel à plenariis Conciliis instituta esse dicit. 1700
- consuetudinem non rebaptizandi hæreticos, ex traditione potissimum confirmat. 1703. 1706. 1823
- dicit, insolentissimæ insaniæ esse disputare num id faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia. 1717
- Scripturarum veritatem à nobis teneri ait, cum facimus quod vniuersæ placuit Ecclesiæ. 1732
- à Manichæis abductus, considerans quàm innumerabilia crederet, quæ non videret. 1866
- ad traditionem, & ad sua vsq; tempora deductam Ecclesiæ testificationem Manichæos prouocat. 1878
- semper ad Ecclesiæ testimonium recurrit, cum de libri alicuius Canonica auctoritate quæritur. 1929. vsq; ad 1934

Augustinus Saturnius. 776

Augustinus Steuchus Interpretem vulgatum commendat. 964

Aurifaber Lutheri discipulus & commensalis. 69. 81
- Colloquiorum mensalium Lutheri librum decem nobilissimis Imperij ciuitatibus inscripsit ibid. & 71

Aurelianus Imperator Gentilis, edoctus à suis, Episcopum Romanum esse iudicem supremum causarum Christianarum. 1337. 1342
- controuersiam de vsu domus Ecclesiasticæ, Pontificis Romani auctoritate terminari voluit. 1338. 1343

Aurum vbiq; est aurum, etiam in luto. 334

Azotum Nouatoribus Asdod. 943

B.

Balaam Nouatoribus Bilham aut Bileam. 1011

Balsamum requiri ad chrisma Sacramenti Confirmationis, non est de fide. 365

Baltassar nomen Danielis. 1006
- Nouatoribus, Beltschazar, Beltsazar, Beltsatzer. ibid.

Balthassar Etzelius Societatis Iesu. 939

Baptismus in nomine Patria & Filia & Spiritua sancta, valuit. 1051
- eius ritus ex Apostolica traditione. 1679

Baptismus paruulorum ex traditione ad nos descendit. 23. 1601. 1717
- ex solis scripturis efficaciter probari nō potest. 1602. 1717

Barachias Nouatoribus Berachiah. 943

Barba non tondenda, ex constitutione Apostolica, videlicet more ethnicorum. 1688

Baruch sub Hieremiæ nomine veteres comprehenderunt. 67. 152
- Notarius Hieremiæ à S. Hieronymo nominatur. 69
- Hieremiæ prophetias literis fideliter ex ore vaticinantis excepit. 100
- Sermones ex ore Hieremiæ scriptos, iis qui in Babylone captiui erant, legit. 148. 149
- in Babylonem à Rege Nabuchodonosor translatus. 153
- libellum suum in Babylone composuit. 153
- peculiari impulsu & instinctu Spiritus sancti actus in prophetia sua literis mandanda. 155
- Hieremiæ amanuensis & discipulus fuit. ibid.

S. Basilius campum Esdræ pro typo solitudinis Monasticæ attulit. 439
- præfectum culinæ Imperatoriæ sibi importunè de quæstionibus Scripturæ obstrepenti, hoc dicto coercuit: Tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere. 842. 1042
- multos ritus & mores ex doctrina non scripta, sed tradita profectos enumerat. 908. 1674. & seq.
- Apostolicum arbitratur esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. 910
- vult, vt in Orientem mittātur ab Episcopo Romano legati idonei, qui errantes corrigant. 1372
- probat B. Mariam semper fuisse virginem. 1528
- facit mentionem memoriæ & inuocationis Sanctorum in Missa. 1546
- dicit, tam scripta quàm tradita, parem vim ad pietatem habere. 1626 1679
- ritum tradit non flectendi genua diebus Dominicis, & à Paschate ad Pentecosten. 1680
- symbolū fidei coluit pro traditione non scripta. 1682
- inter traditiones non scriptas ponit vnctionem olei in Sacramento Confirmationis. ibid.
- dicit se crebrò vocibus non scriptis contra hæreticos vsum, scripturæ tamen consonis. 1812

Bauius Alchymista, negat verbum Dei esse externam scripturam, quæ in Bibliorum codice continetur. 388

Beda OEcumenium ætate diu antecessit. 724

Bellarminus, vidit senem centum quinque annorum robustum & vegetum. 141
- in Patrum monumentis euoluendis incredibili diligentia, & in iisdem retinendis singulari memoriæ felicitate. 173
- sequitur sanctos Patres, tanquam doctores & magistros suos. 314
- non modo aliorum opera non vsus, sed ne anagnosten quidem aut amanuensem habuit. 347

suo studio, labore, industria, tantam supellectilem comparauit. ibid.
libros suos, quos aduersarij ita calumniando tantopere mirari se confitentur, sua etiam manu totos atq; integros exarauit. ibid.
qua est animi submissione & Christiana modestia praditus, gloriam vehementer refugiebat. ibid.
non prius adduci potuit, vt suas lucubrationes in vulgus emitteret, quàm moderatorum suorum imperio, atq; aliis rationibus compelleretur. ibid.
Hebraicum textum nec nimis purum nec nimis corruptum statuit. 505
peritia linguarum Caietano superior. 605
eius Controuersia calamo exarata, ingenti impensa descripta, & distracta, & in compendium redacta. 1644
Belus primus rex Assyriorum vixit ante Rachelem & ante Abraham. 256.257.258
pro Deo habitus post mortem. 256
statua illi à Nino filio posita, fuit primum idolum publicè propositum ad adorandum. ibid.
Bensira, non est filius Sirach. 266
vixit altera post Hieremiam atate. ibid.
filium habuit Vzielem, nepotem Iosephum. ibid.
D. Bernardus Monachis vinum petentibus & Timotheum allegantibus dixit: Da mihi alterum Timotheum, & ego tibi eum si vis, etiam auro, & poto balsamo. 884
Berrhœenses Iudai vernaculis versionibus non egebant. 900
quando scrutabantur Scripturas, necdum Christo per Baptismum nomen dederant, ex Bellarmini sententia. 1422.1423
Bethulia, Galilaa vrbs, in monte sita, in tribu Zabulon. 225
illic adhuc hodie Holophernis castrorum vestigia conspiciuntur. ibid.
in vera religione, aliis deficientibus, perstitit. 245
post decem tribuum deportationem vrbs celebris & populosa. 491
Beza, male informatus de rei veritate. 291
Caluini corculum & hœdillus. 292
hareticorum interpres. ibid.
parum pudicus. ibid.
loca plurima noui testamenti aliter postea quàm prius, vertit & explicauit. 513
Erasmi versionem carpit. 558.1018
aduersus seipsum & Hunnium causam agit. 771
non legit Ciceronem de Oratore. 786
nouum testamentum vertit ex Graco Latinè. 938
vulgatam editionem lacerat. 969
profitetur se maxima ex parte vulgatam editionem amplecti, & ceteris omnibus anteponere. 970. 972
Vide etiam V. Theodorus Beza.
Castalionem reprehendit. 999.1000
ex omnibus ministris Caluinolatris, vnus Gracè nouit. 1022
magis versatus in Homero quàm Platone, in Anacreonte quàm Aristotele, in Demosthene quàm Nazianzeno. ibid.
per inferos intelligit sepulchrum. 1595
Deipara virginitatem in partu negat. 1598.1599
Biblia vernaculâ linguâ extabant integra aliquot annis ante Lutherum natum. 18.544.806.1015.1038
etiam ante Lutherum sedulò lecta, & populo in Ecclesia congregato pralecta. 21
noua eorum recognitio Clementis VIII. Pontif. Max. auspiciis euulgata. 268.269
olim vix nisi apud Clericos inueniebantur. 815. 839
Germanica, à Catholicis Interpretibus versa, permittuntur in Germania Orthodoxis. 878
in Polonicam linguam translata sunt approbatione Gregorij XIII. Pontif. Max. ibid.
in linguam Anglicanam conuersa à Catholicis pro Catholicis. ibid.
Bibliander vulgatam Euangeliorum editionem ex Æthiopico textu emendare nititur. 1055
Vide V. Theodorus Bibliander.
Bipedes aselli. 1056
Blastus quidam Roma magnas turbas dedit. 1321
Brentius docet Constantinum Nicano Concilio prasedisse. 1345
S. Brigitta habuit sacrorum Bibliorum Codicem sermone Gotthico. 816
Brocardus loca Orientis oculis peregrinationibusque diligenter lustrauit. 225
Brunfelsius Lutherum Apostolum Christi nominat. 1691
Bruno Amerbachius, hareticus. 671
Buccanani tragœdia. 75
Bucerus aliquot Lutheri libellos ex Germanico idiomate in Latinum conuertit. 17
Vide V. Martinus Bucerus.
Bullingerus Zvvinglianus epistolam D. Iacobi defendit contra Lutherum & Lutheranos. 1899
defendit epistolam ad Hebraos, &c. contra Lutherum & Lutheranos. ibid.
Lutheranos nulla venia dignos existimat, miseros vocat, stolidissimo fundamento niti affirmat. 1900

Digitized by Google

rdo Pseudoscaliger Caluinianus. 442.443
fastuosus ex Batauia hæreticus. 442
S. Hieronymum doctissimum appellat, quem singulis propè pagellis vt ignorantem & indoctum lancinat. 443
manifestus crucis osor. 445
nouus commentator Eusebij. 490
thraso, conuitiator, audax. 490.496
ex nimia festinatione vel manus vel mentis, verba transmutat. 495
solus vult esse saperda. 496
Vide etiam V. Iosephus Burdo.
S. Hieronymũ docere conatur, sus Mineruam. 1989
stat à parte D. Hieronymi contra Pappum & Iunium. 1990
Pareum describit & depingit. 1936. vsq; ad 1944
multum stercoris passim vomit. 1943

C.

bilonense II. Concilium commendat preces & Missas pro defunctis. 1546
lius Rhodiginus. 760
ietanus vir magnus, sed homo. 93
Canonem Hebræum nimis improuidè vrget. ibid.
beati Hieronymi vestigia secutus. ibid.
errauit vt Ecclesiæ filius, corrigi & meliora edoceri paratus. 294.337.358
deceptus ab Erasmo. 294
homo potius in scholasticis subtilitatibus & argutiis, quàm in lectione Patrum, Conciliorum, & veteris memoria exercitatus. 358.694
idolum & imaginem pro synonymis accepisse videtur. 371
excusatur à Bellarmino. 372
deceptus ab Hebraistis. 594.944
in veteri testamento nimium Hebraizando, & in nouo nimium Erasmizando, in graues errores incurrit. 718.1462
Latinè, non Italicè sacra fecit. 927
nouam Psalterij translationem cõcinnauit ex quatuor aliorum versionibus, & operâ studioque duorum Iudæorum. 939.944
linguæ Hebrææ ignarus. ibid.
Psalmorum versionem ad Ecclesiæ vsum prorsus inutilem reddidit. ibid.
ex Dominicano ordine. 946
solœcus & barbarus. ibid.
confitetur, omnes ferè dictiones Hebræas esse æquiuocas. 950
iphas, quamuis pessimus, verus Pontifex fuit. 1220.1285
llimachus Cyrenæus Poëta. 60
luiniani post Tridentinæ Synodi definitionem, meritò suo Hæretici audiunt. 2
hæreticorum naturâ præditi sunt. ibid.
quàm pulchrè sua ex sacris literis defendant. 3.4
multa Arianismi semina suis aduersus nouos Arianos libris inspserunt. 4
verbo inficiantur, quod re confitentur & adstruunt. 6
Semilibertini, Semischvvenckfeldiani, & Semianabaptistæ. 15
miraculis penitus destituti. 32
sectam suam blandiloquentia & pollicitationè diuinæ veritatis propagant ac disseminant. ibid.
libros recipiunt tanquam Canonicos, de quibus aliquando dubitatum fuit. 192
diem Dominicum colunt sine mandato Dei. 910
quàm sint sancti. 913
pro parentis sui dictis, tanquam veritati per omnia consonis, acerrimè pugnare solent. 1029
suum habent clerum à laicis distinctum. 1049
inter se dissentiunt. 1315.1316.1318.1350
omnes dies festos, præter Dominicos, exterminant. 1323.1324
negant B. Mariam semper fuisse virginem. 1528. 1716
Pascha in diem Veneris traducere, vel penitus intermittere possunt. 1600
manifestè arguuntur non esse Christiani. 1673
Iouinianizant, & Heluidianizant. 1716
diem Martis aut Lunæ dici, mensem Ianuarij, Augusti vel Iunij, idololatriam censent aliqui. 2003
Caluinus Deum causam & autorem scelerum esse docet. 5.6
Seruetum combussit, diabolus diabolum. 6
Librum Sapientiæ mendacij arguit. 197.255.256
Ecclesiasticum pro sentina habuit. 271
Consensit aliquando Ecclesiæ Catholicæ. 337
ne tum quidem orthodoxus fuit, cùm verum dixit. quia bonum non benè docuit. ibid.
Psalterium ex Hebræo vertit. 937
Ordines sacros pro nudis & inefficacibus cæremoniis habuit. 1719
Campana sonat phantasticus quod somniat. 1537
Cananæa Nouatoribus Chenabanæa. 943
Cannensis pugnæ infelix exitus, temeritate alterius Consulis. 286
Canon & Canonicum regulam significat, & denotat, respectumq; includit. 104
Canon Scripturarum vnicus est, isq; diuinus, quem Concilium Tridentinum nobis proposuit. 48. 92. 119. 185
à Christo & Apostolis olim constitutus, ab Ecclesia deinde promulgatus & publicatus. 164.186
nouissimè in Concilio Tridentino quasi renouatus. 184.186
Christianus amplior Hebræo, etiam quo ad libros antiqui testamenti. 271
Laodicenus. 376
in Ecclesia primitiuà constitutus, sæpius renouatus & repetitus. 383
ei adiungenda est Ecclesiastica intelligentiæ auctoritas. 408
sufficiens in suo genere, sed non simpliciter & absolutè absq; traditione. 1567
Canones imperitis & ignaris, non sunt Canones. 394
in actu primo sunt respectu primi auctoris ac conditoris:

toris: in actu secundo fiunt & sunt ab illo à quo proponuntur & explanantur. ibid.

Canones Apostolorum tantummodo septuaginta, vel sexaginta. 339

Canones Conciliorum ad mores spectantes, mutatis temporum, locorum, hominumq; circumstantiis mutari & abrogari solent. 90

Cantica spiritualia canebantur in conuentibus Christianorum. 851.860.917
- proximè & immediatè ad instructionem & consolationem fidelium referebantur. 853
- ab antiquis Christianis composita. 854.860
- canebantur etiam Tertulliani & Apostolorũ temporibus. 856.860

Capitum series in Canonicis libris, non est ab auctore primo, sed diu postea, memoriæ iuuandæ caussa, reperta. 175

Cappadoces suam propriam & natiuam habuerunt linguam, præter Græcam. 914

Captiuitas Babylonica generalis. 231

Carlstadius, verba Christi Hoc est corpus meum, miserè distorquet. 26
- inconsulto Luthero imagines deturbat. 1209
- vertere solum à Luthero coactus. 1314

Carthaginense III. Concilium ducentorum septendecim Episcoporum. 89
- à tota postmodum Ecclesia approbatum & receptũ. ibid. 184.383
- potius secunda quàm tertia Carthaginensis synodus appellanda. 90
- licet non generalis, tamen ab vniuersali Ecclesia, & ab ipsa sede Apostolica comprobata, vt ipsa synodus optabat. 184

Castalio Caluinista. 587
- Nouator maximus. 597
- modestior quàm Erasmus. 772
- Biblia etiam Gallicè reddidit. 938.939
- à Beza & aliis Geneuensibus suo labore exiguam gratiam retulit. 939
- Vide V. Sebastianus Castalio.
- nouum fœdus de Græco transtulit, vetus de Hebræo. 997
- Quartum Esdræ ex Latino in Latinum transtulit. ibid.
- eius versio, iudicio Bezæ, impia. ibid.
- summam Hebrææ linguæ inscitiam prodit. 998
- elegantiam pollicetur, & tamen verba interdum vsurpat alienißima à Ciceronis puritate. ibid.
- Ochini librum contra diuinam Trinitatem de Italico in Latinum conuertit. ibid.
- reprehensus à Beza & aliis. 999.1000
- Angelos in Genios transformat. 999
- Synagogam Collegium interpretatur. 1000
- Canticum Canticorum inter prophanas cantiones numerat. 1000.1016.1017
- Angelicam salutationem peruertit. 1017
- Verbum caro factum, sermonem corporatum vertit. ibid.
- Orcum pro inferno, furiosum pro energumeno posuit. ibid.

Castitatis cultores etiam in lege veteri magnificis donis atq; ornamentis à Deo cumulati & decorati. 177

Catechismi Iapponica, Malabarica, Mexicana & Peruana lingua conscripti. 903

Catechumeni olim exire iubebantur, cum diuinior Liturgiæ pars inchoaretur. 907

Catharina Zellina, seu Cellia, Prædicantis vxor. 2004
- Argentinæ in summo templo concionatrix. ibid.
- Apologiam euulgauit in Rabum Vlmensem Prædicantem. ibid.

Catharinus Lutheri obiectiunculas variis responsis & solutionibus refellit. 308

Cathedra Petri plenißimam Ecclesiæ administrandæ & regendæ Petro & successoribus eius potestatem & facultatem concessam significat. 1228

Catholici in omni cum Hæreticis congressu adhibent Scripturas. 23
- in explicatione sacrarum literarum confugiunt ad autoritatem Ecclesiæ. ibid.
- in numero Canonicorum librorum aßignando nituntur verbo Dei non scripto. 108
- si quando dissentiunt, id faciunt salua pace, & illæso charitatis vinculo. 349
- sententias suas Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ iudicio subiiciunt. 372.373

Catholicum est, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. 1980

Chalcedonensis Synodus ab Eutychianis & Seuerianis pro Antichristianâ habita. 88
- in eo hæresis Eutychetis condemnata, præsidentibus legatis Leonis Papæ. 1328

Chaldæi spolia ex templo abstulerunt, vsque ad phialas & mortariola. 278

Chaldaica lingua affinis Hebrææ. 793
- difficilis. 794
- aliquando Syriacæ appellationem tulit. 800.801
- vsu diutino in Syram quam vocant Hierosolymitanam conuersa. ibid.

Character imprimitur per hæc tria Sacramenta, Baptismum, Confirmationem & Ordinem. 353
- non solum Ecclesiæ auctoritate, sed etiam Scripturis & Patribus probari potest. ibid.
- eum esse qualitatem absolutam, Bellarminus cum schola meliore & doctiore sentit. 355
- eius subiectum aliqui intellectum, alij voluntatem, Bellarminus substantiam animæ ponit. ibid.

Charta non erubescit. 520

Cholinus. Vide V. Petrus Cholinus.
- Zvvinglianus. 968
- gloriatur, se multos Hebraismos in Bibliis mutasse. 1001

Chrisma non est ab Hygino institutum. 1543
- in singulos annos renouandum ex traditione Apostolica. 1641

Christophorsonus Eusebij interpres. 319.405.1322

Christiani quotidie semel sub noctem reficiunt corpus. 855
- continuum triduum vel amplius, sæpißimè sine cibo ac potu ducunt. ibid.
- ter vnguntur. 1692

Digitized by Google

Christus vera arca, & verum thymiamatis altare. 275. 276. 279
sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron. 598. 599. 600. & seq.
in vltima cœna corpus & sanguinem Deo Patri obtulit, & Apostolos sacerdotes creauit. 602
prædestinatus est filius Dei, vt in humana natura subsistens. 708. 709. 710
linguam Syricam vel Syriacam ore & vsu suo consecrauit ac dedicauit. 801
Hebraicè protulit in Cruce illa ex Psalmo: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? 882
Nouatoribus Maßiach. 943
latuit in Scripturæ litera clausus. 1090
D. Chrysostomus excitat auditores suos ad Scripturæ lectionem, qui id cum fructu præstare possent. 884
quantum auditores suos ad Bibliorum lectionem excitauit & incitauit, tantum, si hodie viueret, eosdem ab eadem lectione absterreret. 1070
diuina ait indigere summa diligentia. 1103
dicit S. Petrum toti orbi magistrum à Christo fuisse præpositum. 1378. 1379
existimauit, plures sacros libros penitus interiisse. 1564
dicit, eâdem fide digna esse tam scripta, quàm non scripta. 1626. 1685. 1686
sancitum ab Apostolis fuisse ait, vt mortuorum recordatio fieret in mysteriorum celebratione, & hoc esse iis salutare asserit. 1685. 1686
Cicero & multa verba nouauit ipse, aliosque vt idem facerent, hortatus est. 763. 764
primus parens patriæ appellatus. 786
Circumcelliones Donatistæ homicidia Raziæ exẽplo tueri conantur. 285
Clearchus, Aristotelis discipulus, vsus Hebræo homine ad interpretationem scripturæ. 479
S. Clementis epistola ad Corinthios publicè in Ecclesia legebatur. 218. 313
Apostolorum fuit discipulus, &c. 306. 405
Romanus. 1541
meminit aquæ benedictæ. 1542
eius Constitutiones & Epistolæ ferè nihil aliud quã traditiones continent. 1644
non sine ratione prohibet ieiunium Sabbathi. 1648
successit Petro, sed immediatè Cleto. 1649
viuente Petro, designatus Episcopus Romanus. ibid.
Canones Apostolorum collegit. 1671
Clemens Alexandrinus, auctor vetustissimus. 470
antecessit Origenem. 1170
vniuersam Scripturam explicauit. ibid.
secundum traditionem à senioribus sibi commendatam docet quæ sint vera Euangelia. 1587. 1588
Apostolicas traditiones, & quas à Presbyteris Apostolorum successoribus acceperat, descriptas posteris reliquit. 1670
eius festuca, de non iurando nec iudicio contendendo. 1671
Clemens VIII. Pont. Max. feliciter præstitit, vt vulgata editio Latina quam correctissimè & emendatissimè excuderetur. 570. 1057. 1062
recognouit Sixtina Biblia. 1058. 1059
Clerici soli, crescente fidelium multitudine, in publicis Ecclesiæ conuentibus psallunt. 859. 861
nomine totius populi Christiani perpetuò immolãt Deo sacrificium laudis. 874
orationibus tota castra Ecclesiæ protegunt. 875
Quadragesimæ ieiuniũ statim postridie Quinquagesimæ inchoarunt. 1542
Clerus est tota Ecclesia per repræsentationem. 1051
Cochlæus Romæ in Hebraicis vsus præceptore Helia Iudæo Germanico. 973
Vide V. Ioannes Cochlæus.
Cœlibatus etiam Sacramentum magnum. 717
Collationes Monachorum similes synaxibus primorum fidelium. 849
Commentatoris officium est multorum sententias ponere. 375
Comœdiæ dicuntur ludi, & actores ludiones, & hypocritæ. 78.
sunt & dicuntur fabulæ. 74. 75
Concilia generalia in definiendo infallibilem sancti Spiritus aßistentiam habent. 189
plenaria vocat Augustinus, quorum salutaris & necessaria sit in Ecclesia auctoritas. ibid.
in definiendo non scriptorum, sed iudicum aut definitorum locum obtinent. ibid.
non sunt infallibilia, antequam à Pontifice approbentur ac confirmentur. 368
fieri potest, vt Pontificis mentem & instructionem non sequantur. ibid.
contra hæreses instituta. 1325
Concupiscentia malum nuncupatur, quia ad malum inclinat. 585
Conradus Pellicanus Munsteri Præceptor. 936
prius Monachus Franciscanus, postea ad Zvvinglianam sectam transfuga. ibid.
commentarios scripsit mole quàm eruditione grauiores. ibid.
cæteris nouatoribus modestior. ibid.
Vide etiam V. Pellicanus.
Conradus Treuu, de Fridensteuen, idem qui Martinus Bucerus. 937
Consilium nullum vtile, nisi cui obtemperetur. 41
Constantinopolis in Turcia, metropolis. 857
in Latinorum ditionem peruenit. 871
Noua Roma. 882
Constantinopolitana I. Synodus à Macedonianis pro Antichristiana habita. 88
centum quinquaginta Patrum aduersus Macedonium. 89
à Damaso Pontifice confirmata. 1327. 1328
Constantinus Magnus, decreta Nicæni Concilij, tanquam ab omni errore libera, statim ab omnibus Imperij Romani incolis obseruari voluit. 1340
non prius assedit in Nicæno Concilio, quàm Episcopi vt sederet annuissent. 1345
liberum dedit iudicium Sacerdotibus. 1345. 1351

Digitized by Google

Donatistas remisit ad suũ iudicem proprium Melchiadem Romanum Episcopum. 1345.1347
indicare coactus causam Ecclesiasticam, petiturus deinde ab Episcopis veniam. 1348
Decreta Conciliorum Deo adscribit. 1349
Donatistas ad campum, id est, ad supplicium duci iussit. 1353
seuerissimam legem in Donatistas tulit. ibid.
magnus Imperator, non magnus Doctor. 1807
Consuetudo vim legis induit. 1697.1708
Consules apud Romanos alternis diebus imperabant. 286. 287
Contradictio nulla est, cum quis duas sententias seu responsiones tãquam verisimiles proponit aut defendit. 172.348
vera, perfecta, completa & formalis, vbi quis alteram contradictionis partem simpliciter ac precisè negare, & pro falsa ducere solet. 348
Corinthus Graciæ ciuitas. 857
Cornelius Agrippa Zoroastræ discipulus. 816
Cornelius Bertramus Sectarius. 266
Cornelius Pontifex Concilio Romano præsedit, in quo condemnatus est Nouatus, eiusq; hæresis. 1324.1326
Concilio habito, reiecit sententiam de rebaptizatione hæreticorum. 1325
Crux Dominica magno in honore & pretio apud Christianos. 278
Crux in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur. 441.1677
similitudinem habet cum Græco Tau. ibid.
item cum Tau veteri Hebraico, apud Samaritas postea conseruato. 442
instar cornuum vnicornis. 683
eius signatio aduersus Dæmonum impressiones adhibenda. 1677
omnia quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. 1683
eius signaculum à tota Ecclesia obseruatum ex traditione Apostolica. 1712.1717
eius Exaltationis & Inuentionis festum apud Græcos idem. 1996
Crux commissa, in qua supra lignum transuersum nihil eminet. 445
Custodia, pro reis seu vinctis qui custodiuntur. 741
Cyprianus inclytus Martyr est, & immortale æuum in cælo cum Christo agit. 180
dissensit à collegis suis, salua vnitate & charitate. 350
paratus fuit cedere, si Ecclesia contrarium definiuisset. 351.357
hæreticos rebaptizandos esse, cum suis contendebat, sed inculpatè. 356.365.367.1325
filius pacis Ecclesiæ, à S. Augustino appellatur. 358
in quæstione libera & necdum à Concilio vllo definita, liberam vnicuique faciebat potestatem. 366
vult, vt Episcopo, tanquam Vicario Dei mos geratur in causis Ecclesiasticis. 1383
Romanam Ecclesiam vocat principalem, Catholicæ Ecclesiæ radicem & matricem. 1385
dicit esse Dominicam traditionem, vt calix vini mixtus aqua offeratur. 1521.1523.1691.1695
necesse ait esse baptizatos vngi. 1691.1692
non aliter potuit Anabaptismum defendere, quàm à traditione ad scripturam prouocando. 1706
Cyrillus Alexandrinus meminit Dionysij Areopagitæ, eiusque lucubrationum. 1653
Cyrillus sub Constantino Imp. filio Constantini Magni, sedem Hierosolymitanam tenuit. 1546
iuuenis catecheses conscripsit. ibid.
octauo anno Theodosij Magni Imp. obiit. ibid.
meminit inuocationis Sanctorum in Missa. ibid.
explicat in catechesibus mystagogicis traditiones nõ scriptas de Baptismo & aliis Sacramentis. 1687
Cyrus regnum Persarum atq; adeò Babylonicum, viginti duos vel triginta annos administrauit. 174
successit Dario Medo. ibid.
potentissimus Monarcha. 1006
Nouatoribus Chores, & Cores. 1006.1010
item Koresch. 1010

D.

Damascenus librum secundum Macchabæorum tanquam sacram scripturam allegat. 118
non regiis regulis, sed patriis institutis tam scriptis quàm non scriptis Ecclesiam censet constitui & gubernari oportere. 1380
meminit Dionysij Areopagitæ, eiusque lucubrationum. 1653
ante nongentos annos floruit. 1675.1689
reuerens traditionum. ibid.
Damascus Nouatoribus Dammesec. 943
Damasus Pontifex S. Hieronymo prouinciam mandauit ad Græcam veritatem emendandi antiquam trãslationem Italam. 566
confirmauit Synodum Constãtinopolitanam. 1328
Damianus à Goes, Lusitanus eques, de fide, religione & moribus Æthiopum scripsit. 1996
Danæus Prædicans tropicus & figuratus. 42
Bezæ admirator & discipulus intimus. 290
conuicia iacit in Patres. 540.1134
Bellarmini argumenta non fideliter proponit. 540. 845
refutatus à Cydonio. 844
neminem pium existimat, nisi rudem vel infirmum in fide. ibid.
bacchatur in Bellarminum. 846
Doctores Ecclesiæ quisquilias appellat. 850
decadem mendaciorum vno propemodum flatu effudit. ibid.
mendaciorum & calumniarum, &c. Epitomen quandam conficit. 928
Benedicere non didicit, maledicit igitur. 1112
Caluini discipulus. 1133
veritatem non apertè proponit. 1134
dicit Caluinianos cum Bellarmino summè consentire de variis Scripturæ sensibus. 1199
ad omnia fermè Bellarmini argumenta respondet, esse paralogismum. 1337.1360.1705
parum astutus. 1462.1463
librum legit ab Abrahamo scriptum. 1562

niel Hebraicis quidem literis, sed Chaldæo sermone conscriptus. 100.445.446.1988
nisi accepisset Dei spiritum, nunquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. 170
Susannam liberauit, Bel destruxit, draconem interfecit, & in lacu leonum sex diebus fuit, alius fortasse à primo. 171
sub Cyro, vt Bellarminus docet. 174
sub Nabuchodonosore aut filio eius Euilmerodach, vt Pererio videtur. ibid.
cælibem vitam egit. ibid.
puer cum Ioachim rege captus. 175
expleto triennio, inductus est ad regis obsequium. ibid.
non potuit habere filios & filias, quos sua iustitia liberaret. ibid.
translatus in Babylonem cum Iechonia Rege à Nabuchodonosor. 176
Eunuchus fuit, & ab omni mulierum consortio abstinuit. 177
Nouatoribus Daniiel. 1006
alterum nomē in Babylone accepit Baltassar. ibid.
rius Medus captæ Babyloni vix annū superstes fuit. 174
Nouatoribus Dariasues. 1007.1008
item Dargasasch, & Dareues. 1010
uid Rex perpetrato adulterio & homicidio, à Deo punitus, quamuis ex intimis præcordiis pœnitentiam peregisset. 238
occidit Vriam Hethæum, quia cooperatus fuit morti Vriæ. 584
non fuit sacerdos, & tamen benedixit populo. 595
funda & baculo instructus intrepidè aduersus Goliath processit. 896
Scripturas obscuras esse fassus, petiit sibi earum diuinitus concedi intelligentiam. 1082.1083. 1113
Summos Sacerdotes constituit Sadoc & Abimelech. 1231
auid Pareus, Minister Caluinianus Heidelbergensis. 34
Vide V. Pareus.
efuncti in Missarum solennibus & in aliis precibus Domino commendandi. 1546
suffragia pro iis, ex Apostolica traditione descendūt. 1546.1547.1685
sacrificium pro iis offerri solitum. 1547.1686
eorum cadauera fideles olim solebant complecti, osculari, & oleo perungere. 1659
Vide etiam V. Mortui.
emetrius Phalereus diligentissimus & curiosissimus librorum indagator. 476
bibliotheca regiæ Præfectus. 477.490
ingentem librorum molem collegit. 477
Supra ducenta millia librorum in bibliothecam redegit. 478
gratia & auctoritate apud Philadelphum Regem floret. 491
emosthenes præfectus culinæ S. Basilio de quæstionibus scripturæ obstrepit. 842.843.1042
eus & est & rectè nominatur causa & autor huius vniuersi. 6
non est autor peccati. ibid.
etiam de malis nouit benefacere. 259
licet ei nihil possit accedere quoad naturam, eiusq; perfectionem, potest tamen, imò & debet aliquid ei per nos accedere quo ad cultum & venerationē. 391
Deuteronomium, quasi quædam repetitio eorum quæ in Exodo, Numeris & Leuitico continentur. 24
Dietēbergerus Interpres Germanic⁹ vtriusq; testamēti. 939
Difficile est crimen non prodere vultu. 170
Diligens negligentia, in verbis. 568
Dionysius Alexādrinus in opera Dionysii Areopagitæ scholia scripsit. 1654
Dionysius Areopagita Timotheum Episcopum monet ne mysteria omnibus propalet. 909
de traditionibus multa tradit. 1651
eius lucubrationes defenduntur. 1651.1652. & seq.
eius opera in Romana bibliotheca seruantur. 1655
D. Pauli discipulus. ibid.
extremo tempore Traiani, vel sub Hadriano, martyrio affectus. 1657
in Ægypto vidit horrificam illam eclipsin, quæ tempore passionis Christi contigit. ibid.
dicit se & plerosque ex sanctis fratribus ad Deiparæ Virginis funus conueniss̄e. 1658
Diuitiæ olim præcipuè consistebant in pecoribus. 626.627
Docere quosdam aliquid inutile, salua charitate, & quosdam aliquid salubre sine charitate. 367 368
Dogmata silentur, edicta publicantur. 908
Donatistæ iterationem baptismi tuebantur auctoritate S. Cypriani. 180
damnatæ memoriæ hæretici & sunt & habentur, pœnasq; sempiternas improbitatis suæ apud inferos luunt. ibid.
exemplo Raziæ, interfectionem suiipsius defendebant. 188.285
crimē traditionis per summam iniuriam ferè tantū Episcopis & clericis orthodoxis impingebant. 814
ad Constantinum Imperatorem appellauerunt, sed eius sententiæ non acquieuerunt. 1347 1348.1460
contendebant olim, suam doctrinam non esse nouam, sed veterem. 1389
à Pontifice Romano damnati. 1461
Dresdenses Prædicantes Saxonicos vocant nebulones. 1021
Driedo reiicit librum Baruch, & historiam Susannæ. 359
in vnitate Ecclesiæ permansit. ibid.
Drusius Caluinianus. 121.1006.1038.1039.1565
testimonium nobis perhibet contra Sarvbrādicum mendacium. 1032
producit Patres antiquæ translationis testes ac laudatores. ibid.
Ecclesiam errantem ait non magis esse Ecclesiam, quàm homo mortuus est homo. 1509
Duo cum dicunt idem, non est idem. 363.1491
cum faciunt idem, non est idem. 1607.1802

E.

Ecbatana vocantur etiam Rhagæ seu Rhaget. 216
Ecclesia illa ipsa quæ Arrium, Macedonium, Sabellium, declarauit & pronunciauit Caluinianos & Lutheranos hæreticos esse. 3

de scripturis earumq; sensu iudicat, id est, discernit humanam à diuina, veram à falsa. 90
Canonem Canonicarum scripturarum constituit, vt administra Spiritus sancti. 103
libros Canonicos declarat, non efficit. 151.193.201. & seq.
hymnum trium puerorum decantat, & historiam Susannæ tanquam pudicitiæ speculum suscipit ac suspicit. 161
Canonem Scripturarum iam olim à Christo & Apostolis constitutũ promulgauit ac publicauit. 164
claris scripturæ testimoniis & rationibus immotis demonstrat, Ecclesiam esse audiendam, quando aliquid fidelibus proponit ac præcipit. 185
in Canonicorum librorum recensione à vero abire non potest. 186
deducitur à Spiritu sancto in omnem veritatẽ. 187
libros facit Canonicos quasi in actu secundo, ratione cognitionis nostræ. 198 575
Apostolis in infallibili testificatione successit. 206
Latinam vulgatam editionem declarauit authenticam esse. 246. 575
verißimum tabernaculum. 276. 279
libros Macchabæorum pro Canonicis habet. 288
sententias quasdam erroneas, scandalosas, vel hæresi proximas tolerat. 366. 367
semper & vbiq; à filiis suis religiosè & summa cum obsequendi voluntate auditur tunc, quando quid sentiendum sit exponit. 376
eius testimonium, spectando infallibilitatem, non minoris est dignitatis & auctoritatis, quàm Apostolorum, & Prophetarum. 390
discipula est, quatenus ex scripturis veritatem discit; magistra, quo ad nos, quatenus scripturas infallibiliter nobis explanat; testis, quatenus de diuina & canonica bibliorũ auctoritate testimonium perhibet. 391
ante Caluinum & Lutherum natum, toto terrarum orbe dispersa erat. 395
nisi nobis proponeret libros Canonicos, non possemus eis tanquam diuinis fidem habere. ibid.
vulgatam editionem semper retinuit & vsurpauit, tum etiam fidelibus commẽdauit & proposuit tanquam authenticam. 514. 562. 566. & seq.
magno fructu olim translationibus vulgaribus caruit. 805
tantum Hebræa, Græca & Latina linguis semper vsa est in communi & publico vsu scripturarũ. 812
contra id quod facit, disputare, insolentißima insaniæ est. 812. 813
sæpe clerum duntaxat vel magistratum Ecclesiasticum significat. 861
corpus est. 898
publicas preces non quauis vulgari lingua vult institui. 921. 922
immediatè à Spiritu sancto, gubernatore suo, verum Scripturæ sensum accipit, & postea ad omnes siue bonos siue malos diffundit. 1103
est quasi vna domus, vno ergo communi patrefamilias eget. 1219
super Petrum ædificata. 1228
eius testimonium est prima quasi ad cælestem cognitionem ianua. 1515
à Christi aduentu per multos annos fuit sine scripturis. 1557
fidelißima custos traditionum. 1585 1669
non est quæ non habet sacerdotes. 1649
aliqua ex parte traditionibus regitur. 1707
par est, vt sibi commissa & concredita quædam habeat, quorum cognitio non sit apud omnes peruulgata. 1710
generatim rectè appellatur sancta, licet singula eius membra sancta non sint. ibid.
non potest errare. 1712. 1717
vide etiam V. Romana.
eius testificatio, humana diuinitus inspirata, seu diuina per participationem. 1908. & seq.
Ecclesiasticus nominatim tribuitur Salomoni. 96
Sirach, seu Sapientia Sirach, vel absolutè Sapientia, communi vsu vocatur. 265
eius Prologus Canonicus, & Canonica auctoritate præditus. 269
de eo iudicium Hunnij, Lutheri, Caluini. 271
Editio Græca Romana Sixti V. Pontificis studio procurata. 139. 489
ex codice Vaticano vel tempore S. Hieronymi, vel antè, exarato repræsentata, & cum aliis vetustißimis exemplaribus comparata. ibid.
vel est ipsa septuaginta Interpretum sincera editio, vel ad eam quàm proximè accedit. ibid. 490
Editio Latina vulgata, textui Hebræo conformis ac consentiens. 486
est authentica. 533. 536. 540. 541. 542. 551. 564. & sequentib.
per annos ferè mille, ab omni Ecclesia Latina vsurpata. 533. 536. 1036
præfertur Græcis & Hebraicis fontibus corruptis. 537
sola interitum euasit, cæteris omnibus editionibus abolitis. 540
omnium optima & fidelißima diuini spiritus interpres. ibid.
Clementis VIII. Pontif. Max. auctoritate, quam correctißimè & emendatißimè excusa. 570. 571
antiquißima, quippe quæ iam tempore S. Cypriani in vsu Ecclesiæ fuerit. 712
maximam partem ex officina S. Hieronymi profecta, vel lima eius castigata. 973
vltra mille ducentos annos in Ecclesia regnat, & omnia pulpita occupat. ibid.
in se & quasi in actu primo authentica fuit quamprimum extitit. 1035. 1038
respectu nostri, authentica est facta, postquam nobis authentica eius auctoritas ab Ecclesia est patefacta. ibid.
Edmundus Coppinger, lymphatus quidam Caluinista Anglus. 2003. 2004
persuasus, se moueri & incitari à Spiritu sancto ad res magnas. 2003
nactus est socios, cum quibus plenius insaniret. ibid.
propheta creatus ab Hacketo. ibid.

Eliachimus Pontifex maxima illustrissimaque virtutum documenta dedit, cum & Rex & alter Pontifex captiui Babylone tenerentur. 228
vixit tempore Manassis. 241
à Deo sacerdos constitutus & coronatus. 242
Odeas à Iosepho appellatur. 243
Elias sub finem mundi rediturus. 262
sacrificauit, licet non Sacerdos, sed Propheta tantum, ex peculiari commissione Dei. 1230
Baaliticos sacrificos peremit. 1404
Emmanuel Nouatoribus Hemmanuel. 943
Emmanuel Tremmelius primùm Iudæus, deinde Monachus, postea Caluinianus. 935
Vide etiam V. Tremmelius.
Enoch prophetia ab Apostolo Iuda citata. 194
Ephesina Synodus à Nestorianis pro Antichristianâ habita. 88
ei præsedit Cyrillus nomine & loco Celestini Papæ. 1328. 1329
S. Ephram ad tantam venit claritudinem, vt post lectionem scripturarum publicè in Ecclesia eius scripta recitarentur. 218
Epimenides Poëta & Propheta Cretensis. 60
S. Epiphanius dicit oportere & traditione vti, non enim omnia à diuina scriptura accipi posse. 1688. 1689
dicit, sanctos Dei Apostolos tradidisse, peccatum esse, si quis post virginitatis seu castitatis votum ad nuptias conuertatur. 1689
Episcopi successores Apostolorũ in munere Episcopali. 1221. 1482
sanctitate officij omnes sancti sunt, hoc ipso quod Episcopatum, sanctum munus, gerunt. 1357
tanto maiores Regibus, quanto spiritus carni, cælum terræ, aurum plumbo præstat. 1407
eliguntur ab Ecclesia repræsentatiuè. 1649
non debent reddere rationem subditis, sed ipsi Christo. 1650
quasi promi condi seu dispensatores veritatis, seu traditionis Apostolicæ non scriptæ. 1669
Erasmus ambiguè & insidiosè locutus. 11
damnandus est Arianæ sententiæ & hæreseos. 12
existimauit, propter fornicationem licere coniugi innocenti ad alias nuptias transire. 374
totum ius & arbitrium de hoc statuendi committere videtur Ecclesiæ, eiusque summo Pastori Romano Pontifici. ibid.
varius erat & variabilis, & pro aura mutatione ipse etiam mutari consuetus. ibid.
literas à Leone X. Pontifice impetrat. 558
lupum sub specie ouis insigniter celare norat. ibid.
nouator magnus, & nostro Interpreti parũ æquus. 712. 725. 729
impudenter in Apostolum & Euangelistam Ioannem inuectus. 772
castigationis impatientissimus. 936
inter Catholicos non videtur mereri sedem. Sectarij ægrè in sua castra recipient. 938
omnes alios, quasi communis omnium magister, ad ferulam suam vocauit. 963
in antiquum noui testamenti Interpretem debacchatus. 972
Pelagij amicus, & non occultus patronus. 1391
à VVitackero laudatus. 1674
Esdras Hebraicis quidem literis, sed Chaldæo sermone conscriptus. 100. 445. 1988
alias literas reperit, quibus nunc Hebræi vtuntur. 400
Nouatoribus Hezra, & Ezra. 1008
nouos characteres Hebræos quibus hodie vtimur, reperit, & in vsum induxit. 1989
Essæos fuisse Christianos. 854. 855
vix toto triduo cibum ceperunt. 855
perpetuam virginitatem & castimoniam professi tam viri quàm mulieres. ibid.
Origenem ætate longè antecesserunt. ibid.
per villas & agros domicilia figebant. 861
Eua, vel Heua, Nouatoribus Hana vel Channa. 1011
Euangelium propriè dictum, docet, opera cum fide iungi debere. 338
à prædicante lectum vel pronunciatum, est verbum Dei in actu primo tantum & quoad se, non autem in actu secundo & quoad nos. 413
Euangelia, Iacobi, Bartholomæi, Andreæ, Nicodemi, &c. apocrypha. 51
in Theodiscam linguam versa, paraphrasi poëtica seu rythmica. 840
tantùm esse quatuor, est Apostolica traditio. 1528. 1529
Eucharistia à Christianis olim quotidie sumpta. 1658
non nisi baptizatis danda. 1664
populo ostendabatur cum his verbis: sancta sanctis. 1678
Eunuchus Isaiæ prophetiam non intellexit absq; interprete. 1090. & seq.
Eusebius ex antiquis scriptoribus enotare & excerpere solebat rara quædam & peculiaria. 253
Arianorũ patronus, ac sectæ illius vexillarius. 1651. 1652
scribit, Apostolos quædam scriptis, quædam absque scriptis obseruanda tradidisse & commẽdasse. 1672. 1673. 1674
inter Apostolicas traditiones numerat vitam religiosam & monasticam. 1684
Eutychiani Chalcedonẽsem synodũ calumniantur. 88. 134
Ezechias pater Manassæ regnauit in Hierusalem viginti nouem annis. 237
quæ ad Remp. & ad Ecclesiam seu cultum diuinum pertinebant optimè & saluberrimè constituit. ibid.
populum sibi subditum ad veram religionem traduxit. ibid.
Ezechiel ductus in captiuitatem cum Daniele, & Ioacim rege. 175. 176
sub Ioachin, filio & successore Ioacim. 176
Nouatoribus Iechezkel, Hezkiel, Ezeciel, Iehezciel, Iezciel, Iehezicel, Ieeziel. 1006
Ezechielus Iudaicarum Tragœdiarum poëta. 478

F.

Faber Stapulensis in vnum tantùm errorem errauit. 927
Vide V. Iacobus Faber.

Digitized by Google

Fabianus Romanus Pontifex, ibi caussam agi vult, vbi crimen admittitur. 1384
eius Pontificatus ad quindecim annos extenditur. 1641
vetat, ne sacerdotes accusentur à secularibus quibusuis. ibid.
ritum Chrismatis in singulos annos renouandi ab Apostolis acceptum tradit. ibid.
Fabulæ, Comœdiæ. 74.75
Pro historia. 75.158.159
Facile factu, non semper etiam intellectu. 1123
Fœminæ in veteri testamento habuerunt aliquod remedium contra peccatum originale, æquè ac viri, quod suppleret vicem circumcisionis. 1568.1569.1570.1572.1573
Felinus præ aliis commendatur à Pellicano. 1013
Vide V. Aretius Felinus.
Felix Pratensis, Psalten aliter psallere docere voluit. 937.938
Festa Christianorum ab Apostolis & veteri Ecclesia descendentia, obseruanda. 1698.1701
Festina lentè. 367
Festum translationis sacræ scripturæ à L X X. Interpretibus absolutæ & perfectæ. 494
in Ægypto in Insula Pharo celebrari solitum. 1027
Fides perficitur ex operibus. 327
immediatè in obiecta sua inclinat, non per discursum. 433
ad eam nullus cogendus est inuitus. 1406
Fides specialis & iustificans, trita in ore omnium Nouatorum. 8
eâ sibi aliisq; mirificè illudunt ac imponunt hæretici. 614.721
Figura & figuratum satis est si conueniant secundum proportionem aliquam & rationem generalem. 601
Filij monumenta paternæ pietatis longè citius demoliuntur, quàm erecta fuerint. 237
Florinus sensit Deum esse effectorem malorum. 1662
Franci veteres, sacros libros in suam hoc est Germanicam linguam vertendos curarunt. 1065
Franciscus Feuardentius. 490
Franciscus Gomarus, Prædicans Caluinianus, Iosephi Burdonis Confessarius & Eleemosynarius. 1936.1937
Franciscus Iunius Biturix Caluinista. 935
symmysta & Synergo suo Emanueli superstes. ibid.
Vide V. Iunius.
Franciscus Forerius Lusitanus Prophetas ex Hebræo transtulit. 939
ex Dominicano ordine. 946
nouã editionẽ Isaiæ molitus, vt veterẽ fulciret. ibid.
Franciscus Vatablus cum Roberto Stephano expostulat ob scholia sua deprauata. 940
Catholicus. ibid.
Vide V. Vatablus.
Freherus Caluinianus. 830
Fronto Ducæus. 490

G.

Gabriel Angelus B. Virgini visibiliter apparuit, & cum eadẽ per corpus illud assumptum locutus est. 261
Galatæ, suam propriam & natiuam habuerunt linguam, præter Græcam. 914
Galenus sex septemue libros scripsit contra eos qui in solœcissantes inuehuntur. 782
tradebat, neminem prorsus ob orationis solœcismos & barbarismos reprehendendum. ibid.
Galilæa Iudæis incolis frequentissima & celebratissima, quæ tamen pertinebat ad tribus Zabulon, Nephtalim, Aser, Issachar. 492
Nouatoribus Galil. 943
Gaspar Schioppius. 1052.2023
Gaza Nouatoribus Hazza. 943
Gedeon, Nouatoribus Gideon vel Gidhon. 1009
Gelasius Pontifex cum suo Concilio septuaginta Episcoporum. 96
Gelasij Cyziceni nomine quæ Græcè & Latinè circumferuntur, collectanea quædam sunt, non ipsa primæua & integra Concilij Nicæni Acta. 190.221
Genebrardus Catholicus scriptor, vir certè doctissimus. 5
mentem Caluini non fuerat assecutus. ibid.
librum quartum Esdræ à solo Ambrosio citatum, inter Canonicos reponit. 345
doctus Psalmorum interpres. 647.947
Hebraicè doctissimus. 680.941.998
ex Hebræis Græcisq; fontibus veterem editionem defendit, explicat & illustrat. 947
docet quo pacto lingua Hebræa Græcaq; vtendum. ibid.
Vatablum iampridem mortuum appellat. 1022
Generatio accipitur aliquando pro spatio centum annorum. 150
aliquando pro tempore triginta annorum. ibid.
aliquãdo indefinitè pro longa vel cõtinua & semper manẽte duratione, & successione etiã perpetua. ibid.
aliquando restringitur ad certum definitumq; annorum numerum, etiam denarium. ibid.
accipitur etiã pro liberis generatis, qui decimo quarto ætatis anno generari possunt. ibid.
Gentianus Heruetus interpres Concilij Laodiceni. 66.110.151
transtulit ex Græco epistolam Origenis ad Iulium Africanum. 168
Georgius dux Saxoniæ, maximè Catholicus Princeps. 1024.1025
ex mandato & commissione Caroli V. Imp. subditis suis nouũ Lutheri testamentũ è manibus eripit. ibid.
Georgius Haenlin Theologiæ Doctor. 1987
Georgij Maioris propositiones de bonis operibus, à symmistis suis damnatæ. 325
Psalterium Argentorati editum. 937
Georgius Molitor seu Mylius, olim Augustanus, nunc Saxonicus præco. 1215
omnes Prædicantes ait non rarò aut leuiter errare. 1216
Georgius VValtherus Prædicans Hallensis in Saxonia. 559
Lutheri prophetias conscripsit. 1011
Germani quæ noua sunt, auidè arripiunt. 31
à Luthero stolidi & insani appellitantur. 32
multi inueniuntur, quibus Græca lingua optimè sit perspecta. 806

...as natus anno Redemptoris CDXCII. 535
...tatores antiqui Iuris Canonici, homines prisci moris & candidæ simplicitatis. 1409
...stici Angelos & spiritales creaturas à se productas fuisse fabulabantur. 1656
phātasmata sua pro traditionib. obtrudebant. 1667
reiectis Apostolicis traditionibus, sequuntur suas. 1668.1673.1802
...ca lingua Romanis quoq; propè vernacula facta. 485. 805.810
LXX. annis ex Italia, aliisq; Occidentis partibus ferè exulauit. 547
iam desiit esse vulgaris, etiam apud ipsos Græcos. 787
quā vulgus Græcū hodie vtitur, tantū fermè distat à veteri Græca, quantum Italica à Latina. 788.924
omnium per orbem vulgatissima. 805
in titulo Crucis Christi dedicata & consecrata. ibid.
in Oriente & Ægypto valde inualuit. 807
sola in Oriente in publico Ecclesiæ vsu recepta tempore S. Hieronymi. 822
literalis quidem, neq; vulgaris, non tamen peregrina & exotica. 844
Corinthi vulgaris. 847
melodia Angelica & cælestis. 881
Romana vocatur. 882
in Asia erat aduentitia, & à Græcis colonis eò importata. 914
eius cognitio, pars aliqua eruditionis, etsi qui ea caret, eruditi nomen tueri poßit. 969
...æci preces terminare solent aliqua doxologia & laudatione Dei. 501
Psalmis addiderunt: Gloria Patri, &c. ibid.
Salutationi Angelicæ addiderunt: quia tu peperisti Saluatorem nostrum. ibid.
sermones suos ad populum plerunq; finiunt verbis doxologicis. ibid.
neglexerunt linguam Hebraicam. 547
clausulam addiderunt orationi Dominicæ. 727
olim magnam partem Calabriæ insederunt, & in ea sedes fixerunt. 823
quando Romanam Ecclesiam sceleratè deseruerunt, ad eandem defectionem alias quoq; nationes inuitarunt. 880.881
acutissimi & ingeniosissimi homines. 906
omnes alias linguas appellarunt barbaras. ibid.
claudunt fores tabernaculi, quando potissima & sacratissima Liturgiæ pars perficitur. 911.925
ter immergunt eos qui baptizantur. 1679
solent calici iam consecrato sub ipsum communionis tempus infundere aquam calidissimam. 2052
...ratianus Imperator iudicium de controuersiis Ecclesiasticis permisit Episcopis. 1353.1356
...Gregorius Magnus nullum testimonium ex libro Esther profert. 116
obiit anno Redemptoris DCIV. 535
indignum vehementer existimat, vt verba cælestis oraculi restringat sub regulis Donati. 567
ait, Principum esse, se sacerdotalibus negotiis non miscere. 1397
meminit Dionysij Areopagitæ eiusq; lucubrationū. 1653.1655
non legit Dionysium Areopagitam. 1656
D. Gregorius Nazianzenus Imperatorem ita alloquitur: Scio te ouem esse gregis mei. 1373.1376.1377
Dionysium Areopagitam citat. 1654
inter typos Ecclesiæ nominat monasteria virorum & mulierum. 1684
Gregorius VII. optimus & præstantissimus Pontifex. 825
Gripus nouitius Prædicans. 404
nihil affert noui, præter furta, mendacia, & inscitiam. ibid. 411.415.1053.1062.1063
Lauinganus. 1053
inepti Hunnij ineptus discipulus. 1055
nuper magister, iam Doctor. 1507
disputationem ex aliis transcripsit, & quinis Prædicantibus dedicauit. 1507.1509
Grynæus Caluinista, Eusebij interpres. 320
Guido Fabricius Boderianus Chaldaicæ linguæ bene peritus. 462
interpres Syriaci textus. 464.939.1995
vir doctiss. & in linguis exercitatiß. 800.804

H.

Habacuc, Nouatoribus Chabakkuk. 1007
Hadrianus Sarauia minister Caluinianus. 2002
librum aduersus Patriarcham suum Bezam euulgauit. ibid.
Hæreses propriè dictæ non possunt esse in Ecclesia. 748
natæ ex Barbarismo, Scythismo, Hellenismo, & Iudaismo. 761
ex incauta & indocta Bibliorum lectione, & verbi Dei inanissima ostentatione. 789.829
locustæ Apocalypticæ. 829
tandem in Mahometismum degenerant. 1105
Hæreticus vt quis sit, sufficit iudiciū & consensus Ecclesiæ. 1
esse potest, licet omnes & singulos Canonicos libros recipiat, aliter tamen, quam Ecclesiasticæ regulæ Canon ferat, interpretetur. 408
Hæretici aliquando totis prouinciis perniciē attulerunt. 2
summo studio vitandi, tanquam pestiferi. 13
thesaurum Ecclesiæ vt prædones aliquando inuadunt. 14
nostri ab antiquis nihil desciscunt. 47
in asserendo scripturæ Canone argumentis solummodo humanis vtuntur. 108.109
magis Iudaizant, quàm Christianizant. 113.116
præcipites & inconsiderati in reprehendendis sanctis Patribus. 175
correpti, vt sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter. 179
frustra quorundam Patrum auctoritate tanquam clypeo sese muniunt. ibid.
in sempiternum arsuri cum Diabolo. 180
sequuntur vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatē venerandi Noë irridendam cæteris enunciauit. ibid.
Ethnicorum & Publicanorum statione digni. 185
Deiparæ Virginis osores. 473.578
vernaculis versionibus tanquam hamo quodam miseros in perniciem pertrahere cœperunt. 806

imita-

imitantur exemplum diaboli, quoties cum suo scriptum est, in medium prodeunt. 895
novatores, veterumq; osores. 960
& mendacissimi, & ignorantissimi. 970
alij post alios noua Biblia cudunt, vt noua procudant. 1015
Scripturas sanctas deprauare solent. 1085
priuatum quemq; iudicẽ Ecclesiæ constituunt. 1266
eorum contumacia lenitate & mansuetudine non mitigatur, sed fouetur & corroboratur. 1347
in angustias coacti, ad traditionem cõfugiunt. 1589
Catholicorum simiæ. 1854
Hagiographa quadã intra arcam, quædam extra arcã. 210
Hardingus Anglicè contra Iuellum scripsit. 913
Hebræa lingua omnium prima. 446.817
vulgò ignotior quã Græca & Latina. 447. 461. 950
pauca admodum habet vocabula. 565
sine vocalibus primùm à Prophetis exarata. ibid.
variæ interpretationi obnoxia. 660.950
olim erat quidem Hebræis vulgaris, sed postea vulgaris esse desiit, Syriaca in eius locũ suffecta. 787
cæteris antiquitate & grauitate præstat. 791
à temporibus Esdræ desiit in populo Dei. ibid.
sancta & in Cruce Christi sanctificata. 792
omnium antiquissima. 819
lingua populi Dei, ab ipso Deo vsurpata, & cælestib. arcanis patefaciendis & explicandis adhibita. 865
per antonomasiam lingua sancta dici solet. ibid.
adeò intercidit, Lutheri iudicio, vt ne Iudæi quidem satis intelligant. 979.981.984
vt doceatur in Romana Curia & Academiis, mandat Pontifex. 1037
Hebræi librũ Sapientiæ à Canonicis scripturis reiecerunt, ob prophetiam de Christo. 98.99
diligentes in sacris literis conseruandis. 105
duplicis generis Hagiographa habuerunt. 210
ad credendum duri. 600
inter Chaldæos in Babylone, obliti sunt linguã propriam, & Chaldaicam didicerunt. 791
Hegesippus Apostolicas traditiones quinq; libris comprehendit. 1660
antiquior illo, qui de excidio Hierosolymitano scripsit. ibid.
Heli sacerdos quàm sollicitus pro arca Dei. 278
Helias Leuita Iudæus, Germanus, Iudæorum sui temporis eruditissimus. 973
Latinæ linguæ ignarus. ibid.
voluit D. Hieronymi interpretationem defendere, si quis labori eius precium dedisset. ibid.
Helisæus spiritu Dei largiter donatus & instructus, ignorauit mortem filij Sunamitidis. 1429
Helenismi in editione vulgata frequenter. 765
item apud eximios Latinæ linguæ magistros. 776
Hellenistæ Hebræi quidem sanguine, vel saltẽ professione, sed Græcè loquentes, vel in Græcia aut alibi extra Iudæam habitantes. 494.495
Hemor Sichemitarum Princeps meritò punitus, non tamen debito modo. 220
Henricus Arthington, lymphatus quidam Caluinista Anglus. 2003. 2004
creatus Propheta ab Hacketo. 2003
Henricus Mollerus, Hebrææ linguæ in Academia VVitebergensi Professor. 937
Henricus Stephanus, Caluinianus. 754
Hermas siue Hermes Pij I. Romani frater. 214
S. Pauli discipulus. ibid.
Hermippus apud Laertium. 491
Hermogenes somniabat Deum non creasse omnia ex nihilo, sed ex præiacente materia. 1819
Heroum filij noxæ. 699
Hieremias Prophetiam suam notario suo Baruch scribendam dictauit. 69
in Ægyptum cum notario suo Baruch & aliis, translatus. 153
in Ægypto à Iudæis lapidibus obrutus fertur. ibid.
Iechoniæ persuasit, sineret arcam auferri. 276
à Nabuchodonosor vel ipsius ducibus Arcam impetrare potuit. 277
eius descriptiones interierunt. 279.280
Vide etiam V. Ieremias.
S. Hieronymus, auctoritate Concilij Nicæni permotus, recipit pro Canonico librum Iudith. 65. 115. 179. 190. 222.358
limam suam reduxit ad limam Concilij Nicæni. 93
vnum duntaxat Esdræ librum nominat. 96
Lysimachi translationem græcam libri Esther transtulit in Latinum. 124
notat Ruffinum quasi non rectè sentiret de arbitrij libertate. 159
à Ruffino reprehensus ob partes Danielis à Canone exclusas. 160.954
Catholicus est, æternæq; vitæ gaudiis iam cum reliquis cœlitibus potitur. 180
tempore Concilij Nicæni necdum natus. 198
tum sua sponte, tum iussu Damasi Pontificis emendauit vitiosa Euangeliorum & testamenti veteris volumina. 215
Nicænæ synodo vicinus. 221
emendauit Psalteriũ coactione Paulæ & Eustochij. Quatuor Euangelistarum Latinam interpretationem correxit & castigauit, ad Græcorum codicum fidem, coactus à Damaso Pontifice. 223
librum Iudith ex Chaldæo sermone in Latinum fidelissimè transtulit. 240
de numero Canonicorum librorum variè sensit, nondum generali Ecclesiæ sanctione definito. 357
reiicit probationes vel scripturæ explicationes, quas minus solidas firmasq; æstimabat. 362
in commentariis suis suam & aliorum sententias explicat. 375
ei tota antiquitas laudẽ Hebraicæ cognitionis semper tribuit. 440.472
in Iudæa potissimam ætatis partem contriuit. 443
ad imitationem Origenis omnium bibliothecarum angulos excussit, & quicquid scripturis intelligendis seruiebat, diligentissimè conquisiuit & collegit. ibid.
qui videbatur sibi sciolus inter Hebræos, cœpit rursus discipulus esse Chaldaicus. 445.794
auctor vulgatæ editionis. 475

non est secutus L X X. Interpretes, sed textum Hebræum. ibid.
non transtulit nouum testamentum ex Græco, sed editionem iam antea extantem à mendis tantum emaculauit & emendauit. 504.505.509.524
potius respexit ad sensa, quàm ad vocabula. 506
interdum sententiam mutauit. 509. 513. 530.532
conqueritur de erratis & mendis librariorum. 510.511
primus & solus ex antiquis transtulit ex Hebræo in Latinum, Testamentum vetus. 518. 519. 524.644. 1990
Ecclesiasten bis ex Hebræo transtulit. 522. 523. 527. 1997.1998
Latinam vulgatam editionem Psalterij bis emendauit. 524.526
fecit eiusmodi translationẽ, quæ in se erat authentica, & quam itidem Ecclesia declaratura erat esse authenticam. 562
Pontificis Damasi iussu emendauit antiquã translationem Italam. 566
cubitos dicit pro cubita. 567
in interpretando vsus vocabulis è medio sumptis, & aliquando etiam in speciem solœcis. 568
offensionis vitandæ causa, non omnia correxit, quæ correctione egere visa. 571.573
in Ægypto & inter Ægyptios aliquandiu vixit. 635
vetustati honorem defert. 670
affectu quodam suo peculiari semper magis æquus fuisse videtur textui Hebræo, etiam prout sua ætate exstabat, quàm L X X. Interpretibus. 675.688
iussu Damasi molitus nouum testamentum Græcæ fidei restituere, optima exemplaria conquisiuit. 746
propter simpliciores multum in sermone deiiciendo laborauit. 782
Tobiam Chaldaicum interpretaturus, adhibet alium interpretem. 793.794
adolescentulus post Quintiliani & Tullij lectionem, ac flores rhetoricos, in lingua Chaldaicæ pistrinum se reclusit. 794
ab Hebræo quodam ad studium Chaldaicum excitatus. ibid.
reprehendit opifices & aniculas, sacras scripturas tractantes. 843
etiam mulieres ad sedulam diuinorum voluminum lectionem inuitauit, Paulam & Eustochium. 884
eius noua ex Hebræo versio tragœdiam quandam excitauit. 950
in nonnullis falli potuit, sententia S. Augustini. 951
D. Augustini dilemma in eundem retorsit. 952
contra obtrectatores suos se defendit. 954
eius ex Hebræo versio in Ecclesia præualuit, & reliquas omnes Latinas extinxit, non sine diuino nutu. 955
post quadringentos à promulgato Euangelio annos editionem aggressus, à nullo eò vsq; tentatam. 956
D. Augustini iudicio doctissimus. 957
versionẽ suã exẽplo Origenis defendere conatur. 957
editionis nostræ in nouo testamento non est auctor, sed tantum emendator. 970.971
veteris editionis emendandæ prouinciam suscepit mandante & approbante Damaso Romano Pontifice. 971
intrepide prouocat ad Hebræos. 973
vsus est præceptoribus Iudæis, præcipuè illo Barabbâ, ob quem toties lancinatur à Ruffino. 993
Rabbinos subiecit Ecclesiæ, & doctoribus Ecclesiasticis. ibid.
Scripturam passim spiritaliter exponit, & in hunc etiam sensum exponendam monet. 1194
opem petit à Damaso, vt à supremo pastore. 1286. 1287.1388
instrui cupit à Damaso, num tres hypostases in diuinis dicere debeat. 1387
censuit, matrimonium ante baptismum, cum alio post baptismum, non efficere bigamiam, D. Augustino refragante. 1454
eius nomine inscripta commentaria quedam Pelagij hæretici. 1626
eos collegit scriptores Ecclesiasticos, quos inuenit ab Eusebio recensitos. 1652
Quadragesimam dicit esse traditionem Apostolicam. 1697
Dalmata fuit. 1998
Hieronymus Emserus nouum testamentũ Germanicè vertit. 939.1022.1023.1024
Georgij Ducis Saxoniæ Capellanus. 1024
Hieronymus Mercurialis. 490
Hieronymus Oleaster commentator Hebraizans. 939 946
ex Dominicano Ordine. 946
Vide V. Oleaster.
Hieronymus Torrensis, Societatis Iesu, Confessionis Augustinianæ auctor, & quondam Professor Dilingensis. 1987
Hierosolymitana Synodus anno Christi quinquagesimo primo peracta. 1498
Hierusalem anno vndecimo regis Ioachin siue Iechoniæ capta & subuersa est. 176
Horæ Canonicæ, sunt diuina officia. 858
Hosius Cordubensis Episcopus Nicænæ Synodo præfuit, loco Papæ. 1326
Hospinianus Caluinianus. 472.1018
Hubertus Giphanius Ingolstadiensis Academiæ olim Professor. 769
Humanum est, aliquid aliter, quã seres habet, sapere. 359
Hunnius Lutheranus Prædicans. 7
in Ratisbonensi Colloquio palam asseruit, infantes in baptismo credere. ibid.
gloriatur de legibus humanis traditionibusq; sublatis. 21
malè sibi conscius. 28
ad traditionis asylum confugit. 61.& 64
pessimus Canonista. 134
vrget sententiam Patrum, cui nihil tribuit, & Ecclesiæ consensum quem aspernatur. 138
S. Hieronymum mendacij arguit. 158
argumenta & responsa ab Ecclesiæ auctoritate petita, sophisticis fallaciis accenset. 184
argumentationem ex communi sensu populi Christiani ductam, ficulneam vocat. 195

eius solenne responsum ad Patres: Nos Patrum auctoritate non tenemur. 222
Spiritui sancto quodammodo praescribere audet, quid in literas debeat referre. 236
precatur ne vnquam fiat Pontificius; & exauditus est, iam Tartareus effectus. 238
bene de Caluino mereri, & à Caluinistis gratiam inire cupit. 255
thraso. 261.300 438.580.589.& seqq.
Ecclesiasticum initio laudat, mox crassissimos errores illi impingit. 271
VVitackeri ventosus expilator. 273
Pontifex VVitebergensis. & Papa Saxonicus. 294
doctior parente suo Luthero. 321
Lutherum mendacij accusat,& insuper pileo doctorali priuat. ibid.
in Ratisbonensi Colloquio tergiuersatus. 380 381
in Bellarmini vitula arat. 438
conuicia immanissima respõsis suis partim praemittit,partim immittit. 449 1319
mendacia cudit,eademq; postea oppugnat. 472. 473
miratur,cur Pontifex Romanus ferat Iudaeos, non autem Praedicantes. 548
Iunium expilasse videtur, vt Caluino, cui alioqui non satis propitius videri volebat, aduersus Bellarminum patrocinari posset. 555
in D. Augustinum impiè & imperitè inuehitur. 580
furiosus conuiciator. 642 643
in Lutheri Tomis peregrinus & hospes. 643
Lutheri discipulus, magister & corrector. ibid.
ora Caluini, VVitackeri & Iunij probè cõtundit. 648
calumniatur Monachos & Eremitas. 653
Bellarminum vocat Antichristi mancipium. 662
praeter morem sanior. 667
Caluinum sperata ope destituit. 668
Patrum videri vult obseruantissimus. 705
Augustinum. Bedam. alios. nihil moratur. ibid.
Fidem inquit non esse in praedicamento Qualitatis, sed Relationis. 720
Patres Tridentinae Synodi beanos appellat, ipse beanus. 760
soloecus. ibid.
argumentum scholasticum ex commentitiis soloecismis & barbarismis vulgatae editionis cõcinnat. 778 781
Caluinistas potius pro suibus, quã pro suis habet. 781
palàm profitetur vniuersam Ecclesiam posse errare. 813.1318
paulò pòst ad futurum finem mundi asseruit. 841
conuiciis & calumniis secat nodum à Bellarmino propositum. 841. 842
Missam appellat Eleusinia sacra. 841
impudens in S. Basilium. 842
agit Deo gratias pro pharmacopolis & sutorib. ibid.
conuitiis in S. Antonium sauit. 866
Missam idolũ, Bellarminum Caipham appellat. 875
quisquilias non paucas ex VVitackero in suum Examen transtulit. 923
ingeniosior Augustino. 1116
Bellarminum dignum esse ait, qui putridis ouis eiiciatur foras. 1117
obmutuit in Colloquio Ratisponensi. 1125
praecepta Decalogi ait esse obseruatu impossibilia. 1131. 1138
solis conuiciis & thrasonismis Bellarminum obruere conatur. 1138
conuicia in S. Patres euomit. 1167
Huoberum expulit, bipenni Praedicantica. 1214
mentitur de Colloquio Ratisponensi. 1248
sentit absolutè Pascha, & omnes dies festos mutari vel omitti posse, vetustati tamen aliquid tribui debere. 1324
negat festorum celebrationem esse partem cultus diuini. ibid.
meretrices, scorta, stercora, fimum, pudenda, & similia eructat. 1330
se & suos, scripturae Iudicis, quasi linguas & interpretes constituit. 1398
stultescit. 1429
omnium operum Bellarminianorum refutationem thrasonicè pollicitus. 1442
in Colloquio Ratisponensi aestuauit sibiq; contradixit. 1979
Hussus magister Hussitarum. 832
instituit pellisices, sutores & sartores, qui concionarentur & cum sacerdotibus disputarent. ibid.
Hymnus trium puerorum diebus solennibus in Ecclesia Dei canitur. 161 954
Hymni parta victoria de more à populo Dei decantati. 659

I.

Iacob Nouatoribus Iahacob & Iahaacob. 941.943
item Iahakob, cuius vxor Lea, ancilla Zilpa, filij Reuben, Schimhon, Iehuda, Ascher, Zebulun, Naphthali, nepotes, Menasche & Biniamin. 1008
Iacobus Alphai, vulgò minor, frater Domini, scripsit epistolam. 317
epistolam suam Canonicam ad duodecim dispersas tribus misit. 493
Iudaeis scripsit Graecè. 808
Iacobus Faber Stapulensis, amphidexter. 938
eum tandẽ ad quintum Euangelium perfectè transiisse scribit Sturmius. ibid.
Vide V. Faber Stapulensis.
Iacobus Viecus Societatis Iesu. 939
Iacob de Voragine Archiepisc. Ianuensis seu Genuensis 939
primus Biblia in Italicam linguam vertit. ibid.
Iacobus Zieglerus Landauus Bauarus. 941
Iannes & Mãbres nomina Magorũ, qui Mosi restiterũt. 194
Iansenius, eximius sacrae scripturae interpres. 650
Iason Cyrenaeus, bonus & sanctus quispiam Iudaeus fuisse videtur. 275
accuratus scriptor. 284
Idololatria omnium vitiorum mater & procreatrix. 238
Idolorum origo & primi auctores, viuentium in mortuos affectus. 197.255.256
quae furata est Rachel fuisse imagines vel imaginem hominis. 256
Idumaei Nouatoribus Edumin. 942
Iechonias idem qui Ioachin. 175.176

Digitized by Google

à Nabuchodonosore in Babylonem translatus. 179
nomen cõmune, tributũ nepoti & filiis regis Iosiæ. 177
ehu, Baaliticos sacrificos peremit. 1404
eiunium Quadragesimæ & Quatuor temporum ex Apostolica traditione. 1526.1527.1544.1717
Sabbathi, olim prohibitum. 1648
Dominicæ, absolutè prohibitum, licitum tamen in nonnullis casibus. ibid.
vnam refectionem exposcit. 1697
ephte, Nouatoribus Iiphthach. 1008
eremias Nouatoribus Iirmenahu. 941
item Iirmeia. 1006
Vide etiam V. Hieremias.
eroboam, Nouatoribus Iarobbam. 1009
esus Nouatoribus Iesuah. 943
esus filius Sirach sententias Salomonis à se diligenter collectas in vnum volumen redegit. 95
post Babylonicam captiuitatem vixit. 212
diuino instinctu, aliquas proprias sententias Ecclesiastico adiecit. 264
auctor Ecclesiastici, Hebraica lingua ab illo conscripti. 265
eius nepos Ecclesiasticum transtulit ex Hebræo in Græcum sermonem. ibid.
vixit post Oniam Pontificem, tempore ipsius filij Simeonis Iusti. 266
simul interpres, & scriptor Canonicus. 270
S. Ignatius, hortabatur omnes Apostolorum traditionibus tenacius inhærere. 1644
Apostolorum traditiones etiam scriptas se asserit reliquisse. 1644.1645.1649
Romam ad martyrium abductus. 1645.1657
de fide, patientia, & Christiana ædificatione multum disseruit. 1646.1647
meminit Quadragesimæ, Ordinum minorum, & diei Dominicæ. 1646
iam martyrio propinquus, traditionem litteris consignare voluit. ibid.
plures quàm septem scripsit epistolas. 1647
frumentum Christi. 1648
prohibet ieiunium Sabbathi & Dominicæ. ibid.
Anacleti nomine intelligit Cletum. 1648.1649
absolutam Saluatoris nostri obedientiam pro viribus sectandam proponit. 1650
scribit se cognitionem Angelicorum Ordinum & similium rerum sublimium assecutum. 1654
amor, inquit, meus crucifixus est. 1657
Ignatius Societatis Iesu Fundator veterem vulgatamq; editionem retinendam tuendamq; statuit. 949
Ignis sacer conuersus in aquam crassam, repertus à Iudæis ex captiuitate Babylonica reuersis. 275
Imagines sacræ religiosè coluntur à Catholicis, non tanquam idola vel dij. 153.154
earum venerationem Patres Concilij Nicæni II. docuerunt ex Apostolica traditione descendere. 1719
Inconstantia in testibus & accusatoribus inprimis considerari solet ac debet. 170
Infrunitum, vocabulum probum. 784
Initiati, hoc est, ad ministerium Ecclesiasticum deputati. 908.909
Innocentius I. Pontifex Pelagium potentissimo anathemate percelluit. 1391
Innocentius III. Pontifex noluit vt lingua vulgari biblia legerentur. 872.873
Interpres fidus nõ curabit verbũ verbo reddere. 17.592 636
quando verbum æquè aptè per aliud verbũ eiusdem prorsus significationis exprimi potest, non exprimat per aliud prorsus metaphoricum. 456
iustè reprehendi non potest, quamdiu nõ mutat sententiam, licet verbũ verbo nõ reddat. 585. 636 674
Interpretes Apostolorum, videntur fuisse notarij & amanuenses, quibus in literis scribendis vtebantur. 335
Interrogant plurimi plurima. quæ norunt optimè. 235
Deus Adamum, Cainum, Eliam, Hieremiã, Amos, Malachiam, &c. 235
Moyses, Nabal, Iehu. ibid.
Holophernes, eiusq; magnates. 236
Ioachaz, qui primus post patrem Iosiam regnauit, appellatur Iechonias. 177
Ioachin filius Ioacim, idem qui Iechonias. 175.176
à Nabuchodonosore in Babylonẽ translatus. 176.277
Ioacim rex à Nabuchodonosore vinctus perductus in Babylonem. 176.277
alio nomine appellatur Eliakim. ibid.
regnauit super tribum Iuda & Hierusalem annis vndecim. ibid.
appellatur Iechonias. 177
remissus in regnum à Rege Babyloniæ. 277
immisit ei Dominus latrunculos. ibid.
in ærumnis vitam finiit anno vndecimo regni sui. ibid.
Ioannes Baptista præcessit Redemptorem in spiritu & virtute Eliæ. 263
Ioannes Bugenhagius Pomeranus Lutheranus, Lutheri sodalis intimus. 937
Ioannes Cochlæus. inuictus pro domo Dei athleta. 448.933
Vide V. Cochlæus.
impedit, ne nouum Lutheri testamentum Anglicè versum in Angliam inferatur. 1025
Ioannes Eckius clariss. Academiæ Ingolstadiensis Professor. 834
mulieri disputatrici colum & fusum tractanda misit. 834.835
vetus testamentum Germanicè vertit. 939
ne à Luthero quidem & Oecolampadio disputationibus vinci potuit. 1072
S. Ioannes Euangelista vt aquila cæteris Euangelistis sublimius se sustulit. 86
librum Pauli nomine fucatum redarguit, & à numero diuinorum voluminum seclusit. 210
in duabus epistolis expressit nomen suum Senioris vocabulo. 302
epistolam suam Parthis scripsit Græcè. 808.811
tã serò nõ scripsit Euangeliũ, q̃ nõnulli statuunt. 812
prius narrauit, quæ in domo Caiphæ facta sunt, quã quæ in domo Annæ. 1108
diuerso admodum stylo Euangelium, Epistolas, & Apocalypsin scripsit. 1906
Ioannes Forsterus, ex Lutheri conuictu & consuetudine, spiritu Lutheri plenissimus. 984

Ioannes Mülhusinus, Academiae Moguntinae Professor Theologus. 34.1863
cum Dauide Pareo Caluinista feliciter congressus. ibid. & seq.
Ioannes Pappus Praedicans Lutheranus Argentoratensis. 348. Vide V. Pappus.
D. Ioannes Pistorius. 1955.1987
Ioannes Pomeranus iudaizat. 1004
antiquos in Psalmis Ecclesiae numeros in Psalterio suo conseruat. ibid.
Vide etiam V. Pomeranus.
Ioannes Presbyter seu Senior, cognomento Marcus. 337
Ioannes Rainoldus Anglus. 1061
podagricus & arthriticus. ibid.
vno quasi halitu septendecim effudit mēdacia. 1061. 1062
Iob cum Arabica lingua plurimam habet societatem. 100. 211. 1988. 1989
Nouatoribus Iiob, & Iiobus, in terra Hutzi, amicos habuit Bildad Schuchiten, & Tzophar Nahamathiten, filias, Iemimam, Ketzibam seu Keziam, & Keren-Happuc, siue Karenhapuch, siue Kerenhapuch, siue Querenappucam. 1008
Iodocus VVilichius Psalterium ex Hebraeo transtulit. 937
Ioiada summus Pontifex. 1248
eo iubente & dictante interfecta est nefaria Athalia. ibid.
Iordanis Nouatoribus Iarden. 943
Iosaphat Rex Iuda, suspectos habet Pseudoprophetas. 989
Nouatoribus Iehoschaphat. 1009
iudices controuersiarum ad fidem & cultum diuinum pertinentium constituit. 1236. 1259
Iosephus Burdo, nouator & veterator. 1052
per summum nefas in inclytam Scaligerorum stirpem & familiam sese insinuare studuit. ibid.
Vide V. Burdo.
princeps est, vnus ex duobus Burdonibus Naamanis Principis. 1936
Iosephus Iudaeus, libros Hebraicos in eloquium graecū transtulit. 128
profitetur, se ea, quae scribit, ex Hebraeorum voluminibus sumpsisse. 136
graecè scripsit. 137
pulcherrimam de Onia historiam in Antiquitatibus omisit. 225
librum scripsit de Imperatrice ratione, vel de rationis imperio, in quo etiam Macchabaeorum martyria digesta sunt. 272
in Archaeologiam Graecè coniecit, quicquid ad historiam pertinens, Hebraeorum libri Hebraico idiomate complectuntur. 494
Iosias rex Deuteronomium legit stipatus Sacerdotibus & Prophetis. 889. 890
Iosue conscripsit in Deuteronomio in arca foederis asseruato, foedus Israëlitarum cum Deo initum, chartis separatis. 54
Nouatoribus Iehoschuah vel Iehoshua. 1008
ad legem scriptam remissus, vt ex ea cognosceret, vnde etiam non scripta peti deberent. 1721
dux belli, & princeps politicus, non summus Pontifex vel Sacerdos. ibid.
Ira furor breuis est, indignatio grauior. 684
Irenaeus à temporibus Apostolicis propè absuit. 806. 807
nominat Germanos, & in Germania fundatas Ecclesias. 806
totam Scripturam dicit esse spiritualem. 1095
Apocalypsin interpretatus est. 1170. 1171.
sanctitate & eruditione celeberrimus. 1321
Romanae Ecclesiae principalitatē tradit. 1360. 1361. 1365. 1367
nondum planè liquet, num Graecè scripserit. 1362
scripturas non aliter quàm ex traditione Ecclesiastica interpretandas esse existimauit. 1363. 1364
fictitias Gnosticorum traditiones improbat. 1364
scribit, gentes quasdam barbaras suo tempore sola traditione, absque scripturis Christianam religionem coluisse. 1557. 1558. 1669
auditor Polycarpi, adhuc adolescentulus. 1661
Polycarpi sermones non chartae & literis, sed interiori mentis cogitationi mandauit. 1661. 1663
haereticos ex solis Apostolicis traditionibus, omissis scripturis confutat. 1666. 1668
traditiones Apostolicas dicit ab Apostolis in Ecclesia tanquam in opulento depositorio depositas, & inde petendas esse. 1668
charisma veritatis dicit transire cum successione ad Apostolorum successores Apostolos. 1669
fidem & spē etiam in futura vita aliquo modo manere asserit. ibid.
Isaac Nouatoribus Iitshhac & Ischac. 941. 943
item Iitzchak, cuius vxor Ribka, filij Iahakob & Hesau. 1008
Isaias vir nobilis, & vrbanae eloquentiae. 147
de gloria & potētia Cyri generatim prophetat. 174
loquitur de passione & morte Christi futura, quasi iam praeteriisset. 217
sectus est. 483
Nouatoribus Iesaihiah & Iesaiah. 943
itē Ieschahia, Iesaia, Hesaias, Ieschaaiahu, Ieschaaia. 1005
Isidorus Clarius Brixianus vtrumque testamentum vertit ex Hebraeo & Graeco. 939
professus veteris editionis correctionem, non praestitit. 944. 947
de eo iudicium Cani. 944. 947
Israëlitae non pauci, post Assyriacam transportationem, sua in patria residui adhuc fuere. 245
Regis Manasse seria potentia permoti, ad Deum Patrum suorum regressi plerique. 246
Iudaei debent Iunio honorarium. 136
historias vocant fabulas. 158
variis afflictionib⁹, diuersis temporibus afflicti, maximè tempore Manasse. 231
paucissimi remanserunt relicti à Nabuchodonosor, & illi ipsi paulo post fugerunt in Aegyptum. ibid.
legatos regis Nabuchodonosor sine honore domum remiserunt. 241
nil prius & antiquius habuerunt foederis arcâ. 278
per varias prouincias dispersi, aduenae & peregrini electi. 898

Digitized by Google

per fidem in Christum ipsi quoque effecti sunt genus electum, &c. 300
arbitratu suo libros ex Canone pellebant, quos expellere lubebat. 428
nouos characteres vsurpant in Samaritanorum odium. 440
Biblia non vitiarunt. 458
idololatriam obiectant iis qui ad fidem Christianã conuertuntur. 462
lamentationem instituerunt, cum miles quidam Romanus sacrum legis volumen lacerasset. 484
olim versionem LXX. Interpretum reiecerunt. 486. 487. 488
magis respectabant & reuerebantur summũ Pontificem, quàm Lutherani & Caluiniani hodie suos Superattendentes. 492
posteriores, fabularũ amãtissimi & cupidissimi. 493
paternam linguam in tam diuturno exilio dedidicerant. 796
non frustra coluerunt Deum figuris & caeremoniis quarum significationes multi eorum non intelligebant. 863
fassi sunt versionem D. Hieronymi esse veracem. 973
à Luthero suis coloribus depinguntur. à pag 975. vsque ad 984
à Luthero comparantur Diabolis. 976. 977. 979
nonum Psalmum in duos diuidunt. 1004
solebant rebus in arctis consiliũ & auxilium quaerere à Prophetis, à Sacerdotibus, & à Senioribus. 1247
magis vsi traditione quàm Scriptura. 1554. 1555. 1556. 1709. 1710
Iudas Nouatoribus Iehuda. 943
Iudas Apostolus citauit prophetiam Enoch. 194. 334. 346
Iudas traditor, discipulus & Apostolus vsq; ad laqueum, vel saltem proditionis momentum mansit. 1282
Iudex quod per alium agit, id per se censetur agere. 795
non potest simul esse testis, & pars. 1335. 1336
competẽs & legitimus, cui Imperator caussae cognoscendae prouinciam demandarit. 1352
datur vel per institutionem, vel per declarationem & nominationem. ibid.
debet habere auctoritatẽ coactiuã. 1401. 1403. 1411
priuatus propriè non est iudex. 1412
quasi Iuris iudex, seu Ius dicens. 1465
sufficit, si iustam det sententiam, qualiscunque sit quod ad priuatam personam suam attinet. 1151
Iudicata res pro veritate accipitur. 220
Iudicium in rebus liberis & adiaphoris, suum cuiq; relinquendum. 360
Iudith amorum quinquaginta puella. 232
eius historia captiuitatẽ Babylonicã antecessit. 212
Iulius Africanus historiam Susannae suspicabatur esse apocrypham. 134
Hebraeo textui nimium tenaciter inhaerens. 482
Iunius Caluinista. 1. Sacramentarius. 9. tropista. 129
iam in Caluini caelo degit. 8
symmistis suis, & in Caluini schola condiscipulis contradicit. 130
Iosephum Iudaeum Hebraicam linguam docet, sus Mineruam. 136
praeceps & inconsideratus in reprehendendis sanctis Patribus. 175
iniuriam facit Gratiano. 199
fatetur, quod symmystae sui peruicaciter negant. 205
neutiquam ad Lutheranum gustum. 313
Caluinistici Burdonis iudicio, semidoctus, semitheologus, semihomo, & asinus. 444. 445
Magistrum suum Caluinum appellat Grammaticum. 452
de verbis impersonalibus grammaticatur. ibid.
debuerat tam Latinam, quàm Hebraeam Grammaticam melius discere. 453
gratiam Iudaeorum aucupatur. 463
à VVitackero refellitur. 469
cum suo Caluinoiudaico Tremmelio sacras literas ex Hebraeo in Latinum transtulit, quemadmodum & Acta Apostolorum ex Arabico. 529
sollicitè Kemnitij Lutherani caussam agit. 582
somniat parenthesin, vbi nulla prorsus est. 596
admodum bene in Breuiario versatus. ibid.
omissa splendida, plena & conueniente interpretatione, substituit suam. 597
nimia in Caluinum obseruantia. 657. 658
ipsemet mendacium suum detegit. 666
oggrunnit D. Augustino. 667
seipsum è vestigio refellit, ac mendacij coarguit. 709
Lutherano Kemnitio patrocinatur. 715. 1538. 1543
vetus puer, ad puerorum subsellia prouocat. 719
Lutheranorum & Caluinistarum argumentandi rationem labefactat & conuellit. 809
extra oleas saltat. 810
hostis Latinae linguae. 819
in Gregorium VII. Pontificem atrocia conuitia euomit. 825
multa pro probatis & concessis sumit, necdum probata, neq; concessa. 847
diu Heidelbergae in Germania, & Leidae in Holandia versatus. 861
Gallus natione. ibid.
Castalionem latiniùs & aptiùs loqui docuit. 936
Acta Apostolorũ Latinè vertit ex Arabica translatione. 938
Vide V. Franciscus Iunius.
per integrum biennium fuit atheus, vt ipsemet scribit in vita sua. 961
D. Hieronymo praeceptores Iudaeos exprobrat. 973
cum Iudaeo coniunctis operis Biblia transtulit. ibid.
Hebraicarum literarum alicubi Professor. 974
fingit librum quendam Pastorem dictum. 1002
tertium Machabaeorum librum Philoni Iudaeo tribuit, vt & Sapientiam. ibid.
Auctorem libri secundi Machabaeorum appellat inerticulum & audacem. 1002
quartum librum Esdrae ait se ex Latino ad latinitatem reuocasse. 1003
à Luthero discrepat. 1112. 1114
cum suo Negatur, omnes nodos disrumpere tentat. 1113. 1166
epistolas decretales Pontificum supposititiis annumerat. 1290

agit causam Lutheranorũ, Brentij & Kenitij. 1536
ex falso putat nõ sequi verũ, contra Dialecticã. 1540
ex particulari negat aliquid concludi posse. 1551
exerit dentes in Damascenum, tanquam nimium traditionum propugnatorem. 1615
Kemnitium defendit contra VVitackerum. 1624
ex propositione seu maiore particulari nihil ait necessario sequi. 1718
concedit aliquas traditiones. 1727
Iustificatio alia prima, alia secunda, ex Augustino. 326. 327. 328. 329
prima fit absque vllis operibus, quæ sint meritoria iustificationis. 327
secunda fit per opera, verè huius iustificationis meritoria. 328
Iustinianus Imperator Græcos codices in Synagogis legi debere sanciuit. 485. 488
Septuaginta Seniorum interpretationem commẽdat. 488
Iustinus Martyr, memoria lapsus. 467
Apocalypsin interpretatus. 1170. 1171
testatur singulis diebus Dominicis fideles conuenire, panemq; & vinum aqua temperatum offerri & consecrari. 1663
ait Christum post resurrectionem Apostolis apparuisse, & quæ à Christianis in sacris obeundis obseruantur, docuisse. 1664
Iustitia à Deo nobis donatur, & inhæret formaliter. 588
Iustus Ionas, aliquot Lutheri libros ex Germanico in Latinum conuertit. 17
eius de libro Tobiæ stultum iudicium. 219
Iuuenes cerei ad vitia. 238

K.

Kemnitius mentitur typographica errata editionis vulgatæ à Concilio Tridentino fuisse approbata. 556
Lutheranus à Caluiniano Iunio defenditur. 715. 1680
dixit, non posse ostendi vllum ritum certò ab Apostolis institutum. 1680
vniuersale signum falsario calamo verbis S. Athanasij affuit. 1810
Kimhi doctus inter Hebræos. 996
habetur tantùm pro Grammatico. ibid.

L.

Labrax Prædicans Lutheranus VVitebergensis. 416. 1063
D. Thomæ inter venerandæ antiquitatis testes & doctores sessionem præbet. 417
sibi contradicit. ibid.
mentitur Hieronymum & Augustinum in hæreses incidisse. 1508
dicit Ecclesiam errasse cum in veteri tum in nouo Testamento. 1509
conditiones iudicis statuit sibi suoq; foro accommodas. 1509. & seq.
bacchatur in Pontifices. 1151
mentitur de Collocutoribus Ratisbonensibus Catholicis. 1512
ridiculè respondit. 1956
Laici etiam cum fructu Scripturas legerent, si eas legerent vt discipuli Catholicæ Ecclesiæ. 1086
eos non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit. 1397
Lambinus, optimus Horatij commentator. 765
codices habuit plerunq; satis obsequentes. 768
locum sanum sanare, hoc est, in ægritudinem conijcere voluit. ibid.
commentator Lucretij. ibid.
Laodiceni Concilij antiquissimus Codex M.S. sine Catalogo librorum Canonicorum. 66
librum Baruch Canoni veteris Testamenti annumerat. 110. 148. 151. 376
celebratum ante Nicænum. 110 222
Lateranense Concilium sub Innocentio III. Anno Domini M.CCXV. 871
in eo Constantinopolitanus Patriarcha atq; Hierosolymitanus interfuerũt, & ad sedis Apostolicæ obedientiam Græci redierunt. ibid.
summæ semper in Ecclesia Dei auctoritatis. 872
Latina Ecclesia à tempore Gregorij Magni vna editione vulgata vsa est. 533
nobilissima, numerosissima, maximè latè patens & diffusa, ac potissima Ecclesiæ pars. ibid.
appellatur illa, quæ latinam linguam in sacris peragendis vsurpat, vbicunq; prouinciarum constituta sit. 544
Latina lingua simul cum Græca & Hebræa, in crucis arbore sanctificata. 543. 790. 819. 827. 845. 865
est etiam lingua vniuersalis, nulla certa regione circumscripta. 544
vulgaris quidem olim fuit, hodie verò vulgaris non audit. 788
grauitate & amplitudine alias linguas vulgares superat. 791
adhuc purissima & sincerissima plurimis in monumentis reperitur. ibid.
desiit esse vernacula apud Italos. 793
Italo vulgo non est planè ignota. ibid.
propter lectionem scripturarum facta est omnibus communis. 818
authentica, prout editione vulgata & veteri translatione continetur. 819
per Occidentem & per Orientẽ, per vtrasq; Indias, per Brasiliam & Iaponiam latè diffunditur. 826
in Africam importata. 914
ad vtroq; Indos, Iapones, & Sinas extenditur. 1044
Lauatherus, Pellicani vitam scripsit. 671
Laudat venales qui vult exponere merces. 779
Lectorum officium, ex pulpito seu gradu legere quidquid in Ecclesia legendum erat ex vtroq; testamento. 252
Leo Iuda Tigurinus Minister. 935. 938. 1000
recutitus. 935
pestilens Zvvinglianus. 940
Leo Papa IV. approbat Canones Carthaginenses. 89
Leo X. Pontifex literarum & literatorum insignis patronus. 557. 558
omnibus eruditis liberam Erasmi refutandi potestatem permisit. 557. 558
Lex præmia temporalia præstabat. 42
Mosaica, typus legis Christi. 602

Lex duplex, scripta, & non scripta. 397
eam interpretari eius est, qui eam condidit. 1308
summa, & omnium aliarum legum anima, recta ratio. 1469
Legis nomine tota scriptura vetus accipitur. 470
Leges publicæ imperij Romani iubent verba interpretari contra eum ipsum, qui clarius dicere potuit, & dixit obscurius. 11.12
antiquiores ad posteriores trahi vsitatum est, inquit Iurisconsultus. 110.111
Libertini verbum Dei in solo interno spiritus instinctu constituunt. 15.20
Scripturam reiiciunt, tanquam literā occidentē. ib.
Libri ab impostoribus conficti, Doctrina, Sortes, Laus Apostolorum inscripti. 53
Libri Canonici omnes simpliciter infallibiles. 91. 92. 93. 94. 165. 181. 182. 188. 193
qui non recipiuntur, non propterea reiiciuntur. 106
duorum vel plurium auctorum singuli. 138
sobriè legi debent ac audiri. 187
fiunt in actu quasi primo à Spiritu sancto, in actu quasi secundo, ab Ecclesia. 198.394
relati sunt in Canonem à Deo per constitutionem, ab Ecclesia per declarationem. 395
eorum cognitio, & discretio à non Canonicis, ex hypothesi, cuilibet necessaria est ad salutem. 399
omnia quæ in iis comprehenduntur, esse vera, & ab omni falsitatis suspicione remotissima, de fide Catholica diuinaq; credere oportet. 401
Lindanus, doctus, & de Ecclesia præclarè meritus p̄sul. 437
Episcopus Catholicus. 671
Liturgiæ S. Basilij Magni, S. Gregorij Theologi, S. Cyrilli Alexandrini nō ita pridem ex Arabico in [illegible]tinum sermonem conuersa. 880
Louanienses Theologi. 571.607
Lucas Brugensis. 1994
Lucas Osiander ex Lutheri schola Prædicans. 947
multis infamibus chartis qua Latinis qua Germanicis aduersus Catholicos dispersis, nō incognitus ib.
corrupit veterem vulgatam Bibliorum translationem. 948
fatetur veterem Bibliorum translationem adhuc publicam auctoritatem obtinere. ibid.
Lucilij versus lutulenti fluunt. 499
Lucretius accuratissimus scriptor. 768
Lucullus in suis historiis barbara quædam & soloeca adspersit. 782
Ludouicus Rabus Prædicans Vlmensis. 2004
Ludouicus Viues sannio & aretalogus. 1998
Lutherani post Tridentinæ Synodi definitionem, merito suo Hæretici audiunt. 2
hæreticorum natura præditi sunt. ibid.
qua ratione scripturas ornandis placitis suis proferant. 4
Librum Sapientiæ, optimum inter Apocryphos censent. 251
cum Arianis conueniunt. 314.315
præclaram operam fratribus suis Trinitariis & Seruetianis in Polonia & Transsyluania nauant. ibid.
filij veterum hæreticorum, qui soli fidei omnia tribuebant. 322.325
sibi mutuò contradicunt. 349.377
admodum discrepantia & dissona habent criteria. 377.414.419
sententias Scripturæ traducunt. 834
Lutheri sui Biblia falsarunt. 1021
existimant se cunctis Catholicis, in scripturarum intelligentia præferendos. 1071
docent, quædam in Scripturis esse obscura. 1111.1112
Protei. 1112
edunt commentaria immania in ea quæ sunt apertissima & lucidissima. 1119
inficiantur, legem Dei à nobis impleri posse. 1122
nonnulli scripserunt, Decalogum pertinere ad prætorium, non ad cathedram Ecclesiasticam. 1137
Arianis gemelli. 1319
prophetias quasdam sui coprepropheta Lutheri euulgarunt. 1427
epistolam S. Iacobi olim appellabant stramineam, nunc dubiam pronunciant. 1466
obseruant dies festos etiam Apostolis dicatos. 1732
iudicio Caluinistarum cæci sunt. 1880
Lutheranismus, Barbarismus. 761
Lutherus hæreticorum hac ætate parens. 3
seipsum, totumq; Lutheranorum cœtum egregiè depinxit. 4.20.21
habitus infusos vbique repudiat. 7
asserit infantes credere actuali fide. ibid.
varius ac inconstans, modo hoc, modo aliud asseuerauit. ibid. & 72.76.1020
omnes articulos Hussi Constātiæ damnatos scripsit esse Catholicos & approbandos. 9
defendit diuinitatem Christi esse patibilem. ibid.
Sacramentarios execratur. 10.13
sibi contradicit, & vera falsis commiscet. 10
exhausit immane poculum, in quo totus catechismus depictus erat. 11.1026
perstringit Erasmum. 11
feriendus iudicio Epicuri vel Democriti. 12
dānandus Eutychianæ seu Seuerianæ sentētiæ. ibid.
Schvvenckfeldium insectatur. 16.17
vaticinatur. 22
Germanos stolidos ac insanos appellitat. 32
immane quoddam poculum sæpius expeditè exhausit. 70
ex Iob petulantem scurram facit. 76
se Esaiam, Philippum Hieremiam appellat. ibid.
Ecclesiasten conuitiis proscindit. ibid & 77
solū Euangelium Ioannis agnoscit. 81.82.83.84.85
negat sibi opera Christi profuisse. 83
reiicit epistolā S. Iacobi tanquam stramineam. 86
odit librū Esther & secundum Machabæorum. 130
furiosissimè scripsit. 161
commentariis illustrauit Æsopum. 178
initio sui Euangelismi, de Apocalypsi S. Ioannis longè aliter sensit ac postea. 192
eius de libro Tobiæ stultum iudicium. 219
librum Iudith pro poëmate seu figmēto habuit. 247
Ecclesiasticū confert cum fabulosissimo Thalmuth. 271

Machabaeorum primum librum in Canonem recipit, secundum excludit. 290
publicum monumentum sui in Arianos amoris publicè spectari voluit. ibid.
perfidus Ecclesiae desertor. 294
se suaq; somnia omnibus Ecclesiae decretis anteponere consuetus. ibid.
omnes docere, à nemine doceri promptus. ibid.
non potest ferre, variis modis sibi responderi. 308
epistolam S. Iacobi nominauit stramineam. 316. 323. 378. & seq.
epistolam S. Iacobi laudat. 316. 317
soli fidei salutem adscribit. 323. 326
bona opera tollit. 324. 326
inconstans ac variabilis. 325. 370
multa in Apocalypsi desiderat, vt neq; Apostolicam, neq; Propheticam iudicet. 338
tertium librum Esdrae vndis adiudicat, quartum laudat. 342
libros Regum multis parasangis, quo ad fidem & fidelitatem, anteponit libris Paralipomenon. ibid.
diuina dogmata quasi ludum tractare consuetus. 370
exordio tragœdiae suae omnia sua sedi Apostolicae subiicere videri volebat. 374
Septuaginta interpretes imperitiae Hebraicae insimulat. 472. 1012
ne regulas quidem Grammaticae Hebraicae nouit. 472. 1012
non vult habere vllum commercium cum Ministris Tigurinae Ecclesiae, nec libros eorum recipere nec legere. 472
nullo modo intelligentiam Scripturae à Iudaeis petere vult, aut ab aliis petendam censet. 548. 549
ne Hebraea quidem elementa discere vult. ibid.
vulgatam editionem Latinam, saltem noui Testamenti, vocat certam, perspicuam, ac luce clariorem 553
omnium haereticorũ huius tempestatis parens. 564
omnia opera hominis iusti scribit esse peccata mortalia. 587. 589
olim sanior. 638
docuit, mulieres Christianorum verè sacerdotes esse, & quicquid è Baptismo repserit, verè Papam, Episcopum & Sacerdotem esse. 833
litteras mittit ad Argulam. 835
in eius Germanica noui Testamenti translatione supra mille errores notati. ibid.
Orlamundi disputauit cum sutore quodam Carlstadiano. 842. 843
dicitur à Melanchthone continuis quatuor diebus nihil edisse aut bibisse. 855
ne vltimo quidem vitae suae die à largo prandio & opipara cœna abstinuit. ibid.
probat vulgatam editionem Bibliorum, omisso studio Ebraicae linguae. 929 930
vetus & nouum Testamentum Germanicè, nouum etiam Latinè vertit & peruertit. 938
eius Biblia in Islandicum etiam & Danicum sermonem conuersa. ibid.
Iudaeos & Rabbinos suis coloribus depingit. à pag. 975. vsque ad 984
Iudaeos cum Diabolis comparat. 976. 977. 979
monachus nouitius audit ineptam expositionem orationis Dominicae. 978
praefert se D. Hieronymo. 979
publicè fassus est, se crebro errasse in sua ex Hebraeo translatione. 982
in Rabbinos asper. 993. 1011. 1019
recentiores Hebraistas simiis & pauonibus comparat. 995
Munsteri simius. 1006
Munsteri versionem extremè contempsit. 1011
Vertumnus fuit, & ex eodem ore calidum simul & frigidum efflauit. 1011. 1020. 1065. 1078. 1602
oraculum fundit. 1011
S. Hieronymum accusat, quasi Hebraicae linguae imperitum. 1012
Pomeranũ in Psalterij explanatione omnibus praefert. 1013
suae inconstantiae causam confert in auaritiam typographorum. 1020
aliter vertit orationem Dominicam & salutationem Angelicam, quàm habebat Ecclesia. 1023
publicè iactare ausus, Germanos nunquam ante se verum & germanum audiisse Euangelium. ibid.
interrogatus cur diceret hominem iustificari sola fide: respondit. Papistam & asinum esse rem vnam. Sic volo sic iubeo. sit pro ratione volũtas. 1023. 1024
Synedrion quoddam & Consistorium, Bibliis vertendis constituit. 1026
lanionem aliquot veruecis mactantem, Bibliis vertendis adhibuit. ibid.
aegrè tulit concionatores quosdam suos concionibus suis Hebraica & Graeca vocabula immiscere. 1028
in omni opere bono iustum peccare asserit. 1039
visitatorem agens, comperit vulgus & plerosque Parochos nihil omnino à bestiis differentes. 1050
nullam Scripturae partem vult obscuram dici. 1077 1120
Scripturarum interpretationem sustulit. 1088
Patrum commentarios dixit esse obscuriores ipsis Scripturis. 1110
si diutius steterit mundus, ait fore, vt denuò homines ad Concilia confugiant. 1119
Laicos facit Sacerdotes, & in nouos clericos transmutat. 1207. 1208
quemlibet priuatum, iudicem Christianae religionis constituit. 1209. 1210. 1211. 1212. 1386. 1413. 1419
etiam feminas verè & propriè sacerdotes esse scripsit. 1211
Carlstadium vertere solum coëgit. 1314
ex vero putat sequi posse falsum. 1540
scripsit se credere Purgatorium. 1602
expostulat cum Euangelistis. 1746
translationem Bibliorum qua adhuc hodie vtimur, dicit esse S. Hieronymi. 1998
cum Svvermeris aliquot lepidè cõgressus. 2000. 2001. 2002
Carlstadium sugillat. 1962. 1970

Digitized by Google

Lycaones Graecè sciuerunt, non tamen omnes. 914. 915
eorum lingua tantum discrepabat à Graeca, quantum Punica à Latina. ibid.
Lysias sub Antiocho Epiphane dux belli. 282
Antiochi Eupatoris nutritius & educator, & promotor ad diadema regium. ibid.
Lysimachus historiam Esther in linguam Graecam transtulit. 123

M.

Macedones ab Amalecitis. 126
quondam Macetae nuncupati. ibid.
solent d. pro t. ponere, & literarum hyperthesin adhibere. ibid.
Macedoniani Constantinopolitanam I. Synodum calumniantur. 88
Maeuius, Hunnianus pullus. 119
docilis discipulus Hunnij sui institutoris. 221. 755
Maffeius scribit in Indiis repertum senem trecentorum triginta quinque annorum. 141
Magdeburgenses Centuriatores, ex Lutheri nugis mutuati. 322
Malachias Nouatoribus Maleati, vel Malachi. 1008
Manasses rex Babylone reuersus, totus in Dei cultu occupatus. 227
Isaiam Prophetam interfecit. ibid.
eius mirabilis commutatio. ibid. & 228
aedificauit murum extra ciuitatem Dauid, &c. 228
iam in patriam reuerterat ante bellum in libro Iudith descriptum. 229
captus, & in seruitutem abreptus cum magna parte populi. 230
vna cum populo diuinas admonitiones audire contempserat. ibid.
vinctus catenis atque compedibus ductus in Babylonem. ibid.
coangustatus orauit Dominum Deum suum, & egit poenitentiam valde coram Deo Patrum suorũ. 231
regnauit annis quinquaginta quinque. 233
captus anno aetatis vigesimo octauo, vel paulò ante, nec diu in captiuitate mansit. ibid. & 238
filium seu filios transire fecit per ignem. 233. 234
piacula illa commisit in iuuentute sua. 234
initio regni instaurauit excelsa, quae demolitus fuerat Ezechias pater eius, &c. 237
eius peccatis adscribitur causa excidij Hierosolymitani. 237. 238
fecit abominationes pessimas super omnia quae fecerunt Amorrhaei ante eum, & peccare etiam fecit Iudam in immunditiis suis. 238
captus anno decimo octauo aetatis, & quarto regni, ex sententia Serarij. 239
templum Domini vastauit seu prophanauit. 240. 241
eius nepos templum instaurauit. 242
omnes ciuitates, quas sua in ditione habebat, ad verum Dei cultum reduxerat. 430
Manicare, verbum. 775. 783
Manichaei vetus Testamentum repudiabant. 398. 837. 1865. 1881
duplices naturas, bonas scilicet & malas, statuerunt. 1662
nihil credere volebant, nisi ratione demonstratum. 1865. 1866
nec Manichaei sui libris fidem habebant, nisi ex traditione & testimonio Maiorum. 1877
octo esse terras, & decem caelos, & quod Atlas mundum ferat, crediderunt. 1878
nouum Testamentum pro arbitrio & acceptabant & reiiciebant. 1865. 1881
libros Euangelicos reiiciebant, & alios substituebant & proferebant. 1930
legunt scripturas apocryphas, sub Apostolorum nomine scriptas. 1932
Marcianus Imp synodo iniuriam fieri pronunciauit, si quis semel rectè statuta rursus in disceptationem & dubitationem vocare velit. 1340 1355
Marcion haereticus ad materiam suam caedem scripturarũ confecit. 47
pro vocabulo, homo, substituit, Dominus, vt suam haeresin eò melius tueri posset. 498
Marcianistae die Sabbathi ieiunare soliti. 1648
S. Marcus interpres D. Petri. 335. 811
Euangelium Latinè primitus scripsit Romae. 496. 546
eius Euangelij primigenium Latinum exemplar dicitur asseruari Venetiis inter S. Marci cimelia. 497
multorum sententia est eum scripsisse primò Euangelium Latinè, postea in Graecum conuertisse. 804. 844
ex ore & praedicatione S. Petri Euangelium conscripsit. 811
duodecim linguis à quodam haeretico Norimbergae editus. 938
communi Syrorum persuasione, nouum Testamentũ in Syriacum sermonẽ conuertit. 1995. 1996
Marcus Storch Svvermerus. 2000. 2001
dixit, se in facie hominis videre posse, an sit electus vel non. 2001
miram habuit phrasin. ibid.
Mardochaeus superauit annum centesimum sexagesimum quintum. 141
in suis maioribus translatus. 142
S. Maria Virgo contriuit caput serpentis, quia cooperata est debellationi inferni serpentis. 584
Virginis Euae aduocata. ibid.
naturam, in qua vicit, victori dedit. ibid.
Nouatoribus Miriam. 943
eam fuisse semper virginem, est traditio Apostolica. 1528. 1712
eius virginitas à Iouiniano & Caluinistis negata. 1599
septuagesimo secundo aetatis suae anno in caelum translata. 1658
Marianus Victorius, emaculandis S. Hieronymi operibus praeclaram operam nauauit. 817
plurima & antiquissima Hieronymianorum operum exemplaria vidit, & inter se contulit. ibid.
Marloratus Caluini discipulus. 498

Maronitæ, Libani Montis incolæ, & Apostolicæ sedi subiecti, linguā Chaldaicā publicis in sacris vsurpant 880
Martinus Bucerus, Monachus Dominicanus, posteà Ordinis desertor, & modò Lutheranus, modo Zvving. 937
aliquando nominauit se Aretium Felinū: aliquando Varemundum Luitholdum, aliquando Conradum Trëuu de Fridensleuen. ibid.
Vide etiam V Bucerus.
Martinus Delrius Salomonis pœnitentiam probat. 80
S. Martinus Maximo Imperatori dixit, nouum esse & inauditum nefas, quod causam Ecclesiæ iudex sæculi iudicaret. 1388. 1389
Masoretæ Grammatici. 1005
Matrimonium est Sacramentum propriè dictum. 716. 717
cœlibatui cedit. 717
Matthæsius Lutheri cōmensalis & intimus symmystes 1028
seriò omnes hortatur, vt Lutheri Biblia studiosè euoluant. ibid.
S. Matthæus scripsit Euangeliū Hebraicè siue Syriacè 804
duodecim linguis à quodam hæretico Norimbergæ editus. 938
Matthæus Iudex interpres libri Lutheri de verbis cœnæ aduersus Sacramentarios. 17
Lutheranus Rabula. 553
Matthias Nouatoribus Matthaniah. 943
Matutinæ preces laudesq́; à Lutheranis adhuc nonnullis in templis Cathedralibus decantantur. 854
S. Maximus, monach⁹, strenuus pro veritate Catholica aduersus Monothelitas propugnator. 1652
meminit Dionys. Areopag. eiusq́; lucubrationū 1653
Medici cum pueris absinthia tetra dare volunt, prius oras pocula circum contingunt mellis dulci flauoq́; liquore. 303
Melchiades Pontifex Romanus proprius Donatistarum iudex. 1347
inter omnes Episcopos primatum tenebat. ibid.
Melchior Goldastus, non Soldastus, Caluinianus. 770
antiquitatis studiosus. ibid
Bezam vocat Reuerendissimum, & Theologorum facilè principem. ibid.
aduersus Bezam Interpretis vulgati patrocinium suscipit. 770. 771
Germanicos rhytmos veterum publicauit. 840
Melchisedech protulit panem & vinum, prolataq́; & Deo prius oblata seu sacrificata, postmodum Abrahæ & sociis in cibum dedit, vt de sacrificio illo participarent. 593
protulit panem & vinum, vt ea Deo in sacrificium pro gratiarum actione offerret. 598
typus Christi. 598. 599. 602
præfigurauit mysterium Eucharistiæ. 598
aßimilatus filio Dei, quo ad perpetuitatem sacerdotij, in repræsentando nimirum. 602
Melito Asianus, maior ætate Origene. 1170
librum de Apocalypsi Ioannis elaborauit. ibid.
Melito Sardensis in Orientem profectus, vt accuratè Canonem librorum veteris testamenti cognosceret. 111
Menandri Comici memorabilis sententia: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. 60
Meritum nostrum miseratio Domini, quia vim & dignitatem meriti nostris operibus impertit. 723
Merita operum. 615
nihil aliud sunt, quàm ipsa opera cum respectu ad mercedem promissam ac debitam. 616
Merodach Baldan Nabuchodonosor etiam dictus. 226
cœpit regnare super Assyrios tertio anni regni Manasse. 233. 241
contra Iudæos bellum mouit, duce Holoferne. ibid.
Manassen paulò antè captiuum duxerat in Babylonem. 233
Metaphorica verba intellectum quasi per ambages ducunt ab eo quod significare videntur immediatè, ad aliquid aliud. 1109
Metensis quidam impostores Biblia in Gallicum conuersa proponunt. 831 873
mandatis recusant Apostolicis obedire. 873
occulta conuenticula celebrāt, officium prædicationis vsurpāt, simplicitatem despiciunt sacerdotū. ib.
Michæas, Nouatoribus Micha & Mica. 1007
Minare idem quod agere. 740
Missa, sacrificium, secundum ordinem Melchisedech. 602
ante Lutherum & Zvvinglium, omnium fidelium opinione & vnanimi consensione, pro ritu diuinitus instituto, habita. 1912. 1913
Missæ Germanicæ à Lutheranis alicubi celebrantur. 854
Monastice cum Ecclesia nata. 849
ex Apostolica traditione. 1684
Montanistæ in Asia admodum frequentes. 1321
Pascha, luna decima quarta cum Iudæis celebrandum esse pertinaciter contendebant. ibid.
multa ex Catholicorum cœtu orthodoxa ad suas synagogas transtulerunt. 1694
mirè ieiuniis & humi dormitionibus corpora sua castigabant. 1826
Montanus auctor ieiunij Ecclesiastico prorsus contrarij. 1687
Moraui turmatim ad Ecclesiam venientes carebant ministris Latinæ linguæ gnaris, qui Latinè sacra obirent. 925
concessum est iis, vt in sacris obeundis sua lingua vterentur, quoad doctorum hominum maior copia in Morauia & Bohemia existeret. ibid.
Mortonus Anglus Baccalaureus ineptus. 435. 1202
Caluinista hæreticus. 1063. 1064
Vlphilam Gotthorum Episcopum Arianum, appellat Sanctum. 1064
laudat Iosephum Acostam. 1066
cantum & cantores Latinos detestatur, & exterminatos cupit. 1069
Mortui, viuorum suffragiis ac officiis iuuari possunt. 274
Vide etiam V. Defuncti.
Moses iuxta legem diuinam verbumq́; Dei controuersias dirimi voluit ac iußit. 24
septuaginta senioribus Spiritum S. exoptauit. 25
abiturus in Ægyptum, indeq́; Israëlitas educturus, potestatem signa faciendi a Deo poposcit. 30
sermones quos Deus cum illo in monte Sinai habuit,

buit, literis consignauit, & volumen fœderis nominauit. 49
absq; punctis scripsit. 578
legem à se scripto comprehensam solis sacerdotibus, & populi senioribus tradidit. 887
prophanos extra sacros cancellos statuit. 908
non est passus omnia quæ erant in templo, omnibus esse peruia. 911
Nouatoribus Mosche. 1008
præcepit, vt septimo quoq; anno verba legis coram omni Israële à sacerdotibus legerentur. 1121
tanquam princeps & caput illius Ecclesiæ, ad omnia dubia circa legẽ Domini exorta respondit. 1218. 1220
Sacerdos extraordinarius, & maior Aarone. 1221
caussas ad religionem pertinentes iudicauit vt Sacerdos summus. 1229
ab Alben Ezra vocatur Sacerdos Sacerdotum. 1230
exercet omnia munera sacerdotalia. 1230. 1484. 1485
iudex Ecclesiasticus controuersiarum de religione & cultu. 1232
iudex absolutus. 1233
illius iussu occisa impiorum multa millia. 1248
metu mortis perterrefacit, vt in semel suscepto veri Dei cultu perseuerarent. 1404
extraordinarius iudex, ratione successionis. 1470. 1482. 1486.
tradidit duplicẽ doctrinam, alteram scriptã, alterã non scriptam illustrandæ & supplendæ scriptæ. 1709

Mulieres sine rubore ius sibi vendicarunt liberè prædicandi. 831. 833
in ciuitate Londinensi super sellas eleuatæ, publicè legunt & docent Scripturas ipsos viros. 832
presbyteris certamina mouere præsumunt. ibid.
libros scribunt. 832. 833
totas Vniuersitates prouocare audent. 833
Luther-issæ defenduntur a viris Lutherissis. ibid.
hæreticæ procaces. 834

Mulus mulum scabit. 935. 1564. 1871

Munsterus. Vide V. Sebastianus Munsterus.
laudat se, & vituperat vetera. 962
colaphum interpretibus impingit, & se impingere negat. ibid.
Rabbinos studiosè euoluit, contemptis sanctorum Patrum commentariis. ibid.
oraculum fundit. 963
aliud loquitur, & aliud agit. ibid.
translationem suã defendit exemplo Aquilæ, Symmachi & Theodotionis. 965
ex Bibliis Christianis fecit Rabbinica. ibid.
præceptoribus vsus Thalmudistis, Massoretis, iuratis Christi hostibus. 966
videtur verba sua ab Oecolãpadio emendicasse. 967
quasi Iudæus esset, non Zvvinglianus, vbiq; nil nisi Rabbinos spirat & crepat. 974. 975. 994
reprehendit Lutheri versionem. 975
Zvvinglij Magistri sui assertum violauit. 986
à Zvvinglianis suis notatus & perstrictus. 994
iuniorum Hebraistarum dux. 997
Lutheranizat. 1022
à suo D. Francisci instituto discedit. ibid.

Muretus Catilinarias & Philippicas emendauit. 515
clarissimus Orator. 754
imperitos Latinitatis Aristarchos elegantissimè refellit. 762. 763

Murmur verus. 1034

Mylius Lutheranus Prædicans. 385
omnes Prædicãtes errare iudicãdo & interpretando posse, errareq; non rarò aut leuiter, asserit. ibid.

Mysteria clausis ianuis celebrata. 910
adoperta & obtecta humeris portata. 912

N.

Nabuchodonosor rex Chaldæorum Ioacim regem vinctum perduxit in Babylonem. 176. 277
ter venit in Iudæam, & inde Regem & populum captiuum abduxit. 277
Nouatoribus Nebucadnetzar, & Nebuchadnezar. 1006. 1991
in eo figuratum est tempus Apostolorum, & nostra Ecclesiæ. 1405

Nahum Nouatoribus Nachum. 1007

Nathanaël Nouatoribus Nethanel. 943

Nehemias Nouatoribus Nechemia. 1008

Nepotiani hæretici, scripturas quasdam perperam explicarunt. 87

Nequitia non eget multo tempore. Celeriter perfici, & ad summum prouehi potest. 237

Nesenus Lutheri cõgerro, VVitebergæ in flumine Albi submersus. 1442
Diabolus illum abstulit, tribus sociis miraculosè seruatis. ibid.

Nestor in bello Troiano tertiã generationẽ agebat. 149. 150
nonagenario pauiò minor. 150

Nestoriani Ephesinam Synodum calumniantur. 88. 134

Nicæna Synodus ab Arianis pro Antichristi conuenticulo habita. 88
librum Iudith inter Canonicos libros retulit. 93. 115. 190. 191. 192. 196. 221. 224. 246
eius collectanea Gelasij Cyziceni nomine Græcè & Latinè circumferuntur, non integra Concilij Acta. 190. 221
in ea fuere viri Apostolici, sanctissimi, celeberrimi, vno verbo, flos Christianæ Reipublicæ. ibid.
eius Acta pleraq; perierunt, nec, nisi tabulæ quædam de grandi naufragio superant. 221
CCCXVIII. Patrum. 547
vocem ὁμοούσιον à Patribus vsurpatã recepit, atq; in Symbolo posuit, tanquam tesseram ac notam, qua discernerentur Orthodoxi ab Arianis. ibid.
ei præfuerunt Vitus & Vincentius presbyteri vnà cum Hosio Cordubensi Episcopo, loco Papæ. 1326
eius Acta à Syluestro Romano Pont. cõfirmata. 1327
potestati Romano Pontifici datæ testimonium perhibet. 1344
eius Canones olim plures extiterunt, quam hodie. ibid.
Pascha Dominico die agendum esse decreuit. 1600. 1601

Digitized by Google

ex doctrina non scripta damnauit Arium. 1641. 1642.1643
Dionysium Areopagitam citat. 1654
Nicephorus Callistus Xanthopulus, auctor ex sequiore & recentiore Graecia. 315 429
Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus. 241.429
vir sanctitate & eruditione praecellens. 243
Niniue, Nouatoribus Nineue. 1007
Ninus, Beli filius, secundus rex Assyriorum. 256.257
primus parenti suo Belo statuam ad publicam venerationem & adorationem erexit. ibid.
primus fuit, qui idola in mundum introduxerit, saltem post diluuium. 257
Noë, vel per remedium legis naturae, in infantia, vel per actualem conuersionem, in adulta aetate, fuit à peccato originali purgatus. 588
inter homines impios & sceleratos viuens, inculpatam tamen traduxit vitam. ibid.
eius ebrietas & nuditas praefigurauit abundantissimum Redemptoris nostri in nos amorem. 1204
Nonius antiquus Grammaticus ex priscis scriptoribus excerpsit vocabula multa aliter olim vsurpata ac hodiè. 723
Notkerus Monachus S. Galli, Psalterium transtulit. 841
Notum malum, res optima. 1665
Nouatus haereticus, iudicio Pontificis Romani, & aliorum Episcoporum damnatus. 1324
Nubere veteres non solùm mulieres, sed etiam viros dicebant. 774
pro, operire, tegere, velare, Latinis in vsu fuit. ibid.
Numenius Pythagoraeus Platonem nihil aliud esse dixit quàm Moysen Atticizantem. 479

O.

Oecolampadius verba Christi, Hoc est corpus meum, perperam interpretatur. 426
nouam ex Hebraeo versionem veteris testamenti cudit. 937.967
Apostata. 967
Zvvinglianus. 968
Officina diuina referuntur primariò ad cultum Dei. 851. 853.858.874.1049.1068
apud Hebraeos post exilium Babylonium instituebantur lingua plebi ignota, hoc est, veteri Hebraea. 864
Corinthi celebrabantur Graecè. 921
Oleaster, non minimus ex Hebraizantibus Interpretibus, tametsi Catholicus. 508.624 633
Vide V. Hieronymus Oleaster.
Omne, nō semper accipitur mathematicè, sed potius moraliter, phrasi ipsis etiam sacris literis vsitata. 231
Onckelus Christo & Christianis parum amicus. 461
Opera iustificant. 328
Opiniones non re, sed loquēdi duntaxat ratione dissidentes conciliare, vsu receptum est, tam in philosophicis quam in theologicis argumentis. 363
Optatus Mileuitanus Ecclesiam Romanam eiusq; Pontificem pro capite & communi controuersiarum fidei iudice agnouit. 1460
Oratio tropis & allegoriis ornatur & illuminatur. 1109
Oratio pro omnibus fidelibus defunctis licita est, nisi aliud reuelet Deus, aut Ecclesia prohibeat. 273
quae nomine Ecclesiae fit ab Ecclesiae ministris, prodest, etsi non fiat lingua plebi nota. 862
perfecta est, in qua animus ita absorbetur in Deum, vt non intelligat ipsa verba sua. 866.867
fieri potest etiam pro absentibus. 920
vtilis est etiam non intellecta. 921
ad orientem fieri solita. 1678
Oratio Dominica sine clausula: quia tuū est regnum, &c. 501.502.1054
Ordines sacri ex Apostolica traditione. 1718.1719
Origenes in sacris literis Praedicantibus vniuersis longè eruditior & exercitatior. 133
testimonio totius antiquitatis diligentissimus, & in explorandis sacris libris curiosissimus. 136
ante mille trecentos & amplius annos claruit. 156
in graecis & hebraicis literis versatissimus. 168
ipsam Palaestinam non semel adiit & incoluit; & monumenta tam Iudaica quàm Samaritica exploratissima habuit. 443
in omni disciplinarum genere sua aetate omnium princeps. 443.1652
primus auctor communis seu vulgatae editionis, ante D. Hieronymum. 467.468
demonstrat, Scripturae lectionem, quantumuis non intellectam, plenam emolumenti ac fructus esse. 870
post Apostolos, Ecclesiarum magister. 883
cum suis allegoriis faciebat vim historicae veritati. 1195.1206
ex traditione de quatuor Euangeliis certior factus. 1588
infantium baptismum ait esse traditionem. 1671
docet genua flectenda esse inter orandum. ibid.
ritum Eucharistiae & Baptismi tradit esse obseruandum. 1672
Osee Propheta, Nouatoribus Hoschcah. 1006
Osiander finem mundi praesensit. 841
asserit, viginti diuersissimas de iustificatione sententias inter solos Confessionistas, hoc est, Lutheranos versari. 1110
homo leuissimus & audacissimus, teste VVitackero. ibid.
Ossum maluit dicere S. Augustinus, quàm os, vt intelligeretur. 568.773
Ottfridus Monachus VVissenburgensis, veteri Francico, hoc est, Germanico sermone Euangelia numeris inclusit. 840.841
Ozias filius Micha, de tribu Simeō, princeps Bethuliae. 227

P.

Pagninus, versionē Bibliorū ex Hebraeo verbatim expressā promittens, euitare non potuit, quo minus aliqua vocabula in Hebraeo non exstantia adiiceret. 586
Vide V. Santes Pagninus.
Iudaicam & Rabinicam pronuntiationem etiam in nouum testamentum traducere conatus contra Euangelistarum & Apostolorum consuetudinē. 1011
Palmeas seu Palmas cum Episcopis Ponti in sua prouincia Synodum celebrans, ei praesedit. 1322

Panis, præcipuus hominum cibus, in sacris literis firmamentum appellari solet. 691

Pantænus antegressus Origenem. 1170

multos in sanctā Scripturā edidit cōmentarios. ib.

Papias S. Ioānis Apost. auditor, & S. Polycarpi sodalis 336

Scripturas non ex suo, sed ex Apostolorum & Apostolicorum discipulorum doctrina intelligere ac interpretari voluit. 1172

nonnulla nō satis assecutus, vt homo, lapsus est. ibid.

Chiliasticam suam persuasionem potissimum fuxit ex Apocalypsi malè intellecta. 1853

Pappus Prædicans Argentoratensis Lutheranus. 38.348

Pareo Caluiniano magistro, docilis discipulus. 38

theses suas de S. Scripturæ auctoritate, ex aliis Caluinianis & Lutheranis symmystis ad verbum propè transscripsit. 376

epistolam S. Iacobi dubiis accenset. 377.378

prædicantissimi videtur oblitus, & defectionem à suis symmystis fecisse. 379

fraudulenter Canum allegat. 382

Ecclesiæ Pontificiæ quatuor millium annorum antiquitatem concedit. 383

asserit non esse ferendos, qui à sensu & cōsensu vniuersalis Ecclesiæ Christianæ temerè discedunt. 385

Vide V. Ioannes Pappus.

Synodicum Græcè & Latinè edidit. 1332.1345

ex thesibus Parei suas consarcinauit. 1867.1870

Parei simius. 1881

non adeò à Caluinistis auersus, vt eorum lucubrationibus vti detrectet. 1882

in Colloquio Ementingensi palam affirmauit Augustinū in omnibus & per omnia cum Lutheranis sentire. 1988

non modò communi orthodoxorum & Iudæorum, sed & sectariorum sententiæ aduersatur. 1990

veteratoriè citat Bellarminum. 1991

Iunij Caluiniani non tantùm sententias libenter amplectitur, sed & non rarò fermè verbatim transcribit. ibid.

Gretserum honoris caussa morionem nominat. 1993

vomit truphones & ribaldos. 1998

caussatur, dixit, pro caussat, vt Virgilius, bellantur, pro bellant. 1914

pleraq; ex Pareo, ppemodū verbatim descripsit. 1934

ad veritatē propiùs accedit, quàm Lutherani Collocutores in Colloquio Ratisbonensi. ibid.

mētitur & calumniatur. 1987. & seq. vsq; ad 2104

Parabolæ Salomonis translatæ in librum à viris Ezechiæ Regis Iuda. 248

Paradisus tertio die conditus. 621

Pareus Heidelbergensis, Caluini sectator. 1465

Vide V. Dauid.

legē dicit magis propriè iudicare, quā iudicē. 1477

Rulli Basileensis thesibus furtificas manus intulisse, & alienis plumis se vestiuisse videtur. 1870

disputationem à filio suo, præside Rulio defensam, miris laudibus extollit. 1871

admodum oscitanter Bellarminū legens, nunquam illum intellexit. 1874

Prædicantes Lutheranos Colloquij Ratisbonensis ad ferulam suam vocat. 1890

reprehensionē Lutheranorū Prædicantiū in Colloquio Ratisb. postea mutauit, vel certè mitigauit. 1891

à Iesuitarum partibus stat, cōtra Lutheranos. 1934. 1935

iratos sibi Lutheranos nonnihil placat. 1935

Burdone teste, asinus est, phreneticus, portentum, idiota, Marrucinus, hostis & osor humanitatis & literarū, nec semel verum dixit. 1936. vsq; ad 1944

Parturiunt montes. 576

Paruuli in Scripturis accipiuntur in bonam & in malam partem. 901

qui ante octauum diem moriebantur, in veteri testamento, habuerunt aliquod remediū contra peccatum originale. 1569.1570.1573.1574

Pascha Nouatoribus Pesach. 643

in nouo testamento celebrandum die Dominico. 1600.1700

Apostolica traditio est, vt die Dominico celebretur. 1648.1702

Passio Christi in Sapientia Salomonis apertissimè prophetatur. 98

Pastophorium est cubiculum vel thalamus, in quo habitat Præpositus templi. 242

Pastor Hermetis liber à Gelasio summo Pontifice, totaq; Romana Synodo exclusus à Canone. 194

eius auctoritas progressione temporis semper magis atq; magis elanguit. 194.406

Extat tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum. 214

S. Paulus Apostolus Euangelium quod prædicabat, ex reuelatione didicit. 55

citat Aratum & Epimenidem. 56. & 61

Vnà cum S. Petro Romæ versatus. 162 954

Ecclesiæ sacros libros tradidit. 162.954

fatetur se sermone imperitum. 282.283

non tantùm in scribendo, sed & in agendo instrumentum erat Spiritus sancti. 284

nomen suum consultò in epistola ad Hebræos omisit. 303.304 305

S. Luca aut Clemente, tanquam interprete & scriba vsus. 306

etiam miraculis, quæ ab aliis Apostolis patrabantur, confirmatus. 307.309

ex poëtis nonnunquam veras sententias profert, quorum tamen libros & fabulas non ideo probat, tanquam scripturam Canonicam. 346

per Beniamin in mentis excessu intelligitur. 667

nulla alia lingua ad populum Hebræum vsus, quam Syriaca seu Syrochaldaica. 795.802

epistolam ad Hebræos scripsit Hebraicè siue Syriacè. 804

ad Romanos Græcè scripsit. 805

Hierosolymam ascendit, vt cum Apostolis conferret, ne in vacuum curreret. 1172

Petro inferior, quatenus Petri & Christi ouicula. 1286

eius Euangelio Ecclesia non credidisset, nisi à Petro confirmatum fuisset. 1298.1299 1300.1303

præcepit Ecclesiis custodire decretum Concilij Hierosolymitani. 1436

scripsit epistolam ad Laodicenses, & fortè tertiam ad Corinthios. 1565.1566
Paulus Eberus ex Lutheri schola Prædicans VVitebergensis. 947
pudet & pœnitet eum suæ institutæ correctionis,& mutatæ versionis latinæ. 947.948
optat,& supplex rogat Ducem Saxoniæ. vt sua veteris versionis deprauatio sempiternis tenebris sepeliatur. ib.
S.Paulus Eremita annum attigit C X V. 141
Primus Eremita,non primus Monachorum. 861
Paulus IV. Pontifex Erasmi versionem & annotationes damnauit,donec ab erroribus expurgarentur. 558
Paulus Samosatenus à Canone Ecclesiastico,hoc est, à traditione Ecclesiæ desciuit. 408
damnatus per synodum particularem Antiochenã, depẽdenter à iudicio & consensuRomani Pont.1339
Paulus Vergerius Apostata. 1995
Prædicans. ibid.
Peccatum ita remittitur,quãdo remittitur,vt nihil prorsus.quod peccatũ vel culpa vocari possit, remaneat. 720
Peccatum in Spiritum sanctum,nihil habet in se,vnde misericordiam mereatur. 309.310
Pelagianismus à Romanis Pontificibus damnatus. 1329. 1330.1395.1396
Pelagius hæreticus commentariolos in epistolas S. Pauli scripsit,qui D.Hieronymi nomine circumferuntur. 1626
Apostolicam traditionem esse ait Baptismi cæremonias. 1627
Pellicanus inter Nouatores non infimus. 645
magnus sua ætate Rabbinus habitus. ibid.
Zvvinglianus. 670.947.972.974
apud Tigurinos vixit & obiit. 671
vulgatæ translationi non admodum iniquus. 937. 974
laudat Aretium Felinum. 937
Vide V.Conradus Pellicanus.
Sacramentarius. 972
veterum auctoritatem præfert nouis. ibid.
commentariis suis in scripturam vulgatæ editionis titulum præscribere cogitarat. 974
versionem antiquam laudat. ibid.
cæteris Zvvinglianis æquior & modestior. ibid.
Hebraicarũ literarum Tiguri olim, ipso adhuc viuente Zvvinglio,Professor. ibid.
Rabbinicas versiones improbauit. 986.987
Psalterium à se prius satis Rabbinicè conuersum,ad editionem vulgatam accommodauit, non sine insigni antiquæ translationis encomio. ibid.
Rabbinis ne in Grãmaticis quidẽ regulis fidit. 987
paulò propiùs ad veri scopum accessit. 992
ad Patrum commentarios appellat. 993
Iudæos potius quàm Christianos sequi voluit. 1004
Zvvinglij discipulus. 1009
hæreticus. 1010
Felinum præ aliis commendat. 1013
Persæ Hierosolyma sub Chosroë occupata,abstulerunt Dominicam crucem. 278
S.Petrus Apostolus Romanæ Ecclesiæ per viginti & quatuor annos præfuit. 161.953
sicut cætera quæ ad instructionẽ pertinent, etiã librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradidit 161.935
priorem epistolam suam scripsit ad Hebræos inter gentes dispersos. 297 301
linguâ vulgatâ Syricâ locutus. 803
scripsit Iudæis Græcè. 808
Euangelium S.Marci quasi dictitauit & scripsit. 811
eius testimonio quatuor Euangelia sunt firmata ib.
videre potuit Euangelium S.Ioannis. 812
anno trigesimo quinto vel sexto,vel octauo post passionem Christi martyrium subiit. ibid.
ordinarius erat pastor totius Ecclesiæ, cui soli succedi debebat. 1221
accepit à Christo plenitudinem potestatis,independenter ab vllo homine, & cum iure transmittendi eandem etiam ad successores. 1262. 1284. 1288. 1289. 1378. 1480.
vt caput & princeps primusq; Antistes,repræsentauit Ecclesiam. 1262
per negationem Apostolatum,seu Apostolicum officium non amisit. 1282
quando Christum negauit,in ore fidem amisit,non in mente. 1293
Concilio Hierosolymitano præfuit. 1296.1297.1498
approbauit & confirmauit Euãgelium Pauli.1302. 1303.1304
aliorum Apostolorum frater & collega, sed simul primus. 1328
toti mundo præpositus. 1378 1379
primus Papa. 1498
anno Christi quadragesimo quarto Romã venit. ib.
supremum decus & antiquissimum Theologorum culmen Dionysio. 1658
Petrus Cholinus hæreticus interpres. 935.936
Petrus Martyr,vt mus in pice, hæret & perit. 5
Pharao, Nouatoribus Parho. 1008
Pharisæi ex omnibus tribubus. 493
eorum crebra lotio aduersabatur Scripturis per accidens. 1724
habuerunt nonnullas traditiones aduersa fronte præceptis diuinis repugnantes. ibid.
pleræque eorum traditiones consistebant in rebus propemodum ridiculis. ibid.
Philippus Melanchthõ scripsit, solam scripturã legi debere, Patrum Comment.vt pestẽ fugiendos esse.1077.1110
simpliciter negauit iurandum esse Christianis.1671
rationis voculam penitus abiiciendam censuit,tanquam nimis Platonicam. 1695
Philippus Solitarius,ex communi Græciæ sensu, eosdem libros cum Synodo Trident.in Canone reponit. 316
Philo collector sententiarũ Salomonis libri Sapientiæ.247. 250
vixit temporibus Oniæ Pontificis Iudæorum. 247
fortè vnus ex septuaginta Interpretibus. ibid.
Origenem ætate longè antecessit. 855
Philosophi in Ægyptum peregrinati, ibi res Hebræorum cognouerunt. 477
traditionibus vsi. 1707

Digitized by Google

Photius schismaticus & haereticus. 1328
Pilatus titulum Crucis trilinguem scripsit non à semetipso, sed occulto Spiritus sancti ductu & impulsu. 790
Piscator quidam piscaturus cum noua Bibliorum versione Germanica. 841.1015
Plato vidit & legit in Ægypto libros sacros graecè conuersos. 477
Moysen triuit, & ad viuum expressit. 479
Plautus linguae atq; elegantiae in verbis Latinae princeps. 759.778
docet esse Deum, qui quae nos gerimus auditq; & videt; bene merenti bene profuerit, malè merenti par erit. 1884
Plerophoria vocatur ab haereticis, certa & euidens de salute sua certitudo. 1088
Poëmata Arati, Menandri & Epimenidis citantur in libris Canonicis. 52.61
Polanus, Pol anus. 403
Minister Caluinisticus. 440
in Morauia Rabbinis operam dedit. ibid.
Vide V. Rullus. & V. Amandus Polanus.
S. Polycarpus epistolas B. Ignatij collegit. 1647
multa Christi & Apostolorum dicta & facta ex Apostolorum eorumq; qui Dominum viderant, colloquiis sibi cognita, aliis referre solebat. 1661. 1662. 1663
Polycrates in Asia Victoris Romani auctoritate Synodum conuocauit. 1323
Pomeranus in Psalterij explanatione omnibus praefertur à Luthero. 1013
longè magis nostro quàm Lutheri sui textui concordat. ibid.
Vide etiam V. Ioannes Pomeranus.
quotannis diem festum celebrauit in honorem Bibliorum à Luthero conuersorum. 1027
reprehendit Praedicantem, quod Euangelium Germanicè legisset pro concione ex testam. Graeco. 1028
Pontifex supremus Christianorum Magister, omniumq; controuersiarum Iudex. 16.1311.1404
eum posse esse haereticum, erronea iam, & scandalosa, vel haeresi proxima sententia est. 366
non potest iudicari. 1252
omnia iura habet in scrinio sui pectoris. ibid.
non potest dispensare contra Dei verbum. ibid.
S. Petro succedit. 1289 1649
ex cathedra docens, non potest errare. 1290.1311
appellat Episcopos fratres, sine primatus praeiudicio. 1328.1384
sanctus est officio & dignitate, saepe etiam vita & morum innocentia. 1350
primas & primus inter Patriarchas. 1356
succedit D. Petro plenè & perfectè in tota potestatis amplitudine. 1379
per antonomasian Vicarius Christi appellari solet. 1384
vniuersalis Ecclesiae Catholicae Episcopus. ibid.
ei⁹ potestas & auctoritas immediatè à Deo est. 1407
Praedestinatio, verbum proprium Theologiae, habet in Scriptura peculiarem significationem. 707.708. 709
Praedicans quidam publicè in cathedra Lutheri Biblia virgis cecidit, cum hoc epiphonemate: Discas melius. 559.866.1019
quidam Euangelium Germanicè legit pro concione ex testamento Graeco. 1028
Praedicantes Scripturā in suam mentē transformant. 27
non est illis tantum otij vt Patrum scripta cum cura versent. 174
in Colloquio Ratisbonensi in summas angustias redacti, semper tergiuersati. 380.381
fidelium pastorum nomine se indigitant. 385
infallibilitatē, quam, & Pontifici Romano, & Conciliis Orthodoxis abrogant, sibi palam nunc arrogant. ibid.
alligant Spiritum sanctum ad Praedicantes, conuentusq; Praedicanticos. ibid.
Bellarminum tertio quoq; verbo inclamant, & refutare videri volunt. 392
longè nequiores & nocentiores Iudaeis. 548
non tantùm à Magistris & antecessoribus suis, sed etiam à seipsis dissentiunt. 548.1089
fatentur se concupiscentiis & peccatis esse plenissimos. 1131
iudicem visibilem controuersiarum de sua sede deturbare conati, seipsos tacitè substituere studuerūt. 1213.1214.1215
seipsos constituunt controuersiarum iudices & Scripturae interpretes, quamuis secundarios. 1224.1415
conuiciis & mendaciis oppugnant Romanos Pontifices. 1332.1333.1423
oderunt Decalogum. 1416
nihil dignitatis & praecellentiae supra suos sutores & sartores, &c. habent. 1417.1418
Prior dies posterioris discipulus. 429
Probabile non contradicit probabili, neq; illud tollit. 172
Prologus Galeatus S. Hieronymi, propriè est praefatio in libros Regum, & in vniuersam scripturam quadrat. 523
Prophetae propriè dicti, per excellentiam Prophetae nomen fecerunt suum. 97
latiùs accepti, dici possunt, qui aliquid diuinitus sibi reuelatum cognoscunt, literisq; commendant. ib.
Prophetae, hoc est, Scripturae interpretes, semper sunt ac fuerunt in Ecclesia. 852
Proselyti circumcidi debuerunt. 1571
Psalmi non omnes qui in Psalterio ponuntur, sunt magni illius Dauidis, sed alios auctores habent. 171.172
pro quibuscunq; hymnis & canticis accipi possunt. 817
à Palaestinis in funere Paulae cantati. ibid.
Psalmi Dauidis, magna pars diuinorum officiorum. 853
Psalterium translatum ab antiquo interprete ex editione S. Luciani Martyris. 516
eius vulgata versione, vel ex septuaginta Seniorum interpretatione, nihil iucundius, &c. 1015
ex translatione Caluinistica, siccius est pumice. 1016
Puncta primùm post S. Hieronymi tempora, quadringentis, & amplius annis à Christo nato transactis, à perfidis Masoretis Iudaeis ad textum Hebraicum adiuncta sunt. 447
paulò pòst tempora Honorij Imperatoris, anno ab e-

uerso templo CDXXXVI. qui est à Christo passo CDLXXVI. in Tiberiade vrbe Galilaeae adinuenta sunt. 459
necdum sunt Canonizata. 625
Purgatorium ex solis scripturis absq; traditione demonstrari non potest. 1602
Pythonissa incantatione sua ad euocationem Samuelis nihil penitus contulit, sed tantum fuit conditio, sine qua Deus Samuelem non excitasset. 260

Q.

Quadragesima ab Apostolis instituta. 1526.1527.1542.1543.1697.1717.1718
à Christo praecepta. 1696
Quaestiones quaedam, in quibus salua fide Christiana, aut ignoratur quid verum sit, aut sententia definitiua suspenditur, aut aliter, quàm est, coniicitur. 355.356
Quartadecimani haeretici, Pascha necessariò cum Iudaeis luna decima quarta celebrandũ esse contenderunt. 1601.1699.1705
à S. Augustino in catalogo haereticorum collocantur. 1700

R.

Raab priusquam exploratores hospitio susciperet, iusta fuisse videtur. 329
Rabbinorum axioma, non est prius & posterius in Scriptura. 77
sunt capitales hostes Christi & religionis Christianae. 990.991
mendaces & fallaces. 992
Razias semetipsum interfecit, fortè peculiari impulsu sancti Spiritus. 286
Regis ad exemplum totus componitur orbis. 231
Reges summis Sacerdotibus subiecti. 1261
Regula duo requirit, vt nota sit, & certa. 32
si certa non sit, ne regula quidem erit. 32.33
si nobis nota non sit, regula nobis non erit. ibid.
Reineccius Lutheranus. 130.225
Reinerius ab Illyrico citatus. 829
Renuntiare Satanae & angelis eius in baptismo, ex traditione habetur. 908
Rhages Medorum Ecbatana. 216
Rhenanus veteres Germanos seu Francos laudat, nouosq; perstringit. 840
Rhetoriani haeretici omnes haereticos vera dicere affirmãt. 87
Robertus Gentilis, Alberici filius. 1058
Robertus Stephanus Caluinianus. 252.608
more vulpino & vafro consilio nomen Francisci Vatabli celat. 940
versionem Tigurinam, seu Leonis Iudae sub Vatabli nomine per summam imposturam venditat. 1021
apostasiam meditatur. ibid.
Roboam Nouatoribus Rechabbam. 1009
Romana Ecclesia statu felix, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. 199.200
semper in ea viguit Apostolicae cathedrae principatus. 1347
à SS. Apostolis Petro & Paulo fundata. 1361.1362
ad eam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam. ibid.
ad eam perfidia non habet accessum. 1367.1385
in eam, quasi in depositorium diues, Apostoli plenissimè contulerunt omnia, quae sunt veritatis. 1367
inter Apostolicas Ecclesias praecipua. 1383
Catholicae Ecclesiae radix & matrix. 1385
in ea Apostolica successio cum veritate doctrinae conseruata est. 1720
Vide etiam V. Ecclesia.
Romani omnes alias linguas praeter suam & Graecam, appellarunt barbaras. 906
Rudolphus Gualtherus Zvvinglij gener. 996
Ruffinus vir religiosus plurimos edidit libros. 159
de arbitrij libertate non rectè sentiens, notatus à S. Hieronymo. ibid.
reprehendit S. Hieronymum propter partes Danielis. 160
Eusebij interpres. 319.320
D. Hieronymo exprobrat, quasi Iudaizãtem translationem Ecclesiis obtruserit. 953.954
Rullus Caluinista Basileensis. 392
duos Tomos putidissimarũ Thesium euulgauit, iisq; Bellarmini quasi accuratissimè refutati, & funditus euersi nomen praescripsit. ibid.
VVitackeri scrinia expilauit. 398
Pol anus. 403
Vide V. Polanus. & V. Amandus Polanus.
Scripturã asseruit esse clariorem omnium Patrum commentariis. 1110
laudat S. Thomam. 1201
Papam, Iouem Capitolinum appellitat. 1490
negat Maiorem hypotheticam, quòd constet quatuor terminis. 1494.1495
festiuè probat, Ecclesiam nostram defecisse ab Apostolica. 1499.1531
sacramentorum & praecipuè baptismi necessitatem tollit. 1573
conuicia in Romanum Pontificem iacit. 1598
ait D. Virginem semper fuisse Virginem. 1598.1599
ex Ezechiele de porta clausa pro Deiparae virginitate argumentatur. 1599
Battus, eadem saepius ineptè iterat. 1639
enthusiasmum laudibus extollit. 1981
in Morauia aliquandiu Iudaicis Rabbinis operam dedit in Hebraicis literis. 1900
afflatus spiritu Anabaptistico & Schvvenckfeldico. ibid.
de Ecclesiae testimonio admodum magnificè sentire & scribere videtur. 1907
sensum scripturae ait esse ipsam scripturam. 1966
fraudulenter & sycophanticè Chrysostomum citat. 1972
Rungius Lutheranus calumniatur. 1487
stultescit. 2045

S.

Sacerdos seu Sacerdotium & Sacrificium sunt relatiua. 599
Sacerdotes Hierosolymis amandati ad bellum contra Romanos gerendum. 227
eorum insignis apud omnes auctoritas. ibid.
olim Scribæ, aut Cancellarij, aut prætorio præfecti. 243
Sacerdotium legis naturæ quiuis, præsertim familiæ princeps, obire poterat. 601
Sacramentarij quot capita, tot sensus habent; & singuli spiritum iactitant. 26
Sacramentum est gratia sanctificantis practicum signum. 716.717
Sacrificium cruentum, potest esse figura incruenti, & contra. 601
crucis, æternum est, quoad fructum, non quoad exercitium. ibid.
Salomon à Deo reprobatus, non egit vnquam pœnitētiam. S. Augustini sententia. 79.80
Ecclesiasten composuit post peractam pœnitentiam, veterum Iudæorum sententia. ibid.
in Ecclesia Iudæorum concionatorem egit. ibid.
Ecclesiasten scripsit ante suum lapsum 77.78 79 80
non reprobatus à Deo, Martini Delrij sententia. 80
Libri Sapientiæ & Ecclesiastici auctor ex sententia Bellarmini. 95.96.248.254
cùm suos misisset allatum auri & argenti pondera, attulerunt simias & pauones. 577
Nouatoribus Selomoh. 943
item Schelemo. 1009
Samaria, Nouatoribus Semariiah. 943
item Schomron. 1007
Samaritani à Rege Assyriorum defecerunt. 244
cum aliis alioqui hostibus suis, contra tertium hostem sese vnierunt. 245
per variam idololatriam à vera religione & electa diuinitus plebe sese abiunxerunt. 430
Samson peculiari impulsu sancti Spiritus morti se obiecit. 285
Nouatoribus Schimschon. 1008
item Simson. 1009
Samuel iussu Dei, non vi & efficacitate Pythonissæ aut artis Magicæ, euocatus & excitatus. 259.260
eius anima Sauli apparuit. ibid. 261.262
Nouatoribus Schemuel. 1008
non fuit Sacerdos, sed iudex tantum. 1221. 1229. 1230
per quandam dispensationem holocausta per sese obtulit. 1230
Sancti honorandi & inuocandi. 701
Sanedrim senatus à Moyse constitutus. 479
Santes Pagninus Lucēsis, ex Catholicis recentioribus, vertit ex Hebræo & Græco tota Biblia. 939
de eo iudicium Genebrardi, & Theologorum Hispanorum. 941 942
corrigitur & corripitur à Montano & aliis. 946
Vide V. Pagninus.
Saul humano iudicio fortiter se interfecit. 285
Nouatoribus Schaul. 1009
inter Prophetas. 1980
Savvbrandus Caluinista. 244.247.1029
cauillator, calumniator, sycophanta. 422
Vide V. Sibrandus.
Caluino alicubi nuncium remittit. 1030
S. Hieronymum & vulgatā editionem veneratur. 1034.1035
eius ex VVitackero coagmentata rudissima rhapsodia. 1054
Caluinum nominat sanctissimum Dei seruum. 1064
Origenem & D. Hieronymum ait sæpè errasse in sensu Grammatico. 1077
stultissimos syllogismos fabricat, eosq; quasi ex Bellarmini officina profectos venditat. 1101.1223.1252. 1257.1260 & seq.
ait, quædam in Lutheranorum & Caluinianorum cōmentariis non euolui sed inuolui: obscurari, non illustrari. 1111
& suum, & suorum gregalium dogma euertit. 1130
Bellarmino ea affingit, quorum contraria Bellarminus disertè palamq; scribit. 1172
contradicit Symmystis suis, & sibimetipsi. 1230
historiæ imperitus. 1345
repetit subinde mendacia & calumnias. 1357
Irenæum deprauat. 1365.1366
Bellarmini sensum & mentem distorquet ac peruertit. 1378
vtitur vocabulis inusitatis & ineptis, vt rem tenebris magis inuoluat. 1444.1446
Deiparæ virginitatem in partu tuetur contra Bezam. 1598
docet Apostolum Græcè loqui vel scribere. 1612
expilator VVitackeri. 1650.1651 1840
Schlüsselburgius Prædicans & Superattendens Lutheranus. 75
propositiones de bonis operibus damnat. 325
refellit Sturmium, dicentem, partem non debere esse iudicem. 1334
Scholastici Doctores sententias suas Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ iudicio subiecerunt. 372
Scotus opinatur characterem non posse perspicuè ostendi ex Scriptura & Patribus: aliis contra sentientibus. 353
non dubitauit de charactere, sed tantùm de probatione eius ex Scriptura & Patribus. 361
veritati absq; probatione assensus, absq; medio ad finem pertigit. ibid.
Scriptura essentialiter in literarum & characterum certa delineatione sita. 380
fit & denominatur obscura, ab obscuritate rerum. 1114
magnum & vtile memoriæ subsidium. 1559
expeditior quædam discendi ratio est, & ad plures facilius funditur. 1850.1851
Scriptura, per excellentiam & antonomasiam, Scripturam Canonicam significat. 173
sacra vel sancta, eodem modo nihil aliud quam Scripturam Canonicam designat. 192

est

Digitized by Google

est Epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam. 208.209
non est authentica, nisi Ecclesiæ auctoritate, nimirum respectu nostri. 396.412
in se,& quoad se, diuina. 413
nasus cereus, aut regula Lesbia, respectu Prædicantium. ibid.
sæpè vtitur hyperbole ad rem aliquam extollendam. 587
recipit plures sensus. 653
solo eius auditu, velut precatione quadam, noxiarum virtutum virus depellitur. 863
ex ea, licet non intellecta, sanctimonia quadã contrahitur, & dæmones nobis insidiantes, velut ex opere operato pelluntur ac fugantur. ibid.
thesaurus eius infinitus, quod ad sentẽtiam attinet. 952
clausa est & operta. 991
non sufficit ad omnes omnino fidei quæstiones componendas & determinandas, quia non omnia dogmata fidei continet. 1088
est mare, in quod plurima introierunt flumina. 1096
eius obscuritas vtilis. 1097.1113
tanquam amicus familiaris, sine fuco loquitur ad cor. 1099
aptè concepta & instituta est, licet plurimam obscuritatem affusam habeat. 1113
illuminat. 1114
etiam vbi clarissima videtur, ita est difficilis & obscura, vt Interprete certo egeat. 1117
lucerna nobis est prout ponitur supra candelabrum Ecclesiæ Catholicæ. 1139.1147.1174
liber signatus, & ideò per interpretationem resignandus. 1145.1158.1159
non est iudex propriè loquendo, sed norma iudicis. 1317.1338
varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere, quis sit verus. 1399
absque traditionibus non est sufficiens ad salutem. 1596
dicitur lux metaphoricè. 1967
Scripturæ, Prophetiæ & Propheticæ, latiore significatione appellantur. 98
oracula Dei sunt. 104.105
earum auctoritas ab Ecclesiæ auctoritate dependet necessariò, quoad nos, & in esse cognito. 396.412
à vulgato Interprete sincerè, candidè, fideliter & perspicuè latinitate donata. 952
etiam doctis obscura. 1086
sine Ecclesiæ magisterio & interpretatione nõ possunt intelligi. 1094
optimè secum consentiunt. 1106
earum caligo vtilis & fructuosa. 1113
nominantur aliquando à Patribus faciles, claræ, apertæ. 1174
vsq. ad tempora Esdræ non erant redactæ ad formam librorum. 1556
interdum ex Sacerdotum negligentia longo tempore non inueniebantur. 1556.1557
perfectam & plenam doctrinam partim exhibent, partim vnde sumenda sit, monstrant. 1675
Sebastianus Castalio hæreticus, tota Biblia latinitate donauit. 934
Vide etiam V. Castalio.
Sebastianus Heissius Societatis Iesu. 107.428
Sebastianus Munsterus Iudæus potius quã Christian⁹. 935
prius Monachus Franciscanus, postea ad Zvvinglianam sectam transfuga. 936
Vide etiam V. Munsterus.
teste Luthero, crebro errauit in sua ex Hebræo trãslatione. 982
Sedecias rex successit Ioachin siue Iechoniæ. 175
à Nabuchodonosore in Iechoniæ locum constitutus. 176
Seneca vtitur verbo Apologauit. 755.781
Septuaginta Interpretes illo ipso spiritu diuina oracula verterunt, quo Prophetæ eadem protulerunt, & in literas retulerũt. 449.471.473.480.481.486.488. 543.686
totam Scripturã veterem transtulerunt. 471.481
ex Concilio Sanedrim, flos Sapientiæ Hebrææ. 476 492
omnibus Prædicantibus Hebraicè longè eruditiores & peritiores, totiusq. gentis doctissimi. 646
potius fuerunt vates, quàm Interpretes. 693
grauissima eorum auctoritas. 951
Hebræi nati. 1012
Sergius Pontifex Trullanam Synodum erraticam damnat. 89
Seruetus asserit Deum in lapide verè esse lapidem, in ferro, ferrum, &c. 6
Lutheri primum, deinde Caluini quoq. Euangelio mirificè illustratus. ibid.
blasphemiarum virus apertè euomuit Geneuæ. ibid.
à Caluino & Senatu Geneuensi combustus. ibid.
Seueriani diuinam naturam passam, crucifixam ac mortuam esse contendunt. 10
Chalcedonensem Synodum calumniantur. 88
Sibrandus Lubbertus Caluinista. 422
Vide V. Savvbrandus.
Lutherum, sanctissimum virũ indigitat. 1073.1090
VVitackeri simius & expilator. 1077.1090
suauiter sibi fingit & componit argumentationes, quasi ex sensu Bellarmini. 1085.1091.1093.1094
nimis apertè iudaizat. 1128.1176
fatetur infantes propria fide carere. 1571
Sichem Nouatoribus Schechem. 942
Sidrach, Misach, Abdenago, socij Danielis. 1006
Nouatoribus Schadrach, Meschach, Habed-nego, vel Sadrach, Mesach, Abednego. ibid.
Sigefridus Presbyter Euangelia Franciscè, hoc est, Germanicè rythmis composuit. 1065
Siluester Pontifex, auctor consecrationis altarium. 1545
Simeon Nouatoribus Simhon. 943
Simeon & Leui fratrum factum laudatur, non modus. 220
Similis simili, iuxta vetus verbum. 817

Digitized by Google

Simon, Nouatoribus Schimhon. 1002
Simoniani negabant Deum verum mundum cōdidisse sex diebus, & in septimo requieuisse. 1648
Sixtus V. Pont. Max. Septuaginta Interpretum editionem recognouit. 139 489
Biblia quæ ediderat, sub incudem reuocare, & accuratius recognoscere decreuerat. 1058.1059
Sixtus Senensis circa septem postrema capita libri Esther errauit, etiam post Concilij Tridentini sanctionem. 128 137 358.362
impegit non vt Sectarius, sed vt filius, cedere paratus, vbi veritas illi declarata fuisset. 358.359. 362.363
vim Tridentinæ sanctionis non est assecutus. 362
Sobna, vel Somna, sacerdos. 242
sacrarum pecuniarum quæstor. ibid.
dispensator thesaurorum domus Dei. ibid.
habitat in pastophorio. ibid.
deponitur à sacerdotio. ibid.
abductus & ipse in captiuitatem cum Manasse. ibid.
in vinculis & ferro mortuus. 243
Solœcophane, quasi apparentia solœca dicta, propter antiquitatis honorem ac reuerentiam. 778.781
Sophonias Nouatoribus Tzephania, & Zephania. 1007
Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus Dionysium Areopagitam laudat. 1653
Spiridion Cypriorum Episcopus, vir sanctissimus. 945
mediocritatem docet eum qui eloquij supercilio tumebat. ibid.
Spiritus sanctus suggerit & dictat Ecclesiæ quinam libri in Canone scripturarum reponendi sint. 103 104
Ecclesiam mouet & impellit ad Canonem Scripturarum constituendum. 104
Auctor Scripturarum. 118 1307
non assistit scriptoribus Canonicis, vt fiant Tullij, aut Demosthenes; sed tantum ne aberrent à vero. 259
illi quidem nihil molestum, sed eius instrumento multa possunt esse molesta. 284
multa clariùs in Scripturis proponere potuisset, si voluisset. 684
promissus Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus. 987. 988
solus verum Scripturæ sensum aperit. 1160 1161
Scripturas interpretatur, voce, interuentu & ministerio Ecclesiæ, vel summi pastoris. 1307
Supremus controuersiarum iudex est, vt per Ecclesiam eiusq; caput loquitur. 1473
Stapletonus rectè asserit, diuinitatem Christi & Dei pendere à testimonio, & iudiciaria potestate Pontificis quo ad nos. 386
S. Stephanus plenus fide & Spiritu sancto, gratia & fortitudine. 734
Stifelius finem mundi præsensit. 841
Stultitia nunquam magis eminet, quàm quando veste syllogistica induitur. 1101
Sus Mineruam. 1989
Susanna castitatis exemplum. 161 954
maluit innocentiæ subire periculum, quàm pudoris. 170
maluit sibi casta esse, quàm populo. ibid.
Sutor ne vltra crepidam. 842 945
Carlstadianus quidam Orlamundi cum Luthero de imaginibus disputauit. 842 843
Schwenckfeldiani verbum Dei in solo interno spiritus instinctu constituunt. 15 20
Scripturā reiiciunt, tanquā literam occidētem. ib.
Schwenckfeldius ex Lutheri schola prodiit. 16
Scripturam non esse verbum Dei asserit. ibid.
Swermeri spiritus ex vernaculis versionibus Scripturæ. 833.2000.2001.2002
Symmachus, Iudaizans hæreticus, multa mysteria Seruatoris subdola interpretatione celauit. 139.965
Ebionita, seu, vt alij volunt, Samarita, postea ad Iudaismum transiens, denuò circumcisus. 959
Synagoga testificatione sua apud posteros libris Canonicis auctoritatem conciliare & conseruare ex officio suo debuit. 389
propter duritiam cordis à Deo reiecta ac reprobata. 990
Synaxes primorum fidelium, similes illis, quæ à Monachis peragi consuetæ, collationes nominabantur. 849
Syriaca lingua cōmunis eo tēpore quo Christus & Apostoli viui inter viuos vitam agebant. 464.794.801.892
affinis Hebrææ. 793 803
vocatur etiam Hebræa. 795.803
Syrica, siue Syra Hierosolymitana. 800.801
regnante Dario Hystaspis filio nomen & originem habuit. 801
eam Christus quoq; Redemptor noster ore, & vsu suo consecrauit ac dedicauit. ibid.
nata post Babylonicum exilium ex Chaldæo idiomate. 801.803
pro diuersitate regionum diuersas habebat dialectos. ibid.
Syricius antiquissimus & sapientissimus Pontifex. 45
Monachos & Sacerdotes, qui illicitis nuptiis implicari volebant, reprehendit. 46
partem illam Canonis, in qua commemoratio & inuocatio Sanctorum continetur, ad illam formam, qua hodie legitur, redegit. 1546

T.

Telesphorus tres dies ad Quadragesimam adiecit pro clericis. 1542
Templum Domini Hierosolymitanum à Manasse vastatum seu profanatum. 240 241
post biennium à profanatione, repurgatum. 281. 282
Terræmotus, tonitru terrestre. 682.683
Tertullianus traditione Ecclesiastica omnibus hæreticis præscribendum docet. 199
librum Enoch pro Canonico habuit. 428
antiquissimus auctor. 764
vtitur multis verbis hoc tempore insuetatis. 785
sacros conuentus Ecclesiæ sui temporis describit. 859. 860
de facilitate legis & Decalogi disputat. 1131.1132

nn ex

ne ex Scripturis quidem cum hæreticis disputãdum existimat, sed ex præscriptione, hoc est, ex traditione Ecclesiarum Apostolicarum reuincẽdos & coarguendos esse. 1380.1381.1382.1383.1641.1690
quod apud multos est vnum, id ait non esse erratum, sed traditum. 1635
traditiones enumerat & vrget. 1689.1690
id verum, inquit, quodcunq; prius: id adulterinum, quodcunque posterius. 1690
baptizatos ait perungi de benedicta vnctione, de pristina disciplina. 1692
ad Montanum desciscit. 1693 1694
Quintillam ex Montani schola procacem feminam, confutat. 1693
Thalmudici fabulatores, & mendacissimi impostores 493. 496
Theodectus poëta, cum in quadam tragœdia vellet aliquid è sacris libris admiscere, oculis glocomate suffusis, erratum agnouit. 477
illotis manibus, & absque debita reuerentia, in sacra volumina irruit. 478
Theodoretus scriptor doctissimus. 305 315
Theodorus Balsamo, Græcus Canonum interpres. 89
ex schismaticorum numero non infimus. 881
omnibus nationibus sacra vernaculè peragendi largam potestatem facit. 882
Theodorus Beza. Vide V. Beza.
reprehendit Basileenses Ministros & Symmystas, quod passi sint Basileæ Biblia Castalionis Latina & Gallica edi. 997
Theodorus Bibliander totus Iudæus & Hebræus. 935
Vide V. Bibliander.
Theodorus Mopsuestenus, magnus sacrarum literarum criminator. 67.68
Scripturam Iob abrogabat. 68
Epistolam Iacobi & alias Catholicas abrogat & antiquat. ibid & 86
Inscriptiones Hymnorum, & Psalmorum, & Canticorum, penitus eiecit. 68
Canticum Canticorum ex libris sacris abscidit. ibid.
libros Paralipomenon, & Esdram repudiauit. ibid.
homo impius & sceleratus, & communi antiquitatis calculo condemnatus. 86
Theodorus Peltanus Societatis Iesu Theologus. 404
Theodorus presbyter Raithu Apologiam scripsit librorum S. Dionysij Areopagitæ. 1652. 1653
Theodorus Studita, insignis auctor, sub Michaële Balbo Imp. 1217
Theophilus Alexandrinus docet legem ieiuniorum esse Apostolicam traditionem. 1686 1687
Theodosius Imperator valde succensuit Armeniis eò quod traditionem à S. Gregorio Armeniæ Episcopo acceptam violassent. 881
Theodosius Iunior Imp non vult Laicos immiscere se Ecclesiasticis tractatibus. 1354.1357
Theodotion ex Marcionista Iudæus factus. 465 959
multa mysteria Seruatoris subdola interpretatione celauit. 539 959 965
iis in locis, quæ Christiana Ecclesia aliquando tanquã authentica, approbatura erat, non errauit. 563
Theognostus Theologus celeberrimus, Consubstantialis nominis assertor. 1652
Athanasio probè notus. ibid.
Theologia omnium scientiarum regina, & diuina sapientia. 374
Theologus nullam vnquam sententiam tuendam suscipit, nisi pro fide, hoc est, pro defensione & explicatione fidei. 364
Theophilus in Palæstina, iussu Victoris, Synodum colligit. 1323
Theophilus Sextus Antiochensis Episcopus. 1170
sub eius nomine leguntur commentarij in Euangelium & Prouerbia Salomonis. ibid.
Theopompus circa res diuinas curiosus, mente motus, diebus triginta. 477
illotis manibus & absque debita reuerentia in sacra volumina irruit. 478
Theraphim vox pluralis, accipitur singulariter. 256
S. Thomas argumentis in contrarium propositis, tandem veritatem definit, validisq; munimentis munit. 221
nomen meriti impropriè accepit, cum dixit; animas in purgatorio detentas mereri. 370 371
Prædicantibus & doctrina & moribus dissimillimus. 1379
Thomas Iames Anglus. 1058
hæreticus Caluinista. ibid
magnificè de Clementis VIII. editione sentit. 1060
conuicia in Clementem VIII. iacit. ibid.
Thomas VValdensis VViclephi dogmata accuratissimè & eruditissimè refutauit. 8
Threni, inscribitur liber, quandoquidem sermones istos lamentatus est Hieremias. 149
accensentur Hieremiæ, tanquam pars. ibid.
numerantur & computantur à multis pro separato & distincto libro. 153
præfatiuncula iis præfixa, Canonica auctoritate prædita. 269
Tigurini non sat intellexerunt Misnicam Bibliorum Lutheri editionem, quare mox aliam cuderunt, non tamen etiam omnibus probatam. 841 938
Zvvingliani. 940.968
per occultas verborum technas & futelas assequi nituntur, quod alij per aperta conuicia obtinere contendunt. 967
bilingues. 968
ostendunt Latinitatis affectatores sibi non probari. 1000
Timor ex magna alicuius opinione & reuerentia nasci solet. 728
Tirolis Rex. 841
Tobias Propheta. 217
de re certissimè euentura vaticinatus est quasi de præterita. ibid.
eius liber Chaldaico sermone scriptus. 793.794
Tonitru cæleste & terrestre. 682.683
Traditio Ecclesiastica omnibus hæreticis præscribit. 199
obseruanda veluti Cynosura. 836
sacrarum literarum fidissima explanatrix. 1717
Traditiones vel diuinæ, vel Apostolicæ, vel Ecclesiasticæ. 1523.1524. & seq.

vel ad fidem vel ad mores spectant. 1527.1530
maximo discrimine dissident ab hæreticorum traditionibus. 1607
qui eas spernit, etiam Euangelium & Scripturam spernit. 1679
omnium ætatũ hæretici eas repudiarũt. 1704.1705
peculiari Dei prouidentia saluæ consistunt. 1845
Tremmelius Iudaizans & Caluinizans. 456.529
ex Syriaco transtulit nouum Testamentum. 938
Vide V. Emmanuel Tremmelius.
primò Iudæus, postea malus monachus, tandem hæreticus perfidus. 961
Petri Martyris socius. 973
tandem Caluinista. ibid.
Tridentina Synodus à Caluinianis & Lutheranis vocatur Antichristi conciliabulum. 3.88
sex Cardinalium, quatuor Legatorum, trium Patriarcharum, Archiepiscoporum triginta duorum, Episcoporum ducentorum viginti octo, &c. 88
eius auctoritas antiquissima, hoc est, potissima. 137
anathema dicit omni illi, qui non omnes à se enumeratos libros, tanquam Canonicos recipit. 152
Canonem à Christo & Apostolis conditum denuò sanxit ac promulgauit. 183
eius decretum de libris Canonicis infallibile. 206
approbatum & confirmatum à Pio IV. 368
Latinam editionem vulgatam decreuit esse authẽticam. 555.558.564.567.942.972.1031
non approbauit menda typographica vel libraria vulgatæ editionis. 608
Trullana Synodus erratica, à Sergio Pontifice damnata. 89
quasi appendix sextæ Synodi habita. ibid.
confirmauit Canones Concilij Carthaginensis. 110
approbauit etiam Synodum Laodicenam. ibid.
Tubingensis Academia nouos Bibliorum versores & versiones perstringit. 948
laudat Osiandrum, quod veterem & antiquitatis nomine gratam translationem non reiecit. ibid.

V.

Valdo Episcopus Frisingensis. 1065
Valentinianus senior Imperator, dicebat, sibi Laico fas non esse, Ecclesiasticas controuersias curiosius perscrutari. 1355
Valentinus hæreticus callidiore ingenio quàm Marcion, manus intulit veritati. 47
nullum Euangelium præter Euangelium Ioannis admittebat. 82
Valla seuerus Criticus. 755
veteris noui Testamenti versionis calumniator. 938
Varemundus Luitholdus, idem qui Martinus Bucerus. 937
Varietas delectat. 857
Vatablus Hebraicè doctissimus. 597
doctissimus & Christianissimus. 1021
Vide V. Franciscus Vatablus.
Vbiquitas articulus fidei Lutheranæ. 1110
Verbum ambiguum ceu scopulum esse vitandum, docet Fabius. 11
Verba obscurè loquentis, præsertim, quando clariùs loqui potest, contra auctorem ipsum sunt exponenda. 75
deponentia passiuè vsurpata ab antiquis. 723
multa aliter fuisse olim vsurpata ac hodie. ibid.
ex priscis scriptoribus excerpta apud veteres Grammaticos. ibid.
occidunt & intereunt, & tandem quasi ab interitu denuò resurgunt. 764
noua & antea inusitata, annis senióque molliuntur. ibid.
in eorum vsu sequẽdam esse vulgi consuetudinẽ. 779
cuique seculo sua. 783
præsentibus vtendum. ibid.
Tertulliani quædam antiqua. 785
Verbum Dei manere in æternum, intelligitur primùm de verbo impresso, item de veritate verbi expressi, item de fructu. 388
prius prædicatum est quàm scriptum. 393
à Prædicante lectum vel pronunciatum, est tantum verbum Dei in actu primo & quoad se, non autem in actu secundo & quoad nos. 413
in se non eget testimonio hominum, sed respectu nostri, vt ei fidem habeamus. 1418
Veritas non pendet à scriptore. 275
densis tenebris abdita delitescit. 355.359
qui absque probatione ei assentitur, is absque medio ad finem pertingit. 361
per Ecclesiæ definitionẽ fidelibus manifestatur. 362
est in Vino, vt vulgò dici solet. 472
amat lucem, non tenebras. 577
omnia obstacula perrumpit. 582
nunquam sectata est fucum. 756
oritur ex rebus. 1163
Verum non nisi ex vero, falsum etiam ex vero colligitur. 433.434
Vesperæ à Lutheranis multis in locis concinuntur, non sine organica harmonia. 854
Vetustas omnis mutationis genitrix. 465
pro magno teste creditur. 950.972
inuisa vox hæreticis 973
nouitate melior. ibid.
Victor Romanus Pontifex controuersiæ de Paschate celebrando finem imposuit, & Ecclesias Asiæ excommunicauit. 1321
Romano Concilio præsedit. 1322
Pascha anniuersarium necessariò celebrari debere die Dominico censuit. 1601
Victorius Schialach Accurensis Maronita, è Monte Libano. 880
Viginti quatuor seniores in Apocalypsi, libros totidem veteris legis denotant. 113
Vincentius Lirinensis Ecclesiasticam traditionẽ necessariò cum Scripturis copulandam docet. 1837
Vinum vetus melius est. 690
fuisse in calice cœnæ infusum, ex Scripturis probari vix potest. 1522.1526
pro Eucharistia adhibendum, aqua miscendum ex præcepto Christi. 1664.1695
Vitus Dieterich, interpres Lutheri. 17
Vlphilas vel Vulphilas Gotthorũ Episcopus Arian⁹. 816.817
Scripturas in linguam Gotthicam transtulit. 816

Digitized by Google

diuinitatis Christi testimonia corrupit. ibid.
Vnctio per oleum & chrisma, traditio Apostolica. 1692. 1693. 1717
Vnicornis cornu bifurcum instar Crucis. 683
Vox viua docentis, multum lucis & claritatis rebus addit. 1143. 1147
audita perit, littera scripta manet. 1844
Vtile per inutile non vitiari, est axioma Iuris. 1670
VValdo seu VValdus VValdensium seu Pauperum de Lugduno parens, idiota planè indoctus. 829
VValdenses haeretici, laici idiotae. 829
nouum Testamentum & vetus vulgariter transtulerunt. ibid.
falsè & corruptè exponunt Scripturam, vt, sui, pro, sues. ibid.
in omnibus fuerunt ciuitatibus Lombardiae. 830
praedicabant in tectis. ibid.
viri & mulieres, parui & magni, nocte & die, non cessant discere & docere. ibid.
parum orant propter studium. ibid.
cùm in vnum conueniunt, primùm dicunt, Cauete, ne inter nos sit curuum lignum. ibid.
suam doctrinam praecipiunt occultari clericis. ibid.
loquuntur per signa, quae nullus intelligit, nisi ipsi. ibid.
Clericos vocant Scribas, religiosos, Pharisaeos. ibid.
intendebant clericos & claustrales redigere ad statum fossorum, per ablationem decimarum, & possessionum. ibid.
quicquid Ecclesiae Doctor docet, quod per textum noui Testamenti non probat, hoc pro fabulis totum habent. ibid.
conuicia iaciunt in Ecclesiam Romanam. ibid.
nati sunt circa annum Domini M. C L X. 831
VViclephus haeresiarcha. 9
scripsit Deum debere obedire diabolo. 8. 9
Biblia in Anglicanam linguam conuersa populo ad liberam lectionem diiudicationemq; proposuit. 831
VVidmanstadius, Ferdinandi Imp. Cancellarius, primus Syriacum testamentum typis descriptum euulgauit. 464
primus in Germania Syriacae linguae assertor & restitutor. 1994
Ioannes Albertus nominatus, non Lucretius. 1995
VVilhelmus Canterus vir eruditus. 949
Biblia ex Hebraeo & Graeco transferre constituerat, morte praeuentus. ibid.
VVilhelmus dux Bauariae, immodestae matronae maritum nobilem relegauit. 1072
VVilhelmus Hacketus, lymphatus quidam Caluinista Anglus. 2003. 2004
duos comites suos Prophetas creauit. 2003
Christum repraesentat. 2004
nouus rex Europae. ibid.
VVitackerus relationem de veteribus haereticis ex Bellarmino transscripsit, suppresso Bellarmini nomine. 47
testibus suis fidem detrahit. 111
thraso. 128
liberalis in recipiendis noui Testamenti libris. 293
Luthero manum porrigit. ibid.
totum ferè caput ex Bellarmino exscripsit. 465
refellit impudentiam Iunij. 468. 469
sua vineta caedit. 543. 1243
ex Iunij Caluinistae sententia, religioni pariter & rationi aduersatur. 545
testimonium contra se dicit. 576
succurrit Bezae, contra Guilhelmum Reginaldũ 585
periclitatur, ne à Luthero in Haereticorum Catalogum referatur. 589
quae maximè premunt, silentio praeterit. 657
totam Ecclesiam Latinam & Graecam accusat. 676
Caluinista cum Caluinista Iunio pugnat. 711
expilauit scrinia Erasmi. 725
dissidet à magistro suo Beza. 728. 731
professor Regius. 729
nimis praeproperè sententiam pronunciat. 738
supra magistros suos sapere doctus. 740
palã profitetur vniuersam Ecclesiã posse errare. 813
ait se suosq; Basilio & Hieronymo plurimum tribuere. 842
reiicit Dionysium Areopagitam. 907
popularis Minister prehensat populum. 909
fatetur multos inter Caluinistas suos esse profanos. 910. 913
multos Caluinistas ait esse sanctos. 913
scrinia Bellarmini & aliorum expilat, & in sua scripta transfert. 917
etiam ipsum Apostolum literas docet. 1183
in Academia Cantabrigiensi ordinarius professor. 1222
contradicit suis, sibi, textui, rationi. 1244
manuscripta Bellarmini dictata vidit & expilauit. 1258
fatetur causas grauiores olim ad Ecclesiam Romanam delatas fuisse. 1337
tuetur Lutheranos, quamuis exiguam ab illis ineat gratiam. 1536
salutem paruulorum dicit non pendere ex Sacramentis. 1569
falsat, falsatumq; abs se Chrysostomum allegat. 1615
pueriliter verborum inuolucris & ambiguitate ludit. 1623
Kemnitium repudiat & refellit. 1624
praedicat suam suorumque in sanctos Patres obseruantiam. 1643
habuit Controuersias Bellarmini calamo exaratas, prout ab auditoribus in schola fuerant exceptae. 1644
Dionysium Areopagitam spurium & supposititium affirmat. 1651
Erasmum laudat. 1674
Damascenum reiicit. 1675
non omnes traditiones nostras proscribit. 1726
diuerticula quaerit. ibid.
Kemnitij defendendi cupidus, sub cultro eum linquit. 1813. 1824
battologus & tautologus. 1824
Damascenum palàm repudiatum pro patrono adducit. 1838
scribere, interpretatur, corrumpere. 1844

verba Bellarmini improbè & audacter mutilat. 1847.1848
quod ratio dictat, quod cor suadet, id aut assensu comprobare, aut ore proferre non audet. 1952
sextum praeceptum Decalogi numerat: Non occides. 1963
Vulgare ac leue fit, quod leue vulgus habet. 907
Vulgus imperitum. 809
Ecclesiastici magisterij plerunque impatiens. 837
cùm maximè Sapientiæ opinione tumescit, tum vel maximè stultescit. 898
non requiritur in eo scientia, sed bona vita. 899
ad contemptum sacrorum pronum. 907
VVolfgangus Hermannus à Rullo perstrictus. 396
VVolfgangus Musculus Caluinianus Prædicans. 642.697
commentarios suos in Psalmos non sine noua translatione prodire voluit. 937

X.

Ximenius Cardinalis laudatus. 1055

Z.

Zabulon Nouatoribus Zebulun. 943
Zacharias, Nouatoribus Zechariah. 943
item Zecaria, vel Zechavia, vel Sacharia. 1008
Zebedæus Nouatoribus Zebadiah. 943
Zosimus Romanus Antistes Pelagianam hæresin denuò damnauit. 1391
Zvvingliani post Lutheri Germanica Biblia, alia euulgarunt. 1015
Zvvinglius verba Christi, hoc est corpus meum, perperam interpretatur. 426
Psalterium ex Hebræo vertit, item Isaiam & Hieremiam. 936
versionem suam noua nomenclatura complanationem appellitat. ibid.
dicit, ea quæ à priscis scripta sunt, eruditiora esse, quàm vulgo putetur. 972
Rabbinisticos Interpretes perstringit. 986
Septuaginta Seniorum versionē omnibus antefert, etiam Rabbinis. ibid.
Rabbinorum Canones Grammaticos discendos censuit, sed perfunctoriè. 987
Nouator maximus. 1004.1010
illius pædagogus ater an albus. 1504

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google